IOANNIS DE PINEDA HISPALENSIS, E SOCIETATE IESV,

COMMENTARIORVM IN IOB, LIBRI TREDECIM.

TOMVS POSTERIOR,

Continens posteriores Commentariorum Libros ſeptem, id eſt, poſteriora quinque & viginti Capita.



HISPALI

IN COLLEGIO D. ERMENEGILDI SOCIETATIS IESV.

EXCVDEBAT CLEMENS HIDALGVS. CIↃ.IↃCII.

Summa del Privilegio.



Ste ſegundo Tomo de los Cõmentarios ſobre JOB, del P. Ioan de Pineda de la Cõpañia de Jeſus, tiene privilegio de ſu Mageſtad, para que por tiempo de diez años no ſe imprima, ni venda ſin licencia de ſu Auctor, como parece por ſu original firmado del Secretario Miguel de Ondarça çavala, ſu fecha en Valladolid a .23. dias del mes de Iulio de mil y ſeyſcientos y dos años.

Facultas P. Provincialis.



Elchior de Gadea Provincialis Societatis IESV in Provincia Bethica, poteſtate ad id mihi facta a R. admodum P. N. Claudio Aquaviva Generali Pręposito, facultatem concedo, ut poſterior Tomus Cõmentariorum in IOB a P. Ioanne de Pineda Sacrarum Litterarum profeſſore compoſitus, & noſtræ Societatis virorum gravium, atque ſapientum judicio examinatus, & approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & noſtri officii ſigillo munitas dedimus, Hiſpali, die prima Ianuarii, Anni milleſimi ſexcenteſimi primi. 1601.


Melchior de Gadea
Provincialis.

Eſta taſſado eſte libro por los Señores del Conſejo, a Tres Maravedis el pliego.

CENSVRA OPERIS.

COMMENTARIA HÆC Patris Ioannis de Pineda Societatis Iesu in Iob eruditißimi viri, & de Sacrarum Litterarum apparatu benemeriti, de supremi Senatus mandato diligenter perlegi: in quibus nihil Fidei Orthodoxæ contrarium inveni, imò multa ad Sacram Scripturam rectißimè, verißimèque intelligendam perutilia, & valde necessaria paßim cum admiratione reperi: elucet enim in eis trium linguarum maxima peritia, ingenii mirabile acumen, & genuina sensuũ Sacræ Scripturæ explicatio, cum cæteris ornamentis, quæ in doctißimis & eruditißimis auctoribus desiderari poßũt. Cuius rei jam antè specimen præbuit, editis in lucem, cum magna nostra utilitate, sex prioribus libris in priora capita Iobi, qui sanè indicabant, quales esse deberent insequentes: atque adeo quãtùm nobis lætitiæ attulit labor ille: tantũ intulit desiderii nondum partu absoluto: timebamúsque fore, ne immatura morte auctor præreptus, imperfectum relinqueret tam præclarum opus. Quamobrem judico illud quamprimùm emittendum in lucem, ut omnes jam perfruãtur tam incredibili eruditione, gravitate, doctrina; auctorémque obsecrare, atque obtestari debemus, ne cesset ab scribendo, cùm illius opera tantam lucem attulerint, atq; in dies allatura sint toti Christiano orbi. Madriti, in nostro Conventu Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, die duodecima Ianuarii anno D. 1601.

M^r. Fr. Ioannes Temporal
Diffin^or. Generalis.



FIDEI ET HISPAL. ECCLESIÆ DEFENSORI VIGILANTISSIMO.

ILL^mo. AC REV^mo. D. D. FERDINANDO NIÑO DE GVEVARA S. R. E. CARDINALI.

IVRIS ET CONSVLTORVM PRVDENTISSIMO.

IOANNES DE PINEDA,

E SOCIETATE IESV THEOLOGVS. S.

IOBVS Ille meus diu, atque multùm fortuna duriore conflictatus, jacens usq; in tenebris, sub tua tandem luce, Ferdinande Cardinalis amplissime, lucem accipit florentissimę fortunę, & præstantissimę gloriæ. Quippe quem priori illa meorum Commentariorum parte, omni dignitate spoliatum, exturbatū fortunis omnibus, versantem adhuc in molestiis

maximis, jacentem in sterquilinio, sordidatum, ulcerosum, anhelantem, ac propè agentem animam, non tam voluntate deserui, quàm necessitate reliqui; jam absoluto opere, eũdem post tot cõmissa certamina, tot defunctum periculis, tanquam reducem ex acri, & pulverulento prælio, ovãtem, suæ dignitati restitutum, atque adeo amplissimis, non Fortunæ, sed Dei muneribus fortunatissimum, nõ in saxo illo globoso, & volubili instantem, sed ad constantem, & sempiternam gloriam erectum, omnibus profero, uni tibi offero; Tibi, inquã, Illustrissimo Antistiti, voti hujus persolvendi Susceptori. Enimvero cùm confecta navigatione dubia, atque difficili, procellis à tergo relictis, mei operis, & sacrorum mercimoniorũ navem, cum ipso Iobo seu Nauclero, seu Vectore, ad firmissimas anchoras porrectã, incolumem, tutámque subduxerim; ingratissimus videar, si ad sacram aram, & Numinis genua tabulam ceratam non figam, & vota non reddam navigationis, & itineris duci, Potenti maris Deo. Quod verò olim nuncupandis votis solenne, hoc mihi in solvendis necessarium; ut Pontifex aliquis præiret, qui vota & accepta Deo sua pietate redderet; & coram populo auctoritate sua dictãdo firmaret. At qualem per te (Deus bone) Pontificem; quam magnum Flaminem; quantum nacti sumus Mystagogum! Sequar igitur præeuntem, per quem & mei voti, & mei operis compos sim. Opus dico, Lucis istius, id est, Dignitatis, & Gratię tuę calore maturatum, decoctũ, atq; adeo non omnino, ut spero, acerbum, aut injucundum. Et verò quid summus Nobilitatis, Sapientiæ, Dignitatis, Pietatis splendor tuus non perficiat? non melius reddat? Desiderabat hanc lucem tũ Fœlicitatis Iobi, tum mei operis absolutio. Hoc tuum; hoc lucis proprium (vt magnus ille Dionysius dixit) *Non solùm ad vitam excitare, alere, augere, sed purgare, absolvere universa, quæ ad illam capiendam explicantur.* Hujus rei testes, vitę tuæ clarissimæ ætates, & gradus omnes, in quibus auxisti, absolvisti, quæcumq; attigisti tuo lumine. Testes

Dionysius. c.4. Divin. Nomin.

amplissima munera, quę tu muneribus actionũ optimatũ, & virtutum omnium splendore exornasti. Testis illa, qua profuisti quãplurimis, IVRIS INTELLIGENTIA, quod per tot ãnos, in amplissima Regii Granatẽsis Senatus Sella prę cęteris sedens sub Regali Solio, æmulatione quadam SOLIS IVSTITIAE, cũ summa integritatis, & sapiẽtię laude administrasti. Testis ipsa Catholica Fides, quã SVPREMVS CENSOR dum summa fide, summa cura inquiris, tueris, illi affers lumen, Hæreticis lucifugis ignem; utroque nomine præclarè de Christiana Religione meritus. Testis nostra, potiùs tua, Hispalensis urbs, quujus orbitas, pestilẽtia quadã fatali per triennium penè exhaustæ, ob tot acerbissima funera sordidæ, squallidę, tuo accessu abeũte ex loco pernicie temporis gravissimi, & pestilentissimi, salubritatis, & amænitatis lucem aspexit, ex istis pennis, & radiis luminis tui sanitatem ipsam propè manu percipiens; & in tua tandem pręsẽntia, & præsidio, tanquam in Hospitalis Sideris tutela conquiescens. Testis lux ipsa orbis terrarum, Arcem dico Romani, atque adeo Christiani Imperii, quam tua luce complesti: ut nullus in illa tam hospes, tam peregrinus fuerit, qui tuã virtutem, tuos radios non senserit, non perspexerit. Testes Augustissimi nostri Reges Philippi Secũdus, Tertius, quorum Senioris Sapiẽtia, Consilium, Pietas; Iunioris, Naturæ flos, Spes, spei primores Fructus ubertimi, atque lætissimi, utriusque Majestas maxima censuit te dono quodam Providentię genitum, virum magnum, Decumanum, nõ modò *Corculum*, ut qui DENA CORDA, quĩ illorũ rebus, Regni rationibus, STATVI adesses, prodesses, consuleres, sapiẽtissimorũ CONSILIORVM facilitate, fęlicitate, altitudine. Testis ipsum Ecclesię Catholicę caput Pont. Max. Sãctiss. Octavus Clemens, qui te nondum de facie, sed de clarissimis Sapiẽtiæ, rerum Gerendarum peritię, Pietatis meritis notissimũ publica bonorum omnium gratulatione ad Sacri Collegii Senatum evexit; SENATVM, inquam, ut Romani Oratoris verbis utar, *Principem salutis, mentisque publicæ*, asylum

Perantiquæ Guevararũ Nobilitatis Stemmata, dena Corda.

Cice. de Arusp. & pro Domo.

mundi; caput omnium Communitatum; in quem allecta tantùm Regnorũ lumina, Ingeniorũ culmina, Ecclesiarũ decora; in quo melior pars orbis Christiani; &c. ut olim de Romana Curia Casſiodorus dixit, *Flos humani generis*; denique ipsum Pontificum Maximorum Seminarium. Cujus, cùm Romæ præsertim degeres, quanta pars ipse fueris, cum multa testantur, tum illud, quod Sanctisſ. Pontifex incredibilis amoris, & benevolentiæ significatione, atque honoris officiis privatim, publicè, in urbe commorantem, ex urbe discedentem prosequutus, manibus ipse suis impositis EPISCOPUM creavit, unxit, consecravit; & in partes occiduas Hispalensis Bethicę, quasi itineris circulo confecto fęlicisſimè, velut beneficum de Cęlo Sidus remisit, nõ minùs clarisſimarum virtutum muneribus, quàm officiorum honoribus auctum, quæ singula potuissent maximos quosque viros amplificare. *Meritò* sanè (de Sole Dionysius) ἥλιος, *id est, Sol dicitur, quòd* ἀολλίζει, *id est colligat, congregétque dispersa.* Tu verò,

Cassiodorus lib. 1. vari. c. 13.

- - - - - - - quæ divisa beatos
Efficiunt, collecta tenes. - - - - -

Claud. Pan. 1. in Stilic.

REGALIS EX GALLIA SANGVINIS cum prima Hispanię nobilitate conjunctio; ingenium gravisſimum, idémque mitisſimum; Rerum humanarum, simúlque Divinarum Sciẽtia; Civilium æquè ac Sacrorum administratio; Forensi bello non minùs, quàm pace Vrbana res sanctè, & fœliciter gestæ; enitent in te singula, flammant omnia. Quid si addas fulgorem TIARAE PONTIFICIAE; ignem SACRAE PVRPVRAE, quo accēduntur, & incitantur? *Principi nostro* [de te videt quidã dixisse ex nostro nomine] *quanta concordia, quantúsque concentus omniũ laudũ, omnisq; gloria contigit! ut nihil severitati ejus hilaritate; nihil gravitati simplicitate; nihil majestati humanitate detrahitur! Iam firmitas, jam proceritas corporis, jam honor capitis, jam dignitas oris, ad hoc ætatis indeflexa maturitas, longè, latéque Principem ostentant.* Sed submittam orationem meam ad modestiam

Plin. in Paneg. Traja.

animi tui ; quippe considero , non quid virtutibus tuis debeatur, sed quid aures tuę pati possunt: &, ut alienisnō utar, ipsa me res, & argumentum operis ad te ducunt. Iobi Sacerdotis Sanctissimi, Principis ęquissimi summa foelicitas, septem filiis clarissimis, tribus filiabus honestissimis, Die, Cassia, Cornu-stibii, aucta, & exaggerata, harum non solùm pulcritudine, verùm etiam appellatione formam Optimi Præsulis expressit, virtutes designavit. Cùm enim Virtutum aliarum operibus exornatus esse debeat, at *Diei* lucem domi suæ, tanquam in fonte luminis, contineat, animo asservet, pectore *Illuminationes perfectionis* gestet; neque aliter ex illo, quàm ex Sole, nascatur, illuceat *Dies* mortalibus. *Diei* adsit germana odoratissima *Cassia*; ut non solùm fruātur lucis suavitate, qui suum Antistitem adspiciēt; sed etiam capiantur, tanquam odoratu, famę celebritate, & verissima sanctitatis existimatione, qui absentes audient; nemo coram objicere; nemo pinsere a tergo ; nemo illum vestiget, qui pietatem continuò non odoretur. Ad duas sorores tertia accedat Gratia, *Cornu-stibii*; gratia, inquam, qua miseros quosque, & indigentes dignetur; quippe ex se ipso, tanquam ex Copiæ cornu, profundat bonorum omnium copiam, quibus alat, recreet afflictos; &, tanquam ex medicato vasculo, medicinam faciat vitiosis oculis, ne lucem reformident; labantes, timidos linat lenitate, tanquam collyrio quodam : conniventes aperiat , dilatet ope , consilio, admonitione , quasi *Platyophthalmo* : ac nemo tandem ex suis popularibus sit, qui ex eo penu, tanquam ex medicinis, medicinam suis incommodis non petat, non reperiat. Hæc tu, Illustrissime Antistes, cùm pręstes cumulatissimè, cúmque Iobi instar summi Patientię Pancratiastę, Fortunæ inconstantiam, & inanissimos splendores rerū omniū humanarum despicientia superes: cùm adversos illius impetus exaggerati animi magnitudine nō reformides; quę de Iobo dixi; quæ tu cogitabis, animo paulisper abducto a severioribus curis Pastoralis muneris , tua propria sunt;

Iob.42.14.

Exodi. 28. ℣.3. Pones in Rationali iudicii אורים ואת תומים

Plin.li.33. c.6. Stibii vis principalis circa oculos: nāq; ideo etiam pleriq; Platyophthalmō id appellavere, quoniam in Calliblepharis mulierū dilatet oculos.

erunt ea, quę ego ampliùs dicam, supervacua. Sed illud tamen nunquam tacebo, quod meum est: quod Societatis nostræ: quod singulorum Sociorum: singularia tua in nos omnes merita. prædicavit hæc in Vrbe Italia: prædicat ubique Hispania: clamat res ipsa, & benevolentia singularis, quam nostri Ordinis semel suscepisti, semper retines, auges indies. Ego verò gratiam illam, qua me dignaris, nunquam referam: sed tamen sequar memoria sempiterna. Illi si non deberem, quidquid possum, at debere vellem: at volens, lubénsque deferrem. Sed homo ex Societate tibi adstricta; ex Hispalensi urbe tua Sponsi, Parentis optimi, omnia in Pontificem Hispalensem amplissimum, summa & singularia studia debeo. Studiorum igitur munus non tā offero, ut liberum studii munus deferam: quàm ut meritū, necessitate quadam voluntatis, vel potiùs cupiditatis, debitum adferam; parvum a tua amplitudine, & meritis: non minimum a meo labore, a diuturnis lucubrationibus, & vigiliis: magnum ab ipsius argumenti difficultate, obscuritate, varietate, majestate: magnopere, ut spero, tibi a mea voluntate probandum: a te, a tuo Nomine, & Lumine cęteris: quibus videatur, necesse est, mei laboris sterilitas gēmas agere sub hoc Sidere. Hoc mihi, licèt in meridiano honoris, & dignitatis vertice, quod umbram nō facit, pro umbra salutari ab Invidentiæ Canicula; cuujus proprium odisse aliena, latratu terrere, morsu adurere. Tibi verò juvandi, tegendi, tuendi, Dignitas, Facultas, Virtus, Volūtas constans, perpetua.





IMAGINVM SEQVENTIVM,

in hoc loco opportunitas, ratio, uſus.

Quarum major intelligentia petenda ex Prioris Tomi Commentariorum Præfationis Capite. VII. Quod inſcribitur,

IOB PASSVM ESSE, VT CHRISTI PATIENTIS FIGVRAM EXPRIMERET.


CVM In permultis Veteris Teſtamenti hiſtoriis expreſſa, & prævivida Chriſti Ieſu imago reperiatur, at ita archetypum in illis typis contueri licet, ut non omnia illius delineamenta, & indicia in omnibus, ſed vel ſingula in ſingulis, vel ad ſummum pauca in paucis præfigurentur. In uno & ſolo Iobo & ſingula ſingulis, & omnia fere omnibus in Chriſto Domino, ſponte ſua, ſine vi, & induſtria aliena ita ad invicem poteris contendere, ut non aliter, quàm in paralellis lineis prima, media, ultima, primis, mediis, ultimis ad amuſsim reſpondeant; neque ichnographicè ſolum lineamenta, ſed carnem etiam, nativóque quaſi ſalientes ſpiritu arterias, nervosq; venturi ſui Domini, & Redemptoris ſciographicè expreſsit, ut non ſolùm e regione verba verbis, factisq; facta, ſed & decuſſatim verbis facta, factisq; verba mutuò ſe in utroque reddant, artificio ſummo, planéque Divino. Hujus ergo tam admirabilis artificii intuitu cũ rapi me ſæ-

pius ſenſi, cum ingenti voluptate cognoſcēdi,atq; ſcribendi,curavi ſingula utriuſq;, id eſt Chriſti Ieſu, atque Iobi geſtorum & dictorū inſigniora momenta æneis formis incidi,&ad vivum,quantùm artificis induſtria pateretur, paralellis imaginibus deſignari,non tam humanæ artis, quam cœleſtis picturæ pulchritudine, & admiratione perfuſis: Has ego decreveram in fronte Prioris hujus operis Tomi præfigere, vbi etiam cap. 7. Præfationis fuſiùs rem totam explicandam curavi, ut deſcriptioni ſcriptionem adjungerem ijs verbis, quæ pro commentario picturæ eſſe poſſent. In hanc curam dum incumbo, & ſpero rem in Belgio breviùs perficiendam, factum eſt ſive artificum inopia, ſive operæ, & exarandi labore, ſive procurantium lenta induſtria, ut ſpe & deſiderio prohiberer. Itaq; Prior Tomus priùs in lucem exire neceſſe habuit, quàm imagines ex Belgio in Hiſpaniam appellerent. Adfuerunt tandem, ſi nō opportuniſſimè, opportunè tamen poſteriori Tomo: nam uterque ejuſdem rei eandem integram imaginem abſolvit: neque quòd illi optimè conveniret, huic peſsimè diſſentiet; neque quod fronti maximè opportunè alligatum fuiſſet, importunè appendetur brachio, aut inſeretur fœmori. Tu, Lector benevole, illis fruere & ſcienter, & fructuosè, & gratater, atque Chriſti Ieſu in Iobo per omnes vitæ gradus, memoriam aſsiduè recole.


SEQVVNTVR IMAGINES.


VIR IN TERRA HVS NOMINE IOB.





























VIR DOLORVM ET SCIENS INFIRMITATEM.























AD LECTOREM.

DIV Et nolens, & repugnans, sed vacillantis tamen naturæ legibus necessariò concedens, opus intermisi, quod resumptis viribus resumpsi, & confeci tandem tibi, Lector, non minori cum desiderio, & alacritate, quàm cum animi dolore deposueram e manibus. Etsi enim deposita in tempus tanti operis sarcina, ut respiraret non solùm tenuis, sed afflicta valetudo, refugere visa est laborem; sed refugit tamen, ut posset confirmatis viribus redire in aciem. Est enim in vero Proverbio; Vir fugiens iterum præliabitur. Congressus itaque cum opere prædifficili, prælongo, præmolesto, vici tandem, ac confeci illud. An etiam difficultates superarim, & confecerim, ut rebus difficilibus facilitatem, obscuris lucem, multitudini distinctionem & electionem attulerim, aliorum esto judicium. Illud scio non futurũ omnibus idem. Quis enim dubitare unquam potuit, varia semper & discrepantia fuisse hominum de una & eadem re judicia, & sensus? Si quidquã in manus, oculosq; hominum emittas, non aliud sit, quàm in Theatro spectandam publicè comediam exhibere; & illam singulorum cujusque sortis, aut ingenii cẽsuræ permittere; ex quibus alii plaudant, alii non. Atque equidem singulari humanitati omnium, in quorum manus pervenit Prior ille meorũ Commentariorum Tomus, quamvìs plurimùm a me deberi libentissimus fatear, quòd singuli propè amiciores de illo tulerint sententias, urbaniùsque acceperint, quàm fortase opus ipsum meretur; non tamen mediocrem amicissimorum illorum, acutissimorúmque pariter in ferendis suffragiis pugnam reperi. Quidam enim non modo optarunt, sed etiam verbis, & epistolis a me contenderunt, ut in Posteriori Tomo Commentarii ipsi ampliores fierent: Quidam ex adverso, ut contraherentur, & succinctiores incederent. Nonnulli in illis plura, quæ ad concionandum inservire possent, optarunt: Alii illa tantùm ut exhiberentur, quæ ad expediendam dilucidè, & breviter Scripturæ sententiam pertinerent. Illi, ut frequentioribus uterer aliorũ Sacrorum librorum testimoniis; Hi, ne aliis locis etiam opportunè, & exquisitè adductis propriam sententiam impedirem. Aliqui accuratam illam rerum vel sacrarum, vel prophanarum eruditionem ad illustrandum alicujus sententiæ sensum reconditum, superuacuam censuerunt; Aliqui, potuisse me ea in re cum lectoris, & jucunditate, & utilitate amplius aliquid laboris & industriæ contulisse. Curam aliquam purioris dictionis damnarunt Quidam; Quidam majorem desiderarunt. Paraphrasis Quibusdã probatissima; Quibusdam inutilis, & supervacua. Rebus etiam minutissimis parcendum non judicarũt; & in indicibus, & ratione citandarum rerum, atque verborũ fuit sensuum dissensus; postulantibus aliis secundum folia, & paginas referri, e quibus petenda res esset: aliis interim capitula ipsa & versiculos, quod factum

est,

est, cōprobātibus. Et quod magis mirari ultro quis possit, in ipsorū & typorum, & characterum, & marginum majuscula, aut minuscula quantitate, pro uniuscujusque sive animi, sive oculorum acie discrepatum est. Ego interim inter hæc tam dissimilia sui judicia, qui non mihi uni meo judicio, sed alieno pluribus placere, & utilitati publicæ inservire studeo, decrevi plurimorum ex partibus discrepantibus sententiam sequi. id est, nullatenus mutare scribendi, & commentandi stilum; sed contuendo effigiem Prioris Tomi, continenter contendere, quantum in me est, ut hic alter illum referat totus, tanquam uterinum fratrem, imo tanquam gemellum; simul enim conceptus uterque, simul formatus, utique simul excludendus atque ablactandus videbatur; aut saltem edendus statim secundus, calci prioris inhærens. Sed deficientibus viribus, cessit alter alteri; non ulla lineamentorum, aut naturæ dissimilitudine; sed dispari tantum temporis, & nascendi sorte. Sed hanc tamē disparitatem, ne quid in secundo minus sit, temperavit non solum major capitum numerus, & rerum scitu dignissimarum copia; sed laboris & operæ multum, quo urgentius a me ipso contendam, in Lectoris mei gratiam, ut quantum mea feret valetudinis, & ingenii tenuitas, non incedat hic Posterior sordidior, aut magis pannosus, & eruditionis ornamentis vacuus, quam Prior; imo & fortasse cultior, & locupletior. Quem si, Lector, præ tua humanitate, & urbanitate benigne susceperis, illiusque opera & dulcedinis aliquid, & utilitatis persenseris, mea non solum abundè explebis vota, sed transfundes etiam in me animos, & indefessam voluntatem ad plura, & majora quedam sine molestia conficienda, quæ non sine labore, jam in incude sub malleo mihi contrectantur. Vale.

POSTERIORIS Tomi partitio in septem, quos continet, Commentariorum libros, Capita posteriora viginti septem, Colloquia quinque, Certamina sex; atque finem Certaminum; Indicatio etiam materiæ singulorum librorum atq; Certaminum petenda ex Priori Tomo, cujus initio præfixa est Divisio totius operis: Tum etiam ex Præfatione insequētis Capitis XVIII.



IOANNIS



IOANNIS DE PINEDA HISPALENSIS, E SOCIETATE IESV,

COMMENTARIORUM IN JOB,

LIBER SEPTIMVS.

Certamen ſeptimum, id eſt, Secunda IOB cum Baldad diſputatio.



PRÆFATIO

De opportuna prioris, ac poſterioris Commentariorum tomi in decimo octavo capite diviſione.

1. Recta operis diviſio perſimilis anatomicæ diſſectionis.
2. Hujus operis diviſio in cap. 18. ab aliis quoque ſervata.
3. Peculiare argumentum ſequentiũ capitum usque ad libri finem.
4. Doctrina Aethica, atque Theologica hujus libri.
5. Elogium Sancti Iobi, & tum in patiendo conſtãtia, tum vis in loquendo.



QVOD IN humani corporis Anatomica diſſectione ſolet accidere, ut cũ artifices corpus reſecãt, nõ diſcedentes ab ipſius naturæ artificio, ſingulos articulos, & jũcturarũ cõmiſſuras diligenter obſervent; (nam qui fortuitas, & ſine arte inciſuras ſuſciperet, nõ diſſectum, ſed lacerum potius, divulſumq; corpus exhiberet) idẽ profecto ipſum ſcribenti, commentantive magnum aliquod opus, evenire neceſſe eſt, niſi opportunas totius, ſingularumq; partium juncturas ad dividendum præmeditatus obſervet, ſi non

1 Libri diviſio in ſuas particulas, ſimilis Anatomicę ſectionis.

2 discerpere, & lacerare opus, sed partiri recteq; dividere velit. Ergo non temere casuve aliquo, sed cum certa ratione, & consilio universi hujus operis, quod in duos tomos distributum est, in decimo octavo capite divisioně constituimus. Nam & Ambrosius, cum duos tantum libros *De interpellatione Iob*, scribat, posteriorem ab hoc ipso loco auspicatur: Philippus quoque presbyter, quem Beda sequitur, non aliunde ducit initium secundi suorum Commentariorum libri. Magnus vero Gregorius nō solum divisionem hanc servare docuit, tam quā duarum præcipuarum totius libri partium; verū etiā hoc ipsum caput decimum octavum, cum ceteris sequētibus, peculiari præfatione instruit, ut quæ diversam a prioribus decem & septem capitibus materiam contineant.

Ambros.

Philippus.

Gregor.

3 Verum enim vero cum priora septemdecim capita in hoc omnino insumantur, ut vel status rerum sancti Iob proponatur, vel ipse priorem suam fælicitatem commemoret, atq; præsentě cladem deploret, vel morbos incredibiles, quibus laborat, enumeret, vel vitæ miserrimæ odium, mortis vero salutaris ardentissimū votum exprimat, vel tandem suam innocētiam improbis calumniis tentatam, omni via, atq; ratione tueatur, atq; in his omnibus perfecti viri formā præbeat; Nunc certe in posteriori libri parte, comparat se ad suscipiendum bellum pro stabilienda veritate Catholicorū dogmatum de Dei Providentia, Sapientia, Potestate, de mortuorum Resurrectione, de novissimo Iudicio, de sempiternis impiorum Pœnis, æternaq; Sanctorum Beatitudine. Quamvis enim etiam priora capita ab hac materia nō omnino abstineant; at certe posteriorum peculiaris, ac propria videtur, & sigillatim suis singula certaminibus, & disputationibus evincuntur, & absolvuntur: ut diligenter ostendere conatus est R. Moyses in suo *Ductore dubitantium*, lib. 3. c. 24. dum totius libri Iob summam meditatur.

Materia priorum capitum.

Catholica dogma a asserta a Iobo.

R. Moyses.

4 Nunc igitur Sāctus Iob jā incipit *Ecclesiæ, quæ columna est, & firmamētum veritatis*, figurā repræsentare; nam, ut acute observat hoc loco Gregorius, *Iob in suis passionibus, doctusq; locutionibus Sanctæ Ecclesiæ typum tenet: amicis vero ejus quædam recta, & quædā stulta loquentibus, non immerito hæretici figurantur.* Ergo quondā Ethicen docuit, nūc Theologiam; olim non solum verbis, sed actione potissimum, & exemplo rectā humanæ vitæ, atq; morum instituendorum philosophiam docuit; aberrātesq; aliorum philosophorum sententias, non alio argumento, quam ipsa suæ vitæ ratione, & malorum gravissimorum incredibili sustinentia refutavit. At nunc non tam actione, quam ratione, & disputatione verissimam Divinarum rerum scientiam tradit, atque Hereticos, non sentientes de Deo in bonitate, plane redarguit.

Iob figura Ecclesiæ.

Gregor.

5 Quare ad priorem hujus libri partě, atq; materiam illud pertinet, quod graviter, æque ac sapienter scripsit Alexādrinus Clemens lib. 4. Strom. *Iob propter insignē continentiam* (intellige singularē in rerum omnium usu frugalitatem, atq; modestiam) *& fidem eximiam* (veram in Deo, cujus fidē tenebat, fiduciam quoque, & firmam spem, non in caducis vitæ bonis) *ut qui pauper quidē ex divite, ex illustri abjectus, ex pulchro deformis, ex sano morbidus factus sit, est nobis præclarum exēplar propositus, pudore afficiens eum qui tentaverat; benedicens ei, qui formaverat; secundā ferens ita, ut prima; recte docens Peripateticos, eum, qui est cognitione præditus, recte posse uti omnibus.* Nimirum Peripatetici præter vitium, alia quoq; mala fatebantur, quæ contra utilitatem, corporisve delectationě essent. At Stoici, si quis a peccato abstineret, nihil mali habere posse, etiā in mediis malis. Ad posteriorem libri partem, nempe eam, quam nunc aggredimur, illud spectat, quod argute dixit Ambrosius, *Iob mysteria loquebatur.* Et rursus: *Non carnis gemitus, & corporis infirmitates, sed voces spiritus loquebatur; quibus urgeret, non quibus cederet; non enim ægrotabat animo, & si doleret corpore; quia non erat in carne ejus anima, cujus passionibus non adhærebat, sed in spiritu, cujus virtute se texerat.* Quare sive corpore, & virium infirmitate cum fortissimo hoste confligat, sive mentis & rationum pondere cum amicis depugnet, *generosissimum athletarum* (ut aliquādo vocat magnus Cyrillus) semper illum invenias. Sed jam certamen ipsum, atq; prælium propius spectemus; in primisq; ipsum Baldad, qui gestu, ore, oculis minas, & contumelias spirans, ne verbo quidem violatus ad singulare certamē virum sanctissimum, cōtumeliis, & maledictis ultro lacessivit.

Clemens.

Iobi elogiū.

Peripateticorū dogma.

Peripateticorum dogma.

Stoicorū doctrina.

Ambros. lib. 2. c. 2.

Iob athletarū fortissimus.

Cyrill. in Apol. ad Theodos.



CAPVT XVIII.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Iobi responsis punctus Baldad, illum iterum animi in præsentibus ærumnis impatientis, & in anteacta vita impietatis insimulat. Propterea pati digna sceleratis hominibus supplicia.

Vers. I. *Respondens autem Baldad Suhites, dixit.*

1. *Iniqua disputatio Baldad; officiumque sapientis disputatoris.*
2. *Natura illius, qui ex contentione, & ambitione disputat. Illustratus Ionas.*
3. *Irasci in sacro sermone, quid proprie. Desiderare. Illustrati Michaas, & Ieremias Propheta qualis.*



MINIME æquā fuisse hanc dispu-
I tationem Baldadadi, vult Olympiodor⁹. *Sauchæorum* (inquit) *Tyrannus tyrannice disserit.* Origenes quoque in catena initio capitis 19. *Sauchæorum* (inquit) *Tyranni sermones tyrannidem spirant.* Et quidem omnia *bene audiendi* præcepta, quæ a sapientibus tradi solēt, contempsisse videtur, idque plane ostēdit ipsa responsio tumultuosa; atque maledica. Inter alia enim, quæ *de audiendo* Plutarchus præcipit, illa sunt; *ut qui audit, nō tumultuetur, neq; crumpat in latratū ad quodvis dictum, neq; extemplo adoriatur contradicendo.*

Iniquus, & tumultuosus disputator.

Olympiod.

Origenes

Plut. de Audit. officio.

Bene audiē-di præcepta.

Sed præterea aliam illius tyrannidis in disputando rationem possumus ex Chrysostomo petere, quod non solum acerbe, & contumeliose loquatur, sed quod *disceptator*, atque simul *etiam judex* in hac sua causa esse velit: ut judex itaq; silentium Iobo imperat. Et *hoc*, inquit, *agunt, cupiuntq;* omnes amici, ut Iobo os obstruant, loquēdiq; facultatem adimant, & ex miserrimo pectore erumpētes gemitus, per sævitiam, & immisericordiam, qua posint ratione, cōprimant; urbanum illud, opportunumque *septē dierum* silentium, nunc importune cōpensantes ambitiosa quadam loquacitate ne videātur vel inferiores disputando, vel plus æquo Iobi sapientiam criminati fuis-
2 se. *Atque id non amplius consolantiū, sed multo maxime irritantium, & convitium facientiū est opus,* ut ait Chrysostomus. Quod manifesto argumento esse potest, non jā ex simplicis veritatis asserendæ studio, neque ex sincera amicitia disputare. etenim qui non tā humanitate quadā animi, & infirmitatis proximorum compassione, quam vel cōtendēdi, vel suæ gloriæ, & existimationis tuendæ cupiditate ducuntur, nimis timent, ne, si quidpiam de suæ disputationis rigore, & severitate, aut de suæ contentionis, & reprehēsionis minis, & acerbitate remittāt aut si is, cum quo illis controversia est, permittatur libere pro se dicere, ac se tueri, & vel melius, vel æqualiter respondere ad ea, quæ ipsi objiciunt, in detrimentum sui honoris redundet. Non aliter atque Iōnas, qui dedecori, & ignominiæ sibi esse existimabat, quod Deus non subvertisset Niniven, etiam ante impletum illum *quadraginta dierum* numerum. Sic enim scribitur: *Afflictus est Ionas afflictione magna, & iratus est &c. Scio enim, quia tu es Deus clemens, & nunc Domine, tolle, quæso, animam meā a me, quia melior est mihi mors, quā vita.* Septuag. pro *irato*, habent; *confusus est*, & recte: nam
salutē Ninivitarum ignominiosam sibi pu- 3
tabat. & sane verbum originale commotionem quandam animi affert, iræ similem, ex metu, aut suspicione alicujus mali, & cum zelo quodam, & æmulatione conjunctam, cum quis ob bonum alterius irascitur, & indignatur. & sic ab eadē radice dicitur Psal. 36. 1. *Noli æmulari in malignantibus.* Hieronymus: *Noli contendere.* Contentione igitur, & quadam animi inhumanitate laborabat tum Ionas, tum Baldad, quorum ille neque Ninivitas vivere contra suas minas, hic vero neque Iobum vincere contra suas rationes, ferre poterat. Quanto melius ille, qui dicebat: *Vtinam essem vir nō habens spiritum* (prophetiā; neque ex Divina revelatione, sed ex meo potius cerebro loquerer) *& mendacium* (quod meam tātum existimationem læderet, vobis incolumibus) *potius loquerer.* Non aliter in mediis illis ardentissimis comminationibus Cōcionator ille humanissimus, *Diem hominis* (destinatum supplicio, quē ego prædico. Pagninus, *diem contritionis.* Complu. *diem infirmitatis*; vel *doloris.* Idem cum Latina lectione, *diē hominis*, (Enos, miseri, & calamitosi) **Non desideravi* (non existimo mihi decens, decorum, pulchrum. Nam verbum originale, *Ivah*, significat desiderare, quod pulchrum, decens, decorum, & gloriosum homini existit) *Tu scis.* At Baldad, & cæteri amici *diem Iob*, & calamitosum tempus miserrimi hominis, ut sibi decorum, & gloriosum desiderare videntur, & e contrario sibi turpe, & dedecus ducunt, si ille objecta crimina repellat, & ostendat se innocentē.

Chrysostom.

Tyrānus, in sua causa judex.

Nota ambitiosi disputatoris.

Iona. 4. 1 2.

Ira Ionæ qualis.

LXX

הרה

Hieronym.

Mich. 2. 11.

Propheta sui honoris contemptor.

Ierem. 17. 16.

* No pongo yo en esso mi entrañi mi gusto.

אוה

II. Usque ad quē finē verba jactabitis? Intelligite prius, et sic loquamur.

1. *Lectio, & Correctio Vaticana.*
2. *Cum quo nunc expostulet Baldad? Ambitiosa disputatio fraterna charitatis inimica.*
3. *Numerus multitudinis tributus singulari homini, & cur.*
4. *Linguæ Hebraicæ cõsuetudo. Illustratus Vulgatus.*
5. *Iactare, quid proprie.*
6. *Elucidatio sententiæ.*

1 Vera lectio. TAnquam totius expositionis fundamētum statuenda est vera, germanaq; hujus sententiæ lectio, quę numerum multitudinis habet. Nã licet in ipsis Latinis, Vulgatisq; codicibus varietas quædam lectionis fuerit, multi enim, ut Gregorius, Divus Thomas, Lyranus, Hugo, in numero singulari legerunt: *Usque ad quem finem verba jactabis? Intellige prius, &c.* tamen Vaticana editio merito retinet numerum pluralem, ut qui Hebręo respondeat, & in Latinis antiquis habeatur, sic enim legunt Hieronymus, Philippus, Beda.

2 Quæstionis explicatio. Hoc posito, illa se statim difficultas offert, cum quo nunc loquatur Baldad? nam minime loqui cum solo Iobo, probare videtur ille numerus multitudinis. neque vero cum aliis amicis, a quibus neque re ulla, neque verbo provocatus videtur, ad hujusmodi orationis acerbitatem. Interpretes non eodem modo respondent. Eugubinus (*Steuchus.*) sane existimavit adversus duos tantum, videlicet Iobum, & Eliphaz indignari Baldad, idque, vel quia longiori Eliphazi oratione se prætermitti, & contemni existimasset Baldad, vel quia sibi dicere, & respondere gestienti, non prius ille suus amicus cessisset. Mirum ut ambitio, & contentio disputandi soleat interdum amicorum animos abalienare, & inter ipsos fratres seminare discordias, & velut intestino, & civili bello infensos reddere sibi invicem filios, & discipulos, parentibus, atq; magistris, senioresque adolescentioribus, & in eadē republi: & in eadem familia, & domo *invicem provocantes, invicem invidentes*! (Ambitionis malum.) Hæc enim videtur illa invidię, iræ, & contentionis *acies*, quæ aliquid crudelitatis, & indignationis sonat, & fratres in sese mutuo armat, de qua Scriptum est: *Ferrum ferro exacuitur, & homo exacuit faciem amici sui.* (Proverb. 27.17.) Septuaginta Compiut. *& homo irritat faciem amici.* (LXX) Hac igitur etiam ratione adversus Eliphaz potuit indignari Baldad. Alii (*Osorius.*) in universum cum suis omnibus amicis, Iobo excepto, ajunt expostulare, quod illi plane assecuti non fuerint Iobi mentē, & ita dicentem commode refellere nequiverint. Ita videtur Hieronymus Algarbiensis.

3 Iob appellatus numero multitudinis. Sed quidem illud videtur lenius, & congruentius, ut cum solo Iobo nunc & disputet, & illum appellet numero multitudinis: Sed quorsum? Cajetanus (*Cajetan.*) existimat honoris gratia sic appellari Iobum. Sed mirum honorari nunc a Baldad, quem manifestis convitiis lacessit. Philippus, & Beda (*Philippus, & Beda.*), quod Iobum non solum esse existimet, sed pravo aliquo spiritu comitatum. Sic Philippus: *Quasi non sit sincerus, vel solus Iob, a Baldad verbosus arguitur, sed potius, qui spiritu, nescio quo instigante, loqui non desinat. Unde & hic ipse Baldad quasi contra plures nunc loqui exorsus est.* Alii, quod nō solum Iobū, sed ejus etiam similes alloquatur eodem vitio laborantes.

4 Germana responsio. Hebraismus. Sed ut, cum solo Iobo disputans, illum appellet numero multitudinis, potius ad familiarem linguæ Hebrææ consuetudinē, quam ad ullius honoris grave aliquod momentum referri oportet. Quare nō mirum quod ad Iob a Baldad irato, atque indignãte hæc dicantur. Sic sane intellexerūt Septuaginta (LXX): *Quousq; non cessabis? Cohibe te, ut ipsi loquamur: & cur tanquam quadrupedia tacuimus coram te?* Idemque sequentia exigunt, quæ cum solo Iobo expostulationem continent. Similia exempla observari possunt non raro in Scripturis, præsertim in Originali, ubi numerus pluralis, pro singulari ponitur. Sed illud peculiarius cum sermo fit ad secundam personam singularem per numerum multitudinis. (Numerus pluralis pro singulari.) Mich. 1.11. *Transite vobis habitatio pulchra.* Quam constructionem, non tam ad rationem nominis collectivi, quam ad ipsius linguæ consuetudinem, & familiarem numerorum permutationem servavit Vulgatus, præsertim cum in Hebręo sit, *Transi vobis habitatrix pulchri,* (Illustratus Vulgatus.) id est, popule habitator pulchri, & uberis soli Samaritani, *transi* in captivitatem. Sic solet apud nostrates secunda persona singularis numeri cum secunda pluralis confundi, aut verbum singulare cum pronomine plurali jungi, ac si dicas, Vos fac rem istam, &c.

5 *Usque ad quē finem?* Proprie est, *Usque quo finem imponitis loquendo?* Sed quoniam his verbis Iobum insimulat loquacitatis, & insolentiæ, recte illustravit Interpres dicēs: *Verba jactabitis:* eisdem videlicet querimoniis, eisdemque sæpe responsionibus, cum tędio, & contentione repetitis. & quidem Eliphaz indicat se punctum illo Iobi verbo, c. 16.3. *Verbosi amici:* regerit enim simile, (Iactare.)

le,

le, vel etiam acerbius convitium, quod verbo *jactandi*, recte ſignificatur. *Iactari* enim dicuntur probra, & convitia, & querimoniæ inſolentiores, atque tumida, & jactantia verba, quibus ſe homo locupletem faciat, & ſua ſe prædicatione efferat.

Intelligite prius. Non intelligis o I O B,
6 quodnam ſit noſtræ diſputationis caput; nam tota controverſia poſita eſt, non tam in reſtitutione tuarum facultatum, aut alicujus novæ felicitatis, quam tibi polliceamur, quam in confirmanda & aſſerẽda Divina Providentia, quæ juſtis bona, malis mala rependit. Hæc ſi attendas, nec indigne tecum agi jactabis, neque ſalutares noſtras exhortationes reſpues. Etenim tuis reſponſionibus ſaltas extra chorum: aliud namque nos agimus, aliud tu reſpondes. Sequitur ſimilis alia expoſtulatio.

Sententiæ paraphraſis.

III. Quare reputati ſumus ut jumẽta, & ſorduimus coram vobis?

1. Bruta muta. Hominis excellentia, & facultas orationis. Rationis, & Orationis affinitas.
2. Sordeſcere quid in Hebræo. Animalia immunda.
3. Sordes Orationis, & labiorum. Illuſtratus Iſaias.

1 NOn ſolum (inquit) extra rem, temereque reſpondes, ſed plane inſoleſcis: Nam cum de nobis dixeris; *Cor eorum longe feciſti a diſciplina*, reputare nos videris *ut jumenta*, beſtias, pecora campi; In Hebræo eſt numerus ſingularis, *ut jumentum*, tamquam aliquod ex brutis animalibus, ut quibus neque inſit ratiocinandi vis, neque ulla dicendi facultas, neque reſpondendi locus, & tempus concedi debeat. In eundẽ ſenſum Septuaginta dixerunt: *Cur tãquam quadrupedia tacuimus coram te?* Ea enim re, vel maxime perſpicitur hominis excellentia præ cæteris brutis, mutisq; animantibus, quod ſermonis facultate polleat, cujus cum muta animantia omnino expertia ſint, at quædam in illis adumbratæ intelligentiæ, & prudentię veſtigia ſæpe videmus; quæ res non paucos in errorem adduxit, ut exiſtimarent, illis etiam rationẽ ineſſe. Et ex ſermonis quidem ſimilitudine quadam decepti rationẽ aliquibus tribuerunt, Porphirius lib. 3. de Sacrificiis c. 1. ex Melapo, & Tireſia, & Apollonio Thianęo, qui ajebãt, ſe intelligere garritum hirundinum; Et Opianus Elephantis ait ineſſe patrium ſermonem; & non deeſſe, qui ſuo tempore intelligerent latratus canum, ululatus luporum, barritum elephantum, cantum gallorum, ſcribit Auguſt. lib. q q. ex veteri teſtam. q. 3. Maxima eſt ergo orationis, atque rationis ſocietas, ut Cic. dixit. Hinc hominibus, quibus ſermonis uſus non eſt, capiſtrum, vel fiſcella imponitur, quæ eſt brutorum oris operculum, aut vinculum, atq; ſilẽtii ſymbolum: Scriptum eſt enim, *Poſui ori meo cuſtodiam*, hoc eſt frænum, capiſtrum, chamum. Hieronym. *ſilentium*. Quod autẽ Cajetanus hanc cum *jumentis* comparationem refert, non tam ad ſtupiditatẽ omnis rationis, & orationis expertem, quam ad belluinam quandam feritatem, cum bruta cæco impetu feruntur, & ferociunt, quaſi illos I O B vocaverit ſævos, & immites, hoc (inquam) non videtur valde congruens.

Lucida ſentẽtiæ paraphraſis. — LXX. — Sermonis facultas in homine. — Porphirius. — Opianus — Auguſtinus

Rationis, & orationis affinitas. — Silentii ſymbolum. — Pſal. 38. 2.

2 *Et ſorduimus.* Non omnes eandem verbi *Tama*, ſignificationem agnoſcunt, nam Regia, poſt R. Moyſen, & R. David legit, *Clauſi ſumus in oculis veſtris.* dicitur autem *clauſus corde*, qui mentẽ habet clauſam, obtectam, gravatam quaſi aliquo ſuperinjecto operculo, ne poſsit aperte, & clare res intueri; & eo forte reſpexit Tygurina vertens, *Vobis obſtinati videmur*. Quod enim clauſum eſt, idem obfirmatum, certum, obſtinatum eſt. Vatab. *ſtupidi.* verum hãc ſignificationem nunquam agnovit Vulgatus Interpres: quare hi potius deducunt a radice *Taman*, quod eſt abſcondere, & cooperire. Ergo cum Latino conſentiunt alii, R. Levi, & R. Abraham: *immundi*. Pagninus, *Sorduimus*. Vatablus etiã, *Polluti*. Sed hanc immunditiã refert ad contemtum rei viliſsimę; nam quæ immunda, & polluta ſunt, rejicimus, & averſamur; ita ut ſenſus ſit, Nos contemnis o Iob, atque faſtidis, ut rem immundam, & indignam oculis mundiſsimi, & delicatiſsimi viri. Alii, ut ſit quaſi *jumentorum* epithetum, & appoſitum partis præcedentis; Reputas nos, ut ſordidiſſima jumenta. quędam enim beſtiæ ſemper habitæ ſunt immundæ, atque ſacrificiis, & eſu indignæ; tum etiam beſtię in ſordibus, cœnoq; volutãtur, & *jumenta computreſcunt in ſtercore ſuo*.
3 Sed profecto videntur eæ ſordes ad orationẽ pertinere: Oratio noſtra, ut ſordida, & immunda contẽmnitur, nauſeas ad ea, quæ tibi ſuggerimus, quaſi minus culta, & terſa, & non niſi e medio vulgi ſenſu petita; mundo, & emunctę naris homine indigna. Immũditiæ orationis, & *ſordes labiorum* aliquãdo dicũtur in Scripturis. Iſaię. 6. 5. *Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego ſum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito.* Cum enim ſanctorum Angelorũ, qui Divinas laudes prædicabant, æmulatione accẽderetur Iſaias, tamen putavit, ſibi non licere impuro, &

טמא — טמה — R. David. — Tygur. — Vatab. — טמן — Pagninus — R. Levi. — R. Abraham. — Animalia munda. — Sordes orationis, & labiorum.

sordido ore, id est, sordida, & vili oratione, supremi Numinis sanctitatem usurpare: sicut e contrario mundities, & *castimonia* purgatissimorum verborum commendatur. Psal. 11. 7. Illud vero, quod indicat Osorius, hæc etiam dici ad amicos: *Cur reputamur à IOBO, vobis audientibus, atque videntibus, ut jumenta,&c.* coactum est.

Osorius.

IIII. *Qui perdis animam tuam in furore tuo, Nunquid propter te derelinquetur terra, & transferentur rupes de loco suo?*

1. *Perdere quid. Epithetorum usus, & forma in sacris. Illustrati Moyses, & David*
2. *Tertia persona pro secunda. Ira adversus se ipsam furẽs. cujus similis. Nunquã permittẽda dominari.*
3. *Forma insolentis querimoniæ. Derelinqui in sacro sermone quid.*
4. *Montes in regionis mutatione potissimi.*
5. *Rupes in sacro sermone quid. Illustrati Moyses, & Samuel. Germana sententiæ expositio. Signum perturbati animi.*

1 Perdere. טרף

QVI perdis. *Perdere*, proprie est, rapere ferarum more, aut discerpere, vel laniare. Quare Theodotio dixit; *Rapiens animam tuam in furore.* Alii, *discerpens.* Epithetum est, & vocãdi casus. q. d. Heus tu, animæ tuę raptor, & dilaniator. Cum autem epithetorum usus in sacris pereleganssit, & non una tantum ratione fiat, frequenter tamen per participium præsentis temporis exercetur: illa enim epitheta sunt Psal. 113. 7. *Suscitans de pulvere egenum, & de stercore erigens pauperem.* & Genes. 49. 11. *Ligans ad vineam pullum suum.* Sed hæc epitheta, & participia claritatis gratia, per relativum exponere solet Interpres, ut in eodem Psal. 113. 9. *Qui habitare facit sterilem in domo.* prop. *Collocans sterilẽ,* vel, *Collocator sterilis in domo*, & Psal. 114. 8. *Qui convertit petram in stagna aquarum,* proprie, *Conversor,* vel, *convertens petram.* & Deut. 33. 16. *Qui apparuit in rubo.* prop. *Apparens in rubo,* vel, *Habitator rubi.* Similiter ergo hoc loco; *Perdens animam,* id est, *qui perdis animam.* Vnde clare patet mendosam esse lectionem, quam Isidorus clarius habet: *Quid perdis animã tuam,&c.*

Epithetorum forma varia.

2 Personarũ permutatio.

Est autem in Hebręo per tertiam personam: *Perdens animã in furore suo,* quod tum elegantiæ, tum illius linguæ consuetudinis est, ut tertia persona pro secunda accipiatur. Nos etiam diceremus: *A vos digo, el que se mata con sus manos.* Hebraismum sapienter dissolvit Interpres, vertens per secundam personam: *Heus tu, vitæ tuæ dilaniator?* tui corporis discerptor; qui adversum te ipsum furore, & amentia raperis. Septuaginta * *Vsa est te ira,* q. d. Principẽ in tuo animo locum, & tui sermonis habenas irę immoderatæ concessisti: illa cum intemperans, & effrænata sit, non potest tuas actiones moderari. Tibi *pro ratione est impetus,* ut feris. Et illud iræ proprium, quod *in se revertitur*, ut ait Seneca: *Tenetur itaq; à proximis, & rogatur, ut ipse sibi ipsi placetur: nam sua labia mordet, caput quassat, vestimenta scindit, & se in columnas impingit.* Ille inquam: quo *utitur ira,* de qua est illa gnomica Theognidis sententia. *Nil ira injustius est, quæ habentẽ lædit, animo mala gratificans.* At si ratio utatur ira, instrumẽtum erit ad res præclaras. vid. Senec. lib. 1. & Plutar. in qq. Platonic. 8. Vbi ex Phædo. *Rationem vult esse aurigam*, at Concupiscibilem, & Irascibilem *par equorum,* quorũ alter, id est, concupiscibilis, *sit contumax, & refractarius, hirtus circa aures, surdus, & qui vix flagello pareat. Irascens verò pars fræno facile obsequens rationis, ejusq; adjutrix.* Si verò ira dominetur, *quasi machinam cõtra se ipsum comparat,* ut Nicetas dixit. *Nã in Deum iracundia incitari, & quasi furentem tanta verborum asperitate uti, & jam vitæ pertæsum mortem ubiq; inculcare, nihil aliud est, quàm in suam ipsius animam stomachum effundere.* Ergo inquit Baldad; Non tu, sed ira, tui animi compos est; &, veluti rabidus canis, tuo te ore discerpis; tui exitii instrumẽtum est tua ista furentis adversum te, & adversus Deum, tui animi excãdescentia. Respicit ad id, quod sæpe inculcavit Iob, suæ mortis votum, & tædium vitę, tum etiam ad id c. 5. *Virum stultum interficit iracundia.*

* Rigeste por enojo, y no por razon, y haze de ti la ira lo q̃ quiere

Theognid.

Seneca.

Plut.

Irascibilis, & Concupis.

Nicetas.

3

Nunquid propter te derelinquetur terra? Illud videtur simplicissimum, quod etiã indicaverunt Græci, ut cùm IOB sæpe de sua morte, deque sua vita loquatur, nunc notetur a Baldad, quòd querelis, & verbis insolentibus utatur, dicatq; non esse de illius morte, aut vita magnopere curãdum. Hispanus diceret: *Si que no por vos se a de acabar el mundo.* Ita de tua vita, ac morte censes, & loqueris, ac si mortalium omnium salus, & interitus ex te penderet. Septuaginta: *Quid enim? si tu mortuus fueris, inhabitabilis erit ea, quæ sub cælo?* Itane te abeunte e vivis, nemo supererit, qui dignus hujusmodi domicilio censendus sit? aut mundi fabrica corruet, quasi tu illam fulcires, & sustentares? nutabunt ne montes; concident a sua sede convulsa saxa; ruetve cælum? Num quid propter tuas res, & tuam istam impatientis animi iracundiam

existi-

existimas fore, ut Deus, qui mortalium ſcelerum ultor, & vindex eſt, à tuo ſupplicio, & vindicta temperet: & illam, quam olim conſtituit legem in impios animadvertendi, nunc novet, & mutet? Qui ſenſus non omnino alienus eſt a ſignificatione dereliquendi, Ghazab. *Derelinquetur*, dimittetur libera, ſine judicio, ſine debita operum compenſatione, præmio, aut pœna. Senſum hunc indicavit Philippus, explicate poſtea tradidit Vatablus, & Iſidorus Clarius.

עזב

Philippus. Vatablus. Iſidorus.

4 Montes petiſſimi in regionis alicujus mutatione.

Et transferetur rupes, &c. Perturbabitur (inquam) mundi ordo, & curſus propter te? Perturbatio autem, & quaſi naturæ rerum immutatio, ex montium, & camporũ mutatione ſignificari ſolet. cujus rei explicatè meminit Strabo, cum de regionum transſmutationibus loquitur lib. 17. *Quoniam (inquit) omnia continuo moventur, & transſmutantur, existimandum eſt, nec terram ita ſemper manere, ut ſemper tanta ſit, nec quidquam ſibi addatur, aut adimatur: quare minime mirãdum eſt, ſi quas terræ partes, quæ nunc habitantur, olim mare occupabat: & quæ nunc pelagus ſunt, prius habitabantur, ſic montes, & campos par eſt invicem commutari.* Philippus ergo *Rupium* nomine, intelligit potentiſſimos quoſque, quos Deus, ſive erigendo ad ſublimes honores, ſive deturbando, & humiliando, ſuis locis, & ſedibus a Divina Providentia præfixis collocat. Hunc ergo ordinem non invertet Deus Iobi cauſa, inquit Baldad. At verò poſt. R. David, Vatablus, cum in Originali ſit pro *rupibus, Rupes*, aut ſaxum in ſingulari, exiſtimat intelligendum Deum, quem immutabilem dicat inſtar immoti ſaxi, neq; commovendũ loco judicii, receſſurumve à ſua ſententia, ut dimittat liberũ, quem ſemel punire, conſtituerit; neque fieri poſſe, ut unius Iobi cauſa rerum legem conſuetam, & ordinarium judicandi ordinem immutet. Et quidem nomen *Rupis* pro Deo ſæpe ſupponitur, præſertim ubi in Hebræo ſubeſt eadẽ, quæ hoc loco vox, *Tſur*, quæ nunc, *Deus*, nunc *Fortis*, nunc *Robuſtus*. ab Interprete Latino vertitur, ſed ita tamẽn, ut multa eo nomine ſignificentur Dei quaſi attributa: aliquando enim ſignificat certum auxiliũ, & opem nunquam defuturam: ut 1. Reg. 2. 2. * *Non eſt fortis* (rupes, ſaxum) *ſicut Deus noſter*. Vel firmitatem, & tenacitatem propoſiti, Deut. 32. 18. *Deum* (rupem) *qui te genuit, dereliquiſti?* Qui fixus, & immotus eſt in te amando, qui *charitate perpetua dilexit te*, non redamas? Sed firmam etiam in judicando ſeveritatem, & ſtabilem ſanctitatem, quæ non flectitur prece, aut pretio, afferre ſolet id nomen. Deut. 32. 4. *Dei* (rupis) *perfecta ſunt opera, & omnes viæ ejus judicia.* Tygurina, *Opus Petræ illius ſolidum eſt, quoniam omnes viæ ejus ſunt judicium.* Onkelus: *Fortis eſt, perfectaque ſunt opera ejus.* Quare ad ſeveritatem quoque, & ſtabilitatem ſententiæ irrogatæ, illud pertinet, 1. Reg. 25. 29. *Triumphator in Iſrael non parcet, & pœnitudine non flectetur.* Sic igitur ait Baldad: *Non transferetur rupes de loco*, aut de ſententia ſua. Cajetanus, ut Baldad ſe, ſuos que amicos, *rupes* nominet firmiter perſtantes in ſua ſententia, neque fieri poſſe, ut ſua aſſertione moveantur, aut *terram*, id eſt cõmunem doctrinam, in qua nati, & nutriti ſunt, derelinquant.

Strabo.

Philippus.

5 Rupes, quorum ſymbolum.

Vatab.

Deus, Rupes.

צור

* No ai tal perſon como Dios, pa hazerſe en el vno fuerte.

Tygur.

Onkel.

Cajetan.

6 Sed præſtat quod primo loco propoſuimus. niſi forte utrumque ſic colligere velis, Numquid propter tuas res, tua que lamenta, ſuæ Providentiæ legem novabit, mutabitque Deus? Iube etiam, ſi placet, ut pro tuo arbitrio, *terra*, quæ nunc habitatur, redigatur ad ſolitudinem: & *montes* e ſuis ſedibus convulſi, alio transferantur. Qui aguntur immoderato aliquo affectu hac circumloqutione deſcribuntur: nam cum perturbate de rebus judicent, perturbari etiam omnia cupiũt, & ſecum rerum ordinem inverti, & commutari, ut illi, qui dicebant, *Volumus à te ſignum videre*. Signum inquam, *de cælo*; ita enim perturbationibus animi agitabantur, ut vellent propter illos, nõ ſolum terræ, ſed etiam rerum cæleſtium ordinem perturbari. Sic etiam Tyrannidem cum ingenti mentis perturbatione Seneca deſcripſit. *Quod fieri nõ poteſt, vult poſſe, qui nimium poteſt.* Ergo quod ex dolore, & humanitatis ſenſu loquitur, & agit Iob, tribuũt immoderatæ animi perturbationi, & inſolentiæ.

Lucida ſententiæ paraphraſis.

Nota effrænati affectus.

Matth. 12. 38. Marc. 8. 11.

Seneca Trag.

V. *Non ne lux impii extinguetur, nec ſplẽdebit flãma ignis ejus?*

1. *Lucis nomen pro Sapientia, & conſilio. Hoc loco pro ſplendida fortuna. Coacervatio vocum ad certitudinem.*
2. *Particula interogativa, afferens. Quid lux. Impius quis.*
3. *Verbum extinguendi quale. Infælicitas impiorũ, quò plus ardet, citiùs extinguitur. Illuſtratus David. Verba Hebræa contrariæ ſignificationis.*
4. *Flamma quid in ſacro ſermone; Peccata quæ ratione dicãtur ſcintilla. Illuſtrati Daniel, & Hoſeas*
5. *Varia expoſitio extinguendæ impiorũ fælicitatis.*
6. *Splẽdor pro matutino crepuſculo. Illuſtrat' Iſaias*

1 NVnc iterum Cajetanus omnibus his *lucis, & ſplendoris* nominibus intelligi

Cajet.

Varia lucis ſignificatio.

exiſtimat veram doctrinã de præmiorum, & pœnarum diſtributione, quã Iobus profitebatur, ita ut dicat Baldad, Iobi, & aliorum impiorum dogmata in ſpeciem tãtum lucentia, brevi extincta iri. Non valde ab

Eugub.

hoc longe Eugubinus, *pro intelligentia, conſiliǫ* accipit: hæc enim quæſitis, partisque divitiis, & obtentis honoribus illuſtrem, & ſplendidum hominem efficiunt. Fit ergo hec ſententia; Impius vera ſapientia, & cõſilio deſtituetur, & ſine luce aberrabit cæcutiens, ſtulteſcet, offendetque paſsim in craſsiſsimis ignorãtiæ tenebris. Sic videtur accepiſſe Nicetas: *Si quidem* (inquit) *qui in lumine ambulant, hi nequaquam offendunt.* Sic quoque Vatablus, pro *prudentia*. & quidem *lucem*, pro *intelligentia*, quę mẽtem illuminat, & viam cõmõſtrat, paſsim accipitur in ſacro ſermone. adeoq; Interpres aliquando *doctrinam* pro *luce* ponit, ut illud Exodi 28. 30. *Pones in rationali judicii doctrinam, & veritatem.* Quod alii dicũt ex Hebręo; *ſplendores*, aut *illuminationes*, & *perfectiones*. Verum hoc loco nõ bene quadrat:

Nicetas.

Vatabl.

Vera expoſitio.

potius enim his omnibus *lucis*, & *flãmæ*, *lucernæq́* nominibus ſignificatur, quidquid lucet in oculis, quidquid ſplendet in fortuna, quicquid in veſtibus fulgurat, in honore, & dignitate nitet, in publico fulget, conſpiciturq;, quidquid in vita, & cõmunis lucis uſura luminum concupiſcentię lenocinatur: denique proſpera cũcta. Sicut eodem *lucis* nomine dictum eſt. Pſal. 26. 1. *Dominus illuminatio mea, & ſalus mea*, qui me illuſtrem, & incolumem ex omnibus tenebrarum, & afflictionum diſcriminibus educit.

Coacervatio vocum ad certitudinem.

Pręterea tot acervatio vocũ idem fere ſignificantium, non ſolum vim addit orationi, ſed etiam firmitatẽ, & conſtantiã pręductioni, & veritati, ut pro certiſsimo habeatur, nihil ſplendoris perpetuo conſervari ab impio poſſe. nam illa

Scripturæ regula.

Scripturæ regula eſt valde obſervãda, repetitione ejusdẽ vocis, aut ſynonymis, nõ ſemper ſignificationem augeri, ſed ſemper tamen vim addi ſententiæ, aut propter ſignificationis augmentum, aut propter peculiarem aliquem affectum in ipſa ſententia indicatum. Iam peculiare aliquid de ipſis vocibus dicendum.

Non ne? Interrogatio hæc nullam dubi-
2 tationem habet, ſed potius aſſeverationẽ, quam ex Hebręo expreſſerunt Septuaginta per particulam, *et. Et lumen impiorum extinguetur.*

Particula interrogativa aſſerens.

גם

אור

Symmachus, *Profecto*, etenim, equidem, etiam, *lux*, quæ diem efficit, videlicet Sol, aut dies ipſe, & illuminatio, ſicut dictum eſt Genel. 1. 5. *Appellavit lucem diem.* Vox a lucendo, vel illuminando dicitur, eſtque communis ad omnia, quæ lucent, Solem, ſtellas, fulgura, & ignem.

Impius quis.

רשע

Impii, proprie; Improbe agentis, inquieti, quem impietas non ſinit quieſcere, ſed perpetuo exagitat, & furere cogit. *Extinguetur*; propr. deficiet, abſumetur, evaneſcet. q. d. in mediis ſceleribus, & medio ipſo ardore improbe agendi, tenebræ illos involvent, ſubito deficiente, & tenebreſcente illorum Sole, omniq; fælicitate evaneſcente;

Repẽtine impiorum tenebrę.

Sicut accidit in diebus Noe, & in diebus Loth, ut ſcribitur Lucæ 17. nõ minus
enim cæleſtis *ignis*, quam cæleſtis *imber* 3
impiorum fælicitatem extinxit.

דעך

Cum autẽ *Daghac*, ſit activum, & quodammodo intrãſitivum, recte etiam dicere poſsis: *Lux impii extinguet ſe.* impiorum enim fælicitas leviſsima ſuo pondere, potius ſua levitate, & vanitate concidit, & evaneſcit, ipſa ſe conſumit, & deſtruit; non ſicut lux Solis, quæ conſtans, & perpetua eſt; ſed ſicut cãdela, quæ ſe ipſam conſumit, ſeque extinguit. de qua ſimilitudine ſtatim.

Impiorum fælicitas candelæ ſimilis.

Ad breviſsimam illam lucem *exeunt* inquieti peccatores *ad opus ſuum, & ad operationem ſuam, usq́ ad veſperam*. mirumq; quantis ſe involvant ſollicitudinibus, & vaniſsimis curis! Sed extincta luce, & cælo illorum cæptis non favente, cogunt derelinquere pleroſque ſuos conatus, optataque infecta. Ad breviſsimam illam *lucem exultant*, triumphant, debacchãtur in pauperes; ſed repẽtinis ſtatim opprimũtur tenebris.

Lucis ad proſperitatem impiorum allegoria.

Horum impiorum inquietorum, & improbè agentium *extinguendam lucem*, deſcribere videtur David Pſal. 117. 12. *Circumdederunt me, ſicut apes, & exarſerunt, ſicut ignis, in ſpinis.* Vides hic impietatis tumultuantis tum inquietudinem, tum breviſsimum, & certiſsimum interitum duplici comparatione appoſitiſsima explicatum.

Duplex cõparatio impiorum.

Prima, *Circumdederunt me, ſicut apes*: nam hæ ſtrident, & importuna bombizatione omnia complent, quaſi jam canẽtes triumphum, irrumpuntque magno impetu, & infigunt aculeos moleſtiſsimos; ſed amiſſo aculeo pereunt; *Nam is, ſine viſcerum eruptione, eximi non poteſt.* Vides igitur tumultum repente ſedatum, & impietatem ſubito extinctam.

Tumultus impiorum inſtar apum.

Ariſt. 9. hiſtor. animal. c. 40.

lucem etiam obſcuratam in ſecunda comparatione, *Exarſerunt, quaſi ignis in ſpinis.* Eſt autem idem verbum *extinguẽdi*, quod in noſtro loco; neque incongrue dictum eſt a Septuaginta, *exarſerunt*: nam pleraque verba Hebręa (ut peculiari ea de re tractatione probavimus) habere ſolent duas ſignificationes contrarias, ut ex illis una integra confici poſsit; *exarſerunt extinguendo ſe*, extinctę ſunt exardeſcentes ad-

Verba Hebr. cõtrariarũ ſignificationum.

huc

Spinarum ignis, & impiorum splendor similes.

huc: nam spinæ brevissime ignem concipiunt, & magnum fragorẽ edunt, sed brevissime extinguntur, & subito evanescit illarum flamma. Igitur *lux* (ignis) *impii* (tumultuantis, pũgentis, & dilacerãtis alios) *extinguetur*.

4 שביב שבב

Nec splendebit flamma ignis ejus. Flammæ nomen originale *Sabib*, vel *flammam*, vel *scintillã* significat, & utrique quidẽ ratio, & etymologia nominis quadrat. dicitur enim a radice, quæ significat motum, & conversionem rei, quæ circum agitur, aut quę vagatur, & errat: & ejusmodi certe *scintillæ* sunt, aut etiam *flamma*. Hieronymus semper *flammã* vertit. Alii malunt *scintillã*, & sic explicant id Daniel. 3. 22. *Viros illos, qui miserant, Sidrach, Misach, & Abdenago interfecit eos flamma ignis*, idest, scintillę prosilientes, & præter naturam acriores, & vehemẽtiores: ut viceversa, sicut præter naturã *ignis mansuetabatur erga Sanctos*, ita scintillæ sævirent in impios. Tum etiam ex illo Hoseę. 8. 6. *In aranearum telas* (scintillas) *erit vitulus Samariæ*. est enim eadem vox, quæ hoc loco vertitur *flamma*; *Sebibim*. Licet Hieronymus profiteatur se a suo illo Hebræo didicisse, *Sebibim proprie nominari aranearum fila per aëra volantia, quæ dũ videntur, intereunt, & in athomos, atque in nihilum dissolvuntur*: & quidem *filis aranearum* per aërem volantibus, & *scintillis* commune videtur esse inconstantia, circumactio, motus, celeritas. *scintillam* itaque vertunt R. Abrãham in comment. Rab. David, in lib. Radic. Rab. Mardokai in Cõcordãtiis, ait enim *Sabib* idem esse, quod *Natsots*, id est *scintilla*. & potest hæc lectio habere elegantem sensum in Hosea: Fecerunt nimirum vitulum æreum splendentem, & scintillantem. sed scintillæ splendoris in suos cultores desævient, velut scintillæ ignis, tum etiam velut levissimæ scintillæ statim peribunt, & extinguentur.

Flamma pro scintilla.

Sapi. 16. 18.

נצוץ

Peccata, qua ratione dicantur scintillæ adversus suos cultores.

Simili ergo modo ait Baldad: *Non splẽdebit scintilla ej⁹*, id est, fælicitas impiorum adeo infirma, & obscura est, ut neque fulgurare, neque scintillare possit. non enim est verus ignis, neque vera fælicitas. Vel secundo, & melius, ex illo igne fælicitatis impiorũ non relinquetur scintilla, neque mica splendoris, extinguetur omnino, totusque abibit in favillam, & illius ignis *memoria comparabitur cineri*, ut ipse Iob dixit cap. 13. Vers. 12. Sed tertio, & optime, ignis ille impiorum non diu splendebit, neque diu fulgurabit: nam scintillæ volantes licet, atque sublimes cito subitoque evanescent. Quare elegãter Catenæ auctor illud observat in hac fælicitatis cum *flamma* cõparatione, quod significet *impios, qui sublime provehebantur, brevi tamen inclinationem pati ac tenebras*.

5 Varia expositio extinguẽdæ impiorum fælicitatis.

Nicetas.

Tandem ex verbo *splendendi* potest elici hujusmodi sententiæ incrementum majus præcedente: *Lux impii ita extinguetur*, ut nunquam amplius exoritura sit; ita occumbet, ut sempiternarum tenebrarũ nulla expectari possit vicissitudo: Nam splendor ille non raro de matutino diluculo, & de aurora dicitur, ut Isaiæ. 59. 9. *Expectavimus lucem, & ecce tenebræ: splendorem, & in tenebris ambulamus.* Diuinã enim opẽ expectatam, & optatam appellat *splendorem matutinum*, post longissimam calamitatum noctem: succedebant igitur tenebris tenebræ, & nocti nox. sic igitur impiorũ luci semel extinctæ sempiterna miseriarum offundetur nox. Recte Septuaginta, *Non procedet lumen eorum*.

6 Sententiæ incrementum.

נגה

Splendor de matutino crepusculo.

VI. Lux obtenebrescet in tabernaculo illius: & lucerna, quæ super eum est, extinguetur.

1. *Quid lux, quid Prohiberi lucem. Impius neque prælucet suis, neque non majorum suorum lucem obscurat.*
2. *Quid lucerna, quid extinguere, quid opprimere apud Hebræos, & Latinos. Illustratus Isaias.*
3. *Lucerna symbolum singularis fælicitatis, tum etiã dignitatis Regiæ.*
4. *Rex, & Magistratus, lucerna in populo.*
5. *Lucernarum usus, atque lætitia apud Priscos. Illustratus Ieremias.*
6. *Lucernæ pensiles, aut sublimes symbolum magistratuum. Cãdelabrum nunc Rex, nunc Respublica.*
7. *Particula* Desuper. *Lucerna pro filiis, & vita extingui, qua vivunt. Illustratus Tobias.*

I חשך

RETento eodem *lucis* nomine, alio verbo rem eandem exprimit. *Obtenebrescet*. Verbum *Hhasac*, quod *obscurari* significat, proximum est verbo *Hhaçac*, quod significat *prohibere*, aut *detinere*, vel *auferre*, nam obscuratio fieri videtur prohibitione quadam, & detentione lucis, cum tenebræ nihil aliud sint, quam privatio, & carentia luminis. Ergo *prohiberi lucem in tabernaculo impii*, idem erit, quod intra suam domũ, & familiam contineri, & prohiberi ne foras erumpat, neque ad posteritatem se diffundat. q. d. Domum habebit aliquando florentem, & opulentam, sed quam hæredibus incolumem, & integram non poterit relinquere, lucebit aliquando, sed non tradet cursu lampada suis posteris. Relinquet igitur filios obscuros, inglorios in tenebris, & sordibus. Si autem verbum *ob-*

tenebreſcendi ſimpliciter accipias, creſcet ſententia, Non ſolum non prælucebit aliis impius, ſed neque ſuis domeſticis. nam cum Pater familias debeat eſſe lux, & lucerna accenſa *ſuper candelabrum*, ut luceat omnibus, qui in domo ſunt: *Lux tamen impii obtenebreſcet in tabernaculo illius*, id eſt, non prælucebit ſuis, neque doctrinæ, neq; vitæ exemplo, neque rei alicujus prætento ſplendore, imo omnis generis miſeriis, ipſe miſerrimus, omnes ſuos familiares involvet.

LXX.

eleganter Septuaginta, *Lux ejus tenebræ in domo*. Tandem *lucem obtenebreſcere in tabernaculo illius*, videtur quidem ſignificare, omnem ſuæ familiæ ſplendorem a ſuis majoribus acceptum, in ipſo tandem conſiſtere, & extingui. Nam ſicut honeſtus, & pius vir ſuis, virtute ſua, prælucet

Cic. in Saluſt.

majoribus, *ut* (ſicut ille dixit) *ſi prius noti non fuerint, ab illo accipiant initium memoriæ ſuæ*: ita impius ſuis, *ſua vita turpiter acta, magnas effundit tenebras, ut etiam ſi fuerint egregii cives, certe veniant in oblivionem.*

2

Et lucerna, quæ ſuper eum eſt, extinguetur. Aliud luminis genus, quod ex lucerna, aut ellychnio habetur, quod non minus ſplẽdorem fælicis fortunæ, quam reliqua *lucis* nomina, ſignificat, de quo ſtatim. *Extinguetur*. Verbum Hebraicum eſt quidem vehemens, & non ſolum *extinguere*, ſed etiam *conterere*, & *opprimere* ſignificat. unde dicitur Iſaię. 43. 17. *Contriti ſunt, quaſi linum, & extincti ſunt.* ubi duo verba, quæ apud Hebræos ſignificant *extinguere*, conjungũtur, primum *conterere*, quod eſt *Extinguere conterendo*, aut *extinguere* opprimendo, de quo impræſentiarum agimus. Secundum eſt magis commune, & vertitur *extinguere*, quare erit ſenſus, *Contriti ſunt, quaſi linum*, quod injecto pede, aut aqua opprimitur, & omnino extinguitur. Quare inter illa duo verba erit idem omnino diſcrimen, quod apud Latinos inter alia duo, videlicet inter *Opprimere*, & *Extinguere*. ſic Nonius Marcellus obſervavit: *Inter extinguere* (inquit) *& opprimere, intereſſe Cicero voluit de Amicitia, ut ſit majus opprimere, quam extinguere. Quam obrem primum danda opera eſt, ne qua amicorum diſsidia fiant, ſin tale aliquid evenerit, ut extinctæ potius amicitiæ, quam oppreſſæ videantur. Quaſi quod extinguitur, poſſit renovari, quod opprimitur non queat.* Hæc Nonius. Non aliter igitur hoc loco, *extinguetur*, opprimetur, impoſito, aut injecto graviſsimo miſeriarum põdere. *extinguetur lucerna impiorum* ita, ut rurſus accendi, aut renovari non queat.

Extinguere verbum vehemens.

דעך

כבה

Opprimere, & extinguere apud Latinos, quo differant.

Nonius.

3

Et illud quidem peculiare habet *lucerna*, quod cum in tenebris, & nocte illuminet, videri poteſt ſymbolum ſingularis fælicitatis, quæ inter plurimos ignobiles, & obſcuros alicui affulget. Ergo ſignificat impii fælicitatẽ præ cæteris illuſtrem, atq; conſpicuam, quæ eo major eſt, quo minus communis cæteris, & magis illi propria. Ex quo etiam ſuam fælicitatẽ amplificaſſe viſus eſt Iob inferius, cap. 29. 3. *Quando ſplendebat lucerna ejus ſuper caput meum, & ad lumen ejus ambulabam in tenebris*.

Lucerna cujus ſymbolũ.

Accedit etiam, quod omnem Regni, & fortunarum gloriam *lucerna* ſignificare poteſt. ſicut. 4. Reg. 8. 19. dictum eſt: *Noluit Deus diſperdere Iudam propter David ſervum ſuum, ſicut promiſerat ei, ut daret illi lucernam*, (id eſt Regni ſplendorem, & gloriam, aut ſedem, & Regnum ſplendidum) *& filiis ejus cunctis diebus*. Eadem loquutio. 2. Paralip. 21. 4. & 3. Reg. 11. 36. & 15. 4.

Lucerna pro Regno.

4

Eſt autem Rex, & magiſtratus *lucernæ* perſimilis, nam licet (quoad fieri poſsit) futurus ſit *lux mundi*, id eſt velut Sol, qui nihil ab inferiori mundo, quem illuminat, emẽdicare debet, ſed gratis illuminandi officium mortalibus præſtat: tamẽ debet reſpublica ſuo Regi, & Principi neceſſaria ſubminiſtrare, quibus illius ſplendor, & majeſtas honeſte ſuſtentari poſsit: vivit enim lucerna, & ellychnium oleo, & funale cera: & lucent quidem non ſolum commodo aliorum, ſed etiam diſpendio, aut potius expenſis. Tum præterea, *Lucerna* ignem habet admiſtum oleo: ſic Princeps ſeveritatem, & Majeſtatem Lenitati, & miſericordiæ. Ergo *extincta lucerna*, Regni amiſsionem, tum etiam ſubditorum defectionem abnegantium debitum cultum, & reverentiam atque obſequium rerum aliarum neceſſariarum, quæ ad victum, & cõmodam ſuſtentationem pertinent, ſignificare poterit.

Princeps inſtar ſolis gratuito illuminantis.

Reſpublica neceſſaria ſubminiſtratura Principi.

Lucernæ cũ Principe comparatio.

5

Accedit, quod in ſolennioribus convẽtibus nocturnis, & cõviviis lætioribus erat lucernarum uſus pluribus ellychiniis inſtructarum. Vnde illud Martialis de lucerna pollymixos,

Lucerna lętitiæ ſymbolũ.

Mart. lib. 14. epig. 41.

Illuſtrem cum tota meis convivia flamis,
Totque geram mixos, una lucerna vocor.

Quid, quod nulla erat apud veteres ſexta dies ſine lucernis ad feneſtras, ſimul atque januas, publicam omnem privatamque lætitiam comitantibus, lauro quoque, & ramis appenſis? ſic ſcripſit ille,

Priſcus lucernarum ritus.

Iuven. Saty. 12.

Cuncta nitent, longos erexit janua ramos,
Et matutinis operitur feſta lucernis.

Atque Tertullianus etiam, *Incipiente anno incipiente menſe, in dæmonum honoribus, & in ſolennibus Regum; thuris nidorem cum laureata, & lucernata janua* conjunxit ad

Tertull. lib. 11. ad uxorem.

uxorem scribens: *Itaque lucerna extincta* conviviis, nuptiis, & lætissimis conventibus magnas tristitiæ, & mœroris tenebras offundit. Sicut & Ieremiæ. 25. 10. scriptum est, *Perdam ex eis vocem gaudii, & vocem lætitiæ, vocem sponsi, vocem molæ, & lumen lucernæ.* Id est, nihil lætum audietur, aut videbitur, sed tristia cuncta; non erunt ministri, qui molis terant, & parent condimenta, nec qui accedant, aut præferant funale, aut faces, aut lucernas in conviviis, nuptiis, illas ve appendant ad januas, & fenestras. Sic igitur perdit, & aufert Deus in tabernaculo impii *vocem gaudii, & lumen lucernæ*, ut qui in magno lumine agitabat convivia, & cœnitabat *quotidie splendide*, deinceps cogatur *comedere in tenebris, & in mœrore, atque tristitia cunctis diebus vitæ suæ.*

Luc. 16.19. Eccl. 5. 16.

6 Lucernæ sublimes.

Sed quid illud significet, *lucerna, quæ super eum est?* Alluditur quidem ad lucernas, quæ in sublime attollebantur, & collocabantur; & aliquando etiam super ipsa capita impendebant ex tectis: quod ex Poeta quoque cognosci potest in lætissimo illo Didonis convivio, quo Trojanos excepit,

Virg. 1. Aenei.

Dependent lychini laquearibus aureis
Incensi, & noctem flammis funalia vincunt.

Lux de super justo promissa, negata impio.

Lucerna igitur *super* illos erat. Sed ad significationem alicujus utilitatis in hoc loco allusio hæc adducta, forte significat illam fælicitatem, *desuper*, id est cælitus illi promissam, & concessam, & a bonorũ omnium fonte, & *Patre luminum* descendente in illus caput; aut vero ipsum Principem & Regem efficit *candelabrum*; atque Regiam dignitatem, & sublimis sedis splendorem facit *lucernam, quæ super* ipsum est. Quare *extingui* erit, regnum amitti, & pristinum splendorem perire, & coronam cadere de illius capite. Loquutio quidem (ut paulo ante vidimus) non infrequens: nam Regnum Scripturæ appellant, *lucernam.* Rex igitur erit cãdelabrum sustentans lucernã. quanquam opposito modo videatur Matt. 5. 16. dictum; *Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio, sed super candelabrum* Ipse enim Apostolus, aut Princeps dicitur *Lucerna:* & *Cãdelabrum,* Regia aut sublimis alia sedes, in qua prælatus constituitur suspiciendus cæteris. Et utroque modo similitudo est apposita, & cum veritate congruens; nam & Rex sustentatur a Regno, & Regnum mutuo sustentatur a Rege.

Rex, candelabrum, Regnum lucerna.

Rex lucerna, Regnum cãdelabrum.

7 Super, pro, apud. Filius parentis lucerna.

Sed, si particula illa, *super*, juxta freque tem Scripturarũ usum sumatur p, *apud*, aut *juxta*, eleganter etiam tota sententia referri poterit ad filios, quos parentes relinquunt velut accensam lucernam ad subditos illuminandos, quare fiet sententia; lux quam ipsi parentes suo tabernaculo, & familiæ vicariam, ut pote sibi valde propinquam, relinquere parabant, obtenebrescet, & *lucerna*, id est filiorum vita, quæ juxta parentem impium est, *extinguetur.* Sic sane videas filium, aut nepotem, aut aliquẽ ex posteris dici esse lucernam parentibus, quibus nasci dicuntur filii, & superesse etiã illis mortuis, (ut aliquando ad monuimus.) 3. Reg. 11. 36. *Filio autem ejus* (Salomoni) *dabo tribum unam, ut remaneat lucerna David servo meo cunctis diebus coram me in Ierusalem.* Id est, ut semper aliquis ex familia David regnet, & sedeat in sede David patris sui. & similiter cap. 15. 4. *Propter David dedit ei Dominus Deus suus lucernam in Ierusalem, ut suscitaret Filium ejus post eum.* Hujus etiam generis illud est. 2. Reg. 14. 7. *Quærunt extinguere scintillam meam, quæ relicta est, ut non supersit viro meo nomen, & reliquiæ super terram.* Neque incommode sane *lumen*, aut *lucerna* posteritatem significat, nam præter quam quod nuptiæ obscuræ videntur, quæ lumine liberorum carent, est etiam peculiare igni, & lumini, ut vivere dicantur, tum etiam extingui, & mori; quod ad lumen animatum, & vivens filiorum verius referri poterit, & ad ipsius vitæ igniculum, & lumen, quod parens, sicut in certaminibus Prometheis, aut Vulcaniis, suis filiis tradit: nam, & animantium propagationem, & innovationem sic descripsit Lucretius.

Vide Cap. 2. V. 2. n. 8.

Lumen, suscepta proles.

Extingui, quæ vivunt.

Certamina Vulcania.

Lucret. li. 2.

Inq; brevi spatio mutantur sæcla animantũ,
Et quasi cursores vitai lampada tradunt.

Et Plato, ubi de conjuge separanda a parentũ domo; & habitatione scribit lib. 6. de Leg. *Parentibus* (inquit) *utrisque, affinibusque relictis, seorsum quasi ad coloniam proficiscantur, ac vicissim se ipsos respicientes, habitent, liberos generando, & educando, & vitã, quam ab aliis acceperunt, quasi Tædas ardentes, Deos semper secundum leges colentes.* Propterea que ante novas nuptas lampades, & tædæ accensæ præferri solebant. Certe sicut lumen, aut lucerna accensa ex alio lumine, non solum ignem conservat, sed auget etiam cum incremento quodam, & innovatione: ita sane in propagatione liberorum paternam familiam, vitæ lumine donatus a patre filius auget, & multiplicat. Atque adeo, sicut lumen luminis, ita filius est vera patris imago, & repræsentatio. Certe Anna mater Tobiæ lumen hoc desiderabat, & se tanquam orbam lamentabatur, *cum flebat irremediabilibus lacrymis*, atque dicebat; Heu, *heu me fili mi, ut quid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum?* Ergo impius nullam relinquit do-

Plato.

Priscus nuptiarũ ritus.

Filius patris imago.

Tob. 10. 4.

mi suæ

mui fuæ, nomini, generi fcintillam, lucernam, lumenve.

VII. *Arctabuntur greffus virtutis illius, & præcipitabit eum confilium fuum.*

1. Viæ, & greffuum, latitudo, & anguftiæ relatæ ad cor, & animum. Illuftratus femel & iterum David.
2. Greffus arctati, pro viæ difcrimine. Viæ juftitiæ lata. Explicatus Moyfes.
3. Quid greffus virtutis. Adolefcentia periphrafis. Virtus in malum pro violentia, & iniquitate. Finis impiorum, atq; fuperborum. Explicatus David.
4. Præcipitium finis impiorum, atque fuperborum. Explicatus David. Pes fuperbia.

1 Greffuum latitudo, aut anguftiæ, quid myftice.

ARctabuntur greffus, Metaphoram *greffuum arctandorum*, ad animi anguftias, & fummas difficultates, quibus curfus retardatur, & conatus impeditur, pertinere dubium non eft: ficut neque alteram *viæ dilatandæ*, quæ aliquando invenitur in Scripturis, ad rerum, & negotiorum omnium facilitatem, & animi dilatationem, & laxitatē. Eft enim ficut *viæ*, & *greffuum*, ita quoq; cordis, & animi arctatio quædam per mœrorem, & tribulationem, *dilatatio* vero per lætitiam, & gaudium, ficut a Davide dictū eft: *Viam mandatorum tuorum cucurri* (curram lætus, alacer: nunc enim fummis difficultatibus me cōftringentibus, vix videor pedem, aut manum movere, neque cor erigere, & excitare poffe) *Cum dilatafti* (cum dilataveris gaudio, & lætitia) *cor meum*. (Pfal. 118.32.) Quod & fibi præftitum iterum gloriabatur: *In tribulatione* (proprie anguftiis) *dilatafti* (cor, viam, latum, & fpatiofum campum, in quo lætari, & exultare pofsim libere, & fecure) *mihi*. (Pfal 4.1.) Atq; illud ipfum eft: *de tribulatione invocare Dominum, & exaudiri in latitudine*: (Pfal. 117.5.) & *Statui pedes in loco fpatiofo*: (Pfal. 30.9.) aut *Dilatari greffus fubtus homine*. (Pfal. 17.37.) Impii autem *greffus*, *pedes*, per pedes vero actiones, opera defideria & omnia quibus ad optatum finem contēdebat (ut ftatim dicemus) *Arctabuntur*, ad fummas difficultates, & anguftias redigentur, impedientur, nequeinfpatio & lato conftituētur, fed difficultatibus oppugnabitur undique. Hæc enim omnia complectitur verbum originale. (צר)

2 Præfentifsima vitæ difcrimina.

Sed illud præterea in his *anguftiis* obfervandum, maxima & præfentifsima difcrimina vitæ, & falutis cum illis effe conjuncta; nā ficut hoftium obfidio redigentium in extremas anguftias, fimul affert vitæ minas, & difcrimen: & itineris anguftiæ, atq; difficultas, lapfum, & præcipitium minatur: ita fane *arctati* impiorum *greffus*, & anguftiæ animi difcrimen quoque illis indicūt, & nullā fidam, fecuramve ftationem. Quare gravior eft hæc imprecatio, quam illa Pfal. 69.4. *Avertantur ftatim erubefcentes*. (Suppliciū impiorū exaggeratum.) Ibi enim tantum precatur David fuis perfequutoribus, ut ab incæpto itinere defiftant, nihil aliud ex fuis *greffibus* reportantes, quam confufionem. Sic enim Hieronymus legit: *Revertantur ad veftigium confufionis fuæ*. (Hieronymus.) At in hoc loco crefcit fuppliciū. nam *arctatis greffibus*, averti, aut reverti nō licet: & præter *confufionem*, in fummum vitæ difcrimen adducuntur. ficut e contrario, jufto incedenti per viam juftitiæ pollicetur Sapientia, (Iuftorum femitæ, & greffus.) *Ducam te per femitas æquitatis* (femitas æquales, planas, fecuras, expeditas; nam *æquitas*, ficut & juftitia, reddit æquale) *quas cum ingreffus fueris, non arctabuntur greffus tui*, (Prov. 4.12.) id eft, in quib⁹ nullæ anguftiæ, nullæ difficultates, difcrimen nullum. Sic fane fecuritatem habitandi fine ullo adverfarii, aut Satanæ incurfu fibi promittens Ifaac, poft calumniam illam, & *jurgium paftorum Geraræ* fuper puteo reperto a paftoribus, quē vocavit *Calumniā*, & poft alium quoque *puteum*, fuper quo iidem rixati funt, quem appellavit *Inimicitias*, *Fodit alium puteum, pro quo non contenderunt, itaque vocavit nomen ejus, Latitudo, dicēs, Nunc dilatavit nos Dominus*. Genef. 26. 21. 22. (Latitudo ad pacem, & fecuritatem.) Septuaginta ex Hebræo: *Nunc dilatavit nobis Dominus*.

3 Greffus virtutis, ad fortitudinem, & licentiam.

Greffus virtutis. Diximus fane, quid fit *arctari greffus*. fed quidnam fint *greffus virtutis*, nunc dicendum. Quidam per *greffum virtutis*, fortitudinem intelligunt, & animi aufum: *greffus* videlicet a viris fortib⁹, atq; potentibus confidenter jactātur in via hujus vitæ. Alii liberam facultatem, quoquo velint, vagandi, & difcurrendi, qualem habere folent viri fortes, atque potentes, quib⁹ currētib⁹ nemo fe opponere audet. Alii *greffus* firmos, non imbecillos, atque nutantes; fed jactatos, & pofitos multa fiducia fuarum virium, multaq; fecuritate fuæ viæ, nulla pravitatis, difficultatis, difcriminisve fufpicione, quā nō pofsint fua virtute, & robore fuperare. Recte hæc omnia, quæ ego uno verbo complectar; *Greffus virtutis*, fignificant contraria omnia iis, (Germanus explicatus.) quæ afferuntur anguftiarū, & *coarctationis* nomine: nam in hac fententia unum opponitur alteri: quare cum *greffib⁹ virtutis* conjuncta erit fecuritas, gaudium, facilitas, & alacritas pergendi in cæpto itinere: quibus (Gradiēdi fecuritas & alacritas.) fuccedunt *anguftiæ*. Quid fi etiam *greffus virtutis* fignificent, greffus hominis minime fenis, fed in robufta, & virili ætate floren-

Adoleſcētiæ periphraſis.

rentis? nam eſt *via virtutis*, quæ etiam videtur dicta Pſal. 101. 24. via adoleſcentiæ, & ætatis vigentis. Igitur tyranno viro poſt male actam vitæ virtutem, imprecabitur miſeram, & afflictam ſenectutem. Neque vero prætereundum eſt, *Virtutis* nomē hoc loco in malum accipi; nam ſubeſt vox *On*. quæ dolorem etiam ſignificat, & iniquitatem; videlicet illam fortitudinē, quæ cum dolore conjuncta eſſe ſolet, quia vel dolorē aliis per vim, & per iniquitatem infert, vel ſibi ipſi dolorē aſciſcit atque adeo etiam ſignificare ſolet divitias cum dolore, & labore partas. Nihil ergo mirum, ſi *Virtus* tyrannica, & fortitudo violenta, atque divitiæ etiam cum aliorum diſpendio, & dolore comparatæ, ſuum poſſeſſorē conjiciant non ſolum in dolorem, anguſtias, diſcrimen; ſed etiam in certum exitium. Simile profecto quid de Sāſone dicere poſsis, poſtquam Dominus receſsit ab illo, *Arctatis greſſibus virtutis illius*. nam priſtini roboris fiducia in eas illum vitæ anguſtias, vinculaque conjecit, obſidentibus undique, & arctantibus Philiſthæis, unde ſe expedire nequivit. Sicut Scriptū eſt Iudic. 16. 20. 21. *Philiſtihiim ſuper te Samſon. Qui de ſomno conſurgens, dixit in animo ſuo, Egrediar ſicut antea feci, & me excutiam; neſciens, quod receſſiſſet ab eo Dominus. Quem cum apprehendiſſent Philiſtihiim ſtatim eruerunt oculos ejus, &c.*

Virtus in malum accepta

און

Sāſon arctatis greſsibus virtutis illius.

4

תשלך

Et præcipitabit. Prop. *Eum deducet, conjiciet*, ſupple, in illas anguſtias, de quibus diximus. *Conſilium ſuum*. videlicet de inſtituenda, vel conficienda hac, vel illa via, ſuo impius conſilio impulſus ruet in ingētia diſcrimina, & difficultates inextricabiles. Quare non ſolum illos ante actæ vitæ greſſus, dicas fuiſſe *greſſus* propriæ *virtutis*, ſed proprii etiam *conſilii*: quid quid faciet, quidquid ſtatuet, exitioſum erit; & præſentes vitæ actiones & conſilia certum exitium illi afferent. Sunt igitur omnia illius *conſilia* ſtulta, & errantia. Quo videntur reſpexiſſe Septuaginta legentes: *errei* (errabit, aut deprecanter) *conſilium ejus*. Poteſt etiam hac ratione, neque incommode accipi; *Suum conſilium a ſe projiciet illum*, & expellet longe. hoc eſt, deſtituetur conſilio, & in anguſto poſitus, inops conſilii neſciet prorſus, quid agat, aut quo ſe vertat. Vides hic *Viam peccatorum perire*; quod dixit David, Pſal. 1. 6. id eſt, viæ, & greſſuum non eſſe alium exitum, quam miſerū exitium; quod a ſe deprecabatur, qui dicebat; *Non veniat mihi pes ſuperbiæ* (non incedam ego pedibus, greſsibusve ſuperbiæ, *propriæ virtutis*, propriive, & aberrantis *conſilii*; ne ſuperbus fiam, ex Auguſt. Ambroſ. Cyrill. Didymo. Euſebio.) *& manus peccatoris non moveat me*. (nam me ſuperbientem, tanquam nutantem, & vacillantem dejicere tandem poterit adverſarius.) *Ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem*. ubi, nam tandem, aut quo ruerunt? certe in præcipitium. Quod nam illud? quod, qualeve ſit, non exprimitur. Certe in præcipitium quod nulla lingua, verbis nullis, quam miſerum ſit, poſsit exprimi.

Proprium cōſiliū aberrās.

LXX.

Varia lectio.

Pſal. 55. 12. Pes ſuperbiæ apud David.

Didymus. Baſilius. Cyrilius. Auguſtinus.

VIII. *Immiſit enim in rete pedes ſuos: & in maculis ejus ambulat.*

1. *Quid Laqueus, quid Rete in ſacro ſermone, quid Attrahere rete.*
2. *Laquei & Retia, pœnæ, & anguſtiæ, aut etiam peccata.*
3. *Laquei & Retia inſidiæ occultæ. Illuſtrat David.*
4. *Impius, & Tyranus experitur ſævitiam potentiorum. Explicatus Iſaias.*
5. *Sibi ipſi molitur inſidias impius.*
6. *Macula in ſacro ſermone quid. pro anguſtiis ſumitur.*
7. *Impius nunc non ſentit rete, ſentiet in morte, juſtus ambulat ſuper laqueum.*

PRæcedentis ſentētiæ explicatio eſt, aut certe amplificatio; & qua nam ratione *arctati greſſus* fuerint, adjungitur, videlicet non ſolum, quod ad arctum, & anguſtum impius deducitur, ſed quod in arcto, & anguſto poſitus, laqueo etiam capitur, in quē ipſe ſuis ſe greſsibus, & conſilio inducerit. Eſt autem *retis* nomē idem, quod alibi vertitur *laqueus*. Pſal. 9. 16. ubi, quod Septuaginta dixerunt; *In laqueo iſto, quem abſconderunt*; Hieronymus legit: *In reti*. & iterū eodem Pſal. verſ. 32. *Rapere pauperem, dum attrahit eum, in laqueo ſuo humiliabit eum*. Hieronymus: *Rapere pauperem, cum attraxerit eum ad rete ſuum*. Per Hypallagem: *cum attraxerit ad eum rete ſuum*. Nam retia ſolent primum tendi; deinde ubi animās, aut avicula doli ignara, medium rete ingreſſa fuerit, adducit venator rete ad ſe & aviculam ſumma celeritate per funiculos implicat. Hinc certe colligi poterit commodius, & germanius eam vocem per *Rete*, quam per *Laqueum* verti: nam *laqueus* ſimplex eſt, neque attrahitur a venatore at rete ex multis quaſi laqueis nexis, & implicatis componitur, & attrahitur a venatore ad captandas feras: cum attrahitur autem, expanditur, & ita eadem voce dicitur Hoſeæ. 7. 12. *Expandam ſuper eum rete meum*. non enim agit de reti piſcatorio,

I

רשת

Rete quibus aliis nominibus dicatur.

Hieronym.

Hypallage.

Rete, & laqueus quo differant.

Rete piſcatorium.

quod spargitur in orbem super pisces: sed de reti, quo capiuntur aviculæ. Ergo impiorũ gressus, & pedibus, nõ unus, sed mille laquei tenduntur, rete magnum, & longe amplissimum, quo necesse sit premi, & implicari inexplicabilibus discriminibus irretitos: nã hæc per *rete*, & *laqueum* Greci intelligunt, atque ex Latinis Philippus, & Beda, & præterea ea mala omnia, quæ in *angustiis* afferri diximus: nam *laquei*, & *retia* supplicia significant, & ea, per quæ homo a consectanda, & obtinenda voluptate detinetur, ut sapienter Hieronymus indicavit super Lamentat. Ierem. c. 1. Vers 13. potius quam ipsa *peccata*, ut hoc loco Gregorius voluit. Quanquam etiam ex ipsis peccatis funiculi intexantur, & conficiantur, ex quibus fiunt flagella nostrorũ suppliciorum, sicut aliquando fecisse dicitur filius Dei. Ioan. 2. Neque solũ ex peccatorum funiculis flagellum, quod minus est, sed vincula manuum, & pedum, quibus *mittantur in tenebras*, sicut Scriptum est: *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur*. Hoc quoque parum. *Rete* ex illis componitur multis nodis implexum, multis maculis, & laqueis plenum: nam ex luxuria rete fit; sicut de meretrice dictum est: *Laqueus venatorum est*. *Rete* avaritia est: nam *qui volunt divites fieri, incidunt in tentationes, & in laqueum diaboli*. Rete quoque sunt doli, & fraudes, in quas dolosus dives ipse incidet; nam *cadent in reticula ejus* (suis) *peccatores*: & in universum, ut dicitur Prover. 29. 6. *Peccantem virum iniquum involvet laqueus*.

2 Rete, & laquei quid designent.

Hieronym.

Gregor. Peccata sunt materia retiũ & laqueorũ.

Matth. 22. 13.

Prov. 5. 22.

Eccles. 7. 27.

1. ad Tim. 3. 7.

Psal. 140. 10.

3 Insidiæ potẽtiorum.

Pauperes significari per pisciculos, & per aviculas.

Sed præterea cum *Retia*, & *Laquei*, sint venatoria instrumenta, quæ arte, & industria jaciuntur, licebit per *rete* intelligere latentes insidias, quæ aliis parantur: illas præsertim, quæ pusillis, & egenis a potentioribus tenduntur: illi enim significari solent vel per pisciculos parvulos, vel per vagas aviculas, vel per incautas alias animãtes, quæ cibus, & præda venatorum sunt. Quare quãdocumque David, *Laquei* aut *Retis* meminit, suam infirmitatẽ agnoscit, hostiumque suorum dolos, potẽtiam, sævitiam, quale est id Psal. 139. 6. *Absconderunt superbi laqueum mihi*, & Psal. 10. 8. *Sedet cum divitibus in occultis, ut interficiat innocentem, in laqueo suo humiliabit eum; inclinabit se* (Dives impius latitabit, videlicet ne pauper retrocedat cognitis insidiis) & *cadet* (videlicet videbitur humi cõpressus, & in se se collectus, ne omnino a transeuntibus videri possit. aut *cadet*, irruendo super prædam, quemadmodum leo, & venator ruere solent super prædam jam irretitam, & implicatam: aut tãdem *cadet* ipse pauper, & innocens viribus potentioris impulsus.) *cum dominatus fuerit pauperum*. In verbo *Dominandi* videre est venatoris retia tendentis sævitiam, & superbiam. Hieronymus: *Confractum subjiciet, & irruet viribus suis valenter*. Alii ad Verbum ex Hebræo: *Cadet in robusta*; vel *in fortia ejus congregatio pauperum*. id est, in impiorum potentiam, ungues, dentes sævissimos: aut in laqueos, & retia cadent tandem pauperes. Vides igitur *retia*, & *laqueos* a potentioribus parari pauperi, & imbecillo.

Dominari.

Pagnin. Vatab. Regia.

Sed illud in hoc loco dubitationem habet, quanam ratione impius Tyrannus, atque superbus, qui potius laqueos ipse, atque dolos tendit pauperibus, & innocentibus, dicitur casurus in ipsa retia, quæ nõ nisi infirmioribus strui solent? An quia nemo est Tyrannus, atque violentus in infirmiores, cui præstantior alius, *fortiorq́; armatus*, insidias quoque non moliatur, & laqueos, retiaque, tanquam infirmiori, per dolos quoque, & contemptũ non tendat? Ergo efficiet Deus, ut potentissimus quisque impius, alterius potentioris sævitiam expertus, & præda illius dentibus, & unguibus concessus, infirmitatem suam suo malo agnoscat. Parantur igitur illi *retia*, & *laquei*, veluti imbecillæ animanti, & timidæ aviculæ. sic sane Nabuchodonosori superbienti, & subjicienti per laqueos, & retia infirmiora Regna, minatur Isaias hostem potentiorem, cujus laqueos, & retia effugere non possit, & fore, ut vulneratus ab aliis per irrisionem auditurus sit: *Et tu vulneratus es, sicut & nos: nostri similis effectus es*. & iterum, *Væ, qui prædaris, non ne, & ipse prædaberis? & qui spernis, non ne ipse sperneris? Cum consummaveris deprædationẽ* (ex Hebræo, *Secundum tuum consummare*, id est juxta tuas insidias, & venandi, capiendique pauperes libidinem, tu a ditioribus, & potentioribus pœnas lues; erit enim tuum scelus exemplar tui supplicii) *deprædaberis; cum defatigatus desieris contemnere* (Hebr. *Secundum desinere contemnere eos*) *contemneris*.

4 Potentior potentiori insidians.

Isaias. 14. 10.

Isaias. 33. 1.

Scelus mensura supplicii.

An etiam *in rete*, quod pauperibus strui solet, dicitur dives impius casurus, quod etiam si non ab alio parẽtur insidiæ, at cadit in foveam ipsam, quam aliis parat, ut ipse sibi merito dicatur laqueum abscõdere? Hoc quoque sane supplicium sæpe minãtur, & precantur Sacræ Litteræ Tyrannis, & iniquis pauperum oppressoribus, Psal. 5. 7. 16. Psal. 9. 16. Psal. 57. 7. Pro-

5 Impius sibi ipsi hostis, & insidiator.

verb.

verb. 26.27. atque Eccleſiaſtæ 10. 8. quatuor aliis ſimilitudinibus res eadem explicatur, & Ecclesi. 27. quatuor aliis, aut quinque ſententiis pulcherrimis confirmatur: quarum illa prima eſt: *Qui in altũ mittit lapidem, ſuper caput ejus cadet, & plaga doloſa dividet* (amplificabit, & diducet) *vulnera*: id eſt multo majus, & latius vulnus ſibi ipſi infliget. Claudit tandem Eccleſiaſticus rẽ extrema hac ſententia; *Facienti nequiſsimum conſilium, ſuper ipſum devolvetur, & non agnoſcet, unde adveniat.* Videlicet cum quæſierint hoſtem, à quo vulnus acceperint, neque inducere in animũ poſsint, ipſoſmet ſibi vulnus inflixiſſe, *non agnoſcent* unde advenerit illis.

Eccleſ. 27.28. Improbus ſibi quam aliis nocentior.

Eccleſ. 28.30.

6 *Et in maculis ejus ambulat.* Vox originalis *Sabac*, rete etiam ſignificat, aut quid quid in modum retis perplexum, & implicatum eſt: quare etiam ponitur pro *cancellis cœnaculi*. 4. Reg. 1. 2. & pro *denſitate*, & implicatione ramorũ in *quercu*. 2. Reg. 18. 9. quare aut erit partis præcedentis expoſitio, aut amplificatio quædam. quod videtur intellexiſſe Vulgatus, cum vertit *maculas*: nam ſpatia illa, aut formina retis Latinus vocat *maculas*, aut *plagas*, in quibus liberum eſt aliquãtulum ſpatii. Cajetanus ait deſignari, ea pericula, *quæ cognoſcimus confidenter aggredi, putantes nos evaſuros*. Sed alienum videtur à propoſito: nam potius *rete, & laquei* abſconduntur, *fruſtra* enim *jacitur rete ante oculos*. Hugo ait ſignificari conſuetudinem pravæ vitæ. hoc etiam durum. D. Thomas, de uno peccato in aliud procedere, ut diverſitas macularum, & foraminum retis ſignificet diverſitatem peccatorum: argutum id ſane. Sed diximus hæc potius ad pœnã pertinere. Quare *ambulare in maculis*, erit eſſe in anguſtiis, vivere intra præſcriptum, vix conceſſo ſpatio, aut loco ad reſpirandum. quantulum enim ſpatiũ eſt macula retis? igitur vivit impius: ſed vivit miſerrime. Addiderunt Septuaginta vim quoque ſententiæ, *in rete involvatur, volvetur in maculis*: quod ſumptum videtur ab animãte, aut avicula irretita; quæ dum pedem ex una macula extrahit, mox in aliam inſerit, & dum explicatur ex una, implicatur in alia. *Volutatur* itaque in reti, & *ambulare* nititur, ſed fruſtra, nam cum ſe erigit, ruit ſtatim ex gradu, & rurſus convolvitur, & detinetur, & ut Philippus dixit, *ſe volens quiſque exuere, ipſo conamine impeditur.*

Retis maculæ

שבך

Varia expoſitio.

Cajet.

Hugo.

D. Tho.

Germana expoſitio.

LXX.

Philipp.

7 Vel quidem hæc ſentẽtia poterit referri non ſolum ad futuram impii miſeriam, ſed ad rerum præſentium fælicem ſtatum, ſignificabitque in quanto periculo verſetur impius. nam quamvis lætiſsimus vivat, ſed intra periculũ eſt, ut qui pedes habeat poſitos intra *maculas retis*: conſtringi ſe nunc non ſentit, quoniam non eſt adductum rete: ſed adducetur tamẽ paulo poſt in morte: tunc ſentiet arctatos greſſus, cõtẽta vincula, detẽtos pedes, quibus *ligatis* jubebitur *mitti in tenebras exteriores; ubi erit fletus, & ſtridor dentium.* Adde etiam interdum juſtum in pericula cadere, & in retia ab adverſario parata; ſed ita in illis incedit, ut non inſerat pedem in maculam, ſed potius ipſos funiculos retis premat, ne adduci rete, & implicari poſſit. Mature igitur agnoſcit, & vitat diſcrimen. at impius * *immiſit pedem in rete, & in maculas ejus.* Quam rem ita peccatoribus imprecabatur David, Pſal. 140. 10. *Cadent in retiaculo ejus* (Dei ſumẽtis vindictam de impiis, aut in *retiaculo* iniquitatis, id eſt, iniquo, & pravo) *peccatores.* (ruẽt videlicet captis, & conſtrictis pedibus) *ſingulariter ſum ego, donec tranſeam.* id eſt, capitis illis, & impeditis, tranſeo ego premens, & conculcãs pedibus rẽte ipſum, nunquam poſitis intra *maculas*.

Diſcrimẽ comes individuus improbitatis.

Iuſti ſuperiores quocunq; diſcrimine.

*Quiſo ſu deſgracia, q̃ acertaſſe, a poner el pie en medio de la malla.

IX. *Tenebitur plãta illius laqueo, & exardeſcet contra eum ſitis.*

1. *Quid Tenere, quid Calcaneus, quid Planta in ſacro ſermone. Quid Iniquitas calcanei.*
2. *Plãta pedis extrema vitæ pars. Illuſtratus Moyſes*
3. *Sitientes iidem, qui prædones.*
4. *Prædones, quæ ſitis exagitet. Priſcorum opes, quæ potiſſimæ. Quid ærugo. Illuſtrati Matthæus, & Iacobus.*
5. *Defenſus vulgatus. Sitis impiorum etiã poſt mortem. Explicatus Sapiens.*

1 Conſequens eſt, ut *teneatur* impius adducto reti, & attracto laqueo. *Tenebitur* nimirum arcte, & fortiter comprehẽdetur, ex proprietate verbi *Ahhaz*, quod eſt apprehendere, aut comprehẽdere, vel comprehenſum firmiter retinere. unde etiam dictum eſt Eccleſ. 9. 12. *Piſces capiuntur hamo, & aves laqueo comprehenduntur.* & Cantic. 3. 4. *Tenui eum, nec dimittam. Planta*, prop. Calcaneus, extrema pars pedis, ſicut Geneſ. 25. 26. *Plantam* (Septuaginta, *calcaneum*) *fratris tenebat manu.* & e cõtrario *calcaneus*, pro *planta*. Geneſ. 3. 15. *Tu inſidiaberis calcaneo* (plantæ pedis, quæ terram contingit, hæc enim eſt, quæ premere, & conterere deberet caput; quæ in fœmina virgine exitialis eſt ſerpenti) *ejus.* Sed ſive *plantam*, ſive *calcaneum* dicat, pedẽ, per Synedochen, intelligit, ut id Pſal.

אחז

Planta, & calcaneus idem.

עקב

Synedoche.

Iniquitas calcanei.

48.6. *Iniquitas calcanei* (pedis, veſtigii) *mei circumdabit me*, id eſt, ipſi mei pedes, mei greſſus, vitæ meæ actiones, & ſtudia iniqua me obſidebunt, & prement in *die mala*, videlicet in morte. Rurſus in noſtra ſententia per *plantam*, & pedem, non infima pedis pars, ſed potius ſuprema: videlicet guttur pedis, quod comprehendi, & conſtringi ſolet laqueo. & ducitur quidem a venatoribus translatio; nã *obſervare* ſolent *calcaneum*. Pſal. 55. 7. id eſt, ſtruere laqueos implicandis pedibus. neque enim obſervant caput animantis pertrãſeuntis, ſed pedes potius, qui laqueum attingunt.

Translatio a venatoribus.

2 Forte autem per pedẽ, & plantam, quæ eſt extrema, & infima corporis pars, intelligi vult extremam vitæ partem, quæ quãtumvis initio floruerit, ſed tandem (quod miſerrimum eſt) in vinculis, & anguſtiis concludatur. Quid enim proderit vaga, vanaq; libertas ante actæ vitæ, quę in arctiſsimam perpetui carceris cuſtodiã tandẽ conjicienda eſt? Hujus rei neſcio quid videtur præfiguratum in duobus illis fratribus uterinis Iacob, & Eſau. Geneſ. 25. 26. Cum Iacob poſt primos vitæ labores, & peregrinationem, extrema fælicia ſperabat; at Eſau, qui primum floruit, decreſcebat, abibatque in deterius. ergo cum Eſau prior egrederetur ex matris utero, Iacob *protinus egrediens plantam fratris tenebat manu*, ut qui extremam illius cõditionẽ extrema ſua fęlicitate ſuperaturꝰ eſſet: ac jã tunc inciperet *ſupplantare*, id eſt, impedire alterius pedẽ, ne procederet, & ne libere potiretur jure primogenituræ.

Planta pedis extrema vita.

3 *Et exardeſcet contra eum ſitis*. Propter hãc partem exiſtimare licet, præcedentem referri debere ad laqueos, & inſidias paratas homini impio a latronibꝰ, Dei vindicta ſic exigente, ut reſpiciat Baldad ad Chaldęos direptores bonorum Iob; ſicque amarulẽta ſententia pungat amicum, ut ſtatim explicabimus. *Exardeſcet*: Roborabitur, invaleſcet, prævalebit. firmitatẽ quandã animi minime lãguidi; verbũ hoc affert, quã agnoverunt Septuaginta vertentes, *confortabitur*, ſed elegãter Vulgatus dixit, *exardeſcet*, ut verbum *ſiti* appoſitum tribueret; incenditur enim, & ardet, & non ſecus ac ignis, reſtinguitur aqua. Sed vero hoc loco pro nomine abſtracto *ſitis*, ſubeſt nomẽ concretũ plurale, *ſitibundi*, aut *ſitientes*, quare iidẽ videtur eſſe, quos ſupra diximus. c. 5. vers. 5. *Bibent ſitientes divitias ejus*. Latrones videlicet, quare hoc loco etiam Pagninus *Prædones*, Vatablus *Graſſatores*, habẽt. Septuaginta vero idem intellexerunt, & verbum *exardeſcẽdi*, active referunt ad Deum;

Chaldæi prædones. — חזק — LXX. — Sitis latronũ. — *Pagninus* — *Vatabl.* — *LXX.*

Confortabit ſuper eum ſitiẽtes. Nicetas ſic explicat. *Confirmabit Deus eos, qui opibus impii expleri ſevolunt, & qui contra eum aliquid machinantur, illos ipſos impio robuſtiores efficiet.* Indicat præterea Nicetas prædones hoc loco vocari *ſitibundos, qui involant in annonam, & poſſeſsionem hominis impii*; ut ſitim, & famem expleant. & quidem non incommode: nam ex tribus illis opũ generibus, quæ Christus Matt. 6. 19. 20. enumerat, videlicet, quæ ad victum, & cibum, quod indicatur in *ærugine*, (non enim agit de ærugine metallorum, ut exiſtimavit Rabanus; nam hæc pertinet ad tertium genus, *quas fures effodiunt, & furantur*; ſed de *ærugine*, aut rubigine, quæ ſegetes etiam infeſtare ſolet ſicut Ioel etiam dixit c. 1. 4. *Reſiduum Bruchi comedit rubigo*,) & quæ ad veſtitum quem indicat *Tinea*: & quæ ad aurum, & metalla, quod appetunt fures: (quæ etiam eodẽ ordine enumeravit Iacobus. c. 5. 2. 3. *Divitiæ veſtræ putrefactæ ſunt* (fructus videlicet, qui diu aſſervati putreſiunt, aut aceſcũt) *& veſtimẽta veſtra a tineis comeſta ſunt, aurum, & argentum veſtrum æruginavit*. Ex his (inquam) tribus divitiarum generibus primis ſæculis, primum tantum in pretio habitum eſt, nimirum annona, & ſegetum proventus; itaque prædones hanc victus, & annonæ prædam fameſcebant; & ſitiebant, & hanc nunc non *demolitur* niſi *ærugo*, & *rubigo*, quæ ſegetes infeſtat. neque vero latrones valde jã curant veſtes, quas tinea etiam erodit; aurum, noſtro ſæculo eſt, quod *fures effodiunt, & furantur*. Sed in promptu eſt ratio, cur prædones etiam nunc dicãtur famelici, & ſitientes; cum illos exagitet, & exurat auri ſacra ſitis, & fames. niſi forte, qui in illis deſertis, & calidis regionibus excurrunt, & prædas agunt, cum æſtuare, & ſitire neceſſe ſit, *ſitientes vocet*, atq; adeo per metalepſim per *ſitientes*, deſerti infeſtatores, & prædones intelligamꝰ. Ergo perſtabit Baldad in ſemel cæpta venationis metaphora; nã præda capta irruũt ſtatim venatores, & canes ſitientes ſanguinem prædæ; contra vero nitente fera explicare ſe, roborantur venatores, & invaleſcunt venatici.

4 — *Nicetas.* — Triplex bonorũ genus. — Aerugo alia metallorum, alia ſegetum. — Tinea veſtimentorum. — Quondã opima præda ſegetum. — Latrones nũc in aurum intenti. — Cur latrones ſitientes. — Metalepſis.

Sed exiſtimo, Vulgatum deducentẽ vocem Originalem *Tſammim*, a *Tſama*, quod eſt ſitire, de ſiti proprie, & ſimpliciter dicta accepiſſe, & nomen plurale ſubſtantivum in abſtractum (quorum permutatio frequens eſt) vertiſſe, atque ingentem ſitim, quæ in illo nomine plurali latebat, expreſſiſſe etiam verbo *Exardeſcendi*; ſic enim promovetur venationis allegoria valde commode; nam cum fera comprehen-

5 — צמים — צמא. — Permutatio abſtracti cum ſubſtantivo plurali.

ditur

ditur laqueo in locis presertim arenosis, quæ apud eam regionem frequentissima sunt, dum se expedire ingenti conatu nititur, ardet, sitit aperto ore, & exerta lingua aërem captat, siti cōficitur. Quo quid magis proprie in impium quadret? nā laqueo, vel mortis, vel alicujus gravissimæ ærumnæ repente comprehenditur, tenetur plāta, vel pes, id est affectus ipsi, & pravæ cōcupiscentiæ, & ad extremum vitæ constringitur; non enim ideo amittit sitim sacram opum, & voluptatum, quibus antea inhiabat. imo vero tunc *exardescit contra eum sitis*, cum videt se, neque comparatis bonis amplius frui, neque secum exportare posse. Ergo misere animo agitatur, & frustra effringere conatur mortis laqueos & dolorum funiculos. Quare siti tandem exarescit, in quem quadrat, quod ab Ecclesiastico scriptum est de primo illo genere improborum, qui *abundant in peccatis. Anima calida* (æstuans exardescente avaritia, aut prava alia cupiditate, & siti) *quasi ignis ardens, non extinguetur donec aliquid glutiat.* proprie ex Græco dixerunt Septuaginta, *donec deglutiatur.* non enim prius sedatur impii exardescēs sitis, quam morte ipsa consumatur ..ac neque tunc quidem: nā cruciabatur quidem exardescente usque siti, qui *guttam aquæ*, quanta extremo digito hærere posset, ad refrigerandam linguam, & sitim post mortem efflagitabat, sed frustra Lucæ. 16.

Impius siti cō sumptus. Ecclef. 33. 21.

Concupiscentia impiorum ardens.

LXX

X. *Abscondita est in terra pedica ejus, & decipula illius super semitam.*

1. *Funiculus pro dolore. Expositus Petrus.*
2. *Laqueus abscōditus. Auctor insidiarum ignoratus. Explicatus David. Illustratus Daniel.*
3. *Troglodita habitantes in cavernis. Laqueus pro hoste. Funis, & Rete pro cuneo, & exercitu. Illustratus Moyses, & Samuel.*
4. *Pedica, vel fovea. Mors. Serpentum color terreus ad fallendum. Insidia mortis manifesta.*
5. *Decipula. Synonymia ad amplificationem. Explicatus Paulus.*
6. *Cerastes in semita. Impius publice punitus instar Latronis.*

1 Amplificatio, & coacervatio.

MIrum, ut omnia, quæ ad *rete*, & *laqueum* pertinent, hic congerantur, & per elegantem expolitionem eadem fere res pluribus sententiis amplificetur. Sed nunc nomen *pedicæ*, aut laquei, est *Hebel*, quod, & funem, & dolorē significare solet. sicut enim funis constringit, & coarctat; ita etiam dolores, & angustiæ: & quod proprium est laquei, aut funis, dolori tribuimus, videlicet tenere, aut dissolvi: ut de Christo resurgente dixit Beatus Petrus Act. 2. 24. *Quem Deus suscitavit solutis doloribus inferni, quibus impossibile erat teneri illum.* Ergo hoc loco *pedica*, est funis, aut laqueus, qui dolorem adfert, & angustiam, *ut dolores*, (prop. *funes*) *inferni*, (quales in inferno constringere, & cruciare solent sontes) *circumdent* impium, *& præoccupent illum laquei mortis.* Psal. 17. 6.

חבל

Pedica, quæ constringit.

2 *Abscondita.* Solent aucupes, aut venatores foveā, & laqueum ramis, & foliis ita contegere, ut avem, vel animantem fallant, & vel in ipsa via, & semita laqueum parant, & occultant in terra. Sic queritur David Psal. 139. 6. *Cogitaverunt supplantare gressus meos, absconderunt superbi laqueum mihi, & funes extenderunt in laqueum, juxta iter scandalum.* aucupium, aut laqueum venatorium) *posuerunt mihi.* Ergo abscondita *fovea*, aut *pedica*, aut *decipula, super*, aut juxta *semitam*, est paratum per insidias vitæ periculum, nunquam agnitum, neque prævisum. Sic imprecatur suis hostibus idem: *Veniat illi laqueus, quem ignorat*) quem non prævidet, absconditum videlicet; & per Hypallagen, ipse deveniat, & incidat in laqueum absconditum, & ignoratum. Laqueus autem ignoratus duo affert; quæ casum tristiorem reddunt; & quod casus repentinus fuerit, proptereaque periculosior; & quod ignoretur etiam auctor insidiarum, quo insidiæ multo non solum periculosiores, sed molestiores redduntur. nisi enim de illarum auctore constet, neque bene vitari, neque omnino destrui possunt, neque, qui illas patitur tuto quiescere. Vides Balthasarem ad nocturnum illud visum trementem Daniel. 5. 7. in quo illud valde mirandum, non fuisse illi objectam hominis alicujus terrificam speciem, sed manum tantum, sed neque manum integram, sed tantum *articulos manus scribentis*, id est, illos tantum digitos, aut potius illos digitorum articulos, qui scribendo, & tenendo calamo servire solent, ut videret sibi parari insidias, & necem strui, at auctorem omnino ignoraret: & sic articulos tantum videret, ut manum non agnosceret.

Translatio a venatoribus.

Psal. 34. 3. Hypallage.

Laqueus absconditus.

Insidiæ, & periculum ignorata.

3 Sed cum dicit, *Pedicam absconditam in terra*, ad duo potest respicere, primum ad ipsos prædones, de quibus nuper egerat, quos dicat *absconditos in terrā*, quod forte in cavernis habitarent, & propter æstum

regionis illius desertæ, sicut cogebantur sitire, & æstuare, ita etiã abdere se in cryptas, & specus; res non omnino incredibilis. Certe similes fuisse Troglodytas, Aethiopiæ populos, Pomponi⁹ Mela auctor est. *Strident* (inquit) *magis, quam loquantur, specus subeunt, alunturque serpentibus.* Ipsos vero hostes vocari *laqueorũ* nomine in sacro sermone, non est insolens, cum dictũ sit Psal. 118. 61. *Funes* (laquei) *peccatorum* (Hieronym, *impiorum.* id est, impii velut funes, & laquei) *circumplexi sunt* (Hieronymus, *implicaverunt*) *me.* id est, ipsi peccatores instar multorum funium implexorum me impedire, & irretire conantur. Rete autẽ ex multis funibus colligatis, & mutui fœderis nodis devinctis componuntur, sicut etiam funis ex multis filis. quare congregationem, & cœtum multorum hominum, *funem* appellat Scriptura. ut 1. Reg. 10. 10. *Ecce cuneus Prophetarum obvius ei.* In Hebræo eadem vox, quæ hic vertitur *Funis*, aut *Pedica*, & 1. Reg. 10. 5. *Obvium habebis gregem* (funem) *Prophetarum.* & de Moyse, & reliquo populo, quem damnosum omnino sibi experiebantur AEgyptii, dixerunt ad Pharaonem Exodi 10. 7. *Vsquequo patiemur hoc scandalum? dimitte homines, ut sacrificent Domino Deo suo.* ad verbum ex Hebræo: *Vsquequo erit nobis iste in aucupium,* vel, *in laqueum venatorium?* & similiter Exod. 34. 12. Ipsæ illæ gentes a veri Dei cognitione alienæ, *laqueus*, & *rete* vocantur: *Cave unquam cum habitatoribus terræ illius jungas amicitias, quæ sint tibi in ruinam* (Septuaginta, *offendiculum.* prop. ex Hebræo; *in laqueum,* aut *funem.*) Ergo appellatio *Retis*, & *Laquei*, recte etiam in ipsos homines, & persequutores convenire potest in cavernis, & speluncis absconditos.

Troglodite habitantes in cavernis.
Mela. lib. 1.
Laquei pro hostibus.
Hieronym.
Rete multorum funium, exercitus multorũ hostium
Pagn. Vatab.
LXX

4 Secundum vero, quod in hac *Pedica in terra abscondita* respicere potuit, est mors, & sepultura. q. d. terra, & fovea, in qua solent componi tendiculæ, & extendi laquei, & funes, mors est; sepulturæ fovea, & terra ipsa est. luet tunc impius in morte omnia, vagetur licet nunc, & glorietur impune. Sed roganti Psalti, *Vsque quo peccatores Domine, usquequo peccatores gloriabuntur?* Responsum hujusmodi cælitus datum est: *Donec fodiatur peccatori fovea. Abscondita* igitur *est in terra pedica ejus.* Sed mira impii cæcitas, & stupiditas, ut laqueum non videat in ipsa terra, cui mandandus non multo post, erit, absconditum, sed ita absconditum, ut terra ipsa, quam videt, & pulvis, quem calcat, admonere illum posset sui periculi, suæque fragilitatis, & mortis! ut vitare posis serpentes venenatos, cum *plerique colorem terræ habeant, qua occultantur*, non est perfacile: difficile quoque, si per arenosam solitudinem iter conficias, agnoscere Cerasten, qui & colore, & squamis arenosus est, ut facilius fallere possit: laqueos præterea occultatos prævidere non cuivis datur. At laquei mortis, & insidiarum, qui in terra, & sepultura nobis struuntur, occultari non possunt, nam terra, quæ occultat, illos ipsa prodit, & manifestat, & nostri discriminis, ac nostræ mortis nos admonet.

Mors, & sepultura laqueus absconditus.
Psal. 93. 3.
Plin lib. 8. c. 23.
Cerastis color arenosus.
Laquei, & insidiæ mortis manifestæ.

5 *Et decipula.* Proprie, comprehensio, captura, sicut Proverb. 3. 26. *Custodiet pedem tuum, ne capiaris.* proprie, a *captura*, vel a *comprehensione.* Quare proprie verterunt Septuaginta: *Captio ejus in semita.* est autem hoc loco *Captionis* nomen plurale, ut significet impiorum varia, multipliciaque discrimina. Sicut autem in Hebræo sunt plura nomina synonyma, quæ rem eandem significant, ita etiam Interpres quærit plura alia Latina, quibus rem eandem explicare possit, & nõ sine utilitate; nam hęc nomina accumulata indicant omnia insidiarum, laqueorum, angustiarum, discriminum genera, impetum factura in impium. Est vero Latinum *decipulæ* nomen elegans hoc loco, addit enim supra nomẽ originale, rationem illam decipiendi, & fallendi: quia enim laqueus absconditus decipit ingredientẽ, Latinus vocat *decipulã*. qua etiã ratione Colossen. 2. 8. quod ex Græco proprie diceretur: *Ne quis vos deprædetur*, Interpres dixit, *Ne quis vos decipiat per inanẽ philosophiam, &c.*

LXX.
מלכודות
Synonymia in Hebræo, & Latino.

6 *Iuxta semitã.* intellige *Abscõditã decipulã* in *semita*, in ipsis vitæ actionibus, & trita consuetudine vivẽdi: nã *juxta semitã*, quã solent ingredi animãtes, solent venatores cõponere laqueos, *& juxta iter scandalum ponunt.* Sic sane *Cerastes in semita*, insidiari dicitur Genes. 49. 17. subito, & inopinato aggrediens, nã serpens *exitiosus in arenã immersus, & delitescens, corniculis quadrigeminus ostentatis, aviculas illicit, & invitat ad pastum, perimitq; deceptas.* Sic capiuntur impii, & terrenarũ amatores voluptatum, *juxta semitã*, dum sua lucra, atq; voluptates consectãtur. Sic capiũtur potentiores, & equites subito deturbati ex potentiæ, & fastu, & dum equum ad fælicitatẽ currẽtẽ serpentis virus impedit, *cadit ascẽsor ej⁹ retro*, in ipso felicitatis cursu impeditus, & cõprehensus juxta suæ ambitionis, & sollicitudinum vanissimarum semitã. Aliter

Semita, consuetudo.
Psal. 139. 6.
Cerastes.
Plin. lib. 8 c. 23 Solin. c. 30 Nicãd. in Theriac.
Impii cõprehensi in suis studiis.
Potentiorum ruina.

parti-

Nicetas.

particulā hanc conſiderat Nicetas, nonnihil a litterali ſenſu deflectēs, ſed non ſine utilitate, ut videatur per *ſemitā* intelligere fælicitatē omnibus conſpicuā. verba illius notanda: *Irruptiones in ſolitudinibus, locisq; deſertis fieri ſolent: verum impius nō in deſerta regione, ſed in media via cōprehenditur. hoc eſt, in ſummo fortunæ ſplendore ſubitā converſionē cogitur ſuſtinere.* Itaq; in media via, & in omnium oculis, nō in occulto, ſed in urbe, & foro capitur impius, captusque traducitur in publicum exēplum. quo etiam indicatur impius, vere fuiſſe fur, & latro; nā ſicut iſti in ſolitudine, & deſertis locis comprehendunt incautos viatores: at latrones ipſos frequenter cōprehendunt judices deliteſcentes in urbe, & ambulantes in publicis viis, & foro; ita certe impius in occultis ſpoliat innocentem; at Deus in ſua urbe, & in publica via gradientem cōprehēdit, ut videatur in illum a ſupremo Iudice dictum; *Tu feciſti abſcondite, ego autem faciam verbum iſtud in conſpectu omnis Iſrael, & in conſpectu Solis.*

Potentiores impii cōprehenſi in urbe inſtar latronum.

3. Reg. 12. 11.

XI. *Vndique terrebunt eum formidines, & involvēt eum pedes ejus.*

1. *Impiorum formido qualis.* Illuſtratus *Amos.*
2. *Formido, & terror de præſentibus malis. Exagitare, & terrere quid.* Illuſtrati David, & *Iſaias.*
3. *Impius ſuis ſe pedibus conjicit in ſupplicium. Inſtar pretioſi vaſis confringitur.* Illuſtratus Ierem.
4. *Diſpergere, & conterere in ſacro ſermone. Explicati* Ieremias, & *Salomon.*
5. *Impii publicum ſupplicium.*

1

R. Levi, R. Peru.

MVlti poſt R. Levi, & R. Peruſol ſic interpretantur. Vndiq; imminentibus, & minitantibus periculis territabitur impius, & ejuſmodi terroribus etiā pedes illius cōmovebuntur, ut cogatur quidem fugere; &, ut in Hebræo eſt, *Diſpergent eū pedes ejus*, id eſt, perfugium viis omnibus, ſed fruſtra quæret; atque cum in tenebris fugiat, oportebit illum ſæpe offendere, & verum effugii tramitē, nunquam invenire. Ergo illud ipſum Baldad minatur impio, quod prædixit quoq; Amos 5. 19. *Quomodo ſi fugiat vir a facie leonis, & occurrat ei urſus; & ingrediatur domum, & innitatur manu ſua ſuper parietem, & mordeat eum coluber. Numquid non dies Domini tenebræ, & nō lux, & caligo, & nō ſplendor in ea?* Eſt enim

Diſcrimina minantia impio.

2

Formido de malis præſentibus.

ſuper impiū incurſura malorum, diſcriminum, hoſtium ſeries quædam continuata, atque longiſsima. Sed exiſtimare nunc licet Baldad loqui, nō tam de *formidine* futurorum diſcriminum, quam de ipſis formidandis malis, in quæ dolebit ſe incidiſſe. Agit igitur de peccatore repente comprehenſo laqueo alicujus ingentis calamitatis, quæ vocetur *formido*, aut *terror*, eo quod ſua magnitudine, & gravitate ipſum terreat, atq; conturbet, inflicta videlicet a numine terribili, & quæ cū præſens ſit, non ſolum præſentis doloris triſtitiam, ſed futuri etiam nunquam finiendi formidinem, & timorem afferat. Sic ab eadē *formidandi* radice dictum eſt, 1. Reg. 16. 14. *Exagitabat* (Vatablus *territabat.* Tygurina; *turbabat*, Pagninus, Regia, *terruit.* gravitas videlicet moleſtiſsimę ægritudinis formidabilis erat) *cum* (Saul) *ſpiritus nequam.* Atque de terrore, & formidine præſentis calamitatis, illa quoque ſunt Iſai. 21. 4. *Tenebræ ſtupefecerūt me.* proprie in fonte: *Terror terruit me.* & Pſal. 88. 17. *In me tranſierunt iræ tuæ, & terrores tui* (mala, & calamitates a Deo indignante, & terrente inflicta) *conturbaverunt me.* Theodoretus elegāter: *Horrendis ſuppliciis perterruiſti.* Baſil. *Horrendiſſimis ſuppliciis perturbaſti.* & Ieremiæ 8. 15. *Tempus medelæ, & ecce formido.* & Iob 15. 24. *Terrebunt eum tribulatio, & anguſtia.* Diximus de hac formidine præſentium malorū ſupra cap. 6. Verſ. 4. ſuper id *Terrores ejus militant contra me*; ne quis putaret, hæc referēda ad neſcio quā ſcrupulorum formidinē. Idemq; ipſum intellexerunt Septuaginta, videlicet *præſentes cruciatus*, atque *dolores.* Ait igitur; *Vndiq;* (Septuaginta ex Hebræo, *per circuitum*) *terrebunt* (proprie, *exagitabunt*, excindēt, obſtupefaciēt. Septuaginta, *perdent*) *formidines* (*formidandi*, & terribiles cruciatus) Septuaginta: *dolores.* Nicetas; *Ex omni parte malorum eum acerbitates attingent.*

Vatab. Pagnin. Regia. Tygur.

LXX.

Varia lectio.

3

Et involvent. Hujus verbi ſuppoſitum in Vulgato videntur eſſe *pedes*, & appoſitum *eum.* Sed quidem ex Hebræo, vero etiam ſenſu, Vulgatus duos illos accuſativos videtur quaſi pro uno appoſito ſumpſiſſe, nam partim retinuit, & partim diſſolvit Hebraiſmum, nā ad verbum vertitur: *Involvent eum pedibus ſuis*, in tertio, vel in ſexto caſu, id eſt, cum planta illius teneatur laqueo, & pedes habeat arctiſsimis compedibus comprehenſos, non tantum pede tenus *involvetur*, & afficietur formidinibus, & doloribus, ſed totus ipſe propter pedes vinctos impeditus corruet, formidabit, dolebit: Nam quod aliqui dicunt, *Pedibus vacillabit, atq; titubabit*, minus eſt, quam pro graviſsimis his imprecationibus. Latine autem dictum eſt, *Involvent*,

Varia lectio.

Oſorius.

פרץ

circundabunt, implicabunt, quod in Hebræo eſt, *diſpergent*, divident. conterent. & affert diſciſſionem quandam, & diviſionem plenam doloris, & perditionis, ſicut ſupra. c. .16. .12. dictum eſt; *Confregit me.* & Ierem. .25. .34. *Completi ſunt dies veſtri ut interficiamini: diſſipationes veſtræ, & cadetis, quaſi vaſa pretioſa.* ubi vides *diſſipationem* eſſe quaſi expoſitionem *interfectionis:* rurſus confractionem *vaſis*, eſſe expoſitionem *diſſipationis*, id eſt, dilacerationis cum dolore, & cruciatu. Ergo cum ait Baldad fore, ut impius involvatur, & diſpergatur, ideſt conteratur, & diſſipetur calamitate, intelligit fore, ut incredibiles illum cruciatus, & dolores dilaceret. proprie dicas, *Alli ſe partira de dolor.* & ut ſui ſupplicii cauſa tribuatur ipſius pravis actionibus, dicuntur *pedes* illius *involuturi*, diſſipaturi, diſperſuri, aut dilaceraturi ipſum impium. Eleganter Tygurina: *Quocumque gradietur, comminuent eum.* atque Vatabl[9]: *Diffugere facient illum pedibus ſuis, id eſt propriis, non alienis pedibus conjiciet ſe in rete.*

Impiorum cõfractio inſtar vaſis.

Impius auctor ſui ſupplicii.

Tygur.

Vatab.

4

Quæ contritio impiorũ.

Neque vero hæc *diſpergendi, & conterendi* metaphora inſolens eſt: cum ab hac ipſa radice dicatur. *malleus conterens* (diſpergens) *petras*. Ierem. .23. .5. & Salomon Proverb. .19. Verſ. .29. *Parata ſunt deriſoribus judicia* (ſupplicia lege ſtatuta) *& mallei percutientes* (excindentes, & conquaſſantes) *ſtultorum corporibus.* Sed melius ab eadem illa radice *diſpergendi* Proverb. .25. .18. *Iaculum* (proprie, malleus conterens petras, aut contundens, & confringens. Septuaginta *Clava*, & *Gladius*, & *ſagitta acuta*: omnia videlicet nocendi inſtrumenta) *homo, qui loquitur contra proximum.*

חלם

5

LXX

Impius in exẽplum ſupplicii propoſitus.

Septuaginta vero paulo durius, & alienius hanc verbi Originalis *diſperſionem*, & Latini, *involutionem*, retulerunt ad turbam multorum hominum undique confluentiũ ad dividendam prædam captam, videlicet divitem comprehenſum, & pede tentum, propoſitum que cunctis vel irridẽdum vel in exemplum ingentis ſupplicii. *Multi* (inquiunt) *circa pedes ejus.* quod vero apud alios etiam codices Græcos legebatur: *ad multorum pedes veniat.* id eſt, ut interpretatur Nicetas, *ad ſummam redigatur inopiam, ut ad multorum pedes abjectus, & ſupplex, victum precibus quæ rat* congruit cum eo, quod ſequitur.

Lectio Græcorum.

Nicetas.

*

XII. *Attenuetur fame robur ejus, & inedia invadat coſtas illius.*

1. *Potentiorum cruciatus Fames, ignobiliorum ſitis Robur, divitiæ. Facultates impiorum latronibus. Illuſtratus Samuel.*
2. *Filii parentum robur, arma, defenſio. Illuſtrati, Moyſes, & David.*
3. *Quid inedia. In malum ſumitur. Coſtarum pendentium dolor. Expoſitus Salomon.*
4. *Coſtæ pro latere. Lateris vulnus pro cruciatu mortifero. Illuſtratus Iudith. Latus divitis trãsfigendũ.*
5. *Verbera, & dolor laterum ſeviſſima antiquus ſontium cruciatus. Illuſtrati Moyſei, & Ioſue.*
6. *Latus ad inſidias improviſas. Amici quoque, & conjunctiſſimi. Eva de coſta.*

A*Ttenuetur fame*. Proprie, Fameſcet, aut *famelicum erit robur illius*, jam dives non *epulabitur quotidie ſplendide*: non jam *prodibit quaſi ex adipe*, & nimia ſaturitate, *iniquitas illius*: non niteſcet bene pingui, ac bene curata cuticula: divitias, quæ *robur*, & fortitudo dicuntur, quod fortem reddant hominem ad quaſvis injurias propulſandas, & quidvis aggrediendum, & conficiendum, devorabit *Tinea*, demolietur *ærugo*. *Fames*, famelici inquam, atque ſitientes fures *effodient*, & *furabuntur*. Ergo ad ſummam redactus inopiam peribit fame, & quamvis *repletus* prius, pro *panibus ſe locet*, tamen non poterit *ſaturare ventrem de ſiliquis, quas porci manducant.* Potentioribus, & ditioribus minantur aliquando ſacræ litteræ *famem*, & tamen ignobilioribus *ſitim*. Iſaias. 5. 13. *Nobiles ejus interierunt fame, & multitudo ejus ſiti exaruit.* Quod ad maximam *ſitis*, & *famis* amplificationem dictum videtur. nam nulla unquam fuit annonæ caritas, aut ſterilitas, in qua non ſuppeteret miſero cuique hauſtus aquæ. Multitudine autem contabeſcente fame, nunquam defuit potentioribus, quo poſſent vivere; & (quod indigniſſimum eſt, atq; extra omnem humanitatem) ita illi vivunt ſitientibus, fameſcentibusque egenis, ut bibant largiſſime, & *epulentur quotidie ſplendide:* ac cum ipſi bibant *vinum* generoſiſſimum *in phialis, neque mica, neq; gutta ſuperſit Lazaro*. Ea propter cum Davidi data eſt optio eligẽdi vel *famẽ*, vel hoſtile *bellum*, vel *peſtilentiã*, hanc cẽſet Theodoret[9] prętuliſſe, ut caſtigationis eſſet particeps: nã man[9] hoſtiũ effugere poſſet in arcib[9] muniſſimis; & famẽ, utqui *frumẽtũ haberet recõditũ, & in ſolos pauperes graſſaretur ſupplicium,*

I

Luc. 16. 19. Pſal. 72. 7.

Divitiæ curdicãtur robur

Divitiæ impiorum latronibus.

Luc. 15. 16.

Potentiorum fames, egenorum ſitis.

Luc. 16.

Amos. 6. 7.

Theodoret. in lib. Reg. q. 37.

cium. Ergo hoc loco incredibilẽ cladẽ impio diviti minatur fames. Quodsi per *famẽ* intelligere liceret desiderii, & cõcupiscentiæ æstum, contineret hæc sententia incredibilẽ quendã cruciatum divitum, qui quãvis conentur omnibus viribꝰ fieri suorum desideriorum cõpotes, nunquã tamẽ assequuntur. Quare oportet, ut illorũ vires, atq; potẽtia semper famescant, & desiderẽt, nunquã saturẽtur, nec impleãtur.

Theodoret. in lib. Reg. 4. 37.

2 Quod vero alii per *robur* intelligunt *filios*, nõ omnino displicet, præsertim si primogenitũ intelligas, in quo se prodit parẽtis robur, atq; integritas, perfectioq; naturæ potẽtis generare sibi simile. Ideo dixit Iacob primogenito Ruben; *Primogenitus meus, tu fortitudo mea, principium doloris mei*. In qua sententia duę videntur expositoriæ periphrases *Primogeniti*, atque adeo aliqui secundam cum prima conjungunt vertẽtes; *Principium roboris mei*, Onkelus; *Robur, & principium fortitudinis meæ*. Neq; tantum Primogenitus, reliqui etiam filii fortitudo parentis sunt, & ut suis parẽtibus impenii, & accepti roboris vicem reddant, illum suo robore postea tuẽtur, & defendũt, instar armorũ: sicut Scriptũ est, *Sicut sagittæ in manu potẽtis, ita filii excussorũ*. nimirum filii juvenum robustorũ, aut *juventutis*, ex Hieronymo, Theodot. Symmach. Aquil. Illi autẽ solent esse fortes, atq; robusti, præsertim si a patre juvene sint suscepti; & propterea opportuni sunt ad omnẽ contra suos parentes inimicorum injuriã, & vim propulsandam. Quare merito subditur: *Beatus vir, qui implevit desiderium suum ex ipsis; nõ confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta*. Si autẽ *filii excussorum* intelligantur filii hominum vexatorũ, imbecillorum, & miserorũ, cũ Theodoreto, sentẽtia erit, Misero, & imbecillo filios esse p armis, & robore. & eo forte respexit iterũ Iacob grãdęvus cum appellavit Benjamin, *filiũ dextræ*, Genes. 36. 18. non solum quod etiã tunc ostẽderet se Iacob virum, & robustum, & procreatorẽ filiorum, sed etiã, quo significaret filium, qui matri dolori fuerat, sibi lætitiæ, & defensioni futurũ; velut *sagittã* in manu *dextera* fortissimi jaculatoris. Filii igitur non solum natu majores, sed etiã minimus, *Robur* sunt parentis. Quod si hoc filiorum robur famelicũ sit, id est, prę fame attenuatum, & languidum, quam erit pater miser, & flaccidus, quam omnium injurię, & violẽtiæ expositus! Ergo ad parentem potissimum pertinet illa imprecatio famis, & imbecillitatis in filios Psal. 108. 10. *Nutãtes trãsferantur filii ejus, & mendicent*. & Ierem. 18. 12. *Da filios eorum in famem*: nam hæc filiorum, & roboris attenuatio, ingens est parentum supplicium.

Filii patẽtis robur.

Genes. 49. 3. Primogeniti periphrasis. *Pagninus.*

Onkel.

Filii arma parentum.

Psal. 126. 4.

Hieronym. ad Marcellã.

Theodoret.

Bẽjamin cur filius dextræ.

Parens miser destitutus a præsidio filiorum.

3 *Et inedia*. Certe Interpres *inediam* vertit, ut leniter hanc sententiã cum præcedẽte, ubi de *fame* sermo fuerat, connecteret: tum etiã, quod *fames* juncta cum sequẽti voce *laterum*, aut *costarũ*, multum faciat ad dolorẽ, & cruciatum; nã *ventris exinanitio pendentes costas facit*, non sine gravi dolore, ut aliquando ex Hippoc. adduximus, cum de morbis Iob disputaremus c. 2. sect. 9. Sed quidẽ *inediæ* vocẽ alibi Interpres vertit, *interitum, afflictionẽ*; Septuata, *Ruinam*, alii, *confractionẽ*; alii, *eventum malum*. Consonant omnia: nã peritiores dicunt nomen originale *Ghed*, significare quidquid subito efficitur, & accidit, & frequenter in malã partem: quare significabit quidem *calamitatem*, vel *exitium*, quod ex improviso advenit. Quæ nominis proprietas videtur indicari Prov. 1. 26. *Ego quoq; in interitu vestro* (calamitate, & casu repẽtino) *ridebo, & subsannabo vos* (explicatur deinde nominis vis, & acerbitas subiti eventus) *cum vobis id, quod timebatis, advenerit; cum irruerit repentina calamitas, & interitus* (iterum eadem originalis vox) *quasi tempestas* (subito coacta, & exorta, hæc enim formidabilior, & nocẽtior esse solet.) *ingruerit*. & Psal. 17. 19. *Prævenerũt me* (imparatum adorti sunt) *in die* (tẽpore tristi, & misero) *afflictionis* (repentinæ, & subitę) *meæ*. Quæ etiam subiti casus acerbitas forte *costarum* nomine affertur statim.

עיד

ו

Hippoc.

LXX Vatab. Pagnin.

Casus subitus nocentior.

4 Quod autẽ Cajetanus hanc afflictionẽ, quæ in abstracto est, tum in Latino, tum in Hebręo, pro affligente sumit, ita ut fractio parata ad costas, sit, ut ipse ait; *Effractor paratus ad costas, & latus divitis*. nã *multorũm* (inquit) *opes exhauriũtur stipẽdiis satellitũ paratorum ad latus divitis, qui hic appellãtur effractores, & famelici, quia sunt viri tenues, & propti ad mala*. quod nos diceremus (*Que al rico le chupã la sangre, los que se le pegã a las costillas*) Præterquã (inquã) quod hoc sensum efficiet humiliorem, incommode etiã facit, nam abstractum multo est vehementius. *Invadat*, proprie Septuaginta: *Parata est*, instructa, præparata, confirmata: ita ut denotet robur, & firmitatẽ ad invadẽdum, & superandum. Quare elegãter noster dixit, *Invadat*, quod in originali erat paratum, & bene instructum, videlicet ad invadẽdum. Nisi forte *parata afflictio*, & calamitas intelligatur pœna, & supplicium constitutũ lege, & præ-

Cajetan.

Abstracta nomina acriora.

כון

Supplicium lege paratũ.

paratum fontibus: nam etiã miserrimum est pub'ico supplicio puniri. *Costas* per Metonymiã, latera, quæ costas continet, ubi vulnera magis lethalia sunt, & magis alte penetrãt, quippe in laterib⁹, & thorace viscera sunt, & vitę sedes, & universum hominis robur. sicut de robustis illis in Gabaõ, Scripum est 2. Reg. 2. 16. *Apprehẽso unusquisq; capite cõparis sui, defixit gladium in latus contrarii, & ceciderũt simul.* & Ioab ex insidiis percutiẽte Amasam 2. Reg. 2. *Percussit eum in latere, & effudit intestina ejus in terrã, nec secundũ vulnus apposuit.* nã lateris vulnus unum lethale est. Sic quoq; minatus est Holofernes Achior Iudith. 6. 4. *Gladius militiæ meæ trãsiet per latera tua, & non respirabis ultra.* Fuisse auté has peracerbas minas, indicant illa verba Iudith, quæ loquuta est ad Achior post occisum Holofernẽ, c. 13. 28. *Ecce caput Holofernis, qui contemptu superbiæ suæ Deum Israel contẽpsit, & tibi interitum minabatur, dicẽs; Cum captus fuerit populus Israel, gladio perforari præcipiã latera tua.* Imprecatur itaque, ut impium deficiant vires, deficiant laterum, costæ, & robur, & ut lethali vulnere trãsfigatur per latera.

Metonymia.

Laterum vulnus lethale.

5 Alii post R. Levi hanc laterum calamitatem intelligunt, verbera, & flagella laterum, quorum dolor est gravissimus; & quidẽ non omnino incommode, nam eadem fere vox originalis, quæ *costam*, aut *latus*, significat etiam flagellum, aut plagam, Psal. 37. 18. *Ego in flagella paratus sum.* Hieronymus, *ad plagas.* Symmachus, & alii Hebraizantes post illum, *ad claudicandum*, vel *ad claudicationem*; quoniam claudicatio fit in alterum latus. Ad verbum dicas, *Ego ad latus*, aut *ad costas paratus sum*, videlicet ad verberationem laterum. qui dolor est peracerbus, & propterea vilissimorum erat mancipiorum, uti Leno ille Plautinus Lorariis servis ait;

R. Levi.

צלע

Hieronymus Symmach. Pagn. Reg.

Nisi somnum, socordiamq; ex pectore, oculisq; amoveritis,
Ita ego vestra latera Loris faciam, ut valide varia fient,
Vt ne peristromata quidem æque picta sint Campanica. & iterum,
Ita plagis costæ callent,
Quos dũ ferias, tibi plus noceas; eo enim ingenio hi sunt flagritribæ.

Plaut. in Pseud.

Sapiens etiam monet Ecclesi. 42. 5. *Servo pessimo latus sanguinare*, quod est verberib⁹ cruentare. Propterea etiã dum & nocivã, & oppido molestam barbararum gentium societatẽ, nisi illas ex Dei præcepto omnino delere vellẽt, minatur Israelitis Moyses, Numer. 33. 55. *Sin* (inquit) *nolueritis interficere habitatores terræ, qui remanserint, erunt vobis quasi clavi in oculis, & lanceæ in laterib⁹.* Vox eadem, quæ *lancea*, vertitur; & explicatur Iosue, 23. 13. *Sint vobis in foveam, & laqueum, & offendiculum ex latere vestro.* Alii pro flagro, veprib⁹, spinis. Si pũgãtur igitur, & verberẽtur latera, peracerbus dolor. & quidẽ ferrea illa instrumẽta, quibus fontes quõdã afficiebãtur, laterib⁹ potissimum, in quibus doloré incredibilé efficerẽt, adhibebantur. Hujusmodi erant ferreę illæ ungulæ, quibus sulcabantur, & dissecabantur latera. Sic enim Constantinus l. 1. C. de Emend. *Servus sit* (inquit) *equuleo deditus, ungulisq; sulcãtibus latera, perferat pœnas proprio dignas facinore.* Atq; divus Hieronymus ad Innocent. de muliere septies icta; *Cũ languidas carnes ungula cruẽta pulsaret, & sulcatis laterib⁹ dolor quæreret veritatẽ, infælicissimus juvenis volens compendio mortis longos cruciatus evitare, &c.*

Laterum dolor acerbissimus.

Cõstantinus imp.

Hieronym.

6 Forte cum afflictionem *laterum*, & casum repentinum dicit, indicat inopinatum malum per insidias, & ex latere acceptum, ut securum opprimat. Vnde etiam latrones dicti sunt, quasi *laterones.* latent enim ad insidias, & ex latere adoriuntur. Neque vero solis impii lateribus, & *costis* tantum malum imprecatur; sed uxori etiam, filiis, & amicissimis quibusq;, & collateralibus, qui latus claudunt, quos olim fovebat, & protegebat impius: nam hi homines *laterum* nomine significari solent, quare & Eva *de costa*, & *de latere* Adã ædificata est. Atq; quia lat⁹, & costas suas homo dejecto brachio continere, & fovere soleat, dictum est: *Nemo carnem suam odio habet, sed nutrit, & fovet eam.*

Insidiæ ex latere.

Latrones.

Latus, amici, & collaterales.

Gen. 2. 21. 22.

Ephe. 5. 29.

XIII. Devoret pulchritudinẽ cutis ejus, consumat brachia illius primogenita mors.

1. *Quid primogenita mors. Quid primogenitus mortuorum. Princeps Erebi. Morbus primus formidandus. Illustratus Paulus, & Ioannes.*
2. *Genitivus pro epitheto. Primogenitũ in sacro sermone. Explicatus Paul. Sancti Primogeniti Christus Primogenitus creaturæ.*
3. *Peccati gradus, & ætates, sic etiã & mortis. Peccatum mortis parens. Mors primogenita, aut secundo genita. Pauperum mors languida.*
4. *Superbia pœna, primogenita mors. Initium peccati superbia.*
5. *Pulchritudo, aut membra cutis quæ. Vulgati diligentia.*
6. *Devorare quid. Brachia.*
7. *Brachia quid in proprio, & figurato sermone. Illustrati Zacharias, Ezechiel. & David.*

1 INcipiendum a *Primogenita morte*, quæ toti sententiæ apponitur. & quidem in Hebræo est, *Primogenitus mortis*, quo etiã modo universi Hebraizantes legunt. Intelligunt *Primogenitum mortis*, non una ratione. nam Rab. David ait dictum per Hypallagé, *Devoret Primogenitus mortis*, id est, Mors devoret Primogenitum illius. Alii vocant *Primogenitum*, id est, Principem mortis, qui mortis habet imperium, cui impiorum exitium demandatum sit. Sic etiã videtur accepisse Philippus Presbyter, nã *Primogenitam mortem* ait vocari diabolum, *quia per ipsum primum intravit mors in orbem terrarũ, & ipse est suæ mortis inventor*. is profecto videtur Rex ille locustarũ apud Ioan. Apoc. 9. 11. *Angelus abyssi, cui nomen Hebraice Abadon, Græce autem Apollyon, Latine habens nomen exterminans.* Quare hic *Primogenitus mortis* videtur per oppositionem dici *Primogenito ex mortuis*, quem Paulus vocat Colossen. 1. 18. aut *Primogenito mortuorum*, ut dicit Ioannes Apoc. 1. 5. nam *Primogenitus mortuorum* non solum dicitur Filius Dei, quod fuerit primus Resurgentium ad vitam immortalem, & quasi regenitus beata ista Resurrectionis nativitate ante alios, sed quod etiam fuerit Princeps, & exemplar, atque principium istius Resurrectionis; sicut ille *Primogenitus mortis* fuit mortis Princeps, atque principium, & invẽtor. Ergo huic Erebi Principi, & Lethi præfecto, ait Baldad, demandandum impii supplicium. Alii cum R. Ioseph vocant, *Primogenitum mortis*, morbũ gravissimum, ac dolorem mortiferum, quem certa, & inevitabilis mors subsequutura præmittit, & gignit. Cajetanus, *mœrorem, quia* (inquit) *primum, quod gignit mors in animis nostris, est mœror: quilibet enim tristatur cogitans se moriturum*, & mœror *corrodit mi bra*, juxta illud Proverb. 17. 22. *Spiritus tristis exsiccat ossa.* Alii exponunt, *primam infirmitatem*: nam cum ærumnę omnes, & morbi ex mortis pœna olim inflicta oriri videãtur, prima infirmitas erit primogenita mortis; habebitq; nescio quid majoris acerbitatis hæc imprecatio, quæ & apud nostrates terrorẽ habet, *Vaya dela primera*.

Pagnin. Vatab. Tigur. Cajet. R. David. Hypallage. Philippus. Primogenitus, mortis Diabolus. Paimogenitus mortuorũ Christus. R. Ioseph. Morbus gravissimus. Cajetan. Prima infirmitas formidanda.

2 Sed quidem Interpres sicut ex genitivo aliquando facit adjectivum, & epithetum ita nunc e contrario, ex genitivo fecit rectum, & ex recto epithetum. quare *Primogenitum mortis*, vertit, *Mortem primogenitam*, ut sensum vehementiorem redderet, & significationem magis arcanam, ut jam dicemus. *Primogenitus* autem sicut aliis prior est nativitate, ita etiam dignitate, & jure primogenituræ, tum etiã corporis firmitate, & robore a parentibus juvenibus accepto, sicut nuper dicebamus, *Primogenitum* vocari parentum fortitudinem, & robur. Inde *Primogenitus* pro primario, & Principe: qua ratione dicitur Christus, *Primogenitus omnis creaturæ*. Colos. 1. 15. Nõ quidem Primaria creatura, quasi sorores habens alias creaturas, ut mentiebatur Arrius; sed Princeps, & principium creaturarum, nã statim subjungit Paulus; *Quoniam in ipso condita sunt universa*. atque eadem ratione dicitur etiã *Primogenitus mortuorum*, ut nuper dicebamus. Isai. quoque c. 14. 30. vocat *Primogenitos pauperum*, id est, præcipuos, & primarios pauperum, pauperrimos videlicet. & Paulus etiã Hebræ. 12. 13. *Ecclesiam primitivorum*, dixit cętum Sanctorum, quos *Primogenitos* appellavit, ut Theodoreti verbis utar; *Non quod omnes primi natura solverint matrũ uteros, sed quia major honor Primogenitis lege tribuebatur, eorum præstantiam, & honorem significavit per hanc appellationem.*

Vulgati consuetudo, & Scripturæ regula. Christus cur Primogenitus creaturarum. Cur Sancti dicãtur Primogeniti. Theodoret. ad Colos. 1.

3 Ergo *Primogenita mors*, erit mors, quædam acerbior, feralior, & funestior cæteris, & inter omnes moriendi rationes, pręcipua, & Princeps efficacitate, acerbitate, cruciatu, & sensu doloris.

Primogenitæ mortis germana expositio.

Sed ut vocis *Primogenitæ*, proprietatem diligenter investigemus, observandum sane est, peccatum dici posse recta ratione, mortis parentem: nam *per peccatum mors*, ut Paulus ait, & peccatũ etiam *generat mortem*, ut Iacobus dixit. *Deus enim mortem non fecit*, ut Sapiens docet. Quare cum David, cecinerit: *Lætabitur Dominus in operibus suis*; commode a Salomonę accinitur; *Nõ lætatur in perditione vivorum*. Porro peccatum multas quasi ætates, & gradus videtur habere; nam si peccator sit juvenis ætate, & viribus florens, si locuples, atque potens, videtur etiam illius peccatum quandã ætatis juvenilis, & roboris integri rationem habere: sicut & peccatum, quod ab homine sene, imbecillo, & vel ex ignorantia, egestate, metu, aut alia simili impotentia committitur, videtur peccatum senile, & infirmum. Cum mors autem, & pœna peccato respondeat tanquam filia, efficitur ut mors, quæ peccato juveni, & forti respondet, videatur *mors primogenita*, primaria, quam duplex dolorum, & cruciatuum portio comitetur, in qua maxime se prodat peccati virtus, seu potius virus exitiale. Mors vero aliis peccatis respõdens videbitur mors secundaria, minus exaggerata doloribus, & cruciatibus, quippe mors secundo genita, & ita imbecillior, & minus acerba. Ergo *Primogenita mors* est illa,

Rom. 5. 12. Iacob. 1. 15. Sap. 1. 13. Psal. 103. 31. Sap. 1. 13. Peccati diversæ ætatis.

Mors divitũ acerbiſsima. quã impiꝰ, dum ætate, & opibus polleret, cõmeritus eſt. Quare imprecatur Baldad ut Divina vindicta non differat impii potentis ſupplicium, ſed ſtatim digna morte illum auferat. *Morte*, inquam, *primogenita*, quæ ętatis florẽ, quæ opulentię ſplẽdorem, quæ virium robur, quæ brachiorum lacertos, quæ familiæ ſpeciem, & pulchritudinem univerſam devoret, & abſumat. Hęc eſt illa Primogenita mors, quam Eccleſ. 41. 1. Eccleſiaſticus deſcribit. c. 41. 1. *O mors, quam amara eſt memoria tua homini pacẽ habenti in ſubſtantiis ſuis, viro quieto, & cujus viæ directæ ſunt in omnibus, & adhuc valenti capere cibum!* Senilis autem, ac nimis languida mors illa altera, de qua idẽ Eccleſiaſticus, cap. 30. 17. *O mors, bonum eſt judicium tuum homini indigenti, & qui minoratur viribus, defectæ ætate.*

Mors imbecillorũ, & pauperũ languida.

4 Tandem ſi peccatum, & mortem in cõmuni compares, ſicut primum hominis, tum etiam Angelorum peccatũ Superbia fuit, ita & mors commerita propter ſuperbiam poteſt dici *primogenita mors*; nam *initium omnis peccati ſuperbia*. Ergo *primogenita morte* conſumendum impium dicat Baldad, ut illius ſuperbiam notet, quę reliquorum quoque ſcelerum initium, & radix fuerit: & tacite Iobum ſuperbiæ, & adverſus Deum inſolentiæ accuſet. Cum itaque de *morte primogenita* conſtet, ad reliqua procedendum eſt.

Primum peccatum ſuperbia. Eccleſ. 10. 15.

5 Quod *pulchritudo cutis*, nobis eſt, in Hebræo eſt proprie, *membra*, aut *rami cutis*; videlicet vox illa, de qua in fine capitis 17. diximus, quæ ſignificat fulcra, vectes, membra, brachia, ramos, & ea omnia, quæ aliquid ſuſtentant. Quare quod Hebraizantes dicunt *membra cutis*, Hebraice faciunt, ſed minime Latine, minime ut boni, & fidi Interpretes, melius ac clarius, neque improprie dicerent, *partes cutis*; ſicut enim membra in animali, ſunt ipſæ animalis partes, ita *membra cutis* nihil aliud ſunt, quam ipſæ partes cutis; quaſi diceret; Mors abſumat univerſam cutem, & omnes illius partes exugat, corruget, adurat. Nam quod hanc primam partem Alii (ut Vatablus) videntur conjungere cum ſecunda; ut membra cutis ſint, membra ſub cute, quæ cutem velut vectes, & fulcra ſuſtentant. q.d. *Abſumat ramos cutis ejus, abſumat* (inquam) *membra ejus*, nõ omnino commode faciunt. quantum enim eſt pondus pellis, ut illam dicantur partes internæ membrorum, & oſsium ſuſtinere, tanquam vectes, rami, & fulcra? Potius dicerem eſſe Hypallagen, ut *membra cutis* ſit cutis membrorum, quaſi diceret; Exter-

בד Pagninus. Cajetan. Vatab. Hypallage.

na omnis cutis devoretur. Melius itaque Interpres noſter, *Pulchritudinem cutis* dixit: nam cum videret, vocem originalem ſignificare etiam fortitudinem, quæ fulcrorum, & vectium, & partium ſolidarum, quæ alias infirmiores ſuſtentare valent, propria eſt: quæ etiam *fortitudo* vertitur Iſai. 26. 6. Ipſe *fortitudinem cutis*, ſapienter intellexit eſſe florem, virorem pulchritudinem cutis, præſertim cum ipſa *pulchritudinis* ratio, tum membrorum conformationem includat, tum etiam cutis colorem. nam *corporis quædam apta figura membrorum, cum coloris quadam ſuavitate*, Pulchritudo dicitur. Rem eandem ſuboleſecerunt Septuaginta legentes: *Mors devoret ſpecioſa ejus*. Quamvis qui hoc ad filios referunt, ut R. Levi, & alii Hebraizantes, & ex Græcis Nicetas longius recedere videantur.

Vulgati diligentia. Cic. in Tuſc. Hebraizãtes notati.

6 *Devorare* autem dicitur, quod devorando abſumit. Quare, & Igni, & Gladio tribui ſolet, & nunc *devorare*, nunc *conſumere* vertitur, ut ſtatim in ſecunda parte hujus ſententiæ. *Devorare* igitur dicitur mors, aut morbus, cum abſumit, & extinguit humani corporis pulchritudinem. Sic idem verbum ſtatim vertitur; *Conſumat brachia*. Idem nomen, quod ſupra vertit, *pulchritudinem*. Sed videtur interpres incrementum addidiſſe orationi; Nõ ſolum externam pulchritudinem, ſed membra ipſa, & internas partes, carnem, oſſa, nervos, medullas intimas voret acerbiſsimi virulentia morbi.

Augmentum orationis.

7 *Brachium* in ſacro Sermone pro potentia, viribus, robore, ſive *brachium* jungatur cum alio nomine, quod fortitudinem, & potentiam clarius denotet, ut Pſal. 88. 14. *Tuum eſt brachium cum potentia: firmetur manus* (Siniſtra) *tua, & exaltetur dextera tua*: id eſt, nihil non poteſt tuum brachium efficere, neque enim tãtum brachio aut manu dextera polles, verum etiam ſiniſtra, es enim ambi-dexter: Sive *brachium* ſolitarie ponatur, ut Pſal. 70. 18. *Donec annunciem brachium tuum* (tuæ fortitudinis laudẽ, & ſtatim exponi), *Potentiã tuam*. Ezech. 30. 21. eleganti metaphora deſcribit AEgypti plagam, adeo gravem, ut priſtinæ vires recuperari minime poſſint; *Brachium Pharaonis Regis AEgypti confregi, & ecce non eſt obvolutum, ut reſtitueretur ei ſanitas, ut ligaretur pannis, & faſciaretur linteolis, & recepto robore poſſit tenere gladium*. Ergo videtur hanc imprecationem Baldad, imitatus David. Pſal. 36. 17. *Brachia peccatorum conterentur; confirmat autem juſtos Dominus*. nam quãvis primum

Brachium ſolitarie ſumptum.

potentia, opibus, corporis robore, & incolumitate inſoleſcant, ſolet Deus *brachia* confringere, omni & corporis, & rerum externarum præſidio ſublato; juſtos autem ab omni primum & corporis, & rerum aliarum viribus deſtitutos confirmat, & brachia roborat. Sic Didymus eo loco per *brachia* intelligit *actrices animæ facultates.* Euſebius: *Divitias.* Auguſtinus, & Theodoretus: *Potentiam.* Cyrillus, *Robur.* Sed quam Baldad brachiorum *conſumptionem,* & David, *contritionem,* Ezechiel, *confractionẽ,* Zacharias *arefactionem* dicit. cap. 11. 17. cum iniquo Regi, quicumque ille fuerit, Regni, & omnis poteſtatis amiſsionem minatur, *O paſtor, & idolum: gladius ſuper brachium ejus, & ſuper oculum dexterum ejus: brachium ejus ariditate ſiccabitur, & oculus dexter ejus obtenebreſcens obſcurabitur:* nam nihil efficere, nihil providere poterit, quod in rem ſuam futurum ſit.

Didymus in Catena Damelis Barbari.

Brachia miſtice quid.

Princeps ſine viribus, ſive Providentia.

✠ XIIII. *Avellatur de tabernaculo ſuo fiducia ejus, & calcet ſuper eum quaſi Rex interitus.*

1. *Tabernaculum. Spes metonymicos.*
2. *Tabernalum corporis humani.*
3. *Varia tabernaculi etymologia. Quid Tendere, aut Avellere tabernaculũ. Illuſtrati Moyſes, Iſai. Ieremias.*
4. *Tabernaculum temporarium quorum fuerit. Quæ apud Iſaiam Tabernacula fiduciæ.*
5. *Tabernaculi materia. Pelles. Pelliones qui.*
6. *Comparatio corporis cum Tabernaculo. Illuſtratus Paulus.*
7. *Chriſtianus miles habitans in Tabernaculo. Corporis habitatio temporaria. Explicatus David.*
8. *Reſurgentium Tabernacula non avellenda. Illuſtratus Iſaias. Mori Sanctorum qualis.*

1 A*Vellatur de tabernaculo, &c.* Alii, inter quos Vatabl. videtur etiam Nicet. explicant, de domo, familia, opibus, quibus potiſsimum nititur impii ſpes, ac de quibus ſervãdis, vel recuperandis impius omnino deſperet, certus fore, ut univerſum *tabernaculum* corruat, paxillis, & clavis revulſis, & ruptis funiculis, quibus tabernaculum continebatur. filiis inquam, & univerſis familiaribus, aut ablatis, aut diſsipatis. nam his videtur niti tota domus, & tabernaculi firmitas, atque ſuſtentari parentum fiducia, & poſteritatis ſpes. Dicitur autem ſpes, aut fiducia alicujus Metonymicos, id in quo quis fiduciam, ſpem ve collocat. Huc Nicetas, *In perditis erit illi rerum abreptarum reſtitutio, illique ejuſmodi evenient, ut curationem nullam queant admittere.* Cõgruunt cum hac expoſitione, quæ de *Tabernaculi* ſignificatione dicta a nobis ſunt. cap. 5. Verſ. 24. & c. 8. Verſ. 22. ubi idem ipſe Baldad eandem fere uſurpat ſententiam: *Tabernaculum impiorum non ſubſiſtet.*

Tabernaculũ impii quæ contineat.

Metonymia.

Nicetas.

2 Sed ego potius ſententiam hanc accipiendam cenſeo de *tabernaculo* corporis, cum impio laboranti morbo graviſsimo, omnis ſuſtinendi ſui corporis, & recuperãdæ valetudinis ſpes aufertur. eo Septuaginta reſpexerũt, nã legunt: *Rumpatur de tabernaculo ejus ſanitas.* & opportune nunc incurabilis atque mortiferi morbi, nec non collabentis, & moribundi corporis meminit Baldad, cum hæc omnia dixerit propter Iob, quem propter impietatem tam graviter laborare ſibi perſuaſerat. E legãs vero in primis eſt hæc cum *tabernaculo convellendo* languẽtis, & deficientis humani corporis comparatio: neque enim accipiẽda eſt nunc, *tabernaculi,* metaphora a domo, (licet ea ſignificatio non ſit inſolens) ſed ſtrictius a tentorio, & domicilio temporario, quale erat militare, aut paſtoritium.

Verior expoſitio.

Tabernaculi cum humano corpore comparatio.

❡ TABERNACVLI
Tum variæ in Sacro ſermone ſignificationis, materiæ, uſus, finis; tum cum humano corpore comparationis accurata conſideratio.

3 Exigit hic locus pauló diligentiorem Tabernaculi tractatu, ad humani præſertim corporis fabricam relatum. Notandum vero primum eſt, cum in aliis locis nominatur *Tabernaculum,* duci nomen ab illa radice, & ſignificatione, quæ communis eſt cuicumque tecto, & domui: dicitur enim *ſuccah,* id eſt *tabernaculum,* a radice *ſacan,* quod eſt velare, protegere, operire. q. d. opertorium, velamentum, protectio. Quare alluſio ad ipſum vocis etymon videtur fieri Pſal. 26.5. *Abſcondit me in tabernaculo ſuo,* q. d. protexit me ſub ſuo tecto, & abſcondit me in ſua abſconſione. Solet etiam *tabernaculum* dici *Miſcan,* a radice, *Sacan,* quod eſt habitare, aut commorari, ſive cohabitare in vicinia, & ſocietate aliorum habitatorum, ut Pſal. 131. 5. *Donec inveniam locum* (ſedem, & ſtationem fixam, & domum manentem) *Domino,* * *Tabernaculũ* (id eſt, certum locum in civitate, in medio urbis, & reliquorum viciniorum) *Deo Iacob.* At in hoc noſtro loco, *Tabernaculum* deſcendit ab alia radice, videlicet *Ohel,* a radice *Ahal,* quod eſt tendere, aut extendere. q. d. *Taberna-*

Tabernaculi tum ſignificatio, & uſus, tum cum humano corpore cõparatio.

סוכה

סכן

משכן

שכן

* Haſta q̃ lo halle a Dios caſa en buen barrio, y en buena vezindad.

אהל

culum, quod extenditur, aut expanditur, quod nomen non niſi in tẽtorium ſtricte, & proprie dictum poteſt convenire, cui etiam convenit moveri, & transferri ex uno in alium locum, ut Genes. 13. 18. *Movens Abraham tabernaculum.* & extendi, Geneſ. 12. 18. *Tetendit tabernaculum.* & ita nullo addito *tabernaculi* nomine, ſed ſolo verbo *tendendi*, tabernaculum ſignificatur, ut Genes. 13. 18. *Movens tabernaculum ſuum.* ex verbo originali dicas tantum, *Extendens*, ſupple tabernaculum, aut ſi liceret fingere ſimplex verbum, *Tabernaculans*; ſicut etiam apud Latinos, *tendere* ſolitarie ponitur, pro extendere tentoriũ, ut apud Livium: *Coarctatio plurium in anguſtia tendentium.* & apud Poëtam,

Livius, 7. de Bello Maced.

Virg. 2. Aenei.

------------- *Dorica caſtra*
Deſertos que videre locos, littuſque relictum,
Hic Dolopum manus, hic ſævus tendebat
Achilles.

Tẽdere apud Latinos.

Inter alia autem, quæ *Tabernaculo* ſtricte accepto conveniunt, ſunt, *Figi*, & *Avelli*. Genes. 16. 12. dicitur de Iſmaele, *E regione omnium fratrum ſuorum figet tabernacula.* id eſt, ipſis ſuis fratribus inſtructo exercitu, & fixis tentoriis, atque diſpoſitis caſtris bellum indicet. Huic contrarium eſt *Avelli*, nam ſicut tabernaculum tendebatur fixis in terram clavis, & contentis funiculis; ita convulſis clavis, & refixis paxillis, ruptiſque, aut ſolutis avellebatur. quorum alterum ex illo Iſai. 54. 2. Fidelium multitudinem ad Eccleſiam confluentium deſcribentis, cognoci poteſt; *Dilata locum tentorii tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende; ne parcas; longos fac funiculos, & clavos tuos conſolida.* Alterum vero, ex Ierem. 10. 20. *Tabernaculum meum vaſtatum eſt; omnes funiculi mei dirupti ſunt, non eſt, qui extendat ultra tentorium meum, & erigat pelles meas.*

Tabernaculi propriũ figi, & avelli.

4 Ergo *tabernacula*, quæ figebãtur, & refigebãtur, opportebat quidẽ eſſe non valde diuturna, ſed temporaria; neque parari civibus, & indigenis, quibus domus certæ, & fixæ ſunt, ſed hoſpitibus, peregrinis, militibus, paſtoribus, quibus nulla eſt certa, & firma ſtatio, ſed pro commoditate loci, aut neceſsitate rei agendæ perpetuo vagantur, & relicta priori ſede alio commigrãt. ſicut apud Ierem. 35. 7. dictum eſt a Rechab filiis ſuis, *Domum non ædificabitis, ſed in tabernaculis* (Ahalim) *habitabitis, ut vivatis diebus multis ſuper faciem terræ, in qua vos peregrinamini.* quare ad unum tantum diem, aut noctem figi ſolet tentoriũ; juxta id Iſai. 24. 20. *Auferetur quaſi tabernaculum unius noctis.* atque adeo quæ idem

Tabernacula temporaria, quorũ fuerint.

אהלים

Tabernacula fiduciæ.

Iſai. c. 32. 18. appellat, *Tabernacula fiduciæ*, aut ſecura, ſunt illa, quæ neque movenda eſſent, neque illorum *fiducia convellenda*, ut dixit hoc loco Baldad. & clarius eodem capite 32. 20. de firmitate Eccleſiæ militantis, quæ ſub tentorio licet degat, mutationem non timet; *Tabernaculum, quod nequaquam tranſferri poterit, neque auferentur clavi ejus in ſempiternum, & omnes funiculi ejus non rumpentur.*

Eccleſiæ firmitas.

5 Illud tantum ſupereſt, antequã ad eam *tabernaculi* cum humano corpore ſimilitudinem deſcendamus, oſtendere materiam, ex qua tabernacula conficiebantur: nam hæc quoque cum præſenti inſtituto facit. Fiebant quidem aliquando ex ſagis, cilicio, pilis caprarum, aut camellorum, ut cõſtat: Exodi. 26. at frequentiſsime ex corio, & pellibus. quare tum apud ſacros, tum apud prophanos, *pelles* pro tentoriis, & tabernaculis uſurpari videas: cujuſmodi ſunt *Pelles Salomonis* Cantic. 1. 5. quibus in feſto Tabernaculorum utebãtur. *& pelles terræ Madian* Habacuc. 3. 7. id eſt caſtrenſia Madianitarum tabernacula. unde & *Pelliones* dicti, qui pelles conficiebant atq; parabant, ſub quibus milites hyemarent; quorum in enumeratione aliorũ artificum Paternus meminit leg. ultim. D. de jure immunit. quo loco depravate legi *Polliones*, emendate, *Pelliones*, eruditi obſervant. Meminit etiam *Tentoriarũ pellium* Vopiſcus in Aureliano. frequẽs quoque illud apud Cæſarẽ, & Livium, *ſub pellibus hyemare* atque illud peculiare Decad. 1. lib. 5. *Militem Romanum in opere, & labore, nivibus, pruiniſque obrutum, ſub pellibus durare.*

Tabernaculorum materia.

Pelles pro tẽtorio.

Pelliones apud Rom.

Paternus. Fran. Hotoman. in Lexico juris.

Cæſar lib. 3. Bel. civil.

Liv. 3. Decad. lib. 3. & Decad. 4. lib. 7.

6 His poſitis, quid jam nunc ſimilius humani corporis compoſitioni, quam tabernaculi ſtructura, *pelles*, funiculi, finis in quem erigitur tabernaculum, duratio tandem non valde diuturna? Nam pelle tegimur, qua cæli injurias excipimus: nervis, quaſi funiculis, intendimur: oſsibus, quaſi malo, & aliis armamentis ligneis, ſuſtinemur, & conſiſtimus: pedibus, quaſi clavis figimur, & confirmamur: ſicut Scriptum eſt; *Pelle, & carnibus veſtiſti me, oſſibus, & nervis compegiſti me.* Ergo dum ſumus in corpore, in tabernaculo ſumus. quod aperte nos docent Petrus, & Paulus, uterque de *tabernaculo ſui corporis* loquuti. Corporis vero, ſicut & tabernaculi, poſſeſsio & inhabitatio perbrevis eſt: nã *nõ habemus hic civitatem manentem, ſed futuram inquirimus, peregrinantes a Domino.* quare (ut ait Paulus) *bonam voluntatem habemus peregrinari a corpore*: q. d. non amplius

Tabernaculi corporis deſcriptio.

Iob 10. 11.

2. Corinth. 5. 4. 2. Petr. 1. 13.

Heb. 11. 13.

plius in tabernaculo vivere) *& præſentes eſſe ad Dominum.* (ubi videlicet patria, & parētis domus. Eleganter ſane Origenes homil. 23. in Num. ad mores convertit id Levit. 23.40. quod de *feſto tabernaculorum* dictum eſt: *Lætabimini coram Domino Deo veſtro. Lætatur* (inquit) *ſuper te Deus, cum te viderit in hoc mundo in tabernaculis habitantem, cum te viderit non habentem fixum, ac fundatum animum, ac propoſitum ſuper terrā, nec deſiderantem, quæ terrena ſunt: nec umbram vitæ hujus, quaſi poſſeſſionem propriam; ſed veluti in tranſitu poſitum, ad veram illam patriam feſtinantem, ac dicentem: Incola ego ſum, & peregrinus, ſicut omnes patres mei.*

Origenes

7 Militem præterea agit quisque noſtrū. & quidem oportet fidelem ac Chriſtianū militem, multo melius quam Romanum, *in opere, & labore, nivibus, pruinisque obrutum ſub pellibus durare. Militare* (inquam) *bonam militiam* ſub pelle hujus corporis. atque illud, ut decet militantis Eccleſiæ bonum militē, frequenter ore, atque mente verſare, & ponderare, & in rem ſuam convertere: *Arca Dei Iſraël, & Iuda habitant in papilionibus, & Dominus meus Ioab, & ſervi Domini mei ſuper faciem terræ manent, & ego ingrediar domum meam, ut comedam, & bibam?* Itaque ſi corpus animi tabernaculum eſt, temporarium eſt, non perpetuum. atque adeo non poterit non eſſe *velox depoſitio tabernaculi noſtri,* ut de ſe dicebat Petrus, & ita velox, ut videri poſsit *tabernaculum unius* diei, unius ve noctis. quare cum tam cito proficiſcēdum ad patriam ſit, atque conficienda tabernaculorum peregrinatio, dictum eſt a Davide: *Mi nuiſti eum* (hominem) *paulo minus* (pauliſper, pauco tempore, dum in corporis tabernaculo peregrinatur) *ab Angelis,* qui cives ſunt Ieruſalem ſupernæ, tunc enim erimus ſicut Angeli, *cives Sanctorum, & domeſtici Dei.*

Tabernaculū Chriſtiani militis.
1. ad Timot. 1. 18.
2. Reg. 11. 11.
Corpus, tēporarium tabernaculum.
2. Pet. 1. 13. 14
Pſal. 8. 6.
Ephe 2. 19.

8 Sed cum hinc abeūdū eſt, cū *avellendū tabernaculum,* & complicandæ, ac convolvendæ *pelles,* tunc corrugatur cutis, diſſolvūtur funiculi, laxatis nervis; convellūtur clavi, nutantibus pedibus, & quaſi a terra ſublatis; *avellitur* jam tunc de tabernaculo impii *fiducia ejus,* nam, qui ſuo corpori, vitæ, viribus, atque ſuis facultatibus fidebat, & ſub quibus pollicebatur ſibi ſecuritatis, & protectionis umbram, ſubito ſentiet ſe nihil habere firmum, cui niti poſsit, & fore tandem ut tabernaculum complicatum, & involutum transferatur alio.

Complicatio tabernaculi, & depoſitio corporis.

Si vero corpus ſit tabernaculum pii, & ſancti animi, *bonam militiam militantis,* quāvis nunc avellatur, deponatur, & concidat, explicabitur tamen, & erigetur iterum in manſionibus cæleſtibus, ubi exercitus beatorum non jam de pugnat cum hoſte; ſed una voce Sancto Domino Deo Sabaoth triumphum, & gloriam canunt; atque lætantur, *ſicut exultant victores capta præda, quando dividunt ſpolia.* Tunc figet Dominus tabernacula Iuſtorum tam firmiter, ut illorum *fiducia,* firmitasq; *avelli* nulla ratione poſsit. tunc nobis iterum Iſaias dicet: *Reſpice Sion civitatem ſolennitatis noſtræ: oculi tui videbunt Ieruſalem habitationem opulentam; tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit, neque auferentur clavi ejus in ſempiternum, & omnes funiculi ejus non rumpentur.* Ex temporario igitur tabernaculo, ſempiterna domus ſupererit. Qui vero tantam beatis oculis æterni jam tabernaculi pulchritudinem intuebitur, accinet illud: *Quam pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Iſraël! ut valles nemoroſæ ut fluvii juxta hortos irrigui, ut tabernacula, quæ fixit Dominus.*

Mors Sanctorum cum beatæ Reſurrectionis ſpe.
Iſaias. 9. 3.
Iſai. 33. 20.
Num. 24. 5.

Et calcet ſuper eum, quaſi Rex, Interitus.

9. *Rex terrorum quis. Mors terribilis.*
10. *Impios cruciat mortis metus. explicatus Amos.*
11. *Vulgati interpretis diligētia. Conjugatio ſexta Hebræorum quomodo exponenda.*
12. *Mors viventem impium exanimat. eadem illum ſepelit.*
13. *Calcare ad victoriam, & triumphum. illuſtrati Habacuc, & Daniel.*
14. *Calcare ad alacritatē, & auſum Græcorum imperatorum mos in calcandis inimicorum cervicibus. explicati Ioſue, & Lucas.*
15. *Inſolentia mortis calcantis vitæ gloriā, & faſtum. explicatus Ezech.*
16. *Regū vindicta, & proſcriptiones. Illuſtr. Salomō.*
17. *Baldad aſtutia adverſus Iobum.*

9 DIſſentire videntur Latina ab Hebręis, & Gręca ab utrisque. nam in Hebręo ad verbum eſt, *Deducet ad Regem formidinum,* cujus ſententiæ ſuppoſitum videtur eſſe id, quod proxime præceſsit, videlicet *fiducia:* unde Vatablus hunc ſenſum elicit, *Fiducia, & proprio conſilio deveniet in poteſtatem rei maxime terribilis.* Sed præſtat ut ſuppoſitum ſit *fiducia,* non tamen ſimpliciter accepta, ſed *convulſa* illa, & vana ſpes. *Rex autem formidinum,* aut terrorum videtur phraſi Hebræa dici, maximus, ac potentiſsimus terror, qui univerſos alios terrores cauſa, magnitudine, & gravitate vincit. Rurſus terror maximus, pro re ma-

Vatabl.

xime terribili, & formidanda. Hæc autem nulla videtur alia eſſe, quam mors, *quæ eſt terribilium terribiliſsimum.* Ergo *Rex terrorum.* erit terror mortis, aut mors ipſa terribilis. quare conſurgit hæc ſententia; Amiſſa recuperandæ ſpes ſanitatis, propter vim morbi inſanabilis, de vita, inquã, deſperatio conjiciet impium in certiſsimæ mortis ſævum quendam, & implacabilem terrorem. Eſt enim omni morbo, & cruciatu gravior, & acerbior terror ille, & mortis metus, quo impii, ægrotantes præſertim, afficiuntur. quare inter alias moleſtiſsimas animi cogitationes illud proponere non ſemel videtur Eccleſiaſticus. c. 40. 2. *Dies finitionis, timor mortis.* Nam quid, quæſo, cauſæ eſt, cur tantopere fugiant impii mortis cogitationem, niſi quod, vel illius cogitatio incredibiliter illos torqueat, atque exterreat? Sic illud Amos. 6. 3. *Separati eſtis in diem malum*, diem videlicet interitus, & omnis calamitatis. *Separati*, (inquam) non re ipſa, ſed cogitatione, & opinione veſtra. cum quo ſenſu illa altera lectio congruit; *ſeparantes diem malum*, aut, (ut alii legunt) *elongantes diem malum*, aut *qui in longinquum rejicitis*, aut, *qui longe repellitis*. nam rem iſtam formidandam longiſsime fugiunt. & propterea videas improbos quoſdam, quaſi mortales non eſſent, mortẽ minime formidare, quod longinquũ putant diem malũ. Quia ut Ariſt. ait, *Quæ longinqua ſunt, non metuuntur: ſciunt enim omnes fore, ut moriantur, ſed quia id prope nõ eſſe putãt, ideo nullam curam ſuſcipiũt.* Sed terror quant[9], cũ ſe mors dat in conſpectũ, & *Rex terrorum*, aut *rex interitus, calcaturus* ſuper collum impii, jam conſurgere, & pedem attollere videtur!

Arist. 3. Et. c. 7.

10 Terror mortis impiorum præſertim.

Improbi nec mortis cogitationẽ admittunt.

Tygur. Vatab.

Arist. 2 Ret. c. 5.

Pagnin.

11 Conciliandã nunc noſtra lectio cum ea, quam diximus haberi in fonte. Interpres quidem ſignificationem verbi *Tſaghad*, quod eſt incedere, & ambulare, quãvis in *Hiphil*, & cum actione videretur explicanda, dicendo, *deducet*, aut *ambulare faciet*, ſumſit tamen (quod & potuit, non enim omnino ſemper ille rigor, & proprietas ſignificationis obſervatur) intranſitive. quare dixit, ambulet, aut *calcet*. vel quidem actionẽ conjugationis *Hiphil*, eo modo ſumpſit, quo quis diceretur active ambulare alium, id eſt, ambulare, aut calcare ſuper alium. quare ſi ſervata omnium articulorum, & vocum proprietate ex verbo velimus legere, ſic reddetur ſententia, *Ambulet eum Regi terrorum.* id eſt, Regi terrorum convenit, vel incumbit ambulare, id eſt, ambulando cõculcare impium. ubi jam vides, quare *Regi terrorum* tribuerit hanc actionem interpres, illum que effecerit ſuppoſitum totius ſententiæ, atque dilucide, & eleganter reddiderit; *Calcet ſuper eum, quaſi Rex, interitus*. ubi vel *interitus* eſt poſſeſsivi caſus, aut recti; id eſt *Rex mors*, aut *Rex mortis*: hæc enim variatio non variat ſenſum. Quam interpretis lucem, prudentiam, ſolertiam plane acutam, & præſubtilem, ſi in aliquo Hebraizante deprehendiſſemus, bone Deus, quãtum miraremur ingenium, & diligentiam hominis! nunc quoniã in Vulgato habem[9] mille hujus rei, atque exquiſiti ſemper laboris exempla, tanquam vulgaria præterimus.

Variæ lectionis examen

יצעד

Conjugatio hiphil quomodo exponẽda

Defenſio, & laus Vulgati.

Igitur ſic inquit, ſicque imprecatur Baldad; Graviſsimi terrores impium exaniment, atque terrores impendentis mortis illum conficiant, antequã moriatur. Rex territans, ſed ita territans, ut vel tantum minitando, & perterrefaciẽdo interimat; Mors Regina, *ambulet ſuper impium.* atque illius, & omnium, quæ ad illum pertinent, poſſeſsionem capiat, per poſitionem pedum liberamque illius habeat poteſtatem. Impium præterea ſepulturæ mandatum, humumq; ipſam deſuper injectam, * *mors calcet*, & ligone comprimat, calce etiam oſſa comminuat, faciem deformet, deprimat, & infringat coſtas pectoris. Tũ etiã *Rex interitus*, aut *terrorum*, quem paulo ante *Primogenitam mortem*, aut Principem mortis, & Erebi appellaverat, quod maxime terribilis ſit, atque terrifico tormentorum, & cruciatuum apparatu ſontes afficiat, is (inquam) impium per manus morbi, tanquam per manus tortoris, & carnificis ſibi traditum, horrendis cruciatibus conficiat. Sed eſt præterea in verbo *calcandi* vis major, quam ſtatim exprimemus.

* Haraſe la muerte ſepulturero del pecador, y piſarale la tierra de la ſepultura.

Morbus carnifex.

Calcet, quaſi Rex. Tum nomen *Regis*, tum verbum *Calcandi*, victoriam, atque triumphum de impio, deque illius ſuperbia, & ſcelerata vita reportatũ, indicare videntur. & opportune ſane, ac congruẽter cum eo, quod præceſsit, *tabernaculum*, quod militum erat, & eorum, quorum adhuc anceps conditio, & Mars dubi[9], quod etiam a victore, & triumphatore convellebatur, & dejiciebatur. Ergo Mors in impii corpus, & animum, quaſi in hoſtium caſtra, & in tabernaculum ducis inimici convolabit, inſtar imperatoris fortiſsimi; tabernaculum convellet, atque dejiciet; & animum in tabernaculo corporis commorantem, captivum deducet in *regionem terrorum*. & ita illud verbum, *calcandi*, a præſenti radice, eſt incedere, aut de ambulare cum pompa, aut cum peculiari alio affe-

13 Calcare, vincentis eſt.

Calcare, & ingredi quid proprie.

ctu,

ctu, gestu, & habitu, ut illud Psal. 67. 25. *Viderunt ingressus tuos Deus, ingressus Dei mei, Regis mei, qui est in sancto*. id est viderunt, qui spectare voluerunt, tuam arcam incedentem cum magna pompa, & jubilatione, deductam ab universo populo, victoriam, & triumphum canente, atq; lætante. vel, *tuos ingressus*, incessus, ovationes, & triumphos conspicuos omnibus præbuisti. nam *ingredi, & incedere, calcare*, aut *conculcare*, vincentis, & triumphantis est, Habac. 3. 12. *In fremitu conculcabis terram* (Pagnin. & Regia, ex Heb. *Incedes super terram*, vel, *calcabis*. Vatab. *Deambulabas super populos, quibus eras iratus*. eleganter leo Tygurinus; *Incessisti in terram*) *& in furore obstupefacies*, (prop. *Triturabis*, comminues) *gentes*. & illud etiam Danielis. 11. 43. de tyrannide Antichristi, *per Libyam quoque & Æthiopiam transibit*. videlicet victoris, & triumphantis more incedet, percalcabit. prop. ex Hebræo. *Libes, & Æthiopes in gressibus ejus*. id est, gradietur super illos; illi excipient gressus ejus; illos sibi subjiciet, & triumphabit. Non aliter profecto, *Interitus*, & mors *calcabit* super impium. quæ cum tam terribilis sit, atque cum instar sævissimi Tyranni superatum, & triumphatum hominẽ proculcet, merito appellatur, *Rex terrorum*.

Pagnin. Regia. Vatabl.

Tygur.

Antichristi incessus.

Mors vincẽs.

14 Neque vero solum triumphus, & victoria affertur verbo *calcandi*, sed præterea alacritas quædam, & ausus animi adversus omnes hostes: nã semel adepta victoria insolentẽ efficere victorẽ solet, vel nihil deinceps formidãtẽ. Observat Theodoret. q. 11. in Iosue, Principes exercitus Israëlitici calcatis quinque Regibus, quos bello vicerant, audaciores, & animosiores, deinde in acie constitisse. Id quod non obscure scribitur Iosue 10. 22. *Præcepit Iosue dicens; Aperite os speluncæ, & producite ad me quinque Reges, qui in ea latitant, & ait ad Principes exercitus, qui secum erant; Ite, & ponite pedes super colla Regum istorum: qui cũ perrexissent, & subditorum colla pedibus calcarent, rursum ait ad eos, Nolite timere, nec paveatis; confortamini, & robusti estote: Sic enim faciet Dominus cunctis hostibus vestris, adversus quos dimicabitis*. quam etiam adversus communem adversarium alacritatem sumere nos volens dux noster Christus Iesus, *Ecce* (inquit) *dedi vobis potestatem calcandi supra Serpentes, & Scorpiones, & supra omnem virtutem inimici*. Quare quamvis Imperium Constantinopolitanum Romano posterius, at mos sumendi de hostibus triumphatis supplicium, multo quã apud Romanos antiquior, ut qui ex priscis illis seculis haustus, & repetitus esset. nam Imperator captum hostem, & humi distentum, in illius cervices, & collum insultando, conculcabat. Atque sic Michaelẽ Balbum de Thoma exegisse læsæ Majestatis pœnas, scribit Georgius Cedrenus in historiarum compendio 201. his verbis: *Thomam arreptum compedibus Imperatori tradiderunt. Is morem, qui jam pridem Imperatoribus placuerat, receptusque consuetudine erat, primo omnium servans, porrectum in pavimento jacere jussit, cervicemque ejus pedibus suis calcavit: tum pedibus, manibusque mutilatum, & asino impositum spectaculi loco per castra circumduci jussit, nihil aliud vociferantem, quam, Miserere mei, qui verus es Rex.*

Victoris insolentia, & audacia.

Theodoret.

Israelitæ animosiores adepta victoria.

Luc. 10.19.

Constantinopolitanorum Imperatorũ ritus.

Cedrenus.

Quanta ergo (ut ad rem nostrã revertamur) mortis audacia, quanta insolentia, quæ tot *Regum colla calcavit*! Quem jam illa timeat, quæ neminem adhuc reverita, humanam omnem potentiam atque superbiam, *quasi* potentissimus *Rex* proculcat? Nihil profecto sibi, vel ad tolerandũ magis difficile, vel ad accipiendum magis ignominiosum proposuit in illa imprecatione David, quam hostis insolentiam, devictum proculcantis; *Persequatur* (inquit) *inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam, & gloriam meam in pulverem deducat*. 15

Mortis audacia, & insolentia omnia proculcantis.

Psal. 7. 4.

At, inquis, hoc nõ potest efficere mors, quæ mortuum quidem, & jam terræ mandatum cadaver calcat tantum, non vivens adhuc, nec vitam. imo sane potius cum super cadaver, atque super vita functum hominem *calcat* mors, vitam, vitæque superbiam proculdubio conculcat, & proterit, atque *gloriam* illius universam *in pulverem deducit*. Ad divitem igitur, & opulentum aliquem impium, superbissimum ve Tyrannum, quem mors, & interitus sibi subjiciãt, illud transferendũ est, quod quondam ad urbem Regiam Ierusalem Ezech. 22. 5. dictum est; *Triumphabunt de te sordida, nobilis, grandis interitu*. id est, civitas, nobilis tantum sordibus, & peccatis, quæ omnem suam nobilitatem eo contulit, ut esset nobilis, & famosa peccando; O civitas *grandis interitu*, nam magnitudinem suam, atque potentiam ad peccata, & scelera patranda contulit; magnum propterea supplicium, & magnum cruciatum commerita. Similiter igitur, o vos *sordidi nobiles*, opulenti, & grandi supplicio, ac morte acerbissima digni, triumphabit profecto de vobis *Mors*, & *interitus*, cum omnium potentum, & *sublimium colla calcaverit*.

Mors vitam proculcans.

Divitum improborũ supplicium, & minæ.

Sed illud non prætermittendum, quod

Septua-

17
LXX.
Rex iratus, & proscribēs civium bona.
Nicetas.

Septuaginta aliquanto longius revocarunt sententiam hanc ad bonorum proscriptionem quæ a Rege irato, & indignāte contra civem aliquem fieri solet. nam legunt *Teneat eum necessitas causa Regali.* Quod Nicetas sic interpretatur; *Non solum impius ab inferioribus male mulstabitur, sed etiam ab iis, qui dominantur, in ærumnas conjicietur.* Illa enim videtur esse *necessitas*, vis potentior, qua homo prematur, & constringatur. Affert præterea idem Scholiastes Aquilæ interpretationem significantiorem;

Aquila.

Insidet ei Anyparxia. id est fortunarum spoliatio a Rege illi contingat. Sed quidem *anyparxia*, videtur non solum significare fortunarum spoliationem, sed gravius præterea aliquid, videlicet internecionem, & vitæ, atque substantiæ ipsius, nec non existentiæ spoliationem. q.d. *inexistentiam.* nam *hyparxis* est substantia, existentia, vita.

ἀνυπαρξία

ὕπαρξις

quare *Regem terrorum*, ut est in Hebræo, aut *Regem interitus*, vel *Regem interitum*, ut est in Latino, sumpserunt Septuaginta pro Rege irato, & crudeli desæviente in miserum aliquem civem, & terrorem, ac minas mortis, imo & mortem ipsam inferente. Licet enim nunc non hominis, sed *supplicium Dei inexorabile* (ut Nicetas dixit) significetur, sed tamen hoc recte significatur in homine Rege, nam illo nihil est crudelius, præsertim si juris sui, & fisci Regalis paulo sit tenacior.

Nicetas.

Mortis inexorabilis imago Rex iratus.

Vide parabolam illam Matth. .18. de *Homine Rege*, & servo nequam; *jussit namque servum, uxorem, & filios, & universa, quæ habebat, venundari, & tradi tortoribus quoad usque redderet universum debitum.*

Matth. 18. 25. 34.

Ecclesiastes, qui, & ipse Rex erat Ierusalem, ac bene perspectum habebat Regum ingenium, monet neque minimum discedendū a verbis, & præceptis Regum, neque coram illis quicquam indecore, aut festinanter, & temere agendum, ferenda etiam esse mala, & indigna verba, quibus solent illi subditos accipere.

Quomodo cū regibus agendum.

Ecclef. 8.2.3.4.

* *Ego* (inquit) *os regis observo, &* (tanquam, perinde, ac) *præcepta juramenti Dei. Ne festines recedere a facie ejus, neque permaneas* * (ne hæreas neque moreris, si te Rex malis verbis accipat; patienter potius dissimula) *in opere* (Septuaginta ex Hebræo. *ne stes in verbo*) *malo: quia omnia, quod voluerit faciet, & sermo illius potestate plenus est, nec dicere ei, quisquam potest, quare ita facis?*

* Yo si fuesse subdito, haria esto.

* No repares en como te trata de palabra.

Præclare adolescens ille e custodibus Darii Regis, propositionem illam suā de Regis fortitudine persequutus est. .3. Esdræ. .4. *Ipse unus solus, si dixerit, Occidite; occidunt: dixerit, Remittite; remittunt; dixerit, Exterminate; exterminant; dixerit, Ædificate: ædificant: dixerit Excidite; excidunt: dixerit, Plantate; plantant: & omnis plebs, & virtutes eum obaudiunt, & super hoc ipse recumbit, & dormit.* Ergo recte præsentia, & vis mortis inexorabilis in Rege irato, & inexorabili repræsentata est.

Sed illud tandem in hac lectione Septuaginta rogandum, quorsum adducta fuerit a Baldad hæc similitudo necessitatis, & proscriptionis causa regali, cum nihil tale acciderit Iob? Respondet Nicetas; *Si humanam dicit animadversionem, ideo dicit, ut ea, quæ non Iobo contigerunt admiscens, ejus causa hæc eadem dicere minime videatur.* Vel secundo, quod Divinam vindictam per *causam regalem* significaret. Vel tertio, quod etiam simile supplicium aliquando contingat impio propter scelera. non enim tantum proponunt amici Iob supplicia, quæ ille pertulit sed quæ impiis in universum solerent accidere.

17
Objectionis solutio.

Nicetas.

Impii propter scelera proscripti.

✠ XV. *Habitent in tabernaculo illius Socii ejus, Qui non est; aspergatur in tabernaculo ejus sulphur.*

1. *Futurum cum optativo sæpe mutatum.*
2. *Sententiæ difficultas, & varia ex Hebræo lectio.*
3. *Diversitas interpretū. bestia habitatura in tabernaculo impii. Solitudo horrenda. Illustratus Isaias.*
4. *Feminina cum masculinis sæpe constructa.*
5. *Habitare, quid. Defensio, & Illustratio Vulgati. Socii impiorum vermes.*
6. *Impiorum proprium non esse, sicut esse Dei. Explicatus Ioan. in Apoc. & Moys.*
7. *Variæ interpretationes.*
8. *Diabolus cur dicatur non esse. variæ illius appellationes. Idololatriæ socii diaboli.*
9. *Homo verus quis, vera item Respu. Christianismus.*

1
Modorū permutatio.

H*Abitent.* Illud initio præmonendum, has imprecationes in Hebræo exprimi per futurum. *Habitabunt, aspergetur;* sed recte ab interprete reddi optanter; nā solent futurum, & optativum, aut imperativum frequenter aut confundi, aut permutari in Scripturis, Psal. 5. 22. *Lætentur.* (in Hebræo *lætabuntur*, & sic consonant alia futura, quæ sequuntur) *omnes qui sperant in te: in æternum exultabunt* (exultent) *& habitabis* (& habita, obumbra) *in eis.* & precanter Numer. .21. .22. *Obsecro, ut transire mihi liceat.* Onkel, & Hebr. *Transibo per terram tuam.* Rursus Imperativum pro futuro Genes. 20. 7. *Orabit pro te, & vives.*

in

in Hebræo, *vive*. Plura simul exempla suppeditat ille locus Isaiæ. 8. *Congregamini* (congregabimini) *populi*, *& vincimini* (vincemini. Sic etiam quæ sequuntur) *Confortamini, & vincimini: inite consilium, & dissipabitur*. Ergo Latinus Interpres aliquãdo retinet Hebraismum, ut vides apud Isaiam; aliquando vero (quod suo jure potest) dissolvit, & convertit Futurum in Optativũ, aut Imperativũ, ut hoc nostro loco. & aliquãdo etiam, ut simul exponere doceat, partim retinet, & partim dissolvit, ut Psal. 36.3. *Inhabita terram* (pro, inhabitabis) *& pasceris* (hic dissolvit, quod in Hebræo est, *Pasce*, Hier. *Pascere*) *in divitiis ejus*. Vt vel hinc discas, quantum optimo, & fidelissimo debeas Interpreti tum in hoc, tum aliis locis innumeris. Iam de ipsa sententia.

Regula, & cõsuetudo Vulgati interpretis.

Hieronymus.

Vulgati fides, & diligentia.

2

Habitent socii ejus. Prima hujus sententiæ pars tam apud Hebræum, & Græcum, quam apud Latinum multa obscuritate impeditur: tum quod in Hebræo videtur supposito carere, quare Interpres Latinus de suo cerebro videtur prompsisse illud, *Socii ejus*: tum quod verbum *habitandi*, sit fæminini generis. Adde etiam secundam partem mutilam, & imperfectam videri, sic enim ex verbo redditur, *Habitabit* (videlicet tanquam fæmina) *in tabernaculo ejus propter non ei*, sic Regia; vel, *ex in non ei*, sic Cajetan. vel, *non existente in eo*; sic Pagninus. vel, *eo quod non sit ipsius*; sic Vatablus. Græci præterea tenebras adaugent, addentes noctem; *Habitet in tabernaculo ejus, in nocte ejus*.

Sententiæ ex multis capitibus difficultas

Verbum fœmininum.

Regia. Pagnin. Cajetan. Vatablus. LXX.

3

Ergo ut a supposito incipiamus, diversi diversa supponunt; nã cum hic describatur impii post mortem supplicium, dicunt fore, ut impio mortuo, & ejecto a propria domo, inhabitetur deinceps illius tabernaculum, & domus nõ ab alio, quam a timore, & formidine. Ita Vatab. Post. R. Levi, *timorem* supplet, *Habitabit in tentorio ejus timor*. Alii dicunt inhabitandum a fera aliqua, & bestia sanguinaria; ita Aben Esra. est videlicet hoc peculiare supplicii, & imprecationis genus, ubi de domo, urbe, aut ædificio aliquo deserẽdo agitur, nã solet in locis, & ædificiis desertis horrida quædam vastitas habitare, & formidanda solitudo cõspici: infesta nimirum redduntur ferarum latibulis, horrenda ululatibus, perstrepentia sibilis, atque diris, & infaustis vocibus, ut constat. Isai. 13. 21. vbi prædicitur subversio Babylonis, *Requiescet ibi bestiæ, & replebuntur domus eorum draconibus, & habitabunt ibi struthiones, & pilosi saltabunt ibi, & respondebunt ibi ululæ in ædib⁹ ejus, & syrenes in delubris voluptatis.* & iterum de devastatione Idumææ, *Possidebunt illam Onocrotalus, & Ericius*, & *Ibis, & corvus habitabunt in ea.*

Varia expositio de supposito hujus sententiæ.

R. Levi.

Aben Esra.

Locorum desertorum horror.

Isaias. 34.11.

Chaldæus tamen, cum verbum sit fæminini generis, subaudit uxorem, & legit, *Vxor ejus habitet in tabernaculo non suo*. Nõ quod significare voluerit uxorem suam fore alterius viri scortum, ut quidam Interpres suspicatus est, sed quod hoc extremæ indigentiæ, atque miseriæ sit, uxorem hominis quondam opulenti esse ancillam in aliena domo. Qua de re ipsa Iobi uxor deplorabat, & querebatur supra c. 2. apud Septuaginta, *Ego errans, & ancilla, locum ex loco, & domum e domo, expectans solem, quando occidet, ut requiescam ab ærumnis, & doloribus, qui me nunc premiunt.*

Vxor viri opulenti in egestate jacẽs. Astuaica.

Theodotionis lectio suppositum facit, *interitum*, sic enim legit referente Niceta: *Habitabit in tabernaculo ejus cunctarum rerum interitus.* Alii denique intelligunt ipsum impium omni suo robore jam spoliatum, velut miserrimam, & imbecillam fæminã habitaturum in alieno tabernaculo, quod proprio domicilio expulsus fuerit, atque hunc sensum elici ex Hebræo affirmat Nicetas, illumque amplificat his verbis: *Hebræus habet: Habitabit in tabernaculis non suis, dicitque aliquid amplius, hoc est, vagus in alienis commorabitur ædificiis.* diversitas quidem harum interpretationum aliqua, sed summa consensio in assignanda gravissima aliqua imprecatione, & supplicio impii: atque hæc de aliorum aut interpretatione, aut lectione.

Theodotio.

Nicetas.

4

Quod vero ad Latinum nostrum interpretem attinet, diligenter ille, atque sapienter partes sententiæ singulas considerravit, & ponderavit. atque aliam etiã non minus gravem imprecationem his verbis contineri existimavit, primum enim prætermisit, aut potius neglexit illud genus fæmininum verbi; nam sæpe id mysterio caret, cum Scriptura non tam ad voces quam ad rem significatã respicere soleat. Cujus rei Hebræi grammatici multa exẽpla proferunt, in quib⁹ nomina fæminina verbis, aut participiis masculinis, & e contrario nomina masculina verbis fæmininis junguntur, in quibus laboriosum, sæpe etiam inutile sit quærere cum ipsis Hebræis mysterium aliquod. Vide Pagnin. lib. 2. suarum instit. vbi triginta octo exempla affert. quinque alia suppeditabit çamora lib. 2. c. 6. in quibus pronomen non cõvenit genere cum suo verbo.

Verbum fœmininum cũ nomine masculino conjunctum.

Pagninus.

çamora.

Ergo cum hoc loco genus illud fæmininum verbi prætereundum censuerit Interpres

Illustratio Vulgati.

terpres, fuppofitum, ipfe, quod mafculini generis effet, non tam fupplevit, quam deducendum putavit ex ipfo verbo *Habitandi*, quod eft *Sacan*, quod, ut fupra diximus, non tam fignificat *habitare*, quam commorari, & cohabitare fimul in vicinia cum aliis. & ex adjunctis cognoci poteft vis, & proprietas verbi. Exodi. 25. 8. * *Facient mihi Sanctuarium* (tabernaculũ inftar domus) *& habitabo* (cohabitando tanquam adhabitator, & vicinus) *in medio eorum* (ficut unusquifpiam de reliquo populo.) fic etiam cum Arca Dei tranfiit ad Philifthæos, dictum eft ab eadem radice Pfal. 77. 70. * *Repulit tabernaculum Silo, tabernaculum fuum, ubi habitavit* (cohabitavit) *in* (inter, cum) *hominibus*. (Thargum: *in medio filiorum hominum*. Inde dicitur *Sacen*, *Habitator*, vel cohabitator, quod nos dicimus, *vezino, y morador*. Hofeæ, 10. 5. *Vaccas Betaven coluerunt habitatores Samariæ*. & *Vicinus* etiam vertitur Exodi. 12. 4. * *Affumet vicinum fuum, qui conjunctus eft domui ejus*. & *Proximus*, aut *proximũ*. Deut. 1. 7. *Venite ad montem Amorrhæorum, & ad cætera, quæ ei proxima*. (Kald. *loca vicina*,) perinde itaque erit dicere, *habitator* ac fi dicas, vicinus, proximus, focius, is præfertim, qui loci, & habitationis propinquitate conjunctus eft. ex verbo igitur *habitandi*, latitantem vicinum, aut *focium* produxit Interpres claris verbis, dicens: *Habitent in tabernaculo illius focii ejus*. Et quod in Originali fingulare erat, *habitet*, ipfe, ut vim fententiæ adderet, plurale effecit, *Habitent focii*, & ut fignificaret impium non uni tantum focio, & vicino moleftum, & odiofum effe, fed univerfis cupientibus illum ex tota vicinia expulfum, atque fibi multum mali timẽtibus propter vicinum malum; tum etiam quod multi fint, qui ad impii domum, & fupellectilem occupandam, cum primum ille expulfus fuerit, parati fint convolare: proptereaque fociis, atque vicinis univerfis pergratus accedat illius, aut interitus, aut exilium. Videri pofsim longior, fed nullus mihi pro illuftrãdo Vulgato longus labor. Nunc jam quærendum, qui fint focii defuncti?

שכן

* Denme cafa, y divire en tre ellos, como qualquier hijo de vezino.

* Dexo fu antigua cafa, y vezindad.

* Al vezino de pared en medio.

Diligentia Vulgati.

5 Sunt fane, qui per *focios* impii defuncti, intelligi velint amicos, domefticos, & familiares. Ita divus Thomas, & Dionyf. quæ interpretatio omnino difplicet Nicolao: nam quod amici, & familiares defuncti maneant in domo priftina, lugeãt que fuum patronum, ad defuncti honorẽ quendam pertinet, non ad fupplicium extremum, quod hic defcribitur. Quare ipfe Nicolaus per *focios habitantes in tabernaculo impii*, accipit vermes, qui cadaveris focii funt. Sed objiciamus nos quoque Nicolao, hoc non debere referri inter imprecationes, & maledicta impiorum, cum ea fit cõmunis mortaliũ fors, quorũ *pater putredo eft, mater, & foror vermes*. Ergo neque nobis placet Lyranus. Placet quod de alienis hæredibus, & de vicinis inhiantib9 in domũ, & fupellectilẽ defuncti, diximus.

D. Tho.

Lyra.

Vera expofitio.

6 *Qui non eft*. Variam hujus partis lectionem indicavimus nuper, cum integrã fentẽtiam ex Originali reddidimus. Sed tum illi, tum noftræ (non enim funt valde diverfę) varii fenfus fubeffe poffunt. Primus, ut dicatur ipfe impius *non effe*, id eft non amplius apparere in fuo tabernaculo, ut qui fubito fublatus de medio fuerit. & fi juxta Hebræum prop. legas, *Lo*, tertium videlicet cafum, cui ille articulus fervit, erit idem fenfus: *Non ei* amplius defferviet fuum tabernaculum, ipfe enim ædificavit domum, fed alius incolet. hunc ipfum fenfum elici ex Hebræo poffe agnovit Nicetas, ut fupra adduxit; & idem indicat Pagninus fua lectione, *Non exiftente in eo*. eftque communis Latinorum expofitio. D. Thom. Lyr. Dionyf. in qua emphafim fane habet hæc circumloquutio mortis impii: *Qui non eft*: fignificat enim ingentis fuperbię, & cumuli bonorum omnium, quibus exultabat, & triumphabat, univerfalẽ interitũ. Sic apud Ioannem Apoc. 17. 8. videas *beftiæ* illius (five ea Antichriftus, five Diabolus, dum in hoc mundo poteftatem exercet, five Impietatis dominatio intelligi debeat) interitum defcribi, *Beftia, quam vidifti, fuit, & non eft, & afcenfura eft de abyffo, & in interitum ibit, & mirabuntur inhabitantes terram, vidẽtes beftiam, quæ erat, & non eft*. Simili comminatione comprimere nititur Ezechiel infignem fuperbiam Regis Tyri, 28. 19. *Nihili factus es, & non eris in perpetuum*. Quod in Hebręo fere eodem modo, quo in Apoca. habetur. *Fuifti, & non tu ufque in fæculum*. Quidquid ergo fuerit homo, fi homo fuit, & vita functus eft, *fuit, & non eft*. At fupremus Deus *folus habet immortalitatem*, cujus divinitatis, & æternitatis eft illa circumloquutio. *Ego fum A, & Ω, principium, & finis* (id eft omnes numeros fæculorum omnium comprehendo, omnia tempora æternitate mea complector, & prætergredior. nimirum *Regnum illius, eft Regnum omnium fæculorum, & dominatio illius in generatione, & generationem*. *Qui eft, & qui erat, & qui venturus eft*. id eft, *qui erit*. nam fic habetur Exod. 3. 12. 13. quo Ioannes procul-

Qua ratione dicantur impii nõ futuri.

לו

Nicetas.

Pagnin.

D. Thomas, & Latini.

Mortis impiorum periphrafis.

Apoc. 17. 8.

Mors ad nihilum cunctare digens.

1. Timot. 6. 16.

Apoc. 1. 8.

Pfal. 144. 13.

dubio

dubio respexit; nam quod nos habemus, *Qui est, misit me ad vos*; ex Hebræo ad verbum legitur: *Ero misit me ad vos*. unde fluxit illud Dei nomen ineffabile a radice *Hajah*; quod est Esse, atque significat ipsum essendi principiū, & radicem in Deo; ut plerique Theologi docent, de quo nomine, cum res, & tempus tulerint, dicemus plura. Nunc tantum quam longe humana superbia a verissimo illo, primoque totius essendi principio absit, nā (ut scholarum verbis utar) contradictorie Deo opponitur, quę est oppositionum maxima, Deus, *qui est*, Homo, impius præsertim, *qui non est*, Deus, *Qui fuit, & Est*, Homo, & bestia *fuit, & non est*, Deus *fuit, Est, Erit*: Homo, Babylon, Tempus, *non erit amplius*.

Dei nomē Iehovah.

יהוה

Quantum distet humana superbia a celsitate Divina.

Apoc. 10. 7. 34. 8. 18. 2. 21.

7 Secundus sensus, ut negatio illa, quæ in Originali est, *non ei*, aut *non propter eum*, significet merito impii domum transituram ad alienos; quod ipse illam non suis sumptibus, sed alienis dispendiis ædificarit, sicut dicitur Ierem. 22. 13. *Væ qui ædificat domum suam in injustitia, & cœnacula sua non in judicio, amicum suum opprimet frustra, & mercedem ejus non reddet ei.* In hac expositione sunt Vatablus, Isid. Eugubin.

Secunda negationis expositio.

Vatablus. Clar. Steuchus

Tertius, ut *Qui non est*, referatur ad socios, vel ad socium: nam hæc numerorū permutatio pluralis in singularem, aut contra non est valde curanda; confundi enim, negligique sæpe solent in Scripturis, præsertim cum illud verbum *Habitentis* in Hebręo sit in numero singulari, propterea que illud, *Qui non est*, possit illi cōgrue respondere. *Socius* autem, *qui nō est*, ille erit, qui defuncto nulla cognatione conjunctus est, nullaque necessitudine. Leo Tygurinus, *Habitabit in tabernaculo ejus nulla propinquitate attingens eum*. Hoc quoque Cajetano, & nonnullis Hebraizantibus placet.

Tertius sensus.

Numerorum frequens permutatio.

Tygur. Cajetan.

8 Quartus, ut *Qui non est*, sit nomen, & periphrasis Diaboli, *socii* autē *ejus* sint Angeli apostatæ: quod ad litterā hoc loco intelligi indicant Gregor. Philipp. Beda. Quorum sententiā breviter, æque ac graviter ipsis illorum verbis traditam adscribemus: *In mente impii* (inquit Gregor.) *Apostatæ Angeli per cogitationes nequissimas conversantur; ejus videlicet socii, qui idcirco jam non est, quia a summa essentia recessit, & quasi ad nō esse fedit, ex quo semel ab eo, qui vere est, cecidit, quia bene esse perdidit.* Philippus eleganter, *Retiasive laqueus, pedica, lectus, sive decipula, fames, sive media, primogenita mors, interitus, & qui nō est, Diaboli nominibus conveniunt; & cum sit naturæ suæ proprietate subsistens, Deo non est, quia prævaricatione factus est alienus.* In suæ expositionis confirmationem adducit Philippus id Esther. 14. 11. *Ne tradas Domine sceptrum his, qui non sunt.* Nimirum intelligit *socios Diaboli*, quod nomen haberent idololatræ, quod Diabolū in idolis colerent. Scio sane gentes Dæmonum venerationi addictas vocari a Paulo, *Non gentē*, & a Moyse, *Non populum*. imo, & ab ipso Deo, *Voca* (inquit ad Hoseam) *nomen ejus, Non populus meus*. & ut Petrus ex Hosea refert, *Non populus*. Sive autem dicas *Non populus*, sive, *Non populus Dei*, perinde est. nam qui non est Dei, censetur non esse. Sic sane August. lib. 19 de Civit. c. 21. ostedit Rempublicam Romanam non fuisse rempublicam, & in universum populum, qui nō vinciatur justis legibus, neque societur æqui, ac boni servandi communione, populū non esse. similiter peccatorē hominē nō esse hominē, aut, quod idem est, esse falsum, & non verum hominem. Idem autem est hominem, & verum hominem esse, ut Philosophi definiunt, nam cum res tamdiu sint, quamdiu suæ illarum ideæ, quæ in Deo est, verissime cōformantur, si homo ab idea hominis, quæ in mente Divina est, discedit, a suo verissimo exemplari discedit: propterea que nec homo est, neque est. Discedit autem a suo exemplari, qui a Deo recedit: nam Scriptum est, *Creavit Deus hominem ad imaginem suam*. Hujusmodi sane verum hominem, qui respondeat imagini suæ, ad quam creatus est, docet Hilarius dici a Salomone *Virum fidelem*: cum Proverb. 20. 6. ait, *Virum fidelem quis inveniet? Quid enim* (inquit) *tam difficile, quam invenire, qui meminerit secundum imaginem, & similitudinem Dei se esse factum, atque ob id magnum quiddam est homo, hoc enim nomen, ubi in vitia ceciderit, amittit.* Et eadem fere ratiocinandi forma Nyssenus de Christianismo philosophatur his fere verbis, ad Harmonium scribens, *Christianismus est imitatio Divinæ naturæ*. probat autem sic. *Prima hominis fabricatio ad imitationem Dei similitudinis erat, & Christianismi professio est, ut homo reducatur ad pristinam, & antiquam felicitatem. igitur si antiquus homo Dei similitudo erat, Christianismus Divinæ naturæ imitatio est. is itaque nomen ementitur, qui Christi justitiæ, veritatis, & puritatis communionem, & societatem in se se non ostendat.* Ergo (ut ad initium redeamus) Diabolus, qui est, & appellatur per excellētiam impius, merito etiam appellabitur, *Qui non est*, &

Diaboli periphrasis.

Gregor. lib. 14. c. 11.

Philipp. Beda.

Diaboli appellationes.

Idololatræ socii Diaboli.

Rom. 9. 25. & 10. 19.
Hosea, 10. 9.
Deut. 32. 21.
1. Pet. 2. 10.

9 *Augustinus*

Respub. Romana nō Respublica.

Peccator nōn homo.

Genes. 1. 27.

Hilar. super id Ps. 118. Manus tuæ, &c.

Viri fidelis definitio.

Nyssen. Epist. ad Harmō. de Professione Christiana.

Christianismus quid sit.

illius Angeli: *ſocii ejus, qui non eſt*. Hi profecto *habitant in tabernaculo* impii: quod quid aliud ſignificat, quam quod a Chriſto Domino dictum eſt de immundo ſpiritu: *Vadit, & aſſumit ſecum ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe, & ingreßi habitant ibi?* Sic profecto *habitãt in tabernaculo impii ſocii ejus, qui non eſt*. Vtilis eſt quoque hæc interpretatio, arguta, & elegans: ſed prima illa ſimplex, & germana, & rei toti conveniens, atque ab Interprete Latino proculdubio cæteris præpoſita.

Dœmones habitãtes in tabernaculo impii.

Luc. 11. 16

Aſpergatur in tabernaculo ejus Sulphur.

10. *Sulphur in ſuppliciis junctum cum igne. Fulmina ſulphurea. Ignis Sodomiticus.*
11. *Sulphur ſymbolũ ſterilitatis. Illuſtratus Moyſes.*
12. *Animalia domeſtica odore ſulphuris fugari.*
13. *Sulphureus fumus gehennæ.*
14. *Tetri odores in funere, in captivitate. Explicatus Ezechiel.*
15. *Funerum aromata. Priſci ritus ſpargendarum herbarum, & florum odoratorum.*
16. *In funere odores, flores cur adhibiti. Impiorum vitæ reſpondens dignum ſupplicium.*
17. *Sulphur in expiationibus varii ritus, Græcorum & Romanorum ab Ægyptiis.*
18. *Iobi tempore viguiſſe, quæ Græci, & Romani poſtea ſervarunt. Bitumen Ægyptiorum.*

Quatuor priores aſpergẽdi Sulphuris expoſitiones; totidem proprietates.

10

Sulphur, Divina vindicta.

NOvam quoque hanc imprecationem alii ſic accipiunt, primo, ut *Sulphur* tantum ſignificet *Divinam ultionem a Deo conſtitutam*. Sic Catenæ auctor. Imprecatur igitur Baldad vindictam impii *in igne, & ſulphure*: nam *ſulphur*, cum ad ſuppliciũ refertur, jungitur cum *igne*, alit enim, & nutrit ignem. q.d. conflagrabit tota impii domus igne, ac ſulphure cælitus immiſſo, ſicut Sodoma, & Gomorrha, *cum pluit Dominus a Domino ſulphur, & ignẽ*. Geneſ. 19. 24. & Chryſoſtomus ſane ſcribens ſuper id Pſal. 10. 6. *Pluet ſuper peccatores laqueos ignis, & ſulphur, &c.* ait, *dictionum tranſlatione pœnam inevitabilem, ſupplicii profuſionem, feriendi facilitatem, & conſumptricẽ vim voluiſſe oſtendere*. Eleganter quoq; Nazianzenus Orat. 40. cum de *Igne*, & de *Lumine* diſputat, duplicem ignẽ diſtinguit, alterum purgantem, qui craſſiorem, vitioſamque materiã abſumit: *Eſt* (inquit) *alter ſcelerum vindex; ſive Sodomiticus ille, quem ſulphure, & procella permiſtum Deus in peccatores omnes fundit*. Ignis autem iſte cũ ſulphure miſtus, erit profecto ignis ſulphureus, ut idem quoq; Nazianzenus rurſus interpretatur adverſus Iulian. Ignis autem ſulphureus, nihil aliud, quam ignis fulmineus eſſe videtur, quo etiam tactæ illæ urbes conflagrarint: *Nam fulmina*, (ut Plinius ait) *fulgura quoque ſulphuris odorẽ habent, ac Lux ipſa eorum ſulphurea eſt*. Quare cum *Ignis, & ſulphur* in Scriptura jungũtur, fulmina, & fulgura ſignificantur. Pſal. 10. 6. *Ignis, & ſulphur, & ſpiritus procellarum, pars calicis eorum*. id eſt, digno ſupplicio intereant, tempeſtate ſæviſsima, fulminibus, atque fulguribus. & Ezech. 38. 22. contra Og, & Magog: *Ignem, & ſulphur pluam ſuper eum, & ſuper exercitum ejus*. Sic noſtrates quoq; ad hunc exitialem ignem alludunt, cũ *Malum Ignẽ* alicui imprecantur, *Mal fuego lo queme*. Vel certe *ignis, & ſulphur*, ignẽ ſignificant nunquã extinguẽdum, alitur enim ignis admiſto ſulphure. Quare & ignis ille, quo perpetuo ardet Sodomitica tellus, ſulphure nutritur: unde dicitur a Iuda Apoſtolo eſſe *exemplũ ignis æterni*. Cujus modi etiã eſt *ſtagnum* illud *ignis, & ſulphuris*, quod ſæpe repetit in Apocalypſi Ioãnes. Ergo imprecabitur Baldad domui, familiæ, & rebus impii univerſis cæleſtem ultionẽ, & perpetuũ ignẽ, qui ſit exemplum æterni illius inextinguibilis, atq; etiam ſimilẽ Sodomitici. Et quidẽ familiare eſt Scripturis Sodomiticum ſupplicium in exemplum Divinæ Iuſtitiæ, & ſeveritatis uſurpare, non ſolũ mentione expreſſa Sodomæ, ut Deut. 25. 23. Iſai. 13. 19. Ierem. 49. 18. Sed etiã cum ſolũ *Ignis, & ſulphuris* meminit Pſal. 10. 6. Iſai. 34. 9. Ezechiel. 38. 22. Apoc. 14. 19. 20.

Nicetas.

Chryſoſt.

Ignis, & ſulphur quid deſignent.

Nazian.

Duplex ignis

Plin. lib. 35. c. 15.

Fulminũ lux ſulphurea.

Ignis profulmine.

Iud. in Epiſt. 7.

Apoc. 19. 20. & 20. 10. & 21. 8.

Ignis, & ſupplicium Sodomiticum.

Hæc primæ exponendi ratio ſicut per ſe ſumpta lenis, & ſimplex videtur, ita conjũcta, & comparata cum antecedentibus nõ valde hæret. Quo modo enim vult, ut tabernaculum impii a ſociis, & vicinis ejus inhabitetur, ſi conflagrare illud exoptat?

Rejicitur præcedens expoſitio.

11

Ergo alii ſecũdo accipiunt *ſulphur* pro ſymbolo ſterilitatis: vult itaque, ut impii domus, & ſtatio aſpergatur ſulphure, & ſale, ut omnino ſterileſcat; atque ſolitudine inhorreſcat, & nulli habitatori idonea remaneat. Sic Deut. 29. 23. *Dominus ſulphure, & ſalis* ardore *comburens* (terrã illam) *ita ut ultra non ſeratur, nec virens quippiã germinet*, Legẽdũ enim eſt nõ *Solis*, ut pleraq; Biblia, ſed *Salis*, ut legunt Vaticana Sixti, & Onkelus, *ſulphur, ſalſugo, & ardor*. Quarẽ de eadẽ regione dictũ eſt. *Terrã fructiferã* (erat enim antea ſicut Paradiſus Domini) *in ſalſuginem* (quæ exugit omnẽ ter-

Sulphur ad ſterilitatẽ miſtum.

Onkel.

ræ succum, & pinguedinem) *a* (propter, præ) *malitia in habitantium in ea.* Huic interpretationi favet verbum *Aspergendi*, nam sicut hic dicitur *aspergendum sulphur*, dicitur ab eadem radice Iudic. 9. 45. *seminatum sal super civitatem.* tum etiam ad eandem sterilitatē pertinere videtur, quod sequitur, *deorsum radices ejus siccentur.* Sed hæc etiam expositio, sicut & precedens, atque sub sequens simili incommodo laborant.

זרה

3

Tertia expositio non coherens.

Proxima itaque est expositio tertia, significari Impii domū futuram exitialem aliis habitatoribus: nā non solum homines, sed animalia etiā alia urbana, atque domestica tetro sulphuris odore fugantur, & insecta animalcula; nec non formicæ intereunt, quorum bona pars in urbe, & intra privatas domos vivunt, ut de *Stellione* Salomon scripsit: *Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus Regis.*

Animalcula odore sulphuris fugātur.

Vide Cali lib. 4. c. 23.

Proverb. 3. 28.

4

Philippus.

Quartū locum obtinet expositio Philippi, qui in hæc verba scribit, *Iam de futuris sibi æternis, & magnis cruciatibus in hoc sæculo aspergatur sulphur, ut fumū hic sentiat gehēnarum.* eleganter, & argute; ut indicet quasi redundare, & vomi ex illo inferorū *stagno pleno ignis, & sulphuris*, sulphureas scintillas ad tabernaculū impiorum. nā non raro impii, dum hic vivunt, præsagiunt animo suos cruciatus futuros, & olent sulphur, quo obruentur in stagno ardente. Olet hęc interpretatio quid allegoricum. Quærenda ergo alia, quæ & litteræ, & rei proximior videatur.

Impii præsentientes inferni cruciatus.

Quinta, & Sexta expositio. Digreßio Ad priscos in Funeribus ritus, & usus unguentorū, florum, herbarū, suffimentorū.

5

D. Thom.

Dionys.

Periphrasis luctus.

Lyra.

QVinto Divus Thomas, quē Dionysius sequitur, existimat hanc esse circumloquutionem luctus domesticorum in obitu patris familias, odores tetros, & fœtidos adhibentium in signum mœroris, sicut etiā nigræ vestes sumuntur a lugentibus. Sed præterquā quod luctus domesticorum (ut non male objicit Lyran[9]) potius pertinet ad honorē funeris, quā ad ignominiā impii; sed illum tamē lugendi, & mœrendi morē gravibus odorib[9] adhibitis plane nō invenio: nā quamvis apud Isaiā inter alia supplicia, & mœroris signa sic legam[9] 3. 24. *Erit pro suavi odore fœtor, & pro zona funiculus, &c.* Tamē hæc non spectāt ad luctum funeris, sed captivitatis: nā captivi, sive in vinculis, sive in locis aliis detineātur, semper tamē in pædore, & fœtore vivunt, *& amplexātur stercora.* Preterea quāvis apud Ezechielē 8. 17. legamus post factā Adonidis mentionē, quem plāgebāt fæminę, viros deinde idololatras coargui, *& ecce* (inquit) *applicant ramū ad nares suas,* quē fœtidi, & gravis odoris fuisse Hebreorum sententia est. videbantur itaq; hi luctui funebri tetrum odorē admiscuisse: sed hæc tamē conjectura infirma quoq; est, nā viri isti Solem potius, quā Adonidē adorabāt: atq; præterea ramum illum adoratum, nō fuisse fœtidum, eleganter, atq; sapiēter ostendit Pater Hieronymus de Prado, Doctor meus, vir pusillus corpore, pietate, & religione magnus, sanctarum Scripturarum scientia, nostro sæculo nemini secundus. cujus primam in Ezechielem commētariorum partem, quam ante mortem absolverat, diu exoptatam, & expectatam a sapientibus omnibus, magna nūc utilitate habemus. reliquo operis invidit mors; sed opitulatur etiam nunc diligentia, & labor Ioannis Baptistæ de Villalpando socii quoq; nostri. Cajetanus e cōtrario ad extremam funeris ignominiam refert. affirmat enim prisci moris fuisse, ut in domo, & funere divitis aromata varia cremarentur. Ergo cum pro aromatibus succedit teterrimus sulphuris fœtor, ignominiæ est. Morem vero illum testantur sane nō solum unguēta pretiosissima, quibus condiebantur, & ungebātur cadavera; sed etiam locus ille. 2. Paralip. 16. 14. de morte Asa, *Posuerunt eum super lectum suum plenum aromatibus, & unguentis meretriciis, quæ erant pigmentariorum arte confecta, & combuserunt super eum ambitione nimia.* Similem ambitionem videre licet in funere Imperatoris Pertinacis, & Severi, cum in funere consecrati sunt, id est, inter Divos relati; nam Dio, & Herodianus scribunt rogum pro more confectum ex ingentibus lignis in formam tabernaculi, quod opplebatur aridis fomitibus; Deinde vero aliud minusculum tabernaculum, in quod efferebatur lectus cadaveris, & aromata, atque suffimenta omnis generis, fructus, herbasque, & succos omnes odoratos acervatim effundebant. De qua re videndus Onuphri[9] lib. 2. Fast. Erat sane solenne in rogum amici defuncti vel odores, vel cibos etiam conjicere. quo illud Teucrorum pertinet in Misseni funere;

Captivi in pędore jacentes.

Thren. 4. 5.

Ramus graviter olens in luctu Adonidis.

Hieronym de Prado auctoris Doctor.

Cajetan.

6

Priscus funerum ritus, unguentorū, & aromatum.

Pertinacis, & Severi funera

Dio.

Herodianus.

Onuphrius.

6. Aeneid.

Fit gemit⁹: tum mẽbra toro defleta reponũt,
Purpureasque super vestes, velamina nota,
Conjiciunt. pars ingenti subiere pheretro,
Triste ministeriũ, & subjectã, more parẽtũ,
Aversi tenuere facem: congesta cremantur,
Thurea dona, dapes, fuso crateres olivo.

Statius quoque Epicedio in Glauciam;

.... Quid ego exequias, & prodiga flãmis
Dona loquar? mœstoq; ardẽtia funera luxu?
Stat. lib. 1. syl *Quod tibi purpureo tristis rogus aggere crevit;* (*Indi,*
Quod Cilicum flores, quod munere graminis
Quodq; Arabes, Phariiq; (palam est, vidiq;)
liquores Arsuram lavere comam?

Hunc ipsum sibi aromatum honorem præparavit Cleopatra; nam (ut Florus scribit.) *Incautiorem nacta custodem, in Mausoleum se recepit, maximo, ut solebat, induta cultu, in differto odoribus solio, juxta suum se collocavit Antonium, admotisque ad venas serpẽtibus, sic morte, quasi somno, soluta est.* (Florus lib. 4. — Cleopatræ mors.)

Quid plura? *Ducẽtæ decẽ lecticæ refertæ odoribus, arserũt cũ* L. Sylla. *quædã etiã justæ magnitudinis imago thure & cinnamomo ingentis pretii formata* una cũ cadavere incẽsa fuit. (Plutarchus in Sylla.)

7 Adhibebãtur vero odores propter graveolentiã ustrinæ, cum cremabatur cadaver. Propterea etiã Varro scribit cupressum adhibitã ad funera, ne populi circunstãtis corona offenderetur deusti cadaveris odore; cui incommodo tum odoribus, quos diximus, tum floribus, & frondibus odoratis sparsis aut super lectum cadaveris, aut super sepulchrũ, occurrebatur melius. Sic Marcellus honorabat Anchisis sepulturam liliis, & floribus; (Cur odores adhibiti in funeribus. — Varro.)

.... Manibus date lilia plenis: (Virg. 6. Aenei.)
Purpureos spargã flores, animamq; nepotis
His saltẽ accumulẽ donis, & fungar inani
Munere. ....

Adhibebãt etiam rosas, quarum usum post alia encomia, indicat Anacreon; (Flores, & Rosæ in funeribus. — Anacreon in hymno de Rosa.)

Quid plura? nonne multis
Medicina certa morbis?
Defendit hæc sepultos;
Hæc tempori resistit,

Myrtum etiã adhiberi in funerib⁹, scribit Plutharchus. Theophrastus vero Pothum, florẽ subalbidum: atq; eundẽ quoque innasci tumulis, tradit Plinius: Philostratus, Amarãthum. & omni tandẽ florum, frondiumq; odoratarum genere, funera, atque sepulchra honorata testatur Sophocles inducẽs Orestẽ ad patris tumulum hæc ponentem, ut Chrysotemis refert Electræ; (Plutarchus in Aristid. — Theoph. lib. 6. de hist. plant. — Plin. lib. 21 c. 10. — Sophocles in Electra.)

Simulac enim veni ad vetus bustum patris,
E summo ibi tumulo recentis copiam
Lactis video, tumulumq; per gyrum patris
Omni coronatum genere florum.

Ergo his omnis generis floribus, frondib⁹, lignis odoratis, rosis, Amarantho, myrto, cupresso, Thure, cæterisq; aromatis oppone ex altera parte *Sulphur*: utraque separatim conjice in rogum: Illinc videbis pietatem, & honorem extremum erga defunctum efflari; hinc vero omne dedecus, & ignominiã fumare; afficiq; impii cadaver extremo post mortẽ supplicio, quale illud est, *Erit pro suavi odore fœtor.* Opportune quidem: nam cum antea esset impius ex illorũ grege, *qui lasciviunt in stratis suis, optimo unguento delibuti,* postea in lecto, & *tabernaculo* illius *aspergetur Sulphur*. Ergo justum est iniqui supplicium justo illo, & consueto carere honore, & odore funebri; sicut & de Iorã dicitur 2. Paralip. 21. 19. *Mortuus est infirmitate pessima, non fecit ei populus secundum morem exequias, sicut fecerat majoribus suis.* (Isai. 3. 24. — Amos 6. 4. 6. — Impiorum voluptati respõdẽs suppliciũ.)

Septima, & ultima expositio probatur.

Sulphuris in Lustrationibus usus, ritus, religio multiplex. Digressio.

Septimo tandẽ illud videtur sicut coherentius, ita vero similius, ut cum dixisset Baldad impii domum ab alieno habitatore occupandã; nunc quasi præcastigationem adhibeat, non prius inhabitandã, quam lustrata fuerit, & expiata ominosa illa habitatio, neque prius quam fuerit numen Divinum solenni aliquo ritu, & cerimonia expiatoria placatum, quod paulo ante & habitatori, & domicilio iratum se præbuerat. Ad expiationẽ autẽ, & lustrationem domorum, sulphur adhiberi solitum, testatur Plinius lib. 35. c. 15. sic scribens: *Sulphur habet in religionibus locum, ad expiandas suffitu domos.* Sic sane Homerus inducit Vlyssem post cædẽ procorum, atq; impudicarum famularum, se se purgantẽ, & domum, perfecto funere, lustrantem; 8 (Sulphur ad domos expiandas adhibitũ. — Plin. lib. 35. c. 15.)

Abluere hinc fœdas properare manusq;, pedesque: (Hom. Odyss. 22.)
Mox ad Dulichium, perfecto munere, gressũ
Contendunt pariter, qui sic affatur anilem
Nutricem; Huc mihi fer, anus o charissima, sulphur,
Atq; ignem, præsens tetri medicamẽ odoris:
Nã lustrare domos, læsosq; adolere Penates
Ipse paro. ....

Et quamvis quidem in lustrationibus multa alia delusa adhiberet antiquitas, sed nihil perinde necessariũ existimabat, quam (Sulphur ad aliarum rerum expiationem.)

Sulphur. adhibebat videlicet ad quarumvis aliarum rerum expiationem, & purgationem Carmina etiam magica, Ova, Tædã, Aquã marinã, Aſphaltum, Laurũ, ſed cum Sulphure. Amatorium illud eſt;

Ovid lib. 2 de Arte.

Et veniat, quæ luſtret an⁹ lectũq; focumque;
Præferat et tremula Sulphur, et Ova manu.

Apulej. lib. 11.

Navis antiqua expiatio, dedicatioque

Apulejus navim dedicatam Iſidi, & a Sacerdote ſolenni ritu expiatam, ſcribit his verbis; *Ibidem ſimulachris rite diſpoſitis, navẽ faberrime factam, picturis miris ÆEgyptiorum circumſeptus variegatam, ſummus Sacerdos Tæda lucida, & Ovo, & Sulphure, ſolenniſſimas preces de caſto præfatus ore, quam puriſſime purificatam, Deæ nuncupavit, dedicavitq;.*

Columella.

In re quoque ruſtica ſimiliter ſolere fieri, ſcribit Columella lib. 8. c. 5. quod eſt, *De ſervandis, & ſupponendis ovis. Antequã* (inquit) *conſternant ea, diligenter emundant, paleasque, quas luſtraturi ſunt, ſulphure, & bitumine, atque ardente tæda perluſtrant: & expiatas cubilibus injiciunt.*

Varia præterea loca, veſtes, & hominis caput, illa pluſquam venefica, Sulphure purgat Cinthia;

Prop. r. lib. 4. Eleg. 9.

Amatoria expiatio.

Dein quemcumque locum externæ tetigere puellæ,
Suffit, & pura limina tergit aqua.
Imperat & totas iterum mutare lacernas,
Terq; meum tetigit ſulphuris igne caput.

Iuven.

Homines ipſos poſt viſam umbrã inferam, ſimili ratione purgari, & luſtrari meminit Iuvenal. Satyra illa 2. quę eſt de obſcœnis Poetis;

...... Quoties hinc talis ad illos
Vmbra venit, cuperẽt luſtrari, ſi qua darẽtur
Sulphura cũ tædis, & ſi foret humida laurus.

Ovid. 7. Metha.

Senis Aegonis juventutẽ Medea hoc veneficio reparat;

Bacchantum ritu, flagrãtes circuit aras,
Multifidasq; faces in foſſa ſanguinis atri
Fingit, & infectas geminis accendit in aris,
Terque ſenẽ flamma, ter aqua, ter ſulphure luſtrat.

Claudianus.

Pulchre Poeta Claudianus in ſexto Honorii cõſulatu, deſcribit Alaricum ſe adverſus Stiliconis potẽtiã, ſed fruſtra luſtrãtẽ;

Luſtratio priſcorum adverſus hoſtes.

...... Inſtante fugam Stilicone, tetendit,
Expertas horrens Aquilas, comitatur euntẽ
Pallor, & atra Fames, & ſaucia lividus ora
Luctus, & inferno ſtridẽtes agmine Morbi,
Luſtrale ſic, triſte, facem, cui lumen odorum
Sulphure cæruleo, nigroq; bitumine fumat,
Circũ mẽbra rotat doct⁹ purgãda Sacerdos,
Rore pio ſpargens, & dira fugãtibus herbis
Numina, Terrificumque Iovem, Triviamq; precatus,
Trans caput averſus manibus, jaculatur in Auſtrum,
Secum rapturas cantata piacula tædas.

Ex his jam videre licet *Sulphuris* ſuffitum in bonum accipi cõtra dira omina, & triſtes eventus, eamq; ſuperſtitionem antiquitatis, anſam potuiſſe ſumere ex ipſa *Sulphuris*, & *Ignis* natura; nam ut Proclus lib. de Sacrificiis, & Magia dixit; *Sacerdotes per mutuam rerum cognationem, compaſſionemque conducebant in unum, purificantes, cum oportebat, Sulphure, atque Aſphalto, id eſt bitumine, aqua aſpergentes marina. Purificat enim Sulphur quidem propter odoris acumen, aqua vero marina propter igneam portionem.*

Proclus.

Purgantium rerũ natura.

Sed Iob (inquis) multo antiquior eſt his Romanorum, atque Gręcorum Superſtitionibus, Funeribus, Ritibus. Sane quidem. Sed cum hujusmodi conſuetudinum nullum certum initium, nullumque certũ auctorẽ invenio, cõjectura mihi eſt, antiquiſsimas eſſe; itaque hunc *Sulphuris* in expiationibus uſum Romanis, Græciſque priorem, ad AEgyptios, & prima illa ſæcula referri oportere. Cujus rei, atque noſtræ, illud ultimo teſtimoniũ addam, quod ut Strabo lib. 16. ſcribit; *ÆEgyptii bitumine ad mortuorum condituras utuntur*. Bituminis autem nomine intelligit profecto ſulphur: loquitur enim de bitumine Sodomæ, & Iudææ, quod ex Poſsidonii ſentẽtia dicit, *coagulari lotio*, & aliis ej⁹modi fætidis humorib⁹ inſperſis. vides igitur Aegyptios in re funebri uſos ſulphure. Quid ni igitur, & Arabes, atque Idumæos? atque non plura de ſulphure, ne plus juſto gravior ſit illius tractatio. 6

Romanorum, & Græcorum ritus manaſſe ab Aegyptiis

Strabo.

Aegyptii bitumine cadavera cõdunt.

Quod vero videbatur ultimo loco ediſſerẽdum, quorſum Septuaginta legerint, *Habitabit in tabernaculo ſuo in nocte ſua*; mihi perobſcura nox eſt. Fortequidẽ uſi ſunt paraphraſi, & amplificatione quadã exilii & extremæ egeſtatis impii: nã Nicetas teſtatur in aliis codicibus legi, *In corpore ſuo*. atq; ſignificare; *nihil præter ſuũ ipſius corpus fore ſibi reliquum*. Eandemque ſententiam apud Theodotionem his verbis haberi; *Habitabit in tabernaculo ejus inopia.*

Septuaginta paraphraſis.

Nicetas.

Theodotio.

XVI. Deorſum radices eius ſiccẽtur, ſurſum autem atteratur meſſis eius.

1. *Futurum pro Imperativo. Radices quid allegorice. Arboris ad impium translatio.*
2. *Atteri, & indurari in ſacro ſermone quid. Illuſtratus David. Quid Meſſis.*
3. *Quid radix. Quid fructus. Omnia felicia in radice, & fructu. Explicatus Iſaias. Quanta radicum altitudo.*

1 Arboris areſcentis cũ impio trãslatio

REm eandem repetit, & amplificat alia tranſlatione arboris, cum qua impius, non ſemper florens, comparatur. Qui videbatur (inquit) firma radice, longe, lateque paſsis ramis, florente coma, *ſiccetur*, proprie, *ſiccabitur*.

Futuri cũ Imperativo permutatio.

Futurum cũm imperativo permutatur ſæpe. Exareſcet impius radicitus.

Radices quid

Græci per *radices*, *ſecuritatem* intelligunt; Quod maxime firmum, & protectum ab injuriis cæleſtibus videbatur, exareſcet; conflagrabit fulmine.

Periphraſis fulmine tactę arboris.

nam hoc genus imprecationis ad ignem, aut fulmen reſpicit, quo tactæ arbores exareſcunt, ut cap. 15. 30. dictum eſt ab eadem radice: *Ramos ejus areſaciet flamma*. ſimiliter comminatur Malachias impiis; *Ecce dies veniet ſuccenſa, quaſi caminus, & erunt omnes ſuperbi, & omnes facientes impietatem ſtipula.* (id eſt, quamvis virere videantur, ſiccabuntur.) *& inflammabit eos dies veniens, quæ non derelinquet eis radicem, & germen.*

יבש

Radices, recõdita conſilia.

Intellige etiam per *radices* occultiora, & abſtruſiora conſilia; Spes in imo pectore reconditæ, quibus nitebatur impius, exurentur, ut nihil amplius viride, & florens proferre poſsit, ut vireſcere rurſus, aut fælicitatem recuperare minime poſſit; proferetur deinceps nihil ad ſpeciem gratum, neque ad utilitatem opportunum.

Morbus exurens.

Quid ſi etiam, per *radices* (ut ad vim morbi exurentis, quo ardebat, & exareſcebat Iob, reſpiciat) intelligat humidum radicale, quo exucto, & conſumpto, interit homo, nec ullam deinde ramorum, & filiorum poſteritatẽ producere poteſt?

Ariditas malum radicis.

Eſt autem ariditas extremum malum radicibus; ſicut & profluentes aquæ, maxima lætitia. Vide infra. cap. 28. Verſ. 19. *Radix mea aperta eſt ſecus aquas.*

2 *Sursum autem atteratur.* Atteretur, proprie, *ſuccidetur, reſecabitur*. Verbum idem, quod in Pſal. 89. 6. *Mane floreat, & tranſeat, veſpere decidat* (Hieronymus, *conteretur*; prop. *reſecabitur, circumcidetur*, id eſt omnino præcidetur) *Induret* (poſtquam induruerit exucto humore, qui molſefacit herbas,) *& areſcat*.

מול

קצר

Meſsis quid allegorice.

Meſsis. prop. germina, propagines, rami, palmites, denique id, quod ex arbore demeti, & decerpi ſolet. Intellige, vel filios Iob, qui jam videbantur matura ſeges, qui præciſsi fuerant meſſoria mortis falce; vel cœpta, & deſideria, quæ in homine ſunt, velut in arbore flores, Nihil (inquit) erit, quod impii in cœpta promovere poſsit. Quare De⁹ decutiet ex infauſta arbore florẽ, præcidet ramos, truncum quoq; in fruſta concidet; ac, ne ulla ex iniqua radice germinis ſpes relinqui poſsit, ipſas etiam radicum fibras exuret. Imprecatur utique infælicia cuncta. ſicut Iſaias omnem fęlicitatem Iudaici Regni Ezechiæ pollicetur. 4. Reg. 19. 30. *Quodcumque reliquum fuerit de domo Iuda, mittet radicem deorſum, & faciet fructum ſurſum.* ubi pro *fructu*, non ſolum quod vere fructus eſt, ſed quod ex radice naſcitur, ut in tritico calamus ipſe, intelligi debet; 3

Oeſculi radix antæ altitudinis, quãtæ rami.

dicunt enim, quanta eſt profunditas radicum, tantam eſſe & totius arboris, aut herbæ aſcendentis altitudinem. Quod peculiariter de AEſculo ſcribit Plin. lib. 16. c. 31. ex auctoritate Virgilii. 2. Georgic.

Plinius. Virg.

AEſculus in primis, quæ quantum vertice ad auras
AEthereas, tantũ radice in tartara tendit.
Ergo non hyemes illam, non flabra, neque imbres.
Convellunt ccccccccccccccccccc

Parens filiorum radix.

Et iterum Iſai. 27. 7. *Qui ingrediuntur impetu ad Iacob* (Hieronymus ex Hebræo legit: *Qui egrediuntur de radice Iacob*. ad verbum; *venturis radicabit Iacob*. Noſter autem per paraphraſim dixiſſe videtur, *filios Iacob a parente, tanquam a radice, impetu venire*, id eſt vehementer creſcere, & pullulare) *Florebit, & germinabit Iſraël, & implebunt faciem orbis ſemine.*

Arboris fęlicitas.

ita & radicum, & germinum, ac fructuum fælicitatem ſignificat. ∎ contrario vero Baldad videtur inducere Deum male precantem iniquæ arbori, ſicut poſtea ficulneæ Matthei 21. 19. *Nunquam ex te fructus naſcatur in ſempiternum. & areſacta eſt continuo ficulnea.*

☞ *XVII. Memoria illius pereat de terra, & non celebretur nomen ejus in plateis.*

1. *Perire aliquid. Hebraiſmus. Illuſtrata varia loca.*
2. *Quid nomen. Quid vocari. Quid Vocatus ex Hebreo, & Græco. Illuſtratus Moyſes, & Paulus. cur hic ſe commendet.*
3. *Memoria, & memoriale quid. Titulus Abſalon. Filii parentum nomen, & memoria.*
4. *Platea quid. Quorſum inſtituta. Expoſitus locus Regum.*
5. *Funerum laudationes. Antiquorum Priſci ritus, Aegyptiorum, Græcorum, Romanorum.*

1 Continuata arboris translatio.

CVjus arboris radices, & radicum fibræ extirpatæ ſunt, nulla poteſt eſſe memoria: nam non poterit inveniri amplius locus ejus. *Memoriam perire*, eſt nul-

lam

Hebraiſmus.

lam relinqui, aut eſſe memoriam. Hebraiſmus familiaris Hebræis; *Perire diem.* Iob. 3. Verſ. 3. non eſſe diem; *Perire fugam,* Pſal. 141. Verſ. 5. nõ eſſe effugium, aut evadendi locum; *Iter perire.* Pſal. 1. 6. eſt, viam amplius non eſſe, ſed deſinere in præcipitium; *Spem perire* Proverb. 10. 28. nullã eſſe ſpem. Nec vero, inquit, apud ſuperſtites diuturna erit illius memoria; ſed neque ſtatim poſt mortem ullam habebit impius laudationem, aut

2 Nomen de celebritate famæ.

ſupremum funeris honorem: nam *non celebrabitur nomen ejus.* Paraphraſtice, ſed ſapienter redditum ab interprete, cum in fonte tantum ſit: *Non nomen ei.* nam *nomen* in Scripturis, illam ipſam celebritatem, & famam in ſe continet. Numer. 16. 2, *Surrexerunt contra Moyſen viri proceres ſynagogæ *, & qui tempore concilii per nomina vocabantur.* id eſt, propter nomen celebre ſapientiæ, & conſilii. Quare ad verbum legitur ex Hebræo; *Principes concionis, viri nominis.* Onkelus; *Viri nominati.* Septuaginta, *Senatores conſilii, & viri nominati.* Sic etiam Numer. 1. 15. *Hi nobiliſsimi Principes multitudinis.* Tygur. *Iſti magni nominis erant in cœtu.* Ad verbum: *Iſti vocati in cœtu.* id eſt, nominati, famoſi, celebres (nam *vocari,* nominari eſt) Septuaginta: *Hi vocati ſynagogæ.* & eleganter obſervãt Scholia Græca vocẽ, *Epicleti,* ſignificare etiã nobiles, ac ſimilẽ multiplicitatẽ, & notionẽ eſſe in dictione Hebręa. qua ratione Paulus, ut Evãgeliũ Romanis gloriæ cupidis, ex prædicantis ignobilitate non fieret contemptibile, ſe commendat, quod ſit *Vocatus Apoſtolus* id eſt, Apoſtolus ille nominatus, & celebris, & ſingulari quadam ratione præ cæteris Apoſtolis, *Segregatus in Evangelium Dei.* Ergo quamvis in Hebræo, & Græco tantũ habeatur, *Nomen,* claritatis gratia recte additum eſt; *Non celebretur nomen ejus.*

* Los que entravã en Cabildo por la fama, que teniã de buen parecer.

Onkel.

LXX.

Tygur.

Επικλητοι

Cur ſe Paulus Romanis cõmendet.

Rom. 1. 1.

Secunda autem hęc pars poteſt eſſe primæ expoſitio, ut *memoria,* ſit memoria-

3 Nomen cum memoria cõjunctum, quid deſignet.

le, & honorificum nomen: Solet enim Scriptura hæc duo conjungere, *memoriale, & nomen,* ut Exod. 3. 15. cum præceſſiſſet nomen *Iehova,* ſubditur: *Hoc nomen mihi eſt in æternum, & hoc memoriale meum in generatione, & generationem.* id eſt, hoc eſt meum nomen memorandum, & frequenti apud mortales memoria uſurpandum. & Hoſeæ. 12. 5. *Dominus* (Iehova, hoc, inquam, nomen) *memoriale ejus.* id eſt, hoc nomine, quod affert beneficentiam, Dei recordabuntur mortales. ſic igitur hoc loco; *Peribit memoria, & non celebrabitur nomen.* perinde eſt, ac ſi diceret: non relinquet ullum honorificum nomẽ, per quod illius recordentur poſteri. Scio etiam, *memoriam, & nomen* ad filiorum poſteritatem pertinere: nam filii paternũ nomen retinent, & in memoriam revocant parentem, quamvis jam defunctum. ut 2. Reg. 18. Verſ. 18. Cum Abſalon erexit titulum, ſive trophæum ex ſuo nomine, dixit: *Non habeo filium, & hoc erit monimentum nominis mei.* Proprie ex Hebræo: *Non eſt mihi filius, qui conſervet memoriam nominis mei.* Sic igitur utrumque poteſt cadere in pręſentem locum, ut dicatur impius, & filiorum poſteritate, & omni nominis memoria, & honore cariturus, ut illius jam defuncti nullum extare poſsit monumentum honorificum. Vide infra. Verſ. 19. n. 1.

Memoria, & nomen, de filiis.

In plateis, ad quas confluere ſolet frequens turba, & ubi variis de rebus miſcentur colloquia: nunquam in cõventibus incidet ſermo de impio, ut qui omnino abierit ex memoria mortalium. Polychronius lectioni Symmachi; *Non erit nomen ejus in faciem fori,* hanc interpretationem adhibet; *Nec in amicorum, neque in alienorum verſabitur memoria.* Eadem fere Auguſtini lectio: *Non ſit nomen ei in facie platearum.* quod ipſe explicat: *Tollatur de memoria populi.*

4

Polychronius.

Auguſtinus

Sed quid, quod Septuaginta illud, *in plateis,* pro externa parte, aut extraneo honore accipiunt, & totam ſententiã in contrarium ſenſum ſub affirmatione convertũt? *Erit nomen ei ſuper faciem extra.* Ambroſius vero ſic legit: *Erit nomen ei, in faciem extraneo.* Certe quãvis contrarius ſenſus videatur, potius tamen eſt prioris amplificatio, ita ut non ſolum illius memoria nulla ſit apud homines, ſed ut, ſi quando incidat, accidat ingratiſsima. Eleganter in hanc rem exponit Olympiodorus, *Nomen ejus uſque adeo dirum erit, & execrabile, ut quicumque illud auditurus eſt, ſolius nominis odio, ſit faciem averſurus a dicente.* Vides igitur quam varie accipiatur nomen *plateæ.* Certe in Hebræo eſt nomen *Hbuts,* de quo cap. 5. Verſ. 10. diſputavimus, & proprie id ſignificat, quod extra privatas domos eſt, quicumque ille locus ſit, ſive via, aut platea, aut extra urbem campus, aut deſertum. Neq; vero hoc tantum loco, ſed etiã 3. Reg. 20. 34 Veritur *Platea*; *Fac tibi plateas in Damaſco.* Quo nomine non intelligo, id, quod Latini *platearum* nomine intelligere ſolent, videlicet viam latiorem intra urbem, ſed quemcumque locum, aut aream, etiam extra urbem, in quã populus convenire ſolet, ut ſunt fora rerũ venaliũ,

Illuſtrata lectio Septuag.

Olympiod.

Platea, nomẽ multiplex.

חוץ

Platea apud ſacros non idem, quod apud Latinos.

ubi nundinę,& mercatus inſtituũtur. Permittebat igitur Benadab Rex Syriæ, *Plateas*, & nundinas in Damaſco, ex quibus Achab acciperet vectigalia ſub nomine tributi. Quare per Metonymiam, *Platea* erit hominum multitudo ex diverſis partibus confluens, ubi de rebus novis inſtruuntur: nam eo dicuntur nundinas inſtitutas fuiſſe, ut pagani, & villani ex pagis, & villis convenirent ad mercatum, & mercium quæſtum, aut negotia quæque ſua curanda. Tum etiam, ut ſcita, atque conſulta referrentur frequentiori populo, & leges promulgarentur, ut ex Rutilio ſcribit Macrobius 1. Saturn. c. 16. Ergo dicet Baldad, qui ad plateas, & nundinas conveniret, minime auditurum ab aliquo cive mortem impii, videlicet in rerum memorabilium numero a nemine reponendam.

Nundinarum inſtitutio.

Macrobius.

5 Sed exiſtimo ſane, Latinum Interpretem hoc *platearum*, & celebritatis funebris nomine reſpicere voluiſſe, ad eam funerum conſuetudinem, qua Regum, & illuſtrium virorum laudes, ad ipſum cadaver, in publico urbis foro decantabãtur. quod cum apud Romanos, atq; Græcos in uſu fuerit, ipſis Romanis, atque Græcis antiquius eſſe cenſendum eſt. Tetigit rem hãc Philippus presbyter eleganter. *In plateis* (inquit) *atque in portis Reges quondam, & judices reſidebant: & ideo ait, nec ibi laudem, & prædicabilem famam impius homo integritatis, atque juſtitiæ habeat, ubi Regum, & potentiorum nomen ſolet virtutum ſuarum merito celebrari.* Sic ſane in foro, aut in Campo Martio Imperatores poſt mortem laudabantur, cremabantur, & in Divos referebantur, quam rem nemo ex Romanorum rerum ſcriptoribus non luculenter teſtatur, Dio præſertim, & Herodianus, cum Auguſti Severi, & Pertinacis conſecrationem ſcribunt. Conſecrationis hujus antiquos ritus diligenter colligunt Onuphius lib. 2. Faſtorum. Hubertius Goltzius, atq; Ioannes Roſinus lib. 3. Antiquit. Romanarum c. 19. Sed in rem noſtram unus nobis Polybius lib. 6. ſatisfaciet, ſcribens in hæc verba: *Si quando apud Romanos quiſpiã ex illuſtribus viris ex hac vita diſceſſerit: elato funere portatur ad roſtra, ſic dicta, in forum, & nunc ſtans conſpicuus, & nunc obvolutus, neque raro univerſa plebe circunſtante, roſtra aſcendit, ſiquidẽ filius adultus ſuperſit, ac præſens exiſtat, ſin vero alius quiſquam ex ipſius genere, ac de mortui virtutes, & quæ in vita præclara geſſit, deprædicat. & hinc accidit, ut multi admoveantur, & quæ geſta ſunt inſpiciant, fiantque non illi modo, qui operum illius fuerunt conſortes, ſed & exteri uſque adeo cõpatientes, ut caſus ejuſmodi nõ ſolum illis, qui periclitantur propius, ſed & populo videatur eſſe communis.* In eandem quoque rem idẽ paulo inferius. *Qui jam de ſepeliendo mortuo concionatur, etiam de aliis differere incipit. idque primum de majore natu, ex his qui præſentes ſunt, recenſens, quid quiſque illorum conſequutus ſit, ac geſſerit. unde fit, ut frequẽter bonorum virorum præconia virtute acquiſita renovẽtur, ac celebritas eorum, qui honeſte aliquid geſſerunt, immortalis, & gloria illorũ, qui patriæ benefecerunt, multis innoteſcat, & ad poſteros propagetur.* Sed firmius erit, ut & antiqui⁹, Aegyptiorũ teſtimoniũ, quod de Regum quoque funere refertur a Diodoro Siculo lib. 2. c. 3. quod de Regum inſtitutione, moribus, vita, & funere eſt. nã poſtquam per ſeptuaginta dies populi luctum deſcribit, de reliquo ſic ſcribit, *Hoc tempore, quæ ad pompam funeris ſpectant, præparatis, poſtrema die corpus in arca conditum ante ſepulchri aditũ ponunt, ibi breviarium in vita a Rege geſtorum, de more recitant, volentique facultas datur defunctum accuſandi: adſtant Sacerdotes mortui recte facta laudantes. Populus is permagnus eſt, qui exequias circunſtãt, applaudit veris laudibus: in reliquis magno reclamant tumultu: quo accidit, ut plures Reges, repugnante multitudine, ſolito caruerint ſepulchri honore, ac magnificentia. Is timor coegit Aegypti Reges juſte vivere, veritos futuram poſt mortem, plebis iram, atq; odium ſempiternum.* Hic jam vides Regum juſtorum nomina celebrari in plateis, impiorum, non ſolum nullis laudibus ornari, ſed reclamante populo ira incredibili, & odio ſempiterno excipi.

Laudatio defunctorum in ipſo funere.

Philippus.

In Campo Martio Imperatorũ defunctorum indigitatio.

Dio, Herodianus.

Onuphrius. Goltzius. Roſinus.

Polybius.

Priſci funerũ ritus.

Diodorus.

Aegyptiorũ Regum funus

XVIII. Expellet eum de luce in tenebras, & de orbe trãsferet eum.

1. Sententia imperſonalis acrior. Expellere quid, Explicatus Moyſes.
2. Lux, & tenebræ varie acceptæ.
3. Orbis, & terra pro peculiari aliqua regione. Illuſtrati David, & Iſaias.
4. Quid transferre in ſacro ſermone, & in Ieremia. Quid Moveri.

I EXpellet. Sententia ſine ſuppoſito, quare alii ſupponunt *dolores*, aut *calamitates*. Vatablus, *Morbi, & afflictiones*. Titel. & Dionyſius, *Deum*, qui eſt auctor ſupplicii impiorum, is enim *jubet* impium *ligatis manibus, & pedibus* mitti in tenebras exteriores, ubi erit fletus. Sed ſententia elegantior, & ſignificantior, ſi imperſonaliter accipiatur, ut indicatur in Hebræo, in quo

Vatab. Titelm. Dionyſ.

plu-

LXX. pluraliter legitur, *expellent*, etiam in Græcorum Catena, *expellant*, aut extrudant, & in Septuag. Complut. Secunda pars pluraliter quoque legitur: *De orbe transtulerunt*. igitur *expellet*, idem eſt, quod *expelletur*, quod verbum *Delere*, aut *ſubvertere* aliis locis redditur a Vulgato, eſt videlicet expellendo delere, & penitus ſubvertere. Cujus vocis proprietas exprimitur Deuter. 9.3. *Deus tuus ipſe tranſibit ante te, ignis devorans, atque conſumens, qui conterat eos, & deleat, atque diſperdat ante faciem tuã velociter*. Nam quamvis illa vox originalis hoc loco non ſubſit, ſed illius proprietas omnibus aliis explicatur; nam eſt idem ſenſus Deuter. 6. 19. ubi in ſimili ſententia eſt illud verbum, de quo agimus; *ut deleret* (expelleret, & deleret expulſos) *omnes inimicos tuos coram te*.

הדף

2 *De luce in tenebras*. Divus Gregorius, & Thom. & communis Latinorum cum Niceta explicant de luce temporalis fælicitatis, in miſerias, & ærumnas. Philippus: *De luce temporaria in æternas tenebras*. Simplicius, & commodius ad rem præſentẽ, & ad ſignificationem expellendi, aut delendi, quod de *luce*, ac ſplendore nominis, ac famæ, *in tenebras* ſempiternæ oblivionis. Forte etiam de *tenebris* ſepulchri: nam cum videatur hactenus deſcriptum impii funus, nunc videbatur reliquum, ut jam cadaveris cineres in obſcuro, & abſcondito loco repoſiti perpetuis oblivionis tenebris obſcurarentur.

Gregor. D. Thom. Nicetas. Philippus.

Verior expoſitio.

Tenebræ ſepulchri.

3 *Et de orbe*. Non ſolum de ſua patria, & nativo ſolo delebitur illius memoria, ſed etiam de univerſo *orbe*: nam nullibi gentium, neque ipſe, neque ipſius memoria permittetur vivere. vox proprie ſignificat *orbem* habitabilem. *terra* autem, totã terræ maſſam, & globum. quare cum *Orbis terræ*, aut terrarum, dicitur in Scripturis, non tam ſignificat univerſum terræ ambitum, ſed potius habitationem, aut partem habitabilem terræ; ut indicatur, & exponitur Pſal. 23.1. *Orbis terrarum, &*, id eſt, *qui habitant in eo*. Quare *trãſferri de orbe*, erit de memoria hominum, qui terram habitant, aboleri. Sed aliquando non pro univerſa terra habitabili, ſed pro ea parte, aut provincia, de qua ſermo eſt juxta ſubjectam materiam, accipitur. Exempla in promptu. Iſai. 13. 11. *Viſitabo ſuper orbis* (Regni Babylonici) *mala*. Iſai. 14.17. *Qui poſuit orbem*, (id eſt Ieruſalẽ, aut Regnum Iudaicum: loquitur enim de Rege Babylonis, qui vaſtaverat Ieruſalẽ) *deſertum, & urbes ejus deſtruxit*. Quare hoc etiam loco cum dicitur impius *trãſferendus de orbe*, intelligi poterit, de ſuo Regno, de ſua regione, provincia, & patria.

תבל

Orbis, & terra quo differant.

Orbis acceptio anguſta.

4 *Transferet*. Transferent, tranferetur, proprie, amovebitur, longius facient eum fugere, diſcedet celeriter e mortalium cõſpectu. Sic ab eadem radice Ierem. 18.3. *Non erit, qui habitet in ea ab homine uſque ad pecus, & moti ſunt* (tranſlati receſſerunt, fugerunt velociter) *& abierunt*.

נוד Moveri, quid.

☙ XIX. *Non erit ſemen ejus, neque progenies in populo ſuo; neque ullæ reliquiæ in regionibus ſuis.*

1. *Semen, & progenies de univerſa proſperitate. Filii parentum nomen. Illuſtratus David.*
2. *Parentis moribundi ſolatium aſtantes filii. Explicatus Moyſes.*
3. *Extremũ ſpiritum excipiẽdi, & claudẽdi oculos ritus.*
4. *Reliquiæ, & relinqui in ſacro ſermone. Exilium impiorum.*

1 SEmen. Neque filius; *Progenies*, neque ex illius ſemine nepotes, aut poſteri, qui illius nomen, & memoriam ſuſtentẽt. In Hebreo, *non filius ei, non nepos*. eademque originalia nomina vertit Interpres Iſaiæ 14. 22. *Germen, & progeniem*. Septuaginta autem expreſſerunt, quid damni ex poſteritate redundet in impium: *Non erit cognominatus in populo ſuo*. Perinde eſt enim habere filium, atque ſuum nomẽ derelinquere. Quare quod Pſal. 71. dicitur *ante* (Hieronymus *ultra*) *Solem permanet nomen ejus*. In Hebreo proprie eſt: *Filiabitur nomen ejus*. Multi filii nomen ejus deducent in omnes generationes: perpetuitas Chriſtiani nominis, & gloriæ Chriſti in multis filiis, vel, ita celebria erunt Chriſti Domini geſta, & miracula, ac ſi ſingula opera eſſent filii, qui ſunt memoriale ſui parentis. ergo propagabitur nomen ejus ſapienter itaque illuminarunt Septuaginta tum noſtram, tum Hebręam lectionem. Et quidem ſapienter etiam Baldad hanc imprecationẽ abolendæ poſteritatis impii, illius morti, & funeri jã deſcripto adjungit: nam efficit mortem acerbiſsimam. Sicut e contrario moribundi parentis unicum eſt ſolatium, filii ſuperſtites. In illis enim, & pater ſupereſſe, & vivere cenſetur. Diſputat hac de re eleganter Orig. hom. 4. in Ezech.

LXX.

Filius, eſt nomẽ parentis.

Chriſti Ieſu memoria, opera, & filii.

LXX

Origenes.

2 Propterea dictante natura, & ſic exigẽtibus moribundis, adſtant filii, ut in Iacob perſpicitur Geneſ. 49. quod etiam ipſi filii Iacob ſervarunt, nam ſuos filios acceſſierunt jam moribundi, ut narratur in illo

Moribundis parẽtibus adſtantes filii.

antiquifsimo volumine, quod Teftamentum duodecim Patriarcharum infcribitur. Cujus teftimonio libenter utitur Origenes hom. 17. in Iofue. Quamvis enim parentes femper dilexerint fuos filios, fed *in finem diligunt eos*. Quod etiam quafi in folatium naturæ Deus largiebatur primis fæculis, ut nullus filius ante patrem moreretur, ut obfervavit Epiphan. lib. 1. cōtra herefes, tom. 1. fed potius parentes morientes, viderent, atque relinquerent filios fucceffores: donec in fuppliciū idololatriæ Thare pater Abraham, qui dicitur fuiffe auctor, & artifex fingendi idola, primus punitus eft morte fui filii adhuc vivens. Vnde (inquit Epiphanus) admiratione ducta Divina Scriptura adnotavit dicens, *& mortuus eft Arā ante Thare patrē fuum in terra nativitatis fuæ*. Idemque Epiphan. refert quorundam Hærefim, qui nō aliam refurrectionem admittebant, quam eam, qua cenfebantur rurfus vivere in ipfis filiis parentes mortui. Ergo oportet, acerbifsimam exiftere mortem, cui nulla pofteritatis, aut vitæ in fuis filiis fpes cōceditur, & cui filii non adftant, qui pro extremo folatio, extremum quoque ofculum infigant moribundo parēti, quafi extremum illius halitum, & fpiritum ofculo, & ore fuo excepturi. quod munus Iofeph, ut pote charifsimus, & fuorum fratrum princeps parenti prēftitit, ut Genef. 50. 1. dicitur: *Iofeph ruit fuper faciem parentis flens, & deofculans eum*. Similem Abafcantii pietatem in conjugem Prifcillam defcribit Statius lib. 5. fylvarum.

Quondam filii patribus fupererant.

Epiphan.

Thare idolorū artifex.

Gen. 11. 18.

Statius.

> *Hæc dicens labens, fociosque amplectitur artus.*
> *Hærentemque animam non triftis in ora mariti*
> *Tranftulit, & chara prefsit fua lumina dextra.*

Illud quoque rogat Deos Penelope fcribens ad Vlyffem, ut Thelemachus filius utriufque parentis oculos clauderet,

Ovid.

> *Dii, precor, hoc jubeāt, ut euntib⁹ ordine fatis,*
> *Ille meos oculos comprimat, ille tuos.*

Hoc quoque pro ingenti folatio promiffum eft a Deo Iacob proficifcenti in Aegytum, *Iofeph ponet manus fuas fuper oculos tuos*. id eft, fuperftes erit tibi. Ergo infelicifsimus impius, cui non filius, non nepos, nō reliquiæ ullæ propinquorum, qui morienti jufta perfolvant.

Genef. 46. 4.

4 *Neque ullæ reliquiæ*. Indicat Nicetas, nomē *reliquiarum* ad facultates impii pertinere, quarum poffefsio ad alienos tranfibit. Sed melius abftractum pro concreto, nam vox originalis fignificat, refiduū, reliquum, fuperftitem, nimirum eum, qui ex communi populo evadit, & ex communi clade relinquitur fuperftes. Quare verbum Originale *Sarad*, quod eft relinqui, aut remanere, aliquando commode vertitur, *Effugere*. Iofue 10. 20. *& falvari*, ibidem verf. 22. aliquādo vero *Remanere*, Ierem. 42. 17. *Nullus de eis remanebit, neque effugiet*. fed hoc ipfo verbo *Relinquendi*, Threnor. 2. 22. *Nō fuit in die furoris Domini, qui effugeret, & relinqueretur*. Vim ergo affequuti funt Septuaginta vertentes, *Neque domus ejus falvata*. Ergo ait paternæ domus incendio pofteritatem omnē conflagraturam.

Nicetas.

Abftractum pro cōcreto.

שרד

Relinqui, aut Remanere pro Evadere.

LXX

5 *In regionibus fuis*, In fuis locis, domiciliis, habitationibus, ubicumque terrarum fuerint, infilient in illos ex paterno incendio funeftæ & exitiales fcintillæ. Dicere etiam pofsis ex vi vocis Originalis, in peregrinationibus fuis. nam, *Gur*, peregrinari eft, & habitare tanquam advenam, non tanquam indigenam. Exilium ergo, & miferam peregrinationem illis imprecatur Baldad.

גור

XX. *In die ejus ftupebunt noviſsimi, & primos invadet horror.*

1. *Dies pro calamitofo. Cur dies extremus dicatur impiorum. Illuftrati David, & Ieremias. Mors, de vita judicat.*
2. *Noviſsimi in facro fermone qui dicantur, Quid poft, aut poftea. Tempus noviſsimum.*
3. *Varia expofitio Quid ftupor, & ftupere in facro fermone.*
4. *Quid horror. Quid tenere. Impiorum fupplicium horrēdum.*

1 IN *die*. Extremi diei calamitas, cum impius diem fuum obibit, erit ingentis admirationis, & ftuporis, non apud eos folum, qui fuis oculis cernent, fed & apud eos, qui poftea auditione accipient. *Dies*, pro calamitofo, & extremo. ficut & id Pfal. 136. 7. *Memor efto Domine filiorum Edom, in die Ierufalem*. videlicet ut par pari reddas, qui in devaftatione Ierofolimitana gaudebant. & Pfal. 36. 18. *Dominus irridebit eum, quoniā profpicit, quod veniet dies ejus*. Dies (inquam) per Antonomafiam, nam dies interitus impiorum eft maxime infignis, ut pote quem extrema calamitas reddat famofum, & nigro notandum lapillo. Tum etiam ille dicetur *Dies ejus*, id eft, illi debitus, & maxime proprius, nam cæteros, in quibus impius fæliciter vivit,

Dies de calamitofo.

Antonomafia

Dies mortis cur dicatur dies hominis.

com-

commodatos habet, & quaſi alienos, non proprios. denique extremus dies eſt cuique maxime proprius, ut qui de tota vita judicet, & qui etiam facultatem conferat ipſi homini, quantumvis antea ſtulto, & ſtupido ad Divinam comminationem, ut jã de univerſa ſua vita vere judicare poſſit, ſicut dicebat Ierem. c.30. 23. *Ecce Turbo Domini furor egrediens, procella ruens in capite impiorum conquieſcet: in noviſſimo dierum intelligetis ea.* nam cum vel promiſſione præmii, vel comminatione ſupplicii mortalium vita contineatur, tunc de illis judicari integre poteſt, cum impleta vidẽtur. Sic univerſa agricolæ vita, cogitationes, labores, ad noviſsimum meſsis tempus: Sic mercatoris curæ, ſyngraphæ, pecuniæ vel perſolvendæ, vel colligendæ ad nundinarum diem conſtitutum referuntur.

Mors univerſę vitæ examen.

2 Noviſsimi dicti per cõparatiõé priorum.

Noviſſimos autem Scriptura vocat eos, qui poſterioribus ſæculis vivent: quare *noviſſimi, & primi*, non tam in ſuperlativo gradu, quam cum comparatione accipi debent, priores, & poſteriores. Sic quod dicitur Iſai. 9. 1. *Primo tempore alleviata eſt terra Zabulon, noviſſime vero aggravata;* Nihil aliud ſignificat, quam *prius & poſterius*, ex interpretatione Hieronymi. Quare vox etiã Originalis ſæpe vertitur, *poſt* aut *poſtea*. Scio cum *noviſſimum* dicitur de tempore, aut die, ut dicantur *dies noviſſimi*, aut *tẽpus noviſſimum*, preſsiorem, & rigidiorem ſignificationem habere, ut aliquãdo dicemus. *Primi* autem, id eſt priores commodius dicuntur, quam *priſci*, aut *ultimi*; quamquam ſenſus idem. Illud etiam minus elegans, quod *primi*, juniores, *noviſſimi* autem, ſeniores illius ſæculi appellentur. Tum etiam, quod Philipp. per *primos*, *proceres*, per *noviſſimos* autem *infimos* intelligit, minus quadrat, ſicut & id, quod addit; *Noviſſimi homines, & primi Angeli Sancti quoque, & peccatores non abſurde intelliguntur.* Sed quidem neque ad litteram.

Hieronym. אחר Varia lectio. Regia. Pagnin. LXX Philipp.

3 LXX. Aquila. שמם

Stupebunt. Septuaginta; *Super eum gemuerunt ultimi*. Aquila: *In die eorum diſcruciabuntur, qui poſt eum nati ſunt*. Noſtra lectio reſpondet Originali, quod proprie ſignificat eum *ſtuporem*, qui ex re vaſtata, & deſtructa concipi ſolet a prætereuntibus. Ierem. 19. 8. *Omnis, qui pertranſierit eam, obſtupeſcet*. & cum ingens clades ſignificatur, dicitur etiam eſſe inimicis ipſis incredibilis, & ſtupenda. Levit. 16. 32. *Diſperdam terram veſtram, & obſtupebunt ſuper ea inimici veſtri, cum habitatores illius fuerint.* Igitur ſignificat Baldad tam diram futuram cladem impii, & univerſæ illius familiæ devaſtationem, ut poſterioribus ſæculis ſtupenda ſit, & qui audierit, *tinniant ambæ aures ejus*; non ſecus quam cum pulcherrimæ quondam alicujus urbis ruinæ, & miſeranda veſtigia conſpiciuntur.

Ingentis cladis circumlocutio. Ierem. 19.3.

Primos autem *horror invadet*. Recte Septuaginta; *Tenuit admiratio*: nam aliis locis Interpres etiam Latinus vertit, *apprehendere, obtinere*, vehemẽter, firmiter illos capiet, corripiet, occupabit *horror*, horripilatio, timor, qualis concipi ſolet ex tẽpeſtate ſubito exorta, & ex turbine concitatiſsimo. nam vox Originalis, vel tempeſtatem, & turbinem ſignificat (ut Cõplutenſes exiſtimarunt) vel certe cognationem habet cum altera voce, quæ illam commotionem, & tẽpeſtatem affert. Ergo *procella* illa, & Divinæ indignationis turbo, quamvis *caput impii* petat, in eoque conquieſcat; ſed tamen omnes, qui oculis ſuis cernent, ſibi timebunt, & *diſcedẽt* lõge a *tabernaculo* hominis impii, ne illius ſupplicii participes ſint.

4 LXX אחז Complutenſ. in texto. שער סער Ierem. 30. 23. Num. 16. 26.

XXI. Hæc ſunt ergo tabernacula iniqui, & iſte locus ejus, qui ignorat Deum.

1. Tabernaculi varia interpretatio. Impiorum exitus. Vehemens reticentia.
2. Vera ſententia interpretatio. Finis cujuſcumque rei de tota re affirmatur. Explicatus locus Regum, & Eccleſiaſta.
4. Particula illativa, aliquando varie reddita, aut omiſſa. Vulgata diligentia, & ſapientia.

EPiphonema totius orationis. *Tabernacula* autem Græci accipiunt pro hæreditate, ſuppellectile, & loco, in quem poſsidendũ hæres ingreditur: *Earum* (inquiunt) *rerum cernent impii hæreditatem.* Paulo ſecus Cajetanus, ait enim labores, & ſupplicium, vocari *tabernaculum*, & *locum* impiorum, propterea quod, ſicut nemo tabernaculo, domo, aut loco aliquo carere poteſt, ita impius hæc ſupplicia non poterit effugere. Sed utrumque durius. Philip. exiſtimat nunc enarratis jam maledictionibus, aſsignari locum, ubi ſuperbus, & impius habitaturus ſit; quem locum, ut pote horribilem, & incredibilũ cruciatuum, Baldad non deſcribat verbis, ſed tantum indicet quaſi digito, & relinquat nobis contemplandum. ut aliquando David quaſi digito, non verbis notavit locum, & baratrum, in quod tandem præcipitantur impii; *Ibi* (inquit) *ceciderunt*,

1 Epiphonema Tabernaculũ pro hæreditate. Cajetan. Philipp. Reticentia cũ acrimonia. Pſal. 35. 13.

Theodoret. & Didymus.

Ambros.

שם

qui operantur iniquitatem, expulsi sunt, nec potuerunt stare. In inferno videlicet, (interprete Theodoreto, & Dydimo,) quem nunc non nominat, quod nunc nobis occultus, & vix explicabilis ille locus sit, & obscurus. Ambrosius ait illud adverbium *ibi*, aut tempus, aut locum denotare posse: & quidem conformiter ad vocem Hebræam, quæ aut *ibi*, *illic*, *illuc*, aut *tunc*, verti solet. ut Iob. 3. *Ibi* (tunc), in morte *impii cessaverunt a tumultu.* Ergo iste est locus impii, iste illius dies, tunc enim, in novissimo die *ibit in ignem æternum*. *Hæc enim sunt tabernacula impii, & ista locus ejus.*

2 Sed lenis, & facilis omnino sensus, Hic finis florentis quondam tabernaculi, & pulcherrimæ domus impii; Sic cum impio aget tandem Deus; cum ejus universa domo, atque familia. Quare recte expones; * *Hæc sunt tabernacula*, Huc deveniunt tabernacula, & huc recidit impiorum flores status. illud enim dicitur esse res aliqua, non quod aliquandiu est, sed in quod tandem desinit. ut 4. Reg. 9. 27. *Hæccine est illa Iezabel?* id est, in hunc finem devenit? & illud Ecclesiast. 12. 13. *Deum time; & mandata ejus observa, hoc est enim omnis homo.* id est, ad hunc finem creatus est omnis homo. vel, ut referatur ad sequentia, ubi de extremo judicio sermo est; *Deum time*, quoniam tandem deveniet homo judicandus de mãdatorum observatione ante supremi judicis tribunal; & illud est homo, quod in judicio ultimo erit. ut enim ait Sapiens Ecclesiast. 3. n. 7. *Iustum & impium judicabit Dominus, & tempus omnis rei tunc erit.* q. d. tunc incipiet esse homo; quod enim ante judicii diem esse videtur, vix est; nam de homine secundum ultimi diei judicium, judicandum est.

Germanior expositio.

* En esto viene a parar la casa del malo.

Ex fine considerandũ quid res sit.

De homine judicandũ ex novissimo judicio.

3 *Qui ignorat Deum.* Verbis enim *confitentur se nosse Deum, factis negant.* Cognitio hæc, quæ impio negatur, est practica quædam Sapientia, quæ in Divino cultu consistit, in pietate, & religione; tum etiam in gustu quodam, & quasi sapore atque sensu Divinæ bonitatis: nam hæc omnia claudere videtur vox *cognoscendi Iaghad*. & quamvis idem sit sensus quidem ignorandi, aut non cognoscendi, sed in Hebræo, & Græco est, *non novit Deum*, ut indicetur impii perversa voluntas rebellis lumini: cum enim cognoscere, & quasi sensu ipso, & experimento percipere, & videre Deum in suis operibus posset, cum *non longe sit ab unoquoque nostrum*, sed tamen ipse non agnoscit, non sentit, non videt, avertit sensum suum, & avertit oculos suos, *ne videat cælum.*

1. *ad Tim.* 1. 17.

Cognitio practica, & sapida scientia.

ידע

Act. 17. 28.

Dan. 13. 9.

In fine capitis illud tantum addendum pro coronide totius orationis Baldad, initio hujus ultimæ sententiæ, esse in Hebręo particulam, *Ac*, quę ab Interprete Latino redditur, *Ergo*, a Cajetano *Tantum*, a Leone Hebræo in versione Tygurina, *Duntaxat*. unde colligit Cajetanus vel ex hac particula aperuisse Baldad suam mentem, videlicet his temporalibus suppliciis non nisi impios duntaxat affici, justos vero omnino ab illis esse immunes. eundemque errorẽ Baldad Græci in Catena notarũt. & quidem quamvis ita de mente Baldad, ut ex ejus oratione elicitur, existimare aliquis posset, quod tamen ad vim, & significationem illius particulæ attinet, a quibusdam censetur esse particula expletiva, & addi ornatus gratia; sic illã omnino neglexerunt Septuaginta. Ab aliis ita exponitur, ut cum initio sententiæ occurrit, sit particula adversativa, aut affirmativa Sed, Verumtamẽ, Certe, Vere; at in medio sententiæ sit particula exclusiva, tãtum, duntaxat, &c. Sed eam regulam minime observat Latinus Interpres; nam aliquando illam facit exclusivam, licet sit initio sententiæ. Vt Levit. 21. vers. 23. *Ita duntaxat, ut intra velũ nõ ingrediatur.* In Hebręo incipit a particula *Ac*, & aliquando est in medio sententiæ, & non vertit per particulam exclusivam, sed per *Etiam*, ut Exod. 10. 17. *Dimitte peccatum meum etiam* (Ac) *hac vice*. Interpres ergo, ut videt sententiam exigere, ita sapienter reddit, & nunc in fine totius orationis opportune adjecit particulã illativam *Ergo*, quæ totam disputationẽ clauderet.

(∴)

4

Particulæ, Ergo varia vis.

Cajet.

Græci.

אך

LXX.

Forster. Merc.

Diligentia, & prudentia Vulgati.



PARA-

NOTATIO RERUM INsigniorum, quæ in Commentariis fusius explicantur.

a *De auditoris, & disputatoris officio, tum etiã de contendendi, & contradicendi studio, pauca quædam utilia, v. 1. n. 5. & v. 2. n. 2.*

b *Pluralis numerus ad personam singularẽ relatus, ad Scripturarum intelligentiam, observatur v. 2. n. 3.*

c *De epithetorũ ratione, & usu in sacris Litteris ad Scripturarũ intelligentiam, quædã v. 4. n. 1.*

d *Quod Deus dicatur Rupes in sacro sermone & quæ hujus compellationis significatio, & vis. v. 4. n. 3.*

PARAPHRASIS Capitis præcedentis.



IOBI gravissimis responsis, atque verissima vitæ, & innocentiæ defensione punctus plus æquo Baldad, minime æquus disputator (non enim litigatorẽ tantum, sed judicẽ in sua se causa constituit) a tumultuosa, atque maledica oratione exorsus, per contentionem illum aggreditur, atque in suos etiam amicos, qui nõ prius illi cessissent gestienti dicere, [a] ambitione quadã invehitur: in Iobum tamẽ præcipue, quem loquacitatis, & insolentiæ in hunc modum insimulat.

Quousq; tandem [b] tua ista garriendi impunitas se se jactabit? Nos scilicet verbosi, qui incredibili silẽtio easdem a te sæpe querimonias, & responsiones cum tędio, & contentione repetitas susceperimus. Et quidem minime o Iob, intelligere videris, quodnam sit nostrę disputationis caput; nam tota controversia posita est, nõ tam in restitutione tuarum facultatum, aut futuræ alicujus fælicitatis, quam tibi polliceamur, quam in confirmanda, & asserenda suprema Divini Numinis Providentia, quæ justis bona, malis mala rependit. Hoc si attendas, nec indigne tecum agi tam libere pronuntiabis, neque salutares nostras exhortationes tam leviter respues.

Illud non ferendum, quod extra modum insolescis; nam reputare nos videris ut muta pecora, & sine ratione jumẽta, quibus neque insit ratiocinandi, atque dicendi facultas, neque ullus respondendi locus concedi debeat: atque adeo non solum ut stupidę, sed etiam ut immundæ, & sordidæ pecudes a te cõtemnimur. * Ita a nobis, tanquam a re polluta, oculos avertis: atque, ad nostram orationem ita nauseas, quasi ea sordidissima sit, & non nisi crassissimis, & impurissimis labiis a nobis pronuntiata? Tu vero ipse auditor purgatissimarum auriũ, & delicatissimi palati, emunctissimæq; naris homo esses.

Sed Heus tu, [c] o vir animæ tuæ perditor, vitæ tuæ discerptor, & raptor, corporis tui sæve dilaniator, qui adversum te ipsum furore, & amentia raperis, tecum mihi nunc res est, qui non tui animi compos sis, sed potius ira, & incandescentia intumescas. * Ita enim nunc tument tua verba, ita de tua vita, & morte censes, & loqueris, ac si mortalium omnium vel incolumitas, vel interitus ex te uno penderet, ac te e vivis abeunte, statim oporteret terram incultã, & desertã relinqui. * Ita ne te mortuo nemo supererit hoc terrarum domicilio dignus, qui iratum Numẽ, benignum, & placatum reddat mortalibus? * Ita ne, te subtrahente humores, nutabunt montes, dissiliẽt e suis sedibus saxa convulsa, ruet cælum? aut vero quod tu irascaris adversus Divinam vindictam, temperabit sibi a tuo supplicio Deus, & illam, quam stabilivit, fixitque legem in impios animadvertendi, nunc abrogabit? [d] An Deus Opt. Max. qui, velut firmissima rupes, in eo, quod semel statuit, fixus hæret, nunc unius tui causa de sua sententia, & decreto dimovebitur? scilicet & nos, qui in nostra sententia, & verissima de Divina Providẽtia, & rerum humanarum constitutione, & judicio immoti perstamus, tuis respõsionibus commovebimur, & nutabimus? Iube etiam, si placet, ut pro tuo arbitrio, terra, quæ nunc incolitur, inculta maneat: & mõtes alio convellãtur.

CAPUT XVIII.

1

Respondens autem Baldad Suhites dixit.

2

Vsque ad quem finẽ verba jactabitis? Intelligite prius, & sic loquamur.

3

*Quare reputati sumus ut jumẽta: * & sorduimus coram vobis?*

4

Qui perdis animam tuã in furore tuo.

** Nunquid propter te derelinquetur terra, & trãsferẽtur rupes de loco suo?*

5

Non ne Lux impii extinguetur:

Sed proh immortalem Deum, quanta hominis stultitia! aberrat nimirum impius vera sapientiæ destitutus luce, & crassissimis ignorantiæ tenebris circumfusus, passim in suamet errantia dogmata, & falsos de Providentia, & actionum humanarum Præmio, & supplicio, sensus impingit. Est enim illa falsæ doctrinæ perexigua, & brevissima lux, quæ, vix dum apparet, & illucet, omnino extinguitur, & evanescit. Quid (inquã) doctrina impiorum? [e] sane quidquid lucet in oculis, quidquid splẽdet in fortuna, quidquid in vestibus fulgurat, & conspicitur, quidquid denique in vita, & communis lucis usura, luminũ concupiscentiæ lenocinatur, brevi deerit, & extinguetur; atque in medio ipso ardore, & studio improbe agendi deficiet sua fælicitatis lux impio; quem nunc impietas non sinit quiescere, sed perpetuo exagitat, & furere cogit. Levissima sane impiorum fælicitas suo ipsa pondere concidit, imo potius sua levitate, & vanitate puncto tẽporis evanescit, & dissipatur: Lux vanissima, quæ se ipsam extinguit, & velut cerea cãdela, quo plus lucet, plus se depascit, & absumit.

e De Lucis significatione ad Scripturarum intelligentiã, quam brevis sit ea, ad quã impii exultant; utilia quædã. n. 2. 3. 4.

** Nec splendebit flãma ignis ejus?*

* Est enim adeo infirma, ut quãvis splẽdere videatur, nulla tamẽ illi⁹ ignis scintilla relinquẽda sit, sed semel restinctæ impiorũ fælicitati sempiterna tenebrarum offundatur nox: postquã enim semel coruscaverit, nunquam deinceps procedet lux eorum.

6

Lux tenebrescet in tabernaculo illius:

Illud vero quidquid est vanissimi splendoris, intra impii domum atque tabernaculum sic continebitur, ut neque foras erumpere neque ad posteritatem diffundi possit. quamvis enim domum habiturus sit aliquando florentem, & opulentam, illam tamen incolumem, & integram suis hæredibus relinquere non permittetur, neque illis cursu tradet lampada, imo obscuros, & inglorios in maximis calamitatum tenebris dimittet. Dignum sane supplicium patre familias indignissimo: nam cum deberet ille suis familiaribus vitæ exemplo, & honestissimæ vitæ lumine prælucere, omnibus videlicet qui in domo sunt, ipse tamẽ improbitatis suæ tenebras in omnes transfundit, omnibusque adeo turpiter actæ vitæ suæ densissimam noctẽ ita obducit, ut etiam si per se illi egregii essent cives, certe venirent in oblivionem.

** & Lucerna, quæ super ipsum est, extinguetur.*

* Sed quid minora alia lumina persequor, ac ea tantũ, quæ cum aliis possunt esse impio communia? Certe illam singularem præ cæteris Regni præstantiam, atque fælicitatem, inter alios maxime illustrem atque conspicuam penitus extingui, atque opprimi necesse est, tanto superinjecto calamitatis pondere, ut rursus accendi, aut renovari minime possit. [f] Quid enim magis simile lucernæ, quam Regni alicujus splendor, qui subministrato quasi ex subditorũ obsequiis, & facultatibus oleo fovetur, & sustentatur? Hæc si impio Regi, & Tyranno, Dei vindicta sic exigente, denegentur a subditis, in quanta ille nocte, & caligine versabitur, supra cujus caput nuper diadema, ceu lucerna clarissima præfulgebat! Quale deinde gaudium impio esse poterit versanti in tenebris, cum vel maxima, vel tota conviviorum lætitia, aut in ipso lumine, aut non sine ingenti plurimarum lucernarum, & facium splendore constare possit? Perdet igitur, & auferet Deus de tabernaculo illius vocem gaudii, & lumen lucernæ, ut qui epulabatur quotidie splendide, deinceps in tenebris cogatur comedere, & in mœrore perpetuo conflictari. [g] Sed est illa in impiorum oculis longe clarissima, atque jucundissima lucernæ lux, juxta ipsos splendens, filios dico, & familiæ, atque facultatis propagandæ spem, nam videntur profecto parentes sicut vitam, ita & lucem accendisse in filiis, & vivendi illis tædam, & facem prætulisse, atque tradidisse. Hæc quoque, quæ penes impios parentes lucerna est, extinguetur, nullamq; suæ domus, nominis, generis relinquent scintillam, lucernam nullam, ex qua vivere, & propagari lumen possit.

f De Lucernæ significatione in Sacris: & ut Rex similis Lucernæ sit, quædam utilia. v. 6. n. 3. & 4. & de Lucernarum in conviviis lætitia & usu, n. 5. & 6.

g Lucerna pro filiis, & posteris apud prophanos & ut filiorum vitã luminis, aut Lucernæ accẽsæ nomẽ designet, exquisita quædam. n. 7.

7

Arctabuntur gressus

Post miserrimas vero tenebras istas fiet profecto, ut in maximas vitæ, rerumque omnium, atque negotiorum difficultates, atque discrimina adducantur, ut illius cor miserrimum mœrore, atque angu-

h *Quæ sint angustiæ, quæ itē latitudo viæ in sacro sermone diligenter explicatur. v. 7. n. 2.*

stiis constringatur, & undique difficultatibus, & terroribus oppugnetur: h atque etiam ut ex vitæ suæ cursu, & incœpto, non solum erubescens avertatur, sed ita cicumveniatur discriminibus, ut hęreat omnino inops consilii, semper desiderans, nunquam adipiscens latitudinem illam viæ fælicissimam, & expeditam justorū semitam. * Videas igitur illos, qui fortes quondam, atque viribus firmi, gressus minime nutantes, multa fiducia ponebant in terra, multa suæ vitæ securitate, nihil, quod difficile, aut pravum accidere posset, suspicantes, quod sua virtute, & viribus superare, & vincere non possent, multa pergendi alacritate, atque lætitia elatos, ad certum exitium jam devenisse. Sed nihil mirum, si tyrannica virtus, injuria, violentia, atque facultates etiam cum aliorum dispendio, & damno comparatæ, iniquo possessori exitum infælicissimū asciverint. * Ita suis ipse impius consiliis, & suis conatibus amens, & devius ruet in miseranda præcipitia, & præsentissima discrimina; nunquā enim de alia via capienda consilium capiet, quam de illa, cujus exitus exitium sit. Nunquam igitur, ut qui vere sit inops consilii, atque omnibus consiliis devius, & præceps, non aberrabit miser, atque superbiæ, & propriæ virtutis gressibus impulsus, eo concidet, ubi ceciderunt, qui operantur iniquitatem expulsi, & non potentes firmius consistere.

** Virtutis illius:*

** & præcipitabit eū cōsilium suum.*

Neque vero solum ad arctum, & angustum deducitur improbus, sed in arcto, & angusto positus, i laqueo, & reti implicatur, & constringitur; in quem ipse suis se gressibus, & consilio induit: inexplicabilia dico discrimina, & præterea ea omnia supplicia, quibus tanquam laqueis, & impedimentis retardatus homo, a consectanda usque, & obtinenda voluptate detinetur. & cum in dies singulos impœnitens, ipsis improbitatis pristinis sceleribus nova scelera accumulet, novos profecto laqueos, atque funiculos intorquet suis ipse manibus, ex quibus deinde suorum suppliciorum retia nectantur. Auget quoque supplicii gravitatem, quod per contemptum, & ludibrium impio tyranno ea retia tenduntur, & parantur ab alio sęviori, & potentiori tyranno: ut sicut per contemptum venabatur, & capiebat pauperes, ita ipse velut imbecilla, & stulta animans, ab alio venatore capiatur. Tum etiam eodem ipse reti, quod pauperi capiēdo, & per insidias occidendo, tetenderat (quod ingentis miseriæ est) capitur, & irretitur. * Atq; ita constringitur, ut vix ullus illi locus ad respirādū cōcedatur, detēto videlicet angustissimis retiaculi plagis, & maculis. Quod si se nitatur extricare, extrahet quidē pedē ex una macula, sed mox in aliā inseret, ut dū explicatur ex una, implicetur in alia, & inter nexus, & laqueos semper volutetur. Vivat hic interim ad momentū fælix, & garriat stult? pedes profecto jā habet intra maculas retis inditos: constringi se nunc non sentit, quoniā non est adductum rete, adducetur tamen paulo post in morte, tunc sentiet arctatus gressus, cōtenta vincula, detentos pedes, quibus ligatis, pariterq; manibus, mitti jubebitur in tenebras extra domū convivii, & lucis.

i De laquei, & retis significatione in sacris, & ut vel ad pœnas, vel ad peccata referātur, quædam ad mores v. 8. n. 2. & 3.

8 *Immisit enim in rete pedes suos:*

** & in maculis ejus ambulat.*

Sed, ut omnino evadēdi spes omnis adimatur impio, laqueo, & reti sentiet se cōprehendi, & teneri fortissime, quasi strangulato pedū gutture, Pedis (inquā) sive potius extremæ vitæ partis, quæ quāvis vaga diu, & libera fuerit, tamē ad extremū (quod miserrimū est) vinculis, & angustiis concludetur. Quid enim illi proderit initia vitæ cū omni licentia, & impunitate transegisse, si exitus in sempiterni carceris vinculis, & cōpedibus exigendus est. * Ibi jam tandē experietur non solū homines prædandi, & furandi cupidos in suas facultates avidissime involitare, bibendi, exorbendi, devorandi causa sitientes, & famescentes, sed, instar feræ cōprehensæ laqueo, ipse etiā ardentissima siti, & bonorū omnium temporaliū, quibus amplius frui non poterit, corripietur, & quasi exerta lingua, & anhelo cōtinenter ore, frustra, vel minimo animæ refrigerio inhiabit.

9 *Tenebitur plāta illius laqueo:*

& exardescet cōtra eum sitis.

10 *Abscondita est in terra pedica ejus:*

Quid, quod laquei, & retiacula hujusmodi, pręterquā quod mole-

stissima

stissima sunt, abscondita prætereà sunt, ut illorũ discrimina agnosci, ac prævideri vox possint, atq; eo etiã graviorem perniciẽ afferant, quo illius auctor occultior, & ignotior est. k Sic, o Iob, vidẽtur illi tui hostes, prædonesq; immanissimi, prius in suis cavernis, & criptis, pro natura, & indigentia vicinæ istius ardentissimæ regionis, latitãtes, instar laqueorũ, & retiaculorum in terra delituisse, ut res tuas ex improviso adorientes, nefarie diriperẽt. Sic quoq; & tibi, & mortali cuiq; suæ cõditionis, & fragilitatis oblito, in ipsa sepulturę fovea, & terra abscondita est mortis pedica, quã, cũ ex ipso terræ, & pulveris conspectu, in quẽ revertemur mortales omnes, agnoscere liceret, sed tamen sui discriminis, atq; fragilitatis impius oblitus, quod per se obviũ se, tantũ non cæco, clarissime patet; tanquã rem omnino obscuram valdeq; reconditã præterit, & ignorat. * Ergo in decipulã incidit falsus ipse, miserèq; deceptus, ac nihil non incõmodi atq; detrimenti sustinet, quod ex ullo venãdi, aut irretiendi instrumẽto stultissimæ animantes solent accipere; * nã sicut illis, in ipsa semita, quã ingredi solent, cõponuntur a venatoribus laquei, ita in ipsa suæ vitæ, atq; actionũ semita, paratũ est impio discrimẽ, interitusq; decipula, qua impeditus, atq; detẽtus revocatur de media via suorũ desideriorũ, atq; etiam in media via, in conspectu viatorum, id est, mortaliũ omnium, in exemplum severissimi supplicii, palam traducitur.

Marginalia (left): * *& decipula illius* — * *juxta semitam.*

Marginalia (right): k *Quod laquei in sacra sermone hostes designẽt, et quare, opportuna quædam ad Scripturarũ intelligentiam. v. 10. n. 2.*

11 *Vndiq; terrebunt eũ formidines:* * *& involvent eũ pedes ejus.*

Ergo undiq; l territantibus, & minitantibus per circuitũ periculis conturbabitur improbus, atq; ita pedibus suis cõmovebitur, ut nõ solũ titubet, & vacillet, verũ etiam cũ in tenebris fugiat, passim offendere necesse sit, ac verũ effugii tramitẽ nunquam offendere. Quare & præsentis doloris mœrore, & futuri etiã nunquam finiendi formidine afficitur, penitusq; conficitur: * cujus mali causam non in aliũ, quã in suos ipsos pedes, suæq; vitæ improbitatem referre poterit, ut qui suis ipse pedibus in exitium, & necẽ sponte concesserit.

Marginalia (right): l *Terroris, & formidinis nomina de præsentibus malis in sacra Scriptura dici, accurate tractatur. n. 2.*

12 *Attenuetur fame robur ejus.*

Sed illud prætereà novum, ingensq; suppliciũ, torquebitur namq; memoria præteritæ felicitatis; recolens enim tempus illud, cũ epulabatur quotidie splendide, ad summã postea egestatẽ redactus, & miserabili fame, tabeq; confectus, viribusq; omnibus, & pristino roborẽ exhaustis, effectusq; totus ipse famis, atq; famelicorum prædonum pabulũ infælicissime suavissimũ, illa prætereà fame cruciabitur, quæ ex desideriorum vanissimorũ, atq; concupiscentiæ æstu fit, nam cum semper famescat, & desideret, nunquam assequetur vota, neq; ventrẽ implebit. Parente autẽ misere famescente, famescent quoque filii, in quibus cùm magna paterni roboris, & spei pars posita sit, nihil bonæ spei reliquum parenti improbo fiet. * Atq; sicut ex fame, & inedia fieri solet gravissimus quidam costarum pendentium dolor, ita etiã post famẽ paratũ est lateribus & costis impii hominis durũ suppliciũ, & improvisa calamitas, in quibus & dolor incredibilis sit, & vulnus non nisi lethale, quo etiam afficietur illi omnes, qui necessitudine, & familiaritate improbos attingunt, assidue illorum latus claudentes.

Marginalia (left): * *& inedia invadat costas illius:*

13 *Devoret pulchritũdinem cutis ejus:*

Sic omnis pristinæ dignitatis facie obscurata, & immutata, immutabitur quoq; ad insignem deformitatem ipsa impii hominis forma, & facies pristina: atque illius bene curatæ, & renidentis cuticulæ nitor prorsus extinguetur. * & quasi Principi Erebi, atq; lethi Præfecto demãdetur cura impiũ cruciãdi; ita sane morbos gravissimos illi infliget, atq; lethalem etiã, quo indies contabescat, animi mœrorẽ inferetq; tandem mortem quandã acerbitate, cruciatu, doloris sensu, præ cæteris omnibus moriendi rationibus, insignẽ. Neq; vero ad senectã permittetur, etiam infælix pervenire; nam cũ ex peccato generetur mors, & prioribus sceleribus in prima, & florente ætate perpetratis, primogenita quædam, & vigens robore, & acerbitate mors respondere videatur, certe impio florenti adhuc, & viribus pollenti mors accidet primogenita, quæ momento illũ devoret, & superbiæ, atque adversus Numen insolentiæ meritissimas pœnas repetat, om-

nesque deinde vires, * & brachia ipsa confringat, & arefaciat, pristini roboris, & audaciæ vigore, & virore emarcescente. Filios quoque, qui parentum brachia, & rami, atque totius familiæ fulcra esse videntur, omnino perdat.

* & consumat brachia illius primogenita mors.

14

Sic sane impii tabernaculum revulsis clavis, & ruptis funiculis, quibus cõtinebatur, prorsus corruet, filiis inquam, atque familiaribus, aut ablatis, aut dissipatis, amissis etiam opibus, quæ ad domum sustentandam necessariæ sunt. Quare nulla deinde spes reliqua erit impio, nulla fiducia fulciendæ domus, nihil in quo pedem figere, & cõsistere firmus possit. [n] Sed illud quoque miserrimum, cum impio laboranti morbo gravissimo, omnis sustinẽdi tabernaculi sui corporis, & recuperandæ valetudinis spes adimitur. Est nimirum humanum corpus tabernaculum, tentorio temporario militari, aut pastoritio persimile, quod ad brevissimum tẽpus componitur, & erigitur: nam dum sumus in corpore peregrinamur a Dei parentis nostri domo, & a civibus Sanctorum, & domesticis Dei. Rupto igitur, & convulso tabernaculo, laxatis nervis, dejecto, & prostrato homine, nihil boni amplius sibi reliquum esse, certo agnoscet. * Transferetur deinde ad regionem plenam formidine: & Rex terrorum maxime terribilis, atq; formidandus, illum sibi penitus [o] subjiciet, mors (inquam) mortisq; terrores illum, antequam moriatur, penitus exanimabunt. Mors itaque Regina tenebrarum, & solitudinis ambulabit super impium, atq; tum illius, tum omnium, quæ ad illum pertinent, possessionem capiet per positionẽ pedum, liberamq; habebit, & administrabit potestatẽ. Impium prætetea sepulturæ mandatum, atq; humum ipsam desuper injectã mors calce, & ligone bene comprimet. Atque utinã per manus morbi impium sibi traditum acerbis cruciatibus solum conficeret; victoris prætetea, & triumphantis more superatum, & triumphatum hominem pessundabit, atq; proculcabit. neminem nãque reveretur mors, quæ calcandis Regum collis, & cervicibus jam inde a primis sæculis assueta est, tanquã potentissimus aliquis [p] Rex; aut tanquam sævus aliquis, & inexorabilis Tyrãnus, qui cum adversus cives irascitur, omnia illius bona, atque etiam vitam ipsam proscribit. Proh tantam mortis inexorabilis adversus improbum severitatem, & impetum!

Avellatur de tabernaculo suo fiducia ejus:

n Tabernaculi diligens cõsideratio, & cum humano corpore cõparatio a n. 2. usq; ad. 7. tractatu peculiari explicata.

* & calcet super illum, quasi Rex interitus.

o De verbo, habitu, & significatione, calcandi, et de mortis inexorabilis sævitia, non pauca. n. 2. 4. 5. 6. 7.

p De Regis sævitia, & potestate nonnulla ad mores Vers. 14. n. 8.

15

Neque vero melior futura erit impii defuncti memoria, domus vero nam illo ejecto e suo tabernaculo, [q] infestabitur profecto antiqua domus terriculamentis, feris noctivagis, morteque ipsa, atque interitu. Habitabunt quoque in illius corpore tanquam in domo propria vermes, putredo, sordesque omnes. Cumque mala hæc omnia in illius tabernaculo habitatura sint, altera pars impii adhuc viva, uxor ejus, inquam, errabunda, & vaga in aliena domo serviet. * Frequẽter quoque ipse impius, dum vivet, exul, & miser, sub dioque per noctans, videbit domum suam incoli, & inhabitari a suis vicinis, quibus mirabiliter infensus erat, desiderantib⁹ omnibus ut inde alio, sive vi, & injuria, sive jure expelleretur, ampliusq; non esset, neque extaret inter viventes, sed justa supplicia reportaret ab Angelis apostatis, sociisque illius, [r] qui non est, neq; stetit in veritate, Diaboli (inquam) quem imitatus est homo improbus, non conservans veram illam hominis veri animam, atque formam, quæ ad Dei similitudinem, & imitationẽ ab ipso illi collata est. * Ergo præterquam quod in illius domo sedem habebunt nequam spiritus, [s] aspergetur tota sulphure, videlicet inevitabili supplicio, & pœna consumptrice, & conflagrabit igne, & sulphure cælitus immisso, fulminibusque devastabitur. Et quid non mali sentiet, si Deus ignem, & sulphur cælitus pluat? Sterilescet profecto solum illud, & in salsuginem redigetur, exitialeque fiet cunctis animantibus. [t] Neq; alia re celebris erit defuncti memoria, quam tetris, fœtidisq; odorib⁹, sparsis ad funeris honorem, pro floribus, & aromatibus, quibus aliorum funera, & pheretra, ac rogi resper-

Habitet in tabernaculo illius socii ejus,

* qui non est:

* Aspergatur in tabernaculo illius sulphur.

q Inter impii supplicia illius domus terriculamenta, & formidines, frequenter in sacro sermone repetita, n. 3. *

r Quod impius atq; etiã Diabol⁹, dicatur nõ esse, tũ etiã populus aliquis infidelis, nõ populus, ad S. Scrip. intelligentiã, & Doctrinam morũ plura n. 6. 8. 9.

s Quid ignis, et sulphur in divinis suppliciis significent, multa ad Sac. Scrip. intelligẽtiã n. 1. 2.

t De antiquo funerũ honore, floribus omnis generis suave olentibus adhibitis, & unguẽtis pretiosissimis, ex sacris, & prophanis. n. 6. 7.

gi, repleriq; solent. [u] Quodsi sulphur, quo tabernaculum impii defuncti respergetur, alicui commodo futurum esse debet, certe illius suffitu expiari poterit adversus tristes eventus, & infælicia omina: quis enim in infælicem,&mali ominis habitationẽ,non adhibita prævia lustratione,tuto ingredi aut velit, aut possit?

u De vi sulphuris ad locorũ lustrationem apud priscos, non pauca. n.8.

16 *Deorsum radices ejus siccentur: & sursum atteratur messis ejus.*

Sic profecto fiet,ut omnis impiorũ gloria,quæ instar pulcherrimę arboris florebat, brevi radicitus exarescat, non secus, ac si fulmine tangeretur. [x] Quid ergo exarescẽtib⁹,combustisq; radicibus,securitatis,consiliorũ,spei,in imo pectore reconditæ,ad futuram fælicitatẽ recuperandã esse poterit? Quid autem gloriæ remanebit, ubi rami in altum elati præcidentur, filii peribunt, cœpta consilia,concœptaque diu desideria neq; promovebuntur, neq; proficient,sed infausta omnia accident universæ arbori, radicibus, ramis, germinibus, fructui? Etiam ipsæ radicum fibræ extirpabuntur, ne ulla illius memoria diutius conservari possit.

x Quid per radices,quid per germina sive in maledictionibus,sive in benedictionibus accipiat sermo sacer. n. 14.

17 *Memoria illius pereat de terra,& non celebretur nomen ejus in plateis.*

[y] Quare impio defuncto,nulla erit solẽnis laudatio, nullus supremus funeris honor,quippe qui nullum reliquit honorificũ nomen,per quod posteri recordari illius cum jucunditate velint,neq; posteritatẽ ullam filiorũ,quæ parentis nomẽ,atq; memoriam diuturnam efficiat, ac bene loquendi de defuncto materiã præbeant iis,qui in frequentibus concionibus, qui in plateis ac foro residere solent, & de rebus tũ præteritis colloquia miscere,tum de novis instrui. [z] Quodsi quando illius nomen imprudẽs aliquis usurpaverit, reclamabit universus populus,atq;ira incredibili,& odio sempiterno illius memoriã excipiet.

y Quod defuncti laudes publice celebrari solerẽt apud varias nationes. n. 2.

z Quid nomẽ in S.Scrip. significet,& ut cum memoria cõjungi soleat,non nihil utile. n. 2.

18 *Expellet eũ de luce in tenebras: * & de orbe transferet eum.*

Penitus igitur delebitur, exciderurq; illius nomen, sive id agente Dei vindicta,sive doloribus,& morbis incredibilibus ad interitũ usq; extinguetur itaq; non solũ omnis fælicitatis splendor,sed etiã omnis gloria nominis, & sempiternis malorum omnium, oblivionisq; tenebris obruetur *. Neque vero qui in suo regno, natalique solo extinctus est, vivere permittetur, vel solo nomine tenus,in alieno; nam ex universi terrarum orbis finibus exturbabitur.

19 *Non erit semen ejus,neque progenies in populis: Neq; ullæ reliquiæ in regionibus suis.*

[a] Infælicissimo impio non fili⁹,nõ nepos,non ullũ germẽ propago ve posterorum,qui morienti adstent, & mortis acerbitatem sua præsentia,& paterni nominis relicta memoria tẽperent, decedentiq; supremum vale dicant, oculos claudant, osculo exeuntem spiritum excipiant. Quid, quod nullus erit hæres facultatum, eo quod ex universa illius posteritate, atq; familia nemo relinqui, aut effugere poterit; nam paterno incendio conflagrabit familia, domusque universa, ubicumque tandem terrarum inveniri illos contingat.

a Quod orbitas filiorũ efficiat parentis mortem acerbissimam, & quod illi nomen parentis propagare soleant. n.1.2.4.

20 *In die ejus stupebunt novissimi. * & primos invadet horror.*

Ergo in extremo illo, maximeque insigni,& celebri impiorum die, in quo de universa illorum fælicitate recte judicari poterit,ut in quo illi rependenda sint totius vitæ merita, ingens devastatio pulcherrimæ quondam domus conspicietur,ad cujus conspectũ,mentionemq; horribilis cladis, obstupescent posteri *. Neque solum infimæ sortis homines, sed etiã proceres,& Principes universi; quamvis enim horribilis illa procella, & Divinæ indignationis turbo in impii caput incumbat, at qui viderint oculis suis, sibi timebunt,longiusq; recedent, ne tanti supplicii participes esse cogantur.

21 *Hæc sunt ergo tabernacula impii; * & iste locus ejus, qui ignorat Deum.*

Hæc igitur sors,hæc impiorum hæreditas; hoc velut tabernaculo excipientur, pulsi suis domibus; hic præterea finis pulcherrimorum quondam tabernaculorum, & pulcherrimarum sedium: huc recidit omnis impiorum gloria, * qui Deum neque agnoscunt, neque vero agnoscere volunt: quippe quamvis verbis illum confiteantur, factis negant. Quare, ut tandem orationem meam unica sententia claudã, ac meam sententiam claris verbis exponam, qui in Deum scelerati sunt, his suppliciis excruciantur universi: a quibus illi omnes immunes sunt, qui sancte illum colunt. Vide igitur IOB, quid sit apud te sceleris, qui incredibilibus suppliciis excruciaris.



CAPVT XIX.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Quæ amici obloquuntur, & per contentionẽ ſæpe inculcant, non niſi ab immiti, & contumelioſo animo profecta eſſe, conqueritur I O B: &, quod in amicis deſiderat ſolatium ſuæ innocentiæ afflictæ, in ſpe, & cogitatione futuræ Reſurrectionis ipſe ponit.

☞ I. *Reſpondens autem Iob dixit.*

1. *Reſpondere late uſurpatum. Iob myſteria loquitur. Reſpondendi lenitas.*
2. *Particula,* uſquequo, *varius uſus. Præſens pro Futuro. Illuſtratus David.*
3. *Affligere in ſacro ſermone. Verbum vehemens.*
4. *Quid Atterere. Explicatus Ieremias.*
5. *Quantam vim habeant ad pungendum verba, & contumelia & quantam difficultatem ad perferendum: Illuſtratus ſemel, & iterum Salomon.*



1 Reſpondere. DIXIMVS ſæpe Verbum *Reſpondendi,* nõ ſemper afferre reſpõſionẽ aliquã adhibitã adverſariorum argumẽtis, & impugnationibus ſuæ innocentiæ. Hoc tamẽ loco affert faſtidiũ, & defatigationẽ tum animi, tum auriũ quotidianis cõvitiis, & importuniſsimis objectionib⁹. Diximus etiã nõ ſemel, *reſpõſum,* non ſolum verbis, ſed quacunq; actione erga aliũ præſtari poſſe. Ergo quidquid nũc dicat Iob, quicquid agat poſt orationem Baldad, illi reſpõdet. (*Vide cap. 4. ℣. 1. n. 2.*)

Duo tamen hoc loco videtur obſervaſſe D. Ambroſius. (*Ambroſ. de Interpell. Iob. li. 1.*) primum, fuiſſe hoc reſpõſum lene; *Viſus* (inquit) *amicis pudorẽ incuteret:* Secũdum (quod nuper dicebam⁹) nunc potiſsimum Iob *loqui myſteria;* & quidẽ loqui, *non carnis gemitus, & corporis infirmitates, ſed voces ſpirit⁹, quib⁹ urgeret, nõ quibus cederet.* Quare hoc reſpõſum, quod ab animo minime perturbato proficiſcebatur plenum erat ſpiritu, virtute, efficacitate.

☞ II. *Vſquequo affligitis animã meã, & atteritis me ſermonibus?*

CVM ea omnia, quæ amici deſiderabant de impiorum ſuppliciis, & interitu dicta vellẽt propter ipſum I O B, merito is conqueritur, cõtumeliis, & modis indignis ſecum agi, & ſingulis amicorum ſententiis ſuã vitam, atq; exiſtimationem violari. &, ut obſervat Nicetas, ipſaq; oſtẽdunt verba, non tantum ad Baldad, ſed ad omnes tres amicos orationẽ dirigit. 2 (Nicetas)

Vſquequo affligitis? Particula illa videtur exigere verbum futuri tẽporis, quemadmodum in Hebræo, & Græco eſt, quãvis Septuaginta non ſolum jungunt cum verbo præſentis tẽporis Pſal. 12. 1. 2. 3. *Vſquequo Domine obliviſceris me in finẽ, vſquequo avertis faciem tuã a me? Quãdiu ponam conſilia in anima mea, dolorẽ in corde meo per diẽ? Vſquequo exaltabitur inimicus meus, &c.* Vnde cũ quater repetatur illa particula, *uſquequo,* id eſt, quandiu, uſque ad quod tẽpus, bis jungitur cum futuro, bis cum præſenti, licet in Hebræo ſemper ſit futurum. Ergo ubi cum præſenti fuerit, ſignificare poterit, ejus rei, quã verbum ſignificat, præſentiam quandã, & perpetuitatẽ indefeſſam, ut hoc loco, *uſquequo affligitis?* nũquã non affligitis; Nunc etiã affligendi ſtudium nõ modo non intermittitis, verum de novo inſtauratis, & redintegratis. Præterea particula *Ghad* eſt idem, quod *Adhuc.* Sic hoc loco, *Adhuc affligitis.* (Vſquequo, particula futuri tẽporis.)

Affligitis animã meam. Septuaginta; *Moleſtiã facitis animæ meæ.* Proprie ex Hebræo contriſtabitis, dolore, mœſtitia afficietis. affert enim *Iaga,* internã mœſtitiã animi, atq; dolorem, illum præſertim, qui ex cõtemptu quodã, humiliatione, aut abjectione naſcitur, atq; ex ſeveriore alterius increpatione, verbo, aut opere. Quare Interpres aliis locis vertit, *Contriſtare,* Humiliare, Abjicere. Thren. 3. 32. *Si abjecit* (afflixit Septuaginta, *humiliavit*) *miſerebitur ſecundum multitudinẽ miſericordiarum ſuarum.* Sicut enim verbum *miſerendi,* omnẽ benevolentiã & profuſum favorem, gratiã, charitatem affert; ita verbum *abjiciẽdi,* ſeu *affligendi* omnia his contraria. Ergo *afflictio* hæc, quam I O B perferebat, plena erat contemptu, & contumelia, atq; omnis cõmiſerationis expers; plena etiam dolore, & cruciatu animi. Præterea dixit, *animam meam,* animum, vitam, me ipſum; quaſi non ſatis videatur vobis hic meus cruciatus corporis, animum præterea meum incredibiliter exagitatis. Origenes in Catena, ad quandam animi laſsitudinem, & defatigationem refert. *Vt flacceſcens* (inquit) *animo dicat, quouſq; feſſam facietis animã meã, &, veluti gravi põdere me verbis onerabitis?*

(עך — 3 — יגה — Verbum affligẽdi vehemẽs — *LXX* — Incrementũ orationis. — *Origenes.*)

4 *Et atteritis me.* Verbum vehemens: quãvis enim ſæpe vertatur a Latino, *humiliare consumere*, ſed quidem proprie eſt humiliare, & opprimere contundendo, confringẽdo, conſumendo, comminuendo, quemad modum id, quod pedibus comminuitur, & teritur, & ad minutiſsimas particulas redigitur. ut Thren. 3. 34. ab hac radice; *Vt contereret ſub pedibus ejus omnes vinctos terræ*. Si ad Latinam proprietatem atterendi, & comminuendi reſpicias, dicere poſsis; * Attenuatis, & conſumitis animi vires; tolerantiæ robur exile redditis, & extenuatum. Septuaginta: *Deſtruitis me.* Scholiaſtes; *Iuſtas meas defenſiones contrariis ſermonibus labefactare nitimini, & hoſtiũ more, pro jaculis, verba mittitis, quib⁹ animi robur infringatis.* Sic igitur dicit ſe attenuatum, & contuſum ſermonibus amicorum, & quod vibebatur integrum a morbis, animũ videlicet, atque cor, nunc confici, & comminui, quaſi attritum duriſsimis ſermonibus.

דכא

Atterere verbum acre.

* Adelgazaiſme, y gaſtaiſme la paciencia.

LXX.

Nicetas.

5 *Sermonibus.* Ingemiſcit ad verba, qui ad tot malorum verbera tacitus, & elinguis perſtitit. *Nihil* (inquit Origenes) *Sic hominis attingit animum, ut ſermo durus.* Dura vero omnia vim illam habent atterendi, & attenuandi: quare ad contumeliam, & ſermonem durum, tanquam ad Lydium lapidem attrita patientia probatur, & examinatur: nam *Sæpenumero* (inquit Origenes) *qui corporis cruciamenta toleravit, non paſſus eſt verba.* Accinit Ambroſius; *Nihil ſic penetrat animam, ſicut ſermo fucatus: nihil iterum ſic mordet, ut durior ſermo.* Chryſoſtomus quoque homil. 15. in Matth. ait: *Neſcio quomodo omnibus pene rebus amarius ſolent mordere maledicta, cum certe multi etiam ad laqueum convolarint, famæ opprobria non ferentes.* Et illud quidem obſervat in aliis Beatitudinibus, infinite dictum a Chriſto Domino; *Beati pauperes; Beati miſericordes*, &c. Sed ad ipſos Apoſtolos ſermonem dirigens ait; *Beati eſtis, cum exprobraverint vobis, & dixerint omne malum verbum adverſum vos.* videlicet *oſtendens, ipſorum hoc eſſe præcipuum, ſuper alios omnes; iſtud Doctorum eſſe proprium; & quod niſi quis illis, quas ſuperius poſuit, armatus fuerit virtutibus, ad hæc nequaquam prodire poſſit certamina.* Certe Paulus ſcribens ad Hebręos. 10. 32. *Magnum certamen* eſſe teſtatur, cũ quis *opprobriis ſpectaculum ſit*; id eſt, publice, & cunctis ſpectantibus opprobriis appetitur. *Magnum*, autem *certamen*, vocat. quod *multum* dicere ex proprietate vocis Græcæ poſsis, aut multiplex; quod ingens eſt exaggeratio cõtumelię; quaſi cũ multis hoſtib⁹ confligat, qui cum una contumelia depugnat: *contumeliã enim perferre* (ut Origenes dixit) *magni eſt viri.* Sara illa filia Raguelis, quæ virago licet, ſed vir tandẽ non erat, cum ſeptem illius ſponſos interfeciſſet Cacodęmõ Aſmodeus, at nihil peculiare in luctu, & mœrore feciſſe dicitur; *Cum vero audivit improperiũ ab una ex ancillis, trib⁹ diebus, & tribus noctib⁹ non mãducavit, neq; bibit: ſed in oratione perſiſtens cũ lacrymis deprecabatur Deum, ut ab iſto improperio liberaret eã.* In hanc rẽ a Sapiente dictum eſt; *Ferrũ ferro exacuitur, & homo exacuit faciẽ amici ſui.* Durus enim amici ſermo, atterẽdo animum amici, & obtũdẽdo aures, animi etiã ſenſum, atq; dolorẽ acutiorẽ reddit; tum etiã audientis indignationem, & iram concitat, & exacuit, ſicut Scriptum eſt; *Sermo durus* (proprie, ſermo doloris, aut triſtitiæ. Septuaginta; *triſtis.* Theodotio, *moleſtus*) *ſuſcitat furorẽ.* vel, ut eſt in Hebręo, *Faciet aſcendere furorem.* eleganter Tygurina, *Bilẽ movet.* Nimirum flãmæ inſtar ſuſcitatur audientis indignatio, ſi quis cõtumelioſis verbis, veluti follibus, inſufflet. Sed reſpõdere poſſent amici Iob; Vbi, o amice, contumelia, ubi durus ſermo? tantum te graviſsimis, atq; modeſtiſſimis de Divina Providentia, & impiorum ſupplicio ſententiis, & parabolis emollire conamur. Sane; ſed parabolis veſtris me (inquit Iob) pungitis, atq; dilaceratis: nã *Quomodo ſi ſpina naſcatur in manu temulenti, ſic parabola in manu ſtultorũ.* Sicut enim ſpinoſa temulenti manus, quem apprehẽdit (quãvis id amicitiæ, & benevolentiæ cauſa faciat) pungat, & lædat, neceſſe eſt; ſic ſtultus cum parabolas importune uſurpat, & acommodat iis, in quos non quadrant, illos lædit, & quidquid naſcatur, & germinet in illorũ manu, aut ex illorum ore, nocivum eſt. Ille autem, & ſtultus, & temulentus non immerito appellari poteſt, qui immoderato aliquo affectu circumagitur; qualẽ amici adverſum Iob conceperant.

Acerbitas verborum, & cõtumeliarum. Origen.

Ambroſ. lib. 2 de Interpellat. Iob.

Chryſoſt.

Doctorũ proprium patientia contumeliarum.

Vna contumelia inſtar multorũ hoſtiũ.

πολλὰ

Origenes.

Tob. 3. 10. 11.

Proverb. 16. 9.

Proverb. 15. 1.

Pagn. Regia. Tygur.

Stultus, inſtar temulẽti, amicis etiam noxius.

III. *En decies confunditis me, & non erubeſcitis opprimentes me.*

1. *Denarii varia acceptiones.* Pro *numero indefinito ultra decem.*
2. *Multa de Denario numero ex ſacris, atq; prophanis. Explicatus Moyſes, & Salomon.*
3. *Confundere quid proprie. Iob figura Chriſti.*
4. *Erubeſcere quid.* Pro *Morari, & ceſſare. Explicatus locus Iudicum, & David.*
5. *Opprimere quid proprie. Fides, & laus Vulgatæ. Inconſtantia aliorum Interpretum.*
6. *Correctio ne indecora, aut contumelioſa eſto. Illuſtratus Eccleſiaſticus.*

EN

I Denarii varię ſignificationes. Cajetan.

EN decies. Numerum denarium accipi vult Cajetanus, ut verba ipſa ſonant: quare obſervat quinquies tantum loquutos eſſe adhuc amicos Iob, quinquies item reſpondiſſe Iob. Propterea tum audiendo, tum etiam reſpondendo, *decem* omnino vicibus ſe pudore affectum recenſet. Haurire potuit hanc interpretandi rationem a Divo Thoma, qui illam non obſcure indicavit. Explicavit poſtea, & aliquanto auxit Hugo; ſequutus eſt Dionyſius. & ipſas Iobi reſponſiones, vel quod laborioſæ ſibi exiſterent, vel quod cum tædio, & indignatione ab amicis ſuſciperentur, ajunt redundaſſe in confuſionem ipſius Iob. Acutum hoc, & laborioſum potius, quam ſolidum, & ſimplex. Nam nemo ſane in numero debet ponere hanc ipſam reſponſionem, quam nunc exorditur Iob, imo neque reſponſionem ullam. Quis enim acceptarum contumeliarum reſponſiones, & depulſiones a ſe ipſo factas appellat ſuas *confuſiones*? Hoc cum videret Philippus, computavit amicorum tantum accuſationes, & has quidem ſolum quinque; quare non poſſe illo denario numero ſimpliciter accepto intelligi. *Quid ſit* (inquit) *quod ait, decies, requirendum eſt: cum Eliphaz, & Baldad bis numero uſque ad iſtum locum illi reſponderint, Sophar vero ſemel tantum*. Ergo quid in hoc loco magis germanum, & ſimplex, aut magis clarum, & verum, quam denarium numerum ſumi pro indefinito, atque, quod perfectiſsimus numerus ſit, denotare multitudinem? Plura congererem, ſi pluribus indigeret res clariſsima. Invenies de perfectione denarii, & ut omnes in ſe numeros comprehendat, atque omnes numerorum differentias, plura apud Philonem libro de *Congreſſu quærendæ eruditionis gratia*, & de *Decalogo*. Non nihil Origenes Homil. 13. in Levit. & 3. in Ioſue. Certe denarius numerus, ut qui numerãdi finis ſit, videtur maximus; nam cum ad decem pervenitur, ulterius non itur, ſed iterum reſumitur vnitas, & denario adjungitur, &c. de quo in Faſt. Ovid.

D. Thom. Hugo. Dionyſ. Philipp.

2 Denarius pro numero indefinito. Philo. Origenes.

Semper ad uſque decem numero creſcente venitur;
Principium ſpatiis ſumitur inde novis.

Ovid.

Et quidem eadem menſura, quæ gignit Denarium, omnes numeros quantumcumque maximos gignit, ita ut & Centenarius, & Millenarius, denarii quidam ſint: nam ſicut Denarius menſuratur uno, duobus, &c. ita Cẽtenarius menſuratur Denariis, uno, duobus, &c. Quid quod ſicut Denarius hac multitudine, & veluti infinitate gravidus eſt, ita, & decima quæque omnia gravitate quadam, & magnitudine excellunt? Ea enim Latini *Decumana* vocarunt, quæ excellentiſsima, & ampliſsima in ſuo quæque genere eſſent. Certe Feſtus ſcribit; *Decumana ova, & Decumanos fluctus dici, qui ſunt magni, nam, & ovum decimum majus naſcitur, & fluctus decimus fieri maximus dicitur*. quod & teſtatur Beda lib. de Conſtitutione mundi, & Ovidius;

Denarius omnes numeros gignit.

Decumana omnia magna. Feſtus.

Qui venit hinc fluctus, fluctus ſupereminet omnes.
Poſterior nono eſt, undecimoque prior.

Ovid. 1. de Triſtib.

Lucanus quoque lib. 4.

Lucan. lib. 5.

Hæc fatum, decimus, dictum mirabile, fluctus.
Invalida cum pupe levat.

Mirum igitur non eſt, ſi *decies* pro magno numero uſurpetur. Sed ex Scripturis pauca accipe. Apocal. 2. 10. *Habebitis tribulationem diebus decem*. *Dies decem* (inquit Philippus) *pro toto tempore nominavit*. Idemque antea docuerat Origenes hom. 2. in Apocal. Poſtea Beda. Deut. 22. 3. *Ammonites, & Moabites, etiam poſt decimam generationem, non intrabunt in Eccleſiam Domini*. In Heb. *etiam in generatione decima*; Septuaginta: *uſque ad decimam generationem*. id eſt, etiam poſt multas generationes, imo nunquã intrabunt, &c.

Philippus.

Sed objicis, numerum denarium indefinite quidem debere hoc loco accipi, ſed non pro majori numero ultra decem, ſed pro minori, citra decem; nam diſputationes amicorum, quibus ſe læſum, & confuſum dicit Iob, quinque tantum fuerunt: non erit igitur hoc loco Denarius multitudinis nota. Reſpondeo non ſemel, ſed ſæpe in ſingulis diſputationibus pudore, & ignominia affectum fuiſſe I O B. Sed eſto quinquies tantum ignominiam, & contumeliam acceperit, obſervandum tamen eſt, notas multitudinis ſolere per Hyperbolen uſurpari, ita ut *Decies*, ſignificet etiam ultra decem plurima, quamvis res ipſa infra decem conſtiterit. Sic igitur I O B *Decies*; id eſt, ſæpe, ac diu, ac ſine numero oppugnatum ſe, per Hyperbolen conqueritur, quamvis ſuæ vitæ, ac morum impugnationes potiſsimæ quinque tantum fuerint. Quare illam regulam pro numeris tradit Philippus; *Sunt numeri, in quibus ſola auctoritas perfectionis tenenda eſt, non autem ratio perſcrutanda*. Quod autem *Decem* dicantur aliquando in Scriptura de numero minori, quam decem, uno, aut altero exemplo oſtendemus. Eccleſiaſtæ 7. 20. *Sapientia confortavit ſapientem ſu=*

An Denarius numerus accipiatur pro numero minori.

Hyperbole.

Regula Scripturæ in numeris.

Decẽ pro numero minori.

per decem Principes civitatis. videlicet, quod melius defendere, & tueri possit civitatem sapiens, quam Principes omnes, quibus demandata est cura civitatis. & tamen in civitatibs Principes (ad eum enim morem allusio fit) non denos, sed septenos fuisse, scribit Iosephus. Præterea Genes. 32. 7. 41. ait Iacob de Laban: *Mutavit mercedem meam decem vicibus.* quod tamen (ut statim explicat) bis tantum factum scribitur, *Si quando dixit; Variæ erunt mercedes tuæ; pariebant omnes oves varios fœtus. quando vero e contrario ait; Alba quæque accipies pro mercede, omnes greges alba pepererunt.* Scio Hieronymum in Tradit. existimare sine ulla figura sermonis *decem vicibus* mutatam fuisse a Laban mercedem Iacob, idque potuisse contingere sex tantum annorum spatio, nam sicut in Italia, ita & in Mesopotamia;

Ios. phus.

An Laban decem vicibus mutarit mercedem Iacob.

Hieronym.

In agro Cosentino ut ait Varro lib. 1. c. 7.

Bis gravidæ pecudes, bis pomis utilis arbos.

Virg. 2. Geor.

Sed tanta levitas dictorum, & conventorum Laban videtur incredibilis; tum etiam Iacob unam tantum admissuram ovium, id est, conceptus primi temporis sibi deligebat, non Serotinos, ut dicitur Genes. 30. 42. Ergo, *Decem*, pro duobus dixit Iacob. IOB vero *Decies*, pro quinquies: atque uterque sæpe significavit, numerum videlicet indefinitum pro definito, & certo.

Gen. 30. 42.

3 לכב

Confunditis, ignominia, pudore afficitis. est verbum, quod honori, & honestati opponitur, quare quod pudori, & confusioni IOBO fuit, arguit sane amicorũ impudentiam, rursus horum procacitas lacessendi ostẽdit Iobi in audiendo, & perferendo patientiam inauditam, nam non *avertit faciem*, non aurem *ab increpantibus*. Quanto melius ille, qui cum suos moneret, atque corriperet severius, *Non* (inquit) *ut confundam vos, hæc scribo, sed ut filios meos charissimos moneo.* Dices IOBVM ab illo didicisse, cujus ipse figuram gerebat aliquando dicturi: *Faciem meam non averti ab increpantibus.* Vox originalis hujus ipsius radicis *confusionem* notat, quam etiam agnoverunt Septuaginta, *a cõfusione*; alii, *ab opprobriis*; alii, *ab ignominiis*; *a cõtumeliis* alii. id est, confusiones, & contumelias sæpe in me jactatas immota fronte excepi: Nunquam præ pudore, aut confusione * *averti faciem*, imo neque demisi, aut corrugavi, sed hilarẽ, & exporrectam objeci contumeliis, & confusionibus. Quare sequitur patientiæ præmium: nam quamvis quis multas confusiones, & dedecora sustineat, sed tamẽ patientiæ præsidio, nullũ dedecus potest illi imprimi, cui ipsa dedecora, & confusiones pariunt honorem, & gloriã: *Dominus* (inquit) *meus, auxiliator meus, ideo non sum cõfusus: ideo posui faciem meam, ut petram durissimam, & scio, quoniam non confundar. juxta est, qui justificat me, quis contradicet mihi?* Quod percommode cõvenit in personam Iob, quem, contradicentibus licet amicis, justificavit Deus.

Amicorũ studio in dehonestando Iobo.

1. Corint. 4. 14.

Isaiæ. 30. 6.

LXX Compl. Pagninus. Regia. Vatabl.

* Hize rostro a mis afrẽtas.

Patientię præmium.

Et observandum quidẽ totam hanc *confusionis* rem apud Isaiam concludi illo verbo *contradicendi*, quod declarat amplius vim illam *confundendi*; est enim confundere contradicendo, molestando, resistẽdo. Quare ab eadem radice dictum est supra cap. 11. 3. *A nullo confutaberis.* & Iudicũ. 18. 7. *Nullo penitus resistẽte.* Sic Ruth. 2. 15. *Si vobiscum metere voluerit, ne prohibeatis eã.* ex Heb. Septuaginta: *Ne confundatis eam*, aut, ne pudefaciatis. Cõqueritur igitur Iob quod sæpe refutetur ab inimicis, & suã innocentiam tuenti per vim, & contumelias resistant, & a justis clamoribus, & acerbissimi doloris significationibus illum prohibeant. Vides, quot, & quãta in sacra una voce lateant.

ריב

LXX.

Pagn. Regia.

Et non erubescitis. Verbum aliquanto lenius quam superius, *confundere*. Cum vestris me opprobriis vehemẽter pudefaciatis, sed vos tamen neque leniter erubescitis ex tam iniqua contumeliarum jactatione. *Grave* (inquit Nicetas) *est obtrectare absentibus; vos autem omni abjecta verecundia, mihi coram convitium facitis.* Atque Origenes, *Vbi quis pudoris lineas transilierit, coram jactat maledictum.* Et quidem notandum est, quod sicut *cõfundere* denotat molestiam, resistentiam, & injuriam factam alteri; ita hoc verbum *erubescendi*, ex sua proprietate videtur afferre eum pudorem, quo quis consternatur animo, & deterretur ab aliquo opere faciendo, vel quasi rigescens moram facit, & consistit. Sic videas hoc verbum cõjungi cum tremore Ierem. 48. 1. *Confusa est fortis, & tremuit.* & sic Exodi 32. 1. *Videns populus, quod moram faceret Moyses*, proprie ex Hebræo, *quod erubesceret.* Alii; *quod confusionem faceret.* id est, quod veluti pudore aliquo retardaretur a veniendo. & Iudith 5. 28. * *Cur moratur regredi currus ejus?* proprie, Cur erubescit? An victus est, ut pudore detineatur regredi? & Psal. 31. 18. * *Erubescant impii, & deducantur in infernum.* id est, a me persequendo prohibeat illos pudor: pudore illos corripe, ut cessent jam, aut certe viam illis vivendi præclude. Sic igitur ait Iob, *Non erubescitis*,

4 בוש

Nicetas.

Origen.

* De que tiene empacho, ni verguença de bolver asu casa?

* Tengã empacho, de hazerlo q̃ hazẽ

non

non cessatis, nullus vos pudor cohibet: nã in me opprimẽdo inique cœpistis, iniquius nunc instatis.

5 Varia lectio.

Opprimentes me. Vox, quam hoc tantum loco in hac significatione usurpavit Interpres. Neque vero alibi videtur occurrere: quam Isai. 3. 9. ubi ad impudentiam perfrictæ frontis refertur, si tamen descendit ab hac radice, * *Agnitio vultus eorum respondit* (testimonium dat) *eis.* Septuaginta, *Confusio vultus eorum.* Sed Hebræi ex opposito, nam Complutenses, *Impudentia*, Rab. David Kimhi, *durities faciei.* Quare hoc etiam loco alii legunt, *Indurati mihi*, Cajetanus, *Audetis in me.* Ausus aufert temeritatem, & impudentiam. Alii vertunt: * *Non pudet quod apparetis mihi.* id est, aperte adversamini, & coram obloquimini; vel aperta, denudata, perfrictaque fronte coram me statis. Pagninus, *subsannatis*, Catenæ Græcæ Interpres Latinus, *Insultatis mihi*, Septuaginta Vaticani, *Infesti estis*, Vatab. *alios mihi vos exhibetis.* Sed videtur confundere *Hacar*, cum radice *Nacar*, quæ abalienationem affert. Rab. Mardokai quãvis illam faciei impudentiã agnoscat, sed significationem verbi *Hacar* ait esse, *admirationem*; quare vertit, & legit: *Non erubuistis, obstupefectis mihi*, id est, *obstupescatis, & admiremini de me.* Quisque pro suo libito vertit, quod singulari huic convenire loco intellexit.

* En la frente traen escrito, quien son.

Complutens.

Regia.

Forster.

* No teneis vergueça de parecer delãte de mi con vuestra cara descubierta.

Pagnin.

Comitolus.

LXX.

R. MordoKai.

הכר

נכר

Quanta, Deus bone, aberratio, & varietas cum avertunt oculos a luce Vulgatæ lectionis! Et vero Hieronymus attendẽs ad Loci exigentiam, eam significationem attribuit, quam res ipsa postulabat: nam *oppressionem* dixit, inanem illam verborum turbam, & profluentiam, atque contumeliosam, & impudentẽ injuriarum repetitionem, qua obruere conabantur patiẽtissimum Iob. ad quam rem Septuaginta Complutenses proculdubio respexerunt legentes: *Non reveremini me, incumbitis mihi.* ut quasi incumbens, & ruens verborum pondus opprimat, & conterat imbecillum.

Hieronym.

Compl.

6 Sed illud paucis exponendum, quod ait Iob in ipsa ratione positum esse, ut virum probum, & sobrium pudeat opprimere imbecillum, vel quoniam quæ contumeliis correptio, & increpatio fit, vera correptio non est, sicut testatur Ecclesiasticus, cap. 20. 1. *Est correptio mendax in ira contumeliosi.* Quod Septuaginta dixerunt, *Est correptio indecora*: nõ solum quod contumeliæ indecoræ sint audienti, & excipienti; sed indecoræ, & pudendæ sint dicenti, & corripienti. Secundo quoniam fictæ amicitię verissimum indiciũ est convitium, aut contumelia: nã neque *gladius*, neque *os triste* est contra amicitiæ legem. *Excepto convitio, & improperio, & superbia*, Eccles. 22. 1. Quem autem non pudeat violatæ amicitiæ? Tertio quoniam iniquũ est, & humanæ imbecillitati erubescendũ, exprobrare homini, quibus tu similiter obnoxius sis, & quæ Dei occulto judicio decernuntur, & immittuntur, alicui manifestæ causæ velle tribuere. Rationem hanc exprimere voluerunt Septuaginta, qui locum hunc, atque sequentem hac veluti paraphrasi illuminarunt: *Scitote tantum, quia Dominus fecit me sic, loquimini contra me.* Augustini lectio, & Interpres Catenæ, *fecit mihi.* sed res eadem clarius exprimitur ab ipso Iob infra Vers. 6. ubi luculentius tractabitur.

LXX.

Comitolus.

IIII. *Nempe, etsi ignoravi, mecum erit ignorantia mea.*

1. *Ignorare ad opus relatum. Illustratus David.*
2. *Aliquid cum aliquo esse, Hispanismus.*
3. *An Iob aliquando fateatur se errasse. Contritio, & Confessio nihil nocitura, qua figura.*
4. *Erigere se adversus aliquem ad verba referri & insolentiam.*
5. *Quid magnificatio oris. Lingua exerta, apertum os subsannatium.*
6. *Peccatum, Opprobrium.*

1 Quasi e re vestra sit, meam ignorantiã ante omnium oculos traducere, ita quisque mihi injurias, & contumelias imponit, & me erroris accusat, atque non de alio facinore, quam de meo aut scelere, aut errore canit triumphum. *Nempe, etsi ignoravi*, si quid erravi verbis, aut respõsionibus, & meæ innocentiæ defensione, nihil vos læsi. Est hæc ignorantia non solum in verbis, sed etiam in opere, & quæ delictum, & peccatum efficit. Sic cum Habacuc populi peccata deprecaretur per Messiam, cujus adventum ardentissime postulat, *Orationem fecit, Pro ignorantiis.* atque etiam Psal. 18. 13. ubi Septuaginta legunt, *Delicta quis intelligit?* Hieronymus ex Hebręo transtulit, *errores.* Alii, *ignorantias.* est videlicet ista ignorantia, aut error velut practica quædam descriptio pravi operis, ut illud Proverb. 5. 20. ab hac ipsa radice, *Quare seduceris fili mi ab aliena?* prop. ex Heb. Quare, *errabis, aut allucinaberis?* sic igitur ait Iob, esto error, & meæ innocentię existimatio me seducat, & in peccatum conjiciat, &c. Hoc cum vide-

Ignorãtia de ipso opere.

Habac. 3. in Titulo.

LXX.

Hieronym.

שגה

ret Grecæ catenæ auctor, *ignorantiam* hãc
Nicetas. non de verbis tantum, sed ipso quoque o-
pere accipiendam, ita eleganter explicuit,
Istam (inquit) *vobis concedo hypothesim, me*
prave vixisse, pravam vero vitam pravis etiã,
& falsis rationibus me nunc velle tueri, neque
me velle ab errore discedere, an nõ decebat vos
tot mala patienti homini, & verba qualiacum-
que facienti veniam tribuere? Si igitur erro,
quicumque fuerit iste meus error; aut an-
te actæ vitæ pravitas, non nocebit vobis.
2 *Mecum erit*, prop. mecum morabitur, dor-
לין miet, manebit, pernoctabit, habitabit. Hęc
omnia significat verbum *Lun*. ego referam,
Gregor. aut pœnam aut præmium mei erroris: *me-*
cum, contra me; quare quod dixit Greg.
ad proprietatem Latinam, *mecum erit*, id
est, *pro me faciet, & mihi erit utilis ignoran-*
tia, quam scientia inflans; Sensus est accom-
modatitis, & quæsitus magis, quam pro-
Dionys. prius, & simplex: sicut & ille, quem assi-
gnat Dionysius, *mecum erit*, id est, Mecũ
ego humiliter illam considero. Vel depre-
canter, mecum moretur, mecum perno-
ctet, non vagetur in ore, & conventicu-
lis aliorum, nõ proferatis in publicum, sed
Eccles. 19. 01. vestra charitas operiat multitudinẽ meo-
rum peccatorum: *Audistis forte verbũ ad-*
versus me, *commoriatur* in vobis, *fidentes,*
Isai. 42. 2. *quod non vos disrumpet*. sit vobiscum, sit me-
cum, non excitetis tragædias; *Non audia-*
Tygur. *tur clamor* vester *foris*. In alium sensum
detorsit sententiam lectio Tygurina acu-
tiorem sane, quam textui Originali con-
gruentiorem: *Etenim si omnino erro, constat*
mihi ratio, quæ in errorem abduxit. Quare
illud *mecum*; perinde erit, ac si dixisset, me-
cum est illius ratio; meum est meæ asser-
tionis rationem investigare, atque redde-
re. nostrates sic explicarent: Errare vobis
3 videor; sit sane, ego me intelligo.

An Iob fateatur, aliquãdo se errasse. Sed illud quæstionem habet; an his ver-
bis ingenue fateatur Iob, se aliquado er-
rore, aut ignorantia peccasse: nam sic col-
Philippus. ligi ex hac sententia asserunt Philippus, &
Beda. Beda, & ex recentioribus, Astunica. Fa-
Astuni. vet his lectio Septuaginta, qui hanc texũt
LXX. hujus loci paraphrasim: *Esto utique in veri-*
tate ego erravi, & apud me moratur error, lo-
Quintil. lib. 9. c. 2. *qui verba, quæ non oportebat, & verba mea*
errant, & non in tempore. Sed quis non vi-
Nicetas. deat hæc ex concessione esse dicta, ut ele-
ganter observavit Nicetas? est videlicet
Cõcessio *Concessio*, ut Fabius ait, *cum aliquid etiam ini-*
quum videmur causæ fiducia pati. & conjun-
git cum ea figura, quæ apud eundem ap-
Confessio nihil nocitura pellatur, *Confessio nihil nocitura*. Firmus
igitur semper fuit Iob in suæ vitæ defen-
sione, neq; admisit erratum, sed nunc qua-
si ex hypothesi argute argumẽtatur contra
suos amicos; Caput nostræ controversiæ
est, an ego sustineam tot mala propter su-
perioris vitæ scelera. Quid quæso ad rem
istam probandam facit, quod ego nunc
multa, & ardenter loquar, aut quod me
vos verbosum, & multiloquum per con-
tumeliam appelletis? Esto ita sit, & impor-
tune loquutus multa fuerim, an ex eo re-
cte concludetis me innocenter non vixis-
se? De vitio igitur, aut errore sui sermonis
nihil nunc affirmat; an vero postea culpam
aliquam fateatur, & agnoscat, disputabi-
mus accurate inferius. c. 42. Vers. 3.

V. *At vos contra me erigimini, & arguitis me opprobriis meis.*

QVorsum igitur honori vestro glo- 4
riosum ducitis indignis me cõtume-
liis vexare: & inde vos erigitis, & extolli-
tis, unde mihi omnem probitatis laudem גדל
eripere conamini? *Erigimini*, prop. ingrã-
descitis, exaltamini. Septuaginta, *super*
me magnificamini; Magnificatis super me LXX
supplãtationem, erigitis calcaneum, ut me
in stercore jacentem proculcetis. Cum ve-
hementia intelligit Nicetas; *In hominem in* Nicetas.
tantis ærumnis versantem impetum facitis, ac
propemodum pedibus obterentes, insultatis.
Non vos sane in pulvere sedetis mecum,
qui animo, & verbis *contra me erigimini.*
Forte etiam *erectio* hæc, & magnificatio
ad superbiæ tumorem pertinet. Extollimi-
ni, ac plenis, & inflatis buccis adversus mi-
serum, & imbecillum debachamini. Sed
verbum *erigendi*, & *magnificandi*, ad ver-
borum potissimum, & contumeliarum in- 5
solentiam referri hoc loco, colligi ex illo Insolens jactatio contu-
potest Abdiæ. 12. *Non magnificabis os tuum* meliarũ ma-
in die angustiæ. cum Idumæa loquitur, hor gnificato ore.
taturque, ne multa cum insolentia, & irri-
sione loquatur, cum viderit Ierusalem ca-
ptam ab Assyriis, & Babyloniis. Nam mi-
rum est, ut alienæ miseriæ, & ærumnæ lo-
quendi, & subsannandi, atque *os dilatandi*
uberem materiam videntibus, & fæliciter
agentibus offerant! subsannatio autem a- Subsannatio
liquãdo fit magnificato ore, id est dilatato, aperto ore, &
atque hiante, diductis labiis, nec non etiã exerta lingua
exerta lingua. sic sane Gallus ille, qui ad
singulare certamen Romanum aliquẽ pro- Gellius.
vocabat, cui torquem detraxit T. Man-
lius, Describitur a Claudio Quadrigario,
in sua historia, referente Agellio lib. 10.
cap. 13. *Gallus* (inquit) *irridere cœpit, at-*
que linguam exertare. Ergo quod se amici,

instar

instar inimicorum, erigerent, & magnificarent os, nec non etiam linguam subsannando exererent; merito cōqueritur Iob. Rem similem deplorabat Ieremias verbis prope eisdem Thren. 1. 9. *Vide Domine afflictionem meam, quoniam erectus est inimicus.* quod vero magnificatio hæc referatur ad exaggerationem erroris, ita quod levissima Iobi errata amici *exaggerent*, & amplificēt, ut Vatablus vult, acutum potius est, quam proprium, & germanum ad intelligentiam Hebraismi.

Vatab.

6

Et arguitis. Increpatis, & corripitis, *opprobriis*, probrose, & contumeliose, non *in spiritu lenitatis. Opprobrium* autem suum appellat Iob, quod amici suis argumentationibus concludere cōnabātur, peccatorem esse, & propterea affligi a Deo. Non valde adstricta litteræ, sed paulo laxior, non tamen inelegans paraphrasis Tygurina totius huj⁹ sententiæ: *Magnum quiddam in me oppugnando efficere conamini, & per calamitatē meam vestrā intentionē fulcire.*

Tygur.

VI. *Saltem nunc intelligite, quia Deus nō æquo judicio afflixerit me, & flagellis suis me cinxerit.*

1. Miserorum pœna non est ab aliis prosequēda cum gaudio, & opprobrio, sed cum miseratione. Explicatur David, Salomon, Ieremias.

2. Deus plerumque inæquales hominum sortes commutans, si quis gaudeat de calamitate proximi. Illustratur David, & Salomon. Divitum doctrina.

3. Verbum, Scitote, aut Intelligite, minas habet. Explicatus Moyses, & David.

4. Affligere quid in sacro sermone, quid Pervertere.

5. Iniquitas Divini judicii quo pacto exponēda. Explicatus Ieremias. Deus affligens, sed non propter peccata, non judicat.

6. Quid Flagellum, quid Cingere in sacro sermone. Deus Venator, & Obsessor. Res, & Daleth, in Hebræo similes.

I HAEc non est explicatio causæ sui status, sed potius comminatio intenta suis amicis, ut acute observarunt Origenes, & Nicetas. idque constare potest ex Hebræo, ubi præcedēs sententia sub conditione legitur cum particula, *Im*, id est, *Si*; & cum præsenti sentētia conjungitur: *Si magnificaveritis super me, & argueritis super me opprobrium meum, scitote nunc*, quod (Deus prop. Elohim) *me afflixit.* Ergo ut suos amicos a contradicendi, & vexandi contētione deterreat, proponit illis Deū judicem suarum pœnarum, & calamitatis auctorem, cui quos ipse ærumnis afficit, vult ab aliis suscipi, non cum gaudio, subsannatione, & risu, sed blande, benigne, & cum misericordia. Enim vero Iudex, & Prætor publico, & constituto a se supplicio sontes afficit, non ut cæteri cives insolescant, & deteriores fiant, atque maledicentiores, & inhumaniores, sed ut, qui sceleris alicujus conscii sunt, formidine pœnæ resipiscāt. Recte ergo Iob, qui suis amicis sanctior esset, præcipit ex sua ipsius calamitate formidare, & submisso animo esse, *non erigi*, neque extolli: quasi suo exēplo Iudex per præconem omnibus ita denunciet, *In civitate, in qua invocatum est nomen meum, ego incipio affligere, & vos quasi innocentes, & immunes eritis? nō eritis immunes.* Huc pertinet illud Isaiæ 32. 13. Postquam dixit: *Obstupescite opulentæ, conturbamini confidentes*, subjungit quomodo ex aliena calamitate formidandum illis esset Divinum supplicium: *Super humum populi mei spinæ, & vepres ascendent, quanto magis super omnes domos gaudii civitatis exultantis.* Tum præterea quoniam non ideo nocentes plectendi proponuntur omnium oculis, ut quisque pœnam, & supplicium addat misero, & subsannationem, atque opprobria accumulet, sed potius, ut cæteri, qui communis naturæ sunt, dolentes vicē hominis miserrimi commisereantur; & ut miserorum dolor, atque calamitas, nostrā misericordiam alliciat. *Nefas* (inquit hoc loco Origenes) *in eos invehi, in quos Divina animadversio incubuit; imo vero decet potius eorundem sortem lugere, & formidare. Haud alia, atque mea est, vos natura cōstatis, metuite, nē cum in meis convitiis peccetis, pares plagas accipiatis.* Hujus nefarii nominis, atq; criminis accusat David suos hostes apud Deum Iudicem Psal. 67. 23. *Quoniā, quem tu percussisti, persequuti sunt, & super dolorē vulnerum meorū addiderunt.* Vides hic crudeliter invehentes in eos, in quos Divina punitio incubuit. Videtur autem David hostium suorum quasi excusationē referre; Ajunt isti, dum me persequuntur, zelo id facere Divini honoris: nam æquum cēsent persequi, quē Deus affligit, & ei, quē Deus vulnerat, *addere* (subaudiēdum cum Euthymio) *probra.* Sed ille nō est zel⁹, sed inhumanissima feritas; nam potius jubentur, *dare siceram mœrentibus* (Tygurina *damnatis*, quamvis propter flagitia dānentur ad mortem, digni enim sunt nostra cōmiseratione, & humanitate. Hebraice *pereunti*, cuilibet miserrimo, & pauperrimo homini) *& vinum* (pretiosum videlicet, quo animosiores, & lætiores reddātur ad perferendum laborem) *his, qui amaro sunt animo: bibant, & obliviscantur egestatis suæ,*

Origenes. Nicetas.

אם

Publicū scentiū suppliciū prosequi debemus cū misericordia.

Ierem. 25. 29.

Origenes.

Euthym.

Prov. 31. 6.

& doloris sui non recordentur amplius. ubi proprie legitur ex Hebræo, *nõ recordentur adhuc*, id est, vel tunc obliviscantur, & intermittatur aliquãtulum brevi illa consolatione dolor. Quare similem inhumanitatẽ exprobrat Deus Babyloniis Isai. 47. 6. quod cum Deus populum suum iratus illis tradidisset captivum, at illi captiuitatem aggravassent; *Iratus sum super populũ meum: contaminavi hæreditatem meam: & dedi eos in manu tuâ: non posuisti eis misericordias: super senes aggravasti jugum tuum valde.* quo loco vide Cyrillum. *Si aliqui* (inquit) *Deo castigante pœnas sumant, spectemus clementiam, certo scientes, castigatorem valde incandescere, si quidem pœnæ nobis immoderate ab illis inferantur.*

Cyrill. in Isai.

Ingens igitur nefas subsannare, & deridere afflictum, & quod Divina æquitas vehementer puniat, transferendo videlicet calamitatem afflicti hominis in subsannatorem lætãtem de malo sui proximi: ut ipse quoque David imprecatur Idumæis lætantibus de Iudæorũ, & Ierosolimæ eversione, & clade, quamvis eam Israelitę fuissent commeriti propter ingentia sua scelera; *Memor esto Domine filiorum Edom in die Ierusalem.* Quid autem *in die* devastationis *Ierusalem* factæ a Babyloniis, peccaverint Idumæi, & quid commeruerint, videtur explicari in Abdia. 11. *In die, cum stares adversus eum, quando capiebant alieni exercitum ejus, & extranei ingrediebãtur portas ejus, & super Ierusalem mittebant sortem, tu quoque eras quasi unus ex eis.* Statim vero explicate tradit gaudium, & lætitiã Idumæorum, *Et non despicies* (non decet te despicere, & cum contemptu, & irrisione aspicere miseros Iudæos vicinos tuos; vel *non despicias*) *in die fratris tui, in die peregrinationis* (exilii) *ejus. Et non lætaberis* (non læteris) *super filios Iuda, in die perditionis eorum, & non magnificabis os tuum in die angustiæ.* Propterea Salomon sic hortatur Proverb. 24. 28. *Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, & in ruina ejus ne exultet cor tuũ.* (Septuaginta, ne extollaris) *ne forte videat Dominus, & displiceat ei, & auferat ab illo iram suam.* Septuaginta, *Avertat.* * prop. *Convertat ab illo*, vel, *redire faciat*, videlicet in te iram suam: nam quamvis illam pœnam propter suum peccatum mereatur proximus afflictus, sed illam eandem tu jã satis superque commeritus es propter iniquam tuam lætitiam, & subsannationem in calamitate alterius. Propterea David maledicta Semei æquo animo accepit hac Divinæ æquitatis consideratione animæquior factus, *Si forte* (inquit) *respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat* (proprie, sicut in loco præcedenti, *Convertat.* Septuaginta, *redire faciet mihi*) *bonum pro maledictione.* commutando videlicet *cum forte fælici, & bona* hanc maledictionẽ, & ipsum meum exilium, & maledictionem transferendo in maledicum Semei. Simili profecto pœnæ commutatione, atque suplicii metu divitem admonet sui officii idẽ Sapiens Proverb. 22. 2. ne pauperi aut eleemosinam, aut honorem deneget; *Dives, & pauper obviaverunt sibi, utriusque operator est Dominus.* nam cavendum, atque timẽdum est diviti, ne si pauperis preces, & paupertatem despiciat, illam Deus convertat, & redire faciat in suum caput. qua consideratione supremæ Numinis Providentiæ, consolatur Deus pauperem, & simul continet in officio divitem. Quare cum eadem sententia repetatur Proverb. 29. 13. additur verbum *illuminandi*, quod ad mentis considerationem, & lætitiam quandam animi pertinet; *Pauper, & Dives obviaverunt sibi, utriusque illuminator est Dominus.* Nimirum utrique Deus prefert lumen, ut videat, & agnoscat quid de proximo suo sentire debeat, pauper de creditore, & divite, dives de paupere. Aquila, Symmach. Theodotio: *Illuminans oculos utriusque Dominus.* Et præterea utrumque observat Deus, quomodo se erga proximum gerat, &, si utriusque merita exigant, videlicet patientia, & submisio unius, alterius vero immisericordia, & sordida avaritia, manus, fortesque commutet. Id enim eo loco significarũt Septuaginta apertius legentes, *Fœneratore, & debitore invicem concurrentibus, visitationem utriusque facit Dominus.* Ergo, qui a Deo oppressus est, & afflictus egestate, malisque omnibus, si se præterea videat ab homine subsannari, & rideri, jubeat illum timere supremum judicẽ, qui suorũ afflictorum opprobria, & contumelias acerbe vindicat. Sicut noster Iob, qui suos amicos in officio conatur cõtinere dicens; *Saltem nunc intelligite, quia Deus afflixerit me.* Sed jam ad ipsius sententiæ explanationem veniendum.

Psal. 136. 7.

Idumęorum supplicium lętantiũ de captivitate Iudæorum.

* Porq̃ no rebuelva cõtra ti el enojo.

2. Reg. 16. 12

LXX

Cavendum diviti, ne inhonoret pauperem.

Aquila, Symmach. Theodotio.

LXX

3 *Intelligite.* Minas, quas superius diximus afferri in hac sententia, indicat hoc verbum, quod cum cognitionem quandã practicam, & experimentalem ex sua proprietate afferat, cum per imperativum effertur, jubetur aliquis quasi per minas sibi persuadere, quod dicitur, nisi suo malo, & damno experiri re ipsa velit. Nostrates eodem verbo cum minis, neque sine irati animi significatione utuntur, * *ille me non agnoscit, intelligere illum efficiam.* exempla non

Intelligere, & cognoscere ad minas.

*No me deve de conocer su lano, pues yo le hare, q̃ me conozca, y se lo dare a entender.

non deerunt in ſacris. Exod. 7. 5.* *Scient AEgyptii, quia ego ſum Dominus, qui extenderim manum meam ſuper AEgyptum.* id eſt experientur ſuo malo, & ſibi tandem perſuadebunt. Poſt ingentes quoquæ minas ſuppliciorum dixit Moyſes populo Deut. 4. 35. *Scito ergo hodie, & cogitato in corde tuo, quod Dominus ipſe eſt Deus in cælo ſurſum, & in terra deorſum* Pſal. 9. 21. *Sciant gentes,* (experientur,& vexatione tandem admonebūtur) *quoniam homines ſunt.* Recte igitur cum hoc verbo *Scitote,* vel *intelligite,* cōgruit ſenſus, quem diximus, plenus minarum, atque terroris: confirmabiturque amplius in fine capitis, ubi iiſdem minis, & metu propoſitis ſimilibus verbis cōcludit Iob; *Vltor iniquitatum gladius eſt: & ſcitote eſſe judicium.*

* Entenderemonos, y ſabran, a q̄ ſaben mis manos.

ידע

4 *Deus non æquo judicio afflixerit me.* Vobis (inquit Iob) perſuaſum eſſe oportet, me a Deo judice percuſſum, *ſed non æquo judicio.* verbum *Ghavath,* quod hic vertitur *affligere,* ait auctor Catenæ in Hebræo eſſe idem, quod *percutere.* Sic Pagninus vertit, *Perdidit me;* Tygurina, *Potentia ſua me premat.* atque eo videtur reſpicere lectio Septuaginta; *Turbavit me.* quod Catenæ auctor explicat: *Res meas confudit.* Sed ex ſua proprietate afferre videtur curvitatem quandam, & perverſitatem deviantem a recto; quod Latinus Interpres vertit alio loco, *iniquitatem facere;* & aliquando etiā *nutare;* quoniam, quod nutat, declinat a rectitudine, & incurvatur, ut Eccleſ. 12. 3. *Nutabunt viri fortiſsimi.* Vbi Septuaginta agnoſcunt perverſitatem illam, nam legunt: *Perverſi fuerint viri fortitudinis.* Ergo in hoc noſtro loco prop. legas cum Vatablo,& Regia, *Deus pervertit me;* cum Iſidoro Clario, *ſubvertit.* Cajetanus ſignificanter,ſed barbare, *Fecit tortum mihi,* quod cum ad iniquitatem quandam pertinere videatur, ut diximus, ne Interpres diceret, *Deus inique egit,* eleganter,æque ac ſapienter dixit: *Non æquo judicio afflixit me.*

עות

Pagnin. Tygur.

LXX. Nicetas.

LXX.

Vatabl. Regia. Iſidorus. Cajetan.

5 Hæc autem iniquitas, & quaſi deviatio a recto, ſi conſideretur ex parte ipſius Divini Iudicii, ſic a nonnullis explicatur: *Deus agit contra me inſolito ſibi more.* Deviat nimirum ab ordinaria,& conſueta norma, & rectitudine ſui judicii, in quo innocentes non puniuntur: Alii conditionaliter; ſi ſolos *peccatores Deus affligeret, ut vos dicitis, perverſe mecum ageret Deus, cum ſim juſtus.* Aliter Divus Thomas, Titelm. Cajetan. *Si Deus pro peccatis duntaxat affligit, non eſt æquum illius judicium, quo me non graviter peccantem tam graviter afflixit.* Sed alii *iniquitatem* illam, non tam ex parte judicis, quam ex æquitate,& probitate ipſius Iob conſiderant, ut Gregor. quem alii Latini ſequuntur, Hugo, Dionyſius. *Beatus Iob* (inquit Greg.) *vitam ſuam attenderat, & videbat æquum non eſſe, ut ad talem vitam, talia flagella reciperet.* Illud etiam eleganter addit; *Quod dixit Deus, quia fruſtra afflixerit, hoc rurſus Beatus Iob aſſerit, quia non æquo judicio a Domino ſit afflictus.* Recte,& ſapienter. Sed eandem licet rem, alia dicendi ratione emolliamus; Proprie,& formaliter, (ut ſcholarum formula utar,) loquitur Iob,& ideo *Dei* nomen, id eſt, judicis,hoc loco uſurpat: Non eſt enim æquū (inquit) nunc judicium judicis; imo neq; eſt judicium,neque Deus in hac nunc cauſa judicem agit. Ergo cum judici nunc videtur affingere iniquitatem,nihil Divinam Iuſtitiam lædit, nam exiſtimat ſuas ærumnas non diſpenſari ex juſtitia,& ex judicis officio, ſed ex Providentia, & occultiori alia Divinæ Sapientiæ ratione, tanquam a ſupremo omnium Domino,& rerum Divinarum moderatore ſapientiſsimo; *Iudicium* enim eſt, in quo vel abſolvitur innocens, vel delicti reus punitur, & judex innocenti præmium, ſonti ſupplicium conſtituit. ubi vero neque meriti, neque delicti ratio attenditur, non eſt quod agat judex;non eſt judicium.quod ſi judicium eſt, delicti, aut boni, pœnæ, aut præmii pondus examinatur. Sic Threnorum. 3. 7. Ieremias conatur populum hac ſalutari doctrina inſtituere; *Vt perverteret hominem in judicio Dominus ignoravit.* * Ne vero inſipiens aliquis inde colligeret, Deum, qui non condemnat injuſte, propterea non immittere calamitatem homini innocenti, ſubdit Propheta; *Quis eſt iſte, qui dixit, ut fieret Domino non jubente, ex ore altiſsimi non egredientur nec mala, nec bona?* q. d. poteſt ille nihilominus pro bona voluntate ſua hominē vel affligere, vel recreare, ex lege ſuæ Providētiæ,& arcanæ Sapiētiæ, poti⁹ quam ex Iuſtitia,quæ merita,vel demerita attendit. Sed quoniam,quod frequentiſsimum eſt, homo punitur propter peccata, concludit ſtatim, ne ſe putarent innocentes; *Quid murmuravit homo? vir pro peccatis ſuis.* Id eſt,non eſt quod homo murmuret, aut obganniat adverſus Deum, quod ſe immerito,& non æquo judicio affligat; nā quamvis excellēs *vir,* & ſumma apud omnes exiſtimatione ſit, cum affligitur, *pro peccatis ſuis affligitur.* Vides igitur amicos Iobi contendere, *Virum pro peccatis* ſuis affligi a Deo judice rependente pares ſceleribus pœnas. At Iob reſpondet; *ut perverteret hominem in judicio Dominum ignorare.*

Varia expoſitio.

Vatab.

D. Tho. Titelm. Cajet.

Gregor. Hugo. Dionyſ.

Deus non ſēp ex juſtitia gubernans.

* No ſabe Dios hazer agravio a nadie, ni dexar de guardarle ſu juſticia.

Quod si (ait) in mea causa judicē ageret, perverteret judicium, atque iniquus esset, si me ut judex cruciaret: at iniquus nō est, cum me propter alios multos, & præclaros fines affligit. Hic sane Gregorius ex rei hujus consideratione, non solum *iniquum*, sed neque non *æquum* nominare reformidat Dei judicium, (quamvis *non æquum* dixerit Iob,) cum non peragatur ex Iustitia, cujus proprium est exercere *judicium*, sed ex misericordia, cui judicii, & judicandi ratio nō attribuitur: *Si vita* (inquit) *& flagella pensantur, non æquum fuit, quod Beatus Iob per iram districtionis suæ sibi fieri credidit: si vero misericordia judicis attenditur, quia per pœnam justi viri ejus merita cumulātur, æquum, vel potius misericors judicium fuit.* Sed explicate, & argute Philip. *Respexit ad meritum suæ vitæ, & idcirco dicit, quod Deus, non per justitiam suam illum afflixerit.*

Gregor.

Philipp.

6

Et flagellis suis me cinxerit. Originalis vox *flagelli* a radice *Tsud*, quod est, venari, significare videtur instrumentum venatorium, quod Kaldæus, & Rab. David, & R. Abraham cum Hebraizantibus, Pagnino, Vatablo, Isidoro, *Rete* nominant: Cajetanus, *laqueum*. cum vero rete laqueis, & funiculis constet, sicut & flagellum, Interpres, *flagellum*, dixit, ut significaret sermonem esse de reti, sive laqueo ærumnarum, atque dolorum: nam hæc etiam *flagelli* nomine significari solent, ut diximus cap. 18. Vers. 8. & quamvis in *flagellum* recte etiā posit convenire verbum circumdandi, aut *cingendi*, circuit enim latera ejus, qui vapulat; sed certe verbum *cingendi*, aptius reti, & *laqueo* convenit, quibus ferarum aditus, aut exitus circumquaque clauduntur, & fera quæpiam in summas angustias adducitur. Sed sive *rete*, sive *flagella* dicas, significat se malis obsideri, & expugnari, sicut & Thren. 3. 5. ab eadem radice, translatione eadem dicitur; *Circumdedit me felle, & labore*, ut significaret se omni ex parte labore opprimi, & amaritudine affici, neque posse effugere: Ita & Iob se omni ex parte dolere, & verberari, neque obtinere posse ullum doloris allevamentum. & eodem pertinet lectio Septuaginta, qui hujusmodi hostilem obsidionem agnoscunt, non quidem in verbo *cingendi*, sed potius in nomine *flagelli*, forte propter characteris similitudinem, videlicet *Daleth*, & *Res*, nam videntur vocem deducere nō a *Tsud* quod est venari, sed a *Tsur*, quod est obsidere, angustiare, valiare, munitionem facere, quam deceptionem in dignoscendis *Res*, & *Daleth*, non semel illis impingit Hieronymus, sed sæpe. vide illum super

Chaldæus, & Hebraizātes.

Verbum Cingendi, aut Circūdādi quid designet.

LXX

צוד

צור

Septuaginta sæpe confundunt Res cum Daleth.

Hieronymus

id Sophoniæ 3. 9. *Reddam populis labium electum*. & super id Hoseæ 9. 13. *Tyrus erat fundata*. & iterum super id Hos. 13. 15. *Desiderabile argentum eorum*. Ergo legunt in hoc loco: *Vallum suum super me exaltavit.* Quod Catenæ auctor explicat; *Deum excitasse murum quendam inter se, atque Iob. q. d. Omnem mihi suam spem denegavit.* Sed existimo aliam sententiam subesse; videlicet qui obsident urbem aliquam, munitiones, & propugnacula excitant. unde posint commode expugnare urbem, quæ quo celsiora sunt, eo melius in civitatem dominari, & jaculari tormenta possunt. Ergo cum dicit Iob, *Deum exaltasse vallum*, & munitionem suam, se pro scopo omniū cruciatuum præfixum, atque omnibus malis inferiorem conqueritur.

Nicetas.

VII. *Ecce clamabo vim patiens, & nemo audit; vociferabor, & non est, qui judicet.*

1. *Ægyptiorum mos. Iob bene de Deo sentiens.*
2. *Particula demonstrativa. Clamare quid prop. Respōdere, & Audire ab eadē radice. Illustratus David*
3. *Quid vociferari. Iudicium qua comprehendat.*
4. *Silendum in contumeliis. Expectandum divinum Iudicium homini afflicto. Illustratus Ecclesiastic.*
5. *Cursorum, & pugilum clamor, & gemitus. Tum etiam congreduntium cum hoste. Clamor justorum qualis.*
6. *Septuaginta lectio. Tres tolerantiæ gradus. Contumelia difficilis ad tolerandum.*

ITerum Philippus censet hæc dici a Iob, nō ex mentis consilio, & judicio, sed ex vehemētia sensus, atque doloris. *Ægyptiorum* (inquit) *more loquitur, qui cum in manus medici venerint acti doloribus, verba quædam injuriosa, & aspera in ipsum medicū, nō ex judicio, sed ex amaritudine proloquūtur.* Recte ille, uno tantum dēpto, quod nihil hic injurium est in Deum, sibi tantum injuriam fieri conqueritur; nam cum dupliciter hæc *vociferatio* explicari posit, aut de disputatione cum suis amicis, aut de gemitibus, & ipsa pugna cum suis doloribus, & cruciatibus, uterque sensus dolentis quidem hominis, sed pii quoque, & bene de Divina Providentia sentientis est. In primo sensu (cui favet Origenes) dicit se disputando, atque respondendo calumniis, & falsis criminibus, *clamare*, nemínemque adesse patronum, & judicem disputationis. in secundo vero, qui germanior est, vi, & magnitudine doloris impelli ad gemitum, & clamorem, & non esse,

1 Philipp.

Aegyptiorū consuetudo.

Iobi sermones ex sensu doloris.

Origenes.

qui vel illum commiſeratus liberet, vel innocentiam ejus in tantis ſuppliciis ſed ſolatium aliquod agnoſcat, & teſtetur.

2 הן צעק

Ecce. Particula quidem demonſtrativa, ſed ab aliis vertitur per conditionalem; *Si clamem, reſpondet nemo*. Senſus ſemper idem, nam particula Originalis utroque modo verti ſolet. *Clamabo*, proprie eſt clamare præ dolore, aut alio vehementi animi ſenſu. quare recte congruit cum eo, quod ſequitur: *Vim patiens*, quod in Hebræo tantum eſt, *clamabo injuriam*, aut, *iniquitatem, mendacium, contemptum*. id eſt, vis, injuria, iniquitas, mendax calumnia mihi infertur, id eſt, indigna patior, & quę nunquam commerui. Neque mirũ eſt hominem tam indigna patientem, clamare: vim profecto afferunt meæ probitati tot cruciatus; & clamorem, atque gemitum etiam nolenti extorquent.

חמס

Audiendi, & reſpondendi idẽ verbum.

Et nemo audit. Alii; *nemo reſpondet*. aut non reſpondetur mihi: nam idem verbum ſignificat, *audire*, & *reſpondere*; hæc enim ſunt inter ſe nexa, ut qui audit, reſpõdeat; qui non reſpondet, credatur non audiſſe. & ſane loquendi, & audiendi inſtrumentum aliquod commune eſt, inde enim, qui mutus eſt continuo, & ſurdus fit. ita lingua Sancta commune hoc verbum habet ad audiendum, & reſpondendum. vide quę diximus cap. 16. Verſ. 1. *Exaudire* autẽ, & *reſpondere* clamanti, eſt adeſſe laboranti, & opem atque ſalutem afferre: eſt enim hujuſmodi reſponſum non tam verbis, quam re, & auxilio præſtito. Sic illud Pſal. 21. 22. *Salva me ex ore Leonis, & a cornibus unicorniũ humilitatem meam*. Hieronymus exiſtimans non eſſe nomen, ſed præteritum verbi *exaudiendi*, reddidit; *& a cornibus unicornium exaudiſti me*. Quem Hebraizantes etiam imitati ſunt. Alii dixerunt; *A cornibus unicornium reſpondiſti mihi*. Alii *eripe me*. ſenſus idem, & verbum ad omnes eas intelligentias proclive. Vide omnino quæ dicemus inferius c. 22. Verſ. 27.

ענה

Mutus, pariter etiam ſurdus.

Exaudire de auxilio pręſtito.

Hieronym.

Pagninus. Vatabl. Regia.

3 שוע

Vociferabor. Expolit eandem rem aliis verbis. eſt autem hæc *vociferatio* ex proprietate vocis, implorandæ ſalutis, & opis cauſa, cum gemitu, & ululatu; quare, & aliquando, *ululatus* vertitur. *Et non eſt, qui judicet*; qui abſolvat, & eripiat innocentem his malis. eſt enim pars judicii abſolutio innocentis, & repulſa calumniatorum. Neque vero hac ratione Deus Iobo judex eſt; nam non agit nunc ille judicem, ut ſupra explicuimus: neque ad privatam illam meritorum examinationem, & compenſationem in hac cauſa attendit, ſed ad ſupremam aliam ſuæ Providentiæ diſpenſationem. Vel; Nemo judex, qui pro me contra meos adverſarios pronuntiet. nam pertinet hoc etiam ad judicium, vnius cõdẽnatio, alterius abſolutio.

Iudiciũ, quæ comprehẽdat

Sed Origenes, atque Ambroſius ad noviſsimum Dei judicium referunt, licet diverſa ratione. Origines; *Etiam nunc pugno, ac niſi mihi fuerit certamen confectum, de mea corona haud quaquam judicium fiet*. Quare illud, *Nõ eſt, qui judicet*, perinde accipit, ac ſi diceret, non eſt judicii tempus, ideo licet clamem, non judicor, neque abſolvor. oportet igitur me expectare patienter, & ſilentio, & omnem vociferationem comprimere. vel, nunc quidem clamare, & pugnare poſſum, ſed accipere coronam non poſſum; reddet enim illam mihi in illa die juſtus judex. Ambroſius vero lib. 2. de Interpel. IOB, aliter, quaſi ſub conditione; *Quid* (inquit) *opus eſt clamare ante judicium? Bonum eſt tacere, dum expectatur, qui judicat*. De hoc vero in mediis doloribus, & contumeliis ſilentio accipit id Proverb. 27. 13. *Tolle veſtimentum ejus, qui ſpopondit pro extraneo*, quod legit ſecundum Septuaginta; *Aufer veſtimentum tuum; præterit enim injurioſus, qui quidem aliena vaſtat. Taceamus* (inquit) *ut prætereat, ne veſtimentum noſtrum provocatus exurat. Scriptum eſt enim. Noli incendere carbones peccatoris, ne forte exuraris in igne flammæ ejus*. Addit quoque illud ſapienter, Tacendum noſtris in contumeliis; nam ſi verum nobis objicitur, *tacere debet, qui recognoſcit, ne vulnus exaſperet, & ſcindatur cicatrix*; ſi falſum, *tacere debet etiam, audit enim non ſuum, ſed alienum crimen*. Hæc, & alia præclare ibi Ambroſius.

4

Origen.

Ambroſ.

Silentio excipiendæ cõtumeliæ.

LXX.

Eccleſ. 8. 13.

Sed eleganter Origenes clamorem hũc ad Athletarum morem videtur retuliſſe his verbis; *Veluti quidam Athleta in ſtadio conſiſtens, vociferor, nec tamen meum aliquando inſtituitur judicium*. Ac ſi dicat, Strenue ſe tum in diſputationis, tum etiam in patientiæ paleſtra athletam præbere, ac ſuperare invicto animo ſuos adverſarios, ſuaque mala, neque tamen coronam accipere ſuę victoriæ. erat nimirum proprium ſtrenuorum Athletarũ, Curſorum, Pugilum clamor, & gemitus, quo ſe in lucta, & certamine confirmarent, auctore Cicerone 2. Tuſcul. *In ſtadio* (inquit) *curſores exclamant, quam maxime poſſunt, faciunt idem cum exercentur athletæ; pugiles vero etiam, cum feriunt adverſarium, in jactandis ceſtibus ingemiſcunt*. Fuit quoque ſolemnis illa univerſi exercitus vociferatio, cum in bello committebantur ſigna, quibus erigebãtur, & incitabantur in bello milites adver-

5

Origenes.

Clamor athletarum, & pugilum.

Cicero.

sus hostes, de quibus scribit Cæsar lib. 3. *Neque*, inquit, *frustra antiquitus institutum est, ut signa undique concinerent, clamoremque universi tollerent, quibus rebus, & hostes terreri, & suos incitari existimaverunt.* vide quæ nos aliquando diximus, cap. 8. Vers. 21. *Clamat* igitur, & *vociferatur* strenuus miles, & fortiter concurrit cum hoste, sed *nemo est, qui audiat*, qui acclamet, qui clamore quoque respondeat, pugnantemque confirmet. Et potest quidem hæc secūda pars admirationem continere; Cum meus, inquit, clamor tam justus sit, mirū est a Deo nō audiri. quæ de rebus cælestibus, &c, quæ ad animum spectant, voces eduntur, nimium vehementes, & contentæ sunt, cælumque penetrant. at *si quis* (inquit Basil.) *parva, & terrena a Deo petierit, parva is, & humili voce comperietur usus, non ad sublime, neque ad Dei aures perveniente.* ait ergo Iob, Cum cælum ego appellē, cum Deum implorem, cum non terrena, sed animi bona petam, & mihi per vim eripi vociferer, nō *tamen audior*.

Basil. in Psal. 29 9. & Ps. 33 18 & Isa. 5 7.

5 Sed prætermittenda non est diversitas quædam Septuaginta in prima parte hujus sententiæ, nam legunt: *Ecce rideo opprobrio, non loquar.* quæ sententia, ut cum nostra consentiat, hanc interpretationē habere potest; Non magis in meis opprobrijs, atque clamoribus audior, quam si riderem; non minus mihi respondetur clamanti, atque ingemiscenti, quam si non loquerer. Tres alias interpretationes attulit Olympiodorus; sed quam Ambrosius adhibet lib. 2. de interpellatione IOB, non est prætermittenda; ait enim, IOB ridere præ gaudio, & exultare in contumeliis. In convitiorum vero tolerantia distinguit tres gradus, *Tacere, Ridere, Benedicere*. In primo constituit David Regem, qui cum summa petulantia malediceretur a Semei, tacitus, & elinguis orans licet, & gemens, excipiebat convitia. Ad secundum, & eum quidem superiorem, ascendit IOB, qui *ridebat* Evangelicæ perfectionis æmulator, & illius beatitudinis particeps, de qua Scriptum est: *Beati estis, cum maledixerint vobis homines; Gaudete, & exultate.* In tertio tandem constitit Paulus, qui *benedicebat*, sicut ipse ait, *Maledicimur, & benedicim⁹*. Est in singulis difficultas ingens, & ardua ad superandum. Quid enim magis proclive, quam petulanter gannienti, & convitianti inimico respondere? sunt enim convitia veluti calcaria adhibita, effræni per se, & præcipiti equo, linguæ videlicet auditoris: quæ est ut Iacobus ait, *inquietum malum; quam nullus hominum domare potest*. Continendus igitur indomitus equus intra carceres, exemplo Davidis precantis; *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis.* Quid deinde tristius contumelia, & improperio? Cum Scriptum sit; *Pungens oculum deducet lachrymas, & qui pungit cor, profert sensum.* nam cum sedes tristitiæ cor sit, cor punctum contumelia, lachrymis ubertim manat, quæ incredibilis mœroris testes sunt. Quantum igitur, & quam præclarum facinus, non modo non lachymari corde, aut oculis in contumeliis, sed *gaudere, exultare*, & *ridere*! *Non ex miraculis* (inquit Chrysostomus) *declararunt Apostoli Dei virtutem, sed ex gaudio in contumeliis.* Tandem quid magis Christiano homine dignum, quam maledicta *benedictionibus* compensare? Hanc profecto esse vocationem Christianam tanquam perfectissimam designavit Petrus. 1. c 3. 9. *Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed e contrario benedicentes; quia in hoc vocati estis.*

Olympiod.

Ambros.

2. Reg. 16.

Matth 5. 12.

1. Corint. 4 12.

Triplex difficultatis gradus in sustinē dis contumeliis.

Iacobi 3. 5

Psal 140. 3.

Eccles. 22. 24

Matth. 5. Actuum. 5. 41. Chrys. hom. 14. in Act. Apost.

❧ VIII. *Semitam meam circumsepsit, & transire non possum, & in calle meo tenebras posuit.*

1. *Oratio vehemens sine supposito. Carceris descriptio, tum in IOB, tum apud Ieremiam.*
2. *Quid callis, & semita.*
3. *Tenebra pro carcere apud sacros, & prophanos. Quid lacus inferior, apud David. Illustratus Salomon.*

1 Semel facta suarum ærumnarum mentione rapitur IOB, quasi doloris quodam impetu ad illarum repetitionem, & prolixam enumerationem. Et nunc rursus, sicut in cap. 16. Vers. 10. oratione utitur sine supposito, neminem certo designans, a quo tantum mali accipiat. Exitum (inquit) nullum reperio e tantis malis, namque omnem mihi evadendi aditum, & spē præclusit ille, quisquis est, meæ vitæ atq; salutis expugnator, tum opposito muro, tum offusa cæca nocte, & caligne, ut movere pedem nulla ratione possim. Recte igitur Septuaginta orationē passive reddunt, *In circuitu, circumædificatus sum, & non transibo*. Alii Deum supplent pro supposito, sicut in illa Ieremiæ lamentatione, atque deterrimi, & arctissimi carceris descriptione; *Ædificavit in gyro meo, & circumdedit me felle, & labore, in tenebrosis collocavit me, quasi mortuos sempiternos: circumædificavit adversum me, ut non egrediar: aggravavit* compe-

Oratio vehemēs sine supposito.

LXX.

Carceris circumlocutio

compedem meum, conclusit vias meas lapidibus quadris, semitas meas subvertit. Vides hic carcerem obscurissimum, parietes fortissimos, omnem fugiendi, aut evadendi spem ereptam. Simili igitur malorum, & ærumnarum carcere detentum se dicit IOB.

Vide, quæ diximus c. 13. ℣. 27. n. 4.

2 אורח נתב Quod autem dicit *semitam*, nihil peculiarius habet, quam si diceret, viam, iter; nam his modis verti solet indiscriminatim vox originalis: sicut, & *callis*, nunc *semita*, nunc *via*, aut *iter* redditur. Quare rei ejusdem repetitio significabit omnino nullam viam evadēdi relinqui, effugium nullum, aut diverticulum. Quod autem alii hoc viæ impedimentum, & callis obscuritatem explicant; quod in suæ vitæ discursu interceptus sit, & in suarum cogitationum cursu impeditus, non placet: nam licet *viæ* nomine hæc omnia significari soleant, vitæ, morum, studiorum, cogitationum etiam status, atque consuetudo, tamen nunc illa carceris arctissimi, & fortissimi translatio tenenda est, & ad inextricabiles ærumnas, & difficultates referenda. Nisi forte dicat, in ipsa suæ vitæ conditione, & consuetudine repente se comprehensum, & quasi carcere, & vinculis impeditum. Sicut cum AEgyptios tenebræ ipsæ repente offusæ immotos illos tenuerunt, quasi compedibus detentos, & carcere clausos. Sapientiæ. 17. 2. 18.

Aliorū expositio rejecta.

Via quid significet.

3 *Et in calle meo tenebras posuit*. Hæc est illa carceris circumloquutio, quem sæpe diximus *tenebrarum* nomine significari. Quāquam sane illa potissimum pars *tenebrarū* appellatione intelligebatur, quem nos, *Calaboço* vocamus, Romani, *Tullianum*; alii, *baratrum*. Eleganter sane Magnus ille Cassiodorus lib. Variarum. 11. cap. ultimo, quod est, *De judicis indulgentia, & de aperiendo carcere tempore sacro*, illas tenebras carceris describit; *Cella gemituum, tristitiæ domus apud superos, Plutonis hospitium; locus perpetua nocte cæcatus tandem infusione lucis albescat; lumina diutius tenebris obtusa torpescunt. Nunc ergo reos de Averno tuo victuros emitte. Redeant ad superos, qui ex magna parte inferos pertulerunt: exite inclusi, vicina morte semper pallentes. Redite ad lucem, quos caligantes tenebræ possidebant*. Illud etiā Aurelii Prudentii in describendo Vincentii carcere perelegans carmen;

Vide, quę diximus c. 10. ℣. 22. n. 11. Tenebrę pro carcere.

Cassiodor.

Prudentius.

Sublatus inde fortior
Lugubre in antrum truditur
Ne liber usus luminis
Animaret altum spiritum.
Est intus imo ergastulo.
AEterna nox illic latet
Expers diurni Syderis.
Hic carcer horrendus suos
Habere fertur inferos.

Atque hac ipsa loquendi ratione significatum nobis carcerem intelligo, quo suos cōvivas excipit meretrix; nam de illa Scriptum est: *Pedes ejus descendunt in mortem, & ad inferos gressus ejus penetrant*. Et statim de luxurioso, eodem cap. n. 22. *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur*. Et iterum; *Fovea profunda os alienæ*. Rursus Proverb. 7. 27. *Nescit, quod ad vincula stultus trahatur, & viæ inferi domus ejus*. Denique hic est locus ille, qui dicitur *lacus inferior*, & *umbra mortis*, aut, *lacus novissimus*, vel, *lacus in quo non est aqua*, de quo dicuntur *educi vincti*, Psal. 87. 7. Ierem. 37. 37. 15. & 38. 6. Thren. 3. 55. Ezech. 32. 23. Zach. 9. 11. Semper igitur lugubris, & teter habitus est carcer, illa interior potissimum pars; nam etiam duas fuisse carceris partes apud Lacedęmonios, & Athenienses legimus. Sed de hoc vide, quæ diximus supra. cap. 10. Verf. 22.

Prov. 5. 5.

IX. *Spoliavit me gloria mea, & abstulit coronam de capite meo.*

1. *Spoliare quid proprie. Illustratus Michæas.*
2. *Spoliare, & Gloria refertur ad vestimenta.*
3. *Gloria de omnium bonorum cumulo, & gravitate: Explicati Moyses, & Paulus.*
4. *Auferre, quid proprie. Corona, aut Diademata. Lanea, aut linea.*
5. *Tria coronarum in Hebræo nomina, & ethimologia.*
6. *Quid corona metaphorice significet. Illustratus semel, & iterum David.*
7. *Corona regium insigne. Expositus Exechiel. Quid corona ligata capiti.*

1 הפשט SPoliavit me. Iis me bonis omnibus exuit, quæ me gloriosum efficiebant, & quib⁹ excellebam, & efferebam caput præ cæteris mortalibus. Verbum autem *spoliādi* est in Hebræo in sexta cōjugatione *Hiphhil*, cujus propria significatio est, agere altero suadente, vel suadere, ut ali⁹ agat: Quare ex verbo dicas, *Fecit spoliare*. ut significet multos in suam calamitatem, alicujus præcipue hortatu, & suasu conspirasse. *Spoliare* autem ad prædam pertinet, & ad vim, & impetum grassatorū: est enim idem verbum, quod supra cap. 1. 17. vertitur *invadere*, *Invaserunt camelos, & tulerunt &c.* Gen. 37. 23. *Nudaverūt* (more videlicet latronum, qui ex raptu, & ex præda vivunt, & ex insidiis incautos adoriuntur) *eum tunica talari*. Vim verbi plane

Conjugatio sexta Hebręorum.

videbis

videbis Michææ 3.2. ubi vertitur *excoriare*, deſcribitur enim ibi fur, & latro, qui non ſolum tondet, ſed deglubit, mactat, & diſpergit oves, &, more ſordidorum latronum, nunquam prima præda contentus revertitur bis, aut ter ad reliquias prædę: *Violenter tollitis pelles eorum deſuper eis, & carnes eorum deſuper oſſibus eorum: qui comederunt, & pellem eorum deſuper excoriaverũt.* Cum ſe igitur conqueritur I O B *ſpoliatum*, ad latrones reſpicit, neque ad primam ſolum rapinam, ſed ad reliquias bonorum ſuorum, corporiſque exuvias per ſummam crudelitatem direptas, nam excoriatus, & contritus oſsibus jacet in ſterquilinio.

Furunculi ſordidi deſcriptio.

2

Externa bona inſtar veſtis.

Sed illud obſervandum verbo *ſpoliandi* afferri etiã tranſlationem in ſacro ſermone frequentem, qua externa omnia bona, quæ hominem circumdant, & glorioſum, atque ſpecioſum efficiunt, veſtes nominãtur. Tum etiam *Gloria* peculiariter de veſtimentis pretioſis dici ſolet, ut illud Exod. 28. 2. *Facies veſtem Sanctam Aaron in gloriam, & decorem.* Et 2.Reg.6. 20. *Quam glorioſus fuit hodie Rex Irael diſcooperiens ſe.* Id eſt, minime glorioſus depoſita gloria regalium ornamentorum. Sic etiam dixit Chriſtus Dominus; *Nec Salomon in omni gloria ſua* (Ornamentis Regalibus) *veſtitus eſt, ſicut unum ex iſtis.* Sic igitur nudus I O B, & bonis omnibus tanquam veſtimentis ſpoliatus jacet in ſumma rerũ omnium indigentia. *Quid enim ſunt* (ut Gregorius dixit) *terrena omnia niſi quædam corporis indumenta?* Priſtinæ quoque vitæ ſtudia, & conſuetudines, quibus ſe exercebat, depoſuit, atque ſic quoque *ſpoliatus* eſt; vt enim ille alter Gregorius Baſilii frater ait, *Studia, quæ in hac vita ſuſcipimus, quaſi veſtes ſunt, quibus homo induitur.*

Gloria de veſtimẽtis pretioſis.

Matth. 6. 29.

Gregor. Hom. 32. in Evang.

Nyſſen. de vita Moſis.

Gloria mea. Cajetan. *honorẽ:* nã ſic dicuntur mortales *dicere Deo gloriam.* Pſal.28.9. id eſt, tribuere honorem, & laudem. Alii, ut Vatabl. & Pagninus pro *opibus*; nam iſtę quoque glorioſum reddunt hominem, ut Geneſ. 31. 1. *De illius facultate ditatus, factus eſt inclytus.* Septuaginta propr. ex Hebræo: *Ex his quæ patris noſtri fecit omnem gloriam hanc.* id eſt, Comparavit ſibi has divitias; Sed Polychronius minus ſtricte: *Gloriam* (inquit) *rerum variam abundantiam nuncupavit: ac ſi diceret, & poſſeſsiones, & divitias, & ſpecioſam ſobolem, & externum ſplendorem a me abſtulit, & omnem mihi fælicitatem amputavit.* Recte; nam ſic dicuntur *glorioſa de civitate Dei.* Pſal. 86.2. id eſt, omnibus bonis abundat, affatim habet, quidquid illam poteſt glorioſam reddere, quare ex verbo legere potes: *Gloriæ dictæ ſunt de te*, nam gloria vrbis multis modis, multiſque rebus conſtat, videlicet honore, divitiis, ſecuritate, frequentia nobiliſsimorum civium, ædificiorum pulchritudine, firmitate murorum, optimarum legum æquitate, ſumma concordia, denique Deo ipſo, qui rector ſit, & cuſtos civitatis. Similiter ingentem rerum omnium abundantiam, & fælicitatem ſignificavit Ioſeph dicens Geneſ. 45. 13. *Nuntiate patri meo univerſam gloriam meam.* Certe vox originalis *Cabod*, ſignificat prop. gravitatem, & pondus, id eſt, quod hominem gravem reddit, & velut bonis onuſtum, ponderoſum, ac minime apud alios levis exiſtimationis: Quare forte Paulus ad hanc vocis ſignificationem reſpiciẽs, dixit, *Gloriæ pondus*, ut Beatitudinem ſignificaret omnium bonorum aggregatione, & cumulo ponderoſam, & gravem, aut gravitatem, & pondus non rei alterius, quam veræ gloriæ, atque beatitudinis. Ergo *gloria* I O B ad omnia ea bona refertur, quæ illi calamitas eripuit, ſine quibus *alleviatus eſt* (ut Iſaias loquitur) id eſt, levis, & vilis habitus eſt ab amicis, antea vero *aggravatus*, id eſt, gravis, glorioſus, & omni honore dignus habebatur. Vide quæ diximꝰ cap. 11. Verſ. 12. num. 1.

Cajetan.

Vatab. Pagnin.

LXX.

Polychron.

Vrbis alicujus gloria, quibus conſtet.

כבד

2. Cori. 4. 16.

Iſai. 9. 1.

4

סור

אסר

Et abſtulit. Removit, tranſtulit. Cum verbum *Sur*, quod hic vertitur, *auferre*, cõtrarium ſit verbo *Açar*, quod vincire, & ligare ſignificat, verti poteſt, *diſſolvit*; & eleganter jungitur cum *corona*, aut diademate, quod ligabatur capiti; faſcia enim erat, & Regium inſigne: non Regum (inquam) ſolum, ſed Reginarum etiam, ut Plutarchus ſcripſit: & lanea, aut linea, ut ſcribit Iſidorus; nam, & aliquando Alexãder, atque Pompejus diademate obligarunt vulnera. Antiquiſsimas autem coronas lineas fuiſſe, ex quibus poſtea etiam ad coronas foliorum, aut florum acceſſerunt lemniſci, aut laniſci, id eſt, faſciolæ dependentes ex fertis, quibus ferta alligabantur capitibus, ne deciderent, oſtendunt Variarum rerum Scriptores.

Plutarchus in Lucullo.

Iſidorus.

Cel. lib. 24. c. 6. Hieronym. Magius lib. 1. Miſcellan. c. 17. & Hieron. Mercurial. 3. var. c. 9.

5

Varia coronarum nomina, & notiones.

Sed quidem *coronæ*, & *coronandi* ſignificatio propria a circumdando videtur deducta, tum apud alios ſcriptores, tum apud ſacros, apud quos triplex eſt inter alia nomen *coronæ*, aut diadematis. primum *Nezer*, a *Nazar*, quod eſt ſeparare, aut ſeparari, vel propter ſanctitatem, vel propter dignatem Regiam, aut Pontificiam, aut alia ratione. & ita *Nezer* eſt quaſi dignitas, conſecratio, ſeparatio, videlicet a reliquo populo, & communi vulgo. ut dicitur Exodi. 39. 30. *Fecerunt laminam ſanctæ*

נזר

LXX. Chaldæus. פאר עטרה

venerationis. Septuag. *Separationē ſanctitatis*. Kaldeus ad litterã, *Coronam ſanctitatis*. Alterũ nomē *Pheer*, a *Paar*, quod eſt glorificari, aut decoreri, quod corona ſit decor, & gloria capitis; ſicut Scriptũ eſt Iſai. 61. 10. *Quaſi ſpõſum decoratũ corona*. Tertium vero nomen hoc loco eſt *Ghatarah* a *Ghatar*, quod eſt, cingere, aut circũdare, quod corona cingeret caput, ſicut Scriptũ eſt 1. Reg. 4. 23. *Saul, & viri ejus, in modũ coronæ cingebant David*, quod ſimpliciter in Heb. dicitur; *Coronabant David*. Hinc corona ſymbolum honoris, & dignitatis, quã homo ſeparatur, & glorificatur a cæteris, ſicut dicitur Pſal. 8. 6. *Gloria, & honore coronaſti eũ*. quo modo videtur Nicetas, hunc locũ exponere: *Quia omni* (inquit) *vitæ jucunditate, dignitateq; fuit ſpoliatus*. Vatabl. cum Hebreis ad filios refert morte præreptos, ex eo quod Proverb. 17. 4. 6. dicantur; *Corona ſenũ filii filiorũ*; tũ propter honorẽ, quo liberi parẽtes ſuos afficiũt; tum quod eſſe ſoleãt in circuitu parẽtum. Sed intepretatio hæc eſt valde anguſta.

Corona cujus rei ſymbolũ. Nicetas. Vatabl.

6 Ergo præſtabit, duo alia intelligere nomine *coronæ* ademtæ. Primũ ingẽtes opes: nã quia Rex, qui corona inſignitus eſt, ſolet eſſe fælicisſimus, & locupletisſim⁹ bonorũ omnium, ideo corona ſignificat fælicitatẽ, & jucunditatẽ. hoc indicat Polychr. ſuperius adduct⁹. Sic Pſ. 64. 12. *Benedices *Coronæ anni benignitatis tuæ* (Kaldeus, *Coronabis annũ bonitate benedictionis tuæ*, id eſt, cumulabis omniũ fructuũ uberrimis provẽtibus, id quod ſtatim exponit) *& campi tui replebũtur ubertate: pinguefcẽt ſpecioſa deſerti, & exultatione colles accingẽtur*. ſic annus iſte excellet, & efferet caput interomnia ſæcula. Ratio etiã illius analogiæ *Coronæ* ad ubertatẽ, eſſe poteſt, quod oportet eſſe plurima, & copioſa, quæ nos undequaque cingunt in modũ coronæ: quare maxima Dei, & innumera beneficia, corona dicuntur. Pſ. 102. 4. *Qui coronat te* (cumulat, & undiq; te cingit) *in miſericordia, & miſerationibus*. & multitudinẽ juſtorũ, qui gratulãdi cauſa convenire deberẽt ad Davidẽ jã incolumẽ, & Regno potitum, ipſe ſub eadẽ metaphora ſignificat Pſal. 141. 8. *Me expectãt juſti*. Hieron. *In me coronabũtur juſti*. id eſt, ego ero exẽplar reliquorũ juſtorũ, qui erũt a te præmia, & coronas accepturi. Sed ad verbũ active; *Me coronabunt juſti* (me cingẽt undequaque, plurimi me circũſtabunt) *donec* (quãdo) *retribuas mihi*. Ergo ſi *Gloria* ſignificat rerũ omniũ optimarũ abundantiã (ut ſupra diximus) poterit ſimiliter *Corona* rẽ eandẽ aliaratione ſignificare, & ita eleganter cohærebit utraq; pars ſentẽtiæ: Non fui (inquit) indignus opibus, & tamẽ mihi per ſummam vim ablatas video; nã *corona ſapientũ divitiæ illorũ; fatuitas ſtultorum, imprudentia*. id eſt, cum ſapiẽtes recte, & ſapiẽter divitiis utãtur, oſtẽdunt profecto, ſe dignos eſſe, & Regno, & ipſiſmet opibus; ut illis tanquã corona decorẽtur; at ſtulto cum divitias dederis, non niſi ſtultitiam addideris. Quorſum igitur, aut quo meo merito, inquit Iob, ablata eſt *corona de capite meo?*

Commodior expoſitio. Polychron. *Eſte a de ſer el Rey de todos los años. Corona cur multitudinẽ, & copiã ſignificet. Pagnin. Regia. Tigur. Prover. 14. 24. Iuſti ſapiẽter uſũ divitiis.

7 Forte ſimplicius eſt, ut *coronã* ipſam, id eſt, Regiam dignitatẽ, cujus inſigne erat corona, per Metonymiã intelligat, & cõqueratur ſe Regno ſpoliatum: hoc enim teſtimonio uſi ſumus cap. 1. cum aſſereremus, Iob Regẽ fuiſſe. eodemq; modo exponunt Polychron. Philipp. Beda, Hugo. Alii dignitatem Iudiciariam. Nicol. Dionyſ. Titelm. Auctoritatẽ vero neſcio quã dicendi, ut ab omnibus tanquam Rex audiretur, Cajetan. Ergo ſimilis lamentatio Iob, cum illa Ieremiæ Thren. 5. 16. *Cecidit corona* (jus Regni, Regia dignitas amiſſa) *capitis noſtri*.

Metonymiã. IOB Rex. Varia Interpretum expoſitio.

Sed illud tãtum addendum, locum hũc a non nemine accipi de abſciſa coma, & tõſo capite propter necẽ filiorum; namq; *coma capitis*, *corona* etiã dicitur Ezech. 24. 17. *Mortuorum luctum non facies; corona tua circumligata ſit tibi*. Sic enim apud Theodoret. & Hieronym. legunt, & explicant Septuaginta; *Erunt crines tui colligati ſuper te*. Sed præterquam quod verior, & caſtigatior lectio Septuag. ſit cum negatione; *Non erunt crines tui colligati ſuper te*; Certe eo loco *corona* eſt a verbo *Paar*, quod eſt, glorificare, & ſignificat mitram, aut ornamentum capitis, quod eſt capitis honor, & gloria, qualis eſt *coronæ*. quæ quia habebat lemniſcos, aut vittas quaſdam, quibus mitra capiti Sacerdotum alligabatur, jubetur Ezechiel, habere *circumligatam coronam*, aut *mitram ſuper capillos*. id eſt, non deponere galerum, aut coronam Sacerdotalẽ, quæ in luctu deponi ſolebat, aperto capite. Sed de hoc alias.

Theodoret. Hieronym. LXX. Lectio Vaticana. Sacerdotes in luctu deponebant coronã.

X. *Deſtruxit me undique, & pereo: &, quaſi evulſæ arbori, abſtulit ſpem meam.*

1. *Deſtruere quid. Iob ſimilis urbi everſæ.*
2. *Spes ablata in evulſa arbore. Filii parẽtum ſpes. Illuſtratus Iſaias.*
3. *Deus evellens arborẽ, & iterũ plantãs. illuſtrat. Ezechiel.*

1 Varia lectio. נתץ Cajetan.

DEstruxit. Septuag. *Diripuit*; Catenæ auctor, *Membratim discerpsit*; Tygur. *Evulsit*. Sed elegãter dixit noster, *Destruxit*, evertit, demolitus est. Est enim verbum, quod de ædificiis dicitur. Futurum quod in Heb. est, *Destruet*, retinẽt Cajet. & Regia; referuntq; sententiã ad futurum; Me penitus, qué cœpit, destruet, & evertet funditus. ut sic cohæreat secũda pars, quę est de Spe in posterum ablata. Sed prǽstat, ut per præteritum efferatur cum Septuag. & reliquis Hebraizantibus. *Vndique*; Non ex una tantũ parte expugnat⁹, atq; labefactatus, sed undiq; bonis omnibus deject⁹, & omnibus corporis partibus quasi eversus. Se ac sua omnia cõparat cum opulenta aliqua civitate, quã hostis potentissim⁹ obsidet, & undiq; expugnat, destruit tandẽ, & evertit. Diximus de hoc c.16. vers.8.

LXX.

Et pereo. Septuag. proprie ex Hebr. & *abii*, obii, evanui. eleganter noster Interpres, *Perii*. abii in nihilum. Cajetan. *Ivi in manus ejus*; sed frigide. Excedo e vivis, & jam me excessisse dicas, mortuum videlicet, non tantum moribundum.

Cajetan.

2 סור

Et quasi evulsæ arbori abstulit spem. Clare, & dilucide, quod in Originali est, Recedere, aut abire fecit spẽ. Septuag. Excidit. quasi dicãt; Nulla jã mihi spes vitę reliqua est, nulla recuperãdę fortunæ. *Quasi evulsæ arbori*; in Originali tãtum est, Quasi lignum, aut, quasi arborẽ, sic Septuag. *Excidit tanquã arborẽ*. & quidẽ vox Originalis *Ghets* indifferẽs est, ut lignũ viride, id est,

עץ

arborẽ; aut aridũ, & excisũ significet. quare ex subjecta materia licebit colligere, de quo accipi oporteat. Sẽsum itaq; illuminavit Interpres, cũ dixit; *Quasi evulsæ arbori*. Huic enim si avellãtur, aut excindãtur radices, continuo arescit; arescẽti autẽ adimitur omnis spes virescendi. Sed cujusnã rei spes omnis adẽpta est Iob? Latinis quibusdã videtur, loqui Iob de spe posteritatis, quã in filiis collocatã habebat. Paul⁹ loquitur, cum scribit de Abrahã; *Contra spem in spẽ credidit, ut fieret Pater multarum gentium, &c.* Poeta quoq; *gemellos* appellavit *spẽ gregis*. Atq; eadẽ translatione, cui nulla sit suscipiẽdorum liberorũ spes, *Lignum aridum* vocatur Isaię 56.3. *Nõ dicat Eunuchus, Ecce ego lignũ aridũ, quia hæc dicit Dominus, Qui custodierint, &c. Dabo eis nomen melius a filiis, & filiabus.* Ergo filii sunt parentum spes, quibus nititur posteritas, tãquam fulcris, & colũnis. Iidẽ sunt senum præsidia, & universæ familiæ munimentum. Est autẽ in illa *convulsæ arboris* similitudine, quod filiorum Iob interitum repræsentat: nam sicut arbor convulsa vento vehemẽti, stirpit⁹ tandẽ cõvellitur: ita sane vi turbinis, & vẽti vehemẽtioris ruẽte domo, oppressi liberi, excisi sunt a vita.

Spes de quã re dicatur.

Hugo. Titelm. Cajetan.

Rom. 4.18.

Virg. Eclog. 1.

Filii parentũ spes.

Sed existimo, Iob se ipsum vocare *arborẽ*, quondã florentẽ, nunc *evulsam*, & aridam, omnis viroris, & fælicitatis pristinæ recuperãdæ spe amissa; Deum autem, qui evellat, & dissipet, & iterum pro bona voluntate sua ædificet, & plãtet. Sicut in Ezech. 17.24. ipse testatur; *Sciẽt omnia ligna regionis, quia ego Dominus humiliavi omne lignum sublime, & exaltavi lignum humile, & siccavi viride, & frondere feci lignum aridum.* Israelis Regnum quondã florens, & virens quasi convulsum a suo solio, & abductum Babyloné, peneq; arefactum, spe redeundi in patriũ solium pene amissa, frondere iterum fecit, Zorobabel ex captivitate redeunte. quædã etiam alia ad hanc allegoriam spectantia videnda eodem loco. 3

Germanior expositio.

Allegoria virẽtis arboris.

XI. Iratus est contra me furor ejus, & sic me habuit quasi hostẽ suũ.

1. *Furor, & nasus in Deo.*
2. *Cum ira Deo tribuitur, quid significetur. Antistrophe in sacris. Illustratus Moyses.* (expositi-
3. *Quã miserum hostẽ Dei fieri. Moyses, atq; David*

FVror. Hebraice, Nasus; Fumante, & tumẽte naso exarsit in me. non facile illi tumet, aut fumat nasus; nã cum sit *Erec apajim*, id est longus, latusq; naribus, facile difflat conceptum corde ardorẽ, facile etiã refrigerat inflãmatum sanguinem. Ergo cum ardet oculis, naso, facie, ingens ira, & magna copia ignis concepti significatur. Amplificatio etiã est ex cõjunctione illarũ duarum vocũ, videlicet *irascendi*, & *nasi*; nã utraq; per se rem eandẽ, sed cõjunctæ vehementissimã irã significãt. Sic *Ira furoris*, Isai. 13.9. *Ecce dies Domini venit; crudelis, & indignationis plenus, & iræ, furorisque*. Vbi sine particula Copulativa coherent in Originali illa duo, *Iræ furoris*, vel *nasi*. & Num. 32.14. *Ecce vos surrexistis pro patribus vestris, incrementa, & alumni hominum peccatorum, ut augeretis furorẽ Domini*. Onkel. *Iram furoris*. Septuag. *Furorem iræ*, id est, iram vehementissimam. 1

ארך-אפים

Magnæ iræ descriptio.

Quid autẽ hujusmodi loquutiones significẽt, quæ Deo irã tribuũt, cum in Deo ira nõ sit, multis rationib⁹ explicãt sacri Doctores. Clemens quidẽ lib. 5. de Pedag. c. 8. existimat, indicari ex parte hominis malũ, quod agit; ex parte verò Dei, benevolentiã, retrahere conãtis hominẽ a malo; *Nõ enim Deus* (inquit) *irascitur, sed per suã in homines benevolẽtiã a plurimis quidẽ abstinere,* 2

Ira Deo quomodo tribuatur.

Clemens.

nere, hortatur. Bona autem est hæc ars, terrere, ne peccem. Abest prope Damasc. lib. 1. c. 14. *Per irā* (inquit) *& indignationē intelligimus voluntatē ipsius, odio vitii flagrantē, illudque aversantē; nā & nos, ea, quæ cū voluntate nostra pugnant, odio habentes in iram prorūpimus.* Quæ iræ Divinæ significatio neq; in Iob, neq; in hunc locū quadrat, cum Innocēs patiatur, nō enim indicatur aliquid injustum geri a Iob. Alii intelligūt irā Dei, aut furorem iræ, cruciatū, dolorē, aut aliā plagam molestissimā a Deo irrogatā, qualem inferre solet iratus homo: sic enim has tropicas loquutiones sapiēter explicat Nazianzenus per Antistrophen, id est per cōversionem eorū, quę in nobis sunt, ad Deū relatorum, in suis enim Iambicis sic ait;

Damascen.

Nazian.
Antistrophe.

Antistrophen Fac cogites, & totum habes.
Nam bile, quoniā conciti aliquem cædimus,
Iram proinde, cum ferit, damus Deo.
Sic visum, & aures, sic manus huic finximus,
Dātes supremo Numini hæc, quibus utimur.

Nyssenus scribens super Psal. 6. paulo aliter: nā cum David, *Furorē quoque, & iram*, Dei nominasset, ait; *Dolentium voces imitatur, quibus furor videtur esse, & ira, quidquid ad puniendum improbos adhibetur.* Non longe Augustinus non aliam Dei irā intelligit, quam justam de impiis sumptam vindictam. quæ Scripturæ intelligendæ regula sæpe ab illo traditur, tum aliis locis, tum copiose, & erudite ad fin. lib. de Essentia Divinitat. tom. 4. breviter, & eleganter contra adversariū Legis, & Prophetarum lib. 1. c. 20. Atq; fere eodē modo Epiphan. lib. 1. cont. Heres. 38. quod Didymus scribens super Psal. 6. ait a Moyse ostendi, irā non esse affectionē, aut perturbationē in Deo manentē; Cū dicat Exod. 15. *Misisti irā tuā, quæ devoravit eos, nā ira, quæ affectio est, non mittitur, est enim irascibilis animæ facultas, sed irā vocat miseriarum, ac dolorum in malos inductionē.* Ergo dolores sui corporis (ut Philipp[9] exponit) *& implacabiles cruciatus, aut morbos insanabiles forte vocat hoc loco iram Divini furoris:* nam & gravissimā quādam corporis egritudinem, atq; dolorē vocat quoq; David irā, aut furorē Psal. 6. 1. *Domine ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me. Miserere mei Domine, quoniā infirmus sum: sana me Domine, quoniā conturbata sunt ossa mea.*

Nyssenus.
Augustin.
Scripturæ regula.
Epiphanius.
Didymus.
Philipp.
Ira Dei aliquando dicitur morbus.

3
Et sic me habuit. Sic me tractavit, & affecit: tum etiā, sic me æstimavit. Septuaginta Cōplut. *reputavit*. nā tum verbum Latinum *habendi*, tum Originale *Hhasab*, hec omnia cōprehendit, paulo enim angusti[9] est verbum Græcum *Egéme*, *Arbitratus est quasi host.* Præclare (inquit Nicetas) di-

חשב
ἡγῆμαι
Nicetas.

xit tanquā, aut quasi, neq; enim aut hostili animo, aut etiā perturbato Deus supplicia irrogat. Sed nō ille hostili animo (inquit Iob) adversum me exardescit, nā ego hostis illius non sum; *quamvis, quasi hostē, me afficiat*; sed benevolenti, sed paterno. Exaggeratio autē est incredibilis supplicii, tū etiā Divinæ indignationis, cum ait; *Quasi hostem:* nam cum hostilis ira etiam inermes, & imbecilles armare soleat; quid cum conjungitur cum Potentia Divina, & cum Deus adversus hostē procedit? vel ex hoc solum inferni cruciatus formidandi, quod iratus Deus, quasi hostes suos, sic impios ibi detineat, & afficiat. Sic se timendum populo suo proponit, & omnium ingētium minarum catalogum, hoc quasi compendio, & clausula cōcludit; *Nō est, qui de manu mea possit eruere. Levabo ad cælum manum meam* (cum levavero ad cælum manū, morē jurātis vindictā, & indignantis adversus hostes) & dicā; *Vivo ego in æternum*; (id est, cū vitā meā juramēto interposuerim ad perdendum hostē) *si acuero, ut fulgur, gladium meum*, (stringit tunc, heu terror, fulgurantē gladiū. Onkel[9]; *Cum duplo clarior, quam aspectus fulguris sit a fine cælorum, usq; ad finē cælorū, revelabitur gladius me[9]*) *& arripuerit judiciū manus mea*. (judicii, & condemnationis instrumentum, & cœpero percutere hostē) *reddā ultionem hostibus meis, & iis, qui oderunt me, retribuam.* Ergo nihil terribilius, quā *hostē haberi a Deo*. Ita Theodoret. atq; Asterius existimat, cum ait David, *Domine ne in furore tuo arguas me*, non tātum metuere, ne corripiatur, & flagelletur, sed ne tanquā hostis habeatur; *Paterno*, (inquit) *non judiciario more me corrigas, medici, nō tortoris modo.* Non itaq; recusat vulnera diligentis, sed *furorem* odio habentis.

Exaggeratio Divini supplicii.
Quantū malum fieri Dei inimicum.
Deut. 32. 40. 41.
Onkel.
Theodoret.
Asterius.
Super Psal. 6.

XII. Simul venerunt Latrones ejus, & fecerunt sibi viam per me, & obsederunt in gyro tabernaculum meum.

1. *Particula* Simul *in sacro sermone quid. Illust. Dav.*
2. *Latro pro milite in sacra Scriptura. Qui Principes Latronum*
3. *Latronis etymologia, & proprietas apud prophanos Scriptores.*
4. *Latrunculorum ludus, illius inventor. Persis non indecorum Latrocinium.*
5. *Varia lectio Græcorū. Pyrateria, et Monoxoni qui.*
6. *Latro pro viarū obsessore, & infestatore Exp. Sam.*
7. *Quid facere, aut parare viā. Illust. Moys. & Isai.*
8. *Via facere, ad victoriā, & oppressionē Expo. Moys.*
9. *Hysteron proteron. Quid obsidere, quid tabernaculū, Tabernaculū obsessum, rerū omniū discrimē.*

1 QVoniam ſecum, tanquã *cum hoſte*, agi dixerat, nunc deſcribit exercitũ cõparatum; Omnes (inquit) hoſtium, & militũ cunei ſimul adorti uno impetu cõſpirarunt in me, & obſeſſum everterũt bonis omnibus. Nã *ſimul*, Septuag. *unanimiter*, id eſt. eodẽ fere tempore, atq; die bonorum omnium rapinã, atq; jacturã ſuſtinuit, ut ſupra diximus. Vox originalis non ſolum tẽporis eſt, ſed etiã conſenſus, & voluntatis ejuſdẽ, ut Pſal. 22. *Principes convenerũt* (ſimul) *in unum*. & Pſ. 54. 15. *Simul* (familiariter, ſumma animi cõſenſione) *mecum dulces capiebas* (conſiliorũ, & ſecretorum, ut ex Heb. legitur) *cibos*. Sic igitur *ſimul*, unanimiter, quaſi ex pacto, & fœdere, cõdicto die, & tempore, calamitatum omnium, atq; ærumnarum turmæ adfuerũt, & in illum impetum fecerunt.

יחד

2 *Latrones*. Vox a radice *Gadad*, quæ ſignificat, accingere ſe ad præliũ, aut cogere, aut cõgregare, vel expedire exercitum, ut explicatur Gen. 49. 19. ducta etymologia nominis *Gad*. *Gad accinctus præliabitur ante eũ, & ipſe accingetur retrorſum*. id eſt, exercitus hoſtium accinctorũ, & cõparatus ad prælium, bellum inferet Tribui Gad; ſed ipſe Gad, ſecundum nomen ſuũ, poſtea accingetur fortius adverſus ſuos hoſtes, tãdemq; victoria potietur. Inde nomen *Gedud*, id eſt, accinctus, videlicet qui paratus eſt, & expeditus ad prælium, ut Habacuc 2. 16. *Aſcendã ad populum accinctum* (*fortẽ*, bellatorẽ, pugnacẽ, exponente Hieron.) & quia exercitus, aut militũ turma accinctis militibus conſtat, aut quia colligitur, & quaſi colligatur inter ſe, idẽ nomen ſignificat exercitũ, aut turmam, aut cuneum militũ levioris præſertim armaturæ, qui excurſiones, & incurſiones facere ſolẽt ad faciendã prædã, & latrocinia exercenda. Hos frequẽter Latinus Interpres *latrones*, & *latrunculos* appellat. Ierem. 18. 22. *Adduces ſuper eos latrones repẽte*. id eſt, militũ, aut hoſtium cuneum, & Hoſ. 7. 1. *Spoliãs latrunculus foris*. Sed quoſnam hoc nomine intellexerit, conſtat 4. Reg. 6. 23. nã currus, & equos, & robur exercitus, quos Benadad miſit, ut ex inſidiis cõprehenderẽt Eliſeum, *latrones* vocantur. De illis enim ſubjungitur, *Abierunt ad Dominũ ſuum, & ultra non venerunt latrones Syriæ*; (Septuag. alludentes ad vocẽ Heb.) *Accincti Syriæ in terra Iſrael*. Similiter 4. Reg. 24. 2. *Immiſit ei Dominus latrunculos* (turmã, aut cuneum graſſatorum) *Kaldæorum, & latrunculos Syriæ, & latrunculos Moab, & latrunculos filiorum Amon*. Hinc duo illi duces, ſive præfecti militũ levioris armaturæ, qui ex prẽda, & cæde videbant. 2. Reg. 4. 2. dicuntur, *Principes latronũ* (Septuag *Duces agminum*) *erant filio Saul, nomẽ uni Baana, & nomen alteri Rachab*. Res eadem cum pulchra conjugatione duarum vocum ejuſdẽ radicis eſt Mich. 5. 1. *Nũc vaſtaberis filia latronis*. quaſi diceret, Nunc vaſtaberis filia vaſtatoris, ſive, Nunc latrocinio, & prædaberis, filia latronis. & ſervata vocis proprietate exponit Hieron. Ieruſalem dici *filiam Diaboli ad prædã ſemper accincti*, & nunquã non bellum Iuſtis inferentis. Sic quoque illud Pſal. 93. 21. *Captabunt in animã Iuſti*; quod Hieronymus ex Hebreo legit, *Copulabuntur adverſus Iuſtum*. ita ut ex utraque lectione colligatur, impios inſtar turmæ Latronum convenire ad prædã Iuſti.

גדד

Notio nominis Gad.

גדוד

Metonymia.

Latronis nomẽ unde pro milite.

Principes Latronum qui.

3 Sed cum Vulgat. *Latrones* dixit, ad Latinã etiam vocis proprietatẽ reſpexit, *Latrones* enim Milites ſunt, qui aut Regis, & Imperatoris latus cingebant, & ſtipabant, aut conducti mercede ſerviebant, aut ſine Rege, & duce alienas regiones infeſtabãt, & populabãtur, omnes enim antiquorum *latronum* vivendi, & militandi rationes ad has tres omnino reducuntur. De ſingulis tria tantum verba.

Latrones Latine, iidẽ qui apud Hebr.

Triplex Latronum vivẽdi ratio.

Iuxta primã Varro lib. 6. ſcribit, *latrones* etymologiã habere Latinã, dici videlicet a Latere, quaſi *Laterones*. *Latrones* (inquit) *dicti a Latere, qui circum latera erãt Regi, atq; ad latera habebant ferrum; quos poſtea a ſtipatione ſtipatores appellarũt*. Feſt⁹ Põp. lib. 17. *Stipatores, corporis actores, quos antiqui Latrones vocabãt: ſtipati enim ferro circũdant corpora Regum*. Servius ad init. 12. AEneid. *Latrones vocantur conducti milites: moris autẽ erat, ut hos Imperator circa ſe haberet, & primos mitteret ad omne diſcrimẽ*. Sic ſane antiquiſsimus Ennius, cum primo annali inducit Amulium Regem mittentem ſuos Latrones, atque ſatellites comprehenſum quoſdam in montibus vagantes juvenes, ſic ſcripſit;

Hæc effatus ubei, Latrones dicta faceſſunt.

Quare apud Græcos, Theodotionẽ præſertim, vox, quæ ſignificat *Latronem*, aut barbarum ſatellitẽ, ſubeſt Iob 29. ubi nos habemus, *Cum ſederem, quaſi Rex circumſtãte exercitu*. Septuag. *Sicut Rex in accinctis*. Auguſt. *Rex cinctus fortib⁹*. cingebãt enim Regẽ *Latrones*, id eſt, præſtãtiores milites.

Varro.

Feſtus.

Servius.

Ennius.

Theodotio.

LXX

Auguſtinus.

4 Secũdo ait Varro, *Latrones* etiã dici, *qui conducebãtur mercede, ea enim merces dicitur Græce Latrõ; ab eo veteres Poetæ nõnunquã milites appellãt Latrones*. Atq; Noni⁹ Marcel. *Latrocinari* (inquit) *militare mercede*. & Feſtus Pompejus lib. 10. *Latrones* (inquit) *eos antiqui dicebant, qui conducti militaban.*

Varro.

λάτρον

Nonius.

Feſtus.

Λατρεύοντες quaſi latrevondes, id eſt, ſerviẽtes, nam latria, eſt ſervitus. De hoc illud Plauti in Pœnulo;

Plautus. Hic latro in Sparta fuit,
Vt quidẽ ipſe nobis dixit, apud Regẽ Attalũ.
& idem in Milite glorioſo;
Vt in tabellis, quos conſignavi hic heri
Latrones, ibus dinumerem ſtipendium,
Nam Rex Seleucus me opere oravit maximo,
Vt ſibi latrones cogerem, & conſcriberem.
& poſtea; (duceret,
Vt latrones, quos conduxi, hinc ad Seleucum
Qui ejus regnũ tutarẽtur, mihi dũ fieret otiũ.

Qua etiã ratione venatores, qui ſuas quoque operas locabãt, & ferro armati incedebant, *latrones* vocantur a Virg. cum Turnum comparat cum leone Saucio;

2. Aeneid. *Excutiens cervice toros, fixumq; latronis*
Impavidº frangit telũ, & fremit ore cruẽto.

Ludus latrunculorum militaris. Hinc profecto *Latrũculorum ludus*; ſunt enim duæ hoſtiũ turmæ colore diverſæ, & ita inſtructæ, ut adverſus hoſtem, ex preſcripto militaris diſciplinæ procedant, ut ludit Martialis belle in hujus belli deſcriptione ludicri;

Martial. lib. 14. 20. *Inſidioſorum ſi ludis bella latronum,*
Gemmeus iſte tibi miles, & hoſtis erit.

Alexand. lib. 3 cap. 21. Et opportune, nã ajũt Palamedẽ inveniſſe hunc calculorum ludum, ad cõprimendas otioſi exercitus ſeditiones, ut ludẽdo, quaſi latrocinãdo, id eſt, militãdo, & prædas agendo, pacis tædia depellerent.

Tertio jam, latrocinari, id eſt, prædas, etiã ſine duce agere, militare fuit. Sane veterani illi milites Latini, ſi nõ nomine, at re ipſa latrones ſe dicunt, & gloriantur;

Virg. 2. Aenei. Militũ latronis deſcriptio. *Omne ævũ ferro teritur, verſaq; juvencum*
Terga fatigamus haſta, nec tarda ſenectus
Debilitat vires animi, mutatq; vigorem:
Canitiem galea premimus, ſemperq; recentes
Convectare juvat prædas, & vivere rapto.

Perſis bellum & latrociniũ honeſta. Neque vero apud Perſas rapto, quã bello vivere, minus honeſtum: nã *Cardaces* vocãtur *ex furto viventes*. Quippe, *Carda*, virile, ac bellicoſum ſonat, auctore Strab. lib. 15. ad fin. & Sparta quidẽ furto, æque ac armis a primis annis pueros exercebat: imo & jubebat furari. Scriptor Plut. in Lacon:

Strabo.

Plutarch.

5

Prædones cur militari nomine gaudeant. Ex militibus autẽ priſcis, ad viarum obſeſſores latronis, & latrocinãdi nomẽ redundavit: quod armati, ut milites, & ad prædas agendas, ut illi quoque, latitarẽt. Vocat etiam nunc vulgus illos, * milites viarũ. Res apud priſcos valde conjũctæ, latrocinium, atq; militia. & quãvis quidẽ Romani poſtea milites, ſeveriſsima lege, ſacramento etiã militari, cuipiã e caſtris furari, aut forte alienum invẽtum occultare interdicerẽtur, ut tum Polyb. tũ Agell. ſcribunt, atq; Spartianus etiã tradit,

* Soldados del Camino.

Militibus furtum ſevere interdictum.

Polybius.

Agell. lib 16. cap. 14.

Peſcẽnium nigrũ ob unius Gallinacei direptionẽ, decem cõmanipulones, qui raptum ab uno comederũt, ſecuri percuti juſsiſſe. Tamẽ militarẽ licẽtiã in latrocinãdo, quã oportuiſſet coerceri, lex ipſa illa, atq; ſeveritas indicãt. & latrociniis, atq; prædis, ſed in cõmune dividẽdis per manus Tribuni, vacare ſolitos, ſcribit Polyb. lib. 10. *Copiis* (inquit) *diviſis in duas legiones Romanas, omnes, qui ad prædã, & raptus deſtinati ſunt, ferunt quiſque ea, quæ ceperint ad ſuas legiones: quo facto Tribuni æqualiter omnibus dividunt, nõ ſolum iis, qui in præſidiis, aut ſubſidiis fuerũt, ſed & qui caſtra ſervaverunt; itemque ægris, ſaucis, aut ad munus aliquod alio miſsis*. Hujus quoq; rei imaginẽ videre eſt in David, duce fortiſsimo, cum exularet apud Achis 1. Reg. 27. 8. *Aſcẽdit David, & viri ejus, & agebant prædas; & percutiebat David omnem terrã, nec relinquebat viventẽ virum, & mulierem, tollensque oves, & boves, & aſinos, & camelos, & veſtes revertebatur.*

Spartianus.

Militaris in furando licẽtia.

Deniq; familiare eſſe militari nationi rapto vivere, acute, & ſapiẽter ſcriptum eſt ab Alexãd. Cyrillo lib. 54. de Adorat. ſuper id Ioſue 7. 21. *Vidi inter ſpolia palliũ coccineum*: ubi Septua. legũt, *veſtẽ variã*. Grece *Pſilen*. *Pſilẽ* (inquit) *militarem eſſe ſtolam putãt, & chlamydẽ eſſe dicunt varie contextã. Eſt autẽ ea veſtis militaris, & iniquitatis ſymbolum. Inſitum eſt namq; militari hominũ generi, ut libẽtiſsime ſibi, pluſquã æquitas patitur, vẽdicet.* Sic Ioãnes milites juſsit ab illo tertio, & familiariſsimo vitio abſtinere, avaritia nimirũ & latrociniis; *Contenti* (inquit) *eſtote ſtipẽdiis veſtris*. Luc. 3. 14. Sic etiã cum Ezech. c. 17. 3. Deſcribit Imperatorẽ potẽtiſsimum Nabuchodonoſorẽ, cui exercitus copioſiſsimi parebant, *Aquilã* vocat *magnarum alarũ* (illius enim milites leviſsimi erãt, & dicto citius convolabant ad nutum ſui Imperatoris) *plenã plumis*. Hi ipſi ſunt milites, qui Imperatoris latus claudũt, conveſtiũt, ornãt. quo loco habent Septuag. *Plenã unguibus*. quo quid opportunius dici potuit in eos, qui rapto vivũt, quã ut *Vngues* illos appelles? ubi elegãter ſcribit Theodoret. *Vngues*, inquit, *Regis ſunt milites, qui extremã obtinent corporis partẽ, eo quod ducibus ſubjecti ſunt, & celeres, atq; validi ad percutiendum, & feræ inſtar ad dilaniandum.* Adde etiam, eo quod ipſi per ſeſe ſunt aptiſsima inſtrumenta ad rapiendũ, & tenaciſsime retinẽdum. Deniq; *Milites* (ſic Nazianz. Orat. 3. adverſus Iulia. cẽſet) *Væcordiam, & Avaritiã magna ex parte, vitæ comites habent.*

Cyril.

LXX.

ψιλή

Palliũ Achan cujus rei ſymbolum.

Milites pennæ, & ungues

Theodoret.

Nazianz.

Adde quoq; cum ex inſidiis agãt, & vivãt, ſive milites frequẽter, ſive ſemper viarum

obſeſſores, rectè latrones vocari etiã poſ-
ſe, cum inſidiæ furta dici apud Latinos ſo
leant: quare inſidiatores, fures, aut latro-
nes ejuſdẽ nominis, atq; rei omnes. Qua
Curtius.
ratione loquitur Curtius lib. 4. *Parmenio*
peritiſsimus inter duces artium belli, furto, nõ
prælio opus eſſe ſentiebat: intẽpeſta nocte oppri-
mi poſſe hoſtes. Atque Poeta etiam,
Virg. Æn. 10.
Obvius, adverſoq; occurrit, ſeque viro vir;
Contulit haud furto melior, ſed fortib⁹ armis.
Ergo ut jam tãdem ad locum noſtrum
6 revertamur, *Latrones,* hoc loco ſunt mili-
Nicetas.
tes, & exercitus, non ſolum, inquã, Kal-
dæi illi, aut Sabæi, ſed (ut Nicetas dixit)
cunctæ ærumnæ uno impetu contra Iob
conſpirãtes. Conſentit in eandẽ rẽ Græ-
LXX.
corum lectio: *Vnanimiter venerunt tentatio-*
nes ejus ſuper me. Subeſt enim eadem vox,
quæ ſupra c. 7. ubi iidem legerunt, *Tẽtatio*
eſt vita hominis, nos, *militia.* Quare hic etiã
πειρατήριον
dicendum, *venerunt milites ejus.* Tum etiã
vox Græca, *Pyrateria,* ſunt agmina pirata-
Symma.
rum, & cunei graſſatorum, Symmachus, *In*
ſidiatores, & *prædones,* aut agmina ad inſi-
Theodotio.
dias inſtructa; Theodotio vero, *Latrones,*
aut milites, quos vocat ipſe *Monozonos.*
μονόζονοι
Sunt autem *Monozoni,* unica zona cincti,
Suidas.
qui inter cæteros & balteo militari, exi-
mioq; ornamento excellunt, ut Suidas in-
Heſychius.
terpretatus eſt. Heſychi⁹ vero etiã hos vo-
LXX.
cat ſpeculatores hoſtium, qua etiam voce
utuntur Septuaginta 4. Reg. 13. & Iob. 29.
Nicetas.
ubi Nicetas ſic quoque definit, *Sunt Mo-*
nozoni, qui in militibus honore excellunt, qui
non idem, quod omnes cæteri, cingulum ge-
Iſidorus.
ſtant. & Iſidorus eodẽ loco. *Monozoni mi-*
litaria agmina ſignificant, aut cuneos Barba-
rorum, aut latronum conventus.
Et fecerunt ſibi viam per me. Latine hoc
7 dictum eſt ab Interprete, ſed ſignificanter
Septuag. ex Heb. *ſuper me;* ut ſignificet ſe
proculcatum, atq; obrutum malorũ flucti-
b⁹, quemadmodum via multorum pedibus
calcatur, & proteritur. *Viã autẽ facere,* eſt
סלל
ex proprietate ſimplicis vocis *ſalal,* para-
re viã, & quod videbatur inacceſſũ, & im-
perviũ ſternere, & ad æqualitatẽ reddere,
exaltãdo humilia, & deprimendo excelſa,
aggerẽdo terrã, aut lapides ad partes de-
Hieronym.
preſsiores. ſic Pſal. 67. 5. *Iter facite* (Hie-
ron. *Parate viã*) *ei, qui aſcendit.* Iſai. 54. 14.
Viã facite, præbete iter. Heb. hac ipſa voce
LXX.
geminata, *Sternite, ſternite.* Clare Septua.
Mundas facite vias. id eſt, planas, & expe-
Deſcriptio viæ facilis, & expeditæ.
ditas. Exponit ſe ſtatim Iſaias, *Auferte of-*
fendicula de via populi mei. ſignificat enim
fore, ut Apoſtoli monſtrẽt Gentibus, atq;
ſternãt facilẽ viã, & aditum ad fidẽ Evan-
gelii, ne hæreãt, aut deterreãtur difficul-
tatibus. Non aliter Iob ſignificat, cum an-
tea videretur hoſtib⁹, & ærumnis inacceſ-
* Abrioles Dios el camino, y entraron mis males a pie llano, y ſin reſiſtencia.
ſus, * jã nunc facilẽ aditũ patefeciſſe Deũ
malis omnibus ad illum expugnandũ. Mi-
rum, quod tã facilis, & trita pateat ærum-
nis ad Iuſtos via, interim ad impios vix a-
liquãdo aditum inveniãt!
Viterius. Cum via plana, & ſtrata mul- 8
Opprimẽdi periphraſis.
torum pedibus teratur, inde *viã facere,* eſt
etiã *calcare,* aut *terere,* tum etiã *opprimere,*
& ſubjicere Exo. 9. 17. *Adhuc retines popu-*
Complut.
lũ, ab hac radice; Complutẽſ. *Subjicis,* vel
R. Mardok.
cũ R. Mardok. *Calcas populũ meũ;* Onkel.
Onkel.
Sub jugo retines, aut hoſtiliter ſubjugas. ca-
dũt hæc omnia in verbũ Chaldaicum Pa-
raphraſtæ; Septuag. vero, *Adhuc tu inſul-*
Pagn. Vatab. & Tygurin. notati.
tas populo meo? Nã quod Pagn. & Vatabl.
dicunt, *Elevas populũ meũ,* & Tygur. *Oppo-*
nis aggerẽ populo meo, tenebras offundũt, &
retinẽtes primam Hebraiſmi faciẽ, veram
trãslationẽ non agnoſcũt, quæ ducitur ab
elevatione partium depreſſarum in via, ut
fiat trita, & plana. Ergo, cũ Iob ait, ſuper
ſe ipſum, *feciſſe viã* ſuos hoſtes, ſignificat
ſe calcatũ, & contritum ab hoſtibus. 9
Et obſederunt. Hyſteron proteron; nam
Hyſter. Proterõ.
id quod ſecundo loco fit, primo ponitur.
Primum enim eſt, obſidere urbẽ, deinde
expugnare, & ingredi. Niſi forte dicat, fa-
cili via hoſtes advẽtaſſe, & deinde nemine
reſiſtẽte, caſtra diſpoſuiſſe. nam aliqui cu-
rioſius obſervãt, verbũ *Hhanah,* quod hic
חנה
vertitur *obſidere,* ſignificare cõmodã, & fa-
cilẽ caſtrametationẽ, opportunamq; man
ſionẽ. Auctor Catenæ refert ad primos il-
Nicetas.
los nuntios, *Qui mihi auctores ſunt malorũ,*
me undiq; in tenebris intercluſerũt, et qui prio-
Alluſio ad nũtios prioris calamitatis.
res fuerunt ad invadendũ, cæteris viã munie-
runt, aliusq; aliũ inſequebatur, & nuntiis ma-
lorum non interruptis, animum opprimebant.
Philippus.
Philipp. exiſtimat idcirco dictum eſſe, *ob-*
ſederunt, quod Dæmõ nõ ſeviit in animã,
ſed in corpus tãtum; *Ideo* (inquit) *pulchre*
dictum eſt, obſederunt, id eſt, de foris inſidiati
ſunt. Sed res hæc allegoriã ſapit; nã *taber-*
naculũ, familiã, & bona univerſa complecti
tur, ut ſæpe diximus. & hoc loco Gregor.
In g. pro tabernaculum obſederũt, quia ſublatis
rebus, & filiis, etiã corpus ejus omne vulneri-
bus attriverunt. Cum vallat Deus domum
Tabernaculi obſeſſio, rerũ omniũ diſcrimen.
juſti, omnia tuta: cum *obſidẽt* milites illius
in circuitu, omnia plena diſcriminibus, &
miſerãdis cladibus ſignificãtur. Sic *cum in*
Pſal. 11. 19.
circuitu impii ambulant, undiq; nocent, &
tunc (inquit David) *ſecundum altitudinem*
tuã (id eſt, ſecundũ altiſsima judicia tua,
o Deus) *multiplicaſti filios hominũ,* qui hu-
mana pollent ſapientia, & odio adverſus
filios Dei, lædere, & oppugnare parant.

FRA-

XIII. Fratres meos longe fecit a me, & noti mei, quaſi alieni, receſſerunt a me.

1. *Convitia Iobi a Diabolo procurata.*
2. *Fratris calamitas odio habita.*
3. *Cognoſcere, & Notus. Illuſt. Samuel, & David.*
4. *Quid Recedere, quid alienus, aut extraneus, ex David. Quid apud eundem, vas perditum.*
5. *Septuaginta lectio explicata.*
6. *Quid Propinqui, & appropinquare. Illuſt. Sam.*
7. *Quid Dereliquere. Viſitatio infirmorum. Expoſitus David.*
8. *Oblivisci, & oblivio ad contemptum.*

1 TOT malis obſeſſus nihil opis, aut ſolatii habuit ab amicis, aut a cognatis; imo potius videtur inter illas hoſtium, & latronum turmas numerare amicos, notos, propinquos, vicinos, ſervos, & familiares; nam (ut hic ſcribit Chryſoſt.) *Mirificus fuit ille conflictus Diaboli; quandoquidem qui ei reliqui facti ſunt domeſtici, calamitatem vehementius, quam qui emigrarunt a vita, amplificabant. Nam qui deceſſerant, nihil amplius faciebant; qui autem manebant in vita, convitiis, ac probris contumelioſi erant.* Illud etiam docet Nicetas: *Domum quoque, ac familiam a Diabolo in Iobum fuiſſe incitatam.* Ergo hi homines tãto acerbiores hoſtes, quanto ab illis auxilii, & ſolatii plus ſperare potuiſſet.

Chryſoſtom.

Nicetas.

2 *Fratres mei.* Conſanguineos, & cognatos: nam ſicut Scripturæ *patres* vocãt, qui alicujus generis, & cognationis caput, & principium ſunt, ita *Fratres* vocãt, qui ejuſdem generis ſunt, & ab eodem capite trahunt originem. *Longe fecit a me.* Vatablus. *Deſierunt me viſitare, & conſolari.* ſed melius, & vehementius; Quos ipſa naturæ, & ſanguinis cõmunio familiaritate, & neceſsitudine conjunxit, hos ipſa calamitas abſtraxit, & abalienavit; & illorum in me odium conflavit, quos ipſe calamitatis aſpectus deberet ad miſericordiam allicere. Nicet. *Meam calamitatem, quaſi voluntatis flagitium, oderunt*: quod enim Deus fecit, id meo vitio, & peccato vertunt.

Pater, & Frater q. d.

Vatabl.

Nicetas.

3 *Et noti mei.* Tygur. *Neceſſarii*: ſed proprie dixit Interpres, *notos*. Cajetanus exponit, mihi perſpectos, & exploratos, *ut potequi mihi ſoli communicabãt ſecreta ſua.* neque diſplicet; nam *Iagad*, quod eſt *cognoſcere*, affert peculiarem quamdam ſcientiam, & experientiam, quam dicunt; ut 1. Reg. 3. 7. *Porro Samuel needum ſciebat Dominum*, videlicet ex privata aliqua revelatione, & experiẽtia. Quare cum Deus amicis ſuis arcana ſua familiariter revelat; hoc verbo ſignificatur: quo videbatur gloriari David Pſal. 50. 8. *Occulta ſapientiæ tuæ revelaſti mihi.* quæ alii ignorant, mihi tanquam amico, & a ſecretis tuis, nota feciſti. & Iſai. 58. 2. hoc ipſo verbo commode exprobrat impiis Deus, *Scire vias meas volunt.* videlicet, quæ non omnibus, ſed piis tantum, atque iis amiciſsimis, revelantur. Inde *notum* pro arcano aliquo, quod non niſi peculiari aliqua ſcientia cognoſci poſsit. ut Zachar. 14. 7. *Erit dies una, quæ nota erit Domino.* & cum dicitur de perſona, ſignificat aliquem cognitum, & familiarẽ ex ſecretorum revelatione, & communicatione. & Pſal. 95. 2. *Notus in Iudæa Deus.* ita hoc loco, *Noti mei*, peculiari ſcientia, privato experimento, neceſsitudine, familiaritate amiciſsimi, quos mutua ſecretorum communicatio continere deberet in officio, & ſtabilem reddere amicitiam.

Tygur.
Cajetan.

ידע

Amicorum, & familiariũ peculiaris ſciẽtia.

4 Hi (inquam) *quaſi alieni receſſerunt.* Vox ſimplex, quam alibi vertit Interpres, *abalienatus, extraneus*, cui nihil ſit neceſsitudinis, & amicitiæ, ſed potius propter inſuetudinem horrori, & nauſeæ, atque odio ſit. Eſt enim eadem radix, quæ infra vertitur verbo *exhorrendi*, de qua ſtatim plura. Affert ergo hoc verbum *recedendi*, receſſum, & ſeparationẽ a re injucunda, & ingrata. Ezech. 14. 5. *Receſſerũt a me in cunctis idolis ſuis*, videlicet illecti pravo amore & concupiſcẽtia idolorũ abalienati ſunt a me diligẽdo, & receſſerunt lõgius. quod minime gratus illis exiſterẽ, atq; meæ leges alienæ illis, & peregrinæ viderẽtur. & Pſal. 68. 9. ut iugẽs odium Iudæorũ ſignificaret adverſus ſe Dei filiꝰ, ait, *Extraneus* abalienatus. Hieronymus. *alienus*) *factus ſum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ*: nã erat olim Iudeis cum Gẽtibꝰ, quas alienas, & extraneas vocãt, incredibilẽ diſſidiũ morum, & voluntatum a quibus tanquã ab alienis recedebãt longiſsime. Ergo ait Iob; *Quaſi alieni receſſerunt*, abalienati ſunt, & nihil illis injucũdiꝰ, minusq; familiare. Dicere itaq; poteſt Iob, *Homo unanimis, dux meus, & notꝰ* (perſpectus mihi propter ſecretorũ animi cõmunicationẽ) *meꝰ, qui ſimul mecum dulces capiebas* (ſecretorũ, & conſiliorum arcanorum) *cibos.* Hieron. *Qui ſimul dulce habuimus ſecretum.* prop. ex Heb. *Pariter dulceſcere faciebamus ſecretum.* Symmach. *Qui cõmunicãdo reddebamus dulcẽ cõſuetudinẽ, & colloqutionẽ.* & illud etiã, *Factus ſum timor* (timẽdi materia, ſi mihi adſint, & ita prę timore fugiũt) *notis* (amiciſsimis, & eorundẽ arcanorũ participibꝰ) *meis.* (abnegãt ergo noſſe, & jurat amiciſsi

זור

Verbum recedẽdi vehemẽs.

Infida amicitia, & familiaritas.

Hieronym.

Pſal. 54. 14.

Hieronym.

Symmach.

Pſal. 30. 14.

mus quiſque, *Quia non novi hominẽ*) *factus ſum tanquam vas perditum* (cum non ſim illis uſui, negligor ab omnibus; nã quondam meã familiaritatẽ, atq; conſuetudinẽ utilitate metiebantur: habebãt me videlicet tanquam opportunum, & utile *vas* in ſua ſuppellectile, comparatum ad omnes vitæ opportunitates, ſed jam confractus, & *perditus* miſer ego a familiaritate, ab uſu, & cõvictu quotidiano rejicior, neque dignus æſtimor, præterquam ſterquilinio, tanquam fictile *confractum*. illa non fuit vera, & liberalis amicitia, ſed ſordida, ſed fucata. Hæc calamitatis natura, & conditio, ut amiciſsimos, & notiſsimos quoſque abalienet.

Matth. 26. 72. Luc. 22. 57. & 23. 49.

Vas confractum amicus ærumnoſus.

Calamitas amicitiam diſſolvit.

5 Septuaginta autem eaſdem originales voces in diverſam ſententiam detorſerũt: *Noverunt alienos, quam me.* Id eſt, peregrinis potius, & ignotis, quam mihi benefacere jus, & æquum cenſent, ita omni ope deſtituor, ita nemo dignatur noſſe IOB; locum itaque neque in ipſa miſericordia, & beneficentia mihi concedi video.

LXX.

XIIII. Dereliquerunt me propinqui mei, & qui me noverant obliti ſunt mei.

6 Propinqui. Qui mihi aſtare ſolebant, & a meo latere non diſcedebant. Nicetas exiſtimat hic ſignificari conſanguineos, & genere propinquos. ſed cum hos *fratrum* nomine antea ſignificaverit, nunc eos, qui illi aſsidue aderant, intelligi oportet. nam etiam juxta proprietatem radicis *Karab*, propinqui ſunt, *Los continuos, y allegados.* & ſe *propinquum* eſſe Deo gloriabatur David, de re videlicet in primis honorifica, atque utili, Pſalm. 72. 27. *Mihi adhærere* (Hieronymus, *Appropinquare*) *Deo bonum eſt.* Pertinere autem hanc *propinquitatem* tum ad Regium miniſterium, tum ad menſæ regiæ participationem aliquam, & familiaritatẽ, manifeſte exiſtimavit Vulgatus Interpres cum. 3. Reg. 4. 27. dixit de præfectis Regis Salomonis: *Neceſſaria mẽſæ Regis Salomonis cum ingenti cura præbebant in tempore ſuo.* Pro quo ex verbo legitur; *Alebant præfecti Regem Salomonem, & omnem appropinquantem*, vel, *propinquum ad menſam Regis.* Quare *propinquos* dixeris, *ſus Panyaguados.*

Nicetas.

קרב

Hieronym.

Pagn. Regia. & fere etiã Tygur. Cajet. Iſidor. Clar.

7 *Dereliquerunt me.* Verbum *Hhadal* affert ceſſationem ab aliquo opere, aut officio: Nemo illorum mihi adeſt, defuerunt ſuo officio, me nemo viſitat. ſimilis querimonia David, cum decumberet ex fœdo ulcere, & morbo contagioſo Pſal. 37. 12. *Et proximi mei* (ſocii) *adverſum me appropinquaverunt, & ſteterunt,* (ut meam plagam conſiderarent, & averſi ſteterunt, ne me viderent) *& qui juxta me erant* (ab eadem voce, *propinqui mei*, quorum erat munus mihi aſsiſtere) *de longe ſteterunt* (reformidantes nimirum vim morbi contagioſi.) quod iterum dixerat Pſal. 30. 12. * *Qui videbant me* (qui me frequenter viſitare ſolebant) *foras fugerunt a me.* Ergo IOB amplificat tum vim peſtilentis morbi, & fœdiſsimi ulceris, tum infidorum amicorũ ſive levitatem, ſive improbitatem.

חדל

*De los q̃ me ſolian ver en mis enfermedades, nadie a entrado por mis puertas.

8 *Et qui me noverant.* Idem quod ſupra; & *noti mei*; ſed ibi paſſive, hic active, ut diſcrimen aliquod intercedat; *Cognoſcentes me*; Septuaginta, *ſcientes nomen meum.* Quibus ego ipſe ita notus, & familiaris eram, ut in ore illorum, & oculis ſemper verſarer. vel, ut ad cognitionem illam ex communicatione arcanorum (de qua nuper dicebamus) reſpiciat; Quibus propter neceſsitudinem, & familiaritatem me totum credebam. *Obliti ſunt mei.* Vel de nomine me non agnoſcunt; nemo jam recordatur vixiſſe *in terra Hus virum, nomine IOB.* tum etiam me non curant; negligunt plane: nam Oblivio negligens eſt, recordatio vero diligens, & ſtudioſa, ſicut Scriptum eſt Thren. 2. 6. *Oblivioni tradidit Dominus in Sion feſtivitatem, & Sabbathum.* id eſt, contempſit, & ſuo conſpectu, aut benevolentia non dignatur.

LXX

Oblivio negligens.

XV. Inquilini domus meæ, & ancillæ meæ ſicut alienum habuerunt me, et quaſi peregrinus fui in oculis eorum.

1. *Inquilinus, aut advena in ſacro ſermone quis. Explicatus ſemel, & iterum Moyſes.*
2. *Advena pro Proſelyto. Proſelytus quis ex Moyſe, Samuele, & David.*
3. *Herodis facinus, & ignobilitas. Abrahã, & Sara faciebant proſelytos.*
4. *Iob convertebat ad veram fidem gentes, Tum etiã Aegyptii aliqui ad Iudaiſmũ, ſed hoc ſtudium magis in Eccleſia Chriſtiana.*
5. *Proſelytorum appellatio. Explicatus Moyſes, Matthæus, Paulus.*
6. *Ancilla quæ, aut nutrix. Illuſtratus Moyſes.*
7. *Quid Cognoſcere. Alienus. Ad oculos ſervire. Illuſtratus Iſaias, & Paulus.*

Non ſolum (inquit) Domeſtici, ac propinqui, verum etiam mei ſervi, ſic 1

nunc me tractat, quaſi nullius unquam imperii mei ſibi fuerint conſcii; meque tanquam hoſpitem, & hominem quempiam alienum prætereunt. *Inquilini domus*; Septuaginta, *Vicini domus*. Et recte; nam Latinis fere idem eſt, *Inquilinus*, quod *vicinus*, quaſi dicas, cohabitator. ſed *inquilinus* prop. qui non in proprio, ſed in alieno, & conducto habitat. vel, ut Iuris Periti definiunt, *Qui in conductis ædibus ſolus habitat*, vel, *Vrbani prædii conductor*. Quamquā non ſemper accipiatur pro eo, qui ſolus habitat, ſed pro eo, qui in alieno cohabitat. Qua ratione dictum a Deo eſt Levit. 25. 23. *Terra non vendetur in perpetuum, quia mea eſt, & vos advenæ.* vox eadem, quæ hic *Inquilinus*: Vnde Tygurina legit; *Vos inquilini, & coloni mei eſtis*. Feſtus quoque; *Inquilinus, qui eundem focum colit, aut ejuſdē loci cultor*, qui ſub eodem tecto cum ſuo hero, vel ſocio commoratur. Ex proprietate autem vocis orginalis dicas, *hoſpites, peregrinos, advenas*: nam his etiam nominibus ſolet Vulgatus vertere vocem originalem. atque eadem eſt vox, infra cap. 31. 32. *Peregrinus foris non manſit*. Nimirum peregrinus erat, *inquilinus domus*: admittebatur enim intro ad cohabitandum. ſic Exodi. 3. 22. *Poſtulabit mulier a vicina ſua, & ab hoſpita ſua*. Et ibi addit Onkelus; *ab hoſpita domus ſuæ*. pro *hoſpita*, legimus apud Septuaginta; *Contubernali*. & ſanctus Auguſtinus in loquut. legit; *ab inquilina ſua*; & ait in Græco haberi; *a cohabitatrice ſua*, & q. 39. legit; *cancellaria*, vel, *concellanea* (*ſi ita dicendum eſt*) *vel cohabitatrice*. & Levit. 25. 6. *Advenæ* (Septuaginta; *inquilino*) *qui peregrinatur apud te*. & Pſal. 38. 13. *Advena ego ſum*. Sed proprietatem vocis *Gur*, habes Exod. 2. 22. Cum Moyſes habitans in terra aliena, apud Ietro ſocerum ſuum, ſub eodem tecto, volēs rem hanc exprimere ex hac voce, nomen primogenito ſuo impoſuit; *Iuravit Moyſes, quod habitaret cum eo: accepitque Sephoram filiam ejus uxorem, quæ peperit ei filium; quem vocavit Gerſam, dicens; Advena* (inquilinus, peregrinus, hoſpes) *fui in terra aliena*. Ergo *inquilinos*, dicas peregrinos, & hoſpites, quos ſub tecto ſuo recipiebat IOB; aut ſervos adventitios, non vernaculos, neque domi natos.

LXX.

Inquilinus quid apud Latinos.

Lib. 7. D. de acquir. poſſ. ſ. L. fi. D. de migrand.

Tygur.

Feſtus.

גרים

Onkel.

LXX.

Auguſtinus

גור

LXX

Auguſt.

2 Proſelytus.

Sed eſt aliquid etiam peculiare latitans in hac voce *Ger*; ſignificat enim etiam *Proſelytum*. Sic vertit noſter Interpres. 1. Paralip. 22. 7. *Præcepit, ut congregarentur omnes Proſelyti*, (Hebraice, *Gerim*) *de terra Iſrael*. Quo etiam modo legunt Septuaginta; ſicut etiam. 2. Paralip. 2. 17. *Numeravit Salomon omnes viros Proſelytos, qui erant in terra Iſrael poſt dinumerationem, quā dinumeravit David pater ejus*. Similiter etiam Ezech. 14. 7. *Homo, homo de domo Iſrael, & de Proſelytis, quicumque advena fuerit in Iſrael*. Quibus locis alii legunt; *Advenas, peregrinos, hoſpites*. Poſſent etiam legere *inquilinos*. In quam etiam ſignificationem conſentit Elias Thiſbites, in radice *Gajar*, cujus hæc ſunt verba: *Gajar Rabbini dicunt, Peregrinus, qui Proſelytus efficitur: Item Abraham viros Proſelytos faciebat, Sara vero mulieres. Radix ejus eſt, Gur*. Paulo clarius R. Mardok. *Ger, incola, peregrinus, advena, item Proſelytus, qui ex gentibus convertitur ad Hebraiſmum*. hos enim vocabant *Proſelytos*, videlicet, qui non genere, ſed quaſi ad optione initiati profitebātur Iudaiſmum, & circumciſionem accipiebant, ut lege ſtatuebatur, Exod. 21. 48. *Si quis peregrinorum in veſtram voluerit tranſire coloniam*, (Septuaginta; *ſi quis ad venerit ad vos Proſelytus*. Onkelus: *Quando tecum fuerit proſelytus aliquis*) *circumcidetur prius, &c. eadem lex erit indigenæ* (qui genus ducit a Iacob) *& colono* (ſive inquilino, id eſt, advenæ: Septuaginta, *& advenienti proſelyto*) *qui peregrinatur apud vos* Onkelus: *lex una erit indigenæ, & proſelyto, qui Iudaiſmum accepit inter vos*. Quare cum Lex aut Scriptura de *advenis*, aut *peregrinis*, aut aliis gentibus loquitur inter Iudæos commorantibus, de *proſelytis* accipio; ut de Amalechita illo. 2. Reg. 1. 13. *Filius hominis advenæ* (Septuaginta, *incolæ*; Vatablus, *proſelyti*) *Amalecitæ ego ſum*. Tum etiam Ammonites, & Moabites, de quorum *introitu in Eccleſiam*, eſt ſpecialis lex Deut. 23. 3. 8. *& vulgus illud promiſcuum* AEgyptiorum comitantium Iſrael exeuntem, Exod. 12. 82. *Vulgus promiſcuū innumerabile aſcendit cum eis*. Quod Onkelus *alienos* vocat. omnes, inquam, iſti ad proſelytorum ordinem pertinebant. Sic Auguſt. Pſal. 145. 9. *Dominus cuſtodit advenas*: legit; *cuſtodit proſelytos*; & interpretatur; *Proſelyti, advenæ ſunt*. nam *proſelevtho*, advenire eſt; & Pſal. 93. 6. *Advenam interfecerunt*; Theodoretus *Proſelytū* interpretatur, *qui ex gentibus accedit*. Tandem quoniam etiam illa fere eadem voce *inquilini*, aut *coloni*, proſelytum vocabant: nam, ut ex Aphricano hiſtorico refert Nicephorus lib. 1. cap. 11. & Euſebius lib. 1. c. 7. *Proſelyti*, & advenæ, *Gioræ, id eſt, terræ incolæ, qui cum Iſraelitis permiſcebantur, vocati ſunt*. proptereaque Herodem combuſiſſe annales de genere, & familiarum antiquitate, quod neque ipſe ad Hebræos

Elias Thisbites.

גייר

R. MordoKai.

Proſelytorū lex.

LXX

Onkelus.

LXX.

Vatabl.

Theodoret.

Προσήλυτος a Προσελεύθω

Aphrican. Nicephor. Euſeb.

Γιῶραι

antiquiores, neque ad proſelytos poſſet genus ſuum referre. Vides igitur *Proſelytum*, aut *Inquilinum, colonum ve*, non multum differre: tum etiam ſicut *Inquilinum* in ſervorum adventitiorum numero, ita etiam *Proſelytum* reponi poſſe: nam Exod. 12. diſcrimen conſtituitur inter *alienigenam*, qui eſt ſervus emptitius, & circumciſus; & inter *mercenarium*: iſte enim, ut pote non proſelytus, neque vere ſervus, ſerviens tamen pro mercede, non permittitur comedere Phaſe. Verſ. 43. 44. *Omnis alienigena non comedet ex eo; omnis autem ſervus emptitius circumcidetur, & ſic comedet: advena* (id eſt, liber non circumciſus) *mercenarius non comedet ex eo.* Proſelyti etiam Abrahæ, ſervi erant: nam Septuaginta dicunt illos *poſſeſſos* ab Abraham. igitur iſti *inquilini* fuerunt ſervi IOB, adventitii, quos ipſe pro ſua in Deum pietate, & religione Deo lucrifeciſſet, & ad veram fidem ex gentibus convertiſſet; propterea *proſelytos* fuiſſe, & ſub eodem tecto commorantes.

Servorũ Iſrae[litarum] [di]ſcrimen. — LXX. — Abrahæ proſelyti, & ſervi. — Iobi proſelyti.

4 Quare mirari licebit fervens, & ardens ſtudium viri ſanctiſsimi, qui, ut ab Abrahamo genus, ita & ſtudium promovendæ Religionis, & Fidei duxiſſe videtur. Nimirum Sancti non de ſe ſolis, ſed de *proximis* quoque ſuis Deo lucrifaciendis, *mandatum* ſibi eſſe exiſtimant. Abraham huic ſtudio vacabat convertendi viros, & ethnicos ad veram fidem; Sara autem fœminas; ut colligitur ex illo Geneſ. 12. 5. *Tulit univerſam ſubſtantiam, & animas, quas fecerat in Haran.* Sic interpretante Onkelo in paraphraſi; *Animas, quas ſubjecerant legi.* & Elia Thesbite ſuperius adducto, atq; Hebræis antiquioribus, nec non etiam recẽtioribus aliis interpretibus. *Proſelyti* autẽ illi, iidem erant ſervi. Sic Septuaginta; *Omnes animas quas poſſederãt.* Iſraelitæ deinde in AEgypto, multa AEgyptiorum millia ad Fidem adduxerũt: nam licet quidem Origenes hom. 13. in Lucam ſcribat; *Ante Salvatoris adventum Angeli parum poterant creditis ſibi utilitatis afferre. Quando Angelus AEgyptiorũ AEgyptios adjuvabat, vix unus proſelytus credebat*; tamen proſelytos AEgyptios, qui cum populo Iſraelitico egreſsi ſunt ex AEgypto, Scriptura Exod. 12. 38. vocat, *Vulgus promiſcuum innumerabile*. Quod ex Hebræo proprie reddiderunt Septuaginta; *Commiſtus multus*; aut, *miſtio multa.* quæ Appellatio, erat etiam proſelytorum, qui, cum ingrediebantur in populum Iſraeliticum, miſcebãt ſe cum illis. Quare Iſidorus ex hac ipſa miſtione, *proſelytum* definit lib. 7. Originum.

Sanctorũ ſtudium lucrifaciendi proximos Deo. Eccleſi. 17, 12. — Onkel. — Thesbites. — AEgyptii ad Iſraelitas cõverſi. — Origenes. — 5 LXX — Iſidor.

cap. ultimo; *Proſelytus* (inquit) *advena, & circumciſus, qui miſcebatur populo Dei.* & Aphricanus quoque hiſtoricus nuper adductus, ad iſtum Scripturæ locum alludẽs, de genealogiis Proſelytorum ſcribens, ait; *Sicut Achior ex Ammonitis, & Ruth ex Moabitis, alii etiam ex AEgypto, qui dicuntur Iſraelitis eſſe commiſti.* & 2. Paralip. 2. 17. *Inventi ſunt proſelyti centum quinquaginta tria millia, & ſexcenti.* De Idumæis quoque, imo, & de omnibus gentibus, Origene teſte, *Nonnulli proſelyti fiebant*. Atque adeo nõ tam Divini honoris Zelo, quam ſui honoris, & lucri ſtudio, ut legem, atq; ſuũ populum viderentur promovere, & amplificare, ſtudebant Phariſæi convertendis ad Iudaiſmũ Ethnicis: *Væ* (inquit Chriſtus) *vobis Scribæ, & Phariſæi, quia circuitis mare, & aridam ut faciatis unum proſelytum.* Quãquam, ut admonet Chryſ. hom. 23. in Matth. quamvis nullum nõ lapidem moverent, ut unum proſelytum facerent, vix tamen poterant, nam malo vivendi exemplo, potius a pietate cæteros avertebant. Sed poſt Deum hominem natum propter nos homines, quantus Sanctorum Zelus, ut omnes Evangelio lucrifaciant; integra regna, & provincias ampliſsimas, atque ut *prædicent Evangelium omni creaturæ!* quanta etiam gentium alacritas advenientium ad Fidem! ut ex India utraque, Iaponiis, atque infinita pene barbarorũ multitudine advenæ, & proſelyti numerentur! Sic promiſſum Eccleſiæ a Deo eſt: *Ecce accola* (veniet. Septuaginta; *Ecce proſelyti accedent*) *qui non erat mecum*. (Septuaginta, *ad te per me.* Chriſtus IESVS loquitur) *Advena quondam tuus adjungetur tibi.* (Septuaginta; *Coloni erunt tui, & ad te confugient*) id eſt, non ſicut quondam advenæ, & proſelyti ex alienigenis, quamvis legem profiterentur, tamen non cenſebantur domeſtici, & indigenæ, ſicut Iſraelitæ. ſed ad hanc ipſam rem alludit Paulus; *Erunt non jam hoſpites, & advenæ, ſed cives Sanctorum, & domeſtici Dei*. Sed dicendum jam de aliis ſervorum generibus, qui etiam afflicto hero non adfuerunt.

Aphrican. — Phariſæi quo affectu facerent proſelytos. — Matth. 23. 15. — Chryſoſt. — Gentium ad Chriſtianã Fidẽ converſio. — Iſaias. 2. 19. — LXX. — Ephes. 2. 19.

6 *Et ancillæ.* * Miniſtræ domus, quarum fidei, & ſedulitati miniſteria credita erant. Habet enim *ancilla* nomen Hebræum a fidelitate; nam *Ama* ancilla eſt. Sic Hiſpanus vocat, *el ama.* tum etiam ſicut noſtrates peculiari nomine nutrices vocant, *las amas*, ita ab eadem radice *Omen*, nutricem ſignificat. Numer. 11. 12.

*Las criadas, y las amas de caſa. — אמה — אמן

Quaſi alienum. Qui nihil cũ illis habuiſſem, a quo prorſus eſſent abalienato animo, *habuerunt*, reputaverunt me. Vox ea-

dem,

* Mis criados me desconocēy los mios se estrañan de mi, como que nunca me uvieran visto.

dem, quæ supra. * *Quasi alieni recesserunt a me. Et quasi peregrinus.* Alienus, extraneus, nunquam, nec de facie, agnitus, Non me agnoscunt. vel, sic me intuentur, quasi nunquam antea agnitum. Radix originalis significat recognoscere rem sibi familiarem, & antea notam. Sic Genes. 38. 25. *Cognosce cujus sit annulus, & armilla, & baculus; qui agnitis muneribus ait, &c.* Inde *peregrinus*, quē nunquam videris, audierisve. Isaiæ. 28. 21. * *Peregrinum opus ejus ab eo.* id est, inauditum supplicium, & cujus simile nunquā visū sit in suo populo. Propterea hic dicitur, *In oculis eorum*, cum me vident, censent nihil unquā simile se vidisse. Alias, *in oculis alicujus esse*, nihil aliud significat, quam, in præsentia alicujus. Videtur autem hoc loco emphasim habere, nam illud minimum est, quod nemo servus non habet, videlicet ad *oculum servire* suo hero, id est, in oculis sui heri sedulum se, & audientem dicto præbere, propterea enim Paulus præter communem servorum morem hoc amplius a servis Christianis exigit: *Non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed, ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate servientes.* Ergo servi IOB non solum non *serviebant ad oculum*, sed oculis etiam torvis, & minacibus miserrimi sui heri animum, atque oculos plenos lachrymis configebant.

7 נכר

* Estraño castigo, y nūca visto.

Propriū servorum servire ad oculum. Ephes. 6. 5.

Servi Christiani. Ephes. 6. 6. 7.

Iob a servis exagitatus.

XVI. Servum meum vocavi, & non respondit: ore proprio deprecabar illum.

1. *Servorum solatium quale. Quid deprecari.*
2. *Servorum ingenium, qua ratione tractandum.*
3. *Servus quis proprie, plura illorum nomina, & gradus.*

I Servorū convitia.

SOrdidum quidem est servorum solatium, sed tamen homini misero ab amicis deserto utile tandem atque postremū. quod si hoc quoque desideretur, quanta miseria! Si pro debito servorum obsequio accedant injuriæ, & convitia, quantus animi dolor in tanta servorum impietate! Philippus eleganter ait; *Ad valde acerbam injuriam pertinet, ut Domini cum servis blande loquantur, & servi contemnant.* Quod autem dixit Philippus, *blande loqui*, bene expressit, quod dicitur, *deprecari: Hhanan* enim est blande loqui, & *cum obsecrationibus, ut loquitur pauper*, & misericordiam alterius allicere fusis precibus, nihil ex debito,

Philipp.

חנן

Prov. 18. 23.

sed ex gratia, & misericordia implorando. Servum igitur, non ut servum, sed ut eum, qui obsequium minime deberet, *deprecabatur* IOB: Quasi ego (inquit) conservus essem, imo servus, *vocavi* etiam voce flebili, & miserabili, & *vocavi* ex nomine; habet enim proprii nominis compellatio, blandum aliquid, & quod ad misericordiam alliciat. Addit etiam catenæ auctor; *Magnam partem obtinere ad dolorem, ab ægrotante eum accersiri, qui debet obsequium, & imperium recusat.* Atque in hoc IOBI exemplum spectantes, jubet nos etiam servis inobedientibus non irasci. adde etiam ex Paulo, *minas remittere.* Sapienter Augustinus scripsit, indignum esse hominem velle, ut servus suus melius sibi serviat, quā ipse Deo; *Cum vis (inquit) ut serviat tibi servus tuus, & tu nō vis servire Deo, facis Deo, quod tu pati non vis.*

Nicetas.

Quo modo agēdū cū servis inobediētibus. Ephes. 6. 9.

August. lib. 1. de decem chordis, tom. 4.

Docemur præterea hoc loco, quod sit optimi heri, atque patientissimi ægroti officium, videlicet non exigere summo jure a servis, & famulis obsequia: neque omnino fastidire servile nomen. de qua re eleganter, & copiose disserunt Pretextatus apud Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 11. cum pro servis dicit, quos & Diis curæ esse, & multos ex his fortes, fideles, providos, sapientesque fuisse confirmat. atque inter alia; *Non est* (inquit) *quod amicum tantum in foro, & in curia quæras. si diligenter attenderis, invenies & domi. Tu modo vive cum servo clementer, comiter quoque: & in sermonem illum, & nonnunquam in necessarium admitte consilium. nam & nostri majores omnem Dominis invidiam, omnem servis contumeliam detrahentes, Dominum Patrem familias, servos familiares appellarunt. Colant ergo te potius servi tui (mihi crede) quam timeant.* Plura pulcherrima alia de servis perhumaniter tractādis eo loco Prætextatus, atque Plutarchus etiam lib. de Cohibenda ira. Senec. lib. 3. de Benefi. cap. 28. & lib. 4. Controv. 22. & Epistola 31. August. lib. 19. de Civit. cap. 15.

2 Herus benignus erga servos.

Macrob.

Prætextatus. Plutarch. Senec.

August.

Docemur præterea, servorum ingeniū quam esse soleat iniquū: quos si bene tractes, pejores fiunt; si male, pessimi. Proverbio enim illud jactatur: *Totidem nobis hostes esse, quot servos.* & Evangelus apud Macrob. *Quod nemo sapiens domi suæ contumeliam tam fœdæ societatis admittat.* & inde illud;

Evangelus.

Servo pejus nihil est, ne bono quidem.

Sed *servus* hoc loco est, qui servitutem servit duriorem. nam *Ghabad*, frequenter est servire cum labore, & molestia. ut Isaiæ. 14. 3. indicatur, ubi ponitur bis fere vox

3 Servus quid proprie.

עבד

eadem, *Cum dederit tibi requiem a ſervitute dura, quam antea ſerviſti.* Quare interdum eſt *opprimi*, ut Levit. 25. 39. *Si paupertate compulſus, vendiderit ſe frater tuus, non eum opprimes ſervitute famulorum.* ubi ter ſubeſt in Hebræo vox hujus radicis, & proprie legas cum Onkelo, *Non ſervire eum facias ſervitutem ſervorum.* aut cum Septuaginta, quod idem eſt, *Non ſerviet tibi ſervitutem famuli*; hæc enim durior eſt, ſed aliam videlicet mitiorem: nam ſtatim additur, *Sed*
Diverſitas ſervorum. *quaſi mercenarius, & colonus erit.* Erant enim diverſi gradus ſervorum, ut ſupra indicabamus Verſ. 15. num. 3. Atque in hoc ipſo noſtro loco tria etiam ſervorum genera diſtinguere licet, videlicet *Inquilinos domus*, *Ancillas*, & *Servos*: quos profecto & diverſos eſſe, ex ipſa vocum,
Diverſorũ ſervorũ nõ eadẽ miniſteria. & nominum proprietate oſtendimꝰ. Atq; diverſa etiam miniſteria obiiſſe diverſos olim ſervos, certum eſt: nam tres illorum ordines, & quodammodo gradus conſtituuntur ab antiquarum rerum obſervato-
Petrus Pythæus lib. 2. cap 9. ribus. In primo erant Actores, Diſpenſatores, Amanuenſes, Ordinarii, quorum opera, & ſedulitate, res domeſticæ, & privatæ adminiſtrabantur. Hos forſam nunc *Inquilinos* vocat. In ſecundo Mediaſtini, qui & in media domo ad omnium imperium viliſsima, & ſordidiſsima domus miniſteria obibant: dicas hos *Ancillas*, famulos. In tertio qui & duriorem adhuc ſerviebant ſervitutem, & Compediti, aut Vincti dicebantur, & erant, vel pœnæ, vel cuſtodiæ cauſa, aut ex officii more. hi nũc *ſervi*, aut mancipia. Adde his etiam ſervos paſtores, & qui rem agrariam curabant, ex quibus conſtabat *familia*. Plura de his
Alex. li. 3. c 24. habes apud Iuris peritos. Plura illorum nomina, & miniſteria apud Alexandrum. plures itẽ ſervorum ſpecies apud Iudæos, de quibus alias.

XVII. Halitum meum exhorruit uxor mea, & orabam filios uteri mei.

---

1. *Quid exhorrere, Fœtidum IOBI ſpiritum. & Teter ſpiritus.*
2. *Communicatio ſpiritus inter virum, & uxorem. Illuſtratus Malachias.*
3. *Spiritus pro vita, pro voce.*
4. *Fæminarum ingenium vindictæ appetens.*

---

1 *Philipp.* Latini plerique gravitatem fœtidi, & corrupti halitus averſatam fuiſſe uxorem interpretantur. & Philippus quidem ait, totum intrinſecus computruiſſe, vel propter apoſtema pulmonis, vel propter ſanioſum, & fœtidum ſpiritum; nam etiam ptiſi laboraſſe ex hoc veriſimile eſt, ut ſuperius diximus, cum de IOBI morbis diſſereremus. Sed ingentẽ miſeriæ exaggerationem habet, quod gravem halitum *horruerit uxor*, vel, ut in Hebræo eſt, *alienus fuerit uxori*, propterea exhorruerit, & Amplificatio miſeriæ.
averſata fuerit, nec ſine moleſtiſsima nauſea excipere potuerit. Hæc enim omnia affert vox originalis, quæ aliquando vertitur, *nauſea*, ut Numer. 11. 20. *Comedetis carnes, donec vertatur in nauſeam*, quod propr. dices, *in alienationem*, id eſt, in cibum זרה
ingratum ventriculo, qualis eſſe ſolet cibus inſolens, & peregrinus. Et vero qualiſcumque demum halitus eſſet, uxori tamen minime alienus videri debuit. quamvis enim antea minus gravem viri ſpiritum experta fuiſſet, tamen jam tunc temporis, atque id ætatis ſuſpicari debuiſſet, *omnes ſimiliter viros olere*, ſicut Hieronis uxor illa caſtimoniæ, atque amoris conjugalis exẽplum ſingulare, dixiſſe fertur. Plutarch. li. de utilitate capiẽda ex inimicis.

Eſt autem propter quotidianum convictum viri *halitus* uxori notus, & familiaris. & hæc loquutio videtur olere aliquid 2
amoris mutui conjugalis: eſt enim in amãtibus reciprocatio ſpiritus; imo, & inter virum, & uxorem unum quaſi ſpiritum cõſtituit Deus Malach. 2. 14. cum enim de Periſphraſis amoris conjugalis.
non repudiandis propriis uxoribus, neque alienigenis accipiendis loqueretur, ait, *Hæc particeps tua, & uxor fœderis tui. Nonne unus* (Deus) *fecit utrumque*, (virum videlicet, & fæminam) *& reſiduum ſpiritus ejus eſt?* id eſt, ſimili inſpiratione, qua vivificatus eſt Adam, vivificata eſt Eva. vel, uxor eſt *reſiduum ſpiritus* ſui mariti; videntur enim vivere uno ſpiritu, eundem trahere & mittere halitum. & ſtatim cum ab amore alienigenarum uxorum avocat, *Cuſtodite ſpiritum.* id eſt, ne comunicetis veſtrũ ſpiritum fœminis gentilibus, neque illis cõmiſceamini. Sic enim hanc particulam interpretatur Hieronymus: *Cuſtodite ſpiritum veſtrum, ne abducamini libidine, ne alienigenarum amore vincamini.* Neque ab hac re abludit ſecunda pars, quæ ſequitur, de *orandis*, aut petendis *filiis*, ex quorundam interpretatione, ut ſtatim videbimus. Vir, & Vxor ejuſdem ſpiritus. *Hieronym.*

Quoniam vero *halitus* idem eſt hoc loco, qui ſpiritus, atque ſpiritu, & halitu vita conſtat, licebit ſic interpretari, ſpiritum, vitamque meam horruit uxor, id eſt, me viventem faſtidit, & cupit jam e medio ſublatum. Tum etiam aliquando ſumitur *halitus*, & ſpiritus pro ſpiritu oris, & labio- 3 Halitus, pro ſpiritu.

rum

rum, id est, pro voce: & nunc efficiet hunc sensum, ad meas ærumnas, ad gemitus,& suspiria, ad voces singulas horret, & nauseat uxor mea, tantum abest, ut ad sit mihi ægrotanti, & laboranti, ut potius fugiat meam vocem,tanquam sibi ingratissimam, & molestissimam, clamore igitur,& gemitu vocabam uxorem fugientem. sic enim secundam partem ad uxorem etiam referunt Septuaginta, *& rogabam uxorem meã.*

LXX.

4 Atque notant Græci præfactã ingenii fæminarum contumaciam, & vindictæ cupiditatem, quibus, si semel petita neges, injuriam censent,& reponunt alta mente,ut vitam ipsam tuam, quam ab ipsis deinceps efflagites, pernegare paratæ sint; sic Nicetas facit IOBVM loquentem: *Ita uxor mea me despiciebat, & ; quia eam audire recusabam flagitiosa suadentem, conficere me molestiis adoriebatur.* Non vipera inimicior, læsa fæmina, cujus propria videtur vox illa. *Quo modo fecit mihi, sic faciam* Minime profecto fortis mulier: hæc enim *reddit viro suo bonum, & non malum, omnibus diebus vitæ suæ.*

Nicetas.

Fœmina vindictæ cupida.

Prov. 24. 29.

Prover. 13. 12.

Iuvenal. satyr 3.

Quippe minuti
Semper, & exigui est animi, exiguique voluptas;
Vltio. Continuo sic collige, quod vindicta
Nemo magis gaudet, quam fæmina.

Et orabam filios uteri mei.

5 Rabbinorum intemperãs delirium. Qui filii Iob 4. expositiones parum probabiles.
6. Fœmina liberorum, & posteritatis cupida. Mos obsecrandi per defunctos liberos. Tres aliæ expositiones.
7. Filii, Nepotes, & pro nepotes, an isti fuerint etiam cum filiis extincti.
8. Filii IOB illius discipuli, & auditores veræ religionis.
9. Filios susceperat IOB ex concubinis. Quales fuerint nuptiæ Patriarcharum cum ancillis. Explicatus Moyses, & David.
10. Ancillarum filii ingenio servili. Explicatus Moyses.

An præter filios convivãtes domus ruina oppressos fuerint IOBO alii superstites.

5 ET *Orabam filios.* Non omnino facile, quos nam *oraret filios,* cum ruente domo oppressi jam fuissent? sic Nicetas difficultatem hujus sententiæ auget. *Hæc* (inquit) *non ad filios pertinere, quamvis secus videatur, illud plane ostendit, quod cuncti filii in convivio fuerunt extincti.* Ergo qui brevi volet rem videre, quam eligimus,& dubitationis non omnino facilis solutioné facilem, contẽdat ad decimam expositionẽ, quç simplicissima est; qui plenius velit rem cõprehendere,non sine operepretio,novẽ sequentes expositiones alias percurrat.

Nicetas.

Primo ergo R. Levi censet, cum ignoretur, quantum temporis intercesit ab interitu filiorum ad hanc querimoniam, fieri quidem potuisse, ut alios jam filios ex sua uxore suscepisset, quos *orasse* nunc dicat. Sed plane delirantis somnium, & non nisi intemperantis hominis. Tum quod qui tam graviter, & ad extremum usque spiritum ægrotabat,minime potuisset procreare liberos, tum quod nemo censuit tot annos in his ærumnis vixisse, ut quamvis simul atque percussus est a dæmone, vacasset conjugali muneri, jam nunc idætatis haberent filii, ut opem afferre parẽti afflicto, & obsequium præstare oranti potuissent. Adde quod filiorum jactura non prius illi compensata fuit, quam rerum aliarum, ut ex ultimo capite non obscure colligitur.

Prima expositio. R. Levi.

Intẽperans & delirũ sõniũ Rabbinorũ.

Secundo, non valde ab hoc abludit Vatablus,qui locum hunc & legit,& interpretatur his verbis; *Gratificatus sum propter filios ventris mei, id est, quamvis illi studeã gratificari, ut ex ea suscipiam liberos.* Scio sane rem uxoriam honestis verbis significari ab Scriptura. Sed illud nõ possum intelligere, ab homine lethaliter affecto, sanctissimo, & honestissimo, honeste proponi potuisse inter lamentandi causas, non patuisse sibi ad uxorem aditum.

Secunda expositio Vatabli nõ probatur.

Tertio, alii conditionalem quandã *orationem* accipiunt; Iam sum omnibus infensus, & exosus, ut etiam si superstites filios haberem, haberem tamen necesse illis supplicare. Recte, nisi vis afferretur sententiæ: nam in sententiam simplicem nõ nisi invitus, & coactus cadit hujusmodi conditionatus explicatus.

Tertia expositio.

Quarto, Hebrçus apud Cajetanum profert hanc lectionem; *Miseratus sum filios uteri mei.* & ait ad miseriarum cumulũ spectasse filiorum defunctorum miseratiõnẽ. sed hæc miseratio importune prorsus nũc interjiceretur. nisi forte velit, Iob miseratum filios suos, id est, opẽ illorum, & obsequium desiderasse, cũ se videret ab omnibus deseri. Sed profecto sensus durus est, & quamvis verbum originale *miserar* significet, sed tunc habet articulum accusativi, nunc autẽ habet articulum tertii casus, ut statim dicemus.

Quarta sententia.

Verbum Hebraicũ varie constructum.

6 Quinta expoſitio.

Quinto alii interpretantur non ipſos *filios*, ſed uxorem ſuam per filios oraſſe Iob. Confirmare poſſunt ex lectione Septuaginta: *Rogabam uxorem meam.* Sed prætere a colligunt ex Hebræo, ubi verbum *deprecandi* conſtruitur cũ articulo *lamed* præfixo *filiis*. q. d. *per*, vel, *propter filios*. Tunc vero duplex ſenſus: alter Pagnini, ut, *orare uxorem per filios*, ſit opem, & obſequiũ aliquod ab illa petere, ita filios ex illa ſuſciperet Dei beneficio nã. quæ ulla fœminæ orbatę filiis gratior, aut efficacior obſecratio, quã per filios? ſicut nulla durior imprecatio quã illa properãtis ancillæ ad Sarã Tob. 3. 10. 11. *Amplius ex te non videamus filium, aut filiam ſuper terram, Interfectrix virorum tuorum.* Ad hanc enim vocem *perrexit in ſuperius cubiculum domus ſuæ, & tribus diebus, & tribus noctibus, nõ manducavit, neq; bibit.* Secũdus ſenſus, quem ſequitur Iſidorus Clarius, ut ſit obſecratio *per filios defunctos*; quę deprecandi formula, non poterat non eſſe grata, & efficax, atque plena commiſerationis apud matrem amantem filiorũ. neque fuit omnino inſolens jurare, aut obſecrare per defunctos, tanquam per rem ſacram, præſertim per liberos. Hecuba ſic per patriæ cineres, ac per ſuos jurat liberos;

Pagninus. Quæ gratiſſima fœminis obſecratio. Iſidorus. Senec. in Troad. act. 1.

Teſtor Deorum Numen adverſum mihi;
Patriæque cineres, teque rectorem Phrygũ,
Quem Troja toto conditum regno tegit,
Et vos meorum liberum magni greges.

Sẽſus hic lenis, & planus merito viſus fuiſſet Eugubino, niſi Latinę lectioni incõmodus, Hebrææ quoque non valde opportunus: Nam licet articulus *lamed* aliquando vertatur a Vulgato, *per*, ut Numer. 10. 2. *Per cognationes, & domos ſuas*: Sed longe diverſo ſenſu; nimirum *juxta*, vel *ſecundum cognationes ſuas*: affere enim poteſt ordinẽ, nunquã vero jurandi, aut deprecandi vim neque formulam. Melius alii, qui *lamed* faciunt articulum accuſativi caſus, & legũt; *Deprecabar ad filios*. quamvis hi conſtructionem Hebraicam dent verbo Latino: nam articulus ille eſt proprius conſtructionis verbi *Hhanan*, quod vel regit accuſativum mediante articulo *Eth*, quod eſt frequentiſſimum; vel dativum, idque in hoc tantum loco, mediante *lamed*, ut qui Latine conaretur dicere; Rogavi Petro; vel ad Petrũ. quod Hiſpanus ſimili conſtructione dicat, *Rogue a Pedro*.

Steuchus. Regia. את

Sexta expoſitio. Symmach.

Ergo alii intelligunt deprecatum fuiſſe filios ſervorum, quos, velut proprios liberos haberet, & diligeret. Sic legit Symmachus; *Filios puerorum meorũ.* Repugnat plane cum Hebræa, & noſtra lectione; nam *filii uteri ſui*, alieni filii eſſe non poſſunt. Septimo, eadem etiam ratione refellitur expoſitio Rabbi David Kimhi exiſtimãtis filios appellari, quos ipſe diligeret, ac ſi eſſent ſui filii. q. d. Orabam dilectiſsimum quemque, ac mihi chariſsimum. Atque huc referri poteſt Hugonis expoſitio; *filios* intelligentis, quos ipſe enutrierat, & aluerat domi ſuæ. Sed filum hujus narationis, & lamentationis expoſcit, ut poſt enumeratos amicos, familiares, vernaculos, ſervos, uxorem, veros filios ex ſe progenitos, adjungeret.

Septima expoſitio. R. David. Hugo.

7 Octava expoſitio.

Hæc ſane eadem ratio enervat quoque octavam expoſitionem Philippi Presbyteri, quæ *filiorum* nomine nepotes, & pronepotes intelligit, quã poſtea probabilẽ exiſtimavit D. Thomas ſcribens poſſe intelligi, *Filios filiorum; Qui mortem propriorum parentum peccatis propriis, imputantes peccatis I O B, ipſum contemnebant.* Sequuntur Nicolaus, & Dionyſius. Contra hoc vero militat, quod ſæpe I O B deplorat ereptã ſibi omnẽ poſteritatis ſpẽ, quę manebat ad huc integra etiã ſublatis filiis. Neq; eſt vero ſimile, abſuiſſe convivio illi noviſsimo omnes I O B nepotes, ſi qui erant, cum etiam ipſæ ſorores, quas virgines eſſe non levi conjectura diximus, interfuerunt. Nõ ideo nego veram eſſe illam Philippi regulam, *In Scripturis Divinis filii appellantur etiam pronepotes, & illi, qui ſunt de longiore ſerie nati. ſicut e contrario avi, proavi, atavi, patres dicuntur.* Res mille exemplis manifeſta, ſed propter rationẽ dictam a præſenti loco alienam cenſeo.

Philipp. D. Tho. Dionyſ. Nicolaus. Filii, omnes poſteri, ſicut Patres, aui.

8 Nona expoſit.

Nonum locum obtinet, quam ſecundo loco proponit Philippus, *filios* pro diſcipulis accipi. ſed non inutile illius verba adſcribere. *Potuit* (inquit) *& illos ventris ſui filios dicere, quos ſapientiæ ſuæ doctrina, tanquam ſemine; & utero cordis ſui formaverat, habens in ſe per gratiam Dei ſcientiæ formam, & diſciplinam naturalis legis, in veritate ſicut, & ipſe de eiſdem ait; ſuper ipſos ſtillabat eloquium meũ: & hi filii, ſive diſcipuli facti ſunt inimici.* Auguſtini verba hoc loco hanc ipſam expoſitionem olere videntur; ſic enim ille textum cum ſua paraphraſi nectit; *Invocavi blandiens filios uteri mei, quos genuerã, perſuadens eis ſpem ſæculi.*

Philippus. Iob 29. 22. Auguſt.

Illud etiam incommodũ videtur in hac expoſitione, *filios* dici tunc per metaphoram, cum ſine alia figura accipi debeant, proprie ſervi, filii, uxor, &c. nam cætera expoſitio eſt ſine vitio, & nõ ſemel *uterus*, aut *venter* ſpiritualiter accipiũtur in Scripturis pro mente, & intelligentia, ut teſtatur Nazianzenus Orat. *Ad ſuos cives gra-*

Refellitur præcedẽs expoſitio. Vterus pro mente. Nazian.

Nyſſenus.
vi timore perculſos, & Nyſſenus oratione.
14. in Cantica. de quo nos quoq; dicemus
inferius cap. 32. Verſ. 18. *Filios* vero *Prophetarum* diſcipulos eſſe, atq; propter Do-
ctrinã, Paulum ſe nominare parentẽ eorũ,
1. Corint. 4. 15.
quos per Evangeliũ genuerat, nemo ignorat.
Tandem in decima, tãquam in optima,
9 & ſimplicisſima expoſitione conſiſtẽdum,
Filios uteri ſui dici a IOB, quos ſuſcepiſ-
Decima expoſitio germana & ſimplex.
ſet ex concubinis, ſeu ancillis. Hoc docue-
runt Septuaginta legẽtes; *Invocabã in blanditiis filios concubinarum mearum.* Explicat
LXX.
diſſerte Nicetas; *Filios concubinarum, eos hoc*
Nicetas.
loco appellat, qui non ſunt ex legitimis nuptiis:
ita ex Agar Abrahã Iſmaelem ſuſcepit, & ex
Bala Iacob Dan, Nephtalim: nam olim ad liberorum procreationem pellicibus uti, ad generis propagationem, haud vetitum erat. Dictum
Concubinæ Patriarcharũ veræ uxores.
hoc eo tantum corrigendum, aut interpre-
tandum benigne, quod quidem legitimæ
fuerint nuptiæ Patriarcharum cum concu-
binis, & licitus quidẽ torus cum veris uxo-
ribus. ſed non erant primariæ uxores, quæ
ad gubernationẽ domus; & hæredes pro-
creandos aſſumerentur; ſed tantum ad a-
liorũ liberorum procreationẽ. Addit de-
inde paulo inferius; *Neque enim Diabolo in*
genus IOBI univerſum, ſed in domum ejus
duntaxat facta eſt poteſtas; nã cætera ejus congregatio tranquilla, jucundaque vita fruebatur. Concubinarum autẽ filii non mane-
Filii concubinarum.
bant in domo paterna, neque primario ad
generis paterni propagationem ſpectare
cenſebantur, ut qui neq; rei familiaris hæ-
redes ſcriberentur; & qui muneribus tan-
tum acceptis, foras ſepararẽtur a filiis Ma-
Mater familias veniebat in partẽ hæreditatis.
tris familias, id eſt, primariæ uxoris. Sicut
enim quondã Mater familias veniebat in
partem hæreditatis, ita, & filii ex ea ſuſce-
pti: ſecundariæ vero uxores, eo jure non
gaudebant. Rem hãc apud Romanos etiã
Gellius.
tetigit Aullus Gellius lib. 18 cap. 6. dum
de matrona, & Matre familias diſſerit, ex
ſententia Meliſsi: Mater enim familias ve-
niebat viro, ſicut filia, in hæredis locum.
Sic jure quaſi ipſo, *cum vidiſſet Sara filium*
Agar Ægyptiæ ludentem cum Iſaac filio ſuo,
Geneſ. 21. 9. 10.
dixit ad Abraham; Ejice ancillam hanc, & filium ejus; non enim erit hæres filius ancillæ, cũ
filio meo Iſaac, & Geneſ. 25. 5. 6. *Dedit Abraham cuncta, quæ poſſederat Iſaac, filiis autem concubinarum largitus eſt munera; & ſeparavit eos ab Iſaac filio ſuo, dum adhuc ipſe*
viveret. Hi igitur filii IOB, recte dicuntur
filii uteri paterni. Uterus enim, ſicut & *ven-*
Uterus quid.
ter, non ſemper accipitur pro alvo fœmi-
nea, ſed ſæpe pro ſubſtãtia interna, & pro
viſceribus, aut aliqua viſcerũ parte. Qua-
re filii geniti ex paterna, & interna ſubſtã-
tia, dicuntur *filii uteri*, imo, & ipſa viſce-
ra paterna. qua ratione dictum eſt ad Da-
Irinæus lib. 3. c. 18. & Auguſt. ſup. Pſal. 131.
vid Pſal. 131. 11. *De fructu ventris tui ponam*
ſuper ſedem tuam. licet enim Irinæus, &
Auguſtinus exponentes hunc Pſalmũ, ve-
lint, ideo dictum eſſe, *de fructu ventris*, ut
indicaretur Chriſtus Dominus de ſola Vir
gine ſine ſemine paterno naſciturus; ſed
quidem *de ventre David*, id eſt, de ſemine
David ſecundum carnem naſciturus etiam
ſignificabatur; quare eleganter dictum eſt
ab Auguſtino, *de fructu ventris*, idem eſſe,
quod *de fructu fœmoris.* Sicut etiam ad A-
braham quoque dictum eſt, Geneſ. 15. 4.
Qui egredietur de utero tuo, ipſum habebis hæredem. Et ubi nulla tandem in alvo fœmi-
nea, ſed ſola ex paterna ſubſtantia gene-
ratio eſt, Pſal. 109. 3. dicitur, *Ex utero ante luciferum genui te.*
Ergo ex concubinis, aut ancillis filii a 10
IOBO ſuſcepti fuerant fortaſsis ſuper-
ſtites, qui cum aliis filiis matris familias
minime convivarentur, & ad communem
vitæ rationem neque vocarẽtur, neque ad-
mitterentur, & hos quidem ſervatos fuiſſe
primariis filiis acerbisſima nece ſublatis,
ſicut acerbioris doloris materia fuit, ita e-
tiam propter illorum ingeniũ minime in-
genuum, & quaſi ſervilem naturæ condi-
tionem, accedente præſertim dæmonis
malitia odium ingerente, & inſtillante ad-
verſus parentem, miſerrimum IOB in- Nati de ancillis, & ſervis illiberales.
crediliter iſti exulcerabant; *Nam ſicut*
oderunt omnes natos de pellice, ut ille dixit, &
ſpurium ingenium, atq; ſpurios mores vi-
detur facere ſpuria filii illegitimi natura,
ita etiam ſervile ingenium creare videtur Servile ingenium timore potius, quam præmio allicitur.
nativitas de ſerva, aut ancilla. Res nõ om-
nino obſcure indicata Deut. 27. cum Moy-
ſes Dei nomine proponẽs benedictiones,
& præmia, tum etiam ſupplicia, & execra-
tiones, populum diviſit in duas factiones;
& tribus illas vere ingenuas, quæ ex Lia, & Duo ordines filiorũ Iacob ſeorſim diſpoſiti a Moyſe, & cur.
Rachel proceſſerant, teſtes *Benedictionum*
conſtituit; at tribus reliquas, quæ ex Bala,
& Zelpha, execrationũ, minarũ, ſupplicio-
rum teſtes adeſſe voluit, ut quorum animi
timore potius ſervili, quam ingenua filio-
rum charitate ducerentur; *Præcepit Moyſes* *Verſ. 12. 13.*
populo in die illo dicens; Hi ſtabunt ad benedicendum Domino ſuper montem Garizim, Iordane tranſmiſſo; Simeon, Levi, Iudas, Iſachar.
(Hi filii Liæ.) *& Ioſeph; & Benjamin.* (hi
filii Rachel) *Et e regione iſti ſtabunt ad maledicendum in monte Hebal: Ruben* (quamvis
enim filius Liæ libere, tamen propter pec-
catum homine ingenuo, & patris ſui amã-
te indignisſimum, computabatur cum ſer-
vis, amiſſa quaſi libertate, nam ſervili con-

cupiſ-

cupiscentia pollutus est, cũ ascendit cubile patris) *Gad, & Asser* (filii Zelphæ) *& Zabulon* (postremus filius Liæ, ideoque, & dignitate ultimus, ut numerum senarium impleret, cum filiis ignobilioribus annumeratus est) *Dan, & Nephtalin.* (filii Balę.) Dicunt igitur rem hanc sic peractam, ut consistẽtibus in monte Garizim sex capitibus Tribuum liberarũ, sex item aliis filiis servarum in monte Hebal, universa autem multitudine inter utrumque montem, Levitæ conversa facie ad montem Garizim dicerent; *Benedictus, qui impleverit legem*; & responderent tum tribus Liberę, tum omnis populus, *Amen.* Et conversa facie ad montem Hebal, dicerent; *Maledictus, qui nõ impleverit*, & tum liberi servarum, tũ omnis populus responderet; *Amen.* Quid mirum igitur, quod & filii servarum, minime ingenui adversus I O B extiterint, & servorum instar, etiam vocati non responderent? Denique hic sensus placuisse videtur nostro Interpreti, displicereq; nemini debet, cum ab ipsa simplici, & plana sententia omnino videatur postulari.

XVIII. Stulti quoque despiciebant me: & cùm ab eis recessissem, detrahebant mihi.

1. *Stulti, pro impiis, & petulantibus.* Explicatus Samuel.
2. *Quid despicere.*
3. *Hypallage. Surgere honoris gratia.*
4. *In diuturnis morbis aliorum tædium. I O B omnibus fastidio, dum ægrotaret.* Illustratus David.

1 STulti quoque. Vox originalis indifferẽs est, ut iniquum, & perverse agentem significet, aut innocentem puerum; nam radix *Ghaval*, quod sæpe aliis accidit, contrarios habet significatus, videlicet lactare, quod ad commodum, & utilitatem refertur, aut inique agere, quod ad injustitiã, injuriam, subsannationem. Proprietas vocis manifestatur ex 2. Reg. 7. 10. *Non adent filii iniquitatis* (qui hic dicuntur *stulti*) *ut affligant.* (Septuaginta, *humilient*, dehonestent, subsannent) *eum.* Conqueritur igitur I O B se ab iniquis, & petulãtibus hominibus per summam iniquitatem irrisum, & contumeliis appetitum. *stulti*, qui, cum iniqui sint, nihil æquis oculis accipiunt; iniqui rerum ęstimatores; qui meã vitam ex meis ærumnis metiuntur; virtutis, & pietatis afflictæ subsannatores. Vel etiam alludit ad secundum vocis significatum, quod est lactare, unde dicitur, puer parvulus; *stulti*, tanquam pueri petulantes, quibus miser homo ludibrio, & risui esse solet.

עול

Verbum Hebræũ contrariarum significationum.

Despiciebant me. Eleganter Septuaginta, *Aversati sunt*. Proprie Hebraizantes: *Abominati sunt.* Vox originalis est proprie fastidire, abominari, abjicere cum nausea, & contemptu; Etiam ipsis stultis, & petulantibus juvenibus (quibus miser, & pannosus homo risui esse solet, ad quem ridẽdum, & irridendum catervatim confluere solent) ego abominationi sum, ita me omnes fugiunt, & abominantur. 2

Pagn. Reg. Cajetan.

מאס

Et cum ab eis recessissem. Si forte aliquando in me conjiciebant oculos, statim dejiciebant, & recedebant execrantes meũ cõspectũ. Quasi per Hypallagen, ut ipse dicatur recedere, a quo alii recedebant. sicut Actor. 21. 3. *Cum apparuissemus Cypro*, id est, cum Cyprus apparuisset nobis. Forte simplex, & sine figura sensus; Cum furori, & petulantiæ stultorum, & subsannatorum cedere volens recedebam, & subtrahebam me ab eorum conspectu, &c. Nam in originali, & Græco, est proprie; *Cum exurrexero, contra me loquuntur.* quod Vulgatus accepit; Cum exurrexero, ut abeam, ac Cajetanus, & Tygurina honoris causa dictum, atque factum volunt. Tygurina; *Etiam homines nequam aspernantur me, quibus cum assurgo, jaciunt in me scomata.* Cajetanus existimat hac sentẽtia vellicari amicos, quibus adventantibus honoris causa assurrexit I O B; sed pro hoc honoris officio, non nisi verborum ipse contumelias acceperit. 3

Hypallage.

Simplicior expositio.

Cajetan. Tygur.

Sed paulo secus Græci; *Cum surrexero, ubi nox præterit, & a somno fuero excitatus*, mihi detrahunt, contra me loquuntur, ita summo mane me configunt, & interdiu nihil, nisi de me lacerando cogitant. Tum illud ex Grecis; *Quod in diuturnioribus malis usu venit, in ore habebant, Quandiu hic non moritur? Quid pondus hoc grave, atque inutile hæret in terris? etiam nunc hic tartarus vivit!* Simile, id cum ægrotaret David; *Inimici mei dixerunt mala mihi, Quando morietur, & peribit nomen ejus?* (q.d. nihil loquũtur, nisi de meo interitu optando, & meo nomine abolendo.) *Et si ingrediebatur, ut videret* (clarius Hieronymus, *si veniret, ut visitet*) *vana loquebatur*: (mentitur, qui salutem meam sibi esse in votis coram dicit) *Cor ejus cõgregavit iniquitatem sibi.* (qui me invisunt, interim observant, quæ deinde cũ meæ vitæ detractoribus cõmunicent.) *egrediebatur foras, & loquebatur in id ipsum* (Hieronymus; *Egrediens foras detrahet.*) 4

Nicetas.

Diu ęgrotãtibus precãtur ceteri mortẽ.

Psal. 40. 5.

Tandem,

Tandem; *Verbum iniquum* (Hieronymus, *Verbum Diaboli infundebant sibi.*) *constituerunt adversum me; Nunquid, qui dormit, non adjiciet, ut resurgat?* Proprie cum Hieronymo asseveranter; * *Qui dormit, non addet, ut resurgat.* Tum etiam precabantur inimici, ut non resurgeret, neque postera illi lux affulgeret. Sic etiam cum exurgeret I O B, *detrahebant*, & male precabantur. Hinc Philippus colligit, non semper sedisse in sterquilinio, nam mutavit sedem aliquando. Sed de hoc superius diximus. cap. 2. Quis enim crederet, semper in eodem loco sessitasse?

Hieronym.

* Deldo por muerto, q̃ ni se levantarà desta, ni saldra desta noche.

Philipp.

Iob non semper in sterquilinio sessitans.

XIX. *Abominati sunt me quondam consiliarii mei: & quem maxime diligebam, aversatus est me.*

1. *Quid abominari: Explicati Moyses, Amos, & Isaias.*
2. *Qui consiliarii.*
3. *Princeps consilio, & consiliariis indigent ad rectam administrationem. Illustratus Ioannes in Apocalypsi.*
4. *Sinium consilia, & consiliorum candor.*
5. *Consiliarius non esto adulator principis, sed neque contumax, aut protervus.*
6. *Consiliarius sit fidus secreti custos. Illustratus semel, & iterum Salomon.*
7. *Princeps eos honore, & amore prosequatur, qui præ cæteris digni fuerint.*

1 QVos Regni, & publicæ administrationis consiliarios & administros adhibebam; atque præ cæteris honore, & amore prosequebar; hi neque conspectu me dignantur. *Abominati*: Verbi, *Thagab* תעב proprietas est, ita rem abominari, ut reputetur indigna familiaritate, convictu, aut alicujus sensus participatione, & usu, quam nemo audire, videre, tangere debeat. exempla manifestabunt: de auditu Amos. 5. 10. *Loquentem perfecte* (loquentem sanctitates, aut perfectiones; Septuaginta, *Verbum Sanctum*; quod auditu, & omni veneratione dignissimum erat.) *abominati sunt*; indignum judicarunt, cui vel aures præberent: Ergo *continuerunt aures suas*: de olfactu. Isai. 1. 13. *Incensum abominatio est mihi*; indignum, cui patefiant nares. de gustu Genes. 34. 32. *Illicitum est AEgyptiis comedere cum Hebræis.* Septuaginta ex Hebræo, *Abominatio est AEgyptiis.* de contactu Isai. 14. 19. *Projectus est de sepulchro suo, quasi stirps inutilis.* Septuaginta ex Hebræo; *Mortuus abominatus est.* id est, mortuum terra ipsa suo contactu, & hospitio non dignatur. Ergo se omni familiaritate, congressuque indignũ reputari, conqueritur I O B, ab illis præsertim, quos in suam ipse familiaritatem, & convictum ascivit. Nicet: *Cum me prodire viderent, ut ab eis solatium peterem, tanquam nefarium, Numinique infensum detestabantur.*

Act. 5. 57.

Nicetas.

2 סוד *Consiliarii.* Prop. dicas, Viri secreti mei, consilii, aut concilii, id est, qui a secretis, & consiliis erant. Septuaginta; *Qui me videbant.* id est, qui coram me assidue assistebant. Catenæ Græcæ auctor, *Scientes me*; Quibus arcana mei cordis patebant. Quod vero Cajetanus asserit esse in Hebræo; *Omnes gentes secreti mei*, propterea que insinuare I O B diversarum gentium, & nationũ consiliarios, hoc (inquam) non asseritur solide, nam vox originalis *Methim* מתים, præter quam, quod sæpe vertitur, *Viri, Homines*, aut (ut aliis placet) *Mortales*, non potest verti *Gentes*, quæ varietatem nationum externarum significent, cúm pro solis Israelitis usurpetur Devter. 3. 6. & cap. 2. 24. Iob. 31. 31. *Viri tabernaculi mei.* Forte autẽ pro dignitate Regia, suos habebat I O B consiliarios, & regni primores, quorum opera in consiliis capiendis, & rebus decernendis utebatur, quos hic a secreto, & taciturnitate arcanorum commendare & describere videtur, de quo statim. Quis enim tantũ superbiat, ut ex sua unius sententia omnia agere se posse confidat? Nemo tam potens, cui nõ magnis adjutoribus ad rectam publicæ rei administrationem utendum sit: tam sapiens nemo, qui omnia cõplecti sua scientia, & consilio possit. Sapientissimus ipse Deus, qui nullius eget, at formam optimi Principis præbens, *glorificatur* (ut ait David) *in concilio sanctorum, magnus, & terribilis super omnes, qui in circuitu ejus sunt.* & deinde: *Veritas tua in circuitu tuo.* Quamvis enim infinitum excellat Divina Sapientia beatas illas Mentes, Angelos videlicet, tamen videtur concilium celebrare, & Consiliarios adhibere ad rectam universitatis gubernationem, & *Veritatẽ* ad conciliũ accersere, ut optimi Principis officium, quale sit, doceat. Tum etiã ipsa Dei Sapientia Senatum habet præclarissimorũ *Viginti quatuor seniorum*, cui ipsa præest: cum ipsa dicat; *Ego Sapientia habito in consilio, & eruditis intersum cogitationibus*: *Sedeq; in throno, & in circuitu sedis, sedilia viginti quatuor, & super thronos viginti quatuor seniores sedentes, circumamicti vestimentis albis, & in capitibus eorũ coronæ aureæ.* Habet (inquam) viginti quatuor Cõsilia-

Nicetas. Nicetas. Cajetan.

3 Consiliarii Principum

Deus forma optimi principis.

Psal. 88. 8. 9.

Proverb. 8. 12.

Apoc. 4.

rios; nequisquam putet multos Consiliarios suæ dignitati, & gubernationis officio quicquā detrahere; imo sciat addere multum decoris, & ornaméti, ac multū etiam præsidii, & securitatis ad salutem: nam Scriptum est, *ubi non est gubernator, populus corruit: salus autem, ubi multa consilia.* Proprie legas cum Pagnino, Regia, Tygurina, Vatablo: *in multitudine Consiliariorum*, aut, *Consultorum*. id est, sine gubernatore certum esse interitum: sed nō ideo cum illo solo certum salutis præsidiū. nisi multos adhibeat consiliarios. Propr. ex Hebræo prima pars: *ubi non sunt consilia*, ut perinde sit *non esse gubernatorem*, ac *non esse consilia*, aut non habere satis consultorum. Graviter profecto errarunt Principes illi, Cæsar, qui neque in Consulatu, neque in Dictatura Senatus cōsilio usus est; Nero, qui Senatū capitaliter oderat; Hieronymus Siciliæ Rex, qui ulla de re *neque convocavit, neque consuluit publicum cōsilium*. misere igitur perijt, perijsse etiam miserabili ruina remp. nihil mirum. sine *Gubernatore* enim, id est, sine Consiliariis adhibitis ad gubernationem, *populus corruit*, ut Sapiens dixit, & eleganter; nam Consilium, atque Senatus non solum est, vt Cicero dixit, *Mens, ratio, intelligentia Reip.* sed etiā, *Fundamentum*, quo labefactato, aut diruto corruit populus. Vnde in Lingua Sancta Verbum *Iaçad*, quod significat Fundare, idem ipsum significat convenire in cōcilio ad capiendū consilium; & ipsum consiliari, est fundamentum ponere: vnde Psalm. 2. Vers. 2. Dictum est, *Principes convenerunt in unum*. ubi ex Hebræo legitur, *Principes consultant*. alii, *Fundati sunt*. vel, pro fundaméto positi sunt. Consiliarii quippe, atq; consilia, fundamentum sunt rei gerendæ.

Prover. 11. 14. / Pagninus. / Regia. / Vatabl. / Tygur. / Tranq. in Cæsa. / Livius Decad. 3. lib. 4. / יסד / R. David. / Pagnin. / Regia. / Tygur.

4

Optimorum cōsiliariorum notæ.

Sed quales oporteat esse Consiliarios, quos Iobus a secreto notat, eadē illa Apocalypsis sentētia minutatim ex aliis quoq; notis docet. Oportet enim *Senes* esse; nam prudentia senectutis comes est; & *prudentis* (ut Arist. docuit.) *hoc proprium maxime munus arbitramur, recte consulere.* His sane Consiliariorum senum præsidiis, in gubernatore quantumvis adolescente, non desiderabimus canos, neque exercitium variæ fortunæ, neque rerum usum; nam mutuabitur hæc omnia a suis consiliariis. Tum illud, quod Senibus, ceu satellitibus, stipatus, quascumque difficultatum, & negotiorum moles oppositas superabit. Sapienter nimirum Plutarchus scripsit in eo commentario, *Num seni sit gerenda Respublica. Maxime salva est civitas, ubi consilia senum, juvenum arma obtinent.* Profertque illud Regis Regum Agamemnonis decem Nestoreos senes cōsiliarios a Diis petētis;

6. Ethic. ca. 7. / Prudentia cōsiliarii. / Plutarc. / Hom. Iliad. 3.

O consultores mihi sint bis quinque Pelasgi,
Tales consilio, qualis Nelida senex est.

Sed illud præterea; *Circumamicti vestimentis albis*, ut candor quidam animi, nulla pravæ cupiditatis, aut privati affectus labes illorum consilium, sententiamve afficiat.

5

Forster. Merc. / Consilium liberum.

Vides deinde illos Regia *corona* insignitos: libertatis sane Regalis, & ingenuitatis symbolum, quæ omnis, sordidæ servitutis nescia est, adeo, vt etiam si regi famulentur, at ipsos potius Reges dicas. nam miserrime quidem quidam Consiliarii serviunt voluntati Gubernatoris, cui nil respondent, nisi quod cupiditati interrogantis lenocinatur; &, ut ille dixit, *Veri copiam non faciunt, sed suspensa, & quo ducantur, inclinatura respondent.* Propterea Demetrius ille Phalereus Ptolomæū Regem sapienter monuit, ut libros illos legeret, quibus traderentur præcepta Regibus, ac Principibus; quod ideo scriberentur, quod nemo Regibus, ac Ducibus ea dicere auderet. Ergo audet verus Consiliarius, & suo munere dignus. Sed non ideo contumax, aut pervicax sit vel adversus alios ejusdem concilii collegas, vel adversus totius concilii Præsidem, & prælatum: nam illos ipsos seniores videas statim, *Procidentes ante thronum, & adorantes viventem in sæcula sæculorum, & mittentes coronas suas ante thronum.* Non enim suo capiti tantum fidunt, aut tribuunt, ut se solos sapere, aut cæteros ex suo ore, & cerebro velint sapere.

Tacit. 11. annal. / Plutarchus in Apoph. / Apoc. 4. 9. 10.

6

Taciturnitas in consilio, & consiliario.

Sed tandem, quod in optimo Consiliario maxime requiritur, ut arcana consilii arctissime custodiat, designant *viginti quatuor seniores*, minime aperientes librum, aut solventes signacula ejus, sed rem illam totam arcanam Deo, & consilii præsidi supremo committentes, dicentesque, *Dignus es Domine accipere librum, & solvere signacula ejus.* Rem hanc, tanquam maxime proprium Regii alicujus consiliarii ornamentum, taciturnitatem videlicet, atque secretum, docet iste noster locus, nam vox *Consiliarii*, aut consilii, secretum, & arcanum sonat (ut diximus) quare ubi nos legimus cum Septuaginta, Psalm. 14. 15. *Firmamentum est Dominus timentibus eū*, Hierony. proprie legit, *Secretum Domini timentibus eū.* Hujusmodi enim viris, tanquā consiliariis utitur, cum quibus arcana sua & mysteria communicat; ut de his dictum sit Matth. 13. 11. *Vobis datum est nosse mysteria Regni cælorum.* Et iterum Matth. 11.

Apoc. 5. 9. / Hieronym.

25. Re-

25. *Revelasti ea parvulis.* & rursus Prover. 3. 32. *Cum simplicibus sermocinatio ejus*; ubi proprie ex Hebræo, *secretum.* & Septuaginta vocem secreti, aut consilii agnoscunt, & vertunt; *In justis non facit concilium.* q. d. secretum illis revelat, quod tamen non ex lege concilii secreti celare vult, sed potius illis committit prædicandum, & publicandum populo. Magnum hoc profecto, arcanum Principis habere in thesauro pectoris repositum. Vti Athalaricus Rex, commendans Tolum Senatui Romano, scribit Apud Cassiodorum lib. 8. Variar. cap. 10. *Arduum nimis est, meruisse Principis secretum, ubi si quid cognoscitur prodi, vel ab alio formidatur.* Atque apud eundem Theodoricus Senario Comiti, scribens lib. 4. cap. 3. pingere videtur optimum Consiliarium; *Arcana nostra morum probitate claudebas, multorum conscius, nec tamen, cum plura nosses, elatus. Collegis gratia, superioribus humilitate placuisti.* Ergo vides *consiliarium* ex vi suæ vocis, dici *Virum secreti.* Verissime quippe ille dixit: *Taciturnitas optimum, atque tutissimum rerum administrandarum vinculum.* De consiliariis Regum Persarum videtur id scriptum a Curtio. *Persarum arcana Regum mira celant fide; non metus, non spes elicit vocem, qua prodantur occulta; vetus disciplina Regum silentium vitæ periculo sanxerat. Nec magnam rem sustineri posse credunt ab eo, cui tacere grave sit.* Hoc Consiliarii munus propter rem hanc unam, secretum, detrectavit Philippides comicus Poeta, sic scribente Plutarcho; *Cum ei Lysimachus Rex quodam tẽpore dixisset, Qua nã mearum rerum te impertiam? Respondit, Modo nea arcano ullo.*

LXX

Cassiodorus.

Valer. l. 2. c. 2.

Curtius li. 4. ad fini.

Plutarchus de Curiositate.

Et quem maxime diligebam. In Hebræo, & Septuaginta est plurale, *Quos dilexeram*, ut videatur esse expositio præcedentis: nam *Consiliarii*, solent ex dilectissimis deligi; & quicumque Princeps eos deligere solet, quos diligit; quod si eos, qui virtute, industria, rerum agendarum peritia, & fide valent: Recte; in hos incurrat sane Princeps, velut Sol quidam fulgentissimus in nitida quædam, & lævia specula, & clarissima sua luce compleat, atque clarissimos, & illustrissimos reddat eos, qui splendore, & amore digni sunt. Neque qui indignus est, juste conqueri poterit: non magis quam carbo, aut res alia inepta recipiendo, aut reflectendo lumini, si solem criminaretur, quod illius lumine non fieret illustrissima, atque clarissima. At pastor (inquis) est Princeps, & prælatus; quare oportet oves suas

7

Cõsiliariorũ circumloquutio.

Princeps illuminans optimos quosque.

ex æquo curare, & pascere, omnes diligere, &c, si opus sit, ut *bonus pastor animam suam dare pro ovibus suis.* Sane: sed quod peculiari aliquem dilectione prosequatur, nemini injuria. In aliam licet rem verum illud dictum;

Etiam opilio, qui pascit alienas oves,
Aliquam habet peculiarem, quæ spem soletur suam.

Plaut. in Asin. act. 3. 11.

Habebat igitur IOB, & quos præ aliis diligeret, *& quem maxime diligeret:* sed is (quod maxime, inquit, dolendum est) *aversatus est me.* Propr. ex Hebræo, *Insurrexit in me*; aut, *Adversatus est mihi*; vel, versus est contra me. hostilem animum, conatum, & impudentiam, ac odium affert, & illud, quod in amico valde pungit, ingratitudinem. Sic quoque conquerebatur David, potius Dei filius; *Posuerunt adversum me mala pro bonis, & odium pro dilectione mea.* Credi non debet, quod ait Cajetanus, his verbis indicari, & notari a Iob tres illos suos amicos; cum potius de suis domesticis loquatur.

חפך

Psal. 108. 5.

Cajetan.

XX. *Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum, & derelicta sunt labia tantummodo circa dentes meos.*

1. *Iobi dolores interni, & totius corporis marasmus. Caro pro cute.*
2. *Quid labia derelicta in Iob. Dæmon peccandi instrumenta subministrans.*
3. *Orationis, & precum efficacitas. Dæmon interdũ garrulus, interdum mutus.*
4. *Varia expositio Græcorum.*

Tolerari (inquit) utcumque hæc mala possent, nam foris sunt. Sed intus intolerabiles dolores, & vis morbi incredibilis, quo redigor ad maciem extremam, & consumptis carnibus, cutis vix ossibus hæret. Marasmum hoc loco intelligit Philippus, illamque appellat *infirmitatem pessimam.* de qua superius cap. 2. At Septuaginta hanc *consumptionem carnium*, ad putredinem quandã retulerunt; *In cute* (inquiunt) *mea computruerunt carnes meæ*, ita totus & cute, & carne, atque ipsis profundis artubus sanie manabat. At in Hebræo simplicius, & brevius: *In pelle mea, & in carne mea adhæsit os meũ.* ita ut dicat, non aliã esse carnẽ, quã pellem: nã universa caro jã extabuerat, in solam pellem redacta: Aut cũ *carnem* dixit, iterũ pro *pelle* usurpavit, q. d. In pelle, in pelle inquam. ut veheme-

I

Philipp.

Marasmo laborans Iob.

LXX.

Caro pro pelle.

tior eſſet aſſeveratio; nam *Caro* aliquando pro *pelle*, ut Pſalm. 101. 6. *Adhæſit os meum carni meæ.* id eſt extremæ cuti, ſic exponentibus non Rabbinis ſolum, ſed Theodoreto, Hierony. Chryſoſtomo: Nã quod aliqui exponunt de ſucco illo vitali decurrente inter oſſa, & carnem deſiccato, ſicq; adhæreſcente carne oſsibus, multo id cum labore quæſitum videtur, & non cohærens leniter. Præſertim, quod hæc oſsium agglutinatio, ſæpe de cute dicitur, ut ſi quando de *carne*, pro *cute* accipienda ſit. Threnorum. 4. 8. *Adhæſit cutis eorum oſſibus.* Recte ergo ſenſum explicuit Vulgatus dicens; *Conſumptis carnibus.*

Theodoret. Hieronym. Chryſoſt. Genebr.

2

Et derelicta ſunt labia tantummodo. Diximus aliquando cum de morbis Iob ageremus, atque de Elephantiaſi, eo morbo reliqua carne abſumpta, labia intumeſcere; propratereaque Iob aliis artubus tabeſcentibus, ſola ſibi labia tumentia, & excreſcẽtia, pro aliarum partium carne abſumpta, derelicta deplorare. Quod licet tunc ad ſpeciem, & alieno licet loco, non omnino aliene dictum ſit, nunc tamen videtur alii non tam craſsitudinem labiorum, quã extenuationem, & maciem labiorum intelligere; ita ut dentes vix contegerentur, labiis vehementer extenuatis. Sed ego jam hoc loco, neque tumorem illum, neque extenuationem hanc agnoſco, ſed integritatem quandam, & incolumitatem labiorum ſolummodo ſignificari: nam illud, *derelicta*, non tam morbum, quam ſanitatem ſonat; eſt enim in Hebræo verbum, quod 1. cap. vertitur *evadere, Evaſi ego ſolus*, & aliis locis vertitur *eripi, liberari*, aut *ſalvari*; pertinetque ſemper ad ſalutem, & incolumitatem. Quare hoc loco Complutenſes, & alii Hebraizantes, Pagninus, Cajetanus, Regia, Vatablus, Tygurina vertunt: *Evaſi cum pelle dentium meorum.* Nam Dæmon inter cæteras corporis partes ſæviſsime percuſſas, loquendi inſtrumenta illæſa eſſe voluit, ut liberiorem illi loquẽdi facultatem, & verbo labendi occaſionem aliquam faceret. *Hæc* (inquit Philippus) *Diabolus in eo reſervat, ut blaſphemiã prolatam ejus ore cognoſcat.* Similiter diximus illius linguam communi plaga, & morbo exceptam, cap. 2. in Enumeratione morborum, Sect. 1. n. 4.

Labia derelicta ad morbũ an ad incolumitatẽ aliquã pertineant.

Oſorius.

Verior ſententia.

מלט

Complutẽſes Hebraizãtes.

Philipp.

3

Quanquam IOB non ad blaſphemiã, & inutiles ſermones labiorum integritate abuſus fuerit, imo potius ad juſtas lamentationes, & preces aſsiduas. artem nimirum, & calliditatem inimici, ad illius perniciem, atque ad ſui defenſionem convertit, & hoc unico labiorum ſolatio ſe ſuſtẽtabat, dicebatque; *Detrahebant mihi* (proprie; *Inimicantur*. Hieronym. *adverſabantur*. hoſtili, & infenſo animo, nihil eſſe in me integrum, & incolume volentes) *ego autem orabam.* id eſt, dum orare licuerit, & labiis valuero, non vincar, & in inimici poteſtatem non redigar: nam ſi *labia noſtra a nobis ſint*, & orationis ſtudium non intermiſerimus, *Quis noſter Dominus erit?* Huc quoque detorſit per allegoriam Auguſtinus lectionem Septuaginta; *Oſſa mea in dentibus ſunt.* id eſt *firmitas, & fortitudo mea in verbis, non in factis.* Sane labiis populi Iſraelitici, vincendos hoſtes, penituſque delendos, non manibus, aut gladio, indicat Scriptura, ut vim precum, & orationis ſignificaret; quod ipſe Balac Rex Moab agnovit, dicens: *Ita delebit hic populus omnes, qui in noſtris finibus commorantur, quomodo ſolet bos herbas, uſque ad radices carpere.* Quomodo autem carpit bos herbam, niſi lingua, & labiis? ſic explicate legunt Septuaginta: *Nunc ablinget ſynagoga hæc omnes, qui in circuitu noſtro, ſicut ablingeret vitulus virentia de campo.* Onkelus. *Sicut lambit bos.* Quæ verba ſic Origenes; elucidat homil. 11. Exod; *Per hoc (ut a majoribus accepimus) indicari dicitur, quia populus Dei, non tam manu, & armis, quam voce, & lingua pugnabat, id eſt orationem fundens proſternebat inimicos.* Non mirum igitur, ſi ſua ipſe aſtutia deluſus Dæmon, poſtea non relinquat *labia*, & orationis facultatem intactam, ſed mutum reddat, quem ſemel poſsidet, & ſemel expertus virum, *qui non peccavit labiis ſuis*, labiorum uſum impediat ne peccati ſui remediũ quærat. Sic *Dæmonium* ſtultiloquum, & garrulum, aliquando etiam *mutum eſt.*

Diaboli ars adverſus illũ retorquẽda.

Pſal. 108. 7. 4.

Orãdi ſtudiũ ſalutare.

Pſal. 11. 5.

Auguſtinus.

Precibus obtineri victoriã de hoſtib9

Num. 22. 4.

LXX.

Onkel.

Origenes.

Dẽmõ ſua arte deluſus.

Matth. 9. 32. & 12. 22. Mar. 7. 42. Luc. 11. 14.

4

Sed redeamus ad locum, nam non de *labiorum* tumore, aut craſsitudine, nec de illorum ſanitate, ſed de illorum potius extenuatione, & tabe jam videtur accipiendus locus hic propter lectionem Hebræam. Pro *labiis* enim eſt, iterum *pellis*, aut *cutis*; quare *pellem, quæ eſt circa dentes*, intelligunt Hebræi *gingivas*, videlicet carunculam illam, quæ radices dentium veſtit; proptereaque dici poſsit, *eſſe circa dentes.* Sed multo cõmodius, & verius noſter interpres, *pellem dentium* eam intellexit, quæ tegit dentes, ſimulque ornat, *Labia* nimirum. Sed paulo alienius Græci ad totius corporis cruciatum referunt, & reliqui corporis carnem ponunt in dentibus, quam ipſe IOB præ dolore morderet, atque diſcerperet, poſtquam primum excoriaſſet. Sic legit Symmachus; *Evellebam cutem meam dentibus meis.* Aliter vero legerunt Septuaginta, propter vehemen-

Tertia expoſitio.

Symma.

LXX

tem

Ambroſ. *Auguſt.* *Nicetas.*

tem etiam cruciatum; *Oſſa mea in dentibus hærent*; Sanctus Ambroſius: *In dentibus habentur*, Auguſtinus, *In dentibus ſunt*. Dentes intelligit (ut Nicetas exponit) non ſuos ipſius, ſed translatitie dolores mordentes, & comedentes: *Oſſa* (inquit) *mea dentibus propemodum belluarum conficiuntur, ſiquidē eæ corporis partes, quæ ſunt ſenſus expertes, dolore minime vacant.* Sed lenitate, ut & perſpicuitate præſtat Lectio, & ſententia Vulgati.

XXI. *Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos, amici mei, quia manus Domini tetigit me.*

1. *Repetitio ejuſdem vocis in ſacro ſermone nō ſemper auget ſignificationem. Illuſtratus David.*
2. *Amici in anguſtiis probantur. Illuſtratus Salomon.*
3. *Iuſtorum affectus erga adverſarios.*
4. *Miſerorum, etiam hoſtes miſerentur.*
5. *Quid Manus Dei, bona, atque fortis. Quid Tangere.*
6. *Miſeris, & peccatorum ſuorum pœnas luentibus impendenda compaſſio; & miſericordia. Explicatus locus Paralipom.*

ERgo in vos, o ſocii, qui nunc mihi adſtatis, miſerandum hominem ſublevādi officium incumbit. Agite itaque, & vos mei miſereat, miſereat (inquam) mei: nam veſtrum officium, amicitiamque, ſi qua eſt, iterum, atque iterum imploro miſer ego, & Dei judicis ſeveriſsimi ſeveriſſimo ſupplicio affectus.

Miſeremini. Vel ex ſola gratia, & bene-
1 volentia, non ex debito, & jure: nam ii,
quorum erat mihi ſubvenire, contra jus,
& fas me deſeruerunt. Vbi vides, quod nō
ſemel admonuimus, ejuſdem verbi repeti- Ejuſdē vocis repetitio ſine incremento.
tionem in ſacris Litteris, non ſemper augere ſignificationem verbi, quod repetitur: nam hoc loco non petit magnam ſibi, & uberem miſericordiam impēdi, imo potius vel levem aliquam ſolatii ſpeciem deſiderat. ſimile id Pſal. 125. 6. *Euntes ibant, & flebant mittentes ſemina ſua: venientes autē venient cum exultatione, portantes manipulos ſuos.* vbi non creſcit vis, & ſignificatio *eundi*, potius remittitur, & minuitur repetitione illa, ſignificatur enim abiiſſe pedetentim, ut lugentes ambulare ſolent. at creſcit poſtea vis *veniendi*, non tam ex repetitione, quam ex lætitiæ affectu, nam lætantes, & *exultantes* celeriter, & alacriter venire ſolent. Ergo ubi repetitio ejuſdem vocis eſt in Scriptura, peculiaris affectus, & vis ſignificationis quærenda eſt, ſed qualem circumſtantiæ totius ſententiæ, & materiæ ſubjectæ petunt, ut nunc intendatur, & creſcat, nunc remittatur. Scripturæ regula. In homine ergo ab omnibus derelicto, & miſericordiam ſæpius implorante, quis alius affectus quærendus in illa repetitione, quam deſiderium vel leviſsimi alicujus beneficii, & tenuiſsimi ſolatii?

Saltem vos amici, Propr. ſocii, proximi.
2 elegāter *amicos* nominat, quibus cū diſpu-
tat. nam quod Auguſtinus exponit hic *An-*
gelos, aut *Sanctos invocari*, allegoricum eſt, *Auguſt.*
ſed in primis utile in quacumque tribulatione. ſunt enim nobis amiciſsimi, atque incredibili res humanas charitate procurant, vt dicemus inferius cap. 33. Verſ. 23. Addidit Interpres, *ſaltem*, quod neque in Hebræo, neque in Græco erat, ut ſententiam illuminaret, atque tanquam concluſionem recte ex antecedentibus deduceret: nam quem *fratres, filii, conſiliarii, ſervi* deſerunt, ſublevare, & ſuſcipere amici debent. ii enim, ſi veri amici ſint, fratres ſunt, conſiliarii ſunt, & ad omne obſequiū parati. *Frater* (inquit Salomon) *in anguſtiis comprobatur*. Quaſi dicat: Anguſtiæ ſunt, quæ explorant, & teſtantur, quis verus frater ſit, quis verus amicus. Hebraice, *Frater in anguſtiis naſcetur*. nam qui opitulatur afflicto, tunc primo incipit frater eſſe, quaſi tunc recens natus eſſet. Quod enim aliud exiſtimas eſſe fratris officium, quam ut fratrem laborantem adjuvet? Rationem hanc explicarunt Septuaginta legentes: *Fratres in neceſsitatibus utiles ſunt, hujus enim rei gratia naſcuntur.* Sed cum aliæ adverſitates poſtulent amicorum opem, tum præcipue ægrotatio, & afflicta valetudo, ut eleganter ſcribit Senec. Epiſt. 78. *Multum mihi contulerunt ad bonam valetudinem amici, quorum adhortationibus, vigiliis, ſermonibus allevabar. Nihil æque ægrū reficit, quam amicorū affectus: nihil æque expectationem mortis, ac metum ſurripit. Non judicabam me, cum illos ſuperſtites relinquerem, mori, putabam, inquam, me victurum non cum illis, ſed per illos; non effundere ſpiritum, ſed tradere.*

Proverb. 17. 17. Amicus alter frater. LXX.

3 Sed illud utiliter ex hac IOBI de-
precatione elicit Gregorius: *Hoc habere* *Gregor.*
ſolet proprium mens piorum, quod cum injuſta ab adverſariis patiantur, potius deprecari eligant, quam iraſci. Tum præterea illud, Iuſtorū notę.
Eos, a quibus ſe per contumelias affligi conſiderat, amicos vocat, quia bonis mentibus etiā ipſa fiunt proſpera, quæ videantur adverſa. Recte, ut, cum ardentius diſputantē audierimus

I O B neque ira inflammatum, neque ſuæ calamitatis impatientem credamus, ſed tantum veritatis, atque ſuę innocentię vindicē acerrimum, cum etiam pro cōmuni Sanctorum affectu, & conſuetudine ipſos etiam inimicos, *amicos* vocet. Cujus primum exemplar, & exemplum præbet CHRISTVS Dominus blande cōpellans Iudam proditorem (qui inimicitia, & inſidiis plenus erat) *amicū*. Matth. 26. 50. Et forte cum ſupplicium everſionis Babylonis deſcribit Iſaias, cap. 21. 4. *Dilectam*, & *amicam* illā vocat, a qua multa inimicitiarum exempla acceperat. *Babylon* (inquit) *dilecta mea, poſita eſt mibi in miraculum*.

4 Illud etiam in illa particula, *ſaltem*, obſervatione dignum videtur, cum *ſaltem amicorum* miſericordiam, & opem implorat, tacite conqueri, quod illi defuerit ſuorum adverſariorum commiſeratio in tantis ærumnis: nam vel ipſi hoſtes, ſi ingenui ſint, & minime barbari, miſereri ſolent ſuorum hoſtium ingentem aliquam cladē, & miſeriā paſſorū. Sane Alexander Darii necem, & Iulius Cæſar Pompeji interitum lachrymis, & gemitu proſequuti ſunt. Auguſtus legionem illam in clade Variana, quamvis ſibi infenſam, doluit tamen: ſicut & Titus populi Iudaici, & Ieroſolimitanæ urbis ſtragem. Atque CHRISTVS Dominus *videns civitatem*, (ciuitatem inquam ſui ſanguinis) *flevit ſuper illam*. De qua re ſapienter dixit Plutarchus lib. de utilitate ex inimicis capienda; *Oblata occaſione ulciſcendi inimicum, eum miſſum facere æquanimitatis eſt: qui vero etiam miſeratur inimicum afflictum, & opem fert indigenti, & filiis ejus, at familiæ adverſo ipſorum tempore operam ſuam, ſtudiumque defert, hunc, qui non amat ob animi humanitatem, neque ob probitatem laudat*.

Ab hoſtibus nō eſt aliena miſericordia.

Luc. 19. 41.

Plutarc.

Huic pectus atrum eſt atque adamantinum,
Effictа ferro viſcera vel rigent.

Cæſari, cum ſtatuas Pompeji dejectas erigi juſſiſſet, Cicero dixit; Pompeji ſtatuis reſtituendis, tuas defixiſti. Hæc Plutarchus.

5 *Quia manus Domini*. Potentia, ſeveritas vulnus inflictum, non infirma, ſed forti manu *Eloab*, inſtar judicis ſeveriſsimi grave aliquod in me facinus vindicantis. *Dei manus*, opus eſt Dei, Divina potentia, & majeſtate dignum. Si in bonum ſumatur dicitur *manus Dei bona*; & eſt ingens Dei beneficium, dignum Divina munificentia, & liberalitate. Eſdræ. 7. 6. *Dedit ei Rex ſecundum manum Domini Dei ejus ſuper eum omnem, petitionem ejus*. & infra Verſ. 9. *juxta manum Dei ſui bonam ſuper ſe*. Hinc illud in Hiſpano Proverbio, *De buena mano buen dado*. Si autem in malum, dicitur, *Manus Dei fortis*, Exodi, 3. 19. & Pſalm. 135. 12. & *Dura*. 1. Reg. 5. 7. & *Graviſsima*, eodem cap. Verſ. 11. *Exaltata*, & *elevata* Mich. 5. 8. & ſignificatur plaga ingens, cum illam elevat Deus, cum *extento brachio* fortiter percutit; Et vel ſolam manus Divinæ commotionem prædicit Iſaias futuram AEgyptiis, terribilem cap. 15. *In die illa erit AEgyptus quaſi mulieres, & ſtupebunt, & timebunt a facie commotionis manus Domini exercituum quam ipſe commovebit*. (non ſemel ſed ſæpe elevabit) *ſuper eum*. Hæc eſt illa *Dei manus excelſa* toties decantata, quam exercuerat Deus ſuper AEgyptios, nimirum plagæ acerbiſsimæ tum illorum ſceleribus, tum Divina potentia, & indignatione dignæ: atque hæc eadem eſt *Dei manus*, pariter celebris plagis, & ærumnis I O B. Sed peculiari Hebraiſmo quod Exod. 7. 4. Dicitur, Deum *immittere manum*, Hebraice, *Dare manum*, apud nos *darle una buena mano*; & Iſai. 1. 25. *Convertere manum* id eſt, iterum percutere, *bolverle a dar otra mano*; Nunc dicitur, *manu tangere*; quod in Deo vehementem indignationem ad percutiendum indicat. Licet quidem cum de homine dicitur levem tactum ſignificet. eſt autem hoc loco *Nagagh*; non ſolum *tangere*, ſed etiam *pertingere*, aut pervenire, qua etiam phraſi nos utimur, cum vehementem aliquam percuſsionem, aut attactum ſignificamus, *Pertigit uſque* ad eum; *Alcançole el ramalazo o golpe*: Ergo non unica tantum ratione I O B. ſuam calamitatem amplificat.

Manus Domini varie accepta.

Hiſpanorū Proverbium.

Exod. 3. 19. & 6. 1. & 14. 31. & Pſa. 135. 12.

Dei manus cū variis verbis cōſtructa.

נגע

Tāgere quid peculiari Hiſpaniſmo.

6 Sed obſervandum illud *quia*, nam Divinum ſupplicium, & iram proponit pro ratione, & cauſa commovendæ humanæ miſericordiæ: Non enim affligit hominem Deus, ut cæteri affligant quoque: ſed ut, quem ille percuſsit, humane, & benigne tractent, & qua potuerint ratione leniant, & medeantur, etiam ſi ob manifeſta ſcelera Divinum ſupplicium ſuſtineant: nam apud nos, qui privati ſumus, & quorum non intereſt ulciſci ſcelera, etiam ſceleratiſsimi quique, ſi homines ſunt, ope miſericordia, compaſsione digni ſunt, itaque non ſolum peccato, & iniquitati Deus vertit, *perſequi, quem ille percuſsit*, (Hoc enim nomine ſuos hoſtes apud Deū accuſat David; *Quoniam quem tu percuſsiſti perſequuti ſunt, & ſuper dolorē vulnerū meorum*

In Divinis ſupliciis commiſerendum proximi.

Pſal. 68. 27.

rum addiderunt) ſed etiam non miſereri, non ſuſcipere, nõ delinire, quem ille percuſsit. An exiſtimas eos omnes, quos in ſua perſona judex ſupremus profert eſurientes, ſitientes, hoſpites, nudos, infirmos, carcere detentos, juſtos fuiſſe; aut abſque Dei voluntate, vel ſine illius ſententia in mala incidiſſe; aut propter miſericordiam ſolis juſtis denegatam immiſericordes damnandos fore? Minime vero. nam ſolus carcer quot ſceleratiſsimorum hominum millia continet? Quot propter peccata fame, ſiti, nuditate, infirmitate afficit Deus, atque manu graviſsima tangit? iis ergo miſericordiam denegaſſe iniquum eſt, qui jure illam a te efflagitare poſſunt his verbis: *Miſerere mei, quia manus Domini tetigit me*. Ieruſalem ſane propter incredibilem impietatem incredibili etiam ſupplicio a Deo indignante punita, quam ſæpe ſuorum quondam amicorum, & vicinorum Regnorum crudelitatem exaggerat apud Deum, quod illius non mimererentur, quam manus Domini tetigerat! *Audierunt* (inquit) *quia ingemiſco ego, & non eſt, qui conſoletur me.* ſimilem conqueſtionem decies uſurpat in primo Threnorum capite. Ideo Sapienter præcepit Gregorius hoc loco, *Conſiderandum eſt, quod ſi qui fortaſſe ſint, qui aſperitate correptionis indigeant, tunc eis dura correptio a nobis admovenda eſt; cum Dei manus ceſſat a verbere. Cum vero ſuperna flagella inſunt, non a nobis jam correptio, ſed conſolatio debetur reſidere.* Atque in eandem rem Nicetas: *Quamvis Deus puniat, in vobis tamen humanitatem vult.* Quanto melius Obed Propheta Domini in Samaria, qui cũ plane agnoſcat Iudæos traditos eſſe Samaritanis a Deo irato, & illorum peccata ulciſcente, tamẽ ſimul Samaritanos ingentis crudelitatis, & inſolentiæ ob victoriam accuſat. 2. Paralip. 28. 9. 15. *Obed egreſſus obviam exercitui in Samaria, dixit eis, Ecce iratus Dominus Deus patrum veſtrorum contra Iudæam tradidit eos in manibus veſtris, & occidiſtis eos atrociter, ita ut ad cœlum pertingeret veſtra crudelitas.* Deinde vero Principes Samariæ admonitione Prophetæ deliniti, valde miſericordes ſe illis præſtiterunt, quibus ſe Deus iratum: *Et apprehendentes captivos, omneſque, qui nudi erant, veſtierunt de ſpoliis, cumque veſtiiſſent eos, & calceaſſent, & refeciſſent cibo, & potu, unxiſſentque propter laborẽ, & adhibuiſſent eis curam, quicumque ambulare non poterant, & erant imbecillo corpore, impoſuerunt eos jumentis, & adduxerunt Iericho civitatem palmarum ad fratres ſuos.* Sed dicemus de hoc quoque ſententia proxima, & diximus non nihil Verſic. 6.

Miſericordia etiã erga peccatores, & indignos exercenda.

Thren. 1. 21.

Gregor.

Modus in correptione, & conſolatione ſervandus.

Nicetas.

XXII. *Quare perſequimini me ſicut Deus, & carnibus meis ſaturamini?*

1. *Varia expoſitio. Deus aliter, quam homo hominẽ affligit. Quid perſequi.*
2. *Iniquum ſævire in proximum etiam a Deo afflictum. Explicatus Iſaias, & Abdias.*
3. *Saturari carnibus ad crudelitatem. Illuſtratus David.*
4. *Comedere, & devorare de detractione. Explicatus Paulus. Quid præcipitare, & lingua doloſa ex David.*

I RES Prope eadem, ſed dicta vehemẽtius, & ardentius propter interrogationem. *Quare?* qua nam ratione ducti, aut qua cauſa impulſi vos adjungitis ſocios, & adjutores Deo me perſequenti? Sed ſimilitudo indicatur præterea, qua Deus perſequitur IOB, amici etiam ad eandẽ ſimilitudinem illum inſectentur. ſimilitudo autẽ a Niceta in illo conſtituitur, quod Deus pœnas repetit ab homine propter culpã. Sic igitur amici IOB: *Poſſit* (verba ſunt Nicetæ) *Deus forſitan culpam aliquam meam accuſare, a me ſi in vos quidpiam peccatum eſt, docete.* Sed non videtur quadrare, cũ ſuam innocentiam apud Deum, nedum apud homines ſæpe aſſerat IOB. Philippus e contrario, *Vos* (inquit) *quare præſumitis, ſicut Deus, ut affligatis innoxium, quod ipſi tantum pro diſpenſatione ſua competit?* Paulo ſecus Gregorius, *Ita* (inquit) *me ex infirmitatibus meis affligitis, ac ſi ipſi, more Dei, de infirmitate nihil habeatis. Tanto enim Omnipotens Deus juſtius aliena vitia percutit, quanto in ſemet ipſo nihil habet vitiorum.* Ergo perſequi, affligere, caſtigare Deus ſuo jure poteſt, qui innocẽtiſsimus eſt: Homo vero, qui, & culpæ, ideoque pœnæ obnoxius eſt, non debet in hominem ſævire, *Sicut Deus.* Cajetanus, quod hoſtiliter Deus illum videretur inſectari, non aliter amici. Alii, quod ſicut Deus non intermiſsis cruciatibus illum vexabat, ita ſane amici nunquam intermiſſa contentione, nec contumelioſa diſputatione ſibi invicem per vices ſuccedebant: nam illud *perſequi*, eſt quaſi inſectari fugientem, nullo conceſſo quieſcendi ſpatio, ſicut apud Iſai. cap. 46. dicitur, *Perſequi crudeliter*, quod in Hebræo

Interregatio vehemens.

Quinque expoſitiones minus probabiles.

Nicetas.

Philippus.

Gregori.

Cajetan.

רדף

legunt, sine detentione, absque cessatione, instanter.

2 Ego vero in eo tantum similitudinem quærendam existimo, quod amicum IOBUM affligerent, affligente etiam Deo; nam in cæteris potius dissimilitudo latet, quam indicavit eleganter Gregor. q. d. Quare me vexatis, cum nõ eundem finem mearũ ærumnarum vobis proponatis, quẽ Deus intendit? *Quia* (inquit) *cum Omnipotens Deus amando purgationem exhibet, injustorum pravitas sæviendo malitiam exercet.* Ergo cum Deus in castigando benignus, & clemens sit, si tamen homo persequatur miserum hominem, quem Deus persequitur, sævus, & crudelis erit: nam etiam ab illo ipso, quo Deus, tanquam tortore utitur, humanitatem, & clementiam exigit, ut docet locus ille Isaiæ. 10. Vers. 5. 6. *Væ Assur, virga furoris mei, & baculus ipse est in manu eorum* (Assyriorum) *indignatio mea. Ad gentem fallacem mittam eum, contra populum furoris mei mandabo illi, ut auferat spolia, & diripiat prædam, & ponat illum inconculcationem, ut lutum platearum.* Vides Deum indignantem instar furentis, decernentem, ut populus, qui se impietate contaminarat, redigeretur in puluerem. sed deinde sceleri tribuit Assyrio sævitiam in conterendo, & conculcando populo, & crudelem animi affectũ, & pravam intentionem, Vers. 5. 7. *Ipse autem non sic arbitrabitur, sed ad conterendum erit cor ejus.* Conterere Assyrius voluit, quem Deus quidem conteri, & conculcari volebat, (vix enim quicquam inter illa duo interest, *conculcare, & conterere*: utrumque enim est vehemẽs verbũ, & ad interitum pertinet.) & voluit quidem Deus illo tortore uti; sed quia ille voluit tortor esse, luet pœnas multo gravissimas. *Ingentes minas intendit* Abdias, imo Deus Idumæis, quod, quem Deus mediis Kaldæis persequebatur, persequerentur etiam ipsi. *In die cum stares adversus eũ, quando capiebant alieni exercitum ejus, & extranei ingrediebantur portas ejus, & super Ierusalem mittebant sortem, tu quoque eras quasi unus ex eis.* Vides igitur, quam aberrent ab omni humanitatis officio, qui *obsequium se arbitrantur præstare Deo*, cũ miseris pœnas augent, & calamitates calamitatibus accumulant. Est quoque in eandem rem quod sequitur.

Simplicior expositio.

Dei benignitas hominis crudelitas in persequendo.

דמם

שמד

3 *Et carnibus meis saturamini.* Plerique latini etiam partem hanc per interrogationem legunt, & intelligunt; Quare *carnibus meis saturamini?* Ita ne vobis refectio, & voluptas sit mei corporis cruciatus? sed præstat, ut hæc pars sine interrogatione accipiatur, potius cum precatione; Obnixe efflagito, ut jam satis vobis videatur, *meis vos carnibus saturasse*, me vidisse dolẽtem, carne, & artubus putrescentem; saniẽ manantem. Estote igitur his meis malis jam contenti, & saturi, neque dolores alios, aut contumelias famescatis, nec in me vexando vos inexplebiles exhibeatis. Videar jam obsecro vobis satis perulisse pœnarum, neque graviorem mihi vindictã optetis. Sic coincidit sensus hic cum lectione Hebræa, & Græca, Septuaginta, qui cum negatione, & interrogatione legũt; *Et de carnibus meis nõ saturamini?* Quare hoc loco *saturari humanis carnibus*, omnino in malum, & in sævitiam inexplebilis animi accipi debet. secus quã in capite. 31. *Quis det de carnibus ejus, ut saturemur?* ut eo loco dicemus. simile id Psal. 26. 2. *Appropiant super me nocentes, ut edant carnes meas.* Quod Theodoretus interpretatur, *Ferarum more persequi*; Origenes, *Interimere*: nã hanc actionem comedendi, non refert ad os hominis, sed ad gladium; qui etiam in Scriptura dicitur, habere os, & devorare, satiari etiam sanguine. Igitur comedere carnes humanas *ore gladii*, interimere est: vel ita persequi, ut devorare, & interficere velle videaris.

Verior expositio.

LXX

Saturari humanis carnibus ad sævitiam.

Theodoret.

4 Sed hunc nostrũ locum, tum cum Psalmi ad detractionẽ pertinere eleganter docent multi expatribus. Hieronymus in cõment. Psalmi exponit; *Rabido dente dilacerare*; Augustinus, *Insultare, & maledico dente consumere.* & in IOB Nicetas, *Probrosi sermones ad depascendos artus satis per se ipsi valẽt.* Gregorius; *Qui alienæ vitæ detractione pascuntur, alienis proculdubio carnibus saturantur.* Allegoria sane in sacro sermone minime insolens, cum Paulus moneat Galatas; *Si invicẽ mordetis, & comeditis* (depascimini, devoratis, eroditis etiam instar tineæ, aut instar mœroris, & curarum, quæ conficiunt, & consumunt cor, ex proprietate Grẹca) *videte, ne invicem consumamini.* Allegoriæ autem ratio est, quod *mordere* ad iram refertur: *devorare*, ad feritatem, & immanitatem. *Qui autem lædunt*, & insidiãtur (ut ait Chrysostomus) velut *alios consumpturi veniunt.* Tum etiam quia dentibus, ore, lingua, quæ eadem sunt dicendi, & maledicendi instrumenta, mordemus, comedimus, devoramus: quare cũ loquendo tandem, & maledicẽdo perdimus proximi famam, devorasse, & consumpsisse videmur, & quasi in ventriculi baratrum, qui est consumptionis, & interitus locus, trajecisse. Sic David ad Doeg illũ detractorẽ, & delatorem insidiarũ ait; *Dilexisti*

Detractionis periphrasis.

Hieronym.

Augustinus.

Nicetas.

Greg. l. 14. c. 14.

Galat. 5. 15.

κατεσθίω

Chrysost.

Mordendi, & devorandi ad detrahendum analogia.

Psal. 51. 5.

omnia

Hieronym. *omnia verba præcipitationis*, (Hieronymus, *Omnia verba ad devorandum*. Chaldæus, *voracitatis*. nam *præcipitare*, absorbere, & deglutire est) *lingua dolosa*. Per linguam videlicet detractoriam, & maledicam affers perniciem proximo. Sic IOB ait amicis; Calumniatoriis, & detractoriis istis linguis, & dentibus caninis, semper ringẽtes, & insultantes mordetis, comeditis, absumitis meam existimationem, & famam, & meum insuper corpus, atque vitam perdere conamini, malum interitum mihi tanquam sceleratissimo homini imprecantes. Interim ego his vestris cõtumeliis enecor, & conficior. Sapienter Ambrosius: *Contentiones generant jurgia, cujus fructus est vitæ consumptio*. Ambros.

XXIII. Quis mihi tribuat, ut scribatur sermones mei? Quis mihi det, ut exaretur in libro?

XXIIII. Stylo ferreo, &c.

1. *Optandi formula. Pronomen* Quis *in sacro sermone.*
2. *Calumnia Hebraizantium. Candor Vulgati.*
3. *Scribere ad leges, & statuta relatum. Illustratus semel, & iterum Isaias.*
4. *Quid liber in sacro sermone.*
5. *Quosnã sermones suos, quidve conscribi publico instrumento desideret Iob.*

1 SED cum vos (inquit) nulla mei sublevandi, atque consolandi cura, vel voluntas tangat, unicum illud, nec non extremum solatium opto, ut hæc ipsa, quæ in vestra præsentia profero, publice contestata, & publico instrumento ad omnẽ æternitatem consignata permaneant. Hæc est tota sententia facile collecta, sed mẽbratim propter nõnullas difficultates explicanda. Paraphrasis sententiæ.

Quis mihi tribuat? Optandi forma Hebræis usitata, valet idem, quod *utinã*, quis efficeret hoc? quod cũm desiderem vehementer, atque in mea potestate nõ sit, desidero majores vires, quarum ope valeam obtinere. Interrogatio etiam, & pronomen *Quis*, tum rei magnitudinem, tum difficultatẽ amplificat. Nam (verba sunt Hieronymi) *pronomen Quis in Scripturis sanctis, non pro impossibili, sed pro difficili semper accipitur*. Et quidem eleganter observat Philippus; *Quoniam a nullo hominum potuit invenire solatium, convertit se ad Deum.* Optandi forma. cũ pronomine, pertinet ad difficultatem rei. Hieronym. in Eccles. 5. Philipp.

2 *Ut scribantur sermones mei.* Quidam Hebraizantes advocant huc illam particulam hemistichii sequentis, *in libro*; ita ut legatur: *scribantur in libro*. Ajunt enim forte metri causa etiam in Originali transpositam. sed nodum isti in scirpo quærunt, cũ sensus Interpretis legitimus, & planus sit, & expressus ad verbum ex Hebræo, imitatus etiam ex Septuaginta. Si Latinus Interpres verbum de suo loco movisset, quas illi tragœdias excitarent de commutato, & luxato verbo! nunc quoniam fixũ, & immotum sua sede reliquit, dimotum, & convulsum vellent. Sed bene habet. Cajet. Eugub. Hebraizãtes notati.

3 *Scribi* ergo *sermones*, est describi modo vulgari scribendi, nihil enim peculiare adfert verbum *Cathab*. Propterea se corrigit, *Quis mihi det, ut exarentur, &c.* q. d. Opto nõn tãtum notari, & scribi communi aliarum Scripturarum ratione, sed ut *exarentur in libro*. Majus quippe hoc est, & firmius. nam verbum *exarandi*, *Hhakak*, ad ea pertinet, quæ tanquam firma, & rata perscribuntur ad publicam memoriam, cujusmodi sunt statuta, jura, leges, quæ vel impressis characteribus, vel diuturnioribus notis cõservata volumus. unde ortum est, ut *Scribere* non solum sit verbum forense, ut aliquando diximus, sed præterea sit idẽ quod legẽ ferre, aut statuere, ut illud Isai. 10. 1. *Væ qui condunt leges iniquas* (ex Hebræo propr. Septuaginta, *Væ scribentibus iniquitatem*. & ita per expositionem additur) *scribentes injustitiam scripserunt*. Quare ad condendum, & indicẽdum novũ decretum hortabantur, qui dicebant Daniel. 6. 8. *Nunc Rex confirma sententiam, & scribe decretum*. (propre Pagninus, *scribe Scripturam*. Septuaginta: *Propone Scripturam.*) *ut non immutetur, quod statutum est a Medis, & Persis*. & deinde additur, Vers. 9 *Rex Darius proposuit edictum*. Septuaginta, *Jussit scribi decretum*: Pagninus, *Descripsit Scripturam*. Hinc apud Isai. cap. 33. Vers. 22. dicitur: *Legifer noster*; proprie, Scriptor, aut, præscriptor legum, & constitutor juris. Tandem quod hac *scribendi* ratione firma, & perpetua, &, ut ita loquar, juridica scribi precepit Deus, *Diligẽter exarari*, vertitur ab Interprete, & memoriæ, atque posteritati cõmendari oportere Isai. 30. 8. *Scribe* * *super buxum*; (attente, & per otium scribe. Septuaginta, *sedens scribe*) *& in libro diligenter exara illud, & erit in die novissimo in testimonium usque in æternũ*. Ergo hac ratione *sermones suos exarari*, optat IOB, ut sint posteris tanquam bene vivendi dedecreta, & constitutiones quædam, atque firma, & fixa suæ innocentiæ ad omnem æternitatem testimonia. כתב חקק Scribere proprium leges ferentium. Vide quæ diximus c. 13. ỳ 16. n. 5. LXX. * Sientare despacio a escrevirlo como q lo pintaras, y dibuxaras.

4 *In libro*. Crescit hæc eadem firmitas, & perpetuitas rei exaratæ ex adjuncto *libro*,

Liber, perpetuum instrumentorum.

nam liber est instrumentũ publicum, quo res gestę Regũ, aut annales, tẽpora ve describuntur a publicis scribis, aut notariis. Sic dicitur *Liber generationis Adã* Genes. 5. 1. & *Liber generationis* Iesu Christi, Matth. 1. 1. Quare ad *libri* proprietatem dictũ est Ieremiæ. 32. 10. *Scripsi in libro, & signavi* (ut publica auctoritate muniretur, & deinde) *Dedi Librum* * *possessionis Baruc.* Publica igitur fide scribi, signari, excipi, & conservari sermones suos vult IOB, sed neque hoc contentus, diuturnitatis firmioris aliud votum concipit, quod versiculo sequẽte, subjunget.

* El titulo, y escrituras.

5 Quæstiũcu - æ responsio.

Sed illud ultimo nunc loco explicandũ, quod prima parte sententiæ proponitur, quos nam *sermones* in hujusmodi monumẽta referri ad æternitatẽ cupiat IOB? nam ex proprietate vocis originalis, nihil peculiare affertur, nisi *sermones*, verba, aut eloquia. Varia apud interpretes expositio, & responsio. Polychron. verba, aut *sermones*, pro rebus ipsis accipit: *Optat* (inquit) *res suas scriptis tradi sempiternis; Hoc item votũ proprie ad ipsius pertinere potest ærumnas; illa etiam fortassè litterarum cupit monumẽtis commendari, quæ in communi vita, virtutisque versantur, quarum rerum testimonium datum est illi divinitus, cum Deus improbum eum esse negavit.* Addit etiam ideo hæc desiderari a IOB, *ut posteris extet patientiæ scopus*, tum etiam, *ut undique, quicquid potest, commiserationis aucupetur*; vel ex aliquo posteritatis lectore. Forsan hæc olim legisse juvabit, commovebit etiã alicujus pectus, & lector miserebitur miserrimi hominis, ad cujus nunc ærumnarum aspectũ ipsi oculati testes misericordiam omnem, atque humanitatem exuerunt. Consentit in hunc intellectum Philipp. *Hæc* (inquit) *duraturis in secula apicibus optat inscribi* Gregorius etiã lib. 14. c. 15. *Cuncta, quæ pertulit, stylo ferreo, & plumbi lamina scripta sunt, &c.*

Prima expositio Polychro.

Iobi historia & ærũnę posterorũ misericordiam alliciunt.

Philipp.

Gregor.

Secunda expositio.

Secũdo commode intelligi per *sermones* possunt, ea omnia, quæ inter disputandũ dixit, nimirũ se justũ esse, & immerito gravissimis suppliciis affectum, ut cum hujus controversiæ nunc nullum habeat æquum judicem, sed cõtentiosos potius, atque iniquos concertatores, si suæ innocentiæ defensio mandetur memoriæ, possit tandem posteritas de veritate judicare, atq; pro illo pronuntiare, qui & modestũ in disputando, & constantem in asserenda veritate semper se præstitit.

Tertio frequẽtior, & germanior expositio, ut ii *sermones* intelligãtur, quos deinde de Fide, & de auctore Resurrectionis subjunget, & de adventu Domini, præmia, & beatitudinem pro patientia, & labore largituri iustis. Sic interpretatur Hieronymus Episto. 61. ad Pammach. ubi hoc ipso testimonio utitur adversus errores Ioannis Ierosolimitani, negantis verum corpus carneum resurrecturum. sequitur communis interpretum; atque contextus ipse sic exigit, quamvis alia etiam, quæ diximus, cum hac ipsa interpretandi ratione cõjungi debeant: nam cum integram de Deo, & de Resurrectione, atque de præmio bonorum, & supplicio impiorum fidem servaverit, firmamque, & cũ charitate conjunctã spem in suo Redemptore posuerit, ex hoc testatum vult fore posteris, se probe vixisse, ac nihil admisisse, dequo jure ab amicis reprehendi, aut redargui potuerit. Et hæc de inscriptione, & monumẽto, testimonio ve insculpendo. Nunc de forma, & materia scribendi atque exarãdi suos sermones ad æternitatem.

Hieronym.

❧ XXIIII. *Stylo ferreo, aut plumbi lamina: vel celte sculpantur in silice.*

1. *Osseus quondam Stylus in usu, nunquã plumbeus.*
2. *Plumbi lamina cujus modi olim. Libri Granatenses D. Ctesiphonis nunc denuo reperti.*
3. *Quid silex, quid petra. Silex ad perpetuitatẽ. Illustratus Moyses.*
4. *Quid celte, & an legendũ certe, pars negativa astruitur.*
5. *Confirmatur, & statuitur pars asserens legendum esse Celte.*
6. *Celte legi apud Latinos. Epitaphium Parasiti.*
7. *Lectio Hebræa examinatur. Columnæ duæ filiorũ Seth.*
8. *Varia materia librorum apud sacros, & prophanos.*

1 OPto (inquam) non solum communi aliqua libri materia, aut vulgari scribendi ratione meam fidem, res que meas cõtestatas transmitti ad posteros, sed diuturniori alio monumẽto: nam librũ papyraceum, aut membraneũ, aut corticeum arrodere solet tinea, & consumere vetustas; stylũ itaque requiro ferreum, & volumen plumbeum, quæ sunt ad monimenti perpetuitatem, contra tẽporum injuriam exquisita.

Plumbi lamina. In Hebræo non est *plumbi lamina*, sed tantum *in plumbo*, habetque nomen a pulvere *Ghopphereth*, cujus etymologiæ ratio ad istam, dequa loquimur, perpetuitatem facit. Ideo enim Kimhi existimat plũbum sic appellari, quasi pulvereũ, nã cum *cætera metalla pulvere consumantur,*

עפרת
עפר
Vnde dicatur Plumbũ apud Hebræos.

& immi-

& imminuantur, cum in eo sunt, solũ plumbũ in terra accessionem aliquã sumit. Quamquã ego veriorem causam hujus appellationis existimem, quod (ut Plinius scribit lib. 34. cap. 16.) *gignitur in summa tellure arenosa. Graphar*, autẽ summus, & tenuissimus pulvis est. vel quod colore referat cinerẽ, nam *ghaphar* aut pulverem, aut cinerem significat. quorsum igitur Vulgatus, non *plumbum*, sed *plumbi laminam* dixit? Sane ut lucem, & elegãtiam afferret sententiæ. Nam quid incõmodius, quam quod Eugubinus vertit, *stilo plũbi*, & Regia cũ Pagnino post R. Mardokai, *plumbeo*, sumentes pro calamo *plumbum*, & pro charta scriptoria *silicẽ*? Quid enim in *silice* durissimo exarari possit molli, & flexibili plumbo? aut quẽ usum habere poterit *stylus plũbeus*, ubi adest ferreus? aut vero quisquam audivit unquam stylum plumbeum? ferreum, omnes: non solũ ut exares in silice, aut in Adamante, de quo est id Ieremiæ 17.1. *Peccatũ Iuda scriptũ est stylo ferreo, in ungue adamantino*. Sed etiam cum in ceratis tabulis scribebant, ut illud Ovidii probat,

Plinius. — Hebraizãtes notati. — Sty.⁹ ferreus. — Ovid.

Dextra tenet ferrũ, vacuã tenet altera cerã.

Stylus osseus.

Osseus pro stylo ferreo in usu fuit apud Romanos, de quo Isidor. lib. 6. c. 9. *Græci, & Tusci primum ferro in ceris scripserunt, postea Romani jusserunt, ne graphium ferreũ quis haberet, unde apud scribas dicebatur, Ceram ferro ne cedito. Postea institutũ, ut in cera ossibus scriberent, sicut indicat Atta in satyra dicens,*

Vertamus vomerem in ceram, mucroneque aremus osseo.

Ergo duo sunt hujus sententiæ mẽbra, duę itẽ quasi chartæ cũ duobus calamis scriptoriis: *stylus ferreus*, & *plumbum*, idest *plumbi lamina* pro charta, *celte* pro calamo, & *silex* pro papyro. Notum vel imperitissimis, plumbi laminis quondam scriptitari solitum, sic scribente Plinio lib. 13. cap. 11. *Publica monumenta plumbeis voluminibus, mox & privata linteis confici cœpta, aut ceris*. Ergo crescit oratio, & ex suis sermonibus publica monumẽta in plumbi voluminibus confici optat I O B.

Plumbi lamina pro papyro. — Plinius.

2 Sed in *plumbi* hac *lamina*, unum non immerito animadvertendum a nobis, quod non immerito prætermitti potuit ab Hebræo illo apud Cajetanum post R. David, a Pagnino in Thesauro, & Sixto Senens. lib. 2. Bibliothecæ, verbo *Liber desideratus a I O B.* in *plumbi lamina* litteras ita efformãdas, ut vacua litterarũ spatia excavato in lapide plumbeis illis impleretur, ut magis conspicua scriptura esset; *Alioqui* (inquit R. David) *si scriptura vacua relinquatur, tũ dem aspergentur latera sculpturæ*. In hac exponẽdi ratione, mirifice expressum videas ingenium Hebræorum, minutias, & ineptias in rebus per se planis, & seriis consectantium. At, inquis, cũ Sixto, adhuc in frõtispicio templi Pantheon conspici inscriptionem M. Aggripę, incisis litteris, & sculptis, ex plumbo restitutis. Sane. sed hoc recens invẽtum: illud multo antiquius, quod de plumbeis voluminibus ex Plinio adduximus; quod ut optimum, & conservandæ rerum insignium memoriæ valde opportunum, ad posteriora etiam sæcula permanauit; nam ipsi Apostolorum discipuli præsertim D. Ctesiphon, & D. Cæcilius, Arabes ambo, & Iacobi Apostoli discipuli apud Granatam, sacros illos libros, ex Iacobi, & Apostolorum doctrina exceptos, arte mirifica, lingua Arabica, characteribus minutissimis in plumbeis laminis exararunt, cõpaginaruntque minutissima folia inserentes unico æreo filo ad sempiternã hominum memoriam. qui nuper, anno videlicet nonagesimo quinto, ingẽti Granatensis urbis, ac totius nostræ Bæticæ fælicitate, & lætitia inventi sunt in mõte illo, quem Vallẽ paradisi nominãt, super Daurum fluvium, ad latus regionis Albaizinæ. ad hunc vero diem decem & novem libri omnino sunt, simul cum Reliquiis Sanctorum Ctesiphonis, ac Cæcilii, & horum discipulorum, quorum aliquis tria folia plumbea instar volę manus, alius quinque, aliquis etiam unum atque viginti folia complectitur; unus de *Providẽtia* inscribitur; de *Essẽntia Dei* alter; alius etiam *Fundamentum ecclesiæ*; ac similiter cæteri omnes pretiosis titulis decorantur. Illos apud se retinet illustrissimus Archiepiscopus Granatensis Dominus Petrus de Castro, & Quiñones dum majus aliquid, & honorificẽtius summus Pontifex de huiusmodi thesauro statuit. In his plũbeis laminis, ut testãtur, qui attente illas sæpe contemplati sunt, visitur usus styli ferrei: oportuit enim esse ferreũ, & bene acuminatum, quo minutissimi ad miraculũ characteres in plumbo efformati, & excavati sunt.

Pa. & Pag. — Sixtus Senẽsis — R. David. — Vera scribẽdi ratio in plumbi lamina. — Granatenses Patroni, & Martyres. — Plumbei libri Granatenses. — *D. Petrus de Castro Archiepisc. Granatensis.*

3 *Aut celte sculpantur in silice*. Excrevit in hac particula tandem desiderium IOB, ad suorum sermonum memoriæ diuturnitatem, *sculpantur*, incidantur, excaventur. & est vox propriè conveniens in lapidicinas, ex quibus eruuntur, & præcidũtur marmora, & lapides. In *silice*, in petra fortissima, atque durissima, & ex qua possit commode confici instrumentum instar gladii; sic enim exigit originalis vox, ut per hanc ipsam vocem significatur Exod. 4.25. *Tulit ergo Sephora acutissimam petram*. In origina-

חצב — צור — Silex cuiusmodi petra.

li enim tantum est; *tulit petram*. Est etiam petra, quæ attrita emittat scintillas. Quare cũ Isai.5.20. tantũ in Hebræo,& Græco, *Vngulæ equorũ ejus,ut petra*; elegãter interpres dixit, *Vngulæ equorum ejus,ut silex*, qui est petra durissima,& propterea apta, ut efformetur in gladiũ,& in tenuissimam aciem,atque ut attrita ignescat, & scintillet: tum etiam ut cum tẽpore ipso de æternitate certare possit. Quare hoc loco, cũ interpres nõ *petram*,sed *silicem* dixit, sapiẽter fecit,& ad subjectam materiam opportune; nam de *Silicibus* scribens Plinius lib. 36. cap.22. *In monumenta* (inquit) *scalpti contra vetustatẽ quoque incorrupti permanent.* & sicut Quintilianus lib.10.c.3.de tabellis scriptoriis dixit; *scribi optime ceris, in quibus facillima est ratio delendi*, cum scribuntur,quæ deleri,& corrigi possunt:ita quod deleri nulla ratione debet, in silice scribi oportet, in quo difficillima sit ratio delendi.

Plinius. Silices incorrupti. Quintilian.

De lectione Latina, vera verior, & castigatior, Certe, an Celte, & de lectione Hebræa.

4 Tota jam controversia de *Celte* est,& de lectione Latina, quibusdã *Celte*, aliis legẽtibus *Certe*, & plerisque existimãtibus correctiorem lectionem esse *Certe*, & non nisi inepti scriptoris, aut corrupti alicujus correctoris vitio irrepsisse *Celte*. Ex his est Frãciscus Lucas in suis Notationibus, asseritque in tredecim manu scriptis codicibus suis legisse *Certe*. Addo ego etiam codicem manu scriptum valde parvum, valdeque antiquum ex Bibliotheca Hispalensi Benedicti Arię Montani,quem is moriens testamento legavit Regię Bibliothecę Escorialis Cœnobii. Atque etiam nunc est in eadem Montani Bibliotheca apud fratres militaris ordinis Sancti Iacobi Hispalẽsis,codex excussus Nurẽbergæ an. 1475. ejusdem lectionis. Addit etiam Franciscus Lucas Biblia Hentenii,Parisiensia,Moguntina, Quenteliana,& Complutensia. Pro eadem lectione citat Robertus Stephanus ad marginem suorum Blibiorũ Parisiensiũ codicem S. Dionysii Oblongum,& Latũ, & S. Germani oblongũ,& latum parvum. Titelmanus quoque vehementer in *Celte* invehitur,quam lectionem asserit esse *corruptam,indoctam,figmentum novitium,& somnium dictionarii barbarorum*. (quibus verbis notat Mãmotrectũm dicentem; *Celtem esse instrumentum ferreum conveniens ad sculpendum*) *& non tantũ Hieronymo, Philippo, Gregorio, sed & iis, qui multo posterius, scripserũt, Divo Bonaventuræ, Thomæ, Lyrano incognitã.* Ioannes Mercerus asserit, dictionem *Celte esse eo loci nihili, per ignorantiam temporũ usque in hodiernũ corruptam ex Certe, ut vetustiora exemplaria habent.* Glossa interlinealis *Certe* habet; Ordinaria etiã, cum *stylum ferreum,plumbeum,& silicem* mystice tractet,at *Celte* non meminit, non ob aliam sane causam,quam quod non legerit.

Prioris lectionis confirmatio. *Frãciscus Lucas.* *Robert. Steph.* *Titelm.* Mercerus in radice. עט *Glossa.*

5 Ex altera parte sunt sedecim item manu scripta adducta a Francisco Luca, quæ legunt *Celte*. Addo ego quinq; alia spectatæ antiquitatis,ex quibus tria sunt in insigni Blibiotheca Ecclesię Hispalensis, quam illi reliquit vir clarissimus Columbus,omnium omnis doctrinæ librorum copia, & varietate refertissimam; duo reliqua apud nos sunt,unum in domo professa Hispalensi nostræ Societatis;alterũ in hoc ipso nostro Divi Ermenegildi Collegio. Duo itẽ alia manu scripta reperiũtur in Bibliotheca Benedicti Ariæ Montani,in sui ordinis cænobio Hispalensi; alterum quinque tomis constat decoratum, & munitũ Regiis insignibus; alterum item,sed parvulũ,non minus tamen antiquum,quod a sciolo quopiam corrigere hunc locum tentante, corruptum est,nam cũ *Certe* legat,macula ipsa,& abrasa charta prodit manifeste corruptorem,atque primam Lectionem fuisse *Celte*. Videtur sane Gregorius sic legisse, Richardus quoque Pampolitanus, & Hugo Carensis,Magnus quoque Albertus qui ait; *Celte esse nomen indeclinabile designans instrumentum cæmentarii, quo lapides sculpuntur durissimi.* Sequitur Hugo Cardinalis, videturque idem placuisse Dionysio;& constans semper fuit ea lectio in textu Glossę Ordinariæ,vel ex eo tẽpore,quo edita est Interlinealis. Biblia,quæ habent notationes Ioannis Benedicti, cujuscumque impressionis fuerint, eandem retinẽt: sicut & pulcherrima illa Parisiensia Roberti Stephani excussa anno.1540. nec nõ correctissima illa,que cum versione Tygurina; & Vatabli annotationibus postea excussa sunt anno 1545, quæ item maximis characteribus,ęque ac sumptibus Lugduni edidit Gryphius anno 1550. Illa etiam antiquiora sunt, ejusdemque Lectionis, quæ in prægrandibus chartis excudit Conrradus Suveynbeim Romæ anno 1471. quæ nobis suppeditavit Bibliotheca Hispalensis Collegii Divi Thomę Aquinatis.habuimus etiam ex Hispalensi Bibliotheca Columbi,quæ Neapoli excudit Mathias Moravus sub Rege Ferdinando anno 1476.

Verior lectio probatur, & ostenditur. *Bibliotheca Hispalẽsis Colũbi.* Septem M S. Hispalensia. *Gregor.* *Richardus.* *Hugo. Carẽsis.* *Albertus M.* *Hugo Card.* *Dionys.* Antiquæ Bibliorum impressiones.

& quę

& quæ Venetiis elaboravit Simon Bevilaqua, ann. 1498. eademque lectio reperitur in permagnis, æque ac pervetuſtis Cõcordantiis, quas Nurembergæ edidit Antonius Kobrerger ann. 1485. idemque ſane transtulerunt vulgaria illa Italica, quæ impreſsit venetiis Ioannes Ragazus ann. 1480. hoc verborum tenore; *Cui meda che ſiano ſcripti nel libro col ſtilo del ferro, & nela lamina de piumbo, o ver col ſcalpello di ferro ſiano ſcolpiti nela dura pietra.* Hanc quoque præfert alteri Marianus Victorius in ſcholiis ſuper Epiſtolam Hieronymi. 61. ad Pammachium Tomo. 2. quam lectionē aſſerit fuiſſe antiquorum; *Neque ſpernenda* (inquit) *eſt tot peritiſsimorum hominum, quales fuerunt Septuaginta, totque etiã temporum, & ita ubique terrarum pervulgata expoſitio.* Recte; ſed unum illud, ſic legiſſe Septuaginta, miror: nam illi, neque *Certe*, neque *Celte* habent, ut ſtatim videbimus. Sed rei hujus confirmatio ſolida petitur ex lectione Vaticana, quam, & antiquam Latinam, & correctiorem eſſe, jam non eſt ſub judice, ſed ipſius ſummi judicis Pontificis judicio pronuntiatum, & cõſtitutum. Hæc (inquam) *Celte* habet. Nulla igitur certior, antiquior ve, nihil propterea apud nos antiquius, quã ut illam ipſam retineamus, & tueamur.

Mar. Victorius.

6 Sed quid rei *Celte* ſit, res ipſa, *Silicis*, & ſcribendi aperte declarat eſſe ſcalptorum, aut ſculptorum inſtrumentum; nos addita ſyllaba vocamus *Sinzel*; Latini, *Cælum* a cęlando. Quare *Cælũ* Praxitelis celebrat aliquãdo Papinius in Hercule Epitrapezio.

Statius lib. 4. Sylv. 6.

" *Laboriferi vivant, quæ marmora cælo Praxitelis.*

Sed, & vox *Celte* legitur in Epitaphio illo Sertii Polēſis Paraſiti, quod in lapide inciſum eſt, ut ipſum de ſe teſtatur, & non inutile viſum eſt ex deſcriptione Ortographiæ Aldinæ huc adſcribere, quod ſimilem quandam gradationem, & incrementum habere videatur, ſicut locus hic IOB, quanquã in re lõge diſsimili, & deridicula.

Paraſiti Epitaphium.

** ** **
HAEC OLIM SVA VOLVNTAS, VOLENTES VOS LEGERE HOC SCRIPTVM. VAH QVID LOQVOR? IMMO SCVLPTVM. QVAM AEGRE VERITAS ADHVC SE MECVM CONCILIAT. NAM NEQVE HIC ATRAMENTVM, VEL PAPYRVS, AVT MEMBRANA VLLA ADHVC. SED MALLEOLO, ET CELTE LITERATVS SILEX, SILENS ADHVC QVID HIC LATET
** LATE **

Ergo cum de antiqua, & vera lectione Latina conſtet, nunc conferenda eſt cum Hebræa. Hæc pro noſtro *Celte* habet *Laghad*. eſt autem dictio *Ghad* frequens in Scripturis, pro *Vſque, ad æternũ, jugiter, in futurum, ſatis*: nam his modis omnibus verti ſolet a Vulgato: & ſi de tempore dicãtur, perpetuitatem ſignificant. Quare Hebraizantes cum Kaldæo legunt; *In perpetuum ſculpãtur in ſilice:* Septuaginta, *In ſæculum*; paulo ſecus Auguſtinus, qui legit, *Aut in teſtimonium in petris ſculpantur.* ſenſus idem, videlicet, in teſtimonium ſempiternum. Interpres particulam hanc præteriit, quoniam res ipſa *ſilicis* perpetuitatē ſonabat, & *ſilici* ſuũ ſtylũ admovit, ut duo per ſe membra hujus ſententiæ diſtinguerет, atque diverſum eſſe ſtylum, quo in plumbo, & quo in marmore ſcribitur, indicaret.

7 לעד עד *Hebraizãtes. LXX. Auguſtinus.*

Multiplex priſcorum ſcribendi ratio, multiplex item, in qua ſcriptitarent, materia.

Hinc ſane duo licet colligere; alterum, dum IOB deſiderat ſuorum *Sermonum* monumentum aliquod, vel plumbeum, vel lapideum, videri reſpexiſſe ad duas illas antiquiſsimas columnas, quas filii Seth ad poſteritatem diſciplinarum tum Naturalium, tum Theologiæ, & Fidem unius Mediatoris fecerunt, ahæneam unam, contra aquæ vim; lateritiã alteram, aut lapideam contra ignem. Audierant nimirum (ut Ioſephus ait) Adamum ceciniſſe univerſalem rerum interitũ, unum incendio, diluvio alterum. Scio in Ioſepho legi, *columnã unam lapideam, alteram lateritiam.* Sed tamen alteram æream fuiſſe, idoneorum auctorum teſtimoniis aliquando confirmavimus. Non aliter IOB plumbeam laminam contra elluviones, ſiliceam, aut lapideam contra ignem deſiderare videtur, ne unquam ſuorum ſermonũ monumentum temporum injuria deleatur.

Colũnæ filiorum Seth cujuſmodi fuerint.

Ioſeph. li. 1. c. 3.

Alterum, indicari a IOB fere omnes ſcribendi rationes, quæ unquam in uſu fuerunt mortalibus: nam quatuor omnino deſignat. Primam communem aliquam, & deinde privatam, cum ait, ut *ſcribantur ſermones &c.* Secundam firmiorem aliam, & diuturniorem ad publica monumenta. Tertiam in *plumbi lamina, aut* ærea quacumque alia materia. Quartam in *Silice*, aut lapide aliquo. Ad primam quidē reducuntur vulgares illę, & communes ſcribendi rationes 8

in foliis arborum, libris, aut codicibus. Apud Plin. legitur; *In palmarum foliis primo ſcriptitatum.* Corrigit Guillandinus; *in malvarum foliis*, quod & Iſidori teſtimonio conſtat lib.6. Etymolog. cap.12. adducentis antiqui poetæ Cinnæ antiquos verſus;

Plinius. Guillandinus. Iſidor. Vide Alex.li.1. cap.30. Cinna.

Hæc tibi Arethæis multum invigilata lucernis
Carmina, queis ignes novimus aereos:
Lævis in aridulo malvæ deſcripta libello,
Prufiaca vexi munera navicula.

Lintei Libri. Ceræ, *Livius. Vopiſcus. Plinius. Iſidorus.*

Fuerunt libri Lintei, quorum meminit Livius Decad.1. Libr.4. atque Vopiſcus in Aureliano. Deinde Ceræ, aut ceratæ tabulæ, appellabantur iſtæ Schedæ, quæ proprie ſunt aſſeres, ſeu tabellę fectiles, ſed rudes, & impolitæ, quæ deinde expolitæ, & lævigatæ, cera obducebantur. Plinius. lib. 10. cap.3. Adpellat item Iſidorus. lib. 17. cap.4. *Scandulas, vel Sandulas, vel Scindulas,* quæ erant parvæ tabellæ ex majoribus arborum truncis in parvas laminas ſciſſæ. Hi autem appellantur, *Pugillares*, quod ſtylo pungerentur: & fuiſſe ante Trojana tēpora ex Homeri teſtimonio probat Plin. Sed cum in aliis, tum in Buxo cerato ſcriptitatum, teſtes ſunt Propertius lib.3.

Propertius.

Vulgari buxo ſordida cera fuit.

Prudentius, in Peri Stephan. Hym. 9.

Tum etiam Prudentius in deſcriptione ſupplicii Caſsiani Martyris; qui Ludimagiſter puerorum fuerat;

Præfuerat ſtudiis puerilibus, & grege multo
Sæptus, magiſter litterarum ſederat.

Deinde ipſis pueris ſtylis configendus traditur.

Conijciunt alij pugiles, inque ora tabellas
Frangunt, relisa fronte lignum diſsilit.
Buxa crepant cerata genis impacta cruētis,
Rubetque ab ictu curva tumens pagina.

Guillandinus.

Sed de multiplici pugillarium forma plura Guillandinus ſuo commentario de Papyro memb.3. Deinde ſcriptitatum in Pergamenis, dequo ſic Iſid. lib.6. cap.11. *Pergameni Reges, cum charta indigerent, membranas primum excogitaverunt, & membranæ dicuntur, quia ex membris pecudum detrahuntur.* Meminit ejuſdem rei, atque inventi Hieronymus Epiſtola ad Chromatium. Harum uſus antiquiſsimus ante Ptolemaicos, & Attalicos Reges (repugnante licet Plinio, & Varrone) teſtimonio Herodoti, qui lib.5. ſcribit; *Iones, qui litteras a Phœnicibus diſcendo acceperant, priſca conſuetudine byblos appellant pelles quod aliquando penuria librorum, hoc eſt ſcirporū, pellibus caprinis, ovilliſque utebantur: adhuc quoque ad meam uſque memoriam, multi barbarorum talibus in pellibus ſcribunt.*

Pergamenæ chartę. *Herodot.*

In Ebore quoque, Flavius Vopiſcus in in Tacito; *Habet Bibliotheca Vlpia in armario ſexto librum Elephātinū, in quo hoc Senatus conſultum perſcriptum eſt, cui Tacitus ipſe manu ſua ſubſcripſit, nam diu hæc. 8. ca. quæ ad Principes pertinebant in libris Elephantinis ſcribebantur.* Atque hos Vlpianus lib.32. Pandect. cap.5. eboreos vocat; cujus hæc ſunt verba; *Librorum appellatione continentur omnia volumina ſive in charta, ſive in mēbrana ſint, ſive in quavis alia materia. Sed, & hinc Phylira, aut tilia, ut nonnulli conficiunt, aut in aliquo corio, idem erit dicendum: quodſi in codicibus ſint membraneis, vel chartaceis, vel etiam eboreis, vel alterius materiæ, vel in ceratis codicillis, an debeantur, videamus.*

Eburneæ tabellæ. *Vopiſcus. Vlpianus.*

Eboris neminerūt Hieron. Epiſt. ad Letā, *Fiant* (inquit pro inſtitutione filiæ) *litteræ, vel buxeæ, vel eburneæ, & ſuis nominibus appellentur, & luſus ipſe eruditio ſit.* Martialis quoque lib. 14. Apoph. 3.5.6.7. 8. multiplicem Pugillarium materiam notās, ait; de Citreis;

Hieronym. Martialis.

Secta niſi in tenues eſſemus ligna tabellas.
Eſſemus Lybici nobile dentis onus.

Deinde;

Languida ne triſtes obſcurent lumina ceræ,
Nigra tibi niveum littera pingat ebur.

Vbi vides non ſolum ſcribi ſolere in ebore cerato, ſed etiam in ebore mundo; ſicut & in Citreo, & in Buxeo: nam hæ materiæ aptiſsimæ ſunt ad excipiendum, & concipiendum atramētum. Sed quod Vlpianus *Phyliræ* meninit, ſciēdum, Phylira, & *Tilia* non ſolum eſſe nomen arboris, ſed etiam tenuiorum membranarum inter lignum, & corticem latitantium. ſic enim Plin. lib. 16. cap.14. quod eſt de Tilia arbore; *Inter corticem, & lignum tenues tunicæ multiplici membrana, e quibus vincula, tiliæ vocantur, tenuiſsimæ earum Phyliræ.*

In Saphiro quoque Dei digito ſcripta fuit Lex, de quo nō nihil indicabimus inferius. cap.28. cum de Saphiro dixerimus. Similiterque in lapidibus Onychinis, & aliis in gemmis Superhumeralis, & Rationalis ſcripta ſunt nomina duodecim Tribuum. ſunt videlicet multæ gemmæ ad ſcalpendum, & ſcribendum idoneæ. AEreaquoque lamina ſcribendo idonea materia fuit præſertim rebus grauiſsimis, & ad ſempiternam memoriam conſervandis, ut teſtatur Plinius lib. 34. cap.9. *Vſus æris ad perpetuitatem monumentorum jam pridem tranſlatus eſt, tabulis æreis, in quibus publicæ conſtitutiones inciduntur.* Legum item, & foderum, quæ in tabulis æreis ſcripta aſſervabantur in Capitolio, meminerūt Polybius lib.3. Cicero in Catilinam. Livius Decad.

Saphirinus liber. AEreę tabulę. *Plin. Cicero. Livius Polybius.*

4. li-

4. libri tertii, Decad. 1. & libri secundi, Fedus ictum cum Latinis, fuisse insculptū in ęnea columna. & 1. Machabeorum cap. 8. 22. *Rescripserunt Romani in tabulis æreis, & miserūt in Ierusalem, ut esset apud illos memoriale pacis, & societatis.* & similiter cap. 15. 13. *Scripserunt ad Simonem in tabulis æreis Spartiani, ut renovarent amicitias, & societatem, & similiter Romani descripserunt in tabulis æreis, & posuerunt in titulis in monte Sion.* Sed his omnibus antiquior Plato in Minoe scribit, Talum apud Gretenses tempore Minois, & Rhadamāthi circūtulisse per totam insulam tabulas ęreas, in quibus leges erant insculptæ, unde etiā AEreus nominatus est. Leges quoq; Duodecim Tabularū exceptæ ex legibus Solonis, quæ axibus ligneis continebantur, incisæ fuerūt in ære, atq; in foro propositæ.

Plinius. Polybius. Livius. Plato. Leges duodecim tabularū.

Intestina quoque animalium libro, & scribendo materiam præbuerunt; Nam Cōstātinopoli, regnante Basilisco, in maximo incendio conflagrasse bibliothecam, in qua erant cētum viginti millia librorū, inter quos fuisse intestinum Draconis longitudine pedum cētum viginti, habens inscriptam litteris aureis Iliadem, & Odysseam Homeri, scribunt Cedrenus in compendio historiarum, Zonaras tom. 3. annalium, Gyllius in Topographia Constantinopolis.

Intestinū Draconis. *Cedrenus, Zonaras, Gyllius.*

Denique in antiqua papyro scriptum est, de qua Plinius lib. 13. cap. 11. *Præparantur ex papyro chartæ divisa acu in prætenues, sed quam latissimas phyluras.* Quę etiam forte sunt *Vasa illa papyri*, quorum Isaias meminit, cap. 18. 2. scribens contra Æthiopiam AEgypti orientalem; *Quæ mittit in mare legatos, & in vasis papyri super aquas*, ubi licet per *Papyri vasa*, plerique intellegāt ipsa navigia, quæ ex papyro fiebant; quare Plinius lib. 7. cap. 22. appellat *Naves papyraceas*; cujusmodi etiam videtur fuisse juncea illa capsella, in qua expositus est Moyses infantulus. At Septuaginta legunt: *Qui mittit in mari obsides, & Epistolas biblinas super aquas.* Fuerunt enim istæ chartæ papyracæ multo antiquiores Ptolomeo Philadelpho, contra quam Varro existimavit. Qua de re erudite, & copiose scripsit Melchior Guillandin. in sua papyro, hoc est, in *Commentariis ad tria Plinii capita de papyro.* Denique jam papyrus nostra non est aliud, quam detrita, contusaque linteola, arte, & industria macerata, & conglutinata, diductaque in tenuissima folia. Atque inter has omnes librorum materias, si diuturnitatem spectes, nō est ultima *Plumbi lamina*, & forte nulli secunda.

Papyrus. Vasa papyri quæ. *Plinius.* *LXX.* Varro Lapsus. *Guillandinus.*

XXV. *Scio enim quod Redemptor meus vivit: & in novissimo die de terra surrecturus sum.*

1. *Sciētia hæc Iobi cujusmodi fuerit. Fides aliis sciētiis superior, sola Visione beata inferior claritate. Illustratus Moyses.*
2. *Redemptor, Redimere. Populus adquisitionis. Illustratus Isaias*
3. *Deus divendens servos improbos alienis, ex Isaia; Redimens item copiose apud David.*
4. *Redemptor proprie Christus. Explicatus Paulus.*
5. *Gratis ne, an pretio nos redimat Christus? Soluta quęstio ex Isaia, & Petro.*
6. *Pronomina*, Meus, Tuus, & c. *amatoria. Syri auguriorum, & ominum captatores.*
7. *Ex Deo vivente Iusti beatam vitam sibi pollicentur. Explicati Ezechiel, & Matthæus.*
8. *Argumētatio Pauli, Nos vivere ex Dei vita Deus vitam suam juramento interponens.*
9. *Iob intuens in Christum resurgentem. Explicatus Paulus.*

QVe difficultates adversus Vulgatam hujus loci Lectionē ab Hebraizātib⁹ excitantur, eæ vel emollientur, vel infringētur facilius, si suo quamque loco sigillatim explicemus, ne simul omnes eximiam harum sententiarum dulcedinem variarum opinionum, ac Lectionum multitudine obruant, aut asperitate, & ariditate exugant, & exhauriant. *Scio enim.* Plena sunt asseveratione singula sententiæ verba; & I
opportune, nam hæc est prima illius instrumenti publici sententia, & primum libri scribendi caput, primum etiam totius pietatis & sanctitatis fundamentum, Dei, atque Mediatoris unius, & Redemptoris fides: propterea peculiari assertione, & contestatione proponenda fuit. Illud *enim*, quāvis non primo loco positum more Latinorum, sed Hebræis tamē initio sententiæ servit affirmationi, sicut & *Vav*, quod subest in Hebræo, & reddi potest, *Et ego scio*, in eodem sensu, *Certe scio*. Pronomen præterea, quod in Hebræo est, asseverationem & emphasim habet, atque in verbum conjunctum refundit vim significationis *Ego scio*, Certo noui, peculiari, & mihi bene familiari scientia, tā certa, quam si oculis haurirem aut ipso experimento didicissem. Verbum originale *sciendi*, aut cognoscendi, omnem dubitationem excludit, & affert certam quandam, atque firmam mentis adhæsionem ad rem satis, superque exploratam. Genes. 48. 19. *Scio, fili mi scio*, nam videbatur Iacob Filio suo Ioseph per errorem caligantium luminum, *Commutasse manus*, cum benediceret, Ephraim, &

Cognitio, & Fides unius Mediatoris.

Copula Hebręorum asserens. ו

Prima persona Emphasis causa.

ידע

Verbū cognoscēdi excludit omnem dubitationem.

Manasse,

Manaſſe; ſed ille aſſerit ſe ita videre, & prudenter agere manibus, ac ſi prudẽtia, & oculi ineſſent manibus: Sic enim ubi nos legimus hoc loco de Iacob: *Commutans manus*; Onkelus dixit; *Prudenter egit manibus.* Sic Deus, quæ in humanis ſua immutabili, & infallibili ſcientia, quam dicunt Viſionis, cognoſcere dicitur, hac ipſa voce originali, *ſcire*, & *cognoſcere*, dicitur, quaſi experimentaliter: Pſal. 138. 2. *Tu cognovisti ſeſſionem meam, & reſurrectionem meam.* & Geneſ. 22. 12. *Nunc cognovi, quod timeas Dominum*, & quæ ſupernaturali cognitione novit homo, hac ſcientia cognoſcere dicitur Deut. 4. 35. 1. Reg. 3. 7. Pſal. 145. 3. aliis etiam locis. Fidei quidem cognitio, & obſcura hæc ſcientia Divinorũ, ſola Viſione beatã inferior eſt claritate, æqualis certitudine, reliquis omnibus aliis ſciẽtiis longe ſuperior, atque certior.

Onkel.

Scientia Viſionis, quo verbo ſignificetur.

Fidei cognitio qualis.

2 *Redemptor meus.* Vnũ ex Dei nominibus, Qui redimet me a malis omnibus, ab interitu, & morte, ſecundum illud Iſaię 63. 16. *Tu Domine pater noſter*, (creator, auctor) *Redemptor noſter, a ſeculo* (idest, jã inde ex quo aſſerti olim ſumus ex captivitate AEgyptiaca,) *nomen tuum.* ſicut etiam Hoſeæ cap. 12. 13. per vocem illam, *Dominus*, proprie dicitur; *Ego Dominus* (qui te ab iniquo poſſeſſore comparavi) *Deus tuus, ex terra AEgypti. Redimere* vero ex proprietate vocis eſt, rem quaſi abalienatam, & devolutam ad alium poſſeſſorem, aſſerere, & vendicare, &, quod ſuum olim fuerat, iterum ad ſe trãsferre emptione repetita. Emiſſenos videtur De⁹ jure, & titulo creationis, & conſervationis; nam Creator creaturæ Dominus eſt, non minus quam herus emptitii ſervi. Propterea dicitur Sapientiæ, 16. 23. *Creatura factori deſerviens.* & Deuteron. 32. 6. *Numquid non ipſe eſt pater* (creator) *tuus, qui poſſedit te, & fecit, & creavit te?* Sic dicitur *Pater* (auctor, creator) *& Dominus cæli, & terræ*, Matth. 11. 25. Sed non tam vult Deus dici Emptor, aut comparator noſtri propter jus creationis, quam propter ingentia alia beneficia, & paternę Providentiæ, atque fortitudinis præclara facinora propter ſuum populum ſibi comparandum ab alienis poſſeſſoribus edita. Quare vocat, *Sion populum acquiſitionis*, 1. Petri. 2. 9. & *Peculium de cunctis gentibus*, Exod. 19. 5. ſubjungiturque ſtatim: *Mea eſt enim omnis terra.* idest, quamvis dominus ſim terræ univerſæ, ſed vnicum tamen populum peculiari beneficio, quaſi pretio coemptũ, meũ & eſſe, & dici volui, ita ut ſi dominus non eſſem hujus univerſitatis, at propter ſingularia beneficia & demeruiſſem, & coemere potuiſſem iſtum mihi populum. Eſt hoc quoque glorioſum Deo, quod æmulari quoque conãtur Reges terræ, ut non tam gaudeant ſe dominos dici hæreditariæ ditionis, quam nullo negotio, nullo pretio compararunt, quam peculiaris alicujus Provintiæ propria virtute, & induſtria, aut etiam pretio ingẽtis difficultatis Acquiſitores, & comparatores; in eoque populo Acquiſitionis mirifice ſibi cõplacent. Hoc *Conquiſitoris* cognomen legimus in hac noſtra Hiſpalenſi arce, in illo Petri Regis cognomento Crudelis, elogio quod eſt in interiori veſtibulo; e regione Portæ Venationis, perantiqua litterarum forma;

Redemptor unum ex Dei nominibus.

ידע

Redimere quid.

Creator eſt Creaturæ Dominus.

Popul⁹ acquiſitionis Deo maxime charus.

El muy Alto, e muy Noble, e muy Poderoſo, e muy Conquiridor Don Pedro Rey de Caſtilla, e Leon mandò fazer eſtos Alcaçares, e eſtos Palacios, e eſtas Portadas, que fue fecho en la Era de Mill e quatrocientos, e ** *quatro Años.* **

Cõquiſitoris cognomen in Arce Hiſpalẽſi.

Regium igitur eſt hoc *Acquiſitoris*, vel *Conquiſitoris*, ſive, quod idem eſt, Redemptoris, cognomẽ, imo Divinum.

3 Sed contumacem, & improbum ſervum vendit aliquando Deus, & vexandum tradit ſævis, & barbaris poſſeſſoribus, nimirum hoſtibus, ſuppliciis, calamitatibus; nõ quod Deus redacta ex mancipio pecunia opus habeat, ſed ut improbus ſervus agnoſcat tandem, *Diſtantiam ſervitutis Dei, & ſervitutis Regni terrarum.* Nam ſic ait Deus; *Gratis venundati eſtis*, Sic Iſaias 50. 1. *Quis eſt creditor meus, cui vendidi vos? Ecce in iniquitatibus veſtris venditi eſtis.* q.d. neque habeo creditorem, cui debeam ſatisfacere, neque obſtrictus ſum exteris gentibus, quibus ſolvendo non ſim, niſi ſervos meos, & ſuppellectilem domeſticã venalem proponam: ſed veſtra contumacia in cauſa eſt, ut domo ejectos ſuppliciis, & hoſtibus tradiderim.

Quorſũ Deus vendat ſuum populum hoſtibus.

2. Paral. 12. 8.

Iſai. 52. 3.

Quod ſi iterũ Deus ſuos ad ſe trãsferat & a duriſsima peccati, & ſuppliciorum ſervitute aſſerat, jam nunc *Redimere* dicitur, & quaſi iterum emere, regenerationis, & recreationis, ac Redemptionis beneficio. Hinc *Redimere* in ſacro ſermone, idem eſt, quod liberare a malis, & ab impugnatione hoſtium, quibus obſtricti, & ſubditi, tanquam ſervi, tenebantur. Ierem. 15. 21. *Liberabo te de manu peſſimorum, & redimam te de manu fortium.* & Pſal. 129. 7. *Apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio.* idest, Deus ſolet abunde, copioſe, frequenter, liberare ex adverſitatibus. Sed quale nam tandem *Redemptoris* munus ſit, & quam

Redimere quid ſit.

& quam cumulate ille ſolus explere Redẽptionis rem,atq; nomen poſsit, docet nos ille Iſaiæ 41.8. locus; *Tu Iſrael, ſerve meus Iacob, quem elegi, ſemen Abraham amici mei* (amicitiæ,& benevolentiæ jure, & incredibiliũ beneficiorũ poſteros obſtrinxi mihi,& coemi peculiares ſervos. Beata porro ſervitus, quæ cõmune habet cũ amicitia nomen! Beati ſervi illi,quos Dominus *amicos* dicit!) *In quo apprehendi te ab extremis terræ* (Apprehendi , inquam , & quaſi manu cœpi Abraham , atque in eo poſteri omnes æſtimantur quaſi manu capti, non jure belli, ſed ſumma pace atque charitate.Sed quam nobile,quam fortunatum mancipium, quod,cum a victore manu capiatur, nõ trahitur manibus poſt terga revinctis ad peregrinam regionem , in qua illi,ſicut in exilio,peregre vivendum ſit,atque ſervienda ſervitus duriſsima; ſed manu ducitur ad terram , quæ illi ſola patria promittitur , bonis omnibus refertiſsima; atque hujus regionis indigenæ dantur illi ſervi in perpetuum) *a longinquis ejus vocavi te, & dixi tibi ſervus meus es tu, elegi te, & non abjeci te.* (nunquam te venalem exponam amplius , nec tradam in manum *Dominorum crudelium* ; quodſi adhuc te poſſeſſum deplores ab iniquis , & ſæviſsimis hoſtibus, tamen aſſeram nunc in meã poteſtatem,& domum, & omnia optimi Redemptoris officia præſtabo , quæ deinde enumerat) *Ne timeas, quia ego tecum ſum, ne declines*, (ſupple,in te oculos , neque ad vires tuas attendas , ſed ad meum robur) *confortavi te , & auxiliator ſum tui, & ſuſcepi te dextera juſti mei. Ecce confundentur , & erubeſcent omnes , qui pugnant adverſum te* (ut te bello capiant) *erunt quaſi non ſint, &c. ego Redemptor tuus, Sanctus Iſrael.*

Beatum eſt, Dei ſervum ſimul, & amicũ eſſe.

Fiducia concepta de Redemptoris potentia, & bonitate.

Non aliter profecto confortatus IOB, non declinabat in ſuam infirmitatem oculos,ſed Divinę virtutis fiducia ſe erigebat, atque intuens in *Redemptoris* ſui vitam immortalem , qui potens erat ſervum ſuum, a poteſtate calamitatum aſſerere, immortalis ſe Reſurrectionis , & vitæ ſolatio fulciebat .

4

Sed cum *Redemptorem ſuum* nominat, vel ex ipſa etiam vocis proprietate , ad filium Dei profecto reſpexit ; in quem *Redemptoris* nomen, & officium mirifice convenit: nam *Redimere* non ſolum eſt, communi, aut vulgari tantum ratione emere: verũ etiam aſſerere ,& vendicare aliquid, vel ab iniquo , vel alieno poſſeſſore jure propinquitatis ; quare Redemptori,atque Propinquo commune in Hebræo nomen eſt, ſicut Booz dixit ad Ruth cap. 3. 12. *Nec abnuo me propinquum, ſed eſt alius me propinquior. Si te voluerit propinquitatis jure retinere, bene res acta eſt; ſin autem ille noluerit, ego te abſque ulla dubitatione ſuſcipiam.* Non ſolum autẽ erat Ruth redimenda, & ducenda in uxorem, ſed etiam emendus ager,ut cap. 4. dicitur. quem locum eleganter ,& proprie legunt Septuaginta ; *Vere Redemptor ego ſum: & quidem eſt Redemptor propinquus ſuper me; ſi redemerit te,bonum; redimat. Si autem noluerit redimere te, redimam te ego.* Chriſtus ergo IESVS , *os de oſsibus noſtris, & caro de carne noſtra,* jure cõſanguinitatis , & propinquitatis ſuo nos ſanguine redemit . Is veriſsime, ac propriſsime Redemptor eſt. Hunc intelligo, cum *Redemptoris*, aut Redemptionis nomen in Sacris Litteris lego: non cũ Rabbinis,atque aliis Hebraizantibus communi aliqua ratione, & vulgari, & ſimplici aſſertorem,aut liberatorem,ſed Redemptorem (inquam) jure ſanguinis,jure conſanginitatis: in Chriſto enim (ut Apoſtolus ait) *Habemus Redemptionem per ſanguinẽ ejus.* ita ut *Sanguis* ſit Redemptionis jus; Idem quoque Redẽptionis pretium. Mira Redemptionis humanæ juſtitia,ex jure cõſanguinitatis Hominis- Dei Redemptoris ! mira quoque Dei miſericordia , ex ſui profuſione ſanguinis pro immeritis fratribus,qui *communicaverunt carni, & ſanguini!*

Redemptoris nomen Filio Dei cõvenicns.

Redẽptoris, & propinqui idem nomen גואל

LXX.

Hebraizantes notati.

Epheſ. 1. 7.

Hebr. 2. 14.

Sed priuſquam de Redemptore deſinã dicere, unum illud addam, *ſi gratis venundatus* eſt peccator , Redemptor illum redimat propter conſanguinitatem, tanquã per rationẽ redimendi, non per ſanguinẽ fuſum , tanquam per Redemptionis pretium. in redimendo enim, eodem reddito pretio , res prius vendita recipitur à Redemptore, ſed, quæ gratis vẽdita eſt, nullo pretio indiget, ut redimatur.

5

Dubitationis de modo Redẽptionis agendæ ſolutio.

Hujus dubitationis difficultatem elucidavit Iſaias; *Gratis venundati eſtis , Et ſine argento redimemini.* Hoſtes noſtri, in quorum poteſtatem , & ſervitutẽ devenimus, Peccatum , Mors , quorum fuimus ſervi, nullo pretio pro nobis exſoluto,nos emerũt; gratis nos poſsident ; gratis noſmet effecimus illorum ſervos . Propterea illi fuerunt iniqui, & injuſti Domini, Tyranni potius. Ergo cũ redimimur, ſine *argento* quoque redimimur, &,quod ad nos , & ad injuſtos poſſeſſores attinet, gratis redimimur : nihil enim illis pretii reddendum eſt, qui nihil pretii dederunt, nihil nos quoque dignum conferre poteramus Tyrãnis pro noſtra Redemptione. Sic eodem, quo empti ſumus pretio , non majori redimimur. At quoniam divenditi a Deo eramus

Iſai. 52. 3.

Iſai. 50. 1.

in iniquitatibus noſtris, niſi pretium pro remittendis iniquitatibus penderetur vero, & legitimo Domino, cujus eramus ſervi, non reciperet ille nos in ſuam benevolentiam, neque ab iniquis poſſeſſoribus vendicaret. Ergo indigebamus pretio Redemptionis, non quod Dæmoni, & morti, ſed quod Redemptor Deo, & Patri offerret, ut priſtinos ſervos in domum ſuã, atque in gratiam reciperet. Sic *non corruptibilibus, auro, & argento redempti ſumus, ſed pretioſo ſanguine.*

1. Petri. 1. Hæ igitur, quæ ſequuntur, ſunt Redemptionis, atque Redemptoris Leges.

REDEMPTOR

1. PROPINQVVS eſto.
2. CONSANGVINITATIS Iure Redimito.
3. Injuſto POSSESSORI prædam eripito.
4. Huic PRETIVM nullum ſolvito.
5. SANGVINEM p Redemptionis pretio vero Domino offerto.

REDEMPTVS

1. LIBERTATIS jure fælix gaudeto.
2. SERVITVTIS jugum ne iterum ſponte ſuſcipito.
3. Deinceps SERVVM te exhibeto OBEDITIONIS AD IVSTITIAM.

6 Hęc cum ſuperno lumine illuſtratus videt IOB, *Redemptorem* agnoſcit, & incredibili charitate complectitur, & adorat: propterea *ſuum Redemptorem* appellat, qui non IOBI tantum, ſed univerſitatis hominum Redemptor eſt. Nam voces ille, *Meus, Tuus, Suus* amatoriæ ſunt, & ad ſingularem dilectionem referuntur, ut aliquando diximus. *Redemptor meus*, quem toto corde, & pectore diligo. Sic Achab benevolus, atque diligens eorum, quos odiſſet Deus, ait ad ſervos Benadad. 3. Reg. 20. 32. *Si adhuc vivit, frater meus eſt, quod acceperunt viri pro omine* (erãt videlicet Syri auguriis dediti. & omẽ eſt auguriũ ex verbis captatum; erat autẽ valde amicum verbum, *frater meus,* propter utramque vocem: ſic illi utrumque repetunt.) *Et feſtinantes rapuerunt verbum ex ore ejus, atque dixerunt: Frater tuus Benadad, &c.* IOB quoque incredibili charitate videtur dicere: ſi vivit, *Redemptor meus eſt. Scis* ſane, *quod Redemptor meus vivit.* Cum ait *Redemptorem vivere*, immortalem eſſe cõfitetur, Vitam ipſam, & æternæ vitæ, atque bonorum omnium largitorem: nam *Vivere* incolumitatẽ affert, atque uſuram omniũ vitę bonorum. q. d. *Redemptor meus vivit* ſemper incolumis, ſemper beatus. *Hauriã ego ſalutem a Domino,* qui eſt fons, & promptuarium bonorum omnium, atq; vitæ beatæ. *Redimet me a malis*, qui nunquam moritur, quantumvis moriar ego. *Etiam ſi me occidas, in ipſo ſperabo*, eſt Deus *vivens* * mihi ſatiſque ſuperque.

Rom. 6. 16.

Pronomina Meus, Tuus, &c. ad charitatẽ pertinẽt.

Syri Auguriis dediti.

Prov. 8. 35. Pſal. 71. 14. Iob 13 15.

* Bivame mi Dios, aunq̃ todo me falte.

7 ∴ Ex Deo autem *vivente* pollicebantur ſibi illius cultores vitam, & fælicitatem: propterea enim appellabant Iudæam, Ieruſalem præcipue Pſal. 26. 19. Pſal. 141. 7. Ezech. 26. 20. *terram viventium*, quod in ea verus vivens Deus coleretur, atque cultoribus ſuis vitam, & fælicitatem largiretur. Hinc ſane videas apud Ezech. cap. 37. reditum ex captivitate Babylonica in Iudęam cõparari cum Reſurrectione mortuorum, & carceres Babylonicos cum ſepulchris, & oſſa arida interfectorum cum ipſis Iudæis Babylone detẽtis, atq; vexatis. *Oſſa hæc* (inquit) *univerſa domus Iſrael eſt. Ipſi dicunt, Aruerunt oſſa noſtra: Hæc dicit Dominus Deus, Ecce ego aperiam tumulos veſtros, & educam vos de ſepulchris veſtris populus meus, & inducam in terram Iſrael, & dedero ſpiritum meũ in vobis, & vixeritis.* Et propterea etiam Deus ipſe profitetur ſe Deũ eorũ, nõ qui mortui ſunt, ut ſuadeat, ſuos cultores vivere apud illum, & beatæ Reſurrectionis fore participes, Matth. 22. 32. *Ego ſum* (inquit) *Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob*: nõ eſt *Deus mortuorũ, ſed viventium.* De Reſurrectione enim ſermo eſt, non de ſola animorum vita. q. d. Deus, qui eſt ſemper æternus, & vivẽs, cultores ſuos, quamvis tũc mortuos, olim ſuſcitabit in Reſurrectionem vitę. Ad cujus ſpei, & ſolatii firmitatem ſatis illi fuerit, *ſcire, quod Redemptor ſuus vivat.*

Deus vivens ſuis cultoribus pollicetur vitam.

Terra viventium, quæ.

Vita ad fælicitatem, mors ad ęrumnas.

8 Sed quæ nam hæc Redemptoris ſui vita, Divina ne, an humana? Diximus enim in Deum hominẽ reſpicere. Sane in utraque ſuæ vitæ ſpem, atque ſolatium reponit IOB. De Divina diximus: propterea que ſæpe Deum ſuum vivere profitebãtur juſti, ut a quo vitam, & operum bonorum præmia ſperarent. Tam ſæpe etiam Deus ſuam vitam ſub juramento interponit, & veras illius, & immortales pollicitationes nobis ad vitam immortalẽ traductis, futuras eſſe credamus. Sed explicate Paulus Act. 17. 27. 28. 29. vitam noſtram ex Di-

Redẽptoris vita tũ Divina tũ Humana ſpem nobis facit.

Cur Deus vitã ſuã juramẽto interponat.

vinæ vite participatione colligit hac argumentatione; *In ipso* (non enim longe eſt ab unoquoque noſtrum, videlicet per ſimilitudinem) *vivimus, movemur, & ſumus; ſicut quidam veſtrorũ Poetarum dixerunt, ipſius enim, & genus ſumus.* id eſt, ſicut ille operatur, & moveri videtur intelligendo, efficiẽdo, & res varias adminiſtrando, ita qui ex illo genus, & originem ducimus, vitam acceptamus, & vitæ motiones exercemus. Rurſus ex noſtra ipſa vita a poſteriori colligit, Deum non eſſe ſimilem auro, argento, aut rebus mortuis; *Genus ergo cum ſimus Dei, non debemus æſtimare, auro, argento, aut lapidi ſculpturæ artis, & cogitationis hominis, Divinum eſſe ſimile.* Hanc ipſam argumentandi formam ſequutus I O B, ut ſuam Reſurrectionem, & immortalem vitam colligat, hoc antecedens præmittit, *Scio, quod Redemptor meus vivit.*

Ex Deo vivẽte vita mortalium accipitur.

9 Sed quoniã *Redemptoris* nomine Chriſtũ I E S V M ſignificari diximus, propter propinquitatem naturæ aſſumptæ, & conſanguinitatem, certe opportune ad rem præſentẽ, atque ad ſuũ inſtitutum, dicet, *Redemptorem ſuum vivere* vita humana, immortali poſt Reſurrectionem, ut inde poſtea colligat ſuam Reſurrectionem ex Redemptore ſuo reſurgente; & *in ipſo* etiam *vivere* nos colligat; *ipſius enim, & genus ſumus*. Quare de Chriſti Domini Reſurrectione, & vita humana immortali, locum hunc interpretatur Hieronymus Epiſtola 51. ad Pammach. *Necdum* (inquit) *mortuus erat Dominus, & Athleta Eccleſiæ Redemptorem ſuum videbat ab inferis reſurgentem.* Similiter Gregorius per paraphraſim inducit I O B dicentem; *Ego illum poſt mortẽ vivere certa fide credo, libera voce profiteor, quia Redemptor meus vivit, qui inter impiorũ manus occubuit.* Sed quid proxime, legitime, efficaciter ex præmiſſa, & conteſtata Redemptoris ſui Reſurrectione, & vita colligat, jam dicet.

Ex Chriſti reſurrectione noſtra colligenda.

Hieronym.

Gregor. lib. 14 cap. 16.

❧ *Et in noviſſimo die de terra Reſurrecturus ſum.*

10. Concluſio argumentationis præcedentis. Et, aliquando reddit cauſam.
11. Varia Hebraizantiũ lectio, Vulgati defenſio, & elucidatio Iod, & Aleph, quomodo cõveniant.
12. I O B loqui de Reſurrectione, id eſt liberatione ab ærumnis, quæ mortis perſimiles ſunt. aliorum ſententia. Illuſtratus Ezechiel, & Paulus.
13. Locum præſentem de vera corporum Reſurrectione debere accipi. Hæretici de Reſurrectione ſpirituali loquuti.
14. Satisfit objectionibus propoſitis. n. 3. Ezechielis oſſa arida ad Reſurrectionem pertinere.

10 HAEC Eſt antecedentis partis concluſio, *Et, itaque, ergo, ideo, propterea.* Notum eſt particulam, *Et*, frequenter denotare cauſam, aut illationem, quam vocant, Geneſ. 49. 15. de Iſacar; *Vidit requiẽ quod eſſet bona, & terram quod optima; Et* (propterea, idcirco) *ſuppoſuit humerum ſuum ad portandum.* Iſai. 3. 7. *Non ſum Medicus* (Chirurgus, gubernator populi) *&* (nam, quia) *in domo mea non eſt panis, neque veſtimentum: nolite conſtituere me Principem populi.* Eleganter verterunt Septuaginta elucidantes Hebraiſmũ; *Non ero tuus Princeps, non enim eſt in domo mea panis.* E contrario autem Vulgatus elucidavit, & diſſolvit Hebraiſmum, ubi Septuaginta retinuerunt, Geneſ. 44. 10. 11. de Scypho Ioſeph; *Apud quemcumque fuerit inventũ, ipſe ſit ſervus meus. Itaque feſtinato deponentes in terram ſaccos aperuerunt.* In Hebræo, *Et feſtinantes.* Septuaginta, *& feſtinaverunt, & depoſuerunt, &c.* Sexcenta ſunt hujuſmodi. Hæc igitur eſt argumentatio, quam ad ſuperandas ſuas ærumnas conficit I O B; *Redemptor meus vivit,* Ergo, ideo, propterea reſurgam ego; Vivit ille beatus, & fælix; igitur ego quoque lætus aliquando vivam; & redimet ille tandem ærumnoſam iſtam vitam meam a malis omnibus.

Et, particula cauſalis.

LXX.

Examen Lectionis Hebraicæ.

11 Sed antequam ingentes hujus ſententię divitias aperiamus, diluere oportet difficultates, quas lectionum varietas, atque Hebraizantium importunitas claudere, & impedire videntur. Et primum quidem illa difficultas occurrit, quam facit varietas perſonarum, nam in Hebræo refertur ſententia ad tertiam perſonam propter litterãm, *I O D*, formativam tertiæ, præpoſitam verbo *Kum, Iakum*, loco Litteræ *Aleph*, formativæ primæ perſonæ. Quare erit ſenſus: *ſurget*, aut *ſurrecturus eſt.* Sic in vertenda tertia perſona cõveniunt Hebraizantes omnes. Cajetanus, Pagninus, Regia, Tygurina, Vatab. Eugub. quamvis non eodem omnes ſenſu, (ut mox dicemus.) conveniunt autem illæ duæ Litteræ *I O D*, & *Aleph*, figura, & charactere; nam *Aleph* componitur ex duobus *Iodajim* virgula obliqua interjacente a ſiniſtra ad dexteram. Quare ſi Interpres Vulgatus aliud verius, & incorruptius exemplar nactus eſt, quam quod modo habemus, certe ex illo ipſo potuit alicujus corrupti, atque corruptoris Iudæi audacia partẽ Litteræ *Aleph* abradere, ſuperiori tantum. *I O D* ſervato, ne tantum myſterium de

Iod formativa tertiæ perſonæ.
יקום
קום
Hebraizãtes.
(א)
Aleph compoſita ex Iod.

Resurrectione per CHRISTUM Redemptorem homini conferenda integrum nobis relinqueret, atque adeo primã personam convertere in tertiam. Quod si Interpres eundem, quem nos, codicẽ habuit, certe potuit verbum *Iakum*, in tertia persona sumere, transitive, & active, Excitabit, eriget, suscitabit de terra; Cajetanus, *super pulverem levabit*; Theodotio, *Redemptor meus vivit, & novissime super pulverem suscitabit*. Posse autem tansitive accipi, noster ipse Vulgatus docuit, cum Amos. 7. 2. vertit eandem vocem active; *Quis suscitabit* (Iakum) *Iacob, quia parvulus est*. Quod fieri posse, sine causa quidam, non omnino integræ fidei auctores negarunt. Tunc ergo sensus idem est cum nostro; Redemptor suscitabit, levabit, eriget me de pulvere, surgere me faciet; resurrecturus sum virtute, & ope Redemptoris mei. Si autem, (ut Cajetanus vult, sub illo verbo activo subaudiendum sit pronomẽ *se*, ita ut sensus sit; *suscitabit se*, vel, surget meus Redemptor, tunc sensum, & vim illationis attendens Interpres, ut illuminaret locum, dixit; *surrecturus sum*; nam ex Resurrectione Redemptoris suam quoq; Resurrectionem colligit IOB, atque ita tum in Resurrectione, & vita Redemptoris sui, tum in sua ipsius Resurrectione suũ solatium constituit: nam cum legitima sit illa consequutio Apostoli; *Si CHRISTUS resurrexit, & nos resurgemus*. Legitimum quoque, atque verissimum sensum hausit, & nobis propinavit Legens; *Surrecturus sum*, ex Originali, *Resurgit*. De quo plura statim præcipue n. sequente, & n. 19. & n. 26. vbi ad Lectionem Hebræam iterum regrediendum nobis est.

Cajetanus. Theodotio. Mercer. Cajetan.

An locus hic in primo, & Litterali sensu accipi debeat de propria, & vera corporum Resurrectione.

12 Secunda difficultas, An locus hic omnino accipiendus sit de vera corporum Resurrectione ad immortalitatem post mortalem vitam, an de Metaphorica Resurrectione ad meliorem vitæ conditionem atque fortunam, cum surget IOB de terra, & de sterquilinii sordibus? Nam hunc posteriorem sensum clariorem, & veriorem existimavit Eugubinus: tum etiam convenientiorem cum his, quæ sequuntur: nam novissime tandem post calamitosam conditionem Redemptor *de terra* resurrexit, cum tandem visus est Deus ipsi IOB, (ut extremo capite narratur) tunc *rursus circumdatus* est IOB *pelle sua*, cum illi integra, & sana restituta est, quæ ulceribus tota concisa, & lacerata fuerat; tum etiam redditus est externus splendor, & amictus bonorum omnium, quibus antea spoliatus fuerat: *Vidit* præterea Deum loquentem secum, *non viderunt alii*, non enim visus est Deus tribus amicis. Secus quidem in ultima Resurrectione, conspicuus apparebit Dei filius improbis, æque ac justis. Ideo in Originali videtur illud, *de terra*, aut *super terram surget*, indicare, quod illi Deus visus fuerit super terram consistens. Confirmat tandem ex Kaldæo, qui legit; *Ex carne mea videbo bonum Dei*. id est, fælicitatem, quam ille mihi post sanitatem restituit. Interpretationem hanc prius docuerat Chrysostomus: *Mea quidem* (inquit) *sententia, de corporum Resurrectione esse, malorum, quibus is premebatur, liberationem*. Et paulo inferius; *Post quam me morbo exolverit, ac liberaverit, iterum pellem corruptã saniе innovabit*. Sane liberatio ab ærumnis per Resurrectionem significatur apud Ezech. c. 37. (ut nuper indicavimus) nam captivitas Babylonica repræsentatur multitudine illa *ossium aridorum*, atque hominum interfectorum; ærumnæ, atque vexatio morte ipsa; carceres tetri, & obscuri, quibus captivi detinebantur, *sepulchris, & tumulis*; *spiritu*, quo revixerunt ossa, Dei benignitas, & favor animos, & vires subministrãtis captivis; bona externa, victus, vestitus, & alia, quibus ad reditum in patriam indigebant, *cute, & carnibus*, quibus succrescentibus circũvestita sunt ossa: Denique liberatio, & reditus in patriam, vita ipsa, & Resurrectione. Atque locum spiritualiter de populi reparatione accepit Augustinus lib. 10. de Genes. ad litteram cap. 5. imo hujus allegoriæ expositionem ipse Deus eo loco docet: *Et dixit ad me, Fili hominis, ossa hæc, universa domus Israel est, ipsi dicunt; Aruerunt ossa nostra, & periit spes nostra, & abscissi sumus; propterea vaticinare, &c. Et scietis, quia ego Dominus, cum aperuero sepulchra vestra, & eduxero vos de tumulis vestris, & requiescere vos faciam super humum vestram*. atque eodem profecto pertinet id Ierem. 18. 3. 4. 5. *Cum figulus dissipavit vas, quod ipse faciebat e luto manibus suis: conversusque fecit illud, vas alterum, sicut placuerat in oculis ejus*. Vbi, ut observavit Hilar. super Psalm. 2. aperte significatur, *corporum dissolutio, & mortis confractio*; rursusque instauratio, & resurrectio, quod ab ipso eo refertur ad ęrumnarum mortẽ, & Resurrectionem fælicitatis; *Numquid, sicut figulus*

Metaphorica resurrectio quæ. Eugubin. Chaldaeus. Chrysost. Liberatio ab ærũnis resurrectio quædã.

iste,

iste non potero vobis facere domus Iſrael. Certe Paulus etiam. 2. Corinth. 1. 10. ex ſimilitudine quadam Reſurrectionis, ſuam ex periculis liberationem adſtruit: *Non ſimus (inquit) fidentes in nobis, ſed in Deo, qui ſuſcitat mortuos, qui de tantis periculis nos eripuit.* In Græco illuſtrior metaphora, nam pro *periculis*, & afflictionibus, eſt ad verbum, *ex tanta morte.* Ambroſ. *ex tantis morbus.* Eandem lectionem habet Chryſoſtomus, & Theophilactus, quorum ſententia, fere una & eadem elegans eſt; *De multis, qui ex gravi morbo, aut intolerandis quibuſdã tentationibus emerſerint, illud uſur pari ſolet, Mortuorum Reſurrectionem in hoc homine vidimus.*

Ambroſ. Chryſ. Theophilact.

13 Secunda pars omnino amplectenda.

Sed nihilominus conſtanter aſſero locum hunc de vera corporum Reſurrectione, & accipi, & ſine temeritatis nota ad alienum ſenſum a nemine poſſe non accipi: nam ſi hujuſmodi clariſſimum pro Reſurrectione teſtimonium, infringi, aut enervari patiamur, quod nam erit tam illuſtre, tamque firmum, quod expoſitiuncula quapiam obſcura, & notha obſcurari, & debilitari non poſſit? Veriſſime ſane Hieronymus, uſus hoc ipſo teſtimonio pro vera carnis Reſurrectione, ſcribẽs adverſus errores Ioannis Ieroſolymitani ad Pammachium. *Quid (inquit) hac prophetia manifeſtius? Nullus tã aperte poſt CHRISTVM, quam iſte, ante CHRISTVM, de Reſurrectione loquitur. Sperat Reſurrectionem, imo novit, & vidit, &c.* Idem quoque Epiſtola ad Paulinum. & Aurelius, Caſsiodor. lib. 1. Divinarum lectionum. cap. 5. *Reſurrectionem carnis ſic prophetat, ut nullus de ea vel manifeſtius, vel cautius aliquid ſcripſiſſe videatur. Scio, ait, quod Redemptor meus vivit etiam.* Auguſtinus quoque lib. 22. de civit. cap. 29. Illud (inquit) *quod ait IOB, In carne mea videbo Dominum, Reſurrectionem carnis, ſine dubio prophetavit.* D. Cyprianus in expoſitione Symboli. *IOB* (ait) *myſticis redundans totus eloquiis evidenter Reſurrectionem mortuorum prædicit.* utitur deinde hoc ipſo teſtimonio. Cum Gregorio quoque univerſi Interpretes hoc in loco, ne que abhorret ab hac Interpretatione Chryſoſtomus quoque. Illam aperte agnovit. R. Samuel Marrochianus in Epiſtola illa de Advẽtu Meſsiæ ad Iſaacum Iſraelitã. c. 11.

Hieronym. *Caſsiodor.* *Auguſtinus.* *Cyprian.* *Gregor.* *Chryſoſt.* *R. Samuel.*

Quare cum de corporum Reſurrectione ſermo eſt, nolo ſpiritualiter, ſed corporaliter Reſurrectionem intelligere. Scio quoſdam Hæreticos de reſurrectione ſpiritualiter, & metaphorice loquutos, male utique audire apud Irineum. lib. 2. cap. 56. Scio & Tertullianũ lib. de Reſurrectione carnis. cap. 19. eoſdem ſapienter hac nota inuſiſſe; *Reſurrectionem mortuorum manifeſte annuntiatam, ad imaginariam ſignificationem diſtorquent.*

Tertullian.

Quæ pro ſe, & pro ſua illa metaphorica Reſurrectione adducebat Eugubin⁹. ex ipſa ſingularium partiũ hujus ſententiæ explicatione infringentur. Illud, quod videbatur propter apparitionem, aut revelationem aliquam dictum a IOB, *de terra,* aut *ſuper terram reſurrecturum Deum,* leviter creditur; nam demus poſtea, extremo capite, Deum, vel Angelum corporea illi ſpecie apparuiſſe, non ideo ſtatim efficitur ut *ſuper terram* conſiſtens aparuerit, forte enim rationi magis cõſentaneum eſſet, ut ſublimior a terra videretur, in eo videlicet loco, unde prius de nube, & caligine loquebatur, ut jam tunc conquieſcente turbine, & diſsipata nebula, Dei Majeſtas mirabili aliqua, & illuſtri ſpecie ſe ſe exhiberet cõſpiciendam, ut *dicere* poſſet IOB, *Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te.* Perinde vero confictum ad libitum eſt, quod illo ex loco cenſet colligi, illam Dei apparẽtis ſpeciem non eſſe propoſitã aliis amicis, cum eadem prorſus verborum forma dicatur Deus loquutus ad IOB, & ad Eliphaz. Ergo cum ait IOB, *ſe viſurum, non alios,* alia eſt exponendi ratio, ut dicemus.

14 Reſpõdetur prioribus objectionibus.

Quod vero nos ad confirmationem addidimus, ſolidi⁹ eſt, ſed hac ratione explicandum. Efficax a minori argumentum illis locis ab Ezechiele & Paulo confici, propter ſimilitudinem, *Qui potens eſt mortuos ſuſcitare,* potens etiam a fortiori erit ab ærumnis, & mortis diſcriminibus eripere. ut eleganter eo loco Theodoretus explicat. Quare & de vera Reſurrectione illis locis agitur; atque illo Ezech. loco ad veram Reſurrectionem confirmandam utuntur Clemens Romanus lib. 5. Cõſt. cap. 5. Tertullianus de Reſurrectione carnis. cap. 29. Cyprianus lib. 3. Teſtimon. cap. 58. Iuſtinus in oratione ad Antoninum. lib. 5. cap. 15. Nazianz. oratione. 23. in laudem Heronis. Hieronymus Epiſtola. 51. ad Pammachium. Epiphan. Damaſcen. in Parallel. Cyprianus ſuperius adductus. Rurſus Hieronym. in comment. & Theodoretus. Cyrill. Ieroſolymitan. Catecheſi. 18.

Ezechiel de vera reſurrectione loquutus. *Theodoret.* *Clemens. Tertullian. Cyprian. Iuſtinus. Nazianz. Hieronym. Epiphan. Damaſce. Cyrillus.*

Cum ærumnas, & exilium eum morte comparat; deinde Reſurrectionem, & reditum, cum Reſurrectione Lazari, & oſsium aridorum.

De illa Apoſt. Pauli conſequutione, Si Chriſtus reſurrexit, et nos reſurgemus: quam Iob quoq; vidit, & deducit.

15. Chriſtus cauſa exemplaris noſtræ Reſurrectionis. Illuſtratus ſemel, & iterum Paulus, David, Hoſeas.
16. IOB inſtar Phœnicis intueri verum ſolem viventem. Phœnix avis Arabica, qua ratione ſe renovet.
17. Phœnix Symbolum Reſurrectionis. Idem nomen commune avi, & palmæ. Explicatus David.
18. Phœnix in palma conflagrans moritur, ter venerata ſolem.

15 IAM igitur ad conſequentiam illam, & conſequendi vim deveniendum, quæ omnino eadem eſt cum illa Pauli, *Si Chriſtus reſurrexit, & nos reſurgemus*, quæ fere ab illo exprimitur. Roman. 6. 5. & cap. 8. 11. & 1. Corinth. 15. 22. Philipp. 3. 21. Quam rem eleganter explicant Theologi cum Divo Thoma 3. Part. q. 56. ubi quærit, *Vtrum Reſurrectio CHRISTI ſit cauſa Reſurrectionis corporum.* Atque hac ratione ducta ex Reſurrectione CHRISTI frequenter utuntur Eccleſiæ Patres. Ignatius in Epiſtola ad Trall. Clemens lib. 5. Conſt. Apoſt. cap. 6. Tertul. de Reſurrectione carnis. cap. 23. & 24. Irinæus lib. 5. cap. 7. Athanas. Sermone de Paſsione, & Cruce Domini, & de Incarnatione Filii Dei. Hieronymus adverſus errores Ioann. Conſequentiæ vis in eo, quod Redemptor, vindex, & propinquus repræſentet eum, quem redimendũ ſuſcepit: ideo enim quia ſine carne propinquus non eſſet, carnem aſſumpſit, ut perfectus Redemptor, & propinquus eſſe poſſet illorum, qui homines eſſent. Neque perfecte redimit, quem a morte quoque corporis nõ liberat; neque perfecte liberat, niſi ipſe quoque in ſe ipſo mortem vincat. Ergo hominem, quẽ mori neceſſe eſt, neceſſe quoque eſt a morte reſurgere, ope, & virtute ſui Redemptoris reſurgentis. Redemptor autem niſi vivat, & poſt mortem reſurrexerit redivivus homo, non erit perfectum humanæ vitæ reliquis hominibus exemplar, & cauſa; ſi vivit autem poſt mortem, vitæ conferendæ certiſsimam injicit ſpem mortalibus omnibus propoſito ſuæ vitæ exemplari, qui mortem illorum ſua morte repræſentavit, & interemit. Sic eleganter Nazianz. oratione. 1. *Mors adverſus mortem, & tenebræ propter lumen, & ſepultura adverſus illam in terram reverſionem, & reſurrectio propter Reſurrectionem*. In hanc rem Athanaſius utitur illo Apoſtoli teſtimonio. 1. Corint. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in CHRISTO omnes vivificabuntur*. Præter quam enim quod de ipſa corporum, & morte, & vita intelligat, acute indicat, ipſi quoque Adam, qui caput erat hominum, ſive quoad vitam, ſive quoad mortem exhibuiſſe CHRISTVM reſurgentem ſuæ quoque ac cæterorum mortalium Reſurrectionis futuræ pignus, cum in Calvariæ loco crucifigeretur, ubi ipſi Adamo ibidem ſepulto, ac ejus poſteris diceret, *Exurge a mortuis*, &c. *Nam neceſſarium* (inquit) *eſt ſurgente Servatore, conſurgere quoque cum eo & ipſum Adamum, & omnes ex Adamo oriundos.* Sic rurſus Paulus Philipp. 2. 10. cũ de glorificatione CHRISTI IESV poſt Reſurrectionem loquitur, ait; *In illius nomine omne genu flecti cæleſtium, Terreſtrium, & Infernorum.* id eſt, ab hoc vivente Deo, atque vitæ, & Reſurrectionis auctore viventia cuncta emendicare vitam, atque viventem quoque venerabundos adorare eos, qui in cœlis, qui in terris vivunt, tum etiam quorum in ſepulchris inferis, & ſubterraneis jacent cadavera, ut quæ ab illo Reſurrectionem, & vitam expectent. Sic fere interpretatur Ignatius Epiſtola ſecunda ad Trallianos. Scriptum eſt enim Pſalm. 21. 30. *In conſpectu ejus cadent omnes, qui deſcendunt in terram.* q. d. qui mortuus in terra deponitur, ipſo jacendi habitu videtur, quaſi proſternendo ſe adorare *Deum viventem in ſæcula*, & ſupplex deprecari reſtitutionẽ ad vitam. Vnde illa videtur eſſe mortalium ad immortalem vitam ſuſcitandorum ad exemplar CHRISTI reſurgentis, vox, Hoſeæ. 6. 3. *Vivificabit nos poſt duos dies, in die tertia ſuſcitabit nos, & vivemus in cõſpectu eius.* Videntur enim reliqui mortales ipſo die Reſurrectionis Dominicæ jam *convivificati*, & conreſuſcitati cum ipſo CHRISTO reſurgẽte die tertio, nam ipſa CHRISTI reſurrectio certiſsimum pignus, certiſsima quoque ſpes eſt noſtræ Reſurrectionis, vt propterea reſurrexiſſe videri poſsimus. Quare Petrus. 1. cap. 1. 3. cum ſpe, quam nobis injicit CHRISTI Reſurrectio, vitam jam nunc conjunxit; *Regeneravit*, inquit, *nos in ſpem vivam per Reſurrectionem IESV CHRISTI ex mortuis.*

Ego certe cum hoc loco IOBVM cõtemplor olim in Arabia degentem, oculis, & animo ſublatum in Reſurgentis ſui Redemptoris fidem, atq; in hunc quaſi Oriẽtem Solem reſurgentem ex tenebris, fixis intueri luminibus, indeque ſuæ quoq; Reſurrectionis certiſsimam ſpem atq; fidem 16

Margin notes: D. Thomas. — Chriſtus reſurgens exemplar noſtræ reſurrectionis. — Dogma Catholicum antiquorum Patrum. — Chriſtus perfectus Redemptor. — Naziãz. — Adamo contulit Chriſtus Reſurrectionis pignus. — Quomodo inferna flectant genu in nomine Ieſu. — Ignatius. — Iobeum Phœnice Arabicæ comparatus.

concipere, videor mihi videre Phænicem, avem ſane Arabicã, Syriam, aut Aſſyriam, quæ mirabili naturæ artificio, atque miraculo ſubtiliſsimo in novam ſe vitam quaſi reſurgendo inſtaurat, & in *nidulo ſuo moritur*, cæleſti calore conflagrans, nimirum ſtans, atque intuens in Orientem Solem, & illum quaſi precata, ex illo eodem vitæ, & caloris fonte vivificum calorem haurit, & concipit. Rem de Phænice ſic ſcribit Clemens Romanus lib. 5. cap. 6. *Narrant avem quandam eſſe unigenam, quæ Reſurrectionem affatim demonſtret. Hanc dicunt non maritari, & unice atque ſolitarie gigni, Phænicem vocant. Qui etiam narrant quingenteſimo quoque anno in Ægyptum ad aram Solis, quam vocant, cum multo Cinnamomo, & Caſsia, ac Xilobalſamo volare, & ſtantem ad Orientem Solem, ut ajunt, precari, & ſponte incendi, atque in cinerem redigi, ex cinere autem vermem renaſci, atque ex eo tepefacto formari novam Phænicem, &, cum facta eſt volucris, ferri in Arabiam.* quam rem ex Clemente, dicit ſe mutuare Cyrill. Ieroſolimitanus Catecheſi. 18. Conſentiunt, quæ de Phænice quoque ſcribunt Herod. lib. 2. Plin. lib. 10. cap. 2. Philoſtratus lib. 3. de vita Appollonii Solin. cap. 35. Oppianus, Lactantius in poemate. & conſonãt utique quæ alii auctores de eadem tradunt, Suidas. Ovid. 15. Meta. Auguſt. Serm. 18. ad Fratres in Eremo. Iſidor. lib. 12. c. 7. Cyprian. (ſeu potius Ruffin.) in expoſit. Symbol. Hæc igitur, mirabile eſt in natura ejus, quę ſupra naturã eſt, *Reſurrectionis* exẽplum, præclarum quoque viri Arabici, *Magni inter omnes Orientales*, Symbolum, Solem Orientem, & Redemptorem ſuum viventem pro ſua renovatione precantis, atque dicentis, *In nidulo meo moriar, & ſicut palma multiplicabo dies*. Quem locum nunc ſic legam ex imitatione Tertulliani. *In nidulo meo moriar, & ſicut Phænix multiplicabo dies*. nam Tertullianus quoque de Phęnice, atque de Reſurrectione diſſerens, cap. 13. illum Pſ. 91. locum, *Iuſtus, ut palma, florebit*, ſic habet. *Florebit velut Phænix, id eſt, de morte, de funere.* nam *Phœnix* Græce, & palma, & avis eſt. Et quamvis in illo loco I O B, non habeatur ſimpliciter in Greco, *ſicut palma*, ſed ſicut, *ſtelechos Phænicos*, ſicut, *Truncus palmæ*, aut Phænicis, ut eo loco dicemus; pro trunco tamen oſſa arida, ſemiuſta intelligere licebit, quæ ſunt velut truncus Phænicis. Sed de hoc dicemus iterum ad eum I O B locũ infra c. 29. n. 18. Quid quod etiã Phænix avis in Phænice palma nidum conſtituens, Solẽ Orientẽ venerata cantat moritur, renaſcitur, uti Lactãtius cecinit.

Clement. 5.
Cyrillus. Herodot. Philoſtrat. Plinius. Solinus Oppianus
Auguſt. Cyprian. Iſidorus
17
Iob 29.18.
Tertullian.
ςέλεχος φοίνικος
18
Lactantius.

Paret, & obſequitur Phœbo memoranda ſatelles,
Expectat radiis, & jubar exoriens.
Illa ter alarum repetito verbere plaudit,
Igniferumque caput ter venerata, ſilet.
Tum legit aerio ſublimem vertice palmam,
Vitalique toro membra quieta locat.
Conſtruit illa ſibi ſeu nidum, ſive ſepulchrũ,
Depoſiti tanti nec timet illa fidem.

Vbi obſerva Lactantium dicere Phænicem avem moribundam *ter venerari* Orientem Solem. Ter quoque hoc loco I O B ait, *ſe viſurum*, atque veneraturum ſuum Redẽptorem reſurgentem. Quodſi hoc dicit, & cantat I O B, non in ſublimem palmam elatus, ſed in ſterquilinio jacens, totuſque computreſcens, in eo quoque Phænicem referet, de qua ſic ſcribit Mela lib. 3. cap. 4. *Putreſcẽtium membrorum tabe cõcreſcens, ipſa ſe concipit, atque ex ſe rurſus renaſcitur.* Sed non plura de hac I O B compoſitione cũ volucre Arabica. Illud tantum, quod additur a Tertulliano, *Multis paſſeribus antefari nos Dominus pronuntiavit, ſi non, & Phænicibus, nihil magnum, ſed homines ſemel intercidũt, avibus Arabiæ de Reſurrectione ſecuris.*

Mela
Tertullian. Matth. 10.

An loquatur I O B de noviſsima corporum Reſurrectione, an vero de peculiari illa Reſurrectione Sanctorum cum CHRISTO Reſurgente.

19. *I O B de peculiari ſua Reſurrectione loquutum cum CHRISTO reſurgente. Myſterium Linguæ Hebraicæ.*
20. *I O B cum CHRISTO reſurgente reſurrexit. Expenditur locus Septuaginta de duplici Reſurrectione I O B.*
21. *Qui cum CHRISTO ſurrexerunt immortalitate donati ſunt. Quis dies CHRISTI deſideratus ab Abraham. Illuſtratus Paulus.*
22. *Adamus, I O B, Abraham, Iſaac reſurgũt cum CHRISTO.*
23. *An cum CHRISTO ſurrexerint Iacob, & Moyſes.*
24. *Surrexit David, & tres pueri.*
25. *Examinatur lectio Hebræa. Quid noviſsimum in Sacro ſermone.*
26. *An CHRISTO reſurgente aperta fuerint tãtum monumenta prope Ieroſolimam.*

SED quoniam I O B ſibi peculiariter, non aliis, polliceri videtur ſui Redemptoris vivẽtis conſpectum, locum hunc ita de Reſurrectione accipiendum, ut nõ tam peculiariter de ultima illa, & univerſali Reſurrectione mortalium omniũ ad immor- 19

talitatem: sed accommodate, & proprie de peculiari illa, quæ cum CHRISTO resurgente facta est, vehemẽter suspicor. nec sine mysterio factum credam, (quæ est Linguæ Sãctæ in Verbo interdum unico intellectuum, & significatorum fæcunditas) ut hoc loco illa vox *Resurgendi*, in ea significatione, atque præformatione, quam diximus, apponeretur, quæ non solum *Resurgere*, sed active etiam, Erigere, & excitare, aut suscitare, significationem cõmode recipere posset; ut indicaretur Iobi Resurrectionem cum illa ipsa sui Redẽptoris Resurrectione conjungendam esse, & ita resurrecturum IOBVM, quod excitandus esset a Redemptore resurgente: sicut enim id Verbum duas significationes admittit, ita & duas *Resurrectiones* adumbrat. resurrecturus quippe est alter; alter vero suscitabit, & resurgere faciet: surrecturus IOBVS; CHRISTVS eodẽ tempore suscitabit & se, & IOBVM. Certe qui CHRISTI resurgentis gloriam, & numerosum Sãctorum quoque cum illo resurgentium comitatum considerat, hãc interpretandi rationem & pietati, & veritati valde consonam judicabit, cum Scriptum sit in CHRISTI Resurrectione Matth. 27. 52. 53. *Monumenta aperta sunt; multa corpora Sanctorum, qui dormierant surrexerunt; & exeuntes de monumentis post Resurrectionem ejus, venerunt in Sanctam civitatem, & apparuerunt multis.*

Verborũ Hæbraicorum fæcunditas.

Christus resurgens, & suscitans.

20 Sine auctoritate in re non levi quidquã non asseramus leviter. Habemus hujus rei gravissimum Septuaginta Interpretum testimonium, qui in extremo capite hujus libri sic legunt; *Mortuus est IOB senior, & plenus dierum. Scriptum est autem, ipsum rursus resurrecturum, cum quibus resuscitat Dominus*. Quæ verba Nicetas eo loco testatur, neque in Hebræo, neque apud Aquilam, & Symmachum legi, legi tamen apud Theodotionem; illa etiam agnoscit Editio Sixti Vaticana. Atque veram hanc esse lectionem Septuaginta, agnovit Origenes in Epistola ad Africanum de historia Susannę, cum aliis, quæ in hoc loco habent Septuaginta, & in Hebræo desiderantur. Sed rem eandem, ut sacram, suscepit Clemens Romanus ex Apostolica doctrina lib. 5. cap. 6. *Divinus ille* (inquit) *atque insigni tolerantia IOB, de quo ait Scriptura Scriptum esse, ipsum rursus suscitãdum esse cum iis, cum quibus Dominus resurgit*. Sed quod dicit, *rursus resurrecturum IOB*, duplicem sane Resurrectionem indicat. Hanc Pater Franciscus Turrianus in annotationibus ad eum Clementis Locum, sic exponit, ut significe-

LXX.

Nicetas.

Origenes.

Clemens.

21

Franciscus Turrianus.

tur, *non solum suscitandum esse IOB in illa novissima, & generali Resurrectione, sed iterũ, & prius quidem suscitandum fuisse, cum Christus resurgeret.* Indicat itaque tum Iobum, tum eos, qui cum CHRISTO resurgẽte surrexerunt, morituros iterum, iterumque resurrecturos in universali Resurrectione. quod licet olim placuerit August. Epistola 99. ad Evod. Theophilac. & Euthymio Matthæi. 27. Divo Thomæ 3. p. q. 53. art. 3. ad 2. Soto 4. d. 43. q. 2. a. 1. Sed jam nunc nostratibus Theologis non valde arridet; censent nimirum & quidem sapienter, eos, qui cum CHRISTO surrexerunt, ad immortalem vitam fuisse trãslatos. Res quidem ab antiquissimis Patribus tradita; nam illam docuerunt Origenes ad Roman. 1. Epiphan. Hæres. 35. Iustinus. q. 85. Clemens. 6. Stromat. Ambros. lib 4. de Fide. cap. 1. Sophron Sermone de Assumptione Virginis. Eusebius lib. 4. de monst. c. 12. Ruffinus in expositione Symboli. Remigius super Matth. atque Divus ipse Thomas eodem loco. ubi Zacharias Chrysopolitanus. Suarez. 3. P. Cantapetrensis lib. 2. cap. 3. ad finem. Quare illa Nicetę expositio commodior est; *Illud* (inquit) *Rursus, appositum est, ut prior ea intelligatur resurrectio extitisse, cum is ab ærumna fuit excitatus.*

An, qui cum Christo surrexerũt, iterum mortui fuerint.

Augustinus.
Theophilact.
Euthym.
D. Thom.

Verior expositio.

Origen.
Epiphan.
Clemens.
Ambros.
Sophronius.
Eusebius.
Ruffinus.
Remigius
D. Thom.
Zacharias
Suarez.
Martinez.

Tũ IOBVM, tũ Sanctos alios nominatim cum CHRISTO Resurgente surrexisse.

22 Verumenimvero postremũ inter resurgentes minime oportuit esse IOB, qui nõ fuit postrema CHRISTI patientis, atque Resurgentis figura. Sicut enim patiẽs patientem, ita resurgens ex lætalibus malis, atque ærumnis mirabili illa restitutione bonorũ omnium resurgentem Christũ clarissime adumbravit, & postea etiam redivivus corpore restituto comitatus est.

Esto resurrexerit ADAM, ut Athanas. indicat Sermone de Passione, & Cruce. Origenes tract. 35. in Matthæum. August. q. 161. in Genes. & alii; ut qui mortis sententiam audivit, ab eo etiam Resurrectionem statim acciperet, qui illius peccatum sua morte expiarat.

Adamus resurgens.

Athanas.
August.
Origen.

Surrexit etiã ABRAHAM, *Qui exultavit, ut videret diem CHRISTI; & vidit, & gavisus est.* Qui locus quamvis non omnino facilem expositionem habeat, tamen si ad rem præsentẽ de Resurrectione referatur, non erit omnino difficilis. Hęc enim de CHRISTO Domino dicta sunt post sermonem de Resurrectione conferenda

Abrahami resurrectio.

Ioan. 5. 56.

ab ipso

ab ipſo, tum animis, tum corporibus. Ergo Abraham magnopere cupiebat videre *Diem CHRISTI* reſurgentis, qui & ſuis vitam, non animis ſolum, ſed, & corporibus largiretur: ut impleretur, quod paulo ante dixerat; *Si quis ſermonem meum ſervaverit, mortem non videbit in æternum.* Ergo ſingulari Dei beneficio *vidit Abraham* diē Reſurrectionis CHRISTI, *& gaviſus eſt*, non ſolum communi aliorū myſteriorum fide, ſed etiam peculiari illa repræſentatione, cum in Iſaac a morte pręter ſpem, & *contra ſpem* liberato vidit cum ingenti animi exultatione, & gaudio repræſentatum CHRISTVM: nam tunc *accepit filium ſuum* Iſaac *in parabolam* (ut Paulus ait) id eſt, in ſymbolum Reſurrectionis, ut aliquando nos copioſe probavimus. Ergo qui *in parabolam*, & pignus acceperat Iſaac, quaſi reſurgentem, profecto poſtea ipſe quoque Reſurgens exultavit cum Chriſto reſurgente, videns illum *diem*, de quo dictum eſt; *Ego hodie genui te.*

Rom. 4. 18.

Hebr. 11. 19.

Vide in prioris tomi præfat. c. 7. ℣. 1. & 6.

Pſal. 2. 7.

Surrexit quoq; ISAAC parabola ipſa, & pignus Reſurrectionis, atque Chriſti reſurgentis, vt cumulatiſsime compenſaretur illi timor, quem ex imminente cervicibus gladio, cum CHRISTI mortem, & ſacrificium repræſentavit, conceperat; & ipſe Deus, qui dicebatur *Timor Iſaac*, jam tunc eſſet vita, & exultatio illius.

Iſaac reſurgēs

Gen. 31. 42. 53.

23 Hujus quoq; ſolennitatis particeps fuerit IACOB: nam propterea tantopere videtur curaſſe ſuorum oſsium tranſlationem ex AEgypto ad terram promiſſam, ut CHRISTO olim reſurgenti comes, & anteambulo opportune adeſſet. Quam rem & adumbraſſe ille nobis, & prævidiſſe ipſe ſibi nō obſcure viſus eſt, cum jam jam moribundus adjurato Ioſeph de trāſferēdis illius oſsibus in Chananeam Geneſ. 47. 31. dicitur; *Adoravit Iſrael Dominum converſus ad lectuli caput.* quam adorationem etiā fuiſſe in ipſius Ioſeph ſupremi AEgypti magiſtratus reverentiam, & cultum Chryſoſtomus, Theodoretus, & Procopius interpretantur, ut ſtatim confirmabimus. Ergo quid illud eſt; *Iacob* moribundum *adorare ad caput lectuli?* Certe Ambroſius, in cap. 5. Luc. ſuper illa verba: *Tolle lectum tuum*, ait; *Lectū hominis*, eſſe ipſius hominis corpus. Quę allegoria, ſi recta eſt, dicam etiam, *caput lectuli* Iacob, fuiſſe corpus primum, & excellentiſsimum humanorum corporum: quod enim primum eſt, in quoq; genere, dicitur caput illius. ſicque moribundum corpus Iacobi adoraſſe corpus ſui Redemptoris reſurgentis, ex quo ſuam ille ſibi corporis Reſurrectionē

Iacob reſurrectionē ſuam cū Chriſto reſurgente prænoſcens.

Moribūdus Iacob quid adoraverit.

Chryſ. Theodoret. Procopius.

Ambroſ.

Lectus allegorice quid.

pollicebatur. Sed quoniā Paulus, & Græci ad Heb. 11. 21. aliter legunt, ad Reſurrectionem quoque pertinere oſtendamus; *Adoravit faſtigium Virgæ ejus.* Quid obſecro in *Virgæ faſtigio* erat peculiari adoratione, & reverentia dignum? Certe conjectari licet, fuiſſe etiam in AEgypto morem illum imponendi Sceptris in ſummo faſtigio inſigne aliquod, videlicet Pomum, aut Lilium, aut Roſam, aut quid ſimile; quod apud Kaldæos fuiſſe, aliquando ex Herodoto diximus. *Geſtant* (inquit) *Sceptrum adfabre factum, cui ſuperſtat aut Malum, aut Roſa, aut Lilium.* Ergo adoravit *Florem:* Florem (inquam) illum, qui in *ſummitate virgæ* Ieſſe etiam ſuperſtat, & pulcherrime *aſcendit* de illius *radice*, CHRISTVM IESVM non præciſum, & amputatum ex vita; non dejectum, non mortuum, ſed redivivum, & reſloreſcentem in faſtigio Virgæ. atque in hac CHRISTI reſurgentis fide, & adoratione illud videtur dicere, quod poſtea cecinit David Pſal. 27. 7. 8. *Dominus adjutor meus, in ipſo ſperavit cor meum; & adjutus ſum; & refloruit caro mea, & ex voluntate mea confitebor ei.* Videtur quoq; cæteros omnes illius beatæ Reſurrectionis participes, illis quaſi verbis ad ſimilem lætitiam invitare, & ad peragendum feſtum Paſchatis floridi allicere; *Frōdete Flores, quaſi Lilium, & frondete in gratiā & collaudate canticum, & benedicite Dominū in operibus ſuis.*

AEgyptiorū Regum conſuetudo.

Herodot. lib. 1. Vide, quæ diximus c. 9. ℣. 34 n 4.

Iſai. 11. 1.

Chriſtus reſurgens, Flos.

Eccleſ. 39. 19

Ad fuerit quoque redivivus MOYSES, ſi olim diem ſuum obiit; quod ſi non obiit, at tunc primum gloriam cæleſtis beatitudinis adeptus eſt, cū primū CHRISTVS reſurrexit, ut Ambroſius ait lib. 4. de fide cap. 1. *Moyſen, licet corpus ejus non apparuerit in terris, nuſquam tamen in gloria cæleſti legimus, niſi poſteaquam Dominus, Reſurrectionis ſuæ pignore vincula ſolvit inferni, & piorum animas elevavit.* nam, & ipſe non ſemel CHRISTI reſurgentis, atque Reſurrectionis figuram repræſentavit: nam, ut ait, atque legit Tertullianus de Reſurrectione carnis. cap. 28. Quum *Moyſes manum in ſinum condit, & emortuam profert; & rurſus inſinuat, & vividam explicat, nonne hoc de toto homine portendit?* Vbi obſervandum eleg̃āter a Tertulliano appellari *manū* Moyſis *emortuam*, quæ in Hebræo eſt, *leproſa tanquam nix*; & in Kaldæo, *Candida tanquā nix*; quia ipſo colore albente, & exangui videbatur emortua, vt idem ipſe explicat, inferius cap. 55. *Manus Moyſi mutatur adinſtar emortuæ, exanguis, & albida, frigida, ſed recepto calore, & refuſo colore, eodem caro, & ſanguis eſt.* Rurſus (ut idem Tertullia-

Moyſis mors & reſurrectio.

Ambroſ.

Tertull.

Moyſes Chriſti reſurgētis figura.

Exod. 4. 7.

Tertull. de reſurrectione carnis, cap. 55.

 nus ait)

nus ait) illius mutationis, quæ in Resurrectione erit, speciem prætulit Moyses, cum *mutatur* postea *facies ejusdem incontemplabili claritate*. Neque sine causa cum Christus Dominus discipulos *tardos* corde *ad credendam* Resurrectionem excitaret Scripturarum testimoniis, *incæpit a Moyse*, ut in quo illustris figura suæ Resurrectionis præcessisset. Atque illud etiam observavit Cyrillus lib. de Incarnatione, cap. 14. *Virgam Moysis* dejectam in terram figurasse Dei filium, qui *Virga æquitatis est*, mortalitate nostra indutum *in similitudinē* serpentis, & *carnis peccati*, at deinde *apprehensum cauda*, id est, extrema hora post mortem, serpentis figuram amisisse, jam immortalem factum, & in manu patris *Virgā æquitatis*, & *sceptrum regni sui*, quum etiam post Resurrectionem dicit; *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra.*

Exod. 34. Luc. 24. 25. 27. Cyril. Psal. 44. 7. Matth. 28. 18.

25 Neque abfuerit omnino DAVID, nā si aliis, Davidi quoque Sanctissimo, cui specialis de CHRISTO promissio facta fuerat, hoc Resurrectionis anticipatæ privilegium oportuisse concedi, existimat Augustinus Epistola. 99. ad Evodiū. Postquam enim dixerat; *Scio quibusdam videri morte Domini CHRISTI jam talem Resurrectionem præstitam justis, qualis nobis in fine promittitur*: subjungit; *Durum autem videtur, ut David non fuerit in illa Resurrectione justorum, si eis jam æterna donata est, cujus CHRISTVS eorū semine tam crebro, & tāta evidentia, tantaque honorificentia commendatur.* Ita vero contigisse, probat Sophronius Sermone de Assumptione Virginis, quod Petrus de morte Davidis loquutus non dixit, cadaver ejus Ierosolimis esse, sed tantum: *sepulchrum ejus apud nos est.*

David Resurgens cū Christo. *Augustinus. Sophron. Act. 2. 29.*

Resurrexerunt tres illi viri ANANIAS, AZARIAS, MISSAEL; quos in symbolum, & in testimonium Resurrectionis producunt Clemens Romanus lib. 5. cap. 8. Tertullianus de Resurrectione carnis. Irineus lib. 5. cap. 5. qui virtute *Filii Dei inter illos stantis*, & vivos *in medio fornacis* conservantis, erepti sunt.

Tres pueri Symbolū Resurrectionis. *Clemens. Tertull. Irineus.*

Resurrexit quoque IONAS, resurrectionis figura clarissima, ut docent iidem Patres nuper citati, Filii etiam Dei moriētis atque resurgentis, ut ipse testatur expressus typus. Matth. 27. 40. nam cum evomitur devoratus, eum repræsentat, qui sepultus est, & resurrexit.

Ionas Resurgens.

Tandem resurrexerunt NOE, qui a communi mortaliū omnium interitu ereptus est: DANIEL quoque, qui vivus ex lacu Leonum ministrorum mortis eductus est, ut Nicetas testatur. Ergo & resurrexerit IOB Sanctissimus, qui cum Noe, & Daniele, non minus, quam illi, eodem privilegio gaudens connumeratur ab Ezechiele. atque de hac resurrectionis die multo iucundissima tum IOBI, tum aliorum Sanctorum Christū comitātium, illud dicere possumus, quod scribit Nyssenus orat. 5. de Resur. fuisse multo lætiorē, quam diē Resurrectionis universalis. nunc enim tantum Sancti, postea etiam impii ad supplicia resurgent.

Noe, Daniel & Iob resurgentes. *Ezech. 14. 14. Nyssenus.*

26 Sed obstat (inquis) quod ipse IOB *in novissimo die*, non ante universalem illam resurrectionem, se resurrecturum fore testatur. Respondeo, quamvis in Originali non exprimatur *dies*; sed tantum dicatur *novissimum*, recte explicatum esse ab interprete, ad quid debeat referri, videlicet ad tempus, & diem. Nam quod Eugubinus, Cajetanus, Vatablus post Rab. Levi, ad ipsum IOB referunt, *Ego novissimus resurrecturus sum*. aut ad Redemptorem; *Ille novissimus super terram stabit*, aut, consistet aut eriget se; id est, futurus est æternus, vel *in æternum victurus*; sensus est durus, & valde ab hoc loco alienus. Ergo semper vocem illam *novissimum*, oportet ad tempus reducere: nam *Abhar* significat tardare, differre; unde fit adverbium, quod significat *post, postea, posterius, postremum, finis, novissimum*, videlicet quod tāquam complementum, & finis alicujus rei, aut status, est finis illius, & post illud consequitur. Quare, *Novissimum tempus*, aut *Novissimus dies*, non semper est dies extremi judicii, sed finis novissimus alicujus status, & temporis, quo nomine sæpe significatur tempus Legis Gratiæ, & CHRISTI IESV patientis, qui fuit finis præcedentis status, & quasi complementū temporis, quod Paulus ad Galatas. 4. 4. vocat *Plenitudinem tēporis*; & 1. Corinth. 10. 11. *Fines Sæculorum*. & Ioannes. 1. 2. 18. *Horam novissimam*; & Paulus iterum ad Heb. 1. 2. *Novissime*. videlicet extremus mundi status, post quem non alius status, non alia lex expectatur: nam lex Gratiæ, & Evangelii, est ultima. Sic igitur IOB cum *novissimum diem* dicit, commode possumus intelligere, non extremum judicii diem, sed statum legis Evangelicæ, & CHRISTI patientis atque resurgentis, complentis sua morte, & resurrectione priora sæcula, & incipientis statuere novū, est enim *Pater futuri sæculi.*

1. Objectionis responsio. *Eugubin. Cajetan. Vatab. R. Levi.* אחר Novissimum quid proprie in Novo Testamento. *Isai. 9. 6.*

27 Objicies secundo illorum monumenta, quos secum suscitavit CHRISTVS resurgens, fuisse vel Ierosolimis, vel prope, ut opportuni esse testes possent resurrectionis CHRISTI, & apparere multis.

2. Objectionis responsio.

Respondeo

Teſtes Chriſti patiẽtis, atque reſurgenti ubique terrarum.

Respondeo ab Evangeliſta dici, *monumenta aperta* fuiſſe *multorum Sanctorum, qui dormierant,* neque ſignaſſe eos, qui prope Ieruſalem fuiſſent tumulati; nam ſicut Divinitatis CHRISTI patientis idonei fuerunt teſtes nõ ſolum petræ, quæ *ſciſſæ ſunt* Ieroſolymis, ſed etiã apud regiones alias, ut terræ motus Bythiniæ, de quo Euſebius in Chronic. & in duodecim Aſiæ civitatibus, de quo Plinius lib. 2. cap 48. & Suetonius in Tiberio; & ſicut quoque IESVM patientem teſtatæ ſunt *tenebræ*, nõ ſolum Iudææ, ut aliquando Origenes exiſtimavit; ſed, ut obſcurato ſole fieri oportebat, etiam univerſo terrarum orbi offuſſæ; Ita ſane ex aliis terræ partibus, & regionibus etiam longe diſsitis, adeſſe oportuit teſtes Divinæ reſurrectionis, ut perfidia Ieroſolymitanorum multis teſtibus revinceretur, & lapidea illorum corda emollirentur, ipſis petris duriora.

Euſebius. Plinius. Sueton. Origenes.

3 objectionis reſponſio.

Tandem illud ſcrupulum facit, quod reſurgentes cum Chriſto, *venerunt in Sanctã civitatem*, videlicet quod ſepulchra erant extra, ſed prope urbem. Bene. ſed nũquid laſsitudine viæ deterrerentur, & fatigarentur, qui immortali vita potiebantur, & venire etiam ex regione lõginqua opportune non poſſent? aut vero verius dicitur illos veniſſe in aliquẽ locum, qui e propinquo, quam qui ex longinquo venerunt?

De terra ſurrecturus, &c.

28 *Alluſio ad creationem primi hominis de terra. Ex creatione argumentum Reſurrectionis.*
29. *Reſurgentes cum* CHRISTO. *Illuſtratus Iſaias, conſtructio Hebræorum.*
30. *Pulvis rore matutino tẽperatus,* CHRISTVS *mane reſurgens, ros matutinus.*

28 SAtis jam in hujus loci enarratione immorati videri potuiſſem, niſi novum etiã aliud pro reſurrectione teſtimonium in illis verbis, *de terra*, deliteſcens, non ſine utilitate, & fructu eruendum nobis eſſet. Et quidem præmittendũ eſt quod alii vertunt, *ſuper terram*, non valde diſſentire a Noſtro, ſed Noſtrum melius cum re ipſa, atque cum ipſa veritate conſonare; nam præpoſitionem *Ghal* juxta materiæ exigẽtiam alio, atque alio modo verti poſſe, atque debere, certius eſt, quam ut probari a nobis nunc debeat. ſæpe Latinus Interpres vertit, *ſupra, ſuper, propter, pro, adverſum, uxta, &c.* quare in hoc dicens *de terra*, rẽ ipſam aſſequutus eſt; alii vero; *ſuper illam* conſiſtentes aberraverunt; nam alluſio manifeſta eſt ad locum Geneſ. ubi dicitur Adã *factus de terra*, de pulvere, de *Ghapher*, vox eadem utrobique. q. d. Qui ſtatuam illam luteam primo formatam vivere juſsit. & erectos ad ſydera tollere vultus, poſtea quã in eundem pulverem redierit, de quo ſumpta fuerat, rurſus *de terra*, & pulvere eodem jubebit redivivam reſurgere, & ſuper terram ſtare, conſiſtere, vivere. Sic ex prima hominis creatione argumentum pro reſurrectione conficiunt Sãcti Patres, Clemens lib. 5. Conſt. cap. 8. Tertullian. de reſurrectione carnis. cap. 9. 10. 11. Irineus lib. 5. cap. 3. Athenagoras de Reſurrectione carnis Cyrillus Ieroſolymit. Chath. 18. Procopius ſuper id Geneſ. 2. *Formavit Deus hominẽ de terra.* eleganter ait, *Ex ipſis ſtatim exordiis Reſurrectionis ſpes renuntiatur: nam homo in pulverem reſolvendus erit, ne quis pulverem in ſepulchris cernens, deſperet de reſuſcitando humano genere.* Quid ergo mirabilius, quam in ipſa noſtra origine, & prima formatione ex terra imaginem, & memoriam noſtræ mortis conſtituiſſe Deum: rurſus in ipſa noſtra morte, & reditu ad terram, futuræ per reſurrectionem nativitatis, & vitæ ſolatium oſtẽdiſſe? atque in eãdem rem Nyſſen. Orat. 1. de Reſurrectio. Idem artifex eſt primæ creationis, & ſecundæ tansformationis. *Novit quo modo opus ſuum diſſolutum rurſus concinnet, & ad priſtinum ſtatũ reducat.* Pulverem itaque ſiccum refinget Deus, & ſolidiorem multo reddet quam prius fuerat: videlicet nõ amplius cõvertendum in pulverem; & hoc ſe ſolatio moribundus ſuſtentat IOB; de quo ſic Hieronymus ad Pammach. ait; hac reſurrectionis ſui corporis ſpe, quaſi teſta bene cocta, & ſolida abſtergit mortalis corporis ſaniem, & ſuæ mortalitatis tædium depellit. *Teſta* (inquit) *radens putridæ carnis ſaniem, miſerias ſuas Reſurrectionis ſpe, & veritate ſolatur,* & in ipſo pulvere ſui ſterquilinii, & terra ſepulchri ſuæ reſurrectionis ſpem, & ſolatiũ quærit, invenitque.

Septuag. Pag. Regia, Caject. Vatab.

עַל

Gen 2. 7.

עָפָר

Reſurrectionis argumentum ex Creatione hominis

Clem. Tertul. Iren. Cyril. Athenagoras.

Procopius.

Nyſſenus.

Hieronym.

29 Sed quoniam tum hãc pulveris aridi irrorationem, ut macerari, & compingi iterum in hominem poſsit, tum myſteriũ hoc CHRISTI reſurgentis, & ſecum etiam mortuos alios ſuſcitantis, atque infernum carcerem ſpoliantis conjunxit Iſaias, illius jam verbis, commentarium hujus loci cõcludamus. ſic ille, potius Deus ipſe. cap. 26. 19. *Vivent mortui tui, interfecti mei reſurgent. Expergiſcimini, & laudate, qui habitatis in pulvere, quia ros lucis, ros tuus, & terram gigantum detrahes in ruinam.* (Quid inquam, *tuos mortuos* voco? quorum ego curam, & rationem habeo non ſecus quam

Iſaia illuſtratio.

ſi mei

si *mei mortui* essent aut meorum filiorum cadavera. Ergo videtur quasi prius verbũ corrigere) *Interfecti mei resurgent.* ex verbo legitur in Hebræo: *Cadaver meum resurgent.* constructio verbi pluralis cum nomine singulari indicat distributionem faciendam in singulis contentis sub nomine, id est, singula cadavera mea resurgent. Sed sacratius arcanum: nam videtur aliorum mortuorum, qui sibi peculiari curæ essent, resurrectionem conjungere cum resurrectione sui cadaveris; nam Christi resurrectio causa erat resurrectionis aliorum; tũ etiam reliquos appellat *suum cadaver*, ut quorum Christus caput esset. Quare legẽdum aliqui censent supplendo præpositionem; *Cum cadavere meo resurgent.* Alii supplent particulam similitudinis, Tygurin. *Quemadmodum cadaver meum resurgent* (*cõfigurati* videlicet *corpori claritatis Christi.* Resurrecturis deinde gratulatur Propheta, & ad agendum lætum diem hortatur) *Expergiscimini, & laudate, qui habitatis in pulvere* (vox eadem, quæ vertitur *terra*, q. d. qui sedetis in terra, habitatores sepulchri cineritii, aut pulverulenti, consurgite. Sed qua ratione consurgendum, & resurgendum, nisi ex pulvere, & aqua temperatus fiat limus, ut refingi lutũ possit? Ideo sequitur ex persona Prophetæ) *quia ros lucis, ros tuus* (id est, tu pro tua potentia, atque sapientia, pulveré istum aridum irrigabis vivifico rore, qualis matutinus esse solet. Propterea dicitur *Ros auroræ*, aut *Ros lucis*, qui cadere solet illuscescente aurora. Sic Christo Dominus, *Illucescẽte die Dominico* (ut Ignatius dixit, & frequens Sanctorum Patrum sententia docet) *Resurgẽte*, eo tempore, quo gratior, uberior, salutarior *ros* cadere solet, verno nimirũ, atque etiam ea hora, qua propter adventũ solis, aurora fæcundior roris, & vitæ uberior reddi solet, Roré vitæ infundit Deus arido pulveri. Septuaginta eleganter totum hunc locum illuminarunt; *Resurgent mortui, & expergiscentur, qui in monumentis, & lætabuntur, qui sunt in terra: ros enim, qui a te, sanatio est eis.* Sic sane I O B *sanationem* sibi, imo vitam, & immortalitatem pollicetur; atque etiam direptionem, & spoliationem *terræ* illius *gigãtum*, id est, inferni carceris ex sui Redemptoris resurrectione, & vita.

Pagnin. Reg. Forster, Forerius

Vatab Isidor. Clar., Pagnin. in Thesauro post R David. Adde etiam Eliã Thysbitem in Lexico.

30 Christus resurgens instar roris matutini.

Ignat. ad Trall.

LXX.

XXVI. *Et rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum.*

1. *Quid* Rursus. *Quid* Circundare *in sacro sermone. Expositus Isaias. Pronomen,* Hoc, *per contemptum dictum.*
2. *Resurrectionis ratio, velut nativitas quadam, ad cutis pulchritudinem, & coloris suavitatem potissimum relata.*
3. *Ecclesiasticum dogma de identitate resurgentium corporum. Explicatus Ioannes.*
4. *Varia rationes pro identitate resurgentium corporum.*
6. *Peculiaria membra Sanctorum ex pristina omnino materia restituenda. Quadam ex nova parte integranda.*
6. *IOBI resurgentis ingens gloria.*

BRevis, æque ac elegans resurgẽtis cadaveris descriptio, & circumloquutio; Superior, & exterior vestis hæc, qua contegor, cutis nimirum, nunc tota lacerata, & discissa est: sed olim tamen Deus illam consuet, & instaurabit, cum me & cute integra, & immortalitate amicierit. *Rursum.* Postea. vox eadem, quæ superius reddita est, *in novissimo die.* Tunc (inquã) *circumdabor pelle mea.* Alii contrario sensu, & significatione exponunt verbũ *Nakaph*, *Postquam contriverunt, perforarunt, exciderunt, succiderunt, fregerunt pellem meam.* vel, *post pellem meam succiderunt hanc*; ita ut indicet vermes, & dolores, nõ solum de pastos cutem, sed etiam carnem, quę post cutem est. Pro qua etiam lectione, & sensu producit Pagninus, R. Moseh, & R. Abraham Perusol. Adde etiam Rab. Mardokai. quibus adjunge nonnullos ex Hebraizantibus. Sed instaurationem illam redeintegrationem, & resurrectionem pellis omnino agnoscunt Septuaginta legentes; *Scio, quia æternus est; qui me resoluturus est super terram, ad resuscitandũ cutem meam, quæ perpetitur hæc.* Quem locum sic legit Cyrillus Ierosolym. Chath. 18. *Cutis mea resurget, quæ ista patitur.* Quare originale verbum omnino significat id, quod Vulgatus dixit, *circuitionem*, aut *evolutionem in orbem*, Iob 1. Vers. 5. & Isai. 29. Vers. 1. si vero excusionem, aut excisionem, vel contritionem significat, ea est, quæ cum evolutione, & circulo conjuncta est, & hominem cingit, & undequaque consumit. Rem hanc abunde probare potest unus Isaiæ locus. cap. 3. 24. *Erit pro Zona funiculus*, quod illi, deducentes *funiculum* ab hac radice, legunt, *Erit pro Zona excisio.* sed frigide, nã pulchram quandam anthithesim, quam ibi proponit Propheta inter peccata, atque

1 Resurgentis corporis periphrasis.

אחר

Pagnin. Reg. Vatabius.

נקף

Pagn. Regie. Vatab. R. Moys. R. Abraham. R. Mardoch.

LXX.

Cyrillus.

ſupplicia omnino deſtruunt. Sic enim ait, *Pro ſuavi odore fætor, pro criſpanti crine calvitium, &c.* Deinde pro *Zona*, aliquid, quod cum *Zona* ſimilitudinem habeat, & hominem circundet, & cingat. Quod cum Vulgatus animadverteret, dixit *funiculum*, qui refertur ad ærumnas, & dolores, qui hominẽ cingunt, & undequaque conſtringunt. Neque vero piguerit uti hac in re auctoritate illius, apud Cajetanũ, Hebræi, ſi non admodum gravi, at Hebraizantium palato non omnino injucunda, ſic ille vertit, & ſcribit; *Et poſtea pelle mea circumdati ſunt iſti artus*. *Neque me* (inquit) *latet lectionem interpretatam, circumdati, poſſe etiam interpretari, inciſi, vel cõſumpti, ſed quia cõtextus horret has ſignificationes in hac Littera, ideo electa eſt ſignificatio quadrans contextui*. Similiter Tygurina; *Poſtquam circumdederit hoc mea cute*. Ergo ex verbo ſic legitur locus: Noviſsime circumdederunt, vel circumdatum eſt pelle mea hoc, ſubaudi *corpus*, vel hæc, ſubaudi, *caro*. Cajetanus, *iſti*, ſubaudi *membra*. Vatablus; *demonſtrativũ eſt, hoc, quod ob deformitatem ſummam, non liceret corpus dicere*. q. d. hoc, quidquid illud eſt, indignum nomine, aut demonſtrat oſſa abſumpta carne, interalbeſcẽtia per cutis laceræ foramina.

Cajetanus.

Tygur.

Vatab.

2 Verum enim vero cum reſurrectio ſit, quaſi nativitas altera, potuiſſet I O B illam deſcribere, ſicut cap. 10. nativitatem, aut formationem hominis, *Pelle, & carnibus veſtiſti me, oſſibus & nervis compegiſti me, & viſitatio tua cuſtodivit ſpiritum meum*. Imo, & locum hunc de Reſurrectione quoque accepit D. Clemens lib. 5. cap. 6. tũ etiam Ezechiel. cap. 37. reſurrectionem deſcribit ex oſsibus coagmẽtatis per juncturas, ſuccreſcentibus carnibus, & nervis, extenta deſuper cute, & demum ingrediente, & vivificante ſpiritu. Sed ad *pellem*, & cutẽ, nũc univerſam reſurrectionis formam reduxit, quod cutis contineat totum corpus & in illa ſanitas, & integritas, coloris ſuavitas, & ſplendor, ac immortalis totius corporis habitus viſendus ſit; videbitur quoque eſſe tunc cutis immortalitatis indumentum, ſicut Paulus dixit. 1. Corinth. 15. 53. *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem*. Atque Gregor. Nyſſen. de reſurrectione diſſerens. Hac ipſa pellis ſimilitudine uſus; *Quemadmodum*, inquit, *ſi quis lacera tunica circumdatus, eo amiſſa nudatus ſit, non amplius in ſe ſe abiecti turpitudinem ac dedecus indumẽti videt, eodem modo cum vos quoque exuerimus mortuam, ac turpem illam tunicam, ex ratione carentibus pellibus nobis injectam (pelles autem audiens, figuram ac habitum ratione carẽtis naturæ, quo cum affectione, ac vitiis circumdati fuimus, mihi videor intelligere) etiam omnia, quæcumque de rationis experte pelle circa nos erant, exeuntur*. Induẽtur vero ea omnia, quæ cũ immortali pelle, & indumento conjuncta ſunt.

Reſurrectio altera nativitas.

Clement.

Reſurrectionis deſcriptio ex pulchritudine cutis.

3 Sed illud non prætereundum, quod ſapienter obſervat his verbis Nicetas; *Docemur hoc loco Eccleſiaſticũ dogma, corpus ipſum quod impetus, & cruciatus excepit, anima comite reſuſcitandum eſſe, ut cum illa una fruatur*. Conjungit quidem Nicetas dogma, & illius probationem, propter lectionem Septuaginta, quæ utrumque conjungit; *ad reſuſcitandam* (inquiunt) *pellem meam, quæ perpetitur hæc*. Primum, quod conſtans eſt, & firma in Eccleſia veritas vel ex hoc loco clariſsime conſequitur, cum *pellem* ipſam ſuam ſibi reddendam eſſe aſſerat I O B, nã niſi idem reſurgat, quod prius fuit, vanum, & mendax erit reſurrectionis nomen, ut egregie hoc loco argumẽtatur Gregorius; *Si in aereo, aut in alio corpore reſurrexero, jam ego non ero, qui reſurgo. non enim reſurrectio dici poterit, ubi non reſurgit, quod cecidit*. Quam rem eiſdem pene verbis protulerat Tertullian. de reſurrectione, cap. 18. & Clemens Romanus lib. 5. Conſt. cap. 6. Quare Tertullianus de reſurrectione car. cap. 2. eos, qui reditum animi, non corporis ejuſdem, in reſurrectione admittebant, Marcionitas videlicet, Baſilidianos, & Valentinianos, eleganter vocat; *Partiariæ ſententiæ Saducæorum*, ut qui dimidiam tantum agnoſcerent reſurrectionem. Ergo cum hic locus pro hujus rei fide, clariſsimus ſit, ut qui maxime, illud pronomen *Meum* obſervandum eſt, & pronomen demonſtrativum *Hoc*, quod in Hebræo eſt, (utrumque enim eſt pronomen, ut dicunt identitatis) nam ex ſimili pronomine rem hãc confirmavit Tertullianus. cap. 18. Cũ Chriſtus dixit Ioan. 2. 19. *Solvite templum hoc, & in tribus diebus reſuſcitabo illud*. Similiter, & Irineus lib. 5. cap. 9. quare Cyrill. Ieroſolym. Cathech. 18. *Præcipue*, ait, *hoc notate, quod modo non digito indicans Paulus, dicit, oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc, induere immortalitatem; corpus enim hoc excitabitur non ita infirmum, ſed ipſum quidem reſurget*. Videndus omnino Nyſſenus lib. de hominis Opificio cap. 27. qua ratione autem ſingulis animabus ſua met antiqua corpora reddi poſsint integra, & perfecta, res eſt ſcholaſum potius, quam commentariorum hujus loci, quare plura deſino dicere & quod præſentis muneris nõ ſit adverſus hæreti-

Nicetas.

Identitas reſurgentiũ corporum.

Gregor.

Lib. 14. c. 28.

Clement.

Tertul.

Pronomina identitatis.

Tertullian.

Irineus.

Cyrillus.

Nyſſenus.

cos diſputationes Theologicas conficere; & quod rem hanc de reſurgentium identitate quoad animam, & quoad materiam, tum alii Theologi. in. 4. tum vero ſapienter, & copioſe proſequutus ſit noſter Frãciſcus Suarez. 3. p. q. 53. a. 1. Non enim minus delector cum virum aliquẽ ſapientem noſtri ſæculi intueor, & audio, & data occaſione ad meos commẽtarios adduco, quam cum ad multos ex antiquitate præſtantes doctrina viros oculos converto, & illorum opem in rebus difficilibus efflagito.

Frã. ſco. Suarez.

4 Sed rationem illam dogmatis hujus, quam indicarũt Septuaginta, *Reſurget cutis mea, quæ perpetitur hæc*, explicuit Nicetas; *Vt corpus una cum anima fruatur*. efficax utiq; apud Deum judicem æquiſsimũ, *ut, referat unuſquiſque, prout geſſit in corpore ſuo.* Dionyſius de Eccleſi. Hierarch. cap. 7. p. 1. *Alii animabus aliorum corporum conjugia tribuunt, injuriis (ut reor) quantum in ſe eſt, afficientes corpora, quæ cum Sanctis animabus laborarunt, ſacriſque retributionibus privantes, quæ ad finem ſanctiſsimi curſus pervenerũt.* Perſequitur argumentũ hoc Tertullianus lib. de reſurrectione carnis. cap. 14. 15. 16. 17. & hanc cauſam eſſe reſurrectionis, ut integrum fiat hominis judicium, integrum autem minime futurũ, niſi ſicut fuit inter animam, & carnem operarum ſocietas, ita etiam ſit mercedis, aut ſupplicii. Nazianzenus etiam oratione de Cæſario ad fratrem Cæſarium. Cyrill. Ieroſolym. *Iuſte juſtis, & peccatoribus Deus hoc præbebit, nihil enim ſine corpore a nobis geſtum eſt. Cum igitur in omnibus cooperatur corpus, etiam in futuro fructum ejus percipiet.* Idem fere eleganter Nyſſen. Orat. 3. *de Reſurrectio. ad finem.* Res quidem in ipſa ratione poſita, & ad ſolatium Iuſtorum, & ad terrorem impiorum exquiſita.

Cur expediat corporis eiuſdẽ reſurrectio. *Nicetas.* *2. Cor. 5. 10.* *Dionyſ.* *Tertull.* *Nazianz.* *Cyrillus.*

5 Videtur etiam in illo Divinæ Iuſtitiæ diſtributio, ut, ſi in eadem materiæ parte cõmunicaverint duo homines, in reſurrectione illi reddatur illa ipſa materiæ pars, qui plura merita apud Deum habuerit, & quæ ſanctioris animæ comes fuerit; Secus (ut Dionyſius dixit) *injuria afficeremus materiam, quæ cum ſancta anima laboravit.*

Duorum hominum reſurrectio in eadẽ parte materiæ communicantium.

Addo etiam ſi aliqua corporis pars, aut membrum non omnino habiturum ſit integram materiam, quam quondam habuit, ſupplente nimirum Deo aliquam partem de nova materia, at ubi membrum aliquod viri ſancti aliqua re, aut ſanctitatis excellentia inſigne fuerit, & peculiari ratione ad beatitudinem conſequendam operam ſuam, & uſum contulerit, rationi videri cõſentaneum, ut illud membrũ omnino eandem integram materiam in reſurrectione aſſequatur, aliis licet membris ex alia nova materia redintegratis. Verbi Gratia, Idem, & ſecundum formam, & ſecundum materiam Sanctiſsimi Martyris noſtri Hiſpalenſis, Regiſque clariſsimi Ermenegildi caput infixa ſecuri coronatum, Mamillæ Beatæ Agathæ immaniter abſciſæ, Renes Zoili Cordubenſis diſciſis lumbis avulſi, Cutis detracta crudeliter Beato Bartholomæo, *Pellis* item Beati I O B miris modis, & incredibilibus ulceribus *a plãta pedis, uſque ad verticem capitis*, cum maximo, & patientiæ, & meritorum incremẽto dilacerata, ut veriſsime dixerit, *Et rurſus circumdabor* hac ipſa *pelle mea*. Quodſi vera eſt illa Auguſtini de martyrum vulneribus conſervãdis in cœleſti regno ſententia, aut conjectura, (eſt autem vero ſimillima & cõgruens cũ cicatricibus Chriſti Domini poſt reſurrectionem.) *Non enim (inquit) deformitas in eis, ſed dignitas erit, & quædam quamvis in corpore, non corporis, ſed virtutis pulchritudo fulgebit*; Hoc inquam poſito, quantus erit totius corporis Beati I O B ſplendor, pulchritudo quanta ſi pro ſcabie illa fædiſsima, qua totum corpus reſperſum fuit, *a planta pedis, uſque ad verticem capitis*, & pro immundis ulceribus, ac pro immanibus ſingulorum membrorũ cruciatibus, reſperſum poſtea fuit illius corpus, atque totum illuminatum quibuſdam quaſi punctis luminis, & guttis lucis, & ſtellulis clariſsimis diſtinctum, & circũdatum. *Vt ex apparentibus crederetur id, quod expectamus* (inquit Cyrill.) *vermibus parvulis dedit Deus æſtate lucidum corpus, ut eo ſplẽderent; qui multo magis illuſtrabit hominem juſtũ.* Sed pergendum. vocant nos ſequẽtia.

Peculiaris dignitatis membra Sãctorum reſuſcitãdacũ eadem omnino materia. *Auguſt. lib. 22. de Civit. c. 20.* *D. Thom. 3. p. q. 54. art. 4.* *Cyril. Ieroſolym.*

Et in carne mea videbo Deũ meũ.

1. *Vera lectio Pronomen, Meum, charitatis eſt.*
2. *Videre ad voluptatem refertur. Explicatis David, & Salomon.*
3. *Iudicem deſiderant ſancti videre. Sunt Aquilæ intuentes Solem. Explicatur Matthaus.*
4. *Varia ſanctorum expoſitio de Incarnatione Verbi, & de illius penalitatibus aſſumptis. Deus vulnerans, & ſanans.*
5. *Expoſitio Septuaginta.*
6. *Hebræorum expoſitio languida.*
7. *Vera totius interpretationis clauſula.*

VEra, & correcta lectio hæc, ut pote Vaticana. plerique codices addebãt, *Salvatorem*, & expungebant *meum*, juxta Hebræum. Sed commode quidem, addidit

Vulgatus,

Vulgatus, *meum*, ut responderet primæ parti, *Redemptor meus*: & *videndi* letitiam, & alacritatem indicaret pronomine illo, *meum*, pleno charitatis, atque gaudii. Vt vero etiam indicaretur hic agi de visione corporea, explicuit aliquis videndum oculis corporeis *Deum, Salvatorem* (inquam) Christum IESVM, de quo statim.

In carne mea. Existens ipse *in carne*; vel, *de carnea mea* restituta jam, & reflorescen-
2 te; vel, *Deum in carne mea* existentem, aut subsistentem. Sed de hoc plura statim. *Videbo*, contemplabor. Affert hoc verbum rei alicujus Divinioris conspectum; unde revelatio prophetica, dicta est *Visio*, & Prophetæ *Videntes*. Tum etiam pertinet ad animi lætitiam ex rei alicujus conspectu jucundissimo. Nos hæc duo conjungere solemus, *Ver, y gozar*. sic dictum a Davide est Psalm. 26. 4. *Vt videam voluptatem Domini, & visitem templum ejus*, id est, ut fruar dulcissimo templi conspectu, & familiaritate; *videam* cum summa voluptate. Simile id Cant. 6. 12. *Revertere Sunamitis, & intueamur te*, nam incredibilem Ecclesiæ suæ pulchritudinem cunctis conspiciendam, & prædicandam, cum summa intuentiū voluptate proponit Sponsus. Simili igitur cū voluptate præbebit se conspiciendum, & fruendum Iudex sanctis, ut statim dicet.

Visio rerum divinarum.

חזה

Ecclesiæ pulchritudo omnibus conspicua.

3 *Deum meum.* Propriè, *Iudicem*: nam incredibilis justorum exultatio, & gaudium in conspectu sui Iudicis, vel ex hoc nunc tempore jam *respiciunt; & levant capita*; ut videndo, spe se sustentent, *Diligunt nimirū adventum judicis*. de quibus profecto ab ipso Iudice dictum est: *Vbicumque fuerit corpus illuc congregabuntur & aquilæ*. Se enim cōparat Iudex cum cadavere, justos cum Vulturibus, sic interpretante Irineo lib. 4. cap. 28. Hilario, & Chrysosto. *Vbicumque* (inquit) *est cadaver, illuc congregabuntur & aquilæ participantes gloriæ Domini*. Non enim minus avide, minus alacriter, suis votis, & desideriis videntur justi præcurrere in Dei judicis conspectum, & appetere illius tribunal, quam solet Vultur (nam de hoc aquilarum genere loquitur) præcurrere ad locum cadaverum: & non solum jā mortuum corpus, sed vivum etiam, ante quam moriatur præsagire dicitur, exercitum sequi, stragem futuram præsentire, & quodam naturæ sensu observare moribūdum, quando diem suū agat, ut AElianus, & alii naturaliū rerum scriptores tradunt. sic justi sane Christi Domini corpus illud post Resurrectionem gloriosum, ad judicandum rediturum observant, & suam ipsorum mortē expectant, quando diem suum agant, ut Christi corpus gloriosissimi conspectu perfrui possint. expectant etiam universalem resurrectionem ut non solum animo, sed *in carne* etiam sua, *videant Deū suum*. Hi sunt veræ illæ Aquilæ, *Quarum conversatio in cœlis est*; qui ad corpus, ubi illud viderint, pernicissime convolabunt; Qui nunquam oculos ab illo corpore glorioso avertent: nam non solum hoc Aquilarum, aut vulturū genus, corporis humani appetens est, sed etiam visu pollet acerrimo. Quippe AEgyptii aspectum significantes, vulturem pingebant. Aquila etiam adversum intuetur solē, non cedens splendori, non connivens, non illachrymans. Allegoriam hāc totam eleganter indicavit Hugo Etherianus vetustus scriptor, lib. de regressu animarum, cap 25. *Aquilæ* (inquit) *Sancti nominantur, eo quod in excelso obviā CHRISTO ituri advolabūt, & quia, sicut Aquilæ Solem intuentur absque reverberatione, ita justi a servitute corruptionis exuti, veræ lucis radiis, CHRISTVM scilicet intuebuntur venientem in nubibus.* Vide, quę dicemus iterum versic. sequente.

Matt. 21. 28.
2. ad Thim. 4. 8

Iusti Iudicem suū avide expectant.
Matt. 24. 28.

Vultur præsagit moribundum.

AElianus.

Iusti aquilæ & vultures.

Arist. de histor. anim. li. 9 c. 34.
AElian. Opian.
Ambros. lib. 5. Exam. c. 18.

Certe August. sermone. 2. de Nativita. 4
tom. 10. ad Incarnationis mysterium hunc locum retulit; *IOB* (inquit) *prædicat eximius Prophetarum, In carne mea videbo Deum, quod de illo tempore prophetavit, quando Christi Deitas habitu nostræ carnis induta est.* Imo & Philippus ad idem retulit præcedentem illam sententiam, *Scio quod Redemptor meus vivit*, nam existimat esse idem cum illo Baruch. 3. *Post hæc in terris visus est*. Huc quoque referri posset ista expositio, *in carne mea*, id est, meæ simili, mortali, & ærumnosa *Videbo Deum* hominem factum, hoc me solatio sustento, quod illum olim habiturus sim socium quoque pænarum, atq; dolorum. Pia, & non inelegans expositio, nisi durior videretur, & cum antecedentibus, & consequētibus, atque cum fine hujus loci minime conveniens.

August. expositio.

Philipp.

Nova, atque pia expositio.

Septuaginta sententiam hanc cum initio sequentis ita conjungunt, atque legūt, 5
A Domino hæc mihi consummata sunt, quorum ego mihi conscius sum; quæ oculus meus vidit, & non alius. Quæ ex Niceta hunc sensum habent: *Nō humana est vexatio, calamitatem enim pecoribus, liberisque importatam esse divinitus, e corporis mei ærumnis plane cognosco. In morbum naturalem referri hæc non possunt, Deus hæc mihi intulit, egomet, quę dolores pervellunt, novi.* ita in sua carne putrescente Deum videbat, & agnoscebat, & in suis ærumnis Deum contemplabatur, qui cum illo erat in ipsa tribulatione, Propterea non temere pollicebatur sibi, eundē illum

LXX.

Nicetas.

Ex ærumnis suis sibi Sancti beat iudicem pollicentur.

suæ

ſuæ vitę *Redemptorem*, & beatę reſurrectionis auctorem: nam ſi Deus, qui vulnerat, medebitur idem; percutit, & manus ejus ſanabunt; conſumit, occidit, ſuſcitabit quoque. Ergo ex ſuis ærumnis, & ex auctore ſuæ calamitatis, qui Deus erat, recte poterat colligere ſuam reſurrectionem ad vitam, & ſtatum immortalem. diximus aliquando ex ærumnis polliceri ſibi ſanctos beatitudinis ſpem. Erit itaque hæc ſecunda pars, cauſa præcedentis. Reſurgam, & redintegrata cute, & reſtituta vita: quoniam Deus eſt, qui me nunc dilacerat, & proſternit; eſt autem ille natura ſua Redemptor, atque Salvator, eorum præſertim quos ipſe, pro bona volũtate ſua, exercet, & pro ſua gloria excruciat. Acute quoque hoc videtur dictum; ſed non omnino leniter, neque cohærenter.

C. 2. ℣. 9. n. 5. & c. 5. ℣. 16. n. 1. & ℣. 17. n. 1. 2.

Illud præterea prætermittendum minime cenſui, quod Hebræus quidam quondã ſuorum doctor, primum Conſtantinopoli, & Venetiis, Romæ poſtea, cum Sexagenarius ad Chriſti fidem, & baptiſma acceſſiſſet, veritatis diſcipulus, & jam Octogenarius Hiſpalim veniẽs anno præterito, id eſt Nonageſimo nono, forte in hunc ipſum locũ incidens, tanquam arcanam quãdam, & vel peritiſsimo cuique non valde manifeſtam intelligentiam mihi obtrudebat; *Videre I O B Deum in carne ſua*, idem omnino eſſe, quod Dei mirabilia, in carne alioqui ærumnoſa, & morbida fieri videre, ita ut ſe I O B erigeret ſpe recuperandæ ſanitatis per manifeſtum aliquod, & inauditum miraculum; atque Hiſpane (Latine enim neſciebat) ſic ille interpretabatur, *De ver tengo que paſſen por mi maravillas de Dios*. Addebat quoque idem, fieri poſſe, ut, *videre Deum in ſua carne*, eſſet, in corpore tam miſero, & cruciatibus confecto, virtutem Divinam experiri, qua poſſet in vita perſiſtere, & cum vi, & vocis contentione loqui, diſputare, & amicis bene valentibus poſſe reſiſtere. Sed vt hæc probabilia utcumque fuerint, at quanto ſunt myſterio Reſurrectionis ignobiliora, & inferiora! quam reliqui contextus diſſimilia! quam a proprietate ipſarum vocũ *videndi*, & *Dei* judicis, aliena! Hæc cum illi ego ex Catholicorũ, & Sanctorum Patrum interpretatione exponerem, ſibi lucem oriri exiſtimabat, atque ingenue confitebatur.

Hebræi cujuſdã imperita doctrina

Miraculo vivens, & reſtitutus Iob.

Virtute Divina corroboratus in vita Iob.

7 Ergo ille eſt lenis diſcurſus, & bene cohærens totius locis continuatio, ut dicat *in ſua carne*, quæ nunc miſerrima eſt, olim tamen reflоreſcente, & reſurgente ad immortalitatem, ſe fruiturum ſui judicis beato conſpectu; & dogma illud de veritate carnis, & corporis reſurgentis, ejuſdem, quod ceciderat, ruſus per aſſeverationem inculcet, ut eleganti Paraphraſi illuminavit Philippus; *Ego* (inquit) *ipſe I O B, qui in ſtercore jacens, vermibus comedor; Ego* (inquam) *I O B jam corruptus, atque ulceribus diſſolutus, in hac carne mortali incorruptus per Reſurrectionem futuram glorificatus videbo Deum.* Sed de *videndo Deum in ſua carne*, oculo ne corporeo, vel mentis lumine, ſequenti ſententia dicendum.

Optima interpretatio.

Philipp.

℣. *XXVII. Quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt: & non alius. Repoſita eſt hæc ſpes in ſinu meo.*

1. *Expoſitio Græcorum.*
2. *Tertius caſus commodi, & gaudii. Iuſtis jucundus judex.*
3. *Quid conſpicere in ſacro ſermone. Illuſtratus Moyſes.*
4. *Quid alius. Idem reſurgens. tacita amicorum vellicatio.*
5. *Auguſtini expoſitio de videndo Deo non oculis corporis.*
6. *Germana hujus loci expoſitio de videndo Chriſto Ieſu oculis corporis. Illuſtratus Petrus.*
7. *Aſpectus Chriſti judicis, juſtis ad gloriam, improbis ad pœnam.*

SEptuaginta (ut ſuperius indicavimus) hæc referunt non tam ad gloriam Reſurrectionis, quam ad ſuæ Paſsionis, & ærumnarum magnitudinẽ. *A Domino* (inquiunt) *hæc mihi conſummata ſunt, quorum ego mihi conſcius ſum, quæ * oculus meus vidit, & non alius.* q. d. incredibiles cruciatus nemini, niſi mihi perferenti credibiles erunt. Quod Nicetas ait dictum eſſe; *ad verberandos amicos, qui eum, ut animo perpuſillo miſerias perferentem, criminabantur.* Sed præſtat non abrumpere filum beatæ Reſurrectionis, cujus ſemel deſcriptionem inſtituerat.

1 LXX.

* Quales nadie lo ſabe, ſino yo, que los padezco.

Nicetas.

Ergo mille modis amplificat illud in beata Reſurrectione *Videndi* Deum *Redemptorem*, gaudium, & voluptatem, & non ſolum ex ter, aut quater repetito *videndi* ſtudio, ſed etiam ex tertio caſu, qui in Hebræo eſt, & ſine ullo ſententiæ detrimento, omiſſus eſt ab interprete, quod ſæpe redundare ſoleat, incrementum capit. *Quẽ ego viſurus ſum mihi.* Eſt vero ille Dativus, ut cum Grammaticis loquamur, commodi, gaudii, beatitudinis, conſtantiæ, & certitudinis, ingentis in præſentibus ærumnis

2

Tertius caſus ſæpe redũdans.

Vide, quę de Dativo caſu diximus c. 1. ℣. 2. n. 1.

nis solatii, & cujusdam etiã timoris clam intentati suis amicis, qui de sua ipsorum Resurrectione ad beatitudinem, minime, ut ipse, certi existerent. *Videbo* (inquit) *Deum* judicem *mihi*, non adversum me, sed pro me pronuntiaturũ adversus meos hostes, mearũ vindicé injuriarum, non sicut vos, qué iratum forte videbitis. Vtinã ergo jam tandẽ *manifester ante* illius *tribunal*, ut referam, *prout gessi in corpore meo*.

3 ראה *Et oculi mei conspecturi sunt.* Verbũ *conspiciendi* hoc loco, aliud est a superiori, & significat proprie intendere in rem aliquã oculis,& animo cum peculiari, quasi quodam sensu, & experientia rei conspectæ. Quare ab Interprete vertitur, *Contemplavi*, Ecclesiastæ. 1. 16. & sic Exodi. 3. 3. *Videbo visionem hanc magnam*. id est, attentius, & diligẽtius, e proximo cõsiderabo, quæ, qualisve sit: nam prius dixerat de *visione* minus diligenti, minusque attenta; *Videbat, quod rubus arderet.* dici proprie posset, *Quiero entrarme mas, y mirar lo mejor*. Sic I O B, post primum illum, & jucundissimum sui Redemptoris conspectum, ait deinde se attẽtius, observantius, diligentius prospecturum, distincturum omnia sui Redemptoris decora, & ornamenta, intenturumque oculis & animo in tantam gloriam. Hoc glorioso (inquit) conspectu abunde compensabitur tot malorum aspectus, quibus nunc crucior, sentiam benignissimum judicis vultum, quem nunc terribilem, & minacem experior. Hic rursus est conspectus ille jucundissimus, quo toto animo oculorum ac mentis intentione ferentur Sancti in suũ judicem venientem in nubibus cœli ad judicium; quod eleganter observavit Chrysostom. super id Act. 1, *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum? hic I E S V S, qui assumptus est a vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntẽ.* at quomodo viderunt? quid in illius vultu discedentis observarunt? certe benignitatem, & charitatem Dei. *Sic* (ait Chrysostom.) *redibit, ut adiri possit*, cõspectus enim judicis benignissimus Sãctos invitabit, ut occurrant *illi obviam in aera*; at impios deterrebit, & exanimabit terrificus judicis aspectus; & cum viderint eum, *quem suis sceleribus pupugerunt*, plangent super eum lachrymis irremediabilibus.

Videre cum attenta consideratione.

1. Thess. 4. 17. Zacha. 12. 10. Apoc. 1. 7. 8.

4 זר *Et non alius.* In originali *Zar*, *Alienus*, non videbit, inquam, pro me alius. nec oportebit me credere videnti, & narranti, nam aperte & clare videbo ipse. At dicet aliquis, cum videris Deum tuum, non eris o I O B, qui nunc es; tam alius eris, quam *alienus* ab his malis, & ærumnis. Minime, inquit I O B; ipse quidem videbo, non ero alius, qui tam dira patior, idem ipse fruar. Sed vox *alius*, dissimilitudinẽ quandam morum, & vitæ indicare potest, & multo clarius vox originalis, *alienus*: significat enim id, quod amico, & familiari opponitur, & quod propter insuetudinem est horrori, & nauseæ, ut supra diximus Vers. 13. hujus capitis. Quare forte perstringit amicos, qui se ab illo animo, & sententiis abalienaverant, quibus nisi resipiscant, comminetur fore, ut tanquam impii, *non resurgant in judicio* ad beatam vitam, neque, ut pote peccatores, in *concilio justorum*, qui Deum judicem habituri sunt propitium: Non enim impii videbũt Deum sibi, sed adversum se. Ergo (inquit) oculi mei conspicient Deum summo cum gaudio, *non alius*, non alienus ab hac ipsa fide, & religione, quam ego profiteor, non ii, quibus propter meas ærumnas horrori, & nauseæ sum, & qui tanquam alieni recedunt a me.

Alienus quid proprie.

Sed quibus (inquit) oculis videbunt justi Deum? an oculis carneis, & corporeis; an vero mentis? Respondet Eugubinus quod ad hujus loci interpretationem attinet, oculis corporis objiciendam postea imaginem aliquam corpoream Dei, vel Angeli loquentis cum I O B. Sed hãc exponendi rationem nuper omnino disjecimus. Divus Thomas peculiarem quæstionem hac de re instituit. 1. parte, & respondet verissime; *Impossibile esse Deum videri sensu visus, aut quocunque alio sensu, aut potentia sensitivæ partis*. Ratio in promptu est, & ex parte objecti spiritualis, quod non attingit sensus, & ex parte subjecti corporei, in quo nõ potest inesse cognitio rei spiritualis. explicat item tum nunc locum I O B; *quod, in carne existens, visurus sit Deum*, oculo tamen mentis; tũ Augustinum aliquando in hac re dubium, & incertum; sed tandem rem hanc definientem lib. 22 de Civitate cap. 29. *Illud* (inquit Augustinus) *quod ait I O B, in carne mea videbo Deum, Resurrectionem quidem carnis sine dubio prophetavit, non tamen dixit, per carnem meam; quod quidem si dixisset, posset Deus intelligi, qui per carnem in carne videbitur; nunc vero potest & sic accipi, ac si dixisset, In carne mea ero, cum videbo Deũ.* Verissime, & optime quod ad rem ipsam attinet. de videnda Divina essentia. 5

Quibus oculis videndus Deus.

Eugubin.

Div. Thom. 1. p. q. 12 art. 3.

August.

Sed si dixero hanc sententiam I O B de videnda non Dei essentia, sed CHRISTI I E S V humanitate, propterea non de visione oculi mentis, sed corporis accipien- 6

Germana expositio videndi Deum.

dam, ſcio non ſolum vere quoque, ſed ad loci præſentis, & materiæ ſubjectæ exigentiam, & lenem totius hujus de Reſurrectione teſtimonii decurſum, recte, & opportune dici, & non ſolum non adverſos, ſed gratos etiam me habiturum ſanctiſsimos Auguſtinum, atque Thomam. Verumenimvero cum adhuc egerit IOB de Redemptoris ſui Reſurrectione, & vita immortali, de judicis conſpectu ſibi jucũdiſsimo, de ſua quoque cũ CHRISTO reſurgente Reſurrectione, conſequẽs utique fuit, ut de illius humanitate videnda, quod ſummum erit poſt beatam Divinæ eſſentiæ viſionem, juſtis gaudium, nunc loqueretur IOB, atque hac ſpe ſuæ carnis imbecillitatem erigeret, non ſolum quod *configuranda eſſet corpori claritatis* ſui Redemptoris, ſed ſatianda etiam beatę illius humanitatis glorioſo conſpectu. Sic locum hunc, præſertim partem illam, *& oculi mei, &c.* interpretatur Ipſe Divus Thomas, Gloſſa quoque Interlinealis, atque recentiores multi, Cajetanus, Hugo, Dionyſius, Titelm. R.quoq; Samuel Marrochianus in Epiſtola illa ad Iſaac de adventu Meſsiæ, cap. 11. ubi ex hoc loco probat Salvatorem eſſe Deum, & hominem, nam ſecus oculi corporei non vidẽt Deum. Neque deſunt Theologi Scholaſtici emuncti judicii, qui ſeveritatem illã Scholarum cum germana, & exquiſita tum aliorum locorum, tũ iſtius loci IOB expoſitione, dicta ratione temperent.

D. Tho. Gloſ. Cajetanus. Hugo. Dionyſ. Titel. R. Samuel.

Ergo *in carne*, & *per carnem*, ſibi IOB pollicebatur fore, ut Deum judicem videret. Hoc ſane præferebant codices illi qui addebant, *Salvatorem meum*. Hoc ipſum ſignificat Dei nomen, quod ad judicẽ pertinet; *& omne judiciũ dedit Deus filio.* &, ut Auguſtinus ad Fortunatianũ ſcribẽs Epiſtola. 111. de videndo Deo, Ambroſium adducit, & interpretatur; *Beatus* (inquit) *Ambroſius de CHRISTO cum ageret, ſecundum id, quod verbum eſt, non enim corporalibus inquit, ſed ſpiritualibus oculis IESVS videtur;* Licebit quoque nobis dicere, Iob de Deo agens, ſecundum id quod homo, & judex eſt, corporalibus oculis Deus videtur. Sane Divus Petrus hãc CHRISTI judicis videndi lętitiam incredibilem ſanctis in hoc mundo contriſtatis, & afflictis, quo illorum animos erigat, & ſuſtentet, proponit 1. cap. 1. Cum enim dixiſſet, *Salutem paratam revelari in tempore noviſsimo.* ſubjungit; *in quo exultabitis* (Tunc enim, & expectatio judicii, & judicis conſpectus ad exultationem erit, & ad gloriam juſtorum, quamvis hic affligantur. Propterea

Ioan. 5. 22. 27.

Auguſt.

Chriſti vidẽdi Spes ſanctos erigens.

enim addit,) *modicum nunc, ſi* (quamvis) *oportet contriſtari in variis tentationibus*, &c deinde de *Revelatione IESV CHRISTI* agens; *Quem cum non videritis, diligitis*, &c. Quaſi argumento ducto a minori; ſi nunc, cum illum non videtis, cum nondum percepiſtis veſtræ ſalutis præmium, illum tam ardenter amatis, tam lætanter exultatis; quid cum illum veniẽtem videritis veſtris ipſis oculis largiturum vobis laborũ mercedem? Certe cum ex certa Theologorũ ſententia, corporum beatorum ſenſibus etiam ſua beatitudo, atque gaudiũ tribuenda ſint, non aliam oculis corporis majorẽ eſſe poſſe credunt, quam frui conſpectu ſanctiſsimæ CHRISTI IESV humanitatis, uti Auguſtinus aliquando dixit; *Deum factum eſſe hominem, ut uterque ſenſus hominis in ipſo beatificaretur, & reficeretur oculis cordis in ejus divinitate, & oculis corporis in ejus Humanitate, ut ſive ingrediens, ſive egrediens in ipſo paſcua inveniret natura humana condita ab ipſo.* Vide eundem de ſpiritu, & anima. cap. 54. & 60. tom. 3. Cyprian. ſermone de Nativitate CHRISTI. Neque ſine cauſa dictum eſt inter peculiares judicii noviſsimi, & judicis venientis circunſtantias, *videbunt eum*, ut ille aſpectus juſtis ad præmium eſſe incipiat, ſicut Scriptum eſt; *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt, & plangent ſe ſuper eum*, ut nuper dicebamus.

Beatorũ ſenſus quoq, externi beandi.

Auguſt. in Manuali cap. 26.

Cyprian.

Apoc. 1. 7.

Repoſita eſt hæc ſpes in ſinu meo.

1. *Varia lectio. Verbum* reſpondendi *in malum.*
2. Renes *pro ſpe, & deſiderio.* Reponi, *&* Conſummari *in bonum. Illuſtratus David.*
3. Sinus *ad multa relatus. Explicatus David, & Ioannes*
4. Sinus *ad certitudinem, & tutam poſſeſsionem. Spei ſinus apud antiquos.*

I

Variant nonnihil exemplaria, nã Gręci dixerunt; *Omnia mihi conſummata ſunt in ſinu meo*. Hæbrea, Theodotio, & Hebraizantes; *Defecerunt renes mei in ſinu meo.* Cajetan. *Conſumpti ſunt.* Græcorum lectionem ad conſumptionem, & malum refert Nicetas, q. d. *Intime mihi adhærent mea mala, propterea ſolus ego illa novi.* tum etiam lectionem ex Hebræo ita interpretatur; *Tum renes, tum cuncta mea præcordia contabuerunt; ut facile hinc intelligere poſsitis, & viſcera mea omnia eſſe conſumpta, interioreſque artus tabe eſſe exoſos.* Eodem pertinet Vatablus. *Præ afflictione defecerunt omnia inteſtina mea.* Sed tam videretur nunc im-

Pagn. Regia. Vatab. Cajetan. Nicetas.

Vatab.

portuna

portuna querela ſuorum morborum poſt ſermonem de Reſurrectione, & vita beata, quam eſt opportuna hæc *ſpei*, & deſiderii clauſula. Quare in bonum tota ſententia accipienda proculdubio videtur Ergo notãdum eſt pro *Spe* eſſe in Hebręo, *Renes*, quos non proprie ſed metaphorice accipi, plane indicat, quod additur, *in ſinu*. nam veri, & naturales *Renes*, non ſunt *in ſinu*, neque in pectore, aut cõplexu brachiorum. Propterea verbum *Reponendi*, & *Spei*, aut *Renum*, ejuſdem radicis ſunt, *Calah*, quod ſignificat *cõſummari*, aut *conſumi*, *perficere*, aut *deficere*, nõ ſolum alio modo deficiendi, ſed peculiariter etiam deſiderio alicujus rei. Quare ſignificat etiam *expectare*, aut *deſiderare*, &, ut Rab. Mardochai ait, *amare*, *diligere*, ſicut dictum eſt Pſal. 83. 1. *Concupiſcit, & deficit* (deſiderio videndæ domus Domini conficitur, conſumitur) *anima in atria Domini*. Inde dicitur *Renes*, *Celajoth*, quaſi concupiſcentes, perficientes, aut cõſummantes, vel deficiẽtes, quod in illis videantur perfici, & conſummari deſideria, & concupiſcẽtiæ, quæ ſunt valde ardentes, & vehementes, in illis ſint, ut dicunt R. David, & R. Mardokai. Inde *Renes*, pro deſiderio, & intimo affectu, quare cum corde etiam conjunguntur, quod itidem ſedes eſt appetitus, & deſiderii. Pſal. 25. 2. *Vre* (quaſi argentarius, igne exanima, excoque, emunda) *Renes meos* (deſideria, affectus) *& cor meũ* ideſt mentem cogitationẽ; vel, ut unum ſit alterius explicatio. Quare eleganter, ęque ac pie interpres hoc loco vertit *ſpẽ* quæ cum deſiderio conjuncta eſt, nã cum ad ſupremum illud, Divinumque bonum aſſequẽdum, hominis animum erigat, deſiderio etiam accendit, & inflãmat. Ergo *Renes*, ſpes, deſideria, vota, intimæ animi cogitationes & affectiones, *Calu*,* *Defecerunt*, conſummatæ ſunt; ad finẽ, perfectionem, complemẽtum deducta ſunt nihil habeo, quod deſiderem amplius, nihil, quod a me amplius audire, & expectare poſsitis, nã quidquid intime continebam animo, quod erat fundamentum meę juſtitiæ, videlicet fidem mei Redemptoris, atque Reſurrectionis, jam exprõpſi. Sicut Pſal. 71. 21.* *Defecerunt laudes David*; Nam cum hic Pſalmus ſit de petendo & expectando Meſsia, non ſolum eo Pſalmo ſuum Pſalterium clauſit David, ſed etiam ea videtur fuiſſe ſumma ſuæ ſpei deſideriorum, precum, & Pſalmorum David. Eſt enim idẽ verbum *deficiendi*, quod & ad finẽ refertur, & ad conſumptionẽ præ deſiderio, & ſpe; Nihil eſt, quod David deſiderare, expectareve poſſit amplius. Hieronymus: *Completæ ſunt orationes David*, quaſi jam tunc compleſſet, & finiviſſet enarrationem ſuorum deſideriorum, & illa, quæ tunc expoſuiſſet, fuiſſent perfectiſsima, & ardentiſsima vota; Ad finem hunc, tanquam ad ſuum finẽ, & complementum, reliqua Davidis cantica reducuntur. Ita & IOB ait; In hoc poſitam eſſe ſuam omnem ſpem; huc tendere vota ſua omnia; Ad hunc tanquam ad finem, complementum, extremam metam reduci, quæ unquã oraſſet, dixiſſet ve. Et quoniam diximus hoc verbum ardentẽ amorem, & deſiderium afferre, ſicut etiam nomen *Renum*, aut *Spei*, poſſemus dicere, *Calu Ciljothai*, Deſiderarũt deſideria mea; Concupivit concupiſcentia mea; Perfectum eſt deſiderium meum; Deſideravit perfectio mea; Finem accipiet ſpes mea. Complebuntur vota mea. Vix enim uno tantum modo exhauriri poteſt vis hujus ſententiæ. Sed tamen Vulgatus accommodate ad *Spem*, quæ aſſervari ſolet in intimo corde, dixit, *Repoſita eſt*, recondita, aſſervata, *manet alta mente repoſta*. Sed hæc ne IOBI *ſpes* ex ingẽti deſiderio, & amore, quo flagrat, firmitatis, & certitudinis reddetur ſuſpecta? Scimus enim eſſe a ſapiẽtiſsimis Philoſophis Platone, & Ariſtotele pulchre dictum, *ſpes eſſe vigilantium* (dicerem ego, deſiderantium) *ſomnia*. quo etiam potuit reſpexiſſe Poeta:

An qui amant, ipſi ſibi ſomnia fingunt?

Sed reſpondet IOB, non eſſe *ſpem* ſuam ex amore illo fallaci, & credulo natam, ſimilem parentis filiam, quippe;

Spes amantum credula, & fallax amor.

Sed conjunctam cũ ardentiſsima illa charitate, quę *omnia credit, omnia ſperat*. Non eſt hæc ſpes illa, quæ *una cum timore eadem catena revincta eſt*, ut Seneca aliquando dixit, addiditque, *Spẽ metus ſequitur*; ſed quæ jam *repoſita eſt in ſinu*, nunquam abitura.

3 *In ſinu meo*. *Sinus* hic multas, eaſq; pulchras intelligentias complectitur, nam ad multa referri *ſinus* poteſt. eſt autem *ſinus* illa corporis anterior pars intra pectoris, atque brachiorum complexum, quæ, & gremium, & complexus dicitur, quæ & continendæ, & aſſervandæ rei alicui apta eſt. Et primum quidem ad continendum arcanum aliquod, quod minime evulgari oporteat refertur; ſicut & dixit ille, quod nunquam ſibi vel imprudenti excideret. *Mihi crede, in ſinu eſt, neque ego diſcingor*. Sic dicuntur, *Mitti ſortes in ſinum*. Prover. 16. 33. (id eſt occultis ſuffragiis, & ſecretis calculis, quos neque videre, neque digno-

Spes quid in Sacro ſermone, & unde dicatur.

כלא

R. Mardoch.

Renibus cur tribuatur concupiſcentia.

כליות

R. David.

* A qui ſe acabaron, y ſe cifraron mis eſperanças.

* No tuvo David mas, que pedir, ni que deſſear.

Hieronym.

Vis hujus ſẽtẽtiæ preſsius enucleatur.

כלו כליותי

Spei comes timor.

Referũt Laert. lib 5. c. 1. & Aelian. de varia hiſtor. lib 13.

Seneca in Hip actu 2.

1. Cor. 13. 7.

Seneca Epiſt. 5

Quid ſinus, & cujus ſymbolum.

Sinus arcanorum theſaurus.

Cicero libr. 2. ad Q. Frat.

ſcere poſsis) *& a Domino tẽperatur.* (Deus tamen calculos numerat, videt, eligit, & reponit in manu illius, qui manum mittit in urnam). Sic etiam dixit Ioann. 1. 18. *Vnigenitus filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit.* Quod enim *in ſinu ſit*, omnium arcanorum conſiliorum particeps eſt, & nihil tam intimum, & recõditum, quod illi notum non ſit, qui *in ſinu*, id eſt, in penetrali cordis eſt. Sic dicere IOB potuit, *repoſitam* hujus myſterii arcani *ſpem in ſinu*: arcanum hoc apud illum maximum, ſtultis abſconditum.

Secundo pro eo, cujus memoria, aut familiaritas nunquam deponitur. Sic dixit Nicetas; *Sinus pro re, quæ nec divelli, nec disjungi poteſt, ubiq; in Sacris litteris uſurpatur.* ut illud, *Redde vicinis noſtris ſeptuplũ in ſinu eorũ.* Videlicet illos ſemper comitetur dignum ſuppliciũ, quod nulla ratione effugere poſsint. Vbi Theodoretus *tranſlationem eorum* exponit, *qui aliquid in ſinu ferunt, & tuto continent, ut nihil excidat; videlicet, imple eos calamitatibus ſemper imminẽtibus.* Sic IOB hac jugi Reſurrectionis memoria ſe ſuſtentabat, & occurrebat ſuis ærumnis immortalis vitæ, & reſurrectionis ſpe; *In ſinu* hanc habeo *ſpem*, nunquam diſcingor, nullum periculum, ut mihi, vel per incogitantiam excidat; tuto cõtineo; impletus ſum ſpe, quæ mihi ſemper adeſt.

Nicetas. — Pſal. 78. 12. — Theodoret.

Tertio pro re chariſsima, quam toto corde complectimur, & intimis præcordiis conceptam, & impreſſam cupimus; quæ eſt velut pectoris noſtri cor, animus, mens. Sic unigenitus *In ſinu Patris eſt.* Sic *diſcipulus, quem diligebat IESVS, in ſinu recubuit* ſupra *pectus* illius, e ſinu illius, & complexu erat. Nam hoc etiã modo Latini ſummam charitatem, & familiaritatem exprimere ſolent. Sic quoque Theodoretus expoſuit locum Pſal. 78. 11. *Vt quid avertis manum tuã, & dexteram tuã de medio ſinu tuo in finem?* nam *ſinus*, inquit, *Dei, bonorum theſaurus eſt. Cur pro conſueto more bona non ſuppeditas?* IOB quoq; Reſurrectionis ſpem velut rem chariſsimam, & pretioſiſsimam cõplexus, eo omnia ſua deſideria referebat, vitæ hujus, & mortalitatis pertæſus.

Sinus res charisſimas continens. — Ioann. 1. 8. & 21. 20. — Theodoret.

4 Sed quarto forte propria, & ſimpliciſsima hujus *ſinus* intelligentia ad certitudinem quandam tutæ ſpei referenda eſt; nã ſpem nõ vanam, neq; fallacẽ, quæ nos nõ fruſtrabitur, quæ quamvis differatur, ſed non elabetur, neque evaneſcet, continemus in ſinu, atque complectimur, certi nunquam nos prius amiſſuros ſpem, quam deſideratis potiamur. *Certus* (inquit Iob) ſum de mea Reſurrectione; illius ſpẽ nunquam abjiciam, nunquam excidet, in tuto illa eſt. interim mihi præmii, & mercedis meorum laborum loco *ſpes* erit, dum *in ſinu* mihi rependitur præmium ipſum, & immortalitas. Nam *ſinus* locus erat excipiendi, & continẽdi præmium, quod cuipiam daretur: quare oportebat eundem eſſe locum *Spei* certę, & firmæ conſequendi præmii conſecratum. ſane ſcriptũ eſt: Luc. 6. 36. *Menſuram bonam, & confertam, & coagitatam dabunt in ſinum veſtrum.* & Pſal. 78. 14. *Redde vicinis noſtris ſeptuplum in ſinu eorum.* Spei etiam ſinum dabãt antiqui; nam inter alia ſortilegia de ſaliva hominis ſcribit Plinius lib. 28. cap. 2. *Veniam a Deis ſpei alicujus audacioris petimus in ſinum ſpuendo.* Corrigere enim, & reprehendere videbantur *ſpem in ſinu repoſitam*, cui nullus fælix eventus, ſed potius ignominia, & probrum reſpondiſſet. Illud etiã obſervationem habet quod dixerit, *in ſinu meo*, quaſi non de illa maxime communi, & vulgari ſpe, quæ frequenter fallere ſolet, ſed peculiari ſibi, atque adeo certiſsima loqueretur. Thales certe Mileſius *rogatus, quid maxime commune eſſet omnibus? Spes, reſpondit.* Quis enim nõ implet ſinum ſuum ſpe aliqua; At in eo ſapiẽtes ab ſtultis differunt, ut Democritus dixiſſe fertur, quod *ſtultorum ſpes impoſsibilis, at ſapientum voti fieri poſſit cõpos.* & IOBI Spes nõ fieri voti compos non poteſt. Tanta enim ſpei firmitas ex laboribus, & ærumnis nutriri, & creſcere videtur. De quo vide, quæ diximus, cap. 5. Verſ. 16. & Verſ. 17. nam quo IOB vehementius ardebat doloribus, eo majorem ſpei flammam ipſæ ærũnæ excitabant. In quam rem illud facere poteſt quod Socrates dicere ſolebat, *Neque mulierem ſine viro, neque ſpem bonam abſque labore quidquam utile parere.*

Sinu tuto reconditur aliquid. — Sinus præmii excipiẽdi locus. — Sinus conſecratus ſpei. — Plinius. — Priſcus deſpuendi ritus. — Stob. ſer. 108. — Spes accenditur labore. — Socratis de Spe ſententia.

XXVIII. *Quare ergo nunc dicitis perſequamur eum, & radicẽ verbi inveniamus contra eum?*

1. *Varia ex Hebræo lectio, & conciliatio cũ Latina.*
2. *Quid radix verbi, prima expoſitio pro peccatoris. Improborum ingenium pronum ad calumnias verborum. Illuſtratus Salomon.*
3. *Radix producens abſynthium, id eſt peccatum. Illuſtratus Moyſes.*
4. *Germana totius ſententiæ expoſitio.*

1 CVM hæc ita ſint, quare adhuc pertinatis in veſtra iſta contentione, & ſtudio me perſequendi, atq; vexandi, & mea ipſa dicta bona alioqui, & ſyncera fide, &

mente

mente prolata calumniandi? Quorſum adhuc *dicitis*, id eſt, ſtatuitis inter vos de promovenda iſta veſtra diſputatione, per cõtentionem, & contumeliam potius, quam per veritatem, & æquitatem? In Hebræo: *Quare dicetis?* ut verbum futuri temporis indicet indefeſſum ſtudium non intermittendum; vel, ut verbum futurum indicet fore, ut eos aliquando pæniteat hujus mẽtis, atque ſententiæ, in qua nunc ſunt: *Nã olim dicetis, Cur eum perſequebamur?* Certe æquum jam eſſet (ſic Rab. Levi) ut vos ipſos colligeretis ad bonam frugẽ, & meliorem mentem, atque in veſtris ipſis cordibus compungeremini, dicentes; Quare perſequimur virum probum, & innocentem, recte de Deo, deque Divinis ſentiẽtem? Atque hunc ſenſum reſpicit Vatablus legens, *Quia dicetis apud vos, quare perſequamur eum, &c.* Conſonant omnia, & una interpretatio aliam munit, & roborat. Illa paulo diverſior, quam affert Cajetan *Quia dicetis, Quis perſequutus eſt eũ: id eſt, quis perſequutus eſt eum, niſi Deus, qui omnium merita novit:* q. d. fruſtra nitimini purgare vos ab hoc delicto me perſequẽdi, rejicientes totam meam calamitatem in Divinam Providentiam, atque vindictã meorum ſcelerũ. Symmachus quoque ad amicos refert: *Quid eſt, quo perſequemur eum:* q. d. Nihil profecto fuit, quo illum perſequi deberemus.

Varia lectio. Verbum futuri tẽporis. R. Levi. Vatabl. Cajetan. Symmach.

2 *Et radicem verbi inveniamus.* Tranſlatio, ſimilitudoque *Radicis*, ad multa poteſt trahi, nam *Radix* eſt rei initium fundamẽtum, ipſa virtus, atque veritas. Rurſus *verbum*, pro ſermone ipſo, aut pro re, quæ *verbo* explicatur: tandem hæc res ipſa, aut pro pœna peccati, aut pro ſalute, aut pro diſputatione. rurſus ſententia aut cum interrogatione, aut cum affirmatione legenda. Hinc multi & varii ſenſus. Primo, *radicem verbi*, id eſt, verbum aliquod aucupemur, quod radix, & fundamentum ſit illum perſequendi, & reprehẽdendi aut aſſertiones ejus impugnandi, & refellendi: ex quo anſam ſumamus litem illi intendendi: unde illi calumniam ſtatuere & machinari poſſimus. Sic Nicetas ait Hebræum dicere; *Peccatum ſermonis:* quamvis certe in Hebræo *radicem* legamus. Hanc intelligẽdi rationem ſequutus quoque videtur Gregorius quamquam referre videatur *radicem*, tum ad verba I O B, tum ad verba etiam ſuorum amicorum. *Perverſi* (inquit) *quilibet, quia malo ſtudio bene prolata audiunt, & in lingua juſta accuſationis aditum invenire appetunt, quid aliud quam contra eum verbi radicem quærunt, ex qua videlicet loquẽdi originem ſumant, & rami pravæ loquacitatis in accuſatione dilatẽt!* Sic quoque videtur ex ſententia Chryſoſtomi exponi in catena Græcorum, *Eorum more, qui radices perquirunt, meos inveſtigatis ſermones, quo me captare poſſitis, & peccatum meum aliquod palam coarguere.* Certe hoc eſt ingenium invidorum, & fraude, ac dolo agentium hominum, ut cum nihil magnum alicui objicere poſsint; at calumniæ occaſionem ex verbis ſimpliciter prolatis aucupentur. *Videamus* (ajunt impii, attẽte inſpiciamus, & diligenter examinemus) *ſi ſermones illius* (juſti) *veri ſint*, ut poſsimus *capere eum in ſermone.* Atque adeo malitioſe iſti ſolent *Radicem verbi* obſervare, & calumniari; ut aerem ipſum, quæ eſt materia, radix, fundamentum formandæ vocis, attente obſervent & ponderẽt, & vel rem minimam, atque leviſsimã, graviſsimi alicujus criminis nomine inurant; ut, ſi non quid dixeris, at quomodo dixeris, criminentur: Noſtrates de homine calumniatore, & nimium acuto, & ſuſpicioſo dicere ſolent: *Que mira, y nota, no ſolo lo que ſe dize, mas tambien el ayre, con que ſe dize.*

Radix. Varii explicatus. Sic fere Lyra, Gloſſa. Hugo. Nicetas. Gregor. Chryſoſt. Invidorũ hominũ ſtudiũ. Sapie. 2. 17. Matth. 22. 15. Marc. 12. 13.

3 Secundo *radicem verbi*, alii referunt, ad verbum *perſequendi*, quod proxime præceſſerat, id eſt, *radicẽ* perſequutionis, aut ſupplicii; quod perſequitur hominem, videlicet occultam iniquitatem, unde tot illi mala accreverint, atq; tot ærumnarum tribuli, & ſpinæ pullulaverint: q. d. Inveſtigemus, quænam illius merita, aut ſcelera. Sic quoque videtur Nicetas: *Occultum aliquid, non ſecus quam alicujus herbæ radicẽ occultam, atque delitiſcentem; atque adeo a me improbitatis pœnas perſolvi, &c.* indicat. vel ut Titelm. Impatientia, & Divinæ providentiæ criminatio, unde *verbum*, id eſt, blaſphemia eruperit. Non enim placet, quod Dionyſius active quaſi interpretatur, *radicem verbi*, id eſt, *verbum fundamentale, at firmum*, quo illum poſsimus penitus refellere. Peccatum ſane *radix* eſt germinãs mortem. *Ne forte* (inquit Moyſes) *Sit inter vos radix germinans fel, & amaritudinem.* Explicuit Onkelus; *Ne forte ſit in vobis vir cogitans peccata, aut ſuperbiam.* Ionathas quoque Paraphraſtes Ieroſolymitanus (nam uterque in univerſa Biblia paraphraſim ediderunt) ſic vertit; *Ne forte ſit in vobis ipſis aliquis, cujus cor cogitet peccatum; quod aſsimilatur radici fixæ in terra, cujus caput quidem, ut mel eſt, finis autẽ ejus amarus, ut abſynthium mortiferum. Fel* autẽ, & *abſynthium*, dicunt eſſe duas ſtirpes peſtilentes, quæ brevi tempore, longe, la-

Secunda expoſitio. Cajet. Iſidor. Nicetas. Titelm. Dionyſ. Deuter. 29. 18. Onkel. Ionathas. Vterque Paraphraſtes in univerſa biblia paraphraſim edidit. Fel, & Abſynthium, quid.

teque radices, atque ramos profundant. Adeo verum est, quod de iniquitatis incremẽto dicitur vulgari proverbio; * Pessimam herbam dicto citius crescere. Ergo peccatum amarissimos supplicii fructus profert, tanquã pestilens, & noxia radix. quam *radicem*, in animo Iobi fixam, & illos morborũ, & pœnarum fructus ad corpus extẽdere & profundere existimabãt.

* Hispanorũ Proverbium: La mala yerva presto crece.

4 Tertia expositio germanior.

Sed tertio illud videtur germanum, & leniter currere, ut * *ut radix verbi invenienda*, intelligatur cardo toti⁹ controversiæ, & disputationis inter Iob, & amicos, in quo volvuntur omnes responsiones Iobi; & principium, unde deducantur, quo referantur, & revocentur omnia dicta Iobi; unde illi tam constans respondendi, suæ innocentiæ tuendæ, & ad Divinum judicium appellandi animus, & confidentia, Fieri enim, inquiunt, non potest, quin ex alia arcana sui animi persuasione, hæc, quæ profert, omnia pullulẽt. Eam autem *radicem* (ait Iob) cum jam vobis, o amici, indicaverim, atque palam ostenderim, quorsum laboratis in inveniendo, id est, ut invenire, & consequi possitis? Ecce jã meam vobis rectam de Deo fidem, firmã spem, & dilectionem in meum Redẽptorem, præsentis hujus vitæ cõtemptum, futuræ, atque immortalis desiderium palam exprompsi. Hæc *radix verbi*: hinc mea lingua exugit, quæ dicenda, quæ respondenda vobis habeo; hinc persto in mea innocentia; hinc non cedam malis. *Radix jam verbi inventa est in me*; sicut Hebraizantes legunt, quæ lectionis varietas sensum nõ variat. Neque inutile, quod addit Vatabl. *Radix verbi, id est, cũ ipsa rei veritas inveniatur in me; hoc est, cũ re vera sim innocens.* Hoc enim est principiũ disputationis IOBI.

* Apuremos, de adonde le nace a este hõbre tanto hablar, y tanto presumir de si

Pagnin. Reg. Vatabl. Cajet.

XXIX. *Fugite ergo a facie gladii, quoniam ultor iniquitatum gladius est, & scitote esse judiciũ.*

---

1. *Quid* Fugere *in Sacro sermone Sancti miserentur suorum adversariorum. Illustratus Sapiens.*
2. *Gladius pro supplicio, pro hoste armato. Quid* facies, *& quid* facies gladii *in sacro sermone.*
3. *Arma dicuntur habere faciem. Gladius terribile monstrum. Illustrati Isaias, & Ezechiel.*
4. *Septuaginta lectio examinata. Quid* gladius amictus, *vel involutus apud Ezechielem.*
5. *Hebraizantium lectio, quid* Ira gladii.
6. Gladius, *supplicium lege constitutum. Explicata Sapientia. Gladius Scytharum Deus.*
7. *Gladii potestas apud jurisperitos. Iudicum insignia. Illustratus Sapiens.*
8. *Iudex gladium non manu, sed ore premens.*

CVM manifestæ (inquit) calumniæ teneamini, atque improbi contradicendi studii, & virum innocentem criminandi, timere vos profecto oportet, atque pænitentiam facti sumere, qua victos vos profiteremini, & declinaretis Divinã ultionem jam jam imminentem vestris capitibus. *Fugite* ergo, cavete, timete, curate diligenter, ut evadere possitis. Vtile id, quod observat Gregorius, *Vir* (inquit) *sanctus, cum a pravis talia sustinet, non contra eos, sed magis pro ipsis dolet, ac mala eis, quæ fugiant, ostendit:* nam *fugere* timentis est, & caventis sibi ab incursante hoste, & ab adventante periculo. Et verbum quidem *Gur*, timere significat, aut expavescere in alicujus præsentia, & conspectu terribili, vel in absentia mali alicujus, quod aliquando præsentes vidimus. Sic ab hac radice dicitur Deut. 28. 6. *Convertet in te omnes afflictiones Ægypti, quas timuisti.* Quod eleganter Onkelus juxta Hebræum explicuit; *a quorum facie timuisti.* sic illud Proverb. 10. 24. *Quod timet impius, veniet super eum.* Nihil enim ille alieni mali videt, quod non timeat. q. d. omnia mala, quæ impiorum oculis objiciuntur, imagines sunt sui supplicii aliquando venturi, nisi metu saltem pœnæ objectæ resipiscat. sic igitur, cum suos amicos timere jubet IOB, jam jam præsentem ultionem minatur, ut statim dicemus; tum etiam de hoc terrore, qui cum *gladio* jungi solet.

1

Gregor.

Sancti adversariis suis benigne provident.

גור

Timere quid proprie.

Onkel.

A facie gladii. Gladius inferendæ mortis, sive ab hoste, sive a judice instrumentum est. igitur Metonymicos, pro supplicio, & sævo aliquo mortis genere, aut pro hoste, & satellite armato, & accincto ad fundendum sanguinem, & hostiliter cuncta vastante. Ezech. 38. 21. *Convocabo adversus eum in cunctis montibus meis gladium, ait Dominus Deus; & gladius uniuscujusq; in fratrem suum dirigetur.* id est, advocabo armatos hostes, & exardescet inter fratres civile bellum. & Levit. 26. 6. *Gladius* (armatus hostis) *nõ transibit fines vestros.* Quoniam vero frequentes erant in locis illis hostium, & latronum incursiones, tanquã frequentissimũ supplicii genus, quod potissimum in Reges, & Principes minabatur, quorum est ditionem suam ab hoste tueri, & quorum potissimum jugulum petitur ab hostibus, proponitur nunc a Iobo, & non nisi Regibus ipsis, videlicet amicis proponitur. Cum vero dicitur, *a facie gladii*, præsentem, & jam constitutam, & paratam ultionem significat. Tum etiam *facies rei*, in Scriptura, aut nihil aliud quam rem ipsam, cujus dicitur facies, aut certe

2

Metonymia. Gladius pro hoste, & milite.

Hostiũ Gladius jugulum Principum petit.

Facies quid

rei ipſius præſentiam denotat. Nam cum ſecundum faciem, & conſpectum, aut aliquid nobis videntibus ſit præſens, aut nos præſentes alicui rei, inde *facies* pro præſentia uſurpatur, aut pro ipſa re, cum vere adeſt. Pſal. 37. 6. *Corruptæ ſunt cicatrices meæ a facie inſipientiæ meæ.* id eſt, propter meam inſipientiam, quã in me agnoſco, quæ in me eſt, quam ſemper ante oculos meos habeo. Iſai. 10. 27. *Computreſcet jugum a facie olei.* id eſt, propter oleũ, aut infuſo oleo, in præſentia olei, cum aderit Ezechias unctus Domini, cum præſens fuerit CHRISTVS filius Dei, qui antiqui jugi acerbitatem, & duritiem emolliat. Quare non male aliqui obſervant, *a facie*, ſumi ab Hebræis loco præpoſitionis *propter*. ſed anguſte, & diminute, nam deberent addere, ſemper denotari præſentiam rei, cui *facies* datur, quæcumque illa ſit, propter quam præſentem dicitur aliquid fieri.

Vatablus ſepe Genebr. ſuper Pſal. 37.

3 Sed certe peculiare videtur *Gladio*, & univerſo armorum generi, ut *faciem* habere videantur, cum vel ſola facie, & primo aſpectu terrorem injiciant. Sic terribilem cõſpectum univerſorum armorum deſcribit Iſai. 21. 15. *A facie gladiorum fugerunt, a facie gladii imminentis, a facie arcus extenti, a facie gravis prælii.* ubi *facies gladii*, eſt, cum jam ſplendet, & vibratur; *facies arcus* cum adducitur, & intenditur. qualis deſcribitur Pſal. 7. 13. *Gladium ſuum vibravit* (proprie, ſplendificabit, exterget, terſam, & lucentem faciem dabit conſpiciendam) *arcum ſuum tetendit, & paravit illum.* Vnde videas *faciem gladii*, non tantum ſumi pro acie, cum ſimili modo *facies* etiam detur *arcui*. quamquam nõ negem *faciem gladii*, aut aciem eſſe, aut ipſam laterum planiciem, ut ex Lectione Hebræa colligitur Eccleſiaſt. 10. 10. Sed *gladii facies* minacior, & terribilior, quam aliorum armorũ, & quam arcus, aut pharetræ. Vnde *terror gladii*, per excellentiam dicitur Ieremiæ. 6. 25. *Gladius inimici* (exponitur) *pavor in circuitu.* Ezech. 21. 12. *Gladio traditi ſunt cũ populo meo.* Hebræi legunt, *Terrores gladii cum populo meo.* Sed non mirum tantum eſſe terrorem gladii: eſt enim *Gladius* mõſtrum horrificum, non ſolum terribili facie, ſed etiam biceps, etiam duplici ore vorax, & humanarum carnium laniator. Nam quot unica die devorati ſunt *in ore gladii?* ebrioſum, & vinolentum, etiam in *Cælo*, & in templo quoque *inebriatum eſt.* Manus crudeles habet, in quas *traduntur* ſontes: Pedes quoque, cum *tranſit*, ac diſcurrit per terram. Dicam uno verbo quale malum *Gladius* ſit, illius comites, & aſſeclæ * *Peſtis*, & *Fames*. Ergo cũ *gladiũ* minatur IOB, terribilem graviſsimorũ malorum exercitum adventantem denũtiat, aut terribilem mortem a Deo inferẽdam. nam *gladius* Dei nõ eſt idem, qui gladius hoſtium, ut conſtat ex illo loco 1. Paralipom. 21. 12. ubi per *gladium hoſtium*, *bellum*, per *gladium* vero *Domini*, *Angelus interficiens* exponitur.

Armis univerſis tributa facies.

Facies Gladii nõ ſola acies.

Terror Gladii per excellẽtiam.

Compl. Pagn. Regia. Tygur.

Gladius mõſtrum terrificum.

Iſai. 31. 5. Ierem. 46. 10. Pſal. 62. 11. Ierem. 28. 21. Levi. 26. 6. Ezech. 14. 17.

* *2. Paral. 20. 9. & c. 32. 11. Iob 5. 20. Eccleſ. 39. 35. Iſai. 51. 19. Ierem. 5. 12. & 14. 12. & 15. 2. & ſæpe.*

Gladius Dei quis.

4 Hic tantum notãda Lectio Septuaginta omnino diverſa a noſtra, & ab Hebræa. *Cavete utique & vos a tegmine*, ſive, *ab integumento.* Quod ſic accipit Nicetas: *Vereri* (inquit) *debetis, ne cum Deo ſimulate opitulari videri vultis, me cõdemnetis: hoc enim valet illud, ab integumento.* Vos in me radicẽ aliquam deliteſcentem iniquitatis perveſtigatis; at Deus etiam occultam veſtram intentionẽ animi deteget, *& integumẽtum* removebit, & revelabit veſtri cordis penetralia. Sed quid nam movere Septuaginta potuit, ut pro *gladio*, *tegmen* diceret? Certe ego unum locũ invenio, in quo *gladius* dicatur habere *integumentum*, vel *amictum* ad cædem. Ezech. 21. 14. *Dedi conturbationem gladii acuti, & limati ad fulgẽdum, amicti ad cædem?* Quod videtur valde obſcurũ: nam *gladius* ad cædem nõ amicitur, neque tegitur, ſed nudatur potius. Reſponderi poſſet cum Vatablo, qui, cum videatur approbare lectionem Tygurinam, *Involutus ad mactationem*, ipſe ſic interpretatur, *hoc eſt, inſertus, & conditus capulo, aut manubrio ut teneri poſſit.* Ergo quod dixerunt Septuaginta, *Cavete ab integumento*, vel a *tegmine*, idẽ erit quod, a capulo, & per Synedochen, a *gladio*. Sed hoc certe videtur, eſtque frigidum. quis enim dicat gladium amiciri, aut involui capulo? Dicerem in hoc loco Ezechielis, *Gladium amictum ad cædem*, eſſe gladium obvolutum, & abſcõditum per occultas inſidias, vagina quidẽ nudatum, ſed tamen pallio, aut brachio obtectum, ut repente adactus in hoſtẽ, incautum gravius vulneret. Aliquãdo enim verbum illud *amiciendi*, aut contegendi, dicitur de velamento oris, aut faciei, quo quis ſe contegit, ne agnoſcatur. dicimus nos, el *reboço*. Levit. 13. 45. Cantic. 1. 7. ſic itaque diceret nunc IOB, *Guardaos del diſsimulado, y del encubierto.* Hoc idem profecto voluerunt Septuaginta cũ dixerunt, *Cavete a tegmine*, id eſt, a gladio evaginato jam, ſed tamẽ ſub tegmine pallii, aut brachii involuto, & obtecto, & diſſimulato, qui jam jam adigetur in veſtra latera, ſi impii permaneatis, vobis licet ipſis neque videntibus, neque ſuſpicantibus.

LXX.

Nicetas.

Quid dicatur Gladii tegmen.

Illuſtratus perobſcurus Ezech. locus

Vatab.

Synedoche.

Hebraismus. Regia. Cajetan. Tygurin. Vatab. Pagn.

Quoniam ultor iniquitatū gladius est. Sensus dilucidus: sed in Hebraismo delitescens; *quia ira iniquitates gladii*. Regia: *vel ira iniquitatibus gladii.* Cajetanus; *id est ira gladii imminet iniquitatibus*. vel, Ira; & Divina ultio manet, & ulciscitur *iniquitates gladii*, idest, iniquitates gladio dignas. Tygurina; *Ira iniquitates; iniquitavit ultionem Dei*. Vatablus legit; *Ira ex iniquitatibus gladii*. & exponit: *Provocatio ad iram-citra meritum provenit ex iniquitatibus, quæ solent puniri gladio.* & fere eodem modo Pagninus; *Quia irasci facitis me, est ex iniquitatibus, quæ dignæ sunt, ut gladio ulciscantur*. Fere nulla in sensu discrepantia, in verbis tantum.

6 Gladius cujus symbolū. Rom. 13. 4. Philippus. Beda.

Sed quoniam hic de justo peccatorum supplicio inferendo ab æquissimo judice, sermo est, *Gladium* sumo, non solum pro supplicio in genere, sed pro supplicio Divina lege, & jure statuto, & pro imperio summi judicis supplicii, & vindictæ, de sontibus, sumendæ; *non enim sine causa* (ut Paulus ait) Iudex *gladium portat*. Sic Philip. & Beda; *Gladius lingua est Regis, & non carnalis, ut Salomon dicit.* puto, alludit ad librum Sapiētiæ, quem Salomonis nomine significat, ut statim dicemus. est itaque *Gladius* symbolum judiciariæ potestatis, & meri imperii, parcendi nescii, cum semel stringitur in impios, & sceleratos. Sub qua translationis forma describitur ultio, atque imperium Divinum Sap. 18. 16. *Cum quietum silentium contineret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus de cælo a Regalibus sedibus, durus debellator, in mediam exterminii terram prosilivit, Gladius acutus insimulatum imperium tuum portans*. est vero *insimulatum imperium*, non dissimulatum, dissimulare, & parcere nesciens; cujus symbolum erit *gladius*, non quidem in vagina reconditus, sed eductus, & fulgurans. Vnde etiam hostes Divina justitia missi ad vindictam malefactorum, aut bellum justo Dei judicio ad scelerum vindictam immissum, dicitur *Gladius judicii.* 2. Paral. 20. 9. q. d. Gladius supremi judicis, ad vindictam scelerum. Nescio an hanc judiciariam potestatem, & severitatem supplicii inexorabilis significare voluerūt Scythæ illi prisci, cætera barbari, sed in hoc uno acres, atque mirabiles, quod *Gladium* pro Deo colerent, ac venerarentur, non secus ac Martem militiæ, vindictæque præsidem. Testis est Clemens Alexandrinus in Exhortatorio ad gentes, *Scythæ* (inquit) *antiquitus adorabant Acinacem.* Rem eandem descripsit ex Clemēte Arnobius lib. 6. est autem *Acinacis*, Persarum atque Medorum gladius, ut Horatii interpretes observant super id libri 1. carmin. Odæ 27.

Scytharū Deus Gladius. Clemēs Alex. Arnobius. Horatius.

- Vino, & Lucernis Medus Acinacis
Immane quantum discrepat.

Ammianus. Lucianus. Scytharum juramētum per Ventum, & Acinacē. Rom. 13. 4.

Vberius rē eandem cōmemorat Ammianus Marcellinus lib. 31. *Nec templum* (inquit) *apud eos visitur, aut delubrum, sed gladius barbarico ritu humi figitur nudus, eúmque, ut Martem regionum, quas circumeunt, præsulem verecundius colunt.* Quāquam Lucianus in dialogo de Amicitia, ideo per *Ventum*, & *Acinacem* tradit jurare Scythas, quod *Ventus* sit vitæ causa, *Acinacis* vero mortis. Cum autem Potestas non sit, *timori boni operis, sed mali*; profecto *Gladius* judicis, non alia commodiori appellatione dicitur, quam *Gladius iniquitatum ultor*, & scelerum vindex. Quare Deus sæpe suo gladio, id est severitati, justitiæ, ultioni hanc vim, & quasi proprietatem tribuit, *ulciscendi iniquitates* Levit. 26. 25. *Inducam super vos gladium ultorem fœderis mei, & Deut. 32. 25. Si acuero, ut fulgur, gladium meum,* (exponitur) *& arripuerit judicium manus mea* (iterum apertior expositio) *reddam ultionem hostibus meis.* Quare quod 1. Paralip. 21. 12. dicitur *Gladius Domini*; postea. 2. Paralip. 20. 9. videtur appellari *Gladius judicii*, ut diximus. Quare post hanc mentionem *Gladii*, recte sequitur *judicium*, in hac ipsa sententia.

7 Lib. 1. de offic. ejus cui man. est jurisd. & l. imperiū de jurisd. om. jud l. illicitas. § qui universas. de officio Præsidis. Petrus Faber.

Atque cum hoc quidem facit illa tantopere in jure, atque in judice, & magistratu celebrata *Gladii*, id est meri imperii, judicandi, & condemnandi facinorosos potestas, aut *Gladii jus*. quæ potestas gladio animadvertēdi in facinorosos, antiquior fuit, quam securi, telo, laqueo, aut modo alio supplicium de sontibus sumendi, ut docte, & erudite observavit Petrus Faber in Commentariis ad diversas regulas juris antiqui. L. 70.

Iudicū varia insignia. Prudentius.

Quare nō immerito *Gladius*, aut pro ipso districto, & severo judicio, aut vero pro ipso severo, atque indignāte adversus impios judice, accipi hoc loco potest, neque abs re quidem; nam conjectura duci potest, prioribus etiam sæculis inter præcipua judicis insignia, *gladium* fuisse, ex eo quod posterioribus sæculis, ita quoque observatum legimus: nam cum multa fuerint judicum, & magistratuum judiciaria insignia, quæ summatim cōplexus est Aurelius Prudentius suo illo carmine;

Fasces, Secures, Sella, Prætexta, Toga,
Lictor, Tribunal, & trecenta insignia,
Quibus tumetis, &c.

At

Herodian. At Gladius præcipuus, cætera illi adjuncta, & quasi ex peregrino ascita. Quare ab Herodiano lib. 3. *Ensis* vocatur supremæ dignitatis insigne, cum de Plautiano illo Syro, quē servum ex parva, humiliq; fortuna ad opes maximas provexerat, sic scribit; *Habitus, quo in publicum prodibat, Latum clavum perpetuo habebat. Ensem præterea gestabat, cæteraque omnia supremæ dignitatis insignia.* Quod idem indicavit Lucanus lib. 5. cum Dictatoriā illam dignitatem Imperatoriæ adjunctam a Cæsare describit;

Lucanus.

Nāq; omnes voces, per quas jā tēpore tanto
Mentimur Dominis, hæc primum reperit ætas;
Qua sibi, ne ferri jus ullum Cæsar abesset,
Ausonias voluit gladiis miscere secures;
Addidit, & fasces Aquilis, & nomē inane
Imperii rapiens, &c.

Gladius gestatus a Iudice. Gladium vero, ut magis proprium, ac familiare insigne, gestabat Iudex ipse; non præferebatur. Sic videas Baruch 6.14. *Gladium* cōjungi manui Iudicis, cum quo Idola comparantur; *Sceptrum habet, ut homo, sicut Iudex regionis, qui in se peccantem non interficit: habet etiam in manu gladium, & securim.* Quo illud etiā facit, quod August. Cæsar Præsidibus, atq; Legatis, quos in provincias hostibus infestas mittebat, hoc jus attribuebat, ut vestē militarem induerent, & gladio accingerentur: in paccatas autē provincias, qui mitterentur Proconsules, iis & vestis militaris, & gladii ferendi jure interdixerat. Rei hujus scriptor Dio Cassius historiæ Romanæ lib. 53. in hæc verba; *A se designatis præter nomē Proprætorum, hoc etiā tribuit, ut plusquām annū essent cum imperio, quatenus videlicet ipse statuisset, ut militarē habitum gestarent, gladiumque, & jus capite plectendi milites haberent; neque enim ulli Proconsuli, aut Prætori, Præfectove licebat gladio se accingere, quo ipso licentia necandi multis adimebatur.* Ergo Iudex ipse armabatur gladio, & chlamide militari in provinciam minime paccatam: quod simillimum videtur illi, quem nuper adducebamus, Sapiētiæ loco; *Omnipotens sermo tuus tanquam durus* (Sævus, & indignans. In Græco, abscisus, quod sævum, ac severum, & inexorabile sonat) *Debellator* (en judicem, judicisve imperium veste indutum militari. Sed quibusnam bellum, & ultionem denuntiat? *Provinciæ minime paccatæ*, sed infestatæ hostibus, & tumultibus, nam sequitur) *In mediam ex terminis terrā* (id est, in medium sceleratæ, ac perditæ, Alii, *Perniciosæ, ac exitialis terræ*) *prosilivit.*

Cassius.

Iudex armatus gladio in provinciā minime paccatā.

Nennius. Tigur.

8 *Et scitote, esse judicium.* Hæc (inquam) dixerim, quo vobis persuasum sit, scelus vestrum non abiturum impune, neque tādem hominem innocentem non reportaturum suæ innocentiæ testimonium, nam veniet tādem severissimus Iudex *in nubibus cæli, cum virtute multa*, & majestate. *Gladium portans* non manu solum, sed ore, nam *spiritu oris sui interficiet impium: &,* cum judicem agat, *tanquam durus debellator,* accinctus terribili chlamide, & ense mortifero apparebit. Tum etiam (inquit Iob) *Scietis*, sentietis, experiemini vestro malo judicii, atque Iudicis severitatem, & calumniarum iniquarum pœnas. Præterea, *Scitote, judicium esse*, id est, oportere vos, non mecum, sed cum ipso supremo Iudice disceptare; nam causam meæ innocētiæ derelictā ab omnibus, sine patrono, sine procuratore, perditam jam, & humano judicio damnatam, *quæret, & judicabit* supremus Iudex. Ille pro me lite contendet vobiscum. Vox *judicii*, aut *judicandi* hoc loco, & absolutionem significat, & ad cōdēnationē, litem, contentionem, jurgium referri potest, sed pro subjecta materia, suis adversariis denuntiat Iob ad cōdēnationē, & minatur vindictā.

Matth. 24. 30. Marc. 13. 26.

Apoc. 19. 15. Isai. 11. 4. 2. ad Thesal. 2. 8.

דין

Hoc quoque loco paulo dissimilior lectio Septuaginta: *Ira super iniquos veniet, & tūc cognoscetis, ubi est eorum materia.* Nicetas, *Materiam dicere videtur, aut verborum turbam, aut copiam divitiarum, in quibus videbātur amici Iob confidere.* & inferius, *Singuli cognoscemus, judicium, & ultionem esse, quæ materiam est consumptura.*

LXX.

Nicetas.



CAPUT XIX.

1 *Respondens autem Iob, dixit.*

2 *Usque quo affligitis animam meam?*

* *& attereritis me sermonibus?*

3 *En decies confunditis me:*

* *& non erubescitis opprimentes me.*

4 *Nempe etsi ignoravi;*

mecum erit ignorantia mea.

5 *At vos contra me erigimini:*

& arguitis me opprobriis meis.

PARAPHRASIS Capitis præcedentis.



MPORTUNA Tum aliorum amicorum, tum Baldadi oratione defessus, ac defatigatus IOB, non tam objectionibus propositis, quam importunitati, & cōtentioni illorum, hujusmodi responsione occurrit, leni illa quidem, sed quæ & amicis pudorem induceret, & virtute atque pondere spiritus facile posset adversarios superare.

Cū ea omnia, quę de impiorū suppliciis, & interitu disseruistis, propter me dicta esse velitis, pertinaci quodā, & acri studio me affligēdi, & opprimēdi ardere videmini. Quorsum igitur indignis me reprehensionibus vexabitis, & incredibili contemptu meum animum contristabitis, atque cruciabitis? quasi non sint vobis satis mei istius corporis cruciatus incredibiles, quin animum etiam exagitare velitis. Quousque fessam facietis animam meam, &, veluti gravi pondere, me verbis onerabitis? * Attenuatis profecto animi mei vires, & consumitis tolerantiæ robur sermonibus istis vestris molestissimis, quibus justas meas defensiones labefactare nitimini; & hostium more, pro jaculis, verba mittitis, quibus animi robur infringatis. a Quid enim molestius, quid durius, quā durus sermo? Quid acutius, quam scoma, aut dicterium, quod alterius pungit animum?

Vos vero easdem sæpe contumelias intulistis; &, quod incredibilis inhumanitatis est, ignominia, & pudore afficitis honestum hominem, de vobis nunquam male meritum. atque cum me a justis clamoribus prohibere conamini, iniquo profecto contradicendi studio adversum me ardetis; * neque interim vos pudet tantæ inhumanitatis; cum enim me opprobriis vestris vehementer pudefaciatis, neque leviter vos b erubescitis. Sed quid mirum? nam ubi quis pudoris lineas transilierit, coram jactat maledictum, & imbecillum opprimit impudenti ausu, & in innocentem incumbit multarum injuriarum copia, & pondere.

Quasi vero e re vestra sit meam ignorantiam ante omnium oculos traducere, ita quisque mihi injurias, & contumelias intendit, & me erroris accusat, atque non ex suis bene gestis, sed ex alterius malis exultationem quærit, & triumphum non suæ gloriæ, sed alienæ miseriæ ducit. Nempe, etsi verbis, & responsione, aut meæ innocentiæ defensione errarim, nihil vos læsi, ego mei erroris pœnam perferam; suppliciumque non divertet ad vestras domos, sed me quæret, invenietque. Errare denique vobis videar; sit sane; ego erroris mei rationem, & causam aut probe teneo, aut certe invenire, & investigare teneor.

Quorsum igitur gloriosum ducitis honori vestro, si me contumeliis vexetis, & redarguatis, & inde vos erigitis, & insolescitis, unde mihi omnem probitatis laudem eripere conamini? In illo itaque laboratis, ut vestra oratione redargutus videar. Ideo buccas inflatis, & aperto, atque hiante ore linguam exercatis, ut magnifice de vobis sentientes, de me abjectissime loquamini. Magnum itaque quiddam in me oppugnando efficere conamini, & per calamitatem

meam

NOTATIO RERUM INsigniorum, quæ in Commentariis fusius explicantur.

a *Quam difficilia sint ad perferendum verba, & contumeliæ, quædā ad doctrinam v.2.n.5.*

b *Ut sit erubescendum sapiēti cum corripit inhumaniter, & qualis futura sit correptio, vide v.3.n.6.*

meam vestram intentionem fulcire.

6
Saltem nunc intelligite,

Sed scire vos (o amici) oportet Deum judicem, qui me his calamitatibus, & malis afficiendum statuit, omnino velle, ut miseri homines ab aliis accipiantur ᶜ benigne, & perhumaniter, non cum probro, & risu. Scit enim ille sortes, & conditiones commutare, & qui inhumanus, injuriusque in proximum extiterit, eundem illum in easdem miserias, ærumnasque conjicere.

** Quod Deus non æquo judicio afflixerit me:*

* Atqui persuasum vobis velim, me a Deo judice percussum, & afflictum, resque meas omnes perturbatas, atque perversas, & pristinam meam fælicitatem penitus subversam, sed non æquo judicio: non enim servat cõsuetam illam, & ordinariam sui judicii regulam in me puniendo; non enim me propter ullum scelus afficit ingenti hoc supplicio, sed exercet, & probat propter multos alios præclaros fines. Quare in hac mea causa non agit Deus judicem, sed moderatorem, & gubernatorem sapientissimum;

** & flagellis suis me cinxerit.*

* nec non venatorem sagacissimum: nam retia, & laqueos expandit, quibus me irretiat, & involvat, atque ex eisdem calamitatum funiculis flagella confecit, quibus me diverberaret, & cingeret, cinctumque, velut perpetua quadam malorum obsidione, undique expugnaret.

7
Ecce,

Sed me miserum, atque omni auxilio destitutum, qui cum contenta, & clara voce satisfaciam abunde, & cumulate meis calumniatoribus, atque crimina falso mihi objecta verissime diluam, nemo mihi adest patronus, nemo hujus litis, disputationis ve judex, aut diremptor.

** Clamabo,*

** vim patiens:*

** & nemo audit.*

** Vociferabor, & nõ est, qui judicet.*

* Itaq; vi, & acerbitate doloris ad gemitum, & clamorem impellor; sed nemo item mihi adest clamanti, qui vel tantis me eripiat malis, vel in tantis suppliciis innocentiam meam testetur. * Neque vero mirum est hominem tam indigna patientem clamare: nam incredibiles cruciatus vim afferunt meæ probitati, & nolenti etiam clamorem extorquent. * Nemo itaque tam graviter laboranti salutem, opem ve ullam pollicetur. * Imo neque vult Deus ex suo supremi judicis officio, aut innocentem vociferantem absolvere, aut calumniatores repellere, aut meæ vitæ merita examinare justa judicii trutina: nam suprema alia Divinæ Providentiæ ratione, & dispensatione res meas moderatur Deus. Et vero nunc sane pugno, ac nisi mihi fuerit certamen confectum, de mea corona haud quaquam judicium fiet. Pugnandi enim, & clamandi tempus nunc est; ultimi vero judicii ferendi, & accipiendæ coronæ nunc nondum esse opportunitatem satis scio. Ergo quid ante judicium ego clamo? ᵈ Præstat enim in mediis contumeliis mutum, & elinguem me præstare, quam frustra importunis clamoribus terram, cœlumque complere. Imo quid non exclamem, cum in palestra sim, & me exerceam in perferendo? quid non ingemiscam, ut vel saltem clamore, & gemitu me confirmem, & ad majora perferenda erigar? nam nemo laborantem plus juvat, quam si riderem. Et vere quidem, si non corporis oculis, at animi promptitudine, & alacritate tolerandi merito ridere, & gaudere etiam videri possum, ut qui Deo me punienti supplex, gratusque benedicam.

8
Semitã meam circumsepsit:

** & transire non possum:*

& in calle meo tenebras posuit.

Sed nequaquam dicere prætermittam, quantis ille me malis circumsepiat, ex quibus exitum nullum reperio: namque ille tantis omnes vitæ meæ rationes tenebris obscuravit, ut omnem mihi evadendi aditum, & spem præcluserit. * ille (inquam) quisquis tandem fuerit, vitæ meæ, atque salutis expugnator, murum opposuit; ᵉ ac cæcam noctem caliginis offudit, ut movere pedem nulla ratione possim, non secus, ac si carcere teterrimo, atque difficillimo detentus essem. Frustra igitur quæram meorum malorum perfugiũ aliquod, aut diverticulum.

9
Spoliavit me

Quid, quod ille me iis bonis omnibus exuit, quæ me gloriosum efficiebant, & quibus excellebam, efferebamque caput præ cæteris mortalibus? eodemque ipso aditum patefaciente, turpissimi, &

c *Quanta cum miseratione, & benignitate prosequi debeamus miserias proximorũ, multa ad mores v. 6. n. 1. & 2.*

d *De silentio servando in mediis cõtumeliis quædam utilia. tum etiã de gemitu v. 7. n. 3. & 4.*

e *De tenebrarũ pro carcere appellatione, quædam ex sacris, & prophanis. v. 8. n. 3.*

avidissimi prædones, nunquam prima contenti præda, ad reliquias bonorum meorum, ad corporis exuvias, ad extremas vitæ particulas perdendas petulantissime reversi sunt. Neque enim solum hisce externorum bonorum indumentis exutus, sed pelle etiam, & cute mille modis lacerata, in summa rerum omnium indigentia contabesco; * quippe rerum ille variam, atq; multiplicem affluētiam possessiones, divitias, speciosam sobolem, externum rerum omnium jucundissimarum splendorem a me abstulit, & omnem mihi fælicitatem amputavit. * Regium quoque f diadema dissolvit, atque detraxit capiti meo, cæterisque aliis Regiæ dignitatis insignibus, & ornamentis spoliavit: atque ingēti fælicitate, qua præ cæteris mortalibus circum fluebam, me exuit, de qua nunquam male commerueram, quin potius illam multis præclare meritis demerueram.

*gloria mea;

* & abstulit coronam de capite meo:

f Coronæ cujusmodi essent, & quomodo alligarētur capiti, selecta quædam ex sacris, & prophanis. v. n. 5, 6. 7.

Evertit itaque ille me bonis omnibus, divulsit, membratimque discerpsit omni ex parte labefactatum, & expugnatum, instar florentis quondam civitatis, quam hostium impetus, & importunitas obsidionis dejiciunt tandem, soloque dirutam exæquant. * Pereo itaque omnibus status mei firmamentis convulsis. Imo perii jam, & abii in nihilum, mortuus propemodum, non tantum moribundus. * Non secus enim vitæ prorogandæ, g sobolisve propagandæ, aut recuperandæ fortunæ spem mihi præcidit, quam si arbori, excissis radicibus, & radicum fibris, nulla rursus germinandi spes relinquatur.

10 Destruxit me undique,
* & pereo:
* & quasi evulsæ arbori, abstulit spē meam.

g Quod filii sint parentum spes, atque præsidium quædam ex sacris v. 10. n. 2.

Acerrima illius in me ira exarsit, intumuit, fumavitque naso, atque toto ore indignationis adversum me flammas sparsit: & non secus gravissimam mihi plagam inflixit, quam solet iratus, & indignans homo adversus hostem aliquem suum, hostili, & perturbato animo desævire. Sed id affirmare possum, & debeo, nunquam me illius inimicum futurum, quamvis ille me ut hostem, & inimicum suum gravissimis afficiat malis.

11 Iratus est furor ejus in me:
& sic me habuit quasi hostem suū.

Omnes itaque illius h militum cunei uno impetu, eadem animorum consensione, quasi junctis umbonibus conspirarunt in me, & obsessum everterunt bonis omnibus. Et enim eodem momēto temporis rerum omnium jacturam sustinere coactus sum, rapinamque bonorum meorum ab insignibus latronibus pertuli, qui aperta quasi janua, & aditu patefacto irruptionem fecerunt, * meque proculcarunt, penitusque obruerunt, ac tandem hominem undique interclusum, resque meas omnes nunquam interruptis malorum ordinibus expugnare, ac labefactare cessant. * Quare, ut quondā Divina custodia vallatus, & septus, in summa pace & securitate vivebam, ita nunc obsessus ab illius militibus, cunctis discriminibus, & ærumnis expositus sum.

h De appellatione latronis pro milite, plura ex sacris, & prophanis v. 12. n. 3. 4. 5. 6.

12 Simul venerunt latrones ejus,
* & fecerunt sibi viam per me,
* & obsederunt in gyro tabernaculum meum.

Illos vero, quos fraterna sanguinis, & cognationis necessitudo mihi devinxit, a quibus in tantis discriminibus aliquid auxilii sperare potuissem, tum etiam servos, amicos, notos, & vicinos, familiares denique omnes, ita a me abalienatos sentio, ut in illo ipso latronum, & hostium numero ponere atque numerare debeam. Hi enim ipsi mei domestici, qui relicti sunt incolumes, calamitatem vehementius amplificant, & exacerbant. etenim qui decessereṅt e vita, nihil amplius faciunt: qui autem manserunt, convitiis, ac probris contumeliosi in me existunt, & incredibiliter incitantur: & quos ipsa humanitatis jura, & calamitatis aspectus ad misericordiam allicere deberent, horum in me odium ipsa calamitas conflavit. * atque non secus a me i recedunt, fugiuntque, quam a re injucundissima, & ingratissima, & nihil illis nunc magis insuave, magisve alienum, quam I O B V M videre, aut audire, quibus quondam nihil magis familiare magisque jucundum, quam ex I O B I ore, oculis nutu vivere, totosque pendere. Eo tandem crevit inhumanitas! eo pervenit miserrimi hominis inaudita miseria! Ius deniq; & æquum

13 Fratres meos longe fecit a me: & noti mei,
* quasi alieni, recesserunt a me.

i Quid alienus, aut extraneus, in sacro sermone, quid ad Scripturarum intelligentia v. 13. n. 4.

censent

censent peregrinis potius, & ignotis benefacere; ita omni ope, ab omnibus destituor.

14 *Dereliquerunt me propinqui mei: & qui me noverãt, obliti sunt mei.*

Deseror etiam ab iis ipsis, qui assiduo mihi studio adstare solebant, a meo latere nunquam discedentes. nefarie itaque suo officio defuerunt. nemo mihi extreme laboranti adest, nemo visitat, nemo amicitiæ jura veretur. incredibili vel levitate, vel improbitate omnem gratiæ memoriam omnes abjecerunt. * atque illi ipsi, quibus ego ipse ita notus, & familiaris eram, ut in illorum ore, & oculis assidue versarer, & quibus mei pectoris arcana libenter credebam, me nunc obliviscuntur, & negligunt, ac neque de facie IOBVM agnoscere dignantur.

15 *Inquilini domus meæ, * & ancillæ meæ quasi alienum habuerunt me: & quasi peregrinus fui in oculis eorũ.*

Quin etiam non solum domestici, ac propinqui, verum mei quoque servi, quasi nunquam mei imperii fuerint conscii, me tanquam hospitem, & hominem quempiam peregrinum prætereunt: & quos ego sub meum tectum perhumaniter ad cohabitandum, & commorandum recipiebam, nunc nulla sui tecti, & domus parte, & communione me dignantur. Illi præsertim, quos ego mea doctrina, & cõsiliis veræ Fidei, & religionis proselytos effeceram, & meæ domus, & convictus participes constitueram. * Nihilo vero minus ancillæ domus, quibus rerum domesticarum curam commiseram, fideles se mihi præbuerunt. Nemo quippe me agnoscit, ac neque ad oculum, & coram mihi ministrare, & obedire volunt.

16 *Servum meum vocavi, & non respondit: ore proprio deprecabar illum.*

Sordidum quidem, neque magnificandum est servorum solatiũ: sed tandem homini misero, & ab amicis deserto utile tandem, atque postremum. Sed mihi tamen accesserunt servorum, (qui quõdam servitutem viliorem, & duriorem domi meæ serviebant) injuriæ, & probra, atque impietas incredibilis. Cum enim illos [k] blãde, & amice compellarem, atque supplex cum obsecrationibus deprecarer illorum opem, neque quasi herus, sed quasi illorum servus, debili, & lamentabili voce illorum misericordiam allicere conarer, illi non solum imperium recusabant, operamque nullam præstabãt, sed preces etiam audire contempserunt.

k *Vt servi tractãdi sint, & de illorum gradibus diversis. v. 16. n. 1. 2. 3.*

17 *Halitum meum horruit uxor mea: * & orabam filios uteri mei.*

Vxor vero mea, quæ particeps adhuc fuerat spiritus mei, eademque spiritus societate mecum vixerat, nunc ipsum meum halitum, quasi alienum fastidit, & tetrum, contaminatumque penitus aversatur: atque ad mei spiritus suspiria, & gemitus, tam vehementer nauseat, ut non aliter meam vocem, quam rem sibi molestissimam atque ingratissimam fastidiat: & quia eam audire aliquando recusabam flagitiosa suadentem, nunc me conficere molestiis adoritur Sane quidem cum illam deprecarer supplex per communes filios jã defunctos, & per cineres posteritatis nostræ, nihilo magis ab illa audiebar. * Ergo supplex esse cogor iis omnibus, quibus, ut filiis, quondam charitate paterna prospexi, meis discipulis, & auditoribus veræ doctrinæ, & religionis, quos tenere diligebam; nec non ipsis [l] filiis mearum concubinarum, qui (proh dolor) tranquilla, & jucunda vita fruuntur, meis filiis ingenuis, meisque hæredibus acerbissima nece extinctis. Hos (inquam) cum etiam suppliciter orem, at nunquam exoro; nam ut sunt servili, & perquam vili ingenio, servis se meis pari contumacia, & animi efferati inhumanitate adjunxerunt.

l *Quales fuerint olim Nuptiæ cum ancillis, & concubinis, quales etiam filii ex illis suscepti, v. 17. n. 9. & 10.*

18 *Stulti quoque despiciebant me: * & cum ab eis recessissem,*

Homines præterea flagitiosissimi, quibus nihil magis antiquum, quam virtutem, & pietatem, si cum miseria, & calamitate conjunctã videant, irridere, & subsannare, & more petulantissimorum puerorum conviciis, & ludibriis lacessere, me despiciunt, & vehementi cum fastidio abominantur. quodsi quando in me conjiciunt oculos, statim dejiciunt, & avertunt, confestim recedentes, atque execrantes meum conspectum. * Cum vero illorum petulantiæ cedere statuo, ac me subtrahere conspectui irrisorum, vel cum etiam illis honorem, quem minime debeo, liberaliter impendo, cum illis adven-

detrahebāt mihi.

19

Abhominati sunt me quondam consiliarii mei:

** & quem maxime diligebā, aversatus est me,*

20

Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum:

** & derelicta sunt labia tantummodo circa dentes meos.*

21

*Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos, amici mei: * quia manus Domini tetigit me.*

22

Quare persequimini me,

** sicut Deus:*

& carnibus meis saturamini?

tantibus assurgo, novis me scomatis, & contumeliis configunt. Sic illi cum summo mane, non nisi ad me lacerandū, surrexisse videātur, interdiu quoque non nisi de me exagitando, & modis omnibus vexando cogitare videntur.

Quos vero Regni, & publicæ rei [m] consiliarios, & administros adhibebam, neque conspectu me dignantur; neque auribus, & auditu; neque ulla humanæ vitæ, & convictus societate, & consortio. & cū illis ego quondam consilia, & arcana mei cordis lubens, & fidens patefacerem, at illis ut stultissimus nunc sordeo. * atque cū non nemo fuerit, quē peculiari præ cæteris amore, & honore prosequutus fuerim, nunc is etiam immutato animo, odiū mihi pro mea charitate rependit.

Tolerari utcumque hæc mala possent, foris enim tandē sunt. Sed intus implacabiles dolores, & vis morbi incredibilis sæviunt, quibus redigor ad maciem extremam, ut consumptis carnibus vix cutis ossibus hæreat. Quodsi quid carnis præter cutē, & pellem reliquum est, id jam computruit, ita totus & cute, & carne, totisque artubus sanie mano: * imo & gingivę pene jam evanuerunt, ut ipsę dentium radices apertę videri possint. Quāquā hæc una mei corporis pars, multo minus, quam membra cætera, detrimētum passa est, nam cum aliæ omnes facultates, atque functiones corporis impeditas sentiā, sola orationis facultas libera mihi concessa est, scio, adversarii callidissimi industria, ut verbo labar, & offendam. At artem illius in suam ego perniciem convertam: nam [n] Orationis, & precum unico solatio, & ope me sustentabo.

Ergo cum ii, quorum erat mihi subvenire, contra jus, fasque me deseruerint, vestrum est, o socii, qui nūc mihi adstatis, miserum hominem, qua possitis ratione, sublevare. Agite itaque & vos, vel leviter mei misereat, vestrum amicitię officium iterum, atque iterum imploro * miserrimus ego, & Dei Iudicis severissimi severissimo supplicio affectus. Illius enim [o] manus robore, & efficacitate plenissima, lethalia ista mihi vulnera inflixit. [p] Verumenimvero ille me nō sic cruciat, atque exagitat, ut quem ille persequitur, vos infestetis, sed ut homini afflicto, & miserrimo misericordiæ, & humanitatis officia persolvatis: nam vel ipsi hostes, si ab humanitate omnino alieni non sunt, erga suos ipsos hostes afflictos, atque postratós misericordes esse solent.

Cur igitur, aut qua ratione ducti, & impulsi Deo meo persequēti, & laceranti vos ipsos adjutores, & socios præbetis? * Cur, si forte ille tot supplicia propter culpam repetat, vos similiter, quasi a me essetis injuria affecti, mihi succensetis? Cur, sicut idem ille non intermissis cruciatibus, ita vos nunquam intermissa contentiosa, contumeliosaque disputatione me vexatis, atque vobis invicem per vices in me omni crudelitate lacerando succeditis? * At qui Deus suo jure utitur, dum de creatura, pro bona voluntate sua, statuit. Vos vero periniqui eritis, si de homine vestri simili per humaniter statuendum non censeatis. Nullum (mihi credite) obsequium præstabitis Deo, si quem ille persequitur, vos quoque insectemini. Quanta vero feritas, & inexplebilis humani animi sævitia est, velle hominem devorare, & ferarum more discerpere; famescere alienam vitā, sitireque alienum sanguinem, & cum me pene jā consumptum, & exāguem intueamini, tamen avidissime deperire, si quid vel minimum reliquum est vitæ, & sanguinis? [q] Quid vero aliud vos facitis, cum meam existimationem, & famam canino dente roditis, & dilaceratis, & falsis criminationibus de mea innocentia per summam iniquitatem detrahitis. Ergo jam satis sit vobis, meis vos carnibus hucusq; exsaturasse, ac me vidisse dolentem, sanie manantem, & totum cōputrescentem. Videar jā, obsecro, vobis satis pertulisse pœnarum, neque miserrimo homini graviorem vindictam imprecemini.

m *Quod Princeps consiliariis indigeat ad rectā Reipublicæ administrationem, & quales oporteat esse consiliarios, nō pauca utilia.* n.2.3.4.5.

n *Quanta sit orationis, & precum efficacitas.* v.20.n.3.

o *De appellatione, & significatione Divinæ manus in Scriptura, nō pauca ad intelligentiā Scripturarum.* v.21.n.4.

p *Vt miseris, etiam iis, qui suorum peccatorum justas dāt pœnas, debeamus impendere misericordiam. Quædā ad mores utilia.* v.21.n.5.

q *Quod maledicētia, & detractio dicatur, comedere, & dilacerare alienas carnes, quædam ad Scripturarum intelligētiā, & ad mores utilia.* v.22.n.4.

Sed

23 *Quis mihi det, ut ſcribātur ſermones mei, ut exarentur in libro.*

Sed cum vos nulla mei conſolandi, atque ſublevādi cura, vel voluntas tangat, unicum illud, extremumque ſolatium deſiderare cogor, ut hæc ipſa, quæ in veſtra præſentia profero de fide Reſurrectionis, de humanorum operum aut præmio, aut pœna, de mea innocentia atq; ſuppliciis incredibilibus, publice conteſtata, & publico inſtrumento conſignata ad memoriam hominum ſempiternam permanent.

24 *Stylo ferreo, & plūbi lamina: aut celte ſculpātur in ſilice.*

Neque ſatis mihi fuerit, ſi communi aliarum ſcripturarum ratione in libro ſcribātur [r] in chartis papyraceis, aut in Philyris biblinis, in aſſeribus, aut buxis ceratis; tabulas ego requiro multo diuturniores. Incidantur itaque in plumbi lamina, ſtylo ferreo, vel [ſ] cælatorio inſtrumento ſculpantur in ſilice, ſaxove duriſsimo, ut & meæ fidei, meęque innocentiæ perpetuum extare teſtimonium poſsit. namque illud me in extremis ærumnis conſolabitur, & ſuſtentabit, licet vos longe a mea ſententia, meiſque verbis hunc Reſurrectionis ſenſum abeſſe, falſo cenſeatis, quaſi jam ego deſperanti animo omnem melioris ſortis, & conditionis, omnem futuræ vitæ ſpem abjecerim.

25 *Scio enim, quod Redēptor meus vivit:*

& in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum.

Etenim ego ipſe certo novi tam mihi peculiari, ac familiari ſcientia, quam ſi ipſis oculis haurirem, aut certiſsimo aliquo experimento didiciſſem: Scio, inquam, probeque novi Deum meum, cujus ego creatura, & velut mancipiū ſum, qui me nunc quaſi venditū calamitatibus, & hoſtibus tradidit, [t] fore ut aliquando ab iniquis me poſſeſſoribus jure propinquitatis, & conſortii cū mea hac humanitate, & natura corporis, & ſanguinis redimat, aſſeratque in libertatē immortalis, beatæque vitæ. Hanc mihi non vanā ſpem injicit ille ipſe Redemptor meus vivus, qui & ipſe vita ipſa eſt, qui cū olim mortalitatem induet, poſtquā mortem ipſam ſubibit, mortē ſuperabit, & reſurgendo, Reſurrectionis quoque luce, & lætitia, mortuorū ſuorū corda, corporaque complebit. [u] Si enim ille reſurget, & nos reſurgemus, atque mortalia iſta noſtra cum cadavere ſuo ſuſcitabit: cū enim in cinerē ego, & pulverem redigar, unde formatus ſum, rurſum me, gratia roris cujuſdam matutini perfundet, & temperabit, id eſt [x] gratia Redemptoris mei reſurgentis, me iterū refinget, & vivificabit: ille enim eſt ros lucis, & ab illo mihi ſanitatem, & integritatem polliceor. Ego ipſe fælix aliquando, lætuſque vivā, mei Redēptoris vivētis, fruentiſque beata immortalitate, ſocietate, & cōſortio. Nō ſolum enim in hac vita mortali reſurgam ex ſquallore, & ærumnis, in quibus nunc pene mortuus jaceo; ſed etiam cum illo reſurgam poſt meum obitum ad immortalē vitam, atque tū meam, tū vero præcipue illius vitā, & immortalitatē poſt mortem acerbiſsimā, cum aliis multis teſtibus apud perfidos illius hoſtes conteſtabor.

26 *Et rurſus circumdabor pelle mea: [z] & in carne mea videbo Deum meū.*

Itaque illius ope, & beneficio conſequar, ut licet externa hæc, ſupremaque veſtis, qua nunc contegor, cutis inquam mea, tota lacera & diſciſſa ſit, corroſa a vermibus, & prope abſumpta, at olim Deus illam conſuat, & reſarciat, meque cute reſtaurata, & integra, beata quoque immortalitate amiciat. [y] nam ipſum idē * hoc meū corpus, quod impetus, & cruciatus excepit, anima comite, reſuſcitandū eſt, ut cū illa una fruatur. Et quamvis quidem pellis hæc mea retinere tunc debeat quædam præteritorū cruciatuū veſtigia, at illa non deturpabūt, neque imminuent immenſam illā immortalis vitę pulchritudinē. pro immani enim ſcabie, qua totus inhorreſco, & pro ſæviſsimis omniū membrorū cruciatibus, ſpes mihi eſt fore, ut totus guttis lucis perfundar, totuſque ſtellulis clariſsimis ad omnē æternitatem reſpergar, & colluceā. [z] Tunc ſane in carne ipſa hac mea conſiſtens redivivus jucundiſsimo mei judicis conſpectu fruar, cujus adventū jā ſummis votis expeto: in illius tunc ſplendore, velut aquila quædā defigā oculos adverſum intuens Solē, non cedens ſplendori, non cōnivens, non illachrymans: & ad illū venientē in nubibus cū claritate magna, & majeſtate perniciſsime convolabo. Quod ſi Deus eſt, qui

r De varia librorum materia apud Sacros, & Prophanos plura. v. 24. n. 8.

ſ Longior, & exquiſitior de Celte diſputatio, de vera hujus loci lectione. v. 24. n. 4.

t De Redimendi, & Redemptoris nomine, quod proprie conveniat in Chriſtum Dñm, plura tum ad mores utilia, v. 25. n. 2. uſque ad 8.

u Pulchra Iobi, cū Phœnice Arabica, quæ ſymbolū Reſurrectionis eſt, cōparatio n. 16. 17. 18.

x Præclara multa hoc loco de Chriſti, & noſtra Reſurrectione, de Sāctis, qui cum Chriſto reſurrexerunt, deque aliis huc ſpectātibus. & quod Iob fuerit inter primos, qui cum Chriſto reſurgente ad immortalem vitam tranſlatus eſt, quæ quoniam quærenti ſine ullo labore in Commentariis occurrent, loca non indicamus.

y Quæ ad reſurrectionē ejuſdemmet corporis ex eadem priſtina materia ſpectant, peculiaria quædam. v. 26. n. 3. 4. 5.

z Vt ſancti deſiderēt adventum Iudicis, utilia quædam ad mores. n. 5.

me vulnerat; idem ipse me sanabit; sic ex ipsarũ mearum ærumnarũ causa, & auctore, in immortalis vitæ spem assurgo certissimam.

O utinam jam tantũ bonum [a] intueri mihi liceat: conspiciã utique, experiarque mihi benegnissimũ judicis conspectũ, mearum injuriarũ vindicis, & adversus meos adversarios pro me pronuntiantis. His ipsis mei corporis oculis meũ judicem contẽplabor, ut jam minime necesse sit, alteri videnti, & narranti credere: ego enim ipse, qui tam sæva patior, idem fruar. * Qui vero ab hac mea fide alienus fuerit, & qui per iniquam meæ vitæ calumniam, & criminationem abalienato a me animo fuerit, is sciat se quoque constituendum ante supremi judicis conspectum, sed non ad voluptaté, & beatæ vitæ gaudium, sed ad cruciatum, & feveritatem judicii.

Hæc igitur unica me spes sustentat; nam & si præ morbi virulentia, & magnitudine, tum renes mei, tum viscera, & cuncta mea præcordia contabuerint, interioresque artus tabe sint exosi, propeque jam consumpti, hæc me cogitatio in summis rerum omnium difficultatibus confirmat, in qua spes meas defigo, ad quam, tanquam ad scopũ mea omnia studia, votaque ardentissima diriguntur. [b] Hoc unum toto pectore amo, & complector, cujus cogitationem nunquã deponam, cujus desideriũ nunquam ■ meo complexu dimittã. Spes sane non vana, neque fallax: differri poterit; frustrari, aut evanescere non poterit: Interim itaque dum mihi meorum laborum merces rependitur in sinũ, præmii loco, & pignoris continebo, complectarque firmam, beatamque imortalitatis spem.

Cũ hæc ita sint, quorsum perstatis in pertinaci ista vestra contentione, & studio mei persequendi, atque vexandi, & mea hec dicta bona alioqui, & sincera fide, ac mente prolata, criminandi, atque calũniandi? * Quorsum statuitis inter vos de promovenda disputatione per mendacia, & contumelias, non per rationũ momenta, neque per veritatem, & æquitatem. Sed fiet aliquando (mihi credite) ut istius olim mẽtis vos pæniteat, dicatisque, Cur persequebamur virũ probum, & innocentem, bene de Deo, deque divinis sentientem? Tunc sane agnoscetis vestrũ erratum, neque hanc meam persequutionem in Deum rejicietis, ut nunc facitis, dicentes, ut vestras calũnias excusetis; Quis eum persequitur, nisi Deus, qui omnium merita novit?* Frustra enim vos purgabitis ab hoc delicto apud judicem supremũ, cum nunc etiam apud vos ipsos deliberationem habeatis, decernatisque, ut omni via, & ratione verbum aliquod meum inconsideranter prolatum possitis aucupari, quod radix, & fundamentum sit novæ persequutionis, atque calumniæ. Eorum enim more, qui radices perquirunt, meos investigatis sermones, quo me capere possitis, & peccatum meum aliquod palam coarguere. Tum etiam vultis invenire aliquam peccati latentis vel adumbratam, & fictam speciem, ex qua, tanquam ex delitescente radice pronuntietis, tot mihi ærumnas accrevisse, totque malorum spinas, & tribulos germinasse. Illud quoque diligenter exquiritis, quid nam in animo meo infixum hæreat, unde mihi ausus, & confidentia loquendi, vobisque repugnandi, unde constantia, viresque dicendi suppeditentur. Ecce jam meam vobis rectam, integramque de Deo Fidem, firmam spem, ardentem Charitatem in Redemptorem meum, meum inquam, præsentis hujus vitæ contemptum, immortalitatis desiderium palam exprompsi. Hæc radix verborum meorum, inde mea lingua elicit, & exugit, quæ dicenda, quæ respondenda vobis habeo; hæc meum animum erigit, & confirmat, ne malis ullis, ne vobis perperam suadentibus cedam, obsequarve.

Quare cum manifestæ calumniæ teneamini, atque improbi contradicendi studii, timere profecto grave aliquod supplicium deberetis, factique vos pænitere, ut declinaretis divinam vestris capitibus jam jam imminentem vindictam, & districtum Divinæ Iustitiæ

a *An hæc sententia accipienda sit, de videndo Deum Iudicẽ oculis corporeis, exquisita disputatio. v. 27. n. 5.*

b *De Sinu, deque Spe, exquisita nonnulla ad Scripturarum intelligentiã, n. 3. & 4.*

27 *Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt,*

* *& non alius.*

Reposita est hæc spes in sinu meo.

28 *Quare ergo nunc dicitis,*

* *Persequamur eũ;*

* *& radicem verbi inveniamus contra eum?*

29 *Fugite ergo a facie gladii:*

mucro-

mucronem vestris cervicibus minantem. Neque immerito; nam cũ per simulatam calumniam, & ementitam sanctitatis speciem Divinæ causæ patroni, & opitulatores videri vultis, me condemnatis immeritum. * Sed dolendum, nam male secure, valdeque supine agitis, nec videtis fulgurantem gladium, quem Deus, vagina licet sua nudatum, at sub pallio, & umbra manus suæ continet, ut repente, & quasi per insidias in vestra latera adactus, gravius, altiusque vulneret. c Gladium sane dixi, non aliud, quam Divinam indignationem iniquitatum ultricem; & severitatem illius judicii; quæ si semel in improbos stringitur, insimulatum quoddam imperium est, parcere, & revocari nescium. Atque hæc dixerim, quo vobis persuasum sit scelus vestrum non abiturum impune, neque me innocentem non reportaturum meæ innocentiæ testimonium; nam veniet tandem severissimus judex in nubibus cœli cum virtute multa, & majestate, gladium non manu, sed ore premens, ut spiritu oris sui interficiat impium. Quare non mecum, sed cum ipso supremo judice jam deinceps vos disceptaturos fore scitote, a quo gravissima supplicia constituta sunt in eos, qui innocentes per calumnias vexant, & humanitatis, atque misericordiæ jura nefarie violant.

** Quoniam ultor iniquitatũ gladius est.*

c De gladio, & de jure gladii, ex sacris, & prophanis plura. n. 2. 5. 6. 7

Et scitote esse judicium.





IOANNIS DE PINEDA SOCIETATIS IESV, COMMENTARIORVM IN JOB, LIBER OCTAVVS.

Certamen Octavum, id eſt, ſecunda IOBI cum Sophar diſputatio.

CAPVT XX.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Contendit Sophar impios florere quidem in hoc vita aliquandiu, ſed brevi perire miſere: propterea IOB Hypocritam fuiſſe, & impiū, cujus & priſtina fælicitas brevis fuerit, & incredibiliū miſeriarum exitu concluſa fuerit.

I. Reſpondēs autem Sophar Naamathites, dixit.

1. Nexus hujus reſponſionis cum IOBI oratione.
2. Vitium argumentantium. Non ſolum verum, ſed & bene, & opportune dicendum.
3. Cauſa, quæ Sophar ſtimulaverit ad reſpondendum, exquiritur.
4. Quid ſuccedere in Hebræo. D. Thom. ſententia ſtatuitur vera.
Quid feſtinare in ſacro ſermone. Illuſtrati David, & Iſaias.

1 Nexus varie aſsignatus.



HVIVS orationis, reſponſioniſque Sophar nexum quęrit auctor catenę, atque petit ex ca. 6. & 17. ubi IOB amicis ſuis, tanquam parum ſapientibus, ſilentium imperavit, quo nunc reſpiciens Sophar, quaſi illo IOBI verbo punctus, & tumens, ac nunc rupto jam ulcere, hæc proferat, inſolenter jactitans ſuum ſpiritum intelligentiæ. Sed nexus alienus eſt, & longe petitus. Longior multo, & alienior, quod aſſerit Vatablus, reſpondere Sophar his, quæ dicta erant a IOBO, cap. 12. *Abūdare videlitcet tabernacula prædonum, &c.* Sed profecto ex ipſis extremis IOBI verbis, mira celeritate occaſionem reſpondēdi, & Iobum redarguendi oblatā ſibi exiſtimavit Sophar. Quare nullo interjecto ſpatio, reſpōſio hæc cohęret cum fine præcedentis capitis. Quod agnoverunt Philipp. Beda, & alii interpretes: atque ex ſequenti ſententia clare colligitur, ubi *reſpondendi* cauſam ipſe Sophar exponit.

Nicetas. *Vatabl.* Germana nectendi ra... *Philippus. Beda.*

Sed in hac oratione Sophar duo obſervanda: primum, quamvis multa præclare de impiorum exitu, & ſupplicio diſſerat, erraſſe tamen, nec idcirco magnam meruiſſe laudem: nā (ut Nicetas in Protheoria cap. 14. dixit) *ſermones recti, niſi etiam recte promuntur, & mente recta, & quo decet delectu, atque diſcrimine, & quo tempore oportet, & de qua par eſt perſona, certe nulla laude, ſed reprehenſione duntaxat digni fuerint.* Alterum, hoc eſſe vitium argumentātium tempori potius, quam veritati ſervientiū, ut ad extrema tantum verba reſpondentis attendant, cum quibus ſuam utcumque argumentationem conſuant, non ad reſponſionem integram. 2

Error Sophar. *Nicetas.* Vitioſa argumentatio,

II. Idcirco cogitationes meæ variæ succedunt sibi, & mens in diversa rapitur.

3 IDcirco. Philippus; *Eo quod tam pertinaciter afferas hæc mala innocentem, & immeritum me sustinere, ideo æstuo, & cogitatione conturbor.* Non omnino leniter. Gregorius vero, ut dicat se mentione judicii côturbatum, & tremefactum; *Qui extremi (inquit) judicii terrorem considero, idcirco cogitationum tumultibus in timore confundor.* Dionysius. *idcirco*, propter ea omnia, quę dixisti. Sed sic videretur rudis, & indigesta responsio. Ergo illud proximũ & simplex; Propterea (inquit) quod asserueris *gladium* esse *iniquitatum ultorem*; atque judicii, & supplicii severissimi pœnas solvêdas ab omnibus impiis, respondendi materiam præbes, ignorans enim tuis te verbis conficis: nam si jam tu gladii illius aciê expertus es, si vulnera, si ultionem, tu te ipsum in impiorum numero, vel invitus reponis; nam per te jam licet sic asserere, Non permittere Deum diu vivere impios impune; hic enim *gladius* etiam, hic judicium, hic damnat, hic punit. Si illationem referas non ad extremam IOBI sententiam, sed paulo superius ad minas, & asperiores sententias, quibus videtur vellicasse amicos, & tanquam impiis objecisse divini judicii terrorem, cohærebit etiam. *Idcirco* tibi insolescenti in hos tuos amicos, & in viros probos, atq; modestos debachanti, occurrêdum a me fuit, quod neque suspicari possem ab homine desperatæ cujusdam impudentiæ hæc dici potuisse. Septuaginta; *Non sic putabam contradicere te his.*

Philipp. *Gregor.* *Dionys.* *LXX.*

Cogitationes meæ variæ succedũt sibi. Verbum *succedendi* est in Hebræo *Sub*, quod vertere, convertere, redire significat, sed ex subjecta materia modum capit. Quare hic legere possemus, * *Cogitationes meæ vertuntur*, convertuntur, convolvuntur in se præ multitudine gestientes omnes pariter erumpere. Significat etiam idem verbum, *respondere*; quoniam qui respondet alteri, convertitur ad illum. Ideo Hebraizantes legunt, *Cogitationes meæ faciunt me respondere.* Et eodem fere sensu Tygurina: *Cogitationes meæ impellunt me ad respondendum.* Divus Thomas hanc cogitationum varietatem eo refert, quod Sophar in dubio esset, utra sentêtia verior esset, IOBI videlicet, an sua ipsius de præmio justorũ, & supplicio impiorum in hoc sæculo; Idcirco more dubitantis, jam in unã sententiam, jam in alteram propendebat. Sequitur hanc rationem interpretandi Dionysius, Nicolaus, ex parte etiam Hugo, & Titelm. atque ex parte etiã Hieronymus Osorius. Sed tantum abest, ut hæc verba dubitantis sint, ut potius sint hominis in sua sententia obfirmati, & impetu ruentis in adversarium. Mirum (inquit) est, quã multas, quam graves cogitationes hęc tua oratio excitarit in mea mente! obruam te illis, si semel cœpero. Sed unde jam faciã dicẽdi initium? nã *mens in diversa rapitur.*

שוב

* Atropellanse los pensamientos, y vnas razones se impiden a otras.

Cajetan. *Regia.* *Pagn.* *Div. Thom.*

Dionys. *Nicolaus.* *Hugo.* *Titelm.* *Osorius.*

Germana sententiæ Paraphrasis.

Varia etiam hujus partis lectio in Hebræo. 5 Tygurina: *Propterea in me festinatio existit.* Cajetan. *Pro festinatione mea in me*, conjungunt enim hãc particulam cum sequente sententia; Ideo festino respondere, quod doctrinam ex te audierim, &c. Alii aliter. Pagninus. *Quia sensus meus in me est.* Regia: *Propter sensum meum in me.* Ideo (inquit) respõdeo, quod a te læsus, & punctus acriter fuerim. Si utrumq; côjungas, videlicet *festinationem*, & *sensum*, forte ad erubescentiam quãdam pertinebit, nam confundi nos vulgo dicimus, festinare, aut currere, *Respondo de puro corrido, y sentido.* Quare ab eodem verbo, quod hic dicitur *rapi*, & aliis locis *festinare*, dicitur Isai. 28. 16. *Qui crediderit nõ * festinet.* Quod Septuaginta dixerunt, *Non * confundetur*, atque idem verbũ ajunt Hebræi significare, *sensum*, sed sine manifesto aliquo Scripturæ loco: quare si quid proprie significat verbum originale, est, festinatio, alacritas, affert enim quasi strepitum quêdam festinantis, & properantis. unde dictum est Psal. 69. 2. *Domine ad adjuvandũ me festina*; Accurre festinus, & alacer, sentiam ego te, sentiant te mei hostes jam jã properantem. Vidit hoc profecto Interpres; sed ut cogitationum festinationem illã illuminaret, dixit, *mentem* a variis cogitationibus *abripi*: nam dum quæque conatur, & gestit erumpere, & se se prodere, mentem singulæ ad se rapiunt.

Varia lectio.

Tygurin. *Cajet.* *Pagnin.* *Regia.*

Hispanismus.

חוש

* Quien en Dios cõfia, no quedara corrido.

Defensio Interpretis Vulgati.

III. Doctrinam, qua me arguis, audiam, & spiritus intelligentiæ meæ respondebit mihi.

1. *Quatuor sententiæ hujus expositiones rejiciuntur eligitur quinta, & optima.*
2. *Quid doctrina, quid arguere.*
3. *Quæ sit optima disputandi ratio, in rem ipsam potius, quam in verba intendere. Illustratus locus Regum.*
4. *Quis sit* Spiritus intelligentiæ. *Respondere verbum forense.*

I Nicetas.

Nicetas existimat hæc dici a Sophar ex persona IOB per ironiam: *Sic te dicturum existimabam; Vos qui mihi objurgantem disciplinam, & verecundiam affertis, libenti animo complectar, illud item profitebor, hæc ipsa, quæ vos respondetis, atque loquimini spiritu intelligentiæ fundi. Sibi vero ratio inita est plane contraria.* Sed non video unde hæc dictorum, atque personarum mutatio colligi possit.

Cajetan. nõ probatur.

Cajetanus existimat hæc esse quasi præoccupationem quandam errati alicujus, aut lapsus, q. d. Agor, & impellor tã multis cogitationibus, ut si quid festinatius dixerim, nõ sit mihi vertendum vitio, loquar tamen, & patefaciam aditum gravissimis rationibus, quibus gravida mens est, vel si festinationis nimiæ postea debeam pœnas pendere, & reprehensionem severiorẽ accipere. Nexus hic difficilis, & asper.

Gregor.

Divus Gregorius, ad modestiæ cujusdam, & submissionis rationem pertinere existimat, nam ait hæc præmitti a Sophar, *sub quadam reverentia, & sub quodam moderamine.* Sed non video quid habeant hæc verba lenitatis, & modestiæ, cum plena videantur indignatione, & insolentia.

Philippus.

Philippus sic accipit, ut dicat Sophar indignum esse IOB, qui audiatur, dignũ vero, qui severius comprimeretur, & reprehenderetur, nisi tã graviter ægrotaret; nam multa condonamus dolentibus, & ægrotantibus, quæ in recte valentibus minime ferenda judicamus: *Audiã* (inquit) *te increpantem, & redarguentem me, qui forte in doloribus positum objurgare non debeam.* Sed & indignum omnino esse, ut ab amicis audiatur IOB, illa lectio indicat, quę cum interrogatione legit hãc sententiam;

Pagnin. Reg.

Pagninus. Regia; *Correctionem ignominiæ meæ audiam?* Sed omnino reclamant, tum Hebræa, & Hebraizantes, tum Græca, & Latinæ reliquæ interpretationes, atq; interpretes, & demum Vaticana lectio, quæ interrogationem non agnoscunt.

Germanior expositio.

Ergo duabus potissimum de causis ait Sophar ad respondendum impelli: prima, quod indigna audierit a IOBO, immerito carpente suos amicos. Secũda, quod satis superque sapientiæ habeat, ut dicta IOBI assequi, excutere & refellere possit.

2

Doctrinam. Severiorem correptionem, & disciplinam, quæ proprie Domini, Parentis, Doctoris est, qua servum, filium, discipulum continet, castigant, instituũt. Hoc sibi dedecori existimabãt amici IOB, severius ab illo corripi. Propterea addit Sophar; *Qua me arguis*, ut hæc repetitio ejusdẽ fere rei, severitatem reprehensionis significaret, & idem valeret, quod Septuaginta juxta Hebræum legunt: *Eruditionem confusionis meæ.* Cajeta. *erubescentiæ.* Pagninus: *ignominiæ.* verbum *Calam*, ad confusionem, & erubescentiam pertinet; ad opprobrium etiam, atque molestiam; nam his modis omnibus verti solet a Vulgato. *Audiam* (inquit) contumelias, quibus nos configis, ad ruborem usque, atque confusionem; nam contumelias quod ad me attinet, nihil nunc moror, dum veritatẽ asseram, & tuear.

LXX. Cajetan.

כלם

3 Sapientis disputatoris præceptum.

Sapiens hoc interdum consiliũ inter disputandum, non se cõvertere ad dicteria, & scomata, sive dicenda, sive regerẽda, sed rem agere, & veritatem persequi. Exemplum habes 4. Reg. 3. 13. 14. in Ioram Rege Israel, qui de salute sua sollicitus, cum rogaturus de belli eventu adiisset Elisæũ, acerbius ab illo exceptus: *Dixit autem Elisæus ad Regem Israel, Quid mihi, & tibi est? vade ad prophetas patris tui, & matris tuæ.* Nihil ad hæc respondit Ioram, sed in rem suam intentus dixit: *Quare* (inquam) *cõgregavit Dominus Deus tuus Reges hos, ut traderet eos in manus Moab?* exardescente iterum Elisæo, atque dicente; *vivit Dominus exercituum, in cujus conspectu sto, quod si non vultum Iosaphat regis Iudæ erubescerem, non attendissem quidem te, nec respexissem.* expectavit nihilominus Iorã responsum. Quid enim tunc curaret verba graviora, meliora curans?

4 Tygur. non probatur.

Et spiritus intelligẽtiæ meæ respondebit mihi. Quod Tygurina pro *intelligentia*, *conscientiam* reposuit, legens: *Tamersime conscientia hic consolabitur*; mihi nulla ratione placere debet; nam ex proprietate verbi *Bin*, potius est intelligentia quædam solers, acuta, prudens rerum æstimatio. *Spiritus* autẽ *intelligentiæ*, videtur sumi a Philippo pro Deo, qui intelligentiam impertitur mortalibus. *Spiritus* (inquit) *quo sapimus, continemur, & regimur.* Melius pro *Intelligentia* illa sublimiori, & spiritualiori, atque veriori rerum æstimatione, & sensu. vel pro re ipsa, & veritate intellecta, & bene apud Sophar stabilita, & fixa. sic sæpe in Scriptura, *spiritus sapientiæ*, aut *intelligentiæ*, quæ replet hominem. *Respõdebit.* Aliter (inquit) audio ab ipsa veritate, aliter a te, o IOB: illa mihi respõdet benigne, & annuit dicenti; Repugnas tu recta monenti, & respondes asperius; spiritus intelligẽtiæ, & veritas ipsa *respondet*, sententiam fert pro me, non tibi illa favet, sed mihi. Item *respondet*, testificatur, testimoniũ pro me fert: nam *respondere* sæpe forense verbũ est, & ad testes refertur,

בין

Philipp.

Respondere verbũ forẽse.

qui.

qui rogati a judice respondent. Forte etiam *spiritum intelligentiæ respondere*, significabit, Sophar respondisse sapienter, & prudenter. ita ut illud *mihi*, redundet: aut valeat, *pro me*. Ergo hæc erit sententia Sophar: Quidquid dicas, ■ Iob, flocci non facio; quid enim verba lædant, quem sua intelligentia, suaque conscientia reddant securum? Quidve stulta scomata pungāt sapientem? Ego sane secus ac tu, rationibus sapientissimis agam, & satis, superque me tuis contumeliis respondisse arbitrabor, cum te rationib⁹ ipsis, & veritate revinxero: non enim ego, ut iniqui litigatores, cum re, & jure non valent, ad verba, & probra convertar.

IIII. Hoc scio a principio, quo positus est homo super terram.

V. Quod laus impiorum brevis sit, & gaudium hypocritæ ad instar puncti.

1. *Scire. Quid ab æterno, vel a principio. Quid Ponere.*
2. *Supremi judicis providētia ab initio proposita homini, Iudex, Dei nomen. Dissidium inter Cain, & Abel unde.*
3. *Laus, & Laudare quid. Impiorum gloriatio. Illustratus semel, & iterum David.*
4. *Breve de tempore, & loco. Explicatus Salomon.*
5. *Punctum quid. Humana fælicitas, Sphera volubilis. Illustratus David.*
6. *Fælicitatis humanæ cum stipula comparatio.*

1 HAEC est summa sententiæ Sophar, atque omnium amicorum Iob, quā non solum in genere, sed propter Iob peculiariter dictā volebant: nam *singulus verbis* illum pungunt (ut ait Philippus.) Ex calamitate, & mutatione prioris status, atque ex amisione prioris fælicitatis efficax argumentum sumi sceleratæ vitæ, & fictæ, atque simulatæ pietatis.

ידע *Hoc* unum *scio* me scire, hoc sentio, hoc experimēto collegi, & comperi. Hęc notat omnia verbum *sciendi*. Contestatio rei clarissimæ, & certissimæ, omnibus notæ. In Hebręo, & Septuaginta est per secundam personam: *Nonne hæc nosti?* Fixa hec, & constituta Divinæ Providentiæ ratio omnibus nota est. Chrysostomus; *Nihil accidit paradoxum, nulla novitas, nulla mutatio. Ex quo*; Septuaginta; *Ex eo quod olim*, Symmachus, & Hebraizātes, *a sæculo*; Cajetanus, *a semper*. Proprie, *Ghad*, ab æterno; *ex eo* inquam tempore, quo *positus est homo super terram*. Forte hic, *homo Adam*, proprie, & non appellative; primus homo formatus ex rubra argilla, *positus*, arte, & industria fabricatus, dispositus certo loco; non casu, sed ad probationem, ut periculum de eo fieret, de ejus obedientia, & vivendi ratione. Capit hæc omnia verbum *ponendi*, aut disponēdi. *Super terram*; Hæc illi data est ad habitandum; ut indicet Sophar, etiam *super terram* constitutū homini non leve præmium, nec leve supplicium suæ aut pietatis, aut iniquitatis. q.d. Non oportet, o Iob, extremā corporum resurrectionē expectare, ut referant impii in corpore suo, prout gesserint; nam hic etiam punientur.

LXX.

Chryf.

Pagnin. Reg.

עד

שום

2 Duo hic tātum; Alterum, nefas esse dubitare cum Cajetano, an Sophar noverit creationem initio temporis, necne; nam quamvis dixerit a sæculo, vel ab æterno, & illud frequenter pro magna, vel sempiterna duratione usurpetur; at nunc ipsa verba fidem creationis in tēpore hoc loco statuunt. Alterum, ab ipso temporis initio, Divinæ justitiæ, & judicii specimen propositū, & exhibitum fuisse homini, idque asseri a Sophar; quod tunc forte per traditionem frequēti sermone usurparentur ingentia aliqua supplicia, quæ primis sæculis Divina justitia ediderat in impios. Quorum index, & nota esset illud ipsum *Dei* nomen, quo tunc Deum agnoscebant, & invocabant. quod existimo idē esse, quod in primis Gene. capitibus exprimitur, videlicet, *Elohim*, Iudex, quod primum homini, & propositum, & cognitum fuerit, sicut & primū est, quod initio Genesis scribitur; ut judicii consideratio illum contineret in Dei cultu, & veræ pietatis officio. Atq; forte hæc inter impios, piosque homines concertatio esset, & opinionum, Fideique dissensio, non de universali, & novissimo tātum judicio futuro, sed etiā de peculiari illa Divinæ Providētiæ dispositione, quo interdū improbos afficit in hac vita malis gravissimis, bonos cumulat bonis. Quod ipsum dissidii causa videtur, etiā inter primos fratres fuisse, Abele asserēte judiciū, negāte Caino. quā rē de judicio, & de nece Abel, nō inutile duxi scribere, forte enim Sophar ad Caini tēpora, & suppliciū respexit. Sic Paraphrast. Ierosol. illū locum Genes. 4. describit. *Cum egressi essent ambo in agrum, respondit Cain; Non est judicium, nec Iudex, nec sæculum aliud, nec merces bona pro justis, nec pœna pro impiis, nec Dei misericordia creatus est mundus, nec Dei misericordia regitur mundus, eo quod suscepta est oblatio tua cū beneplacito. Respōdit Abel, & dixit*

Cajet. rejicitur.

Iudicii Fides ab initio mūdi.

Quo nomine Deus primum cultus.

Chaldaus.

ad Cain: *Est judicium, est judex, estque sæculum aliud, merces etiam bona pro justis, & pœna pro impiis; Misericordia quoque Dei conditus est mundus, atque misericordia illius gubernatur, utique propter opera bona gubernatur; Quia enim meliora fuerunt opera mea tuis, suscepta est oblatio mea cum beneplacito.* Ergo vides hic impiorum laudem brevẽ asseri etiam ab Abel, ut merito dixerit Sophar jam inde a sæculo veritatẽ hanc magno bonorum omnium consensu receptã.

3 רנן *Quod laus impiorum brevis sit.* Hic est totius disputationis cardo, *laus*, cãtus, exultatio. Septuaginta, *lætitia*, jubilũ, acclamatio lætissima. Qui laudant, lætissimis aliquem acclamationibus extollunt usque ad sydera, & in bono illius exultant, & gaudent. Sic *exultare* pro laudare. Ps. 10. 15. *Exultabit lingua mea justitiam tuã.* Symmachus, & Theodoret. *loquetur.* Hieron. ex Hebræo; *Laudabit.* & e cõtrario, *laudare*, pro *exultare*. Isai. 42. 11. *Laudate habitatores petræ*, id est, exultate, tripudiate. Ierem. 51. 48. *Laudabunt super Babylonẽ cœli, & terra, & omnia, quæ in eis sunt.* id est gaudebunt universi eversione Babylonis. simul autem *laudare, & exultare*, per expositionem Sophon. 3. 14. *Lauda filia Siõ, jubila Israel, lætare, & exulta in omni corde.* similiter igitur, *laus impiorũ*, hæc omnia affert, jubilum, lætitiam, & exultationem. atque illud peculiare, gloriationẽ quandam, quã sibi mire complacent, & sua bona, fælicisque fortunæ sortem jactare solẽt, & quasi jam fæliciter vitæ curriculum cõfecerint, ita canunt triumphum, & se laudãt; instar eorum, quibus res fæliciter ceciderũt. volunt nimirũ non solũ ab aliis laudari; sed etiam ipsi gloriantes, & jactabundi laudãt suæ vitæ institutũ, & rationem, sicut Scriptum est Psal. 10. 3. * *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur.* gloriantur potius desideriis suis. At hic Sophar ait: *Laus impiorum brevis est*, Non gloriabitur diu. prædicit enim fore, ut potius *Laus justorum*, non solum lætitia, & exultatio, sed etiam gloriatio diuturnior sit, & stabilior, sicut Scriptũ est Psal. 34. 9. *In Deo laudabimur tota die.* & iterum Psal. 33. 1. *Exultate justi in Domino.* q. d. Nihil habent impii, de quo gloriari possint, cum de Deo non glorientur: Iustos nimirum tantum decet gloriari; nam fælicem rerum omnium exitum consequuntur dicentes; *Salvum me fac, & salvus ero, quoniam laus mea* * *tu es* (de quo glorior, & de quo laudor.) Hæc sane laus diuturna, stabilis: impiorum instabilis, brevis, stulta etiã, quippe quam infælix exitus damnat.

LXX.

Laus pro gaudio.

Symmach. Hieronym. Theodoret.

Impiorum stulta gloriatio.

* Salense, cõ quanto quieren, y alabanse dello.

Ierem. 17, 14.

* De quiẽ me precio, y por quien me alabo

Sed quod *brevis*, in Latino est, in Heb. est, *de propinquo*. quod Pagninus, Vatab. Cajetanus, Regia ad localem quasi distãtiam referunt. q. d. In proximo est luctus, qui extrema gaudii occupet. Sed nimium dura interpretatio, presertim cum propinquitas hæc de tempore etiam aliquando dicatur, ut Genes. 47. 29. Recte ergo *brevis* vertitur. Quod etiam haberi in Hebręo, testatur Nicetas, & cum Hebræo congruere Symmachi, & Aquilæ interpretationẽ. Sed Vatablus ad præteritum refert. q. d. e propinquo trahitur; *Nõ diu est quod ea fælicitate fruitur.* Lenius ad futurum; Cito finietur, non progredietur lõgius, in proximo est finis; nam ruinæ, & casui vicina est. Septuaginta, *Lætitia impiorum ruina insignis.* Non se laudabit tandem; sicut Scriptum est. Proverb. 29. 6. *Peccantem virum iniquum involvet laqueus, & justus laudabit.* id est, quantũvis impi9 velut stulta avicula libere nunc garriat, & cantillet, quasi laudans se, & glorians in vitæ delitiis, sed incidet brevi in luctum, & laqueum. Cantus nimirum illius brevis fuit; justus autem laudabit, & gaudebit, cujus *tristitia vertetur in gaudium* firmum, & stabile, *quod nemo tollet ab illo.*

4 קרב

Pagnin. Vatab. Regia.

Nicetas. Symmach. Aquila.

LXX.

Ioã. 16. 20. 22.

5 *Et gaudium hypocritæ ad instar puncti.* Idem aliis verbis, sed cum incremento. Hypocritam sæpe appellat impium, qui nihil habeat pietatis solidæ; qui cum vere infęlix sit, externo bonorum circumfluentium habitu ementiatur fælicitatem; qui simulatione pietatis ad honores, & dignitates, vulgique admirationem obrepit. Diximus de hoc nõ semel. *Ad instar puncti*, ad punctum, ad momentum; non solum brevis, & tẽporaria est impii lætitia, sed momẽtanea, momentũ durat, immediate post hoc extinguitur. Vox eadẽ, quę alibi vertitur ab Interprete, *valde velociter*. Ps. 6. 11. *Repẽte.* Ierem. 4. 20. *Subito.* Ierem. 18. 9. subito crescit, & exurgit splẽdor impii, subito etiã extinguitur, & evanescit. Certe etiam si vitã integrã hominis duret humana fęlicitas, momentũ durat, ut illi quondã fęlices lamentabãtur; *Nos nati, cõtinuo desivimus esse.* Sed neq; vitã integrã, quę ipsa instar puncti est, durare impiorũ prosperitatẽ cõtẽdit Sophar. quod quãvis interdũ sic eveniat, nõ tamen est in eo constãs, & perpetua Divinæ Providẽtiæ constitutio. Divus Gregor. *punctũ* accipit, nõ pro momento temporis, sed pro puncto lineę. *In puncto* (inquit) *stylus mox, ut ponitur, levatur, nec mora ulla agitur, ut per exprimendam lineam trahatur. Sic Hypocrita præsentis vitæ gaudia, cum tangit, amittit.*

De appellatione, & proprietate Hypocritæ dictum c. 8. ỹ. 6 & 13. & c. 15. ỹ. 34.

רגע

Momentanea impiorum fælicitas.

Sapie. 5. 13.

Gregor.

Inſtabilitatem quidem, & tantum momẽtaneam lætitiæ voluptatem improbis precatur David Pſal. 82, 14. *Deus meus, pone illos ut rotã, & ſicut ſtipulam ante faciẽ venti.* nunquam conſiſtãt in terrena fælicitate, non diu, non longe, lateque illam contingant, ſed in puncto, non aliter atque rota vel circulus, vel Sphera, aut res alia rotũda, & volubilis, tangit planum in puncto, ſic enim Oportet, ut qui inſtar Spheræ, undique tumẽt, & inſtar pilæ, diſtẽti ſunt ſpiritu vanitatis. facile itaque moveãtur, & devolvantur a puncto illo proſperitatis, quod ſemel attigerunt; Rota illos, o Deus. Et ea quidem ſors, lex potius Divinæ Providentiæ eſt, ut ad calamitates tãdem deducantur. Sic explicãtibus Theodoreto, & Baſilio. Hæc enim eſt *ratio* illa ſublimium, ſummarumque rerum prophanis etiam agnita ſcriptoribus;

Theodoret. Baſilius.

Seneca in Hip. actu 4.

Quanti caſus humana rotant!
Minus, minus in parvis fortuna furit;
Leviuſque ferit leviora Deus.

Vide, quæ inferius dicemus, Verſ. 7. n. 7.

6 Fælicitatis humanæ cum ſtipula comparatio.

Et ſicut ſtipulam ventus vehemens tranſverſam agit, ita non ſines illos diu quieſcere, aut bonis frui. ſed cum fortuna ipſa declivis ſit, non magno impetu opus eſt, ut Sphæra, quæ per ſe ſe volubilis eſt, velociſſime devolvatur, & præcipitetur e ſublimi. Sic impii in ſublimi, & in fælicitate poſiti, facile, ſubito devolvuntur ad infortunia, & calamitates, Septuaginta. *Gaudium iniquorum eſt perditio.* quod non ſolũ Græci ſic accipiunt, ut gaudio, & proſperitati ſuccedat perditio, ſed, ut ea ipſa (ut Nicetas ait) *quæ illis lætitiæ voluptas cordi eſt, exitio futura ſit ingentique ruinæ.* Atque eleganter Chryſoſtomus; *Si eorum lætitia ingens eſt ruina, & gaudium perditio, quid dicemus eſſe ipſum interitum? Dic, amabo te, quid dolorem, quid animi ægritudinem?*

LXX. Nicetas. Chryſoſtom.

VI. Si aſcenderit uſque ad cœlũ ſuperbia ejus: & caput ejus nubes tetigerit, &c.

VII. Quaſi ſterquilinium in fine perdetur: & qui eum viderant, dicent; Vbi eſt.

1. Quid Superbia, quid in cœlum aſcendere. Principes ab elevatione dicti. Explicatus David. Dona, & oblationes cur appellentur elevata.
2. Nubium duplex appellatio, extrema celſitudinis ſymbolum. Cœlum contingere de fœlicibus, tum etiam de ſuperbis.
3. Deſcriptio proceræ arboris ex David, & Iob. Quid Thus recta aſcendere in cœlum.
4. Sterquilinium rei viliſſimæ, & inutilis ſymbolum.
5. Arabum mos ſepeliẽdi Reges in ſterquilinio.
6. Interrogatio ubi eſt, quos affectum habeat.
7. Ruinæ ſublimium multiplex cauſa, viciſſitudo rerum humanarum.
8. Sublimium rerum dejectio ex digno ſupplicio. Illuſtratus Salomon.

VAriis modis atque ſimilitudinibus rẽ propoſitam, de repentino impiorum caſu, explicat, & amplificat, & quam dixit *laudẽ*, ſive, lætitiam, atque *gaudium*, nunc ſuperbiam, atque extollentiã vocat, adeo ſublimem, ut cum cœlo, & nubibus de altitudine contendere videatur. 1

Sed *ſuperbia* nunc proprie eſt, elevatio, ſublimitas, celſitudo. atque eleganter hæc ipſa dicitur *ſuperbia*: nam quod ſublime eſt, & ſe ſe attollit, ſuperbire videtur, vel ex ipſa nominis ætymologia; *ſuper* enim, *it*, & erigitur, qui ſuperbit. Tum etiam cũ ſublimioris honoris alto, & excelſo gradu frequenter conjuncta eſt ſuperbia, & deſpectus infimorũ. Ergo *aſcendere in cœlum ſuperbiam*, aut altitudinẽ, eſt cum ipſo cœlo, quod celſiſſimum eſt, de ſublimitate, & alitudine contendere. & propter ſummum honorem, & fortunas ampliſsimas, nihil infimum habere, ſed ſplendida omnia, cõſpicua, in ſublime evecta. Facit huc, quod *Principes* ab hac radice nomen in Hebræo habent, & dicuntur *Neſiim*, quaſi elevati, aut ſublimes. Suum quoque Regnum, & Regiæ dignitatis pretium, ſic quoque videtur vocaſſe David, elevatum, & ſublime Pſal. 61. 5. *Pretium meum cogitaverunt repellere*. quod proprie ex Hebræo legitur, *a celſitudine*, vel, *elevatione Dei*. q. d. a Regni ſublimi ſede, ad quam me Deus evehere ſtatuit. Ergo in iſta *ſuperbia*, quã dicit Sophar, omnes has cõplectitur elevationis, & ſublimitatis rationes. Septuag. ſpeciem quidem, atque ſenſu valde diverſi, ſed ad genuinam vocis ſignificationem, & elevationem prope reſpicientes dixerunt; *Si aſcenderint in cœlum dona ejus*: dicuntur enim dona elevata, eo quod dona, & oblationes ſublatis in cœlum manibus imponerẽtur. quare elevationem, aut ſublimitatem, quæ legitur in Hebræo, ſumpſerunt pro re elevata, & oblata, nimirũ *dono*. de qua ſententia in ſequenti parte dicendum.

נשא

Superbię notio, & cognatio cum altitudine.

Principum appellatio.

נשיאים

Regia.

LXX.

Dona cur dicãtur elevata.

Et caput ejus nubes tetigerit. Si (inquit) ita aſcenderit, ut ſublimi vertice cõtingat nubes. Forte non tam quod capite cõtingere, quã quod pedibus calcare, appetat: 2

Iſai. 14. 14.

Supremę celsitudinis symbolum.

uti superbissimus ille dicebat; *Ascendam super altitudinem nubium.* Nubes, & Cœlum extremæ celsitudinis quasi meta, & symbolum. Psal. 35. 5. *Domine in cælo misericordia tua, & veritas tua usque ad nubes.*

Nubis appellatio.

Notandum hoc loco, *nubis* nomen proprie significare caliginosam, & obscuram: nam *nubes* etiam a superiori radice elevãdi dicuntur, *Neciim*, quasi elevationes, vel elevatæ, ut dicere potuerit in prima parte: *Si ascenderit in cælum, taquam elevata nubes.* at nunc, est ab alia radice *nubes*, scilicet a *Ghab*, quod est grossum, aut densum. unde dicitur nubes caliginosa, densior, & obscurior. ait ergo; Si caput super nubẽ caliginosam, & turbinosam extulerit, ut superior videatur omnibus periculis, & discriminibus, & mundi hujus inferioris vicissitudinibus, & mutationibus, &c. Est quidẽ etiam apud prophanos Scriptores hæc ratio loquendi, de fælicibus atque superbientibus ipsa fælicitate, ut Atræus ille gaudens, & insolescens vindicta;

נשיאים

עב

Fælicitatis periphrasis.

Sene in Thiest. actu 5.

> *Æqualis astris gradior, & cunctos super,*
> *Altum superbo vertice attingens polum.*

Dicuntur iidem premere etiam, & contingere cœlum palmis, aut plantis; uti Propertius:

Propertius.

> *Nunc mihi summa licet contingere sydera plantis:*

Superborum conatus.

Vbi notandum superbiam humanam esse quãdam adversus cœlum, & supremi Numinis sublimitatem, & celsitudinẽ, impudẽtiam, & ausum, qua videatur adniti homo *similis esse Altissimo, & super astra cœli cõscendere,* atque Deum de sua sede pręcipitare, instar Gigantum illorum, quos super bissimis evectos montibus, & cœli conscẽsum affectãtes fulmine disjecit potẽtia Numinis. Sic Deus dicitur *superbis resistere*, quasi se tueri ab illorum temeritate, & impudentia suã sublimitatẽ volens. Vide inferius Vers. 7. num. 8.

Isai. 14. 14.

1. Petri. 5. 5.

3 Allusio ad arborem proceram.

Sed tamen existimare licet ex ipsa verborum forma iterum resumere Sophar illam proceræ arboris translationem ex c. 5. quam instituerat Eliphaz. atq; ex firma radice, & solo fertili, & uliginoso descripserat. nunc vero amplificare, & promovere eandem trãslationem ex sublimitate, & proceritate ramorum, & verticis. Nam etiam cum David dicit; Psalm. 36. 35. se *vidisse impium superexaltatum, & elevatum*; certe illum comparat cum Cedris Libani, & qua ratione ibi dicit; *Transivi, & ecce nõ erat*, hic dicitur, *qui eum viderant, dicent, Vbi est?* Nec non etiam simili verborum forma describitur superbia Nabuchodonosoris comparata cũ valde procera arbore, Danielis 4. 7. 8. *Videbam* (inquit) *& ecce arbor in medio terræ, & altitudo ejus nimia: magna arbor, & fortis, & proceritas ejus contingens cœlum, folia ejus pulcherrima, & fructus ejus nimius, &c.* Vbi omnia amplissimę fortunæ ornamenta magnificẽtissime describuntur. Sed illud peculiare observandum in hac arboris proceritate, quod quæ prociores arbores sunt, eædem ferũtur esse amiciores Solis; Solẽ propterea quærũt, atque, ut illo fruantur liberius, extollere se se. Sic sane impiis videtur interdũ non solum tellus amica esse, quæ justis esse solet noverca, sed cælũ ipsum affulgere clarius, & favente cælo crescere, & exurgere ad immensam altitudinem. Cum hoc facere potest, quod de donis, & sacrificiis in altum ad Deũ sublatis, legunt Septuaginta; *Si ascenderint in cœlum dona ejus, & sacrificium ejus tetigerit nubes, &c.* Id est, si dona, & sacrificia offerat, quæ videantur a Numine propitio suscipi, & quasi ad se e terris evocare, nihil tamẽ proderunt homini simulatæ pietatis; nã sacrificia, & Thuris oblatio, tunc demum videbatur suscipi a Deo, cum recta *ascendebant*, *& dirigebantur* in cœlum, & cum videbãtur, aut dicebãtur *penetrare nubes*, ut diceretur Deus odorem suavitatis percipere. neq; enim video, quomodo possint aliter sacrificia dici, *cõtingere cœlum.* Ergo impius, & hypocrita, quamvis omnia sibi favere videantur, tamen securitatem sibi minime pollicentur.

Regni amplitudo comparata cum arbore pulcherrima.

Arbores proceræ solẽ quęrunt.

Psal. 140. 2. Cant. 3. 6. Eccles. 35, 21. Gen. 11. & sæpe in Exod. & Num.

4 *Quasi sterquilinium, in fine perdetur.* Erit tandem exitus miserrimus post priorem fælicitatem. vel *in finem*, ut legũt Septuaginta, in perpetuum; pro brevi fælicitate sempiternus interitus. *Perdetur*, peribit, evanescet; *quasi sterquilinium*, proprie, quasi *stercus*, fimus, sordes, immunditiæ, abominatio, nam his etiã modis solet verti ab Interprete vox originalis. id est, quasi res fœtida, turpis, obscæna, quam nemo visu, aut contactu dignatur, quam omnes abominantur, & aversantur; ita ut, qui prius in oculis, & ore omnium versabatur, paulo post ejiciatur foras ex convictu humano, in *sterquilinium*, tanquam stercus vilissimum. Pungit IOBVM sedentem in sterquilinio, e florentissimo in sordidissimam dejectum conditionem. *Stercus*, tũ ignominiæ, tũ extremæ abjectionis Symbolum. Psalm. 82. 11. *Facti sunt, ut stercus terræ*, quod conculcatur, quod abominationi est. Aliquando etiam, quod est inutile, & potius damno, quam usui. Ezech. 7. 19. *Argentum eorum foras projicietur, & aurum eorum in sterquiliniũ erit.* Ergo quod

LXX.

אבד

גלל

Stercus ad ignominiam, & abjectioné.

ab alis

Impius, & sibi, & aliis noxius. ab aliis, tanquam Deus quidam, ad omnes humanos usus, & opportunitates colebatur, jam tandē inutilis, & sibi, & aliis, imo & noxius extitisse agnoscetur.

5 Quid, si forte res hæc *de sterquilinio* ad priscum illius regionis funerum morē respiciat? Dicuntur enim Regum ipsorū cadavera in sterquiliniis sepeliri solita. Gregorii Gyraldi, viri eruditissimi, in suo libro *de vario sepeliendi ritu*, verba adscribā: *Nabathæi* (inquit) *atque Arabes, nec non Sabæi defunctorum corpora stercoribus similia putabant, atque ideo Regum suorum, & Ducum cadavera in sterquiliniis cœno, fimoq; obtegebant, deinde terra condebant*. Paulo secus Strabo, à quo ille mutuatus est, qui sic lib. 16. ad finem, ubi de Nabatheorum moribus: *Mortua corpora æque, atque stercus, (ut Heraclitus inquit) cadavera stercore abjectiora; quapropter Reges etiam in sterquiliniis defodiuntur*. Verissime igitur dici de superbo Rege, & tyranno poterit, *Tanquā sterquilinium in fine perdetur.*

Priscus funerum ritus.

Gregor. Gyral.

Strabo.

6 *Et qui eum viderant*.* Quoniam verbum *videndi* intentionem, & affectum etiam animi peculiarem affert, interpretari possemus, qui intentis oculis illum * suspiciebant, & colebant omni observantia, tantæ celsitudinis admiratores, & prædicatores, nunc ad interitum, & repentinum casum multo magis mirabundi, *dicēt, Vbi est!* per contemptum, aut per admirationem, *vbi*, id est, in quam sordido, & abjecto loco! in quo squallore, & pœdore! ad quam foveam ex tanta celsitudine! vel, *Vbi est?* quærent videlicet locum, aut vestigium pristinæ fœlicitatis, sed neque illum in loco pristino, neque pristinæ dignitatis vestigium inveniēt. Emphasim habēt ea verba, *Vbi est:* quæ per Paraphrasim sic exornat Philippus; *Sterquilinio assimilatus es, & ipse te nunc conspicis putrefactum, & qui te quondam viderant regnantem in gloria, nunc inquiunt insultanti voce, Vbi est ille sapientissimus hominum, & potentissimus Regum!*

* Los que primero se lo estavan mirādo.

Philippus.

7 Observavit hic eleganter Chrysostomus hujus ruinæ duplicem causam. *Repētinum* (inquit) *illi creatur exitium, ut ne putes consequutione quadam naturali, sed multo magis potestate Dei incomprehensa gigni calamitatem*. Eleganter autem primā causam dixit, *consequutionem naturalē*, videlicet vicissitudinem rerum humanarum, quę naturali quadam consequutione alta deprimit, humilia evehit; atque illa sunt casui propiora, quæ altiora. Sexcēta hujus veritatis cantica. Illud non inelegans:

Chrysost.

Duplex ruinę impiorū causa.

Claudian. in Epigram.

In brevibus nunquam se se probat Æolus undis;
Nec capit angust⁹ Boreæ certamina collis:
Alpes ille quatit; Redopeja culmina quassat.
Incubuit nunquam cælestis flamma salictis:
Nec parvi fructices irā meruere Tonantis:
Ingentes quercus, annosas fulminat ornos.

Sic alius scite dixit, *amplissima fortunæ dona, & timida, & tremula esse*, timent nimirum formidandam ruinam, & jam fere in casum nutant.

Appollodor.

Habent perampla dona fortunæ metum,
Periculoque non carent prælustria,
Nec ulla celsa tuta sunt mortalibus,
Quæ evertere vel invidia, vel tempus solet,
Fœlicitatis culmen, ubi quis attigit.

Quem metum, licet nullos metuant hostium dolos, aut arma, indidit natura rebus summis;

Senec. in Agamen.

.... Licet arma vacent,
Cessentque doli, sidunt ipso
Pondere magna, ceditque oneri
Fortuna suo ....
Vela secundis inflata notis
Ventos nimium timuere suos.
Nubibus ipsis inserta caput
Turris pluvio vapulat Austro.
.... Quidquid in altum
Fortuna tulit, ruitura levat.

SED ut commodius in hac summorum ruina philosophemur, illius causa verior ex Divini Numinis Providentia primum petenda; deinde ex hostis humani generis calliditate, & astutia; tandem ex digno ipsius impii, superbięque supplicio. Primum etiam cognitum prophanis. Artabanus modestiā, & consilium suadens Xerxi, *Gaudet* (inquit) *Deus, eminētissima quæque deprimere, quia neminem alium, quam se ipsum sinit, magnifice de se sentire*. & vero cum superbissimorum hominum illa vox sit, *Faciamus nobis civitatem, & turrim, cujus culmen pertingat ad cælum*. Vt elegāter explicuit Agustinus lib. 16. de Civitat. c.4. & Chrysost. Hom. 30. in Genes. ad superbiam universum ædificium hoc referētes; Deus quasi sibi ab altis timeret, sublimes hos quasi Divinitatis affectatores, excusso dejicit fulmine. Secundum in tentatore illo videas, dum ad sublimia fastigia, & pinacula homines evehere conatur, ut inde deturbet: non aliter atque aquila testudinem ungue apprehensam ad æthera evehens, ut quo ex altiori loco demittat in subjectum saxum, facilius frangat, & melius exenteret. Tertium ex illo Salomonis præcepto Proverb. 17.16. *Qui altā facit domum suā, quærit ruinam*. sic omni ex parte impleri veritate videas, *Si ascenderit in cælum superbia ejus, in fine perdetur.*

8

Triplex caput ruinæ impiorum.

Herodot. lib. 7. parum post initium.

Gen. 11.4.

Superborum vox quæ.

Augustin.
Chrys.

Aquilæ astus in conterēda testudine.

Dignum superbiæ supplicium.

VIII. *Velut somnium avolans non invenietur: Transiet, sicut visio nocturna.*

1. *Avis, & volatus celeritatis symbolum: somnium mendacii.*
2. *Transire. Notatus Pagninus. Explicatus David.*
3. *Mors vigilia, vita somnus. & somnium. Explicatus Paulus.*
4. *Divites dormire, & somniare. Insula somniorum.*
5. *Humanæ fælicitatis cum somnio comparatio.*
6. *Qui dormiunt, si expergefiant, indignari. Mycilli somnium. Illustratus Isaias.*
7. *Impios dormiẽtes excitat Deus percussos manu.*
8. *Qui sint thesauri impietatis. Mors vigilia, & experge factio.*

NON plus (inquit) durabit impii fælicitas, quam somnii alicujus volu-
1 ptas, quæ, ut non est vera, nec solida, ita evanescit citissime, nã expergefactus homo nihil illius capit, nihil invenit. Quare tum alii, qui eum viderant, tum impius ipse, illa umbratili, & brevissima fælicitate deluduntur, velut *somnio avolãte*. *Avolare* autem existimat Cajetanus, dictum, *a memoria*; quod somniorum non recordemur. At, quia multorum somniorum imagines solẽt firmiter retineri, melius dicas, *avolare*, quia celeriter fugit, & disparet adumbrata illa, & imaginata potius, quam expressa aliqua, & vera fælicitas. *Avis, aut volatus*, celeritatis symbolum: *somnium*, item rei fallentis, aut evanescẽtis, de quo statim.

Cajetanus.

Volatus symbolum celeritatis.

2 *Transiet.* Idem quod prius dixerat, sed aliter. *Transire* autem est hoc loco longius recedere, & velociter transeundo fugere. & ita hunc velociorem, & lõgiorem recessum afferunt, ab hac ipsa radice, loca illa Ieremiæ. 50. 8. *Recedite de medio Babylonis.* & Hoseæ. 7. 13. *Væ eis, quoniam recesserunt a me.* & clarius Psal. 54. 8. *Ecce elongavi fugiens.* Proprie, elongavi recessum, accelerationem, transitum, vel quid simile. id est, cito, celeriter, procul abibo, & excedam. Quare miror, quod Pagninus, & Regia legerint, *Vagabitur, sicut visio, &c.* nam nec convenit verbo originali, nec visioni. *Visio* autem *nocturna*, idem est, quod somnium, species per quietem repræsentata, aut simulacrum phantasiæ, nõ vera res.

נדד

Pagn. Regia.

3 Notandum vero, ut mors & eleganter, & frequenter comparatur cum somnio, (ut enim ille dixit; *Nihil morti est tam simile, quam somnus*) ita nunc a contrario vitã assimilari somno, fælicitatem vero istius vitæ somnio etiam. At vero mortem ex consequenti asseri, esse vigiliam quandã, & depulsionem somni, & vanorum simulacrorum. Scripsit rem hanc perelegantèr Philo. lib. de Ioseph, cum *Civilem virũ vult esse somniorum Interpretem, id est, qui magnum illud somnium commune, publicumq; vigilantiũ exacte intelligat. Id somnium (inquit) vita est hominum. nam sicut in somniorum visionibus videntes non videmus, audiẽtes non audimus, mente inaniter sine ullis veris objectis pingente sibi simulacra rerum non existentium, tanquam existentium, eodem modo etiam vigilantium imaginationes somniis sunt simillimæ, veniunt, abeunt, occurrunt, refugiunt, priusquam comprehendantur, avolãt.* hæc & alia pulchra ibi Philo. Res hæc nõ uno tantum divino testimonio cõfirmanda. Bonorum temporalium abundantia somnum conciliat, nõ minus quam ebrietas, aut crapula. *Attendite vos* (inquit Christus) *ne graventur corda vestra crapula, & ebrietate, & curis hujus vitæ, & superveniat in vos repente dies illa.* q. d. ne vobis consopitis, & sepultis veterno curarũ hujus sæculi, & vino voluptatũ, atque amore præsentium, illucescat tãdem in morte dies, ad cujus lumen expergefieri vos oporteat. ad quod videtur alludere. 1. Thessalonic. 5. 4. 5. 6. 8. *Vos fratres non estis in tenebris, ut vos dies illa tanquã fur comprehẽdat. Omnes enim vos filii Lucis estis, & filii Dei: non sumus noctis, neque tenebrarum. Igitur non dormiamus, sicut & cæteri, sed vigilemus, & sobrii simus: qui enim dormiũt, & qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt.* Cum autem con-
junxit ebrietatẽ, & curas hujus vitę, duo 4
nobis indicavit; primum, non solum dormire peccatores, & divites hujus sæculi, sed etiam fallacibus, vanisque somniis agitari: nam Scriptum est; *Multas curas sequuntur somnia.* Alterum, hæc omnia, quę in vita habemus, esse valde confusa, & perturbata, qualia sunt somnia ebriosorum, propter multitudinem æstuantium vaporum crassissimorum occupãtium cerebrum, atque irrequieto motu agitatorum. Sane non omnino inutiliter Lucianus ille confinxit Lib. 2. Verarum Historiarum, *Somniorum insulam, & civitatem, cujus incolæ Reges, Dii, Somnia etiam varia: Templum ibi Noctis, Somni Impõsturæ.* Imago profecto belle ficta rei verissimæ, quippe hæc videtur ipsa, esse impiorũ civitas, videlicet *Civitas Somniorum*, de qua Scriptum sit; *Velut somnium surgentium, Domine, in civitate tua* (propr. in Hebr. *in civitate eorum*, id est, *sua*. quoniã licet illa civitas somniantium sit, sedtamen etiã De nunquam dormientis semper vigilãtis dicitur esse civitas eo, quod cum sit ipse hu-

Cic. de Senect.

Mors vigilia quædam, vita somnus.

Luc. 21. 34.

Curæ hujus vitæ similes ebrietati, & somno.

Eccles. 5. 2.

Somnia ebriorum.

Lucianus.

Mundus hic civitas somniorum.

jus mundi Domin⁹, permittat in hoc mundo tantiſper ſomniare impios) *imaginem* (vana ſimulacra) *ipſorũ ad nihilum rediges.*

5 Sed in hoc impiorum ſomnio, quibus ſomniorum ſpectris, & vanis imaginibus ludificatur illorum mens! omnia miſcent inter ſomniandum, ſacra prophanis, falſis vera, & prudentiſsimi, ac ſapientiſsimi quique mire ſtulteſcunt; multo majora, & vehementiora apparent, quæ ſomniant, quam re ipſa aut ſint, aut eſſe poſſint. Sicut enim nullum eſt ſomnium, in quo non alicujus erroris, atque ligati, & impediti rationis uſus manifeſtum ſignũ deprehendi poſsit, ut eleganter Philoſophi docent; ita horum hominum vita, & ſomnia turbulentorum errorum, & falſarum opinionum plena ſunt. Ac ſicut jam jã appetente exitu imaginationis, & imagine prope ad ſuum jam finem perducta, ſolet abrumpi ſomnus, & avolare ſomnium; ita frequenter contingit, ut impii cum ad ſuas voluptates, & deſideria multas curas addiderunt, & multa bona temporalia compararunt, antequam fine ſuorum deſideriorum potiri queant, repente omnia amittant; *Spes enim impiorum peribit.* Videas hoc, præſertim ſi nimium tenaces ſint bonorum, & divitiarum; nullũ illos ex fælicitate majus emolumentum capere, quã ſomniantes. *Quid prodeſt* (inquit Salomon) *poſſeſſori, niſi quod cernit divitias oculis ſuis?* an non dices, illum ſomniaſſe, qui noctu, & in lecto, his mendacibus ſomniis confictis ex ſuo cerebro, ſe recreabat, & *cogitabat intra ſe dicens; Quid faciam, quia nõ habeo, quo congregem fructus meos?* & ſicut in ſomniis, omnia quidẽ majora, ſi triſtia terribiliora, ſi læta jucundiora videntur, quam re ipſa ſint, ita dicebat *animæ ſuæ; Anima habes multa bona poſita in annos plurimos,* & breviſsimam vitam, longiſsimam exiſtimabat. Si vanitates hujus vitæ non credis mera eſſe ſomnia, at Salomoni credes ſapientiſsimo dicenti: *Vbi multa ſunt ſomnia, plurimæ ſunt vanitates.* Has nimirum cõparat cum ſomnis, unde efficitur a contrario ſenſu, ubi multæ ſunt vanitates, plurima eſſe ſomnia. Hæc illa ipſa vaniſsima ſtemmata, & nominis monumenta, mere umbratilia, & imaginaria, quæ *velut ſomnium ſurgentium*
6 *ad nihilum rediguntur a Deo.* Ex horum numero, qui vaniſsimis ſomnis ſepulti jacẽt, & ſtertunt, ſunt injurioſi, & contumelioſi in Divini Verbi præcones, qui ceu vocales galli, dormientes, & ſomniantes excitare conantur voce canora; at iſti indignantur adverſus eos, qui dormientibus ſtrepũt. ſimiles profecto Mycillo illi vero pauperi, & non niſi per ſomnium diviti, indignãti adverſus ſapientiſsimum gallum, his apud Lucianum verbis: *At te, ſceleſtiſsime galle, cum iſta tanta invidentia, voceque tan acuta, ipſe perdat Iupiter, qui quidẽ opibus affluentem me, ac dulciſsimo in ſomnio verſantem, & admirabili fælicitate fruentem, penetrabile quiddam, & clamoroſum reſonans, expergefeceris. cui facete gallus; Video, ne per ſomnium dives, eſuriat experrectus.* Sed narrat deinde ſomnium perſimile impiorum phantaſiis; nam & ſomniabat ſe Mycillus divitem, ſaturum, beatum. Vide Gregorium eleganter de hoc impiorum ſomnio, & hypocritarum vita differentẽ. *Quos* (inquit) *evigilaſſe pœnitet, quia vigilantes vera inopia tenet, & cum carnis oculos claudunt, mentis aperiunt, &c.*

Sed duplici potiſsimum via expergefieri contingit hos impios voluptatum crapulam dormientes, & tunc tãdem ea omnia *ſomnium eſſe avolans* comperiunt, quibus toto animo intẽti erant. Primum Divina Providentia ſic decernẽte, bonis omnibus partis ſpoliantur, ad extremam inopiã, & miſerias devoluti, Divinę manus contactu quaſi percuſſi, & exſuſcitati, ut de illis dici poſsit id Iſai. 29. 8. ***Erit, ſicut ſomnium viſionis nocturnæ, multitudo omniũ, qui dimicaverunt contra Ariel, & ſicut ſomniat eſuriens, & comedit, cum autem fuerit expergefactus, laſſus adhuc ſitit.*** Tũc ſane quãvis ſe multorum prius bonorum ſatietate oppleverint, ſed poſtea ſomniaſſe ſe credent, eo quod citiſsime advolaverint omnia, ac nihil plus ſatietatis ipſi retinuerint, quam ſi re ipſa nihil habuiſſent. Hi ſunt profecto, qui ad res viſibiles attendẽtes, notãtur ab Eccleſi. c. 34. 2. *Quaſi qui apprehendit umbram, & ſequitur ventum, ſic qui attendit ad viſa mendacii.*

8 Sic ſane ſæpe in Scripturis dicũtur impiorum bona, quaſi bonorum repræſentationes, & imagines, quæ omnia inutiles ſunt, inſtar ſomniorum, & theſaurorum Lemurum, ad imaginem, & ſpeciem lucẽtium, cum re ipſa carbones ſint viliſsimi. Nimirum; *Nihil proderunt Theſauri impietatis.* Vbi enim maxime opus eſt, minus opportuni ſunt, ac ne ſunt quidem.

Mitto alias temporalium bonorum cũ ſomniis ſimilitudinis rationes, inter quas una eſt, quod impii non pauci, artibus neſcio, quibus ex tenui forma repẽte in opulentos evadunt, ut ſomnium ipſimet non veras divitias immiſſas ſibi credãt, de quibus in Timone Mercurius ad Plutonem, non minus ſcite, quam ſapienter ait: *Ego tibi*

Somnia impiorũ fallacia & perturbata.

Prov. 10. 28.

Eccleſ. 5. 10.

Luc. 12. 17. 18. 19.

Eccl. 5. 6.

Pſal. 72. 15.

Lucianus

Galli apologus.

Gregor.

Impios dormientes excitat Deus.

Vitæ fælicitas, theſaurus Lemurum.

Prov. 10. 2.

Impii repẽte opulẽtiſsimi.

Lucianus

tibi permultos cōmemorare queam, quibus heri ne obolus quidem erat, quo restim emerēt, qui ne ipsi quidem, opinor, credere possunt, quin per somnium divites sint.

Impii expergefactii morte. Sed altera hujusmodi impios expergefaciendi ratio, mors. cum a corpore, quasi a crassis vaporibus somnium, & soporē afferentibus, resolvitur animus, evigilant impii, & vident se nihil præter insomnia habuisse, dum viverent. De hoc illud Psal. 75. 6. *Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* & Iob. 27. 19. Vbi mors cum duabus rebus oppositis comparatur, videlicet cū somno, & cum vigilia. *Dives cum dormierit, nihil secum auferet; aperiet oculos suos, & nihil inveniet.* De quo suo loco. De hac interim allegoria vide Ambros. Psal. 72.

IX. *Oculus, qui eum viderat, non videbit; neque ultra intuebitur eū locus ejus.*

1. *Impiorum fælicitas somnium. Somniantes vero tum ipsi impii, tum illorum admiratores.*
2. *Enallage. Locus pro incolis. Intueri attentionē affert.*
3. *Impiorum ruina multos expergefacit.*

1 Duplex nectēdi, & exponēdi ratio. Forte hæc est præcedentis similitudinis apodosis; nā potest dupliciter illa somnii similitudo tractari. Primo, ut impius dives, & fælix comparetur cum dormiente, & somniante, & illius fælicitas tēporalis sit somnium ipsum. Quam exponendi rationem hactenus docuimus, cum qua nectatur sententia præsens, ut adhuc sit de somnio; *Oculus, qui* somniū *viderat, non videbit* iterum, &c. Sic accepit Cajetanus. (Cajetan.) & quidem relativum *eum*, indifferēs est in Hebręo, ut vel ad somnium, vel ad impium referatur. Favetque Lectio Septuaginta (LXX.), quæ relativum sustulit; *Oculus videbit, & non adjiciet.*

Secunda exponēdi ratio. Secundo, ut ipse dives impius, illiusq; fælicitas comparetur cum somnio, at cæteri omnes, qui divitem suspiciebant, & affectabantur, dicantur somniantes, ut a quorum conspectu repente se subtraxerit impius, non secus atque somnium a somniante. Quam secundam interpretationē nunc indicant ipsa hujus sententiæ verba, videlicet fore, ut evanescente impio, plane omnes agnoscant illius fælicitatem, nō veram, sed fucatam, & per somnium extitisse. Propterea ait; *Oculus, qui eum impium viderat:* nam ad impium referri Greci intelligunt, & fere Interpretes omnes, unico excepto Cajetano, & sequētia manifeste id probant, ubi de filiis impii, non somnii agitur. Ergo qui impium cernebant, non cernent amplius, nam avolavit. Recte dissolutus est Hebraismus, quē retinuerunt Septuaginta (LXX.); *Non adjiciet*, id est, non poterit videre iterum: nam ille ementitus splendor, & gloria rerum mundanarum in transcursu tantum, & raptim (Hebraism. dissolutus.) pascere potest oculos; neque enim possumus aliter, quam per transenam prætereuntes strictim aspicere florentem impiū. In quo latet amplificatio quædam brevitatis fælicitatis impii, nā non in aliis, qui impium vident, sed in ipsa impii fælicitate, causa est, quod illam videre per otiū non possimus: illa quippe brevior, & inconstantior est, quam reliquorum hominum vita, aut conditio; nam qui semel illam viderit, videre iterum ipse non poterit. Vt sic verissime dictum sit ab Ecclesiaste; *Non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur.* (Ecclesi. 1. 8.) quod nullus sensus per otium possit pasci, & saturari humana fælicitate.

2 *Neque ultra intuebitur eum locus suus.* Posset per Enallagem accipi; Ipse non intuebitur locum suum. Sed quia de aliorū oculis sermo est, potius videtur accipiendum sine ulla figura dictum, *Locus suus.* (Enallage.) Vatablus ex Hebręorum expositione; *Congregatio illa, in qua habitabat.* Tygur. *Homines sui Loci*, id est, sui oppidi, populares illius. quod nos dicimus eodem sensu, *Los de su Lugar.* Vel ut ipsi *Loco*, & sedi pristinæ det personam. q. d. apud neminem manebit impii fælicis memoria ulla, non apud homines, non apud illius domum, non apud illius domesticos. Vidēda sunt, quę late disseruimus super c. 7. v. 10. super id: *Non revertetur ultra in domum suā, nec cognoscet eum amplius locus ejus.* Hic tātum discrimen, quod verbum *intuēdi*, Sur, attentionem afferat, & observationē rei, quæ spectatur. (שור) Septuaginta dixerunt (LXX.); *Nō animadvertet eum locus ejus.* vertitur alias idem verbum, *Considerare*, aut de loco edito prospicere, & ita crescet sententia; Nemo poterit illum videre, etiam si diligenter observet, & circumspiciat, etiamsi ex loco edito contemplari velit.

3 Vbi observādum indicari a Sophar, nō solum deludi impium divitē sua falsa fælicitate, sed etiam reliquos omnes, qui illum fixis oculis contemplabantur; nimirum qui aut zelo, aut ęmulatione, aut invidētia, aut lucri, aut utilitatis spe, aut alia ratione illum admirabantur. Quippe omnes, instar somniantium, unica impii

ruina,

ruina, quasi ingenti sonitu attoniti expergefiunt. Hos omnes excitat, & præmonet Divina vox, ne falsitati intendant, Psal. 61. 11. *Divitiæ, si affluant, nolite cor apponere.* Vbi eleganter observat Augustin: ex verbo *affluendi*, indicari rationem, cur nō sit apponendum cor, neque intendendum *divitiis*, nā fluunt, atque labuntur. quid enim est *affluere*, quā nimium fluere? quamvis omnis fælicitas, atque voluptas cum suavitate affluat, & illabatur, nonne fluit, nōne delabitur? Quamvis omnium rerum affluentibus copiis ditemur, at diutius uno, & eodem statu esse non possunt: & qui semel tantam rerum omnium affluentiā vidit, non videbit iterum. Sed peculiariter zelantes instituit eo loco David; *Ne zelaverint facientes iniquitatem, quoniam tāquam fœnum velociter arescent.* Invidentes quoque Sapiens alloquitur Ecclesi. 5. 1. *Noli attēdere ad possessiones iniquas.* Denique Salomon eos omnes, qui cum admiratione quadam, & voluptate fælicitatem impii videbant, instruit verissima illius opinione, & contemptu, cum semel, sæpeque repetit, *Vidi, & ecce universa vanitas.* Qui vero ambiebant hujusmodi falsorum, atque fallentium divitum gratiam jam post somnium mendax expergefacti, videntur dicere. Isai. 28. 15. *Posuimus mendacium spem nostram.* atque etiam in domesticos, & familiares, qui participaverant opes impii, illud convenit Ag. 1. 6. *Qui mercedem congregavit, misit eam in saccu[l]um pertusum.*

X. *Filii ejus atterentur egestate, & manus illius reddent ei dolorem suum.*

1. *Varia lectio & expositio. Atterere quid proprie.*
2. *Vera lectio & germana intelligētia. Ingens supplicium ab ignobilioribus vinci.*
3. *Quid proprie Egestas. Ingēs supplicium mors negata miseris. Illustratus Ieremias.*
4. *Parens impius torquetur in filiis. Explicatus locus. 4. Reg.*
5. *Manus pro actione. Dolor active, & passive. Se ipsum lædit, qui lædit proximum.*
6. *Manus pro iniquitate, & violentia. impii ipsi suum ignem accendunt. Illustrati Isaias, & Malachias.*
7. *Septuaginta lectio.*

1 PErgit nunc enumerare incommoda, & supplicia quibus impius obruitur, cum semel cœpit illius fælicitas declinare; imprimisque ponit filiorum miseram conditionem, in quibus parens ipse crucietur, & puniatur. Sed Hebraizantes verbum illud *atterendi*, deducentes a radice *Ratsats*, quæ *placere*, aut *placare* significat, longe aliter vertunt. Cajetan. & Tygurina, post R. Moseh, & R. Abraham, *Filii ejus placabunt pauperes.* Pagninus, & Vatablus, *Cogētur placare pauperes.* Sed nō video, quomodo hic sensus convenire possit cum re præsenti: nam hic describitur extrema impii, & universæ familiæ egestas, atque amissio bonorum omnium. Nō magis placet Vatablus, nescio quam iracundiam in hoc loco excitans; *Vsque adeo* (inquit) *miseri erunt, ut cogantur placare iratos, tenuis fortunæ homines.* Placeret potius Complutenses, qui ita etiam legunt. *Filii ejus complacebunt pauperibus. Id est, tam pauperes erūt, quod etiam opus sit eis, alios pauperes placare, sive eis complacere.* Nescio quid etiam Regia obscurum legit. *Filii ejus placabunt medicos.* Erunt videlicet pauperiores pauperrimis, & miserrimis miseriores.

ירצו Cajet. Tygur. Pagnin. Vatab. Complutens. Regia.

2 Sed profecto Vulgatus cum Septuaginta legit *Ratsah*, quod est conterere, confringere, opprimere: & quod est in Originali *pauperes*, aut *egenos*, ipse suo jure vertit in abstractum, paupertatem, aut egestatem; atque nos etiā jure nostro possumus, e converso, abstractum per cōcretum exponere; Atterentur, & opprimentur egestate; egeni quippe, atque miseri, potentes erunt, illos opprimere, vilissimi, & abjectissimi in illos sævient, & dominabuntur. Huc facit lectio Septuaginta, *Filios ejus disperdant minores.* Nicetas: *Filiis ejus necem, perniciemque afferant inferiores.* Vbi Chrysostomus observat, *Exploratum esse, hanc plagam esse illatam divinitus cum deteriores melioribus dominantur, & robusti ab eis, quorum est abjecta conditio, superantur.* Id quod parentibus viventibus, & videntibus ingētis supplicii est, filios miserrimos videre ab omnibus conculcari: nam tunc parentibus nihil spei relinquitur, cum neque sibi, neque filiis quicquam boni ex ruina, & calamitate relictum est.

Vulgati defensio, & illustratio. רצה LXX. Nicetas. Chrysost. Divinum supplicium a minoribus superari.

3 Et quidem amplificatio videtur hujus calamitatis, & supplicii, cum non dicit solum, filios impiorum occidendos, aut perdendos omnino, sed *egestate, & mendicitate atterendos*, & opprimendos. Nā vox originalis non solum significat *egestatem* sed etiam quidquid ex illa consequi, & effici solet, videlicet maciē, & attenuationē roboris, & totius corporis imminutionē, & decremētum, cum quis bonis omnibus, & facultatibus exhaustis ad tenuissimam, & miserrimā fortunā devenit, & ad corporis habitum tabidum, & macilentum, sicut per hanc ipsam vocem dixit Ionadab

דלל Fames & macies ingēs supplicium.

*Que es esto, que es vays consumiendo y secando a mas andar?

ad Amnon. 2 Reg. 13. 4. * *Quare sic attenuaris macie fili Regis, per singulos dies?* Quantus igitur parētum cruciatus, videre filios macie, & tabe torridos, atque animo, & corpore imbecillos & nutantes! Hæc est enim illa ipsa Ieremiæ lamentatio Thren. 4. 9. *Melius fuit occisis gladio, quam interfectis fame, quoniam isti extabuerunt consumpti a sterilitate terræ: manus mulierum misericordium coxerunt filios suos.* Quod videlicet quoddā misericordiæ genus videretur, filiis laborātibus, vbi nō adesset panis, occurrere cum gladio. Sic Iudith. 7. 17. dixerunt obsessi ab Holoferne: *Iam tradatis civitatem in manum militiæ Holofernis, vt sit finis noster brevis in ore gladii, qui longior efficitur in ariditate sitis.*

4 Parentes in filiis cruciati. Thren. 4. 4. Iustinus.

Hæc igitur omnia ad parentem impium referūtur, ut in filiis suis torqueatur: quid enim peccauerant illi, de quibus dictū est, *Adhæsit lingua lactentis ad palatum ejus in siti, parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis*: Huc refert Iustinus Martyr. quæst. 80. cum Elisæus 4. Reg. 2. injuriam sibi illatam vindicavit in pueris. *Qui* (ut Iustinus ait) *injuriam in ea ætate ultus sit, quæ propter ruditatem officii rationem non teneat.* Respondet itaque Iustinus. *Quod voces ipsas pueri a parētibus suis edocti erāt: quare puerorum clade parentes flagellavit. Illud enim, Ascende calve, proscindendi per detractionem Eliæ assumptionis gratia proferebant, perinde acsi dicerent, Abripiat te quoque spiritus & in juga montium invia, & inaccessa abjiciat, quemadmodum illum abjecit, vt itidem a te liberemur.*

Quorsum pueri ab Elisæo maledicti.

Chrysostom.

Huc profecto refert Chrysostomus homi. 29. in Genes. c. 9. quod Noe scelus Chā justa vindicta prosequuturus, maledicit non ipsi Cham, sed puero Chanaā: *Neque hoc* (inquit) *absque ratione factum est, quia pater non minorem pœnam, & cruciatum habuit, quam filius: Gravius enim est videre filios supplicio affici, quam si ipsi parētes iis fiāt obnoxii.* Illud quoque graviter, & sapienter dictum est a Valerio lib. 1. c. 2. scribente de Dionysio Siculo, *Tametsi debita tot sacrilegiis supplicia non exolvit, dedecore tamen filii mortuus pœnas rependit, quas vivus effugerat.* Sed de filiorum propter parentum scelera suppliciis diximus non semel, dicemusque frequenter.

Quorsum nō Cham, sed Chanaam maledictus a Noe.

Valer Maxi.

5 *Et manus illius reddent ei dolorem suum.* Quamvis in litteram primo aspectu videretur quadrare, non video tamen, quomodo in sensum convenire possit, quod alii referunt ad restitutionem alienorum bonorum: nam Cajetanus legit: *Manus ejus restituent male partum*. Pagninus: *Manus illius reddet, quod rapuit.* Tygurina: *Manus illius restituent opes per vim ademptas.* Similiter, & Vatablus: *Quod vi, & violentia eripuit pauperibus.* Clarius, *Reddent opes suas.* Hæc (inquam) interpretatio non convenit, nam demus, Deo sic volente, & providente, aliena bona reverti ad suos cominos, tamen illud non videtur effici manibus ipsius impii; perrare autem manibus filiorum; præsertim cum hi etiam describantur redacti ad extremam egestatem.

Cajetanus. Pagn. Tygur. Vatab. Clarius. Hebraizantes rejecti.

Ergo sensus est manifestus, quē expressit interpres: *Manus illius*, quibus aliena bona rapuit: nam (vt dicit Nicetas) *Manus actiones sunt*, sunt enim instrumentum agendi: id est ipsa illius scelera, & iniquitates, *reddent*, proprie convertent, reverti facient in ipsum *dolorem suum*. Active, *dolorem*, quem aliis intulit, violentiam, qua alios dolere fecit, robur, fortitudinē, qua alios oppressit: nam hæc omnia complectitur vox originalis *doloris*, quæ tum significat iniquitatem, & pravam actionem, & sic vertitur *fortitudo, iniquitas, dolor*, active; tum etiam significat pœnam peccati, & sic aliquando vertitur, *Luctus, sollicitudo, & dolor* passive.

Germana interpretatio. Nicetas. Manus pro actione. שוב און

6 Atq; est in illa voce *manus*, nescio quid violentiæ, & iniquitatis, sicut scriptum est, *Iniquitatem manus vestræ concinnant*, id est, scelus conceptum mente, scelerate etiam exequimini manibus vestris, & sanguinario cordi respondet non minus crueta manus. Vides, ut unusquisque lædatur a se ipso, imo & se ipsum lædat, cum proximū lædit? nā sicut homo jubetur diligere proximum, sicut se ipsum, ut quasi spe proprii lucri, & utilitatis allectus de proximo benemereri studeat, existimans sibi ipsi bene fecisse, ita & deterretur a lædendo proximo, tanquam a lædendo se ipso: nam malū, quod alteri infert, quasi reciprocatione quadam in ipsum revertitur, *& manus ejus reddent ei dolorem suum*: ut qui pila ludunt, quo fortius mittunt in parietem, eo citius, & rectius retorquetur in ipsos. nisi dicas injuriam proximo illatam, esse quasi lapidem in cœlum ipsum, & in numen projectum, qui in caput projicientis recidat. Sicut scriptum est. Psal. 7. 17. *Convertetur dolor ejus in caput ejus, & in verticem ipsius iniquitas ejus descendet.* Nam ille e cœlo doloris descensus, symbolum est Dei judicis retorquentis pœnam, & supplicium, vt bene observavit eo loco Hesychius ut illud verissimum sit, *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.*

Psal. 57. 3. Qui proximū lædit, seipsum lædit. Injuria illata proximo instar lapidis projecti in cœlū. Hesychius. Matth. 25. 40.

Sed observādum, quidquid homo agat, aut cogitet adversus proximum, fore vt in ipsum convertatur: nam quod nunc de manibus asserit Sophar, de ipsis pedibus asseri-

tur a David Pſal. 48.6. *Iniquitas calcanei mei circumdabit me*. Si enim adverſus proximum tuum, vel unum greſſum feceris, *circumdabit te illa iniquitas*, & te premet, & obſidebit arctiſsime: imo etiam ſi immotus corpore, at mente cogites, & moliaris malum, pendes pœnas, ſicut Scriptum eſt; *Confundantur cogitãtes mihi malum*. Ergo *manus* hoc loco, quamcumque mentis, aut corporis actionem, & conatum intellige, & retributionem cujuſcumque operis. Iſai. 3. 11.

Pſal. 34.5. Manus, quæcumque hominis actio.

7 LXX.

Sed vehemens eſt, atque ardẽs hoc loco lectio Septuaginta; nam legunt: *Ipſæ manus ejus ſuccẽdant dolores*. Auguſtin. *Manus ejus ſuccendantur doloribus*. Quod ſtatim ipſe exponit; *Operibus ejus crucientur*. Ambroſius, *Manus ejus urant dolores*. ut tum veritatem, & fidẽ de igne æterni ſupplicii, & illius efficacitatem, tum etiã vehemens doloris ſupplicium impiorum, in hac etiam vita deſignet, quod per ignem ſignificari ſolet. Quippe impii videntur ſuum rogum ſibi ſtruere, ſuamque flammam accendere, qua cruciandi ſunt: atq; illorum facinora materia videtur eſſe, quibus accendetur, in quem conjiciẽdi ſunt, ignis ſempiternus. ut ad hunc locum Sophar, videatur profecto reſpexiſſe *Iſaias*. c. 50. 11. *Ecce vos omnes accendentes ignem* (proprie, *acceniores*; eſt enim quaſi nomẽ perpetui cujuſdam officii, quod in impios quadrat, qui ſuis ſceleribus ignem ſibi ipſis excitant, quo flammis ſempiternis exurantur) *Accincti flammis* (proprie in Hebræo, *accincti laqueis*, ſupple, flammarum: quaſi dicat, vos ipſis veſtris manibus efficitis vobis ignea vincula, & veſtros pedes in illa infertis.) * *Ambulate in lumine ignis veſtri, & in flammis, quas ſuccendiſtis*. (id eſt, *Ite in ignem æternum*, qui veſter dicitur, quod *paratus vobis ſit*, propter veſtra ſcelera. Illud enim *Ambulate*, * judicis mittentis in ſuppliciũ eſt) *de manu mea factum eſt hoc vobis*. (Quid hoc? nam dixerat illos *ſuis manibus* ſibi ſucẽdiſſe ignem? Quomodo nunc dicit ſua ipſius manu hoc factum eſſe? Sane. ſed illa eſt Dei Iudicis manus, & juſta Providentia, ut conjiciantur impii in ignẽ ſuis illorum manibꝰ ſuccenſum.) Hinc ſane intelligi poteſt juſtos ad diem Domini conſtantes, & lætos futuros, ut quos *flãma ignis, neq; lædet*, neq; tãget. Licet enim dies illa (ut Malachias ait) *Veniet ſuccenſa, quaſi caminus*; at in illos tantum iſte ignis ſæviet, qui inſtar Babyloniorum illorum *ſuccendentium fornacem*; ſtupa, & pice, ac pravis operibus nõ ceſſant nequitiæ inſtare; ſibi enim profecto ſuccendebant; nam *erupit flamma, & incendit, quos reperit juxta fornacem*: erant nimirum *ſtipula*, ſicut idem Malachias ſubjungit. *Erunt omnes ſuperbi, & omnes faciẽtes impietatem ſtipula, & inflãmabit eos dies veniens, quæ non derelinquet eis radicem, & germen*. At juſtos non *tanget ignis*, neque *contriſtabit, neque quidquã moleſtiæ inferet*.

Auguſt.

Ambroſ.

Ignis ſymbolum ingentis ſupplicii.

Impii ſuum ipſi rogum ſibi cõponunt, & accendunt.

Matt. 25. 41.

* Andad a la carcel de la lũbre, y del fuego de las llamas, q̃ aveys atizado.

Ignis judicii non lædet juſtos

Malach. 4. 1.

Daniel. 3. 48.

☞ *XI. Oſſa ejus implebuntur vitiis adoleſcentiæ ejus, & cum eo in pulvere dormient.*

1. *Oſſa pro toto homine, aut potioribus corporis, & animi partibus. Compleri ad mercedem refert, illuſtratus David.*
2. *Impius impœnitens. Oſſa, mores, & conſuetudines, ipſave ſenectus.*
3. *Adoleſcentia quid proprie. Quid occultum, & abſconditum. Adoleſcentia tenebras amat. Illuſtratus David.*
4. *Impiorum medulla. Quæ vitia inveterata.*
5. *Peccata cubare, & excubare cum impio. non ſolum dormire, ſed vigilare. Impiorum milites cuſtodes ſunt eadem cum illis catena alligati. Explicatus Moyſes.*
6. *Dormire ad mortem. Peccata, quæ nunquam dimittuntur in vita.*
7. *Adoleſcentia in libidinem, & voluptatem prona. Illuſtratus Salomon.*
8. *Impii juveniliter laſciviunt, & fervent. Explicata Sapientia.*

NON conſtat, an hoc pertineat ad pœnam impii; an ad culpam. Si de pœna (quod mihi non diſplicet) melius cohærebit cum præcedẽti ſententia, eritq; ſenſus; Præteritæ vitæ ſcelera impio ingenti ſupplicio rependentur. *Oſſa*, totus impius, univerſum illius corpus, quod priꝰ voluptati indulſerat, nunc incredibili ſupplicio afficietur, Pſ. 140. 7. *Diſſipata ſũt oſſa noſtra ſecꝰ infernũ*. id eſt, nos ipſi adducti ſumꝰ in maxima diſcrimina, & Pſa. 34. 10. *Omnia oſſa mea dicẽt, &c.* id eſt, totus ego, & omnes mei corporis, atq; animæ particulæ; potiſsimæ videlicet partes, & ſolidiſsimæ pro toto corpore. ſic igitur impiꝰ toto corpore, & omnibꝰ corporis, atq; animæ particulis dolorem ſentiet, qui & oſſa, & intimas oſsibus medullas vorabit. Si vero *oſſa* pro firmioribus corporis partibus, aut (ut Olympiodorus ait) *pro firmioribus animi partibꝰ* accipias, ſenſus erit; Nihil eſt in impio tan firmum, & bene munitum, quod ſupplicium, & divina vindicta non frangat. Alii, pro *intimis partibus*; id eſt, Penetrabit ſupplicium, & pervagabitur uſq; ad ipſas medullas oſsium. Hoc ſenſu Pſal. 108. 17. *Induit maledictionẽ, ſicut*

1 Duplex expoſitio rationis.

Oſſa pro toto homine,

Oſſa firmiores corporis partes.

Olympiod.

vestis

veſtimentum, & intravit ſicut aqua in interiora ejus: id eſt, intus, & foris dolebit, & cruciabitur. Cum oſſa, uel infirmitatis, vel detrimenti alicujus partem capiunt, ſignificatur ingens ſupplicium, & vis morbi vehemens. Pſalm. 101. 4. *Oſſa mea, ſicut cremium, aruerunt.* Sic *impleri* oſſa, ad præmium, vel ad ſupplicium pertinebit; nam quod in fine operum, vel ſupplicii confertur, eſt veluti *plenitudo*, aut *complementum* præteriti operis, quod ſe habet inſtar menſuræ vacuæ. Illud etiam ad impij ſupplicium ſpectat, quod non ſolum penetrabit ſupplicium ad oſſa, id eſt interiora impii, ſed etiam hæc ipſa illius *oſſa*, propter vitæ peccata non dormient ſecure, neque ſinentur quieſcere in ſepulchro; ſed refodientur ab hoſtibus, & miniſtris Divinæ juſtitiæ. q. d. erit impii ſepulchrum prophanũ, & ignobile; hæc enim eſt illa *oſsium* comminatio, & pœna Ierem. 8. 1.

Vide quæ de oſsibus dicenda iterum nobiserunt. c. 30 ℣. 30. & c. 33. ℣. 19.

Impiorũ oſſa nonquieſcere.

Si vero de culpa, nunquam per pœnitẽtiam deleta, nũc loquatur, deſcribitur profecto impius impœnitens, quæ eſt Grecorum, atque Latinorum frequentior interpretatio, Gregorii, Olympiodori, Philippi; Intime illis adhæſit peccandi licentia, & impunitas, & quo ſemel ſunt imbuti in adoleſcentia, ſervarunt odorem diu, vſque ad ſenectam, vſque ad mortem. *Per oſſa*, mores, & conſuetudines pravæ; quæ, vt Cajetanus dixit, *corporis vitam ſuſtentare videntur*; nam ſingula opera per ſe conſiderata, velut caro, mollia ſunt; at conſuetudo, & habitus duriores ſunt, & firmiores, inſtar oſsium. Eleganter Gregorius; *Duræ in eo pravitatum conſuetudnes, atque quotidie duriores exiſtunt, & vſque ad mortem perdurant.* Philippus quoque fere in eandem rẽ; *Oſſa ipſam ſenectutem non eſt abſurdum intellexiſſe, quibus veternoſitas annorum, & durities ſenii ſignificatur.* Hæc igitur *oſſa implebũtur vitiis adoleſcẽtiæ*, id eſt, non ſecus, quã oſſa, medullis plena ſunt, quibus nutriũtur humectantur, & conſervantur; ita mores impii, jam inde ab adoleſcentia, iiſdem vitiis creverunt, & conſervati ſunt uſque ad ſenectam. *Vitiis adoleſcentiæ*. Simplex in Hebræo vox, *impleta ſunt occultis*; quæ vox ad peccata, & adoleſcentiam refertur. & quidem *adoleſcẽtia* dicitur in Hebræo, quaſi abſcondita, & occulta; & *puer* quaſi abſconditus; & *virgo*, quaſi abſcondita vel occulta; de quo videndus omnino Hieronymus Iſaiæ. 7. ſuper id, *Ecce virgo concipiet, &c.* ubi ex Septuaginta, Aquila, lingua Punica, & quibuſdam Scripturæ locis aperte oſtendit nomen Hebræum vtrumque ſignificare, videlicet *adoleſcentiam*, aut *virginẽ*

Frequens Grecorum, & Latinorum expoſitio.

Oſſa inveterati mores.

Gregor.

Philippus.

3

Adoleſcentiæ & virginis nomen, & etymologia.

Hieronym.

& *abſconditum*, vel *occultum*. Ratio & analogia huius nominis eſt, quod *Virgo* (vt ait Hieronymus) *Nõ pateat virorum aſpectibus, ſed magna parentum diligentia cuſtodita ſit.* & quod *puer* ea ætate contineatur domi, quaſi abſconditus, & externis laboribus, & exercitiis nondum expoſitus. Tum etiam quia *juventus* obſcura eſt, & difficile cognoſcitur, ut dicetur infra. Sic in titulo Pſalm. 9. *Pro abſconditis*, Hieronymus Iſai. 7. teſtatur ceteros interpretes legiſſe, *Pro arcanis*; & ipſe Hieronymus ex Hebræo vertit, *Pro juventutibus*. *Occulta* quoque de peccatis dicuntur, atque illis potiſsimum, quæ adoleſcentioribus magis propria, & familiaria ſunt; nam quæ occulta ſunt, tenebras amant, & *lucem oderunt*, ne a *lumine manifeſtentur*. Pſal. 42. 22. *Nonne Deus requiret iſta? ipſe enim novit abſcõdita* (peccata, ſcelera) *cordis*. Pſal. 25. 4. *Et cum iniqua gerentibus* (proprie ex Hebręo; *cum occultis*, vel. cum occultantibus ſe) *non introibo*. & Pſal. 18. *Ab occultis meis* (a meis peccatis) *munda me*. Conjunxit, etiam vtrumque David nimirum *occulta peccata* cum *adoleſcentia*. Pſal. 89. 8. *Poſuiſti iniquitates noſtras in conſpectu tuo, ſæculum noſtrum* (prop. occulta noſtra; ſæculi præteriti peccata; prioris ętatis, & adoleſcentiæ errores. Hieronym. *Negligentias noſtras*. At quinta editio, ut ipſe Hieronymus teſtatur, interpretatur, *adoleſcentiam*. Addit vero Hieronymus; *Miror cur Septuaginta voluerint Halumen, id eſt, adoleſcentia, negligentiis, & erroribus, ſeu ignorationibus, ſæculum dicere: niſi forte quod in ſæculo, & in vitæ hujus tempore vitia committantur*. Sed reſpondere poſſumus pro Septuaginta, ab eadem radice dici *ſæculum*, quaſi occultum, quod res ætatis pręteritæ frequenter occultæ ſint, & ignorentur. & recte *adoleſcentia*, aut *ſæculum*, id eſt, ſæculi prioris errata dicuntur peccata, & negligentiæ nobis occultæ, & oblitæ, aut ignoratæ, ſed tamen dicuntur illuminari, & clare cognoſci a Deo; nam hujuſmodi adoleſcentiæ perturbationes, & errores difficiles eſſe ad cognoſcendum, Salomon teſtatur Proverb. 30. 19. *Tria* (inquit) *ſunt mihi difficilia, & quartum penitus ignoro, viã aquilæ in cælo, viam colubri ſuper petrã, viã navis in medio maris, & viam viri in adoleſcentia*. Sic Mitio ille ſenex AEſquinum filiũ, ne ſe celaret aliquid, aſſueteciſſe ait; contra ac ſolent adoleſcentes alij.

Titulus Pſalmi noni.

Occultum ad peccata referri.

Ioan. 3. 19. 20. 2. Cor. 3. 14. Ephes. 5. 6. 1. Theſſal. 5. 5.

Hieron. Epiſt. 139. ad Cypr. tom. 3.

Septuaginta defenſi, & illuſtrati.

.... Alii clanculum
Patres, quæ faciunt, quæ fert adoleſcentia
Ea ne me celet, conſueſeci filium. (*aut*
Nã qui mẽtiri, aut fallere inſueverit patrẽ,
Audebit, tanto magis audebit cæteros.

Terẽ in Adelph. Act. 1. ſcen. 1.

Adoleſ.

Adolescentia igitur occulta est, & tenebras, & occulta amat, & male proinde audit. Quare quod noster dixit; *Implebuntur vitiis adolescentiæ*, brevius dixerunt Septuaginta; *Impleta sunt juventute ejus.* Nos; *Lleno toda via de sus mocedades*; Plena dilectis juventutis, & ignorantiis.

4 Et vero notandum est, cum bene habent *ossa*, plena esse medullis, aut medullato succo, quo ossa, ex Hippocratis, & Galeni sententia, nutriuntur: tunc bene habet homo, & viget viribus, atque firma, & integra corporis constitutione. Ergo cum dicitur impius, habere *ossa plena vitiis adolescentiæ*, vitia dicuntur esse instar medullarum; atque peccata esse, velut alimentum ossium; ac nunquam non impium vigere in sua illa peccandi licentia, & impunitate; quare quamvis ætate, & corpore, senex centum annorum sit, exhaustus, confectus, & aridus, sed quod ad vitia attinet, adolescens semper, integer, plenis ossibus. Denique quidquid dici de medullis potest, id in impio transferendum ad peccata, & peccandi vires, & consuetudinem; nam si hæc sunt illius medullæ profecto medullitus amat iniquitatem; hæc in illius medullis, ac visceribus hæret. Quæ autem in ossibus inclusa sunt, in corde, & animo sunt, & in summa cura: &, sicut medullæ videtur esse optima animalis pars (*nã quod optimũ est, in medullis natura recondit*) ita & impius optimum, ac suavissimum sibi ducit peccatum: & sicut justus in corde *absconditeloquia Dei*, & intimis visceribus impressa conservat, *ut non peccet*, ita impius mãdatorum Divinorum oblivionem, & contemptum recondit in corde, & in medullis, ut impudentius peccet: Sic sane Metrodorus apud Ciceronem; *In medullis, visceribusque omne bonum condit natura.*

Hipp de alimẽto Gal. lib. 3. de facult. natural. c. ult. Quamvis Arist. videatur negare lib. 2. de part. anim. c. 6.

Psal. 118. 11.

Cic. 5. Tusc.

5 *Et cum eo in pulvere dormient.* Per Hyperbolen, Etiam cadaver ipsum comitantur vitia, & peccata, quæ vivens amavit. Vere etiam; nam peccata, & peccati affectus nunquam deserit damnatos: & cum æterno supplicio vindicetur, nunquam tamẽ satis elui poterunt. *Dormiunt* ergo, cohabitant, quiescunt simul, quasi sub eodem sepulchri tecto, in eodem Lecto; non solum *opera eorum sequuntur illos*, sed cohærent arctissime. Eadem translatione dictum videtur Devt. 29. 20. *Sedeant super eum omnia maledicta, quæ scripta sunt in hoc volumine.* Vbi, *sedere*, idem est, quod cubare, requiescere, quare legunt Hebraizantes omnes; *Cubabunt cum eo.* Septuaginta; *Adhærebunt juxta eam, & simul cum eo dormient.* Simile id, quod in Genes. 4. 7. ad Cain dictum est: *Si bene egeris, recipies: si autem male, statim in foribus peccatum aderit.* videlicet, *peccatum tuũ* ad fores domus tuæ, id est, sepulchri accubabit, dormiet, excubabit; ut cum in extremo judicii die resurrexeris, statim te comitetur, & deducat ad Iudicis tribunal, atque meritas de te pœnas reposcat. Quo enim alio modo *peccatum in foribus adesse* poterit? Si de extremo judicii die accipiendum est, uti accepit Kaldæus legens: *Si non bene egeris, in diem judicii peccatum servatum est!* sic igitur peccata cum impio *in pulvere dormiunt, & ad sepulchri fores* cubãt, & excubant. de eo enim, quod quis dũ vixit, semper amaverit, dicere solemus, cum illo ipso esse cõsepultum, & neq. morte quidẽ dividi potuisse.

Hyperbole. Impiorũ affectus ad scelera.

Peccata æterno supplicio nunquã satis punita.

Apoc. 14. 13.

Sedere quid. רבץ

Peccata hominem impiũ ad judicis tribunal comitãtia.

Hæc est illa *Rubigo*, scoria, sordes ollæ, de qua Ezech. 24. 6. *Væ civitati sanguinum, ollæ.* (hæc ipsa est civitas multis peccatis plena, & coinquinata) *cujus rubigo in ea est, & rubigo ejus non exivit de ea.* Sunt enim reliquiæ sanguinum multo igne exustæ, & agglutinatæ parietibus ollæ, ut difficillimo negotio detricari, & extergi possint. Communiter Hebraizantes legunt; *Spuma ollæ non exivit in ea.* Est enim fæculenta ollæ spuma, quæ sursum ascendit, & ebullit manifesta, & si nimium coquatur, exuritur tandem, & agglutinatur ollæ, & cum ea dormit.

Pagn. Regia. Vatab. Tygur.

Sic vero *dormiunt*, & consopita sunt peccata, quemadmodum canis, aut leo dormiunt, uterque enim vigiliæ, & excubiarum symbolum est, ille quod excubitoris, & custodis munus obeat, & levis somni sit, hic vero, quod apertis oculis dormiat, & dum dormit, propter brevitatem palpebrarum, vigilantis habitum prætereat. Quare illud *adest* Genesis 4. 4. est proprie ex vi originalis, cubare, seu accubare, ut bestiæ cubare solent, & leo etiam, unde Genes. 49. 9. dictum est; *Accubuisti ut leo.* Vides igitur sic cum impio *dormire peccata in sepulchro*, ut vigilent etiam, & præsto sint comitatura impium, cum primum e sepulchro surrexerit, & ad judicium steterit. Indicatur igitur impiorum corpore, & anima gravissimus cruciatus. Quid, *quod etiam* peccata velut milites, & satellites impium comitantur, & inter illa, tanquam *inter milites* dormit impius, *vinctus catenis* plurimis; nam peccata sunt, veluti satellites, & comprehensores impii, qui illum semper comitantur usq; ad cõspectũ judicis, sicut Scriptũ est, *Cõprehenderunt me iniquitates meæ.* vinctos

Canis, & Leo vigiliæ symbola.

רבץ

Psal. 39. 13.

Vincti alligati cuſtodibus.

autem ſolere olim cum ipſis militibus cuſtodibus eadem catena colligari, alio loco expoſuimus.

6

Obſtinata peccādi licētia.

Sed præterea illud hac dicendi formula ſignificatur, non prius ceſſare peccata, quam vitam, q.d. peccandi licentia, & impunitas vivente impio vivit, non prius finitur, aut moritur, quam moriatur ille: eodem lecto * dormiunt, eodem pheretro efferuntur. Nā *dormire* hoc loco mortuorum eſt: & *dormire in pulvere*, cadaverum ſepultorum. Vnde dicuntur Pſal. 87. 6. *Dormientes in ſepulchro*. & aliis locis, *Dormire cum patribus*. Quare ad mortem tum vitiorum, tum ipſius impii dictum videtur. ſicut ſupra cap. 3. 17. dictum eſt, mortem corporis afferre etiam finem tumultibus, & iniquitatibus impii; *Ibi impii ceſſaverunt a tumultu*. Vide, quæ ibi diximus.

* El pecat, y la vida alapar ſe les acaba: y a ambos les entierran en vn ataud.

Ironia.

Alii per Ironiam dictum intelligunt, ut neget voluptatem permanſuram cum impio, quaſi diceret; ſcilicet voluptas comitabitur mortuum impium. minime ſane, nam illum deſeret; nec pernoctabit cum eo tantum, in die vitæ illi aderit, noctu fugiet, & diſcedet ab illo. Sed præſtat, quod diximus

7

Quæſtiūcula

Olympiod.

Sed cum dicit Sophar, *Vitia adoleſcentiæ*, ſignificat ne peculiaria aliqua vitia, an peccatum, & ſcelus quodcumque? Certe Olympiodorus intelligere videtur turpem libidinem, in quam videtur eſſe proclivior adoleſcentia. ſicut nuper adductus Comicus hæc ipſa dicebat eſſe, *quæ fert adoleſcentia*. & ad eandem rem ille alius refert tenebras illas, & occulta, quæ cum adoleſcentia conjuncta ſunt;

Tere. in Adelp.

Adoleſcētia in libidines prona.

Iſtoc illecebroſius fieri nihil poteſt, Nox,
Mulier,
Vinum homini aduleſcentulo.

Cic. 5. de offi.

Ariſt. 8. Ethi. c. 6.

Hæc enim eſt illa Philoſophorum communis vox; *Adoleſcentiam tollendam eſſe a libidinibus*. & illud Ariſtotelis; *Adoleſcētium vitam in libidine, & perturbatione conſumi, atque ad fœdum amorem eſſe propenſos, magna enim pars fœdi amoris in perturbatione, & voluptate ponitur*. Atq; hæc eadē eſt illa impura nequitia, de qua Poeta dixit;

Ovid. 1. Fauſt.

Nequitia eſt, quæ te non ſinit eſſe ſenem.

Adoleſcentiæ quæ vitia peculiaria.

Ego tamen non unum adoleſcentiæ vitium, ſed vel omnia, quæ plurima ſunt, vel in univerſum illa peccata, quæ cæca, & flagrante cupiditate perpetrantur, præſertim unius voluptatis ſtudium, quod in adoleſcentia vigere ſolet, intelligenda exiſtimo: nam ſimul cum fervente ætate æſtuat Ira, ardet Cupiditas, tumet Superbia, cōpotat Guloſitas, ruit præceps Ignorantia, & in nulla re Voluptatem non quærit: quia (ut Ambroſius dixit ſuper Iob 13.) *Tum maxime calor corporis fervet, & æſtu ſanguinis vaporantis igneſcit*. Quare delectationis, & voluptatis ſtudium tantum videtur Salomon exprobare juveni. Eccleſ. 11. 8. *Lætare juvenis in adoleſcentia tua: & in bono* (jucundo, & voluptuoſo) *ſit cor tuum in diebus juventutis tuæ, & ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum, &c.* & deinde verſ. 10. *Aufer iram a corde tuo, & amove malitiam a carne tua. Adoleſcentia enim, & Voluptas vana ſunt*. Vbi per *iram*, intelligit quamcumque vehementem, & effrænatiorem animi paſsionem, & perturbationem, quę propter fervorem ſanguinis in adoleſcentia facilius, & vehementius excitatur. Diximus etiam eo loco, per *malitiam carnis* ſignificari, non ſolum turpes actiones, ſed etiam, quæ Apoſtolus vocat, *opera carnis*, quæ numerantur Galat. 5. Sic quoque ad voluptatem videtur tandem retuliſſe Horatius vitia juvētutis;

Ambroſ.

Cereus in vitium flecti, monitoribus aſper,
Vtilium tardus proviſor, prodigus æris,
Sublimis, cupidusque, & amata relinquere pernix.

Horat. in Arte Poet.

Nam ex ſtudio voluptatis videtur, omnino naſci, quod cito amicitias adoleſcens mutet, ut Ariſtoteles ſuperius adductus docuit. *Iuvenum* (inquit) *amicitiæ ob voluptatem conſtāt; vivunt enim cum affectu, & id maxime ſequuntur, quod eſt ſibi ipſis jucundum, & præſens; & ſimul cum eo, quod ipſos afficit voluptate, amicitia ipſa mutatur, quapropter amant, & cito deſiſtunt, eadem die propoſitum ſæpe mutantes*. Non aliter profecto Ambroſius de Interpellatione IOB lib. 1. cap. 7. de peccatis adoleſcentiæ agens, ea omnia illecebroſis delitiis claudere, & complecti videtur; *Habet* (inquit) *pueritia innocentiam, ſenectus prudentiam, ipſa vicina adoleſcentiæ juventus bonæ exiſtimationis intuitum, & verecundiam delinquendi. Adoleſcentia ſola eſt invalida viribus, infirma conſiliis, vitio calens, faſtidioſa monitoribus, illecebroſa delitiis.*

Ariſt.

Ex ſtudio voluptatis ſæpe mutati amicitias.

Ambroſ.

Adoleſcentiæ deſcriptio.

8

Impii juvenili cupiditate voluptatis laſcivientes.

Vides igitur, quæ ſint peccata, quæ impio tribuat Sophar, omnis voluptatis juvenilem quandam, & cæcam cupiditatem, atque ardens ſtudium præſentium bonorum. quod vel ipſi impii de ſe teſtantur Sap. 2. 6. qui ſe ipſos cohortabantur; *Venite ergo, & fruamur bonis, quæ ſunt, & utamur creatura, tāquā in juvētute celeriter,*

ter, &c. Vbiq; relinquamus ſigna lætitiæ, quoniam hæc eſt pars noſtra, & hæc eſt ſors. Atq; hãc ipſam voluptatem, in *opprimẽdo juſto, & nõ parcendo viduæ* ſibi proponũt. Non alterius, *quam lætitiæ*, id eſt, vaniſsimæ voluptatis veſtigia conſectantur, aut relinquunt? Quæ enim in peccatis alia ratio boni eſſe poteſt, quam ſpecies quædam voluptatis, & delectationis, a qua abeſt honeſtas, & vera utilitas? Sic ſuperius verſ. 5. *Canticum, & gaudium Hypocritæ* tãtum cõmemoravit. Sic Chriſtus *gaudium* tantum *mundi* indicans, quicquid habet mundus complexus eſt; *Mundus* (inquit) *gaudebit*. Sic tantum in ſequentibus, *dulcedinis*, & voluptuoſi guſtus meminit.

Voluptatis & gaudii nomine mundi bona comprehẽſa.

Ioan. 16. 20.

XII. *Cum enim dulce fuerit in ore ejus malum, abſcondet illud ſub lingua ſua.*

1. *Peccatum cibus dulciſsimus impii. Avaritia, & Ambitio. Venter impii æſtuans. Importuniſsimi homines apud Ariſtotelem qui. Illuſtratus Eccleſiaſticus.*
2. *Turpis libido, atque guloſitas.*
3. *Os impii quod.*
4. *Malum quid in sacro ſermone. Voluptatis vis comparatur cum ſerpente, & meretrice.*
5. *Abſcondere ſub lingua quid. Illuſtratus David.*
6. *Serpentes guloſi. Symbolum pravæ linguæ, & pravæ voluptatis.*

1 ILLA *adoleſcentiæ* peccata, quorum nomine diximus, intelligi vehementem animi cupiditatem, & juvenilem libidinem omnis voluptatis, nunc deſcribit ſub ratione rei dulciſsimæ, quam ſumma voluptate percipimus, ſimulque deſcribit impii occultas artes, & fraudes Hypocritæ ad nocendum. Ergo tum hac ſententia, tum ſequentibus, introducit impium, tanquam guloſum, atque voracem, & quę ſumma aviditate voravit, paulo poſt fœdiſsime vomentem; Qui (ut Sapiens ait) *Comedit panem iniquitatis, & vinum iniquitatis bibit*, neq; comedit tantum, ſed ſemper appetit, ſemper fameſcit, de quo id eſt, *Duo genera abundant in peccatis* (id eſt, multorum peccatorũ fons, & origo ſunt) *Anima* (ventriculus, ſtomachi appetentia) *quaſi ignis, non extinguetur, donec aliquid glutiat.* ſtomachus videlicet non minus fameſcens, & ardẽs fame, quam ignis, qui niſi devoret, & depaſcatur multam materiam, continuo extinguitur, & tunc demum videtur contentus, cum multa illi nutrimenta ſubminiſtraveris. En *animam* aut *ſtomachum* impii æſtuantem, atque ardentem cupiditatibus, & non quieſcẽtem donec deſideratis potiatur. Quare elegãter Ariſtot. eos, qui beatitudinem in voluptate collocarent, appellat *homines importuniſsimos.* Quod cum de quacumque cupiditate verum ſit, at de avaritia, & ambitione peculiariter dici potuit: nam hujuſmodi impius nunquam ſibi ſtatuit peccandi finem; *videtur enim hæc cupiditate ſimul cum illo dormire in pulvere.* Sicut Septuaginta eo loco legunt; *Non extinguetur, donec deglutiatur*, vel, *donec cõſumatur.* Non enim prius extinguitur prava libido & ſacra voluptatum fames, quam conſumatur, & cõmoriatur ipſe impius. Secundum vero genus, quod *in peccatis abundat* eſt, *Homo nequam in ore carnis ſuæ, non deſinet, donec incendat ignem.* Quod ſive in cõmuni, non jam ſub nomine, & metaphora *ſtomachi*, ſed ſub metaphora *oris*, & *faucium*, intelligas, ſive peculiariter de vitio gulæ, aut turpis libidinis, ad idem recidit. Exprimitur enim, quanta ſit impiorum in peccando fames, quãta voracitas. in univerſos enim illud quadrat, *Quorum Deus venter eſt, & gloria in cõfuſione ipſorum.* Nã cum omnes unicam voluptatẽ, atque peccatorum dulcedinem appetant, gurgites ſunt, & helluones ſpurciſsimi voluptatũ, nati abdomini ſuo, non veræ laudi, non gloriæ, non fruendo Deo. Sed jã ad ſententiam ipſam Sophar.

Impius vorax & vomens.

Prov. 4. 17.

Eccleſi. 23. 23.

Stomachus impii ardens.

Voluptuarii, & ambitioſi ſunt importuni.

Lib. 1. Ethic. c. 5.

LXX.

2

Impii voraces.

Philipp. 3. 19.

3 *Cum enim dulce fuerit.* Septuaginta proprie ex Hebræo, *ſi dulcuerit*. Si ſemel (inquit) peccãdi dulcedine demulceatur, &c. *In ore ejus.* Philippus ad os externum reſtringit, quod prava loquitur. Gregorius ad ſolum internum, *Et* (inquit) *eſt iniquitas ſua vis in mente; os quippe cordis cogitatio eſt; de quo Scriptum eſt, Labia doloſa in corde, & corde loquuta ſunt mala.*

LXX.

Philipp.

Gregor.

Pſal. 11. 3.

Sed præſtat in communi accipere, *Os*, animum, cor, appetitum pravum, & ſiecul tates illas omnes externas, aut internas, quæ voluptatibus capiuntur.

Os, pro facultatibus, quæ voluptatẽ percipiũt?

4 *Malum.* Philipp. de peccato oris: *Dulcia* (inquit) *mala ſunt impio blaſphemiæ, & cætera oris peccata, ſicut juſti faucibus dulcia ſunt eloquia Dei.* Chryſoſtomus; de faucibus, & *rationibus circumveniendi.* Gregor. de *malo* in genere. Favet nomen originale, quod etiam de nequitia in genere dici ſolet: quamquam frequenter dicitur de afflictione, confractione, contritione, & de violẽtia quæ proximo infertur, de qua dictum eſt Gen. 6. 5. *Videns Dñs, quod multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta*

Philipp.

Chryſ.

Gregor.

רוע

Malum, de Tyrannide, & violentia.

cogitatio cordis intenta esset ad malum. Vbi nomen *Malitiæ*, & *Mali*, est ab hac ipsa radice, & significare videtur vim, & Tyrannidem, quam potentiores in pauperes, & infirmos exercebant. Quare quamvis de *Malo* in genere; sed peculiariter de iis, quæ sunt contra proximum, accipiendum videtur, videlicet, de iniquitate, rapina, alieni tori violatione: ut ex simili etiã loco Psal. 9. mox subjiciendo constare poterit. Ergo impius gustata semel peccati dulcedine, *Abscondet illud* * *sub lingua sua.* id est, peccati voluptas semel percepta inescat, & detinet impium instar ejus, qui dulcedinem gustatam nõ statim devorat, sed prius versat, & tractat in ore: quare impius non facile dimittit pravam voluptatem, vel (si sic loqui liceat) impium non facile dimittit prava voluptas, cujus vis maxima est, ut Aristot. dixit lib. 2. Ethic. c. 3. *Voluptatum blanditiis deliniti ad ea gerenda omnia, quæ prava sunt impellimur, & dolorum cum admoventur faces, a recte factis deducimur. Itaque Platonis sententia institutos esse omnes oportet, jam inde a puero, ut lætemur bonis rebus, doleamusque contrariis.* Id sane, si ut homines, non ut pecora, vivere debemus. nam verissima est illa Senecæ vox; *Voluptas bonum pecoris est*. Voluptatis autem illecebras, fraudes, Tyrannidem, eleganter descripsit Clemens Alex. 1. Stromat. sub nomine meretricis illius, quam Proverb. 7. 5. 10. proponit Salomõ; *Quæ verba sua dulcia facit, præparata ad decipiẽdas animas, procaci vultu blandiens.* Hãc igitur voluptatis dulcedinem impius *abscondit sub lingua*, versat, & detinet in ore, postquam semel degustavit: nam nisi peccato, & voluptati initio statim interclusetis aditum, difficile te ex illis expedies. Propterea Gregori⁹ Nyssenus Hom. 4. in Eccles. ait, *Serpentem* in Scriptura nominari voluptatem, cujus si caput semel subeat rimam aliquam, universum deinde corpus ingrediatur: *Qui vitii* (inquit) *initium admisit, totã in se simul admisit bestiam.*

*Haze el mal y saborease en el.

Voluptatum vis maxima.

Sen. Epist 92.

Clemens.

Voluptati intercludendus aditus.

Nyssenus.

5 Sed ex Psal. 9. 7. hujus quoque loquutionis *abscondendi sub lingua*, sensus alius elici potest; *Cujus os maledictione plenum est, & amaritudine, & dolo.* (amaritudine inquam, nam quod aliis amarum est, sibi dulcescit) *sub lingua ej⁹ labor, & dolor*, (nõ quidem ut alii accipiunt, *sub lingua*, id est, *in corde*, sed *sub lingua*, abscondit dolorem aliis inferendum, id est, occulte tractat, quomodo aliis noceat. Propterea enim sequitur; *Sedet cũ divitib⁹ in occultis, ut interficiat innocentem. Qui enim* (inquit hoc loco Gregorius) *non aperte mala, quæ cogitat, ostendit, laborem, ac dolorem eorum, quorum mortem appetit, non in lingua exerit, sed sub lingua premit.* Hi nimirum cum venenati serpẽtes sint, sed hoc tamẽ a serpẽtibus differũt, quod nõ gestãt venenũ in linguæ cuspide, sed (ut ait David Psal. 139. 4.) *venenum aspidum sub labiis* (sub lingua) *eorum*. De quibus quoque scripsit Salomon Probverb. 10. 18. *Abscondunt odium labia mendacia*. quamquam & allusionem esse ad serpentum venena, colligi potest ex eo, quod probati auctores tradunt, animalia venenosa habere venenum in vesica quadã subtus linguã, quæ cũ mordent, rumpitur, morsisq; corporibus venenum infigunt.

Vatab. Genebrard.

Gregor.

Serpentum vesica sub lingua.

Mercurial. de venenis.

6 Et illud peculiare etiam ex venenatis serpentibus ad impii similitudinem, atq; loci illustrationem trahi potest, quod sicut impii gulositas hic describitur, & in proximo lædendo voluptas quædam incredibilis, ita serpẽtes gulositati, & ebrietati dediti sunt; sic enim scribit Aristoteles; *Serpentes omnium maxime animalium cupediæ dediti sunt; vini etiam sunt incontinentes*. Idem quoque ad idem refert figuram linguæ serpentinæ: *Ad Saporum* (inquit) *gustatum serpentes, atque lacerti linguam habent longam, & bifidam, propter suæ naturæ cupediam*. Ergo in lingua, aut super linguam, illud esse dicitur, quod dicitur publice omnibus: *sub lingua* autẽ, quod non nisi paucis, & occulte tractatur, aut quod sub pacificis, & blandis verbis occultatur. Hæc igitur sunt sævissimorũ Tyrannorum occulta consilia, & exquisitæ delitiæ, quomodo aliis perniciem per insidias, & fraudes afferre possint. Sic eleganter eo loco Theodoretus; *Fraudes nectit, mala struit, insidias in pauperes pro vita, & delitiis habet.*

Serpẽtes gulosi, & ebriosi.

Arist. de hist. animal. lib. 8. c. 4. & de partibus lib. 2. c. 17.

Serpẽtum lingua.

Sub lingua quod per insidias fit.

E

Theodoret. in Catena Barbari.

XIII. Parcet illi, & non derelinquet illud, & celabit in gutture suo.

1. *Impiorum ficta lachrymæ, & simulata pietas erga pauperes. Crocodili lachryma, Illustratus semel, & iterum Sapient.*
2. *Impius excusator sui, accusator aliorum.*
3. *Impii mora in peccatis. Quid Celare.*
4. *Ardens impiorum affectus.*

1 POtest hæc sententia accipi dupliciter: primo, ut sit præcedentis expositio; cum enim diximus, *malum abscondi sub lingua*, esse ita occultari, ut blandis, &

pacificis verbis videatur impius delinire pauperes, quorum sanguinem exorbere cupit, nunc cujusmodi sint ea verba fallacissima, exponat. *Parcet illi*; Parcere se simulat, misericordia miserorum tangi. *Parcere* enim in Scriptura, miserentis, & compatientis esse solet: solet enim impius aliquando habere Crocodili lachrymas, & viso paupere lachrymari, quem mox devoraturus sit, & simulare etiam pietatem Hyenæ, quæ dicitur humanum sermonem imitari, ut evocatum, & allectum hominem invadat. Rei hujus, & incredibilis cujusdam sævitiæ figura extitit Ioab 2. Regum. 20. 9. qui occurrenti Amasæ dixit; *Salve, mi frater, & tenuit manu dextra mentum Amasæ, quasi osculans eum. Porro Amasa non observavit gladium, quem habebat Ioab, qui percussit eum in latere, & effudit intestina ejus in terram.* *Dextra* (inquit Gregorius) *mentum tenere, est quasi ex benignitate blandiri, sed sinistram ad gladium mittit, qui latenter ex malitia percutit.* De quo Scriptum profecto est; *Os lubricum operatur ruinas*, id est, mollia verba impii occultare solent cor machinans dolos, & perniciem. Quare sicut in re lubrica solet homo simplex, & secure incedens labi, & cadere, ita hujusmodi verbis lubricis, & deceptoriis impiorum, quasi commiseratione, & blanditiis plenis solent capi, & corruere pauperes. & sicut nuper dicebamus de Crocodili lachrymis, ita nunc quoque impii similes sunt Crocodili *ore lubrico*. Nam ut AEliamus scribit; *Ad comprehendēdos homines, aliasve bestias Crocodilo hæc est malitia, ut qua noverit eos, in flumen descendere ad aquationem, vel ad conscensionem in naves, viam ore, quod quidem ipsum multa complexerit aqua, de nocte madefaciat, præcipitem efficere studens, quo faciliorem sibi captu prædam reddat. Ii sane, quoniam lubricum gradum sustinere non queant, præcipites aguntur, & Crocodili impetu corripiuntur, & devorantur.* Vides igitur in hoc exemplo, *os lubricum operari ruinas.* Est enim in eandem rem apposita similitudo a Salomone eodem capite; *Quomodo si argento sordido ornare velis vas fictile, sic labia tumentia cum pessimo corde sociata. Vbi pro labiis tumentibus*, sunt in Hebræo, *labia ardentia*, quasi dicat: sicut non est valde æstimandum vas testaceum, & lutum, etiā si deargentatum sit; nam tale argentum junctum cum luto, tanquam sordidum habēdum est; sic sane sunt plerumq; impiorum verba, quæ pauperibus promittūt aliquid magnum, & pretiosum, sub quibus tamen nihil, nisi lutum, & dolus subsunt, quātumvis ampullas, & tumentia verba proferāt, quamtumvis *Labia ardentia*, id est, splendentia gestare videantur. Argentum datū cum dolo, tanquā testa reputandum. Hoc igitur modo videtur impius *pauperi parcere*. Alii pronomen *Illi*, ad ipsam iniquitatē, & malum absconditum sub lingua, ita

Impius habet Crocodili lachrymas, & vocē Hyenæ.

Gregor.

Prov. 26. 28.

Impiorum os lubricum simile Crocodili.

AElia. lib. 10. cap 29

Crocodyli astus.

Magnifica impiorum promissa.

referunt. *Impius parcit suæ iniquitati*, ita ut quāvis agnoscat, se male egisse, tamen sibi ipsi ipse parcat, & mitius agat, & mille modis suum peccatū excuset, & extenuet. Sic solet impi⁹ esse judex severissim⁹ pauperū, sed indulgentissimus, atq; diligētissimus procurator sui juris, suæ, causæ. 2

Nihilominus existimo hāc sententiā secundo sic accipi, ut sit quasi expositio precedētis, & perstare adhuc in eadē traslatione, & descriptione gulositatis impii, Nā *malum abscondit sub lingua, & parcit illi*, id est. parcius agit cum peccato, nō statim transmittens, neq; deglutiens, aut elabi sinens, *derelinquensve illud, sed celabit in gutture suo*. Proprie ex originali *prohibebit*, aut cōtinebit, aut detinebit, ne facile dilabatur. *In gutture*, proprie, intra palatum, vel, in medio faucium: nā vox originalis significat instrumentum gustatus, guttur, palatū, fauces, nā in his gustus percipitur. 3

Quāvis autē lectio Septuag. videatur hoc loco cōtraria, sententia tamē est eadē; legunt enim cum negatione, *Non parcet ei*, id est, non parce, & moderate aget cum iniquitate, sed ardēter, insatiabiliter, summo studio, quod Catenæ auctor sic explicat; *Cupiditate immoderata, atq; insatiabili scelus complectitur; nō sicus quam suavem quempiam cibum in faucibus continebit. Hoc est; cum acerbe perniciē alteri machinatus fuerit, tunc demum ad agēdum aggreditur.* Hæc est illa impiorum *acceleratio*, ad peccandum. de qua Psal. 13. 4. id est præceps quidam impetus in scelera. Sicut Ierem. 8. 6. Scriptum est; *Omnes cōversi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens in prælium.* Hæc illa *insaniens libido erga amatores suos* prostitutæ animæ. Ezech. 23. 5. 7. 9. Hic ille altissimus, & profundissimus recessus a Deo, de quo Isai. 31. 6. ait, *Cōvertimini, sicut in profundū recesseratis.* ubi ex verbo legas, Revertimini ad eum, a quo profundastis recessum, id est, a quo profunde, vehemēter, summo studio, & incredibili libidine peccādi recessistis. Vide id Osee. 9. 9. *Profunde peccaverūt sicut in dieb⁹ Gabaa.* alluditur enim ad scel⁹ illud perpetratū cū cōcubina Levitæ, *Incredibili furore libidinis.* Iudic 20. 5. quo similiter pleriq; impii fu- 4

Impius quomodo parcat peccato, & voluptati.

שב

חיך

LXX.

Nicetas.

Impiorū ardentissima cupiditas improbitatis.

rũt, & agitatur. Hæc illa eſt infrigidatio aquæ in altiſsimo cordis puteo demerſæ Ierem. 6. 7. *Sicut frigidam facit ciſternа aquam ſuam, ſic frigidam fecit malitiam ſuam.* ſive, ut eſt in Hebræo per contrariam translationem; Sicut e puteo ſcaturiunt aquæ, ſic iſta ebullit malitiam ſuam, quod eſt, indeſinenti ſtudio malitiam complecti, & nunquam *parcere*, nec ceſſare. Hæc enim eſt illa peccandi *avaritia*, id eſt, inſatiabilis aviditas, de qua Paul. Epheſ. 4. 19. In quam ſe impii *deſperãtes*, & dedolẽtes, ſtupidi, & ſine ſenſu, *ſe tradiderunt*. Hæc enim omnia profecto ſignificant, improbum *parcere peccato*, id eſt, inhærere illi ardentiſsime: vel *non parcere*, id eſt, ſine modo illud amare.

XIIII. *Panis ejus in utero ejus vertetur in fel aſpidum intrinſecus.*

1. *Peccata cordis fœtus, aut cordis pabulum. Iuſtorum cibus, pietas. Illuſtratus Salomon, & Ioãnes.*
2. *Panis quid. Quid* Vterus *in Sacro ſermóne.*
3. *Quid fel Aſpidum, & quomodo expuatur.*
4. *Particula* Intrinſecus. *Aſpidis, & Baſiliſci natura.*
5. *Vera expoſitio. Peccata converti in amaritudinem. Explicatus Salomon, & Iſaias.*

I

Peccata nũc in corde eſſe, nunc ex corde egredi.

POſtquam impi⁹ ingẽti voluptate, ſenſuque dulcedinis verſavit peccatum, detinuitque in palato, devoravit tandem, & abſorbuit, ſed in ſuam perniciem. Vbi nota pravam operationem, non una ratione ſolere exprimi in Scripturis; nam aliquando ab interioribus, & *a corde* dicuntur *exire homicidia, adulteria, &c.* videlicet tanquam conceptus, & fœtus, poſtea per manifeſtum externæ operationis partum excluſi, & æditi in lucem. At vero aliquando prava opera dicuntur ab ore intromitti, & devorari, conſiderata videlicet pravi animi affectione, & fame, quæ expleri, & ſatiari nõ poteſt, niſi pravis operibus. Hoc videlicet illud eſt; *Non dormiunt, niſi cum male fecerint.* & illud etiam, *Exultant in rebus peſſimis.* Nã quod in ſtomacho, & corde eſt, efficit lætitiam, atque ſomnium. Sic etiam juſtus dicitur, *concipere* (per bonum propoſitum mentis) *& parturire* (per externam operationem) *ſpiritum ſalutis.* Alias vero dicitur ipſa bona operatio eſſe panis, & cibus, qui tranſmittitur in animæ ventriculum ad ſetiãdam *famem, & ſitim juſtitiæ*; juxta id Ioan. 4. 34. *Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem*

Matth. 15. 19.
Marc. 7. 21.

Prov. 4. 16.
Prov. 2. 14.

Virtutis actiones concipiuntur, & excludantur.

Iſai. 26. 28.

ejus, qui miſit me, ut perficiam opus ejus. & iterum Pſal. 118. 10. 11. *Iudicia Domini dulciora ſuper mel, & favum.* Similiter igitur hoc loco, hæc pravi operis voluptas, deſcribitur non tam excluſa a corde, quã concepta, & admiſſa in corde per ipſum pravum opus; propterea enim comparatur cum *pane* jam præmanſo, & tranſmiſſo ad ſtomachum.

2

Panis nomine lautiores epulæ.

Panis ejus. Malum, quod illi dulceſcebat, & quod pro delitiis habebat: nam *panis* nomine caro, & lautiores etiam epulæ ſignificãtur. Quare cum David 2. Reg. 9. 7. invitaret Miphiboſeth ad Regias epulas, ſolum nominat *panem*; *Tu comedes panem in menſa mea ſemper.* Ergo intelligit illas omnes peccati voluptates, & differentias, atque varietatem ſcelerum, cum quibus impius dives *epulatur quotidie ſplendide.*

Vterus etiã virorum.

In utero ejus, in ejus ventriculo, & ſtomacho; *Vterus* enim apud Latinos fœminarum eſt; at in Sacro ſermone, pro ſtomacho virorum etiam. Sic ſupra cap. 19. verſ. 17. *Orabam filios uteri mei.* vox originalis, viſcera, cor, ventrem, qui eſt locus formandi fœtus, ventrem etiam, qui recipit cibum, ſignificare ſolet.

מעה

3

Venena caliđiſsima, & amariſsima.

Fel aſpidum. Id eſt, in venenum, & virus exitiale vertatur, quod omnia viſcera occupet: nam ſunt venena hujuſmodi, ut pote ignea, & calidiſsima, ita etiam amariſsima: & venenati quidam ſerpentes, ut venenati, & biliosi natura ſunt, ita & felle, & veneno abundant. Sic Ariſtoteles ſcribit: *Serpentum pars maxima fel toto inteſtino prætextum habere cernitur.* Cui etiam accinit Plinius ſcribens; *Fel ſerpentibus portione maxime copioſum.* eſſe autem *fel* venenum ipſum, idem auctor: *Fel* (inquit) *venenum eſt ſerpentum.*

Ariſt.

Plin.

Duplex ſententiæ expoſitio.

Non conſtat autem, quid velit Sophar, hujuſmodi Aſpidis, & veneni tranſlatione: nam deſcribere poteſt aut indefeſſum ſtudium nocendi aliis: aut exitium, & interitum, quem ſibi ipſi ſuis peccatis impius accerſit. Primum ſenſum ſequitur Nicetas in Catena, cujus hæc ſunt verba: *Vt Aſpis imbuta veneno, e ventre illud evomit, quando ei collibuerit, ſic etiam hoc genus hominum ex meditato fallendi artificio, malo, ac fraudi ſunt cæteris.* & favet lectio Hebræa, & Græca; nam proprie legitur: *Fel Aſpidis in ventre ejus.* & ſic tota ſententia ex Hebræo verti poteſt: *Panis ejus in utero ejus verſus eſt fel aſpidum in interiori ejus.* Pagninus; *Panis ejus vertitur in eſcam malã.* Sed ſenſus hac ratione redditur impedit⁹, & difficilis, nec

Nicetas.

Pagn.

bene conſtat, Aſpidem ex ventre venenum evomere, nec omnino ſerpentem ullum: nam, ut illud prætercam de veſica illa, quam ſupra diximus, ſerpentibus ineſſe ſub lingua plenam veneno, de Aſpide certe conſtat, non tam vomitu reducto ex ventre, quam ſputo inſtillato ex lingua, aut dentibus venenum effundere. Sic Plinius lib. 11. ſcribit; *Aſpidum dẽtes duo ſunt, in ſuperiori parte dextra, lævaq; longiſsimi, tenui fiſtula perforati venenum infundentes.* In qua re aliorum etiam de ſerpẽtibus Scriptorum magna conſenſio eſt: nam AElianus etiam ſcribit non ſolum rẽ eandem de dentibus, ſed & de membranis quibuſdam, aut tunicis venenatis rem mirabilem; *Aſpidis* (inquit) *dẽtes, quos merito lethiferos dixeris, tenuiſsimis quibuſdam veluti tunicis, aut membranis indui, & veſtiri audio; & cum Aſpis aliquem mordicus invadit, membranulis compreſsis humorem venenoſum effundi. Tum illas rurſus ad priſtinum locum redire, & uniri.* Atque eleganter Nicander ille in Theriacis;

Quatuor huic intra maxillæ concava dentes
Radices fixere ſuas, quas juncta quibuſdam
Pelliculis tunica obducit, triſte unde venenum
Effundit, ſi forte ſuo ſe approximet hoſti.

Vides igitur non ex ventre, ſed ex aliis ſeminariis vaſis expui venenũ ab Aſpide? Ergo Cajetanus aliam expoſitionem ingreditur, quia enim in Originali particula illa, *intrinſecus,* verti poteſt, *prope eum,* ait hic ſignificari, quæ impius devoravit, converti in amaritudinem, & venenum, quemadmodum ſolet infici, & cõverti in amaritudinem cibus comeſtus ab homine exiſtente prope ſerpentem. ſed tamen ipſe lectionem noſtram his verbis corrigere conatur; *Quia* (inquit) *propria nomina animalium minus certa ſunt apud Hebræos, ideo varie transferuntur ab Interpretibus; & quoniam non legimus Aſpidem, ſed Regulum inficere propinqua, ideo melius legeretur Regulorum, quã Aſpidum.* Mirum ut ſæpe ſe impediat, & intricet Cajetanus in rebus minoris ponderis! & ut breviter, ac clare dicam, certe vox Originalis *Pethem,* tum a Vulgato, tũ ab aliis Interpretib? vertitur *Aſpis*: aliquando tamen *Baſiliſcus,* aut *Regulus,* ſemel tantum Pſal. 90. 13. Præterea ſi quando dicantur Regulus, aut Baſiliſcus viſu interficere, Aſpis ſimilem vim habere ſcribitur: nam & Gyllius ex AEliano, *Acerbam aſpirationem anhelare,* dicit, *in obvios viatores.* & Avicena quoque, *Spiritu tantum odore interficere.* Amplius AElianus, *Libycam Aſpidem ſua aſpiratione oculorum uſum adverſus ſe reſpicientes eripere, aut etiam celeriter interficere.* Vides igitur, quã infirma ſint fundamẽta, quibus nititur expoſitio Cajetani, & illa Aſpidis in Regulum, & Baſiliſcum permutatio. Atque illud pejus, quod tota ipſa expoſitio valde difficile cum re propoſita congruat. Illud tamen, quod particula illa *Intrinſecus,* quã vis ſignificet illam loci propinquitatem, ſed tamen frequentiſsime ſignificat illud, quod eſt rei propinquiſsimum, videlicet, quod eſt in medio ipſius rei *intrinſecus.* quare ab eadem radice *appropinquandi* dicuntur *medium, inteſtina, interiora.*

Ille igitur ſenſus planus eſt, & quem ſequentia quoque poſtulant, ut ſignificet Sophar tantam impii in devorando, & exugendo innocentum ſanguine aviditatem, omnino ſibi exitialem futuram: ſicut ſolet cibus dulcis homini voraci, & guloſo; nam quæ dulcia ſunt, facile in amaritudinem, & bilem convertuntur, his præſertim, qui vigent ætatis robore, & calore ventriculi. Sic Galenus docuit, *Dulcia univerſa in corporibus calidis facile in bilem mutentur.* Rurſus, Humorum dulcium maxime bileſcit, quod dulciſsimum eſt. Non aliter impiis æſtuantibus ardore concupiſcentiæ, dulcia male cedunt, & in bilem convertuntur; nam amareſcunt tandem illis dulciſsimæ quondam voluptates. Qua dicẽdi forma Scriptum eſt Iſaiæ 24. 9. *Cum cantico non bibent vinum, amara erit potio bibentibus.* Nã ebriis interdum vinum in bilem vertitur Quare vina dulcia facile bileſcere, neque cholericis eſſe idonea, tum Hippocrates, tum Galenus tradiderunt. ut etiam hac ipſa veneni amariſsimi ſimilitudine indicatur Proverb. 23. 31. *Ne intuearis vinum quando flaveſcit, cum ſplenduerit in vitro color ejus; ingreditur blande, ſed in noviſsimo mordebit, ut coluber, & ſicut Regulus venena diffundet.* quod utique de vino flavo, & rubro dicitur, quod Galenus adductus & magis dulce, & magis amicum eſſe docuit, quamquam non magis utile ventriculo calido. & iterum Ierem. 2. 19. Cum ad deteſtationem idololatriæ, & turpium voluptatum hortatur ex præſentibus calamitatibus, & ſuppliciis, ait: *Scito, & vide, quia amarum eſt, reliquiſſe te Dominum.* Quare ſapienter Vulgatus ſententiam totam dilucida oratione reddidit Atque Nicetas etiam hunc ipſum ſenſum ex Hebræo recipit, ut ſignificetur impii viſcera a nequitia, perinde, ut a ſerpentis

Vide ſuperius ℣. 12. n. 5.

Aſpis unde expuat venenum.

Plin.

AElian. atque Gyllius in acceſſione lib. 9. c. 28.

Aſpidis dentes, & mẽbranulę venenatę.

Nicand.

4

Cajetan.

קרוב

פתן

Gyllius lib. 9. cap. 28.

Avicena.

AElian. lib. 9. cap. 20.

קרב

5

Germanus explicatus.

Dulcia bileſcere.

Gal. lib. de vict. & lib. 2. de natur. facul. c. 8.

Gal. lib. de victu, & ſuper Hippocrat. de victus ratione, com. 2.

Vina dulcia bileſcere.

Hippocrat.

Galenus.

Nicetas.

viro discerpi. *Injustitia* (inquit) *non solum illa utentibus nullam præbet utilitatem, sed etiam enecat eos, ac damno afficit.*

Rursus hoc magis videtur ad mentem Sophar, & rei subjectæ, ut intelligatur de supplicio impii etiam in hac vita, quamvis illud potissimum sit, quod perpetietur in altera: nam, ut Gregorius ait, *Satietas transitoriæ delectationis in retributionis fine ad amaritudinem vertetur.*

Gregor.

XV. Divitias, quas devoravit, evomet: & de ventre illius extrahet eas Deus.

1. *Sententia germana Paraphrasis.*
2. *Devorare, & deglutire, vomere item in Sacro sermone.*
3. *Quid extrahere, aut expellere. Illustratus locus Reg. Nomen commune ad Deum, & Angelum.*
4. *Divitiæ devoratæ, & evomitæ allegorice multis modis elucidantur.*
5. *Divitias non semper a Deo propitio concedi. Iupiter mittens Plutum, aliter quam Ditis.*

1 Sicut ad venena hausta remedium præsentissimum, ex medicorum decreto, esse solet vomitionibus uti, ita etiam ipsum venenum haustum sua virulentia ventriculum mordicat, & viscera ita cõplet, ut obnitẽs natura adversus hostem, illum conetur expellere vomitione. Perstat igitur in eadem metaphora Sophar, & ait dulcedinem illam peccati, versam jam in amaritudinem venenatam, efficere in corde impii anxietates incredibiles, & vomẽdi necessitatem quandam molestissimam; sic Deo rem totam disponente, ut tandem aliena bona redeant ad suum dominum, a quo per injuriam ablata fuerãt, & cũ magno ipsius impii, qui illas injuste retinebat supplicio, & cruciatu. Hęc est sententia hujus Loci.

Vomitione utendum adversus venena

2 בלע *Divitiæ, quas devoravit.* Septuagin. *Divitiæ inique congregatæ.* & forte ea iniqua congregatio affertur verbo illo, *devorãdi*, & deglutiendi, significat enim inexplebilẽ quandam ingluviem, & voracitatem, quę etiam referri solet ad malum proximi, ut Psal. 34. 25. *Nec dicant, Devorabimus eum.* & iterum Psal. 123. 3. *Cum irasceretur furor eorum in nos, forte vivos deglutissent nos.* & Isaię 49. 19. *Fugabuntur, qui absorbebãt te. Evomet.* reddere cogetur, pungente, & torquente conscientia.

Impiorũ voracitas quæ.

3 ירש *Et de ventre illius.* Septuaginta, *de domo ejus.* domi enim, tanquam in ventriculo, reconditæ asservabantur. *Extrahet*, expellet, aut delebit. ita extrahet, ut nullum illarum vestigium remaneat, nullæque reliquiæ retineri possint ab impio: nam verbum originale hæc omnia claudit, significat enim aliquem exuere, aut extrudere sua hæreditate, & possessione, & spoliatum ad summam egestatem reducere. Vide dictum est 1. Reg. 2. 7. *Dominus pauperem facit, & ditat.* id est, Dominus aut bonis, & hæreditate expellit, aut etiam benedictionem, & hæreditatem confert, quibus vult.

Deus. Septuaginta dixerunt, *Angelus.* Nomen originale, *El*, fortem, aut potentem significat. & est quidem nomen ad Deum, vel ad Angelum commune. Auctor Catenæ Angelum quempiam malignum intelligit, *Ex iis, qui tortorum munere funguntur.* Olympiodorus vero intelligere videtur bonum aliquem Angelum, & Divinæ clementiæ adjutorem, & exequutorem. Hunc quidem, ut pauperi spoliato bona sua restituat; illum vero, videlicet Dæmonem, ut torquere jam nunc incipiat impium. Sed de hoc an videlicet in hac vita Angeli boni, an mali torqueãt impios, diximus 1. cap. Nunc sane commodissimum est, ut ad Deum referatur, tum quod melius cum sentẽtia cohæreat, tum propter frequentissimum nominis originalis usum.

Nomen commune Deo, & Angelo. אל

Nicetas.

Olympiod.

Rursus in Septuaginta diversitas est, 4
nam legunt; *De domo ejus extrahet eum Angelus.* quod auctor Catenæ sic intepretatur; *Angelus e corpore, quasi e vẽtre, animam extrahet hominis injusti, ac per vim illã interimet.* Sed tum in Hebręo, tum in nostra lectione, multo congruẽtius est, ut ad divitias devoratas referatur, sic enim & similitudo, & metaphora elegãtiores sunt.

Nicetas.

Diabolus animã impii extrahens.

Conãtur autẽ Græci, Latini etiã, hujus sententiæ particulas ad rẽ ipsam, & veritatem minutatim applicare, & explicare. Chrysost. *divitias devorari*, explicat; *Recondi, & in tuto collocari. Quãvis enim* (inquit) *adeo tutã divitiarum possessionem adeptus sit, ut eas in ventrẽ ferme abdidisse videatur, brevi tamen illas ipsas dolens amittet. Hoc enim valet, evomentur.* Nicetas; *Cum dolore effundentur.* Rem fere eandem Olympiodorus adducit, neque inelegantius. *Quemadmodum* (inquit) *qui venenum hauserunt, incitãtur ad vomitũ, sic, cum quis divitias cõparavit injuste, cruciatur divulsis visceribus, illas ipsas effundere.* Philipp. etiã ad consciẽtiæ cruciatus respexit; *In vẽtre* (inquit) *ejus, id est, in corde suo pro iniquitatibus suis amaros dolores, acerbos, & nimios cõsciẽtia torquẽte, patiatur: & quod per violẽtiã rapuit, & cupiditatis studio devoravit, extorquebitur ab iniquo.*

Chrys.

Devorari, quod in tuto reconditur.

Nicetas.

Olympiod.

Philipp.

Nazianz. Agnovit in illo *evomēdi* verbo peculiarem emphasim Gregorius Nazianzenus orat. 9. ad Iulianum tributorum exæquatorem. Aliquid enim majus existimat significari per *vomitum*, quā si diceretur, divitias omnino amittendas. *Ne* (inquit) *ex aliorum egestate opes nostras comparare sustineamus, neque cum aliorum lachrymis misceamus, a quibus, tanquam a rubigine, ac tinea consumentur, aut, vt Scripturæ verbo utar, evomentur.* Quō locum urget etiā in suis scholiis Nicetas: *Vt enim* (inquit) *qui noxium aliquē cibū sumpsit, una cum eo probos etiam evomit: sic qui iniquè congerendis opibus studet, non solum ipsas, sed etiam, quas prius jure possidebat, plerumq; amittit.* Adde etiam, sicut delicatissimi, & salutares etiam cibi ingesti in venenosum, & bile infectum ventriculum, non solum inutiles sunt comedenti, sed postea etiam evomiti omnino aliis sunt inutiles: sic sane divitiæ injuste acquisitæ, & injusto possessori, & aliis etiam redduntur inutiles. Quare non solum *vomitionem* illam cū auctore Catenæ intelligo, cum opes demigrant ad alios, sed etiam cum nemini utiles sunt.

Impius aliena rapiens amittit propria. *Nicetas.* *Impio divitiæ & sibi & aliis inutiles.*

5 Hinc sane sancti patres colligunt, divitias illas, quas evomere cogitur impius, & quas Deus *ex illius ventre extrahit*, non esse a Deo collatas, propitio videlicet, & ex peculiari providentia illas conferente. Vide hac de re eleganter disserentem Anastasiū Episcopum Nicenum. q. 9. in Scripturam, qui etiam utitur illo Agæi. 2. 9. *Meum est argentum, & meum est aurum, dicit Dominus exercituum.* cui loco ab insipientibus & ab aliis hominibus asserit additum fuisse; *cui voluero, dabo ipsum: nam nullus* (inquit) *qui ex bellis, cædibus, furtis, perjuriis, rapinis, munerumque corruptelis, & injuriis opes colligit, potest dicere se per Deum esse ditatum, sed per peccatum maligni.* Et quidem eleganter etiam Nyssenus Gregorius in Orationem Dominicam dixit: *Non habet a Deo panem, qui ex avaritia & plura habendi desiderio habet alimentum. Si in oculis habens iniquitatem dicis, Da panem, alius est, qui hanc audit vocē, & non Deus; nam fructum, qui nascitur ex injustitia, ab adversaria procedit natura: &, qui colit injustitiam, pascitur a benefactore injustitiæ.* Facetū illud Luciani in Timone inducentis Plutū illū divitiarum Deū, *claudum*, cum a Iove, quasi a Deo optimo, & benigno, ad quempiam mittitur, & segniter, ac tarde incedentem: at cum a Dite inferorum principe, mutatis quasi pedibus celeriter advolare: *Nam & ipse* (inquit) *opum largitor est, at magna donans, id quod ipso etiam nomine declarat.* Sed neque iste facultates conferre potest, nisi permittente numine. Vid. c. 1. vers. 5. num. 23.

Divitiæ impiorum an a Deo collatæ. *Anastas.* *Nyssenus.* *Lucianus.*

XVI. Caput aspidum suget, & occidet eum lingua viperæ.

1. *Caput in Hebræo idē quod venenum. Sugere quid. Impius peccati lacte enutritus.*
2. *Maculosa quorundam Latinorum lectio. Notati Dionys. & Titelmanus.*
3. *Aspis incertum in Hebræo nomen, caput Aspidis mortiferum.*
4. *Vipera concipit exugendo caput maris: parturiēs perit. Peccati voluptas mortifera.*
5. *Lingua viperæ bisurca. Improbus improbo vipera. Detractoris Symbolum.*

I Potest esse hæc sententia, aut totius precedentis allegoriæ clausula, aut nova alia similitudo, qua significetur suppliciū, & interitus impii. priori modo sensus erit; Quando, o impie, sitis, & esuris alienū sanguinem, & pauperum substantiam, quādo lambis, quando sugis, scito te venenum exugere, quale in Aspidum capite, ore, dentibus, lingua residet, & quale etiā habet lingua viperæ. Quare dulcedo ista tuæ rapinæ, & pravæ voluptatis omnino tibi exitialis, & mortifera futura est, non aliter, acsi venenum haurires. Nomen autem *capitis* idem omnino est, quod nomen *fellis*, amaritudinis, aut veneni, quibus modis sæpe redditur a Vulgato: quare eodem sensu Septuaginta dixerunt: *Furorem Draconum sugat*: & auctor Catenæ testatur ab aliis verti, *venenum Aspidum*: qua etiam ratione legunt Hebraizantes: sed bene Vulgatus dixit, *Caput*: tum quod vox originalis, quæ *Caput* significat, aut eadem, aut per similis sit: tū quod Rab. David, & R. Mardochai existimant idem omnino esse nomē, sive habeat in medio *Vau*, sive *Aleph*, & ideo eodem nomine significari *venenum*, atque *caput*. *Quia* (inquit) *sunt qui dicunt, quod in capite Aspidis est venenum, aut toxicū, & propterea appellari, Ros, quod caput significat.* Congruit etiam verbum *sugendi*, quod ad mortiferam illam peccati, & iniquitatis dulcedinem respicit & proprie significat *lactare*, aut *lactari* infantis more, lac dulcissimum sugentis, & exprimentis ex ubere: quare accōmodatur ad dulcia, & lenia quæque, mel, oleū, aquā, juxta illud Deuter. 32. 13. *Vt sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo.* Existimat autem Nicetas recte dictum esse, *sugat*, aut *lactet*, vt indicetur impius in nequitia crescere, & augeri peccati lacte, donec tandem excrescens, perimatur.

Sentētiæ Paraphrasis. Capitis & fellis idē nomē. LXX. *Nicetas.* *Pagn.* *Vatab.* *Tygur.* *Cajetanus.* ראש רוש Sugere, & lactare. *Nicetas.* Impius peccati lacte enutritus.

2 Et quidem, antequam ad alia procedamus, observandum est, pravam, & maculosam lectionem, apud quosdam haberi, videlicet Divum Thomam, Hugonem, Dionysium legentes, *surget*, quod explicat Divus Thomas; *Caput Aspidum, id est, princeps sævus, aut Diabolus invadet impium, atque Hypocritam, ut mordeat, sicut caput Aspidis elevatur ad mordendum.* Respexit forte D. Tho. ad naturam Aspidum, quæ, ut AElianus lib. 9. c. 27. scribit, *Reliqua omni spira in solo relicta caput attollunt.* Et Nicander inquit *Porrecta pectora tollit*, id quod statim ex aliis Scripturis confirmabimus, atque uniuerso serpentium generi necessarium fuit, vt immoto corpore caput *erigere, & circumagere* possent, ut Aristo. docet. 4. de part. c. 12. Sed sane res hæc cum præsenti instituto minime congruit. Et mirum, quod Dionysius pro hac ipsa lectione, tanquam pro aris, & focis pugnans, asserat sic legisse Hieronymum, Gregorium, & Septuaginta Interpretes. quod sane neque agnoverunt, neque cogitarunt; & quamvis Dionysius Hebraicæ omnino linguæ ignarus, ex fonte veram lectionem petere non posset, at potuit ex aliis Latinis discere, Philippo, qui explicat verbo *mulgendi*, & ex Gregorio, qui *sugere* exponit, *suscipere, enutriri, persuaderi*. Illud denique, quod Titelmanus actionem *sugendi* tribuit *capiti Aspidis*, quod dicatur sugere impium; quam longe a Græcorum, & Latinorum animo mente, expositione!

Emaculatur lectio. — Div. Thom. — AElianus. — Aristot. — Dionys. — Titelm.

3 Quod vero attinet ad nomina serpentum, diximus supra, quam hic vocat *Aspidem* vocari *Basiliscum*. Psal. 90. 13. & a Septuaginta *Dracones*, & a Cajetano *Regulum*. quæ hic vocatur *vipera*. Isaiæ. 59. 5. vertitur *Regulus* a Septuaginta, *Coluber*, a Cajetano, *Naderos*, aut *Cerastes*, a reliquis Hebraizantibus fere, sicut a Vulgato, sed per mutatis locis, ne omnino consentire cum illo videantur. & nunquã non est in hujusmodi nominibus propriis, animalium, lapidum ingens varietas. Sed bene quidem convenit hæc sententia in *Aspidem*, cujus caput totum terrificum, & exitiale est; nam præter dentes, & linguam venenatam, oculos habet scintillantes, atque valde *rubentes*, vt ex AEliani accessione constat; tum etiam capite sese terribilem efficit, ut Nicander cecinit; nam minimo sono excitata ad nocendum se statim comparat;

Propria serpentum nomina ignota. — Gyllius in accessione AEliani lib. 9. c. 28. — Terrificum Aspidis caput. — Galenus.

Horrendumq; caput, porrecta pectora tollit.

Et Galenus quidem de Theriaca ad Pisonem scribens, illud etiam peculiare tradit; *Inter Aspides, nominata Ptyas, cervicem exporrigens, & intervalli metita longitudinem, rationalis cuiusdam animalis modo, minime aberrans, venenum coporibus inspuit.* Vides igitur terrificum, & exitiale Aspidis caput. De capite autem Basilisci nihil peculiare, quod ad veneni rationem pertineat, videtur a Philosophis tradi; nam quamvis solo visu, aut flatu dicatur interficere, at cuiuscumque etiam corporis partis contactu, vim eandem mortiferam adflare videtur.

Quodsi hoc loco pro *Aspide*, *Viperam* supponamus, videlicet serpentem pro serpente, & hanc præcipue, quæ, vt Ambrosius scribit, *est nequissimum genus bestiæ, & super omnia, quæ serpentini generis sunt, astutior*; atque, vt Galenus etiam tradit, *quæ inter alias feras, caput habet perniciosius*; certe res hæc de *sugendo* serpentis, aut Viperæ *capite*, non incommode illuminari poterit, ad exprimendam pravam impiorum in suis sceleribus voluptatẽ, & exitialem dulcedinem. nam quamvis recentiores rerũ naturalium scriptores id pernegare videãtur, antiquiores ajunt Viperam fæminam incredibili voluptatis ardore, ore concipere exugendo Viperæ maris caput. Sic ex venenato semine fætus prognati ipsi parẽti exitiales sunt, & foras prorumpunt, matrem rumpendo, ac perimendo. Res plane scribitur ab Herodoto lib. 3. *Viperæ (inquit) cũ libidine agitantur, ac per paria coeũt, fæmina collum maris in emittenda genitura comprehendit, & arcte amplexa nõ prius dimittit, quam devoraverit, & mas quidem hoc modo perit. Fæmina vero talem luit masculo pœnam, quod filii, dum adhuc intra vterum sunt, patrem vlciscentes, matricem ambedunt, eiusq; alvo ambesa, ita partum faciunt.* Res eadem a Galeno, AEliano, & aliis tradita, sed eleganter a Nicandro in Theriacis descripta, dum de Echidna, id est Vipera fęmina canit;

4 Viperæ caput. — Ambros. — Galenus. — Celius Rod. li. 6. antiq. lect. Nicolaus Leoni. & alii. — Vipera concipit exucto maris capite. — Herodõt. — Galen. de Theria. ad Pison. — AElian. lib. 9. c. 31.

...... Fervente libidinis æstu,
Sævo dente sui resecat caput illa mariti.
Ast vbi post vegetã cæperunt pignora vitã,
Iã propinqua adsunt maturi tẽpora partus,
Indignam Chari mortem ulciscentia patris,
Erosa miseræ nascuntur matris ab alvo.

Atque Isidorus quoque lib. 12. Etymolo. scribit, *quod masculus ore inserto Viperæ semen expuat; illa autem ex voluptate libidinis in rabiem versa, caput maris ore receptum præcidit, ita fit, ut parens uterque pereat, masculus dum coit, fæmina cum parturit.* Hujusmodi igitur est supplicium, quod impii libido, & noxia voluptas meretur; nam cum pauperes devorat, & illorum sanguinem lambit, & exugit, summa voluptate, caput profecto viperinum exugere videtur, Tantus est in devorando, & exorbendo proximo,

Isidorus.

libidinis, & voluptatis æſtus. Sed libido illa mortifera eſt, & quæ tandem erodat, & diſrumpat impii viſcera, inſtar Viperæ ſumma voluptate concipientis, & exugentis caput maſculi, ſummo etiam diſcrimine, imo morte acerbiſsima parturientis. Sic igitur dici opportune potuit, *Caput Aſpidū* (viperæ) *ſuget*. aut in plurali, *viperarū*. impius enim vna tantum præda non contentus, plurimis inhiavit, & plurimorū capita exuxit, atque præcidit.

Et accidet eum lingua viperæ. Venenatæ
5 atque terrificæ ſunt ſerpentum linguæ, biſulcæ, aut triſulcæ, ut Plinius ſcribit; &, ut Iſidorus quoque tradit, *nullum animal tanta celeritate linguam movet, ut ſerpens: adeo, ut triplicem linguam habere videatur, cum vna ſit*. Sed peculiariter *vipera Geminam linguam jactat, ſimul & caudam contorquet*, Vt Nicander ſcribit. Septuaginta, quemcumque venenatum colubrum intelligunt, legentes: *Interficiat illum lingua colubri*. Ergo nullum non exitiale malum, quod guloſitati, & voracitati impij reſpōdeat, illi imprecatur Sophar. Atque illud peculiariter Catenæ auctor in hac imprecatione obſervat, *Per linguam Viperæ* ſignificari poſſe *alium improbum contraria loquētem*: ita ut adverſus vnum impium, non alium hoſtem, quam improbiorem alium pro ſupplicio immittat Deus: Scriptū quippe eſt; *Ipſi quoque contra ſanguinem ſuum inſidiantur*. Et cum in alios non poſſunt, in ſuos ipſos amicos, & fratres linguā & venena cōtorquēt. Solet vero Deus pro tortore improborū, improbi alicuius potētiſsimi opera & miniſterio vti. Quod ſapiēter quoque Plut. ſcripſit ſuo illo opere de ſera numinis vindicta, *Deus* (inquit) *quibuſdam malis, tanquam carnificibus vſus eſt ad ſumendas de aliis malis pœnas, quod verum eſſe de pleriſque tyrannis arbitror. Quemadmodum enim fel Hyænæ, & Phocæ, aliorumq; fœdorum animalium coagula aliquid habent ad morbos ſanandos vtile; ſic nonnullis morſu, & pœna indigentibus, Deus inijciens tyranni alicuius ſævitiam implacabilem, aut magiſtratus moleſtā aſperitatem, non ante id, quod excruciabat, ac turbabat, ſuſtulit, quam vitioſos morbo liberaſſet, ac purgaſſet*. Et quidem *ſerpentis* linguā ſymbolum eſſe linguæ detractoriæ, & maledicentiæ improbi, ſæpe indicatur in Sacro ſermone: ſicut etiam AEgyptii ſignificare cupientes hominem male affectum accuſatione, & cōvitiis alterius, Baſiliſcū pingebant, vt Orus ſcribit: eo quod Baſiliſcus propius accedens ore, & afflatu ſuo perimere dicatur. Sed ad alias impiorum diras, & execrationes tranſeamus.

Plin lib. 6. c. 37. Iſidor. lib. 13. Orig. c. 4.

Nicander.

LXX.

Nicetas.

Prov. 1. 18.

Plutarchus.

Improbi improborum tortores & carnifices.

Serpentis lingua ſymbolū detractoris.

Baſiliſcus cujus ſymbolū. *Orus*

XVII. Non videat rivulos fluminis: torrentes mellis, & butyri.

1. *Notatus Titelmanus. Germana ſententiæ expoſitio.*
2. *Impiorum ſordida avaritia*
3. *Impii ſupplicium, non poſſe frui bonis comparatis. Explicati Moyſes, & Lucas.*
4. *Græcorum lectio. Striphnus quid.*
5. *Videre quid in ſacro Sermone et quid videre bonum. Illuſtratus Ioannes, et Moyſes.*
6. *Quid Rivulus. explicatus David.*
7. *Flumina, et torrentes ad copiam et vbertatem.*

GRegorius quidem, atq; Philippus per 1
allegoriam & anagogiam hæc referunt ad bona ſpiritualia gratiæ, & gloriæ, quibus impius omnino cariturus ſit. & mirum, quod Titelmanus tam acriter contendat nō aliter poſſe intelligi in ipſo primo, & litterali ſenſu; ut de bonis tēporalibus non niſi a Iudaizātibus accipi, cōtendat homo alioqui modeſtus, & cordatus; ſed nunc plane oſcitans hallucinatus eſt, cum pro illa ſua anagogia. D. Thomā citet, qui tamē de bonis temporalibus interpretatur. Ergo certius eſſe videtur, quam ut probatione egeat, de bonorum temporalium vel amiſsione, vel uſu in primo & litterali ſenſu hæc accipi a Sophar: ſecus extra chorum ipſe ſaltaret, & potius rem Iobi ageret & probaret, quam ſuam, conſentiunt in eandem interpretationem cæteri omnes Græci, atque Latini.

Cæterum Cajetanus quidem putat nūc 2
deſcribi ingenium avari hominis, qui quāvis abūdet bonorum omnium copia, multoque melle, atque butyro, ſed tamē propter ſordidam ſuam avaritiam, nihil ſibi ex bonis aſſumit, nihil etiam pro uſu domeſticorum diſtribuit. *Imo* (inquit) *ex induſtria non videbit huiuſmodi participationes, ne creſcat triſtitia ſua videndo*. Ergo *flumina* illa, atque *torrentes* bonorum, intra ſuum alveum, ſuaque promptuaria continet, legēq; illis ponit, ne tranſeant fines ſuos. Nō dividit in *rivulos*, qui ad ſteriles, & aridas pauperum domos irrigandas, atque ad egeſtatem, famem, ſitim egenorum ſublevādem deriventur; neque omnino famulis, & ſervis aliquid diſpertitur. Certe interpretatio hęc, vt plus juſto argutior, ita multo labore quęſita, & non multum ſolida.

Vatablus ſignificari putat irritos impiorū conatus, quia omnia faciūt, vt res ſuaves, atque voluptuoſas aſſequantur, quas nunquam aſſequentur. vel avaritiam divitis, *qui in magna rerum copia, eget*. Sed non video, quomodo bene quadrare poſ-

Gregor. Philippus.

Titelmanus.

Vera expoſitio.

Cajet.

Sordida avarorum parſimonia.

Reijcitur præcedens expoſitio.

Vatabl.

sit hæc interpretatio, cum dicatur suaviter vivere, & suavitatem peccati, atque aliarum voluptatum abscondere sub lingua, & se pane suo desiderabili infarcire, & replere.

3 Interpretatio germana.

Ergo nisi de supplicio impij hæc intelligantur, cohęrere quidem cum antecedentibus & subsequentibus non poterūt. Quare debet hæc imprecatio accipi, perinde ac illæ, quæ impiis divitibus negant vsum suorum bonorum, multo labore comparatorum. Sic Levit. 26. 20. *Frustra feretis sementem, quæ ab hostibus devorabitur, consumetur in cassum labor vester, non proferet terra germen, neque arbores poma præbebunt.* & Deute. 28. 31. *Vineam plantabis, & fodies, & vinum nō bibes, nec colliges ex ea quippiā, &c. Bos tuus immoletur coram te, & non comedas ex eo. Maledictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, armenta boum tuorum, & greges ovium tuarum.* Quę omnia profecto hoc unum significant, fore ut impius hoc supplicio luat scelera, quæ commisit in comparandis facultatibus ex iniquitate, vt non possit ex illis vllam vtilitatem capere, quāvis ad manum, & ad os parata habeat, sed inter os supremaque labra ruat cælitus divina vindicta, atque vox illa severissima; *Quæ parasti, cujus erunt?* cedantque tandem in aliorum vsum; & vel hac una ratione stultissimus fuisse deprehendatur, quod postquam *Vberes fructus ager illius attulerit,* Cogitaverit intra se dicens, *Congregabo omnia quæ nata sunt mihi, & bona mea.* Nam illud *mihi*, & illud *mea*, indicat sibi tantū voluisse bona sua; cum tamen minime *bona sua* essent, quæ non *sibi*, sed aliis servitura essent. Sic fere ponderant hæc verba Basilius, Cyrillus, Theophilactus. Simili ergo supplicii formula hic dicitur; Postquam impius ex rapina, & iniquitate numerosissimos ovium greges collegerit, armēta quoque pinguissimarum vaccarum, atque camelorum, postquam multa prædia ex præda comparaverit, nullos poterit sibi fructus percipere, *non videbit* ipse, neq; fruetur incredibili illa copia *lactis* fluētis ex uberibus, instar *rivulorum*; non *butyro* bovillo in magna copia expresso: non alvearibus *mella* fundentibus: non promptuariis plenis, atque redundantibus, instar torrentum perennium, *eructantibus ex hoc in illud*. Sensus iste quidem non minus elegans quam ad rem præsentem, & ad mentem Sophar opportunus: & plane indicatus a Septuaginta legentibus; *Non videat mulctram pecorum, neque pabula mellis, & butyri, in vanum, & frustra laborabit, divitias, ex quibus non gustabit, tanquam durum, quod mādi non potest, neque glutiri.*

Impiis divitibus negatus usus facultatum male partarum.

Luc. 12. 16. 17. 18.

Dives sibi tātum congregans, stultus

Basil. Cyril. Theophil.

LXX.

4 Nicetas.

Quod elegāti Paraphrasi illuminat Catenæ auctor. *Ea (inquit) quorum causa frustra laboravit, quasi striphnus illi erunt. Est autē striphnus, caro boū nervosa: est item herba quædam sic appellata, quæ mandere conantis linguam reddit asperiorem, quæ mandi nequit, atque ob id ipsum neque deglutiri, Dicit igitur impium nequaquam sua bona concocturum, neque illis plane potiturum, &c.* Sed quod ad *Striphnum* attinet, certe non tam videtur esse herba aliqua peculiaris, quam nomē saporis acerbi, & austeri, vel adstringentis. Quo nomine Dioscorides nominat vinum acerbum. lib. 5. cap. 10. & rursus lib. 4. cap. 15. ait tribulum habere *acanthas striphnas*, idest austeras, aut acerbas. Quamvis sit etiam peculiaris herba *Striphnos*, de qua Dioscorides lib. 4. c. 65. 66. 67. Sed cui non videtur convenire, quod Nicetas hoc loco tradit. Vide omnino Ioannem Gorræum in definitionibus Medicis. Nūc siquid præterea dulcioris succi latet in verbis singulis exprimamus.

Striphnus quid sit.

Dioscorides.

Ioannes Gorra.

5 *Non videbit*, non potietur, non vtetur, non convertet in suum vsum peculiari, & familiari experientia præsentis boni, & voluptatis. Quod quis *videt*, & coram se habet, jam videtur in suas quasi manus potestatem, vsumq; cessisse: inde *videre* pro vti, & experiri aut sentire, & percipere quocumque alio sensu. Sic Eccles 2. 1. *Affluā delitiis, & fruar bonis.* Quod in Hebræo est, *Videre bonum*. Septuaginta; *Vide in bono.* Sic & *videre* pro *tangere*, Ioan 20. 27. *Vide manus meas.* i. tange. & iterum; *Quia vidisti* (tetigisti) *me Thoma &c.* Et, ut visus ad actiones reliquorum sensuū transferatur, vide eo loco August. & lib. 10. confess. cap. 35. & ad Paulin. epist. 112. & lib. 5. locutionum de Deuter. Philon. lib. de special. legibus. Diximus quoque nos de hoc non semel. Tum etiam *videre* non solum est experiri, sed praeterea affert voluptatem, & animi lætitiam. Certe ipsi fructus & cumuli segetum suo conspectu ingentem afferunt lætitiam agricolæ, ut in proverbio de ingēti gaudio dicitur: *Sicut qui lætantur in messe*, qualem percipere videbatur Isaac cum Genes. 27. 37. benedicens filio dicebat; * *Ecce* (proprie, *vide*, sentio ac percipio ego, proh, eximiam lætitiam, & voluptatem incredibilem) *Odor filii mei, sicut odor agri pleni &c.* Ergo impio etiam ipsa vidēdi fructus vberrimos facultas denegabitur, nedum vtendi & fruendi.

Videre, de vsu rei præsentis.

Videre pro tāgere.

August.

Philo.

Vid. priori tomo pluribus locis, sed præcipue c. 7. vers. nu. 4.

Videre ad lætitiā, & voluptatem.

Isai. 9. 3.

* Mirad como huele.

6 *Rivulos fluminis, torrentes &c.* Tria nomina videntur, *Rivuli, torrentes, flumina*, ad auxesim, aut synonimiam conjuncta: ego

Sinonymia cū incremento

etiam indicari existimo his tribus nominibus, non solum affluentiam, & vbertatem, quæ per perennitatem fluminum significatur, sed etiam diversitatem quandam rerũ affluentium, ita ut significetur multi *rivuli, & torrentes* lactis, id est diversitas multorum pecorum, id est, multa vbera lacte manãtia ovium, caprarum, vaccarũ, camelorum, multa butyri, & caseorum genera, alvearia multa affluentia melle, multæ item mulctræ redundantes, casealia multa, & liquores hi suavissimi ex vase in vas transfusi; quibus rebus non unius tantum rivuli, aut defluxus, sed multorum rivulorũ atque torrentium imago repræsentatur.

Rivulus non habet diminutam significationem.

Rivulus autem non significat diminutionem, quamvis a divisione nomen habeat; nam in Hebræo *Phalag*, est dividere, unde *Pheleg*, id est *Rivulus*, quasi divisio, aut divisus: cujus nominis Etymologia explicatur Genes. 10. 25. *Nomen uni Phaleg: eo quod in diebus ejus divisa esset terra.*

פלג

Vnde dicatur flumen in Hebræo.

Non enim eo, quod flumen soleat in rivulos dividi, sed ex eo, quod omnia flumina divisionem aquarum habeãt a mari: vel quod flumina a mari dividãtur, id nomen habet; quare non sicut apud Latinos, apud quos *rivus* est, tenuis fluor aquæ; sed in Sacro sermone idem est, quod *flumen*, aut *torrens*, impetu decurrens, ut Psalm. 45. 5. *Fluminis impetus.*

Rivus apud Latinos, quid.

Pelagus vnde dicatur.

Inde a primitivo nomine *Peleg*, videtur deductum ad Græcos & Latinos, nomen *Pelagi*, quod vel mare, vel magnam vim aquarum denotat. Quare cum Interpres dixit, *Rivos fluminis*, non intellexit tenues rivulos deductos, & divisos a flumine, sed *rivulos*, qui sunt flumina; vel flumina multa invicem; vel impetum, & decursum fluminum, separatim exeuntium a mari.

7 *Flumina* porro, *& torrentes*, affluentiã & copiam afferunt nunquam exhaustam; sicut etiam *mel*, atque *butyrum*, non solum vbertatem rerum suavium, atque delicatarum, sed precipue fructuum omnium agri atque pecorum provẽtus vberrimos.

Flumen symbolum affluẽtiæ.

Sic sæpe promissa est feracissima illa regio antiquo populo, quæ *Lacte, & melle manaret*, Exod. 3. 8. & 33. Levit. 20. 24. Num. 13. 28. Deut. 6. 3.

Terra quomodo lacte & melle manãs.

Nam cum sponte in montiũ, & arborum cavernis mellificarent apes, mel etiam tãquam ex occulta scaturigine effluebat; & cum pecorum ubera nimium distenta lacte distillante terrã perfunderent, & madefacerent, videbatur etiam lacte fluere, & habere *benedictionem* illam *Vberum, & vulvæ* Genes. 49. 25.

XVIII. *Luet, quæ fecit omnia, nec tamẽ consumetur: secundũ multitudinem adinventionum suarum, sic & sustinebit.*

1. *Vera sententia Latinæ lectionis.* Luere *quid. Impiorum obstinatio.*
2. *Rapinæ impiis inutiles, imo noxiæ.* Calculus *in Sacro sermone quid. Illustratus Salomon.*
3. *Æternus impiorum cruciatus. Quid sit impium non consumi, nec deglutiri a morte. Notatus Cajetan.*
4. *Adinventiones quid in Sacro sermone. Illustratus Salomon. Extenuatio. Explicata sapientia.*

I

Dilucida sententiæ paraphrasis.

NIhil abibit impune, quod pari, dignoque supplicio nõ afficiatur, ita tamen, ut temporalis voluptatis, quæ ex peccato percepta est, supplicium, & cruciatus æternus sit. Hæc est breviter, & dilucide sententia Latinæ lectionis: & sane licet non sit valde magna in sensu varietas; est tamen in verbis mirabilis dissensio ab Hebræo & Græco.

Lectionis atq. interpretationis varietas.

Nam quod in genere Latinus dicit, *Luet, quæ fecit, omnia*, Hebræus proprie habet, reddet, aut, restituet laborẽ, aut restituet aliena, quæ alii elaboraverũt, & ipse per vim rapuit; aut etiam, suas ipsius facultates, quæ multo labore paraverat, cogetur amittere, & aliis relinquere; vel, dabit pœnas pro labore, & molestia, quam aliis inflixit. Nam hæc omnia commode possunt significari, atque hoc ipsum est, impium *luere omnia, quæ fecit*, & nunquã satis eluere tot scelera propter obstinati animi impietatẽ & impœnitẽtiã.

2

Varia lectio.

Quod vero Latinus dixit, *Nec tamẽ consumetur*, in Hebræo est, *non deglutiet*, aut, *non devorabit*, quod etiam juxta canones Grammaticos reddi potest impersonaliter, non deglutietur, non devorabitur: & similiter etiã iuxta eosdem canones, quod sic vertitur, *non consumetur*, verti poterat, *non consumet*. Ergo sensus Vulgati interpretis est, ne putet impius restitutis, aut devolutis bonis alienis ad suos veros dominos, iam sibi reliqua salva esse, vitam videlicet, corpus, animam, nam restituto furto, & ipso impio ad summam paupertatem redacto, manet adhuc illi culpa æterno supplicio luẽda, quare sempiternis cruciatibus corpore, & animo afficietur, & ita ipse impius *non consumetur*.

Æternus impiorum cruciatus.

LXX.

At vero Septuaginta efficiunt appositũ verbi consumendi, aut, *devorandi*, divitias proprias, vel alienas, quas impius possidet, legunt enim, *Divitias, ex quibus non gustabit, tanquam durum quid, quod mandi non*

potest,

potest, nec glutiri. id est, licèt impius gustum aliquem perceperit ex rapina, & iniquitate, & dulcedinem illam peccati visus fuerit abscondisse sub lingua; tamen devorare non poterit, neque deglutire, nam brevi facultates omnes amittet, neque poterit illas in suum usum, vel sustentationem convertere. & sicut herba illa Striphnus, de qua nuper dicebamus, quāto magis ore tractatur, & teritur dentibus, tanto magis linguam exacerbat, & difficilior redditur, ut deglutiatur; ita sane, sic Deo disponente, videntur bona furtiva, licet primo aspectu dulcissima appareant, sed tamē ad usum & utilitatem aliquam durescere, & inutilia fieri impio, neque facile se tractari permittere. In quod verissime dici à Salomone potuit; *Suavis est homini panis mendacii, & postea implebitur os ejus calculo.* Panis autem mendacii non solum est sordidum lucrum, quod mendacio, & falso testimonio quis lucratus est; sed quodcumque aliud malis artibus quæsitum. Hujusmodi ergo panis durescit, & perinde ac si esset ex lapillis, & calculis durissimis compactus, ita videtur nolle impio servire ad ullam commoditatem, sed ita lapidescit, ut linguam lædat, dentes confringat, palatum scarificet, & tamen minime mandi, aut deglutiri possit. Quid, si *calculus* ille, in quem videtur converti panis mēdacii, sit calculus ignitus? Certe *calculus* non raro prunam accensam significat, & sic clarius significabitur æterni ignis cruciatus, quem pro temporalis voluptatis dulcedine degustata cogetur impius ore versare; nunquam tamen omnino devorare, multo minus expuere.

Rapinæ impiis frequēter inutiles.

Striphnus ore tractata durescit.

Prov. 20. 17.

Panis mendacii quis.

Calculus ignitus.

Isai. 6. 6.

3 Si tamen suppositum verbi *consumendi* & deglutiendi facias *dolorem*, aut *laborem*, latebit elegans similitudo ad declarandū æternum impii cruciatum, sceleri ex opposito respondentem: nam sicut impius non deglutiebat statim peccatum, sed *abscondebat sub lingua*, & tractabat, detinebatque in palato, ut diuturniori ex injustitia dulcedine potiretur; ita sane postea, cum supplicium, & dolor illum corripuerit, nō statim illum devorabit, neque satis decoquet, sed semper illum ore versabit, abscōdet sub lingua, celabit in gutture, & perpetuo atteretur doloris, & supplicii dentibus; sed nūquā tamē illum mors aut supplicium consumet, neque deglutiet. Sensus hi omnes neque inutiles, neque non ad rei præsentis gravitatem, & pondus opportuni. Nam quod Cajetanus adducit ad hujus loci expositionem, humilius profecto est, quam ut cum aliis interpretationibus conferri possit. Ego non refellam, sed referā tantum illius verba: *Reddet laborem, & non deglutiet, quod quando solvit mercedem laboris illis, qui laboraverunt in vineis, agris, vel aliis exercitiis, tanta afficitur passione avaritiæ, ut comedendo non deglutiat, id est, non delectatur cibo, atque potu.* Res quidem hæc, ut ab hoc loco aliena, ita propria & germana illius loci Ecclef. 5. 16. *Cunctis diebus vitæ suæ comedit in tenebris, & in curis multis, & in ærumna, atque tristitia.*

Æternus impiorum cruciatus similitudine explicatus.

Cajetani expositio humilis.

4 *Secundum multitudinem adinventionum suarum, &c.* Id est, conatibus, consiliis, & impietati impii par, dignumque suppliciū respondebit. Hæc enim appellari solent *adinventiones*, quæ quis ex iniquitate cogitat, & molitur ad nocendū, vel studia quæcumque justitiam violandi, aut prave agendi; juxta id Psalm. 80. 12. *Dimisit eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis:* id est, permittet illos Deus, desideriis & libidinibus. Sunt etiam *adinventiones* ipsa opera ex præmeditato desiderio, & diuturna cogitatione, quare quod Isai. 3. 10. dicitur de Justo; *Fructum adinventionum suarum comedet*; statim de impio dicitur, *Retributio manuum ejus fiet ei.* Deniq; hoc est illud Sapiētis proverbium, *Comedet fructus viæ suæ, suisque consiliis* (adinventionibus, voluptatibus, vox enim originalis hęc omnia comprehendit) *saturabūtur.*

Adinventiones quę dicantur.

Prov. 5. 15.

Clarius est in Hebræo hoc hemistichiū, *Secūdū substātiā, vel facultatē, aut robur, permutatio, aut retributio ejus*, id est, tantum restituet, quantum ex alieno ditatus est; vel, pro rebus ablatis cogetur omnes suas facultates persolvere, & non solum alienas, sed sua etiam reddet: pro furto, rapina, iniquitate permutabuntur omnes facultates impii. Hebræi addiderunt, *& non lætabitur*, aut, *non exultabit*, id est, redundabunt omnia, quæ ad sui animi lætitiam, & voluptatem comparaverat, in tristitiam sempiternam: Solent enim hujusmodi extenuationes frequenter inveniri in sacris, cum minus dicitur, quā significatur, ut Sap. 1. 11. *Custodite vos à murmuratione, quæ nihil prodest*, id est, vehementer nocet; *quoniam sermo obscurus in vacuū non ibit*, id est, gravissimo supplicio afficietur. Sic cum post tot gravissima supplicia, impio dicitur, ut *non lætetur*, tristitiam, & mærorem sempiternum minatur. Hic iterum minutiora quædam affert Cajetanus. Nam quoniam in Hebræo est, *Secundum facultatem permutatio ejus, & non lætabitur*, existimat significari avarum, cum permutat, aut emit res aliquas, quamvis justo pretio emat, *non tamen lætari, quia proprios nummos minuit.* Quis

Varia lectio.

Extenuatio.

Cajetanus.

credat

credat hoc nunc tam humile, tam minutũ a Sophar adduci inter tot gravissima impiorum supplicia, & cruciatus consciétiæ?

XIX. Quoniam confringẽs nudavit pauperes: domum rapuit, & non ædificavit eam.

1. Frangere *in Scriptura, quid. Illustrati Amos & Isaias.*
2. Nudare *ad sævitiam impii refertur. Improbus degeneri animo Crocodili persimilis.*
3. *Avarus impius, truculentus leo, detondet & excoriat pauperem. Illustratus Michæas.*
4. Rapere *quid. Impiorum manifesta impudentia.*
5. *Impius in optimas quasque ædes alienas inhians sibi omnia, nihil vult alteri.*
6. *Avarus eo etiam nomine raptor, quod egẽtium necessitatibus non subvenit.*

Causam exponit, sævitiam videlicet & crudelitatẽ inexorabilem impii, propter quam tam diris suppliciis afficiendus sit. *Confringens.* Confregit, contrivit, oppressit & ad summam inopiam deduxit. hæc enim significat verbum *Ratsats.* sed illam *frangendi* significationem elegerunt quoque Septuaginta, atque Vulgatus etiã Amos. 4. 1. *Calumniam facitis egenis, & confringitis pauperes.* & iterum Oseæ. 5. 11. *Calumniam patiens est Ephraim,* * *fractus judicio.* oppressionẽ hæc omnia significãt per vim, & nefas: &, quod ex oppressione sequi solet, ut oppressus ad summam inopiã & calamitatem redigatur, qualẽ, qui apud nos *fracti* dicuntur, pati solent, qui cum ingenti ære alieno gravãtur, bonis omnibus suis cedunt. Quare Isai. 58 6. explicatur cujusmodi sit hæc oppressio, ex qua tandem oppressi confringuntur; *Dissolve colligationes impietatis,* id est, vincula vel obligationes improbas, & usurarias, quibus ut obligaretur proximus per vim, & nefas effecisti; *Solve fasciculos deprimentes.* onera videlicet, vel pacta onerosa, & iniqua, quib⁹ alligatum & cõstrictum tenes proximum: quibus ferendis pares non sunt vires hominum imbecillorum: * *& dimitte eos, qui confracti sunt, liberos.* Sic fiet, ut calumniæ, & iniquitas non adigant miserum hominem, ut frangatur. Solet etiam in Scriptura *fractio* dici de re destructa, quę restaurari nequit; ut illud Isai. 24. 19. *Confractione cõfringetur terra,* sed ab alia radice. Impius igitur per vim, & manifestã calumniã oppressit pauperes, & cum ingenti ignominia bonis spoliavit omnibus.

I — Impiorum sævitia punita. — רצץ — Frangere.

* Quebrò de puro perseguido y agraviado.

* Dexalos tu, y no los hagas quebrar.

עזב

2 *Nudavit pauperes.* Quod in originali est, dimisit, aut, reliquit pauperes, & iuxta precedẽtem particulam *frangendi,* sensus esse potest: Postquam per impii calumniam redactus est homo, ut frangeretur, omnino effectum esse, ut in summa ægestate remaneret. apud nostrates unus dicitur relinquere alium in aliquo statu, aut conditione cum illius vi, aut ope, efficitur talis. *Hizo que quebrassen, y dexolos pobres.* Sed significanter Vulgatus dixit, *nudavit,* quod ad rapinam refertur; spoliavit bonis omnibus, attenuavit, exhausit viribus. Septuaginta paulo vehementiorem reddiderunt sententiam; *multorum potentum domos fregit;* id est, impium non solum sævisse in pauperes & imbecillos, sed in opulentiores etiam, ita ut inhiaret in omnium facultates. Quamquam & Complutenses hoc ipso loco legerint, *impotentum domos fregit.* & quidẽ quamvis verissimum sit, *inter superbos semper esse jurgia,* & ipsos quoque raptores & avaros mutuo *contra sanguinem suum insidiari,* sed frequenter impii degeneri, & pusillo animo sunt, & nõ nisi pauperibus & imbecillioribus insidiantur, paulo vero robustiores invadunt, sicut Scriptum est; *Venatio leonis onager in eremo, sic pastua divitum sunt pauperes.* & sicut Cocrodilus, quod *magnum malum* appellant, qui terribilis bellua est cõtra fugaces, at fugax contra insequentes. Et vero nec leo leonem, neque impius impium, aut avarus avarum; sed ditissimus & avarissimus quisque pauperrimum & miserrimum quemq; aggreditur, de quo dicemus amplius. c 24.

LXX. — Divites improbi in pauperes, timidi in compares. — Prov. 13. 10. Prov. 1. 18. — Eccles. 13. 23. — Cocrodilus symbolum impietatis. — Seneca lib. 1. Natural. qq. Plin. Solin. Ælianus.

3 Sed illud nunc observatione dignissimum, incredibilem esse divitum, & avarorum hominum crudelitatem animi, & immisericordiam erga viduas, pupillos, pauperes: satis fuerit illos vocari *leones,* quamvis sibi multa, habeant semper, *esurientes,* alienis bonis inhiantes, sicut dicebat David Psalm. 33. 11. *Divites* (Hieronymus. *Leones,* videlicet crudelissimi, & inhumanissimi) *eguerunt, & esurierunt;* & veluti latrones sordidissimi, non solum homines pecunia, aut alio commeatu spoliant, sed etiam vestimentis ipsis: neque solum eos viatores, ex quibus pinguiorem prædam sperant, sed etiam miserrimos quosque pauperes nudant. Quod videtur Micheæ, 3. 2. in exemplũ incredibilis improbitatis adduci; *Violenter tollitis pelles eorum desuper eis; & carnem eorum desuper ossibus eorum.* Nunquam sibi atque suæ crudelitati & sacræ fami modum statuunt, non solum detondentes, & aliena bona occupantes, sed etiam nudantes, & excoriantes pauperes.

Ingenium sordidorum furũculorum.

4 *Domum rapuit,* diripuit, videlicet non

solum oblatam sibi ad manum rem alienã abstulit, sed etiam incredibili aviditate & impudentia invadebat alienas domos, quæritans prædam, atque vi diripiebat, dominis suis pro re sua conservanda frustra pugnantibus. nam verbum *rapiendi*, ejusmodi vim contra pugnantem affert, sicut dicitur ab eadem radice. 2. Reg. 23:21. *Vi extorsit hastam de manu Ægyptii.*

גזל

5 *Et non ædificavit eam.* id est, violenter deprædatus est domum alienam, quam ipse non edificavit, quasi dicat; Si alii ædificãt, non sibi ædificant, sed hujusmodi impiis, avaris, & raptoribus. Et mirum, quod Divites, sibi tantum & non pauperibus laborare, & thesaurizare non contenti (nam dicunt, *Congregabo omnia quæ nata sunt mihi, & bona mea*, velint præterea pauperes quoque non sibi ipsis, sed illorum impietati & avaritiæ servire, & laborare. videntur sane vivere ex illa lege; *Habenti dabitur, & abũdabit: ab eo autem, qui non habet, etiam quod habet, auferetur ab eo. Sic est, qui sibi thesaurizat, & non est in Deum dives*, inquit Christus servator.

Mirabilis avarorum cupiditas.

Luc. 12. 18.

Matth. 13. 12

Luc. 12. 21.

Potest autem hæc esse amplificatio sceleris, & rapinæ, ut indicare videtur auctor Catenæ, Ita domum alienam diripuit, ut nunquam restituerit ablata, neque de reædificando cogitaret, & damna, quæ fecit, nullo remedio restituere, aut resarcire curaverit, & *Siquid aliquem defraudavit*, non quadruplum, sed neque dimidium reddiderit. Amplificatio etiam potest esse supplicij, in quem sensum adducit Catenæ auctor lectionem Symmachi, *Domum rapuit, & non reædificavit eam.* quod sic ipse interpretatur; *Alienam domum, quam injustus rapuit pro sua libidine, iterum ab eo ædificari, atque ornari non posse, quin etiam antea fore ipsi moriendum.*

Avari nunquã restituunt ablata.

Nicetas.

Symmach.

6 Prætereo Cajetani interpretationem violentam omnino, quod avarus * *Domum rapuit, & non reædificavit*, id est, optimam quamque domum occupavit recenter ædificatam, *non indigentem*, ut ille ait, *restauratione*. sed illud non prætermittendũ, quod forte hoc referatur ad domum pauperum male materiatam, atque nutantem; atque sceleri tribuatur, quod dives diripuerit alienas pauperum domos, cum potius deberet illas ædificare, & confirmare, atque fulcire; & quod aliena rapuerit, cum sua nõ distribuisse egenis, rapina fuerit. Quod eleganter D. Gregorius docuit hoc loco, *Rapuit*, inquit, *& non ædificavit eam, quia nõ solum de suo nihil tribuit, sed etiam, quod erat alienum, tulit.* Sed de hoc iterum. c. 22.

Cajetan.

* Apoderose de las mejores casas, que no avian menester reparo.

Rapina non benefecisse indigentibus.

Gregor.

XX. Nec est satiatus venter ejus: & cum habuerit, quæ concupierat, possidere non poterit.

1. Venter, & ventris concupiscentia, in Sacro sermone. Avari venter quis.
2. Impiorum ventrem Deus implet, sed ipsi se insatiabiles efficiunt. Fames avarorum inexplebilis. Illustratus Salomon.
3. Ingens avarorũ cruciatus. Filia sanguisugæ, quæ
4 Avarus nunquam possidet.
5. Desideria impiorum nunquam sedata.

AVT Supplicium, & pœna; aut vitiũ, 1
& morbus insatiabilis cupiditatis describitur. Ad culpam avaritiæ Greg. Philippus, & plerique Latini referunt: ad pœnam molestissimæ cujusdam sitis, & famis, & indigentiæ bonorũm omnium, Græci, & alii. Sed quidem plenior atque perfectior erit interpretatio, si vtrumque conjungamus. *Venter*, ingluvies, appetentia, fames: *non est satiatus*, proprie ex Hebræo, *Non novit pacem*, vel, tranquillitatem, id est; Non sentiet sedatam sitim, aut famem, etiamsi multa voraverit. *Venter* quidem pro stomacho, & ciborum receptaculo, quemadmodum. Eccles. c. 23. 6. precatur, *auferri a se ventris concupiscentias.* Et iterum, liberari *de altitudine ventris inferi*, id est, de profũdo illo baratro, & quasi terræ stomacho, qui corpora non solum in sepulchris condita, sed etiam animas in infernis receptaculis detentas absorbere, & devorare videbatur. Quid vero *per ventrem* hunc significetur, eleganter Gregorius docuit. *Venter*, inquit, *iniqui, avaritia est, quia in ipso colligitur, quidquid perverso desiderio glutitur.* Non minus sapienter Philippus in hæc verba; *Ventrem hic appellatum puto quoddam receptaculum animæ, vbi cogitationes, quasi escæ ciborum reconditæ continentur.* Hunc igitur ventrem cupiditate, & avaritia inexplebilem dicit.

Gregor. Philipp.

Ventris impiorum insatiabilitas, culpa est.

Venter impii avaritia.

Gregor. Philippus.

Solet autem Scriptura aliquando dicere, *animam, & ventrem* impiorum bonis vtique ad satietatem repleri, vt significet divitiarum abundantiam, quæ possent satiare quamlibet naturæ indigẽtiam, & famẽ. Sicuti Psalm. 16. 14. scriptum est; *De absconditis tuis adimpletus est venter eorum.* id est, Tu, o Deus, liberalissime illorum desideria bonis omnibus cumulas, & quæ in tuis promptuariis, & thesauris recondita sunt, illis referas, & patefacis. Propterea dives epulo sibi de tanta bonorum ubertate blãditus, atque gratulatus, ad sese ingurgitandum hortabatur; *Anima*, inquit, *mea*, id est ingluvies, & appetentia, *requiesce, comede,* 2

Cur impii dicantur satiati.

Luc. 12. 19.

bibe

Cur nunquã satiari impii.

bibe,epulare,atq; illi etiam Sapiētiæ.2.7.*Vino pretioso, & vnguentis nos impleamus*. Sed in ista ipsa re,non tã ex parte Dei, liberalissime tantam bonorum affluentiam conferentis, quam ex parte avarissimi animi considerata, frequentius admonent sacræ litteræ nunquam impleri,aut *satiari ventrē impii*. Res omnino mirabilis Salomoni Prov.13.25. *Iustus*, inquit,*comedit & replet animam suam: venter autem impiorum insatiabilis*. Sicut enim justi anima,id est appetentia & desiderium, justo & necessario divititiarum cibo contēta est; ita sane desideria impii nunquam explentur; quãtūvis multa devoraverint,multo plura famescunt,& sitiunt. Quam rem Grego.pulchra similitudine exprimit.*Avaritia*,inquit,*Desideratis rebus nō extinguitur,sed augetur; nã more ignis,cum ligna, quæ consumat, acceperit, accrescit, & vnde videtur ad momentum flamma comprimi, inde paulo post cernitur dilatari*. Nimirum ista avarorum,& impiorū hominum sitis non est vera aliqua naturæ indigentia, sed morbus, ideo nullus modus,nulla satietas.de qua re disserit graviter,& sapienter Seneca, de consolatione ad Helviam matrem. *Quod non ex inopia*, inquit,*sed ex vitio nascitur,quidquid illi congesseris,non finis erit cupiditatis, sed gradus. qui continebit itaque se intra naturalem modū, paupertatem non sentiet. Qui naturalem modum excedet, eum in summis opibus quoq; paupertas sequetur. Hæc accedunt divitias non ad rationem revocantibus, cujus certi sunt fines; non ad vitiosam consuetudinem, cujus immensum, & incomprehensibile arbitrium est*.

Greg.lib.15. cap.12.

Cur avaritiã sitiinsatiabilis

Seneca.

Insatiabilitas avarorū pœna

Cum hoc facit etiam quod hæc ipsa insatiabilitas cupiditatum, non solum culpa; sed ingens etiam impii pœna sit, cum ex tot bonis multo labore & studio comparatis, nihil emolumenti percipiat, neque, ut juxta Hebræum legebamus, *sentiat pacem*;& tranquillitatem: vel,ut Tyg. vertit, *Non sentiet in ventre suo, quod opulentus est*. Vatabl. *Non agnoscet tranquillum in ventre suo*.Est enim quædam, quasi ventris trãquillitas, & quies refertio illa,atq; saturitas. Quare cum ista *saturitate*, conjungitur quies Luc.12.19. *Requiesce, comede,bibe,&c*. Certe cum illa Bolimiode,aut canina,quam vocant, fame conjūctos esse dolores peracerbos, & intestinum quasi bellum, omnis quietis,& tranquillitatis expers, medici docent; non aliter cum avaritia,&insatiabili cupiditate animi cruciatus. Nam quanta pœna, & molestia animi, audire semper in corde voces *filiarum sanguisugæ,dicentium semper; Affer Affer*.

Vatab. Tygur.

Prov.30.15.

Vel, proprie ex Hebræo,*da,da*,aut,*trade, trade*! & eleganter quidem Beda dixit, *sanguisugam*, diabolum esse nunquam non sitientem humani sanguinis, & damni; illius vero *duas filias*, Avaritiam atque Libidinem, semper novum pabulum exposcentes, neque bonis,& voluptatibus adeptis unquam satiatas. Et recte quidem istis concupiscentiis duplex illa vox tribuitur, *Affer Affer*; quoniam *sanguisuga* duo ora habere dicitur,nam ex vtraque parte exugit, & hæret cuti; duplici igitur ore incessabilem, atque insatiabilem cupiditatem repræsentat. aut certe non tam duo ora, quam linguam bisulcam, ita, vt cuspis *afferat*, & exugat, atque exulceret. *Aspice*,inquit,*Seneca quemadmodum immensæ hominum cupiditates hient semper, & poscant*. His importunis cupiditatum vocibus respondere videbatur Salomon,cum Ecclesiast.2.1. dicebat in corde suo; *Vadam, & affluam delitiis, & fruar bonis*; vel, vt ex proprietate textus Hebræi legitur, quasi cum corde suo importune efflagitante loquutus; *Vade, & afflue delitiis, & fruere bonis*, vel,ut Septuaginta legūt; *Veni nunc, tentabo te in lætitia*. Sed subjicit, ipse statim, minime suum ventrem satiari potuisse; *Vidi*, inquit, *quod hoc quoque esset vanitas*. Ergo *nec est satiatus venter ejus*. Et omnino mirum, quod avarus nihil expendat,& tamen nunquam impleatur. Similis in hoc etiam sanguisugarum, atque illius animalculi, cui cibi exitus non est, de quō scribit Plin.lib.11.c.34. *Infixo semper sanguini capite vivens, atque ita intumescens, vnum animalium, cui cibi non sit exitus, dehiscitque nimia satietate alimento ipso moriens*. non aliter avarus infixus capite & corde suis divitiis, quarum non est vllus exitus,ita illas asservat,& recondit, & tamen nunquam satiatur, distenditur, intumescit,rumpitur,perit suis bonis.

Beda.

Sangui sugæ filiæ,& voces quæ.

Erasmus in Chiliad.

Lib.7.de beneficiis cap.26.

Ecclasiastæ illuminatio.

LXX.

Avarus cujus similis.

Plinius.

4 *Et,cum habuerit,quæ concupierat, possidere non poterit*. *Possidere* videtur dixisse Interpres,pro eo,quod est possessis vti,& rebus desideratis secure, & in pace potiri. quod sæpe repetit Sophar,quod sit ingēs erucia tus impii,quē insatiabilis cupiditas vexat, captare fugientia bona, & jam jam lābere voluptatū aquas,sed fugiētes,& evanescētes. Ergo,inquit,nullã vtilitatē poterit capere,cū *habuerit,quæ concupierat*. Vel forte illud, *possidere non poterit*,significabit, postquã obtinuerit, fore ut diutius non possideat, sed brevi amittat. Paulo brevius & obscurius in Originali; *In desiderio suo non evadet*;vel cū Septua. *in desiderio suo nō salvabitur*.Quod sic explicat auctor Catenæ;

Varia lectio.

LXX

Nicetas. Tygurin. Vatab.

eorum, quæ adeptus eſt, poſſeſsionem non retinebit incolumem. Tygur. *neque conſervare poterit res optatas.* Vatab. *Non ſervabit de deſiderabili ſuo, id eſt, nec quippiam eorum, quæ habet in delitiis, ſervabit ſibi.* Poterit etiam eſſe precedentis expoſitio; *Non ſatiatur venter impii,* quia *cum habuerit, quæ concupierat,* iterũ alia appetet; nec fieri poteſt, ut poſſideat, & fruatur: nã novis ſemper æſtuat poſsidendi, & acquirendi deſideriis. Illud enim iſtorum impiorum propriũ eſt, quod ingratorum hominum. nimirum inter alias ingratitudinis cauſas, ſic ſcribit Seneca; *Prima omnium aepotiſsima, quod novis ſemper cupiditatibus occupati, non quid habeamus, ſed quid petamus inſpicimus: non in id quod eſt, ſed in id, quod appetimus, intenti, quidquid enim domi eſt, vile eſt: ſequitur autem, vt, vbi quod acceperis, leve novorum cupiditas fecit, auctor quoque eorum non ſit in pretio.* Sic avari leve reputant, quod rapuerunt, ad nova lucra, novaſque prędas inhiantes, & novis cupiditatibus inflammati.

Avari perſimiles ingratorum.

Lib. 3. de benef. cap. 3.

5 Paulo acutius, niſi forte minus ſolidũ, quod ait Cajet. *In deſiderio ſuo non evadet, aut non liberabitur,* ideſt nunquam liber evadit a deſiderando, &, ut ipſe ait, *a laqueo concupiſcibilium.* & congruenter quidem ad verbum originale *evadendi,* quod liberationem, & incolumitatem ex malo & periculo ſignificat. ſane qui liber evaſit a deſideriis, putet ſe ereptum ab extremis diſcriminibus, cũ ſcriptum ſit, *Deſideria inutilia mergere homines in interitũ, & perditionẽ.*

Cajetan.

מלש

Deſideriorum nutilium diſcrimen.

ad Tim. 6.9.

XXI. *Non remanſit de cibo ejus, & propterea nihil remanebit de bonis eius.*

1. *Avari victus ſordidus & tenuis.*
2. *Impiorum guloſitas inexplebilis.*
3. *Impius dives inhumanus. Illuſtratus Samuel.*
4. *Varia lectio & expoſitio, Impii ingluvies redacta ad extremam egeſtatem.*

1 SI Avari & ſordidi hominis victus deſcriberetur, non inepte diceretur eſſe tam tenuis, & parcus in victu quotidiano, ut cũ vix ſatis ſibi ſumat, nullæ remaneãt reliquiæ cibi, & propterea, Deo ſic jubẽte omnino avarus amittat bona, a quibus ipſe propter ſuam avaritiã abſtinet. Sed ſenſus hic, qui Cajetano placuit, convenire nõ poteſt inſtituto Sophar agentis non tã de ſordida avari hominis parcitate, quam de lautitiis, & luxuria inexplebili voluptatũ.

Cajet.

2 Ergo convenientius videtur, vt adhuc deſcribatur voraciſsima illa guloſitas impii, aut extrema paupertas, ad quã redigendus eſt. Si primum, hęc erit ſententia; Impius nihil non expetit ad comedendũ, & devorandũ: atq; de rebus, & voluptatibus oblatis, nihil relinquit, aut prætermittit, * nihil propterea *remanet de cibo ejus.* Ad quod forte reſpicere potuit Tygur; legens; *Cibo illius non aderit vis nutriendi.* id eſt, inſtar voraciſsimi hominis plura appetit, & devorat quam concoquere poſsit, quod ventriculi vitium, & morbus eſt.

Germanior [...]

* Todo ſe lo come, quanto le ponen delãte, ſin dexar bocado.

Tygur.

Hinc bene colligit Philippus impii divitis immiſericordiã, & inhumanitatẽ, *qui de abundantia menſæ ſuæ, nulli peregrino, vel hoſpiti refectionem præbuerit.* Sic cum refertiſſima eſſet epulonis divitis menſa, ſolæ tãtũ de illa *micæ cadebant,* & ne illas quidem quiſpiam mẽdico lazaro dabat; non enim *remanebat de cibo ejus* egenis & mẽdicis, ne mica quidẽ. Hęc ipſa illa vox eſt, ſtultiſsimi & inhumaniſsimi Nabal, qui de cibo ſuo, nihil voluit reliquum eſſe David, & pueris ejus; *Tollã,* inquit, *panes meos, & aquas meas, & carnes pecorũ, quæ occidi tonſoribus meis, & dabo viris, quos neſcio, unde ſint.* Et obſervat Theodor. q. 57. in lib. 1. Reg. prætuliſſe David imaginẽ mendici; *Nã ſignificans egeſtatem rerũ neceſſariarũ; Inveniant, inquit, pueri tui, gratiã in oculis tuis; da quod invenerit manus tua. Quid differunt hæc verba, a verbis quibus utuntur mendici? Sed vir ferus non modo non dedit, ſed etiam irriſit.* Adeoq; ſordidiſſimus homo *nihil remanere* volebat *de cibo ſuo,* cũ eſſet domi ſuæ *quaſi cõviviũ regis.* vt cũ poſtea Abigail narraret neſciẽti Nabal, quæ ipſa detuliſſet munera ad David, *emortuũ fuerit cor ejus extrinſecus; & factus fuerit quaſi lapis.* Videlicet propter miſſum munus, & elargitã eleemoſinã, quod adeo hominem illum avarum diſcruciavit; vt quidam eleganter obſervarunt.

Philipp.

Divitum inhumanitas.

Luc. 16. 21.

1. Reg. 25. 11.

David figura mendicorum.

3 *Et propterea nihil remanebit.* Hæc quoq; pars ad ingluviem illam referri poteſt: nã cum omnia momento temporis devorare velit impius, conſequens etiã eſt, vt neque *de cibo ejus,* neq; *de bonis ejus aliquid remaneat.* cujuſmodi videntur fuiſſe iniqui illi & avariſsimi judices, Sophoniæ, 3. 3. *Principes ejus in medio ejus, quaſi leones rugientes;* (rugiunt nimirum leones capta jam præda) *Iudices ejus lupi veſpere, non relinquebant in mane,* id eſt, ne oſſa quidem relinquebãt ſed in ipſa nocte, qua prædam egerant, devorabant. Sed tum hæc pars, tum illa prior ad extremam paupertatẽ impii referri cummode poterit, vt ſupra indicavimus: Par ſuppliciũ illi rependetur, vt quo impius tenacius aſſervat ſua bona, eo citiꝰ amittantur, & evaneſcãt, ita vt neq; bolus neq; obolus illi relinquantur, atq; adeo ſit

Nicetas. Gregor. Philippus. LXX.

etiam necessario cibo cariturus. ita Catenę auctor. Greg. Philip. favet lectio Septuag. *Non sunt reliquiæ cibis ejus, propter hoc nō florebunt ejus bona*. quasi dicat, interpretante Niceta, *In ipso flore contabescent*. proprie ex

הול

Hebręo legitur, *Propterea non parturiet*. vel, *non multiplicabitur*, id est, non multiplicabuntur bona ejus. Quæ omnia significant, nihil futurum incolume ex illius facultatibus. Ita fere pleriq; Hebraizantes, Pagninus. Vatablus, Regia, deducentes vocē originalem a radice *Hhul* quod est parturire.

Pagn. Vatab. Regia. יהל Cajetan.

sed alii deducunt a radice *jahhal*, quod est expectare, vnde Cajet. legit, *Non facit expectare bonum suum*, id est, frustra expectabit durationem, aut diuturnitatē bonorū suorum, cum cito peritura sint. Tygu. *Bonū ipsius instabile est*. Recidunt eodem omnia, non nihil, sed pulchre variato sensu.

Tygur.

XXII. *Cum satiatus fuerit, arctabitur, æstuabit, & omnis dolor irruet super eum.*

1. *Impius æstuans, & vomens. Quid arctare. Illustratus Ieremias.*
2. *Dolor, & manus quid.*
3. *Manus laborantis pro paupere. Impiorum formido & imbecillitas.*

VIdetur non solum pręcedentem sen-
1 tentiam exponere, verum etiam respicere ad semel usurpatam illam hausti veneni allegoriam. Cū ad suum cibū suāque voluptatem impius omnia converterit, & nimium se repleverit, tunc *arctabitur*, & *æstuabit*. proprie ex Hebræo, *Angustia erit ei*, compressio, afflictio, animi æstus. & notandum quidem præter nomen *angustiæ* subesse etiā verbum in Hebræo, quod cōplodere, aut plaudere manibus significat: ut ex verbo legi possit, *cum repleta fuerit cōplosio sua, angustia erit ei*. Quamvis ex eodē verbo (quod sufficere etiam significat) alii Hebraizantes legant, *cum impleverit sufficientiam suam*, id est, cum abunde habuerit, quod sufficiat ei ad vitam. sed significatio alia frequentior est, & ab omnibus agnoscitur, cohęretq; cum re præsenti de animi angustia, & molestissimo vomitu, juxta id Ierem. 48. 26. *Inebriate eum, quoniam contra Dominū erectus est; & allidet manū Moab in vomitu suo, & erit in derisum etiā ipse*. Nā præ angustia solent vomentes manus complodere, & pulsare lectum, & alia angoris, atq; doloris signa præbere. Sic igitur hoc loco; *Cum satiatus fuerit impius, arctabitur, & allidet manus suas in vomitu suo.*

ספק

Cajet. Vatab. & videtur etiā Tygur. & Isido. Pagn. in thesau. post Abē. Esra, & R. Moysen.

Et omnis dolor, animi angustia, labor, af-
flictio. in Hebræo est, *Omnis manus laborantis veniet super eum*, id est, omnis manus laborare faciens; vel, laborem, & dolorem inferens. quod Interpres noster sapienter dixit, *Omnis labor*. quasi diceret omnium calamitatum, atque laborum vis, atque potētia, sicut etiam Septuag. *Omnis necessitas in eum superveniet*. quod auctor Catenæ interpretatus est, *omnem calamitatem. Ut necesse, inquit, sit, ejus animum doloribus redundare*. Non ineleganter Tygur. *Omnibus partibus laboriosi hominis frangitur*. Ergo in hanc rem quadrare videtur illud Psal. 77. 29. *Manducaverunt, & saturati sunt nimis, & desiderium eorum attulit eis; non sunt fraudati a desiderio suo. Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos; & occidit pingues eorum, & electos Israel impedivit.* 2

עמל

Manus laboris, aut laborantis, quæ. LXX. Nicetas. Tygur.

Sed non inepte, *Manus laborantis*, acci-
pitur a R. Levi pro pauperibus, & mercenariis, quos impius sua mercede, & labore fraudavit. Sicut igitur ipse manu rapuit alienos labores, ita tunc tandem in illius facultates, & bona omnes *laborantium manus* incurrent, ut quod suum est, auferre quisque possit. Et cum quondam omnes laborātes illi vni laborasse visi fuerint, tūc ipse unus omnibus laborantibus & miseris laborasse, & opes accumulasse videbitur. Cum hoc quoque facere potest, quod cum nomen *doloris*, aut *laboris*, pravitatem, aut iniquitatem etiam significet, R. Leui, etiā interpretatur, *manum iniquam*. juxta quem Vatab. *Invadent eum omnes iniqui, parati ad injuriam inferendam*. Quem eundem sensum sapienter quoq; indicavit Gregorius. hunc dolorem ex timore alienæ manus sic exponens; *Formidat potentiorem alterum, ne hunc sustineat violentum; pauperem vero cum conspicit, conspicatur furem; ipsa quoque, quæ congesta sunt, curat magnopere, ne ex naturæ propriæ defectu, per negligentiam cōsumantur*. illud vero frigidum est, quod Isidor. Clar. adducit; *etiamsi accesserit ei omnis manus laborans*, hoc est, *etiam* si omnes homines laborent in ejus cōmoda, adhuc egebit. 3

R. Levi. Digna impiorum retributio. R. Levi. Vatab. Gregor. lib. 15. c. 13. Impii timentes omnia. Clarius.

XXIII. *Utinam impleatur venter ejus, ut emittat in eum iram furoris sui, & pluat super illū bellū suum.*

1. *Varia lectio. Multiplex veracitatis impiorū supplicium.*
2. *Vera, & germana lectio. Optantis affectus, aut potius minantis. Illustratus Ioannes.*
3. *Impius quo nequior, eo supplicio propinquior. Illustratus Amos.*

4. Emittere *quid. Divina juſtitia aliquando contineatur, emittatur aliquando.*
5. Ira furoris, *& ira naſi, ad amplificationem.*
6. *Hebraiʒantium lectio, & mos.* Bellum, *&* carnes *eadem voce cur ſignificet Hebræa lingua*
7. *Belli cum tempeſtate comparatio, ex ſacris & prophanis.* Stillare *in Sacro ſermone de ſupplicio*
8. Pluvia, *ſupplicium ingens. Bellum per laqueos cujuſmodi. Illuſtratus David.*

1 IAm deſcendit ad deſcribendam potentiam Divini numinis, bellum indicentis impio, & illum ſuis bonis omnibus, vita etiam ipſa ſpoliantis, inſtar pugnatoris cujuſdam, ducisq; fortiſsimi.

Impiorum inſatiabilis voracitas.

Vtinam impleatur venter ejus. Græci hãc partem conjungunt cum ſuperioribus, legẽtes; *Si quomodo poſſit implere ventrem ſuũ*; id eſt, ita dolebit, atq; laborabit inopia graviſsima, *ut vix rationem ullam inire poſſit, quomodo inanem ventrem poſſit explere.* Videlicet, eo deducet illum vita luxurioſa, (*Luc. 15. 16.*) *Vt cupiat ſaturare ventrem, de ſiliquis, quas porci manducant, & nemo illi det.* Sed juxta Hebræum, Latinus Interpres conjungit potius cum ſequentibus. In Hebræo autẽ non eſt ille optantis affectus, sed verbum ſubſtantivum, *Erit, cum impleverit ventrem ſuum, &c.* id eſt, in illum jam plenum, & ingurgitatum multis rapinis, atque voluptatibus, deſæviet Divina ira; quamvis Cajet. (*Cajet.*) hanc etiam lectionem ita urgeat, *Erit in implere ventrem ſuum, &c.* id eſt, non expectabit Deus, quod impletus ſit, ſed dũ implet ventrem, & dum adhuc eſca fuerit in ejus ore, corripietur Divino ſupplicio. Paulo ſecius Tygurina, (*Tygurin.*) *Eſto, ut impleat ventrẽ ſuũ, Deus tamen immittet ei fervorem iræ.* Et ſimiliter Vatab. (*Vatab.*) *Si fuerint illi opes, quibus explere poſſit ventrem.* Pagni. & Regia, (*Pagn. Reg.*) *Fuerit ad replendum, &c.* quaſi potentialiter, &c.

2 Affectus optandi quomodo exponendus.

Sed proculdubio longe pulchrior, atq; ſignificantior eſt noſtra lectio, cũ affectu illo optantis, quem Interpres latitantẽ licet, expreſsit; *Vtinam* jam impius quod facturus eſt prædæ, faciat cito, & impleat menſuram ſuæ improbitatis, ut pro meritis rependatur illi ſupplicium. Qui affectus non tam eſt optantis, vt impius immodice peccet, & ſuæ libidini, & cupiditati habenas laxet, quam, ut cum peccaturus ſit, juſto, atq; ſevero Dei judicio ad Divinam gloriam, & mortalium cæterorum exemplũ puniatur; vt ſequens particula oſtendit; *Vt emittat, &c.* conſequetur enim id quod maxime optandum eſt, vt Deus tantæ impudentiæ modum tandem, & finem conſtituat. Similis profecto videtur, illius ſententiæ affectus Chriſti Ieſu dicentis Iudæ; (*Ioan. 13. 27.*) *Quod facturus es, fac citius.* Non enim præcipiebat, non optabat vt Iudas tantum facinus committeret, ſed permittebat; ſed oſtẽdebat ſe, ſi vellet, prohibere poſſe, & ſi ille in ſua improbitate pergeret, poſſe etiã punire ſeveriſsime. Quare Cyrillus (*Cyril. lib. 9 in Ioan. 17.*) dixit illa Chriſti verba eſſe potius minantis, quam hortantis; *Quemadmodum*, inquit, *ſi vir fortis, adverſus quem quiſpiã feratur, ipſe vero viribus ſuis fretus magna voce dicat, quod facis, fac citius, ut meæ dextræ vires experiaris.* Ita ſane nunc hæc ſententia non eſt vrgentis, neq; optantis, vt peccet impius, ſed minantis extreme illius libidini extremum ſupplicium. Cõmode nos diceremus; *Ojala que ſe dieſſe priſſa a pecar, para que ſe la dieſſe Dios a caſtigarle.*

Impius ſaginæ permiſſus, atq; macello.

Eſt quidẽ impius, velut vaccæ illæ, quæ cum ſaginæ, & implendo ventri permittuntur, gladio quidem atque macello deſtinantur; ut, cũ bene impleverint ventrem, tunc demũ jugulentur. Quare illa vox tribui poſſet ipſi gladio, & macello; Vtinã impleatur vẽter earum, ut illæ nobis jugulatæ, & conciſæ in partem, & in prædam dentur. Sic Amos. cap. 4. 1. Tyrãnis principibus loquitur; *Audite verbum hoc, vaccæ pingues, quæ calũniam facitis, &c. Ecce dies venient ſuper vos, & levabunt vos in contis, & reliquias veſtras in ollis ferventibus.* Pinguedini, & obæſitati improbitatis videtur reſpondere illud, *Ecce*, quaſi Divinæ Iuſtitiæ tẽpus nihil aliud expectet, quam ut bene impletæ, atq; pingues evadant. Et iterum cap. 6. 1. (*Illuſtratus locus Amos 6. 1. 3.*) *Væ, qui opulenti eſtis in Sion, &c. qui ſeparati eſtis in diẽ malũ, & appropinquatis ſolio iniquitatis*, nã quanto Iudæi iniquiores, & crudeliores erant erga proximos, tanto magis ſuo ipſi ſupplicio appropinquabant, videlicet captivitati, & dominationi Chaldæorũ, a quibus iniqua etiã paſſuri eſſent. Aut *ſoliũ iniquitatis*, erit obſtinatior iniquitas, & majus ſcelus quo cũ impleti fuiſſent, *malũ diẽ*, & extremũ ſupplicium experirentur.

4 Deus cõtinẽs & aliquando emittens indignationem.

Vt emittat. Tum præſto erit divinũ ſuppliciũ, ut ſtatuto tempore Deus laxet ſuæ indignationi & juſtitiæ habenas, & quaſi e carceribus *emittat*, quos videbatur adhuc continuiſſe, ne incurrerent in impiũ. Nam verbum *mittendi*, eã vim habere poteſt; *Dimittet irã*, non cohibebit neq; cõtinebit indignationẽ ſuã, ſed faciet liberã poteſtatẽ ſuæ juſtitiæ ſæviendi in impiũ. Solet Deus iram ſuã intra carceres ſuæ miſericordiæ continere. Sed, ſi nunc *in ira ſua continet miſericordias ſuas*, (*Pſal. 76. 10.*) judicium poſtea de impio fiet ſine miſericordia.

5 Iræ amplificatio

Iram furoris ſui. Iram furentem, & indignantem, id eſt, irã maximam, & incredibiliter ſuccẽſã, in originali, *irã naſi*, cũ quo

ira ſæpe conjungitur ad amplificationem. Exod.32.11. Num.11.33. Iſai.5.25. Pſal 84. 4. & ſæpe alias. Atq; videtur, *ira naſi*, illud peculiariter indicare, quod ira quæ antea ſupprimebatur, & continebatur corde, jã nunc nimiũ ſuccenſa, & inflãmata ſurſum prodeat, & fumante, atq; tumente naſo ſeſe prodat. Ergo cum Deus *emittit iram naſi* jam non connivet, aut diſſimulat ad peccata impii, non avertit faciem ſuã; ſed videns, & vultu ipſo quaſi excãdeſcens, atq; conceptę iræ manifeſta documẽta præbẽs torvo vultu, fronte minaci, naſo tumenti convertat *Vultum ſuum ſuper facientes mala; ut perdat de terra memoriam eorum.*

Pſal.33.17.

6 לחם

Et pluat ſuper illum bellum ſuum. Vox originalis quam noſter tranſtulit *bellum*, plerįq; ex Hebraizantibus, carnem vertunt, atq; legunt; *Pluet ſuper illum in carne ſua*, vel, *in corpore ſuo.* Pagninus, Regia, Cõplutenſes in Lexico. & quidem radix *Labhã*, quod eſt comedere, & devorare, aut diſcerpere, indifferens eſt vel ad carnes, aut quoſcumq; alios cibos, qui in convivio apponuntur, & comeduntur; vel ad corpora etiam, & humanas carnes, quæ in bello ore gladii devorantur, & conſumuntur. Quare idem verbũ *comedendi*, eſt etiã pugnandi, & bellandi; & nomen quod cibum, ut carnẽ ſignificat, poteſt etiam ſignificare *bellum*: ideo Hebraizantes, vel, ut pro ſuo ingenio, & more a Vulgato diſcederent, vel ut ſenſum latẽtem etiã exprimerent, legerunt; *Pluet in corpore ejus.* Quid vero *in corpore impii* cælitus pluat Divina Iuſtitia, niſi dolores, cruciatus & infinita alia mala? cujus rei exẽplũ in Iob ſibi proponebat Sophar, ideo Septuaginta legerunt, *lavet ſuper eum dolores.* Quaſi effuſa pluvia, illũ obruat doloribus, vel *ningat ſuper eum dolores.* Symma. *Pluet*, vel, *effundet.* Effuſiæ enim aquæ, quacũ ſe quis lavat, vehemẽs etiam pluvia ſimilis eſt. Propterea auſus eſt Pagninus ita legere; *Faciet pluere ægritudines malas ſuper eum.* Sed ſi a Vulgato diſcedẽdũ eſſet, potius legerẽ; *Pluet ſuper eum in cibo ſuo*, vel, in manducatione ſua, quod eleganter reſpondet primę parti; *Vtinã impleat ventrem*, nam, dum adhuc fuerit eſca in ore ipſius, fulgurabit, & pluet ſuper eũ Divina juſtitia: *Sicut erant in diebus Noe comedentes, & bibentes, & non cognoverunt, donec venit diluvium.* Matthæ. 24. 38.

Pagn. Regia. Compiutenſes.

Comedere, & pugnare, re ipſa cognata.

LXX.

Comitolus. Symmach.

Pagn.

Sed quidem elegans eſt Latini Interpretis lectio, perinde ac germana, quam etiam Cajetanus agnoſcit, & ſequitur. Atque Ioannes etiam Forſterus, cum videret proprie legendum, *Pluet ſuper eum in inciſione*, vel, *in devoratione ſua*, cenſuit potius referendum ad *bellum*, in quo cæduntur, & devorantur carnes ore gladii, quam ad carnes ipſas, quæ quod aliquando comedantur, appellari poſſunt *inciſio*, vel *comeſtio*. Sed illud pro Latino Interprete omnino facit, quod, cum hic deſcribatur indignans Deus, & bellum indicens impio, certo exiſtimavit de *bello* mentionem fieri; *Bellum*, autem cum verbo *pluendi* conjũctum eſſe. Nam pugnat adverſus impios Deus coacta tempeſtate cælo turbato, tetris nubibus, terrifica pluvia. Sic Deo, tanquam Imperatori ſupremo vniverſitatis hujus. - - - - *Militat æther,*
Et conjurati veniunt ad claſſica venti.
Sub illius vexillo ſua dant nomina nubes, fulgura, fulmina, tonitrua, ignis, ſulphur, ſpiritus procellarum. Sed tempeſtatis, atque belli, eadem eſt apud homines etiã ratio, & imago perſimilis. Nõ aliter deſcribit prælium illud poeta;

Vulgari interpretis illuſtratio, atque defenſio.

Caietan.

Forſterus.

Bellum & pluvia ſimilia.

Claudian.

Qualis, vbi ad terras abrupto ſidere, nimbus
It mare per medium, miſeris, heu, præſcia longe.
Horreſcunt corda agricolis; dabit ille ruinas
Arboribus, ſtragemq; ſatis; ruet omnia late.
Antevolant, ſonitumque ferunt ad littora venti.
Talis in adverſos ductor Rhetæius hoſtes,
Agmen agit.

Virg. 12. Aeneid.

Et iterum AEneam in medio pręlii; velut in medio tempeſtatis, deſcribit;

Ac velut effuſa ſi quando grandine nimbi
Præcipitant, omnis campis diffugit arator,
Aut amnis ripis, aut alti fornice ſaxi,
Dum pluit in terris, ut poſſint ſole reducto
Exercere diem: Sic obrutus undique telis
AEneas, nubem belli dum detonet.

Certe imitatus Virgilius Homerum, qui lib.4 Iliad. Græcorũ agmen adverſus Troianos ruens, ſic deſcribit ex ſimilitudine tempeſtatis.

Homerus.

- - - - *Qualem ſuper æquora nubem*
Sæpe videt celſo ſcopuli de vertice paſtor,
Contractã Zephyri flatu, & caligine nimbos,
Denſante picea, & ſævã minitante procellã.

Ergo pulchre dictum eſt, *pluere bellũ*, quia eadem tranſlationis formula Deus *ſtillare* dicitur, ſuper aliquem, cũ immittit ſupplicia, quaſi tunc Deus adverſus illũ pugnet. 2. Paral.12.7. *Non ſtillabit furor meus ſuper Ieruſalem.* & Micheæ. 2.6. *Ne loquamini loquentes; Non ſtillabit ſuper iſtos; non cõprehendet confuſio. ſtillabo tibi in vinum, & in ebrietatem, & erit, ſuper quẽ ſtillatur, populus iſte.*

Stillare, & pluere de ſupplicio.

8 Sed vehemens ſuppliciũ *pluviæ* etiã nomine ſignificatur forte jam inde ab eo tempore, cũ vel vniuerſali diluvio, vel pluvia

Pluvia pro ſupplicio

illa ignea Sodomitica impios debellavit, atq; extinxit potentiſsimus Deus. Neq; ſolū hujus ſupplicii alluſione, ſed quod etiā ipſa vehemens pluvia repræſentet inevitabilē aliquā plagā, omnibus viribus humanis ſuperiorē, quæ cęlitus recidit in caput, &, ut auctor Catenæ ait, *Plagā more pluviæ confertā, & ſine intercapedine, cientēq; dolores*. Neq; fruſtra videtur dictū, *bellū ſuū*, quaſi indicet, propriā & conſuetā Deo pugnādi rationē eſſe ex aere tāquā excaſtris, per tēpeſtatē, & pluviā, ut aliquando memini me explicaſſe. Propterea ergo quādocūq; Deus aliqua ratione, aut ſupplicio pugnat adverſus impiū, *pluere* dicitur. Sed vtrūq; videlicet & *pluviæ*, & *belli* rationē explicuit David. Pſal. 10. 7. *Pluet ſuper peccatores laqueos; ignis & ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorū*. id eſt bellū indicet, atq; inferet peccatoribus, tēpeſtate coacta, fulminibus, procelloſis vētis, & vehemētiſsimis imbrib⁹, quæ omnia ſimilia ſūt bello, quod per *laqueos* deſuper injectos, & ex alto cadentes geritur. Fuiſſe autem aliquando pugnā hujuſmodi, ſcripſit ſane Herod. lib. 7. dū de Nomadibus, & Sagartiis agit, *Vētes* (inquit) *reſte e loris conſerta, freti in prælium eunt. Eſt autem prælium eorum virorū hujuſmodi, vbi cum hoſte congreſsi ſunt, injiciunt eos reſtes in ſummum laqueos habentes, qui laqueus, cum aut equum, aut hominem adeptus eſt, eum ad ſe trahunt, ita illi illaqueati conficiuntur*. Ita Deus ſuper impios pluet *bellum ſuū*. ita, *pluet ſuper peccatores laqueos*. Ita Sophar Iobum his dictis configit, tot calamitatū plagis, ſine vlla doloris intermiſsione, tot corporis ægritudinibus, tot malis ningentibus, & grandinātibus oppreſſum.

Deus ex aere pugnans adverſus impios

Vid. c. 9. ỽ. 8. nu. 2.

Herodot.

Bellum per laqueos quale.

✠ XXIIII. *Fugiet arma ferrea, & irruet in arcum æreum.*

1 *Arma quōdam ex qua materia. Ærea inſtrumēta colendorum agrorum, æris temperatura.*
2. *Ferrum ad lædendum opportunū. Clavus, aut gladius æneus ſalutaris.*
3. *Impiorū in fugiēdo obſtinatio, & irritus conatus.*
4. Irruere & pertranſire *in Sacro ſermone quid. Arcus ſymbolū invicti roboris. Illuſtratus David.*
5 *Æs, a pleriſque pro Chalybe & ferro accipi. Tēperatio æris, & ferri apud Ieremiam.*
6. *Æs a ferro diverſum. Illuſtratus locus Regum.*
7. *Impiorum pericula in dies graviora.*
8. Arcus *ad ſupplicium futurum*, gladius *ad præſens.*

1 Bellum illud, de quo dixerat, nunc deſcribit, ex omni genere armorum, quæ adverſus hoſtem aliquem produci ſolent in bellum. Videlicet *arma ferrea*, & *ærea* cū vero *arma ferrea* dixit indicat tū temporis imbecilliora, & quæ minus læderēt, fuiſſe alia armorum genera, ut lignea, aut ſolum ęrea, ſive propter defectum, ſive propter ignorationē ferri. Et quidē Lucretius dū de uſu, & inventione ferri, & aliorū metallorum diſſerit, li. 5. graviter & vere cecinit;

Armorum materia multiplex.

Lucretius.

Arma antiqua man⁹, ungues, dētesq; fuerūt
Et lapides, & item Sylvarū fragmina, rami,
Et flāmæ, atq; ignes, poſtquam ſunt cognita primum.
Poſterius ferri vis eſt, ærīſque reperta,
Et prior æris erat, quā ferri cognitus vſus;
Quo facilis magis eſt naturæ, & copia major
Ære ſolum terræ tractabant, æreq; belli
Miſcebant fluctus, & vulnera vaſta ferebant.

Et Alcæus poeta apud Atheneū, lib. 14. c. 11. æreorum enſium meminit; Tum etiam *ærei arcus*, atq; aliorū ex ære armorū, non ſolū quæ lędunt, ſed etiā quæ protegunt; ſic enim inquit; *Splendet magna domus ære, omnisq; tecta Marti ſunt ornata, ſplendidis galeis, equinæq; criſtæ in hominū capitibus ſuper imaginibus nutant; ærea tibialia abditis vallis ſplendida circumpoſita, arcus fortiter jaculans, thoraces novo lino, cōcava ſcuta percuſſa, juxta ærei enſes, atq; apud cingula multa, & Cyppatides, quarum non licet oblivīſci*. Non aliter Heſiodus quoq; libro, qui inſcribitur, *Opera & dies*, ait;

Alcæus. Athenæus.

Arma ærea omnis generis.

Heſiodus.

Iis autem erant ærea quidem arma, æreæq; domus. Atq; Virgilius Pyrrhum deſcribēs.
Exultat telis, & luce coruſcus ahæna.

Virg. 2. Æneid.

Sane Philiſtæus ille. 1. Reg. 17. 5. 6. Totus ære tectus prodibat in pręlium; *Caſsis ærea ſuper caput ejus, & lorica hamata induebatur; porro pondus loricæ ejus quinq; millia ſiclorū æris habebat; & ocreas æreas habebat in cruribus, & clypeus æreus tegebat humeros ejus.* (quanquam ad haſtam muniendam ferro vteretur) *ipſum autem ferrum haſtæ ejus ſexcentos ſiclos habebat ferri*. ſed fuiſſe quoque haſtarum mucrones ex ęre, illud Ovid. 5. Met. in deſcribēdo tumultu, abūde probat;

Primus in his Phineus belli temerari⁹ auctor,
Fraxineam quatiens æratæ cuſpidis haſtam.

Ovidius.

Atq; Tibul. Eleg. 10. pacē a Diis precat⁹;
At nobis ærata lares depellite tela.

Tibullus.

Ahenarū *Falcium* meminit Virg. li. 4. atq; Lucret. dum de inventione ferri agit. li. 5.

Inde minutatim proceſsit ferreus enſis,
Verſaq; in opprobriū ſpecies eſt falcis ahenæ,
Et ferro cæpere ſolum proſcindere terræ.

Falces æreæ

Et quidē ex ære etiā factas compedes colligitur Thre. 3. 3. vbi legitur, *Aggravavit copedem meum*; ex Hebræo legunt Sept. *Aggravavit æs meum*. Symmach. Theodo.

Aereæ compedes.

Orig. *Catenas colli* interpretantur, at Interpres id, quod frequentius est, pedum vincula. Qua vero ratione, æs, natura sua mollius, temperarent tũ ad vsum armorũ, tum ad rustica instrumenta, (nã pro ferro, ære etiã colebant terrã) his verbis explicuit Proclus. *Ad arma ære utebãtur, tanquã ferro, ad cultũ terræ, quadã tẽperatura æs durantes, quod alioquin natura molle est; amissa autẽ tẽperatura illa ad usũ ferri etiã in bellis venerũt.*

Proclus.

2 Neq; dubiũ quin *ferrum* ut pote durissimũ, ad lædendum, atq; protegendũ multo sit cõmodius, multo etiam hosti formidabilius atq; nocentius; nã cum hoc loco *arma ferrea* sint sane ea, quæ cominus feriũt, gladius hoc loco intelligitur (*ferri* enim pro gladio, apud scriptores omnes vsus frequẽtissimus est.) Certe gladius æreus ita vulnus infligit, ut simul etiã inflicto vulneri mederi videatur: at ferrũ vulnus infligit, quãtũ ex se est, immedicabile; sic Arist. sectio. 1. Prob. 35. sapienter rogat; *Cur siquis ære incisus sit, facilius, quam si ferro, sanescat?* Respondet vero; *Vtrum quia æs levius sit, minusq; laceret, aut vero æs medicamẽti vim obtinet?* Propterea *clavus æneus* pro re salutari, & quæ a putrescẽdo servaret in proverbiũ videtur abiisse; atq; in eã apud antiquos consuetudinẽ, vt apro in venatione capto, atq; occiso infigeretur, ne putresceret. de quo vide Plut. lib. symp. q. 10. & Cœl. lib. 29. c. 6. qui ex Carm. lib. 2. de Italia refert, *Thuscos æreis vomeribus vsos. Tum etiam apud Sabinos ex ære cultros fuisse, quibus Sacerdotes tonderentur.* Videlicet, ut opinor, ne, si cõtingeret vulnerari, ferro, quod durius, & crudelius est, vulnerarẽtur, & nõ potius ære, ex quo cũ vulnere medicamẽtũ simul acciperet. Vides igitur, cũ Sophar *armorũ*, id est, gladii *ferrei* meminit, quẽ impius *fugiat*, profecto significare voluisse armorũ genus sęvũ, atq; lethale. Gladiũ itẽ per *arma ferrea* plane intellexerũt Septuaginta, legẽtes, *Manũ ferri*, quæ eadẽ est cũ ære, aut acie gladii, sed in illo tantũ differũt, quod dixerũt, *non salvetur de manu ferri*, significãtes impiũ omni ratione, & cruciatu a Deo afficiendũ; cũ tamen in Latino juxta Hebræum sit potius, *fugiet*, aut, *salvetur*, vt significetur, nunquam evasurus ex minoribus malis, quin in graviora incidat.

Ferrum pro gladio. Ferri nomina. Gladius æreus salutaris. Arist. Clavus æreus apro infixus. Plutarchus. Cœlius. Æreis cultris Sacerdotes detonsi. LXX. Manus ferri.

3 Est vero in illo verbo *fugiendi* observãda primũ obstinatio impatiẽtis animi impii, conãtis eludere, & fugere divinam vltionem, & nunquam sese *humiliantis sub potenti manu Dei*, atq; nõ solum suppliciis nõ emendati, sed potius deterioris redditi.

Impiorum obstinatio.

Secũdo, irriti impii conatus, & sors infelicissima, ut nunquã præsens periculũ sic fugiat, quin in Scyllã incidat, neq; vnquam remediũ quærat vnius mali, quin ipsa remedia in deteriꝰ illi recidãt, quod extremę est miseriæ. Quare cõminatur illi Deus, ut *per septẽ vias fugiat hostes suos*, id est, per omnes vias fugiat. Nã cũ vndiq; circundatus sit divina ultione, quãvis per singulas vias fugiat, effugere nõ poterit, quin in suppliciũ incidat, ut sequẽs particula dicet.

Impiorum fuga inutilis. Septem viæ fugiẽdi quid. Dev. 28. 25.

4 *Irruet in arcũ æreũ.* Si gladiũ cominus fugiat, eminꝰ illũ trãsfiget æreo arcu sagitta emissa. in Hebreo est verbũ vehemẽs, *Transeũdi*, vel *pertrãseundi*, aut. *perforãdi*. Quare proprie legitur, * *Pertrãsibit eũ arcus æreus*, aut *perforabit*. Quia vero illa trãsfigẽdi vis proxime cõvenit sagittæ, ideo Septuaginta legerũt, *Vulneret eũ sagitta ærea. Arcus* autẽ *æreus* robur invictũ denotat in Scriptura. Psal. 17. 35. *Posuisti, vt arcũ æreũ, brachia mea.* Æreî vero arcus, ex Athænæo & Alcæo supra meminimus.

Pagn. Regia. Complutensis. חלף * Quando no le alcançare la espada, passarale la saeta. Arcus æreus invicti roboris symbolũ.

Sed cujusmodi fuerit iste *arcus æreus*, id est, ex qua materia, seu quod idẽ est, quid *æris* nomine intelligi debeat, controversia est. Nã quod in Hebræo est, *nehhoseth*. non pauci Hebraizantes, contendũt esse ferri genus durissimũ, nimirũ Chalybẽ, sic R. Ioseph. R. David. quẽ sequitur R. Mardochai, dicẽtes, *Capi pro metallo, quod admiscetur ferro, quando instrumenta fabrilia fiunt.* Placuit idẽ Mercero. Quare vertitur a Tygurina. *Fugientẽ arma ferrea excipiet arcus chalybeus.* Cajetanus, *arcus Chalybis*. Quanquã idẽ ipse. Psal. 17. *æneũ arcũ* potius legat. Tygurina, licet & Vatablo legẽtibus, *Chalybeũ*. alii vero auctores confundunt omnino cuprũ, æs videlicet subrufum cũ Chalybe, & vocẽ originalẽ ad utrũq; extẽdũt. Ergo illi, vbi *æs cãdẽs* legitur Ezech. 17. & *æs mundissimũ*. 2. Paral. 4. 16. intelligũt Chalybẽ tersum, & politũ. Et in eũdẽ sensum adducũt id Iere. 6. 28. *Omnes isti principes declinantes, ambulãtes fraudulẽter, æs & ferrũ universum corrupti sunt*, id est, ope & auxilio principũ servi etiã & ignobile vulgus lædũt pauperes; nã sicut ferrũ miscetur cũ Chalybe, vt fiat gladius, ita iniqui invicẽ cohęrẽt, vt noceant. sed forte hoc Ieremiæ loco de duritie ærea, aut ferrea impudẽtis & procacis frõtis agitur, contraria forte ratione, qua *Aristonides ille artifex, cũ exprimere vellet* (auctor Plin.) *Athamantis furorẽ Learcho filio præcipitato residentem, pœnitentiaq;, ferrũ & æs miscuit, vt rubigine ejus per nitorẽ æris relucẽte exprimeretur verecundiæ rubor.* Sed in verecundiæ tamen durities per æs & ferrũ commista commode repræsentatur.

נחושת R. Ioseph. R. David. R. Mardoch. Mercer. M. Marinus Avenar. Plin. lib. 34. cap. 14.

At in prioribus locis de ære Cyprio, quod aurũ, dum mundum, & candens est, repræ-

ſentat, ſermo eſſe videtur. Ergo noſter interpres cũ *æreum* dixit, ſapienter fecit. Nã licet aliquando *æs*, pro ferro accipi poſsit etiam apud Latinos, ut nonnulli contendũt, tamen fere ſemper acceptũ invenio, ut a ferro diverſum, tũ apud prophanos, tũ apud ſacros, vbicũq; *æris* mentio fit. atq; ex eo cõmode fiunt *cimbala*. 1. Paralip. 19. & *aſpectus æris*, flaveſcens. Ezech. 1. 7. & c. 40. 3. & *funditur*. 3. Reg. 7. 16. & cõmutatur *aurũ* pro *ære* propter ſimilitudinẽ. Iſai. 60. 17. Atque ex hoc *ære* oportuit fuiſſe ſerpẽtem illum æneum Num. 21. & 4. Reg. 18. vbi ipſum originale nomen retinuit Interpres, cum de Ezechia dicitur: *Confregit ſerpentem æneum, quem fecerat Moyſes, vocavitq; nomen eius Nebuſtam*, videlicet additis litteris quibuſdam nomini originali, diminutionis gratia, ut Hebræis placet, quaſi diceret, ænulus, ærulus. q. d. vile æs, non Deus. Ex chalybe vero cõmode fieri non potuit, ſed potius ex ære flaventi, ut ſerpentũ ignitorum, in quorũ amuletum, & remediũ fiebat, ſpeciem repræſentaret. Adde etiam quod de hac ipſa æris materia vaſa, thuribula, baſes, colũnas, mare æneum fecit Salomon, quæ nemo dicat facta ex chalybe. Nã & ſimilia omnino opera, videlicet vaſa eſculenta, lucernas, trullas, ſtatuas, tricliniorum pedes, ac fulcra, candelabra ex ære fieri ſolita ſcribit Plin. lib. 34. c. 2. & 3. quãquam idem quoque cap. 14. ſcribat Romæ Scyphos e ferro dicatos in tẽplo Martis vltoris. Deniq; chalybem non deberi a ferro diſtingui (cujus contrarium contendit Ioannes Brodæus li. 6. Miſcell. c. 23.) ſed ad ferrum pertinere, tanquã illius puriſsimam, & duriſsimam partẽ ad indurandam inſtrumẽtorum aciem, colligo ex Plinio lib. 34. c. 14. vbi videtur Chalybem appellare *nucleum ferri*, neq; alio unquã loco Chalybem nominat.

Zerſes in comm. Heliodor. Lamb. in comment. Lucretii. lib. 5. Euſtach in cõm. Homer. lib. 1.

4. Reg. 25. 13. & 1. Paral. 18. 1. Eſdr. 8. 27. Num 17. 4.

Supellex ærea

Plinius.

Brodæus.

7 Sed cum de *ære* pro defenſione Vulgati dicta ſufficiant, at nihil ſatis dictũ videretur, ad explicanda impii pericula, & fortẽ extremã infeliciſsimam. Res ſæpe in ſacris litteris, & quaſi proverbialiter repetita, ut nunquam ex uno evadat impius, quin impellatur ad majus, & gravius, diſcrimẽ. Iſa. 24. 18. *Qui fugerit a facie formidinis, cadet in foveam; & ſi ſe explicaverit de fovea, tenebitur laqueo.* Vide Ierem. 48. 44. Amos. 5. 19. Nã profecto in hujuſmodi ſanguinarios, & crudeles impios illud videtur quadrare, Prov. 28. 17. *Hominẽ, qui calumniatur animæ ſanguinẽ, ſi vſq; ad lacũ fugerit, nemo ſuſtinet.* id eſt, etiãſi impius fugiat, & ſeſe abſcõdat in lacu, & in ipſis ſepulchris defunctorum, nemo tamẽ ſuſtinebit illum remanere impune, nã eo tandẽ pervenient arcus ærei ſagittæ ſæviſsimæ, & latẽtẽ licet in tenebris collimabunt illum jaculatores.

Impiorum diſcrimina in dies graviora

8 Tandẽ argute in *gladio*, qui nõ niſi e propinquo cædit, præſentia hujus vitæ mala; at vero in *arcu*, qui e lõginquo collimat, futuræ vitæ cruciatus, quos nulla ratione evadere poterit impius, interpretãtur Gre. Philip. Bed. D. Tho. atque alij Latini, allegorice quidẽ, ſed vere, & nõ ſine vtilitate.

Gladius præſentia mala, arcus, futura.

XXV. Eductus, & egrediẽs de vagina ſua, & fulgurãs in amaritudine ſua: vadent & venient ſuper eum horribiles.

1. *Varia lectio & expoſitio.*
2. *Germana intelligentia & nexus. Vagina pro corpore.*
3. Amaritudo quid Acuere, Fulgurare, *Gladius politus ſimilis fulguris, aut fulminis. Miles nitida arma habeto, Illuſtratus Moyſes.*
4. *Græcorum lectio explicata.*
5. Vadere, & venire *ad perpetuam ſucceſsionem malorum.* Horribiles *in Sacro ſermone quid. Gigantes formidandi.*

I DEſideratur etiam in Hebræo ſuppoſitum, aut ſubſtantivum, quod cum his adjectivis conveniat, *eductus* & *egrediens*. Quamvis in Hebręo non tã per nomẽ, quã per verbũ dicatur, *eduxit, & exivit*. Pagn. & Regia, *de corpore*, Cajetanus, *ex intimo ejus*, atq; totã ſententiã vel ſupplendo ſuppoſitũ verbi, vel ſubſtantivũ nomen ſic interpretãtur Septuaginta; *Pertranſeat per corpus ejus jaculum.* Interpres Catenæ Græcæ legit, *Pertranſeat os ejus.* Sic quoq; Ambro. *Pertranſeat per os ejus ſagitta.* Pagn. *Iaculator ſagittam eduxit de corpore ejus.* Vata. *Extrahet ſagittã aliquis, & exibit e pharetra.* Rurſus etiam ſententiã Cajetanus refert ad id, quod ipſe Iob dixerat c. 17. conquerẽs ſe confixũ ſagittis, ut eo reſpiciens Sophar, dicat merito a Deo confixũ divinæ ultionis ſagitta, quæ nõ ſolũ infixa ſit corpori ejus, ſed exierit de intimo ejus, videlicet cũ penit⁹ trãsfixerit totũ hominẽ. Sed nex⁹ hic violẽt⁹ eſt, & lõge petitus. Propinquior, lenior, & verior eſt ille proculdubio quem ipſa Latina verba præſeferunt, ut connectantur cum *gladio*, & *ſagitta*, de

Pagnin. Regia. Cajetanus.

LXX.

Comitolus. Ambroſ. Pagnin.

2 quibus dixerat, & non ſolum minetur impio *arcum*, aut *ſagittam*, ſed etiam *gladiũ* ſæviſsimũ, id eſt præſẽtia alia mala. Quod autem in originali eſt, *Egrediens de intimo l. de medio, vel, de corpore*, certe *ad vaginã* pertinet, de cujus medio, & intimo exeritur enſis. Quamquam quod alii etiam interpretan-

גוה pretantur *Corpus*, non repugnet cum nostra lectione. Nam præterquam quod vox originalis sæpe significet corpus. aut partem corporis eminentem, videlicet *Dorsum*; potest etiam non inepte comparari *Corpus* cum *Vagina*; nam sicut in vagina, ita etiam in corpore capulo tenus abditur ensis. Sicut ille dixit;

Virg. 10. Aeneid. *An se se mucrone ob tantum dedecus amens*
Induat, & crudum per costas exigat ensem.

Sed prior sensus melior, & simplicior.

3 *Fulgurās in amaritudine sua*. Iterum, *fulgurans*, destituitur supposito. Quidā igitur referunt ad hostem, instar *fulguris*, cōvolantis ad illius cædem. sed commodius ad ipsum gladium fulgurantem, & scintillantem. Illud vero, *in amaritudine sua*, referunt fere Hebraizātes omnes ad fel ipsius impii, quo tingatur sagitta, vel ensis transmissus per illius viscera, atq; disrumpens letali vulnere vasculum fellis: proptereaque ipse gladii fulgor obductus pallore fellis, terribilior fiat. Conveniunt in hoc Pagninus, Regia, Vatablus, Tygurina, Cajetanus. Sed multo verior, & germanior sensus, ut ensis dicatur, *fulgurare in amaritudine sua*, id est, per suam amaritudinem, id est, quod mortem amarissimam afferat, & lethale vulnus infligat. Nā quæ mortifera sunt, in Sacro sermone dicūtur amara, ut aliquādo explicuimus. & preterea illa gladii, & armorum *fulguratio*, sicut valet multum ad perterrefaciendum hostem, ita etiam ad terrorem impiorum commendandum, & exprimitur in Sacro sermone. Deut. 32. 41. *Si acuero* (extersero, & expoliero, & coruscare fecero) *ut fulgur gladium meum.* (instar fulguris coruscantis) sic legit Onchelus; *Cum duplo clarior, quā aspectus fulguris sit a fine cælorum usque ad finē cælorum, revelabitur gladius meus.* Quare ibi *acuere*, non est aciem extenuare, ut bene incidat; sed extergere, ut splendeat. Nos diceremus, *Acicalar*. Abac. 3. 11. Nahum. 3. 3. Psal. 7. 13. 1. Machab. 6. 39. Turpis, & impolitus habebatur miles, qui impolitis, & parum nitidis armis non fulgeret, & se se terribilē, vel solo aspectu hosti non præberet. sed de armorum fulgore alias. Nunc de *ense*, quem cum fulgure, aut fulmine comparatum prius vides in sacris, quā in prophanis. ex quibus ille dixit;

Virgil. 9. Aeneid. ...... *Rotat ensem*
Fulmineum. ...... & iterum.
...... *flammasque vomentem,*
Fatiferumque ensem. ......

Nam siquid in prophanis Scriptoribus elegantiæ, & nitoris est, micæ sunt ex Sacro sermone dissilientes, emendicatæ, suffuratæ.

Margin notes: Amaritudo pro felle. — Pag. Reg. Vatab. Tygur. Cajetan. — Vide c. 13. v. 26 varia significata amaritudinis. — Vide Alex. lib. 17. c. 13. — Prophani auctores ditescēt ex sacris.

4 Sed non omittendum, quod *fulgorem* hunc ad sydera retulerunt Septuaginta. *Sydera* (inquiunt) *in tabernaculo ejus*. Scholiastes vero triplicem interpretationē adhibet *syderum*; Terribilia visa perterrefacientia; aut fulgura, & fulmina cælitus immissa; aut sydera ipsa, quæ impio cubanti, & dormienti sub dio immineant. Explicat ille pluribus. Augustinus dixit; *Fulgura in tabernaculis ejus ambulent*. Videlicet, videatur cælum ruere in ejus caput, & ejus domus ita concutiatur vehementi aliqua tempestate, ut parietes, & universa cōtignatio dissolvi videatur, atque per rimas funestæ luces, & cometæ ad ipsum ingrediantur.

5 *Vadent, & venient*. Verbum non repetitur in originali. Sed quia utrumque significat verbum, *Halac*, ad exaggerationem rei, utrumque dixit Interpres; *vadent, & venient*, quasi dicat: Alii alios excipient; multi, & nunquam intermittētes aderunt illi; *Terribiles* hostes intellexisse videtur Interpres. Alii ex Hebræo, & Græco legunt, *Terrores*, aut *horrores*. Sed eodem sensu: *horribiles* cruciatus, & terrifica mala. Vel præter ea, quę cōmemoravimus, cruciabit impium metus aliorum adventantium malorum perpetuus comes. Interpres autem vocem originalem licet in terminatione fœminina vertat per nomē verbale, at in terminatione masculina, ut est hoc loco, semper vertit *Horribilem*, aut *terribilem*. aliquando etiam, *potentem*, aut *mirabilē*. Et retenta eadem voce originali, dicitur de *Gigantibus*, quorum proceritas erat terribilis, atque mirabilis. Deutero. 2. 10. de Moabitis loquens; *Emim primi fuerunt habitatores ejus, populus magnus, & validus, & tam excelsus, ut de Enacim stirpe, quasi gigantes crederentur.* Vox eadem hoc loco, *Venient, & vadēt super eum Emim*. Gigantes, cruciatus, & mala de genere Giganteo, quæ prodigiosa altitudine, & robore solo aspectu exanimant homines. Gregorius quoque aut malignos spiritus, aut *mala*, aut etiā *vitia* interpretatur, *quia in impii mente mala malis, & vitia vitiis succedunt*. Sed an de hostibus aliquibus terribilibus vastæ cujusdam, & insolitæ proceritatis accipi debeat, dicemus infra, cum *de Gigantibus* dixerimus c. 26. vers. 24.

(?)

Margin notes: LXX. Nicetas. — August. — הלך — אים אימים — Gigantum appellatio. — Gregor.

XXVI. Omnes tenebræ absconditæ sunt in occultis ejus: devorabit eum ignis, qui non succenditur; affligetur relictus in tabernaculo suo.

1. Tenebræ *quarum rerum symbolum.*
2. Succendere, & sufflare: *Ignis, qui accenditur, aut qui nō accenditur, quid. Illustratus Isai.*
3. *Emaculatus Gregorii locus. Ignis inferni corporeus, an ratione aliqua dici possit incorporeus.*
4. *Ignis æternus, & inextinguibilis: quo differat a nostro: Quæ illius nutrimenta, & fornax.*
5. *Ignis inferni sine lumine. Illustratus locus Exodi, de Rubo ardente.*
6. *Ignis os, lingua, voracitas. Illustratus Moyses; non extinguit, neque consumit, quos cruciat. Gehenna unde dicta.*
7. Relictus, & relinqui *in Sacro sermone. Explicatus Ierem.*
8. Affligere *quid. Furto ablatum, & mensuram fraudatam ignis restituit, & implet. Explicatus Michæas.*

1 OMnes *tenebræ in occultis.* Si quod inveniat latibulum, aut perfugium, ut tot, tamque ingentia discrimina avertere posit, semper tamen illum comitabuntur terrores, & formidanda caligo, & funesta omnia, atque exitialia. Septuag. (LXX.) *Omnes tenebræ illum permaneant.* Cujus apud Nicetam (*Nicetas.*) non est alia sentētia, quam, *Impium pavore perculsum, loca omnia obscura, ac tenebricosa observare, & quærere ad perfugium.* Sed prior interpretatio vehementior est. Quod alii, de solicitudinibus, atq; terroribus occulti cordis, aut de peccatis, & sceleribus occultis, & latentibus domi; minus cohæret. Sicut cum *tenebris* (Tenebræ quid significent.) conjuncta sunt pericula, formidines, lapsus, ita per *tenebras* illa omnia significantur. aut forte, quoniam de igne statim dicturus erat, ut omnem lucis usuram impio denegaret, *ita omnes tenebras* illi offudit; (Ignis impiū nō illuminās.) nimirum inter impiorum supplicia ignis est adurens, sed non illuminans, ut aliquando diximus.

2 *Devorabit eum ignis, qui non succenditur.* In Hebræo: *non sufflatur,* sed sensus idem, nam ignis flatu accenditur, & excitatur, & ex flatu succensio; sicut Scriptum est, Isai. 3. 27. 28. (*Isai. Illustrat.*) *Furor meus conflatur, & succenditur.* & iterum; *Flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam.* Quare Aquila, Theodotio, Symmachus (*Aquila, Theodotio, Symmac.*) dixerunt; *Ignis sine sufflatione.* Sed quidnam significat *ignis, qui non sufflatur,* aut qui *non succenditur?* Nicetas (*Nicetas.*) dixit, significare *ignem, qui consulto non fuit accensus, sed casu, fortuito* & *demissus,* cujusmodi ille fuit, quo Iobi greges, atque pastores deflagrarunt. (Periphrasis ignis æterni.) Chaldæus (*Chaldæus.*) de Gehenna intepretatur. Et Origenes (*Origenes.*) quidem *ignem, qui accenditur,* existimat, periphrasim esse ejus, qui apud nos est: qui cum hæreat in materia, indiget accendi. Non sic ille alius ignis. Idē fere Gregorius (*Gregor.*); *Ignis* (inquit) *Gehēnæ, cum sit incorporeus, & in se missos reprobos corporaliter exurat, neque studio humano succenditur, neque lignis nutritur: sed creatus durat inextinguibilis, & succensione non indiget, & ardore nō caret.* Intelligit ergo ignem semper accensum, propterea succensione nō indigere.

3 Sed quoniam Gregorius dixit, *Incorporeum,* sistendum hic est parumper. Nam non desunt viri docti (Card. Bellarmin. tom. 1. lib 2. de Purgat. c. 11.), qui existiment, *mēdum esse scriptorum, qui posuerunt, incorporeum, pro corporeo, ut patet ex sequentibus; dicit enim statim, corporaliter urere.* Ego vero suspicor, Gregorium dixisse *incorporeum,* (Gregorii lectio emēdata.) ut ex antecedentibus non obscure colligitur; idque sapiēter: opponit enim illum ignem nostro, quem corporeum esse dixerat his verbis; *Ignis corporeus, ut esse ignis valeat, corporeis indiget fomētis.* Ergo alium dicit *incorporeum,* (Quomodo ignis inferni posit dici incorporeus.) non quod existimet, esse materiæ omnis, & corporis expertem, ut delirant Hæretici; sed quod corporeo pabulo, atque materia non indigeat, ut accendatur. Quo etiam sensu Damascenus (*Damascenus Libr. 4. de fide cap. 28.*) dixit; *Æternum ignem non materia, instar hujusce nostri, constare.* Sicut & Paulus 1. Corint. 15. asserit, corpus in beata resurrectione futurum *spirituale;* (Quomodo resurgentiū corpora spiritualia.) id est, ut ipse Damasc. explicat, *non crassum, sed subtile, neque cibo, ut nutrimento indigere, neq; mortale, & corruptibile.* Ergo ad hunc sensum dixerit Gregorius, æternum ignem, quāvis quidem corporeum, & elementarem, atque, sicut cætera corpora, forma, & materia constantem, tamen *incorporeum,* id est, inextinguibilem, atque pabulo, & fomento minime indigentē; nam qui ex eo, quod dicat, *non succendi,* colligere valeat, non esse corporeum, propterea quod necesse sit, ut ignis corporeus sit, succensum esse; colligat profecto, & succensum semper esse, & verum corpus, propterea quod ita ardeat, ut inextinguibilis sit. Sed rem totam elegante hujus ignis descriptione, illuminavit hoc loco Philippus (*Philipp.* Ignis æterni descriptio.); *Ignis Gehennæ non materiis quibusdam, & pabulis corporalibus vivit, nec aliunde accipit fomenta, ut ardeat, sed per se ipsum, ut creatus est, vigens, cuncta, quæ ei injecta fuerint, concremat, ubi eis nec aer iste spaciosus erit, nec an-*

helitus

Innocent.

belitus libere reſpirandi. Atque Innocentius hoc ipſo loco uſus, eandem quoque interpretationem adhibet, lib. 3. de miſeria humanæ conditionis cap. 6. *Ignis Gehēnæ nec lignis nutritur, nec flatu ſuccenditur, ſed a Deo creatus eſt inextinguibilis ab origine mundi; Scriptum eſt enim: Devorabit eum ignis, qui non ſuccenditur.*

4

AEternitas infernorũ cruciatuum.

Agnoſcũt præterea hoc loco *ignẽ æternũ*, cęteri Latini Interpretes. &c, vel ex hoc uno loco, licet colligere æternitatẽ cruciatuum infernorum, nunquan remittentium, neque languentium. Nam ignis, qui flatu accenditur, non ſemper eandem, & æqualem flammam attollit, ſed per intervalla quædam, quaſi intermiſſam; ſicut enim flamma tollitur, & exurgit per flatũ, qui neceſſario intermittitur, nam inſpiratione interpellatur; ita quoq; flamma habet etiam ſuas coruſcationes, & incremẽta per intervalla: at *Ignis, qui non ſuccenditur*, idem ſemper, conſtansque, neque langueſcit, & remittitur, neq; attollitur, & extinguitur. Quod graviter, atque ſapienter explicuit Chryſoſtomus Epiſt. 5. ad Theodorum Lapſum. *Cum (inquit) audis Ignem, ne arbitreris, eſſe ſimilem huic igni; accenſus enim deferveſcit, & mutatur, ille autem ſemel in flammam exurgens, ardet perpetuo, nunquam intermoritur. Hic quidem non contingit vehemẽtia pœnarum, & earum diuturnitas; altera enim cum altera pugnat propter conditionẽ corruptibilis corporis. immortalitate autem ſuccedente ſolvitur hæc pugna, & magna potentia nos in infinitum utraq; mala poßidebunt.*

Chryſoſt.

Ignis æterni fornax, & nutrimenta.

Sed quoniam humano captui videtur valde difficile, ignem eſſe, qui neque accendatur, neque nutriatur; alias ſolet ſermo Sacer ſignificare per ſimilitudinẽ cum noſtro igne flatum quo accenditur, nutrimenta, fornacem, ſed longe diverſa. Fornacis inſtar, dicitur Gehenna ſæpe, *Thophetb.* Iſai. 30. 32. *Stagnum ignis.* Apoc. 19. 20. & 20. 10. 14. *Flatus ſuccendens*, nunquam intermiſſus Divinæ indignationis, Iſai. 30. 28. Ezec. 21. 31. Et ipſe itẽ iniquꝰ *ſpiritus* impii ſuum ignem ſuccendit. Iſai. 50. 11. *Nutrimenta*, ipſi impii. Iſai. 30. 33.

5

Ignis inferni ſine lumine.

Sed in hoc quoque *igne, qui non ſuccenditur*, illud videtur commode, & cohærẽter cum antecedentibus intelligi, eſſe ignem, qui non luceat, neque ullam attollat flammam ſplendentem. Nam flammã excitat flatus; is enim educens ſubtiliores vapores ex denſiore, & calidiore materia, cogit illos in micantem flammam. Ergo ignis, qui non afflatur, erit ille, qui nunquam ſplendet, & opportune hoc adjunctum fuerit ab Eliphaz; poſtquam enim dixit: *Omnes tenebræ in occultis ejus*, exaggerat pœnam: Quamvis (inquit) in occultis, & in tenebris deliteſcere quærat impius, at in mediis illis tenebris inveniet ignem comburentem, ſed non accenſum, nec micantem. Nullum enim lumen apud damnatos ex igne æterno provenire aſſerunt Chryſoſto. Epiſt. 5. ad Theodorum Lapſum. Cyrillus Alexãd. in oratione de Exitu animæ. Proſper lib. 2. de Vita contemplat. cap. 12. Gregor. lib. 9. Moral. c. 46. Baſil. ſuper id Pſalm. 28. *Intercidentis flammam ignis*, & ſuper id Iſai. 20. 17. *Erit lumen Iſrael in igne.* & Orat. 23. de Futuro judicio. Athanaſ. q. 112. in Scripturam. Theodoret. ſuper id Pſal. 96. *Illuxerunt coruſcationes ejus orbi terræ*, & Pſal. 28. Innocent. lib. 3. de Contemptu mundi c. 6. Ambroſ. lib. 4. exam. c. 3.

Chryſoſt. Cyrill. Proſper. Gregor. Baſil.

Athanaſ. Theodoret. Innocent. Ambroſ.

Neque deſunt in eandem rem Hebręorum teſtimonia, nam in Libro, cui Titulus eſt, *Ieçod Sirim*, id eſt, *Fundamentum Cãticorum*, inter ſeptem inferni manſiones, conſtituitur ſecunda, quæ vocatur *Corruptio*, quæ dicitur eſſe *Ignis ſubviridi colore nigricans, neq; enim ibi ulla lux, ſed caligo, & tenebræ.* Ibi etiam dicuntur, torqueri *elati homines, atque ſuperbi, quia in proximorum contumeliis exultant.* Eſt videlicet lumẽ ſolatium aliquod, quod omnino abeſt ab ęterna illa nocte. Acute ille dixit in deſcribenda clade triſtiſsima;

יסוד שירים

Nec hoc levamẽ deniq; ærumnis datum eſt,
Videre ſaltem, & noſſe, quo pereant malo:
Premunt tenebræ lumina, & duræ Stygis
Infræna nox eſt.

Senec in Agamem. actu 3.

Quamvis aliqua ratione lumen adeſſe dãnatis, aſſerat Gregorius lib. 9. Moral. cap. 39. *Illic ad conſolationem non lucet, ſed, ut magis torqueat.* & Iſidorus lib. 4. de Summo bono cap. 31. aſſerat; *Ignem Gehennæ ad aliquid lumen habere, & ad aliquid nõ habere; hoc eſt, habere lumen ad damnationem, ut videant impii, unde doleant; & non habere ad conſolationem, ne videant, unde gaudeant.* Et Innocentius ſupra adductus cap. 4. ait; *Horribilis ibi viſio Dæmonum, qui videbuntur in excußione ſcintillarum de igne aſcendentium.* Ergo ille *ignis non ſuccenditur*, id eſt, non ſplendet, ſicut & igne Divino, qui viſus eſt Moyſi, Exod. 3. Rubus *ardebat* (i. ſplendebat) *& nõ comburebatur.* Sic interpretante Ambroſio; & favente etiam voce originali, *ardendi*; quæ etiam ſignificat, *ſuccendi. Comburi* autem eſt idem verbum, quod in hoc noſtro loco *devorare*: quare legi poſſet, *Rubus ſuccendebatur, & non cõburebatur*, ut inde colligamus, cujuſmodi

Aliquod lumẽ damnatis affulgens.

Gregor.

Innocent.

Ambroſ.

בער

אכל

ſit ignis, *qui devorat, & non ſuccenditur.* Deum autem ſic poſſe res natura ſua conjunctas ſeparare, & alterā ſine altera cōſtituere, id eſt, vim comburendi, & vim illuminandi, docuerunt etiam Theodoretus, & Baſilius Pſal. 28. exemplo ignis Pentecoſtes, qui Apoſtolos illuminabat, ſed non comburebat.

Sed cum ex iſtis duabus facultatibus, quas ignis habet, videlicet, illuminativa, & combuſtiva, hanc tantum igni Gehennæ tribuerimus, quæ hoc loco explicatur verbo *devorandi*; Conſiderandum quidem eſt, cum ignis per ſe videatur habere oculos, id eſt, lumina, & os ad devorādum, nunc tamen aſſeri ignem inferni eſſe cæcum, at habere os, linguam, atque actionem comedendi, & devorandi, propterea quod, ſicut, qui comedit, & devorat, conſumit cibum, ita ignis abſumit materiam omnem; & flamma quidem ignis ſimilis eſt linguæ animalis, eo quod habeat figuram illam acuminatam, & ſit in movendo velox, atque verſatilis. Sic 3. Reg. 18. 38. non ſolum *devorandi,* ſed etiā *lambendi* actio tribuitur *igni*; *Cecidit ignis Domini, & voravit holocauſtum, & ligna, & lapides, pulverem quoque, & aquam, quæ erat in aquæ ductu, lambens.* Huc pertinet, quod quæ comburuntur, dicuntur ſæpe in Scriptura fieri eſca, aut *cibus ignis*; quare propter vim ultricem, qua impios ſolet conſumere Deus, dicitur Devter. 4. 24. *Deus tuus ignis conſumens eſt.* Hebraice; *Ignis devorator,* aut *comedēs.* id eſt, qui hoſtes ſuos facile perdere, & deſtruere poteſt. qui locus ad ipſam eādem conſumptricem vim ignis videtur alludere, nam tum alibi, tum eodē ipſo capite paulo ante dixerat; *Vos tulit Dominꝰ, & eduxit de fornace ferrea Aegypti.* id eſt, de Pharaonis imperio, qui Hebræorum populum perdere, & delere moliebatur. Itaq; ne putarent, ſi impii eſſent, & erga Deum ingrati, abituros impune, admonet illos Moyſes fore, ut multo facilius, ſeveriusque puniantur a Deo, & conſumantur, quod ipſe ſit *ignis devorator*, atque conſumptor. Sic igitur dicitur *devorandus* impius, perdendus, atq; conſumēdus, ſed ſempiterna quadam, & nunquam finienda morte, & combuſtione, ut eleganter explicuit Chryſoſtomus nuper adductus, atque Auguſt. etiam Sermone 1. in vigilia Pentecoſt. cap. 18. *Propterea* (inquit, loquitur autem de igne inferni) *inextinguibilis dicitur, non ſolum quia ipſe nō extinguitur, ſed quia nec eos, quos ſuſceperit, extinguet, aut perimet.* Et Theophilactus ſuper id Matth. 10. 28. *Qui poteſt animam, & corpus perdere in Gehennam.* Ait; *Gehennam cum dicit, ſignificat perpetuam pœnam, Gehēna enim dicitur a ſemper naſcendo.* Etymologia quidem diverſa ab ea, quam alii Doctores frequenter tradunt, ſed qua illud Promethei ſuppliciū, fabuloſum licet cum veritate repræſentari poſſit; ſemper enim illi naſcebātur viſcera, quæ ſemper exedebantur;

- - - - - - Roſtro immanis vultur obunco
Immortale jecur tundens, fœcundaq; pœnis
Viſcera, rimaturque epulis, habitatque ſub alto
Pectore, nec fibris requies datur ulla renatis.

7 *Affligetur relictus in tabernaculo ſuo.* Alii *relictum*, ſive *ſuperſtitem* accipiunt pro filio, vel nepote ipſius impii, quaſi hoc loco reſpiciat Sophar ad filios IOB oppreſſos ruente domo, vel ad totam poſteritatem delendam. Vatab. *Contereutur, quotquot ſuperſtites fuerunt in tabernaculo ejus.* idem ſequitur Cajetanus. Sed videtur potius pro ipſo impio accipi, ut ſit dictorum expoſitio; ita ut cum ex aliis periculis *relinquatur*, id eſt, *eripiatur*, ſed non poſſit tuto in domum ſuam ſe recipere; ibi enim *affligetur*, vexabitur dure, aſpere accipietur, lædetur. Hæc enim omnia cadunt in verbum Originale. Ergo quamvis externis, & publicis diſcriminibus non pereat, peribit tamen domeſticis, & internis; nā verbum originale *relinquendi*, aut remanēdi, idem eſt, quod effugere, aut ſalvari, ut patet Thren. 2. 22. *Non fuit in die furoris Domini, qui effugeret, & relinqueretur.* & Ierem. 42. 17. *Nullus de eis remanebit, neq; effugiet.* Sic etiam Ioſue 10. 20. ubi nos habemus; *Hi, qui Iſrael effugere potuerunt, ingreſſi ſunt civitates munitas.* Hebræi legunt; *Relicti, qui remanſerunt ex eis, &c.*

Sed ſuppoſitum verbi *Affligendi,* quærunt Septuaginta, atque intelligunt fore, ut impius ab advena, & hoſte alienigena devaſtetur: nam legunt; *Lædat advena domum ejus.* Quod ſic interpretatur auctor Catenæ, id eſt; *Hoſpes aliquis, aut alienigena; quod ipſum ad miram impii imbecillitatem confirmandam allatum eſt.* Videlicet quod adverſus hoſpitem, & peregrinum nō poſſit ſe domi ſuæ tutum continere. Sed poteſt non incommode ad ignem etiam, de quo paulo ante dixerat, referri: nam cōfugientem ad ſuum tabernaculum, excipiet, & affliget *ignis, qui non ſuccēditur*; ex his enim, quæ domi ſuæ congregata habet ex rapina, tum etiam ex domeſticis aliis, & occultis ſceleribus exurget mirabilis quædam flamma, quæ illum exorbeat, & devoret; ſicut Mich. 6. 10. dictum eſt.

Ignis inferni cæcus, ſed vorax.
Flamma linguæ ſimilis.
Cur Deus dicatur Ignis.
Alluſio elegans.
Chryſoſtom.
Auguſt.
Theophylact.
Vnde dicatur Gehenna.
Virgil. 6. Aeneid.
Vatab.
Cajetanus.
ירע
שׂרד
LXX.
Imbecillitatis periphraſis

Occulta fcelera, & rapinæ funt ignis abfconditus.

Adhuc ignis in domo impii, thefauri iniquitatis, & menfura iniquitatis iræ plena. Ignem appellat, *thefauros* per iniquitatẽ, & rapinam comparatos, & per iniquas menfuras, atque fraudulentas, videlicet justo minores. fed quod deeft menfuræ, explebit ira Divina; nam quantum fuffuraris proximo, tantum ignis, & flammæ domi tuæ abfcõdifti, quæ paulo poft in te exardefcet, & te affliget, atque vaftabit, ficut Iacobus Apoftolus dixit cap. 5. 1. *Agite nunc divites, plorate ululantes in miferiis, quæ advenient vobis. Divitiæ veftræ putrefactæ funt, & veftimẽta veftra a tineis comeftæ funt; aurum, & argentum veftrum æruginavit, & ærugo eorum in teftimonium vobis erit, & mã ducabit carnes veftras, ficuti ignis.*

Quod proximo aufertur, vertitur in ignem.

XXVII. *Revelabunt cæli iniquitatem ejus; & terra confurget adverfus eum.*

I

NON folum (inquit) ignis, & tenebræ, fed univerfæ creaturæ fe armabunt ad ultionem impii: nam Cæli, & Terra confpirabũt adverfus eum. Auctor Catenæ exiftimat, hæc dici propter ignẽ cæleftem, quo illius greges, & armenta conflagrarunt, & propter aeris impulfum, quo domus cõcuffa eft. Aer enim non raro *cælum* appellatur. *Terram* autem accipiunt pro Chaldæa, & Sabæa, quæ armatos latrunculos immifit; atque utrumque dicit Sophar, fuiffe teftimonium ad latentem IOBI impietatẽ revelandam. Aliter quidã Latini, fed per Metonymiã etiã pro incolis cæleftibus, id eft, Angelis, atque etiam pro terrigenis, qui omnes pro Deo pugnabunt adverfus communem hoftem, atq; illius iniquitatem fuo teftimonio prodent; fiet etiam, ut in futuro judicio omnes, five mali, five boni (lædit enim omnes, aut injuria, aut exemplo) illum condemnent teftimonio prolato improbitatis. Tertio alii fimplicius; *Cælũ, & terra* fterilefcent adverfus impium, nam & cælum lumen, & pluviam; terra fructus denegabit; atque in perniciẽ illius multa producet. Quadrant omnia. Et cum poffint hæc dici a Sophar de fuppliciis tẽporalibus, at potiffimum ad futuri judicii damnationem fpectare videntur; ille enim *dies revelationis* dicitur, cum *erunt figna in cælo*, non obfcure fignificantia, atque *revelãtia iniquitatem impii.*

Nicetas.

Varia expofitio.

Dionyf. Hugo poft Gregor.

Vatab.

Rom. 2. 5.

Marc. 13. 25.

XXVIII. *Apertum erit germen domus illius: detrahetur in die furoris Dei.*

1. Aperiri, & revelari, *in Sacro fermone quid: Aliquando ad exilium pertinet. Impii bona alio transferenda Explicatus Ioannes.*
2. *Impiorum thefauri patefaciendi, & excludendi ab externis.* Germen *quid.*
3. Detrahere *quid proprie. Varia item ex Hebrao lectio.*
4. *Horreis, & apothecis impiorum fua peculiaris cõminatio. Ira nafi.*
5. *Hæreditas impiorum quare vocetur fupplicium,* Verbum *pro re. Ortis peccata.*
6. *Epifcopus quid, & quod apud Indos munus effet, Deus Epifcopus.*

I

גלה

APertum erit. Ab eadem radice, a qua dictum eft: *Revelabunt*; revelabitur ergo, & manifeftum erit, detegetur, & difcooperietur. *Germen*, fructus, proventus, terræ nafcentia; id eft, cognofcent omnes, unde impio tot fructus, & tanta bonorum abundantia provenerit. femper objicit IOBO, & diviti rapinam, quafi nimia copia divitiarum vix citra fraudẽ, & aliorum injuriam contingat. Eft enim *Mammona iniquitatis*, vel quod vix, fine iniquitate divitiæ contingant, vel quod multis iniquitatibus facultatem, & materiam præbeant. Vel, Fructus, & proventus, quos condiderat, & occultaverat fibi in annos plurimos, quos negaverat pauperibus, aperiẽtur, & patebunt omnibus, cedentque in fuftentationem pauperum. Alii legunt, *Migrabit germen*, alii, *captivabitur*, aut, *captivum erit.* Poffet etiam legi, *Exulabit*, aut *transferetur.* Sed eodem recidunt omnia; nam verbum *Galah*, quod eft *revelare* active, vel apparere intranfitive, pertinere folet ad captivitatem, migrationem, vel translationẽ in alium locum, in quo quis denuo revelatur, & apparet. Nam qui fe intra unum locum, aut intra privatos, patriosve parietes continet, latere dicitur, & occultari; cum vero alio migrat, ut mores hominũ multorum videat, & urbes, dicitur revelari, & apparere. ficut Chrifto Domino commoranti in Galilea, Dixerunt Ioann. 7. 3. 4. *Fratres ejus, Tranfi hinc, & vade in Iudæam, ut & difcipuli tui videãt opera tua, quæ facis; nemo quippe in occulto quidquã facit, & quærit ipfe in palã effe. Si hæc facis, manifefta te ipfum mundo.* Quare *manifeftatio* hæc celebritatem quandam, & publicam notitiam videtur afferre. Sic igitur dicitur, *aperiendum*, & manifeftandum, quidquid in do-

Divitibus frequenter objicitur rapina, & iniquitas.

Luc. 16 9.

Forfterus. Pagn. Vatab. Regia. Tigur. Cajetan.

mo

Impiorũ facultates captivæ ducẽdæ. mo impii *detinebatur in injustitia*, & migraturum, atque transferendum alio, cum celebritate quadã, & publica notitia supplicii: quare impii bona, & facultates exulabunt, captivæ ducentur ab advenis, & peregrinis; & quæ prius bona abscondebantur in thesauris impii, postea conspicientur, & apparebunt in aliena regione.

2 Sed forte etiam aliquanto lenius, *apertum erit*, id est, patebit cunctis deprædantibus, scrutabuntur fures, & diripiẽt prędones, quidquid in illius promptuariis, quidquid in scriniis, & loculis habebat; patebunt fores; nullæ claves, nullæ feræ; ut votis, & avaritiæ impii eveniant omnia contraria.

Alii etiam per *germen domus, posteritatẽ, & filios* intelligunt. Quadrabit ergo in impiũ illa cõminatio facta Ezechiæ Regi ab Isai. 4. Reg. 20. 17. *Ecce dies veniẽt, & auferentur omnia, quæ sunt in domo tua, & quæ condiderunt patres tui, usque in diem hanc, in Babylonem, sed & de filiis tuis, qui egredientur ex te, tollentur, &c.*

3 *Detrahetur*. Proprie, auferetur, defluet, fluet, videlicet germen illius, & terræ fructus, atque proventus, fluent, velut aquæ, quæ effusæ colligi, aut instaurari non possunt. id est, nunquam recuperabit amissa bona, in qua explicãdi ratione cõveniunt Thargum. R. Mosch, & R. Abraham Perusol. Non omnino incommode explicuit Tygurina, post Hebræos alios adductos; *Proventus domus ejus, quando irã suam depromet, migrabit, ut aquæ effusæ*. In quo observandum est, eo impetu, & celeritate, quo defluunt aquæ in præceps, significari hoc loco deducẽdas, & quasi defluxuras facultates omnes impii in alienas domos, ut non nisi, cum violẽtia, & injustitia detineri, & invitæ negari externis possint; alioquin sponte fluxuræ, & se se ad aliorum usum, & utilitates effusuræ. Sed quod noster legit, *detrahetur*, sapienter fecit, et cum vehemẽtia sententiæ, nã verbum originale, *Trahere*, aut *detrahere*, significat, aut *deducere*, & *extendere ex uno loco in alium*, nã omnibus his modis vertitur a Vulgat. Et notat Cajet. *Hebraicam dictionem significare violentas tractiones, quæ fiunt trahẽdo aliquid super imam terrã, quod Vulgari Italico dicitur Stracinari*, aut *Straciare*. Apud nos videtur esse, *Destroçar*, o *despedaçar*. habet enim vim quamdam, atq; celeritatem cõmunem fluxui præcipiti aquæ celeriter decurrentis; quare forte integra significatio consurget ex utroque, si dicas esse idem, quod fluere, aut defluere cum distractione; aut distrahi defluendo. Quare Rab. Mosch in Commentariis explicat; *Festinabit migratio perfecta, sicut aqua defluẽs in descensu, quæ nõ congregatur.*

Thargum. R. Mosch. R. Abraham.

Facultates impii spõte fluẽtes in pauperum domos.

נגר

Cajeta.

R. Mosch.

4 Quid, si forte fluxus iste cum violẽta illa tractione ita conjungatur, ut respiciat ad vastationẽ domus, quæ fit ab hoste, & furente milite, horrea, & apothecas ingrediẽte, & vertẽte dolia, frangẽte vasa omnia, oleũ, vinum, liquida omnia effundẽte; & dispergẽte, quæ collecta erãt. Eo videtur respexisse Thargum; *Captivabitur fructus domus ejus, oleũ ejus, vinũq; ejus*. Diffundẽtur videlicet. Quod Eugubin. dixit, Ipsum impium periturum, & abiturũ, velut rapidũ fluvium; coactũ est. Quod vero Septuag. legunt; *Trahat domũ ejus perditio in finẽ*; verbis tantum, non sententia differunt a nobis.

Stheucus.

LXX.

In die furoris Dei. Quoniam in Hebræo est, *in die nasi ejus*. Cajet. existimat, referri ad impium passive, id est, *in die furoris*, quẽ impius patitur. Sed sapienter explicuit Vulg. cujus esset ille furor, videlicet Dei, estq; idẽ omnino quod, *Dies nasi Dei.*

Cajet.

---

29 *XXIX. Hæc est pars hominis impii a Deo, & hæreditas verborum ejus a Domino.*

---

5 HÆC *est pars*. Hæc retributio, quam impius, seditiosus, & rebellis adversus Deum, accipiet *a Deo*, *Elohim*, judice sapiẽtissimo, & potẽtissimo. *Et hæreditas verborũ ejus*. Impiis pœnæ, & supplicia jure debẽtur, sicut *hæreditas*, quę jure propinquitatis, & cõsanguinitatis ad aliquẽ devolvitur. Cum autẽ dicit, *verborum ejus*, pleriq; intelligunt, indicari a Sophar peccata oris. Ita post Gregor. Latini, & Hebraizãtes, q. d. *Hæc est merces, quã reportat impius propter suas in Deũ blasphemias*. Sed forte simplicius, quod in Hebręo sit in singulari * *Verbum*, ut accipiatur pro negotio impii; q. d. * Huc tandẽ omnia recidunt, quæ de illius interitu dici possunt.

רשע

Gregor. Vatab. Pagnin. Cajet. Clarius. Hugo. Dionys.

* Este es, el pago, q̃ Dios le dara, y lo q̃ del se espera en este caso.

6 Septuag. *Hæc est possessio bonorum ejus a superintẽdente*. Græc. *Ab Episcopo*. Nicet. *a Deo, qui omnia speculatur*. verti etiã posset; *a visitatore*. Nã Iudex visitat, & asservat bonis prẽmia, atq; improbis providet supplicia. Arrian⁹ scribit, *peculiare munus fuisse apud Indos Episcopõ; videre, quid in quaq; regione fieret; ut cognita ad Reges, vel magistratus referrent*. Sed Deus ipse idem inspector, & Episcop⁹, ipse supremus Iudex est: atq; etiam *Panepiscopus*, id est, omnia visitans; quod Dei epithetum est apud Dionysium.

LXX.

Nicand. επισκέπτομαι

Arrianus l. b. 8 Episcopi munus apud Indos.

πανεπισκόπος

Dionys.

CAPVT XX.

1 *Respondens autem Sophar Naamathites dixit.*

2 *Idcirco*

** cogitationes meæ variæ succedũt sibi;*

** & mens in diversa rapitur.*

3 *Doctrinã, qua me arguis, audiam,*

** spiritus intelligẽtiæ meæ respondebit mihi.*

4 *Hoc scio,*

a principio, quo positus est homo super terram:

PARAPHRASIS Capitis præcedentis.

NOTATIO *RERVM INsigniorum, quæ in Commentariis fusius explicantur.*



IOBI DICTIS, & oratione punctus Sophar, illo præsertim, cum Iobus suis amicis silentium imperasse visus est, quasi prius inflatus, & tumens, nunc rupto ulcere totum spiritum suum cum insolẽtia, & jactatione profert, & respondendi occasionem nactus, in hæc verba exorsus est.

Eoquod tam pertinaciter asseras, o Iob, hæc te mala innocentem, & immeritum sustinere, æstuo animo, & cogitatione, menteque conturbor. Et cum asserueris, gladium esse iniquitatum ultorem, atque impios omnes severissimi judicii, atque supplicii pœnas subituros, respondendi, atque tuã istam orationem redarguendi opportunam materiam præbuisti. Nam isto tuo te gladio conficis, cujus in tantis ærumnis, ut qui sis in improborum scelere, & numero, aciẽ expertus es. Insolescẽti itaq; in tuos amicos, atque in viros probos, & modestos debacchãti occurrendum a me fuit. * Quamquam ingenue fatear meam mentem, multitudine cogitationum gestientium erumpere, propemodum obrrui, & linguã impediri. Mirum enim est, quam multas, & quã graves cogitationes hæc tua oratio excitarit in meo animo! Si semel exponere cœpero, obrruam te profecto. * Sed unde jam faciam dicendi initium? nam mens in diversa rapitur; & jam festinat respondere; jam vero sensu quodam, quasi injuriæ, & contumeliæ affecta pedem refert. Sed conceptiones mentis meæ alacriter se se effundere gestientes vix compescam.

Dicendi vero facultatẽ mihi abs te concedi, o Iob, certo scio, quod & tuam severiorem correptionem tacitus audierim, qua indignis tum me, tum amicos cæteros verbis, rebusq; ad confusionẽ, & ruborẽ usq; exagitasti. Sed vero contumelias, quod ad me attinet, nihil moror, dum veritatem asserere, & tueri valeam: id quod sapientis est disputatoris. * Valeo autem satis, superque tua dicta assequi, excutere, refellere. Quod ipse manifesto experimento, & testimonio meæ respõsionis constabit; & ipsa mea oratio plena spiritu quodam intelligẽtiæ sublimioris, atque veræ cujusdam rerum æstimationis, me a tuis scomatis tuebitur. Nam quid aliena verba, & contumeliæ lædere poterunt, quem sua intelligentia, atque bona conscientia tuentur, & securum efficiunt? Ego sane, secus ac tu, rationibus exquisitis agam: & satis, superque me tuis contumeliis respondisse arbitrabor, cum te rationibus ipsis, & veritate revinxero.

Atque ut jam ad rem veniam; Hoc unum scio, me scire, quod nemini ignotum esse arbitror, tibi quoq; perspectum esse oportet: Hanc esse Divinæ Providentiæ rationem certam, & fixam, ut improborum res lætæ minime diuturnæ sint, sed brevi, luctuosoque fine concludantur, & momento temporis omnis simulatæ pietatis jucunditas intereat. Nihil enim tuis in rebus paradoxum accidit, o Iob, nihil novum. Sic enim humanas res moderatur Deus, jam inde ex eo tempore, quo primus homo formatus, atque suo loco, & prima patria, peculiari providentia, & ratione collocatus fuit, ut in terra ipsa, suę vel pietatis, & obedientiæ, vel inobedientię, & iniquitatis mercedem referret. Quod idem antiqua supplicia sæculorum omnium improbis,

& sceleratis hominibus inflicta, aperte confirmant. Tum etiam primũ illud, idemque vulgatissimum Numinis nomẽ, quo judicem illum, & confitemur, & reveremur. Qui sic constituit, ut impiorum vanissima illa lætitia, & exultatio, atque triumphus cito finiatur; nam neq; diu est, quod ea fælicitate improbus fruitur, neq; idem procedet longius. in proximo enim luctus, & ruina sunt. Iustorum gaudium firmum, fixum, stabile, quod nemo ab illis tollet, * improborum vero, & eorũ, qui vel externo habitu pietatem mentiuntur, vel simulatione pietatis ad honores, & vulgi admirationem, & plausum obrepunt, nõ solum jucunditas brevis, & temporaria est, sed plane momentanea: nam subito licet excitetur, & exurgat impiorum gloria, subito etiam extinguitur, & evanescit; & velut Sphera, quæ per sese volubilis est, neque planum potest tangere, nisi in puncto, ita non sinitur diu consistere impiorum fælicitas, sed dum tangitur, amittitur. Quare dicere profecto possis ipsam impiorum lætitiam, ruinam esse, atque interitum, ut quæ illis exitium, & ruinam afferat certissimam.

Quod laus impiorum brevis sit:

** & gaudium hypocritæ*

** ad instar puncti,*

6

Si ascenderit usq; ad cælum superbia ejus,

& caput ejus nubes tetigerit:

Si igitur improbi hominis dignitas, atq; felicitas tam excelsa, tamq; exaggerata fuerit, ut & celsitudinem Divinam temere appetere audeat, & cum numine de sublimitate contendere, arbitreturque jam se superbo vertice attingere polum, imo & summa sydera plantis premere, caputque efferre ex nubibus ipsis obscuris, & caliginosis, superioremque cunctis humanis discriminibus constitui; quamvis instar bene firmæ, & annosæ arboris altis defixæ radicibus, summis ramis, summoque vertice videatur nubes contingere:

7

Quasi sterquiliniũ in fine perdetur:

& qui eum viderant, dicẽt, ubi est?

Sed tamen in miserandum præcipitium recidet universa hæc sublimitas; tamque erit abominandus cunctis mortalibus, quam stercus vilissimum, atque fœdissimum; quod vel in ipso funere, & brevi interitu planum fiet, cum illius cadaver in sterquilinio defossum, cæno, fimoque conditum obtegetur. Tunc vero, qui intentis illum oculis olim suspiciebant, *& omni observantia colebant, tantæ celsitudinis admiratores, & laudatores, nunc ad repentinam ruinam multo magis mirabundi, & stupefacti dicere nunquam desinent; Vah, in quam sordido, & abjecto loco, in quanto squallore, & pœdore, in qua nũc fovea ex tanta celsitudine! Neque vero id tantum eveniet ex naturali quadam rerum cõsequutione, & humanarum rerum vicissitudine (illa enim casui, & ruinæ propiora sunt, quæ celsiora sunt) sed ex supremi Iudicis consilio, & statuto; gaudet enim ille eminentissima queq; deprimere; quod neminẽ velit magnifice, & altum de se sentire. Dejicit itaq; hos celsitudinis affectatores cælesti fulmine, inevitabilique supplicio.

8

Velut somnium avolans, non invenietur:

** transiet, sicut visio nocturna.*

Nihilo itaque plus durabit impii fælicitas, quam brevissimi alicujus, & vanissimi somnii voluptas, quæ ut non est vera, neque solida, ita certissime evanescit, atque expergefactus homo, nihil illius capit, nihil invenit. * Quid enim magis simile [a] somno, & crapulæ, somnio, & vanis spectris, quam vita hæc plena curarum, atque vanitatum, quibus humana mens ludificatur; in qua confusa omnia, & perturbata, paucissima vera, falsa pleraque?

a Fusior expositio hujus comparationis mortis cum vigilia, & humanæ vitæ, ac fælicitatis cum somno, & somnio, ex sacris, & prophanis. v.8.a.n.3. usq; ad 7.

9

Qui autem ludificata mente somnium confinxerat sibi, vanoque spectro per summam voluptatem frui videbatur, repente expergefactus, videre amplius lætam illam, & jucundam imaginem non poterit. non aliter sane, nec impius ipse pristinam suam fælicitatem retinebit; * Atque illi ipsi, qui fælicem hominem admirabãtur, & intentis oculis suspiciebant, repente e conspectu, & medio ablatum, desiderabunt, sed frustra. Nam videre per otium minime potuerunt, quem raptim, & per transennam collucent, atque florentem videre olim licuit. * Sic nulla erit improborum memoria apud oppidanos, & concives suos; nulla apud illorum domesticos, & familiares, atque dissimili conditione, similiter tamen veram rerum æstimationem, & opinionem de rebus, sero licet, habere incipient, tum dives ipse, tum

** oculus, qui eum viderat, nõ videbit:*

** Neq; ultra intuebitur eũ locus ejus:*

qui illius ementito splendore obcæcabantur.

10 *Filii ejus atterentur * egestate,*

Filii autem impii divitis erunt pauperibus ipsis pauperiores, & miseriores miserrimis; atque adeo vilissimi, & abjectissimi mortalium omnium potentes erunt illos opprimere, & in illos dominari. quare ii, qui quondam omnibus erant formidini, nunc supplicare omnibus cogentur. * Sed tamen non brevis illos exagitabit calamitas; diuturna enim egestate, & macie atterentur, & attenuabuntur animo, & corpore, imbecilli, atque nutantes, longoque cruciatu tandem conficientur. Quæ licet filiis gravissima, at ipsis parētibus multo acerbiora erunt dedecora, & supplicia, quam si ipsi parentes illis fuissent obnoxii.

** & manus ejus reddent ei dolorem suum.*

* Sic sane iniquæ impiorum actiones, & nefaria scelera, quæ aliis vim, & dolorem attulerunt, erunt noxia ipsis impiis; & ea ipsa, quibus alios læserunt, adversus suos auctores multo vehementius retorquebuntur; & quæ in proximum machinati sunt, justa supremi Iudicis vindicta, quasi in cælum jaculati fuissent suas injurias, in ipsorum verticem recident, cælesti, atque Divina vi tantam iniquitatem repellente; atque illorum improbitatem perurente, & accendente eo ipso igne, & flamma, quam suis operibus iidemmet impii excitarunt.

11 *Ossa ejus implebūtur vitiis adolescētiæ ejus,*

Sed illud in impii vita, & moribus, si nihil aliud, gravissimum esset, & gravissimo dignum supplicio, quod quæ semel [b] in adolescentia didicit, nunquam dedidicit, & pravis moribus, tanquam ossibus quibusdam, tota ejus vita imposita, & sustentata indies difficilior, & durior ad flectendum, & mutandum efficitur. Plenus itaque medullitus est infandis sceleribus; quæ turpe est etiam dicere; nunquamque in vita, & moribus maturescit, juveniliter semper lasciviens; & illam optimam, & intimam suæ vitæ partem ducens, si quando abunde, & largiter turpibus se voluptatibus ingurgitare contingat.

[b] *De adolescentiæ appellatione, & peculiaribus vitiis, ad Scripturarum intelligentiā, & morum doctrinam non pauca. n. 3. 7. 8.*

& cum illo in pulvere dormient.

Sic profecto fit, ut peccata nunquam illum deserant; nam mortuum perinde, ac viventem comitantur, & in eodem sepulchri lecto cum illo decumbunt, minime hæc dormitantia; nam vigilant, ut surgenti aliquando cadaveri adsint, & ad Divinum usque tribunal comitentur. Ergo cum non prius peccata, quam vitam suam deserere instituat impius, digna profecto Iudicis sententia fiet, ut corpus obscœnum, quod omnis generis voluptatibus indulserat, omnis generis suppliciis afficiatur, & intime etiam excrucietur: ac neque in sepulchro quidem quiescere sinatur.

12 *Cū enim dulce fuerit in ore ejus malum:*

Sed incredibilem improborum hominum stupiditatem! quod enim sibi tam noxium, tamque mortiferum est, avidissime complectuntur, ducti nimirum juvenili illa lascivientis animi libidine, & voluptatis dulcedine deliniti, quam semper appetunt, semperque famescunt. Cum enim ori illorum, id est, cogitationi, appetentiæ, & facultatibus omnibus sive animi, sive corporis, malum quodcunque, illud præsertim, quod cum iniquitate, rapina, tyrannide conjunctum est, dulcescere cœperit, sic inescantur, & detinentur, ut, instar gulosissimi hominis, non statim devorent; sed versant, & tractant ore, & in ea cogitatione, & sensu voluptatis mirabiliter delitiantur. Tanta est pravæ voluptatis, pravæque consuetudinis vis, tanta in lædendo proximo voluptas, tanta in decipiendo paupere blandis, & fictis verbis demulcēdo, statimque ex insidiis adoriendo dulcedinis gustus!

13 *Parcet illi, & non derelinquet illud: & celabit in gutture suo.*

Quem ne cito amittat improbus, cōtinet, & detinet in medio faucium, & pauperum sanguine os, & palatum eluit per summum otium, summamq; voluptatē; interim parcere se simulat, & miserorum cōmiseratione medullitus tāgi, & interdum etiam instar Crocodili, lachrymatur ad pauperis conspectum, quē mox per summā sævitiā discerpturus, & devoraturus sit. Et cum tā aperte iniquus sit, at mille modis ingēnia sua facinora excusare conatur, indulgētissimus profecto suæ causæ

judex, at pauperum, & miſerorum non ſeveriſsimus ſolum, ſed crudeliſsimus.

14 *Panis ejus in utero eius vertetur in fel aſpidum intrinſecus.*

Itaque poſtquam ingenti voluptate, ſenſuque dulcedinis pravæ verſavit mente, & palato improbitatem, detinuitque ore, devoravit tandem, & deglutivit; ſed in ſuam perniciem. Nam malum, quod illi adeo dulceſcebat, tanquam delicatiſsimæ epulæ, & exquiſitiſſime cupediæ, omnium voluptatum, & ſaporum varietate conditæ, omnino convertentur in virus mortiferum, & bilem exitialem, quæ viſcera occupabit. ex quibus cum aliquando venenum evomat, & depromat; at ipſum impium imo pectore, & corde amareſcere, ſuccendi, ardere, & velut veneno tumentem, & inflammatum diſrumpi tandem neceſſe erit. Sic igitur fluxa momentaneæ voluptatis dulcedo, atque ſatietas in amariſsimam, & acerbiſsimam tormentorum omnium nauſeam redundabit.

15 *Divitias, quas devoravit, evomet:*

Efficiet porro venenum illud mortiferum in cordis, mentiſque ventriculo tormina, & anxietates incredibiles, & moleſtiſsimam quandam vomendi neceſsitatem, ut tandem inique parta, & avidiſsime devorata, infructuoſa ſint avaro, & cum ingẽti illius cruciatu ad ſuos dominos revertantur. neque non pungente, atque torquente conſcientia, quæ domi in injuſtitia impius detinet, Deus, pro ſua Providentia, invito extrahet: & vel boni alicujus, vel apoſtatæ angeli miniſterio uſus, nullum priſtinæ fælicitatis veſtigium relinqui patietur. Quamvis enim adeo tutam divitiarum poſſeſsionem adeptus ſit, ut eas in ventrem ferme abdidiſſe videatur, brevi tamen illas ipſas dolens amittet; & quæ cum gaudio congregaverat, cum dolore effundentur. Ac ſicut qui noxium aliquem cibum ſumpſit, una cum eo probos etiam evomit, ſic qui inique congerendis opibus ſtudet, non ſolum ipſas, ſed etiam quas prius jure poſsidebat, plerumque amittit.

& de ventre illius extrahet eas Deus.

16 *Caput aſpidũ ſuget: & occidet eum lingua vipera.*

Scire igitur impium avarum vellem, quando eſurit, & ſitit alienum ſanguinem, quando lambit, & exugit, velut lac dulciſsimum, & ſuaviſsimum, pauperum ſubſtantiam, venenum utique mortiferum haurire, quale in [c] aſpidum capite, ore, dentibus reſidet, & quale lingua viperæ jaculari ſolet. Ac ſicut cum viperæ libidine agitantur, fœmina collum maris inemittenda genitura comprehendit, & arcte complexa non prius dimittit, quam caput ore receptum præciderit, atque devoraverit; fœmina vero talem luit maſculo pœnam, quod filii, dum adhuc intra uterum ſunt, matricem, & viſcera parturientis erodunt, redduntque ipſi parenti priſtinam libidinis voluptatem exitialem; non aliter profecto impius in devorando paupere libidinis æſtu exagitatur, ut cogatur poſtea, quæ devoravit, & concepit, cum incredibili mortis acerbitate parturire, atque effundere; & ſicut idem ipſe biſida, & venenata lingua in multorum vitam, & famam mortiferum venenum jaculatus eſt; ita quoque fiet Divino ſupplicio, ut aliorum etiam detractorum virulentum morſum ipſe quoque experiatur.

c De aſpidis, & viperæ natura, & veneno peculiaria quædam obſervãtur. v. 16. n. 4. cap. 5.

17 *Non videat rivulos fluminis, torrẽtes mellis, & butyri.*

Sic tandem fiet, ut bonorum ſpiritualium incredibili copia, atque dulcedine nunquam impius frui permittatur; tum ipſis temporalibus bonis uti non poſsit. Nam poſtquam ex rapina, & iniquitate numeroſiſsimos ovium greges, armenta quoque pinguiſsima Vaccarum, atque camelorum, multaque latifundia, & prædia ex præda comparaverit, nullos poſsit fructus percipere: neque fruetur magna lactis copia ex diſtentis uberibus, inſtar rivulorum fluentis; non butyro bovillo; non alvearibus mella fundentibus; nõ promptuariis plenis, atque redundantibus, inſtar torrentium perennium. atque adeo ea omnia, quorum cauſa ſtulte laboravit, neque deglutire, neque concoquere valebit, inſtar [d] herbæ, quæ mandere conantis linguam aſperiorem reddit.

d De Stribbno herba a lectionẽ Græcorũ quædam. v. 17. n. 4.

18

Nihil profecto abibit impune, quod pari, dignoque ſupplicio non

afficia-

Luet, quæ fecit omnia: nec tamen consumetur.

afficiatur; ita tamen, ut temporalis voluptatis, quæ ex peccato est, supplicium, & cruciatus æternus sit. Æternas utique luet impius pœnas pro labore, & molestia, quam aliis inflixit, sicque restituet septuplum, quod per vim rapuit; nunquam tamen satis eluet tot scelera propter obstinati animi impietatem, & impœnitentiam. Quare, sicut quondam improbus peccati dulcedine delinitus non deglutiebat statim peccatum, sed abscondebat sub lingua, & tractabat, detinebatque in palato; ita sane cum supplicium, & extremus dolor illum arripuerit, non statim devorabit, & absumet, neque satis decoquet, sed mors illum ore versabit, abscondet sub lingua, & perpetuo suis dentibus atteret, atque comminuet. Hoc profecto impiorum consiliis, atque conatibus par, dignumque supplicium respondebit. Atque tantum restituet, quantum per iniquitatem ditatus est; & quæ cum ingenti animi lætitia, & voluptate comparaverat, in tristitiam, & mœstitudinem sempiternam redundabunt.

Secundum multitudinē adinventionū suarum, sic & sustinebit,

19 *Quoniā cōfringēs. * nudavit pauperes.*

Quid enim supplicii non mereatur, qui egenos, & pauperes per vim, & iniquitatem opprimit, atque confringit, & ad extremam egestatem, & calamitatem redigit? * Impius sane, sævusque tyrannus suis bonis omnibus imbecillos spoliavit, attenuavit, exhausitque viribus. Neque in miseriores tantum sævit, sed in opulentiorum etiam domos, atque facultates inhiavit. quamquam, ut est impiorum ingenium degener, & ignobile, dives impius non potentiorem aliquem, sed miserrimum quemque, & pauperrimum hominem frequentius adoritur. * Rem autem alienam ad manum sibi oblatam non solum abstulit, sed incredibili aviditate, & impudentia aliorum domos invasit, atque diripuit, suis dominis frustra pro re sua pugnantibus; ædificarunt videlicet, instruxeruntque suas domos, sed non sibi ædificarunt. Destruxit, evertitque illas sævus tyrannus, neque erexit iterum, aut instauravit, neque unquam de damnis, quæ intulit, restituendis cogitavit.

** Domum rapuit, et nō ædificavit eā.*

20 *Nec est satiatus venter ejus: & cum habuerit, quæ cōcupierat, possidere nō poterit.*

Verumenimvero cum illius ingluvies, & appetentia bonorum, voluptatumque omnium tam inexplebilis sit, ut quamvis multa voraverit, multa quoque sitiat, & denuo esuriat, atque ipsa mens, & cordis receptaculum nullis unquam avaritiæ desideriis, & voluptatum cogitationibus satiari possit, fit profecto, ut sacra quadam siti, & fame perpetuo laboret, & incurabili morbo crucietur; cumque semper ignis avaritiæ ardeat, semper quoque cruciatus intendatur, & crescat, ac nunquam tranquillitatem ullam, satietatemque in animo suo avarus sentiat. Quamvis vero voti compos sit, ad illius animi tranquillitatem, quæ mentis jucunditatem efficit, nunquam compos erit; nunquam enim comparatis, atque possessis uti poterit, aut cum securitate, & jucunditate potiri. Nullam igitur ex labore suo utilitatem, fructumve percipiet, neque eorum, quæ adeptus est, possessionem diu retinebit incolumem; novis semper æstuans acquirendi, & possidendi desideriis.

21 *Non remansit de cibo ejus; & propterea nō permanebit de bonis eius.*

Igitur nihil ille non expetit ad comedendum, & devorandum: atque de rebus, & voluptatibus, quas tempus, & occasio ferunt, nihil relinquit; multoque plura appetit, & deglutit, quam concoquere possit, & in suam utilitatem convertere: omnia sibi vult, at ne micam, nec guttam quidem egeno, & mendico. Par itaque rependetur illi supplicium, ut etiam necessario victu cariturus sit, momento omnia sua amittens bona. Quid enim in illius domo, & facultatibus non sit vanum, fugax, instabile?

22 *Cum satiatus fuerit, arctabitur: & omnis dolor irruet super eum.*

Illad omnino cruciatum afferet improbo acerbissimum, quod cum crapula, & bonis hujus sæculi nimium se impius oneraverit, sentiet animi; & pectoris æstum molestissimum, & ad extremas angustias redigetur; conabitur enim vomere, præque ingenti difficultate minus allidet; & complodet; & omnia angoris, dolorisque signa præbebit. Nam vis calamitatum, ærumnarumque omnium illum corri-

piet, ut necesse sit, ejus animum doloribus incredibilibus redundare: Quid, quod qui alienos labores rapuit, tunc adversum se omnes laborantium manus incurrere videbit, ut auferre, quod suum est, quisq; possit? Et cui uni miseri mercenarii laborare visi sunt, tunc ipse omnibus miseris, laboreque suo viventibus laborasse, & opes accumulasse videbitur.

Sane illo tandem vita impium luxuriosa deducet, ut cupiat saturare ventrem de vilissimo quoque cibo; at nemo illi copiam faciat, postquam in hominem ingurgitatum, & plenum multis rapinis, atque voluptatibus ira Divina desævire cœperit. Atque utinam jam impius, quod prædæ, & rapinæ facturus est, faciat cito, & suæ improbitatis mensuram mox impleat, ut pro meritis rependatur illi supplicium Divino decreto constitutum ad mortalium omnium exemplum, atque terrorem. Fiet enim id, quod maxime bono cuique optandum est, ut Deus tandem modum, & finem tantæ impudentiæ constituat, atque laxatis suæ indignationis, & furoris habenis, justitiam suam quasi e suæ misericordiæ carceribus emittat, ut incredibili impetu in improbitatem incurrat: atque vultu ipso ardente, & inflammato, fumanteque naso, flammas in illum justissimæ vindictæ jaculetur, quibus scelerati principis carnem, & corpus universum exurat, & devoret, totumque hominem, quasi conferto quodam dolorum, & cruciatuum nimbo obruat, ningatque super illum dolores. Cælitus itaque maximus, præpotensque Deus bellum improbis omnibus indicet, adversus quos [e] immanem tempestatem excitabit; cælos conturbabit; teterrimas nubes, terrificas pluvias coget; ventos sævissimos, & universum ætherem commovebit; fulgura, & fulmina, tonitrua advocabit ad impiorum exitium sempiternum.

23 Utinam impleatur venter ejus: ut emittat in eum irã furoris sui, & pluat super illũ bellum suum.

e De belli, aut prælii eleganti cõparatione cũ pluvia, & tempestate, quædã ex sacris, & prophanis, n. 7. & 8.

Producet itaque potentissimus Imperator Deus adversus hostes suos omnia armorum genera ex omni materia ad lædendum, & percutiendum opportuna; non solum [f] ærea, quæ minus lædunt, minusque lacerant; sed ferrea etiam, quæ in vulnerando sæva sunt, atque lethalia.

24 Fugiet arma ferrea, & irruet in arcum æreum.

f De armis omnis generis æreis prisci sæculi, quædam exquisita. n. 1. 2. 3.

Fugere igitur tentabit impius divinum gladium obstinatione quadam impatientis animi, atque conantis eludere Divinam ultionem, sed frustra: nam nunquam effugiet. Si enim illum gladius cominus non vulneret, eminus illum attinget [g] æreus arcus fortissimus, atque incredibili impetu chalybea sagitta transfiget, pervadetque viscera universa. Ita fiet, ut & præsentis vitæ ærumnis, & longinquioribus aliis futuræ vitæ suppliciis miserrime corripiatur.

g De ære, & Chalybe paulo exquisitior disputatio ex sacris, & prophanis. n. 5. 6. 7.

Pertransibit igitur per corpus illius Divinæ ultionis jaculum, & mortifero veneno tincta sagitta, quam terrificus ille Iaculator supernus e pharetra sua splendentem, ac scintillantem jam deprompsit, simulque gladium eduxit, fulguris instar, cum terrore coruscantem, quem in illius viscera adiget, vasculumque fellis vulnere plane lethali disrumpet. tinctus itaque felle pallescet gladius, multoque terribilior efficietur, ut qui ore, & acie, coloreque ipso mortem improbis omnibus acerbissimã denuntiet. * Hostes vero sævissimi, terrores quoque, & cruciatus acerbissimi, denique terrifici illi spiritus omnes in impium convolabunt, repetentque dignas de improbitate pœnas: tamque multi accurrent, ut alii semper alios excipiant, & vim torquendi nunquam intermittant.

25 Eductus, & egrediẽs de vagina sua: & fulgurans in amaritudine sua.

** Vadet, & venient super eũ horribiles.*

Impius vero pavore perculsus loca omnia obscura observabit ad perfugium: si quod vero inveniat latibulum, ubi tot, tamque ingentia discrimina avertere possit, semper tamen illi aderunt terrores ingentes, caligo horrifica, omniaque funesta, atque exitialia, ut cui nullus salutis, [h] lucisve radius affulgere valeat. Quamvis non ideo non semper comburetur, flagrabitque igne illo, qui flatu, & industria, curave humana non indiget, neque lignis, ceu convenienti pabulo, nutritur; sed in corpora, animosque sontium vim suam,

26 Omnes tenebræ absconditæ sunt in oculis ejus.

h De ignis inferni vi & facultate urendi, & illuminãdi, & de illius descriptione ad Scripturarum, Patrumque intelligẽtiã, pulchra quædã, a. n. 2. usq; ad 6.

& uren-

Devorabit eum ignis, qui non succenditur.

& urendi facultatem exerit; qui non aliunde fomenta emendicat, ut ardere, & vivere possit, sed per se ipsum inextinguibilis est, semper quidem urgens, semperq; urens, sed nunquam ad aliquod solatium lucens, nisi forte ad novos terrores, novosque damnatorum cruciatus. Qui vero relicti fuerint ex impiorum familia, sempiternis quoque malis, & ærumnis agitabuntur, sive illi filii, & nepotes, sive familiares extiterint; nemo enim ex tanta clade evadet. Nam tum paterfamilias impius, tum illius asseclæ, & imitatores, si non externis, publicisque discriminibus, at certe domesticis, & intestinis malis male omnes peribunt: ac nihil omnino erit, quod adversus improbam familiam non concitetur, non cives solum, sed advenæ, & exteri, ac domus ipsius penetralia, quæ adversus illum flammas evoment.

27 *Revelabunt cæli iniquitatē ejus, & terra consurget adversus eum.*

Neque solum ignis, & tenebræ, sed universæ creaturæ ad impii supplicium, & exitium conspirabunt, Cæli, terra, & quæ rerum universitate omnia continentur. Cælum videlicet ignem pluet, vētos ciebit, & immittet in illius domum; terra ipsa armatos proferet hostes; ipsiq; tum cælites, tum mortales tantam communis hostis, atque tyranni impietatem modis omnibus prodent; Cælum denique, atque terra, qua potuerint ratione adversus illum sterilescent, exardescentque.

28 *Apertū erit germen domus illius.*

Detrahetur in die furoris Dei.

Tum sane universi mortales agnoscent, unde impio tot fructus, tātaque bonorum abundantia provenerit; videlicet non quidem ex labore, sed ex fraude, manifestaque rapina. Quæ ille igitur condiderat, & negaverat egentibus, thesaurique omnes multis clavibus, & seris obsignati recludentur, patebuntque omnibus, atque ad alios dominos demigrabunt. Nemo sane erit, qui prædones, & fures impedire velit, quominus promptuaria, universæque domus angulos, & penetralia petulantissime perscrutentur. Defluent igitur cunctæ opes, atque effundentur in aliorum usus, & cuncta illius suppellex dilacerabitur, atque dissipabitur momento temporis, Deo jam ulterius indignationē adversus immania scelera conceptam, minime dissimulante.

29 *Hæc est pars hominis impii a Deo: * & hæreditas verborum ejus a Dño.*

Hæc sane merces spectat rebellem adversus numen hominis impudentiam, atque ab æquo, & recto longe aberrantem; qui non solum verbo, & lingua, sed infandis etiā facinoribus, & conatibus Divini numinis majestatem violare tentavit. * Hic est vitę improbę exitus dignissimus, suo jure consequutus. Observat quippe, despectatq; cuncta e sublimi cælorum specula supremus ille, idemque Iudex incorruptissimus.

(.·.)
(·)



CAPVT XXI.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Ex multorum impiorum fælicitate redarguit IOB ſuorum ſociorum ſententiam, videlicet, non ſemper impios puniri in hac vita, ſæpe affligi, & exerceri pios; perperam igitur ex ſuis ærumnis argumētum peti ſceleratæ vitæ. Interim conqueritur nullis opportunis ad conſolandum verbis amicos ſuos uti.

I. *Reſpondens autem Iob, dixit.*

II. *Audite, quæſo, ſermones meos, & agite pœnitentiam.*

1 *Vitia in diſputando. Ejuſdem vocis geminatio.*
2. Pœnitentiæ *vox, quid proprie. Varia Græcorum lectio, & expoſitio.*
3. Irridere *quid proprie. Ironia IOBI; Oratio graviſſima.*
4 *Novem expoſitiones vereſimiles.*
5. *Germana interpretatio,* Homo, & humanum *de re terrena, & non valde pretioſa. Explicatus Paulus.*
6. *Multa in Iobi re, & oratione, facientia admirationem.*
7. Attendere, obſtupeſcere, *cum dubitatione, & timore conjunctum. Quo quis fælicior, plus timeto. Explicatus David.*
8. *Manum ponere ſuper os, aut maxillam, cujus geſtus.*
9 Pertimeſcere *quid. Non temere, & feſtinanter de divinis loquendum. Illuſtratus Salomon.*



1 INGENS eſt viri ſapiētis cruciatus, quę recte & bona mēte dixerit, perperam & ſiniſtre ab aliis accipi, & diſputantē crebro interpellari, neque permitti in regrũ animi ſui ſenſum in quæſtione propoſita, ardua præſertim, atq; difficili ſatis exponere. His incommodis ut occurrat Iob, audientiā facit, ſeu poſtulat potius. Quod cum peculiari affectu eſt in Hebr. & Græco: nam Septuag. repetũt; *Audite audiendo.* Sed cujuſmodi ſit hujus repetitionis affectus, & ſenſus, Catenæ auctor explicat: *Duplicatio* (inquit) *verbi audite, aut ad excitandā attentionē, aut ad animi ſecuritatē declarādā pertinet.* Dubium nō eſt, quin peculiarē audiendi rationē requirat, forte ut paccatiori animo, & ad judicandum, intelligendumq; magis idoneo *audiant:* vel longius forte quam vellent, diſſerentē ſuſtineant. quod indicāt illa verba verſ. 3. *Suſtinete me, & ego loquar:* nā videbatur Sophar feſtinātius, & concitatius quam par eſſet, proceſſiſſe ad redarguendum Iob. Hinc videas, quod nō ſemel admonui, repetitionē ejuſdem verbi in Scriptura nō ſemper augere, & intēdere ſignificationē verbi, ſed tamē ſemper denotare peculiarē affectũ in ſignificatione verbi, juxta exigentiam materiæ ſubjectæ.

Viro ſapienti calumnia moleſta.

Repetitio ejuſdem vocis cum peculiari affectu.

Et agite pœnitētiā. Vox originalis in genere ſignificat cōmutationem animi, quę 2
per varios affectus efficitur, ſed potiſſimum per pœnitentiā, aut conſolationem: Quare verbum *Nahham*, aut cōſolari, aut *pœnitere* ſignificat; & per pœnitentiā, ſive per conſolationē dicere quidē ſolemus, hominē mutari, & aliũ reddi, *Va eſt ò otro.* Hinc nata eſt varietas in lectione: nam Vulg. pro *pœnitētia* ſumpſit, quaſi diceret; *Si vos attētos, & lōganimes præbueritis in me audiendo, oſtēdetis vos ipſos pœnitere priſtinæ diſputādi formæ.* Id, quod indicavit lectio Symmachi; *Sit hoc mutatio cōſilii, & ſermonis veſtri.* At Græci, cum quibus Hebraizātes omnes, alterā *cōſolādi* ſignificationem ſequuntur: *Attēte me audite, & hoc veſtrum ſilētiũ erit mihi vice magnæ cōſolationis.* Sed eſt in lectione Græcorum notādum, Septuaginta Vaticanos cũ negatione legere; *Vt nō ſit mihi a vobis hæc conſolatio.* Cōplut. affirmative; *Vt ſit mihi hæc cōſolatio.* Lectionis autē illius negativæ ſentētia ſic exponitur ab Auguſt. *Non ſit mihi a vobis hæc cōſolatio, qua putatis bonis tēporalibus gaudendum, cum cōmunia ſint piis, & impiis.* Ex Catena autē non poteſt colligi, an cum negatione, an ſine illa acceperint, nā utrāq; lectionē, atque ſententiā, *Pœnitētiæ* videlicet, & *conſolationis,* in unica interpretatione conjungunt; *Accipite, quæ a me dicentur, ut cum intellexeritis verba ad conſolandũ idonea, vos minime feciſſe, tum veſtri vos pœniteat conſilii, tum rationis ordinē cōmutatis.* Nimirum cum aſſeritis, a Deo irato immitti dolores meos, refricatis proculdubio mea vulnera: ſi ab amante, & propitio, ut ego ſentio, atque cenſeo, incredibilem conſolationem facietis. Sed illud videtur ſimplex, & germanum, ut amicorum ſuorum ſilentium, & attentionem in audiendo dicat fore ſibi magnæ conſolationi; homini enim afflicto, atque dolenti nunc amicorum verba, & oratio, nunc e contrario taciturnitas ipſa ſolatium præbet. Illud itē ſignificat futurum ſibi ingenti ſolatio, ſi tantiſper loqui, & ſuam mentē exponere permittatur. Quare cohæret, quod ſequitur.

נחם

Mutatio animi per pœnitentiā, & conſolationem.

Symmach.
Vatab.
Tygurin.
Cajetan.
Regia.
LXX.
Complut.
Auguſt.
Nicetas.

Varia afflicti hominis conſolatio.

℟ III. *Sustinete me, ut & ego loquar: & post mea, si videbitur, verba ridete.*

3 SVstinete me. Ferte me dicentem. * *Sustinete*. quod ad pondus referri solet, quod gestatur, aut attollitur; quare indicat suam orationem onerosam, & gravé visam fuisse amicis. Sed forte significat hac suorum amicorũ taciturnitate, & attentione sublevandum esse dolorem. Indicat hoc Catenæ auctor; *Relevate* (inquit) *me, atque erigite morbo succumbentem.* atque hanc mihi gratiam compensabo ego patiente quoque silentio; nam tacitus deinde excipiam vestram irrisionem; *& post mea, si videbitur, verba ridete.* Additum illud, *si videbitur*, ab Interprete illuminationis gratia. Potest autem accipi permissive, ut videtur accipere Gregorius; *Postquam enim, quod sui muneris est, præstant sancti Doctores, si rideantur ab auditoribus, sustinent patiẽter.* Vel ironicos; Postquam ego attente audiar, ridebitis scilicet gravissimam, atque verissimam orationem meam. minime quidem. Sic acceperunt Septuaginta, qui legunt; *Deinde non ridebitis me*. Eodem sensu Symmachus; *Post sermones meos quiescetis*. Videlicet, cessabitis a ludibriis, & irrisione. Catenæ auctor, nescio quid de primo honore deferendo, ad ipsum I O B, nedum non irridendo, interpretatur his verbis; *Postquam ipse arbitratu meo peroraro, super priorem me accubitum, & sedem collocabitis.*

*Sobrellevad me vn poco, aunque os parezca pesado.

Nicetas.

Gregor.

Permissio, aut Ironia.

LXX.

Symmach.

Nicetas.

Illud tantum notandum, *irridendi* verbum vehemens esse; affert enim subsannationem, & opprobria, quibus gestu, ore, verbis balbutientibus, & labiis irrisoriis quis contemnitur, & irridetur. & quod similiter rideretur IOB ab omnibus amicis, sicut a Sophar, quãvis in Hebræo singulariter dictum sit; *Post verba mea ridebis*; sapienter ab Interprete redditum est numero multitudinis.

לעג

Iob ab amicis irrisus.

℟ IIII. *Numquid contra hominem disputatio mea est, ut merito non debeam contristari?*

4 ה NVmquid ex prima illa particula toti sententiæ præposita, quæ multiplex est, multiplex efficitur hujus sentẽtiæ interpretatio: aliquando enim habet vim affirmationis, aliquãdo negationis. Ergo si neget cum interrogatione, efficiet sententiam affirmãtem; si vero affirmet cum interrogatione, negantẽ. Hinc primus sensus: Non disputo cum homine, sed cum Deo de mea justitia, & meæ innocentiæ testimonio contendo, quam cum ille testatam vobis non faciat, merito contristor. Secundus; Cum me hypocrisis, atque simulatæ pietatis, & falsæ doctrinæ accusatis, merito contristor; Nam hominem latere posset meum mendacium, minime vero Deum, cum quo disputo. Tertius; *Numquid* non *cum homine*, vobiscum, inquam ago, quibus indignum sit, me cedere, in veritatis præsertim defensione, & refutatione mẽdaciũ testimoniorũ? Quartus; Numquid existimatis meam me apud homines, apud vos inquam, existimationẽ tueri velle? tum enim non deberem contristari, sed *pro minimo* ducere a *vobis judicari, aut ab humano die*. Quintus apud Vatablum; *Cum Deum alloquar, nec mihi respondeat, quare non contrister, & conquerar?* Sextus, ipse Vatablus; *Si ita est, ut Deum alloquar, non hominem, quare non despondeream animum, si loquuturus essem falsa?* Septimus apud Isidorum Clarium; *Numquid propter hominem ego loquor? id est, vera, & Deo approbante loquor; alioquin quomodo non deficeret spiritus meus in his tantis doloribus?* Octavus. Philippi, *Dicit, quia ideo tristis fuerit, quia castigatio ejus nõ ab homine fit, cujus judicium solet errare.* idemque videtur Gregorius docuisse; *Omnis* (inquit) *qui Deo placens hominibus displicet, causas tristitiæ nullas habet: qui autem aut hominibus placẽs Deo displicet, aut simul Deo, & hominibus displicere se credit, si hũc tristitia non afficit, a virtute sapiẽtiæ alienus existit. Beatus autẽ Iob displicuisse Deo inter flagella se credidit, & idcirco animũ ad tristitiã revocavit.* Nonus Septuaginta; *Quid enim; Numquid hominis est castigatio mea? aut quare non irascar?* Pro *castigatione*, elenchos, redargutio, id est (exponente Olympiodoro) *Quis tandem ex omnibus hominibus probare poterit me aut impium, aut rapacem fuisse?* id est, non est alicujus hominis, aut alicujus veri testis hæc mea criminatio. Alii aliter. Sed has interpretandi rationes collegisse operepretium fuerit ad hujus loci vel varietatem, & incertitudinem, vel fœcunditatem explicandam. Nullam enim habeo, quam ita probem, ut alias contemnere velim. sed tamen augebo numerum mea quoque interpretatione.

Multiplex particulę vis, & usus.

Varius sententiæ explicatus & novem sententiæ.

Vatab.

Isidor.

Philipp.

Gregor.

Ergo hunc esse nostrę lectionis sensum simplicem, & bene cohærentem existimo, ut silentium, & attentionem merito se

Decima, & simplex expositio.

Poſtulaſſe dicat de re graviſsima dicturũ, quippe non de re humana aliqua, ſed plane cæleſti, atque Divina, de providentia, de veriſsimæ Fidei profeſsione, impiorum ſuppliciis, piorum ærumnis, ſua juſtitia ſoli Deo cognita. Hæc videlicet attentum auditorem, & ſerium poſtulant oratorem: ut merito adverſus ſubſannatorem, atque negligentem, aut indoctum auditorem contriſtari, excandeſcere, iraſci debeat. Cum hoc ſenſu conſentiunt proprietates vocum ſingularium; *Diſputatio*, proprie, conqueſtio, doloris, & anxietudinis enarratio, & explicatio; aut muſitatio, & meditatio. ita ut non ſolum reſpiciat ad diſputationem initã cum ſuis amicis, ſed etiam ad internam meditationem, & deprecationem ſuarum apud Deum ærumnarum. *Contra hominem*, vel, ad hominem, id eſt, ſuper nulla re humana, de qua videlicet apud hominem conqueri poſsim; nihil meorum malorum illatum eſt humana induſtria; ſed Divina Providentia res omnes moderante. Simili loquutione Paulus dixit Epheſ. 6. 12. Se non pugnare *contra hominem*, id eſt, non pro re aliqua humana. *Non eſt* (inquit) *colluctatio adverſus carnem, & ſanguinem, ſed adverſus rectores tenebrarum harum in cæleſtibus*, id eſt, pro rebus cæleſtibus non amittendis, ſed ſuperato hoſte conſequendis, non *adverſus carnem, & ſanguinem*; quid enim caro, & ſanguis pretioſum habeat, aut pulchrũ, pro quo merito pugnare debeam? Vnde *lites*, & bella inter homines, niſi ex fœdiſsimis *concupiſcentiis*, ut Iacobus dixit? Spiritualia igitur ſunt, pro quibus non adverſus carnem, & ſanguinem, ſed adverſus ſpiritus nequiſsimos depugnamus. Similiter igitur ait I O B, non eſſe ſibi diſputandum *contra hominem*, ex cõcupiſcentia aliqua humana; ſed litem, & cauſam ſibi eſſe omni humano negotio ſuperiorem, ut merito ſatagere debeat, quomodo in cauſa obtineat. Cum ergo ita ſit, *Cur* (inquit) *merito non contriſtabor?* Proprie ex Hebræo; *Cur non abbreviabitur*, vel, *arctabitur ſpiritus meus?* Septuaginta; *Cur non iraſcar?* id eſt, Cur non ſentiam anguſtias? Cur non explicem mœrorem? Cur oblatrantibus amicis non reſpondeam vehementius?

שיח

Homo, & res humana in malum.

Paulus illuſtratus.

Iacobus 4.1.

קצר

V. Attendite me, & obſtupeſcite, & ſuperponite digitum ori veſtro.

6 ATtentionem, & admirationem, etiam uſque ad ſtuporem, exigit ab amicis. Sed ex cujus nam rei conſideratione? Cajetanus ait, reſpicere ad myſterium Divini Iudicii, atque Reſurrectionis, ad quod ſuperius dixerat I O B, ſe contremiſcere; tum etiã juſſerat ſuos amicos obſtupeſcere. Sed præterquam quod longe petatur hæc interpretatio, nõ quadrat. Gregorius; *Conſiderate, quæ egi, & admiramini in hac percuſsione, quæ patior.* Fere idem Philippus, D. Thomas, & alii Latini. Olympiodor. dupliciter, aut quia ærumnarũ Iob nulla inveniebatur certa, aut evidens ratio, & cauſa; *Quandoquidẽ* (inquit) *neque perpeſsionis meæ cauſam invenire poteſtis.* aut propter incredibilem ærumnarum magnitudinem, quæ tantæ erant, ut ad illarum conſiderationem idem ipſe, qui illas perferebat, exhorreſceret; *Vſque eo* (inquit) *meæ ærumnæ orationis quælibet ſuperant facultatem, ut de iis propter difficultatem præſtet ſilere, quam temere pronuntiare.* Fere idem Vatablus, & Tygurina. Alii de auditione eorum, quæ mox ſubjunget, de fælicitate impiorum: nã in ea re valde ſe mirabilẽ Divina Providẽtia præbet, cum indigniſsimos quoſq; diuturna bonorum ingẽtium fælicitate afficit. Sed plenior, & integrior ſenſus, ſi hæc omnia conjungantur. *Attendite* (inquit) & proculdubio *obſtupeſcetis*, tum ex mea innocentia afflicta, tum ex improbitate aliorum fælici, & proſpera, attenta mentis cogitatione perpenſis: inde enim procedetis ad divinæ Providentiæ admirationem, & ad ſilentium de illius arcanis concipiendum.

7 *Attendite ad me.* Proprie: *Inſpicite in me*, id eſt, in meas ęrumnas, vel, ad me dicentẽ vos ipſos convertite. Hactenus enim, inviti, & averſi me audiſtis. *Et obſtupeſcite.* Septuaginta; *Inſpicientes in me admirabimini.* Aquila; *Dubitate.* Symmachus; *Obmuteſcite.* Connexa ſunt hæc omnia: nam primũ rei occultæ, & Divinæ tantũ Providentiæ cognitæ cõſideratio in dubitationẽ nos cõjicit; admiratio vero in ſilentium. Rurſus dubitatio, admiratio, & ſilentium conjuncta ſunt cum timore quodã, & ſalutari quadam Philoſophia, nimirum oportere eos qui proſperi, & fæliciter nunc agunt, timere, ne poſtea illos maneant, atque excipiãt cruciatus ſempiterni. Hæc igitur (inquit Iob) cogitatio, o amici, animos vobis adimet, quos fælix fortuna facere potuit. Forte eo reſpexit illa Aquilæ lectio, quæ non ſolum *per dubitationem* reddi poteſt, ſed etiam, *Animo concidite*, aporiamini. indica-

Cajet.

Gregor. Philippus. D. Thom. Olympiod.

Vatab. Tygur.

Germana, & integra ſententia.

LXX.

Aquila. Symmach.

vit hoc etiam Gregorius; *In meis* (inquit) *percussionibus vestra damna formidate.* nam quo quis videtur fælicior, & ab omnibus vitæ hujus bonis magis munitus, eo Divinæ Providentiæ arcanum judicium magis debet timere. Hæc enim sunt illa judicia, de quibus ait David, *Confige timore tuo carnes meas; a judiciis enim tuis timui.* Timēdum enim omnino, ne qui nunc florēt, reserventur futuro igni: sunt vero judicia alia, per quæ paratum est regnum miseris nunc, & afflictis. in quo spem suam reposuerat idem afflictus Rex, cum dicebat; *& in judiciis tuis supersperavi.* Admonendum Ambrosii lectionem singularem esse, qui *stuporem* refert ad ipsum Iob; *Cum inspexeritis in me stuporem habentē, &c.*

Psal. 118.120.

Iudicia Dei erga fælices, & erga miseros.

Psal. 118.43. Ambros.

8 Attendentis habitus.

Et superponite digitum ori vestro. Accōmodate ad phrasim Latinam: nam Hebræus habet; *Ponite manum super os.* Septuaginta vero dixerunt; *Manum ponentes super maxillam.* Quem gestum attendentis esse dixit Olimpiod. *Qui silentio* (inquit) *audiūt, ferme cubito in fæmur incumbente, & in manu ore residente, ad ea, quæ dicuntur, advertere animum consuevere.* Ergo postulat Iob, ut tantisper, dum ipse loquitur, verba, atque orationem compescant. vel dicit fore, ut postquam audierint, etiam inviti taceant, neque temere de suis ærumnis pronuntiare audeant.

Olympiod.

VI. *Et ego, quando recordatus fuero, pertimesco, & concutit carnē meam tremor.*

9 NIhil (inquit) magnum a vobis postulo: nam ego ipse, qui loquor, cui mala hæc familiaria sunt, non possum tranquilla, & paccata mente vel memoriam repetere præteritorum malorum, vel impiorum fælicitatis recordari. *Pertimesco.* Septuaginta; *Sollicitus fui.* Ambrosius. *Stupui.* Symmach. *Conturbor.* August. *Perturbor.* Nicetas sic per paraphrasim interpretatur; *Strictim attingam, ac breviter commemorabo, de quibus sum dicturus: nec enim qui meos artus dolores obsident, largiuntur mihi, ut longiori utar oratione.* Idem Chrysostomus, Sed existimo hoc loco non tam excusationem suæ orationis, & conquestionis quærere ex suis doloribus, quam admirationē, & attentionem suorum amicorum. Verbum originale, *pertimescendi*, timorem, & perturbationem affert, quæ cum acceleratione, & festinatione conjuncta est: significat etiam aliquando temere, & festinā-

LXX. Ambros. Symmach. August. Nicetas.

Chrysost.

בהל

ter loqui. Sicut Ecclesiast. 15. 2. ab hac radice dicitur; *Ne temere quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo.* Quare forte illud vult IOB, se de Divinæ Providentiæ judiciis disputaturum *pertimescere*, ne temere quid loquatur, neve cor suum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo: nam cum Deus & ejus arcana valde a nobis distent, oportet multa a nobis de Deo ignorari, multa quoque a nobis temere dici, si multa dicamus. Quare eo loco subjunxit Salomon, quo nos a temere loquendo deterret; *Deus enim in cælo, & tu super terrā, idcirco sint pauci sermones tui.* Perstringit itaque IOB suos amicos, quod & multa loquerentur, & temere judicarēt de effectis Divinę Providentiæ. Simul etiam tenuitatē suæ orationis excusat; neque enim postulanda est ab homine dolente, atq; miserrimo, quamvis de re magnifica, magnifica, & ambitiosa oratio.

Parce de divinis loquendū

Cur multa a nobis de divinis ignorētur.

Et concutit carnem meam tremor. Septuaginta ad corporis dolores referūt; *Tenētur carnes meæ doloribus.* Sed commodius noster ad illam ipsam animi conturbationē, & timorem dicendi; nam vox originalis potius est *tremor*, aut *formido*, aut etiam *tenebræ*, quæ cum timore, & tremore conjūctæ sunt; minime vero dolores, aut ægritudines corporis. Quod vero dixit Interpres, *Concutit*, Latine fecit; Nam Hebreus potius dicit, tenet, apprehendit, possidet. Neque sine elegantia; nam videtur vehemens metus ita possidere totum hominem, ut sui compos minime videatur, ut qui totus sub timoris potestate sit. Vides istos etiam affect⁹ animi conjunctos, & humanis viribus superiores Psal. 47.7. *Admirati sunt, conturbāti sunt, commoti sunt, tremor apprehendit eos.*

LXX.

פלצות

אחז

VII. *Quare ergo impii vivunt, sublevati sunt, confortatique divitiis?*

1. *Germana sententiæ expositio. Vivere in sacro, & prophano usu ad fælicitatem. Verbum præsentis temporis omnia comprehendit tempora.*
2. Sublevari, & Inveterascere *ad diuturnitatem. Quid* Vetus, *quid* Opes veteres. *Explicatus locus Paralipomenon, & Salomon.*
3. *Græcorum lectio illuminata. Divites indies deteriores.*
4. *Divitiæ cur dicantur robur, & fortitudo. Illustratus Michaas. Tenaciter illas complectuntur divites, Explicatus David.*
5. *Divitiarum inconstantia improbos frequēter comitatur. Quid Mammona iniquitatis.*

1 Chryſoſt. Philipp.

CHryſoſtomus, Philippus, & plerique exiſtimant hanc eſſe quaſi expoſtulationem quandam perſimilem illius Davidis. Pſalm. 72. 3. Ieremiæ. 12. 1. Habacuc. 1. 2. 13. Sed procul dubio potius eſt objectio, aut reſponſio data argumentis Sophar. quod indicat illa particula, *ergo*, quam ſapienter addidit Interpres. Ambroſ. libr. 2. de interpell. Iob. c. 4. ſic connectit; *Si propter peccatum meum hoc patior, ſicut objicitis, quare impii vivunt?* Vel, ſi ita res habet, ut impii in hac vita dent pęnas improbitatis, quare *vivunt?* Præſentis temporis verbũ denotat id, quod fuit, quod eſt, quod erit. quod communi, & conſueta providentiæ lege fit: *vivunt*, igitur, vixerunt, vivent fæliciter. Pagnin. & Regia, per præteritum vertunt; *vixerunt*: ſed magis proprie Cajetanus, per futurum, *vivent*. Quoquomodo ſit, verbum abſolvitur a tempore, ut diximus. Cur igitur vivere ſolent? Cur digna morte, atque digno ſupplicio nõ pereunt? Cur ex omnibus plagis, & periculis illi frequentiſsime evadũt incolumes? Nã hoc eſt *vivere*, fæliciter agere, ut Pſal. 33. 13. *Quis eſt homo, qui vult vitam* (non ſolum longævam, ſed fælicem, atque beatam, ut ſtatim exponit) *Diligit dies videre bonos?* & Proverb. 26. 15. *In ſerenitate vultus Regis vita*, id eſt, recreatio, jucunditas, fælicitas. Sic & Geneſ. 45. 27. *Revixit ſpiritus ejus*. incredibili gaudio, & jucunditate perfuſus eſt, qui antea mœrore, & triſtitia contabeſcebat. Apud Latinos quoque *vivere* eſt bene vivere, atq; valere. Vivere igitur impios ad fælicitatem, & jucunditatem pertinet.

(Ambroſ. — Pagni. Regia. Cajetan. — Divitię ad fælicitatem. — Vivere, atque valere.)

2 עתק

Sublevati ſunt. Nonnulli ad ſolam vitæ diuturnitatem referunt, ut cum dixiſſet, *Impios vivere*, nunc dicat, quam diutiſsime vivere, vſq; ad ſenectam, & ſenium. cõſonat verbum originale. Interpres ad divitias retulit, quę hominem evehunt in ſublime; & ad ſuperbiam, *quæ aſcendit vſque ad cœlum, & cacumen ejus nubes pertingit.* Sed Septuaginta proprie ex Hebræo legerunt; *Senuerunt in divitiis*, vel, inveteraverunt; non ſolum quod ipſi divites (ut Origenes dixit) ab ineunte ætate ad ſummã ſenectutem, vitam in divitiis agunt; & (ut Olympiodorus ait) *cum bonis ipſis vitam deponunt*; ſed quod ipſæ illorum divitiæ veteres, & ſeneſcentes dicantur; id eſt, ſtabiles, firmaſq; opes conſequuntur. nam Hebræi *vetus* appellant, quod firmum eſt, diuturnum, & extra novitatis, aut mutationis ſuſpicionem poſitum. Alii dicunt, durum, forte, multiplex, cujuſmodi fere ſunt vetuſta, & diuturna. R. Mardochai, *craſſum, multum, multiplex, tumidum.* 1. Paral. 4. 22. Poſt fortiſsimorum virorum nomina, & facinora egregia ſubjicitur; *Hæc ſunt verba vetera.* id eſt, fortia, dura, firma, ſtabilia, quæ nulla temporis exedet vetuſtas, diuturna ad perpetuam ſæculorum memoriã. Atq; eadem quoque dicendi formula, de juſtis dictum eſt Iſai. 65. 22. *Opera manuum eorum * inveterabunt electi mei.* id eſt, faciũt opera vetera, id eſt, firma, ſtabilia, quæ diu durabunt, vti ſolent vetera, & diuturna. Ergo ſeneſcere, aut *veteraſcere divitiis*, pertinet ad perſeverantiam, & ſtabilitatem divitiarum, quę ad multam temporis vetuſtatem permanere poſſunt. Conſtare igitur non poteſt (inquit Iob) quod aſſeruiſti, Sophar, *Laudem impiorũ brevem eſſe, & gaudium Hypocritæ ad inſtar puncti.* Aliquando quidem, antiquæ, & diuturnæ divitiæ cum juſtitia, & ſanctitate conjunctæ ſunt; ſicut Prover. 8. 18. Sapientia de ſe teſtatur, *Mecum ſunt divitiæ & gloria, opes ſuperbæ, & juſtitia.* pro *ſuperbis* ſubeſt eadem vox, quę hoc loco, *ſublevatæ*, aut, quod idem videtur, *ſuperbæ*, aut, ut alii legiſſe videntur, *opes ſupernæ*. Sed proprie legitur, *opes veteres*, aut antiquæ, vel inveteratæ, aut, ut dixit Theodotio, *ſubſtantia antiqua*. Hujuſmodi igitur diuturnæ & ſtabiles opes, cũ juſtitia, & æquitate conjunguntur a ſapiẽtia & pietate. Sed frequenter cum iniquitate, & ſcelere conjunctas videmus, jam inde a Iobi ætate, & ſæculo, in quo impii *conſeneſcebant*, & *inveterabant divitiis*.

(LXX. Origen. — Veteraſcere. & vetus, quod firmum eſt. — * Hazẽ obras de dura. — Simplex loci intellectus. — Divitiæ piis, impiiſque cõmunes. — Compluteſes in Lexico in radice עתק)

3 Ambro. lib. 2. de Interpel c. 4.

Sed Ambroſius juxta lectionem Septuaginta ſic interpretatur; *Inveteraverunt autem, & in divitiis, Pepalæondæ, dixit, ut non tam diuturna divitiarum poſſeſsio, quam inveterata copiarum moleſtia ſignificata videatur, ſicut vidit Eccleſiaſtes divitias cuſtodiri in malum poſſidenti. Habes ergo non eſſe laudabilẽ, qui inveteratus in pecuniæ cupiditatibus ſit.* accepit ergo in malum, *inveteraſcere in divitiis*. quod ſic ex mente Ambroſii intelligo, indies divitem cupidiorem fieri, & in avaritia, rapina, iniquitate pro congerendis opibus conſeneſcere. Quod Chryſoſtomus quoque indicavit, exiſtimans Iobi ſententiam eſſe, nõ ſolum mirandũ, quod impii diteſcant, ſed *quod fælicitate fiunt deteriores.* efficietur igitur hic ſenſus non incongruus, Si impiis Deus (ut tu aſſeris) vitæ curſum, & filum præcidere ſolet, ut præſenti ſupplicio compeſcat, atque afficiat illorum improbitatẽ, quare multi non ſolum vivunt improbe, ſimulque fæliciter, verum etiam fælicitate ad improbitatem, & ſcelus abuti permittuntur, factique indies deteriores? Videlicet illi de quibus

(πεπαλαίωνται — Explicatus Ambroſius. — Chryſoſtom.)

ſcriptum

Eccl.11.16. ſcriptum eſt; *Exultant in malis, & conſeneſcunt in malo.*

4 *Confortati.* Prævalent, pollent opibus. *Divitiis*, in Hebreo, robore, virtute, ſubſtãtia: Sic Hebræus *divitias* vocat; hæ enim muniunt, & roborant poſſeſſorem, ſicut & paupertas efficit ad pericula inermem, & timidum. Scriptum eſt enim, *Subſtantia divitis urbs fortitudinis ejus, pavor pauperum egeſtas eorum.* Sive quia frequenter divitiæ ex rapina, & violentia fortiſsimorum hominum comparantur, ut dicitur Michæ.4.13. *Interficies Domino rapinas eorum, & fortitudinem eorum Domino univerſæ terræ.* Nõ aliter quam ſi Leonis prædam, fortitudinis prædam cõpellaret, ſic divites, iidem Leones ſunt Pſal.33.11. Divites (Hieronymus. *Leones*) *eguerunt, & eſurierunt.* Sive tandem, quod divites ſoleant nimium fortiter, atque tenaciter apprehendere, & cõplecti divitias, minime ſinentes elabi. Diceremus nos, *Que ſe hazen fuertes en ſus riquezas.* quod ab illis transfertur, qui cum viribus polleant, ita firmiter figunt alicubi gradum, ut nullius inde viribus dimoveri queant. Sicut Pſal. 72.12. dicitur: *Ecce ipſi peccatores, & abũdantes in ſæculo obtinuerunt* (comprehenderunt, quaſi injecta manu tenuerunt, ne dilaberentur) *divitias.* Ergo ait; *Confortati ſunt robore*, prævaluerũt virtute. ditati ſunt divitiis, id eſt per vim, & rapinam nimium locupletati ſunt.

Prov.10.17. — Divitiæ per vim cõparatæ — Divites, Leones.

5 Vel etiam hoc loco, ut cum præcedenti & cum Iobi propoſito cohæreat, *confirtatos eſſe divitiis*, ſignificat fortitudinem quãdam, aut diuturnitatem divitiarũ, quæ nõ facile evaneſcant, ſed diutius perſeverent. Mirum omnino, cum ex ſe ipſis fallaces ſint, fallereque ſæpe poſſeſſorem ſoleant, & promiſſam diuturnitatis, & conſtantiæ fidem vix unquam ſervent: (*Facile*, inquit, Baſilius, *dilabuntur divitiæ; atque ut maris undæ ventorum vi pulſæ, ad alias, atque alias partes diffluere ſolent.*) atque Iacobus, *Interitum* (inconſtans, & fallax) *divitiarum appellat.* ſed cum ad impium pervenerũt, quod ſupra ipſarum naturam videatur, conſtantes ſunt, & ſtabiles, & in illius domo conſeneſcunt. Tum præterea illud habent, quod frequenter divitiæ ſequũtur iniquos quare non mirum appellari, *Mammona iniquitatis*, aut divitias iniquas, quod cum illis abundent iniqui, iniquum videtur, ut neceſſariis etiam probi careant, vt interpretari videtur Auguſtinus ſuper Pſal.48. *Ea (inquit) ipſa iniquitas eſt, quod tu habes alter non habet, tu abundas, & alter eget.*

Divitiæ inconſtantes. — Baſil ſuper id Pſal.34. Divites eguerunt, &c. — Impiorum divitiæ diuturnæ & cõſtãtes — Mammona iniquitatis.

VIII. *Semen eorum permanet coram eis: propinquorum turba, & nepotum in conſpectu eorum.*

1. Semen *metonymicos, nunc pro ſolis filiis.*
2. Permanere. *quid proprie. Illuſtratus Moyſes.*
3. Coram aliquo fieri, *quod ipſo gaudente, ex animi ſui ſententia fit.*
4. Germen *de filiis. Notatus Cajetanus, explicatus locus. 2.Paralip.*

SIcut Sophar minutatim, & per partes contendebat, impiorum fælicitatẽ non niſi breviſsimam eſſe, ita IOB, ut dicta dictis opponat, ſigillatim, & per partes firmam quandam atque diuturnam impiorũ fælicitatem elegantiſsime deſcribit; cujus poſt vitam, atque divitias prima, & potiſſima pars in filiorum poſteritate ſita eſt. 1
Semen, metonymicos, prognati ex ſemine, progenies, poſteri. Sed hoc loco ab interprete pro ſolis filiis accipi videtur, nam de aliis poſteris dicet in ſequentibus, alias *ſemen* pro tota poſteritate, etiam poſt multas generationes non ſemel accipitur.

Semen per metonymiam.

2 *Permanet.* Firmum ſtabile. perfectũ integrum, directum, recte ordinatum, & incedens proſpere. Cõtinet hæc omnia vox originalis, quæ vertitur, *dirigere.* Pſal. 101. 29. *Filii ſervorum tuorum habitabunt, & ſemen eorum in ſæculum dirigetur.* Hieronym. ex Hebræo: *Ante faciem tuam perſeverabit.* Stabilietur, confirmabitur coram te; idest, vivat ſemen, & filii eorum, quandiu tu, o Deus vixeris, perfecti & integri ante te cõſiſtant, ordinentur inſtruatur affert enim verbum originale ordinem quendam, inſtructionem, præparationem, qua aliquid firmum, & ſtabile redditur, & quaſi in ſua ſede, & baſi collocatur. Adde etiam quod R. Mardochai ſcribit, hoc verbum non ſolum afferre ſtabilitatem, ſed etiam *certificationem*: quod enim firmum eſt, certum eſſe dicitur, ſicut quod nutat, & vacillat, incertum. Iuxta hoc filios impiorum, *permanere coram eis*, erit filios impiorum viventibus ſuis parentibus, non ſolùm florere, cũ parvuli ſunt, & teneri, ſed etiam adoleſcentes firmæ jam ętatis: præterea in conſpectu ſuorum parentum *permanere*, id eſt, in permanenti, firmoq; loco, gradu, & officio collocari, quod nos proprie dicimus, *ponerſe en eſtado, y tener oficios de aſsiento.* Nã ab eadem ipſa radice dicitur permanẽtia, gradus, locus, officium, in quo quis permanenter miniſtrat, ut Genes.40. *Reſtituet te in gradum priſtinum.* Septuag. *in tuum principatum.* Onkelus; *Reſtituet te miniſterio*

כון — Permanere, & dirigi. Hieron. — R. Mardochai. — מכון כנה — LXX — Onkelus.

Ambros. R. Mardoch. tuo. Sanctus Ambrosius; *super officium tuũ.* R. Mardochai, *super basim tuam.*

3 Vident igitur impii liberos suos in gradu, officio, principatu, & loco sessionis, & firmitatis collocatos, *Coram se*; nam non prius obeunt diem, quam *enutriverint*, atq; *exaltaverint* filios suos. Tum etiam *coram eis*, lætantibus, atque gaudentibus ad conspectum jucundissimum liberorum. Adde etiam, *coram eis*, quoniam vota, & spes de filiorum suorum salute, & prosperitate, nunquam illos frustrata sunt; sed vident omnino *coram se*, quod sperarunt, atq; optarunt. respicit profecto ad hæc omnia lectio Septuaginta; *Semen eorum secundũ animam*, id est, juxta spem, & desiderium. nam quod Origenes interpretatur, *secundum animam*, id est, *nullus in iis sterilis est, omnes fæcundi, omnes semen filiosque habent*, coactum videtur.

Isai. 1. LXX. Origenes.

4 *Propinquorum turba, & nepotum.* Quod in Hebræo est, *germina eorum*, Cajetanus refert ad camporum, & vinearum fructus; sed reclamantibus vniversis; nam præterquam quod Septuaginta, *filios vertunt*, & Kaldeus, *filios filiorum*, certe vox ipsa originalis, frequenter transfertur ad filios, nepotes, & vniuersam posteritatem. significat autem ex proprietate vocis, egressionem, processionem, progerminationem. & nominis ratio explicatur 2. Paral. 32. 21. *Filii, qui egressi fuerant de vtero ejus.* Sicut enim egreditur, procedit, germinat herba ex terra, sic filii ex utero, fæcunditate, substantia parentum. propterea frequenter in Scriptura, hoc præsertim libro, qui alicujus familiæ caput sit, comparatur cum arbore florente, & ramis, floribus; germinibus onusta, & ornata. sic supra cap. 5. 25. *Progenies* (germen) *tua sicut herba terræ.* & infra c. 31. 8. *Progenies* (germen germinatio) *mea eradicetur.* & Isai. 48. 19. *Stirps vteri tui.* Quod vero dicitur; *in conspectu eorum*, idem quod supra, *coram eis*.

Cajet. LXX. Filii instar germinum.

℣ IX. *Domus eorum securæ sunt, & paccatæ, & nõ est virga Dei super illos.*

1. Domus, *Pax, quæ cum timore conjuncta est, vera non est.*
2. *Deus judex.* virga *pro verbere; judicis item insigne. Quid* virga *virtutis, &* virga *florens.*
3. Virga Dei *ipsa etiam humana potestas. Hostis, aut bellum. Dei virga.*

1 DOmus. Tum quæ continet familiam universam, tum universa familia domi contenta; de quo sæpe diximus. Hoc loco, quæcumque ad vivendi rationem, tum ipsius Patrisfamilias, tũ familiarium omnium pertinent. *Securæ, & paccatæ.* In originali est elegans Hebraismus; *Domus eorum pax a timore*: id est, summa quædam tranquillitas, atque fælicitas, omnis timoris expers. *Pax* enim, quæ timorem omnẽ expellit, fælicissima quædam pax est, sicut pax illa, cui timores, atque pericula incumbunt, vera pax non est: Scriptum est enim; *Pax, pax, & non erat pax.* & iterum; *Cum dixerint pax, & securitas, repentinus eis superveniet interitus.* Ergo Pacis nomine, non solum tranquillitas quædam, & benevola cõsensio domesticorũ, sed fælicitas, & abundantia, atque secura possessio bonorum omnium affertur. Sic legunt Septuaginta; *Domus eorum abundant*, atque florentis status nullam vicissitudinem pertimescunt. Præterea indicatur fælicitas quædam; & bonorum cumulus sine vlla asservandi, aut conservandi sollicitudine, & anxietate. Hæc nimirum cura somnium eripiebat diviti illi, & consilii ancipitem tenebat, cogitantem intra se, atq; dicentem: *Quid faciã?* At horum impiorum prosperitas, non solum cum abundantia, sed etiam cum *pace* atq; *sine timore*, & sollicitudine describitur.

Hebraismus. Ierem. 6. 14. Ezech. 13. 10. 1. Ad Thes. 5. 3. LXX. נשא Luc. 12. 17.

Et non est virga Dei super illos. Nomen *Dei* est hoc loco nomen judicis; Non sævit in illos Dei supremi judicis vindicta; non visitat in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. *Virga* pro percussione, ictu, verbere; sic illud. 2. Reg. 7. 14. *Arguam eum in virga virorum*, id est, uti solent homines castigare filios suos, virga, aut baculo. Hinc quando significatur imminens Dei supplicium, in hac ipsa *virgæ* allegoria; virga *florere* dicitur, ut Ezechiel. 7. 10. *Egressa est contritio, floruit virga* Hujus autem *florentis virgæ* fructus, est plaga ipsa verber, dolor. sed quia judicis nomen hoc loco tribuitur Deo, virga accipietur pro sceptro, & insigni Regis, Principis, Magistratus, aut pro judiciaria potestate. Sicut Psal. 109. 2. dicitur *Virga virtutis*, quod dicere possumus, insigne, quod indicat, quid ex jure possit, & valeat. Ergo *non esse virgam Dei super illos*, erit impios liberè, & pro libito agere, metientes omnia suo arbitrio atque palato, quasi penes illos sit summa potestas volendi, atque efficiendi, nõ agnoscentes supremum judicem. Adde etiã *virgam Dei*, non solum pro ipsa Dei judiciaria potestate, sed etiam pro humana judicis potestate, quę est participatio quędã Divinæ justitiæ, atque potentię; *nam omnis potestas a Domino Deo est.* Quare nõ *esse virgam*

2 Virga pro verbere. Quando dicatur virga Dei florere. Virga virtutis. Germanus explicatus. 3 Rom. 13. 1.

gam

gant Dei super impium: est nullam juris, & æquitatis, nullam legum politicarum, nullam judicis auctoritatem agnoscere, aut revereri, neque ullam esse humanam potentiam, quæ illum in officio continere possit. De homine potentissimo, æque ac impudentissimo dicere solemus; nullam esse illi virgam justitiæ, neque judicis timorem, *Que no ay vara de justicia para el.* Forte potest esse hæc pars expositio prioris, cum enim dixerit impiorum *domus in pace* esse, nunc addat non esse *Dei virgam*, id est, hostem, aut bellum a Deo immissum super illos, nam sævissimus aliquis hostis, *Virga Divini furoris* dicitur Isai. 10. 5. sicut etiam Attila Tyrannus sævissimus, qui se nominabat *Dei flagellum.* Sed primus sensus simplicissimus est.

Virga Dei pro hoste.

X. *Bos eorum concepit, & non abortivit: vacca peperit, & non est privata fœtu suo.*

1. Bos, *de vacca tantum ab aliis accipi, in sacro sermone etiam pro tauro.* Unde *Tauri nomen dictum sit, nec non & vaccæ.*
2. *Bovis ætates, & gradus apud sacros, & prophanos.*
3. Concipere, *quid proprie in sacro sermone. Variæ ex Hebræo lectio.*
4. Abortire *quid. Illustratus Ezechiel.*
5. Vaccæ *nomen de juvenca, quæ est concipiendo magis idonea.*
6. *Quid* Privari fœtu. *Quid* sterilitas. *Illustratus Moyses.*
7. *Iucundus ovium, & armentorum conspectus cum suis fœtibus: Explicatus locus Canticorum.*
8. Vaccarum *nomine lascivientes fœminæ. Explicatus Amos.*

1 BOS *Eorum.* Hanc primam partem ad vaccam fæminam necessario referri debere propter verbum *concipiendi, & abortiendi*, multi Latini existimant, post Gregorium, qui hoc loco ait: *Vulgaris loquutionis usus est, ut bovem masculum, & vaccam fæminam vocent: sed litteratura loquutio Bovem communis generis appellat.* Sic Septuaginta de vacca intelligunt legentes; *Bos eorum non fœtum immaturum peperit.* Eodemque modo Græci in Catena, præsertim Origenes: quare erit gradatio fœcunditatis gravidarum vaccaru, quibus, postquã conceperunt, nihil sinistrum, uti non raro solet prægnantibus, accidit.

Gregor.

LXX.

Sed certe partem hanc primã ad bovem masculum, id est, ad Taurum pertinere Hebraizantes omnes contendunt, ex proprietate vocis originalis: nam *Sor.* licet sæpe *bovem*, sed *Taurum* aliquãdo Interpres vertit, ut Deut. 33. 17. *Quasi primogeniti Tauri,* *pulchritudo ejus.* Estq; idem, quod Kaldæis *Thor*, unde Græci, atque Latini nomen Tauri mutuati sunt. Est autem, *Sor*, masculini tantum generis, & pro masculo tantũ usurpatur, differtq; a nomine *Bakar*, quod etsi bovem etiam significet, sed tamen in genere videtur significare sive masculum, sive fæminam; unde etiam videtur *vaccæ* nomen ad nos derivatum. Significat autẽ *Sor*, non vitulum, aut juvencum, sed grandiorem jam bovem plene distentum, justa ætate, & magnitudine, & ad labores ruris, & ad hostiam, & sacrificium paratũ, & opportunum: nam juniorem vitulum *Ghegel* appellant, adultiorem vero *Par.* sicut & apud Latinos suis gradibus distinguuntur Vitulus, Iuvencus, Taurus; & apud nostrates bubulcos distinguuntur, *Bezerro, añojo, eral, utrero, quarteño.*

Pagn. Reg. Vatab. Tigur. Cajet.

שׂוֹר

תּוֹר

Tauri nomen unde dictum.

בָּקָר

עֵגֶל

פַּר

Ergo *bovis* nomen quamvis speciei nomen sit, sed frequentissime masculum significat, nunc contumacem, atque minacem cornu, & indomitum, nunc vero exectum, atque perdomitum: id quod videtur Latinus Interpres omnino respexisse, dum *bovem* transtulit, manifestum profecto discrimen constituens a *vacca*, de qua statim dicet.

Valla, lib. 4 cap. 42.

3 Sed obstat (inquis) verbum *concipiendi*, & *abortiendi*, quod tantum in fæminam cõvenire potest. Sciẽdum tamen verbum originale concipiendi, *Ghabar*, hoc tantum loco in hac significatione reperiri, & juxta proprietatem primæ radicis in conjugatione *kal*, significat *transire*, aut *pertransire*, aut progredi, transgredive, aut trajicere, sive transferre. Quod potius ad masculũ sua congressu gravidantem, quam ad fæminam gravidatam spectare videtur. unde *Ghibbar*, in *Piel*, Hebræi usurpant pro coire, ut ait Rab. Mardochai; *Est enim* (inquit) *in hoc actus transitus in triti, & fæ n ll e.* Unde idẽ R. Mardochai, in radice *Gaghal* vertit hunc locum; *Bos præteriit*; sive quia masculus facit transire semen. Alii vero vertunt: *Bos gravidat*, impraegnat, init pecus, &c. Iuxta quod etiã notat Elias Thisbites verbum in hac significatione esse trãsitivum, aut activum, & huic loco Iob nullum extare exemplum simile in Scriptura. Dicitque esse idem, quod *Ialad*, quod quidem non solum parere, sed etiam generare significat. Ergo verbum *concipiendi* hoc loco active etiam accipi oportet pro generare, aut gravidare, ut sit sensus; Armentorum Tauros fœcundos esse ad ineũdum pecus, & ad gravidandas vaccas. Nõ enim verba sacra omnino exigenda sunt ad significationes Latinorum, nam in Scri-

3

עָבַר

R. Mardoch.

גָּעַל

Elias thisbit.

יָלַד

Latinorum nominum significatio in Scriptura, arcana.

ptura Sacra sicut illorum significatio sacra sit, ita & minus communis, & magis arcana.

4 *Et non abortivit.* Hujus etiam vocis est difficultas, quæ emollieda est, ut convenire possit in masculum. Ergo notandum hoc tantum loco verbum, *Gaghal*, verti ab Interprete *abortire*, quod tamen aliis locis vertitur abominari, aut abjicere, ut Levit. 26.11. *Non abjiciet vos anima mea.* & ad tædium quoddam, satietatemque societatis, & rei uxoriæ aliquando accommodatur, ut Ezechiel. 16.45. *Filia matris tuæ es tu, quæ projecit virum suum, & filios suos, & soror sororum tuarum, quæ projecerunt viros suos, & filios suos.* Est enim illud verbum *projiciedi*, idem, quod abjicere cum tædio, vel abominari rem insuavem, aut inutilem. Hinc igitur alii post R. David hanc abjectionē, vel abominationem referunt, vel ad Tauros, qui nunquam abominati fuerint consortia armentorum, neque inertes fuerint ad ineundas vaccas, neque inutile semen projecerint, sed non minus fœcundi fuerint ad generandum, quam fæminæ ad cōcipiendum, & pariendum. quippe solent aliquando tauri, sicut & equi, non appetere, aut etiam fastidire vaccas, ut Columella, & rei rusticæ Scriptores observant.

געל Abortire. — R. David. — Columel.

Sed qui velit cū Latinis, & Græcis, quos diximus, universam sententiam ad vaccas fæminas referre, honeste atque eleganter poterit: erit enim integra quędam, pulchraque descriptio faustæ conceptionis, & fælicis partus armentorū per suos quasi gradus: primum enim *bos* fæmina concipit, nulla videlicet sterilis est: deinde nulla cōceptum immaturum, aut imperfectum abjicit, nulla abominatur fœtum, id est, nulla fœta sentit tædium. Deinde recte cohærent, quæ de partu sequuntur.

Politior & honestior exponendi ratio.

Vacca peperit. Septuaginta, in communi dixerunt, *Prægnans eorum.* Sed vox originales *Parah*, vitulam, aut vaccam juvenē significat, sicut *Par*, bovem juvenem, ut ait R. Mardochai. Ita hoc loco Aquila: *juvencam* transtulit, nec enim multum moror distinguere vitulam, a juvenca. Et quidem potest etiam hac re notari fæcunditas, & bonitas armentorum, atque maturitas fœtuū: nam Aristoteles auctor est, vaccas minores natu prius ad concipiendum statuto tempore accedere, quam majores. Sed in hac armentorum fæcunditate cum juvencæ peperisse dicuntur, videtur profecto ex præcepto rei rusticæ dictum; nam sic Palla. de hac ipsa re præcipit, *Erit studium diligens, amotis senioribus, novellas subinde conducere, & steriles aratro, ac laboribus deputare.* & Columella lib. 2. c. 21. quod est de forma vaccæ, inter alia in fœminis requirit *præcipue, ut sint novellæ, quoniam cum excesserint annos decem, fœtibus inutiles sunt.* & Marcus Varro. c. 5. *Qui gregem* (inquit) *armentorum emere vult, observare debet primum ut sint hæ pecudes ætate potius ad fructus ferendos integræ, quam jam expertæ.* Atque idem ipse paulo superius, *vaccæ* nomen de novella accipit, *In bubulo* (inquit) *genere ætatis gradus dicuntur quatuor, prima vitulorum, secunda juvencorum, tertia boum novellorum, quarta vetulorum. Discernuntur in prima, vitulus, & vitula: in secunda juvencus, & juvenca: in tertia, & quarta taurus, & vacca. Quæ sterilis est vacca, taura appellata; quæ prægnans, horda.* Non sine causa igitur dictum, *vacca*, juvenis, *peperit.* eleganter Hebræa, evasit aut Septua. *Salvata est.* ingens enim discrimen ferentis ventrem, ne casu aliquo fœtum abigat immaturum.

LXX. פרה פר R. Mardoch. Aquila. — Arist. de histo. animal lib. 6. cap. 18. — Pallad. — Vaccæ nomē de novella. Collumel. — M. Varro.

Et non est privata fœtu suo. Septuaginta, *non est frustrata.* Videntur enim ad abortum referre. Sic Pagnin. Vatab. Cajetan. *Non abortiet.* Sed in Hebræo vnica voce dicitur, non sterilescet, aut, non orbabitur: nam *Saccal* est liberis orbari, sive propter sterilitatem non pariendi, sive propter filiorum necem. ut Isai. 47.9. Cum Babyloni minatur, & Regis tanquam viri, & civium, tanquam liberorum interitum: *Venient tibi duo hæc subito in die vna, sterilitas* (orbitas) *& viduitas.* Vnde etiam dicitur Genes. 43.14. *Ego autem, quasi orbatus, absq; liberis ero.* Hinc illud Genes. 31.38. *Oves tuæ, & capræ steriles non fuerunt.* non tam significat, non concepisse, aut non peperisse, quam non esse privatas fœtibus, neq; orbatas agnis, aut hædis, in quo potissimum pastoris diligentia & vigilantia commendatur arcentis lupos. id quod statim explicat, subjiciens: *Arietes gregis non comedi, nec captum a bestia ostendi tibi: Ego damnum omne reddebam.* & ita eum locum Onkelus legit, *Oves tuæ, & capræ tuæ non fuerunt orbatæ.* Similiter igitur hic dicitur, *Vacca non est privata fœtu suo.* Vituli integri, pulcherrimi, pingues, semper incolumes. tum etiam illud, Non esse vitulos inutiles, ita ut oporteret partum removeri a matre, & orbam remanere: quod tamen aliquando ita fieri, si ante tempus vacca conceperit, magistri rei rusticæ præcipiunt.

6 LXX. Pagn. Vatab. Caietan. — שכל Sterilitas quid — Onkel. — Vitulus inutilis removendus a matre.

7 Est præterea jucundissimus ille conspectus, cum matres fœtibus non sunt orbatæ, qualis ab Sponso commendatur Cantic. 4.2. *Dentes tui, sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro, omnes gemellis fœti-*

Illustratus locus Canticorum.

bus, & ſterilis non eſt inter eas.. Nam ſicut in dentibus tum candor, tum æqualitas, & integritas commendatur, ita ut nihil ſit in dentibus hiulcum, nihil exæſum, aut rubiginoſum, ita etiam in gregibus jucundiſſimus conſpectus eſt integri cujuſdam & pleniſſimi gregis, in quo etiam ipſa ſpatia quæ ſunt vacua inter matrum crura, & pedes, plena ſint candore agnorum, qui ſub vberibus vacuum illum inter pedes locum replent, nihil relinquentes hiulcum: & ſicut gemelli præbent jucundiſſimum conſpectum (reſpõdet enim alter belle alteri) ita etiam cum dentes ſuperiores ex æquo reſpondent inferioribus. Multis igitur ex capitibus potuit commendari armentum, cum vaccæ non ſunt ſteriles, nec orbatæ fœtu ſuo, ſed potius binos nutriunt, ut de ſua illa vitula jactabat Dametas;

Virg. egl. 3.

Bis venit ad mulctram, binos alit vbere fœtus.

8 Sed jure dubitari poteſt, an de ipſis armentorum gregibus locus hic accipiendus ſit, an vero per pulchram translationem de impiorum hominum uxoribus: nã hunc ſenſũ Origenes in Catena proponit, *Quidam* (inquit) *de mulieribus hæc dici arbitrantur, quod impiorum hominum uxores mutilata, & imperfecta minime pariant.* Ego ſenſum hunc improbare non auſim; tum quod ſequenti verſiculo manifeſte ſermo fiat infantium & puerorum, ſub figura agnorum, & hædorum: tum quod ſicut appellatio *Tauri* in hominem ſuperbum, familiæ parentem, & caput (quod Græcis familiare eſt) ita etiam *vaccæ* nomen in fæminas ſuperbientes, atque laſcivientes convenit: nam de optimatum, & Tyrannorum uxoribus exiſtimat Theodoretus dictum illud Amos. 4. 1. *Audite verbũ Dñi, vaccæ pingues quæ eſtis in monte Samariæ, quæ calumniam facitis egenis, & confringitis pauperes, quæ dicitis Dominis veſtris, afferte, & bibemus*, nimirũ fœminę illæ luxu, & voluptatibus diffluentes (ut Theodor. ait) bona tenuiorũ in rem ſuam cõvertebant, & viris ſuis (hos enim appellat *Dominos*, maritos, ſicut. 1. Petr. 3. 6. *Sara obediebat Abrahæ Dominum eum vocans*) imperare non verebãtur. Eſt ſane vacca muliebris petulantiæ, atque ingenii ſymbolum: nam præterquam, quod, ſicut mulieres, ita quoque vaccæ *ventrem ferunt decem menſes* (ut ait Varro) *aut ferunt quidem uterum menſes novem, decimo pariunt*, teſte Ariſtotele: inter armenta reliqua, vacca eſt ad venerem incitatiſſima: qua de re dum AElianus diſſerit, teſtatur quoque venerem in AEgypto, ſimulque vaccam religioſe coli, quia affinitatem & cõvenientiam cum Dea ipſa habere exiſti-

Origen.

Taurus de homine ſuperbo

Vxores ſuperbæ vaccæ.

Theodoret.

Vacca ſymbolum petulãtis fæminæ

Colum. lib 6. cap 24.

Ariſtot.

AElianus. lib. 4. c. 45.

metur. apud Thuſſas quoque in AEgypto ubi Venus cornuta colebatur, vacca illi immolabatur. Quid quod, ut rei ruſticæ Scriptores traduut, Colum. Varro. Affricanus; *Quamvis plena fœtu, non expletur libidine*, ſed ſi pingueſcat & multo abundet pabulo, impotenter taurire, & laſcivire neceſſe eſt: ideo enim ad *vaccas pingues*, loquitur Amos; *quoniam poſt vernam pinguedinem geſtientes, & pabuli nimietate exhilaratæ laſciviunt*. Ergo hic deſcribentur familiæ, & domus impiorum, ſicut *congregatio Taurorum in Vaccis populorum*.

Gregor. Oyrel.

Colum. lib. 6. cap. 24.

Colum. lib. 6. cap. 24.

Pſal. 67. 31.

℣ *XI. Egrediuntur, quaſi greges, parvuli eorum, & infantes eorum exultant luſibus.*

1. Grex, *quæ animalia comprehendat. Impii, velut pecudes generationi vacantes.*
2. Egredi, *ad liberam laſciviam pertinere. Preceptum rei ruſtica de emittendis agnis.*
3. *Parentum negligentia in filiorum educatione. Explicatus Sapientia locus.*
4. Quid exultare *in Sacro ſermone. Explicatus David.*
5. *Laſcivia & luſus adoleſcentium. Meretricia ſaltationes.*
6. *Filia Herodiadis ſaltatio. Verbum* Placuit, *antiquum, in puerorum ſaltationibus.*

EGrediuntur quaſi greges. Vox originalis, licet interdum boves, & grandiora armenta comprehendat, ſed ad pecudes etiam minores referri ſolet, ideo Interpres dixit *Greges*, quæ vox Latinis communis eſt, nam etiam Latinus dicit *greges armentorum*, & *greges equarum*. ſed frequentius, *greges ovium*, agnorum hædorum; qui bus parvuli laſcivientes, & exultantes per ſimiles ſunt: ſed quidẽ *gregis* nomine indicatur numeroſa ſoboles; pecudum itaque more propagari impios; & quod tantum corpori vacare videantur, & quod copia liberorum diuturnitatem nominis, & generis æternitatem quandam polliceri videatur. Quo videntur Septuaginta reſpexiſſe legentes; *Permanent, ſicut oves æternæ*, Quod Origenes interpretatur. *Impios diuturnam vitam vivere, ac pecudum more propagari, & procreationibus æternitatem æmulari*.

1

צאן

Cic. Phili. 3. in Ver. 3. & 4.

Impii pecudũ more corpori vacantes.

LXX.

Origenes.

2 Sed hæc ipſa *gregis* translatio, verbo, *egrediendi* illuſtratur, nam verbum originale, quod eſt, *egredi*, aut *emittere*, aut *ejicere* liberam quandam, & petulantem egreſſionem, aut dimiſsionem liberorum indicare videtur, ſine diſciplina, & ſine ratione. Eſt enim vox etiam cõmunis his, quæ

שלח

ab aliqua radice ſponte naſcuntur,& pullulant,eadem, quæ Cantic. 4. 13. dicitur, *Emiſsiones tuæ* (aut egreſsiones tuæ,id eſt, propagines,& rami) *Paradiſus malorum punicorum.* quod etiam Hiſpanus de arbore fæcunda dicere ſolet,projicere ramos, *Echa,y arroja pimpollos y renuevos.* Forte igitur grandiuſculos jam parvulos intelligit, cum e matris gremio quaſi egrediuntur,& emittuntur,& jam firmiores,ſaltibus,& luſibus laſciviunt. In quo etiam ſimilitudo ex agnis petita videtur: nam & præcipit Colum.lib. 7. c. 3. vt agnus, *quandiu non laſcivit, obſcuro, & calido ſepto cuſtodiatur: poſtea luxuriantem virgea cũ comparibus area claudi oportebit, ne, velut puerili nimia exultatione maceſcat; ubi vero convaluerint, a ſepto emittendi agni, ut condiſcant foris paſci.* Claudi etiam ſolebant,ne matrum ubera exhaurirent: emittebantur vero,cum jam grandiores matribus obeſſe non poſſent, ut indicat illud Melibœi;

Hiſpaniſmus.

Columel.

Agni clauſi & emiſsi.

Virg. egl. 7.

= = = = = *Nec Phillida habebam,*
Depulſos a lacte domi quæ clauderet agnos.

Quibus autem loculamentis ſeorſum agni,atque hædi ſecundum ætates etiam diſcluderentur, explicat Homerus dum de Poliphemo loquitur;

Homerus Odiſſ. 9.

Multus ibi in Calathis lactenti caſeus orbe,
Stipabantq; ſua diſtincti examine cellas,
Hinc agni, Hinc hædi, locus nam quiſque ſeorſum.
Poſtremus partus,mediuſque & primus habebat.

Grandiuſculi igitur jam, atque firmiores liberi deſcribuntur hoc loco, egredientes jam,& emiſsi foras, extra ſepta, ut extra ſubſiliant.

3 Sed duo hic animadvertenda,primum, cum parvuli dicuntur *egredi*, aut emitti,parentum ſane incuriã notari, qui poſtquam adolevit puer,libere egredi permittunt,illis neque inſpicientibus,nequecurantibus, quos graviter reprehendit Plutarchus; *Culpandi* (inquit) *ſunt parentes nonnulli, qui poſtquam filios ſuos pedagogis, magiſtriſq; commendarunt, ipſi, quid diſcatur, neque inſpiciunt unquam, neque inaudiunt.* Atque huic loco eleganter convenit Equiſonis illius dictũ, qui ajebat; *Nihil eſſe, quod perinde ſaginaret equum, quam oculum Regis.* Propterea monet parentem Sapiens, Eccleſ. 16. 1. *Ne credas viæ illorum,* nimirum inſpiciendum potius, quo egrediatur, neque facile illis fidendum. Alterum, impiorum liberos libere etiam permitti creſcere, & nutriri non alia diſciplina, quam ut nati ſunt; id enim indicat illud verbum * *egrediendi* aut naſcẽdi,unde fit, ut omnino illa vitiorum ſemina,cum quibus quiſque naſcitur, ſtultitiæ,petulantiæ,iræ,ſuperbiæ,cũ ipſa quoque ętate creſcant,& adoleſcant.Porro ſcriptum eſt; *Stultitia colligata eſt in corde pueri, & virga diſciplinæ fugabit eam.*

Parentum injuria.

Plut. de liberis educandis.

Cr[illegible]

Prov. 25. 15.

4 *Et infantes eorum.* Proprie,nati,aut puerorum, *exultant luſibus.* proprie, ſubſiliunt, exultant; nam *luſus* adduntur ab Interprete explicationis gratia: ſimilique modo illuminarunt Septuaginta legentes; *Parvuli eorum ludunt.* Eſt autem verbum hoc *exultandi*, quod arietibus etiam ſubſultantibus accommodatur Pſal. 113. 6. *Montes exultaſtis, ſicut arietes, & colles, ſicut agni ovium.* Nimirum quaſi ſuis ſedibus moti, atque gratulantes populo tranſeunti per mare rubrum, tum etiam tribuitur vitulis Pſal. 28. 6. *Comminuet eas, tanquam vitulum Libani.* Quod eleganter Hieronymus illuſtravit legens, *Diſperget eas.* in quo latet pulchra ſimilitudo; Quemadmodum cum vitulus laſciviens in Libano, monte videlicet pingui, & herboſo exultat, & quoquo verſus ſe ſe agitat ſaltibus, ſic ſane Divina potentia cedri confractæ, & disjectæ viturbinis, atque ventorum, videntur exultare, & divulſæ ſaltare; *Saltaran las aſtillas,* idque facile, ſponte, crebro, ſicut ſaltare ſolet vitulus.

יקר

LXX.

Exultatio rerum inanimatarum.

Hieronym.

Pulchra ſimilitudo.

5 Sed cũ Interpres *exultare luſibus*, dixit, videtur reſpexiſſe ad privatam puerorum educationem, qui ſuæ libidini, & petulantiæ permiſsi, totos ſe tradũt luſibus, & indecoris ſaltationibus, cantilenis quoque, atque muſicis impudiciſsimis, & corruptiſſimis ſocietatibus: *Eſt enim vigor illius ætatis incontinens voluptatum, laſcivitque, & fræno opus habet; & qui ætatem iſtam nõ magna opera regendam ſuſcipiunt, imprudentes animo licentiam, qua ad flagitia feratur, concedant.* Verba hæc Pluth. Sed quod de ſaltatione, & exultatione dicitur, fuit quoq; incõſuetudine apud alias nationes, ut pueri condiſcerẽt ſaltare, nam de Lacædemoniis id ſcribunt Lucianus lib. de Saltatione, Athen. lib. 14. cap. 13. Romanos vero pueros e ſchola ad ludum ſaltatorium aliquando digredi ſolitos, refert Macrobius lib. 3. cap. 14. In Delo quoque ſic ſacra peragi ſolere, ſcribit Lucianus, *Vt ingreſsi puerorum chori, tibia, & cythara præcinentibus ſaltarent, quos ſubſequuti optimi, facto delectu, choreis excipiebant.* Quod moderatum, & modeſtum eſt, honeſtum quoq; eſt. Sed proh Deum, quantum immodeſtum, & inhoneſtũ in hujuſmodi ſaltationib⁹, iis præſertim, quæ nuper ad nos vel meretrix ex Lupanari, vel Dæmon ipſe ex orco, non ad privatas tantum domos, ſed

Plutarch.

Pueri ſaltationibus aſſueſcentes.

Lucianus. Athenæus.

Macrob.

Salationes inhoneſtæ.

Lucianus.

Meretrix saltatoria.

ad fora, & compita invexit. Lucianus profecto in dialogis meretriciis, ex hac tantum nota describit Thaidem; *Thais* (inquit) *saltavit prima, nudatis in multum usque talis.* Atque ex Cratonis persona appellat, *rem frivolam, ac muliebrem prisci sæculi, mulierculas amatorias imitantem, nempe libidinosissimas Phædras, & Partenopas, & Rhodopas.* Sed Dæmones magistros fuisse hujusmodi saltationum, ac veluti saltatores choreas ducere, vel ex eo colligitur apud Isaiam. 13. 21. *Pilosi saltabunt ibi, & respondebunt ibi Vlulæ in ædibus ejus, & Syrenes in delubris voluptatis.* Sed quid, si forte ipsi parentes notentur hac sententia æque, ac illa Ecclesiast. 30. 9. 10. *Lacta filium, & paventem te faciet; lude cum illo, & contristabit te; non corrideas illi, ne condoleas, & in novissimis obstupescant dentes tui.* Nimirum jubetur parens non colludere ludenti puero, sed comprimere potius juveniles impetus, & non solum non scelerum, quin potius omnis virtutis exemplum se se illis præbere: *vbi enim senes sunt impudentes, necesse est ibi adolescentes quoque inverecundissimos esse.*

Dæmones magistri impudicarum saltationum.

Parentes colludentes liberis.

Plutarch. de lib educan.

6 Ex hoc profecto puerorum saltantium grege puella illa fuit, *Quæ saltavit in medio, & placuit Herodi.* Quid enim aliud est, *placuisse*, quam ludenti puellæ corrisisse parentem? Atque hoc fuisse pro more impurissimæ antiquitatis, quæ lascivas puerorum in Theatro saltationes amabat, & consectabatur, verbum illud, *Placuit*, non obscure indicat, in Inscriptionibus duorũ puerorum Saltatorum, quas affert Petrus Victorius. Hos annotato rem eã nõ fuisse infrequentem Iobi sæculo. Epitaphium alterum sic habet.

Matt. 5. 4. 6.

Petrus Victor lib 37. var. c. 7.

D. M.
PVERI SEPTENTRIONIS,
QVI ANNORVM XII.
ANTIPOLI IN THEATRO
BIDVO SALTAVIT
ET PLACVIT.

Alterum vero.

DIS. MAN.
C IOCVNDO C.F. EXQ QVI XII.
AN. VIX.
ET SEPTIES SPECTANTIB. PVB. IMP
SER. GAL. OTH SIL. A VIT. ET P. R
SALTAVIT. CANTAVIT. ET PLACVIT
PRO IOCIS. QVIB. CVNCTOS
OBLECTABAT.
SI QVID OBLECTAMENTI A-
PVD VOS EST
MANES, IN SONTEM REFICITE
ANIMVLAM.

XII. *Tenent Tympanum, & Cytharam, & gaudent ad sonitum organi.*

1. *Musicæ vis, cum ad solam voluptatem comparatur præsertim in adolescentia.*
2. *Pueri saltantes ad parentum suorum concentum & harmoniam. Illustratur Samuel.*
3. *Puerorum in musicis institutio.*
4. Tympanum, *quale instrumentum. Latis serviebat.*
5. Cythara & Organum *cujusmodi fuerint. Varietas, & incertitudo nominum propriorum.*
6. *Cognatio musicorum quorundam instrumentorũ cum lascivia, atque impura libidine.*

DE Ipsis impiorum filiis hæc accipiuntur a Græcis, quibus exhilarandis ni- I
hil non adhibent indulgentissimi, ac negligentissimi parentes, curantes sane, ut non tam educẽtur in virtutũ, & morũ disciplina, quã in canendo, saltãdo, & musicis instrumẽtis pulsandis. Tunc demũ ingenue, & liberaliter existimãtes actum cum liberis, si discant tenere Tympanum, & cytharam, &c. Hunc quoque sensum sequuti videntur Septuaginta legentes; *Parvuli eorum ludunt sumentes psalterium, & cytharam.* Musica vero si depravata, atque lasciva sit, & ad solam voluptatem comparata, valere ad dementandos, & concitandos homines in incredibilem quendam intemperantiæ, & libidinis furorem, docuit Tibicen ille Callistrati, apud Plutarchum libr. 7. Simposiacon, q. 5. cum adolescentes illos convivantes, qui lascivos cantus tibię admiserant effecit non solum clamare, & plaudere, sed plerosque etiam prosilere, & una motus illiberales edere, numeris, & carminibus convenientes. Quare Theohprastus, in libro, quem de musica scripsit, cum tria faciat musicæ principia, dolorem, voluptatem, instinctum divinum; de voluptate ait; *Exultans animi gaudium eorum, quorum leviora sunt ingenia, totum corpus, saltationemque numeris aptam concitare, & ad furores, & conclamationes cum fremitu, & cervicum jactatione.* Certe AEgyptiorum pueri, musicæ non vacant, referente Diodoro Siculo lib. 1. c. 3. existimant enim exercitium inutile, periculosum, & effæminatum.

Græcorum interpretatio.

LXX.

Musicę vis.

Plutarch.

Theophrast.

Plutharch. li. 1. Simposiacon. quæs. 5.

Aegyptiorum de musica opinio.

Diodorus.

Sed alii tamen sententiam hanc refe-
runt ad ipsos patres, qui puerorum lu- 2
sus, atque lasciviam promovent ipsi, & comitantur cantu, & musica, jubentque ad suorum musicorum instrumentorum concentum filios saltare, & ludere. quod profecto videtur cum sequentibus melius

Lyra.

Priſcus ſaltandi, & canendi mos.

cohærere. Erat autem priſci moris, ut ex Luciano ſupra vidimus, videbimus etiam ex Homero inferius, ut tibicen, aut præcentor in medio conſiſteret, deinde pueri, aut juvenes ſaltantes circumſiſterent, choreas ducerent. Videntur itaque deſcribi parentes, tanquam tibicines, & præcentores; at pueri circum ſaltantes, & exultantes luſibus, choreasque ducentes. ita ad voluptates, & ſcelera filiorum parentes ipſi exemplo præeunt, & ipſi etiam voluptatis ſtudio alliciunt, & excitant. Sic videas Ieremiæ. 7. 18. idolis ſacrificium offerri ab impiis, non a filiis, non a parentibus ſolum, ſed ab utriſque mutuo ſe ſe juvantibus, & cohortantibus; *Filii colligunt ligna, & patres ſuccendunt ignem, & mulieres conſpergunt adipem, ut faciant placentas Reginæ cæli, & libent Diis alienis, & me ad iracandiam provocent*. Itaque matres ſua blanda indulgentia *adipem* ſubminiſtrant; patres vero *ignem*, animos, vim addunt; filiorum ligna conflagrant ſtatim, & ardent cupiditate, atque libidine. Ergo parentes ad quorum * *Tympanum, & cytharam* ſaltant pueri, recte dicas, ſuo illos exemplo filiis præcinere, ac pedes etiam, manuſque illorum inſtruere, & componere. Viderunt aliquando Saulem inter Prophetas cum cantu, & tripudio Divinas laudes celebrantem, & quaſi mutatum in virum alterum, atque miraculo dantes, quod ſciret Saul canere, & tripudiare cum tamen non eſſet a patre ſuo in muſica eruditus, dixerunt ad invicem; *Quænam res accidit filio Cis? & quis pater ejus?* nam præter naturam videtur, ut liberi laſciviant ſaltu, cantu, & luſibus, quos non excitaverit *Tympanum, & cythara* parentum.

Parentum exemplum.

* Los padres con ſu mal exemplo lesha zen a ſus hijos el ſon.

1. Reg. 10.

3 Obſeruat vero opportune Divus Thomas antiquam conſuetudiné inſtituendi filios a prima ætate in muſicis, cujus rei teſtes ſunt Plutarchus libro de muſica. Plato dialog. 7. de legibus, meminit quoq; ex Pythagora, Quintilianus lib. 1. cap. 17. vide quæ verſ. præcedente. nu. 5. diximus ex Athæneo, Luciano, Macrobio.

D. Thom. Pueri in muſica inſtituti.

Plutarch. Plato. Quintil.

4 *Tenent tympanum*. Propre ex Hebræo, * *Elevantes tympano*, vel ut legunt Septuaginta, *ſumentes*. vel *aſſumentes*, aut *accipientes*. Quod quidam refert ad pedes, vel ad vocem. Ita Cajetanus, & Vatablus, favet etiam paraphraſis Tygurina; *Ad tympanum, & cytharam ducunt choros*. Sed multo melius noſter. cum Septuaginta ad ipſum muſicum inſtrumentum, *tenet*, elevat, ſumunt in manus *Tympanum*. Hæbraice *Thoph*. Hoc inſtrumentum muſicum exiſtimatur eſſe vulgare inſtrumentum ligneum, vacuum, & utrinque clauſum membrana; quod bacillo pulſatum ſimilem ſuo nomini reddit ſonitum. Vulgus appellat; *Tamboril*, vel *atambor*; aut quidem ex vna tantum parte membranæ clauſum, quòd ex antiquitate Hiſpanica, nunc urbium Senatus retinent; ſimul cum tubis ad ſuas celebritates; *trompetas y atabales*. Sed quidem potius videtur illud eſſe, quod vocamus *Aduſe*, membrana etiam conſtans, & manuum pulſatione ſonans, quod Maria aſſumpſit ad canendum de Pharaone, & AEgyptiis triumphum; quo etiam utebantur virgines illæ, de quibus dicitur Pſalm. 58. 26. *Prævenerunt Principes conjuncti pſallentibus in medio juvencularum tympaniſtriarum*. Tympana autem palmis pulſari ſolita, meminit Ovidius. Qualecunque id fuerit, erat quidem inſtrumentum lætiſſimum, & non niſi ſolennioribus celebritatibus adhiberi ſolitum. ſic quaſi proverbiali loquutione dicitur Iſaiæ. 24. 8. *Gaudium tympanorum*, vbi etiam conjungitur cum *cythara*; *Ceſſavit gaudium tympanorum, quievit ſonitus lætantium, conticuit dulcedo cytharæ*. Forte aſſonabant tympanum, & & cythara, ita ut & mulierculæ cum tympanis, & viri cum cytharis concentus, & choreas miſcerent. Vertitur nihilominus hoc loco á Septuaginta *Pſalterium*, cujus alia ratio, forma, & pulſatio erat, ut dicemus inferius cap. 30.

נשא

* Levantan la boz, y alçã ci pie a cõpas y al ſon de la viguela.

Cajetan. Vatab. Tygur.

תוף

Tympanum cujuſmodi inſtrumentum.

Exod. 15. 20.

4. Metam.

LXX.

5 *Et cythara*. Nomen videtur habere a voce canora, dicitur enim Hebraice, *Cinor*, vertitur autem *organum* Pſal. 136. 2. quare cum Septuaginta dixiſſent, *Suſpendimus organa noſtra*, Hieronymus ex Hebræo legit, *Cytharas noſtras*. Rurſusque ipſe Hieronymus. 1. Paralip. 15. 16. vertit *lyram*. cujuſmodi autem eſſet *cythara*, agit Divus Hieronym. ad Dardanum, de diverſis generibus muſicorum, epiſtola. 28. tomo. 9. & ſic deſcribit; *Cum chordis. 24. quæ in modum Δ litteræ, ſicut peritiſsimi tradunt, componitur, & per digitos Pindari variis vocibus tinnulis, ictibusque in diverſis modis concitatur*. & ſuper Pſalmum. 32. ait, *Cytharam deorſum habere cavamen, & ſex chordas*. quã quam Ioſephus lib. 7. Antiquitatum c. 10. ſic Scribit; *Cynnira decem chordis intenditur, & plectro pulſatur*. Magna ſemper varietas in nominibus propriis vertendis, & explicandis.

LXX.

כנור

Hieron.

Cytharæ fabrica & deſcriptio.

Ioſephus.

Organum autem, quod in Hebræo dicitur *Ghugab*, celebre fuit Paleſthinis, & Hebræis. ſed antiquius, ut ex hoc loco conſtat, Arabibus; imo & antiquiſsimum jam

Organi antiquitas, & ratio.

עגב

inde

inde a primo ſæculo: nam Geneſ. 4. 21. *Iubal fuit Pater canentium cythara, & organo*. De forma autem *organi*, ſic ſcribit Hieronymus loco citato: *De duabus elephantorum pellibus concavum conjungitur, & per duodecim fabrorum ſufflatoria comprenſantur, per quindecim cicutas æreas, in ſonitum nimium, quem in modum tonitrui concitat: ita ut per mille paſſuum ſpatia ſine dubio, ſenſibiliter utique; & amplius audiatur. Sic apud Hebræos de organis, quæ ab Ieruſalem, vſque ad montem Oliveti, & amplius ſonitu audiuntur, comprobatur*. Tygurina hoc loco, *fidiculam* vertit; Oleaſter Geneſ. 4. exiſtimat potius eſſe *Tibiam*, quæ flatu ſonat, quam organa, quæ pulſantur. Eodem loco Septuaginta pro *cythara*, *Pſalterium*, pro *organo* vero *cytharam* reddiderunt.

Organi forma & antiquitas.
Hieronym.
Tygur.
Oleaſter.
LXX

6 Sed, ut de vera forma hujus inſtrumenti non conſtat, ita ex his tribus inſtrumentis muſicis, tanquam ex primariis videtur ſignificari omne genus inſtrumentorum muſicorum; ſicut ex illis duobus, *cythara*, & *organo* videtur ſignificari Iubal fuiſſe inventor muſicæ, & inſtrumentorum muſicorum illius ſæculi. Eſt autem aliquando libidinis, & turpis concupiſcentiæ cum his inſtrumentis conſpiratio, & aſſonantia, conſentiente etiam ipſo nomine originali, nam *Ghagab*, eſt inſanire præ impudico amore, & turpiter aliquem deperire, ut ſæpe legitur Ezechielis. 23. inde *Ghugab*, id eſt, *organum*, quaſi dicas inſtrumentum amatorium, & voluptuoſum, quod amatores inſanientes pulſare ſolent & quod ad amorem, & inſaniam concitat. Vnde viros illos potentiores, intẽperantiſſimos tamen, Iuvenalis notat:

Pars pro toto.
Muſicæ intẽperatæ cum libidine aſſuitas.
עגב

= = = = = Prætoribus organa ſemper
In manibus, denſi radiant teſtudine tota
Sardonyches, criſpo numerantur pectine chordæ.

Satyra 6.

Sed an concentus iſte, & harmonia muſicorum, ad jucundiſsima convivia referri debeat, dicemus in ſequentibus.

XIII. *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.*

1. *Impiorum quotidiana convivia, nomen* Boni *de convivio, muſica in convivio. Illuſtratus Lucas, Samuel, David.*
2. *Luſus in convivio, cantus, & ſaltatio.*
3. Punctum *quid in Sacro ſermone Mors impio rũ brevis, ac minime moleſta.*
4. Infernus. Deſcendere *quid in Sacro ſermone.*
5. *Peccati pondus graviſſimum. Illuſtrat. David, & Iſaias.*

I His tot, tantisque vitæ oblectamentis, nunquam interrupto fælicitatis curſu, omne ſuum ævum tranſigunt beati. *Ducunt*, perducunt, perficiunt, complent, *dies ſuos*, vitæ ſuæ annos, vitam, ſæculum, *in bonis*, in ſumma voluptate & jucunditate. Septuaginta, proprie ex Hebræo, *Conſummaverunt in bonis vitam ſuam*. verbum idem, quod infra cap. 36. 11. dicitur, *Complebunt dies ſuos in bono*. Sed quoniam nomen, *boni*, aliquando de victu, & convivio dicitur, & quoniam res hæc muſicorum inſtrumentorum ad convivia etiam adhibebatur, ſuſpicor non ſine probabili conjectura, *ducere dies in bonis*, fere idem eſſe, quod Lucæ. 16. 19. de impio divite dicitur, *Epulabatur quotidie ſplendide*; quaſi dicat, perpetua quadam conviviorum ſerie & jucunditate vitam complent, atque traducunt. Sic videas dictum eſſe illi ipſi impio diviti ſitienti, *Recepiſti bona* (lauta, jucunda, ſplendida) *in vita tua*: quod reſponſum illi eſt, cum peteret guttam aquæ ab Abrahamo convivante, & in optimo convivii loco reſidente Lazaro, quod eſt *eſſe in ſinu patris familias*: nam *multi recumbant cum Abraham, Iſaac, & Iacob in regno cælorum*, de quo aliquando diximus, & Eccleſiaſt. 7. 15. retrahens a ſordida, & avara parſimonia, ad jucundam vitam, & ſplendidiorem victum, *In die bona, fruere bonis*. *Dies* autem *bona* videtur eſſe *dies convivii*. Sicut & 1. Reg. 25. 8. *Cum Nabal faciebat convivium, quaſi convivium Regis*, dixerunt ſervi David, *In die bona venimus*, & ſimiliter cum in Hebræo ſit, *Quam magna multitudo bonitatis tuæ* (ut Hieronymus legit Pſalm. 30.) Septuaginta dixerunt, *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ*. Muſicam autem cum convivio conjunctam eſſe notius, & vulgatius eſt, quam ut probatione indigeat. Vide Amos. 6. 5. Iſaiæ. 5. 12. & 24. 9. Eccleſiaſt. 32. 4. & cap. 40. 20. & 46. 2. Lucæ. 15. 25.

כלה
טוב
Conviviorum perpetuorum circũlocutio.
Illuſtratus Lucas.
Matth. 8. 11.
Hieronym.

2 Et, ut quod de puerorum *luſibus* dictum eſt, cum convivio etiam faciat, certe Exodi. 32. 6. videmus etiam *luſus*, & laſcivas ſaltationes cum prophano illo convivio junctas: nam *ſedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere*. Quod quidem ex prophana conſuetudine videtur factum, vt ſaltationes convivarum adhiberentur convivio: nam in convivio illo procorum Penelope, convivæ ſaltu ludebant, & ad ſonitum cytharæ choreas ducebant, aut etiam cantabant;

Saltationes in conviviis.

Hom. Odyſ. 1.

Poſtquā potus, & eſcæ deſiderium exemerūt
Proci, ipſis vero aliæ in mente curæ erant,
Cantus, ſaltatioque, hæc enim ſunt ornamenta convivii.

Et placet quidem Andræas Iuſtinopolitanus, qui in ſua interpretatione vertit,

Andreas. Iuſtinopolitanus, Homeri interpres.

- - - - Hæ enim appendices ſunt convivii.

Nam vox Græca *Anathematha*, non ſolum ornamentum eſt, ſed quod dicatur, & conſecratur alicui, quod item templis, & columnis appenditur. Eleganter igitur *cantus*, & *ſaltatio* anathemata conviviorum dicuntur, quaſi conviviis dicata, conſecrata, & appenſa. Iterum quoque Alcinonus, ait Vlyſsi;

Odiſſ. 1.

Semper nobis convivium gratum eſt, cytharaque, choreæque
Veſteſque mutatoriæ, balneaque calida, & cubilia,
Sed agite Phæacum ſaltatores; quicumque optimi.
Tripudiate - - - - - -
Præco autem prope venit ferens cytharam canoram
Demodoco: hic autem poſtea ivit in medium, circum autem juvenes,
Puberes ſtabant periti ſaltationis.

Quare dum Mopſus ſacrum illud conviviū Daphni, tanquam Deo Lari vovet, paſtores ipſos, convivas futuros, & cantores, & ſaltatores deſignat;

Virg. egl. 5.

Vina novū fundam calathis Arviſia, nectar.
Cātabūt mihi Damætas, & Lyctius Ægon.
Saltantes ſatyros imitabitur Alpheſibæus.

Servius.

Quo loco Servius antiquitatis obſeruantiſſimus, ait; *Sane quidem, ut in religionibus ſaltaretur, hæc ratio eſt, quod nullam majores noſtri partem corporis eſſe voluerunt, quæ nō ſentiret religionem.* Atq; in aliis etiam conviviis, nullam corporis partem eſſe voluerūt quæ voluptatem, & mobilitatem non ſentiret. Lucianus in lib. de ſaltatione, & Plutarch. lib. 7. Sympoſiac. q. 8. diſputant qualis ſaltatio conveniat conviviis. Socratem quoque in convivio ſaltaſſe ſcribunt Xenophon. lib. de Cyri minoris expeditione. & Athenæus lib. 1. cap. 17. Annotat quoq; Philippus Beroaldus olim convivas ſaltare ſolitos Philyra coronatos. Ergo ait Iob impios, & conviviis, jucundiſsimoq; muſicorum concentu, & filiorum ſaltationibus vitam fælicíſsimam tranſigere.

Lucianus. Plutarch. Xenophon. Athenæus. Beroald. in annot.

3 LXX. Pagnin. Thargum. R. Moyſ. R. Abrah.

Et in puncto. Verbis quidem diverſa, ſed ſenſu affinis eſt aliorum lectio, Græcorum videlicet, & multorum Hebraizantium: nā Septuaginta habent; *In requie inferni dormierunt.* Sic etiam Pagninus, poſt Tharg. R. Moyſen, & R. Abraham. Ratio varietatis eſt, quoniam verbum *Ragagh*, a quo nomen *puncti* deducitur, habet duas ſignificationes contrarias, videlicet aut ſubitam conturbationem, aut quietem, & quaſi tranquillum quodlam otium inde *Regagh* aut ſignificat *punctum*, momentum ſubito, repēte, aut quietem. juxta primum noſter Interpres cum nonnullis Hebraizantibus legit: *In puncto*, vel, *in momento*, repente, ſubito *ad inferna deſcendunt.* aut juxta ſecundum, *in quiete*, & tranquillitate, quo (omni Hebræorum claſſe conſentiente, ut Eugubinus ait) ſignificatur impius morte placidiſsima, & quæ minime diuturnitate affligat, ſed morbo breviſsimo de medio tolli, & quaſi ſponte naturæ concedere, velut cum matura poma vix leviter tacta decidunt ex arbore, nulla vi convulſa. q. d. aliis miſeris, & afflictis mortalibus ſolet ſola mors requiem afferre poſt vitam acerbiſsimam, impiis vero poſt beatam vitam, tranquilla, & doloris expers mors advenit. id eſt, (ut bene Nicetas dixit) *uſque ad obitum animi quiete, & ſecuritate uſi, ſine cruciatu ad inferorum ſedes demigrant.* Res omnino repetita a David Pſalm. 72. 4. *Non eſt reſpectus morti eorum.* Proprie, *Non ſunt vincula morti eorum*, id eſt, nullis funiculis dolorum conſtringuntur, neque detinentur in morbi cruciatibus. Aquila: *Nulli cruciatus interveniunt morti eorum.* Symmachus (referēte Theodoreto)* *Nō ſunt ægritudines morti eorum, & non querebantur de morte ſua.* Obſervat vero Theodoretus vocem Græcam *Ananevſis*, *ſignificare renutū, quandoquidem volentes aliquid negare, abnuere ſolemus.* quaſi dicat; Mors illis adeo facilis, atque benigna accedit, ut nihil ſit, cur renuant. Septuaginta Vaticani, cum Auguſtino, & veteri Pſalterio, eodem ſenſu legunt; *Non eſt declinatio in morte eorū.* Addit deinde David; *& firmamentum in plaga eorum.* Cum Theodoreto, Ambroſio, Pſalterio Romano, repetenda eſt e proximo negatio, id eſt, *non eſt firmamentum in plaga*, hoc eſt, non afficiuntur, neq; laborāt ægritudine aliqua firma, & diutina, ſed ſubita, & repentina mors illos breviſsime explicat ex infirmitate. Alii accipiunt cum afirmatione; firmi, integri & obæſi moriuntur, nullo diuturno morbo contabeſcentes; ſic in puncto ad inferna deſcendunt.

רגע

Tygur. Cajet. Regia. Complutenſ. Forſter.

Eugub.

Impii morbis breviſsimis ſublati.

Nicetas.

Aquila. Symmach. Theodoret.

* Ni tienen vaſcas, ni de que quexarſe.

ανανευσις

LXX. Auguſt.

Theodoret. Ambroſ.

Repetitio negationis per Zeugma.

Alii vero juſti frequenter diuturnis doloribus, & morbis conflictantur, & non niſi ſævíſsima quædam mors illos aufert, eo crudelior, quo ſegnior: ſimilis profecto illius beſtiæ apud Danielem, *quæ terribilis, atque mirabilis, & fortis nimis, dentes ferreos habebat magnos, comedens, at-* 4

4 Iuſti diuturnis morbis vexati.

Daniel. 7. 7.

quæ comminuens, & reliqua pedibus ſuis conculcans. nam miſerum infirmum prius pedibus, & calcibus conterit, & commolit, quam interficiat. Vide id Threnorum. 4. 6. ubi graviſsimum illud ſupplicium Sodomiticum, ex eo, quod momento, & quaſi in puncto corripuerit Sodomitas, minus, & tolerabilius dicitur, quam ſupplicium populi Dei in diutina captivitate, & obſidione; *Major effecta eſt iniquitas populi mei peccato* (peccati pœna) *Sodomorum, quæ ſubverſa eſt in momento temporis, & non ceperunt in ea manus*. id eſt, non fuit captivitas miſera, & diuturna. Et iterum; *Melius fuit occiſis gladio, quam interfectis fame; quoniam iſti extabuerunt conſumpti a ſterilitate terræ*.

Sed quoniã tum ex hoc loco, tũ ex Davide diximus impiorum mortẽ tranquillam, & pacatam, cujuſmodi ea requies ſit ex eodem Pſalmo docemur. Prædictum enim locum ſic legit Ambroſius, *Non eſt reclinatio morti eorum. Quando* (inquit) *laboramus, & incurvamur ad opus aliquod, atque inclinamur, nos reclinare conſuevimus: peccatores autem ſe reclinare non paſſunt, de quibus dictum eſt, & dorſum eorum ſemper incurva*. Quapropter conſiderat idem Ambroſius divitem illum ſepultum in inferno, *non potentem ſe reclinare, ſed vix ad Abraham non totum ſe, ſed oculos erigentem*. Ergo juſti plagarum ſuarum poſt mortem inveniunt *reclinationem, & firmamentum; & ſomno ſuo requieſcunt*. At *non eſt reclinatio morti impiorum*.

Ambroſ. illuſtratus.
Pſal. 68.
Quid impios incurvari, & non inclinari.
Luc. 16.
Iob. 3. 13.

Ad inferna. Ad ſebol, ſepulchrum, ſubterraneam ſtationem, non ſolum cadaverum ſepultorum, ſed etiam animarum ſontium, & dãnatorum, de cujus nominis ſignificatione diximus aliquando fuſius. *Deſcendunt*. Septuaginta per præteritum, in Hebræo per futurum; ſed eleganter Latinus Interpres per præſens, vt ſignificaret id, quod fieri ſolet ex Divina lege, & cõſtituto jam in impios ſupplicio. Vox autem originalis *Iecbathu*, quæ vertitur *deſcendere*, poteſt cum emphaſi, & amplificatione hujus ſententiæ deduci commode ex triplici radice. Primo, ut noſter Interpres deduxiſſe videtur ex radice *Nabbaht*, quæ ſignificat deſcendere, & curioſius aliqui volunt ſignificare deſcenſum quendam lenem, cum quis ſenſim deſcendit, & demittit ſe quietis cauſa; quare ſignificabitur mors quædam, & deſcenſus impiorum placidus, ſenſim, pedetentim, nemine impellente, neq; urgente a tergo. Si vero deducatur ex radice *Hbatba*, ut indicarunt Complutenſes, congruet cum nomine *inferni*, & cum ejus ſignificatione, & proprietate, non ſolum pro ſepulchro, ſed etiam pro ſubterranea ſtatione, & loco damnatorum; nam hoc verbum ſignificat fovere ignem, aſſumere, aut aſpirare in vas, aut in locum ubi foveatur, & accendatur; unde deducitur nomen *Thuribuli*, in quo ignis conſervatur, & accenditur; quod in impium egregie convenit, qui velut ignitus carbo in æterni ignis locum demittitur, in quo ardebit perpetuo igne inextinguibili. Tertio tandem deduci poteſt a radice *Hbatbath*, quæ confractionem quandam affert, ſive animi, cum quis conſternatur, & percellitur ingenti aliquo timore; ſive virium corporis, cum quis dejicitur, & confringitur; ſic vertit Hebræus apud Cajetanum, *In puncto foveæ frangentur*, quaſi dicat, toto vitæ decurſu integri, tunc primum, cum moriuntur, franguntur, & percelluntur, non timore ſolum, ſed mœrore ſempiterni ſupplicii. Frigidum eſt, quod Vatablus interpretatur, *corrumpuntur in ſepulchro*: nam vehemẽtior proculdubio, & ſeverioris ſupplicij comminatio eſt.

שאול
Vide quæ diximus. c. 7. ℣. 9
LXX.
Verbum præſentis temporis de ſtatuta conſuetudine
יחתו
נחת
Impiorũ mors levis.
חתה
Complutenſ.
מחתה
Impius velut ignitus carbo conſervatus in gehenna.
חתת
Cajetan.
Impii in morte mœror & timor.

6 Sed non prius hinc digrediendum, quã ſubitum iſtum impiorum in puncto, tanquam ponderis graviſsimi deſcenſum ad ipſum terræ centrum ex ſuperna regione (aſcenderat enim in cœlum illorum ſuperbia) contemplemur. Diu quidem in ſublime evecti nequiverunt conſiſtere: nã quod violentum eſt, neque perpetuum, neque diuturnum eſſe potuit. Ergo peccati, & improbitatis pondus graviſsimũ potuerũt aliquandiu induſtriæ, & humanarum artium machinis evehere in ſublime, ſed minime tamen figere, & confirmare. Aliquando tandem *gravabit illos iniquitas ſua, & corruent, & non adjicient, ut reſurgant*. Quis enim ignoret iniquitates, *ſicut onus grave gravare ſuper peccatorem*: aut qua ratione non corruent miſere, niſi Deus *tollat* (transferat a nobis) *peccata*? Ioann. 1. 29. 2. Reg. 12. 13. Iſai. 53. 4. & 12. Quid enim prodeſt *mittere vaſa, quæ ſunt in navi, in mare, ut allevietur*, niſi tandem tollatur peccatum, & peccator, propter quem oritur tempeſtas, & propter cujus gravitatem *navis periclitatur conteri*? Interim dum non *deſcendunt in profundum* impii, ſuſtentat illos Dei benignitas, & ad pœnitentiam adducit, atq; vocat eos, *qui laborant, & onerati ſunt*: ſed impœnitentes tamen ſuo ponderi, & gravitati dimittit, ſicut Scriptum eſt: *Alliſiſti nos in manu iniquitatis noſtræ, & cecidimus, & iniquitates noſtræ abſtulerunt nos*. Sed

Deſcenſus impiorum propter graviſsimum peccati pondus.
Iſai. 2. 20. 4.
Pſalm. 37. 5.
Iona. 1. 4. 5. 12
Matth. 11. 28
Iſai. 64. 7.

Deſcenſus in puncto ex infinita gravitate.

quanta velocitas deſcenſus; quanta peccati gravitas! *In puncto ad inferna deſcendunt*. Quod non niſi ex infinita quadam gravitate fieri poteſt. Nam ex Philoſophiæ regula, quo major eſt gravitas, eo velocior deſcenſus. Ergo ubi infinita gravitas, deſcenſus in inſtanti. Inde igitur *in puncto*, & in inſtanti ad inferna deſcendunt. Quid, quod illi ipſi ſpiritus, in ſupremo cœlo creati, ubi ſe peccati pondere graviſsimo alligarunt, lapſi præcipites in puncto ad inferna deſcenderunt?

Variæ deſcenſus, & ponderis peccati, ſimilitudines.

Exod. 15. 5.

Apoc. 18. 21.

Ierem. 51. 63.

Zachar. 5. 8. 9.

Parum quidem eſt, *Ægyptios deſcendiſſe in profundum, quaſi lapides*; Parum quoque *ſubmergi Babylonem* (colligato ad librum Sententiæ, & ſupplicii illius lapide) *& non conſurgere a facie afflictionis, quam Dominus adducit ſuper eam*; Parum ſumi ab *Angelo forti lapidem, quaſi molarem, magnum, & mitti in mare, dicente; Hoc impetu mittetur Babylon, & ultra jam non invenietur*; Parum impiam illam mulierem *projici in medio amphoræ, & mitti maſſam plumbeam in os ejus*; niſi poſtquam *levaverunt amphoram inter cœlum, & terram*, dimittatur, ut *in puncto ad inferna deſcendat*.

XIIII. *Qui dixerunt Deo, Recede a nobis, &, ſcientiam viarum tuarum nolumus.*

1. *Impudentia, & ſtultitia impiorum divitum adverſus Numen. Particula copulativa,* Et. *pro cauſali, aut pro relativa.* Dicere *quid.*
2. Recedere *quid. Impius aliquando recedit ipſe de via, aliquando vult Deum recedere. Divina miſericordia nunquam recedens a peccatore vocando.*
3. *Via peccatorum aberrantes. Illuſtratus Lucas.*
4. Scientia *de experimento virtutis. Virtutis via latior, quam exiſtimetur. Impiorum via deterrima. Illuſtratus ſemel, & iterum Salomon.*
5. Velle *aut* Nolle, *quid in Sacro ſermone. Explicatus Samuel.*
6. *Ignorantia affectata impiorum. Explicatus Habacuc.*

I

Particula &, pro relativo.

* Y aun por eſſo ſe atrevê a dezir lo que dizen.

CVM Ea vitæ fælicitate, quam deſcripſit IOB, conjuncta eſt inſignis quædam adverſus Deum impudentia impiorum; *Qui dixerunt*; proprie in Hebræo; * *Et dixerunt*, quæ particula videtur habere emphaſim, & poſſet congrue hoc loco exponi per particulam cauſalem *ideo, propterea*: ex tanta enim fælicitate inſoleſcentibus efficitur, ut Numen non revereantur: nam divitiæ, & fælicitas loquaces, impudentes, temerarios efficiunt ſuos poſſeſſores: ſicut ſcriptum eſt, *Tenuit eos ſuperbia*. & ſtatim, *cogitaverunt, & loquuti ſunt nequitiam, iniquitatem in excelſo loquuti ſunt, poſuerunt in cœlum os ſuum*. Sed particulam illam copulativam ſumpſit Interpres pro relativo juxta proprietatem linguæ Hebrææ, ut Pſalm. 88. 38. *Sicut Luna perfecta in æternum, &* (quæ eſt) *teſtis in cœlo fidelis*. Danielis. 4. 7. *Ecce arbor in medio, terræ, &* (cujus) *altitudo ejus nimia*. Ita hoc loco, *&* (qui) *dixerunt*. Septuaginta de præſenti. Tygurina de futuro, *dicent*. Conſonant omnia, id eſt, dicere ſolent. *Dicere*, autem mentis decretum, & firmitatem affert, id eſt, ſtatuerunt apud ſe, quaſi legem Deo ponentes, & præcipientes; nam verbum originale aliquando ſignificat *præcipere*. *Deo*, al. Forti, judici. recte Septuaginta dixerunt, *Domino*, ut ſervorum, & imbecillorum mortalium adverſus Divini Numinis potentiam, impudentia notetur.

Divitiæ loquaces reddunt divites.

Pſal. 72. 68. 9.

LXX

אמר

Conſuetudo verbo omnis temporis indicatur.

LXX.

* Apartaos alla, y quitaos de enmedio.

סור

Recede a nobis. Proprie, * Declina; eſt enim quaſi divertere ab aliquo loco, & via, ut libera, & expedita maneat tranſeunti. a quo verbo dicitur, *Recedere de via*. Deuteronom. 9. 16. Ergo volunt excutere animo omnem ſalutarem cogitationem, & omne cum Divinis rebus commercium, quaſi faſtidientes Divinam præſentiam: nam ſentiunt in ſeipſis divinam Providentiam ſe ſe vltro illorum menti, & cogitationi ingerentem, & mediis inſpirationibus Deum cum illis amice agentem, & quaſi aucupantem illorum familiaritatem, aut ſe ſe opponentem illorum greſsibus, & viæ pravæ. Deo igitur reſiſtenti illorum conatibus, *dicunt*. Greg. *Dicunt, Recede a nobis, qui ei ad ſe aditum præbere recuſant, eumque pravis actibus impugnant*. Vbi notanda eſt incredibilis horum impiorum procacitas, nam ut plurimum ſolent impii recedere de via Divinæ legis; de quo apud Ieremiam conqueritur Deus capit. 5. 23. *Populo huic factum eſt cor incredulum* (pravum, rebelle) *& exaſperans* (contumax, exacerbans Divinam bonitatem) *receſſerunt* (Septuaginta: *declinaverunt*) *& abierunt*. adeo, ut dicat David; *Omnes declinaverunt*. Sed videbantur iſti non omnino impudentes, ut qui ſe non opponerent Deo *dura facie, & indomabili corde*; ſed fugerent ipſi Divinum conſpectum: quos licet fugientes indulgentia tamen, & amore paterno perſequitur Deus, ut ad ſe reducat, ſicut quondam Laban fugientem Iacob,

Impii faſtidientes divinam Præſentiã, & inſpirationes.

Gregor.

Impii impudentes adverſus numen.

Pſalm 13. 4.

Ezech. 2. 4.

Geneſ. 31.

duasque

duasque filias persequutus est. *& misericordia* (inquit David) *tua subsequetur me* (vel etiam proprie ex Hebræo, *persequetur*, vel *assectabitur*) *omnibus diebus vitæ meæ*. At impudentissimi isti peccatores volunt, ut Deus recedat, & ipsi nihil volunt cedere de suis commodis, & voluptatibus, quasi Deus posset de bonitate, & misericordia sua, & studio vocandi peccatores, cedere, aut recedere. Igitur illi dicunt; *Quid nobis imponendis legibus molestiam exhibes? sine nos ingredi vias nostras.* Sed his ipsis videtur respondere Deus, *Væ eis, cum recessero eis.*

Nicetas. Act. 14.16. Hosea. 9.

3 *Scientiam viarum tuarum nolumus. Animo* (inquit Nicetas) *soluto, ac vacuo, nullaque molestia impedito semper vivunt, a Deo palam abalienati.* Videlicet sectantur illam vivendi rationem, qualem gentes, *Quæ ignorant Deum*. de quibus Paulus, & Barnabas dixerunt Actuum. 14.16. *In præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas*. non quidem omnes, eandem; nam pro libito quisque *in suam viam* aberrabat: sed ita tamen dimisit, ut illi etiam *audirent verbum post tergum monentis; Hæc est via, ambulate in ea*. Ergo non omnino recedebat ab illis, quamvis ipsi recederent; sed ita, ut se præsentem, aut internis spirationibus, aut externis etiam beneficiis contestaretur. Propterea que Paulus cum Barnaba subjungit: *& quidem non sine testimonio semet ipsum reliquit, bene faciens, de cœlo dans pluvias & tempora fructifera, implens cibo, & lætitia corda nostra*. Voluit nimirum beneficiorum, & temporalis prosperitatis testimonio testatam illis esse suam Divinitatem, præsentiam, atque Providentiam.

1.Thes.4.5. Eccles. 11.28. Isai.4.7.15. Ierem.11.8.& 17.10.& 18.12. Isai.30.21. Act.14 15.16. Beneficia testantur Deum præsentem.

4 ידע Sed est peculiaris vis in verbis singulis: nam *Scientia*, non solum est simplex aliqua cognitio, sed conjuncta cum experientia, & sensu; nolunt igitur experiri, qualis sit Divinæ legis via, neque possunt aliter bene erga illam affici, nisi per experientiam in illam ingredientes, gustum aliquem divinæ dulcedinis, atque virtutis sumant, sicut scriptum est Proverbior. 4. 12. *Ducam te per semitas æquitatis, quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, & currens non habebis offendiculum*. Nam antequam quis ingrediatur, videtur omnino arctandi gressus: *Arcta enim est* (id est, videtur) *via, quæ ducit ad vitam*, & e contrario via ipsa iniquitatis, antequam quis in eam ingrediatur, amæna, & jucunda videtur: nam sic adolescentem, quasi in bivio constitutum, hortatur Sapiens eodem loco: *Ne delecteris in semitis impiorum, nec tibi placeat malorum via*. vel, ut proprie ex Hebræo legi potest, secundum Aquilam, & Theodotionem: *Ne beatas putes vias malorum*. quod per par Paraphrasim eleganter dixit Tygurina: *In via malorum ne te batum existimes*. nam postquam quis ingressus est, certe impius, velit, nolit, fateri cogitur mille detrimenta, & incommoda viæ suæ deterrimæ: ita enim arctantur illius gressus, ut inter extremas angustias, & tribulos incedere videatur. Verissimum quippe est illud proverbium: *Arma, & gladii in via perversi*. vel, ut Septuaginta legunt, *Tribuli, & laquei in viis perversis*. Hebræa; *Spina, & laquei*: quod videtur per oppositionem quandam dictum ad justorum viam; sicut enim in illa dicuntur, *non arctandi gressus*, quod eleganter Symmachus transtulit; *non tribulabuntur*: ita in malorum via, vbi *sunt tribuli*, tribulantur. Quare Ieremias ipsa scientia, & experimento laboris revocare conatur impium a via sua mala; *Prohibe* (inquit) *pedem tuum a nuditate*. quod illuminarunt Septuaginta dicentes: *Averte pedem tuum a via aspera*; nam pedes nudi in via pulverulenta, deterrima, plena laqueis, & tribulis, quantum sustinebunt incommodi, atque doloris! Sed insaniens libidine, desperantis instar, quem sua ipsa mala, & ærumnæ ad miserrimum interitum adigunt, respondet; *Desperavi, nequaquam faciã; adamavi quippe alienos, & post eos ambulabo.*

Experientia Divinæ dulcedinis ex obedientia divinæ legis. Matth.7.14. Viæ Iustorum & impiorũ elegans comparatio. Aquila. Theodoret. Tygur. Prov.22.5. Pagnin, Regia. Vatab. Symmach. Ierem.2.25. LXX.

5 חפץ *Nolumus*. Est in verbo originali *volendi*, affectus quidam complacentiæ, & dilectionis, cum voluptate quadam, & affectione, quod recte explicatur per *complacere*, aut, habere beneplacitum; quod per paraphrasim noster interpres explicat Deuteronom. 21. & Psalm. 146. 10. *Habere voluntatem*, & Genes. 34. 19. *Amare valde*. Dicunt igitur Deo, * Non placet nobis tua lex. videlicet vitiorum voluptatibus inescati, nullum divinæ dulcedinis gustum percipiunt. Simile id. 3. Regum. 11. 9. *Iratus est Dominus Salomoni, * quod aversa esset mens* (cor, voluntas, complacentia) *ejus a Domino Deo Israel*, & Ecclesiast. 11. cap. 9. *Voluptates* dicuntur * *Viæ cordis adolescentiæ*. Sicut e contrario Deus dicitur Psalm. 36. 23. * *Velle viam justi*. Vides igitur, quid sit *velle*, aut *nolle scientiam viarum Dei.*

* Ni nos da gusto, ni le tenemos aficiõ.
* Que ya no gustava de Dios, como solia.
* Los caminos, y traças de tus gustos.
* Que gusta Dios de verle andar.

6 Sed illud ultimo, hic describi ignorantiam, quam vocant affectatam, videlicet cum impius non solum ignorat, sed ignorantiam amat, & scientiam odio prosequi

tur, juxta id Prover. 1. 22. *Vſque quo imprudentes odibunt ſcientiam?* quæ eadem ignorantiæ volitæ, & affectatæ ratio videtur indicari in illo titulo orationis Habacuc cap. 3. *Pro ignorantiis*, quod Theodotio trãſtulit, ut interpretatur Hieronymus; *Pro voluntariis, & pro his, qui ſponte delinquunt.* Ignorantiæ autem voluntariæ ſunt ejuſmodi peccata, quæ ſæpe imprudentiæ, inſipiétiæ, ſtultitiæ nomine notantur in Scriptura, ipſo nomine indicante depravatum impiorum affectum, & abalienatum animum erga res Divinas. Sed de hoc plura poſtea

Theodotio. *Hieron.*

XV. *Quis eſt Omnipotens, ut ſerviamus ei; & quid nobis prodeſt, ſi oraverimus illum?*

1. *Impii metiuntur omnia lucro.* Relativum Quis, *quid denotet. Explicati Samuel, & Moyſes.*
2. *Prima etymologia, & ratio nominis* Saddai. *Explicatus Ioel.*
3. *Etymologia nominis* Saddai. *Explicatus Sophonas*
4. *Tertia Etymologia ejuſdem nominis. Explicatus Moyſes.*
5. Servire, & timere *in Sacro ſermone quid. Explicati Moyſes, & David.*
6. *Impii attenti ad lucrum. Illuſtratus Malachias & David.*
7. Oratio *pro integro religionis cultu. Impiorum oratio qualis. Error negantium Deum orandum.*
8. *Qui orat, Deo occurrit. Explicatus Sapiens & Ieremias.*
9. *Deus propenſus ad benefaciendum, & annuendũ noſtræ orationi. Illuſtrati Eccleſ. & Ieremias.*

1 IMpii Athæi videntur ignoraſſe Deum omnipotentem, cui oportet a mortali homine deferri cultum, & adorationem, atq; cum omnia præterea metiantur ſua utilitate, & voluptate, eaq; non niſi caduca præſentis vitæ, tãquã ſordidiſsimi mercenarii, nullas videntur agnoſcere Divinæ bonitatis divitias, quibus ſuos ſervos cumulare poſsit. contemnunt igitur eum, a quo nihil temporarium ſperant. *Quis eſt*; ſive in neutro, ut legunt Septuag. *Quid eſt*; Senſus idem, & ad contẽptum pertinet, ut 1. Reg. 25. 10. *Quis eſt David, & quis eſt filius Iſai? Hodie increverunt ſervi, qui fugiunt Dominos ſuos.* Exod. 3. 11. *Quis ſum ego, ut vadam ad Pharaonem?* Poterant quidem, qui hęc dicebãt, mutato tãtum affectu, divitias bonitatis, atq; omnipotentiæ Divinæ inquirere, aut mirari his ipſis verbis, ut allicerentur & ad ſerviendum, & ad orandũ, ſicut, qui dicebat; *Quid mihi eſt in cælo?* Sed

Impii tanquã mercenarii, attenti ad lucrũ

Relativum. Quid, ad contemptum, & admirationẽ

Pſal. 72. 25.

longe ab iſto animo abſunt divini Numinis contemptores. Poteſt etiam ſubeſſe illi relativo affectus dubitantis, aut negãtis id, de quo interrogat, ſicut Pharao Exo. 5. 7. *Quis eſt Dominus, ut dimittam Iſrael? Neſcio Dominum, & Iſrael non dimittam.* Sic videtur accipere Gregorius, vel potius conjungit utrumque: *Carnales* (inquit) *viri juſſa ſpiritualia contemnentes, Deum quia corporaliter non vident, quandoque etiam non eſſe ſuſpicantur*, Idem fere Nicetas.

Affectus dubitantis.

Gregor.

Omnipotens. Negare videntur divinam omnipotentiam, quæ, ſi ab illiis agnoſceretur, & coleretur, illos proculdubio ſibi devinciret. Sed quid nam in hac *omnipotentia*, intelligant, operę pretium erit exponere. Subeſt quidem in originali unum ex Dei nominibus *Saddai*, cujus proprietatem & ſignificationem indicavimus ſæpe; expoſuimus nunquam. Ergo invenio a diverſis radicibus deduci poſſe. Primum a verbo *Saddad*, quod eſt vaſtare, perdere fortiter, potenter, inde nomen *Saddai* deduci exiſtimant. R. David. R. Mardochai, Complutenſes, Pagninus, Cajetanus hoc loco, qui vertit; *Vincens omnia*; atque videtur eãdem etymologiam, & ſignificationem agnoviſſe Hieronymus, qui in interpretatione Vulgata fere ſemper vertit; *Omnipotentem.* Rurſusque ipſe epiſtola. 136. ad Marcellam aſſerit interpretari ab Aquila, *Alcimon*, quod *nos robuſtam; & ſufficientem ad omnia perpetranda accipere poſſumus.* & Elias Thisbites aſſerit pleroſque interpretes exponere *fortem, & victorem*, a vaſtando deductum; *Eo quod* (inquit) *Daleth Daghesata eſt*, ut ſic reſpondeat verbo *Saddad*, quod duplicat *Daleth*. In eandem ſignificationem conſentit Theodoretus, citans Symmachum, & Theodotionem, ſuper id Ezechielis, 10. *Vox Dei Omnipotentis*, ubi Septuaginta habent; *Vox Dei Saddai*. Rationem etymologiæ, & ſignificationis conantur aſsignare Complutenſes, quod dicatur Deus *Saddai*, id eſt, *Omnipotẽns*, a devaſtando, *eo quod poteſt devaſtare, vel mutare naturam elementorum, & terreſtrium, & cæleſtium, quando oportet miracula facere.* Sed melius colligitur ratio nominis ex illo Iſai. 13. 6. *Quaſi vaſtitas a Domino*, Saddai, vaſtatore, Omnipotente *veniet*, & Ioelis. 5. 1. *Quaſi vaſtitas a potente* (Saddai) *veniet.* Secundum hanc ſignificationem congruit illa impiorum vox, qui nihil ſibi timentes mali a Numine tanquam ab impotente, & imbecillo, non curant ſe illi dedere, neque ſervire, & per contemptum, aut negationem Divinæ omnipotentiæ, dicũt; *Quis eſt omnipotens?*

2

Omnipotens & Saddai, quid

שדי

Prima etymologia nominis Saddai.

שדד

R. Mardochai. Complutenſ. Pagn. Cajeta. Hieronym.

ἄλκιμον

Elias.

Theodoret. Theodotio.

Complutenſ.

3 Secunda Saddai etymologia.

די ש

Sed potest deduci a voce *Dai*, cum *Sin* servili, quod est sufficientia, abundantia. Ita docet Elias Thisbites secundum Rabbinos, & secundum Rabbi Sahadiam; *Nẽpe pro eo, cui est * sufficientia in Deitate sua, vel ab eo, quod dixerit mundo suo; Satis est.* id est, pro eo, qui bonorum nostrorum non eget, & qui abunde sufficit suis creaturis. ut videatur fieri ad hoc nomen allusio 2. Corint. 3. 5. *Sufficientia nostra ex Deo est.* Hanc significationẽ agnoscit Grecus Scholiastes super id capitis 6. *Sagittæ Domini, &c.* Cum enim Symmachus dixisset, *Saddai*, ipse interpretatur, *Potentem, qui sibi satis est, nullius egens.* Similiterque Theodoretus super id Ezechielis 1. *Quasi solium sublimis Dei.* ubi cum subsit, *Saddai*, ait, Aquilam, & Symmachum *idoneum* interpretari, conjungitque cum *omnipotentia*. *Idoneum* autem aliquando pro sufficiente accipimus; *Cum sit* (inquit Theodoretus) *idoneus, & omnipotens, omnia, perinde ac vult facile perficit.* Certe Hebrei, qui Hispanicam noverant, hoc nomen *Saddai*, & *Omnipotens*, vertebant, *El abondador*. ut in illo loco Genes. 28. 3. *Deus omnipotens benedicat tibi, & crescere te faciat. Dios el abõdador te bendiga, y te acreciente.* Iuxta quẽ sensum cohæret eleganter hoc impiorum dictum; quasi enim nihil boni sperare possent ab inexhausto bonorum omnium fonte, sic illum contemnunt; & cum ipsi dicant; *Quis ostendit nobis bona?* aberrant miseri recedentes ab eo, qui & sibi, & suis creaturis *præbet omnia abunde ad fruẽdum.* Quod si utramque etymologiam, & significationem jungas, videtur esse eadẽ impiorum vox, quam describit Sophonias c. 1. 12. *Qui dicunt in cordibus suis, Non faciet Dominus bene, & non faciet male:* nam neque omnipotentiam ad nocendum, & devastandum, neque sufficientiam ad bene faciendum, & munerãdum agnoscunt.

* Que ni nos a menester, ni con el tienen sus criaturas necessidad de nada.

Nicetas. Symmach. Aquila. Theodoret. Psalm 4. 7. 1. ad Thim. 4. 17.

4 Tertia nominis notio.

שד

Tertio, potest deduci a radice *Sad*, quod est uber, aut mamma, quasi dicatur Deus uberum, id est, uberrimus, Deus mammarum, id est, *sua nutrice gratia*, & misericordia enutriens creaturas suas, & homines recreans lacte suæ dulcedinis, tã quam indulgẽtissima nutrix. quam Divinæ bonitatis, atque uberum affluentiam precatus est Iacob filio suo Ioseph *accrescẽti*, Genes. 49. 25. ut juxta suum nomen lacteo Divinæ largitatis ubere enutritus, in dies proficeret; *Omnipotens* (Saddai) *benedicat tibi, benedictionibus cæli desuper, benedictionibus abyssi jacentis deorsum, benedictionibus uberum, & vulvæ.* Quod si cum David Kimhi intelligamus per *duo ubera*, cælum, & terram (nam cælum instar lactis distillat pluviam, ex terra quoque sugitur fructus) intelligetur quidem Deus ille esse, cujus hæc sunt ubera, *& de cujus plenitudine omnes accipimus*. atque ad eandem significationẽ videtur fieri allusio Genes. 35. 11. *Ego* (inquit Deus ad Iacob) *Deus omnipotens, cresce, & multiplicare.* quasi ferens mammã, & applicans sibi Iacob, *quem dilexit*, ut incrementum, atque multiplicationem inde exugeret. Congruit quoq; hæc significatio huic loco, nam cum Deus uberrimus, & indulgentissimus homines *enutrierit*, atque *exaltaverit*, ipsi autẽ *spreverunt* illum.

Oleast. Gen. 9. Sap. 16. 25. R. David.

Celũ, & terra velut duo ubera, auctoris naturæ.

Rom. 9. 13. Isai. 1. 2.

5 עבד

Vt serviamus ei. id est, ut illi tribuamus debitum cultum, & adorationem. idque proprie sonat *timoris, & servitutis* nomen, quæ Græce dicitur *Latria*. ut explicatur Deuteron. 6. 13. *Deum timebis, & ipsi servies.* Quod Onkelus dixit; *Dominum Deũ tuum timebis, & coram eo cultum facies.* & iterum Exod. 4. 13. *Dimitte populum meũ, ut serviat mihi.* affert enim ille cultus, & adoratio quandam servitutis speciem, videlicet timorem quendam, opus, laborem, sicut dictum est; *Servite Domino in timore.* Est enim idem verbum, quod Isaiæ. 19. 21. *Colent eum in hostiis, atque muneribus.* dicitur etiam de cultu, atque adoratione exhibita idolo. 3. Reg. 16. 11. *Servivit Baal, & adoravit eum.*

Psalm. 2. 11.

6 Impii ad lucrum attenti.

Et quid nobis prodest? Sola utilitate, & lucro temporali metiuntur actiones suas, & propterea, nisi ex pietatis studio intelligant sibi proventurum aliquid boni utilis, boni non erunt. Simile id Malachiæ. 3. 14. *Vanus est, qui servit Deo, & quod emolumẽtum, quia custodivimus præcepta ejus, & quia ambulavimus tristes corã Domino exercituum?* Sic illi aut negantes, aut illudentes Divinam Providentiã Psal. 4. 7. *Multi dicunt, Quis ostendit nobis bona? Interrogatio* (inquit Augustinus) *quotidiana est omnium stultorum, & iniquorum, qui sæpe dicunt; Quis novit, si vera sunt, quæ de futura vita dicũtur?* Atque iidem sunt *juxta proprias concupiscentias ambulãtes, dicentes; Vbi est promissio, aut adventus ejus?* De his asserit hoc loco Gregorius; *Plerumque plus appetunt homines servire hominibus, quos corporaliter vident, quam servire Deo, quem nõ vident: per omne enim, quod faciunt, ad finem oculorum tendunt.* Hi igitur dum negãt, se velle Deo servire, nisi proposito præmio aliquo temporali, videntur quidem minime agnoscere, quidquid habent, universum id esse Dei beneficium, quo quasi anticipata solutione, nos sibi devinxit, &

August. 2. Pet. 3. 4. Gregor.

Deus anticipato pretio nos sibi conducens ad serviendum.

Aristot. Intemperantis signum. conduxit ad serviendum. Tum etiam ostendunt se valde intẽperantes; nam, ut docuit Aristotel. 7. Ethic. *Propter præmiũ, & non propter honestatem velle quippiã operis, aut laboris sumere, intemperantis hominis est.*

Si oraverimus illum. Idem videtur per *Orationẽ* intelligere, quod per *servitutẽ*, videlicet universum Dei cultum, & religionem. aut si peculiarem religionis, & orationis cultũ intelligas, sensus erit; *Ecquid nobis erit opis, si ad eum adorandum procumbentes accesserimus?* ita Nicetas. vel negãt, se obtinere a Deo, quæ orantes petant. in quo cujusmodi istorum hominum oratio sit, indicatur, & sapienter a Gregorio exponitur: *Cum Deus in oratione nõ quæritur, citius in oratione animus lassatur; quia cum illa quisque postulat, quæ fortaße juxta occultũ judicium Deus tribuere recusat, ipse quoque venit in fastidium, qui non vult dare, quod amatur.* Suspicor vero, hoc loco notari etiam impios quosdam, qui ita negabant Divinam Providentiam, ut omnia fato, & necessitati tribuerent, ex quo manifeste colligitur futurum omnino inutile studium Deum orãdi, cum æqualiter omnia deberent evenire. Quem impiorum errorem eleganter refellit Boetius libr. 5. de Consolatione. Prosa. 3. atque verbis quidem, quæ hujus loci vice Commentarii esse possent. *Quid enim (inquit) vel speret quisque, vel etiam deprecetur, quando optanda omnia series indeflexa cõnectit? Auferetur igitur unicum illud inter homines, Deumque commercium, sperandi scilicet, ac deprecandi. Quare necesse erit, humanum genus dissectum, atque disjunctum suo fonte fatiscere.*

Nicetas. Impiorũ preces.

Gregor.

Negãtes Providentiã, orationẽ etiã auferunt.

Boetius.

8 LXX. *Nicetas.* Sed notandum Septuaginta hoc loco habere; *Quæ utilitas, quoniã obviam ivimus ei?* quod Nicetas refert ad cultum, & honorẽ Deo exhibitum; *Per metaphoram (inquit) dictum est, translato verbo ab iis, qui claris, honoratisque hominibus assurgunt, iisque obviam honoris causa procedunt.* Sed quidem verbum originale proprie significat occurrere, aut obviam ire, sive in bonum, sive in malum, vel gratia deprecandi, & obsecrandi, aut ferendæ opis, aut resistendi. Isaiæ 59. 17. *Aporiatus est, quia non est, qui occurrat.* Quasi doleret Deus, quod non esset, qui illum deprecaretur in nostris malis. Septuaginta legunt; *Non erat, qui defenderet.* Sed sensus idem, nam protegit oratio, velut scutum, & arma, quibus nos defendimus. sicut de Aarone deprecãte pro populo dicitur Sapient. 18. 21. *Properãs homo deprecari pro populis, proferens servitutis suæ* (ministerii sui, quo Deo servit, & ministrat

פגע

Isaias illustratus.

LXX.

Orationis vis & protectio.

Sacerdos, vel Prælatus, habet enim Deus, & quasi stipendio sustentat domi suæ, intercessores, & deprecantes) *scutum* (quo repelleret Divinã vindictam) *orationem, & per incensum deprecationem allegans, restitit iræ, & finẽ imposuit necessitati.* & Ierem. 27. 18. *Si Prophetæ sunt, & est verbum Domini in eis, occurrãt Domino exercituum.* intercedant, deprecentur. Quare, quæ *occurrendo* fiunt, ea etiam ad orationem referuntur, videlicet, contradicere, & resistere; ut Ierem. 36. 25. *Contradixerunt Regi* (deprecati sunt, occurerunt precibus) *ne combureret librum.* & Ierem. 7. 16. *Ne assumas pro eis laudem, & orationem* (quod statim exponit) *& non obsistas mihi.* Ergo recte *occursum* hunc illuminavit Interpres per *orationem.*

Occurrere, & obsistere de oratione.

Sed in ea ipsa loquutionis formula *occurrendi*, aut *obviam eundi*, certe indicatur Dei propensissimus affectus ad benefaciendum; nam qui petit, & orat, Deo ad nos venienti, imo, & occurrenti occurrit; ita ut in ipsa via obvium habeat bonorum omnium largitorem, atque *sponsum veniẽtẽ*, quẽ quærit. Fere simile id Ecclesiast. 15. 2. *Qui continens est justitiæ, apprehendet illam, & obviabit illi, quasi mater honorificata, &, quasi mulier a virginitate, suscipiet illum.* Id est, qui justitiam, qui sanctitatem, qui Deum quærit, non oportebit universum viæ laborem, & lassitudinem suscipere, ut illam consequi possit: nam sicut inter sponsos constitutum erat, ut *venienti sponso* occurreret sponsa, quæ etiã erat, & dicebatur *Materfamilias* (non enim hic de matre respectu filii, sed respectu Patrisfamilias) ita Deo occurimus venienti, & quærenti eos, qui se inquirunt. Sic occurrit miseris Deus Ierem. 15. 11. *Si non occurri tibi in tempore afflictionis.* Sic occurrit laboranti præmium largiturus, Iaiæ 26. 3. *Occurristi lætanti, & facienti justitiam in viis tuis.* (quasi dicat, in ipso medio itinere) *recordabũtur* (cum te præsentem viderint, tua præsentia, & occursu recreati) *tui.* Sed ita tamen occurrit Deus, ut non solum partiri videatur nobiscum viam, & itineris molestiam, sed fere totum, quod itineris, & laboris est, conficiat ipse, ac se nobis, vix ex nostris *finibus egreßis*, obviam præbeat. uti expressum videas Matt. 15. in muliere illa Chananæa: nam vix *a finibus Tyri, & Sydonis egressa*, Christum IESVM obvium habuit, qui primum ex Iudææ finibus *egressus secesserat in partes Tyri, & Sydonis.* Ergo Divina Sapientia *præoccupat, qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat.* Vide igitur

9 Deus ad benefaciẽdũ propensus.

Matt. 25. 6.

Quærenti Deũ ipse occurrit.

Mater, nomẽ sponsæ.

Matth. 15. 21. 22.

Sap. 6. 4.

tur, quam ſit *Pietas* (Theoſebia, Dei cultus) *ad omnia utilis*; quantum veræ, & ſolidæ utilitatis ex hoc occurrẽdi Deo ſtudio, id eſt, ex oratione, & Dei cultu percipiamus: promeremur enim Divinam opem, & occurſum feſtinantis Dei in noſtra deſideria, temperamus illius adverſus nos iram, maturamus, & acceleramus noſtrorum operum præmia; & rem totã noſtræ ſalutis multo facilius peragimus. In quanta igitur ſtultitiæ, & errorum caligine verſantur, dicentes; *Quid nobis prodeſt, ſi oraverimus illum?*

1. ad Tim. 4. 8.

Pietatis, & precũ fructus

XVI. *Verumtamen, quia non ſunt in manu eorum bona ſua, conſilium impiorum longe ſit a me.*

1. *Varius nexus cum præcedentibus, & ſequentibus. Inconſtantia fælicitatis humanæ.*
2. Manus, *libera poteſtas. Aliorum interpretationes repudiata. Illuſtratus David.*
3. Conſilium, *in Sacro ſermone quid. Explicatus Hoſeas. Impiorum conſilium, de captandis temporalibus bonis, non curandis æternis*
4. *Præcipua Iuſtorum retributio in altero ſæculo. Quid* Præſcus *in Sacro ſermone Explicatus Iſai. & Paulus.*
5. *Hypallage. Quid* Contemplari *apud Paulum*

1 Poſtquam multa dixit de impiorum fælicitate, multa de impunitate peccandi; nunc explicare aggreditur extremum impiorum ſupplicium, & inconſtantiam fælicitatis humanæ. Sed Septuaginta, & Græci exiſtimant nunc reddi cauſam tantæ impiorum in peccando audaciæ, & temeritatis, nã ſic legunt Septuaginta, *Erãt enim in manibus eorum bona.* Ideo (inquit) Deum vel contemnunt, vel agnoſcere recuſant, quod jã ipſi illa bona habent, quæ a Deo ſperare, & promereri potuiſſent ob ſervationẽ Divinæ legis, & frequenti precandi ſtudio. Idem Auguſt. *Non tulit* (inquit) *eis bona ipſa, cum hæc dicerent.* Cæterum Hebræa, & Latina negationem habent, ſicque melius cohæret cum ſequentibus. Eſt præterea in Hebræo particula *Ecce*, quæ attentionem excitat rei mirabilis, & præter opinionem, cujuſmodi certe eſt ipſum impiorũ ſupplicium ipſis impiis, neque cogitantibus, neque timentibus. Sed inter Latinos tamen eſt diverſitas aliqua. Nam Ambroſius videtur ſententiam hanc referre ad humanæ fælicitatis inconſtantiam, quæ ſuum poſſeſſorem ſæpe ſolet fallere: ſæpe enim Deus ſolet impios quondam fælicißimos deturbare, ut ipſa fortunæ commutatione illos vehementius torqueat. Quare conjungunt cum ſententia ſequente. *Quoties impiorum lucerna extinguetur?* Sed Gregorius, Philippus, cæterique Latini potius exiſtimant, agi de diuturna, & perpetua totius vitæ impiorum fælicitate, ex qua deinde ad ſempiternas ærumnas devolvãtur. Quod bene hæret cum eo, quod dixit: *Ducunt in bonis dies ſuos.* & cum ſequentibus. *Iſte moritur robuſtus, & ſanus, dives, & fælix, &c.* Ergo *in manu impii non eſſe bona ſua*, eſt, nõ eſſe fælicitatem perpetuam, vel non eſſe in perpetuum poſitam in illorum arbitrio, & poteſtate, ut etiam hinc decedẽtes poſſint ſecum exportare: nam cum in *puncto* deſcendat impius ad inferna, non *deſcendit cum eo gloria ejus.*

LXX.

Ambroſ.

Gregor. Philipp.

Pſal. 48. 18.

2 *Manus*, liberæ poteſtatis, & arbitrii ſignum, videlicet inſtrumentum efficiendi, quidquid velis. accinit David Pſal. 75. 5. *Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus ſuis:* nam nihil jam illorum poteſtati, & arbitrio ſuberat, ſed ſimul cum vita uſus, atque poteſtas fruẽdi ſuis voluptatibus, eſt illis adempta. Hieronymus ex Hebræo: *Non invenerũt viri exercitus manus ſuas.* nimirum quantumvis potentes, atque fortes, tenaciſſime etiam, & ſtrictiſſime amplexi fuiſſent ſuas divitias, ſed ipſas cum divitiis *manus* videtur ſupremus judex illis præcidiſſe, ut neque divitias, neque manus ipſas tueri, & retinere potuerint. Hæc ſunt illa bona, quæ commorari tantum poſſunt uſque ad limen ſepulchri; nõ quæ *ſequantur* defuncti hominis animum quocumque ierit. Paraphraſis Tygurina *manum*, hoc loco accipit pro ipſis operibus; *Certe* (inquit) *fælicitatem ſuam, non operibus ſuis adepti ſunt.* quaſi IOB dicat, pleroſque impios fælicitatem habere, quã ſuis operibus non fuerint promeriti, atq; ſe nolle ſine ſuo labore, & merito, fælicitatem, & voluptatem aliquam. Sed ſenſus hic langueſcit, & friget. Manifeſta quoque allegoria eſt illa Gregorii, juſtos habere *bona in manu*, ut pro arbitrio regãt, & moderentur; impios vero minime illa habere ſub dominio mentis, cum potius *ab his, quæ habent, captiva mente teneantur.* Vide id Eccleſi. 5. 18. *Vir, cui dedit divitias, nec tribuit ei poteſtatẽ, ut comedat ex eo.*

Manus impiis ademptæ, & præciſæ.

Hieron.

Act. 14. 13.

Tygur.

Gregor.

Conſilium impiorum longe ſit a me. Ego longe ſemper abfui ab inſtituto, & vivendi ratione improborum; longe alia inſedit meo animo opinio, atque ſententia de hujus vitæ fælicitate aut appetenda, aut procuranda. *Conſilium*, ſententia, firmum

Conſilium.

mentis decretum, tum etiã ratio agendi, aut vivendi diu præmeditata, & cognita. non enim accipio hic *consilium* stricte, pro eo, quod est actionis initium, & quasi inquisitio, & electio, sed pro tota agẽdi ratione, pro depravata voluntate: nam etiam originalis vox aliquando pro *voluntate* sumitur, Hoseæ 10. 6. *Confundetur Israel in voluntate sua.* Proprie ex Hebræo: *In consilio suo*, & similiter Ierem. 7. 24. dicitur; *Abire in voluntatibus suis*. Sed describit hoc loco Gregorius, quale sit hujusmodi consilium; *Quod est*, (inquit) *iniquorum consilium, nisi terrenã gloriam quærere, æternam negligere, salutem temporalem cum damno interiori appetere, & dolores transitorios ad æternos gemitus commutare?*

יעץ

Gregor.

Impiorum errans consiliũ.

4 Sed quam stultum *consilium*, quam cœcum, futurorum oblitos, præsentibus se committere, & æternis præponere temporalia! justis suis se Deus præbet, non tam in præsenti, quam in futuro remuneratoré. *Ego* (inquit Moysi) *sum, qui sum*. Proprie ex Hebræo; *Ero, qui ero*, qui æternitate mea nunquã nõ ero justis meis præmium, protector, comes. Quidquid mundus nunc sit, sed non erit: Quidquid sit Babylon, *ultra non erit; neque invenietur*: Quicquid sit, quidquid fuerit Tyrus, tamẽ ad illã dictum est; *Non eris usque in perpetuum*. Ideo Dei filius hoc gloriatur nomine, quod sit * *Pater futuri sæculi*. non quod pater nõ sit eorum, qui nũc vivunt, justorũ, sed quod isti ipsi justi nõ vivãt ex legibus, & institutis præsentis vitæ, & sæculi; nõ ament præsentia, sed *futura inquirãt*. Sicut & Paulus ait Galat. 1. 4. Christũ *nos eripuisse de præsenti sæculo nequam*. quo loco eleganter D. Thom. dixit; *Trahendo nos ad æterna per desideriũ, & spẽ*. Eripi autẽ de sæculo præsenti, est vivere nõ juxta præsens sæculũ, ut idẽ Apost. dixit Rom. 12. 2. *Nolite cõformari huic sæculo*. Rursus vox illa, *Præsens*, est *instans* in Græco. Vnde Theodoret. *Vide, quam sit momentaneũ, id enim præsens, seu instans dixit.* Sic profecto justi, quamvis futura tãtum bona sperent, & præsentibus renuntient, dicentur tamẽ *habere bona in manu sua*, quod quamvis futura, ejusmodi tamen futura sint, ut in sua manu, & potestate habituri sint, nã *gaudium eorũ nemo ab illis tollet*. Sic & Paulus currebat, *sequebatur, & persequebatur, si quomodo comprehenderet* non præsentia, sed futura; *ad anteriora extendens se ipsum*. at impii, qui ea habent *in manu*, quæ illis, vel invitis, & repugnantibus eripienda sunt, perinde profecto se habent, ac si in eorum manibus bona non essent.

Futurum præmium potissimum.

Exod. 3. 14.

Apoc. 17. 8. 11.

Ezech. 27. 36. Isai. 9. 9.

* Los justos no andã al tiẽpo, ni vivẽ al uso de agora, sino al fuero, y uso del siglo que vendra,

Iusti ad futura, impii ad præsentia attenti.

ενεστωσ

Ioan 16. 22.

Philipp. 3. 12. 13.

Iterum hic Septuaginta longe alio sensu legunt; *Opera impiorum non inspicit*. vel, quod hæc sit impiorum vox (ut interpretatur Nicetas) ex qua sibi impunitatem promittant; illius alterius similis, inferius cap. 22. 14. *Iuxta cardines cæli perambulat, nec nostra considerat*. quasi Deus nihil curet humana. vel, quod IOB hæc dicat admirans incredibilem Dei patientiam, qui impios impune peccare sinit, quasi minime videret.

LXX.

Nicetas.

Longe sit. Per hypallagem; Ego longe absum ab illo, lõge a me propulso impiorum opiniones. In Hebræo; *Longe fuit a me*. Videtur enim commendare perpetuum quodam studium longe ab impiis recedendi. Sicut autem impii, in hujus vitæ bonis fælicitatem constituunt, ita, qui ab hoc consilio, & instituto absunt, non *contemplantur, quæ videntur, sed quæ non videntur*; juxta Apostoli præceptum. ubi verbum *contemplandi*, ex proprietate Græca affert, vel vigilantiam speculatoris alicujus, qui e loco sublimiori speculatur, & perlustrat: vel certe denotat gestum sagittarii, qui magna attentione cõtemplatur scopum, quem configere, & collimare nititur. Ita profecto impii contemplantur, & perlustrant animo, & cogitatione temporalia, quæ contingere, & collimare procurant suis desideriis: at justi e contrario contemplantur, quæ nõ videntur; &, quod paradoxum videatur, in ea respiciunt, quæ non videntur, & collimant, quo visus non pertingit.

Hypallage.

2. Cor. 4. 18.

Cõtemplari, instar sagittarii.

Paradoxum Christianum.

XVII. *Quoties lucerna impiorum extinguetur: & superveniet eis inundatio, & dolores dividet furoris sui?*

1. *Varia expositio.* Lux, aut Lucerna, *pro vita, & lucis usura.* *Particula* Quoties, *quot usus habet.*
2. Inundatio, *quid proprie.*
3. *Quid* Dividere *in Sacro sermone. Deus attribuit par supplicium cujusque impii meritis. Explicati Matthæus, & Samuel.*
4. Dolores, *funiculi.*

I CAjetanus existimat respondere, nunc IOB ad illam interrogationem, vel expostulationem factam, *Quare impii vivunt?* Videtur enim respondere, quod ideo permittuntur vivere fælices, quod eorum fælicitas, atque vitalis lux momẽtanea sit. Nihil ergo magnum illis conceditur.

Cajetan.

ditur. Ergo toties puniuntur merito ſupplicio, *quoties* vitæ lux illis extinguitur. Sed hæc interpretatio enervat totius ſententiæ vim, atque primæ illius particulæ.

Expoſitio enervis.

Ambroſius, Gregorius, Philippus, & poſt hos Latini alii videntur exponere de commutatione fortunæ, & fælicitatis impiorum, ad vitæ hujus cruciatus, & ærumnas; non enim videtur aliter conſtare poſſe illa multitudo importata per illam particulam, *quoties*, niſi intelligatur de frequẽti humanæ fælicitatis commutatione, & volubilitate. Sed neque hæc interpretatio videtur cohærere. Agit enim IOB fere in univerſo hoc capite de diuturna, & cõſtante impiorum fælicitate in hac vita; & de ſupplicio alterius. Ergo germanior expoſitio, ut agat de morte impiorum, in qua non ſolum vitæ lux, atque lucis uſura, ſed omnis etiam fælicitatis ſplendor obſcuratur, & extinguitur. Neque ineleganter vita comparatur cum *lucerna*, quæ deficiente oleo extinguitur: nã non aliter vita humana, vel exucto humore deficit, vel humoris abundantia obruitur, & perit. Extingui etiam ſolet *lucerna* vehementi flatu; ſic etiam *impiorum lucerna* inundatione, ac turbine, de quo ſtatim. Mortem autem cum extinctione lucernæ comparatam vides in illa Parabola decem virginum Matthæi 25. Ergo particula illa, *Quoties*, admirationem cum interrogatione affert, neque ſolum rogat de numero, ſed de qualitate, & de magnitudine graviſsimi ſupplicii impiorum. Quare miratur, quam graviter judicentur, quam miſere intereant! vertitur quidem eadem vox, *Quam multipliciter*, Pſal. 26. 2. *Quantum*, Iob 13. 23. *Quale*, Num. 13. 19. *Quam*, Pſal. 8. 10. Pſal. 83. 2. Quare hic dicere poſſes, Quam extinguitur! Quantum extinguitur! Qualis impiorum interitus! Quam multiplex, quam ſevera punitio! Dixi *lucernam*, & lumen, non ſolum pro vita, ſed etiã pro fælicitate uſurpari. Gregorius magis ſtricte pro ſolis filiis, qui ſunt parentibus vice lucernæ. Sed de hoc non pauca ſupra capit. 18. verſiculo 5. & 6.

Ambroſ. Philipp. Gregor. Dionyſ. Hug.

Germana expoſitio.

Vita humana ſimilis lucernæ.

Quoties, rogat cum admiratione.

כמה

Gregor.

2

Et ſuperveniet eis. Veniet ſuper eos, incumbet in illos, irruet, obruet: *Inundatio*, interitus, & extrema pernicies, quaſi tempeſtas, aut turbo, aut noxia aliqua, & intempeſtiva pluvia. nam vocem originalem ſolet vertere Interpres *afflictionem, interitum, nubem, pluviam, gurgitem.* Græci *ſubverſionem* dicunt: quod videtur bene convenire cum impetu rapidiſsimi fluminis exundantis. Philippus, *Inundatio*, id eſt, *abundantia tormentorum.* cujus etiam translationis uſus eſt Iſaiæ 8. 27. Ergo, vel hæc pars erit expoſitio præcedentis *lucernæ*, quæ extinguitur vento, aut tempeſtatis alicujus cõmotione: vel erit nova alia & translatio & deſcriptio interitus impiorum.

איד

3

Et dolores dividet furoris ſui. De ſuppoſito hujus ſententiæ dubitant aliqui; & quidem Græci ſuppoſitum verbi, *dividendi*, faciunt, *dolores*, nam legunt; *Dolores habebunt eos.* quod per ipſum verbum dividendi videtur exponere Nicetas; *Acerbi* (inquit) *eos diſcindent dolores, parientiſque mulieris cruciatus imitabuntur.* Sed recte Philipp. *Proculdubio, Deus dividet dolores, hoc eſt, pœnas unicuique tribuet, ut meretur*, idem Cajetanus, & Vatablus. Ergo accipiunt verbum *dividendi*, non pro *ſecare*, aut *ſcindere*, ut volebat auctor Catenæ, Sed pro *diſtribuere*, habita meritorum ratione. Gregorius autem, & aliqui Latini *diviſionem* hanc intelligunt, quod partim in hoc ſæculo, partim in futuro puniantur: quare dolores, & cruciatus non omnes ſimul vel in hac vita, vel in altera inferuntur, ſed diviſi, & partiti. Cæterum verbum originale *Hhalak* ſignificat diviſionem illam, aut partitionem, quæ fit alicujus rei inter plures; ſicut dicitur, *dividi terra inter tribus*, Ioſue 14. 7. & *dividi præda*, Ioſue 22. 8. & *hæreditas inter fratres*, Proverb. 17. 2. Vnde *diviſio*, idem eſt, quod pars, aut portio hæreditatis, quæ alicui obvenit; Sicut dicuntur *diviſiones Gratiarum*, & donorum. 1. Corinth. 12. 4. & 5. Sic igitur Deus dicitur, *dividere dolores*, id eſt, ſuam cuique impio, & damnato partem, & portionem ſempiternorum cruciatuũ attribuere, & quaſi ingentem illum globum ſempiterni ignis, qui *paratus eſt Diabolo*, partiri, & dividere inter Angelos, & aſſeclas ejus. Sicut etiam ex illo *calice, qui eſt in manu Domini*, tanquam ex pelago quodam tormentorum, dicuntur dividi hauſtus quidam, qui propinantur impiis; nam *inclinavit ex hoc, in hoc, & bibent omnes peccatores terræ.* Pſal. 74. 9. Sic illud Matthæi. 21. 51. de ſervo malo: *Dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis.* & Lucæ 12. 46. id eſt, attribuet ſervo malo partem ſuæ hæreditatis, ſeorſumque conſtituet, ſeparabitque a juſtis. nam utraque hæc *diviſio* videtur conjuncta, videlicet & hæredum, & hæreditatis; * Facta enim diviſione inter fratres, ſtatim dividuntur alter ab altero, Quod expreſſum vides

LXX.

Nicetas.

Philipp.

Cajetan. Vatab.

Dividere.

Gregor.

חלק

Ignis inferni quomodo dividatur.

Matth. 25. 41.

* En haziẽdo la particiõ cada vno tira por ſu parte.

Genes. 25. 5. & 6. nam cum Abraham *Dedit cuncta, quæ possederat Isaac; filiis autem concubinarum largitus est munera, separavit eos ab Isaac.* Sic quoque precatus est David Psal. 16. 14. *Domine a paucis* (justis) *de terra divide eos* (impios) *in vita eorum.* id est, da illis *portionem substantiæ, quæ illos contingit,* tum ex hujus vitæ bonis, tum ex alterius vitæ malis. Sic Deus dividere solet inter homines suas hæreditatis partes, instar sapientis illius Patrisfamilias, qui *suis filiis divisit substantiam.* Lucæ 15. 12.

Iusti ab impiis hæreditate, & bonis divisi.

4 חבל Dolores, funiculi.

Dolores furoris sui, aut *nasi sui.* id est, iratus Deus instar furentis, doloribus afficiet impios acerbissimis, instar dolorum parturientis, quibus impius, velut fortissimis funiculis obligetur, constringatur, & in doloribus etiam computrescat, & pereat. Nam totum hoc affert proprietas vocis originalis. Tum etiam de *Naso* iræ indice, alibi.

XVIII. *Erunt sicut paleæ ante faciem venti, & sicut favilla, quam turbo dispergit.*

1. *Impios omnino perituros.* Quid Palea, Quid Favilla, Quid Pulvis. *Explicatur David, & Isaias.*
2. *Ventus, & turbo, spiritus nequam raptans impios. Illustratus David, & Isaias.*
3. *Impiorum conversio, ne raptentur a vento. Explicatus Sophonias.*
4. *Impii levissimi, terra inutile pondus.* Quisquiliæ.

1 QVOS *Lucernas* extinguendas dixit, nunc *Paleas*, & *Favillam*; & quam *inundationem*, & *furorem Dei*, nunc *ventum*, & *turbinem*. Ergo videtur agere de extremo damno, & pœna impiorum sub ea metaphora, qua describitur res eadē Matthæi 3. 12. *Cujus ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam; & congregabit triticum suum in horrea; paleas autem comburet igni inextinguibili. Paleæ* autem majores, & grandiores, ut deinde crescat sententia *in turbine*, & *favilla. Favilla* autem est idem, quod sæpe vertitur *Pulvis*; videlicet non quicumque, sed qui remanet in area ex decussis granis, & contritis paleis, minutulum illud, quod ex folliculis granorum, & aristis remanet, & fere in pulverem abit. Sic Psal. 1. 4. Cum justus sub figura pulcherrimæ, atque ferocissimæ arboris describitur, *Non sic impii, non sic, sed tanquam pulvis, quem projicit ventus a facie terræ*, videlicet tanquam res omnino inutilis, quæ ventorum ludibrio permissa omnino perit irrevocabilis. Cujusmodi autem iste *pulvis* sit, clarius explicat Isaias cap. 41. 15. 16. *Ego posui te, quasi plaustrum triturans novum, habens rostra serrantia; triturabis montes, & comminues, & colles quasi pulverem pones; ventilabis eos, & ventus tollet, & turbo disperget eos.* Deinde vero subjungit lætitiam justorum, sicut, qui lætantur in messe: *& tu exultabis in Domino, & in sancto Israel lætaberis.* Sic hoc loco Philippus existimat, significari *impios perituros, ut omnino reparari non possint.* Idemque significat illa pulcherrimarum translationum coacervatio Hoseæ 13. 3. *Erunt quasi nubes matutina, & quasi ros matutinus præteriens, & sicut pulvis turbine raptus ex area, & sicut fumus de fumario.*

מוץ

Iustus utilis cunctis, impius inutilis.

Philipp.

2 Sed quamvis per *ventum*, & *turbinem* Divinam indignationem intellexerimus, possumus etiam spiritum nequam intelligere, qui etiam dicitur *furor Domini*; & cujus ministerio judex supremus utitur in exagitando, & dispergendo pessimo hoc pulvere. Sic ventum illum nonnulli interpretantur Psal. 1. sed clarius Psal. 34. 5. videtur facere Angelum Domini triturantem, comminuentem, & ventilantem paleas, & glumam. *Fiant tanquam pulvis ante faciem venti, & Angelus Domini coarctans eos.* Quia vero solet area constitui ab agricolis in locis editioribus, ut vento sit magis exposita, præsertim ubi venti vel lentiores, vel infrequentiores esse solent; Ideo videtur Isaias cap. 17. 13. repentinam illam populi dispersionem significasse, constituens illam malarum segetum aream in monte sublimi, unde gluma facile raperetur a vento; *Rapientur sicut pulvis montium a facie venti.* Denique ubi hujus *pulveris* mentio fit, ne intelligas, esse pulverem ipsum terræ, nam ille non comminuitur, neque atteritur humana arte, & industria; sed intellige pulvisculum, quem diximus decussum ex segetibus trituratis, ut Psal. 17. 43. *Comminuam eos, ut pulverem ante faciem venti.*

Ventus, & turbo Dæmon.

Pulvis areæ.

3 Sed qua ratione possint impii subtrahere se a *vento*, & *turbine* Divinæ indignationis, ostenditur per Sophoniam sub eadem allegoria cap. 2. 1. & 2. *Convenite, congregamini gens non amabilis.* id est, o impii, quos Deus odio habet, curate, ut sicut grana in acervos congregantur, & colliguntur, ita vos mutuis pietatis, & charitatis studiis conveniatis in unam religionem, & in unum cor) *prius quam pariat*

Impius ne rapetur vento, fiat ex pulvere granum.

riat justo, quasi pulverem transeuntem diem. (id est, prius quam Deus præcipiat, ut quasi exurgente vento maximo dispergamini, & raptemini, velut gluma, & scobis inutilis ex area) *Antequam veniat super vos ira furoris Domini.*

4 Tandem ex hac impiorum appellatione, & comparatione cum pulvere, & gluma, colligi primo potest, impios esse levissimi ingenii; tum etiam non solum inutiles, sed etiam incommodos, atque nocivos cæteris, instar glumæ, quæ & oculis hominum, & armentis ipsis non leviter nocet. Sic fere eadem translationis ratione levissimos, & nequissimos homines appellavit Cicero, *Quisquilias.* Sũt autem *quisquiliæ* totum id minutulum, & inutile, quod ex arborum frondibus, & floribus exarescẽs cadere solet. Secundo indicatur, impios esse quasi terræ inutile pondus; ut quos parens terra non videatur velle suo gremio complecti, & capere; sed potius, quasi invita sustinere, & exponere primo cuique vento, tunc se liberam, atque mundatam existimatura, cum illos a se expulerit, atque *ventus abstulerit, turbaque disperserit.*

Impius cæteris inutilis, imo noxius.

Cicer. lib. 1. ad Attic. & pro Sexto.

Impii terræ inutile põdus.

XIX. *Deus servabit filiis illius dolorem patris: & cum reddiderit, tunc sciet.*

1. *Mutatio personarum. Variæ expositiones: eligitur optima. Quid* dolor.
2. Abscondere, *& servare de Thesauris. Deus thesaurizans impiorum supplicia.*
3. *Quomodo filii puniantur ob parentum delicta. Explicatus Ezechiel.*
4. Resticuere, *de suplicio commerito.* In pace esse, *ad solutionem debiti referri. Explicatus David, & Salomon.*
5. *Impii sero licet, sapiunt, & suo supplicio agnoscunt Deum. Illustratus David, & Isaias.*

I EST hujus sententiæ non una apud omnes Interpretes expositio. & quidem Philippus ex hoc loco exaggerat obscuritatem hujus libri; quod sicut in aliis locis, ita nunc videtur quædam personarum mutatio, videlicet non tam personæ loquentis, quam personæ, de qua est sermo. Existimat ergo, cum adhuc de impiis dictum sit; nunc I O B subjungere *personam, nescio quam* (ut ipse ait) id est, *Diabolum*; ut impii tanquam illius filii, cum illo pariter puniantur. Sed non video, quorsum præ difficili hac interpretatione locum ipsum per se planum obscurare debuerit. Secundo Vatablus existimat, hanc sententiam repeti a Iob ex persona Sophar, quasi dicat, *Tu forte dices mihi, Deum puniturum rapinam patris in filiis ipsius. Res non ita habet, filius non portabit iniquitatem patris.* Tertio Cajetanus, *Dolorem* sumit, non pro pœna, & supplicio; sed pro substantia, & opibus, cum aliorum dolore per scelus, & iniquitatem comparatis. Ita, ut I O B dicat, non semper puniri filios propter parentem impium, ut in universum asserebat Sophar, neque semper Deum auferre a filiis paternam hæreditatem: sed aliquando fœlicitatem vitæ hujus, qua impii parentes post longissimam vitam defunguntur, integram, & intactam suis etiã filiis, ac posteritati relinquere. Quod cum I O B I intento, & cum totius hujus capitis argumento bene convenit. Sed illud melius, & cohærentius, ut cum describat extremum impii supplicium, affirmet etiam redundaturum ad filios, & posteritatem. In quo sensu Gregorius, & Latini omnes cum Græcis cõveniunt: nam *dolor* hoc loco quamvis sit substantia cum aliorum dolore comparatã, proprie tamen etiam est violentia, rapina, iniquitas, quæ non solum aliis, sed etiam ipsi facienti dolorem affert.

Philipp.

Vatab.

Cajetan.

Interpretatio congruentior.

Gregor.

און

2 Hunc igitur dolorem, & pœnam respondentem sceleri, & iniquitati, *Servat Deus filiis*, proprie, abscondit, quasi in thesauro reponit, & asservat, isti enim sunt Divinæ Iustitiæ thesauri, in quibus non solum peccata, sed etiam peccatorum pœnas, quasi depositum, in numerato asservat Deus tempore suo reddendas, & effundendas in ipsos impios. Sic Theodotio legit hunc locum; *Deus recondet filiis ejus injustitias ejus.* Atque eodem fere sensu illam similitudinem *paleæ raptæ, & dispersi pulveris* interpretatur, quod non aliter *paterna bona ad alienos migrabunt, quam palea a vento, aut pulvis a turbine jactatur.* Ergo asserit I O B, Deum servare vindictam, id est, non statim animadvertere in filios impii, sed simili ratione cum filiis agere, atque cum parentibus: nam cum plerumque filii impiorum propter depravatos etiam mores *sint testes nequitiæ adversus parentes suos*, Deus similes pœnas, & simile interitum filiis reservat; & sic non solum iniquos filios commerito supplicio afficit, sed etiam propter similes mores, & paternæ vitæ imitationem, cum illos punit, dicitur, *rependere iniquitatem patrum in filios.*

צפן

Thesauri Divinæ Iustitiæ.

Theodotio.

Servata vindicta, quæ differtur.

Sap. 4. 6.

Filiis quomodo servatũ suppliciumparentum.

3 Hincfacile eſt, colligere conciliationem illorum duorum locorum prima facie inter ſe pugnantium; *Filius non portabit iniquitatem patris*, Ezechiel. 18. 20. & *Viſitat iniquitatem patrum in filios*, Exod. 2. 5. Nam filii juſti non portant iniquitatem impiorum parentum; ſed qui vita, & moribus non minus, quam natura ipſa, & corpore, illorũ peccata referunt; quod quidẽ eſt (ut ita loquar) eſſe impiorum filios, non ſolum materialiter, ſed etiam formaliter. Quare cum Auguſtin. de Paternitate Diaboli erga impios omnes diſſereret, pulchre dixit Pſal. 64. *Hæc eſt quædam paternitatis ratio, quam non tam pater ipſe conſtituit, quam filii; nos enim illam imitando patrem facimus, non ille nos creando filios.* Videndus omnino idem Auguſtinus Epiſt. 75. Hieronymus ſuper id Iſaiæ 65. *Reddam in ſinu eorum iniquitates veſtras, & iniquitates patrum veſtrorum ſimul.* & Gregorium hoc lib. 15. cap. 31. Divum Leonem Epiſt. 84. atque interpretes in caput 18. Ezechielis, præſertim Hieronymum de Prado præceptorem meum, cujus ſicut apud me recordatio ſuaviſsima eſt, ita erit apud omnes Sacrarum litterarum ſtudioſos illius lectio cum ingenti fructu, & utilitate. Quamquam illud quoque verum eſt, non ſolum filios iniquitatis parentum hæredes juſte a Deo ſupremo judice puniri, ſed ipſos etiam parentes in ſuorum liberorum ſuppliciis puniri, & torqueri. Quod Divinæ juſtitiæ opus eſt, ut parentes ipſos a malo revocaret metu damni, & ſupplicii ſuorum filiorum. Tertullianus lib. 2. adverſus Marcion. cap. 14. quod de Divinæ juſtitiæ operibus eſt, elegãter ſcripſit; *Et ſi patrum delicta ex filiis exigebat, duritia populi talia remedia compulerat, ut vel poſteritatibus ſuis proſpicientes legi Divinæ obedirent. Quis enim non magis filiorum ſalutem, quam ſuam curet? Sed etſi benedictio patrum, ſemini quoque eorum deſtinabatur ſine ullo adhuc merito ejus, cur non & reatus patrum adhuc in filios redundaret?* Illud vero Ezechielis 18. videlicet, unumquemque portaturum ſuã ipſius, non alterius iniquitatem, referre videtur idem Tertullianus ad legem Evangelicam; *ut poſt duritiam populi, duritia legis edomita, juſtitia jam non genus, ſed perſonas judicaret.* Pulchra quædam hac de re congerit vir pereruditus Petrus Faber libro tertio Semeſtrium cap. 8.

Ezech. 18.
Exod. 20. 5.
Impiorum filii, qui.
August.
Hieronym.
Gregor.
D. Leo.
Hieronymus de Prado.
Parentes in filiis torqueri.
Tertul.
Petrus Faber.

4 *Et cum reddiderit.* Supple Deus, rependerit debitum, & commeritum ſuppliciũ impio reſtituerit. nam verbum originale *reddendi*, dicitur de ſolutione, aut reſtitutione debiti. Et eſt quidem notandum hoc ipſum verbum ſolvendi debitum ſignificare *pacem habere*, aut *pacificum eſſe*, n poſtquam quis debitum ſolvit creditori nihil eſt, quod illorum pacem, atque concordiam perturbare poſsit. Sic nos dicimus poſt ſolutum debitum, aut poſt factam retributionem, & compenſationem alicujus damni; *Ya eſtamos en paz*. Sicut etiam, cum quis pro meritis, & culpa punitur, dicimus; *Que te an dado tu pago*. Sic quod Septuaginta dixerunt Pſal. 54. 22. *Extendit manum ſuam in retribuendo*. Hieronymus ex Hebræo; * *Extendit manum ſuam ad pacifica.* loquitur de impio, aut de Saule, id eſt, malum rependit his, quibus nihil mali reddere debebat. Eodem fere ſenſu Proverb. 13. 13. *Qui detrahit alicui rei, ipſe ſe in futurum obligat: qui autem timet præceptum, in pace verſabitur.* id eſt, qui peccat, peccati, & ſolvendæ pœnæ reus, & debitor efficitur; ſicut qui Divinæ Legis obſervator eſt, debitam mercedem recipiet. * *In pace verſabitur*, id eſt, fiet ei retributio, & perſolutio mercedis. Sic hoc loco *Deus reddet*, reſtituet, in pace manebit cum hoſte ſuo. id eſt, debito, & cõmerito ſupplicio illum cumulabit.

שלם

Solutio debiti pacem conciliat.
Hiſpaniſmus.
LXX.
Hieron.
* Echo mano, de quiẽ no le devia nada, y eſtava con el en paz.
* Pagarale Dios, loq̃ ſe e deve, y quedaran ambos en paz.

5 *Tunc igitur ſciet.* videlicet, ipſe impius cognoſcet. Eſt autem ſcientia hæc experimentalis, & quæ ad ſenſum pertinet. id eſt, tunc tandem impius ſentiet. Sed videtur eſſe reticentia quædam, quid enim oporteat, impium ſentire, & agnoſcere, non exprimitur. Cajetanus ſupplet parentẽ impium jam defunctum cogniturum, quare filii ſui non puniantur. Philippus; *Quod Deo reddente, pater impiorum Diabolus tunc ſentiet, quando cum filiis pœnas patietur æternas.* Nicetas; *Tunc animadvertit, ac ſentit ea, quæ geruntur perſpicua Deo, certumque eſſe impiis ſupplicium conſtitutum.* Recte.

ידע

Reticentia.
Cajetan.
Philipp.
Nicetas.

Sed addẽdum etiam impium poſt illatum jam ſupplicium non ſolum agnoſcere Divinã Providentiam curantẽ res humanas, & repetentem pœnas ſcelerum, ſed etiam magnitudinem, & gravitatem ſceleris. Sic David Pſal. 9. 17. *Cognoſcetur Dominus judicia faciens.* id eſt, in ipſa vindicta, & ultione ſuorum hoſtium, cognoſcitur, & ſuſpicitur: nam Deum miſericordem neque ſentiunt, neque agnoſcunt, contemnunt etiam. Idem fere Pſalm. 82. 18. *Erubeſcant, & conturbentur in ſæculum ſæculi, & confundantur, & pereant; & cognoſcant.* (proprie ex Hebræo, *ut cognoſcant*) *quia nomen tibi Dominus*: nam ſine ſupplicio dicunt; *Neſcio*

Deus puniẽs cognitus ab impiis.
Exod. 5. 2.

Dominum. ficut Scriptum eft Ieremiæ 26. 10. *Miſereamur impio, & non diſcet juſtitiã.* & paulo ante; *Cum feceris judicia in terra* (fupplicio afficiens improbos) *juſtitiã diſcent habitatores terræ*. Simile Ageſilai illius de nonnullis Afiæ populis dictum; *Si libertate fruerentur, malos, ſi ſervirẽt, bonos eſſe*. Ergo illud eft verifsimum Ifai. 28. 19. *Tantummodo ſola vexatio dabit intellectum auditui*. non enim prius improbi fidem habere folent Divinis comminationibus, quam fuo tãdem malo in ipfis malis fint, Divinamque vindictam experiantur. Hinc Deus erudire fapientes iftos, & ftultifsimos peccatores, dicitur, ipfo fuæ virtutis, & potentiæ ultricis experimẽto Sapientiæ 1. 3. *Probata virtus corripit inſipientes.* Erudit, arguit, declarat infipientes fuiffe, & fero licet, ut fapiant, efficit. ideo poftquã in ipfis tormẽtis pofiti funt dãnati, fe ipfos appellant *inſenſatos*, dum viverent, poft mortem vero fcientes, & fentientes. Ergo impii, quos permittit Deus fæliciter agere, ftultifsime vivunt, cum tandem illis rependit Deus mercedẽ fuæ improbitatis, *tunc ſciunt*. Vide fupra cap. 4. v. 20. & 21. & infra. cap. 36. v. 12.

Ageſilai dictum.

Sap. 2.

20. XX. *Videbunt oculi ejus interfectionem ſuam, & de furore Omnipotentis bibet.*

1. *Impiorum poſt mortẽ ſupplicium. Videre de cognitione aliorum ſenſuum. Explicatus Samuel.*
2. Interfectio *quid prop. in Hebræo. Varia lectio.*
3. Saddai, *& Omnipotentis furor. Quid Indignatio Divina comparata cum torrente. Illuſtrati Hoſeas, & Ieremias.*

1 Oculi de aliis quoq; fenfibus.

COnfirmat iterum impiorum fupplicium, ne quis exiftimet, impium, qui fæliciter vixerit, impune dimitti poft mortẽ, repetitis tãtum pœnis ab illius pofteritate, & filiis. Minime (inquit) fed *oculi ejus videbant*, id eft, ipfe perferet, experietur, fentiet. quæ ad experimentum, & cognitionem aliorum fenfuum pertinent, fignificant oculi, qui inter fenfus primi, ac potifsimi funt. Diximus fupra. Sed Philippus, nefcio quid, intelligit in hoc fupplicio *videndi*; forte ad horribiles inferni vifiones refpicit, *Duplex* (inquit) *tormẽtum eſt, videre pœnas, quas ſuſtineas*. Simplex, & germanum, quod diximus: ficut alienum, & invitum, quod alii dicunt, de interfectione filiorum, qui ad parẽtis fupplicium in illius oculis interficientur. ut 4. Reg. 25. Scribuntur filii Sedechiæ interfecti fpectante ipfo fuo parente: Nõ convenit (inquam) huic loco; illud enim *ſuam*, eft fingularis numeri, non pluralis. quafi dicat; *ſuam ipſius*, nõ illorum. Quod Gregorius verbum *videndi*, pro *cognoſcendi*, & *intelligendi* accipit, non omnino difplicet, & cohærere etiam cum antecedẽtibus poteft, ut hæc fit expofitio præcedentis; Sciet (inquam) & videbit oculis fuis: nam *iniquus* (inquit) *poſt caſum oculos aperit*. Exẽplo illius, qui pœna fuæ temeritatis affectus, de fe ipfo dixit, Num. 24. 4. *Dixit homo, cujus obturatus eſt oculus: Dixit auditor ſermonum Dei, qui viſionẽ Omnipotẽtis intuitus eſt, qui cadit, & ſic aperiuntur oculi ejus.* Sed quid nam apertis oculis vidit Balaam? Certe quod narratur cap. 22. 31. *Protinus aperuit Dominꝰ oculos Balaã; & vidit Angelum ſtantem in via evaginato gladio*. Iam tunc ergo vident impii Divinæ juftitiæ ftrictum gladium, non micantem tantum, fed adactum in fua vifcera. *Videat* quippe oculis fuis *interfectionem ſuam.*

Philipp.

Grigor.

Impius poft fuppliciũ aperiens oculos.

Interfectionem. Eodẽ fenfu Septuag. *Necem.* Symmach. *Ruinã.* Tygur. *Detrimentum.* Pagnin. poft Thargum, *Contritionem* Vatabl. & Cajet. *Confractionẽ.* Regia, *Infortunium.* Forfter. *Capturã, ſeu comprehẽſionẽ.* R. Mardok. poft R. David, *afflictionẽ, accidens malum, evẽtum malum.* Conveniunt omnia. Originalis vox hoc tantum loco in hac fignificatione ufurpatur. in aliis enim pro *haſta*, aut *lancea*, aut inftrumento quopiam bellico accipitur, unde Interpres videtur, *interfectionem* dixiffe, quod ea fieret inftrumento bellico, hafta, aut lancea. Iof. 8. 18. 1. Reg. 17. 6. Iob 39. 28. & 41. 21. Ierem. 6. 23. & 50. 52.

Varia lect.

כיד

Et de furore Omnipotentis. *Saddai*, vaftatoris *bibet*. non tantum afficiendus, & perterrefaciendus afpectu malorum, fed abunde potandus, & inebriandus. *Bibet enim de calice iræ Dei*, id eft, cruciabitur impius; *Induet maledictionem, ſicut veſtimẽtum* (id eft, non folum corpore cruciabitur, fed etiam *intrabit, ſicut aqua in interiora ejus, & ſicut oleum in oſſibus ejus.* Cum vero hic dicitur, *Bibet de furore Omnipotentis*, non intelligo tantum *calicem iræ Dei* propinatum impio, fed torrentem rapidifsimum Divinæ indignationis, cum quo maximi, & multiplices ærumnarum, & tormentorum fluctus comparari folẽt. Pfal. 119. 7. & 113. 4. 5. His igitur vorticibus convolvetur, & immergetur Damnatus, & bibet ad æternitatem. Atque

3

Pfal. 74. 9. Ifa. 51. 17. 22. Ier. 25. 15. Apoc. 16. 19.
Pfal. 108. 18.

Saddai abūdātissimus suppliciorum in impios. sicut nomen *Saddai*, id est, abundantissimus, & sufficientissimus, cum refertur ad delectationes, & gaudia, quæ Deus propinat justis, indicat omne gaudiū, atq; *torrentem voluptatis suæ*, quo illos potat; ita cum ad malum, & ad vindictam pertinet, afferat omnia cruciatuum genera, & quēdam malorum torrentē, quem in impios immittit, atque profundit *Omnipotentis furor*. Propterea dicitur furor *effundi* Hoseæ 5. 10. *Super eos effundam quasi aquam*, (torrentē multis aquis cōfluentibus inundantem) *iram meam*. Septuaginta: *Effundam, sicut aquam, impetum*: nam ab impetu torrentis ducitur metaphora, nō ab aqua vasis alicujus ex Hieronymo, Theodoreto, Theophylacto. Forte etiam *bibere de furore Omnipotentis*, erit bibere furorem propinatum de manu Dei indignātis: nā nimia aliquā afflictio, qua quis afficitur, & redigitur quasi ad furorem, & insaniā, appellari solet, *vinum inebrians, furor, insania*. ut Ierem. 6 1. 7. *Calix aureus Babylon in manu Domini*. (nam per Babylonios acriter Deus punivit gentes cæteras) *De vino cujus biberunt gentes, & ideo commotæ sunt*; insanierunt, mente motæ sunt, & adactæ ad furorem. nimirum *biberant de furore Omnipotentis*. Diximus, non semel, *Aquam*, seu potius *Aquæ* vim, aut impetum pertinere ad maximā vel gaudii voluptatem, vel doloris, & tribulationis vehementiā: tū quod *Aqua* repræsentat id, quod undequaque cingere, & convolvere potest hominem, & in quod immergitur, ita ut *bono servo* dicatur; *Intra in gaudium Domini tui*; tanquam in immensam aquæ vim, ut undique *gaudio* circumfluat. Afflictus vero, & dolens etiam dicit, *Intraverunt Aquæ usque ad animam meam*. & iterum: *Libera me de aquis multis*. Tum quod *Aqua* symbolum sit rei penetrātis omnes internos animi sensus, sive ad dolorem, sive ad voluptatem, sicut Scripum est; *Intravit, sicut aqua, in interiora ejus*.

Psal. 35. 9.

Hieron. Theodoret. Theophylact.

Ingētis gēnæ amplificatio.

Matt. 21. 23.

Psal. 68. 1.

Psal. 143. 7. Psal. 108. 18

XXI. *Quid enim ad eum pertinet de domo sua post se, & si numerus mensium ejus dimidietur?*

1. *Impius negligens suæ domus, & suæ familiæ instituer.*
2. *Contextus, & interpretatio germana.* Voluntas quid. *Impius non satis punitus in sua posteritate.*
3. *Mortis periphrasis.* *Quid* dimidiare vitam. *Illustratur David.*

I Aliorū interpretatio.

ITA (ut quidam interpretantur) vivit impius, ut nullam haberet curam domus suæ instituendæ in pietate, & religione: neque curaret quid boni, aut mali ex suæ vitæ ratione in domesticos, & familiares suos redundare posset. Propterea que nō solum sævus, & crudelis in familiam suam extitit, sed etiam erga se ipsum: nam propter improbitatem, non permitteretur diutius vivere; non enim improbus attinget eum annorum numerum, ad quos probus, & pius perveniret: sicut Scriptum est; *Viri sanguinum non dimidiabunt dies suos*. Sed non videtur hæc interpretatio bene cohærere cum antecedentibus, & consequentibus, & cum argumento universi capitis, ubi non tam impiorum vita, & vitia, quam supplicium, & interitus describuntur.

Psal. 54. 25.

2 Germanior expositio.

Quare lenior decursus orationis, ut cum dixerit, impium ipsum familiari sensu, & experimento incredibilium malorum puniendum, nunc subjungatur, non futurum satis, si tantum in suis filiis, & posteritate puniretur, ipsius vero animus post mortem remaneret impune. Quid enim ille post mortē, aut lætitiæ, & voluptatis, aut vero doloris, & pœnæ accipiet ex fælicitate, aut infælicitate domus suæ? *Quid enim* aut doloris, aut gaudii *pertinet*, redundareve poterit, *ad eum de domo sua*, & de domus suæ statu, & conditione *post se* defunctum jam vita, & suorum filiorum, atque mortalium omnium consuetudine? Proprie ex Hebræo; *Quæ voluntas* (voluptas, complacentia, dilectio. hæc enim omnia comprehendit vox originalis) *illi in vita sua post se*? dum vivit quidem, fælix est filiorum fælicitate, & incolumitate; sed mortuus non erit satis infælix ex solo filiorum infortunio, & interitu, etiam si ex impii parentis importuna, & inexpectata morte tota domus periclitetur, & concidat. Græci cum Septuaginta hanc voluntatem, & complacentiam longe alio referunt; *Voluntas ejus in domo ejus cum eo*. id est, ut Nicetas dixit; *Maluit suæ improbæ, quam rectæ Dei voluntati obsequi*. & idem videtur sensus lectionis Augustinianæ; *Nulla voluntas ejus in domo sua post eum*. id est, Vivens obsequutus est suæ voluntati, sed non licebit post mortem.

חפץ

Pagnin. Regia. Tygur. Vatab.

LXX.

Nicetas.

August.

3 Mortis circūloquatio.

Etsi numerus mensium ejus dimidietur. Nihil (inquam) curat de domo sua; *Si numerus mensium ejus dimidietur*. id est, si moriatur. Videtur enim esse mortis periphrasis, *dimidiari vitam*, annos, dies: quod idem est, quod rescindi, secari, dividi,

Sicut res aliqua dividitur in duas quasi medietates, cum secatur, & laceratur jaculo, ac sagitta penetrante, & scindente. Et sic etiam Septuaginta dixerunt; *Numeri mensium ejus divisi sunt*. Theodotio, & Aquila cum nostro, *dimidiabuntur*. Vox enim Originalis hujusmodi fere arma bellica significat, jaculum, sagittam, quæ dividendo, & penetrando videntur dimidiare res, id est, in plures partes medias discindere. Illa autẽ Psal. 54. 24. exaggeratio est nimium immaturæ, & intempestivæ mortis; *Viri sanguinum non dimidiabunt dies suos*; Non illos expectabit mortis jaculum, ut dimidiet, & quasi in medios discindat. Sed ipso quasi initio sceleratæ vitæ auferet de medio Deus.

LXX. Theodotion. Aquila.

יחצו

XXII. Numquid Deum docebit quispiam scientiam, qui excelsos judicat?

1. *Recta, & ordinaria Divinæ Providentiæ regula, & formula.*
2. Excelsi qui. *Græcorum lectio examinata. Philosophia humana.*
3. Excelsi, *Cælorum, Angelorum, Iudicum cognomina. Notatus Cajetanus. Illustratus Ecclesiastes.*
4. *Eligitur optima expositio. Deus sapientissimus in judicandis potentissimis hominibus.*

I

Quæ divinæ Providentiæ formula.

HAEC (inquit) est Divini judicii, atque Sapiẽtiæ formula, ut postquam impium in vita patienter sustinuit, mortuum æterno supplicio afficiat: nec semper vivẽtium scelera puniat, dum vivunt. *Altissimus enim est patiens redditor*.

Eccles. 5. 7.

Neque vero aliam judicii, aut Providentiæ rationem convenientiorem proferre quispiam poterit, quam illam, quam sapientissimus Deus servat in tractandis, & gubernãdis rebus humanis, ut *sciat* (inquit Divus Thomas) *quibus prospera, & quibus adversa reddat*. Quo videtur IOB, perstringere suos amicos, aliam Providentiæ rationem statuentes, quod Deus impios in hac vita debito debeat afficere supplicio, atque justos etiam sua mercede. Gregorius quidem aliam Sapientiæ, & Providentiæ rationem, existimat indicari hac sententia; *Quod electos* (inquit) *ad vitam flagella revocant, & a malis actiones reprobat, nec flagella compescunt, Omnipotentis Dei judicia super nos valde occulta sunt.* Nicetas quoque, IOB agere de illo occulto Dei judicio, quo innocentes affli-

D. Thom.

Gregor.

Nicetas.

guntur: illud enim supra nostram scientiam est. & quidem omnia recte hac sententia comprehendi poterunt, videtur enim quasi finis, & clausula eorum omniũ, quæ hactenus disputata sunt.

Qui excelsos judicat. Dei sapientissimi, atque fortissimi, qui summam rationem Providentiæ tenet, periphrasis est. Sed qui nam sint isti *excelsi*, dubitant merito Interpretes. Et primo quidem Septuaginta Complutenses, & in Catena Græca accedente etiam interpretatione Nicetæ, & lectione Ambrosiana, intelligunt, leguntque, *Sophos*, aut *sapientes*, quorum nemo potest, Deum docere rationem rerum agendarum, cum sit ipse prima, atque suprema Sapientiæ regula. Deus vero *judicat* sapientes, id est (ut Nicetas ait, *alios Divina Sapientia præditos probat*. Sed lectio Vaticana habet; *Ipse homicidia judicat*. quippe facilis fuit transitus, & permutatio similium vocum, quod enim *Phonis est*, id est, homicidia, in aliis est *Sophis* id est, sapientes. quasi dicat; Deum tandem excelsos istos, & potentiores viros oppressores pauperum, & effusores humani sanguinis, qui nullum subeunt in terra judicium, districte post mortem judicare, & potentissimis tormentis committere. 2

Dei periphrasis.

Excelsorum nomen.

LXX.

Septuaginta Vaticani.

φονοις σοφοις

Alii *excelsos*, per antonomasiam interpretantur Cælos, ut qui cæterarum creatarum universitate superiores sint. & mirum sane est, quam adhæserit tenaciter Cajetanus suo illi errori de animatione cælorum, ut etiam ex hoc loco existimet colligi posse, quod apud *antiquos credebatur Cælos esse animatos*, Propterea quod hoc loco dicatur, *Deus judicare cælos*! Multo satius alii exponentes, Deum dici *judicare cælos*, id est, *judicare in cælis*, vel quod in cælis sedere dicatur supremus Iudex. quasi in subselliis, juxta id, *Ecce in cælo testis meus, & conscius meus in excelsis*. IOB 16. 19. 3

Cæli excelsi.

Cajet. error de animatione cælorum.

Isidor. Clar.

Deus judicãs cælos, quid.

Sed quarto Gregorius, Philippus, quos sequuntur alii Latini, *excelsos* intelligunt Angelos, quos justo Deus judicio, atque supplicio damnavit, ut inde colligat, justam Angelorum judicem, nihil iniquum apud homines statuere.

Gregor. Philipp.

Excelsi Angeli.

Quinto *excelsos*, alii interpretantur Iudices, qui in sublimi sedere solent, ut sit periphrasis Dei, judicare ipsos judices, & esse *Deum Deorum*: velitque IOB, probare Divinam Sapientiam, atq; equitatem ex eo, quod ipse sit Iudex supremus, qui ab alio judicari, & corrigi non potest. sicut apud Ecclesiasten 5. 7. *Si videris violenta judicia, & subverti justitiam*

Iudicum, & Magistratuũ circuloquutio.

in provintia, non mireris super hoc negotio, quia excelso excelsior est alius, & super hos quoque eminentiores sunt alii, & insuper universæ terræ Rex imperat servienti. Quo loco supremus Rex, atque Iudex Deus, qui est super omnes excelsos, id est, super omnes judices, *imperat* tandem *servienti*, id est, ipsis tyrãnis, atque improbis, quorum improbitates, & scelera Divinæ Iustitiæ, atque Providentiæ serviunt. De quo plura diximus, cum eum locum interpretaremur. Et quidem ea celsitudinis ratio ad judicium sæpe refertur in Sacro sermone. Isaiæ 33. 10. *Nunc consurgam dicit Dominus, nũc exaltabor, nunc sublevabor.* videlicet, ad hostium judicium, atque vindictam. & iterum Psal. 7. 8. *In altum regredere, Dominus judicat populos.*

4 Sed mihi placet tandem illa Divi Thomæ expositio, ut quæ lenissima sit, optimeque cohæreat; ut per *excelsos*, accipiãtur potentissimi quique, atque opulentissimi homines, de quorum judicio, atque supplicio fere universum hoc caput est. Deus enim novit, cum *excelsos* istos *judicat*, quemadmodum cum illis agi oporteat, quandiu sustinendi sint, quandiu expectandi, quando tandem extremo judicio sistendi, atque damnandi. Ergo nemo velit sapientissimum Iudicem docere viam, atque rationem, qua comprimere debeat tantam impiorum insolentiam, atque improbitatem; novit ipse. Nomine autem *excelsorum* superbissimos istos, atque opulẽtissimos non semel Sacræ litteræ significant. Vide IOB 38. 15. Psalm. 72. 8. Isaiæ 2. 12. 14. 15. & capit. 10. 33.

Optima Divi Thomæ expositio.

Divina Sapiẽtia in judicandis Principibus.

Excelsi, superbi, & opulent

XXIII. *Iste moritur robustus, & sanus, dives, & fælix.*

XXIIII. *Viscera ejus plena sunt adipe, & medullis ossa eorum irrigantur.*

XXV. *Alius vero moritur in amaritudine animæ, absque ullis opibus.*

XXVI. *Et tamen simul in pulvere dormient, & vermes operient eos.*

1. *Piorum, & impiorum discrimen. non tam in vita quam in morte.*
2. *Vita bona, & mala communia omnibus. Providentia varia. Explicatus Salomon.*
3. *Simplex vita, de falsa. Sanitas corporis pars fælicitatis.*
4. Quies *de opulentia. Divites male securi. Explicati Salomon, & Zacharias.*
5. Viscera *quid propria.* Pinguedo *de lascivia, de bona quoque corporis habitudine. Pinguedo cum renibus cognata. Illustratus David.*
6. Medullæ *quid præstent animali. Illustratus Salomon.*
7. *Præpositio,* In. Amaritudo *de morbis.*
8. *Mortis periphrasis. Ornamenta sepulchrorum.*

VAria (inquit) est, atque multiplex Divina Sapientia, atque Providentia in gubernatione humanarum rerum, quod nunc quasi exemplis ostendit. Sententias autem istas Græci, Gregorius, aliique Latini accipiunt de improborum fælicitate, & justorum ærumnis, quorum dissimiles vitæ sortes necesse sit, dissimiles quoque post mortem judicii, & æternitatis conditiones sequi: nam supremi Iudicis æquitas postulat, ut vita fælicissima impius, miserrima vero justus defungatur; & utrumque deinde similis mors excipiat: at tãdem dissimilis fit utriusque sors, atque conditio sempiterna. Ergo probus, atque improbus non tam differunt vitæ incommodis, aut fælicitate, quam novissimæ retributionis, & extremi judicii discrimine: *Illa est ergo* (inquit Gregorius) *solummodo vita cogitãda, in qua cum resurrectione carnis ad finem dissimilem pertingitur retributionis.* Illud enim discrimen futuri sæculi, & futuri temporis est; quod Malach. 3. 18. ait: *Cõvertimini* (respicite ad extremum diẽ) *& videbitis, quid sit* (quid intersit) *inter justum, & impium.* Pulchre sane Prudentius lib. 2. adversus Symmachum rem istam scribit, quamvis in vita, & morte pares videantur justi, & improbi, at post mortem omnino dispares, atq; dissimiles remansuros, in quod potissimũ discrimẽ respici oportet. Cum enim objecisset Symmachus; *Æquum est, quicquid omnes colunt, unum putari, eadem spectamus astra, commune cælum est: idẽ nos mundus involvit.* Prudentius sic respondet. 1

Gregor.

Discrimẽ pii & improbi in futuro sæculo.

Natura communis omnibus.

Prudentius.

Ego communem cunctis vivẽtibus unum
Aeris, astrorum, pelagi, telluris, & imbris,
Imo etiam injustis pariter, justisque sub uno
Axe habitant. Vnas capit impius, & pius auras.

Caſtus, & inceſtus, meretrix, & nupta: nec alter
Ore Sacerdotis, quam mirmillionis anhelat
Spiritus, aereo vitam, qui temperat hauſtu.
Ergo capax utriuſque rei natura creandis
Se præbet populis, nec habet diſcernere diſpar
Viventium meritum, quos tantum paſcere juſſa eſt.
Servit enim mundus, non judicat. Hoc ſibi ſummus.
Naturæ Dominus præſcripta in tẽpore ſervat.
Sic probus, atq; reus capitalis criminis iiſdẽ
Syderibus, faciliſque poli bonitate fruuntur.
Vivere commune eſt, ſed non commune mereri.

2 Mihi vero nõ diſplicet contextus Philippi, & quorumdam aliorum, ut aſſerat Iob, Deum pro ſua Sapientia non ſemper eundẽ Providentiæ tenorẽ ſervare in tractandis ſive probis, ſive improbis: nam ex utrorumq; numero invenias quoſdã, aut fælices, aut miſeros, & ærumnoſos. itaq; hujus vitæ ſive bona, ſive mala cõmunia eſſe omnibus ſive bonis, ſive malis. Quod Sacri Scriptores nitũtur perſuadere mortalibus, ne res caducas, & momentaneas in veris bonis, aut malis conſtituãt. quod aliquando etiã Salomon pulchra illa ſententia teſtatus eſt; *Omnia in futurum ſervabantur incerta, eo quod univerſa æque eveniãt juſto, & impio, bono, & malo, mundo, & immundo, immolanti victimas, & ſacrificia contemnenti; ſicut bonus, ſic & peccator: ut perjurus, ita & ille, qui verum dejerat.* Vbi mirum eſt, quanta ſit illa humanarum rerum *incertitudo*, id eſt, confuſio quædam, & permixtio, ut boni malis, atque bona etiam malis, aut mala etiam bonis ſine diſcrimine permiſceantur! Quare ſubjicit Salomõ; *Hoc eſt peſſimum* (moleſtiſsimum) *inter omnia, quæ ſub ſole fiunt. quia eadem cunctis eveniunt.* Similiter ergo Iob aſſerebat contra Sophar, nõ ſemper vivere pios fæliciter, ſed plerumq; impios: hos quoq; nõ ſemper. incerta igitur eſſe humana.

Philipp.

Eccleſ. 9. 2.

Sentẽtię germana expoſitio.

Iſte (impius inquã aliquis) *moritur robuſtus, & ſanus.* Illuminavit Interpres, quod in Hebræo, & Græco obſcurius eſt, nam Hebræa habent; *In robore perfectionis, aut integritatis ſuæ.* Septuaginta vero; *In robore ſimplicitatis ſuæ*: nam integritatem, aut perfectionem ſæpe appellant Sacræ litteræ *ſimplicitatem*, ut aliquando fuſius explicavimus, atque etiam hoc loco *ſimplicem* vitam dicere poſſunt, quæ nullis admixta ſit ærumnis, ſimplici & nunquam interrupto fælicitatis curſu, filo, tenore. Nam lectio, quam habet Græcorum Catena; *In robore inſipientiæ*, ſicut minus congruens, ita etiam minus emendata eſt, quam Vaticana. Integritatem autem iſtã, & perfectionis robur videtur Interpres, retuliſſe ad corporis integritatem, & ſanitatem, quæ non eſt ultima fælicitatis pars, videlicet, mens quieta, & tranquilla in corpore *robuſto*, & *ſano*. Sed licet etiam paulo latius accipere ad ea omnia, quæ beatum efficiunt hominem. Contingit (inquit) mori hominem, cui ſua omnia permanſerunt ſemper integra, atque perfecta, cui defuit nihil ex his, quæ ad corporis incolumitatem, aut ad voluptatem animi pertinerent, nondum declinãte, aut marceſcente fælicitatis flore, ſed virente, & vigente adhuc.

Varia lect.

LXX.

Lectio Catenæ maculoſa

Pars fælicitatis integritas corporis.

Dives, & fælix. Septuaginta; *Totus bene affectus*. Interpres Catenæ Græcæ vertit; *Lætabundus, & abundã*. Proprie ex Hebræo; *Totus ipſe* (videlicet, corpore, & animo) *quietus, ac pacificus.* ſolet enim comitari opulentos iſtos, quædam male ſecura oblivio, atque tranquillitas ærumnarum omnium, atque ſollicitudinum obliviſcens. Quare *quies* ipſa ſignificatur aliquando opulentiæ, & *abundantiæ* nomine. Sic illud Zachar. 7. 7. *Cum adhuc Ieruſalem habitaretur, & eſſet opulenta ipſa, & urbes in circuitu ejus* (id eſt, cum habitaretur abſque timore hoſtium, pacata, & quieta.) & Pſal. 121. 7. *Fiat pax in virtute tua* (idem per expoſitionem repetit) *& abundantia* (tranquillitas, & quies) *in turribus tuis.* Sed quietem hanc exitioſam eſſe im vis opulentis, atque divitibus, & non ad ſalutem, ſed ad mortem, docet Salomon Proverb. 3. 2. *Averſio* (requies) *parvulorũ interficiet eos, & proſperitas* (Trãquillitas, vox eadem, quæ hoc loco) *ſtultorum perdet eos.* 4

Comitolus.

Mala divitũ ſecuritas.

Quies pro abundantia.

Vatab.

Vatab.

Regia.

Viſcera ejus. Singularis vox, & hujus tãtum loci. quidam Hebraizantes poſt Rab. David, & Complutenſes vertunt, *Mulctralia*. Poſt Targum vero R. Mardokai, & Cajetanus, & Tygurina, *Vaſa*, aut *mammas*. Rab. Ionah; *Lacunas*, quibus congregantur aquæ. ſed nihil elegantius, magiſve appoſitum in hunc locum, quam *viſcera*, conſentiente etiam lectione Septuaginta; *Inteſtina plena adipe*. nam vel ex hac una re *ubera*, *mammæ*, *viſcera*, *inteſtina*, perſimilia ſunt mulctralibus, quod hæc omnia lacte, pinguedine, & adipe tota obducta, & plena ſunt.

Regia, & Forſterus.

R. David.

עטין

Tygur.

Targum. R. Mardoch. Cajet. R. Ionah.

LXX

Ergo deſcribit nunc, quem dixerat ro-

 buſtum,

Impius Epicuri de grege.

butum, & sanum, videlicet impium pinguem, atque bene curata cute, *Epicuri de grege porcum*, tardo abdomine, & pingui aqualiculo, propenso sesquipede, gurgitem helluonem, natum voluptatibus, qualis suos etiam hostes depingit David Psalm. 16. 10. *Inimici mei adipem suum concluserunt*, videlicet referti sunt clauso intra viscera nimio adipe. Vel, ut alii legunt, *Pinguedine sua concluserunt*. Subaudi *os, & fauces*. Usque adeo enim pingues sunt, ut fauces eorum præ pinguedine præclusæ sint. Kaldæus: *Adeps eorum, operit os eorum*. Ergo cujus sensus, mens, os *pinguedine*, atque voluptatibus diffluit, quid acutum, & subtile; quid non pingue, & obtusum percipere, aut loqui possit? De his profecto Scriptum est illud; *Coagulatum est, sicut lac, cor eorum*. nam pinguis venter gignere (ut ille alius ait) non potest tenuem mentem. Ideo subjungitur Psal. 72. 7. *Prodiit, quasi ex adipe, iniquitas eorum*. Qualis (inquit) ac quanta improbitas? qualis, ac quanta decet hominem pinguem. Hieronymus eo loco, * *Processerunt a pinguedine oculi eorum*. videlicet, non solum nimia pinguedo foras, quasi protrusit ex suis orbibus oculos, sed etiam nimium lascivos, & rerum omnium visibilium concupiscentes effecit, ita ut ad res, quas vident, prodire, & dissilire videantur. Kaldæus; *Mutata est ob pinguedinem figura eorum*. id est, vix illos agnoscas præ pinguedine. vide, quæ supra diximus cap. 15. n. 27. super id, *Operuit faciem ejus crassitudo, &c.* ubi quamvis per *adipem*, & *pinguedinem*, bonorum omnium abundantiam interpretati fuerimus, sed hoc loco simplicius, ut bonam corporis habitudinem, atque universas corporis delitias intelligamus, & id, quod præcessit, & id, quod sequitur, postulant. Hoc enim modo descripsit etiam Cicero voluptuarios istos homines, *sudantes, ructantes, refertos epulis, tanquam opimos boves*. & est quidem huic viscerum pinguedini, cum renibus, atque cum illa voluptate, quæ quasi conjuncta est renibus, peculiaris cognatio; nam, ut scripsit Aristoteles, *Renes ex visceribus pinguescunt*. Rursus, *Quæ sevo pinguescunt, in renibus opimandis luxuriant*.

Pingues obtusi, & hebetes, tum etiam voluptuarii.

Tygur. Vatab. Pagnin. Regia. Kaldæus.

Psal 118. 70.

Hieronym.

* Saltáseles los ojos, por lo q̃ vee.

Kaldæus.

Cic. in Tusc.

Arist de hist. anim. li. 3. c. 17.

6 *Et medullis ossa illius irrigantur*. Amplificatio bonæ corporis habitudinis, & bene quidem *adipi* subjunxit *medullas*: nam hæ fiunt ex adipe, aut sevo. Auctores sunt Plato in Timæo, Arist. 2. de part. anim. cap. 6. Plin. lib. 11. cap. 37. Rursus *Viscera*, & intestina affinia sunt medullis, quoniam, ut ait Arist. lib. 3. de hist. anim. cap. 17. *Plurima pars animalium ventre pinguescunt, & præcipue quæ parum se movent*. Quare qui otiosam, & sedentariam vitam agunt, hi & habent *viscera plena adipe*, & *medullis ossa*: crescunt enim, & augescunt otio, consumuntur vero curis, morbis, lassitudine, ut dicebat ille;

Medullæ nutriuntur adipe.

Plato. Arist. Plinius.

At ego perii, cui medullam lassitudo perbibit. Sic etiam junguntur *viscera* cum *medullis* Prov. 3. 8. *Sanitas erit umbilico tuo* (ventri, visceribus, abdomini) *& irrigatio ossium tuorum*. Irrigantur, inquam, id est, abunde perfunduntur succo illo vitali fluente in ossium cavitates, quo ossa nutriuntur, & consistunt. nam ossa aluntur medullis, ut Arist. & Galen. docent, quæ propter innatam ariditatem indiget molli, & fluido illo nutrimento, quo irrigata, & perfusa non arescant, sed foveantur, & confirmentur. Quare quæcumque animalia firmioribus, & solidioribus ossibus sustinentur, ea minus habent medullarum, quod plus illarum absumatur in constituenda substantia ossium, ut auctores sunt Aristot. & Plin. Ergo medulla ex genere fluidorum cum sit, irrigat, & humectat. *Medulla* (inquit Arist.) *humidis anumeranda est, propterea conceptaculis quibusdam, tanquam vasculis continetur*. ubi igitur medullæ quantum satis est, non deest, ibi optima valetudo, & totius corporis robur, & firmitas. *In visceribus* (inquit Cicero) *atque medullis omne bonum condidit natura*. Plato quoque non solum *totius generationis mortalium sementem, fomitemque*, medullam esse voluit, sed vitæ ipsius quasi sedem. *Vincula* (inquit ille) *vitæ illius, quam anima juncta ducit, applicata medullæ, eaque per omne diducta, vinciunt, fulciuntque corporis nostri constitutionem*. Vides igitur, ut Sacræ litteræ sint omnis Sapientiæ, atque litteraturæ officina refertissima.

Plaut. Stich.

Ossa medullis nutriri.

Arist. lib. 2. de part. c. 6. Gal. lib. 11. de usu part. & de Natur. facult.

Plin. libr. 11. cap. 37.

Arist. lib. 4. de hist. anim. c. 29.

Cicer. in Tusc.

Plato in Tim.

Alius vero moritur, &c. Accidit etiam (inquit IOB) ut impius quispiam temporali ærumna partem aliquam supplicii accipiat; reliquum paulo post luiturus per æternitatem. *In* (cum) *amaritudine animæ*, id est, amarissimus. Diximus aliquando *amara* omnia esse acerba, & inimica naturæ, atque propterea esse symbolum omnis acerbitatis. Sed si hanc amaritudinem opponat firmæ illi valetudini, de qua dixerat, significabit morbos, atque dolores, qui vitam efficiunt acerbissimam, atque mœstissimam sicut etiam egestatem opponit illi fælicitati, & tranquillitati, quam efficit divitiarum abundantia. Sed id, quod ait, *absque ullis opibus*, in Hebræo est, *non comedit in bono*. in jucunditate, & lætitia.

Amara, cujus symbolum.

Varia lect.

Septua-

LXX. * No comiēdo ningū buē bocado, ni cosa que bien le sepa

Septuaginta: * *Cum nō comederit ullum bonum*. Diximus ſupra *Boni* appellationem in ſacro ſermone pertinere ad ſuavitatē, & delicias ciborum.

8 Mortis periphraſis.

Et tamen ſimul in pulvere dormient. Mortis periphraſis, jacere ſuper pulverem, & dormire, aut quieſcere. Mors (inquit) eſt communis omnibus, neque ex ſola vitę inæqualitate, aut ex ſola æqualitate mortis colligi poteſt meritorum inæqualitas, & mercedis diverſitas. Ergo alia alterius vitæ, fortiſque futuræ conditio, & retributio aſſerenda, & expectanda eſt, & in ea potiſsimum conſtituendum proborum, & improborum diſcrimen.

Et vermes operient eos. Periphraſis eſt mortis, & ſtatus cadaveris. Pro verme (LXX.) redditur *tinea*, Iſaiæ. 14. 11. & Septuaginta hoc loco, *putredinem*. Cum autem dicitur, *operimentum ex vermibus*, videtur profecto contemnere Regum, & Principum apparatum in ornandis, & operiendis cadaveribus: nam non ſolum ſtatuebantur (Cadavera cō tecta pretioſis ſtragulis.) in pretioſis, ſericiſque ſtragulis, ſed etiam pretioſa veſte ſtragula contegebantur, ut ex ſimili loco Iſai. 14. 11. colligi poteſt, ubi deſcribitur funus Regis Babylonis: *Subter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* Diximus de hoc plura prioribus capitibus.

XXVII. *Certe novi cogitationes veſtras, & ſententias contra me iniquas.*

1. Certe, *quid in Hebræo.*
2. Cogitatio *quid. Cogitationes impiorum ſtultæ. Explicatus Salomon.*
3. *Alienæ interpretationis refutatio.*
4. *Verbum futuri temporis, perſeverantiā denotat. Princeps, quis proprie, aliquando accipitur in malum. Explicati David, & Lucas.*
5. Tabernaculum. *Synonimia.*

1 Ex his (inquit) facile cognoſcitur, quā opportune vobis reſponderim, neque veſtris tantum argumentis, ſed veſtræ etiam menti, & tacitæ intentioni occurrerim: Nam, *certe*, in originali, *Ecce*, aut en.

הן ſimilis particula in Hebræo, *Hen*, demonſtrat ad oculum rem omnino certam, & ex certis principiis deductam.

2 *Novi cogitationes veſtras*. Id eſt, Scio

Cogitatio in malum. quorſum tendant, quæ dicitis omnia: nam quæ contra impios in univerſum dicitis,

* Biē os entiendo. in me dicta, & intellecta eſſe vultis. Septuaginta, * *Scio vos. Sententias*, Divus Thomas diſtinguit a ſuperioribus *cogitationibus*, quod *ſententiæ* ſint exterioribus verbis prolatæ. Sed idem eſt quod *cogitatio*, זמם quamvis ab alia radice. & aliqui dicunt pertinere ad cogitationem, & machinationē alicujus mali videlicet, aut ſceleris patrandi, aut pœnæ, & ſupplicii infligendi. Quare non inutiliter Tygurina vertit, *Conatus ad me invadendum*. Sic Gene- (Tygur.) ſis. 11. 6. de iniquis cogitationibus dictum eſt; *Non deſiſtent a cogitationibus ſuis, donec eas opere compleant.* Et iterum Proverbi. 24 8. 9. *Qui cogitat mala facere, ſtultus vocabitur: cogitatio ſtulti, peccatum eſt.* q. d. Stultus habet cogitationes malitioſas, quę peccatum ſunt. nos etiam ea duo conjuncta eſſe vulgo dicimus, *Necio malicioſo.* Ait igitur IOB: * *Novi cogitationes veſtras*, machinationes, quæ malitioſe dicitis, molimini, cogitatis. Septuaginta, (* Biē ſe mè alcāçan vueſtras malicias) audaciam in repugnando interpretantur, (LXX.) *Scio vos audacter mihi inſiſtere*; audacter, temere pronuntiare de mea innocentia, & cum nihil certi habere poſsitis, conſtanter me multorum ſcelerum damnare audetis.

3 Quod Vatablus obſervat, hanc eſſe Iobi ſententiam; *Novi cogitatus, quos adverſum me ſupprimitis, ut cauſam veſtram aſ-* (Vatabli expoſitio nō probata.) *ſeveretis, mea deſtructa.* quod videlicet non agerent cum IOB juxta leges diſſerendi: nam ea tantum dicebant, quæ illorum ſententiæ, & parti ſervire poterant, non quæ potuiſſent favere IOBO; Hæc (inquam) expoſitio, ſicut multum coacta, ita parum conveniens eſt cum genuina ſignificatione *cogitationum*; potius enim ſignificant (ut diximus) nefarios conatus, & conſilia adverſus aliquem, quam ſuppreſsionem, & præteritionem alicujus veritatis. Atque in quo præterea conſiſterent illæ *cogitationes*, & *ſententiæ* contra IOB, clarius patet ſequente ſententia.

XXVIII. *Dicitis enim: Ubi eſt domus Principis: & ubi tabernacula impiorum?*

4 HOC Intenditis apud vos taciti, ut cum Principum domos, & impiorum tabernacula everſa, & deleta a Deo dicitis, in me reſpiciatis, & de me ea omnia dicta intelligatis. quaſi ille me propter inſignem impietatem, inſigni etiam ſupplicio affecerit.

LXX. *Quia dicitis.* Septuaginta ex Heb. *dicetis*; perseverantiam, & obstinatam in ea sententia mentem denotat. q. d. Hæretis, & persistitis in ea sinistra de me opinione.

Verbū futuri temporis.

Vatab. *Vbi est domus Principis?* Vatabl. per *Principem* intelligit; *virum pium, qui sua sponte, non coactus Deo servit.* atque hanc esse sententiam; *Pios non timere, propterea non ædificare sibi domos, quibus se tueantur.* secus impii. Ergo *domum* sumit pro arce munitissima. Consentit paraphasis Tygurina; *Vbi est domus boni, & liberalis hominis?* Sed quidem vox Principis ex sua proprietate significat, voluntarium, spontaneum, liberalem, munificum, hilarem datorem, quod ejusmodi debeat esse, qui vere Princeps est, & dignus nomine Principis. Sicut & David Psalm. 50. 14. precatur confirmari *spiritu principali,* munifico, & benefico, ut omnibus bene faciat, non jam deinceps cuipiam malum inferat, sicut intulit Vriæ. Sed preterea nulla antiphrasi, nullaque figura loquutionis significat quemvis Principem etiam illiberalem, & avarum; Sicut & CHRISTVS Dominus superciliosos Principes, & imperiosos Tyrannos Luc. 22. 25. *Beneficos* appellat, a quibus non bonum, sed malum subditi acciperēt. *Reges* (inquit) *gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, Benefici* (Principes) *vocantur.* Similiter ergo hoc loco, quamvis ex ipsa vocis notione bonū sonet, sed potius accipitur *Princeps* in malum; nam *Principem* vocabant IOBVM, ut qui dominatione & opibus præcelleret inter omnes Orientales. & quasi cum maximo principatu, maxima quoque improbitas conjuncta esset, dicebant; *Vbi nā est* (periit, corruit) *domus* (familia, suppellex) *Principis,* IOBI inquam; qui inter impios utique reponendus est? propterea enim subjungitur;

נדב Principis ratio. & notio ex liberalitate.

Principes Benefici.

Principis appellatio in malum.

5 *Et ubi tabernacula impiorum?* vel, ut per *tabernacula* notētur peculiares mansiones omnium familiarium IOBI, vel ut sit generalis sententia, qua dicerent, eos, quorum res, & domus perirent, impios utique extitisse. Quod vero Septuaginta legunt; *Vbi est velamen in tabernaculis impiorū?* Respondet certe Hebræo, quod habet; *Vbi tabernaculum habitaculorum impiorum?* & ea vocum sinonymarū geminatio, aut nullam peculiarē vim habet, propterea enim videtur Interpres illam contempsisse; aut significabit maxima, amplissima, speciosissima tabernacula.

LXX. Pagn. Reg. Cajet. Tygur.

(?)

XXIX. *Interrogate quemlibet de viatoribus, & hæc eadem illum intelligere cognoscetis.*

1. *Littera Hebrea cum Vulgata conciliatur.*
2. *Iterum illuminatus Vulgatus.* Cognoscere, & alienare *ejusdem radicis.*
3. *Varia expositio. Indicatur optima.*
4. *Qui appellentur* Viatores, *aut*, transeuntes, *varia expositio.*
5. Hebræorum *nomen, & etymologia. Explicatus Iosue.*
6. *Tertia expositio frequentior.* Viator, *qui multa novit. Proverbium de re notissima.*
7. *Impii cæteris dant signa sui exitus: atque intra se præsentiūt futura supplicia. Explicatur Paulus.*
8. *Defunctorum testimonium quale.*

AD suorum dictorum cōfirmationem IOB adducit testimonium *viatorū,* quorum apud suos amicos indubitatum esse deberet. Sed id plenum est dubitatione, qui sint hujusmodi *viatores.* Prius tamen, quoniā Burgensis contendit hoc loco verum sensum peti oportere ex veritate litteræ Hebraicæ, illam statuamus. sic autem habet ex verbo; *Nō ne interrogastis transeuntes per viam, & signa eorum non negabitis?* Sed quidē & proprie, & eleganter noster Interpres illuminavit, quod erat in fonte paulo obscurius: Nam, *Non ne interrogastis?* idem est, ac si diceret asserendo, *Interrogastis,* aut, interrogare potuistis, vel potestis, aut poteritis: aut quod noster cū Septuaginta dixit; *Interrogate.* Quod vero dicitur; *Transeuntes per viam,* idem omnino est, quod noster dixit; *viatores*; neque vero immutat sensum, quod dixerit; *Quē libet de viatoribus.* Quamvis enim Burgensis dicat propterea in Hebræo non dici; *Quem libet de viatoribus,* quoniam nō omnes, simpliciores præsertim, possunt rationem reddere de omnibus, de quibus rogari possent, præsertim in rebus Fidei, & supernaturalibus: tamen cum *viatores* in communi dicuntur, profecto *quemlibet de viatoribus* libere sumere, aut intelligere possumus: nam sicut non omnes *viatores,* præsertim simpliciores, interrogari deberent, ita non *quilibet de viatoribus,* præsertim ex simplicioribus, necessario respondere teneretur.

1

Burgensis.

Lectio Hebraica.

LXX.

2 In secunda autem parte sensum potius quam verba curavit Interpres. nam quod in Hebræo est, *Signa eorum,* videlicet, quæ præbebunt illi rogati, *non negabitis,* tanquam aliena a proposito, & ignota, neque dissimulare poteritis illorum planam, &

sim-

Pagn. Vatab. Regia. LXX. Augustinus. נכר

simplicem veritatem; quod Pagninus, & Vatablus legit; *Non negabitis*. Regia; *Nõ dissimulabitis*. Septuaginta; *Nõ alienabitis*. Divus Augustinus; *Non ignorabitis*. Idem omnino est cum nostra lectione, quam etiam ex verbo originali, potuit Interpres deducere; nam *Nacear* fere habet duas significationes contrarias, videlicet agnoscere, & alienare se, vel dissimulare, quod nos dicimus; *Reconocer, o estrañarse*. Quare idem est: * *Nõ alienabitis*, aut *agnoscetis*.

* Las señas y respuesta q̃ dierẽ, ni las podreis negar, o estrañar, ni dexar, de reconocer.

3 Vatab. Pagn.

Ergo, quod ad sensum attinet, ex duobus tantum pendet; primo, de qua nam re futura sit hujusmodi interrogatio. Prima sententia, ut ad ipsum IOBVM referatur: Vatabl. *Non ne interrogastis de me viatores? & signa eorum, quæ dixerunt vobis de justitia mea, non potestis negare?* Pagninus eodem modo. Sed videtur alienum. nam jam erat deducta tota disputatio ex Hypothesi ad Thesim, id est ex particulari sua re, ad communem, & universalem de supplicio, aut mercede extrema impiorum. Quare secunda expositio germanior, & verior, ut nunc tantum intendat IOB cõfirmare suam doctrinam de futuri sæculi pœnis, aut premio, & judicio piorum, & impiorum. In quo Græci, & Latini omnes conveniunt, paucis quos diximus, exceptis. Isidorus Clarius utrumque conjunxit, neque ea in re mihi displicet. nam neque amici IOB, neque IOB ipse Thesim ab Hypothesi omnino separant. *Viatores* (inquit Isidorus) *interrogare debueratis, de IOB, quem præsentes usque adeo contemnitis: hi sciunt, & docent impios in futuro sæculo perditioni destinari.*

Verosimilior expositio.

Isidorus.

4 Gregor. D. Thom. Nicolaus.

Alterum difficilius, quæ *via* hæc, aut qui *viatores*? nam Gregorius, Divus Thomas, & alii Latini, Lyra præsertim, allegorice interpretantur illos, qui non constituunt finem in bonis temporalibus, sed per *viam* hujus viæ transeunt, ad terminũ fælicitatis futuræ; quibus, quod non habeant mentem obscuratã pravis affectionibus, & actibus, fidem adhiberi, & veritatẽ istam de futuro judicio ab iisdem addisci oportet. Hanc expositionem oppugnat iratus, & indignabundus Burgensis, atque ipse ex sua officina aliam profert, *viatores* intelligi Israelitas, aut Hebræos, qui exeuntes ab AEgypto, & ad terram promissam contendentes, longis itinerum erroribus verã legem atque revelationes mysteriorum susceperunt signis, & prodigiis confirmatas; quos facile adire, & consulere potuissent amici IOB, cum terra Hus vicina, & contermina fuerit Mesopotamiæ, & terræ promissæ. Sed rependit

Viatores qui.

Burgensis sententia.

Burgensi vicem Replicator, & postquam minutiora alia objecit, illud immerito minime addit, dubium valde esse quo tẽpore vixerit IOB; atque illud præterea pluribus probari vixisse ante exodum, tempore videlicet AEgyptiacæ servitutis. quare de Israelitis per desertũ iter agentibus hæc intelligi non posse. Verum, si hoc audisset Burgẽsis, respondere sane posset Patriarchas illos primos, Abraham, Iacob, Isaac, atque etiam Nacor, & eorum familias, qui omnes veram fidem, atque religionem colebant, posse vocari *viatores*, Abrahã præsertim, quasi transeuntes; nam nonnulli post R. Salomonẽ Genes. 14. contendunt nomen *Transeuntis*, impositum esse Abrahamo a Chananæis, & Phænicibus, propterea que dictum fuisse Hebræum; nam *Ghabar* significat trãsire; & *Hebræus* quasi transiens, eo quod ad illos commigrasset Abraham Euphrate trajecto, ex quo dictus fuerit Trãsitor, vel Trãseuphratæus: sicut etiam Transalpinos vocamus. Inde ergo Abrahamitę omnes dicti fuerint Hebræi, quasi transeuntes, aut viatores. id quod videtur indicari Iosue. 24. 2. dicente Deo ad populum: *Trans fluvium habitaverunt patres vestri ab initio: Thare pater Abraham, & Nacor: Tuli ergo patrem vestrum Abraham de Mesopotamiæ finibus, & adduxi eum in terram Chanaan, multiplicavique semen ejus.* Consentit quoque vox originalis hujus loci, *Viatores*, ab eadẽ radice *Ghabar*. Ad Hebræorum itaque gentem, út pote, quæ vera fide, atque Dei cognitione instructa esset, potuit appellare IOB pro suæ sententẽtiæ veritate confirmanda, ut contendit Burgensis.

Replicator reclamans cõtra Burgẽsem.

5 R. Salomon.

Abrahã Hebræus, aut trãsiens. עבר

העברים

Verum illa nominis *Hebræi*, & *viatorum*, aut *transeuntium* appellatio, & etymologia non est admodum firma, cum potius Hebræorum nomen dictum sit ab *Heber*, de quo fit mentio Genes. 10. & 11. ut Plerique cum Augustin. 16. de Civitate cap. 11. sentiunt. & licet ab Euphratis transitu Abraham accepisset Hebræi nomẽ, sed tamen non a transitu, & via, sed potius ab ipso Euphrate desumptum esse id nomen contendit Theodoretus. q. 60. in Genes. quod *Eura*, Syrorum lingua, Euphrates sit, ut Hebræus idem sit, quod Euratæus: sed hæc longiora sunt atque difficiliora, quam ad planum, & lenem hujus loci intellectũ coacta, & inuita vocari debeant.

Hebræi, ab Heber.

August.

Theodotio.

6 Vatab. Eugub. Isidor. Clar. Dion. Cajet. Tilelm.

Ergo tertius ille est, & fere communior intellectus, ut *viatores* sint, qui multas obeunt provincias, atque mores hominũ, multorum, urbesque viderint; hos enim oportet multa quoque vidisse, atque colle-

giſſe exempla de impiorum in hac vita fælicitate, atque piorum ærumnis. Addunt etiam alii, inter quos Philippus, quaſi Proverbiali loquutione, *viatores* dici, imperitos, & ignaros, atque obvios quoſque, quibus quamvis lippis indubitata ſint, atque notiſsima, quæ IOB dixerit; ita ut argumentum ſumatur (ut Cajetanus dixit) a cantu tranſeuntium per viam publicam; *Tanquam a Proverbio communi, & noto omnibus*; quaſi vulgaribus cantilenis vulgus uſurparet id, quod ſequitur, *Quod in diem perditionis ſervatur malus*. Nos certe etiam de re notiſsima, atque vulgatiſsima dicere ſolemus, *Que quantos paſſan por la calle lo van diziendo*.

Philipp. Proverbialis loquutio. Cajet.

7 Porro Græci, atque Auguſtinus exiſtimant potius IOB confirmare ſuam ſententiam ſimilitudine quadam, quam ullo argumento, aut teſtimonio *viatorum*. ſimilitudinem autem cõficit hanc Catenæ auctor; *Quemadmodum iis, qui iter faciunt, ſigna ſunt cognita, & diverſoria nota, poſtquam iter confecerunt; ſic, qui humanæ vitæ ſpatia ambularint, quo tandem loci vitam depoſituri ſint, haud eſſe obſcurum*. Improbus itaque dignum ſua improbitate tandem reperiet diverſoriũ. Auguſtinus paulo aliter, quod impii tranſeuntes dant cęteris viatoribus, qui illos vident, ſuæ futuræ ſortis non obſcura ſigna: nam, ut Sapiens dixit; *Melius eſt ire domum luctus, quam ad domum cõvivii; in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & vivens cogitat, quid futurum ſit*: nam per comparationem ſuæ vitæ cum vita, & moribus defuncti, poteſt vivens ſibi polliceri ſimilem, aut diſsimilẽ ſortem, & mortem. neque ſolum ex impiorum morte, ſed etiam ex eorundẽ viventium teſtimonio, & conſciẽtia rogata ipſam veritatem eliciemus: nam proculdubio præſentiunt iſti judicii diem, & extrema ſupplicia timent: quippe

August. Nicetas. Auguſtinus. Eccleſ. 7. 3.

Conſcia mens ut cuiq; eſt, ita concipit intra
Pectora profecto, ſpemq; metumque ſua.

Impii præſagiunt ſuã ſortem. Ovid. in Faſt.

Simile id Pauli: 2. Cor. 4. 12. *Mors in nobis aliquid operatur, vita vero in vobis*. Mortificatio (inquam) juſtorum intus generat alterius beatę vitæ ſpem, & ex ſpe gaudium, atque lætitiam; ipſa vero voluptuaria vita improborum operatur, & gignit in illorum cordibus extremi ſupplicii metum, atque ex metu, & formidine mœſtitiã animi, & cruciatus etiam incredibiles.

Iuſtorũ ſpes: Impiorũ metus.

8 Illud tandem ad hujus loci expoſitionẽ non inutiliter addendum, opere pretium fore, ſi tota hæc ſententia, quaſi ex conditione, & poſitione quadam accipi poſſet; Vtinam (inquit IOB) fieret, ut *quemlibet de viatoribus*, qui confecto hujus vitæ itinere ex hac vita demigrarũt, liceret cõvenire, atque teſtem proferre. Profecto hæc eadem illum intelligere cognoſceremus. Nimirum audiremus Divitis cujuſdam quondam inter mortales beati, jam inter mortuos miſerrimi, clamores, & gemitus, deprecantis flammarum cruciatus, & ſitim implacabilem, precantis etiam ſerio, ut ad *vivos mitteretur aliquis ex viatoribus mortuis*, qui illis teſtaretur, *ne & ipſi venirent in eum locum tormentorum: nam ſi quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agẽt*. Audiremus profecto Abraham dicentem; *Recordare, quod recepiſti bona in vita tua, & lazarus ſimiliter mala*. Videlicet *talia dixerunt in inferno hi, qui peccaverunt*, ut Sapientia, quæ illos audit, nobis, qui illos non audimus, veriſsime teſtatur.

Defunctorũ teſtimonium verax. Luc. 16. 28. 30. Sap. 5. 14.

XXX. Quia in diem perditionis ſervatur malus, & ad diem furoris adducetur.

1. *Varia lectio. Impii interdũ cõmuni plaga erepti.*
2. *Qui nunc malis eripiuntur, incidunt in futura ſupplicia. Explicati Hamos, & Ierem.*
3. Furor *quid prop.* Differre *pro iraſci. Illuſtratus David.*
4. *Peccata ſemina ſuppliciorum. Cum hac differuntur, creſcunt, & recondentur, in Dei longanimitate. Illuſtratus Ezechiel.*

I HOC videlicet eſt, quod omnibus notum eſt peregrinis, & viatoribus, *malum* (quem ſæpe dixit impium) *ſervari*, (reſervari) *in diem perditionis*, exitii, &, quam ſupra dixit, *inundationis*. Hebraizantes autem ſic accipiunt ſententiam hanc, quod tempore calamitoſo, & quo Deus iratus ſævit in mortales, impius ſervatur incolumis. Pagninus autem texens paraphraſim, ſic interpretatur: *In die contritionis prohibebitur malus, ne attingat eum cõtritio: in die irarum, ad quem ducẽtur alii, ipſe prohibetur*. Cajetanus autem duas hujus ſententiæ partes ſic diſtinguit, *ut per diem perditionis*, ſive fractionis, intelligat leviora damna; at per *diem furoris*, intelligat extremum ſuppliciũ, ita ut dicat IOB, improbum prohiberi, ne parva afflictione attingatur; ideo *in die irarum* invitum ſubiturum ingentes pœnas. Idemque videtur olere Tygurina; *Pravis parcitur ad diẽ perniciei, & ad diem irarum adducuntur*. & quidem verbum originale ſervandi, proprie ſignificat prohibere, cuſtodire, vel vitare aliquod malum, & parcere alicui; nam his

Impius cõmuni plaga ereptus. Pagnin. Cajetan. Tygur. חשך

omnibus

omnibus modis vertere ſolet Vulgatus, ſicut 1. Reg. 25. 39. *Servum ſuum cuſtodivit a malo.* Eſdræ. 9. 13. *Liberaſti nos de iniquitate noſtra.* Pſalm. 18. 14. *Ab alienis parce ſervo tuo.* Vbi Hieronymus ex Hebræo vertit; *A ſuperbis libera ſervum tuum.* Liberatur ergo impius a cõmuni clade; quod Septuaginta dixerunt; *Sublimatur malignus.* Symmach. *Conſervatur.* Aquila; *Subducetur*, quod auctor Catenæ exiſtimat, perinde eſſe, ac ſi diceretur, *Clam auferetur.* Mirum eſt enim, quam occulta via, occultoque judicio impius communium malorum, atque plagarum immunis evadat! Secundam vero partem non ad impios, ſed ad alios pertinere, argumento eſſe poteſt, quod non ſicut præcedens in ſingulari numero, ſed in plurali dicatur; *Ad diem furoris ducentur*; & Septuaginta, *In diem iræ ejus adducuntur.* Sed tantum abeſt, ut hoc argumentum alicujus momenti ſit, ut potius ex conſuetudine linguæ Hebrææ numeri mutatio indicet utramque partem ad eandem rem pertinere, & numerũ pluralem ſequentem diſtribuere, & ut ita dicam univerſalizare, quod in prima parte ſingulariter dictum fuerat, videlicet non unum, aut alterum impium, ſed univerſaliter, omnes in univerſum *adducendos ad diem furoris.* Quare ſapienter Vulgatus utramque partem ſingulariter reddit.

Hieron. — LXX. — Symmach. — Aquila. — Nicetas. — LXX. — Numerorum permutatio familiaris Hebræis.

Ergo cum duo aſſerat Iob, impios frequenter vivere fælices ad extremam uſq; ſenectam, & præterea fore, ut in altera vita digno ſupplicio afficiantur; eleganter utramque aſſertionis partem unica ſentẽtia complexus eſt Interpres, nihil immutato fonte: nam qui nunc in tempore calamitoſo ſervatur ab ærumnis, ſervatur quidem ad graviora futuri ſæculi ſupplicia; ideo enim ab iſtis temporalibus ſervatur, ut in futuras longe graviſsimas incidat; & qui nunc a præſentibus ſubducitur, adducetur proculdubio in ſempiternas. Sententia omnino ſimilis Amos. 6. 3. *Separati eſtis* (longe ſemoti a præſentibus malis) *in diem malum.* & iterum Ierem. 12. 3. *Sanctifica eos in die occiſionis.* videlicet ſerva intactos, uſque ad diem occiſionis, cui deſtinati ſunt. Dies autem extremi judicii, ſive univerſalis omnium, ſive particularis cujuſque vocatur *dies perditionis*, exitii, interitus, atque *dies* etiam *furoris*, ſive, ut in Hebræo eſt, *Dies furorum*, id eſt, vehementiſsimi furoris, & dies indignationis, omnia pervadentis, & pertranſeuntis, ac proculcantis; ea enim eſt proprietas nominis originalis.

Impius evadens ex malis præſentibus incidet in futura.

עברות

3 Pro quo notandum eſt radicem *Gabar*, unde deducitur nomen *indignationis*, vel *furoris*, in conjugatione *Hithpaghel* duo ſignificare, primo vehementer iraſci. & quaſi cum exceſſu quodam; ſecũdo differre, aut protrahere, unde dictum eſt Pſal. 88. 39. *Distuliſti Chriſtum.* quod propter fæcunditatem radicis Hieronymus tranſtulit; *Iratus es adverſus Chriſtum tuum.* & Pſal. 77. 21. *Audivit Dominus* (videlicet populi murmur dicentis; *Numquid panem poterit dare, aut parare menſam populo ſuo?*) *& diſtulit* (id eſt, excanduit, iratus eſt, quod ſtatim exponitur) *& ignis accenſus eſt in Iacob, & ira aſcendit* (videlicet, ignis illius flamma invaleſcens, & vires ſumens) *in Iſrael.* Analogia autem harum duarum ſignificationum ea eſt, quod cũ Deus differt ſupplicium vehementer iraſcitur, & tarditatem ſupplicii gravitate compenſat. Quare *differre* aliquando ſumitur pro vehementer iraſci, ſic illud 2. Machabæorum 6. 13. *Etenim multo tempore non ſinere peccatores ex ſententia agere, ſed ſtatim ultiones adhibere, magni beneficii eſt indicium. Non enim, ſicut in aliis nationibus, Dominus patienter expectat, ut eas, cum judicii dies advenerit, in plenitudine peccatorum puniat.* Non enim *iraſcitur Deus per ſingulos dies*; ſed eſt longanimis, *juſtus, & patiens.* Ex dilatione autem vindictæ videtur vberrima ſeges & peccatorum impii, & ſuppliciorum etiam provenire; nam ſingula peccata ſunt quaſi ſemina, quæ ſervata, & temporis diuturnitate confota, & coaleſcentia, multũ ſuppliciorum fructum afferunt, ſicut a Sapiente dictum eſt Proverb. 22. 8. *Qui ſeminat iniquitatem, metet mala.* fit etiam ingẽs quidem Theſaurus ſuppliciorum, & tormentorum, cum non ſtatim rependitur impiis debitum ſupplicium. *Theſaurizãt enim ſibi iram in die iræ.* Continetur etiam diuturnitate temporis Divina ira, quaſi fluvius quidam clauſis oſtiis, lõgo intervallo compreſſus, ſed in fine majori impetu ſe ſe effundit, ſicut Scriptum eſt: *Effudit quaſi ignem indignationem ſuam.* atq; hæc eſt illa *arcus* ſimilitudo, quam obſervat Hieronymus Thren. 3. videlicet per *arcum* deſignari diem judicii, quia ut in arcu, quanto longius trahitur chorda, tanto diſtrictior exit ſagitta; ſic extremi judicii dies quanto differtur, tanto futurus eſt terribilior. Vides igitur, cum *ſervatur impius*, ſervari utique, ſed in diem furorum. Sed vbi nam ſervatur, aut ſub qua protectione? Certe in Dei longanimitate. Sic Theodoret. ſuper id Ezech. 21. vbi dicit Deus, ſe *eduxiſſe gladium ſuum irrevocabilem*, in die videlicet furoris, & indignationis; rogat ergo quæ

עבר — Conjugatio octava Hebræorum. — Differre pro iraſci. — Hieron. — Deus differẽs ſuppliciũ ex ira.

4 Pſalm 12. — Peccata ſemina producẽtia fructum ſuppliciorum — Iræ divinæ theſaurus. — Rom. 2. 5. — Thren. 2. 4. & c. 4. 11. — Hieron. — Dies judicii differtur, inſtar arcus adducti. — Theodoret.

Gladius Divinæ iræ in vagina longanimitatis.

sit vagina Divini *gladii*, in qua servatur, & reconditur? & respondet esse *Longanimitatem Divinam*. Ergo cum servabatur reconditus gladius, servabatur quoque absconditus impius sub Dei longanimitate. Diximus etiam Divinam misericordiam subtrahere impium a Divina justitia capit. 4 versic. 3. num. 13.

XXXI. Quis arguet coram eo viam ejus? Et quæ fecit, quis reddet illi?

1. *Simplex interpretatio.* Arguere *quid prop.*
2. *Impii non vident sua scelera, indigent itaque moneri. Illustrati Isaias, & Ierem.*
3. *Impiorum cogitationes arguendæ, & traducẽdæ. Explicata Sapientia.*
4. *Prædicator, ut debeat arguere potentiores, ex Isai. & Ierem. Illustratus locus Paralip.*
5. Arguere, *aut* annuntiare *verbum forense. Interrogatio* quis. *Explicatus Michæas.*
6. *Minax impiorum vultus, coram quo nemo audeat loqui. Explicatus Salomon, & Ierem.*
7. *Impiis divitibus omnes clam detrahunt. Illustratus Ecclesiast.*

1 Lucida sententiæ paraphrasis.

INterim (inquit) impune vivit impius nemine audente illius scelera coarguere, & palam exprobrare: nemine etiam potente æquas de illius improbitate pœnas repetere. Ergo hinc manifeste colligitur, ut post mortem in judicio Divino in illius faciem scelera illius arguantur, & quæ fecit, reddat illi Divina Iustitia. Hæc est tota sententiæ vis: vocum autem singularũ, quæ sequitur.

נגד

Quis arguet? Proprie juxta Hebræum dixerunt Septuaginta; *Quis annuntiabit?* Vel, *quis renuntiabit in faciem ejus*, vel, *indicabit?* & quamvis verbum originale, *Annuntiandi*, simplex sit, & lene, sed quia ex eo, quod sequitur, *Coram eo*, sive, ut est in Hebræo, *in faciem ejus*, videtur vim accipere, & ad sceleratæ vitæ reprehensionem & accusationem pertinere: ideo sapienter Interpres dixit; *Quis arguet?* Quod verbum objugatorium est, cum quis sceleris convincitur.

2 Impius cæcus & præceps in scelera.

Sed ex hac ipsa sententia duo, aut tria cum utilitate observare debemus. Primũ, Impios ita ruere cæcos, atque præcipites in peccata, ut admoneri indigeant, atque jubeantur etiam Prophetæ, & prædicatores ipsis denuntiare illorum opera, & improbitates. Sicut Isaiæ præcepit Deus. c. 58. 1. *Annuntia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum.* Nam ipsis facientibus, & peccantibus videntur ignota esse, & quasi aliena sua ipsorum scelera. Hoc quoque primum in suo Evangelii ministro requirit Paulus: *Argue*. Hinc quoque qui resipiscunt, tunc primum se agnoscere sui animi conditionem, & statum prodtentur, sicut qui dicebat: *Postquam ostendisti mihi, percussi fæmur meum, cõfusus sum, & erubui.* Sicut autem ingẽs Divinæ majestatis gloria est, cum peccator suum scelus agnoscit & confitetur; ita etiam indignum judicat Deus, ut improbus improbitatem suam ignoret, egeatque externa admonitione. *Propterea* (inquit Deus) *ego judicio contendam tecum, eo quod dixeris; Non peccavi.* Vides igitur opus esse, ut quis *arguat coram impio viam ejus.*

2. ad Tim. 4. 2.

Ierem. 31. 19.

Proprii sceleris cognitio, & cõfessio ad Dei gloriam.

Ierem. 2. 35.

3 Officium præconis verbi Dei.

Secundo oportere etiam, ut *arguatur* vita impii, id est prodatur, & ostendatur cujusmodi sit. Illud enim etiam *arguere* est, uti dictum est a Poeta;

Virg. 4. Æneid.

Degeneres animos timor arguit.

Ergo detrahenda est ficta illa & personata ementiti splendoris facies, qua fulgent impii; palam prodenda illorum scelera, *fodiendus paries*, & decustrandus, sicut jubetur Ezechiel. 8. 8. & 9. manifestandæ abominationes impurissimi pectoris. Quid, quod non solum occulta scelera, & perpetrata in tenebris, sed arcanas etiam impiorum cogitationes, cum expedit, traducit palam Iustus? id quod indignissime ferebant, *impii illi cogitantes apud se non recte*, Sap. 2. 1. & 14. *Factus* (inquit) *est nobis in traductionem* (proprie ex Græco, *in redargutionem*) *cogitationum nostrarum*. Quam ergo sæpe Divini verbi vindex, & prædicator, improbos redarguit, dicens, *Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?*

Matth. 9. 4.

4 Prædicator accipiens personam potentiorum.

Tandem prædifficile esse invenire prædicatorem, aut ministrum Divini Verbi, qui audeat *in faciem arguere* istiusmodi impios, potentiores, præsertim, & opulentiores: non solum quod illi avertunt statim faciem, sicut ait Paulus; *A veritate auditum avertent, ad fabulas autem convertentur*: sed etiam quod plerique Divini Verbi ministri reverentur, & accipiunt faciẽ, personamq; illorum. Quis, quæso, Balthasari inter pocula, & sacrilegia ausus est denuntiare mortem, & arguere scelus? Quisquis ille fuit, caput, & faciem obtexit, ne agnosceretur; manum tantum protulit, quid (inquam) manum? tantum *apparuerunt digiti, quasi manus hominis*. Sed Ieremias tamen, cum se missum videret, ut in faciem resisteret Regibus & argueret Principes, conqueritur. c. 15. 10. *Væ mihi, mater mea, ut quid me genuisti, virum rixæ, & discordiæ in universa terra?* Quasi se hominem

2. ad Tim. 4. 4.

Daniel 5. 5.

Prædicator non accipiens personas principum.

liti-

litigioſum diceret, quod omnibus impiis litem acerrimam intendere deberet, pro aſſerendo Dei honore, omnes palam arguere, neminem in Dei cauſa erubeſcere. Itaque idemmet ſæpius comminatur Principibus; * *In veritate* (inquit) *miſit me Dominus ad vos*. Iſaias quoque cum vidiſſet populum faſtidire ſuam prædicationem, & invitum audire, tunc ſe ipſe confirmabat atque dicebat; * *Pro eo, quod abjecit populus iſte, &c.* * *Ideo, &c.* id eſt, quod populus iſte nauſeat ad ea, quæ Ezechiæ regis humilitate, & manſuetudine illis prædico, ideo ſæpius ingeram, & inculcabo eundem ſermonem. Tandem de Azaria illo Sacerdotum gloria, qui Oziæ Regi ſacrificanti, in faciem reſtitit, ut ſcribitur. 2. Paralip. 26. dicitur. 1. Paralip. 6. 10. * *Ipſe eſt, qui Sacerdotio functus eſt*. Numquid non alii etiam Sacerdotes Sacerdotio functi ſunt? Sane, ſed qui *in faciem* auſus eſt Regẽ *arguere*, is Sacerdotii, & muneris ſui partes veriſsime implevit.

Ierem. 26. 5.

*Para deziros las verdades.

Iſai. 8. 6.

* Por el miſmo caſo que ellos ſe cãſan de oyrme, no me tengo yo de canſar de dezirſelo.

* Eſſe ſi fue Sacerdote a boca llena.

5

Et, ne id prætereamus, animi magnitudine, & inſigni virtute opus eſt, ut quis audeat litem intendere potentioribus, & ad judicium noviſsimũ vocare, quippe iſtud verbum *arguendi*, aut *denuntiandi*, judiciale, & forenſe videtur, quod etiam vulgo dicitur, *denunciar de alguno*. Nam ex hac ipſa radice dicitur Ierem. 36. 16. *Nuntiare debemus Regi omnes ſermones iſtos*, & cap. 20. 10. *Perſequimini, & perſequamur eum*. quod Complutenſes etiam legunt; *Annuntiate, & denuntiemus eum*. Videlicet falſa contra illum teſtificatione, & iniqua apud Regem & judicẽ delatione. Recte igitur; *Quis arguet*, aut, * *quis annuntiabit ei*? Quis illi cõteſtabitur, & dicet diem ad tribunal ſupremi judicis? Michæas profecto ſuo munere digniſsimus, qui ait. c. 1. 8. *Verumtamen ego repletus ſum fortitudine ſpiritus Domini in judicio, & virtute, ut annuntiem*. Illa Gregorii regula hic non prætermittenda: *Aliquando* (inquit) *in ſcriptura Sacra, cum interrogando, Quis, ponitur, Omnipotens deſignatur* Vnde Scriptum eſt; *Quis ſuſcitabit eum? De quo per Paulum dicitur; Quem Deus ſuſcitavit a mortuis*. Sic ergo dicitur hoc loco; *Quis arguet*; &, *coram eo*, quia cum ſancti impios in faciem arguunt, non ſua, ſed divini ſpiritus virtute id faciunt. Deus etiam in futuro judicio; *Statuet contra faciem illorum*. Et licet paulo lenius, tamen non ineleganter Græci hac ſimilitudine ſententiam totam elucidãt; *Quemadmodum ab his, qui ſunt viarum periti, quærimus, quo hac, illaque via ducat; ſic prorſus perditis, profligatiſque hominibus vitæ ſuæ exitum exploratum* *eſſe oportebat. Verum quis arguet coram eo viã ejus? Quis flagitioſe, atque fæliciter viventi, aut viam, in quam ſe dedit, aut viæ clauſulã commoſtrarit? Quis impio coram, palamque dicet, vitæ ſuæ omnis finem eſſe mortem, ut is hac ratione compungatur, & ad tumulum meditãs, præ ſollicitudine vigilet?*

Verbum arguendi forẽſe

Complutenſ.

* Quien ſe atrevera a notificarle, que parezca en juizio?

Prędicatorani mi fortitudine pollens.

Gregor.

Scripturæ regula.

Geneſ 49. 9.

Galat. 1. 1.

Pſalm. 49. 21.

Pulchra ſimilitudo.

6

Coram eo. Neſcio quem trucem impiorum vultum faciemque minacem inducere videtur, coram qua, ut pote ira, atque ſupercilio terribili, nemo audeat loqui, nedum arguere: namque videntur hi ſuperciliosi, atq; ſuperbiſsimi Principes univerſis indicere ſacrum quodam ſilentium, ne quiſquam *coram* illis loqui audeat, aut aliter de illis, quam de Diis quibuſdam, non hominibus, pronuntiare. Sicuti de illo Serapi maximo AEgyptiorum Deo ſcribit Auguſtinus, de quo poſtquam mortuus eſt; *Conſtitutum eſt, ut quiſquis illum hominẽ fuiſſe dixiſſet, capitalem penderet pœnam. Et quoniam in omnibus templis, ubi colebatur Iſis, & Serapis, erat etiam ſimulachrum, quod digito labiis impreſſo admonere videretur, ut ſilentiũ fieret, hoc ſignificare Varro, exiſtimat, ut homines eos fuiſſe taceretur*. Quis igitur audeat dicere, cum in ipſo altari videat *Sarcophagum, & oſſa Serapis* illum fuiſſe hominem, *cõram eo*, & coram Harpocrate, qui ſilentiũ imperat? Propterea Salomon, qui Regios mores, & Principum ingenia probe noverat, ſic hominem, qui cum principibus acturus ſit, inſtruit, Eccleſiaſt. 8. 3. 4. *Ego os Regis obſervo*. & deinde: *Ne feſtines recedere a facie ejus, neque permaneas in opere malo*. Ita (inquit) te gerere debes cum Principe, ut eum præſentem omni obſervantia colas, & venerabundus coram illius facie cõſiſtas. Sed tamen ita, ut illius facies non perſuadeat tibi ullam iniquitatem: ideo enim ſubdit; *Quia omne, quod voluerit, faciet, & ſermo illius poteſtate plenus eſt, neq; quiſquam dicere ei poteſt, Cur ita facis?* Itaque faciem potentiorum videbatur aliquando reformidare Ieremias. Sed Divina voce cõfirmatus eſt ad coarguendos in faciem. Ierem. 1. 17. *Ne formides a facie eorum, nec enim timere te faciam vultum eorum*. & Ezech. 2, 4. *Filii dura facie, & indomabili corde, ne timeas a facie eorum*. & iterum cap. 3. 8. *Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum: & frontem tuam duriorem frontibus eorum*. Nam quanto illi impudentiores fuerint in irridendo prophetas, tanto debet is conſtantior eſſe, ut *non erubeſcat Evangelium*.

Vultus principum terrificus eripit prędicatoribus loquendi facultatem.

Auguſt. 18. de civit. c. 5.

Cur coram Serapide Harpocrates.

Qua ratione agendum cum principe.

7

Sed illud tamen cõſequuntur impii iſti, atque inſolentes principes, ut cum nemo audeat illos *coram arguere*, nemo non ſit, qui clanculum non detrahat: nam quod

fre-

frequentiſsimum apud homines ſit, atque propterea, quod non pauci inciderint in indignationem Principum, dictum eſt à Salomone; *In cogitatione tua Regi ne detrahas, & in ſecreto cubiculi tui ne maledixeris diviti, quia aves cœli* (filii Diaboli, corvi, adulatores, qui non ſolum non audent in faciem verum dicere, ſed illorum officium eſt, in faciem mentiri) *portabunt vocem tuam.*

Eccleſ. 10. 20

XXXII. *Ipſe ad ſepulchra ducetur, & in congerie mortuorum vigilabit.*

1 *Impio annuntianda mors. Ad ſepulchra defunctorum dormire, vel vigilare.*
2 *Duæ aliorum expoſitiones. Fælicitas impii, & mẽſura bonorum bene comulata. Dives vigilãs, non dormit.*
3. *Mortis, & defunctorum periphraſis. Hiſpanicum proverbium*
4. *Multæ hujus impiorum vigiliæ interpretationes. Iuſtorum ſomnus in morte placidiſsimus.*
5. Tumulus, *aut* cumulus, *de ſepulchris Thracum ſepultura.*
6. *Ducere quid. Tuba funerum. Siticines qui.*
7. *In funere puerorum, & ſenum non eadem tibia. Inter tubicines, & tibicines non valde ſolidum diſcrimen.*
8. Vigilare *quid. locus defunctorum, area. Impiorum mors matura.*
9. Vigilare, *pro permanere. Explicatus David.*
10 *Conditura, & medicamenta cadaverum. Qui medici apud Ægyptios Explicatus Moyſes.*
11. *Mortuorum imagines apud Aegyptios. Supremus funeris honor.*

1
Sentẽtiæ multiplex expoſitio.

IN Sententia alioqui plana, magna eſt Interpretum varietas. Catenæ auctor cum præcedente ſententia conjungit, & hanc eſſe exiſtimat, quam oportet annuntiari impio, nimirum, ſe mortalem eſſe, & non multo poſt deportandũ ad ſepulchrũ. Sic igitur fieri poterit, ut *in congerie*, id eſt, ſuper acervos *Vigilet*; id eſt, ut antequam moriatur, a ſomno & crapula excitetur, atque in hujus rei conſideratione noctes ducat inſomnes, & ad tumulum meditans præ ſollicitudine vigilet. Videtur profecto ad illorum inſtitutum alludere, qui ad defunctorum monumenta preces fundebant, & vel vigilabant, vel dormiebant; ſomniis etiam, ſi quæ habuiſſent, tanquam Divinis, atque veriſsimis utebantur, quorum Herodotus lib. 4. meminit.

Nicetas.

Quo pacto vigilandum ad ſepulchra defunctorum.

Naſamonum ad ſepulchra conſiſtendi ritus.

Herodotus.

2
Cajet.

Cajetanus exiſtimat deſcribi impiorum mortem poſt ingentem vitæ fælicitatem: nam cum in Hebræo non ſit, ſicut neque in Græco; *Congeries mortuorum*; ſed tantum *congeries*, aut, *acervus*, aut *tumulus*; ipſe non refert ad congeries, ſeu tumulos mortuorum, ſed ad cumulos frugum. Subeſt enim hoc loco vox eadem, quæ ſupra c. 5. vertitur, *acervus tritici*, atque aliis etiam locis. Eſt itaque ille *acervus*, quem demeſſæ, & congeſtæ fruges efficiunt, & attollunt in area. Alii cũ David Chimhi accipiunt pro eo cumulo, quem *menſura bona*, & *ſupereffluens* efficit, nullo radio, aut hoſtimento æquata; quod radendi, aut æquandi menſuram, inſtrumentum ligneum, nos vocamus, *el raſero*, Rabbini cum Elia Thisbite, quoniam in Sacris litteris non invenitur, vocant, *Mahha*. Ergo ſenſus erit impium ducẽdum ad ſepulchra, id eſt, ad unũ aliquod e ſepulchris, poſtquam in acervis frugum, & omnium bonorum abundantia ubere, & ſupereffluente menſura *vigilaverit*, id eſt, vixerit, attente, & vigilanter, & ſollicite perſtiterit, toto vitæ ſuæ tempore. Cajetanus vertit *Super acervum continuabit*. quia enim verbum *vigilandi* affert attẽtionem, & perſiſtentem curam. inde etiam perſiſtere, durare, & continuare ſignificat. Et ad hunc ſenſum facilius aptari poteſt lectio Septuaginta, quæ per præteritum legit: *Ipſe ſuper acervos vigilavit*. Et quidẽ in hac interpretatione, non eſt prætereundum, divitis fælicitatem deſcribi ſub ratione, & nomine vigiliæ cujuſdam: nam præterquam quod curæ, & ſollicitudines conſervandæ rei, augendæ, amplificandæ ſomnos eripiunt; cogunt præterea divitẽ multa ſecum noctu inter vigilandum colloqui vana, & inutilia; Certe ſola illa quaſi ſaturitas, aut etiam ſatietas, & repletio temporalium bonorum eſt ſomni, atque quietis inimica; ſicut a Sapiente dictum eſt: *Saturitas divitis non ſinit eum dormire*. Eccleſiaſt. 5. 11.

גדיש

Exod. 22. 6. Iudic. 15. 5. Iob. 5. 26.

R. David.

Elias. Thisbi.

מחק

Cajetan.

LXX.

Divitum fælicitas, vigilia nuncupata.

Bonorum abũdantia inimica quieti, & ſomno.

3
Mortis periphraſis.

Alii exiſtimant periphraſim mortis, *Vigilare juxta acervos frugum*: nam ſepulchra in agris erãt. q. d. Sepelietur in ſepulchro, quod eſt in agro juxta areã, in quã deportantur fruges. Addit quoque Vatab. *Acervum frugum*, apud alios ſignificare tumulum, apud alios pyramidem ſepulchralem. Quare forte proverbiali loquutione dicebantur defuncti agrorum cuſtodes, & arearum, frugumque vigiles; ſicut ſolet Hiſpanus fontes ſuſpendio mulctatos, & in cruce relictos, aut viis publicis per membra diſſectos, & ſublatos in palos ſublimes appellare viarum cuſtodes: & prædones ad Orgaſiũ ſagittis cõfixos, appellare molẽdinarios Orgaſii; *Molineros en los molinos de Orgaz*. ita nunc *Vigiles acervorum*.

Vatab.

4
D. Tho. Dion.

Divus Thomas, Dionyſius, & alii *vigilaturum* ajunt ſecundum animam im-

mor-

Titelm. mortalem, ut digna ſupplicia referat, qui mortuus corpore inter ſepulchra dormierit. Titelmanus *vigiliam*, id eſt, vitam, in hominum memoria, & recordatione poſt mortem: nam aliquando viuunt impii, in linguis, & frequentibus mortalium ſermonibus uſurpantur illorum facinora, opes, fælicitas; cum e contrario frequenter accidat, ut *juſti, virique miſericordiarum pereant, & tollantur, & nullus ſit, qui recogitet corde.* (Iſai. 57. 1.) Tandem alii per *ſepulchra*, & per *vigiliam*, lacum illum æternæ mortis, atque ſempiternos cruciatus intelligunt. Et poteſt quidem intelligi moleſtia quædam ingens vigiliarum. q. d. Cum alii defuncti, probi præſertim, quieſcunt, & placide dormiũt, impius non ſinetur quieſcere, ſed vigilabit tunc, & perpetuam illam damnationis noctem ducet inſomnem: nullam doloris particulam retundet ſomnus, imo potius perpetua vigilia, attentio, & memoriæ, mentiſque ad ſuam pœnam alligatio efficiet cruciatum acerbiſsimum. Præterea qui cæcus vixerat, jam tunc incipiet, novas rerum formas videre: oppreſſus crapula evigilabit tandem, ſero licet. Alii aliter multatum ſuper *congerie*, tum ſuper *vigilia* excogitant.

Iuſti placide in morte dormiẽtes, impii vigilantes.

5 Veroſimilior expoſitio.

Sed proferam, quod ſentio; Perſtare certe adhuc Iobum in ſuo illo propoſito confirmando, videlicet, ſæpe impios vivere fœlices, nec nõ ſupremum etiam funeris honorem conferri illis ampliſsime, & magnificentiſsime, atque fæliciter cadere, quidquid ad ſepulchrum, & cadaver pertineat. Sapienter ergo Latinus interpres *congeriẽ* illam, vel acervum retulit ad tumulos defunctorum, nam ſubjecta materia ſic videbatur poſtulare, ſuffragantibus etiã Hebræis. R. Haji exponente; *Super acervum* id eſt, *Super fornicem, quæ ſit ſuper ſepulchrũ, ſecundum morem terræ Iſrael.* Atque R. David; *Fornix ejus inſtar acervi frugum:* Quare acervus, aut congeries, non tam ſignificat ſepulchrum, quod *ad illud aggregantur univerſi*, ut exiſtimavit Steuchus; quam quod ſepulchrum, aut pyramis ſepulchri, aut fornix illa ſuperſtructa, quam Hebræi dicunt, imitetur acervum frugum. Atque ob eam ipſam rationem a Latinis, *tumulus* dictus eſt, quod coacervata ad ſepulchrũ terra tumeat: nam *tumulus*, ut ex AElio definit Feſtus, *Eſt tumulus arenæ, editus ſecundum mare, fluctibus ſublevatus, unde ſimiliter, & manu factus, & naturalis proprie dici poteſt.* Cumulus autem ille manu factus, eſt proculdubio ſepulchrum. atq; nunc quoq; circa Troadem, & in Thracia tales tumulos cerni, *Vt montes ſupra ſe invicem foſſiles videantur; meritoque ejus loci incolis, Regũ ſepulchra eſſe credantur*, Petrus Bellonius ſcribit. nam ſicut AEgyptii pyramidibus æternitatem affectabant, ſic Thraces editiſsimis tumulis. atque explicate quidem Herodotus ſcribit optimatum ſepulchris adgeri deſuper tumulum; illius verba in Terpſicore, dum de Thracibus dicit, hæc; *Optimatibus eorum tales ſunt ſepulturæ: prolato triduum cadavere, mactatiſque omnifariis hoſtiis, convivantur: illudq; defletũ prius, deinde combuſtum ſepeliunt, aliter humo contegunt: aggeſtaque deſuper tumulo, cum alia omnis generis certamina proponant, tum præcipue certa cum ratione monomachiam, id eſt, ſingulare certamen.*

Defenſio Latini interpretis.

R. Haji.

R. David.

Cur ſepulchrũ dicatur congeries.

Eugub.

Tumulus unde dicatur.

Feſtus.

Bellon. lib. 1. de ſepulchr. c. 10.

Thracum ſepulchra.

Herodotus in Terpſicore.

Monomachia in funere.

6

Sed, ut ad noſtram ſententiã redeamus, aſſerit quidem IOB impium *ducendum*, efferendum numeroſiſsimo comitatu ad locum ſepulchrorum, & ad tumulorum agrum. Verbum autem *ducẽdi, Iabal*, eſt idẽ quod ſupra cap. 10. verſ. 9. legitur, *De utero translatus ad tumulum.* & aliqui curioſius obſervant afferre apud Hebreos pompam quãdam, & apparatum *deducendi*, cum cãtu quodam, & muſicis inſtrumentis; quod in pompam funeralem, qua deferturcadaver, recte conveniet. cujus rei etiam conjectura duci poteſt ex eo, quod ex verbo iſto, *Iabal*, deducitur *Iobel*, id eſt buccina, cujus in Iobeleo uſus erat Exod. 19. Ioſu. 6. Licet ex proprietate vocis, non tam ſit ipſa tuba, aut buccina, quam productio, vel eductio tubæ, ſive malis dicere, productior buccinæ ſonitus, & clangor. quare forte verbum hoc ſignificat deducere aliquẽ cum pompa, & buccinarum clangore productiori, & longiori. quare verbũ hoc conjungitur cum exultatione, & jubilo. Pſalm. 44. *Adducentur cum lætitia, & exultatione.* Quod autem cognationem habeat cum cantu funebri, conſtat ex cognatione radicis *Iabal*, quæ ſignificat *deducere* cũ radice, *Abal*, quæ ſignificat *lugere*, aut flere. quare integra ſignificatio erit; deducetur cũ pompa & cantu funebri, & modis flebilibus. Diceremus elegãter, *Haranle las honras, y llevaranlo a enterrar con muſica.* Ergo cum funeris pompa eleganter etiam tum vox, tam res ipſa conveniet; nam præter quam quod tibiæ, aut tubæ ad funera adhibebantur, nobiliorum præſertim virorum; ſed erat tuba hæc producta, longa, & lata, quod teſtantur illa de avium lamẽtatione in morte pſitaci carmina;

Horrida pro mæſtis lanietur pluma capillis;
Pro longa reſonent carmina veſtra tuba.

Meminit quoque alicubi Galenus, ubi de flatibus diſſerit, qui in inteſtinis fieri ſolẽt,

Ioan. Forſt.

Deducendi verbum affine pompæ funetali.

יבל
יובל

אבל
יבל

Tibiæ, aut tubæ funerum quales.

Ovid. 2. Amor. eleg. 6.

Galen. lib. 3. de ſymp. cauſ.

lario-

latiores fuiſſe tubas illas: *Sunt*(inquit) *alii bombyſi, bombis latiſſimarum tibiarum non abſimiles, quales habere ſolent ii, qui Tymbanſtæ, id eſt Siticines nominantur*. Siticines autem qui fuerint, his verbis declarat Aulus Gellius lib. 20. c. 2. *Nos in Capitonis Actæi conjectaneis invenimus Siticines appellatos, qui apud ſitos canere ſoliti eſſent, hoc eſt vita functos, & ſepultos, eosque habuiſſe proprium genus tubæ, qua canerent, a cæterorum tubicinum proprietate differens, quos ſiticiniſtas vulgus dicit.* Ergo proprium hoc genus tubæ, productioris videlicet, atque longioris, proprium etiam ſonum reddidiſſe, videlicet productiorem, atque gravem, auctores ſunt Galen. paulo ante citatus, atq; Ariſt. lib. 5. de gene. anim. c. 7. ubi de animalium voce, & vocis mutatione, & qualitatibus ſcribit; ait enim tardam, & gravem vocem ab ſpiritu calido effici, *Qualem* (inquit) *Tibicines, & lamentantes graviorem ſonum inſpirant tibiis.*

Gellius. *Galenus.* *Ariſt.*

7 Atque eodem etiam pertinet, quod a * quibuſdam obſervatum eſt, Tibicines, ac tibias, ut quæ acutum quiddam, & minus grave ſonarent, juniorum, ac popularium funebris adhibitos; at tubas, ac Tubicines majorum natu, atque nobiliorum, uti deſcribitur divitis illius funus a Perſio;

Hinc tuba, candelæ, tandem beatulus alto
Compoſitus lecto, craſſisq; lutatus amomis,
In portam rigidos calces extendit.

Et virorum fortium, qui in bello occubuerant, a Virgil.

Spargitur & tellus lacbrymis, ſparguntur & arma,
It cœlo clamorque virum, clangorque tubarum.

Luctatius ſuper Stattum libr. 6. Thebai. Servius 6. AEnei. Giral. de ſepulch. Ma-utius de legib. com. Roſinus li. . Anton Nebr. quinquagena . cap. 46.

Per. Satyra 3. *Virg. 6. AEnei.*

Sed in funere puellæ filiæ Iairi Principis Synagogæ *Tibicines*, non *Tubicines* adfuiſſe ſcribit Matthæus. Verum quidem hoc diſcrimen neque perpetuum, neque valde ſolidum; nam & *tibicines* quibuſcumque funeribus, imo & virorum principum adhibitos, leges duodecim Tabularum teſtãtur: & in Iulii funere ſcribit Suetonius, *Tibicines & ſcenici artifices veſtem, quam ex inſtrumento triumphorum ad præſentem uſum induerant, detractam ſibi, atque diſciſſam injecerant flammæ.* Et Cicero lib. 2. de de legib. *Honoratorum* (inquit) *virorum laudes, in concione memoranto, easque etiam ad cantus ad tibicinem proſequuntor, cui nomen Næniæ, quo vocabulo etiam Græci cantus lugubres nominant.*

Matth. 9. *Sueton. ca. 84.* *Cicer.*

Ergo, ut ad rem noſtram redeamus, vides, quam bene verbo illi, *deducendi*, cum jubilo, & clangore conveniat apparatus iſte, & pompa funeralis, feralisque tubarum ſonitus, cum quo effertur impii divitis cadaver, *ad ſepulchra*, id eſt, ad unum aliquod e ſepulchris, vel, ad agrum in quo ſunt ſepulchra: non enim ſignificat dedacendum, & conjiciendum impium in foſſam aliquam, & *congeriem cadaverum.*

8 Sic *in congerie mortuorum* tumulatus, *vigilabit*, eſt in hoc verbo nonnulla difficultas, atque varietas, quam ſupra quoque indicavimus. nam R. Abraham, & Pagnin. in Theſauro vertunt; *Ad pulverem feſtinabit:* nam, *vigilare*, eſt mature, aut feſtinanter aliquid facere, aut prævenire, quod nos dicimus; *madrugar a hazer algo*. Ergo ſenſum hunc ſic explicat Pagninus: *Feſtinabit aggregari ad ſepulchra, quemadmodum acervus frugum, quem aggregant in tempore ſuo.* neque feſtinantia hæc, &, ut ita loquar, matutina vigilia eſt aliud, quam opportunitas quædam, & optimi temporis articulus. q. d. Suo tempore morietur: *No morira fuera de tiempo.* Nihil enim fælicius, & pulchrius ad fruges, quã cum opportuno tempore demetuntur, & comportantur, atque aggeruntur in aream. Sic igitur ad fælicitatem quãdam temporalem ſpectat, ſuo tempore, non immaturũ, ſed maturũ mori, & in agrum deferri, ſicut cum portantur fruges in aream. Sicut Eliphaz ſupra dixit. c. 5. 26. *Ingredieris in abundantia ſepulchrum, ſicut infertur acervus tritici in tempore ſuo.* Quare agrum, aut locum ſepulchrorum repræſentat proculdubio ſermo Sacer, tanquam areã quandam, in quã manipuli, id eſt, cadavera deportantur; & quaſi ex defunctis omnibus, unum quaſi cumulum, & acervum efficit, quem poſtea ventilabit ſupremus judex, *cujus ventilabrum in manu ſua, & permũdabit aream ſuã.* cum quo illa frequens Scripturæ loquutio congruit; *Appoſitus eſt ad patres ſuos*, cum quis in acervum, & congeriem defunctorum deportatur.

R. Abraham. Pagnin.

Vigilare quid

Locus ſepulchrorũ inſtar areæ, defuncti inſtar manipulorum.

Matth 3. 12. Luc. 3 17.

9 Sed commodior forte *vigilandi* acceptio, ut conſiſtentiam quandam, perſeverantiam, aut perpetuitatem importet; vel, ut ita loquar, vitam ipſam: vivit enim, qui vigilat, ſicut dormit, qui moritur, tum etiam qui vigilem agit, perſeverat in officio, perſiſtit in vigilia. Et quamvis nullum invenio locum, in quo *vigilare*, pro permanere, aut perſeverare videatur omnino debere accipi, tamen illa exempla perſeverantiæ, & perſiſtentiæ ſunt, Pſalm. 1■■. 8. *Vigilare* (vigil perſeveravi) *& factus ſum, ſicut paſer ſolitarius, &c.* & Pſalm. 126. 2. *Fruſtra vigilat* (perſiſtit, perſeverat vigilando) *qui cuſtodit eam.* Cum igitur hic deſcribatur ſupremus honor cadaveris; ait Iob, impii

Vigilia vita.

Vigilia perſeverãtiã affert.

cada-

cadaver (quod ad fælicitatem quandam pertinet) vigilaturum, victurum, perseveraturum, permansurum ad multa sæcula. unde Pagninus in sua translatione; *In tumulo jugiter manebit*, quasi dicat; Impii corpus non solum vivens, sed etiam conditū, & sepultum fælix videtur. Forte alludit ad condituram medicatam cadaveris, cujus beneficio servatur a putrefactione per multa sæcula, atque *vigilare*, durare, & vivere videtur.

Pagnin.

Medicatum impiorum funus.

10

Cadaverum medicata conditura.

Neque mirum, hæc enim ratio servandi cadavera antiquissima est, & AEgyptiis familiaris, atque solemnis, a quibus ad Arabes, AEthiopes, Iudæos permanavit. de conditura autem, salitura, & medicato funere AEgyptiorum multa differit Herodotus lib. 2. Diodorus Siculus li. 2. c. 5. Plutarchus in Symposio. Plin. lib. 11. cap. 37. Censorinus lib. de die natural. Mela lib. 1. cap. 9. Cic. 1. Tuscul. Lucianus, & Sextus Empiricus. Sed res est indubitata ex. 50. cap. Genes. ubi mortuo Iacob; *Præcepit Ioseph servis suis medicis, ut aromatibus condirent patrem; quibus jussa explentibus, transierunt quadraginta dies; iste quippe mos erat cadaverum conditorum.* Quos autem hic *medicos* vocat, non tam intelligendi sunt vulgares medici, quam alii ad id precipue munus curādi funeris, & cadaveris destinati: nam, ut Herodotus libr. 2. scribit; *Medicina apud AEgyptios in hunc modum distributa est, ut singularium morborum sint medici, non plurium. itaque omnia referta sunt medicis.* & statim de quodam medicorum genere, qui cadavera curant, subjicit; *Sunt certi ad hoc ipsum constituti, qui, cum ad ipsos cadaver portatum est, diligentissime condiunt corpus, &c.* Idem scribit Diodorus loco nuper citato additque: *curatores cadaveris vocari salitores.* & quidem etiam illud nomen *medici*, tum a sanando, tum a curando ex Hebræo deducitur. Septuaginta vocant; *sepultores*, & Divus Augustinus lib. 1. loquutionum sic scribit: *Quod scriptum est, dixit Ioseph servis suis sepultoribus, ut sepelirent patrem ejus, non invenit lingua Latina quemadmodum appellaret Entaphiastas; non enim ipsi sepeliunt, id est terræ mandant corpora mortuorum, quod non est Græce, Enetaphiasan; sed etapsan. Illi ergo Entaphiastæ id agunt, quod exhibetur corporibus humanis, vel condiendo, vel secando, vel involvendo, & alligando; in quo opere maxime AEgyptiorum cura præcellit. Quod ergo dicit; sepelierunt, curavere, intelligere debemus; & quod dicit, quadraginta dies sepulturæ, ipsius curationis accipiendi sunt.* Quanquam Herodot. Septuaginta dies conduturæ as-

Herodotus.
Diodorus.
Plutarch.
Plinius.
Mela.
Cicero.
Lucianus.
Sextus Empir.

Medici cadaverum.

Herodotus.

Diodor.

LXX.
August.

רפאים

ἐνταφιασας
ἐνεταφιασαν
ἐταφαν

signet. Sic igitur dicetur cadaver sepultum *vigilare*, continuare, perdurare, quod sedulo curatū fuerit, & ambitiose conditū ab Entaphiastis, & curatoribus.

Sed addam etiam conjecturam ex Diodoro ad paulo diversam interpretationē: Fuere quidem nonnulli AEgyptii, qui nō solum conderent, & condirent suorum majorum cadavera, sed etiā illorum imagines, quasi viventes, & spirantes haberēt: *Plures* (inquit) *AEgyptii progenitorum corporibus domi magno sumptu conditis, respicientes suorum imagines viventium magnitudine, & habitu, a longa progenie ductas, tanquam viventium aspectu animo oblectantur.* Meminit quoque Herodot. harum imaginum quas simul cum conditura medici illi conditores, & sepultores curabant. Posset igitur aliquis suspicari, cum dictum est, *cadaver deducendum ad sepulchrum, & vigilaturum*, intelligi non solum condiendum, sed etiam quasi in imagine quadam vivente, & spirante victurum, & *vigilaturum in congerie*, & longa serie imaginum suorum majorum: nam hic supremus omnis funeris honor, ut diximus, describitur.

Novæ interpretationis suspicio.

Diodorus.

Imagines defunctorū quasi viventes, & spirantes.

Herodot.

℣ *XXXIII. Dulcis fuit glareis Cocyti, & post se omnem hominem trahet, & ante se innumerabiles.*

1. *Sententiæ obscuritas, & difficultas. Varia lectio, variaque significatio singularum vocum.* Torrēs Glarea.
2. *Variæ expositiones, Impiorum prosperitas.* Mors.
4. *Germana expositio. Varia* inferni *appellationes.*
4. Cocytus *qualis fluvius. Stygius Fons.*
5. *Vulgata versio elucidata. Scriptura interdum vulgari, & fabulosa loquendi modo utitur ad exprimendam veritatem.*
6. *Sepulchra ad ripam fluminis. Precatio illa,* Sit tibi terra levis. *Hipallage.*
7. *Impiorum pompa funeralis.* Pertrahere *quid.*
8. *Germanior expositio. Illorum comitatus, invitus potius, quam spontaneus. Illustratus Salomon.*

NVnc vel maxime magna hujus sentētiæ difficultate deterritus Catenæ au- I
ctor, *neq; hunc fluvium tranare audet sine adjutore, viaq; duce, neq; glareā, & lapides* attingere. quare illum ipsum, qui hæc philosophatus est, beatum (inquā) Iobū ducem. & expositorem rectæ viæ desiderat. multas ille expositiones indicat verbis licet obscurissimis; plures nos quoq; propone-

Nicetas.

mus: ſed quæ tamen ad duo capita referri poſſunt, alterum, ut hæc pertineat ad pœnam, & ſupplicium impii: alterum, ut ad fęlicitatem quandam, & honorem funeris, & cadaveris. Sed præmittenda tamen eſt difficultas, quæ ex ſingulis hujus ſententiæ verbis provenit: nam Vulgatus Interpres non ſolum poſuit ſpeciem pro genere, videlicet *Cocytum* pro eo, quod in Hebræo eſt, *torrẽte*, aut, *fluvio*, quemadmodum etiã Septuaginta legerunt; ſed præterea vox originalis, *Nahhal*, nõ ſolum ſignificat torrẽtem, ſed vallem, per quam torrẽtes defluere ſolent. Quare *lapides vallis* vertunt Pagnin. & Cajetan. Adde, quod inverſa videtur in noſtro interprete ſententia, nam dicit impium *dulcuiſſe glareis*, & lapidibus; cum e converſo in Hebræo dicatur; *Lapides, & glaream dulcuiſſe impio*; ſicut etiam Septuaginta vertunt, *Dulces fuerunt ei lapides torrentis*. Illud tandem, pro, *glareis*, in originali eſſe vocẽ *Regebim*, quæ vox Iob. 38.38. vertitur *Glebæ*, in Septuaginta Cõplutenſibus, *Silices*; in Vaticanis hoc loco, *Lapides*; in illo autem loco. Iob. 38. vertunt *pulverem*. R. Mardochai ait vocem originalem ſignificare *profundum*, aut, *particulas pulveris*; & totam ſententiam ſic vertit: *Dulcem quietẽ præſtant ei glebæ planiciei. Hoc eſt*, Regeb *eſt locus in valle cõjunctus torrenti, ubi manet aqua, vel gleba terræ; nonnulli volunt eſſe partẽ torrentis*. Idem R. Ionach. Alii exponunt terræ *ſciſuras*, aut *rupturas*, quæ præ ſiccitate fiunt, ſive etiam, ut Vatablus ait, *rupturam torrentis ſuapte natura factam in torrente*. R. Levi. R. Abraham, & R. Moſeh, dicunt eſſe *ſciſiones planiciei*, referri tamen ad ſepulchrum. Alii dicunt eſſe *ſpeluncas ſepulchrales*, que juxta torrentes fiebãt, *in ſabulo vallium, ut corpus citius conſumeretur*. Vides, quanta in ipſis verbis obſcuritas, & varietas, quanta proinde in tota ſententia difficultas!

Varietas interpretationũ. — Varia lectio — LXX. — נחל — Pagnin. Cajetan. — LXX. — רגבים — LXX. — R. Mardochai. — R. Ionah. — Vatabl. — Iſidor. Clar.

2 Primo ergo Catenæ auctor, atque Cajetan. putant deſcribi adhuc ubertatem agrorum impii, ſed non eadem ratione; nã Cajetanus ait *Glaream*, & *Glebas vallis*, id eſt agrorum, *dulces, & delectabiles eſſe impio*, non ſolum (inquam) ſata, ſed partes agrorum novalium, quæ alternis annis ferũtur, quæ verbacta appellantur. *Pars* (inquit) *agrorum non ſata, ſed quieſcens in Glebis planiciei, delectabilis fuit ei*. At vero Nicetas; Homini nequam tanta gignitur ubertas, ut etiam terra ſterilis, cujuſmodi ea eſt, quam torrentũ curſus, ac ſaxa exaggerarũt, ſit fructifera. Quod videtur alludere ad id, quod c. 5. 23. dictum eſt ab Eliphaz: *Cum lapidibus regionum pactum tuum*. Sed videtur interpretatio coacta, & longe petita, neque cum re funeris, quam ſemel inſtituerat, convenire.

Nicetæ, & Cajetani expoſitiones rejectę. — Fertilitatis periphraſis.

Secundo auctor Catenæ Græcæ hanc expoſitionẽ præ cæteris eligit, quod *torrẽtis lapides*, id eſt, *hujus fluxæ, & caducæ vitæ aſpera, & inæqualis conditio, ſit impio voluptati*. nihil videlicet mali ſenſit, dum vixit. Sed ipſa expoſitio ſe prodit eſſe allegoricam, non litteralem.

Nicetæ allegoria.

Tertio Vatablus; *Glebæ torrentis, ubi ſepultus eſt, nullum negotiũ illi faceſſunt*. Hoc eſt, *nullum malum ſenſit poſt mortem*. Sic videlicet, ut Catenæ auctor indicat, ipſam foſſam, torrentis ſpeciem imitantem, vel ipſos lapides injiciendos, dulces videri impio; *cum nec moleſtiam*, (inquit) *neque admirationem ea res adferat, cogitanti, non ſibi ſoli eſſe moriendum*.

Vatab. — Impio quomodo non valde moleſta cogitatio mortis.

Paulo aliter Iſidorus Clarius, quanquã obſcurius, figurate dici impium mortuum lætaturum, quia (inquit) *Securus eſt, quod propter mortem nos nihil certi de eo, aut pro eo pronuntiare queamus*. ſic videtur illi dulceſcere ſepulchrum. Hæc exponendi ratio, ſi non omnino placet, certe nõ diſplicet omnino, ſequemur enim ex parte.

Iſidor.

Ergo illa eſt fere communis omnium Latinorum expoſitio, ut res hæc *Lapidum torrentis*, & *Glareæ Cocyti*, pertineat ad ſupplicium impiorum. Ita Gregor. Philipp. D. Thom. & plerique poſteriores. Sapienter enim dixit Philippus: *Nos in Scripturis Divinis, eundem fluvium, torrentem, puteum, caminum, ignem æternum, lacum, ſtagnum legimus, & gehennam; glarearum vero nomine, ipſa officia Tartarorum, miniſtros quoque pœnarum infernaliũ*. Sed ne omnino allegorica ſit hæc expoſitio, atque ut pulchrior ſit translatio ducta ex Cocyto, ſic conficietur ſentẽtia; Impium, qui tam multa, tamque avide devoravit, dum viveret, mortuum jam momento temporis devorari a morte, & abſorberi a Tartaro, obruique ſempiternis ſuppliciis; non aliter, atque cibus dulciſsimus celeriter devoratur ab homine avidiſsimo, & guloſiſsimo.

3 Communis Latinorum expoſitio. — Gregor. Philipp. D. Thom. — Inferni nomina. — Sententiæ explicatus, atq. paraphraſ.

Sciendum eſt ergo, quod *Cocytum* finxit antiquitas tetram inferorum paludem, in quem horridus Acheron, fluvius etiam inferus, arenas eructaret, animos videlicet, & umbras defunctorum, uti a Poeta dictum eſt;

4 Cocytus palus inferna.

Hinc via Tartarei, quæ fert Acherontis ad umbras,
Turbidus hic cœno, vaſtaq; voragine gurges
Æſtuat, atq; omnem Cocyto eructat arenã

Virg. 6. Æneid.

Cum autem *Cocytus* a querelis, & lamentationibus nomen habeat, ut Plato ſcrip-

Cocyti nomẽ unde dicatur.

Plato. Gregor. D. Thom.

sit. 3. lib. de Repub. atque hic etiam Gregor. & D. Thomas notarunt, commode finxit antiquitas in Cocyto audiri bubonis gemitus, atque aliorum feralium aviũ tristissimos ululatus, qualis Coccycis, aut cuculli, a quo nomen *Cocyti* ductum videtur Hoc etiam descripsit eleganter Seneca in Hercule:

Seneca in Herc. fure act. 3 scé. 2.

Palus inertis fœda Cocyti jacet,
Hic vultur, illic luctifer bubo gemit,
Omenque triste resonat infaustæ strigis;
Horrent opaca fronde nigrantes comæ
Taxo imminente, quam tenet segnis Sopor,
Famesq; mœsta tabido rictu jacens;
Pudorq; serus conscios vultus tegit.
Metus, Pavorq;, Funus, & frendens Dolor
Aterque luctus sequitur, & Morbus tremẽs,
Et Cincta ferro Bella, in extremo abdita
Iners senectus adjuvat baculo gradum.

Lib. 11. Odiss.

Cocytum vero esse Stygiæ paludis rivulũ Homerus statuit;

Atque Piriphlegeton, Cocytusque e Styge labens
Immensas Acherontis aquas mox fluctibus augen'.

Stygius Fons. Herodotus. Pausan. Plinius. Astunica.

Stygium vero fontem ad Nonacrim Arcadiæ urbem scaturire tradit Hero. in Erat. Pausanias vero in Arcadicis, & Plin. lib. 3. c. 2. illius potũ exitiosum esse animalibus, atque ejus aquæ eã vim esse, ut omnia metal a solvat, & erodat; nullumque vas esse, quod aquæ vim sustinere possit. Quod enim alii comminiscuntur, in eum lacũ multa cadavera conjici solita, sine auctore est.

5 Hæc cum de Stygiæ, & Cocyti aqua dicantur, cumque *Glareis*, aut vero limo torrentis dulcescere dicatur impii cadaver, forte intelligere potuit Interpres cito devorari, & tanquam cibum suavissimum impium appeti ab inferis; atque ut eam rem, notiori alia, & pervulgata illustraret, pro torrente, *Cocytum*, supposuit, reipsa, aut certe existimatione ad præsens institutũ valde accommodatum: præsertim cum non solum Interpres, sed primæva etiam sacrarum Litterarum institutio aliquando fabulosæ, ac vulgari loquendi rationi, se accõmodet, ut clarioribus, & vulgatioribus verbis veritatem proponat. Tum etiam forte indicat, impios alios damnatos, qui per arenam sive *Glaream Cocyti*, significantur, advocare ad se impium divitem pari supplicio puniendum: propterea q; illius adventum in sedes tartareas dulcem, id est, jucũdum, atq; lætũ existere cæteris damnatis. sic igitur referri poterit hæc sententia ad supplicium impii.

Cur interpres Cocyti nomen usurpaverit.

6 Sed ut leniter hæc sententia cohæreat, & de supremo illo funeris honore accipiatur, opportune dicetur perstare adhuc Iob in describenda sepulchri pompa, & temporali cadaveris fœlicitate, atque securitate: ita ut hæc sit periphrasis loci, in quo sepeliebantur cadavera, atq; secure quiescebant: nam cum vox originalis significet convallem, in qua aliquando sepulchra parabantur, vel torrentem, ad cujus ripam forte constituebãtur, notiori, & vulgatiori appellatione rem eandem Interpres explicat, videlicet impium benigne, & comiter excipi a lapidibus, & *Glarea Cocyti*, & ab aliis etiam cadaveribus honorifice salutatum, eadem ratione, qua Isaias. c. 14. 10. describit descensum ad inferos Regis Babylonis; *Infernus subter conturbatus est, in occursum adventus tui suscitavit tibi gigantes, omnes Principes terræ surrexerũt de soliis suis, Omnes Principes nationum.* Ergo (inquit) cũ impius infertur in sepulchrum, minime gravate, aut moleste excipitur a terra parẽte, dulcis est glebis, dulcis lapidi, qui imponitur sepulchro, dulcis solo, in quo cadaver sternitur, molliter, leviter, suaviter tractatur a terra. nam profecto videtur respexisse Interpres ad illam fœlicitatis partẽ, quã prisci precabãtur suis defunctis; *Sit tibi terra levis.* quibus verbis precabantur, ut terra amica, & benevola corpus exciperet, nõ gravis, & irata; quem enim terra nimium gravis premeret, putabatur non posse evolare ad regiones superas: ut illis verbis Tertullianus indicat de testimonio animæ, c. 4. cum ait illi, cujus memoriam cum morsu suis usurparet; *Terrã gravem imprecaris, & cineri penes inferos tormentum.* Quanquam id ridiculum existimet æthnicus homo, Plinius lib. 11. c. 63. agens de terra; *Cujus* (inquit) *numen ultimam jam nullis imprecamur grave, tanquam nesciamus hanc esse solam, quæ nunquam irascatur homini.* Precabantur tamen cæteri, ut diximus, eam securitatem ab amica terra:

Cohærentior & verisimilior Interpretatio.

Sepulchra in convallibus, vel ad ripas fluminum sita.

Defunctis terram levẽ precabantur.

Tertul.

Plinius.

Ossa quieta, precor, tuta requiescite in urna.
Et sit humus cineri non onerosa tuo.

Et illud etiam de morte Eutichi:

Sit precor, & tellus mitis, & unda tibi.

Ovid. 3. amor ele. 8. ad Tibulli manes. Martial. lib. 6. epig. 67.

Sic igitur, & terram, & glebas sepulchri, & glareas, ac lapides feralis torrẽtis molles, leves, non graves fore precabantur impio in extremo illo sepulturæ officio. Quod perinde est, ac si dicatur, *Glareã*, & lapides dulces blandos existere defuncto. Rursus hoc per hypallagẽ, idem est, ac si dicatur ipsum defunctũ dulcem fuisse *glareis Cocyti*, & terræ sepulchri. Neq; vero elegantia caret, quod falsam istam & inanem impii fœlicitatem fabulosis quibusdam nominibus explicare voluerit Interpres.

Hypallage.

Falsa impiorũ quies fabulosis nominibus significata.

7 *Et post se omnem trahet, & ante se innumerabiles.* Hic iterum dissensio est, de supposito verbi, *Trahendi*: nam alii *Cocytum*, aut sepulchralem torentem, vallemve supponunt, ut sit periphrasis interitus mortaliũ omnium. similiter Vatablus mortem intelligit. q. d. *Si dicas illi esse pœnam, quod moriatur, respondeo omnibus hoc accidere*: nam si quid in morte amarum videtur, impio dulcescere potest hac consideratione, quod mortis necessitas inevitabilis sit omnibus mortalibus. Philippus dœmonem supponit, qui post se per imitationẽ, aut per prævaricationem generis humani, trahit, & ante se præmittit multos ad pœnas. Auctor catenæ, Tygur. atque Cajetan. subaudiunt *Impium*, licet non uno, & eodem sensu: nam Nicetas fere sicut Vatabl. at Cajetanus refert ad exemplum pravæ vitæ, & fælicitatis sectandæ: Impius (inquit) dum viveret, multos in sui ęmulationem pertraxit: mortuus etiam multos sui imitatores relinquit: neq; præterea hæc impiorũ prosperitas, & vivẽdi, atq; moriẽdi ratio contingit raro: sunt enim innumerabilia illius exempla.

Mortis univer sorum circum loquutio.

Vatab.

Philippus.

Nicetas. Tygurin. Cajetanus.

8 Sed forte cohærebit commode hęc etiã pars cum præcedentibus, si accipiatur de comitatu impii, sive in vita, sive in pompa funeris, in hanc sententiam; Viventis latus multi claudebãt; habebat multos anteambulones, multos assecias: mortuum etiam multi lugent, & innumerabiles comitantur funus. Habet porro sententia hæc amplificationem magnam; nam quando Salomon Regem adolescentem, & recens inauguratũ instruere vult, ne insolescat multorum comitatu, ait Eccle. 4. 16. *Infinitus numerus est populi omnium, qui fuerunt ante eũ.* sed subdit statim, nõ valde multos assecias aut anteambulones habiturum vel in morte, vel in senectute; *& qui postea futuri sunt, non lætabuntur in eo.* at de impio dicit Iob, *ante se, & post se innumerabilium* hominum comitatum habiturum. Sed est hoc loco verbi *pertrahendi* elegans vis, & proprietas, non solum in Latino, sed etiam in Hebręo, nam verbum *Masac* significat cum vi aliquid trahere, quasi invitum. quare significabit eos, qui impio obsequuntur, non tam sponte id facere, amore videlicet, & obedientia, aut pietate; quam timore, & vi, invitos & repugnantes.

(∴)

Cohærentior expositio.

Disciplina principis adolescentioris.

משך

Impio familiares, & servi inviti.

XXXIIII. *Quomodo igitur consolamini me frustra, cum responsio vestra repugnare ostensa sit veritati?*

1. Frustra *Inanis consolatio ex hujus vitæ bonis.*
2. Hispanismus Prævaricari *quid. Explicatus Salomon.*
3. Transgredi *affert contemptum. Tacita Iobi de suis amicis querimonia.*

Colligit ex sua responsione, & falsam, & inanem esse suorum disputationẽ: falsam quidem, quia astruebant impios in hac vita potissimum pẽdere pœnas suorũ scelerum; inanem, quoniam ea disputatio non erat opportuna ad erigendum, & consolandum animum miserrimi hominis. Tũ etiam consolationem, quam ipsi afferebãt, & pollicebantur ex hujus vitæ commodis, & fælicitate, *frustra* esse, proprie, *vanã*. Septuagint. *Consolamini me inaniter.* 1

Cum responsio vestra, &c. Proprie ex Hebr. *Responsiones vestræ remanent mẽdacium. Quedan por falsas.* Vox originalis, quam per paraphrasim vulgatus illuminavit, dicens; *Ostensa sit repugnare veritati*, est in Hebræo simplex *Maghal*, quod proprie est pręvaricatio, transgresio. & quia, qui loquitur, si prætereat præfixos veritatis terminos, errat; ideo ab Interprete pro *errare* sumitur. Prover. 16. 10. *Divinatio in labiis Regis, judicio non errabit os ejus.* Heb. *non præteribit*, aut, *non transgredietur os ejus*. Aquila, & Theodotio, *Prævaricabitur*. ideo sensũ trãstulit Vulgatus, & *repugnare* *veritati dixit, quod prævaricatur, aut *præterit* præfixos veritatis terminos. 2

Pagnin. Regia. Vatab. Cajetan.

מעל

*Aveys habla do largo, y pas sado el pie de la mano.

Est etiam notãdum verbum hoc afferre contemptũ quẽdam, id est transgresionẽ, & prevaricationem per contemptum, & cõtumaciam repugnando, & opponendo se illi, cui quis debet se submittere, tanquam inferior. sic enim quidam curiosi & docti linguæ Hebraicæ observant. Quare eũ locum Prov. transtulit Symmach. *Non faciet injuriam*, id est, non contemnet facere injuriam, aut errare in judicio; quare cum prævaricationis arguit suos amicos Iob, tacite conqueritur, se ab illis contemptum, a quibus potius observari debuisset, agnoscentibus simul veritatem, & illam ingenue confitentibus. 3

CAPVT XXI.

PARAPHRASIS Capitis præcedentis.

NOTATIO RERVM INſigniorum, quæ in Commentariis fuſius explicantur.

1 Reſpondens autem Iob, dixit.

2 Audite, quæſo ſermones meos:

* & agite pœnitentiam.

3 Suſtinete me, ut & ego loquar,

* & poſt mea, ſi videbitur, verba ridete.

4 Nunquid contra hominē diſputatio mea eſt, ut merito non debeam cōtriſtari?

5 Attendite me, & obſtupeſcite, & ſuperponite digitum ori veſtro.

6



ORATIONEM Sophari, & aliorum amicorũ de brevi impiorũ exitio, certo, ; ſupplicio, hujuſmodi reſpōſione ſapientiſsima excepit IOB. Cum ingens ſit viri, non male de rebus judicantis cruciatus, quæ recte bonaq; mēte dixerit, perperam atq; ſiniſtre ab aliis accipi, neq; permitti integrum ſui animi ſenſum in queſtione propoſita ſatis exponere; cogor profecto attentionem veſtram vehementius efflagitare, ut pacatiori animo, & ad recte judicandũ magis idoneo me dicentem audire velitis. *Si enim longanimes, atq; benignos meæ vos orationi præbueritis, oſtendetis profecto jam vos ipſos priſtinæ diſputādi formæ pœnitere. Erit igitur veſtrum hoc ſilentium mihi pro magna conſolatione, fietq; profecto, ut cum intellexeritis verba ad conſolandum idonea vos minime feciſſe, tum veſtri vos pœniteat conſilii, tum orationis ordinem commutetis, neq; tam crebro mea vulnera refricetis, dum illa a Deo irato & indignante inflicta mihi fuiſſe aſſeritis.

Me itaq; tantiſper loqui, ac mentē meam exponere permittite. Scio meam vobis orationem gravem videri, ſed me ferte dicentem, ac meæ ipſius ægritudinis gravitatem veſtra taciturnitate ſublevate. * Quam veſtræ benignitatis gratiam pari quoq; officio cōpenſabo: nam tacitus deinde, patientiſsimusque veſtram irriſionem excipiam. Sed ridebor ſcilicet, ſi ſemel audiar, minime ſane; nam poſtquam ipſe arbitratu meo peroravero, ſuper priorem me accubitum, & ſedem collocabitis.

Non diſputo vobiſcum, o amici, neq; cũ ullo homine, mei ſimili, ſed cum ipſo Deo de mea juſtitia, quā cum ille vobis teſtatā nō faciat, merito conſtriſtor, & mente conturbor. Et quidē illud quoq; me vehementer exagitat quod me hypocriſis, atq; ſimulatæ pietatis inſimulatis. Atqui hominem latere poſſet meum mendacium, ſed minime Deũ, omnia videntem. Neq; vero ego tātum exiſtimationem meam apud vos tueri volo: neq; ea res ullam meo animo triſtitiam aſperget. Sed illud tamē non poſſum non mœrenti, ægroq; animo ferre, quod Deum alloquar, a quo viciſsim ego mearũ querimoniarũ reſponſionē nullā accipio. Sed nihilominus meam de re graviſsima ſive orationē, ſive querimoniā non omittā: non enim de re aliqua humana eſt, ſed de re plane cæleſti, atq; Divina, de Providentiæ, & Sanctiſsimæ Fidei arcanis, de impiorũ ſuppliciis, de piorũ ærumnis, de Divina Iuſtitia. Hæc videlicet attentũ, & ſerium auditorem poſtulāt, ut merito adverſus ſubſannatores, atq; negligentes auditores contriſtari, & excandeſcere debeam.

Sed vos, o amici, ſi cum animi attentione in me dicentem intenderitis, obſtupeſcetis profecto: videbitis enim tum meā innocentiā afflictā, tum aliorum improbitatem fælicē, ſupra quam oratione ulla explicari poſsit. Sed meam potiſsimum incredibiliũ ærumnarũ magnitudo tāta eſt, ut omnē dicendi facultatem ſuperet, de quibus propter rei difficultatem, ſilere præſtat, quā leviter pronuntiare, temereve de Divinæ Providentiæ arcanis quicquā ſtatuere. Tantiſper igitur, dũ loquor, verba, ſententiaſq; compeſcite: nam poſtquam audieritis, proculdubio vel injuſsi tacebitis, de meis rebus jam minime temere pronuntiantes.

Nihil vero magnũ a vobis poſtulo: nā ego ipſe, qui loquor, cui mea

mala familiaria sunt,nõ possum trãquilla, & pacata mẽte vel memoriã repetere præteritorũ meorũ malorũ, vel impiorũ fælicitatis recordari. Strictim igitur attingã, & breviter cõmemorabo, de quibus sum dicturus: * nec enim,qui meos artus dolores obsidẽt, largiuntur mihi,ut longiore utar oratione. Pertimesco igitur ac vehemẽter sollicitor, ne cũ de Deo,atq; illius Providẽtiæ arcanis disputaturus sum,temere aliquid loquar,atq; vestri,o amici,similis efficiar,qui intrepide,&incũctãter de rebusDivinis judicatis,quãvis sane ab homine dolẽte,atq;miserrimo,quẽ cruciatus,& ęgritudines incredibiles possidẽt,non est postulanda magnifica,atq; ambitiosa oratio, de re licet magnifica, atq; materia longe exquisita,atq; sublimi.

Et ego, quando recordatus fuero,pertimesco:
** & concutit carnẽ meam tremor.*

Sed rem jã ago meã,Si propter sceleratã vitã dira supplicia sustineo, cur,qui omniũ scelerũ colluvione inquinatissimi vivũt,vivunt tamẽ,ac fæliciter beateq; vivunt,vivunt quoq; diutius?*Cur tã firmas,stabilesq, opes consequũtur?Cur præcelso dignitatũ omniũ fastigio gaudẽt,atq; insolescũt?*Cur deniq; ab ineũte ætate ad summã usq; senectutẽ eundem vitæ,fælicitatisq; cursum nunquam interruptum tenẽt,nihilo meliores ipsa diuturna divitiarũ possessione effecti; sed potius ad scelera perpetrãda audaciores,prõptioresq;,&ad ipsas rapinas nunquã dimittẽdas,neq, suis dominis reddẽdas fortiores,& potentiores redditi?

7
Quare ergo impii vivunt,
** sublevati sunt, confortatique divitiis?*

Sicut post vitã,atq; divitias prima, atq; potissima fælicitatis pars in liberorũ posteritate sita est, ita horũ filii firmã atq; stabilẽ, prospereq; incedentẽ vitę rationẽ,& cõditionẽ sortiuntur,&quæ nunquã suosparẽtes fallere possit. Vidẽt itaq; impii,&liberos suos in sublimi honoris, & dignitatis gradu collocatos, * ac vidẽt cũ ingenti lætitia,& gaudio, quod semel optarũt,nunquã sane eventũ spe minorẽ. Iucundissimum itaq;conspectum illis exhibet gnatorũ,nepotumq; quasi virentium,lętissimorumq; germinum ubertas,& copia,quibus ipsi parentes florere se,ornariq;conspiciunt,atq; gloriantur.

8
Semen eorum permanet coram eis:
**Propinquorũ turba, & nepotum in conspectu eorum?*

Ex his domus efficitur,consurgitq; familia incredibili rerũ omnium fælicitate,atq; pace ita confirmata,ut nullã florẽtis status vicissitudinẽ pertimescat,neq; solũ humanas omnes insidias contẽnat, verumetiam nullam supremi judicis severiorẽ vindictã sentiat, ac ne supernã quidem Numinis potestatem revereatur: sed impune,aclibere arbitrio,palatoq; suo omnia metiẽtes,quasi penes illos esset summa potestas,nullum suæ causæ judicem velint agnoscere.

9
Domus eorum securæ sunt,& pacatæ:
**& non est virga Dei super illos.*

Quid vero de re illorũ pecuaria dicã? Sunt videlicet armẽta fæcundissima,quibus nunquã contigit,ut vacca immaturũfœtũ funderet,aut sinistri aliquid prægnans pateretur; * nunquã taurus inutili congressu pecus iniret, nunquãve armẽtorũ cõsortia iners abominaretur.*Iuvẽca,cũ peperit,nulla fœtũ abjecit,nullũq; fœta sẽsit tædiũ. Nũquã itaq; desiderãtur in gregibus vituli integri,plurimi,pingues;nulli sunt, quos oporteat removere a matribus,sed plurimæ bis veniunt ad mulctrã,binosq; binis vberibus alũt fœtus,apprimeq; referunt ipsorũ dominorũ, atq; uxorũ tanquã lascivientiũ,præpingiũq; vaccarum fertilitatẽ,filiorũq; petulantissimorum,ac filiarum taurientium multitudinem.

10
Bos eorum cõcepit,
**& non abortivit:*
**Vacca peperit, & non est privata fœtu suo.*

Verũ enim vero pecudum more propagantur impii; tum quod corpori tantum vacent, tum quod ex liberorum plurimorum procreatione generis, & nominis æternitatem quandam sibi polliceantur. Mirum igitur,videre illorũ liberos lactẽtes adhuc,aut etiã depulsos ab uberib[9] matrum, pessimæ indolis documenta præbentes; [a] instar numerosissimorum gregum lascivientes, petulantes, ac nullla honestioris disciplinæ lege, & fræno institutos; licentiose omnino ad libitum domi subsilientes,foris vagantes; parentibus interim honestæ,& probæ illorum institutionis prorsus oblitis,ac nihil minus curantibus,neque sollicitis, quam quomodo illi ad vitam universam informentur. quo fit, ut illa ipsa pueritiæ vitia,cum ipsa simul ætate crescant,& adolescant. * Quare suæ libidini, & stultitiæ permisit, totos se tradunt scurrilibus ludis,& indecoris saltationibus,cantilenis quoque,ac musicis impuris-

11
Egrediuntur,quasi greges,parvuli eorũ,
**& infantes eorum exultãt lusibus.*

a *Res rustica curandorũ agnorum, continendorum intra septa, aut emittendorum ad pastũ, & de pueris instituẽdis, peculiaria quædam toto hoc vers. de saltatione vero præsertim.n.5.*

fimis

ſimis,nec nõ corruptiſsimis colloquiis,atq; ſocietatibus.Eſt quippe vigor iſtius ætatis incõtinens voluptatũ. & fræno opus habet ; & qui illã non magna opera regendã ſuſcipiunt,imprudentesanimo licentiã qua ad flagitia feratur,concedunt. At illud utiq; intolerabilis flagitii eſt,cũ parentes,& ſenes ipſi impudẽtiſsimi exẽplũ ſe ſe præbent inſignis impudentiæ & verecundiæ adoleſcentibus, illorum libidini aſſonantes.

12
Tenent tympanum, & cytharam, & gaudent ad ſonitum organi.

Nam cũ filiis exhilarãdis nihil nõ indulgẽtiæ,& ſollicitudinis adhibeãt ipſi parentes indulgẽtiſsimi, æque ac in vero officio negligẽtiſsimi,cũ nihil de virtutũ,& morũ honeſtate procurẽt,at curãt tamẽ,ut canendo & ſaltãdo,ac muſicis inſtrumẽtis pulſandis aſsidue ſe ſe exerceãt: atq; illis omnibus ſtudiis vacent,quæ ad ſolã voluptatẽ,& illiberales corporis motus,pravosq;animorũ affectus cõparata ſunt. Quin ſe ipſos parentes exhibent ſaltandi, & pulſandi magiſtros , Tubicinesq; , & præcentores,atque in medio ſuorum liberorũ conſiſtentes,pravo exemplo præeunt, & voluptatis ſtudio alliciunt,& concitant.

13
Ducunt in bonis dies ſuos:
**& in puncto ad inferna deſcendunt.*

His itaq; tot,ac tãtis vitæ oblectamẽtis,nunquã impedito fælicitatis curſu,omne ſuũ ævũ beate traducunt, atq; in ſũma voluptate,& jucũditate omnes ſuæ vitæ annos perficiũt,& cõplent.Et,ne quidquã deſiderare poſsint,perpetua quadã b cõviviorũ ſplẽdidiſsimorũ ſerie dies univerſos numerãt, non ſolũ palato deſerviẽtes, ſed aures etiã ſuaviſſimorũ inſtrumentorũ concẽtu,& harmonia demulcẽtes,filiorũq; ſuorũ choreis,luſibus,ſaltationibus,quæ ſunt omnia cõviviorũ ornamẽta, magnificẽtiſsimas epulas celebrãtes. * Cũ vero jam naturæ fato concedunt,mirũ,quã jucũda mors illos cõplectatur,quã brevis,nullo diuturni morbi, doloris ve tædio,aut ſenſu! Sine ullo igitur cruciatu ad inferorũ ſedes demigrãt,in illo ſane dãnatorũ carcere ſempiternis ſuppliciis exagitãdi.Deſcẽdũt quidẽ placidiſsime,atq; leniſsime,ſed eo deſcẽdũt,ubi irrequieta cruciatuũ univerſorũ ſerie percellũtur,& cõfringẽtur. c Aſcenderat nimirum in cœlũ quondã illorum ſuperbia,ſed peccati graviſsimo pondere oppreſsi , lapſi præcipites in puncto videntur ad infimas inferni ſedes perveniſſe.

b *De boni ſignificatione ad rem convivialem peculiaria quædam nu. 1. & de conviviorũ luſibus & ſaltationibus ex priſco ritu.nu.2.*

c *Quantum peccati pondus, quanta impiorum deſcendentium ad infernum velocitas, pulchre oſtenditur.n.6.*

14
Qui dixerunt Deo,
**Recede a nobis,*
** Et,ſcientiam viarum tuarum nolumus.*

Cum illa vero vitę,quã diximus fęlicitate,& bonorũ omniũ affluẽtia cõjuncta eſt inſignis quædã adverſus Numẽ audacia,& impudẽtia,quę cũ omnes verecũdię fines ſemel trãſierit,ſic apud ſe animo ſtatuũt,atq; etiã ore impudico pronũtiãt,ut ſupremi judicis poteſtati,& Numini legẽ pręſcribere,& rationẽ agendi præcipere velint, * Ne ſua ille providẽtia,& bonitate pravis conatibus obſiſtat, neq; ſe illorũ mẽtib⁹ ultro inſinuet divinũ lumẽ,ſed aliorſũ divertat,atq; declinet,aditũ liberũ,& expeditũ ipſorũ libidini relinquens. * Sic ſane omnẽ animo ſalutarem cogitationẽ excutere conãtur,&quaſi Divinã præſentiã faſtidiẽtes omne cũ divinis rebus cõmercium repudiant. Animo itaq;ſoluto ac vacuo nullaq; moleſtia impedito ſemper vivũt,a Deo palã abalienati: d nolũt enim experiri,ac nequidẽ leviter attingere viã divinorũ præceptorum ullũq; pietatis guſtum capere;quem ſi ſemel profecto ſumerent, facile impietatis damna ſentirent,meliora ſaperẽt,ac virtutis dulcedine allecti ad meliorem mentem converterentur.

d *Vt ipſo pietatis experimento,tum etiã exercitatione improbitatis homines ad ſe adducat Deus,utiliter diſſeritur,nu.4.*

15
Quis eſt
** Omnipotens,*

Inſtar impiiſsimorũ athęorũ,vidẽtur ignoraſſe Deũ * omnia potentẽ auferre atq; cõferre:cui oportet a mortali homine deferri ſemper cultũ dignũ atq; cũ omnia præterea metiãtur ſua vel utilitate,vel voluptate tanquã ſordidiſsimi mercenarii,nullas vidẽtur agnoſcere Divinæ bonitatis divitias,quibus ſuos ſervos afficere,atq; cumulare poſsit. Contẽnunt igitur eũ,a quo nihil ſperãt,nihil timẽt:atq; illas plenas contẽptu voces ſæpius uſurpãt;Quis eſt is tã potens, e qui omnia perdere,& vaſtare poſsit,ad omnia perpetranda robuſtiſsimas ? nã illius vires nunquã experti ſumus.Quis igitur erit tã vecors,ut illud timeat,quod ignorat? Quis iſte tã fœlix atq; beatus , ut ex tanta bonorum affluentia ad mortales bonorum omniũ ingens copia redũdet , quæ nobis ſit ſatis, ſuperque ? nam non aliam fælicitatem experimur , quam illam ipſam, quam induſtria,laborq; noſter pepererũt.Quis deniq; iſte mundi parẽs

e *Diligens, & exquiſita tractatio nominis Saddai , & multiplex illius ratio , & etymologia a nu.2. uſq; ad.4.*

atq; enutritor, vel potius nutrix indulgentissima, ex cujus plenissimis uberibus quidam fingunt nos omnes vitam sugere, & accipere? * Nemini sane ignoto serviemus Domino; sed nobis ipsis, nostrisque potius affectionibus. Et quoniam (inquiũt) nostri oculi verissimi sunt rerum testes, ex eorum tantum, quæ videntur utilitate, & lucro vitã nostram, actionesq; omnes nostras metiemur.* f Ecquid enim opis polliceri nobis possimus, si ad adorandum invisibile quoddam Numen procumbentes accesserimus? quippe nunquam vidimus nostris illum precibus occurrisse. Incredibilem plane stupidissimorum hominum impietatem, & intemperantiam prorsus ferinam!

f De orationis studio, & divina benignitate nostris accurrẽte precibus utilia, quædã. n. 7. & 8.

** Ut serviamus ei?*

** Et quid nobis prodest,*

si oraverimus illũ?

Sed quis nõ miretur tantã peccandi impunitatem, audacissimamq; temeritatem, cum illam ipsam fælicitatem Divina illis largitas contulerit, quam a Deo sibi sperare, atque frequenti precandi studio, & diligenti Divinæ legis observatione promereri potuissent? Ingratissimi igitur vel Deum contemnunt, vel agnoscere recusant. Sed inconstantia humanæ fælicitatis miseros istos brevi deludet: quod si diuturnior fuerit, non erit tamen perpetua: quod enim nunc possident, minime permissum est illorum arbitrio, & potestati, nam hinc excedentes minime poterunt quicquam secum exportare: simul enim cum vitæ usura, usus quoque, atque potestas suis voluptatibus fruendi illis adimetur; & quam ipsi suis honestis operibus fælicitatem minime promeriti sunt, ad alienos tunc devolvetur.* g Propterea ego longe semper absfui ab instituto, & vivendi ratione impiorum. Longeque alia insedit animo sententia, atque voluntas de hujus vitæ fælicitate aut appetenda, aut procuranda. Nam proh Deum, quam stultum, quam cæcum improborum consilium, futurorum oblitos præsentibus se committere, & æternis præponere temporaria! cum tamen etiam ipsa, quæ nondum possidemus, si illorum largitorem promereri volumus, in manu jam quasi comprehensa, & possessa certo credere, gloriariq; possimus.

16

Verumtamẽ, quia non sunt in manu eorum bona sua,

g Quale sit impiorum consilium, & quod Deus non tam remuneratorẽ se præbeat in hoc seculo, quam in futuro, utilia quædam. n. 3. 4. & 5.

** Consilium impiorum longe sit a me.*

At improbi preterquam quod nimis volubilem, atque inconstantem, sæpeque deficientem fortunam possident, sed ut diuturna sit, & perpetuus vitæ comes, in morte tamen, non solum vitæ lux, atque jucundissimæ lucis usura, sed omnis etiam fælicitatis splendor obscuratur, & extinguitur: &, quod ingentem admirationem facit, quam subito, quam misere nulla prestini splendoris vel scintilla, vel mica remanente! incumbet nimirum in illos extrema pernicies, exundabitque ingens malorum omnium torrens, qui illos obruat, atque convolvat, instar rapidissimi fluminis. * h Tribuet tandem pro meritis supremus judex suam singulis tum præsentium, tum futurorum suppliciorum mensuram: atque justis propitius Deus, atque benignus, æque ac improbis minax, atque terribilis, seorsum a factione justorum illam improborum catervam relegabit.

17

Quoties lucerna impiorũ extinguetur,

Et superveniet eis inundatio,

h Exquisitus verbi dividendi in Sacro sermone usus ad Scripturarum intelligentiam. n. 2.

** Et dolores dividet furoris sui?*

Ergo jam tunc cum mortalium res extremo supplicio discernet judex supremus, improbi, tanquam res omnino inutilis, ac velut paleæ levissimæ excutientur, & ventilabuntur, & velut favilla, & pulvis minutissimus ventorum ludibrio permissus, dispergentur propellente, & agitante divinæ indignationis vento, & turbine, atque etiam Divinæ Iustitiæ ministris, spiritibus nequam impellentibus.* Iam tunc decussa gluma, & ventilatis quisquiliis impiorum, justi remanebunt, tanquam mundissima grana in æterna horrea recondenda, atque sicut cum justis terra ipsa tãquã cum optimo fructu pulchre ornata, & locupletata est, ita ablato, atq; excusso inutili illo impiorum pondere, sentiet se, & onere permolesto levatam, & sordibus turpissimis permundatam.

18

Erunt sicut paleæ ante faciem venti:

** Et velut favilla, quam turbo dispergit.*

Ex tam ingenti vero impiorum supplicio multum quoq; calamitatis & ærumnæ ad universam illorum posteritatem redundabit: nam quod dives impius per vim, & Tyrannidem ab infirmioribus rapuit cum summo illorum dolore, atque dispendio; tum ipse, tum illius filii cum summo & corporis, & animi cruciatu persolvere cogentur. Interim sane peccatorum omnium, atque commeritorum cruciatuum ratio-

19

Deus servabit filiis illius dolorẽ patris.

nes

nes Deus in numerato apud se servat, ⁱsuo tempore in impios proferendas. Sic sane tum supplicio, tum depravatissimis moribus, filii impiorum testes erunt nequitiæ adversus parentes suos, ut qui nō solum paternæ hæreditatis, sed etiam morum corruptissimorum, ingentisque supplicii hæredes instituti fuerint. * Iam vero cum æquissimus Deus justissimo supplicio improbos affecerit, tunc sero licet, ac suo malo sentient Divinæ Providentiæ curam, & efficacitatē in mortalium rebus procurandis, & illius justitiæ vim, & aciem in sceleribus universis vindicandis. Erudiet itaque stultissimos quosq; supremus judex, universorumque severissime admonebit peccatorum.

** Et cum reddiderit, tunc sciet.*

i De parētum supplicio in filiorum calamitatibus, et de hæreditate relicta morum depravatorum quædam ad Scripturæ intelligentiam, n. 2.3.4.

20 *Videbunt oculi ejus interfectionē suam. * & de furore Omnipotentis bibet.*

Hæc tamen supplicia sic sane permanabunt ad posteritatem, ut sceleratissimus ipse Paterfamilias perferre incipiat, propriisq; oculis filiorum internecionem sævissimā spectare cogatur: itaque qui quondam cæcus ruebat in scelera, tandem apertis oculis, quid facto opus fuisset, aperte cognoscat. * Sed neque tantum afficiendus, & perterrefaciendus erit aspectu malorum; sed amarissimo illo Divinæ indignationis calice abunde potādus, & inebriandus, cujus haustus & corpus, & animum impii pervadet, totumque hominem corripiet; agitabitur itaque, atq; convolvetur Divina immersus indignatione ad memoriam sæculorum sempiternam.

21 *Quid enim ad eum pertinet de domo sua post se: & si numerus mēsium ejus dimidietur?*

Verumenimvero sic exigunt Divinæ jura æquitatis. Ita enim vixit impius, ut nullam suæ domus, familiæque instituendæ in pietate, & religione, curam susciperet, nihilq; omnino animo curaret, quid boni, malive ex suæ vitæ ratione in domesticos, & familiares suos redundare posset. Propterea que non solum immitis, & inhumanus erga familiam suam extitit; sed erga se ipsum sævus, atque crudelis: nā propter vitæ turpitudinem, & improbitatē, non permittetur diutius vivere, neque ad eum annorum numerum attingere, quem si sancte vixisset, fælicissime progressus sine ulla vitæ difficultate perageret. Sed quidquid hoc est, quod ad corpus, vel ad posteritatem impiorum pertinet, parum quidem est; vita enim, atque viventium omnium cōsuetudine defunctum, quid illius animum aliorum cura tangat, aut viventium fælicitas, jucunditasve titillet? Esto enim, dum vivit, aliorum fælicitate fæliciter ipse vivat, atque triumphet; sed mortuus tamen ex sola filiorum calamitate non erit satis infælix, nisi animo ipse crucietur.

22 *Numquid Deum docebit quispiā sciētiam, qui excelsos judicat?*

Hæc sane est Divini judicii, atque supremæ illius Sapiētiæ formula, ut postquam impium patienter sustētaverit in vita, mortuum eterno supplicio gravissime afficiat: non enim semper a viventibus scelerum statim pœnas repetit. Neque vero aliam judicii, aut Providentiæ rationem convenientiorem proferre quispiam, aut excogitare poterit, quam eam, quam sapientissimus Deus in mortalium rebus judicandis tenet, hominibus præsertim potentissimis, atque opulentissimis; quorum & superbiam comprimere, & insolentiam retundere egregie novit; is enim est, qui & supremorum Angelorum, & celsissimarum Potestatum Iudex est.

23 *Iste moritur robustus, & sanus, dives, & fælix.*

24 *Viscera ejus plena sunt adipe, et medullis ossa illius irrigantur.*

Varia itaque, atque multiplex Divina Sapientia, atque Providentia rerum humanarum cum sit, fieri necesse est, ut cum improborum, proborumque hominum inequalis plerumque sit vitæ conditio, mortis quoque, atque futuræ vitæ sors inequalis etiam sit. Quid, quod etiam non eundem semper Providentiæ tenorem in tractādis sive probis, sive improbis servandum sibi proponit Deus? nimirum ex utroq; numero invenias quosdam maxime fælices, quosdam insigniter miseros; atque utriusque sive bona, sive mala communia esse; ut enim boni malis, ita bonis mala, & adversis prospera vitæ quadam perturbatione, & confusione videmus permisceri. Ergo invenias hominē valetudine, & virium firmitate integerrimum, (quæ non est ultima fælicitatis pars) deinde etiam ceteris bonis affluentem, quæ beatum efficere possunt; undequaque bene affectum, in summa quadam rerum

25 *Alius vero moritur in amaritudine animæ absque ullis opibus.*

omnium trãquillitate, & oblivione curarum, pinguem atque bene curata cuticula, tardo gravem abdomine, & obeso aqualiculo; denique in renibus opimandis luxuriantem, atque otiosam, & sedentariã vitam agentem, cui cum vitæ voluptatibus crescit quoque [k] tenuissima illa, & quæ vitam multum conservat, medullarum substantia; qua cum perfunduntur ossa, egregie valent, & confirmantur: nam vincula vitæ illius, quam anima corpori juncta ducit, applicata medullæ, eaque per omne deducta, vinciunt, & fulciunt corporis nostri constitutionem. Accidit etiam, ut impius quispiam temporali calamitate affectus, partem nunc aliquam supplicii accipiat, reliquum deinde per æternitatem luiturus, nullum harum vitæ voluptatum gustum percipiat, conflictetur cum morbis, atque doloribus, cum fame, & egestate. Et tandem, quod reliquum in hac vita est, mors una utrumque cõficiat, eadẽ deniq; post mortem sepulturæ, atque cadaveris conditio. Hinc profecto efficitur ex hujus vitæ sortis, & fortunæ vel discrimine, vel æqualitate minime sumendum esse judicium de proborum, atque improborum sorte, & fine: sed futuræ illius aut præmia, aut supplicia asserenda, & expectanda.

k De adipe, & pinguedine desidentium hominum, deque ossium medullis peculiaria quædã n. 5. & 6.

26 *Et tamen simul in pulvere dormiet: & vermes operient eos.*

Iam igitur perspicere potestis, quam opportune vobis responderim, quam recte vestræ etiam menti, ac tacitæ cogitationi occurrerim. Probe enim novi, quorsum tendant, quæ dicitis omnia: nã quæ contra impium in universum dixeritis, de me dicta, & intellecta esse vultis, atque malitiose me vestra oratione pungitis, temereque mihi meam innocentiam tuenti repugnatis.

27 *Certe novi cogitationes vestras, & sententias cõtra me iniquas.*

Atque hoc profecto intenditis mente, & animo apud vos taciti, ut cum Principum domos, & impiorum tabernacula Divino supplicio eversa, atque deleta dicitis, in me respiciatis, quasi me Deus propter insignem impietatem insigni supplicio affecerit. cum lusu quoque, & risu frequenter usurpatis illam quondam opulentissimã domum, arcemque munitissimam, quã vehementissimus ille turbo disjecit. Cum tamen si bono, & minime coacto animo erga Deum fuissem, bene de illo potuissem sperare adversus hostium impetus, etiam si domo, atq; munitione carerem, atq; ab omni familiarium, & domesticorum præsidio imparatus fuissem.

28 *Dicitis enim; Ubi est domus Principis; et ubi tabernacula impiorum?*

Sed, utcumque de mea innocentia vos existimetis, certe illa apud universos tam explorata, & certa est, ut ipsi viatores de me, deque mea vivendi ratione interrogati honorificentissimum mihi testimoniũ præbituri sint, quem vos præsentes usque adeo contemnitis. iidemque docebunt, impios in futuro sæculo perditioni destinari, quod ego apud vos serio contendo. Nã qui, instar viatorum, nullum in bonis hujus vitæ caducis finẽ statuentes, sed per hujus vitæ viã celeriter convolãtes, ad futuræ fælicitatis sedẽ contẽdãnt, hi profecto sciunt & de præsentibus, & de futuris sapienter judicare; atque illi potissimum, [l] si qui sunt, quorum itineris, atq; lõgissimi erroris fama ad vos pervenit, qui digressi ab AEgypto ad vicinas istas provincias Dei ductu, atque promissis contendentes, veram sancte vivendi legem, & sublimium mysteriorum revelationes divinitus susceperunt. Et quidem, qui multas obeunt Provincias, atq; mores hominum multorum, urbesque vident, hos oportet multa vidisse, atque collegisse exempla de impiorum in hac vita fælicitate, piorumque ærumnis. Quemadmodum vero iis, qui iter faciunt, signa sunt cognita, & diversoria nota, postquam iter confecerunt; sic qui humanæ vitæ spatia ambularint, quo tandem loci vitam depositui sint, haud est obscurum; improbus itaque dignum sua improbitate reperiet tandem diversorium. Atque utinam fieret, ut de viatoribus aliquem, qui confecto hujus vitæ curriculo hinc demigrarunt, liceret convenire, testemque proferre, subscriberet profecto isti meæ assertioni de bonorum, atque malorum fine, & exitu.

29 *Interrogate quemlibet de viatoribus: et hæc eadem illum intelligere cognoscetis.*

l Varia horum viatorũ tractatio, & de Hebræis, deq; Hebræi nominis ratione, & etymologia, quædam peculiaria a n. 4. usque ad 8.

Quamvis enim impius a communi clade occultis viis, occultaque

Divinæ

30 *Quia in diem perditionis servatur malus: et ad diẽ furoris adducetur.*

Divinæ Providentiæ ratione subducatur ad extremã usq; senectã; tamen sic exigit Divina Iustitia, ut ad sæculi cruciatus sempiternos, nũc illæsi custodiãtur, cum Divina indignatio, quæ nũc se se colligit, incredibili quodam impetu se in sceleratos omnes effundet.

31 *Quis arguet coram eo viã ej⁹, & quæ fecit, quis reddet illi?*

Interim impune vivit impi⁹ [m] nemine audẽte illius scelera coarguere, nemine etiã potente dignas de illius improbitate pœnas repetere. Excors quippe, cæcusque, cum præceps ruat in scelera, admonitione opus habet. Cum ipse enim truci, atq; minaci vultu terrorẽ incutiat cunctis mortalibus, quotusquisq; erit, qui in faciẽ illum tum improbæ vitæ, tum miserandi exitus commonefacere audeat?

m De officio cõcionatoris palã arguentis scelera, deq; truci, & minaci impiorum vultu deterrẽti ab arguendo cõcionatorem, utilia quædam à n. 2. usque ad 6.

32 *Ipse ad sepulchra ducetur, & in cõgerie mortuorũ vigilabit*

Mirãdum plane, quod cum ille homo sit, nemo illum audeat hominẽ, & mortalẽ esse pronuntiare, nemo illi futuræ cadaveris cõditionis memoriã afferre, ut si fieri posset, aliquãdo a somno excitatus, ad defunctorum monumẽta suæ mortis recordationem usurpans in suarum rerum sollicitudine vigilaret! Sic profecto fieret, ut uberrimorum fructuũ, amplissimorumq; bonorum congeriem, & cumulos prorsus contẽneret; &, quod vitæ reliquũ est, attentus, & pervigil in animi sui cultura trãsfigeret; illasq; inanes vanissimarum rerum sollicitudines, vigiliasq; molestissimas dimitteret, ut ipsa animi bene cõpositi quies, placidum mortis somnum illi afferret. Nam hujus sæculi curæ quid aliud afferre poterũt defuncto homini, quã molestissimam quoq; vigiliã vitæ futuræ, ut nunquã sinatur quiescere, sed, instar vigilantis, per æternitatẽ cum cruciatibus, & doloribus conflictetur? Quid enim, per Deum, dãnatorum animis apud inferorũ sedes summo supplicio, summoq; dedecore detẽtis conferre poterit externus ille, supremusq; funeris honor, cum ad sepulchralẽ fornicẽ cadaver magnificẽtissima põpa deducitur, triste sonãtibus tibiis, & graviter personãtibus Siticinibus? Quidve proderit beatũ vixisse, & illius monumẽti, cadaverisque medicati memoriam ad multa sæcula propagari?

33 *Dulcis fuit glareis Cocyti:*

Quid juvare poterit miserã animi conditionẽ, quod exanime jam tãdem corpus nihil incõmodi percepturum sit ex lapidibus sepulchri; aut quod simul illi videãtur cum corpore universæ vitæ scelera consepeliẽda, propterea que dulcescere illi mors incipiat viventi adhuc? Quid, quod excipiendus sit a terra cõmuni omnium parente avidissime? quod amãter illum excepturus sit sepulchri lapis? quod molliter, atq; leniter tractandus a glebis, lapidibusque, in quibus sternẽdus est? Quid (inquam) hæc omnia polliceri possunt, nisi fabulosam quandã, inanemq; fælicitatẽ, si quod verissimum est, Mors illũ sæva, & hians Tartarus summa cum aviditate devorabũt, & sempiternorum cruciatuum fluvius rapidissimus impetu incredibili obruet, atq; convolvet? nam Stygii fluctus expetunt, sane tanquã cibum suavissimum, impiorũ animos, & infernæ illæ fontium catervæ, umbræque dãnatorum avidissime impium expectant, suæ sortis socium, suæq; vitæ, atque exitus imitatorem. * Sic sane quamvis magnificẽtissima funeris pompa illius cadaver educatur ad sepulchrum; quamvis, dum vixit, multos habuerit anteambulones, & asseclas; quãvis viventem multi laudent, mortuũ multi lugeant: at illius animum cum multis quoque ejusdem vitæ, atq; morum imitatoribus, ille, qui impiorum caput est, nequissimus Dæmon, secum pertrahet in locum cruciatuum sempiternorum.

** & post se omnẽ hominem trahet, & ante se innumerabiles.*

34 *Quomodo igitur cõsolamini me frustra, cum respõsio vestra repugnare ostẽsa sit veritati?*

Ergo jã tandem liquet vestrã, o amici, disputationem inanẽ fuisse; tum quod minime fuerit opportuna ad erigendum animũ hominis miserrimi: tum quod cum non aliã statuitis, neq; pollicemini fælicitatẽ laboranti homini, quã eam, quæ ex hujus vitæ commodis, & prosperitate capitur, fallimini profecto, & fallitis: læditis enim, atque contemnitis amicum, quem observare potius debuissetis, agnoscentes simul veritatem, atque illam ingenue confitentes.

(.:.)



IOANNIS DE PINEDA SOCIETATIS IESV, COMMENTARIORVM IN JOB, LIBER NONVS,

Qui est de Nono certamine, id est, tertia IOB cum Eliphaz disputatione.

CAPVT XXII.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Contendit Eliphaz, non oportere imperitum, & male de sua innocentia securum hominem, suarum ærumnarum causam curiosius scrutari velle, aut in occultam aliquam Divinæ Providentiæ rationem conjicere, cum in promptu sit vita plena sceleribus, & quovis supplicio dignissima. Hortatur ergo IOB ad resipiscentiam, & pœnitentiam anteactæ vitæ.

I. Respondens autẽ Eliphaz Themanites, dixit.

1. *Quæ optima disputandi ratio. Illustratus Sapiẽs.*
2. *Summa totius disputationis, atque propositionis Eliphaz.*
3. *Varietas lectionis. Deum non captare utilitatem ex nostris operibus.*
4. *Notatu mia subtilitatis* Cajetani.
5. *Varia significatio verbi* Comparandi. *Vulgati defensio.*
6. *Comparatio exercita, cum quis est altero excellentior. Luctatur homo cum difficultate rerum cognoscendarum.*
7. *Comparatio æqualium. Illustrati Sapiens, & Paulus.*
8. *Eliphaz veris principiis usus. Divina quædã occulta, quædam aperta* Vanum. *Explicati Salomon, & Paulus.*
9. *Divina parce scrutanda. Ægyptia Palma. Providentia occulta. Illustratus Zacharias.*



CONGRESSU jam hoc tertio, tertioque disputandi certamine, cõtingere Eliphazo, quod victis in disputãdo contingere solet, ut contentiose potius, & contumeliose eadem replicent, & inculcent, quam cum utilitate aliqua, aut ullo rationis põdere adversarium urgeãt, existimaverunt Lyra, & Steuchus: videtur enim Eliphaz ad easdem omnino rationes se convertere, quas cap. 4. proposuit, & cap. 15. persequutus est. Idem prope Nicetas ait; *Ad nova nunc convitia* Eliphazum se conferre, *quod veretur*, ad ea, quæ IOBVS disseruerat, respondere, proptereaque *contumeliis agere, atque ea crimina objicere, quæ vix in profligatissimos homines cadant*. Quæ disputandi, & contendendi ratio, sicut stulta est, ita vero sapiente est indignissima, cum Scriptum sit; *Non contradicas verbo veritatis ullo modo; & de mendacio ineruditionis tuæ confundere.* Nam veritati, quam adversarius proponit, nulla ratione, aut tergiversatione repugnare decet: sed potius cum verecundia, justoque pudore præteritam ignorantiam, falsamque veritatis calumniam confiteri.

I. *Victi in disputando cõtumeliosi.*

Lyra, Steuch.

Nicetas.

Eccles. 4. 30.

Sed ego tamen existimo, non tam lon-

ge abire Eliphaz, neque a proposito, neq; a forma disputandi; sed ad ea, quæ proxime dixerat Iobus, nunc respondere; Licet enim in eo semper cardine volvatur tota controversia, ut probet IOBVM puniri propter peccata, sed nunc in hoc capite nova confirmatio adducitur in hunc modum; Si propter aliquã causam, certumq; finem tot mala pateris, o Iob, (subest autem causa, & finis certus, cum Deus ex Providentia, & consilio agat, neque temere, casuve aliquo administrẽtur res humanæ.) illã causam, aut asseris petendam esse ex Deo, aut ex te ipso; si ex Dẽo, impudenter, & temere arcanam Dei mentem, & majestatem plenã gloria scrutari tentas; & quos ille sibi fines in agendo proponat, consequi nimium curiose appetis; atque cum per occulta, & ignota humanæ menti procedas (quale illud est, Quorsum unus lætus vivat, alter miser, & ærumnosus?) quę facile dixeris, & affirmaveris, facile negabimus. Si vero ex te ipso, atque ex tua vita, & actionibus petẽda sit tuarum ærumnarum causa, certe nulla alia aut reperiri, aut assignari poterit, *quam malitia tua plurima, & infinitæ iniquitates:* quas dum non agnoscis plane insolescis adversus Providentiam Numinis, & meritissimorum malorum impatientem te præbes. Hæc est summa totius argumẽtationis Eliphaz, cujus partes singulas ipse explicat in decursu capitis, atq; nos etiam inter explicandum, quibusdam aliis verisimilibus confirmationibus promovebimus.

Sũma totius orationis, & argumẽtationis Eliphaz.

II. Numquid Deo comparari potest homo, etiam cum perfectæ fuerit scientiæ?

3 SEntentiam per se (ut videtur) facilem, variam, difficilemque reddit varietas Lectionum, quæ ex verbo originali *çacan* nata est. Nam Hebraizantes omnes post Rab. David, & Rab. Moseh vertunt illud verbum per *prodesse, juvare*, aut *conducere*; ita ut proprie, & ex verbo legatur; *Proderit sibi*, aut, *super se, qui prudenter agit.* ut efficiatur hic sensus; Numquid Deo proderit homo? minime vero. sed qui perfectæ fuerit scientiæ, sibi sapit, atque suam rem agit, & promovet. Tygur. *Num Deo commodabit vir fortis? nam, qui sapiunt, sibi commodant.* Pagnin. *Proderit sibi ipsi intelligens.* Sapientia autem hæc, vel intelligentia est illa rerum agendarum, & bene instituendæ vitæ prudentia, quam Vulgatus videtur appellare *scientiam perfectam*, & aliis in locis vertit, *eruditionem, disciplinam, prudẽtiam, intellectum*, quæ etiam ad praxim, & actionem pertinent. Qui igitur hac ratione prudenter vitã instituit, * *Perfectã* utique *scientiam* habet, ac satis bene sapit, ut qui sibi consulat, non utilitati, & lucro Dei. Inde igitur colligebat Eliphaz, neq; ex bonis, neque ex malis humanis aliquid redundare lucri, & utilitatis in Deum. Propterea que Iobum frustra suam innocentiã tanta contentione velle tueri, quasi inde maxima quædam utilitas Deo accresceret. sed potius contra Deum facere: nam si innocẽtem gratis Deus affligit, videtur ex malis, & suppliciis humanis aliquid emolumenti, voluptatisve captare. Recte ergo, & ex norma juris, & non ex Divina utilitate dispensari hominibus bona, aut mala juxta illorum merita. Quod si impios permittat Deus interdum impune vivere, id non ad Dei, sed ad illorum ipsorum utilitatem pertinere, quod velit illos ad pœnitentiam, & meliorem frugẽ adducere. Quo etiam videtur respõdere Eliphaz ad quæstionẽ illam superius propositam a IOBO; *Quare impii vivunt?* Hæc est horum Hebraizantium sententia, & interpretatio, benigne, & vero similiter a nobis explicata, & nonnihil etiam ornata, & concinnata.

סכן

R. David.
R. Mos.

Varia lect.

Tygur.

Pagnin.

שכל

* Aciertalo, el que sirve a Dios, y en su bolsa lo echa, y en su salud lo hallara, q̃ a Dios en ello ni le va, ni le viene.

Hebraizantium sentẽtia, & interpretatio.

4 Sed unam, aut alteram paulo diversam adhibent Cajetanus, & Isidorus Clarius aberrantes etiam (nisi fallor) a vera vocum originalium significatione, & sententia. Cajetanus (inquam) sic legit; *Num proderit super eos intellectori?* id est; *Nũ homo proderit Deo isto modo, quia Deus super eos est intellector, gubernando eos, & proficiẽs in intelligentia, & experientia regendi homines?* Deus bone, quanta Cajetani subtilitas, & quam longe a proposito Eliaphazi! quasi nunc ille agat de illa utilitate, quam potentia videtur capere ex objecto proportionato, & actualiter apprehenso. & quasi inter IOB, & amicos controverteretur de discrimine scientiæ visionis, & simplicis intelligentiæ, quæ suum habent in scholis locum, nunc vero nullum. At Isidorus totam sententiam sub forma similitudinis ex suo cerebro componit; *Numquid homo prodesse poterit Deo, sicut sibi prodesse poterit aliquis prudens?* Atque hæc de Hebraizantium varietate, ex qua sua etiã utilitas capi poterit.

Cajet.
Isidor.

Cajetani subtilitas.

Isidor.

5 Sed jam ad nostram lectionem, & germanam sententiam. Certe cum nemo ex Hebræis, Hebraizãtibusve sit, qui unam, eamque perpetuam, atque constantem,

neque plures quidem ratione aliqua inter se nexas significationes asfignet illi verbo *sacan*, sed varias, atque multiplices, non magis inter se cohærentes, quã scopas dissolutas; nam inter alios Rab. Mardokai hæc omnia significata illi tribuit; *Prodeße, assuescere, thesaurizare, recondere, calefacere, fovere, perficere, affligere, humiliare, opprimere, depauperare*. Alii etiam; *Arguere, increpare, docere, claudere*. Alii; *Censere, aut sub censura habere aliquid*. Elias Thisbites interpretatur; *Inclinare ad mortem*, vel, *periclitari*; Sane multo mihi magis arridet Vulgatus Interpres, qui frequẽter vertit; *Comparare, aßimilare*, Comparem esse, aut æqualem; præsertim in libro I O B, ubi sæpius in hoc uno, quam in cæteris omnibus libris occurrit, & sensum sane reddit commodissimum, nam ait Eliphaz; *Numquid homo* (hic proprie est nomen ductum a fortitudine, quasi dicat, fortis, masculus, virtute præstans, quamvis *gigas* sit, ut alii vertunt) audebit se comparare, aut comparem, & æqualem se Deo facere? Deo (inquam) *El*, forti, & omnis fortitudinis, atque virtutis principio, & fonti? Quamvis *homo perfectæ scientiæ* sit, atque sapiẽtia multum præpolleat? nam secundam illam partem, quæ erat in Originali; *Comparabitur super se intelligens*, etiam accipit Interpres interroganter, & totum Hebraismum dissolvit, clausitq; unica interrogatione, & sententia: accepitque affixum illud non reciproce, sed relative, ut referret Deum, quasi diceret; Numquid comparabitur super illo, aut cum illo?

R. Mardokai. Pagnin. גבר Forsterus.

Sed rogas, cujusmodi ista cõparatio intelligenda sit; duobus enim modis accipi potest, aut, ut sit quasi exercita quædam cõparatio in hunc sensum; Numquid homo præ Deo, aut plus quam Deus intelliget? aut se in rerum humanarum dispositione, & providentia sapientiorem, & providentiorem ostendere conabitur? temerene tentabit corrigere, quæ Deus circa res humanas constituit? Hunc sensum videtur indicasse Kaldeus; *Numquid Deum potest docere filius hominis?* qui enim docet alium, sapientior est, & præcipuum mẽbrum comparationis; nã comparatio inter plures fit. Idem indicarũt, & promoverunt Septuaginta legentes; *Nonne Dominus est, qui docet intellectum, & scientiam?* Quasi dicant; Hominis cum Deo comparatio est inferioris cum superiori, qui nisi doceatur a Deo *incerta, & occulta Sapientiæ*, & Providentiæ suæ, ignorabit prorsus. Facit etiã cum hoc sensu vox illa, *hominis*, quæ a fortitudine dicitur; diximus enim aliquando esse quandam in scientia, & cognitione pugnam, & contentionem rerum difficilium, & obscurarum cum homine intelligente. Sicut de compositione corporis humani ad intelligendum prædifficili Scriptum est: *Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, & non potero ad eam*. Hinc colligebat Eliphaz, minime debere I O B, ut qui intelligẽdo infirmus esset, eniti, & quasi luctari cum arcanis Divinæ Providẽtiæ, aut comparare suas vires cum illius celsitudine, ut superiorem, & sapientiorem se efficiat; neque contendere, se innocẽtẽ flagellari a Deo, si Deus illum propter peccata cedat flagellis; ne videretur præscribere Deo novam in homines animadvertendi rationem, videlicet in innocentes potius, quam in sceleratos, & impios.

Comparatio quomodo intelligẽda. Chaldæus. LXX. Psal. 138. 6.

Altero modo potest sumi *comparatio*, 7
ita ut neutra pars excessum aliquem adferat, sed æqualitatem quandam, atque similitudinem; nam *est* (ut Cicero dixit) *cõparatio parium, quæ nec elationem habet, nec submißionem, est enim æqualium*. quam etiã appellavit Quintilianus, *similium comparationem*. & quidem hæc est tum apud Scriptores Sacros, tum apud prophanos propria *comparandi* significatio. Quid enim aliud est, cõparare unum cum altero, quam assimilare unum alteri? Sic dicitur Ecclesi. 6. 15. * *Amico fideli nulla est cõparatio*. id est, nihil illius utilitatem, pretiumve exæquat. & 2. Corinth. 10. 12. *Comparantes nosmet ipsos nobis*, id est, nihil conãtes, quod nostras vires excedat, sed ad virium mensuram attemperantes conatus, & desideria. Hac ratione cõtendebat Eliphaz, non decere hominem velle consequi, quæ Deus intra suæ Providentiæ arcana continet: imo neque posse attingere, aut ulla ratione se se exæquare Divinæ Sapientię. Propterea non posse I O B, comprehendere suarum ærumnarum causam, quam Deus solus nosset, neque finem, quem sibi Deus in illo affligendo præstituisset. nõ decere igitur, suam scientiam velle comparare cum Divina.

Cicero in Top. Quint. lib. 1. c. 6. * No ay cosa, q se le iguale. * Midiẽdo, y ajustãdo nuestros desseos con nuestras fuerças.

Hinc perspici potest, quam veris principiis utatur Eliphaz contra Iob; deinde vero, quam male subsumat, & quam distorte applicet ad Iobi rem. Quapropter concesso principio, & majori propositione, minorem cum illatione negare oportebat: Nam esto Divina Providentia, atque Sapientia non possint ab homine cõprehendi, penitusque exæquari, nedum superari, aut vinci; I O B sane non ideo non poterat certo, & cõstanter nosse, atq; 8

Eliphaz male subsumit sub principio vero.

assere-

aſſerere cauſam, atq; finem ſuarum ærumnarum, cum ſibi de ſua innocẽtia conſcius eſſet. neque enim corrigere nitebatur effecta Divinæ Providentiæ, ſed ſe tantum innocentem flagellari, quod & juſtum, & impium Deus poſsit pro libito exercere.

Vel certe diſtinctione quadam, atque moderatione explicanda eſſet illa major propoſitio Eliphaz; nam quædam ſunt in Deo manifeſtiora, & clariora humanę intelligentiæ, ex quibus quædam alia ratiocinãdo cõjicere, & colligere de Deo poteſt homo. At quædam alia ſupra humanum captum, & ratiocinationem. De illis Scriptum eſt; *Vani autem ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſciẽtia Dei, & de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui eſt.* ubi illud, *autem*, aſſeverationẽ cõtinet, ac ſi dicas; *Quidẽ, re vera.* quod in originali habetur, *Vani ſunt natura.* Quo etiam modo trãſtulerunt Septuaginta. Id eſt, ipſi per ſe nullo firmo certę alicujus ſcientiæ fundamento innixi, inconſtantes abripiuntur in varios errores. *Vani* autem ſunt in Græco *Mati,* * qui non ſolum ſunt ſtulti, & ſtulto, irritoque labore fruſtrati, verum etiam propter eximiam ſtultitiam, & imprudẽtiam cõmiſeratione digni. Iſti videlicet ſunt ignorãtes veri Numinis, atque ſupremæ Providẽtiæ, ſine cujus cognitione nemo vitam ſuam recte, & prudẽter moderari, & inſtituere poteſt, quin miſerando exitu cõcludatur. De illis vero occultioribus Deitatis, & Providentiæ arcanis dictum eſt. *Noli altum ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem.* q. d. ad menſuram tui captus. Nõ enim poteris Divinorum myſteriorum decoquere tantam vim, inſtar vini generoſiſsimi ſine moderatione, & parcitate delibati. Niſi velit homũcio, inſtar ebrioſi, ac temulenti, ſtultis vocibus perſonare, & inſanire, & multa etiam falſa diſturbatis luminibus per errorem videre, paſsimque nutare pedibus, menteq; titubare, atque collabi.

9 In quam rem ſapienter ab Hugone, Etheriano lib. de Spiritu ſancto, indicatum eſt, in Divinorum cognitione, & ſcientia oportere nos gerere, quaſi AEgyptiam palmam guſtaremus. Eſt autem AEgyptia Palma, Solino auctore, proprie a Gręcis *Adipſos* vocata, quaſi ſine ſiti. *Sitim* (inquit) *ſedat, ſi prius, quam maturuerit, decerpatur; nam ſi matura ſumatur, ſenſum intercipit, greſſum præpedit, linguam retardat, obſeſſisq; officiis mentis, & corporis imitatur vitium ebrietatis.* Hujus etiam meminit Plin. pręcipiens *colligi, paulo antequam incipiat mature ſcere.* Cujus fructum viridem videtur appellare Myrobalanũ, maturum vero jam, Phœnicobalanum, *qui & nigreſcat, & veſcentes inebriet.* Quo etiam reſpexiſſe videtur Theophraſt. de Palmis AEgypti, Phœniciæ, & Syriæ ſcribens; libr. 2. capit. 8. *Virides ſuaves eſſe, guſtuque gratas.* Non aliter ſane, ſi *ad ſobrietatẽ* delibentur Divina, ſitim ſedant, atque pabulum etiã utiliſsimum præſtant humanæ menti. ſin vero cum maturitate deguſtare velit homo, ad ebrietatem profecto, & errorem deguſtabit. Ergo merito inducitur Sponſus Canticorum 5. Nunc ad nos accedẽs, pulſans fores, ac ſe ſe nobis in cõſpectum præbens; nunc vero a nobis recedens, atque abdens ſe ſe, cum *declinat,* atque *trãſit:* quia (ut ſapienter indicavit Gloſſa Rabani) *Deus nulli ad plenum patet, ſed incomprehenſibilis ſenſus omnium excedit.* Quare etiã quæſitus, non invenitur ab Sponſa, ut qui ſe ſe abdidiſſet in obſcuriſsimam illam *altitudinem Sapientiæ ſuæ, Scientiæ,* & *Providentiæ, incomprehenſibiliumque judiciorum.* Quare in populi calamitatibus, & afflictionibus viſus quidem eſt Zacharię Prophetæ; *Per noctem,* (res videlicet nobis nimium obſcura, & recondita) *vir aſcendẽs ſuper equum ruffum* (ille videlicet eſt Michael Archangelus primarius Dux cæleſtis exercit⁹, & Divinæ Providẽtiæ in ſuæ Eccleſiæ reb⁹ adminiſter, qui tunc in equo *ruffo* aſsidebat propter populi afflictionẽ ſignificandam: ut enim ait Theodoretus; *Equus ruffus hoſtium conjurationem, & indignationem oſtendit, nam ſanguinarius, & ruffus eſt furor) & ipſe ſtabat inter myrteta, quæ erant in profundo* (nam *myrteta* illa ad Euphratis ripas, & valles Babylonis umbroſæ, & nemoroſæ ſignificant obſcuritatem arcanorum judiciorum Divinæ Providẽtiæ circa res humanas, & tribulationes juſtorum) *& poſt eum equi ruffi, varii, & albi.* (videlicet alii etiã equites, & Angeli variis muneribus deſtinati, quidã exercẽdę ſeveritati, & juſtitiæ, quidam beneficẽtię, & miſericordiæ cõferẽdæ) Hi deinde *perambulant univerſam terrã* (quia effecta hujus Divinæ Providentiæ omnibus manifeſta ſunt, licet ex obſcuris cauſis, & occultis judiciis prodeant, & ex Divino cõſilio, quod in profundo, & *inter myrteta* geritur. &, ut Septuaginta legunt; *inter mõtes umbroſos,* homini tum obſcuros, tum impervios, & inacceſſos. In hæc igitur recte quadrat, quod ab Eliphaz dictum eſt; *Numquid Deo comparari poteſt homo, etiam cum perfectæ fuerit ſcientiæ?*

(·.

Diſtinguenda propoſitio Eliphaz.

Divina quędã clariora homini, quędam obſcuriora.

Sap. 13.1.

Pagn. Clar.

ματοι

* Mueve a cõpaſsion, y es gran laſtima verlos.

Divina parce libanda.

Hugo AEtherianus.

Solin. cap 45.

Aegyptię Palmæ vis.

Plin. libr. 12. cap. 22.

Theophraſt. de hiſt plant. lib 2. c. 8. Ioan. Goraeus in d.finit. medic. in voce ἄδιψος.

Interlinealis.

Rom. 11. 33.

AErumnæ juſtorum res obſcura

Zach. 1. 8.

Ruffus equus quid ſignificet.

Theodoret.

Myrteta Babylonica cujus rei ſymbolũ.

Effecta Divinæ Providentiæ clara, ipſa Providẽtia obſcura.

LXX

III. Quid prodeſt Deo, ſi juſtus fueris? aut quid ei confers, ſi immaculata fuerit via tua?

1. *Varia totius ſententiæ expoſitio, & ſumma. Sāctitas hominis afflicta, quid Deo conferat.*
2. Iuſtum *eſſe, aut juſtificare ſe, forenſe.* Quid Via immaculata. *Quid* Iter. *Explicatus Dav.*
3. *Quid* Prodeſſe, *& conferre in Sacro ſermone.* Quid Velle, *aut complacere. Illuſtratus Samuel, & Salomō. Innocens afflictus Deo gratus.*

1 *Lucida ſententiæ paraphraſis.*

SI (inquit) Deus te exerceret ærumnis innocentem, & immeritum, certe videretur non tam tui, quam ſui cauſa te affligere. quod ſi id faceret ſui cauſa, aliquid ex tuis ærumnis compendii ille faceret. Sed quid obſecro illi utilitatis, & lucri confers, ſi cum ſancte vixeris, nunc affligaris innocens? aut quid boni ex hominis juſtitia, & innocētia afflicta illi accederet? Hæc eſt horum verborum ſententia, non enim ſimpliciter accipio pro *Iuſtitia*, & ſanctitate, & pro vitæ innocentia, ut Olympiodorus, & Chryſoſtomus accipiunt, in hunc ſenſum; Eſto fueris juſtus, & innocenter vixeris, quid ad Dei commoda tua innocentia contuliſti, ut ea de re gloriari poſsis, & te magnifice circumſpicias? Atque eodem fere modo interpretantur Latini. Gregorius; *In omni, quod bene agimus, noſmet ipſos, non autē Deum juvamus.* Philippus item; *Nemo juſtitia ſua, & ſanctitate efficit meliorē, quoniam fons omnis boni, atque origo nullius bono eget.* Idem fere D. Thomas, Cajetanus, aliique minoris notæ. Ego vero (ut dixi) juxta ſubjectam materiam, ut bene cohæreat cum præſenti inſtituto, accipio pro *Iuſtitia*, & ſanctitate afflicta, & vexata: & de ea utilitate, aut voluptate, quam ex juſtorum ærumnis captare poſſet Deus. Quo videtur ſpectare univerſa Iobi reſpōſio, & contentio aſſerētis, atq; etiam gloriantis, ſe innocentē vexari.

Olympiod. Chryſoſt.

Gregor. Philipp.

D. Thom. Cajet.

Germanus explicatus.

2 Quamvis autē videatur tota hæc ſententia ex duabus partibus componi idem pene ſignificantibus, ſed quidē non eſt ſine aliqua varietate, & peculiari ſignificandi ratione: nam prima illa pars; *Si juſtus fueris*, in originali eſt, per verbum forenſe *juſtificādi ſe*, quaſi coram judice, & coram calumniatore, & criminatore: nā ſe juſticare, non tam eſt, juſtum eſſe, quā contēdere, & conari adverſus calumnias, & ſcelera ſibi objecta, ſe juſtum eſſe; atque calumniatori ex jure, & ex ratione coram judice reſpondere. Ait ergo Eliphaz; Tuus iſte conatus, atque contentio in probando, & oſtendendo te juſto, & ſancto, in nullum Dei cōmodum, imo in inſigne Divinæ Iuſtitiæ, & Providentiæ dedecus redundat. Deinde ſecunda pars; *Si immaculata fuerit via tua*, ad rectam, perfectamque actionum omnium, atque conſiliorum rationē pertinet. Eſt enim in Hebræo proprie; *Viam perficere*, aut perfectam, integram, ſimplicem, immaculatam tenere, & ſervare. Quare juxta originale proprie legerunt Septuaginta: *Simplicem facies viam tuā.* Symmach. *Si immaculata ſit via tua.* Quare quamvis ſenſus, ſententiaque eadem ſit, at minus correcta eſt Gregorii lectio, Philippi, & fere Latinorum frequentiſsima, quæ nō *viam*, ſed *vitam* legit. Eſſe autem *immaculatam viam*, idem omnino eſt, quod alibi legimus, eſſe *immaculatum in via*, integrum, atque perfectum; quod quandam integræ, totiusq; vitæ ſanctitatē ſemper ſervatam indicat. Quod obſervaſſe videtur Ambroſ. ſuper id Pſalmi 1. 6. *Novit Dominus viam juſtorum, iter autem impiorū peribit.* nam ait, *viam*, in bonum ſumi, cujus initium ex bono ſit, exitus quoq; bono, ac fælicitate cōcludatur. At *Iter*, aberrationē quandā, & deviationē afferre, cujus initium, neque ex bono ſit, neque bonus aliquis, aut certus exitus, & finis. Propterea q; Hilarius ſuper id Pſal. 118. 1. *Beati immaculati in via*, aſſerit, hunc Pſalmum alphabetarium eſſe, ut oſtēdat parvulos, & imperitos ab ipſis ſtatim elemētis, & pueritia informādos eſſe ad pietatē, ideoq; *immaculati in via*, dicuntur, qui a primis ſtatim carceribus, & vitæ ingreſſu ſanctitatem colunt. Ergo cum ait Eliphaz; *Si immaculata fuerit via tua*, ſignificat vitam integram, nunquam peccati gravioris alicujus labe fœdatam.

צדק Iuſtificare verbū forēſe.

LXX.

תמם

Symmach.

Maculoſa Latinorū lectio.

Pſalm. 118. 1.

Immaculata via quid.

Ambroſ.

Viæ, & itineris diſcrimē.

Hilarius.

Alphabeticus Pſal. quid ſignificet.

3 Quæ deinde adduntur duo illa verba, *Prodeſſe*, & *conferre*, non ejuſdem notionis ſunt: nam *conferre* ad lucrum, & utilitatem refertur a Septuaginta, & Hebraizantibus, qui legunt; *Quæ utilitas, lucrum ve?* & quidem etiam ab Interprete Latino ſolet verbum *Batſagh* ad lucrum, avaritiam, rapinam, vel ad lucri concupiſcētiam referri. ut Geneſ. 37. 26. * *Quid nobis prodeſt* (Septuagint. *Quid utile:* Aquila; *Quæ acceſſio, & emolumentum?* Onkelus; *Quid lucri?*) *ſi occiderimus fratrem noſtrum.* Exod. 18. 21. *Qui oderint avaritiā.* Rab. Mardochai; * *Odientes cupiditatem.* Alii; *utilitatem, quæſtum, lucrum.* Ait igitur Eliphaz, ex juſtorum ærumnis, nullum quæſtum facere Deum.

Conferre, & prodeſſe quo differant.

Vatab. Tygur. Regia. Cajetan.

בצע

* Que ganancia es, perder vn hermano?

* Hombres ſin cudicia, y deſintereſſados.

Prima autem pars: *Quid prodest Deo?* Non solum ad utilitatem, sed ad quodvis bonũ pertinere videtur; vel certe ad voluptatẽ potissimum, atq; delitias. & quadrat optime cum Dei nomine, quod hoc loco subest, *Saddai*, Omnipotẽs, abundãtissimus, uberrimus, sufficiẽtissimus sibi, tum etiã creaturis omnibus. q.d. qui bonis abũdat omnibus, quid ex te boni expectare, aucuparive poterit? Proprie ex originali legitur; quæ *voluntas*, quæ *voluptas*, quod *beneplacitum*, quæ *cõplacẽtia?* aut, qua ratione in suorum amicorum ęrũnis sibi cõplacebit? nam verbum, *Hoaphats*, tenerum quemdã affectũ benevolentis animi, aut valde amantis, voluntateq; nimium in aliquid propendẽtis cum voluptate quadã affert. Nos nõ incõmode explicarem⁹; *Tener gusto de alguna cosa, gana, aficion.* sicut ab hac radice dicitur Psal. 1 1 5. 3. * *Omnia quæcumq; voluit, fecit.* & Cantic. 2. 7. * *Ne evigilare faciatis dilectã, quoadusq; ipsa velit.* & 1. Reg. 18. 22 *Loquimini ad David, clã me dicẽtes: Ecce places Regi.* (incõmode Tygurin. *Favet tibi.* Melius Vatab. *Deamat te.* Optime Pag. & Regia; *Cõplacuit in te Rex.* Septua. *Ecce vult in te Rex. El Rei gusta de vos.*) Genes. 34. 19. *Nec distulit adolescens; amabat enim puellã valde.* Onk. *Animus erat ei erga filiã Iacob.* R. Mardo. *Cõplacuit*, vel, *cõplacentiã habuit. A viale cobrado aficion.* Hanc igitur significandi vim, & energiã capere potest sentẽtia Eliphaz;* Vultne, aut diligit Deus amicorũ calamitates? an vero vexatus homo illi gratior, & acceptior existit? Videt te ille lachrymantẽ, & ejulantem cum lætitia, & voluptate?

Saddai.

Pagn. Regia. Forster. Tygur. Cajetan.

חפן

* Hizo, lo q̃ le dio gusto, y gana.
* Hasta q̃ ella de sugana dei pierte.

Tygur. Vatab. Pag. Regia. LXX.

OnKel. R. Mardoch.

* Aficionase Dios a los afligidos, o dale gana, y gusto, de verlos llorar?

De eo tristitiæ, aut voluptatis sensu, quo dicitur Deus affici ex suorum justorum ærumnis.

DIGRESSIO

Ad explicandam argumentationem Eliphaz.

4. *Deum complacere in hominum fælicitate, & lætitia. Explicatus Moyses, & Sapientia.*
5. *Deum amare justorum ærumnas multis de causis.*
6. *Divina Potentia in liberando justo ex malis.*
7. *Ipsorum justorum in suis ærumnis eruditio, & instructio. Explicata Sapientia.*
8. *Dei magnifica nomina.* Paracleti, & Medici. *Explicata Sapientia.* Myrtus *cujus virtutis.*
9. *Deus cum voluptate suscipit ad se confugientes. Explicatus David.*

ET quidem hoc principium, quo utitur Eliphaz, cõfirmare in illius gratiá possumus ex Divina Providentia, & benignitate erga suos justos, quorum lętitia lætatur ille, & quorum fęlicitate videtur suã ille fælicitatẽ metiri: quare pulchra clausula suã orationem pro deprecandis ærumnis, & laboribus, atq; brevissimæ vitę molestiis conclusit Moyses. Psalm. 89. cujus titulus est, *Oratio Moysi hominis Dei.* cum dixit, *Opera manuum nostrarum dirige super nos, & opus manum nostrarum dirige.* Quivis (ut Theoderetus observat) recte dictum sit *super nos*, eo quod *justitiæ lucrum nostrum sit*; attamen illi gratissima est hæc deprecatio, quod nostris secundis rebus, & fælicitate hominũ ille gaudeat. Quare qui suas actiones fortunari, & bene a Deo disponi, ut fæliciter succedãt, precatur, rem sibi utilem, Deo jucundam sane postulant: neq; aliter existimare licet de illa plusquam materna Divinorum viscerum erga hominẽ indulgẽtia, & suavitate. Cujus evidens est illud exẽplum, quod profert Salomon Sapientiæ 16. Cum Manna de cęlo pluit; pluerat autem super suos hostes, improbos videlicet AEgyptios, fulgura, fulmina, tenebras, & mala propemodum infinita. *Pro quibus* (inquit) *Angelorum esca nutrivisti populum tuũ, & paratum panem de cælo præstitisti illis sine labore* (videlicet non *consversam farinam, antequam fermentaretur*, sed jam confectum panem, & elaboratum) *omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suavitatem; substantiam enim tuam, & dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebas.* (Velut in Græco habetur, *substantia tua ostendbat, &c.* quasi dicat; ipsa tua viscera, ipsa tua natura, atque Divinitas, quasi uberibus, & papillis admotis mortalium palato, & desiderio, dulcissimum nutrimentum illis instillabat, simul contestãs multo te suaviorẽ esse erga genus mortalium, quam Manna in illorum palatis) *& deserviens uniuscujusq; voluntati, ad quod quisque volebat, convertebatur.* (Videlicet ostendendo simul in hominum gustum, palatum, fælicitatem, te etiam natura tua esse propensum, teque ipsum attemperare illorum voluntati, & appetentiæ.) Ergo merito Scriptum est, Deum *in Filio suo* splẽdente, & circumfuso gaudiis Trãsfigurationis *bene sibi complacere*: quasi suorum filiorum

4

Oppertuna ęrumnarum deprecatio apud Deum

Theodoret.

Quod nobis utile, Deo jucundum.

Exod. 12. 34.

Deus natura sua propensius in nostras jucunditates.

Matth. 17. 5.

ærumnas, & damna, non nisi ægris oculis aspicere possit. Ergo firmum est intētum Eliphaz, complacere Deum non in ærumnis, sed in jucunditate, & fælicitate suorum justorum.

5

Cur Deus amet justorum ærumnas,

Sed responderi ad hanc Eliphaz argumentationem, non una tantum ratione potest. Nunc una sufficiat. Hominum ærumnas amari a Deo, non quod homini dānum, aut aliquem doloris sensum inferāt, sed quod nō homini solum perutiles existāt, verumetiam ad multos præclaros Divinæ gloriæ, & honoris fines deserviant. Nam si Paulus ad Romanos 3. dixit: *Iniquitatem nostram cōmendare justitiā Dei*, quod ex iniquitate nostra patiēter dissimulata, & tolerata ad Divinā justitiā, & sanctitatem, atq; promissorū fidelitatem nihil dāni, sed multum honoris, & gloriæ redundet: quāto magis hominū sanctitas, & justitia afflicta, & vexata Dei justitiā, & bonitatē cōmendabit? Ergo etiā si calamitatibus ipse exerceat suos justos nulla illorum culpa, at sui tantū honoris, potentiæ, & cujusdam quasi voluptatis causa poterit facere; sicut Scriptum est: *Quis peccavit, hic, aut parētes ejus, ut cæcus nasceretur? Respondit Iesus, Neque hic peccavit, neque parētes, sed ut manifestentur opera Dei in illo*. Manifestat autem Deus sua opera in hominum, justorum præsertim, ærumnis quatuor rationibus.

Iustorū ærūnę ad Dei gloriam.

Ioan. 9. 2. 3.

6

Prima ratio Divinę Potētiæ in calamitatibus sanctorum.

Primo enim manifestatur Divina Potētia adversus improbos, patratis etiam miraculis in justo eripiēdo, & liberādo a malis omnibus, & tum suā, tum justorum suorum sanctitatē conspicuā reddendo. qua etiā Divinæ potentiæ fiducia Ioan. erigit afflictorū animos 1. 4. 4. *Major est, qui in vobis est* (Deus) *quam qui in mundo* (diabolus pressurā vobis excitans.) Non aliter sane permisit diripi Ierosolymitanum tēplum, & sacra vasa asportari Babylonē, quā, ut dum illa ignominiose ad prophanos, & impuros usus tractātur, se illorum Deum, & rerū sibi sacrarum sanctitatē ostenderet, portento manus *scribētis in pariete*, & interminātis mortis sententiā Balthasari Regi. Ideo arcā sui fœderis tradidit Philisthæis, quod in illius recuperatione male illos perdere, & affligere pararet. Ideo sanctos illos adolescentes in ignē conjici, quod improbos illos Kaldeos, *succendentes fornacē*, vellet ipse succēsos, & concrematos erūpente flāma, atq; suæ potentiæ glorificationē, vel ab invito pectore extorquente. nam tunc *erumpēs Nabuchodonosor ait*; *Benedictus Deus eorum, qui misit Angelum suū, & eruit servos suos, qui crediderunt in eum.*

Daniel. 5.

1. Reg. 4. 5.

Daniel. 2.

7

Secunda ratio sumpta ab ipsis justis afflictis.

Secundo, suā apud ipsos justos illorū calamitatibus potentiā commendat, laudesque conciliat. Sic permisit populum suum vexari ab AEgyptiis, ut ex suis ipsi Israelitæ ærumnis discerent, quanta in illorum gratiā inflixisset De⁹ AEgyptiis mala. Sap. 11. 9. *Ostēdens per sitim, quæ tunc fuit* (sitivit enim etiā Dei populus in AEgypto, cū aquæ versę sunt in sanguinē) *quemadmodum tuos exaltares, & adversarios eorū necares: cum enim tētati sunt, & quidē cum misericordia disciplinā accipiētes, scierunt quemadmodum cum ira judicati impii tormēta paterētur.* & iterum Sapiēt. 16. 4. *Oportebat illis sine excusatione quidē supervenire interitum exercentibus tyrānidē, his autē tantum ostēdere, quēadmodum inimici eorum exterminabātur.* Sic sane justi ex hujus vitæ molestiis gustum aliquē Divinæ Potentiæ, Divineq; Iustitiæ, quā erga dānatos exercet in inferno Deus, capere, & æstimare possunt.

Iusti ex suis ærumnis colligunt gravitatē cruciatuū inferni.

8

Tertia Divinæ gloriæ ratio in ærūnis justorum.

Tertio magnifica quædam, & gloriosa nomina aucupatur Deus, quæ sine justorum ærumnis nō assumeret, videlicet Paracliti, & Cōsolatoris, tum etiam medici, & chirurgi; nā si sancti in hoc mundo bene valerent, & prospere agerēt, nō indigerent consolatore, & medico. Sap. 16. 10. *Filios tuos, nec draconum, nec venenatorum vicerunt dētes.* (mordebantur sane non sine ingenti doloris sensu, sed nō superabantur, neq; interibant virulentia morsus) *Misericordia enim tua adveniēs sanabat illos*. Quam deinde medicæ artis, & sanandi incurabiles morbos Divinam facultatē multis describit Salomon, usq; ad eum locum, *Tu enim vitæ, & mortis habes facultatem, &c.* Nā *ipse vulnerat, & medetur*. Atq; illud ipsum videtur *Susceptoris* nomē, quod sæpe inclamat David ad suam opem, *Susceptor meus es tu*. quasi dicat, Meus medicus: nam licet nomē *suscepti* significet *clientem*, ut observat Servius ad id AEneid. 6.

Deus Medicus, & Consolator.

Iob. 5. 10.

Susceptor quis proprie.

Ps. 3. 4. & 17. 3. & 41. 10.

Servius.

= = = = = = *Aut fraus innexa clienti.*

& Aug. Epist. 59. Ambros. sermone 93. propterea q; *Susceptor* sit nomen patroni; tamen *susceptus* etiam significat ægrotum apud Tertullianum contra Valent. Ambrosius sermone 17. Cassianus libr. 10. cap. 7. & 14. Ideo *Susceptor*, medicus est. Propterea dum Populo gravissima laboranti captivitate subvenire vellet, visus est Zachariæ Princeps, & protector pupuli Michael insidens *equo ruffo* (videlicet edomans jam, & refrænans Kal-

August.

Ambros.

Susceptus nomen ægroti.

Tertul.

Cassianus.

Zachar. 1.

dæorum

dæorum hostium sanguinarium, & indignabundum furorem) visus est autem *inter myrteta* potius, quam inter Babylonicas salices, aliasve arbores illi regioni familiares, ut ostenderetur Divina facultas incurabilem illam (ut videbatur) captivitatem sanandi, & recuperandi: nam (ut ait Theodoretus) *Myrtus planta odorata est, habens vim morbos calidos refrigerandi.* Exurebat autem populum Babyloniorum bilis ardens, & inflammatus furor. Ergo videri, nominari, & esse vult optimus, ac sapientissimus Medicus, qui sanat omnes infirmitates nostras; *scit compati infirmitatibus nostris*; qui non *malagmate, neque herba sanat, sed sermone suo, qui sanat omnia.* Qui ideo permittit justos suos conteri, ut *contritis corde medeatur*. sive, quod idem est ex Hebræo, ut alliget, instar chirurgi. vel quod Septuaginta; *Ut sanet contritos corde.*

Theodoret.

Myrtus cujus virtutis.

Psal. 102. 3.
Heb. 4. 15.
Sap. 16. 12.

Isai. 61. 1.

Quarta ratio Divini honoris ex afflictione justorum in Deo reposita

Quarto denique non mirum, quod bene sibi complaceat Deus cum voluptate, & lætitia, in suis justis vexatis, & afflictis. Scriptũ est enim; *Non in fortitudine equi voluntatẽ habebit, neq; in tibiis viri; beneplacitũ erit ei, beneplacitũ est Domino super timentes eum, & in eis, qui sperãt super misericordia ejus*. videlicet super sanctos, suarum ærumnarum perfugium, atque solatium ex Deo quærentes; sic enim *quod est honoris, & gloriæ, & virtutis Dei super* justos vexatos, & afflictos *requiescit*, ut Petrus ait. Ergo roganti Eliphaz. *Quid Deo prodest* ad honorem, & gloriã, vel ad nominis, & famæ celebritatem, vel ad voluptatem, & lætitiam, si cum justus fueris, nunc vexeris? aut *quid ei confert* ad utilitatem, & lucrum, si cum *immaculata fuerit vita tua*, nunc ærumnosissimam ducas? Merito respondere potest IOB. Et prodest, & confert multum, & per omnem modum ad Divinas misericordiæ, & honoris opes, & ad illius voluptatem, & gaudium, mea innocentia afflicta, beneque probata. Non igitur frustra sui me honoris causa exercet Deus nullo meo peccato.

Psal. 146. 10. 11.

1. Pet. 4. 14.

☞ IIII. *Numquid timens arguet te, & veniet tecum in judicium?*

1. *Varia interpunctio. Parum considerata verba Eliphaz.*
2. *Aliorum expositiones parum germanæ.*
3. *Vera interpretatio. Sævitiæ, & crudelitatis causa, timor. Tyrannorum metus comes.*
4. *Deus cum [illegible], & [illegible] afflig[illegible] justos. Timere quid. Explicata Sapientia. Illustratus David.*
5. *Arguere quid. Illustratus Moyses.*
6. *Judicium ad publicum supplicium pertinere. Dei judicia, cur reprehensio, & cur lumina appellentur.*

OLympiodorus testatur, hunc locum apud quosdam interpungi solere, ut in ea prima particula *Numquid*, sistat interrogatio; quæ deinde vero sequantur cum affirmatione, & sine interrogatione legantur, ut Divinam Providentiam statuat, quæ mortalium actiones *arguat*, & *veniat* cum hominibus *in judiciũ*, ut nec nocentium, neque innocentium hominum negligens sit. Sed quidem sicut concitatior, & vehementior, ita etiam verior in Hebræo, Græco, & Latino lectio est, si tota sententia interrogatione incitetur. Et sane Divus Gregorius existimare videtur, hanc sententiam Eliphaz nullum omnino cõmodum sensum habere posse, sed illũ parum cõsiderate, vel potius valde insipienter loquutum; *Quis* (inquit) *hoc vel despiẽs sentiat, quod Dominus ex timore nos arguat, & ex metu judicium contra nos suum proponat? Sed quia verba sua metiri nesciunt, proculdubio ad otiosa dilabũtur*. Sed commode sententiam alii interpretãtur. Plerique ergo sic accipiunt, ut dicat Eliphaz, Deum cum IOBO agere, ut ex æquo, & jure illum puniat, nihilq; *timere* sibi posse injustitiã, aut iniquitatẽ objici, quod innocentem damnet, aut plus justo severiori sententia prosequatur leviora Iobi errata, cum potius illius benignitatem, & æquitatem gravissima hominum peccata plane ostendant. Sic in dissimulãdis hominum peccatis, & differẽdo severissimo supplicio dicitur Deus non propterea id facere, quod quemquã superiorem judicem timeat, a quo posset, tanquam plus nimio severus judicari, Sap. 11. 11. *Nec timens aliquem veniam dabas peccatis illorũ. Quis enim dicet tibi; Quid fecisti? aut quis in cõspectu tuo veniet vindex iniquorum hominum? &c.* Sẽsus hic omnino verbis bene convenit, sed non omnino bene præcedentibus cohæret.

I

Olympiod.

Gregor.

Eugub.
Astunica.
D. Thom.
Dionys.

Alii respiciunt ad quæstionem superius a IOBO propositam, de impiorum diuturna fælicitate, cui sic respondeat Eliphaz; Si Deus aliquid sibi ab improbis timeret, non permissurum, ut diuturna fælicitate insolescerent, sed fore, ut statim illos de medio tolleret. At cum omnino Deus sit illorum conatibus, &

Secunda sententiæ expositio.

improbitate ſuperior, duplici ratione cum illis poterit agere: Prima ut, quo illos ad pœnitentiam adducat, tardus ſit ad iram. Secunda, quod nonnumquam contingit, non differendo vindictam, ſed ſubito, & inſperato vocando ad judicium. Senſus hic quoque verus. Sed expoſitio coacta, parumque inſtituto cōveniens.

3 Tertius, & germanus explicatus.

Tertio illa videtur lenis, ac bene cohærens interpretatio, ut omnino contēdat Eliphaz, noſtrarum nos ærumnarum cauſam in noſmet ipſos rejicere debere, & ex præcedenti, præſentique ſententia conſtet hujuſmodi argumentatio, ſeu potius ſui inſtitutio confirmatio: Neminem Deus propter ſe ipſum afficit ſupplicio aliquo, neque ut ex juſto afflicto aliquid lucri reportet, neque ut ex impio punito aliquid ſibi impendentis mali avertat, uti fere homines ſolent, cum in alios ſæviunt cujuſpiam mali timore, aut ſuſpicione ſtimulati. Quid enim ſibi timeat Deus a viliſsimo homuncione? Tota ergo exercendi, & affligendi homines ratio ſumitur ex *malitia* hominis *plurima*, & *infinitis* illius *iniquitatibus*, quas Deus pro ſua Providentia advertit, & in quas ſeveriſsimo ſuo judicio, atque ſentētia graviſsima animadvertit. Eſt vero illud, quod inter argumentandum aſſumit Eliphaz, veriſsimum, & ex timore frequenter naſci, aut etiam vehementius accendi ſolere vel ſeveritatem in irrogādo ſupplicio, vel crudelitatem in repetenda vindicta. Nam quid ad tam ſanguinarium, tamque crudele infanticidium Herodem impulit, quam incredibilis illa animi *turbatio*, & ex Regis Iudæorum nativitate, ſui regni amittendi timor vaniſsimus? Quid Pharaonem, ut & ſimilem infantum Hebræorum necem procuraret, & maximis illorum parentes ærumnis, & laborum difficultatibus per ſummam ſævitiam debilitaret, & frangeret: nec non ipſum Moyſen in filium ſuæ filiæ adoptatum, *ad occidendum quæreret*, quam ex Iſraelitici populi multitudine, & robore conceptus timor, ſeditioniſque concitandæ metus inanis? Quid illa fæminea ira, & muliebris crudelitas (cum ſævitiam fæmineam dico, ſummam ac maximam dico) Athaliæ Reginæ, *omne ſemen Regum interficientis*, & regnum Iudaicum per ſummam tyrannidem occupantis, quam fœmineus quidam metus, & muliebris timor, qui & ipſe eo eſt major, quo, qui timet, imbecillior, & ſui impotentior eſt, atque ad

Ratiocinatio Eliphaz.

Timor ſævitiæ parens.

Matth. 2.

Exod. 1. 50.

4 Reg 11. 1.

accipiendum damnum magis patens? Illud Enni, pervulgatum, æque ac verum;

Ennius.

Quem metuunt, oderunt. quem quiſque odit, periiſſe expetit.

Sic metus, quo cruciantur Tyranni, ſævitiæ parens, & comes eſt;

Senec. in Ædipo act. 3.

Qui ſceptra duro ſævius imperio regit,
Timet timentes; metus in auctorem redit.

Hæc eſt illa Tyrannorum ſæviſsimorum pluſquam inhumana feritas, ut nihil excelſum conſiſtere patiantur, ſed excellentiores ſemper cives, ſive inimicos, ſive amicos e medio tollant, timent videlicet omnes; itaque nullius ſaluti, & incolumitati parcunt. Hæc videlicet eſt inhumaniſsimi Neronis adverſus Plautum, & Syllam plena metu, & ſuſpicione, pariter, ac furore vox, atque lex;

= = = = = Quidquid excelſum eſt, cadat. *Sen. in Octavia, act. 2.*

Quod idem fuit Periandri conſilium datum in Epiſtol. ad Traſibulum, cujus meminit Ariſtotel. in Politic. *Civitatis principes tolle, ſive illi amici, ſive inimici videantur; quippe Tyranno amici quoque ſuſpecti ſunt.* Recte igitur convenit cum his ſententia Eliphaz, videlicet Deum nihil ſibi *timere* ab homine ullo, propterea nullam illum Tyrannidem, nullam crudelitatem, ſed incorruptum judicium adverſus mortales exercere, quos dignis afficit ſupliciis.

Ariſt. 5. Polit. c. 10.

Deus, ut potentiſsimus nihil timens.

4 Elucidatio, & expoſitio ſuperioris ſententiæ.

Sed, ut nec illud quoque non inutile prætermittamus, poterit proculdubio hæc ſententia in eo quoque ſenſu accipi, ut ſit præcedentis ſententiæ expoſitio, aut vero confirmatio in hunc modum; Si te, o IOB, Deus innocentem affligeret, certe nō ille tam ſevere argueret, neque tā graviter vexaret; ſed ita te exerceret, ut vereretur, atque timeret, ne plus nimio te læderet, atque ne in caſtigando modum paternæ diſciplinæ excederet. Cum enim pater caſtigat filium, etiam ſeviſsimus, timide id, & reverenter efficit. Numquid itaque, o IOB, timens arguet te Deus, tanquam inſontem filium? minime vero. nam te ille ſeveriſsime, & graviſsime afficit, atque profuſiſsima indignatione, non tanquam filium, ſed tāquam hoſtem proſequitur. Hanc exponendi rationem præferre videtur lectio Septuaginta: *Aut rationem tui habens arguet te?* nam *rationem alicujus habere*, quod in Græco eſt. *Logon pithæ* eſt, alicui proſpicere, & conſulere. Ac bene etiam cōvenit verbum *timendi*, quod in Hebræo ſubeſt, nam (ſicut & apud Latinos) non ſolum affert metum impendentis mali, ſed etiam venerationem quādam, & cultum

Timor parētum in caſtigādis filiis.

LXX.

λογον ποιειϑαι

ירא

tum

tum erga rem illam, quam veremur, atque metuimus, & quam bene ſervatam, ac minime læſam cupimus. Sicuti ſæpe dicitur in Sacro ſermone; *Timere Deum.* & Proverb. 24. 21. *Time Dominum fili mi, & Regem.* Tum etiam & parentes; ut Malachiæ 1. 6. fere per *honorem* explicatur; *Filius honorat patrem, & ſervus dominum ſuũ. Si ergo pater ego ſum, ubi eſt honor meus? & ſi Dominus ego ſum, ubi eſt timor meus?* Sicut autem filius parentem ſuum timet, & reveretur; ita e converſo pater quoque timet, & reveretur, ne plus nimio filium dolore, & verbere afficiat, ſicuti a Sapiẽte dictum eſt; *Tu dominator virtutis cum tranquillitate* (æquitate) *judicas, & cum reverentia* (parcendi ſtudio) *diſponis* (gubernas, tractas, præſertim dum caſtigas, & erudis) *nos.* Atque is ipſe timor, & reverentia eadem eſt, quæ inferius, *attentio, & diligentia* appellatur; *Si inimicos ſervorum tuorum, & debitos morti, cum tanta cruciaſti attentione* (cautione, moderatione) *Cum quanta diligentia* (ſollicitudine, aut potius maturitate, & caſtigationis, atque ſupplicii præmeditatione) *judicaſti* (affeciſti dolore, & pœna) *filios tuos?* Paternum igitur illud eſt; *Ego ero illi in patrem, & ipſe erit mihi in filium: quod ſi inique aliquid egerit, arguam illum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum.* quaſi tremens, & timens, uti fere ſolent homines, cum caſtigant filios; *virga* enim *virorum*, quæ in Hebræo dicitur *Beſebeth Onaſim*, non eſt virga fortium, & robuſtorum, ſed potius ſenum, ac imbecillorum, qui & præ imbecillitate, & præ ſenili quadam in adoleſcentiores filios indulgentia, & timent ipſi, & trement manu, cum filium verberant. *Enos* enim miſerum, & imbecillum ſonat, ut alibi, diximus. Igitur (inquit Eliphaz) te, o Iob, *non timet*, neque reveretur Deus; tuæ ſaluti minime conſulit; tuæ vitæ non parcit; non conſulit tuis rebus; ſed vult modis omnibus conſumptum, atq; deletum.

Timor, & reverentia parẽtum, ac filiorum mutuus.

Sap. 12. 18.

Pagn. Vatab.

2. Reg. 7. 14.

בשבט אנשים

אנוש

5 Illud vero, quod dicitur *Arguere*, & *venire in judicium cum aliquo*, ſeverioris animadverſionis, & irrogati ſupplicii periphraſis eſt; quamvis voces ipſæ, non tam ad ſupplicium, quam ad culpæ manifeſtationem, & forenſem, ac judicialem criminationem pertineant. Nam *arguere* eſt proprie accuſare, increpare, aut reprehendere, cum quis peccati reus non ſolum arguitur, & accuſatur, ſed etiam *convincitur*, & jam manifeſtatus, & convictus criminis, verbis, ac re ipſa reprehenditur. Quare non ineleganter dixit Rab. Mardochai, idem eſſe, quod *probare*, ſeu *comprobare*; Quod nos dicimus; *Averſele probado a alguno alguu delito.* & quidem apud Latinos, nihil aliud eſt in ſua proprietate *arguere*, quam oſtendere, & manifeſtare. & inde *arguere reum*, eſt manifeſtare, & prodere illius delictum, quare eſt verbum forenſe, & judiciale; cum illud etiam diffinierit Vlpianus leg. 197. de verbo ſignificat. *Iudicaſſe* (inquit) *reum eſt detuliſſe, arguiſſe, accuſaſſe, & conviciſſe.* In quam rem eſt valde appoſitus ille locus Geneſ. 20. 16. ab illa eadem originali radice, cũ Abimelech ait ad Sarã; *Memento te deprehenſam.* quod proprie juxta originale legas: *Memento te reprehẽſam.* quo etiam modo legit Rab. Mardokai; *& reprehenſa eſt.* quare dilucidius, & elegantius legeret Pagninus, & Regia; *Erudivit*, aut *corripuit illam*; quam *erudivit ſe.* ſed ſenſus idem, ac ſi dicat; *Memento te argutam*, id eſt, non ſolum a me reprehẽſam mendacii, ſed etiam manifeſtatã, atque convictam, & in comprobato mendacio * *deprehenſam.* & ita dilucide verterunt Septuaginta; *ου ita vere dicito.* Capit etiam verbum *arguendi* illam etiam peculiarem ſignificandi vim, quam Latinus dicit *caſtigare*, Hiſpanus vero *caſtigar*, cum quis ex objurgatione manet in poſterum admonitus, & in re aliqua magis prudens, & cautus; Cum quo bene convenit, quod eo loco Geneſ. indicat Vatablus. * *Caſtigata fuit, ne poſtea diceret ſe ſororem eſſe Abrahami.* Sic igitur ait Eliphaz; Accuſaris, o IOB, argueris, convinceris manifeſti, & ſat bene comprobati ſceleris; & propterea te Deus non verbis, ſed re ipſa veriſsime increpat, & graviſsimis ærumnis caſtigatum traducit, & manifeſtat in publico omnium conſpectu. cum quo recte cohæret, quod ſequitur.

Inflicti ſupplicii periphraſis.

יכח

R. Mardok.

Arguere verbum forenſe.

Vlpianus.

Pagn. Regia.

* Baſtanteméte ſe os a probado, no aver dicho verdad, y de manos a boca os avemos cogido é la mentira.

Et veniet tecum judicium? id eſt, in diſceptationem judicialem, in qua poſtuleris, accuſeris, convincaris ſceleratæ vitæ. Simile id Ieremiæ 2. 35. *Ecce ego judicio contendam tecum, eo quod dixeris, Non peccavi.* id eſt, judicio palam argueris, & convinceris ingentium ſcelerum: nam ſicut, quæ palam videntur, *a lumine manifeſtantur*; ita Divina judicia cum lumine cõparantur, quod in illis noſtra peccata manifeſtentur. Scriptum eſt enim; *Iudicia tua quaſi lux egredientur.* ut nemo de tuo ſcelere (ait Deus) nemo de mea juſtitia ambigere poſsit. Ex quo etiam loco peti poteſt hujus interrogationis reſponſio, Cur ſupplicium, atque vindicta Divina vocetur in Sacro ſermone reprehenſio, judi-

Divina judicia cum luce comparata.

Oſeæ 6. 6.

Deus jure procedens ad vindictam.

cium, & argumentum criminis? videlicet, quod Deus semper procedat ad supplicium ex æquo, & jure: & non prius puniat, aut condemnet, quam ratione ipsa, & argumentis, probationibusque certissimis veritatem criminis comprobarit, comprobatumque manifestarit, atque proposuerit omnibus circumspiciendum; ut censeant, esse reprehensione, & supplicio dignissimum. Ideo *arguit, & veniet nobiscum in judicium.*

V. *Et non propter malitiam tuã plurimam, & infinitas iniquitates tuas?*

1. Malitia *in Sacro, & Latinorum usu quid. Quo differat ab* iniquitate.
2. *Verus sententiæ sensus. Particula* Nonne, *vel* Numquid, *vis, & usus.*
3. *Superlativa cur addat Interpres.* Multum *ad numerum, & magnitudinẽ.* Iniquitas *pœna, aut culpa.*
4. *Infinitudo peccatorum ad obstinationem pertinet. Quid* Aversio contentiosa *apud Ierem. Finalis impœnitentia dux peccatorum.*
5. *Divina patientia connivens ad priora peccata. Quid* dissimulare. *Explicata Sapientia.*
6. *Multiplex morborum causa, non solum peccata.*

I Malitia, & iniquitas. PEndet ex superiori sensus. Non ille propter timorem, metumve alicujus mali, aut propter cujuspiam boni spẽ te arguit, & judicat: sed quod ingentem tuã malitiam, & iniquitates innumeras, digno supplicio ulcisci cõstituerit. Inter *malitiam* vero, & *iniquitates* hoc interesse tradit Origenes, quod *malitia,* sonet *vitium,* qui est *flagitiosus habitus*: deinde vero *iniquitates,* aut peccata, quæ a pravo habitu proficiscuntur. Paulo secus D. Thomas, quod *malitia* referatur ad peccata, quibus alios læsit, *iniquitates* vero ad peccata omissionis: proptereaque dicat; *Iniquitates infinitas, quia in pluribus peccat homo omittendo, quam committendo.* Ego de hac observatione D. Thomæ tantum adjungam Dionysii censuram suis ipsius verbis; *Hoc (inquit) ultimum verbum Beati Thomæ mirationem pariter, & timorẽ generat mihi.* Sed certe discrimen ullum inter hæc, non est valde curandum, cum utrumque nomen sonet aliquid virtuti, & sanctitati in universum contrarium ex Hebræo vero *malitiæ* nomen pertinet ad improbitatẽ quandam, & impudentiam contra jus, & æquũ, omnia conculcantem, & proterentẽ. *Iniquitas* vero ad curvitatem, & deviatio-

Origenes. D. Thom. Dionysii cẽsura. רוע עוה

nem, & perversitatem actionum deficientium, & declinantium a recto. Quare cũ Interpres *Malitiam* dixit, non sumpsit pro versutia, calliditate, aut fraude, quæ est certum, & peculiare vitium; sed pro vitiositate, aut perversitate, quæ virtuti opponitur; & quã Græci in universum *Cachiam* vocant, ut eleganter disserit Cice. 3. definib. & 4. Tusc.

Malitia non pro peculiari vitio. κακία. Cicero.

2 Existimant vero Origenes, & Nicetas. Hæc dici ab Eliphaz, nõ tam affirmanter, quam dubitanter; Vide, ne forte multa te peccãtem latuerint, quibus hujusmodi est merces persoluta. Origenes. *Probabiliter te injustum appello; credibile enim est isthæc tibi ob innumerabiles culpas cecidisse.*

Origenes. Nicetas.

Sed ego existimo hujusmodi amicorum interrogationes sub specie dubitationum propositas, assertiones esse, quib[9] & Iobũ asserant improbe vixisse, & quæ de impiis in universum disputarunt, nunc in Iobum omnia referant. & convenit cum hoc particula *Numquid*, vel *Nõne*, vel *Et non*, quæ in Hebræo est *Halo*, & servit fere semper affirmationibus: quare non raro vertitur ab Interprete, *Ecce*, aut *Utique*, quod ut indicaret, simul duabus particulis reddidit unicam, atque simplicem Hebræam. 1. Reg. 23. 19. *Nonne ecce David latitat apud nos?*

Particula Nũquid affirmãs. הלא

3 *Malitia plurima*. Deest in Hebræo superlativum, quo ea lingua caret. Sed frequenter, atque sapienter suppletur ab Interprete, quod sensus, & locus sic exigat. Quod autem est in originali, *malia multa,* eadem ratione verti posset *magna*; nimirum vox indifferens ad multitudinem, aut magnitudinem. *Infinitudo* autem, seu innumerabilitas *iniquitatum* presse, & stricte accipitur ab Origene, pro multitudine innumerabili peccatorum, aut pro incredibili gravitate, ut Iobum urgeat, & suadeat, ne sibi videatur plura, aut graviora perpeti, quam peccarit; nam certis, & numeratis morbis, & ærumnis innumera, & infinita peccata respondent. In quẽ quoque sensum inclinat annotatio Vatabli, accipientis *malitiam* pro pœna, atque sic elucidãtis locum; *Nonne afflictio tua est multa, at iniquitatibus tuis non est finis?*

Cur superlativis utatur Interpres. רבב Vatab.

4 Sed quidem videtur hoc non tam ad numerum, gravitatemve pertinere, quã ad continuas iniquitates, & nunquam intermissam peccandi licentiam; nam in Hebræo est, *Et non finis iniquitatibus tuis.* Quippe hæc est ingens quædam improbitatis amplificatio, quod sit obstinata, & *contentiosa aversio*, ut Ieremias dixit, nesciens converti, aut corrigi: *& casus,*

Germanus explicatus de Obstinatione Pagn. Regia. Caietan. Ierem. 8. 5. 6.

atque

atque præcipitatio, neſcia reſurgendi. Quem locum licet alii ſignificanter legant; *Rebellio æterna*, vel *perpetua*, ut Vatablus; aut *pertinax*, ut Tygurina, & Regia; aut *Fortis*, ut Pagninus; aut *inaceſſibilis*, ut Forſterus; aut *Impudens*, ut Septuaginta; (hæc enim omnia propria epitheta ſunt obſtinationis) At eleganter vertere poſsis juxta Originalis verbi proprietatem; *averſionem vincentem*, aut *triumphantem*, victricem, aut triumphatricem; quod videatur obſtinatio, & finalis impœnitentia ſuperare, & vincere reliqua peccata; Sic enim *Vincens*, aut *triumphator* ab hac ipſa radice dicitur ſecundum Rab. Mardochai; *Qui fortis eſt in corpore ſuo, & Princeps, & Dux*. Quaſi obſtinatio ſit aliorum peccatorum princeps, & dux. unde præfectus cantorũ dicitur *Victor in pſalmis*. aut vero dicetur *Obſtinatio victrix*, quod Divinam miſericordiam, & patientiam videatur quodam modo ſuperare, & vincere. Atque etiam propter eandem victoriæ rationem, legere poteris; *Averſionem finalem*, aut *in finem*: Nam iniquitates, aut averſio, quæ dicitur *infinita*, aut ſine fine, quod nunquam finiatur; eadem dicitur *finalis*, aut *in finem*, quod finis, & victoria pro illa tandem ſtet, & quod Hiſpanus diceret; *Al fin de la muerte queda el campo de la vida por el pecado*. Quare hoc ſenſu recte potuit appellare Eliphaz; *Infinitas iniquitates*. Tam forte, tamque inceſſabile peccandi ſtudium, & conſuetudinem, videtur mirari Deus apud eundem Prophetam exemplo maris, quod quamvis indomitum, & effræne, at illius impetum cohibent littora, & arenæ ipſæ intra ſuos fines continent. *Mare* vero *fervens* impiorum, nullis finibus contineri, coercerive poſsit; *Qui poſui arenam terminum mari, præceptum ſempiternum, quod non præteribit: & commovebuntur, & non poterunt; & intumeſcent fluctus ejus, & non tranſibunt illud. Populo autem huic factum eſt cor incredulum.* (Septuaginta; *Non audiens*. Vatablus; *Pravum*. Tygurina; *Rebelle*. Pagninus; *Declinans, & exaſperans*. Septuaginta; *Contumax*.) *Receſſerunt, & abierunt.*

Vatabl.
Tygur.
Regia.
Regia, & Forſterus.
Perpetua epitheta obſtinationis.
נצח
Obſtinationis victoria, & triumphus.
Ierem.
Iſai.57.20.
LXX
Vatab.
Tygur.
Pagnin.

5 Illud præterea non obſcure indicat Eliphaz, cum objicit *iniquitates ſine fine*, Dei patientiam ad priora adoleſcentiæ errata conniventem; minimeque *iraſcentem per ſingulos dies*; longanimiter expectãtem, donec exaggeretur peccatorum cumulus, & *impleatur menſura*, quam Divina Iuſtitia expectare tantum cõſtituit. Quamvis enim priora ſcelera digna extiterint quocumque ſupplicio, etiam graviſſimo, at hæc finalia, & nimis contentioſa videntur (ſi ita liceat loqui) ſuperare, & vincere Divinam potentiam, & miſericordiam, atque tam acriter ſtimulare, & laceſſere Divinam potentiam, ut ad ſupplicium incunctanter procedat; * *Diſſimulas* (inquit Sapiẽt. 12.) *peccata hominum propter pœnitentiam.* (id eſt, diſsimulas te videre, & connives ad peccata hominum, ut vel ſic pænitentiam agant. Verbum Græcum videtur ſignificare, nõ ſatis mẽtis attẽtione, & cogitatione advertere ad ea, quæ oculis objiciuntur, ut cum oculi ſine peculiari animadverſione præſentia præterlabuntur.) *Ideo eos, qui exerrant, partibus* (id eſt, paulatim, & per partes, non adhibendo ſtatim integrum ſupplicium) *corripis. Non quia impotens eras beſtiis ſævis, aut verbo duro ſimul exterminare; ſed partibus* (paulatim, pedetentim) *judicans* (condẽnãs, & puniens, aut judicia tua peragens) *dabas locum pœnitẽtiæ* (quamvis præſcires illorum obſtinationem fore infinitam, & inceſſabilem) *non ignorans, quoniam nequam eſt natio eorum, & naturalis malitia ipſorum, & quoniã non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum.* (ubi autem quis cõtumax, & impœnitens abutitur Dei patientia) *Virtutem oſtendis tu, qui non crederis eſſe in virtute cõſummatus, & horũ, qui te neſciũt.* (quod experti nõ fuerint Divinum ſupplicium, languide, & frigide ſentiunt de Divina potentia, nihilo ſeguiores improbitatis ſtudio) *audaciã* (proprie cõtumaciã) *traducis* (maniſeſto ſupplicio redarguis, & ſpectandã publico exemplo proponis.)

Pſal.9.12.
Matt.23.32.
*Teneislos de lãte, y parece, q̃ no los echais de ver.
παρορᾷς
Quatenus Deus diſsimulet peccata.
Deus cur paulatim puniat.
Impii cur lãguide ſentiãt de Divina Potentia.
Tygur.
Nauitus.

6 Tandem illud videtur Eliphaz profiteri, morbos, & calamitates alias cadere hominibus nõ niſi propter peccata; quod quamvis ſæpe, ſed nõ ſemper verum eſt. Eſt videlicet ille vulgi ſenſus, & pervulgata exiſtimatio hominum ſecũdum ſpeciem tantum de rebus judicantium. Ergo duo eſſe ærumnarũ, & pœnarum genera certum eſt, quaſdam ad ſupplicium, & eas quidem propter peccata; alias ad probationem, perfectionem, & confirmationẽ ſanctitatis. Videndus Gregor. 15. Moral. c. 29. Baſil. in Regulis fuſioribus cap. 45. Hieron. in id Iſaiæ 38. ubi Ezechias dicitur. *Infirmatus uſque ad mortem.* Auguſt. 1 de Civitate. c. 8. quod eſt, *de commodis, atque incommodis, quæ bonis, ac malis, plerumque communia ſunt*. Tum etiam capit. 9. *de cauſis correptionum, propter quas boni, & mali, pariter flagellantur.*

Non ſemper morbi, & calamitates ob peccata.
Duo genera calamitatum.
Gregor.
Baſil.
Hieron.
Auguſt.

Theodorus.

Quatuor calamitatū cauſæ.

Theodorus Heracleotes ſuper Ioan. 9. quatuor omnino aſsignat cauſas, obquas calamitates externæ accidũt hominibus, videlicet, aut propter propria, aut propter parentum peccata, aut propter probationẽ, aut propter Divinæ gloriæ manifeſtationẽ. Sed quatuor item ſupputat caſtigationis modos Cæſarius ille clariſſimus, ac Germanus frater Gregorii Nazianzeni, dum dialogo 3. de Iobo loquitur, ac de impiorum etiam extremo ſupplicio propter finalem impœnitentiam, illius verba, quod in rem noſtram opportuna ſint, adſcribenda: *Quatuor* (inquit) *modos caſtigationis ſcimus: nam alia quidem propter peccata nobis ad correctionem adhibetur; Multa enim flagella peccatoris. Alia vero ſuperbiā, & faſtum dejicit, hoc eſt, elationem, ac tumorem animi comprimit; Superbis enim Dominus reſiſtit. Alii autem latentem virtutem, & fortitudinem oſtendunt, ut eam ſpectatores imitentur: Nullus enim accendit lucernam, & ponit eam ſubter modium, aut lectum, ſed ſuper cādelabrum, ut luceat omnibus, qui ſunt in domo, inquit Dominus, quaſi dicat, Propter hoc inſtar facis accendi Iobum, & extra civitatem ſuper candelabrum ſtercoreum poſui, ut luceat omnibus in orbe terrarum. Alia denique caſtigatio eſt in univerſum a Deo deſeri, propter extremam nequitiam, & improbitatem, cui nihil omnino admixtum eſt boni, quod & Pharaoni, & Nabuchodonoſori, & Iudæ contigit, ut in exitiū traderentur propter inemendabilem militiā, Avertam enim ab ipſis faciem meam, & oſtendam, quid cum ipſis futurum ſit in noviſsimis, inquit Deus per linguā Moyſis.* Ex quatuor his, duos tantum ærumnarum modos Nazianzenus in ſuis Iambicis deſcribit cap. 30. de Patientia, videlicet, ſupplicium impiorum, piorum expurgationem, & medicinam;

Caſarius. — *Pſal 31.10.* — *1.Pet.5.5.* — *Matt.5.15.*

Iobus accenſus, & ſuper cādelabrum.

Deut. 32. 20.

Nazian.

Me quando ſævis obrutum morbis petis,
Mea dicta paucis accipe, & doctrinā habe.
Ægrum eſſe melius eſt mihi, quam ſit tibi
Valere: morbo nam piari me ſcio,
(Licet piandos improbos ſuſceperim.)
Ac forte morbi magis eſt myſterium,
Sed arbitrari præſtat id, quam ſordibus
Tinctum quibuſdam, noxie turgeſcere.

Sed jā ad peculiares facinorum ſpecies, quas enumerat Eliphaz, cōtendamus.

VI. *Abſtuliſti enim pignus fratrum tuorum ſine cauſa; & nudos ſpoliaſti veſtibus.*

1. *Tyrannidis comites ſævitia, & rapina.*
2. Pignus *quid, & unde dictum in Sacro, & Latino ſermone. Quid* Pignoris capio. *Lex de nō auferendo pignore. Explicati Moyſes, & Salomō.*
3. *Inhumanum, & iniquum non eſſe erga fratres munificum.*
4. Fratres *qui. Princeps non ſervis, ſed fratribus imperat.*
5. *Debitores mancipia creditorum. Quibus pœnis addicti. Explicatur Iſaias, & Matthæus.*
6. *Divites, & exactores frequenter mendaces. Pauper non ſua culpa, miſerandus.*
7. *Immiſericordia non veſtire pauperem. Explicatus Moyſes.*

Conceſſerat quondam Eliphaz Iobo aliquod ſanctitatis, & pietatis veſti- I
gium, ſimulatæ ſaltem pietatis ſpeciem, at nunc etiam hanc illi adimit, & ea in amicum crimina confert, quæ divitum improborum, atque tyrannorum propria eſſe videntur, & eorum, qui impietatis, rapinæ, & crudelitatis fructibus diteſcere ſolēt: (ut obſervavit Origenes.) nimirum ſordidam avaritiam, incredibilē feritatem, atque inhumanitatem, extremā quoque tyrannidem impingit IOBO Eliphaz. Enim vero crudelitas, atq; turpis lucri cupido Tyrānidis comites ſunt. Sic nimirum definitur ab Ariſtotele Tyrannus; *Qui ita dominatur, ut ad proprium cōmodum, & utilitatē omnia conferat.* Dum ſuam utilitatem conſectatur, oportet ſæpe humanitatis jura per ſummā crudelitatem, atque iniquitatem violare. Avaritiæ itaque crudelitas germana eſt, vel potius parens. utraque etiam Tyranici dominatus filia; quem ex ſua ſobole ſapienter deſcripſit Cordubenſis Seneca;

Origenes.

Sævitia tyrannorum.

Ariſt. 4. Polit. & 1. Ethic.

Rupere fœdus impius lucri furor,
Et ira præceps, quoque ſuccenſas agit
Libido mentes: venit imperii ſitis
Cruenta, factus præda majori minor
Pro jure vires eſſe. - - - - - - -
A fratre frater, dextera nati parens
Cecidit, maritus conjugis ferro jacet,
Perimuntque fœtus impiæ matres ſuos.

Seneca in Hippol. Act. 2.

Sed ſingula verba Eliphaz acriter pungūt Iobi animum, ut quibus amplificetur vehementer crimen, quod illi objicit; & ſuis quaſi gradibus creſcit ſententia: nam *pignerare*, ſordidum, & illiberale eſt; ſed *auferre pignus*, violentum; & *pignus fratrum*, ferum; & *ſine cauſa*, incredibiliter iniquum, & improbum. Sed explicanda ſingula. 2

Amplificatio ſceleris, et ſententiæ

Abſtuliſti pignus. In Hebræo ſimplex verbum, *Pigneraſti.* q. d obligaſti, cōſtrinxiſti. *Hbabal*, quod eſt *pignerare*, aut pignus accipere, idem eſt *obligare.* Quam ſignificationem agnovit Vulgatus Proverbior. 13. 13.

חבל

Pignus unde dicatur.

*Qui

*Quien de alguna coſa habla mal, empeñado queda para no hazerla.

*Qui detrabit alicui rei, ipſe ſe in futurum obligat. q. d. detractor, quamvis non ſtatim puniatur, non ob id tamen abſolvitur, & dimittitur liber; nam quaſi conjiceretur in publicam cuſtodiam, ita videtur eſſe in obligatione, & vinculis ad luendam pœnã; vel ad vitandum id, de quo minus bene ſentit, aut detraxit. ex hac igitur radice ducitur *Hbebel*, quod, & *funem*, & *vinculum* ſignificat, aut *pignus*; quod pignus ſit obligatio quædam, & quaſi vinculum debitoris, quo conſtringatur, & irretiatur. & conſonat quidem notio nominis Græci, nam quod nos *pignus* appellamus, Græce dicitur *Hypotheca*, quaſi, *obligationi ſuppoſitum*, ut Budæus annotavit in Pandectas, ex. l. penul. de pignorib. atque Alciat. l. 237. de verbor. ſignific. Grave igitur, & odioſum verbum *pignerandi*, & per obligationem, & vinculum quaſi obnoxios, & ſibi debitos aſſerere, & ſupponere, atq; ſubjicere concives ſuos. Illud præterea addit Budæus *pignus accipere*, aut, *pignerare*, illud eſſe, quod vulgo dicitur, *per exequutionem capere, executar, y sacar prendas*. Quod ſummo jure, atque ſumma injuria fieri ab avaris divitibus in pauperes ſolet. Quod autem *auferre* dixit interpres, & Latine, & ſignificanter fecit, quod violentiæ cujuſdam, & inhumanitatis eſſe videtur; ſic Cicero, *Capere*, vel *auferre pignora* dixit, aut *captis*, vel *ablatis pignoribus*, aliquẽ cogere, vel coercere. Atque inde Gellius. libr. 7. c. 10. ex Catonis lib. epiſtolicarum quæſtionum, refert *pignoris capionem* ab antiquis dictum. Sed ipſa *pignoris* etymologia docere hominem videtur, *pignus* non tam propria manu auferendum, & rapiendum ab invito, & miſero debitore, quam accipiendum (ſi quando oporteat) non niſi ipſius debitoris manu oblatum. *Pignus* enim, ut Cajus dixit, *appellatum eſt a pugno, quia res, quæ pignori dantur, manu traduntur*. *Auferre* igitur *pignus*, erit rapere cum violentia; ablatum etiam retinere diu, & quaſi re propria, uti. Quare Ezech. 18. 16. inter alia, quæ facienda Deus præcepit, enumeratur; *ſi pignus non retinuerit*. Quod in Hebræo eſt; *Pignus non pignoravit*; ubi repetitio ejuſdem vocis eam vim habere videtur, quam diximus, *auferendi*, & retinendi pignus, & cum violentia rapiendi, nã id prohibebatur creditori; tantum permittebatur oblatũ accipere, Deuter. 24. 10. *Cum repetes a proximo tuo rem aliquam, quam debet tibi, non ingredieris domum ejus, ut pignus auferas; ſed ſtabis foris, & ille tibi proferet quod habuerit.*

Hypoteca Græce quid.

Budæus.

Alciatus.

Pignus accipere, & auferre, quid.

Cic. I. Philip.

Gellius.

Pignoris capio.

L. Plebs. de verb. ſignif.

Complutenſ.

Lex de non rapiẽdo pignore

3 *Fratrum tuorum*. Immiſericordiæ, & inhumanitatis genus erga *fratres*, ac propinquos, non eſſe erga illos liberalem, ac munificum, ſed ſævum creditorem, & turpis lucri, uſurarumque exactorem, atque illis egẽtibus, poſtulantibus etiam, nihil ſine pignore dare, verum captis pignoribus, poſtea cogere, & coercere. Quid vero frater fratri mutuo, & commodato, ac non potius dono, minimeque reddendum dediſſe, aut reddendum vero, cum primum poſsit, ſine pignore, ſine repetitione exiſtimandus eſt? Certe qui ſua fratri communia non fecerit, is & fraterna compellatione indignus & humani ſanguinis exors cenſendus: propterea que ab hominum cõmunitate ablegandus. In quem illud exquiſite quadrat, quod de Tyranno dictum eſt a Cicerone ſapienter; *Hoc genus peſtiferum, & impium ab hominum communitate exterminandum, Etenim, ut membra quædam amputantur, ſi ipſa ſanguine, & tanquam ſpiritu carere cœperunt, & nocent reliquis partibus corporis, ſic in iſta figura hominis feritas, & immanitas belluæ a communitate, tanquam humanitate corporis ſegreganda eſt.*

Illiberalitas erga fratres.

Cic. 3. offic.

Inhumani exterminandi à communi convictu.

Sed *fratrum* nomine, Symmachus *inſontes* legit, quaſi dicat, innocentes, nihil debentes, forte propinquos, & ejuſdem cognationis homines intelligit. & vero 4
fratris etiam nomen cujuſcumque hominis, quem proximũ dicimus eadem natura, eiſdem legibus, eadem religione nobiſcum devincti appellatio eſt, cum quo princeps tanquam cum fratre, & paris naturæ, licet diſparis conditionis, agere debet: non tanquam cum mancipio, ut fere tyrannus ille, qui Senatores, quibus tanquam fratribus, & ſociis conſiliorum, atque ejuſdem imperii, & gubernationis conſortibus uti deberet, *mancipia togata* appellare conſuevit. Sapiẽter inter alia principum præcepta ſcribit Tacitus. 12. Annal. *Nec dominationem, & ſervos, ſed rectorem, & cives cogitet; clementiamque, & juſtitiam capeſſat.* & Plin. in Paneg. 12. 10. *Non minus hominem ſe, quam hominibus præeſſe cogitet.*

Fratres qui.

Princeps ſubjectos fratrum loco habere debet.

Anto. Heiſoga.

Tacitus.

Plinius.

In Hebræo, & Septuaginta ſenſus vehementior, *In pignus accepiſti fratres tuos in vanum*. non ſolũ illorum bona, quaſi tibi obnoxia, & debita, injecta manu, & quod dicunt, exequutione facta tibi aſſeruiſti, ſed illos ipſos per vim, & Tyrannidem cõprehenſos *tenens ſuffocabas quoad uſque redderent univerſum debitum*. Hoc in foro dicitur, *pignerari injecta manu*, vel *comprehenſione corporis*, ut obſervat Budæus in ſuis Forenſibus. Quid autem ſonat, accipere in pignus ipſos debitores, niſi illos ſibi vẽdicare tanquam mancipia, & ſervos? Neq; videbitur aliena interpretatio, ſi apud na-

LXX. Preſsior ex Hebræo, & Græco interpretatio.

Matt. 18. 28.

Budæus.

tiones plurimas oſtendamus, id in uſu, & lege fuiſſe, ut debitores tanquã ſervi, & captivi, ac vincti traderentur creditoribus. Certe apud Hebræos rei hujus non obſcura teſtimonia. Iſaiæ. 58. 6. *Diſſolve colligationes impietatis*, (ſolve videlicet obligationes, & vincula illa, quæ impii, & improbi creditores debitoribus injiciunt, ex pignoribus, & fœnore contractis. Vides conſonare cum eo, quod diximus, *pignus* ex proprietate vocis ſonare vinculum, aut obligationes. Exime igitur miſeros debitores nexu tibi devinctos impiis, & iniquis obligationum vinculis; aut etiam educ de carcere eos, qui tibi ſolvendo non ſunt.) *Solve faſciculos deprimentes* (videlicet, ſervitia, & operas, & jugum moleſtiarum, & uſurarum pauperum capitibus per ſummam inhumanitatem, tanquam mancipiis impoſitum. Vel etiam, faſciculos * chirographorum, quibus obligationes cõtinentur. Cum quo facit, quod Plutarchus cõmentariolo *devitando ære alieno*, eleganti ſimilitudine deſcripſit, de creditoribus, & exactoribus loquens; *Sicut Doryus Athenas miſit Datin, & Artaphernem, catenas, & vincula manibus geſtantes, ad vinciendum captivos, ita hi Syngrapharum, & tabularum, tanquam compedum plena vaſa Græciæ importãtes circum urbes ambulant.*) *Dimitte eos, qui confracti ſunt liberos* (ingenti ære alieno oppreſſos, & qui ſolvendo non ſunt, quos noſtrates dicunt, *Que an quebrado*. Liberos a ſervitute permitte abire, & illos tibi tanquã ſervos, minime devincito.) Et conſonant quidem hæ loquutiones cum eo, quod apud prophanos ſcriptores legimus, obæratos appellari, *nexu vinctos*, quod videlicet necterentur, atq; creditoribus traderẽtur. T. Livius; *Nexu vincti, ſolutique, ſe undique in publicum prorripiunt*. & alio loco; *Qui ante nexi fuerant, creditoribus tradebantur & nectebantur alii*. de quo ſtatim.

5 Debitores tãquam mancipia creditorũ apud Hebræos

Iſaias illuſtratus.

* Los legajos de cedulas, y eſcrituras, y cartas del aſto.

Plutarch.

Syngraphæ & tabulæ cõpedes debitorũ.

Obærati cur dicerentur nexu vincti.

Secundum vero ejuſdem rei teſtimonium clarius in parabola illa Matt. 10. de *Rege & ſervo nequam*, cui dimiſſa fuerant *Decem millia talenta; cum autem non haberet unde redderet, juſſit eũ Dominus ejus venũdari, & filios, & omnia, quæ habebat, & reddi*. Atq; ut Dion. ſcribit, non ſolum filii, ſed etiam nepotes, vel in ergaſtulum, vel in ſervitiũ creditoris abducebãtur. Deinde vero ſubjungitur in parabola; *Iratus Dominus ejus tradidit eum tortoribus, quoad uſque redderet univerſum debitum*. Quod ſane videtur olere immaniſsimam illam creditorum inhumanitatem, qua ad creditorum libidinem poſt vincula & catenas, debitorum membra dilaniabantur. quã refert Aullus Gellius lib. 20. c. 1. ex lege. 12. tabularum, cujus iſte eſt verborum tenor; *Æris confeſſi, rebusque jure judicatis triginta dies juſti ſunto; poſt deinde manus injectio eſto, in jus ducito, ſecum ducito, vincito, aut nervo, aut compedibus quindecim pondo, aut ſi volet, majore vincito*. Deinde vero; *Tertius nundinis parteis ſecanto, ſi plus minus ve ſecuerunt, ſine fraude eſto*. Addit deinde ex ſuo Gellius; *Nihil profecto immitius, nihil immanius, niſi* (ut re ipſa apparet) *eo conſilio tanta immanitas pœnæ denũtiata eſt, ne ad eam unquam perveniretur*. Invaluit lex eadẽ apud Romanos, apud quos Nexus, aut *Nexũ* erat obligationis genus, *cum corpus debitoris, ut pignus, capi poterat obligationis jure atque conditione*, ut explicat Budæus. nam debitor oppigneratus tradebatur creditori nexus. de quo, ac de immanitate fœneratorum videndus Livius li. 2. & 8. Varro lib. 6. de Lingua Lat. Cic. in Topi. de Abalienatione, Mancipio, & Nexu differens, Budæus in Pandect. In tit. *De in diem adject*. Quintilian. lib. 7. cap. 4. & cap. 8. Gelli. lib. 20. cap. 1. Macrob. lib. 1. cap. 16. Cæl. lib. 12. cap. 20. & 21. Sed Solon, ut Diodorus, Plutarchus, & Laertius ſcribunt, illam legem Atthenis abrogavit. *Solutio* (inquit Diodorus de AEgyptiorum legibus loquẽs) *ex bonis debitoris ſolum fiebat, corpus non poterat addici creditori. Hanc quoque legem videtur Solon ad Athenienſes tranſtuliſſe, quam Syſachthiam appellavit, decernens, ne ob uſuras civium corpora necterentur. Haud injuria queruntur quidam de nonnullis Græciæ legum latoribus, qui arma, aut aratrum, aut aliud quidvis operi neceſſariũ prohibebant ob fœnus addici creditori, corpora vero, quæ his utuntur, tradi permittant*. Hæc Diodorus. ac Plutarchus: *Nos dum contentos eſſe noſtris rebus pudet, dandis pignoribus, contractibusque ſubeundis, in ſervitutem noſmet damus*. De carnificina autem, & laniena illa paulo inferius; *Hi miſeris debitoribus, de foro, locum flagitioſorum pœnis deſtinatum redegerunt, vulturum inſtar eos edentes, & laniantes, &c*.

Illuſtratur parabola Regis & ſervi nequã

Debitores luẽtes corpore debitum.

Gellius.

Nexus, quæ obligatio.

Budæus.

Diodor. Sicul. lib. 1. c. 3. Laert. & Plut. in Solone, & in cõmentario, devitando ære alieno.

Atheniẽſium lex.

Altius inſerto tundentes viſcera roſtro.

Voces vero illæ ſervi nequam, *ſuffocantis conſervum*, atq; dicentis, *Redde, quod debes*, videntur eſſe, certa, & concepta verborũ formula, exigentis debitum, ut Plutarch. eodem ipſo loco indicat; *Nihil* (inquit) *turpius, nihil moleſtius, quam audire hanc vocem, Perſolve, quod debes*. Tertium deniq. 4. Reg. 4. 1. cum vidua dixit ad Eliſæum, *Ecce creditor venit, ut tollat duos filios meos ad ſerviẽdum ſibi*. Ad eundem enim nexi ritum, & conſuetudinem profecto reſpexit. Hæc certe omnia, quæ de creditorum, & exa-

Homerus. Odyſſ. 11.

Matth. 18. 28.

Concepta formula exigentis debitum.

ctorum

ctorum immanitate dicta ſunt, cadunt in eum, qui nō ſolum bona fratrum ſuorum, ſed ipſos ſuos *fratres in pignus accepit*. Atque hanc ipſam, aut ſimilem iniquitatem, & inhumanitatem videtur Eliphaz objicere Iobo, quod *abſtulerit*, & *pignus fratrū*, & ipſos *fratres in pignus*. Vt hinc colligas quod aliquando admonui, cum leges, & ritus pluribus nationibus communes invenerimus, oportere illos ad ſuperius ſæculum, & antiquiorem gentem revocare.

Sine cauſa. D. Thom. interpretatur, *ſine cauſa neceſſaria, quia de fratribus tuis ſine pignore confidere poteras*. Tyrannus nemini credit, nemo illi. Sed quidem *ſine cauſa*, idem
6 eſt, quod *fruſtra, immerito*. nam vox *Hhinā*, a radice *Hhanam*, quod eſt gratificare, aut donare per gratiam, excludit meritum, ſive in bonum, ſive in malum. quod ab Interprete dicitur; *ſupervacue, & gratis*, Pſal. 34.7. *Fruſtra*, Prover. 1. 11. *Sine cauſa*, itaq; ſine merito, gratis, nihil debentes. nam ſolent divites in media luce, & in medio foro latrocinia exercere, & ſpoliare *ſine cauſa* pauperes, atque fingere ſe creditores, & alios debitores, qui licet nihil a divitibus unquam acceperint, nihilq; debeant, ſed tamen propter paupertatē pares non ſunt repellendæ injuriæ, aſſerendæ veritati, redimendæ vexationi. In hunc fere modum explicāt Origenes, & Catenæ auctor: *Fruſtra* (inquit Origenes) *pignus abſtuliſti ab iis, quibus nihil ipſe crediderās*. Certe debitores, mentiri, non mirum, & cum *debeant centum, accipiant cautionem ſuam, & ſcribant quinquaginta*. paupertate nimirum, & ſolvendi impotentia impulſi minus in tabulas referunt, quam acceperunt. At multo iniquius, multoque impudentius mendaces plerique creditores: *Magis* (inquit Plutarchus) *mentiuntur, qui dant, quam qui accipiunt: mala enim fraude in ſuis adverſariis ſolent plus ſcribere, quā dederint: cujus mēdacii cauſam habent, non neceſſitatem, non inopiam, ſed inſatiabilem avaritiam*. Illud etiam auget ſcelus Tyranni, & avari divitis, atq; ex altera parte miſeri pauperis miſeriam, & commiſerationem incitat, quod *ſine cauſa*, ſine ſua culpa pignus ab illo extorqueatur; nam qui ſua culpa, & luxu, atq; ſumptibus immodicis, multis ſe acceptis uſuris, multoq; ære alieno obſtrinxit, cum miſerrimus ſit, miſeratione tamen minus videtur dignus. Ideo enim *Perſæ primum inter peccata locum æri alieno adſignarunt, ſecundū mendacio, quod obærati mentiri ſoleant*. Obæratum autem eſſe, non niſi ex immoderato luxu, accidere ſoleat. at qui ſine cauſa opprimitur, is vere commiſeratione dignisſimus: nam;

Quem fata cogunt, ille eſt cum venia miſer.

Parique ratione dicas, quem avarus, quem ſævus & inhumanus creditor, *ſine cauſa* coercet & vexat, ille eſt cum ingenti omnium commiſeratione miſerrimus. Sed quid tandem *abſtuliſti pro pignore*? Veſtes. immane, inhumanum!

Et nudos ſpoliaſti veſtibus. Ablato igitur pignore nudus cōglaciabat pauper. Quæ- 7 ſtiunculam ſic proponit, ſolvitque Origenes; *Atqui nudos ſpoliare qui poterat? nudos igitur valde inopes cogitare debemus, qui non alteram habent veſtem*. Facilius, & clarius; Quem ſpoliaſti ablato, & capto pignore, effeciſti, ut nudus maneret. erepto itaque veſtitu nudum, ſpoliatumq; contra naturæ, & humanitatis jura dimiſiſti. eſt namque in ipſa rationis, & humanitatis lege poſitum, quod benigniſsimus deinde Legis-lator hominum Deus, precepto ſuo, & lege cavit Exod. 22. 26. *Si pignus a fratre tuo acceperis veſtimentum, ante ſolis occaſum reddes ei: Ipſum enim eſt ſolum, quo operitur indumētum carnis ejus, nec habet aliud in quo dormiat*. accipit nimirum *veſtem*, pro culcitra, aut pro lodice, nam etiam Vlpianus inter veſtimenta numerat *omnia lanea, liteaque, vel ſerica, vel bombycina, quæ induendi, præcingendi, amiciendi, inſternendi injiciēdi, accumbendi cauſſa parata ſunt*. quare Amos. 3. 8. quod nos legimus; *veſtimenta pignorata*; Kaldæus legit; *lectulos oppignoratos*. vel certe pro illo ipſo veſtimento, quo & ſe operit interdiu, atque noctu etiā jacens ſe contegit. Cui præcepto reſpōdet id Ezech. 18. 16. *Pignus non retinuerit, &c.* atque amplificatur ſceleris hujus immanitas. Amos. 3. 8. *Super veſtimentis pignorati accubuerunt juxta omne altare*: Non enim contenti pauperis ſpoliatione, & expilatione, ipſa præterea rapta pignora, ab ir ſomni paupere, convertebant vel ad ſuas voluptates, & ſomni delitias, vel ad captāda auguria ab idolis juxta illorum altaria, pro antiqua gentiū conſuetudine, qua in pellibus victimarum accubantes captabāt ſua auguria per inſomnia. Vide etiam Devt. 24. 13. & paulo ante verſic. 6. *Non accipias loco pignoris inferiorem, & ſuperiorem molam, quia animam ſuam appoſuit tibi*. id eſt, non auferes a paupere loco pignoris, piſtrinum, videlicet, id, unde ſibi quotidianum victum parat; & *animam*, id eſt, vitam ſuſtentat. Vnde conjectura mihi eſt hoc noſtro loco per, *veſtes*, non ſolum, ſtricte debere intelligi veſtimentum, verumetiam quamcumque aliam domeſticam, & neceſſariam ſuppellectilem ad cōmodam

vitæ

Margin notes: חנן חנם — Divites in media luce exercentes latrocinia. — *Origenes. Nicetas.* — Plutarchus de ære alieno. — Divites, quam pauperes magis mendaces — Miſer ſine culpa digniſſimus miſericordia. — *Plutarch.* — *Senec. in Hyppo. act. 1.* — Origenis quæſtiuncula. — Veſtes pro culcitra. — *Vlpian. l. 23. §. 1 D. de aur. arg.* — *Chaldæus.* — Quorſum ante altaria dormitum. — Veſtis nomine quæcumq; pars ſupellectilis.

vitæ sustentationem, sic Isai. 1. per *vestes*, & *panem*, opes, & facultates necessariæ ad vitam intelliguntur; *Vestimentum tibi est, Princeps esto noster*. id est, tibi suppetunt necessariæ facultates. respondet vero eodem sensu; *In domo mea non est panis, neque vestimentum*. Illud non prætermittẽdum, quod eleganter indicat Origenes, videlicet posse dissolvi hanc partem a præcedenti, & nunc proponi aliud immisericordiæ genus; videlicet quod non vestierit nudum. *Fortasse* (inquit) *amictum nudum non præbere, ablationem, spoliationemque nuncupavit, spoliator enim, & raptor is est, qui nudum non induit*. Sicut, qui esurientem non pavit, occidisse censetur. Exempla hujus loquẽdi formulæ sequentia suppeditabunt.

VII. *Aquam lasso non dedisti, & esurienti subtraxisti panem.*

1. *Reus injuriæ, qui proximo nõ bene facit. Avarus principatu indignus. Illustratus Isaias.*
2. Aqua *Symbolum abundãtiæ. Avarus nihil aliis deficere existimat. Explicatus Paulus.*
3. *Quid* Aqua frigida, *apud Matthæum. Usus calidæ apud priscos*, Aeneum, & Thermopolium.
4. Lassus *in Sacro sermone quid. Potus frigidæ naturalis. Illustratus semel, & iterum Isaias.*
5. *Quid* Subtrahere *in Sacro sermone. Avarorum ingentium erga pauperes sævum. Illustratus Iacobus.*
6. *Quid sit Deum* dedisse divitibus ad fruendũ, *apud Paulum. Quid* prohibere. *Illustratus Salomon.*
7. *Quid* panis, & aquæ, *quid item* famis & sitis *nomine significetur in Sacro sermone. Divites comedunt panem non suum. Avari pauperiores pauperibus.*

I AQuam lasso non dedisti. Elegans imprimis ad nostram doctrinã documentũ statim in hac sententia occurrit, quod nõ aliis, quam ipsis Nicetæ verbis libet proponere: *Ergo reus quispiam est, non solũ quia injuriam facit, sed etiam quia benigne non facit: vide igitur quanta nostra in alterum esse debeat munificentia, quandoquidem non ministrasse sitientibus pocula, crimini datur; sicut & aquæ frigidæ poculum mercede non caret*. Similis loquutio, & inhumanitatis, atque avaritiæ criminis notatio. Isaiæ. 32. 6. ubi indignissimi Principis, tum stultitia, tum sordida parcitas, & avaritia, propter quas efficitur principatu indignus, describũtur: *Non vocabitur ultra is, qui insipiẽs est, Princeps* (*Princeps* ex sua proprietate liberalem, & munificum sonat, aut beneficum, & cum hilaritate, & alacritate animi benefacientem. Quanta igitur stultitia, *Principem* il-

Crimen non benefecisse miseris.

Princeps avarus, stultus & fraudulentus.

Illustratus Isaias.

נדיב

liberalem, & parcum esse!) *Neque fraudulentus* (id est ex proprietate nominis, qui claudit, prohibet, vetat; videlicet, avarus, qui suas facultates prohibet, & claudit ab inope, quod ingens fraudulentia est, defraudare pauperem debita eleemosyna) *vocabitur major* (ex proprietate vocis, opitulator, salvator, auxiliator. Subjungitur statim hujus rei ratio, videlicet, quare *insipiens*, & *fraudulentus* indignus sit principatu) *stultus enim fatua loquetur*, quæ ista loquendi stultitia? Certe avarum semper de suo lucro, semper de spoliandis, & lacerãdis egenis loqui, & cogitare. Quod eleganter explicat Vatablus legens; *Avarus loquitur stultitiam*. Tygurina vero; *Sordidus, sordida loquitur*) *& cor ejus faciet iniquitatẽ, & perficiet simulationem* (Pagninus, & Vatablus, *Impietatem*, vel *injuriam*; nam nihil aliud cogitat, quam quomodo ditescat ipse jure, vel injuria) *& loquatur ad Dominum fraudulenter* (Septuaginta, *loquatur errorem*. videlicet dicens, Deũ non curare pauperem) *& vacuam faciat animam esurientis, & potum sitienti auferat*, (id est, neque panem porrigat, neque aquam propinet, hoc enim est, atq; idem refert, quod exinanire *animam*, idest stomachum, & vẽtriculum famelici, & potum sitienti, auferre. Sed premendæ partes singulæ hujus sententiæ.

כלא

ישע

Vatab.

Tygur.

Pagnin.

LXX.

Aquam. vox quidem originalis, *Maiim*, licet pro quolibet potu, etiam pro unico haustu aquæ sumi possit; tamen in Hebræo vox est pluralis, & dualis numeri, quod comprehendere videatur duplicis generis aquas, superiores videlicet, & inferiores: Propterea sæpe vertit Interpres Latinus plurali nomine, *aquas*. sæpe etiam integrum aquæ elementum significat, aut ingentem pluviam, aut etiam flumina, ideo solet *aqua* esse copiæ, & abundantiæ, symbolum. Quæ vocis proprietas, & significatio præsenti loco, & instituto conveniet; ut significet Eliphaz ex magna illa divitiarum abundantia, & affluẽtia divitis, ne gut tam quidem redundasse in sitientes, & lassos; *quotidie* dives epulo *epulatur* opipare, & *splendide*, & ne mica quidem obvenit famelico. Proh avaritiam inexplebilem, & sacram auri famem, & sitim, quæ ad victum, & vestitum nihil sibi sufficere, at vero nihil pauperi deficere neque æstimant, neque recordantur! quæ inhumanitas hominem efficit omnis humanitatis, & misericordiæ exlegem: *Hic enim in vita sua projecit intima sua*. qui autẽ viscera projicit in quibus sedes est misericordiæ, legẽ, & humanitatis fidem abnegavit.

2 Aqua quid proprie.

מים

Aqua symbolum abundantiæ.

Avarorum divitum inhumanitas.

Eccles. 10. 11.

Prov. 5. 16. Hi sane nunquam *derivant fontes suos foras*, sed *claudunt viscera* sua ab egenis; atq; mẽdicis petentibus respondent, *sicut æstus in*
Isai 25. 5. *siti*. Quid enim succi, & humanitatis ardẽs æstus communicabit sitibundo, & *lasso*? Quid igitur oportunius ad hanc parcitatem, & humanitatem divitum emolliendã quam ad inexhaustum illum bonorum omnium fontem Deum, oculos attollere, atq; ex illo discere, ut sit *facile tribuendum, communicandum*, dandum egenis, *abunde ad fruendum*? Audi Pauli præceptum scribẽtis ad Thimotheum. *Divitibus hujus sæculi præcipe, Non sublime sapere; nec sperare in incerto divitiarum; sed in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum; Bene agere; divites fieri in bonis operibus; facile tribuere, communicare.*

Divina munificẽtia erudiẽs avaros.

1. ad Ti. 17. 18.

3 Sed illud præterea in *aqua* relucet, quod licet quicumque potus per illam intelligi soleat, sed juxta exigentiam loci videtur, de *aqua frigida* debere intelligi, id est de ea quæ nullis expensis eget, non igne ad calefaciendum, non alio medicamento, aut vini mistione ad condiendum, sed facile parabilis, qua hominem interdici, etiam sceleratissimum, lex humanitatis vetuit. Quam etiam vim expressit locus ille Matthæi. 10. 42. *Quicumque potum dederit uni ex minimis istis, calicem aquæ frigidæ, non perdet mercedem suam.* nã, ut eo loco interpretatur Chrysostomus, *Frigidam aquam dixit ut ne calefaciendi impendat laborem, hoc est, non dicam, qui eos magnifice suscipit.* Atque Hilarius; *Non inania* (inquit) *in eos, etiam levia, quæ sub frigidæ aquæ nomine designat, officia esse decernit.* nam & in usu, & in deliciis fuisse potum *aquæ calidæ*, apud antiquos, non solum hæc Chrysostomi, & Hilarii testimonia indicant, sed ex prophanis etiam scriptoribus, vir bene de antiquitate, ac de nostro sæculo meritus Iustus Lipsius suorum Electorum lib. 1. c. 4. aperte demonstrat. Atque erant etiam in eum peculiarem calefaciendi usum, sua etiam peculiaria vasa: nam, ut scribit Varro, dictus est *calix a caldo, quod in eo calida pals apponebatur, & calida ea bibebant*. Erat & *aenum*, sic Paulus. 18. de instrum. & instit. leg. *Nec multum refert inter cacabos, & aenũ, quod supra focum pendet; his aqua ad potandũ calefit, in illis pulmentarium coquitur.* & Thermopolium item erat taberna, aut caupona, in qua veniret calida. Quanquã Turnebus, atq; Hieronymus Mercurialis contendant Thermopolium fuisse locum, ubi dulces potiones venderentur, quas calidas sumebant; & Mercurialis, calidam vocari, non aquam, quæ igne calefacta

Aqua frigida facile parabilis.

Chrysost.

Hilarius.

Aquæ calidæ potus in deliciis.

Iustus Lipsius.

Varro.

Turnebus.

Mercur. lib. 1. c. 9. variar.

esset, sed eam, quæ refrigerata non fuisset nive, aut ulla alia arte. Vt sit, refrigeratã, non solum natura sua frigidam, tum etiam præcalidam deliciis, & palato serviisse in conviviis, & initio mensæ solum apponi, facile evincunt, tum quæ Mercurialis affert, *De variis antiquorum refrigerandi vina, & aquam modis*, tum quæ de calefaciendi Lipsius congerit ex Seneca, Atheneo, Ammiano, Dione, Martiali, Plauto. Quare cum *aquæ* nomine frigidam intelligo, non intelligo singulari arte, & cura refrigeratam, sed qualem profundit natura sua fons, aut adfert fluvius. Propterea enim *aqua*, tenuis, & vulgaris beneficii symbolum est, atque ex illa sumpsit Seneca pulchram illam similitudinem, & in rem præsentem opportunam, scribens de Benef. lib. 2. c. 2. *Quemadmodum in ægris aqua tempestive data remedii locum obtinet, ita quamvis leve, & vulgare beneficium sit, si præsto fuerit, gratiam pretiosi, sed lenti, & diu cogitati muneris vincit.*

Refrigerationes aquæ, & vini.

Aqua symbolum vulgaris beneficii.

Seneca.

Lasso. Non cuicumque denegavit aquã avarus, sed *lasso*, siti enecto, & arenti, proprie dicas, deficienti siti, & labore confecto. sic vertitur Deuter. 25. 18. *Quando tu eras fame, & labore confectus*. Defatigatus videlicet, & fatiscens, ut ultra movere te nõ posses. a qua etiam radice dicitur Isai. 40. 29. *Qui dat lasso virtutem*, id est, deficienti vires: nam statim exponit Propheta, quod prius dixerat; *& iis, qui non sunt fortitudinem, & vires multiplicat.* Quod de illo animi defectu, & quasi deliquio, quod ex fame, & siti contingit, acceperunt Septuaginta legentes: *Qui dat esurientibus fortitudinem*, &, quod apud Vulgatum legitur statim; *Deficient pueri, & laborabunt*; illi legũt; *Esurient juvenes, & laborabunt* (præ siti) *adolescentes*. Ergo *lassus*, est deficiens, laborãs, sine viribus, sine robore, indigens omnino quiete, & refrigerio. Quare & sine quiete, & sine refrigerio se profitetur Deus benignissimus, cum aqua denegatur suo lasso, Isai. 28. 12. *Hæc requies mea, Reficite lassum: & hoc est meum refrigerium.* Quo in loco, cum pro nomen illud *meum*, desideretur in Hebræo; acute vir doctus Forerius conjicit hunc sensum; *Hæc requies*; hic quiescite; nolo mentem vestrã longa mãdatorum serie vexare; hoc unum vobis commendo, quod cum impleveritis, existimare poteritis universam legẽ implesse, quæ benignitate, & proximorum charitate continetur. Sed illud etiam opportunum; Hac ratione *requiem* vobis, & refrigerium remetiar; reficiam vos lassos, & æstuantes, atque sitiẽtes refrigerabo, cum

4

עיף vel יעף

LXX.

Deus refrigeratus refrigerio pauperum

Forerius.

aquam lassi dederitis; aquam (inquam) non ullo dispendio decoctam, aut præparatã, & calefactam. Lassis, & commotis post defatigationem, & æstum, non vinum, nec frigidam, sed calidam bibere perutile, & inter præcepta de sanitate tuenda a Plutarcho relatũ: *Placida enim* (inquit ille) *est aquæ humiditas, & quieta. Frigidæ inquit* (sic Hieronym. in Matth. 10.) *non calidæ, ne & in calida paupertatis, & penuriæ lignorum occasio quæreretur*. Præsertim, cum potus calidæ, sicut majoris impensæ, ita minus naturalis sit, ut Plinius aliquando scripsit; *Notandum* (inquit) *nullum aliud animal* (excepto scilicet homine) *calidos potus sequi, ideoque non ss. naturales*. Naturalis autem est, *aqua frigida animæ sitienti*. Clemens Alexand. de hoc quoque lib. 2. Pedag. c. 2. *Naturalis, & sobrius potus sitientibus necessarius est, aqua; eam ex prærupta petra manante veteribus Hebræis, unicum ac simplicem temperantiæ potum suppeditavit Dominus*. Sed de *aqua* satis. nunc de *pane* nonnihil.

Lassis quis potus conveniens.

Plutarch. de tuenda valetudine.

Plinius.

Prov. 25. 25.

Clem. Alex.

5

מנע

Et esurienti subtraxisti panẽ. Victũ, & *panẽ*, quẽ esurienti nõ porrexisti, *subtraxisse*, & rapuisse censeris. Proprie; Abscondisti, negasti, removisti, prohibuisti, fraudasti, & privasti necessario victu, & debito alimento. Cadunt videlicet hæc omnia significata in verbum originale, *Managh*, & in verbum etiam Latinum *subtrahendi*. Significatur vero non solum divitis in operibus misericordiæ socordia, & oblivio, sed sedula, & bene memora sui avaritia, & de industria pauperum contemptus, & affectata immisericordia: nam interdum ipse petenti pauperi impudenter negat; interdum abscondit, & mentitur se minime habere, quo pauperem sublevet, ut vel sic scelus, & avaritiam dissimulare possit, quam illi conscientia ipsa exprobrat. Si vero sentiat vxorem, aut filios, aut ex domesticis quẽpiam paulo propensiorem erga pauperes, & mendicos, removet, vetat, prohibet, atq; modis omnibus *subtrahit esurienti panem*. Hi sunt, qui frequenter illud in ore habent ad preces, & obsecrationes mendicorum: * Parce mihi frater: nam vel inviti fatentur se delinquere contra illum. Precantur etiam a Deo pauperi necessarium victum; sed de suo, vel buccellam panis esurienti dare nolunt. quos graphice depingit Iacobus Apostolus de *Fide sine operibus mortua* disputans. cap. 2. 16. *Si frater, aut soror nudi sunt, & indigeant victu quotidiano, dicat autẽ aliquis ex vobis illis*; * *Ite in pace* (id est, si removeritis illum a vobis, etiam pacem, & fælicitatem precando) *Calefacimini, & saturamini* (id est, utinam invenias vestimentum, quo calefias, & necessarium victum, quo satureris) *non dederitis autem eis, quæ necessaria sunt corpori, Quid proderit?* Hos etiam notat Ioann. 1. cap. 3. *Non diligamus verbo, & lingua, sed opere & veritate*. Hi prę-terea avari divites respondere frequenter solent mendicis petentibus, *Vtinã Deus nobis præbeat, quæ aliis dare possimus. Quos mendacii manifesti arguit Pau. 1. ad Timoth. 6. cum præcipit, *Divites sperare in Deo, qui præstat*, (præstitit etiam divitibus) *nobis omnia abunde ad fruendum*; id est, non ut abscondant, neque *subtrahant* ea, quibus nemo frui possit; sed ut proferant, & erogent in usus pauperum, & cum egentibus *communicent*. Ergo cum ad cõmunicandum, & elargiendũ concessæ sint opes divitibus, valde opportune dicitur dives illas *subtrahere*, prohibere, & vetare; quasi panis, & victus necessarius, atque reliqua humanæ vitæ præsidia sponte sua fluant, & decurrant in pauperes sublevandos, eo quod in illorum vsum, & commoditates, *ad fruendum*, creata sint: atvero divites *in injustitia detineant*, & per vim, & iniquitatem prohibeant bonorum temporalium cursum, & redundantiam ad pauperes, & ad suas tantum utilitates, & voluptates detorqueant. nam verbum originale, de cursu fluminum impedito, & in novum alveum detorto, dicitur Ezechielis. 31. 15. *Prohibui flumina ejus, &c.* Sic dicitur Proverb. 3. 27. *Noli prohibere benefacere eũ, qui potest*. id est sponte sua propensum, & inclinantem ad benefaciendum ex sua facultate (si enim potest, cum dives sit, nisi per iniquitatem, & avaritiam se comprimat, & cursum divitiarum suarum prohibeat, spõte sua incurret in pauperes) *ne detineas*. neque alio detorqueas ejus animum, & voluntatem. & Ieremiæ. 5. 25. *Peccata vestra prohibuerunt bonum* (sponte sua in vos profluens, & redundans magno Divinæ misericordiæ impetu, & Divinæ bonitatis se effundentis ad commoditates mortaliũ) *a vobis*. Eum autem qui hac ratione *panem subtrahit*, & prohibet a paupere, *maledictũ* pronuntiat Sapiens Proverb. 11. 26. *Qui abscondit* (detinet, & prohibet in horreis, & non profert ad publicam vtilitatem, & pauperum sustẽtationem) *frumentum, maledicetur in populis; Benedictio autem super caput vendentium*. Locus in rem præsentem opportunus, & ex versione Septuaginta dilucidior. Sic illi: *Qui continet frumentum* (vides ibi *contineri*, & detineri quod Symmach. & Theodotio dixerunt; *Qui prohibet*; Sanctus autem Cyprianus. lib. 3. testimoniorum ad Quirinum, sic habet: *Captãs*

Dives immisericors, mendax.

Avarus prohibẽs familiam ab operibus misericordiæ.

* Perdonad hermano, que no tengo que daros.

* Id en paz, y Dios os provea.

6

* Dios nos de que demos.

Divitiæ concessæ divitibus ad cõmunicandum.

Prohiberi id quod sponte sua fluit ad pauperes.

Maledictus qui panẽ prohibet a paupere.

Locus Proverbiorum enucleatus.

LXX

Symmach.

Theodotio.

Cyprian

annonam,

Ambroſ. *annonam*, & ſanctus Ambroſius libr. 3. offi. cap. 6. *Captans pretia frumenti*, id eſt, captans tempus annonæ, ut majori pretio divendat) ſecundā partem ſic habent Septuaginta; LXX. *Benedictio in ejus capite, qui cōmunicat.* Sanctus Ambroſius, *Qui participat*, ut non ſolum vendentem ſignificet, ſed etiam hilariter dantem, & *facile tribuentem*, & *communicantem*, nedum ſordide *ſubtrahentem*, & inique prohibentem.

7 Panis, & aqua ſymbolū virtus quotidiani. *Panem.* Sicut per famem, & ſitim extrema indigentia ſignificatur; ita etiam per *panem*, & *aquam*, quodcumque inopiæ levamen, & laboris, atque laſſitudinis ſolatiū; præſertim vero quotidiani victus ſubſidium. Res in Sacro ſermone frequēter obvia. Sed Græci valde ſtricte, *panis* nomine *fruſtrum*, aut panis buccellam, intelligi volunt, ex proprietate vocis Græcæ ψωμὸς *pſomos*: qua eadem voce dicitur Ruth. 2. 14. *Intingens buccellam panis in aceto*, & Ambroſius quidem ſic legit, Ambroſ. *Eſurientium ſubtraxiſti fruſtrum panis*. Atque eleganter per paraphraſim explicat Nicetas; Nicetas. *Quid ego te negem largitum eſſe egenti, quando perexiguū panem, quo ſuam is, qui eſuriebat, ſolabatur inopiam, extorſiſti.* Hic perſpicies veriſsimum eſſe illud paradoxū, Paradoxum de Avaro divite. Divitem vere eſſe pauperem, atque omni egeno miſeriorem: nā ſi verum eſt illud, *Hoc habeo, quodcumque dedi*; qui nihil dat, nihil omnino habet. nec fruſtrum quidem, buccellamve panis, nam panem ſuum non comedunt; ac velut ſi ſtipem cogant, & panem emendicent, ita alienum panem manducant, quem vi, & iniquitate extorſerunt. Quam rem eleganter tractat Divus Ambroſius libr. de Naboth. Ambroſ. c. 4. ſuper id. 3. Regum. 21. Cum Achab Iezabelis, id eſt, avaritiæ vir, inhians in alienas opes, præ triſtitia, *projecit ſe in lectulum ſuum, & non comedit panem*. Quem locum Dives alienū panem comedens. legit Ambroſius; *Non manducavit panem ſuum. Etenim* (inquit) *divites, magis alienū panem, quam ſuum manducant, qui raptu vivunt, & rapinis ſumptum exercent ſuum*. In eo præterea pauperibus miſeriores, & pau- Divites pauperibus pauperiores. periores, quod ipſi emendicent a pauperibus, & accipiant ab invitis, & nolentibus; cum tamen pauperes, non niſi a locupletibus petant, neque niſi ab *hilari*, & lubente *datore* accipiant. Acute hoc indicatum a Chryſoſtomo. Chryſoſtom. Hom. 13. ſuper. 1. ad Corinth. 4. *Conſidera* (inquit) *quid apud omnes homines videatur eſſe turpe, a divitibus ne petere, an a pauperibus? eſt perſpicuum, quod a pauperibus. Hoc ergo faciunt divites: non petet enim mendicus, a mendico. Rurſus quid, quæſo, eſt honeſtius, accipere a volentibus, & gratiam habentibus, an nolentes cogere, & eis eſſe moleſtos? Sed hoc quoque faciunt divites, quod eſt argumētū majoris paupertatis. Quid rurſus dic mihi turpius, pannis ne obſitum petere, an veſtes geſtantem ſericeas?* Sed de hoc non ſemel poſtea.

VIII. *In fortitudine brachii tui poſſidebas terram: & potentiſſimus obtinebas eam.*

1. *Divites in bruta liberales, avari in pauperes.*
2. Brachium *tyrannidis & violentiæ ſymbolum. Illuſtrati Iſaias, & Ezechiel.*
3. *Manus Regibus, & divitibus longæ. Pauperes claudi, & manci. Lex manuum.*
4. Elevare faciem, *aut*, acceptus facie. *Quis tyrannus. Quis Princeps. Expiſcatus Moyſes.*
5. *Iudex iniquus perſonarum acceptor. Quid* Mirari perſonam quæſtus gratia.
6. *Principū familiares, quales. Illuſtratus Michæas, atque David.*
7. *Principum familiares, ſi impii ſint, perturbant Rēpublicam. Illuſtratus Amos, & Salomon. Privata utilitas obeſt publicæ.*
8. *Avaritia hoſpitales.*

Sententia in Originali ambigua, dupliI Varia lectio & multiplex expoſitio. cemq; propterea ſenſum ſuſtinere poteſt. ad verbum legitur; *Viro brachii, ei terra; & acceptus facie habitavit in ea.* Primam interpretationem affert Vatablus; Vatab. *Pauperes non dignaris pane, at potentibus poſſeſſiones tuas offers; & iis, quos magnificiunt homines, propter auctoritatem eorum*. Idem indicavit Nicetas; Nicetas. *Humiles* (inquit) *per vim oppreſsiſti, potentes ſuſpexiſti, atque ornaſti.* & fere eodē modo Origenes: Origenes. Matth. 13. 12. ſolent enim divites *habenti dare, ab eo, autem, qui non habet, etiam quod habet, auferre ab eo.* Sed quibus (inquam) dant? Divites liberales erga alios opulētos. Rurſus, a quibus auferunt? Divitibus, & cupidiſsimis; ab egenis, atque mendicis. In domibus divitum pingueſcunt, & niteſcunt porci; homines autem, & Filii Dei *fame pereunt*. Vides certe Zachariæ. 11. 2. impios hoſce principes, & magnates appellari, *Quercus Baſan*, quos eo loco Chaldæus interpretatur, *Satrapas Provinciarum*; Divites cur dicantur Quercus. quippe quercus nō aliis fructum ferunt, quam porcis, glandes, & ſiliquas. Paſcūt (ſi Diis placet) canes, equos accipitres, corvos; hominem vere hominem, ne unum quidem. *Parietes* (inquit Ambroſius) Ambroſ. *veſtitis auro, homines veſte nudatis? Panem poſtulat homo, & equus tuus aurum ſub dentibus mandit? Infælix cujus in poteſtate eſt tantas animas a morte defendere, & non eſt voluntas.*

Secundus explicatus germanior.

Sed ſecundum ſenſum elegit Vulgatus, ut tyrannidem objiciat Iobo, quod abuſus fuiſſet potentia, & viribus, & non niſi per iniquitatem, & rapinam ditatus fuiſſet; ut ſequentia oſtendent.

2 *In fortitudine brachii*, id eſt, in brachio forti. appellat autem Hebræus *virum brachii*, virum lacertoſum, & robuſtum; in *brachiis* enim multũ viriũ, & roboris reſidet; & nos, quod vi fit, & violenter rapitur, dicimus fieri, *a fuerça de braços*. Affert itaque hoc loco *fortitudo brachii*, potẽtiam ſimul, & injuſtitiam, cum ſævitia quadam, & inhumanitate, cõtemptuque imbecillorum. ſic Ezech. 22. 6. *Principes Iſrael ſinguli in brachio ſuo fuerunt in te, ad effundendum ſanguinem.* id eſt, abuſi ſunt potentia ad ſævitiam, & injuriam, ita ut illorum brachium, *& dextera plena* fuerit *injuſtitiæ*, & iniquitatis. Sic quoque ſeveriſsimum Dei ſupplicium *immiſsione*, aut *deſcenſione brachii*, ſignificavit Iſai. 30. 30. *Terrorem brachii ſui oſtendet, in comminatione furoris*. Proprie ex Hebræo; *Deſcenſionem brachii ſui*. Nos vehementem aliquem ictum, aut graviſsimam plagam, appellare ſolemus, *Deſcendimiento de manos*. Septuaginta verterunt; *Furorem brachii.*

Brachium cujus ſymbolũ.

Pſal. 47. 11.

Tyrannidis periphraſis.

Illud etiam tyrannidem, & rapinam ſonat, *Poßidere terram*, quod eſt occupare alienas hæreditates per vim, & injuſtitiam. & *terræ* nomen, quod hic ſubeſt, ad habitabilem, & inhabitabilem commune eſt, ut ſignificet potentiſsimum aliquem tyrannum, civitates, agros, prædia civium omnium ſibi uni afferentem, & per vim occupantẽ, & ex unica illa tyrannorum lege rempublicam adminiſtrantem; *Sit fortitudo noſtra lex juſtitiæ.*

ארץ

Sap. 2. 11.

3 Sed dolendum, quod *viro brachii* ſit terra. qui ergo *brachia* non habuerit, nihil obtinere neceſſe eſt; & qui plura, atq; longiora brachia habuerit, majoribuſque viribus fuerit, is demum conſequetur majora ſublimiora, & potiora. Rurſus ſi per *brachia* intelligantur miniſtri, & familiares Principũ, quib⁹ Princeps utitur, velut brachiis, & manibus ad diripiendum, ſpoliandum, & ad deſideria, atque animi ſui appetitiones conſequendas; quid tunc de miſero, & egeno fiet, cui *brachia* non ſunt, quibus juſtitiam ſuam, ſuaque omnia tueatur? Pereat neceſſe eſt: & ſicut claudus ille dicebat ſe *non habere hominem*; ideo aliis non poſſe præcurrere ad piſcinam; ita egenus brachiis, & manibus truncus dicat, ſe non habere brachia, ideo nihil ex æquo, & jure conſequi poſſe. At Regibus, & Magnatibus in promptu omnia, quibus & robuſta brachia, & manus longiſsimæ, ut ille dixit;

Viribus & vi potius, quã jure, omnia obtineri.

Brachia, miniſtri prĩcipũ.

Ioann. 5. 7.

Principibus lõgiſsima brachia, & manus

An neſcis longas Regibus eſſe manus?

Ovid.

Neque longas tantum, ſed multas, atque adeo innumeras; inſtar illius Briarei gigantis Centimani, & Centumgemini, nihil ut non poſſet in fortitudine brachiorum, & in multitudine manuum contingere, conſequi, rapere. Ergo cum tanta brachiorum, atque manuum fortitudine polleant, dici de his proceribus, atque magnatibus opportune, æque ac vere poteſt, quod de magnis illis ac proceriſsimis gigantibus poeta dixit,

Hic & Aloidas geminos, immania vidi
Corpora, qui manibus magnum reſcindere cælum,
Aggreßi, ſuperisq; Iovem detrudere Regnis.

Virgil. 6. æneid.

Sic *en chirõ nomo*, id eſt, *in lege manuũ*, quaſi *in fortitudine brachii*, quæ reputetur pro lege juſtitiæ, AEſchines cõtra Tymarchum dixit fieri, quæ violenta, & tyrannica manu fiunt.

ἐν χειρῶν νόμῳ

AEſchines.

Et potentiſsimus obtinebas eam. Superioris hemiſtichii expoſitio dilucida, atque Hebraiſmi elegans dilutio; proprie enim (ut diximus) habetur in Hebræo, *Acceptus*, vel *elevatus facie habitabit in ea*. cum enim in communi, & in tertia perſona hæc proferantur ab Eliphaz, Interpres, ut illuminaret, recte convertit in ſecundam; nam propter Iobum univerſa hæc dicuntur. atque in Hebræo ſermone eſt familiaris ejuſmodi a perſona in perſonam tranſitio. 4

Pagnin. Regia. Vatab.

Perſonarum mutatio Hebræis familiaris.

Rurſus hic eſt in ſenſu ambiguitas; nam & active, & paſsive ſumi poteſt; paſsive quidem accipit Interpres, & plerique Hebraizantium, videlicet, *acceptum, & elevatum facie*, id eſt, cujus perſona ab aliis accipitur, quem alii ſuſpiciunt, & admirantur; quem propter timorem potius, quam propter amorem colunt. Et hunc Interpres *potentißimum* nominat: nam ſimiliter ab eadem originali radice *elevandi*, Hebræi, Principem vocant *Naci*, quaſi elevatum facie, & perſona ab aliis acceptum. unde dicitur Geneſ. 19. 21. *Suſcepi preces tuas*. quod proprie in Hebræo eſt; *Elevavi faciem tuam*. Rabi Mardochai: *Reveritus ſum faciem tuam.* Septuaginta; *Admiratus ſum faciem tuam.* quod honoris exhibiti, & dignitatis in alio obſervatæ eſt. Ergo in hoc ſenſu ſignificat Eliphaz nõ ullo jure obtinuiſſe Iob principatum in ſuos, quam potentia, & tyrannide, propter quam alii ſe illi ſubjecerint, illius divitias timentes, & admirantes: non enim ideo juſte poſsidet, neque honorem meretur, quod pauper illi deferat, aut offerat. *Etenim nos* (Chryſoſtomus

נשיא

R. Mardoc.

LXX.

Dives injuſte honorem captans a pauperibus.

(in hanc ipſam rem eleganter) *canis ſæpe timentes projicimus, quæ teriebamus, & propterea averſamur, & fugimus latrantes, quod nobis aſſidue inſtent, & nos urgeant.*

Chryſoſt. Hom. 4. ad Corin.

5 Secundus ſenſus, ut hæc *faciei elevatio* active ſumatur, atque legamus cũ Pagnino, *Acceptor perſonarum habitabit in ea.* Idemque ſequuti ſunt Septuaginta legentes; *Admiratus es quorundam perſonam.* Quare notat Iobum, quod cum ſupremus judex, & populi adminiſtrator eſſet, acciperet tamen potentiorum, & locupletiorum perſonas, atque non alios haberet amicos, & familiares, quã illos ipſos ſui ſimiles ſuperbos pariter, ac locupletes. vel etiam, quod inique judicaret, efficeretque iniquis judiciis, ut potentioribus, quorum perſonas accipiebat in judicio, bona pauperum caderent, atque ea omnia in utilitatem ſuorum familiarum, & privatorum converterentur. In ea autem perſonarum acceptione, turpem quæſtũ, & ſordidam munerum acceptionem forte indicat Eliphaz, ut propterea divitum perſonam dicatur Princeps ipſe accipere, quod ab illis munera cupiat accipere. Sicut etiam, propter lucri ſpem aliquam, inferiores dicuntur mirari, & accipere perſonas potentiorum, ut Apoſtolus Iudas dixit, *Mirantes perſonas lucri gratia.* Quem locum non tam ad adulationem, (ut aliquando cum plerifque expoſuimus) quã ad perſonarum acceptionem referre oportet, namque illi certe, qui perſonatam illam, & ſplendentem divitum ſpeciem, & fortunam mirantur, & ſuſpiciunt, iidẽ ipſi veriſsime illorum perſonam accipiũt; ut ex epiſtola Iacobi aperte colligitur. c. 2. 2. ubi *accipere perſonam divitum*, ex eo ſignificatur, *intendere in eum, qui indutus eſt veſte præclara*, cum geſtu quodam ſuſpicientis, & admirantis.

Pagnin. LXX

Princeps accipiens perſonas ſubditorum.

Acceptio perſonarum lucri gratia.

Iuda. 16.

Quid ſit mirari perſonã

6 Hinc eliciuntur duo, aut tria inſtituẽdæ vitæ monita. Primum, ut ſæpe errare Principes ſoleant, in deligendis ſibi familiaribus, & quos vocant privatos; quorum fami, & ſiti inexplebili dum ſatisfacere, & reſpondere ſtudent, ſæpe jura, legesque omnes æquitatis pervertunt, cum pauperum injuria, & damno: quare merito exprobrat iniquis Principibus, & magiſtratibus Michæas. cap. 7. 3. *Princeps* (vir princeps, & magnus coram ſuo Rege, & judice ſupremo) *poſtulat*, (a Rege) *& iudex* (ſupremus) *in reddendo* (facile annuendo, & concedendo, nulla ſufficiẽte cauſæ, & rei poſtulatæ cognitione) *eſt; & magnus* (primates, & Regi familiares) *loquutus eſt deſiderium animæ ſuæ,* (quod appetunt, hoc petunt; quod vero petunt, dicto citius obtinent) *& conturbaverunt eam* (rempublicam, pungendo videlicet, & lacerando pauperes, & infirmiorum ſanguinem exugendo, ideo enim ſubditur) * *Qui optimus in eis eſt, quaſi Paliurus; & qui rectus, quaſi ſpina de ſepe.* Quanto melius Rex ille, qui de ſeipſo ſcripſit; *Ad nihilum deductus eſt in conſpectu ejus* (meo) *malignus.* (non accipit David perſonam impiorum; quantumvis divites, & potentes ſint, deſpicit illos. Hieronymus; *Deſpicitur in conſpectu ejus improbus.*) *Timentes autem Dominum glorificat.* Et rurſus in illa optimi Principis deſcriptione. *Superbo, oculo, & inſatiabili corde* (avaro) *cum hoc non edebam; non habitabit in medio domus meæ, qui facit ſuperbiam,* (Hieronymus; *faciens dolum*) *qui loquitur iniqua* (Hieronymus; *loquens mendacium*, nam ſæpe iniquitas, & injuria pauperis nititur mendacio, & fraudi divitum) *non direxit* (Hieronymus; *Non placebit*) *in conſpectu oculorum meorum. Oculi mei ad fideles terræ* hos videlicet admiror, horum perſonam ſuſpicio, & accipio, hi hi digni, qui ſedeant cum Principe, & ad menſam, & ad conſilium.

Familiares, & privati principum quales.

Illuſtratus paraphraſi Michæas.

* Los grãdes, y los privados

* El mejor de ellos o, ſacara, y chupara la ſangre.

Pſal. 14. 5.

Hieronym.

Pſal. 100.

Hieron.

7 Secundum, quantum & Regno ac Regibus noceant ambitioſi quidam illorum familiares, & privati, privatis ſane affectibus, & commoditatibus inſervientes; ut enim ille Sapienter dixit: *Privatæ rei ſemper offecere, officientque publicis conſiliis.* & ille alter accinens; *Peſſimum veri affectus venenum, ſua cuique utilitas.* Deplorandum enim univerſo populo, cum primates, & magnates ſtudent avaritiæ. *Avaritia* (inquit Amos. 9. 1.) *in capite omnium.* Quod autem eſt iſtud *populi caput*, niſi de quibus dictum eſt; *Optimates, capita populorum?* Nocent vero vehementer Regibus ipſis, cum Scriptum ſit: *Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas puriſsimum; aufer impietatem a vultu Regis, & firmabitur juſtitia thronus ejus.* Quæ verba comparationem hujuſmodi continẽt; Sicut puriſsimum vas ex argento bene purgato efficitur, ita & Rex juſtus depulſa impietate; nam non minus impietas, & injuſtitia Regi, quam rubigo, & ſcoria officit argento. Sed quæ nam *impietas* hæc, quæ Regalis vultus ſplendorem obſcurat, & commaculat? Certe, *impius*, qui coram illo ſtat, & qui Regibus aſsiſtunt, & miniſtrant. In Hebræo, & Græco; *Auferatur impius a conſpectu Regis.* ſic & Regia dignitas præfulgebit reipublicæ; nam *impii* iſti privati

Principum familiares avari venenum reipublicæ.

Livius lib. 22.

Tacit. 1. hiſt.

Amos 9. 1.

Amos 6. 1.

Prov. 25. 2.

Illuſtratus locus Proverbiorum.

Pulchra ſimilitudo.

Sept. Pagn. Regia. Baja. Septuag. Aquila. Theodotio.

רשעים

(proprie ex Hebræo , *inquieti* , & rerum perturbatores) per vim , & fraudes obscurant candorem , & majestatem dignitatis Regie, atque Regni firmitatem commovent, & ad ruinam impellunt.

8 Tertium , hospitalitatem commendari hoc loco , damnarique inhospitalitatem familiarem avaris divitibus , qui ita *obtinent terram* , ut ne pugillum quidem in quo requiescant permittant pauperibus ; ita ipsi in amplissimis palatiis spatiantur , ut non solum domo sua non excipiant peregrinos, sed hos ipsos suis domibus , & possessionibus pulsos , & deturbatos velint. Res hæc in hoc loco clarior ex versione Septuaginta : *Habitare fecisti eos, qui super terram.* Ambrosius autem sic legit ; *Habitare fecisti pauperes in terra* . Nicetas autem testatur in nonnullis codicibus haberi ; *Cubare fecisti pauperes in terra* . Ergo non solum obtinet tyrannus pignora pauperum , sed domos ipsas ; neque contentus, si dicat peregrinis , * *Ite in pace* ; cogit præterea paupres peregrinari , & exulare . Ad hos dictum est ; *Væ, qui conjungitis domum ad domum , & agrum agro copulatis ; numquid habitabitis vos soli super terram ?* Quo loco eleganter Cyrillus; *Hi, qui ditescere volunt , & potentia valent , insidiantur semper accolis , & vicinis , & urbanas res amplificare student* . Hic fuit ille Romanorum luxus ; *Latifundia* (inquit Plinius) *perdidere Italiam : jam vero & provincias. Sex domini semissem Africæ possidebant, cum interfecit eos Nero Princeps.* Nimirum potentissimus obtinebat terram. Eleganter Seneca Avaritiam sui sæculi in obtinenda terra, cum paupertate prisci sæculi comparans Epistol. 91. *Licet agros agris adjiciat , vicinum vel pretio pellat agris , vel injuria: licet in provinciarum spatium jura dilatet , & possessionem vocet , per sua longam peregrinationem , nulla nos finium propagatio eo reducet ; unde discessimus* . Ingens damnum ex impio vicino *terram obtinente* ! Sed pergendum.

Cōmendatio hospitalitatis

LXX. Ambros.

Nicetas. Iacob. 2. 16.

* En otra parte ballareys posada.

Isai. 5. 8.

Cyrillus.

Plinius. lib. 18. c. 6.

Seneca.

IX. *Viduas dimisisti vacuas, & lacertos pupillorum comminuisti.*

1. Dimittere *in Sacro sermone ad violentiam. Vidua nomen miserabile, cur dicatur* ligata.
2. Vacuum *de paupertate dici*, Racha, exinanire, leve *ad idem referri* . *Explicatur Nehemias, & David.*
3. *Avari, pravi medici immodicis evacuationibus utentes, Deus tantum superflua evacuat.*
4. *Magistratus iniqui , non nisi pretio tutatur viduas.*
5. Lacerti, & brachia *pro robore, & pro consanguineis* . Pupillus *tyrannorum præda* . Pisces *Symbolum tyranni* .

I Hic rursus *partem bonorum non communicasse cum viduis crimini datur*, ut observavit Nicetas . & qui viduæ sinum non complet, evacuasse, & exinanisse censetur . Sic quoque Origenes. Philippus etiam aliquãto benignius interpretatur; *Unamquamque* (inquit) *earum vacuam dimisisti , quoniam id, quod a te postulabat, non potuit impetrare* . Sed forte gravius etiam aliquid significatur, & in rem præsentem opportunius, quod viduas suis bonis, fortunisque ejecerit ; nam sermo esse videtur de improbissimo tyranno, ex illorum grege qui Sapient. 2. 10. dicebant, *Opprimamus pauperem justum ; & non parcamus viduæ , nec veterano : nec revereamur canos multi temporis* . Et quidem verbum *dimittendi* violentiam quamdam affert , ut sit idem , quod ejicere , extrudere, expellere . ut Genes. 3. 23. *Emisit eum Dominus de Paradiso* , (ut statim exponitur) *ejecit Adam*. Et in lingua Chaldaica significat *spoliare*, aut, *pellem detrahere*, ut Complutenses affirmant . * Emisisti vacuas , & ejecisti suis bonis, & facultatibus. Auget vero tyranni improbitatem , & amplificat immanitatem facinoris , quod *in viduas* desævierit, quarum nomen ut miserabile est, ita & omni commiseratione dignissimum : dicitur enim *Vidua* in Hebræo , *Almana* , a verbo *Alam* , quod est *colligare*; &, si de lingua dicatur est habere linguam colligatam, id est , obmutescere, aut mutum esse, ergo *ligata* per contrarium intellectum est jam *soluta viro*, & lege , ut Paulus loquitur : sive potius, ut Rabi Mardochai , ait , *quod mortuo viro , non valeat loqui , & litigare* , quamvis contra jus, & æquum rapinam bonorum suorum patiatur, & vacua dimittatur ab iniquo tyranno ; Res autem ipsa *viduitatis* ærumnosissima, illam descripsit eleganter Gregorius Nyssenus opere de Virginit . capit. 3 . cujus initium attingam. Nam (ut ipse ait) *Quæ sunt viduitatis propria incommoda , quotusquisque est , qui omnia accurate ennumeret ? De improviso viduitas , ærumna , solitudo , quæ horribilia sunt nomina, sibi imponit; Pro luce in nuptiali cubiculo caligo, & tenebræ, luctus lamentabiles, ploratus , atque odium in eos , qui dolorem lenire conãtur, cibi abstinentia, corporis tabes,*

Nicetas. Origenes. Philipp.

Sævitia tyrãnorum in viduas.

שלח

Complutens.

*Dexaste alas biudas sin hazienda y echastelas de sus casas.

אלמנה
אלם

Viduæ nomē.

1. Cor. 7. 27. R. Mardo.

Viduitas ærũnosissima.

Nyssenus.

Viduitatis incommoda.

contractio,

contractio, demiſſioque animi, mortis cupiditas, quæ ſæpe ad ipſam uſque mortem perdurat; labens domus, ſervi omnia negligentes, cunctæque aliæ res adverſæ. Plura in Nyſſeno.

2 *Viduas vacuas*. Elegans Hebraiſmus; *vacuum* enim, aut *inane* illud appellat Hebræus, quod bonis, ſubſtantiaque caret, pauperem videlicet, a radice *Rik*, vel *Rakak*, quod eſt effundere, vel evacuare; unde deducitur vox illa *Raka*, apud Matthæum. 5. 22. quæ ſignificat levem vacuum, aut inanem: non quidem levem, id eſt, inconſtantem, & judicij, parum gravis, ut quidam docti exiſtimarunt; ſed levem, id eſt bonis exhauſtum, & omni pondere evacuatum. A qua radice dicitur. 4. Reg. 44. *Pete a vicinis tuis vaſa vacua*. & Iſaiæ. 29. 8. *Vacua eſt anima ejus*. id eſt, ſtomachus inanis, & ſine cibo. Erat ergo contumelioſum verbum dicere fratri, *Raka*, id eſt, vocare pauperculum, & bonis omnibus exhauſtum, ſine pondere, aut ulla divitiarum gloria, vel gravitate. ſicut etiam contumeliæ apud nos eſſet, & contemptus plena vox alicui dicere, *Pobrete, y ſin honra*. Sicut ergo *aggravare*, vel *grave* ad divitias, & honorem pertinere ſolet in Sacro ſermone, ut alibi oſtendimus; ita e contrario, *evacuare*, vel *vacuum*, & *inane*, ad inopiam refertur, Iudicum. 11. 3. *Congregati ſunt ad eum viri inopes*; Hebraice, *vacui*. non, ut exiſtimavit Vatablus, *vacui*, id eſt, *otioſi*, ſed, ut eleganter Vulgatus dixit, *inopes*, & bonis exhauſti. Sicut etiam eleganter dixerunt Septuaginta; *Viri inanes*. Nehemiæ: 5. 13. *Excuſſi ſinum meum, & dixi, Sic excutiat Deus omnem virum, qui non compleverit verbum iſtud, de domo ſua, & de laboribus ſuis, ſic excutiatur, & vacuus fiat*, id eſt, redigatur ad inopiam. ubi etiam Septuaginta: *Erit ſic excuſſus, & inanis*. Pſalm. 7. 5. *Decidam ab inimicis meis * inanis*. id eſt, ſine præda, ſine lucro, aut compendio ullo, multo autem diſpendio belli, & aparatus bellici. Quare eximiam illam, quam ſibi elegit Chriſtus Dominus, paupertatem, *exinaniendi*, & *evacuandi* verbo explicuit Paulus Philippen. 2. 7. * *Exinanivit ſemet ipſum*. Vides igitur hanc *viduarum vacuitatem*, ad extremam inopiam, & bonorum omnium atque facultatum direptionem pertinere: tum etiam, & ad famem, & eſuritionem, quæ inopiæ comes eſt, metaphora ſumpta ab inani ventriculo tameſcentium; qua translationis figura dictum eſt Lucæ. 1. 53. *Eſurientes* (vacuos, & inanes) *implevit bonis, & divites* (bene plenos facultatibus, & repletos panibus) *dimiſit inanes*. (evacuatos, exhauſtos facultatibus)

Vacuum, de paupertate.

רִיק

רָקַק

Ioann. Maldo.

Gravitas de divitiis, & honore.

Exinanitio de paupertate, & fame.

Pag. Regia. 13. 41.

LXX.

* Caſtado, y perdido, de aver es hecho guerra ſin provecho.

* Empobrecioſe, y apocoſe.

3 Vbi notandum Tyrannos peſsimorum medicorũ partes obire, ut qui miſeris, & infirmis immodicas evacuationes præcipiant, non quidem ſuperflui, aut vitioſi alicujus humoris, ſed neceſſarii ad vitæ ſuſtentationem ſanguinis. Viri vere *ſanguinum*, & pauperum ſanguini inſidiantes, id eſt bonis, & facultatibus imbecillorum, quibus illorum vita, ceu ſanguine, ſuſtentatur. Qua etiam translatione dictum eſt Numer. 23. 24. *Donec devoret prædam, & occiſorum ſanguinem bibat*, id eſt, donec parta de hoſtibus victoria, illorum facultatibus, & bonis ſe ſe impleat. Inter evacuandi vero inſtrumenta hirudines ſunt, quæ ſanguinem inſatiabiliter ſitiunt; *Sanguiſugæ* enim, *duæ ſunt filiæ, quæ dicunt ſemper, Affer, affer*. Sed quæ nam duæ iſtæ inexplebiles *ſanguiſugæ*? Certe non aliæ, quam Ambitio, & Avaritia. At Deus medicus optimus, qui *amat animas*, & neminem vult perire, cum ipſe evacuat bonis, & facultatibus, *evacuare* profecto cenſetur, atque *exinanire* (ſic loquuntur Medici) quod ſuperfluum, & vitioſum in corpore eſt; & inedia, atque eſuritione, facultatum inopia, lachrymis, aſsiduo labore, ſudore etiã, & profuſione ſanguinis evacuare ille vult, quod vitioſum in nobis eſt, & ſalutari *Kenoſi*, aut *Chatharſi*, id eſt, vacuatione, & vitioſi humoris e noſtris animis detractione, noſtræ ſaluti bene conſulere.

Tyranni ſunt medici peſsimi.

Pſal. 54. 24.

Prov. 30. 15.

De his ſanguiſugis. vide quæ diximus Cap. 20. ℣ 20.

Deus evacuãs ſuperfluo humore.

Sap. 11. 23.

Galen. 1. ad Glaucum.

Evacuationes ſalutares animorum.

Vide Gorraeum in lib. definitionum medicarum

4 Secundo obſerva forte hoc loco notari avaros, quoſdam magiſtratus, qui niſi accipiant pretium a viduis, illas minime tuentur, ſed evacuari permittunt ab aliis potentioribus. quos eleganter deſcribit Divus Salvianus libr. 5. de Providentia, dum loquitur de pauperiorum inopia, mercantium ſuis facultatibus patrocinia potentiorum; *Tradunt* (inquit) *ſe ad tuendum, protegendumque majoribus; dedititias ſe divitum faciunt; & quaſi in jus eorum, ditionemque traſcendunt; nec tamen grave hoc, aut indignum arbitrarer, ſi patrocinia iſta non venderent. Illud grave, ac peracerbum eſt, quod hac lege tueri pauperes videntur, ut ſpolient; hac lege defendunt miſeros, ut miſeriores faciant defendendo: omnes enim hi, qui defendi videntur, defenſoribus ſuis omnem fere ſubſtãtiam ſuam, priuſquam defendantur, addicunt; ac, ſi ut patres habeant defenſionem, perdunt filii*

Principes, & judices vendẽtes ſua patrocinia.

Salvianus.

hæreditatem : Inauditum commercii genus eſt, venditoris creſcit facultas, emptoribus nihil remanet, niſi ſola mendicitas. Pulchra præterea alia, invitus licet prætermitto. Vide qua ratione, *viduæ dimitti* ſoleant *vacuæ*.

5 *Et lacertos pupillorum comminuiſti. Viduæ* atque *pupilli* nomina, & per ſe ſingula, & juncta ſæpe repetuntur in Sacro Sermone, de quo eleganter dixit Tertullianus lib. 1. ad Vxorem. c. 8. *Duo iſta nomina in quantum deſpectui humano, in tantum Divinæ miſericordiæ expoſita.* Atque per *viduã, & pupillũ*, omne miſerorum & imbecillorum hominum genus ſignificari videtur; nimirum per res in eo genere priores, & excellentiores, id eſt miſerrimas, & omni ſolatio, atque auxilio deſtitutas. Quod autem ait, *comminuiſti*, idem eſt quod *contriviſti*, confregiſti, depreſsiſti, in terram humiliaſti, cõſumpſiſti. Hæc enim omnia cadunt in verbum originale *Daca*, & cum analogia, & ſignificatuum proportione quadam; nam quæ comminuuntur, & contunduntur, frequenter proculcantur pedibus, & ideo in terram humiliantur, tum etiam contuſione, & comminutione diſsipantur, pereunt, & abſumuntur.

Tertul.

Viduæ, & pupilli nomina, ſignificãt omnẽ miſeriam

דכא

Per *brachia* autem ſignificat robur, fortitudinem, divitias, & quæ orphano pro brachiis, & manibus eſſe poſſent, bona; illos item, qui tueri & defendere orphanũ poſſent, cognatos, atq; propinquos. Sic *comedere*, aut vorare *carnẽ brachii ſui*, dicitur Iſaiæ. 9. 20. id eſt, ſpoliare opibus, & viribus fratrem, proximum ve, & conſanguineum ſuum deglutire, & conſumere. Vt ſtatim eodem loco Iſai. nu. 21. exponitur, *Manaſſes Ephraim, & Ephraim Manaſſem*. Iſti videlicet erant uterini fratres mutuis bellis, & diſſenſionibus ſibi mutuo infenſi. Ergo neminem vult tyrannus vivere, qui tuendas orphani partes ſuſcipere poſsit; non conſanguineos, non patronos, aut curatores, ne quis ſuæ inhumanitati, & prædæ obſiſtere poſsit. Quo enim imbecillior, & minus a tutoribus munitus pupillus, eo bolus tyranno diviti mollior, & dulcior. ut de vaſtiſsimis piſcibus Scriptum eſt; inhiare videlicet in delicatiorum, & minorum piſciculorũ prædam ſibi gratiſsimam: & de accipitre, libentiſsime veſci tenellis paſſerculis. *Quare taces* (inquit Habacuc. 1. 14. obſtupens, & admirans tantam mortalium injuſtitiã, tãtam Divinæ juſtitiæ patientiam, & longanimitatem) *devorante impio juſtiorẽ ſe? & facies homines, quaſi piſces maris?* Piſces

Brachium, robur, & propinqui.

Conſanguinei mutuo ſibi inſidiãtes.

Vaſtiores piſces inſidiãtes minoribus.

majores minorum devoratores, atq; direptores, deſcribit elegãter Baſilius hom. 7. Exam. & peropportune in rem præſentem: *Major pars piſcium liguriunt alter alterum, atque devorant: & minor apud illos eſca majoris eſt; &, ſi unquam evenerit, ut is, qui minorem ſuperaverat, alterius præda fiat, ambo tum ſimul deglutiuntur, & una ultimi piſcis immerſi ventrẽ ingrediuntur. Quid igitur nos homines aliud agimus, cum vim afferimus inferioribus?* Itaque

Qui pote plus, urget: piſces, ut ſæpe minutos
Magnus comeſt; ut aves enecat accipiter.

Vtitur in hanc ipſam rẽ Clemens Alex. 1. Stromat. Heſiodi teſtimonio juſtitiæ legem homini tribuentis, non piſcibus, non volucribus;

Humano generi lex namq; eſt a Iove data,
Piſces, atq; feræ, volucresq; per aera nantes,
Se ſe edunt, cũ illis ulli haud ſit notio juris.
Aſt hominum generi juſtum eſt, neque optima ceſſit.

Baſilius.

Marcus Varro in Margopoli.

Clemens. Alexand.

Heſiodus.

X. *Propterea circumdatus es laqueis, & coturbat te formido ſubita.*

1. Circundati, *ad obſidionem ærumnarum.* Laqueus. *Illuſtratus David.*
2. Formido, & Timor *de præſentibus malis. Illuſtratus Iſai. Mentis perturbatio inimica ſalutaris conſilii.*
3. *Supplicium debitum graviſſimum. Impii male ſecuri. Volare ad celeritatem ſupplicii apud Zachariam. Illuſtratus Ioannes, & Lucas.*
4. *Quare Dei vindicta dicatur* Fulgur. *Qui* filii diffidentiæ *apud Paulum. Illuſtratus Iſaias, & Matthæus.*

1 PRopter tot (inquit) ac tanta ſcelera, quæ enumeravimus, cõſtrictus teneris Divini ſupplicii vinculis, atq; compedibus, quas tibi injecit Divina ultio; & incredibilium malorum exercitu obſideris, & oppugnaris uſque ad ſtuporem, & animi conſternationem, qualis in iis, quæ ſubito accidunt, ſolet accidere.

Circumdatus es. Clare, & dilucide, quod quamvis obſcurius, ſed ſignificãter tamẽ in Hebræo; *Laquei in circuitu tui*, nulla ad ſolatium, & remedium via, nullum perfugium. Vndique enim ſtructi ſunt, & compoſiti laquei, in quos neceſſe ſit fugientẽ ruere. Hoſtile aliquid, & obſidionale ſignificare videtur, & undique calamitatibus oppugnari, & conſtringi doloribus. *Laqueis*. inextricabilibus malis, quibus quaſi vinculis quibuſdam comprehenſus teneatur a Iuſtitia Divina, ex quibus homo ſe non poſsit extricare. Sic Pſalm. 65. 11. vbi

Ærumnarum obſidio.

Laqueus, malum inevitabile.

describuntur ærumnæ, quas patiebantur Israelitæ captivi Babylone, dicunt ipsi, *Induxisti nos in laqueum*, quod interpretatur Theodoretus, dictum propter Danielem conjectum *in lacum leonũ*, unde exire non poterat, occluso ostio, & fossa inclusus: *Leonum* (inquit Theodoretus) *lacus, erat ineluctabilis laqueus.* Sed præterea *laquei* sunt insidiæ, & machinæ occultæ, non solum, quas composuerunt Chaldæi, atque Sabæi suis artibus, sed etiam quas Divina Iustitia sua arte, & Providentia, scelerum ultrice paraverit, simulque Iobum in eos laqueos impulerit. Nicetas in universum *Laquéos* interpretatur, quæcumque illi acciderunt. Sed de *laqueo*, & ejus in Sacro sermone significatione diximus aliquando plura.

Theodoret. — Laquei insidiæ — *Nicetas.* — *Vide sup. c. 18. ℣. 7. 8. 9.*

Et conturbat. In Hebræo, exterruit, perterrefecit *te formido*, pavor *subitus*, subito terrore perculsus es, & subita florẽtis status conversione perturbatus. Terribilem denotat cladem, & ærumnas mirabiles. quæ præ magnitudine sua stuporẽ, & incredibilem admirationem afferant, non patientibus solum, sed spectantibus. nam hujusmodi *formido*, & timor non est futuri, aut imminentis mali metus, sed stupor quidam, & admiratio ad bonum, malũve præsens, ut manifeste colligitur ex Isaiæ 60.5. *Tunc videbis, & afflues, & mirabitur* (Pagn. *Obstupescet*, Regia. *Pavebit*) *& dilatabitur cor tuum:* non enim est admiratio, & timor, qui constringat, sed qui latitudinem cordis, & viscerum laxitatem quandam afferat: id est, ipse conspectus, atq; experientia bonorum te in admirationẽ, atque lætitiam simul conjicient. Eleganter eo in loco Hebraismũ retinuerunt Septuaginta; *Tunc videbis, & timebis, & stupebis corde, quoniam transferentur in te divitiæ, &c.* Retinuit etiam Vulgatus Ierem. 33.9. *Pavebunt, & turbabuntur in universis bonis, & in omni pace, quam ego faciam eis.* In malum autem Isaiæ. 33. 14. *Conterriti* (terribilibus malis oppressi) *sunt peccatores, possedit timor Hypocritas:* loquitur enim de præsenti supplicio. Similiter sane intellexisse videntur Septuaginta nunc legentes; *Sollicitavit te bellum insigne.* Referunt nimirum *formidinem* illam, & *conturbationem*, non tã ad imminentis belli suspicionem, quam ad belli jam exardescentis, præsentisque tumultus terrorem, & formidinem. Cum autem gravior *sit tumultus*, quam *bellum*, ut dixit aliquando Cicero, recte Interpres *perturbationem* dixit, quasi timorem multum, aut ingentẽ tumultum. *Quid est enim* (inquit idem Cicero) *tumultus, nisi perturbatio tanta, ut major timor oriatur, unde etiã nomen ductum est tumultus?* Quare non usquequaque conveniens est commentarius Philippi referentis hanc *formidinem* ad malæ conscientiæ perturbationem, quanquam nonnihil utilitatis contineant illius verba: *Hoc* (inquit) *dicebat Eliphaz, quod ipse Beatus Iob malæ conscientiæ formidine turbaretur, & eadem formidine sibi subito veniente, usquequaque consternatus consilium patientiæ contra adversa perdiderit.* Vbi pulchre impatientem laborum, & ærumnarum comparat cum homine, quem ipsa animi perturbatio, & prava affectio non permittat salutare capere consilium in re ardua, & difficili; sed perturbatione impulsus, in deteriora, atq; pejora præceps agatur. Quod cum eo, quod sequitur, de inopinato, & improviso casu, & subita fortunarum amissione convenire potest. Percelluntur enim mente, & consilio plerique ad terrores subitos, atq; rationem tenere non possunt, ut de se aliquando scribit Gregorius Nazianzenus orat. 1. apologetica.

בהל — Terror & formido, pro admiratione rei præsentis. — *Pagn. Regia.* — *LXX.* — *LXX.* — *Cic. 8. Phili.* — *Ad Atticum.* — Impatiens similis perturbati hominis. — Timor subitus perturbat mentem. — *Nazianz.*

3 Quod autem ait *formidinem subitam*, ingens quædam amplificatio est calamitatis, atq; supplicii, tum etiam supinæ securitatis impiorum, quos male securos inopinata, & repentina mala opprimunt: nã inopinata omnia graviora esse solent: Quare cum Christus Dominus grave supplicium, multoque triginta octo annorum morbo deterius cõminatur infirmo illi, quem in piscina sanavit, ait; *Noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Quid est autem *deterius contingere*, quam subito, & inopinato supplicio affici, cum minus expectatur, nulla triginta annorum admonitione præmissa? Rem hanc indicavit acute Toletus Cardinalis illo Ioannis loco; atque eodem etiã utitur Basilius, in suis Moralibus reg. 11. c. 1. simulque illo altero Lucæ. 21. *Veniet Dominus servi illius in die, in qua non sperat, & hora, qua nescit.* Sed *subiti supplicii* gravitatem, atque Divinæ justitiæ improvisam celeritatem, & inexpectatam ultionem perspicere licet in illa Zachariæ vatis visione, *volantis voluminis*, in quo *maledictio*, id est, maledictionis, & supplicii impiorũ sententia descripta convolabat celerrime, *subito* insiliens in capita impiorum: ut enim observavit Chrysostomus homilia. 27. ad popul. Antioch. *Volans, velocissimum ultionis incursum significat.* Ideo *gladium* suum, atq; Providentiam ultricem comparat Deus cum *fulgure*, Deuter. 32. 41. *Si acuero, ut fulgur, gladium meum:* nã

Inopinata omnia graviora. — *Ioan. 5. 14.* — *Cardinalis Toletus.* — *Basilius.* — Divinæ vindictæ celeritas. — *Zach. 5. 1.* — *Chrysost.* — Gladius Dei fulmineus.

Divina ultio fulminea quadam celeritate coruscandi, & percutiedi, & subito perterrefaciendi tonitru, insignis est. Sed improbi, cum differtur supplicium, mala securitate consopiti, illud videntur dicere Isaiæ. 18. 15. * *Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum, flagellum inundans,* (Suptuaginta; *Tempestas irruens*; solet hæc subito cogi, & inexpectato viatorem opprimere) *cum pertransierit, non veniet super nos.* Pro *pacto*, in Hebræo est, *fecimus visionem.* Sic Tygurina, & Regia, aut *speculatorem*, vel *speculationem*. q. d. antequam veniat ultio videbimus a longe, nosq; comparabimus. Sed in hoc quoq; quadrat quod Apostolus dixit Ephes. 5. 6. *Nemo vos seducat inanibus verbis*. (sunt enim hæc inania promissa, quibus se ipsum decipit peccator) *Propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ.* q. d. (ut indicavit Basilius loco nuper adducto) *in eos, qui de adventu* judicis, & de supplicii celeritate *diffidunt*. Videtur autem alludere ad illos, qui in diebus Noe, inexpectato diluvio obruti sunt: Nam de hoc dictum est Matth. 24. 38. *Sicut in diebus Noe, ita erit adventus filii hominis, sicut erant in diebus ante diluvium comedentes, & bibentes, & nuptui tradentes, usque ad eũ diẽ, in quo intravit Noe in arcam, & non cognoverunt, donec venit diluvium.* Tunc nimirum conturbati sunt formidine subita. Ergo cum hoc dicit Eliphaz, imaginem quãdam supplicii omnium impiorum nobis proponit; *Quia* (ut inquit hoc loco Gregorius) *illum formido subita conturbat, qui considerare renuit, quia ex districtione judicis venientis immineat.*

Impiorum mala securitas.

* A la mira estamos de la muerte, y puesto tenemos quien nos avise, para que no se nos entre sin sentir.

LXX.

Tygur. Regia.

Basilius.

Impii diffidentes de celeri adventu judicis.

Gregor.

XI. *Et putabas te tenebras non visurum: & impetu aquarũ inũdantium non oppressum iri?*

1. *Lectionum varietas. Repentina tenebra.*
2. *Notata nimia argutiæ Cajetani.*
3. Tenebræ *in sacro sermone quid. Illustratus David.*
4. *Quid sit* tenebras videre, *in Sacro sermone.*
5. *Quid proprie* Aquarum redundantia, *aut impetus. Illustratus Ezechiel. Vnde* aquarum *pro calamitatibus significatio.*
6. *Divina misericordia perennis fluvius, decurrens cum impetu. Illustratus David.*
7. *Quid* opprimere, *quid* operire *in Sacro sermone. Explicati Isaias, & Ieremias.*

1 IS Ergo (inquit Eliphaz) cum fueris, o Iob, profligatissimus, atque sceleratissimus, tamen tibi per summam stultitiam persuaseras fore, ut semper fruereris cõspectu jucũdissimo splendentis fortunæ, ac nulla domi tuæ noctis, ac tenebrarũ vicissitudo esset. Occidit itaque in medio ipso splendore, sol ille tuus, & *lumen tibi*, (sic legunt Septuaginta) *in tenebras conversum est.* Græci cum præcedente versiculo hanc quoque sententiam nectunt; Propterea circumdatus es laqueis, atque res tuæ a splendido ad tenebricosum statum devenerunt. Valde concisa sententia in Hebræo; *Aut tenebræ, non videbis.* idest (ut exponit Vatablus) *Tenebræ perturbationũ perturbaverunt te, nec vidisti.* id est, tibi nec videnti, nec opinanti repentinæ malorũ tenebræ offusæ sunt. vel, ut legit, simulq; per paraphrasim illustrat Pagninus: *Tenebræ venerunt super te, ut non videas.* Videlicet, sempiternæ tenebræ, quæ omnem tibi futuri splendoris spem adimunt. Sed multo elegantior, vehementiorque in nostra lectione Vulgata, efficitur sententia cum interrogatione, & quadam stultę illius opinionis, & persuasionis irrisione.

LXX.

Varia lectio.

Vatab.

Pagnin.

2 Cajetanus hoc loco, nescio quam mentis cæcitatem objici Iobo existimat ex ipso *tenebrarum* nomine; Illius hæc verba; non fingo; *Intendit Eliphaz per hanc noviter explicatam cæcitatem dicere, quod Iob impeditus, vel a timore ex improviso, vel ab obscuritate phantasmatum ministrantium intellectui, perseverabit non videndo veritatẽ, quod propter iniquitates suas afflictus est.* Vel cæcus profecto videat hanc interpretationem phantasma esse, nisi ad allegoriam trahatur sententia; nam post primum illũ litteralem sensum, addit quoque hãc Philippus; *Tenebris depressus es, ut obscurato corde non videas te correctum esse.*

Cajetan.

3 Tenebræ igitur hoc loco, mala, & calamitates. Quatuor autem in universum *tenebrarum* significata indicãtur a Philippo. *Multis* (inquit) *modis tenebræ intelligi possunt, modo peccata, modo ignorantia, modo tribulatio, modo obscuritas Divinorum voluminum.* Alia quædam breviter accipe; Vita præsens, nox, ex Gregor. Nazianz. oratio. 2. in Pascha. *Sic lux in tenebris, id est, Christus in hac vita, & carne lucet.* Eodem expositore Oratione in Sãcta lumina. *Tenebræ adversaria potestas*, eodem loco. Sed
4 *Tenebræ*, pro adversitatibus frequentissime in Sacro, & sacrorum Doctorũ sermone, de quo prioribus capitib. memini me dixisse non pauca. Sed addam rei hujus pulchram ex Thodoreto confirmationẽ, nam quod *tenebrarum*, & *noctis* comes sit somnus, existimat id Psal. 3. *Ego dormivi, & soporatus sum*, ad calamitates etiã, quæ

Quatuor tenebrarum significata.

Greg. Naziã.

Ioan. 1. 5.

Tenebræ adversitas.

Theodoret.

nocte adverſitatis accidunt, referri; additur enim deinde; *& exurrexi, quoniam Dominus ſuſcepit me*, id eſt, eodem expoſitore: *Divina ope adjutus mala ingruentia ſuperavi.*

Tenebras videri, quid.

Nunc illud non prætermittẽdum huic loco proprium, ac peculiare. Cum *tenebræ* omnino videri non poſsint, ut quæ vidẽdi facultatem prohibeant, quomodo *videri* potuiſſent a Iob? An quia illud eſt *tenebras videre*, nihil lucidum, nihil lætum videre? Sicut enim *tenebræ* nihil aliud ſũt, quam abſceſſus luminis, ita profecto, qui illas videt, lumen non videt. An quia *videre* hoc loco nontam ad aſpectum, quam ad totius corporis ſenſum, & experimentum quodam, ex familiari Sacræ Scripturæ uſu, referendum ſit? Sciendum ergo eſt, *videre tenebras*, idem eſſe, ac ſi diceretur, ſentire, ac perpeti mala, & ſenſui adverſa. Quare cum Iob de die natali ſuo conqueſtus, ait; *Et non abſtulit mala ab oculis meis*, perinde refert, ac ſi dixiſſet, non abſtulit tenebras a meo coſpectu, ne illas viderem.

Iob. 3. 10.

5 LXX. Nicetas.

Et impetu aquarum inundantium non oppreſſum iri? Septuaginta; *Te dormientem aqua operuit.* Nicetas; *Te conſopitum, & omni cura vacuum, nec quidquam minus expectantem, torrentes tentationum intercluſerunt, & perculerunt.* Recte ex hac parte: ſed, quod dixerunt; *Aqua operuit*, frigide dictum eſt. Melius, quod Nicetas refert ex aliorum lectione; *Multitudo aquarum.* Sed omnium optime Vulgatus Interpres cum dixit; *Impetum aquarum inundantium:* nam nomen *Sephagh*, quamvis multitudinem, aut inundationem ſignificet, tamen abundantiam, & affluentiam cum celeritate quadam, impetu, commotione, ſtrepitu afferre videtur, *ſicut aquæ altæ in præceps*, ut Elias Thisbites ſcribit. Sed exempla rem demonſtrabunt; nam ſi ad homines referatur, *globus* vertitur. 4. Reg. 9. 17. 20. videlicet multitudo conjuratorum militum celeriter, præcepsque gradientium cum Iehu duce; *præceps enim gradiebatur.* Si ad equos referatur, vertitur *inundatio*, ſed cum hinnientum equorum ſtrepitu, equitum clamore, & fragore rotarum. Ezech. 26. 10. de Nabuchodonoſore adverſus Tyrum; *Inundatione equorum ejus operiet te pulvis eorum, a ſonitu equitum, & rotarum, & curruum movebũtur muri tui.* Hic ergo cum de aquarum, & fluctuum multitudine, & copia ſermo ſit, non ſolum dixit, *inundationem aquarum*, *abundantiam*, aut *multitudinem*, quomodo fere vertũt Hebraizantes; ſed, ut penitus exhauriret Interpres vim vocis, dixit; *Impetum inundantium aquarum*, atque commotionem, & agitationem fluctuum frementium. Ergo ſignificat Eliphaz nunquam intermiſſam properãtiũ, & incurrentium in Iob malorum ſeriem, & perpetuum ærumnarum curſum; præſertim cũ *conglobatæ* omnes una die, uno impetu in illum, univerſamque domum irruerint.

שׁפע

Elias Thisb.

Pag. Regis. Tygur. Cajet.

Aqua ſymbolum calamitatis.

Porro de *aquarum* in Sacro ſermone ſignificatione pro calamitatibus, & ærumnis diximus non ſemel. Nunc tantum ex eo videri hanc ſymbolicam ſignificationẽ fluxiſſe, vel ex *diluvio illo aquarum multarum*; vel ex demerſione AEgyptiaci exercitus in mari rubro. Vtrumque enim non calamitoſum ſolum, adverſumve, ſed lethale omnino hominibus extitit. vel tandem ex ipſa aquarum, mariſque natura, in qua *non eſt ſubſtantia*, id eſt, *ſubſiſtere* homo non poteſt, ſicut neque *in miſeriis*. Vide quæ diximus ſup. c. 21. verſ. 20.

Pſal. 133. 11.

6

Divinæ miſericordiæ inundatio.

Sed notandum Divinum ſupplicium *impetu aquarum inundantium* non ſolum ſignificari, ſed etiam Divinam miſericordiam multum redundantem, & affluentẽ, atq; magno impetu ad nos permanãtem, ut indicatur Pſalm. 76. 10. *Numquid obliviſcetur miſereri Deus: aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas?* id eſt, effuſo furore, & impetu indignationis detinebit curſum miſericordiarum, &, ut Hieronymus hoc loco vertit; *Complet in furore miſericordiam ſuam?* id eſt miſericordiarum complemẽtum, & quaſi finis extrema indignatio erit? Simile dicas contingere, cum duo flumina in ſe ſe incurrunt, quod rapidius, & vehementius eſt, continet alterius curſũ in furore ſuo; ſed ita tamẽ, ut utriuſq; aqua non miſceri aliqua ratione non poſſit. Non aliter ſane impetus Divinæ indignationis, atque vindictæ, non poteſt non cum aliqua miſericordia, atque clementia temperari: punit enim citra condignum. Ergo *qui Divinæ bonitatis divitias contemnit*, tandem tandem *impetu aquarum inundantium oppreſſus ibit*, neque ſatis dignas ſuę improbitatis pœnas pendet.

Fluvius Divinæ indignationis detinẽs curſum miſericordiæ.

Rom. 2. 4.

Quod autem Interpres dixit; *oppreſſum* ſignificanter fecit, quanquam verbum originale cum hac *inundatione*, aut multitudine, de qua diximus, ſoleat ab eodem Interprete, verbo *operiendi* exprimi, pro obruere, & opprimere, ut apud Ezechielem citatum, & Iſaiæ. 60. 60. *Inundatio* (multitudo cum lætiſsimo quodam ſtrepitu) *camelorum* (gravia rerum pretioſiſsimarum onera deferẽtium) *operiet*

כסה

(circumfundet, obruet, implebit usque ad verticem) te. & Ierem. 54. *In multitudine fluctuum ejus operta est.*

XII. An cogitas quod Deus excelsior Cælo sit, & super stellarum verticem sublimetur?

1. *Deus in cælo esse ad Providentiam spectare. Varia lectio. Quid sit,* Deum testem esse *Explicata Sapientia.*
2. *Deum in cælo qua ratione assererēt, qui Providētiam negabant.*
3. *Germana expositio. Conciliatio locorum pugnātium.*
4. *Antiquorum error Deum Cælo concludentium ad Aegyptios relatus. Aegyptiorum Deus quali forma.*
5. *Aristoteli similem errorem tribuentes S. Patres.*
6. *Divina immensitas, ubique præsens, ex prophanis.*
7. *Pulchra Divinæ immensitatis testimonia ex Patribus. Explicatus locus Canticorum.*

1 HAnc interrogationem ad Divinam Providentiam statuendam, certum est dirigi ab Eliphaz, sed quo nam sensu ambiguum, & incertum. Primo enim sumi potest, ut hæc interrogatio idem valeat, quod affirmatio, qua Deus asseratur *in Cælo esse, & super stellarum verticem sublimiari* ut inde despiciat humana omnia, omnesque mortalium actiones tanquam e sublimi specula; proptereaq; illum nihil latere possit. In quo sensu exponendum; *An cogitas?* id est, non ne hoc cogitas? an non cecidit in mētem tuam? nam vel sola hæc cogitatio te tuæ malæ securitatis, & supinæ oscitātiæ reum traducet. Sensum hunc indicarunt Septuaginta legentes, *Nonne, qui excelsa habitat, aspicit?* Nicetas, dilucide per paraphrasim; *Deum, qui in altis habitat, & humilia respicit, ea, quæ geruntur, videre minime putas?* & convenire quidem potest cū Hebræo, quod ex verbo sic legi potest; *Nonne Deus sublimior est Cælo?* Aut quidē cum Tygurina; *Nonne Deus Cælum altum tenet?* Quasi dicat, Sedem ille tenet celsissimam, unde contemplari possit inferiora omnia: neque est, qui se possit ab ejus oculis abscondere. Confirmarique potest hæc interpretandi ratio, quod videantur eodem sensu tribui hæc Deo propria, & perpetua epitheta, *Excelsus, Cælorum habitator, & Testis in Cælo,* id est, provisor, & conscius humanarum actionum. Sicut Sapientiæ. 1. dicitur Deus; *Testis renum,* id est, cogitationum, & appetitionum conscius. *Testem* enim, & *conscium*

LXX

Nicetas.

Pagn. Regia. Tygur.

Dei epitheta.

Cic. pro Fontejo.

pro eodem fere Latinus usurpat, atque pro *conscio,* & inspectore, dixit Epigrammatarius:

Ille dolet vere, qui sine teste dolet. Martial. lib. 1.

Id est, qui non vult videri dolere, sed nemine inspiciente dolet. Similiter ergo asserat Eliphaz, testem, & inspectorem nostrum in Cælo, & supra stellarum verticem residere.

Cæterum nexus eorum, quæ sequūtur, planaque sententia, omnino postulare videntur secundam interpretationem, ut 2
hæc interrogatio vices negationis cujusdam habeat. & quidem particula interrogandi, *Halo,* huic etiam sensui servire potest, atque commode verti, *nisi,* ut legit הלא
Cajetanus; vel, *nūquid,* quæ particulæ interrogandi, virtute continent negationē, לוא
quare particula illa originalis, *Lo,* unde, *Halo,* componitur, omnino negativa est. Ergo sic possumus legere; *Nisi cogitas Deū esse in Cælo,* quod minime cogitare oportet; vel, *Numquid cogitas, quod Deus in Cælo sit,* quasi dicat minime, quidem ille in Cælo sublimis residet, aut a nobis sublimem se attollit, est enim in nobis ipsis, atq; intra nos omnino. Quare illi, qui Divinam Providentiam negabant, Deum supra *nubes* constituebant, *Circa Cæli cardines perambulantē,* ut dicitur vers. 14. quasi longe a nobis dissitum, propterea que negabant illum *nostra considerare.* Et procul dubio hunc ipsum sensum Latinus Interpres exprimere voluit, cum dixit; *An putas?* q.d. eam de Deo opinionem, & cogitationem stultam esse.

Negantes Divinam Providentiam quomodo constituerent Deum in cælo.

Observandum vero, cum superiore. c. 11. vers. 8. tanquam dogma catholicum affirmaverit de Deo Sophar, *Excelsior Cælo est;* nunc vero simili certitudine, atque fide videatur Eliphaz negare Deum *esse Cælo sublimiorem;* ita conciliari hæc loca debere, ut illic Dei immensitas omnia cōplentis, atque continentis, minime tamē contenti intra suas creaturas, doceatur, hic vero illa loco, & cognitione definitio, & inclusio removeatur a Divina natura, quam Divinæ Providentiæ abnegatores constituebant, tribuentes Deo quandam celsitudinem lōgissimo a nobis intervallo distantem; ex qua loci distantia continuo adimebant Deo humanarum rerū scientiam, & Providentiam. 3

Pugnantia dicta Sophar quomodo conciliaanda.

Error, Deum Cælo concludentium, Iobi ætate jam natus in Aegypto, ubicumque gentium repulsus.

4 AEgyptii negantes Diuinam Prouidentiam, qua forma Deum ſingerent.

Credendus eſt quidem Eliphaz de errore aliquo inter Huſitanos ſapiẽtes peruulgato, nunc loqui. Et ſane errorem, qui Deum Cælo concludit, ex AEgyptiis primum manaſſe, ideoque apud iſtos Arabiæ ſapientes, & Theologos celebrẽ fuiſſe, conjectura duci poteſt tum ex eo, quod AEgyptii negarunt Prouidentiam; ut aperte oſtendemus ad finem verſiculi. 16. tum ex eo, quod Euſeb. 3. de Præpar. Euangel. c. 3. ſcribit; *AEgyptiorum Deorũ ſymbola talia ſunt. Creatorem E N E P H, AEgyptii appellant; cujus imaginem in forma hominis faciunt, colore cæruleo, coronam tenentem, & ſceptrum, cujus in capite pennam ponunt, ſignificantes difficilem inuentu eſſe creatorem, & nemini conſpicuum: viuificũ etiam, & Regem, & intelligibili motu circulatum.* Ideo autem *cæruleum* illi colorem induunt, quod tantum in Cælo illum habitare crederent. Quam opinionem ex vetuſtiſsimis illis AEgyptiis, primiſque ſæculis haurire potuit Ariſtot. qui lib. de Mundo ad Alexandrum, non aliter Deũ in Cælo conſtituit, & concludit, *quam Rex Perſarum in Regia urbe Ecbatanis, aut Suſis reſidere ſolet.* Idem omnino videtur docuiſſe. 8. Phyſic. ſtatuens Deum, non quidem in mundi medio, ſed in *circumferentia:* repetit vero, & approbat communem hanc exiſtimationem, & conſenſionem hominum de Deo, deque illius ſede, & Throno, in qua reſideat, Cælo inquã. 1. de Cælo. Et, ut quæſtionem illam de Ariſtotelis hac in re vera ſententia, & mente ad ſcholas dimittamus; de qua plura quondam, dum illũ interpretaremur in utrãq; partem diſſeruimus. Certe hãc illi mentem antiqui patres tribuerunt, videlicet, Deum ab illo definitum eſſe Cælo, aut Cæli ſuppremа ſphera. Nam præter Iuſtin. qui Ariſtotelem ubique oppugnat, Cyrillus Alex. lib. 1. contra Iulianum, ſic loquitur; *Ille, qui apud eos maximam, & uſque ad miraculum, grauitatẽ ſententiarum habet, Ariſtotelem, inquã Stagiritam, Platonis diſcipulum, ſpeciem quidem ſeparatam vocat Deum, & ingredi contendit ſuper uniuerſi ſphæram.* Alii etiam Ariſtoteli tribuunt, quod Deum deduxerit, & extenderit uſque ad Lunam tantũ, non vero intulerit in inferiora, & ſublunaria. Hi ergo collocabant Deum extra ſuas creaturas, non intra mundum.

Euſebius.

5 Ariſtoteles quomodo Deũ Cælo concluſerit.

Textu. 84.

1. De Cælo. tex. 12. Vide etiam 2. de Cælo c. 12. tex. 66 & 2. de gener. c. 10 tex. 59.

Antiqui patres errorem tribuerunt Ariſtoteli.

Iuſtinus. Cyrillus.

6 Deum qui cõſtituerint per omnia penetrantem.

Quanto melius illi agnoſcentes ipſo naturæ lumine Diuinam immenſitatem per omnes creaturas penetrantem, & quaſi diffuſam, ex quibus non poſtremus Pythagoras, ſic docebat, referente Cyrillo: *Deus quidem unus, & ipſe non, ut quidam ſuſpicantur, extra mundi gubernationem, ſed in ipſo; totus in toto circulo; omnes generationes conſiderat, contemperatio exiſtens omnium ſæculorum, & lux ſuarum virtutum, & operum principium; omnium lumen in Cælo, & Pater omnium, mens, & animatio omnium, circulorum omnium motio.* Orphæus quoque in Saturni hymno, in quo non parum antiquæ Philoſophiæ, atque Theologiæ docuit; *Qui omnes* (inquit) *mundi partes habitas, generationis Princeps.* Idemque eleganter æque, ac ſapienter referente Euſebio. 3. de præparatione Euãgelica cap. 3. hanc etiam ex illo Theologiam afferente;

Pythagoras.

Dei deſcriptio.

Orphæus.

Iupiter altitonans ante omnia ſæcula primus,
Iupiter extremus, longa eſt per ſæcula mundi;
Iupiter eſt ſummus vertex, atque infima planta,
Ipſe æternum ſemper ſimul eſt, ac totus ubique

Adducunt plura pulcherrima ex omni antiquitate Clemens lib. 5. Stromat. Cyrillus, Alexand. & Euſebius, ſuperius citati, Lactantius lib. 6. cap. 24. Arrianus de dictis Epicteti lib. 1. cap. 14. Marſilius Ficinus lib. 2. de immortalitate animorũ. cap. 6. Eugubin. lib. 4. de perenni Philoſophia. Deniq; omnium priſcorum unus conſenſus is fuit.

Clemens. Cyrillus. Euſeb. Lactant. Arrianus. Marſilius. Eugubinus.

- - - - Deum ire per omnes
Terraſque, tractuſquẽ maris, Cælumq; profundum,
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum
Quemque ſibi tenues naſcentem arceſſere vitas.

Virg. 4. Georgi.

Sed in re ſacra, ſacratiora teſtimonia afferunt Theologi, de Dei in rebus exiſtentia diſputantes, cum D. Thom. 1. q. 8. Noſtri præſertim. Sed ſacri potiſsimum Doctores multi in hac re ſunt; ex illis pauca quædam ſelectiora. Hiſpalenſium decus, & Hiſpaniarum Doctor Iſidorus lib. 1. de ſummo bono. c. 1. pulcherrime: *Immenſitas Diuinæ magnitudinis iſta eſt, ut intelligamus eam intra omnia, ſed non incluſum, extra omnia, ſed non excluſum; & ideo interiorem, ut omnia contineat; ideo exteriorem, ut in circũſcripta magnitudinis ſuæ immenſitate, omnia concludat. Per id ergo, quod exterior eſt, oſtenditur eſſe creator; per id, quod interior, gubernare omnia demonſtratur.* Atq; in eandem ſententiam Gregorius libr. 2. Moralium; *Deus manet intra omnia, ſurſum regens, deorſum continens, extra circundans, interius penetrans*

Petr. Molin. Grego. Valen. Gab. Vazqu.

Iſidorus.

Gregor.

netrans. Quam rem sibi ipsi cogitatione, & exemplo informaverat Augustinus in Confessionibus lib.7.cap.5. *Constituebam* (ait ille) *In conspectu spiritus mei universam creaturam, & feci unam massam grandem, distinctam generibus, sane finitam, te autem Domine ex omni parte ambientem eam, & penetrantem, sed usquequaque infinitum. Tanquam si mare esset ubique, & undique per universa spatia infinitum solum mare, & haberet intra se spongiam, quamlibet magnam, sed finitam tamen, plena esset spongia illa ex omni parte sua immenso mari: sic creaturam tuā finitam te infinito plenam putabam, & dicebam; Ecce Deus, & ecce, quæ creavit Deus, & ecce, quomodo ambit, & implet ea.* Hoc ut ex utraque parte Deus ipse per Isaiam significaret; *Cælum* (inquit) *sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum*, videlicet ut *Cælum*, atque *terram* ipse *impleat*. Non enim illius præsentia contineri, atque definiri cælo potest, ut dicebant Divinæ Providentiæ abnegatores, cum cælo sublimiorem statuebant; neque terra, aut templo Ierosolymitano concludi, ut errantes Iudæi existimabant, teste Hieronymo. Quare ut Cyprianus dixit; *Dei tēplum totus est mundus*. Ex quo Isaiæ loco edoctus est profecto Orphæus, sic existimante Clemente ex illius Theologia;

August.

Divina immēsitas instar maris immensi.

Isai. 66.
Ierem. 23.

Iudæi existimantes Deū suo templo cōclusum.

Hierony. in c. 66 Isai. Cypria. de vanit. idolor. Clem. lib. 6. strom.

Ipse autem in magno constans, & firmus, Olympo est:
Aureus huic Thronus est, pedibus subjectaque terra,
Oceani ad fines illi portenditur ingens
Dextera, montanas, atque intus cōcutit illi
Ira bases; motus nec possunt ferre valentes.
Ipse est in cælis, terram complectitur omnē,
Oceani ad sinus expansa est & manus illi
Vndique dextera = = = = =

Ergo desipiunt, qui ita Deum *sublimiorem cælo* constituunt, ut *longe* illum faciant *ab unoquoque nostrum*. Præsertim cum ea ipsa ratione, quā supra cælos, supraq; rerū universitatem illū constituunt, in ipsis etiam constituant, necesse est. Sic sane ratiocinatur Nyssenus in id Cantic. 1. *Equitatui meo assimilavi te*; nam & dicitur Rex sponsus super regalem equum ascendere, & lectica etiam vehi, atque in suo *accubitu* requiescere; nam *qui Deum supra se habet* (inquit Nyssenus) *omnino etiam in se habet, & qui in se habet, accepit eū, qui in se fuerat*; ad similem ergo modum, qui *ascēdit*, inequitatque *super cælos cælorum*, sedetque super rerum universitatem, in ipsis etiam rebus est, tanquam super equū conscendens, considensque, tanquā in lectica, & accubitu residens, quiescensq;.

Act. 17. 27.

Nyssen.

Deus nunc equitans, nūc accumbens in lectica.

Excelsior cælo, & supra stellarum verticem, &c.

8. *Vulgati interpretis diligentia.*
9. Caput, & vertex *in Sacro sermone ad superbiam. Deus omnia curans.*
10. *Quid* stellarum vertex.
11. *Error existimantium mundum esse animal.*

Sed redeo ad nostrum locum, longiusscule, licet non ab re quidem, sed ab illius verborum, vocumque ponderatione digressus. In Hebræo (ut diximus) non est ille cōparationis gradus, *sublimior cælo*, sed simpliciter dicitur Deus, habitare *in sublimitate Cælorum*. Sed sapienter Interpres dixit; *sublimiorem*, ut illam longissimam distantiam, & recessum a mundo inferiori, quem fingebāt errantes illi Philosophi, significātius exprimeret, meliusque conveniret cum sequente hemistichio, in quo asseritur calcare stellarum capita, & se se attollere supra illorum *verticem*.

8

Vulgati interpretis diligentia.

Et supra stellarum verticem sublimetur. Quis nam hic *vertex*, quodve *stellarum caput*, non omnes tangunt. Nam ex interpretibus alii *verticem*, aut caput pro sublimitate, & altitudine accipiunt; alii pro supremis, primisque stellis; nam caput, aut vertex pro *primo*, aut *primario* accipi solet, ut Zach. 4. 7. & pro *optimo* Amos. 6. 6. Metaphorice alii, pro superbia, & elatione mundanorum Principum, aut etiā Potestatum tenebrarum; nam superbia proditur extollentia oculorū, & capitis. Quę omnia recte possunt convenire cum proposito Eliphaz. q. d. Numquid existimas Deum præsidere tantum Cælo supremo, & cellissimis stellis, astrisq; maximis, nō etiam minutissimis quibusq; rebus: & rationem, Providentiamq; habere Principum, Dæmonum, non etiam vilissimorum hominum, ut his omnino prætermissis, atque neglectis, illorum tantum superbiam comprimat, & altitudinē pręcipitet? Hoc indicavit lectio Septuaginta: *Eos, qui injuria (inferendæ injuriæ libidine,* Nicet.) *efferuntur, humiliavit*. Minime vero hoc, inquit Eliphaz; nam te, o Iob, terrenum videlicet hominē propter superbiā, atq;, animi extollentiam depressit in abjectissimam sortem. Iuxta quem sensum, videbitur Eliphaz male interpretari Iobi dicta. cap. 21. vers. 12. *Nunquid Deum docebit quispiam scientiam, qui excelsos judicat?* Quasi affirmasset Deum sublimia tantum & sibi proxima judicare, & curare, quæ vero apud nos sunt prorsus ignorare.

9

Varia expositio.

Capitis, & oculorū extollentia.

LXX.

Nicetas.

Eliphaz prave interpretans Iobi dicta.

10 Sed ſimplicius quidem, forte etiam verius, *verticem ſtellarum*, ſupremam cæli, & ſtellarum faciem intelligit, quam dicimus convexam; hæc enim ſicut nobis inviſa, & inſpectabilis exiſtit, ita ab eo, qui cælo, & aſtris ſupereminet, videri neceſſe eſt. Et latere videtur hoc loco ſimilitudo quędã inter noſtrum, Divinũq; aſpectum, quam ſtulti, & errantes confingunt; ut ſicut nos cæli, & aſtrorum convexum videre non poſſumus, concavũ poſſumus, ita & Deus convexum videat, concavum, & quæ infra ſupremam ſphæram ſunt, non videat. Hoc indicatur in Hebræo, quod ex verbo ſic legitur, *Vide, o Iob, verticem ſtellarum* q.d. Hoc minime poteris; ſic neq; ille par tem imam, ut tu exiſtimare videris. Quãvis Cajetanus nõ per imperativũ ad Iob, ut aliqui Hebraizantes, ſed ad Deũ referat, atq; legat, *Vidit caput ſtellarum, quia elevarunt ſe.* q.d. quę ad Deũ accedunt, illi patent: quæ longius recedunt, latent.

Vertex ſtellarum, cæli convexum.

Prave de Divinis oculis ſentientes.

Cajetan.

Pagn. Regia. Tygur. Ciur.

11 Quod vero dixit *verticem*, ſive, ut eſt in Hebræo, *caput ſtellarum*, alludere profecto videtur ad errorem illum priſcum exiſtimantiũ, Mundum eſſe animal quodã ex ſuis partibus, quaſi ex membris, cõpoſitum, cujus caput cælum eſſet, & ſtellarũ vertex; pedes vero, infernæ terræ partes; coma capitis, ſtellarũ radii; ortus, & occaſus, quaſi cornua; oculi, Sol, & Luna; venter tumeſcens, terra; humeri elati, aer. Sic ex Orpheo affert Euſebius lib. 3. c. 3. ſimul docente Deum præſentem eſſe ubique;

Priſcus error cõſtituẽs Mũdum animal.

Euſebius.

Orpheus.

Iupiter eſt ſũmus vertex, atq; infima plãta
= = = = = = Magna hæc in corpore Regis
ſunt Iovis excelſi, cervicem namq; videbis
Cæli ſuſpiciens renitentia magnaq; tecta,
Hoc caput auricomũ: flavi de vertice crinis
Stellarũ rutilant radii, de hinc aurea pãdit
Cornua bina caput, capitisq; ſimillima tauri
Vnum eſt ortus, occaſus aliud.
Aſt oculi, fulgens ingenti lumine Phœbus,
Lunaq; purpureo Phœbi redimita colore.
Præſcia venturi mẽs conſtat, Regius æther,
Quam ſtrepitus nullus, nec vis, nec fama latere,
Arcanumve poteſt, penetratque per omnia victrix.

Reliquum hujus pulcherrimæ deſcriptionis lectori permittendum, non prætermittendum.

XIII. *Et dicis, Quid enim novit Deus? & Quaſi per caliginẽ judicat.*

1. Dicere *ad os, & cogitationem.* Scire *de ſenſu, & experimento. Nomen plurale ad amplificationem. Illuſtratus Samuel, Deus* potens *in ſcientia. Quid* deſcendere, ut videas.
2. Caligo. *Quid in Sacro ſermone. Quid Deum* per caliginem judicare.
3. *Duæ aliæ expoſitiones rejectæ.*

1 ET *Dicis*. Dicere videris tum verbis prolatis, tum mentis cogitatione, & falſa perſuaſione. Nã verbum *Dicendi*, & ad verbum mentis, & ad verbum oris cõmune eſt. Quare elegãter Nicetas per paraphraſim elucidat, *Veri eſt* (inquit) *Eliphaz ſimile tecum te fuiſſe loquutum, & clam quidem peccaſſe, cum ſic diceres; Quid novit Deus?* q.d. eorum, quæ apud nos geruntur nihil videt, nihil percipit, nihil ſentit. nam verbum originale *cognoſcendi*, non ſolum ad cognitionem internam, ſed ad eã, quę per ſenſus, & experimentum fit, frequenter refertur, & ad res ſingulares pertinet, quæ familiariter nobis notæ ſunt. a qua radice dicitur, in eadem materia de Providentia Dei Pſal. 72. 11. *Et dixerunt, Quomodo ſcit Deus*, (percipit, ſentit experitur, videt, audit; nam hæc omnia cadũt in cognitionẽ ſenſitivam) *& ſi eſt ſcientia* (vidẽdi, & audiendi facultas, cura, & ſtudium percipiendi, experiundiq; res humanas) *in Excelſo?* (In Deo, qui cælo, & ſtellarum vertice ſublimior eſt, quaſi dicerent, Minime ille cognoſcit ſingularia.) Cui impiorum interrogationi reſpondet per eãdem originalem vocem Anna. 1. Reg. 2. 3. *Quia Deus ſcientiarum* (id eſt, audiendi videndi, curandi ſingula) *Dominus eſt*. ubi plurale nomen perfectam ſcientiam, & rerum omnium cognoſcibilium cognitionem indicat, ut eleganter Vatablus per paraphraſim annotavit, *Omnia novit opera & cogitationes hominum*. Propterea ſubditur, *& ipſi præparantur cogitationes.* Teſtatur vero idem Vatablus (quamvis præter proprietatem verbi originalis) alios legere, *Ipſi numerantur opera*, id eſt, ab eo ponderantur, & examinantur opera omnium. Quod totum reſpondet illi verbo *cognoſcendi*, ſicut & id Pſal. 138. 6. *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me.* id eſt, mirabilis tua cognitio rerum minutiſsimarum, quæ in homine ſunt. Nomen autem *Dei* hoc loco fortitudinem affert, quod elegãter expreſſerunt Septuaginta; *Quid novit fortis?* Quæ lectio, hunc exhibet ſenſum; Potens quidem ille, & fortis eſt, cæterum quæ non videt, neque agnoſcit, minime judicare, dãnare, prẽmio afficere poteſt; fuerit quidem ille viribus potens, cognitione tamen, & intuitu infirmus, & imbecillus eſt. Cui loco eleganter reſpondet ille nuper citatus ex cantico Annæ; *Deus*

Nicetas.

Scire ad experimentum.

ידע

Scientia Divina cujuſmodi ſit.

Nomen pluralis numeri ad perfectionem.

Vatab.

אל

LXX.

Origenes.

(El, fortis, potens) *ſcientiarum eſt*; ut interdum legit Origenes; *Fortis in ſcientia Dominus*. aliquando vero; *Forti ſcientia Dominus.*

2 *Et quaſi per caliginem judicat.* Nõ aliter (inquit) exiſtimas Deum de rebus mortalium *judicare*, ſtatuere, aut cognoſcere, quam *per caliginem*, id eſt, ſicut, qui nihil clare, & diſtincte perſpicit, ſed confuſe, & obſcure. De *caligine* vero, quid ſit, aut quid ſignificet, non eſt eadem omniũ elucidatio, nam alii longiſsimum, quo terra a cælo diſtat, interjectũ ſpatium, *caliginẽ* videntur appellare, quod efficiat caliginoſum intuentibus proſpectum; Alii *nebulam*, quæ terras obſidet; Græci in Catena, & Græcanica ſcholia, ea, quæ in caligine tranſigunt obſcure, & in tenebris clãculum fiunt. Sed ex frequenti vocis originalis uſu, videtur ſequenti verſu, quid hæc caligo ſit, exponi, cum additur; *Nubes latibulum ejus.* Caligo enim caliginoſa nubes eſt; quæ vel nimio ſplendore, vel obſcuritate & denſitate caliginem, & tenebram offundit oculis; cujuſmodi *caligo* Divinæ Majeſtatis referebat ſpeciem; ſic enim ſcribitur. 3. Reg. 8. 10. *Nebula implevit Domum Domini, & non poterant Sacerdotes ſtare, & miniſtrare propter nebulam; impleverat enim gloria Domini Domum Domini. Tunc ait Salomõ; Dominus dixit, ut habitaret in nebula.* id eſt, ex hac nebuloſa caligine conjicio Deum adeſſe præſentem, atque ſtatuiſſe in hac domo habitare. Sic Exod. 20. 21. *Acceſsit Moyſes ad caliginem, in qua erat Deus.* Quam eſſe caliginoſam, interdumque fulgurantem nubem, explicatur Devt. 5. 22. *Loquutus eſt Dominus in monte, de medio ignis, nubis, & caliginis.* Et eiſdem vocibus Pſal. 17. 10. *Nubes, & caligo ſub pedibus ejus; ignis ante ipſum præcedet.* Ait ergo Eliphaz exiſtimari ab ſtultis Deum definiri, & circumſcribi loco; & quidem aut in cælo tantum reſidere, aut vero aliquando ad nos deſcendere, ſed nube tectum, atq; abſconditum. Quid ergo videre, aut diſpicere poſsit *per caliginem*, dẽſa nube circumfuſus? Quare, ſi quãdo deſcẽdit ad nos Deus, & ſe nobis propinquum exhibet, nõ tam deſcendet (tua opinione, o Iob, inquit Eliphaz) ut videat & contueatur res humanas, quam ut magnifica ſpecie, & viſenda majeſtate territet mortales; nam bene quidem ille *inclinabit cælos & deſcendet*; ſed *caligo ſub pedibus ejus*. Errant etiam, & cæcutiunt, qui ſic de Deo cogitant; nam deſcendit quidem ille, nõ ſolum ut territet, cõpeſcatq; impios, ſed etiam ut tanquam judex, oculatuſq; teſtis mortalium facta inveſtiget, & contueatur; cum Scriptum ſit; *Deſcẽdit Dominus, ut judicet.* & iterum; *Deſcendam, & videbo, utrum clamorem, qui venit ad me opere compleverint, an non, ut ſciam.* idem verbum, quod ſupra, *cognoſcendi* per ſenſum, & experimentum, familiari, & peculiari cognitione rerum, & circunſtantiarũ ſingularium. Vbi notandum, non ideo dici *deſcendere*, quod ex cælo non videat; nam qui audit clamorem, videt utique, in Deo enim idem eſt audire, & videre: ſed ut ſignificet hominum facta audiri tanquam clamorem; videri etiam tanquam ea, quę oculis objici ſolent; ut qua vox, qua, res conſpicua ſint, id eſt, omni ratione perfecte, & integre cognoſcãtur a Numine.

Caligo quid.

אופל

Caligo, nubes ſplendida, aut caliginoſa.

Cur dicatur Deus deſcendere.

Pſal. 17. 10.

Geneſ. 11. 15. Geneſ. 18. 21.

Deus videns, & audiens, id eſt, perfecte cognoſcens.

3 Sed *caliginem* hanc premunt, & urgent aliter alii interpretes. Philippus, *per caliginem judicare*, interpretatur, *Quod judicium ejus affirmet incertum eſſe, & dubium, quaſi veriſimile ſit, quod judicat.* q. d. Iob, *quod Deus fallatur, vel etiam erret in judiciis ſuis*. Sed non quadrat præſenti inſtituto: nam ſermo eſt de diſtantia, & magnitudinẽ ſpatii interjecti, aut nubis interpoſitæ, quibus prohibetur Deus a rerum noſtrarum cognitione. D. vero Thomas, quem ſequuntur Cajetanus, Dionyſ. Lyra, Titelman. *judicium* hoc caliginoſum interpretantur, cognitionem rerum generabilium, & corruptibilium, non ſecundum indiuiduas, & ſingulares proprietates, ſed ſecundum rationes univerſales, & communes, ſicut ea quæ a longe videmus, imperfecte videmus, non quæ, qualiave ſint perſpicientes; ſed entia, corporave ſub rationibus communibus percipientes. Methaphiſicum hoc, aut Phiſicum, & ad quæſtionem de Primo cognito omnino relegandum. Quanquam, non negarim poſſe hunc locum referri ad priſcum illum errorem exiſtimantium, res quidem vniuerſales, & incorruptibiles ſolas in Divinam Providentiam cadere. In quo Platonem fuiſſe, viri ſapientes docent. Sed pluſcula hac de re addenda quoq; ſequente ſententia.

Philipp.

D. Thom. & alii Latini.

Priſcus error circa Providẽtiam.

D. Thom. 3. p. q. 22. ar. 3. Nemes. lib. 8. Philoſoph. cap. 3.

XIIII. *Nubes latibulum ejus, nec noſtra conſiderat, & circa cardines cæli perambulat.*

1. *Stultorum falſa perſuaſio, Deum non videri, quãdo a nobis non videtur.*
2. *Dei tenebra, lux: cum non videtur, videt. Explicatus Moyſes.*
3. *Error antiquorum Providentiam tantum deducentium uſque ad Lunam.*

4. Græcorum interpretatio minus probabilis.
5. Quid conſiderare in Sacro ſermone. Ecce quā habeant vim.

NVbibus (inquiunt illi) inter nos, atque cœlum interpoſitis ſicut nos latet Deus, ita Deum latent noſtra: cæleſtia illi tantum patent: illa curat, illa videt, & providet. noſtra aut contemnit, aut omnino ignorat. Hanc impietatis, & erroris plenam mentem tribuit Iobo Eliphaz. *Nubes latibulum ejus.* Diximus quōdam *nubibus*, Deum quaſi peculari veſtimento, aut velamine amiciri, ſicut ille cū Apolline loquutus: *Horat. 1. carmin. Od. 2.*

= = = = = = Venias, precamur,
Nube candenteis humeros amictus.

Ajunt itaque, qui Providentiam tollunt, Deum ſe ita cælo continere, ut nequeat per immenſum prope ſpatium interjectū diſpicere, ac dijudicare, quæ apud nos geruntur; atque in nubibus ita deliteſcere, ut non cernat res humanas. Quare omnem illius ſciētiam, ac Providentiam ſola cæli gubernatione concludi. Sed quā impie! nam ex ſua ipſorum cæcitate, & ignoratione, Deum cæcutientem, & ignorantem efficiūt; & quod ille ſe nobis occultet caliginoſa nebula, nos quoque illi abſconditos eadem nebula ſibi perſuadent; & quem non vident, ſtatuunt minime vereri, timereve. *Sunt* (inquit Gregorius) *plerique ita hebetes, ut formidare neſciant, niſi quod corporaliter vident; unde ſit, ut Deum non metuant, quem videre non poſſunt.* Et paucis interjectis, de Deo; *Sic latet in ſua ſpecie, ut tamen cognoſcatur, in operatione; ſic cognoſcitur in ſuo opere, ut tamen comprehendi non valeat agnoſcentis æſtimatione; ſic adeſt, ut videri nequeat; ſic videri non valet, ut tamen ejus præſentiam ipſa ſua judicia teſtentur; ſic ſe nobis intelligendum præbet, ut tamen ipſum nobis radiū ſui intellectus obnubilet: & rurſum ſic caligine nos ignorantiæ reprimit, ut tamen menti noſtræ radiis ſuæ claritatis intermicet.* Illi itaq; ex illo ſtultorum numero ſunt, qui *declinaverunt oculos ſuos, ut non videant cælum, neque recordarentur judiciorum juſtorum.* Propetereaque credunt ſe non videri a cælo, cælique gubernatore Deo, neque ſummum judicem illorum injuſtitiæ recordari: & ſicut ipſi prohibentur nubibus, nubibus illum prohiberi exiſtimant. Stulti, vel ipſo docente Orpheo Muſæum ſuum:

Gregor. — *Dan. 13. 9.* — *Stultiſsimus error impiorum.* — *Orpheus.*

Hunc ego non video, nubes quia denſa reſiſtit;
Namque homini, cui acies obtuſa videndi,
Atque Deū mundi rectorem cernere nō eſt

Quanto & melius, & ſapientius ille, qui *inviſibilem tanquam videns ſuſtinuit.* Deum nimirum præſentem reveritus, menteq; cernens, ac ſibi certo ſuadens *proſpicere illum per cancellos, reſpicere per feneſtram, ſtantem licet, poſt parietem noſtrum*: nam qui nobis paries videtur craſſus, ac impervius luminibus, & omnino prohibere conſpectum inviſibilis Dei; Deo paries non eſt, ſed cancelli clatrati, & aperta, patensq; feneſtra, qua clare ille nos, atque aperte contueatur. Res hæc prophanis etiam, priſciſque Theologis minime incognita; nam Homerus ſic Deos deſcribit, ut cum ad homines acceſſerint, nō videantur ab omnibus, ſed ab iis duntaxat, quibus ſe volent manifeſtare. Sic acceſſit ad Vlyſſem Minerva; *Hebr. 11. 25.* — *Cantic. 2. 9.* — *Hom. 11. Odyſ.*

Sed hæc prope venit, corpore autem aſſimilata eſt mulieri
Pulchræque, magnæque, & ſplendida opera ſcienti.
Stetit autem in veſtibulo ſtabuli Vlyſſis, neq; intellexit,
Non enim omnibus Dei apparēt manifeſti.

Iuſtinus autem lib. de Monarchia Dei, ex Philemone illo, in rebus priſcis exponendis copioſo ſcriptore, illud affert: *Iuſtinus.* — *Philemon.*

Qualis Deus mihi dicito, cenſendus eſt?
Qui cuncta cernit, ipſe ſed non cernitur.

Atque ex Orpheo, in libro, quem Teſtamentorum titulo inſcripſit, ad Muſæum filium; *Orpheus.*

Vnicus eſt, per ſe exiſtēs, qui cuncta creavit.
Lumine conſpectans, mortales conſpicit omnes.

Sed rurſus non una illi tantum, ſed dupliciratione ſtulti, nam ex eo, quod Deus nos lateat, & quaſi *caliginoſa nube* circūvolutus, noſtrum conſpectum fugiat, efficitur omnino ab illo nos videri, & provideri. Quid enim exiſtimas eſſe *nubem* illam, in qua, tanquam in latibulo, deliteſcit, niſi *lucem inacceſſibilem*, quam Deus *habitat, quem nullus hominum videt, ſed nec videre poteſt?* Nam ſicut apud Deum noſtra *nox, ſicut dies illuminatur*, & ſicut *tenebræ non obſcurantur ab illo*, ita apud nos eximia illius claritas, & inacceſſa lux, ſicut nox teneſreſcit, & obſcuratur. Quare cum circumfundatur gloria, & ſplendore incredibili, & ultra quam ferre poſſit humanus conſpectus, ponit utique *nubem, ponit & tenebras latibulum ſuum.* Sic apud Iſaiam templum *repletur fumo*, quia (ſicut quondam) *repleverat gloria Domini domum, neque poterant miniſtrare Sacerdotes propter caliginem.* Rurſus gloria, & ca-

Deus nos latēs, videt nos. — *1. ad Tim. 6. 16.* — *Pſal. 138. 12.* — *Divina lux nobis caligo.* — *Pſal. 17. 12.* — *Iſai. 9. 4.* — *3. Reg. 8. 11.*

ligo, nubes ipsa est, quæ hoc loco dicitur, *latibulum*, cum ea ipsa *gloria*, & *caligo* alio in loco describatur; *Repleta est domus nube*. Erit ne igitur Divinum illud jubar cæcum, ut illuminare, & conlucare non possit tenebras nostrarum actionum? *Inaccessibilis* ne *lux* illa, quæ videri a mortalibus non potest, videre non poterit, dispicereque mortales?

2. Paral. 5. 4.

3 Error deducentium Providétiam usque ad Lunam.

Sed, ut paulo etiam demissius, & paulo crassius, *nubem* istam consideremus, possumus quidem locum hunc Eliphaz cum illo antiquorum errore componere, qui usque ad Lunam, & eam regionem in qua *nubes*, & *caligines* coguntur, Divinam tantum Scientiam, & Providentiam deducebant. Quos Seneca eleganter describit, eosque ex ingrati animi nota demonstrat; sicut & Divinam Providentiam, ex profusa in mortales liberalitate, & munificentia. *Dii* (inquit) *omnium rerum optimi auctores, qui beneficia ignorantibus dare incipiunt, ingratis perseverant. Alius illis objicit negligentiam nostri; alius iniquitatem: alius illos extra mundum suum projicit, & ignavos, hebetesque sine luce, sine ullo opere destituit*. Quam opinionem tribuit Aristoteli Clemens Alexand. lib. 5. Stromatum, eamque ex Scriptura perperam intellecta habuisse; nam post Platonem, & Epicurum, qui quædam ex Sacra Scriptura suffurati ad sua stabilienda dogmata trāstulerunt, sic scribit; *Aristoteli venit in mentem usque ad Lunam deducere Providentiam ex hoc Psalmo: Domine in cœlo misericordia tua, & veritas tua usque ad nubes: nondū enim revelata fuerat propheticorum mysteriorum declaratio, usque ad adventum Domini*. Cum quo etiam testimonium Theodoreti consentit lib. 6. de curatione Græcorum, qui est de Providentia: *Nichomachi* (inquit) *filius Aristoteles Luna tenus putavit Dei Providentiam rebus præesse, & ea omnia, quæ infra Lunam subsidunt, minus Deum curare, sed eorum gubernationem tradidisse fatorum necessitati*. & paucis interpositis; Hanc *ejus opinionem Cynicus Oenomanus apertissime accusavit; ac librum, quem ea de re conscripsit, Veneficorum indaginem, appellavit, in eo autem scripta hæc sunt; Periit (quantum in sapientibus viris est) periit, inquam, ex humana vita, sive id temonem, sive saburram, sive crepidinem libeat appellare, libertas videlicet humanæ vitæ, quam nos quidem vel rerum, quæ maxime necessariæ sunt, Dominam esse decernimus*. Hæc ex Oenomano, & Theodoreto. Neque vero nostrarum nunc partium est Aristotelem a calumniis vendicare. Certe juxta sententiam hanc, Iobi & Eliphazi tempore non inauditam, ita *nubes*, aut Luna, infra quam nubes coguntur, limes erat, ac definitio Divinæ Providentiæ, ut eo tantum Divinorum luminum acies pertingeret, deinceps *latibulum* esset.

Senec. lib. 3. de ben. c. 3.

Arist. de Providentia Senten.

Clemens.

Psal. 35. 6.

Theodoret.

Oenomanus Providétiæ, & libertatis assertor.

Error circa Providentiam Iobi ætate.

4 Sed particulam hanc annotatione Græcanica concludamus; nam Nicetas existimat priorem hanc hujus sententiæ partem ad Iobum referri posse, acsi ab illo diceretur; *Nubes latibulum meum*; nube & caligine convolutus, latebo Divinum conspectum, neque de rebus, quæ in caligine transiguntur, judicare poterit. Sed quidem cōmunior, forte etiam germanior, & verior est aliorum interpretatio, *latibulum* illud *nubium*, referentiū ad Deū. ut ex sequentibus cōfirmabitur.

Nicetas.

5 *Nec nostra considerat*. Ita (inquit) existimas Deum abscondi, & circumfundi caligine, ut per medias tenebras dispicere, & considerare minime possit. Septuaginta; Et *non videbitur*. ita (inquit) latet, ut videri non possit, neque videre instar mortalium, quos a videndo prohibent eadem ipsa obstacula, quæ, ne ipsi videantur, prohibent alios. Recte *considerandi* verbo usus est interpres, quod in Hebræo proprie est, *videre*. nam videtur peculiarē quandam *videndi* vim, & attentionem afferre; & non solum oculis, sed animo etiam in rem aliquam curandam, procurandam, ponderandam intendere. Vnde fit, ut imperativum hujus verbi sæpe vertat Vulgatus adverbiis demonstrādi, *En*, *Ecce*, quæ attentionem imperant. ut Genes. 27. 15. *Ecce odor filii mei, &c*. Sed exempla alia opportuna Exod. 3. 3. *Videbo*, (contemplabor, considerabo attente) *visionem hanc magnam*. Genes. 37. 14. *Vide, si cuncta prospera sint*. id est, diligentius percontare, cognosce singula, ut singulatim, accurate rationem de omnibus mihi possis reddere. Sic hoc loco ex impiorum sententia negatur, Deum *videre* humana, contemplari, attendere, providere. Solēt enim (ut alibi observabimus) omnium aliorum sensuum, atque facultatum cognoscitivarum actiones significari nomine *visus*, propter hujus sensus excellentiam, ut annotavit in hac radice R. Mardochai.

LXX.

ראה

Videndi verbo, quæ curā, & attentioné important.

R. Mardoch.

Nec Nostra, &c.

Licet autem pronomē illud *nostra* desit in Hebræo, sapienter additum est ab Interprete, emphasis causa, ut totam sententiam illuminaret, simulque indica-

ret,

ret, quibus nam rationibus ducti priſci Philoſophi divinam Providētiam abſtulerint, deſumptis nimirū ex noſtrarum rerum atque negotiorum, vel multitudine, vel ignobilitate, vel contingentia, & incertitudine, vel re alia, quę Divinam majeſtatem mentemque dedecere videatur. Sed ut ſcholis alias magis aridas, magiſque perplexas ratiocinandi rationes relinquamus, nunc duas, treſve, ex quibus Divina Providētia ſtatuatur, vias ingrediamur.

Cur priſci eſ ca res humanas abſtulerint Providētiam.

2. *Quæ Divinam Providentiam tū ex parte ipſius Dei, tum ex parte noſtrarum rerum nobis oſtendunt, & commendant.*

6. Philoſophorum negantium Providentiam inanis fallacia.
7. Providentia ſtatuitur ex ipſa ratione Creatoris Quomodo in Deo omnis videndi, & audiendi facultates. Illuſtratus Ieremias, & Sapientia
8. Minima quæque Divini luminis ſplendorē colluſtrari, & revelari. Explicatus Ieremias. 52.
9. Nihil eorum, quæ facta ſunt, contemni a Deo. Amat animas. Illuſtratus Sapiens
10. Aliorum providentia relata ad hominum bonum. Explicatus Paulus.
11. Dei Potentia in providendo. Providentia adducit res inferiores ad concentum, & harmoniā Explicatus Iſaias. Illuſtratus Sapiens.

6 QVI Providentiam negabant, certe ſe non ſine ratione ratiocinari philoſophariqúe profitebantur. Sed illorum philoſophiam *inanem*, potius *fallaciam*: & eſſe, & appellari debere eleganter oſtendit Clemens Alexand. 1. ſtromat. de Epicureorū ſententia, quæ tollit Providētiam, accipiēs illud Pauli Coloſſenſes. 2. 8. *Videte, ne quis vos decipiat per philoſophiā, & inanem fallaciam, ſecundum traditionē hominum, ſecundum elementa mundi, & nō ſecundum Chriſtum*. quia videlicet ita *elementa honore affecit* Epicurus, ut illis non *conſtituerit cauſam efficientem*, neque *opificem*, ut idē Clemens exponit. Rurſumque dixiſſe, *non ſecundum Chriſtū, quia* (inquit) *quæ eſt in Chriſto conſentanea doctrina opificem Deum eſſe aſſerit, & deducit Providentiam uſque ad ſingularia*.

Inanis Philoſophia negātium Providētiam.

Clemens.

Epicurus notatus a Paulo.

Chriſti doctrina Providētiā ſtatuit.

Sed breviter tamen illæ philoſophorum, & contra Divinam ſcientiam, Providentiamque rationes, ex *noſtris* rebus ad duas, treſve poſſunt revocari, quæ illis ſuadebant, *Deum noſtra nō conſiderare*. vel quia Deus natura ſua, & facultate cognoſcere, & providere omnia *noſtra* non poſſet. Vel ſi poſsit, at *noſtra* contemneret. Vel ſi non contemneret, at tantū cognoſcendi providēdique laborem, & negotium *noſtrarum* innumerabilium negotiorum recuſaret.

Philoſophorum ad tria rationum capita revocatio.

Ex Creatoris, & Videntis, atque Audientis ratione, Deus Providens.

7 PRimum manifeſte refellitur tanquam Divinæ naturæ, quæ omnipotens, & omniſcia eſſe debet, omnino repugnans, atque ipſarum creaturarum indigentiæ, & ſaluti inimicum; vel ex ipſa Creatoris ratione, ex qua, ſicut unus, ita & ſui operis conſervator, inſpector, gubernator, & proviſor manifeſte colligitur. Quare utrumque conjunxit Ieremias. c. 10. 12. *Fecit terram in fortitudine ſua, præparat orbem in Sapientia ſua, &c.* Quare Regnum mortalium omnium Creatori deferendum, vel propter Sapientiæ, & ſcientiæ immenſitatem, contendit eo loco Ieremias. Solebant nimirum quondā ſapiētiſſimi quiq; in Reges aſſumi; *Quis* (inquit) *nō timebit te, o Rex gentiū tuum eſt enim decus.* * (Vatablus, *Tibi convenit*, *ſubaudi Regnum, vel monarchia*) *inter cunctos ſapiētes gētium, & in univerſis Regnis eorum nullus eſt ſimilis tui.* Cōcludit tandē Propheta, falſos Deos, qui nihil crearunt, nihil proinde gubernāt, exterminādos eſſe, *Dii, qui cælos, & terram non fecerunt, pereant de terra, & de his, quæ ſub cælo ſunt.* Quod eleganti carmine complectitur Prudētius,

Deus ratione Creatoris omniſcius.

Deus propter Sapientiā univerſorū Rex.

*El Reino ſea de quiē ſe lleva la gala de la Sabiduria.

Prudentius.

Nec putet eſſe Deum, niſi quis ſuper omnia ſummus
Emineat, magniq; immēſa creaverit orbis.

Non minus profecto eleganti, ſapientique Pythagoræ teſtimonio utitur Iuſtinus lib. de Dei monarchia, quo illam ipſam Ieremiæ vatis ſententiam aut illuſtrare, aut parallelam illi adjungere videtur;

Iuſtinus.

Pythagor.

Extra unū ſi fors, jactet ſua numina quiſquam, (dum.
Debet & is merito talem ſibi condere mun=
Hic meus eſt, recte tum dicat; & incolat orbem
Ipſe ſuum: teſtans quo ſit factore creatus.

Ideo Divina Sapientia, Providentia, gubernatio, profitetur Patri ſe creatori aſtitiſſe in rerum omnium productione; *Cum Deo (inquit) eram cuncta componens.* Quod Hebraice habetur; *Eram apud eum nutritius*, ut quidā legunt; aut, *eram alumnus*, velut is, *qui alit iſta inferiora*, aut *erā fida*; in Hebræo *Amon*; quod nos juxta

Pagnin. Regia. Bajnus. Tigur.

vocem Hebraicam appellamus: *El Amon que la elgecho* hunc sensum habet; Quemadmodum proceres, procreatos liberos solent nutricibus, atque nutritiis educandos, & instituendos tradere; ita Divina Potentia res creatas, tanquam procreatos liberos, suæ Sapientiæ atque Providentiæ educandas, instituendas, moderate regendas, & in certos suos fines dirigendas, conducendasque cõmisit. Hæc nimirum est illa Dei *gratia nutrix*, omniũ altrix, tanquam mater indulgentissima. Septuaginta illum locum sic exhibent; *Quotidie jocundabar in facie ejus in omni tẽpore, cum lætaretur orbe perfecto*, nam excellentis artificis incredibilis lætitia est, perfectum a se opus, & numeris omnibus absolutum semel, & iterum circunspicere, sibi ipsi de tanta perfectione, & absolutione congratulatus. Et neget quis nisi plane desipiens, Creatorem opus suum semper videre, atq; providere. Sed ratione quidem efficaci, & quasi ad scholarum normã exacta rem hanc ostendit David; *Qui plantavit aurem, nõ audiet? aut qui finxit oculum non considerat?* est sane in illo omnis *videndi*, omnis *audiẽdi* facultas supereminenter. Quo statim argumento reprimere vult Sapiens cap. 1. impietatẽ impudentiamquẽ Tyrannorum; *Renum* (impiarum appetitionũ) *testis* (inspector) *est Deus, & cordis* (cogitationum occultissimarum) *scrutator* (speculator, & contẽplator) *est verus, & linguæ ejus* (sive verborum, sive scelerum clamantiũ) *auditor, quoniã spiritus Domini replevit* (nõ solum exterius continet, atque cõplectitur) *orbem terrarum: & hoc, quod continet omnia, sciẽtiam habet vocis. Propter hoc, qui loquitur iniqua non potest latere, quoniã auris Zeli audit omnia, & tumultus murmurationum non abscondetur.* Alluditur profecto ad vocis, aerisque naturam; nã sicut voces, sonitusque omnes in aere fiunt, atque vehiculo aeris perferuntur ad audientes; ita sane, si Divinus Spiritus omnia ambit, & continet omnia, pervadit, & penetrat, necesse omnino est, ut quæ voces, & qui clamores intra ambitum, cõplexumque Divini Spiritus formantur, atque in ipso etiam fiunt, (nam *in ipso vivimus, movemur, & sumus*) ad Divinam cognitionem, divinumque auditũ, quasi hoc spiritus vehiculo perveniant. Latere igitur Deum non potest, vel murmur tenuissimum. Illud præterea, *Divinam aurem*, dici *aurem Zeli*, quasi nimium audiẽdi cupidam, & quasi ad *nihil aliud vacantem, nisi audire aliquid novi.*

Divina Sapiẽtia, & providẽtia nutrix creaturarum.

Sap. 16. 25.

LXX.

Psal. 93. 9.

David efficaci argumento probans creationẽ.

Sapientiæ locus de Providentia illustratus.

Cur Divinus Spiritus dicatur audire.

Act. 17. 11.

Auris Zeli quid.

8

Sed de illius oculis, Tertullianus Sapienter; *Nihil occultum, quod non reveletur, quãtascumque tenebras factis tuis superstruxeris; Deus lumen est, & illius oculi multo plus lucidiores super solem circumspicientes omnes vias hominum, & profundã abyssi, & corda hominum intuentes in absconditas partes.* Nam solis hujus, quod videmus, lumen in terræ superficie consistit, non pervadit abditos inferni sinus. Propterea sane referente in Corinthiacis Pausania, *Iovis* celebrabant *simulachrum ternos habens oculos*: quia in cælo, sub terra, *& in mari imperaret*. Neque vero imperare posset, quo illius visus pertingere nõ posset. Ad hoc Divini conspectus lumine clarissimum vel minima, atque tenuissima acus abscondi non potest, quæri, & investigari potest, amissa etiam certo inveniri: in quam rem Menandrum producit Clemens sic monentem;

- - - - - - Neque acum charissime
Desideres unquam alienam, nam Deus
Te respicit prope.

& iterum ex eodem;

Ne acum quidẽ implicatã cupias Pãphile,
Namque aspicit propinquus, qui est tibi Deus.

Philemon non solum *acum*, sed ne ullum vilissimum filum, non illustrari divino splẽdore, dixit, referẽte Iustino Martyre;

- - - - - - Non expetes
Acus vel unum vile filum, Pamphile,
Nam te videt, qui præsto adest tibi Deus
Pietate gaudens, non iniquis actibus.

Quam esse paraphrasim Ieremiæ, existimat Clemens cap. 23. 23. *Putasne, Deus e vicino ego sum, dicit Dominus, & non Deus de longe.* Videlicet sua præsentia propinquo, & opportuno lumine complens, illustransque omnia. Pulcherrima ex omni priscorum Theologorum, id est Poetarũ antiquitate Æschylo, Sophocle, Philemone, Orphæo, Euripide, Menãdro, Platone, atque aliis magni nominis Philosophis, testimonia congerũt Iustinus Martyr lib. de Monarchia dei, & Alexandrinus Clemens. 5. stromatum. Lactantius lib. 6. cap. 24.

Lib. de pænit. cap. 6.

Lucæ 8.

Ecclesi. 23.

Pausanias.

Lib. 5. Strom.

Menand.

Iustinus.

Philemon.

Iustin.

Clement.

Lactant.

Ex charitate suarum creaturarum Deus Provisor.

NIhil suorũ operum contẽni a Deo, quod secũdo loco proposuimus facile ostendit eximia lætitia, quã ex suorũ operum cõspectu Deum percipere Scriptura significat: Nã *videt* (cum voluptate quadam, atque diutius, & per otium

Deus gaudẽs suorũ creaturarũ cõspectu, & providẽtia.

Genes. 1. 33.

ראה

viden-

videndi cupiditate) *cuncta, quæ fecerat, &* (quia) *erant valde bona,* aſpectu, & conſideratione jucundiſsima. Accinit Pſaltes; *Lætabitur Dominus in operibus ſuis.* Sic de ſe quoque Divina Sapiētia; *Cum eo eram cuncta componens, & delectabar per ſingulos* (creationis) *dies. Ludens* (voluptatis, & recreationis ergo) *coram eo omni tempore. Ludens* (jucundata) *in orbe terrarum.* Sed numquid contemnet, *Obliviſcetur ne mulier infantem uteri ſui?* atqui Deus (etſi illa obliviſcatur) minime cōtemnet creaturas ſuas, quas ex ſuo utero procreavit? Viliſsimas etiam, *glaciem,* gelu, *nivem, grandinem.* Iob. 38. 29. 29. *Paſſerculū* ille ſervat, & cuſtodit diligentiſsime Matth. 10. 19. *Corvorum pullos* ſuſtentat, & enutrit; atque *capillos* habet in numerato, ut ne ullus quidē pereat inſcio illo, aut invito. Matth. 10. 30. & Pſal. 146. 9. Et cū *juſtitiæ* omnis, atq; ſanctitatis, & miſericordiæ primus fons, ſupremuſque magiſter ſit; *Novit* profecto ille (curat, providet, benigne tractat) *jumentorum ſuorum animas;* Prover. 12. 10. Hoc illius propriū, perpetuumq; cognomen, *Animarum amator.* Verū enim vero amor ſollicitus eſt, neque ſolum *ſolliciti plena res timoris,* ſed indulgentiſsimæ cujuſdam Providentiæ atq; benignitatis. Hoc certe nomine Sapiens cognominat Deū; *Qui amas animas,* omniumque vitas, atque commoditates tueris. Propterea que ſubjungit; *O quam bonus & ſuavis eſt Domine ſpiritus tuus in omnibus!* Quod in Græco proprie eſt; *incorruptibilis ſpiritus.* videlicet incorruptionem, commodam, & utilem gubernationem, Providentiamque omnium ſalutarem exercēs. Quid, quod Deus ſe omnium ſuarum creaturarū, velut gregis cujuſdam ovium, cuſtodem, atque paſtorē agit; ac veluti horti cujuſdam pulcherrimis, ſelectiſsimiſq; arboribus conſiti, colonum, & agricolam? atqui in hæc paſtoris, & coloni munia non cadit oſcitantia, non contemptus, non oblivio. Viſus eſt aliquando Paulus dixiſſe nullā eſſe Deo, *de bobus curā.* 1. Corint. 9. 9. quaſi illi eſſent minoris apud Deum, quam ut de illis eſſe vellet ſollicitus. Similique ratione ignobiliora quædam animalcula a tāta Numinis majeſtate contemni, videtur dicere Hieron. ad cap. 1. Habacuc, ſuper id; *& facies homines quaſi piſces maris, & quaſi reptile non habēs Principem. Abſurdū* (inquit) *eſt ad hoc Dei deducere majeſtatē, ut ſciat per momenta ſingula, quot naſcantur culices, quot ve moriantur: quæ cimicū, & pulicū, & muſcarū ſit interra multitudo; quāti piſces in aqua natēt, & qui de minoribus, majorum prædæ cedere debeant.* Sed hæc quid aliud ſunt, aut quid aliud ſignificant, quā præcipuā curam, atq; Providētiam Dei verſari potiſsimum circa *noſtra,* id eſt, circa res humanas, ac rerum aliarū vel conſiderationem, vel Providētiam ad hominem referri? ſicut Paulus dixit; *Propter nos utique dicit, & propter nos Scripta ſunt.* Atque idem Hierony. ſuperiori loco ſubjūgit; *Non ſumus tam fatui adulatores Dei, ut dum potētiam ejus etiā ad ima detrahimus, in nos ipſos injurioſi ſimus, eandem rationabiliū, quā irrationabilium Providentiam eſſe dicentes.* Deus igitur & nos, & *noſtra* plurimi facit, & attentiſsime conſiderat, ac propter nos nihil rerum aliarum, quamvis ignobiliſsimarum, contemnit. Sed de hoc plura poſtea.

Pſal. 103. 31. — *Prov. 8. 30.* — *Iſai. 49. 15.* — Deus, mater creaturarū nō poteſt oblivici, quas progenuit. — Deus providens ex miſericordia. — *Sap. 11. 27.* — 10 Deus Paſtor. — Deus Agricola. — Cur boves dicatur non curare Deus. — *Hieronym.* — Deus aliarum creaturarum Providentiā ad hominem conferens. — *1. Cor. 9. 10.* — *Hieron.*

Noſtrarum rerum multitudinē facile, atque ſuaviter in harmoniam vocari a Divina Providentia.

11 Neque vero Deus (quod tertio, extremoq; loco propoſitum eſt) tāta Providēdarū minutiſsimarū rerum multitudine, aut mole opprimi, fatigarive poteſt; Cōtra quam Epicurus ille, de grege porcus ſenſiſſe videtur. cujus ſententiæ ſummam hanc Theodo. his verbis deſcribit; Græcorum infidelitatem curās, lib. 6. *Epicurus Neoclis filius, quæque ab eo ſecta, ſocietaſq; deſcendit, Deum quidē eſſe dixerunt, verūm ad ſe ſe ipſum converſum eſſe, neq; curare ipſum quicquā negotii, neq; item ſibi velle ab aliis exhiberi.* Cum vero, qui Epicurū ſequuti, injurii in Divinam Providētiam exiſterēt, ſic expoſtulat ſupremus rerum Proviſor; *Quare dicis, Iacob, & loqueris, Iſrael;* (frequenter nimirum uſurpare, & inculcare ſoles plenam infidelitatis vocem) *Abſcondita eſt via mea a Domino,* (vitę meę rationes procul a Dei intelligentia remotæ ſunt) *& a Deo meo judicium meum tranſivit?* (id eſt; præterit ille, negligitque cauſam meam, non attendit quam inique mecum agant hoſtes, intentus tantū in cæleſtis orbis movendi, moderandique munus: res ſingulas, minutioraq; negotia libere non poteſt inſpicere) Quibus vocibus, cogitationibuſq; occurrit Deus ipſe: *Nūquid neſcis, aut nō audiſti; Deus ſempiternus Dominus, qui creavit terminos terræ, non deficiet, neq; laborabit, neque eſt inveſtigatio Sapientiæ ejus?* q. d. infinita illi[9] virtus laſſari, defatigarive nō poteſt,

Theodoret. — Epicuri ſententia. — *Iſai. 40. 28.*

neque illius Bonitas poteſt creaturarum ſuarum tædio affici; neque Sapiētia opprimi aſsidua cognitione, & Providētia; neque Sempiternitas langueſcere novis rebus curandis, adminiſtrandiſque; neque Providentia obrui multorum negotiorum gubernatione, atq; ſollicitudine.

Deus nullo negotio ſingulis rebus providēs.

Tam facile ille omnia ſua Providentia continet, ponderat, ſuſtinet, atq; per partes minutiſsimas numerat, & expendit; quam ea, quæ nullo negotio homo fovea manus continet, aut menſurat: atque *tribus* tantum *digitis*, non tota manu e terra attollimus: hæc enim oportet eſſe leviſsima. *Quis menſus eſt?* (idem Propheta ad eandem rem) *pugillo aquas, & cælos palmo ponderavit? Quis appendit tribus digitis molem terræ, & libravit in pondere montes, & colles in ſtatera? Quis adjuvit ſpiritum Domini?* ubi pro *mole terræ*, in Hebræo eſt, *pulvis terræ*, ſumm⁹ videlicet, atq; viliſsimus ut res nullius ponderis ſignificetur, velut cum quis extremis digitis nonnihil capit pulveris.

Tres digiti cujus rei ſymbolū.

Pro *tribus* autem *digitis*, qui facilitatem abſq; ullo labore ſignificant, eſt ſolum in Hebræo, *ternarius*, aut, *menſura ternaria*; ut Divinæ Providentiæ, Sapiētiæque perfectio indicetur, quę univerſas mundi partes, ita perfectorum numerorū ſolertiſsima ratione, & pōderum examine colligavit, ut numeroſiſsimum omnia, ſuaviſsimumque concentum, tum ſuo Proviſori, moderatorique exhibeant, tum tantæ Providentiæ diligentiſsimos contemplatores, attētiſsimoſque auditores, ſua contemperatione, harmoniaque demulceāt.

Pagn. Vatab. Regia.

Providētia in rebus concentum efficiens.

Scriptum eſt enim de Dei Providentia, & cura, atq; conſideratione noſtrarum rerum, & de obſequio inferiorū rerum Divino nutui, & Providentiæ; *In ſe elementa, dum convertuntur, ſicut in organo, qualitatis ſonus immutatur, & omnia ſuū ſonum cuſtodiunt. unde æſtimari ex ipſo viſu certo poteſt.*

Pſal. 19. 17.

Quod in Septuaginta paulo dilucidius legitur: *In ſe elementa convertebantur, ſicut in Pſalterio ſoni modulationis nomen mutant, ſemper cuſtodientia ſonum. Quod æſtimari poteſt, ex ipſo rerum factarum viſu certo.*

LXX.

Deus providens, inſtar Cytharædi.

Eſt igitur rerū proviſor, & moderator Sapientiſsimus quidam modulator, cytharæque pulſator, cujus chordas, id eſt res ſingulas tangit Deus, moderatur, attemperat ſua Providētia, atque Sapientia, & quocumque modo illas verſet, ſuaviſsimum Rithmū faciunt, variatum quidem ſecundum ſonos diverſos. & ſicut ille de Cythara, atque Oratione dixit; *Sicut Cythara, ita Oratio perfecta non eſt, niſi ab imo ad ſummum omnibus intenta nervis conſentiat*; ita ego de Providētia, quæ, ſicut cythara, perfecta non erit, niſi rebus univerſis ab ima ad ſummam quaſi omnibus intenta nervis conſentiat.

Quint. lib. 2. cap. 8.

Deus cythara ludens.

Sed quam facile, quam ſine labore, potius cum voluptate ludit Divina Providentia hac rerum univerſitatis Cythara; *Ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum!*

Prov. 8. 30.

Et, circa Cardines Cæli perambulat.

12. Perambulare *quid. Divites, qui ſua prædia inviſerent. Milvi volatus.*
13. *Dei ager mundus. Explicatus David.*
14. Perambulare, *refertur ad paſtoris munus. Deus paſtor aſtrorū, cæterarum quoq; creaturarū.*
15. *Quid* Cæli Cardines. *Varietas in numero Cardinū aſsignando. Explicati Moyſes, & Matt.*
16. Cardines, *pro limitibus agrorum. Tota cæli circumferētia.*
17. *Deum nimium occupatum in Providentia rerū caleſtium, Priſcorum error, & querela.*
18. *Deus verſans circa Sphæram ſuperiorem; attingere etiam ſua ſcientia; & Providentia centrum mundi. Explicata Sapientia.*

HAEC profecto illa vox eſt impiiſſimorum hominum; *Dereliquit Dominus terram, & Dominus non videt.* 12

Ezechie. 8. 12.

Cælo ſe continet Deus, humanis non proſpicit; Non alia ille loca inviſit, quam cæli cardines; horum ſe Dominum, atque ſupremum imperatorem profitetur, & gloriatur, & quaſi *pedum poſitione*, ea ſibi vendicat, amādata procul omni terrigenarum cura, quibus (ut illi ajunt) *non eſt cum Diis converſatio*.

Daniel. 2. 11.

Idem verbum *perambulandi*, & eadem vis, quæ primo capite, *Circuivi, & perambulavi terram.* Quod quaſi ad proprium agrum, & ſuam poſſeſsionem pertinere eo loco diximus. *Perambulando* enim, & *circumeundo* obit quis ſua prędia.

Perambulare, & circumire, per periphraſis poſsidēdi prædia.

In qua etiam ſignificatione, cui magna latifundia erant, atq; tam amplę poſſeſsiones, ut pedibus eas circumerrare nequiret, non *perambulabat* quidem, ſed equo ſua jugera circumviſebat. Quare, qui neq; nobilis, neq; dives eſſet, dicebat,

Nō ego me claro natū patre, non ego circū
Me Satureiano vectari rura caballo,
Sed quod eram, narro.

Horat. lib. 1. Serm. Sat. 6.

Itaque illa eſt prędivitis hyperbolica circumloqutio,

Dives erat Curibus, quantum nec milvus oberret.

Perſ. Satyr. 4.

Et illa etiam.

- - - Cui tot montes, tot prædia ſervas
Apula, tot milvos inter tua paſcua laſſos.

Iuven. Sat. 9.

Nimirum *milvus* per gyrū volat, & cum

fit pernicissima volucris, vix pervolando ambire, & circumdare potest tam ampla prædia.

Deus dives latifundiis.

Ergo prædives ille Deus, cui pro latifundiis integra est cælorum immensa periphæria, quā circuit ille, atq; *perambulat*. Amplissima hac possessione existimabat Epicurus contentū esse Deum, neq; curare parvum hujus mūdi agellū, & fundum tenuissimū. ex cujus persona videtur illud Ciceronis dictū li.3. de Natura Deorum: *At enim minora Dii negligunt, neq; agellos singulorum, nec viticulas persequuntur.* Sed quam aberrat Epicurus! cum tanquā de agro bene culto, atque prædio, quod providetur, prævideturque a Patre familias (hęc est enim *prædii* notio) gloriatur Deus, cātante David: *Domini est terra* (tāquam ager, non quidē pigri hominis, sed diligentissimi agricolę, solertissimiq; patris familias) *& plenitudo ejus: orbis terrarū, & universi, qui habitāt in eo.* Quod ad Providentiam refertur a Theodoreto, dictū nimirū contra Iudęos, *suspicantes soli Palesthinæ ipsum dominari, & ipsorū tātummodo curam gerere.* Et quod terram, tanquam bonus agricola agrum, vel hortū opportune irrigarit singulari Providentia, statim ostendit dicens; *Ipse super maria fundavit eum, & super flumina præparavit eum.* Vide eo loco Theodoretum.

Epicurus. Cicero. Terra Dei ager, & vinea. Psal.23.1. Theodoret. Iudæi claudētes Deū intra Palesthinam.

14

Deus pastor stellarum, perambulans loca pascua.

Rursus hæc cælorum, *& cardinum cæli perambulatio* non solum ad Divinæ Potestatis opes, sed ad pastoris munus referri potest: Nā fingunt Deum pascere Angelos, Stellas, & Astra in cęlorū spatiis immensis, extra hujus mundi inferneq; civitatis habitationem, atq; tumultum, in pascuis supernis, uberrimis, pinguissimis, semper virētibus. Sic cælū dixerunt mūdo huic pro muris, & mœniis esse: unus quidem, *mūdi mœnia*; alter *ingentia mœnia cæli*. Extra hujus civitatis mundialis ambitum, & mœnia Deus immensitatē spatiosissimam *perambulare* videtur, ducens, pascēsque astrorū agmina, & greges stellarum: quarū dux, Lucifer: pastor Deus. Primum in auroræ descriptione graphice pingitur a Seneca;

Lucret.lib.1. Ovid.1.Meta. Senec.in Herc. Furent. act.1.

Iam rara micant sydera prono
Languida mundo, nox vagos
Contrahit ignes, luce renata
Cogit nitidum Phosphoros agmen.

Secundum a Synesio Hymn.6. alloquente Christum Deum;

Synesius.

Astrorum greges Semper pascis.

Nonne illud pastoritii muneris est: *Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat?* Solet enim pastor suas oves *nominatim vocare*, & in numerato habere. Peculiari nimirū ratione supernos illos ignes alit, conservat, curat, & in suo motu, & cursu moderatur, & regit; vagātes, errantesq; reducit intra suos limites atq; viam; jam educit quasi ad pastum; jā abscondit, & cogit ad caulas. At pascit etiam, & ducit, instar pastoris, Deus cęterarum creaturarū agmen, non hominum gregem solum; *Qui producit fœnū jumentis, & herbam servituti hominū.* & iterum; *Qui producit in mōtibus fœnum, & herbam servituti hominū: qui dat jumentis escam ipsorū: & pullis corvorum invocantibus eum.* Pascit *in montibus excelsis cervos*; *Petrarum* cavitates, pro caula, dedit *erinaceis*; educit ad pastū nocentiores alias belluas, sed, quominus noceant, nocte; *In ipsa pertransibunt omnes bestiæ sylvæ. Catuli leonū rugientes, ut rapiant, & quærant a Deo escam sibi.* Deinde *orto jam sole congregat*, cogitque *ad cubilia sua*. Adaquat item, ac recreat sitientes; nam *emissis fontibus in convallibus* potabunt omnes bestiæ agri. *expectabunt onagri in siti sua*; vel, ut Symmachus legit: *recreabit onager sitim suam.* Pastor quoque volucrum ille est; sicut Scriptum est; *Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, & tamē Pater vester cælestis pascit illa.* Omnium deniq; ne minima quidem neglecta, pastor, & custos suarum creaturarum est, cum *omnes ab illo expectent, ut det illis cibum in tempore.* Itaque si omnes ubique pascit res, nō tantum ille, circa *cardines cæli perambulat*; cum *alias oves habeat* in hoc inferiori ovili.

Psal.146.4. Ioan.10.3. Deus pastor omnium creaturarum. Psal.103.14. & Ps 146.8. Psal.103.18. Psal.103.21. Luc.12. Ioan.10.16.

15

Cardines cæli, qui.

Circa cardines cæli. Non omnino clarum, quid *Cæli cardines*, nuncupet; nam & poetica, & figurata locutio videtur. Et primo quidem *cardines cæli* commode intelligi possunt, polus uterque, quibus immobilibus, & constantibus agitatur, & vertitur cælorum universa moles. Constituuntur a prophanis scriptoribus nūc duo cardines tantum, videlicet duo cæli vertices, alter Septentrionalis, alter Meridionalis, ut Vitruvius numerat; nunc unius tantum cardinis meminerunt, videlicet Septentrionalis, quod nobis is tātum apparet, ceu sublimis cæli vertex, & ut Sulmonensis poeta dixit;

Vitruv. lib.6. c.1. & lib.9.c.4.

Qui semper liquidis altior extat aquis.

Ovid.2. de Pōto Eleg.10.

Nunc duos præterea alios numerant, Orientalem, & Occidentalem, ut omnino quatuor sint cardines. Hos nominat Statius;

Stat.lib.1. Thebaid.

Limes uterque poli, quem sol emissus Eoo
Cardine, quem portu vergens prospectat Ibero,

Quasque procul terras obliquo sydere tangit
Eurus, aut Boreas gelidas; madidive tepentes
Igne Noti,

Quatuor item cardines, aut cælorum limites notat Christus Dominus Math. 24 31. *Congregabunt electos a quatuor ventis, a summis cælorum usque ad terminos eorum.* quáquam & duos etiam tanquam præcipuos indicet David Ps. 18. 7. videlicet Orientalē, & Occidentalē, *A summo cæli egressio ejus, & occursus ejus usq; ad summum ejus.* Quare ubi nos Devt. 30. 4. legimus, *Si ad cardines cæli fueris dissipatus, inde retrahet te Dominus Deus tuus.* Septuag. *Si fuerit dispersio tua a summo cæli usq; ad summum cæli.* Sed hoc loco pro terræ extremitatibus, & ultimis limitibus, qui cæli verticibus subjacent, accipiuntur. At in nostro loco pro ipsis *Cæli verticibus*, celestiumq; orbium conversione. Quia autē in hac cæli circa cardines cōversione, & recursu syderū mirabilis cernatur Creatoris Sapientia, & Potestas, dicitur peculiariter in horum cardinum constitutionē, & gubernationē intendere, & incūbere; quod ex eorum cōstitutione, universorum orbiū cælestium motus, & cōversionis ratio constare, petiq; debeat.

Psal. 18. 7.

Dei mirabilis potentia circa cæli cardines.

16 Ergo existimabant ita Deū, primumq; motorē cælestes orbes circum axes versare, & duas illas potissimas, quatuorve extremas celorum partes tueri, & spatiosissima spatia per itinera lōgissima quotidie cōficere, ut nullam tanti negotii vacationem, liberumque spatium haberet, quod in nostris rebus inspiciendis, atque curandis posset ponere, juxta quod forte dicet Eliphaz ut interpretatur Philipp. *Scio* (inquies, o Iob) *Deum esse justissimū, qui si nosset, quæ patior, utique pati nō sineret.* Hæc profecto est illa ipsa hominum non *sentiētium de Deo in bonitate* vetus de Providentia querimonia, quod cælestia tam sollicite gubernaret, terrestria humanaq; non itē. Quā expressit elegāter Boetius,

Sap. 1. 1.

Boet. 1. de Cōsolat. metro 5.

O stelliferi conditor orbis,
Qui perpetuo nixus solio
Rapido cælum turbine versas,
Legemque pati sydera cogis,
Omnia certo fine gubernans,
Hominum solos respuis actus
Merito rector cohibere modo?
Nam cur tantas lubrica versat
Fortuna vices?

Imitatus sane Boetius Senecam, qui illo ipso nomine *cælestium cardinum* nō minus pulchre rem scripserat eandem,

Senec. in Hyppol. act. 3.

O magna parens natura Deum,
Tuque igniferi rector Olympi,
Qui sparsa cito sydera mundo,
Cursusque vagos rapis astrorum,
Celerique polos cardine versas;
Cur tibi tanta est cura perennes
Agitare vias Ætheris alti?
Qui tanta regis, sub quo vasti
Pondera mundi librata suos
Ducunt orbes, hominum nimium
Securus ades, non sollicitus
Prodesse bonis, nocuisse malis?

Sed quidem iniqua querimonia, simulq; insipida: nam oportet eum, qui perfectū circulū describere, & ducere vult, nō ad extremam tantum lineam attendere, sed etiam ad punctum centri, in quo alterum circini pedem figere debet. Ergo si Deus in formando orbe circulum, spheramque duxit, non potest ita se continere cælo, & ambitum illius tātum perambulare, quin etiam in profundū inferni, atque terræ centrum respiciat, in quo, quasi alterum suæ Providentiæ, Sapientiæque circini pedem figat, alterum circa *Cæli cardines* circumducat. Non aliter profecto globus hic terræ, atque aquæ effici, conservarique potuit, *Quando certa lege, & gyro vallabat abyssos, quando circumdabat* (quasi ducto circino) *mari terminum* (cardinē, extremam lineam, limitem) *suum.* Vt recte etiam dicere possis antiquum illud, *Deum sedere quasi in centro omnium rerum*, atque inde universali oculo cuncta conspicere, & circulū etiam orbi inducere. Neq; solū dispicere e cælo terrā, sed e terræ centro cūcta videre, *Quoniā a cētro simul in omnia unus est aspectus.* Sed de hoc nō plura.

Deus cardines cæli perambulans altero pede in infima terra defixo.

Prov. 8. 27.

Marius Vict. li. 4. adversus Arrium.

Deus non solum e cælo, e centro omnia videns.

At secūdo *Cardines cæli* significare poterunt integrum cælestis globi ambitum, & extremam aut lineam, aut superficiem, qua tota mundialis machina continetur, nam vox originalis *Hhug*, proprie est ambitus, aut peripheria, circulusve, quē describit circini ductus. atq; adeo pro *Circino* ponitur Isaiæ. 44. 13. Quare hunc locum legit Rab. Mardokai, *Sphæram cæli ambulavit.* Pagnin. *Lineam, quæ circuit cælū.* Regia, *Ambitum.* Tygurina, *In sphæra cælesti versatur.* Vatab. *In circuitu cæli.* Quod autem Vulgatus circularem lineam Cæli, *Cardines* dixit, sapienter fecit: Nam *cardines* sunt apud Latinos lineæ illæ, quæ agros, prædiaque terminant; hæc enim cardinibus dicebant limitari: sumpta videlicet ratione, & nominatione a *Cæli cardinibus*; nam qui limes per agrum currit a Meridie in Septentrionē, *Cardinē* appellari docet Plini. lib. 18. c. 25. At dilucidius 17

Cardines cæli pro toto cælesti globo.

חוג

R. Mardok.

Pagnin. Tygur. Vatab.

Cardines apud Latinos, qui.

Plinius.

Siculus Flacc.

Siculus Flaccus de *Conditionibus agrorum*, capite de *Quæstoriis agris*, scribit in hæc verba: *Limites, qui Orientem, Occidentemq; intuentur, qui Meridianum, & Septētrionem tenent, nuncupabant Matutini, & Vespertini, & Meridiani, & Septentrionis cardinē.* Addit deinde, *Postea vero, qui Orientem, Occidentemque intuētur, Decimani, qui Meridianum, & Septentrionem, quoniam cardinē cœli tenerent, Cardines sunt appellati.* Aggenus quoque de *agrorum limitibus*, sic scribit, *Decumanum limitem traxerunt ab Occidente in Orientem, cardinem a Meridiano in Septētrionem, quidam vero ex adverso eos asserunt constitutos.* Sed prima illa verba Hygeni, Augusti liberti lib. de limitibus, rem totam elucidant, *Antiqui primum duos limites constituerunt, unum, qui ab Oriēte in Occidentem dirigeret; Hunc appellaverunt Duodecimanum, ideo quod terram in duas dividat partes. alterum a Meridiano ad Septentrionē, quem cardinem nominaverunt a mundi cardine.* Ergo *cardines* sunt limites; limes autem *a liminibus ostiorum* (ex Hygeno) *quod per eos agrorum itinera servātur.* Eleganter igitur dixit Interpres, *perambulare circa cardines*, quasi, per publicam viam, & certa jam cæli itinera, quibus cælestes regiones dividuntur, & limitantur, non secus, quam agri amplissimi suis cardinibus, limitibus, itineribus.

Aggenus

Hyginus.

XV. *Numquid semitam sæculorum custodire cupis, quam calcaverunt viri iniqui?*

---

1. *Prima interpretandi ratio. An Cain, & Gigātes prisci Providentiam agnoverint. Explicatus locus Genesis*
2. Semita sæculorum *quid Superbia reliquorū peccatorum dux. Tribuuntur illi pedes in Sacro sermone. Explicatus David.*
3. Semita. *Divina Providentiæ lex, & cursus ordinarius.*
4. *Eligitur germana expositio. Explicatur David.* Quid Via æterna.
5. Quid custodire, *quid*, viam custodire *Illustratus David, & Isaias.*
6. Iniquitas *quid in Sacro sermone: cum dolore conjuncta.* Quid calcare.

I
Sententiæ difficultas.

NIsi prius constiterit, quæ sit hæc *sæculorū semita*, constare profecto nō poterit, quæ sit hujus *semitæ custodia*, quisvē totius sententiæ germanus sensus. Neque vero id facilis negotii visum est Greco Scholiasti. *Est (inquit) locus hic sane lubricus, nec nostratibus hominibus satis explicatus.* Porro ad tres, quatuorve revocari possunt multæ, ac variæ interpretum sententiæ, de hac *semita sæculorum*, vel *sæculi*, (ut legunt Septuaginta) vel æternam, aut æternitatis, quod perinde est; nam ea omnia denotat vox *Gholam*. LXX. עולם

Prima intelligit per *semitā sæculorum*, sectā priscorū Philosophorū, aut impiorum hominū Providentiā negantiū. Hæc interpretatio non displicet Philippo scribenti in hæc verba, *Forte de illis peccatoribus dicit, qui superioribus sæculis fuerunt, nō credētes Deū humana curare, quorum memoris propinquitate vitæ illorū apud istos recens erat.* Vatab. ad eos opinionē hanc refert, *qui erant tēpore diluvii, censebantq; tollēdam Divinā Providentiā.* Hunc autem errorem eo tempore viguisse colligi potest, ex eo quod Berosus de illis Gigātibus civitatis Enos, prodidit, preter infinita alia scelera, *Contēptores religionis, atq; deorū extitisse.* Paulo strictius Cajet. & quidē nō parum acute, sed neq; multum, Hanc *sectā sæculorum* dicit esse viā, *innixam sempiternitati*: quia videlicet res æternas, ingenerabiles, & incorruptibiles subjiciebāt Divinæ Providentię, cæteras singulares, & corruptibiles fato, & casui relinquebant. Hanc vero *semitā custodire*, erit tenere, defendere, & tueri. Huic interpretandi rationi nihil magni momenti habeo, quod opponā, illud tātum. *Semitā sæculorū* in Sacro sermone, nunquam pro secta philosophādi, aut doctrina certę alicujus scholę accipi. Hic primus modus interpretandi confirmari poterit ex eo, quod appelletur, *semita*, secta, aut doctrina sæculorum, quasi prioribus sęculis nata, & vel cū ipsius mūdi primordiis. Forte enim allusio fit ad impietatē Cain, qui negasse Divinā Providētiam scribitur a Paraphraste Ierosolymitano, sic locū illū Genes. 4. elucidāte. *Dixit Cain ad Abel fratrem suum, Veni, & egrediamur in agrum. Et accidit, cum egressi essent ambo in agrū, respōdit Cain: Nō est judicium, nec judex, nec sæculū aliud, nec merces bona pro justis, nec pœna pro impiis: nec Dei misericordia regitur mūdus, eo quod suscepta est oblatio tua cū beneplacito: mea autē non est suscepta cum beneplacito. Respondit Abel, & dixit ad Cain: Est judicium, est judex, estque sæculum aliud, merces item bona pro justis, & pœna pro impiis. Misericordia quoque Dei cōditus est mundus, atque misericordia illius gubernatur, utique propter bona opera gubernatur. Cumq; duo isti contēderent in agro, insurrexit Cain contra Abelē fratrē suū, & occidit eū.* Iuxta hoc certe secta negantiū Providentiam, non immerito, *secta sæculorū* dici potuit. Sed res hæc de Cain, & ejus mēte in quæstione illa de Divina Providentia, incerta omnino est. Atque multo certius,

Philipp.

Vatab.

Berosus.

Cajetan.

Verosimilis primæ sententiæ confirmatio.

Cain abnegator Divinæ Providentiæ.

Verosimilior de Cain sententia

tius, ut ex Scriptura colligitur, ut verum Deum, ita & veram Providentiam agnovisse, quamvis alioqui *opera illius maligna essent* (ut Ioannes Apostolus ait) *fratris autem justa*. [1. Ioann. 3. 2.]

2 Secunda, & ea communior expositio, *semitam sæculorum* interpretatur, pravum vivendi institutum sæcularium hominum multis sæculis observatum, & tũ antiquo, tum recenti impiorũ usu tritum, & cõfirmatum: nã *via*, aut *semita* pro vivendi genere, & instituto frequentissime occurrit in Sacro sermone. Hanc autem *semitã custodire*, erit profecto observare, imitari, insequi vestigia impiorum. Sic Grego. Philippus D. Tho. & fere posteriores Interpretes. sed restringit peculiariter Philip. *ad eorum vivendi semitam, qui in diluvio, & Sodomis, & eremo perierunt*. Gregor. quoq; nõ de quacumque *semita*, id est, vitæ pravitate, sed nominatim de *superbia*, quam Iobum custodire, id est imitari dicat Eliphaz, *Sicut* (inquit) *semita Redemptoris nostri humilitas, ita semita sæculorum superbia est, quam viri iniqui calcant, qui per hujus vitæ desideria in elatione perambulant*. Certe superbis, superbiæque potissimũ sicut *pedes*, ita & semitæ calcatio, & perambulatio tribuitur, orante David, *Non veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatoris non moveat me*. Orat videlicet (ex Ambrosio, & Augustino) ne in suberbiam incidat, pertractus manu Diaboli superba, calcantis *semitam sæculorum*. Videntur nimirum reliqua peccata sine pedibus, sine manibus, at superbia illis est pro pedibus, ad *calcandam* iniquitatis semitam, & pro manibus ad consequendum, & apprehendendum, quæ illa non possunt. Quod autem de hoc *pede superbiæ* oravit hoc loco David, implevit utique, atque obtinuit, cum alio loco dixit, *Nõ ambulabam in magnis, neque in mirabilibus super me*. Superbia ergo in hac *sæculorum semita*, est quasi reliquorum peccatorum viæ dux; in quam quoque semitam ingreditur ille, de quo scribitur, *Qui odit correptionem, vestigium est peccatoris*: id est, Diaboli, q. d. odisse correptionem, debet tribui *pedi superbiæ* gradientis in *sæculorum semita*.

D. Thom. Gregor. Philipp.

Semita sæculorum, Superbia.

Psal. 35. 12.

Ambros. Augustin.

Superbia pes, & manus cæterorum peccatorum.

Psal. 130.

Eccles. 21. 7.

3 Huc quoque revocari oportet lectionem Septuaginta, contrariam utique nostræ, sed quæ per *viam*, vitæ genus interpretatur, *Numquid semitã sæculi observavas, quam calcaverunt viri justi?* Quod Nicetas dupliciter exponit primo, ut *semita sæculi* sit virtutis trames. Nicetæ hæc verba ex persona Eliphaz, *Ne forte, o Iob, ipse quoque æternam virtutis viam, ut quidã alii similiter tenuerit, alii non tam virtutem, quam justæ vitæ speciem sunt persequuti, qui tametsi justitiæ viam tenere videbantur, illam ipsam tamen minime ambulabant*. Ergo hypocritum affingit Iobo Eliphaz. Tũ his quoque verbis, per *semitam sæculi* rationes Divinæ Providentiæ nuncupat; *Utram* (inquit Eliphaz) *Divinæ Providentiæ semitãs, ac rationes natura potes, quibus rationibus illud fit, ut justi sæpe numero rebus adversis divexentur, extremumque vitæ diem immatura morte conficiant*. Ergo *semita sæculi*, erit ordinaria Divinæ Providentiæ lex, & agendi ratio, bona bonis, supplicia immittens malis: atque bonos etiam, qui alio qui sua bona Deo accepta nõ referunt, immatura morte puniens in hoc sæculo. Utiles sane hæ quoque expositiones, sed nõ omnino Sacro Scripturarum Sermoni convenientes.

LXX.

Nicetas.

Semita sæculi ordinarius Divinæ Providentiæ cursus.

4 Quare tertiam, & eam forte simpliciorem commodioremque subjungemus, atque confirmatam ex sequenti versiculo, ubi de impiorum supplicio, universæque illorum felicitatis interitu diserte agitur. Ergo *semita sæculi*, mortis suppliciũ erit, quo Divina Iustitia solet impios, & religionis contemptores afficere. Quare hoc supplicio proposito conabitur Eliphaz Iobum ad salutarem de Divina Providentia sensum revocare: q. d. Si impiorũ hominum vitam imiteris, calcabis utique cum illis *sæculorum semitam*, id est, afficieris lethali supplicio. Hujus autem interpretationis ratio exponenda breviter est ex Psalm. 138. 23. ubi, quæ hîc dicitur *semita sæculi*, fere verbis iisdem, dicitur *via æterna*, distinguiturque a *via iniquitatis*. *Vide* (inquit) *si via iniquitatis in me est, & deduc me in via æterna*, sive, ut ex Hebræo legimus, *Deduc me in via sæculi*, ubi quãvis plerique *viam sæculi*, aut, *viam æternam*, accipiant pro recta via, quæ ad æternitatem ducit, sed perplacet mihi illa Kimhi expositio, ut sit mortis periphrasis. Sicut & 3. Reg. 2. 2. eadẽ ipsa mors appellatur, *Via universæ carnis*, quam videlicet omnes omnium sæculorũ mortales ingrediuntur, quę etiã Iosue 23. 14. dicitur, *Via universæ terræ*, id est, quam calcãt omnes a sæculo mortales, ut eo loco legunt Septuag. *Ego recurro viam, sicut & omnes, qui sunt super terram*, nã aliquãdo *terræ* nomine ipsi terrigenæ, mortales appellari solent. Eadem loqutio 3. Reg. 2. 2. Dixerit ergo David loco superius adducto: Me o Deus interfice, cum videris a via mandatorum tuorũ aberrare, si impius fuero, impiorum mortem mihimet imprecor.

Germanior expositio.

Semita sæculi. mors.

Mortis periphrasis.

Vatab. R. Kimhi.

LXX.

Terrigenæ, terræ nomine.

Hanc

Hanc autem *æternam ſæculi ſemitam cuſtodire*, erit profecto ab illa nunquam diſcedere, id eſt, morte affici, atque perire cum reliquis ejuſdẽ viæ ſectatoribus. Frequẽs autem eſt in Sacro ſermone loquutio *cuſtodiendi viam*. 3. Reg. 2. 4. & 8.
5 25. Sed forte cum hoc loco proponatur impiorum ſuppliciũ, poſſet hoc loco verbum *cuſtodire* idem omnino eſſe, quod cavere, aut præcavare; quod & Hiſpanus vocat, *Guardarſe*. qua loquendi formula dictum eſt 2. Reg. 22. 24. * *Cuſtodiam me ab iniquitate mea*. quod Septuaginta dixerũt Pſal. 17. 24. * *Obſervabo me ab iniquitate*. & ſimiliter Devt. 24. 8. *Obſerva* (in Hebræo, cuſtodi) *diligenter, ne incurras plagam lepræ*. & illud Iſaiæ 7. 4. * *Vide, ut ſileas* (proprie, cave, vel cuſtodi temet ipſum, ut ſileas.) Poterit ergo dicere Eliphaz; Numquid, Iob, arridet tibi impiorum ſupplicium, atque extremus interitus, ut cum illis ſimul perire veliſ? an potius cavere vis ab illorũ ſupplicio, atq; tantum vitæ diſcrimen præcavere? Nam ſi via mortis declinãda tibi eſt, atq; præcavenda, deſerenda quoque tibi erit *via iniquitatis*.

Cuſtodire, cavere.

* Yo me guardare, de nunca mas pecar.

* Mira, que te guardes de hablar.

6 *Quam calcaverunt viri iniqui*. Detrita (inquit) eſt illa ſupplicii, & mortis impiorum ſemita, freqũeti Divinæ Iuſtitiæ vindicta, & puniẽdi conſuetudine frequẽtata. *Viri iniqui*, vel viri *iniquitatis*, Tyrãni ſunt, & pauperũ oppreſſores; nomẽ enim *iniquitatis*, ſonat dolorẽ, laborẽ, afflictionẽ, triſtitiã, ærumnã: eo quod iniquitati, & peccato hujuſmodi dolores, & miſeriç pœna debeatur, aut iniquitatis, & peccati perpetuus comesiit interitus, animi mœror, dolor, cruciatus. Quare hujuſmodi iniqui ſunt, qui *concipiunt dolorem, & pariunt iniquitatem*. Quod autem in verbo, *calcandi*, obſervat D. Thomas, ſignificare eum, qui intrepide, & *frequenter, & ſine aliqua dubitatione ex propoſito viã terit*, & ſic illi, *qui nõ credunt Divinã Providentiã frequenter, & ſecure, & ex propoſito injuſta opera agunt*; Hæc (inquam) obſervatio quãvis vera ſit, ſed non valde videtur exacta ad proprietatẽ verbi, *Darac*, quod ſubeſt in originali. Huic vero admonitioni Eliphaz, reſpõdere poteſt Iob ſanctiſsimus illud ipſum Davidis: *Vide, ſi via iniquitatis* (proprie ex Hebræo, rebellionis) impatientiæ, qua obſiſtimus, & renitimur Deo immitenti ſupplicia, aut non ferimus libẽter, quæ ille de nobis ſtatuit) *in me eſt, & deduc me in via æterna*. Peream cum impiis, ſi Divinæ Providentiæ, aut contẽptor, & rebellis, aut impatiens ſum.

Viri iniqui, Tyranni.

און

Peccati comes afflictio.

Pſ. 3. 7. 15.

D. Thom.

דרך

VXI. Qui ſublati ſunt ante tempus ſuum, & fluvius ſubvertit fundamentum eorum.

1. Quid Auferre, *aut* contrahere rugas *ſenſu Vulgatus*.
2. *Cur impii dicantur* mori ante tempus *ſuum*. *Sunt immaturi, & acerbi fructus*.
3. Fluvius *quid deſignet in ſermone metaphorico*. *Res humanæ fluxæ*. Flavius *hoſtium impetus*. Aquæ *quid*.
4. Fundamentum *ad quid referatur*. *Fidei firmitas*. *Illuſtratus Salomon*.
5. *Subitus impiorum interitus*. Fundamentum *& radix pro eodem*.

1 HAEC ſententia (ut diximus) præcedentis expoſitio eſt; nam illi, qui *ingreſſi ſunt viam ſæculorum*, aut *viam univerſæ carnis*, & univerſæ terræ, ſunt omnino, qui *ſublati ſunt ante tempus ſuum*.

Sublati ſunt, Plerique poſt R. David, R. Abraham, R. Levi, R. Moſeh, vertunt, *ſucciſi ſunt*, & quamvis ſenſus idem, ſed quidem verbum originale *Kamat*, nunquã in ea ſignificatione reperitur in Sacris Litteris; cum enim tantum ocurrat in libro Iob, convenienter ibi vertitur, *Rugare*, aut *corrugare*, aut *rugas contrahere*; quã eſſe genuinam ſignificationem, ingenue agnoſcit, docetque R. Mardokai, ſimulq; aſſerit, *quod tantum apud doctores Hebræorum ſignificat ſuccidere, idque per metathesim Litterarum*, a verbo *Katam*. quam ſignificationem pulchre expreſsit Vulgatus, cum dixit, * *Sublati ſunt*, mortui videlicet ac ſi jã corrugati eſſent, ſeniq; confecti, atque exucti; quod Deus laboribus, & ærũnis immiſſis, ſenium ſimul, atq; turpes rugas immiſiſſet. qua loquendi formula videtur Eliphaz notare, ac vellicare Iobum qui cap. 16. de ſe dixerat, *Rugæ meæ teſtimonium dicunt contra me*. Quam quoque rem deplorabat David Pſal. 6. 7. *Inveteravi inter omnes inimicos meos*. quaſi dicat immaturo ſenio confectus ſum, atq; intempeſtivos canos cõtraxi, ex hoſtium meorum inſidiis, & perſequutionibus. Nõ diſplicet hoc loco Tygurina paraphraſis *Qui ariditate conſtricti ſunt in rugas*. Neſcio autem, cur Vatablus dixit; *Exterminati ſunt*.

R. David.
R. Abraham.
R. Levi.
R. Moſeh.

קמט

R. Mardok.

קטם

* A los ſenos trabajos hizo los viejos antes de tiẽpo.

Tygur.
Vatab.

2 *Ante tempus ſuum*. id eſt, ante quã explerent vitæ annos, quos ſecundum cõmunem naturæ legẽ vivere poſſent. hæc enim immaturitas, & importunitas temporis, eſt illa, *moriendi in tẽpore non ſuo* cõminatio, frequens in ſacro ſermone, vi-

Eccleſi.

Cajetan. *Tygur.*

delicet non naturalis, sed violenta mors inflicta vel a Deo judice, vel a Divinæ Iustitiæ vindice, & ministro dæmone, aut alio quovis hoste, aut casu. Quare Cajetanus aliene interpretatur *sublatos* fuisse impios, antequã fuisset eis *tẽpus evadendi*; Multo melius Tygurina paraphrasis; *Cum potuissent diutius persistere.*]

Quęstiunculę explicatio. *Gregor.*

Elegantem, & ad mores opportunam quęstionem hoc loco excitat Gregorius. *Cũ tempus vitæ a Divina nobis præscientia sit præfixum, quærendũ qua ratione iniqui ante tempus proprium subtrahantur?* cui duplicẽ videtur solutionem adhibere: *Aut quia accepta tempora, non ad fructum pœnitentiæ, sed ad usum iniquitatis vertunt, quod a Divina misericordia mereri poterant, amittunt:* Aut quia *omnes, qui præsentem vitã diligũt, longiora sibi ejusdẽ vitæ spatia promittunt, & ea, quasi in cogitatione mors superveniens intercidit.* Hæc ex ipsius Gregorii verbis constructa. sed de hoc memini me aliquãdo plura dixisse. Sed nescio quam aliam metaphoram dessumptã ab arbore, indicarunt Septuagi. legentes; *Capti sunt immaturi*, comparare nimirum videtur impios cũ fructibus quibusdam, qui ante tẽpus corrugantur, & cum videãtur externa specie mitia poma, corrugata, vitioso humore jam cõsumpto, sed immaturi nihilominus sunt, *acerbi, inutiles*; nã sub hac ipsa fructuum immaturorum translatione illos describit Sapientia. c. 4.

Impii fructus immaturi, & acerbi.

3

Fluvius metaphorice. *Gregor.* *D. Thom.* *Ecclesi. 51. 13.*

Et Fluvius subvertit. Rei, & sensui totius hujus loci nõ male cõvenit, si *fluvius* non pro vera aliqua inundatione, aquarũve copia (quanquam & de hoc dicendũ postea) sed metaphorice, & figurate accipiatur. Divus Gregor. *Quotidianum tẽporis lapsum, & præsentis vitæ mortalitatem decurrentem*, nomine *fluvii* intelligit. Divus Thomas *fluviũ* interpretatur, *cursum mutabilitatis rerum*, qui res omnes temporales, quibus inhærent impiorum animi, erodit, exedit, evertit. Hugo, *mortis fluxum* incurrentis impetu maximo in omnia ea, quæ interitui sunt obnoxia. Et vero aliquãdo dicitur mors instar fluvii *defluere*; nam & filius Sirac, *pro morte defluente deprecatus est*. videlicet ut mors, quæ vitæ nostræ fundamenta lãbit, & erodit instar fluentis fluvii, paulisper ab illo dilaberetur, & intactum, illæsumque relinqueret. Alii ex Hebręo intelligũt impiorum *fundamentum*, id est ea omia, quibus nituntur vita, ac vitæ commoda, comparari cum *fluvio*, aut torrente, qui cum celeriter effunditur, subito etiã defluit, & consumitur: nam in Hebræo proprie est

Oforius. *Cajet.* Varia lect.

Fluvius diffusus est fundamento eorum. Sed comparationem clarius expresserunt Septuagi. *Flumen decurrens fundamento eorũ.* Tygurina. *Fundamentum eorum, ut flumen defluxit.* Sed in hac figurata, & trãslatitia acceptione, multo melius *Fluvius* significabit irã Dei, scelerum vindicem. nã (ut Philippus ait,) *imminente in se ira Dei tanquam fluvii impetu stabilitas præsentis vitæ eorum subversa est.* aut etiam ingentẽ malorum, & ærumnarum exundantiũ copiã, & impetum; non aliter atq; Isai. 8. 7. hostium exercitum, omnia vastantiũ sub fluminis similitudine comminatur; *Ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes, & multas, Regem Assyriorum, & omnem gloriam ejus, & fluet super universas ripas ejus.* & iterum Isai. 59. 19. describitur immanis furor sub eadem metaphora; *Cum venerit* (hostis) *tanquam fluvius violentus, quem* (ne noceat) *spiritus Domini* (tanquã vehementissimus ventus) *cogit* (retardat, impedit). Sed de *aquarum* perinde atq; *fluminum* arcana in sacro sermone significatione nuper diximus. Nũc unico Chrysostomi testimonio homil. 25. in Matth. 7. rem claudamus: *Pluviam, & flumina, & ventos, translatione verborum, afflictiones, & ingentia hominibus pericula nuncupavit, calumnias, insidias, luctus, interitus, aliorum impugnationem, desertiones suorum, cæteraque omnia vitæ præsentis incommoda.*

Pagn. Regia. LXX. *Tygur.* Fluvius ira Dei. *Philipp.* Fluvius impetus hostium. *Chrysost.* Pluvia, & flumina.

4

Fundamentũ quid. *Philippus.* *Matth. 7.*

Subvertit fundamẽtum. id est, ea omnia, quibus spes, desideria, cogitationes impiorum innituntur, & quibus superædificant superbissimas vanitatis moles. aut ipsa vita, quæ omnium, quæ in vita sunt optimum est, atq; reliquorum bonorũ, & commoditatum initium, & fundamentũ. eleganter Philippus; *Tota vitæ eorum structura.* Sed quam infirmum *fundamentum*, quod, ut aqua, præterlabitur, & continuo motu agitatum, nunquam consistit! Quã male firmata, fundataque fœlicitas, quam fluvius abripit, diluto, atq; dissipato fundamẽto! Quam stultus impius, *Qui ædificavit domum suam super arenam, & descẽdit pluvia, & venerunt flumina, & flaverũt venti, & irruerunt in domum illam & cecidit, & fuit ruina illius magna!* Quã predixit quoque in impios, graviterq; descripsit Ezechiel. cap. 13. 13. 14. *Hæc dicit Dominus Deus, erumpere faciam* (hostes, Kaldæos, & ærumnarũ exercitum, tanquam) *spiritum tempestatum in indignatione mea, & imber inundans in furore meo erit, & lapides grãdes in ira, in consumptionem, & destruam parietem, quem linistis absque temperamẽto, & adæquabo eũ terræ; & revelabitur fundamẽtum*

ejus, & tabet, & conſumetur in medio ejus. Forte etiam infirmum, falſumque fundamentũ, quod præterfluens fluvius demolitur, & abripit, erit falſa de Divina Providẽtia, Divinoque judicio doctrina. Nã poſt doctrinam de ultimo judicio futuro, & operũ retributione, comparavit Christus Dominus eum, qui *audit, & ſervat ſermones ſuos*, cum eo, *qui ædificat ſupra petrã*, quam neque fluctus, neque venti maximi cõmovent; eum vero, *qui neque audit, neque ſervat illos*, cum eo, *qui ædificavit domũ ſuam ſuper arenam.* Ergo ſicut qui Divinę Providentiæ, atque ſanæ, veræq; de operum retributione, & præmio fidei nituntur, firmo utique, & ſtabili fundamento nituntur, ſuperædificantes vitæ ſuę ſtructuram, ſuper eam ipſam Petri, & Eccleſiæ *Petram*, ita ſane, qui Divinæ Providẽtiæ ſe ſubtrahũt, atque rectam fidem abnegarunt, nullo firmo *fundamento* nixi jactantur fluctibus, & facile illos tentationum, & calamitatum torrentes abripiũt, omnes vitæ labores, actiones, ſtructuram que univerſam ſubvertunt. obruuntque. ſicut ab Eccleſi. admonemur; *Ne dederis os tuum, ut peccare facias carnem tuam* (id eſt, Ne ſis in Divinam Providentiã blaſphemus, & injurius, ut illa negata licentioſius pecces) *neque dicas coram Angelo* (qui adminiſter, & exequutor eſt Divinę Providentiæ) *Nõ eſt Providentia; Ne forte iratus Deus contra ſermones tuos* (nimiũ videlicet adverſus ejuſmodi impios indignatur, ut qui nõ ſolum adverſus Providentiã, ſed etiam adverſus ipſam Dei naturam, univerſaque illius attributa pugnare videãtur, propterea refundit in illos fluvium ſuæ iræ, atque vindictæ) *diſſipet cuncta opera manuum tuarũ.* Vides univerſam mortalium ſtructuram, vitæque molem, ſubtracta, negatave Providentia, ruere, & concidere? nam qui operum humanorum Providentiam negat, cuncta *opera ſuarum manuũ* ipſe met profecto diſſipat, & deſtruit, vitamque ſuam univerſam labentis, & inconſtantis fortunæ fluctibus permittit.

Fundamentũ veræ Fidei.

Mat. 7. 23. 24.

Mat. 16. 18.

Infideliũ ſtructura ſine fundamento.

Eccleſi. 5. 3.

Providentię fides, vitæ fundamentum.

5 Sed notandũ, ex *ſubverſione fundamenti* ſubitam impiorum ruinam, & rerum omnium univerſam deſtructionem ſignificari, nã *everſo fundamẽto*, nihil omnino poteſt conſiſtere. ut in ruina priſcę illius ſtatuę perſpicitur, nam univerſæ dominationis, ſplendoriſque caput, atq; jugulum petiit *lapis* ille, quamvis non caput, aut supernã aliquam corporis partem, ſed *extremam* tantum *pedum* partem, nimirum baſes, & *fundamentum* univerſæ molis concuſſerit.

Vniverſarum rerum everſio ſubducto fundamento.

Daniel 2. 34.

Ingens ergo hæc fœlicitatis impiorũ ſubvertendæ comminatio; nam ſi *ſtatuam* dicas, a pedibus ad ſummum caput; ſi domum, ædificiumve aliquod, *a fundamento*, uſque ad ſummũ faſtigium; ſi *arborem*, ab imis radicibus, uſque ſummum verticẽ excinduntur, penituſque delentur. frequẽs hujus rei mentio in Sacris. Nunc illud tãtum ex Sap. cap. 4. 19. *Commovebit illos a fundamentis, & uſque ad ſupremum deſſolabuntur.* Solent autem ſimul duę hæ tranſlationes *arboris*, atque *ædificii*, ita tractari commutatis nominibus, ut fundamẽtum tribuatur arbori, & radix domui; aut ædificium dicatur plantari, aut evelli radicitus ſubverſo fundamento; rurſus dicatur arbor deſtrui, aut fundari. ut illud Ierem. 1. 10. *Vt evellas*, (exponitur deinde) *& deſtruas; & ædifices*, (per expoſitionem) *& plantes.*

Ruinæ impiorum variæ trãſlationes.

3. *Quos potiſsimũ impios hæc Eliphazi Sentẽtia perſtringat? Brevis ad AEgyptios digreſsio.*

6 *Quid ſit alluſio in Sacro ſermone. Quinque illuſtres alluſiones.*
7. *Alluſio ad AEgyptiorũ interitum in mari Rubro. Aliorum interpretationes rejecta.*
8. *AEgyptios negaſſe Divinam Providẽtiam accurate probatur ex lib. Sapiẽtiæ. Illuſtratus David.*
9. *Iniquitas AEgyptiorum. Primogenitorum plaga. Explicata Sapientia.*
10 Fluvii *appellatio etiam ad* Mare *ſe extendit in Sacro ſermone. Explicatus Habacuc, Ionas, Iſai.*
11 Fundamentum *AEgyptiorũ currus, & equites, quomodo illorum* Rotæ ſubverſæ *in mari. Illuſtratus Exodi locus.*
12 *Quatuor verſiculorum de AEgyptiis quoq; expoſitio indicata, multis Sapiẽtiæ locis illuſtratis.*

ALluſiones frequenter in Sacris litteris inveniri, nemo, qui illas attente conſideret, nõ inveniet. Alluſionem autem voco, cum rem quampiam tractans Scriptura, ea verba uſurpat, quæ rẽ ſimilem, aut in exemplũ adducere, aut in memoriam reducere, aut quoquomodo, ſed tacite, & latenter tangere videatur. Quo non minus redditur venuſtus, & elegans ſermo ſacer, quam quovis alio ſchemate, aut figura verborum, aut ſententiarum. Exempla ex multis pauca, & exempli, & luminis gratia proferamus. Pſal. 54. 16. imprecatur impiis David; *Deſcendant in infernum viventes.* Quis non videat hunc locũ reſpicere ad *Datham*, & *Abiron*, quos Num. 16. exorbuit vivos hiſcens tellus? Cum Paulus Roman. 16. 20. Precatur;

9 Alluſio quid.

Alluſiones in Scriptura frequẽtes.

Deus conterat Satanā sub pedibus vestris velociter; colludit profecto cum illo Genes. 4. *Ipsa conteret caput tuum* Quid enim est *velociter*, nisi initio, & *capite*, ac prima serpentis aggressione? Rursus cum idē Paulus de *gratia*, quæ nō cadit sub meritum, differens Rom. 9. 16. ait; *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei*; nisi hebeti, & cæco, statim occurrit Rebecca *volens*, procuransque studiosissime benedictionem paternā filio dilectionis suæ Iacob: atque velocissimus ille, diligentissimusque *cursus* ipsius Iacob, hedos ex grege referentis. Propterea ait Paulus, *non est volentis* Rebeccæ, neq; *currentis* Iacob, sed *Dei miserentis*. Cum Isaias. cap. 10. 33. adversus Assyrios prophetat disperdendos, & exterrendos cælitus, ait, *Ecce Dominator Dominus exercituum confringet lagunculam in terrore*. respiciens profecto ad victoriam illam lōge gloriosissimam,
Iudic. 7. 16. cum Gedeon *confractis laguncalis*, & prælatis luminibus, innumerabilium Madianitarum copias fudit. Cum Hamos. c. 6. 9. excidium miserandum comminans, ait, *Si reliqui fuerint decem viri, morientur*, e contrario se opposuit illi precationi Abraham Genes. 18. 32. 5. *Si inventi fuerint* (Sodomis) *decem*, &c. ut severissimam Dei vindictam indicaret. Hujusmodi nos allusiones passim inter exponendum solemus indicare. Has præmisimus, ut ad loci præsentis illustrem quandam allusionem aditum parent.

7 Ergo an etiam locus hic cum peculiari aliquo impiorum supplicio similiter colludat, & hæc *fluvii*, & *fundamenti* verba rem quampiam alterius loci, quasi proverbiali locutione in memoriam reducat
Philipp. paucis exponamus. Philippus quidem ad eos respici hoc loco indicat, qui diluvio, & Sodomis, & in eremo perierunt. Explicat Cajetanus *Fluvium* dici posse, vel
Cajetan. pluviam cælestem universæ terræ celitus affusam, vel imbrem igneum, atq; sulphureum Pentapolitanum: nam *pluit* etiam tunc *Dominus ignē a Domino*. Sed eo *fluvii*
Fluvius nunquam pro pluvia. nomine, non invenio diluvium, aut pluviam significari in Sacro sermone; nedū fulmen, aut ignem sulphureum. Ego vero ad AEgyptiorum, & Pharaonis exercitus interitum, & demersionem in mari Rubro, tanquam ad rem tunc temporis frequenti, recentique hominū memoria, atque sermone usurpatam, ad exemplum supplicii impiorum, hunc locum omnino respicere a Vers. 15. usque ad 20. non levibus suadebo cōjecturis. Qua in re prævivit sane me Chaldæus, subobscure licet,
Chaldæus.

sic legens, *Sublati sunt a sæculo ante tempus suum, in profundo fluminis effusum est corpus eorum.*

Sed per singulas particulas rem ostēdam. Primo nam locus hic de Providentia, & contra Providentiæ negatores est: 8
atqui Aegyptios illos illius seculi negasse Divinam Providentiam Sapientia testatur c. 17. 1. *Dum* (inquit) *persuasum habent iniqui posse dominari nationi Sanctæ, vinculis tenebrarum, & longæ noctis cōpedibus inclusi, sub tectis, fugitivi perpetuæ Providentiæ jacuerant*, ubi per *fugitivos Providentiæ*, non quidem *a Providentia derelictos* AEgyptios negasse Divinā Providentiam.
(ut quidam existimant) intelligere oportet, sed qui Divinam Providentiā frustra tentarent fugere, & se se, suaque omnia illi subtrahere: propterea que illam nega- Oserius.
rent. Sic Tygurina lectio aliquanto lucidior, *Ab æterna Providentia profugi*. ignari itaque, & quasi *extorres* Divinæ Providentiæ, & ab illius cognitione relegati AEgyptii, male de Deo, deque illius cōspectu, & Providentiæ oculis sentiebant: subditur enim; *& dum putant se latere in peccatis, tenebroso oblivionis velamento dispersi sunt.* id est, lethœo quodam, & lethali quasi operimento tenebrarū involuti pe- Tygur.
rierunt. Et quoniam hic Sapientiæ liber peculiariter scelera, & impunitates AEgyptiorum adversus Israelitas veræ fidei, & religionis cultores persequitur, eodem profecto referri potest, quod primo capite dicitur; *Sentite de Domino in bonitate.* quasi iniquos AEgyptiorum principes, & judices de Divina Providētia male sentientes instruere velit; propterea que subdit; Perversæ *enim cogitationes separant a Deo.* (falsa videlicet persuasio, & opino, quod Deus humana non curet, efficit hominem fugitivum, extorrem, lōgeque exulantem a Divina Providentia) *Probata autem virtus corripit insipientes.* id est, dū ipso experimento, & supplicio accepto sentitur Divina Pōtētia, & virtus, redarguuntur impii sui erroris, & vel inviti fatentur Providentiam esse scelerum vindicem. *Quare cum irritaret impius Deū dicens in corde suo; Non requiret.* ait David; Lib. Sapientiæ materia.
vides; (hic enim inter pungendum ut admonet Theodoret. *Licet infinitis modis dixerint impii, te minime res humanas inspicere, nos tamen novimus te videre*) *quoniam tu laborem, & dolorem consideras, ut tradas eos in manus tuas.* id est, pœna, & flagello illos ab ista stultitia coerces, & ad tuæ Providentiæ cōfessionem, & obsequium revocas profugos istos. *In camo* videlicet, *& fræno maxillas eorum constringis, qui nō ap-* Psal. 9. 33. Theodoret. Psal. 31. 6.

proxi-

proximat ad te. Quare ſubjungit Sapientia. cap. 16. 16. de ipſis AEgyptiis, *Negantes enim te noſſe impii, per fortitudinem brachii tui flagellati ſunt.* & Verſic. 18. *ut ipſi videntes ſcirent, quoniam Dei judicio patiuntur perſequutionem.* vide etiã. c. 18. 13.

9 Secundo nam AEgyptiis omni ex parte convenit illud *iniquitatis* nomen, quod verſiculo. 15. ſubeſt, quod diximus ſignificare dolorem, afflictionem, ærumnam, ut qui infinitis malis, & incredibilibus laboribus divexarint Dei populũ. Hos autem *iniquos calcaſſe* etiam *ſemitam ſæculorum*, id eſt, condigna morte, & ſupplicio affectos ob tantam in ſuos hoſpites, tamque immanem inhumanitatem, ut dicitur Sapientiæ, cap. 19. 16. *hos ſæviſſimis afflixerũt doloribus.* ſed iſtos quidẽ dici *ſublatos fuiſſe ante tempus ſuum*, quis non videat aperte dictum propter cædem Primogenitorum, qui *immature*, ut Septuaginta legunt, *capti*, decerptiq; ſunt ex vitæ hujus radice? nam inter ea ſupplicia, quibus AEgyptii adhuc afflicti ſunt, hoc fuit extremum, atque acerbiſsimum, quod magnifica ſane oratione deſcribitur cap. 18 *Uno momento*, (repentino exitio) *quæ erat præclarior natio illorum*, (clariſsima eorũ ſoboles) *exterminata eſt* (periit). Cum quo etiam lectio Hebraica commode aptari poteſt. *Sublati ſunt, & non tẽpus.* Quanquam & ad interitum in mari Rubro referri etiam poteſt, nam, ut ſuperius diximus, *auferri ante tempus ſuum*, mortis violentæ circumlocutio eſſe ſolet. Sed illa tandem particula, *fluvii ſubvertentis fundamentum eorum*, rem totam cõfirmat, atque ob oculos proponit miſerãdum AEgyptiaci populi interitu in mari Rubro, quod Scriptura appellat, Novum mortis genus, *populus quidem tuus mirabiliter tranſiret; illi autem novam mortem invenirent.*

10 Illud tantũ duriuſculum videtur, *Mare Rubrum* appellari *fluvium*. Certe verbũ *Nahar* fluere, aut defluere, aut affluere ſignificat, neque tantum in rivulos, ſed in magnam aquarum copiam decurrentem cum impetu, & frementem cum ingenti ſtrepitu convenit. Quod quadrat optime in mare Rubrum, eo præſertim tempore, cum demerſus eſt Pharao. nam tunc infremuit mare, intonuit æther, inſonuit furens ventus, ut indicat Habac. cap. 3. cum Dei furorem in Iordane furẽte quoque, & in mari Rubro indignãte, & fremente ad Iſraelitarum ſalutem, & AEgyptiorũ necem deſcribit: *Nunquid* (inquit) *in fluminibus iratus es, Domine, aut in fluminibus furor tuus, vel in mari indignatio tua?* & deinde, *Dedit abyſſus vocem ſuam.* Adde tunc parem Deus vicem reddidiſſe AEgyptiis, atque pro flumine, in quod exponebãt infantes, mare illis furibundum, fremebundũq; reddidiſſe, in quo demerſus eſt Pharao, ut dixit Sapientia, 19. 12. *Vexationes peccatoribus ſuper venerunt, non ſine illis, quæ ante facta erat, argumentis per vim fluminum: juſte enim patiebantur ſecundum ſuas nequitias.* Scio Vaticanam lectionem, atq; Græcam legere, *fluminũ*, non *fluminum*, ſed tamen altera quoque lectio & pervulgata eſt, & nõ omnino rejicienda. Quid, quod ipſum mare, *unda fluẽs*, appellatur a Moyſe, Exod. 15. 8. *Stetit unda fluens.* quod ſtatim repetit; *Congregatæ ſunt Abyſſi.* Sed teſtimonia proferamus clariora. Pſal. 73. 15. *Tu ſiccaſti fluvios Ethan*, quod de mari Rubro dictum nõnulli volunt, quod mare Rubrum eſſet viciniũ loco Ethan. Iſaiæ 18. 1. *Væ terræ cymbalo alarum, quæ eſt trãs flumina AEthiopiæ.* ubi per *flumina*, vero ſimile eſt indicari Oceanum, ut viri docti exiſtimant, univerſa littora AEthiopiæ pulſantem. Alii rectius Nilum, & mare Rubrum, quibus terminatur illa AEthiopiæ pars, quæ eſt in interiori AEgypto. Quanquam Cyrillus ſolum Nilum, deprẽque illius oſtia intelligat. Ionæ, 2. 4. cum dixiſſet, *Projeciſti me in profundum, in corde maris*, ſubjecit, *flumen circumdedit me.* ubi Theodoretus, *flumina, Fluctuum impetũ appellat.* Ergo cum hic dicitur *Fluvius ſubvertit fundamentum eorũ*, recte, & juxta Scripturæ familiarem ſermonem, de *mari Rubro* accipere poſſumus.

11 In quo profecto *fluvio ſubverſum eſt* AEgyptiorum *fundamentum*, illud videlicet, in quo tota illorum potentia, & contra Dei manum Providentiam auſus, temeraſq; iniqua ſuperbiebat, videlicet, magnus curruũ, equitum, equorum apparatus, & multitudo. Scriptum eſt enim, *Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei noſtri invocabimus. Ipſi obligati ſunt, & ceciderunt.* videlicet *ſubverſo* [illegible] *Pharao tulit ſexcentos currus electos, & quidquid in AEgypto curruum fuit, & duces totius exercitus*, dicitur deinde, *Dei glorificabor in Pharaone, & in curribus, & in equitibus ejus.* Videlicet, *Subvertit rotas curruum*, & *revertantur aquæ ad AEgyptios ſuper currus, & equites eorum, & fugientibus AEgyptiis occurrerunt aquæ, & involvit eos Dominus in mediis fluctibus.* Ecce *fluvium ſubvertentẽ fundamentum* AEgyptiorum, ſubverſis rotis, diſſilientibus axibus, & a proprio loco, cardineque totarum amotis; quod

Sap. 18. 12.

LXX.

Sap. 19. 5.

נהר

Fluvii nomen præcipitẽ curſum cum fremitu affert.

Mare Rubrũ fremens, demerſit Pharaonem.

Fluminis nomẽ tributum mari.

Vaticana editio.

Mare dicitur unda fluens.

Genebr. ibi Guevara, Habac. 3. ỹ. 8.

Guevara, Forſterus.

Cyrillus.

Theodoret.

Pſal. 19. 8.

Exod. 14. 7.

ỹ. 18. 25. 26. 19

Septuaginta dixerunt; *Colligavit axes currum eorum, & egit eos cum violentia*. id eſt, impedivit rotas, atque ex altera parte incitavit equos. Symmachus dixit; *Pervertit rotas*. Onkelus; *Abſtulit*.

Symmach. Onkelus.

Continens ad AEgyptios alluſio quatuor ſequentibus ſententiis.

12 SED quoniam continens videtur, perpetuaque ejuſdem ſupplicii, eorumdémque impiorum deſcriptio, uſque ad Verſ. 30. breviter reliquos percurramus, referamuſque ſimiliter ad AEgyptios, ut deinde expeditior, univerſaliorque, & ad omnes impios magis idonea expoſitio ſingulis ſententiis adhibeatur.

Verſ. 17. Qui dicebant Deo, &c.

17. Dicebant certe AEgyptii Deo, *Recede a nobis*; quaſi longe a ſe relegantes pietatis, & religionis cultum, quē in Hebræorum populo illis proponebat Deus. Quod videtur profecto reſpicere ad inſolens illud, ſuperbiſsimumq; Pharaonis reſpōſum; *Quis eſt Dominus, ut audiam vocem ejus, & dimittam Iſrael? Neſcio Dominum, & Iſrael non dimittam*. (Exod. 5. 2.) Rurſus AEgyptii, *Quaſi nihil poſſet facere Omnipotens, æſtimabant eum*. videlicet quaſi nō poſſet Deus favere ſuo populo adverſus vim, machinaſque AEgyptiorum. Quod videtur tangi Sapientiæ. 17. 2. *Dum perſuaſum habent iniqui poſſe dominari nationi ſanctæ, vinculis tenebrarum, & longæ noctis compediti jacuerant*. Nimirum ſibi perſuaſerāt, vel nullam eſſe Dei Iſraelitarum potentiam, vel, ſi quæ eſſet, nihil contra ſuas vires, induſtriamque profuturam. & favet Hebræa lectio, quæ ad verbum habet; *Quid faciet Omnipotens eis? Que les puede hazer ſu Dios?*

Verſ. 18. Cum ille impleſſet, &c.

18. *Cum ille impleſſet domos eorum bonis*. AEgyptus non ſolum fertiliſsima terra fructuum, ſed affluēs etiam auro, & argēto, bonīſque omnibus: quibus juſtiſsimo Dei judicio, atque ſententia ſpoliavit Iſrael AEgyptum, comportatis ſecum *vaſis aureis, & argenteis, veſteq; plurima*. (Exod. 12. 35.) Horum igitur ſententiam, ut qui ingratiſsimi exiſterent erga Divinam Providentiā, quæ eoſdem locupletarat, *procul a ſe*, longeque relegatam vult Eliphaz.

Verſ. 19. Videbunt Iuſti, &c.

Iuſtorum appellatio ad Iſraelitas.

19. Tandem *Iuſti* (hoc enim nomine ſæpe in libro Sapientiæ notantur Iſraelitæ captivi in AEgypto, ut in eo libro frequēter obſervavimus præſertim cap. 4. 11. 16. & cap. 10. 15. & 17. & 20. & cap. 11. 15. & cap. 12. 9. & cap. 18. 9. & 20.) *viderunt* palam conſpicuum de AEgyptiis ſupplicium, ſicut dixerat Moyſes: *State, & videte magnalia Domini, quæ facturus eſt hodie*. & iterum: *Viderunt AEgyptios mortuos ſuper littus maris, & manum magnam, quam exercuerat Dominus cōtra eos*. (Exod. 14.) Hoc viſo incredibiliter *lætati ſunt*. Tūc cecinit Moyſes, & filii Iſrael carmen hoc Domino, & dixerunt, *Cantemus Domino*, &c. (Exod. 15.) in quo cantico Pharaonis, totiuſque exercitus demerſio, non una tantū ſed mille dicendi formulis variata repetitur, quod ex nimia *lætitia* ſæpe idem aliter, & aliter replicari ſoleat. Rurſus, quod ſequitur, *Innocens ſubſannabit eos*, recte in idem Canticum Iſraelitarum de ſubmerſis AEgyptiis convenit. De quo etiā vide Sapientiæ. 18. & 19. Quare ſicut Hebræi cum Divinis laudibus, ita etiam cum hoſtium ſuorum ſubſannatione exceperunt, atque ſpectarūt illorum exitium, *Innocentes* ipſi, id eſt ſalvi omnino, atque pœnæ exortes.

Verſ. 20. Nonne ſucciſa eſt erectio, &c.

20. *Tandem ſucciſa eſt erectio eorum*, id eſt illorum ſtabilitas, & robur concidit (ſubverſo, ut diximus, fundamento. ſicut e cōtrario ipſi Iſraelitæ dixerunt; *Hi in curribus, & hi in equis, ipſi obligati ſunt, & ceciderūt, nos autem ſurreximus, & erecti ſumus*. (Pſal. 19. 8. 9.) Tandem *reliquias eorum devoravit ignis*: nā de iiſdem dicitur Sapientiæ. 16. *Præ fortitudine brachii tui flagellati ſunt novis aquis, & grandinibus, & pluviis perſequutionem paſſi, & per ignem conſummati*. Id eſt, non ſolum inſuetis pluviis (nam *imbrem* in AEgypto cernere ſicut rariſsimum, ita etiam novi miraculi inſtar habetur) ſed etiam exitialibus fulminibus, igneq; cæleſti conflagrantes. Sed jam ad ſingula nunc, minuſque ſtrictam, & anguſtam exponendi rationem veniamus.

Mela lib. 1. c. 5. AEgyptii fulminibus percuſsi.

XVII. Qui dicebant Deo; Recede a nobis: &, quaſi nihil poſſet facere Omnipotēs, æſtimabāt eum.

1. Impiorum effuſa impudentia adverſus Numen. Recedere quid proprie.
2. Deus obviam occurrens homini. Mortalium vitaque. Illuſtratus Lucas. Explicatus Paulus.
3. Verbum Faciendi in bonum. Explicatus Malachias. Iuſtorum, & iniquorum diſcrimen.
4. Facere etiam in malum. Divina Providētia ſive ex proſperis, ſive ex adverſis ſtatuitur. Antiqui varios Deos in proſperis, & in adverſis adibant. Illuſtratus Iſaias.

1 EO (inquit) ſtultitiæ, atque veſaniæ redacti ſunt, ut omnẽ Numinis cultum, venerationemque exuentes impudentiſsimi adverſus Deum exiſtant, *dicentes*, non ſolum *in corde ſuo* tacita cogitatione verum Deum, Providentiamq; negantes, ſed ore etiam impudente, (eſt enim libera, & effrenis loquutio, impudẽtiæ ſymbolum, ſicut mutum ſilentiũ verecundiæ, & confuſionis. de quo nõ ſemel diximus.) *Recede a nobis*. Abſit a nobis Dei cultus, aut religio, faceſſat Dei, Divinorumq; reſpect⁹. plena nimirum vox contemptus, atque faſtidii, *Quita alla*: nã verbum סור, non ſolum ſignificat *recedere* neutraliter, vel *declinare*, aut *divertere*, ſed active *amovere*, vel *auferre*. & quidem non ſemel quę Vulgatus vertit verbo *recedendi*, poſſumus non minus eleganter verbo *auferẽdi*, in Hiſpanum vertere. Numeror. 12. 10. *Nubes receſſit, quæ erat ſuper tabernaculũ. Quitoſe la nube.* & Numeror. 16. 26. *Recedite a tabernaculis hominũ impiorum. Quitaos de ai.* & Pſal. 118. 115. *Declinate a me maligni. Quitaos delante de mis ojos.* Sic igitur veſani, & amentes jubebant, Deum faceſſere, & ſe ſe ab illorum conſpectu auferre.

Pſal. 12. 1.

Loqui ad impudentiã, ſilere ad verecundiam.

סור

Verbum recedendi active ſumptum.

2 Vbi obſervanda eſt Dei benignitas ultro accedentis, ſe ſeque offerentis illorum oculis, ac menti: Nam contrarium verbi originalis *Recedẽdi*, eſt tenere ſemel cœptum iter, atq; in eadem via inſiſtere, & pergere. Ergo vel inviti fatentur Deũ ultro ſe ſe illis prębere obvium, & in illorum mentem atque cogitationem incurrere, clamare poſt illos, *ſubſequi, perſequi*, inſiſtere. Sic eodem verbo originali dicitur 2. Reg. 2. 21. *Noluit Aſael omittere, quin urgeret eum.* quod propr. legitur, *Noluit recedere ab illo.* & iterum. *Recede, & noli me ſequi.* quod in originali tantum eſt, *Recede a me.* Sic igitur non vult recedere Deus, *urget a tergo, ſequitur*. Ergo cum dicebant, *Recede a nobis*, perinde refert, ac ſi dixiſſent, *Recede*, aut diverto, nõ ſolum de via, quam nos tenemus, atque libere nos permitte *ingredi vias noſtras*, (quo indicatur vitæ genus impiorum omni ſcelerum labe, atque Numinis, & pietatis oblivione corruptiſsimum, Dei præſentiam averſantium & faſtidientium) ſed etiam, Noſtram regionẽ deſere, alio cõcede, nihil eorum, quæ ad nos pertinent, contingas. Vrgent igitur etiam ipſi Deũ, *ut recedat*, ſicut cum AEgyptii *Vrgebant populum exire de terra velociter.* atq; Pharao ipſe dicens, *Egredimini, ſurgite, ite.* Sed ſi quando, ut impii ardentibus votis expetunt, *Recedat* ab illis Deus, quid illi ſ reliquum, quam extremus interitus? *Recedet* enim ab *eis omnia præſidium*, omnis vitæ, & bonitatis fons, & *longe fit ab ill ſalus*. Niſi forte (ſi ſuperis placet) exiſtimẽt ſibi ipſis ſemet ſufficere, ac ſine Deo & eſſe, & vivere, ac fæliciter eſſe, & vivere poſſe. Hi ſunt ſane illi *alienati*, ſive, ut Hieronym. * *abalienati a vita Dei per ignorantiam Dei, quæ eſt in illis*. qui omnẽ Numinis, ac religionis mẽtionem abalienato, intenſo, & faſtidienti animo excipiũt. Vide, quæ ſupra cap. 21. Verſic. 14. diximus, ſuper id, *Recede a nobis, & ſcientiam viarum tuarum, &c.*

Pſal. 22. 6.

Actu. 14. 16.

Exod. 12. 31. 32.

Num. 14. 9.

Pſa. 118. 155.

Epheſ. 4. 18.

* Gente enfadada, y delabrida cõ Dios y q̃ no atroſtrã, a querer verſe cõ el.

3 *Et, quaſi nihil poſſet facere Omnipotẽs, æſtimabant eum.* Vulgatus per paraphraſim illuminavit ſententiam, nam in Hebræo, ut brevis, ita obſcura habetur, *Et quid operabitur Omnipotens eis?* quaſi aliud diceret, quod dicebant *defixi in fecibus ſuis: Non faciet Dominus bene, & non faciet Dominus male.* id eſt nulla eſt Providentia Numinis, quæ bona bonis, malaq; rependat malis: Deus neque timendus, neque diligẽdus. Et quidem verbum *faciendi*, aut in bonum, aut in malum indifferens eſt, quanquam in bonum accipi ſuadere poteſt adjunctum nomen, *Omnipotens, Saddai*, quod ſonat bonorum omnium uberrimũ fontẽ, & promptuarium refertiſsimum. Cum quo ſenſu recte cohæret, quod ſequitur *Cum ipſe impleſſet domos eorum bonis.* Sẽſus ergo erit, Non plus fieri ab impiis Deum, & religionem, quam rem omnino infructuoſam, inutilem: Nam quem (inquiunt) fructum capere ex Deo poſſunt homines divitiis, atque temporalibus bonis parandis, fruendiſque intenti? quærunt nimirũ bona temporalia, quæ videri poſsint ad fruendum: neque ſpiritualia, futurave curãt. Hæc enim eſt illa vox *multorum*, imo infinitorum ſtultorũ vox una, *Quis oſtendet nobis bona?* quod idem illi apud Malachiam. cap. 3. dicebant: *Vanus eſt, qui ſervit Deo* (eundem indonatus recedet, nullo accepto ſui laboris præmio: *Vanus* videlicet, qui finem non conſequitur) *& quod emolumẽtũ, quia cuſtodivimus præcepta ejus?* Quibus reſpondet Deus ipſe, *Convertimini, & videbitis, quid interſit inter juſtum, & impium, & inter ſervientem Deo, & non ſervientem ei*. Videlicet non ex differentia temporalium bonorum æſtimandi juſti, aut impii, neque ſolum penes pręſentia bona, aut mala ponderanda, & æſtimãda eſt Divina Providentia, quod bona temporalia bonis; & mala temporalia malis immitat, ſed ex futuris bonis, aut malis, &

Sophon. 1. 12.

Facere ad bonum, & ad malum cõmune.

LXX.

Oſorius.

Stultorũ vox, & vera.

Pſal. 4. 6.

Impii utilitate ſervientes.

ex diver-

ex diverſitate, & diſcrimine ſortis futuri judicii. quam diverſitatem deſcribit ſtatim Malachias initio cap. 4. ſequentis. Vide quæ diximus ſup. c. 21. Verſ. 16. n. 4.

4 Philippus. Sed tamen non in bonum, ſed in malū debere accipi verbum *faciēdi*, veroſimilius videtur, quo etiam ſenſu Philipp. & antiquiores interpretãtur: nam familiari Hebraiſmo ſolet in malum accipi pro nocere, ut infra Iob. 35. 6. *Si peccaveris, quid ei nocebis?* proprie, *Quid facies ei?* Noſtrates quoque, verbo *faciēdi* rem candem exprimunt: *No hazen mas caſo del, que de quien no les puede hazer nada.* Sequentia quoque cum hoc ſenſu recte cohærebũt. Sed magis liberum erit utrovis modo accipere cum Græcis, quorum lectio etiã, ſicut Latina, indifferens eſt ad utrumvis; *Quid inducet nobis Omnipotens?* Atque ex utroque Divinam Providentiam, atque Potentiã, non Sacræ ſolum, ſed & prophanæ litteræ commendant. nam Aratus Poeta in Phænom. eo ipſo loco, cujus teſtimonio Paulus utitur, poſtquã dixerat, *Nam genus illius ſumus*, ſubjungit; [*Aratus. Act. 19. 28.*]

Atque illum ſemper primum, extremumque precamur;
Salve mire pater, qui ingentia commoda præbes.

Neque ſolum commoda, ſed pœnas etiã, atque omnes vitæ incommoditates ab illius Providentia, & vindicta diſpẽſari ſignificavit Homerus, cũ duo illa dolia bonorum, & malorum in Iovis limine conſtituit. [*Homer. 22. Illiad.*]

Dolia quippe duo poſita ſunt in Iovis limine,
Bonorum, quæ det, malorum, alterum autem bonorum.
Cui quidem cõmiſcens dederit Iupiter gaudens fulgetro.
Interdum quidem malo incedit, interdum autem bono;
Cui vero ex triſtibus dederit, culpabilem fecerit:
Et ipſum mala triſtia ſuper terra diu impellunt:
Ambulat autem bonoratus neque Deo, neque hominibus.

Iſai 45. 7. *Ego* (inquit) *ſum Dominus, & non eſt alter formans lucem, & creans tenebras, faciens pacẽ, & creans malum.* Neque mirum, quod hoc loco ad ſuperſtitionẽ gentium reſpiciatur, qui non eoſdem in proſperis, quos in adverſis adibant Deos. In proſperis quidem Solem, Iovẽ opulentum, Minervam, Mercurium, Apollinem: hos omnes quaſi lucis, & ſecundarum rerũ largitores. At in adverſis Tellurem, & Neptunũ, & alios malorum depulſores, noctũ multum pollentes, quaſi tenebrarum ipſi Domini, atque noctis potentes eſſent. Tangit rem hanc Hippocrates lib. de Inſomniis, Athenæus libr. 11. Lilius Gyrald. Syntag. 1. Ergo ſe Deum *lucis, & diei*, atq; noctis & tenebrarum, tum ſecundarum, tum adverſarum rerũ ſupremum diſpenſatorem, omni falſorum Numinũ ſuperſtitione remota, coli vult. [*Deus bona, & mala diſpenſans. Diei, ac proſperitatis Dii; Noctis, & ærũnaru patroni. Hippoc. Athenæus. Gyrald.*]

XVIII. *Cum ille impleſſet domos eorum bonis, quorũ ſententia procul ſit a me.*

1. Deus bonorum etiam temporalium fons uberrimus. Particula & affirmans. Explicatus Salomõ, & Ieremias.
2. Mortalium ingratitudo adverſus Divinam munificentiam.
3. Bonum tum ad externa, tum ad animi lætitiã referri. Explicatus Lucas, & David. Nili inundantis menſura in templo repoſita.
4. Sententia, & conſilium impiorum. Ironia. Impiorum conſilium.

1 Oportet quidem eos, qui tẽporalium bonorum parandorum cura, & ſtudio tanguntur, Deũ bonorum, malorũq; diſpẽſatorẽ venerari, & colere, ut a quo bona acceperint, a quo auferri illis poſſint; niſi gratos ſe Divinæ Munificentiæ præſtiterint. quem nexum hujus ſententiæ, cum præcedente eleganter indicavit Philippus; *Cur non timuerũt, ne propter peccata ſua auferrentur eis eadem bona, quæ ille præſtiterat?* Nicet. ait notari hoc loco ingratum impiorum animum, ſimul etiã ingratitudinis pœnam; atque illos mala perpeti, propterea quod bona Deo accepta, minime referant. Ergo (inquit) *cũ ille impleſſet*. In originali, *& ipſe implevit*. affirmationem habere videtur, aliquando enim particula, *&*, idem valet, quod *certe*, ut. 3. Reg. 18. 14. *Vade, & dic Domino tuo, Adeſt Elias, ut interficiat me.* In Hebræo. *&* (certe) *interficiet me.* Sic hoc loco, *& implevit*, utique ille implevit. Eleganter Septuaginta, *Ille vero implevit*. Primã bonorum omniũ ſcaturiginem deſignat, & inexhauſtum promptuarium bonorũ omnium, ſicut Sapientia de ſe teſtatur, *Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet ſalutem a Domino.* Eſt enim *haurire*, quaſi ex refertiſsimo promptuario, id eſt ex Divina liberalitate, & munificentia vitam incorruptibilem, & fęlicitatem ſempiternam accipiet. Quod in Hebræo legitur, [*Nexus cum præcedẽtibus. Philipp. Nicetas. [Part]icula. Et, affirmans. LXX. Prov. 8. 35.* פיק]

Pag. Regia. *Educet, quod voluerit a Domino.* Quam inexhauſtam vitæ, & commoditatum omnium affluentiam, ſponte in nos incurrẽtem indicavit lectio Septuaginta; nã pro
LXX. eo, quod nos habemus; *Inveniet vitam*, illi habẽt; *Egreßiones meæ, egreßiones vitæ*; videlicet Divina bonitas, quamvis ſumma
Divina Bonitas ſponte in homines affluens. bonorum omnium cõgregatione in ſe refertiſsima, non ſibi tantum ea continet, quin illa in mortales refundat, & etiam in eos, qui hauriendi obliti ſunt, magnam ſemper copiam derivet. Sicut Ieremiæ. 18. 14. dicitur; *Numquid deficiet de petra agri nix Libani, aut evelli poſſunt aquæ erũpentes, frigidæ, & defluentes? quia oblitus eſt*
Divinæ munificentiæ ſimilitudo. *mei populus meus?* Comparat ſe nimirum Deus optimus cum Libano nivibus cooperto, ſemper in agrum ſubjectum deſtillantibus, & per montium rimas percolatis, quæ omni fertilitate, & optimorum fructuum copia implent tellurẽ adjacentem. Tum etiam & cum perennibus fontibus, quorum ſcaturigines, & defluxus impediri non poſſunt.

2 Sumitur autem ingens Divinę ubertatis, & bonitatis amplificatio, ex mortaliũ
Mortalium ingratitudo. Gregor. ingratitudine. *Malorum* (inquit hoc loco Gregorius) *domos Dominus bonis implet, quia etiam ingratis ſua dona non denegat, ut aut bonitatem conditoris erubeſcant,*
Quorſũ Deus ingratis beneficia conferat. *& ad bonitatem redeant, aut redire omni modo contemnentes, inde illic gravius puniãtur, unde hic & bonis Dei largitionibꝰ mala reddiderunt; ut duriora eos tũc ſupplicia puniãt, quorum hic malitiam nec dona vicerunt.* Vide in hanc ipſam rem Divinę Munificentiæ, atque humanæ ingratitudinis, diſſe-
Seneca. rentem Senec. lib. 7. de Benefi. c. 31. & 32. *Dii omnium rerum optimi auctores, qui beneficia ignorantibus dare incipiũt: ingratis perſeverant. Nihilominus tamen more optimorum parentum, qui maledictis ſuorum infantium arrident, nõ ceſſant Dii beneficia congerere de beneficiorũ auctore dubitantibus. Non*
Magni animi index. *eſt magni animi dare, & perdere; at hoc eſt magni animi, perdere, & dare.*

3 *Impleſſet bonis.* Non ſolum (inquit) implevit eorum promptuaria optimorũ fru-
Pſal. 143. 14. ctuum copia, ut *eructarent ex hoc in illud*,
Act. 13. 16. ſed etiam *implevit illorum corda lætitia*, & jucunditate. nam nomen *boni* hæc omnia comprehendit. quod Actuum. 14. *Cibi &*
Bonum, quid afferat. *& lætitiæ*, nominibus exprimitur. quaſi diceret; Vel hoc ſolum Divinæ beneficientiæ teſtimonium ſuadere illis potuiſſet, veram de Divina Providentia opinionẽ,
Argumentum Providẽtiæ. & religionem. Quam eodẽ ipſo argumẽto ſuadebãt Lyſtris Barnabas, & Paulus, inter alia de Deo ſic prædicantes: *In præteritis generationibus dimiſit omnes gentes ingredi vias ſuas, & quidem non ſine teſtimonio ſemet ipſum reliquit benefaciens de cælo, dans pluvias, & tempora fructifera, implens cibo, & lætitia corda noſtra.* Quare precatur Da-
[illegible] qui eſt de Providẽtia illuſtratus. vid, ut Deus ſe cunctis Deum oſtendat, benefaciendo omnibus, & implendo domos eorum bonis: *A fructu* (inquit) *frumenti, vini, & olei ſui multiplicati ſunt.* Id eſt, Multiplicentur, o Deus; forte prolixa tua liberalitate illos lucritacies: id quod mihi erit ingenti lætitiæ, ut cognoſcaris ab omnibus. Propterea enim addit; *Dediſti lætitiam in corde meo*, quaſi ab
Pſa. 4. 8. & 9. eo tẽpore, ex quo illos cumulaſti bonis, ne excuſationem ullam habeant ſuæ infidelitatis, dicendo; *Quis oſtendit nobis bona?* Quãquam ſimul etiam hoc Pſalmo notet David impiorum ingratitudinem, qui cũ *a fructu frumenti, vini, & olei multiplicati ſunt*, id eſt, omnigenis terrę fructibus fruãtur; *etiam in manibus ſuis Dei munera ferentes, & magnifice* (ut Theodoretus ait) *e-*
Theodoret. *jus bonis ſe delectantes, conditorem tamen, & ejus Providentiam non agnoſcunt.* Docet enim hic Pſalmus Providẽtiam, expoſitore eodem Theodoreto. Certe illi melius, quamvis unius, verique Dei ignorantes, ſed grati tamen animi affectatores, qui exundantis Nili menſuram altitudinis cubitorum, in Serapis templum ſingulis annis deferebant. Sed qua id animi perſuaſione non omnino certũ. Certe poterant
Ægyptii deferentes mẽſuram Nili exundantis in templum ſuæ fertilitatis, ac proventuum terræ mẽſuram Deo acceptam referre, qui illorũ domos, Nili inundatione, bonis omnibus impleret. Conſtantinus Imperator piiſsimus non jam in Serapidis templo, ſed in
Conſtantini decretum. Chriſtianorum Eccleſiis, vero Deo bonorum omnium largitori apponi & conſecrari menſuras illas juſsit. Auctores
Caſſiodorus in Tripart. Ruffin. ſunt Caſsiod. lib. 2. cap. 18. & Ruffinus in append. lib. 2. ad Euſebii hiſtoriam. Illius verba non prætereunda; *Quoniam moris erat in Ægypto, ut menſura aſcendentis Nili fluminis ad templum Serapis deferretur, velut ad incrementi aquarum, & inundationis auctorem, ſubverſo ejus ſimulachro, ulna ipſa, id eſt aquæ mẽſura ad aquarum Dominũ cœpta in Eccleſias deferri.*

4 *Quorum ſentẽtia.* In Hebræo, & in Græco exprimitur; *Impiorum conſiliũ.* Sed eleganter Vulgatus dixit; *ſententiam*, ut indicaret falſam tum humanarum, tum Divinam rerum exiſtimationem, & conſiliũ de neganda, aut fugienda Divina Providentia; & ut aliquantulum variaret a ſimili loquutione ſup. c. 21. Verſ. 16. *Procul ſit a me.* Septuagin. *Lõge eſt ab eo.* Sed

duarum

duarum istarum lectionum triplex interpretatio. Prima Græcorum, ut illius relativi antecedens Deus sit, in hanc sententiam; *Quæ consilia illi ineunt, longe absunt a Deo.* ita ut consilio Divinæ Providentiæ de locupletandis impiorum domibus opponat ingratissimorum mortaliũ consilia longe a Dei Providentia, & cultu aliena. Secunda, ut referatur ad Iob, ita ut Eliphaz maligne repetat ea ipsa verba, quæ cap. præcedẽti vers. 16. dixerat Iob; *Consilium impiorum lõge sit a me.* quasi Iob verbo, & specie tenus, non re ipsa impiorum consilium, & vitæ decretum improbarit, ut his etiam verbis blasphemiæ, & impietatis Iobum accuset: *Num poteris dicere te non sentire cum improbis, cum tu, ut ipsi, Providentiam Dei tollas?* Tertia, & simplicissima, ut hęc sint ipsius Eliphaz verba, quibus se ipsum commendet, ut qui potiori jure, quam Iob, ac multo verius possit asserere, se toto cęlo ab impiorum sentẽtia dissidere. Vide similẽ locũ c. præcedente.

Maligna repetitio.

Vatab.

XIX. *Videbunt justi, & lætabuntur, & innocens subsannabit eos.*

1. Videre *quid denotet in Sacro sermone. Pertinet ad exemplum omnibus conspicuum. Principum publica peccata publico supplicio affecta.*
2. *Quid* Paradigma *apud Græcos. Publica supplicia ad exemplum. Tres causæ sumendi supplicii de aliquo scelere. Illustratus Moyses, & Zachar.*
3. *Proponitur quæstio de* Lætitia Iustorum, *cum vident improborum exitium. Rejiciuntur quinq; responsiones. Illustratur David.*
4. *Sexta & vera responsio. Iustos lætari impiorum suppliciis, propter Divinæ Iustitiæ, & Providentiæ honorem. Explicatus Moyses, & Sapiens.*
5. Innocentis *nomen de Noe.* Subsannatio *ad infælicem impiorum exitum.*
6. Innocens *active, aut passive pro pœna, aut pro culpa. Explicatus Moyses, & Samuel.*
7. Subsannare *quid proprie. Quid* sanna, *aut* sannio. *Apertio oris & distensio labiorũ ad subsannationem. Illustratus David.*
8. *Qua ratione Deus, & Sancti dicantur subsannare impios. Scripturæ regula.*

I OMnia nunc parumper in vita confusa; & permista, *atque in futurũ servatur incerta*: sed exitus probabit rectissima justorum cõsilia, impiorum vero stulta, & aberrantia fuisse. Illi igitur, qui recte de Deo, deque Divina Providentia senserint, expectent parumper; non enim tamdiu durabit impiorum fælicitas, quin sui sæculi multi oculati testes, & spectatores infælicissimi exitus futuri sint. *Videbunt.* Rem videlicet, quam avide expectant, ut nullus deinceps pios pungere possit Divinæ Providentiæ criminandæ aculeus; nulla *æmulandi malignãtes* cupido. *Videbunt* etiã; quod ad certitudinem pertinet, atque firmitatem dogmatum de Divina Providẽtia, & de impiorum suppliciis, atque piorum præmiis. *Videre* itẽ, ad rem omnibus cõspicuam, & in publicũ exemplum omnibus propositam referendum est; præsertim cũ Principum, potentissimorumq; virorum peccata publico, illustrique supplicio afficiuntur, ut cæteris bene sit vivendi disciplina. Sicut ad Davidem dictum est. 2. Reg. 12. 12. *Tu fecisti abscondite, ego autem faciã verbũ istud in conspectu omnis Israel, & in conspectu solis hujus.* nimirum ut *videant justi, & lætetur.* Simils omnino locus Numer. 25. 4. cum punitur populus pro peccato fornicationis cum filiabus Moab; *Tolle cunctos Principes populi, & suspende eos contra solẽ in patibulis.* q. d. in oculis Solis, ut qui publico munere fungebãtur, ac publice peccarãt, publico affectos supplicio Sol omnibus cõspicuos redderet. Sept. dixerunt, *Paradigmatison*, quod elegãter in Vaticanis vertitur: * *Ostẽta eos Domino contra Solẽ.* quod Latine diceretur: *Exemplum ede Domino contra Solem.* Augustini interpretationem q. 52. super Numeros, adhibeamus illius verbis; *Id est, palam in conspectu lucis hujus: nam Græcus ait, Paradigmatison, quod dici posset exempla* (videlicet, ut verbũ sit imperandi, non nomen) *quia Paradigma exẽplum dicitur.* Sed exemplum hoc ideo *cõtra Solem* poni, ut ab omnibus conspiciatur, eadem profecto ratione factũ videtur, qua *amphora* illa visa Zachariæ vati, qua Iudæorum peccata, & suppliciũ, mutuo sibi in mensura respondentia cõtinebantur, delata est Babylonem, *ut ibi stabiliretur, & poneretur super basim suã.* id est, ut pœna, atq; captivitas Iudæorum in publico loco, quemadmodum statua, super columnam aliquam, aut basim erigi solet, ut videri ab omnibus, etiam lõge remotis facilius posset. *Videbunt* igitur *justi*, quod cõspicuum omnibus, etiam impiis futurũ erit, tanquam *exemplum*, & *paradigma.*

Eccles. 9. 2.

Psal. 33. 1. Videre ad certitudinem.

Videre, quod in publico est ad universorũ exemplum.

LXX.

* Que les de el Sol, para q̃ los vea Dios, y todo el mũdo.

August.

παραδειγμάτισον

Zachar. 5. 11.

Cur Amphora posita supra basim.

Verum enim vero, ut ad illud iterum *Principum populi* paradigma respiciã, certe hæc erat inter præcipuas causas vindictæ de aliquo scelere sumendæ, quas ex Tauro Philosopho, in primo commentariorum in Gorgiã Platonis, Aullus Gellius transtulit in suum librũ sextum c. 14. *Puniendis* (inquit) *peccatis tres esse debere causas existimatum est: Una est, quæ Paræ-*

Taurus Philosophus.

Aul. Gell.

Tres causæ sumẽdi supliciũ de sontibus.

nesis,

παραίνεσις

τιμωρία

παράδειγμα

neſis, dicitur, cum pœna adhibetur caſtigandi, atque emendandi gratia; altera, quam Timoriam appellant, cum dignitas ejus, in quem eſt peccatum, tuenda eſt, ne prætermiſſa animadverſio contemptum ejus pariat, & honorẽ levet. Tertia, quæ Paradigma a Græcis nuncupatur, cum punitio propter exemplum neceſſaria, ut cæteri ſimilibus a peccatis, quæ prohiberi publicitus intereſt, metu cognitæ pœnæ deterreantur. Idcirco veteres noſtri exempla, pro maximis, graviſsimiſque pœnis, dicebant. Et quidem Sapiẽter Sextus ille Cæcilius juris prudentia clarus, de ſeveritate legũ differens; *Acerbitas* (inquit) *ulciſcendi maleficii, bene, atq; caute vivendi diſciplina eſt.* Ergo quod *Videndum* proponitur, *paradigma*, atque exemplum cæteris, ipſis vero impiis, maximam, graviſsimamque pœnam eſſe oportet.

Exemplum de ſupplicio graviſsimo.

Cæcilius apud Gell. lib. 2. c. 1.

3 *Et lætabuntur*. Gaudebunt, exultabũt, ovabunt. Sed quæ nam juſtis lætandi, & exultandi materia? Præceptum enim eſt Proverb. 24. 17. *Cũ ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas in ruina ejus, ne exultet cor tuum.* nam, ut Gregorius hoc loco ſcribit; *Iuſti cum injuſtos errare conſpiciunt, de errore pereuntium lætari non poſſunt. Si enim gaudent erroribus, juſti non ſunt. Rurſum ſi dicimus, quod perfecto gaudio exultare juſti poſſunt de morte pravorum, quale eſt in hoc mundo gaudium de ultione peccantiũ, in quo adhuc incerta eſt vita juſtorum?* Reſpondet itaque huic dubitationi Gregorius lætitiam hãc juſtorum ad futurum judicium referendam, futuramq; impiorum damnationẽ: *Nunc* (inquit) *juſti reprobos aſpiciunt, & gemunt; tunc aſpiciunt, & ſubſannant, quia eos exultando conſpiciunt, quos modo, nec ſine gemitu iniqua perpetrantes, nec ſine metu vident pro iniquitate morientes.* Vtile Gregorii reſponſum: ſed ſi nimiũ prematur, non valde ſatisfaciet dubitantium argutiis: nã de temporali impiorũ ſupplicio concipit etiam juſtus lætitiam, ut Pſal. 57. 18. 11. Dicitur; *Lætabitur juſtus, cũ viderit vindictam: manus ſuas lavabit in ſanguine peccatoris, & dicet homo, Si utique eſt fructus juſto, utiq; eſt Deus judicans eos in terra.* Id eſt, Divina Providentia etiã in hoc mundo premio aficiens juſtum, morte, & ſupplicio impium, præbet utraque ex parte juſtis uberem lætãdi materiam. ſic Auguſtinus neceſſario exiſtimat intelligi eo loco vindictam, *non illam futuram.*

Cur Iuſti lętentur in ſupplicis impiorum.

Gregor.

Prima Gregorii reſponſio.

Iuſtus gaudẽs de temporali impiorũ ſupplicio.

Auguſt.

Secunda reſponſio Philippi hoc loco; *Cum juſti de illis* (impiis pereuntibus) *dolere cœperint, de ſe lætabuntur.* Hieronym. quoq; Pſal. citato: *Quia quando illi damnãtur in pœnis, iſti lætantur in præmiis.* & fere eodem modo D. Thomas; quod ſe videãt *non punitos ſimiliter.* Claudicat item hæc reſponſio, nam lætitia ad ipſa impiorum ſupplicia progreditur; ſicut colligitur ex loco Threnorum. 1. 21. *Adduxiſti* (adduces) *diem conſolationis* (gaudii, & lætitiæ mihi, quando) *fient ſimiles mei.*

Secũda Philippi reſpõſio.

Hieron.

D. Thom.

Reſpõſio mutila.

Tertia precedenti ſimilis Theodoreti, ſuper Pſal. 57. *Gaudebit virtutis ſtudioſus, cum malitiæ operariũ ſuppliciis affectum videat, nõ illudendo illis, ſed perſpiciendo Divinam Providẽtiam, nolentem deſpicere ab illis injuria affectos.* Lætatur igitur juſtus propter pauperum ſalutem, & protectionẽ, quæ ex Tyrannorum interitu redundat. Sane. Sed quis etiam non dicat ceciniſſe populum univerſum, præcinente Moyſe, canticum lætiſsimum ex ipſo AEgyptiorum interitu?

Tertia ſolutio Theodoreti.

Objectio.

Quarta aliorum: *Gaudendum, cũ Deus caſtigat* (impios) *virga correctionis, ut emẽdentur.* ſic dicebat Paulus; *Gaudeo, nõ quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam.* Sed quidem non de eo ſolũ ſupplicio, quod ad correctionem; ſed de eo quoque, quod in contumaces impios extremam fit, dubitatio præſens eſt.

Hug. ſuper Pſ. 57.

2. Cor. 7. 9.

Quinta Hilarii, qui eũ Pſal. locũ ad juſtos judices referendũ intelligit; *Lætitia* (inquit) *juſti eſt, cum viderit vindictam; quia peccatoribus puniendis deductum ſe per Angelos in æternam requiẽ lætatur.* Hæc quoq; exponendi ratio, præterquã quod ſit anguſta, non magis judicem a proximi dãnationis, & ſupplicii compaſsione, & ſenſu eximere debet, quam quemvis alium.

Quinta ſolutio Hilarii.

Iudicum præmium pro impiis punitis.

Iudex compatiens dãnatis.

Sexta denique, ut cõmunis, ita & germana & vera, aſſerit *lætitiam* hanc ex Divinæ Providentiæ honore, Dei gloria, & triumpho in ſuorũ hoſtiũ interitu reportato, ex Divinæ Iuſtitiæ veritate, & celebritate apud univerſos mortales concipi in juſtorum animis. *Placet enim* (inquit Philip.) *juſtis Dei juſtitia.* vidẽt rurſus Dei dignitatem, & auctoritatem cõmendari vindicta ſcelerũ. quod potiſsimũ a Moyſe in Cantico celebratũ fuiſſe, vel ipſa verba prima aperte oſtendunt: *Cantemus Domino, glorioſe enim magnificatus eſt.* Sapiẽtia quoq; c. 18. 20. teſtatur fuiſſe propriã illius Cantici materiam Divinas laudes; *Ideo decantaverunt Domine Nomen ſanctum tuum, & victricẽ manum tuã laudaverũt pariter.* Quare quamvis juſtus, ut perſona privata, nõ habeat in impiorũ ſuppliciis, & interitu peculiarem lętandi materiam, neq; rationẽ; at, ut Theologice dicã, quaſi Divinæ Iuſtitię defenſorem & Divinæ voluntatis ſtudioſum, atq; obſequentem

Sexta germana reſponſio.

Philipp.

Exod. 15, 1.

Propria materia Cantici Moyſis.

præbet, & qua ſe Iuſtitiæ Divinæ, & efficaci voluntati damnandi impios conjũgit, ex Deo ipſo ſumit, atque in illius voluntate invenit rationẽ jucundiſsimã volendi impiorũ vindictam, atq; lætandi, & gaudẽdi in illorũ ærumnis, & ſuppliciis. De quo aliquando diximus, cum de Prophetarum, & ſanctorum hominũ imprecationibus propheticis adverſus impios diſſereremus. *Propheticæ imprecationes.*

5 *Et innocens ſubſannabit eos.* Græci utrãque hujus ſententiæ partẽ ad irriſionẽ, & ſubſãnationẽ referũt; *Vidẽtes juſti riſerũt, & inculpabilis ſubſannabit*. niſi *ridere*, non pro *irridere*, cũ Niceta, sed pro *lætitia* cũ noſtro Interprete accipias. *LXX. Nicet.* Accipiũt autẽ Hebræi locum hunc de Noe, atq; illius familia, illũque, appellari *innocentem* proprio quaſi cognomine; *impios* vero eos omnes, quos diluviũ obruit, quorũ infeliciſsimũ interitũ cũ ſumma voluptate *videndum* dederit Deus Noe, atq; illius filiis, ut qui, juxta id Iſaiæ, 66. 24. *viderent cadavera virorum, qui prævaricati fuerũt in Deũ.* & qui forte ſubſannabatur ab incredulis, *cum fabricaretur arca*, jã ipſe incolumis, & ſoſpes, arce, imo Dei beneficio, ſubſannabat profligatos illos ſanniones. *Hebræorum interpretatio. Noe cognomento innocens. 1. Pet. 3. 20.* Cæterum præſtat vel de AEgyptiis accipere, ut ſupra indicavimus, vel in univerſum AEgyptiorum nomine, quoſvis impios, per *innocentẽ* vero, juſtum, quẽvis intelligere, qui cum ſpes omnes ſuas in Deo collocet, ſecurus tandem, & incolumis evadat, cõtra quã impii, qui cum res ſuas omnes bene fixas, firmaſq; arbitrantur, ſpe tandẽ cadũt, & miſerando exitu concluduntur: nã hujuſmodi *ſubſannatio* in exitum infelicẽ cõvenire ſolet, ut illud Prov. 1. 26. *Ego quoq; in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo vos, cũ vobis id, quod timebatis, advenerit, cũ irruerit repentina calamitas & interitus, quaſi tempeſtas ingruerit.* Ante exitum enim omnia incerta, & dubia. *Germanior expoſitio. Subſannatio de infælici exitu.*

6 *Innocens.* Proprie *purus, mundus*, vacuus culpa, innoxius, quod in Sacro ſermone non ſolũ refertur ad culpæ munditiẽ, ſed etiã ad immunitatem pœnę. q. d. qui cũ a culpa mundus eſt, etiam extremo illi ſupplicio nõ eſt obnoxius, *ſubſannabit impios*, ut culpę, ita pœnę, & ſupplicio obnoxios. Sic Exod. 34. 7. *Nullus apud te per ſe innocẽs eſt.* id eſt, improbũ neminem relinquis impunitum. Et eiſdẽ fere verbis Num. 14. & 2. Reg. 14. 9. *In me, Domine mi Rex, ſit iniquitas* (id eſt pœna, & ſuppliciũ) *& in domo patris mei, Rex autẽ, & thronus ejus ſit innocens.* id eſt pœnæ exors. q. d. Te deſidero, & volo incolumẽ, quãvis ego affligar, & puniar. *נקה Innocẽs culpæ, & pœnæ.* Quare *innocens* in Sacro ſermone, non ſolum ſumitur active, pro eo, qui nemini nocet, ſed etiã paſsive pro eo, cui nemo nocet; Sic enim quod Nu. 5. 19. dicitur; *Nõ te nocebunt aquæ iſtæ amariſsimæ*, proprie legitur; *Innocẽs eris ab aquis iſtis amariſsimis.* Septua. *Innocens eſto ab aqua argutionis.* Quod Latine diceretur, *Innocuũ*, active etiã, & paſsive, nõ malis auctoribus. *Innocens active, & paſsive. Num. 5. 19. & 20. Innocuus Latine. Servius lib. 2. Aeneid.*

Subſannabit. Cũ ſanna, & irriſione multa excipiet infæliciſsimum impiorũ exitũ. *Subſannandi*; verbum Hebræis affert geſtum, qui fit ore, labiis, & ficta balbutie: ſive quod balbutientes irrideri ſoleãt, ſive quod irriſores balbutiant, per cõtemptum, & per malignam imitationem, cum alios irrident. *לעג* Sanna autem Latinis, non ſolum a geſtu oris, & labiorum, ſed etiã a narium ſonitu dicta eſt, ſicut a Satyrographo ſcribitur; *Sanna cũ geſtu oris, & ſonitu narium.*

I nũc, & dubita, qua ſorbeat aera ſanna. *Iuven. Sat. 6.*

Id eſt, qua oris, & naſi diſtorſione hiantis reſpiret, & ſonitum edat per contemptũ, & irriſionem. Quare *ſanniones*, homines moribus, geſtu, vultu denique ipſo ridiculi. Et ſane inter ſpecies *ſannæ poſticæ*, id eſt, irriſionis quæ a tergo fit, illa etiam cõſtituitur a Perſio, cum in eos, quos cõtemnimus, linguam exerimus.

O Iane, a tergo quẽ nulla ciconia pinſit; *Perſ. Satyr. 1.*
Nec linguæ quantum ſitiat canis Apula, tantum.

Quæ linguę exertio, *apertione oris* videtur ſignificari in Sacro ſermone, non ſicut canis in Apula ſitiens exerta lingua; ſed *ſicut* David ait; *Aperuerunt ſuper me os ſuum ſicut Leo rapiens, & rugiens* Pſal. 21. 14. & paulo ante; *Deriſerunt* (ſubſannaverunt) *me, loquuti ſunt labiis* (ſup. *diſtentis.* nam non redundat illud, *labiis*, quippe indicat diſtenſionẽ, aut diſtorſionem labiorũ, & balbutiem, blæſitatemq; linguæ. Tyg. *diſtendunt labia*) *& moverũt caput.* *Tygur.* Qui omnes geſtus ſicut ad irridẽdum comparati ſunt, ita Sanniones ſunt valde ridiculi; imo (ut Cicero dixit) *quid poteſt eſſe tã ridiculum, quã ſannio eſt, qui ore, vultu, imitandis moribus, voce, denique corpore ridetur ipſo.* *Cic. 2. de Orat.*

Cum ergo tam vile genus ſit ſannionũ, tamq; ridiculum ſubſannare, qua ratione 8 aſſeritur, *Innocens ſubſannaturus* impios: qua ve ratione dicemus Deum ſannionẽ, nam irridet etiã ille, & ſubſannat impios. Quã dubitationem auget profecto, quod in ea ſortis, & ſtatus cõmutatione, quam juſti, atque impii habituri ſunt, nihil omnino dicuntur juſti aut agere, aut loqui adverſus impios. nam quietus omnino, atq oppido ſecurus agebat Lazarus *in ſinu* *Quæſtiuncula, quomodo Deus, & ſancti ſubſannẽtur.*

Avra-

Abrahæ, multa interim rogãte, loquente deprecante *Divite in inferno*. Atque illi etiam, qui *computati inter filios Dei*, omni cura vacui, & beata fruentes trãquillitate, nihil aliud vel agere, vel dicere deſcribuntur, quam *ſtare in magna fiducia, & conſtantia*, tanta oris, totiuſque vultus dignitate, & ſplendore, ut impiorum oculos aſpectu ipſo conturbent, & ingenti pavore concutiant. nã hi *videntes turbabũtur timore horribili, & mirabuntur*, (pœnitebunt) *præ anguſtia ſpiritus gement, dicent* ſat multa, ſed ſero, ſed fruſtra. Nihil igitur in juſtis ſannæ, aut irriſionis? neque illi in impiorũ calamitatibus, & exitio velut ſannientes inſultant.

Luc. 16. 22.

Sap. 5.

Sancti conſtãtes vultu, & nihil indignũ agentes.

Sed obſcuritas hæc ex illa pervulgata Scripturæ regula ſic illuſtratur; Cũ affectus humani, & Divinitati repugnantes Deo tribuuntur, non tam affectus ipſi in Deo, quam effectus in re ipſa conſiderãdus eſt. ſimiliter profecto aut de Beatis, aut vero de Iuſtis, & Sãctis apud nos degentibus licebit dicere; Cum affectus illis à ſanctitate, & pietate alieni tribuuntur, non ad illorũ animos, ſed ad res ipſas reſpiciendum eſt. Ergo irridet, & ſubſannat Deus impios, cũ illorum ſuppliciũ ad ſuã ipſe gloriam, quaſi cum ſumma voluptate transfert; cum re ipſa illos proponit irridendos, & ſubſannãdos univerſis mortalibus; cũ illorum ſpes atq; conatus irritos tandem, atque irridẽdos traducit; deniq; cum ſic agit cũ illis, ac ſi irrideret, & ſubſannaret. Similiter Sancti dicũtur ſubſannare impios, quod non tã ad ipſorũ Sanctorum actionem aliquã, quam ad dignã (ut ita dicam) impiorũ paſſionẽ referendum eſt; quod hi digni ſint, qui a Sanctis irrideãtur, & ſubſannentur; quod ex fortis, & exitus Sãctorũ cũ ſorte, & fine impiorũ collatione, ridiculi oſtendãtur omnes impiorum conatus; quod illos nemo niſi ſannio, atque ridiculus, inſanuſq; imitari velit; quod Sancti, ſi parem pari vicẽ rependerent, ſubſannare profecto illos deberent, a quibus ipſi irriſi, & ſubſannati ſunt; quod Sancti contemnant, & ne aſpectu quidem illos dignentur; quæ ſane ſubſannatio dici poteſt, ut ex Prov. 1. colligitur. nã quod Sapientiæ *vocanti*, & *manus extendenti* renuerint, deſpexerint, *nemo aſpexerit*; par ſuppliciũ reſpondet, *Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, &c.* Tandem, ut ſignificetur impiorum graviſsimũ ſupplicium, nam irriſionis, & ſubſannationis pœna acerbiſsima eſt: atque inde etiam ſumatur amplificatio fortis, & gaudii Sanctorũ, nam duarum iſtarum factionum conſpectus, hinc Sanctorum ovantium, & cum duce Deo exultãtium: illinc miſerrimorum hominum vultus, oris, oculorum animi abjectio, & caſus, pudor, confuſio gemitus cum ſi[l]ẽtio, utramque ſortem mutuo amplificat.

Dubitationis ſolutio.

Scripturæ Regula.

Quomodo Deus irrideat impios.

Sancti irridẽt impios.

Impiorũ ſors cumparata cũ ſorte ſanctorum, ridicula

Par pari repẽditur impiis.

Subſannationis pœna acerbiſsima.

Duæ factiones iuſtorũ & improborum.

XX. *Nonne ſucciſa eſt erectio eorum: & reliquias eorum devoravit ignis?*

1. *Varia Hebraizantium lectio, & expoſitio.*
2. Succiſum *quid propriè*. Abſconditum, *quod destructum eſt*. Erectio *quid*.
3. *Septẽ* Erectionis *ſignificata*. *Tres ultima præponuntur*. *Explicatus Samuel, & Iſaias.*
4. Reliquiæ *quid ex aliorum ſententia.*
5. Ignis *inevitabile ſupplicium.*
6. Reliquiarum *variæ acceptiones in Sacro ſermone. Eligitur ultima. Illuſtratus Salomon, atque David.*

I

RVrſus hoc loco Vatablus poſt R. Levi, R. Moſ. R. Abrahã reflectuntur ad Noe; nam in Hebræo eſt, *Erectio noſtra*. Illum ergo appellant *erectorem* aut *erectionẽ*, & reſurrectionem, id eſt; inſtauratorem humani generis, aut quod Noe, & ipſius filii videantur fuiſſe noſtri ſubſtãtia quot quot poſt illos vivimus, atque nos illorũ reſurrectio. Sic ergo quaſi in confirmationem ſuæ doctrinæ, adducat exẽplum conſervati Noe propter ſuam ſanctitatẽ: atq; reliquorum impiorum exitiũ. Deinde etiã mẽtionem faciat ſupplicii, & *ignis* Sodomitici. Vel conſervatã dicat *erectionẽ*, aut, ut plerique Hebraizantes legunt. *ſubſtantiã noſtram*, id eſt tũ ſuas, tum ſuorum amicorũ opes, & facultates, ut ex fœlicitate tẽporali ſuã juſtitiã ſtatuat, ſicut e contrario Iobi Hypocriſim, & improbitatem ex illius ærumnis. Fere in hanc ſententiã interpretatur Cajet. *Deſtructum levamen*, id eſt res *ſuſtinentes, & elevantes nos juſtos, non ſunt deſtructæ, res autem impiorũ voratæ ſunt ab igne.* Sed friget, & languet hic ſenſus.

Vatab.

R R. Abrah. Levi. Moſ.

R. Mard. Pag. & Septuag.

Cajet.

Ergo ſimplex illud, & germanũ eſt, ut cõmunes impiorum pœnas, & ſupplicia graviſsima perſequatur Eliphaz, cum ingẽti animi, & orationis cõtentione. Quare, quod in Hebræo, & in Græco legitur, *ſi non ſucciſa*, aut, *deleta eſt, &c.* aſſeverationẽ, & emphaſim habet, quam cũ vehemẽtia quoque, & incitata interrogatione expreſsit Interpres; *Nonne ſucciſa?* propriè *deleta*, ut Septuag. extirpata, exciſa, diſperdita, contrita. nã hæc omnia cadũt in vocem originalẽ, quæ primario ſignifi-

כחד

R. Mardok. cat *abſcondere*, ſeu (ut R. Mardokai ait) *removere*, ut nihil deinceps extet amplius alicujus rei, nullumque veſtigium, aut ſignificatio. Quare aliqui vertunt; *Abſcõdita fuit ſubſtantia noſtra.* Forſter. Quod enim *abſconditum eſt*, neq; audiri, neq; videri poteſt, ſicut & id, quod omnino deletũ eſt;

קום *Erectio.* alii *ſubſtantiam*, ut diximus, alii *ſubſiſtẽtiam.* dicere etiam poteris, *conſiſtẽtiam*, aut *firmitatẽ*, videlicet id, quod putabatur firmũ, ſtabile, ideoq; erectũ, & cõſtans, certe concidit, periit, evanuit.

Multiplex translatio. Sicut autem *erectionis* nomen ad multa pecularia referri poteſt, ita & multiplex poteſt ſub hac ſententia translationis ratio ſubeſſe; primo enim ſi propter verbum *ſuccidendi*, velis hanc erectionem referre ad arboris proceritatẽ, recte quadrat; nam frequenter in Sacris litteris impiorum interitus ſignificari ſolet ſuccisione, & dejectione procerisſimæ arboris. Impiorum interitus ſuccisio arboris. Vide Ezechi. 4. & Iſaiæ 10.33. *Ecce Dominus confringet laguncula in terrore, & excelſi ſtatura ſuccidentur, & ſublimes humiliabuntur, & ſubvertentur cõdenſa ſaltus ferro, & Libanus cum excelſis cadet.*

R. Mard. Secundo idem nomẽ *erectionis* in ſegetes convenit, quia (ut ait R. Mardokai) *eſt ſeges erecta, antequam demetatur.* Convenit acerbisſimo impiorum exitio, & Divinæ vindictæ, velut dentatę falci erectam, atque ſublimem impiorum ſegetem vitę, & fælicitatis præcidenti. Seges erecta impiorum fęlicitas. Falx Divina Iuſtitia.

Tertio pro bonis, & facultatibus, quibus homo cõſiſtit, & erectus vivit. Sic exponit Nicetas: *bona deleta penitus.* Nicetas.

Erectio pro ſtatura procera. Quarto *erectio* etiã poteſt appellari ædificium ſublime, & erectũ, firmo fundamento conſiſtens, cum quo cõveniet fundamenti, ac totius ædificii ſubverſio, de qua ſuperius diximus; tum etiam, & verbum *ſuccidẽdi*, quod deſolare, & deſtruere aliquando vertitur.

Quinto ſimplicius nomẽ *erectionis* pro altitudine, & ſtatura. eſt enim vox fere eadem, quæ Canti.7.7. *Statura tua aſſimilata eſt palmæ.* & quod 1.Reg.28.20. dicitur de Saul; *Cecidit porrectus in terra.* Quod ex Hebręo legitur; *Cecidit tota ſtatura ſua in terra*; vel, *plenitudo ſtaturæ ejus.* id eſt, ut elucidat Tygu. *Corruit Saul in terram, quãtus erat.* Compl. Pagn. Regia. Vatab. cum eſſet Saul procerus valde, & *ab humero, & ſurſum* ſuperior omni populo, 1.Reg. 9. oportuit caſum fuiſſe vehementem, & cum ingenti diſcrimine: quod nos diceremus: *Cayo redõdo de ſu eſtado, quã grãde era.* Caſus excelſorum periculoſus. ſic ſane, ut Iſaias dixit; *excelſi ſtatura ſuccidũtur*, conciduntq; in terram caſu acerbisſimo, atq; eo graviori, quo cæteris ipſi potentiores, ſuperioreſque ſunt. Sic horũ impiorum *erectio*, & ſtatura *ſuccisa eſt.*

Sexto, *erectionis* nomẽ pro ſuperbia, & animi elatione, accipit Philipp. & nomen quidem originale lubens ad id trahi poteſt, pro erecto, & elato collo, quod ſupra alios conſurgit. Erectio, pro ſuperbia. Philipp. quale eſt illud Levit. 16. 37. *Nemo veſtrum inimicis audebit reſiſtere.* prop. ex Hebræo; *Nõ erit vobis erectio corã hoſtibus.* & denique hoc nomine ſignificatur, quidquid phraſi illa *levandi capitis*, de qua ſuperius diximus. c.10.15. & c.11.15. & quidquid cõtrariũ eſt humiliato capiti, aut demiſſo, & cõcidenti vultui; videlicet animi conſtantia, & fiducia, erectio, exaltatio, oculorũ ſublimitas, cervicis, & colli extollentia, nullius oneris patiẽs. ſicut illo ipſo Levit.16.13. loco dictum eſt; *Ego Dominus Deus veſter, qui eduxi vos de terra Ægypti, ne ſerviretis eis, & qui confregi catenas cervicum veſtrarũ, ut incederetis erecti.* Onke. *In libertate.* id eſt, erecto collo, quale liberũ, & ingenuum hominẽ decet: Septua. *Duxi vos cum fiducia.* cujus ſignũ eſt erectus vultus. Hæc igitur *erectio*, (inquit Eliphaz) & vivendi pro libito libera, & impunis licentia, & fida quædam, atq; ſecura impunitas, abſq; omni jugo, tum etiã animi alacritas, & exultatio in rebus pesſimis omnino depreſſa, atq; cõpreſſa eſt.

4 *Et reliquias eorũ devoravit ignis.* Sulphureum incendium hic locus olet omnibus, quod ſemper ejuſmodi ſuppliciũ pro gra vißimo, & acerbisſimo impiis proponi ſoleat; Sodomiticum ſupplicium acerbisſimum. nã ut Iudas Apoſtol⁹ in ſua Epi. dixit; *Sodoma, & Gomorra, & finitimæ civitates factæ ſunt exemplũ ignis æterni pænã ſuſtinẽtes.* Sed quid ſit *reliquias*, aut reſiduum Sodomitarum devoratum eſſe ab igne, ego plane nõ video. Aſtunig. Greg. & Hugo. Nã quod quidam dicunt, per *reliquias* intelligi urbes ipſas, nõ quadrat *reliquiarũ* appellationi, aut ſignificationi. Quod alii ad *corpora* referunt, quæ relinquuntur poſt mortẽ, & quę ſunt quaſi exuvię abeuntium animarũ; Gregor. ita ut ſignificet non ſolũ Sodomitas igne extinctos cæleſti, ſed etiã in cinerẽ redacta illorum cadavera, & ab igne voracisſimo depaſta; Recte quidem, ſed inſolens eſt in Sacro ſermone illa *reliquiarũ* ſignificatio.

5 Ergo præſtat, ut hoc de aliorũ impiorũ ſupplicio accipiamus, & *ignis* nomine, ipſam divinã ultionem, & inevitabile ſuppliciũ intelligamus. Ignis, Divinũ ſuppliciũ. Græcus Scholiaſtes interpretatur; *Conſtrictricem vim, quæ in caſibus adverſis hæret infixa*, quæ intimas vorat oſsibus medullas, & ipſum etiam torquet acerbisſime animũ; Nicetas. qui non ſolũ fumat, aut ardet in hac vita, ſed potisſimum

Pſa.8.10. 10. in futura inextinguibilem flammam excitat,ſicut Scriptum eſt; *Pones eos ut clibanũ ignis,in tempore vultus tui.* id eſt,in fornacẽ incredibiliter accẽſam,& inflãmatam impios cõjiciet indignatio, & vindicta tua.

6 Iam nũc exponendũ, quæ ſint *reliquiæ* impiorum. Et quidẽ ſi in illa arboris trãſlatione perſiſtamus,per arboris *reliquias*, non incõmode intelligemus, radices arboris,& radicũ fibras,in quas ſævire ſolet ignis,ut nihil ex arbore reliquũ ſit: quare de ingenti ſupplicio, quo omnino pereat impius, dictum eſt Iſai.7.24. *Sicut devorat ſtipulam lingua ignis, & calor flãmæ exurit, ſic radix eorum,quaſi favilla erit, & germen eorũ,ut pulvis aſcendet.* & Malach.4.1. *Dies veniet ſuccenſa, quaſi caminus, & erũt omnes ſuperbi,& omnes faciẽtes impietatem ſtipula, & inflammabit eos dies veniens, quæ nõ derelinquet eis radicẽ,& germen.* id eſt. Nihil firmum,ſtabileve in radicibus,nihil,pulchrũ florens,vireſ in germine.ſed injecta clade omnis ſplẽdor, & dignitas evaneſcet. atque eadem metaphora Iſai. 14.22. *Perdã Babylonis nomen,& reliquias, & germen,* radicem, & ramos.

Nicetas. Sed plerique Interpretes *reliquiarũ* nomine peculiare aliquid ſignificari exiſtimant. Nicet. omnes impios,ut nullus reliquus ſit; *Quod ſi quiſpiam ſuperſtes fuerit, hunc quoque eſt ignis conſumpturus.* Sed expoſitio hæc minime lenis. Phili. *Reliquias* * (dicit) *noviſſimum quadrantẽ,vel extrema quæque peccaminum in die judicii punienda, quod in hoc ſæculo nulla pœna graviſſimos peccatores, ita ut digni ſunt, damnat.* id eſt, incipient pœnas in hoc mundo pendere, ſed quod reliquũ fuerit, in futuro cumulatius perſolvent igne æterno conflagrãtes. Acutũ hoc, & ſubtile, ſed non valde ſolidum. Tertia quoq; expoſitio, videlicet, poſteritatem impiorũ ſive per naturalẽ propagationem, ſive per morũ imitationem. D. Thom, *filios.* Grego. *corpus,* quod hic relinquunt,recepturi in reſurrectione, ut ſimul etiam cũ animo ardeat. Atque hos fere alii Interpres imitantur. Duo tamẽ alia indicabimus. Primũ,ſi eadẽ vox hoc loco ſubeſſet, quæ Pſ. 36.37. *Quoniam ſunt reliquiæ homini pacifico,* certe per *reliquias* intelligerem ego extremã humanæ vitæ partem, aut noviſſimũ ſtatum; ita ut *reliquiæ igne devorandæ,* ſignificarent everſionem,& cõmutationem fælicitatis impiorum,in extremã miſeriarũ, & infælicitatis ſortem.ſicut *reliquiæ hominis pacifici,* eſt noviſſima illius fælicitas,& *triſtitiæ in gaudium cõverſio* & cõmutatio. Quo loco vertit Hieron. *Ad extremũ erit*

* Loſq̃ aca les quedare por pagar, alla pagarã cõ el fuego.

D. Thom.

Reliquiæ extrema vitæ ſors.

Hieronym.

viro pax. nam hoc loco *reliquiarũ* vox proprie ſignificat, ultimum,vel poſtremũ: & ideo ſubditur; *Injuſti diſperibunt,ſimul reliquiæ* (Hierony. *Noviſſimum*) *impiorũ interibunt.* id eſt,poſtremũ illorũ erit infælicissimum. Kaldæus eleganter,& propr. *Finis impiorũ exitium.* Symma. *Sunt futura homini pacifico, extrema iniquorũ excidẽtur.* *ſubolfecit* hunc quoque ſenſum Philipp.

אחר

Chadam.

Symmach.

Philipp.

Secundũ tamen ſtatuo,quoniã hoc noſtro loco *reliquiarũ* nomen eſt a verbo *Iathar,* quod ſignificat ſuperare,aut *ſupereſſe,*aut *reliquũ* eſſe,quod ſæpe Eccleſiaſtes appellat, *amplius,*& Septuag. *abundantiã,* aut, *excellentiam*, id eſt,quo quis aliũ ſuperat, excellit, quod oportet eſſe excellens,ſuperabundans,& cæteris ſuperius; ideo *reliquiarum* nomine ,impiorũ excellentẽ, & ſupra cunctos mortales ingentẽ felicitatẽ intelligo, q.d. *Sus exceſſos, y ſobradas ventajas los conſumira el fuego.* Eodem ſenſu, quo dictum eſt Pſal. 16. 14. *Dimiſerunt reliquias ſuas* (id eſt, amplius, ſuam abundantiam,exceſſum divitiarum, &, ut ita loquar, ſupremitatẽ ſuam,quod illis reliquũ erat poſt æquatas aliorũ facultates) *parvulis ſuis.* Sic hoc loco uberrimam bonorum omnium copiã, & bene cumulatã, ac ſupereffluentem fælicitatis menſurã abſumpſit Divina ultio, & ſupplicii ignis voraciſsimus, ut non poſsint, relinquere *reliquias ſuas parvulis ſuis.*

Reliquiarum germana expotio.

יתר

XXI. Acquieſce igitur ei, & habeto pacem: & per hæc habebis fructus optimos.

1. Acquieſcere *quid propete. Varia ex Hebræo lectio*
2. Acquieſcendi *verbum, obſequium, & miniſterium affert Illuſtratus Samuel.*
3. Pax *de bonis,& fælicitate. Rejecta aliorum expoſitiones. Expicatus Paulus.*

I Iam nunc Eliphaz Iobum graviſsimarum minarum quaſi põdere oppreſſum recreare, & erigere videtur propoſito præmio, atq; exhortatione, ne cum Deo fortiſsimo teſtatas gerat inimicitias. Sed (quod ſibi imprimis utile, & ſalutare futurum ſit) amicitiæ,& conſuetudinis fœdus quamprimum ineat.

Aquieſce. Propter ampliſsimam ſignificationem verbi *çacan*, de qua ſuperius verſ. 2. nunc quoq; diſſentiunt Interpretes. R. Moyſ. * *Proſice cum Deo.* Hebreus apud Cajet. *Fac prodeſſe nunc cum Deo.* q. d. tu tibi Deum acerbum,& infenſum red-

סכן

* Sabere aprovechar de Dios.

R. Mardok. Cajet.

didisti, poteris nũc tua pœnitentia efficere placatum, utilem, & salutarem, qui tibi minime noceat, qui maxime prosit. Pagnin. Vatab. Regia, *Assuesce cum eo.* familiarem te illi, & illius præceptis servandis præbe, & quam primum senseris viæ mãdatorum Dei difficultatẽ, ipsa assuetudine emollies, & vinces: nam *deducet te De⁹ per semitas æquitatis, quas cum* (postquam) *ingressus fueris* (ipsa jã experientia, & assuetudine agilior, & alacrior effectus) *nõ arctabuntur gressus tui.* Huc pertinere existimo lectionem Septuag. *Esto utiq; durus: si sustinueris, fructus tuus erit in bonis.* non quidẽ duritiã cordis, & obstinationẽ objicit (ut interpretatur Nicet.) sed duritiẽ illam præcipit, quæ ex cõsuetudine fit, cũ callum quis in re quapiam ex repetitione obducit. Tũ etiam ne se mollẽ per impatientiã præstet, sed laboris patientissimũ, & adversus miseriarũ stimulos obduratũ.

Pagn. Regia. Vatb. — Proverb. 4. 12. — LXX. — Nicet.

2 Certe hoc tantum loco Verbum *çacan* vertitur ab Interprete *Acquiescere*, & proprie, ut supra indicavi, affert duorum inter se comparationem quandã, æqualitatem, similitudinẽ, & quasi paritatẽ consiliorũ, & voluntatum, atq; in eam potissimũ duorum familiaritatẽ, & cõsuetudinẽ accõmodari potest, cum quis alteri familiariter acquiescit, ministrat, utilis est. quare *acquiescens*, vel *assuescens*, ex hac radice, pro ministro, familiari, cubiculario, Thesaurario etiam sumitur, qui in re maxime utili ministrat, & familiaris est. ut 3. Reg. 14. *Abisag erat puella pulchra nimis, dormiebatq; cum Rege, & ministrabat ei.* In Hebræo pro, *Dormiebat cum Rege*, tantum habetur; *erat Regi proficiens*, aut utilis, ut Regia legit. nam quod noster dixit; *Dormiebat cũ Rege*, & alii, *fovebat Regem*, ut Septuag. R. Mardoch. Pagni. Vatab. Tygu. explicationis gratia faciunt, ut speciatim significent, quale nam esset ministerium, quod exhibebat Regi. Quare legere eleganter possis, erat Regi *consuetudinaria*, sive, *adhabitatrix*, erat illi *usui*. R. David. Kimhi vocat *Thesaurariam utilem*, *quippe quæ Regi frigus contemperabat*, familiari cũ illo consuetudine, &, ut ita loquar, sui cõmodatione, vel accommodatione, & qua si æqualitate cõmunis lecti, & habitationis. Sic igitur hortatur Eliphaz Iobum; * *Acquiesce illi*. Nunquã mihi magis placuit, quam hoc loco Tygu. * *Accõmoda te illi*, parem cũ illo ini voluntatũ, & consiliorũ societatem, fidũ, ac utilem te illi præbe ministrum, & servũ; si nõ illius gratia, (nam quæcumq; fecerimus, *servi* tandem *sumus* nostro hero *inutiles*) at tui lucri, & utilitatis. Ergo esto Deo familiaris, consuetudinarius, cubicularius, assiduus minister, acquiescens, pariter cum illo incedẽs, & gradiens, & forte eam *acquiescendi* rationẽ ipse Eliphaz statim exponet, nimirum *suscipiendo ex ore illius legem, &c.*

Acquiescere administeriũ. — Regia. — LXX. R. Mard. Pagnin. Vatab. Tygur. — Forster. — * Acomodate con su gusto, ajustate cõ su voluntad, y en pareja con el. — Luc. 17. 10.

3 *Et habeto pacem.* Pro, *habebis pacẽ* ex consuetudine, & familiaritate cum Deo; ex tuo obsequio, & ministerio fiet, ut pace cũ illo stabilita, & fixa, bonorum omniũ fructibus perfruaris. nam ex bello, & inimicitiis cum illo, innumera tibi mala. Cajet. durius, & magis aliene; * *Pacifica te, cessando a lamentationibus.* Comprime tuas istas querimonias, & expostulationes cum Divina bonitate, seu potius, pacifice, & submissius cum illo age tumore isto animi compresso. Alii per paraphasim, *Supplicibus verbis ab illo pacem, & veniam pete.* Sed *pacem habere*, pro *veniã petere*, insolẽs, imo inauditũ in Sacro sermone. Melius Philip. *Post bellum hujus horribilis plagæ poteris habere incolumitatis pacẽ.* Sed præstat, quod primo loco diximus. Similis profecto illa Pauli adhortatio Heb. 12. 11. *Omnis disciplina in præsenti quidem, non videtur esse gaudii, sed mæroris: postea autem fructum pacatissimum* (fructum ex pace provenientẽ) *exercitatis; per eam reddet justitiæ.* nisi quod Paulus, illud *postea*, ad futuram vitã refert. Eliphaz ad hanc ipsam tẽporalem.

* Sosiegate, y ponte en paz, y tẽ paciẽcia. — Osorius. — Philippus.

XXII. *Suscipe ex ore illius legẽ, & pone sermones ejus in corde tuo.*

1. *Quid lex in Sacro sermone. Comprehendit etiã universam scripturam. Legis Divinæ propriũ reficere mentem. Explicati Ioannes, & Paulus.*
2. Legis *Ethymologia, ab explorãdo. Quid exigat.*
3. Legis, & pluviæ *nomen idem. Mentem irrigat & fæcundat. Illustrati Isaias, & Ioel.*
4. Suscipere *quid proprie.* Doctrina *quid designet in Sacro sermone. Illustratus Salomon.*
5. Ponere. *sermo Dei custodiẽdus mẽte.* Philacteriũ.

I GRæci dixerunt: *Accipe ex ore illius exegoriã*, id est *enuntiationẽ*, quod Philip. *edictum* legit. Symmac. *exomologesim* interpretatus est. Est autem *exomologesis*, ut explicat Orige. *peccatorũ confessio.* q. d. *De tuis peccatis confitere, confessionis autẽ rationem a Deo docere.* Sed Aquila, *Nomon*, dixit, id est *legem*, & hanc Septuag. videntur dixisse, Divinæ volũtatis, & sanctissimæ disciplinæ *enuntiationẽ*. *Legis* autẽ nomen in Sacro sermone non est angustũ, ut tantũ sumatur pro ea ratione, quæ jubet facienda, & cõtraria prohibet, sed pro ea etiam parte, quæ quacumq; ratione mores instituit,

Philipp. Symmach. Origin. Aquila. — Legis significatio late patens.

tuit, vitamque informat. Qua ratione *lex* cōplectitur alios etiā libros præter Pentatheucū, quos Christ⁹ *Legē* appellat Ioā. 10. 34. *Nonne Scriptū eſt in lege veſtra: Ego dixi Dii eſtis.* & c.15.25. *Vt cōpleatur ſermo, qui in lege eorum ſcriptus eſt, Odio habuerūt me, &c.* Quæ ſane loca ex Davide ſunt. Et Paulus Galat.4. proferēs ex Geneſi teſtimoniū, ait; *Qui ſub lege vultis eſſe, legē non legiſtis? Scriptum eſt enim, Quoniā Abrahā duos filios habuit.* Et quod Iſaias ſcripſit, ait; *In lege Scriptū eſſe.* 1.Cor.14.21. *Quoniā in aliis linguis, & labiis aliis loquar populo huic.* Vide Greg. Nyſſe. præfat. in Cantic. *Magnus* (inquit) *Apoſtolus, legē dicens, ſpirituale legis nomen, cōprehendit etiā hiſtoricas narrationes, adeo, ut univerſa a Deo inſpirata Scriptura, ſit lex iis, qui ipſam legunt, non ſolū per præcepta, ſed etiā per hiſtoriā erudiēs, & ad cognitionē myſteriorum, & ſincerā vitæ inſtitutionem.* Nunc ergo *Dei legē* non ſolū Dei præcepta, ſed inſtitutionem, & doctrinā morū univerſam intelligit, qua Deus nos ſuā voluntatē, & totius vitę informandæ rationē edoceat. Hilar. autem ſuper Pſ.118. *legis* proprietatē, & germanā rationem in eo cōſiſtere, quod David aſsignavit Pſ.18. dū *legem a teſtimonio, juſtitia, judicio, præcepto,* ſuis quaſi vocū notionibus, & proprietatibus diſcernit, *Lex Domini immaculata, cōvertens animas: Teſtimoniū Domini fidele, Sapientiā præſtans parvulis, &c.* Quidquid enim ex Dei ore excipimus, *Lex* nobis futurum eſt; illius vero lex reficit, & recreat, & tranquillat animā, & cordis ſitim, famemq; excruciantē reſtinguit. Sic igitur Iobo ærumnoſo, & miſero pręcipit Eliphaz *legē ex Dei ore ſuſcipere,* ut *animā* jam deficientē recuperet, & abeuntē *convertere*, & recreare poſsit, & incredibilibus malis cōmotam, & agitatam, trāquillitate, & pace reficiat: ſicut de viro juſto Scriptum eſt; *In lege Domini voluntas ejus.* quod proprie ex Hebræo legitur; *voluptas, & delectatio ejus;* nam ex legis diſciplina, & obſervatione, omnem animi voluptatem, & gaudium cōparabit.

Nyſſen.

Quę comprehendat appellatio Legis.

Hilarius.

Legis propriū reficere mētē.

Pſal.1,2.

2 Legis etymologia הורה תור

Sed quidē propria *legis* ex Hebręo notio, & ratio nominis pulchre in rem præſentem convenit: nā nomen legis *Thorah* quidam deducūt a radice *Thur*, quod eſt explorare, aut circumquaq; luſtrare, & obſidere: quia lex univerſa eſt diligēter exploranda, & circumquaq; cuſtodienda, & obſervanda; *nequis in uno offendat:* cū enim præcepta omnia legis nexa ſint, *in uno offenden, fit & omniū reus.* Obſidenda ergo, & circumeunda legis cuſtodia, & murus ſervandus omni ex parte, ne qua hoſti pateat aditus, ad legis, noſtriq; ex pugnationē. Igitur Eliphaz ſuggeret Iobo, ut deinceps exploret diligēter univerſam legē Divinorū mandatorū, ſervetq; ſollicite, nequa hoſti, ſupplicio, ęrumnis, pœniſque legis nō bene cuſtoditę, aditū pateſaciat.

Iacob.2.10.

Lex inſtar muri undequaq; cuſtodienda.

Sed alii tamen *Thorah* deducūt a verbo *Iarah*, quod eſt pluere, irrigare, perfundere. Quare cōmune, ac fere idem eſt nomen *Pluviæ, Doctoris, & Legiſlatoris.* Hinc illud Pſ.83.7. *Benedictionē dabit Legiſlator.* id eſt, affluentiā, & copiam doctrinæ, velut imbrem, nā doctrina, & vitæ lex, quaſi pluvia perfundit, & fœcundat animum, & implet virtutū ac bonorū operū proventibus, & fructibus. & Iſai.30.20. *Non faciet avolare a te ultra doctorem tuū.* quod ex Hebræo legitur; *Nō elongabit a te pluviā.* ubi promittitur Eccleſiæ Chriſtianę, abundātia panis & pluviæ ſpiritualis doctrinæ; tranſiens a fame, & ſiti temporali, de qua prius Propheta dixerat; *Dabit vobis Dñs panem arctū & aquā brevē.* Sed hæc res illuſtrior Ioel. 2.23. poſt promiſsionem incredibilis cujuſdam ubertatis ſubjūgitur; *Filii Siō, exaltate, & lætamini in Domino Deo veſt o, qui dedit vobis doctorem juſtitiæ* (& exponit, quis ſit doctor, aut vero lex, & doctrina) *& deſcendere faciet ad vos imbrē matutinū, & ſerotinū.* Vbi ſane colluſit Propheta, nominibus *doctoris*, ſeu *legiſlatoris*, & *pluviæ*, ſeu *imbris matutini*, & *ſerotini*; & ut indicaretur quantū ſpiritualis frumēti, & alimenti, ac nutrimenti virtutū omniū, ex ea pluvia proventurū eſſet, dixerūt Septua. *Quia dedit vobis eſcas in juſtitia.* Vides igitur quam opportune dixerit Eliphaz, *Suſcipe ex ore illius legem*, poſtquā dixerat; *Per hæc habebis fructus optimos.* nam ſuſcepta Divinæ *legis* pluvia matutina, & ſerotina, tuum animū arentem, & ſterileſcentē irrigabit, fæcundabitq; & ad egregios virtutum, & bonorū operum fructus provehet. Tunc tandē bonorū omniū fructus, & proventus percipere poteris. Inde collige, quam miſer ille, quā ſterilis, & aridus, qui, non *ſuſcipit ex Dei ore legem*, imbremve, quo fructus optimos proferre poſsit! quam egenus ille, & extrema cōfectus macie, cui non aperit Deus *Theſaurum ſuum, cælum*, legiſq; ſervandæ imbrem non inſtillat!

3 ירה

Nomen commune Pluviæ, & Legi.

Doctor inſtar pluviæ.

LXX.

Arēs animus, & ſterileſcēs ſine pluvia Divinæ Legis.

Num.10.6. Deu.28.12.

Suſcipe ex ore illius. Quidquid ille dixerit, voluerit, ſignificaverit, ex ore illius pende, & ad illius verba te compone. *Os* pro voluntate, imperio, & nutu, & pro totius vultus habitu, & ſignificatione, non ſemel in Sacro ſermone. *Suſcipe*, ex illo ſalutis, totiuſque ſanctitatis, & bonitatis fonte

4 *Os, voluntas, & vultus ſignificatio.*

לקח

Varia suscipiendi vis, & notio.

hauri, cape. patet tibi, patet omnibus salutarẽ vitæ disciplinã sitientibus. Verbũ suscipiẽdi *Lakahh*, ad prædã, quæ cũ violẽtia tollitur, aliquando referri solet. Omnes igitur tuas vires in Divinæ legis susceptionẽ, & observationẽ exere, ea tibi prædæ opimæ, & locupletis spolii loco fuerit, si legẽ susceperis. Significat etiã *emere*, id est, emptũ accipere, & portare secũ; sic *suscipe ex ore illius legẽ*, quãvis multo labore cõstet, multa servandi cura, & sollicitudine; eme quovis tãdẽ pretio, ut *locuples fias*; statim *vende universa*, quæ in animo tuo habes legi Divinæ cõtraria, & longe a te relegatis, *eme ex ore illius legẽ*. Sed observandũ tamẽ verbũ *suscipiẽdi*, elegãter cũ *lege*, & *doctrina* cõvenire; nam ab hac ipsa radice dicitur *doctrina* aut *lex*, *Lekahh*, quasi accepta, vel accipiẽda; videlicet quia doctrina, vel lex debet avide, & sitienter accipi, grato, & lubenti animo. quod nos ex proprietate vocis originalis diceremus: *la buena doctrina a se de tomar bien*. Sicut etiã Prov. 4.2. *Donũ bonũ tribuam vobis*. prop. ex Hebræo, *doctrinã*, aut *legẽ bonã tribuã vobis*, id est, ut ex vocis proprietate dicam⁹, * *Accipiendã bonã tribuã vobis*. id est, donũ a vobis lætanter accipiendum; nam bona doctrina, & sancta lex, *donum* pretiosissimũ est, non *projiciendũ porcis*, & tanquam *margarita* pretiosissima accipi debet. Vel etiã deduci potest *doctrina*, aut lex, a verbo *suscipiẽdi*, quod doctrina, & lege capiatur homo, & suadeatur illi, quid faciẽdũ, fugiendũve sit. dicet ergo Eliphaz; *Suscipe legẽ* grato, lubentiq; animo, tanquã bonũ, & pretiosissimum donum, quod Divina tibi munificentia & largitas cõfert; avide propterea percipiendũ. Quin, o Iob, te finis Divinæ *legis* ratione, & suavitate capi: nam, quæ illius suavitas & dulcedo est, capere, & tenere potest quẽcumq; nisi depravato palato sit. Cum igitur te, *ad capiendã legẽ* impello, id volo, & suadeo, ut te ab illa capi, & persuaderi permittas.

Apoc. 3.18. Matth. 13.44. & 19.21.

Doctrina debet libẽter suscipi.

Compl.

* Quiero os dar vnbuẽ dado, que es, de dar, y de tomar.

Matth. 7.6.

Doctrina capitur homo, & persuadetur.

Sentẽtiæ propria, & illustris paraphrasis.

5 שום

Et pone sermones ejus in corde tuo. Præcedẽtis partis expositio, & amplificatio; Ita *legẽ suscipe*, ut *ponas*; proprie, disponas, arte, cura, sollicitudine observandi, & intelligẽdi, ea, quæ ex ore Dei audieris, atque etiã perficiendi, quę mẽte cõceperis. *Pone* etiã, tanquã depositũ custodiendũ; *Verbi Dei depositum*, quod acceperis, cordi tuo crede, ne *veniat mal⁹, & furetur de corde tuo verbũ*; aut ne excidat per incuriã, & oblivione. *In corde tuo*. Greg. *Hacusq; in ore, & non in corde tenuisti*. Appone cor tuũ ad illius sermones, & præcepta, & sine hypochrysi; *exhibe temet ipsum Deo rationabile obsequũ*. id est, rationis, cordis, mẽtis vivẽs, verumq; sacrificiũ. Vult Deus illius legẽ, atq; præcepta in *nostro corde*, atque mente reponi, & conservari; ut vicissim nos ipsa met lex conservet, & cõplectatur. Quare nunc dicuntur Dei præcepta, *abscondi*, & asservari *in corde*, & volũtate hominis Ps. 36.31. & 39.9. & 85.12. nũc ipsam hominis voluntatẽ esse, & reponi in lege Dei, Ps. 1.3. Scriptũ est enim; *Si servaveris mãdata, servabunt te*. Vanissimi profecto Pharisæi illi, qui cũ ipsi non servarẽt in corde mãdata, at mẽbranulas Decalogi *cõplicantes, & ligantes in frõte, & quasi coronã capiti facientes, quasi custodiã, & munimentũ sui habebant*, ut Hieronymus dixit; *Philacterium* enim ex proprietate sua, *custoditorium* est, & velut arma, quibus protegimur; sed nõ quicumque, sed ille tantum, qui *ponit*, & custodit *sermones* Dei *in corde suo*.

Matth. 13.19. Gregor.

Rom. 12.1.

Lex custodita in corde, nos vicissim custodit.

Prov. 7.2.

Hierony. super Matth. 23.

XXXIII. Si reversus fueris ad Omnipotentẽ, ædificaberis; & lõge facies iniquitatẽ a tabernaculo tuo.

1. Cõverti, & reverti *ad Deũ, quo differãt. Sadd.*
2. Aedificari *nõ solũ ad filios, sed ad universam felicitatẽ pertinẽs. Explicatus Isai. Notatus Cajeta.*
3. Elongare iniquitatem *de culpa, aut de pœna. Explicatus David.*

I Ncipit enumerare fruct⁹ illos optimos quod ex inita cũ Deo pace, & amicitia percipiet. *reversus*, *cõversus*, ut & Septuag. legunt, estq; in utraq; voce sua peculiaris vis: *Revertitur* enim, qui elõgavit se a Deo, & *abiit in regionẽ longinquã*, procul a Dei conspectu, & religionis memoria. *Cõvertitur*, qui posthabuit omnẽ pietatẽ, & cultũ Numinis, atq; oculis, & animo in res externas parandas incubuit. Sed qua nã ratione *revertendũ*, aut *convertendũ* ad Deũ? Septua. per paraphrasim, certã *revertendi* rationẽ assignãt; *Sin autẽ conversus fueris, & humiliaveris temet ipsum corã Dño, procul fecisti iniquitatẽ a tabernaculo tuo*. q.d. *Humilia te sub potenti manu Dei, ut te exaltet in tẽpore* (exacto tẽpore) *tribulationis*. Sed simplicior sensus, si petatur ex secũda parte: *Reverteris ad Omnipotentẽ*, si lõge cujuscũque sceleris labem ex animo tuo repellas ad *Omnipotentẽ*, inquã, *Saddai*; totius bonitatis, atq; virtutis fontẽ toto animo convertere, qui facile jacturas omnes resarcire, ruinas construere, & erigere, atque spoliatũ bonis omnibus, multo pluribus, & amplioribus cumulare potens est.

Luc. 15.13.

Converti, & reverti, quo differant.

LXX.

1. Pet. 5.6.

Saddai.

Aedificaberis. Ruinę fortunarũ tuarũ,

filiorũ tuorũ familiæ, atq; domus univerſæ erigentur, & ædificabuntur; rurſumque iſtud ruinoſum, & male materiatũ corpuſculũ reconcinnabitur. Nõ oportet cum Græcis, & quibuſdã Latinis, *ædificationem* iſtã ad ſolos liberos ſuſcipiendos iterũ, reſtringere: nã *ædificãdi* verbũ ſi cũ domo jungatur ad filiorũ, & poſteritatis propagationẽ pertinet; ſin vero abſolute de perſona quapiã dicatur, firmã, ſtabilẽ, ac bene fundatã fælicitatẽ denotat. Ierem. 31. 4. *Rurſum ædificabo te, & ædificaberis virgo Iſrael.* (id eſt recuperabis priſtinas opes, & dignitatẽ, ut ſtatim exponit) *adhuc ornaberis tympanis tuis, & egredieris, in choro ludentiũ, adhuc plãtabis vineã, &c.* & illud Pſ. 17. 5. *Deſtrues illos, & nõ ædificabis eos.* id eſt, omnino, ſine ulla ſpe recuperãdę fęlicitatis. Pertinet etiã ad firmã, & ſtabilẽ fortunã, Pſ. 89. 3. *Miſericordia ædificabitur in cælis.* durabit ad æternitatẽ; fixa erit, firmaque apud Deũ. ſic hoc loco, *ædificaberis*, alta, firma perpetuę fælicitatis pones deinceps fundamẽta. Obſervatio Cajet. nihil utilitatis ſolidæ continet. putat enim dictũ ab Eliphaz *ædificaberis*, quod non habiturus ſit bona ſimul omnia, ſed ſucceſsive inſtar domus, quę paulatim ędificatur. certe potius ex Dei Omnipotentia polliceri illi videtur fore, ut facile ad bonorũ, & fælicitatis omnis culmẽ, & faſtigiũ provehatur. Philippi interpretatio, non favet Cajetan. nam quod ille ait; *ædificaberis, id eſt, quotidie reparaberis*, ad quotidianum incrementum, poſt ſemel adeptam priſtinã fælicitatem pertinet.

A Edificare, ad fælicitatem.

Philipp. Cajetan.

3 רחק

Et longe facies. elongabis, relegabis procul a te, *iniquitatẽ*, ſive peccatũ, & ſcelus, ſive peccati pœnã: nam alterum alterius comes eſt. Hac (inquit) ratione omnes ærumnas, & calamitates avertes *a tabernaculo tuo*, domo, familia univerſa. Sic Pſ. 102. 12. Cũ de Divina benignitate remittente ſupplicium ſermo ſit, *Lõge fecit a nobis iniquitates noſtras*, abegit furias, & ſupplicia, atque pœnas ſponte in nos incurrentes, erecto, & vibrato jã flagello; ſicut miſertus *eſt Pater Filiorum*.

XXIIII. Dabit pro terra ſilicẽ, & pro ſilice torrentes aureos.

1. *Fundamentũ ad fortunæ ſtabilitatẽ.* Terra *pulvis minutiſsimus, & inſtabilis;* Silex *quid: turres & arces quondã raræ: Iuſtorum cuſtodia.*
2. *Divitiæ fortitudo, & munimentum. Hyperbole. Explicatus Paralipomenon.*
3. *Varia expoſitio, & divitiarum amplificatio.*
4. *Germana interpretatio. Deſcriptio reſtitutæ fælicitatis. Illuſtratur Iſaias.*
5. Ophir *ubi terrarum, Aurum obrizum.*
6. *Aurum varius modis capi, in* Ophir *fodiri, & piſcatu comprehendi.*

I

DAbit Deus tuis ęrũnis finẽ, atq; tuæ fælicitati reſtituendæ fundamenta firmiſsima, ut cum ædificeris, nunquã iterum corruas, neque ulla ærumnarum tẽpeſtate labefacteris. in Hebræo per ſecũdã perſonam imperativi. *Tu ipſe pone*. id eſt, pones, jacieſq; tuæ incolumitatis fundamenta ſupra petram firmiſsimam. Septuaginta: *Poneris*. Complutenſes: *Sedebis*. firmitatem & ſtabilitatem hæc omnia indicant. *Pro terra*, pulvere, ſuprema terræ parte, minutiori, & ſubtiliori, & arenæ inſtar ſolutæ, minimeque cohærentis, & ad ædificii cujuſpiam fundamentum ineptæ, in qua adhuc exædificaſti tuam iſtam priſtinã, & minime ſtabilem fælicitatẽ, nunc e contrario habebis *ſilicem*; proprie munitionem, robur, firmitatem. nã hæc omnia affert vox originalis. Ergo, ut Septuaginta legunt; *Poneris ſuper aggerem in petra*; id eſt, ut Nicetas interpretatur; *Tuto, atq; cõſtanter in terra commorabere*. Cajetan. paulo demiſsius; *Ita ædificaberis, aut ædificare poteris, ut erigas munitiſsimam domũ, in qua degas ſecure, velut in munitione & fortalitio.* Philippus paulo ſpiritualius; Non inniteris deinceps terrenis, & fluxis reb⁹, ſed Deo petræ fortiſsimæ, atq; duriſsimo ſilici, qui te munitum reddat adverſus omnes malorum impetus. ſicut Scriptum eſt de viro juſto; *Qui ambulat in juſtitiis, & loquitur veritatem* (id eſt, qui omnẽ iniquitatẽ procul a ſe relegat) *iſte in excelſis habitabit, munimenta ſaxorum ſublimitas ejus*. id eſt nũquam is trepidabit metu, ſed firmus conſtanſq; in præcelſo, firmiſsimoque propugnaculo, & rupe undique pręrupta conſiſtet, unde deſpiciet inferiores omnes hoſtium conatus; nam ad illius altitudinem nemo poterit evadere. Sic igitur ſuos juſtos Deus Divinis præſidiis ſepit, ac ſuæ potẽtiæ ſempiternis mœnibus includit. Vatablus hanc etiam partem ad affluentiam opum, inſigniſque potentiæ refert: *Adeo (inquit) creſcere te faciet Deus, ut munitionem, ſive turrim ædifices in terra*; nam forte tunc temporis arces, & munitiones raræ, nõ niſi a potẽtiſsimis Principibus erigebantur.

LXX Complut.

Terra pulvis.

בצר

LXX.

Nicet.

Cajet.

Philipp.

Iſai. 16.

Iuſtorũ firmitas, & conſtãtia.

Vatb.

At Hebræi, ut R. Moyſes, atq; R. Mardochai hãc partem ita legunt; *Pones ſuper terram aurum*. Licet enim vox originalis proprie turrim, aut munitionẽ ſignificet, ſed tamẽ per turrim, aut munitionẽ, exi-

ſtimãt ſignificari opes, & aurũ; *Quia* (inquit R. Moyſ.) *aurum eſt munitio, aut turris fortis.* Ergo *ponere ſuper terrã aurũ*, ſignificabit auri copiã incredibilẽ, ita ut velut viliſsimus pulvis, aut lapides contemnatur. Similis profectò Hyperbole de divitiis Salomonis. 3. Reg. 10. 21. *Omnia vaſa erant aurea, & univerſa ſupellex, non * erat argentũ, neq́; alicujus pretii putabatur in diebus Salomonis.* & 20. Paralip. 1. 15. *Præbuit Rex argentũ, & aurum in Ieruſalẽ, quaſi lapides.* Sed hæc noſtra multo major Hyperbole. Poteris (inquit Eliphaz) dare, habereq; aurum, quaſi lapides, qui ſunt ſuper terrã. Vatab. *Non Pluris facies aurum, quã lapides.* aut illi, ut tum firmitatẽ, tum opes polliceatur, promittit fore, ut ex auri glebis poſsit firmiſsima ſuę fęlicitatis, futuræq; dom⁹ fũdaméta jacere. nõ ſolũ *plateas, & muros aureos erigere.* Quo quid ad fælicitatẽ majus, ubi ſimul opes cũ ſecuritate, & perpetuitate junguntur?

R Moyſ.

* No ſe ſervia de plata, por q̃ no ſe hazia caſo della.

Vatab.

Fælicitatis, & opulentię periphraſis.

3 *Et pro ſilice torrentes aureos.* Nicet. *ex Sophir, ubi aurũ gignitur præſtantiſſimũ, ac lapides pretioſi, aurum cũ amne fluens ad te permanabit.* Videlicet exundãtes opes ad te uſq; pertingent. Duriuſculũ, quod Vatab. ex aliis refert; *Habebis tantũ auri, ut æquare poſſis montẽ, unde oriuntur multa flumina.* Non ineleganter epiſcopus Algarbiẽſis: *Opes eximias ſub terrã abditas effodies, & ab exciſa ſilice auri puriſsimæ venæ tibi, quaſi aquæ perennes emanabunt.* Paulo argutius, quod Cajet. interpretatur: *Tãta* (inquit) *auri copia promittitur, ut petras ædificii tegat auro.* nã quod auro tegitur, perennis quędam auri ſcaturigo videtur. Sed omnium optime Symmac. * *In ſilice quaſi rivos auri primi*, vel. *quaſi venas*, aut *fiſtulas*: ex tuę domus fundamẽtis effluẽt rivuli aurei: ſicut enim, cũ effodiuntur altiſsima fundamẽta, ſolent multę aquæ ſcaturigines ebullire, atque exilire, quę interdũ prohibẽt altius infodere; ſic ſane, cum jeceris fundamentum, non aliæ tibi ſcaturigines erunt obviæ, quã auriferæ, quæ exhauriri nunquam poſsint. Nũquam igitur tibi ad ingentes ædificandi expenſas deficient ingentes divitiarum cumuli.

Nicetas.

Vatab.

Oſerius.

Cajet.

Symmach.

* Acerraras, a edificar ſobre mõtes de oro.

4 Sed in hac ego interpretum, non valde diſſentiẽte varietate, exiſtimo fieri cõparationẽ priſtinæ cũ futura fælicitate, ita ut tanto ſtabilior futura ſit ſecũda, quãto firmior, & durior eſt *ſilex, pulvere* minutiſſimo; tãto etiã locupletior auri, & argẽti, & bonorũ omniũ, quanto *aurũ* pretioſius eſt petra, aut *ſilice*. Omnia igitur inſtaurãda, & cõmutanda in melius pollicetur Eliphaz. Tum etiã neſcio quid adverſæ,

Cõmutatio in melius promiſſa laſtis.

Terra res vilis, & adverſa.

lugubriſque fortunæ, quã nunc experitur Iob, indicat illud *terræ*, aut pulveris nomẽ. *Sedet* enim *in pulvere*, & terra, ut hominẽ miſerrimum in luctuoſiſsimo ſtatu decet. videtur igitur dicere; *Dabit tibi Deus coronã pro cinere, Oleum gaudii pro luctu; palliũ laudis pro ſpiritu mœroris, & ædificabit deſerta a ſæculo; & ruinas antiquas eriget, & inſtaurabit civitates deſertas, & diſſipatas in generationẽ.* Vbi ſtat⁹ infæliciſsimæ tribulationis, aut peccati, cum incredibili fælicitate reſtitutionis, atq; Divinę gratiæ elegãter deſcribitur. & iterum apud eundẽ Prophetã; *Pro ære aurum, pro ferro argentũ, pro lignis æs, pro lapidibus ferrum.* Vbi vides Dei Numine, & beneficio miſeris commutari omnia in melius. Sic hoc loco pro *terra ſilex*, pro ſilice *terrẽtes aurei*, nulla erit ruina, quam non inſtauret, & reſarciat Deus duplo majori, & firmiori bono.

Iſai. 61. 3. 4.

Iſai. 60. 17.

5 Duo hic tantũ obſervanda, aut potius indicãda breviter; primũ in Originali haberi: *Torrẽtes Ophir.* in Greco autẽ, *Sophir*, quã utiq; conſtat, eſſe regionẽ auriferam. unde dicitur aurum *obrizũ*, vel *ophirizũ*, quod *primum, puriſsimumq́; aurum*, non ſemel dicitur in Scriptura, neq; infrequens in illa mẽtio *Ophir*. Vbi autẽ terrarum ſit *Ophir*, in Affrica ne (ut hoc loco Orig. & Nicet. exiſtimarunt) an in India Occidẽtali, quęſtionẽ habet nõ omnino facilẽ, a qua nũc me expedio, expediturus dubitationẽ ipſam ad c. 38. ubi iterum etiã nolẽtibus occurret *Ophir*. nunc ſat ſit, quod Ioſeph. ait lib. 8. c. 2. Olim *Sophiram*, ſuo tempore *Auream terram nominatam.*

Aurũ Ophir.

Ophir ubi terrarum.

Nicet.

Origenes.

Ioſeph.

Terra aurea.

Alterum in Cajet. gratiã, cum hic nominãtur *Torrẽtes Ophir*, indicari nõ effodi aurũ in *Ophir*, ſed fluere, & aurea grana, aut glebas etiã majuſculas ſimul cum arena colligi, aut retibus extrahi, inſtar piſciũ: nã ſicut multis modis provenit aurum, ita etiã non uno tãtum modo capitur; effodiunt illud, metunt, vindemiãt, expiſcãtur, venãtur, & quid non, Deus bone, ut aurũ cõprehendãt! Sed dicendũ de aureis fluminibus cũ res, & locus tulerit; nunc tãtum indicãdus ea de re Simõ Majol in ſuis dieb⁹ Canicularib⁹ colloq. 19.

Aurum multis modis capi.

Simõ Majolus.

XXV. *Eritq́; Omnipotens contra hoſtes tuos; & argentum coacervabitur tibi.*

1. *Varia lectio. Deus Iuſtorum robur.*
2. *Certa victoria nõ niſi a Deo. Dubius belli eventus.*
3. Coacervatio, *ad multitudinem, & copiã. Pertinet. Rurſus* erectio, & altitudo *de affluentia.*

tia. Varia lectio.

4 Deliciari *quid*. Sabbatum delicatum. *Deus non solum necessaria, delicias etiā concessit. Expiscatur Ieremias.*

5. *Deliciæ, quæ ex Deo percipiuntur, veræ, & solidæ: fallaces, quæ ex creaturis. Illustrat Salomō.*

6. Elevare faciem *cujus habitus.*

I

VIdetur certe hæc præcedentis sentētiæ expositio, nam pars parti respōdet: aut certe sententiæ præcedētis amplificatio; nā nunc iterum pollicetur Eliphaz mutationē, & fortitudinē, tum etiā, auri, atq; argēti affluentiam, & copiā. *Erit Omnipotēs contra hostes tuos.* Quod prop. in Hebræo legitur. *erit Omnipotēs, silex*, petra munitio tua. vel, *erit Saddai in munitionem*, aut, in robur tibi: is est *petra, & robur*, quę te exaltabit, ut superior evadas tuis hostibus; illius tibi *nomen*, præsentia, favor, erit *turris fortissima*, & arx munitissima, quę te ab hostiū impetu securū, ac tutum efficiet. Est hoc Dei cognomē in Psalmis frequentissimū, ubi David opē adversus hostes postulat, Ps. 17. 3. *Deus firmamentū* (petra). & retento nomine Originali. 2. Reg. 22. 2. *Dn̄s Petra mea, & robur meum, & Salvator meus.* Psal. 18. 15. *Dominus adjutor* (petra, propugnaculum) *& Redēptor.* Ps. 30. 4. *Fortitudo mea* (præsidiū, munitio) *& refugiū.* Ps. 61. 3. *Ipse Deus meus* (Petra, arx) *& salutaris meus.* Ergo ex adjunctis aliis nominibus, cum Eliphaz pollicetur Iobo Deū, petrā, & silicem, pollicetur illi Refugiū, Robur, Salvatorem, Redemptorē, salutē, & quicquid illū adversus omniū malorum catervas tueri possit. Nunc iterum Hebræi munitionem, & fortitudinē usurpât pro *auro*. Legit ergo Vatab: *Aurū tuū erit Omnipotens, id est multum, & ingens.* nā addito *Dei* nomine significant Hebræi, quod magnū, & excellens est. Sed utique nunquā ejusmodi exaggeratio, aut amplificatio orationis ita fit, ut aliqua res dicatur *Deus*, sed *Dei*; hoc autē loco non dicitur *fortitudo Dei, Omnipotentis*, sed *fortitudo Deus, Omnipotēs.* Non longe ab hac ipsa lectione Cajetan. legens; *Erit Saddai in thesauros tuos*. bene; nisi abjecte, & humiliter *Thesaurorū* nomine intellexisset *recōditos fructus agrorū, frumentum, hordeū, fructusq; animaliū, lanā, caseum.* Sed omniū optime illuminavit Interpres *Erit Omnipotens contra hostes tuos*, consentiētibus etiā Septuagin. *Erit adjutor ab inimicis*, ita ut cū Divinorū bonorum copia redūdes, illius quoque potentia, & fortitudine muniaris; nō jā Kaldæos, nō Sabæos timebis: non solū te ille defendet ab hostium impetu, sed te fæliciter, & in pace agentem invadet ille hostes tuos. Propterea nunquā cum hoste incerto Marte pugnabis, sed fælici eventu, & certa spe victoriæ.

2.Reg.22.2.

Prov.18.10.

Dei cognomē Petra.

Vatab.

Cajetan.

LXX.

2

Deus pugnās pro justis nō dubio Marte.

Inter hujus vitæ promissiones vix ulla frequentior, & amplior fieri justis a Deo solet in Sacris Litteris, quam victoriæ, & triūphi reportandi de hostibus. ea re suorum justorū peculiarē Providentiā habere, & se Omnipotentē adversus omnium mortaliū vires, & industriā declarat De⁹. Nam quid belli fortuna, & eventu magis dubium, & incertum? quis vero certum eventum, & fælicē efficere possit, nisi Divina Providentia, atque potestas? *Varius enim eventus est belli.* &,

Promissio victoriæ a Deo.

2.Reg.11.24.

Fortuna belli semper in ancipiti loco est.

Senec. in Thebaid. act. ultim.

Ac *nusquā minus, quā in bello, eventus respōdent.* Propterea, & se bellorū verissimum Martem, & largitorem victoriæ semper vult Deus coli. de quo illud quoque est;

Liv. lib. 30.

Qui & fortē virū terret, & aufert victoriā
Facile, hic autem ipse excitat pugnare.

Hom. 4. Iliad.

Ergo certa victoria neque promitti, neque obtineri nisi ab *Omnipotente* potest.

3

Et *Argentum coacervabitur tibi.* Hic iterum Hebræi, & Hebraizantes dissentiunt ab Interprete; Illi legunt: *Argentum fortitudinum tibi*, ut Cajeta. & Regi. vel, *Argenti fortitudines tibi*, ut Complutens. vel, *Argentum erit in fortitudine tibi*, ut Pagn. vel, Argentum fortitudinis tibi, ut Forst. vel, *in fortitudine, & multitudine erit tibi*, ut R. Abraham junior. Et certe videtur esse Hebraismus, quem Latinus Latine exprimet; Tibi erit argēti magna vis, magnaq; copia. Sed Vulgatus eleganter dixit; *Coacervabitur:* nam sicut radix, *Iaghaph* significat ita defatigari, & lassari, ut se homo erigere non possit, aut vires exerere; ita nomen, *Thoghaphoth*, inde pullulās, cōtrariā habet significationem; significat enim erectionē, & quasi roboris atque viriū manifestationem. Quare & legi hoc loco potest; *Argēti erectiones tibi.* Quid autem est *argēti erectio*, aut, *fortitudo, & vis*, nisi multitudo, & coacervatio illius? Eandē sane vocē dixerūt Septua. *Altitudines*, Ps. 95. 4. *& altitudines montiū ipse cōspicit.* ubi alii legūt: *Fortitudines montiū.* Quid enim sunt *fortitudines montiū*, nisi illorū altissima, & præcelsa cacumina? e contrario vero cū Interpres dicere posset Num. 23. 22. *Cujus altitudo, & erectio, similis est Rhinocerotis*; Sapienter dixit; *Cujus fortitudo*; nam erectio, & altitudo cornu Rhinocerotis, est illi⁹ robur, & fortitudo. Ergo cū hoc loco altitudines, erectiones, coacervationes in cumulos valde exaggeratos argēti pollicetur Eliphaz, existimavit R. Moseh

Cajeta Regia, Complut.

Pag. Forster.

R. Abraham.

יעף

תועפות

Vox Hebræa contrariarum significationū

R. Moseh.

pollice-

polliceri môtes aureos,& argentos; nam legit; *Argentũ tibi, tanquã montes*, Quare languet Vatab.lectio; *Argentũ duplex erit tibi.* neq; scio unde illam haurire potuit. Iam quod habet Tyguri. *Habebis argentũ purgatissimum*, certe ex Septua.desumptũ est; nam legunt: *Purum reddet te* (Deus) *tã quam argentum examinatum igni.* illã enim *fortitudinẽ argenti*, ad fortem, & vehemẽ tẽ purgationem,& acre illius examen referunt, ut ad ærumnarũ patientiã hortetur, quibus perpurgatus atq; emaculatus animus, *argẽti igne examinati* nitorẽ imitatur. Ita ut Eliphaz promittat externũ omnis gloriæ,& opum splendorẽ,& internũ omnis Sanctitatis, & pietatis candorẽ Iobo resipiscenti. Sed quam longe,quam aliene, quã humiliter, & abjecte Hebręus ille apud Cajetanum, qui in re tam seria tam gravi,nescio quid leve,& vile mercimoniorum faciundorum, & lucri comparandi confingit! *Promittit* (inquit) *recondendas copias tantas*, ut vendere possit, & argentum inde cumulare.

Vatab.

Tygu.

LXX.

Psal. 11. 7.

Cajetan.

℣. XXVI. Tunc super Omnipotentem deliciis affl*ues*, & elevabis ad eum faciem tuam.

4 IAm itaque non sceleri, & pristinæ iniquitati innixus, sed Divinæ Potentiæ, & opi, *Sâddai* Largitori bonorum omniũ, qui dat omnibus affluẽter, & non improperat; *Delitiis afflues*, deliciaberis, delectaberis:nã his modis aliis in locis, idem verbum vertitur ab Interprete. Sonat etiã aliquid delicatum, & molle, & ex eodẽ Interprete Devt.28.56. Isaiæ 58. 13. *Et vocaveris Sabbathum delicatum.* id est, delicate, & tenere tractaveris diem Sabbathi, non exercendo in illo res laboriosas, & asperas, sed illa tantum, quibus Deus delectatur, oratione, pia lectione, misericordiæ operibus. Sic igitur ait hoc loco: *Delectaberis super Omnipotentẽ.* Id est, Omnipotẽs te delicatum, & tenerum dicet; molliter & delitiose te tractabit; non aspere, neq; severe te exercebit laborib⁹, & ærumnis. Sic Ierem. 6. 2. Cui jam non delicate, & molliter tractandã a Deo Ierusalem, sed severissime prædicit Vates; *Speciosæ, & delicatæ* (adhuc cũ deliciis affiueres meo beneficio, & ope) *assimilavi te, Sion.* Deinde vero bellum,& supplicium vehemẽs denuntiat) *Sanctificate super eam bellum*, &c.

Saddai

ענג

Deus delicate tractans Iustos.

Cum vero *delicias* promittit, plura etiã bona, quã quæ necessitas humana exigit, pollicetur: nã & Deus non necessaria solum, sed quæ jucunditati, & honestę voluptati essent, cõcessit mortalibus. Quod eleganter quoq; Seneca adversus Epicurum Divinæ Providentiæ beneficia tollentẽ, scripsit; *Vnde* (inquit) *hæc innumerabilia oculos, aures, & animum mulcentia? neque enim necessitatibus tãtummodo nostris provisum est, usque in delitias amamur.*

Deliciæ ultra necessitatem a Deo cõcessę.

Sen. lib. 4. de benef. c. 5.

5 Sed quã eximia illa animi lætitia,& voluptas,quam quis ex Deo percipit, nõ ex iniquitate, aut ex rapina, aliove scelere, aut vanitatis studio! & verę istę profecto, & perpetuæ deliciæ: nam cæteræ, deliciæ quidẽ sunt *filiorũ hominorum*, sed cũ ingẽti animi mœrore, & sollicitudine ita temperatæ, ut qui illas *delitias*, aut voluptates nominet, certe erret sicut Scriptum est; *Dixi ego in corde meo vadã, & affluam deliciis, & fruar bonis. Risum reputavi errorẽ, & gaudio dixi, Quid frustra deciperis?* Hujusmodi sane deliciæ stultum, & a vera voluptate errantem decent; nõ illæ, de quibus Sapiens affirmat: *Non decent stultũ deliciæ*; sed flagella, sed vibices, sed supplicia: illæ videlicet, quæ ex Deo capiũtur, quas pollicetur ipse afflictis, & miseris, atq; lugentibus, quos velut infantulos plorãtes ube ribus delitiarum applicitos consolatur, & recreat, ut post labores, & lachrymas, *sugãt, & repleãtur ab ubere cõsolationis ejus; ut mulgeant, & deliciis affluãt ab omnimoda gloria ej⁹.* Super Omnipotentẽ profecto post ęrumnas, affluebat delitiis, quę *ascendebat de deserto deliciis afflũes, innixa super dilectũ.*

Vera & solidæ ex Deo deliciæ.

Ecclesi. 2. 8.

Humanæ deliciæ cũ mœrore cõjunctę.

Ecclesi. 2. 1. 2.

Prov. 8. 19.

Lugentibus promissæ deliciæ.

Isai 66.

Cant. 8. 5.

6 *Et elevabis ad Deũ faciem tuam.* Cũ te videris Dei beneficio, & Numine opulentũ & bonis omnibus cumulatum, cum animi voluptate incredibili, cõcipies simul fiduciã cum Deo agẽdi familiariter, ut a quo non obscura illius benevolentiæ documẽta acceperis. *Faciei elevatio*, orantis habitus esse solet. quare ad Orationem hunc locum referunt plerique Interpretes; idque non male cohæret cum sequentibus. & vero sublatis manibus, & erecto vultu solebãt peragere preces; De *Manibus* plura olim diximus. de *oculis*, & *facie*, uti orabat Sara Tobiæ uxor, Tobiæ 3. 14. *Ad te Domine faciem meam converto, ad te oculos meos dirigo.* & apud prophanos.

Hoc recto vultu solum hoc, & pallidus optas.

Et rursus;

At Pater Anchises oculos ad sydera lætus
Extulit, & cælo palmas cum voce tetendit.

Sed illud videtur simplicius, ut *elevatio faciei ad Deũ*, afferat erectionem, & fiduciã cõstantis animi, bene erga Deum animãti, & de illo in bonitate sentientis: Quare elegan-

Faciei elevatio in Oratione.

Iuven. Sat. 10.

Virg. 11. Aen.

Elevata facies ad constãtiã.

elegāte paraphraſi locū hunc illuſtrarunt Septuag. *Fiducialiter ages coram Domino, in ſpiciēs cælum hilariter*, ut quod in te non jā ignem fulmina, grandinē jaculabitur, ſed benigne, ſed molliter pluet, perfunderq; te, quaſi ex *aperto Theſauro* affluēte bonorum omniū, ſalutari imbre. Ideo qui Redemptorē, redemptionemq; ſuam e cælo expectant jubentur in cælū *reſpicere, & levare capita ſua*, Luc. 21. Quem peccati cōſcientia condēnat, is ſane neq; ad judicē, neq; ad judicis ſublimē cælorum ſedē libenter elevat conſpectū; ſed potius; *avertit faciē ſuam, ne videat cælū, & non recordetur judiciorū juſtorum*. Sic videas Cainum *concidente facie*, preſſum pondere malę cōſcientiæ; Cui dictū eſt; *Nōne ſi bene egeris, recipies*. prop. ex Hebræo: *ſi bene egeris, elevare*, vel, *levabis*. aut, *attolles*, aut *exaltatio* tibi. Quare illud etiā ad cōſcientiam patratæ noxæ adverſus hominē pertinet. 2. Reg. 2. 22. *Recede, ne forte cōpellar confodere te in terram, & levare non potero faciē meam ad Ioab fratrē tuū*. Non aliter qui dicebat; *Propitius eſto mihi peccatori, neq; oculos audebat ad cælū levare*. Eleganter hoc loco Philip. *Non ream; neq; incurvatā deorſum mala conſcientia, eriges ad Deum animam tuam; & dices; Ad te Domine levavi animā meā Deus meus in te confido, non erubeſcā*. Quodſi hāc *elevādi faciem*, rationem omnino cū priori hemiſtichio conjungamus, poterit eſſe elegans præcedentis expoſitio; Ex Deo jā delitias, & opes emendicabis; ab illo tantum expectabis bona, ideo elevabis ad eū faciem, ut ſervi ſolent attollere oculos *ad faciē*, & *manus Dominorū ſuorum*. Sapienter Theodore. id Pſal. proxime adducti explicat; *Ex tuo auxilio pendeo*. Memini me de hac phraſi nō pauca dixiſſe c. 10. Verſ. 15. & c. 11. Verſ. 15.

Periphraſis cōſcientiæ ſceleris.
Dan. 13. 7.
Geneſ. 4. 5. 6.
Vatab.
Regia.
Luc. 18. 13.
Philipp.
Pſal. 24. 10.
Pſal. 122. 2.
Theodoret.

☞ XXVII. *Rogabis eum, & exaudiet te; & vota tua reddes.*

1. Exaudire *quid. Deum propitiū audire, reſpicere, adeſſe. Explicatus Iſaias. & locus Regum.*
2. *Rituſ, & religio nuncupandorum votorum antiquiſſima, etiam ſub conditione.*
3. Vota *inter precandum concepta: Genibus Deorum affixa.* Genua *miſericordiæ ſymbolum.*
4. Reddere, *debiti eſt. Votum Deo creditori reſtitui, & perſolvi. Varii priſcorum ritus.*
5. *Vota quæ ſolvūtur rata, & firma. Illuſtrat. Iſai.*

I
Sentētiæ paraphraſis.

Fiducia, & alacritate de Dei benignitate, & bonitate cōcepta, & conſcientia ſceleris inſcia erectus atq; excitatus, orabis Deum, & piis precibus illū coles. Ille vero propiti⁹ oranti annuet, atq; beneficio, & præſtita ope oſtendet benignas, benevolaſque aures tuis votis tribuiſſe. Quem Deus deprecantē, voti cōpotem nō efficit, cēſetur nō exaudiſſe, cū erga illum ſe habeat ac ſi minime audiret. Vox *exaudiēdi* hoc loco non eſt, quæ alias reſpōdere; ſed *audire*, acquieſcere, obedire; quod ad impetrationē utique etiam pertinet. Quæ Iovem concedere petentibus credebant, illa ipſa *ſentire* Iovem dicebant, cæteraq; numina *audire*. ut in extremo illo ſæculari carmine Horatii;

Deus audiēs præſtita ope.
שמע

Quindecim Diana preces virorum
Curet, & votis puerorum amicas
Applicet aureis.
Hæc Iovem ſentire, Deoſque cunctos,
Spem bonam, certamq; domum reporto.

Horat. extreme Epod.

Et id ſacrificātis ſacerdotis, ſonitumque quaſi ad preces auditas reſpondentium Deorum Manium percipientis;

—— Audior, vates ait,
Rata verba fudi. ——

Sen. in Oedip. act. 3.

Et illud.

Huc ades, atque audi placidus, Neptune, precantem.

Ovid. 8. Meta.

Certe *adeſſe* Deum ſacrificiis, & precibus, *audire* etiam optabāt, atq; etiam *reſpicere*. ut ille Deorum, atque hominum benevolentiam ſibi ipſi gratulatus, inquit;

Dii me, homineſque reſpiciūt, bene ego hinc prædatus ibo.

Plaut. in Rudent. act. 5 ſcæna 2.

Hę quoq; in precationibus exorandi formulæ in Sacris, & Dei propitii, & poſtulatis annuentis, *Adeſſe, Reſpicere, Audire*. Iſaiæ. 58. 9. *Invocabis, & Dominus exaudiet* (explicatur idem per Dei præſentiā) *Clamabis, & dicet, Ecce adſum*. *Adeſſe* igitur, & *exaudire*, idē. *Reſpiciendi* exempla paſsim occurunt; ſed illud inter cętera illuſtre 3. Reg. 8. 19. *Sint oculi tui aperti ſuper domum hanc, ut exaudias orationem, &c.* & rurſum; *Reſpice ad orationē ſervi tui, & ad preces ei⁹.* *exaudire* igitur, & *reſpicere*, idem; nā *reſpicere ad orationem*, niſi exaudiendo nō poteſt; quare quæ in 3. lib. Reg. 18. 24. dicitur *exaudire per ignē*, id eſt, Deo præbente ſignificationem auditarū precum, immiſſo cęlitus igne ſuper ſacrificium; dicitur Gen. 44. *Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus*. Quod igne cęleſti vorante ſacrificiū Abel, veroſimile eſt accidiſſe. Sed *exaudiēdi* uſurpatio frequentiſsima, & unū illud. c. 3. Reg. centū exempla ſuppeditabit. At cur potius, atq; frequētius *exaudire* Deus dicatur, quæ petentibus concedit, quā *reſpicere*, aut *adeſſe*, dicā (ne hic lōgior ſim) cū primū occurrerit loci opportunitas.

Deum propitiū adeſſe, audire, reſpicere
Exaudire per ignem.
Deum reſpexiſſe ad Abel cæleſti igne.

2
Sententia dilucida.

Et vota tua reddes. Si unquam pro impetranda aliqua re, aut avertendo aliquo diſcrimine, votum aliquod conceperis, ac

Deo nũcupaveris, ratum illud erit, acceptumque Numini: proptereaq; re jam accepta, & accepto beneficio lætus, atque hilaris votum perſolves. Meminit autem votorũ nuncupãdorum Eliphaz, quod ea fuerit precandi, & venerãdi Numinis religio, & cultus apud nationes omnes frequentiſsimus. Ex Sacris Geneſ.28.22. *Vovit Iacob votum dicẽs, Si fuerit Dominus mecum, &c. decimas offeram, &c.* Nam quæcũque res ad Dei honorem oblatæ pro quavis re impetranda, voveri poterãt; Templa, Ludi, Sacrificia. *Sed decimã partẽ prædæ*, aut rei alicujus conſequutæ offerendã vovere, ſolemne fuit, quale eſt illud Livii lib.5. Camilli Dictatoris egrediẽtis ad bellum; *Tuo ductu, Pythice Apollo, tuoq; Numine instinctus pergo, ad delẽdam urbẽ Vejos, tibiq; hinc decimam partem prædæ voveo.* Et ſicut Iacob ſub cõditione votum nuncupavit, ita ſane ſolennis erat votum ſuſcipiẽdi formula, qua Appius ille in medio pugnæ diſcrimine, ſublatis in cælum manibus, votum in hæc verba concepit: *Bellona, ſi hodie nobis victoriam duis, aſt ego templum tibi voveo.* Simile, quod Ovidius Augusti votũ pro ultione paterna ſuſceptũ; Marti auctori ſub cõditione nuncupavit;

Votorum ſacrorũ religio, & uſus antiquiſsimus.

Decima pars prædæ voveri ſolita.

Votũ ſub cõditione.

Livius lib.10.

Ovid.5.Faſt.

Si mihi bellãdi pater eſt, Veſtæq; ſacerdos
Auctor, & ulciſci numen utrumq; paro:
Tẽpla feres, & me victore vocaberis ultor.

Ergo & Iobi tempore, & multo etiã antiquius votorum ſuſcipiendorũ religio viguit, atque in univerſas nationes, modo Divini Numinis nõ ignaras, permanavit. Faceſſant Sacrorum votorum impugnatores impii, Athæi, nihil ſui Sacrum, & ſanctum Deo, ſibi, Dæmoni omnia volẽtes, conſecrantes.

Votorũ impugnatores impii.

3 Se elegãter *vota* junguntur cũ *precibus*, quod inter precãdum, & ſub formula etiã precum conciperentur. Quare & Latini plerumque *preces, & vota* cõjungunt: atq; adeo Voventium idem omnino habitus, qui & Precantium; ut ex illo Appii voto nuper adducto manifeſtum eſt. atq; ex illo, quod Sene. lib.4. de Beneficiis contra Epicurum Athæum ſcribit; *Hoc dicit, qui nõ exaudit precãtium voces, & undique ſublatis in cælum manibus vota faciẽtium privata, ac publica.* Propterea ſicut inter precandum *Genua tangebant*, quæ miſericordiæ ſymbolũ ſunt, ita & vota in fœmore, genuve Deorum cera adſigere, atq; obſignare ſolebãt, ut indicat Plinius ſcribens ad Trajanum; *Solennia vota, pro incolumitate tua, & ſuſcepimus, Domine, pariter & ſolvimus precati Deos, ut velint ea ſemper ſolvi, ſemperque ſignari.* Hoc de *ſigno*, illud de Genu,

Vota inter precãdum cõcepta.

Cic. pro Plan. & 1. de natura Deorum.

Sen. lib.4. c.4.

Cur vota affixa genibus Deorum.

Plin. Epiſt. ad Trajan. lib.10. Epiſt.44.

& cera apud Iuvenalem.

Ergo ſuper vacua, aut pernicioſa petuntur,
Propter quæ fas eſt genua incerare Deorũ. *Satyr.10.*

Ad Deorum autẽ *genua* manus tẽdi, atq; attingi a ſupplicibus; cũ alias latius, nunc ex Plinio tantum lib.11.c.45. *Hominis* (inquit) *genibus religio quædam ineſt, obſervatione gentiũ: hæc ſupplices attingunt, ad hæc manus tendunt, hæc, ut aras, adorant.* Ergo recte Eliphaz cum *precibus vota* Deo nũcupanda conjungit, & ſub hac ipſa voti nũcupatione, *Divina* Iobo beneficia pollicetur: nã, ut Seneca dixit de votis Deo nuncupatis, differens adverſus eos, qui Divinam Providentiã tollunt; *Quod profecto nõ fieret, nec in hunc furorẽ omnes mortales cõſenſiſſent alloquẽdi ſurda Numina, & inefficaces Deos, niſi noſſent illorum beneficia, nunc ultro oblata, nunc orãtibus data, magna, tempeſtiva, ingentes minas interventu ſuo ſolvẽtia.* Senties igitur, o Iob, Deum erga te beneficentiſsimum.

Plin.

Vota pro accepris beneficiis

Sen. lib. 4. de benef. c.4.

Reddes. Reſtitues, debitũ ſolves, lætus, atq; hilaris votum perſolves, minime pertæſus nuncupati: namq; *votum*, quod hoc loco eſt in originali, nõ tam ſignificat liberã, aut ſpontaneam oblationem, quam promiſsionem Deo factã, qua ad ſolvendũ quis obligetur, & conſtringatur. Quare nõ video cur Ioannes Forſterus vir, alioqui doctus, & bene de Hebraica lingua meritus, verbum *Nadar*, a quo deducitur *votum*, dixerit non eſſe debitæ, ſed liberæ voluntatis; præterquã enim quod cõfundere videatur diverſas voti ſpecies, & formas, & tollere eam, quæ ſub conditione aliquid promittit Deo, convincitur tamẽ erraſſe ex loco Levit.7. 16. ubi votum diſtinguitur ab ſpontanea oblatione. *Si voto, vel ſponte quiſpiam obtulerit hoſtiam, &c.* Tũ etiam ex verbo *Salã*, quod eſt *reddere*, retribuere, ſolvere debitum. & per conſequẽs, ſignificat eſſe in pace, nam perſoluto debito dicimus creditorem atq; debitorem in pace manere. Quare poſt petitionem jam, & preces obtẽtas efficimur Deo debitores voti, tanquã creditori, exigenti debitum. Propterea enim monemur; *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere; diſplicet enim illi infidelis, & ſtulta promiſſio.* Quare quouſque votum perſolveretur, votorum compotes, voti reos appellabãt aut voti damnatos. Quod eleganter docet Macrobius lib 3. Saturnalium. cap.2. tractans illud AEneidos.

4

I. Forſter.

נדר

שלם

Deus creditor, & exactor voti.

Eccleſ. 5.3.

Voti reus.

Macrob.

Virg. 3. Aen.

Vobis lætus ego, hoc candentem in littore taurum,
Conſtituam ante aras voti Reus. = = = = =

Hæc (inquit Macrobius) *vox propria ſa-*

crorum eſt, ut reus vocetur, qui ſuſcepto voto ſe numinibus obligat, damnatus autẽ, qui promiſſa vota nõ ſolvit. Illud quoq; in hanc rẽ illuſtre ex lib. 5. Livii: *Camillus identidem omnibus locis concionabatur, haud mirum id quidem eſſe: furere civitatem, quæ dãnata voti omniũ rerum potiorem curã, quam religione ſe exolvendi habeat.* Ergo cũ vota reddi, ſolvi, perſolvi dicuntur, proprie, & ex debiti ratione dictũ cẽſeri debet. Nihil apud prophanos frequentius;

Virg. in Cirim. *Debita cum caſtæ ſolvũtur vota Minervæ.*

atque illud;

Et Thure, & fidibus juvat

Hora. libr. 1. *Placare, & vituli ſanguine debito*

Cuſtodes Numidæ Deos. = = = = =

Deum autẽ in hujuſmodi debitis creditorem, atque debiti exactorem, illæ quoque loquutiones indicant, quę Deo *mereti*, aut *merito* reddi vota pronuntiãt, nã beneficio collato, quaſi ex pacto fœdere meretur Deᵒ promiſsũ votũ; quale illud eſt;

Ovid. lib. 5. Faſ. *Venerat Autumnus calcatis ſordidus uvis*

Reddantur merito debita vina Iovi.

Iterum.

Ovid. 1. Triſt. Eleg. 9. *Hæc ſi contigerint, meritæ cadet agna Minervæ.*

Vides igitur recte, & proprie verbũ *reddendi*, aut *reſtituendi*, aut *perſolvendi* in vota, & obligationes conceptas, Deoq; nũcupatas cõvenire: ne quis levem, aut inanem eſſe voti religionem, & obligationẽ ſtulte ſibi perſuadeat.

5 Vota rata, quę ſolvuntur. Sed cum *reddẽda vota*, Eliphaz dicit, rata omnino illius vota, Deoq; accepta fore pollicetur, & votorum omniũ compotem, ita ut nulla illius vota caſura; omnia valitura ominetur; neq; illius linguam ullas caducas preces concepturã. Hãc vero pollicitationẽ Eliphaz amplificat, & exaggerat lectio Septuagin. *Exaudiet te, & dabit tibi reddere vota.* Quod eleganti paraphraſi illuminavit Origenes; *Si Deo ullius te voti, promiſſive, religione obſtrinxeris, ille ipſe hoc tibi præſtabit, ut quæ illius cauſa ſuſcepiſti, poſsis perſolvere: ille enim eſt, qui operatur in nobis velle, & perficere.* Quare Dei benignitatẽ in conferẽdo beneficio, & benevolentiam in annuẽdo poſtulatis; Iobi vero fælicitatem in fruẽdo acceptis, pietatem, religionem juſtitiam in perſolvendo, ſententia hæc affert. Sicut & locus ille Iſaiæ 19. 21. Votorum perſolutionem pro exemplo religionis, & Divini cultus, cum animi quodã ardore, & alacritate exhibiti proponit; *Cognoſcẽt Ægyptii Dominum in die illa, & colent eum in hoſtiis, & in muneribus, & vota vovent Domino, & ſolvent.* Nã Divinis beneficiis cumulati, atque rei, cõpoteſque facti ſuorum votorum, votorumq; damnati, munera, hoſtiaſq; venerabundi largitori bonorum perſolvent.

(Margin: LXX. — Origin. — Dei benignitas. Iobi fides circa vota.)

XXVIII. *Decernes rem, & veniet tibi: & in viis tuis ſplendebit lumen.*

1. Decernere *quid proprie.* Verbum *pro re, aut cogitatione. Iuſtorum pollicitationes firmæ, & ſtabiles Deo annuente. Explicata Sapientia. Illuſtratus Iacobus.*
2. *Iuſtorum preces de rebus ſanctis, & utilibus. Nõ temere petendum a Deo.*
3. *Inutilia & temporalia videntur* nihil *eſſe. Explicatus Ioannes.*
4. Dei lumen *quid. Quid* hominis via.

I D*Ecernes rem.* Poterit eſſe præcedẽtis partis expoſitio; Decernes offerre vota, & Deus illa rata efficiet. &, ut ille dixit; *Nullas tua lingua caducas cõcipiet preces; ſed rata ſemper verba fundes.* Vel poterit eſſe ſententia minus ſtricta; Non ſolũ vota, quæ ſemel conceperis, rata erunt annuente Deo, ſed quidquid apud te ſtatueris, certo eventurũ ſperare poteris. *Veniet tibi.* a radice *Kum*, firmabitur tibi, ſtabilietur, firmum evadet, in originali proprie eſt; *Decernes ſermonem,* vel *verbum.* id eſt, rẽ quãcumque, cogitationes tuas, ſpes omnes nulᵒ caſus fruſtrabitur; quidquid mente conceperis, quidquid ore protuleris, ratum volet Deus: Evades itaq; illi ſimilis, cui *præparantur* (firmantur, ſtabiliũtur) *cogitationes:* & quæ ille ſemel decernit aut dicit, fiunt ſtatim; *Attingit* enim *a fine* (id eſt a principio, & cogitatione operis) *uſque ad finem.* id eſt vſq; ad perfectionem, & abſolutionẽ. Quodſi illã vocem originalem *Rei*, id eſt, *ſermonis*, & verbi, ſtricte, & rigide ſumere quis velit, cõmodum eliciet ſenſum; Dices, decernes, *Decides verbum* (nã ex Hebręo proprie eſt decidere, aut dividere, ut ſtatim dicemus) & *veniet*, id eſt, Pronuntiabis verbum, & illico fiet; dicto citius fies tuorum deſideriorum compos. Vel, ut ad fidẽ de re aliqua facienda referatur; Poteris rei cujuſlibet faciendæ, aut præſtandæ, præſtare * verbũ, fidem, certus fore, ut Dei ope, & Numine illam implere poſsis. Paulo ſtrictius, ſed non extra rẽ, Cajet. *Decernes futurũ aliquid te facturum.* Idẽ fere D. Thomas, *Ordinabis per tuam providentiã futurũ aliquid*, & quaſi rẽ non futurã, & incertã, ſed Divina jã volũtate conſtitutã illã habebis, de Divina benevolẽtia, & propria volun-

(Margin: Ovid. lib. 1. Faſ. — קום — 1. Reg. 2. 3. — Pſ. 8. 1. — Verbum pro ipſa voce. — *Podras dar la palabra de lo que quiſieres fiado, que Dios la cumplira por ti. — Cajet. — D. Thom.)

voluntate certus. nam, cũ de illius beneplacito dubium est, monet Iacobus Apostolus, ne certi aliquid, aut firmi in futurum statuamus, nisi præcastigatione adhibita, aut Divinæ Voluntatis aut vitæ comitis: *Ecce* (inquit) *nunc qui dicitis hodie, aut crastino ibimus in illam civitatem, & faciemus ibi quidẽ annum, & mercabimur, & lucrum faciemus (qui ignoratis quid erit in crastinum.) Pro eo, ut dicatis, Si Dominus voluerit, & si vixerimus, faciemus hoc, aut illud.* Ergo jubet, de futuris statuere dubios, & trepidãtes, atq; ex occulta nobis Divina voluntate, & beneplacito omnino suspẽsos. Quam religiosam Divinæ Volũtatis exceptionem agnoverunt etiam ipso naturæ lumine sanctam, servandamq; Ethnici, quibus in ore frequens illud erat; *Si Dii volent*, cum rem quampiam agendam decernerent. Tu tamen, o Iob (ait Eliphaz) si Deo adhæseris, ex Divina Volũtate posita in tuo ipsius verbo, rem quãpiã decernes, & veniet, nulla exceptione aut, præcastigatione adhibita, non minori constãtia, & fiducia, quam qui dixerit; *Vivit Dominus, si erit amnis his ros, & pluvia, nisi juxta oris mei verba*. Sic tu *decernes tua verba.*

Iacob 4. 13. & 15.

Dubie statuere de futuris debemus.

Divinæ volũtatis exceptio in rebus futuris decernendis.

Cic. 4. in Ver. Plaut. in Pœnul. act. 4. scen. ultima.

3. Reg. 17. 1.

Philippus.

Philippus nimium stringit sententiam hanc. *Rem* (inquit) *duntaxat justam, sanctã, honestam, quam a Deo petieris, obtinebis.* Sed nescio, cur tam angustũ sensum sententiç minime angustæ tribuat. Quanquam vera sane sit hæc expositio; sancti enim nõ nisi ea, quæ sancta sunt, a Numine precãtur. Et quidem cũ hac expositione facere poterit proprietas verbi Originalis, *decernendi* quod proprie significat, scindere, dividere, separare. Quare quidam hoc loco legunt: *Decides sermonem, & stabilietur.* id est, divides, separabis: nam quæ decernuntur post longam consultationem, & quasi consilii capiendi ventilationem, ab inutilibus secernũtur, separanturq; seorsum. Cujusmodi, etiã debent esse ea, quæ postulamus a Numine; non communia, neque sine prævia deliberatione, & consultatione, sed ab inutilibus, supervacaneisque desideriis separata, & decisa; sancta videlicet: Sic enim fiet profecto, quæ Dei est bonitas, ut *decernamus rem* utilem, *& veniat.*

Preces de rebus utilibus.

גזר

Illud vero in hanc ipsam rem obiter indicãdũ, ea postulata, quæ sancta nõ sunt, nõ esse *rem*, aut *aliquid*, *Quidve*. nã de his tantum. quæ spiritualia sunt, dictum est. *Si quid petieritis, &c.* Quæ enim ad animi profectum non pertinent; *rei non sunt*, nihil sunt.

Basil. lib. de Cõstant. monast. c. 2. Aug. tract. 102. in Ioan. D. Thom. Cajetan. Hugo. Dionys. Ioan. 16. 23.

Et in viis tuis splendebit lumẽ. Quidã Latini cum præcedente nectunt; Docebit te Deus suo lumine, Quid tibi faciendum, quid decernendum, quid postulandum, & orandum sit. Sed melius ad opis, & favoris Divini illuminationem; Vt nunquam vacilles in ullo opere, sermone, cogitatione, presens tibi semper aderit lux superna. Philippus breviter; *Lumen tibi erit Dei notitia, Dei visitatio, atq; protectio.* Quidquid egeris, collucebit Divino splẽdore; Origenes; *Cunctæ viæ tuæ directæ erunt, Divino lumine duce collustratæ, quin etiam illustria, & gloriosa tua erunt facinora.* Diximus de *viis* sæpe. de Divino *lumine*, non semel. dicturi quoque uberius aliquando.

Lumen favor.

Philipp.

Orig.

XXIX. *Qui enim humiliatus fuerit, erit in gloria; & qui inclinaverit oculos, ipse salvabitur.*

1. *Varietas lectionum, & Hebraizantium.* Gloria, *aut* exaltatio *pro superbia. Tertia persona pro secunda*
2. *Significatio verbi in cõjugatione Hipghil.* Gloria *quid proprie.*
3. Demittere oculos *cujus habitus.* Humilẽ esse in oculis suis, *quid.* Salvare *quid. Illustratus Samuel.*
4. *Tertia persona pro secunda. Sanctus suos vicinos servat.* Salvare, & salus *de Dei ope.*
5. Munditics *quid proprie. Prapositio* In.

NOn consentiunt Hebraizãtes in hujus sentẽtiæ lectione cum Interprete, & inter se dissentiunt, atque tenebras offundũt Vulgato Interpreti, qui sensum clarissimum reddidit. Ad verbum autem sic ex Hebræo legitur; *Cum humiliaverit se, aut illum, dices, Exaltatio, aut gloria.* Alii expungunt pronomen, atque legunt; *Si humiliati fuerint, dices, Excellens.* Vel, *Cum * humiliabũtur; dices, Exaltatio.* Quod in hunc sensum acceperunt; *Si humiliati fuerint impii, tu dices; Erectus ego.* Vel, *Cum humiliati fuerint* alii, *Tu dices; Exaltatio mihi.* ut polliceatur Iobo Eliphaz eximiã fælicitatem, impiis aliis, atque etiam hostibus suis ad extremum infelicitatis gradum præcipitatis. vel, ut dicat Eliphaz, tunc tãdem intellecturum Iob superbos, & elatos deprimi a Deo, & ad ingentes ærumnas abjici, cum se videat post pœnã suæ superbiæ humiliatum jam, ad fælicitatem exaltari. Quod expressit Tygurin. *Deprimuntur enim, quos dicebas elatos esse.* Cajetanus paulo aliter legit, & interpretatur: *Quia humiliaverunt, & dixisti, Celsitudinem*

I

Multiplex lectio, & interpretatio.

Regia. Pagn. Isidor. Vatab.

* En vieñdolos abatidos diras, sobervia era esta.

Tygur.

Cajetan.

tudinem, quod ad Chaldæos, & Sabæos refert; Cum illi humiliaverint te, o Iob, tamen adhuc tu te non humilias. Quare dicere *exaltationem*, erit ſuperbe loqui. Nomen, quod hic vertitur *gloria*, fere ſemper ab Interprete Latino vertitur ſuperbia, ut inferius cap. 33. 17. & Ierem. 13. 17. & quamvis in alio ſenſu, tamen ſignificatione eadem acceperunt Septuaginta legentes: *Quoniam humiliaſti te ipſum; & dices, Elatus eſt in ſuperbiam.* Id eſt hæc tibi bona cuncta ominor, cum te humiliaveris, dixeriſque te propter animi tui elationem tot mala perpeſſum. ubi Nicetas, obſervat, *quod cum de Iobo ſit ſermo, de alto quopiam videtur tamen loqui*. quanquam Auguſtinus per ſecundam perſonam legat: *Elatus es in ſuperbiam.* Hæc ſunt, tenebræ aliarum lectionum; quibus prælucet clariſsima Vulgati interpretatio.

גוה

LXX.

Nicetas.

Auguſt.

2 Pro cujus elucidatione notandum obiter, non eſſe quidem neceſſarium, ut omne verbum in cōjugatione *Hiphghil* duas actiones ſignificet; quando enim verbum in cōjugatione *Kal* fuerit intranſitivum, cujuſmodi eſſe poteſt verbum *humiliandi*, id eſt humilem eſſe, in *Hiphghil* tranſitiv erit ſimplici actione. quod ergo in conjugatione *Hiphghil* dicitur, *cum humiliaverint*, ſupple, *ſe*, recte, & clare vertitur in ſingulari, *cum quis humiliaverit ſe*: & rurſus, quod idem omnino eſt; *cum quis humiliatus fuerit*. Secunda etiam pars; *Dices, Exaltatio*; hunc ſenſum habet. Statim dicere poteris; Exaltationem futuram Dei ope. q. d. Nihil expectat Deus amplius ad tui reſtitutionem, & exaltationem, quam, ut te humilies; nam *qui humiliatus fuerit, erit in gloria. Gloria* autem hoc loco ex proprietate vocis eſt *exaltatio*, excellentia, decor, incrementū: quod & in bonum, & in malum indifferens eſt.

Sexta conjugatio Hebræorum.

שפל

גאה vel גוה

3 *Et qui inclinaverit oculos*. Septuaginta eleganter ex Hebræo: *Demiſſum oculis*, incurvatum; non cujus cor *exaltatum ſit*, & *elati oculi*; ſed qui, cū agnoſcat ſe peccaſſe in cælū, non audeat *oculos ad cælū levare*; *Sed humilibus omnibus conſentiat*. Habitus eſt erubeſcentis, & timētis: ſicut cōtraria omnia affert extollētia, aut ſuperbia oculorū, Pſal. 100. 5. & Pſal. 17. 28. & Pſ. 130. 1. Proverb. 6. 17. Eccle. 23. 5. & 26. 12. vid. quæ diximus ſupr. verſ. 26. Interior animi faſtus, & tumor per oculos, & per omnes externos geſtus ſe prodit; non enim is ſuperbiæ morbus eſt, qui latere, aut diſsimulari poſsit. Forte etiam demiſſus, aut *humilis oculis* ille appellatur hoc loco, nō qui demittat oculos ex modeſtiæ, & humilitatis affectu, ſed qui *in oculis ſuis*, id eſt, ſuo judicio, & exiſtimatione ſibi ipſi vileſcat, ut de ſe David, *demiſſus* utique in *ſuis oculis*, dicebat: *Vilior fiam, pluſquam factus ſum, & ero humilis in oculis meis*. Septuaginta; *Ero inutilis in oculis tuis, & cum ancillis, de quibus dixiſti, me non eſſe glorificatum*. nam qui vere humilis eſt in oculis ſuis, is in aliorum oculis non vult videri magnus. *Salvabitur*; *Humilē Dus eripiet* (Nicetas) *tētationibus, & ærūnis. Salus* nō ſolū eſt liberatio de poteſtate hoſtis, ſed etiā tribulationis, quæ tenet hominē captivū. Quare tēpore famis, & ſterilitatis, mulieri pro cibo clamanti, *Salva me, Domine mi Rex*; Reſpōdit Ioſaphat: *Unde te poſſum ſalvare, de area, aut de torculari?*

LXX.

Pſal. 130. 1.

Luc. 18. 3.

Oculorū demiſsio, aut extollentia.

Superbia ſe per oculos prodens.

Humilis in ſuis oculis quis

2. Reg. 6. 22.

LXX.

Nicetas.

Tribulatio tenens hominē captivum.

4. Reg. 6. 17.

XXX. *Salvabitur innocens, ſalvabitur autem in munditia manuum ſuarum.*

4 SAlvabitur innocens. De Iobo loquitur ſub tertia perſona; Si te hac ratione innocentē, nitidūq; mente, & anima præſtiteris, utiq; tot ærumnis, Divina ope, ſuperior evades; Nā ſemper *ſalvandi*, aut *ſalutis* nomen, Dei opē adverſus imminēs malū afferre ſolet. Iuxta Hebræū vero active legunt alii poſt R. David, & pro appoſito illius verbi, nomē originale interpretantur *inſulā*, aut *regionē*. Tygurina; *Liberabit* (ſupple Deus) *inſulā innocentis*. vel cū Iſidoro, *Tantus eris corā Deo, ut non te ſolū, ſed etiam omnes vicinos, ac cives tuos a maximis periculis puritate tua eripere poſsis*. Sed malo cū aliis, Vulgato, & Septuaginta, ſumere illud nomen defectivū cū additione litteræ *Sin*, pro *Is*, quaſi dicat; *Salvabitur vir innocens*; aut active cū Septuaginta; *Eruet virum innocentem*.

R. David.

Pagni. Regia.

Vatab. Tygur.

Iſidor.

אי

איש

Tygur. Iſidor.

R. Ionah.

Compluten.

Cajetan.

5 *Salvabitur autē*. Evadet, Subtrahet ſe ſe. *In munditia*; propter munditiā operū, quę ex proprietate radicis, *Barar*, eſt probatio, vel examē, quod purgatione, & ablutione fit. unde deducitur, *Borith*, qua herba, velut ſapone, veſtes expurgātur. Senſus ergo; Cū te Deus bene probatū, atq; his ærūnis emaculatū ab omni labe invenerit, tūc tibi optatā ſalutē cōferet. Præpoſitio autē, *In*, ſæpe valet idē quod, *Propter*, ut Iſai. 1. 27. *Sion in judicio* (propter juſtū ſuę redemptionis pretium) *redimetur*; *& reducēt* (a captivitate in Patriā) *eam in juſtitia*. id eſt, Si propter peccata abducta fuit; propter meliores vitæ rationes revocabitur ab exilio *in mūditia manuum*, & puritate operum.

מלט

ברר

בורית

Pręþoſitio *In*

NOTATIO *RERUM INsigniorum, quæ in Commentariis fusius explicantur.*

PARAPHRASIS Capitis præcedentis.

CAPUT XXII.



CUM Gravissima Iobi oratione superati amici non haberent, quid opportune responderent, neque tamen desisterent, Eliphaz imprimis, jam nunc tertio disputandi certamine, atque discrimine, non tam ratione, quam novis cõvitiis hominem aggreditur, quamquam novam etiam ratiocinandi speciem sic nunc inire videatur.

1 Respondens autem Eliphaz, Themanites, dixit.

Frustra, o Iob, tuam innocentiam tanta animi contentione tueri vis in mediis ærũnis, quasi ex tuis suppliciis aliquid Deo utilitatis accresceret. Numquid enim, qui sapiunt, atque juxta sapientiæ præscriptum vitam suam instituunt, Deo commodant, ac non potius sibi ipsis? Nihil enim ex humanis, vel malis, vel bonis utilitatis, & lucri capit suprema Bonitas. Quare si diutius sinantur impii vivere, ∗ re sane illorum est, ut pœnitere possint. ∗ Numquid etiam homo quantumvis virtute præstans, fortissimusque Gigas sit, quantumvis sapientia præpolleat, audebit se ita cum Deo a conferre, ut rerum humanarum providentiam, supernamque dispositionem corrigere temere audeat? Et quæ Deus dispensat flagella, atque supplicia propter hominum peccata, ille ad alium finem referat, atq; detorqueat? b Præsertim, cum mortalem minime deceat Divinæ Providentiæ arcana perscrutari; neque suarum ærumnarum causam humana via, & ratione velle comprehendere.

*2 Numquid Deo cõparari potest homo, * etiam cum perfecta fuerit scientiæ?*

a Diligens & fusior tractatio verbi comparandi *in Sacro sermone ad Scripturæ intelligentiã a nu. 4. usq; ad. 7.*

b De arcanis Divinæ Providentiæ non scrutandis quædam utilia, nu. 8. & 9.

Quod si te, o Iob, exerceret Deus ærumnis istis innocentem, & immeritum, ac non potius, ut digno supplicio afficeret, certe videretur multum cõpendii ex tuis ærumnis facere. Sed quid nam obsecro illi conferes, si nunc affligaris innocens? c Quid hominis justitia cum ærumnis conjuncta illi voluptatis affert? Et sane quidem esto fueris justus, atque innocenter vixeris, quid ad Dei commoda tua innocentia contulisti, ut ea de re gloriari possis, & te magnifice circumspicias? Atque omni via, & ratione coneris te probare, ostendereque justum, & sanctum, jam inde a prima ætate, quasi nullam unquam animo peccati labem contraxeris? Cum potius pro sua benignitate velit ille nobis prospera, lætaque cuncta, amat enim mortales, beneque proinde vult mereri de universis.

3 Quid prodest Deo, si justus fueris: Aut quid ei confers, si immaculata fuerit via tua?

c Quid ex justorum ærũnis honoris, & gloriæ aucupetur Deus, Quidve jucunditatis, & lætitiæ capiat, qui natura sua benignissimus est, elegans observatio a nu. 4. usq; ad. 9.

Numquid enim ille negligens est nostri juris, nostrarumve rerum? Semper sane tecum aget, o Iob, ex æquo, & jure, ut nihil prorsus timere debeat sibi injustitiæ, aut iniquitatis aliquid objici posse, quod innocentem damnet, aut plus justo severiori pœna leviora tua errata prosequatur? Quid enim Deus timeat judicium superioris alicujus potestatis, quo sua sententia corrigatur? Quidve sibi ab improbis timere possit? Non enim permitteret, ut diuturna fælicitate insolescerent; atque adeo statim illos de medio tolleret. Sicut enim ex justo, & sancto homine afflicto, & vexato nihil sibi lucri reportat, ita sane neque ex flagellato impio studet aliquid sibi impendentis mali avertere. d Ergo cum neque timore, neque suspicione stimulatus hominem exerceat, neque ille Tyrannorum mores imitetur, qui in excellentissimos, & optimos quosque profusissime sæviunt, omnino nostrorum scelerum causa, & ratio in nostris

4 Numquid timens arguet te, & veniet tecum in judicium?

d Observatio de Tyrannorum timore, atq; more sæviendi in excellentes quosq; nu. 3.

ipsis

ipsis sceleribus inest. Nam si te, o Iob, Deus innocentem comperisset, minime tam graviter vexaret, sed ita te proculdubio exerceret, ut vereretur, timeretq; instar parentis indulgentissimi, ne paternæ disciplinæ modum in castigando excederet. Atqui severissime ille, non tanquam cum filio charissimo, sed tanquam cum hoste agere videtur: & per publica ista supplicia occultorum scelerum te arguit, publiceque spectandum traducit, suoque judicio incorruptissimo te vitæ corruptissimæ appellat, accusat, damnat.

5
Et non propter maliciam tuam plurimam, & infinitas iniquitates tuas?

Ergo videris, o Iob, ne forte multa te peccantem latuerint, quibus hujusmodi incredibilis calamitatis merces sit persoluta: nam quæ tu impudenter adversus Numen, inique adversus proximum admisisti scelera & magnitudine, & numero infinita, digno jam supplicio [e] statuit vindicare Deus, & tantam, tamque [f] perpetuam peccandi licentiam certis finibus comprimere, certissimisque sceleratæ vitæ suppliciis coercere. Concesseram nuper sane aliquam tibi sanctitatis, & pietatis, simulatæ licet, speciem, nunc illam jure tibi adimam, cum illis te impietatis, rapinæ, atque omnis generis inhumanitatis sceleribus obstrinxeris, quorum fructibus, non nisi sceleratissimi Tyranni ditescere solent.

e *Dei patientia non irascens per dies singulos, tandemq; non ob sola peccata, morborum, atque calamitatum supplicia infligens, observatur cũ utilitate. nu. 5. & 6.*

f *De finali impœnitẽtia quæ & finis rationẽ habet, cum nullum habeat finẽ, utilis tractatio. n. 4.*

6
Abstulisti enim pignus fratrum tuorum sine causa:

** & nudos spoliasti vestibus.*

Quid enim tam sordidum, tamque inhumanum, quam per vim, & iniquitatem rapuisse pignora ipsorum tuorũ fratrum, & propinquorum: atque eorum etiam, qui eadem tecum sunt, non solum sanguinis, sed etiam religionis communione devincti, pauperum potissimum, qui nihil interdum tibi debebant? [g] Sed esto debuerint; quid tam inhumanum, quam illos ipsos debitores tibi ipse vendicasse tanquam mancipia, & servos, atque iniquissimis vinculis constrinxisse? * Quid tam crudele, quam ablato pignore, & necessaria veste nudũ, & conglaciantem pauperem dimisisse: & quæ illorum vitæ, & corpori necessaria erant, in tuum te usum petulanter convertisse? Atqui non solum eo nomine raptor, & deprædator censeri debes, quod pauperi vestem abstuleris, sed eo etiam, quod nudo amictum necessarium non præbueris.

g *Antiquus mos addicẽdi debitores creditoribus in pignora, & mancipia ex sacris, & prophanis ostenditur num. 4. Tum etiam de pignore exquisita quædam. n. 2.*

7
Aquam lasso non dedisti:

** & esurienti subtraxisti panem.*

Reus profecto quispiam est, non solum quia injuriam facit, sed etiam quia [h] benigne non facit. Quare criminis etiam obstrictus es, quod sitientibus pocula non ministraveris, perinde ac si potu necessario hominem siti enectum, atque arentem, multoque labore deficientem interdixeris, ex frigida, nulla arte aut medicamento præparata; præsertim cum harum rerum [i] vilissimarum, atque communissimarũ, qualis est frigida, plena essent promptuaria tua; & ex tanta divitiarum affluentia, ne guttam quidem ad egenos redundare passus fueris. * Ideo sane victum esurienti atq; cibatum omnem denegasti, fraudasti, rapuisti, non solum misericordiæ obliviosus, & fastidiosus contemptor, verumetiam immisericordiæ improbus affectator, & ingentium opum iniquissimus possessor. [k] Cum enim illæ sponte quasi sua fluere videantur ad sublevandam pauperum inopiam, tu tamen detinebas in injustitia, ac ne quidem panis frusto, micisve cadentibus ex tua mensa famelicos dignabaris.

h *Abstulisse dicendus, qui egenti non tribuit, ex frequenti Sacri sermonis usu, præsertim si princeps sit, utilis observatio, nu. 1.*

i *De potu, & frigida præbenda sitienti, deque calida, peculiaria quædã ex prisco ritu. n. 3. & 4.*

k *De divitum immisericordia, atque iniquitate negantium egentibus eleemosynã, utilia multa. num. 5. 6. 7.*

8
In fortitudine brachii tui possidebas terram,

** & potentissimus obtinebas eam.*

Qui vero pauperes nullo vitæ necessario subsidio sublevabas, [l] potentioribus tamen tuas ipsas facultates sponte offerrebas: & opulentiorum quorumcumque personam accipiebas, degeneri vir animo atque imperio indignus, utpote apud quem tantum valerent, qui brachiis, viribusque valebant, ac nihil omnino valerent causæ, & impotentia infirmiorum. * Itaque ex potentia tantum, & fortitudine cuncta administrabas, non ex æquo, & jure: atq; cum viribus omnia metireris, nihil mirum, quod per iniquitatem, atque rapinam incredibiliter locupletatus fueris, ac fere universam provinciam per Tyrãnidem occupaveris; seque imbecilliores tibi dederint, atque subjecerint, divitias potius, superbiamq; tuã timentes, & admirantes quã virtutem ullam, aut æquitatem Principe dignam. Sic sane non in tuã

l *De iniquis Principum familiaribus, & quantũ reipublicæ damnum afferant, non paucis disseritur. n. 3. 5. 6. 7.*

solum,sed etiam in tuorum familiarium sinum,& utilitatẽ bona pauperum convertebas,a quibus ipse turpem quoq; quæstum,atq;sordidissimam largitionem munerum aucupabaris.

Quis vero non gravissimo tribuat crimini,non solũ quod partem bonorum non communicaveris cum viduis,sed quod illas etiam suis bonis,fortunisq; exturbaveris, atque in gentem sævieris , cujus vel solum nomen miserabile est : res autem ipsa viduitatis ærumnosissima. Tu vero instar medici pessimi infirmioribus,atque imbecilliori bus immodicas [m] evacuationes præcipiebas, sanguinemq; ipsum vitæ necessarium exhauriebas: [n] ac nisi tuum patrocinium ingenti pretio impotẽtiores coemerent,neminẽ tuebaris:venditabas igitur sordidissime Principis gratiam,officiumq; . Pupillos autem, omni parentum,ac propinquorum præsidio destitutos , non solum fregisti, constravistique, verum etiam contrivisti,& conculcasti , atque viribus omnibus spoliatos , tuæ avaritiæ, famiq; inexpiebili bolum suavissimum proposuisti.

9
Viduas dimisisti vacuas,
* *& lacertos pupillorumcomminuisti.*

m *De vacuitatis atque evacuãdi usu, & significatione in sacro sermone ad Scripturæ intelligentiam, & utilitatem morum, opportuna quædã. nu.2.1.4.*

n *De Principũ tuitione,peculiaria quædam. num.4.*

Propter tot igitur, ac tam immania scelera constrictus teneris Divini supplicii vinculis,atq; compedibus : & incredibilium malorũ exercitu obsideris,& oppugnaris usq; ad stuporem , & animi consternationem, [o] quæ te nihil tale opinantem repente oppressit. Sic igitur circumveniris,ut nullum tibi pateat ad salutem perfugium:cogeris enim cum ineluctabilibus malis, atq; inextricabilibus laqueis conflictari. * Præterquam enim quod subita illa florentis status conversione, quasi per insidias perturbat[p],veluti stupidus redditus es,& animi quodã tumultu perterritus, atq; cõsternatus; at illud pejus,quod ab omni patiẽtiæ,saniq; cõsilii præsidio inter tot adversa distitueris.

10
Propterea circumdatus es laqueis,
* *& conturbat te formido subita.*

o *Quanta sit subiti casus vis, & ut impios repentinus interitus opprimat. Seria quædam,nu. 3.& 4.*

Is ergo cum fueris,o Iob,profligatissimus,atq; sceleratissimus,tamen tibi per summam stultitiam persuaseras fore,ut semper fruereris conspectu jucundissimo splendentis fortunæ,atq; ut nulla domi tuę tetræ noctis ,& tenebrarum tristissimarum vicissitudo efficeretur. Occidit itaque in medio splendore Sol ille tuus ; ac lumen ipsum tibi in tenebras conversum est ; & neque videnti, neque opinanti repentinæ malorum tenebræ offusæ sunt, quæ omnem tibi futuri luminis spem adimunt,& omnem jucũditatis conspectum, voluptatemq; prorsus eripiunt.* Ita ne tibi nunquam in animum induxeras fore,ut exundantium malorum fluctus, & perstrepentium, multoq; cum impetu præcipitantium aquarum incursus consopitum,&omni cura vacuum intercluderent,atque obruerent?

11
Et putabas te tenebras non visurũ,
* *& impetu aquarum inundantium non oppressum iri?*

Nisi forte Deum ignoras scelerum vindicem ex suprema Cælorũ sede, tanquam ▪ sublimi specula omnes mortalium actiones despectare,atq; adeo latere illum nihil posse.Sic enim profecto vixisse videris,ut nunquam te Divinæ Providentiæ vel firma cogitatio,vel levis aliqua suspicio perculerit. An forte sic de Deo censes, [p] ita illum residere in Cælo sublimem , aut ita se ▪ nobis attollere longissime a nostris rebus dissitum,ut neque in nobis sit, neq; actionibus nostris, suum ille conspectum,suamq; providentiam intermisceat, atq; vt ipsa locorum distãtia humanarum rerum scientiã,& rationem illi adimant? * Anne existimas Deum præsidere tantum supremo Cælo, & celsissimis stellis,astrisq; magnitudine prima conspicuis, non etiam minutissimis quibusq; ; & rationem Providentiamq; tantum ducere excellentium Principum,supremorumq;Dęmonum,non etiam vilissimorum hominum,rerumque infimarum,ut istis omnino prætermissis,atque neglectis,illorum tantum superbiam comprimat, atque altitudinem præcipitet ? Minime inquam, o Iob . Terrena etiam ille curat , teque luteum , & in terra degentem digno affecit supplicio, atque in miseram istam conditionem conjecit. Supremę ille stellarũ faciei,nobis invisæ, & inaspectabili sane supereminet; sed adest etiã infimis præsentissimus.

12
An cogitas quod Deus excelsior cælo sit,
* *& super stellarũ verticẽ sublimetur.*

p *De Aegyptiorum aliorumq; Philosophorũ errore circumscribentium, & definientium Deum, illiusq; Providentiã Cælo, & certis locorum spatiis,deq; Divina immensitate, peculiaria quędã nu.4.& .5.*

Tu vero non solum verbis ipsis , sed tacita mentis cogitatione si- 13

mile

Et dicis, Quid enim novit Deus?

mile quid tecum fuiſſe locutus, & clanculum quidem peccaſſe videris, cum ſic apud te diceres: Nihil eorũ, quæ apud nos gerũtur, Deus videt, nihil percipit, nihil ſentit. Potens ille quidem, & fortis eſt, cæterum quæ neq; videt, neque agnoſcit, curare, judicareve non poteſt. Quamvis enim robore, ac viribus potens ſit, cognitione tamen, atq; ſcientia rerum minutiſsimarum infirmus, atque imbecillus cenſendus eſt. * Ita vero de rebus ille ſtatuit, ac ſi illas obſcure tantum, & quaſi per nebulam videret, denſa nimirum circumfuſus nube, quid videre, aut diſpicere poterit? Si quando enim ad nos deſcendit, non tã contuetur, & diſpicit res mortalium, quam magnifica ſpecie, atque terrifico nubium tabernaculo incluſus homines territat.

** Et Quaſi per caliginem judicat.*

14 *Nubes latibulum ejus, nec noſtra conſiderat: & circa cardines Cæli perambulat.*

Nubibus nos inter, atque Cælum poſitis, ſicut nos latet Deus; ita Deum res latere noſtras q ſtultiſsimis hominibus perſuaſum eſt: Cæleſtia illi tantum patere, illa tantum curari, atque videri; Humana ab illo, aut contemni, aut ignorari. Sed quam impie, quam ſtulte horũ te opinioni adjunges, o amice! nam ex ſua ipſius cæcitate, & ignoratione cæcutiens homo Deum cæcutire ſtatuit. Neque aliter de natura Divina exiſtimat, quã de homine quoppiam, cui objecta nubes, aut impedimentum aliquod contuendi, atque pure, & ſincere de rebus judicandi facultatem adimit. Sed longe, o amice, his rebus omnibus Divina ſuperior eſt natura. r Eſt natura ſua rerum omnium veriſsimus, idemque oculatiſsimus teſtis; eſt vocum omnium auditor, atq; perceptor; eſt in nobis ipſis, quo movemur, quo vivimus; nihil ille ſuorum operum per oblivionem contemnit: nulla minutiſsimarum rerum multitudine opprimi, fatigarive poteſt; neque, ut impiiſſimi homines exiſtimant, ita ſe ille Cælo continet, ut cæleſtia tantũ loca inviſat, quorum ſe Dominum, atque ſupremum Imperatorem profiteatur, amandata procul omni terrigenarum cura. ſ Eſto quidem illius ſit Cælum, ſed neque non illius eſt terra, & univerſi, qui habitant in ea. Eſto ille ſtellarum cæleſtiumque luminum ductor, & quaſi paſtor ſit; paſcit etiam, & ducit cæterarum agmen creaturarum. Incumbit intenditque in cæleſtium orbium converſionem, in curſum, & recurſum Syderum ſupra cæleſtes axes, & polos mirabili ſapientia, atque poteſtate: ſed nulla illi tanti negotii occupatio eſt, ut non poſsit liberum omnino ſpatium, tempusq; ponere noſtris in rebus inſpiciendis, atque curandis.

q De variis circa Providentiam erroribus colludentibus cum hac ſententia, ac de Ariſtotele peculiariter. n. 2. & 3.

r Rationum, quibus philoſophi providentiã tollebant ad tria potiſsimũ capita revocatio, atque ex Sacris Scripturis dilutio exquiſita a nu. 5. uſque ad. 10.

ſ Quanta Creatoris ſapientia, atq; potentia in hac perambulandi, & cardines Cæli convertendi ratione diligenter tractatur a n. 11. uſq; ad. 14.

15 *Numquid ſemitam ſæculorum cuſtodire cupis, quam calcaverunt viri iniqui?*

Numquid pariter, o Iob, cum illa falſa de Deo, deque vera religione, & providentia, opinione ad illorum ſectam abjiſti, qui priſco illo diluvii ſæculo, & ſuperbiſsimorum gigantum ætate Divinam Providentiam de medio ſuſtulerunt; & jam inde ab iniquo Cain errorem illum per manus impiorum traditum acceperunt? Placuit ne forſam pravum vivendi corruptiſsimorum hominum inſtitutum, multis obſervatum ſæculis, & tum antiquo, tum recente impiorum uſu tritum & confirmatum? ac non potius illum virtutis, & pietatis tramitem velis inſiſtere ſanctiſsimorum hominũ, qui & ſupremi Numinis providentiam agnoverunt, & ſanctiſsimorum ſtudiis operum coluerũt? Ita ne ad illos te adjungis, quorum vitam ſceleribus, & improbitate turpiſsimã, jam inde a primis ſæculis, acerbiſsimis ſuppliciis, morteque certiſsima ſupremus judex afficere ſolitus eſt? Hujus profecto rei exemplo tibi eſſe poterunt Tyranni plurimi, pauperumque oppreſſores ſæviſsimi, atque impudentiſsimi religionis contemptores, digno ſupplicio miſeraq; morte mulctati.

16 *Qui ſublati ſunt ante tempus ſuum:*

Qui omnes Divina vindicta ſucciſi ſunt, multiſq; cruciatibus confecti, & quamvis potuiſſent diutius perſiſtere, ſed tamen in medio juventutis robore, & florentiſsimo ipſo ætatis tempore intercepti lethali quadam, atq; fatali ariditate conſtricti ſunt in rugas, & velut matura jam ſeges mortis falce demeſsi, quia accepta tempora nõ ad fructum pœnitentiæ, ſed ad iniquitatis uſum converterunt, atq; merito ſuo quod a Divina miſericordia accipere ante potuiſſent, ami-

ferunt. Sic immaturi moribus, vitaq; adhuc acerbi, decerpuntur tamen ex arbore vitæ. * Continuo quoque defluentis mortis impetus illorum vitæ fundamenta alluit, lambit, erodit, atque Divinæ indignationis torrens exundans, fælicitatis illorum stabilitatem, & constantiam nullo negotio labefactatam subvertit, & universam vitæ, molé vanissimã, eaq; omnia, quibus spes, vota, cogitationes vanissime nitebantur, comminuit, disturbat, dissipat. Quid enim firmum, quidve incolume esse unquam poterit, ubi nulla veræ, constantisque doctrinæ, nulla certa de Providentia, & religione fidei fundamenta constituta sunt? Sed apage tantam impietatem, & stultitiam, quæ profecto vicinam * Aegyptum multis tum erroribus, tum sceleribus contaminatam redolere mihi videntur! Ii enim cum variis viis, atque rationibus conati fuerint, se suaque omnia Divinæ Providẽtiæ subtrahere, tamen ab ipsa Divina Providẽtia acerbissime correpti sunt, sublatis illorum primogenitis ante tempus suum, tandemq; fortissimorum curruum fundamentis, rotis inquam subversis, & disjectis axibus in medio rubri fluminis, ad mortaliũ exẽplũ sẽpiternũ.

& fluvius subvertit fundamentum eorum.

Notari hoc loco Aegyptios negantes Divinã Providentiam, per pulchram quandam allusionem, diligenter ostenditur peculiari diggressiũcula a nu. 6. usq; ad. 12. ubi exquisitæ quædam Scripturum allusiones.

Atque eo stultitiæ, væsaniæque redacti sunt, ut omnem Numinis cultum, timoremque exuentes, impudentissime non solum cordis tacita cogitatione, sed aperta, claraque oratione verum Deum, rerũq; mortalium Providentiam abnegarent, dicerẽtq;: Absit a nobis istius Dei cultus, atq; religio, facessat Dei, Divinorumq; respectus. plena nimirum vox contemptus, atque fastidii, animiq; erga Divinã benignitatem ingrati; quæ ultro, atq; benigne ad illorum mentes, domosq; cum accederet, se se illorum oculis, & cogitationibus amicissime offerebat, & insinuabat. Nihil videlicet sublime de Divinitate cogitãt; nihil de illius Providẽtia sibi persuadent; neq; timent, neque diligunt, illum, quem minime credunt bona bonis, improbis rependere mala: Neque vero agnoscũt apud Deum optimum, esse bonorũ omnium uberrimum fontem, promptuariumque plenissimum voluptatum; inutile propterea esse omne pietatis studium sive ad animi, sive ad corporis opportunitates consequendas.

17 *Qui dicebant Deo, Recede a nobis? Et quasi nihil posset facere Omnipotens, æstimabant eum.*

Sed esto quidem temporalium illi bonorum parandorum cura, & studio incitentur, oportet sane supremum Deum, bonorum, malorumque dispensatorem venerari, & colere, ut a quo bona accipiant, a quo eadem auferri possint, nisi gratos se Divinæ munificentiæ præstiterint. Ille vero proculdubio est, qui non solum domos, & promptuaria implet bonorum omnium, omniumq; vitæ commoditatum vbertate, & copia: verum corda etiam, & animos ingenti lætitia, & jucunditate perfundit. Quod solum Divinæ beneficentiæ testimonium persuadere illis potuisset veram de Divina Providentia, atq; religione existimationem. Sed facessat inanis, & mendax stupidissimorum hominum opinio, stultumque consilium de fugienda ea, quæ expugnari nunquam potest, sempiterna Providentia. Vtinam a te quoque o amice Iob, abfuisset longius error pestilens; neque tantum verbo, & specie tenus, non re ipsa impiorum sententiam, vitæque institutũ improbasses.

18 *Cum ille implesset domos eorum bonis, quorum sententia procul sit a me.*

Nunc quidem omnia parumper in vita confusa, & permixta, nullo certo ordine distincta: sed probabit exitus, quam recta, sapiẽtiaq; extiterint justorum consilia, qui recte de Deo, deq; Divinis sentiũt: quam vero stulta, atq; aberrantia impiorum, qui secus de Divina bonitate statuunt, ipsisq; moribus confirmarũt. v Videbunt itaque pietatis cultores cum summa animi voluptate id, quod summis votis expetunt, publicum videlicet, omnibusq; conspicuum improbitatis supplicium: Eoq; conspectu ovantes gaudebunt, & exultabunt plane perspicientes Divinæ Providentiæ documenta clarissima, tum in Tyrannorum supplicio, tum in pauperum, & miserorum omnium salute, & incolumitate; x ex Divinæ præsertim justitiæ magnificentissimo triũpho de suorum hostiũ impudentia, & temeritate reportato.

19 *Videbunt justi, & lætabuntur, & innocens subsannabit eos.*

v *De videndi proprietate, quod pertinet ad publicum judiciũ, & publicum impiorum Principũ supplicium, atq; exemplum, exquisita quædã. nu. 1. & 2.*

x *Quæ qualisve sit in impiorũ interitu, & supplicio lætandi justis materia, & ratio, quæritur diligenter. d. 3. & 4.*

Ergo

Ergo cum ex Dei honore, victoriaque sumant justi lætandi materiã certe in eodem etiam rationem inveniunt omnem ridendi, atq; subsanandi improbitatem, miserando exitu conclusam. Quare cum lætissimus, fælicissimusque exitus Sanctos susceperit, atq; cum miserãda improborum morte contenderint, non poterunt non aliter de rebus ipsis judicare, deque utriusq; sortis discrimine, quã de re [y] sannis, & irrisione dignissima, quod ad impios attinet; quod vero ad justos omni laude, atque gloria celebranda.

y De sanna, & subsanandi affectu, & qua ratione in sanctos conveni re possit, non pauca. n. 2. & 8.

20 *Nonne succisa est erectio eorũ: & reliquias eorum devoravit ignis?*

Quanta enim ex Patriarchæ Noe erectione, & incolumitate, Quãta ex Sodomitico supplicio, & profligatissimi populi incendio integerrimæ Providentiæ, atq; justissimę severitatis gloria in supremum judicem redundavit! Quanta ex aliorum impiorum propaginibus universisque radicibus excisis, penitusq; extirpatis! Quanta ex procerissimæ arboris sublimitate detrũcata, dejecta, prostrata! Quanta ex insolente superbissimorum hominum superbia, & extollentia humiliata, & præcipitata! Deflagrat etiam nunc Sodomiticæ illius fælicitatis, atque cadaverũ ambustorum miserandum incẽdium, illius, quæ non videtur, inextinguibilis flammæ signum certissimum, quæ neque radicem, neque germen impiorum derelinquet; sæviet nimirum in illorum reliquias, atque posteritatem universam, atque in extremam potissimum vitæ partem, statumque novissimum, cum quo prior fælicitas commutabitur; ac sortem illam bonorum omnium affluentem, præcellentemque supra omnes mortales, Divinæ vindictæ, atque supplicii voracissimus ignis absumet, penitusque conficiet.

21 *Acquiesce igitur ei, & habeto pacem & per hæc habebis fructus optimos.*

Sed quod te merito recreare, atq; erigere debeat, salutare præbeo consilium, ne cum Deo fortissimo testatas geras inimicitias, sed quã primum amicitiæ, & consuetudinis fœdus inire studeas. Quem enim tuis sceleribus infensum tibi reddidisti, poteris nunc salutari pœnitentia efficere utilem, ac salutarem; familiarem itaque te illi, atque illius legi servandæ exhibeto; si quam enim primum senseris viæ divinorum præceptorum difficultatem, ipsa paulatim assuetudine emollies, atque pervinces: teque ipsum in pietate roborabis, atque confirmabis. Supremo igitur Numini res tuas pro bona voluntate sua moderanti, te accommoda, atque parẽ cum illo voluntatum, & consiliorum societatem inito, fidum, ac utilem te illi ministrũ præbe, si non illius gratia, & utilitate, at tuo lucro, sic enim profecto fiet, ut pace cum illo stabilita, & fixa fructibus bonorum omnium suavissimis perfruaris. Tumore igitur isto animi tui compresso, sedatisque importunis querimoniis, supplicibus verbis ab illo pacem, & veniam pete.

22 *Suscipe ex ore illius legem: & pone sermones ejus in corde tuo.*

Docebit ille te exomologesim, tuorumque peccatorum confessionem; [z] legemque suam, ita tibi dilucide proponet, ut vitam deinceps tuam ad omnem pietatem instituere, atque informare possis. Neque nõ diligenter explorabis universam mandatorũ Dei legem, quã sollicite, atque diligẽter servare expedit, ne deinceps similibus ęrumnis, atque suppliciis aditum iterum patefacias. Suscepta vero Divinæ legis pluvia animum profecto tuum arentem, & squallentem irrigabit, & ad optimos virtutum, & bonorum operũ fructus provehet. Quidquid ille dixerit, & quamcumque vel ore, vel nutu suæ voluntatis significationem præbuerit, omnibus tuis viribus complectere; atq; ut rẽ pretiosissimã comparare stude, tãquã rem suavissimam, atque dulcissimam hianti ore suscipe, omni cura, & sollicitudine, quæ ex ore Dei susceperis, dispone in animo tuo, ut deinde ordine, & ratione quadam perficere, & intelligere possis. Scito tibi Deum suæ voluntatis depositum custodiendum credidisse, ideo diligenter corde servandum, atque retinendum.

z Paulo exquisitior legis etymologia, ratio, fructus, cum utilitate indicatur. nu. 2.

23 Recessisti utique longius ab omni religione, & pietate; nunc cum omni animi submissione, & verecundia ad illum accede, atque lon-

gissime omnis sceleris labem ex animo tuo repelle. Sic sane qui Omnipotens est, atque totius bonitatis, virtutisque fons, facile jacturas omnes tuas resarciet, construet, erigetq; ruinas, atque spoliatum bonis omnibus, multo pluribus, amplioribusq; cumulabit, in diesq; mirabile capies præsentis fælicitatis incrementum. Hac plane salutari ratione a corpore, animoque tuo, a domo, familiaque universa ærūnas omnes, atque calamitates avertes.

Si reversus fueris ad Omnipotentem, ædificaberis: & longe facies iniquitatē a tabernaculo tuo.

Dabit Deus tandem tuis malis finem, firmaque ponet pristinæ fælicitatis restituendæ fundamenta, ut cum iterum ædificeris, sublimisque erigaris, nulla te miseriarium tempestas, impetusve labefactet. Inepta sane pristini status fundamenta constituisti, caduca nimirum, neque magis constantia, quam minutissimum terræ pulverem, solutamque arenam. Nunc Dei ope silicem habebis, roburque firmissimum, in quo bene munitus possis consistere. Tuto itaq; atque constanter in terra commorabere, nullis terrenis opibus nixus; sed Deo petræ fortissimæ, atque durissimo silici, quem nulli hostium impetus commovebunt. * Auri porro, atque rerum pretiosissimarum tam locuples evades, ut pulveris, atque lapidum copiā æquare possint, ut quidem ex ipsis auri glebis possis firmissima, juxta ac pretiosissima fælicitatis, domusque futuræ fundamenta jacere, & opes quoque sua quasi sponte ad te confluent; torrentes auriferi ad te permanabunt, tantumq; auri habebis, ut altissimos æquare possis montes, unde oriri multa solent flumina. Denique sub terrā abditas ingentes divitias effodies; ab exciso silice perennes præstantissimi auri venæ tibi provenient, ut nunquam ad ingentes expensas ædificiorum, majores, nedum pares, divitiarum scaturigines deficiant. Denique omnia tibi succedent meliora, ita ut tanto stabilior futura sit secunda fortuna, quanto durior, & firmior est silex minutissimo pulvere; tanto etiam locupletior, quanto aurum pretiosius est petra, aut silice.

24 *Dabit pro terra silicem,*

** & pro silice torrentes aureos.*

Ita sane fiet, ut evadas omnino hostibus tuis superior, cū te Omnipotens, qui ipse silex munitioq; tua est, tuebitur. Invadet enim ille hostes tuos, ut nunquam incerto, dubioque cum illis Marte pugnare debeas. Is quoque ipse thesauri tui: non enim solum temporaliū bonorum, sed Divinorum quoque mirabili copia redundabis. Habebis nimirum præter magnam argenti vim, magnamque copiam, & ut ita dicam, montes aureos, atque argenteos, animi præterea puritatem, eximiumque candorem instar purissimi, atque purgatissimi argenti, cum ex tribulationum igne ad ingentem gloriæ, & fælicitatis splendorem incolumis evaseris.

25 *Eritque Omnipotens contra hostes tuos, & argentum coacervabitur tibi.*

Itaque jam non sceleri, & iniquitati adhærebis, sed Dei bonorum omnium largitoris præsidio cōfirmatus, sempiternis deliciis afflues. Perhumaniter Deus te tanquam filium tenerum, atque delicatum tractabit, neq; jam cum austeritate, & duritie exercebit doloribus. Et vero cum te videris Dei beneficio, & numine fælicissimum, singulari cum animi voluptate fiduciam concipies fore, ut deinceps familiarissime cum Deo agas, a quo clarissima benevolentiæ documenta jam acceperis, illiusque sedes sublimes Cælorum suspicies hilariter, qui non jam in te ignem, neque fulmina, sed mollissimam pluviam, bonorumque omnium imbrem complicent. Illud vero potissimum, quod non jam ream, neque peccati pondere conscientiam gravem ad Deum judicem eriges.

29 *Tunc super Omnipotētem deliciis affiues: & elevabis ad eum faciem tuam;*

Ipse jam animus sceleris inscius ad pias preces fundendas te excitabit. * Deus vero, quem religiose coles, annuet propitius oranti: ipsaque ope, & beneficio præstito ostendet benevolas [a] aures tuis votis adhibuisse. Quodsi unquam pro re aliqua impetranda, aut malo, & discrimine avertendo, votum aliquod conceperis, ac Deo nūcupaveris, ratum illud erit, acceptumque Numini. Propterea que re jam obtenta lætus votum persolves, & largitori bonorum omniū

27 *Rogabis eum, & exaudiet te,*

** & vota tua reddes.*

a *Quando dicatur Deus adesse, respicere, audire, ex Sacris & prophanis quædam. nu. 1.*

debitum

debitum restitues[b] voti compos, atque damnatus: Idem enim ipse tibi præstabit, ut quæ illius causa suscepisti, possis persolvere vota. Nullas vero irritas, aut caducas preces lingua tua concipiet, sed rata semper fundes verba; imo quidquid apud te statueris, certo eventurum sperare poteris; nullus enim casus vel cogitationes, vel spes tuas frustrabitur: & quod mirabile est in homine inscio futurorum, poteris prestare fidem rei alicujus efficiendæ omnino certus fore, ut Dei ope illam perficere possis. Quanquam, quæ tua erit pietas, nihil a Numine nisi sanctum postulabis. Docebit enim te Deus suo lumine, quid tibi faciendum, quid decernendum, quid postulandum, & orandum sit; adeoque in omni semper opere tibi aderit prætenta Divinæ benevolentiæ fax clarissima.


b De votorum pia & religiosa nuncupatione, ex sacris, & prophanis peculiaria quædam. nu. 23. Deque persolutione votorum nu. 4.

29 *Qui enim humiliatus fuerit, erit in gloria, & qui inclinaverit oculos, ipse salvabitur.*

Cum ergo ipsi tui hostes, improbique omnes ad infimum miseriarum gradum præcipitabuntur, tu proculdubio exaltaberis, ac tunc tandem intelliges insolentis animi superbiam miserrimo exitu concludi. Quid enim boni sperare possit contumax ille homo, qui cum laboribus, & ærumnis attritus fuerit, & ab ipsis hostibus humiliatus, ipse tamen animo tumet, & de sanctitate insolescit? Quare hæc tibi bona cuncta ominor, cum te humiliaveris, persuaserisque propter tui animi superbiam in tot mala incidisse: cum enim de te senseris demisse, oculosq; istos fastu, & elatione plenos demiseris, ac nihil de te sublime senseris, tūc sane incolumis ex tribulationum istarum, quæ te comprehenderunt, potestate, & durissima captivitate evades.

30 *Salvabitur innocēs, salvabitur autem in munditia manuum suarum.*

Vnico jam tandem verbo concludam; Si te hac ratione innocentem, ac mente, & animo nitidum præstiteris, utique malis omnibus Divina ope superior eris coram Deo, ut non te solum domumque tuam, sed omnes vicinos, ac cives tuos a maximis periculis sanctitate tua eripere possis, & in tuto collocare. Si enim semel te Deus bene probatum, ac multiplicibus laboribus examinatum, & ab omni labe expurgatum invenerit, tibi & universæ familiæ salutem conferet optatissimam.



CAPVT. XXIIII.

ARGVMENTVM CAPITIS.
Iob supremi judicis opem, sententiamq; expectat; quamvis ob supremam Numinis majestatem vereatur simul; sed erigit se bona conscientia; & quod ea, quæ præcipit Elippaz facienda, minime prætermiserit.

I. Respondens autem Iob, ait.

1. Respondendi *verbum. Vitium in argumentando.*
2. Nunc *pro hodie.* Dies, *&* hodie *pro* nunc. *explicatus Moyses.*
3. Amaritudo, *sermo, meditatio, exercitatio. Explicatus David.*
4. Manus. *Importuna consolatio. Miserorum dolor non augendus. Illustratus David, & Isaias.*
5. *Græcorum lectio. Iterum manus in Sacro sermone.*



MINIME nũc
1 videtur Iob respondere ipsi Eliphaz: nam (ut Philippus dixit) *Relictis amicorum infidelium colloquiis convertitur ad Deum.* Sed jam diximus *respondendi* verbum ad ea omnia extendi, quæ quacumque ratione post alterius orationem ab audiente dicuntur opportune. Quanquam autem Iob eadẽ inculcet, & repetat, quæ præcedentibus capitibus dixit, sed vitiosa tamen non est hujusmodi responsio, imo potius firma, & constans; sicut e contrario vitium in argumentante est importuna ejusdem rei objectio, & repetitio.

Philippus.

Respondendi significatio late patens.

Constantia repetitæ responsionis, vitium repetitæ argumentationis.

II. Nunc quoque in amaritudine est sermo meus, & manus plagæ meæ aggravata est super gemitum meum.

NVnc quoque. Elegãter, & dilucide,
2 quod in Hebræo est, *Etiã hodie.* q.d. diẽ integrũ vexor, continẽter, & sine ullo respirandi spatio. Sed, *dies*, pro articulo tẽporis, & pro *nunc*, aut pro præsenti tẽpore, ut Psal. 84.8. *Hodie (inquit) si vocem ejus audieritis.* & Gen. 25.31. *Vẽde mihi primogenita tua.* in Hebrço; *vende hodie*, vel, *hoc tempore*, id est, vẽde nunc absq; ulla dilatione, *morior*, enim. & Deut. 4.38. *Sicut cernis in præsenti die.* id est, sicut *nunc* cernis. Nisi forte illud, *Nũc*, referatur ad orationẽ Eliphaz, quasi dicat; Etiã ex ista consolatione, & importuna amici oratione amarior mihi ipsi efficior. nam, *nũc*, non solũ solet sumi pro prçsenti tẽpore, sed etiã pro prçsenti aliqua re, vt. 3. Reg. 14. 14. *Percutiet domum Ieroboam in hoc die, & in hoc tempore.* Pro, *tẽpore*, est particula temporis, quã quam ab alia radice; ita vt legi posit cũ Reg. *& quid est nunc?* Id est, quãta est hæc tribulatio præsens? Pagn. *nam futura debet esse multo gravior.* Sic igitur ait Iob, Vatab. *etiã nunc* præsens ista consolatio oppido mihi onerosa est.

Dies pro articulo temporis

LXX.
Pagn. Regia.

In amaritudine est sermo meus, id est, cũ
nullis amicorum verbis delinitus sim, cogor profecto, *Etiam nunc tristi oratione uti*, & sæpius meæ calamitatis gravitatẽ vsurpare. Sed germanior sensus, vt ad importunam cõsolationẽ Eliphazi respiciat, ex qua nihil dulce, sed amarulẽta multa acceperat; *Quibus; quasi ex noxio medicamine* (vt Gregorius ait) *vulnus crevit*; Nã incredibiles meas ærumnas amarissimis contumeliis respergunt mei amici, in eo perseverãtes, ut me sceleris, & arrogãtiæ convincãt. Quod vero Eugub. ait; *Quod sermo tãtus, querimoniaq; assidua, & indignatio os reddiderat amarũ*; indignius est, quã vehemẽs viri gravissimi oratio postulet. Quod vero *Sermonẽ* dicit, emphasim habet; est enim proprie, *sermo* nõ leviter jactatus, qui in corde assidue volutatur, priusquam vsurpetur ore: deniq; qui manat ex intima cordis meditatione: quare aliis locis vertitur *meditatio*, & *exercitatio*, Psal. 54.2. *Contristatus sum in exercitatione mea*, id est, assiduis precibus ex mœrẽti animo me assidue exerceo. Ita sane Iob, hunc esse suũ *sermonẽ*, meditationem, exercitationẽ profectam ex amarissimo animo. 3

Tygur.

Gregor.

Eugub.

שיח

Genes. 24.62.
Psal. 142.5.

Et manus plagæ meæ. August. cum He- 4
bræo conveniens: *Manus mea.* illud enim *plagæ meæ*. illuminationis gratia addidit Interpres. Sed metonymicos, *Manus*, pro effectu, id est pro vulnere, & plaga, quæ manu fit. Quanquã etiã *manus* pro ipso robore, & vi. Quare Greg. *Manus plagæ, est fortitudo percussionis.* & fere eodem modo D.Thomas: *Potestatem plagæ*, dicit, id est, vim, & acerbitatem.

Manus.

Metonymia.

Gregor.

D.Thom.

Aggravata est super gemitum meum. Gravior, & vehemẽtior est gemitu meo; acrior meis suspiriis, quamvis acutissimis, & major, quam ut ullis querimoniis, atq; lamentis demõstrari, aut explicari posit, ita me; neq; intelligũt, neq; meos dolores

pro dignitate æſtimant hi ipſi meorum gemituum, & ſuſpiriorum auditores, & teſtes. Sed melius cohæret, ut ſignificet ſuam calamitatem augeri importuna amicorum cõtentione, & contumelia potius, quam conſolatione. Non aliter de ſuorũ hoſtium contumeliis, ſubſannatione, gaudio ex ſuis ipſius calamitatibus, conquerebatur David; *Et ſuper dolorem vulnerũ meorum addiderunt*. Quare illis parem pœnã imprecatur, ut creſcat illorum ſuppliciũ aliorum irriſione & contumeliis; *Appone* (inquit) *iniquitatem*. (Theodoretus, *condignam pœnam*) *ſuper iniquitatem eorum*. addatur calamitas calamitati, & contumeliis amplificetur, & creſcat ſemel inflictus dolor. Neq; ſolum David, Deus ipſe cõqueritur de hac adverſus miſeros, & afflictos impudentia, & immanitate Babyloniorum; *Dedi eos in manu tua, non poſuiſti eis miſericordias: ſuper ſenes aggravaſti jugũ tuum valde*. nam captivitatem populi Iſraelitici, quam iratus Deus ſtatuerat, multo graviorem, & acerbiorem efficiebat ipſa Chaldæorũ immiſericordia, & petulantia erga captivos. Ergo ſicut hic dicitur jugum ab inimicis *aggravatum*, ita & Iob; *Plagã ſuã* ab amicis *aggravatã*, cõqueritur.

Plagam a Deo inflictam, aggravari ab homine inhumano.

Pſal. 68. 27.

Theodor.

Iſai. 47. 6.

5 At Septuaginta, *Manum*, hoc loco non tantum pro *plaga*, ſed pro opere, & actione uſurpant, ſenſu quidem non valde cohærente cum antecedẽtibus, & ſubſequẽtibus, ſed tamen per ſe vero, & ad aliquod animi ſolatium opportuno; *Et quidem ſcio quia de manu mea eſt increpatio; & manus ejus gravis facta eſt ſuper gemitũ meũ*. Quod Nicetas in protheoria, & Olympiod. in ſcholiis, ſic accipiunt; *Non ex iis, quæ falſo eſtis criminati, verum ex iis, quæ egi ipſe, de me judicabitur*. Aliter Chryſoſtom. & licet non longius a propoſito, at certe longe aliene a ſignificatione *manus*. *Novi* (inquit) *ex iis*, * *quæ in manibus ſunt, ex plaga* (*inquam*) *ipſa, non ex iis rebus, quas geſſi, me refelli a vobis*. Acceptio quidẽ *manus*, pro re præſenti, quam verſamus & tractamus inſolens omnino in Sacro ſermone, quãquam Vulgo frequens.

LXX.

Nicet. Olympiod.

Chryſoſt.

* Iuzgais por lo que veis, y por lo que tenemos entre manos.

Manus pro re præſenti.

III. Quis mihi tribuat, ut cognoſcam, & inveniam illum, & veniam uſque ad ſolium eius?

1. Calamitas ad Deum ire compellit. Homines tantum judicant de externis. Impiorum in ærumnis conſilium. Explicatus Amos.
2. Cognoſcere de experimento.
3. Invenire, quid in Sacro ſermone Hyſterõ Proterom. Miſericordia, & Benedictio
4. Invenire pro ſuſpicere. Explicatus David ſemel, & iterum.
5. Solium quid proprie, Dei ſoliũ commendatur a firmitate, & ſtabilitate. Illuſtratus David

I Vtinam ergo palam, & coram liceret mihi cum illo agere, qui novit *gemitum pauperum, & præparationem cordis eorũ audit*; qui ſuſpiria, & gemitus comparat cum animi ægritudine, & dolore, ex quo proficiſcuntur: namque homines utpote externorum tantum ſignorũ teſtes atque judices vel externa tantũ conſiderãt, atq; de tota re non melius judicant, quam ex conjecturis externis poſſunt; aut certe quæ vident ſigna, in pejus interpretãtur; ut quondã Heli *exiſtimavit Annam temulentã*, ex habitu, & geſtu externo, cum tamen illa *ex amaro animo*, vultu, geſtu, ore inſolito, & perturbato inter preces muſitaret. Vides, ut extrema calamitas, & abalienatio amicorum, & familiarium juſtũ hominem ad Deum cõfugere compellat, & frequenter illius Numinis, opis, judicii meminiſſe. Nõ enim eſt Iob ſanctiſsimus ex illorum numero in mediis ærũnis impatientiſsimorum, & adverſus Cælum indignantiũ hominum, quorum alter hortatur alterum; *Tace, & non recorderis nominis Domini; quia ecce Dominus mandavit*. Neque eum interpelles, neq; illum tuis precibus ſollicites, illiusve memoriam, aut nomen uſurpes, qui tibi hæc mala fecit, mãdavit, voluit. At profecto confugiendum in miſeriis ad illum ipſum eſt, qui miſerias, & ærũnas mandavit. Illud enim ſicut in optima ratione poſitum, ita vere dictum eſt: *Diligentius Dii coluntur irati*. Sed expendendæ voces ſingulæ.

Pſal. 10. 17.

1. Reg. 1. 13.

Tribulatio ad Deum tre cõpellit.

Impatientes Divinæ opis obliti.

Amos. 6. 10.

Senec. lib. 8. declam. 1.

2 *Vt cognoſcam illũ*. Sciã, experiar, familiariter cũ illo agam: haberẽ profecto clarum, & apertum meæ vitæ, atq; innocẽtię teſtimoniũ illius ſentẽtia, & judicio; utinam jam illius ſententiã, ſincerũq; de me judiciũ cognitum habeam, experiar; utinam ille me judicet, quẽ ego * *cognoſcam*, & qui me benenorit intus, & in cute, nam iſti mei amici, noti, & familiares me non agnoſcunt, ut quibus meam innocentiam nulla ratione probare poſsim. Ergo illum deſidero, & appello; *qui probavit me, & cognovit me, cognovit utiq; ſeſſionem meam, & omnes ſemitas meas prævidit*. Non omnino, incõmode Vata. *Vtinã ſcirem, ubi Deus ſit*. nã loquitur more humano, & primũ deco gnoſcẽda via ad Dei tribunal. Sed prior expoſitio verior, acrior, & ſublimior.

ידע

* Quiẽ tuvieſſe un conocido, q me conocieſſe, que el diria quien yo ſoy.

Pſal. 138. 2.

Vatab.

Et inveniam illum, id eſt, ut cognoſcam, poſtquam invenero. vel Hiſteron Proteron.

Hiſteron Proter.

ron, *Vt inveniam, & agnoscam*, qui præposterus rerum dicendarum ordo non est in Sacro sermone infrequens, quale illud Psal. 23. 5. *Hic accipiet benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo*, cum tamen ordine congruo semper soleat *misericordiam* præmittere, ex qua *benedictio* nascitur, juxta id,

2 Psa. 66. 2.

Deus misereatur nostri, & benedicat nobis. Valet vero verbum, *inveniendi*, idem quod *venire in*, id est, idẽ quod verbum *veniendi* compositum cum præpositione, *in*, aut aliis etiam præpositionibus, ut Gene. 33. 12. *Invenisti gratiam coram me*, id est, venisti in gratiam. Psal. 114. 3. *Pericula inferni invenerunt me*, id est, venerunt in me, vel *evenerunt mihi*, & per Hipallagem, Incidi, deveni in pericula, & discrimina vitæ, & Psal. 114. 3. *Tribulationem, & dolorẽ inveni*. id est, incidi in tribulationem. Similiter hoc loco, *Inveniam illum*, veniam, perveniam ad illum. quod exponitur parte sequente.

Invenire, quid proprie.

מצא

Hipallage.

4 *Et veniam usque ad solium ejus*. Affectus quidem iste est hominis injuriam gravissime patientis, sed judicis incorrupti sententiam, præsentiamque quasi impatienter desiderantis. Et vero si huic quoque verbo, *inveniendi*, demus vim, & significationem *sufficiendi*, nemini, aut curiosius, aut argutius videri debet, nam non semel sic vertit Vulgatus Intetpres, Num. 11. 22 *Numquid ovium, & boum multitudo cedetur ut possit sufficere ad cibum?* Regia ex Hebræo, *& inveniet eis*. & iterum statim, *Omnes pisces maris in unum congregabuntur, ut eos satient*, Onchel. Septuaginta. Pagnin. & Tygurina, *qui sufficiant*. Eodem sensu Psal. 20. 9. * *Inveniatur* (Hieronymus *Inveniet*) *manus tua omnibus inimicis tuis* (in dandi casu, id est, sufficiat, sufficienter retribuat, satis bene poterit se se opponere & resistere omnibus inimicis tuis. Et statim) *Dextera tua inveniat omnes, qui te oderunt*. id est, tua vindicta ad omnes impios perveniat, & quamvis fugientes persequatur, & comprehendat. Psal. 85. 3. *Dolose egit in conspectu ejus* (Dei) * *ut inveniatur* (inveniat, sufficiat, sufficiens sit, & abundans sit) *iniquitas ejus ad odium*. id est imprecor ex Dei nomine, ut tam abundet in scelere, & improbitate, ut ei sufficiat ad conciliandum illi odium universorũ. Hoc eodem sane sensu dicere potest Iob, * *Inveniam illum*, inveniam illi, sufficerem profecto illi, abũde me illi probarem, qui me bene probatum, & perspectum habet, nõ sum sufficiens meã causam vobis probare, at sufficerem incorrupto judici, & veritatis, atq; innocentiæ vindici. Scio paulo durius alicui videri posse, sed ille sciat esse ad Scripturæ phrasim, & proprietatem Hebraici sermonis non vulgariter observatum.

Invenire pro sufficere.

*Yo no basto, vos si sois bastãte para vuestros enemigos, y los mios.

*Sea tan malo, que basta a que todos le aborrezcan.

*No basto cõ vosotros, pero con Dios bastara, y pudiera.

Et veniam, incedam, ingrediar, accedam *usque ad solium ejus*, proprie habitationem sedem, firmitatem, aut stabilitatem, id est, usq; ad cælos firmissimos, & incorruptibiles: nã Scripturæ sempiternam Dei dominationem ex cælorum firmitate, & stabilitate illius solii, sedisq; commendant, juxta id, *Sedes tua Deus in sæculum sæculi*. Sicut Exod. 15. 17. ex firmitate montium terræ sanctæ, & natura firmissima illius regionis, quã Deus in arcem, & sedẽ Regiã delegerat, colligit sempiternitatem Regni illius; *Introduces eos, & plantabis in monte hæreditatis tuæ, firmissimo habitaculo tuo, quod operatus es Domine. Sanctuarium tuum Domine, quod firmaverunt manus tuæ, Dominus regnabit in æternum, & ultra*. Septuaginta, * *Dicam in finem*, Auctor Catenæ, & Ambrosius, *In terminum*. Tunc tandẽ conquiescerem, & meæ defensioni finem imponerem: Chrysostomus minus congrue, *ad finem*, id est, *ad perfectum* dixit, sive *ad victoriam*; adducitq; confirmationem ex titulis Psalmorum, qui frequenter inscribuntur, *in finem*, sive *victori*. de quo dicẽdum versiculo 6. 5

Cæli. Dei sedes stab lis.

כון

Psal. 44. 7.

LXX.

Nicetas.

Ambros.

*Acabaria ya, y no hablaria mas palabra

Chrysost.

IIII. *Ponam coram eo judicium, & os meũ replebo increpationibus.*

1. Ponere verbum militare. Dolor arma ministrat.
2. Iudicium. Os plenum ad constantiam, & confidentiam.
3. Increpationes quid proprie.
4. Animi constantia sancti Iob. Explicata Græcorum lectio.

Ponam. Disponam certa ratione, & arte meam orationem, ordine informarem coram illo meam causam, & proculdubio obtinerem adversus meos accusatores, atq; eas rationes pro mea innocentia, eoque ordine proferre, ut judicem veritatis pondere quasi victũ, & expugnatũ ad me traherem. Vox originalis *Gharac*, Significat idem quod *ponere*, cũ suis cõpositis, disponere, cõponere, preparare, ordinare, dirigere. Estq; militare bellũ, atq; dicitur de aciebus, quæ certa ratione, arte, ordine componuntur, disponuntur, diriguntur ad congrediendum cum hoste. Vides, ut dolor arma ministret, rationesque fortissimas inveniat, atque illas certo ordine componat, & dirigat, quibus judicem flectat, & emolliat, & quantũ- 1

ערך

Ponere verbũ militare.

Rationes dolẽtis pectoris instar armorũ

vis

vis pectus ſævisſimum expugnet, atque vincat?

Senec. in Her. Othe. act. 4. *Quid non poſſit ſuperare dolor?*

2 *Iudicium meum*, cauſam, cauſæ defenſionem, & totius rei ſummam, quæ inter me, calumniatoreſque meos verſatur. Ca
שפט
Cajet. jetanus aliene dicit; *Iudiciariam telam inter ſuas afflictiones, ſuaque peccata*: Nam hoc potius ad ſequentem partem pertinet. Non omnino placet, quod D. Thomas exponit; *Proponam ei, qualiter debeat*
D. Thom. *eſſe juſtum judicium.*

Et os meum replebo increpationibus, id eſt pleno ore, fidenter, conſtanter pro me di
Pſal. 25. 11. & Pſal 81. 11. & Iſai. 57. 4. cam, *dilatabo os meum*, nõ *contrahan*, quippe nullius mihi ſceleris conſcius ſum. hęc videntur afferri *ore pleno*, aut *dilatato*. Tũ etiam illud, nihil aliud poſſe uſupari ore, cum *plenum* eſt; quare *Repleri os laude Divina*, eſt *cantare tota die* Dei laudes Pſ. 70. 8. *Hominem dilatare os, & repleri a Deo*, eſt multa petere; multa quoque deinde prædicare beneficia accepta, & accipere a Deo materiam ſemper laudandi, Pſa. 80. 11. *Repleri os riſu*, eſt ſemper ridere, ſemper læta loqui. Pſal. 125. 1. Ergo *Repleri os increpationibus* erit, diu multumque, innumeras *increpationes* proponere. Neq; ſolum (inquit) cum illo agam rationibus pro mea innocentia exquiſitis (paucis enim coram incorrupto judice, & mei cõſcio opus habeo) ſed multis etiam *juſti do*
Philippus. *loris querelis* (ut Philipus dixit) meam pro me orationem infarciam. Expoſtulabo nimirum cum illo de mea innocentia afflicta, & de immeritis calumniis.

Sunt autem hoc loco *increpationes*, diſ-
3 putationes, argumenta, quæ in judicio ad verſus criminatores, & accuſatores vel
יכח reſpõdentur, vel objiciuntur, & admonitiones etiam paulo ſeveriores, ex dolente quidem animo, ſed ex amante, & benevolo profectæ, cum quis juſta loquitur, juſteque ſe tuetur. ſicut Ieremias dixit. 12. 1. *Iuſtus es Domine, veruntamen juſte loquar ad te*. Chryſoſt. *Increpationes*, exponit, *deplorationem ærumnarum, acerbitatumq; ſuarum, iis quæ geſſit, & pertulit uno tempore*
Chryſoſt. *expoſitus*. Si quid autem in his *increpationibus* ineſt reprehenſionis, ad amicos, non ad Deum referri oportet.

VI. Ut ſciam verba, quæ mihi reſpondeat, & intelligam quid loquatur mihi.

1 ILle (inquit) ſi quidpiam erratum a me eſt, errati me admoneret, neque contumelioſe, ſed re ipſa, & ratione mecum ageret; atque rei totius veritatem, & mearum calamitatũ cauſam ex illo intelligerẽ. Tum præterea * *ſcirem*, an ratione ulla atq; reſponſione meis expoſtulationibus, & querimoniis ſatisfieri poſſet. Vos enim neq; ſatisfacitis, neq; reſpondetis. Verba conſtantis, fidentiſq; animi, ac bene ſibi conſcii. Septuagint. * *Cognoſcam ſanationes, quas loquetur mihi*, id eſt, reſponſiones quibus aliquod ærumnarũ mearũ ſolatiũ & ægritudinum medicamentũ contineatur. Chryſoſt. eleganter dixit; *Quam mihi laborant curationem adhibiturus eſſet, intelligerem*. q. d. qua nam re mea injuria compenſari; meæ innocẽtiæ jactura reſarciri poſſit. vel potius *ſanationem* vocat reſpõſionem aliquam propoſitarum ſuarum rationum, qua omnino exponat, tollatque dubitationem illam ſuam, quam nam ob cauſam innocens vexetur? Ita explicat Chryſoſtomus, non ille, quem affert auctor Catenæ, ſed quem adducunt ſcholia, Vaticana: *Quid* (inquit) *ad hæc affert, quod ſanet dubitationem*. Quo ſenſu videtur legere Auguſt. *Cognoſcam cauſationes*. Eleganter hoc loco Philippus admonet unũ, atq; eundem tenorem eſſe toto hoc libro querimoniarum ſancti Iob.

Sententiæ paraphraſis.

* Sabriamos que reſpueſta pueden tener mis quexas.

* Sepamos õ remedio, ▪ q̃ cura puedẽ tener mis males

Chryſoſt.

Chryſoſt.

Scholia Vaticana.

Auguſt.

Philipp.

VII. Nolo multa fortitudine contendat mecum, nec magnitudinis ſuæ mole me premat.

1. *Divina æquitas, & juſtitia. Verbum* nolo *Quid deſignet.*
2. Multa Dei fortitudo, *de abſoluta potentia.*
3. *Divina Potentia temperata cum æquitate. Explicatus Salomon.*

1 IDem ſuperius cap. 13. dixit, & abunde expoſitum a nobis eſt; Sed addit præterea nonnihil locus hic; reſpondet nimirũ amicis objicientibus infinitã Dei potentiã, & magnitudinem. Nõ (inquit) in animo meo eſt congredi, aut litigare cum illius poteſtate, & magnitudine; ſed cum illius tantum æquitate & juſtitia: ſcio enim humanam imbecillitatem nullo negotio illius virtutis, atque virium magnitudine opprimi poſſe: at illius æquitatem, & juſtitiã nihil contra veritatem, nihil contra juſtitiam, nihil contra meam innocentiã poſſe. *Iuſtitiã itaq; ejus* (ſic Philip. elegãter & breviter) *ſolam requiro*. Obſervat præterea Philipbus verbum, *Nolo*, *optantis* ſenſu, *non jubẽtis* dictũ. Sed quidẽ potius ſui animi propoſitũ, voluntatemq; exprimit

Contentio cũ Divina juſtitia non cũ potentia.

Philippus.

minime appellandi Divinam potentiam, ſed ſolum juſtitiam: quanquam in Originali hæc eadem ſententia ſub alia forma exprimatur; *Numquid multa potentia, aut in magnitudine potentiæ litigabit mecum?* Quaſi dicat, Fruſtra vos mihi Divinã potentiam objicitis, nam ille non ſolet potẽtiæ, & virium magnitudine litigare cũ mortalibus; ſed judicio contendere, atque argumẽtis ex illorum aut innocẽtia, aut improbitate deſumptis. In quo illius ſanctitas, æquitas, juſtitia conſiſtit; ſicut ſcriptum eſt: *Quærite judicium, & venite, & arguite me dicit Dominus.* & iterum: *Appropinquare* (litigare, congredi, contendere) *cum Deo volunt, quaſi gens, quæ juſtitiam fecerit, & judicium Dei ſui non dereliquerit.* Quo loco ex ratione, juſtitia, æquitate reſpondet Deus expoſtulantibus; *Quare jejunavimus, & non aſpexiſti? &c.*

Deus ratione litigans, non potentia.

Ierem. 2. 9. 35.

Iſai. 1. 18.

Iſai. 58. 2.

2 Addit præterea Cajetanus non inutiliter, Divinam potentiam, quæ abſoluta vocatur, poſſe de homine, deque creaturis univerſis ſtatuere, quacumque ratione libuerit; at ordinariam illius poteſtatem, rationemque agendi ad ſtatutam jam legem, pactumque cum hominibus, & ad judicis incorruptiſsimi, juriſque æquiſsimi formam, regulamque adſtringi. Ergo illam liberam, ampliſsimamq; Dei potentiam, magnam, *Multamve potentiã*, aut *fortitudinem* vocat Iob, quam Septuaginta ſic explicãt; *In multa virtute ſuperveniet mihi?* Quod cum aſſertione, & ſine interrogatione legunt: cum potius ex Hebræo cum interrogatione legendum, ut valeat idẽ, quod negatio, manifeſte colligatur: poſt interrogationem enim negatio ſubſequitur. Sic quod Auguſtinus: *An in multa virtute dijudicabitur mecum?* Symmachus; *Tantum ipſe non incumbat in me.* Vides hoc loco ſummam Dei æquitatem, æquiſsimamque illius potentiam, & juſtiſsimam fortitudinem, non minus ſapienter ſignificari a Iob, quam a Salomone; nam is paribus fere verbis, atque ſententiis parallelis, Sapientiæ. 12. 15. ſcribit, Divinam Potentiam ſumma æquitate temperari; *Cum* (inquit) *ſis juſtus juſte omnia diſponis* (adminiſtras) *ipſum quoque, qui non debet* (non meretur) *puniri, condemnare*, (quaſi lata, & pronuntiata ſententia) *exterum* (alienum, & abhorrens) *æſtimas a tua virtute; virtus enim tua* (virium, & potentiæ magnitudo) *juſtitiæ initium eſt.* Deinde; *Tu autem Dominator virtutis* (id eſt, qui ita potentiam moderaris, & regis, ut non te potentia agat, impellatve, ſed tu potius illam agas, cohibeas, temperes, & quo æquitas, juſtitiaque tua conſtituerint, tantum applices) *cum tranquillitate* (æquitate) *judicas, & cum magna reverentia* (cum multa moderatione, magnoque parcendi ſtudio) *diſponis* (gubernas) *nos.* Oſtendit præterea Sapiens adverſus quos abſolutam potentiam ſuam exerat Deus, non tamẽ ſine juſtitia, videlicet adverſus improborum audaciam, qui vel Divinam Potentiam non agnoſcunt, vel non verentur; atque tunc demum, cum id ratio juris efflagitat.

Cajet.

Dei potentia abſoluta, aut ordinaria.

LXX.

Auguſt.

Symmach.

Dei potentia enim ſumma æquitate.

Neque magnitudinis ſuæ, &c. Additum hoc eſt ab Interprete gratia explicationis, ſicut etiam Septuaginta ex ſuo addiderunt, ut amplificarent ſententiam; *Deinde in minis me non utetur.* Quod ſanctus Auguſtinus legit; *Nequaquam in terrore abutatur me.* Quod præcedentis partis expoſitio, & expolitio eſt.

LXX.

Auguſt.

VII. Proponat æquitatem contra me, & perveniet ad victoriam judicium meum.

1. *Varia lectio, & interpretatio.*
2. *Defenditur Vulgatus.* Ponere *quid prop. Illuſtrata Lectio Hebræa.*
3. *Adverbium* Ibi. Ponere *verbum forenſe. Coram Deo litem agere, & cauſam dicere licet. Illuſtratus David.*
4. *Illuſtratus Vulgatus.* Perpetuum, Finis, Victoria.
5. Finis *idem, quod* ſine fine. *Deus triumphator, titulus Pſalmorum* in finem. *Illuſtratus Iſaias, & Habacuc.* Vincere *verbum forenſe.*

1 IN Hebræo ſententia curcta, & conciſa, *Ipſe ponet in me.* Hebræus apud Cajetanum: *Iudicando attribuet mihi*, ſubaudi, Rectam, juſtamq; ſententiam. aut, apponet mihi id, quod exigunt merita meæ cauſæ. Quẽ fere ſenſum expreſsit lectio Septuaginta; *Veritas, & increpatio eſt ab eo.* id eſt, Ipſe ponet, proponetq; veritatem meæ innocentiæ, & abſolutionis; aut ſi improbum compererit, me increpabit, dãnabitque lata ſententia. Lectio Tygurina, atque ſcholia Vatabli, & Iſidori Clarii longe aliter ſententiam ſupplent; *Ipſe ponet in me vires*, conferet, addet. q. d. Tantum abeſt, ut ille me potentiæ magnitudine exterreat, & abigat a ſuo tribunali, ut potius vires ille mihi ſuppeditet; & animos faciat ſubſiſtendi coram illo, & benigne etiam faciat copiam loquendi, meque defendendi. Hujus autem lectionis

Cajetan.

LXX.

Tygur. Vatab. Iſidor.

ratio est, quod verbum *ponendi*, videatur idem esse, quod *apponere*, addere, augere: ex additione autem, & augmento, vires roburque commode significantur, atque intelliguntur.

2 Defensio Latini Interpretis. לוה

Sed quidem, ut pro nostro Interprete contra hujusmodi Hebraizantes Latinā lectionē tueamur, hoc loco minime subest verbum *Lavah*, quod significat *apponere*, addere, adjungere, vel copulare, & adhærere. neq; tunc quidē oporteret vires, aut robur subaudire; cum illud verbū indifferens sit ad ea omnia, quæ apponi, vel componi, & jungi inter se possunt. Subest ergo hoc loco verbum *Sum*, quod significat imponere, aut cōponere, aut facere, & fabricare certa arte, aut cura; & ad ea solet usurpari, quæ diligēter certo loco, & industria collocantur, & disponuntur. Sicut Genes. 30. 41. dicitur, *Ponebat Iacob virgas in canalibus.* quod industriā, & curam, atq; dispositionem certi loci adfert. & Genes. 50. 26. de eodē Iacob; *Conditus aromatibus, repositus est in loculo.* Et id Canti. 8. 6. *Pone me ut signaculum super cor tuum.* Et cētum hujusmodi, quæ aperte probant verbum *ponendi* afferre secum collocationē certo loco, & ordine. Ergo significat Iob Deum ordine quodam, certaq; ratione *positurum*, & collocaturum. Sed quid tamen collocari, *& poni* oporteret, omnino subticetur. Ergo Interpretē divinare oportuit: divinavit autem Divinitus, certo, ac sapienter: nā cum Iob de ineundo, & subeundo judicio, de sua causa informanda, de argumentis proponēdis agat, nunc quid aliud optare debuit *poni*, aut proponi sibi a Deo, quam *æquitatē*? id est, non iniquas adversariorum suorum calūnias, & falsas criminationes, sed æquissimarum rationum momenta: neq; exquisitam justitiæ Divinæ severitatem, sed tēperatam benignitatem, qua cum mortalibus agere Deus solet. Ergo (inquit) disputet utiq; mecum Deus ex æquo, & bono; atque exquisite, quod voluerit, proferat contra me in suo judicio; nihil enim proferet, aut mihi imponet, quod honesto & innocente viro indignum sit.

Diligentia, & acumen Interpretis.

3 Lectio Hebræa. *Pagn. Regia. Tygur. Cajetan.*

Æquitatem, præterea hanc sapienter sumere Interpres ex ipso Hebrӕo potuit, nam additur deinde in Originali, quod a nostro Interprete videtur ex parte prætermissum; *Ibi rectus litigans cum eo*: vel ut legit Hebræus apud Cajetanum: *Ibi rectū fuit disputatum cum eo*, id est, tātum, quod rectum est, & æquum, potest proponi in Divino judicio; nam nullus locus ibi fraudi, & calumniæ. Quare adverbium illud loci, *Ibi*, non accipio cum Vatablo, pro adverbio tēporis, *Tunc*: sed propie; Illic, corā Deo judice, nemini justo, & innocenti negatur copia se defendendi: nemini afflicto, & misero negatur aditus, atq; honestus, & opportunus dicendi locus. Sicut ab hac ipsa radice dicebat David Psal. 15. 9. *Posuisti lachrymas meas in conspectu tuo*, id est meis ærumnis, atque gemitibus liberum ingressum ad tuū tribunal patefecisti, & loco honesto, atq; ad dicēdum, & audiendum valde opportuno sedere fecisti. Nam hoc videtur forense aliquid; præcessit enim; *Vitam meam annuntiavi tibi.* id est, vitæ meæ ærumnas, & discrimina, tibi tanquam æquissimo judici exposui, conquestus de meis persequutoribus. & quod dicitur, *In conspectu tuo*, in Hebrӕo est, *In sacculo, vel in utre tuo*, videlicet, tanquam pondera, & momenta, quæ dicebātur, *Lapides sacculi*, ut scilicet in numerato habeas omnes meas lachrymas, ut illas ponderes & diligenter expendas, atq; æquissima tuæ justitiæ trutina dijudicatas, & ponderatas benigna sentētia prosequaris. Conficiuntur ergo in Divino judicio libelli causarum nostrarum, in quo describuntur nostræ injuriæ, & supplicationes; *ponuntur* etiam, quæ Divina justitia contra nos objicere potest, deinde quasi scripto pronuntiatur, ferturque sententia. Quæ omnia in Dei rationario, & commentariis ad totius rei, suæq; justitiæ memoriam sempiternam, & suorum justorum solatium consignantur, & tanquam in Thesauris reponuntur, & cōduntur. Sic eum locum Psalmi opportunius in rem præsentem Tygurina legit; *Fugas meas dinumeratas habe, lachrymas meas repone in lagunculam tuam. An non in rationario tuo?* Vatab. *In libro tuo, vel in comentariis profecto scriptæ, & annotatæ sunt.* Ergo *ibi rectus*, & innocens libere *litigat*, & optimo loco causam agit.

Adverbiū loci, pro adverbio temporis.

Vatab.

Afflictioni, & lachrymis cōceditur honestus, & cōmodus locus in Dei judicio.

Deus in suo judicio ponderās lachrymas afflictorum, & merita cujusq;

Prov. 16. 11.

Libelli nostrarum causarum atque accusationes apud Deum.

Tygu. Vatab.

4 *Pagni. Regia. Vatab. Isidor. Cajet.*

Et perveniet ad victoriam judicium meum. Paulo secus in Hebræo: *Et liberarer in perpetuum a judicante me*, id est hac ratione evaderem liber ab iniquis meæ vitæ judicibus, & calumniatoribus, ut ultra jam mihi disceptatione, & contentione opus non esset. Sed eleganter Vulgatus Interpres sententiam illuminavit, non dissentientibus etiam Septuaginta; nam *perpetuum* pro *fine*, seu *victoria* sumpsit: & quod retento Hebraismo diceret; *Evadam*, aut *Liberabo me in victoriam a judicante me*, vel, *a judicio*; Latine, & eleganter vertendum censuit; *Perveniet ad victoriam judicium meum.*

LXX.

Sed

5

נצח

LXX.

Hebraizantes.

Sed eſt tamen reddenda ratio hujus lectionis, atque premenda illa vox *victoriæ*. Et quidem pro voce originali *Netſah*, Græci, & Septuaginta vertunt, *finem*; atque hoc etiam loco legunt; *Educat in finem judicium meum*. Hebraizantes vero vertunt; *Sæculum, perpetuum*, aut *æternum*. licet enim, *æternum*, aut *perpetuum* videatur *fini* contrarium, utpote quod fine careat, ideoque finem omnem excludat; tamen ex ipſa nominis proprietate, & ſignificatione, quandam habet *æternum* affinitatem cum *fine*: nam *poſt æternum*, non aliter atque *poſt finem*, nihil expectare oportet. Præterea æternitas vincit omne tempus, atque in illam tandem deſinunt, & finem capiunt temporaria omnia; quare cũ aliquando dicitur in Scriptura *finis*, intellige, *ſine fine*, id eſt *perpetuum*, ut illud Pſalm. 48. 10. *Vivet adhuc in finem*. id eſt, ſine fine. quod Hieronymus dixit; *vivet ultra in ſempiternum*. Rurſus eadem voce Hebræi *victoriam*, & triumphum ſignificant; atque eum fortem, victorem, & triumphatorem appellant, qui rem ad finem, & ad perfectionem perducit. Quare Sapientiæ fortitudinem, & quaſi victoriam, & triumphum ex eo deſcripſit Sapiens, quod *attingat a fine uſque ad finem fortiter*, id eſt, ſuperatis omnibus difficultatibus, non deſiſtat ab incœpto, donec ad finem rem perducat. Et ideo Samuel. 1. Reg. 15. 29. Deum appellavit, **Triumphatorem in Iſrael*, quod rem ſemel cœptam fortiter perſequeretur ad finem uſque. & ita Paulus Hebræos. 7. videtur Legi antiquæ, quaſi minime vincenti, neque triumphanti, eam *finis*, & *victoriæ* rationem denegaſſe, cum dixit; **Nihil ad perfectum adduxit lex*. nam *finis legis Chriſtus*, quaſi Victor, Triumphator, perfector, *Auctor fidei, & conſummator*, attingens a fine uſque ad finem, & ultimus rerũ omnium quaſi exequutor, atq; perfector. Hinc profecto quod Septuaginta in pleriſque titulis Pſalmorum inſcribunt, *In finem*, Hieronymus in Hebræo legit, *Victori*. & in procem. in Danielem, *In triumphum, aut palmam*. Aquila, *Victoriæ auctori*; Theodotio; *In victoriam*; Symmachus; *Epinicion*, id eſt, *Carmen victoriale*. Quæ omnia eodem recidunt: nam *finis*, eſt victoria; & *Finitor*, vel conſummator, idem eſt *Victor*. quod an de Chriſto Domino, an de aliquo alio accipiendum litterali ſenſu ſit, alterius loci, atque negotii eſt. Rurſus, ſicut *perpetuũ*, & *finis* idem ſunt, idem quoque *finis*, atque victoria ſignificant. Quod non alio, quam ipſius Pauli teſtimonio demonſtrabimus; nam quod Iſaias cap. 25. 8. dixit; *Præcipitabit mortem in ſempiternum*; Paulus vocibus ſynonymis expoſuit. 1. Corrint. 15. 54. *Abſorpta eſt mors in victoriam*. Iam ergo ſenſus hujus loci idem erit, ſive legas; *Perveniet judicium meum ad victoriam*, vel *ad finem*, vel *in perpetuum*, *in ſempiternumve*. Sed nomen *victoriæ*, quod interpres uſurpavit clarius, & ſignificãtius. Vnde elucidabitur illud Habacuc. 1. *Lacerata eſt lex; & non pervenit uſque ad finem* (victoriam, triumphum) *judicium*. id eſt, ut eleganter Tygurina reddidit; *Non habet efficacem exequutionem judiciũ*: nã effectio, & perfectio judicii, id eſt *finis*, ipſa exequutio eſt. Sed congrue quoque legemus; *Non pervenit ad victoriam judicium*, id eſt quod rectum, & juſtum eſt, non evincit, non obtinet in ſua cauſa adverſus potentiores: ſed ſi pauperes ſint, quãtumvis jus, & æquum pro illis ſtent, non pervenient ad victoriam, ſed vincuntur, & ſuperantur. Hæc genuina, & ſimplex hujus loci elucidatio, ex verbis Habacuc ſequentibus aperte colligitur; *quia impius prævalet adverſus juſtum*. Similiter, verbis fere ſynonymis ait Iob, ſe evicturum, atque obtenturum in ſua cauſa coram Deo judice, habiturumque ab illo, ut Chryſoſtomus ait, *Sententiam plenam victoriæ, & perfectam, atque integram*, contra ſuos adverſarios. Neque vero, ut neque hoc prætereamus, *victoriæ*, & *vincendi* nomina aliena ſunt a foro, & litibus; nam, ut Budæus obſervat in *Forenſibus, Vincere rẽ judicio, eſt quod evincere dicunt*. Loquutio ſane Græcis auctoribus, Platoni, Demoſtheni, Ariſtophani, Thucididi, non inſolens, juris vero Conſultis familiaris.

AEternum, & finis affinia.

Finis, idem quod ſine fine

Hieron.

Finis pro victoria.

Sap. 8. 1.

* El que lleva las coſas haſta el cabo, y las haze como lo dize.

* Començo, y no ſalio al cabo cõ lo q̃ pretendia.

Rom. 10. 4.

LXX.

Tituli Pſalmorum.

Hieronym.

Aquila.

Theodotio.

Symmach.

Conſonantia Iſaiæ, & Pauli

Sempiternum & victoria pro eodem.

Elucidatio Habacuc.

Tygur.

Chryſoſt.

Vincere, & victoria, forẽſia.

Budæus.

Stepha. in lex.

VIII. Si ad Orientem iero, non apparet, ſi ad Occidentem, non intelligam eum.

IX. Si ad ſiniſtram, &c. Si me vertam ad dexteram, &c.

---

1. *Quinque hujus ſententiæ nexus alieni.*
2. *Germanus nexus, & interpretatio. Iobi ſanctitas.*
3. *Sex poſitiones Cæli non eædem omnibus.*
4. *Quas Cæli poſitiones agnoſcat Sacra Scriptura, & unde illas diſtinguat, & conſideret.*
5. Oriens *quibus aliis nominibus appelletur.* Primum, *aut* principium, *in Sacro ſermone quid.*

6 Quor-

6. *Quorsum dicatur* Paradysus plantata ab initio. *Varia lectio. Quid prævenire in Sacro sermone. Explicata Sapientia.*
7. Occidens, Meridies, Mare, *& horum nominum etymologia, Illustrati David, & Ezechiel.*

1 Nexus difficilis, & multiplex apud Interpretes.

SEntentiæ istæ per se faciles, sed illarũ cum reliquis textura, & nexus difficilis; nimirum quorsum nunc dicat, Deum humano labore inveniri non posse, neque illum se nostris oculis præbere cõspicuũ: quamvis ille perspicue nos, nostraq; omnia contempletur? Primo ergo Dionys. & Alexand. in Catena ajunt, *Iobum significare tẽporis inconstãtiam, & mobilitatẽ; in quo plane ostendit, nos homines id tantum vivere temporis, quod instat; quandoquidem id, quod præteriit, amisimus, quod autem futurum est, nondũ tenemus: at Deus quidẽ semper est, & adest usquequaq.* Partes ergo, & positiones loci accipiunt Græci pro partibus, & differentiis temporis, quasi dicat Iob; Si ad præterita, vel ad futura me cõverto, nihil invenio, sed tantum præsens, quod instat. Sed quorsum? Secũdo, ut deploret, sibi roganti, optanti, appellanti ad Dei judicium, & tribunal, illum in tantis ærumnis non adesse, & id sane significare, cum dicit, se nusquam invenire posse Deum. Tertio, ut sit pristini sui voti repetitio quędam; Appello Deum incorruptissimum Iudicem, sed despondeo animo, nulla enim mihi affulget spes inveniendi: nam exercet quidẽ ille judicium rerum humanarum, sed inaccessum mortalibus, & intra suæ lucis tenebras se cõtinet. Quarto Cajet. & Nicolaus existimant, declarare Iobum, se non posse ratione humana per res naturales, quas per quatuor mundi plagas significat, cognoscere certo, & clare rationes Divinorum judiciorum, & extraordinariæ, ac supernaturalis Dei Providentiæ; nam hæc nisi per revelationem assequi nõ possumus: ideoque quamvis ad Deum appellet, sed nõ esse in sua potestate sistere se ad illius tribunal, & ad illius Providẽtiæ adita penetrare: atque adeo, ut Carthusianus addit, videtur postulare supernaturalem aliquam illuminationem. Quinto D. Thomas, & post eum Hugo. Hæc subjunxisse Iob ad declarandam Dei immensitatem, ne quis putaret ipsum existimasse Deum corporeũ esse, aut corporali loco circunscribi, cũ de illius tribunali loquutus est. idem videntur sensisse Gregor. & Philip.

Dionys. Alexand.

Cajet. Lyra.

Dionys.

D. Thom. Hugo.

Gregor. Philipp.

2 Simplex nexus.

Respondet Iob tacite bo ectioni.

Sed tandem is erit contextus lenis, & sententia facilis, ac bene cohærẽs, ut quasi tacitis duabus objectionibus responderat Iob in hanc sentẽtiam; Si cui videar in hoc meo voto conscendendi in celi sedes lucidissimas ad Dei tribunal temerarius, & audax, præsertim cum uni tãtum loco, aut sedi ille minime alligatus sit, sed ubivis gẽtium, atque locorum præsens adsit, ac jus dicere possit, sciat is, qui mihi id objicit, nisi Deus se mihi, ac meis adversariis conspicuum præbuerit, atque consistamus pariter ad illius tribunal, sicut in die judicii novissimi, feraturque sentẽtia pro mea innocentia palam, & manifeste, neq; meos adversarios cessaturos a mea criminatione, neque meam innocentiam probatam, atque exploratam iri. Rursus, si quispiã objiciat, me velle tenebras offundere meæ causæ, & per occulta, & ignota velle me innocentem probare, sicq; satisfacere meis adversariis; Respondeo sane, ideo me desiderare, & appellare manifestum, atque conspectum Dei judicantis tribunal, palamque proferri aliquod meæ innocentiæ afflictæ præsidiũ, ne in tenebris mea innocentia delitescat mortalium oculis incerta, & dubia.

Secundæ objectionis solutio.

Sed tertio etiam objiciamus nos viro sanctissimo? ergo cupis jam ab inferis avolare ad superos, & mortales relinquere? nam quandiu super terrã versaris, etiã si quatuor mundi plagas perambules, ac pervageris universas, solium judicis invenire non poteris. Respondebit sane annuendo propositæ objectioni. Qui enim hæc dicit, Salvatorem suum videre desiderat in carne sua, *& pro minimo habet judicari ab humano die*, id est, hoc tẽpore, præsertim mortales inter, atque humano more; sed tamen pro maximo judicari *in die Domini*, cũ *confitebitur* judex justos suos, non solum coram hominibus, sed etiam *coram Angelis Dei.* Sed veniẽdum jam ad partes singulas.

Iob desiderãs novissimũ judicium.

1. Cor. 4. 3.

Matth. 10. 32.

Si ad Oriẽtem iero, &c. Nõ esse easdem positiones Cæli, neque eadem illarum nomina apud Sacros, & prophanos, vel ex hoc loco manifeste colligitur, ubi quod Latine dicitur *Oriẽs*, Hebraice dicitur *Ante.* Sed hoc ne sine observatione prætérlabatur, strictim Positiones attingemus, quantum exiget Scripturarũ intelligẽtia. Philosophi sex omnino Cæli Positiones, totidemq; in terra respondentes constituunt, Sursum, & Deorsum, Ante, & Retro, Dextrum, & Sinistrũ; quas omnes nõ aliter in Cælo statui oportet, quam ex analogia quadam, & cõparatione Cælestis motus ad animalium motũ, & partes; ut ea cẽseatur pars Cæli dextra, versus quã movetur, nimirum Oriens, sicut, & animal a dextrorsum naturaliter moventur,

Sex Cæli Positiones apud Philosophos.

& inclinatur, opposita vero sinistra, nimirum Occidens. Illa Sursum, ubi oportet caput hominis consistere habentis dextrā in Oriente, quam oportet esse polū Antarticū; oppositā vero nostrū Aquilonē. deniq; anteriorē partem, versus quam fingimus faciē hominis cōversam moventis se se, porrigentisq; ad Orientem dextrā, nimirū hemisphæriū, non illud quidē unicum, & certū, sed varia, atque diversa pro regionum varietate, & situ. Scio hęc multis scatere difficultatibus, sed quæ physici negotii sint, non nostri, & quas diligenter expedire curavimus, cum 2. Arist. lib. de Cælo interpretaremur.

Incertæ Positiones Cæli.

Plato Pythag. Aristot, de quo Galen. in histor. philosoph. Et Dionys. Halicar. li. 2. Orig. Virg. in Georg. Ovid. 1. Meta. Lucan lib. 3.

Est in his quoque mirabilis varietas inter Astronomos, Cosmographos, Philosophos, Poetas; quisq; enim pro suo usu, & necessitate, sive ad polum Aquilonarē, faciem cū Ptolomæo, & Geographis convertat, volēs poli altitudinem indagare, terræque situm verius depingere: sive ad æquinoctialem cū Astronomis respiciat, ut & motum celi velocissimum, & syderū cursus diligentius observet: sive astrorū occasus cum Poetis respiciat, præsertim Latinis, oportet aliud, atque aliud dextrum, & sinistrum, aliā, atq; aliā partē anteriorem, atque posteriorem assignare. Qua de re diximus nos aliquando nonnihil; nunc vero nihil aliud, quod ex nostro ordine hac de re, quantū satis est, dixerint nostri Conimbricen. lib. 2. de Cælo; docte quoque, & solide Christophorus Clavius ad c. 2. Sphæræ; eleganter, argute, & copiose Martinus Delrius ad Sene. Thiestē *de sinistris, dextrisq; auguriis* differens. Nūc tantū illa perstringimus, quæ Sacro sermoni intelligēdo necessaria existimamus.

Conimbricenses. Christophor. Clavius. Martinus del Rio.

4

Scriptura quatuor Cæli Positiones considerat.

Ex his sane sex Positionibus, quatuor tātum Scriptura usurpat, sed ratione, cōsideratione, nominibus diversas, videlicet Ante, & Retro, Dextrū, & Sinistrū; quod istæ præcipuæ sint, & in usu, atque ore hominum frequentiores, Ante, id est, *Oriens*; Retro, *Occidens*; Dextrum, *Meridies*, quo itur ad polū antarticum, & quo porrigitur dextra hominis capite defixi in Oriēte; Sinistrum vero *Septentrio*. Harum autē Positionum discrimen, certaq; indicatio ex ipsa humani corporis positione, & capitis conversione, & gestu, sumpta est. nāque Hebræi, Arabesque ad Orientem adorabant, & ad ortū oculos, faciemq; convertebant. Ergo cum caput in *Oriente* figerent, dextram relinquebant Meridem, sinistrum Aquilonem. Hinc in Scriptura pars antica, Orientalis; postica Occidentalis: Australis, dextra, Aquilonaris, sinistra. Sed dicendum nonnihil de singulis.

Hebræi, & Arabes ad Oriētem conversi adorabant.

Si ad Oriētem. In Hebræo ex verbo habetur; *Ante ibo, & non ipse,* supple apparet *& Retro, & non intelligā.* Quod clare, & dilucide Vulgatus exposuit, *Orientē, & Occidentē,* ratione jam indicata. At Septua. rē eandē multa obscuritate dixerunt: *Si primus ambulavero; & nō ultra sum, quæ autem in novissimis, quid novi?* nam illud *Ante,* pro *primo,* sumpserūt; & *Retro,* aut *post,* pro *novissimo.* sicut enim *Kedē* significat Hebraice, *ante,* ita *Kedma,* significat Kaldaice, *primū.* ipsa autē radix, *Kadam,* significat anteire, præoccupare, antevenire, antestare; Quare non solū ea vox significat anteriorem partē loci, quam respicimus; sed etiā anteriorem tēporis partem, quod primū, vel initiū dicimus: quare sensus lectionis Septuag. ille erit, quem Symmac. clarius sua lectione interpretatus est, *Etiam si antegrediar ipsum, apparere nō potest; si sequar, non sentiā.* id est, nulla ratione cernere illū potero. Sed ipsam hāc lectionem cū nostra Latina facile conciliabimus: illud enim *primū,* quod ad initium tēporis videtur pertinere, certe potest facile ad priorem, vel anteriorē locum referri: nā & Olympi. sic interpretatur; *Vtrum in iis locis, quæ ante sunt posita, eum quæram?* Atque in aliis quoq; editionibus testantur ipsa Vaticana Scholia legi; *In piora, & anteriora ibo.* sive, ut noster Comit. eleganter, atque opportune legit in interpretatione Catenæ; *Ad prima proficiscar.* Quę omnia *Oriētē* indicāt, quæ anterior, prior, prima pars mundi est, in quam anteriorē, & primam nostri partem, id est, faciem convertimus. Hinc videas quod Vulgatus dixit Genes. 2. 8. *Plantaverat Dñs Deus paradisum voluptatis a principio;* Recte Septuag. vertisse. *Plātavit paradisum in Edem ad Orientē.* Onkelus; *Plantaverat hortū ante,* sic etiā Hebręus apud Cajet. *Plantavit hortū ab ante.* Symma. *a prima.* Theodot. *In primis.* Hebraizantes alii; *Ab Oriēte,* sive, *ad Orientalē plagā.* Quæ omnia idem omnino significant. Præsertim cum ipsa ratio, nomenq; temporis *anterioris* vel *primi*, aut *principii* jūcta, & cohærens sit cum ipso loco *Oriētali;* nam cū *Kadam* significet anteire, pręvenire, aut præoccupare, quod nos dicimus, *Adelantarse,* unde dicitur anterior pars, id est, *Oriens,* certe etiam propterea dicetur pars Oriētalis nos anteire, pręvenire, aut præocupare tempore, quia videlicet Orientalis lux nos excitat, & preoccupat, atq; quasi in labore, & cursu diurno nos antevertit. Cū qua lucis, solisque Oriētis proprietate videtur profecto col-

Oriens pars anterior.

LXX.

קדם
קדמה

Anterioris loci, & temporis idē nomē.

Symmach.

Conciliatio lectionis Græcæ cū Latina.

Olympiod.

Comitolus.

Cur Oriens prima mundi pars.

LXX.

Onchel.

Cajetan.

Pagni. Regia. Vatab. Tygur.

Tempus primum cum loco primo, & Orientali cognatum.

Sol Oriēs nos præveniēs in labore diurno

ludere David Pſ.118.147.& 148.cum ait. *Prævenerunt oculi mei ad te diluculo.* & ibidē, *Præveni in maturitate, & clamavi.* id eſt, quamvis diluculū, Orieſq; lux præveniat, antevertatq; nos, at ego, o Deus, prevētorē iſtum Solē, atq; noſtrarum actionū præventricem, & præoccupatricem lucē, meis antelucanis precibus anteverto. Similem quoq; rei, vocisq; alluſionē obſervare licet Sapiētię.16.28. de Manna; *Quod enim ab igne non poterat exterminari* (corrū pi) *ſtatim ab exiguo radio Solis calefactum, tabeſcebat,* (liqueſiebat) *ut notū omnibus eſſet, quoniam oportet prævenire Solē ad benedictionem tuam, & ad Orientem lucis te adorare.* Id eſt, ne nobis tua benedictio, beneficiaque effluant, aut liqueſcant, oportet, ne ſolem expectemus, Orientēve lucē, quę ex proprio ſuo munere, & officio juxta ipſam ſui nominis notionem, & etymologiam, nos præveniat, & antevertat ad percipiēdum tuæ munificētiæ fructum; ſed potius debemus nos *prævenire ſolē* ipſum prævētorem, atq; præoccupare gratiis agendis, & precum alacritate, & diligentia lucem ipſam; & ante lucis, dieiq; ortum precari, ſalutareq; Dei optimi liberalitatem.

Oratio præveniēs ſolem.

Pulchra alluſio ad nomen, & officiū Orientis Solis.

7 *Si ad Occidentē.* Solet Occidens, utpote minus nobilis pars, & quæ (ut ſtatim dicā) ex propria ratione dicitur poſterior, quaſi in dorſum rejici per oblivionē, aut ſuppreſſionē quandam, & tantum ſub Oriente comprehendi, ſicut etiā Aquilo ſub Meridie. ut Pſal.138.9. *Si ſumpſero pennas meas diluculo,* id eſt, ſi ſumpſero pēnas diluculi, vel Orientis, Auroræ videlicet, ut inde avolem in extremū Occidentē: nam (ut Theodo. ait) *Diluculum, Orientis partē vocavit.* Deinde alias duas cęli plagas ſub unica tantum potiori ſignificat: *& habitavero in extremis maris:* non enim *extremum mare* intelligo cum Theodor. & pleriſque Occidentē, ſed potius, Meridiem, quæ ad Aquilonem uſq; recta protenditur, quaſi dicat: Tu præſens ades Orienti, Occidēti, Meridiei, Aquiloni, ut fugere tuam potentiā, tuumq; conſpectum nullo modo poſſim. Quamquam etiam ſub Occidēte, contineri Oriens; ſub Aquilone Meridiē, viri etiam docti e cōtrario exiſtiment, ut Linda. in illo Pſ.88.13. *Aquilonem, & mare tu creaſti.* nam per *mare,* Occidentē interpretantur. q.d. *Omnes orbis plagas.* quas ex duabus tātum intelligit. Sed an per *mare,* Occidēs ſignificetur, jam dicemus. Aliquādo tamē, ut hoc loco omnes quatuor Cæli plagæ exprimūtur, ut alii etiā contendunt in Pſ. proxime citato intelligentes per *Mare,* meridiē: unde ſubditur, *Thabor, & Hermon in nomine tuo exultabūt:* ſunt nimirum iſti mōtes Paleſthinæ, *Thabor* ad ortū ſolis, *Hermon* ad occaſum. Pro Occidēte vero eſt in Hebręo *Retro,* aut *poſt,* id eſt, poſtica pars anteriori oppoſita, ad quā orantes dorſum vertebant: nam illa vox *Retro,* vel *Poſt,* idem omnino eſt, quod tergū dicimus, vel ſcapulas, ut tū ex aliis, tum ex illo conſtat Ezech. 2.9. *Liber Scriptus intus, & foris.* *Eſcrito por la haz, y por las eſpaldas,* id eſt, *Ante & Retro.* Septuaginta, ut ſupra indicavimus; *Noviſsima,* aut, *extrema* dixerunt. אחור

Occidēs ſub Oriente comprehendi.

Aquilonē ſub Meridie notari.

Theodoret.

Oriēs ſub Occidente, Meridies ſub Aquilone.

Lindanus.

Quatuor Cęli plagæ diſtinctæ.

Si ad ſiniſtrā, quid agā? non apprehendā eū. Si me vertā ad dexteram, nō videbo illum.

1. *Quid* ſiniſtra, *varia lectio.* In *polo Aquilonari plures, & mirabiliores ſtellæ. Perſonarū mutatio in Scriptura.*
2. *Quid* convertere. *Varia lectio ex Hebræo, & Græco.*
3. *Quid* dextrum. *quid* Mare. *Explicati David, & Moyſes.* Theman.
4. *An Maris appellatio ad Meridiem, Occidens referatur. Explicati* Moyſes. *&* David.

SI ad ſiniſtram, &c. id eſt, ſi ad Aquilonē, ut ſtatim in *dextro* explicabimus. hunc tantū particula ſequens elucidanda: nam cum Vulgatus legerit; *Quid agam:* videtur tamen ex Hebræo aliter debere legi, ut actio illa, aut operatio, ad Deum ipſum referatur. Quare Pagn. legit, *Si ad Aquilonē, quando operatur ipſe,* Reg. *Siniſtrū, in faciēdo ipſum.* Hebreus apud Cajet. *Siniſtrā, in facere tuo.* Vatab. *Ad ſiniſtram dū operatur,* Tygur. *Dum agit quid piā ad lævam.* Iſido. *Ubi ipſe facit opus ſuum.* Cum quibus omnibus certe videntur facere Septua. legētes. *A læva ſi ipſe aget, & nō apprehēdi.* Auguſt. *A læva quid aget? non apprehendā.* Ambroſ. *Siniſtra, quæ fecit ipſius, nō reſtiti.* Exiſtimāt autem indicari mirabilia quædam Dei opera, & effecta, quæ in Septentrione Deus efficit, ubi ſunt & plures ſtellæ, & mirabilioris efficiētię, quā in Auſtrali. Sed quidē licuit noſtro Interpreti, quod obſcurum, & anceps in Hebræo erat, ad Iobū referre: & quod per tertiam perſonā invenit, per primam reddere, hęc enim perſonarū mutatio, & alterius pro altera poſitio in Sacro ſermone frequentiſsima eſt. Latine ergo, & ad explicandā ancipitē animi deliberationem dixit. *Quid agā?* Præſertim cum hic non ageret Iob de inveſtigādis, aut perſcrutandis naturę mirabilibus, ſed de ipſo Dei ſolio indagando, & quærendo, per omnes quatuor mundi plagas.

Elucidatio Latinę lectionis.

Varia lectio.

Pagnin. Regia. Cajet. Vatab. Tygur. Iſidor. LXX. Auguſt. Ambroſ.

In Polo Aquilonari ſtellæ mirabilis efficientiæ.

Perſonarum permutatio.

Varia lectio. *Auguſt. Olympiod.*

Si me vertam ad Dexterã. Rurſus hæc *ad Dextrã converſio*, Deo videtur tribui in Originali Hebræo, & Græco. Auguſt. *Convertetur ad dexteram, & non videbo.* Olympiod. *Si dexteram tenuerit, prorſus illũ ipſum nequeo intueri.* Eſt vero in ipſa voce originali *convertendi*, aut *vertendi*, ingens varietas: nã cum ſubſit in Hebræo radix *Ghataph*, quæ cooperire, involvere, ſeu occultare ſignificat, dixerunt Septuag. *Circumteget Dextra, & non videbo.* Ambr. *Circumjacet Dextra.* Hebręus apud Cajet. *Teget Dextera.* Tygu. *Ad partem dexteram ſe abdit.* Vatabl. *Abſcondit Dexteram.* Pagnin. *Abſcondet ſe in Meridie.* Complutenſ. *Involvetur ad Dexteram.* R. Mardochai; *Involvit Dextrã.* Quæ omnia idem omnino ſignificant, videlicet; quod ſi ita Deus Meridionalem partem occultare, & circũtegere velit, ut eo quaſi operimento ſe ſe circumtegat, & abſcondat, nõ poſſit quidem ab homine inveniri, aut cerni, neque inveſtigari locus, in quẽ ille ſe abdiderit. Sed eadem ratione, qua ſupra de Aquilone diximus, hanc *converſionem* Interpreti licuit ad Iobũ referre; & quod in Hebręo erat; *Abdere ſe ſe in dexteram*; vel *penetrare in Meridiem*, ipſe Latine dixit: *Quid agam? Ad dextram ne me vertam?*

עטף

LXX

Ambroſ.

Hebraizantiũ chorus.

3 *Ad Dexteram.* Mundi, Cælique dextrũ Meridies eſt; ſed unde nam hæc cognominatio fluxerit, indicavimus ſupra, cũ de parte anteriori, ad quam faciem convertimus, id eſt, de Oriente diceremus: atque aliam etiã ſumptã ex ipſa Palæſthina paulo poſt indicabimus. Ergo ubi Pſal. 88.7. vertunt Septuagin. *Aquilonem, & mare tu creaſti*; Hierony. ex Hebræo dixit: *Aquilõnem, & dextrũ*; Aquila, & Symmac. *Aquilonem, & dexteram*; Kald. *Deſertum Aquilonis, habitatoreſq; Auſtri*; Theodot. *Aquilonem, & Auſtrum*; Felix: *Aquilonẽ, & meridiem.* Hæc enim omnia ejuſdem Cæli, terræque plagæ nomina ſunt, id eſt, Meridiei; ſed illa duo præcipua, *Mare, & Dextra*, ſive *Dextrum*: nã & ipſa Hebraica nomina affinia ſunt; *Iam*, enim eſt mare; at *Iamin* dextra. unde etiam Meridies dicitur *Themã*, nomini, *Iamin*, prępoſito Thav. ut Exod. 26.18. *Erunt in Latere Meridiano, quod vergit ad Auſtrũ.* ubi in Hebræo duo nomina immediate junguntur; *Erunt in latere meridiei, dextri*, ſive *Auſtri*: quare *Theman* ſi appellative ſumatur, Dextrũ, Auſtrale, ſive meridionale ſignificat; ſi autem proprie, eſt nomẽ regionis Auſtralis, ſive Meridionalis, ex ipſa nominis ethymologia, ut ex Hierony. Theodor. & aliis diximus, c. 1. V. 1. n. 28. agẽtes de *Theman*.

Dextrum pro Meridie.

LXX

Hieronym. Aquila. Symmach. Chaldæus. Theodotio. Felix.

ים

ימן

תימן

Themã proprie, & appellative.

At de cognominatione *Maris*, major eſt difficultas. Sæpe enim videtur *neceſſario* accipi pro *Meridie*, ſæpe item ab Interprete Latino vertitur *Occidens*. Imo & Hieronym. non niſi *Occidens*, per *Mare* ſignificari, & intelligi, contendere ſerio videtur ſuper id Pſal. 106. *A ſolis ortu, & occaſu, ab Aquilone, & mari*; ſcribens, in hæc verba; *Videtur quidem quatuor dixiſſe climata, Orientem, Occidentem, Meridiem, & Boream: Hæc ſunt quatuor climata mundi. Sed non ita Pſalmus cõtinet; hic enim habet; A ſolis ortu, & occaſu: ecce duo climata. Ab Aquilone, hoc eſt a Septentrione; ecce tria climata. & mari. Mare utique in Occidente eſt. Ergo videte quoniam Occidentem bis nominavit, & Meridiẽ nec ſemel.* Sed hoc loco neminẽ habet pro ſe D. Hieron. nam fere reliquorũ omnium interpretũ corona *Mare* hoc loco *Meridiem* interpretatur; Nominatim Baſil. & Theodor. qui partes orbis; *Eoas, Heſperias, Auſtrales, & Aquilonares* vocãt. & Auguſt. totũ mundum ſignificari exiſtimat. Kald. quoq; ſic legit; *De mari, regione Auſtri.* & manifeſte ipſe contextus ſic exigit. Quia vero non unũ mare, ſed multa ſunt, ideo ſane *Mare* nũc pro Occidente, nunc pro *Meridie* uſurpatur. Pro Occidẽte quidẽ, cum mare Mediterraneũ ſignificatur: nam hoc eſt *Mare magnũ*, quod appellat Scriptura; quod etiam *Ægyptiacũ* appellatur, eo quod Aegyptũ alluat, atq; Nilum recipiat; & terrã ſanctã ambiat ab Occidente. quã hujus ſignificationis pro Occidente, rationẽ dilucide aſſignat. R. Mardok. ſic Geneſ. 13.14. *Ad Aquilonẽ, & Meridiem, ad Orientẽ, & Occidentem*; ſive ut in Hebræo eſt; *Ad Orientem, & Mare*, ut eo loco legit Regia, aliique Hebraizãtes; imo & Septua. *Ad Aquilonem, & Africum, & Orientem, & Mare.* & Devt. 33. 23. manifeſte *Mare* diſcernitur a Meridie, cum de Nephtali dicitur; *Mare, & Meridiem poſſidebit*, id eſt, Occidentẽ, & Meridiem, ut eo loco legit Pagn. Tygur. & alii Hebraizantes; quorũ ſtudium eſt, ut nunquam cũ Vulgato Interprete conveniãt, ſive ille Hebraiſmum retineat, ſive diſſolvat. Quo loco Onkel. *Mare* cũ *Occidente*, ſimul junxit per dilucidam paraphraſim legens; *Ad mare Occidentale Ginoſar, & ad meridiem habebit poſſeſſionem.* At vero *Mare* pro Meridie, ſua quoque ratione ex meridionali mari dicitur. Quanquam non cõvenit inter expoſitores: nam Ianſenius Pſal. 88. Verſ. 12. A mari mortuo, aut Rubro (quorum utrumque in meridie eſt reſpectu terrę promiſſionis) denominationem ſumit. Alii, ut Genebrardus, nõ niſi

4

Hieron.

Maris appellatio pro Meridie, an pro Occidente.

Baſilius. Theodoret.

Auguſt. Chald.

Mare Magnũ Mediterraneũ *Pſal. 103. 5.*

R. Mard.

Regia.

LXX.

Pagn. Tygur.

Onchel.

Cur Mare pro Meridie.

Ianſenius.

Genebrard.

ab Occa-

ab Oceano, cujus propria ſedes eſt in Meridie. Sic Pſal.88. citato.

X. *Ipſe vero ſcit viam meam: & probavit me, quaſi aurum, quod per ignem tranſit.*

1. *Deus incorruptibilis Iudex, omnia videt. Qui in conſpectu Dei ambulat, caute vivit.* Scire *de experimento.*
2. *Duplex hominis a Deo probatio, per proſperas res, aut per adverſas. Illuſtratus Paulus.*
3. *Auri examinati cum Iuſtis comparatio, exquiſite exponitur. Explicati Zacharias, & Sapient.*
4. Tranſire per ignem *quid. Explicati Zachar. David, Iudith.*
5. *Impii,* argentum reprobum, *&* Scoria terræ. *Chriſtus cur* Lapis ſtãneus *apud Zach.*

PRopterea (inquit) appello judicẽ incorruptiſsimum, quod jã illi bene probatus, exploratusq; exiſtam, de cujus judicio, atq; ſententia, quamvis non omnibus manifeſta, valde confido, quod quamvis illum non poſsit homo perſpicere, at ille perſpectas habeat omnium mortalium actiones, & quod non niſi ob præclarũ ſuę gloriæ, ac mei quoque commodi, boniq; finem me ille ærumnis exerceat.

כי

ידע

Ipſe vero. in Hebræo particula reddens cauſam, *quia*, ſic etiam apud Septuag. Sed melius per affirmationẽ, Certe ille novit, *Scit*, novit familiariter, quotidiano experimẽto experitur, atq; etiam approbat. ſicut ab eadem radice dicitur Pſal. 1.6. *Novit Dñs* (familiariter, probat, intuetur, nã coram illo ambulant) *viam juſtorum.* Poteſt etiã cauſam reddere incorruptionis, veritatiſq; Divini judicii; quia ſilicet ejuſmodi ſuus judex eſt, qui ante quam judicet, pronuntiet ve ſententiam, tanquã oculatus teſtis novit omnia: *viam.* greſſus cujuſq; *Proinde* (ut Theodor. eo loco ait) *neq; demonſtrationibus, neque cõfutationibus indiget.* Aut vero poterit eſſe hæc ſuæ innocentię cõmendatio: cum enim non niſi in Divinæ legis via ambulet, oportet noſſe Deum, ſicut & *juſtorum viam*, ita & Iobi greſſus, *novit enim Dñs, qui ſunt ejus.* &, *Vias quæ a dextris ſunt, novit Dñs*; Tum etiam oſtẽdit ſuam pietatem, & Dei timorem; nã qui agnoſcit, Deũ inviſibilem omnes noſtræ viæ & vitæ exitus videre, profecto ſe in Divino conſpectu parce, & timide gerere oſtendit: nã, ut ait Gregorius, *Qui ita nos aſpicit, ut a nobis aſpici nequeat, eo magis timendus eſt, quo cuncta videns, a nemine videtur. Cum enim contra nos latere quempiã in inſidiis credimus, eo illum amplius metuimus, quo minime videmus, atq; inſidias metuimus, ubi ſunt, & ubi non ſunt.* Ergo Iob poſtquã dixit, Deum nõ cadere in ſuũ conſpectũ; aſſerit tamen, quod *inviſibilem illũ tanquã videns ſuſtinet.* Tandẽ videtur hæc eſſe ingens fiducia cõſtantis animi; Per *invia, & inaquoſa* vagari videor, ut neq; Deum invenire, neque vię certæ tramitem tenerę poſsim: erro per varias calamitates, ſed Deus *viã meam novit*, & curat; ad illũ ſpectat meæ vitæ exitus. Sequor illum, *neſciens, quo eo*; at ille novit meæ viæ exitum; & ad ingentẽ, ut ſpero, fælicitatẽ per iſtas viæ difficultates, & diſpẽdia me deducet; fieri enim non poteſt, *ut iter meũ pereat.*

Iuſtorum via Deo familiariter nota.

Theodoret.

2.ad Tim.

Prover. 4.72

Hebr. 11.27.

Heb. 11.17.

Heb. 13.8

Pſal. 1.6.

Et probavit me, Oſervat D. Thom. dixiſſe, *probabit*, de futuro, *quaſi exhibens ſe per patiẽtiam, ad futuram examinationẽ.* ſed vera lectio Latina, Græca, Hebræa, de præterito, ſenſuſque congruẽtior. Iam de me periculum fecit Deus: quare experientia illi notus ſum. Poteſt vero meliori jure, quã Rex ille, dicere: *Probaſti me, & cognoviſti me.* videlicet cum illum ad Regnũ, & fælicitatem evexit, probavit per fælicitatem: nam, ut eleganter Theodor. ait, *ſicut in rebus triſtibus probamur, eodem quoq; pacto in ſecundis rebus exercemur.* At multo verior, multo acrior, & diligẽtior probatio per labores, & ærumnas, quã per gloriam, & honorem; quamvis utrumq; examen virum ſane oſtendat, & probet, an ſciat *abundare*, an ſciat etiam *penuriam pati*, & adverſus hoſtem fæliciter depugnare *per arma juſtitiæ, a dextris, & a ſiniſtris.* Sed tunc potiſsimum ſe oſtendit Paulus *Dei miniſtrum, in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, &c.* 2

D. Thom.

Iob cum Davide comparatus

Pſal. 136.1.

Theodoret.

Philipp. 4. 12.

2.Cor. 6.8.

2.Cor. 6.4.5.

Quaſi aurũ. Frequens hæc in Sacro ſermone comparatio cum Sanctorũ calamitatibus, & examine per ignem tribulationũ, Prov. 17.3. & 27.21. Sapiẽt. 3.6. Eccleſia. 2.5. Zachar. 13.9. Quæ omnia loca, ut poſteriora, ita etiam ex loco Iobi per imitationem, aut per manifeſtã alluſionẽ deſumpta eſſe non dubito. Dixi autem *aurum per ignem probatum*, ſymbolum eſſe Iuſtorum: nã illos minime lædit examen ignis, ſicut ſolet exurere impios vehemẽs aliqua tribulatio. Videtur indicatum Zachar. 13. 8. & 9. cum Deus ſuũ populum diſperſum in tres dividit partes; quarum *duas*, prædicit fore, ut *diſperdantur*, & *deficiant*; deinde vero ait, *Ducam tertiã partẽ per ignem, & urã eos ſicut uritur argẽtum; & probabo eos, ſicut probatur aurum; Ipſe invocabit nomen meum: & ego exaudiam eum, dicam; Populus meus es, & ipſe dicet: Dñs Deus meus.* Quod ſicut de Chriſtiana Eccleſia 3

Calamitatum Sanctorum cũ auro comparatio.

Iuſtos nõ lædit ignis tribulationis.

Illuſtris Zachariæ ſentẽtia de tribulationibus Iuſtorum.

dictũ eſt, ita ſane in univerſos juſtos qua
Hieronym. drat; de quibus eleganter dixit Hierony. *Tertiã hãc Sanctorũ partem, ne delicata eſſet, & ſecura, quaſi argentũ, & aurum per ignem duci, & probari.* Hi profecto in ipſo medio igne, & examine Deum ſuũ amanter in-
Theodoret. vocant, & (ut Theodoret. ait) *candido, & germano ſunt erga illum ſtudio.* Viciſsimq; ab aurifice, & examinatore illis dicitur: *Populus meus es*: nam hujuſmodi ſanctis quaſi probatiſsimis, & expurgatiſsimis argento, & auro, ſe Deus locupletẽ gloriatur, ut pote quod Dei Theſauris dignũ ſit, ut dicitur Sapiẽ.3. *Probavit eos, & invenit illos dignos ſe.* Vultq; hujuſmodi *aurum* atq; *argẽtũ examinatũ* in magno pretio, & æſtimatione apud reliquos mortales eſſe: nam in hunc fere finẽ videtur Prov. 17.3. dictum, *Sicut igne probatur argentũ, & aurũ camino, ita corda probat Dñs.* videlicet non ſolum illum ipſum, qui tribulationẽ patitur, ſuo igne, & ærumna probari; verum etiam reliquos, qui alterius ęrumnam cõ-
Vnius Iuſti ærumna probat etiã aliorũ cogitationes. templãtur, hos enim probat Deus, an bene de Divino examine, & Providẽtia ſentiant, an juſtũ, ærumnoſum, & calamitoſum deſpiciant; an vero pluris æſtiment. Propterea enim ſubditur: *Qui deſpicit pauperem, exprobrat factori ejus.* Vide Sapiẽt.3.
Iuſti ſplendẽtes in tribulationibus. ubi eleganter deſcribitur hujuſmodi auri probati ſplendor ipſo Deo dignus: *Tẽtavit* (inquit) *eos, & invenit illos dignos ſe, tãquam aurũ in fornace probavit illos,* deinde, *Fulgebunt juſti.* & iterum; *In tempore erit*
Nannius, T33. *reſpectus eorum.* Quod alii ex Græco legunt; *In tempore ſuæ viſitationis reſplendebunt,* aut *effulgebunt.* imo & Septuaginta
LXX. ſic legunt: *In tempore reſpectus ipſorum fulgebunt:* nam cũ *reſpectu,* id eſt, viſitatione, & tribulatione, aut igne, fulgorẽ illum puriſsimum, & expurgatiſsimũ conjungũt.

4 *Quod per ignẽ trãſit.* In Hebræo brevior ſententia, ſed minus ſplendida: *Sicut aurũ*
LXX. *egrediar.* Septuag. etiã, *Ignẽ* nõ habẽt, *auri* tantum meminerunt. ſed ſententia eadẽ apud omnes conſtat: Egrediar (inquit) ex hoc igne probationis, & examinis mei expurgatiſsimus, atque puriſsimus, & ante
Varia verbi tranſeundi ſignificatio. omniũ oculos, ut firmiter ſpero, coruſcabit innocentia mea. Quare illud, *quod per ignem trãſit,* eundẽ ſenſum habet a radice *Iatſa,* quod, Per ignẽ Deus me ſplẽdidiſsimũ *ducet,* id eſt, exire, & evadere me faciet per tribulationes clariſsimũ; ſicut per Zachariam dixit; *Ducam per ignẽ;* quod ſic explico: * Educam illos de igne; nõ vero; duci faciam illos per ignẽ; quãvis re ipſa utrumq; conjũctum ſit. illud enim *ducere,* eſt *producere,* aut educere; & illud *tranſire,*

* Yo los ſacare del fuego, y hare, q̃ paſſen, y no ſe detengã enel.

eſt *producere,* & *exire.* Quo etiam ſenſu accipio id Iudith.8.23. *Omnes, qui placuerunt Deo, per multas tribulationes tranſierunt fideles.* id eſt, probati, & fideles tandẽ evaſerunt. Secus Num.31.23. *Omne, quod poteſt tranſire per flãmas, igne purgabitur.* ubi *trãſire,* proprie eſt, ingredi, caleſieri, excoqui, quod ſtatim explicatur ab Interprete; *Quicquid autẽ ignem nõ poteſt ſuſtinere, &c.* ubi in Hebræo iterum eſt, *Quicquid in ignẽ non poteſt ingredi.* Similiter, & Pſal.65.12. *Tranſivimus* (ingreſsi eramus) *per ignẽ, & aquam* (& ſtatim ſequitur; ingreſſos jam, & in medio pelago aberrantes) *& eduxiſti nos in refrigerium.* Sic educit aurum ſuũ Deus in refrigerium.

At qui in igne tribulationum per impatientiã, aut diffidentiã deſpondent animo 5
aut ſe purgari nõ ſinũt, ii certe non aurũ, Ierem.6.30.
argentum ve, ſed *argentũ reprobum,* id eſt, inutile omnino cenſeri debẽt, aut ut mera, & impuriſsima ſcoria: ſicut Scriptum Impii argentum reprobũ, & ſcoria.
eſt Pſ.118.119. *Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ.* quod ex Hebræo legitur; *Scorias ceſſare feciſti omnes impios terræ.* Pagni. Regia. Tigur. Vatab.
Hierony. *Quaſi ſcoriã computaſti omnes impios terræ.* eademq; eſt Symmac. lectio, ut Hieron. Symmach.
refert Theodor. & Theodotio, *Pro nihilo* Theodoret.
reputaſti. Sunt videlicet omnes impii, ſcoria inutilis, & qui dum igne tribulationis Theodotio.
probãtur, toti abeunt in fumũ, & ſcoriam; nihil puri, aut ſolidi auri remanente; ſicut Ierem.6. 28.29.30. de illis, quos cum per ignem tribulationis excoquere & emundare vellet Deus, tamen illi nihilo meliores facti, neque exhortationibus Prophetarum, neq; Divino auxilio uti in ſuã utilitatem voluerunt, ſcribitur; *Æs, & ferrũ univerſi, corrupti ſunt: defecit ſufflatorium, in igne conſumptum eſt plumbũ; fruſtra cõflavit conflator: malitiæ eorum non ſunt conſumptæ. Argentum reprobũ vocate eos, quia Dñs projecit illos.* neq; mirum: nã Deus ſuis juſtis Deus ſuis Iuſtis ſe adjungit velut plũbum auro purgando.
in tribulationis igne velut plumbũ, & ſtãnum ſe ſe admiſcet, ne ab igne exurantur, ſed tantũ purgentur. Propterea filius Dei Chriſtus Ieſus dicitur Zachar.4.10. *Lapis* Chriſtus cur dicatur Stãnũ. Hieronym.
ſtanneus, quo loco Hieronym. ait, ideo ſic cognominari Chriſtum, quod *ſit murus & fortitudo, roburq; credentium; ſicut enim ſtãnum ab igne alia metalla defendit, & cum ſit natura æs, ferrumq; duriſsimum, ſi abſq; ſtanno fuerit uritur, & crematur, ſic omnis Angelorũ, hominumq; fortitudo, ſi non habuerit auxilium Salvatoris, imbecilla probatur, & fragilis.* Ergo illius ope, & conjũctione bene nobis ſuccedit probatio per ignẽ in ſplẽdorem & munditiẽ: nam, ut Hierony. etiã eodem loco docet; *Quomodo ſtannũ mixta,*

& adul-

Χωνευτὴς

& adulterata inter se per ignẽ metalla dissociat, ita Dominus verus probator, & Chonevtes ab auro, & argento bonorum operum, æs vitiorum plerumq; secernat, ut purum aurũ remaneat, & argẽtum. Vides igitur, ut Iob cum suã innocentiã maxime tuetur, tunc potissimũ omnia Deo acepta referat, qui ne in tribulatione exuratur, sed expurgetur, & nitescat, sua ope, & benignitate præstat.

Sed hoc tãtum; Cum se Iob cum *auro, quod per ignem transit*, cõparat, agnoscit ne jam aliquid in se esse, quod purgatoria egeat flammã? Sane. sic Greg. ad humilitatem Iobi refert: *Minus* (inquit) *de se æstimavit ipse, quam erat, dum tribulationi traditus purgari se credidit, qui purgandum in se aliquid non habebat.* Verũ enim vero id justorum propriũ est, ut in tribulationibus suspicentur aliquid in se, quod Deo displiceat, & tribulationis igne excoqui oporteat. sicut justus ille Rex iniqua ab hoste passus, ad ignem tribulationis sacrificium ipse, pro suo peccato cavens, adjungebat 1.Reg.26. 19. *Si Dñs* (inquit) *incitat te adversum me, odoretur sacrificium.*

Iobi eximia humilitas.

Iusti afflicti de suis peccatis solliciti.

⁂ XI. *Vestigia ejus sequutus est pes meus: viam ejus custodivi, & non declinavi ex ea.*

1. Via Dei, & via hominis. *Discrimẽ hujusmodi viæ. Illustratus David.*
2. *Quid* Sequi *in Sacro sermone. Quid* perfici gressus *apud David*
3. Via, *aut* vestigia Dei *quid significent. Explicatus Petrus.*
4. *Notatus Cajetanus. Divitiæ, & felicitas unde nomen habeant.* (*clesiastes.*
5. *Iobi laus.* Quid sequi Deum. *Illustratus Ec-*
6. Custodire *quid, Via Dei aspera. Explic. Dav.*
7. *Iustos confirmat tribulatio in via Dei. Peccatores avertit. Illustratus David, & Samuel.*

1

Hieron. Prado. Exech. 5. ℣. 7. & c. 7. ℣. 3.

V*Estigia ej⁹.* Observabat vir quidã prędoctus, cuj⁹ apud me auctoritas esse debet, estque gravissima, hoc discriminis inter *viã Dei, viamq; nostram*, quod *via Dei* significet ipsam Divinam legẽ sub metaphora viæ, aut stratæ Regiæ, per quam homo graditur: at *via hominis* sit ipsum vitæ humanæ quasi exercitium sub translatione itineris suscepti per viam. Recte ille, atque eleganter. & vero cõfirmari potest ex Psal. 118.1. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Dñi,* Vbi justi dicuntur vitæ suæ actionibus suscipere iter per Regiã Dei stratam, quę recta in destinatũ beatitudinis finem sine erroribus, aut ambagibus nos ducit. Tum etiã Ps.43.20. *Nõ recessit retro cor nostrum, &* (non; trahenda enim est negatio ex superiori, & refundẽda in sequentẽ quoq; partem. sic Hierony. *Nec declinaverunt gressus nostri a semita tua.* Quod Septuag. dixerunt sub affirmatione) *Declinasti semitas nostras a via tua.* ubi vides semitam, aut *viam nostrã* dici *declinare*, aut recedere, videlicet tanquam iter, & gressus hominis deambulantis; at vero *viam Dei* significari tanquã fixam, firmamq; stratam. Vulgatissimũ quoque in Sacro sermone: *In præceptis, aut in via Dei ambulare.* Rursus, viam nostrã *declinare, recedere, averti, cõverti, reverti,* aut quid simile: ut dicere possis, Viã nostrã dici, *el viage*; Viã Dei, *el camino, o la calçada.* Sed discrimen hoc neq; valde firmum, neq; perpetuũ est; id quod vel ex hoc loco aperte convincitur, ubi *vestigia Dei*, idẽ omnino sunt, quod illius via. Quare *via Dei* etiam est iter Dei, & gressus illius. Tum etiã Ezech. 18.25. eadem omnino significatione dicitur *Via Dei*, & *via hominis: Numquid via mea non est æqua, & nõ magis viæ vestræ pravæ sunt? via* pro actione, & agendi modo sive Dei, sive hominis. Tum etiam *Via Dei*, pro ipsis Dei operibus, & quasi gressibus, Prov. 8. 22. Et via hominis aliquando etiã sub nomine stratæ, & viæ publicæ significatur Psal. 1.1. *In via peccatorum nõ stetit,* Ergo *via Dei*, nunc pro Dei itinere, & gressibus, nunc pro ipsa via strata, Divinam legem, & agendi rationẽ significat. quę utraq; translatio hoc loco concurrit; ita ut Iob in hæc verba respondeat exhortationi Eliphaz, Quid me jubes reverti ad Deũ, & converti ad rectam, verissimamq; Divinorum mandatorũ semitam, cum ita viam illius semper tenuerim, ut neq; unguem deflexerim ab ea, neque contentus vulgari modo Deum sequi, aut in præceptis ejus ambulare, pedes ipsos meos in ipsissima illius vestigia posuerim?

Via Dei, & via hominis quo differãt.

Zeugma.

Hieron.

LXX

Præcedens discrimen parum solidum.

Sentẽtiæ elucidatio.

Sequutus. Prop. ex Hebræo, *Apprehẽdit pes meus illius gressum,* aut vestigiũ; *tenuit,* adhæsit firmiter illius vestigiis, & gressibus. Nam verbũ originale, quamvis proprie dicatur de manibus, quæ aliquid apprehendunt, & tenent firmiter; trãsfertur tamen etiã ad pedes, qui firmiter inhęrẽt, & consistunt in loco aliquo. sicut dicebat David Ps. 16.5. *Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveatur vestigia mea.* Prop. ex Hebræo, *Statue, confirma, tene.* elegãter Hieron. *Sustẽta gressus meos in callibus tuis, & non labẽtur vestigia mea.* At vero, ut noster Interpres significaret Deum suo verbo, aut pręcepto præeuntẽ, & lumen pręferentem actionibus humanis, hominem

2

Regia. Pag. Cajet. Tygur.

אחז

תמך

Hieron.

vero sequentē, & ambulantem ad Divinū lumen, Recte dixit *sequutus*. Potest etiam significari, & continuari recto ordine tota hæc *Viæ* allegoria, ut primum dicat, *sequutum se Dei vestigia*, id est, quæsivisse; & observasse; deinde vero *tenuisse viam*; tandemque prosequutum, neque unquam de flexisse, aut *declinasse* ex recto tramite.

Viæ integra allegoria

3 Sed cum de hac *vestigorum Dei* translationis, seu allegoriæ ratione jam constet, nunc breviter de significatione dicendū. Et vero *vestigia Dei*, idē significare poterunt, quod *via Dei*, videlicet illus præcepta, & legē, quam nobis tenendā, peragendamq; commonstrat; aut quidem *Vestigia Dei* erunt Divinæ actiones, quibus præit ille, & in virtutum actionibus nos informat. Quare dicet Iob, se misericordem, justū, veracē fuisse, atque, quoad humana imbecillitas eniti, & conari potest, Dei actiones, & virtutes æmulatū fuisse: *Nos itaq;* (inquit Grego.) *cum virtutē longanimitatis, atq; pietatis ejus intuentes imitari cōtēdimus, quid aliud, quā gressuum ejus vestigia sequimur, quia extrema quædam ejus operationis imitamur?* Addit deinde forte Iobum illustratum superno lumine intēdisse in Christum Iesum, atq; *quasi in terra conspiciens, ad imitationem ejus vestigia teneret, de quibus per Petrum dictum est; Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplū, ut sequamini vestigia ejus.*

Vestigia Dei quid.

Deus preit nos in virtutū actionibus.

Greg. v.

1. Pet. 2. 21.

4 Mirū quidem, quod hoc loco Cajet. cōmentatur, atq; legi posse existimat, *In beare tuo vidit pes meus*. q. d. defendendo suam innocentiā, quod *pes suus*, id est, affectus *vidit*, idest, desideravit, aut insequutus est *Beare*, vel beatitudinē Divinā. De qua lectione, & interpretatione sic breviter cēseo; Verbū *sequēdi*, aut *apprehendendi*, nūquā sumi pro *videre*, quod ego, post multū laboris ea in re positū, sciam: neq; ejus significationis adducere poterit Cajet. verisimile aliquod exēplum: quanquā admittā secundā partē, videlicet nomen *gressus*, aut *vestigii*, affine esse nomini divitiarum, aut beatitudinis: nā eædem litteræ mutatis punctis, *Iser*, significat recta incedere, aut dirigere; at vero, *Oser*, beatitudo, aut divitiæ, & *Asar*, beatificare; hac nimirū analogia: quod videatur beatitudo, atq; fœlicitas, quasi terminus rectæ viæ, rectique incessus, atq; successus; & quod ad beatitudinē contendendū sit rectis vitæ actionibus: aut quod beatitudo, & opulētia sit, ad quā omnes recta contendunt. Quare, quāvis Cajeta. interpretatio re ipsa vera sit, neq; omnino aliena ab originalis vocis proprietate, at dura est, & male cū reliquis hujus allegoriæ partibus cōveniēs.

Cajet. in sentētia, & cēsura.

אשר

5 Sed observandū tamē, egregie Iobum tueri suā innocentiā, tū ex eo quod dicat se inhæsisse Dei vestigiis rectissimis; quasi diceret; * Pari cū illo contētione cucurrisse. Id quod mirabile videbatur Salomoni Ecclesi. 2. 12. *Quid est* (inquit) *homo, ut sequi possit Regē factorem suū?* Cū enim nimiū distent *viæ Dei a viis hominū*, miraculi instar videtur, quod homo possit á via sua humili, & terrena, ad Dei viam Cælestem, atq; sublimē se se erigere, & transferre; eo præsertim tempore, cū Deus humanæ se infirmitati, atq; gressibus nondū attēperaverat, neq; mortalitatis hujus viatores benigne præsens ipse, atq; visibilis invitaverat illis verbis, *Sequere me, &c. Venite post me*. ex quo mirificā fidei, & sanctitatis laudē consequutus est Abrahā, obediēs Deo vocāti, *Egredere de terra tua*: *Nesciens* tamē (ut Paulus ait) *quo iret*. Quare illā Salomonis sententiam Hieronymus hac quasi paraphrasi elucidat: *In laudem illius hominis erupi, qui post vitia se refrænans, virtutū possit esse sectator.*

* Que a podido tener con Dios, y tener a su passo.

Isai. 55. 9.

Matt. 2. 14.
Luc. 5. 27.
Matt. 4. 19.
Marc. 1. 17.

Abrahami fides.
Hebr. 11. 8.

Hieronym.

6 *Viā ejus custodivi*. Servavi sollicite, & diligenter; qua ille me duceret, aut vocaret præsto fui, nihil cunctatus, etiā si per vias ille difficiles, & laboriosas me præiret. *Propter verba* (inquit) *labiorū tuorū ego custodivi vias duras*: nam *aspera* nimiū est via sanctitatis, & mille difficultatibus impedita, quas affert verbū illud *custodiēdi*, quod assiduū vigilādi studiū affert, & militię labores, nocturnamq; vigiliā, atq; diurnam custodiā, ut videatur profecto justus hāc Dei viā plenā latronibus, & sanctitatis insidiatoribus (hæc enim est illa *viæ durities* ex Hebræo) non nisi bene munitus, atque onustus armis adversus hostes ingredi, & *custodire*; ex Hebræo legit Hieronymus: *Ego observavi vias latronis.*

Psal. 16. 4.

Ecclesi. 4. 21.
Matt. 3. 14.

7 *Et nō declinavi ex ea. Hoc* (inquit Nice.) *vim habet mirificā. Si sexcēta* (inquit) *in me mala incursarint, a recta tamē via iter nō deflectā.* nā impios, aut eos, qui leviter Deo adhærēt, quæcūq; viæ difficultas, & labor ab incœpto itinere deterret, deducitq: atque laboribus, & ærūnis fracti, nō modo nō *custodiunt vias duras*, sed nequius, & impudentius prævaricātur impietatis itinere ardentissime suscepto; sicut de Achaz dictū est 2. Paralip. 28. *Tēpore angustiæ suæ auxit contemptum in Dño*. quæ illius impietatis ingēs amplificatio est. At justos ipsa tribulatio in via Dei cōfirmat. Quare Paulū recta incedentē per viā sanctitatis, deducere de via nō potuit ingēs ærūnarum, & tribulationū impetus; *Quis* (inquit ille)

Nicetas.

Impii difficultatibus viæ Dei deteriti, nequiores.

Rom. 8. 35.

Tribulationes sunt calcaria ad currendũ in via Dei.

nos separabit a Charitate Christi? Tribulatio, an angustia, fames, nuditas, persequutio? &c. Imo potius existimat vir justus, tribulationũ stimulos sibi adhiberi a Deo, & calamitatũ calcaria, ut diligentius, rectiusq; pergat in cœpto itinere mandatorum Dei. Quã Sapienter Sene. *Nolite obsecro vos expavescere ista; quæ Dii immortales velut stimulos admovẽt animis; calamitas, virtutis occasio est.* Quare eo loco Ps. 43. 19. *&* (nõ) *Declinasti semitas nostras a via tua*; subjicit statim: *Quoniã humiliasti nos in loco afflictionis.* Quẽ locum sic legit Symma. *Nõ declinata sunt a via tua ea, quæ dirigũt nos.* Id est, plena est via tua difficultatibus, & laboribus, qui cũ nos pungunt, recta nos incedere cõpellunt. Quanquã etiã si negatio eo loco nõ suppleatur, cõmodum habebit sensum ex interpretatione Theodor. *Declinasti.* id est, videris tu ipse, o Deus, quasi effecisse, ut declinaremus a via tua, quoniã *Omnis generis malis nos circũdedisti, quæ sufficientia fuerũt avertere nos a via tua.* Ergo justi profecto sunt *Vaccæ illæ, quæ ibãt in directũ pergentes, & mugiẽtes, & nõ declinabant, neq; ad dexterã, neq; ad sinistrã.* Quare dicere poterit Iob; Quamvis, quæ patior mala, sufficientia sunt declinare semitam meã a via tua; quãvis bene onustus gravissimis calamitatibus, cũ ingenti difficultate, & labore *traham* plaustrum gravissimum ærumnarum, mugiens licet, gemensque; at ivi semper, *iboque in directũ, & non declinavi ex via tua; neque ad dexteram, neque ad sinistram.*

Senec. lib. Cur bonis accidant mala.

Symmach.

Theodoret.

1. Reg. 6. 12.

XII. *A mãdatis labiorum ejus non recessi, & in sinu meo abscondi verba oris ejus.*

1. *Repetitio ejusdẽ rei, de re verissima. Verissima Iobi sanctitas.* Dei mandata de naturali lege.
2. Recedere *quid proprie in Sacro Sermone. Explicati Michæas, & Salomon.*
3. Sinus *de affectu, & voluptate cordis. Illustrati David, & Paulus*
4. Abscondere *ad Thesaurum, & lucrum.* Sinus *etiam de lucro accepto. Explicatus David.*
5. *Illustrata lectio Hebræa. Iusto nihil magis antiquum quam Dei Lex*
6. *Defensus Vulgatus. Divina Lex præponenda humanis traditionibus. Illustratus Matthæus.*

1 *Repetitio ejusdẽ rei ad certitudinem, & veritatem.*

HAEC toties repetita, & inculcata suæ innocentiæ defensio, & cõtestatio, verbis, sententiisque omnino Synonymis plane indicat verissimã illius sanctitatem. Is enim nunc ejusmodi repetitione affectus omnino videtur observandus. Quod autem dixit, *Dei vestigia*, aut, *viam*, nunc *mandata labiorum, & verba oris illius*, appellat. Observat autem Catenę auctor, *præcepta*, aut *mandata* hic dici, *Non quæ sibi auditione accepta, aut scriptis consignata fuerant* (nam Iob legem præcucurrit; *Sed quæ sine Scripto in nostris animis insitæ sunt leges Divinæ mentis vocibus.* quod Iacobus etiam appellat *insitum verbum*: nã interius per legem nostris mẽtibus impressam loquitur nobis naturæ Auctor.

Nicetas.

Lex naturalis.

Iacob 1. 21.

Non recessi. Extenuatio quædã est, qua plus significat, quã dicit, non solum enim asserit non recessisse a Divinis preceptis, sed pre manibus semper illa habuisse, semperq; familiarissime tractasse: nam verbũ *recedendi* ex sua proprietate significat, ita a re aliqua longe recedere, ut tangi, aut contractari nequeat: nam per cõtrariam significationẽ, significat idem verbũ *Attrectare*, Genes. 27. 21. & *Tangere*, Iudic. 16. 26. & *Palpare*. Exodi 10. 21. Quare verbum *non recedendi*, significat tantã propinquitatem, ut res aliqua tangi, & cõtrectari queat, ut Michææ. 2. 3. *Ecce ego cogito super familiam istam malum, unde non auferetis colla vestra.* quasi dicat: Sentietis profecto jugũ, ex quo non poteritis cervicẽ auferre, sed tenaciter inhærebit. in Hebræo; *Nõ poteritis recedere facere.* id est, longe excurere, & repellere a vobis. sic etiam Proverb. 17. 13. *Non recedet malum de domo ejus.* Id est, semper familiariter in illius domo versabitur, ita ut malũ ipsum & ærumnæ palpari queant. & e contrario Isaiæ. 54. 10. *Misericordia mea non recedet a te.* id est, nunquam te longe deserã, sed ita prope te consistet mea misericordia, ut illam familiariter tractare, & vel manu ipsa cõtingere, & attrectare queas. Similiter igitur hoc loco, nõ *recedere a Divinis præceptis*, est illa opere complere, tenere, non dimittere de manu, aut actione, non solum leviter tangere, aut vel *digito* solo *movere*, sed plena manu, & utraque ulna complecti, exequi.

2 *Extenuatio significans omnia contraria verbo recedẽdi.*

מוש

Verbi recedẽdi proprietas.

Matt. 18. 4.

Et in sinu meo abscõdi verba oris ejus. Amplificatio est, aut expolitio partis præcedẽtis; Nõ solum familiariter tractavi Divina præcepta, sed pleno etiam corde excepi, *tota mente, totis viribus, & sinu*, & cordis penetrali; qui locus non conceditur, nisi pretiosissimis, atq; charissimis rebus, aut primis curis, & cogitationibus. Elegãs est hujus loci Græcorũ paraphrasis: *In mentis recessibus cum ejus leges inclusas haberẽ, quasi cum iis satus, factus, ac cõglutinatus essẽ, sic ipsas illas incredibili animi volupta te servavi, Divinaq; volũtati mẽte sedata, cer*

3 *Sinus rerum pretiosissimarũ thesaurus.*

Nicet.

 to propo-

to propoſito, atq; conſilio, nulla neceſſitate coactus, ſum obſequutus. Quare *ſinũ* pro cordis affectu, & voluptate accipiũt, quaſi diceret: Nihil mihi cordi magis fixũ, nihil magis charum, & familiare, quã Divina lex: Vide, ſupra c.19. Verſ.27. ubi non pauca de *ſinu* diximus, dicturi etiam pluſcula infra. capi 31. Verſ.32. Sed nunc tantum, ſi per *ſinum* ſignificet ſuum affectum, & voluptatem, quã ex Divina lege percipiebat Iob, idem profecto præcinuiſſe, quod in illa viri juſti deſcriptione poſtea a David uſurpatum eſt, *In lege Domini voluntas ejus* quod proprie ex Hebræo legitur: *Voluptas ejus.* eſt enim hoc loco hujuſmodi *volũtas*, quę cum *voluptate* quadam, & dulcedine affectus conjũcta eſt, quod Hiſpanice dicimus, *Guſto, y afficion.* Quam Deus in bono opere, ac legis ſuæ cuſtodia non poſtremo loco ab homine exigit; vult enim lætum, ac *hilarem* legis ſuæ obſervatorẽ. Sic enim Paulus ſuæ hilaritati, ac voluptati in laborando, mercedem ſibi repoſitã eſſe his verbis teſtatur; *Si volens hoc ago, mercedem habeo: ſi autem invitus, diſpenſatio mihi* (tanquam ſervo, non ſpontaneo, ne gratuito) *credita eſt. Quæ eſt ergo merces mea?* Vide Pſal. 39.9. *Vt facerem voluntatẽ tuam, Deus meus, volui.* (vides ibi *voluntatẽ* eximia voluptate perfuſam) *& legem tuã in medio cordis mei.* q. d. *in ſinu meo.* Quod ex Hebræo legit Hieronym. *in medio ventris mei.* & vero quamvis *venter* idem ſit in Sacro ſermone, quod *cor*, aut vero quod pectus, aut cordis receptaculum; ſi tamẽ pro ipſo ventriculo, & ſtomacho, in quo reſidet cibi appetentia, velis rigide, & ſtricte ſumere, ſenſus erit Divinam legẽ avidiſsime ſuſcipi ab ſtomacho, & appetẽtia mẽtis; ita ut anima eſuriat, & ſitiat illud Divinæ legis ſuaviſsimũ pabulũ, ad illius ſimilitudinem, qui dixit; *Cibus meus eſt, ut faciam volũtatem Patris mei, qui in cælis eſt.*

Sinus pro cordis affectu.

Pſal.1.2.

1.Cor.9.17.

Lætus neque invitus Divinæ legis obſervator.

Hieronym.

Venter mentis appetens pabulum Divinæ legis.

Ioan.4.34.

4 Illud etiam, *Abſcondere in ſinu*, neſcio quid divitiarum, & Theſauri, atq; ingẽtis lucri ſonare videtur; nã *Theſaurus* in Sacro ſermone, quaſi abſconditus dicitur, cujuſmodi profecto Divina lex eſt ſervãti, & cuſtodienti: Quare ſub eadem tranſlatione Sapiens Prover.2.1. ait: *Fili, ſi ſuſceperis ſermones meos, & mandata mea abſconderis penes te.* & deinde; *ſi quæſieris Sapientiam, quaſi pecuniam, & ſicut Theſauros, &c.* nã in *ſuſcipiendo*, & *recondendo* oſtẽdit homo, quam chara, quamque pretioſa illi exiſtant Divina præcepta, & in quantum ſibi lucrum redundatura ſperet. Quod etiam vox illa *ſinus* indicat: nam quod *in ſinum* ingreditur, aut derivatur, in lucrum profecto, & utilitatẽ cedit, ut dicitur Pſ. 34.13. *Humiliabam in jejunio animam meã, & oratio mea in ſinu meo* (in ſinum meum) *convertetur*, id eſt, tum hoſtium meorum perſequutio, tum inſuper voluntaria mei corporis afflictio, & oratio fructuoſa mihi extiterunt: & ut eleganter dixit Theodor: *Recepi a Deo poſtulata, & gremium meũ implevi.* Sic Latini etiam ſignificatione *ſinus* uſi ſunt: nam de judicibus, qui in lucra inhiabant, & nõ niſi ex judicio, & ſententia ſuã utilitatem venabantur, ſcribit, Lampridius; *Agebantur omnia per alios, qui etiam condẽnationes in ſinũ vertiſſe dicũtur.*

Sinus, Theſaurus.

Sinus ad lucrum.

In ſinum cõverti.

Theodoret.

Aelius Lampr. in Commodo.

5 Sed paulo aliter habetur hęc ſententia in Hebræo: *A ſtatuto, vel, more meo abſcõdi verba oris ejus.* Vatabl. *A præcepto:* Tygur. *Ab inſtituto.* & quidẽ vox originalis *Hhukab* ſignificat ſtatutum, legẽ, cerimoniam, præceptũ, jus, ritum. Quæ omnia oriũtur a radice *Hhakak*. Quod ſit autẽ, *in ſtatuto* aut, *lege ſua*, vel, *præ cerimonia ſua abſcondere Dei legẽ*, Cajet. interpretatur, Quod ex plena electione, & deliberatione firma, & fixa apud ſe, non externe tantũ, & leviter, Divinam legem cuſtodire apud ſe decreverit, & conſtituerit. Sed illud videtur congruentius juxta Hebræũ, ut ſignificet Iob, nihil ſibi magis conſuetum, nihil magis fixũ, & cõſtitutum, vel in corde, vel in actione, quam Dei legi, ſuas conſuetudines, moreſq; inveteratos, qui ſunt veluti natura altera, omnes vitæ, & politiæ humanæ leges, & ſtatura poſthabuiſſe; & quod ſe totum pervicerit, atq; peſumdederit, nequid adverſaretur Divinæ legi, quam ſupra ſtatuta, cerimonias, legeſque ſuas reponebat. Nõ is ſane *tranſgrediebatur mandatũ Dei propter traditionem ſuã, aut propter doctrinas, & mandata hominum.*

Pagn. Regia. Cajet Tygur.

חקק

Cajet.

Humanæ cõſuetudines, & leges poſthabẽdę Divinis.

Matth. 15 2. 3.9. Marc.7.

6 Ergo rogas, quorſum noſter Interpres præclarum hunc ſenſum dimiſerit, & cũ videretur legendum; *Abſcondi illius verba in ſtatuto, & lege mea*; dixerit, *In ſinu meo?* An forte quod ea ſit frequẽtiſsima Sacræ Scripturæ loquutio: *Abſcondendi in ſinu*, aut corde verbum Dei? Pſ.118.11. Prov. 2.1. Pſ.36.31. & 39.9. & fere ubicumq; de lege, aut *verbo Dei* cuſtodiendo, & apud ſe ſervando mentio fit. An vero, quod cũ *ſervare Dei legem præ ſtatuto ſuo*, proveniat ex fervẽtiſsima charitate, dilucidius id explicatur per *ſinum*, quam per *ſtatutum*? An tãdem, quod cum hoc loco veritatem ſuæ ſanctitatis abſque omni hypocriſi oſtendere velit Iob, idem omnino videbatur referre, ſi diceret; legem Divinam prępoſuiſſe ſuæ, ac ſi diceret. Non externe tantum, ſed *ex ſinu*, & *corde* ſervaſſe legem:

Volgati defẽſio, & elucidatio.

nam

nã cum apud Matthæũ 15. Christus Dominus exprobrat Pharisęis, quod *irritum facerent mãdatũ Dei propter traditionẽ suã,* subjungit statim illud ad Hypocrisim pertinere, nõ ad cordis, & sanctitatis veritatẽ, *Hypocritæ* (inquit) *bene prophetavit de vobis Isaias dicens: Populus hic labiis me honorat, cor autẽ eorum longe est a me. sine causa autem colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum.*

Hypocrisis notatio.

Matth. 15. 6. 7. 8. 9.

XIII. *Ipse enim solus est, & nemo avertere potest cogitationem ejus: & anima ejus quodcumque voluit, hoc fecit.*

1. *Germanus totius sententiæ nexus, & paraphr.*
2. *Varia ex Hebræo lectio. Notatus Cajetan. Deus Creator idẽ, & Provisor omniũ. Explicatus Sap.*
4. *Efficacitas Divinæ Potentiæ, & stabilitas Divini Decreti. Illustratus Ezechiel.*
4. *Quid* Cogitatio, *quid* anima, *&*, desiderium animæ *Explicati Samuel, & Ieremias.*

1 Duplex sentẽtię nexus, & paraphrasis.

HVjus sententiæ cum pręcedente nexus varius, & difficilis apud Interpretes. Duplex mihi videtur non incommodus; Primus, ut vers. 15 sequenti sumatur initium hujus sententiæ; Quamvis (inquit Iob) nihil mihi conscius sim, at non ideo nõ timeo Deum potentissimũ, *sed considerans eum timore sollicitor,* & illius Providẽtiã, occultasq; cogitationes vereor; *Ipse enim solus est, &c.* Secundus, ut doceat Iob, qua ratione ipse conciliet suã innocentiã afflictã cum fide, & cultu Divinæ Providẽtiæ; Quæ vos (inquit Iob) o amici, conciliare neq; nostis, neq; valetis, videlicet hominis innocentis ærumnas cum Divina Iustitia, & Providẽtia, facile ego adducã in concordiã: nam quãvis is ego semper extiterim, quem paulo ante serio, & constãter affirmavi, innocẽtissimus; at Deus pro bona sua voluntate, cujus ego rationẽ minime assequor, mecum agit; *Ipse enim solus est,* a cujus voluntate, & decreto, ad alium superiorẽ judicẽ nõ potest esse provocatio, *Nemo* illius cogitationẽ *avertere,* aut inflectere a constituto fine poterit. Conqueror itaque, & ejulo, quod doleam, nõ quod Divinæ voluntatis, & Providentiæ decretis repugnare velim. Hæc est sententia, & nexio. quam eleganti paraphrasi illustrarũt Septuagi. *Si autem & ipse judicavit sic, quis est, qui contradicat ei? Ipse enim voluit, & fecit.* Quo loco videndus est Chrysosto. Vides hoc loco Iobum respondentem Eliphaz,

Germanus explicatus.

LXX.

Chrysost.

minime se perquirere Divinę Providẽtię occultas rationes, duo tantum affirmare; Nullius se rei consciẽtia opprimi, &, Deũ quæ voluit ipse fecisse omnino. Tum præterea egregie tuetur Divinam Providentiam, nam cum amici illa tantum ratione pro Divina Providentia pugnent, quod scelera puniat, at Iob etiam illã agnoscit, cũ ærumnas ille immittit propter præclaros alios fines nobis occultos, soli Deo notos. quare illum vultu atque oculis demissis oportere coli; Qui *omnia quæcumque voluit fecit in Cælo, & in terra, in mari, & in omnibus abyssis.* Sed exponendæ partes singulæ.

Iob Providẽtiæ assertor sapientior, quã amici.

Psal. 113. 3.

Ipse solus est. In Hebræo ex verbo legitur; *Ipse in uno:* Alii contemnunt præpositionẽ, *In,* & legunt; *Ipse unus, singularis,* aut *solus,* sicut noster Interpres; explicant autem: *Ipse in uno,* supple, fixus est aut *manet,* ut supplet Isidor. Clarius, & Tygurin. *Ipse perpetuo sui similis est,* id est, non mutatur, ut homo; sed constans, firmusque in suo decreto agit cum homine pro volũtate, & Sapientia sua, ideo illum judicẽ, desidero, qui a sententia justa non mutatur & quamvis immutabilem, & Omnipotẽtem eum agnoscam, disputare tamẽ cum illo minime vereor. Certe sensus hic Hebraizantium, & nexus minime lenis, & multo cum labore quæsitus. Sed illud peculiare, & singulare, quod Cajetanus, ut est terminorum scholasticorum callentissimus, & religiosissimus observator, videre sibi visus est hoc loco, suũ illud *Deitat: individuum;* Quare sententiam ille complet; *Ipse Deus est in uno individuo dũtaxat nec te turbet* (inquit) *Trinitas Divinarum personarum, quia quemadmodum Deitas non multiplicatur in Trinitate, ita neq; hic Deus.* Belle, & argute Sed an tam argute, & belle Iob, potius quam graviter, vehemẽter, severe, videre certe potuisset Cajetanus. Theologizat etiam hoc loco Philipp. sed solide, & constanter; *Nam solus* (inquit) *Deus, & propterea Deus, quoniam omnes creaturæ esse ab illo acceperunt.* ut inde colligat omnia administrare Deum pro Sapiẽtia, & voluntate sua: nam quod *Deus solus* sit creaturarum auctor, recte colligitur esse illarum etiam curator, & provisor atque pro voluntate sua, vel conservator, vel destructor, ut supra diximus cap. 22. cum de Providentia ageremus. sicut etiã ratiocinatur Sapiens Sapientiæ. 12. 12. *Quis tibi imputabit, si perierint nationes, quas tu fecisti? aut quis in conspectum tuum veniet* (quis * tibi veniet obviam) *vindex iniquorum; neque enim est Deus, nisi tu, cui cura*

2 *Cajet. Regia. Vatab. Pagnin. Isidor. Tygur.*

Cajet.

Deitatis individuũ assertũ a Cajet.

Solida Philippi Theologia.

Solus Deus Creator, & Cõservator.

* Quien es saldra al encuentro, y es ira ala mano.

est de omnibus: ut ostendas, quoniã non injuste judicas judiciũ. Sed simplex, & germanũ est quod primo loco proposuimus, ut illud, *unũ, solũ, singulare*, ad singularẽ Dei potẽtiam, Sapientiam, Providentiã referatur.

3 *Et nemo avertere potest.* Prop. Nemo faciet eum redire retrorsum; neq; revocabit ab instituto, vel a semel constituta sentẽtia. Pertinet hoc ad efficacitatẽ potentię, & Providentiæ Divinæ, omnia pervincẽtis usq; ad finem sibi constitutum. sicut, & ad eximiam jaculãdi peritiã, & robur Ionathæ pertinet, quod de illo dicitur 2. Reg. 1.22. *Sagitta Ionathæ non rediit retrorsum*, ut quę fortissime excussa per medios hostes, & clypeos penetraret. Sic etiã ad immobilitatẽ Divinę Providentię, & efficacitatẽ potẽtiæ pertinet id Ezec. 24.14. *Ego Dñs loquutus sum; veniet, & faciam; non transeã.* (id est, non retractabo sententiã; non permittam abire impune) *nec parcam, nec placabor.* Pro *Non transeam*, est in Septuag. *Non differam.* ut significet, cũ semel ipse decrevit punire, nulla ratione posse impediri, aut retardari ejus potentiam; nullis precibus mutari, aut leniri suã justitiam, & decretum. quod Interpres verbo * *Transeundi* explicavit; q.d. non prætéribo supplicium.

שוב

Divinæ Iustitiæ immobile decretum.

* No se me passara, ni les date mas larga.

4 Est autem hoc loco *cogitatio*, sentẽtia, decretum; quãvis hoc illuminationis gratia additũ sit ad Interprete. *Et anima ejus quodcumq; voluit, hoc fecit.* vel ut Septuag. *Voluit, & fecit.* est autẽ *anima* in Sacro sermone appetẽtia, desiderium, cupiditas, & aliquid peculiarius, quam voluntas. sicut etiã, *velle*, est hoc loco, aliquid peculiarius, videlicet expetere, cõcupiscere; quod solet ad rem quampiã delectabilem referri; quomodo vertitur ab Interprete Devt. 12 15. & ab eadem radice dicitur *formosum, pulchrũ*, decens, quasi desiderabile, aut cõcupiscibile. Ergo tum ex verbo *volendi*, tũ ex voce *animæ*, amplificatur efficacitas Divini placiti; *Haze siempre su gusto.* & licet apud nos hujusmodi *animæ*, & *appetentiæ* desideriũ, & libitum, non tã afferat rationem aliquã, aut cõsilium, quam quendam quasi appetitus impetum, & gustũ; tamen hujusmodi *animæ* Dei, & Divini gustus delectatio, & appétentia cum summa in Deo ratione, & cum prima atque summa agendi lege conjũcta est. Solet autem in Sacro sermone desiderium, aut voluntas cũ *anima* conjungi, quod vehemens desiderium significat; aut vero liberum, & nullis legibus coercitum, ut 1. Reg. 23.20. *Sicut desideravit anima* (concupiscentia cõ cupivit) *tua, ut descenderes, descende.* id est, Accurre, & veni statim ad prædam, quam vehementer desiderasti. & illud Ierem. 2 24. *Onager assuetus in solitudine, in desiderio animæ suæ attraxit ventũ amoris sui.* id est, cum in summa libertate, & deliciis vivat, rudit pro libito, & fæmellã quærit vagabundus, nulla lege coercitus. Ergo cũ nostro modo loquẽdi dicitur *anima* in Deo, æquissima illius voluntas significatur. Sicut autem in humanis ratio agendi, & legis, *anima* est, ita certe in Deo ipsa anima est ratio agendi, atque præcipiendi.

LXX.

Anima quid proprie.

אוה

Voluntas Divina cum suprema rationis regula cõjuncta.

Voluntas humana male audit.

XIIII. *Cumq; expleverit in me voluntatem suam; & alia multa similia præsto sunt ei.*

---

1. *Varia lectio ex Hebræo. Verbum* Reddẽdi, *aut* restituendi.
2. *Variæ expositiones Hebraizantium. Deus non privans afflictos necessario solatio.*
3. *Deus variis modis exercens suos Iustos.*
4. *Dei Majestas terribilis.*
5. Festinatio, *aut* acceleratio *pro* conturbatione. *Illustratus Isaias.*
6. Timor *quid proprie. Varia lectio.*

AEgre, ac vix Latina cum Hebræis, & Græcis convenire possunt: nã breviter, & concise ex Hebræo sic legitur; *Reddet statutum meũ*. est enim pro *statuto* vox illa *Hhuka*, quæ vers. 12. præcedẽte, vertitur *sinus*, & quam diximus eo loco significare statutum, legẽ, cerimoniã, ritũ. Verbũ autem, *explendi*, est *Salã*, quod est *reddere*, aut *restituere*, aut ad pacem, concordiã, perfectionẽ, & complemẽtum adducere. Quæ omnia significata analogiam, & cõnexionem inter se habent: nã licet quidẽ primaria significatio videatur esse implere, explere, integrare, perficere, aut finire, deinde vero in pace esse, quę est velut integritas quędam, cõplementum, & perfectio; & tandem, solvere, absolvere cõpensare, restituere, quæ est quædam quasi integritas, & perfectio amicitiæ aut debiti; ex vocis tamẽ originali significatione, & amplitudine multi pullulant, nec inutiles sensus. Primus, quem indicat Cajet. Deus reddet, aut restituet statutũ meũ, aut decretum, vel consuetudinem, id est, Nõ me relinquet sine præmio, & retributione meæ vitæ, rectiq; instituti, & pristinæ cõsuetudinis; quamvis enim ille pro suo libito agere possit, sed tamen, ut Sapiẽs dixit, Dei volũtas, *virtus*, potẽtia, *justitiæ*, potius, equitatis, benignitatis *initium*, & origo est: quare reddet unicuique quod suũ est, atque meæ vitæ institutum nunquam 1

Pagn. Regia. Cajet.

חקה

שלם

Verbi explendi multiplex significatio.

Cajetan.

Sap. 12.19.

intermissum, compensabit præmio uberi, complebit, perficiet, juxta id, quod supra dictum est c. 8. a Baldad, *Pacificum reddet habitaculum justitiæ tuæ.* ubi Septuag. legerunt; * *Restituet tibi habitaculum justitiæ.*

*Dios te lo pagara, y quedara en pazcõ tigo.

2 Secũdo, ut pertineat ad quandam animi constantiam, & fiduciam, de Dei bonitate conceptam. *Ipse* (inquit) complebit, perficietq; statutum vitæ meę. id est, quãvis nunc miris me exerceat modis, tamen non denegabit statutum, & consuetũ vitę meæ dimensum, & victum, solatiumque necessarium: sicut quædam alia multa vitæ commoda, & emolumenta præstitit. Hoc forte voluit Pagninus legens; *Reddidit statutum, quod erat mihi.* & Vatabl. *Perfecit necessaria mea.* id est, ipso eodem Interprete: *Perfecit, quidquid mihi erat opus, ipse corporis mei artifex, & omniũ, quæ in me sunt.* Ab eo igitur similia sperare possum.

Deus suos Iustos nõ fraudans necessario solatio.

Pag.

Vatab.

Sed multo melius, cohærentiusque noster Interpres; Decretũ illud suum, quod Iobus vocat, acute exposuit; *Quod Dᵘˢ decreverat.* consentiente etiam in eundem sensum R. Abrahã; &, ut totam sentẽtiam illuminaret, nõ dixit *decretum*, sed *voluntatem: Explebit* (inquit) *perficietque voluntatem suam in me*, ut sententiam præcedẽtem, non solum exponeret, sed etiam amplificaret. Faciet quodcumque volet, statuetque de me, ac de meis rebus.

Interpres Latinus cæteris prælucens.

R. Abrah.

3 *Alia multa similia præsto sunt ei.* In Hebræo, *Cum eo*, vel *apud eum*: id est, non uno tantum modo, genereve ærumnarum, sed mille aliis inauditis, atque insolentibus poterit me ille exercere. Videtur ergo se patiẽtissime comparare ad nova flagella, quid indicavit Philippus, quasi Iob dicat; *Multa quidem jam passus sum: tamen si altius anima ejus voluerit, fiet.* Atque clarius Hieronymus: *Cũ jam me, quibus voluit tormentis affecerit, & alia adhuc, quanta voluerit, mihi infligere poterit.* Idem quoq; Gregor. Vel ut hæc multitudo referatur ad similia exẽpla hominum, quos Deus similiter exercere possit, si velit; Non unicus (inquit) neq; singulare exemplum ero hujus liberę Dei potestatis, atque voluntatis efficacissimæ; nam nihil in universo est, quod illam ipsam voluntatem, atque potetiam non testetur; omnia enim illius voluntate, & potestate constant. Tum præterea, nec in me primum hoc consilii cœpit, ut virtutem, & innocentiam ærũnis exerceret, & probaret; sed in multis etiam hominibus, quos ob eandem causam multis incõmodis affligi permisit. Indicavit posteriorem hũc sensum paraphrasis Hierony. Osorii, eleganter sane, nisi illud obstaret, quod suis ærũnis, atq; doloribᵘˢ, nullas pares, neminẽ perferẽdo parẽ, aut similẽ agnoscat Iob, cum quo novo, & inusitato modo, atque a priscis temporibus inaudito, profecto visus est egisse Deus. Quo modo igitur dicet, *multa alia similia* innocentiæ afflictæ exempla præbuisse Deũ?

Philipp.

Hieronym.

Gregor.

Osor.

℣ XV. *Et idcirco a facie ejus turbatus sum, & considerans eum, timore sollicitor.*

Ignoro, cur Algarbiẽsis Episcopus hũc Iobi timorẽ, & sollicitudinem referat ad tempus pristinum fælicitatis, ut dicat Iob, se quondam rebus suis secundis, cõturbari solitum metu cladis, quę consilio, & voluntate Divina illi potuisset accidere. Nam in prõptu, & in proximo est melior sensus, faciliorque nexus; Tantæ (inquam) potestatis, & tam efficacis voluntatis majestas me omnino terret, atq; cõturbat; non mala conscientia, non metus Divinæ vindictæ, aut ullius cõmeriti supplicii. quare cum Divinũ tribunal, cõspectumq; desidero, & appello, excitor, & erigor vitæ innocentia, cõscientiaq; bona, quę tum apud me, tum apud Deum plurimum valet: at cum conturbor, & commoveor, percellit me, atque territat Divina Majestas. nulla quippe, ut vobis videor, impellor impatientia, aut prava alia mẽtis affectione. Quod clarius dixerunt Septuaginta; *Propterea super ipso trepidavi.* Ambrosius hoc loco legit; *Propter hoc super eum studui.* quasi dicat, tantum abest, ut stultorum more Divinam Potentiam, aut Providentiam vel non agnoscam, ve non verear, ut unicũ hoc meum sit studiũ illius venerãdę, & meditandæ. Augustin. autem legit; *Propterea ad Deum festinavi.* quod ipse exponit; *Quia me tribulavit, ideo relictis temporalibus ad eum festinavi.* Quod quamvis utiliter ab Augustino dictũ sit, sed tamen non ad exigentiam vocis originalis: nam illa *festinantia*, idem est, quod *conturbatio*. solet enim qui cõturbatus est, aut perterritus festinare, aut accelerare gradum. Quare radix eadem *Bahal* significat *turbare*, aut *accelerare*. Vnde Isaiæ 65. 23. Quod Deus promittit suis justis: *Non laborabunt frustra, neque generabunt in conturbatione; quia semen benedictum Domini est, & nepotes eorum cum eis*; intelligendum, promitti diuturnam posteritatem, non ad *conturbationem*, id est, ad celeritatem, vel festinationẽ. Quod eleganter

4 Osorius.

Nexus, & explicatus simplex.

LXX

Ambros.

August.

5

בהל

a viro docto exprimitur, ut *cito orbentur*. Sed non minus bene; *Generabunt nō ad terrorem*; ut timere filiis ſuis, & familiæ poſſint; erit enim illorum poſteritas fæliciſſima. Sive, *Generabunt non ad celeritatē*, id eſt, multos ſuſcipient liberos; fæcundi erunt, & in ſenectute etiam multiplicabūtur. & idem expreſſerunt Septuagin. *Non in maledictionem*: Maledicta enim dicitur poſteritas, non ſolum, quæ velociter trāſit, & evaneſcit (ut Hierony. ex Hebræo, & Græco eleganter exprimit, *ut eſſe deſiſtant, & finē ſubſtantiæ ſuæ habeant. Pro quo Aquila, Symmachus, & Theodotio, feſtinationē interpretati ſunt.*) ſed etiā, quæ copioſa non eſt. Idem ergo, indicat Iob ſe *conturbatum* fuiſſe, aut *feſtinaſſe*; non ſolū amiſſa omni poſteritate, atq; etiā ſuę vitę ſpe; ſed præterea percelli, & exterreri conſideratione ſupremi numinis. ſic etiam legit Interpres catenæ Græcæ; *Super hoc a facie ejus feſtinabo*, Nicetas: *Nempe me Deus ſuo vultu, ſuo, inquā ſolo, terret aſpectu*. Idēque exprimit ſua lectione Ambroſius: *A facie ejus celer ero.*

Fortitur.

Hieronym. Aquila. Symmach. Theodotio.

Nicetas.

Et conſiderans eum. Græci; *Illud mihi curæ fuit imprimis, ne cogitatione, vel voce Dei exiſtimationi, famæque obeſſem.* Quare illud *conſiderans*, conjungi debet cum ſequente timore; *Conſidero*, ſed parce, & timide: intelligo; agnoſco, conſidero Divinam Providentiam; ſed in ejuſmodi conſideratione timidus potius ſum, quam temerarius; contra quam vos de me exiſtimatis: nam vox illa *Timoris* ex ſua proprietate affert reverentiā quandam, atq; perterrefactionem temeritati oppoſitam, conceptā quidem ex Divinæ excellentię conſideratione. Quod aliis vocibus verti ab Interprete ſolet, pavor, terror, cōturbatio, admiratio. Qua etiam voce dicitur Geneſ. 31. 42. Deus ipſe, *Timor Iſaac*, id eſt, quē timide, atq; ſubmiſſe reverabatur, colebatque Iſaac. cujus vocis proprietatē duplici illa voce, videlicet *timore*, atque *ſollicitudine*, exhaurire, atq; exprimere conatus eſt Interpres. Nicetas vero ſic illuſtravit: *Metu concutior, neq; cauſam cur me ceciderit, exquirere audeo: æſtuo, animoque ſum perturbato*. Paulo aliter lectio Auguſtin. *Commonitus, ſollicitus fui de eo.* & fere eodem modo Ambroſius; quod videlicet flagellis admonitus, atq; caſtigatus a Deo, nihil egerit intoleranter, ſed potius illud diligēter curaverit, ut gratias ageret, atq; haberet.

פחד

Timor temeritati oppoſitus.

Nicetas.

Auguſt.

Ambroſ.

XVI. *Deus mollivit cor meum, & Omnipotens conturbavit me.*

1. *Totius ſententiæ paraphraſis, & ſimplex expoſitio*
2. *Quid* Cordis teneritudo, *aut mollitudo. Quid* fortitudo, *aut durities ex frequenti uſu Sacri ſermonis.*
3. *Quæ illa Pharaonis* Induratio. *Impiorū indurati illuſtratus Zacharias, & Ieremias. Adamantis natura.*
4. *Divinum ſupplicium.* Adamas ſiderites. *Explicatur Amos.*
5. *Varia nomina, aut obſtinati, aut mollis cordis.*
6. Saddai. *Quid* conturbare. *Explicatus Samuel*

VIdetur occurrere tacitæ objectioni: fortis enim viri eſt, ſicut non eſſe temerarium circa res arduas atq; difficiles, ita neque plus nimio timidum, & mollē; Quæ duo extrema vitia affingebant Iobo ſui amici; ab altero jam ſe purgavit, cum dixit, nihil velle conari, aut tentare temere, & impudenter, in arcanis Divinæ Providētiæ; alteri nunc reſpondet, Suā conturbationem, & metum non eſſe abjecti, parum ve fortis, & cōſtantis animi; quāvis enim adverſus ærumnas, & adverſus mortem impavidum ſe prębere potuiſſet, at niſi Deū timeret, non fortis, ſed fatuus eſſet; & niſi ad cogitationem Divinæ magnitudinis molleſceret, & liqueſceret totus, ferreus, lapideus, non carneus eſſet; contumax, non cōſtans. Ex mollito igitur corde, ſed minime molli, aut effæminato, iſti lachrymarum rivuli, & gemituum, ac ſuſpiriorum ſtrepitus, & conturbatio ortum habent. Sic cohæret ſententia cum præcedentibus. 1

Iob duo extrema vitia a ſe repellit.

Conſtantia, cum facilitate, & mollitudine.

Deus, Et, fortis, potenſque, ſua magnitudine, atque potentia, *mollivit cor meum*, molle, tenerū, delicatum, timidumq, reddidit: Sed quæ nā hæc *cordis mollitudo*, aut quid ſignificat? Auguſt. *Mollivit* (inquit) *variis afflictionibus.* hoc ſequitur Vatabl. Durum, & forte cenſemus, quod integrū, & intactum eſt. quod vero tunditur, & quatitur frequenti ictu, & cōtrectatione, molleſcit. Nos de homine cujus moroſitas, & faſtus comprimatur, & laboribus attritus ſit, animoque demiſſo; *Que los trabajos lo an pueſto blando*. eodem fere ſenſu Pſal. 68. 21. ubi Septuagin. dixerunt: *Improperium expectavit cor meum*; Hebraizantes legunt; *Improperium fregit, aut contrivit cor meum.* Hieronymus dilucide; *Opprobrio contritum eſt cor meum.* & Pſal. 21. 15. *Factum eſt cor meum, tanquam cera liqueſcens in medio ventris* (viſcerum, pectoris) *mei.* & Ieremias. 48. 41. indicatur eadem cordis mollitudo, & liqueſcentia, quam efficit ardor laborum, & dolorum: *Erit cor fortium Moab in die illa, ſicut cor mulieris parturientis*. Nicetas refert ad virium 2

Auguſt. Vatab.

Calamitatum igne molleſcēs animus.

Hieron.

Nicetas.

defectum,

defectum, & cordis deliquium; *Mollivit* (inquit) *pro eo, quod est, animi nervos, ac vires elidit.* Sequuntur Latini alii.

Oforius. Sed dubiũ nõ est, quin hæc mollitudo pertineat, ad timorem vehementem, quo quis mente, & corde cedit Divinæ majestati, & potestati; cum quis facile in se recipit cogitationem, & metũ supremę magnitudinis: quare idẽ verbum *emolliẽdi*, est quoq; terrendi, aut timendi. Deut. 20. 3. *Non pertimescat* (Septuag. *Nõ dissolvatur*, propr. ex Hebræo, ne emolliatur, vel mollescat) *cor vestrum.* & 4. Reg. 22. 19. *Audisti verba voluminis, & perterritum est cor tuum.* Prop. *emollitum* est. explicat deinde in quo consistat hæc cordis teneritudo) *& humiliatus es coram Domino.* & Levit. 26. 36. *Dabo pavorem,* (Septua. *servitutẽ*, id est formidinem, & dejectionẽ animi, qualem servi habere solent. Proprie ex Hebræo, Teneritudinem, aut mollitiẽ) *in cordibus eorũ, in regionibus hostiũ*) explicat deinde, quod dixerat) *Terrebit eos sonitus folii volantis.* Sed clare etiã ex oppositione *Duri* explicatur, quid molle sit, Prover. 28. 14. *Beatus homo, qui semper est pavidus, qui autẽ mẽtis est duræ, corruet in malum.* ex Hebręo, *Qui durum facit cor suũ*: nam pavidum, & timentem Dei vindictã, ipse timor retrahit a malo perficiẽdo. Igitur is Dei timor, & Numinis reverentia, & severitatis Divini judicii, Divinæq; vindictæ cogitatio, mollefacit humanum cor, Scriptum est enim; *Aspexit, & dissolvit gentes, & contriti sunt montes sæculi.* id est, vel solo aspectu suo mollefacit, & liquefacit durissimas rupes, & barbararũ gentium saxea corda. *Molle autẽ* (inquit hoc loco Gregor.) *est, quod penetrari potest.* Philosophi definiunt, quod cedenti, aut dividẽti cedit, est quoque *molle* id quod externã figurã appressam facile recipit, & ideo facile ad Divinã figuram aptari, & conformari potest: qui minas audit, & timet, qui Dei verbum non respuit, in quo Divina omnia imprimuntur, sicut per Ierem. dictum est: *Dabo legẽ meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.* & per Ezech. *Auferã cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum, ut in præceptis meis ambulent.*

Mollitudo cordis de timore. *כדך Pagn. Regia. Regia.* *Habac. 3. 6.* *Greg.* *Molle quid.* *Ierem. 31. 33. Ezech. 11. 19. 20.*

3 Hinc facile perspici potest illam Pharaonis obstinatam mentem, & *induratum cor*, ad impudentiam quãdam omnis sensus, & timoris expertem, & omnium minarum contemptricem, referri debere; tũ etiam ad contumacem animi superbiam, & barbaram quandam inhumanitatẽ, qui flagellis, & tunsionibus, atque igne ingentium plagarum subjecto, vel minimum emolliri nequierit. *Posuit* enim (sicut & obstinati postea Iudæi) *cor suum, ut Adamantem, ne audiret legem, & verba, quæ misit Deus exercituum in spiritu suo per manum Prophetarum priorum.* In quo quidẽ *Adamantino corde*, illud imprimis observandum est, ineptum esse ad recipiẽdam externam figuram, & Divinæ vitæ imaginẽ, & informationem vel induẽdam, vel repræsentandam. cum enim propter suam duritiem scalpi nõ possit, ullam figuram recipere renuit. Quo loco Kaldæus trãstulit; *Cor suum posuerunt durum sicut Adamantem, ne susciperent Legem.* & quod mirandum magis, cum ferrum, & durissima quæque mollescant igne, *Adamas* neque incalescit. Sic sane obstinatissimi impii neque præmio, neque pœna! Quod mirabatur quoque Ierem. 5. 3. *Attrivisti eos, & renuerunt accipere disciplinã: induraverunt facies suas super petram, & noluerunt reverti.* Vide, quæ de Adamante, præsertim Arabico Plinius scribit lib. 37. c. 4. *Quippe duritia* (inquit) *inenarrabilis, & simul ignium victrix natura, & nunquam incalescẽs.* In eo sane impiorum obstinationis imaginem repræsentans, quod addit Plinius; *Illa invicta vis duarũ violentissimarũ naturæ rerum contemptrix, hircino rumpitur sanguine fœdissimo animaliũ.* Ad divina durissimi, ad fœdas voluptates, & sæcularia mollissimi. Emollit illos levissimi dãni, aut lucri tẽporalis metus, spesve; lapidescunt ad æterna vel præmia, vel supplicia.

Duritia cordis quid afferat. *Zachar 7.* *Adamantinũ cor quale.* *Chaldaus.* *Plinius.* *Adamas Arabicus.* *Adamas symbolum obstinationis.*

Sed quos hic suppliciorum temporalium, & futuri judicii ignis non emollit, sciant liquefaciendos ab igne novissimo, &, Adamantes licet, atterendos, & in minutissimos pulveres dissolvendos a durissima, gravissimaque Dei supremi Iudicis sentẽtiæ, & vindictæ severitate, atque duritie, multo quam sit illorum obstinatio, fortiori, & duriori. Sicut Amos Prophetæ ostensum est cap. 7. *Quid tu vides Amos? & dixi: Trullam cæmentarii; & dixit Dominus: Ecce ego ponam Trullã in medio populi mei Israel, non adjiciam ultra superinducere eum, & demolientur excelsa Idoli, &c.* Videlicet significat Deus, jam amplius nolle se sui populi ruinas resarcire, & instaurare, sicut ruinosum parietẽ cæmentarii solent. Quo loco Septuaginta legunt; *Sic ostendit mihi Dominus; & ecce stabat super murum Adamãtinum, & in manu ejus Adamas, & dixit Dñs ad me: Ecce ego pono Adamãtẽ in medio populi mei Israel.* quia videlicet De⁹ duritiẽ, & obstinationẽ sui populi durissimo supplicio emollire, & punire statuebat; & Adaman-

Durum cor supplicio, & igne domandum. *Illustratus Zachar ex lectione Septuaginta.* *In manu Dei Adamas quid.*

tinum

Adamantem Adamāte duriori conteri.

Plin. l. 37. cap. 4

Theodoret.

tinum cor, adamāte alio duriori, perforare, conterere, diſſolvere. Sic enim naturæ ſcriptores tradunt; *Adamantem ſideritem ictibus frangi, & alio adamāte perforari poſſe.* Quare Theodore. eleganter per *Adamantem* interpretatur; *luculētam, & admodum duram plagam, ſimilemque adamātis, qui ex omnibus materiis duriſſimus eſt.*

5 Duritiei cordis ſynonoma.

Ergo ſicut male audit in Sacro ſermone *Durities cordis*, Iſaiæ. 46. 12. Ieremiæ. 7. 20. & 13. 10. Quod enim; *Pravitas cordis* dicitur, in Originali eſt, *Durities cordis*. *Dura* etiam *facies, & indomabile cor*, Ezech. 3. 7. & *Cervix dura*, Proverb. 29. 1. 4. Reg. 17. 14. Deut. 10. 16. & *Frōs ærea*, & *cervix ferrea*, Iſaiæ. 48. 4. & *Fortitudo cordis*, Pſal. 80. 13. Quod enim Septuaginta dixerūt; *Dimiſi eos ſecūdum deſideria cordis eorum*, &

Hieronym.

Hieronymus; *In pravitate cordis ſui*, Pro-

Vatab. Pag.

prie ex Hebræo legitur; *Permiſi eos fortitudini cordis eorum*, videlicet non ſolum libidini, ſed etiam *pertinaciæ*, ut legit Re-

Mollitudinis cordis Sinonymia.

gia, & *obſtinationi*. Sic e contrario bene audit *Contritio*, vel *confractio cordis*. Pſalm. 33. 19. & Iſaiæ. 61. 1. quæ dicitur etiam *Effuſio cordis*, Pſal. 61. 9. & Threnor. 2. 19. & *liqueſcentia*, vel, *deliquium cordis*, Pſalm. 22. 15. & *ſciſſio cordis*, Ioelis. 2. 13. & tandem in hoc noſtro loco; *Mollitudo cordis*, videlicet præ Dei timore, & Divinæ Majeſtatis reverentia, facilitas quædam, & flexibilitas cordis ad accipiendam Divini ſpiritus motionem: nā *molle* dicitur quaſi *mobile*; molle autē cor facile obedit Deo moventi. quod in ſequente particula clarius exponitur.

Verbum conturbandi vehemens.

Et Omnipotens cōturbavit me. Saddai bonorum omnium abundantiſſima, & ſufficientiſſima ſcaturigo tāta ſua majeſtate me *conturbavit*, exterruit, obſtupefecit. verbum enim hoc *conturbandi*, præter ea,

בהל

quæ Verſic. 15. diximus, ad quandā quaſi commotæ mentis feſtinationem, accelerationem, & formidinem incredibilē pertinet, ſicut dictum eſt Pſalm. 2. 5. *In furore ſuo conturbavit eos.* & 1. Reg. 28. 20. 21. de Saul; *Extimuerat; robur non erat in eo, quia non comederat panem tota die illa* (quæ omnia cōplectitur id, quod ſequitur) *Con-*

LXX

turbatus enim erat valde. Septuaginta legerunt: *Omnipotens ſollicitavit me.* Quod

Nicet.

ſimili modo Nicetas exponit: *Turbavit, & perterrefecit.* Eleganter igitur reſpondet Iob ſuis amicis non ſemel exprobrātibus, quod *turbatus* eſſet, quod *attonitos*

Vide ſup. c. 4. 5. & c. 21. 10.

haberet oculos, quod percitus *ſpiritu*, quod exagitatus impatientia videretur. Hæc e-

Iob. 15. 2. 12.

nim omnia ad ſuam innocentiam, & reverentiam Numinis convertit.

XVII. *Non enim perii propter imminentes tenebras, neque faciē meam operuit caligo.*

1. Duæ exponendi rationes explosæ. Varia lectio.
2. Germana expoſitio. Perire quid propriè.
3. Facies tenebrarum. Imminere prop. quid.
4. Caligo, lux, aut obſcuritas faciei. Pietatis Iobi commendatio: illuſtratus Salomon.

I

LXX

Triplex omnino hujus ſententiæ nexus, & interpretatio prima Græcorū, & Septuaginta legentium: *Non enim noveram, quod ſuper venient mihi tenebræ*: ut videlicet dicat, quoniam inopinato illū oppreſſerunt *tenebræ, & caligo*, id eſt in explicabiles calamitatum rationes, quorum ipſe cauſas nequeat aſſequi. Sed non videtur bene cohærere. Nunquā enim Iob tam ſecurus vixit, ut incautum illum, atque inexpectantem mala opprimerēt, ut ipſe quoque de ſe teſtatus eſt ſuperius. cap. 3. Verſic. 25. quare Tygurina legit: *Non enim exciſus ſum malo improviſo, nec caligo operuit faciem meam*, id eſt, Vidi utique, præſagiente corde, imminentem mihi calamitatem.

Prima expoſitio nō bene cohærens.

Tygur.

Secunda, ut dolenter, & querule dicat Iob; Heheu, non enim antea perii, quod ad præſentes malorum tenebras aſſervarer. Vivus itaque ſervabar his cruciatibus, ſervor nunc quoque majoribus. *Nec faciem meam operuit*, defendit, protexit a tātis malis ſuſtinendis *caligo mortis*. id eſt, mors me non ſubtraxit tantis ærumnis. Sed quidem expoſitio videtur coacta, & male cohærēs cum ſemel cœpta ſuæ pietatis, & innocentiæ defenſione.

Secunda expoſitio coacta.

Ergo tertio leniter, & germane exponēdum; Si videor abjecto, & liqueſcente corde, pallente facie, peneque jam totus conſumptus; Certe non ſum tam abjectæ mentis, tamq; imbecilli cordis, ut me externæ iſtæ calamitates tantum exanimarint, & exterruerint; verum ſupremi judicis atque Numinis terror, & majeſtas. *Non perii.* propr. Non ſum exciſus, conſumptus, diſperditus, nō contabeſco, aut non conturbor. Hæc enim omnia cōplectitur verbum originale: quare ubi ab hac radice dixerunt Septuaginta Pſal. 87. 17. *Terrores tui conturbaverunt me.* ex Hebræo legitur: *Terrores tui cōſumpſerunt me.* Hieronymus: *oppreſſerunt.* Quo loco ſimiliter David pene ſe conſumptum, mortuumq; deplorat; atque ſuam lethalem plagā furori, terrorique Divino tribuit.

Lenis, & germanus explicatus.

LXX

Propter imminētes tenebras. Quod in Originali eſt; *a facie tenebrarū.* Ergo Interpres *imminētes* dixit, id eſt, præſentes, aut (ut Philippus ait) *Ipſas calamitatis ſuæ miſerias, velut ruinas ſubito imminentes, & ſibi inſiſtentes.* Quod enim adhuc ſua vi, & pōdere incumbit, *imminere* dici poteſt.

Philipp.

4 *Nec faciem meam, &c.* Deeſt in Hebr. & Græco hæc ultima negatio, ſed eſt per Zeugma trahenda, & repetenda ex ſuperioribus; quod Scripturis familiare eſt. Recte ergo dixit Interpres; *Nec, &c.* Sed invertunt Hebraizātes ſententiam; *A facie mea non operuit caliginem*, vel, *Neque abſcondit caliginē ante me.* quaſi dicat; Præſagii, vidique profecto imminentem, & inſtātem caliginem: admonuit me Deus ingruentium tenebrarum, ne me incautum, maleque ſecurum opprimerēt. Sed melius cohæret, quod diximus. Quo etiā modo Tygurina, Cajetanus. Præſertim cum ſine ullo articulo ſit in Hebræo vox *caliginis*, quare videtur in primo caſu accipienda. Ergo *caligo*, idem, quod *tenebræ*, & ærumnæ; quod melius quadrat, quam quod Philippus ad allegoriam detorquet; *Deſperatione non perii, nec faciem mentis meæ infælicitas excæcavit.* vel negatio *Dei.* & quā, quod Gregorius, Divus Thomas, & Latini alii, *errores*, & *peccata* intelligunt, quæ neget, fuiſſe cauſas ſuę calamitatis. *Opertio* autem, & obtectio faciei, aut oris immutatio aliqua, ad metum, pudorem, verecundiam pertinere ſolet, ut Ezechiel. 7. 18. *Operiet eos formido, & in omni facie confuſio.* & iterum Pſal. 43. 16. *Operuit confuſio faciem meam.* Quare idem de ſe affirmabit Iob; quod de Sapiente dicitur Eccleſ. 8. 1. *Sapientia hominis lucet in vultu ejus*, & *Potentiſſimus faciem illius commutabit.* Videlicet, quod Sapiens, juſtúſque coram Divina Majeſtate palleſcat, & exalbeſcat, timeatque. Quod Hieronymus legit; *Fortis faciem ſuā commutabit.* vel proprie etiā ex Hebræo; *Fortitudo faciei ejus mutatur.* id eſt, ſuperbia, & obſtinatio vultus deponi debet coram Deo. e contrario autem humilitas, & timor Dei *lucet in illius vultu.* Ergo inquit; Non mihi morbus, non me mala cætera iſtum cadaveritium faciei habitum, tabificumque pallorem effecerunt; ſed potiſsimum Divinæ poteſtatis in me incumbentis, & ſupremi ſplendoris mihi tenebras offundentis, reverentia, & timor. Illud argutum eſt, quod a non nemine indicatur, ut hæc ſententia faciat ad tribulationum Sanctorum dignitatē & laudē; ac dicat Iob, ſe nō prius ante iſtas ærumnarum tenebras periiſſe, quod non pateretur Deus hanc illi ignorātiæ caliginem perpetuo ineſſe, ut neque mala experiretur, neque per labores erudiretur, ut magis, ac magis Deum timeret. Ergo creſcit ex hac reſponſione defenſio ſuæ pietatis; Non ſolum non patior propter ulla ſcelera, ſed in tot ærumnarum perpeſsione augetur mea pietas, & magis, ac magis nitet mea religio. Quod cum ſuperiori illa auri ſimilitudine bene convenit.

Zeugma. — Pagni. Regia. Vatab. — Tygur. Cajet. — Philipp. — Gregor. D. Thom. — Facies operta, verecundię, & cōfuſionis. — Timēdū coram Dei majeſtate. — Argutum. — Iſidor. Clar. — Deus nolēs Iuſtos ſuos ignaros eſſe malorum.

(∴)



NOTATIO *RERUM INsigniorum, quæ in Commentariis fusius explicantur.*

PARAPHRASIS Capitis præcedentis.

CAPUT XXIII.

1 *Respondens autem Iob, dixit:*



ORATIONEM ELIPHAZI extremam jam nunc cum ingenti animi dolore, & sensu excipiens Iob, sic respondere aggreditur, ut non tam cum illo, quam cum Deo, supremo judice plenum pietate colloquium instituere videatur.

2 *Nūc quoq; in amaritudine est sermo meus:*

Idem (inquit) etiā me doloris acerrimus stimulus lacerat, & cruentat, vexorque perpetuo, nullo mihi respirandi intervallo cōcesso. Cum nullis enim amicorum meorum verbis, vel leviter delinitum meum animum sentiam, cogor profecto etiam nunc tristi oratione uti, & calamitatis meæ gravitatem sæpius usurpare: atque adeo cum singulis amicorum vocibus vulnus meum recrudescat, mordeor profecto acerrimis contumeliis, atque amarissimis convitiis: quæ quid aliud ex meo pectore, atque ore extundere possunt, quam orationem, verbaque amarissima? Video quippe nulla posse ratione adversariis meis meam innocentiam probari. * Non solum igitur, quod corpore doleo, sed quod animo, atq; vitæ etiam existimatione sustinere cogor, gravius profecto est, quā ut ullis suspiriis, atque gemitibus demonstrari, atque explicari possit: ita me neque intelligunt, neque meos dolores pro dignitate æstimant hi ipsi meorum gemituum auditores, & testes, qui cū nullam idoneam medicinā vulneri meo adhibeāt, importunissima contētione, novas imponunt plagas, antiquas vero refricant, & lacerant. Quamvis illud mihi pro certo sit, non ex iis, quæ falso adversarii criminantur, neque ex iis, quæ in manibus meis sunt, morbis, atq; doloribus, sed ex meis ipsis operibus, de me judicium ferri oportere.

** & manus plaga meæ aggravata est super gemitū meū.*

3 *Quis mihi tribuat ut cognoscā, & inveniā illū; & veniā usq; ad solium ejus.*

Vtinam ergo palam liceret mihi coram illo pro me dicere, qui vitæ meæ, atque omnium animi cogitationum conscius est, quippe probe novit pauperum gemitum, atque suspiria cum ipsa animi ægritudine, & dolore, ex quo proficiscuntur, comparare. Homines enim, qui eorum tantum, quę vident, testes, atque judices sunt, non aliter de rebus judicāt, quam per signa externa, atque hæc ipsa vel integre non assequuntur, neque satis bene percipiunt; vel certe in pejus interpretantur. Nihil igitur mihi præsidii reliquum est, quam ut omne vitæ meæ judicium Deo committam, illiusq; opem assiduis gemitibus sollicitē: nam si semel cum illo familiariter agere permittar, cui ego bene notus, atque exploratus sum, fiet utique, ut illius quoque incorruptum de mea innocentia testimonium experiar. Vtinam jam sciam, ubi ille sit, ubi se conspicuum præbeāt mortalibus, ut cum [a] invenero, agnoscam statim aperte, & clare: magna sane animi constantia, atque fiducia, ad illius solium, sedemque celsissimam accederem, atq; judici sanctissimo, & incorruptissimo gravissimas injurias adversariorum meorum exponerem; satis, opinor, essem, abundeque sufficerem meam illi causam, atque vitā probare, quam hominibus probare nequeo. Tūc tandem mea causa perorata, defensioni meæ finem imponerem, ac, ut spero, victoria de meis calumniatoribus reportata, conquiescerem.

a *Verbi* veniēdi, & inveniēdi *exquisita observatio ad intelligentiam Scripturaram. n. 3. 4.*

4 *Ponam corā eo judicium:*

Verum enimvero certa tunc ratione, & ordine meā causam coram illo informarem, atq; illas pro mea innocentia validissimas rationes proferrē, quę suo pondere, & momentis gravissimis judicē flecterent,

* *& os meum replebo increpationibus.*

atque ad illũ expugnandum, vincendumq; sufficerent. * Sed quid ego exquisitis argumentis corã incorrupto judice, & mei cõscio opus habeo? exquisitis potius justissimi doloris signis, atq; querelis pleno ore, fidẽti, constantiq; animo de immeritis suppliciis, indignissimisq; calũniis cũ illo expostularẽ; justeq; meos adversarios injustos utiq; increparẽ, ut meã justitiã pro meritis tuerer, atq; apud meũ judicẽ deplorarẽ ęrũnas, acerbitatesq; meas, iis, quę gessi, ac pertuli pariter expositis.

5 *Vt sciam verba, quæ mihi respondeat, & intelligã, quid loquatur mihi.*

Ille vero, si quid a me erratũ est, minime contumeliose, sed amãter potius, atq; benigne admonebit: neq; convitiis incesset, sed re ipsa, atque ratione mecũ aget. Totius igitur hujus rei veritatem, atq; mearũ ærumnarũ causam ex illo perdiscã. Tũ præterea jã tandẽ intelligerẽ, qua via, atq; ratione meis expostulationibus, atq; querimoniis jure satisfieri, aut quæ curatio meo vulneri adhiberi possit. Quippe assiduis meis querelis apud meos socios nihil proficio: in quos profecto de injuriis, & iniquitate, quibus vitam meam violare conantur, nova mihi, eaque gravissima conquestio esse debet. Neque præterea respondent, tollunt ve dubitationem illam, in qua hæremus, Cur tam acerbe innocens omnino exercear, affligarque?

6 *Nolo multa fortitudine contendat mecum, nec magnitudinis suæ mole me premat.*

Neq; vero in animo meo est, cum suprema Numinis Potestate cõgredi, & cõtendere; sed cũ illius tantũ AEquitate, atq; Iustitia ex bono, & æquo paruper agere: nã satis scio humanam imbecillitatẽ Divinæ virtutis magnitudine, & contentione facile opprimi posse: at illius AEquitatẽ, atq; Iustitiam, nihil contra veritatẽ, nihil cõtra Iustitiã, nihil contra meã innocentiã posse: non enim solet ille viribus tantũ, atque potestate contendere cum mortalibus; neq; minis gravissimis, & terrore ingenti incũbere in hominũ animos timidissimos: sed agit ratione poti⁹, atq; verissimis argumẽtis ex illorũ aut innocẽtia, aut improbitate petitis. Hæc illius ordinaria, & consueta agẽdi lex, & ratio.

7 *Proponat æquitatẽ contra me:*

Sic sane considerẽ jus meũ me adversus improbas accusationes perpetuo retenturum: nã fraudibus ille, atq; calumniis reprehẽsis, serioq; coercitis de re tantũ, atq; veritate statueret, & vel innocentem absolveret, vel nocentẽ, & improbum insigni nota, & ignominia condẽnaret. Quæ tanta judicis æquitas sanctissimi, nõ adimit, facit potius mihi animos, affertq; robur ad causam in judicio constanter sustinendã. Ibi enim tãtũ veritati, & rectitudini datur locus; nullus malitiæ, & dolo: nemini afflicto, & misero coram Deo judice aut facilis aditus, aut opportunus, & honestus pro se dicendi locus denegatur. Hac profecto ratione liber, b superiorq; accusationibus evaderem, atq; adversariis coactis cum ingẽti ignominia calumniæ, accusationẽ perpetuo relinquere, sententiã a judice victoriæ, atq; triumphi plenã obtinerẽ.

& perveniet ad victoriam judicium meum.

b *De appellatione* Victoriæ, Finis, Sempiterni *in Sacro sermone, prolixa disputatio ad multarum Scripturarum intelligentiã. n. 4. & 5.*

8 *Si ad Orientẽ iero, non apparet.*

Sed si in hoc meo voto conscendẽdi ad Cæli sedes lucidissimas, & ad Dei tribunal, cuipiã videar temerarius, & audax, cũ uni præsertim loco, & sedi ille minime alligatus sit, sed ubivis gentium, atq; locorum nullo non tẽpore præsentissimus adsit, is sane sciat, nisi Deus se mihi, atq; meis adversariis cõspicuũ prebeat, consistamusq; pariter ad illius tribunal, atq; palam, & manifeste feratur de mea vita testimoniũ, neq; meos calumniatores, accusationẽ relicturos, neq; meã innocentiã satis probatã hominibus iri. Tam enim longe absum, ut per callidas, & malitiosas respondendi vias, atq; rationes sanctus videri, & haberi vellim, ut manifestũ Dei judicantis conspectũ, & publicũ afflictę pietatis testimoniũ ardẽtissime desiderẽ. Sed cũ Deũ appellẽ, & tester unicũ meæ causæ cognitorẽ, atq; in tantis ærumnis laboranti, & pene jã desperanti animo adesse illũ non sentiã, neq; via ulla, aut spes illũ inveniendi apud mortales mihi affulgeat. Quid agam? Quo me vertam? Nã si me ad Orientẽ solem conferã, nusquã ille se cõspicum præbet. Si ad Occidẽtem respiciam, nulla illius vestigia inspicio, aut invenio.

si ad Occidẽtẽ, non intelligam eum.

c *De quatuor his cæli Positionibus ex Sacris, atq; prophanis, tum de singularum appellatione, ad Scripturæ intelligentiã diligenter multa disputatur, a n. 3. usque ad 9.*

9 *Si ad sinistrã, quid agã? Non apprehẽdam eum.*

Si ad Aquilonẽ, quæ sinistra est orbis, atq; Celi plaga, deflectã, aut ad Dexterã, quæ ipsa est Meridies, oculos referã, investigabo quidem illũ, sed minime cernã. Rursus, si sequar, non sentiã. Vtra igitur illum

quærã in iis locis, quę ante sunt posita, an in ipsis, quæ extrema, retroque sunt? Si ad mirabilia effecta, quæ ille in Septentrione gerit, ubi & plures, & majoris efficientiæ stellæ sunt, animũ intendã; aut si ad Australẽ partem proficiscar, in quæ ille se loca mirabiliter abdit, & velut integumento quodam se involvit, nunquam illius compos ero.

Nihilominus tamen illũ judicẽ appello, atq; desidero, quẽ cũ homo perspicere non posit, at perspectas ipse habet omnes mortaliũ actiones: cui cum quotidiana, familiariq; experientia bene probatus, exploratusq; existam, certus sum non nisi ob præclarum suæ gloriæ, ac mei quoq; cõmodi, & utilitatis finẽ, tam gravibus me ab illo ęrumnis exerceri [d]. Non aliter igitur de me periculũ fecit, quod mihi imprimis honorificũ est, quã de auro, quod cũ per se pretiosissimũ sit, at minime delicate tractatur ab aurifice, sed diligẽte probatione, & acri fornacis examine succẽditur, ut ex igne mundius & defæcatius evadat: sic sane jã fiet, ut pluris ab universis mortalibus mea sanctitas post incredibilium ærumnarum patientiam fiat, & longe lateq; summi splendoris radios circumquaque diffundat. 10

Ipse vero scit viam meam: & probavit me, quasi aurum, quod per ignem transit.

d De auri per ignẽ examine, ad sanctorum patiẽtiã relato, ad Scripturæ intelligentiam & patientiæ dignitatem, non pauca. n. 3. 4. 5.

Quę cũ ita sint, quid me, o amice Eliphaz, reverti ad Deũ, & cõverti ad rectam, verissimamq; mandatorũ Dei semitã jubes, cũ illã semper ita tenuerim, ut neq; unguem latũ in alterutrã partẽ deflexerim, neq; contentus vulgari aliorũ hominum, quãvis justorũ more, Deũ sequi, pedes ipsos meos in ipsa illius vestigia ponere semper studui; neq; ponere tãtum, sed insistere, adhærereq; firmissime, fixis quasi gressibus? Quo enim ille me prælato lumine ducebat, summa animi contentione sequebar, & illius Divinas virtutes, gressusq; actionum, studiosissime imitari conabar. Si enim ille apud mortales ageret, homo fact[9], (quod fore aliquando firmissime animo informabam) atque vestigia sua in hac ipsa terra imprimeret, præclara proculdubio virtutũ omnium universis mortalibus documenta præberet: atq; ad hæc ipsa, mente ego prævidẽs, & versans, me totum cõponebam. Nunc etiam cum me per difficiles, atq; multis calamitatibus impeditas vias duxerit, per multa rerum omnium dispendia, sollicite, ac diligenter viã illius observavi [e], atq; si sexcenta præterea alia in me mala incursarint, a recta tamen via, iter non deflectam: sed pergam celerius, & vehemẽtius laboribus acutioribus stimulatus. 11

Vestigia ejus secutus est pes meus: viam ejus custodivi, & non declinavi ex ea.

e Quæ sit tribulationũ vis ad abducendos impios a via recta, confirmandos vero in eadem justos, utilia quædam. n. 5. & 6. potissimum. 7.

Verissimã rem, semel, & cẽties inculcabo constãtissimus. Illã ipsam Dei naturalem legẽ, quã naturę auctor hominum mentibus insculpsit, observavi perfectissime, & si quid unquã ille mihi interius loqueretur, parui lubens, neq; unquam illius imperium detrectavi, aut negligẽter contẽpsi; * [f] sed semper præ manibus habui, familiarissimeq; tractavi, pleno corde excipens, totisq; mentis viribus retinens. & cũ in cordis mei recessibus ejus sanctissimas sanctiones inclusas haberẽ, quasi cum iis satus, factus, ac conglutinatus essem, sic ipsas illas incredibili animi voluptate servavi, Divinæq; voluntati, mente sedata, certo proposito, atq; consilio, nulla necessitate coactus, sum obsequutus, nihil pretiosius, aut potius habens, quã Divinorum cultum mandatorum. Quippe mores inveteratos meos, & omnia vitæ, atq; honoris cõmoda, si quãdo res exigebat, Divinæ legi posthabui; & præ illa omnia jucunde, & fæliciter vivendi humana decreta rescidi, & irrita feci. 12

A mãdatis labiorũ ejus non recessi: * & in sinu meo abscondi verba oris ejus.

f De sinu ad Thesaurũ, vel ad voluptatem relato, peculiaria quædam num. 3.

Quæ quãvis sic habeant, atq; is ego semper extiterim, quẽ vobis proposui, sanctissimus, & innocentissimus, at Deus pro bona voluntate sua, cujus ego arcanã rationẽ minime assequor, mecum agit. Ipse enim solus est, a cujus voluntate, & decreto ad aliũ superiorẽ judicẽ nõ potest esse provocatio, nemoq; illius cogitationẽ avertere, aut inflectere a constituto fine poterit. Si enim ipse sic judicat, quis illi cõtradicere, aut repugnare audebit? Hæret enim constans, & fixus in eo, quod semel faciendum sanxit, cumq; unus sit rerum omniũ auctor, & cõservator, ex sola illius voluntate universitatis hujus conditio pendet: ac nemo certe illius animũ retrorsum abducet, revocabitve ab instituto; 13

Ipse enim solus est; & nemo avertere potest cogitationem ejus, &, quodcumque voluit, hoc fecit.

Quod

quod enim libet illi, cū summa ratione conjunctū est; quod vero ejusmodi est, perficit ille summa & facilitate, & efficacitate. Itaq; quāvis nihil mihi conscius sim, at nō ideo non timeo Deum potētissimum.

14
Cumq́ expleverit in me voluntatē suā, & alia multa similia præsto sunt ei.

Faciet enim, perficietque, quod ille de meis rebus faciēdum semel statuerit: Neq; uno tātum ærumnarū genere, sed mille aliis inauditis, atq; insolētibus poterit me, si volet, exercere, sic oportet quidē mortalē ad nova semper flagella cōparatū esse. Cujus liberę Dei Potestatis, atq; Providētiæ, quā erga justos servavit, dum multos viros pietate excellētes multis incōmodis vexavit, plurima idē ipse exēpla nobis demōstrare poterit. Atq; adeo nihil sane in creaturarū universitate est, quod illā ipsam voluntatem, atq; supremā potestatem nō testetur. Omnia enim illius voluntate, & efficacitate constant. Sed tandē, ut spero, tamen meū recte, & pie vivēdi statutū uberi præmio implebit, atque cumulabit. Quāvis enim nunc miris me exerceat modis, at nō denegabit statutū, & consuetū vitæ dimēsum, & animi victum, solatiumq; necessarium; qui quondā alia multa vitæ commoda, & oblectamenta pręstitit. Cum enim idem ipse mei corporis artifex sit, atq; omnium, quæ in me sunt, similia semper ab eo suæ benignitatis, atq; Providentię effecta polliceri mihi potero.

15
Et idcirco a facie ejus turbatus sum: & considerās eum, timore sollicitor.

At tantæ potestatis, tamq; efficacis voluntatis majestas me omnino percellit, atq; conturbat: nō ullius conscientia sceleris; bona enim consciētia me excitat, ut desiderē Divinū tribunal, corā quo plurimū innocētia valet: at tātus Numinis splēdor dejicit, deterretq; me. Hoc itaq; unum semper studeo, ut illū venerer supplex, ac ne voce, cogitatione ve levissima illius famæ, & existimationi obsim: illum itaq; adeo parce, ac submisse cōsidero, ut timidus potius, quā temerarius merito videri possim. Ac idē studiū ex eo etiā tēpore, cum meę res florebāt, assidue habui, ut illius Numinis veneratione, & cladis, quę illius volūtate mihi accidere posset, præmeditatione, & metu sollicitus agerem.

16
Deus mollivit cor meum:
& Omnipotens cōturbavit me.

Neq; vero g mollis, aut parū fortis, & constātis animi est hæc conturbatio, & metus majestatis supremę: nā quāvis adversus ærumnas, adversus mortē impavidū me prębere potuissem, at nisi Deū timerē, nō fortis, sed fatuus; nisi ad cōsiderationē Divinæ magnitudinis molescerē, & liquescerē totus, nō carneus, sed ferreus, aut lapideus; non constās, sed cōtumax haberi deberē. Cujus enim vires, atq; fortitudinē non emolliat, frāgatq; Deus ærumnarū ictibus, & tunsionibus frequētissimis? Cujus non fastū, & superbiā dejiciat tāta celsitudo? Quis se durum, & contumacem tantæ efficacitati, & robori præbere velit? Quis non tantā bonorum omnium, tamque peremnem scaturiginem non miretur, stupescensque attonitis non contempletur oculis?

g *De cordis mollitudine, aut duritie, tum ex proprietate vocis, tū ex re ipsa, ad Scripturā, & ad mores quædam peculiaria, a v. 2. usque ad. 5.*

17
Nō enim perii propter imminētes tenebras,
Nec faciem meā operuit caligo.

Quare si vobis videar molli, & liquescente animo, emota facie, penitusq; pallēte, ne me, quæso, existimetis externis istis calamitatibus, corporisq; malis exanimatū, atq; superatū esse, proptereaq; consumptum corde cōtabuisse, & pręsentium ærumnarum caligine quadā obcæcatū, pudoreq; totum, atq; ignominia suffusum; sed Divinę potius majestatis in me, resq; meas incūbentis, & supremi splēdoris mihi tenebras offundentis reverētia, & timore hāc mihi faciē squallentē, vultumq; obscurū, & deformatum accessisse. Clare nāq; etiā, cum adhuc fælici fortuna florerē, quid mihi accidere potuisset, contēplabar; neq; ulla ignorantiæ caligo me prohibuit, quominus præmeditarer, quæ mihi impendebat, status mei ruina. Ergo acerbissimi dolores, & incredibiles cruciatus hoc saltē levamenti, & solatii habere possunt, quod non fuerint inopinati, neque voluerit Deus meam pietatem probationis hujus immunem esse, ac hominē tanta in luce versantem, tenebrarum miserrima ignoratione teneri, aut insolescere.

)·:·(
*
* *

CAPVT. XXIIII.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Oſtendit Iob ſuam de Divina Providentia fidem: atque Deum ſic curare res humanas, ut ſæpe in hac vita permittat impios impune vivere, at certam ab illo ſupplicii horam, & articulum temporis opportunum obſervari.

I. Ab Omnipotente non ſunt abſcondita tempora: qui autem noverunt eum, ignorant dies illius.

1. *Apex interrogandi mutat totam ſententiam, nõ eſt mutandus temere in Scriptura.* Tẽpus, Dies, Dies Domini.
2. *Subtilis, ſed audax Cajetani lectio, & expoſitio.*
3. *Germana expoſitio, Deum obſervare temporis articulos ad puniendum.*
4. Saddai, *Deus nullo ſuo lucro curat res humanas.*
5. Abſcondi, *&* tegi, *quod ignoratur.*
6. Tempus *quid proprie, Opportunitatem cujuſlibet rei faciendæ Deus novit Illuſtratus David. Iſaias, Lucas.*
7. *Etiam juſtis ignorata Dies judicii, de expoſitione illius.* Nemo novit, neque filius?
8. *An Angeli, & beati in verbo cognoſcant Diem judicii. Explicatus Zacharias.*



I Apex interrogationis. PEX unus interrogationis demptus, aut additus totam ſententiam reddere ſolet valde diverſam, aut certe ambiguã; Quod in præſentia contingit: nam in Hebræo interroganter legitur propter particulã, quæ ſemper interrogationi ſervit, *Quare Cur*, Quid; *Cur ab Omnipotente non ſunt abſcondita tempora?* Quia autem interrogatio cum negatione valet idem quod affirmatio, videtur profecto aſſeri; *Ab Omnipotente ſunt abſcondita tempora*; ita ut videatur Iob *Induere perſonam ejus, qui Providentiam Dei non agnoſcat, aut certe de ea dubitet*; ut explicant Vatablus, & Iſidorus, cum quibus videtur Nicetas facere, ſic exponens particulam illam interroganter, *Illud, cur, non exquirendæ rationis, ſed problematis amicis ponendi cauſa dictum eſt*. Non quidem, ut velit Iob negare Providentiã, ſed tantum explorare ſententiam amicorũ, hac quaſi dubitatione propoſita, quod cum Deus nullam habeat affinitatem cũ tempore, neque ſapientiſsimi etiam, ac Deo familiariſsimi illum videant tempori obnoxium, certe non videtur temporalia curare; præſertim cum impii diutius ſinantur in improbitate perdurare. In qua interpretandi ratione, *Tempus* accipitur pro humanis, & tẽporalibus rebus, actionibus, ſæculo iſto; *Dies* autem *Dei*, pro illius æternitate, vel pro Die judicii, qui etiam *Dies Domini* dicitur, qui videatur nimium differri, interim dum *non profertur contra impios ſententia*. cum quo ſenſu bene convenit clauſula totius capitis, qua Iob affirmat ſe vera dixiſſe de impiorum impunitate, & libera vivendi licentia. Sẽſus profecto hic facile in noſtram lectionem poſſet cadere, ſi ſolum interrogationis apicem appingeremus: *Ab omnipotẽte non ſunt abſcondita tẽpora?* Sed quidem nõ audendum temere vel apicem addere, vel mutare, præſertim ſine ullo exemplo; quãvis nõnulla hujus rei cõjectura fieri poſſet ex eo, quod particulam Hebræam interrogãdi omiſerit Interpres, quæ cũ ſola nota interrogationis ſuppleri poterat.

Varia lectio.

מדוע

Vatab. Iſidor. Nicet.

Tempus pro tẽporalibus.

Dies Domini.

Eccleſi. 8. 11.

Nihil mutãdũ in Latina vulgata lectione.

Secundo tamen Cajeta. ita ex Hebræo 2
legit, ut prima pars conſentire poſsit cũ noſtra lectione, & vis interrogationis potius cadat in ſecundam, hoc videlicet ſenſu; *Cur, cum ab Omnipotente non ſint abſcõdita tempora*, vos tamen, qui gloriamini, & jactatis veſtrã Theologiam, *ignoratis Deũ* habere diverſos *Dies*, quoſdam videlicet in hac vita, quibus interdũ permittit mortales impune vivere, poſtea vero diem judicii noviſsimum, ut tunc *in plenitudine peccatorum puniat*? Acutũ aliquid, & ſubtile præ ſe fert hæc expoſitio; ſed neq; nũc audendũ licenter ſecundæ partis ſenſum mutare addita interrogatione, neq; cum Cajetano temere pronuntiãdum, noſtræ litteræ *intolerabilem eſſe obſcuritatẽ, & mutationem ſenſus*. Præſertim cum Septuaginta, non quidem Complutenſes (nã hi cum Hebræo conveniunt) ſed correctiores Vaticani affirmationem habeant cum interrogatione: *Quare Dominum latuerunt horæ?* Quod manifeſte reſpondet noſtræ negationi affirmatæ. atque ſimiliter Auguſtinus ſine interrogatione legens; *Quare Dominum non latuerunt horæ: quam ob rẽ ſinẽ tranſgreſſi ſunt*. non enim interrogat, ſed aſſerit a Deo non eſſe abſcõdita tempora, redditq; ſimul cauſam, cur impii ſuſtineantur diutius.

Cajetan.

2. Mac. 6. 14.

Cajetanus notatus.

LXX.

Auguſt.

3 Cohærens, & germanus explicatus

Tertio tandem existimo congruenter tum ad ea, quæ Eliphaz de Divina Providētia disputaverat, tū ad suæ calamitatis solatium, Iobum nunc asserere, Deum non præterire nunc *tempora* nostra; neq; tantum se cōtinere nubium latibulo, sed certo decernere, & constituere certos tēporis articulos, & opportunitates vel puniendi improbos, vel sublevandi innocētes. Ergo Dei Providentiam, quæ se extēdit ad omnia tēpora, & ad omnia sublunaria, quæ sunt in tempore, bene consentire posse cum illa ipsa longanimi Dei patientia, & *divitiis bonitatis*, quæ peccatores permittit fęlices vivere, innocentes ærumnosos, usq; ad diem novissimum, cū iustis præmia, improbis supplicia decernētur. Nunc expendendæ partes singulæ.

Rom. 2. 4.

4 David Illustratus paraphrasi.

Ab Omnipotente. *Saddai*, Deo optimo Maximo, quātumvis in se ipso beatus sit, neque nostri egeat; *Non sunt* tamen *abscōdita tempora*. Quod videtur dixisse David Psalm. 15. 1. *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*, est videlicet ille *Saddai*, bonorum fons, sibi sufficiens; at non ideo non curat *Sanctos, qui sunt in terra*. *Sāctis* (inquit) *qui sunt in terra, mirificavit omnes voluntates meas in eis*: id est, omnem benignam, sollicitamq; Providentiam, quā desiderare posset homo, gerit erga Sanctos. Vel, *voluntates suas*, ut Græci legūt; id est, Accurris in terrā, ut tuorum iustorum vota, & desideria compleas. Tū deinde punis, ac prosequeris digno supplicio improborum scelera, ac illorum calamitates, *& infirmitates multiplicas*. Ergo a *Saddai*, quamvis bonorum nostrorum nō egeat, *non sunt abscondita tempora*. Nō solum enim est moderator, dominatorque æternorum, sed temporaliū etiam auctor administrator, provisor. Præterita, præsentia, atque futura omnia callet, & quid quid in sæculo isto nostro fit, ponit ad *illuminationem vultus sui*. Licet enim *quasi temporis oblitus* (ut Nicetas ait) *remunerationem sustinet*, at bene novit, quantum temporis concedat impiis, & quanto temporis ac patientiæ debeat respondere supplicium *in die iræ*.

Deus accurrens suorū voluntati.

Psal. 99. 8.

Nicetas.

5 צפן

Non esse vero *abscondita tempora* (quod ad phrasim attinet) idē est, quod, nō sunt occultata, velata, id est, ignorata: nā quæ teguntur, occultantur, & absconduntur; quæ vero occulta sunt, & abscondita, nō videntur; quæ non videntur, ignorari existimantur. Atq; ab eadē *abscōdendi*, & *contegendi* radice ductū est illud Iosephi cognomen a Pharaone impositū *Tsaphnath Paghneahh*, Genes. 42. 35. *Vocavit eum* lingua AEgyptia, *Salvatorem mundi*, quo loco vocem originalem retinuerunt Septuaginta: *Et vocavit Pharao nomen* Ioseph *Psonthom Phanech*: quod Hebræi interpretantur: *Absconditorum revelatorem*, sive *repertorem*, quod etiam occultissima non ignoraret, ut Iosephus historicus, & Hieronymus ajunt. Cum autem Iobus dicit hoc loco, *A Deo non esse abscondita tempora*, quamvis per extenuationem minus videatur, quam si diceret, *Deum nosse tempora, & momenta*; tamen amplius aliquid indicat, videlicet illa omnia a nostræ mētis oculis abscondi, & ignorari: Non solum enim ignoramus, *quid agere*, verum illud etiam quando, & quatenus agere *debeamus*, quod est ignorare tempora, & tēporis articulos.

Iosephi cognomentum. צפנת פענח

Ioseph. 2. Ant. cap. 4. Hieronym. de Trad. Hebr.

6 Tempus pro temporis articulo. עות

Tum etiam, *Tempora*, id est, articulos temporis, opportunitates, & occasiones captandas probe novit. Est enim vox originalis, tempus congruum, aut constitutum ad aliquid agēdum, ut Genes. 25. 11. dicitur de Rebecca certa temporis hora, & diei articulo egrediente, *Eo tempore, quo solent mulieres egredi ad hauriendam aquam*. quod breviter Septuagin. dixerunt; *Quando egrediuntur aquatrices*: & similiter Deutero. 2. 28. ab eadem radice dicitur, *hora vescendi*. Isaiæ. 50. 4. *Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum, qui lassus est, verbo*. Quod Septuaginta dixerunt; *Vt sciam quando oporteat loqui verbum*. & proprie ex Hebræo legitur: *Vt sciam opportune loqui*, aut *suo tēpore*. Quod Complutenses legunt; *Vt sciam tempus cōstituere lasso*. Ergo videtur quidem homini afflicto, ipsum suæ calamitatis tempus, opportunitas etiam percipiendi statim præmii, aut certe accipiendi divinitus auxilii. Quare conquerebatur David Psalm. 9. 1. *Despicis in opportunitatibus* (proprie, *in temporibus*. Hieronymus: *In temporibus angustiæ*) *in tribulatione*. sic etiam dum impii insolescunt, aut fælicitercagunt, videtur homini statim tempus, & opportunitas instare sumendæ vindictæ, sicut dicebat David Psalm. 118. 123. *Tempus* (oportunitas, ipsissimus articulus, & occasio) *faciendi* (supplicii, & sumendæ vindictæ) *Domine, Dissipaverunt legem tuam*. Sed idem ipse David postea eximia de Dei bonitate, & Sapientia fiducia erectus dixit Psalmo. 30. 16. *Deus meus es, tu, in manibus tuis sortes meæ*. Quod Psalterium Romanum, & Hieronymus ex Hebræo legunt: *In manibus tuis tempora mea*. Quam etiam lectionem Theodoretus testatur reliquos, præter Septuagin.

LXX

Complut.

Calamitosus statim eripi petens.

Hieronym.

Iustus Deo cōmittēs opportunitatem suæ salutis.

Hieronym. Theodoret.

habere. Ipſe autem per *tempora*, vel *ſorte*, interpretatur, *Rerum viciſsitudines, divitias, & mendicitatem, ſervitutem, & dominatum, pacem, & bellũ, & alia ſimiliter.* ſortis, nempe, & ſtatus commutationem, quæ tum juſtis, tum improbis obveniet; cum illi præmio, iſti ſupplicio digno afficiẽtur. Hanc enim temporum, & articulorum tẽporis opportunam obſervationem, tanquam ſuæ Sapientiæ, Providentiæq; propriam, Omnipotẽs ſibi Deus vendicat: atque adeo cum Chriſtũ Ieſum rogarent diſcipuli poſt Reſurrectionem; *Domine, ſi in tempore hoc reſtitues Regnum Iſrael? ait illis; Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.* ubi pro, *momenta*, Græci habent, *Cherus*, id eſt, tẽporis articulos, & rei cujuſpiam gerendæ opportunitates. q.d. Hęc Divinæ omnino poteſtati, & adminiſtrationi, præfinitionique ſubjecta ſunt, *& ab illo non ſolum non ſunt abſcõdita tempora*, ſed ſunt optime notata, atque præfinita; non inquam quæcũque tempora, quoſcumq; ve temporis articulos, & opportunitates, ſibi ſoli vendicat; nam naturalium rerũ tempora opportuna noſtræ obſervationi credita ſunt, cũ Sidera creata ſint *in ſigna, & tempora*, videlicet in opportunitates ſerendi, metendi, & alia opportunæ vitæ ſubſidia præparandi; ſed illa tamen *tempora* ſibi Deus reſervavit, quibus ipſe in judicio noviſsimo meſſem noſtrorum operũ metendã, & colligendam, atque fruendam in perpetuas æternitates nobis permittet. Idque præſertim veriſsimũ eſt in opportuno ſumendi de impiis ſupplicii tempore. In quam rẽ elegans imprimis eſt, quod de ſera Numinis vindicta Plutarch. ſcribit, hac ipſa *temporis*, & articulorum temporis ratione obſervata; *Cum perdifficile* (inquit) *ſit homini plebejo conſilium medici deprehendere, quod ſecutus non ante, ſed poſt ſectionem adhibuit, neq; heri lavet ægrotum, ſed hodie: Certe de Deo non facile aliud quidpiam firmũ homo pronuntiabit, quam eum, ut qui optime opportunum medendi flagitiis tempus habeat cognitum, medicamẽti inſtar pœnã ſceleri cuivis imponere, neque eadem in omnibus magnitudinis mẽſura, neq; eodem temporis articulo definitã. Medicinam enim animi, quæ juſtitia cognominatur, omniũ eſſe artiũ maximam, præter ſexcẽtos alios, etiam Pindarus teſtatur, Principẽ, & Dominum omnium Deũ appellans Ariſthotechinam, id eſt, artificũ præſtantiſsimũ, quippe juſtitiæ, & miniſtraterem quæ jus habet determinandi, quando, quomodo, & quatenus quilibet malorum ſit puniendus.* Pluribus vero interjectis: *Nonne ſic ſtatuendum eſt, tempore, & modo convenienti irrogatas pœnas, præſtare celeriter, ac ſubito immiſsis?*

Act. 1. 6. 7.

καιροὺς

Geneſ. 1. 14.

Tempora opportuna homini indicata.

Tempus opportunũ ſupplicii impiorum.

Plutarch.

Deus inſtar medici obſervans opportunitatem ſupplicii.

Pindar.

Deus artificum præſtãtiſſimus.

Sed illud pręterea in illa voce *temporis* obſervãdum, radicem originalem *Ghuth*, ut argute, & eleganter obſervarũt Complutenſes, non ſolum ſignificare congruũ tẽpus eligere, aut decernere aliquid agendum, ſed ita tempus eligere, ut res tunc in ſuo tempore opportune facta, *multo tẽpore duret*; quod Vulgatus ſignificaſſe viſus eſt, cum vertit *ſuſtentare*, Iſai. 50. 4. *Vt ſciã ſuſtentare eum, qui laſſus eſt, verbo.* idẽ enim eſt, quod ex Hebręo ſupra diximus, *ut ſciã conſtituere * Tempus*, videlicet, ad diuturnitatem, & firmitatem ſalutis collatæ. Sic ergo Deus captat tempora, quibus diuturno præmio, vel ſupplicio afficiat; tempora inquam, vel potius æternitatem; tũc enim diuturna erit, ac nunquam prælapſura operum retributio.

עות

Compl.

* Sabe dar cõſuelo a tiẽpo, que entre en proveche, y q̃ dure.

Et qui noverunt eum, ignorant dies illius. 7
Varios ſenſus ſuperius indicavimus. Vatab. *Qui majorem de Deo habẽt cognitionem, non vident illũ obnoxium tempori. Æternus agit in Cælis, nihil curans, quæ in hoc mundo aguntur.* ex perſona negãtium Providentiam. ſed hoc jam rejecimus. Secundo, ut perſtringat amicos cum interrogatione pungẽte; Ita ne vos, qui familiarẽ de Deo ſcientiam habetis, nondum plane noſtis diverſos dies præfinire Deum ſupplicio impiorum, videlicet in hac vita unũ, in altera alterum? Sed jã ſæpe diximus non videri veriſimile amicos Iobi ignoraſſe diẽ judicii, & retributionis noviſsimæ, contra quam Cajeta. hoc loco exiſtimat. Tertio, D. Gregor. Philippus, D. Thomas, & poſt hos plerique Latini; Deus noſtra tempora perſpicit, ut nos illius Aeternitatis *dies* plane comprehendere non poſsimus. Sed non valde bene cohæret.

Vatablus rejectus.

Cajetan.

D. Gregor.

Philipp.

D. Thom.

Præſtat ergo, quod ſuperius indicavimus, illos temporis articulos præfinitos judicandis mortalibus, & vindicandis ſceleribus, atq; munerandæ pietati, non eſſe etiam ipſis juſtis, Sapientibus, & Deo familiaribus cognitos. *Noſtrum non eſt* non ſolum cognoſcere, at neq; inquirere: uni ſibi illa *tempora* ſubjecit Divina Providentia. Quid, quod etiam, qui *in ſinu patris eſt*, Sapientia ipſa Patris, ait; *De die illa, & hora nemo ſcit, neq; Angeli Cælorum, niſi ſolus Pater.* Addit etiam Marcus; *Neque Filius.* Baſilius, filios adoptivos intelligit, id eſt juſtos quoſcumq; qui ſicut Angeli, ignorant diem, & horã Dei. ſed de ipſo *Dei Filio* accipi debere, univerſus Sanctorum Chorus aſſerit, vel quia Dei Filius, & non quia *Filius hominis*, ſed quia Dei Filius

Expoſitio cohærentior.

Dies judicii neque angelis, neque alio cognitus, quo modo.

Matth. 24. 36.

Marc. 13. 23.

Baſil.

Deus,

Deus, & homo ſit, eum diem noverit: vel quod Filius hominis, cum ſibi ſciat, ignorare dicatur, quod Eccleſiæ ſuæ, neq; expedit ſcire, neque revelare vult. Vel quia non eſt filii officium, illum diẽ conſtituere, & præfinire, ſed Patris; vel ratione alia. Multas enim atq; diverſas Sancti Patres aſsignant, quas Theologi colligunt, atq; expendunt.

Vide Malden. Matt. 24. & Suarez. 3. p. q. 10. art. 1.

8 Sed ſi neq; Sancti, neque Angeli beati eum diem in verbo noverunt (quod, & verbis Chriſti conformius eſt, atq; Sapiẽtibus Theologis veroſimilius) certe veriſsime dictum fuerit a Iob; *Qui noverunt eum, ignorant dies illius.* Hæc illa dies, de qua Zachar. c. 14. 7. *Erit dies una, quæ nota eſt Domino, non dies, neque nox; & in tempore veſperi erit lux.* id eſt, erit diſsimilis dies illa, quam Deus ſolus novit, reliquarum dierum, cujus finis eximia ſanctorum gloria illuminabitur: at pro impiis puniendis obtenebreſcet; *& erit in die illa; Non erit lux, ſed frigus, & gelu.* Neque vero obſtat dici a Iob, *dies*, in numero plurali, at vero frequenter appellari *diem* ſingularem, & *unam*; namque poterit ſignificare Iob extrema illa tempora, quibus juſti *levabunt capita*, nimirum *appropinquante* illorũ *Redemptione*; at vero impii *areſcent*, imminente illorum ſempiterno ſupplicio. Vel *dies* pluraliter dixit, quod unicam illam, & ſingularẽ diẽ cõſideratione dividat in duas; alteram pro impiis; *in qua non erit lux ſed frigus, & gelu* (ut Zacharias dixit) alterã pro juſtis, clariſsimam, & illuſtriſsimam, cujus veſperum illuminabitur, id eſt, cujus claritas nunquam occidet. Nõ aliter profecto quod AEgyptiis, Iſraelitiſq; eodẽ tempore contigit: *Omnis enim orbis terrarũ limpido illuminabatur lumine, & non impeditis operibus continebatur. Solis autem illis ſuperpoſita erat gravis nox, imago tenebrarum, quæ ſuperventura illis erat.* Cum autem ſæpe in Scriptura, *Dies Domini*, ad vindictã, minaſq; Impiorum pertineat, recte ſane poſt mentionem dierũ, quos novit, & captat Dñs ad judiciũ, retributioneq; humanorũ operũ, ſubjungit in ſequentibus Iob impiorũ ſcelera, quæ vidẽtur impune perpetrare, ſed manebunt minime impunita.

Richard. et Soto 4. d. 43. q. 2. a. 2. & 59. a. 6.

Dies judicii pluraliter ſignificata.

Sap. 17. 20. 21.

Dies judicii a l minas impiorum.

II. *Alii terminos tranſtulerunt, diripuerunt greges, & paverunt eos;*

1. *Germanus nexus, & coherentia cum antecedentibus. Diem judicii in raptores, & tyrannos incumbere.*
2. *Priſca, & naturales opes. Terminorum, & limitum religio. Maris terminus.*
3. *Quid proprie* Transferre, *quid* Attingere. *Metonymia. Divitum inexplebilis poſsidẽdi aviditas. Illuſtratus Salomon.*
4. *Avaritia incredibilis transferentium terminos, notata ab Hoſea, & Iſaia. Dei beneficium, arcere infeſtatores terminorũ. Illuſtrat. Dav. & Zachar.*
5. *Quid* diripere, *quid* paſcere *in Sacro ſermone*
6. *Verbum* paſcendi, *ad auſum, impudentiam, & avaritiam referri. Illuſtratus Samuel.*

TOtam hanc ex hoc loco uſque ad finem, Iobi orationem, valde obſcurã, & implexam eſſe, atque nulla ſibi conſequẽtia cohærentem, exiſtimat Philippus. 1
Sed quidem hic tantũ videtur eſſe nodus, Quorſum nunc tot ſcelerum texat catalogum? Ipſe exiſtimat reſpondere Iob ad ſuorũ amicorum objecta, & omnino ſcelus rapinæ, aliaſque iniquitates a ſe ad alios depellere. Sed melius cohæret, ut perſiſtat in illo ſuo antiquo inſtituto, ſe non pati propter improbitatem, cum ſceleratiſsimi alii, quos nunc enumerat impune, fæliciterque vivant. Sic nectunt Nicetas, & Græci. Vel, ut *Diem Domini*, de quo dixerat, nunc aſſerat in Tyrannos, Raptoreſque potiſsimum (quorum magna vis, magnaque copia ſemper fuit) incumbere, & inſtare: Neque valde curandum, qualiter nunc vivant impii, ſed qua nam ratione victuri ſint per æternitatem.

Philippus.

Varius nexus.

Nicet.

2 *Alii.* Deeſt in Hebræo, & Græco; ſed ut ſententiam explicet, additum eſt ab Interprete. Septuaginta etiã claritatis gratia, *Impii*, appoſuerunt. *Terminos tranſtulerunt.* Cum de potentiſsimorum hominũ Tyrannide, & injuria agat, recte *occupatorum terminorum* meminit; nam hos potiſſimum illorum iniquitas, & violentia invadere ſolet. Atque rem hanc de agrorum, prædiorumque terminis, atque limitibus primo loco proponit, quod in illis præcipuæ, ac primæ opes, naturaleſq; divitiæ priſtinorum ſæculorum numerabantur. Fuit autẽ mira tum in conſtituẽdis, tum in ſervandis, neque revellendis, neq; attingendis agrorum limitibus, antiquorum fides, atque religio. Quam etiam ſervandã docuit totius æquitatis, & Iuſtitiæ Auctor Deus, cũ potentiſsimo equori, ac æſtuantibus fluctibus *Cõſtituit terminũ, quẽ nõ tranſgredientur.* neq; quidẽ ſemper fluctibus præcelſos mõtes objecit, aut ſaxa fortiſsima, ſtupendeq; molis; ſed minutiſsimã etiam, molliſsimãq; arenã voluit pro limite mari, & fluctib⁹ eſſe; nõ tã limitib⁹, aut terminis fixis, quã ipſa juſtitiæ, & æquitatis ratione cõtineri omnia

Tyrãni infeſtatores terminorum.

Priſca terminorũ religio.

Pſal. 103. 9.

Maris potẽtia limitibus invalidis coercita.

Humanæ vitæ termini.

volens. Hinc non ſemel humana vita per *ſemitam, funiculumque* ſignificari ſolet in Sacro ſermone, quod hæc vel certis limitibus cōſtent, vel limitandorum agrorū,& hæreditatum inſtrumenta ſint; quo admoneatur homo humanam vitam omniſque virtutis, atque juſtitiæ rationem contineri intra ſuos limites, quos ultro citrove nequeat conſiſtere. Vide quæ de *Terminis*, & limitibus diximus ſupra, capite. 5. Verſ. 23.

3 Pagn. Regia. Cajet.

Tranſtulerunt. Proprie ex Hebreo legitur; *Attigerunt*, quod ſuppeditare poſſet non inutilem ſenſum; vitio nimirum verti potentibus, atque divitibus, quod ex ampliſsimis ſuis poſſeſsionibus, & agris, nihil omnino permittant, aut relinquant pauperibus, ſed ita omnia ſibi uſurpent, ut ad ipſos uſque alienos terminos inexplebili quadam avariſsimi animi cupiditate pertingant. Sed quidem vis originalis verbi ea eſt, ut ita res *attingatur*, quod apprehendatur,& occupetur. Quare ſæpe vertitur ab Interprete, *comprehendere*, aut *apprehendere*, ut Geneſ. 44. 1. 1. Reg. 30. 8. & 2. Reg. 15. 14. *Ne forte veniens occupet nos*. proprie, *attingat*, id eſt, comprehendat. Quod vulgari idiomate dicimus; *No nos coja*. Pertinet hic idiotiſmus ad vim potentioris præoccupantis, & manum injicientis. Ergo ſententia eſt, Improbos, atque Tyrannos, quod per metonymiam eſt, alienos agros, & prædia occupare. Quo loquutionis genere dictum eſt Proverb. 23. 11. *Ne attingas parvulorum terminos, & agrum pupillorum ne introeas*. quo loco, quamvis ab alia radice dixit Pagninus, & Tyguri. *Ne transferat*; Regia; *Ne loco moveas*. Septuaginta: *Ne tranſponas*. Symmachus: *Ne transmoveas*. quod ſtatim explicatur: *Ne introeas*. quod eſt occupare, & poſſeſsionē capere, quaſi per pedum poſitionem. Sed recte Interpres dixit; *Tranſtulerunt*; Septuaginta: *Tranſgreſſi ſunt*. nam rebus finitimis raptis,& populatis, pactiſque terminis prætergreſsis, ſuos ipſi **Terminos trāſferunt*, & promovent.

נשג

Divitū avaritia.

Attingere, pro comprehendere.

Metonymia.

Pagn. Tygur. LXX. Symmach.

Introire pedū poſitione capere.

* Vā ſiempre ganādo tierra y adelantādo ſus mojones.

4 Res omnino ſupremo rerum Domino inviſa, & ſæpius lege interdicta Devtero. 19. 14. *Non aſſumes, & transferes terminos proximi tui, quos fixerunt priores in poſſeſſione ſua*. Vbi unico Verbo originali reſpondent illa duo *aſſumendi*, & *transferendi*, ita ut illud *aſſumere* videatur reſpōdere originali proprietati *comprehendendi*, & occupandi. ubi Septuaginta dixerunt; *Non dimovebis fines*, quod fere idem eſt, quod, ex uno loco in alium movere;

LXX.

atque hoc idem eſt, quod *transferre*. Vide etiam Devter. 27. 17. *Maledictus, qui trāſfert terminos proximi ſui, & dicet omnis populus, Amen*. ubi ſimiliter Septuaginta dixerūt: *Qui transfert, &c*. Hinc illa de Principibus conqueſtio Hoſeæ. 5. 10. *Facti ſunt Principes Iuda, quaſi aſſumentes terminum*. Quaſi per vim finitimas poſſeſsiones, & agros occupantes, atque inique res ſuas dilatantes. ubi etiam Septuaginta legerunt: *Quaſi transferentes terminos*: nam cū viderēt fratres ſuos Iſraelitas occupatos, & vaſtatos ab hoſtibus, non ſecus Iudæi in Iſraelitici Regni vaſtitate lætabantur, quam ſi ipſi res ſuas dilataſſent, hoſtium ſuorum terminis occupatis, ſuiſque ipſorum limitibus tranſlatis. Atque hæc eadem eſt illa Iſaiæ. 5. 8. expoſtulatio: *Væ, qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis, uſque ad terminum loci. Numquid habitabitis vos ſoli in medio terræ?* Cui omnino ſimile videtur id Senecę Epiſtola. 90. adverſus noſtrorum ſæculorum avaritiam; quondam enim:

LXX.

LXX

Avaritia in dilatādis terminis.

Seneca.

Virg. 1. Geor.

\- - - - - *Nulli ſubigebant arva Coloni,*
Nec ſignare quidem, aut partiri limite campum.
Fas erat: in medium quærebant, ipſaque tellus
Omnia liberius, nullo poſcente ferebat.

Irrupit (inquit) *in res optime poſitas avaritia; & dum ſeducere aliquid cupit, atque in ſuum vertere, omnia fecit aliena; & in anguſtum ex immenſo redacta, paupertatem intulit; & multa concupiſcendo omnia amiſit. Licet itaque velit nunc reparare, quod perdidit, licet agros agris adjiciat; vicinum vel pretio pellat agris, vel injuſte: licet in provinciarum ſpatium rura dilatet, & poſſeſſionem vocet per ſua longam peregrinationem, nulla nos finium propagatio eo reducet, unde diſceſſimus: multum habebimus, univerſum habebamus*. At quantum malum a vicino! Quantus metus ex infeſtatione limitum, & terminorum! Certe maximū illud beneficium, cum Deus, *ponit fines noſtros pacem*, neque ſinit ab iniquis terminos rerum noſtrarum infeſtari, attingive, nedū moveri, aut transferri. id, quod agnoſcebat, gratiamque habebat Salomō in Epiſtola ad Ioram Regem: *Requiem dedit Deus mihi per circuitum, & non eſt Sathan neque occurſus malus*. Ad inſigne etiam illud Divinæ Charitatis, atque Providentiæ erga ſuos eſt, quod ab illorum limitibus longe arceat infeſtatores omnes, circumfundens ſe Deus ipſe tanquam *murū igneum in* illorum *circuitu*. Zachar. 2. 5. id eſt, tutos, ſecuroſque reddens ab iniquo-

Ingens malum, vicinus malus.

Pſal. 147. 14.

Beneficio Divino termini ſervati. 3 Reg. 5. 4.

rum ſo-

rum ſocietate,& vicinitate; ne ſi *terminos* attingerent, vellent ſimul occupare, & *transferre*.

Diripuerunt greges. Populantes Tyranni alienos agros diripiunt,& deprædãtur
5 vicinorum greges. Vehemens eſt in Ori-
גזל ginali illud *diripiendi* verbum, quod eſt, violẽter rapere, aut vi extorquere ab eo, qui non poſsit defendere, & tueri: & ad omnem violentam rapinam,aut iniquam fraudẽ accõmodari ſolet. *Et paverũt eos*.
Philippus. Philippus interpretatur; *Comederũt eos*. q. d. depaſti ſunt eos. Nam & *paſcendi* verbum apud Latinos comedere eſt. Quare
Paſcendi verbũ ambiguũ. ſicut animantia bruta paſcere herbas dicuntur, ſic quoque efferati iſti, barbariq; Tyranni nõ *veſci*, quod de hominibus dicitur, ſed *paſcere*, quod de brutis, dicuntur ſuas rapinas,atq; iniquas prędas. Sed reliqui omnes interpretes, Hebræi,Græci, Latini, *paſcendi* verbum in altera ſignificatione uſurpant,qua paſtor dicitur armentum,aut gregem paſcere. Quod magis cõſentaneum eſt cum avaritia, & iniquitate Tyrãnorum, quæ hic deſcribitur: tum etiã cum uſu frequente ejuſdem verbi in Sacro ſermone; vix enim vel Hebr.
רעה *Raghah*, vel Latinum *paſcere*, in Scriptura invenies pro *comedere*; frequentiſsimum tamen, paſtoris inſtar, *Paſcere, Regere, Nutrire.*

Tyrannorum quale peccatum nunc notetur. Sed quæ nam iniquitatis pars indicatur, cum dicuntur Tyranni direptos greges paviſſe? Primo Steuchus ſignificari e-
Eugub. xiſtimat barbaram Tyrãnorum impudẽtiam, quod antiquis paſtoribus ejectis,agros, & pecora aliena occuparint. Sed quidem hoc nõ ſatisfacit, præſertim cum contrariam ſententiam videantur ſequuti Septuaginta legentes; *Gregem cum paſtore rapiẽtes*,quod videlicet finitimos populos in ſervitutem abducãt, direptis illorum facultatibus, & bonis omnibus, ac ſimul etiã cuſtodibus, & paſtoribus ad ſe translatis. Vel certe alluſio fiat ad Chaldæos, & Sabæos, qui nõ ſolum Iobi greges diripuerunt, ſed etiam *pueros*, atque paſtores *percuſſerunt gladio*.

Secundo D. Tho.& poſt eum fere La-
D.Tho. Lyra. Dionyſ. Titel. Oſor. tini poſteriores voce *paſcendi*, exiſtimant ſignificari alienos greges,quaſi ſui eſſent, adjunxiſſe ſuis gregibus,& in ſuis paſcuis cõtinuiſſe. Quæ videtur eſſe amplificatio quædam impudentiæ,& rapacitatis,qualis illa eſt. Iſai. 3.14. *Dominus ad judicium veniet cum Senibus populi ſui, & Principibus ejus: vos enim depaſti eſtis vineam* (videlicet alienam) *& rapina pauperis in domo veſtra:* nam alienas res ſuis adjungũt,& cum rapere aliena fuerit avaritiæ; improbitatis profecto, & impudentiæ eſt, cum ſuis, & pro ſuis domi habere. At inquis, domi habeo, quod dono mihi pauper dederit, nõ quod rapuerim. Scilicet, Pauper tibi ſpõte, & dono; non tu ab illo vi, & injuria, rapueris, extorſeris. 6

Tertio tamẽ poteſt hoc referri ad diuturnam quandam, & ſecuram poſſeſsionem rapinarum,& ad proventus,fructuſque ſuſceptos ex aliorum pecorum direptorum multiplicatione; Potiuntur ergo bene ſecuri rapina, neq; direptos greges dilaniant, aut occidunt,ut prędam occultent,nullius infeſtationẽ,nulliuſque vires formidantes,paſcendis, ſervandiſque gregibus vacant. Neſcio enim,quã animi ſecuritatem,& rei quam minime oporteret occultare tanquam furtivam, præſe videbatur ferre illa præda Saul, *parcentis optimis gregibus ovium, & armentorum*, quos contra Dei præceptum ſervaverat. Avaritiæ enim illud, & rapinæ fuit. ſicut illi dictũ eſt a Samuele; *Verſus ad prædã es*. Si quis autem contẽderet illud indicari hoc loco,quod poſtea ſupremus Legiſlator cavit. Exod 22.5.ne quiſpam alienum agrũ occuparet, & in eum ſuos greges paſcendos cogeret,depulſis alienis armentis; *Si læſerit (inquit) agrum,vel vineam, & dimiſerit jumentum,ſuũ ut depaſcatur aliena,&c.* Quod in uſum hodie quoque potentioribus iniquis eſt, ut ab illorum gregibus, & armentis nullæ ſegetes, ſata nulla tuta eſſe poſsint; non valde (inquam) repugnarem huic interpretationi, ſed forte etiam admitterem non invitus; præſertim cum in Hebræo deſit illud ultimum relativum,tantumque ſit, *Diripuerunt gregem, & paverunt.*

Germana, & ſimplex interpretatio.

1.Reg.15.9.19.

Non ineptus explicatus.

A potentiorũ gregibus, & armentis nulli agri tuti.

☞ III. *Aſinum pupillorum abegerunt, & abſtulerunt pro pignore bovem viduæ.*

1. *Aſinus neceſſarium domus inſtrumentum. Abigere quid, & Abigeatus crimen. Sordida divitum avaritia, illuſtratus Amos.*
2. *Pupilli prædæ expoſiti. Scytharum lex adverſus fures.*
3. *Viduitatis incommoda, & imbecillitas. Divitum inhumanitas.*

HI (inquit) amicis, atque vicinis,omnia vicinitatis, atque amicitiæ jura violant; nihiloque magis ſunt erga pupillos,& viduas, quam erga omne miſerorũ genus benefici,& miſericordes. 1

Aſinum

חמור Aſinum, cujus uſus pupillis, & miſeris, non utilis tantum, ſed neceſſarius eſt ad neceſſarium victum. Tum etiam indicatur unicum, & ſingulare, vileque jumentum, tum ex ipſa nominis Etymologia, tū ex re ipſa, neceſſarium geſtandis ſarcinis. *Nicet.* Quod Nicetas eleganter dixit, *Viduæ, & pupilli bovem, & aſinum, certa vitæ instrumenta avertunt, Abegerunt.* נהג Septuaginta. *Subjugale duxerunt.* Proprie, egerunt, abduxerunt, furto ſublatum ante faciem ſuam minarunt. eadem originalis vox, atque ſignificatio Geneſ. 31.26. cū Laban dixit ad Iacob; *Quare ita egiſti, ut clā me abigeres filias meas, quaſi captivas gladio?* ubi Septuagin. dixerunt; *Abduxiſti filias meas.* *LXX.* Quare verbum idē ſæpe vertitur ab Interprete, *minare, deducere, abducere*; ſæpeq; ad greges, & rem paſtoritiā accōmodatur. Sed eleganter, Latineque fecit Interpres, cum *Abigere* dixit; nā *Abigeus*, apud Vlpianū proprie is habetur; *Qui pecora ex paſcuis, vel ex armētis ſubtrahit, & quodammodo deprædatur, & abigendi ſtudiū, quaſi artē exercet, oves de gregibus, vel boves, de armentis abducens.* Quos etiā *Abactores* Paulus appellat; atq; etiam inſigne eſt apud juris peritos *Abigeatus* crimen. Quare in iſtos quadrat illud, quod jaciebat in Verrē Cicer. *Omne inſtrumentū diripuit, familiā abduxit, pecus abegit.* In pauperes vero quadrat itē, quod Livius de illis dixit: *Propter populationes agri, non fructu modo caruerūt, ſed villa incenſa fuit, direpta omnia, pecora abacta.* Ex illo quoq; obſervari poteſt ſordidiſsima Tyrannorum cupiditas, & avaritia, quod non copioſos pupillorū greges ſubtrahant, & deprædentur, ſed unicum etiā jumentū, & ſingulare ſubjugale, furunculi nimirum ſordidiſsimi, ſimulq; impudētiſsimi abigei: nā ut Calliſtratus ait: *Pronumero abactarum, furem, aut abigeū quantitate diſcerni:* Nā qui ovem unam abegerit, *fur*, qui plures, *abigeus.* Sed iſti, ut pote ſordidiſsimi, ac avariſsimi, unicū, & ſingulare jumentū abigunt, & nullū non ſibi quāvis viliſsimum, & minutiſsimū lucrū neceſſarium arbitrantur. Quid ſimile obſervat Theodor. ad id Amos. 2. *Quod vendiderit pro agento juſtū, & pauperē pro calceamentis.* Videlicet, *quod ſordido lucro aſſervientes, ne calceos quidem pauperū lucrifacere recuſarūt, qui extremum hominibus uſum præbent.*

Vlpian. lib. 48. l. 1. §. 1. D. de Abigeis, lib. 5. ſent. tt. 10 & C. de repud. l. 8.

Abigeus. Abigeatus.

Cic. 5. Verr.

Livius lib. 2.

Fur, & Abigeus quo diſcernantur.

L. ult ff. de Abigeis.

Sordida avaritia.

Theodoret.

2 In miſeros autem *pupillos*, quibus a potentioribus nihil ſit tutum, illud, quod de Scythis Iuſtin⁹ ſcripſit, deberet profecto convenire: *Nullū ſcelus apud eos furto gravius, quippe ſine tecto, munimentoq; pecora, & armēta habentibus, quid ſalvum eſſet, ſi furari liceret?* Cum furari autem illis per ſummā improbitatem liceat, graviſsimū furti, & abigeatus ſcelus perpetrāt, propter quod graviſsime, (ut & leges etiam humanæ in Abigeos ſtatuunt) *puniuntur.*

Iuſtin.

Vlpian. & Macer. lib. 47. tt. 14. de Abigeis.

3 *Et Abſtulerunt pro pignore bovem viduæ.* Cui videlicet nihil, niſi unicus bos erat arando agello, neque habebat quicquam aliud, quod pro pignore exactori offerre poſſet. Cum ergo valde auguſta res viduę ſit, valde tamen prolixa eſt impii potentioris inhumanitas, illius ſimilis, qui ab homine paupere *ovem unam parvulā, quam emerat, & nutrierat* abſtulit; cum ipſe dives haberet *oves, & boves plurimos valde.* Diximus de iniqua hac pigneratione, ſupra. c. 22. Verſ. 6. Tum etiam de ærumnis, & imbecillitate viduitatis Verſ. 9. Nunc tantum hāc videri oppreſsionem per calumniam: nam (ut Philip. ait) *illic calumniæ locus eſt, ubi ſub occaſione oblati pignoris, rem alienam calumniator invadit.*

2. Reg. 12. 13.

Oppreſsio per calūniam.

IIII. Subverterunt pauperū viā, & oppreſſerunt pariter manſuetos terræ.

1. *Varia lectio. Pravum iniquorum exemplum.*
2. *Septem expoſitiones minus germanæ. Divitū Tyrannis inſolentia, inhumanitas. Potentiores lupi. Illuſtratus Eccleſiaſticus.*
3. *Duæ aliæ germaniores expoſitiones. Explicatus Micheas,*
4. Opprimere *ad mortem referri. Illuſtrata Sapientia.*
5. Manſueti, *qui. Pauperes coram potentioribus ſilent. Illuſtratus Salomon, & Sophonias.*
6. *Quis* Populus terræ. *Humiliores frequenter ſanctiores, ſicut divites frequenter improbi. Illuſtratus Paulus, & Ezechiel.*

1 CVM ad Tyrānidem, & iniquitatem potentiorū, hanc *viæ ſubverſionē* pertinere certum ſit, ſed quale nā hoc peccatum ſit, incertum eſt apud Interpretes. Eſt autem *declinare viam pauperum*, ut ex Hebræo legitur, facere ut pauperes divertant de via, ut etiam Septuaginta legunt. Primo ergo Septuaginta videntur referre ad iniquum vitæ exemplū, & pravam conſuetudinem, ut nemo coram impiis potentioribus audeat aliud ſanctioris vitæ tramitem ingredi, & profiteri. Sic enim legunt: *Divertere fecerunt impotentes a via juſta.* & Auguſtin. *Inclinaverunt pauperes a via juſta:* Ambroſius; *Dejecerunt impotentes de via juſta.* Quod ipſe Auguſtin. his verbis Interpretatur: *Vt vel imitarētur*

LXX.

Auguſt. Ambroſ.

eos, vel

eos, vel inde arbitrarentur non eſſe Diuinũ judiciũ, quia impunitam videbant malitiam.

2 Nicetas. Secundo, Nicet. nomine *Pauperum*, illos intelligit; *qui infirmitate judicii, atque intelligentiæ laborant: & commodiorem, beatioremque vitii viam exiſtimant, quos impii ſua vita a recta vivendi diſciplina abducunt.* Sed profecto hæc non quadrât voci *pauperis*, & egeni; cui videlicet neceſſaria ad vitam non ſuppetunt.

Tertio, cum videatur hic locus, eſſe omnino idẽ cum illo Amos 2.7. *Qui conterunt ſuper pulverẽ terræ capita pauperum, & viã humilium declinãt*; videbitur quoq; idem ſenſus eſſe, videlicet, ut *Pauperes* oppreſſi a potentioribus, & rebus ſuis ſpoliati, quaſi cogerẽtur de via recta pietatis divertere, & in perjuria multa, furta, querimonias de Divina Providẽtia, & in verba alia impatientiæ, & deſperationis plena ſe ſe cõjicere. Cũ quibus facit Philipp. (Philipp.) *Ita* (inquit) *odio, & multis perſequutionib⁹, & diverſis tribulationib⁹ pauperes affecerũt, ne illos de via juſtitiæ aliorũ averterẽt.*

Quarto, Latini alii, inter quos Divus Thom. (D. Thom. & Dionyſ.) *Viã pauperũ* interpretãtur, *facultatẽ ſibi neceſſaria procurandi.* Quod videtur deſumptum quoq; ex Philippo Presbyt. ſic exponẽte; *Pauperes ita neceſſitatũ miſeriis coarctarunt, ut copiã vivẽdi nõ invenirẽt.*

Fugiẽtes occurſum, vel cõſpectum pauperum. Quinto, alii referunt ad *viſcera impiorũ crudelia*, qui nõ ſolum nõ tãguntur ulla cõmiſeratione pauperum, ſed neq; tangi volunt; fugiunt enim illorum conſpectũ, neque ęquo animo ferre poſſunt, obviam ſibi fieri pauperem. Quapropter etiam ipſi miſeri, & egeni illos quoque invicẽ fugiunt; Scriptum eſt enim Eccleſi. 13. 24. *Sicut abominatio eſt ſuperbo humilitas, ſic exſecratio divitis pauper.*

Sexto, ad inſignẽ quendã timorem alii referunt, (Titelm. Oſor. Aſtuniga.) quẽ pauperes concipiunt ex immanitate, & ſuperbia divitũ, proptereaq; non audent in publicis viis conſpici, ne ſi diviti occurrãt, prædæ pateãt, & injuriæ. (Pauperes fugientes cõſpectũ divitum.) Abdunt ergo ſe ſe in latebras tutiores, & ſecretiora loca, & errant *in ſolitudinibus, & ſpeluncis, & in cavernis terræ.* quod in parte ſequẽte indicarũt Septuag. (LXX) *Abſcõditi ſunt mites terræ.* Ac ne quidẽ ſecuros ſe, aut tutos in latebris arbitrãtur: namq; ad venationẽ egrediuntur, atq; ipſas pauperũ ſolitudines, & remotiores, ſecretioreſq; angulos infeſtant: Scriptũ eſt enim; (Eccleſi. 13. 23.) *Venatio Leonis Onager in eremo, ſic paſcua divitum ſunt pauperes.* ajunt enim, a Leonibus potiſsimũ Onagros appeti. Atq; iterum, (℣ 21. & 22.) diviti pauperũ vitã, ſanguinemq; nõ minus dulceſcere, quam agninam lupo: *Si cõmunicabit lupus cũ agno aliquãdo? ſic peccator juſto. Quæ communicatio ſancto homini ad canem? aut quæ pars diviti ad pauperem?* Quid ergo mirũ, cũ potẽtiſsimus aliquis Tyrannus lupus ſit, canis ſit, leo ſit, imbecillum pauperem timore correptũ cedere, & declinare de via, atq; illud omnino dicere, *Leo eſt in via, & leæna in itineribus?* (Tyrãni ſitientes prædã pauperum. Prov. 26. 13.)

Septimo, *Viã* alii pro jure, & juſtitia accipiunt, in qua cũ pauperes ſtare dicãtur, quãdo pro illis ſtat juſtitia, hęc tamẽ via, juſq; *ſubvertatur* per calumniã, & vim manifeſtã a potentioribus: Indicavit hoc profecto Nicol. ſed hãc ipſam expoſitionem prævit Philip. cũ hãc *viæ pauperũ ſubverſionẽ* dixit fieri, ad *ſpoliandos eos litibus calũniarũ.* & fere idẽ ſubolfecit Theodor. illo loco Amos. 2. cũ illud, *viam humiliũ declinant*, hac paraphraſi illuminat; *Cõtumelioſe acceptorum juſtam cauſam non admittunt.* Atq; Kaldęus etiã legit; *Cauſam pervertũt.* (Via pauperũ cauſę bonitas. Nicolaus. Philipp. Theodoret.)

Octavo, Tumoris incredibilis, & arrogantiæ nimiũ inſolentis videtur eſſe, *ſubvertere pauperum viã*, vel, *facere, ut divertãt pauperes de via*, id eſt, nõ ferre ſocietatem pauperũ in eadẽ ſimul via, & itinere: *Nõ ſolũ quia* (ut ait Gloſſa) *faciunt eos declinare a ſtrata publica, propter magnitudinem, & multitudinẽ equorum ſuorũ, & famulorũ*, ſed etiam quod illorũ ſocietatẽ dedignẽtur; &, ut ait Hierony. *In tantã elevantur ſuperbiã, ut nolint cũ hominibus ambulare.* Id hoc loco ſignificavit paraphraſis Tygur. *Pauperes pellunt ex via, ita ut in latebras abdãtur quotquot in terra humiles ſunt.* Hi profecto velut *Leones*, ſuperbum animal, ſolitarii incedũt, quod neminẽ parem, nedum priorem agnoſcant. Illud unum ore, & corde inculcant: *Non ſum, ſicut cæteri hominum.* (Potentiores dedignãtes ſocietatem pauperum. Gloſſa Rabani. Tygur. Leo ſolitarie incedens ſymbolũ ſuperbiæ. Luc. 18. 11.)

Nono, Simplex illud, & ad rẽ præſentẽ opportunum, ut ad inſidias intẽtas, & laqueos ſtructos pauperibus a potẽtiorib⁹ reſpiciat, quod in ipſo itinere, & via publica ſecure gradientes decipiant, & intercipiãt inexpectato, juxta id Michææ. 2. 8. *Deſuper tunicam palliũ ſuſtuliſtis, & eos, qui tranſibant ſimpliciter, cõvertiſtis in bellũ.* Ita enim pauperes, & innocẽtes ſpoliatis inique illis bello indicto, ac ſi juſto bello eos cepiſſetis, prædaq; juſta potiremini. (3 Simplicior, & germanior expoſitio.)

Decimo, tandẽ, ut ſenſus creſcat; *Pauperũ viã*, vitã, conſilia, deſideria, inſtitutaque omnia *ſubvertunt*, evertũt, ſpoliantque bonis omnibus; atq; cogunt ab incœptis deſiſtere; illiſq; ſua potentia, & iniquitate omnis boni aditum, & viam præcludunt. Plura diximus, ſed, quæ cadant omnia in rapacitatem, & avaritiã improborum Principum, atq; in fæcunditatem (Decima expoſitio probatur. Via pauperũ ſubverſa, omnis boni aditus prę cluſus.)

& ampli-

Multorum interpretationũ collectio non inutilis.

& amplitudinẽ Sacri sermonis. Neq; soleo minutatim tot, tamq; diversos sensus ad nauseã usq; colligere, & numerare, nisi cum video in Lectoris, & morum utilitatem aliquam redundaturos.

4 *Et oppresserunt pariter mãsuetos terræ.* Ita (inquam) oppresserũt, ut cogerẽt illos in tenebris jacere, & in obscuro latitare. Sic consentiet Latina lectio cũ Hebræa, & Græca. Legũt enim ex Heb. Septuag. *Simul absconditi sunt mites terræ.* Symmac. *E cõspectu removere mãsuetos.* aut, ut Interpres Catenæ legit, * *Invisibiles fecerunt.* quod ad necẽ crudelissimã spectare videtur. Elegãs est Nicet. hujus loci elucidatio; *Seu* (inquit) *quod fugiunt iniquos, ferarumq; convictũ magis deligunt; seu quod verius est, quia extrudũtur, necãturq; ab impiis.* Similis ille locus Sap. 2.20. ubi, postquã impii dixerũt; *Opprimamus pauperẽ justum, & non parcamus viduæ, nec veterano.* Addunt: *Morte turpissima cõdẽnemus eũ.* Quẽ locũ sic videtur Nicet. legere, *Abscondamus in terra hominem justum injuste.*

LXX. Symmach. Comitelus.

* Hizieron los invisibles y desaparecieronlos.

Nicetas.

Nicetas.

Mansuetos terræ. Humiles, & abjectos, quosq; Philipp. interpretatur, *Innocẽtes, & simplices, qui propter mãsuetudinẽ resistere non poterãt, dominatione, & servitute subjugarunt.* Sed quidẽ prop. ex Heb. *Mansueti* sunt *humiles*, aut *humiliati*, afflicti, oppressi, laborẽ sustinentes, pauperes, miseri, mites, & mansueti. His enim modis omnibus vertere solet Vulg. vocẽ originalẽ. Addit etiã R. Mard. significare *modestum, aut jejunantẽ, humanũ, & benignum.* & hæc quidẽ omnia in humiles, & infimę conditionis, atq; fortunæ homines recte quadrãt: nã quãvis inique tractẽtur a potẽtioribus, non licet illis aut cõqueri, aut mutire: oportet enim illos etiã injuria affectos, nõ alia re se communire, & tueri, quam mãsuetudine, & patientia; Scriptũ est enim; *Dives injuste egit, & fremit: pauper autẽ læsus tacebit.* Ideo jubet Sophon. ut ad solum Deũ provocẽt, & appellẽt *mansueti terræ: Quærite* (inquit) *Dominum omnes mansueti terræ.* His enim suam potissimũ opem promittit præstatq; Deus Psal. 146.6. Ps.24.10. Matt.5.5. Cũ autẽ dicũtur *mansueti terræ*, vel *humiles terræ*, profecto eadẽ loquutio est, atq; illa, quę *Populus terræ*, plebejos, & infimæ conditionis homines significat. Nescio enim quæ familiaritas, & cognatio est virtuti, & pietati cũ infima hominũ sorte, & conditione: *Infirma enim mundi elegit Deus.* & qui *populus*, atq; *humiles terræ* sunt, iidẽ vocantur, suntq; mansueti, justi, & pii. Tũ etiã nescio quæ antipathia potẽtioribus, & ditioribus cum justis, atq; humilibus, imo & cũ ipsa justitia, humilitate, & pietate, ut in illud potissimũ incumbant, quo possint de medio tollere, & immaniter *opprimere mãsuetos terræ.* vide Ezechielis. 22.29. *Populi terræ calumniabantur calumniam* (ubi *populi terræ*, est secundus casus singularis numeri. proprie ex Hebręo: *Populus terræ opprimebantur oppressione.* Septuag. *populũ terræ vexabant injustitia*) *egenum, & pauperem affligebant.* Vide etiam Psal.36.20.

Philipp.

ענו

R. Mardoк.

Humiles etiã læsi tacent. Eccles. 13.4. Sophon.2.3.

Populus terræ de ignobilibus.

4.Reg.25.19. Ezech.22.25. Daniel.9.6.

Sanctitati cũ humilibus familiaritas. 1.Cor.1.27.

Potentiorum, atque pietati, antipathia quędam.

LXX.

XV. *Alii, quasi Onagri in deserto, egrediũtur ad opus suũ; vigilãtes ad prædã, præparãt panẽ liberis.*

1. *Aliorum interpretationes minus probata. Onagri Syriæ. pecus timidum, & ignavum.*
2. *Impii nulla ratione, sed solo libito aguntur. Onagrorum proprietas ex Ieremia.*
3. *Egredi, & Ecce in Sacro sermone. Onagrorum celeritas. Impiorum in Dei opere segnities, in suo diligentia. Vituli in Dã, & Bethel. Expli. Moys.*
4. *Onager amans solitudinis. Impiorum feritas, improbitas timida, & insidiosa. Explicatus Salomõ.*
5. *Improba impii familia, duce impio. Onagrorum greges. Illustratus Ieremias.*
6. *Varia lectio. Impii inhiantes prædæ.*
7. *Lectio Septuaginta. Impii prætendũt æquitatẽ.*
8. *Vigilantium ad prædam, velox supplicium. Illustrati Ieremias, & Zacharias.*

1 DIximus de *Onagro*, illiusq; ferinis moribus nõ pauca c.6.V.5. Nunc tamẽ nõ est omnino facilis hujus comparationis divitũ potẽtiorum cũ Onagris ratio: nam pleriq; existimant hoc loco, describi per Onagrorũ similitudinẽ, ferinã Tyrannorum impudentiã, omnisq; facinoris licentiã: nam impudentię, & libertatis symbolũ est Onager. Sic Nicet. per paraphrasim ait: *Impudenter cæteros homines proculcantes, cunctos despicientes, cunctos irridentes, licenter prædãtes, omniaque vastãtes.* Philip. quoq; *Violentos*, atque *rapaces*, hac similitudine exprimi existimat. D. Thom. eos, *qui nulla disciplina legis continentur.* Eugubinus, existimat, *prædones illos Arabas, & Nomadas* indicari per *Onagros*; quod sicut *Onagri* in regionibus Orientis omnes agros devastant, ita prædones illi in Iobi bona impetũ fecerunt. Et facit cum hoc lectio Septuag. *Evaserunt, tanquã asini in agro, super me.* August. *Irruerunt Asini feri in agro super me.* Deinde particulã sequẽtẽ pro *Opere suo*, legunt Septuag. *Egressi sunt ipsorum ordinẽ.* Ambros. *Egressi suam actionem.* Nos diceremus: *Hizieron comigo, como suelẽ delas suyas.* Nã Nicet. *Cõsuetudinẽ suã* interpretatur. Sed contra has

Onager impudentiæ ferinæ symbolũ.

Nicetas.

Philipp.

D. Thom.

Eugub.

August.

LXX

Ambros.

Nicetas.

interpretãdi rationes illud objici potest, quod tanta asinorũ sylvestriũ, Arabũ præsertim, atq; Syrorũ feritas, & licẽtia vastãdi agros, ex nullo probato auctore cõstet: cũ potius constet pecus esse ignavissimũ, atq; valde timidũ, ut qui viso homine, summa extẽplo celeritate diffugiant.

Onagri ignavi, & timidi.

Ergo duo, aut tria Tyrannorum propria hac cõparatione indicãtur. Primum

2

quod nulla ratione sed solo voluptatis libito agantur, & impetum faciant in pauperes, & *mansuetos terræ*: hoc enim Onagri propriũ est (ut Ieremias dixit) agi, & impelli *desiderio animæ suæ*; &, ut Hosæas dixit, *Abire sibimet*. Sic impii videntur, *egredi ad opus suum*; cum tamen nihil illis operis necessarii sit, nihil honesti negotii, nisi quod voluptatem, & insolentiam nutriat, & quod præscribat illis vivendi licẽtia, impudentia, & temeritas, nõ lex una.

Onagri appetitu licẽter aguntur.

Ierem. 2.14. Hosea. 8.9.

3

Secũdo observari potest celeritas quædam in aggrediendo, persequendoq; suo libito, & turpi, aut inutili desiderio: quod verbo illo *egrediendi* indicari videtur, tum etiã originali particula, quæ toti huic sententiæ præponitur, *Ecce*; quod profecto, non nisi ad alacritatem, & celeritatẽ currendi, & discurrendi cõmode referri potest? Nã Onagros, celeritate, & pernicitate valere, Oppianus disserte scribit, *Vngulas bonas, & robustas, & velocitatem vento comparandam* illis tribuẽs. Neque mirum; nam timidis animantibus natura simul velocitatẽ, tanquam timiditatis medicamẽtum, & subsidiũ dedit. Sic igitur mira est impiorum in male agẽdo, nocendoq; diligentia, & alacritas, & in aggrediendo, & persequendo suo opere diligentia, & celeritas: cum tamen in quocumq; alio religionis, & pietatis opere ignavia, & segnia animalia sint, nimiumq; timida; *Opus Dei*, nõ *Opus suum* existimant: quod in illo verbo, *Opus suum*, eleganter observavit Philippus. Hæc est illa alacritas, & diligẽtia, quæ in insolentissimis illis ædificatoribus turris Babel notata est Genes 11.6. *Cæperunt hoc facere, nec desistent a cogitationibus suis, donec eas opere compleant.* Vide id Ieremiæ 8.6. *Omnes conversi sunt ad cursum suum, sicut equus impetu vadens in prælium.* Sic sane eum populus Dei religionem, & cultũ fastidiebat, 3. Reg. 12.30. *Ibat* (alacer, & diligens) *ad adorandum vitulũ, usq; in Dan*; cum tamẽ multo propinquior esset Ierusalem, in cujus templo verũ Deũ multo minori itineris dispẽdio, atque labore adorari oporteret. Atque illud etiã observari in hoc ipso loco debet, cũ duo vituli erecti fuissent a Ieroboam, unus in

Multiplex Impiorum cũ Onagris similitudo.

פרא

Onagrorum celeritas.

Oppian.

Impii in bono timidi, in scelere audaces.

Impii opus Dei negligũt, opus suum amant.

Philipp.

Impius dispẽdium amans propter peccatum: compẽdium virtutis negligens.

Bethel, alter in Dan; tamen propter vehemens idololatriæ, ardensque peccandi studium, ibat populus ad remotiorem vitulum: & qui erant in Bethel, ibant adoraturi in Dan; qui vero erant in Dan, facilem ibi adorationẽ, & nullo labore perficiendam contemnebant, ibantq; multo labore adoraturi in Bethel. erant autem duo isti montes, & termini valde distãtes, ut dixit Rab. Salomon, alter videlicet ad Meridiem decem tribuum; alter ad Aquilonem oppositus.

Vbi vituli erecti a Ieroboam.

Ardentissimũ peccandi studium.

Vatab.

R. Salomon.

4

Tertio indicatur feritas quædam Tyrannorum, & omnis humanæ civilitatis, atque politiæ contemptus. Quod significatur in Onagro, qui *Solitarius* apud Hosæam; & hoc loco solitudinis, atq; *deserti* amator dicitur. Tum etiam Ecclesia. 13. 23. Ierem. 2.24. Quare infra dicitur cap. 39. 10. *Cui dedi in solitudine domum, & tabernaculũ ejus in terra salsuginis; contemnit multitudinem civitatis.* Sic igitur isti pauperum oppressores videntur quidẽ humanitatis osores, atque totius humani cõvictus. Est quoque in hoc cõtemptu civilis convictus, timiditas quędam Tyrannorũ observãda. quamvis enim pauperum sanguinis, ac prædæ avidissimi sint, sed tamẽ ipsa impietas illos reddit timidos instar sylvestrium asinorum. Quapropter quãquam in solitudine vivere dicãtur, ut qui sint civilitatis, & humanitatis inimici, at ipsi inter se se gregatim incedunt, & amãt aliorum impiorum, prædonumque societatem; non enim audent soli ipsi prædam quærere, & latrocinia exercere. Sic profecto Proverb. 1.11.12. dicebant illi *peccatores*, atq; prædones impudentissimi adolescenti; *Veni nobiscum; abscondamus tẽdiculas contra insontem frustra; deglutiamus eum, sicut infernus viventẽ.* Certe nulla illos boni hospitii ratio, humanitasque stimulabat, ut amice invitarent adolescẽtẽ, cum statim subjiciatur vers. 18. *Ipsi quoq; contra sanguinem suum insidiantur, & moliuntur fraudes cõtra animas suas*; Soli enim vellent potiri præda: at non audent soli aggredi, præ metu timidissimi, quem efficit ipsa iniquitas. Nonne ingentis timoris illud fuit, cum decem robusti juvenes fratres Ioseph adversus puerum inermem, & innocentem cõvenerunt, ac se se cohortabantur: *Venite occidamus eum!* Profecto, cum Eva viro suo pomum obtulit, ut *ipse quoque comederet*, de cibo vetito, timoris fuit; ac peccati socium quęsivit: *Timida enim est omnis nequitia.* Sic profecto gregatim timidissimi *Onagri egrediuntur ad opus suum.*

Onagri solitudinis amãtes.

Impii humanitatis inimici; at inter se fœdere vincti.

Impiorũ societas ex timore.

Iniquitas timida.

Gen. 37.20.

Sap. 17.11.

5 Impius universæ familię dux ad impietatem.

Tandē nō repugnarē, si quis diceret describi hoc loco universam Principis alicujus impii familiam, impietati studentem, impio duce, & Patre familias præeūte ad iniquitatem, & rapinam: nā cum liberorū statim mentio fiat, videtur sane allusio fieri ad Onagros duces gregis, gregem ducentes, & educentes primo mane ad pastum. Sic enim Oppianus de illis scribit: *Magna fœminarū multitudine gaudent, quoquo maritus ducit, fœminæ sequitur, sive is ad pastiones, sive ad fontes proficiscitur; atque ad vesperam, una cum ipso ad domesticam sedē redeunt.* Sic profecto universa impii familia videtur *egredi ad opus suum*, & eodem impietatis, atque rapinæ studio flagrare: quale etiam describitur Ierem. 7. 18. *Filii colligunt ligna, & patres succendunt ignē, & mulieres conspergunt adipem, ut faciant placentas Reginæ Cæli, & libent Diis alienis, & me ad iracundiam provocēt.* Sic universa familia intenta est sceleri.

Oppian. ex descript. Sylli.

6 Pagn. Regia. Cajet.

שחר

Vigilantes ad prædam. Prop. ex Hebręo, Aquila, & Hebraizantes; *Mane surgentes.* aut, *matutini ad prædam*; vix exorto Sole: nā prædæ illos aviditas excitat, & stimulat. Hæc est illa suæ cupiditatis perficiendæ celeritas, & diligentia, de qua nuper dicebamus, quæ per summum diluculum, & primam diei horam indicari solet. de quo aliquando diximus non pauca.

Matutina cura, & diligētia

Vide c. 1. ℣. 5. n. 9. 10.

נערים

Præparant panē liberis. Quanquam vox *Liberi*, in Originali sit liberior, nam significat pueros, quod ad filios, & ad servos indifferens est; At tota sententia est concisior, & obscurior: nam ad verbum legit Pagnin. *A deserto est sibi panis filiis.* Regia: *Solitudo ei panis pueris.* Tyguri. *Desertum panem profert ad liberos alēdos.* Cajetanus: *Planities ei panis pueris*, id est, *in deserto præparant*, faciunt, deprædantur, quo filios suos, & universam familiā alienis bonis, & pane exsaturent. Et mirum profecto, quod ex deserto, & solitudine inculta, & sterili panem eliciant suis liberis alendis raptores isti, & ex inopia, & mendicitate pauperum, tanquam ex solo uberi, & pingui velint suis liberis panem, & necessaria omnia extorquere! Cajetanus autem *Desertum, & planitiem* (ut ipse vertit) sumit pro *planitie frugū*, id est, pro agro culto, & sato alieno. quod sane alienum est a proprietate vocis originalis, quæ semper solitudinem incultam, desertamq; significat. unde etiam fere eadē voce originali, *Gharal*, dicitur Arabia, quia est prope desertum: quare ex Etymologia suæ vocis dicitur *Deserta.* At Cajeta. lepidum sensum adhibet, quod videlicet impio fru-

Pag. Regia. Tygur. Cajet.

Cajetan.

ערב

Cajet. lepidus explicatus.

ctus alieni agri sint, *sicut panis pueris.* id est, quod *quemadmodum debetur pueris* (nō hoc valde puerile, sed neque parum) *panis absque ullo illorum labore*, ita raptores isti alienis laboribus, tanquam suis potiri velint. Quod argutū magis est, quā ut ratione aliqua gravi, & solida rejici debeat.

Lectio vero Septuaginta vocem illam *liberorum, aut puerorum*, nescio ad quos alios adolescentes detorquet: *Suavis factus est ei panis in adolescentes.* Quod ad milites quosdam levis armaturæ, quibus ad rapinas Principes impii abutantur; videtur referre Nicet. *Iucundum* (inquit est) *impiis, quosdam alere juvenes, ut ad inferendas cæteris contumelias, iis administris abutātur.* Sed in omnes has interpretationes illud commune est, quod observat Philippus, *quod sub specie justitiæ, iniquitatem, & injustitiam palam operantur.* Nam quid prima specie magis justum, aut honestum, quā suos domesticos alere? Quid minus honestū, aut justum, quam domesticis alienos labores servire!

7 LXX.

Nicetas.

Philipp.

Illud tantum hoc loco indicādum, impietati *vigilātium ad prædam*, & celeritati, atque alacritati convolantium ad rapinā, dignum suppliciū respondere; *vigilantissimum* nimirum, celer, velox, a *vigilante* judice celeriter immissum; sicut ex populi persona, Ieremias deplorabat Threnorū 1. 14. *Vigilavit jugum iniquitatum mearum.* id est, nimium velox, & opportunum supplicium vigilanti meo studio iniquitatis, & idololatriæ impositum est. Sed potissimum tamen in raptores, atq; oppressores pauperum, est illa Divinæ vindictæ celeritas significata volumine volāte Zachar. 5. 1. 2. *Cujus longitudo viginti cubitorū erat, & latitudo ejus decem cubitorum*, quantum erat ipsum templi vestibulū, per quod ingrediebatur universus populus: nam ad universum populum turpibus rapinis, & pauperum oppressionibus cōtaminatum pertinebat, Dixit autem Angelus: *Hæc est maledictio, quæ egreditur super faciem omnis terræ, quia omnis fur, sicut ibi Scriptum est, judicabitur.* Videlicet peccata omnia cōtra proximum *furti* nomine cōprehendit: atque eo etiam videtur revocare falsum juramentum, cū quis *jurat in dolo proximo suo.* Mirum autem, quod statim subjicit: *Educam illud dicit Dominus exercituū, & veniet ad domum furis, & ad domum jurantis in nomine meo mendaciter, & commorabitur in medio domus ejus, & consumet eum, & ligna ejus, & lapides ejus.* ut pote quæ ex pauperum rapina constent omnia. *Sic vigilantes ad prædam, virga vigilante*, celeriq; Dei

8 Dignum suppliciū impiorum vigilia.

Voluminis longitudo, & latitudo apud Zachariā, qualis.

Peccata cōtra proximū, furtum.

Psal. 23. 4.

Ierem. 1. 11.

supplicio

supplicio corripiuntur, *Et egredientes ad prædam*, & rapinam, *maledictione egrediẽte super faciem universæ terræ*, consumuntur.

☞ *VI. Agrum non suum demetũt: & vineam ejus, quem vi oppresserunt, vindemiant.*

1. Ager, demetere, migma. *Tyranni res alienas præoccupant.*
2. *Improborum aviditas, & importunitas in captandis voluptatibus. Illustrati Isaias, & Sapiens.*
3. Vinea *quid proprie, in Syria rara. Explicatus David illustratus Salomon.*
4. Quid vindemiare. *Impiorum dissidium. Explicatus Iacobus, & Salomon.*
5. *Impius damnatus.* Superare *in Sacro sermone. Commendatus Vulgatus. Illustratus Samuel.*
6. Vindemiare. *Tẽpus serotinum. Menses messis.*
7. *Improbi frequenter nulla sua utilitate aliis nocent. Verbum forense,* Cui bono. *Illustrata Sapientia.*
8. *Impii fraudant operarios mercede sua. Peccata, quæ clamant in Cælum. Explicatus Ecclesiasticus.*

1 AGrum non suum. Cum non laborent,
sed turpissimo otio diffluant, tamẽ
metunt, ubi non seminarunt, & in alienos labores per vim, & rapinam irruunt. Quamvis autem in Hebræo videatur sententia contraria: est enim; *Agrum suum demetunt*; sed apposita negatione sensum eundem illuminavit Interpres, dicens; *Agrum non suum*; nam si alienum agrum invadunt, ac si suus esset, tantundem refert dicere, *non suum*, quam *suum*: occupant enim quemcumque obviũ habent; Quod enim interpretari quis posset, quod cum ipsi abundent amplissimis fructibus & uberrimis frugibus, tamẽ aliena rapiunt, non quadrat: nam hic continenter enumerantur variæ, multiplicesque rapinæ & deprædationes pecorum, agrorum, *vinearum, &c.* Est præterea in Hebræo non *ager*, sed *pabulum*, aut *messis agri* id est, nõ unius tantum seminis messis; sed quodcumque pabulum: sive illud jumentorũ, (בליל) sive hominum sit: nam vox *Belil*, cujuscũque generis, aut seminis fructum significat. unde Isai. 30. 24. dicitur: *Commixtum migma comedent.* q. d. pabulum ex diversis mixtum, & confusum, id est, commixtionem, vel mixturam. quare Tygur. significanter dixit hoc loco, *Farraginem demetunt.* Significat ergo hujusmodi prædones, in quascumque segetes irruere, omniaque vastare. Illud præterea eleganter addiderunt Septuaginta, ut hujusmodi prædonum ingenium exprimerent; *Agrum ante tempus non suum demesserunt*; (LXX.) nam cum tempore demetendarum frugũ custodes tantum adhibere soleant Domini agrorum, latrones ipsi præoccupant opportunum tempus, ne forte fructuum maturitate expectata, vel a custodibus repulsam accipiant, vel fructus perceptos jam ab agrorum Dominis reperiant. Atque hunc sensum ex verbo *demetendi* potuerunt elicere; nam *katsar*, proprie significat, abbreviare, vel decurctare; & inde (קצר) succidere, & metere; eo quod abbrevietur, & decurctetur calamus, cum succiditur & metitur. Ergo abbreviationem illam messionis, ad temporis brevitatem retulerunt, quasi in Originali legissent; Abbreviarunt, aut, prævenerunt segetem. Qui etiam sensus in sequentem vocem *vindemiandi*, egregie convenit, ut dicemus statim.

Migma quid apud Isaiam. — *Tygur.* — *Impii sceleris occasionẽ opportune, importune captantes.*

Hæc profecto est illa incredibilis impiorũ aviditas ad omnem voluptatis,
2 & avaritiæ occasionem, non solum opportune captandam, sed etiam ante opportunitatem, & maturitatem præveniẽdam, & antevertendam. Quos perstringit Isaias: *Væ, qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam.* (Isai. 5. 11.) Cum tamen matutinum tempus largioribus potationibus immaturum, & importunum sit: nam non nisi post horam tertiam, aut sextam ebrietati ullus locus erat. (Matutinum tempus comportationi importunum.) & Petrus sane, vel ex ipsa hora, & tempore ab ebrietatis suspicione se purgat apud illos, qui objiciebãt: *Quia musto pleni sunt isti: Non enim* (inquit) *sicut vos æstimatis, hi ebrii sunt, cum sit hora diei tertia.* (Act. 2. 13. & 15.) Non aliter importune, & immature consectabantur illi voluptates, qui Sap. 2, 6. dicebant; *Fruamur creatura, tanquam in juventute, celeriter.* Nimiũ videlicet immature, & importune, ut ex sequente parte constat: *Coronemus nos rosis, antequam marcescant.* quod proprie ex Hebræo legitur: *Coronemus nos calicibus rosarum:* Nam antequam ex calice se exerat ipse flos, non est messionis, aut putationis tempus, neque ullum usum, voluptatemve ullam afferre potest ille ipse immaturus, & viridis rosæ caliculus. *Ergo ante tempus suum* voluptuarii isti homines demetebant, colligebantque flosculos. Denique hi sunt ad quos dictum est; *Omnia tempus habent*, ne importune tempus, (Eccles. 3. 1.) temporisq; opportunitates prævertant; &, qui nec sibi, neq; aliis usui futuri sunt, fructus immaturos ante tempus suum, ne decerpant.
Et vineam. In Hebræo *Cherem*, & in plu- 3

כרם כרמים

Vinea, vitis unica.

rali *Cheremim*. Vnde fluxiſſe puto Arabicam illam hortorum appellationem, quæ apud Granatenſes, hodie quoque vulgata eſt, hortos namq; appellant *Carmenes*. Eſt autem *Vinea* in Sacro ſermone aliquãdo vitis unica, & ſingularis, erecta, & exculta in arboris formam: quo modo intelligo id Pſal. 79. 9. *Vineam de Aegypto tranſtuliſti*, id eſt vitem, ſic enim bene cohæret, quod ſequitur: *Extendit palmites ſuos uſq; ad mare, & uſque ad flumen propagines*: nam ſicut eſt elegans unius vitis amplificatio, quod longe lateq; palmites proferat, ita ſi de vinea pluribus vitibus conſita intelligeretur minus bene conveniret. q.d. *Vna parra, que alcança de mar a mar*, at vero eo loco non ſubeſt vox *Cherem*, ſed alia vox *Gephen*. Quare eo loco opportune, alii legerunt; *Vitem ex Aegypto traduxiſti*. At hoc loco vox Originalis fere ſemper ſignificat *vineam* multis vitibus conſitam, quæ jam inde a ſæculo Noe in uſu erat, qui primus dicitur, *plantaſſe vineam*, & vites in quincuncem redegiſſe. Neque omnino videtur res fuiſſe vulgaris pretii vinea, in Syria potiſsimmum, & Arabia, cum in argumentum potentiæ cu juſdam; & opulentiæ illud fuerit a Salomone dictum Eccleſ. 2. 4. *Magnificavi opera mea, ædificavi mihi domos, & plantavi vineas*. Sed plura de hoc eo loco.

גפן

Pagni. Regia. Tigur.

Gene. 9. 20.

4

Ejus, quem vi oppreſſerunt. Ingens Hebraizantium cum Vulgato diſſidium: nã in Hebræo proprie eſt, *vineam impii vindemiant*. quam etiam ſignificationem agnoverunt, & retinuerunt Septuaginta, ut ſtatim videbimus. Vox autem *impii*, quamvis accipi poſſet plurali numero, ut eſſet ſuppoſitum verbi *vindemiandi*, ut ſtatim videbimus, at in ſecundo caſu numeri ſingularis omnes Hebraizantes accipiunt. Quid autem apud hos ſit, quod ipſi raptores impii vineã hominis impii vindemiẽt, non convenit inter illos: nam licet ſimul omnes verbo *vindemiandi*, longe aliam ſignificationem attribuant, videlicet, *tardare*, aut *tardare facere*, quare legunt; *Vineam hominis impii tardabunt*, aut, *tadare faciẽt*, aut, retardabunt, aut, *ſerotinabunt*. tamen in exponendo eſt varietas: nã Cajetanus ſic intelligit, quod quamvis raptores impii potiſsimum res, & bona piorum invadant, interimq; aliis impiis favere, & pro ſpicere videantur, prætereantq; vineam, & prædia ſui ſimilium minime læſa, at tãdem, tãdem ſtimulante avaritia, tardiuſcule licet, fide nulla ſuis comparibus ſervata, illos etiam ſuis bonis exturbent, vineaſq; devaſtent; *Primum quidem* (ut exponunt Cõplut) *deprædantur bonos, & juſtos, & poſtea etiã injuſtos, & impios, quia nemini parcunt*. Alii e contrario; Quod impii ſibi mutuo proſpiciãt, & impius impii alterius vineã *prætereat, præter volet, dimittat* illæſam, & intactam. R. Abraham. *Dimittent illam, nec capient ex illa quicquam*. R. Ioſeph Kimhi: *Quod tardare fecerunt vineam, ob neceſsitatem impii*. Nimirum quod cum pauperum agros populentur, at vineas ſuorum ſociorum, & uvas bene maturas, pendentes adhuc in vitibus ſervẽt, injecto cunctis terrore ingenti, ne quiſquam illas audeat attingere. Sic *ante tempus ſuum demetunt* pauperum immaturas fruges; ſic etiam poſt tempus ſuum bene maturas, & jam paſſas uvas aliorũ ne attingunt quidem. Lupus videlicet alterius Lupi carnem non devorat: neque Leo attingit Leoninam.

R. Abraham. Peruſ. Pagnin Regia. Forſter. Eugub. Compl.

Cajet.

Complut.

Eugubin. clar.

R. Abrah.

R. Ioſeph.

Proverbium.

Sed ego exiſtimo raptores, & avaros Lupis etiã petulantiſsimis, & ſæviſsimis Leonibus immaniores, neq; ſibi ipſis parcere, ſed mutuo inſidiari rebus alterius al terũ. *Vnde* (inquit Iacobus) *bella, & lites? Nõne hinc, ex concupiſcentiis veſtris, quæ militant in membris veſtris?* At adverſus quos militant? adverſus compares, & æquales; *Concupiſcitis, & non habetis, occiditis, & zelatis, litigatis, & belligeratis, & non habetis, propter quod nõ poſtulatis*. Rũpuntur enim invidia, & pravis cupiditatibus inflati: *occidunt* etiam, cum poſſunt: ſin minus *litem* intendunt, *bellum* indicunt, ut qua poſſunt injuria, diteſcant, neq; enim divitias illas curant, aut appetunt, quas oratione poſſent, ſi neceſſariæ eſſent, a Divina liberalitate obtinere; *Ipſi quoq; contra ſanguinem ſuum inſidiantur, & molliuntur fraudes contra animas ſuas*. Sic ſemitæ omnis avari, animas *poſsidentium rapiunt*. Inhiat nimirũ avarus in *animam*, ſanguinem, vitã ipſam cujuſcumque alterius divitias poſsidẽtis. Quæ cũ ita ſint, parcet ſcilicet avarus avaro, raptor, raptori, impius impio. minime ſane: ſed impii impiorum *vineam*, cum primum facultas, & opportunitas aderit, vindemiabunt, atque etiam vi opprimẽt, ut qui ſint *Sine affectione, abſq; fœdere*.

Iacob. c. 4. 2.

Impii adverſus compares belligerantes

Prov. 1. 18.

Divites divitibus inſidiantes.

Rom. 1. 31.

5

Elucidatio Vulgati, & cõciliatio cũ Hebræo.

Ergo is ſenſus, quem Latina lectio exprimit, veriſsimus eſt: tantum aptandus, & quadrandus cum Hebræis vocibus, in quo perexiguus labor. Pro *impio* dixit Interpres, *Eum, quem vi oppreſſerunt*: nam ſive impium, ſive juſtum vi opprimunt, dum emungere lucri aliquid poſsint. Ergo nemo ab illorũ avaritia, & unguibus tutus. Præterea quantumvis pauper, & manſuetus, pius, ac juſtus ſit, at cum illo, velut

Idem nomen impii, & damnati.

cum impio, & capitis damnato, atq; proſcriptionis omnium bonorum reo agunt: quare per vim, & calumniam manſuetum & humilem damnant amiſsionis bonorũ omnium. Neque hoc vane dictum eſt: nã eadem vox, quæ *impium* ſonat, ponitur etiam pro *damnato*; Pſal. 118.7. aut pro *reo*, Numeror. 33.30. quod impius ſit impietatis reus, atque damnandus. & ſimiliter eadem radix, quæ ſignificat *impium eſſe*, ſignificat etiam *condemnare*, quod eſt quaſi impium declarare, & facere, ut habeatur aliquis impius, proptereaque & capite, & bonis omnibus mulctatus. Vnde etiam dicitur. 1. Reg. 14.47. de Saul; *Quocumq; ſe verteret, ſuperabat*, vel, ut legunt ex Hebræo; *Condemnabat*; Kaldæus; *Perdebat*, ſcilicet, *tanquam noxios*, addit Vatablus. Cajetanus verbum finxit audacter, ſed ſignificanter; *In omnibus, ad quæ ſe vertet, faciet iniquare*. ideſt eodem ipſo expoſitore, *Vincendo ſuos hoſtes; fecit eos iniquos quoad pœnam*; id eſt, cum aciem adverſus hoſtes dirigebat Saul, tanquam ad damnatos capite, & bonis omnibus pergebat, ſicque invicto robore & capite illos, atq; bonis omnibus ex Dei judicis quaſi ſententia, & præcepto mulctabat. In hac igitur eadem ſignificatione licuit Interpreti ſumere vocem Originalem, & pro *impio* dicere & intelligere, *oppreſſum, damnatum* per calumniam. Neque hoc ſcelus inauditum in Scriptura: nam exprobrat idem iniquis magiſtratibus, & avaris raptoribus Deus, Amos. 2.18. *Vinum damnatorum* (per calũniam, & vim pœnis affectorum) *bibebant*. Septuaginta, *Vinum de calumniis bibebant*. Ionathas; *Vinum rapinæ*, expreſſum profecto ex oppreſsione, & conculcatione pauperum. Sic ſane Achab *vindemiavit* vineam ejus, *quem vi oppreſſerat*, tanquam impii, quem, & capite, & bonis omnibus propter impietatem, & blaſphemiam, per calumniam, & falſum teſtimonium illi affictum, mulctaverat. Cui, ad vineam innocentis, tamen damnati Naboth, deſcendenti dictum eſt; *Occidiſti, inſuper & poſſediſti, & poſt hæc addes*. Quis jam non miretur tantam Latini Interpretis ſubtilitatem in judicãdo, lumen in illuſtranda, proponendaque ſententia, dexteritatem in vertenda, & temperanda Latinis auribus? Hæc ſane, & vera, & ſolida eſt Latini Interpretis defenſio, placuitq; ſæpe mihi non ſemel cogitata atq; elaborata.

רשע

Complutens. & Regia. Chaldæus. Vatab. Cajetan.

Optimi Ducis forma vincentis hoſtes.

LXX.

Ionathas.

3.Reg.21.

Mirabilis Latini Interpretis ſubtilitas, & diligentia.

At nunc video breviorem, faciliorem, clariorem aliam: nam profecto videtur legiſſe Interpres ex Hebræo, quod & licuit, *Vineam impius vindemiabunt*. Quod etiam modo legit in Theſauro Pagn. ex R. David Kimhi, ubi juxta familiare linguæ Hebrææ idiotiſmum, nomen ſingulare conſtructum cum verbo plurali ſignificat omnes ſub nomine cõtentos. q.d. omnes impii, aut quilibet impius. Cum autem hæ omnes rapinæ tribuantur hoc loco impiis, non exiſtimavit Iterpres valde neceſſarium *impiorum* nomen nunc repetere, prætermiſit ergo nullo ſentẽtiæ detrimento, & addidit claritatis gratia, cujus nam intelligi oporteret *vineam*, nimirum *ejus; quem vi oppreſſerunt*. Rem ipſam (ni fallor) pro Vulgato diximus.

Pag. R.David.

Conſtructio Hebræa.

At verbum (quod reliquum erat) *vin*- 6
demiare, ſemel tantũ ſub ea forma, & ſub ea ſignificatione, & non niſi hoc in loco reperitur: quod quidem deducitur a nomine *Lekes*, quod ſignificat pluviam ſerotinam. Quare verbum inde ductum non debet ſignificare quancumq; moram, aut tarditatem, ſed vel eam maturitatem quã in frugibus, & ſatis efficit imber ſerotinus ante tempus meſsis, & vindemiæ, aut potius eam tarditatem, quæ eſt in tempore ſerotino, quod eſt ante pluviam ſerotinã, antequam grana turgeſcant, & perveniãt ad debitam maturitatem: nam *tempus ſerotinum*, aut, ut ita loquar, tardum non eſt id, quod eſt poſt maturitatem, ſed potius tempus immaturum, ante debitam fructuum maturitatem, & importunum colligendis fructibus: Sic Zachariæ. 10.1. *Petite a Domino pluviam in tempore ſerotino*, tempore videlicet illo, quo poſtremus imber, ad fructus maturandos expectari, & cadere ſolet, videlicet in menſe Niſan, ut dicunt R. Kimhi, & R. Mardokai, qui reſpõdet noſtro Martio, nõ vero Aprili, aut Majo, ut alii computarunt: nam meſsis tẽpus fere incidebat in Majum. Ergo *tardare*, aut *ſerotinare vineam*, quid erit aliud quam irruere in vineam tempore ſerotino, aut tẽpore ſerotinæ pluviæ ante maturitatẽ uvarũ, & ante maturũ, opportunumq; tempus vindemiæ? Quod quid aliud eſt, quam vindemiare ante tempus, & maturitatem? Sane qui Interpretem accuſet, quod verbum illud *ſerotinãdi* verterit *vindemiare*, aut ſtupidus, aut iniquus erit.

לקש

לקש

Tempus ſerotinum, & pluvia ſerotina quo menſe.

R.Kimhi. R. Mardok.

Nunc conjuganda hæc pars cum præcedente; Nam impii, & Tyranni fruges *ante tempus ſuum* demetunt, & uvas ante maturitatem, tempore ipſo ſerotino, vindemiant. At quæ agreſtium, & acerborũ fructuũ utilitas, aut uſus? Prorſus nullus, Creſcit hinc ſceleris, & improbitatis immanitas: *Novum* (inquit Salvianus libr.

Tyrannorum inimanitas ſibi. & aliis inutilis.

Salvianus.

de Provid. 5.) *& inæstimabile nunc in plurimis malum est. Parum alicui est, si ipse sit fælix, nisi alter fuerit infælix.* nam nocere ut tibi prosis, iniquum, sed tamen humanum. Nocere tamen, cum neq; tibi prodesse posis, non inhumanum solum; sed diabolicum plane, cum nulla causa, nulla utilitas subest facinori, sed improbitas sola, atque malitia: *L. Cassius ille* (sic Cicero) *quem populus Romanus verissimum, & sapientissimum judicem putabat, identidem in causis quærere solebat, Cui bono fuisset? Sic vita hominum est, ut ad scelus nemo sine spe conetur, atque emolumento accedere.* Quod non de scelere solum, sed de reliquis humanæ vitæ actionibus in universum iterum a Salviano Scriptum est; *Numquid est ullus hominum, qui non omnia, quæ fecit, vel salutis suæ, vel certe utilitatis gratia faciat? Nemo opinor: omnes enim ad affectum, atque appetitum utilitatis suæ naturæ ipsius magisterio, atque impulsione ducuntur.* Veram propterea improbitatis dignoscendæ regulam ille tradidit, qui dixit;

Cice. pro sexto Roscio.

Salvian lib ad Ecclesiam.

= = = = = = *Cui prodest scelus,*
Is fecit.

Senec. in Medea Act. 3.

Sic profecto illi supra fidem omnẽ petulãtes, & impudentes se cohortantur, ad viribus, & potentia abutendum; opprimendumq; justum: at utilitatem sibi in tãta rapiendi, & dominandi insolentia proponebant: *Sit* (inquiunt) *fortudo nostra lex justitiæ: quod enim infirmum est, inutile invenitur:* nam imbecillitatis esse existimãt subdere se æquitati, & juri. Rursus hoc sicut *inutile* accumulandis opibus, ita nõ aliam legem quam potentiam, & Tyrannidem colere, utile ad rẽ amplificãdam; *Circumveniunt* præterea *justum, quoniam inutilis est illis*, id est contrarius illorum conatibus, & iniquis lucris comparãdis. Ergo illorum improbitas, & scelera proderant illis, & conatus, atque potentia bono illis erat. At *frustra*, gratis, quod sæpe clamãt Sacræ litteræ, id est, sine ullo suo fructu (qui enim immaturus, & acerbus est, fructus nomen non meretur, ut qui fructuosus non sit) proximi res lædere, hoc demum, cum causam nullam habeat, nullam quoq; excusationem habet. In quos profecto illud quadrat, quod de sordidissimis avaris scripsit Plutarchus lib. de Divitiarum cupiditate: *Sicut viperas Cantharides, & Phalangia, magis vituperamus, & odimus, quam Leones, & Ursos; quod illæ bestiæ homines interficiunt, neq; interfectorum ullũ iis est usus: ita majori digni sunt odio, qui propter illiberalitatem, & sordes mali sint, quam qui propter intemperantiam, auferunt enim aliis ea illi, quibus utendi nullam habent facultatem.* Sic quidem *causæ* appellatæ sunt criminationes, aut delationes sceleris alicujus, quod in illis non tam factum quæreretur, quam causa, id est, utilitas aliqua, propter quam factũ esset: & in causa bene, an secus assignanda laborant patroni, qui, & *Causidici* dicti sunt. quod Apulejus Apolog. 1. illis verbis omnino docuit; *Scires omnium factorum rationes diligentius examinandas, at sæpius causas quæri, facta concedi: eoq; etiam patronos litigatorum causidicos nominari; quod, cur quæque facta sint, expediant. Frustra igitur an factum sit, quæritur, quod nullam malam causam habuit, ut fieret. Ita facti reus apud bonum judicem scrupulo quæstionis liberatur, si nulla fuit, & ratio peccandi.* At cum apud supremum judicem facti reus constet, cui nulla fuit ratio peccandi, quam severe, quam graviter quæstioni, atque tormento obnoxius erit!

Plerique improbi ob lucrum.

Sap. 2. 11. 12.

Frustra lædere insignis improbitas.

Plutarch.

Avari viperarum similes.

Cur delatio criminis dicatur causa.

Apulejus.

8 Crescit vero ex lectione Septuaginta hujusmodi Tyrannorum rapinæ, & sceleris improbitas, nam sic legunt; *Impotentes vineas impiorum sine mercede, & sine cibo operati sunt.* Duplex videlicet injustitia, & quod mercenarii mercedem non acceperint, & quod sine alimentis, cum tamen *dignus sit operarius* cibo suo, pauperes divitibus operam navare cogantur. Hoc unum est ex sceleribus, quæ in Cælum clamant. *Ecce* (inquit Iacobus) *merces operariorum, qui messuerunt regiones* (agros amplissimos) *vestras, quæ fraudata est a vobis, clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabbaoth introivit.* Vbi observari potest, non dici pauperem ipsum clamare; quoniam *pauper, etiam læsus, tacet*, ut ait Sapiens; sed merces ipsa denegata, aut fraudata, quam dives raptor suæ domi continet, & scelus ipsum suum, quod nullo modo conscientia tacere, aut dissimulare potest. Quod autem hæc mercenariorum defraudatio clamet, arguit scelus esse ex illis maximis, quæ *clamare* dicuntur; par videlicet Homicidio, Naturæ abusui, extremæ Tyrannidi, & Oppressioni pauperum. Hæc enim omnia valide clamant. Quare *mercenarii fraus*, cum *sanguinis effusione* conjungitur, Eccles. 34. 27. *Qui effundit sanguinem, & qui facit fraudem mercenario, fratres sunt.* Quare eleganter dixit Augustinus in Loquutionibus; *Clamorem solere Scripturã ponere pro tanta impudentia, & libertate iniquitatis, ut nec verecundia, nec timore abscondatur.*

LXX.

1. Tim. 5. 18.

Divitiæ injustæ ipsæ clamant.

Eccles. 13. 4.

Scelera quæ clamant in Cælum.

Defraudare mercenarium simile homicidii.

August.

(.:.)

VII. Nudos dimittunt homines indumenta tollentes, quibus nõ est operimentum in frigore.

1. *Avarus dives inhumanus. Nulla mora trahenda in vestiendo nudo. Illustratus Isaias.*
2. *Impiorum petulantia. Quid* animæ nuditas *in sacro sermone.*
3. *Quid proprie* imber.
4. *Quid proprie* velamen impii, Turbo *&* Tẽpestas. *Illustratus Isaias.*
5. *Quid* amplexari, *&* complecti. *Illustratus Paulus.*
6. *Aliorum interpretatio explosa. Gens degens in speluncis*

1 NON Solum (inquit) in agros, aut in pecora sæviunt; sed in ipsos homines, ut qui sint omnis humanitatis expertes. Quoniam verbum Originale, *Lun*, accipi potest, pro *dimittere*, aut facere manere, quod nos dicimus, *Los dexan estar*, docte addidit Interpres, *indumenta tollentes*, ut rapinam & deprædationem exprimeret, cum in Originali tantum sit, *Dimittunt homines absque vestimento*. quod æque indifferens est, ut intelligi possit vestimentum abstulisse, aut nudum non vestiisse. Septuaginta dixerunt; *Nudos multos dormire fecerunt sine vestimentis*. Respexerunt ad proprietatem vocis originalis, quæ proprie vertitur; *Pernoctare fecerunt*; aut *habitare*, vel *commorari*: sive autem dicas, facere, vel adigere, ut pernoctent nudi, vel *nudos dimittere*, ad longiorem moram, & tempus minime breve pertinere videtur. Cum tamẽ jubeatur dives statim ac viderit, pauperem nudum convestire, & fovere. Isaiæ. 58. 7. *Cum videris nudum, operi eũ* (quasi diceret, Ne dimittas, ne moreris, ne illũ pernoctare facias in sua nuditate) *Et carnem tuam ne despexeris*. Nam qui nudum despicit, cum humanitatis, & carnis proximi particeps sit, se ipsum profecto despicere censetur: nisi forte *carnẽ suam despicere*, sit, nudum se, atque despicabilem coram Divina majestate constitue re: qui enim pauperem operit, seipsum operit: qui nudum dimittit, manet ipse pernoctatque nudus. Illud etiam *despicere carnem suam*, est, non perspicere sedulo, ac diligenter, sed dissimulare, & præterire nudos, atq; egentes.

ילן

LXX.

Non trahẽda mora investiendo nudo.

Qui nudum non vestit, nudus ipse corã Deo.

2 *Quibus non est operimentum in frigore*. Pernoctare (inquit) cogũtur sub dio, omnibus Cæli injuriis expositi; nam cum sint propriis domiciliis extrusi, vel occupatis, vel dirutis Tyrannorum injuria, vagari profecto extra tectum, & extra urbem coguntur. Nescio quid immanius, & petulantius sub iis verbis subolfecerunt Septuaginta legentes: *Indumentum animæ eorum abstulerunt*. quod Nicetas interpretatur: *Extremum vestitum, quo corporis turpitudinem contegebant, ademerunt*. Acceperunt ergo Græci *animam*, pro ventre, & iis, quæ sub ventre sunt, atque ad familiarem Scripturarum loquutionem respexerunt, sæpe *nuditatem* usurpantium pro eo, quod nudum esse minime oportet, & cui, (ut Paulus ait) *abundantiorem honorem circumdamus*. Tum hæc nuditas profecto & pudenda, & ignominiosa est, ut sit vel molesto, asperoque integumento vestienda. Sic enim cum primi parentes viderent se nudos, erubescentes, *folia arborum consuerunt*. folia (inquam) minime lenia, aut mollia, sed quæ cum scabra, & aspera essent, corpus vexarent, ut Irinæus ait lib. 3. c. 37. Quãta igitur petulantia *nudos dimittere homines*! Hoc si conjungere velis cum illa lectione Septuaginta præcedentis versiculi, conficietur hæc sententia; Cogunt egenos sine mercede laborare, & insuper vestimenta illis auferunt, nudosque dimittunt. Nõ dissimili ratione Iacob expostulabat cũ Laban, quod diutinæ servitutis mercedem per fraudẽ *immutasset decem vicibus*, *Et nisi* (inquit) *Deus patris mei affuisset mihi, forsitan modo nudum me dimisisses*.

LXX.

Nicet.

Anima pro ventre.

1. Cor. 12. 23.

Folia arborũ quibus primi parentes se contexerunt, qualia.

Irinæus.

Genes. 31. 42.

VIII. Quos imbres montium rigant: & non habentes velamen, amplexantur lapides.

3 EX re cõmiseratione dignissima immi sericordiam ferinam Tyrannorum exaggerat; Non solum sine tecto, & domo miserorum capita perfunduntur rore, & guttis noctium, sed toti ipsi madẽt rivulis cadentibus ex montibus. Septuaginta: *De stillicidiis montium madescunt*. Vox originalis uberiorem perfusionem, & largiorẽ imbrem significat. Quare Cõplutenses legunt: *A fluctibus montium humectabuntur*. Alii, *Inundatione*. atque eadem vox vertitur *turbo*, Isaiæ. 25. 4. & *tempestas*, Isaiæ. 32. 2. & *impetus*, Isaiæ. 28. 2. & *gurges aquarum*. Habacuc. 3. 10. Atq; eandem proprietatem agnovit profecto Interpres, cum dixit, *Imbres*. & opportune ad rem, quæ describitur: nam cum egentes, & nudi præ frigore abdant se se in valles, & aprica loca, necesse profecto est excipere quoq; vim ingentem aquarũ

LXX.

זרם

Compluten.

Vatab. Pagni. Regia.

quæ de montibus solet in valles confluere.

4 *Et non habentes velamen.* protectionem, fiduciam, spem, aut refugium. Hæc enim omnia complectitur vox Originalis, & ad umbraculum, vel protectionem, nõ semel refertur, ut Isai. 30. 3. *Fiducia in umbra Aegypti*, & Psal. 103. *Petra refugium* (velamen, protectio) *herinaceis*. & Isaiæ. 25. 4. *Spes* (protectio, tegmen) *a turbine* (ab imbre; & inundatione) vox etiam eadem quæ hoc loco; nam videtur profecto locus ille Isaiæ per allusionem, aut imitatio nem expressius ex hac ipsa Iobi sententia; ubi Tyrannorum potentia, & violentia describitur non solũ ex eo, quod egenos spolient *velamine*, operimento, tecto, exponantque imbribus, atq; turbinibus; sed etiam ipsam Tyrannorum improbitatem cum vehemente turbine comparat, Deum autem pro velamine, & operimento esse suis egenis, ac nudis: *Factus est* (inquit) *fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione spes* (perfugium tutissimum) *a turbine* (procella, imbre, & tempestate) *umbraculum* (nam etiam sævitia Tyrannorum imitatur solis ardorem) *ab æstu, spiritus enim robustorum* (prævalidorum istorum, potentissimorumq; Tyrannorum) *quasi turbo* (vox eadem, quæ hoc loco *Imber*) *impellens parietem* (videlicet immanissimi hostes, non aliter invehuntur in miseros, & egenos, quam tempestas in parietem labefactandum, & diruendum)

חסה

Isaiæ locus ad Iobum alludens.

5 *Amplexantur lapides.* Cum nihil habeãt, quo se protegere possint, subeunt antra, & lapidosas cavernas. Septuaginta; *Petrã sibi circumdederunt.* Quod cum illo congruit, quod Paulus de Sanctorm persequutionibus, & ærumnis scribit, Hebr. 11. 37. & 38. *Circuierũt in melotis* (ovillis pellibus) *in pellibus caprinis* (videlicet, nudi etiam quocumq; aspero, & hirsuto vestimento se contegebant) *egentes, angustiati, afflicti, in solitudinibus errantes, in montibus, speluncis, & in cavernis terræ.* Verbum autem *amplexandi* licet non videatur referri posse ad lapides, at eleganter respondet nuditati, & vestimento: Nam videtur homo amplecti suam vestem, cum illam sibi applicat, & complicatis manibus pectori, & corpori apprimit. Non habent igitur egeni, & nudi, quid complicatis manibus fovendo corpori applicent, quam durissimos, frigidissimosq; lapides & saxa, aut rupes. Qua etiam loquutionis formula dictum est Thrænorum. 4, 5. *Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora.* quod nihil jam haberent, quo se contegerent, & foverent quam sordidissimum terræ pulverem; Nam quod Cajetanus præ sua subtilitate excogitat, tã vehementem describi aquarum confluentium impetum, ut miseri illi cogantur, rupes, & saxa amplecti, ne fluctibus ferãtur precipites; quis nõ videat præter rẽ dici, & nulla nuditatis (de qua hic sermo est) habita ratione? Illud elegantius, quod interpretatur Augustinus, hunc saxorum complexum, confugium tantum ad cavernas; *Confugientes* (inquit) *nudi ad speluncas, ubi saxa distillant.* Sicut enim complecti solemus id, ad quod confugimus, ita complecti, confugere est.

LXX.

חבק

Extremæ nuditatis descriptio.

Cajetan.

August.

Complecti idẽ quod cõfugere.

6 Cæterum prætermitti profecto nõ debet, quod Olympiodorus hoc loco ex aliorum sentẽtia, & interpretatione affert. *Quidam* (inquit) *de violentis hominibus hæc dici existimaverunt: nam ajunt hoc genus hominum se in solitudines abdere, ac latronũ vitam forte sub dio agere. Quod si contingeret aliquando, iis opus esse tecto quopiam loco, illis pro tecto esse antra, saxa, angustasq; valles.* Sed de hoc hominum genere, cum priori tomo non nihil dixerimus, nunc nihil, quod hic locus non nisi invitus, & repugnans ejusmodi interpretationem admittat. Vide, quæ dicemus c. 30. vers. 6.

Olympiod.

IX. *Vim fecerunt deprædantes pupillos, & vulgum pauperem spoliaverunt.*

3. *Varia lectio.* Vber. Rapere. *Pupillorum præda sevissima.*
2. *Pignoratio pauperum iniqua.*
3. Tritio Principum *quid. Tyranni pretio tuentes populum.*
4. *Silentium de morte.*
5. *Tyranni ex necessaria aliorum re ditescentes.* Quid ferre, *aut* accipere.
6. *Quid proprie* spica. *Sordida divitum avaritia. Illustratus Moyses.*

1 NOn parcunt (inquit) infantibus, & pueris; nam per summam injuriam illos capiunt in mancipia, &, ut teneriorẽ & molliorem, ita dulciorem sibi prædam arbitrantur, quam lactentem ex matrum ubere abstraxerunt. Septuaginta ex Hebræo propr. legerunt: *Rapuerunt ab ubere pupillum.* Sed illam vocem *uberis* suppressit, aut prætermisit Interpres, quod intelligeret, non tam de infantibus sugentibus sermonem esse, quam de *pupillis*, liberisq; viduarum, quos cum matres incredibili charitate complectantur, illarum uberibus, & cordi appressi, & affixi videntur:

LXX.

quare oportet hanc quidē esse omni crudelitate plenissimam, ut quæ non pupillis solū, sed matribus etiam ex charissimorū pignorum amissione, extremum dolorem atque rerum omnium interitum adferat. Aut quidem cum vox, *uberum*, atq; prædæ in Originali fere eadem sit, nō legit Interpres, *uber*, sed *prædā*, ut certo existimo: *Sad* enim, & *mamma*, & *præda* est. Vnde legit Cajetanus: *Rapiunt ex præda orphanum*. Ergo intellexit Interpres, auferri, & detrahi pupillis tenues etiā patrimonii reliquias, quibus tāquam uberibus, & lacte alēdus esset. Sic per paraphrasim, Tygur. dixit: *Rapiunt pupillo, quod post vastationem, relictum fuerat*. Est autem vehemens in Hebræo verbum, *vim faciendi*, & *deprædandi*, quod alias verti solet a Vulgato, *Vi*, aut *violenter auferre*, aut *vi extorquere*, aut, *per vim rapere*, Genes.21.25. & Genes.31.31. &.2.Reg.23.21.& Ezech.18.7.

שד Cajetan. Tygur. גזל

2 *Et vulgum pauperem*. *Vulgum* addidit Vulgatus, ut humilis, ac tenuis conditionis homines significantius exprimeret, cū in Originali tantum sit, *pauper*, ut hæc autem pars cohæreat cum illa præcedente de *pupillorum deprædatione*, & captivitate, sic intelligi debet; A dolentibus matribus repetūt pro redemptione filiorum, quod ex tenuissima facultate relictū fuerat. Sic enim videtur debere accipi, quod Symmachus ex Hebræo legit: *A paupere pignus abstulerunt*, vel, ut Hebraizantes legunt; *Super pauperem pignus accipient*. Vt hæc pignerationis iniquitas alio spectet, quam supra cap.22.vers.6. Nam ad illum locum potius pertinet, quod hoc loco legerunt Vatablus: *Accipiunt in pignus, quod est super pauperem*; & Tygurina: *Cum injuria humilium pignus accipiunt*. Hanc vero iniquitatis, & improbitatis rationem amplificat lectio Septuaginta: *Eum, qui ceciderat, humiliaverunt*; id est, Interprete Niceta: *Qui a divitiis ad inopiam defluxit*. Nō solum jacentem non erexerunt, sed gravi etiam imposito exactionis pondere oppresserunt, ne exurgere posset. Quanta Deus bone, iniquissimorum Principū Tyrannis improbitas, cum oportet ab illis mercari ipsam redemptionem, & patrocinium pauperum, atque pupillorum: cum tamen illorum munus sit pupillos, viduasque tueri, & tenuem, inopemque vulgum in suum sinum; atque tutellam recipere. Scilicet, imploretur Principis auctoritas,

Symmach. Pagnin. Regia. Cajetan. Vatb. Tygurin. LXX. Nicetas.

3 cujus potentia, & nomen ipsos pauperes opprimit. Qua de re scripsit elegāter Cassiodorus.7. lib. variar. Epist.39. in formula Tuitionis: *Superfluum quidem videtur tuitionem specialiter a Principe petere, cujus est propositi universos communiter vindicare*. Hæc est illa solēnis in jure *Tuitionis* vox cujus Symmachus meminit lib.1. epistolarum ad Theodosium. Sic etiam Tuitionis gratia imaginem Imperatoris præferebant, cujus reverentia securi infirmiores fierent. Illa autem erant cōcepta verba, quibꝰ Tuitio dabatur a Principe; *Tuitionem nostri nominis, quasi validissimam turrim contra inciviles impetus nostra concedit auctoritas*. Quam longe, cujus auctoritas Principis civiles ipsos impetus adversus cives, *Vulgumq; pauperem* facit, accipitque pignus, petiumq; tuendæ libertatis! Gravissima sunt in hanc rem Salviani Massiliensis lib.5. de Provid. verba; *Tuitio parentum mendicitate pignorum paratur. Ecce, quæ sunt auxilia, & patrocinia majorū*. Addit deinde quædam alia Salvianus, quæ profecto dicas omnino scripta esse in cōmentarium hujus capitis Iob, quāquā ille tātū voluerit mores sui sæculi describere.

Cassiodor. Formula Tuitionis. Symmach. L.5.C. de injur. & l.capit. §. ad statuas. ff. de pœ. Iacobus Durātius. lib.1. variar. c.1. Salvianus.

☞ X. *Nudos, & incedentibus absq; vestitu, & esurientibus tulerunt spicas.*

4 DVplex sententia in Hebræo, & Græco: *Nudum ambulare fecerunt absq; vestitu*. Septuaginta; *Nudos dormire fecerunt injuste*. Quod Nicetas exponit, quod *in nudo pauimento nudos jacere coegerunt*; vel ex proprietate Græcæ vocis, *Echimesan*, silere coegerūt, cum ne hiscere quidē auderent, aut de injuria utcumque expostulare: non aliter atque *mutus coram tondente agnus*. Nisi de somno mortis loquatur, occidunt nimirum post iniquam spoliationem. Illud enim ipsum verbū Græcum ad mortem etiam refertur aliquādo.

ἐκοίμισαν

5 Secunda sententia. *Esurientibus tulerūt spicas*. Vatab. Tygur. Cajet. in primo casu legunt; *Esurientes*, aut, *famelici gestant manipulum*, aut *spicas*. Vel quod miseri oppressi ad extremam inopiam redacti, & suis agris, possessionibusque ejecti cogātur in alienis agris spicas a messoribus relictas legere, & manu ipsa terere, granaq; ipsa commolere dentibus; quod fame stimulati fecerunt Apostoli, Matthæ. 12.1. Marc.2. & Luc.6. Aut quod, qui prius manipulos suos demessuerant, incedentes in latrones, vacui recesserint. Reliqui tertiū casum dāt famelicis, & *esurientibus*, ut hic novū quoddam, & immane flagitii genus proponatur; Non solum non pavisse, sed *esurientiam* etiā (ut Septuaginta legerūt)

Vatab. Tygur. Cajetan. LXX

buccellam abstulisse, quod *summæ crudelitatis, atq; incredibilis injustitiæ* (ut Nicetas dixit) *est argumentum*. Verbum autem *Naſa*, cũ puncto sinistro significat accipere, vel auferre, vel trāsferre ex uno loco in aliũ. Indicatur ergo avaritia prædonum, qui rē suam etiam ex victu necessario, & tenuissimo pauperum amplificare conātur.

נשא

Differentes ex re necessaria pauperum.

6 Recte autē Interpres dixit, *spicas*, quāvis eādem vocem Originalem *Ghomer*, manipulũ vertit Levit. 23. 11. Devt. 24. 7. ut nõ solum *manipulũ* integrũ sed pauculas *spicas*, quæ messoris manũ effugere solent, & vix bene sufficiũt colligando, aut componendo manipulo, significaret. Est autem *Gomer* vel *Gomir*, mensuræ genus, quod quotidianum dimensum, & diurnũ victũ hominis capere potest; ut constat ex Exod. 16. 16. *Colligat unusqui q; ex eo, quātũ sufficit ad vescendũ. Gomer per singula capita*. Ergo necessarium victum abstulerunt famelicis, qui forte ex spicis minutatim collectis sibi summo labore collegerant. Aut ne illis ullum in suis agris subsidiũ esset, minime passi sunt spicas remanētes colligere. Propter quam divitũ sordidam avaritiā cavit postea Lex, ne vel *manipulũ per oblivionem* prætermissum vel paucas *Olivas remanentes* in oliveto vel remanentes *post vindemiam racemos*, reverteretur quis, ut colligeret, *sed relinquerentur advenæ, pupillo, ac viduæ*: nã ex eo videretur Divina Providētia quodāmodo lædi, cũ enim ex nostra oblivione, & ex reliquiis nostri laboris per incuriã prætermissis, voluerit sustentare famelicos, & egenos, qui hoc nõ permittat, non tã egenos ipsos quã Divinã Providentiã frustrare suo fine tētabit.

עמר

Gomer quæ mensura.

Deut. 24. 19. 20 21.

Providētia, in sustentandis pauperibus.

XI. *Inter acervos eorũ meridiati sunt, qui calcatis torcularibus sitiũt.*

1. Meridiati. *Non eadem apud omnes meridies.*
2. Meridiatio *de somno, sanitatis gratia. Ab improbo alicuius labor somnum concilias. Illustratus Salomon.*
3. *Lectio Septuaginta. Improborum insidiæ.*
4. *Varia Hebraizantium lectio Defensio Vulgati.* Lux *de oleo*. Meridies, *&* acervus, *quid propriè. Illustratus Zacharias.*
5. *Varia lectio & expositio. Divites cogunt sine mercede laborare pauperes.*
6. *Avaritia morbus inexplebilis. Quid inter divitē, & pauperem intersit. Iterum inter divitem, & ebrium quid conveniat. Illustratus Habacuc.*
7. *Avitus pars supplicio, atque pauper ab illo vexatur. Explicatus Amos.*

1 *Inter acervos eorum*. De quibus nã sermo est, de Tyrannis ipsis, atque raptoribus, an de miseris, & oppressis? Priorem hanc partem ad egenos referunt quidam, qui cum *inter acervos eorum*, id est, suos (non enim habent Hebræi reciprocum aliud) *meridientur*, id est colligendis, & excutiendis oleis, uvis, aut aliis frugibus, fructibus ve, ab ortu solis ad meridiem usq; laboraverint, tamen meridiei, & prandendi tēpore, cum deberent se reficere, irruētibus repente prædonibus, atque cuncta occupantibus impransi manent. Vatab. quod cogantur oppressi laborare in agris potētiorum, & congerendis fructibus, congregandisque acervis eorũ ad meridiem usque, oleũ exprimere, torcularia calcare, fruges metere, nulla tamen laboris mercede. Cajetanus quoque de egenis, aliter tamen. Sed nexus ipse, filumq; sermonis omnino exigit, ut hęc sit continuata quędam, atque perpetua Tyrannorum descriptio. Quem sensum amplexi sunt reliqui fere Interpretes, tum antiquiores, tum recentiores; atque Vulgatus sane idem intelligi voluit verbo illo *meridiandi*. Nam describit opulentos istos prædones ex alieno saturos, atque sine ullo suo labore in summo otio, & quiete alienis operibus & laboribus perfruentes. Ergo inter congestas aliorum facultates, aut frugũ acervos alienos ipsi *meridiantur*, id est cibum meridianum capiunt: id enim *meridiari* est apud Latinum;

Isid. Assunica.

Vatab.

Cajet.

Ientando, meridiando, comessando, pergræcando vitam ducere.

Plautus.

Neq; obstat, quod non semper prādia meridiano tempore, sed frequentiora quondam ad vesperã fuerint; nam *meridies* etiã non eadem omnibus, qui enim diem ad mediam usque noctem sequentem computabãt, meridiem fere suã habebant advesperascente die, & deficiente luce. Ergo qui *famelicis auferebant spicas*, tamen ipsi inter cõgestos ex præda manipulos delicantur, comessantur, pergræcantur, lætanturq;, sicut qui *qui lætantur in messe; sicut exultant victores capta præda, quando dividunt spolia.*

Meridies diversimode cõputata.

Isai 9 3.

2 Quid si etiam *meridiationem* significatione Latina pro quiete, & somno meridiano acceperit interpres? Indicavit hoc profecto Philippus, cujus hæc verba in hoc loco: *Hoc malũ est magnum, & iniquissimũ, ut sub laboribus, & fructibus aliorum alii requiescant.* Atq; eandem *meridiandi*, id est, quiescēdi significationē agnoverũt Greg. & D. Thomas. Ergo *meridiantur*, id est, quiescunt, quod insignis impudentiæ est, ut etiam tunc bene curandæ cuticulæ curam nõ prætermittant, & *sanitatis tuendæ*

Philipp.

Gregor. D. Thom.

gratia

Meridiationes ante, & post cibum.

Cicer. Cels. lib. 1. c. 2.

Ecclef. 5. 11.

Alienus cibus conciliat impiis somnum.

gratia meridiationes servent, aut ante cibum, aut post sumptum cibum alienum. Quanquã illud valde mirandum, quod alienus illis labor quietem & somnum concilient; nã illud naturale est, ut suus cuiq; labor, & defatigatio somnum afferat, Scriptũ est enim, *Dulcis est somnus operanti, sive parum, sive multum manducet.* Impiis tamen, & raptoribus pauperum lassitudo, & sudor laborandi, quietem placidissimam conciliet, sive antequã comedentur, & se se exsaturẽt aliorum bonis; aut etiam postquam largis compotationibus, & conviviis se se ingurgitarunt ex alieno: *Non enim capitur somnus ab eis, nisi supplantaverint, comedunt panem iniquitatis, & vinum iniquitatis bibunt.* In hac vero *meridiandi*, id est, quiescendi ratione, nescio quid lasciviæ, & petulantiæ agnoscit D. Thomas; ait enim: *Meridie quieverunt, quasi lascivientes de bonis eorum.* Forte indicat esse hujusmodi prædonum non ferendam improbitatem, ut, quæ egenis, & pauperibus auferunt, ea in alenda scorta, & impuros usus convertant, sicut illi Sacerdotes Bel; cũ *Per absconditum introitum, cũ uxoribus, parvulis, & filiis* lasciviebant, & epulabantur clam, & per insidias ex iis, quæ offerebantur in templo.

Prov. 4. 16.

D. Thom.

Dan. 14.

3 At vero Septuaginta has impiorũ *meridiationes inter acervos*, ad occultas insidias referũt, quos etiã Latini alii sequuti sunt, legunt enim: *In angustias insidiati sunt iniqui:* nã inter ipsos acervos delitescentes, & in meridie, cũ fervor solis, & præteritus labor quietẽ, & somnũ cæteris afferre solent, ipsi liberius ex insidiis adoriuntur incautos: quare illis pro somno, & quiete meridiana, est ipsa structio, & cõparatio insidiarũ, atq; ad prædã invigilatio. Hoc ipsum in illo Proverbiorũ loco nuper adducto observari potest: *Non dormiunt, nisi cum malefecerint:* Nã quo tempore alii nocturno somno, & quieti vacãt, vigilãt ipsi ad malefaciẽdũ. Complutenses hoc loco legerunt: *In meridie sederunt.* Est enim ille habitus ex insidiis observantium, & captãtium prædam.

Nicolaus. LXX.

Sedere ad insidias.

Sed Vulgatæ nostræ lectionis, atq; etiã Hebraicæ nũc breviter reddẽda ratio est; nã fere universus Hebraizantiũ chorus vertũt pro *Meridiari, Oleũ exprimere:* pro *acervis* autẽ, legunt, *muros.* In hãc sententiã: *Inter muros suos oleũ exprimunt, faciunt*, vel *calcant*, aut *produtunt*, ut vertit Mardoch. Cujus hæc est ratio, quod *Esehar* significat fenestrãm, per quam lux ingreditur, & inde significat *meridiem*, id est ut ait R. Mardochai, *Diei lucem fortem, & claram:* & habet formam dualem, ut idem Mardochai ex Kimhi observat, eo quod lux diei duplex videatur, aut diurna lux videatur in duas dividi, nã a mane *pergit, procedit, & crescit usq; ad perfectam diem*, id est ad meridiem: at vero a meridie *pergit, & tenebrescit.* Meridies autem est illud tẽpus, *In quo lux est fortis ex utroq; latere.* Hinc etiam nomen habet *oleum*, eo quod lucidum, & splendidum sit, luciq; pervium; aut, ut ego existimo, quod lumen foveat, & efficiat. Quare proprio quasi cognomento dicitur in Scriptura, *Oleum lucidissimum*, atq; *purissimum*, Levit. 24. 2. Tum etiam quoniã cognationem habet cũ luce quã nutrit, & cõservat: quare *duæ* illæ *spicæ*, aut rami *olivarum*, Zachar. 4. 14. dicũtur: *duo filii olei splendoris.* Duplici videlicet voce respondente uni, & simplici Hebraicæ, q. d. *olei splendentis*, aut splendoris oleaginosi, aut olei, simulq; lucis. Quare cum Theodotio dixerit tantum, *duo filii splendoris*, Septuaginta, Symmachus, & alii Hebraizantes legerunt, *Olei*, aut *pinguedinis* tantum, Vulgatus tamen conjunxit utrumq;. Ex his jam verbum conficitur, quod tantũ hoc loco usurpatur, quod cũ respõdere posset, vel *oleo*, vel *meridiei*, Hebraizantes referunt ad oleũ faciendũ, calcandũ, & exprimendum: quod simplicius, & melius dicerent, *Oleificare.* At vero Vulgatus, optione quasi sibi data, retulit ad *meridiẽ*, atq; simplici etiã verbo eleganter dixit, *Meridiari*, sensu valde opportuno ad rẽ præsentem. Hoc unũ scio, si Vulgatus dixisset: *oleum expresserunt*, aut calcarunt, dicturos, lecturosq; statim Hebraizãtes, ne cũ Vulgato convenirẽt, *Meridiati sunt.* Preterquã quod lectio Hebraizantiũ nullũ videtur habere cõmodũ sensũ: nã quod post R. David, Cajet. & Isidor. ajũt, Pauperes, & oppressos intra privatos parietes oleũ exprimere, nõ palã, & in publico metu prædonũ; id est (ut ille ait) *non in malis solitis, sed intra cellaria, in quibus recõdere cõsueverunt oleũ:* Non video, quã bene cõveniat, neq; cũ extrema indigẽtia pauperũ, neq; cũ incredibili aviditate prædonum, præoccupãtiũ ipsos etiã immaturos fructus. Neq; omnino coheret (ut probavi superius) sensus ille aliorũ; Quod *pauperes in domo divitũ, in qua prælum est, expriment oleũ impiorum*, & cogãtur laborare divitibus. Multo minus, quod alius interpretatur per paraphrasim: *Quod intra muros, impiis olei vis ingẽs emanat.* Cur ergo Vulgatus vocẽ Originalẽ, quã sæpe idẽ ipse vertit *murũ*, nũc *acervũ* dicit, & nõ nisi hoc loco? Respõdeo sensum sententiæ sic postulasse,

Pagni. Regia. Cajetan. Tigur. Vatab. Clarius. Osorius. R. Mardoch.

צהר
צהרים

Fenestra, & Meridiei idẽ nomen.

Olei cum lumine cognatio.

Theodotio. LXX. Symmach.

Vulgati prudentia.

Hebraizantiũ studium.

R. David. Cajet. Isidor.

Vatab. & Clarius.

Osorius.

שור

Fecunditas vocis Hebraicæ

neque omnino aliene a proprietate vocis: nã ſicut vox Originalis ſignificat proprie intendere, extendere ſive vocem cãtando, ſive oculos aſpiciendo, ſive mẽbra impinguando, ſive ædificium, aut parietẽ ædificando; unde vel ſignificat *Cantorem*, vel *parietem*, aut *murum*, vel *bovem* bene completum, & diſtenſum; ſic etiam poterit ſignificare *acervum*, aut *cumulũ* multa acceſsione, & aggregatione completum, atq; diſtentum. Exiſtimo hanc fuiſſe Vulgati mentem, & intellectum.

5 *Qui calcatis torcularibus ſitiunt*. In hac quoque ſecunda parte varietas eſt: nam non pauci referũt ad ipſos pauperes, qui coguntur laborare divitibus, & illorũ torcularia calcare, ſed nulla tamen mercede accepta laboris ſui: nam crudeles Tyranni, non ſecus ac Pharao, proprio ſumptu cogunt laborare oppreſſos, atq; illud dicunt: *Opprimantur operibus, & expleant ea*, atque inſtant, *Ite, & operamini; paleæ nõ dabuntur vobis; complete opus veſtrũ quotidie*. Ergo extremæ avaritiæ, atq; immanitatis eſt, quod impii velint pauperes calcare ſua torquularia; at eos neq; potu dignantur, *ſitire* itaq; inter torcularia redundãtia multo mero, coguntur. Alii quod pauperes, direptis jam, & de populatis ſuis vinetis, vix ex reliquiis calcatis hauſtum vini exprimunt; *Calcatis* ergo *torcularibus ſitiunt*. Niſi forte etiã indicetur, oppreſſos ære alieno divitum, cogi miſeros, fruges, atq; vindemiam vendere ſtatim, pretiumq; deferre divitibus: ſic collectis frugibus eſurire, ſic calcatis torcularibus, & exacta vindemia ſitire coguntur. Quam improbitatem potentiorũ eleganter deſcripſit Salvianus Maſsilienſis ſuo etiã ſæculo vigentem, graſſantem potius in Romano populo lib. de Provid. 5. *Illud* (inquit) *indignius, quod pauperculos tributa divitum premant, & infirmiores ferant ſarcinas fortium, neq; alia cauſa eſt, quod ſuſtinere non poſſunt, niſi quia major eſt miſerorum ſarcina, quam facultas. Quis exiſtimare rem hujus iniquitatis poteſt? Solutionem ſuſtinent divitum, & indigentiã mendicorum. Plus multo eſt, quod dicturus ſum, Indictiones tributarias ipſi interdum divites faciunt, pro quibus pauperes ſolvunt. Soli ſunt immunes a debito, qui cunctos faciunt debitores & quidem miſerrimi pauperes ſolvũt, quod, quare, vel qua ratione ſolvant, penitus ignorant. Cui enim licet diſcutere cur ſolvatur? Cui permittitur explorare, quod debeat?* Hæc Salvianus paucis prætermiſsis.

Exod. 5. 9. 14. & 19.

*Hazẽles los pobres ſus vẽdimias, y no ſon los avariẽtos para darles una vez de vino.

Vatab. Tygu. *Cajeta. Eugu. Diony. D. Tho. Titelm.*

Salvianus.

6 At ego magis probo aliorum ſenſum, & interpretationem referentium quoq; ſententiam hanc ad avaros ipſos divites, & inexplebiles predones, qua ratione accepiſſe profecto video Divum Gregoriũ quamvis ad Tropologiã deflectat: *Omnes* (inquit) *qui vitam fidelium perſequuntur, calcant, & ſitiunt, quia agendo crudelia ferociores fiant*. Notatur ergo avaritia inexplebilis nunquam rapinis, & prædis, quãvis opimis exſaturata, quæ quamvis multum exugat ſanguinis pauperum, *nunquam dicit, Sufficit*. Certe inter plena dolia avari ſitiunt, & inter medios fluctus ſtant ſitibundi Tantali iſti:

Sitis avarorũ

Gregor.

Prover. 30.

NonArteſiacis illum ſatiaret arenis
Tẽpeſtas pretioſa Tagi, nõ ſtagna rubẽtis
Aurea Pactoli, totũq; exhauſerit Hermũ;
Ardebit majori ſiti.

Claudius.

Morbus hic avarorum, de quo ſolebat Ariſtippus dicere: *Si quis multa edens, multa bibens, nunquam ſaturetur, eum ad medicos iturum, & interrogaturũ, qualis hic morbus? Quæ affectio? Quis ſanandi modus eſſet? Si quis autem decem menſas poſsidens, alias totidem emeret, multisque prædiis, multo argento parato, non expleretur, ſed ad alia paranda ſe intenderet, eum non putare ſibi medico opus eſſe*: Sed ægrotat profecto avarus graviſsime, de quo graviſsime quoque loquutus eſt Varro:

Pluthar. de cupiditate divitiarum.

* * * * * *Denique avarus*
Quis ſanus? cui ſi ſtet terra, & traditus orbis,
Furando tamen ac morbo ſtimulatus eodem
Ex ſe ſe ipſe aliquid quærat, cogatque peculi.

Varro in Eum.

Scripſit Galenus de hoc morbo luculẽter; peculiari lib. *de Dignoſcendis, curandiſque animi morbis*. Capite. 9. quod inſcripſit, *De vitanda inſatiabilitate, quæ omnis mœroris cauſa eſt*; atque cum inſatiabilitatem corporis definiat, *ultra quam ſatis eſt, progredi veſcendo*; animi inſatiabilitatem ponit in cupiditate rerũ, ultra id, quod ſatis eſt; *Scito* (inquit) *omnis triſtitiæ, ac mœroris unam eſſe cauſam eam, quam modo ſatiabilitatem noſtri, modo aviditatẽ inexplebilẽ vocant, ex eo, quod cupiditates habeant homines, quæ neq; ſatiari, neq; expleri poſsint, ſemper enim concupiſcunt ii, qui præſentium rerum inexplebiles ſunt. Proinde ſi duplum quidpiã habẽt, triplum illico ſtudent acquirere. Si triplũ, quadruplũ appetere incipiunt. Quare nũquã tu ſane omnibus ditior, ſed propter immẽſas cupiditates ſemper futurus es pauper. Recte igitur dictum, Inſatiabilitatẽ vitiũ eſſe animi peſsimum. Fundamentũ enim quoddam eſt omnium cupiditatum, pecuniæ, gloriæ, honorum, principatus contentionis.*

At qui (inquis) communis hic morbus omnium est. Quis enim non sitiat aurum, atque argentum? Sitiunt pauperes, sitiũt, & divites, cum neutri sint a desiderando, sitiendo, & famescendo immunes. Sane nam & pauperem ex ipsa nominis sui Etymologia, & proprietate (quam aliquando diximus) *desiderans* est; atque eo sitibundior, quo pauperior. At hoc inter divitũ, atque pauperum sitim interest, quod eleganter Plutarchus indicavit; *Sitientem* (inquit) *qui nondum biberit, spes est potu sitim abolituram; qui vero continenter bibens sitire non desinat, non impletione, sed purgatione cẽsemus opus habere, & vomere jubemus, quia non indigentia eum vexet, sed acrimonia, aut calor aliquis contra naturam inhærens. eodem ergo modo pauperem, & indigum apparet finem facturum, si domum nactus fuerit, aut thesaurum invenerit. Qui vero plura necessaria possidens, plura expetit, eum non aurum, & argentum sanare possunt, sed jactura opus habet, ac purgatione.* Sic sane supremus nostrorum animorum curator, & medicus Deus curare vult inexplebilem istã sitim cum præcipit avaro, *divitias, quas devoravit evomere:* cum jactura illum, atque purgatione impletiones evacuat, & nolenti etiam, atque invito *de ventre illius extrahit divitias Deus.* Diximus de hoc morbo siticuloso non pauca superius c. 20. Vers. 15. 10. 21. 22. 23. Atqui avari ipsi siti, & morbo exagitati remediũ sibi quærũt, sed stultũt profecto; & nõ nisi nociturũ, de quo illud quoq; dici potest, quod in medicum, gloriosũ dictũ est: *Tuũ remediũ morbũ graviorẽ facit. Multo enim cõciatior est avaritia in majorũ opũ congestu conflata, ut flãmæ infinito acrior vis est, quo ex majori incendio emicuit.* Hæc illa profecto est ægri ad noxium potum inhiantis, & ebrii vinum sitiẽtis deceptio, & prava omnino, atq; præpostera medicina, de qua dixit Abacuc. cap. 2. adversus Nabuchodonosoris superbiam, & avaritiam inexplebilem, *Et quomodo vinum potantem decipit; sic erit vir superbus, & non decorabitur.* Causam statim subjungit, inexplebilem sitim, & morbum incurabilem adimpletione, & potu; *Qui dilatavit, quasi infernus, animam suam* (ventrem suum stomachum, in quo residet appetentia, sitis, & famis, multo autem potu dilatatur, & distenditur ventriculus, inflantur præcordia, sed non propterea minus sitiunt; nam distento ventre, intenditur sitis) *& ipse quasi mors, & non adimpletur.* (quamvis enim mors multa devoret, inexplebilis manet) *& congregabit ad se omnes gentes, & coacervabit ad se omnes populos.* Deinde subjungitur gravissimi illa supplicii comminatio: *Væ ei, qui multiplicat non sua.*

Pauper desiderans.

אביון

Plutarch.

Quid inter sitim divitum, & pauperum intersit.

Deus morbũ avarorum curans evacuatione.

Senec. lib. 2. de benef.

Ebrii & avari remedia noxia quærẽtes.

7 Sed si nihil aliud, certe illud gravissimum est quod avaros hujusmodi, raptores, divites, non alia Deus videatur pœna afficere, quam ea ipsa, qua pauperes, & miseri ab illis opprimuntur, sicut Amos. c. 9. dixit: *Avaritia in capite omnium*, q. d. *In caput omnium.* quasi in suum ipsorum caput recidat par supplicium, atque illa ipsa pauperũ oppressio: Nõ enim deterior est in pauperem avarus, quã in se ipsum: non minus indigẽs, ut vetus Poeta dixit,

Desunt inopiæ multa, avaritiæ omnia:
In nullum avarus bonus est, in se pessimus.

Et sicut pauperes non dignãtur potu, aut buccella panis, se ipsos etiam siti, ac fame conficiunt: *nam hæc divitiarum cupiditas pugnat contra sui impletionem: pecunia enim avari, ob amorem pecuniæ, abstinent.* & sicut ipsi pauperes laborare cogũtur nulla mercede, *ita ipsi labores sustinent, voluptates autem nõ percipiunt: ac sicut morosa hædera parietẽ, illos avaritia cogit, frui prohibet, & concupiscentiam cum excitet, voluptatem adimit.* Quæ omnia quid aliud sunt, quam: *Calcatis torqularibus sitire?*

Refert Seneca lib. 2. de benef.

Plutarch.

XII. *De civitatibus fecerũt viros gemere, & anima vulneratorum clamavit, & Deus inultum abire non patitur.*

1. Gemere *quid proprie. Explicatus Moyses.*
2. *Duæ constructiones diversorum verborum uni verbo attributa. Explicati Samuel, & David.*
3. Vulnerare, *&* vulneratus *in Sacro sermone. Variæ mortis circumloquutiones. Illustrati David, & Ezechiel.*
4. Clamor *scelerum.* Deus auditor. *Quid* auris Zeli *apud Sapientiam.*
5. *Varia ex Hebræo lectio, & interpretatio.* Insulsum, *&* inultum *quid prop. Deus omnia cũ ratione disponit. Notata argutia Cajetani.*
6. *Deus Sapienter cunctatur in impiorum supplicio. Priscus damnatorum educendorum ad supplicium ritus. Illustratus semel & iterum David.*

NOn in agro (inquit) solum grassata est potentum impietas, sed etiam in ipsis urbibus, & media hominum fre- 1
quentia, alios enim percussos, & oppressos, *fecerunt gemere*, vociferari, de injuriis illatis, & oppressione conqueri. Sicut Exod. 2. 23. ab eadem radice dicitur; *Ingemiscentes filii Israel propter opera vociferati sunt, ascenditque clamor eorum ad Deum ab operibus, & audivit gemitum eorum.* Est

נאק

prate-

præterea hic *gemitus*, & exclamatio implorantis opem; &, cum in humanis nemo adsit, benignas Cæli aures postulantis. Id quod sequente particula etiam indicatur.

2 Duæ diversæ cōstructiones uni verbo attributæ.

Septuaginta intelligunt hoc loco *ingemiscentes de civitatibus* eos, qui domibus suis, & civitatibus exturbantur; & forte illud ipsum indicat, *gemere de civitate*: nā solet Scriptura duas constructiones diversorum verborum, uni tantum tribuere, cum simul duas diversorum verborum significationes in unam tantum sententiam conjungit, ut illud Isaiæ. 41. 1. *Taceant ad me insulæ*, id est, tacentes ad me convertantur. Ionæ. 1. 2. *Ascendit malitia coram me*, id est, *ascendit* in cælum usq; & deinde *coram* meo tribunali constitit. & Psal. 19. 7. *Clamor meus in conspectu ejus introivit in aures ejus*, id est, clamor in cōspectu ejus effusus est a me, & perceptus a Deo: alias clamor non est in oculis. Sunt ejus generis plura. Sic hoc loco *gemere de civitate*, id est, pulsos & exturbatos de civitate, ingemiscere.

3 LXX

Et anima vulneratorum clamavit. Septuaginta per *vulneratos* intelligunt, *parvulos*, & infantes necem parentum, solitudinemque intuentes, proptereaque prę dolore, & gemitu clamātes, legunt enim; *Anima parvulorū in gemitu valde fuit*. Philippus: *Vulnerati* (inquit) *non solum intelligendi sunt, quorum corpora telis transfodiuntur; verum etiam illi, quorum animæ hostium timore nimio, velut gladio feriuntur*. Certe in familiari Scripturæ sermone *vulnerare* est idem, quod occidere, aut interficere, & *vulneratus*, interfectus, aut occisus. Psalm. 87. 6. *Sicut vulnerati, dormientes in sepulchris, quorum non es memor amplius, & ipsi de manu tua repulsi sunt*. Vbi sunt quatuor mortis periphrases vocibus tantum, non sententia diversæ, &. 1. Reg. 7. 52. *Ceciderūt vulnerati* (interfecti) *de Philisthiim*, ubi iterum duplici voce eadem mors significatur. non aliter Ezech. 21. 29. loquitur Deus cū suę vindictæ gladio adigēdo in Ammonitas; *Mucro, Mucro, evaginate ad occidendum, limate, ut interficias; ut dareris super colla vulneratorum impiorum, quorum venit dies in tēpore iniquitatis præfinita*. Vbi rursus duplex, aut triplex necis, & extremi supplicii circumloquutio.

Philippus.

חלל

Variæ mortis circumloquutiones.

4 Ergo (inquit Iob) alii, quibus cum vita, & sanguine vox simul deficit, non ore, sed silentio ipso, & morte excepta, *clamarunt*; nimirum, *anima*, vita ipsa adempta, sanguis, in quo est anima viventis, profusus clamavit, se se ipsum prodidit, non passus occultari, sed adversus actores tāti facinoris publice accusant ante Deum judicem, & Divinam justitiam, quasi tardo incessu gradientem excitant, ut gradū acceleret, ut jam Deus, neq; dormire, neq; non animadvertere posse videatur; Cadunt hæc omnia in hunc clamorem oppressionis pauperū, aut in clamorē ipsorum scelerum, quæ sua magnitudine Cælum complere videntur. Atque ad hunc respiciunt aliæ Scripturæ loquutiones etiam suppressa clamoris voce, ut Isai. 1. 9. *In auribus meis sunt hæc dicit Dominus*. & Isaiæ. 1. 2. *Ascendit malitia ejus coram me*. Hinc profecto Deus *auditor est*, vel *exauditor*, ut ait Ecclesiast. c. 35. vers. 18. id est judex: atque eo *audiendi*, & *exaudiendi* nomine, tum se benignum pauperibus, & oppressis, tum severū judicem oppressoribus commendat. *Aurem Zeli* habet Sap. 1. 10. & auditorē Zelo plenum se vult haberi. Diximus de hoc clamore nō semel, dicemus quoq; nonnihil, Iob. 34. 38.

Deus auditor scelerum clamantium.

Et Deus inultum abire non patitur; Deus in cujus aures clamor pauperum introivit, excitatus ad sumendam de impiis vindictam: is enim dixit; *Mihi vindictam*. Ex Hebræo proprie legitur, *Deus nō ponit insulsum*: quod alii per interrogationē legūt. q. d. Si Deus non affligit pios, ut probet, & exploret, ut tu, o Eliphaz, dicis, profecto insulse, & sine ratione ageret, cum illos affligit. Sed præstat sine interrogatione legere, cum sensus idē constet. Deū autem *nō ponere insulsum*, videtur esse idē quod nihil Deū relinquere in mundo sine sale justitię, & vindictæ suæ; nihil sine pro videntiæ ratione, nihil irrationale facere: nam quamvis, quæ in mundo fiunt, insipientibus insipida videantur, & fatuis fatua, & stultis insulsa: at sapientibus, & agnoscentibus Divinam Providentiā, nihil insipidum, nihil insulsum, nihil, quod non sit sale conditum. Vt autem tum hujus lectionis, tū aliarum rationem reddamus, certe vox, quæ *inultum* hoc loco vertitur, est eadē, quæ supra. c. 1. vers. 22. vertitur *stultum*. & c. 6. *Quod non est sale conditū*. est videlicet proprie res absq; tēperamento; quod dicere possumus; *Lo q̄ no tiene su pūto*, quodcūq; illud tandē fit. Sub qua significatiōne hæc omnia cōprehendit R. Mardokai; *Futile, inane, vanum, irrationale, probibitio, defectus*. Hinc Pagnin. hoc loco legit; *Deus non prohibet eorum opera*: vel, ut ex doctis Hebræorum affert Vatablus; *Deus nō ponit prohibitionem*; id est, Sinit utiq; illos Deus interim, dum vivunt, licenter, & impune agere. Sed tamen præcedentem le-

5

Rom. 12. 19.

Vatab. Regia.

Providentia velut sal omniū, quæ fiunt

תפל

Varia lectio.

R. MardoK.

Pagn.

Vatb.

*Tiene los Dioscomo en ſal para ſu tiẽpo.

ctionem cum iſta conjungamus; *Deus nõ ponit * inſulſum*. Sed tantam improbitatem, & licentiam quaſi ſalitam, & in extremum judicium puniendam reſervat. Præſertim cum id, quod nobis longiſsimum videtur, atque tarde fieri, reſpectu judicis ſupremi valde breve exiſtimari debeat. Quod non aliter, quam ſi ex Divinis litteris illud accepiſſet; *Mille anni ante oculos tuos, tanquam dies heſterna*. Plutarchus diſſerens de fera impiorũ vindicta, ait; *De tempore longo, cum dixi, intelligendum eſt hoc, ut ad humanam refertur naturam: nam Diis quidem omne vitæ ſpatium pro nihilo eſt: & quod nunc, non ante triginta annos, tale eſt, atque hoc, quod non mane, ſed veſperi cruciatur, aut ſuſpenditur ſceleratus*. Cajetanus legens; *Deus non ponet defectum*; pœnas futuræ vitæ, *defectus* nomine comprehendit: *Quoniam* (inquit) *in privatione eorum, quæ apti nati erãt habere, conſiſtunt*. Subtilis, & argutus eſt auctor, & amator argutiarum, cum tamen *defectus* ex hac voce Hebræa, nihil aliud ſit, quam deficiens, caducum, & parum durabile, atque ſine debito ad diuturnitatem temperamento; cum tamen ea, quæ decernit Divina providẽtia, ſtabilia ſint, & minime defectuoſa, ut quibus optima ſemper ratio ſubſit. Quo etiam reſpexit R. Abraham dicens; *Deus non faciet hoc gratis, & fruſtra*, id eſt non temere, & abſque ratione. R. Kimhi; *Deus non ponet * imminutionem*, id eſt, rem deficientem, aliqua vel juſtitiæ, vel æquitatis circunſtantia. Sed eleganter comprehendit hæc omnia clare, & dilucide noſter Interpres, cum dixit: *Deus inultum abire non patitur*: nam omnes optimi, & ſapientiſsimi judicis circunſtantias, & rationes Deus ſervat, & quamvis interdum connivere videatur ad improborum ſcelera, tamẽ nõ ſinit impune abire improbos, quos videlicet dãnatos jam, & lethali ſupplicio addictos continet in carcere, educendos non multo poſt ad æternum ſupplicium. Quod graviter, æque ac ſapienter Plutarchus loco nuper adducto his verbis docuit: *Vt primum quis improbe egit jam obſtrictus pœnæ tenetur, & ſuavitate flagitii, velati eſca illico devorata conſcientiam intus urgentem, plectentemq; habẽs. Hoc qui neget, perinde eſt, ac ſi piſcem, qui hamum voravit negemus captum, antequam a coquis aſſatum, aut in fruſta conciſum videamus. Sic qui in hac vita captivus detineatur, tanquam in carcere, unde migrare, aut effugere non poſſit, fune ſuper capita pendente*. Cum quo videtur colludere illa Davidis oratio. Pſal. 31.9.

Pſal. 89.4.
Plutarch.
Cajet.
תפל
R. Abrah.
R. David.
* A lo q̃ Dios haze, nadie le puede poner falto, ni tacha.
Deus non dimittit liberos quos adhuc continet in carcere.
Plutarch.
Damnati funem habẽtes pendẽtem ſupra capita.

In chamo, & fræno maxillas eorum conſtringe, qui non approximant ad te. Non ſolum, ut præcipites iſtos ad ſcelera impios contineat, & refrænet adductis habenis, & fræno ingentis ſupplicii, ſed etiã ut funem capite, & cervicibus pendentem, tanquam jam damnatis, ſtatim alliget. Refert enim idẽ Plutarchus in Cleomone, morẽ apud Ægyptios fuiſſe, ut hi, de quibus ſumendum eſſet ſupplicium, *cervices fune innexas tenerẽt, & frænata ora*, ut eo inſigni pœnas luituri notarentur. Idemq; apud Medos, & Perſas obſervatũ ſcribit Herodo. lib. 3. in Cambyſe. cum is *miſit ante Pſamnitii faciem, filiũ ejus cum duobus millibus Ægyptiorum, æqualis ætatis, vinctas fune cervices, & frænata ora habentibus, pœnas capite luituris*. tetigit rẽ Chryſoſtom⁹ hom. 4. ſuper id Iſaiæ: *Vidi Dominum: Iure* (inquit) *dãnatos poſtquã funem acceperunt, adducũt funẽ ore geſtantes*. Quo etiam videtur alluſiſſe Plaut⁹, cũ dixit; *Deos quæſo, ut quidẽ camũ, & furcam feras*. Non enim eo loco lego, *Canẽ, & furcã*. Chamo igitur, & fræno cõſtrictos impios Deus nõ permittit abire, ſed æterno ſupplicio deputatos pauliſper ſervat, & continet in corporis carcere fune pẽdente, & *in chamo, & fræno*. Atq; illud etiam ex eadẽ Aegyptiorũ Regũ conſuetudine affert idẽ Plutarch. *Vt qui interficiẽdi cauſa, in cuſtodia tenebantur, pridie quam interficerentur, cœnã, & munuſcula quædam ex Regis aula, miſſa acciperẽt*. Sic ſane impii pridie quã afficiantur extremo ſupplicio, quaſi cœna miſſa, & rerum temporalium munuſculis cõceſsis, permittit illos Deus convivari, deliciari, ſplendere, ſed hæc tamen munuſcula, quę Deus illis permittit, quæq; ipſi ex rapina lucrãtur, æterni quoque ſupplicii nõ multo poſt luendi, inſignia ſunt, his onuſti, & ornati cũ incedunt, ſicut dictũ eſt: *Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meũ, & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me*. Quẽ locũ ſic legit Auguſt. *Sicut faſcis, gravati ſunt*. nã ex peccatis omnibus, atq; rapinis videtur nõ faſciſculus, ſed ingẽs faſcis cõfici, nõ ſolũ, quibus ipſi impii opprimãt pauperes (ut Iſaias dixit: *Solve faſciſculos deprimẽtes*) ſed, quibus ipſi oppreſſores, tanquam lignorum faſciculo accẽſo concremandi ſint in Divinæ juſtitiæ ſacrificiũ, & laudẽ. Hos igitur cum nimia fælicitate, & copia bonorum temporalium onuſtos viderimus, dicere licebit; Impoſitã jam eſſe ligna holocauſti ſuper illos, Deũ autem ignem, & gladiũ præſto habere in manibus, non enim quamvis *ſpatio trium dierũ* impios pergere ſinat, *abire* tamen permittet inultos.

Plutarch.
Aegyptiorum mos.
Herodotus.
Chryſoſt.
Plaut. in Caſin.
Aegypti Reges damnatis munerorũ mittunt.
Ipſa tempora lis fælicitas aliquãdo præit im pii ſupplicium.
Pſal. 37.6.
Auguſt.
Iſaia. 58.
Impius ipſe geſtans ſupra ſe faſcem lignorũ, quibus cremãdus eſt
Geneſ 22.

XIII. *Ipsi fuerunt rebelles lumini: Nescierunt vias ejus: nec reversi sunt per semitas eius.*

1. Rebelles *qui. Lumen benefacere paratum, à tenebris non recipitur. Illustratus Ioannes, & Ieremias.*
2. Tenebræ *humanæ mentis. Peccata in proximũ dicentur contra Deum. Explicatus David.*
3. *Lumen insitum rationis.*
4. *Impii luminis osores. Varia lectio, Nox suadet scelera.*
5. Nescire *quid.* Reverti *ad moram, & permanentiam. Impii amatores tenebrarum.*

1 NON Sunt (inquit) hæc tã immania flagitia supremo Numini ignorata; aut convoluta tenebris oblivionis alicujus: nã Deus *lux est, & tenebræ in eo nõ sunt ullæ.* Ipsi profecto involuti sunt crassissimis ignorãtiæ, & oblivionis tenebris, adeoq; nefariũ videntur bellũ indicere lumini, & Divinæ scientiæ. *Rebelles* proprie, prævaricatores, deficiẽtes, recedẽtes a lumine, est videlicet hoc quoddam rebellionis genus conjunctũ cũ protervia quadã, contentione, & cõtumacia, atq; etiam cũ provocatione quadam, & exacerbatione, atq; inobediẽtia erga Deum. Hæc enim omnia cõprehendit Originalis vox. Si autẽ per *lumẽ* intelligamus id, quod plerisq; interpretibus placet, Deum nimirũ intelligunt, aut Divinã legem, ut nonnulli ex his ipsis addunt, sensus erit, Hos in lucem ipsam insurrexisse, tanquã Divinæ legis, & supremæ Providẽtiæ, atq; Numinis cõtẽptores Deum, & Providentiã exacerbãtes, & ad iracundiã provocantes, Divinis præceptis adversantes, increduli novissimi judicii, tanquã *generatio prava, & exasperans*, vel, ut ex hac ipsa radice trãstulit juxta Hebræũ Hieronymus, *Generatio declinans, & provocans.* Ergo mirũ omnino videri debet, quod *tenebræ* obscurissimæ *luminis* contẽptrices sint, & tetra ipsa nox adveniẽti soli, & ultro properanti bellũ indicat, & impedimentũ objiciat! Quod per admirationẽ ingentẽ videtur dixisse Ioannes. c. 1. 5. *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eã non comprehenderunt.* id est, cũ lucere soleat in tenebris lux, tenebrasq; suo advẽtu discutere; at humanæ iniquitatis tenebræ ultro se se ingerentẽ, & offerentẽ Divinã lucẽ noluerũt admittere, neq; illuminari, & cũ Deus *in sua propria veniret*, non solũ quod esset rerũ omnium universalis Dominus, & cujusdã etiam peculiaris populi, sed quod proprium lucis sit *pertransire benefaciendo*, & illuminando inferiores tenebras, *in propria* tamen veniẽs, & propriũ illuminandi munus exercens, receptũ non sit a tenebris, quorũ propriũ esset lumen expectare, & expetere! Tãdẽ rem totam hanc luminis, & tenebrarum, unico verbo explicuit, *Mundus eũ nõ cognovit.* Rẽ profecto eandẽ, quãvis sub diversa trãslatione, *horribilẽ*, appellavit Ieremias. c. 16. 14. *Quis* (inquit) *audivit talia horribilia, quæ fecit nimis virgo Israel? Numquid deficiet de petra agri nix libani? aut evelli possunt aquæ erũpentes frigidæ, & defluentes? quia oblitus est mei populus meus.* q. d. Nũ ex supremo vertice Libani ultro fluẽtes, & liquescentes nivales aquæ respui possunt ab agro sito ad montis radicem arescente, & sitiente? Num sitis ipsa, & necessitas, atq; privatio cælestis humoris deserere, aut nõ admittere potest spõte sua influentẽ imbrem? minime sane. At Divino tamẽ *lumini rebellis* existit humana caligo, & humanorum tenebræ animorum.

Lux in tenebras, tã quam in propria veniens.

1. Ioan. 1. 5.

מרד

Philipp. R. Abraham. Cajet. Vatab.

Deus, & Divina lex, lux.

Psal. 77.

Mirum, tenebras resistere lumini!

Act. 10. 38.

2 Sed quid obsecro ad tantã insaniã perduxit tenebras humanæ mentis? Responderi nihil aliud posse videtur, quã ipsas tenebras tantæ obcæcationis causam extitisse, atq; noctẽ ipsam, quã impii amant, suasisse impiis, ne lumẽ admitterẽt. Quid enim non suadeant tenebræ, & nox? Illud vero interpretatione observãdũ, postquã peccata in proximum enumeravit Iob, nunc peccata, & contẽptum in Deũ, eadẽ omnino dicendi formula subjunxisse. q. d. Ea ipsa, quæ in proximũ, præsertim pauperẽ, & impotentẽ peccata fiunt, in Deũ illa etiam fieri: *quod enim uni ex minimis fit* sive in bonũ, sive in malum, ipsi Deo fieri existimare præcipimur. Nam hujusmodi oppressorum, & oppressionũ, nemo alius adversus potẽtissimos Reges, & superbissimos tyrãnos vindex esse potest, sicut dicebat David post interfectũ Vriã, & post raptã uxorẽ: *Tibi soli peccavi.* nã quẽ aliũ judicem, aut vindicẽ mei sceleris verear, aut agnoscã? Quis enim alius Deos judicare possit, quã Deus ipse? *Stat ille in Synagoga Deorum, & in medio Deos dijudicat.* Ad supremũ igitur Regem Deum appellare præcipit Eccles. c. 5. 7. In calũniis egenorum, *Si videris* (inquit) *calũnias egenorum, & violenta judicia, non mireris super hoc negotio, quia excelso excelsior est alius.*

Impiorum tenebræ, & cæcitas.

Peccata in proximum, eadẽ in Deum.

Matth. 25. 4.

Psal. 50. 6.

Psal. 18.

3 Alii tamen per *lumẽ* intelligunt, aut bonum ipsum, quod quasi naturali lumine noverunt, ut Gregorius: aut vero ipsum naturæ, & rationis lumen, ut D. Thomas, aliiq; Latini, quod videtur ipsi homini facienda, & fugiẽda dictare. at vero impius contra illud ipsum insitum lumen, & innatam rationis legem rebellare videtur,

Lumen rationis.

Gregor. D. Thom. Caietan. & Tygur.

cum contra illam egit, niſus in vetitum.

4 Sed ego tamen, quod aliorum venia dixerim, ſuſpicor de hoc ipſo externo, diurnoq; lumine, quod oderunt amatores tenebrarum, & improbi lucifugæ, ſermoné eſſe. Quare dicuntur *rebelles lumini*, quaſi hoſtes, & oſores luminis, ne lumine ipſo prodantur, & manifeſtentur: Nã quæ ab illis *in occulto, & in tenebris fiunt, turpe eſt etiam dicere*; ferinis enim præditi moribus ferarum more nocte graſſantur; *orto auté ſole*, exiſtimant ſibi licentiam, & impudétiam facinorum interdictam, *Congregãtur igitur in cubilibus ſuis*, & abſtinent a ſanguine. Hunc ſenſum manifeſte colligo ex iis, quæ de tenebrarum ad improbitatis uſus, utilitate, & opportunitate ſubjiciuntur. verſ. 14. 15. 16. 17. Atq; in hanc ipſam interpretationẽ recidit, quod R. David vocem Originalem, non deducit a *Marad*, quod eſt rebellare, ſed a *Iarad*, quod eſt cadere, aut deſcendere. Propter eaque legit; *Ipſi fuerunt in deſcenſu luminis*, q. d. videntur ad ſolis occaſum, adveſperaſcente jam luce, prodire ex latebris more ferarum, quæ in tenebris rapiunt, & quærunt eſcã ſibi. Neq; dubium quin multa improbis facinora ſuadeant tenebræ, quibus pares cũ muliere, vinoq; vires, aut certe majores conceduntur.

Simplicior interpretatio. — *Impii lucifugæ.* — *Ephes. 5. 12.* — *R. David.* — מרד ירד

Nox (inquit ille alius) *mulier, vinum, homini adoleſcentulo ſuaſerunt*. & Sulmonenſis poeta:

Plaut. in Bacchidibus act. 1. — *Ovid.*

Nox, & amor, vinũq; nihil moderabile ſuadẽt:
Illa pudore vacat, liber, amorq; metu.

5 *Neſcierunt vias ejus*, id eſt, non probarunt; vel contẽpſerunt. aut quidem non experti ſunt, neq; ingreſsi. Hæc enim omnia cadũt in illam ignorationem, & neſcientiã; id eſt ſẽper illis placuit tenebroſum iter: *Nec reverſi ſunt*. proprie ex Hebræo: *Nec ſederunt in ſemitis ejus.* Permanentiã quandã, & moram ſignificare videtur verbum *Iaſab*, quod ſæpe vertitur manere, ſtare, expectare, morari. ſicut Pſ. 1. 1. dicitur, *In via peccatorũ non ſtetit*, & quod deinde additur, nomen *Cathedræ*, eſt ab hac ipſa *revertendi*, aut *ſedendi* radice: *Et in cathedra peſtilẽtiæ nõ ſedit*. Ergo, inquit, hujuſmodi impii ſolis ipſius lumen reformidant, ne a lumine manifeſtentur ipſorum tenebræ. Significat etiã, ſi forte aliquando luminis vias ingreſsi ſunt, avertiſſe ſtatim faciẽ, & pedẽ, atq; diſceſsiſſe obſtinato animo nunquã revertendi ad rectum, lucidumq; juſtitiæ tramitẽ, de quo ipſi illi impii loquebãtur Sapientię. 5. 6. vias luminis appellantes, *Viã veritatis, & ſolem intelligentiæ, & viã Domini*, at vero tenebras, *viam iniquitatis, & perditionis, & vias difficiles.* Quæ autẽ incõmoda afferant *tenebræ, & lubricum*, quę item diſcrimina, alibi perſequuti ſumus. Tantũ hic, quod eleganter ait Philippus: *Qui cæcato corde in tenebris ſunt, mittetur in tenebras exteriores, & dupli ci malo induentur, ſicut diploide.* De differentia autẽ *viæ*, & *ſemitæ*, Gregorius hic, ſed ad mores, non ad litteram. Cum utilitate ergo adeundus.

Tygur. Cajet. Regia. — ישב — *Vię luminis quæ.* — *Pſal. 34. 6.* — *Philipp.* — *Gregor.*

XIIII. *Mane primo conſurgit homicida: interficit egenum, & pauperẽ, per noctẽ vero erit, quaſi fur.*

1. Mane *quid. Prima impiorum cura. Iudex Deus mane interficiens impios.*
2. *Impii effuſſores humani ſanguinis, ſcelus homicidii horrendũ. Illuſtrati Samuel, & David.*
3. *Homicidium venationi ſimile. Homicidiorum ex illa occaſio. Sanctorum clementia erga mutas pecudes. Illuſtrati Moyſes, & Salomon.*
4. *Oppreſsio pauperis inſtar homicidii. Ex Sapiẽte.*
5. *Particula* Quaſi, *ad veritatem & proprietatem. Iudices iniqui, quaſi fures. Munera rapiunt, & furantur.*

1 M*Ane primo*. Forte (inquit Phili.) *Mane dictũ eſt, pro eo, quod plublice, & clara luce malum cõmittitur, ut ſit quaſi gloria facinus operantiũ, ſecundum Sodomitarũ exẽplum, de quibus dicitur, Et peccatum ſuũ non abſconderunt.* Sed præſtat, ut *primo mane* ſit, prima luce appetente, vel potius ſub lucem, vel in ipſo matutino crepuſculo: nã incipit enumerare, quæ impii in tenebris, & nocte facinora aggrediantur. Tunc ſe impius prædæ committit, cũ ſimplices viatores ſe cõmittunt itineri. Graſſandi, igitur, & fundẽdi humani ſanguinis aviditas, & cura illos excitat; ſicut & interficiendi impios ipſos cura ſanctiſsimũ Regem excitabat Pſalm. 100. *In matutino* (inquit) *interficiebã omnes peccatores terræ, ut diſperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem*. nimirũ ut ſanctã civitatem expurgaret ſordibus. At impii ſordidiſsimi, ne aliquid præter ſordes ſuas mũdũ repleat, in matutino interficiũt juſtos terræ. Par profecto videtur illis imminere ſuppliciũ ex æquo reſpondens ſuo ſceleri: nam mane illius diei ſupremi judicii cõſurget etiã judex ipſe, ut interficiat interfectores hos, atq; profuſores humani ſanguinis; de Chriſto enim judice, nõ ſolũ Gregorius accipit eum locum Pſalmi, ſed etiã Kaldæus hic legens, *Mundo venturo, qui aſsimilatur luci matutinæ, perdã omnes peccatores terræ.* ne quid *pollutũ, & cruentũ* ingrediatur in civitatem Ieruſalem.

Mane pro media luce. — *Prima impiorum cura.* — *Par ſuppliciũ reſpõdens improbitati.* — *Gregor.* — *Chald.*

2 Hi protecto *viri sanguinum* sunt; quo nomine sceleratissimi esse significantur: nā quod alieno sanguine cruentatum est, nō nisi immanissimo scelere, & flagitio pollutum, & contaminatum censetur; adeoque viris sanctis horrori fuit humani sanguinis effusio, ut etiam ab improborum, & nocentium dignissima cæde, quoad fieri posset, abstinerent. Sic maximi beneficii loco fuisse, ait Abigail ad David. 1. Regum. 25. 26. *Vivit Dominus, & vivit anima tua, qui prohibuit te ne venires in sanguinem, & salvavit animam tuam tibi*. ex Hebræo prop. legitur, *& salvavit manum tuam tibi*. Septuagint. *& servares manum tuam tibi*. q. d. *Ai quedado con el braço sano*. nam videtur homicidæ manere ipsa manus cruētata alieno sanguine, alieno etiam quasi vulnere ipsa quoque confossa, & lacerata, sicut etiam dixit Lamech; *Occidi virum in vulnus meum, & adolescentulum in livorem meum*. nā sicut interfectus homo vulneratus, lividusq; totus manet; ita & homicida vulnus illud ipsum sibi infixisse, livoréq; sibi ipsi inesse merito cēset, & hoc perpetuo cuidam singultui, & scrupulo, nunquam eximendo. ut eadem illa sapiētissima Abigail dixit; *Non erit tibi hoc in singultū, & in scripulum cordis Domino meo, quod effuderis sanguinem innoxium, aut ipse te ultus fueris*. Vbi Septuaginta legunt: *Non erit tibi hoc abominatio, aut scandalum*. quod profecto significat molestissimos conscientiæ aculeos, & internam animi convulsionem ex homicidio.

Psal. 54. 24.

Horrendum effundere humanum sanguinem.

Vatab. Tygu. Regia.

Genes. 4. 23.

Homicida aliena cæde interfectus.

3 Illud tantū hoc loco observandū, cum dicitur, *homicida mane primo consurgere*, indicari quasi ad venationem egredi: & recte quidem: nam non aliter sanguinolenti isti, & cruenti homicidæ videntur humano sanguini insidiari, quam ferarum venationi. Imo & Soclarus colloquens cum Avtobulo dissertis verbis ait; *Inde inhumanitatem, & sævitiam ad homines venisse, cum se adsuefecissent semel gustu cædium percepto in venationibus, ad sanguinem & vulnera animantium æquo animo ferenda, gaudendumque iis trucidandis*. Similem sane cædem suo scelere dignam primus homicida subiit; nam antiqua Hebræorum traditione dicitur Lamech fuisse venationi deditus, illamque studiose usque ad extremam senectam coluisse, ususque, cum jam caligaret præ senectute, rectore, & vestigatore ferarum puero. Ergo aliquādo ferarum more errantem in Sylvis Cainum, Lamech male admonitus a puero æstimante feram esse Cainum, sagitta transfixit, atque dejecit: puerum quoque statim, errore cognito, percussit, atque occidit. atque hoc illud est; *Occidi virum in vulnus meum, & adolescentulum in livorem meum*. At non errore, *primo mane consurgit homicida*, ad venationem humani sanguinis; sed impietate, & crudelitate stimulatus. Etiam ab animantium irrationalium cæde immani, & crudeli videtur absterrere Sapiens, quo longius hominem abducat ab humano sanguine fundendo; *Novit* (inquit) *justus jumentorum suorum animas* (conservat, sustentat illorum vitam, quæ in sanguine est) *viscera autem impiorum, crudelia*. Certe *Pythagorei, ut homines ad miserationem, & humanitatem condocefacerent, mansuetudinem erga bestias meditandam præceperunt*.

Homicidium venationis simile.

Pluth. commē. terrestria an aquatilia sint callidiora.

Cain interfectus a Lamech venationi vacante.

Hist. Scholast. c. 25.

Hiero. Epist. 125

Erga irrationalia etiam utendum benignitate.

Prov. 12. 10.

Plutarch. comment. superius citato.

4 *Interficit egenum, & pauperem*. Proprie, oppressum, & humiliatum, & rebus necessariis carentem. Subit meum animum suspicio, non solum de vero ipso *homicidio* sermonem esse, sed & de rapinis potentiorum, quæ perinde atque homicidia cēset Deus; Scriptum est enim Eccles. 34. 25. *Panis egentium, vita pauperum est; qui defraudat illum, homo sanguinis est: qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum: qui effundit sanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres sunt*. Quare & cum iis, qui ex alieno, & ex rapto sacrificabant, videtur loquutus Isaias. c. 61. 3. *Qui immolat bovem, quasi qui interficit virum*. Non displicuit hoc Philippo sic scribenti hoc loco: *Non aperte quidem interficiunt gladio, sed dum spoliant eos, & totum auferunt, unde vivebant, atrocius eos quodā modo, & gravius occidunt*.

עָנִי

Raptor, & oppressor pauperum instar homicidæ.

Philipp.

5 *Per noctem vero erit, quasi fur*. Illa particula, *quasi*, non dicit similitudinem, sed proprietatem: nullam enim temporis particulam opportunam suis sceleribus prætermittunt; imo sic partiuntur temporis momēta, & articulos, ut nullus vacet suo scelere. Nam matutinum tempus homicidio tribuunt; vespertinum, & nocturnum latrociniis. Nisi forte similitudinē quandam inter manifestos fures, atque hos personatos sub judicum, & magistratuum nomine, indicet illa particula, *Quasi*, quod placuit Philippo; sicut etiam *noctem* intelligi vult, *secretum quodam, quasi tempus nocturnū* ab eisdē requiri, quādo munera pro causis prævaricatis accipiūt.

Particula Quasi, ad veritatē.

Iudices iniqui, quasi fures.

Philipp.

℣. XV. *Oculus adulteri observat caliginem, dicens: Non videbit me oculus: & operiet vultum suum.*

1. Tenebræ ſuadentes facinus.
2. Impius, cum non videt, putat ſe nõ videri. Oculi Lenones, & prima amoris via. Qui Oculi pleni adulteriis *apud Petrum*. Oculi ſubſeſſores, *qui.*
3. Timor adulterorum, dum ſe nimium occultant, produntur a Deo. Illuſtratus locus Regum.

NOx, & tenebræ adminiſtrę ſunt impiis ſuarum libidinum, & cupiditatũ. Hec ipſa nox eſt, alioquin cæca, infandarum tamen libidinũ teſtis oculatus, cõſciaque ſtuprorum, adulteriorumq; nefariorum. Hæc ipſa ſunt, quæ Paulus intelligi vult, cũ ait; *Quæ in tenebris ab ipſis fiũt.* Hæc adulteram domo ad quærendũ vecordem juvenem egredi perſuaſit: *In obſcuro, adveſpereſcente die, in noctis tenebris, & caligine, donec illuceſcat dies*. Hæc ipſa *efficit fornicaria omnem panem dulcem.* & pellicit *ad tranſgrediendum lectum ſuum, contemnentem in animam ſuã, & dicentem; Quis me videt? tenebræ circũdant me, & parietes cooperiunt me, & nemo circũſpicit me: quẽ vereor?*

1 Nox ſuadet impiis facinora. — *Epheſ. 5.* — *Prov. 9.* — *Eccleſi. 23. 24.*

Sed illud, *obſervare caliginem*, eſt proprie ſervare, aut cuſtodire veſperam, nos diceremus: *Aguarda a q̃ anocheZca.* In quo duo indicantur, alterum adulteris, & libidinoſis, antiquum eſſe obſervare tempora, ut Syrus ille dicebat;

2 Veſpertini tẽporis obſervatio ad impuras voluptates. — *Terent.*

In tempore ad eam veni, quod rerum omnium eſt primum.

Alterum vero, quod illa veſpertini *temporis*, & caliginis *obſervatio* familiaris, & ſolennis eſt amantibus; ideo enim *Heſperum tardum* incuſabant;

Sen. in Medea, act. 1.

Et tu, quæ gemini prævia temporis
Tarde ſtella redis ſemper amantibus,
Te matres avidæ, te cupiunt nurus
Quam primum radios ſpargere lucidos.

Sollicitam ergo expectationem affert rei concupitæ. Sed *oculis* potiſsimũ tribuitur hæc *exſpectatio*, atq; obſervatio tenebrarũ duplici de cauſa; aut quia cum ipſe adulter velit non videri, certum hujus rei indicium ex ſuis ipſe oculis capit, cũ alios nõ videt, neque agnoſcit præ obſcuritate. Quare cum primũ videt, ſe nõ videre, ſtatim aggreditur ſcelus. Aut quia in re turpi, & amatoria oculi ſunt lenones, & *prima amoris via:* ut Lucianus dixit: rurſuſq; *amoris principium*, ut Plato: *Amoris ſedes*, ut Philoſtratus; *Duces amoris*, ut Nonus, & Dionyſi. *Maritales* profecto *oculos* OEdipus appellat ſuos, quibus matris amores hauſerat, viſamq; & amatam ſibi matrimonio junxerat; & de his ipſis primis auctoribus pœnas ſumpſit:

Cur oculis tribuatur expectatio noctis. — *Lucian.* *Plato.* *Philoſt.* *Nonus.* *Dionyſ.* — *Senec. in Oedip. act. 5.*

Flere ſatis eſt? Hactenus fundent levem
Oculi liquorem; ſedibus pulſi ſuis,
Lachrymas ſequantur; hi maritales ſtatim
Fodiantur oculi, Debitas pœnas tuli.
Inventa Thalamis digna nox tãdem meis.

Atque hos in amore gradus conſtituit, diſtinguitque Philæmon;

Philemon.

Primũ videt omnes; Deinde ſubit admiratio;
Deinde contẽplãtur; & deinde ſpes venit.
Ita fit ex his amor. - - - - -

Sed de *oculorum* petulantia dicemus non nihil inferius c. 31. verſ. 1. Nũc tantũ quod ad adulterum ſpectat, D. Petrus 2. c. 2. cũ adulteros notat, *habẽtes oculos plenos adulterii, & inceſſabilis delicti*, ex Græco legitur; *Plenos adulteræ*; nihil videlicet in oculis eſt, quod non ſit laſcivum, & petulans, nihil in oculorũ pupilla ineſſe dicas, quã amicam, & adulteram; illam animo, illam oculis ferunt: ac ſua lumina eſſe ſubinde dicũt: id eſt, uxorem alterius ſemel viſam inceſſanter depereunt. Niſi etiam ſignificetur *plenis oculis*, laſcivus quidam, & pertinax conſpiciendi ardor, ut cũ potiri nõ poſſunt, & voluptate ipſa exſaturari, at ſaltem conſpectu ſe ſe impleant, & ſatiẽt. ſicut illi petulantiſsimi ſenes, qui *Videntes* Suſannam *quotidie, exarſerunt in concupiſcẽtiam ejus, & obſervabãt quotidie ſollicitius videre eam.* & tandem poſtulatã adulterii, *iniqui illi juſſerunt, ut diſcooperiretur (erat enim cooperta) ut vel ſic ſaturarentur decore ejus.* Quis non dicat hos ſenes *habuiſſe oculos plenos adulterii?* Apud prophanos etiã, *oculi* dicuntur *inſidiatores* alienorum matrimoniorũ: nã Valerius lib. 2. c. 1. Sic loquitur, de uſu vini mulieribus interdicto; *Quo formam ſuã concinniorem efficerent, ſumma cum diligentia capillos cinere rutilarunt; nulli enim tunc ſubſeſſores aliorum matrimoniorũ oculi metuebantur, ſed pariter, & videre ſancte, & aſpici mutuo pudore cuſtodiebãtur.* Dicuntur autem *oculi ſubſeſſores*, id eſt, inſidiatores, quaſi ex inſidiis deliteſcentes, & ex inſidiis interimentes, atq; vulnerantes: quam *ſubſeſſoris* ſignificationẽ, obſervavit Servius, ut *ſubſeſſores* dicantur, qui deliteſcunt in inſidiis ad interficiendũ imparatos, & nihil tale ſuſpicantes. Sic profecto incautas, & nihil tale ſuſpicãtes honeſtas fœminas, & pudicas aliorũ uxores opprimere ſolent *ſubſeſſores, oculi* (inquã) adulterorum. Vides ſane hoc loco impios in mediis tenebris perſpicaces, & oculatos; at in luce, & media die cæcutientes: ſordidiſsimi veſpertiliones, quorum oculi obſervant caliginem; *Noctu vident, interdiu fere nihil;* Propterea *noctu vagãtur* atque ita vagantur, *Ut præcipiti motu acti circumvolent.*

Oculi pleni adulterii. — *Vatab. Clar.* — *Dan. 13. 8. 12. 32.* — *Valerius M.* — Oculi ſubſeſſores, & inſidiatores. — *Servius in id 5. Aeneid* Subſedit Aceſtes, & 11. ſubſedit adulter. — *Aphrod. Prob. 66.* — *Ar. 1. de hiſt. c. 1. Iſid.* — *Ovid. 4. Meta.*

- - - - - - *Lucemque peroſæ*

Nocte volant, seroq; tenēt a vespere nomē. Quippe filii tenebrarum: *Sapientes sunt, ut faciant malū, bene autē facere nescierunt.* Iniquitas ipsa *est oculus eorū in universa terra.*

Ierem. 4. 22. Zachar. 5. 6.

3 *Nō videbit me oculus, & operiet vultū suū.* id est, Adeo videri metuit adulter, ut non solum se velit committere tenebris, sed præterea convelat faciē suam. proprie ex Hebræo; *Ponet absconsionem faciei. Pondra se un reboço.* Nicet. *Tenebris, quasi velo quodam obductus, & ore, quo prodi poterat, obvoluto.* Hi sunt, quos Ecclesiast. c. 23. dum de adulteris loquitur, ait esse, Oculū metuentem homines, non Deum; *Qui transgreditur lectum suum, non intelligit, quoniam omnia videt oculus illius: quoniam expellit a se timorem Dei: hujusmodi hominis timor, & oculi hominum timentes illum* (videlicet humani, & carnei oculi, non nisi hominem timent) *& nō cognovit, quoniam oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circunspiciētes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuētes in absconditas partes.* Statim autē publicā adulterii pœnā, quāvis nimium diligenter occultare voluerit adulter, proponit: *Hic in plateis civitatis vindicabitur; &, quasi pullus equinus fugabitur; & ubi non speravit, apprehendedetur.* Quam publici supplicii vindictam repræsentat illud Davidis adulterium 2. Reg. 16. 22. *Cū tetenderunt tabernaculū in solario, & ingressus est Absalon ad cōcubinas patris sui coram universo Israel, & in conspectu solis.* Sic correspondet solarium supplicii, *solario* illi adulterii, unde prospexit, concupivitq; David: Atque parū hoc est; respondet profecto *Sol*, solario: vel potius meridianus Sol, vespertino jam tēpori, Cum *post meridiem deambulavit in solario David*; Dictum enim illi est, *Tu fecisti abscondite, ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, & in conspectu solis hujus.* Ergo adulterio nullū operimentum.

Nicetas. ỳ. 25. 27. 28. Oculus adulteri timēs hominē, nō Deū. Adulteri publica pœna. 2. Reg. 12. 12.

XVI. *Perfodiūt in tenebris domos sicut in die condixerant sibi: & ignoraverunt lucem.*

1. *Adulteri perfossores alienarum domuum.*
2. *Adulter adultero inimicus. Quid* condicere.
3. *Virginis domus diligenter custodienda, & munienda. Pudicitiæ amor, muri instar. Illustratus Salomon, & Moyses.*

1 Adulterorum descriptio.

HAEC domorum perfossio, nō jā ad latrocina nocturna, sed ad turpes artes penetrandi in alienas domos, & occupādi alienos toros manifeste pertinet, ut ex ipsa continuatæ orationis serie constat. Quāvis enim perfossores, aut suffossores domorum, fures sint, ut ex Euangelio habemus, Matt. 24. 43. & Luc. 12. 39. & pertineat etiam ad vim illatam per insidias, & occultas fraudes, Genes. 49. 6. & Isai. 23. 13. tamen adulteri etiam viam sibi, & aditum quærunt, vel per parietis foramen, aut fenestram, qua possint in alienam domum penetrare.

2 *Sicut in die condixerant sibi.* Illas (inquā) domos, quas interdiu notaverant, nocte adeunt. vel, de quibus in die pacti sunt cū impudicis fœminis: Nemo enim adulter adulterum alium vult suæ voluptatis consortem; ut *condixisse* intelligamus plures impios secum. Quem sensum videtur indicasse Philipp. inquiens: *Hoc apud se per diē definierant adulterina colloquia.* Proprie ex Hebræo legerūnt Septuag. *Per diem obsignaverunt se ipsos.* Symmach. *Quasi in signaculo abscondent se ipsos.* aut, *signaverunt sibi*, vel *obsignaverunt sibi*. quod proprius respondet articulo Hebręo tertii casus. id est, quasi sigillo, & certa nota designaverūt sibi locum, quo tutius, & occultius ingredi, & locum infirmiorem, quē facilius suffodere, & aperire possent. Nisi forte hæc obsignandi, & apprimendi sigillū trāslatio pertineat ad aliquid amatoriarum, & arcanarum schedularum, ultro citroq; missarum inter adulterum, & adulteram, quibus inter illos agatur de quærēdo, aut patefaciendo aditu, aut aperienda fenestra, & præbendo ingresu.

Philipp. LXX. Symmach. חתם ל

Propterea prudentes, præcaventesque patres familias sic domum suā circunspiciunt, universosq; parietes, aditusq; dispiciunt, ne qua pateat adultero, & insidianti aditus, ut Cātic. 8. 9. ait Sponsus; *Quid faciemus sorori nostræ in die, quando alloquēda est?* id est, Qua illam, parvulam licet, ac teneram ratione custodiemus ad diem, cum in matrimonum danda, & collocāda est? subjicit deinde custodiam firmissimā: *Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argētea, si ostium, compingamus illud tabulis cedrinis.* id est, quamvis muris, atque parietibus cincta, & munita sit, tamen speciosissimis, æque ac fortissimis propugnaculis munienda quoque domus est, ex quibus tanquam ex specula observari, abigiq; possint pudicitiæ hostes, & oculi insidiatores, atque subsessores. Quodsi etiā ostium sit, nōn nisi ex materia fortissima, ac durissima compingi, & confici debet. Quod cū sponsa pudicissima audisset, respondit statim: *Ego murus, & ubera mea sicut turris, ex quo facta sum ei, quasi pacem*

Patrisfamilias diligētia, in custodiēda & muniēda domo. Virgo vigilātissime custodienda.

Frustra virgini custodia externa, nisi se ipsam custodiat ipsamet.

habens, id est, meam pudicitiam, non externi isti parietes, non propugnacula, nō custodes custodire sufficiunt, nisi ego ipsa *murus* essem fortissimus, atq; mea pulchritudo Adamantina esset, & inexpugnabilis. Sic sane cum meo sponso *pace* jucundissima fruor, nullas subsessorum insidias, neque Zelotypiam pertimescens. Sic sane ubi intus habitat similis quædam pudicitiæ custodia, & amor, nemo potens est *perfodere domum*, nemo illam turpi nota designare.; excæcabitur enim *oculus adulteri*, ut neque aditum, neque ostium, videre, invenireve possit: *Percutiet enim illos Angelus Domini cæcitate, sicut illi in foribus, justi, cum subitaneis cooperti essent tenebris, unusquisque transitum ostii sui quærebat*. Sapient. 19. 16. Sed invenire non potuerunt Genes. 19. 11.

Genes. 19. 11.

XVII. *Si subito apparuerit aurora, arbitrantur umbram mortis: & sic in tenebris, quasi in luce ambulant.*

1. *Totius sententiæ dilucida paraphrasis.*
2. *Lectio Septuaginta.* Vmbra mortis. Vmbra *similitudo. Explicatus Moyses, & David.*
3. *Impiorum, præsertim adulterorum, terrores etiā per somnia.*
4. *Lux adultero invisa. Adulter similis pullo equino. Illustratus Sapiens.*
5. *Varia lectio. Prælucet omnibus Vulgatus.*

I Totius sententiæ paraphrasis.

SI aut somno, aut voluptate consopiti, tardiusque expergefacti, repente se luce matutina præoccupatos, & circūventos videant, mirum, quam vitæ suæ timeant, & quam videātur sibi mortem ipsam ob oculos versantem cernere! agnoscunt videlicet in quanto discrimine versetur, qui alienæ domus invasor, & alieni tori appetitor, & oppressor est. Sic sane coguntur semper timere, sive exoriēte, & lucente Sole, sive advesperascente. Hæc est hujus loci sententia.

2 August. Vera lectio Septuaginta. Ambros.

Si subito apparuerit Aurora. Augustinus legit, *Simul eis manet umbra mortis.* Sed cōstat veram lectionem Septuaginta respōdētem Hebræo esse: *Simul eis mane umbra mortis.* Vel, ut Ambrosius habet, *Simul eis in aurora umbra mortis*. Sensus idem cum Vulgato, quasi dicat: Auroram, & matutini crepusculi lucem perinde æstimant, atque umbram mortis. Nicetas; *Per mortis umbram* (ait) *apud Sacras litteras sæpenumero pericula morti propinqua nominari.* Veretur igitur adulter prodire in lucē, ne mortis se manifesto periculo dedat. Phi-

Vmbra mortis vitę discrimen. Nicet.

lipp. *De conscientia sua male jā pœnas mortis æstimāt sustinere. Vmbram igitur mortis,* pœnas mortis interpretatur. Alii per *umbrā mortis*, rē horrendā, & omni odio prosequendā, q.d. *Atque ipsi abhorrēt a matutina luce, tanquā a morte.* At ego, duo per *umbrā mortis* significari posse hoc loco, intelligo, plurimis aliis prætermissis, quæ de hac umbra disseruimus c. 3. vers. 5. aut tristissimas, crassissimas, immedicabiles morientium tenebras, & caliginem, cum obscurantur eorum lumina; *Cum tenebrescunt Sol, & Lumē, & Luna, & Stellæ, & tenebrescunt vidētes per foramina*; quod tenebrarum genus inter omnes tristissimū est, & maxime contrariū hujus lucis usuræ, ut sit pulchra quædā duorum contrariorum oppositio, Lucē exorientē jucundissimā, lætissimamq; æstimant tristissimas, mortiferasq; tenebras. Tygurin: *Vniversis ipsis matutina lux æque invisa est, atq; densissima caligo mortis*. vel secundo *umbram mortis*, pro similitudine, & repræsentatione mortis accipi, *umbra* enim similitudo, aut imago est in Sacro sermone, aut certe nomina umbrę, & similitudinis affinia sūt; *Tsel*, enim est umbra, & *Tselem*, est imago, & in Lingua Arabica, *tenebræ*. sicut homo creatus *ad Imaginē Dei*; Heb. *In umbra Dei.* Ps. 38. 7. *In imagine pertāsit homo:* Alii, *In umbra* Alii: *in tenebris, & caligine.* Convenit etiā res ipsa, nam *umbra* videtur expressa corporis similitudo, & repræsentatio. Refert enim etiam suam quasi figurā, & staturā, atq; motum corporis cujus est. Ergo *umbra mortis*, erit quædam mortis similitudo, & repræsentatio, cū obscuritate quadam atque caligine conjuncta.

Philippus. Vmbra mortis omnia horribilia. Vatab. D. Tho. Cajet. Dionys.

Lethales morientiū tenebræ. Ecclesi. 12. 2. 4.

Tygur.

צל
צלם

Impii ergo ita lucē exhorrent, ac si coram illis consisteret mortis quædā repręsentatio, aut mors ipsa. Nos de homine vehementer commoto, & perturbato ad repentinum rei terrificæ conspectū, dicere solemus; *Que se le puso su muerte delāte.* Ingens profecto hoc, atq; perpetuum impiorū supplicium: ut eleganter de illis dixit Plutarch. *Pravi homines malitiam in se suā contemplātes, ob voluptatē vanam, statim gratiam habentē, inveniunt spei inanē esse, eandemq; semper abundare metu, dolore, memoria tristi, & de præsenti statu diffidentiæ, de futuro sinistrarum suspicionum plenam esse.* Hæc sunt terriculamenta illa, & imagines per somnium representatæ impiis: *Quippe somnia, & spectra diurna, oracula, de cælo servationes, & quidquid aliud Divinitus objici videtur tempestatibus, terroribus percellit male sibi conscios.* Et quoniam hoc semel tetigimus, non prætermittā illud somnium,

Impiorum oculis mors obversans.

Plutar. de sera Numinis vindicta.

Impiorū perpetui terrores

& suæ necis imaginē, quam Appollodorus, eodē Plutarcho referente, vidit: *Narrant* (inquit) *Apollodorum aliquādo in somniis vidisse cutim sibi a Scythis detrahi, deinde elixari se, & cor ex ipso lebete sibi tacite dicere, Ego tibi horum sum causa.* Sic sane adulteris ipsa sua mala conscientia mortē præsentē adfert, & quasi delineat, exprimitq; suæ ipsorū necis umbrā, & imaginē; ipso suo corde dicente, *Ego tibi horū sum causa.*

3 Appollodori somni īplenū terrore.

Cordis impiorum vox.

4 Sed unde jam impiis hæc mortis repræsentatio, & terror? Nonnulli Interpretes ad turpē adulterorum voluptatē referūt, quod voluptatis finis exorto jam die, illis molestissimus adveniat, non secus atque ipsa mors. Sic fere D. Thomas, & alii. Atque eodem etiam referunt illud *subito*, quod consopiti turpissima voluptate præteritum tempus, momentū existimant, & solito velocius properasse diem. Sed nō oportet sententiæ per se facili, vim, aut tenebras afferre: nam timet omnino impius deprehendi, & prodi ab ipsa diurna luce, ne, si deprehendatur, morte pœnas adulterii luat. Hæc est enim illa *umbra mortis*, quam exhorret, sicut de adultero dictum est Ecclesiast. 23. *Sicut pullus equinus fugabitur, & ubi non speravit apprehēdetur.* est enim mirabilis *pulli equini* metus appropinquāte homine; fugit enim quoquo versus, nullo recto cursu, aut itinere, atq; semper ad conspectum viatorum, cōmovetur, metuit, diffugit, multoq; velocius, atque perturbatius, cum capere illum conantur. Denique, vel repentino laquei injectu, aut alia ratione a tergo improviso capitur. Sic sane adulter imitatus equum petulantissimum *hinnientē, ad uxorem proximi sui*, at in timore, & perturbatione animi in fugiendo, & timendo lucem, *pullum equinum* imitatur.

D. Thom. Dionys.

Adulteri perturbatio cujus similis.

Ierem. 5. 8.

Illud autem *subito*, quāvis desideretur in Hebræo, sed utiliter additum est ab Interprete, ut gravitatem repentini supplicii, quo solent impii opprimi, significaret. Sed quos nam hæc sententia notat, adulterum ne, an adulteram simul? Ita existimāt Divus Thomas, Cajetanus, Dionysius, Nicolaus. Sed de solis impiis, atque adulteris viris nunc sermonem esse, tum præcedentia, tum contextus ipse manifeste demonstrant.

D. Tho. Cajet. Dionys. Nicol.

5 *Et sit in tenebris, quasi in luce ambulant.* In Hebræo, & Græco, iterum repetitur *umbra mortis.* Septuaginta: *Quia cognoscet tumultū umbræ mortis.* ex Hebræo; *Cognoscet terrores umbræ mortis.* Hoc Nicetas sic explicat: *Is, qui deprehensus fuerit, hujusmodi terrores agnoscet, ac sustinebit; Sic perturbabitur, ut ante mortem pene præ timore e vita excedat.* Sed non quadrat. Vatablus; *Cum agnoscere potest unus alterum appetente luce matutina, tristantur ad mortem usque.* Et fere eodem modo paraphrasis Tygurina: *Si quis cognoscat eos, affert terrores densissimæ caliginis.* Sed neque hoc bene convenit. Multo melius, quod Vulgatus ait; *In tenebris, quasi in luce ambulant*, id est, & die timent, & nocte horrent, nullæque illis timoris, & perturbationis induciæ: nam etiam in ipsis tenebris sunt, ac si ab omnibus agnosci possent, cognosci enim se existimant etiam circumfusi tenebris: Augustinus: *Non quia nox recessit, propterea eos deseruit umbra mortis.* Et e converso, Non quia recessit dies, illos timor deserit, ne agnoscantur, & prodantur.

Pagn. Regia. Cajet. Vatab. Nicet.

Vatab.

Tygur.

August.

XVIII. *Levis est super faciem aquæ; maledicta sit pars ej⁹ in terra, neq; ambules per viā vinearum.*

1. *Impiorum res fluxæ, & instabiles.*
2. *Inconstantia pravarum cupiditatum.* Duæ aliorum expositiones.
3. *Tres item aliæ. Multiplex impiorum cum aqua comparatio.* Præcepi *impetus ad peccandum.*
4. *Incredibilis impiorum fugiendi velocitas.* Leve *pro* veloci. *Velocitatis descriptio. Illustratus Habacuc. Ieremias, & Ecclesi.*
5. Navigatio *fugæ symbolum. Explicatus David.*
6. *Varia expositio. Terra maledictio quæ.*
7. *Paronomasia.* Leve, & maledictum *ab eadē radice.*
8. *Varia lectio. Notata argutia Cajetani.* Vinea, & vinum *symbolum jucundioris vitæ.*

QVAE sit hujus *Super faciem aquæ levitatis*, aut velocitatis, & impii cum aqua comparationis ratio, non omnino facile est; Nam primum quidem ad tentationum fluctus, quibus jactatur impius, Græci referri existimant: & quod ipsi etiam Septuaginta legerunt; *Super faciem aquæ*; Symmachus dixit, *Supernatās aquæ.* Quam Nicetas comparationem his verbis conficit; *Quemadmodum ea, quæ levia sunt, cum aquæ insederint extimæ, facile aquarum impetu huc, illucque jactantur; Sic quivis impius tentationibus rapitur, nulloque negotio deletur: Neque enim improba calliditas, atque injustitia, eum, qui illius est cupidus, servabit.* Sic igitur videtur esse hæc imprecatio, & supplicium improborum, ut eorum res nullam stabilitatem habere possint, sed labantur, & effluant, neq; ipsi ullo in loco consistant. I

LXX. Symmach. Nicetas.

Impii jactantur ab ipsa iniquitate.

Alii

2 Impiorum inconſtantia ex cupiditatibus vanis.

Alii ad impiorum animi inconſtantiã, ut nulla in cupiditate conſiſtant, ſed cum vaniſsimas, atq; leviſsimas voluptates cõſectentur, oportet quidẽ nunquã quieſcere, verũ inconſtãtiores, & mobiliores exiſtere ſumma incitati fluminis aqua. Eadẽ profectò, quę nunc cũ *aqua*, eſt illa, quę cũ *pulvere* comparatio fit Pſ. 1. *Impii tãquam pulvis, quẽ projicit ventus a facie terræ.* nõ ſolum quod videâtur eſſe fortunæ ludibriũ, verũ etiã quod ſuarũ ipſi cupiditatũ incõſtantia, & vanitate agãtur, & impellãtur.

Alii ad difficultates, quę per aquas ſignificari ſolent, vincẽdas, & ſuperãdas referunt: *Videtur* (inquit D. Thomas) *Impio propter impetũ concupiſcentiæ, ſuper aquam, & ſuper quamcumque difficultatem leviter tranſire poſſe, ut ad rei concupitæ fruitionem perveniat.* Sed non valde conſonat hoc, cum eo timore, & animi perturbatione, quam huc uſque deſcripſit.

D. Thom.

Impii audaces ad vincendas difficultates.

3 Quarto valde longius alii recedunt ad ipſam uſque maris ripam; nam Vatab. *Velociter* (inquit) *mane ſe ad mare recipiunt.* Quodſi de prædonibus ad maris ripã, antra, & diffugia habẽtibus, in quibus interdiu deliteſcerent, ſermo eſſet, non incommoda eſſet interpretatio; verum illud divinare eſt ex proprio cerebro. & multo magis ad piratas referre, cũ hic tãtum de infeſtatoribus agrorum mentio fiat, non navium, non maris. Et ſane ad maris ripã confugere, non eſt in Sacro ſermone fugæ ſymbolum, ſed potius, *ambulare in extremis maris*, & ad extremum, oppoſitumque littus trãsfretare.

Vatab.

Pſal. 138. 8. 9.

Quinto, Alii ad ſuppliciũ, & pœnã. Quã expoſitionem ex parte jã indicavit Nice. Cito peribit, & delebitur impius, ut qui levior, & imbecillior ſit ipſa aqua ſumma, quæ a vento agitatur, & mille modis infringitur, & diſsipatur, *velut ſpuma gracilis, quæ a vento diſpergitur.* Quippe *Tranſibunt impii, quaſi ſpuma ſuper faciem aquæ.*

Nicet.

Impii inconſtãtiores aqua & ſpuma.

Sap. 5. 15. Hoſ. 10. 7.

Sexto, De facilitate peccandi, atq; velocitate ad captandã quamcumq; ſceleris occaſionem intelligi etiam poſſe videtur. Labitur enim, ferturq; preceps impius ad improbitatem ſtimulatus cupiditate, & libidine, ſicut aqua facile ſequitur cujuſcũque etiã leniſsimi vẽti impulſum; defluũt igitur in omnis generis vitia, ſicut ille, de quo dictum eſt: *Effuſus es, ſicut a qua, non creſcas, quia aſcẽdiſti cubile patris tui*, Atq; *Sicut curſor levis explicans vias ſuas*. Sicut quæ *adamat alienos, & poſt eos ambulat*, tanto impetu, tanta velocitate, ut nullis retinaculis *averti*, aut *prohiberi* poſsit. Denique, ſicut *qui bibit aquam*, ſic qui *vinum iniquitatis*. utilia hæc omnia.

Lyra Aſtuaig. Titelm.

Impiorum impetus ad peccandum variis ſimilitudinibus explicatus.

Gen. 49.

Ierem. 2. 23.

Ierem. 2. 25.

Prov. 4. 17.

4 Sed exiſtimo cũ nonnullis aliis deſcribi hoc loco velocitatem impiorũ, præcipue *adulterorũ* in fugiẽdo, ne agnoſci, aut cõprehendi poſsint: illa enim videtur eſſe pedum celeritas, & in labendo ex cõpreheſorum manibus *levitas*, perſimilis aquæ defluentis. Tygu. *Quiſq; illorũ diffugit per aquas.* Cajet. *Tam agilis* (inquit) *fugiẽdo eſt adulter, quã ſi ſuper aquas ambularet, & vix per ſummã levitatem, ipſam aquæ faciẽ ſuprema attingeret planta.* Propriũ hoc adulterorum, ut Seneca Hyppolitum ſtupratorem deſcribit evadentem Theſei gladiũ.

Cajet. Iſidor. Tygur.

Germanior interpretatio. Adulterorum fugę deſcriptio

·········· Trepidum fuga
Videre famuli concitum celeri pede.

Sen. in Hyp. act. 3.

Et facit cũ hoc ſenſu ipſa *levitatis* vox originalis; nam per metalepſim, *levitas* pro velocitate ſumitur: *leve* enim facile movetur, quod autem facile movetur, velox eſt: qui velox eſt, fugiendo, & labẽdo ex aliorum manibus aptus eſt: ſic *levitas* ad fugam pertinet. Habacuc 1. 8. *leviores* (velociores) *pardis equi ejus* (& ſtatim exponitur) *& velociores lupis veſpertinis.* Sic etiã Iſa. 19. 1. *Aſcendet Dñs ſuper nubem levem* (velocẽ). & Ierem. 2. 23. *Curſor levis*, (velox.) Cum qua vocis ſignificatione videtur colludere id Eccleſia. 19. 4. *Qui credit cito, levis eſt corde.* id eſt, qui nimium velociter credit, committitq; ſuum animũ deſiderio, aut verbis alicujus, profectò corde leviſsimo eſt, atque ad temeritatem, & præcipitem velocitatẽ expedito. Sic Vulgatus ipſe *levitatẽ* hanc vertit *facilitatẽ*. Ierem. 3. 9. *Ex facilitate fornicationis ſuæ contaminavit terram*; ubi Regia legit: *ex levitate*; Tygur. *ob lubricitatem*. Quæ omnia illã facilitatem, atq; velocitatẽ explicãt. & Septuag. paulo obſcurius, ſed non ineleganttius: * *Facta eſt in nihilũ fornicatio ipſius.* Videtur autem hæc impiorũ *levitas*, aut velocitas, *ſuper faciem aquæ*, quaſi proverbialiter dici, quaſi de eo, qui non cæterorum more per terram diſcurrat, ſed inſtar alatæ navis prætervolet, *Cujus, cũ præterierit, nullum in fluctibus veſtigium inveniri poteſt.* Simile quid de incredibili cujuſdam Ladæ currendi levitate, & velocitate refert Solinus c. 6. qui tanta velocitate, lõgiſsimum aliquando ſpatiũ percurrebat, ut ſæpe viſum falleret, nullaque veſtigia terræ ſuo pondere, & gravitate appmimeret. *Primam* (inquit) *palmam velocitatis Ladas quidam adeptus eſt, qui ita ſupra cavum pulverẽ curſitavit, ut arenis pendentibus nulla indicia relinqueret veſtigiorum.* De quo cum Iuvenalis etiam mentionem facit, *Velocis gloriam plantæ* appellat.

קל

Metalepſis.

Levitas pro velocitate, & fuga.

Regia. Tygur.

LXX.

*No hizomas caſo dello, q̃ ſi no fuera nada

Proverbialis loquutio.

Sap. 5. 10.

Ladæ mira velocitas.

Solinus.

Velocitatis varia exẽpla. & deſcriptiones

Iuven. Sat. 3.

.. Pauper locupletem optare podagram
Nec dubitet Ladas, ſi nō eget Anticyra, nec
A. chigene. Quid enim velocis gloria plāta
Præſtat? Eſuriens Piſææ ramus Olivæ?

Similē profecto *velocis plantæ gloriam* decribit Iſai. c. 41. cum de Abraham loquitur, & de velocitate, qua de potētiſsimis illis Regibus triumpho reportato domū rediit; *Perſequetur eo., tranſibit in pace; * Semita in pedibus ejus non apparebit.* Sic quoque hoc loco cū impius deſcribitur *levior* eſſe *ſuperficie aquæ*, videtur nulla non ſolum in ſemita, quam calcat, veſtigia relinquere, neque in ipſis pedibus curſus, & fugę veſtigia, aut pendentem pulverem habere. Summa igitur velocitas, & metus incredibilis adulterorum.

* Parece, que vino por los ayres, ſin llegar los pies al ſuelo.

5 Poteſt quoque, cū dicitur impius fuga ſua velocior *ſuper faciem aquæ*, nō tam aſſeri velocior aqua, quam quod ſua velocitate quærat longiſsimum aliquod perfugium, ubi tutius, remotiuſq; ab arbitris latere poſsit, ſicut dicebat David: *Si ſumpſero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris.* id eſt, ſi tanta velocitate fugiam, quanta ſolent pennæ, radiique Solis matutini, ad oppoſitā hemiſpherii partem per mare medium fundere ſe ſe, atq; pertingere momēto temporis; ſicut Hyllus hac ipſa orationis formula velocem, æque ac tutam fugam ſuadebat matri;

Fugæ ſymbolū navigatio.

Pſal. 138. 9.

I, profuge, quære, ſi quid ulterius patet
Terris, Freto, Syderibus, Oceano, Inferis,
Vltra labores, mater, Alcidæ fuge.

Sen. in Herc. Oethee. act. 3.

6 *Maledicta ſit pars ejus in terra.* Cajet. ad judicum ſententiam, & damnationem exiſtimat hoc pertinere; ſolent enim judices locum, in quo adulteri, & homicidæ fugientes ſe ſe abdunt, *maledicere*, & deſtruere, ut ipſos comprehendere poſsint. Sed non convenit hoc cū Principibus Tyrannis, atque raptoribus, qui hoc loco deſcribuntur. Alii quod ſe iſti prorripiant in loca *maledicta*, id eſt, arentia, inculta, ſalebroſa. Hæc enim eſt *terræ maledictio*; juxta id: *Maledicta terra in opere tuo, ſpinas, & tribulos germinabit tibi.* Hoc Vatab. ſed laborat ſimili incōmodo. Alii, quod impii; *Fugiant a terra ſua, ac ſi eſſet maledicta, vel e terris frugiferis, in terras ſquallidas, quæ maledictæ videntur eſſe.* Hoc Iſidorus. ſed quorſum, cum hic deſcribantur Tyranni, & occupatores aliorum agrorum, non ſuæ terræ deſertores?

Cajet.

Varia maledictionis expoſitio.

Geneſ. 3. 17.

Vatab.

Iſidor.

7 Ergo præſtat, ut hęc ſit imprecatio quędam ſupplicii impiorū, ut *pars ejus*, portio que bonorum, quā *in terra* poſsident, *maledicatur*, & ſterileſcat, ut fructum nullum poſsint percipere. Tygur. *Portioni eorum maledicetur in terra.* Auguſt. legit; *Maledicatur pars eorum ſuper terram; ſterile ſit, quod elegerunt.* Atq; eo videntur reſpexiſſe Septuagin. legentes: *Appareant plantæ eorum ſuper terram aridæ.* id eſt, cum conſeverint agros ſuos, nō germinet terra; Nicetas. *Illorum ſegetes, ac plātæ privatæ fructu penitus exareſcant; & quæ Cainum invaſit, eadē iſtos complectatur execratio.* Eſt vero pulchra in Hebræo paronomaſia vocum conjugatarum: nam *levis*, & *maledictus* ab eadē radice oriuntur; *Kalal*, enim eſt idem, quod levem eſſe, aut levifacere, quod eſt cōtrarium gravitati, oneri, & honori: inde pro vili pendere, & contemnere verbis, quod eſt *maledicere*. Quare *levificatio* eſt, quaſi *maledictio*, & *levificare*, quaſi *maledicere*. Cū ergo dixiſſet impium eſſe *levem ſuper faciē aquæ*, ait, qui levis eſt fuga, ſit etiam honore levis, vacuus benedictione, honore, bonis omnibus, oneretur graviſsimo ſupplicio, opprobriis, maledictis. Sic qui levis eſt, levificabitur, cōtēnetur, exhaurietur gravitate, ac bonis omnibus.

Convenietior explicatus.

Tygur.

Auguſt.

LXX.

Nicet.

Parenomaſia.

קלל

Nec ambulet per viam vinearum. Alii: *Abſtinebit a via Regia, & frequētia hominū, ne agnoſcatur.* Erant nimirum quondam vineę ad ipſa ſuburbia oppidorum, ut cōſtat ex illo judicum 14. 5. *Cum Samſon veniſſet ad vineas oppidi, apparuit catulus leonis ſævus, &c.* Alii; *Ita* (inquiunt) *feſtinat fugere, ut ne proprias quidem vineas olim tā gratas aſpiciant.* Aliꝰ legit, *Nō revolvat per viā vinearum.* *Significatur* (inquit hic ſubtilis Interpres) *quod fugiēs incidet in manus perſequētium, antequam per vineas revolvat, hoc eſt volvēdo perficiat viam vinearum.* Sed, bone Deus, quorſum iſtæ argutiæ? Nā verbum *Pana*, quamvis declinare, avertere, aut divertere ſignificet, tamen proprie ſignificat faciem convertere, aut reſpicere. Reſpicere autem viam, vel faciē ad viam convertere, quid aliud obſecro eſſe poteſt, quam viam ingredi, aut perambulare? Alii neſcio quē *in via vinearum locum contemperatum* agnoſcunt, & aeris temperiem: non enim amat vinea cælum, aut ſolum nimis frigidum, vel nimis calidum: ſic præcipit Palladius; *Solum vineis reponendis læto proximum: cælum mediocris qualitatis, tepidū tamē magis, quā frigidum; ſiccum potius, quam nimis imbridum.* Ac poſtquam diverſa ſoli genera enumeravit, ſubjungit: *Maxime utile ſolum eſt, quod inter omnes nimietates temperamentum tenebit.* Ergo intelligunt temperiem, jucunditatemque vitæ placidiſsimam, refertam omni animi gaudio, & affluentem vino Divinæ conſolanis, a qua longe abeſt impiorum animus, 8

Vatab.

Iſidorus.

Cajetani argutiæ.

פנה

D. Tho. Dionyſ.

Vineę ſolum, & cælum tēperatum.

Palladius in Ianuario tit. 13.

Vinea, & vinū jucunditatis ſymbolum.

Cohærētior interpretatio.

cum

cum ipſi potius ſe dederint in omnẽ acerbitatis,& miſeriæ vitam,atque viam.

Sed cohærebit cum ſuperioribus,ſi hęc ſit quaſi præcedentis expoſitio imprecationis; Nullã habeat impius partem in agris, locisq; frugiferis, ex quibus ullum fructũ percipere poſsit:non ille vinũ,quod *Deũ, & homines lætificat*, guſtet. Ex Hebræo; *Non videat*; id eſt,non fruatur,experiatur ve vitæ, & viæ jucunditate, & facilitate; ſed ſemper ambulet per *loca arida, & inaquoſa, quærens requiem, & non inveniens*: *Ambulet* (inquam) *per vias difficiles*,& ſalebroſas. Quæ etiam imprecatio convenit cum his,quæ ſequuntur.

Iudic 9.1.
Videre,experiri.
Luc.11.24.
Sap.5.7.

❧ *XIX. Ad nimium calorẽ tranſeat ab aquis nivium, & uſque ad inferos peccatum illius.*

QVAESTIO PRAEVIA.

An damnati non ſolum ardoris, ſed frigoris etiã æternũ cruciatum ſentiãt?

1. Quæſtionis propoſitæ pars affirmans, Verũ in dãnatis cruciatum frigoris,& ſtridorẽ dentium.
2. Frigus damnatorum ex igne provenire,quorundã ſententia. Aliorum,ab elemento aquæ.
3. Paucorum ſententia negans.
4. Simplicior,& elegantior ſententia affirmãs.Vnde proveniat in damnatis ſtridor dentium. varia, & multiplicia damnatorum ſupplicia.
5. Neutram partem ad fidem pertinere,neque certo ex hoc loco ſtatui.

I VT expeditior nobis vere ſentẽtię inveſtigandæ,& inveniendæ locus ſit, præmittenda eſt illa plurimorũ dubitatio quam ex hoc loco ſumunt,an locus hic accipi debeat de pœnis inferni, & de aliqua ęternorum ſuppliciorum commutatione, & viciſsitudine a calore in frigus,& e contrario; aut vero de utroque ſimul extremo cruciatu,quo dãnati afficiantur?

Partis aſſerentis pondus, & auctoritas.

PArtem affirmativã docuerunt nõ pauci,atq; adeo eam eſſe communem ſententiã,tum hoc loco Dionyſius Carthuſiẽſis,tum Soto 4.D.50.q. unica,art.4.aſſerunt; Illã vero diſſertis verbis docent Hierony. & Beda hoc loco. Imo Philip.preſbyter,quem commentarii Hieronymi, & Bedæ fere deſcribunt, aut imitantur. Sequuntur Titelman. & Carthuſienſis, non

Dionyſ.
Soto.
Hieronym.
Beda.
Philipp.
Titelm.

omnino reſpuit Lyrannus. Docet Haimõ Matthæi.18. Hierony. Matth.10. Grego. ait; *In inferno eſt frigus inſuperabile,ignis inextinguibilis,vermis immortalis,fœtor intolerabilis,tenebræ palpabiles,flagella cedentium, horrida dæmonum viſio, confuſio peccatorum.* Imo & Auguſt. lib. detriplici habitaculo. c.2. *Duo* (inquit) *ſunt principalia tormenta in inferno, frigus intolerabile, & calor ignis inextinguibilis.* Atq; ad confirmationẽ utitur hoc ipſo loco ſancti Iobi. Sicut Hugo a S.Victore lib.5. de anima.c.13. & Innocentius lib.3.de contemp.mundi.c.4. Idẽ aſſerit HugoCard.ſub dubio aliquo Matth.8. Caſsian.in Confeſsione Theologica p.3. *Gehennæ* (inquit) *lethale frigus,& glacies indeficiẽs.* Ex Scholaſticis Sãctus Thomas 4.d.50. q.2.a.3. Palud.q. unica, *affligentur* (inquit) *ab aqua, & omnibus quatuor elemẽtis.* idem Durandus q.unica. Viguer. de Sacram.pœnit. v. 34. Exiſtimant autẽ Auguſt.Hierony.& Philip.ſententiã hanc reſpondere illi loco Matth.8.12.22.23.& 24.51.& Luc. 13.28. *Vbi in tenebris exterioribus*, per quas intelligitur damnatorũ locus, dicitur futurus *fletus, & ſtridor dentiũ*;ita ut *fletus* ex igne, & fumo; at *ſtridor*, ex intolerabili frigore efficiatur. Quia autem frequenter legitur in Evangelio: *Gehenna ignis*, Matth.5.27.18.9. Iacobi.3.6. duplicem videntur *Gehennam* diſtinguere,unam ignis,& ardoris, alterã frigoris. Atq; rem hanc diſſerte trãdiderũt doctiſſimi Rabinorũ. Nã *Zohar*,id eſt,*Luminare*, ſic enim inſcripſit ſua cõmentaria in Pentat. R.Ben Iochai. ſuper id Gen.18. *Pluit Dominus ſuper Sodomã*; Sic de Gehẽna,aut Purgatorii loco ſcribit; *Hoc latus aquarũ; illud vero ignis. Vtrumq; autẽ eſt ſupplicium Gehennæ. Nam qui Gehennæ rei ſunt,duobus bis ſuppliciis plectũtur.* & *aquã* diſſertis verbis aſſerit Philip. ſuper id:c.36. *Salvabit te de ore anguſto, &c.* Cum enim adducit id Pſ.68. *Libera me de profundis aquarum. Noverimus*(inquit) *quia loca infernaliũ ergaſtulorũ,ſecundũ fidem Scripturarũ,inter immẽſas abyſsi aquas ſint conſtituenda.*

Ex ſimilitudine autẽ cum humani corporis morbo,hanc frigoris,& ardoris cõmutationẽ probare, & explicare nititur Philip. hoc loco: *Similitudinẽ* (inquit) *ex noſtris corporibus aliquatenus poſſumus invenire,in quibus ex fellis ruffi abundãtia,quod eſt calidiſsimũ in Typicis morbis, intolerabilis rigor præcedit ignem febriũ ardentiſsimũ ſequuturũ: dicuntur a medicis hæc duo,quæ ſibi cõtraria dignoſcuntur, ex una fellis materia in homine procreari.* Quare pari profecto proportione ad unã,& eandẽ cauſam æterni

Lyra.
Haym.
Gregor.in Moral.
Auguſt.
Hugo.S.V.
Innocent.
Hugo Card.
Caſsian.
D. Thom.
Palud.
Durand.
Viguerius.
Zohar.
R.Ben Iochai.
Philipp.
An ignis inferni efficiat in damnatis cruciatũ frigoris.

Philippus.

ignis, hos duos cruciatus frigoris, & ardoris, videtur Philippus revocare: nā dixerat prius, esse suas frigoris adustiones, sicut & ignis; cujus imaginē quādā videtur prętulisse ignis ille, quo AEgyptii cruciati sunt Sap. 16. 19. *Sicut enim ignis supra virtutē, & naturā suā, nunc mansuetabatur, ne cōburerentur, quæ ad impios missa erāt animalia; & quodā tēpore in aqua, supra virtutē ignis exardescebat undiq;, ut iniquæ terræ nationē extermi naret*; Sic profecto, & ignis inferni dissimili effectu poterit nunc nimio ardore, nūc nivali quasi frigore excruciare dānatos.

Gregor.

Ignis inferni inæqualiter exurens.

Quā etiā inæqualitatē supplicii similitudine alia declaravit Greg. lib. 4. Dialo. c. 43. *Sicut* (inquit) *sub uno sole multi consistūt, nec tamen ejusdē solis ardorē æqualiter sentiunt, quia alius plus æstuat, atq; alius minus; ita illic in uno igne nō unus est modus incēdii, quia quod hic diversitas corporū, hoc illic agit diversitas peccatorū.*

August.

Tormentorū inferni adduo revocatio.

Aug. autē loco indicato ad hæc duo, *frigus*, & *ardorē* cæteras pœnas revocat: *De aquis* (inquit) *nivīu transiliunt ad calorē nimium; de quibus duobus innumera pendent pœnarū genera: videlicet sitis intolerabilis, pœna famis, pœna fœtoris, pœna horroris, pœna timoris, pœna angustiæ, pœna tenebrarū, severitas tortorum, præsentia Dæmonum, ferocitas bestiarum, crudelitas ministrantium, dilaceratio immortaliū vermiū, vermis consciētiæ, ignitæ lachrymæ, suspiria, miseriæ dolor sine remedio, vincula sine solutione, mors æterna.* At vero Palud. & Durād. superius adducti, asserūt ab omnibus quatuor elemētis proventurum cruciatū sensibilē dānatorum.

Partis negantis Auctores; & quæstionis explicatio.

3

Prima in quæstione proposita assertio.

EGo nūnc, quod hujus loci, & mei muneris est, duo, aut tria pronuntio. Primū, plerisq; nostri sæculi Theologis non videri asserendā hāc frigoris, & ardoris cōmutationē in dānatorū pœnis, quod semper *ignis*, & vix semel *frigus* torquēdis impiis designetur in Scripturis. Hoc pronūtiatū, qui disserte, & clare doceāt, invenies ex antiquis paucissimos: qui timide tantū *frigus* hoc negēt, nō vero constāter & audacter, valde itidē paucos, Abulensem in Matth. 25. q. 558. Iansenium c. 45. suę cōcordiæ, super id Matth. 8. *Stridor dentium*; Dominicum Soto superius adductum, & nōnullos recentiores Theologos, ut Ioānem Maldonatum super Matth. 8.

Abulensis.
Iansenius.
Domin. Soto.
Ioan. Maldon.
Gabriel p. 1. q. 64. sua q. 1.

4

2. Assertio in [illegible] ad partem affirmātem

Secundū, Ego neq; temere ausim affirmare, neq; negare. At vero displicere mihi nō poterit, qui ea loca, quæ de dānatorū pœnis intelligi debēt, sine ullo metaphorarū diverticulo plane, & ut sonant, accipienda existimet, ubi nulla sentētię falsitas, nulla rei ipsius absurditas cōtineatur. Imo quis nō ausit cū ingenti sanctorū Patrum, atq; Scholasticorū patrocinio, quos supra adduximus, partē istā tueri, & defendere? Nā quid incōmodi, si asseras, & credas dānatorum corpora torquēda vero, ac proprio stridore dentium? Nihil omnino.

Stridor dentiū unde proveniat.

Quāvis sciā eū *stridorē*, non solū cōsequi ex frigore, cū etiam effici possit ex ingenti dolore, aut alio intolerādo cruciatu. Proventurū autē in dānatis *ob vermem, qui non moritur*, scripsit Bernar. serm. 8. in Ps. *Qui habitat.* At ex dolore, Prosper lib. 1. de vita contēplativa c. 12. *Fletus* (inquit) *& stridor dentiū acerrimos dolores ostendunt.* Chrysost. Epistol. 5. ad Theodor. lapsum. *Profecto frendemus dētibus propter labores, & cruciatus illos incredibiles.* Ex furore, & ira Rabanus Matt. 8. *Stridor dentiū prodit indignātis affectū, eo quod sero sibi irascatur, quod tam pertinaci improbitate deliquit.* Certe si *stridor dentiū cū ardore febris* conjungatur in ægroto, *insaniā significat, ac mortē*, ex medicorū prognosticis. Quantū igitur furoris erit quantumq; suppliciū ęternę mortis, in mediis flammis stridere dētibus! & quid non mali significabit stridor dānatorū? Sed de illo Matthei loco, aut de *stridore* nunc nō disputo.

Bernard.
Prosper.
Chrysos.
Rabanus.
Gal. in Prognost. Hipp. Com. 1. 21.

Omnia malorum genera in infernum confluentia.

Cyrillus.

Scio Patres sanctos universa malorū, & suppliciorū genera in miserrimū illū damnatorū locū cōferre. Cyrill. Alexandrinus in *Oratione de exitu animæ*, cū longe gravissimā Inferni descriptionē fecisset, sic claudit; *Custodiæ murus insuperabilis, vi nulla refringendæ catenæ, feri, & intractabiles flammæ ministri; graves illæ, quæ ad suppliciū adhibentur, scuticæ; firmi ungues, & infracti; prædura flagella; pix nebulosa, & strepitans; sulphur grave olēs; atra cubilia; pyra semper ardens; fœdus, & olēs vermis; tetricū Prætoriū.* Scio etiam in illa quoq; frigoris dānatorū sententia, multa esse necessario ab illis Theologis, vel Theologice, aut physice explicanda, nimirū, an ille frigoris, & caloris sensus sit realis, & physicus; an intentionalis tantum per species sensibiles? sit ne ulla cōmutatio, & vicissitudo, an vero simul utraq; extrema qualitas torqueat damnatos? an cum illo igne, defluat etiam, aut fluctuet aqua, unde frigus illud proveniat. Sed aliorū est ista prosequi: meum, non omnino prętermisisse.

5

Tertia assertio.

Tertio, Cēseo ex hoc ipso Iobi, nō posse solide, & firmiter alterutram hujus rei partē probari; ut in cujus expositione neq; Patres, neque Interpretes omnes consentiāt, ut statim videbimus. Quamquā enim

illud

illud veriſimilius ſit, non de ęterna pœna, ſed de temporali impiorum ſupplicio Iobũ agere: nonnullis tamẽ videtur alludere tẽporale ſupplicium ad æternũ illud.

Quarto, Tandẽ hoc loco, ſive de tẽporali, ſive de æterno ſupplicio accipiatur, ſed tamẽ potiſsimũ de tẽporali impiorũ fælicitatis fine miſerãdo, ſub latente, & tacita ſimilitudine agi, ut jã explicabimus. Ergo jã ab iſta quæſtione ſoluti, liberi⁹ locũ tractabim⁹, noſtro more interpretãdi.

Ad nimiũ calorem tranſeat ab aquis nivium.

6. Aliorum expoſitiones. Extrema impiorum vel vitia, vel ſupplicia.
7. Nix. Aqua. Limax. humana fælicitatis ſymbolũ. Illuſtratus David.
8. Mors, & cruciatus exardeſcentes adverſus impios. Illuſtratus Daniel. Tranſire, quid prop.
9. Sempiternus impiorũ cruciatus. Obſtinata mens.

6 NOn omnino facile, quod mali, & imprecationis genus hac *caloris*, atq; *nivalis aquæ* trãſlatione cõtorqueatur in impios. Nã Greg. exiſtimat per *frigus*, & *calorem*, diverſa vitiorũ genera deſignari, cum enim impii nulla in re modum ſervẽt, ab ingenti infidelitatis frigore ad vehementem, & ardentem hæreſim tranſire ſolẽt. Sed hoc, verum licet, allegoricum tamen; cujus allegoriæ multiplex imitatio in Hugone, & aliis videri poteſt.

Quid per ignẽ, & nivẽ metaphorice ſignificetur. *Gregor.*

D. Thomas intelligi etiã vult, *contraria vitia*, quæ maxima eſt impiorũ pœna; nunquam enim in medio conſiſtũt, ſed ad extremos fines præcipites abeunt. Hoc item allegoricum.

D. Thom.

Nicolaus ſterilitatẽ omnium bonorum ſignificari exiſtimat: nam tũ æſtus, tum frigus, & gelu terræ fructus lædũt, atq; perurunt. Verum hoc argutũ potius eſt, quã ſolidũ, dignumve graviſsimo impiorum ſupplicio deſcribendo.

Lyra.

Hebræi alii, quos Nicola. adfert, neſcio quam ad tẽpus diluvii alluſionẽ cõminiſcuntur: nã ajunt tunc temporis invertiſſe Deum menſiũ, & temporis viciſsitudinẽ, partitumque annum univerſum in duo ſemeſtria; quorum alterum perpetuo æſtu, alterũ perpetuo frigore laboraverit. Sed hoc item Hebræorum ſomnium.

Hebræorum narratio de tẽpore diluvii.

Ergo videtur profecto Iob improbis imprecari ſimile ſupplicium, atq; exitiũ, quale *nivi* afferre ſolet ęſtus, aut *calor nimius*, nã momẽto tẽporis liqueſcit nix, nullumq; priſtini candoris, atq; frigiditatis veſtigiũ relinquit; abſumit enim arida, ſitibundaq; tellus incredibili celeritate liquatas ex nivibus aquas. Quam rẽ dilucida paraphraſi expoſuit Tygu. *Vt terra torrida, & calor abſumunt aquas nivales, ita Infernus eos, qui peccaverunt.* Non ſemel ſane impiorũ fælicitas, cum rebus minime ſolidis, ſed ad ſolẽ, & ardorẽ liqueſcẽtibus; at vero ſuppliciũ cum ardore, æſtu, igne, cõparari ſolent. ut Pſal. 67. 3. *Sicut fluit cera a facie ignis, ſic pereant peccatores a facie Dei.* & Pſ. 57. 9. *Sicut cera, quæ fluit, auferentur; ſupercecidit ignis.* ubi pro *cera fluente*, Tygur. *Liquefiant, ceu aquæ.* Vatab. *Quaſi in aquã verſi evaneſcant.* Alii Hebraizantes ſimiliter; *Limacẽ, & cochleã* vertunt, atq; legunt, *Sicut limax liquefactionis*: Nã vermiculorũ, aut cochlearũ caruncula illa valde exigua in humorẽ tota faciliime colliquatur. Quibus profecto ſimillimi videntur impii, quibus multũ oſſeæ conchę, & vaſtæ molis eſt, duriſsimę, atq; graviſsimę; at in ſua fęlicitate carnis, & cibi, aut voluptatis perexiguũ, & illud, quidquid eſt, ad tenuiſsimum cujuſcumq; miſeriæ, & ſupplicii calorẽ liqueſcit, & evaneſcit. Dicuntur enim eſſe quædã animalcula impatientia ſolis, & ad calorẽ liqueſcentia. Similis quoque illa trãſlatio, qua fælicitas humana cõparatur cũ *fumo*, qui facile evaneſcit; cũ *procella*, quæ facile *diſpergitur*; cum *fœno*, quod facile areſcit, de quibus aliis locis diximus.

Vera explicatio ſupplicii impiorum. *Tygur.* Impiorum fælicitas liqueſcẽs ad ignem tribulationis. *Pagnin. Regia Cajetan. Vatab.* Impius ſimilis conchæ, & limacis. Animalcula impatientia ſolis. Fęlicitas humana ſimilis fumi, procellæ, fœni. *Pſ. 36. 2. & Pſ. 67. 3. Sap. 5. 15. Pſ. 36. 2. & 71 16 & 91. 8. & 102. 15.*

8 Sed prẹterea alii ex Hebrẹis exiſtimãt, non ſolum indicari imbecillitatem humanæ fælicitatis, verum etiam leniſsimã, & placidiſsimam mortem impiorum, qua leniter, & inſenſibiliter liquebãt, nullo quaſi doloris ſenſu. Sed non quadrat verbum illud *tranſeundi*, quod in Hebræo minime lene, aut placidum eſt, ſed vehemẽs, & violentum, ut ſtatim videbimus. Itaq; melius ut ſignificetur mortis, & ipſius ſupplicii quaſi appetentia quædã ex ſiti, & æſtu ad devorandum, & exorbẽdum impium, impiiq; fælicitatem univerſam abſumẽdam, quaſi deſtillantes, & influentes liquatæ nivis guttas. Brevi (inquit) exugentur, exorbebuntur ab ardente Dei vindicta, omnem illorum faſtum ad nihilum redigente. Sic ex Hebræo legitur; *Aeſtus, & calor rapiunt aquas nivis, ſepulchrũ peccatores.* Id eſt, ſicut æſtuans tellus, nimiumq; torrida ſitienter ebibit nives liquatas, ſicut nivalis aqua dulceſcit telluri; non aliter ſepulchrum, infernus, mors, ſuppliciũ avide exorbent impium, expectantq; tanquã bolũ ſuaviſsimũ, & dulciſsimum. Sicut Leones illi Babylonici, qui impios *cũ filiis, & uxoribus in lacũ miſſos*, rapuerunt avidiſsime; Scriptum eſt enim: *Nõ pervenerunt uſq; ad*

Vatab. Iſidor. Clar. Mors placida impiorum. Supplicium, & mors appetens impium. *Dan 6. 24.*

pavimentũ laci, donec arriperent eos leones, & omnia oſſa eorum comminuerunt. Sic profecto *Seol*, ſepulchrum, infernus, mors, rapiũt impios. Vide quæ diximus c.21. v.23. ſuper id, *Dulcis fuit glareis Cocyti, &c.* Eſt autem verbũ *arripiẽdi* eo loco Danielis, verbũ *Dominandi*, ut omnino mortis, & ſupplicii dominatũ quendã potẽtiſsimi Principis, & indomitæ cujuſdam Tyrnanidis adverſus impios illos ſignificaret ſermo ſacer. Sic Septuag. legunt: *Dominati ſunt eorũ Leones.* At vero in noſtro loco eſt verbum *tranſeundi*, id eſt, *rapiendi*, quod etiã vim affert, aut violentã extorſionẽ, & rapinã, cum fraude etiã, & calumnia. Simile quid patiuntur improbi a morte per inſidias, & occultã quaſi fraudẽ, cum ſubito rapiuntur. Quare cũ Vulgatus dixit; *Trãſeat*, nõ indicatur illa ſpontanea, & lenis trãſitio, ſed cum vi quadam, & quaſi fraude, occultaq; calumnia mortis impios per inſidias rapientis. Eundẽ fere ſenſum expreſſerunt Septuag. quamvis ſub alia nõ minus pulchra trãſlatione: *Sicut nebula roris, factus eſt non apparens.* Mutarunt enim *Nivẽ, in Nebulam roridã*; eadem enim eſt utriuſq; materia: *nimium* autem *calorem* in ſolis radios ferventiſsimos; ſicut enim momento temporis diſsipatur a ſole nebula, & evaneſcit ros, ſic ſæviente cælitus vindicta abſumitur impius.

שול — שלט — LXX. — גזל — Mors inſidiãs impiis. — LXX. Impius inſtar nebulæ.

9 *Et uſq; ad inferos peccatũ illius.* Hæc pars videtur reſpondere ſententiæ, ut habetur in Originali, ex qua conficiebamus alterã hujus ſimilitudinis partem. Illã autẽ accepit Vulgatus tanquã diverſam ſententiã. Accipi vero poteſt, ut ſit quaſi ſuperioris imprecationis aut correctio, aut amplificatio; Non ſolum (inquit) tẽporali pœna, ſed æterna quoq; eſt affiiciendus impius. Vel, ut ſit clauſula quædam, & finis præcedentis orationis; Is tandẽ eſt peccatorum deſcenſus ad inferos, & iter ad ſepulchrũ, extremumq; ſupplicium. Vel, ut obſtinata illorũ mens ſignificetur, digna præcedẽtibus ſuppliciis; His, inquã, digni ſunt, qui ad mortem uſq; improbitati adhæreſcũt. Quibus finis nullus, nullaq; meta improbitatis; prius quippe vita illos, quam illi ſcelera deſerunt. Vide, quæ de finali impœnitentia diximus c.22. verſ.5. ſuper id, *& infinitas iniquitates, &c.*

Finalis impœnitentia.

XX. *Obliviſcatur illius miſericordia: dulcedo illius vermes: Non ſit in recordatione, ſed cõteratur, quaſi lignum infructuoſum.*

1. Oblivio *ad defunctos, & mortem. Q uare dicatur Deus obliviſci. Explic. David. Illuſtrata Sap.*
2. *Erga obſtinatos Deus ſeveriſsimus. Illuſt. Iſaias.*
3. *Dei Iuſtitia quid.* Alæ Milvi, *aut* Ciconiæ *apud Zachariam.*
4. *Variæ expoſitiones. Perturbata impiorum mens.*
5. *Hypallage.* Vermis. *Nominativus abſolutus in Sacro ſermone.*
6. Oblivio, & recordatio *de ſermone. Explicati Samuel, & David.*
7. *Q uid* Conterere. *Arbor iniquitatis ſterilis, & eradicanda* I*lluſtratus Marcus.*
8. *Arbor iniqua, nociva. Iuſtus omnibus utilis* Arbores infælices. *Illuſtratus David.*
9. Arbor inſanabilis, *impius obſtinatus.*

I *Obliviſcatur, &c.* Id eſt, Ab omni memoria deleatur, nulli⁹ proinde miſericordia ad illũ perveniet. Sempiterna hæc oblivio æternitatẽ pœnę, & aliorum cruciatuũ indicat nulla miſeratione, aut intermiſsione tẽperandã. Nomen autem abſtractũ *Miſericordiæ*, Hebraizãtes vertunt in ſubſtantivum; *miſericordem*, aut quid ſimile; *Obliviſcetur ejus amicus.* videlicet, quod pro adultero, aut homicida fugiẽte nemo audebit ſe medium, aut vindicẽ interponere. Tyg. *Obliviſcetur ejuſmodi hominis ad miſericordiã proclivis.* Sed nomen abſtractũ ſignificatius eſt, proprieque ſignificat gratuitã erga hominẽ miſerum clementiã, & cõmiſerationem: ac frequenter de Divina miſericordia dicitur. Poteſt autẽ conjũgi cũ eo, quod proxime dixerat de morte, & ſepultura impii; nam *oblivio* defunctorũ; propria eſt ſuperſtitũ; atq; viventiũ. Deus quoq; dicitur *mortuorũ obliviſci*, ſicut dicebat David Pſ. 87.6. *Vulnerati, dormientes in ſepulchris, quorũ nõ es memor amplius, & ipſi de manu tua repulſi ſunt.* Vbi exponit cujuſmodi illa ſit Dei *oblivio*, videlicet quod Deus videatur depoſuiſſe defunctorũ curam, ut quibus exſuſcitãdis tunc manũ nõ porrigat. Sic Sapient.16.11. de Iſraelitis percuſsis a Draconib⁹ venenatis dicitur; *Miſericordia tua adveniẽs ſanabat illos, in memoria ſermonum tuorũ examinabãtur, & velociter ſalvabãtur: ne in altã incidentes oblivionẽ non poſſent tuo uti adjutorio.* id eſt, ne ſi ſemel venenũ illos extingueret, Divina illa benignitas, quã erga viventes Deus exhibet, mortuorũ jã, & interfectorũ obliviſceretur. Vbi videtur eſſe antitheſis inter *memoriã*, & *oblivionẽ*, qui enim nõ habebãt memoriã Divinorũ pręceptorũ, incidebant in Dei oblivionẽ, id eſt, peribant, & interficiebantur. Ergo *oblita* impii Divina *miſericordia*, non revocabit illum a ſempiternis cruciatibus, neque conferet illi *Reſurrectionem ad vitam.*

Pagn. Cajet. Vatab. — Tigur. — רחם — Oblivione etiam viventiũ conſepelliuntur mortui. — Mortis periphraſis. — Pulchra antitheſis.

Forte tantam Divini ſupplicii gravitatem,

Circumlocutio maxime Dei severitatis.

tem, quasi excusare velit, quod cũ Deus benignum se soleat prębere peccantibus, ut obstinato impio, & incredibilibus sceleribus contaminato, severissimum iudicem, quasi *misericordiæ oblitum*, se exhibet, juxta illud Isai. 26.10. *Misereamur impio, & non discet justitiam.* id est, cum ille abusurus sit misericordia, & indulgentia propter animi pervicacissimi obstinationem, & Divinę benificentiæ, atq; bonitatis cõtemptum, præstat, ut cum severitate, & gravitate supplicii cum illo agatur. Hoc quidem Agesilaus dicere solebat de non nullis Asiæ populis: *Si libertate fruerentur, malos; sin servirent, bonos esse.* Vide Iustinũ q.80. ad gentes, ubi cum de illa severissima Elisei in pueros maledictione, & vindicta scribit; *Quãdo* (inquit) *per longanimitatem illorum, qui contumelia sunt expetiti, resipiscentia eorũ, qui illa sunt usi, errato corrigendo non subsequitur, tunc mansuetudine severitas hominibus longe est commodior.*

Plutarch.

Iustinus.

Severitas interdum salutarior misericordia.

3 Quanquam quidem nunquã satis condigno supplicio Deus peccata punit, quin multa cum gravitate supplicii, misericordia permixta inveniatur. Sic sane in gravissima illa Israelitici populi captivitate, & severissima ingentium scelerum, & impietatis vindicta, significata per *Amphorã* illam *impietate* plenam, & gravissima supplicii *massa plumbea* ore obturatam, visæ sunt Zachariæ, *Duæ mulieres egredientes, & spiritus in alis earum, & habentes alas, quasi alas milvi, & levantes amphoram inter cælũ, & terram, atque deferentes in terram Sennaar.* Mulieres autem duæ illæ quid aliud sunt, quã Divina Iustitia, Divinaque Severitas, & indignatio, quę impietatem Israelitarum gravissima inter Babylonios hostes servitute, & captivitate puniendã exportant. Sed Iustitia, & Indignatio *alas* habent *spiritu* plenas, volant enim nimiũ celeriter, nimiumque sublime: quoniam *a facie iræ indignationis suæ*, cum punit Deus, *elevando allidit.* Habebant autẽ *alas milvi*, quæ avis nomen habet in Hebræo a misericordia, & beneficentia gratuita; nam, *Hhesed*, misericordia est; at *Hhacida*, milvus. & quamvis Septuaginta legant: *alas upupæ*; Theodotion, Symmachus, & Aquila, *alas erodii*; at Rab. David, & nonnulli alii Hebraizantes intelligunt; *Alas ciconiæ*, quæ symbolum est misericordiæ, & pietatis erga miseros, & effętos parentes, quos in senectute sustentant. Ergo suam Iustitiam etiam in gravissimis suppliciis temperat, aut retardat Deus sua misericordia, & benignitate; & denique quãvis ni sempiternis suppliciis dãnatorũ

Dei severitas tẽperata misericordia.

Illustrata visio Zachar. 5. 9.10.11.

Cur Divina Iustitia dicatur, habere alas.

Psal. 101. 11.

Milvi nomẽ a misericordia.

חסד

חסידה

LXX

Theodot. Symmac. Aquila.

R. Dav. Regia. Mõtan. Tygur.

videatur *obliv isci* Divina *Misericordia*, ut quibus nunquã supplicia remittenda sint; at, quia illos citra condignum punit, illorum nõ obliviscitur. Septuaginta *oblivionem* hanc Divinæ *Misericordiæ* convertũt in memoriam peccati impii: *Rememoratũ est peccatum ejus.* Idem tamen sensus, nam cum in *memoriam redit peccatum in conspectu Dei*, tunc videtur tantum memoriam habere Divina justitia, ac *oblivisci misericordia.* Nicetas sempiternitatem supplicii hoc loco intelligit; *Impiorum* (inquit) *flagitia scriptis ad memoriam consignata sunt, quocirca supplicium in eos decretum est, quod vitari non poterit.*

LXX.

Psal. 108.14.

Nicetas.

4 *Dulcedo illius vermes.* Cohæret hoc proxime cum morte, & sepulchro impii. Aliqui Latini intelligunt hic dici impio sepulto *dulcescere vermes*, quod sine sensu doloris cadaver corrodatur a vermibus. Quare sic elucidat Vatablus: *Nihil a morte sentit doloris, celeriter absumant eũ vermes.* Vel quod nihil referat impius ex suis studiis, & actionibus, nisi corrodentes vermes: aut quod illius vitæ dulcedo, & voluptas convertenda sit in vermes, & conscientiæ remorsus; Ita D. Thomas, & Carthusiensis. Vel quod nihil melius, aut dulcius habiturus sit in sepulchro, quam vermes, & putredinẽ, hæc mollis culcitra, & delicatus lectus; nam subter illũ *sternetur tinea, & operimentũ illius erunt vermes.* Quare videtur esse quædam quasi irrisio, & subsannatio mortis impiorũ. Sed hæ omnes expositiones neq; bene cohęrent, neque pares sunt severitati supplicii, quod hic describitur. Gregorius nõ tam supplicium, cuã improbitatis studiũ existimat significari, impiũ videlicet, cui ipsa inquietudo, & perturbatio, ac remorsus consciẽtiæ placeant, & dulcescant; *Huic nimirum* (inquit) *cura sæcularis in delectatione est, & quies in labore: valde enim fatigatur, si desit cura sæculi, qua fatigetur. Perversæ itaque mentis dulcedo, vermis est: quia inde delectabiliter pascitur, unde per inquietudinẽ incessanter agitatur.* Hoc quoque allegoricum.

Varia Latinorum interpretatio.

Vatab.

D. Thom. Dionys.

Isai 14. 11.

Gregor.

Impiis familiares, & amici conscientię remorsus.

5 Illud ergo præstat, quod sapiẽter indicavit Philip. *Per antiphrasim* (inquit) *dictũ quod dulcis sit vermibus, & ab eis infatigabiliter consumatur.* Voluit Philip. dicere per, hypallagem, id est, conversionẽ orationis, ut dicatur ipse impius dulcedo vermium. Quem etiam sensum bene admittunt Hebræa, quæ legi, & verti possunt; *Capietur dulcore ejus vermis.* Atque eundem sensum sequuta est Tygurina legens; *Est dulcis cibus vermium.* Hebræus apud Cajetanum; *Dulcuit ipse vermi.* Neq; interpretationem

Germana, & simplex expositio.

Philippi sentẽtia benigne interpretata.

Hypallage.

Tygur.

Cajetan.

hanc

hanc reſpuit omnino contextus Latinus: nam *dulcedo illius*, poteſt eſſe, velut nominativus abſolutus, qui frequens eſt in Hebræo ſermone, atque etiam retineri ſolet in Vulgato Latino; deinde *vermes*, ſint ſuppoſitum alterius orationis, ſupple illā ſentient, aut capient, lambent impii viſcera, & aviſsime arrodent. Eſt autem *vermis* vox eadē, quę Iſai. 14. Vertitur *tinea*, & pertinet ad ſepulchrum.

Nominativus abſolutus in Scripturis.

רמה

6 *Non ſit in recordatione.* Cajet. exiſtimat ſenſum eſſe, quod adulter, vel homicida; *ſtatim, ut apprehenſus fuit, eſt occiſus abſq; tela judiciarii proceſſus, abſq; commemoratione criminis: notoriū enim præſupponitur factum cū fuga facientis.* Sed quam dura interpretatio! Leniter cohæret cum ſequentibus, quod nulla memoria, aut veſtigium impii manſura ſit, ſicut neq; arboris infructuoſæ, quæ penitus extirpatur. Affert autem oblivionē omnis veſtigii, & memoriæ breviſsimam, particula originalis *Ghod*, quæ verti poteſt, *Adhuc*, ut ſit ſenſus; *Adhuc nō erit illius recordatio.* De hac tamen oblivione impiorum ſtatim ab illorū morte, diximus non ſemel; pertinetq; non ſolum ad ſimplicem rei memoriā, & recordationē, ſed etiā ad ſermonē, qui de aliqua re uſurpari ſolet, & ad mētionē faciēdā: ſicut dixit David; *Nec memor ero nominū illorū per labia mea.* Eſt videlicet illa memoria, aut *recordatio per labia*, cum memoriā alicujus labiis, & verbis uſurpamus. Quare verbū *recordari*, aut *meminiſſe*, aliquando ſignificat *nominare*, ut 1. Reg. 4. 18. *Cū ille nominaſſet arcam Dei.* Prop. ex Hebræo; *Cū memoraſſet*, vel, *cum recordatus fuiſſet arcæ Dei.* Septuag. *Meminit arcæ Dei.* Exod. 28. 24. *In omni loco, in quo * memoria fuerit nominis mei.* Prop. ex Hebræo; *In quo memorare fecero nomen meū.* Hęc ipſa illa memoria eſt, quę Pſ. 136. 6. ad linguam refertur; *Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi nō meminero tui.* id eſt, ſi te nō crebris ſermonibus uſurpem. Sic nulla erit impii recordatio, quod deinceps nemo præteritā illius fælicitatē meminiſſe, aut ſermone uſurpare volet.

Cajetani dura interpretatio.

Levis ſenſus.

עוד

Memoria, aut recordatio cō jūcta cum ſermone.

Pſal. 15. 4.

זכר

Pagn. Regia LXX. *Complut.*

* Adonde ſe tratare de mi, y meſopieren el nombre.

7 *Cōteratur quaſi lignū infructuoſum.* Prop. *Confringatur, cōminuatur*, velut arbor infructuoſa. In Hebræo; *Velut arbor iniquitatis.* eſt autem *arbor iniquitatis*, arbor ſterilis, & infructuoſa, & propter ſterilitatem dānata eradicationis, & evulſionis; ſicut iniquus capite damnari ſolet, & *abſcindi de terra viventium.* Quis enim neget fuiſſe illam *ficum* ſterilem, arborē iniquam, aut arborem iniquitatis, in qua cū nihil *inveniſſet* Chriſtus, *niſi folia tantum*, ait illi: *Nūquam ex te fructus naſcatur in ſempiternū. Et arefacta eſt continuo ficulnea!* Quis itē, tamquā iniquā arborē ſententia extrema dānatam, non videat *ficulneam* illā alteram, de qua Scriptum eſt: *Ecce anni tres ſunt, ex quo venio, quærēs fructū in ficulnea hac, & non invenio: ſuccide ergo illam. Vt quid ergo terram occupat?* Neq; vero de homine dici poteſt, quod de *ficulnea* dixerunt Apoſtoli, *Nōdum, erat tēpus ficōrum*: nam ſi homō arbor eſt, nullo non tempore ferre debet, facereq; fructum. Quare illud *tempus fructuum*, cum mittit *Deus ſervos ſuos, ut accipiant fructus* noſtros, tota vita nobis, & ętas univerſa eſt æſtas, quæ debet eſſe frugifera: quod ſi in adoleſcentia a prima ætate fructum non ferat, *expectat* tamen patienter, & longanimiter agricola, *pretioſum terræ*, & arboris *fructum*, Iſaiæ. 2. Luc. 13. 7. & 8. Quodſi tandem infructuoſa ſit, convellit, confringit, *conterit* arborem, quæ non niſi ſua voluntate, & pravitate ſterileſcit.

שבר

Arbor iniquitatis, quæ.

Matth. 21. 19. Marc. 11. 13.

Luc. 13. 8.

Homini ad ferendū fructū, nullum nō tēpus.

Matt. 21. 34.

Deus longanimiter expectans hominis fructum.

8 Sed illud etiam ſignificari poteſt, per *arborem iniquitatis*, arbor non ſolum infructuoſa, verū etiam venenata, aut nociva, quæ non ſolū nullam utilitatem præſtat aliis, ſed, quæ vehementer nocet. eſt enim hoc loco *iniquitas*, injuria, & nocumentū illatum proximo. Quare hāc ipſam vocē, quæ ſubeſt Pſal. 70. 4. *De manu contra legē agentis, & iniqui*; Hieronymus ex Hebræo tranſtulit, *De manu iniqui, & nocentis.* Sic recta erit oppoſitio inter pium, & juſtum: is enim eſt; *velut lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſum aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo.* Eſt enim juſtus omnibus utilis, atque beneficus, & qui ultro omnibus dat ſuos fructus, ſponteque ſua offert beneficia gratuito cunctis indigentibus. At impius eſt arbor non ſolum infrugifera, proptereaque infælicisſima (ſic enim Plinius *Steriles arbores infælicisſimas* vocat, *& religione damnatas*) verum etiam pro utili, & oportuno fructu proferens venenum: eſtque confugientibus ad ipſum, ſuis foliis, & umbra valde noxius, quippe ex illarum arborū genere, quarum umbra venenum eſt plantis aliis: in quo genere Iuglandes, Pinos, Piceas, & Abietes reponit Plinius. Quæ omnes arbores hominem avarum repræſentant, quæ neque cadentem ſuper ſe cæleſtem imbrem, communicare volunt cum aliis plantis, de quibus ſic ſcribit Plinius: *Omnium, quæ projectis frōdibus ita defenduntur, ut per ipſas non defluant imbres, ſtilla ſæva eſt.* Non aliter ſane avarus, quæcumque ex cæli beneficentia beneficia accipit, neque guttatim vellet communicare

Arbor iniqua & noxia.

עול

Pſal. 1. 3.

Iuſtus gratuito omnibus beneficus.

Impius arbor venenata

Plinius lib. 16. *c.* 16.

Plin. lib. 17. *c.* 2.

Impius inſtar arboris, percū jus folia non defluit imber.

cum

cum aliis plantis infirmioribus, ſed ſi forte gutta ex illius facultatibus attingat miſeros, venenum illis eſt.

9 LXX. Septuaginta amplificaſſe videntur ſimilitudinem hanc, legentes; *Conteratur, ſicut lignum inſanabile omnis iniquus*. videlicet, *quod ubi conciſum fuerit, nullam curationem admittit, ut ſanari poſſit, ſed inutile eſt in poſterum.* Sic exponit Nicetas; in quo obſervari poteſt, quod quamvis homo ejuſmodi arbor ſit, ut ſemel arida virere iterum poſsit, & ex arbore iniquitatis, & infructuoſa facere fructus pœnitētiæ dignos, at hoc loco propter ſuam obſtinationem dicitur *arbor inſanabilis.*

Nicetas.

XXI. *Pavit enim ſterilē, & quæ non parit; & viduæ non benefecit.*

1. *Prima expoſitio.* Sterilis *pro virgine. Stuprum* Paſcere *quid.*
2. *Ex frequenti Veneris uſu ſterilitas.* Steriles *meretrices.*
3. *Vxorem ſterilem diligere humanum.*
4. *Duæ aliæ expoſitiones. Adulteri pœna, ſterilitas. Illuſtratus Moyſes.*
5. Sterilis *pro vidua. Quid proprie ex Heb. Quid paſcere in Sacro ſermone.*
6. Lyptote, Bene agere, *aut facere in Sacro ſermone quid, Viduis ſubveniendum. Illuſtrat. Iſai.*
7. Viduæ *nomen unde dicatur. Illuſtratus Paulus. Duæ viduarum virtutes, duo item vitia.*

1 VIdentur peculiariter nūc deſcribi impiorum, & Tyrannorū facinora, quę in civitate perpetrant, inter quæ primum illud eſt, quod *pavit ſterilē*; per quod Cajetanus exiſtimat ſignificari Tyrānum turpiſsimum, ſtupratorem virginū, quas non modo per vim opprimat, verum etiā medicato poculo illas reddat ſteriles, aut abortiri faciat, tantum ſibi pro fine voluptatem conſtituens, non liberorū procreationem; neque, quam oppreſsiſſet, virginē volens in uxorem ducere; quod turpiſsima quædam ſævitia eſt, & inhumaniſsima turpitudo, atque illius ſimilis, qua petulantiſsimus Amnon violatam Thamar exoſam habuit, præcipiens *ejici eam foras, & claudi oſtium poſt eam*; *quæ reſpondit ei; majus eſt hoc malum, quod nūc agis adverſum me, quam quod ante feciſti expellens me.* Verbum quidem originale *paſcendi* huic expoſitioni favere videtur, nam ad rem turpē aliquando refertur, ut Ieremiæ. 2. 16. *Conſtupraverunt te, uſque ad verticem.* quod ex Hebræo legitur; *Confregerunt te*, aut *ſubegerunt te.* Significat enim ſocietatem quandam, aut amicitiæ congregationem, qualis in eodem grege eſſe ſolet *in paſcuo*

Cajet.

Infandi virginum ſtupratores.

2.Reg.13.16.

רעה

communi; Scio ſane (quod de iſta interpretandi ratione breviter dicam) rem turpem ita ſolere in Sacro ſermone ſignificari pure, & ſancte, ut non omnino clare, ſed obſcure ſignificetur. At certe hic tam obſcure ſignificatur, verbo *paſcendi*, ut nemo præter Cajetanū id animadverterit.

Secundo poteſt hoc quoque ad meretrices pertinere, quę frequenter ex nimio libidinis uſu redduntur ſteriles; ſive etiā, quod illæ veneficiis, aut medicatis potionibus ſuam ſterilitatem concipiūt, & procurant: nam hujuſmodi fœminas ſterileſcere, tum a Medicis, & Philoſophis, tum Plutarch. lib. 5. de placitis Philoſophorū c.9. ex Diocle medico refert: atq; multas ejuſmodi ſterilitatis cauſas affert, pullulantes omnes ex frequentia veneris. Qua in re Eraſiſtrati, atque Stoicorum etiam ſententias adfert. Senſus igitur erit, Impius leno, atque Tyrannus Lupas alit, & paſcit: & quod a viduis, & pupillis rapit, illud totum in meretrices, & Lupanaria erogat. Laborat hæc quoque interpretatio ſimili incommodo, ſicut præcedens. 2

Secunda interpretatio.

Sterilitatis cauſa. Plutar.

Tertio, Vatabl. exponit; *Sterilē uxorem afflixit ob ſterilitatem.* Eademq; videtur lectio Tygur. *Sterilē, quæ nō pariebat afflixit.* Facit quoq; lectio Pagn. *Confregit uxorem ſterilem, ne pareret*; ſive ut nos habemus: *& non parient*; vel, *non parientē.* Quod facinus tātum abeſt ab humanitate, quā quod lōgiſsime: namq; debet vir conſolari uxorē ſterilem, atq; etiā fervētius diligere. Illud enim ſingularis virtutis erat, quod de Elcana dicitur. 1.Reg.1.5. *Annā* (nimirum ſterilem) *diligebat; Dominus autē cōcluſerat vulvā ejus.* Nā ſterilē affligere, non eſt maritalis benevolētiæ ſed muliebris æmulationis, & petulantiæ, illius quoq; ſimilis; *Affligebat eā æmula ejus, & vehemēter angebat, in tantum, ut exprobraret, quod Dñs cōcluſiſſet vulvam ejus.* Sic Iacob Rachel ſteriliſcentē nō minus, quam fæcundā Liam diligebat. Sed neque hic ſenſus, cum antecedentibus; & conſequentibus cohæret. 3

Tertia expoſitio. Vatab. Tygur. Pagnin.

Vir conſolaturus uxorem ſterilem.

Quarto, ad rem præſentē propius, ut cōminetur Tyranno ſterilitatē uxorum, ſicut de Agag dicitur 1.Reg. 15. 32. *Sicut fecit abſq; liberis mulieres gladius tuus, ſic abſque liberis erit mater tua.* Adde etiā (quod ingens ſupplicium eſt, quod ſicut voluit adulter ex alieno toro liberos ſuſcipere, neq; quidē ſuſcipere poſsit ex ſuo: ut quōdā contigit Abimelech propter raptū Saræ: *Concluſit enim Dñs omnē vulvā domus Abimelech*, Geneſ.20.18. Huic ſimilis eſt illa aliorum interpretatio, ut per *ſterilē* ſignificetur, *adultera*, quæ non parit hæredem 4

Quarta exponendi ratio.

Adulterorum ingēs ſupplicium.

Sterilis pro adultera.

ex pro-

ex proprio viro, sed interdum ex alieno supponit: sicut Ecclesiast. dixit. c. 23. 32. *Mulier relinquens virum suum, & statuens hæreditatem ex alieno matrimonio, in adulterio fornicata est, & ex alio viro filios statuit sibi.* Non male conveniret hæc interpretatio, nisi secunda pars, quæ de viduis sequitur, aliam postularet.

Quinta Divi Thomæ expositio metaphorica.

Divus Thomas quintam affert expositionem, existimans significari hominem, qui bona sua in res inutiles prodigit, & consumit, ad similitudinem ejus, qui uxorem inutiliter nutrit. Placuit hoc quoq; nonnullis Latinis, Nicolao, Dionys. Sed allegoricum quoque hoc, sicut & quædã alia, quæ de carne ad malum proclivi, & ad bonos fructus sterilescẽte afferuntur, a Gregorio, & aliis.

Nicol. Dionys.

Gregor.

5

Vltima, & simplex interpretatio.

Sterilis pro vidua.

Sexto tãdem facilem, & simplicem interpretationem existimare licet, eam ipsam, quam præ se ferunt verba; ita ut *sterilem* exponat sequens particula, *vidua*; postquam enim sævissimus Tyrannus virum de medio sustulit, filiolos jugulavit, convertat se statim ad capiendam *viduæ* prædam, viro suo, atque liberis, omnique propinquorum patrocinio orbatæ. Quare idẽ omnino significabunt tres istæ voces. *sterilis, non pariens, vidua*. & de *sterili, & non pariente.* Isai, 54. 1. *Lauda sterilis, quæ non paris.* Rursus *sterilitas, & viduitas,* ad filios etiã pro eodẽ referuntur Thren. 5. 5. *Matres nostræ, quasi viduæ.* Quod cũ intelligerent Septuagin. non amplius dixerunt, quam *mulierem sterilem*; Proprie *eradicatam*, convulsam, cui nulla stirps, radix nulla, ex qua germinet posteritas, a radice *Ghakar*; quod est extirpare, eradicare, convellere. *Pavit*, sicut pecus herbam depascere solet, nõ sicut pastor pascit gregem. id est, devoravit, absumpsit. Et verbum originale, non solum dicitur de officio boni pastoris, quod est pascere, nutrire, regere, sed de severiori etiam, & duriori gubernatione, quod *frangere*, & *conterere*, alias vertitur a Vulgato, ut Psal. 2. 9. *Reges eos in virga ferrea.* Hieronym. ex Hebræo vertit, *Frauges eos*, & similiter Micheæ. 5. 6. *Pascent terram Assur in gladio*; quod ex Hebræo legitur; *Confringent*, vel *conquassabunt terram Assur in gladio*: alii *devastabunt*; alii non *incommode, depascent*, devorabunt, depopulabuntur. Cæteri omnes cum Gregorio allegoriam sectantes. *Pascere*, sumpserunt pro saginare, & nutrire.

Variæ viduitatis circumlocutiones.

Viduitas respectu filiorũ.

LXX

עקר

Pascere in malum.

ורעה

Complut. Pagnin. Vatab. Tygur. Regss.

Et viduæ non benefecit. Cajetanus ad rẽ turpem refert, sub verbis honestis significatam. Sed mirum quod non solum non favente, sed repugnante etiam originali verbo, eum sensum sua mente complexus sit! est igitur cum præcedente res eadem: quippe solet Scriptura rem eandem, nũc per affirmationem, nunc per negationem repetere, & repetendo majorem vim addere. exempla passim. est etiã *Lyptote* aut extenuatio; *non benefecit*, id est, *malefecit*, nimium sævus, & ferus erga viduam fuit non fuit beneficus, lætus, hilaris; denique non fuit erga illam bonus (hæc enim proprie Sonat vox originalis) quod nos vulgari, & notiori nomine diceremus, *No le hizo buen tratamiento.* sed e contrario; raptor, severus, tristis, & omnino injurius & impius. Quare Ierem. 22. 3. dicitur, *Viduam nolite contristare.* Sed potius lætos, atque hilares vos illi præbete. quare opportune dixit hoc loco Tygurina, *neque exhilaravit viduam.* Quanquam etiam hoc loco locum habeat, quod observabamus cap. 22. Versic. 6. non solum crimini dari, quod injurius extiterit improbus in viduas, & in omne miserorum genus, sed etiam quod non fuerit beneficus, jucundus, liberalis, beneplacens, lætus, & hilaris: nam cum his omnibus vitæ commodis viduæ, & pupilli careant, profecto vult Deus, ut ex domo divitis & ex illius benignitate, & liberalitate illa facile mutuari possint. Hoc illud est, quod ab hac ipsa radice dicitur Psalm. 35. 4. * *Noluit intelligere, ut bene ageret.* Quod Hieronymus, ex Hebræo vertit, *Cessavit cogitare benefacere.* quare sequitur. * *Iniquitatem*, (injuriam, *injustitiam*, rapinam, fraudem, & calumniam) *meditatus est in cubili suo.* Quare cum ejusmodi Principes pauperũ, & viduarum oppressores, hortatur Deus Isaiæ. 1. 16. *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* * *Quiescite agere perverse.* id est, erga neminem sitis iniqui, aut injurii; explicat deinde quid sit bene, aut benigne facere; *Discite benefacere; quærite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam.* ubi quæ sit viduæ peculiaris miseria, significat, quod viro careat, qui illam defendat, & tueatur. Quid si etiam careat liberis, & omni sit præsidio destituta? Quam Paulus. 1. ad Thimot. 5. 5. describit, *quæ vere vidua est, & desolata.* videlicet, quod neque habeat virum, filios, aut nepotes, a quibus opis, & subsidii, aliquid sperare possit.

Cajet.

Scripturæ regula.

Lyptote.

יטב

Divitum erga viduas misericordia qualis esse debeat.

* Sus traças no son de aprovechar a nadie, sino de hazer a todos mal.

Hieronym.

* No hagays mal a nadie.

Viduitatis proprium incõmodũ quale.

Vidua dessolata quæ.

7

Viduæ autẽ nomen hoc loco cum *sterili* jungitur, quod *vidua*, viduitatis tempore sterilescere debeat, & omnino a voluptatibus, & deliciis abstinere, non pariens,

Vidua vere vidua, quasi mortua.

nam

1. ad Thim. 5. 6

nam vidua, quæ in deliciis est, vivens mortua est. quasi, quæ vidua sancta est, debeat se pro mortua gerere, & habere. Sic vivet vere vidua. Secus si aliter, nimirum *in deliciis vivat,* non vivet vita viduitatis: atq; est quoddam, ut Ambrosius ait, imposturæ genus, *aliud agere, & aliud profiteri.* Cyprian. lib. 3. ad Quirin. c. 74. legit. *Quæ autẽ delicata est, vivens mortua est.* Illud, *delicata,* propriũ earũ videtur esse, quæ viros habẽt, ut cõstat ex illo Isai. 47. 8. 9. *Audi hæc delicata, quæ dicis in corde tuo; Non sedebo vidua, & ignorabo sterilitatem.* Ergo deliciis, imo, & vitæ cõtraria est viduitas, quæ pro morte quadam reputatur. Sed illud peculiarius ad mortẽ pertinet, quod *vidua* hoc loco nomen habet ab obmutescendo, & tacendo; quæ est etiã mortuorum, circumloquutio. Illa enim est mortis in improbos imprecatio, Psal. 30. 19. *Muta fiant labia dolosa:* nam *Alam,* a quo dicitur *Almanah,* vidua, significat colligare, & deinde refertur ad vinculum linguę, quod est obmutescere. Vidua igitur sonat, **colligatã, & mutam:* quorum utrumq, mortuis convenit. Sed peculiariter primum *viduis*, quod ligatæ debeant esse ad domus angulum, ut se inde movere posse non videantur, neq; domo egredi: deinde quod silentium ita debeant colere, ut mutæ æstimari possint. * Cõtraria his duabus viduarum virtutibus opponit Paulus. 1. Tim. 15. 13. duo alia viduarum vitia; *Discũt circuire domos, nõ solũ otiosæ, sed & verbosæ, & curiosæ,* loquẽtes, quę nõ oportet.

Ambros. — Cyprian. — Vidua delicata quę dicatur — Viduæ nomẽ mortuam sonat. — אלם — אלמנה — Viduæ domi se cõtinentes. — *Duę virtutes viduarũ, *Cerrada la boca, y encerradas en casa,* ex proprietate nominis.

XXII. *Detraxit fortes in fortitudine sua: & cum steterit, non credet vitæ suæ.*

1. *Tyrannorum descriptio, & lex,* Excelsa demetere.
2. *Quid* detrahere, *Tyrannis etiam imbecilles timentur.*
3. *Varia expositio. Tyrannus tam timidus quam crudelis,* Stare, *habitus percutientis fœdus.*
4. Stare, *&* consurgere. *quid in Sacro sermone*
5. *Tyrannus nemini fidit, nemo illi.*

1 DEtraxit fortes. Non solũ grassatur sæva tyrannis inter miseros, & imbecillos, sed etiam adoritur potentiores omnes, & opulentiores, quos ex suo statu, opibusq; exturbet. Hoc illud est, quod ad illã tantũ legem Tyranni se conformãt, quæ præcipit: *Excelsa quæque demetere;* ut procul omni suspicione, & metu, in infirmam, & miseram plebẽ dominentur. Qua de re sapienter scripsit Arist. lib. 3. Politic. cap. 9. & nos inferius. Vers. 24. nanciscemur occasionem plura dicendi. Sic sane Senecæ monenti;

Tyrannorum Lex. — Aristotel. — Sen. in Octav. act. 2.

S. Pulchrũ eminere est inter illustres viros,
Consulere patriæ, parcere afflictis, fera
Cæde abstinere, tempus atque iræ dare.

Respondit Nero illas plenas omni sęvitia, & tyrannide voces;

N. Munus Deorũ est, ipsa quod servit mihi
Roma, & Senatus, quodq; ab invitis preces,
Humilesque voces exprimit nostri metus.
Servare cives Principi, & patriæ graves,
Claro tumentes genere, quæ dementia est,
Cum liceat una voce suspectos sibi,
Mori jubere?

Quæ fere Tyranni descriptio ex hoc ipso Iobi loco videbitur imitata; aut desumpta. Illa quoque, quã scripsit Herodotus in Thalia, ex oratione cujusdam Otanis, ad eos, qui Magos Persarum, Regemque Tyrannum occiderant, elegans est, æque ac vera. *Omnem* (inquit) *malitiam habet, tũ per insolentiam, quod expletus rebus omnibus est: tum per invidiã multa facinora admittẽs. At enim vir Tyrannus (ut qui omnia bona obtinet) debebat sine livore esse, verum ita natura comparatum est, ut is sit adversarius popularibus suis, siquidem eorum optimis quibus cumque, qui superstites sunt, atq; vivunt, invidet; deterrimis delectatur; &, quod indecentissimũ est, criminationes admittere, optimum putat: nam si admireris eum modeste, offenditur, quod non effuse hoc facias, sive effuse facies, offenditur, quasi sibi assenteris: &, ut exequar dicendo, quæ maxima sunt, jura patriæ labefactat, fœminis vim affert, indãnatos interimit.* Hæc ipsa disserte videas in nostra sententia.

Tyranni descriptio. — Herodot. lib. 3. — Invidia Tyrãnorum.

Detraxit. Septuag. *Furore evertit.* Tygu. 2
Potentes versat sua potentia; susq; deque illos agitat; fortissimosque robore vincit. Proprie traxit, seu, abstraxit, detraxit de suo statu, præcipitavit de sua fælicitate: *Alii trahent ad se cunctos,* sibi subjiciet. addit. Cajetan. *ut sit se cunctis civibus terribilẽ exhibeat:* Alii; *Fortissimos abducit, quo vult;* Nemo audet se opponere Tyranno, sed ad nutum, & libitum illius se se cũcti cõponunt. *Fortes,* prævalentes, præpotẽtes. Ignoro itaq; quare Septuag. legerint, *Furore evertit impotentes.* D. quidem Thom. nostræ lectioni interpretationem adhibet, respondentem etiam lectioni Septuaginta; ut ii dicantur *fortes,* qui licet re vera infirmi, & imbecilles fuerint; tamen nocere etiam possunt potentissimo Tyranno; minima enim quæque aliquando irritata, lædere alios, & se ulcisci potentia sunt; nullus propterea hostis quamvis

משך — Cajetan. — Vatab. — LXX. D. Thom. — Hostis quamvis invalidus non despiciendus.

invali-

invalidus, timendus nõ est. sic de Pharaone minutis omnino, & vilissimis animalculis vindictam repetiit Deus, non solum quod illa ipsa coluisset, ut Deos, sed quod etiam adversus infirmos, & afflictos advenas, tam duram Tyrannidem exercuisset, ut per *quæ quis peccat, per hæc & torqueatur*, & re ipsa experiretur, a minimis quibusque, & contemptissimis hominibus timendum esse Tyranno. Sic & apud inferos torqueri per plebejam manum Tyrannos Theseus exponit Amphitrioni;

Cur Deus minimis animalculis afflixerit Pharaonem.

Sap. 11. 17.

Quod quisq; fecit, patitur: auctorẽ scelus
Repetit, suoq; premitur exemplo nocens.
Vidi cruentos carcere includi duces;
Et impotentis terga plebeja manu
Scindi Tyranni - - - -

Senec. in Herc. Furent. act. 3.

Sed arguta licet, coacta tamen, & repugnans, Hæc D. Thomæ expositio.

In fortitudine sua. per vim, & potentiã, & per ferinum quendam impetũ bachantis animi, nullam probabilem ob causam. Ibi sunt illi *fessi robore*, quos supra dixit Iob. cap. 3. quorum robur, & fortitudinẽ, si non res alia, at mors tandem retundit, & debilitat.

3 *Et cũ steterit, non credet vitæ suæ.* Sentẽtia anceps ad multos sensus, ex eo quod suppositã istorum verborũ non exprimãtur neq; in Hebræo, neque in Græco, aut in Latino. Si primum verbum dicatur de Tyrãno, secundum de paupere oppresso, is sensus efficietur, quem affert Vatablus; *Si steterit*, id est, *si insurrexerit in aliquẽ, & adoriatur, is, quem adortus fuerit, non sperabit se ultra victurum.* Idem fere Cajetanus. Nemo videlicet a Tyrãno se satis tutum arbitratur, sed si semel illius indignationẽ adversum se conciliaverit, actũ de se statim credit. Si e converso prima pars ad alios, secunda vero ad ipsum impium referatur, hæc sententia consurget; Si quispiam steterit, seque opposuerit Tyrãno furit is statim, insanitque præ dolore ad mortem, uti furebat Tyrãnus ille Achab, quod videretur Naboth adversus illius libidinem, & effrænis animi impetũ stetisse; *Venit enim Achab in domum suam indignans, & frendẽs super verbo, quod locutus fuerat ad eum Naboth, & projiciens se in lectulũ suum, avertit faciem suam ad parietem, & nõ comedit panem.* Itaque tam vecors, & tam timidus est Tyrannus, quam sævus, atque crudelis: nam illi facit animos, & sævitiã illius armat aliorum impotentia, & imbecillitas: si enim quispiam audeat resistere, statim de vita sua, & incolumitate desperat. Iterum si prima pars ad impium, & secũda ad alios, & relativum illud reciprocum, pro nõ reciproco sumatur, Isidorus hanc sententiam componit; *Illorum vitæ nemo credit: nam etsi porrigant manus, & fœdera percutiant, tamen quærunt occasionem nocendi.* *Stare* igitur accipit, pro Percutere fœdus stando. Si utraque pars ad alios referatur, is erit sensus; Quis restitit impio, & Tyranno, qui non statim de sua vita actum putet? Sed quidem lenissimus atque simplicissimus sensus, juxta antecedentia, & consequentia est, ut utraq; pars de impio dicatur, & de illius commotione animi, & metu, quem mala conscientia efficit, ut jam explicabimus.

Varia expositio.

Vatab.

Cajetan.

3 Reg. 21. 4.

Tyrannus timidus, æque ac crudelis.

Tyranni fœdifragi & infidi.

Stare pro pacisci.

Germanus, & cohærens explicatus.

4 *Cum steterit.* D. Thom. supplet, in sua fælicitate, tamen anxius est timore amittendi, nulla igitur inter tot opes animi tranquillitate frui potest. Proprie ex Hebræo: *Cum surrexerit*, vel, *cum insurrexerit* contra aliquẽ, *si se obfirmaverit.* Hoc enim proprie significat verbum originale, & affert animum, & impetum hostilem: unde *Insurgentes* dicuntur hostes, & adversarii. Psal. 17. 40. & Psal. 43. 6. & 58. 2. & 91. 12. Septuagin. nihil hostile agnoscunt in verbo *standi*, aut *surgendi*, sed quotidianũ tempus lecto surgendi, quod nos diceremus, *en levantandose, y poniendo los pies en el suelo.* ut per elegantem paraphrasim exponit Nicetas. *Illum sic sua damnat consciẽtia, tanquam singulis diebus moriturum: quotidie enim cum surgit, de vita sua actũ putat.* Tygur. in verbo *standi*, aut *surgendi*, celsitudinem quandã sublimioris sedis, & dominationis agnoscit, nam & verbum originale referri solet ad altitudinem. Ergo legit; *Attamen ab illis evectus non fidit vitæ suæ.* sed prestat, quod ex Hebreo diximus.

D. Thom.

קום

Stare & insurgere hostilia.

LXX.

Nicetas.

Tygur.

5 *Non credit vitæ.* Septuagin. *Non credat contra vitam suam.* Videtur imprecatio; Etiam si stet, & firmam, fixamq; suam fælicitatem arbitretur, at nõ credat vitæ, dejiciatur de suo statu, atque re ipsa intelligat, non esse fidendũ tam infidæ stationi, & tã fallaci fælicitati. Sed simplicior sensus; Tyranni nemini fidunt, neque illis, quidem, a quibus evecti sunt ad regnum, non amicis, non uxori, non filiis: uti Dionysius ille: quare sicut propter vim semel illatam, nemo fidit Tyrannis, neque de sua vita securus est: ita profecto neq; Tyrannus suæ vitæ credit, sibi propterea ab omnibus timet. Quam vere Thyestes ad Plisthenum, ut videatur fere dixisse,

LXX

Fallax Tyrannorum fælicitas.

Dionysius Tyrãnus nemini fidens.

Cum steterit, non credet vitæ suæ:
- - - - - Dum excelsus steti,
Nunquam pavere destiti, atq; ipsum mei
Ferrum timere lateris - - - - -
Venenum in auro bibitur, expertus loquor.

Sen. in Thyest. act. 3.

Rebusque

Rebusque parvis alta præstatur quies.

Tetigimus rem hanc, de malæ Conscientiæ metu, Tyrannidis comite assiduo, super. c. 22. vers. 10. & Iob sæpius.

XXIII. *Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in superbiam: oculi autem ejus sunt in viis illius.*

1. *Verbum dandi in Sacro sermone. Varia lectio. Tyranni pretio vendunt securitatem infirmorum.*
2. *Metonymiæ. Tempus pœnitentiæ agendæ, cur appelletur* Securitas.
3. *Divinam justitiam concedere improbis locum pœnitentiæ. Asseritur sera Dei vindicta. Aegyptiorum lex.*
4. *Improbitati statim imminet pœna. Quid* tempus acceptabile *apud Paulum, &* tempus beneplaciti *apud David. Illustratus Isaias.*
5. *Qui* Dies utiles. Dies sessionum, & Dies justi *in jure. Divina Iustitia quomodo se prodat. Explicatus Paulus.*
6. *Quantum scelus abuti Divina benignitate. Qui dicantur* illusores. *Explicatus Paulus. Quid prop. abuti.*
7. *Deus computat omnium mortaliū actiones. Quid* Thesaurizare. *Operandum, dum lux est. Explicatus Isaias, & David.*
8. *Impius in morbo statim concidit animo; exeuntem e corpore comitatur supplicium: Illustratus Moyses.*

1 Varia lectio.

DEdit ei. Quod in Hebræo sine supposito est, aliter Hebræi, aliter Vulgatus interpres supplendum existimarunt: nam sic ex verbo legitur in Hebræo; *Dabit ei ad fiduciam, & innitetur.* vel, ut Hebræus apud Cajetanum; *Dabit ei securitatem.* Vatablus; *Dat illi ad confidentiam.* quod pertinere potest ad eos, qui pretio, & muneribus mercantur, ut sub Tyrannis tuti esse, & vivere possint, videlicet Tyranni vendunt illam confidentiam, & securitatem acceptis muneribus; & pauperes infirmiores illam mercantur, ut vel sic quasi Tyrannorum datæ fidei inniti, videantur: quem sensum lucidiori paraphrasi illuminavit Tygurina: *Si quis ei donet, ut tutus agere possit, ac nitatur illi, oculi ejus speculantur vias ejus ad nocendum.* Nam abutuntur, & muneribus acceptis, & data fide, ut qui sunt ex illis, quos Paulus vocat, *Absque fœdere.* Pagninus; *Dabit, ei munera, ut habitet confidenter, & innitetur.* Isidorus; *Dabit ei manum pro securitate, ut suffulciretur.* Et quidem verbum *Dandi*, indifferens est; vel ad danda munera, vel ad porrigendam manum, vel ad præstandam fidem, vel ad quidvis aliud, quod vel dono, vel contractu aliquo commutationis, emptionis, aut venditionis dari solet. Quamvis frequenter ad munera, & gratuita dona soleat referri, ut statim dicemus. Ergo hoc illud erit, quod supra ex Salviano Massiliensi attulimus, cum *de Tuitione* ageremus, cum ipsi Principes, & Magistratus patrocinium suum pauperibus venderent; *Et quod dixi* (inquit Salvianus) *vendunt, utinam venderent usitato more, aliquid forsitan remaneret emptoribus: novum quippe hoc genus venditionis, & emptionis, venditor nil tradit, & totum accipit: emptor accipit, & totum penitus amittit. Cumque omnis fere contractus hoc in se habeat, ut invidia penes emptorem, inopia penes venditorem esse videatur, quia emptor adhoc emit, ut substantiam suam augeat, venditor ad hoc vendit, ut minuat: Inauditum hoc commercii genus est, venditoribus crescit facultas, emptoribus nihil remanet, nisi sola mendicitas.*

Cajet.
Vatab.

Infirmi pretio obtinentes securitatē a potentioribus.

Tygur.

Rom. 1. 31.

Pagnin.
Isidor.

נתן

Vid. sup. c. 22. vers. 9. nu. 4.

Salvian. lib. 5. de Provid.

2 Elucidatio, & defensio Latini Interpretis

At Vulgatus Interpres verbo, *Dandi*, nullum aliud commodius suppositum tribui posse, quam *Deum*, sapienter judicavit, quod intelligeret impium non posse commode subaudiri, ut qui nemini posset esse causa ullius securitatis, aut confidentiæ, nemoque quidem in illius fide, aut patrocinio spem suam audeat reponere: nam hoc significat vox Originalis. Ergo illustri paraphrasi locum illustravit Interpres, & *securitatem*, aut *confidentiam*, appellavit *tempus*, aut *locum pœnitentiæ*: nam ea securitas, aut confidentia, aut erectior spes non potest comparari, nisi acta improbæ vitæ superioris pœnitentia. Hæc enim est quæ licet non omnino securum, at tranquilliorem, & fidentiorem potest reddere animum hominis peccatoris. Quare *securitatem*, & *spem*, Metonymicos vocavit *tempus* comparandi securitatem, & spem. Tum etiam securitatem appellavit *tempus*, quod peccatori conceditur, tāquam induciæ, in quo securus quasi agere, & vivere potest: non enim *Irascitur Deus per singulos dies*, sed longanimiter expectat. Ergo benignitatem Dei, sub qua homo impune sinitur vivere, securitatem, & confidentiam eleganter vocat.

בטח

Pœnitentiā paratur animi tranquillitas.

Metonymia.

Psal. 7. 12.

3 Quare Deus tarde procedat ad puniendum.

Sed hanc tamen impunitatem, & quasi inducias suæ justitiæ concedit Deus propter pœnitentiam agendam: atque hæc non ultima ratio est, quæ seram, & quasi tardam Dei vindictam erga nefarios homines tuetur; quoniam quidem illius justitia *dat locum pœnitentiæ*, ut Sapientiæ

12. 8. 9. 10. dicitur: *His, tanquam hominibus pepercisti, & miſiſti antecessores exercitus tui, veſpas, ut illos paulatim exterminarent: nō quia impotens eras in bello ſubjicere impios juſtis, aut beſtiis ſævis, aut verbo duro ſimul exterminare: ſed partibus* (paulatim) *judicans, dabas locum pœnitentiæ, non ignorans quoniā nequam eſt natio eorum, & naturalis malitia ipſorum, & quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum. Semen enim erat maledictum ab æterno.* Vbi vides Divinam Iuſtitiam, quod ad ſe pertinet, agere concedendo locum pœnitentiæ, quamvis eo impius *abutatur in ſuperbiam*. Qua de re diſſeruit eleganter Plutarchus de ſera Numinis punitione, quamvis in eo erraverit, quod exiſtimet iis tantū locum, & tēpus pœnitentiæ concedi, quorum non ſit inſanabilis malitia; *Humanæ* (inquit) *maleſactorum ultiones legitimæ, id duntaxat habent, quod delicta, canum inſtar, cum latratu perſoquuntur, & facinora extemplo ulciſcuntur, repoſitoque maleficio ſubſiſtunt. Atqui Deum credibile eſt, quamcumque vitio captam animam juſto ſuo judicio aggreditur, ejus motus perſpicere, ſicubi ad pœnitentiam inflectūtur; tempuſque correctionis largiri iis, quorum non extrema eſt, & incurabilis nequitia.* Illuſtrat deinde rem hāc multis exemplis eorum, qui ſpatio pœnitentiæ vitam, & mores in melius mutarunt. Proptereaq; exiſtimat *mores*, Græce nominari *tropos*, a mutando; quod tempore mutari frequenter ſoleant. *Et Cecropem a priſcis fuiſſe biformem dictum, non quod e bono Rege immanis, & draconis naturam imitās, ſit factus Tyrannus; ſed contra, quod perverſus ab initio, & terribilis, poſt modum benigniter, humaniterque imperaverit.* Recte profecto AEgyptiam illam legem Græci ſanxerunt, mulierem gravidam, ſi mortis fuiſſet damnata aſſervari, donec pariat; non aliter profecto, ſi quiſpiam progreſſu temporis, meliorem vitā, & ſanius cōſiliū in lucem proferre poſſit, & velit, dilato ſupplicio, & expectata pœnitētia, expectat illū Deus, donec cū gemitu, & lachrymis pariat, ſicut Scriptū eſt; *A facie tua concepimus, & quaſi parturivimus ſpiritum ſalutis.*

Plutarch. de ſera Numinis vindict. c. 3.

Cecrope cur biformis dictus.

Aegyptiorum lex apud eundē Plutarchū. *Eadem l. Pregnantis, D. de Pœnis,*

Iſai. 26. 18.

4 *Dedit Deus locum pœnitentiæ.* Verbum *Dandi* gratuitam quandam donandi munificentiam, & liberalitatem indicat: nam quod peccator non ſtatim ſupplicio afficiatur, bonitatis, & benignitatis Divinæ omnino eſt. Sicut quod qui capite damnatus eſt pendente ex collo fune, non ſtatim educatur ad ſupplicium: nam ſtatim atque homo peccat, ſupplicium ad illius fores excubat, ut cum primum aditum, & introeūdi facultatem cōcedat ſupremus judex, in peccatorem ſtatim inſiliat. Sicut ad Cain dictum eſt; *Si bene egeris recipies, ſin autem male, ſtatim pro foribus peccatum tuum* (peccati tui pœna) *aderit. Locus* autem *pœnitentiæ*, idem eſt, quod tempus, opportunitas, & ut ſuperius dixi, quædam Divinæ juſtitiæ quaſi pactæ cū peccatoribus induciæ, poſt quas bellum illud extremi judicii adverſus improbos ardebit; cum *pugnabit* cum judice *Orbis terrarum contra inſenſatos*. Et recte quidem dicitur hoc pœnitentiæ tempus juxta vocem Originalem, *Locus*, & *tempus ſecuritatis*, ſpei confidentiæ; cum idem dicatur miſericordiæ tempus, de quo profecto Paulus dixit: *Ecce* (ut rei omnino pretioſiſsimæ labentis, & quaſi fugientis e manibus occaſionem captandam ſignificaret) *nunc* (breviſsimum ſcilicet tempus, non differendum in poſterum) *tempus acceptabile* (quod Iſaiæ. 49. vocatur *tempus acceptum*, ut Paulus ex verſione Septuaginta ait; quod apud Vulgatum eſt: * *tempus placitum*; non ſolum ut dicatur, *Tempus*; quod judex pro bona voluntate ſua nobis ad defenſionem noſtram concedit, cum poſſet ſtatim prolata ſententia extremo ſupplicio afficere. Proptereaque ſubdit) *Ecce nunc dies ſalutis.* Sed etiam, ut dicatur *tempus acceptum*, ſcilicet Deo. Hoc enim tempus vitæ, atque incolumitatis nobis, ex gratuita judicis benignitate, & miſericordia omnino donatur, vita ipſa indigniſsimis, morte æterna digniſsimis. Quare recte vocatur *tempus acceptum*, id eſt, Divinæ acceptationis, & gratiæ; & præterea tempus *beneplaciti*, id eſt gratuitæ Dei voluntatis: ſicut & dicebat David Pſal. 68. 15. *Ego vero orationem meam ad te Domine, tempus beneplaciti, Deus, in multitudine miſericordiæ tuæ.* id eſt, ut hoc ſaltem tempore, quod opportunum videtur, meæ vitæ, & defenſionis, velis pro tua bonitate, & gratia me exaudire. ubi *beneplacitum* (inquit Theodoretus) *bonam appellat voluntatem*. Quo loco Symmachus legit: *Tempus reconciliationis*. Similiter etiam, & Hieronymus; *Tempus reconciliationis, Deus, in multitudine miſericordiæ tuæ.* Quod profecto *acceptabile tempus dieſque ſalutis* videtur dici a Paulo per alluſionem quandam, ad dies, quos Iuriſperiti, *Vtiles* appellant, quos Græci, *Oriſmenos*, vocant, quibus ſcilicet, *experiundi juris ſui poteſtas eſt*; & ad dies *legitimos*; qui (ut inquit Budæus) *erant dilationes ordinariæ*: nam his & ſalutem ſuam tueri, &

Quod peccator non ſtatim puniatur Miſericordiæ Divinæ eſt.

Simile.

Geneſ. 4. 7.

Poſt hujus vitæ inducias, Dei bellū adverſus impios

Sap. 5. 21.

2. Cor. 6. 2.

* El tiempo de concedernos Dios plazos.

Theodoret.

Symmach.

Hieronym.

Dies utiles, & legitimi in jure

ὡρισμένος

L. 1. D. de diver. temp. præſcript.

Budæus in forẽſ.

pro ſe, & ſua cauſa dicere licebat. Denique ante ſententiam dies illi omnino utiles. Sic ſane peccatori ſolemnes iſtæ Divinæ juſtitiæ dilationes, aut potius Divinæ miſericordiæ quaſi induciæ, locum nobis pœnitentiæ præbent: nam in extremo illo, quaſi *fatali die*, non jam *dies peccatori utiles*, ſed potius *dies ſeſſionum* cenſendi ſunt, quibus ſedet judex pro tribunali; aut potius (ut in jure eſt) *dies juſtus* appellandus, cum videlicet eſt *tempus faciendi judicati*: nec durabit *dies* iſte *juſtus* menſem unum, ut quondam decernebant Leges duodecim tabularum; ſed breviſſime, & quaſi in ictu oculi, *referet quiſque prout geſſit in corpore ſuo, ſive bonum, ſive malum*. Quare in hoc *pœnitentiæ loco*, & tempore gratis nobis oblato, non ſolum *Divitias bonitatis*, & miſericordiæ oſtentat Deus, verum etiam juſtitiæ, ſicut Paulus ait ad Roman. 3. 25. cum de remiſſione præcedentium delictorum per Chriſti merita dixerat, ſubdit ſtatim; *In ſuſtentatione Dei, ad oſtenſionem juſtitiæ ejus in hoc tempore, ut ſit ipſe juſtus, & juſtificans eum, qui eſt ex fide Ieſu Chriſti*. ubi obſerva dici Deum, *juſtitiam ſuam oſtendere*, cũ *ſuſtentat*, id eſt, cum patienter expectat peccatoris pœnitentiam invitando illum ad ſuam gratiam, & juſtificationem; nam quamvis juſtitiæ proprium ſit judicare, & condemnare nocentem, ſicque injuſtitiam tollere, & punire, tamen manifeſtũ etiam eſt juſtitiæ opus, ſcelera deſtruere quacumque alia ratione. Ergo tum *in hoc tempore* pœnitentiæ, tum in futuro judicio oſtentabit Deus juſtitiam ſuam, ſed diverſa tamen ratione: nam *in hoc tempore*, quod pœnitentiæ, & miſericordiæ eſt, deſtruit Deus peccatum, juſtificando peccatorem, *ut ſit ipſe juſtus, & juſtificans*: at in futuro tempore *oſtendit juſtitiam ſuam*, cum fuerit ipſe judex juſtus, minime juſtificans, ſed potius injuſtos condemnãs. Nunc itaque pœnitentiæ utilis, & legitimus dilationis dies eſt; poſtea juſtus dies ſeſſionis, & opportuni ſupplicii, & non revocabilis vindictæ.

Dies ſeſſionũ in jure.

Vid. Duar. li. 2. diſp. c. 16. Cujac obſerv. lib. 2. c. 18.

Lex duodecim tabularum.

2. Cor. 5. 10.

Simul Deus Divitias miſericordiæ & juſtitiæ oſtẽtãs, dans locũ pœnitentiæ.

6 *Et ipſe abutitur eo in ſuperbiam*. Proprie in Hebreo: *Ipſe innitetur*, vel *fulcietur*, aut, ſuſtentat ſe, vel indurat, & obfirmat cor ſuum adverſus Deum, & adverſus omnia æquitatis, & pietatis jura. Verbum Originale, aliqando vertitur a Latino Interprete; *Niti*, 4. Reg. 5. 18. & *Recumbere*, Numer. 21. 15. & *Expectare*. 2. Paralip. 13. 18. & inde nomen deductum ſignificat *firmamentum, robur, fortem, validum*, denique id, ſuper quo alius recumbit, nititur, ſperat. Ergo ſenſus eſt, Impium Dei potentia ſuſtentatum longanimiter, ipſa Dei benignitate, & longanimitate abuti, & ſuper illam quaſi niti, & recumbere, atque ſperare, ut plus peccet. quod ingens eſt ſceleris, & improbitatis amplificatio, & *divitiarum bonitatis Divinæ contemptus* non ferendus; atq; ſtupida quædam ignorantia, quod *benignitas Dei ad pœnitentiam hominem adducat*. Qua de re Paulus cum diſſeruiſſet ad Roman. 2. 4. duo ſubjicit, quæ genuinam hujus verbi Originalis ſignificationem reſpicere, & exponere videntur. Alterum, *Exſtimas autem, homo, quia tu effugies judicium Dei?* Quaſi diceret; in quo nam ſperas, recumbis, niteris, ut *exiſtimare* poſsis tuã impœnitentiam impune tandem abituram? Alterum cum verbum hoc Originale, etiam afferat duritiam quandam, & fortitudinem obſtinati cordis; ſubjicit ſtatim Paulus. *Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram, in die iræ, & revelationis juſti judicii Dei*. Quã rem dilucida, & eleganti paraphraſi illuminavit Interpres dicens; *Impium abuti loco, & tempore pœnitentiæ in ſuperbiam*, inſoleſcendo adverſus Deum, & ejus longanimitatem, atque lenitatem. Mirum autem, quam diſſonet impius Deo ſuaviter illum adducenti, & invitanti ad ſe! juxta id Iſaiæ. 22. 12. *Vocabit Dominus exercituum in die illa ad fletum, & ad planctum, & ad calvitium, & ad cingulum facci* (videlicet invitabit ad pœnitentiam) *& ecce gaudium, & lætitia, occidere vitulos, & jugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum*. De quo incredibili Divinæ vocationis cõtemptu, ſubditur ſtatim; *Si dimittetur iniquitas hæc vobis, donec moriamini, dicit Dominus exercituũ*. Sic ſane Patrocles apud Plutarchum, de impiorum ſupplicio diſſerens: *Nihil* (inquit) *aliud perinde atque dilatio juſtæ vindictæ injuria affectorum ſpes enervat, animoſque eorum dejicit: contra improbos ferocia, & audacia augens*. Cum quo illud hærere videtur, quod Eccleſiaſ. cap. 27. 32, de improbis ait: *Illuſio, & improperium ſuperborum*, ſupple, propria, & familiaria ſunt, nam *abutentes* Divina patientia *in ſuperbiam*, illudunt Divinas cõminationes, & improperiis; atque injuriis infirmiores quoſque vexant. ſicut Petrus eodem *illudendi* verbo uſus dixit. 2. c. 3. 3. *Illuſores juxta proprias concupiſcentias ambulantes, dicentes, Vbi eſt promiſſio, aut adventus ejus?* Sed his tamẽ *vindicta, ſicut Leo inſidiabitur*: nã quãvis ipſi vindictam obliviſcantur, & non videant, at vindicta in

שען

Intolerabilis præſumptio hominis contemnentis Divitias bonitatis Dei.

Paulus exponens Iobum.

Impius impœnitens, diſſonis vocibus reſpondẽs Divinæ vocationi.

Plutarch de ſera Numinis vindicta.

Impœnitentium propria illuſio, & injuria.

Illuſores qui.

Eccleſi. 27. 31.

illos ſemper intendit, quod ſtatim ſubditur, *Oculi autem ejus, &c.*

7 *Oculi autem ejus ſunt in viis illius.* id eſt, non ideo, quod ſegnis videatur in puniẽdo Providentia, ſegnis etiam erit, aut obliviosa in colligendo, & uſque ad minimum quadrantem computando omnes vias, actiones, cogitata etiam ſingula improborum. Differt enim ſupplicium, *ut in plenitudine peccatorum puniat.* (2.Mac.6.14.) Quod videtur reſpondere illi verbo Pauli, *Theſaurizas tibi iram.* id eſt paulatim colligis, reponis, & recondis materiam Divinæ adverſus te iræ, quæ tandem tota ſimul adverſum te depromatur, inſtar Theſauri, paulatim collecti, & coacervati. Expectat itaque ille, ut *impleas menſuram* improbitatis. (Matth.23.32.) In quod illud convenit, quod de Idumæis Scriptum eſt, Iſaiæ: 22.11. *Onus Duma, ad me clamat ex Seir. Cuſtos, quid de nocte? Dixit cuſtos: Venit mane, & nox. Si quæritis, quærite, convertimini, & venite.* Appellant videlicet Deum *cuſtodem*, id eſt vigilem, & ſpeculatorem, ut cujus *oculi* ſint *in omnibus viis illorum.* (Deus cuſtos, & vigil.) Interrogant ſtatim *Quid de nocte* ſui ſupplicii, ſuæque calamitatis? Reſpondet vero *Cuſtos* Deus, *Nũc adeſt mane:* quaſi dicat, tempus, locusque pœnitentiæ. *Operamini ergo, dum lucem habetis, ne vos tenebræ comprehendant:* (Ioan.12.35.) nam inſtat *nox* ſupplicio, & ſempiternis cruciatuum tenebris deputata. (Impio inſtans nox ſupplicij.) Ergo ſi aliquando *quærendus* vobis Deus eſt, *quærite*, quęrendus ſtatim, quærendus ſollicite & diligenter: cito, celeriter accurrendum, neque hoc tempore abutendum vobis in oblivionem, atque *in ſuperbiam.* Sic igitur vigil, & ſpeculator Deus *oculos* habens *in viis* improborum, ſimul proſpicit noctem jam jam adventantem, & paulo poſt offundendam impiis, die, & luce abutentibus. De qua etiam nocte, ſub *diei* tamen nomine, & appellatione, dictum eſt, *Dominus irridebit eum, quoniam proſpicit, quod veniet dies ejus*, (Pſal.37.13.) id eſt (ut Theodoretus ait) *Iudex eorum audaciam irridet, ut qui celerem eorum finem prævideat.* (Theodoret.) vel, ut alii exponunt, *Deus proſpicit omnes dies hominis impii, & oculi ejus ſunt in omnibus viis illius.* Quid ergo impio prodeſt, quod nõ ſtatim de ſingulis ſceleribus vindictam repetat judex, ſi omnes in numerato habet, omniaque ſimul multo graviori ſupplicio proſequuturus eſt, quam ſi ſingula ſtatim parteulatim ſuis ſuppliciis afficeret? (Simul in impios refundendum totũ ſupplicium.)

8 Sententiam vero hanc (ne Septuaginta prætereamus) quorſum ad morbos incurabiles Græci retulerint, ego non video: (LXX.) legunt vero, *Cum infirmari cœperit, nõ ſperet ſanitatem, ſed cadet morbo.* quod ſic intelligit Catenæ auctor, (Nicetas.) ut ſi facinoroſus aliquando in morbum incidat, deſperatione quidem frangatur, ac moriendũ ſibi credat omnino. Quod ſi ex morbo aliquando recreetur, tamen ea res incredibilis illi, atque admirabilis accidat. Quod ad metum pravę conſcientiæ, & inſidiarum, quæ Tyranno parari ab omnibus ſolent, pertinere videtur. (Impius ægrotãs, animo fractus, & ſupplicii timens.) Niſi forte ſignificare Septuaginta voluerint, cũ primum impius in morbum incidit, tunc jam ſero licet, & nulla utili pœnitentia ductũ de ſuo ſupplicio cogitare. Sicut ad impium Cainum, ut ſuum ſuppliciũ aſſidua mente verſaret, dictum eſt, *Si male egeris, ſtatim pro foribus peccatum tuum aderit.* (Geneſ.4.7.) quo pertinet illa paraphraſis Ieroſolymitana (Chaldæus.) hujus loci: *Si non emendaveris opera tua in ſæculo hoc, ad diem judicii magni peccatum tuum conſervabitur, & ad oſtium cordis tui quieſcit.* Ergo non mirum, quod deſperet impius morti, & ſepulchro proximus, & egredi renuat, cum ſupplicium ſuum, tãquam excubantem, aut inſidiantem canem, leonemve in ipſo ſuo exitu adeſſe videat.

XXIIII. Elevati ſunt ad modicum, & non ſubſiſtent, & humiliabuntur, ſicut omnia, & auferentur: &, ſicut ſummitates ſpicarum, conterentur.

1. Elevare, & recedere *in Sacro ſermone quid.* Altitudo *pro ſuperbia. Illuſtratus Iſaias.*
2. *Impii ſe ipſos extollunt. Miſer Reſp. ſtatus regnantibus impiis. Illuſtratus ſemel, & iterum David.*
3. *Breviſſima impiorum lætitia. Præſentibus contenti ſunt. Iuſti ſempiterna ſpectant. Illuſtrati Zacharias, & Hoſeas.*
4. *Hebraiſmus, ſingulare conſtructuum pluraliter. Notata Cajetani argutia.*
5. Humiliare *quid proprie. Humana felicitas ſuo pondere ruens.*
6. Auferri *quid proprie. Varia lectio. Humana omnia caduca. Illuſtratus Iſaias.*
7. *Græcorum lectio.* Malva *quendam in deliciis.*
8. *Multiplex ſimilitudo humanæ felicitatis. Illuſtrati* Ioel, *&* Ioannes.
9. *Tyrannorum lex. Tyrannis debitum ſupplicium. Tarquinii, & Thraſybuli ſtratagema.*

Elevati ſunt. Pagninus, *Receſſerunt*, Vatablus, *Diſceſſerunt*, ut ad illos referatur, qui pro redimenda vexatione, aut vita dederunt impio munera: nam ſtatim atq; recedunt ex urbe, oblivíſcitur illorũ I (Pagnin. Vatab.)

impius,

impius, & non minus humiliantur, quam reliqui omnes. Ita fere Vatablus, ſed dure, & aſpere. Potius dicere verbum illud Originale, *elevandi*, aliquãdo ſignificare, ſeparare, recedere, aut diſcedere, pro perire, & auferri de medio; quia quod aufertur, & ſeparatur ab aliis, elevari ſolet. ſic etiã vulgo dici ſolet *elevari*, quod quiſque ſibi aufert; vel quod de medio aufertur, ut Numer. 26. *Recedite de medio hujus multitudinis*; vel, ut Onkelus, *Separamini*. Clare, *Tollite vos*. & idem eſſet, ſi diceretur, extollite vos, vel *elevemini*, quaſi diceremus, *Alçaos de ay*, vel, *Levantaos de ay*. Quare hoc loco, idem erit, *Receſſerunt*, ac ſi dicas, Ablati ſunt, aut ſublati. Sed multo elegãtius noſter Interpres frequentiorem, & genuinam verbi ſignificationem ſequutus, dixit, *Elevati ſunt*, quod ad ſuperbiam, & inſolentiam refertur; eſt enim ſuperbia conjuncta cum ſublimitate oculorum, cervicis, capitis; quare *altitudo* ſæpe uſurpatur pro ſuperbia, ut Michææ. 2. 3. *Ecce ego cogito ſuper familiam iſtam malum, unde non auferetis colla veſtra, & non ambulabitis ſuperbi*. Prop. *Non ambulabitis in altitudine*. Septuaginta: *Non ambulabitis recti*. q. d. Malum graviſsimum, quod veſtris cervicibus imponã, deprimet veſtram altitudinem, atque ſuperbiam. fere idem cum illo Iſaiæ. 2. 11. & 12. *Incurvabitur altitudo virorum; exaltabitur autem Dominus ſolus in die illa*. quod ſtatim exponitur; *Dies Domini ſuper omnem excelſum, & ſuberbum, & ſuper omnem arrogantem & humiliabitur*. Sic igitur, *Elevati ſunt*; *ſuperbierunt*.

Diſcedere, pro perire.

רמה vel רום

Elevatio: & altitudo ad ſuperbiam.

2 Sed illud obſervari poteſt, quod ex Hebræo legere poſſumus paſsive quidem, ſed non imperſonaliter: *Elevati ſunt*, a ſe ipſis; vel, *elevaverunt ſe*, inſoleſcendi, & ſuperbiẽdi impiorum ſtudium ſignificatur: quamvis enim honor illis non deferatur a populo, illi tamen honores ambiunt; & quamvis ab aliis non evehantur, ipſi ſe elevant, & evehunt in ſublime. Simile id Pſalm. 61. 9. *Veruntamen vani filii hominũ, mendaces filii hominum in ſtateris, ut decipiãt ipſi de vanitate in id ipſum*. Prop. ut aſcendant ipſi. q. d. *ut* * *elevent ſe ſe*. ubi Theodotio legit; *Vapores filii hominum*. qui ſua quaſi ſponte aſcẽdunt, ſed vel ſtatim diſsipantur, vel coguntur in nubem, & pluviam, ut ſtatim in terram recidant, unde ſe excitarunt. Sed quam miſer Reipublica ſtatus, cum *elevantur* impii! uti David dixit Pſalm. 11. 9. *In circuitu impii ambulant; ſecundum altitudinem tuam multiplicaſti filios hominum*. Vndique (inquit) oppugnant impii miſeros, & pauperes; idque referendum eſt ad profunditatem judiciorum Dei, & abyſſum Divinæ Providentiæ, ut impii multiplicentur, vivant, triumphent. At ex Hebræo legitur: *Cum exaltati fuerint, vilitas eſt filiis hominum*. q. d. *Cum impii primas tenent, tunc reliqui homines jacent; hoc eſt abjecte, & viliter ab eis tractantur*. Tum etiã viliſsima eſt, & abjectiſsima Reipubli. conditio: nam nemo regnantibus impiis audet niſi vilia, & abjecta conſectari: nihil laudabile, & glorioſum cogitant, nedum aggrediuntur. Mitto illum alium ſenſum: quod cũ *elevantur impii*, tunc *vilitates*, id eſt omnia nefaria, & probroſa, & homine ratione prædito indigniſsima ad illos confluere videntur, & hujuſmodi peſsima quæq; ad ſe attrahere, *cum exaltati fuerint a terra*. Cum quo facere poteſt, quod legit Thargum: *Sicut ſanguiſuga, quæ ſugit ſanguinem filiorum hominum*. Nam tunc tandem cum *in dignitate ſublimi poſiti* ſunt indigni, videntur eſſe ſanguiſugæ ſimiles corruptiſsimum quemque ſanguinem exugentes. Non dubium etiam, quin illos etiam *elevent*, & evehant viliſsimi alii, abjectiſsimique homines; quod etiam in hunc ipſum locum cadere poteſt, ac ſi legatur: *Cum exaltati fuerint impii a vilitatibus filiorum hominum*, id eſt, a fæce improborum, & a viliſsimis hominum.

Superbi ſe ipſos extollentes.

*Ellos ſonlos que ſe levantã a mayores, aunque nadie los ayude a ſubir.

Theodotio.

Miſeria Reip. regnantibus impiis.

Vatab.

Elevatiis impiis virtus jacet.

Thargum.

Impii inſtar ſãguiſugæ ſugentis peſsimum ſanguinem.

Impii non niſi ab impiis in ſublime elevati.

Ad modicum. Elevantur quidem, ſed diſsipantur ſtatim; velut molliſsimi, &
vaniſsimi vapores e terra ſublati tan- 3
tillum durant. Igitur breviſsimam illam exaltationem, quis merito non deſpiciat, cujus deturbatio, & ruina breviſsima quoque eſt? Sic ſane breviſsimam fælicitatem conſectantur impii, ita etiam breviſsimam omnino vitam vivere cenſendi ſunt; & ſicut breviſsimam, ita etiam nullius pretii, aut æſtimationis dignam. Quem impiorũ communem errorem indicat illud Zachariæ. 4. 10. *Quis deſpexit dies parvos?* q. d. Quotuſquiſque eſt, qui breviſsimam hujus vitæ fælicitatem, & *exaltationem ad modicum*, ut par eſt, contemnat? Quo loco in Hebræo legitur: *Quis deſpexit diem exiguitatis?* vel *parvitatis*, aut, *diem parvarum*, *ſubaudi*, *acclamationum*? nam gaudia omnia hujus vitæ, & fauſtę omnes acclamationes profecto ſũt durationis breviſsimæ, & diei cujuſdam valde parvæ. Propterea juſti nolunt ſuas ſpes, ſuaſque voluptates breviſsimis hujus vitæ, breviſsimæque hujus fælicitatis terminis concludi, ſed ad ampliſsimos

Impiorum ut fælicitas brevis, ita & vita

Vatab.

Iuſti ad æternitatis diẽ aſpirantes.

illos æternitatis limites ſuas ſpes proferunt; ita,ut dicere ad impios poſsimus: *Si latior terminus eorum termino veſtro eſt!* Quod Hamos dicebat capit.6.2. id eſt; ſi regna, atque poſſeſsiones gentium aliarum limites habent ampliores, & latiores veſtris limitibus? quaſi dicat; Minime ſane. imo veri Iſraelitæ,juſtique omnes cum hujus vitę terminis minime ſuas ſpes contineant, nolintque *elevari ad modicum*, longe, lateque patentes fælicitatis terminos ſortiuntur. At vitæ hujus ſectatores valde anguſtis concluſi terminis, quam modica, quam brevi fælicitatis umbra contenti ſunt!

Regni juſtorũ limites amplißimi.

4 *Et non ſubſiſtent*. In Hebræo proprie eſt; *& non ipſe*. qua dicendi formula ſolent Hebræi ſignificare, quod omnino deletur, & perit; ut ſupplere poſsint, Non ipſe manet; aut, Non ipſe conſpicuus amplius apparet.Exempla occurrũt paſsim. Quia vero hoc loco pronomen eſt ſingularis numeri,exiſtimavit Cajetanus ſignificari unum aliquem ex multis Tyrannis interdum parum durare in ſublimi fælicitatis faſtigio, & cito dejici in miſerias,& egeſtatem. Sed certe hæc Cajetani argutia, nihil omnino facit cum Iobi inſtituto, cum potius Tyrannorum in univerſum ſupplicium,& ruina deſcribatur. neque potuit quidem ignorare Cajetanus, ſingulare ſæpe accipi pro plurali, præſertim cum adjungitur plurali;cujus exempla protulimus aliquando. Sic hoc loco; *Elevati ſunt, & non ipſe*. id eſt, non ipſi; nam peribunt ſtatim, & deturbabuntur. Quare ſapienter dixit hoc loco Philippus: *Nunc iterum illi pluraliter deſcribuntur, de quibus vſque ad hunc verſum ſingulariter dixerat.* Eleganter autem ſenſum ſupplevit Interpres; quod enim alii dicunt; *Nulli erunt; non invenientur* aut quid ſimile,ipſe dixit;*Subſiſtere,& perſeverare non poterunt, in ſemel adepta fælicitate*.

Hebraiſmus.

Cajetan.

Singulare cõſtructum cum plurali, pro plurali.

Philipp.

5 מכך *Et humiliabuntur*. Res eadem ad majorem amplificationem per expoſitionẽ repetita: Deprimentur, labefactati concident. Vox quidem Originalis ad caſum, vel ruinam, pertinet, & proprie ſignificat eam inclinationem, quæ ruinam minatur; ſicut dicitur Eccleſ. 10. 18. *In pigritiis humiliabitur contignatio*, videlicet cum tectum domus facit ventrem, & ſuo pondere ruit. Quæ elegans eſt humanæ fælicitatis imago, quæ quo magis tumet, & ventrem facit, tunc ſuo pondere ſemper propendens, certius inclinat in ruinam, atque eo citius, quo fuerit in ſublimiori faſtigio conſtituta. Licet autem verbum Originale ſignificet etiam,ad paupertatem redigi, quæ eſt quædam humiliatio, & ruina; tamen translationis filum multo melius tenuit Latinus Interpres,quam alii Hebraizantes, qui poſt R. Levi legunt; *Paupertate conficientur*, aut quid ſimile; agnoſcentibus licet, atque probãtibus aliis illam, *Humiliandi*, ſignificationem

Ruinoſus paries imago humanæ fælicitatis.

Vulgatus præ lucẽs Hebraizantibus.

R. Levi. Pagn. Tygur. Cajeta.

Vatab. Regia.

6 כפץ *Et auferentur*. Verbum quod alibi vertit Interpres; *Claudere, continere, contrahere*, & per contrariam ſignificationem, *extendere ſe*, aut *tranſilire*, quia etiam aliquando celerius tranſilitur,cum fit ante ſaltum quædam quaſi corporis contractio; ſicut vehementius curritur, quãdo prius recurritur, & id perſpicitur in ſerpentibus, & reptilibus, quæ quadam corporis contractione fortius, & celerius tranſiliunt, & conjiciunt ſe in anteriorem partem. Hinc itaque varius ſenſus,& lectio hujus loci multiplex. Pagninus, & Regia: *Claudentur, ſicut omnes.* quod videtur ad ſepulchrum pertinere, & ad inferni carcerem, in quem impii aſſervandi conjiciuntur. Sicut Iſaias dixit 24.22. *Congregabuntur in cõgregatione faſcis in locum, & claudentur ibi in carcere.* Cajetanus: *Reſtringentur*, ſubaudit ipſe, *à judice*; nimirum, quod ſicut omnes alii cives, qui male fecerunt, addicetur impius carceri. Sed quam aliene ab impunitate Principis, & Tyranni; quæ hoc loco deſcribitur! Tygurina: *Contrahuntur*. Vatablus: *Obturantur*; ſupple, *ora eorum*.Sed multo melius,*Contrahentur*,ne longius ſerpant; Prohibebuntur, ne longius vagentur; Continebuntur, ne impetum faciant,& comprimetur illorum audacia. Vel, Tranſilient cito,diſparebunt, abibunt ſuo loco, & ejicientur celeriter ſuis ſedibus. R. David dixit: *Feſtinanter deficient, & non cognoſcetur locus eorum, ſicut ſaltantis*. R. Moſech. *Saltabunt a loco ſuo*. forte reſpicit ad ſaltum, qui fit ex loco ſuperiori in inferiorem. Sed omnia hæc pulchre complexus eſt Interpres, cum dixit; *Auferentur*. *Auferentur* autem, *ſicut omnia*. Alii, * *ſicut omnes*, æqualem impiorum conditionem, communem etiam aliis mortalibus indicat. Sicut etiã Tyranno illi digna nece ſublato occurrebant alii defuncti, apud Iſaiam, dicentes, *Et tu vulneratus es, ſicut & nos*. Quod etiam impiis Principibus cõminatur David, *Vos autem ſicut homines,moriemini*. At Interpres, *Sicut omnia*, dixit, ut reliqua humana omnia complecteretur, quibus

Verbum contrariarum ſignificationum.

Varia lectio.

Pagn. Regia.

Sepulchrũ, & infernus carcer.

Cajetan.

Tygurin. Vatab.

R. David.

R. Moſech.

* Cayrã ellos tambiẽ como todos.

Iſaia.14.10.

Pſal.81,7.

finis,

finis, & interitus, ut certiſsimus, ita & breviſsimus accidit.

7 LXX. Septuaginta, modum, quo *auferendi* ſunt eleganti ſimilitudine expreſſerunt: *Emarcuit, ſicut malva in æſtu.* quod Nicetas ex aliis codicibus legit; *Sicut herba* ut illi reſpondeat; *Sicut olera herbarum, cito decident*: nam levia, & mollior herba cito areſcit. Vel certe in *Malva*, aliquid deliciosum obſervarunt: nam habebatur quondam malva in deliciis acetariorum, in æſtate autem, aut negligebatur, aut virens non poterat conſervari; tum etiã ſerviebat coronis, ac lætitiæ, ut Plinius auctor eſt. Ergo (inquiunt) exorto Divinæ juſtitiæ ſole, marceſcat, areſcat, peruratur, atque omnis deliciarum flos decidat, & proteratur.

Nicetas. Pſal. 36. 2. Malva in deliciis habita. Plin. lib. 20. c. 21. & lib. 41. c. 4.

8 *Et ſicut ſummitates ſpicarum, ſuccidentur.* Summitas, vel caput ſpicarum, pro ipſis ſpicis, natis in ſummitate, & capite calami. Septuaginta; *Sicut de ſtipula ſpica decidens ſponte ſua.* Quod Græci accipiũt, ut ſignificetur ſpica contabeſcens, cum primum fuerit excuſſa ex culmo illam ſuſtinẽte, ut nullum amplius humorem haurire poſsit: Non aliter impius excuſſus, & dejectus ab ea fælicitate, qua virebat, & irrigabatur. Illud vero quod, *ſua ſponte*, dicitur, indicat unumquemque ſuũ proprium peccatum habere ultorem; quaſi diceret, Suo vitio, & culpa, & ſui peccati propria, & digna pœna. Ego etiam dicerem, *ſua ſponte*, ſuapte natura, humanam omnem fælicitatem contabeſcere, *ſicut ſpicam*, quæ, etiam ſi non decutiatur bacillo, neque concutiatur vento, ſua imbecillitate, & ariditate diſsipatur, diſsilientibus ariſtis, & granis. Sed commodior, atque uſitatior translatio, ſi dicat ſuo tempore ſuccidendum, & demetendum impium, velut ſpicam onuſtam granis. Expectat enim Angelus Dei temporis, & ſupplicii opportunitatem, ut jubeatur *mittere falcem, & metere, quia venit hora, ut metatur, quoniam aruit meſſis terræ.* Qui cum aliquando cæleſti voce admonitus eſſet, miſit celeriter *falcem ſuam in terram, & demeſſa eſt terra.* Quod etiam Ioelis. 3. 13. a judice indignante adverſus incredibilem mortalium improbitatem, præceptum eſt, non uni tantum, ſed multis meſſoribus Divinæ juſtitiæ, & indignationis adminiſtris; *Mittite falces, quoniam maturavit meſſis; venite, & deſcendite, quia plenum eſt torcular; exuberant torcularia, quia multiplicata eſt malitia eorum. Populi, populi in valle conciſionis: quia juxta eſt dies Domini in valle conciſionis.* Appellat vallem *conciſionis*, quaſi vallem demeſsionis, ubi impii Divinæ ſententiæ, & vindictæ falce acutiſsima præcindendi, & ab omni priſtina fælicitate, & dignitatis culmo reſecandi erunt: *maturitatis* autem illud tempus aſsignatur poſt fælicem vitam decurſam, cum eſt omni voluptate, & turpitudine uſque ad maturam ætatem tranſacta. Eſt autẽ obſervandum, *vallem conciſionis*, dici non ſolum, quia demetendi impii, ſed etiã quia tribulandi, & conterendi: nam eadem vox, quæ *conciſionem* ſignificat, eſt etiam *tribula*. Atque reſpondet hæc pars triturræ, & tribulationis impiorum illi alteri torcularis, & calcationis uvarum, exprimenda enim eſt omnis impiorum viriditas, & humor priſtinæ fælicitatis.

Metonymia. LXX. Impius inſtar ſpicæ deciſæ. Fælicitas humana ſuapte natura marceſcens. Apoc. 14. 15. 16. Angeli meſſores, adminiſtri Divinæ juſtitiæ. Tempus maturitatis, & demeſsionis impiorum. חרץ

9 Sed cum hoc loco *ſummitates ſpicarum*, video, legoque ſuccidendas, juſtam quãdam Tyrannorum pœnam reſpondentem illorum immanitati, & improbitati indicari ſuſpicor: nam Tyranni omnes illam legem tantum colunt, omni jure, & æquitate abrogata, ut ſumma quæque, & excelſa demetant. id, quod in illo Tarquinii Superbi facto conſtat. Nam, ut probati antiquæ hiſtoriæ ſcriptores referũt, filio ſui conſilii arcanum, hoc tantum ſtratagemate, per dubiæ fidei nuntium quendam indicavit; videlicet nuntio in hortum adducto, ſumma papaverum capita, baculo decuſsit: quo facto nuntiato filius intellexit, quid pater vellet, nimirum præcipi ſibi, ut excellentiſsimum quemque Gabinorum (hos enim opprimere parabant) aut exilio ſummoveret, aut nocte conſumeret. Auctores ſunt Plinius, Dionyſius, Halicar. Livius. Valer. Maxim. Iulius Frontinus. Idem omnino de Traſybulo Mileſiorum Tyranno, non minoris calliditatis homine, ſcribitur; Periandro enim Corinthio per nuntium roganti, quid facto opus eſſet, ut ſecurus imperitaret: Non aliud reſpondit nuntio, quam adducto illo in meſſem jã maturam, ſummas frumenti ariſtas baculo decuſsit. quo facto intellexit Periander ſumma rerum, & principum capita tollenda, ſi Tyrannide potiri vellet. Res quidem ab Ariſtotele commemorata. 3. Politic. capit. 9. & lib. 5. cap. 10, Dionyſio etiam Halicarn. lib. 4. Herodot. lib. 5. Laertio in Periandro. Abſtulit igitur Tyrannus uterque excellentes quoſque viros, ſicut *ſummitates ſpicarum*, ut ſoli ipſi elevarentur in ſublime, eminerentque inter cæteros. Sed profecto *ad modicum*; nam auferet Deus Tyrannos iſtos pari

Par ſuppliciũ reſpondẽs Tyrannis. Tyrannorum lex, excelſa demetere. Tarquinii ſtratagema. Plinius lib. 17. c. 4. & 8. Dion. Halicarn. lib. 4. Livius. 1. Decad. lib. 1. Valer. M. lib. 7. c. 4. Front. lib. 1. Stratage. cap. 1. Ad Periandrũ Thraſibuli reſponſum. Ariſtoteles. Dionyſius. Herodotus. Laertius.

ſupplicio, & *ſicut ſummitates ſpicarum* baculo ſuæ juſtitiæ decutiet, ex ſummæ fælicitatis culmo. Cum impio enim Principe loquitur Zacharias capit 4. 7: *Quis tu, mons magne?* * *in planum*: q. d. dejiciet Deus tuam iſtam altitudinem, & adæquabit terræ, ut jam eminere non poſsis. Omnis eminentia deprimetur, & ad æqualitatem, & planitiem redigetur; *Omnis mons, & collis humiliabitur, & erunt aſpera in vias planas.*

Dios te allanara.

Iſai 40. 4.

2 *XXV. Quod ſi non eſt ita, quis me poteſt arguere eſſe mentitum, & ponere ante Deum verba mea?*

1. *Clauſula totius capitis.*
2. *Hebraiſmus pariter, & Hiſpaniſmus.*
3. *Lectio Græcorum, cum Hebræa, & Latina conciliata.*

1 Ex Tota ſua oratione, & diſputatione colligit tandem, quod propoſuerat, videlicet non ſemper iniquos pendere in hac vita ſuæ improbitatis pœnas; ſed tamen cum ſint variis caſibus obnoxii, aſsiduis ſceleratæ conſcientiæ pœnis cruciari; tam etiam inſolenter, & temere feciſſe amicos, qui non tam ex ſuæ vitæ laudabilibus, & ſanctis actionibus illum judicarent, quam ex præſentibus calamitatibus damnarent. Cum tamen ſancti, etiam ſi in calamitates incidant, at neque veram animi dignitatem, neque præmiorum immortalium ſpem firmiſsimam amittunt.

Paraphraſis ſententiæ, & orationis clauſula.

Quod ſi non eſt ita: Breviſsime in Hebræo, *Et ſi non*. non pluribus Hiſpanus; *Y ſi no*. Septuagint: *Alioquin*. Suppleri hæc brevitas variis modis poterit; Si nō vere, & recte ſentio, de bonorum, & malorum remuneratione. Philipp: *Si non ita ſit futurum*. Cajetan. *Si non aſſeritur, quod dixi*, aut, Si non mecum conſentitis. Res omnino eadem. *Quis*. in Hebræo, *Ubi nam?* Prodeat, qui aliter ſentit, qui me falſitatis convincat. Hebr. * *Quis faciet mentiri me?* quaſi dicat, nemo aut ratione, aut experimento oppoſito meam ſententiam refellet, neque propter ea, quæ aſſerui, poterit dicere mihi diem, juſtamve litem intendere ante Dei Tribunal. 2

2 LXX. Philipp. Cajetan. Pagni. Regia.

* Quien me ſacara mentiroſo, o quien me deſmentira?

3 Septuaginta, *Et ponet in nihilum verba mea*: quam lectionem probarunt fere omnes Hebraizantes. Id autem exiſtimat Nicetas eſſe, *Irritam orationem facere*, & tanquam parum ſolidam, & valde futilem nihili ducere. Sed apparet manifeſte, aliis, atque aliis punctis tum illos, tum Latinum Interpretem eandem vocē legiſſe: nam *Al*, eſt idem quod, *Non*, aut *neque*, at, *El*, eſt Deus. Quare ſi ex verbo legeretur, deberet verti; *& ponet ad non verba mea*. Sed illa dictio negans, aliquando *non*, *neque*, *in*, *contra*, *nolle*, & quidquid ad repugnantiam, vel negationem pertinet, ſignificare ſolet. quare etiam accipitur pro nihilo, ſicut, & alia ſimilis particula, *Lo*, cujus ſimilis eſt uſus. Quadrat igitur utraque lectio in rem præſentem.

(.?.)

3 LXX. Pagni. Vatab. Regia. Cajeta. Nicet.

Lectio varia

אל

לא



CAPUT XXIIII.

PARAPHRASIS Capitis præcedentis.

NOTATIO RERUM INsigniorum, quæ in Commentariis fusius explicantur.

1 *Ab omnipotente non sunt abscondita tempora:*

PERSUASUM Mihi, amice, penitus est id, quod in meis ærumnis pro ingēti solatio esse debet, Deum O. M. qui se ipso beatus est, mortalium tamen res, actionesque omnes solertissime curare, neque [a] tēporalium rerum, quamvis extra tempus ipse sit, unquam oblivisci: habet nimirum bene cognitos, atque præfinitos rerum omnium articulos, & opportunitates, quibus quæque fieri debeant. Certo enim constituit, quando improbos extremo supplicio affici expediat: Quādo innocens erigi, & sublevari: Quis iniquitati, & justitiæ terminus; Quis ærūnis, atq; lachrymis innocentū: Quantū Tyrānis, & superbis indulgendum sit tēporis; Quantum Sanctorum sustinentiæ tribuendū. Nō enim ille tantū se nubium latibulo continet, sed tēporalia etiam, pariter ac æterna moderatur, & administrat. Stultissimi vero cum videant Deū nostri minime indigere, sibi persuadent, nihil esse Omnipotenti, ac beatissimo Numini cum nostris rebus, ac sæculo nostro commercii; neq; illum, qui tēpori obnoxius nō est, tēporalia curare.

a De temporis significatione & proprietate in Sacro sermone, & quod Divina providentia opportunitates agendi captet, ac sibi vēdicet, utilia multa nu. 6.

** & qui noverunt eum, ignorant dies illius.*

* Et ab his quidē non longe abestis, o amici; quāvis enim existimetis Deum esse temporū auctorem, atq; moderatorem, vestrāq; Theologiā plenis buccis jactetis, at ignorare prorsus videmini, diversos Deū præfiniisse dies, nimirum præsentis sæculi quosdam, quibus interdum permittat mortales impune vivere, novissimū, in quo justa judicii lāce humanas omnes actiones expendat, suoq, vel præmio, vel supplicio afficiat. Ergo ille cum nostra tempora probe norit, atque omnes agendi opportunitates captet, nos tamen neque illius æternitatem comprehendere valemus, neque, quod multo minus est, humanarum rerum opportunitates, ac temporis articulos observare, atq; cognoscere? [b] Hos enim sibi uni Divina Providentia subjecit, illum præsertim judicii extremi diem, justis exoriturum lætissimo lumine, improbis tetra caligine plenissimum.

b De extremo judicii die soli Deo noto, atq; eodē justis, & iniquis valde dissimili, deq; opportunitate puniendæ improbitatis, utilia quædā. numer. 7. & 8.

2 *Alii terminos trāstulerunt:*

Et vero nihil curandum, qualem nunc impii vitam vivant, sed qualem per æternitatem habituri sint. Vos quidem existimatis meas ærūnas, dignas esse ingentium scelerum pœnas. Atqui, o amici, non sum is, quem falso censetis; improbitas enim sceleratissimorum hominū impune, atque etiam fæliciter vivere permittitur: connivente quidem, sed tamen curante, atque vidente supremo judice, grassatur potentissimorum hominum violenta Tyrannis, [c] attingentium, revellentium, transilientium agrorum terminos aliorum, & per summam iniquitatem finitima omnia prædia invadentium, resque suas cōtra jus, fasq; dilatantiū.* Eorum, qui minus possunt, greges rapiunt, quibus partim se ipsos exsaturent, atque saginent; partem vero reliquā impudentissime pascunt, & cum suis continent, antiquis pastoribus cum ignominia, & cōtumelia vel ejectis, vel in servitutem abductis, illorum simul facultatibus universis direptis. Quibus omnibus feda to animo, & secura omnino improbitate potiuntur, & pro libito, si amplissima latifundia pascendis tot gregibus, atq; armentis non sufficiant, alienos agros depascuntur, atque depopulantur.

c De assumēdis, aut trāsferēdis terminis ad Scripturæ phrasim, & morū doctrinam, nonnulla. numer. 3. 4.

** diripuerunt greges, & paverunt eos*

Cum ergo amicis, atq; vicinis sancta omnia vicinitatis, & amicitiæ

jura violẽt,nihilo ſane magis ſunt erga pupillos,& viduas, atq; erga univerſum miſerorũ genus æqui,aut benigni:nã vel unicũ ac ſingulare,viliſsimumq; jumentũ pupillis,atq; pauperculis, nõ utile tantũ, ſed neceſſariũ etiam ad victum,& res domi neceſſarias,abducũt, furto ſublatũ ante faciem ſuã minantes. [d] Neq; his contenti per nefariũ abigeatus crimen,omne miſerorũ inſtrumentũ diripiunt,pecusq; abigunt. * In viduam autẽ,cujus tã tenuis,& anguſta res eſt,eſt tamẽ impii potentioris valde prolixa inhumanitas. Vnicũ enim, eumque macilẽtũ bovem vertendo agello neceſſarium,loco pignoris exigũt, & abripiunt. Sine tecto autẽ, munimentoq; pecora, & armenta habentibus,quid ſalvũ miſeris eſſe poſsit, ubi potẽtibus impune furari licet? Neq; vero tantũ furantur clã,& per inſidias, ſed in ipſa via publica, ac conſueto itinere gradientes intercipiunt; neque aliter bona fide ſecuros capiũt,quã ſi juſto bello ſubegiſſent, atq; ſpoliaſſent. Ita bonis omnibus evertunt miſeros,atq; omnia illorũ cœpta,& conſilia rerũ agendarum impediunt,ſubvertuntq; : calumniis certum jus elevant,& infringunt; truci,& immani aſpectu fugere , ac cedere de via,cedereque ſuis bonis pauperes cogunt: a virtutis recto tramite vel pravo exemplo,vel iniquo imperio infirmos retrahunt: atq; illos ipſos , quos a ſuo cõſpectu deterrent,inſolentiſsima animi elatione, neq; via publica,qua ipſi gradiuntur,dignari volũt. Quare cogũt egenos omnes, [e] humiliſq; fortunæ,ac cõditionis homines injuriarũ graviſsimarũ patientiſsimos obſcuriſsima,ſed paulo tutiora diverticula quærere,& in tenebris,atq; timore perpetuo latitare; adeo enim tyrannos timẽt,& fugiunt,ut ferarũ convictũ magis deligãt: ſi quando enim in publicum prodeant,extruduntur, necanturq; ab impiis.

Impudentiſsimi nimirũ cæteros homines proculcãt,deſpiciũt,irridẽt: licẽter prędãtes omnia,atq; vaſtãtes,nulla æquitatis,ac juris lege coerciti,quorũ jã ego,reſq; meæ omnes impetũ,ac vim cũ ingenti dãno ſuſcepimus. Neq; hoc mirũ quod in pinguiorẽ prædã inhiarint; nã frequenter ferinę cujuſdã libidinis tantũ, atq; inanis voluptatis impetu feruntur,ſumma tũ impudentia,& temeritate,tũ celeritate,atq; alacritate in aggrediẽdo,atq; nocendo; omnẽ enim humanæ politię, atq; humanitatis jura averſantes,de nemine non malemerentur,civitatisq; frequentiã oderunt,præ degeneri quadã,turpiq; animorũ ignavia,& timiditate,illorũ tantum ſocietatẽ amantes, qui e rapto vivunt. * In quo,cũ [f] ſylveſtrium, efferatorumq; aſinorũ mores exprimant,tũ potiſsimum illorum imaginẽ ad vivum repræſentant, quod univerſa illorũ familia eorũdẽ ſcelerum, atq; prædarũ particeps eſt: atq; univerſos prædandi fames matutinos excitat,& ſtimulat; In eo enim omnẽ diligẽtiam adhibent,ut undecũq; tum ſervos,tũ liberos, rapinis alere poſsint; atq; illos pręterea levis armaturę milites,domi habeant,quibus improbi Principes ad faciendas prædas abutuntur.

Nullum itaq; honeſtum laborem ad vitam ſuſcipiunt,ſed,cum turpiſsimo otio diffluant,metunt,ubi non ſeminarunt: uberes in alienis fundis ſegetes colligunt; atq; in alienos labores & agros impune irruunt,non uno tantũ ſeminis genere, ſed univerſis ad humanæ vitæ ſuſtentationem neceſſariis conſitos. Et,nequi jã ab ipſis agrorũ Dominis fructus maturi percipiantur, ipſi maturitatiſtẽpus importunũ ducentes (proh immane ſcelus, ac dira nocẽdi libido) fructus acerbos,& immaturos nulli uſui,nulli bono, devaſtant; ſuã fælicitatẽ ex alieno tantũ dãno,& infælicitate metientes. Sic ſane alienas vineas vindemiant,potius proculcant,& populantur impune; atq; cũ bona, reſq; piorũ invadant,ſed tamen ſuorum ſceleratiſsimorũ ſociorum vineas,prædiaq; prætereũt, illæſaq; dimittunt,niſi forte illos etiam rerum ſuorum amicorum fames ſtimulet : nam ſero licet,neq; amicis,neque ſociis parcere ſciunt. Eſt enim omnino infida, plenaq; diſcrimine improborũ ſocietas. Quem enim viliſsimi etiam lucelli gratia non emungant , non exinaniant, ac , ſi poſsint , etiam inſontem

amiſsio-

Left margin notes:

[d] *De Abigeis, & Abigeatus crimine, quædam peculiaria, quædã, n. 1.*

[e] *Manſuetorum ac humilium hominum ſortis infimæ cõmẽdatio, quædam ad mores, n. 5. & 6.*

[f] *De onagrorũ tum natura, tum morũ ſignificatione, non pauca a nu. 1. uſque ad. 6.*

Right margin (text):

3 *Aſinum pupillorũ abegerunt,*

* *& abſtulerũt pro pignore bovẽ viduæ.*

4 *Subverterunt pauperum viam, & oppreſſerunt pariter manſuetos terræ.*

5 *Alii, quaſi onagri in deſerto, egrediuntur ad opus ſuum:*

* *vigilantes ad prædam, præparant panem liberis.*

6 *Agrum non ſuũ demetunt, & vineã ejus, quẽ vi oppreſſerunt, vindemiant.*

amissionis omnium bonorum non condemnent, quo in suum sinum, usumq; omnia convertantur? Atque illud avaritiæ, & inhumanitatis cumulus, miseros mercenarios suis agris ejectos, sine mercede, sine victu cogi ipsa impiorum prædia strenue, & gnaviter colere?

7 *Nudos dimittunt homines indumẽta tollentes, quibus nõ est operimentum in frigore.*

Ergo jam non in agros, & pecora tantũ, sed in ipsos homines ejusdem naturæ, jurisq; consortes, inhumaniter sæviunt: neq; solum egẽtes, ac nudos necessario tegumento non fovent, sed per summum cõtemptum dimittunt pernoctare in frigore, sub aperto cælo; ac nudant etiam turpiter, & petulanter, extremum etiam indumentũ, quo corporis tupitudinem contegebant, adimentes.

8 *Quos imbres montiũ rigant: & non habentes velamen, amplexãtur lapides*

Propriis itaq; extrusi domicilis, extra tectum, extra ubẽ vagantes, nõ solũ nocturno rore perfunduntur miseri, sed cũ ad apricas cõvalles se recipiant, madẽt toti, rivulis jugiter cadentibus e montibus: cũ nullã enim opportuniorẽ, tutiorẽve stationẽ habeãt, ad quã cõfugiãt, subeũt antra, lapidosasq; cavernas, quibus nuda mẽbra confoveant.

9 *Vim fecerũt deprædantes pupillos: & vulgum pauperem spoliaverunt.*

At neq; teneriori, & imbecilliori ætati parcunt: nã pupillos in mãcipia capiunt: & ab ipsis matrum uberibus filios, quos illæ summa indulgentia cõplectuntur, immaniter abstrahunt. Quin etiam orphanis tenues patrimoniorũ suorum reliquias, quibus tãquã maternis uberibus, atq; lacte alendi essent, detrahere non dubitant: rapiũt præterea pupillis, quod post rei paternę devastationẽ, relictum fuerat: ac quicquid tandẽ in viduæ bonis reliquũ esse vident, pro redemptione filiorum, aut pro pignore auferunt. Eum vero, qui a divitiis ad inopiã defluxit, non solum jacentem non erexerunt, sed gravi etiam imposito exactionis pondere, oppresserunt, ne exurgere posset. g At qui, si quando opus est, ipsam tuitionem iis vẽdunt, quos tueri pro suo munere, ac Principis fide tenerentur.

g *De Principum aut Tyrannide, aut Tuitione, peculiaria quædam nu. 2. & 3.*

10 *Nudis, & incedentibus absque vestitu, & esurientibus tulerunt spicas.*

Illi vero miserrimi homines per summã injuriam nudati, & bonis omnibus spoliati, silere omnino coguntur, ac ne hiscere quidẽ audẽt, ullave ratione de injuria cũ illis expostulare. Vt vero vitam sustentare possint ad extremam redacti inopiam, in alienis agris relictas a messoribus spicas legunt, terunt manibus, granaque ipsa dentibus cõmolunt: cum enim manipulos suos demessuissent, in raptorum manus incidentes, vacui dimissi sunt. At his ipsis famelicis buccellã tenuissimam sceleratissimi homines ex ipso prope ore abripuerunt, & ex turpissima, atque vilissima præda rem ipsi suam amplificare conantur, neque in suis agris spicarum remanentium egenis, & esurientibus copiam faciunt.

11 *Inter acervos eorũ meridiati sunt, qui calcatis torcularibus sitiunt.*

Cum vero miseri mercenarii congerant illorum fruges, olivas excutiant, oleum exprimant, torcularia calcent a summo mane, ad meridiẽ usq; magno, assiduoq; labore defatigati, sitire, & esurire permittunt, ac ne haustu quidem vini dignantur, nedũ buccella, quæ illos in labore confirmare posset. Interim opulẽtissimi isti prædones ex alieno saturi, sine ullo labore, in summo otio, & trãquillitate alienis operis, laboribusq; perfruentes, inter congestos ex rapina cumulos divitiarum, fructuumq; omnium jucunde meridiantur, & largissimis cõpotationibus indulgent, deliciantur, comessantur, & turpi etiã somno se dedunt, atq; pro curanda cuticula, post alienum cibum sumptũ meridiationes servant. Exsuscitati vero inter ipsos segetum cumulos, & quasi monticulos delitescentes in meridie, cum solis fervor, & exactus diei labor quietem mortalibus, & somnum afferre solent, ipsi, ex insidiis, securos & improvidos adoriuntur, prædamq; faciunt. Interim ipsæ istorũ domus oleo, vino, cæterisq; terræ fructibus affluunt, ac ne guttam, micamve ad alienos affluere patiuntur: cũ ipsi enim a mæro æstuent, & obruantur, at alios sitire volunt: nã vel direptis jam, & depopulatis aliorum vinetis, pauperes, etiam post calcata sua torcularia, exprimere vix possunt haustum vini, quo sitim sedent: vel certe multo divitum ære opressi, compelluntur fruges, atq; vindemiam statim divendere, pretiumq; deferre divitibus. Sic

colle-

collectis frugibus eſuriunt; ſic calcatis torcularibus ſitiunt; h ſic ipſi avari inexplebili ſiti vexati, & ſuis calcatis, & aliorum exhauſtis torcularibus, ſiti etiam ardentiori cruciantur.

h De avaritiæ morbo, ſiti, ſupplicio, utilia multa. nu. 5. 6. 7.

Non in agros ſolum, ſed in urbes, & hominũ frequentiam ſævit tanta potentiſsimorum hominum impietas. Alios enim male habitos, indigniſsime percuſſos, inique oppreſſos ad clamores, vociferationes effrænatas, & graviſsimas de acceptis injuriis conqueſtiones compulerunt, opem, ac fidem, ſi quæ apud homines eſſet, inclamantes; ac Numinis, quod ſibi reliquum eſſet, aures poſtulantes; priſtina in urbe domicilia, ex quibus trudebantur per tyrannidem, cum ingẽti dolore deſerentes: Nam non ſolum corpore male affecti, verum etiam, quod vel animo ipſi, velut vulnerati, atque perfoſsi, quod hoſtium nimio timore, velut gladio ferirentur, vel parentum necem, ſolitudinemque intuerentur, non poterant non ingenti gemitu, & lachrymis tanta mala proſequi. Atque illi, quibus cum vita & ſanguine vox pariter deficit, non ore, ſed ſilentio, & nece ipſa clamorem ad Deum pauperum exauditorem, ſuſtulerunt, vindictamque depopoſcerunt. * Optimus vero, idemque juſtiſsimus vindex, qui nihil i inſulſum, aut ſine ſummæ ſapientiæ, & æquiſsimæ providentiæ ſale efficit; quique explorat ſuorum ſanctorum per varias tribulationes fidem, atque conſtantiam, tanta, tamque nefaria ſcelera, quaſi ſalita in extremum judicii diem, graviſsimo ſupplicio afficienda ſervat; nihil interim nefariis conatibus, & impunitati peccandi repugnando, ſed tamen ſuppliciis æternis deputatos ſervat, velut innexos fune cirvicibus, & frænata ora habentes, non multo poſt educendos ad ſuppliciũ. Sed nihil tandem vel integerrimæ juſtitiæ, vel digni ſupplicii a quoquam deſiderari poterit; ſervabit enim Deus omnes optimi, & ſapientiſsimi judicis judicandi leges, atque rationes.

12 *De civitatibus fecerunt viros gemere: & anima vulneratorum clamavit.*

** & Deus inultum abire non patitur.*

i De impiorũ ſupplicio, cujus poſt peccatum, rei tenentur, quos tamẽ ſuo tẽpori velut ſalitos ſervat Deus, & velut cervicem habentes fune innexam, & frænata ora habentes, ex priſco ritu. nu. 5. 6.

Hæc cum ſint Numini ſupremo clariſsime cognita, & explorata, Deus enim lux eſt; at improbi ſunt craſsiſsimis oblivionis, & ignorãtiæ tenebris obcæcati; adeoque videntur nefarium lumini, atq; ſcientiæ Divinæ bellum indixiſſe; ab illo enim per ſummum perfidiæ ſcelus deſciſcentes, ipſam Divinæ Legis lucem clariſsimam, quæ illis vivendi viam certiſsimam commonſtrare poterat, contemnunt; Providentiam verbis, operibusque laceſſunt; atque ipſum bonum naturali lumine cognitum, & inſitam rationis legem ſuis libidinibus voluptatibusque poſthabent; adeoque externam hanc lucem, quam corporeis oculis uſurpamus, ne ſuo ſplendore turpiſsimas, ac nefarias illorum tenebras diſcutiat, & prodat, odio graviſsimo proſequũtur. Placuit enim illis ſemper & tempus, & iter tenebroſum. Quodſi forte apertas, illuſtreſque veritatis vias ingreſsi, pedem in pietatis ſtudio poſuerunt, referunt ſtatim, & ad conſueta ſcelera ſumma velocitate convertuntur: tandemq;, cum multum in impietatis ſtudio progreſsi ſunt, de mutando itinere, aut experiendo iterum virtutis tramite nunquam cogitant.

13 *Ipſi fuerũt rebelles lumini: neſcierunt vias ejus: nec reverſi ſunt per ſemitas ejus.*

Sub lucem vero matutinam, cum ſimplices, ac probi homines ſe labori, aut itineri neceſſario committunt, tunc ſicarios, & nequiſsimos iſtos prædones, prædandi, & l fundendi humani ſanguinis fames ſtimulat; neque aliter ad homicidia perpetranda ſe comparant, quam ad venationem quandam ferarum, guſtu quodam, voluptateque cædium percepta. Quod ſi aliquando a cæde, & ſanguine abſtineant, egenos tamen, ac tenuiſsimæ fortunæ homines, non ſecus vexant, ac proculcant, victumque neceſſarium ſuis rapinis auferũt, quam ſi ferro vitam ipſam eriperent. Nocte itaque, vel latrocinia exereent; vel pro temporis opportunitate horam, & locum ſine arbitris, captandis muneribus, ſordiſsimi iſti Principes, & Magiſtratus captant.

14 *Mane primo conſurgit homicida: Interficit egenum, & pauperem: per noctem vero erit, quaſi fur.*

l De homicidii crimine & gravitate, exquiſita quædam, num. 1. & 2. tum etiam de homicidii cum venatione, comparationis ratione.

Vtuntur ſane prima ipſa nocte, ac tenebris tanquam ſuarũ libidinum adminiſtris; ſollicite, atque avide nimium expectant veſper-

15

tinum

Oculus adulteri observat caliginem, dicens: Non videbit me oculus: & operiet vultum suum.

tinum tempus, ne a quoquam videri, agnoscive possint; [m] cum ipsi tamen oculos gestent petulantissimos adulterii plenos, & aliorum matrimoniorum subsessores. Tenebris itaque, quasi velo quodam obductis, & ore, quo prodi poterat, obvolutus, metuens potius homines, quam Deum oculatissimum testem, procedit adulter.

m De adulterii crimine metu comite, digno supplicio, ex sacris quædam nu. 2. 3.

[n] Exquisitis isti utūtur artibus ad penetrandū in alienas domos, & alienos toros occupandos, & aditum sibi ad turpes voluptates, vel per foramen, vel per fenestram, aut viam aliam patefaciunt; atque eas ipsas domos nocte adeunt, de quibus cum impudicis fæminis interdiu paciscuntur. Designant enim adulteri quasi sigillo, certisque notis locum tutiorem, atque infirmiorem, quo irrepere ad alienas uxores possint: forte etiam schedulis, nuntiisque secreto missis, rem totam interdiu designant, quam nocte perficiant

n De adulteris, turpissimisque hominibus alienarum domorum voluptates peregrinas consectantibus, & peculiaria quædam. nu. 2. 3.

16 *Perfodit in tenebris domos, sicut in die condixerāt sibi.*

17 *Si subito apparuerit aurora, arbitrātur umbram mortis: & sic in tenebris, quasi in luce ambulant.*

Si vero vel somno, vel voluptate consopiti, tardius expergiscantur, ac repente se luce matutina præoccupatos, & circumventos videant, mirum quantum vitæ suæ timere incipiant, ac mortem ipsam, suppliciumque suæ improbitatis ob oculos jam versantia cernere videantur! Lux enim ista jucundissima, quæ pio cuique, honestoque viro jucunditatem, atque maxime optatam securitatem affert, istis nihil, nisi præsentissima vitæ discrimina, mortisque horridam imaginem efficit; perinde enim a lætissimo, vitalique lumine abhorrent, ac si lethifera illis, atque tristissima caligo offunderetur. [p] Præterquā enim, quod conscientia illis sæva minante, ac supplicium meritissimum denuntiante, perturbantur; at etiam illud vehementer dolent, quod voluptas perpetua non sit, sed brevis, inanis, multi semper timoris, & doloris, atque sinistræ etiam suspicionis plenissima, & brevissimæ tantum noctis, momenti potius spatio circumscripta. Itaque sic perturbantur, ut ante mortem, atque supplicium, pene præ timore e vita excedant. Quid, quod jam appetente luce matutina tristantur ad mortem usque, quare cum interdiu timeant, cum noctu perturbentur, nullæ sunt impiis timoris, & perturbationis induciæ.

p Pravæ conscientiæ metus, & terriculamenta. nu 3. & 4.

18 *Levis est super faciē aquæ.*

Maledicta sit pars ejus in terra:

neque ambulet per viam vinearum.

Ac quemadmodum ea, quæ levia sunt, cum aquæ insederint extimæ, facile aquarum impetu hac, illacque jactantur; sic quivis impius tentationibus rapitur, nulloque negotio deletur; neque enim improba calliditas, atque injustitia, eum, qui illius est cupidus, servabit. Nullam itaque impiorum res stabilitatem habere, nulloque ipsi firmo loco poterunt consistere. * Dignum profecto tanta animi inconstantia, & vanissimarum, atque levissimarum voluptatum libidine supplicium: nunquam enim se illis obtulit occasio sceleris cujusquam, quin ad illam incredibili facilitate, atque animi ad omne facinus projecti, & expediti alacritate se prorriperent. Fugiant igitur summa cum festinatione, atque trepidantis animi perturbatione suum supplicium necesse est: & re ipsa fugiunt quidem, adulteri presertim, pede tam celeri, quam si super aquas ambularent, & vix per summam levitatem, ipsam supremam aquæ faciem planta attingerent. * Per loca autem publica, viamque regiam minime ambulabūt; ac ne suburbia quidem, in quibus horti, & vineæ sunt, attingere interdum præ timore audebunt; quærūt nimirum perfugium aliquod, ubi tuto latitent, etiam si transfretandum sit: etiamsi ad arentia, desertaque loca concedendum. Sed peribunt profecto fastus, resq; sceleratissimorum hominum, & universæ illorum regiones sterilescent; Cælo utentur rigido, & inclemente; solo minime temperato, sed vel fervente, & æstuante, vel nimis frigido, & imbrido, quale vineis, & tenerioribus, dulcioribusque fructibus inimicum esse solet. Neque jucundiori quidem animo erunt: nam abfuerunt semper ab ea vitæ, & viæ consuetudine, ex qua jucunditatē animi placidissimā, & omni Divinæ consolationis vino affluentem percipere potuissent. Itaque sicut vanissimas, infrugiferasque voluptates consectati sunt,

ita profecto digno supplicio fiet, ut in omnem acerbitatem incidant, & neque guttam vini illius, incredibilisque gaudii delibent, quod Deum, atque homines lætificat.

Extrema igitur bonorum, atque jucunditatis omnis sterilitate cruciandi erunt. Videbuntur enim semper, q vel in summo frigore, vel in maximo æstu versari; quæ duo fructus exurere, & prohibere solent. Neque mirum his extremis vitæ contrariis illos ad cruciatum affici, qui contrariis semper vitiis agitati sunt; quibusdam videlicet ardentes & inflammati, quibusdam frigidissimi, & conglaciantes. Sed coagulatos hos, ac nivis instar rigentes Divini supplicii ignis momento temporis liquefaciet, nullumque pristini candoris, ac status vestigiũ relinquet. r Neque secus impios squalida illa inferorum tellus exorbebit, & absumet, quam solet arida terra influentes ex liquatis nivibus aquas haurire; & conficere. Interim futili, atque vanissima fælicitate fruantur, & placidissime etiam ad mortem decũbant nullo doloris sensu, leniter, & insensibiliter liquefientes: nam mors illos incredibili quadam appetentia rapiet, & devorabit, bolum videlicet suavissimum, atque dulcissimum. Neque secus quam rorida, & pertenuis nebula, Divinæ indignationis radiis dissipabuntur, & evanescent. Non solum autem temporali pœna, sed æterna potissimum afficiendi sunt. Atque is tandem erit obstinatæ mentis exitus: hoc in sempiternum inferorum baratrum præcipitium, quorũ peccandi finis nullus.

q Quæstio opportuna de Inferorum cruciatibus, an sicut igne, & calore, ita etiã frigore constẽt, copiose discutitur, a n. 1 usque ad. 5.

r Impiorum fælicitas momẽto evanescẽs, mors & infernus, impios famescentes, & sitientes, eleganter describuntur ex sacris. n. 3. & 6.

19 *Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium: & usque ad inferos peccatum illius.*

Ab omni igitur piorum memoria delebuntur, ac nullius commiseratio ad illos perveniet; nullo enim solatio æternus illorum cruciatus temperabitur, nullaque amicorum misericordia sublevabitur; neque minus oblivione, quam sempiterna morte consepelientur. Quorsum enim illis jam Divina misericordia, & indulgentia, qua propter incredibilem animi obstinationem, atque Divinæ bonitatis contemptum, semper abusi sunt? * Ergo quamvis in sepulchro jacens cadaver nullo doloris sensu corrodatur a vermibus, at omnis illorum vitæ dulcedo, atque voluptas, non in vermes solum, sed in sævissimos conscientiæ remorsus convertenda est. Eo tandem recident omnes curandi corporis curæ, laboresque suscepti, ut bestiolæ sævissimæ in corpus seviant, avidissimeque illud dilacerent, tum etiam internus vermis animum incessanter arrodat, atque discruciet. * Ergo cum nullum pristinæ voluptatis vestigium, aut memoria permaneat, nullis deinde mortalium sermonibus impii nomen usurpabitur, sed s instar iniquæ arboris aridæ, & sterilis, illius memoria penitus evelletur, ac conteretur tandem, sicut insanabile lignum, quod ubi concisum fuerit, nullam curationem admittit, sed prorsus inutile est in posterum.

20 *Obliviscatur illius misericordia:*

* *dulcedo illius vermes.*

* *Non sit in recordatione, sed conteratur, quasi lignum infructuosum.*

s Impii cum arbore maledicta similitudo exquisita ostẽditur. n. 7. & 8.

Et quidem nunquam impius fugifer est: præterquam enim quod Tyrannus turpissimus virginum pudicitiæ nefariam vim, stuprumq; inferat, atque omnem etiam religionem polluat; ne ullam voluptatis intermissionem habeat, medicato poculo pellices, aut abortiri faciat, aut reddat steriles, atque hujusmodi plures lupas alat, & pascat; quod enim a viduis, & pupillis rapit, illud totum in meretrices, & lupanaria erogat; proptereaq; sancta matrimonii jura violet, uxorẽ enim sterilem, ob sterilitatem affligit, & inhumaniter tractat (nam digno interdum supplicio omnem impii legitimæ posteritatis spem adimit Deus) * at in alienas domos, atque familias ita sævit, ut postquã virum de medio sustulit, & filiolos jugulavit, convertat se statim ad faciendã viduæ prædam, omni filiorum, propinquorumq; ope, & auxilio orbatæ. Hujus res omnes depascitur, & devorat, & cũ jam nihil habeat spei suscipiendæ prolis, miseram penitus frangit, & conterit. Neque solum viduam (cujus vel solum nomen miserabile est) malis ingentibus oppressam, non sublevat; tantum quippe abest, ut erga illam pro humanitatis jure bonus sit, atque benignus, ut sævissi-

21 *Pavit enim sterilẽ, & quæ non parit,*

* *& vidua non benefecit.*

mum raptorem, & iniquum exactorem illi se nullo non tempore præbeat,

22 *Detraxit fortes in fortitudine sua,*

Sed neque in miseros, & imbecillos solum grassantur Tyranni, cũ multum potentia, & viribus insoleverunt: nam etiam potentiores, & opulentiores quosque sibi subjicere conantur, atque de statu suo, opibusque exturbare: Quippe sibi certo persuadent, nisi excelsa quæq; demetant, non posse procul omni suspicione, & metu in capite, & fortunis inferioris conditionis hominum dominari. Ergo excellẽtes quosque indigne versant, & susque deque agitant: fortissimos quosque malis artibus superãt; deque suo illorum statu, atque fælicitate præcipitant. [t] Abducit tandem Tyrannus honestissimos cives, quo vult, nemine impiis conatibus repugnare audente: * quanquam nonnunquam ii, a quibus nihil propter imbecillitatem timendum sibi ducit, Duce Deo, vindicare facinora impiorum soleant. Sed plurimũ fit, ut, cum superbissimus Tyrannus insurrexerit in aliquem, is quem adortus est, non speret se ultra victurum: actum enim de se coram Tyranno putat. Quanquam similes timoris pœnas idem improbus pendit, si quis enim paulo liberius, atq; confidentius audeat se opponere Tyranno, furit statim, insanitq; præ dolore ad mortem usque: est nimirum tam vecors, & timidus, quam sævus, atque crudelis: neque minus datæ fidei violator: nam etsi manus porrigat amicitiæ, & fœderis, tamen per summam iniquitatem nunquam non quærit occasiones nocendi. Tanta igitur animi commotione, & perturbatione pravorum affectuum agitatus, nulla inter opes, atque voluptates maximas animi tranquillitate frui potest, etiam si in summo dignitatis fastigio cõsistat. Illum enim sic sua damnat conscientia, tanquam singulis dieb⁹ moriturũ; quotidie enim, cũ surgit, de vita sua actũ putat: neque unquam satis se firmum, & tutum in sua fælicitate existimat.

** & cum steterit, nõ credet vitæ suæ.*

t *De Tyrannorum ingenio, atque lege, opportuna quædam. nu. 1.*

23 *Dedit ei Deus locũ pœnitentiæ, & ille abutitur illo in superbiam.*

Et quidem cum Tyrannus acceptis muneribus vendere videatur suã opẽ, atq; patrocinium, quo infirmiores tuto agere possint, illeque non ideo ab injuriis, & Tyrannide cesset, abutitur sordidissime muneribus, dataque fide, putat se etiam impune abuti posse opportuno tempore, atque loco pœnitentiæ, quem Numen illi indulget; maleque securus, cum sibi consulere debuisset, improbitati potius, ac libidini per summum contemptum indulget, neque ullis pietatis operibus saluti suæ vel securitatem, vel meliorem spem cõparare studet. [u] Quod enim sceleratissimus, non statim digno afficiatur supplicio, bonitatis, & benignitatis Divinæ omnino est: sunt enim hi nunc dies utiles, atque legitimi, quibus salutem nostram tueri possumus. At impii obstinata mente conantur, Divina potentia, atq; bonitate abutentes, licentiosius vivere, & impudentius peccare, atque adversus Numen benignissimum, longanimeq; insolescere. * Neq; vero quod tarda, & segnis Divina justitia videatur, obliviosa erit: colliget enim, numerabitque usque ad minimum quadrantem omnes mortalium actiones: perspicacissime enim despicit, & intuetur, non gressus tantum, sed levissimas, ac minutissimas omnes cogitationes.

u *De sera, eadẽq; benignissima Numinis vindicta, utilia quædã nu. 3.*

** oculi autem ejus sunt in viis illius.*

24 *Elevati sunt ad modicum, & non subsistent: & humiliabũtur, sicut omnia: & auferentur, & sicut summitates spicarum, conterentur.*

Cum autem illud impiorum proprium sit, ut nihil eorũ recordẽtur, quæ illos in officio continere possint, aut servandæ fidei admonere (nam statim atque ex urbe recedit, qui illorum fidem datis muneribus, & oblata pecunia mercatus est, perniciem illi, necemque moliũtur) fit profecto, ut tantæ superbiæ, atque improbitatis certissimas pœnas luant; insolescunt enim, atque extollunt se se. Sed non ideo constabilietur illorum fælicitas: nam dissipabitur statim, velut mollissimus vapor e terra sublatus, qui nulla ratione deinde conspici potest: vel si forte appareant post ruinam, in summis tamen ærumnis jacere videbuntur, paupertate, & macie confecti: & quasi sortis extremæ supplicio destinati, constricti vinculis, & cõjecti in carceris tenebras, comprimentur tandem, ne impune debachentur, ac ne illorum virus serpere amplius possit. Marcescet igitur momento temporis


universa


universa illorum gloria; &, sicut spica decidens de stipula, cum primum ex culmo excussa est nullum amplius humorem haurire potest, ita contabescent ipsi, ex illa, in qua virebant, fælicitate decussi, & acerbissime necis falce demessi. Iã tunc igitur amplissimorũ bonorũ, uberrimorumque fructuum, quasi granis turgentibus onusti, Divinæ Iustitiæ administris, quasi messoribus uberē & copiosam ingentis supplicii segetem præbebũt. Verum enim vero ex illa reliquos mortales lege Tyranni moderantur, ut excelsos quosque demetant, & excellentissimumum quemque civem aut exilio submoveant, aut morte consumant. Summus igitur rerum arbiter condigno supplicio suæ justitię virga illorum capita, velut summas frumenti aristas, nullo negotio decutiet.

Ergo, ut jam orationi meæ finem imponam, illud quidem effici videtur, neq; semper improbos improbitatis pœnas in hac vita pendere, licet assiduo sceleratæ conscientiæ supplicio excrucientur: neque vos, o amici, sapienter de me potius ex præsentibus calamitatibus, & ærumnis, quam ex laudabilibus vitæ actionibus judicasse. Quod si neque vere, neque recte sentio de bonorum, atque malorum remuneratione, & fine, prodeat, qui sentit aliter, ac me falsitatis convincat. Sed quidem neque ratione, neque experimento ullo meam sententiam refellere quispiam valebit, neque justam mihi litem ante Dei tribunal, propterea intendere, aut meam orationem tanquam futilem, parumq; constantem redarguere. 25

Quod si non est ita, quis me potest arguere esse mentitũ, & ponere ante Deũ verba mea.

(.:.)





IOANNIS DE PINEDA SOCIETATIS IESV, COMMENTARIORVM IN JOB, LIBER DECIMVS,

Qui eſt de Certamine decimo, id eſt, tertia IOB cum Baldad diſputatione.

CAP. XXV.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Baldad iterum Dei Majeſtatem, Potētiam, Iuſtitiam IOBO ingerit, quo illum deterreat ab appellando Deum, & a ſuæ innocentiæ defenſione, ut quæ videatur detrahere Divinæ Iuſtitiæ.

I. Reſpondens autem Baldad Suhites, dixit.

1. *Nexus hujus reſponſionis cum antecedentibus.*
2. *Nexus cum præcedentibus non valde probatur.*
3. Poteſtas *in Sacro ſermone quid.* Dominari *Explicatus Zacharias, Iſaias David. Dei virtus nunquam otioſa.*
4. *Dei timor initium pietatis, atque loquendi de Deo. Græcorum lectio.*
5. *Relativum* Qui. *Epithetorum uſus in Scriptura. Varia expoſitio.*
6. *Quia* Dei ſublimia. *Tranquillitas Divinarum ſedium. Illuſtratus locus Iudith.*
7. *Tres aliæ exponendi rationes non inutiles.* Pax, *felicitas. Deus amator pacis.*
8. *Græcorum lectio.* Pacificare *quid. Divina Majeſtatis deſcriptio.*





IN QVONAM cardine volvatur hęc reſpōſio Baldad, non cōveniunt Interpretes. Quamquā enim manifeſtum ſit, diſputationē iniri de terrifica Dei Potentia, & Majeſtate; obſcurū tamen, cū quo hæc reſponſio, & materia nectatur. Et quidem Nicetas exiſtimat minime cohærere reſponſionē hanc cum Iobi oratione; *Baldadus,* inquit, *cū quemadmodū Iobum refellat, rationē nullam reperiat, defenſionem alio derivat.* Philippus quoq; *Manifeſtū eſt* (inquit) *quia de inopia reſpondendi, eadē, quæ dixerant, frequentius repetant.* Alii Latini ad ea, quæ Iob proxime dixerat, pertinere exiſtimant reſponſionē Baldad. Certe is nō ſaltat omnino extra chorum: ſed neque omnino abſq; contentione diſputat: laborat enim, ſicut & alii amici, moleſta quadam, neque non inepta ejuſdem argumenti repetitione. Sed interim tamē mirifice de Deo, deq; humanæ naturæ vilitate, & abjectione loquitur.

I

Nexus incertus.

Nicet.

Philippus.

II. Poteſtas, & terror apud eum eſt, qui facit concordiam in ſublimibus ſuis.

2 Varia expositio.

Philipp. Vatab. Osorius.

Potestas, & terror. Philippus hanc sententiam his verbis indicari existimat; eo quod asseruisset Iob Dei judiciū potius in futuro, quam in præsenti expectari debere; *Non jam exercet judiciū, sed apud se repositum tenet, ac reservat in postremū.* Sed obscura hæc, & aliena Philippi interpretatio. Alii existimant ex summa potestate commendari Divinā Iustitiam, nihilq; injustū fecisse cōtra Iob. Alii, quod cum Iob dixerit c. 23. sic se velle cum Deo disputare, ut non tā viribus, & magnitudinis suę mole cum illo contendat, quam re ipsa, atq; ratione; Nunc ocurrat Baldad dicens, fieri non posse, ut Deus terrificam suam majestatem deponat. Ineptam ergo esse Iobi postulationem, & votum.

D.Tho. Cajet.

3 Ergo præstat, quod indicavimus in argumento; leniter enim cohæret cū præcedentibus; Quid tu (inquit) o Iob, provocare, & appellare ad Deū audes, cujus est terrifica majestas, eaq; conjuncta cū omnipotentia? *Potestas.* Dominatio, ditio, ob servavit Hæbræus apud Cajetanum vocé originalē nō plene explicari per *potestatē*;

משל *Cajetan.*

Quoniam (inquit) *significat potestatem exercentem actionē suā.* Hoc non omnino male; quamvis neq; omnino solidum, nā pro dignitate Principis, aut Domini alicujus quasi habituali, nō semel accipitur: ut Zachar. 9. 10. *Potestas ejus a mari usq; ad mare.* id est, ille terræ tractus Mesopotamius in illius dictionē cadit. & Ps. 144. 13. *Dominatio* (Hierony. *Potestas*) *tua in omni generatione, & generatione.* Quę ex proprietate vocis non afferunt actionē præcipiendi, sed dignitatem, & facultatem. Quanquā non semel exercitiū ipsius Dominationis per hanc ipsam vocem significari solet, ut illo. 1. Para. 29. 12. *Tu Dominaris omniū.* id est, Quidquid fiat, nō nisi tuo pręcepto, & voluntate fit; nisi assidue tu dominareris, & juberes, nihil fieret. Quare cupiditatem illam dominandi, id est, semper jubēdi, & præcipiendi molestissimam, notat Isai. 28 14. *Qui dominamini in populū meum.* qui abutuntur potestate, ut semper præceptis, & imperiis instent. Sic de Deo Psal. 65. 7. *Qui dominatur in virtute sua in æternum.* id est cujus virtus, & potestas nunquā desidet lāguida, & otiosa, semper dominatur, semper exerit, exercetq; suas vires, quod statim explicat, *Oculi ejus super gentes respiciunt.* Sicut enim Divina Providentia semper videt, & providet, ita & ejus *potestas*, & dominatio nō solū semper potest, sed semper pręcipit, semperq; dominatur. Ergo ait Baldad, *Potestas*, dominatio tam efficax, tamq; potens, ut nunquā a dominando, & imperando cesset, *apud Deū est.*

Potestas, pro ipsa facultate, & pro actione præcipiēdi.

Abutētes principatu, & dominandi libidine.

Dei Potestas, & Dominatio, nusquā otiosa.

Quam etiā Divinę virtutis efficacitatem filio Dei communicavit Pater, Isaię 55. 4. *Testē populis dedi eum, ducem, ac præceptorē gentibus.* quo loco legunt Septuag. *Principem, & præcipientē gentibus.* ut Divina illius virtus significaretur semper efficax, semper in actu, nūquam otiosa. Quod etiam est esse *testem*, Divinæ nimirum virtutis, & potestatis.

Christi IESV Divina virtus.

4 *Et terror.* Alii, timor, formido. Sed quia hæc potius passive sumuntur, in eo qui timore afficitur; at *terror* quasi active, in eo, qui aliis terrorem incutit, elegātius dixit Latinus, *Terror.* Septuag. hoc loco: *Quid enim exordium, quam timor ab eo?* Id est, (ut exponit Chrysostom⁹) quod exordiri velit Baldad ex terrifica Dei majestate. Sed melius Olympiodorus; Cum tuam o Iob, pietatē arrogāter jactas, oporteret profecto, ut ex Divino timore initium sumeres. tu vero nihil trepidans differis, intrepidus etiam cum Deo contendere audes. Ergo vel ex hoc tua impietas cōvincitur, quod cum *initium pietatis timor sit*, tu timoris expers es.

Chrysost. *Olympiod.* *Proverb. 1. 7. Ecclesi. 1. 16.*

5 *Qui facit concordiā in sublimibus suis.* Per relativum, *Qui*, solent Hebræi Epitheta, & participia circumloqui: quare, *Qui facit*, idem est quod, *Faciens* aut *Factor*. ut Ps. 113. 9. *Qui habitare facit sterilem in domo.* propr. *Habitare faciens*; vel, *Collocator sterilis in domo.* & Ps. 113. 8. *Qui convertit petram in stagna aquarū*, propr. *Conversor petræ.* Certū vero hanc quoq; sententiā pertinere ad descriptionem Divinæ Potētię, & majestatis; sed incertum, quid sit, *concordiā*, aut pacem *facere in sublimibus suis.* Pleriq; intelligūt, Cælorum motus perpetuū ordinem servantes ex Dei potētia, & jussu. Alii *Sublimia* elemēta, in quibus cogūtur tempestates, pugnæq; in se in vicē cōmittuntur. At Deus vel solo nutu trāquillat elementorū dissidia, tempestatesq; serenat. *Qualis* ergo is erit, cujus imperio, & nutui sublimiora elementa, *venti, mare obediunt!* Alii quoque per *sublimia* intelligunt *Angelos*, quos quantūvis natura potētissimos, gratię vero dono Sāctissimos, continet Divina majestas *in timore, & tremore*; neq; familiaritas, & clara Dei visio vel timorē, vel reverentiā imminuit: nunquam itaq; se cum Deo comparare, nunquam contēdere audent. Ergo his verbis vellicabitur Iob, quasi insolens, & seditiosus, ac querulus homo, qui Divinam illam cælestium mentium, sediumque pacem, & trāquillitatem suis clamoribus, & forensi quasi strepitu velit turbare, atq; miscere;

Epithetorum usus apud Hebræos.

Varia expositio.

D. Thom. Nicol. Cajetan. Vatab.

Matth. 8. 24. Marc. 4. 41. Luc 8. 23.

Philipp. Cajet. Hugo. D. Tho. Dionys. Clar.

neque

neque ceſſet uſq; a raucis ſuorum malorum querimoniis, & repetitionibus.

6 Sed illud mihi arridet, ut per *Dei ſublimia*, vel excelſa, intelligat Iob ſublimes cęlorũ ſedes, quæ vocãtur, *Splẽdores Sanctorum*, id eſt, ſancta, aut ſanctuaria lucida, in quibus Deus habitat: *Facere autẽ concordiam*, vel pacem in ſuis cęleſtibus ſedibus, erit, Deum ſumma pace, & trãquillitate frui, quod tam terrificã majeſtatẽ, & tam beatã quietem nemo audeat interpellare; nemo Deo jubenti reclamare, aut contra illius voluntatẽ mutire. Hoc ſummę Potẽtiæ argumentum eſt, ſupremæq; majeſtatis. Similiq; ratione Imperatoris Aſſyriorũ poteſtas, atq; dignitas ſignificatur Iudith 14.9.10. *Hi, qui in tabernaculo erant veniẽtes, & ante ingreſſum cubiculi perſtrepẽtes, excitãdi gratia inquietudinẽ arte moliebãtur, ut non ab excitãtibus, ſed a ſonãtibus Holophernes evigilaret. Nullus enim audebat cubiculũ Virtutis Aſſyriorum pulſando, aut intrãdo aperire.* Primus ille Medorũ Tyrãnus Dejoces, *cavit* (auctore Herodot.) *ne quis ad Regem ingredi permitteretur, ſed per internuncios cuncta tranſigerentur: Ad hæc nec ridere, nec expuere corã licere.* Quam indignũ (inquit) Baldad vaſtis clamoribus, & ſtultis querimoniis velle, beatam Dei quietẽ abrumpere, aut corã perſtrepere.

Pſal. 109. 3.

Eligitur ultima expoſitio.

Herod. lib. 1.

7 Sed proponã præterea duas, treſve alias exponẽdi rationes, quæ ſicut mihi nõ omnino diſplicent, placere aliis omnino poſſent. Prima, ut dicat Baldad non opus eſſe, ut Iobus tentet cõſcendere, & venire uſq; ad excelſum ſoliũ Dei: nã non eſt ille ſublimis locus ſtrepitu foreſi cõplendus. Ergo hinc e terris agendũ cũ Deo; hinc poſſe mortales Divinam majeſtatẽ placare, & fœdus amicitię inire cum illo. Quod non alio quam pietatis operibus & pœnitentia anteactæ vitæ efficiendũ eſt. Secũda, quod cum Deus natura ſua beneficus ſit, atq; pacis, & concordiæ amator, & auctor, ſi quando inimicitias agit cũ homine, & humanarũ rerum pacẽ turbat, jure & merito id facere; & nõ niſi graviſsimis mortalium ſceleribus provocatum. Ergo Iob, cujus res perturbatæ, & ab omni trãquillitate, & pace alienæ ſunt, provocaſſe quidẽ ad pugnam, & indignationẽ Divinã bonitatem. Tertia, ut *facere cõcordiã, & pacem*, idem ſit, quod habere pacem, & cõcordiam procurare, comparare, aptare. nam cõplectitur hæc omnia vox originalis *faciẽdi*. Habere autẽ, aut comparare pacem ſit, omnium bonorũ aggregatione & ſempiterna fælicitate potiri: ut hinc aſſeratur tremẽda illius majeſtas, quæ omnia poteſt, bona habet omnia, & in ſumma pace, bonorumq; omniũ redundãtia nullius indiget. Vtiles ſane omnes hæ exponendi rationes. Dixi, quam ego probẽ; dicam etiam ex his tribus poſterioribus quã præ aliis faciam; Poſtremam. Sed indicabimus etiam in lectione Septuaginta quendam alium non ineptum explicatum.

Tres aliæ idoneæ exponẽdi rationes.

Optimus, & ſimpliciſsimus explicatus.

עשה

8 De Septuaginta illud tantũ dicam, pro *pace & cõcordia, univerſitatem legiſſe; Qui facit univerſitatem in altiſsimo.* Ex eo forſitã, quod verbũ *Salã*, quod eſt pacificare, aut in pace eſſe, ſignificet etiam perficere, aut complere: & inde *Pax*, pro perfectione, & cõplemento: quare & pro rerum univerſitate, & orbe perfecto, & completo, *Pacẽ*, aut *concordiam* ſumpſerũt. Quæ quoq; cõmoda eſt Divinæ majeſtatis, & potentiæ deſcriptio. *Facere* autem *univerſitatẽ in altiſsimis*, erit, Quod altiſsimus ipſe Deus non ſolũ rerum univerſitatẽ creet, ſed etiem aptet, diſponat, moderetur, procuret per ſummã potentiã. Aut cum Græcis, *in altiſsimo ſuæ mentis*, & ſapiẽtiæ arcano; Nõ ſolũ potentiſsimus & maximus eſt, ſed ſapientiſsimus, omnia e ſede majeſtatis moderatur; *Omnia portat verbo virtutis ſuæ*; cũctis præeminet, cunctis pręſidet, altiſsima tenens, in rebus diſsimilibus concordiã efficit mirabilẽ, & ſublimi Providentia continet mundialẽ machinam, ne privatis diſſidiis ſuarum partium pugnantiũ, diſſolvatur. Deus igitur reſidẽs *in ſublimibus ſuis*, *facit concordiam* in inferiori hoc mundo.

Lectio Septuagin. elucidata.

שלם

Pax pro perfectione, & cõplemento.

Hebr. 1.

III. Numquid eſt numerus militum ejus? & ſuper quem nõ ſurget lumen illius?

---

1. Dei milites *terribiles, Angeli. Stellæ, milites ſplẽdidi potius, quã formidãdi. Illuſtratus David.*
2. *Aliorum Regum ſatellitia.*
3. *Angelorum numerus. Numerus indefinitus.*
4. *Angeli quales milites, quam obedientes. Illuſtratus Zacharias, & Ioannes.*
5. *Duces olim Iudices. Milites miniſtri Iudicum.*
6. *Divinæ cognitionis lumen efficaciſsimum. Quid ſit* Oriri ex alto, *apud Lucam. Illuſtratus Dav.*
7. *Græcorum lectio, & expoſitio.*

I De militia Solis, Lunæ, Stellarum hoc dictum volunt aliqui interpretes: nã cum ſub Deo ſupremo Imperatore tres maximi exercitus militẽt, Angelorũ, Cælorum, & Syderũ, atq; Sacerdotum, ut alibi diximus: *Militia Cæli* frequẽtius, quam aliæ, nominatur: & tãtus illorum militum ſplendor ad Divinã majeſtatẽ oſtendendã multum facit; ſicut dixit Sapiens Ec-

Sub Deo tres exercitus.

Prima expoſitio de Militia Cęli.

Vide, quę diximus cap. 7. ℣. 1.

cleſi.43.12. *Species Cæli, gloria ſtellarum, mū*
dum (coſmon, ornatū) *illuminās in excelſis*
Dominus. Quod videtur reſpondere alteri
parti; *Super quē*, id eſt, ſuper quam ſtellam,
aut, *ſuper quē militē, non ſurget lumē illius.*
Eſſe autem hos milites, id eſt, ſtellas innu-
merabiles, ut hoc loco aſſeritur, ex aliis
quoq; Scripturę locis conſtat. Sicq; cohę-
rebit cum ſequētibus, ubi de pulchritudi-
ne Lunæ, & Stellarum in cōparatione ad
Divinum lumē, & pulchritudinē agetur:
in cujus conſpectu omnis creatę lucis, &
puritatis candor, obſcuritas & caligo eſt.

Secunda expoſitio.

Sed quidē, cū etiā proxime præceſſerit
mētio *poteſtatis, & terroris*, videtur nūc ex
innumerabili numero *militū ejus* terribiliū,
majeſtas & terror deſcribi. Stellę autē mi
lites ſunt non tā terribiles, quam præcla-
re ornati, atq; ſpecioſi: *Perfecti* enim *ſunt*
cæli & terra, & omnis ornatus (Kaldæus, *exer*
citus) *eorum.* Geneſ. 2. 1. ubi vides etiam

Animalia, & plātę. Dei quoque exercitus, & milites.

ornatū terrę, id eſt, herbas, plantas, anima
lia dici exercitum, & milites Dei, ſicut ſtel
las cæli, quod in utriſq; Deus ſuam poten
tiam oſtentet, ſed pulchritudinē potiſſi-
mum, atque ornatum. At non in Stellis,

In Angelorū exercitu fortitudo, & terror.

& Plantis, ſed in militibus exercitus an-
gelici potius *poteſtas, & terror* conſidera-
tur, cū ſcribatur Pſ.88.8. *Deus, qui glorifi-*

Pagn. Regia. Tygur.

catur (Pag. *Terribilis.* Regia; *formidandus*;
Tyg. *Vehementer formidandus*) *in cōcilio ſan*
ctorum (Angelorum) *Magnus, & terribilis*

Hieronym. ad Suniam.

(Pſalteriū Romanū, *Metuendus* Hierony.
Horrendus. Tygur. *Tremendus*) *ſuper* (plu-
ſquā) *omnes, qui in circuitu throni ejus ſunt.*
id eſt, ultra omnes angelos, qui illum cir-
cunſtant, tanquā milites ſuū Imperatorē:
non enim tam terribiles ſunt milites, quā
ipſe potentiſſimus imperator, *apud quem*
poteſtas, & terror eſt. Emendicant nimirū
2 homines aliquem terroris apparatū ex mi
lium cuſtodia, & ex numero ſatellitum; at
Deus Imperator potētiſſimus potius ſuis
ſatellitibus terrificam ſpeciē, & fortitudi
nem impertitur. Servantur illi a cuſtodia;
at Deus ſuos ſervat excubitores, & vigi-
les. Neminē is timet; timent illi inſidias,
& hoſtium audaciā. Ideo primus ille Tar-

Livius lib. 1. Decad. 1.
Dionyſ. Halicar. lib. 4.

quinius ſatellitio *ſe ſtipavit audaciſſimorū*
hominū; Dionyſius quoq; *ferociſſimus ſervus,*
& feris barbaris; Maſiniſſa etiam *canibus*
vitam ſuā vallavit. Adeoq; Imperator ipſe
a ſuis ſatellitibus, vel aſſumebatur ad im-
Imperiū, *vel etiā imperio deturbabatur.* Sic
nō tam apud Imperatores, & Reges erat
poteſtas, & terror, quam apud ipſos mili-
tes cuſtodię. At Deus ſuis ſatellitibus tre
mendus eſt. Hoc tamen Angelicum Dei
ſatellitium modo quodā repræſentarunt

Herod. lib. 4.
Dionyſ. Halic. lib. 2.
Livi lib. 2. Decad. 5.
Arrian. lib. 1.
Dionyſ. Valer. Max. lib. 9. c. 14.
Cic. 5. Tuſc. Valer. lib. 9. c. 14.
Iuſtin. lib 12.
Curt. lib. 10.

Principum cuſtodię, quod *Lacedæmoniorū*
Regum cuſtodia trecētis cōſtabat generoſiſſi-
mis juvenibus. Macedonum vero *Sacræ alæ*
equitum, inter quas medius Rex erat. Alexā-
dro duę itē *turmæ amicorum invicē ſe amā-*
tium, quæ cuſtodia Regia dicebatur. Atq;
mille præterea milites ex Perſarū juvenibus.
Sed quid hæc ad Dei ſatellitium, cujus
non eſt numerus?

Ergo etiam ſi de Angelis præcedēs ſen
tentia nō accipiatur, cohærebit hoc Divi-
næ Potentiæ, & majeſtatis argumentū ex
innumerabili Angelorū illi miniſtrantiū,
& ſub eo militātium multitudine; quā ex 3
eodem innumerabili numero Daniel quo
que deſcripſit c.7. Quamvis enim Divina
majeſtas nihil accipiat ex miniſtrorū nu-
mero; at is numerus innumerabilis, nobis
argumento quodā Divinam majeſtatē de
clarat. Licet autem Angelorū multitudi-
nem certo numero videatur cōprehende
re Daniel, ſed debere pro incerto & inde Numerus indefinitus.
finito numero accipi, tum ex aliis locis, tū
ex hoc noſtro Colligi debet. Nam Ioan.
Apoc. 5.12. multitudinem Angelorū de-
ſcribit, *per millia millium*; & Paulus ad He
bræos. 12.22. vocat *Ieruſalem Cæleſtē mul-*
torū millium Angelorū. Sed innumerabiles
eſſe omni humanæ cōparationi docet prę
ſens locus. Atq; illud videtur mirabilis eſ
ſe potentiæ, atq; ſapientię, quod unica il-
los quaſi unius mentis voluntate, & con-
ſenſione cōtineat Deus; & quod nunquā
ſatis promeritis Divinam majeſtatem lau *Iſai. 6.3.*
dare valeant, quamvis aſſiduo ſemper ſtu
dio, & nūquam intermiſſo clamore illius
ſanctitatem prædicent.

Militum ejus. Pugnare cū Vulgato vi-
dentur hoc loco Septuag. legentes; *Nemo* 4 *LXX.*
putet eſſe morā piratis. nam vox originalis
Gedudim, quæ vertitur, *milites*, aliis locis גדודים
vertitur a Vulgato, *latrones*, ut Hoſeæ 6.10
2.Reg.4.2. Micheæ 5.1. & ſupr. Iob 19.12.
Quare predones, aut *piratas* dixerunt hoc
ſenſu; *Nemo putet eſſe* concededā *morā pi-*
ratis; nullum numerum dierum illis tribuē-
dū; ut quibus ſubito ſuperventurus ſit in-
teritus. q.d. Nō prorregabit Deus ad mul
tum ſpatiū ſupplicia iniquorum hominū.
cū quo etiā facit quod vox, *Tſaba*, quæ ſo צבא
let ſignificare exercitum cæleſtis militiæ,
minime hoc loco legatur. Sed nihilomi-
nus vox illa originalis ſumi poteſt pro ag
mine militum, aut exercitu, aut pro milite
regio; præſertim cum etiā illa vox *latronis*
in bonum accipi poſſit, videlicet pro con
ducto, aut regio milite (ut aliquādo dixi-
mus) & infra etiam c.29. in bonū accipi-
tur verſ.15. *Cū ſederem quaſi Rex circūſtāte*

exerci-

exercitu. Ergo Angeli dicuntur *milites* accincti,& expediti ad prælium; obſequentes imperatori Deo; acerrimi ad agendas prædas,& efficienda impiorum ſupplicia; Impigri ad perferenda mandata,& excurrendum, quoquo illos Divinæ voluntatis ſpiritus impulerit. Sicut Zachariæ.9.8.deſcribuntur; Circundabo *domũ meam* (arcẽ regiam,Eccleſiã,templũ) *ex his,qui militãt mihi,euntes* (ad exſequenda mandata) *&* *revertentes* (celeriter illis perfectis.) quæ etiam Angelorum expeditio,& obediẽtia ſignificatur Ioann.1.51. *Videbitis cælum apertũ* (videlicet in die judicii, *Cum ſedebit Rex in ſede majeſtatis ſuæ*, quando illũ univerſi homines verũ Deum confiteri cogẽtur, *& Angelos aſcendentes, & deſcendentes ſupra* (juxta, circa) *filium hominis*. Id eſt, miniſtrantes ſumma diligẽtia,& celeritate;& alios *deſcendentes*, quaſi mandata perferant;alios *aſcendentes*,quaſi denuo mandata perficienda accepturos. Sicut etiam illa fuit ſupremæ arcis appoſita quædam ſignificatio,cũ Gen.28.17. vidit Iacob *aſcẽdẽtes, & deſcẽdentes* per ſchalã Angelos, Providentię,& gubernationis mortalium omniũ edicta,mandataq; perferẽtes,atq; exſequentes. Memini me nõ nihil de hac Angelorum militia dixiſſe c.7.verſ.1.

Angeli quales milites.

Matt.26.64.

5 Nunc tantũ obſervandum,Angelos appellari *milites*,quod terribilis,ſeveriſsimi, & integerrimi judicis perſona nunc deſcribatur. Olim enim judices,& magiſtratus iidem erant Imperatores,& duces;miniſtri autem judicũ, *Milites*. Ergo ſuprema illa majeſtas,cui innumerabiles miniſtrant; terribilis, cujus adminiſtri,*milites*. Quamquam Greg. ob id *milites* appellari ſcribat,quod *cũ poteſtatibus tenebrarum pro nobis pugnant*;Et Nicetas,quod ad impios ulciſcendos mittuntur:ſed ratio hujus appellationis amplior eſt,quam quæ ad vnũ tantum vel puniendi, vel pugnandi munus reſtringi debeat.

Iudices.& Magiſtratus, iidẽ qui Imperatores.

Gregor.

Nicet.

6 *Et ſuper quẽ non ſurget lumen illius?* Alii ad Divinam Bonitatẽ hæc referũt,ex qua provenit,ut omnes Divino lumine colluſtrentur, & *explenitudine gratiæ ejus omnes accipiant*. Vt inde colligat Baldad contra Iobũ (ut ipſe exiſtimabat) nullam malignitatem, aut ſeveritatẽ dominari in judicio Divino; ſed ſummã æquitatẽ, atq; benignitatẽ. Alii de Divina Sapiẽtia in operibus creatis relucẽte accipiunt; Cũ enim (inquit Baldad) omnia præſeferãt Divinę Sapientiæ ſplendorem, quomodo audeat homo dicere, Deum in aliquo opere errare,ſicut tu,Iob, dicere videris, cũ te Deo præfers juſtitia, & munditia? Alii de *lumine* Divinæ illuminationis,& revelationis,quo illuſtrantur Angeli; quod & Divinæ Potẽtiæ argumentũ clariſsimum eſt, quod innumerabiles miniſtros ſuos ſuo lumine dirigat, & de agendis admoneat.

Vatab.
Oſorius.
Varia Luminis interpretatio.

Iſidor.

D.Thom.
Dionyſ.

Recte quidem hæc omnia. Sed mihi vehementer probatur, quod Dei poteſtas, & ſapiẽtia nunc quoq; deſcribatur, & amplificetur ex efficacitate agendi,& pertingẽdi ad omnes creaturas, deſpiciẽdi omnia inferiora, & ſuæ cognitionis lumine clariſsimo cuncta perluſtrandi. Quare ſicut *poteſtas,& terror* ex eo oſtẽditur,quod *numerus militũ ejus innumerabilis eſt*;ita etiam ex eo, quod cuncta attingat efficacitate, & cognitione; ſicut Sol,a cujus efficacitate,*calore,lumine nemo ſe abſcondit*. ubi hanc ipſam agendi efficacitatẽ agnoſcit Theodoretus,his verbis: *Caloris quidẽ,pro lumine meminit, plus efficaciæ demonſtrans. Fieri enim poteſt,ut etiã qui longe abſunt,fruantur lumine hominũ manu accenſo;caloris vero niſi appropinquantes participes eſſe nõ poſſunt. Sol autẽ etiam longiſsime radios emittens calorem cum lumine impertit*. Hujus autẽ corporei ſolis, luminiſque viſibilis comparatione, *De⁹ lux vera eſt*, quod ſimiles alios effect⁹ multo verius,multoq; præſtantius, & efficacius faciat,quã Sol iſte,quem videmus. Dicitur autem *lumen illius ſurgere*,ut exorientem lucẽ Divinæ efficacitatis,& cognitionis intelligamus, ſemper vigentem, nunquã languentẽ,aut occidentem. Si ex verbo legas,dicere poteris; *Super quem non ſtabit lumen ejus?* ut non ſolum exorientẽ & ſurgentem lucẽ, ſed etiam cõſiſtentem ſupra noſtra capita,calore,lumine & agẽdi facultate præpotentem, & humanis omnibus rebus imminẽtem intelligamus. Similis profecto locutio illa Zacharię parentis Ioannis,in ſuo Cãtico; *Viſitavit* (inquit) *nos oriens ex alto*. Luc.1.78.Cũ enim Sol iſte viſibilis ſurgere videatur & exoriri ex terra, aut ex mari,in quod videtur immergi,cum occidit;rurſus emergere,& caput exerere undis,cum exoritur,& ſurgit; at Divinũ lumen ita ſuper nos ſurgit, ut cum ſurgit, *oriatur ex alto*, & cũ ſurgit, ſtet,& conſiſtat ſupra noſtra capita.Nunquam nos languide reſpicit, nunquã illuminat frigide,ſed pleno lumine, ardente charitate,ſicut cum Sol *lucet in virtute ſua*; eſt enim ille Sol veriſsimus.Vide quæ inferius dicemus verſ.5.n.5.

Germanior expoſitio.

Divinæ efficacitatis circũloquutio.

Pſal.18.8.

Theodoretus.
Lumen pro calore,& e cõtrario.

1.Ioan.1.5.

Efficacitas Divini luminis, & cognitionis.

LXX.
Nicetas.

At vero in hac *illuminatione* vidẽtur Septuag. agnoviſſe quandam quaſi occultã, & per inſidias obſervationem,& ſpeculationẽ Divinæ cognitionis,nam legunt; *In quos non venient inſidiæ ab eo*. Quamquã Ni- 7

cet. *insidias* has *admilites*, id est, Angelos referat, qui ad vindictã impiorũ mitti solẽt.

IIII. *Numquid justificari potest homo comparatus Deo, aut apparere mundus natus de muliere?*

1. *Comparatio humanæ puritatis cum Divina. Cõparationis formula.* Iustificare *quid.*
2. Apparere. *Peccata, sordes.*
3. *Mulier sordium, & iniquitatis symbolũ: nocẽdi auctor, & veneni inventrix.*

I Nimium abjecta, & vilis est mortaliũ omniũ conditio, quãvis sanctissimorum. Quare ad lumen Divini oculi cũcta contuentis nemo omnino purus, & mundus est. Frustra igitur, o Iob, Divinũ judicium, & tuarũ rerum disquisitionẽ postulas. Quod hic dicitur, *comparatus Deo*, in originali tantum est, *cũ Deo*; quod bene intellexit Vulgatus, cõparationem continere; quasi diceret, *præ Deo*. Septuag. dixerunt, *Corã Deo*; quasi diceret; Si prope ad
LXX. Deũ accedas, nõ poteris apparere justus. Nãque, nobis etiã ignorãtibus, inveniet ille in nobis multa animadversione, & supplicio digna. Quorsum igitur, o Iob, illius conspectũ exposcis? quãvis enim nihil tibi conscius sis, sed non in hoc justificatus
Iustificari quid. eris. *Iustificabitur*, Apparebit, pronunciabitur justus, absolvetur ab omni criminis suspicione, & ab omni pœnæ, & supplicii reatu. Dixi de hac sententia supra. cap. 4. vers. 17. & c. 9. vers. 2. Vbi ipsam rẽ multo magnificentiori oratione, quã sui amici, exponit, & prosequitur Iob.

2 *Aut apparare mundus.* In Hebræo *Quomodo erit mundus?* Sed recte dixit Vulgatus, *Apparere*, ut cõparationem illam cum Deo, & Divino cõspectu, coram cujus lu-
LXX. mine, splendet nemo significaret. Septuagin. *Quis mundaverit se?* Augustin. *Quis mũ*
August. Symmach. *daVit se?* Symmachus; *Per quem erit sine sordibus?* peccata intelligit, *quæ coinquinant hominem*. De hac *munditia* diximus supra c. 11. 4. ubi rem eandem objicit Iobo Sophar. Vide etiã c. 8. vers. 6. & c. 9. vers. 30.

3 *Natus de muliere.* Quasi diceret; Ex immunda materia genitus, & concretus, immundus, & sordidus homo, insitam habẽs
Mulieris imbecillitas. imbecillitatẽ, quã hausit, & traxit ex ipsis matris visceribus, ut nequeat per se puritatẽ in vita perpetuo retinere. Rẽ eandẽ dixerat luculentius, & vehemẽtius Iob. c. 14. vers. 4. dicens, *Hominẽ de immũdo conceptũ semine.* Aut certe per, *mulierẽ*, non solum imbecillitatem, & mollitudinem, sed etiã infectionẽ peccati, & mortiferi ex serpente veneni denotat. Est enim mulier totius malignitatis, & iniquitatis symbolum, atque nocendi, & lædendi aliũ per insidias, ut Nero ille, alioquin tyrannus, & hostis totius justitiæ; sed in hoc tamen æquus rerum, & naturæ muliebris æstimator, ex Senecæ sententia, censuit; — Mulier malignitatis, & iniquitatis symbolum. — Sen. in Octav. act. 5.

Mulier, dedit natura cui pronum malo
Animum, ad nocẽdũ pectus instruxit dolis.
Sed vim negavit; ut ne inexpugnabilis
Esset, sed ægras frangeret vires timor,
Vel pœna.

Quã eandem muliebrẽ iniquitatem amplificavit Simonides;

Neminem beneficiis demeretur: sed illud spectat, — Simonides.
Et hoc quotidie consultat secum,
Vt malum aliquod facinus, idque maximũ edat.

Non igitur mirum, quod venena mortifera, & aconita sevissima invenerit mulier, toti[us] inhumanitatis auctor. Vt enim Diodorus Siculus scribit lib. 5. c. 4. *Hecate fœmina sævissima sic cruciatu hominum lætabatur, ut eos pro feriis, appetere sagittis consueverit. Sed ad venena mortifera conficiẽda summum studium, operamq; impendens, prima aconitum invenit, vim, naturamq; cujusq; veneni in cibis, quos advenis dabat, experta. Hujus digna proles Cyrces & Medea sævitiæ omnis, insidiarum, & totius improbitatis symbolum.* Ergo cum Baldad nunc improbitatẽ muliebrem objicit, profecto vim, & improbitatem nocẽdi, & inhumanitatẽ omnẽ Iobo latenter objicit. Sed de hac ipsa re dis[s]eruimus cum ipso Iobo cap. 14. vers. 1. ad illa verba, *Homo natus de muliere.* — Mulier invẽtrix veneni. — Diodorus.

V. *Ecce Luna etiam non splendet, & Stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus.*

1. *Duæ alienæ expositiones. Tertia germanior. Coram Divina luce cætera obscura.*
2. *Varia lectio. Lux expansa tabernaculi instar. Lunæ potestas in nocte. Explicatus David.*
3. *Luna imperfectissima cælestium corporum. Symbolum pulchritudinis. Illustratus Ecclesiasticus.*
4. *Luna natura, & lux distantior a Sole. Explicatus Sapiens.*
5. *Deus Sol fulgentissimus. Luna cornuta. Facies Moysi. Sol Divinæ Bonitatis Imago. Illustrati Moyses, Habac. Paulus.*
6. *Notatus Cajetani error de animatione cælorum.*

Confirmat eandem rẽ argumento ducto a majori, admista etiã similitudine sumpta ex Luna, & Stellis. Sed in mo- I

do expli-

do explicandi eſt nõnulla varietas interpretum. Primo enim quidã rem hãc de Luna, & Stellis ſub hac ſimilitudine, aut diſſimilitudine accipiunt; Luna in Cælis ſuũ fert deliquiũ; & ſtellarũ ſplendor aliquantiſper *a nubium caligine intercipitur*; *cũ tamen in hoc Deum nemo incuſet, quaſi indigne cum illis agat. Quid igitur male audit Deus, ſi hominem juſtũ aliquantulo tempore affligat, mox denuo refocillandum?* Nihil igitur mirũ quod præclarum virũ tantiſper obſcurari permittat, & involvi ærumnarũ tenebris mox diſjiciendis, & illuminandis. Sed expoſitio hęc aliena eſt ab inſtituto Baldad. conatur enim oſtendere Iob injuſtũ eſſe: nõ vero erigere, neq; conſolari. Secundo alii, de *defectu Lunæ*, ad quam interdũ Sol non pertingit ſuis radiis, & lumine: & de *immunditia*, id eſt, obſcuritate, & offuſcatione ſtellarũ, quæ *in conſpectu Solis*, id eſt, orto ſole nullæ apparent. Cujus ſimilitudinis, & comparationis hominis cũ Deo applicatio, ſententia ſequente cõtinetur, *Quanto magis homo* obſcurus, & impurus erit coram Deo? Sed mirum, quod rẽ ſępe in Scripturis inculcatã, alio detorqueant, *& conſpectum ejus*, corã quo immudæ ſunt ſtellæ, per vim ad ſolem referant; cum ex ipſo contextu, & aliis etiam locis aperte conſtet, Deum eſſe, ut ſtatim dicam.

Iſidor.

Aliena expoſitio.

Aſtunica, & quidã Hebraizantes.

Invitus, & repugnãs explicatus.

Lenis, & bene cohęrẽs interpretatio.

Tertio itaq; lenis, & bene cohærẽs ſenſus, ut non de deliquio, & defectu Lunæ, ut Hebræi exiſtimant, ſed potius de illius candore, luce, & pulchritudine accipiatur, quæ in ſui auctoris conſpectu minime cãdida, lucidave cenſeri debet. Sicut neque pulcherrimæ ſtellæ ad ſui creatoris lucẽ Divinam cõparatæ. Cæleſtia igitur, cũ in Dei conſpectu multo verius, quam coram ſole reliqua lumina, offuſcentur, & obſcurentur, quanto magis terreus, & vermiculãs homuncio? Et, ſi nihil, quod effectũ a Deo ſit, coram ſuo auctore puritatẽ ſuã poteſt glorioſe oſtẽtare, quãto minus homo; quanto minus tu, o Iob? Sed lectionis Originalis reddenda breviter ratio eſt.

2 *Ecce Luna etiã non ſpelndet.* Septuag. *Lunæ præcipit, & non lucet.* Vt ad Potentiam Dei oſtendendam pertineat (Interprete Niceta) Qui Lunæ poteſt ſuam innatam lucem adimere. Sed non cohæret; nã nũc jam nõ de poteſtate, & terrore; ſed de Divina ſanctitate, & munditie. Accipio igitur illud verbum prẽſentis temporis, non *ſplendet*, pro, cenſenda eſt non ſplendere, vel, cenſet Deus nullam eſſe ſuarum creaturarum, etiã cæleſtium, pulchritudinem, & candorem præ ſua Divina luce. Ex Hebræo ad verbum legit Pag. & Tygur. *Ecce*

LXX

Nicetas.

Verbum præſentis temporis qua ratione explicandum.

אהל

uſq; ad Lunam nõ illuminabit. Cajet. magis propr. *Non faciet illuminare.* Magis rigide magiſq; obſcure Regia; *Vſq; ad Lunam nõ ponet tabernaculum.* Alii, *Nõ expandet*, aut *non extendet*, ſupple tabernaculum, vel, ut Cõplutenſes dixerunt; *Non expandet lumẽ ſuum in modum tentorii.* Eſt enim illa a corpore lucido radiorum circumfuſio inſtar cujuſdam tabernaculi in orbem expãſi, in cujus medio ſedet corpus lucidum, quale eſt Sol, aut Luna. Et ſicut contrahi, & cõvolvi ſolet tabernaculum, ita *Stellæ Cæli, & lumen earum non expandent* (inſtar tabernaculi, quod expanditur, & explicatur) *lumen ſuũ*, Iſaiæ. 13. 10. Et quidem cum Sol, Luna, & Stellæ exercitũ conficiant, & militare dicantur, recte dicuntur *lumen ſuũ expandere inſtar tabernaculi* militaris: in cæleſti enim regione, tanquam in campo ad caſtrametandum, & figenda tentoria cõmodiſſimo, & ſpatioſiſſimo conſiſtunt: Sol præſertim, qui eſt dux, & moderator reliquorũ; de quo Scriptum eſt, Pſ. 18. 6. *In ſole poſuit tabernaculũ ſuum.* vel, ut legit Hierony. poſt Symmachũ, Aquilã, & Thedotionem ex Hebræo; *Soli poſuit tabernaculum in eis*, ſupple, *Cælis.* Et Lunã itẽ, quæ agmina ſyderum ducit. Fecit enim etiam Deus *Lunã in * Poteſtatem noctis.* Quæ poteſtas, atque dominatio eſt, inſtar cujuſdã Imperatoris præcipientis militi, *vade, aut fac hoc.* Quod idem eſt cũ illo Geneſ. 1. 18 *ut præeſſet nocti:* affert enim non ſolum dignitatem quandã ſuper cætera ſydera noctu lucentia, ſed etiam dominationis, & poteſtatis exercitium quodã, ex proprietate vocis originalis.

Pagn. Tygur.

Cajet.

Regia.

Complut.

Radiorum circũfuſio tabernaculi inſtar.

Hieronym.

Symmach.

Aquila.

Theodotio.

Pſal. 135. 9.

* Para q̃ mandaſſe denoche

משל

Sed ſi hæc expanſio, aut extenſio luminis, inſtar tabernaculi, referatur ad Deũ totius claritatis, & pulchritudinis fontẽ, erit quoque pulchra tranſlatio; dicetur enim Deus non extendere lumẽ ad Lunã, quod præ ſua Divina luce, videatur non illuminare Lunã, & Stellas, id eſt, non facere, ut ſplendeãt. quo illæ Hebraizantiũ lectiones variæ ſpectabant. Et Tygurin. *Ecce facit, ut non exiſtat lux uſq; ad Lunam.* Quod eleganter, atque Latine a Vatablo elucidatur; *Sed ne Luna quidem lucida eſt cum Deo collata.* Fit autẽ *Lunæ* mentio duplici ratione; aut quia Luna ſit imperfectiſſimum omnium ſyderũ, &, ut Cajetanus dixit, quia eſt *tãquam fæx cæleſtiũ corporũ*, & non eſt penitus naturæ diaphanæ; ideoq; *uſq; ad Lunam*, dixit, quaſi uſq; ad ultimum corporũ cæleſtium, & incorruptibilium: quaſi diceret; Omnia cæleſtia, quamvis incorruptibilia ſint, tamen præ Dei puritate, & luce impura ſunt, & 3

Deus non extendens lumẽ uſque ad Lunam.

Tygur.

Vatab.

Luna imperfectiſſima ſyderum.

obscura. Quod sup c.15.vers.15, Eliphaz dixerat in universum; *Cæli non sunt mundi in conspectu ejus*. Sed secundo verius existimo, *Lunæ* mentionem hoc loco fieri in bonum, propter eximiã pulchritudinẽ, & candorem quẽdam nostris luminibus minus molestum, quam solis lumen, quod acrius, & vehementius est. Nam eximiæ pulchritudinis semper Luna fuit symbolum cum cæteris syderibus comparata; ut dixit Sulmonensis Poeta;

Lunæ lumen minus molestum.

Luna symbolum pulchritudinis.

Ovid. in Epist. ad Leand.

Quantum, cum radiis fulges argentea puris,
Concedunt flammis sydera cuncta tuis:
Tãtum formosis formosior omnibus illa est.

Et dum Horatius laudes Deorũ, & hominum persequitur, Augustum cum cæteris viris clarissimis comparat, ceu Lunam cum stellis;

Libr. 1. Carm. Ode. 12.

- - - - - - - *Micat inter omneis*
Iulium sydus; velut inter igneis
Luna minores.

Hippolyti pulchritudinẽ amplificat quoque apud Senecam Chorus;

Sen. in Hipp. act. 2.

Conferat tecum decus omne priscum
Fama miratrix senioris ævi:
Pulchrior tanto tua forma lucet,
Clarior quanto micat orbe pleno
Cum suos ignes coeunte cornu
Iunxit, & curru properante pernox
Exserit vultus rubicunda Phæbe,
Nec tenent stellæ faciem minores.

Quare etiam Sponsę comites cũ Luna cõferunt Spõsæ pulchritudinem, Cant. 6.9. *Pulchra, ut Luna*, ut discrimẽ (inquit Theodoretus) *inter illam, & stellas indicarẽt, & ut ipsius Lunæ perfectionẽ ostenderent. Quasi dicerent; Ut Luna plena, nitens, non exilia ostẽtans cornua, non semiplena, non decrescens, sed perfecta, & toto orbe splendida, non quidpiã retinens imperfectionis, sed totũ globum lucidum præ se ferens.* Quo indicatur Ecclesię perfectio, & sanctitas in nocte hujus mortalitatis, & præsentis vitæ; nam in futuro resurrectionis, & beatitudinis die, erit *Electa, ut Sol.* Qua propter dixit Ecclesiast. c. 43.10. de Luna; *Vas castrorum in excelsis, in firmamento cæli resplendens gloriose*. id est, Lunam esse inter reliqua cælestis militiæ lumina, *vas*, instrumentum, aut ducẽ etiã reliquorũ militum admirabilẽ; gloria luminis, & pulchritudinis præpotentem.

Cantic. 6.9.

Ecclesiæ pulchritudo, ut Lunæ.

Lunæ gloria.

4 Itaq; *Luna* apud nos pulchritudine, & luminis candore commendatur: at *coram Deo nõ splendet*. Quo videtur allusum ad ipsam Lunæ naturam, & rationem illuminationis: Nam cum apud nos lucet, ex superiori parte non illuminatur. Quod eleganter Philosophus, Theologusq; clarissimus Nyssenus lib. de anima & resurrectione post initium exposuit: Nunc enim radios solis a tergo recipit; nunc a fronte, & a facie ad nos conversus. Sic sane quæ pulcherrima nobis videntur, in supremi luminis conspectu obscura sunt, & non illuminata; & qui hominum judicio sanctissimi habentur, interdum corã Deo impuri sunt. Quare & cum Luna Sapiens cõparat stultum, *Qui, sicut Luna, mutatur.* Nam cũ apud homines lucere, & splẽdere quærit stultus, lumen ex superiori parte corã Dei conspectu amittit. Atq; illud etiam, quod tunc Luna maxime nobis splendet, cum maxime distat a Sole: obscuratur autem, cum ei appropinquat, ut Philosophi, & Astrologi tradunt: sic profecto, quo ad Divinam lucem aliquid magis accesserit, minus lucidum apparebit, atq; adeo si ab illo recesserit, minus utiq; luminis habebit, quamvis apud homines multum fulgere videatur.

Lunę ex altera tantũ parte illuminatio.

Nyssenus.

Stultus cũ Luna cõparatus.

Quo Deo propinquior, eo apud homines minus splendens.

5 Hinc profecto manifeste colligitur, Deũ hoc loco asseri a Baldad esse totius luminis, & claritatis fulgentissimũ Solẽ, qui Lunã humanę naturę mutuato tantũ lumine illiustret. Quare de sanctitate nemo potest coram Deo gloriari; sicut neq; coram Sole, Luna. Sic Sapiens, *Mundũ*, inquit, *illuminans in excelsis Dominus*. id est, ut Græce habetur; *Ornatum cæli illuminãs Dominus*. Nam Deus est, a quo in reliqua sydera, quæ dicuntur, *ornatus cælorum*, lumẽ tanquã a Sole derivatur, & diffunditur. Quare Dionysius c.4. Divinorum nominum, dixit, *Solem esse significativã, expressam, & evidentem Divinæ bonitatis imaginẽ.* Quare quod Divinitatis symbolum sit, videtur Christus Dominus dixisse Matth. 5. 45. *Qui solem suum oriri facit*; ut peculiariter, *suũ*, appellet *Solem*, quasi suã imaginẽ. Itaq; non mirum, quod ex consortio, & familiaritate cũ Deo, instar Lunæ splendentis, & mutuantis lumen a Sole, *cornuta* processerit *facies Mosis*, Exodi 34.29. *Cornuta*, inquam, id est, *splẽdida*, ut Paulus exponit 2.Corint.3.7. appellans illum splendorẽ, *gloriam vultus Moysi, quæ evacuatur.* Videlicet, quod instar *Lunæ*, ex propria natura, cui lumen proprium nõ est, sed alienũ & mutuatum, minuatur, & deficere possit. Nam ipsum *Lunæ* nomẽ illud indicat, quod *luce luceat aliena*, ut Catullus in Sæculari carmine dixit;

Deus Sol, homo Luna mutuato lumine.

Ecclesi 43 10.

Deus fons luminis.

Dionys.

Sol Divinæ Bonitatis imago.

Sol cur dicatur esse proprius Dei.

Moyses lucẽs ex consortio Dei, sicut Luna.

Lunę nomen unde dicatur.

Catullus.

Notho est dicta lumine Luna

Deus autem tunc Moysi, ut Sol visus est, sicut Habacuc.3.4. dicitur; *Splendor ejus, ut lux erit*. proprie ex Hebræo, *Ut lux erat.* & iterũ Deut.33.2. *De Seir ortus est nobis*, videlicet sicut oriri solet Sol, & Lux. Quo

LXX. Onkel. etiam loco Septuag. dixerunt; *De Seir alluxit*. Onkel. *Splendor gloriæ ejus de Seir apparuit nobis*. Vides igitur jam ſapienter, & ſignificanter Interpretem dixiſſe, *Luna nõ ſplendet*, ut humanæ naturæ impuritatem, ad lumen & ſanctitatem Divini Solis cõparatam oſtenderet. Hæc enim omnia peculiaria, quæ obſervavimus, in noſtra lectione continentur.

Cajetan. Tranſirem libenter ad alia, niſi me Cajetani argutiæ tantiſper detinerent. Nam ait, Baldad præſupponere cæleſtia corpora eſſe animata: & quod *ſtellarũ munditia* de ſpirituali accipiẽda ſit, cum dicatur in *oculis Dei*, non in oculis hominũ. Errorem hunc nõ attingerem ſemel, & iterum, niſi iteraret cẽties Cajetanus. Quæ ſit autem vis & proprietas hujus *munditiei Lunæ*, & *Stellarum*, dixi ſupra c.15.verſ.15. nimirũ eſſe munditiem quãdam conjunctã cum diaphaneitate, vel tranſparentia experte omnis maculæ, & craſſitudinis: qua ratione vitrum cryſtallinũ dicitur puriſſimũ, & valde pellucidum, ab hac ipſa voce originali, *Mundandi*, aut *munditiei*. Iob.28.17. *Et oleum puriſſimum*, Levit.24.2. & *Thus lucidiſſimum*, Levit.24.7.

℣ *VI. Quanto magis homo, putredo: & filius hominis, vermis?*

---

1. *Deus lumen, ignisque ſupremus, homo velut carbo accenſus.*
2. Vermes, & putredo, *mortalitatis ſymbolum. Mortis quoque periphraſis. Explicatus Eccleſiaſt.*
3. Vermis, & putredo, *quid propriè*. Homo, & filius hominis, *quo differant.*

1 Precedentis ſimilitudinis apodoſis. APodoſis eſt præcedẽtis ſimilitudinis, & concluſio quaſi a minori; Quanto (inquã) magis immũdus cẽſebitur homo, ex viliſsima materia concretus, tam lõge a natura ſtellarum, & corporum incorruptibilium ſemotus, quam cum vermibus, & putredine conjũctus, atq; rebus omnibus viliſsimis, turpiſsimiſq; cognatus? Stulte igitur gloriatur, qui coram Deo gloriatur. Præcedẽtem autem ſimilitudinẽ promoverunt Græci hoc loco, ut lumen humanæ ſanctitatis, atq; juſtitiæ cõparent cum igne noſtrate, qui carbonibus alitur, & terreſtri materia: Deum autem ſupremum, puriſsimumq; ignem: medium autẽ inter utrumq; extremum, lumẽ aſtrorum & ignes cæleſtium globorũ. Ergo ſi lumẽ aſtrorum a ſupremo igne tantum diſtat, quantum diſtabit fumoſus iſte, & craſſiſsimus, qui in noſtra mortalitate, tanquã in materia craſsiſsima, accenditur? (Deus ſupremus ignis, homo carbo accenſus.)

2 Nicetas. Forte autem cum hoc loco dicitur *homo, & putredo*, non ſolum indicat ſordes, & immunditiam, & *animi in deterius ſemper labentis, proniqúe ad malum, omni tempore, putreſcẽtem quandam naturam*, ut Nicetas hoc loco indicavit, verũ ſignificat ſtatum mortalitatis, per oppoſitionem quãdam ad Lunam, & Stellas, & cætera ſuperiora corpora incorruptibilia: nam per *vermes, tineam, putredinem*, ſolet circumloquutio fieri *mortis*, ſupra Iob, 13.28. & c.17.11. Iſaiæ. 14. 14. Eccleſiaſtici 19. 3. ubi de *fornicario*, & ſcortatore dicitur, *Putredo, & vermis hæreditabunt illum*. (id eſt, putreſcet, citiſsimeq; morietur, quæ eſt prima mortis periphraſis: deinde additur ſecunda) *& extolletur in exemplũ majus* (tolletur de vita ad exemplum aliorũ. Sequitur deinde tertia mortis circumloquutio) *& tolletur de numero viventiũ anima ejus*. Itaq; *vermis*, & *putredo*, mortis, imbecillitatiſq; noſtræ ſymbolum ſunt. Nã putreſcimus ſenſim, corrodendi deinceps a vermibus, qui ex putribus noſtris cadaveribus creabuntur. (Mortis circũloquutio. Triplex mortis periphraſis.)

3 רמה תלע LXX. Philipp. Quod autem hoc loco dicitur, *putredo* ſupra c.21.26. dicitur *vermis*, & *tinea* Iſai. 14.11. & quod dicitur, *vermis*, a Septuag. dicitur *putredo*, & *vermiculus* etiam vertitur a Vulgato Iſaię.1.18. res omnino ſordida, atq; viliſsima, non ſolum quia, *ſicut vermis, ex corruptione naſcatur*, ut Philip. dixit, ſed quia abibit tãdẽ in vermes. Quidã autem inter *hominem*, & *filium hominis*, diſcrimen aliquod conſtituunt, ut *homo*, qui in originali eſt, *Enos*, id eſt miſer, deſperatæ ſalutis & vitæ, referatur ad Adam primum hominem, qui dicatur *putredo*, quod fuerit ipſe velut prima vermium origo, & mortem, quæ eſt putredo, ipſe ſibi, & ſuis poſteris attulerit: at vero, *filius hominis*, qui in Hebræo eſt, *filius Adam*, dicatur propter nos, qui, quaſi *vermis*, ex illa primigenia putredine naſcamur. Sed quidẽ hoc diſcrimen minime ſolidum eſt, quare propter majorem vim, & amplificationẽ ſententiæ, bis res eadem repetitur: ſicut & *vermes*, & *putredo*, re idem ſunt. Multo minus congruit, quod indicat Cajetan. dici *filium hominis*, quaſi *natum de muliere*, ut reſpõdeat ſuperiori verſicul.4. non enim eſt *filius hominis* aliud, quam *homo*. (Homo, & filius hominis an differant. אנוש אדם Cajet.)

(·)

NOTATIO *RERUM INSIGNIORUM, quæ in Commentariis fusius explicantur.*

PARAPHRASIS Capitis præcedentis.

CAPUT XXV.



VM Hæc perorasset Iob, Baldadus quidẽ Suchites, cum quemadmodum Iobũ refelleret, rationem nullam reperiret, defensionem alio derivare nisus est, quanquam non omnino extra chorum: neq; omnino abjecte, de Dei majestate, deq; hominum vilitate, ad Iobum perterrefaciẽdum dicere in hunc modum aggreditur.

1 Respondens autem Baldad Suchites dixit;

Formidãdum omnino Præpotentis Dei Numen, atq; majestas, apud quẽ nunc tantisper delitescit extremum de homine, deq; omnium mortaliũ meritis judicium, edendũ aliquando ad publicum totius orbis Theatrũ, & conspectum universorum mortalium, de cujus æquitatis, incorruptissimæq; justitiæ ratione nemo jure dubitabit: nihil enim iniquum cum summa rerum potestate consentire potest. Fieri autem, o amice Iob, nulla ratione posse videtur, ut terrificam majestatẽ, peculiarẽ, ac propriam sibi, deponat Deus. Inepte ergo postulas, qui cum Deo, nõ cũ illius majestate, & magnitudine contendere optas, illius enim potestas, atq; dominatio tam efficax, tamq; assidua ad universitatis hujus moderationem est, ut a dominando, & imperando cessare nõ possit. Quare cum tuã, o Iob, pietatem insolenter jactas, oporteret te sane ex Divinæ majestatis timore, & reverentia initium sumere, quã ex temeraria quadam, & nimium projecta cum illo disserendi animi libidine, initium enim pietatis timor Domini est. * Quãta vero illius magnitudo, atq; sublimitas, cujus imperio, & nutu cælorum motus perpetuo ordine constant! Cujus perpetua lege in sublimi æthere coguntur tempestates: pugnantq; in se invicem elemẽta! ille vero solo nutu tranquillat dissidia, perturbationesq; serenat! Quantus ille, qui sublimes spiritus, natura præcellẽtes, gratiæ vero donis sanctissimos, atq; purissimos, in timore, & tremore continet, ut nunquã cum Deo contendere ausint, aut cælestis domicilii pacẽ, tranquillitatemq; perturbare! Is ipse profecto est, qui sublimes illas, sanctissimasq; cælorũ sedes, summa pace, atq; tranquillitate possidet, nemine interim jussis, aut voluntati supremæ reclamante. Quare tentandũ tibi, o Iob, nequaquã est, in domiciliũ beatissimi Dei invehere perstrepens forũ ubi nunquam auditus est litigiosus strepitus. Hinc a terris cũ illo te agere oportet; illius Numen placare, non alio quã pietatis studio, & ante actæ vitæ pœnitentia. Cum enim ille pacis, atq; cõcordiæ amator sit, atq; erga universas creaturas suas valde beneficus, si quando nostrarum rerum pacem turbat, gravissimis profecto mortaliũ sceleribus provocatur: Quid enim nobis mali velit, nisi nostris sceleribus adductus, qui se ipso beatissimus est, ac summa pace, bonorumq; omnium affluentia redundans, omniaque ex beneficentiæ, ac bonitatis lege regat, & moderetur, summaque partium omnium consensione, atque concordia contineat?

2 Potestas, & terror apud Deum est:

** Qui facit concordiam in sublimibus suis.*

Tres profecto exercitus maximi, iidemq; fortissimi sub illo Imperatore merent, Cælorum Syderumq; unum, Angelorũ, secundũ; Sanctissimorum etiã hominum, non ultimũ. Quanta igitur Imperatoris majestas! Quanta gloria! Quis dinumerare queat [a] clarissimos, fortissimosq; copiarũ illi[9] sine numero milites? Quis certa ratione, nu-

a De humanis principũ satellitiis, deq; satellitio Dei ex Angelis, utilia quædã. a. n. 1. usq; ad 5.

3 Numquid est numerus militum ejus?

meroq; definire optimos,pulcherrimosq; ministros,in quibus terrificæ potestatis,supremæ potentiæ, infinitæq; pulchritudinis suæ, non obscura ille documēta præbet. Accincti nimirū universi, paratiq; ad prælium cuncti consistunt,ad agendas prædas, efficiendaq; impiorū supplicia,deniq; ad excurrendū,quoquo illos Imperatoris nutus egerit,impigri,atq; strenui,& præclaris facinoribus supremi judicis,atq; Imperatoris amplitudinem contestantes.* Num vero qui sua natura optimus,beneficentissimusq; est,ac nullis unquā gentibus lumen suū denegavit,malitiam suo in judicio dominari permittet? Qui universi luminis,quo humanę,Angelicæq; mētes illustrātur,& fons,& auctor est,aliquādo aut errabit,aut humanæ veritati,& justitiæ tenebras offundet? An illi poterit esse aliquid parū exploratum,aut minus bene cognitum,qui luminis sui [b] efficacitate universa attingit,& penetrat?

** & super quem nō surget lumen illius?*

Nimium profecto abjecta,& sordida mortaliū omnium , quamvis sanctissimorū conditio: quæ ad Divinæ mentis lumen,cuncta perlustrantis,omnino pura,& munda apperere non potest. Quare minime sapienter facis, Iob,cū in Divino lumine res tuas collocari postulas: nam si prope ad illū accedas,nō poteris apparere justus,neq; ab omni criminis suspicione,& supplicii reatu immunis pronūnciari. Comparebunt profecto,quas tu non vides,in animo tuo sordes, quibus te coram Divinis oculis polluisti . Nam quibus non maculis, atq; noxis obnoxius nō sit,cujus est sordida,& immūda origo,parensq; mulier, nō solum imbecillitatis,ac mollitudinis,sed totius malignitatis, atq; iniquitatis symbolum? Qui enim de muliere,cujus sunt mille nocēdi, lædendiq; artes, & insidiæ, natus est, vix satis potest a se inhumanitatis,improbitatisq; nocendi maculam depellere.

4 Numquid justificari potest homo comparatus Deo? aut apparere mundus, natus de muliere?

Luna certe,quæ pulcherrimū sydus est,at suū statis tēporibus deliquium sustinet,assiduasq; maculas,nævosq; gestat,atq; Stellarū fulgentissimarum splendor aliquantisper a nubiū caligine obscuratur, & intercipitur: Neq; vero propterea Deū quisquā incusat,quasi indigne cum illis agat. Ergo neq; indignari te oportet,o Iob,cum tuus ille pristinus splendor, multis ærumnarū tenebris obscuratus, atq; involutus nunc sit. Quāvis ergo tu,instar Lunæ speciosissimæ,pulcherrimorumq; syderum,quondam in oculis omniū, nunc vero etiam in tuis ipsis fulgere videaris,at si te cum tui creatoris Divina luce [c] tanquam cum verissimo sole conferas,luteus cum sis,nō secus quā corā sole minora lumina niger, fuscusq; videberis. Quid enim tu cum illa suprema Dei potestate , qui potest innatam [d] Lunæ lucem adimere, illiusq; longe , lateque passos radios prohibere, & quem ipse,qui est totius claritatis fons,syderibus cunctis splendorē impertitur,cui volet denegare? Coram quo cœlestia omnia, [e] quæ peculiari quadā ratione Divinam lucem repræsentant,quamvis corruptionis omnis expertia sint,præ Dei tamen puritate,& luce clarissima,impura sunt?

5 Ecce Luna etiam non splēdet,& Stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus.

Quanto magis vilissimus homuncio tam longe a natura stellarū, & æternorum corporum materia secretus,non multū a vermibus,& putredine,rebusq; omnibus sordidissimis distans,Divinis oculis,Divinoq; lumine indignus censeri debet? Si enim lumē astrorum,ignisque cælestium orbium tantum a supremo igne distat , quantū obsecro distabit fumosus iste,atq; crassissimus,qui in nostra mortalitate, tāquā in materia densissima, pinguissimaq; accenditur? Nemo itaq; qui ex primo homine peccatore peccati maculā, simul cum natura transfusam accepit,de sanctitate gloriari,sive fœlix agat,sive plagis,atque doloribus a Deo afficiatur, insolenter poterit.

6 Quanto magis homo putredo, & filius hominis vermis?

(✣)

[b] *Deus nos illuminans, & calefaciens instar meridiani, & ferventis Solis, pulchre indicatur n. 6. & 7.*

[c] *Deus Sol, & totius bonitatis, & luminis fons; homo, Luna mutuato lumine, ostenditur, n. 5.*

[d] *De Lunæ candore pulchritudine, significatione, & symbolo, pulchra quædam ex Sacris & 2. usque ad 4.*

[e] *De Sole Divinæ bonitatis imagine, & symbolo, peculiaria quædam n. 5.*

CAP. XXVI.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Dum IOB asperius pungit Baldadũ, quod visus fuerit super vacaneis, levibusq; rationibus velle tueri Divinæ Sapientiæ, atque Potẽtiæ partes, multo ipse uberius, & magnificentius de iisdem differit, Dei Potentia, Sapientia, Iustitia, & Aequitate.

I. Respondens autem Iob, dixit.

1. Respondendi *verbum proprie. Iobi lenitas in respondendo.*
2. *Particula interrogandi in Hebræo. Defensus Vulgatus.*
3. *Deum defendere, qua ratione vitio dari possit.*
4. Imbecillus *quis.* Brachium sustentare. *Divini brachii fortitudo.*
5. Fortitudo *in Sacro sermone. Illustrati Moyses, & David.*

1 

RESPONdendi Verbũ hoc loco presse, & in rigore accipiendũ. Quãvis enim Vatablus existimet, Iob *ridere argumenta Baldadi, proptereaq; non respondere, cum ad similia jam responderit:* At, ut rectius existimant Interpretes Græci, atq; Latini, respõdet proxime sibi objectis: ocurrit enim cito, apposite, sapienter ipsis verbis, & rationibus Baldadi, sine ulla digressione ad materiã alienam. Illud auté observat Philippus peculiariter; *Quotiescumq; sanctus Iob respondit suis amicis, nunquã aspere cœpit, cũ illi apertas ei injurias irrogarent: nunc autẽ videns Deo injuriam fieri justa indignatione cõmotus, in ipso initio sermonis sui Baldad Suchitẽ durioribus arguit verbis.* Sed in quo nam severitas, & acrimonia hujus respõsionis consistat, nunc videndum.

Vatab.

Philipp.

Iob acer, & severus in defẽdendo Dei honore.

II. Cujus adjutor es, numquid imbecillis? Et sustentas brachium ejus, qui non est fortis?

2 INterrogatio hæc nonnihil habere videtur amarulentiæ, & irrisionis. Et Vatablus quidé existimat, Iob non de Deo, cui opẽ ferre videretur Baldad, sed de Baldadi ipsius sententia, & oratione dixisse; *In qua re adjuvisti sententiã tuam de Providẽtia Dei particulari, in qua nullæ sunt vires?* Quare ex Hebræo legit, non, *cujus* sed, *Quid adjuvisti?* Et quidem quãvis verum sit, vocé originalé, *Mah*, esse dictionem interrogãdi, aut dubitandi, cur, quid, quomodo; & quãvis R. David, & R. Mardoch. velint nõ esse interrogationé personæ: nam, *Mi*, interrogat, *Quis*; at cæteri omnes hoc loco id discrimé non agnoscunt, sed sine cõtroversia existimant fieri de persona interrogationem, aut expresse, aut latẽter, in quo Hebraizantes quoque conveniunt, Pagnin. Regia. Tygurina, Cajetan. Steuch. *Cujus adjutor*, aut, *quem adjuvisti?*

Vatabli interpretatio aliena.

Interrogatio de persona, aut de re.

מה

מי

R. David. R. March.

Pagni. Regia. Tygur. Cajetan. Eugub.

Sed de qua nam persona fiat interrogatio, iterum dubitatio est: nam Isidorus nõ accipit peculiariter de Deo dictũ, sed de quocumq; alio homine imbecillo corpore, aut animo, ut fiat hæc sententia; *Tã jejuna est oratio tua, ut infirmus hinc non roboretur, neq; insipiens discat sapiẽtiam, aut errans legẽ recte vivendi apprehendat.* Sed frigent hæc omnia: nã multo ardentior, & proposito congruentior est sensus, quem ad unũ omnes Græci, atq; Latini accipiũt de Deo, ut aperte sequentia indicant.

Isidor.

Cõcers interpretum expositio.

Sed qua nam ratione vitio dari potest, quod homo velit bene mereri de Deo, & illius partes tueri? nã vitiosam fuisse illã Divinarum partiũ defensionem quã Baldad suscepit, indicat ipsa verba Iobi; imo concitatiorem fuisse, & duriore Iob in reprehendo, Philippus ex Latinis, Chrysost. ex Græcis clare interpretantur. Respondet ipse Chrysostomus, Non dari crimini quod Dei partes suscepisset Baldad; sed quod Iobũ sine causa cõdénaret. Potuit etiam reprehẽdi, quod licet de Deo, tamẽ tumide, & insolẽter loqueretur, quasi magno aliquo defensionis, & patrocinii beneficio devinxisset Deũ. Vel, quod ita inveheretur in Iob, quod existimaret posse ipsum Iobũ improbum effugere Divinam Potentiã, nisi sua ipse accusatione urgeret, & excitaret Deum judicé, ut sumeret de illo pœnas. Vel etiam, quod quãvis videretur defendere Divinum honorem, at non id faceret Divini honoris, aut fraternæ correctionis causa (nã cum Iob sæpius admonitus, nõ resipisceret ad amicorum monita, sed potius in eadem verba sæpius relaberetur, oportebat jam relinquere hominé) sed propter contentionem, aut propter ambitioné aliquam ostentatæ sapiẽtiæ, aut rei alicujus aucupandã ex dispu-

3 An vitio dari possit, Divinę causę patrocinium.

Philippus. Chrysost.

Multiplex propositæ dubitationis responsio.

Propria, & genuina respon sio.

tatione, & redargutione Iobi; Vel tādem (quod mihi videtur tāgere punctū ipsum hujus difficultatis, & responsionis Iob, & simul detegere vitium Baldadi) quod Iobo desideranti Dei conspectū, & locum dicēdi pro se in Divino judicio, ipse Baldad reclamaret, & repugnaret, quasi Divinæ Potentiæ, & Sapientię diffideret, ne si Iob⁹ cum Deo disputaret, inferior De⁹ in sua causa evaderet, atque Iobus superior: & quasi etiam timeret Baldad, ne si solus Iob cū solo Deo ageret, posset Deo judici imponere, tanquam rerum ignaro. Ita conatur Iobo terrorem, & metū incutere Divinæ majestatis, ne ad illius tribunal audeat provocare. Ergo, inquit Iob, tātum extollis, & amplificas Divinam Potentiam? an illi times, si cum illa congrediar? an vero multum tibi devincere posse existimas Deum, quem nō bonitatis, & benignitatis commendes, sed tantum severitatis, & terroris?

4 Varia lectio.

Cujus adjutor? Septuaginta: *Cui ades? vel quem adjuturus es?* id est, Cui nam opē defers, & cujus patronum, & auxiliatorem agis? *Numquid imbecillis?* In Hebræo: *Cui non potentia?* Septuaginta: *Numquid nō, cui multa est fortitudo?* Latenter autem conqueritur Iob se sine causa damnari: nam cum sontem, & capite damnatum conquerentem de judicis contra se injustitia cōpescere volumus, nō agimus cum illo homine ratione aliqua, sed semel & iterum judicis potentiam, & sapientiam objicimus ad terrorem, & silentium, sicque justi judicis partes tuemur. q. d. Iob; Nūquid tu, quasi infirmo, & imbecillo judici, & causam per se suam tueri non potenti accurris, a cujus nō ego viribus timeam, sæpeque deprecatus fuerim, *ne fortitudine, & potentia multa contendat mecum;* sed potius agat ex equo, & bono? *Et sustentas.* Propr. salvas, & *servas incolume;* aut protegere niteris, tanquam Hyperaspistes, & protector. *Brachium,* dexteram facultatē agendi. Divus Thomas: *Operationem, qua punitus sum ab eo.* est enim *Brachium,* præsertim extentum, habitus punientis, & percutientis. Quasi ergo Divinum *Brachium* sit jam defatigatum & lassatum, & suo pondere, & gravitate concidens, & deficiens, ita niteris illud *sustētare,* ad meum supplicium: cum tamen Divinū brachium sit per se se erectum, firmum, robustum, & ex cujus robore provenit, ut interdum imbecillus homo habeat *brachia,* ut *arcum æreum.* Commendatur ergo robur, & magnitudo *Divini brachii,* Deuter. 4.3 4. 2. Reg. 8. 42. Iob. 40.4. Psal. 70. 28. 78. 11. Sapientiæ. 11. 22. Ecclesiast. 33. 7. Isaiæ. 52. 17. & sæpe alibi in Scripturis. Quare Isaiæ. 63. 5. Videtur ad hunc ipsum locum fieri allusio; *Salvavit mihi brachium meum.* q. d. non aliunde sustētor, cōparove salutem, & gloriam vincendi. Quis enim mihi adjutor: & quis meum *brachium sustentet,* quasi *non sim fortis?*

Iudicis terror improbis reorum clamoribus objiciendus.

Sustentare, quid. ישע

D. Thom.

Brachium extentum puniētis symbolum

Psal. 17. 35.

Commendatio Divini brachii, & roboris

Colludens Isaias cū Iobo

Est autē hoc loco *fortitudo* ejusmodi in qua quis bene securus, & munitus est adversus impetum hostium, tanquam in turri munitissima. unde dictum est Ps. 20. 2. *Domine * in virtute tua lætabitur Rex,* quasi in præcelsa turri suis omnibus hostibus superior. & Psal. 27. *Dominus * fortitudo plebis suæ;* aheneum popugnaculum, & turris, ad quam populus cōfugere solet. Quę vocis proprietas quadrat hoc loco, cum dicit Iob Deum per se satis munitum, & fortem esse, neque indigere alterius ope. Sed præterea affert originalis vox ejusmodi robur, quod ad vincendum, & prævalendum potens est: nam affert excellētiam quandam potestatis, & roboris quasi principatum, & dominatum. unde Genes. 49. 3. dicitur de Ruben: *Major in imperio.* quod R. Mardochai, & alii Hebraizantes legunt; *Excellentia roboris,* vel, *fortitudinis.* vel, *excellentior fortudine.* Indignum profecto (inquit Iob) quod eum velis defendere, qui sua natura munitissi-est adversus omnem injuriam; & qui per se se prævalet robore, & excellit fortitudine suos hostes. Illud quoque, quamvis lectionem variet, sed non sensum, quod legi potest: *Sustentas brachio,* quasi interposito salutari brachio, hominem cadentem sustentares, erigeres, protegeres, ita Deo Hyperaspistem te præbes. Sed non minus congruens aut lenis nostra lectio.

5 עז

* En vuestro poder me hago fuerte, y ay me encierro.

* La fortaleza, donde se recoge el pueblo en qualquiera rebato.

R. Mardoc.

Pagn. Regia. Cajetan.

III. *Cui dedisti consilium? Forsitan illi, qui non habet sapientiā: & prudentiam tuā ostendisti plurimam?*

1. Consilium *quid proprie.* *Explicatus Isaias, & David.*
2. *Imbecillitas humani consilii.* *Quid* prævaricatio *apud Nahum.* Intellectus *apud David.*
3. Sapientia *propr. de assiune.* *Explicatus David.*
4. *Divini judicii lenitas, humani vero severitas.* *Explicatus Lucas. Divinus Spiritus* amans animas, *apud sapientiam.*
5. Prudentia *quid proprie.* *Varia lectio.*

Eugub. *Aben Esra.*

CUI *dedisti consilium?* Iterum hoc loco Eugubinus cum Aben Esra, hanc sententiam accipit nō quasi dictam de Deo, sed de ipso Iobo, quod nō Deo, sed Iobo videretur Baldad consilium dedisse. Sed contextus manifeste repugnat; tum etiam antecedentia, & consequentia, & universi Interpretes Græci, atq; Latini. Dixit autē Vulgatus, *Consilium dare*, multo melius, multoq; Latinius, quam, qui vertunt; *Cui consuluisti?* Cum verbū originale, non tam sit cōsulere, & prospicere alicui, quam cōsiliū dare, inire, cogitare, decernere. Quare alii vertunt: *Quare decrevisti?* Neq; omnino male: nam significat etiā vox originalis ejusmodi *consilium*, quod a Rege, vel magistratu deliberantibus de re aliqua, tādem statuitur; quod nos diceremus; *el acuerdo que sale del consejo.* quasi post longā deliberationem, & cōsultationem firma, & certa deliberatio: & ita dicitur, de Divinis cogitationibus firmis, & constitutis Isaiæ. 23.9. & de statuto Divinæ Providētiæ firmo, & stabili, Psal. 31.8. *Firmabo super te oculos meos.* Quod Hieronym⁹ ex Hebræo legit: *Cogitabo de te oculo meo.* id est, firmam cogitationem, fixumq; consilium capiā de tua salute procuranda. Quę ipsa Dei consilia, & decreta suæ Providentiæ appellat Isaias, 25.1. *Cogitationes antiquas, fideles.* Ergo hoc loco, *dare consilium*, erit decernere, & statuere, quid Deo agendum sit circa res humanas, & quæ Providentię ratio sit tenenda in præmio, & retributione justorum, atq; impiorum. Verum enim vero indignū est, ut homo velit Deo præscribere rationē agendi, aut suggerere firmum decretum, quod non possit ipse pro sua sapientia, & voluntate mutare. Atque hujusmodi decretores, & cōsiliatores ab arcanis suæ Providentiæ omnino rejicit Deus, Isaiæ. 40.130.13. Isai. 9.6. Rom. 11. 34. Cum e contrario *Consilium* humanum.

2 valde sit infirmum, & imbecillum, atq; a vero fine sæpe aberrans, Iob. 12.17. Isaiæ 19.11. Nahum. 1.11. Vbi ipsum humanū consilium appellatur; *prævaricatio*, aut aberratio; *Ex te exibit cogitans contra Dominum malitiā, mente pertractans prævaricationem.* Vbi Septuag. legunt: *Cogitans contraria.* Contraria, inquam, fini, & spei; loquitur enim de Senacherib, cuj⁹ fuerunt omnino irriti conatus, & adversus se ipsos pugnantes. Quare tota firmi, utilisq, consilii capiendi ratio ab *admirabili Cōsiliario* Deo petenda est, Psal. 15.7. *Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum.* pro quo ex Hebræo legit Hieronymus: *Benedicam Dominum, qui dedit mihi consilium.* id est, firmam, certamq; agendi rationem ipse mihi sequendam statuit, ut optima quæque eligerem; quid vitandum, quid sequendū cognoscerem. Ergo qui volet Deo *consiliarius* esse, aut rationem agendi cōmonstrare, stultissimus omnino erit; cū Deus sapientissimus sit, & totius in agendo prudentiæ prima origo.

Notati Hebraizantes. *Paguin. Regia.*

יעץ

Vatab.

Consiliū, de ultima, & stabili rei agēdæ deliberatione

Invisi Deo, qui illius cōsilia improbār, aut corrigere tentant.

Consilii humani imbecillitas.

Cōsilium humanum cōtra se ipsum pugnans.

Isai 9.6.

Hieron.

Deus prima prudentiæ, & agēdi norma.

Nam ex proprietate vocis originalis, est hoc loco sapientia, Prudentia agendi, 3
& consiliandi, quæ senum propria est, Ps. 104.22. *Et senes ejus prudentiā doceret.* atq; hæc ipsa est *sapientia*, quam parētes filios suos docent, Prov. 8.33. 10.1. & 5. & 13.1. Quare cū actione conjungitur, verititurq; *Sapienter aliquid facere.* Exod. 1.10. 2. Reg. 20.22. Ps. 56.8. Prov. 28.26. Ecclesias. 29.

חכם

Sapientia, idē quod prudentia.

Sed qua nam in re, aut quibus nā verbis visus est Baldad *Deo dedisse consiliū*, & rationem agendi, providendiq; præscripsisse? Auctor Catenæ Grecæ, ob hoc tantū, 4
quod orationem habuerit pro Deo defendendo; *Quid igitur* (inquit) *attinebat te, qua si Deo consilia dantē, verba pro illo facere?* D. Thomas ait, tunc videri suggeri alicui cōsilium, *quando ejus causa sine ratione defenditur.* Dura, & difficilis interpretatio. Vero similis est Cajetani expositio, quod qui in Divinis actionibus, & Providentiæ arcanis, atq; ratione agendi circa humana, aliquid ex suo cerebro asserit, is profecto videtur Deo rationem agendi præscribere; sicut, qui coram judice assereret, sic jam a judice decretū aliquid esse, quod ipse minime decrevisset, videretur admonere judicem, ut quam primum illud decerneret. Sic sane videbatur fecisse Baldad, cum asserebat fore, ut summo terrore, & potestate cū illo Deus ageret in suo judicio, quasi non solū conjiceret Baldad, quid Deus acturus foret, si se sisteret Iob ad illius tribunal, sed etiā statueret, quid facere deberet; cū tamen Divinæ benignitatis, & judicii æquitas longe abesset ab illa iniqua severitate & judicandi temeritate Baldadi. Simile id, cum Apostoli dixerunt Christo Dño adversus Samaritanos, Luc. 9.54. *Vis dicimus, ut ignis descendat de cælo, & cōsumat illos?* Quasi judici accelerationē supplicii inferēdi improbis, & severius cū illis agēdi præscriberēt, atq; sicut Baldad, non tā suæ, quā Christi, & Dei vindictæ Zelo flagrarēt. Qui tamē audire meruerūt ab eodē judice, qui erat ipsa Dei Sapientia; cū *cōversus increpavit eos*, tanquā minus sapiētes Divinorū consiliorū; *Nescitis cujus spiritus estis; filius hominis, nō venit animas perdere, sed salvare.* Quod non solū accipio dictū a Christo Dño de se solo, quod nollet

Nicetas.

D. Thom.

Cajetan.

Divinum Iudicium benignius humano.

Hieron. ad Algas. 9.5. Beda.

suum

Divinus Spiritus vitā omnium tuetur.

Sap. 11. 1. 27.

ſuũ Evangelium armis,& gladio obtrudere,ſed potius mãſuetudine, & beneficẽtia inſinuare; ſed etiam de ſuo, ac Patris Spiritu Divino, *qui* (ut Sapiens ait) *amat animas*, id eſt, vitam,& incolumitatem rerum omnium, præſertim mortaliũ. de quo iterũ dicitur; *O quam bonus, & ſuavis eſt, Dñe, ſpiritus tuus in omnibus.* Propr. ex Græco: *Incorruptus ſpiritus*, id eſt, incorruptionem amãs, procuranſq; rerum omnium. & iterum: *Tu Deus noſter ſuavis, & verus, & patiens, & miſericordia diſponens omnia.*

Sap. 15. 1.

Et Prudentiam tuam oſtendiſti plurimam.

5 Recte nomine *Prudẽtiæ* ſignificavit Interpres, quid per præcedens *Sapientiæ* nomẽ accipi deberet. Eſt autẽ hoc loco pro *Prudentia, Thuſiah*, quæ vox ſignificat decretum, ſtatutum, eſſentiam, legẽ, aut quid ſimile. de qua voce non ſemel diximus. Vnde variant hoc loco lectiones: nam Septuag. ad Deum referunt, atq; legunt: *Quẽ ſequeris, non ne cui maxima eſt virtus?* q. d. Cui nam poteſtatem,& vires tuas defers? & *quem ſequeris*, quaſi opem laturus? Deũ ne, qui omnem vim, ac robur complectitur? Sed videtur lectio hæc,& ſenſus incidere cum verſ. 2. Vatab. *Notificaſti abunde ordinationem*, quaſi per ironiã dicat; Scilicet, Divinam Providentiam,& illius ſtatuta nobis manifeſtas, atque ea ipſa re abunde etiam demonſtras, quantũ valeas prudentia, & ſapientia. Hebræus apud Cajet. *Statutum multitudini indicaſti.* Quod ſcilicet videretur Divinæ Providentiæ leges,& ordinationes amicis, & circunſtantibus omnibus, quaſi ſibi uni revelatas, exponere velle. Regia; *Eſſentiam in multitudine ſcire feciſti*. Tam obſcure, ut intelligi non poſsit. Eminet ergo inter omnes lectio, ſententiaq; Latini Interpretis; *Thuſiam*, legẽ, ſtatutum, (tuum videlicet,& ex tuo cerebro depromptũ, quod noſter dixit, *Prudentiam tuam,*) *in multitudinẽ*, ut in Hebræo eſt, vel *ad multum*, quod noſter elucidavit, dicens, *Plurimam*; id eſt, magnã hujus tuæ prudentiæ oſtentationem, multis, magnificiſque verbis propoſitam *oſtendere*,& venditare viſus es; ita ut videreris etiam Divini judicii,& cęleſtis fori leges, & ſtatuta condere, & forenſem regulam Deo, hominibuſque præſcribere.

תושיאה

Vide, quæ diximus Iob. 5. 12. & 6. 13. & 11. 6. & 12. 6.

Varia lectio.

LXX.

Vatab.

Ironia.

Cajet.

Regia.

Vulgata lectio prælucẽs reliquis.

☙ IIII. *Quem docere voluiſti? non ne eum, qui fecit ſpiramentum?*

---

1. Docere *quid prop. Sermonis beneficium collatũ homini.*
2. *Quid* Spiramentum, *aut*, Anima, *in Sacro ſermone.*
3. Anima, *deſiderium. Hebraiſmus.* Animã egredi. *Explicatis Moyſes, David, & locus Regum.*
4. Spiramentum *de facultate vitali, tum etiam de ſermone.* Spiritus hominis *dicitur* Spiritus Dei, *apud David, & Iſaiã, illuſtratus Moyſes.*
5. *Diſcrimen inter* ſpiritum, *&* animam. *Puer ab Elia ſuſcitatus quomodo, & cujus figura. Explicatus Lucas.*
6. *Diſcrimen Hebræorum,* Spiritus, *animæ, & concupiſcibilis. Spirituum vitalium, & animalium differentia, & ſedes.*
7. Spiritus, *&* Vitæ *varia nomina ſynonyma, in Sacro ſermone.*

Perſtat in eadẽ Divinæ Sapientiæ amplifiactione, & abjectione humanæ ſtultitię,& temeritatis ad Deũ relatę. *Quẽ docere voluiſti?* Prop. ex Hebræo Septuag. *Cui annuntiaſti verba?* id eſt, Cui nam tuos ſermones,& tua ſenſa enarras? Cui ingenium venditas, & eloquentiam oſtẽtare niteris? Apud quẽ nam multa verba effundis, cum nihil novi poſsis Deo ſuggerere, qui tibi ipſum vivere, loqui, ac ſpirare tribuit? *Vbi* (ut Nicetas inquit) *docta cõſequutione uſus eſt Iobus, dum dicit, Ei, qui ſpiritum tibi, atq; animam impertitus eſt, mutuã orationem tribuiſti, quando ad Deum patrocinii, & auxilii cauſa acceſsiſti.* Ergo videbatur Baldad linguæ beneficiũ, & ſermonis defenſionem velle Deo rependere, a quo ipſe loquendi facultatem accepiſſet. Hæc eſt hujus ſententiæ vis, ſed deinde explicatius tradenda. Elegãter autẽ Philippus hoc loco ſententiam hanc Iobi amplificat his verbis; *Advertens quia minor eſt participatio ad totum; gutta ſtillæ, perenni fonte; ſcintilla latens in cinere, igne Divino, quo omnia concaleſcunt; lucerna corporis, ſole juſtitiæ; teſta, figulo; anima, Deo; admirans Iob loquitur, quare auſus fuerit, ut eum, a quo illi eſt eſſe, docere voluerit.* q. d. ad Baldad; Stulta eſt hęc tua exiſtimatio, o amice: nã qui *plantavit aurem*, non audit? Qui *finxit oculum, non conſiderat?* Qui *docet hominem, ſcientiam*, doceri ab homine poterit? Qui vitam ipſam confert mortalibus, quidquã opis,& auxilii expectare, & emendicare a mortalibus poterit? Quare recte ſubjunxit Pſaltes; *Dominus ſcit cogitationes hominum, quoniã vanæ ſunt*. Stulteſcit apud illum humana Sapientia. 1

LXX.

Nicetas.

Sentẽtia ſimplex, & germana.

Philipp.

Elegãs imbecillitatis humanę cũ Divina magnitudine cõparatio.

Pſal. 93, 9. 10

Nonne eum, qui fecit ſpiramentũ? Proprie, & ex verbo legitur ex Hebræo: *Anima ejus exivit a te.* vel, *Spiritus cujus egreditur ex te*: Quod fere idem eſt in lectione Septuaginta: *Spiramen cujus eſt, quod exit ex te?* Quod in longe diverſum a propoſito ſenſum trahitur ab Hebraizantibus. Nam quidam poſt R. David, *Spiramentum*, acipiẽtes pro ſpiritu, halitu, & deinde pro 2

Pagn. Regia. Cajet. Vatabl. Tygur.

LXX

R. David.

ſermone,

Spiramentum pro ſermone

ſermone, qui ſpirando formatur, perinde eſſe putant, ac ſi dixiſſet; *A quo homine ſuſcepiſti hæc verba, quæ loqueris?* Quis te docuit talia profundere? Quis ejuſmodi verba poſuit in ore tuo? *Quē ſequutus hæc dixiſti?* Atque cenſent eſſe phraſim Hebraicam; *Animam*, vel, *ſpiritum alicujus exire ab aliquo*, cum ab hoc, tāquam a magiſtro, alius verba accipit, & quid loquendum ſit edocetur; vel, cum quis ex alieno ſpiritu loquitur, quaſi agitatus, percitus, & imbutus alterius ſpiritu. Quaſi diceret; *Ex cujus ſpiritu loqueris tu?* Loquutio ſane, & ſenſus duriſsimus. Quodſi phraſis eſt, & certa Hebraicæ linguæ formula, proferāt exemplum ſimile. Proferre autem nullum poterunt.

Vatab. Hebraiſmus.

Pagn. Cajet.

Alii *ſpiramentum*, aut, *animam*, accipiūt pro anima rationali, aut pro animæ rationalis affectu, deſiderio. Sicut Pſal. 26.12. *Ne tradas me in animas* (voluntatem, deſideria) *tribulantium me*. & Exod. 23.9. *Peregrino moleſtus non eris; ſcitis enim advenarum animas*. id eſt; Cum advenæ vos fueritis, bene noſtis, quales affectus peregrini habeant, quid velint, quid ſentiant animo, quo indigeāt. & forte etiam illud Pſ. 150.6. *Omnis ſpiritus laudet Dominum*. id eſt, Non ſolum omne, *quod ſpirat* (ut vertit Hieronymus) ſed etiam omnis mortalium affectus, deſideria, verba cedant in Dei laudem, & gloriā. Ergo dicet Iob; Ad cujus, o Baldad, libitum, & voluntatē loqueris? Cujus nam palato ſerviūt hęc tua verba, potius ex libito, & animi præcipitantia, quam ex æquitate, & veritate jactata? Sed hæc etiam non magis mollis, neque minus dura interpretatio.

Spiramētum, & ſpiritus pro animi affectu.

Hieronym.

Anima egrediens, aut ſpiritus pro volūtate.

Subtilior alia Iſidori Clarii, ſumentis etiam *animā* pro deſiderio, & voluptate; * *Cujus ſpiritus, aut, anima exivit ex te?* id eſt, Cujus anima, aut ſpiritus revixit; refocillatus eſt ex te, ex tuo ore, tuis verbis? cujus anima, & ſpiritus pendet ex tuo ore, & anhelat ad tuam orationem? Simili ferme phraſi dicitur 2. Reg. 13.39. *Ceſſavit Rex perſequi Abſalon*. ubi proxime ex Hebręo vertūt Pagninus, & Vatablus; *Deſideravit anima David egredi propter Abſalon*, vel, *ad Abſalon*. id eſt cœpit deſiderare conſpectum Abſalon, ac frequenter ſuſpirare, cū illius meminiſſet. Poteſt etiam hæc ſententia quaſi contrario ſenſu ad ſtuporē quendam, & ecſtaſim referri, ut quaſi ad tā mirificam Baldadi orationem auditoris anima deficeret, & ſpiritus intercluderetur. Sed uterq; hic intellectus ſubtilis potius, & argutus eſt, quam verus, aut ſolidus.

* Aquiē pienſas, q̄ ſe le ſale el alma, por oirte, o quien ſe muere por tus razones?

Pagn. Vatab.

Subtilis explicatus, potius quā ſolidus.

4 Ergo illa erit germana expoſitio, quam ſupra indicavimus, & quam profecto clare, & ſapienter expreſsit Interpres, ut illud *cujus*, referat Deum, & *anima* accipiatur pro *ſpiramento*, aut ſpirādi vitali facultate, ut efficiatur hæc ſententia; Cum tu, o Baldad, reſpiras, ac reſpirando attrahis aerem, refrangis, elidis, ſicque formas vocem, profecto, uteris *ſpiritu* ipſo, *anima ſpiramento*, quod Deus tibi ipſi, velut auctor naturæ, & vitæ cōtulit. Si igitur tuis iſtis verbis, & loquendi facultate abutaris, Dei beneficio, & ſpiramēto illius abuteris; ſi tuo ſpiramento, & voce velis illū adjuvare, cum ab illo ipſo *ſpiramentū* acceperis, ſtulte facies. Sic clare dixit Interpres: *Qui fecit ſpiramentū*; quod paulo obſcurius erat in Hebræo: *Cujus eſt ſpiramentum*, tanquam ſui auctoris, & creatoris; a quo *inſpiratur* in hominem *ſpiraculum vitæ*, & reſpirandi, ac formandi vocem facultas. Sic, *qui vane jurat*, dicitur *accipere in vano animam ſuam*, Pſal. 23.4. id eſt, fruſtra, & mendaciter loqui, quod in Hebręo eſt, *Accipere in vanum animam illius*. id eſt, Dei; quod perinde eſt: nam anima, vel reſpiratio, aut loquēdi facultas hominis eſt, cui innata eſt; eſt quoque Dei, a quo effecta eſt; ipſe enim eſt, *qui* (ut Iſaias ait) *dat flatum populo, qui eſt ſuper terram, & ſpiritum calcantibus eam*. Quare cum viventiū ſpiritus intercluditur, & *ſpiritum illorū aufert Deus*, dicitur quoque *auferre ſpiritum ſuum*: & rurſus cum vitam, & ſpiritū elargitur, ſuum ipſe ſpiritum emittere, & cōferre dicitur, Pſal. 104.30. *Auferes ſpiritū eorum, & deficient; & in pulverem ſuū revertentur: emittes ſpiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terræ*. & Pſ. 75.13. *Aufert ſpiritum Principum*, vitam, & flatū, quaſi comprimit, & colligit ad ſe, quod ſuum erat. Ergo quod a noſtro ore exit *ſpiramētum*, Dei quoq; ſpiramētum, & flatus eſt, ut qui illud fecerit, & contulerit homini.

Germana, & vera interpretatio.

Anima, & ſpiramentū pro ſpirandi facultate.

Iſai. 42.5.

Spiritus viventium quomodo dicātur ſpiritus Dei.

Tandē forte illud lenius, & ſimplicius, 5

Spiramentum pro vita.

ut *ſpiramentum* non accipiatur ſtricte pro facultate loquendi, ſed pro vita, & animali facultate: nam vox originalis *Neſamah*, quæ hoc loco ſubeſt, fere ejuſdem ſignificationis eſt cū, *Ruahh*, id eſt, *Spiritus*, quo cōprehenduntur omnia, quæ ſpirare poſſunt, ac vivunt. Quare cum lutea Adami ſtatua vivificata eſt, hac ipſa voce *ſpiramēti*, dicitur Geneſ. 2.7. *Inſpiravit in faciē ejus ſpiraculū vitæ*. Et Elias ad idem ipſum reſpiciens, cum ſuſcitavit filium viduæ mortuum, *inſpiravit* quoque *in faciem ejus*. Vbi enim nos habemus. 3. Reg. 17.21. *Expandit ſe, atq; menſus eſt ſuper puerum tribus vicibus*; Septuag. legunt; *Inſufflavit puerulo ter*.

נשמה

רוח

LXX.

& ſimi-

Et ſimile aliud miraculum patratū ab Eliſæo 4.Reg. 4. 34. Cum *incubuit ſuper puerum*; quo etiam modo legerunt Septuag. *Cubuit ſuper puerum*; teſtatur Theodoret. q. 18. *apud alios Interpretes* haberi; *In ſufflavit. Quo modo*(inquit) *Deus corpus Adami fabricatus, per inſufflationem addidit animam.* Facere igitur, vel, *dare ſpiramentum*, erit idem, quod vitā conferre. Rurſus hæc erit circumloquutio quædā Divinæ omnipotentiæ, atq; ſapientiæ, nulla in re indigentis humanæ ſapientię, aut induſtria, aut conſilio; quare dixerit Iob, Deum nō poſſe doceri ab homine, ut qui nulla ratione indigeat humanis adminiculis. Qui enim novit, potuitque vitam univerſis viventibus conferre, potens quoq; atque ſapiens erit univerſa, quæ ad homines ſpectant, optima ratione diſponere. Sic Paulus eadē ratione videtur uſus, Act. 27. 24. 25. dicens; *Deus, qui fecit mundum, & omnia, quæ in eo ſunt, hic cæli, & terræ cum ſit Dominus, non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur, indigens aliquo; cum ipſe det omnibus vitam, & inſpirationē, & omnia.* id eſt, Sapiens, atq; potēs eſt largiri omnia alia bona ſimul cum vita. ubi *vitam*, per *inſpirationem* expoſuit; aut certe duo nomina Græca ejuſdem fere ſignificationis conjunxit, quæ viderentur reſpondere duabus aliis Hebraicis, *Ruahh*, & *Neſamah*, videlicet, *Zoe*, id eſt, vita, aut vivendi facultas, &, *Pnoe*, id eſt, flatus, aut ſpiramen, idem, quod *Pneuma*, veluti ſi dicas tibiarum flatus, aut ventorum ſpiramina; ut etiam hac voce dicitur Act. 2. 8. *Factus eſt de cælo ſonus, tanquā advenientis ſpiritus vehementis*. Ergo quaſi proprio Epitheto appellat Deum Paulus, *dantem*, ſive *datorem* vitę, & ſpiritus, aut ſpiraminis, *Zoephorum*, aut *Zoodorum*, aut vitalem, ſive vivificantem, & ſalutarem; aut vitæ datorem, & largitorem; Quia autem illud ipſum Græcum *vitæ* nomen, ſignificat etiā apud bonos auctores vitæ, aut vivendi facultates, & ſenſus, inter quas eſt reſpirādi facultas, omnino neceſſaria vivētibus, ideo *vita* exponitur per *inſpirationem*, tanquam per rem aut eandem, aut proximā.

Theodoret.

Periphraſis Divinæ Providentiæ.

Paulus Moyſē exponens.

ζωή
πνοή

Propriū Dei epithetū. Dator vitæ.

Plutarchus; & Homer.

Metonymia, reſpiratio pro vita.

6

R. Mardoc.
R. Eſra.

Diſcrimē vocū Hebraic.

נשמה
רוח
נפש
מוח

Et ut de diſcrimine etiam vocum illarum Hebraicarum, valde inter ſe affiniū, aliquid dicamus, notandum utique ex R. Mardochai, quod ipſe ex R. Eſra Geneſ. 2. affert; *Nota* (inquit) *diſcrimen inter Neſamah, & Ruahh, ac Nephes; idque ex R. Eſram Geneſ. 2. Neſamah eſt flatus, ſpiritus, anhelit⁹. Item anima, ſeu potius vis ſenſibilis, & rationalis. & habet locum in Moahh, id eſt, cerebro. Sed Ruahh, eſt ſpiritus, habet ſedem in corde, quod eſt origo vitæ, complectitur que Hapaghas, id eſt, vim iraſcibilem. Porro Nephes, anima, ſive vis, Mithajah concupiſcibilis ſitum habet in Bacar, id eſt, jecore.* Quibus verbis videtur indicare unam, & eandem vitam cū peculiari tamen indicatione diverſorum ſpirituum, quos Philoſophi, ac Medici appellant; *Vitales*, qui in corde elaborantur, & a corde per arterias decurrunt, & in totum corpus invehuntur; *Animales*, qui a corde in cerebrum evadentes, adeptique novum quodam temperamentum, idoneum inſtrumentum fiunt ad motum, ſenſum, & omnes animales functiones, ideoq; a cerebro per nervos deſcendunt; & *Naturales* denique, qui cum ſubtiliori ſanguine in jecore elaborātur, & per venam cavam ad reliquum corpus tranſmittuntur, & ſingularū corporis partium concoctionem adjuvant. Qui omnes, & ſinguli ad vitam neceſſarii ſunt, ut eleganter, æque ac ſapienter explicavit Doctor Petrus de Peramato, præclaro illo ſuo de cordis palpitatione, & de Spiritibus corporis, libello. Et ſicut omnes dicuntur ſpiritus, ita & appellari ſinguli poſſunt, *vita*, aut *anima*, eo quod, ut Ariſtoteles definivit, *Mors ſit caloris*, id eſt, ſpirituum horū, qui calidiſsimi ſunt, *extinctio*; & e contrario, vita ex illis pēdeat, ſunt enim *animæ*, & *corporis vinculum*, ut Aphrodiſ. elegāter dixit. Quare idem valebunt hæc tria nomina, *Vita*, *Anima*, *Spiramentum*, aut *Spiritus*, quod ad vitam animalem, & ſenſitivam pertinet. Sed quoniā illud *ſpirādi*, aut *ſpiramenti*, vel halitus, valde ſenſibile eſt, ideo frequenter per illud vita circunſcribitur, & ſignificatur, & per nomen originale, *Neſamah*, per quod dicitur Gen. 2. 7. *Spiraculum vitæ*; id eſt, Spiraculum, quod eſt vita, aut vitale: & ut denotaretur illa vitam ducendi, & reſpirādi vitalis facultas, dicitur in Hebræo (ut etiam legunt Symmachus, & Aquila) *Inſpiravit in naſum ſpiraculum vitarum.* nam duobus foraminibus narium, quaſi duæ vitæ ducuntur per duas illas vias ſpiritus, & halitus. Quod aliquando fuſius diximus. Hæc eſt illa tam frequenter repetita, mortis, aut vitæ periphraſis; *Cuncta, in quibus eſt ſpiraculūm vitæ, mortua ſunt.* Geneſ. 7. 22. ubi iterum legit Onkelus: *Quidquid flatum ſpiritus vitæ in narib⁹ ſuis habebat, mortua ſunt.* & Ioſue 10. 40. *Omne, quod ſpirare poterat.* Septuag. *Omne ſpirans vitæ.* Pagnin. *Omnē animam* (vox eadem, quæ hoc loco, *Omne ſpiramentum*) *interfecit.* & 3. Reg. 17. 17 *Erat languor fortiſſimus, ita ut nō remaneret in eo halitus.* Vbi Septuag. Complutenſes

הפעס
נפש
מתאיה
בכר

Galen. lib. 12. Metho. & Petrus de Peramato opuſc. de cordis palpit. app. 2

Spiritus tripli ces apud Medicos, & Philoſophos.

Petrus de Peramato.

Ariſt. de juvē. & ſenect. c. 2.

Aphrodiſ. 2. Probl. q. 93.

7

Symmach. Aquila.

Cur nomē vitæ dicatur in Hebræo pluraliter.

Vitæ periphraſis.

LXX. Complut.

Spiritus, vita, ſpiramentum pro eodē.

legerunt; *Non remanſit in ea ſpiritus vitæ.* Hinc etiam tria illa nomina frequēter etiam apud Vulgatum, vitam ſignificāt: nō enim agnoſcit, aut non obſervat nimis curioſe, & religioſe illud Rabbinorum diſcrimen. Sic, *Ruahh*, pro vita, & ſpiramēto, Numer. 16.22. *Deus ſpirituum univerſæ carnis*. Similiter, & *Nephes*, *ſpiramentum*. eſt, Iob.41.12. *Halitus* (Septuag. *Anima*) *ejus prunas ardere facit*. Et pro *vita*, Ezech. 13.19. & alibi ſæpe. Itaq; *Factor ſpiramenti*, Deus eſt, vitæ auctor.

V. *Ecce gigantes gemunt ſub aquis, & qui habitant cum eis.*

1. *Difficultas ſententiæ ſtatuitur.*
2. Gemere, dolere, parere, formare, *in Sacro ſermone. Illuſtrati David, & Salomon.*
3. *Prima* Gigantum *appellatio, & ratio nominis.* Rapha, & Arapha *qui. Explicatus Samuel.*
4. Gigantum, & mortuorum *eadem appellatio. Antiphraſis. Explicati Salomon, & Iſaias.*
5. Gigantum *nominis duplex Etymologia. Illorū potentia, & terror.*
6. *Alia* Gigantum *appellatio a cadēdo. Explicati Moyſes, atque David.*
7. *Tertia* Gigantum *appellatio, & notio. Qui* Enac, *&* Enacim.
8. *Quarta, & quinta appellatio* Gigantum.
9. *Veros Gigantes fuiſſe* potentes a ſæculo. *Cuſtodes lectuli Salomonis. Nembrod.*
10. Gigantum *nomen male ſemper audiſſe. Illorū ſuperbia. Allegoria vaſta illorum motus & generationis. Nominis ratio ex Græco.*

Sententiæ difficultas, & obſcuritas.

1 REM hanc de *Gigantum gemitu*, pertinere ad prædicationem Divinæ Potentiæ, nemini dubium eſſe poteſt: nā inſtituit in hoc capite Iob luculentiorem, & magnificentiorem de Deo, & de Divinis attributis orationem. Sed ingens tamen dubium de tota ſententia: nā ſingula verba ſcatent difficultatibus. Prima, qui ſint *Gigantes*: deinde quid *gemere*: tertio, qua ratione, *ſub aquis*: quarto tandem, qui ſint illorum vicini, aut convivæ, *Qui habitant cū eis*. Nos pro elucidatione rei valde obſcuræ, duarum vocum proprias, & germanas ſignificationes præmittamus, quę ſint velut radices, ex quibus diverſi ſenſus pullularunt; varias itē Gigātum appellationes, & notiones nominum, quibus tanquam fundamentis, interpretationes varias imponemus, atque erigemus.

Multiplex verbi, *Gemendi*, ſignificatio, & ſignificatorū analogia.

** Verbum GEMENDI varium, & multiplex, ſed cum analogia. **

2 ET primum quidē, *Gemere*, in Hebræo eſt *Hhul*, quod proprie eſt *dolere*, aut *contremiſcere* præ dolore *in morem parturientium*, aut *parturire*. Sicut videtur explicari Devt. 2.25. *Audito nomine tuo paveant, & in morem parturientium contremiſcant, & dolore teneantur*. Vbi pro *dolore*, eſt hæc ipſa vox originalis, & pro *tremore*, ſimplex aliud *timendi*, aut, *formidandi*, verbū, quod ſimplicibus aliis duabus vocibus expreſſerunt Septuag. *Turbabuntur, & dolores habebunt*. Et Onkelus; *Contremiſcant, & frāgantur*. Vnde ſolet verti ab Interprete Latino; *Parturire*, vel *parere*. Iſai. 13.8.23.26. 18.45.14. 10.66.7. Ieremiæ.4.31. Ezech. 30.16. vel vertitur, *dolere*, Ieremiæ. 4.19. & 5.3. Iſai. 13.8.26.17. Michææ.4.10. Significat etiam ea, quæ cū doloribus parturientium conjuncta ſunt, videlicet *obſtetricare*, ut infra verſ.13. & *contremiſcere*, aut *concuti*, vel *concutere*, ut Pſal.28.8. *Vox Domini concutiētis deſertum, & commovebit Dominus deſertum Cades*. Et ſtatim quod Septuag. dixerunt; *Vox Domini præparantis cervos*; idem Hieronymus, dixit ex eadem radice, *Vox Domini obſtetricans cervas*. Quia autem cum partu, & cū fœtu edito in lucem conjuncta eſt forma quædā, & ſpecies hominis, qui antea videbatur quaſi informis jacere in tenebris, ideo ſignificat etiam, *formare*, ut Pſ.89.2. *Antequam formaretur terra, & orbis*, Deus enim mundi, & creaturarum, non ſolum eſt parens, & auctor, ſed etiam velut mater indulgentiſsima, pariens, & enitens creaturas, ut infra explicabimus, cap.38. & verſicul. 28. & 29. & Proverb.8.25. *Ante omnes colles ego parturiebar*. Vbi nulla difficultas, nullus dolor parturientis ſignificatur, ſed tantum ſpecies, formaque pulcherrima genitæ Sapientiæ. Quare Hebrei legunt: *Ante omnes colles formata ſum*. Septuaginta. *Ante omnes colles generat me*. Aquila, & Theodotio: *Per partum erupi*. Symmachus autem quaſi utramq; conjūgens: *Quaſi obſtetricis opera cōformata ſum*. Atq; ad hanc *formādi* ſignificationem reſpexerunt Septuagin. legentes hoc loco: *Numquid gigātes formabuntur ſubter aquā?* Tum etiā & lectio Tygurina, ut infra dicemus. Quia autem cum parturientium doloribus conjuncti ſunt gemitus, atque cruciatus ingentes, & incredibilis infirmitas, ideo vertitur, *gemere* hoc loco, & cruciari, Ioelis. 2.6. & *infirmari*, Michææ. 1. 12. Hæc igitur de hac voce neceſſario dicta ſunt, ſine quibus ea quæ dicemus, cōſtare utiq; non poterunt. Ea vero, quæ ad hāc ipſam vocem pertinent, ſed a noſtro loco aliena ſunt, lubēs prætermitto. Iam de Gigantibus.

חול

LXX. Onchelus.

Varia interpretatio Latina

LXX

Hieronym.

Cur dicatur Dei Sapientia parturiri.

LXX. Aquila. Theodotio Symmach.

Tygur.

De GIGANTUM re, & appellationibus variis. Digreſsio.

Prima Gigantum appellatio, & ratio nominis, REPHAIM.

Prima Gigantũ appellatio.

רפאים

רפא

ALTERUM tanquam fundamentum jaciẽdum de proprietate, voce, & ſignificatione, *Gigãtum*, ex quo fere pendet interpretationum varietas hujus loci mirabilis. Quinque ergo omnino invenio in Sacris litteris *Gigãtũ* appellationes, cũ peculiaribus cuique notionibus, & Etymologiis. Prima eſt hujus noſtri loci, & ea quidem frequentiſsima; Appellãtur enim *Rephaim*, ut ego quidem veriſimilius exiſtimo, a *Rapha*, viro Gigante, & monſtroſę cujuſdam magnitudinis, cujus ſit mentio 2. Reg. 21.16. *Deficiente David, Ieſbi-Benob* (id eſt, In Nob, quod eſt urbis nomen) *Qui fuit de genere Arapha*, (Septuaginta; *Ieſbi, qui erat in nepotibus ipſius Rapha*) *cujus ferrum haſtæ trecentas uncias appendebat, & accintus eſt enſe novo, niſus eſt percutere David.* Septuaginta autem Complutenſes videntur exiſtimaſſe, *Rapha*, eſſe nomen appellativum, legunt enim, *Qui erat de genere gigantum.* Sed eſſe nomen proprium viri gigantei ex eodem capite colligi poteſt, ubi poſt, *Ieſbi*, additur, verſ. 18. *Saph, de ſtirpe Arapha, de genere gigantum.* (Ubi Vulgatus addit illud, *de genere gigantum*, explicationis gratia, & ut nomini proprio *Arapha*, appellativam etiã vocis expoſitionem adjungeret) *& Goliath, cujus haſtile erat quaſi liciatorium texẽtium, & vir excelſus* (hunc Septuagin. appellant, *Madõ*, quæ vox Hebraice ſignificat *menſuram.* q.d. per excellentiam, magnæ cujuſdam menſuræ, & proceritatis, ideoque Vulgatus illum appellavit *excelſum*, ſive per antiphraſim, quaſi ſine menſura, vel ultra menſuram; quod nos diceremus, *El desmeſurado*) *qui ſenos in manibus, pedibuſque habebat digitos, id eſt, viginti quatuor, & erat de origine Arapha.* Subjungitur ſtatim: *Hi quatuor nati ſunt de Arapha in Geth.* Quare exiſtimarem illud nomen *Arapha*, vel *Rapha*, ſcribendum eſſe littera majuſcula, ut pote nomen proprium, quod tamen ſecus ſcribitur eo loco in Bibliis Vulgatis. Quamquam ipſa Biblia me hujus rei, & Orthographiæ correctioris admonuerunt; nam 1. Paralip. 20. 4. 6. Ubi idem fere repetitur, Vulgata, & Vaticana eadem nomina majuſculis litteris inſignita habent; *Saphai de genere Raphaim, & homo longiſsimus de Rapha ſtirpe generatus.* Tamdemque additur: *Hi ſunt filii Rapha in Geth.*

Complut.

✝ 22.

Arapha, & Rapha majuſculis litteris ſcribenda.

4 Sed ſive appellativum, ſive proprium nomen ſit, tum nomen ſingulare *Rapha*, tum plurale *Raphaim*, dictum videtur a radice *Rapha*, per Lamed Aleph, quod ſignificat mederi, ſanare, curare. quaſi dicãtur ſani, validi, robuſti, lacertoſi, integræ, & nunquam labefactatæ valetudinis: unde etiam ſimili voce dicitur medicus, *Rophe*, & medici *Rophim*. Quare R. Mardok. ait vocem hanc ſignificare *gigantem, potẽtem, magnum, fortem.* Significat quoque eadem vox forte per antiphraſim, & contrarium intellectum, interfectos, aut mortuos, & quorum ſalus omnino deſperata ſit, vitaque ipſa deplorata. ut aliis placet, quod ejuſmodi gigantes, & Tyranni male apud omnes audirent, quaſi certo jam damnandi, aut damnati a Deo, ut pote filii mortis, propter inſignem improbitatẽ. R. vero Abrahã in commentariis Geneſ. 14. propterea putat idem eſſe Gigantum, & mortuorum nomen; *Quia illis, qui videbant eos gigantes, emoriebatur cor, & reputabant ſe cum mortuis.* Quam etiam nominis rationem videtur approbare R. Mardokai. Sed friget: nam pőtius deberent appellari alii *Raphaim*, & mortui, non ipſi gigantes. Ergo juxta priorem rationẽ, *Gigantum, & mortuorum* nomen commune, indicatur Prover. 9. 18. ubi agitur de falſis meretriciis illecebris, & veriſsima crudelitate, morteque certiſsima illius, qui meretrici ſit præda; cum de *vecorde* juvene ait Salomon; *Ignoravit, quod ibi ſint gigantes* (id eſt, mortui, & interfecti, Tygurina; *Non novit, quod mortui illic ſunt.* Sic etiam Pagninus, Regia; *Manes*; quod ſtatim ſequenti particula exponitur.) *Et in profundis inferni convivæ ejus. Qui enim applicabitur illi, deſcendet ad inferos: nam qui abſceſſerit ab ea, ſalvabitur.* Quæ ultima ſententia quamvis in Hebræo non ſit, neque in exemplari correcto Vaticano, in aliis tamen Vulgatis fere circumfertur, quę videtur addita, majoris explicationis gratia. Sic etiam Prover. 21. verſ. 16. *Vir, qui erraverit a via doctrinæ, in cœtu gigantũ commorabitur.* id eſt, peribit certiſsimo exitio, eritque unus de numero, & congregatione illorum miſerrimorum. Ubi iterum Tygurina legit: *In cœtu mortuorum requieſcet*; ſicut & Pagninus. Clare etiam, *Gigas*, pro *mortuo*, aut *interfecto*, Iſaiæ. 26. 14. *Morientes non vivant, gigantes non reſurgant. Propterea viſitaſti omnem memoriã eorum.* Ubi elegãter Pagninus dixit loco.

Gigãtes, quaſi ſani, & integri.

רפא

רופא

רופים

R. Mardoch.

Eadem vox Gigantis, Medici, & mortui

R. Abraham.

R. Mard.

Crudeles meretricis illecebræ.

Tygur. Pagn. Regia.

Correctio Vaticana.

Tygurin.

Pagn.

LXX.

Gigantum, Mortui, qui dominati ſunt nobis. Septuaginta vero: *Mortui vitam non videbunt: neque medici ſuſcitabunt*. alludentes ad illam ipſam etymologiam radicis, *ſanandi, aut curandi*. & Iſaiæ. 14. 9. *Suſcitavit tibi gigantes.* ubi Pagninus legit, *Mortuos*; Vatablus item, *Excitabit ſepulchorum propter te mortuos. id eſt, fortiſſimos quoſque mortuos*, & potentiſsimos Tyrãnos. Nam quod alii interpretantur, *mortuorum umbras*, quæ vulgus appellat Phantaſmata, quæ cum apparent, vaſtiſsima videntur, certe frigide explicant. Quare retenta ipſa nominis ratione, & analogia a ſanitate, vel a morte, ſalutis, & curationis inimica, ipſi *mortui* vocantur, *medici*, aut *ſanatores*, aut ſani. Pſal. 87. 11. *Numquid mortuis facies mirabilia?* (& per expoſitionem additur) *aut medici ſuſcitabunt* (Pagninus, Tygurina: *Nũ mortui reſurgent?* Kaldæus *An corpora in pulvere conſumpta reſurgent?* Hieronymus, *Gigantes reſurgent?*) *& confitebuntur nomini tuo?* id eſt, Reſurgentes confitebũtur & celebrabunt nomen tuũ?

Forſter. Forer.

Medici, aut curatores pro mortuis.

5 רפה

Simili fere etymologiæ ratione alii vocem *Raphaim*, & *Gigantum*, deducunt a radice *Raphah*, per *Lamed He*, quod eſt diſſolvere, laxare, relaxare, & quaſi languere: quo etiam nomine *Gigantes*, & *mortuos* recte appellabimus, propterea quod vires, vitaleſque omnes facultates in mortuis langueſcant, ſolvantur, concidant. In *Gigantibus* autem, per cõtrarium intellectum, minime diſſolvantur, aut langueſcant. Quamvis Rab. Selomoh. referente Mardochai, ſcribat: *Gigantes ſic appellatos, eo quod hominum manus, qui illos videbant, erant debiles, ipſique deſtituti viribus, & quibus nulla cura adhiberetur.* Quare R. Mard. ſubſcribit: *Sic derivatur a verbo, Raphah, id eſt, diſſolvit; quod mortui diſſoluti ſunt ab omni actione corporis, & hujuſmodi vitæ.* Andræas Maſius Ioſue. 11. 21. 22. Sic dici vult *Gigantes*, quod inſtar manium, & inferorum, plerique illorum habitarent in antris, & in cavernis terræ, & in montanis ſpecus quærerent. Sed incertum hoc, cum tam in montanis, quam in campeſtribus urbes maximas haberent, quæ libris Num. Iudic. & Ioſue recenſentur. Mitto aliam vocis etymologiam, quã excogitavit Hieronymus ab Oleaſtro Geneſ. 14. ſuper id verſ. 5. *Percuſſerunt Raphaim.* ubi *Gigantes*, & *Raphaim*, exiſtimat dictos a radice *Rupb*, quod ſecundum ipſum ſignificat *integrare*, & quaſi *ſanari*. Quanquam alii Hebræi dicant ſignificationem eſſe, *Conſ. actionem, fracturam, & ſucciſionẽ*, ut Rab. Mardochai. Vulgatus vero vertit hoc verbum, *Contremiſcere*, quod idem Oleaſter ad metum quendam ingentem, & rigorem refert, eo quod quæ rigeſcũt, videantur quaſi integrari, quod nos dicimus: *Elarſe, y hazerſe como de una pieça.* & *forte* (inquit) *Gigantes ſic dicti ſunt, quod ſint rigidi, aut quod homines ex eorum aſpectu rigeſcant.* Nimis exquiſita, nimiſq; rigida profecto etymologia.

Gigantes dicti a diſſolvendo, ſive laxando.

R. Selomon.
R. Mard.
Metonymia.

Maſius.

Aliæ minus idoneæ nominis Gigantum notiones.

Oleaſter non probatus.

רוף

R. Mard.

Sed habemus tamen ex hoc primo Gigantum nomine, Giganteam potentiam, & fortitudinẽ, tum etiam timorem, & languorem lethalem, ex illorum conſpectu conceptum in animis hominum, aut etiã ſignificationem *mortuorum*. quæ omnia, ſervient ſtatim nobis ad integrum ſentẽtiæ ſenſum eliciendum.

Secunda GIGANTVM appellatio, & notio, NEPHILIM.

6 נפלים נפל

SECVNDA Gigãtum appellatio, *Nephilim*, a radice, *Naphal*, quod eſt *cadere, concidere, irruere, corruere, cadere facere*, aut *proſternere*, nam his modis omnibus verti ſolet a Vulgato. Dicuntur autẽ hoc nomine *Gigantes*, Gen. 6. 4. & vertitur eadem vox, *monſtra*, Num. 13. 34. *Vidimus monſtra quædam filiorum Enac, de genere Giganteo, quibus comparati, quaſi locuſtæ videbamur.* Vbi videtur indicari ipſa ratio, & notio nominis: nam propter Gigãtum magnitudinem cæteri humiliores videbantur ante eos cadere: ſive, ut ex Kimhi affert Rab. Mardokai, *quod illorum timore homines cadant*; aut, ut Complutenſes addunt; *quod irruat timor eorum ſuper alios*: nam hoc modo quaſi active dicitur etiam hoc verbum Ioſue 2. 9. *Irruit in nos timor veſter*, aut quod per tyrannidem & improbitatem caderent, & irruerent in aliorum res, & facultates. Qua loquẽdi ratione nos de Principe civium bona occupante dicére ſolemus: *Que ſe echa ſobre las haziendas de ſus vaſallos.* Quomodo dictũ eſt Geneſ. 43. 18. *Vt violenter ſubjiciat ſervituti nos.* Quod Pagninus dixit, *Vt jactet ſe*; Regia; *Ad dejiciendum ſe ſuper nos.* Vatablus; *Vt devolvat ſe ſe ſuper nos.* Sed elegantius Tygurina; *Vt irruat in nos, capiatq; nos, & aſinos noſtros.* Sed clarius hæc *cadendi* ſignificatio pro *irruere*, & *dominari* Pſ. 9. 30. *Inclinabit ſe, & cadet* (irruet, quaſi ſupra prædam, Hieronymus: *Irruet viribus ſuis valenter*) *cum dominatus fuerit pauperum.* Conſonat, quod Hieronymus in tradit. Hebraicis refert, Symmachum Geneſ. 6. pro *Gigantibus*, ſive *cadentibus*, *violentos* interpretatum fuiſſe. Quanquam

R. Mard.
Complut.

Gigãtes irruẽtes in aliorum bona.

Hiſpaniſm.

Cadere pro irruere, dominari, occupare violenter.

Hieronym.

Symmach.

alii

alii hoc verbo *cadendi*, neſcio quid turpe ſignificari arbitrentur, videlicet obſcœnã invicem morigerandi ſervitutem, atque ſupra alium cadendi pronum, incumbendique turpem libidinem.

Tertia Gigantum appellatio.
ENAKIM.

7 ענקים ענק

DICVNTVR etiam tertio *Enakim*, ab, *Anak*, viro Gigante, proprio nomine ſic appellato, ut videre eſt Numer. 13. 23. *Achiman*, & *Siſai*, *& Tholmai filii Enac.* Onkelus; *Filii Gigantum.* Quod deinde verſ. 29. explicatur; *Cultores fortiſsimos habet, & urbes grandes, atque muratas: ſtirpem Enac vidimus ibi.* ubi Onkelus legit: *Filios Gigantum vidimus.* Et clarius explicatur infra verſ. 34. *Monſtra quædam filiorum Enac, de genere Giganteo.* Vbi legunt Septuaginta: *Omnis populus, quem vidimus in ea, viri prælongi, & ibi vidimus Gigantes.* Vide etiam Devt. 1. 28. *Maxima multitudo eſt, & nobis ſtatura procerior: filios Enacim vidimus ibi.* Septuaginta: *Filios Gigantum.* Similiter, & Onkelus. & Devteron. 2. 11. *Populus magnus, & validus, & tam excelſus, ut de Enacim ſtirpe, quaſi Gigantes crederentur, & eſſent ſimiles filiorum Enacim.* Vbi Onkelus legit. *Fortes reputantur etiam ipſi, ſicut Gigantes.* ubi pro *fortibus*, & pro, *populo magno, & valido*, ut vertit Vulgatus; Septuaginta retinent nomen illud primũ originale, tanquam proprium, leguntque; *Terra Raphaim reputabitur; gens magna, & multa, & potentior vobis, ſicut Enacim.* Vide etiam Devteron. 9. 2. Ioſue. 11. 21. & cap. 14. 12. Theodoretus vero q. 26. in Numer. cum interrogaſſet; *Quam dicit eſſe generationem Enak.* Reſpondet; *Hic (ut veriſimile eſt) propter magnitudinem corporis famatiſſimus erat, & vulgatiſſimus, genere vero patrem omnio repræſentabat.* Et refert quidem Pauſanias in Atticis, in Aſterii inſula ante Mileſiorum urbem ſita, Aſterii cadaver repertum decem cubitorũ; & fuiſſe exiſtimatum, fuiſſe filium Anactis, qui ex terra natus ſit. Quod videtur de *Anak*, intelligendum. Ex radice autẽ *Ghanak*, videtur hoc nomen deductum; quæ radix eſt, circumligare, aut ornare torque; unde deducitur nomẽ, quod torquem ſignificat. Quare volunt dici *Anak*, aut *Enakim*, quaſi torquatos, eo quod forte *Anak* ejuſmodi inſigni, & torque pro ornamento uteretur. deinde inſignes, & fortes viri ad imitationem *Enak*, ſimili cultu corporis incederent, præſertim Gigantes illius poſteri. Quare ſecundum hanc etymologiam potuit *Anak*, ab ipſa radice appellativa, & ornamento colli, nomen accepiſſe; vel e contrario ab ipſo *Anak* Gigante, torques nomen accepit. Quãquam mihi profecto friget hujuſmodi etymologia, quam non ſemper in nominibus propriis vel invenire, vel inveſtigare licet. Alii aſſerunt Gigantes dictos *Enachim*, ab Enachia civitate, quæ ſit illa, quã Beroſus, *Henus*, vocat circa Libanũ, urbem maximam Gigantum, qui corporis vaſtitate, & viribus ſiſi, ac inventis armis omnes opprimebant.

Onchel. — *Enac, gigas.* — *LXX.* — *Chaldæus.* — *LXX* — *Theodoret.* — *Pauſanias.* — *Gigãtes, quaſi torquati.* — *Forſter. Avenaria.* — *Verbũ doctũ a nomine proprio, aut contra.* — *Non ſemper in nominibus propriis quærẽda ratio nominis.* — *Beroſus.* — *Civitas Gigãtum Enachia.*

Quartum Nomen Gigantum, EMIM, item & quintum GIBORIM.

8 אמים גבורים

QVARTA *Gigantum* appellatio *Emim*. Devteron. 2. 10. *Emim primi fuerunt habitatores ejus, populus magnus, & validus, & excelſus, ut de Enacim ſtirpe, quaſi Gigantes crederentur. Denique Moabitæ appellant eos Emim.* Quod videtur dictum, *Y al ſin baſta llamarſe a ſi.* Nam radix, *Ajam*, a qua deſcendit, *Emim*, ſignificat terrorem, aut pavorem, ſignificabit ergo *Gigantem*, ut ait Mardokai, *quod tremere faciat videntes eum, propter magnitudinem formationis illius naturalem.* Atque vox ſimilis, *Emthani*, Kaldaica, *terribilẽ*, atq; mirabilẽ ſignificat, Daniel. 7. 7. Quare Onkel. legit: *Moabitæ vocãt eos Emethamim.* At vero Gen. 14. 5. ubi nos habemus; *Percuſſerunt Raphaim, & Emim*; Onkel. per nomina appellativa vertit; *Percuſſerũt Gigãtes, & terribiles.* At Septuag. alterũ tantũ appellative, alterũ proprie, *Percuſſerunt Gigãtes, & Ommæo.* Quinto appellãtur *Gibborim*, a potentia, & dominatu, de quo inferius, ſequente numero 9.

אים — *R. Mard.* — *Gigas dictus a terrore.* — *OnKel.* — אמתני אמתמים — *LXX*

Res Gigantum vera, vera item fortitudo, & belligerandi ſcientia, ex quinto illorum nomine.

HINC jam eliciendum eſt, *Gigantum* rem non eſſe fabuloſam; qui enim ea de re dubitarunt, de Fide, & de Sacræ hiſtoriæ veritate profecto dubitarent, ut Auguſtinus 15. de civitate. cap. 23. cenſuit; *Secũdum Scripturas* (inquit) *Canonicas, Hebræas, atque Chriſtianas, multos Gigantes ante diluvium fuiſſe, dubium non eſt.* Theodoretus quoque q. 48. in Geneſim; *Ego* (inquit) *cum audio Scripturam dicentem, Enac fuiſſe a Gigantibus oriundum, &c. Arbitror fuiſſe quoſdam prægrandes homines.* Atque rem eãdem propter veriſsimas hiſtorias, prophanorumque auctorum infinita teſtimonia, negare, nõ ſolum eſſet perfidię,

Gigãtes eſſe non fabula. — *Auguſt.* — *Theodoret.*

Rem Gigantum allegorice quidã interpretantes. Macrob. lib 1. c. 20. Strab. lib. 17. Pererius.

verumetiam insignis stultitiæ. Quanquã boni quidam auctores rem hanc negasse videantur, & allegorice tantum, non vere, & historice intellexisse, ut Macrobius, & Strabo. Nã Cyrillum, quem hujus sententiæ docti quidam auctores insimulãt, tantum censet esse fabulas, quæ de Gigantibus Poetæ fabulantur; veram tamẽ fuisse illorum vastitatem, & immanitatẽ corporum formidabilem. Quod idem referri de Philone oportet libr. de Gigantibus, atque de Chrysostomo inferius adducendo, ubi Giganteam molem allegorice tractabimus. Sed in illorum numero fuisse videtur Franciscus Georgius, adversus quem disputavit eleganter, ac luculenter noster Benedictus Pereira libr. 8. comment in Genes. disputatione 4. Colligit nonnulla ex recentioribus scriptoribus noster item Martinus del Rio parte. 2. sui Syntagmatis tragædiæ Latinæ ad Oedipum Senecę. Fuse rem eandẽ persequutus est Hieronymus Magius libr. 1. Miscellaneorum, cap. 4. Congessit plurscula Simon Majolus, suo colloquio 2. quod est de homine. Probant rem eandem peculiaria exempla, quæ afferũt Herodotus, lib. 1. Solinus cap. 5. & cap. 14. Plinius lib. 7. cap. 16 & lib. 6. cap. 30. Philostratus libr. 5. Plutarchus in Theseo. Mela lib. 3. cap. 4. Isidorus libr. 11. etymolog. cap. 3. Nicephorus libr. 12. cap. 37. Augustinus lib. 15. de civitate cap. 9. Saxo Grammaticus libr. 7. historiæ Danicæ, & in præfatione totius operis. Cælius Rhodiginus antiquarum lect. cap. 6. Nauclerus Decad. 2. libr. 2. Olaus Magnus lib. 5. cap. 2. Ioannes Bocatius lib. 4. general. Galeot. Martius. cap. 36. de doctrina promiscua. Laurentius Surius in suis commentariis anno 1511. Fulgosius lib. 1. cap. 6. Pater Melchior Nuñez Lusitanus nostræ Societatis, in suis litteris de rebus Iaponum & Sinarũ, anno. 1555. ubi tradit, Regis Sinarum custodes Gigãtes esse, tum etiam & Regiæ urbis portarum custodes. Quod profecto nescio quid simile referre videtur Salomonis cu-

Philo. Chrysost. Frãciscus Georgius. Benedictus Pererius. Martinus del Rio. Hieronymus Magius. Herodot. Solinus. Plinius. Philostrat. Plutar. Mela. Isidor. Niceph. August. Saxo. Cælius Rhodig. Nauclerus. Olaus Magn. Ioãnes Bocat. Galeot. Mart. Surius. Fulgosius. Melchior Nunesius. Regum Sinarum custodes Gigantes.

9 stodiæ: *Lectulum enim Salomonis Sexaginta fortes ambiebant ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi.* Videtur quippe hæc esse circumloquutio Gigantum. Nam potentissimi isti Gigantes propter bellicam gloriam celebrabantur Psalm. 32. 16. *Gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ.* & Baruc. 3. 26. *Ibi fuerunt Gigantes nominati, qui ab initio fuerunt, statura magna, scientes bellum.* Quare cum Isaiæ. 3. 2. dicitur: *Auferam fortẽ, & virum bellatorẽ,* Septuag. explicationis gratia addiderũt, *Gigantẽ.* Atq; Chrysost. hom. 22. in Gen. per *Gigantes*, tantũ intelligit, *robustos corpore*, hom. 34. in Genes. 14. *Proceros, & fortes.* Et in c. 3. Isai. *Viribus, & proportione membrorum multis antestãtes, & perætatem vegetos, ac succulentos.* Illi autem custodes Lectuli Salomonis dicitur profecto, *Fortes*, Hebraice *Gibborim* eadem voce, quã Nemrod, violentus gigas, dicitur fuisse *robustus, & potens in terra*, Genes. 10. 8. & 9. Vbi Septuaginta legũt; *Hic cœpit esse gigas super terram: hic erat gigas venator contra Dominum.* Eademque est Chaldæis, *Gigantis* appellatio. Et quidem radix *Gabar*, eam potentiam, & fortitudinem significat, quæ prævaleat, & vincat, cujusmodi *Gigantes* erant, ita potentes, & robusti, ut prævalerent, & vincerent. Quare hoc idem tanquam proprium Epithetum datur *Gigantibus* Gen. 6. 4. cum dicitur, *Hi sunt potentes a sæculo, viri famosi*, q.d. Primi prævalentes, & primi Tyrãni, *oppressores* reliquorũ armis, & inhumanitate cũcta vastãtes quod statim ex Hieronymo, & Cyrillo cõfirmabimus, vide Baruc. 3. 26. & Ecclesi. 18. 8.

Cant. 3. 7. Gigantes bellatores. LXX. Chrysost. Custodes Salomonis Gigãtes. גבורים LXX. גבר Gigantes, quasi prævalẽtes.

Gigantum Superbia, & Immanitas, Græci nominis ratio, Deformitas, Montana habitatio.

10 HINC factũ est, ut *Gigantũ* nomen ad superbos homines, insigniterq; immanes atq; impios accõmodetur, quod Philipp. hoc loco docet, in hæc verba: *Gigantes appellat Scriptura Divina homines improbos, rebelles, & contumaces, ut fuit ille Nemrod Gigas robustus, venator contra Dñm. Diabolus quoq; & sui, trãslato nomine Gigãtes propter superbiã nuncupantur.* Fere scripsit eadem Macrobius. 20. c. lib. primi Saturnaliũ, cũ de Hercule agit: *Ipse (inquit) creditur Gigantes interemisse, cũ pro cælo pugnasset, quasi virtus Deorũ. Gigantes autẽ quid aliud fuisse credendũ est, quam hominũ quandã impiã gentem, Deos negãtẽ, & ideo existimatã, Deos pellere de cælesti sede voluisse? Horum pedes in draconũ volumina desinebant, quod significat nihil eos rectum, nihil superũ cogitasse, totius vitæ eorũ gressu, atq; processu in inferna vergente.* Sed non minus elegantẽ allegoriã indicavit vir nostræ ætatis acutus, & elegans (utinã & tã solidus) Goropius Becanus in sua *Gigantomachia*. Digna illius verba, quę describantur: *Qui alii sunt gigãtes, quã qui omnia violentis manibus, lateq; extensis agere contẽdunt, atq; iis ita confidunt, ut ipsum Cælũ, id est, Divinã mentis nostræ motionẽ, in qua ratio dominatur, cõvellere nitãtur?*

Gigantes pro superbis. Philippus. Genes 10. 9. Macrobius. Herculis cum Gigãtibus pugna. Pulchra Gigãtũ allegoria. Goropius Becanus.

Quod

Virg. 6. Aeneid.

Quod igitur Virgilius de Aloidis dixit, id omnibus cõmune eſt Gigantibus: qui nihil aliud ſunt, quã immania corpora, corporea vi-cũcta tentãtia, adeo ut cælũ velint reſcindere, nõ ratione ulla humana, aut Divina, ſed manibus, id eſt, violenta manuũ injectione, in qua omne jus, & omnẽ poteſtatem volũt eſſe conſtitutã. Hinc Briareus Centimanus dictus, & Virgilio Centumgeminus, quod centenas, quod eſt, infinitas manus haberet, quibus omnem Deorũ poteſtatẽ, ſive totum rationis regnũ territabat.

Gigas Græce, quaſi terrigena.

γίγας

γηγενής

LXX.

Chaldæus.

Atq; Giganteã hanc molẽ ad inſignem improbitatẽ referri debere, ſuadet ipſum Græcũ *Gigantis* nomen; nã *Gigas*, videtur dict⁹ quaſi, *Gegenes*, Terragenit⁹. ſic Prov. 9.18. ubi nos habemus, *Gigantes*, Septua. dixerũt, *Terrigenas*. & Kald. Prov. 21.16. pro noſtro, *cœtu Gigantũ*, vertit, & legit, *cũ filiis terræ*. quod ad allegoriam trahens

Philo libr. de Gigantibus.

Homines Dei, Cæli, terræ, qui.

Philo; *Legiſlator* (inquit) *te docere vult; alios eſſe terræ, alios cæli, alios Dei homines: Terræ, eos, qui venantur voluptates corporis, & harũ uſum fructũ quærendo undecumq; ſingulari materiã. Cæli, eos qui tenent artes, ac ſciẽtias: Quod enim noſtri cæleſte eſt, mens eſt. Dei vero homines, Sacerdotes, & Prophetæ ſunt.* Quare recte

Auguſt.

Auguſt. de Civitate 15. c. 23. *Gigãtes* appellat, *Terrigenæ ſocietatis hominũ cives.*

Irineus.

Origen.

Hieronym.

Irineus autẽ lib. 2. adverſus hæreſes c. 53. Origen. hom. 7. in Num. Hieron. in 24. c. Iſai. Gigantum impiiſsimorũ, & ſuperbiſsimorũ figurã gerere Hęreticos omnes & qui adverſus Deum rebellant, & Eccleſię contumeliã faciunt. Vid. Greg. hoc loco, & Caſsianũ collat. 8. c. 21. Atq; hanc

Gregor.

Caſsian.

Theodoret.

interpretãdi rationẽ, cũ refert Theodor. q. 48. in Geneſ. *Nonnulli* (inquit) *dicũt Gigãtes eſſe Dei oſores, & Dei adverſarios homines.* Et cũ deinde illorũ ſuperbiã notat, ex

Superbia ex corporis proceritate.

magnitudine, & proceritate corporis ſuperbiiſſe ſcribit; *Perfacile* (inquit) *erat Deo majores homines creare; ſed ut ſuperbiã amputaret, & arrogantiã cohiberet, nõ dedit hominibus maxima corpora, nã ſi exiguis corporib⁹ præditi, nõ cõtra ſe modo, ſed cõtra Deũ creatorẽ attolluntur, quæ non cõmiſiſſent?* & Gre-

Nazianzenus.

gor. Nazianz. orat. 3. adverſus Iulianũ, *Gigãtes* appellat, *nominibus ſimul ac rebus horrendos.* Rurſuſq; oratione. 16. videtur illis tribuere, quod ſe natura *quadã ſublimiori*, & prȩſtantiori, quã reliquos homines exiſtimarẽt. *An* (inquit, cõtra divites diſpu

Divites quaſi Gigantes.

tans) *ipſi contra noſmet ipſos efferabimus, ut nos quoq; præſtantiori natura, quã ipſi ſunt, exiſtimemus? & quẽadmodum olim (ut poetæ fabulantur) genus quoddã erat Gigantũ; & reliquorũ hominum, ſic nos quoq; ſublimes, & humana conditione majores apud pauperes erimus? velut ille Nemrod, cui genus Enac, quod Iſraelitas olim opprimebat, aut illi, quorũ ſcelere factũ eſt, ut diluviũ terrã purgaret?*

Cyrillus Alex.

Cyrillus ſane Alexand. tantã corporis molẽ, tum ad deformitatẽ, tũ ad morũ immanitatẽ, & animi improbitatem refert; *Erant* (inquit) *Gigantes, id eſt, indomiti, robuſtique homines, plurimumq; deformes, atq; ob corporũ magnitudinẽ cæteros excellentes.* & paulo inferius, *Horribiles viſu, robore incõparabiles, indomiti, invictiq; ob corporum magnitudinẽ, cæteroſque propterea contemnẽtes.*

Gigãtum deformitas.

Verum enim vero, quod ad deformitatẽ Giganteæ molis attinet, confirmari poterit ex horrore, qui affertur in illa quarta appellatione Gigantum, *Emim.* Quanquã Theodoretus, atq; etiã Auguſtinus, & Cyrillus lib. 1. ſuper Iſaiam, ubi nos legimus c. 30. *Fortem, & virum bellatorẽ* (Septuag. autem *Gigantem*, quod Hieronym. obſervat additum eſſe a Septuag.) Cyrillus ait, eſſe *familiare Scripturæ Gigantes appellare eos, qui ſunt robuſtiſſimi; ſiquidem de Babyloniis, qui Iudæorum regionem expugnarunt, dicitur: Gigantes veniunt ad explendũ furorem meum gaudẽtes ſimul, & exultantes.* Rurſus lib. 9. contra Iulianum rem eandẽ verbis aliis, non minus ſignificantibus, expreſsit, hanc Giganteam molẽ, ad peccati pœnam referens; *Pepererunt* (inquit) *mulieres Gigantes, eo quod Divina ira, etiam ipſas corporum pulchritudines ſignabat, eo quod juſtitiam cõculcaſſent. Fuerunt autẽ Gigantes potentes quidẽ, & fortiſſimi, ſed aſpectu valde deformi, monſtroſi, & temerarii. Mos autẽ eſt Sacræ Sripturæ Gigantes vocare, agreſtes, feroces, & robuſtos.* De hac morum immanitate & ſuperbia vid. Eccleſi. 16. 8. Baruc. 3. 26.

Theodoret.

Auguſt.

Cyrillus.

Hieronym.

Gigantes pro robuſtiſsimis

Iſaia. 13.

Gigantum occaſio ex peccato.

Vides igitur in tanta corporis mole tã feram mentis, & morum immanitatẽ, & feritatem ſignificatã? Quare gens barbara, & agreſtis in montanis habitabat, in morem ferarum, ab omni humanitate aliena, ut eleganter obſervavit Andræas Maſius vir eximie doctus, ad id Ioſue. 11. *Ioſue interfecit Enacim de montanis Hebron, & Dabir, & Anab, de omni monte Iuda, & Iſrael.* de quo jã expoſuimus ſentẽtiã noſtram. Plura videbimur de Gigantibus dixiſſe. Sed operę pretium nõ perdidimus, quod longitudinẽ brevitate, atq; claritate ſententiarũ, & interpretationum proponendarum, jam nunc compenſaturi ſumus.

Gigantes, gẽs barbara, & mõtana.

Maſius. De quo diximus ſup. n. 5

Ecce Gigantes gemunt ſub aquis, &c.

11. *Prima, & ſecunda interpretatio. In profundo maris Rubri herbæ, & arbores. Explicata ſapiẽt*

11 *Tertia expositio. Metalla sub aquis generata.*
13. Gigātes *aquis diluvii obruti. Explicatus Ecclesiasticus, & Baruch. Causa immissi diluvii.*
14. *Non probata Græcorum lectio, neque expositio.*
15. Gigātes *metaphorice dicuntur, Cete & balleuæ vastissimæ. Cur aquatilia majora terrestribus.*
16. Pisces gemunt, *id est, parturiunt sub aquis. Quæ piscium benedictio.*
17. *Mirabilis Balænarum dux, & alii pisciculi assecla illarum.*
18. *Mirabilis aquatilium varietas. Piscium periphrasis.*

11 Prima expositio R. David. R. Levi. *Pagn.*

ERgo his positis, prima interpretatio R. David, R. Levi, & post illos Pagnini, qui per *Gigantes*, id est, per vocē illam originalem *Rephaim*, intelligūt mortuos, aut mortua, legūt itaq; *semina mortua*, quę dicantur, *gemere sub aquis*, id est, propter vocem originalem, *Hhul*, dicantur parturiri, aut formari sub aquis, id est, sub terra humectata formari, vivificari, excitari in herbescentem viriditatem, & explicari in folia, & calamum. Sicut etiam Numero. 24. 7. dicitur; *Semen ejus erit in aquas multas*. id est, erit nimium fertile, sicut cum semina jaciuntur in locis humectis. Hujus interpretationis fundamenta in explicatione utriusq; vocis, *Gigātum*, & *Gemendi*, prajacta sunt. Tum etiam nexus cum præcedentibus, quod in hujusmodi naturæ operibus mirabilis sit Dei Potētia, atque Sapientia.

Seminū mortuorum mirabilis vivificatio, & parturitio.

Proxima est expositio Rab. Gerson, & Aben Esra, sermonem quidem esse, nō de seminibus in terra nascentibus, sed de herbis, aut plantis, quæ *sub aquis*, id est, in profundo lacu, aut flumine nasci solent: quod profecto inter naturæ mirabilia ultimum non est. Nām non herbas solū, sed & arbores, lucus, sylvas sub aquis parturiri, nasci, multiplicari, probatæ fidei auctores scribunt. Quod si de mari Rubro, quod nō longe ab Husitarum regione aberat, loquebatur Iob, certe rem mirabilem, & inter suos pervulgatam, atq; verissimam, in Divinæ Potentiæ, & Sapiētiæ testimonium adducebat. Hujus vero rei Plinius Scriptor est lib. 13. c. 25. quod de *Fruticibus, & arboribus nostri maris, atq; Rubri, & Indici*, inscribitur; *Rubrum* (inquit) *& totus Orientis Oceanus refertus est sylvis. In alto abies, & quercus cubitali altitudine, ramis eorum adhærent conchæ.* Sed de Rubro peculiariter; *In mari Rubro sylvas vivere, laurum maxime, & olivam ferentem baccas: & cum pluat, fungos, qui Sole tacti mutantur in pumicem. Fruticū ipsorum magnitudo ternorum est cubitorum.* De mari Indico similia quædam, omni etiam admiratione dignissima subjicit statim. Id vero de Mari Rubro ad Divinæ Potentiæ documentum a Sapiente profertur, Sap. 19. 7. *Ex aqua, quæ antea erat, terra arida apparuit, & in Mari Rubro via sine impedimento, & campus germinans de profundo nimio, per quem omnis natio transivit, quæ tegebatur manu tua, videntes tua mirabilia, & monstra.* Quod neque per hyperbolen, neque per similitudinē dictū intelligo (sicut quidā non mali auctores intellexerūt; quod videlicet; via illa in mari fuerit illis loco campi germinantis, eo quod cum summa alacritate, & lætitia per eam trāsierint.) sed per verissimam ipsam rem, quod ea parte Hebræi mare trajecerant, qua herbosum solum, & lætissima viriditas subsidebat. Recentes autem alii Scriptores, & novi orbis repertores, narrant Pariū Mare herbis florentibus sic implicitum esse, ut navigari nequeat; longissimis illis quidem a radice ad summum cacumen palmorum sexaginta; & quocumqee vertūtur fluctus, converti etiam germina, & flores, ut fluctus herbarum potius, & florū, quam undarū dicas. Hæc mirabilia utiq; intra humana omni admiratione majora.

Secunda expositio R. Gerson, & Aben Esra.
Herbæ in fundo maris nascētes mirabiliter.
Plinius.
In maris Rubri fundo arbores, & sylvę
Simplex Sapientię explicatus de fūdo herboso maris Rubri.
Bonav. Lyra. Iānf. Emanuel Sa. Holcotb.
Ovet. libr. 2. c. 5. Simon Majo. colloq. 10.
Parium mare herbidum, & floridum.

12 His nō omnino dissimilis tertia expositio Rab. Abrahām intelligentis, *Mortua* metalla, ut Margaritas, & corallia sub aquis *formari*, & generari; quod Divinæ etiam argumentum est Sapientiæ, *Potestatis, Providentiæ, quæ extendit se ad profunda maris, & sub piscibus, qui habitāt ipsas aquas ubi gignuntur metalla.* Placuit hoc quoque Vatablo, Isidoro Clario, indicat lectio Tygurina; *Res emortuæ a Deo formātur, sub aquis, & in vicinis locis.*

Tertia expositio R. Abraham.
Mirabilis metallorū, & margaritarum sub aquis formatio.
Vatab. Isidor. Tygur.

Tres istæ sententiæ duræ sunt, & exquisitæ potius multo cum labore, quam ab ipsis verbis antecedentibus, & consequentibus postulatæ; quanquam a fine hujus sententiæ, & intentione Iobi non dissonent.

Trium præcedentiū sententiarū censura.

Quarto alii accipiunt de mortuis quoque, sed hominibus, verisque Gigantibus, quos aquis diluvii Divinæ Potentiæ vindicta obrruit, qui *sub aquis gemebant*, dolebant, cruciabantur, enitebantur in morem parturientium, si possent emergere, aut caput exerere fluctibus, sed demersi tandem, atque extremo supplicio affecti sunt, tum ipsi, tum qui *cum illis habitabant*, videlicet illorum assecle, & vitæ ac morū imitatores. Hæc est communis Latinorū expositio. Et quidem confirmari potest ex se-

Quarta expositio Latinorum.
D. Thom. Nicol. Titel. Osor.

ex sequente sentẽtia, ubi mortuorũ quoque, & damnatorum mentio fit; tũ quod videatur potissimum immissum diluviũ propter impiissimos Gigantes perdẽdos, ut indicatur Sap.14.26. *Ab initio, cum perirent antiqui Gigantes, spes orbis terrarum ad navem confugiens, remisit sæculo semen nativitatis.* & Ecclesi.16.8. *Non exoraverunt pro peccatis suis antiqui Gigantes, qui destructi sunt confidentes virtuti suæ.* & Baruch. 3.26. *Ibi.* (in inferorum loco, qui proxime precesserat) *fuerunt Gigantes nominati* (Genes.6.4. dicuntur, *Viri nominis*) *qui ab initio fuerunt, statura magna, scientes bellum: Non hos elegit Dominus, & viam disciplinæ non invenerunt, propterea perierunt.* Quam diluvii immittendi causam Naziãze. & Cassianus superius adducti exprimũt, & ex posterioribus multi. Video expositionem hanc, cum ipsis verbis, vocibusque simplicibus cõvenire; at cum Iobi instituto, & Divinæ Potentiæ prædicatione, ex naturę, & creationis operibus instituta, vix nunc convenit hæc supplicii Gigantum commemoratio, ac ne vix quidem.

Diluvium ad eluendas Gigantũ sordes.

Nazian. Cassian.

Precedens expositio parum cohærens.

Quare eodem etiam incommodo laborabit Gregorii, Philippi, & aliorum expositio de Dæmonibus, qui *Gigantes* sunt propter superbiam; & quod naturæ, & scientiæ magnitudine omnem humanam vim multis partibus superent. Qui *cadentes* etiam, & ruentes in baratrum cruciatuum, *sub aquis*, id est, in inferioribus terræ, subter aquas, aut obruti cruciatuum fluctibus, *gemunt*, dolent, cruciantur, in quorum cruciatu, & supplicio sempiterno, Deus se potentem, æque ac formidabilem exhibet.

Quinta aliorum Latinorũ expositio aliena.

Gregor. Philippus, Cajeta. Titelm.

Dæmones Gigantes.

14 Ergo huic contraria tum lectio, tum interpretatio Græcis placuit propter illam aliam significationem verbi originalis, *formandi*, aut *obstetricandi*. Videntur quippe Septuaginta retulisse ad resurrectionem Gigantum, & mortuorum, legentes, *Numquid Gigantes formabuntur subter aquas, & vicinos ejus?* Septuaginta Complutenses, legerunt: *Obstetricantur*: similis Augustini lectio: *Numquid Gigantes redigentur in nihilum subter aquam? & proximi eorum.* & eo etiam faciunt aliorum Hebraizantium lectiones. Rabb. Mardoch. *An nõ, quæ mortua sunt, reformãtur?* Quod Nicetas sic accipit; *Numquid Gigantes illi cum Deo pugnantes demersi, atque depressi, nutricis, obstetricis ve opera curari iterũ possunt, ac sua vi rursus existere? Id unius Dei est, imperio mortuos iterum ad vitam vocare.* Intelligo interpretationem hãc. Sed quomodo cũ re præsenti cohereat, plane nõ intelligo. Laborat itaque eodem incõmodo, quo præcedens.

Sexta expositio Græcorum parũ cohærẽs

LXX. *Complut. August.*

R. Mard.

Nicetas.

De Maris GIGANTUM, idest, Cetorum, & Balænarum SUB AQUIS GEMITU, cohærens, & solidus explicatus.

15 SED age tu, cui nulla hujus loci interpretatio omnino placet, proferto aliã meliorem. Minime vero. neque enim tã temerarius sum, ut unus ipse mihi ulla in re placere aut velim, aut honestum, tutumve existimẽ. Sed tamen in re prædifficili, secũdum alios interpretes, quid mihi vero simile videatur, proponam, judicium, & probatio esto penes cordatum lectorẽ. Suspicor sententiã hãc non pertinere ad ullũ impiorum, superborũ, Tyrannorum, Gigantum supplicium, sed ad Divinæ Potẽtiæ descriptionem ex mirabilibus naturæ colligendam, quã sibi proposuisse videtur Iob in hoc capite, quasi multo melius sibi cognitam, quam suis amicis, quorum tota oratio in Divinorum suppliciorum enumeratione, & in amplificatione Divinæ justitiæ, & severitatis posita fuerat. Primum ergo meminit animantium terrestrium, quæ spirant. Nunc profecto piscium, & aquatilium, quæ & multitudine, varietate, magnitudine terrestria superant. Deinde ad terræ viscera, & partes abditissimas versicul. 6. tum etiã ad aëris regionem, & quæ in illis generãtur, meteora explicanda progredietur: absolvetque tandem in hujusmodi naturæ mirabilibus totum caput. Cõtextus, atque argumẽtum capitis totius hunc esse germanum sensum aperte convincit; Confirmabunt etiam voces singulæ, quæ cum hac nostra interpretatione non invitæ convenient.

Sexta expositio eligitur.

Iob in hoc capite agens de naturæ mirabilibus.

Totius capitis nexus postulãs, ut hæc sententia intelligi debeat de piscibus.

℣.4. præced.

Et Quidem nemini mirum, quod *Gigantes* accipiamus metaphorice pro vastis piscibus, & Cetis monstrosæ magnitudinis; Præsertim, *Cete grandia*, quæ nominatim dicitur, Genes. 1. 21. creasse Deus, illumq; *benedicãt*, Dan.3.79. id est, illius magnitudinem, & potentiam prædicent, & nos edoceant. Magnitudinem præterea *Leviathan*, celebrat Deus ipse, IOB.40. Et ut de aliis belluis marinis mole vastissimis, de quibus Plinius libr. 9. capite 3. scribit, nos taceamus, de Arabici tamẽ Maris Balænis, & Cetis, utpote apud Hussitas notioribus, silendum non est, quod idẽ Plinius lib.32.c. ex Iubę cõmentariis de Arabia, refert; *Cetos sexcẽ-*

Gigantes pro vastissimis piscibus.

Cete benedicẽtia Deum.

Plinius.

Maris Rubri Balænę mirabilis magnitudinis.

torum pedū longitudinis, & trecentorum sexaginta latitudinis in flumē Arabiæ intrasse. & quę de Indico mari ex Nearcho refert Strabo, lib. 15. *Cetorū magnitudinē vicenū, & ternū passuum esse*. & dū de sinu Persico loquitur lib. 16. visum esse eidē Nearcho, *Cetū e mari ejectū, quinquaginta cubitorum*. Solinus. c. 36. *Indica* (inquit) *maria Balænas habent ultra spatia quatuor jugerū. Sunt & quos Physeteras nuncupant; qui enormes ultra molem ingentium columnarum, super antennas se navium extollunt, haustosque fistulis fluctus ita eructāt, ut nimbosa alluvie plerumque deprimant alveos navigantium*. Fere descriptum hoc ex Plinio lib. 9. cap. 3. Perderem pretium, operæ si curiose, quæ de quarundā belluarū marinarū vastitate scribuntur a bonis auctoribus, colligere, & percensere vellē, cū in promptu sint Plin. locis adductis, tū præterea lib. 9 c. 30. Strabo lib. 15. AElian. lib. 13. & lib. 17. c. 6. & 12. Albert. lib. 24. Baptista Fulgos. lib. 1. Olaus lib. 21. 5. 7. 8. c. 16. Leonius. 9. Ovetan⁹ lib. 13. Hist. c. 2. Basi. hom. 7. Exam. Procopius Cæsariēsis lib. 3. Belli Gothorū. Simon Majolus colloq. 11. Causa tantæ pisciū molis, & vastitatis inquiritur ab Arist. Sect. 10. Problem. *Cur maris animlia majora, vegetioraque sunt, quā terræ? An* (inquit) *quod vis solis consumendo, quæ terrā ambiunt, copiā detrahit nutrimēti? Quā ob rem, quæ abditam vitam degunt vegetiora sunt*. Causam deinde aliā indicabimus ex Plinio. En igitur jam *Gigantes*; belluas nimirum marinas magnitudine, longitudine, visu horribiles.

Strabo.

Solinus.

Qui de pisciū vastitate monstrosa scripserunt.

Plin. Strabo, Aelian. Albert. Fulgos. Olaus. Leonius. Ovetan. Basilius. Procop. Majolus.

Cur aquatilia majora sint terrestribus.

Aristot.

Sed si pisces (inquis) maximi, & vastissimi, non solū cū minutissimis cōparati: (sunt enim in mari *animalia pusilla cū magnis*, id est, in utroq; extremo & magnitudinis, & parvitatis mirabilia) sed etiā cū terrestribus animantibus illā magnitudinis, & eminentiæ Giganteæ analogiā haberēt, nihil jā esset, quod in hac *Gigantū*, pro Cetis, aut piscibus vastissimis appellatione, dubitationē facere posset. Optime quidē. Accipe igitur ex Opiano, quantum pisces magnitudine, viribus, ferocitate præstent similibus animantib⁹ terrestribus.

Psal. 103. 25.

Aquatilia magnitudine, & parvitate miranda.

Testudo in terra est, sed lōge viribus impar,
Et longe inferior dira testudine Ponti.
Sunt sicca tellure canes horrore timendi,
Sed nequeūt rabie canibus certare marinis.
Exitiale facit vulnus Panthera tremendis
Dentibus in terra, fluctu magis aspera Ponti.
Et nimis horrendæ in terra versantur Hyænæ;

Opian.

Aquatilia prę stātiora terrestribus, mole, & viribus.

Sed multo præstant crudeli horrore marinæ:
Est aries terræ mitis, natat æquore vasto
Sævior, ut nequeas hunc assimilare priori.
Ecquis vastus aper superabit robore Lamnā!
Qui tantum fulvi præstant virtute Leones,
Quantū sub fluctu fertur præstare Zigænæ:
Formidant Phocas ursi certamine torvas.

An non cōparatione terrestriū anguiū *Gigantes* erunt *Anguillæ* illæ, quas, ut scribit Plin. lib. 9. c. 3. & Solin. c. 30. *ad tricenos pedes educat Ganges*? An nō & vermes terrestres pumiliones erūt, illi vero marini vermes Gigantes, & magnitudine, & robore incredibili, quibus Ganges idē abūdat, ut iidem Scriptores, & Plini. c. 15. ex Statio Seboso referūt, quibus *bina brachia lōgitudinis cubitorū non minus senū, adeoque robustis viribus, ut elephantos ad pontum ventitantes mordicus cōprehensos ipsorū manu rapiāt in profundum*: Sed jam de Gemitu.

Anguillæ tricenūm pedū.

Plin.

Solin.

Vermibus marinis abundās Ganges.

De marinorum Gigantum sub aquis GEMITV.

16

GEMVNT utiq; sub aquis, in morem parturientiū, aquatilia hæc Gigātea, atq; in universum, gen⁹ omne pisciū, eo quod mirabiliter parturiunt, & incredibili fæcūditate luxuriant, & multiplicantur. Neq; enim sine causa factū videtur, ut cum *produxisset terra jumenta, & reptilia, & bestias terræ*, nullā illis *multiplicationis benedictionē* impertitus sit Deus; at creatis *Cetis grādibus*, & omnibus aquatilibus, statim *benedixit, dicens, Crescite, & multiplicamini, & replete aquas maris*. Quid, quod nō solū *benedictionis* participes, sed etiā maledictionis illius universalis eluvionis immunes fuerunt? nā terra, terrestria q; omnia maledictionem, mortemq; subierūt; at plaga non tetigit aquas, non pisces. Quā rē expendit August. de Mirabilibus Scripturæ lib. 1. c. 4. *Multitudinis autē, & magnitudinis* (inquit Plinius) *Causa evidēs humoris luxuria. In mari tā late supino, molliq; ac fertili accremento, accipiente causas genitales e sublimi, semperq; pariente natura, pleraq; etiam monstrifica reperiuntur, perplexis, & in semet aliter atq; aliter, nunc flatu, nunc fluctu, cōvolutis seminibus, atque principiis, ut vera fiat vulgi opinio, quicquid nascatur in parte naturæ ulla, & in mari esse, prætereaq; multa, quæ nusquam alibi*. Merito ergo ille cecinit:

Gemitus piscium, parturitio, & fœcunditas.

Gen. 1. 25. & v. 21. & 22.

Benedicūtur pisces, & non terrestria.

Pisces immunes universalis maledictionis.

August.

Plin. lib. 6. c. 2

Innumeræ pelago gentes voluuntur in imo
Nātes, quæ numerū vincūt. Sūt abdita nobis
Plurima monstra maris. Quis posset nomina versu
Aedere? Quis Ponti metas: quis nomina dicet?

Opian. 1. Halieuticon, ex interpret. Laurēt. Lippi.

Tercentū ad ſummū ulnas novere ſub undis
Mortales. Sed multa latēt immēſa profundi
Aequora, Sub vaſto ſpirāt tot gurgite piſces.
Alma parēs tellus nō agmina plura ferarū,
Nec majora tulit, quā vaſt⁹ in æquore pōtus.
Norant cælicolæ numerū penſare natantū,
Terreſtreſq; acies, an partes æquet utrāſque.

Vides jā ut, *Sub aquis gemāt*, id eſt, pariāt, aut potius parturiant incredibili fæcūditate. & ut in aquis *ſemper pariat* (ut Plini⁹ dixit) *natura*, quę ſæpe in terra ſteriliſcit.

Quinā ſint Adhabitatores Gigātū aquatilium, atque Cetorum.

17 *ET qui habitant cū eis*. Prop. ex Heb. legas, *Adhabitatores*, vel cū Septua. *Vicinos*, vel proximos, aut, eos, qui prope habitāt, propeve requieſcunt. A verbo *Sacan*, de quo aliquādo plura diximus. Propter hāc itaq; proprietatem vocis, cōjectura mihi eſt Iobum reſpicere ad mirabilē illā piſciculorum naturā, qui proximi Cetis enavigant, & Balęnarū duces ſunt, mutua amicitiæ fœdera inter parvum piſciculum, & maximū Gigantē conciliante natura. *Musculū* appellat Plinius. *Myſticetū*, Ariſtoteles. *Ducē*, Opianus. quē cū aliis, tū Plutarchus lib. *Vtrum terreſtria prudentiora ſint aquatilibus*, eleganter deſcribit: *Is* (inquit) *quē gubernatorē vocāt, magnitudine, formaq; gobii piſciculus, grandiorū Cetorum cuipiam ſemper hæret, præitq; curſum dirigens, ne vel in brevia, cœnumve impingat, vel in anguſtias incidat, unde exitus non detur. Hunc Balæna lubens ſequitur veluti timonē navis. Ac cæterorū quidē quicquid intra barathrum belluæ veniat, animal, ſeu Scapha, ſeu ſaxū, pęſſum it ſtatim, peritq; in alvei profunda merſum. Hūc autem cognitū ore velut ancorā recipit intra fauces ejus dormiturū, & quieſcente quieſcit, progrediente rurſus, ut antea, eum ſequitur, haud uſquā diu, noctu ve deſtituens. Hoc niſi facit, errare, impingereq; certum eſt. Periere multæ, dū velut gubernatore carēs naufragiū, ad terrā delatæ ſunt.* Quis hic non videat mirabiles *vicinos*, proximoſq; Gigātū adhabitatores? Sed proferamus etiā alios non minus mirabiles: nam Balænā faucibus filios abſcondere, quo ab aliarū belluarum impetu ſint tutiores, ſcribit Philoſtratus lib. 2. de vita Appollonii. Quid, quod etiā Nearchus Scriptor tradit, viſum eſſe a ſe cetum in Perſico littore, longum cubitos quinquaginta, in cujus cute cōchæ oſtreę herbæq; marinæ enatæ fuerant? Vt jam profecto is Gigas marinus maxime mirabilis fuerit, *& qui cum illo habitabant*.

18 Sed ſi in univerſum hæc verba accipere velis, ut adhabitatores, vicinique Gigantū ſint humidæ omnes regionis incolę, id eſt, piſces omnes, quorū mirā in quoq; genere fæcunditas, & multitudo, ad Divinę Potentiæ, & Sapientię documentū, recte ſane cohærebit. Nā hāc eſſe in univerſum piſciū periphraſim, colligi poteſt ex Deute. 4. 8. *Piſces, qui ſub terra morātur in aquis*. & iterū Deut. 5. 8. *Quæ verſantur in aquis ſub terra*. Cōvenietq; cum illo Eccleſi. 43. 27. 28. *Qui navigant mare, enarrāt pericula ejus: & audientes auribus noſtris admiramur. Illic præclara opera* (Septua. *Incredibilia*) *& admirabilia: varia beſtiarū genera* (Septua. *Varietas omnis animaliū*) *& omnium pecorū, & creatura belluarum* (Septua. *Creatura Cetorū*.) Pecora marina omnis generis ſunt, quod Plin. dixit in mari eſſe *animaliū ſimulachra*. ſūnt enim Apri, porci, arietes, oves boves, vituli, canes, equi, hippopotami, leones, urſi, tigres, pātheræ, elephāti, hirci, aſini, monocerotes, ſimiæ, vulpes, lepores, mures, muſtellę, lacerti, vermes, tineæ aranei, cancri, pulices, pediculi. Familiaria hæc, & nota omnia piſciū genera de ſcriptoribus piſcium. Hæc dixit Ieſus Siraeh, *Varia beſtiarū genera, & omniū pecorū*. At neq; *pecorū* ſolum, volatiliū etiā. Sunt enim in mari aquilę, accipitres, milvi, Phęnices, cucullus, gallus, grus, hirundo, loligo, picus, pardalis, paſſeres varii. Neq; hęc tantū, *Rerum quidē* (inquit Plin.) *non ſolū animaliū ſimulachra eſſe, licet intelligere, intuentibus, uvā, gladiū, ſerras, cucumim & colore, & odore ſimilē*. Cū *ſerra*, & *gladio*, jūge novaculā, acum, pugillarē, Cū *uva*, junge papaver, paſtinacā, urticam, arborē. aquatilia omnia Artificialia etiā alia, Throchi *rotæ, ſoleæ equorū*. De *arbore*, & *rota* accipe Plinii verba lib. 9. c. 4. *In Gaditano Oceano arbor in tantū vaſtis diſpanſa ramis, ut ex ea cauſa fretū nunquā intraſſe dicatur. Apparēt & rotæ appellatæ a ſimilitudine quaternis diſtinctæ radiis, modiolos earum oculis duobus utrinq; claudentibus*. Sunt etiā in mari Satyri, Syrenes, monachi, paraſiti. Sed quid terrena cōmemoro? ſunt nubes, ſunt ſtellæ, eſt quoq; Luna. quorū omniū mirabilē naturā, nō ſolū nomina, in Ariſtotele, Plinio, Aeliano, Opiano & recentioribus qui piſciū hiſtoriā ſcripſerūt, minutatim deſcriptā videre licet. Quid igitur ex naturæ operibus tam opportune ad mirabilitatem creatoris, atq; illius Sapientiæ, & Potētiæ proferri a Iobo potuit, quā marinorū *Gigantū*, & reliquorū, *qui cū illis habitāt*, hiſtoria, & cōmemoratio? Lōga profecto, lataq; hæc, ſed nō injucūda, de *Gigātibus* lōge, lateq; vaſtiſsimis diſputatio.

Regia. LXX. שכן
Qui habitent cum Marinis Gigantibus.
Muſculus Balænarum dux.
Plin. lib. 11. c. 37. & lib. 32. c. Ariſt. lib. 3. de hiſt. anim. c. 12. Opian. lib. & Aelian. lib. 10. c. 6. Hermolaus in Plin. Plutarch.
Balęnarū mirabiles fœtus.
Philoſtrat. Nearchus.
Cetorum cuti adhæreſcētes piſciculi.

Piſcium circū loquutio.
Illuſtratus Eccleſiaſticus de natura aquatilium.
LXX.
Quomodo in mari pecora multa.
Plin. lib. 9. c. 2.
In mari volatilia.
Plinius.
In mari natāt, & vivunt inanimata.
Marinę herbæ, & arbores aquatiles.
Res artificiales in mari naſcentes.
Aſtra, & Luna vivētia in mari.
Luna, *Aelin. lib. 15. c. 4.* Stellę, *Plin. lib. 9. c. 60. & c. 22. Ariſt. lib. 5. de hiſtor. anim. c. 15.*

VI. Nudus est infernus corã illo, & nullũ est operimẽtũ perditioni.

1. Infernus, & perditio *quid. Efficacitas Divinorũ luminũ. Stella Dei oculi. Explic. Apoc Ioã.* 2. Inferni velamen, *tenebra, & oblivio. Affirmatio exposita per sequentem negationem. Deus de facie omnia cognoscens. Explicatus Paulus.* 3. *Notata argutia Caietani.*

I CVM ad profundum maris superiori sententia descendisset Iob, in quo Dei Potentia, & Sapiẽtia relucet, profunda etiam omnia terræ viscera cogitatione penetrare aggreditur, quæ cum inveniat tenebris, & caligine plena, rursus Divinę mentis radium, lucemq; clarissimam quæ universa illuminat, commendat, & amplificat. *Infernus, Seol,* de quo sæpe diximus, pro sepulchro, & subterranea mortuorum statione, pro terræ visceribus, & centro. *Perditio* vero, *Abadon,* interitus, consumptio, mors, locus omnino nobis occultus, & multa caligine obvolutus, barathrum, & præcipitium, in quod cum aliquid descẽdit, periisse videtur, tenebris, & oblivionis caligine immersum, & obrutum. Ideo Apoc. 9.11. *Angelus, qui ascendebat ex Abysso, vocabatur* Hebraice, *Abadon* (idem fere nomen, quod *perditio,* aut locus ipse perditionis) *Græce autem Apollyon, Latine habens nomen, Exterminans.* Ergo potest pro sepulchro, morte, & mortuorum conditione utrumque nomen accipi, quo sensu frequenter junguntur inferius c.28. 22. *Perditio, & mors.* Psal.37. 12. *Sepulchrum, & perditio.* Prover.27.20. *Infernus, & perditio.* Hæc igitur, quæ ad mortuos, & eorum domos, conditionem que pertinent, nostris oculis convelata sunt; ignoramus, quid apud illos agatur, nisi fides doceat, & revelet; ignorant rursus illi nostra. At Divinis oculis patent, profunda, & abdita quæque; omnia circuit Divina Providentia, omnia perlustrat. Sed melius pro infernis locis, & terræ centro nobis occultissimis, quod cũm nos ignorationis, & caliginis velo contectum lateat, at latere non potest Divinorum aciem oculorum; *Nudus est enim infernus, & nullum operimentum perditioni.* Quod Prover.15.11. simili sentẽtia dicitur: *Infernus, & perditio corã Dño, quãto magis corda filiorũ hominũ?* scrutatur utraque, & collustrat Divinum lumen. Hinc illud apud Hesiodum celebre de Iovis oculis:

Omnia vidẽs Iovis oculus, omniaq; intelligẽs.

Et sicut cælestium luminum, Solis, Lunę, Sstellarum virtutes, & actiones, non solũ circa terræ, marisque extimas superficies versantur, sed suis viribus, & efficacitate penetrant interna, & profundissima quæque; Ita sane Divinorum oculorum lumina. Quod eleganter illa Arionis historia, potius fabula, quam Plutarchus in cõvivio describit, significatum est; cum Arionis cogitationem in mediis fluctibus periclitantis, nisi delphinorum ope, & Divina Providentia sublevatus fuisset, in hæc verba exprimit; *Ajebat sibi, neque mortis tantum metum, neque vitæ cupiditatem tantam ad animum accidisse, quantum sibi studium incessisset, ut servatus, & Diis charus videretur, & firmam de iis opinionem conciperet. Simulque se, cum cælum intueretur stellis frequentissimis nitens, lunamque fulgidam, & puram exorientem, stante mari trãquillo undequaque, & sine fluctibus cursum veluti semitam scissam præbente, cogitasse secum animo suo, non unum duntaxat justitiæ esse oculum, sed his omnibus* (stellis inquam atq; luminibus cælestibus) *circũcirca Deũ observare, quæ terra, marique agantur.*

2 Quod autem dicitur, *nudus infernus,* statim per negationem, quod moris Scripturarum est, repetitur, *& non est operimentum.* Quid autem hoc velamen est, quod abditissima quæque ad Divinos oculos deponunt? certe oblivionis, & ignorationis caligo, & tenebræ. ut Psal. 87.12. indicatur, postquã enim dixisset: *Numquid narrabit aliquis in sepulchro, misericordiam tuam, & veritatem tuam in perditione?* Per expositionem additur; *Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, & justitia tua in terra oblivionis?* & simili fere metaphora infra cap. 38. 9. *Nebula,* & *caligo* dicuntur esse velamen, & *pannus obvolvens.* Ad hanc ergo Iobi sententiam alludens Paulus Heb.4. 13. ait: *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus. Omnia autem nuda, & aperta sunt oculis ejus.* Quod *aperta,* dixit, alii dicunt, *resupinata,* a verbo, *Trachelizo,* quod est resupinare in collum, aut in cervicem q. d. Exposita Divinis oculis, ita ut perfectissime omnia cognoscat, non per umbram, non videat tantum posteriora, sed faciem ipsam ad cælum, & Divinos oculos conversam; ita ut de facie, & intus, & in cute perspiciat. Sed eleganter dictum est * *Aperta.* q.d. Nihil tectum, patefacta omnia, quasi resupinatis valvis. Sed illud etiam ad vocis originalis proprietatẽ est, quod dicantur omnia in Divino conspectu cervicata, quasi a cervice ad caudã excoriata, & nudata pellibus. *Sicut enim* (inquit Chrysost.) *cum pecudes occiderit quis, & ex carnibus detraxerit pellem, omnia interiora*

Quid proprie Infernus, & perditio.

אבדון

Hesiodus in libr. Opera. & Dies.

Dei lumina penetrãtia inferas omnes terræ partes.

Plutarc.

Arionis fabula ad veritatẽ adducta.

Stellę veluti Dei oculi.

Scripturæ mos.

Oblivio, & ignorantia, rerum velamentum.

Paulus ad Iobũ alludens.

τραχηλίζω

* Estan todas las cosas, como casas abiertas las puertas de par en par.

Res in Divinis oculis, qua si excoriatę.

Chrysost.

revelant

Anselmus.

Opera res quasi liber obvolutus.

Deus illuminans, quę nos obscuramus.

revelantur, & aperta sunt oculis nostris, sic & Deo aperta subjacent omnia. Anselmus nescio quid in hac *aperiendi* translatione referendum existimat ad librum qui cum aperitur, legi potest, ita Divinis oculis pervium, & lectu facile esse quidquid in nostris conscientiis exaratum, & signatum est. Quare quod nos seris, & repagulis claudere conamur, recludit Deus; quod nos conculcare, & obvolvere tenebris, illuminat; quod operire, & contegere, revelat.

3 Cajetanus nimiu argutus.

Sed Cajetanus, qua est argutia, & subtilitate, observavit, appellari *nudũ infernũ*, quod dæmones, & animæ apud inferos sint exutæ corporibus, quæ sunt veluti induméta, & velamina, & quod infernus dicitur esse coram Deo, *quia possunt dirigere intellectum versus Deum directa cognitione*; nos autem non possumus illum contemplari, *nisi per conversionem ad phantasmata*. Atque utinam nunc esset his Philosophis, & Theologiis locus, aut Iobus horum nos aliquid docuisset, ut certi aliquid haberemus, & in illius expiatione spatiaremur. Sed quia tam sunt extra rem, quam a Iobi mente aliena, ad id, quod nostrum est, pergamus.

VII. Qui extendit Aquilonem super vacuum, & appendit terram super nihilum.

1. Aquilo *unde dicatur. Quatuor terræ, sicut, & cæli plagæ.*
2. Aquilo *de aere. Quid* firmamentũ, *& cælum in Sacro sermone. Explicatus David.*
3. Aquilo, *de Aquilonari hemisphario. Quid* vacuum, *varia lectio.*
4. *Quid* appendere. *Quid* nihilum, *quod est terræ fundamentum. Illustratus David.*

I *Eugub.* Aquilo pro terra Septemtrionali. *Philipp.*

Extendit *Aquilonem*. Eugubinus, existimavit *Aquilonẽ*, vocari terram Aquilonarem, aut Septemtrionalem, quod respectu nostri illa sit magis habitabilis, quã Australis, & Meridionalis. Hoc idẽ prius docuerat Philippus Presbyter, atque ex eo confirmat, quod sicut antea dixerat, *Qui fecit interiora Austri*, id est, *plagam Meridianam per spatia infinita ingredientem: sic nunc Septemtrionalem partem, quæ similiter in quodam spatium immensum extenditur, quasi in quosdam sinus habitationis inaccessibiles*. Ait autem dictum, *Aquilonem, extendi super vacuum, quod impenetrabile sit, & in longo remotum silentio*. Certe ex nomine ipso non potest redargui Eugubinus: nam sicut in cælo potissimum sunt illæ quatuor plagæ, sic sane in terra totidem constituimus respondẽtes cælestibus, ut manifeste tum alibi, tũ Genes. 28. 15. numeratur: *Dilataberis ad Orientem, & Occidentem, Septemtrionem, & Meridiem*. Tum etiam ipsum nomen originale, *Tsaphon*, id est, *Aquilo*, quod dicitur ab occultando, æque convenit vel in Cæli partem Septetrionalem, quæ quasi abscondita est ab oculis, & radiis Solis (illam enim cælestem plagam, nõ peragrat Sol) vel in ipsam terram Septemtrionalem, quæ etiam abscondita videtur a calore, & lumine. Tantum improbari potest hæc prima exponendi ratio ex eo, quod cum statim acturus sit de terra, non videtur Iob nunc quoq; terræ meminisse, ne in hac cõmemoratione Divinorum operum, ulla materiæ inopia laborare, ulla ve repetitione indigere videatur.

Quatuor terræ plagæ respondẽtes cælestibus.

צפון

Aquilo cur exproprietate nominis dicatur abscõditus

Eugubini nõnulla refutatio.

2 *Nicetas.* Aquilo pro aere.

Secundo, Nicetas intelligit per *Aquilonem*, elementum aeris, quod *super vacuum*, aut, ut Septuag. pro *aere* legunt, *super nihilum*, & Aquila, *super inanitate*, id est, super illud inane spatium aereæ regionis fusum, & expãsum est. Et quadrat quidem ipsa res, namque etiam in Genesi, 1. 6. dicitur factum *firmamentum*, vel expansio, aut sparsio aeris; quod Vulgaria quondam Hebræorum Biblia lingua Hispanica dicebant, *Fagase esparzimiento*, nam videtur per rarefactionem, quæ est extensio quædam, aut expãsio, factus aer de aqua, cum interjectus est aer inter aquas inferiores, & superiores, *facto firmamento in medio aquarum*. atque hujusmodi aeris extensio proponi sæpe solet ad speciem Divinorum operum. sicut Psal. 103. 2. *Extendens cælum, sicut pellem*, id est, rarefaciens, & expandens aerem. Propterea enim sequitur; *Qui tegis aquis superiora ejus*, videlicet cælestibus orbibus ex aqua factis, aut certe aqueis nubibus, quæ supremam aeris regionem, velut tectum quoddam contegunt, & occultant nostris oculis. Sic enim leniter statim subjungitur ipsa nubium consideratio; *Qui ponis nubem ascensum tuum, &c.* Atque de hoc, & de aere intelligitur id Isaiæ 40. 22. ubi suis gradibus a terra ad aerem ascendit, cum ait; *Qui sedet supra girum terræ; qui extendit, velut nihilum, cælos, & expandit eos, sicut tabernaculum ad habitandum.* Nisi enim illud elementum, quod proxime terram habitabilem ambit, & quasi contegit, intelligatur, non erit lenis, aut commode petita tabernaculi, aut tẽtorii translatio. Neque vero *Aquilonis*

Aeris extẽsio ad magnificẽtiã Divinorũ operum.

nomen

Sẽtẽtiæ ſuperioris cẽſura.

nomen magis alienum eſt ab Aquilonari vento, quam ab Aquilonari cęli, aut terræ plaga. Sed quidem de hac expoſitione cenſeo, poſſe *Aquilonis* nomen in ventum quoque quadrare flantem ab Aquilone, ſed tamen in totam aeream regionem non valde leniter convenire, niſi forte per Synecdochẽ. Qua dicẽdi figura Nicet. exiſtimat nunc ſignificari reliquos vẽtos, ab hoc uno Aquilonari, ſicut alibi, *Heſperum, & Arcturum*, appellavit, cætera aſtra indicans. Atque hæc interpretatio valde mihi cohærens videtur cũ tota hac oratione, quæ de meteoris ſuſcepta eſt.

Aquilo pro vento Aquilonari.

Synecdoche. Nicetas.

3 Ergo reliquum eſt, ut de cæli Aquilonari parte, & per Synecdochẽ, de toto cęlo, locus hic intelligatur. In quo nonnulli Latini poſt Albertum Magnum, & Divum Thomam libenter conveniunt. Hic autem exiſtimat *Aquilonem* vocari, non cælum integrum, ſed Hemiſphęrium ſuperius: nam polus Aquilonaris elevatur nobis ſupra Orientem, ſicut Auſtralis deprimitur, & occultatur ſub orizonte. & rectẽ dicitur *cælum extenſum*, quaſi in modum tentorii concamerati, quæ trãſlatio in Scriptura non eſt infrequens. Dicitur autẽ *extenſum ſuper vacuum*, quia hoc ſpatium interjectum inter cælum, & terram, ut Divus Thomas ait, vulgo videtur vacuum; at, ut Cajetanus exiſtimat, quod aerem antiqui nominarent *vacuum*, & videtur cum aere, aut vento conjungi, quaſi per expoſitionem, hoc ipſum originale nomen Iſaiæ. 41. 29. *Ventus, & inane ſimulachra eorum.* Sed cum eodem modo dicatur hoc loco *cælum extenſum ſuper vacuũ*, ſicut & terra *appenſa ſuper nihilum*, ut Septuaginta legunt; *Extendẽs Aquilonem ſuper nihilum, ſuſpendens terram ſuper nihilum*; Commodius videtur, *vacuum* vocari, inane illud ſpatium, aut capacitatem, quam locum intrinſecum nonnulli Philoſophi appellaverunt, quem res corporea nata eſt occupare, & implere. Qua in re mirabilem ſe præbet Divina potentia, cum tantam molem erexit nullo nixam fundamento, ſuper nullo fornice, ſed ſe ipſa firmatam, & conſiſtentem. Non diſplicet tertia hæc exponendi ratio, ſed placet ſecunda.

D. Thom. Albert. N celaus Dion. ſ. Titelm. Iſidor. Clar.

Aquilo pro hemiſpherio ſuperiori.

D. Thom. Cajetan.

Aer quaſi vacuũ. & inane.

LXX.

Vacuum, aut inane locus intrinſecus corporum.

4 *Et appendit. Suſpendit*, ut vertunt Septuaginta, id eſt, librat quaſi ſuo pondere: *ſuper nihilum*, nullo fundamento nitentẽ, ſua tantum gravitate connixam, ut explicatur Pſalm. 103. 5. *Fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam, nõ inclinabitur in ſæculũ.* Quod Aquila, & Symmachus dixerunt;

LXX.

Aquila, Symmach.

Fundaſti terram ſuper ſedem ſuam; Divus Hieronymus ex Hebræo: *Super baſim ſuã.* Quod Theodoretus eleganter etiam explicat: *Cum ipſam ſuper ſe ipſam fabricaſſet, dedit ipſi, ut nunquam moveatur, & hoc modo permaneat.* Ergo cum hęc *ſtabilitas*, & *baſis* hoc loco dicatur eſſe *nihilum*, certe commode dicemus, eſſe hoc *nihilum*, terræ centrum, & imaginarium illud ſpatiũ, ſive punctum longiſsime diſtans a Cælo ambiente. Et quanquam hoc loco Gregorius Theologus aſſerat, in hac terrę ſtabilitate, & firmitate, nihil poſſe a ratione reperiri; *ubi inſiſtat, niſi Dei voluntatem, quæ illam ſuſpendit, atque firmavit*; ita ut dicatur *ſuſpenſa ſuper nihilum*, id eſt, nihil eſſe, quod illam ſuſtentet, ac firmet: Cæterum ex omni terræ partium gravitate, atque gravitatione in centrum, & locum a cælo maxime diſtantem, neceſſario ea ſtabilitas conſequuta eſt. Quare aberravit a vero centro Plinius, cum cæli, terræque formam ſtatuit; *In cælo* (inquit) *in ſe convexitas vergit, & cardini ſuo, hoc eſt terræ undique incumbit: Hæc ut ſolida atque conferta aſſurgit intumeſcenti ſimilis. Mundus in centrum vergit: at terra exit a centro, immenſum ejus globum in formam orbis aſsidua circa eã mundi volubilitate cogente.* Non exit a centro terra, ſed colligit, fulcitque ſe ſe in centro; non ſuſtinetur, neque innatat mari, ut Thales Mileſius dixit, tanquam grande navigium fluctuans ſed ſtabilis, fixaque perſeverat extenſa ſupra nihil, & ſua gravitate puncto incumbens. Sed ne hæc ipſa terræ natura in aliud, quam in Dei potentiam referri poſsit, dicitur nunc terra, non ſolum *fundata ſuper ſtabilitatem ſuam*, ſicut, & Pſal. 101. 26. & Pſal. 103. 5. & 8. & Pſal. 118. 90. & Proverb. 8. 28. & infra Iob. 38. 4. Sed *appenſa*, & quaſi in bilance ſuſpenſa *tribus* Dei *digitis*, Iſaiæ. 40. 12. id eſt, facile, ac nullo negotio; neque enim indiget Divina potentia, ut brachiorum complexu, aut cõpreſſo pugno, & contentis nervis terræ molem ſuſtentet, & teneat pendulã. *Quis appendit tribus digitis molẽ terræ, & libravit in pondere montes, & colles in ſtatera?* Quanta præterea Dei ſapientia, & quam mirabilis ars, quæ pro tanta mole bilances cõficit, & brachia ſtateræ, quibus immenſa pondera librentur!

Hieron.

Theodoret.

Quæ terræ baſis, & fundamentum.

Nazian.

Plin. li. 2. c. 64.

VIII. Qui ligat aquas in nubibus ſuis, ut non erumpant pariter deorſum.

1. Aquæ ſuperiores. *Multa naturæ mirabilia in generatione pluviæ.*
2. *Formatio guttarum pluvialium exhilarans herbas.* Ligare *quid proprie.* Nubes *Dei veſtimentum.*
3. *Quid ſit,* Nubibus colligari aquas, *illuſtratus Salomon, & Hoſeas.*
4. *Diluvii tempore quomodo viderentur pluviæ, erupiſſe* pariter deorſum.

AQuarum nomine ſuperiores aquas, non inferiores intelligi, ex adjunctis
1 nubibus, liquidum eſt: ſicut & Pſal. 103. 3. Ierem. 10. 13. Iſai. 28. 2. & Pſal. 28. 3. & Pſal. 73. 18. & 20. & alibi. Cum autem Sacri Scriptores ex Meteororum conſideratione Divinam Sapiētiam, atque Potentiam prædicent, edocti certe vidētur a Iob, qui non ſemel, ſed ſæpe rem hanc ſapienter, atq; magnifice deſcripſit, tum hoc loco, tum etiam infra cap. 37. & 38. ubi etiam *Pluviæ* meminit, de qua nunc agit, non tam ut in ſe eſt, quam ut nobis eſſe videtur: nam videtur ſane aqua contineri nubibus, quaſi colligata, & incluſa atque inde, quaſi laxato nubium orificio guttatim ſtillare in terram, ne ſi *erumpat pariter deorſum,* terram devaſtet. Hoc ſane ex illis eſt naturæ mirabilibus, quæ aſſiduitate viluerunt, & quæ conſuetudinis vitio neque ſcrutamur, neq; admiramur, cum tamen Iobum ſapientiſsimum in maximam admirationem cōjecerit. Et ut alia de pluviis omittam, quæ alterius loci ſunt, certe in hac præſenti ſententia multa indicari videntur naturæ mirabilia, atque Divinæ Sapientiæ, & Potentiæ documenta. Primum, quod aquam rem fluxam, & labilem *Ligare* Deus poſsit, ſive juxta proprietatem vocis originalis, claudere, conſtringere, premere. Secundum, quod ita conſtringat, & detineat, ut non omnino prohibeat, neque reprimat; ſed ita pluviæ habenas temperet, ut neq; omnia areſcant, neque libere omnino emittat, *ne ſubvertant terram.* Sicut ſupra cap. 12. verſ. 15. ipſe Iob dixit, *Si continuerit aquas, omnia ſiccabūtur: & ſi emiſerit eas, ſubvertent terram.* Tertium, quod res tam tenuis, tam levis, tam ſubtilis, qualis eſt nubes, cōtinere poſsit pluviam, quæ ſua gravitate videtur ſemper in terram incumbere. Quartam, quod cum vi vētorum rapidiſsimorum jactentur nubes, nunquam ſcindantur, aut rumpantur, ne, quæ in illis exiſtimatur concluſa aquarum copia, tota ſimul unquam erumpat, aut cadat uno impetu, ſed ſuis temporibus, ſuoque ordine, opportune atq; æquabiliter ſpargatur, infundaturq; terræ guttatim. Quare in Hebræo, & Græco ſecunda hujus ſententiæ pars ex verbo legitur: *Non eſt*
ſciſſa nubes ſub eis. Miratur certe Eccleſiaſticus. cap. 12. non tam pluviæ abundantiam, quam numerum, & copiam guttarum tenuiſsimarum, ſive in imbre, cū guttæ tenuiores, & crebriores, ob vaporis tenuitatem, eodem tenore jugiter decidāt, ſive in nimbo, cum guttæ paulo grandiores, & aliquanto rariores propter vim frigoris, majorem partem vaporis ſimul cōdenſantis, defluunt, *Arenam maris, & pluviæ guttas, & dies ſæculi, quis dinumeravit?* Sic etiam Pſalm. 64. 11. non tam dicitur Deus exhilarare, facereque lætas ſegetes aquarum affluentia, quam opportunis illis, leniſsimiſque pluviæ irrorationibus, *In ſtillicidiis ejus lætabitur germinans.* Nam multam humoris copiam confertim, & uno impetu effuſam terra reſpueret, at ſenſim, & guttatim inſtillatā libenter ſuſcipit.

Divinæ Potētię, atque Sapientiæ commendatio ex pluvia.

Multa in pluvia natura mirabilia.

צרר

Pagni. Regia. Cajetan.

Guttarū uſus ad exhilarādā terram.

Hæc autem guttarum imbris formatio unde fiat, aut qua ratione æſtimari debeat, ſubtiliter in hac ipſa ſententia indicatur, tum verbo *Ligandi*, tum etiam in *nubibus:* Nam, ut diximus, *Ligandi* verbum *anguſtias* affert, cum aliquid premitur, & in anguſtum cogitur, quod quidem eſt denſationi, & coagulationi commune: res enim, quæ denſatur, premitur, & conſtringitur. Ideo autem aqua *non erumpit pariter deorſum*, quoniam paulatim *ligatur*, & denſatur nubes rorida, & vapor aqueus, quare paulatim in aquam cogitur, & ſenſim defluit, non enim tota ſimul generatur. atque hac idem pulcherrima, licet latente ſimilitudine ſignificatur, cum dicitur, *in nubibus ſuis*: nam peculiariter dicuntur, *nubes*, Dei propriæ, quod in illis reſidere videatur, & iiſdem veſtiri, & cōtegi. Quare *ligare aquas in nubibus ſuis*, idem erit, quod ligare, & *continere aquas in veſtimento ſuo*, ut clare dicitur Proverb. 30. 4. ad Divinæ potentiæ, atque ſapien-
tiæ admirationem, *Quis colligavit aquas, quaſi in veſtimento?* Quod & eodem verbo originali, utrobique dicitur, & Intelligo de aquis ſuperioribus, quæ ſurſum generantur. Si autem in linteo, vel in panno aqua contineatur, fieri aliter non poteſt, quin percoletur, & guttatim deſtilletur, & exprimatur, neque erumpat pariter deorſum. Sic igitur *Ligante Deo aquas, in nubibus ſuis*, quaſi *in veſtimento*, percolatur aqua, & guttatim inſtillatur. Mitto hujus guttarū formationis, & multitudinis immēſæ cauſam illā petitā ex lōgiſsimo ſpatio, pēr quod ex media aeris

Guttarum generatio.

Nubes cur dicātur peculiariter eſſe Dei.

3

Nubes Dei veſtimentum, in quo percolatur pluvia.

Phyſica alia cauſa generationis, & formationis guttarum

regione decidit, accedente etiam ventorum agitatione, & impulſu, qui aquam in multas particulas diſpergit, & partitur: nam hæc perſequi, alterius eſt negotii. Illud noſtri, quod forte etiam, in *nubibus ligari aquas*, indicat, ſua Providentia auctorē naturæ conſtituiſſe, ut nubes eſſent tāquam aquarū vehiculum, quod ventis impulſum deferretur in diverſas terræ regiones; quare, *ligari in nubibus*, non ſolum erit in nubib⁹ includi, ſed illis alligari, ut niſi ſimul cum nubibus, moveri, & diſcurrere non poſsint. quare dicas, *Ato el agua alas nubes.* ſicut Oſeæ 4. 19. dicitur: *Ligavit eum* (Iſraelē) *ſpiritus in alis ſuis.* id eſt, quocumq; vētus perflaverit, eo ſecum deferet alligatū Iſraelem. quare celerrime hinc avolabit, ſimul cū velociſsimo, & rapidiſsimo vento. Simili ratione dicuntur nubes leviſsimæ aquas ſecum colligatas convehere in diverſas terræ partes. Quare ſæpe, cum pluviæ, ac nubium mētio, fit, ſtatim quoq; venti in mentionem veniūt. ut Ierem. 10. 13. *Ad vocē ſuam dat multitudinem aquarum in cælo, & elevat nebulas ab extremitatibus terræ, fulgura in pluviam facit, & educit ventos de theſauris ſuis.*

Nubes pluviæ vehiculū.

4 Quæ diximus germana ſunt. Sed tamē illud valde vero ſimile, quod Philippus indicavit, alluſionem in hac ſentētia fieri ad ad diluvium; *Ligatæ* (inquit) *aquæ dicūtur, quando non effunduntur in terras, ſicut in diluvio legimus factum.* Quare videbitur Iob mirari, quod Divina Potētia videatur mediis tantum nubibus continere immenſitatem aquarum, ut non rumpantur, neq; *aperiantur cataractæ*, & feneſtræ cæli, ſicut Geneſ. 7. 11. diluvii tempore factum narratur, cū videntur *erupiſſe pariter deorſum.* Quod quidē ad humanū exiſtimandi modum, & vulgi opinionē accōmodatum videtur, ut inter alios illius loci expoſitores Chryſoſt. Rupertuſq; eleganter obſervarunt. Hæc igitur Philippi interpretandi ratio, mihi omnino placeret, ſi diluvium fuiſſet, nō peculiare quoddam ſuppliciū, & ſupra naturam miraculum, ſed de ordinario, & conſueto naturæ curſu, mirabile aliquod meteorologicū, ut antecedentia, & conſequentia aperte exigere videntur.

Philippus. Alluſio ad diluvium.

Cataractæ cæli qua ratione apertæ.

Chryſoſt. Rupert. Interpretationis præcedentis cēſura.

IX. *Qui tenet vultum ſolii ſui, & expandit ſuper illud nebulā ſuam.*

1. *Varia lectio. Eclypſis.*
2. Tenere aerē, *quid. Prima expoſitio coactior*
3. *Quid* Cœli vultus. *Quid item* Tenere. *Secunda expoſitio aliena.*
4. *Cælum Dei Thronus. Per quæ Deus pateт. Illuſtratus Moyſes.*
5. Cæli facies, *aut* vultus *quid.* Terræ, *aut* Regni facies, *quæ.*
6. Tenere *quid proprie. Hebraiſmus cum Hiſpaniſmo. Explicatus Samuel.*
7. *Solii nomen unde. Subſellia judicum circumtecta. Deus tectus nubibus. Illuſtratus Salomon.*
8. *Quid proprie* Expandere. *Quid* Nebula.

Notanda primum eſt illa Auguſtini lectio tanquam ſpuria, & depravata; *Qui tenet faciem Solis.* Quanquam enim ad prædicationē Divinæ Potentiæ faceret cōmemoratio eclypſis, cū Auctor naturæ videtur detinere, & obſcurare Solis faciē fulgentiſsimā; aut cōmemoratio viciſsitudinis dierū, & noctium, cū videtur Sol noctu extingui, interdiu reddi mundo redivivus: Cæterum vera lectio, ut ex Hebræo, & Græco conſtat, non eſt *vultus Solis*, ſed *Solii*, aut *Throni.* 1

Auguſtini lectio maculoſa.

Qui tenet vultum ſolii. Non omnino facilis ſententia ex omnibus tribus vocibus, *Tenendi, Vultus, Solii.* Nicetas ita rem hāc interpretatur, ut ad pluviā referat. Hæc illius verba; *Thronum Dei multifariam Divina Scriptura Cælum nominat; Cæli vero facies, ac vultus eſt aer. Dicit igitur; Cum aerē contineat, & nubibus illum obducat, pluviam defluere non ſinit, niſi ea ratione, quam is conducere cum primis intellexerit.* Fere Vatabli annotatio eodē recidit: Nā *tenere faciē ſolii*, exiſtimat, idem eſſe, quod *conſtringere aerē, & vaporem exiſtentē in media regione ſublimi, qui eſt ante faciē ſolii ejus, hoc eſt Cæli.* cōſtrictus autē, & preſſus aer in nubes cogitur, de quo ſtatim. Vtraque expoſitio durior, & ad proprietatem verbi *Tenendi*, parum accommodata. 2

Nicetas.

Vatabl.

Præcedēs interpretatio non probatur.

Diverſa quidē, ſed non magis lenis, aut ſimplex Alberti explanatio, qui verbo, *tenendi*, firmitatē quandam perpetuæ conſervationis cauſarum naturalium, atque cœleſtium influxuum indicari exiſtimat; & *Cæli vultum*, exiſtimat, eſſe Cæli ſuperciem ſtellatā cōcavam, quæ nos reſpicit, per quā, id eſt, per virtutem ſtellarum influit Deus in elemēta virtutes generationis, & corruptionis, & pluviā præſertim faciēdi, atque excitādi nubes. Ergo Deū *tenere vultum Cæli*, eſt, Deum perpetuo conſervare ſyderū, & ſtellarum virtutes, ac his mediis conſervare etiā generationes, & corruptiones rerum ſublunarium. Cui expoſitioni favere poteſt verbum originale, *Tenendi*, quod firmitatē quādam affert, & quaſi perpetuitatem, in apprehendendo, & retinēdo fortiter. Sed quid germanum in hac ſententia videatur jam 3

Albertus.

Syderum virtutes, & influxus.

אחז

exponam

Germana expoſitio.

Cælum Dei Thronus, in juramento non aſſumendum.

exponam. *Solium*, quidem, aut, *Thronus* Dei, Cælum eſt: res ſæpe in Sacro ſermone repetita, Matthæi 5. 34. & cap. 23. 22. *Non jurare omnino per Cælum, quia Thronus Dei eſt: & qui jurat in Cælo, jurat in Throno Dei, & in eo, qui ſedet ſuper eum.* Vide etiam Iſa. 66. 1. Amos. 9. 6. Cum autem etiam per creaturas alias jurare prohibeat Matthæi. 5. at Cælum tanquam rem ſibi propiorem, & ſacratiorem primo cōmemorat; *Neque per Cælum, quia Thronus Dei eſt, neque per terram, quia ſcabellum eſt pedū ejus: neq; per Ieroſolymā, quia civitas eſt magni Regis.* Quare inter res alias per quas Deus jurare dicitur, nullām aliam creaturam in juramento aſſumit, quam Cælū; vel jurat *per ſemet ipſum*, Gene. 22. 16. Vel *per ſanctitatem ſuam*, Amos. 4. 2. vel, *in anima ſua*, Amos. 6. 8. vel, *per vitam ſuam*, Ezechielis. 18. 3. ſic etiam, & *per Cælum*, Deuter. 32. 40. *Levabo ad Cælum manum meam, & dicam, Vivo ego in æternum*, id eſt, Jurabo per Cælū, quod ſua ſtabilitate, & æternitate meæ vitæ, & beatitudinis ſempiternitatem repræſentat. Quanquam hoc loco Septuaginta alio referant juramentum, legētes: *Levabo in Cælum manum meā & jurabo dexteram meam*; id eſt (ut Auguſtinus in Loquutionibus exponit) *per dexteram meam*. Sed illud clarius Exod. 17. 16. *Cum ædificavit Moyſes altare, & vocavit nomen ejus; Dominus exaltatio mea; dicens: Quia manus ſolii Domini, & bellum Domini erit contra Amalec, a generatione, in generationem.* Quo loco licet juramentum obſcuraverint etiam Septuaginta, legentes: *Quoniam in manu occulta pugnat Dominus contra Amalec*; Verum alii juramentum agnoſcunt, imprimiſq; Onkelus ſic legēs: *Per juramentum dictum eſt hoc coram Deo timendo, cujus majeſtas eſt ſuper ſolium gloriæ.* & ſimiliter paraphraſis Ieroſolymitana: *Iuramentum egreſſum eſt a ſolio gloriæ Domini totius mundi, Domini Regis æterni.* Ergo vides hoc loco tanquam per rem ſacram, per *ſolium Dei*, ſuumque Thronum Deū ipſum jurare.

Deus per nullam aliā creaturam, quā per Cælum jurās.

Cælum repræſentans Dei æternitatē, & ſtabilitatem.

LXX.

Auguſt.

Onkelus.

Ieroſolymitana paraphraſis.

5 *Vultus* autem *Divini ſolii*, nihil aliud eſt quam viſibilis iſte Cæli conſpectus ſplendidiſsimus, ac multo jucundiſsimus; Non enim ſemel *facies*, *vultuſve* in Scriptura ſumitur pro habitu, ſpecieq; externa, aut pro rei alicujus ſtatu, & conditione, ſicut ſæpe dicitur *facies terræ*, id eſt diſpoſitio, ſpecies, pulchritudo, Iſai. 24. 1. & Pſalm. 103. 30. & *facies Regni*, aut *facies Chriſti*, & Regis, eſt regni ſtatus, & conditio, Pſalm. 68. 18. Qua etiam ratione Latini dixerunt; *Faciem reipublicæ*, aut *faciem civitatis*, *ſenatuſve*. Sed faciem etiam, *vultumve Cæli* peculiariter dici, obſervavit Gellius lib. 13. cap. 28. *Quidam* (inquit) *faciem eſſe hominis putant, os tantum, & oculos, & genas, quod Græci Proſopon, dicunt, quando facies ſit forma omnis, & modus, & factura quædam corporis totius, a faciendo dicta, ut ab aſpectu ſpecies, & a fingendo figura. Non ſolum autem in hominum corporibus, ſed etiam in rerū cujuſque modi aliarum facies dicitur. Nam mentis, & Cæli, & maris facies, ſi tempeſtive dicatur, probe dicitur.* Quā rem confirmat idē Gellius ex Pacuvio, Plauto, Quadrigario, Saluſtio. Ergo *Cæli faciem*, aut *vultum*, oportebit intelligere, Cæli magnitudinem, pulchritudinem, ſplendorem, & quidquid ſub aſpectum noſtrum cadit.

Facies rerum etiam inanimatarum, pro ſtatu & conditione.

Saluſtius.

Cic. pro Flac.

Gellius.

Facies apud Latinos, quæ.

6 Sed quid nam eſt, *tenere faciem*, vultumve Cæli? Numquid erit poſsidere, & quaſi reſidere in glorioſo Cæli Throno? Sic certe videtur dici. 1. Reg. 2. 8. *Vt ſedat cum Principibus, & ſolium gloriæ teneat*: Sed quidem verbum, *Tenendi*, hoc loco ex alia radice eſt, quaſi dicat: *Solium gloriæ hæreditet*; ſicut legerunt Septuaginta; *Sedē gloriæ hæreditatem dans eis*. Et Præterea, quia hic ſenſus non congruit; nam profecto ad rem meteorologicam pertinet hæc Iobi ſententia.

Tenere vultū Cæli, quid.

נחל

LXX.

Ergo *tenere faciem Cæli*, profecto eſt, Cælum occultare, & obducere nubibus, ut ſequenti hemiſtichio clare exponitur. Quod cū acute D. Thomas perſpexiſſet, expoſuit; *Tenere faciem Cæli occultam*. Cajetanus etiam, *Accipere faciem*, id eſt, *Tollere apparentiam Cæli*. Sed profecto Hebraiſmus eſt: nam verbum Originale, *Ahhaz*, ſignificat apprehendere, capere, aut accipere. nos dicimus, *Tomar*; quod in noſtro Hiſpaniſmo aliquādo redundat, & refundi debet in ſequens verbum, ſicut cum dicimus; *Fulano tomo, y hizo eſto*. Sic hoc loco Deus * *Tenet Cælum*, id eſt, capit, & obnubilat. Niſi velis alio etiam Hiſpaniſmo, ſimulque Hebraiſmo, illud, *tenendi*, verbum exponere, per, operire, vel obducere. Sicut de pariete, vel ligno, aut re quapiam, calce, vel gypſo, obducta, dicimus; *Eſtar tomado con yeſſo*. & de ferro rubiginoſo. *Eſtár tomado de orin*. quod videatur paries a calce, & ferrum a rubigine teneri, & apprehendi. Ita ſane dicemus, Deum capere, * *Tenereve Cælum* nubibus, atque efficere, ut nebula Cælum teneat, & comprehendat. In qua eadem ſignificatione Interpres Latinus hoc verbum, *tenendi*, interpretatus eſt, *operire*. 3. Reg. 6. 10. *Operuit domum lignis cedrinis*. quod ex vi verbi Originalis poſſet verti,

Vera expoſitio, tenere Cælum, pro obnubilare.

D. Thoma. acumen.

Cajet.

אחז

Hiſpaniſmus ſimilis Hebraiſmi.

* Toma y añubla el Cielo, quando le parece.

* Toma el cielo de nubes, y haze, q̄ las eſtrellas ſe tomen de obſcuridad.

tenuit, vel, apprehendit domum lignis cedrinis.

7 Illud præterea observandum, cum hac significatione *tenendi*, id est, contegendi; & quasi operiendi, elegãter colludere nomen *Solii*, aut *Throni*. Nam videtur *Chice*, idest, *Thronus*, aut *Solium*, dici a radice *Chiça*, quod est, operire, abscondere, aut tegere, quod Throni, & solia regalia, aut subsellia judiciaria cortinis circumtegerentur; aut quod ornarentur, & tegerentur pretiosis stragulis, & tapetibus. Sicut de Throno Salomonis Cantic. 3. 3. dicitur: *Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani, columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum, media charitate constravit propter filias Ierusalem.* id est, media loca hujus ferculi, sive ascẽsus, constravit stragulo, sive peristromate gemmato, in quo amorem suum erga filias Ierusalem depinxerat; vel quod filiæ Ierusalem tantam straguli pulchritudinem mirabiliter adamabant. Sed multo gloriosius, & magnificentius stragulũ, quo contegitur Dei solium: nam quavis contegatur, & ornetur, ut ipsum nomen faciendum indicat, tamen quia *solium* est Præpotentis Dei, supremiq; judicis, continet se intra velum, & cortinas nubium, ut solebant quondam judices sententiam de capite laturi: & ita Deus suam sedem Regiam ornat, ut & majestatem suam, & judicii severitatẽ ostentet, atq; simul injicit mortalibus, velut judex absconditus, expectationem sententiæ pronuntiandę. Iam quid hac Iobi sententia, aut significãtius, aut magnificentius ad ostendendam ex naturæ operibus supremam Numinis majestatem?

כסא
כסה

Solii nomen dictum ab operiendo, & ornando.

Thronus Salomonis.

Dei solium opertum nubibus.

Deus instar judicis, intra cortinas se continens.

8 *Et expandit super illud nebulam suã.* Prę cedentis hemistichii clara, & aperta expositio. *Expandit*, Tendit, extendit, spargit. & de nubibus iterum, hoc verbum dicitur infra Iob. 36. 29. *Si voluerit extendere nubes, quasi tentorium suum.* *Nebulam* autem quidam Latini nimium stricte usurpãt, pro illis vaporum reliquiis, ex quibus nebulæ generantur; quæ quod sint quasi evanidæ, & ad aquam gignendam parum idoneæ, in pluviam cogi non potuerunt. atque hanc exponendi rationem videtur exigere contextus ipse, tum ne bis de nubibus mentio fiat; tum etiam, ut post pluviæ mentionem, serenitatis, & tranquillitatis ratio habeatur; illius enim signum *nebula* est, ut Aristot. docuit. Cæterum nulla hic curiose quærenda est *nebulæ*, a *nube* distinctio: nam in Hebræo, & Græco vox eadem, quæ supra reddita est, *nubes*. Cujus nunc præter pluviæ generationem, munus alterũ describitur, quod est Dei solio, & judicis supremi subsellio ornando, contegendoque inservire, quasi Divinæ sedis venerationem, & religionem, & judicis timorem injiciendo, & indicendo hominibus.

פרש

D. Thom.

Aristot. c. 9. 1 Meteororũ.

ענן

Duplex nubiũ munus, & obsequium Deo.

10. X. *Terminum circũdedit aquis, usque dum finiantur lux, & tenebræ.*

1. *Divinæ potentiæ commendatio, ex maris æstu.* Terminus *maris, lex & præceptum.*
2. *An maris intra littora continentia, danda sit miraculo. Mare superius terra plurimorum sententiâ.*
3. *Mare inferius terra, potius probatur.*
4. Præceptum maris, *& rerum aliarum naturalium, cujusmodi sit. Illustratus David.*
5. Circumdare *quid prop. Idem centrum magnitudinis terræ, & aquæ.*
6. *Perpetuitatis proverbiales loqutiones.*
7. *Terra post judicii diem operienda mari. Infantes non prodituri ex Limbo.*

Terminum circumdedit aquis. Quod Eugub. in Cosmopeja, locũ hunc explicare nititur de Cælo supremo, qui terminus est, & quasi circulus circumductus super aquas illas Cælestes, certe vix, ac ne vix quidem potest ipsi sententiæ, & verbis congruere: Nõ ergo nunc ascẽdit Iob ab aere ad supremũ Cælum, sed potius descendit ad mare, atq; mirabilem marini æstus, in tanta turgescentiũ fluctuum magnitudine continentiam; quã sæpe ad magnificentiam conditoris prædicant Sacrę litteræ, infra Iob. 38. 10. & 22. Psal. 104. 9. Ieremiæ. 5. 22. Quod autem hic dicitur, *terminus*, proprie est lex, præscriptum, pręceptum, statutũ. Quare Ieremiæ. 5. 22. Videtur exponi *terminus*, per *præceptum*. *Posui arenam terminum mari, præceptum sempiternũ.* & similiter Prov. 8. 29. *Legẽ ponebat aquis, ne transirent fines suos.* & vers. 27. *Certa lege, & gyro vallabat abyssos.* Imo & aliquando Seneca, Mare æstuans atque per certa loca excurrens, appellat, *certis legibus solutum.* Nõ ergo littora, arenave, aut altissimi montes circumjecti mari cẽseri debent esse illi pro termino, & limite, quã Dei præceptum. 1

Eugubinus.

Mare contentum intra sua littora ex Dei potentia.

חקק

Senec. lib. 3. cap. 28.

An miraculo cõtineatur Mare, ne exundet?

Hinc certe rem hanc sancti Patres videntur ad perpetuum quodam miraculum 2

raculum referre, quasi sit super omnẽ naturæ vim, imo & cõtra peculiarem maris inclinationem, quod cum terra, atq; littoribus sublimius sit, sed tamen non exundet, neq; effundatur super terrã, illamq; obruat: nã existimãt, cum præcepit Deus, *aquas congregari in locũ unum, ut appareret arida*, necessario factum fuisse, ut moles aquæ congesta extumesceret, & efferretur in sublime, sicq; non parum emineret terræ. Quã sententiam docet Basilius hom. 4. Exameron: illam sequitur, ut solet Ambrosius, & Chrysostomus. docuit idem D. Thomas. 1. p. q. 69. art. 1. ad. 2. & 4. sequuti sunt Dionysius. 2. sententiarum Catharinus Gene. 1. Titelmanus Iob. 38. Atque Cicero etiam. 2. de natura Deorum eandem paucis verbis absolvit. *Mare* (inquit) *cum supra terram sit; medium tamen locum expectans, congregatur undiq; æquabiliter: neque redundat, neque effunditur*. & quidem hoc loco Nazianzenus hujus quasi jugis miraculi vim, magnitudinemq; pulcherrime describit: *Maris* (inquit) *tum magnitudinem, tum tranquillitatem, tum utriusq; rei vim admiratur: Quã nam ratione solutum finibus suis nunquam excedat? Quid illud contineat? Quid nam devinctum teneat? Quemadmodum cunctos excipiat fluvios, & vis nihilominus aquæ sit eadem? Et quidem quemadmodum terminus sit arena huic tanto elemento, aut ipse ignoro omnino (quamvis Physici, & Sapientes inania quædam dicere habeant, qui cum hæc ipsa credunt se habere cogitatione percepta, re vera mare ipsum Cyatho metiuntur) aut si mihi paucis sit e Sacris Scriptis Philosophandum, & id, quod longis disputationibus probabilius, & verius est, explicandũ, naturæ humidæ hoc unum vinculum esse affirmarim, Præceptum circumdedit super faciem aquæ*. Similia fere subjicit eodem loco Olympiodorus, comparans hanc Divinæ virtutis legem cũ *fræno*, quod aquas coerceat; Basilius vero, cum *compedibus*, quæ mare constringant; Theodoretus item cũ *fræno* Psal. 103. sed pulcherrime, *Mare* (inquit) *arenam veretur, & usque ad illam rabie percitum, veluti fræno, Divino termino inhibitum rursus coercetur, & retrorsum cedit*. Atq; ad hanc miraculi rationem respicere videntur, qui hunc terminum, & Divinũ præceptum appellant, *Dei virtutem*, ut D. Thomas hic, & Dionysius. Non displicuit quoq; mihi sententia hæc Aristotelis de Cælo libros interpretanti; confirmabamq; ex Psal. 32. 7. ubi dicitur, *Cõgregasse Deus, sicut in utre, aquas maris*, quod ex Hebræo legitur, *Congregans super tumulum, aut super cumulum*. Ad vim, & motum eodem Cælorum tenore constantem, Lucretius etiam refert certum fluendi, & æstu ã di maris tenorem;

Nã modice fluere, atq; uno posse æthera nisu,
Signicat tãtum mare, certo quod fluit æstu,
Vnum labendi conservans usq; tenorem.

3 Sed jam nunc cedere cogimur rationi, & auctoritati præstantissimorũ Philosophorũ, atq; Astrologorũ, non obscure demonstratiũ, terrã esse altiorẽ aqua. Quod si verũ est, nullũ jam erit miraculũ, quod mare non effundatur in terras, illasq; obruat. Quam rẽ videtur docuisse Augustinus lib. 1. super Genesim. c. 12. & 13. & in Psal. 135. Indicat Damasc. lib. 2. c. 9. & 10. eleganter quoq; Seneca scribit lib. 3. Nat. qq. c. 28. describẽs diluviũ, quo existimat ad finem terras obruendas, *Si quis excelsa perlibret, maria paria sunt; nam par undique sibi ipsa tellus est. In rotundum orbis adæquatus est: in parte autem ejus, & maria sunt, quæ in unius æqualitatem pilæ coeunt. Per centena millia quibusdam locis æstus excurrit, & ordinẽ servat, ad mensuram enim crescit, iterũq; decrescit*. Atq; ex recentioribus non pauci, Cajetanus, Lipomanus, Hõcala ad c. 1. Genes. Neque de hac quæstione ego nunc plura, & quod pluribus quondã de illa disputavimus, & quod nostri Theologi, atq; Philosophi docte, & copiose, vere etiam de illa scripserunt. Benedictus Pererius lib. 1. cõmentar. in Genes. in opere tertię diei. Ludo. Molin. 1. p. in opere tertiæ diei disput. 11. Gregorius de Valẽtia. 1. p. q. 3. de opere sex dierũ pũcto. 3. Christophorus Clavius ad. c. 1. Sphæræ, Conimbricenses nostri. 2. lib. de Cælo. q. 4.

4 Ergo illud Dei præceptum, virtusque continentis mare intra certos terminos, littoraq; arẽnosa, nihil aliud erit, quã ipsa naturæ lex conjiciẽtis mare in loca depressiora, indentisq; aquæ naturalẽ vim decurrendi in declive, atq; ipsa etiam Cõditoris potentia præcipientis, cum mare esset effusum super terram, *ut congregarẽtur aquæ in locum unum*.

Tũ freta diffudit, rapidisq; tumescere ventis
Iußit, & ambitæ circũdare littora terræ.

Sicut etiã dicitur naturæ auctor præcipere *Soli, Diluculo, Nivi, Pluviis, Aquilæ, Luci* ut juxta naturas suas operentur, Iob. 9. 7. cap. 36. 31. & c. 37. 6. 12. & 15. & c. 38. 12. Atq; rẽ ipsam hanc confirmare poterit locus ille Ps. 32. ex interpretatione Theodoreti; *Ideo enim dicitur Deus, congregasse sicut in utre aquas, quod aquarum natura, velut in quodã penu conclusam continet? Trahit vero hanc in aera sublimẽ, cum voluerit: & tanquã in utre quodam, eam in nubibus congregat,*

Margin notes (left): Genes. 1. 9. — Prior sentẽtia affirmãs aquã esse superiorẽ terra. — Basilius. Ambros. lib. 3. exam. c. 2. & 3. Chrysost. D. Thom. Carthusian. Catharin. Titelm. Cicero. Nazian. — Pulchra maris contẽti intra littora descriptio. — Maris frænum & compedes. Olympiod. Basil. Theodoretus. — D. Thom. Dionys. Lucret. lib. 5.

Margin notes (right): Lucret. lib 6. — Verior pars aquã esse inferiorẽ terra, & natura sua non posse effundi ad operiendã terram. — August. Damasc. — Bened. Pererius Ludov. Molina. Gregor. Valen. Christoph Cla. Conimbricens. — Præceptũ Dei ipsa naturæ lex. — Ovid. 1. Metam. — Theodoret.

5 propterea ait, *Deducens nubes a finibus terræ*.

Terminum circumdedit. Est in verbo, *circumdandi* vis, & proprietas peculiaris, significat enim lineam, vel circulum describere, quasi circino; de quo verbo nonnihil diximus. c. 22. verf. 14. Ergo, *circumded ffe terminum mari*, erit certum spatium præscripsisse, & intra certam lineam cōtinuisse. Quod quamvis etiam Deus fecisse dicatur, *Circumducens gyrum, & circulum terræ*, Isaiæ. 40. 22. & *Cardines*, aut circinationes Cæli, supra Iob. 22. 14. tamen mirabilius hoc videtur in re fluxa & vaga, & quę suis terminis minime continetur, sed alieno termino terminatur, ut circumducto circino contineri possit. Forte etiam indicatur eodem, *circūdandi*, verbo, unum effici globum ex terra, & aqua, atq; unum, & idē utriusq; elemēti esse centrū magnitudinis, atq; gravitatis, ut eleganter ostēdit noster Clavius loco superius adducto, adversus quorundā aliorum opinionē. Sed longior jam hac in re fui, quam volui.

חוג

Terminus circumdatus circino in re fluxa, mirabile.

Idem centrum terræ, & aquæ

Clavius.

6 *Usque dum finiantur lux, & tenebræ*. idest perpetuo. sicut apud Iere. dicitur hoc idē ipsum: *Præceptū sempiternum*: nam videtur ista esse proverbialis formula perpetuitatis significandæ: cujusmodi etiam apud prophanos proverbialiter dicuntur;

Perpetuitatis circūlocutiones.

Ierem. 5. 22.

Senec. in Oedip. act. 2.

Lucida dum current annosi sydera mundi,
Oceanus clausum dū fluctibus ambiet orbē,
Lunaq; dimissos dū plena recolliget ignes;
Dum matutinos prædicet Lucifer ortus;
Altaq; cæruleum Nerea nesciet arctos.

Et iterum;

Senec in Herc. Oethæo act. 4.

Vere dum flores venient tepenti,
Et comam sylvis hyemes recident,
Vel comam sylvis revocabit æstas,
Pomaq; autumno fugiente cedent.

7 Sed quanto elegantior; quantoq; significatior nostra periphrasis ex rebus per se perpetuis, & constantibus! Sed in hac perpetuitate potest etiam indicari fore, ut aliquando, videlicet cum *tempus non erit amplius*, neq; dierū, ac noctiū vicissitudo, iterum recurrant aquæ, & operiant terrā, atq; eundem ordinem, situq; servent elementa, quē in sua prima constitutione habuerunt, cū terra esset aquis operta. Cui intellectui cū ipsa per se verba cōgruūt; tum illa multorum Theologorum verior, solidiorq; sententia suffragatur, quæ negat ex suis tenebris, & inferno Limbo prodituros in hanc lucem pueros, qui in peccato originali decesserunt. Propterea que opus non esse, ut terræ aliqua pars post judicii diem habitationi idonea relinquatur. Quanquā non defuerit, qui pie, neque omnino improbabiliter senserit habitaturos in hoc mundo, ne ulla pœna sensibili inferni carceris afficiēdos, cogamur concedere.

Apoc. 10 7.

An pueri e Limbo egressuri post judicium?

Bonav. Sot d 47. q. 2. art. 4. & l. 1 de natu & Grat. c. 14

Prodituros tenet Catharinus.

XI. *Columnæ Cæli contremiscūt, & pavent ad nutum ejus.*

1. Cæli columnæ, *Angeli*. Columnæ *ad ornamentum, non ad sustentationem*. Virtutes Cælorum.
2. *Montes*, Cæli columnæ. *Montium prodigia. In fastigiis montium templa Deorum. Illustratus David.*
3. *Quæ sit* Montium exultatio. *Quid* contremiscere, *aut* pavere, *in Sacro sermone exposito germana.*
4. *Arguta interpretatio* columnarum Cæli *pro ipsa stabilitate Celorū. Quæ dicantur* Virtutes Cælorum commovendæ, *apud Matthæum.*

1 HAEC Item sentētia ad Divinæ majestatis, potestatisq; tremendæ significationē pertinet. Sed quæ nam sunt *Cæli columnæ*? Non pauci sanctos Angelos intelligūt, vel quia (ut inquit D. Thomas) *eorum officio administratur motus Cælorum*; vel quia cōtinere, & sustinere videtur Cælum sua virtute, atq; Cęlorū influxū, quasi sua assistentia, & motione fulcire, & promovere, ut alii dicunt. In hac exponendi ratione conveniunt Grægor. Philippus. D. Thomas, Nicolaus, aliique Latini. Et quidem quæ hic videntur appellari *Cæli columnæ*, simili appellatione dicuntur *Virtutes Cælorum*, Matthæi. 24. 29. per quas Angeli etiam intelliguntur ab Origene, Chrysostomo, Euthymio, Theophilacto. Quanquam de hac, *Columnarum*, appellatione, & officio, illud argute scribit Philippus; *Non ab re esse existimo, ut sanctos Angelos columnas Cæiestis ædificii sentiamus, quibus Deus non tam sustentari, quam ornare voluerit Regnum suum: quia & ad ornatum solummodo ædificiorum, columnæ plerumque permagnificæ erigi solent; sicut & illæ duæ, quas in templo Salomonis fuisse legimus. Nūquid aliquid super se ponderis, quod ad ædificiorum sustentacula pertinet, habuerunt? Stabilitatē ergo permanētē in natura Angelorū intelligamus nomine Colūnarū. Et de futura immobilitate hominū, ait filius Dei; Qui vicerit, faciā illū colūnā in tēplo Dei mei. Et ipsa Ecclesia pro æterna, sive in Deo firma stabilitate. Colūna, & firmamentū dicitur veritatis.* Addit eo loco pulchra quædam alia Philippus, sed quæ allegoriā sapiant, & non solum primā, aut simplicē harū *columnarum* translationē. Quare Iobum hic loqui de ipsis naturæ operibus, ut filum totius capitis exposcit, mihi pro certo est.

Cæli columnarum, varius explicatus Angeli.

D. Thom.

Grægo. Philip. D. Tho Nicol. Hugo. Tiretn.

Virtutes Cælorum quæ.

Orig. Chrys. Euthy Theoph.

Philippus.

Columna symbolum ornamenti, & stabilitatis.

3. Reg. 7.

Apoc. 3. 12.

1. Tim. 3. 15.

Rabbi

2 Rabbi Abraham Peruſol, per *Cæli columnas, terram* intelligit, partesve illius, aut ipſa quatuor elementa, quibus Cælum incumbere, innitiq; videtur. Subtile hoc potius, quam verum. Alii, montes altiſsimos & qui Cælum velut erectæ columnæ contingere, ſuſtinereq; videntur, quæ loquutio poetica eſt, atq; aliquando ab Homero uſurpata, Cælo colūnas tribuēte. Neq; mirum montes exiſtimatos eſſe ſuſtinere Cælum, aut cū cæleſtibus cōmercium aliquod habere: nā Montes omnes ſacri habebantur, Iouiq; dicati, cacumina præſertim. ad quē deluſæ antiquitatis errorē forte alluſit, Pſal. 34.4. *Quoniam in manu ejus ſunt omnes fines terræ, & altitudines montiū ipſius ſunt*. Vbi eleganter Theodoretus; *Ipſius etiam ſunt montium crepidines, licet ſæpiſsime Dæmones ſtolidis hominibus perſuaſerint, ut ibi delubra eis erigerent*. Atq; Iovi, præſertim, ut diximus, utq; ille cecinit:

Hic rupe celſa, nulla quam nubes ferit,
Annoſa fulgent templa Cænei Iovis.

Ergo ſignificabit Iob, in hoc *columnarum*, id eſt, montium *contremiſcentium* pavore, terræ, ac montiū motus mirabiles, formidandosq; mirum in modū mortalibus. *Quid enim* (ut Seneca dixit) *cuiquā ſatis tutū videri poteſt, ſi mundus ipſe concutitur, & partes ejus ſolidiſsimæ labant? Si quod unū immobile eſt in illo, fixūq; ut cuncta in ſe intēta ſuſtineat, fluctuat? ſi quod propriū habet terra perdidit, ſtare: ubi tandē reſidēt metus noſtri? Quā latebram proſpicimus, ſi orbis ipſe ruinas agitet? A tēpeſtate nos vendicāt portus: Nimborū vim tecta propellūt: adverſus tonitrua, & minas Cæli ſubterraneæ domus. In peſtilentia mutare ſedes licet. Sed hoc malū inevitabile.* Atq; hoc præſertim, cū his terræ motibus montes multi ſubſtiterint redacti in planiciē, multi abſorpti, multi denuo emerſerint, ut ſub Theodoſio Imperatore, in mirabili illo terræ motu, qui totū fere orbē concuſsit, eveniſſe Nicephorus ſcribit. Et in eremo Sabæ ex terræ motu plures mōtes in unū coiſſe circa annū Domini. 734. ſcribit Theophanes Iſaurus apud Anaſtaſiū Bibliothecariū. Quid quod etiam aliquādo Oſſam montē cohæſiſſe Olympo, deinde motu terrę iterū receſiſſe, ſcriptor eſt Seneca li. 6. naturaliū quæſtionū? Deniq; portētū illud eſt, quod in Hetruſcæ diſciplinæ voluminibus inveniſſe ſe ſcribit Plinius; *Cū in agro Mutinēſi montes duo inter ſe concurrunt crepitu maximo aſsultantes, recedētesq; inter eos flamma, fumoq; in Cælū exeunte interdiu, eo concurſu villæ omnes eliſæ, animalia permulta, quæ intra fuerant exanimata ſunt.* Digna igitur hęc naturæ, montiūq; portenta, quæ in hac ſua Iobus de Dei poteſtate, & virtute oratione non prætermitteret. Nā & ſimilia quædā deſcribit Pſaltes, recolens Dei miraculū educētis *de AEgypto populū; Mōtes exultaverūt ut arietes, & colles ſicut agni ovium.* Cauſam deinde ſubjicit, *A facie Domini mota eſt terra.* Deſcribit enim mōtes *exultātes*, nō aliter, quā Plinius appellavit *aſſultātes, & recedentes*, videlicet cōcuſſos, & quaſi arietantes inter ſe, cum laturus legem in mōtem Sina deſcēderet Deus, Exod. 19. Vbi ingens ille montis motus ſcribitur. Favet huic exponendi rationi verbū, *contremiſcēdi*, quod proprie eſt, commoveri, concuti, cōfringi, quod quidē eleganter convenit in montes ex ingēti terręmotu hiſcentes, & vi eluctantiū ventorū diſsilientes. Tū etiā, *pavor*, pulchra translatione tribuitur montibus, rebusq; inanimatis, quaſi mēs, & internus ſenſus illis inſit, ut etiā ſtupor in illas cadere poſſe videatur. q. d. Mōtes, & creaturæ omnes majeſtatem, & imperium Creatoris perſentiunt, admirantur, reverentur. Iam hæc exponendi ratio nemini deſplicere jure poterit.

Margin notes (left): R. Abraham. — Cajet. — Montes colūnæ Cælum ſuſtinentes. — Hom. Odyſ. 1. — Montium religio priſca. — Theodoret. — Senec. in Herc. Oet. act. 3. — Montium, & terræ motus mirabiles. — Senec. lib. 6. Nat. qq. c. 1. — Quātus timor & diſcrimē in terræ motu. — Montes concuſsi terręmotibus. — Nicephorus. — Theophanes. — Seneca lib. 6. Natur. qq. — Plin. lib. 2. c. 38.

Margin notes (right): Pſal. 114. 5. — Terræmotus cū daretur lex in Mōte Sina. — רוף — Timor tributus rebus inanimatis.

4 Sed proponam tandem, quod ſcio non nemini magis placiturū; *Cæli colūnas*, nihil aliud hoc loco eſſe, quā ipſam Cæli firmitatē, & robur, quod in ſui cōditoris cōſpectu quaſi nutat, atq; vacillat, præq; reverētia contremiſcit, & tātā majeſtatē ingēti cum pavore admiratur. Hęc enim proprietas eſt Originalis verbi, *pavendi*. Indicavit rē hanc Nicetæ paraphraſis, ſic elucidātis; *Ipſa Cæli firmamenta, ac prope baſes & fundamenta horrent, & contremiſcunt, cū iis imperarit.* Aquila; *Colūnæ Cæli dimotæ ſūt & fluctuarunt.* Illud peculiare Nicetas addit, intelligi hunc Cæli, colūnarūq; tremorem, atq; cōmotionē, de mūdi fine. Quare huic loco opportune reſpōdebit ille alius Mat. 24. 19. *Virtutes Cælorū cōmovebūtur*: ubi alii, *ſtellas*, alii, *Angelos*, at elegāter alii ipſā Cælorū firmitatē, ſtabilitatē, & robur intelligi volunt; cōmovendos ergo Cælos, atque inſolitis motibus perturbandos ad Dei *nutū*, id eſt, ad Dei minacē vultū, indignansq; ſuperciliū, quod elegāter, atque Latine dictū eſt, ſicut & illud:

Nutu tremefecit Olympum.

In Hebræo legitur, *ad increpationē ejus.* nā ille vultus ſuperciliosus eſt *increpātis*, quē cum dicitur habere Deus erga inanimata, denotat effectū timoris in creatura, quē, ſi eſſet animata, ſentiret. Cū qua noviſsimi tēporis prophetia facit, quod in Heb. ſunt verba futuri, *Contremiſcēt, & pavebūt.* Sed illa de Mōtibus expoſitio præſtat.

Margin notes (right): Vltima, & preſſior interpretatio. — חמה — Nicetas. — Aquila. — Virtutes Cælorum cōmovendæ, quæ. — Virg. 9. AEn. — גער — Deus increpans, aut loquēs rebus inanimatis.

XII. In fortitudine illius repente maria congregata sunt: & prudentia ejus percussit superbum.

1. Congregare, *quid. Quomodo* aquæ congregatæ *fuerint* in locū unum. *Explicatus David.*
2. *Divina potentia in sedando mari. Illustratus David.*
3. Repente, *quid.* Congregare. *Defensus Vulgatus.*
4. *Dæmonis superbia concitantis tempestates compressa a Deo, apud Marcum.*
5. Rahab *quid.* Superbus. *Pharaonis cognomē. Illustratus David, Isaias, sapientia.*
6. *Cetorum in mari superbia. Præsignant tempestate: multipliciter illos Deus comprimit.*
7. *Simplex, & germana interpretatio. Maris superbia. Illustratus Zacharias.*

1 IN *Fortitudine*, per fortitudinē, potētiā, robur, *congregata sunt.* Verbum Originale duas videtur habere significationes contrarias. Primam, concitare, conturbare; tum etiam dividere, scindere, quod ex cōmotione sequitur: secundam vero, requiescere, sedari, refrigerare, sedari, refrigerari; atq; utramq; significationem solet Vulgatus usurpare libenter. Ergo interpretes fere omnes Latini, atque Hebræi hunc locū referunt ad illam primā *congregationem aquarum in locum unum*, Genes. 1. quod ingenti miraculo factum est; atque illa potissimū ratione, quę ex tribus aliis, quas D. Thomas Ex Divo Augustino proponit, vero simillima videtur; videlicet formando tunc, & attollendo mōtes, atq; deprimendo valles, excavandoq; profundissimas terræ cavernas, in quæ loca humiliora celerrime tunc aquæ defluerent. quod videtur describi Psalm. 103. 7. & 8. *Fundasti terram super stabilitatem suam: non inclinabitur in sæculū sæculi. Abyssus, sicut vestimētū, amictus ejus* (tūc enim induebatur, & operiebatur terra tota aquis) *super mōtes stabunt aquæ* (id est, super terram, quæ postea in montes efformata est) *Ab increpatione tua fugient, a voce tonitrui tui formidabunt* (id est, defluxerunt celerrime quasi nimium timentes Dei præceptū. Assignat deinde rationem, qua hæc facta sint) *Ascendunt montes, & descendunt valles in locū, quem fundasti eis.* Atq; Hebraizantium lectio, quāvis diversa, eodē pertinet. *In potentia ejus mare divisum est.* vel, *Sua potentia scindit mare*, aut, *scidit*, vel, *divisit.* Videlicet cū divisæ sunt, & separatæ aquæ ab aquis, atq; in diversa maria, & congregationes, sinusq; diversos confluxerunt, *ut appareret arida.*

Verbum contrariarum significationum.

רגע

Philipp. Beda. D. Tho. Cajet.

Qua nā ratione aquæ congregatę in locum unum.

D. Tho. 1. p. q. 69. a. 1. Aug. 1. super Genes.

Montium formatio, postquā terra formata est.

Pagn. Tygur. Cajetan Regia Complut.

2 Sed (quod pace aliorū dicam) cū sensus hic non bene cohæreat cū re meteologica, probo potius alterum, quē jā dicā. in quo præibūt Septuaginta interpretes, quib⁹ ad Vulgatæ nostræ lectionis interpretationē uti libenter volo, & debeo; in quam etiam intelligentiam non omnino invitus Interpres accedet Latinus. Ergo legunt Septuaginta; *Virtute sedavit mare*; Nā elegerunt illā alterā verbi Originalis significationē, *quiescendi*, aut *refrigerādi*, ut supra diximus: cohærebat enim hoc cū præcedentibus; nā post tēpestatis, & pluviæ, atq; terræ motus descriptionē, inducit auctorē naturæ tranquillantē elementa. Quare eleganter hunc locum legit Vatablus; *Virtute ejus quiescit mare.* Videlicet, cum effervescens ille maris æstus refrigeratur, & horribiles fremitus cōticescunt. quod etiā Psal. 103. pulchre id exponēte Theodoreto, ad Divinæ potētiæ argumētum dicitur de ipsis aquæ montibus; *Ascēdunt montes, & descendūt cāpi.* videlicet cū ventorū vi attolluntur mare, & fluctus in altitudinē montium; deinde vero sternuntur veluti in cāporum planiciē, & æquora placidissima. Qua etiam ratione ostendit potentiam suā Dei filius Matthæi. 8. 26. cū post motū magnū; *Surgens imperavit vētis, & mare; & facta est tranquillitas magna. Porro homines mirati sūt dicētes: Qualis est hic quia venti & mare obediūt ei?* Hoc etiā pro signo potentiæ maximæ indicatur. 2. Machab. 9. 8. dum de superbia Antiochi dicitur; *Qui sibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, supra humanum morē superbia repletus, & montiū altitudines in statera appendere.* Vide etiā Ps. 88. 10. *Tu dominaris potestati maris, motū autē fluctuū ej⁹ tu mitigas*

Expositio germanior, & cohærentior.

LXX

Vatabl.

Theodoret.

Divinę potentiæ argumentum, tranquillatio maris.

3 Quod vero ad nostrā lectionē attinet, existimo Interpretē verbū Originale vertisse duabus illis vocibus: *Repente congregare.* Nā cum radix ipsa Originalis significet *scindere*, aut *dividere*, consequenter etiā significat *punctū*, aut *momentū*, vel adverbialiter, *repente*, & *subito*; quasi dicas minutū, aut tēpusculum scisum, & divisum a reliquo tēpore, quod etiā *subitū*, aut *repētinū* appellari potest. Verbum autē * *congregandi* significabit quasi collectionē, & reductionem fluctuū intra suum alveum, quando fit tranquillitas, postquā a seipsis quasi discesserāt, & æstuātes dispersæ fuerant. Nam cū æstuat mare, scindi, & dividi præ ingenti cōmotione, & fluctuatione videtur. Quare hujus loci *congregatio*, cōjuncta est cū quiete, refrigerio, malacia. At vero *congregatio aquarū*, Genes. 1. 9. est omnino ab alia radice, & dicitur de confluxu aquarū, quasi cum magno desiderio,

Elucidatio, & diligentia Latini Interpretis.

*Tiene poder para hazer, q̄ el mar se recoja, y junte sus olas.

קוה

& cele=

& celeritate properantium ad ſuũ locũ.

4 *Et prudentia ejus.* Sapientia, aut, cum Septuaginta, *Scientia percuſſit.* Prop. confregit, conculcavit, Septuaginta: *Stravit:* Augustinus: *Vulneravit. Superbũ.* prop. tumultuantem, invaleſcentem, ſe ſe extollentẽ. Sed quis nã iſte *Superbus?* Fere Latini omnes ſuperius adducti, *Diabolum* interpretantur. Sed cohærentiam, & opportunitatem hujus interpretationis non video; niſi forte, quod ſoleat Diabolus tempeſtates excitare; quare in ſedando mari, cum *increpat mare*, aut *imperat fluctibus* Deus, non tã rebus inanimatis, quam malis ipſis ſpiritibus *imperare, & loqui* cenſetur; ſicut etiam cum Marci. 4. 29. *Exurgens Chriſtus comminatus eſt vento, & dixit mari, Tace, obmuteſce.* & Luc. 8. 24. *Increpavit ventum, & tempeſtatem aquæ.* Non enim loquimur niſi intelligenti, neq; increpamus niſi res rationales. Nam fere hujuſmodi noxiæ *immiſſiones* fiunt *per angelos malos*, & qui excitavit *ventũ vehemẽtẽ à regione deſerti*, idem ipſe ſpiritus nequam concitavit mare, & *fervere facit* fluctus, & ſicut in Apocalyp. 7. 1. dicuntur, *Stetiſſe quatuor angeli ſuper quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ, ne flarent ſuper terram, neque ſuper mare*, quos fuiſſe ſpiritus malos plerique ſanctorũ docent; ita è converſo advehẽt iidem, & incitabunt ventos adverſus terrã, & adverſus mare, de quo vide Mart. Delrium lib. 2. Diſquiſitionum Magic. q. 16. Cohærebit igitur, ſi in ſedando mari dicatur Deus *Diaboli ſuperbiam* comprimere. Sed ratio hæc arguta licet, & ſubtilis, longiuſcule petita videtur.

Alii *Tyrannum importunum*, interpretãtur Dei potentia compreſſum. Sed quorſum? Cajet. legens; *In intelligentia ſua fregit fortitudinem*; refert ad *terræmotũ*, *quo ſcinduntur etiam lapideæ terræ partes*. Sed valde dure, & remote.

5 Certe ſi hoc loco mẽtionem maris Rubri fieri veroſimile eſſet, atq; cum hæc Iob dicebat, jam accidiſſet Pharaonis, Aegyptiorumque ſubmerſio, cujus tunc Divinæ potẽtiæ, fama & admiratio per finitimas regiones percrebuiſſet, percõmode nũc mentio fieret *Superbi*, quod cognomẽ, aut Aegypti eſt, aut Pharaonis; quod Deus novo tempeſtatis genere, novo etiam ſuę poteſtatis facinore in mari Rubro edito potentiſſimum, ſuperbiſſimumq; Tyrannum obruerit. Neq; vero ſolum accipitur *Superbi* nomen appellative, ſed etiam proprie. Quare vocem Originalem, *Rahab*, aliquando relinquit Interpres intactam, aliquando vero *ſuperbiam*, aut *ſuperbũ* vertit, ex merito ſuæ radicis, quæ ſignificat excellere, ſuperbire, tumultuari. Quare ubi Pſal. 86. 4. dicitur: *Memor ero Rahab, & Babylonis*, Hieronymus vertit: *Memor ero ſuperbiæ.* Kaldæus: *Memorare faciam laudes tuas Aegyptiis, & Babylonios.* Sic etiã Pſal. 88. 12. *Tu humiliaſti, ſicut vulneratum, Superbum, in brachio virtutis tuæ diſperſiſti inimicos tuos.* Vbi etiam de Egyptiis, & Pharaone ſermo eſt, interprete Theodoreto. Quare Iſaiæ. 5. 9. de Aegypto quoque dictum eſt, *Numquid non tu percuſſiſti Superbum, vulneraſti Draconem? Numquid non tu ſiccaſti mare, aquam abyſſi vehementis, qui poſuiſti profundum maris viam, ut tranſirent liberati?* In quo non ſolum Divina potentia elucet, ſed imprimis *Prudentia*, atq; Sapientia, miris modis quaſi evocans Pharaonẽ, & quaſi alliciens ad ingreſſum maris, ut opportune demergeret. ſicut Sapiẽtiæ. 19. 4. dicitur, *Ducebat illos ad hunc finẽ digna neceſſitas, ut quæ deerant tormentis, repleret punitio, & populus quidem tuus mirabiliter tranſiret, illi autẽ novã mortẽ invenirẽt.*

6 Sed aliam forte minus dubiam, expoſitionem afferunt Septuaginta; quã etiam præter recentiores alios R. Moyſes amplexus eſt, ut de maris Tyranno, id eſt Ceto, hic locus intelligatur, legunt illi; *Scientia ſtratus eſt cetus.* quod Nicetas exponit; *Suo imperio ſubegit*, ſicut etiam David, cum maris meminit, ſubjecit ſtatim, Pſal. 103. 26. *Draco iſte, quem formaſti ad illudendũ ei:* Dicitur enim, cum Cete, aut Balænæ in mari ludunt, ſignum eſſe tẽpeſtatis. Sed quã nam ratione dicetur Deus *Superbiſſimos* Cetos *percutere?* An quia ſic Deus naturas diſpoſuit, ut Cete grãdia cum piſciculo illo ſuo duce deſtituuntur, imminente, & incumbente in oculos carnea mole excæcentur, & ad ſcopulos, & littora facile offendant? Sic certe rerum hujuſmodi ſcriptores tradunt. An vero quia vi tempeſtatis aliquando ad littus appellunt, & in arida emoriuntur? Certe hoc quoq; in multis Indiæ locis non ſemel cõtigiſſe, Arrianus ſcripſit. An quia quamvis ingentis molis ſint, tamen tam timidæ naturæ ſunt ad fragorem aliquem, aut ſonitum, ut continuo clamore aliquo exauditio in ima diffugiant? Sic de Cetis vagantibus in mari Arabico ſcripſit Philoſtratus, *Naves illoc navigantes tutelæ cauſa tintinabula ſecum deferre.* Cujus quoq; rei Plinius, atq; Diodorus auctores ſunt. His modis omnibus Cetorum ſuperbiam comprimi, ferociamq; retundi ab auctore naturę quis non videat? Mitto hujuſmodi belluarum capturã, quã Deus edocuit homines,

Marginalia (left): בין — מחץ — *Auguſt.* — Superbus quis — Diabolus excitator tempeſtatum. — Diabolum excitantẽ tempeſtates increpat Deus. — *Pſal. 77. 49.* — *Iob 1. 19.* — *Iob. 40. 22.* — *Clemens lib. 4. Recog. Hieron. Iſai. 7. Auguſt. libr. 5. contra Iul. c. 3. Strab. in Apocal.* — *Oſorius.* — *Cajet.* — Veroſimilis ſuſpicio. — Superbus cognomẽ Aegypti. — רהב

Marginalia (right): *Hieronym.* — *Chaldeus.* — *Theodoret.* — Divina ſapientia ducẽs Pharaonẽ ad ſupplicium. — Certior interpretatio Septuaginta. — LXX. — *R. Moyſes. Nicet.* — Signum tempeſtatis. — Balænæ ad littus offendentes, aut vi tempeſtatis ejectæ. — *Oppianus.* — *Arrianus.* — *Philoſtrat. li 3. de vita Apollonii. Plin. Diodorus.* — Cetorum ſuperbia multipliciter retuſa ab auctore naturæ.

Cetetū captura ab Opiano, & aliis tradita

ut percutere,& vulnerare possent belluas superbissimas.

Lucidior, & simplicior explicatio sentētiæ.

Tygurina.

Symmachi

Sed tandē simplex,& germanum,Cum Deus sedat,& tranquillat mare,*percutere*, & conculcare videtur *superbum*,non quidem alium, quam mare ipsum. Elegāter Tygurina, *Sua potentia scindit mare,& intelligentia sua compescit ejus ferociam.* Symmachus: *Confringit arrogantiam*. Simile Zacharriæ.10.11. *Transibit in maris freto, & percutiet in mari fluctus, & confundentur omnia profunda fluminis.* Ergo hanc interpretationem deligo,secundum hanc,quæ proxime de Ceto præcessit, aliorum judicium de aliis esto,ut volent.

XIII. *Spiritus ejus ornavit Cælos,& obstreticante manu ejus eductus est coluber tortuosus.*

1. *Opus quartæ diei. Pulchritudo Cælorum; Angeli,& lumina. Explicatus Moyses.*
2. *Aliorum expositiones. multiplex etiā* obstetricationis *interpretatio. Præcipitatio,& casus Diaboli. Explicatus David. & Ioānes in Apocal.*
3. *Simplicior expositio. Ornare quid propriè. Exhalationes ignitæ, sunt aeris ornamenta. Explicatus Moyses,& Ecclesiasticus.*
4. *Mirabilia mete ex ignita. Quales* Stellæ de Cælo casuræ.
5. Obstetricare,*quid propriè.* Coluber tortuosus *de fulmine obliquo. Illustrati Lucas,& Isai.*
6. Fulmina *ad Divinam potentiam. Deorū arma multiplicia.* Dei sagittæ.

I

D.Tho. Nicol. Dionys.

Simplex expositio.

Gen.1.14.16.

שֶׁפֶר

Pulchritudo Cæli,sydera.

Pulchritudo terræ, plantæ, & animantia.

Onkelus.

Cur creaturæ exercitus Dei.

ALlegoricū est quod D.Thomas,aliiq; Latini de ornamento Angelorum,id est,donis spiritualibus, vel de illis ipsis civibus cælestibus, qui sunt suæ urbis ornamentū,hæc accipiunt. Illud simplicius, ut describatur opus quartæ diei, cū creator pro sua potētia,& sapiētia *spiritu suo*, id est,*verbo*,& præcepto *dixit*, *Fiant luminaria magna.&c.* *Ornavit* prop. Pulchrifecit,& cum specie formavit *Cælos*,juxta id, Gen.2.1. *Perfecti sunt Cæli,& terra,& omnis ornatus eorū.* nā pulchritudo, & ornamenta cælorū stellæ sunt, sicut & pulchritudo, & ornamētum terræ sunt plātæ, & animātia,quod illa Onkeli lectione indicatur: *Perfecti sunt cæli,& terra, omnisque exercitus eorū.* Sicut enim Rex,Princepsve aliquis,quid valeat, per exercitus numerosos ostēdit, sic sane Deus per militiam syderum,herbarū, arborum, animātium, aliarumq; innumerabilium creaturarum potentiā suā manifestat. Similibus quoq; verbis David cecinit Psal.32.6. *Verbo Domini Cæli firmati sunt,& spiritu oris ejus omnis virtus eorū.* id est, omnis exercitus, vel *militia* eorum,ut legit Aquila. Vbi Hieronymus, & Symmachus ex Hebræo legūt, *Omnis ornatus eorum.*

Aquila. Sym. Hieronym.

2

Variæ expositiones colubri tortuosi.

Titelm.

Isidor.

Via lactea.

Draco marinus.

Dæmon coluber tortuosus

Apoc.12.4.

Diabolus obstetricatus ex cælo Dei potentia.

Secunda vero pars de peculiari aliqua cōstellatione,videtur accipi debere,videlicet cū quibusdā interpretibus, de *cōstellatione Draconis*, quæ est circa polū Arcticum,& cōplectitur utrāq; Vrsam atq; figura videtur referre colubrū tortuosum. Vatablus, *Viā illā lacteā*,intelligit,quæ refert colubrū,& per hoc *reliqua signa*, q.d. *Creavit omnes imagines cælestes*, & opportune quidē, nā cum de Cæli ornatu in cōmuni dixisset,cōsequens fuit, ut aliquā cælestis ornamēti partē proponeret. Alii *Cetū*, aut *marinū Draconē*, significari intelligūt,ut a *Cæli ornatu*,ad maris ornatum, tanquā ad extremum aliud descenderet. Alii in hac ipsa interptetādi ratione vero similius existimant mētionē fieri de Dæmone *Serpēte*,& *colubro tortuoso*, e Cælo Divina virtute præcipitato, secumq; trahente *tertiā stellarum partē*. Nā Dæmonis expulsione videtur potissimum Deus expoliisse, *ornasseq*; supremas Cælorum sedes,& quasi per *obstetricationē* ex illo supremo receptaculo cæli Empirei,in quo Lucifer creatus est,protulisse inhāc inferiorē lucē,seu potius in has tenebras Diabolum, qui *est serpēs antiquus*,quasi per vim quādā,& fortitudinē Divinā,quæ per Dei *manū obstetricātē* significatur. & forte allusio fiet,ad prælium,quod a Michaele gestū est adversus *Draconē*, Apoc.12.7.8.9. *Factū est prælium magnū in Cælo; Michael & Angeli ejus præliabantur cū Dracone: & projectus est Draco ille magnus Serpēs antiquus,qui vocatur Diabolus,& Sathanas. Et audivi vocē magnā de Cælo dicētē; Nūc facta est salus, & virtus,& regnum Dei nostri, & potestas Christi ejus.*

Diaboli præcipitati dolor & cruciatus.

Gen.3.14.

Ad obstetricationē serpētis dolentes homines.

Apoc.12.12.

LXX.

D.Thom.

Nisi velis hanc *obstetricationem*, & ut ex Hebræo etiā habetur, plenam doloribus parturitionem, referre ad cruciatum ipsius Diaboli, qui in pœnas sempiternas præcipitatus est: & ut *coluber* utiq; præcipitatus,ut serperet per terras,& *terrā*, impiosq; *comederet*. Forte etiā volet non nemo hāc *obstetricationē*,doloréq; parturiendi, referre ad dolores nostrarum tētationē,& infestationū,ita ut ille sit, quasi hujus parturitionis gemitus,& doloris plena vox, *Væ terræ,& mari,quia descēdit Diabolus ad vos habens irā magnā.* Hanc expositionē de *obstetricatione Diaboli* indicarunt Septua.legētes: *Claustra Cæli metuūt eum: præcepto autem peremit Draconē desertorem.* Quod multo erit cōgruentius, si cum D. Thoma.1.p. *ornamētum Cælorū*,accipiam[9] de creatione sanctorum Angelorum: qua

etiam

Theodoret. Baſilius.

etiã ratione id Pſal. 32. 6. *Spiritu oris ejus omnis virtus eorũ*, de ſanctorum Angelorũ creatione accipitur a Theodoret. Baſilio, & aliis. Propoſui, promoviq; quoad fieri potuit, quæ in hujus ſentẽtiæ explanatione maxime aliis probarentur. Sed in quibus, niſi oſcitans, requirat lector nexũ, & cohærentiã orationis. Ergo quid mihi lenius, germaniusq; videatur jã proponam.

Præcedentes expoſitiones parum cohærentes.

3 Simplex, ac bene cohærens expoſitio.

Certe in Meteorologica pluviæ potiſſimũ, tẽpeſtatisq; deſcriptione verſatur Iob: ad hãc ipſam rẽ hũc *Cælorũ ornatũ*, & *obſtetricationẽ colubri tortuoſi* facere, nõ obſcure oſtẽdã, ſi expoſuero, hic fieri fulgetri fulguris, fulminis mentionẽ. Quod ad fulgur attinet, ſciẽdũ eſt verbũ originale *ornandi* ſemel tantũ, & hoc quidẽ loco legi; atnomẽ inde deductũ, nõſemel, quod pulchritudinẽ & ſpecioſitatem affert, in quo Hebræi, Hebraizantesq; cõſentiunt: nam quod aliquis exiſtimare poſſet ſignificationẽ eſſe, *clangere, vel buccinare*, eo quod ex ipſa radice, *Saphar*, dicatur *Sophar*, id eſt, *buccina*, certe ſine ulla auctoritate dicet, cõminiſcetur ex ſuo cerebro. Et quod bonus alias auctor Forſter. putavit propriã ſignificationẽ eſſe, *expãdere, ampliare, explicare*, unde hũc locũ legit, *Spiritus ipſius cælos explicavit*, fingit quoq; ipſe pro ſuo libito. Sicut & qui exiſtimat ſignificationem eſſe, *rotũdare*, ſeu in ſphærã formare, unde legit, *In ſpiritu ſuo cælos rotũdavit*. deluſus omnino ſimilitudine quadã Græci, & Lat. nominis *ſphæra*, cũ verbo Hebræo *Saphar*, vel *Sphar*. Ergo illud verũ, & cũ mente noſtri interpretis faciẽs, quod R. Abra. legit, *Spiritus ejus cælos decoravit*. Sed tamẽ *decor* ſive *ornatus* iſte ſignificat illã pulchritudinis partẽ, quæ ad claritatẽ, ſplendorẽ, aut (ut Cicero ſæpe loquitur) *Suavitatẽ coloris* pertinet. Quare pulchritudinẽ hãc verterẽ, claritatem, illuſtrationẽ, illuminationem; & verbũ ipſum *ornãdi*, aut *pulchrifaciẽdi*, clareſcere, illuſtrare, illuminare: quare quod Pſal. 16. 6. dixerunt Septua. *Funes ceciderũt mihi in præclaris, Etenim hæreditas mea preclara eſt mihi*, quãvis Hierony. proprie etiã dixerit *Lineæ ceciderũt mihi in pulcherrimis, & hæreditas mea ſpecioſiſſima mea eſt*, ſed tamen elegãter dictũ eſt, *præclara*, ut amænitas & decor ille illuſtris, & clarus, ex proprietate radicis originalis ſignificaretur. Similiter & id Geneſ. 49. 21. *Nephtali cervus emiſſus, dãs eloquia pulchritudinis*, dicerem ex proprietate vocis, *Dãs eloquia præclara*, clareve reſonantia. ut ſignificetur celeritate pedũ, atq; clariſsima voce, famaq; eloquentiæ perſonatura tribũs hæc inter ſuos fratres: nam vox, & oratio hæc *claritatis pulchritudine* maxime cõmẽdãtur. Inde igitur dicitur *Sophar*, id eſt buccina, quod clare clãgat, & pulchre ſonet. Itaq; cũ *Cælorũ ornamẽtũ*, & pulchritudo lumen ſit, certe cũ Cælos illuminat Deº, *ornare* illos, & pulchrifacere dicetur; juxta id Ecc. 43. 10. *Species cæli, gloria, ſtellarũ, mũdũ illuminãs in excelſis Dñs*. In mediis igitur tẽpeſtatibus, & pluviis, *calos*, id eſt, regionem hãc ſuperiorem nubiferã exornat, & illuminat Deus mirabilibus, fulgoribus: ſive ante pluviam, *Cũ ſereno cælo fulget* (ſic Plin.) *pluviæ erũt, & tonitrua, & hyemabit, atrociſsime autẽ, cũ ex omnibus quatuor partibus cæli fulgurabit*, ſive in ipſo imbre, & tẽpeſtate: nã fulgura, cum exhalatio ardorem cõcipit, nubes illuminãt; & cũ exhalatio ignita *lõgiori tractu* (ut Plin. ait) *ignitur, fulgetra* exhibet, nubẽq; ſcindit, *coruſcatq; protinus igneæ nubiũ rimæ. Argumẽtũ* (inquit Seneca) *tẽpeſtatis nautæ putãt, cũ multæ transvolant ſtellæ: In magna tempeſtate apparent quaſi ſtellæ velo inſidẽtes; adjuvari ſe tunc periclitantes exiſtimãt Pollucis, & Caſtoris numine, cauſa autem melioris ſpei eſt, quod jã apparet frangi tẽpeſtatẽ: aliquãdo feruntur ignes, non ſedent*. Quedã præterea alia ibi Seneca, & Stobęus lib. 1. Ecl. Phy. c. 28. Quãvis igitur ſæva tempeſtas videatur eripuiſſe mortalibus cælum, & ut ille dixit, ... *Caret ignibus æther,*

Vocis, & famæ claritas.

Pulchritudo in ſuavitate coloris.

Lux & claritas de amænitate & pulchritudine.

Buccinæ nomẽ a claritate

Plin. lib. 10. cap. 35.

Plin. lib. 2. cap. 45.

Sepes.

Stobæus.

Ovid.

Ioan. Forſt.

Ioan. Aven.

R. Abraham.

> *Cæcaq; nox premitur tenebris hyemisq; ſuisq;*
> *Diſcutiunt tamẽ has, præbẽtq; micãtia lumẽ*
> *Fulmina, fulmineis ardeſcũt ignibus undæ.*

4 Perderem operam, ſi meteora omnia ignita percenſere velim, quibus mirabiliter Cælum hoc aereum exornat naturæ auctor, ſuæ poteſtatis, & arcanæ ſapientiæ dilucida præbens argumenta. Verum enim vero quis non miretur mortalium, non ſolum in tempeſtate fulgetra, ſed in ſereno cæleſtes ſubito inardeſcentes ignes, velut *capras ſaltantes*, & per ſubtiliores exhalationes, quæ non videntur, cõmunicantes ſumma cum celeritate flãmam ſeparatæ materiæ, *Lanceas, trabes, jacula* ignita in ſublimi pendentia, *volantia ſydera, ſtellasve cadentes?*

Ariſt. li. 1. c. 4

Virg. 1. Geor.

> *Sæpe etiam ſtellas Cælo impendente videbis*
> *Præcipites Cælo labi, noctisq; per umbras,*
> *Flammarũ longos a tergo albeſcere tractus.*

Volant autem incredibili celeritate, ut longum iter videantur porrigere;

Senec. in Hyp. act. 2.

> *Ocyor curſum rapiente flamma,*
> *Stella, cum ventis agitata longos*
> *Porrigit ignes. - - - -*

Stellæ de Cœlo cadentes, quomodo.

Hæc ergo portenta, quæ Iobus intelligi vult, ex illis ſunt profecto, quæ ad mundi finẽ terrore ingenti percellent morta-

Matth. 24. 29. Marc. 13. 25.

Chryſoſ. Euthy. Ioan. Maldonat.

lium animos; *Stellæ de Cælo cadent*; Nam quod ſtellas ipſas cæleſtes ex ſuis globis divellendas, caſuras in terram unus, aut alter arbitratur, intelligi non poteſt, cum ſtellæ ſint tota terra majores, atq; cũ ſuo orbe continuæ; quare niſi me alicujus viri gravis auctoritas detineret, dicerem, qui illud aſſereret, errare toto Cælo. Ergo *caſuræ ſtellæ* illæ ſunt; quibus hoc Cælũ aereum illuminatur, vagæ, diſcurrentes, ſaltãtes, crinitæ, barbatæ, caudatæ, & in pontũ, terraſq; jaculatæ;

Ovid.

Vt interdum de Cælo ſtella ſereno;
Et ſi non cecidit, potuit cecidiſſe videri.

Sed ſi ſecũda pars de *colubro tortuoſo*, cum hac priori, ad eundẽ ſenſum de pluvia, & tempeſtate coire poteſt, nihil deſiderari poterit ad hujus expoſitionis firmitatem.

5

חול

Et obſtretricante manu ejus eductus eſt coluber tortuoſus. Verbum *obſtetricandi*, idẽ eſt, quod ſupra verſ. 5. ab Interprete vertitur, *Gemere*; affertque, quæ cum parturitione, & parturientis doloribus conjuncta ſunt. Quare ex Hebræo ad verbum legi poteſt; *Manus ejus formavit*; vel, *obſtetricavit*, vel, *parturiri cum dolore, & gemitu fecit colubrũ*, aut, *ſerpentem tortuoſum*. Symmachus dixit; *Serpentem, qui concludit*; quod Nicetas expoſuit, *Qui concludit eos, qui ſibi obtẽperant interitu, parato igne cremandos.* Alii legunt, *Serpentem vectem*, videlicet, quod ſicut *vectis*, * videatur cõcludere oſtia maris. Alii vero propius ad Originalem radicẽ, quæ ſignificat fugere, aut fugare, & affert celeritatem, vertũt, *Serpentem fugacẽ*. q. d. Serpentẽ *labentem*, & ſumma cum celeritate *fugientẽ*. Quæ omnia profecto juxta ſubjectam materiã præſentis loci non ſolũ accipi de fulmine poſſunt, ſed debẽt. Præterquam enim quod inter alias exhalationes ignitas refertur a Philoſophis, *Draco volans*, qui videtur parturiri a nubibus, dũ ab illarum frigore truditur, & impellitur recurvo tractu, in modum colubri, & ſerpentis, videturq; ſcintillas ardentes quaſi vomere; tamen in fulgure, & fulmine illa profecto igniti *colubri tortuoſa* imago, ſummaq; celeritas, atq; incredibilis fugacitas egregie repræſentatur. Celeritas imprimis; propter quam de Diabolo dictũ eſt, Luc. 10. 18. *Videbam Sathanã, tanquã fulgur de Cælo cadentem.* Videlicet magno impetu, magnaq; celeritate, ſicut cadere ſolet fulgur. iiſdẽq; verbis videtur alluſiſſe Chriſtus Dominus ad illud Iſai. 43. 12; *Quomodo cecidiſti de Cælo Lucifer?* Quod iiſdẽ vocibus *fugiendi*, atq; *labendi* deſcripſit Luc.

Symmach.

Nicetas.

Pagnin. Tygur. Cajet. Vatab. Regia.

*. Que como tranca ſe atravieſſa, y cierra el paſſo.

ברח

Coluber tortuoſus, fulmẽ.

Draco volans quæ exhalatio

Fulminis celeritas.

Lucretius lib. 6.

Mobilitas autẽ fit fulminis, & gravis ictus,
Et celeri ferme pergunt ſic fulmina lapſu,
Inter enim fugit, ac penetrat per rara viarũ.
Non igitur multis offenſibus in remorando
Hæſitat, hanc obrẽ celeri volat impete labẽs.

Tortuoſitas vero illa peculiaris eſt cadenti fulmini, cujus valde irregularis, valdeque obliquus motus eſt, ut ex cauſis naturalibus Philoſophi docent, Ariſtoteles. 1. Meteor. Seneca eleganter; *Ignes aer tranſverſos agit. Magna vi illos excuti argumentũ eſt, quod obliqui feruntur, & prærapida celeritate. Apparet illos nõ ire, ſed projici.* Quapropter proprio cognomẽto, *Obliqua fulmina* appellant Poetæ; cujuſmodi illud;

Ar. 1. Meteor. Senec. li. 2. natural quæſ. c. 28 Albertus tract. de fulmine c. 21.

Quem non concutiet cadens
Obliqui via fulminis?

Senec. in Thyeſt. Act. 1.

Parturitio vero, aut *obſtetricatio*, convenit etiam fulmini, quoniam prærrumpuntur nubes quaſi ingenti vi, & gemitu enitentes, & parturientes ardentẽ exhalationẽ.

6

Quam vero appoſite in Divinæ potentiæ confirmatione nũc de fulminibus mẽtionem faciat Iob, vel ex illo intelligi poteſt, quod non alia Diis, Iovi præſertim, tribuebant arma adverſus mortales, quã fulmina. Quare fingebant Iovem *rubẽte*, flãmãteq; *dextera* in terras *jaculari*. Et quoniam hujuſmodi fulminationũ Iovis, aliorumq; Deorũ, uſus, & utilitates, ſignificationeſq; variæ ab antiquis obſervabãtur, neque inutile neq; injucũdum nobis fuerit breviter illas ex Feſto indicare; *Manubiæ* (inquit) *Iovis tres dicũtur eſſe, quarũ unæ ſunt minimæ, quæ moneant, placidæq; ſint: Alteræ, quæ majores ſunt, ac veniant cũ fragore diſcutiantque, aut divellant, quæ a Iove ſint, conſilioq; Deorũ mitti exiſtimentur. Tertiæ his ampliores, quæ cũ igne veniant.* Late hæc perſequitur, & ridet etiã Senec. lib. 2. Nat. qq. a c. 31. uſq; ad. 52. Non aliter hæc *fulmina* appellat *Dei ſagittas*, Pſalm. 17. 15. & Habacuc. 3. 11. Iam quæ diximus nõ obſcure oſtẽdunt, qua ratione in tempeſtatibus, *Spiritus Dei ornet Cælos, & obſtetricãte manu ejus educatur coluber tortuoſus.* Forte quædam alia juxta loci exigentiam c. 37. verſic. 2. & 3.

Iovis arma, fulmina.

Horat. lib. 1. carm. oda. 2.

Feſtus.

XIIII. *Ecce hæc ex parte dicta ſunt viarum ejus: & cum vix parvam ſtillam ſermonis ejus audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri?*

1. *Concluſio capitis.* Pars viæ Dei, *quid. Illuſtratus David. & Nahun.*
2. Stilla *quid.* Sermo *pro re.*
3. Tonitrui magnitudinis Dei, *varia interpretatio.*

latio. Divinæ potentiæ admirabilitas.
4 Tonitrua *Dei voces, & fremitus.* Altitonans *Dei cognomen, Templa Iovi tonantis. Illustrati Habacuc, Ezechiel, Ieremias.*

1 ELegans conclusio totius hujus de Divinæ potentiæ, & sapientiæ ex naturæ mirabilibus descriptionis. *Ecce* (inquit) *hæ viarum ejus partes sunt*, ut ex Hebræo, & Græco legitur. Nō enim (inquit Iob) potest mortalis omnia naturæ mirabilia oratione cōplecti. Alii pro, *partibus*, legūt, * *Extrema viarū ejus*: Nā verbū Originale, quod significat abscindere, & quasi in partes dividere, significat (ut aliis placet) nō quomodocūq; secare, sed quasi extremitates præscindere. Quare bene dicitur de *Claudo*. Prov. 26. 6. Quasi præscisus, & trūcatus extremitatibus, id est, pedibus. Hęc igitur dicuntur Divinorū operū partes recisæ, extrema, & minima. *Viæ* autem *Dei* (ut alibi diximus) illius opera sunt, & agēdi rationes, quibus ad nos ille venire dicitur; quibus ad illū nos cōtendimus; quas ille cōsuetudine, & ordinaria naturæ, aut Providentiæ lege terit, & calcat. sed accōmodare ad subjectā materiam, *Viæ Dei*, nunc dici possunt, tēpestates: nā in hujusmodi mirabilibus aeris, atq; elemētorum mutationibus ille venire ad nos dicitur, sicut Psal. 17. 9. Post ingentis tēpestatis cōmemorationē, *Inclinavit Cælos* (aereos, nubiferos) *& descendit, & caligo sub pedibus ejus*. Et Nahum. 1. 3. *Dominus in tēpestate, & turbine viæ ejus, & nebulæ pulvis pedū ejus.*

* Lo menos es esto.
חצה Pars extremitas rei.
Vide quæ de via Dei, dicta sunt. cap. 23. vers. 11.
Viæ Dei, tempestas.

2 *Et cū vix parvā stillam sermonis, &c.* Sic etiam Septuaginta, id est, guttā tenuissimam, & perpusillā partem Sapientiæ, potestatisq; Dei ex immensa illius potestatis abysso hauſtā. in Hebręo tantū est, *paululū, pauxillum* vę, sine ulla *guttæ*, aut *stillæ* mentione. Symmachus dixit, *Susurrū verborū ejus*. q. d. murmur lenissimū, ut deinde cū ingenti tonitru comparet. Rursus quod hic dicitur, *Stilla sermonis ejus*, sermo aut *verbū*, pro re, & pro operibus. Quare idē est, *Stilla sermonis*, quod prius dixit: *Pars viarum ejus.*

LXX.
שמץ
Symmach.
Sermo, aut verbum pro re.

3 *Quis poterit tonitruum magnitudinis ejus intueri?* In Hebræo proprie: *Tonitruū fortitudinum, aut, potentiarum ejus*, id est, tonitruū fortissimum, atq; vehemētissimum. Sed quod nā sit hujusmodi *tonitruū*, subdifficile est. Steuchus intelligit vocē aliā magnificentiorem, qua prodigia Divina enumerarentur. q. d. Iob, Cum ego vix minimam Divinorū operū particulā balbutiendo recensuerim; quid si alius linguis loqueretur hominū, aut Angelorū, & parem rebus orationē afferens, cælesti voce tonaret, & fulminaret? Sed parum leniter cohæret. Alii, ut Iob videatur vellicare Baldadū, Hęc inquā, atq; his similia oportuisset a te, o amice, proferri: nā quis ęquo animo audiat illam tuā plus nimio concitatā disputationem de Dei justitia, & terrifica majestate adversus mortales tonante, & fulgurāte? indicavit hoc Cajetanus. Sed dure, & coacte. Illud mihi quondam germanū videbatur, ut *tonitruū magnitudinis* Divinæ, esset ipsa Divinæ virtutis immensitas, atq; vis admirabilis efficiens magnificentissima naturæ miracula, ad quæ audita, conspectave stupescerēt mortales, velut ingenti tonitru attoniti. *Quis* (inquā) possit *intueri*, cogitare, pōderare? q. d. Hæc nos cogitata, & leviter commemorata obstupefaciūt; quid si majora, quę illius potestate continentur, intueremur, atq; attentius contemplaremur? Hoc indicasse videtur lectio Septuaginta, *Virtutē tonitrui ejus quis scivit, quando faciet?* Latent enim multa in immensitate potestatis supremæ, quæ nondum deprompsit naturæ auctor.

Genitivus pluralis pro adjectiuo superlatiuo.
Varius tonitrui intellectus.
Eugub.
Caiet.
Verosimilis expositio.
LXX

Sed jam nunc contextus, filumq; non ruptum totius hujus capitis, mihi persuadent, optimam, pariterque elegantissimā esse Nicetæ expositionem, ut per *tonitruū* non aliud, quam *tonitruum* intelligatur, tonante, & fulgurante Cælo. *Quis* (inquit) *enim, qui per aera, & nubes fertur, tonitrui sonitum, aut interpretando, aut quemadmodum oriatur explicandis rationibus, assequi possit? Cujusmodi est ille spiritus, qui coangustatus, neq; exitum reperiens, cum illiditur, fulgur, cum prærrumpitur, tonitrum creat?* Quare *intueri*, idem erit, quod audire, aut audiendo intelligere, & digne ponderare ex proprietate verbi *Bin.* 4

O ptima Nicetæ interpretatio.
בין

Sed inquis, *Tonitrui* generatio non tanti est, ut omnino alia naturæ miracula superare videatur, atq; pro coronide reliquorum, debere magnificentissimam orationē claudere. Certe quamvis tonitrui causæ Physicę nō majores, neq; mirabiliores sint, quā fulguris, fulminisve, aut aliorū cælestium igniū; at mortalibus multo majori terrori est, interdum etiā majori, universaliorīq; damno. Præterquā enim quod causæ tonitrui Physicę variæ, & ambiguæ extiterūt inter priscos Philosophos, ut ex Senec. lib. 2. Nat. qq. & Stobæo Eclogis Phisic. lib. 1. c. 28. intelligere licet, aliis ut, Anaximandro, Metrodoro, Anaximene, Heraclito referentibus ad *conversiones ventorum, ac nubium*, aut ad spiritum in nubibus inclusum; aliis ut Anaxagora, Archilao, Empedocle, Diogene, adcasum

Varię tonitrui causæ, & sententiæ.
Seneca. Stobaus.

ignis

ignis cæleſtis in nubem frigidã, & humidã, cujus occaſus, *veluti candentis ferri in aquã demerſio*, ſonitũ efficeret, quod Plinio quoq; placuiſſe videtur: aliis ut Peripateticis, ad exhalationẽ inflãmatam, nubem, in qua includitur, cũ ingenti vi rumpẽtẽ: aliis aliter: At res multo magis timenda mortalibus, ut quę repræſentet nobis Divinam Irã noſtris capitibus comminantẽ, vibrato jam fulmine, & jã jam appetentẽ tangere. Non aliter, quã cũ rugiẽte Leone pavent, & examinata cõcidunt reliqua animantia timidiora. De quo ſane Scriptũ eſt, *In fremitu cõculcabis terrã, & in furore obſtupefacies gentes*. Accedit quod tonitru frequenter attoniti ſtupẽt homines aut exanimantur; bruta etiã animãtia, aut concidũt, aut *abortũ ejiciũt*. Hoc illud eſt, *Nõ loquatur nobis Dominus* (tonuerat quippe, atq; fulgurarat in monte) *ne forte moriamur*. Putabant enim neq; videri ab homine Deũ ſine manifeſto vitę diſcrimine, neq; loquentem tonitribus audiri poſſe. Sic Lucretius hæc omnia ſuperna, pręſertim tonitrua, ad Deorum minas, ex communi omnium ſenſu refert;

Plinius. — *Tonitruorum terror.* — *Habac.3.12.* — *Plin. libr.6. c 47. Petrus Mexia 19. & 4. Sylva.c.23.* — *Exod.19.* — *Lucretius li.6.*

> - - - - - - *Nox, & noctis ſigna ſevera,*
> *Noctivagæq; faces Cæli, flammæq; volãtes,*
> *Nebula, ros, imbres, nix, vẽti, fulmina, grãdo,*
> *Et rapidi fremitus, & murmura magna minarum.*

Quæ profecto Iſaias appellat, *Terrorẽ Divini brachii, & cõminationem furoris*. c. 30. Propterea non aliter de *tonitruo* Sacræ loquuntur litteræ, quã de *Dei voce* magnifica, atq; terribili, plenaq; minarũ, ut Pſal. 28. *Vox Domini ſuper aquas, Deus majeſtatis intonuit. Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia, vox Domini cõfringentis cedros, vox Domini intercidentis flãmam ignis, vox Domini concutientis deſertum.* Quaſi ſi loqueretur Deus, non alias editurus eſſet voces, quã præpotentiũ tonitruorũ ſimiles. Sicut etiã Ioannes in Apocalypſi, cæleſtes voces angelorum cõparat cum magnis tonitruis, Apoc. 6. 1. &. 10. 4. & 14. 2. &. 19. 6. Res eadem Pſalm. 67. 34. *Ecce dabit voci ſuæ vocem virtutis*, id eſt, tonabit vehementiſsime. quod ſtatim explicat; *Magnificentia ejus, & virtus ejus in nubibus.* Iſaiæ. 30. 30. *Audiri faciet Dominus gloriam vocis ſuæ, & terrorẽ brachii ſui oſtẽdet in cõminatione furoris, & flãma ignis devorantis, allidet in turbine, & in lapide*. id eſt, percutiet, terrebitq; Aſsyrios terrifica tẽpeſtate, tonitribus, fulminibus, grandine. Quare quod dicitur Ezechielis. 1. 24. & 3. 13. &. 10. 5. *Sonitus alarum Cherubim audiebatur, quaſi vox Dei omnipotentis loquẽtis*,

Tonitruũ Dei vox terrifica

Symmachus, & Theodotio dixerũt, *Quaſi tonitru Dei potẽtis*, id eſt (ut exponit Theodoretus) *Sonitum illum cõparare potuiſſes potentis Dei voci, id eſt tonitrui, quod a Divina virtute proficiſcatur*. Vid. Exod. 19. Pſ. 17. 15. Ierem. 51. 16. Habac. 3. 12. & Eccl. 43. *Vox tonitrui ejus verberavit terram*. Nã cum viventia omnia, non homines ſolũ, ingẽti percellãtur timore, recte dicitur tota *terra tonitru verberata*. ut jam hoc ſolo *Tonãtis* nomine, non Iovem, ſed præpotentem Deum intelligere debeamus, *Cælo tonãtẽ*. Divina præterea magnitudo proponitur nobis, quod videatur non ſolũ mundus inferior contremiſcere ad cæleſtia tonitrua ſed univerſa quoq; cæleſtis machina contremiſcere, & ipſa ſuperni templi liminaria, quaſi Deo ingrediẽti, ſurgẽtiq;, manifeſto hoc reverentiæ ſigno, tremore, & voce gloriam illius mortalibus conteſtari? Qualis eſt illa Septimii ad Ianũ ſalutatio;

Symmach. Theodotio. Theodoret. — *Septimius.*

> *O cate rerum ſator, o principium Deorum,*
> *Stridulæ cui limina, cui cardines tumultus,*
> *Cui reſerata mugiunt aurea tẽpla mundi.*

Vnde etiã magnificentiſsimo quoq; epitheto Lucretius *Cælũ* celebrat, appellans, *Tonitralia templa ſuperne*. Videlicet Templum Dei, cujus majeſtatẽ tonitribus horrificis conteſtari ſolet. Quare non ſolum cælo Deũ, ſed mundo etiam inferiori regnare, & imperare credebant, propter tonitrua, ut ille cecinit;

Lucret.lib.2.

> *Cælo tonantem credidimus Iovem*
> *Regnare.*

Horat.lib.3. Carm. Ode.5.

Illi igitur *Tonanti*, mirũ quantũ venerationis, & religionis tribuerint antiqui! quod vel ex plurimis tẽplis eo titulo dicatis intelligere licet. Mitto quod *Altitonans* non uno tantũ modo tonare ſoleat: nã non ſolũ cum elidit fulmina, ſed etiam cũ colliduntur inter ſe nubes, aut cũ vẽti intra cavernas terræ eluctãtur, aut etiam in imis lacubus, & profũdiſsimis ſpecubus terrifici fremitꝰ exaudiri ſoliti ſũt. *Aethna aliquando multo igne abũdavit* (ut ſcribit Seneca) *illo re tẽpore ajũt multa fuiſſe tonitrua, & fulmina, quæ concurſu aridorũ corporũ facta ſunt, non nubiũ. Aliquando Cambyſes ad Ammonem miſit exercitũ, quẽ arena Auſtro mota, & more nivis incidẽs obruit; Tũc quoq; veriſimile eſt fuiſſe tonitrua; fulminaq; attritu arenæ ſe affricantis*. Deniq; quis jã nõ intueatur, *tonitrua*, eſſe *Magnitudinis* illius clariſsima documenta? His omnibus *vocibus fortitudinis ſuæ*, videtur Deus terrere & in fugam convertere hoſtes ſuos, triũphumq; de humana omni fortitudine, imbecillitate potius, & infirmitate canere.

Sueton.in Aug. c.29. Senec.li.4. de benef. lib. 2. c.8. & lib. 34. c.53. Dio.li.5.3. — *Seneca. lib. 2. Nat. qq. cap. 3. Oroſi.lib.5.c.16*

PARA-

CAPUT XXVI.

PARAPHRASIS Capitis præcedentis.

NOTATIO RERUM INsigniorum, quæ in Commentariis fusius explicantur.

1 *Respondens autem Iob, dixit.*



CUM Baldadi orationem attẽtis auribus suscepisset Iob, cumq; visus esset non solum timide, & arroganter de Deo loquutus, verum etiam ita abjecte de illo sentire, ut Iobo desideranti Dei conspectum, & ad illius judicium appellanti, acriter repugnandum esse judicaret, quasi Divinæ Potentiæ, atq; Sapiẽtiæ diffidens, ne, si Iobus cũ solo Deo judice disceptaret, Iobus vinceret, Divina vero justitia caderet causa; aut quod indigeret Deus humano patrocinio, & exhortatione ad summẽdas dignas de sontibus pœnas, justa Iob indignatione cõmotus, cito, opportune, sed acriter, & vehementer, tum omne crimen a se repellit, tum hujusmodi recriminatione adversarium pulsat.

2 *Cujus adjutor es? Nũquid imbecillis? & sustentas brachium ejus, qui non est fortis?*

Ita ne (inquit) tantũ mihi Divinæ magnitudinis, atq; supremæ majestatis terrorem incutis, tantũ extollis, & amplificas Divinã potestatẽ? Homini scilicet ignaro. An illius causæ times, si homo audeat cum illo disceptare? An dum pro Deo causam dicere conaris, existimas te alicujus deserti hominis patrocinium suscipere? An vero multum te tibi devincire putas Deum, quẽ non bonitatis, & benignitatis commẽdes, sed terroris, atq; severitatis acerbissimæ? Quid nam hoc? Subsidio venire paras præpotẽti Deo? Scilicet imbecillis ille, & causam suã ratione, & æquitate tueri non valẽs. Ita ne te illi protectorẽ, & hyperaspistem præbere niteris? Tu ne Deum serves incolumẽ, & ullum ab illo salutis, capitisve discrimen salutari tuo brachio interposito propulses? Atqui natura ille sua adversus injuriam omnem munitissimus est, atq; suos hostes roboris, & fortitudinis partibus infinitis superat. Divinum brachium per se se erectum, firmum, atque robustũ sustentare velle videris, quasi jam assiduo me flagellandi labore sanguescens, & defatigatum concidat. Atqui, o amice, neq; viribus, neq; verbis tu multũ polles, tã jejuna enim est oratio tua, ut infirmus hinc non roboretur, neq; insipiens sapientiam discat, neq; errans legem recte vivendi apprehendat, quod sane ex me ipso comperi, quem infirmum & laborantem tua oratione neque leviter adjuvisti.

3 *Cui dedisti consiliũ? forsitan illi, qui non habet sapiẽtiam, & prudentiam tuã ostẽdisti plurimam?*

Deo ne velis, qvãvis sapientissime excogitatam rationem aliquam providendarum, administrãdarumque rerum, quasi dubitãti afferre? Abundat ille consilio, nihilque utilis rationis, & animadversionis tu suggerere ei, qui non eget consilio, poteris, cum ipse consilio egeas. Non tu supremo rerum moderatori legem statues, nullamque illi in mercede nostrorum operum rationem firmam, perpetuamque præscribes, quam ille pro sua sapientia, æquissimaq; voluntate mutare nõ possit. Quid igitur attinebat te, quasi Deo cõsilia dantem, verba pro illo facere? Aut quid me a Dei tribunali deterrere, quasi non illum pro sua benignitate benevole, sed pro tuo judicio, atque consilio, severissime, atq; tristissime mecum agere oporteat? Recte opem, ac vires tuas ei defers, Deo scilicet, qui vim omnem, roburq; cõplectitur. Neq; solum Divinæ Providentiæ decreta, quasi uni tibi, præ cæteris mortalibus, revelata in præsentiarum exponis, Verum quasi a te primum inventa, & excogitata depromis, ostentas, venditas.

Cui tot, tamq; magnifica annuntiasti verba? Cui tua sensa narras,

& elo-

& eloquentiam venditare decrevisti;nihil sane cum posis Deo novi suggere,nihilve opis afferre,ª a quo ipsum vivere,spirare,loqui accepisti? Ei ne,qui tibi spiritum,atq; animam impertitus est, mutuã patrocinii,& auxilii causa,orationem repẽdis? Quis vero docuit talia te verba profundere,atq; tam tumidũ spiritum quis tibi afflavit? Videris enim jam non tuo,sed alieno spiritu imbutus, & peritus personare. Cui igitur tua oratione placere studes, cujusve palato serviũt hæc tua verba ex libidine potius & temeritate, quã ex veritate, & sinceritate judicii deprõpta? Sic sane,quod ex me ipso cẽseo,nõ est hæc tua doctrina opportuna ad miseri alicujus animũ refocillandum, & erigendum,neq; vero ad conciliandam admirationem aliquã sapientiæ singularis. Sed quidem dum frustra,& vane loqueris, abuteris prorsus loquendi facultate,quod pro maximo beneficio,& munere,mortalibus ab auctore naturæ tributum est. 4 *Quẽ docere voluisti? nonne eum,qui fecit spiramentum?*

Is propterea nullis mortalium adminiculis indiget, potentissimus cum sit. ᵇ Quã mirabilem vim in ipsis parvis seminibus demonstrat, quæ cũ mortua sint,ac vegetationis expertia,at jacta in terram subactã,& humectam formantur,& ut ita dicã,parturiuntur mira fæcunditate: nã elicit inde naturæ opifex herbescentem viriditatẽ,explicat folia, excitat calamum,maturat fructum. ᶜ Quid de herbis,ac plantis dicã,quibus non aridam solum,sed ipsum etiã maris fundũ,&alveos fluminũ cõsevit? Quid de metallis,margaritis,coralliis,quę sub aquis formantur,& generantur? ᵈ Quid de priscis illis Gigantibus,quos aquis diluvii demersos,& obvolutos,gementes,dolentes,enitentes, si qua ratione evadere,& emergere posset, ad internecionem usq; delevit? Quid de superbissimis,atq; potentissimis Tyrannis,quorũ vehemẽs timor irruit in universos mortales? Nõne ipsi ingẽtibus quoq; suppliciis,morteq; acerbissima cũ illorum asseclis,Deo sic judicante, conciderũt? Ipsi etiã superbiæ parentes,iniquissimi Dæmones,quorũ virtutis,& potẽtiæ robur tantũ est,supremi Numinis imperio,& vindicta, cũ omnibus suis imitatoribus in sempiternarũ tenebrarum carcerem,perpetuis cruciatibus exundantem,conjecti sunt. Neq; vero isti omnes,qui suorũ scelerum pœnas dederunt,cũ jam mortui sint, ulla opera curari iterũ, rursusq; consistere poterunt. Sola enim illa Divinę Sapientiæ,atq; potestatis ars,eos,qui ceciderunt,excitare,& ad meliorẽ sortem revocare potens est. Quodsi in rerũ humanarum Providentia,sontiũq; suppliciis terribilẽ se præbet supremus judex, mirabilem in rebus se aliis Divina quoq; sapientia,atq; potẽtia præstat. ᵉ Si enim ad ea,quæ sub immensis aquarũ gurgitibus delitescũt, & vivunt,cogitatione pervadas,invenies profecto bestias marinas vastissimas,atq; hoc ipso Arabico mari,Cetos,Balænasq; mõstrosæ magnitudinis,ceu immanes quosdãGigantes magnitudine,longitudine, visu horribiles, tyrannidẽ quoq; suam exercentes. Horũ mirabilis est concipiendi,progignẽdiq; natura, & mirabilis parturiendi fæcunditas,ac humoris luxuriantis mira quoq;,atq; occulta natura, perplexis,& in semet aliter,atq; aliter nunc flatu,nunc fluctu convolutis seminibus,atq; principiis. ᶠ Horũ Gigantũ maximorũ mirabiles quoq; asseclæ sunt parvi quidam pisculi,vicini,& adhabitatores eorũ, quorum ductu ingentes illæ,vastæq; moles gubernantur. Neque minus mirabiles cæteri humidæ regionis incolæ,quorum mira natura,& varietas,mira in quoq; genere fæcunditas, & multiplicatio ad Divinæ potentiæ,sapientiæq; documentum clarissimum. 5 *Ecce Gigantes gemunt sub aquis, & qui habitant cũ eis.*

Quid,quod abditissima terræ viscera,tenebris quoque,atq; caligine plena Divinę illius mẽtis radius attingit,penitusq; complet. Cũq; nos ignoremus prorsus,quid in illo profundissimo baratro,&cõsumptionis,ac perditionis obscurissimo præcipitio, tetraque, & horrida mortuorum statione agatur; at Divinis oculis patent universa,non secus ac si nuda essent, & suis ipsis pellibus, atque cute spoliata, nõ solum enim in cute, sed intus etiam agnoscit, ac intuetur obscurissi- 6 *Nudus est infernus coram illo: & nullũ est operimẽtum perditioni.*

mos,

a *De animæ, & spiramenti in Sacro sermone significatione, ex Hebræo etiam discrimine, diligens observatio a n. 2. usque ad. 6.*

b *Vocis* Gemendi *ex Hebræo, & Latino exquisita ratio, quæ multis, & variis interpretationibus ansam præbuit. n. 2.*

c *De sylvis, & plantis mirifice crescentibus tũ in aliis, tum in Mari Rubro, & Indico, ex sacris & prophanis exquisita, quædam nu. 11.*

d *Multæ* Gigantum *appellationes, resq; peculiares de illorum immanitate, deformitate, habitatione, superbia, & improbitate; ex sacris, & prophanis peculiari digressione examinantur exquisite, a nu. 3. usque ad. 10.*

e *De Cetis, atque Balænis, & in universum de aquatilium mole, numero, fæcunditate, figura, & ferocitate ad terrestres belluas relata pulchra quædam ex sacris, atque prophanis. nu. 15. & 16.*

f *De asseclis, & ducibus Cetorum, Musculis, mira quædam, ad hujus loci intelligentiam, ex prophanis. nu. 17.*

g *De Divinorum luminum acie, & efficacitate occultissima quæq; penetrantium, pulchra quædam, nu. 1. & 2.*

mos, occultissimosque rerum universarum recessus, & quæ crassissima ignorationis caligine operit, atque integit tartarus, suo ipse aspectu aperit, atque revelat.

7 *Qui extendit Aquilonem super vacuum, & appendit terram super nihilum.*

Ipse quidem regionem Septemtrionalē vastissimam, & nunquā satis mortalibus perviam, verbo suo, atque imperio dilatavit. Idem ipse spatiosissimum æthera super inanitate quadam expandit, ex cujus Aquilonari parte perflat Aquilo vehementissimus, terramque pervadit universam. Sed hæc minora sunt. Maximam istam spatiosissimamque Cælorum molem, cujus Aquilonaris polus elevatur nobis supra Orientem, extendisse videtur instar tentorii concamerati: atque imposuisse immenso isti spatio inter Cælum, & terram interjecto incumbentem tanquam firmissimo fornici: simulq. suspendit suis quasi libratum ponderibus, nullo nixum fundamento, tantum gravitate sua consistentem, istum terræ globum in medio universi loco eminentem, & velut ventrem intumescentē, non minus stabilē, quam si firmissimis radicibus penitus defixus hæreret.

7 *Qui ligat aquas in nubibus suis, ut non erūpant pariter deorsum.*

Tanti Numinis sapientia, superiores aquas nubibus quasi colligatas, & inclusas continet, ut non nisi guttatim tellurem perfundat, quæ si deorsum pariter erumperent, regiones devastarent, atque subverterent. Qua in re neque satis mirari possumus rem tam fluxam, tamque labilem, qualis aqua est, claudi, & constringi posse: atque nubem tam tenuem, tam levem aquæ pondus deorsum incumbentis cōtinere posse, quin discindatur, ac importune effūdatur nimbus terris, satisque nocentissimus. Statuit enim naturæ auctor lenissimis pluviarum irrorationibus, minutissimisque stillicidiis terram, plantasq; universas exhilarare, & quasi ex suo vestimento percolatis perfundere. Ne vero ulla regio nimia siccitate squaleret, levissimis, velocissimisque nubibus pluviam adligavit Deus, & quasi in suo vehiculo inclusit, quo simul cum nubibus moveri, & discurrere, perque regiones universas vagari possit.

9 *Qui tenet vultū solii sui, & expandit super illud nebulam suam.*

Cum vero aerem ipse contineat, nubibusq; illud obducat, pluviam defluere non sinit, nisi ea ratione, quam is conducere cum primis intellexerit. Tunc sane Cælestis solii faciem clarissimam presso aere, coactoq; vapore nobis eripit, qua etiam re magnificentissimi, atque amplissimi sui Throni majestatem dum occultat, & operit, demonstrat simul, atque testatur; nubibus enim, velut pretioso stragulo aut gemmato peristromate exornat, atque, instar amplissimorum judicum, intra nebularū cortinas se continet, quo absconditus licet, judicii sui timorem, & sententiæ ferendæ expectationem cunctis mortalibus injiciat.

10 *Terminum circumdedit aquis, usquedū finiantur lux, & tenebræ.*

[h] Idem ipse maris fremētis æstum, agitationemq; fluctuum certis limitibus coercet, ac suo præcepto sempiterno, quasi adducto freno, injectisve cōpedibus constringit, & moderatur, ne præfixos limites trāsiliat, ac ne immēsitas aquarū terris offusa, universa devastet. Quæ naturæ lex cogētis mare in loca depressiora, atq; terræ cavernas mōtesq; eminentiores fabricantis, quid aliud est, quam ipsum auctoris naturæ præceptum summæ Sapientiæ, atque Providentiæ? nā quod mirabile prorsus est, quasi circumducto circino, unam ex uno eodēq; centro aquæ, atq; terræ molem conglobavit. Quę rerum constitutio, lexque sempiterna erit, dum dierum, atque noctium varietates, commutationesq; temporum quadripartitæ conservabuntur, dumq; elementorum vicissitudine mundi natura continuabitur.

h Sit ne perpetuum miraculum, quod mare non exundet, disseritur. numer. 2. 3. 4.

11 *Columnæ Cæli contremiscūt, & pavent ad nutum ejus.*

Tantam supremi auctoris magnitudinem ipsi illi beati spiritus, quorum munere Cælorum motus sempiterni administrantur, & quorum virtute rerum iste ordo, nexusque fulcitur, & confirmatur, præ reverentia, & timore contremiscentes adorant. Terra ipsa, [i] mōtesq; altissimi, atque firmissimi, qui Cælestem machinā velut erectæ quædam, & sublimes columnæ sustinere videntur, insolitis motibus, nutibusq; formidantes, agitati, atq; concussi, in sui auctoris conspectu

i Montium prisca religio, portenta etiam, indicantur nu. 3. & 4.

tremere, & hiscere præ pavore videntur, illiusque majestatem quasi persentire, & admirari. Ipsum profecto Cælorum robur firmissimũ, stabilitasque sempiterna nutat, & vacillat, illorumque bases, & fundamenta horrent, & contremiscunt, cum eis aliquid præpotens imperarit Deus, ad cujus nutum, vultumq; minacem aliquando tãdem commovebuntur universa, & insolitis motibus, atque mirandis mutationibus perturbabuntur.

Idem ipse insigni robore coegit immensitatem aquarum in unum locum, attollendo montes, deprimendo valles, excavando profundissimas terræ cavernas. Idem ipse effervescentis maris æstum refrigerat, & quod agitatione, mutationeq; maxima discindi, infringiq; videbatur, illius imperio repente conquiescens in æquabilem quandã, & placidissimam planitiem coit, atque subsidit, & in suum alveum momento colligitur, omni tumore, atque superbia evanescente, ferociaque compressa. Is ipse serpentem illum antiquum superbissimum inter hujus mundi fluctus cæcos prædas agentem, atque tyrannidem exercentem, confregit, proculcavit: nunc etiam tempestates maritimas cientem, compescit, & alligat, ac sapientia mirabili tranquillat universa. [k] Vastissimos cetos superbissime dominantes in minores pisculos, suo imperio subigit, & suis illorum superciliis excæcat, & ad scopulos, littoraque frequenter allidit, tandemque ipsis piscatorum oculis transverberandos objicit. Quod vero nostra memoria recens viget, [l] superbissimum sane AEgypti Tyrannum potentia, & imperio insolescentem inter maris fluctus interclusum, velut draconem immanissimum vulneravit, prostravitq;.

12 *In fortitudine illius repente maria congregata sunt: & prudentia ejus percussit superbum.*

k *De timiditate balænarum, & art°, qua naturæ auctor illorum superbiam comprimit, pulchra quædam. n.6.*

l *Aegypti, & Pharaonis cognomen* Superbus, *illiusque cum hoc loco allusio ex verosimili conjectura, subtiliter observatur nu.5.*

Quis vero ignorat suo verbo, atque imperio, cælos istos specie mirabili, divinaque pulchritudine efformatos, luminibus clarissimis distinxisse, ac peculiaribus etiam constellationibus variasse? Inde, qui prius fulserat instar clarissimi Syderis, tortuosum colubrum, suæ potentiæ robore, & nisu ex illo sublimi domicilio, in quo creatus fuerat, dejecit. Cujus quoque imaginem non minori potentia, atque sapientia, in hoc æthere nobis repræsentat, cum cælestem istam regionem nubiferam in mediis tempestatibus, & pluviis, fulguribus exornare, & pulchrifacere videtur. [m] Et mirũ, cum fulgura exhibet, coruscant protinus igneæ nubium rimæ; aliquando cælestes faces inardescunt, volant sydera, tunc velut gementes cum ingenti tonitu, enituntur nubes, vi summa, fulmen obliquum, volantemve draconem, truduntq; ignem recurvo tractu in modum colubri incredibili celeritate discurrentem, cadentemque, & mortales Divinæ potestatis terrore concutientem.

13 *Spiritus ejus ornavit Cælos: & obstetricante manu ejus, eductus est coluber tortuosus.*

m *De ignitis exhalationibus, deq; fulminibus hoc loco indicatis, plura nu.5.*

Hæc quidem exiguæ quædam illius sapientiæ, atque potentiæ, præclarissimorumque operum sunt particulæ. Quis enim possit universa naturæ mirabilia cogitatione assequi, nedum oratione percensere? Quis, cum ille ad mortales descendere videtur, & cælos suos horrifica aliqua tempestate ad nos inclinare, viæ, itinerisque rationẽ universam pro meritis explicare, eloquentissimus sit licet, atq; verbis, & oratione tonet, & fulguret? Quis illius adventantis strepitum, fremitum, clamorem, tonitruum, quo non solum terra, sed cælum etiam contremit vehementissime? Quis ex his, quæ diximus, ad alia multo majora, quæ in illius potentiæ immensitate, & sapientiæ occultis rationibus servantur, intelligentia, & cogitatione adspirare tandem poterit?

(✠)

14 *Ecce hæc ex parte dicta sunt viarũ eius: & cum vix parvam stillã sermonis ejus audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis ejus intueri.*

CAPVT.

CAPVT. XXVII.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Ex eo, quod tam conſtanter de Deo, tamque verè, & ſolidè loquatur IOB, confirmat iterum ſuam innocentiam, ſuamque de impiorũ ſupplicio, & extremo interitu ſententiam.

℣. 1. Addidit quoque Iob, aſſumẽs parabolam ſuam, & dixit.

1. *Iobi in dicendo conſtantia. Verbum* Addendi *ſecundas vices ſignificat.*
2. Parabola *quid. Gregorius utilia ſemper conſectans.*
3. Aſſumere, *aut* portare, *quid. Paulus* portans Dei nomen. Onus *prophetarum.*
4. *Iuramenti formula.*



DDIDIT. Confidenti⁹ videtur disputationem ſuam cõtinuare, nemine videlicet reſpondente, quaſi jã victis, ſpõteque cedẽtib⁹ adverſariis. Quippe (ut Philippus ait.) *Convictis jam amicis ſuis, quaſi libere agens.* & (ut dixit Olympiodorus) *cum nullus ejus obſiſteret orationi.* Atque eã animi erecti, & fidentis ad ſuam defenſionem, indicat illud verbum, *addidit*, quaſi ſuam loquendi vicem inſtaurans, & veluti ſecundam orationem inſtituens. Septuaginta: *Adhuc autem adjiciens Iob.* Videlicet ad ſuperiorem orationem, novas quaſdam, graviſsimaſque ſententias attexẽs: *Addiditque aſſumens parabolam*, id eſt; Iterum aſſumpſit parabolã; rurſus loquutus eſt. quod non incommode dixit Tygurina: *Vlterius ſermonem ſuum proſequens.* & Vatab. *Reſumpſit Iob ſermonem, & diſputationem intermiſſam.* Diximus aliquando verbum *addendi*, in Sacro ſermone, ſecũdas vices ſignificare. Id eſt, idem valere quod, ſecundo, rurſus, iterum; *Addiderunt facere malum.* id eſt; rurſus fecerunt. Iudic. 3. 12. & 4. 1. 10. 13. *Addidit Dominus*, ut appareret. 1. Reg. 3. 21. id eſt, iterum apparuit. ſic, *Addidit dicens*, vel, dicere, id eſt, rurſus dixit. Sexcenta ſunt hujuſmodi.

1 Iobi conſtantia, & dicendi fiducia.

Philipp.

Olympiod.

LXX.

Tygurin.

Vatab.

Aſſumens parabolam, id eſt, gravem quãdam, viroque ſapiẽte dignam orationem. *Parabola* autem, ex proprietate ſuæ radicis, ſignificat digniſsimam quandam ſententiam, excellentem utilitate, pondere, gravitate inter alias. q. d. ſententiam dominantem, aut præſidentem aliis: Nam *Maſal*, ſignificat Dominari, aut Principẽ eſſe. Quare nulla hic AEnigmatis ſignificatio, aut occulti alicujus arcani, vel proverbialis loquutionis ſignificatio, per *Parabolam*. Quamquam his omnibus modis ſoleat uſurpari *Parabola*. Quare non eſt cur Philippus hoc loco dixerit, quod *Iob ſumens parabolam ſuam, ſignificat, quod ea, quæ antea dixerat, per ſimilitudinem, & parabolam maxime dixerit.* Quam etiam exponẽdi rationem ſequuti ſunt aliqui Latini, *Parabolam* dici orationem Iob, quod plena ſit ſimilitudinibus. Neque mirum, quod Gregorius pro more ſuo utilia ſemper exprimens ex plano, & litterali ſenſu, ex hoc *Parabolæ* nomine ſuum ſtudium probare contendat; *Oſtenditur* (inquit) *janſtiſſimi viri dicta quam miſtice ſint prolata, dum parabola, id eſt, ſimilitudo aſſumpta narratur ab eo, qui nihil inferius per ſimilitudinem, aut comparationem loquitur.* Rectius Olympiod. *Parabolam* (inquit) *Scriptura dixit, non id ſolum, quod a familiaris ſermonis ſimilitudine remotum eſt, ſed quemvis etiam ſapientem ſermonem.* Sed de *Parabola*, atq; ejus etymologia diximus quodam plura. Nunc tantum indicanda lectio Septuag. *Adjiciens Iob dixit proœmio*, quaſi ea, quæ ante diſputavit, ſint velut proœmium cõ ſequentis orationis.

2 משל Parabola præ aliis excellẽs ſententia.

Philippus, & alii Latini utũtur aliena Parabolæ ſignificatione.

Gregorius utilia ſemper ex miſticis ſenſibus cõſectãs.

Olympiod.

Vide cap. 17. ℣. 6. n. 1.

LXX.

Aſſumens. Elevans, extollens, portans. & forte cum de ſermone dicitur, nihil aliud peculiare indicatur, quam loqui. Videlicet a radice, *Naça*, quæ ſignificat elevare, vel tollere ſuper os verbum, aut ſermonem, Quod eſt loqui. ſicut & cum *Cogitatio* dicitur *aſcendere ſuper cor*, nihil aliud eſt, quã cogitare; & elevare oculos, nihil aliud quam videre. Habemus vero Hiſpaniſmum ſimilem, *Levantar la platica.* & e converſo; *Aver ſe caido la platica, que corria.* Hoc ſignificat jam rem aliquam nõ uſurpari ſermone; illud vero, uſurpare alicujus rei memoriam, & loquendi initiũ facere, aut aditum patefacere ad aliquam diſputationem. Quod auſum quẽdam, & conſtantiam in loquendo adfert, & primum ſermonis auctorem. Sicut & Actor. 9. 15. dicitur de Paulo ad prædicationem Evangelii electo; *Vas electionis eſt mihi iſte, ut portet nomen meum coram gentibus, &*

3 נשא Aſſumere ſermonẽ, aut cogitationem.

Hiſpaniſmus

Conſtantia fidentis animi, in aſſumendo ſermone.

3 *Regibus, & filiis Israel*. id est, ut constanter de me loquatur, & primus ipse auribus Regum obtrudat nomẽ meum: namq; illud *portare*, non est, ut plerique existimant, trãsferre ex uno loco in alium, aut per diversa loca circumferre. Sed est elevare, * *Sustinere*, tollere, vel attollere, & quasi super se ipsum assumere, q.d. ut hoc onus mei nominis evulgãdi sibi imponat. Et sicut qui alicujus obligationis onere gravatur, & constringitur, obligatus etiã manere solet ad illius rei dispendia, & laborem; ita de Paulo *portaturo Dei nomen*, subjicitur, quasi portandi explicatio, & ratio; *Ego enim ostẽdã illi, quãta oporteat eũ pro nomine meo pati*. Atque ut uno verbo dicã, hoc est illud *onus* Prophetarũ, quod ex hac ipsa radice dicitur quasi, *portatio*, cum videlicet Propheta suam prophetiã ita super se assumit, ut videatur etiam super se onus, & obligationem suscipere, tũ illius prædicandæ, & tuendæ, tum & pro illa opprobria, & injurias sustinendi. Ergo & hoc loco *assumere parabolam*, erit ita hanc Divinæ Potentiæ, & suæ causæ manifestationis, & defensionis onus, & obligationẽ super se accipere, ut paratus sit de omnibus rationem reddere.

Portare Dei nomen, quid proprie.

* Para q̃ se encargue, y tome sobre si la publicaciõ de mi nombre.

Onus Prophetarum, quale.

Iob assumens parabolam, & onus defensionis Providentiæ, & suæ innocentiæ.

4 Sed tamẽ propter id, quod sequitur de *Dei Viventis* contestatione, potest hæc *parabolæ elevatio*, aut *assumptio* ad aliquam juramenti speciem referri, ut cum dicitur *assumpsisse parabolam*, indicetur Dei nomẽ in juramento assumpsisse, aut elevasse.

Assumere ad juramenti formulam.

II. Vivit Deus, qui abstulit judiciũ meũ: & Omnipotens, qui ad amaritudinẽ adduxit animã meã.

III. Quia, &c.

1. *Iurandi forma*. Dei viventis *contestatio adversus Idola*.
2. *Varia aliorum interpretatio. Innocentem Deus affligit extra judicialiter*.
3. Iudicium *quid*. Auferre judicium, *cũ Deus contemnere videtur. Illustratus Isaias*.
4. Iudicium *pro condemnatione, aut absolutione*. Facere judicium. *Explicati Isaias, & David*.
5. Omnipotens, *Saddai, quid*.

1 V*Ivit Deus*. Sine ulla juramenti forma hæc verba accipi posse existimant, qui ex Hebræo legunt, *Vivens Deus abstulit judicium meum, &c.* Sed sive legas *vivẽs*, sive, *vivus Deus*, (nam hæc participia Hebræorum valent idem, quod verbum præsentis temporis) sensus idem erit, & ut ex aliis Scripturæ locis aperte evincitur, jurandi formula, quam tum Græci, tum Latini omnes agnoscunt; & dilucida paraphrasi exposuit Nicetas; *Per Deum viventẽ, qui de me judicavit, juro hæc me ob eas causas tantum, quæ mihi prorsus ignotæ, illi uni cognitæ sunt, perpeti*. Est vero jurandi hæc formula solemnis in Scriptura, quã Dei vitã contestamur, ut Matthæi 26.63. *Adjuro te per Deum vivum*. id est, Dei viventis, præsentisque nomine te obstringo. & Apoc. 10.6. *Iuravit per viventem in sæcula sæculorum*. & cũ Deus ipse jurat, *Vivo ego, dicit Dominus*. Quod certe fiebat, ut simul cum confirmatione alicujus veritatis cõfirmaretur etiam veri Dei fides, & cognitio adversus Idola, quæ putabantur Dii, sed mortua erant. Cũ enim homines per *majorem se jurent*, ut Apostolus ait, nisi Deus vivẽs esset, neque major, neque melior homine esset, neq; ulla ratione timendus. Sicut Baruch suo illo cap. 6. pluribus probat. Quare sæpe illud repetit adversus falsos Deos; *Ne ergo timueritis eos, quia nõ sunt Dii*. Et ideo sæpe cum juramento conjungitur Dei viventis timor, Devt. 7. 8. & 10. 20. Genes. 31. 52. Quare in id potissimum incumbebant Prophetæ, ut persuaderent populo omnẽ vitę, sensusq; rationẽ deesse falsis Diis; & id curabãt Dæmones redditis oraculis, ut lapides, & ligna aliquod vitæ, & sensus specimẽ præberent, & metum mortalibus aliqua ratione injicerent. Ergo cum *Deus vivẽs* in juraméto assumitur, veri Dei præsentia veneranda adducitur in testimonium; aut certe stabilitas, & sempiternitas Divinæ vitæ, ad stabiliendam nostram veritatem.

Regia.

Participia Hebræorum

Iurandi formula.

Nicetas.

Deus vivens in Iuramento assumptus.

Qui abstulit judicium meum. Quæ in hoc primo versiculo dicuntur, per parenthesim legunt Biblia pleraque vulgata, quasi hæc sub juramentum minime cadãt. Sed parenthesim expunxerunt Biblia Vaticana, neque incommode: nam quamvis hæc quoque sententia comprehendatur juramento, non habebit sensum incommodũ, quasi dicat; Solẽni juramento contestor, Deum abstulisse judicium meum. Sed illud paulo obscurius, quid sit *auferre judiciũ*, aut *removere*, aut *facere, ut recedat judicium*, ut ex Originali legimus: nã, *sur*, est recedere, declinare, divertere, sive neutraliter, sive active legas. Cajetanus existimat id esse, quod Deus exerceat Iobum longe a judicio, id est, non in judicio, sed extra judicium. id est, non tanquam judex judicando, & condemnannando reum pro scelere aliquo, sed tanquam pater probando illum propter mul- 2

Biblia cor.

Iudicium recedere, aut removeri, quid.

סור

Cajetanus

tos

Chaldæus. Iudicii regula
tos præclaros fines suæ Providētiæ. Hoc idem indicasse videtur Kaldæus: *Abstulit regulam judicii mei.* nam hæc est judicii regula, innocentem absolvere, sontem damnare. Quod si puniatur innocens extrajudicialiter fit. Interpretatio hæc vera, sed dura.

Eugub. Eugubinus, quod Deus *abstulerit, removeritque*, id est, denegaverit, minimeque concesserit illud supremum judicium, atque tribunal, quod tam ardenter, tamque sæpe postulavit, ut sibi pateret. Hoc quoque longius.

LXX. Paulo propinquius, quod Septuaginta legunt: *Vivit Deus, qui sic me judicavit.* id est, qui quasi pervertit meum judicium, dū tam acerbo me afficit supplicio. quod *Iob. 16. 6.* alibi dixit: *Non æquo judicio afflixit me.* Quare, *auferre judicium*, erit inferre plagas, sed non juxta mensuram delicti: verum multo majori pœna leviores culpas compensare. Vero similis hæc expositio, sed neque valde lenis.

3 *Varia expositio ex varia judicii significatione.* *Iudicium pro judicialis judicis actione, & cognitione.* Illud ergo videtur ad Scripturæ phrasim accommodatum, ut pro varia, atque diversa acceptione *judicii*, varia etiam sit, atque diversa significatio, *auferendi judicium*. Nam si, *judicium*, pro actione judiciali, & cognitione judicis sumatur, *auferre judicium*, erit, non intrare in judicium, neque velle cognoscere merita alicujus causæ. Hanc enim exquisitam suæ vitæ, & innocentiæ cognitionem, ut ex illa judicaretur, sæpe desideravit Iob, suæ innocentiæ bene conscius. Sicut e contrario sui peccati male conscius dicebat Da-*Psal. 142. 2.* vid: *Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur, &c.* Atque hoc mo-*Symmach.* do videtur Symmach[us] intellexisse legē: *Qui despexit judicium meum.* Quo etiam modo dixit Deus Isaiæ. 40. 27. *Quare dicis Iacob, & loqueris Israel? Abscondita est via mea a Domino* (id est, non vult agnoscere meam causam) *& a Deo meo judiciū meum transivit.* Vbi Septuaginta legunt: LXX *Iudicium meum abstulit, & recessit.* id est, ille vitam, causamque meam negligit, & sive justa, sive injusta patiar, nullam illum mei cura tangit.

4 *Iudicium pro merito exterminæ sententiæ, & supplicii inferendi.* Si autem, *judicium*, pro condemnatione, aut pro merito, & causa cōdemnationis, & mortis usurpetur, *auferre judicium*, erit condonare mortem, & non pronunciare dignam scelere sententiam; ut Sophoniæ. 3. 15. *Abstulit Dominus judicium tuum*, (id est, supplicium, & pœnam, quā ex judicii, & justitiæ lege merebaris, condonavit scelera. Septuagin. *Abstulit Do-* *LXX.* *minus iniquitates tuas*) *Avertit inimicos tuos* *non timebis malum ultra*. Sensus hic huic loco non quadrat.

Iudicium pro bonitate, & æquitate causæ. Si, *judicium*, sumatur, ut sæpe solet, pro justitia, & æquitate causæ, & pro innocentia vitæ, & operū, quibus debetur illa potissima judicii pars, quæ est absolutio; *Auferre judicium*, erit, non absolvere pœna, neq; liberare supplicio immerito, sed citra culpam affligere, & punire, quod huic quadrat loco. Sicut etiā populus cō-*Germana, & simplex expositio.* querebatur, quod mala, & iniqua pateretur ab hostibus injuste, Deo quasi non curante, id est, non liberante; Isaiæ 59. 9. & 14. *Elongatum est judicium a nobis, & non apprehendet nos justitia; expectavimus judicium, & non est.* Septuaginta: *Recessit* LXX. *judicium.* sive, ut hoc loco, *ablatum est.* cujus contrarium lætabundus, & liberatus a malis canebat David. Ps. 9. 5. *Fecisti judicium meum, & causam meam, sedisti super thronum, qui judicas justitiam.*

5 שדי *Et Omnipotens, Saddai*, qui cum sit bonorum omnium fons uberrimus, cumque ex illius indulgentissimi pectoris uberibus dulcissimum, suavissimumque beneficentiæ lac instillet in ora, desideriaque suarum creaturarum, me tamen amaricavit, *ad amaritudinem*, ærumnas doloresque incredibiles, naturę humanę ad perferendum difficiles, & peracerbos, *adduxit animam meam*, vitam, corporisque partes omnes, atque animæ facultates nullo merito. Hæc (inquam) juramento cōtestatur quoque, deinde quod sequitur. *Aerumnæ amarescere homini.*

3. *III. Quia donec superest halitus in me, & Spiritus Dei in naribus meis:*

4. *IIII. Non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium.*

1. *Vitæ periphrasis. Spiritus, quid in Sacro sermone.*
2. *Os, peccata, & iniquitas, quæ.*
3. Iniquitas, *&* Dolus. Meditari, *quid. Explicati David, & Isaias.*
4. *Particulæ* Absit, *in Hebræo, quæ proprietas. Illustratus Moyses.*
5. *Varius Græcorum, & Latinorum nexus, Varia etiam sententiæ paraphrasis.*

I *Lucida sententiæ paraphrasis.* VIvo (inquit) per Deum viventem, quā diu vixi, sancte me & religiose vixisse: quamdiu vixero, sancte me, & religiose victurum; neque falsi aliquid aut de mea

innocentia, aut de Dei bonitate, & justitia pronunciaturum; neque ulli unquam mendacio consensurum.

Vitæ periphrasis.

נשמה

Donec superest halitus. Elegans vitæ periphrasis; Quandiu respirat homo, tandiu vivit; moritur tandem cum expirat. Vox eadem, quæ supra cap. 26.4. vertitur, *spiramentum.* de quo ibi plura.

Olympiod. *Ambros.* *Philippus.* Trinitatis mysterium indicatum. *Methodius.* Cõsciẽtia incorrupta quę. LXX. Germana expositio. *Genes. 2.7.* Spiritus ex adjuncto nomine explicatus

Et *Spiritus Dei in naribus meis*, Septuag. legunt; *Spiritus Divinus, qui circa me est in naribus.* Quo nomine Olympiodorus, *Spiritum Sanctum*, intelligit, sicut etiam Ambrosius super id Ps. 118. *Averte oculos*, &c. nec non Philippus; *Spiritus* (inquit) *Dei, qui me, ut sustineã hos cruciatus, corroborat.* Vnde Græci hoc loco *Trinitatem* indicari existimãt, Patrẽ, per *Deum viventem*, filiũ, *Omnipotentis*, & Spiritum Sanctũ, suo proprio nomine, *Spiritus Dei.* Methodius autẽ hoc ipso loco, *Spiritum Dei*, intelligit Spiritũ a Deo datum hominibus, sed non alium, quam conscientiã ipsam, quæ sive suæ innocentię, sive sui sceleris testis est. de qua etiã intelligi vult, quod Sapientię. 12.1. dicitur; *Quam bonus, & suavis est, Dñe Spiritus tuus in omnib⁹!* Quod Septua. legerũt; *Omnibus incorruptus tuus inest spiritus.* Sed sane quid *Spirit⁹ Dei*, hoc loco sit, vel ex adjũcto *nariũ* nomine clare licet intelligere: nã est respiratio vitalis, nariũ adminiculo homini, ut viveret, concessa, ex eo jam tẽpore, cum *inspiratum est in faciẽ* id est, *in nares*, faciei hominis, *spiraculum vitæ*, aut ex Hebr. *vitarum*, nã singulis nariũ foraminibus singulę vitæ hauriri vidẽtur. Tũ etiam ex præcedẽte hemistichio: nam *spiritus in naribus*, idẽ omnino est, qui *halitus* in homine. Nã cum *spiritus* dicitur, vel nariũ, vel vitæ, vel adjuncto nomine alio simili, eum spiritum significare solet, qui etiam viventibus brutis cõmunis est, videlicet respirandi facultas. Sed de hoc diximus plura superiori capite.

Nicetas. *Chrysost.* *Cajet.*

2 *Non loquentur labia mea iniquitatẽ.* Gręci, atque post illos plerique sic elucidant; *Quãvis* (inquit) *cruciatus ac pœnæ producãtur, quamvis acerbiora sint mihi perferenda, nihil tamẽ absurdi, nihil a dignitate Dei alienum me loquuturum, aut animo cogitaturum, verum usq; ad extremum spiritum, peccato repugnaturum.* Chrysost. *Nemo pervertere me unquam poterit, nemo abducere a semel suscepto consilio.* Persto (inquit) in eodem sanctioris vitæ instituto. Non meç me tribulationes, non vestræ calumniæ separabũt a Charitate Dei. Cajetanus existimat Iobum duo linguæ peccata a se removere, alterũ, *inique loqui*, quod aperte malũ est; alterum, *dolose loqui*, quod speciem boni præsefert, idq; jurare, ut socios vellicet, qui vel iniquis, vel etiam fictis, & dolosis calumniis adversus illum agerent.

Iniquitas cũ dolo sermonis cõjuncta.

Et quidem ea duo linguæ peccata non raro cõjunguntur in Sacro sermone. Psal. 119.2. *Libera animã meam a labiis iniquis, & a lingua dolosa.* Psal. 10.7. *Cujus maledictione os plenum est, & amaritudine* (hæc est iniquitas) *& dolo.* Sed quidem sicut his locis *iniquitas, & dolus* pro eodem videntur accipi, ita etiam in præsenti sententia; *loqui*
iniquitatẽ, aut *meditari mendacium*, eodẽ vi- 3
dentur pertinere, ut efficiatur hic sensus; Non loquar, nunquã fatebor iniquitatẽ, quam vos mihi per *mendacium* affingitis: *Nec lingua mea meditabitur. Hagah* verbũ est commune cordis, aut oris loquutioni. Hinc quasi cõmutatis verbis dicimus, corde loqui, lingua meditari, de corde, Isaiæ. 59.13. *Cõcepimus, & loquuti sumus de corde verba mendacii.* id est, Meditamur in corde dolos, & mendacia; cõcipimus corde verba, quæ postea excludamus ore. De lingua Ps. 70. 21. *Lingua mea tota die meditabitur justitiam tuã.* id est, semper de tua jutia loquetur. Sic etiam hoc loco. Quare tãtundem existimarunt Septuag. referre, si dicerent *linguam*, aut *animã*: legerunt enim, *Neque anima mea meditabitur injusta.* Sed quidẽ affert verbum *meditandi* attentionem, vel intentionem quandam animi sive in verba, sive in rem eam, de qua sermo fit. quod huic loco recte quadrat: nãque sicut est in proverbio, Mẽdacẽ oportere esse memorem, ita sane mendax, aut dolosus sermo attẽtione quadam, & excogitatione, aut meditatione fit, ne deprehẽdatur, aut detegatur dolosus. Ait ergo se nunquam *loquuturum mendacium*, dolũ contra conscientiam, contra veritatẽ sibi bene perspectam, & exploratam suę vitę, suorum studiorum. Recte itaq; cohæret, quod sequitur. neque male, si neget se loquuturũ, id est, concessurum, quod alii de illo mentiebãtur, videlicet impie vixisse, & nunc flagellari propter peccata.

Iniquitas, & mẽdaciũ pro eodem.

הגה

Loquutio cordis, meditatio linguæ.

LXX.

Meditari mẽdacium quid.

V. *Absit a me, ut justos vos esse judicem. Donec deficiam, non recedam ab innocentia mea.*

חלילה לו
חלל

ABsit a me. Elegãter, quod in Origina- 4
li ex Hebræo legitur, *Hhalilalò*, pollutum, aut contaminatũ mihi, supple, est, cõmune, & prophanum, & ideo mihi fugiendum; Absit, ut me contaminem. q.d. Non ego ducor, neque seduci me patior

commu-

cõmuni vulgi,& ſtultorũ judicio, qui de externis tantum judicant;& internã ſanctitatẽ æſtimant, & metiuntur ex externa fælicitate. Quemadmodũ & vos judicatis,dum me ex calamitatibus,& ærumnis, peccati,& ſceleris alicujus putatis dãnandum. Similis illius particulæ vis, & proprietas Geneſ.18.25. *Abſit a te,ut rem hãc facias,& occidas juſtum cũ impio. non eſt hoc tuum.* q. d. Hæc judicandi ratio, nulla ſervata, neq; attenta cauſæ juſtitia,communis, prophana, polluta eſt, & longe a tua ſanctitate,& æquitate aliena. Ait igitur Iob: Nunquã aſſentiar,ne me polluã, & fidem meã cõtaminem,veſtro judicio, veſtræq; ſententiæ,ut juſtam illã pronũtiẽ,neq; veram,de impiorum,juſtorumve in hac vita aut fælicitate,aut ſupplicio.

Sententiæ elucidatio.

Donec deficiã. Vel ſi moriar,vel ſi ex vobis vita mea penderet. Conjungunt hanc partem Græci cũ antecedente. Sed Latini cum ſequente; Ad extremum uſq; halitum,non recedã ab innocentia,& ſanctitate,ſimplicitateq; meorum morũ tuẽda, & defendẽda,cõtra veſtras calumnias, & ab omni infamiæ labe vendicanda;Nõ aliam vitæ rationem inſtituam, quã meam priſtinã, quãvis vos me ad reſipiſcẽdum, & ab inſtituto recedendum tam ardẽter, tamq; contentioſe adhortemini;Non patiar igitur,quod in me erit,ſimplicitatẽ,& innocentiam afflictã calumniis, & mẽdaciis obrui, & in judicio cadere. Indicat hunc ſenſum lectio Septuag. quæ etiã reſpondet Hebræo: *Non ſeparabo a me innocentiam meã.* q.d. Non deſeram:nam unicus ergo perſto innocẽtiæ afflictæ defenſor, adverſus vos omnes illius accuſatores,& calumniatores. Nicet: *Deſererem innocentiam meam, atque proderẽ,ſi alia loquerer, atque ſentiam.*

Varius Græcorum, & Latinorũ nexus.

Varia ſententiæ vis, & circumloquutio.

LXX.

Nicet.

VI. Iuſtificationẽ meam,quã cœpi tenere, non deſerã: neq; enim reprehẽdit me cor meũ in omni vita mea.

1. *Quid.* Tenere, *aut* Deſerere. *Pietas arcte retinẽda.* Lapis probationis. *Illuſtratus Salomõ, & Eccleſiaſticus. Pietas arcte complectẽda. Obligationes majoris perfectionis,addunt fortitudinẽ.*
2. *Quid* Reprehendere. *Peccatum eſt hominis opprobrium.*
3. *Qui dicantur* dies hominis : *Periphraſis humana vita.*
4. *Pœnitentia delet commiſſa flagitia. Illuſtrati Ioannes, & Paulus.* Iob cum Paulo cõparatus.

I IVſtificationẽ, juſtitiã,ſanctitatem. *Quã cœpi tenere.* Pulchre illuminavit Vulgatus,quod in Hebræo tantũ eſt, *tenui*,propr. apprehendi fortiter,arcte complexus ſum. Eleganter.70. *Iuſtitiæ inhærens.* Explicat igitur perpetuũ,& nũquã intermiſſum a primis vitæ primordiis pietatis ſtudium. *Non deſeram.* Retinebo adhuc,non dimittam,non laxabo,nõ deſinãve ab illa complectenda, & retinẽda. Hæc eſt proprietas verbi *deſerẽdi.* Eſt enim contrariũ verbo *tenendi*, affertque mollem quendã, diſſolutum, otioſumq; animũ in opere aliquo. Vnde Proverb. 18.9. dicitur, *Mollis,& diſſolutus in opere ſuo.* Aquila, *Ignavus.* Symmach. *Ceſſans.* Theodot. *Remiſſus.* & Septuag. ad morbum quendã languoris,& deliquii videntur referre,dũ legunt. *Qui nõ medetur ſibi in operibus ſuis.* & recte quidem; nã eadem vox vertitur *infirmus*,Num.13.19. *Conſiderate populũ,utrũ fortis ſit,an infirmus.* Eſt enim illa impotẽtia, & laſsitudo, morbi ſimilis. Et eadem vocis proprietas exprimitur Iudic. 19. 9. *Cõſidera,quod dies ad * Occaſum declivior ſit, & appropinquat ad veſperã.* Quod ex Hebr. tantum eſt; *Ecce dies remittit*, aut, *relaxat ſe ad veſperam.* Septuag. eleganter: *Infirmata eſt Dies ad veſperam.* Sic etiã dicũtur, *pẽnæ*, quibus extentis, & erectis Cherubini volabant,* *Demitti.* Ezech.1.24.& Ierem.38. 4. * *Diſſolvi manus virorum bellantiũ.* Quæ omnia ſi ad ſtudium pietatis referas,ſignificabunt,nunquã Iob in ſanctitatis cultura tepuiſſe,nunquã concidiſſe animo,ſemper erectum, ſemper bene animatũ erga pietatis opera fuiſſe, *& apprehendiſſe vitã æternã*, in quã vocatus fuit. Quemadmodũ & Sapiens inſtruit Sapiẽtiæ amatorẽ Ecclesi.6.28. *Continens factus* (id eſt,ſi ſemel tenueris,arcteq; comprehenderis) *ne derelinquas eã*;ne demittas,neq; laxes manus, aut diſſolvas cõplexum brachiorum, ne unquã mollem te,parũve cõſtantẽ Sapientiæ amatorẽ præbeas; quod hic dicitur, *non deſerã* : nam ſi ſemel relaxes brachiorũ niſum, curamq; *tenendæ juſtitiæ*, & ſanctitatis, avolabit ſtatim, aut excidet e manibus,non aliter,atq; res magni põderis,& momenti, niſi arctiſsime cõplectaris. Scriptum eſt enim, *Quaſi lapidis virtus, probatio erit in illis* (ſtultis,& vecordibus) *& non demorabuntur projicere illam.* Quod clarius Septuag. dixerunt; *Quaſi lapis probationis,fortis erit in illo.* Erat nimirũ quõdam lapis quidã,quo probabantur, & explorabantur vires cujuſq;, & ad quod ſe exercebãt juvenes,quẽ videtur Zachar.12 3. vocare, *lapidẽ oneris.* quem,ut Hierony. ait, *alii ad genua,alii ad umbilicũ, alii ad humeros, & caput, nonnulli ſupra verticem erec-*

חזק

Deſerere proprie cõtrariũ verbo tenẽdi.

רפה

Aquila. Symmach. Theodotio. LXX.

*El Sol no tiene fuerça, y el diava de caida

LXX.

* Caidos los braços, y las alas del coraçon.

Iobi in retinẽda pietate, robur.& firmitas.

1.Tim.6.12.

Pietas arcte complectẽda, inſtar ingẽtis & graviſsimi lapidis.

Eccleſi.6.23.

LXX.

Hieronym.

ctis junctisq; manibus attollāt. Sic pietatis pōdus quaſi per gradus quoſdam ætatis, & tēporis homines attollunt, & ſuſtinēt, paucifsimi qui ſupra verticem attollunt. ita ut ad finē uſq; perſeverent. at ſi ſemel illū lapidem apprehenderet lāguidus, aut imbecillis homo, ſine mora projiciebat pondere ſuperatus. non aliter diſſoluti, cū ſemel apprehendunt pietatem. Quare ad ſummam animi conſtantiā, & robur, illa tandem verba hortantur verſ. 29. *In omni animo tuo accede ad illam, & in omni virtute tua conſerva vias illius.* Vult enim ardēter *concupiſci*, & amari; vult quæri diligentiſſime, vult apprehendi, & *teneri* arctiſsime. quoniā autem imbecillitati humanæ timēdum eſt, quæ laſſari, & deficere ſæpe ſolet, monet Sapiēs, ut etiam qua fieri poſſit ratione, nos cum Sapientia religemus, & conſtringamus fortiter, & vinculis quibuſdam majoris perfectionis obligemus, ne facile illam dimittere poſsimus, facileve ab illa diſſolvi. Eccleſi. 6. 28. ut hujuſmodi compedes, & obligationes volūtarie ſuſceptæ, ſanctioris vitæ retinēdę, ſint adminicula, ad pietatem fortiter tenendā. Quare poſtquam Sapiens dixerat: *Injice pedes tuos in cōpedes illius, & in torques illius collū tuum;* ſubjecit ſtatim; *& erunt tibi cōpedes ejus in protectionē fortitudinis, & baſes virtutis, & torques illius in ſtolam gloriæ.* Nā hæc ipſa *vincula*, quæ ſunt noſtræ imbecillitatis argumenta, eadē ipſa ſunt, quaſi ſupplementum fortitudinis & præſidium validiſsimum ad retinēdam fortiter ſanctitatem, quam ſemel *tenere cœpimus.*

Alligare nos debemus cum pietate, ne facile ab illa diſſolvamur.

Obligationes & vota majoris perfectionis, addunt animo vim, & fortitudinē.

2 *Neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea.* Verbum, *reprehendit*, legendum de præſenti, quamvis in Hebręo legatur de futuro. Deeſt quoque in Originali particula cauſalis. Quare non alia erit hujus partis ſentētia, quam expoſitio præcedentis; videlicet, *Tenuiſſe* ſemper *juſtificationē*, nihil aliud erit, quā ſibi nō eſſe conſcium alicujus ſceleris. Sed D. Thomas, quē nonnulli Latini ſequuntur, preſſe, & ſtricte accipit particulā illam cauſalē, ut rationē reddat, cur confidat, ſe nō receſſurum ab innocentia, quod videlicet ſemper aſſuetus fuerit juſtitiæ, & ſanctitati: nā ipſa peccandi conſuetudo ſolet, hominē in majora indies peccata impellere. Sed nimium videtur hoc ſubtile, & argutum. *Non reprehendit*; Nō exprobrat, non improperat, nō convitiatur, nō blaſphemat, aut maledicit; ſive potius de futuro, nō blaſphemabit, maledicetve. His enim modis omnibus verti ſolet verbum originale a Vulgato. Cum autē oratio ſit in Hebræo ſine appoſito, poterat nō incōmode apponi huic ſentētiæ, Deus; *Cor meum nō exprobravit,* ſupple *Deū*; Nō blaſphemavi; nunquam maledixi; ſemper de Deo in bonitate ſenſi. contra quā illi objiciebant amici; & Dæmon interius moleſtiſsime ſuggerebat: nam jā eo videbatur revocata tota amicorum diſputatio, quis melius, veriuſq; de Deo ſentiret, & loqueretur. Sed Vulgatus ſententiā aliter ſupplevit, cōmodeq; expreſsit appoſitum; *Nō reprehēdit me cor*, nō exprobrat, neq; convitiatur mihi. Similiter etiā Septuag. *Neque enim conſcius ſum mihi, cōmiſſiſſe abſurda.* Peccatū enim eſt opprobriū hominis, injuria, convitium. Quare, quē carpit alicujus ſceleris cōſciētia, huic ipſa conſcientia exprobrat, cōvitiatur, maledicit. Et qui reprehendendo, peccatum alicui objicit, ſi nō verbo, at certe re ipſa exprobrat, & convitiatur. Ait igitur, ſe nullius opprobrii, vel in ſuā conſciētiā, vel adverſus Dei cōmiſsi, conſcium eſſe. Sed potius probra, & cōvitia indigne excepiſſe ab amicis, ſcelera, & impietatem objicientibus.

D. Thom. Dioniſ.

Conſuetudo pecādi, ad nova ſemper peccata alliciēs.

חרף

Varia ex Hebræo interpretatio.

Peccatum, oro brum, & convitium.

3 *In omni vita mea.* Clare quod in Hebr. paulo obſcurius; *A* diebus meis.* Gajetan. *Dies ſuos*, exiſtimat appellari, *Dies*, quibus uſus eſt libero arbitrio. *Nam dies* (inquit) *ante uſum liberi arbitrii, noſtri nō ſunt quoad poſſeſſionē, & uſum.* Vere quidē, ſed nimia in emulgendis vocibus ſubtilitas, inimica ſæpe ſolet eſſe dignitati orationis, atque ſententiæ. Loquutio ergo illa vitā in univerſum ſignificat.

* En mis dias tal no me a remordido la cōciencia.

Notata ſubtilitas Cajetani

Sed Philippus hoc loco, ut ſentētiam hanc conciliet cum illa ſuperiori, cū Iob *peccata* aliqua *adoleſcētiæ* ſuæ confiteri videtur, exiſtimat hanc ſententiā deberi tātū accipi de præſentis ſuæ calamitatis tēpore; *Hoc (quod) inquit loco omnis vita præſens ejus intelligēda eſt, quo tēpore hæc dicebat: nā & ita dictum ex ſuperiori verſiculo credibile videri poteſt, ubi ait, Iuſtificationē meā, quā cœpi tenere, non deſeram, ubi cœpiſſe ſe profitetur.* Similis profecto loquutio, 1. Reg. 25. 28. *Malitia non inveniatur in te, omnibus diebus vitæ tuæ.* Videlicet dū vixeris in poſterum. quod tamen ex Originali videbatur accipiendum in univerſum: *Malitia non eſt inventa a diebus tuis.* Nihilominus & Iobi ſanctitas, & illius innocentiæ ſæpe ab ipſomet confirmata, & conteſtata, atq; Græcorum, Latinorumq; interpretum conſenſus ſuadēt, ut in univerſum de tota vita ſuperius acta hic locus accipiatur. Neq; obſtat quod aliquando ſe peccaſſe fateatur Iob: nam de levio-

Philipp. Iob 10. 26.

An Iob ſuam innocentiam univerſæ vitę tueatur, an prȩſentis tātum tēporis cum hæc dicit.

Leviora peccata agnoſcēs Iob.

Gregor. D. Thom. Origen. 1. Corint. 4.

ribus illud peccatis accipiendum, docet hoc loco Gregor. D. Thomas, & Latini. Quamquã illud obſervat Origenes, *Mirificam eſſe juſti fiduciam, qua nõ modo ejus vita ſuperior, ſed ærumnoſi etiam temporis conditio nitebatur, ut dicere non dubitaverit; Nihil mihi conſcius ſum.*

1 Cor. 4. 4. 1. Tim. 1. 13.

Sed cũ hoc etiã Paulus de ſe affirmaverit, *Nihil ſibi conſciũ eſſe*, qui tamẽ, & *blaſphemus fuit*, & *Eccleſiã Dei perſequutus eſt*, non videtur magnum ſuppeditare innocentiæ argumẽtum, quam a primis annis poſt deletam originis labẽ cõſervaverit? Dicendum quidem, Paulum poſt actã vitæ anteactæ pœnitentiam, nihil ſibi cõſcium fuiſſe, neq; a ſuo corde, ſuaq; conſcientia graviter reprehẽſum. ſicut & Ioãnes 1. c. 3. 21. dixit; *Si cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum*, &c. quod proprie ex Græco legi poteſt, *Si cor noſtrum nõ condẽnaverit nos*, nam per pœnitentiam deleto jam peccato, *nihil nunc eſt* (ut Paulus ait) *damnationis, his, qui ſunt in Chriſto Ieſu, qui non ſecundum carnẽ ambulant*: quamvis quondam *ſecũdum carnem ambulaverint*; & Paulus quidem videtur quodam modo ad præteritę ignorantiæ commemorationem erubeſcere; *Qui non ſum dignus* (inquit) *vocari Apoſtolus, quoniam*, &c. At Iob non ſolum hac ratione; ſed & quod ſemel acceptam gratiam nunquam amiſerit, ſibi conſcius non eſt gravioris alicujus ſceleris: neq; ad commemorationem præteriti alicujus opprobrii erubeſcit. Nam & præteriti criminis memoria ſanctis, dum adhuc vivunt, & humilitati, & pudori eſt. Quare ne populus Dei, velut ſpõſa, quæ deprehenſa in adulterio fuerat, ex jã præteriti, & condonati adulterii opprobrio vel ſolam memoriã acciperet, dictum Sophoniæ 3. 17. *Noli timere Siõ, Dominus Deus tuus gaudebit ſuper te in lætitia.* * *Silebit, in dilectione tua.* Quod Septuaginta dixerunt; *Innovabit te in charitate ſua.* id eſt, quaſi ſi alia eſſes, novaq; nupta, te accipiet. Iob dixit ſe innovatione minime indigere, ut qui primam charitatem nunquam amiſerit.

Bonæ conſciẽtiæ teſtimonium in Iobo, & Paulo, quale.

Pœnitentia peccati dãnationẽ tollens.

Rom. 8. 1.

Præteritorum criminum memoria ſanctis ad humilitatẽ.

*No ſe hablara palabra de lo paſſado.

Iob primam gratiam conſervans.

VII. *Sit, ut impi⁹, inimicus meus, & adverſarius meus, quaſi iniquus.*

1. Duplex aliorum interpretatio, Iobi conſtantia, de ultimo hujus controverſiæ judicio, prophetia.
2. Germana expoſitio.
3. Imprecatio in hoſtes proverbialis. Illuſtrati Samuel, & Daniel.

1 Chryſoſt. Olympiod.

CHryſoſtomus in Catena, paulo acerbius, per imprecationem hæc exponit: *Pereant inimici mei, quando quidem me calumniantur.* & fere eodem modo Olympiodorus; *Quæ vos in me per impietatem cõdemnatis, in meorum inimicorũ capita retorqueãtur.* ut latenter notet amicos, qui petulanter illius innocentiam laceſſerent, & non niſi cum impietate. Et vehemens quidẽ eſt Septuaginta lectio, *Verum tamẽ ſint inimici mei, & qui ſuper me inſurgunt, ſicut perditio impii.* Sed ſecundo, paulo lenius; Qui in hoc meo propoſito, meaque ſententia de impiorum aut fælicitate, aut ſupplicio mihi repugnaverit, plane cenſebo impium, & ſicut meæ innocentiæ, veræq; doctrinæ, ita etiam veritatis hoſtẽ. Sic Iob monebit amicos, ne ſibi importunius obganniant, niſi velint ab ipſo merito impii, & ſanctitatis inimici haberi. quo ſenſu non omnino impios dicet ſuos adverſarios, ſed ſpeciem tantum impietatis præferre, ut qui contra veritatem, & ſanctitatem pugnare videantur. Idem indicavit Tygurina; *Qui mihi adverſatur hac in cauſa, impius; & qui ſe mihi opponit, iniquus habendus eſt.* Hæc eſt frequentior Latinorum expoſitio. Et illud peculiare Philippus addidit; *Prophetiæ* (inquit) *ſpiritu hæc dicere videtur mihi magis, quam voto maledicentis.* Cui propheticæ prædictioni, favere videtur verbum futuri temporis, quod in Hebręo ſubeſt; *Erit, ut impius*, &c. Quod tunc impletum videtur, cum ad extremum hujus diſputationis, & litis, damnati ſunt illius adverſarii ſtultitiæ, & injuſtitiæ;

LXX.

Lenior interpretãdi ratio.

Tygur.

Philipp.

Iob prophetat ſuorum adverſariorum in hac cauſa, ſententiã adverſam.

2 Optimus, & ſimplicisſim⁹ explicatus.

Sed tamẽ præſtat leniſsimus alius ſenſus, quanquam non remiſſo ſuæ defenſionis ardore, ut novum argumentũ proponat ſuæ ſanctitatis; Illos (inquit) ſemper hoſtes habui, quos vidi, cognovique impios: & ut impius quiſque fuerit, ita profecto mihi erit inimicus; Quare oportuit ſemper mihi placuiſſe ſanctitatem, atque omnem impietatis ſpeciem diſplicuiſſe; Nullum cum impiis amicitię fœdus inivi, ſed adverſus illos tanquam adverſus hoſtes pugnavi.

Nova ſanctitatis Iobi probatio.

3 Proverbialis imprecãdi formula.

Sed tandem non leviter ſuſpicor, eſſe hanc quaſi proverbialem dicendi formulam, qua imprecetur fructum, retributionemq; impietatis ſuis hoſtibus, in hãc ſententiam; Vos cenſetis me impiũ. Ego vero tam lõge abſum ab impietatis ſtudio, ut neque mihi, neque amicis meis, quibus bene velim, optem ullos impietatis fructus; Hos certe percipiant inimici, & hoſtes mei. Solemus enim vulgari cõſuetu-

dine, diras, & imprecationes in inimicos cōvertere, cum nobis tantum fausta precamur, aut omnia mala a nobis depellimus. cujusmodi illud est. 1. Reg. 25. 26. *Fiant sicut Nabal, inimici tui, & qui quærũt Domino meo malum.* id est, ut Iosephus lib. 6. Antiq. elucidavit, *Quod Nablaum manet infortunium, inimicorum tuorum capitibus contingat.* Et quod aversantur, id certe in inimicorum capita, ut recideret, precari, solemne semper fuit; ut ille dixit;

Iosephus.

Hostibus eveniat tam fœdi causa pudoris,
Inque nurus Parthas dedecus illud eat.

Ovidius, 3. de Arte.

Danielis etiam. 4. 16. *Domine insomnium his, qui te oderunt, & interpretatio ejus hostibus tuis sit.* Illudque frequenter usurpant aniles fabellæ, *El mal para los moros, y el bien para nosotros.* Nam sicut quidquid malum est hostibus, & inimicis, ita quidquid bonum est, nobis, & amicis solemus precari. Atque illud quoque Propertii simile:

Propert lib. 3. Od. 17.

Hostium uxores, puerique cæcos
Sentiant motus Orientis Austri.

Poppea vero apud Senecã, terrificũ somnium, & noctis minas in hostes declinat;

Sen. in Octav. act. 4.

Delubra, & aras petere constitui sacras,
Vt expientur noctis, & somni minæ,
Terrorque in hostes redeat attonitus meos.

Video sane similem esse formulam hujus sententiæ Iobi, atque adeo etiam cogor existimare, esse imprecatoriam. Cum quo sensu recte cohæret sequens sententia.

VIII. *Quæ est enim spes hypocritæ, si avare rapiat, & non liberet Deus animam ejus?*

1. Spes *per metonymiam.* Hypocrita *quis. Avaritiæ proprium.*
2. *Divitiarum stabilitas a Deo.*
3. Liberare *quid propriè. Varia lectio.*
4. *Impii non eriguntur filiali in Deum confidẽtia.*

1 Sentẽtiæ nexus, & paraphrasis.

ODio (inquit) semper mihi fuit impius, atque impietas, ideoque illam imprecor inimicis, quod nihil ex illa boni percipi possit. Sed securam, inquis, impius vitam vivit, cum ad vitæ præsidium, & custodiam divitias comparet. Ego vero (inquit Iob) sic existimo, nullam esse diviti impio vitæ securitatem, aut stabilitatem, cum nitatur infirmo, & fallaci fundamento. Nam *quæ est spes?* id est, in quo nam spem suam defigit, niliturve, unde nam sibi bene, sperare possit? *Spes*, pro ea re, quæ nobis spem facit, aut de qua spem concipimus. *Hypocritæ*, impii divitis, qui

Spes pro eo, in quo spes figitur.

omnino aliud videtur, & apparet, quam sit; qui cum exterius fulgeat, pollutus, & contaminatus mẽte est, ut proprietas hujus vocis exposcit. de qua aliquando diximus: quadrat enim commode illa *Hypocritæ*, & fallacis, mẽdacis ve compellatio in impium divitem: sicut, & *divitiæ fallaces* appellantur. Sed in universum, *Hypocrita*, *pro impio*, ut hoc loco verterunt quoque Septuagin. *Si avare rapiat.* simplex in Hebræo vox, quam vertere possis, *si Avarizet*, id est, si avaritiæ studeat, aut avide, & avare rapiendo, condendo, & asservando, multo alia plura concupiscat. Quam vocis proprietatem indicarunt Septuag. legentes: *Quæ est spes impio, quia expectat?* Scholia Septuag. notarunt, verbum Græcum reddi posse: *Quia tenax est*; aut, *quia in habendo exuperat*; aut ex Olympiodoro; *Quoniam plus capit, & aliena ad se rapit.* Et sane verbum Græcum, *Epeche*, ita significat cõtinere, & reprimere aliquid, ut etiã aliquid expectetur, propter quod cunctatio, & retentio fiat. quare Vaticana dixerunt, *expectat*, Cõplutensia vero, *continet*. Et quadrat quidem utrumque in divitem avarum, qui cum multa contineat, & possideat, plura expectat, & concupiscit, & concupiscentia illum retrahit a fruendis bonis, quæ jam possidet. Cadũt sane omnia hæc in proprietatem verbi originalis, quod non solũ *avarissare*, aut *concupiscere* significat, sed etiam lucris inhiare, & undecumq; corradere (quod potissimũ indicatur Ps. 9. 3. *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ*. quæ hæc desideria: corradẽdi, & ditescendi; nã statim ab hac ipsa radice exponitur, & *iniquus*, avarus, corradens, lucri sectator, *benedicitur*.) aut cum avaritia perficere aliquid, aut implere. Ergo (inquit) quantũvis bene munitus, firmusque videatur a divitiis, quantũvis multo plura expectet, atq; desideret, suorũ quoque desideriorum cõpos, tamen nisi illum muniat, confirmet ve Deus, nulla vera firmitate fulcietur. Nimirum verus omnis boni auctor Deus est, vera proinde bonorũ omnium firmitas ab illo petenda: nam divitiæ a Deo collatæ vitę præsidiũ sunt; ex avaritia vero, vel rapina vitã evertunt, & enervant. Sicut a Christo Dño dictum est Luc. 12. 15. *Videte, & cavete ab omni avaritia; quia non in abundantia cujusquã, vita ejus est ex his, quæ possidet.* id est, nõ ideo diutius, aut beatius vivet, quod amplioribus facultatibus abundet. Quare misere deceptus fuit, cujus *ager uberes fructus attulerat*, cũ dicebat *animæ*, id est, vitæ suæ; *Anima habes multa bona posita in annos plurimos,*

Vide c. 8. ℣. 13. n. 4. & c. 13. ℣. 16. n. 1 & c. 15 ℣. 34. n. 1. & c. 17 ℣. 8. n. 3. & c. 20. ℣. 5. n. 5. vide etiam infra c. 34. ℣. 30.

בצע

LXX.

Scholia Vaticana.

ἐπέχει

2 Divitię a Deo collatæ firmæ & salutares, ex Avaritia falsę

Luc. 12. 15.

rimos, diuturnæ vitę ſecuritatem ſibi promittens ex *abundantia* divitiarũ,quas ipſe ſuæ induſtriæ,ſuæq; ſollicitudini,forte etiam ſuæ iniquitati tribuebat, cũ *bona ſua* illa appellabat, *Congregabo*(inquit)*omnia, quæ nata ſunt mihi, & bona mea.* Sed tamẽ neq; noctẽ unam potuit vitam ſuã prorogare. Quare elegãter in rẽ hanc dicere poſsis,quod in aliã dictum a Paulo eſt.1. Corint.8.8. *Eſca nos non cõmendat Deo; nec enim ſi manducaverimus,abundabimus; nec ſi non manducaverimus,deficiemus.* ſicut & de hujuſmodi impio divite,requiem,ſecuritatemq; vitę ſibi pollicente,dictũ eſt, *Neſcit quod tempus præteriet,& mors appropinquat, & relinquet omnia aliis, & morietur.* Quod ſequenti particula clarius exprimitur.

Baſil. Theophilact. Beda.

Eccleſ.11.20.

Et non liberet Deus animã ejus. Id eſt,niſi Deus illius vitã ſervet,& tueatur,is enim eſt a quo vitæ præſidiũ,& abundantia nobis confertur: nam ſi illam polliceãtur opes,fallent tamen. Vide ſupra c.20. verſ. 20.ſuper id: *Nec eſt ſatiatus venter ejus*,ubi Septuag. vertunt, *Nec eſt ejus ſalus facultatibus.* Sed hæc ſecunda pars,totaq; ſententia premenda magis.

3 *Et nõ liberet Deus*,&c. Prop.ex Hebræo: *Et non requieſcere fecerit Deus*,aut, *pacificaverit*, vel ſalutẽ,& pacem, atq; abundantiã non conferat. Quod ad animæ ſanctitatẽ,& peccati condonationem refert D. Thomas: nã *ſi Deus non liberet illius animã* eluatq; peccato,quid *prodeſt homini,ſi univerſum mundũ lucretur?* Quã ille pacẽ,aut fęlicitatis partẽ habebit, ſi cum Deo amicitiæ fœdere junctus nõ eſt? ſi pugnat adverſus illum Deus? Quia vero hæc ſentẽtia eſt in Hebræo ſine ulla negatione,cõtrariam ſignificationẽ dederunt verbo *liberandi*, aut *pacificandi*, nõnulli Hebraizãtes,legunt enim poſt Thargũ, *Quæ ſpes Hypocritæ,ſi Deus evellat animam ejus?* Tygur. vero: *Quid Hypocritæ ſperandũ eſt,cũ Deus extrahet illius animam?* Sed utriuſq; lectionis ſenſus idem,neq; incõmodus. Quãvis Deus permittat impiis fæliciter agere, & frui tãtiſper comparatis facultatibus, at non abibunt impune, tũc enim in illos animadvertet Deus,cum extraxerit, *repetieritq; ab illis animam.* Non invideo igitur (inquit Iob)impiorũ fælicitati, quos malus manet exitus. Sed Vulgatus illam partẽ, *ſi liberet*,aut, *ſi pacificet Deus,&c.* deprecanter videtur intellexiſſe, *Si liberet*, o utinã *liberet: Quæ enim ſpes,ſi Deus non liberet?* Actum enim profecto erit de illius ſalute & incolumitate. Vtilẽ profecto ſenſum Septuag. quoq; ſua lectione indicarunt, *Confidẽs ne ſuper Dñm ſalvabitur?* Auguſt. *Expectat,& confidit in Dño,ſi forte ſalvatur.* q.d.Impius profecto,quem carpit ſcelerũ conſcientia, nulla Divinæ opis firma ſpe aut præſidio erigi poterit:nam illæ voces a bona mente,bonaq; conſciẽtia proficiſcuntur; *Dicam Dño: ſuſceptor meus es tu, & refugiũ meum,Deus meus; ſperabo in eũ.* atq; non Dei inimicorum, ſed filiorũ propria cõfidentia illa; Dictũ eſt enim, *Confide fili.*

Pagni. Caiet. Varia expoſitio. D. Thom. Matth.16,26.

Thargum. Regia. Tygur.

Luc.12 20.

LXX.

Iuſtorum fiducia.

Pſal.90.2.

Filiorum Dei conſtantia. Math.9.2.

Hoc tãtũ addẽdũ,an de impio,& Hypocrita in univerſum loquatur Iob, an vero latenter notet ſuos amicos? nã ſic profecto exiſtimare videtur Philipp. *Hypocritas* (inquit) *fictos in amicitia, vel doloſos intellige.* quos etiam avaritiæ notet, & *nefandæ* cujuſdam *voluntatis* condemnandi Iob. Philippi interpretationem emendatã, nã corrupte circumfertur,hæc eſt; *Quãtã vos cupiditatem,& quaſi avaritiæ ſitim patimini, inquit,in interitu meo,ut me votis jam ad tartarum rapiatis? hac igitur nefanda voluntate quam opem veniæ ante Deum habebitis, ſi vos Deus dãnatione juſtæ ſentẽtiæ liberare noluerit?* Alii vero de ſe ipſo loqui exiſtimant, ut ſe ab omni Hypocriſis ſuſpicione expurget. Quem (inquã) fructum colligere poſsim ex vitæ mendacio, & veriſsima ſanctitatis ſimulatione? ſed præſtat quod diximus.

Iob amicos hypocriſis notans. Philipp.

Hieron. Oſor.

IX. Numquid Deus audiet clamorem ejus,cum venerit ſuper eũ anguſtia?

1. *Impiorũ diſcrimen.* Clamor *quid proprie. Irritæ impiorũ & nothæ preces. Deſideria & libelli ſupplices. Explicatus locus Machab,& Illuſtrat. Dav.*
2. *Quid* anguſtia. *quid* venire. *Explicat. Samuel.*
3. *Aliorum expoſitio. Improbis injucundum pietatis ſtudium. Illuſtratus Ioannes.*
4. *Germana intelligentia.* Gaudium, *de precibus obtentis. Illuſtratus David,& Habac.*
5. *Iuſtorum precibus Deus propinquus. Fiducia orandi. Illuſtrati Moyſes,& Iſaias.*

CONfirmatio eſt ſuperioris ſententiæ. Actum, inquit, erit de impio, qui ſpes ſuas non collocaverit in Deo: nã expoſitus eſt malorum omnium cohorti, & incurſioni: minimeq; Deus audiet illius *clamorem.* Septuaginta, *deprecationem.* Simile id 2. Machab.9.13. *Orabat ſceleſtus Dominum, a quo nõ eſſet miſericordiã conſecuturus.* Quod cum,neque ut oportet, neq; ex animo faceret, non odio ſceleris, ſed metu ſupplicii; ipſa quoque ſua conſciẽtia punctus, fiduciam omnem cõſequendæ miſericordiæ amittebat. Quare non incommode alii hunc locum legerunt;

1 Impiorum inter precãdum animi diffidẽtia.

LXX.

צרח

Oratio multiplicata peculiarem habet vim.

Orabat scelestus Dominum, dicēs, sui jam misertum non esse. Clamare, autem est, ardētius, aut contentius implorare opem; aut, ut Isaiæ. 1. 15. dicitur; *Multiplicare orationem:* nam *multiplicatio*, tum re ipsa iterata, tum verbis per repetitionem facta, peculiarem vim, & contentionē adfert. Quare aliquando idem est, *clamare*, quod *invocare*. Tum etiam *clamor*, idem quod oratio, Ierem. 7. 16. 11. 14. Cum dicitur autem Deus, *audire*, repræsentatur nobis velut supremus judex, libellos supplices, id est, supplicationes, precesque nostras suscipiens; deinde vero sententia sua, id est, re ipsa, & effectu aut annuens, aut renuens. Atque simili fere dicendi formula, qui libellos supplices Magistratui, aut Imperatori offerebat, *fundere preces*, desideriaque offerre apud Magistratum, vel Imperatorem dicebatur: iidemq; libelli non solum *preces*, sed *desideria* etiam appellantur in Iure; ut jā non sit mirū, illam esse Divini Iudicii formulā, & Dei rescribentis, annuētisq; ad preces miserorum; *Desiderium pauperum exaudivit Deus*. Ergo supremus judex *non audiet* impiorum *clamorē*, non suscipiet libellos supplices; irrita igitur erūt eorum & desideria, & preces.

Deus humanorum clamorū auditor instar Iudicis.

Preces, sunt libelli supplices.

L. 5. C. de ædific. priv. & l. 19 C. de donat. & l. 30 trāsact. & l. 11 C. de error. advoc.

Psal. 10. 2.

2

Cum venerit super eum angustia. Imo potius (inquit Iob) mittet Iudex, Imperatorque supremus *exercitus suos, ut malum male perdant. Angustia*; Hostilis incursio, & tribulatio, vel potius mala, & ærumnæ, quæ concludant, & arctissima obsidione oppugnent, & in angustum redigāt. Hæc est enim verbi proprietas. Quare hic *angustia*, pro malis, & ærumnis obsidētibus, & in angustias cogentibus accipi debet. Verbum vero, *veniendi*, videtur indicare liberam quandam potestatem castrametantis, aut adventantis exercitus ex jure justissimi belli. sicut & illud indicat. 1. Reg. 25. 26. *Prohibuit te Dominus, ne venires in sanguinem*. id est, cum liberum tibi, tuisque militibus esset vindictam sumere de improbo Nabal, &c. Quam male ergo tuta (inquit Iob) illius vita est, cui quantumvis omnia præter Deum abunde suppetant, at Deum habet inimicum, omnesque illius exercitus hostili contra se animo concitatos, uno impetu in suam vitā, suamq; domum ruituros, cum primū supremus Imperator Deus signū dederit.

Matth. 22. 7.

צוק

Verbum veniēdi, bellicū.

X. *Aut poterit in Omnipotenti delectari, & invocare Deū in omni tempore?*

Alii sic exponunt; *Non delectabitur in Deo*, eo quod pietas, & Dei cultus gratus impio non sit; neque Deum, neque Divina habeat in deliciis, neque collocet in illo spes suas, tanquam in re sibi gratissima: potius tum spes, tum voluptates suas in divitiis, bonisque externis defixerit. Simile id Ioannis. 5. 44. *Quo modo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis; & gloriam, quæ a solo Deo est, nō quæritis?* q. d. quomodo potestis in *Omnipotente delectari*, cum gloriam, delectamentaq; externa tam avide captetis? Alii existimant hic notari ingratissimorum divitum stultitiam, qui delicias, fælicitatemque suam non referunt acceptas Deo Optimo Maximo, Saddai, *Omnipotenti*, & uberrimo bonorum omnium fonti.

3

Pietas injucūda his, qui externas jucūditates captāt.

Cajet.

Sed illud præstat, ut hujusmodi *delectatio*, & oblectamentum ad rem ipsam referatur, & preces obtentas, votaque consequuta: nam hæc est propria *gaudii*, & delectationis materia, si, cum habeas, quæ desideraveras, desideratis perfruaris. quare hæc erit expositio præcedentis sententiæ; Non delectabitur Divina sibi ope exhibita, salutisve, & liberationis beneficio. Hujusmodi ex liberatione consequuta gaudium, significatur Psalm. 36. 4. *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui*, id est; *Delectaberis in Domino, cum dederit ille tibi petitiones cordis tui.* & Habac. 3. 18. Propter salutem consequendam, gaudium sibi, & exultationem pollicetur; *In Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo.* illud etiā subtiliter indicatur a Divo Thoma, *delectationem* hanc pertinere ad tempus tribulationis, cum justi non solum ex tribulationibus, lætabundi evadunt, sed etiā in ipsis *tribulationibus* exultant, & *gloriantur*: at impii & animo, & spe concidunt: non enim possunt in eo, quem iratum, & hostem hebent, *delectari*.

Germanus explicatus sententiæ.

Gaudiū post preces, & vota cōsequuta.

D. Thom.

Rom. 5. 3.

Et invocare Deū in omni tempore. Impius (inquam) non est ex illis, qui omni tēpore Deum habent propitium, perindeque illum laudant tempore calamitatis, atque fælicitatis; quorum *in ore semper Dei Laus* versatur. Aut illa tantum erit sententia; Numquid impius habet Divinam opē paratam, & præsto sibi affuturam, quandocumq; illum invocaverit? aut pollicebitur sibi lætissimū suarum precum eventum, quo delectari, & exultare possit, quandocumq; contingat Divinā opē implorare? *Qui sibi* (inquit Philipp.) *bene conscius fuerit, recte præsumet, ut quolibet tempore mereatur audiri.* Ad quem sensum eleganter

5

Iusti quomodo Deum omni tempore invocent.

Psal. 33. 2.

Deus Iustorū precibus presto affuturus.

Philippus.

Theodoret. explicat Theodor. id Pſ. 36. *Spera in Domino*, (quod reſpondet verſ. 8. *Quæ eſt ſpes, &c.* (*& fac bonitatẽ* (quod reſpondet illi particulæ, *& non liberet Deus animã ejus, &c.*) *delectare in Domino* (quod reſpondet v. 10) *& dabit tibi petitiones cordis tui* (quod reſpõdet extremæ huic particulæ: *Invocare Deũ in omni tẽpore*) *Plena* (inquit Theodoret.) *manu conſequẽtur, qui veras delicias putant eſſe habere cum illo conſuetudinẽ.* Hec illa juſtorum in orãdo fiducia eſt, de qua Ioannes loquitur 1. c. 5. 14. *Hæc eſt fiducia, quã habemus ad eum, quia quæcumq; petierimus, ſecũdum voluntatẽ ejus, audiet nos.* Eſt videlicet ſuis proximus, ut facile exaudire poſsit, ſicut Devt 4. 7. Dictum eſt: *Nõ eſt alia natio tã grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt cũctis obſecrationibus noſtris.* Quod Onkel. ita legit; *Quis eſt populus magnus, cui Deus ita appropinquet, ut ſuſcipiat orationem ejus in tẽpore tribulationis, ſicut eſt Dñs Deus noſter in omni tempore, quo nos oramus corã eo:* Quare ſtultitiam ſui populi, poſtquã ſe incredibilibus ſceleribus contaminaverat, ridet Deus Iſai. 58. 2. quod vellet ſuas orationes, inſtar juſtorũ, exaudiri. *Appropinquare Deo volunt, quaſi gens, quæ juſtitiã fecerit.* q. d. Quandiu perſeveraveritis in improbitate, non exaudiet vos Deus, ut qui longiſsimo a vobis intervallo ſeparatus ſit: cum tamen *prope* ſit Deus *genti facienti juſtitiã.* Quare poſt præſcripta opera pietatis ſubjungit verſ. 9. *Tunc invocabis, & Dominus exaudiet; clamabis, & dicet; Ecce adſum.* Ergo illud curãdum ne longe a Deo recedamus, *Invocare* enim cõmode & utiliter illum poterimus, *dum prope eſt.*

[Margin: Iobi & Davidis ſententiæ parallelæ. — Theodoret. — Deus appropinquans Orationi ſui populi — Onkelus. — Ierem. 12. — Iſai. 55. 2. — Philipp. 4. 5.]

XI. *Docebo vos per manum Dei quæ Omnipotẽs habet, nec abſcõdã:*

1. *Affirmatio expoſita per negationem.* Docere quid proprie. *Explicatus Moyſes.*
2. Manus Dei, *&* manus excelſa. *Illuſtratus Moyſes.*
3. *Exordiẽdi formula.*
4. *Varia lectio.* Noſſe quid.

1 Videtur jam aggredi, legitimeq; exordiri parabola ſuã, orationemq; graviſsimã de impiorũ interitu, & ſupplicio. & quod primum pollicetur ſe docturum, deinde per negationẽ repetit, *ſe non abſcõſurum*, vel non negaturũ, aut nõ *mentiturũ*, ut alii vertunt. quæ ejuſdẽ rei repetitio amplificat veritatem doctrinæ, vimq; dicendi, & attentionẽ conciliat. *Docebo.* Proprie dicere poſsis: Pluã, demittã, aut jaculabor doctrinæ, & veritatis imbrẽ. *& fluet, ut ros, eloquium meũ, quaſi imber ſuper herbam, & quaſi ſtillæ ſuper gramina.* Quod præſertim cõvenit, cum de rebus Divinis ſermo fit, tunc enim congruẽtior eſt ſimilitudo doctrinæ cum cæleſti pluvia. Propterea enim ſubjecit Moyſes in ſuo Cãtico; *Quia nomen Dñi invocabo, & Dei perfecta ſunt opera.* Similiter ergo Iob ait, ſe inſtillaturum *per Dei manũ, quæ ille habeat.*

[Margin: Affirmatio expoſita per negationem. — Repetitio ejuſdem rei ad cõfirmationẽ. — ירה — Sermo de rebus Divinis inſtar cæleſtis pluviæ.]

2 Illud autem *Per Dei manũ*, ſive, ut in Hebræo eſt; *In manu Dei*, Vatabl9, exponit; *Deo juvante, & ſubminiſtrante facultatẽ*, ad dicendũ pro meritis: Nam *Dei manus*, ſæpe Dei virtus, & potentia eſt confirmans hominem. D. Thomas, *Dei virtutẽ.* Id eſt, Dei Sapientiã, a qua ipſe Iob dicenda acceperit. Cajetan. *plagã Divina manu illatã.* q. d. ſe expoſiturũ Divina in impios ſupplicia. Idem fere Olympiod. Philippus: *Dei poteſtatem, ſecretaq; judicia*, quæ quaſi illius manu cõplicata ſecreto cõtinẽtur.

[Margin: Varia expoſitio. — Vatab. — Dei manus, quid. — D. Thom. — Cajetan. — Olympiod. — Philipp.]

Ego præterea duo, aut tria alia nõ minus veroſimilia indicabo; ut vel *man9 Dei*, ſignificet audaciam quandã, & alacritatẽ in dicendo. Sicut Exod. 14. 8. dicuntur filii Iſrael egreſsi ex AEgypto, *in manu excelſa.* id eſt, alacriter, & lætanter, ſublatis, erectiſq; manibus, & brachiis, uti ovãtes, atq; lætantes habere ſolẽt, non demiſsis, aut languẽtibus, inſtar mœrentiũ. Alacer igitur (inquit Iob) orationẽ aggredior, & lætus veritatẽ exponam, non invitus, aut repugnans. Vel, ut per *manũ Dei* diſputaturum ſe dicat, quaſi *Divina manu* excitatum, & Divino Spiritu confirmatũ ad dicendũ vere Divina, atq; Divina quadã dicendi ratione, & efficacitate. ſicut cum *manus Domini* dicitur *fieri* ſuper Prophetas, cum a Deo accipiũt, & vim, & doctrinam, quã populum doceant. Aut tandẽ, quod veroſimilimũ videtur, ut referatur ad id, quod ſequitur. *Docebo per manũ Dei, quid habeat Omnipotens*, ſupple in *manu*, id eſt, quam ille agẽdi rationem cum hominibus ſervet, quid facere poſsit, quid velit, & quã ſuæ arcanæ Providentiæ regulam ſequatur. Auguſt. *Quid diſponat Deus.* Quo videntur Septuag. reſpexiſſe legentes; *Annunciabo vobis, quid ſit in manu Dñi, quæ ſint apud Omnipotentem.* Illud non tã dicam, quã indicabo.

[Margin: Dicere per manum Dei, alacriter, & audacter. — Dicere per Dei manũ, accepta a Deo dicẽdi facultate 3. Reg. 3. 15. Ezech. 1. 7. & 37. 1. & c. 33. 22. — Dicere per manũ Dei, explicando quid habeat in manu Deus. — Auguſt.]

3 Forte proſperũ fæliceмq; ſuæ orationi exitum precatur. nã & illud apud nos pervulgatum eſt, ut in exordiẽdo, ſolemni illa formula utamur; *A la mano de Dios, y comencemos.* Denique Dei favor, & aſsiſtentia in faciendo certũ eſt indicari per *manum Dei*, Eſdræ. 1. 7. 6. *Dedit mihi Rex juxta manum Dei bonam meum.* Et hujuſmodi plura.

[Margin: Bona exordiẽdi precatio ex manu Dei.]

4 ✠ *XII. Ecce vos omnes noſtis, & quid ſine cauſa vana loquimini?*

PER correctioné ſuperioris ſententię, videtur hæc adjũgi, Dixi (inquit Iob) prolaturum me, quæ Deus apud ſe recõdita habeat ſuæ Providentiæ arcana. Sed quid (inquam) arcana, & abſcondita? cum illa vos probe noveritis, niſi nunc ea, quæ videtis, diſsimulare velitis. *Noſtis* prop. *vidiſtis*. Sive ad rerum Divinarũ contemplationem pertineat, id eſt, didiciſtis, atque divinitus edocti eſtis. ſive ad experimentũ, quod in ſuppliciis impiorũ nõ ſemel obſervare potuerant. *Et quid:* admirationem habet: *Sine cauſa vana loquimini!* prop. in Hebræo: *Vanitate evaneſcitis*, aut, *vane vani reddimini*. Septuag. * *Vana vanis adjicitis*. Auguſtin⁹. *Vane vana loquimini*, id eſt, vaniſsima eſt veſtra oratio, vaniſsim⁹ que conatus reſiſtẽdi meæ orationi, atq; veſtra dogmata abſque ratione tuẽdi. Nõ ſolum propter ea, quæ dicta ſunt ab amicis; ſed propter modũ etiã dicendi, jactãter, inſolenter, contumelioſe. quod videtur Interpres explicuiſſe, cũ *ſine cauſa*, dixit, videlicet nullo ſolido fundamẽto nixi, nulloq; meæ vitæ ſcelere probato, in quod convenire poſsint, quæ contra impios jactatis. Dilucida eſt hujus loci paraphraſis Tygur. *Cum vos omnes ſpeculationibus Theologicis operam dederitis, quare tam vanas opiniones habetis*, Deſidero itaq; hac in parte veſtrã Sapientiã. Quibus verbis acerbitatem reprehenſionis tẽperat opinione, & laude Sapientiæ. Confidenter (inquit) loquar apud eos, quibus mea oratio, neq; nova, neque inaudita exiſtet, & qui, cum cætera tam acute videant, hac in parte minus quod verum, quodque juſtũ eſt perviderint.

[Margin: חזה — *Pagni. Regia. Vatab.* — * Dezis vna vana, y dos vazias. — *Tygur.* — Artificium dicendi. — Lucida ſentẽtiæ paraphraſis.]

✠ *XIII. Hæc eſt pars hominis impii apud Deũ: & hæreditas violẽtorũ, quã ab Omnipotente ſuſcipient.*

1 *Iobum ex propri ſententia loqui, verior intelligentia hujus loci.*
2. *Pars, tota filii hæreditas. Quæ impiorũ pars.*
3. *Deus pater-familias, juſti filii majores natu. Improbi, prodigi. Illuſtratus Lucas, & David.*
4. Hæreditas violenti *Varia lectio.*
5. *Violentia, Dei Omnipotentia objicienda.*

1 MIhi nõ eſt omnino exploratũ an tũ ſententiã hanc, tũ ſequentes uſque ad verſ. 19. recitet Iob ex amicorum perſona, an vero ex propria ſententia. Certe veriſimile eſt ex aliorũ ſententia proferri id quod nonnulli obſervarunt; ita ut, quæ amici huc uſq; diſſeruerũt de temporalibus impiorũ ſuppliciis, repetat Iob quaſi nimiũ importune ab illis objecta, & inculcata; videlicet impios ſolere in hac vita pœnas improbitatis dare amiſsione filiorũ, abolitione poſteritatis, direptione bonorũ, & facultatũ omnium. Deinde vero ſubjungat ex propria ſentẽtia. v. 19. *Dives cũ dormierit, &c.* q. d. Ego ſic ſtatuo, veriſsima impiorũ ſupplicia, non in vita illorũ ęſtimari, ſed a morte incipere, & cõputari debere: nã mala, bonaq; hujus vitæ, bonis communia ſunt, perinde ac improbis. At vero quoniã tum Græci, tũ Latini reliqui, ex Iobi perſona, & ſentẽtia dicta hæc omnia interpretãtur, libẽter illos ſequar: præſertim cũ cõmodum habeant ſenſum, cumq; profiteatur Iob multo luculentius, magnificẽtiuſq; quã amicos, diſputaturũ ſe de impiorum ſuppliciis: nunquã enim negat improbos aliquãdo in hac vita puniri, multos etiã fæliciter agere. Sed illud tantũ aſſerit, veriſsima aut ſupplicia, aut præmia ad vitã alterã reſervari. Ait ergo.

[Margin: An ex propria ſentẽtia loquatur Iob, ambiguum — *Iſidorus Clar. & Cajetan. ſup. ṽ. 16. 17.* — Iobum ex propria ſẽtẽtia loqui, verior intelligentia.]

Hæc eſt pars hominis impii apud Deum. Quid nomine *partis*, & hæreditatis deſignet, incertum: nam cũ Gregorio, & Philippo fere Latini omnes referunt *partem* hanc, & hæreditatem ad ſequentia ſupplicia. At D. Thomas, & Nicolaus, ad tẽporalia bona, nos utrumq; cõjungam⁹, ut & impiorum hæreditatẽ dicamus, conſtare & temporalibus bonis, & ſempiternis malis: Tũ etiam ſi non ſuis, at ſaltẽ ſuorum filiorũ, totiuſq; familię poſt breve annorum ſpatiũ incredibilibus calamitatibus. *Hæc* igitur eſt *pars*. Cajetanus *partem* dici exiſtimavit, quod tẽporalibus ſuorum filiorũ ſuppliciis, non tota impii pęna comprehẽdatur, ſed *pars* tantum. Sed mirum, quod Hebræus ille, quo amanuenſi, & interprete Hebraicæ litteræ utebatur, non admonuerit illũ clariſsimi hujus Hebraiſmi, quo *pars*, portiove, ſumitur pro tota filii hæreditate, quæ illi obvenit poſt partitam, diviſamq; in plures hæredes paternam ſubſtantiam, ut etiam ſequente nomine *hæreditatis*, exponitur! nã quod *pars* eſt rei paternæ, id filio tota res eſt. 2

[Margin: *Gregor. Philipp. & Latini.* — *D. Thom. Nicolaus.* — *Cajetan.* — Pars pro tota cujuſque filii hæreditate.]

Apud Deũ. Apud Cęleſtẽ Patrẽfamil. 3
Septuag. *A Deo*. Hebr. *Cũ Deo*, id eſt, hãc ille ſervatam, & paratã habet hæreditatis partem adeundam impiis. Ergo *ſimile* profecto eſt *Regnum Cælorum*, id eſt. Cælorũ Rex, atq; tum Angelicæ, tum terreſtris familię Pater, moderatorq; ſapientiſsimus, hominis Patriſfam. qui *habuit duos filios*; quorũ alter, videlicet major natu, juſtos

[Margin: *Luc. 15. 11.*]

repræ-

Parabola filii Prodigi ad improbos relata

repræsentat; adolescentior vero peccatores, quibus, ut pote minoribus, solet interdum in hac vita magis indulgere Deus, illisq; ut pote minus prudentibus, imo per insignem stultitiam efflagitantibus statim in hac vita, *Portionem substantiæ, quæ illos contingit*, statim dividere, atque partem suã, hæreditatemq; facile permittere: *Reddit* enim *odientibus se statim*; Quare in hac impiorum partem, hereditatemq; bonorũ temporalium intuens David, simulque in multitudinẽ stultissimorum impiorũ efflagitantium a Deo, *Pater, da mihi portionẽ substantiæ, quæ me contingit*; ait Ps. 16. 15. *Domine, a paucis de terra divide eos, in vita eorum.* id est, a sanctis, & justis, quorũ minor, paucissimusq; semper numerus extitit, improbos separa, divideque simul eis partem substantiæ, quæ illos contingit. & quasi jam partitione facta, & bonorũ parte, hæreditateque permissa, subjicitur statim: *De absconditis tuis* (thesauris, opibusque, & bonis) *adimpletus est venter eorũ; saturati sunt filiis, & dimiserunt reliquias suas parvulis suis.* Hierony. eo loco legit, *Quorum pars in vita.* Sic exigit contextus Hebraicus: Pagnin. *A viris de mundo, quorum pars est in vita.* Eleganter Tygur. *A mortalibus huic sæculo addictis, qui partem suam in hac vita expetunt.* Vatabl. *Ab hominibus, qui tantũ mundana sapiunt. Hæc est pars hominis impii apud Deum*; quã Deus illis permittit, nõ tam ex peculiari affectu paterno, quã propter improbitatem illorũ, & suavẽ suæ familiæ gubernationẽ, & Providentiæ legẽ. At justis, piisque hominibus, videlicet tãquam filiis natu majoribus, quorũ omnia paterna sunt, nihil tale postulantibus, nõn semper illa bona confert Deus, sæpe negat, sæpe semel concessa aufert: ideoq; subjunxit David: *Ego autẽ in justitia apparebo conspectui tuo; satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Namq; non vult adimplere vẽtrem temporariis bonis, sed æternis, propter quod *præclarã*, speciosissimamq; hæreditatẽ suam appellavit superius, Ps. 15. 5. & 6. cũ dixit: *Dñs pars hæreditatis meæ & calicis mei: tu es, qui restitues* (qui conferes, fulcies, æternamq; conservabis) *hæreditatem meã mihi. Funes ceciderunt mihi in præclaris. Etenim hæreditas mea præclara est mihi. Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum.* id est, qui hoc mihi consiliũ sugessit, ut hanc hæreditatem eligerem, futuram in cælis, non præsentem in terra.

Deut. 7. 10.

Impiorum hereditas in terra.

Hieronym.

Pagn.

Tygur.

Vatab.

Iustis sepe negat Deus temporalia.

Iusti famẽ bonorũ, ad æterna fructũ servant.

4 *Et hæreditas.* Possessio hæreditario jure adeunda impiis, *Violentorum*, fortiũ, potẽtium, robustorum, terribiliũ, qui aliis vim inferunt, & terrorem afferunt: nã cadunt

Violẽti qui.

hæc omnia in vocem originalẽ: Nominis autem proprietas explicatur Ps. 53. 5. *Fortes* (violenti) *quæsierunt animam meã* (ecce violentiã eorũ, & timorem ingentẽ, quo afficiebatur David) *& non proposuerunt Deũ ante conspectum suũ.* (videlicet *Eloah*, Deum judicem, a quo essent hereditatem ingentium suppliciorũ cumulatissimã recepturi.) Observarunt profecto Septuag. vim vocis legentes: *Possessio potentium veniet ab Omnipotente.* Vim illi cæteris afferunt; vim quoq; a Potentiori sustinebũt.

עריץ

LXX.

5 *Quã ab Omnipotẽte accipient.* Potẽtibus Omnipotentiã objicit; & fortib⁹, Divinã fortitudinem, & terribilibus injicit terrorẽ Divinæ Iustitiæ. Quid enim humanũ homines inhumanissimos possit in officio continere? Ideo Deus hominum causam contra illos suscipit. sicut etiam Isaias robustis, violentisq; hostibus Divinæ fortitudinis metum objicit. 25. 3. *Civitas gentiũ robustarum timebit te.* Neq; aliam rationẽ ad curationem iniquitatum, & publicorũ scelerum, violentorumq; judiciorũ proponit Ecclesiast. 5. 7. *Si videris* (inquit) *calumnias egenorum, & violenta judicia, ne mireris super hoc negotio, quia excelso, excelsior est alius.* Is profecto, quæ impii pervertũt, & violẽter depravant, & corrumpunt, ad æquitatem, & integritatem adducet.

Tyrãnis objicienda Divina virtus.

XIIII. Si multiplicati fuerint filii ejus, in gladio erunt: & nepotes ejus non saturabuntur pane.

1. *Impii sive mortui, sive viventes puniti in sua posteritate.* (Gladius.
2. *Impiorum filii multis infensi. Piis multi amici.*
3. Nepotes, *qui in Sacro sermone.* Fames, *quantum malum.*
4. Reliquiæ, *& relinquere in Sacro sermone quid. Explicatus Ieremias.*
5. Morte mori. *De morte acerbissima, & pestilẽti.*
6. *Plurale constructum cum singulari. Pestis descriptio ex eo, quod nemo lugeat funera.*

1 Minatur impio interitum, & exitium filiorum ad paternæ impietatis supplicium, sæpe in hoc libro repetitũ, sæpe etiam a nobis explicatum. Sunt nimirũ filii parentum non membra solum, sed viscera, hæc tanguntur, læduturq; male habentibus liberis. puniuntur etiã mortui, filiorum dedecore, & ignobilitate. In quã rẽ de Dionysio Siciliæ Tyrãno Valerius scripsit; *Tametsi* (inquit) *debita tot sacrilegiis supplicia non exsolvit, dedecore tamen filii mortuus pœnas rependit, quas vivus effugerat.* Quare si in filiis viventibus censentur

Filii parentũ viscera.

Valer. Max. lib 1. c. 2.

vivere

vivere paréres mortui, quid ni etiam iterum mori cenſeantur moriétibus filiis, & illorum fama, & exiſtimatio lædi, filiorũ contumeliis? Quodſi vivant adhuc multo miſerius, videtur improbitati Paternæ dici a Suprema vindicta,

Ovid 6. Meta. *Atq; ita vive quidem, pende tamen improba, dixit.*
Lexq; eadem pœnæ (ne ſis ſecura futuri)
Dicta tuo generi, ſeriſq; nepotibus eſto.

2 *In gladium.* In gladium. Septuaginta dilucide: *In occiſionem.* id eſt, filiorum multitudinem devorabit hoſtilis gladius. Elegãter vero dicitur: *Multiplicati filii*. id eſt, quamvis ſe ipſos confirmẽt mutuis auxiliis, & ſocietate; quamvis frater fratrẽ ad juvet, ſibique videantur eſſe *velut turris munita*, illorum tamen nervos, & robur præcidet ferrum hoſtile, facileq; ſuperabit multorum inimicorũ odium, invidia, vires adverſus illos armatæ. Vt miſerabiliorem filiorum cladem Septuag. repræſentarent, partem hanc priorem de filiis adhuc infantibus acceperunt, poſteriorẽ vero de adoleſcentioribus, legunt videlicet; *Filii eorum in occiſionem erunt: ſi autem & viri facti fuerint, mendicabũt.* Auguſtin. *Si autẽ juvenes facti fuerint, indigebunt.* q.d. nemo infantium illorum, quorum imbellior eſt ætas, proptereaque miſerabilior, miſerebitur. Nihil vero miſerius, quam parẽtem ſuis filiis relinquere multos inimicos, amicum nullum. quod frequenter contingit impiis, in quorũ filios ſtatim ſublato parente, cives omnes læſi, laceſſitique deſæviunt. Cum tamen de viro juſto Scriptum ſit; *Bonus relinquit hæredes filios, & nepotes.* Non ſolum (inquam) hæredes rei familiaris, ſed commoditatum omniũ, atque etiam amicorum.

LXX.

Multiplicatio fratrũ de mutuis auxiliis.

Prov. 18. 17.

August.

Prov. 13. 23.

Et nepotes ejus. De voce originali ſuperius diximus proprie ſignificare *germina.* Recte autem verti ab interprete, *Nepotes*; quo ſignificetur univerſa impiorum poſteritas. qua etiam ſignificatione, vocem, *Nepotum*, Latini accipiũt. licet quidem tũ in Sacris, tum in prophanis, *Nepotum* appellatio, aliquando fere eadem ſit quæ filiorum. Sed Nepotes ipſi ſuaviores aliquãdo exiſtũt avis, ut teneriores, & bis filii, his enim arrident, colluduntque ſenes puaraſcentes;

Nec tæde bitavum (inquit ille) *parvo advigilare nepoti,*
Balbaq; cum puero dicere verba ſenem.

Ergo omnem poſteritatis jucunditatẽ impiis negat. *Non ſatui abũtur pane.* Neceſſarius, & quotidianus illis vict⁹ deficiet Si qui (inquit) remanſerint, aut hoſtium

נצי

Vide c. 21 ℣. 8

Vide Petr. Fabr. lib. 3. Semeſt. c. 24.

Tibul lib. 2. Elegia. 5.

gladiũ effugerint, vivent in ſumma ignobilitate, & egeſtate. Et ex tribus quidem malis illis, magnitudine, & gravitate paribus, duo nunc videtur imprecari poſteritati impiorũ, videlicet *bellum, & famem.* Quæ quã gravia ſint, probe noverat David, neq; belli ignarus, ut qui *bellorum Dñi* dux eſſet; neq; inexpertus famis, cum exul non ſemel *panes* emendicare coactus fuerit. Is (inquam) Gad Prophetæ danti optionem, ut ex tribus unum eligeret, aut *famem ſeptem annorum*, aut quod perinde æſtimari poterat, *trium menſium* exercitũ hoſtium; aut tandem *peſtem* trium dierũ; Hanc elegit reſpondens; *Melius eſt, ut incidam in manus Domini, quã in manus hominum.* 2. Reg. 24. ſed de hac verſ. ſequente plura. Nũc de *famẽ, quã* (ut Cicero dixit) *nihil eſt miſerius.* Quam etiam inter malas artes efficiẽdi, computabat Andromacha in illa malorum congerie;

1 Reg. 38. 17.

1 Reg. 21. 3. & 25. 15.

Fame nihil miſerius.

Cice. lib. 5. ad Atticum.

Sen. in Troad. act. 3.

- - - - - - - Diras mali
Doloris artes, & famem, & ſævam ſitim,
Variaſq; peſtes undique, & ferrum inditũ
Viſceribus uſtis, carceris cæci luem,
Et quidquid audet victor iratus tumens.

Parentibus quidẽ fameſcẽtibus præſidio eſſe poterãt liberi *diſtracti, & divenditi:* at mortuis parentibus, fameſcentibus filiis, cunctis inimicis, quod præſidium? Certe non potuit a Nerone majus tormentum, poſt neces, poſt flammas, poſt ruinã univerſi populi excogitari, quam,

Leg. final. C. de patr. qui lib. diſtrax.

Sen. in Oct. act. 5.

Turpis egeſtas, ſæva cum luctu fames.

Sed non hoc ultimum, neque maximũm ſupplicium ſequitur majus.

℣. XV. *Qui reliqui fuerint ex eo, ſepelientur in interitu, & viduæ illius non plorabunt.*

QVI *reliqui fuerint.* Quamvis de poſteris ſuperſtitibus adhuc loquatur, ſed tamen, *reliqui*, proprie ſunt non poſteri, (ut videtur dicere Philippus) neque domeſtici, & amici (ut intelligit Divus Thomas) ſed qui ex ſuperioribus cladibus evaſerint, & ex aliis ſuppliciorum, & exilii generibus incolumes remanſerint. Quare originale verbum *relinquendi*, aut, *remanendi*, ſolet a Vulgato verti, *effugere*, vel *ſalvari*. aut certe ſumi pro eodem, ut Thren. 2. *Non fuit in die furoris Domini, qui effugeret, & relinqueretur*: & Ierem. 31. 2. *Populus, qui remanſerat gladio*. Hi (inquam) quos aliæ calamitates non attigerint, morte alia acerbiſſima peribunt.

3

Philipp.
D. Thom.

שרד

Reliquus pro incolumi.

4 *Sepelientur in interitu.* Cajetanus refert ad interitum impii Patris famil. q.d. primam pœnam gladii, & famis infligendam vivente adhuc patre familias: ſed hanc poſtremam, non niſi poſt parentis mortē eventuram. Sed expoſitio hæc enervat totam vim ſententiæ. Vatablus intelligit *Sepeliri in ipſa morte*, idem eſſe quod, *ſepeliri adhuc vivos, moribūdos, vel confectos morbo diuturno.* Non video unde hanc interpretationem poſsit elicere; nam quod phraſis hec, *ſepeliendi in interitu*, affert idem illud eſt, quod ſignificat illa alia, *morte moriendi*, in Sacro ſermone frequentiſsima. Quod cum ſapienter intellexiſſent Septuaginta, legerūt; *In morte morietur.* Quæ mortis repetitio vim affert orationis, & ſignificat mortis genus acerbiſsimæ, ignominioſiſsimæ, certiſsimæ. Sed hanc mortis acerbitatem Græcus Scholiaſtes retulit, *ad parum non ſtam mortem, violētam, atque immaturam.* Divus Thomas quod *Sepelientur abſque ſolemnitate, quaſi occiſi.* Alii, ut Philippus, agi exiſtimant de *ſepultura* ..., id eſt, inferno. Exiſtimo tamē, neque leviter, partem hanc accipi debere de peſte, atq; lue miſeranda, quā tota impiorum ſoboles aboleatur. Sicque a *fami*, & *gladio* præcedentibus, tum etiam a particula ſequenti poſtulari videtur, ut jam exponemus.

Cajetan. | Vatab. | LXX. | Mortis, aut moriendi vox repetita, quid denotet. | Græcus. | D. Thom. | Philipp. | Germina interpretatio, & periphraſis Peſtilentiæ.

5 *Et viduæ illius non plorabunt.* id eſt, uxores illorum impiorum. non enim inſolēs eſt in Scriptura ut plurali nomini adjungatur ſingulare, cum diſtributio pro ſingulis contētis ſub ſingulari indicatur. *Vxores non plorabunt*; quod quaſi paſsive accipiunt Septuaginta, pro, *non plorabuntur*; Vel quia ſimul cum ſuis viris eadē lue perimentur: vel quod ingenti mali, & morbi graſſantis timore perculſæ, ſe potius, quā maritos lugere, & plorare cogentur; vel quod tot malis deplorādis nullæ ſufficiēt lachrymæ, lamenta nulla. Hoc eleganter indicavit Philippus, *Viduæ* (inquit) *eorum præ nimio inſtante ſibi malo, flere non poterūt non habentes utique temporis copiam, quos varietate miſeriarum cū lachrymis recordentur.* Sicut ad ſignificationē graviſsimæ calamitatis dictum eſt mulieribus, alioquin nō omnino immiſericordibus ad alienas ærumnas; *Nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete.* Luc. 23.28. Illis autem verbis lues aliqua pernicioſiſsima ſignificatur: & quidem nota eſſe ſolet acerbiſsime alicujus peſtis, ut tunc funera lachrymis, & luctu careant. Sicut & in ea peſtilentia, quam in Oedipo pulcherrime deſcripſit Seneca;

Plurale nomē cōſtructum cū ſingulari. | Ingentis calamitatis amplificatio. | Philipp. | Luc. 23.28. | Peſtilētiæ nota, cum funera careant lugentibus.

Pars nulla Regni immunis exitio vacat:
Sed omnis ætas pariter, & ſexus ruit,
Iuveneſque ſenibus jūgit; & gnatis patr.
Funeſta peſtis. una fax thalamos cremat,
Fletuq; acerbo funera, & queſtu carent.

Sen. in Oedip. Act. 1.

Quod videtur dixiſſe ex imitatione Sophoclis in ſuo quoq; OEdipo Tyranno;

Sophocles.

Abſque numero perit urbs quoque,
Tum turba non miſerabilis
Proſtrata funeſto jacet
In campo, camque luctibus
Haud curat ullus proſequi.

Neque minus elegans illa Peſtilentiæ deſcriptio apud Ovid. quamvis jam præoccupata a Tucidide, Lucretio, Virgilio;

Ovid. 7 Meta. | Lucret. lib. 6. | Virg. 3. Aen.

Corpora miſſa neci, nullis de more feruntur
Funeribus, neque enim capiebant funera portæ;
Aut inhumata premunt terras, aut dantur in altos
Indotata rogos; & jam reverētia nulla eſt.
Deque rogis pugnant, alieniſque ignibus ardent.
Qui lachryment, deſunt, indeſleteque vagantur
Natorum, matrumque animæ, juvenumque, ſenumque
Nec locus in tumulos, nec ſufficit arbor in ignem.

Scribitur quidē a Tito Livio lib. 25. paulo ante medium, de Peſtilentia in Romanis caſtris ad Syracuſas graſſante; *Cū quotidiana funera, & mors ob omnium oculos eſſet, & undique dies, noctéq; ploratus audirētur, poſtremo ita aſſuetudine mali efferaverāt animos, ut non modo lachrymis, juſtoque comploratu non proſequerētur mortuos, ſed ne efferrent quidem, aut ſepelirent.* Quæ omnia perſimilia ſunt huic noſtræ ſententiæ, cū in miſerando interitu virorum, ac liberorum, uxores, matreſque *non plorant*, neque lugent.

Titus Liv.

XVI. *Si cōportaverit quaſi terram argētum, & ſicut lutum præparaverit veſtimenta:*

XVII. *Præparabit quidem, ſed juſtus veſtietur illis: & argentum innocens dividet.*

1. Terra de abundantia, & copia. Hyperbole.
2. Aurum, & argentū de veſtibus pretioſis. Quid Præparare.
3. Impiorum avaritia, cujus ſimulis,
4. Quid Dividere Improbus ſervit ſanctorū gloria. Explicatus S. ...

Nihil

1 Nihil proderunt, inquit, impio collectæ per injuriam facultates, quibus neque liberi, neq; posteri illius perfrui poterunt: nam devolventur tandem omnia bona ad justos, quos fortunabit Deus, locupletabitque fortunis impiorum. Hoc & miseriam impiorum, & justorum fælicitatem amplificat. *Si comportaverit*, si collegerit, coacervaverit, condiderit, imménsos aggeres. *Quasi terrã*, proprie, *ut terræ pulverē*. ad copiē, & multitudinem refertur, proverbiali Hyperbole. *Como tierra*. Sicut & illa Genes. 4 1 9. Congregavit Ioseph triticū, *tanta abundãtia, ut arenæ maris coæquaretur*. & 3. Reg. 10. *Fecit Salomō, ut tāta esset abundantia argenti in Ierusalem, quanta & lapidum*. Hujusmodi autem cōparationes Hyperbolicæ frequentissimæ sunt in Sacris litteris, quarū multa exēpla congerit Isidorus Pelusiota lib. 2. Epistol. 99. quæ quidem, cum proverbia sint, mēdacia non sunt. & illud quidem per hyperbolen intendimus, ut auditor adigatur vi sentētiæ hyperbolicæ ad credendum, & intelligendum, quantum satis est in re proposita. ut elegãter docuit Quintilianus, *Mētitur*, inquit, *Hyperbole, nec ita, ut mendacio fallere velit. Quare ignoscitur, quia nō affirmamus*. Quod lib. de Beneficiis ultimo. dictum est Sapienter a Seneca: *Quoties parum fiduciæ est in his, quibus imperas, amplius est exigendum, quam satis est, ut præstetur quantum satis est. In hoc omnis Hyperbole excedit, ut adversum mēdacium veniat. nunquā tantum sperat Hyperbole, quantum audet; sed incredibilia affirmat, ut ad credibilia veniat*. Quare tunc demum, ut ait Fabius, *Hyperbole virtus est, cum res ipsa de qua loquendum est, naturalem modū excessit: Conceditur enim amplius dicere, quia dici, quantum est, non potest, meliusque ultra; quam citra stat oratio*. Ergo habet aliquid mendacii, sed specie tantum, loquutio Hyperbolica. Cum enim a Vulgari proverbio desumatur, vulgum imitatur, qui semper aliquid affingit veritati. quod eleganter quoque a Fabio indicatū; *Est*, inquit, *in usu vulgo quoq;, & inter eruditos, & apud rusticos, quia natura est omnibus augēdi res, vel minuēdi cupiditas insita; nec quisquā vero contentus est*. Quare ex rebus vulgaribus exempla sumit, qualis est sequens *luti* cōparatio, quæ nō solum copiam & abundātiam significat, sed etiam rem nullius pretii. Vtraque autem Hyperbole (ut eleganter observat Philippus) notat *insatiabilem cupiditatem, ac voraginē quandam*. Sed de hac peculiari Hyperbole, quæ vel *a terra*, vel ab *aqua* desumitur, elementis quidem communissimis,

צבר

Hyperbolicæ loquutiones.

Isidorus Pelusiota.

Quintil. lib. 8. cap. 6.

Pulchra Senecę sentētia de Hyperbolicis loquutionib⁹

Hyperbole a vulgari loquutione desumpta.

Lutum de abundãtia, aut de re vilissima.

Philippus.

& abunde nobis ad quemvis usum suppetentibus, alio loco diximus.

2 *Argentum*. Argenteam pecuniam, vel argenteam suppellectilem, aut infectū, factumve argētum. Cui sensui etiã secūda pars apud Septuaginta respondere videtur; nam pro *vestimentis*, legunt, *aurum*. Quod, nisi obstat temporis, & chronologiæ ratio, pulchram allusionē habebit ad id Exod. 12. 35. Cum *petierunt* Israelitæ ab *AEgyptiis vasa argentea, & aurea, vestemque plurimam*; & spoliaverūt AEgyptios. Tum etiam, cū iidem Palæsthinæ provinciæ opes ingentes Septem illarum nationum propter illarum scelera, Hebræi abstulerunt, *Et* (ut ait David) *labores populorum possiderunt*. Quamvis, *auri*, nomine forte intellexerunt Septuaginta, aureas, pretiosasque vestes, quarum quondã magna parabatur suppellex, atque inter præcipuas divitias numerabantur. *Vestium* autem nomine, quamvis D. Thomas intelligat significari *Divitias naturales, quæ scilicet homini naturali necessitati subveniunt, sicut panis, & vinum, & vestimenta*, at cū istę nō tam vitiosæ sint, quam necessariæ, potius illas significari dicam, quæ vitiosa sollicitudine, & arte supervacanea, non tam ad vitæ necessitatem, & subsidium, quam ad voluptatem, splendorem, & luxum cōparantur. Et verbum quidem *præparandi*, artem hanc, & sollicitudinem secum affert, qua aliquid formamus, & in certum finem dirigimus, & stabilitum, confirmatumque volumus.

3 *Præparabit quidem*. Et, sua opinione, in multos quidem annos. Sed *quæ parabit, cujus erunt*? ad pios sane, & justos devolventur omnia, Deo sic Providente, ut quæ illi in injustitia detinebant, tandem in honestos, justosque usus conferantur: nam *justus vestietur illis*. Septuaginta, *Hæc omnia justi vendicabunt*. Est ergo sordida impiorum avaritia, vel, ut eleganter Plutarchus dixit, *Asinina ista, & fornicaria divitiarum cupiditas, plane similis asini balneatoris, qui ligna, & malleolos identidem apportans, fumo semper, & favilla oppletus, in nullam lavacri, caloris, munditiæque partē venit*. Deinde idem Plutarchus: *Similes sunt muribus, qui in metallis Chrysitidem* (ea est terra glebulas auri permistas habens) *vorant aurum, non reddunt, nisi mortui, & dissecti. Cur ergo liberis, & hæredibus volunt multum pecuniæ relinquere? scilicet, ut hi quoque aliis hæc, rursumq; ii aliis servēt, instar figlinorum canalium; qui nihil in se retinent aquæ. Sed unusquisq; proximo a se eã tradit*. Donec tãdē *justus vestiatur* illorum vestimentis.

Aurum, vel argentum factū, aut infectum. LXX.

Ad Aegyptiorum spolia allusio.

Psal. 104. 44.

LXX.

Vestiū nomine, quæ opes intelligantur. *D. Thom.*

Vestiū supervacaneарū luxus.

כון

Luc. 12. 20.

LXX.

Plutarc. opusc. de cupid. divit.

Et argen-

4 *Et argentum innocens dividet.* partietur, dabitque pauperibus. Quare dictum eſt a Sapiente Proverb. 28. 8. *Qui coacervat divitias uſuris, & fœnore, liberali in pauperes congregat eas.* Quare obſervat Græcus Scholiaſtes, verbum Græcum, cum Septuaginta legunt; *Hæc omnia juſti vendicabunt*; non tam valere, *acquirent, & poſſidebunt*; quã, *ea, quæ decet, ratione illis utetur*, Impii ergo homines inſerviunt gloriæ piorum, atque improborum ſtudia, & facultates, ad bonorum fructum, & amplitudinem convertit Deus.

Nicetas. LXX. Impiorũ avaritia ſerviens Iuſtorum liberalitati,

XVIII. *AEdificavit, ſicut tinea, Domum ſuam: &, ſicut cuſtos fecit umbraculum.*

1. Domus tineæ *qualis, Impii ſibi ipſis ſunt exitio. Illuſtrati Hoſeas, & Ieremias.*
2. Domus araneæ, *qua in re geſtet impii ſimilitudinem. Multa aranearum genera. Illuſtratus David de brevitate humanæ vitæ.*
3. Facere *quid in Sacro ſermone. Avarus non tam Dominus, quam cuſtos pecuniæ. AEdificiorum luxus irriſus.*

1 CVM de ſuppellectile dixiſſet, quæ argento, & veſtibus conſtat, nunc ad bona immobilia; domum, & agros tranſit, quorum poſſeſsione brevi etiam ejiciendus. *AEdificavit, ſicut tinea domum.* Videlicet, non longiori tempore duraturam, quam domumculam tineæ, in ligno putrido, aut veſtimento: nã præterquã quod breviſsima eſt, vaniſsimaq; domuncula tineæ, ac hoc habet proprium, quod quamvis corrodendo videatur ſibi ædificare domum, & latibulum quærere, ſed corrodendo etiam ſuam domum diruit; nam cum vel lignum nimium carioſum eſt, vel cum veſtis jam nimium attrita, & lacerata, tunc tandem perit *domus tineæ*, excuti turque ex ſuo latibulo. Igitur ipſa ſibi tinea molitur exitium ſuum, demoliturque domum ſuam. Non aliter ſane impii, dum alienas res mordendo, & vorando, domum ſuam erigere, & ſtabilire nituntur, ſuum ipſi exitium quærunt. ſicut Amos. 6. 3. dictum eſt; *Qui ſeparati eſtis in diem malum; & appropinquatis ſolio iniquitatis*. id eſt, ut ex Hebræo legimus; *Separantes, aut elongantes diem malum.* nam quantum in illis eſt, tueri, & communire ſe volunt ab omni malo, & calamitate, at ea ipſa ratione contendunt, & properãt ſuis ipſis pedibus in ea mala, quæ fugiũt.

Domus tineæ, non diuturna.

Quanam re tineę ſimilis impius.

Impii ipſi ſibi quærunt exitium ſuum.

Quare legunt Septuaginta; *Venientes in diem malum.* Rurſus cum ſuum ſuppliciũ avertere, & declinare procurent, at *appropinquant ipſimet ſolio iniquitatis*, id eſt, judicio, aut tribunali pœnæ, oppreſsionis, & injuriæ. videlicet, ubi par illorum peccatis, & Tyrannidi ſupplicium rependatur. Ergo *ſicut tinea* (quod animalculum a mordendo, & corrodendo nomen habet) aliorum injuria domum ſibi quærit, & conſtruit, ſed ſua domo cito ejicitur, excuſſa veſte; ſic iſti excutientur opibus, quas aliorum injuria comparaverãt. Sic ad Sellum Ioſiæ filium dictum eſt, Ieremiæ 22. 13. & 14. *Væ, qui ædificat domum ſuam in injuſtitia; & cœnacula ſua non in judicio. amicum ſuum opprimet fruſtra, & mercedem ejus non reddet. Qui dicit; AEdificabo mihi domum latam, & cœnacula ſpatioſa: qui aperit ſibi feneſtras, & facit laquearia cedrina, pingitque ſinopide.* Deinde clarius exponitur; *Tui vero oculi, & cor ad avaritiam, & ad curſum mali operis. Propterea nõ plangent eum. Sepultura aſini ſepelietur; putrefactus, projectus extra portas Ieruſalem.* AEdificavit profecto iſte domum ſuam, *ſicut tinea*, ex qua projectus, & excuſſus tandem eſt. Vides hic impium per ea puniri, *per quæ peccat*; atque cum ipſe tinea ſit alienis rebus, *ipſe conſumetur, velut a tinea*, Iob. 4. 19. *& comedetur a tinea*, Iſaiæ 50. 6. & Deus ipſe ultor, & vindex impiorum eſt, *quaſi tinea*. Hoſeæ. 5. 12.

LXX. עש Tineæ nomẽ a mordẽdo, & rodendo. Contra ditescentes aliorum morſu, & damno. Impiorum dignum ſupplicium, ut cõſumãtur a tinea.

Cum *tinea, araneam* junxerunt Septuaginta; *Evadet domus ejus, ſicut Tineæ, & ſicut aranea*. Quo loco paulo dilucidius quam ſolet, ait Auguſtinus: *Domus* (dixit) *nunimenta, quibus ſe protegunt, verum aſtuta, & latebroſa, ſed invalidiſſima, ſicut tineæ folliculus, quo ſe abſcondit, & araneæ caverna, in quam ſe recipiendo cooperit, & claudit eam.* Illis ergo verbis duas ſimilitudines contineri exiſtimavit Nicetas: *Impietas* (inquit) *inſtar veneni depaſcit impios, non ſecus quam tinea lanas; & quemadmodum aranearum telæ nullo majori negotio exterminantur, ſic, quæ ab impio aſſervantur, putridam, & diſſolubilem aranearum telam, quaſi veneno, tineaque conſumpta imitantur.* Quare *tineam*, & *araneam* adverſus ipſos impios convertit, ut ipſi ſint *tela araneæ*, & *domus tineæ*. Cum in priori explicandi ratione ipſi impii dicerentur *tineæ*, comparatione aliorum. *Domus* ergo *tineæ* erit velut *domus araneæ*, quæ quamvis duret *Septuaginta, Octoginta*ve annos (Hęc enim lõgiſsima *in Potentatibus* vitæ meta) at nullo negotio proteritur, & diſsipatur. Ad quem miſerandum, nimiumque celerem

2 LXX. Auguſt. Latebræ, & aſtutiæ improborum. Nicetas. Pſal. 89. 10.

magnificentiæ,& opulētię domus impiorū finē, forte allusum est Ps.89.10. *Anni nostri, sicut aranea meditabuntur: dies annorū nostrorū in ipsis Septuaginta anni. Si autē in Potētatibus Octoginta anni, & amplius eorū, labor & dolor. Quoniā supervenit mansuetudo, & corripiemur.* Quod ex Hebræo legit Hierony. *Quoniā transibimus cito, & avolavimus.* Tunc sistemur judicandi: quare additur, *Quis novit potestatē iræ tuæ?* Quibus verbis eruditi quidā respici existimant ad quorundā araneorū naturā (plura enim genera distinguit Plin.) *quæ nectūt suas telas*, in quatuor circulorū quasi sectiones; quorū quælibet sectio viginti itē sectiunculas alias, & fila viginti cōtineat, ut inspicienti curiosius constare poterit. Octoginta igitur circulis, aut sectionibus constat tela tota; si plura fila astruat, aut neat, incōmoda fit prædando, & capiendo animalcula: avolat enim interdū præda propter majorē spatii, & discurrendi laborē ex telæ centro, & latebris. Hæc est humanæ vitæ, etiā longissime, constantis *Octoginta annis* levissimis, brevissimis, celerrimeq; labētibus expressa imago; hęc duratio brevissima mortalis, & caduceæ dom[9]. quod Lusitanus noster perbellé cecinit;

Plin. libr. 11. c. 24.

Aranearū tela octoginta circulis constās.

Ludov. Crucius in interpetatione Psal. 90.

Nos fila molles sicut aranei,
Denos in annos tendere septies,
Speremus; ante mors obunca
Falce rapax, nisi solvit orsa.
Denos in annos firmior octies
Procurrat ætas, hic labor, hic dolor
Major. volandum quippe tandem,
Ceu volucres habeamus alas.
Quis deindē novit, crimina puniet
Vt justa flagris ira sonantibus?
Pro mole culparum severas
Iustitia repetente pœnas.

3 *Et sicut custos fecit umbraculū.* Hæc est altera cōparatio, & imago brevissimæ impiorū fælicitatis, tum etiā inanissimę illi[9] curæ, & sollicitudinis, in cōparandis, & possidendis multis latifundiis: nā *fecit*, cura, arte, industria, sollicitudine ornavit, aptavit, disposuit, cōposuit (claudit hęc omnia vox originalis) *Vmbraculū*, Tuguriū, tabernaculū. Quāta igitur stultitia, tantū operæ, industrię, & sollicitudinis posuisse in cōponendo tugurio, & erigēdo umbraculo. quod brevi collapsurū, aut deserendū esset! Videtur ergo per sarcasmū irridere magnificētissima mortaliū ædificia, & munitissimas arces, vocādo, *Tuguria, umbracula*, rusticas, & peranguftas casas, *Sursum* (inquit Seneca) *ingētia spatia sunt, in quorū possessionē animus admittitur: at ita si minimū secū ex corpore tulit, si sordidū omne deterfit; & expeditus, levisq; ac contentus modico emicuit. Scit illa ad se pertinere. Tūc cōtemnit domicilii prioris angustias*; imo & sordes. Quid enim erigere, aut construere possit homo nisi tuguria, & casas, & non nisi ad tēpus brevissimū! *Quasi custos*; nā quæ avarus summa vigilantia custodit, & a quibus abstinet, aliis, nō sibi custodit. Ergo in *custode*, duplex impii & avari similitudo; & quod aliena sui Dñi fata, aut prædia servat, non sua; quæ in potestate igitur avari sunt, in custodia sunt, & quod nō integrū annum, sed brevi quodā, certo, & definito anni tēpore in custodia est: proptereaq; *umbraculi* habitatio tēporaria est. Nō est igitur divitiarū æterna possessio. *Vos* (ait Sen.) *tāquā aliquis vobis æternā possessionē divitiarum promiserit, assuescitis illis, & cohæretis. Sapiens tūc maximē paupertatē meditatur, cū in mediis divitiis cōstitit*, quippe scit illa aliena esse, se tantū custodem.

עשה

Aedificiorū lucrus, & superbia.

Sen. lib. 1. Natur. qq. initio.

כצר

Seneca de vita Beata c. 17.

XIX. *Dives cum dormierit, nihil secum auferet: aperiet oculos suos, & nihil inveniet.*

1. *Mors, & fælicitas impii*, Somnus.
2. Auferre, & colligere *in Sacro sermone quid.* Deficere *an dicatur de Iustis. Illustrati Moyses, Samuel, & Isaias.*
3. *Impius non* alligandus in fasciculo viventium. *Vitæ periphrasis. Explicatus Samuel.*
4. *Vulgati* Interpretis *defensio.*
5. *Hebraismus*, Nō ipse. Aperire oculos *quid. Impius post fælicitatem sibi ipsi vix notus. Resurrectionis periphrasis.*

CVm de certissimo impii interitu, vitaque, & fælicitate brevissima dixe- 1
rit, nunc de ipsa morte apertius ait; *Dives, cum dormierit.* In Hebræo, & Septuag. *Dives dormiet*, quod habet asseverationem instantis mortis. De eo autē *divite* loquitur, quē *hypocritā* prius dixerat, & qui improbis artibus ditescit. Verbum autē *dormiēdi*, indicat divitias, humanamq; fælicitatē cū *somnio* cōparari, ut observavit hoc loco Nicetas: nā sicut qui per *somniū* tantū dives est, re ipsa miser est, sic sane, & hujus viæ divites, miseri re ipsa sunt. nam statim, atq; diluxerit, & e vitæ hujus crapula, somnoq; evigilaverint, extrema inopia laborare incipient. Verbū autē *dormiēdi* significat etiā *jacere, prosterni*, quod etiam referri potest ad impii casum ex sua fælicitate.

Futurū per asseverationem rei certissime

Humana fælicitas somniū.

Nicetas.

שכב

Nihil secū auferet. Verbū originale mul- 2
tiplex est. quāvis prima, & genuina ejus significatio sit, *congegare*, aut *colligere*, &

אסף

inde

Auferendi verbū multiplex ſed cum analogia.

inde ſignificat *auferre*, quia quod ex uno loco aufertur, alio colligitur, & cōgregatur ſignificat etiā *retrahere*, aut *revocare*, quod eſt, quaſi colligere ad ſe ſe, tum etiā *perire* aut *diſperdere*, quoniā quod colligitur, videtur perire, & de medio tolli. Hinc ortæ ſunt variæ hujus loci interpretationes: nā oratio in Hebræo tātum habet; *Cū dormierit, non colliget*, vel, *nō auferet*, aut paſsive, *Nō colligetur*, vel, *non cōgregabitur*. Septua. *Dives dormiet, & nō adjiciet*. id eſt (ut colligitur ex interpretatione Nicetæ) *brevi tēpore bonis adeptis fruetur*. Illud enim, *non adjicere*, ad tempus aliquando refertur.

Varia lectio, & interpretatio.

LXX.

Nicetas.

Secundo Vatabl. *Non colligetur*: id eſt, *nō deferetur ad ſepulchrū*. cōſentitq; Tyg. *Nec honorifice funerabitur*: namq; ſepulturæ officiū hoc verbo *colligandi*, aut *colligēdi* ſignificari videtur, ſive quis dicatur, *colligi*, aut *congregari ad populū ſuū*, ſive *ad patres ſuos*, ſive *ad ſepulchrum*. 4. Reg. 22. 20. *Colligam te ad patres tuos, & colligeris ad ſepulchrū tuū in pace*. Num. 31. 2 dive abſolute, & ſine addito, Num. 20. 26. *Aaron colligetur, & morietur ibi*. Iſai. 17. 1. *A facie malitiæ collectus eſt juſtus, & viri miſericordiæ colligūtur*. Quod idē eſt, quod abſtrahi, auferri, tolli de medio, & cōdi, cōgregari vel in horrea defunctorū. Verum enim vero cum hoc verbum, *colligēdi*, duos terminos viæ afferat, quos appellant a quo, & ad quē, alterū fere ſemper ſupprimit Scriptura videlicet, e vita, aut ex vivis, alterum interdum tacet, interdū exprimit, videlicet *ad patres, ad ſepulchrū*. Videbitur ergo aut prædicere, aut imprecari improbo tyrāno, ut pro infandis ſceleribus, ſepultura careat. quod ſupplicii genus in hoſtes publicos decernebant Romani. quare cadavera vel unco trahebant, vel feris objiciebāt, vel in profluentē projiciebant. In Attica etiā Majeſtatis, id eſt, perduellionis reos ſepeliri nefas erat: licebat vero etiā ſepultorū oſſa effodere, ne quod ſcelerati hominis veſtigium poſteritati relinqueretur, ut Dio Chryſoſtomus obſervavit. ex quo, atq; ex Plutarch. Senec. Tacito, Sueton. plura congerit Pet. Faber. lib. 2. Semeſt. c. 9. Tyrānus, igitur, inquit Iob, publicus hoſtis, perduellionis reus, & toti[9] honeſtatis inimicus, non colligetur, neq; funerabitur, dignus qui unco trahatur, & feris, avibuſque projiciatur, non niſi *aſini ſepultura ſepeliendus*.

Vatabl.
Tygur.

Colligari, aut colligi, de morte, aut ſepultura.

Mortui, & ſepulti congregati in horrea

D. Chryſ.

Pet. Faber.

Ierem. 22. 19.

Tertio Cajeta. qui prope vim hujus loquutionis attingere videtur, exiſtimat deſcribi hoc loco impiorum pœnā, quorum animæ nō congregātur ad ſocietatē aliarum animarū juſtorum, nā de juſtis dictū eſt Gen. 25. 8. *Abrahā deficiens, mortuus eſt in ſenectute bona, cōgregatus eſt ad populum ſuū*. Et quamvis de verbo illo *deficiēdi* ſic notaverit Hierony. in traditionibus: *Male in Septuag. interpretibus additū eſt, deficiēs Abrahā, &c. Quia non cōvenit Abrahæ deficere, & imminui*. Tamen illa particula in Hebræo, Græco, Kaldæo legitur: & dici proprie de juſtis obſervat Nicola[9] de Lyra, poſt R. Salomonem, & alios Hebræos, ideoq; ſequi: *Cōgregatus eſt ad populū ſuū*, id eſt, ad Limbū Sāctorū Patrum. ſic etiā Geneſ. 35. 29. *Iacob cōſumptus ætate mortu[9] eſt, & appoſitus populo ſuo*. Onkel. *Collectus eſt ad populū ſuum*. ubi iterum Nicol. exponit: *Limbū Sanctorū Patrū*. & Raban. *Populū Angelorū, vel Sanctorum animarū*. Cōfirmariq; poſſe videtur: nā Abraham, ſecundū cadaver, nō eſt congregatus cum aliis gentilibus, aut popularibus ſuis, ſed cum Sara tantum. Quare intelligitur *populus*, & ſocietas ſanctarum animarum, atq; eo loco ſimili fere ratione explicat loquutionē hanc Rupertus: *Quemadmodū* (inquit) *de agris cōgregatur matura meſſis in horreū, ſic de publico vitæ hujus congregātur electi tēporibus ſuis ſinguli in ſecreta quieſcentiū*. Cū quo videtur facere regula illa, quā tradit Ambroſ. lib. 1. de Cain, & Abel. c. 2. *Cognoſcimus, atq; illud otioſe Scriptum eſſe, ſed perpenſe atque examinate, quod legimus in Regnorū libris, Et appoſitus eſt ad patres ſuos; intelligi enim datur, quod Patrum ſimilis fuerit fide. Vnde claret nō ad ſepulturā corporis, ſed ad conſortiū vitæ relatū*. Sed quidē quāvis de morte juſtorum hæc congrue intelligātur, at certe ex vi locutionis nihil aliud importari videtur, quam, Mori, ſicut & anteceſſores omnes.

Hieronym.

Verbum deficiendi an Iuſtis tribuatur.

Nicolaus.
R. Salomon.
Onchel.
Rabanus.

Ruperti

Regula tradditaab Ambr.

Apponi ad Patres, quid ſit.

Ergo quod de impio hoc loco dicitur; *Nō colligendū*, dicerē potius dici per alluſionē ad locū illum 1. Reg. 25. ubi videtur eſſe quædā vitæ circumloquutio, alicujus *animam cuſtodiri in faſciculo viventium* apud Deum. At vero pariter videtur eſſe mortis circumloquutio, *Animā rotari, quaſi in impetu, & circulo fundæ*. Quem locum Septuag. legerunt; *Erit anima Domini mei illigata in vinculo vitæ apud Dūm Deum, & animā inimicorū tuorū rotabis in medio fundæ*. nā quod eſt ligatum, & collectum cū viventibus, vivit, ſervaturq; incolume inter viventes: quod vero *rotatur funda*, & longe projicitur, videtur amitti, & perdi. Igitur impius non *colligetur* non alligabitur, neq; ſervabitur cū reliquis vivētibus. Quare ab hac ipſa colligendi radice dicitur Michææ. 12. 2. *Congregatione congregabo, Iacob, totū te in unum, conducā reliquias*

3
Verior, & ſimplicior explicatus.

Vitæ, & mortis circumloquutiones.
LXX.

Iſrael, ponã illũ, quaſi gregẽ in ovili. cũ quo etiã colludit Pſ. 26. 10. *Pater meus, & mater mea dereliquerunt me, Dñs autem aſſumſit* (prop. *collegit.* Hierony.) *me.* id eſt, eripuit me a morte. quare ſequitur, *Credo videre bona Domini in terra viventium.* Ergo, *non colligi,* erit morti, & exitio tradi.

4 Sed tamẽ cũ videret Interpres ſecũdã partẽ hujus ſentẽtię perſimilẽ eſſe illi Pſ. 75. 6. *Dormierũt ſomnũ ſuũ, & nihil invenerũt omnes viri divitiarũ in manib⁹ ſuis.* priorẽ etiã partẽ, quæ legi poterat paſsive, *nõ colligetur,* vel, *non auferetur;* maluit active legere: *Nõ auferet,* & eandẽ ſentẽtiã reddere, quæ Pſ. 38. 18. *Quoniã cũ interierit, nõ ſumet omnia, neq; deſcendet cũ eo gloria ejus.*

Aperiet oculos ſuos. Quod David dixit: *Dormierunt ſomnũ ſuũ.* id eſt, poſtquã dormivit, expergefactus jã ſomno, & crapula corporis, & hujus vitæ negotiorum, cũ ſe ipſam intuebitur anima, vere & clare de rebus judicatura.

Hebraiſmus. LXX. Tygur.

Et nihil inveniet. Prop. ex Hebr. *Et nõ ipſe.* Clare Septuag: *Et nõ eſt.* Quod Tygur. intellexit, *Nemo aderit ei.* Sed incõmode: nã de ipſo divite mortuo accipi debet, nõ eſt fælix, qui fuerat ſicut miſerrima Babylon *Fuit, & nõ eſt.* Apoc. 17. 8. & c. 8. 11. Quare nõ ſolũ *nihil invenerunt omnes viri divitiorũ in manibus ſuis,* id eſt (ut ex Hebræo legit Hieron.) *Nõ invenerũt omnes viri exercitus man⁹ ſuas:* id eſt, nihil priſtini roboris, aut ſplendoris, Sed totus ipſe impius evanuit & jã amplius nõ extat. quaſi ſe ipſam animã intuẽs non agnoſcat ad extremum ſupplicium delapſã. nã de re notiſsima illud proverbio dicimus, ęque cognitã eſſe, ac manus proprias. ergo qui nõ inveniat, neq; agnoſcat ſuas manus, quã ſibi ipſi alienus & ignotus exiſtet! Forte hic quoq; Hebraiſmus eſt, ut *aperire oculos, & nihil invenire,* ſit* in oculi ictu evaneſcere, quam cito cõnivet. Philip. hanc, *aperiẽdi oculos,* rationẽ videtur ad Reſurrectionẽ retuliſſe, quẽ alii quoq; Latini ſequuti ſunt, ita ut dicat impiũ reſurrecturũ, *ſed non in reſurrectionẽ vitæ.* nã, *evigilare,* de vita, & reſurrectione dicitur, ſicut & *dormire,* de morte. Qui quoq; ſenſus forte indicatur Prov. 9. 18. *Qui cõfidit in divitiis ſuis, corruet* (nõ enim reſurget in *reſurrectionem vitæ,* ſed in *reſurrectionẽ judicii*) *Iuſti autẽ, quaſi virẽs foliũ, germinabũt* (quod indicat beatæ vitæ reſurrectionem juſtorum.) Sed ſimplex, & germanum eſt, quod diximus.

Hieron. — * En vñ abrir y cerrar de ojos. — Philipp. D. Thom. Dionyſ. — Reſurrectionis periphraſis. — Ioan. 5. 29.

☙ XX. *Apprehẽdet eũ, quaſi aqua, inopia, nocte opprimet eũ tẽpeſtas.*

1. *Accelerans impii ſuppliciũ.* Apprehendere. *quid. Illuſtrati Salomon, & Paulus.*
2. Inopia *quid ex Heb. & Græco. Illuſtra Salom.*
3. Viatores, *qui apud Latinos.* *Qui* Boni, *aut* mali viatores. Inopia *apparitor ſummi Dei adverſus impios.*
4. Tempeſtas *quid prop.* *Quid* Turbo. Mare Suph. Ventus occidentalis.

I IAM in defunctũ impium mala omnia uno quaſi impetu ruẽtia deſcribit. * *Apprehẽdet;* aſſequetur, quem indefeſſe perſequitur, quę eſt proprietas verbi *Naçag.* Et mirũ, quod mala omnia perſequantur impiũ, dũ vivit, interim fugiat; & quoquo modo effugiat, at tandẽ in morte cõprehẽdant! Cõſonat illud Prov. 24. 33. *Veniet tibi, quaſi curſor egeſtas tua, & mendicitas tua, quaſi vir armatus.* Properat enim cohors miſeriarũ, ut cõprehendãt impiũ. Quare ſuppliciũ ſuis quaſi greſsibus tãtũ appropinquat ad impiũ, quantũ ipſe impius appropinquat ad mortẽ. Sed de hoc loco ita tim plura. Septuag. legerũt: *Occurrerũt ei, ſicut aqua, dolores.* Intellige *aquã,* vel e ſublimibus mõtibus præcipitatã, quæ incredibili impetu obvia quæq; rapit, ſecũq; præcipitat, vel imbrẽ noxiũ cum tẽpeſtate cadentẽ, ita ut ſequẽti ſentẽtia hæc prior exponatur. Vtrovis autẽ modo ſubitã egeſtatẽ, & repentinã calamitatẽ cõminatur impiis, quæ hominẽ incautũ, & nihil tale cogitantẽ preoccupat. ſicut Apoſtolus ait 1. ad Theſalo. 5. 2. *Ipſi enim diligẽter ſcitis, quia dies Dñi, ſicut fur in nocte, ita veniet. Cũ enim dixerint, Pax, & ſecuritas: Tũc repẽtinus eis ſuperveniet interitus, ſicut dolor in utero habẽtis, & nõ effugiẽt.* Quibus verbis duplex, triplexve repentini ſupplicii ſimilitudo indicatur, *Furis in nocte,* clanculum irrepẽtis, *Doloris* parturiẽdi, incurrẽtis ſubito, & repẽte occupãtis puerperã, atq; *Interit⁹,* neciſve per inſidias intẽtę. *nõ effugiẽt* (inquit) quoniam *apprehẽdet eos.* ſed inter alias elegans eſt Torrẽtis ſubito ex repẽtina tẽpeſtate coacti, huj⁹ loci cõparatio.

* Cetrer alo, haſta darle alcance. — נשג — Impius, atque ſuũ ſuppliciũ obviã ſibi occurrunt. — LXX. — Repentina calamitas opprimens impium — Triplex cõparatio ſubiti impiorum exitii.

2 *Inopia.* Septuag. *dolores,* dixerunt. Symmac. *Anyparxia,* quæ eſt proprie, quaſi inexiſtẽtia, aut (ut ita loquar) inſubſtãtia, ſignificatq; mortẽ, & interitũ ipſum. quãquã Nicet. ſcribat, ſignificare *fortunarum interitũ, unde dolor exiſtit.* Quod etiã indicaſſe videtur Vulgat⁹ vertens *inopiã.* Vox Hebr. ſignificare videtur turbationẽ, aut *formidinẽ,* ſicut vertitur Iob 18. 11. aut *ſenectutẽ,* ſive *vetuſtatẽ,* quæ interitui proxima eſt. Vnde etiam pro *interitu,* ponitur Iob 18. 14. & pro *nihilo,* in quod res periẽs aut evaneſcens redigitur, Ezech. 28. 19. & 26. 21. ubi Septuag. vertunt, *perditionẽ.*

ανυπαρξία — *LXX.* — *Symmah.* — בלה — Varietas vocis Hebraicę.

Hebraizantes cōſtanter vertunt, *terrores.* Sed omnia certe cōmode cadunt in interitum, & in ſupplicium impii, atq; in judiciū ſeverisſimū, quo accipitur a ſupremo judice ſtatim, atque a vita tollitur. Hoc enim nō lōge abludit ab illo Prover. loco, quē nuper tāgebamus, biſq; repetitur verbis fere eiſdem Prov. 6. 21. *Veniet tibi, quaſi viator, egeſtas, & pauperies, quaſi vir armat⁹.* ubi Septuag. legerunt; *Tanquā malus viator, paupertas, & egeſtas, tanquā bonus curſor;* Iterum Prover, 24. 33. *Quaſi curſor, & quaſi vir armatus.* Quod ex vi originis nihil profecto aliud ſignificat, quam *viatorē* incedentem, procedentemq; indies, & cōtendentē eo, quo deſtinatur, ſumma celeritate. At ex vi Latini nominis, potuit Interpres indicare calamitatem, & ſuppliciū eſſe, velut ſupremi judicis miniſtrum, miſſum ad accerſendum, cōprehendendūque hominem impiū, & ſiſtendum ad Dei tribunal. Nā *viatores* olim, magiſtratibus erant pro *miniſtris*, ſive *apparitoribus.* ſic enim ſæpe Leges appellāt. Tum etiā & pro *exequutoribus*, ut fere idē munus obiiſſe videantur, quod in militia, quos vocamus, *Sargētos.* M. autē Verrius Flaccus, & Sextus Feſtus ſic de *Viatoribus*, ſcribūt; *Viatores appellātur, qui magiſtratibus apparēt, eo quia ab initio omniū tribuū, cū agri in propinquo erāt urbis, atque aſſidue homines ruſticabantur, crebrior opera eorum erat in via, quā urbe, quod ex agris plerumq; homines vocabātur a magiſtratibus, & frequēs eorum erat ab agris ad urbē via.* Eandem quoq; nominis notionem teſtatur Cicero in Catone majori, & Columella li. 1. c. 1. Primum ergo erāt *boni*, fauſtiq; *viatores*, qui fauſta nuntia perferebāt, & ex agro ad Senatum vocabāt. Vt enim inquit Cicero: *E via ad Senatū accerſebantur Curius, & cæteri ſenes. ex quo qui eos accerſebāt, viatores nominati ſunt.* Fauſtus quoq; ille Viator fuit, qui *aranti Cincinnato* (ut Plinius ſcribit) *dictaturā attulit, & quidē (ut traditur) nudo, plenoq; pulveris etiā nū ore. Cui viator, Vela corpus (inquit) ut proferā Senatus, populiq; Romani mādata. Tales tum etiā viatores erāt, quod ipſum nomē inditū eſt ſubinde, & ex agris, Senatū, duceſq; accerſentibus.* Hi itaq, *boni*, fauſtiq; *viatores* dici poſſunt. At ſermonis cōſuetudine nomen hoc ad illos poſtea deductū eſt, qui judicis juſſu reos in jus vocarent, atq; judicata exigerent, & exequerentur, ut Imperator docuit in §. triplici de action. Hi profecto mali, infauſtive viatores appellari poſſunt. Ad quos videtur Septuag. reſpexiſſe, cum dixerunt; *Egeſtas tāquam malus curſor, aut tanquā malus viator.*

Illuſtratio loci Proverbiorum.

LXX

הלך

Calamitas quaſi Lictor miſſus ad cōprehendum impium.

Viatores, qui.

L. 3. §. Tutor. D. de juſpec. tutor. & 1. fin. § fin. d. quod metus cau. § l. ſi pignora d. de evict.

Feſtus.

Cicero. Columella.

Boni Viatores fauſta nūtia perferētes

Plin. lib. 18. c. 3.

Quod in Hebræo, & Latino dicitur, quaſi per expoſitionem. *Tanquā vir armatus.* cū poſtea iidem fuerint *viatores*, qui *lictores*, ut Aullus Gelli⁹ cum Valgio Ruffo teſtatur lib. 12. c. 3. nā armabantur faſcibus, & virgis, poſtea etiam ſecuribus. Quare cōſonat lectio Theodotionis, qui pro *viro armato*, legit: *Virum baſtiferum.* Sed de *viatoribus* nō plura; conſulendi tantum Sigonius de antiquo jure civium Romanorū lib. 2. c. 15. Turneb. l. 11. c. 11. Iuſtus Lipſi. lib. 1. electorum. c. 23. Roſin⁹. l. 7. c. 43. Igitur *inopia*, tanquam *viator*, & *vir armatus.* & ſummi judicis apparitor divitem reum in judicium vocabit, manus colligabit, *apprehenſumq;* ante illius tribunal ſiſtet.

Gellius.

Sigonius. Turnebus. Iuſtus Lipſi. Roſinus.

Nocte opprimet eum tēpeſtas. Eo ſævior 4
tēpeſtas, quo minus lucis habet, quæ lenire, aut cōſolari poſſet animos ingenti diſcrimine laborantes. quod ſi tempeſtas cū teterrima nocte cōjungatur, ſignum utrūque erit Dei adverſus mortales vehementer irati. quare, *Ira Dei*, ſolet poni pro ipſa tempeſtate, & vento procelloſo Pſ. 82. 14. *Perſequeris illos in tēpeſtate tua, & in ira* (propr. hæc ipſa vox Originalis, turbine, ſpiritu procelloſo, repentina tempeſtate) *tua turbabis eos.* Eleganter Poeta de Deo ventorum, & tempeſtatum moderatore,

Tempeſtas cum nocte cōjuncta.

Sceptra tenens, mollitque animos, & temperat iras.
Ni faciat, maria, ac terras, cœlūq; profūdū
Quippe ferāt rapidi ſecū, verrātq; per auras

Vir. 1. Aenei.

Quod autem *in nocte dixit*; vel vera nox, vel tāta caligo, ut nox cēſeri poſſit; illud enim ſolemne in ingenti tempeſtate;

Eripiunt ſubito nubes cœlumq; diemque,
- - - - - ponto nox incubat atra.

Aut in ipſa tempeſtate duplex nox;

Nec una nox eſt, denſa tenebras obruit
Caligo, & omni luce ſubducta fretum
Cœlumque miſcet.

Sen. in Agamen. act. 5.

Septua. verterunt, *Caligo*, quod idem eſt, quod caliginoſa, & tetra tempeſtas. Pro *tēpeſtate*, vox eſt, quam ſup. c. 21. 18. & aliis in locis Interpres vertit *Turbinē*, atq; Iſai. 5. 28. *Impetū tēpeſtatis.* Dicitur autem proprie eſſe vehemens venti frigidiſsimi impet⁹, obvia quæq; proſternētis, & cōvolventis. ut Exod. 10. Nā cum præcipiente Deo, *vētus urēs* cōportaverit in Aegyptū *locuſtas*, oportuit ut cōtrario vento, videlicet frigidiſsimo abigerentur, & auferrentur. Quare ſic ſcribitur verſ. 19. *Flare fecit ventum ab * Occidēte vehementiſsimū.* Quo loco dicitur in Hebræo, *Deus vertiſſē ventum* (*Que ſe bolvio el ayre*) & pro *vento occidetali*, eſt, *ventus maris*, ſive ut Septuag. *Ventus a mari.* Et ibidē dicitur mare *ſuph*,

Ventus validiſsimus contrarius Auſtro

סוף

quæ eft eadem vox, quæ hic vertitur *tempestas*, aut *Turbo*, q.d. diceretur, Mare procellosum. five, Mare jūcosum, unde solet vehemens ventus Africus perflare: quale erat Mare Rubrum respectu Palestinæ. & sic Plin. lib. 18. c. 33. scribit, *Ex Adverso Aquilonis ab occasu brumali Africum flare*. quē appellant nautæ *Suducfte*: alii Meridionalem, quod fit inter Austrū, & occasum Aestivalem. Hic autem celebris est procellis, & turbinibus, ut Poeta dixit;

Virg. 1. Aenei. *Vna Eurus, Notusq; ruunt; creberq; procellis Africus; & vastos volvūt ad littora fluctus.*

Horat. Epod. 16 Et quod Lyricus;

*= = = = = = = Quocumq; per undas
Notus vocabit, aut protervus Africus.*

Vnde Isai. 21. 1. dixit; *Onus deserti Maris. Sicut turbines ab Africo veniunt*. Pro verbo autem *Opprimet*. Septuag. dixerūt: *Sustulit*. Proprie dicas; *Furata est eū tēpestas*, aut, clā, furtim, & cito abstulit. Vbi vides *Diē Dñi*, quasi *furem*, in nocte clanculū irrepere in domū impii. Græci autē hanc nocturnam, tetramq; *tempestatē* tantum retulerunt ad omnis fælicitatis abolitionem: nā sic per paraphrasim elucidat Nicetas: *Quemadmodū noctis tenebræ faciunt, ut nihil possit apparere, sic impius ærumna quasi cæca nocte obrutus, nec uspiam videtur existere.*

גנב

Nicetas.

XXI. *Tollet eū ventus urens, & auferet: & velut turbo rapiet eum de loco suo.*

1. Tollere quid, & auferre. Ventus urens. *Impii instar fumi. Impietatem neque cælum, nec terra capit. Explicatus David, & Isaias.*
2. Ventilare, & procellare. Ventus *Divina sententia*.
3. *Impiorum instabilitas, & perturbatio. Pila similes. Illustratus Isaias.*

I Impius jactatus ventis cōtrariis.

NON uno (inquit) tantū modo, sed viis omnibus punietur impius, atq; jactabitur, fluctibus supplicii etiam inter se adversis, atq; cōtrariis; nam cum antea de *tempestate*, & *turbine*, ventoq; fugidissimo dixisset, nunc de *vento* cōtrario, nimirū *urēte*, & æstuante loquitur. Quæ omnino est tēpestatis sævissimæ amplificatio;

Sen. in Agamen. act. 3.

*Adversus Euro Zephirus, & Boreæ Notus
Sua quisque mittunt tela, = = = = = =
Strymonius altas Aquilo cōtorquet nives
Lybicusq; arenas Auster ad Syrtes agit.*

Tollet, efferet sublimem, sublatū expellet, a radice *Naça*, quod est sublevare, aut extollere. Dici nō ineleganter posset, *Bolaralo*. Videlicet hærentem terræ, & profundis radicibus defixum evellet, & jactabit in aera. *Vētus urens*. Septua. *Aestus*. Prop. *Eurus*, aut vētus Oriētalis, qui in Hebræo appellatur *Kadim*, quasi anterior, aut prior, ut pote qui apriori, & anteriori mūdi parte spiret, qui vertitur; *vētus urens*, Exod. 10. 13. & c. 14. 21. Vbi etiam dicitur, *ventus vehemēs*. quæ vehemētia videtur indicari sequenti particula. *Et auferet*: Quod proprie legunt Septuag. juxta Hebræum; *& abibit*: nam si se totū Eurus effundat in rem aliquā, quātumvis bene firma, & fixa resistere nō poterit. quanto minus impii, qui *sunt tanquā pulvis* tenuissimus, aut tāquā levissima gluma, vel vanissima *favilla ante faciem venti*? Quare videtur idem supplicium hoc loco describi, quod Ps. 87. 3. *Sicut deficit fumus, deficiant*: nam *fumus* in sublime elatus vi turbinis, aut venti facile dispergitur, & evanescit. Vide id Isaiæ 41. 16. *Ventilabis eos, & vētus tollet, & turbo disperget eos*. ubi Septuag. fere verbis eisdē & cū nostra sententia cōsonantibus, legunt; *Ventilabis, & vētus auferet eos, & tēpestas disperget*. Non aliter profecto impii populi supplicium describitur apud Zachar. c. 5. 9. Cum jubetur portari *Amphora* illa plena impietate sublimis, quasi vi ventorū, & tēpestatis raptata, & quasi volans *inter terram, & cælū*, quod neq; cælum capiat impietatem, neq; terra, sed instar impiissimi Iudæ inter cælū, & terram suspēsi pereant impii, & vi tempestatis sublati in omnium oculis deficiant, & evanescāt.

Ventus urens quis.

קדים

LXX.

Pagn. Regia. Vatabl.

הלך

Psal. 1. 4. Iob 21. 18. Isai. 1. 31.

Impii instar fumi.

LXX.

Impios neq; cælum, neque terra capit.

2 *Et velut turbo rapiet eum de loco suo*. Simplex in fonte verbum, quod etiam imitati Septuag. simplici alio verbo reddiderūt; *ventilabit eū de loco suo*. Et vox quidem ad tempestatē, & procellā pertinet, quę cum ingenti horrore, & cōmotione cōjuncta fit. Quare non inepte diceremus ex proprietate verbi, procellabit, aut, horrificabit eum de loco suo. Id est, horrifico impetu, & procellosa tempestate convellet, & projiciet de loco suo. atq; ab eadem radice dictum est Ps. 57. 10. *Sicut vivētes sic in ira absorbet eos*. Quod Hierony. ex Hebręo dixit; *Quasi viventes, quasi in ira tēpestas rapiet eos*. D. August. *Tanquā in ira * cōbibit eos*. utrumq; ad interium pertinet. Vbi vides, quod nuper dicebamus, Iræ Divinæ quasi tempestati, & turbini attribui hunc impiorū interitum. Quare elegās est hoc loco Philippi interpretatio; *Vēti*, nomine *Dei sententiā* intelligētis; *Et vētus* (inquit) *hic Divinæ sentētiæ urens dicitur, eo quod ad gehennæ uredinem ducet, sive compellet*.

LXX.

שער

Hieronym. August.

* La ira de Dios se los comera, y se los bebera.

Philippus.

Sed illud tamen in hac cōgerie suppliciorum indicari videtur, impii incōstātia, atq; animi perturbati instabilitas, & trepidatio,

נשא

datio, quē venti omnes circumagant, & velut pilā jactent, nullo in loco potētem cōsistere. Sicut Isai. 22. 17. dicitur Sobnæ templi Præposito, *Ecce Dñs asportari te faciet, sicut asportatur gallus gallinaceus, & quasi amictum, sic sublevabit te.* ubi primum vides impiū sublevari ex terra, & solo, cui adhærebat, & velut globum circumligatū & cōstrictum in peregrinas sedes asportari. Deinde subditur: *Quasi pilā mittet te in terrā latā, & spatiosam,* nā sicut *pila* projecta in latam, & spatiosam planiciē, nullum reperit cōsistēdi locū, sed ita semper provolvitur, ut nunquā per se ipsam quiescat; Ita sane impius circumquaq; versabitur, & nunquam ab assiduis cruciatuū vicibus cōquiescet; sed per omnia malorum, & calamitatū genera rotabitur. Et cū *pila*, aut sphæra ita principio, & fine careat, ut ejus revolutio in eodē semper loco sempiterna esse possit, non incommode hac similitudine exprimitur sempiternitas suppliciorum.

Impius nullo in loco consistens.

Impii instar pilę usque turbinati.

Sēpiternitas cruciatuum infernorum.

XX. *Et mittet super eū, & non parcet, de manu ejus fugiens fugiet.*

1. *Impiorum involuntatis cautela infesta.*
2. *Super improbos tempestas, & tenebra nunquam discutienda.*
3. Mittere *quid proprie.* Explicatus *David.*
4. *Deus bona proscripturus impii. Hispanismus simul cum Hebraismo.*
5. Manus Dei *quid. Repetitio ejusdem verbi, aliquando minuit significationem.*
6. Stringere *quid proprie. Deus triūphans impiū.*
7. *Locus impio dignus. Explicatus Lucas.*

I. OBscurum est, quod nā suppliciū hoc loco describatur: nascitur vero difficultas ex eo, quod sentētia careat supposito, atq; etiam apposito, & solum verbū activū, *mittet*, exprimatur. Septuag. videtur facere suppositum, *ventū urentem*, aut æstum, de quo nuper dixerat; nam sub eo dē puncto tum hanc, tū præcedentē sententiā solo comate distinctā concludunt. *Æstus tollet, & ventilabit, & projiciet super eū, & non parcet.* Placuit hoc quoque Hebraizātibus. Fiet igitur hæc sententia; Vētus Subsolanus, qui morbidus est, & infestus mortalium saluti, & vitæ, immittet, inveketq; impio affatim malorū, & morborum incurabilium, ut ex hac vita citius fugere, & excedere cogatur. Catenæ auctor supponit, *ultorē* quempiā, *ac vindicem, qui quasi fur improviso incidat impio, nec illi ignoscat iratus.* Alii cōmodius faciunt hujus sententiæ suppositum, Deum pœnarū, ac suppliciorum impii auctorem, cui vētus, cui turbo, & tēpestas, velut Imperatori supremo parent cōvocanti mala, & calamitates adversus hostes suos. Hanc interpretandi rationē cum prima ita cōjunxit Philip. *Vētus* (inquit) *sententiæ Dei, sive ipse Deus per sententiā justitiæ suæ, immittet super eū.*

Sententiæ difficultas.

LXX.

Vatab. Tygur. Isidor.

Philipp.

De apposito item, & re *mittēda desuper*, dissentiunt iidē interpretes: nā D. Thom. dicit mittendā a Deo vehemētem aliquā *persequutionem*. Cajetan. in cōmuni, *Quidquid affligere, & cruciare possit.* Philip. *Meritū facinorū suorum.* Alii, & forte non incommode, subintelligunt mittendam illā ipsam sævissimā tempestatem, & turbinē, de qua paulo ante dixerat: Quam ideo repetit, ut indicet nō futuram illam tempestatem brevi sedandā, instar *diluvii prætereuntis,* sed fore diuturnam, & cū nocte sempiternarum tenebrarum, sempiternā quoq; procellam, & turbinem cōjungendum. Atq; id significare videtur sequens particula, *nec parcet,* id est, justissimus Deus nunquam abstinebit a supplicio: efficiendo, & immittendo, ut qui ulla damnatorum commiseratione tangi non possit. 2

D. Thom. Cajetan. Philipp.

Sempiternitas cruciatuū.

Est vero in illo Verbo, *mittendi,* aut *projiciendi* observanda proprietas quædam, quasi jaculandi ex loco superiori in inferiores hostes; nā ex eadem, *mittendi,* radice dictum est Ps. 147. 17. *Mittit* (cum pluit cælitus. Hieronym. *projicit*) *Crystallū suam* (Hieronym. *Glaciem*) *sicut buccellas.* & Threnor. 2. 1. *Projecit de cælo in terram inclytam Israel.* Significatur ergo impius oppugnatus undiq; cælo, terra, aere, & creaturis omnibus in illius exitiū conspirātibus. Sed cælo præsertim jaculante desuper. 3

Hieron.

Impius undique oppugnatus.

Illud non prætermittā, si sententia hęc sine apposito sumi posset, fore vehementiorē; *Deus mittet,* aut projiciet super eū: supple mittet se, aut projiciet se. Quod indicasse mihi videtur Grecus Scholiastes: nam exponit, *Deum mittere,* aut projicere super impium, idē esse quod, *ultorem incidere impio.* sicut cum de judice, alicujus facinorosi hominis bona proscribente, & occupāte dicere solemus, Cadere illū, aut irruere super illius facultates: aut de hoste ex improviso aggrediente, *Dar sobre alguno, o echar se sobre su hazienda.* Ita Dominus projiciet se se, & illius justitia incūbet in impium, & illius bona omnia. 4

Vehemēs sententiæ explicatus.

Sentētia sine supposito.

De manu ejus fugiens fugiet. Incertum quoq; quem designet pronomen, *ejus*: Nā D. Thomas intelligit, *persequutionem,* aut *persequutorē immissum a Deo.* Alii etiam existimabunt referri suppositum sententię præcedentis. Sed præstat, ut *Dei manus* 5

D. Thom.

Philipp.

intelligatur. quod eleganter dixit Philippus; *Non ſignificat* (inquit) *de cujus manu, & tamen non poteſt, niſi manus Dei intelligi. Ita ſanctus Iob cũ amicis ſuis hæc myſteria loquebatur, ut eis nutu quodã ſignificaret, quod manus Dei hæc eſſet, dum aut elevat oculos ad cælum, aut in altum extendit manum, aut certe caput in ſublime ſuſtulit.* *Manus* autẽ *Dei* plaga eſt illata cælitus, quam impius *fugiens fugiet*, aut, ut in Hebræo eſt, *Fugiendo fugiet*, aut, ut in Græco, *Fuga fugiet*. quæ ejuſdem vocis repetitio vim ſignificationis auget, quam alii interpretantur, *Fugam velociſſimam*. Ita ut Deus (ut Nicetas ait) inducatur, quaſi *hoſtis perſequens impium; impius autem fuga ſibi conſulens*. Verum aliquando admonui, cum eadẽ vox, aut ejuſdem ſignificationis plures voces, junguntur in Sacro ſermone, ſemper afferri ſpecialem vim, & affectum ſentẽtiæ: ſed non ſemper creſcere vim ſignificationis: verum aliquando imminui, & remitti. Hoc itaque loco non poteſt ſignificari fugæ velocitas, cum deſcribatur impius cõprehenſus, & irretitus cruciatibus, tenebris, & turbine occupatus, & impeditus, cæleſtibus demum jaculis præfixus. Potius ergo indicabitur vehemens quoddam, ſed inane, & vanũ fugiendi ſtudiũ. Tentabit enim fugere, ſed fruſtra: explorabit omnes evadẽdi vias, ſed in vanum. Quare nõ inelegãter paraphraſis Tygur. dixit, *Magno ſtud o effugere moliũtur*. quod vero Philippus dixit: *De manu ejus fugiet, nõ tenebitur manu Dñi, ut ſalvetur, ſed veloci lapſu in ruinã decidet*. vix quadrare poteſt.

Iobi actiones & geſtus peculiares, dum loquebatur.

Ejuſdẽ vocis repetitio, quẽ nunc affectum importet.

Nicetas.

Significatio vocis aliquando remittitur repetitione.

Vera fugæ interpretatio.

Tygur.

Philippus.

XXIII. ***Stringet ſuper eum manus ſuas, & ſibilabit ſuper illum, intuens locum ejus.***

6

HAec quoque ſententia caret ſuppoſito; diverſæ propterea interpretationes. Nam plerique ſupponunt exponuntque, *eum, qui viderit, audieritve* ſupplicium impii, comploſurum manus ſuas præ admiratione, & exſibilaturum. Tygurin: *Quo ſublato plauditur, & homines loci ejus illum exſibilant.* Similis geſtus admirãtiũ, aut ſtupentiũ, *percuſſio femoris, manuũ comploſio*, & id genus alia. D. Thomas ſubintelligit amicos ſtupentes, cõpatientes, lugentes e conſpectu priſtini loci, & fælicitatis. Cajetanus ſupponit juſtos, quaſi irridentes impiorũ exitiũ, immotos ipſos ſuis ſedibus & locis, & nullo fortunæ vẽto aut ſuppliciorũ fluctibus jactatos. Sed præſtat, ut hujus quoq; ſententiæ ſuppoſitũ ſit Deus. Quare eleganter nunc quoque Philipp. *Nutibus* (inquit) *quibuſdam humanorum corporũ, quaſi teſtibus, cenſuram indignantis Dei, & contra peccatorẽ divitem iraſcentis, hoc ſermone deſcribit: ubi etiã ſibilans indicat, quam atrox illi pœnarũ locus reſervetur.* Ergo placet quod auctori Catenæ placuit, ut nunc deſcribatur Divina juſtitia triumphũ agẽs, canenſq; de impio atq; ob triumphũ, & victoriam quaſi geſtiẽs plaudẽſq; manib⁹ & vociferãs, quod in præliis, & victoriis fieri ſolet. Quod enim verbum *ſtringẽdi*, nõ pro *plaudere*, ſed pro conſtringere, & arctare alii ſumunt, quaſi Deus *manu ſua*, id eſt, poteſtate impiũ cõſtringat, & pœnis cõcludat, ut moveri ſe nõ poſsit, lõge alienum eſt a tota ſentẽtia & a propria verbi ſignificatione. quod proprie ſignificat *ſufficere*, aut *ſatiſfacere*, ratione autẽ *manuũ*, & *ſibili* adjunctorũ ſignificabit, *ſatiſque ſe agere manibus* eũ ſibilaverit; quod quid aliud eſt, quam *manus ſtringere*, ſeu *cplodere*? Sed dicemus de hac radice cap. 36. 18. an vero ſuppoſitum eſſe poſsit ipſe impius *intuẽs locum* ſuum, dicemus ſtatim.

7

Varia interpretatio.

Vatab.

Tygur.

Oſorius.

D. Thom.

Cajetanus.

Verior expoſitio.

Philippus.

Nicetas.

Intuẽs locũ ejus. Quoniã nõ alia ſunt Hebræis relativa reciproca, Septuag. dixerũt; *Exſibilabit eũ de loco ſuo*. quos etiã imitati ſunt pleriq; Hebraizantes. Videlicet quaſi De⁹ de ſede ſancta ſua exſibilet, & proſternat impiũ aut ut Nicetas dixit impiũ *a ſuo loco, id eſt a priſtina fælicitate, cõſuetudine, atq; ſede ſua illũ abſtrahat*. Interpres videtur accepiſſe de loco ſupplicii, & ignominiæ, in quẽ impius præcipitatus eſt, atq; ille dicatur ſuus locus impii, dignus utiq; illius improbitate; ſicut & Actuum 1. 25. dicitur Iudas, *Abiiſſe in locũ ſuũ*. Cõſonant omnia. Qua vero ratione accipiẽda ſit exſibilatio Dei in improborũ interitu, ſuperius expoſuimus. Sed valde vehemẽs reddetur hæc clauſula, ſi, *locus iſte*, accipiatur locus priſtinæ fælicitatis, ubi tyrannidẽ exercuerat impius, a cujus conſpectu, & amiſsione tũ irrideatur a juſtis, tũ ipſe incredibilẽ animo dolorẽ ſentiat, invitus, mœſtuſq; ad exiliũ ſempiternũ excedẽs. Hũc affectũ doloris expreſsit Orator ſumm⁹ in Catilina a ſe ejecto in exilium, ſubinde proſpectãte urbẽ; *Iacet ille proſtratus, Quirites, & perculſum, atq; abjectũ eſſe ſentit, & retorquet oculos ſæpe ad hãc urbẽ, quam e ſuis faucibus ereptam eſſe luget.* Sic impius *de loco ſuo* ridetur ab aliis, luget ipſe quoque *locum ſuum*,

Victus abit, longeq; ignotis exulat oris
Multã gemẽs ignominiã, plagaſq; ſuperbi
Victoris. ......

Pagn. Vatab.

Cajetan.

LXX.

Proprius locus impii.

Videc. 12 ℣. 19. n. 3. & 8.

Affectus, & habit⁹ euntis in exilium.

Cic. 1. Catil.

Virg. 4. Aen.

CAPVT XXVII.

1 *Addidit quoq; Iob, assumens parabolã, suam & dixit,*

2 *Vivit Deus, qui abstulit judiciũ meum: * & Omnipotẽs, qui ad amaritudinẽ adduxit animã meam.*

3 *Quia donec superest halitus in me, & spiritus Dei in naribus meis:*

4 *Nõ loquentur labia mea iniquitatem: nec lingua mea meditabitur mendaciũ.*

5 *Absit a me, ut justis vos esse judicem: * Donec deficiã, nõ recedam ab innocentia mea.*

6 *Iustificationem meã: quã cœpi tenere, non deseram: * Neq; enim reprehendit me cor meum in omni vita mea.*

PARAPHRASIS Capitis præcedentis.



HAEC CVM DIXISSET IOB ac nemo dicentẽ odiose interpellaret, quasi jã victi, aut spõte cedẽtes adversarii cõtinentem orationẽ audire non recusarẽt, cõfidentius disputationem suam instauravit, secundam quasi orationem, gravissimam illam quidem, atq; sapientissimã instituit, & Divinæ potentiæ manifestationem, suæque causæ defensionem semel susceptam, minime deponendam esse ratus, hunc in modum cum gravi juramento exorsus est.

a Per Deũ viventẽ, qui de me judiciũ judicavit, juro hęc me ob eas causas tantũ, quæ mihi prorsus ignotæ, illi uni cognitæ sunt, perpeti: Deũ quoq; nõ me ex judicii formula in sceleris alicujus pœnã punire, sed pro bona voluntate sua ob multos alios præclaros fines, aeriter probare, & exercere: ideoq; mihi illud sui judicii testimoniũ, quod ardẽtibus votis sæpius efflagitavi, denegare. Quo profecto efficitur, ut & meæ innocẽtiæ judicium disturbetur, & inique judicari videar, dum multo acerbius punior, quam leviores forte aliquæ meæ culpæ exigant. Non enim ille exquisitam meæ vitæ, atq; innocentiæ cognitionem nunc consectari vult. * Idemq; ipse cum sit bonorum omniũ fons uberrimus, ex quo dulcissimum beneficentiæ lac in ora, votaq; creaturarum omnium decidit, & instillat, peracerbis, peramarisq; doloribus vitam meam, omnesque animæ facultates, ac vires affecit.

Iuro etiã, quãdiu vixi, sancte me, ac religiose vixisse: quãdiu vixero, sancte, & innocenter victurũ, * Neq; aut de mea innocentia, aut de Dei bonitate ulli unquã mẽdacio assensurũ. Quid enim ego injurius in eũ existere velim, cujus beneficio spiritum istũ duco, cujus spiritus ad sustinendũ tot labores me corroborat? Quamvis itaq; cruciatus, ac pœnæ producantur, nihil indignũ loquar, aut animo cogitabo: verum usq; ad extremum spiritum peccato repugnabo. Neq; vestræ calumniæ, vestri me similem unquam efficient: quippe nunquam fatebor iniquitatem quam vos mihi per mendacium affingitis.

Absit, ut me contaminem stulta, & iniqua vulgi opinione, qui externis tantum vel ærumnis vel bonis animi sanctitatem metitur. Quem vos quoq; profecto imitamini, solo calamitatum testimonio sceleris meam vitam condemnantes. * Nunquã igitur meæ conscientiæ fidẽ polluam, vel de impiorum, justorumve præmio, aut supplicio vobiscũ consentiã. Proderẽ profecto innocentiã meam, si alia loquerer, atque sentiam. Quare neq; aliud vitæ consiliũ nunc instituam, sed pristinos meos mores cõservabo, neq; ab innocentia mea tuẽda desistã.

Sanctitatẽ, atq; justitiam arcte complexus sum, adhæsiq; pietati a primis annis: jã nũc minime dimittã, neque committam, ut per animi segnitiem, atq; mollitudinem e manibus excidat. * Cũ enim animum meũ nullius unquam sceleris b conscietia carpserit, aut cõvitio affecerit, laborabo strenue, ut nunquã deinceps gravioris culpæ labe me polluã: atq; cum neq; cogitatione quidẽ Deũ ullius injustitię insimulaverim, aut illi cõtumeliosus extiterim, indignum profecto fuerit, ut nunc adversus illum maledicus, convitiatorque existam.

NOTATIO *RERVM INsigniorum, quæ in Commentariis fusius explicantur.*

a De illa solemni jurandi formula, Vivit De9, *& cur tam frequẽter à Deo, & a Prophetis usurpetur, diligenter agitur. n. 1.*

b De conscientia, quæ si mala sit, convitio hominẽ afficit n. 2. & 4.

c *De antiquo more avertendi omina, & imprecādi mala in capita inimicorum, ex Sacris, & prophanis peculiaria quædam. n. 1. & 2.*

Quod si paria iis, qui me calumniantur, blasphemiasq; meis verbis affingunt, imprecari deberē, optarē profecto, ut perirent ipsi, & quæ vos in me per impietatē conjicitis, c in meorum inimicorum capita retorquerentur. Eum enim, qui mihi in hac mea de impiorum aut fælicitate, aut supplicio sententia, repugnaverit, plane cēsebo impium; & sicut meæ innocentiæ, veræq; doctrinæ, ita etiam veritatis hostē. Spero enim fore, ut Divino etiam judicio falsitatis convincatur, gravissimiq; sceleris damnetur, ut qui contra jus, fasq; justum hominem, veramq; de pietate, & religione doctrinam profitentem persequatur Ego enim illos profecto semper hostes habui, quos impios esse cognovi. & ut quisq; improbus fuerit, ita profecto mihi infensus existet Quare tam lōge absum ab impietatis studio, quod mihi vos tribuitis, ut neq; mihi, neq; iis, quibus bene velim, optem ullum impietatis fructum; hunc sane percipiant inimici, & hostes.

7 *Sit, ut impius, inimicus meus: & adversarius meus, quasi iniquus.*

Quid enim boni, & solidi fructus ex iniquitate percipi unquā possit? Securam, inquis, impius vitam vivit, cum ad vitæ præsidiū, & custodiam ingentes divitias cōpararit. Ego vero sic censeo, nullam esse impio diviti animi securitatem ad beate vivendum, nullūmq; solidū stabilitatis suæ præsidium. Nam quid illud tandem est, cui nititur, & unde sibi bene sperare potest? Fulget quidem exterius; sed fallax, & ementitus est fulgor ille, sub quo mens latet sordida, & fœda. Quo enim plura rapit, & asservat, eo plura concupiscit, & sitit, eoque infirmior est: * nam nisi a Deo verissimo bonorum omnium principio, vera, solidaq; firmitas peti nō potest. Nisi enim Deus Optimus Maximus hominis vitam servet, & tueatur, nullum satis firmū comparari potest vitæ præsidium. Ille enim est, qui salutem, veramq; animi tranquillitatem conferre potest omni scelere mentis absterso, & bonorū omniū spiritualiū abundātia collata: nā impius profecto, quē sceleris cōscientia carpit, frui nō poterit illa propria sanctorū firmissima, jucundissimaq; de Dei bonitate existimatione, fiduciaque concepta.

8 *Quæ est enim spes hypocrytæ, si avare rapiat:*

* *& nō liberet Deus animam ejus?*

d *De Deo auditore, & precum supplices libellos suscipiente, nonnihil exquisitū, indicatur. n. 1.*

Deplorata utiq; impiorū omniū salus, qui spes suas in Deo nō collocant. Quemvis enim obsessus ærumnis gravissimis Deū pro salute deprecari videatur, at id minime præstat, ut oportet, nō quidē ex animo, neque ex improbitatis odio, sed metu supplicii. Non poterit itaque ex ficto, simulatoque deprecandi studio firmam certissimamque Divinæ opis fiduciam, ac bonæ mentis constantiam consequi, neque Dei propitii d benevolas aures precibus suis tribuentis; & votis supplicibus annuentis, documentum aliquod capere.

9 *Numquid Deus audiet clamorē ejus, cū venerit super eum angustia?*

e *De precum sanctarum efficacitate, sanctorumq; fiducia, utilia quædam. n. 5.*

Quomodo enim, quibus pietas, & religio oblectationi nō est, oblectamentum & solatium ex uberrimo illo omnis delectationis fonte percipere poterit? Sic enim profecto suas impii voluptates, atq; corporis delectationes consectantur, ac si Deo bonorum omniū auctori minime referri acceptæ deberent. Quare neq; illius incredibilis jucūditatis participes sunt, quam ii habent, e qui cum Deum ardenter aliquid precentur, læti deinde, & hilares Divino beneficio suorū cōpotes desideriorum evadere solent. Nō enim impius ex illo fælicissimo justorum numero est, quibus propitiū orātibus, & invocantibus adest Numen: qui nullo non tēpore Deum amant, & calamitatis perinde, ac fælicitatis tempore laudant, & colunt. Hi profecto sibi laborantibus Divinam opem affuturam, ac fælicissimum suarū precum eventū quo lætari, & exultare possint, non dubia fide pollicetur.

10 *Aut poterit in Omnipotente delectari, & invocare Deū in omni tempore?*

f *De Dei manu ad Scripturarum intelligentiā, pulchra quædā. n. 2, & 3*

Sed ut ad rem ipsam, & meæ orationis caput jam accedam, liberas doctrinæ habenas laxabo, & velut cælestem imbrem mihi cælitus instillatum f, Divina ope, quæ me dicentem corroborat, vobis affundam libentissime, palamque exponam, quæ supplicia gravissima Divina virtute impiis infligenda sint, quæ dū differuntur, manu sua parata continet Deus, occultatq; arcanas rationes agendi, & providēdi: propterea, ante quā executioni mandētur, cognosci a mortalibus nō possunt. Verissimā igitur sine fuco, sine mēdacio Theologiam aperte

11 *Docebo vos per manum Dei, quæ Omnipotens habet, nec abscondam.*

vobis tradã,& arcana de Providentia dogmata minime ſupprimam.

12

Ecce vos omnes noſtis: & quid ſine cauſa vana loquimini?

Sed quid inquam arcana? Vos illa quidẽ,ut qui etiã in rerũ Divinorũ cõſideratione multũ operæ,ac tẽporis poſueritis, minime ignoratis; quorũ nõ obſcura exẽpla obſervare nõ ſemel potuiſtis. Quę cũ ita ſint, mirari profecto ſatis nõ poſſum, homines in ſpeculationibus Theologicis verſatos, atq; detritos, nũc tam levibus, tãq; inanib⁹ cõjecturis perſuaderi, de re graviſsima ſiniſtre judicare, vana & futilia vanis adjicere; neq; illud quidẽ, quod ferẽdum utcumq; eſſet, timide, & dubitanter, ſed fidenter, audacter, inſolenter prõnũtiare. Deſidero itaq; hac in parte judicii veſtri gravitatem, atque ſapientiam, quod cum cætera tam acute videatis, nunc quod æquum, quod verum eſt, pervidere minime potueritis.

13

Hæc eſt pars hominis impii apud Deũ, & hæreditas violẽtorum, quã ab Omnipotẽte ſuſcipient.

14

Si multiplicati fuerint filii ejus, in gladio erunt: & nepotes ejus non ſaturabuntur pane.

Namq; & ſæpe, & cũ faſtidio inculcatis, o amici, impios in hac vita improbitatis pœnas pendere, & filiorũ amiſsione, atq; omnis poſteritatis abolitione, & direptione bonorum, facultatumq; omniũ. Ego vero ſic ſtatuo, Veriſsima impiorum ſupplicia a morte incipere, & æſtimari debere. f Quãvis negare nõ poſsim, nõnunquam etiam in hac vita ſupplicii parte aliquã perferre. Verũ enim vero plerumq; videmus, impiis, quibus tẽporalia bona abunde ſuppetunt, ſempiterna mala a Deo ſupremo judice parari, & aſſervari, tanquã propriam hæreditatem, ſuo jure adeundam. Qui enim adeo viribus, & potentia prævalent, ut cæteris nõ ſolũ terrorem inferant, ſed vim etiam afferant, recipiẽt profecto a Prępotẽti Deo acerrima, graviſsimaq; ſupplicia.

f Quæ ſit impiorum hæreditas nũc tẽporalis voluptatis, poſtea ſempiternorum cruciatuum. & ut De⁹ impiis ſtatim reddat, quæ piis vel differt, vel negat, utilis obſervatio. n. 1.

Multos præterea, multumq; florẽtes illorũ liberos gladius hoſtilis magna internecione cõfodiet. Quibus nihil proderit, quod mutuis auxilis, atq; fraterna ſe ſocietate cõmunire, & cõfirmare conentur: neq; enim, juvenes ſint licet, gladiũ repellere poterũt, neq; ſi infantes, quiſquam illorũ miſerebitur: nam ſublato parente in univerſam familiam omnes ſtatim cives laceſsiti deſæviẽt. Vniverſa vero poſteritas ita abolebitur, ut ſi qui forte hoſtiũ gladiũ effugerint, in ſumma ignobilitate & egeſtate vivãt, nõ ſolũ enim bello, ſed ingẽti fame infeſtabũtur.

g Peſtilẽtiæ deſcriptio, ex illa peculiari nota, quod lachrymis, & luctu carere ſoleat, ex prophanis elegans obſervatio. n. 5.

15

Qui reliqui fuerint ex eo, ſepelientur in interitu: & viduæ illius nõ plorabunt.

Si vero ex ſuperioribus aliqui cladibus ſuperſtites fuerint, morte acerbiſsima interibunt, & vel cõficientur morbo diuturno, vel vivi adhuc moribũdi ſepelientur, vel turpi, atq; immatura morte auferentur: quorum quidem uxores in miſerrima viduitate conſeneſcẽt: niſi prius eadem, quæ illarum viros, g lues perimat, atq; ſe potius, quã maritos lugere cogãtur, ſi ullæ forte lachrymę, ullaq; lamẽta tot malis deplorandis ſufficere poſſe videantur.

16

Si cõportaverit, quaſi terrã, argentum: & ſicut lutũ præparaverit veſtimenta.

17

Præparabit quidẽ: ſed juſtus veſtietur illis: & argentũ innocens dividet.

Nihil jã tunc proderunt impio collectæ per injuriã facultates, quibus poſterorum nemo uti poterit: nam devolventur tandẽ omnia ad juſtos, quos fortunabit, locupletabitque Deus optimus ipſis fortunis impiorum. Verum enim vero iniquus dives colligit, aggeratq; immẽſos divitiarum cumulos, neq; minori, aut copia, aut facilitate, quã ſi terræ pulvis viliſsimus eſſet, & argenti maſſã, lapides ipſi nullius pretii. Variam præterea, multiplicemq; ſuppellectilem, plurimamq; pretioſam veſtem ſtudioſe cõparat, quibus & vivat, & fulgeat beatus ſua quidem opinione, in multos annos. Sed, quæ ille in injuſtitia detinebat, Deo ſic Providente, in honeſtos, juſtoſq; uſus cedent univerſa: nam hæc omnia juſti vendicabunt, & præparatas ab impio veſtes juſtus induet, coacervatas ab impuro homine pecunias, ſancti, & integri homines poſsidebunt. atq; ea, quæ decet, ratione illis utentur. Sic improbitas pietati ſerviet, & facultates iniquas ad ſanctorum utilitatem, & commoda cõvertet ſupremus rerum moderator Deus.

18

Aedificabit, ſicut tinea, domũ ſuã, & ſicut cuſtos fecit umbraculum.

Ergo domo magnificentiſsime ædificata non ejicietur improbus tardius, quã tinea ex putri ligno, aut veſtimento, quod paulatim arrodit, h atq; ſicut tinea corrodendo videtur ſibi domum ædificare, & latibulum quærere, ſimul tamen & ſibi, & domui ſuæ exitium, & interitum molitur, ita ſane impius, dũ res alienas mordendo, & dilacerãdo, domos ipſe ſuas erigere, & ſtabilire nititur, ſuum ſibi exitium ma-

h Aranearum tela, & fila, ad humanã fælicitatẽ, & vitã repræſentandam, exquiſite adducta, tum etiã tineæ morſus, atque domuncula. n. 1. & 2.

china-

chinatur. Atq; adeo munimenta, quibus improbi ſe protegunt, & tutantur, quãvis aſtuta & latebroſa, nõ magis valida erunt, quam tineæ folliculus, quo ſe abſcondit, &, araneæ caverna, in quam ſe includit. Tum etiã impietas inſtar veneni depaſcet impios, nõ ſecus quã tineę lanas. Et queadmodum arnearum telæ, nullo majori negotio exterminantur, ſic quæ ab impio aſſervantur, putridam, & diſſolubilem ara nearum telã imitabũtur. Illa etiam breviſsimæ impiorum fælicitatis imago eſt, tugurium, quod vineæ cuſtodiẽdæ tantum gratia erigitur. Sed quanta ſtultitia, * ingenti ſollicitudine, & diſpendio animi erigere, ædificare, conquirere, quæ momento temporis corruent!

19 *Dives, cum dormierit, nihil ſecum auferet: aperiet oculos ſuos, & nihil inveniet.*

Tandẽ mortis ſomno ſepelietur dives, qui quidẽ tantũ per ſomniũ dives eſt, re ipſa miſer. Tunc vero nihil colligere poterit ex his, quæ domi habet, neq; vero ipſe i colligetur, aggregabitur ve ad ſanctorũ faſciculum, qui meliori ſorti, atq; beatiori vitæ ſervati ſunt. Depoſito autem corporis pondere, cum apertis oculis ſe ipſam anima intuebitur, nihil profecto felicitatis priſtinæ inveniet, momento temporis priſtina omni ſpecie evaneſcente.

i Vt mortui dicãtur colligi, ſive ad alios mortuos, ſive in faſciculo vivẽtiũ, tum ad hujus, tũ ad aliorum locorum intelligentiã, exacte tractatur n. 1. & 2. Tum etiam & de ſepultura, hoſtibus, & perduellionis reis negata.

20 *Apprehendet eum, quaſi aqua, inopia: nocte opprimet eum tempeſtas.*

Extrema vero inopia, dolores ingentes, atq; terrores incredibiles, qui viventi impio imminebant, morientẽ jã aſſequentur, & cõprehendent, k velut ſupremi judicis miniſtri impium ad Dei tribunal accerſentes, & ſicut mali viatores, ſæviq; apparitores manus colligãtes, caput obnubentes, & ad extremũ ſuppliciũ rapientes. Quemadmodum autem noctis tenebræ faciunt, nihil ut poſsit apparere, ſic impius, ærũnarum cæca nocte obrutus nec cernitur, nec uſpiam videtur exiſtere. Diſsipabitur itaq; ſæva tempeſtate, atque procella inopinata, & clam furtimque repentina numinis vindicta corripietur.

k De antiquis Viatoribus, ſeu Lictoribus, Curſoribusque exequentibus ſupplicia, ex Sacris, & prophanis opportuna quædam n. 2. & 3.

21 *Tollet eum ventus urens, & auferet: & velut turbo rapiet eũ de loco ſuo.*

Neq; vero uno tantum modo, ſed omnibus ſupplicii generibus afficietur: nam hærentẽ licet terræ, profundiſq; defixum radicibus Divinæ indignationis vehementiſsimus, idemq; ardentiſsimus cõvellet impetus, tolletq; ſublimẽ: atq; veluti fumũ diſsipabit. Inter tot animi anguſtias, atq; perturbationes, incredibili tunc impius incõſtantia jactabitur, quẽ ærumnarum venti omnes propellent, atq; turbinabunt, nullo unquam ſtabili loco potentem conſiſtere.

22 *Et mittet ſuper eũ, & non parcet. De manu ejus fugiens fugiet.*

Vehemens itaq; æſtus, inſtar nocentiſsimi venti ſubſolani, invehet ſceleratiſsimis hominibus affatim malorum, & morborũ incurabiliũ, ut ex hac vita citius fugere cogantur. Neque deerit ultor quiſpiam, ſævuſq; vindex a judice miſſus, qui quaſi fur improviſo incidat impio nec illi vlla ratione ignoſcat iratus. Ergo Deus velut maximus, ſupremuſq; Imperator, cui tempeſtates parent, immittet improbis, atq; pietatis hoſtibus inſtructiſsimũ quendã malorum omnium exercitũ, graviſſimorumq; ſuppliciorũ tempeſtatem, quæ cum ſempiternis tenebris de duratione cõtendet. Tum illud, quod graviſsimum eſt, Divina vindicta quaſi ſe ſe ſuper improbum projiciet, atq; in univerſas illius res ultrix incumbet. Ille vero fruſtra Divinam plagam effugere conabitur, ac nunquam ſibi ſatis poterit fuga conſulere. Tandẽ enim irretietur, & implicabitur inexplicabilibus malis, atq; in vanũ recidẽt omnes illius evadendi conatus.

23 *Stringet ſuper eũ manus ſuas: & ſibilabit ſuper eum, intuens locum ejus.*

Qui tam miſerandum ſceleratiſsimi hominis interitum viderit, au dieritve, cõplodet ſane præ admiratione manus, atq; infæliciſsimum ſibilis, clamore inſectabitur, & vel illius familiariſsimi e cõſpectu priſtini loci conſiſtentes, ſtupebunt in tam miſeranda ruina. Iuſti vero immoti ipſi ſuis locis, & ſedibus, impiorum exitiũ irridebunt, Deuſq; ipſe triumphum de ſuo hoſte reportãs, quaſi geſtiens plaudenſque manibus, victoris inſtar, vociferabitur, ac de ſublimi ſolio illum deſpiciet ex ſumma fortuna ad extremum miſeriarum baratrum præcipitatum.

(✧)

CAPVT

CAPVT. XXVIII.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Enumerat Sapientiæ ac Divini timoris laudes ex Dei auctoris naturæ operibus mirabilibus, propterea verã Sapientiã, veraſq; juſtorũ divitias non tã ex terrenis bonis, quam ex Deo Sapientiæ, & bonorum omniũ fonte petendas.

Dubitatio præmittenda.

Quis proprius hujus capitis ſcopus, materia, nexus?

1. Materia, & nexus hujus capitis cum præcedenti prædifficilis.
2. Tres aliorum nectendi, & exponẽdi rationes. Secunda, & tertia veroſimiliores.
Nexat optimus. Iuſtorum Divina Sapientia, atque Timore Illuſtratus David.
4. Sacra Doctrinæ fæcunditas.

1

Nexus hujus capitis prædifficilis.



QVORſum nunc inſtituat Iob tã luculentã de Divina Sapiẽtia, atq; timore diſputationẽ, dubiũ eſt, ac neceſſario quidẽ premittendũ ad intelligentiã tũ hujus, tũ ſequentiũ capitũ. Varios ſcopos, varioſq; nexus inveſtigãt Interpretes. Philip. quęſiiſſe ſane videtur. ſed neq; ſe inveniſſe, neq; ab aliquo inveniri poſſe ullũ nexũ aut coherentiã hujus capitis cũ præcedẽtibus exiſtimavit. *Quis (inquit) nõ videat, quam diſſonantia ſint hæc ſubjecta ſuperioribus? Sed videtur mihi, quod per ænigma, & parabolã ſub borũ nominibus metallorum, mores hominum, ac virtutes deſcribat animorum, minime ordinis conſequentiam, Prophetarum more cuſtodiens.*

Philipp.

2

Variæ Interpretum ſentẽtiæ.

Vatablus longe petẽsnexũ

Sed alii tamen putarunt ſe inveniſſe fęliciter. Et primo quidẽ Vatab. cenſet Iobũ docere, *Cur idẽ probis, & improbis eveniat? nẽpe, quia mũdus ſubjectus eſt mutationibus.* Quare terra ſemper aliquid profert novi, nunc argentum, nunc aurum, &c. Sed invitus nexus.

Chryſoſtomi ſimplex, & facilis nectendi ratio.

Secũdo, Chryſoſt. Cũ diſputaverit Iob de exitio impiorũ, ſubjicit nunc, *Si cũcta ratione diſpoſuit, quanto magis humana certo conſilio, atq; ordine adminiſtrat?* Non enim quidquã fortuito evenit, ſed ſi argenti, auriq; ſunt certa loca, & fines, certũ quoque erit mortalibus premiũ. Hunc nexũ cõfirmare poteſt particula cauſalis in Hebręo; *Quoniã habet argentũ, &c.* Septua. *Eſt enim argento locus, &c.* videtur enim reddi cauſa totius ſuperioris diſputationis.

LXX.

Nicetas ſubtiliter aſsignãs filum totius capitis in Frotheoria c. 19.

Tertio, Nicet. duplicẽ hujus diſputationis ſcopũ aſsignat, tũ ut rectã ſuã de Deo Iobus opinionẽ teſtetur; tum probet amicis ſuarũ cauſam ærumnarũ nõ eſſe referẽdã in ſcelus aliquod, ſed in Dei Providentiã humano judicio occultã. Propterea quæ latẽt in terræ viſceribus penetrari tandẽ poſſe ab homine; ſed quæ in Divinæ mentis, & Sapientiæ altitudine cõtinẽtur, imperſcrutabilia eſſe. Ergo & cur improbi vivãt interdum feliciter, cur probi omnibus interdum vitæ incõmodis affictẽtur, nõ poſſe homini exploratũ eſſe.

3

Gravis, & ſolidus explicatus cohærẽtiæ capitis cum præcedentibus.

Quarto, ſicut nexus præcedens totius capitis decurſui cõvenire videtur, ita ſane ex capitis fine, aliũ finẽ licet colligere, cũ ait, *Dixit homini, Ecce Timor Dei, ipſa eſt Sapiẽtia, & recedere a malo intelligẽtia.* Cum enim ſæpe aſſeruerit bona frequenter cõferri improbis, oportuit etiã, ne omnino parte ſua juſti homines fraudarentur, carerẽtve iis alimentis, quę ſolent filii familias habere, etiã *cũ ſub tutoribus ſunt*, oportuit (inquã) aliquid aſsignari juſtis, quod eſſet velut portio, & pars illorum, dũ hic vivunt, & quaſi pignus futuræ hęreditatis. Multi eñ, id eſt, tã juſti, quã improbi, dicũt; *Quis oſtẽdet nobis bona?* Quis enim mortaliũ nõ ſit boni appetens? Requirentibus ergo verũ bonũ, reſpõdit Propheta; *Signatũ eſt ſuper nos lumẽ vultus tui.* id eſt, Divinæ Sapiẽnitæ ſplendorẽ noſtris mẽtibus inſitũ, eſſe nobis quaſi ſignũ impreſſum, & pign⁹ præſtitũ veræ fælicitatis. Simili ergo ſentẽtia hoc capite oſtẽditur idẽ illud verũ bonũ nõ niſi in vera Sapientia cõſtituendum; dixit enim Deus homini; *Ecce timor Dñi ipſa eſt Sapientia, & recedere a malo intelligẽtia.* Atq; hoc lumine ſe ſe cõſolãtur, & erigũt juſti quantũvis afflicti, & malorũ ſuorũ tenebras nõ ſolũ patiẽter, ſed lętãter perferunt; Sic eodẽ loco atteſtante David; *Dediſti lætitiam in corde meo.* ubi Theodor. *Qui tuæ Divinæ Sciẽtiæ lumẽ accepimus, etiam in ipſis calamitatibus, quæ cõtra nos conſurgũt, ex animo magnam ſpem in te collocamus.* Igitur terrenas opes requirãt alii; at juſtis abunde ſufficit Divinæ Sapientiæ theſaurus.

Iuſti nunc nõ tetã capiẽtes hęreditatem.

Sapientiæ, & Timor collatus Iuſtis in pignus hæreditatis.

Pſal. 3. 7.

Theodoret.

4

Sacræ Doctrinæ fæcũditas.

Nos nexus hos in Sacræ Doctrinæ fæcunditatem poſſe omnes convenire cenſemus. Non enim mirum, ſi duobus, aut

tribus

Nexum præcedentium censura.

tribus cardinibus totũ hoc caput volvatur. Cui unicus tantũ placuerit, habet quidem tres posteriores: ex quibus ultimus plenius est gravis, & solidæ Philosophiæ, sed paulo coactior. Penultimus acute, & subtiliter excogitatus est, sicut & ille, quẽ indicavit Chrysost: quamquã hic facilitate, & simplicitate præstare videatur. Nos certe libenter ex uno ad aliũ excurremus, prout subjectæ sententiæ melius convenire judicabimus. Sed nusquã extra chorum. Præsertim cum disputatione de mistis imperfectis, quam præcedente capite instituerat, nunc promoveat Iob, & ad perfecta usque mista deducat, ut pleniorem Divinæ Sapientiæ, & potestatis orationem afferat.

1. *Habet argentum venarũ suarũ principium; & auro locus est, in quo conflatur.*

1. *Varia lectio.* Argentũ, & aurũ *in modũ stirpis nasci.* Vites aureæ, & aurea poma.
2. Argẽti *nomẽ unde.* Argẽti *usus prior quã auri.* Cur argẽti venæ. *Caveũ ab illius cãdore.*
3. *Quid proprie* cõflare. Auri glebæ.
4. Auri *nomẽ unde.* Aura. *Explicatus Zachar.*
5. Aureæ catenæ, *apud quos. Stulti solo auri splẽdore ducti.* Auri *nomen unde.*

1 Varia lectio.

Habet *argentũ venarũ suarum principium.* unico verbo in Hebræo; *Habet argentũ exitũ*, aut, *egressionẽ.* Tygur. *Venas.* Septuag. ettã per paraphrasim dixerunt; *Est argento locus unde fit.* sed nomen illud originale *egressionis*, aut *exitus*, cõmune est ad stirpes, & germina, quæ cũ nascuntur, videtur exire ex sua radice, & produci foras. & cõvenienter quidẽ dicitur hoc modo *argẽtum habere exitũ*, sive ut ita loquar, nascentiam, quia videtur ex terra, sicut & germina, aut stirpes procreari. Atque illud peculiare, quod etiã aurũ, aut argentũ vere in modũ stirpiũ nasci aliquando visum est, in Quiti videlicet Regno, quasi ex terra surgere, atque egredi, & adolescere, & juxta arbores serpere, & velut vitium capreoli adhærescere. Cujus rei quoque quid simile, nõ de novo sed de nostro juxta Pãnoniã orbe, cõmemorat Fulgosi. lib. 1. c. 6 enucleatius autẽ Alexãder Neapolitanus lib. 4. c. 9. ab amicis fide dignissimis testatur se accepisse, in citeriori Germania intra Danubiũ loca esse, in quibus vites primũ nive obrutas, postea liquatis nivibus claviculos, & plerumque cãdicãtia folia ex puro auro germinare: quod forte in aurifodinis vites illæ satæ, simul cũ radicibus coalescat aurũ, & occulta naturæ vi exitũ

Argentum egrediẽs e terra instar stirpium.

Aurum Quiti Peruanum serpens, & adhærescens.

Fulgosius.

Vites aureæ.

quoque simul cũ foliis, & germinibus habeat, ut jam videatur ex hoc verissimo naturæ portento suæ fabulæ speciẽ aliquã potuisse Poeta sumere, cũ lucũ describit Cumanũ; *Virg. Aeneid. 6.*

. . . . . . Latet arbore opaca
Aureus, & foliis, & lento vimine ramus,
Sed nõ antea datur telluris operta subire,
Auricomosquã quis decerpserit arbore fœtus
Hoc sibi pulchra suũ ferri Proserpina munus
Instituit: primo avulso non deficit alter
Aureus, & simili frondescit virga metallo,

Quid, est, *aurea poma*, esse Proserpinæ sacra quã Inferorum Deæ, id est, telluri parenti deberi aurifodinas, & subterris, aut, quod Plinius ait, *in summo cespite metalla inveniri*. Quid, quod etiam ipsas metalli, aurive glebas defossas, velut satas crescere, & augeri, scriptum est ab Aristotele sive Theophrasto, aut quisque ille sit, auctor libri de admirãdis narrationibus? *Circa Philippos* (inquit) *ferũt, metalla inveniri, quorũ ramẽta crescant disjecta; aurumque manifeste producit.* Facit quoque quod deinde subjicit; *Circa Pæoniã dicũt crebris imbribus terra liquefacta aurũ, quod apyrum vocat, inveniri.* Illud quoque *In Cypro juxta Tirrbiã nuncupatã, æs fieri, quod in parva frusta disseeantes seminãt atque imbribus factis augetur, & exit, posteaque colligitur.* Sed si hæc non veram rationem stirpium, at certe similitudinem quãdam vitalis plantarũ incrementi continere videntur, ut dici possit; *Argentũ habere exitum*, aut, *germinationem de terra.*

Aurea Poma cur Proserpinæ sacra. *Plin. lib. 16. c. 6.*

Aristotel.

Aurum, & metalla sata, & germinãtia.

Interpres autẽ Latinus dixit nõ ineleganter, *venarũ principiũ*, ut indicaret abstrusiora loca, in quibus argentũ generatur, & vias etiã, quas humana industria invenit, & quibus eruitur, & in lucẽ cõmunemque usum profertur. Quamquã & illud respexit Interpres, quod argentũ *pluribus venis* in ramorũ speciem expãsis provenire soleat, & quod, ut Plinius scribit, *Ubicunque una vena argẽti invẽta est, nõ procul invenitur alia.* Atque utinã in cõmunẽ usum, & non sibi quisque per avaritiã, & sacrã famẽ argẽtũ cõquireret, & deperiret, exit enim illud sponte sua ad mortaliũ usum: Avarus aut condit, & occultat. Habet certe *Argentũ* in lingua sancta nomẽ, *Checeph*, a concupiscẽdo, & desiderãdo; quasi dicas desiderabile, aut concupiscibile. Atque ex proprietate vocis cũ affectu desiderandi affert intentionem animi, & oculorum, a qua leo famescens inhiare solet in prædã. Nã ab eadẽ ipsa *desiderãdi* radice, dictum est Ps. 16. 12. *Susceperũt me, sicut leo paratus ad prædã.* Quod Hieron. ex Heb. legit, *Similitudo ejus leonis desiderãtis prædã.* In argẽti igitur prædã inhiãt, expectãtque mortales

2 Cur Interpres paraphrasi usus fuerit.

Plinius.

Argentum dictum a concupiscendo. כסף

sicut

ficut leones famescentes in præda. Atq; *argenti* prima fames, avaritiaq; fuisse dicitur. Quo forte pertinet, quod hoc loco prius *argenti*, quam *auri* mentio fiat: Nam Abrahami tẽpore *argentea moneta probata, & transiens per manus* mercatorũ, & peculiari *Sicli* signo insignita in usu erat, non dũ, ut apparet, aureo numo percusso. Atq; etiam apud Rom. scribit Plini. lib. 33. c. 3. *Argentũ signatũ est anno urbis D.LXXXV.* Q. Fab. Cos. *Aureus autẽ numus post annũ LXII percussus est, quã argenteus.* Sic primũ argẽteis armis, non ferreis debellavit homines avaritia, ac triumphavit animos & desideria mortaliũ, & quod Pythia Philippo respõdit, *Argenteis hastis pugna, & omnia vinces*; in nostrũ damnũ avaritia vertit, quę dũ argento nos oppugnat, vincit, & expugnat. Vnum illud in argẽto observandũ, Qui illius candorẽ amant, nigrescere animo. non enim sine causa *lineas ex argẽto nigras produci*, pleriq; mirantur, ut Plini⁹ ait. Ergo si, Isidoro etiã attestãte, mirũ in modũ, dũ candidũ sit, impressum corpori nigras lineas reddit, quãto magis cordi, & animo impressum! Cavẽdũ itaq; etiam *si affluat*, ne *apponatur cor*.

Argenti prima fames, posterior auri.

Plin.

Argentũ quãdo primo signatum.

Plutarch.

Qui candorẽ argenti amãt, atrorẽ contrahunt.

Plin. li. 33. c. 9.
Isido. lib. 16. Orig. c. 18.

Psal. 61. 11.

3 *Ex auro locus est, in quo conflatur.* Incertũ an de opere artis, an vero de opere naturæ hęc sentẽtia accipi debeat: nam de artificio, & industria excoquẽdi, & fundẽdi auri nõ pauci ex Hebraizãtibus, aliisq; Interpretibus accipiũt. Et cõfirmari potest ex lectione Hebr. quę ad verbũ habet, *Auro locus est, in quo conflabũt*, aut, *cõflãt*. vel, ut alii legũt, *fundẽt*, supple, artifices, aut, aurifices. Sic enim exigere videtur verbum plurale. Tũ etiã ex lectione Septuagin. *Locus auro, unde percolatur.* Augusτ. *Vbi purgatur.* quod omnino artis est, ut ex Malach. 3. 2. colligitur, *Ipse, quasi ignis conflãs, & sedebit conflãs, & emũdãs argẽtũ: & purgabit filios Levi: & colabit eos quasi aurũ, & quasi argentũ.* Consonatq; ipsum verbũ originale, *cõflandi*, quod vertitur, *defæcare*, Isai. 25. 7. &, *colare*, loco Malachiæ citato. Sed ego tamẽ existimo, nõ tã de artis, quã de ipsius mirabili naturæ opere sermonẽ esse, ut cohereat tota hac series, & descriptio mirabiliũ mistorũ. Neque dissonat verbũ *cõflãdi*, aut purificãdi. Nã inter cętera metalla valde mirabile, quod auri purgatissimi fragmenta, & quę vocant semina, aut grana (Nostrates, *oro de pepita*) natura ipsa conflẽtur, & purificata gignãtur in ipsis terræ visceribus: & auri etiã glebæ pluriũ librarum rudes, informesq; sed tamen purissimæ, & probatissimæ reperiãtur in novo orbe. Sunt etiam

De naturę, an de artis opere intelligendũ?

Pagni. Tygur. Regia. Caiet.

LXX.
August.

זקק

Verior explicatus, de ipso naturę opere.

Aurum prę cęteris metallis purgatissimũ gigni.

aurei auri lapides, qui in more lapidum exciduntur. qua de re noster Iosephus Acosta in historia illa Indica, quam vulgari idiomate, sed minime vulgarẽ scripsit, disseruit luculenter, lib. præsertim 4. ut jã nemo jure mirari possit, a Marcellino scribi *glebas maximas auro micantes* reperiri, & a Iustino, in Gallicia freque̅ter *glebas aureas aratro excindi. Quin etiã aurũ, terra fulgure proscissã, detegi.* Paravit igitur natura locũ, in quo non minus purgatũ aurũ gigneretur, quam si igne, & fornace, aurificisque industria *conflaretur*, & expurgãretur. Mirabile itaque, ejusmodi conflatoria loca habere naturam.

Ioseph. Acosta.

Amm. Marcellinus, lib. 23.
Iustin. lib. 4.

4 Est vero aurũ multiplex, ut infra dicemus, atq; eliciem⁹ illius quoq; differẽtias ex Sacris Litteris. Sed nunc tantũ de nomine auri, *Zahab*, quod videtur habere nomẽ ab splẽdore, flavore, & puritate. quasi dicas, purũ putum, nitidũ, flavũ: propter quod, *oleũ* quoq; purissimũ, & cũ splẽdore pallescens, & flavescẽs, idẽ nomẽ obtinet in Sacro sermone. Quare in illa visione cãdelabri Zach. 4. 12. ubi nos legimus, *suffusoria ex auro*, Hebraice legitur, *infundentia aurũ*, id est, oleum flavescens aurei coloris. Et cõvẽnit etiam Latinum, *auri* nomen, quod, ut scribit Isidorus, *ab aura dictum est*, id est, ab splendore, quod repercusso ære plus fulgeat. unde illud,

Discolor inde auri per ramos aura refulsit.

Atq; Horatius, *aurã*, quoq; pro pulchritudine, & splẽdore usurpavit, de Barine meretrice cum dixit, *nuper nuptas timere*, ne illius pulchritudine sponsi caperentur,

... Tua ne retardet,
Aura maritos.

Accedit quoq; quod *Aurũ* in ipso suo ortu flavescit, & scintillat, contra quã argẽtũ. Hoc enim, ut Plinius dixit, *nulla sui specie nascitur, nullis, ut in auro, lucẽtibus scintillis.* In hunc itaq; ementitæ fælicitatis splẽdorẽ cũ intuentur homines, misere capiuntur, & ab illius *aura retardantur*, atque in suam ipsi pestem vel solo colore, & nomine acti præcipites, atq; insani ruunt. *Quã innocens* (inquit in proœm. lib. 33. Plinius) *quã beata, imo vero & delicata esset vita, si nihil aliud, quã supra terras concupisceret: breviterq; nisi quod secũ est? Eruitur aurũ, & Chrysocolla juxta, ut preciosior videatur nomen ex auro custodiẽs: parũ erat unã vitæ invenisse pestẽ, nisi in pretio esset auri etiã sanies.* Et sane velut insani, & phrenetici aureis se se vinciunt catenis, vinculis quidẽ honorificis, sed quidẽ veris vinculis, verisq; catenis. Nã quod nũc ornamẽto est, custodiæ vinctorũ, nobiliũ præsertim, olim serviebat.

Auri nomen ab splẽdore.

זהב

Oleum instar auri flavescẽs.

Aurum ab aura dictum.

Virg. lib. 6.

Horat. 2. Carm. od. 8.

Plin. li. 33. c. 6.

Plinius.

Aureæ catenę quondã nobilium vincula.

Herod. lib. 3.

Apud AEthiopes enim ex auro vincula, propter illius copiam fieri solebant. AEthiopes, inquã, illos, quos Herodotus *maximos omnium, atque pulcherrimos appellat.* Quorum Rex cum a Persarum sive legatis, sive speculatoribus *sciscitaretur de auro, de tortili monili, atque armillis, risit tandem, atque existimans vincula esse, inquit, robustiora apud se vincula esse. Deinde Rex istos ad carcerem deduxit, ubi viri omnes aureis vinculis erant alligati.* Et alii quidem etiam nõ sine ratione eundẽ morem servarunt. Nã & Trebellius Pollio de fortissima muliere Zenobia, quæ post Odenati conjugis necem Orientis Imperium tenuit, quæ ab Aureliano victa, & triumphata est, sic scribit; *Vincti erant pedes auro, manus etiam catenis aureis, nec collo aureum vinculum deerat, quod scurra Persicus præferebat.* Atque illud etiam de Cresso, elegãter in suo *ludo Septem Sapientum*, descripsit Ausonius, cum Cressum a Cyro devictum his carminibus persequitur,

= = = = = = Cressum in amicis habet,
Vinctumque pedicis aureis secum jubet,
Reliquum, quod esset vitæ, totum degeret.

Eo respexit Tertullianus lib. de *Cultu fœminarum, Aurum* (inquit) *cujus vos gloria occupat, cuidam genti ad vincula servire referunt Gentilium litteræ.* Clemens quoque Alexand. lib. 2. Pædagogi cap. 12. dum in luxum, & cultum fœminarũ invehitur, sic scribit; *Istæ veram pulchritudinem obscurãt, auro eam adumbrantes, nec intelligunt quantum in se delictum admittunt, se innumerabilibus vinculis alligantes: quemadmodũ dicunt apud barbaros, scelestos, & maleficos homines auro vinciri. Captivos hos, vinctosque divites videntur esse æmulatæ mulieres. An nõ enim colli vinculum est torques aureus, & quæ catenarum locum obtinent? Ac mihi quidem videntur sua spõte vinculis alligatæ gloriari de suis magnis calamitatibus.* Plura in hanc ipsam rem ibi Clemens, & quæ non solũ ad fœminarum luxum, sed ad virorum etiã avaritiam commode adduci possunt. Illud tantũ, quod ad auri splẽdorẽ (de quo nuper dicebamus) pertinet, quod ait, *In gemmas, & pellucidos lapillos, propriosque, ac peculiares colores, atq; vitra varia magno ferri studio, nihil est aliud, quam stultorum hominum, qui trahuntur ab iis, quibus inest pellens visio. Ita etiam pueri cum ignem aspexerint, splendore adducti ad eum feruntur, cumque sit eum tangere periculosum, propter ignorationem minime animadverterint.* Sed de auro præterea nonnihil postea.

Herodot. — *Trebel. Pollio.* — *Tertullianus.* — *Clement Alex.*

II. *Ferrum de terra tollitur, & lapis solutus calore in æs vertitur.*

1. Ferri *cum terra cognatio. Vnde dictum. Et usus illius varii.*
2. AEs *natura fusum, liquati lapides.*
3. AEs *quid?* AEris, & ferri *inventor. Explicatus Moyses.* Bellum, & pugna *unde dicta.*

I

POST aurum, & *argentum*, precipuorum deinde aliorum metallorum *ferri & æris meminit*: nam & *ferrum auro etiam* (ut Plinius dixit) *gratius inter bella, fædesque existit. Ferrum*, ergo inquit, *de terra tollitur. Propr. Assumitur de pulvere*, ut forte indicet ferrifodinas non esse tam abditas, tamque profundas, quam auri & argenti. Vel potius, ut indicet *Ferri* materiam nimium terream, & nõ nisi pulveris instar, quæ deinde arte compingitur, & formatur in ferrum. Divus Thomas, quia ferrum invenitur *in terra quasi indigesta*. Forte etiam, quod ferrum potissimũ generat, & subministrat terra ad sui ipsius culturam, ideo peculiaris ferro cum terra cognatio. Propterea Isidorus existimat *Ferrum* habere nomen a *farre, quod farra, id est, semina frugũ terræ condat.* Alii, quod in agros colendi gratia feratur; alii a feriendo. Quare propter utrumque usum, illud appellat Plinius, *Optimũ, pessimumq; vitæ instrumentum. Si quidem* (inquit) *hoc tellurem scindimus, serimus arbusta, ponimus pomaria, vites, squalore deciso, annis omnibus cogimus juvenescere. Hoc excutimus tecta, cædimus saxa, omnesque ad alios usus ferro utimur. Sed eodem ad bella, cædes, latrocinia, nõ cominus solum, sed etiam missili, volucrique nunc tormentis excusso, nunc lacertis, nunc vero pennato, quam sceleratissimã humani ingenii fraudem arbitror. Si quidẽ, ut ocyus mors perveniret ad hominem, alitem illam fecimus, pennasque ferro dedimus. Quam obrem culpa ejus, non naturæ fiat accepta. Et tamen potest innocens esse ferrum. In fædere illo quod expulsis regibus populo Ro. dedit Porsena nominatim invenimus, ne ferro nisi in agri cultura uteretur.* Ad hoc enim *de terra tollitur.*

Plin. in Proœmio lib. 33. — Ferrũ bello gratius auro. — Ferrifodinæ minus profũdæ, quã aliorũ metallorum. — *D. Thom.* — Ferrũ ad terræ culturã. — *Isid. lib. 16. c. 20.* — Ferrum unde dicatur. — Ferri usus varius. — *Plinius.* — Ferrum innocens in terræ cultura.

Et *lapis solutus*. Proprie, fusus, liquatus, recte addit Interpres, *calore*; nam iners, & irrita esset sine igne, & calore ars. *In æs vertitur*. In Hebræo tantum, *Lapis solutus æs.* Quod forte non solum ad artis opus, sed etiam ad ipsam naturã referri potest, quod æs nascatur instar præduri lapidis, & solis calore decoquatur, & cõcrescat. quo modo videntur Septuag. accepisse,

יצק — LXX.

legentes, *Aes similiter, ut lapis, cæditur*. Augusti. *Similiter ut lapides excluditur*. Vatablus: *Quæ concrevit in lapidem, accipitur chalybs*. Neque placet, quod Tygurina indicat, videlicet lapides etiam, ut metalla, aliquando vi artis & ignis liquari. Sic enim legit, *Lapis, ut æs funditur*. Nisi forte dicas hanc etiam mirabilem artis industriam liquandorum laterum, & lapidum in Sapientiæ argumentum voluisse nunc Iobum proferre; sed omnino alienum est a Iobi instituto, & decursu orationis: quāquam sciam inter *Ignium miracula* scribi a Plinio; *Igne lapides in æs solvuntur. Igne ferrum gignitur*.

August.
Vatabl.
Tygur.
Plin. lib. 36. cap. 27.

3
Aes, quod nā metalli genus

Cujus modi autem, *Aes* sit, de quo hoc loco loquitur Iob, an chalybs, quæ est ferri defæcatissimi pars, anvero æneum metallum flavum, diximus quondam. Nunc pro omnibus metallis illud videtur observatione dignum, illorum inventionem tū eruendi, tum purgandi, & excoquendi antiquissimam esse, & quæ non nisi ad Tubal Cain referenda videatur, de quo Genesis. 4. 22. Scriptum est; *Qui fuit malleator & faber in cuncta opera æris, & ferri*. Quare fabulatur Herodotus ferri inventionem tribuens Scythæ cuidam. Atque item illud, quod ex aliorum opinione Clemens Alexandrinus refert lib. 1. Stromatū, *Celmem, & Dannaneum Idæis Dactylis ferrum primos invenisse in Cypro, alium autem Idæū ferri invenisse temperaturam. Vel (ut Hesiod. scribit) Scytham*. Quare ante inventum ferri usum pugnis pugnabant homines, unde & *pugna* dicta sit: at a Belo gladius inventus, unde postea bellum dictum est. Sic quoque Cassiodorus scribit lib. 1. variar. c. 30. Sed tam *ferrum*, quam gladius antiquiora, ut diximus. Varios quoq; auri inventores, Plinius nominat lib. 7. c. 56. & alios quidem Eusebius lib. 1. præparat. evang. cap. 7. & lib. 10. c. 2.

Vid. c. 20. vers. 24. au 5. & 6.
Metallorum invētio, & fundendorum ars Tubal Cain.
Herod. lib. 2.
Clemens Alex.
Pugna, a pugno dicta. Bellum, a Belo
Cassiodor.
Auri & ferri inventores.
Plinius.
Eusеb.

III. *Tempus posuit tenebris: & universorum finem ipse considerat: lapidem quoque caliginis, & umbram mortis.*

1. *Prima expositio non cohærens. Vicissitudo dierū & noctium*. Tempus quid.
2. Tenebræ, *ea quæ non sunt*.
3. Tenebræ *pro iis, quæ in tenebris latent*.
4. *Humana industria. Divina Providentia. Rerū universarum perfectio, & finis*.
5. *Quatuor* lapidis caliginis, *expositiones. Materiæ primæ obscuritas*.
6. *Excavati montes auriferi. Hispaniæ montes. Babytaces auri hostes & defossores*.

Duorum præcedentium versiculorum hucusque pendentium, hæc videtur esse conclusio, de cujus vera sententia mira est varietas. Et quidem frequentior post Chrysostomum, & Olympiodorum, est, de nocturnis tenebris statuisse sic Deū ut nocti suum spatium jam inde ab ipso tēporis initio cum luce divisum esset. Atque miratur hoc loco Chrysostomus grāde prodigium, videlicet tenebras cedere, ac decedere consueto ordine. *Quis (inquit) earum caliginem, obscuritatemque dispellit; unde in re tanta ordo tantus?* Olympiodorus quoque; *Tenebræ (inquit) appropinquante luce cedunt, fitq; horum quædam accretio, & diminutio: &, ut aliquid a communi opinione sejunctum dicam, quædam efficitur ex inæqualitate æqualitas*. Cum qua interpretandi ratione congruit vox Originalis *temporis*, quæ proprie significat finem, aut præcisionem, vel sectionem, a radice, *Katsats*, quæ significat scindere, aut secare; & accōmodatur ad finem, & extremum temporis præcisum, & determinatum. Quare Aquila, & pleriq; ex Hebraizantibus legunt; *Finem posuit*. Theodotio, *terminum*. Symmachus, *præscriptionem*, vel, *tempus præscriptum*. Septuaginta vero, *ordinem*. Quamquam alii etiam dicant *legē*, aut *præceptum*. Hæc interpretatio licet videatur simplex, & lenis; non videtur cohærere cū reliqua narratione, ubi de mixtis, quæ inveniuntur in terra, & mari aperte agitur.

1
Varia interpretatio.
Chrysost.
Olympiod.
קץ
קצץ
Aquila.
Pagnin. Regia.
Cajet.
Theodotio.
Symmach.
LXX.
Præcedens expositio non cohærens.

Secūdo Vatablus, *tenebras*, vocat *ea quæ non sunt*; quibus dicatur Deus imponere finem non essendi, aut existendi. q. d. *Facit Deus esse, quæ prius non erant*; & vocat in lucem, quæ in magnis quasi oblivionis tenebris jacebant. Sed profecto tam longe petita *tenebrarum* translatio, non videtur cū antecedentibus, & sequētibus cohærere; neque vero videtur, cur non debeant *tenebræ* proprie accipi.

2
Vatabli expositio longe petita.

Ergo illud præstare videtur, atq; lenissime cum contextu cohærere, ut dicatur Deus *tenebris*, id est, rebus abditis, & delitescentibus in obscuro, sive in terræ visceribus, sive in profundo mari, finem temporis præfiniisse, & statuisse, cum tandē humana industria inveniri, & in lucem erui sua providentia constituit. Quare ne perpetuo res istæ occultarētur, sua Providētia statuit, cum quo facit proprietas *tēporis* nuper exposita. Et certe in hac eruendorum metallorum, atq; lapillorum Providentia, quam cœpit Iob describere, *Umbræ mortis*, & *lapidis caliginis* videtur Plinius meminisse non obscuris verbis, mox

3
Verior interpretatio.

Expositio cohærens cũ fine capitis.

adducendis. Hinc igitur ellici triplex ille finis hujus capitis potest, quem supra assignavimus, videlicet vel confirmatio Divinæ Providentiæ, vel nihil posse sciri, & investigari ab homine, sine Divino lumine, vel premia rerum temporalium Deum proposuisse communia tam bonis, quam improbis, ut quæ tandem ad omnium cõspectũ, & usus e suis latebris producãtur.

4 חקר

Et universorum finem ipse cõsiderat. Tum hujus partis, tum præcedentis suppositũ esse, *Hominem*, nõ *Deum*, Cajetanus cẽset. Homo enim *considerat*, perscrutatur, inquirit &(ut sanctus Augustinus legit) *invenit*, hujusmodi rerum abditissimarum *finem*, illasq; sua industria patefacit. Sed melius cohæret sententia si supponatur Deus. *Ipse considerat*, proprie, subtilissime pervestigat, cognitum & exploratum habet cujusq; rei finem, id est, secundum aliquos, consummationem, & complementum rei; quia Divina sapientia, & potẽtia rebus universis certam perfectionis mensuram, & terminum præfinivit. Sic Pagninus, *perfectionem*, vertit, & Tygurina, atq; eundem sensum indicavit Augustinus legens, & exponens; *Omnem finem ipse invenit*, id est, *quid quo perduceret*. Sed præstat ut *finis* eodẽ sensu accipiatur, quo in sententia priori. Non solum (inquit) *finem*, & *tempus* latitandi præfinivit Deus argento auro, ferro; sed etiam universis aliis lapidibus pretiosis, &c. quantumvis reconditis, & inventu difficillimis. Et potest ex utraque parte effici integra sententia; *Tẽpus ponit tenebris*, *&* (id est, quando) *universorum* (id est cujuscumque rei) *finem ipse perquirit, & investigat.* id est, omnia complectitur sua providentia; rerum omniũ exitus, & eventa scrutatur; principia ipse instituit, progressiones etiam moderatur, & regit.

Cajetan.
August.
Varia lectio, & interpretatio.
Pagninus.
Tygur.
August.
Germanior explicatus.

5

Lapidem quoq; caliginis. Vatablus per *lapidem caliginis*, intelligit obscuram & informem materiam, ex qua Deus produxerit pulchra, atq; bene formata corpora, & ita illi caliginoso lapidi & materię *finẽ*, id est, perfectionẽ, distinctionem, & formationem corporũ attribuerit. Sed quã dura hæc *lapidis*, pro materia acceptio! D. Thomas intelligit rupem alicujus excelsi mõtis, quę semper *caligine nebularũ* obtegitur, quã multa occultẽtur, quę auctori naturæ sunt bene cognita. Nicolaus, & Dionys. existimant appellari posse *lapidẽ caliginis*, rupẽ excelsam solis ardore denigratam: hoc enim inter alia naturę miranda opera non prętermittitur ab Ecclesi.c. 43.3.4.&.5. *In meridiano exurit terrã, & in*

Vatabli expositio durior.
D. Thom.
Nicolaus, & Dionys.

conspectu ardoris ejus quis poterit sustinere? Fornacẽ custodiens in operibus ardoris, tripliciter sol exurens montes radios igneos exsufflans, & refulgens radiis suis obcæcat oculos. Sed neq; hoc filo, & cohærentiæ capitis omnino quadrat. Alii (quod Catenæ auctor indicat) ad lapillos pretiosos referũt, demersos in caliginosam terrã, & *mortis umbrã*, id est in loca profunda, atq; tenebrosa, plenaq; discrimine. *Lapides* (inquit Nicetas) *qui in fodiẽdo quæruntur, sunt in profundo abstrusi, in ipsa mortis umbra delitescunt, id est, in partibus terræ imis, atq; in alta obscuritate.* Sed huic expositioni illud tantum obstat, quod inferius de hujusmodi pretiosis lapillis sermo instituẽdus est.

Nicetas.

6

Ego existimo, *lapidẽ caliginis*, vocari saxosas montium cavernas, siliceasq; radices, quas cum ingenti discrimine, atq; cũ majori etiam cupiditate ad eruenda pretiosa metalla excavãt homines. Tum etiã & lapides illos, ex quibus æris metalla fiunt, quæ omnia non mirum est appellari *umbrã mortis*, cum hujus auri, argenti, aliorũq; metallorum fodinæ horridis, plenisq; discrimine tenebris plenæ sint. *Vivimus* (inquit Plinius) *super excavatam, mirãtes dehiscere aliquãdo, aut intremiscere illã seu vero non hoc etiã indignatione Sacræ parẽtis exprimi possit, imus in viscera ejus, & in sedes maniũ, opes quærimus, illa nos premũt, illa nos ad inferos agunt, quæ occultavit, atq; demersit; illa quæ nõ nascũtur.* Hæc in Proœmio lib. 33. sed deinde. c. 4. ubi agit de naturali ratione inveniendi auri, atq; de nostratibus Hispaniæ montibus; *Aridi* (inquit) *steriles q;, & in quibus nihil aliud gignatur, huic bono coguntur fertiles esse; Aurum, quod puteis foditur, canalitium vocãt. Hi venarũ canales per marmora vagantur, & latera puteorum. Tertia ratio opera vicerit Gigãtum, cuniculis per magna spatia actis cavãtur montes ad lucernarum lumina; eadẽ mensura vigiliarum est, multisq; mensibus nõ cernitur dies. Sidunt rimæ subito, & opprimunt operarios, ut jã minus temerariũ videatur e profundo maris petere margaritas, tanto nocẽtiores fecimus terras. Relinquuntur itaq; fornices crebri, montibus sustinendis occursant silices, nihilq; durius putãt, nisi quod inter omnia auri fames durissima est.* Describit deinde excavatorum montium ruinas: sed pulcherrime Seneca de hac ipsa re. li. 6. Nat. qq. c. 25. *Majores nostri spe ducti, montes ceciderunt, & supra lucrum sub ruinas steterunt. Ante Philippum reges fuerunt, qui pecuniam in altissimis usque latebris sequerẽtur, in quas nullũ noctium, dierumq; perveniret discrimen. Quæ tanta necessitas hominẽ ad sydera erectũ*

Verosimilior explicatus.
Auri & argẽti fodinæ caliginosæ, & plenæ discrimine.
Plinius.
Hispaniæ mõtes, & auri fodinæ.
Triplex auri eruendi ratio.

incur-

incurvavit & defodit, ut erueret aurum non minore periculo quærendũ, quam poſſidendũ? Sed familiariora hujus rei exẽpla habemus noſtro hoc ſæculo, noſtra hac Bætica, videlicet in argentifodinis Guadalcanalitiis; tũ etiã & in Potoſiano colle novi orbis, de quo elegãter ſcripſit Ioſephus Acoſta lib. ſuæ hiſtoriæ. 4. Illud addã pro hujus etiã *Lapidis caliginoſi, & umbræ mortis* cõmentario altero breviori, neq; minus eleganti ex. 2. Boetii lib. de Conſol. tenebras cum umbra, & diſcrimine mortis dilucide conjungentis.

Argenti fodinæ Guadalcanalis.

Collis Potoſianus.

Ioſeph Acoſta

Heu, quis primus fuit ille,
Auri qui pondera tecti,
Gemmasque latere volentes
Pretioſa pericula fodit?

Boetius.

Conſultius profectò illi, qui (ut Plin. ait) *In Septentrionali Tigris alveo, oppido Babytace, mortalium ſoli, aurum in odio contrabũt: id defodiunt, ne quo cui ſit in uſu.* Addit & de Babytacibus illud peculiare Solinus. c. 68. *Omnes odio auri coemunt hoc genus metalli, & abjiciũt in terrarũ profunda, ne polluti uſu ejus, avaritia corrũpant æquitatem.*

Babytaces auri hoſtes, & inſoſſores.

Plin. lib. 6. cap. 27.

Solinus.

☞ IIII. *Dividit torrens a populo peregrinante eos, quos oblitus eſt pes egentis hominis, & invios.*

1. *Vulgati defenſio.*
2. *Varia lectio. Torrentium, & fluminũ excreſcentia, & mutationes. Inundationes Nili.*
3. *Torrentes auri ferr. Mira antiquorum induſtria in eruendo auro.*
4. *Mirabiles fontium, & fluminum ex abdito eruptiones.*
5. Dividere, & diviſio *in Sacro ſermone quid? Illuſtratus Samuel, & Iſaias.*
6. Peregrinus, & peregrinari *quid.* Pes *in Sacro ſermone.* Oblivio itineris, *de invio. Explicatus Iſaias.*

1 NIhil mirum, ſi Interpres ex exẽplari multo difficiliori ſententiã difficilẽ deſcripſit, & ſi illius diligentiæ detrahant Hebraizantes; nam vel ex unica iſta ſentẽtia conſtare poteſt, quod vel puncta eadem non legerit, vel potius neglexerit: nã puncta nihil ſacrum continent, cũ appicta, & invẽta fuerint humana induſtria Rabbinorũ: propterea aliter legerit, & interpretatus fuerit, quã illi. Propter punctorum enim diverſitatẽ, neq; *populum*, in hac ſententia inveniunt, neq; *hominẽ egentem* agnoſcunt; neq; eo modo, quo noſter, diſpungũt; neq; ad eaſdem radices, eaſdẽque ſignificationes reducunt ſingulas voces. Sed quidem pro Vulgato Interprete ſemper ſtat fides, & diligentia in interpretando incomparabilis.

Sentẽtiæ obſcuritas.

Puncta humanæ induſtriç ſunt in Hebr.

Iam ad emolliendam difficultatẽ hujus loci, & ſententiæ perobſcuræ illuſtrationẽ, præmittendum primũ eſt, Hebraizantes ex verbo legere; *Erupit torrens a cũ habitatore: obliti ſunt a pede,* vel, *oblivioni tradi ſunt; elevatæ ſunt præ homine,* vel, *depauperatæ ſunt,* motæ, vel, vagatæ ſunt. Diſcrimen noſtræ lectionis pendet ex eo, quod Hieron. non legit *Ghũ,* id eſt, *cũ,* ſed *Ghã,* id eſt, *populum*; deinde, *Ghar,* deducit Hierony. a radice, *Ghur,* quod eſt, *peregrinari,* alii vero a radice, *Naghar,* id eſt, *diffluere.* Quædam etiam minutiora prædictam diverſitatẽ lectionum effecerũt, quç ſi referam, aridus, & moleſtus lectori exiſtã. Ergo quæ alii in hoc loco cõmentantur, duplici fere paraphraſi, Pagnini altera, altera Tygurina continentur. Nã Pagninus poſt R. Levi. R. Abrah. Moſech, ſic legit; *Creſcere fecit torrentẽ apud eum, qui peregrinatur juxta illũ, & ſiccato torrente aquæ oblivione traduntur.* Paulo dilucidior Tygur. *Erupit alicubi torrẽs, qui accolas non fert; rurſus exareſcunt torrentes, ut a pede non ſentiantur: ſuperant etiam hominis ſtaturam, & qui poterant vadari.* Hæc eſt autẽ horũ ſententia; Cõtingit ut flumina exũdantia aliorſũ detorqueãt curſum, & agros primũ frugiferos operiant: quæ vero in primo alveo latitabant, jam nunc pateſiant; & *eos,* ideſt ea loca, quæ tanquã invia *obliviſcebatur pes,* id eſt, nunquam eã contigerat, neque calcaverat viatoris alicujus pes, ut potequæ minime vadari poſſent, jam nũc ſicco pede, firmoq; veſtigio pertrãſeantur. Propterea hinc colligendum nihil eſſe in rerum natura occultum, quod non reveletur aliquando. Si vero ad artem & induſtriam humanam referatur, ſignificabit tantũ valere, ut detorquere poſſit fluviorũ curſum quoq; velit, revelare abyſſi profũda, atq; id iter invenire, quod invenire non poterat hominis alicujus veſtigium.

2

Varia ex Hebræ lectio.

Hieronym.

עם
ער
עוד
נער

RR. Abrahami Moſ Levi. Pagninus.

Tygur.

Hebraizantiũ ſententia elucidata.

In hanc fere ſentẽtiam vocari, aut certe trahi noſtra lectio poteſt; Nam *torrens* (cujus propriç ſunt temporales quædam exundationes, & fortuitus alveus, quem efficit impetus aquarũ confluentiũ) ſi nimium exundet, *dividit,* id eſt, dividere ſolet *a populo,* id eſt, *populum peregrinantem,* id eſt, juxta habitantem: nam cũ adimat illis habitationis locum, ſedes illç priores redduntur inhabitabiles. Interim *eos, quos oblitus eſt pes pauperis, & invios,* id eſt, loca invia (maſculinum pro neutro, hoc enim carent Hebrçi) quorum nemo viator meminerat, ut pote quç pervia non fuiſſent,

Latinæ ſentẽtiç cõciliatio cum Hebræo.

videlicet alveum intranabilem, pervia tãdem relinquit, & itineri cõmoda. Quare habitatores ex priore littore pulſos dividit medius torrens a priori alveo, & ab aliis peregrinis & viatoribus iſtac pergẽtibus. Et quod Iobus nõ in univerſum loquatur, ſed de aliquo torrente, aut flumine peculiari, videlicet de Nilo, qui ab Huſitanorum provincia non longe diſtat, conjectura eſſe poteſt, quod Strabo ſcribit de Nili excreſcentiis lib. 16. ubi miræ Nili mutationes atq; itinerum varietates deſcribũtur; *Talia (inquit) circa Caſiũ apud Aegyptũ contingunt, ubi terra contractu quodam celeri, atq; ſimplici in alterã partẽ transfertur, & decidit, ut pars ejus in ſublime elevata mare impellat, pars deorſum ſubſidat: qua converſa, rurſum locus priſtinam ſedem accipiat, atq; nonnunquã permutatio quædã fiat, nonnunquam vero minime, qui motus quibuſdam fortaſſe circuitibus innexi continẽtur homini incognitis. Hæc de Nili excreſcentiis incertum ordinem habentibus.*

Locus hic de Nilo intelligendus.

Strabo.

Nili incertæ excreſcentiæ.

3

Duę aliæ idoneæ exponendi rationes.

Sed quod in re prædifficili non improbabile videtur, unũ aut alterum proponã. Primum, quod Catenæ auctor ſcribit, dũ ſuam, Septuagintaq; lectionem explanat; *Deciſio torrentis a pulvere, vel, ab arena. Lapides (inquit) qui in fodiendo quæruntur, ſunt in profundo abſtruſi, in ipſaq; mortis umbra deliteſcunt, id eſt, in partibus terræ imis, atque in alta obſcuritate. Illa vero terra, e qua, cum purgata fuerit, ferrũ, aliave metalli materies exiſtit, ſub torrẽte, arenaq; latet, vel ut planius dicam, terra, quæ ad gignẽdum ferrum utilis, ſæpe numero in aquis reperitur, quæ a torrente diſciſa ferrum protulit. Fortaſſe etiam hæc ipſa verba aliam ſententiam pariunt, quod lapides, qui in profundo ſunt cõditi, ac propemodum radicibus nixi, torrentis impetus in apertum protulit, ubi ſubjectam materiam divellit, & nullo firmamento fultam terram abripuit.* Nam quid mirum, quod cum ſemel Iobus meminerit naturalis rationis inveniendi auri, non illã tantum effodiendi, ſed alterius quoq;, quæ & hodie apud Occidentales Indos in uſu eſt, & a Plinio minutatim deſcribitur lib. 33. c. 4. Iobus multo verius multoq; magnificentius deſcripſerit. Certe in hac re Plinius meminit *torrentis* incredibili erumpentis impetu, rupiũ inviarum, & aliorum, quæ pro cõmẽtario eſſe poſſunt hujus noſtri loci. Poſtquam enim de auri, argentiq; fodinis, ad ingentẽ altitudinem ſubcavatis montibus, agit, deq; ipſis montibus ruentibus, ſubjungit; *Alius par eſt labor, flumina ad lavandũ hanc ruinã jugis montium ducere obiter, a centeſimo plerumq; lapide convallis, & intervalla ſubſtructis canalibus jungũtur, alibi rupes inviæ cæduntur, ſedemq; trabibus cavatæ præbere coguntur, & qui cædit, funibus pendet, ut procul intuentibus ſpecies nefaria quidem, ſed alitum fiat* (ecce conſiſtentem hominem, potius pendentem eo loco, quem nunquam contigit pes, veſtigiumve humanum) *Itaq; inſiſtentis veſtigiis hominis locus non eſt. Ad capita dejectus in ſuperciliis montium piſcinæ cavantur, ducenos pedes in quasque partes, & altitudinẽ denos; emiſſaria in iis linquũtur, & repleta ſtagna, excuſſis obturamentis, erũpit torrens tanta vi, ut ſaxa pervolvat. Foſſæ, in quas profluat, cavantur de terra in mare, &c.* Neſcio quid etiam in metallorum fodinis horum torrentium meminit Senec. lib. 5. Nat. qq. c. 15. *Aſclepiodotus* (inquit) *auctor eſt, demiſſos quam plurimos a Philippo in metallum antiquum olim deſtitutum, ut explorarent, an aliquid futuris reliquiſſet vetus avaritia: deſcendiſſe illos cum multo lumine: dein de longa via fatigatos vidiſſe flumina ingentia, & conceptus aquarum inertium vaſtos nõ ſine horrore.* Atque torrentes eam vim habere, ut pretioſos lapillos, præſertim Sardonychos, detegãt, auctor eſt Plinius lib. 37. c. 6. Iſidorus lib. 16. c. 8. Immo & ad montem Caucaſum, quem Plinius, Philoſtratus, Curtius in Indię parte conſtituũt. Soanes, populi numerantur, Caucaſi extrema obtinẽtes, de quibus ſic ſcribit Strabo lib. 11. *Apud eos torrentes dicuntur aurũ deferre, quod barbari perforatis tabulis, ac lanoſis pellibus excipiunt, unde aurati velleris fabula confiċta eſt. Et fortaſſe Iberes eodẽ nomine vocantur, quo occidẽtales, ab auro, quod apud utroſque invenitur.*

Nicetas.

LXX.

Lapides pretioſi, & metalla in profũdis fluminum.

Alia ratio inveniendi auri in fluminibus & torrẽtibus, excavatis mõtibus.

Plinius.

Fluminaducta montes excavati, machinæ inventæ ad eruendum aurũ

Seneca.

Pretioſi lapilli in torrentibus.

Plinius. Iſidor. Philoſtra. Curt. Strabo.

Torrentes auriferi apud Soanes.

4

Secundus explicatus ſimplicior.

R. Moyſ.

Alterum, quod forte ſimplicius, & ad rem præſentẽ magis accõmodatũ videri poteſt, indicatur a R. Moſ. in hujus loci cõmentario; *Deus (inquit) creſcere facit torrentẽ a loco, ex quo defluit, qui eſt abſconditus ſub terra, unde & loca torrentis oblivioni traduntur, apud non traſibunt illum, quia aquæ excreverunt, & roboratæ ſunt ſuper homines, & moventur, & elevant fluctus.* Cũ quo noſter Interpres bene conſentit, nãq; ut inductione probet, quæcũq; in humanis fũt occulta, & abdita, poſſe tandẽ proferri in lucẽ; præter illa exẽpla eruendorũ metallorũ adjũgit etiã fontes, & flumina ex abdito erumpentia in apertã terræ faciem: quam rẽ hac verborũ circuitione proponit; Fieri ſolet, ut denuo erũpẽs fons, aut *torrens* ex occultis terræ canalibus, invios reddat, atq; oblitos humanorũ veſtigiorũ agros, in quos decurrit: illosq; ſeparet a viatoribus & peregrinis. ſeu, quod idem eſt, peregrinos & viatores ab illis ſeparet,

Mirabiles fontium, & fluminum eruptiones ex terræ cavernis.

dum vadum & aditum illis negat. Cum hoc explicatu & sententia consentiunt etiam singulæ voces.

5 *Torrens dividit.* Proprie erumpit, dirũpit, erumpẽdo dividit, *Sale.y rõpe*, est enim hæc divisio propria erũpentiũ aquarũ in genti vi, & impetu, de quo memini aliquã do dixisse, atq; etiam confirmasse ex illo 2. Reg. 5. cum post partam victoriam de Philisthiim, appellatus est victoriç locus, *Parasim*, id est, *locus divisionis*, ab hac ipsa radice dividendi, *Parats*; *Venit ergo David in Baal Pharasim, & percussit eos ibi, & dixit, Divisit Dominus inimicos meos corã me, sicut dividuntur aquæ; propterea vocatũ est nomen loci illius, Baal Pharasim.* Quo respicientes Septuag. ad illam proprietatẽ erumpẽdi, legerunt, *Venit David de superioribus rupturis, & cõcidit alienigenas ibi, & dixit David, Disrupit Dominus inimicos alienigenas corã me, sicut disrũpuntur aquæ. Propter hoc vocatũ est nomẽ loci illius, Desuper rupturis.* Et quidem fere simili voce, & significatione cum magno victoris impetu dissipantur hostes, appellare nos etiam solemus *rupturã, la rota.* Atq; ejusdem quoq; appellationis videtur mẽtio fieri Isai. 28. 21 *Sicut in monte divisionũ stabit Dñs.* id est, Magno impetu fundet, perrũpetq; hostes suos, sicut quondã fudit illos David in Baal Pharasim. Quare hoc idẽ nomẽ *divisionis*, ad affluentiã, & redundantiã refertur ab ipso nostro Interprete, Prover. 3. 10. *Vino torcularia redundabunt.* ubi ex Hebræo legũt, *Vino torcularia rũpent se.* Hoc igitur est, *Dividit torrens*, erũpit, exũdat, cũ impetu, & alacritate, victoris instar, obvia quæq; cõvolvendo & proculcando; exũdans autẽ, & erũpens videtur arcere *populum peregrinantẽ*; atq; etiã appetere illũ convolvere, & obruere suo impetu.

Eruptio fluviorum dicitur divisio.

פרץ

בעל-פרצים

LXX.

Rumpere, aut dividere, de victoria dictum.

Pulchra Isaiæ allusio ad David.

Pagnin. Regia. Vatab.

6 Recte autẽ dixit, *populũ peregrinantem* potius, quã *accolã*, aut *habitatorẽ*, ut alii vertunt. Quãvis enim idẽ fere sit *peregrinus*, quod *accola*, & *habitator terræ*; & peregrinari in terra, idẽ, quod incolere illã; sed cum de via, & itinere sermo sit, ipsa subjecta materia postulat, ut ad peregrinũ, & viatorẽ referatur. Fõtis præterea erũpentis impetus agros pervios reddit invios, quasi quadã oblivione itineris & pedum squalẽtes: nã, *Pes*, solet sumi pro itinere via, progressu, vestigio. Isai. 52. 7. *Pes*, id est, advẽtus, *evangelizantiũ pacẽ.* & Isai. 41. 3. *Vocavit ab Oriẽte justum, ut sequeretur se.* Hebraice, *Vocavit eũ ad pedẽ suũ*, id est, ut illã viam teneret, quã illi cõmõstrabat Deus, cũ jussit illũ *exire de terra sua.* Rursus dixit, *Pes pauperis*, quod frequẽter pauperes sint, qui peregrinãtur, & itinera cõficiunt pedites: sicut Iacob, cũ pristinam suã paupertatẽ significabat, *In baculo*, pedes inquã, & adhibito baculo ad fulciendos gressus, *transivi Iordanẽ.* & Isaiæ. 23. 7. describitur miser capitivitatis status, *Ducent eã pedes sui longe ad peregrinandum.* & c. 26. 6. *Conculcabit eã pes, pedes pauperis, gressus egenorũ.* Si lectionẽ Septua. & peculiares aliorũ interpretũ explicationes adducã, nihil profecto luminis, sed obscuritatis potius rei per se obscuræ videbor afferre. Tantũ repeto, quod initio premonui, videri Latinum interpretẽ aliud exẽplar habuisse, quam nunc legimus in Hebræo codice.

Pes pro itinere & via.

Pauperes non nisi pedites itinera conficiunt

Genes. 33. 10.

V. *Terra, de qua oriebatur panis, in loco suo igni subversa est.*

1. *Aliorum interpretatio parum idonea.*
2. Calor, & ignis *terra nativus ad seminum procreationem.*
3. Subverti, *quid? Sulphur in terra visceribus igneum.*
4. *Sulpur chimicorum.* Ignis *de gẽmis ignitis. Pyritis, Gagatis, Sapphiri natura mirabilis.*

1 Videri potest prima ipsa verborũ species de regione Sodomitica debere accipi, quod Philippo, D. Tho. aliisq; placuit: favetq; Augustini lectio, *Terra, de qua egressus est panis, & eã incensurus est.* Sed de hac interpretandi ratione dicã vers. 5. Tũ hic nõ video, qua ratione cohærere hoc possit cum reliquis sententiis: sicut neq; illa aliorũ interpretatio, quod *tellus, quæ aliquando lætas fruges effundit, postea terræ motu conquassata dehiscat, & tanquam ignis inclusi incendio deflagret.*

Prima aliorũ expositio de Sodomæ conflagratione.

Philip. D. Tho. Nicol. Dionys. Titelm. Augustin. Oserius.

2 Ergo perstat certe Iob in eodẽ instituto, & enumeratione eorũ, quæ occultis terræ visceribus aut eruuntur, aut inveniuntur. Nam quidam agri sunt natura sua frugiferi, quidã igniferi. Et quidẽ nõ de eodem agro, sed de diverso sentẽtiam hanc posse accipi, existimat Nicetas, ita ut duo terrarũ genera proponat, unũ concipiendis, cõprehendẽdisq; seminibus idoneũ; alterum sulphureũ, aut, quod idẽ videtur, fere igneum. Sed fere omnes alii de uno, & eodem terræ genere utrãq; partem accipiendã putant, ut manifeste exigere videntur Hebræa, Græca, & Latina. Sed laborant tamen in explicando hoc *igne.* Quare primo auctor Catenæ sic exponit *ignem* cum *pane* convenire, quod postquã dixit terrã aliã esse auri, aliã argenti, aliã æris, aliã ferri procreatricẽ, nunc addat

Verior, & cohærentior explicatus.

Nicetas.

Varia expositio convenientiæ ignis cum pane.

aliam, quæ suo utero semina cõprehẽdit, & postquã suo calore, quasi igne quodam dissolvit, tunc ad cõficiendum panem spicam progignit. Neque vero omnino incommode *ignis* appellabitur innatus ille terræ calor; nã tum Plato, tũ Aristoteles vivificas illas rerũ naturalium vires, *ignẽ*, appellarunt. Atq; ex eadem etiã caloris ratione rem istã significavit Cicero, *Terra* (inquit) *semen tepefactum cõplexu suo diffundit, & elicit herbescentẽ ex eo viriditatem.*

Ignis appellatione innatus terræ calor.

Plato.
Aristot.
Cic. de Senect.

3 Alii tamen de sulphure accipiunt, sicque miscent, atq; tẽperant cũ *Sulphure panem*, ut proponatur quoddã naturæ miraculũ, quod in plerisq; locis terra, quæ in superficie producit panẽ, in profundo inveniatur materia sulphurea, & vena salsuginis. Sic Isidorus, quod videtur quoq; paraphrasis Tygu. indicasse, *Est*, inquit, *Terra in qua panis provenit, altius autẽ eruta ignẽ exhibet.* a quo nonnihil deflectit Vata. quod scilicet sit terra fertilis, & ferax, *Et quod sub ea est, vertitur in quendã veluti ignẽ, id est arescit, & fit infæcunda.* Quare illud, *sub versa est*, idẽ valebit, quod, *subtus versa*, aut versata, vel, ut in Hebræo est, *subter ea versus est ut ignis*; vel ut legunt Sept. *De subtus ea versatum est sicut ignis.* Et quidẽ hoc etiam mirabile est, quod aliquando terra apertis faucibus repente ignẽ eructaverit, & vel accenso aere, vel ardente, & liquato sulphure flãmas vomuerit. Hęc mihi interpretandi ratio tanquã simplex, & facilis nõ displiceret, si cũ reliquo cõtextu, auri, argentiq; præcedentiũ etiã gemmarum *Sapphiri, & Topazii* cohærere posit. Sed quorsũ nunc inter mirabiles naturę opes gẽmasq; pretiosissimas, respergatur sulphuris odor, & memoria? At inquis nescio quid cõmercii, & affinitatis sulphuri cum gẽmis, cũ auro, & aliis metallis: nã aliquãdo ratione caloris, & sulphuris decoquũtur, & elaborãtur in terræ visceribus pretiosi lapilli, proptereaq; dicũtur etiã Chimistæ, qui metalla & lapides adulterare, aut emẽtiri solent, tanquã familiarissimo instrumento sulphure uti, imo & in plerisq; auri fodinis inveniri sulphur; rursus in fodinis sulphuris inveniri aurũ experientia cõpertũ est. atq; adeo volunt Chimici ad generationẽ sui auri primũ alia metalla converti, & colliquari in sulphur, quod in generatione auri habeat vicẽ viri, & argentũ vivũ, quod habet vicẽ fæminæ. & quidẽ *Sulphuris natura* (ut Plin. ait) *calefacit, cõcoquit & discutit collectiones corporũ.* Indicavit hoc Nicolaus.

Terræ sulphureæ feraces panis.

Isidor. Tygur.
Vatabl.

Varia lectio.

LXX.

Mirabiles ignis e terra eruptiones.

Sulphuris, & ignis, cum gẽmis cognatio.

Plin. lib. 35. c. 15.
Nicol.

Sed paulo clarius Cajetanus, cujus expositio min⁹ est incõmoda, licet una tãtũ voce indicata; *ignis* enim nomine accipit res pretiosas puta in colore, & luce similes ignis, atq; flãmarum: nã calidum, quasi suffocatũ ab aquis, & vapores imis terræ visceribus inclusi digeruntur, vertũturq; in pretiosos lapillos; quod inquit Cajet. in Orientis partibus evenire facile credi posset. Neq; mirũ nomen *ignis* in pretiosos multos lapides convenire, cũ Ezechielis. 28. 14. gẽmæ ipse appellentur, *lapides igniti*; cujusmodi videtur esse Persicus ille Pyrites, *Cujus ignis plurimus est, & facile scintillas emittit*, ut Plin. & Isid. tradunt; *Hic etiã tenentis manum, si vehementius prematur, adurit; propter quod ab igne nomen accepit.* Quid, si cũ de torrẽte, & de fontibus erũpentibus adhuc dixerit, nunc indicet quoq; Iob in ima terra fluminũ, quorundã lapidum, qui in aquis generantur, naturam fere igneã, prorsus mirabilẽ? Nam de Gagate, quẽ Gagates flumen profert, mirũ, quod aqua accenditur, restinguitur oleo! Sic igitur, *terra* dicetur *igni subversa*, cum ignis, luxq; pretiosissimarum gẽmarum subter illã versetur. Nisi forte pro eruendis gemmis dicamus *subverti terrã*, evertiq; montes. Res ergo hęc gemmarum bene cohæret. Si cui videtur explicatio durior, emolliat licet ex sequente sententia: nã & Sapphirus sole repercusso ignescere dicitur, & Carbunculus, qui in tenebris lucet, velut ignis cũ Sapphiro jungitur, Exod. 28. 18. & Ezechie. 28. 13. Quare etiã hic post mẽtionem *ignis*, recte sequitur *Sapphiri*, & aliarũ gẽmarum enarratio.

Cajetani expositio idonea.

La pillorũ pretiosorum generatio.

Ignis de gẽmis.

Pyrites lapis.

Plin. lib. 36 c. 19 & lib. 37. c. 11
Isid. lib. 16. c. 4

Ignei lapides in aquis geniti.

Eligitur ultima expositio ignis pro gẽmis.

VI. *Locus Sapphiri lapides ejus & glebæ illius aurum.*

1. *Terra aurifera.* Sapphirus *aureis pũctis collucẽs*
2. Sapphiri *natura, & plena descriptio ex proprietatibus & colore, etq. significatione arcana. Illustrati Moyses, Salomon, Ieremias.*
3. *Quale ebur antiquum apud Ieremiã. Pulchritudinis descriptio.* Rubens sapphirus. *Regia, & Sacerdotalis gemma. Cur Dei thronus sapphirinus apud Ezechielem.*
4. *Sapphirus Indica, aut Ethiopica optima. Templũ Bachi.*

I Longe sane, meo judicio, abeunt, qui dicunt hoc loco proponi a Iob aliud mutationis rerum exẽplum, quod videlicet terra primũ ferax auri, atq; Sapphiri, aliorũq; pretiosissimorũ lapillorum, postea deseratur etiam ab avibus, & cunctis animãtibus. Nã profecto his omnibus sententiis, Iob exẽpla accumulat rerum pretiosissimarum, quas natura abdit, & procul removet ab humano conspectu; sed

Aliena plurimorum interpretatio.

Germanus cõtextus.

deinde

deinde vel tempus, vel induſtria hominũ profert in lucẽ. *Locus Sapphiri.* Eſt, inquit, terra, & locus, in quo proveniũt Sapphiri, vel, qui Sapphiris, quaſi lapidibus abundat, & *glebæ illius aurũ*; illius (inquã) terræ Sapphiriferę, glebæ auriferæ ſunt, ſive, ut in Hebræo eſt, *pulveres illius ſunt auriferi*: ita ut Sapphiri nõ niſi in terra aurifera inveniantur; Sive de terra alia loquatur, ut Græci volunt; quare lectionẽ Sep. *Agger aurũ ei*, exponit hac ratione Nicet. *Terrarũ aliæ lapides pretioſos gignunt; partim ſunt acervi, & aggeres, e quibus concoctis aurũ procreatur.* Ego manifeſtã fieri alluſionẽ exiſtimo ad Sapphiri naturã; neq; poteſt ex relativis incontrariũ, quicquã certi colligi: nã primũ illud, *ejus*, eſt in Hebręo fęminini generis, ſecundũ vero, *illius*, maſculini. Eſt (inquã) hæc Sapphiri natura, ut videatur aureis pulveribus reſperſa. Nã *Sapphirus* (ut Plin. ait) *aureis punctis collucet.* Rurſus autẽ, cum de auro loquitur. lib. 33. c. 4. ait, *Aurũ in Oriente Sapphiro, aliisq; in gẽmis ſcintillare.* Rurſus lib. 37. cũ de Smaragdo; *Ineſt*, inquit, *ei aliquãdo aureus pulvis, non qualis in Sapphirinis*. Poſſunt igitur dici ipſius Sapphiri *puncta illa, quaſi glebæ*, aut Pulveres *aurei*.

LXX.

Nicetas.

Sapphiri natura.

Plin. lib. 37. c. 9.

Sapphiri prima inter gemmas laus, color, vires, ſignificatio.

2 Sed quoniam ſemel de *Sapphiro* dicere cœpimus, univerſam illius deſcriptionẽ, & præſtantiã, vel ex hoc Iobi loco, & elogio colligere licebit. Cum enim lapillorũ, atq; gẽmarum meminiſſe vellet, *Sapphirũ* primo loco profert, ut ex illa tanquã ex gẽmarum præſtantiſsima reliquas intelligeremus. Et quidẽ Epiphan. *Eſt* (inquit) *gẽma admirabilis, pulcherrima, gratiſsima, propterea etiã in armillis, & monilibus reponi conſuevit, idq; potiſsimũ a regibus.* Quare & quodam *Sapphiri* genus nominat, quod *Regiũ* appellant, aureis punctis variũ. Habere in religione locũ exiſtimarũt antiqui, & cum Phœbo ſacra facerẽt, quaſi rem gratiſsimã cum multo faſtu, & ſuperſtitione oſtẽtabãt, ut auctor eſt Dioſcor. li. 1. c. 146. atq; per *Sapphirũ*, Imperiũ & ſummum Sacerdotiũ ſignificari, quod hæc gẽma cum Iove, & Saturno quid cõmercii habeat, crediderũt. Quare vetuſtus ille Poeta Gallus Marbodæus in ſuo de lapidibus pretioſis enchiridio, *ſacrũ*, vocat.

Q gẽm natura potens tanto ditavit honore,
Vt Sacer, & merito gẽmarũ gemma vocetur.

Sapphirus gẽmarũ præſtantiſsima, primo loco propoſita.

Epiphan. de 12 gemmis.

Sapphirus Regia.

Sapphirus Phębo ſacra.

Franc. Ruel. de gem. c. 2. Petrus lib. 41.

Dioſcor.

Saphirus imperii & Sacerdotii Symbolum.

Marbod. c. 53.

Sed rei hujus rationem ego ad colorẽ cæleſtem refero; eſt enim Sapphirus colore, puriſsimi Cæli ſereni; quale vernum eſt; quẽ quãvis R. Kimhi dicat eſſe *albi & puri coloris*, intelligit profecto eſſe cæruleũ aut cęleſtẽ, ſed dilutum, quẽ nos dicimus, *Turqueſado claro.* Quãquam ſciã *Sapphiros* etiam eſſe *candidos*, quas forte Chimhi, *albas* nominavit. Confirmari tamẽ cæleſtis ille color videtur Exodi. 24. 10. *Viderunt Deum Iſrael, & ſub pedibus ejus quaſi opus lapidis Sapphirini* (per expoſitionẽ additur) *& quaſi cælũ, cũ ſerenũ eſt.* Immo Theodoretus Cant. 5. dixit, *Solam Sapphirũ obtinere cæli ſpeciem, & colorẽ.* Quare cũ ſuam cæleſtẽ laturus legẽ deſcenderet cælo Deus, in lapidibus Sapphirinis illã inſculpſit, ut Hebræorũ traditio fert; quã confirmant Epiphan. tract. de duodecim gẽmis, & Anaſtaſius Nicenus. q. 38. in Scripturam, & Nilus Metropolita Rhodius Diaſirinus tract. *de lapidibus & eorũ theoria*; R. Ioſeph in Paraphraſi Kaldaica, ſuper id Cantic. 1. *Murenulas aureas, &c.* Suidas verbo, *Moyſes.* quod etiã referunt & probant Abul. Exod. 24. q. 16. Nicol. Cajet. Dionyſ. ad finem Exod. 31. unde videtur appellari *Ignea lex*, Deu. 33. 2. nam cum Dominus de *Seir* dicatur *ortus*, quando ferebat legem, verus, videlicet & dilucens quaſi Sol, nõ mirum, quod Divinæ faciei radiis & ſplẽdore tabulæ repercuſſæ igneſcerẽt. Nam Sapphirus, Piropi inſtar, Sole illuſtratus igneſcere, & ſcintillare dicitur, ut indicat Philonius Epiſcopus, & R. Aben. Eſra in id Cantic. 5. *Venter ejus eburneus diſtinctus Sapphiris*, & Rabanus in gloſſa, Apoca. 21. ubi de duodecim gemmis. Et hæc, quod ad religionẽ, & cæleſtẽ colorẽ pertinet.

Sapphiri color cæleſtis.

R. Kimhi.

Theodoret.

Lex deſcriptã in Tabulis Sãpphirinis.

Epiphan. Anaſt. Nicen. Nilus. D. Tho. R. Ioſeph. Suidas. Abulenſ. Nicolaus. Cajetan. Dionyſ.

Philonius. R. Eſra. Rabanus.

Quod ad Regalẽ dignitatẽ, & Imperiũ, ex ipſo etiam colore facile perſpicitur, quippe cæleſtis ille color mirabiliter cum purpura (regali omnino ornamento) conjunctus eſt. Nã licet Plinius duo videatur genera diſtinguere, *cæruleũ* alterũ, alterũ vero *purpuraſcens*, nam inquit, *cæruleæ Sapphiri, raroq; cum purpura*; neq; aliũ, quam *cæruleum ſplendorẽ, qui recreet fatigatos oculos*, agnoſcere videatur Nyſſen. ſuper id Canti. 5. 14. *Venter ejus eburneus diſtinctus Sapphiris*; At vero Iſidorus Sapphirum refert inter gemmas purpureas, cæruleũq; ſemper conjungit cũ purpura; *Sapphirus* (inquit) *cæruleus eſt cũ purpura habens pulveres aureos ſparſos; apud Mædos optimus, nuſquam tamen perlucidus.* Et ſemper purpuraſcere, illã præſertim, quæ optima, & pretioſiſsima eſt, Epiph. quoq. c. 5. his verbis docere videtur; *Sapphirus gẽma purpu-*

Cæruleus Sapphiri color cũ Regia purpura dilutus.

Plinius.

Nazianz.

Iſidor. lib. 16. c. 9.

Epiphan.

raſcit, ut ſpecies Blattæ, id eſt, purpuræ nigræ; multa ejus ſunt genera, eſt enim Regius aureis punctis varius; non eſt vero hic in tãta admiratione, quãta ille, qui prorſus purpuraſcit. Imo purpurei tantũ coloris meminerunt Anaſt. Nic. q. 28. in Scripturã, & Nilus Metropolita Rhod. ſuo tractu de lapidibus.

Anaſtaſius. Nilus.

Confirmariq; poteſt ex illo loco Thre. 4. 7. *Rubicundiores ebore antiquo, Sapphiro pulchriores.*

3 Nã deſcribit eo loco Nazaræorũ pulchritudinẽ, & ſplendoré ſimilé eboris antiqui, atq; Sapphiri, propter eãdem rubentis cum ſplendore ſpeciẽ; nõ quidem, quod *ebur antiquũ* rubeſcat; nam palleſcit potius. atq; ita Plin. lib. 8. c. 3. ait, *Dentium candore intelligi juvẽtã elephantis; nã ſenibus palleſcunt dẽtes*: ſed quia priſcis ſæculis ad pulchritudinẽ, ebur tingebatur purpura. quare ex hac ipſa ſimilitudine deſcripſit Aeneæ pulchritudinem Poeta;

Ebur antiquũ palleſcat ne, an rubeſcat?

Ebur purpura tingi ſolitum.

Virg. 1. Aene.

Reſtitit Aeneas, claraq; in luce refulſit,
Os, humeroſq; Deo ſimilis; nãq; ipſa decoram
Cæſariem nato genitrix, lumenq; juventæ,
Purpureũ, & lætos oculis adflarat honores.
Quale manꝰ addũt ebori decus, aut ubi flavo
Argẽtũ, Parius ve lapis circũdatur auro.

Sed clarius, cum Laviniæ lachrymantis faciem pingit,

11. Aenei.

- - - - - Cui plurimus ignem
Subjecit rubor, & calefacta per ora cucurrit,
Indum ſanguineo veluti violaverit oſtro
Siquis ebur; vel miſta rubent ubi lilia multa
Alba, roſa.

Huic ſplendẽti rubori reſpõdet ſtatim *Sapphiri* purpuraſcentis *pulchritudo, Sapphiro pulchriores*: ſicut enim purpureus color cũ illo cæleſti Sapphirino cõjũctus, ac multa luce dilutus pulcherrimus eſt, ita etiam cũ prius candorem Nazaræorũ deſcripſiſſet, *cãdidiores nive, nitidiores lacte*, Sapphirinã purpurã, & eboris ruborẽ ſtatim ſubjiciens, miræ pulchritudinis ſpeciẽ ex cãdore & rubore tẽperatã depingit. Qualé & Poeta tũ illa eboris tincti, tum aliis ſimilitudinibus expreſsit;

Pulchritudinis periphraſis, & laus.

Ovid. 2. Am.

Quale coloratũ Tithonia conjuge cælum.
Subrubet, aut ſponſo viſa puella novo.
Quale roſæ fulgent inter ſua lilia miſtæ,
Aut ubi cantatis luna laborat equis.
Aut quod, ne lõgis flaveſcere poſſit ab annis
Mæonis aſsiduum fæmina tinxit ebur.
Hic erat, aut aliquis color ille ſimillimꝰ horũ

Rubet ergo, ut redeamus ad rem noſtrã, Sapphirus: immo purpuraſcit regali honore, & dignitate. Quare myſterio nõ vacat, quod cũ per ordinẽ Apoc. 21. duodecim gẽmę, pro *duodecim fundamẽtis* portarũ civitatis Ieruſalẽ diſponãtur, in quibus eſſent *nomina duodecim Apoſtolorũ Agni*, ſecundũ fundamentũ ſit Sapphirus: quod videlicet Petro, qui poſt primũ Andræã vocatus eſt, ſummo ſane Sacerdoti, imo & Regale Sacerdotiũ gerẽti reſpondeat.

Sapphirus in duodecim gẽmis reſpõdẽs Petro.

Propterea ex Sapphiro repræſentatur Ezech. c. 1. 26. Dei Thronus; *Aſpectus lapidis Sapphiri, ſimilitudo throni.* nã ſi cæleſtis color cũ purpura cõjũgatur, quid poteſt ad cæleſtis Regis majeſtatẽ ſignificandã cõmodius dici, aut repreſentari? Igitur recte cõcludit ille Sapphirũ regibus dignã;

Cur Dei Thronus ſimilis Sapphiri.

Marbod.

Sapphiri ſpecies dignitas aptiſsima regum,
Egregium fulgens, puroq; ſimillima cælo.

Vbi tãdẽ invenitur terrarũ Sapphirus optima, ex hoc itẽ capite colligo; nã quãvis apud Mædos pretioſiſsimã inveniri ſcribunt Iſidor. Marbod. Franc. Rueus, & alii; at cũ hic potiſsimum de opibus Indiæ, & Aethiopiæ agat Iob, ut ex verſ. 16. cõſtat & ex. 19. profecto cõjectura eſt, nõniſi de Sapphiro Indica, aut Aethiopica loqui. Quare & hujuſmodi Sapphiros prẹſtare, ſcribit Epipha. *Quo circa, inquit, ajunt apud Indos tẽplum extructum Baccho extare, quod gradus ex Sapphiro trecẽtos ſexaginta quinq; habeat. Quãvis multi fidẽ non adhibeant.* Idẽ quoq; Anaſtaſ. Nicen. *Naſcitur* (inquit) *in India, & Aethiopia.* Et Nilus Metropolita ſuo itẽ tractatu. Sed jã de Sapphiro ſatis.

4 Vbi proveniat optima Sapphirus.

Iſido. Marbod. Rueus.

Epiphan.

Anaſtaſ. Nilus.

☙ VII. *Semitam ignoravit avis, neq; intuitus eſt eam oculus vulturis.*

1. *Aliorum interpretationes parum cohærentes.*
2. *Germana expoſitio.* Ignorare *quid? Montes auriferi ſteriles.*
3. Ophir, *quæ regio. Aurum erutum a Leonibus, cuſtoditum a Gryphibus. Gryphes fabuloſi.*
4. Vultur *quid proprie? Pica varia. Milvini, &* Vulturini oculi.
5. *Accipitris cum auro Symphatia. Lapis Heracleotes. Accipitrũ in deligenda inſula mira induſtria*
6. *Potius ſententia ad Sodomiticã regionem accõmodatio. Sodomæ peculiaria quædam.*
7. *De paradiſo interpretatio Kaldæi minus cõmoda.*

ILla (inquit) loca lapillorum, atq; gemmarum feracia, impervia ſunt, & inacceſſa ipſis avibus, neq; eo cõtingit perſpicaciſsimꝰ oculus vulturis. Græci per hãc *Semitã ignoratam avibus*, intelligunt metallicæ artis rationẽ, neq; vulturibus, quarũ eſt acies acutiſsima, ut etiã e ſublimi regione illa cernãt, quæ jacẽt in profundo, nec ceteris itẽ volucribus, animãtibusve exploratam Deus eſſe voluerit, ſed tantũ homini. Sed non video quid in hac expoſitione, & ſenſu multũ cõferat ad Divinę potẽtiæ, & ſapientiæ deſcriptionem. Vatab. ſuã illã continentẽ interpretationem

1

Vatab.

ſequitur

sequitur de rerum mutatione,ita ut terra aut regio aliqua primũ avibus aliisq; animantibus familiaris,postea ab ipsis volucribus deseratur , & perpetua solitudine inhorrescat. Alber.D.Tho.Dion.& Latini alii,quod cũ ejusmodi regiones,aut loca gẽmifera, & aurifera frequẽter sulphurea sint , sulphureosq; vapores exhalent alitibus noxios,nunquamvolatu suo illas regiones pervagantur.

Alber D.Thom. Dionys. Titelm.

2 Sed illud est simplicius,magisq; cohærens, ut ex eo auctoris naturæ sapientiã cõmendet Iob,quod hujusmodi regiones auro,gẽmisq; locupletes,herbarũ,atq; arborũ adeo sint steriles,ut neq; nidificãdo cõmoditatẽ præbeant avibus,neq; viã expeditã viatoribus,neq; pastum alicui animãti.ideo *semitã illius ignorat* , nõ agnoscit,nõ experitur,nõ probat *avis:neq; intuetur*,nõ convertit se ad illã *oculus vulturis*. Sic Plin.dixit,*Hispaniæ mõtes aridos , sterilesq;,& in quibus nihil aliud gignatur, tantũ eruẽdo auro fertiles esse*.Atq; hoc loco Phil. *Lapides pretiosi,sive aurũ non in optimo terræ calculo inveniri dicuntur , sed in remotis vel maxime,& squalidis ariditate regionibus*.

Simplicior, & cohærẽtior explicatus.

Terra sterilis aurifera.

עיט

Plin.lib.33.c.2.

Hispaniæ sterilitas locuples.

Philipp.

3 Si vero cui placeat de aliqua peculiari & quasi digito monstrata regione sententiã accipi oportere,certe non omnino absonant ab eo, quod quidã nõ mali auctores cẽsent Ophir fuisse terrã auro affluentẽ,aureisq; mõtibus plenã, in quorũ summitatibus multũ fuerit auri a leonibus,& Gryphibus erutũ,simulq; custoditũ.Hæc fere scribit Abulẽ. Gen.10.pro quo citat Rabanũ,super li. Reg.& quidẽ invenitur ejusmodi testimoniũ in Glossa ordinaria quæ creditur esse Rabani.3.Reg.9. ubi etiã rem eandẽ probat Nicol.videlicet Ophir esse regionẽ in India,in qua sint mõtes auriferi , inhabitati a leonibus, & bestiis sævissimis; qua propter nemo audet eo accedere,nisi prope littus parata,& cõsistẽte navi;atq;tunc tẽporis,cũ credũtur fere vagari extra domicilia.Ergo qua possunt celeritate, terrã effossam leonũ unguibus in naves imponunt,quã postea excoquunt, & purissimũ inde aurũ eliciũt.

Ophir, ubi Gryphes aurum erutũ custodiãt.

Abulen.

Rabanus.

Nicol.

Sed quia sequẽte sententia asseritur *nõ trãsire* per regionẽ *leæna*,cõmodiorest rei fere hujus narratio ex Solino,qui de Gryphibus , qui leonino sunt corpore , facie & alis aquilinis , hæc scribit.c.19. *In Scythia*(inquit)*terræ sunt locupletes , inhabitabiles tamen;nã cũ auro,& gẽmis affluãt,Gryphes tenẽt universa,alites ferocissimæ, & ultra omnẽ rabiẽ sævientibus. Quarũ immanitate obsistente , advenis accessus difficilis,ac rarus est: quippe visos discerpãt,velut genti ad plectẽdã avaritiam.Arismaspi cũbis dimicãt, ut intercipiant lapides , Smaragdos videlicet, quibus ille locus patria est*.Similia fere scribit Põp.Mela lib.2. atq; ante hos Plin.li. 7. c. 2. Sed res de Gryphibus a viris Sapientibus fabula creditur Plin.li.10.c.49. Arria.lib.5.gestorũ Alex.Nicol.Perot.& Angelo Decẽbrio.pa.68. videndus quoq; Philost.lib.3. de vita Apol.Pausa.in Attic. Aelian.lib. 14.c.11. Matthias Michov.in Sarmatia Asiat . Quare præstat illud de terra sterili, ipsis etiam avibus inaccessa?

Solinus,

Gryphes in Scithia.

Pompon-Mela. Plinius.

Arrian.Philost. Pausa. Aelian. & alii fabulam censentes rẽ Gryphium.

Sed de *oculo vulturis* nõnihil dicendum, cur illius potissimũ hoc loco mentio fiat. 4 nã,*Ajah*,quæ avis sit,fatetur Cajet.se ignorare,quãvis Vulgatus Interpres *vulturẽ* verterit ; & in universum viri docti, & Hebraicę linguæ periti existimant nomina propria aviũ,animaliũ,lapidũ, locorũ periisse ab Hebræorum scientia,& memoria.Et licet quidẽ Hieron.hic & Levit.11 14.Deut.14.13. *vulturẽ* vertat; at R.David,*Picã*,interpretatur,sicut etiã R.Mar. idemq; sequutus hoc loco Algarbiensis Episcopus, rationẽ simul exponit,ob quã *Picæ* avis mentio fiat; *Est*(inquit)*locus ille oculis etiã Picarũ,quæ auro gaudẽt,prorsus incognitus*. Sed hæc Picarũ auri cõcupiscentia nõ videtur bona alicujus auctoritate fulciri; nisi forte *picas* appellet,quos *Gryphes* esse veteres Latini voluerũt , ut Nonius scribit, de quibus nuper dicebamus, atque eo quidẽ nomine Plautus quoq; in Aulu.dixit.

איה

Cajetan.

Nomina propria rerũ Hebręis ignorata

Hieronym.

R.David. R.David.

Osorius.

Picæ auri concupiscentes:

Nonius. Plautus.

Picos divitiis,qui aureos montes colunt,ego solos supero.

Idẽ omnino Pagn.intelligit transferẽs *avẽ variam*,vel a vario, & incerto volatu, vel a varietate plumarũ,& colorũ; nã est quæ peculiari nomine *Pica varia*, & *Caudata* appellari solet , & Albert.præsertim hanc *Picæ* varietatẽ *ex albo, & nigro colore* facit.*Sed in cauda niger color splẽdescit in viridẽ cũ Saphirino permistũ* . Alii originalem vocẽ vertunt,*Milvũ*; quod etiam indicavit R.Mard.& hoc loco Tygur.Neq; dissentit visus perspicacitas,quæ *oculi* nomine indicatur;nam sicut Vulturini,ita etiã & Milvini oculi in proverbio sunt . Sed quorsum nũc potius meminisse deberet Iob,*Milvi*,quam Aquilæ,cũ in eo perspiciendi genere,*Milvus* non excellat maxime ? *Vulturẽ* autem, ut & Vulgatus, vertunt Sept. sed quorsum?Respõdit Titel. quod *vultures*,qui fętentiũ cadaverũ odore delectari,& allici solent,etiam terram illam auriferam quidem , sed tamen sulphuream a longe odorantes, non audent propius accedere.

Pagnin.

Pica varia.

Albertus.

R. Mardoc. Tygur.

Titelm.

5

In re ambigua conjectura aliqua.

Ego certe, quod ingenue fatear, nihil invenio, quod mihi facere abunde possit. *Vulturis*, accipitrisve (nã idem genus est avium rapacium, & aduncorum rostri, & ungium, ut Aelianus ait, *Varium & multiplex genus*) cũ auro peculiare aliquid Sympathię & cognationis habet, ut ex Aeliani verbis. lib. 14. c. 17. quod de *Accipitre* est, facile constabit; *Os* (inquit) *tibiæ illorum, si ad aurũ admoveatur, sic ipsum illecebra quadam mirabili ad se allicit, quemadmodum Heracleotem lapidem sua vi prædicant quasi præstigiis, & captionibus ferrum adse attrahere.* Forsan igitur inest *Vulturi*, accipitrive auri quærendi insita vis, & propensio. Sed esto ita sit, quid illud de *oculo*? An fortead illam ipsam accipitrum naturam respicit hæc Iobi sententia, quam Aelianus quoq; scribit de *Accipitribus Tinnunculis*? *Ineũte*, inquit, *vere delecti ex omnibus duo in AEgyptum allegantur ad speculandas insulas quasdam desertas, quæ Libiæ adjacẽt. Ii autem ubi reverterint, præeuntes eo alios deducunt, quibus duobus cæteri peregre illius profectionis festum agunt, cum ad eas insulas pervenerunt, quas illi duo speculati commadiores sibi indicarunt. Hic in multa quiete, & tranquillitate pariunt, & excludunt, passeresq; & columbas venantur: pullos cum magna redundantia alunt, deindeque firmos ad volandum in AEgyptum abducunt, tanquam ad paternas sedes* Quia igitur id genus vulturũ, & rapaciũ avium montes auriferos, sed tamen alitũ vitæ sustinendæ incõmodos, minime invisit, aut cõsiderat missis speculatoribus, congruenter dicetur, regiones illas *nõ intueri oculum vulturis*. Atq; eo melius hujus conjectura expositionis quadrabit, quo etiam cum nomine originali melius convenit, nam, *Ajah*, volunt aliqui deduci a voce, *I*, præcedente Aleph, quod est insula, aut a plurali, *Iim*, insulis. Vt videatur de vulturibus insularum speculatoribus loqui.

Aelian. lib. 4. cap. 14.

Vulturis, & Accipitris idem genus, & utriusque varium

Accipitris, & Auri Sympathia.

Peculiare Accipitribus Tinnunculis.

Cap. 15.

איח
אי
איים

6

An de regione Sodomorum hæc res accipienda.

Illud quæstionem hoc loco habet, an de peculiari aliqua terra, regioneve loc⁹ hic accipiendus sit? Nam ipsa prima verborũ species sic suadere videtur. Et quidem de regione Sodomorum continẽter has omnes sentẽtias interpretatur Philip. a vers. 5. nam fuit quidem Sodoma terra *de qua oriebatur panis*, id est, valde frugifera, valdeq; fertilis, ut constat Ezech. 16. 49. *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ, Sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius, & filiarum ejus.* & ex Genes. 13. 10. *Loth vidit omnẽ circa regionem Iordanis, quæ universa irrigabatur antequã subverteret Dominus Sodomã, & Gomorrhã, sicut Paradisus Domini, & sicut AEgyptus venientibus in Segor.* Hæc igne subversa est, cum pluit *Dominus ignem, & sulphur de Cælo in Pentapolim*, Gene. 19. Locus præterea *Sapphiri, lapides ejus*; quod in Sodomis *uberrima fuerint omnia, & optima quæq; etiam auro, & pretiosis lapidibus cõparanda.* Tum præterea *Semitã ignoravit avis. Quoniam exitus* (inquit Philippus) *plurimas in eadẽ regione multitudo habitatorum fecerat; & ideo præ frequentia hominũ non fuerit avibus copia semitas intuẽdi, vel illic residendi. & quia condensis fructetis consita essẽt tota regio, ut eam aves desuper volantes despicere non possent.* Tum etiã quod sequitur, *Non calcaverunt ea filii institorum*, quod cum fuerit Sodoma omnibus bonis referta, *nullius patriæ eguerit mercimoniis; & ideo negotiatores ad regionẽ nullius rei indigã negotiandi gratia nunquã venerint.* Hæc fere omnia paucis demptis ex Philippi interpretatione. Sed meo judicio, hoc incõmodi habet hæc interpretãdi ratio, quod non videatur cohærere, cũ reliqua oratione, ubi de naturæ rebus mirabilibus sine ulla impiorũ supplicii cõmemoratione instituta est. Quod si quis contendat hoc loco fieri mentionẽ Sodomiticæ regionis, nõ tã propter suppliciũ ignis, quã propter mirabilẽ soli naturã, & fertilitatem, atq; auri, gemmarum, universarumq; opum abundantiam, certe sine ratione id affirmabit, cũ regiones, quę auri, lapillorumq; ferraces sunt, rerũ aliarum frequenter sint steriles, ut ex Plinio supra diximus. Illud etiã obest, quod Philippus cogitur non cum proprietate, sed cum translatione duriori nonnullas hujus loci sententias interpretari.

Philipp.

Sodomorum abundantia, & terræ opes.

Præcedentis sententiæ judicium.

7

Ionathæ interpretatio.

Ad longe aliã, longeq; feliciorẽ regionem Kaldæus respexit, videlicet ad *Paradisum Edẽ*, & sicut vers. illũ. 5. vel de Sodomitica regione, vel de alia quapiã mirabiliter interpretatur, Nã inquit, *Terra, de qua egrediebatur cibus, & sub ea est gehenna, cujus nix frigida convertitur in similitudinem ignis*, ita sequentes sententias de Paradiso accipit, *Et paradisus* (inquit) *voluptatis est locus, cujus lapides sunt Sapphiri, & pulveres aurei sunt ei, semitã arboris vitæ nulla scivit avis, neq; intuitus est eam oculus vulturis: non ambulaverunt in ea filii leonum, nec declinavit ad eã leæna.* Hęc quoq; interpretatio eodẽ, quo præcedens laborat incõmodo, neq; mihi magis, sed minus probatur, quod hęc sit paraphrasis Ionathæ Kaldæi, qui fuit filius, ut ajunt, Vzielis, & auditor cujusdã Hillelis, nã in multis locis plane delirat, dignus profecto, qui sæpe deleatur: legaturq; frequenter a nemine.

Parentes, & paraphrasis Ionathæ.

VIII. Non calcaverunt eam filii inſtitorũ: nec trãſivit per eã leæna.

1. Filii ſuperbiæ, in ſacro ſermone qui?
2. Inſtitores, qui. *Avaritia conjuncta cum leonina feritate. Explicatus David.*
3. Inſtitor non *ſolum mercator apud Vlpianum. Explicatus Salomon.*
4. Leæna *quid propriè.*

1
Varia lectio.

SIcut velocibus, ita etiã nunc quadrupedibus, hominibusq; impervia dicit illa eadem loca. Sed in vocibus hujus ſententiæ nonnihil varietatis & difficultatis. Nã quos hic Vulgatus dicit, *filios inſtitorũ,* infra. c. 41. verſ. 25. vertit, *filios ſuperbiæ,* ſicut etiã hoc loco Sept. legunt, *Non calcaverunt eã filii ſuperborũ.* Qui ſint autẽ, *ſuperbiæ filii,* Nicetas exponit, *immanes, ac vaſtas belluas;* idẽ Vatab. Tygur. *Feras.* Pagn. *Beſtias rapaces;* ſicut etiã c. 41. per *filios ſuperbiæ,* videntur intelligi Cete, ac Balenę, aliæq; marinæ belluæ deprædatrices piſciculorum imbecillorum. Kaldæus, *filios* quoq; *leonũ* legit, videturq; ſic poſtulari a particula ſequenti, *leæna.* Sed Hieron. *inſtitores,* dixit, quibus ad aurũ, & res pretioſas conquirendas nullus eſt locus difficilis, aut inacceſſus; nulli perſpicaciores vulturũ oculi, nullus extremorum finium terræ, aut ſolitudinis ſcrutator diligẽtior. Hi ergo cũ propter pecuniã & opes ſuperbiant, recte vocari poſſunt, *Superbiæ filii;* & cũ iidem frequenter venditatione ſuorũ mercimoniorũ exugant ſanguinẽ pauperum, & deprædẽtur aliorum facultates recte quoq; dici poſſunt, *Filii leonũ.* Deniq; & avaritia, & ſuperbia cũ belluina inhumanitate & feritate conjuncta eſt. Quare ubi Septuag. Pſal. 33. 10. dixerunt, *Divites eguerunt, & eſurierunt;* Hieron. ex Hebræo dixit, *Leones indiguerunt.* Alii; *Leunculi penuria, & fame laborant.* videlicet, *Leones juniores, qui valent viribus, id eſt rapaces homines qui potentia ſimiles ſunt leonibus.* Vides igitur, quam ſit elegans, quãq; gravida ſenſu, & ſententia Vulgati interpretis lectio?

Filii ſuperbiæ
Nicetas.
Vatab.
Tygur.
Kaldæus.

2
Inſtitorum diligentia, & aviditas.

Mercatorum avarorum ſuperbia, & inhumanitas.

LXX.
Hieronym.
Tygur.
Vatab.

3
Inſtitor quis proprie dicatur.

L. Inſtitor. D. de inſt. act. & l. cuicumque cod. tit.

Sed ut illud etiã perſpiciatur, quã latinus ſit Interpres Latinus, certe cum, *filios inſtitorum,* dixit, illos ſignificavit, non ſolum qui mercaturã faciunt, aut *negotio gerendo, vẽdendo, emẽdove præpoſiti ſunt, & inſtant;* ſic enim inſtitorẽ definit Vlpianus; ſed illos, qui mercatura faciẽda, & diſtrahenda, varia loca circuunt. Quare idẽ Vlpianus ex Labeonis ſententia; *Illos etiã inſtitores dicẽdos placuit, quibus veſtiarii, vel lintearii dant veſtẽ circũferendam, & diſtrahendã, quos vulgo circitores* (alias, circuitores) *appellamus.* hos nos, *Corredores,* vocamus. addit deinde. *Sed etſi tabernarius ſervum ſuũ peregre mitteret ad merces comparãdas, & ſibi mittẽdas, loco inſtitoris habendũ Labeo ſcripſit.* Quare eleganter noſter Interpres vim *Latinæ,* atq; Hebraicæ etiam vocis aſſequutus eſt, cum Proverb. 31. 14. dixit; *Navis inſtitoris de longe portans.* ubi alii; *Navis circumeuntis,* nã *Sabbar,* eſt proprie circuire, deinde per tranſlationẽ, negotiari, aut mercaturã exercere, propterea quod mercatores circuire regiones ſoleant. Quare *inſtitor,* aut mercator ex vi nominis idẽ valet, quod circuitor, aut circitor. Igitur illa erit loci inacceſsi exaggeratio, quod eo nõn apulerint *inſtitores,* qui ex ſuo nomine, & officio circuire univerſas regiones ſolent.

Peritia omnium linguarũ in Latino interprete.
Regia.
שחר

4
Varia lectio
שחל

Nec tranſivit *per eã leæna.* Pleriq; *Leonem,* legunt. Septuaginta. Pagnin. Vatabl. Cajet. Reg. Tygur. *Leopardus.* Alii vocem originalem, *Sabbal,* vertũt, *Pantherem,* aut, *aſpidem.* Sed de diverſæ naturæ Leoninæ appellationibus, atque de hoc ipſo nomine diximus fuſe cap. 4. verſ. 10.

IX. Ad ſilicem extendit manũ ſuam, ſubvertit a radicibus mõtes.

X. In petris rivos excidit, & omne pretioſum vidit oculus ejus.

XI. Profunda quoque fluviorum ſcrutatus eſt, & abſcondita in lucem produxit.

1. *Harum ſententiarum dilucida paraphraſis.*
2. Quid ſilex. *Aurum adhærens marmori.* Extẽdere manũ, *cujus habitus. Explicatus locus Iudicũ.*
3. Subvertere *quid. Nihil avaritiæ aut induſtriæ humanæ reſiſtens.*
4. Profunda fluviorum *ſcatentia pretioſis rebus. Varia lectio.*
5. Flere, *&* fluere *aſſinia.* Vallis lachrymarum *quæ apud David.*
6. *Varia lectio induſtria humana in comprimendis fontium ſcaturiginibus.*

1
Lucida harum ſententiarũ paraphraſis.

EOdem etiam tres iſtæ ſententiæ pertinẽt. Cum Sapphiri, gẽmæq; aliæ, & glebæ auri, multaq; pretioſa metalla tam remota ſint ab humano conſpectu, tamq; abdita in locis inacceſsis, tamẽ Deus ſuã ſapientiã homini impertitus eſt, qua nullum nõ terrę angulum, locũq; perſcrutaretur, nullamq; non viam & rationẽ inveniret, qua proferrentur in lucẽ, atq; ex ſolitudine

litudine ad urbes, & civitates, humanosq; uſus evocarentur: ſive illa ſub ſaxoſis mõtiũ radicibus, tãquã in theſauris recõdita laterent; ſive ſilicibus, & ſaxis, marmoribusq; duriſsimis, intra ſuas venas adhæreſcerent, ut ſolent auri, & pretioſorum metallorũ glebæ, & grana; ſive in profundo fluminũ, ut gẽmæ ac pretioſæ margaritæ, ad quas inveſtigãdas, oporteat in multos rivulos flumina maxima diducere, demerſa deliteſcant. Hæc fere eſt horũ verſiculorum ſententia. Sed minutatim de ſingulis.

Verſ. IX. Ad ſilicem, &c.

2 הַלָּמִישׁ

AD *Silicem*. Ad montem ſiliceum, ſaxoſum, ut ſtatim in ſecunda parte exponitur; quod Deut. 8. 15. vocat, *Petram*, & Deut. 32. 13. *Saxum duriſsimum*. & iterum Iſai. 50. 7. *Petram duriſsimã*. & quidem cũ re de auro, & metallis ſemel inſtituta egregie convenit; nã aurum, metallave alia ſaxis, & marmoribus adhæreſcentia effodiũtur. *Quod puteis* (inquit Plinius) *foditur, canalitiũ vocant; marmoris glareæ inhærens; hi venarum canales per marmor vagantur, & latera puteorum*. Et ſtatim, cum de montibus ad auri inveſtigationem ſubcavatis agit; *Occurſant in utroq; genere ſilices; hos igni, & aceto rũpunt. Sæpius vero, quoniam in cuniculis vapor, & fumus ſtrangulat, cædũt fracturis C. L. libras ferri terrã urgentibus, egerũtq; humeris, noctibus ac diebus per tenebras proximis tradentes*. Hi igitur *ad ſilicẽ extendunt manus ſuas*, aut quod idẽ eſt, Deus dicitur *ad ſilicem manus extendere* in eruẽdo auro, cum aurũ conjunxit ſua Providẽtia cum ſilice, docuitq; hominem ſilicẽ rumpere ad eruendum aurum. *Extendere* autẽ, aut *mittere manũ*, habitus eſt ſtrenue ſe accingentis, & manum admoventis operi. Dicitur vero ipſa *manus mitti*, quaſi nuntius, qui mittitur mandatũ aliquod perfecturus; videtur enim manui demandari aliquid operis; ut illud Iudic. 4. 26. *Siniſtram manũ ſuam miſit ad clavum, & dexteram ad fabrorum malleos; percuſsitq; Siſarã*, q. d. ſuis manibus demãdavit negotium hoc, quod illę ſtrenue perfecerũt. Sic Deus, aut homo Divina Sapientia inſtructus *mittit manum ſuam*, cum quidpiã operis, etiã difficillimi aggreditur, & perficit.

Plin. lib. 33. c. 4.

Extendere manum cujus habitus.

Manus perferens mandatũ rei perficiẽdæ.

3 הָפַךְ

Et ſubvertit a radicibus montes, vertit, invertit, evertit, convertit iterum; nam verbum *Haphac*, ſignificat quod Latinũ, *vertere*, cum omnibus ſuis compoſitis. Quare etiam indicari poteſt, quod induſtria humana aliquãdo transfert, & vertit in aliũ locum impoſitas radicibus montium moles, & ageres maximos, ut fundamenta, in quibus ſubſidere ſolent metalla, perſcrutetur; & ſaxa duriſsima cõminuit, ne quid avaritiæ, aut induſtriæ reſiſtere poſſe videatur. Hæc illa ipſa eſt Senecæ quærimonia; *Majores noſtri ſpe ducti montes ceciderunt, & in eos demiſerũt ſpecus, in quos nullum noctium dierũmq; perveniret diſcrimen*. Vide, quæ diximus ſuperius verſ. 3. n. 6. ſuper, *Lapidem caliginis*. & verſ. 4. nu. 3.

Montiũ everſio ad eruendum aurum.

Seneca. lib. 6. Nat. qq. c. 15. Vid. etiam lib. 5. c. 15.

Verſ. X. In petris, &c.

IN *Petris quoq; rivos excidit*: Docet Divina Sapientia quomodo rivos excidat humana induſtria. Sed quorſum? Vata. & Iſid. ut cũ vult, faciat exũdare totã regionẽ, ita ut aquis ſubvertatur, cũ tamẽ quid quid pretioſum eſſet, antea cerneretur in ea regione. Sed merito hæc exponẽdi ratio multo ante ab aliis præmeditata, non placuit auctori Catenæ. D. Thom. Nicol. Dion. quod vel terrę motu diſciſſe rupes, & montes locũ, & viã præbent novis fluminibus; aut quod Divina Sapiẽtia, & Providentia inter mediũ montiũ ſaxeorũ excidit, jã inde a prima mũdi origine, viam & tranſitũ ingentibus fluminibus; nã *inter mediũ montiũ pertranſeũt aquæ*. Vtraq; iſta expoſitio non cohæret, nunc enim nõ de elementis, aut eorum mirabilibus; ſed de miſtis, & mineralibus ſermo inſtitutꝰ eſt, ac necdũ abſolutus. Illa ergo Nicetæ optima videtur ſentẽtia, & explanatio; *Quãtum ipſe opinione conſequi poſſum, non fontes quærẽs aquarũ homo ſilicibus ferrũ admovet, monteſq; evertit, ac ripas fluviorũ perfringit*; ſed cum aut venas aureas, aut argenteas, aut etiã quẽpiam *aliã metalli materiã, aut gẽmas curioſius perveſtigat, tunc perfodit mõtes, & ima flumina perſcrutatur*. Ergo *in petris rivos excidere*, erit exciſsis rupibus, & mõtibus petroſis ingẽtia flumina in multos rivos diducere, atque quoquo verſus detorquere, ut alveũ perſcrutari, & pretioſa quæq; in profundo latẽtia contemplari, & eruere poſsit. Propterea enim ſubjungitur; *Omne pretioſum vidit oculus ejus; profunda quoq; fluviorũ ſcrutatus eſt, & abdita in lucem produxit*. Quare hunc locum ex Hebræo proprie legit Pagn. *E ſilicibus rivos erũpere fecit*. Sept. *Gurgites fluminũ dirupit*. Aug. dilucide; *Ripas fluminũ dirupit*. Theodotio; *Munitiones*, aut, *munimenta*. Symmach. *fluenta*, aut, *alveos fluentorum*.

4

Vatab. & Iſidorus.

Nicetas. D. Tho. Nicol. Dionyſ.

Pſal. 103. 10.

Nicetæ interpretatio optima.

Pagnin.

LXX August. Theodotio. Symmach.

Verſ. XI. Profunda quoque, &c.

QVid igitur fluminũ curſu impedito, & impetu in multos rivulos didu- 5

ſcto,

ſicto, atq; exareſcente alveo, conſequens fit, ſtatim explicatur, cum dicitur: *Profunda fluviorum ſcrutatus eſt.* Septuag. *Altitudines fluminum revelavit.* Eleganter Nice. *Nihil intentatum relinquit homo, ſed quæcũq; in aquis oblitescunt ſive ob acre conquirendi ſtudium, ſive ob divinitus conceſſam ſapientiã in ejus notitiam incurrerunt.* Sed noſtræ lectionis, ſimulq; Hæbraicæ, quæ longe inter ſe diſsidere videntur, ratio breviter reddenda eſt. Nã ex verbo legitur; *A fletu flumina ligavit.* Vatab. *A fletu flumina coercet*, id eſt, *flumina ſiſtit, quæ erumpere ſolent e motibus.* vel ut Pagninus exponit; *Ne ſtillarent flumina, ligavit.* Cajetanus ſenſu eodẽ, ſed lectione non nihil mutata; *A perplexitate flumina ſtrinxit.* Perplexitatẽ vocat, multitudinem confluentium aquarũ, quas humana induſtria reſtringit, obturatis ſcaturiginibus, aut alio divertit, & detorquet. Sed multo melius, multoq; elegãtius, dicitur, *a lachrymis*, vel, *a fletu*, nã, *Bacab*, flere eſt, flere autem, & fluere, affinia ſonitu, & re; nam flentes, & lachrymantes oculi manant calidis aquis, inſtar fontiũ, & ſcaturiginũ fluviorum. Cujus trãslationis rationem tenuit David Pſal. 83. *Beatus vir, cujus eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lachrymarũ in loco, quem poſuit.* Primo cortice, de voto aſcendẽdi in templum Ieruſalem, per viã licet æſtuoſam, & aridam, in qua multas ſcaturigines, & puteos excavabant, ne peregrini aſcendentes in templum præ ſiti æſtuarent, & deficerent. Quare *vallẽ lachrymarum*, aut, *vallẽ fletus*, appellat vallẽ puteorum, & ſcaturiginũ ſtillantium, inſtar flentiũ, & lachrymantiũ. Quare Hieronymus legit; *Tranſeũtes in vallem fletus fontem ponent eã.* Sed quia hujuſmodi ſcaturigines collachrymãtes, & ſtillãtes, erũ pere fere ſolent in profundo fluminum, ideo lachrymas, & fletus fluminũ eleganter, & dilucide Interpres dixit, *Profunda fluviorum.* Similiterq; vertit infra c. 18. 16 *Numquid ingreſſus es profunda maris? &c.*

LXX. *Nicetas.* *Hebraicæ lectionis cũ Latina conciliatio.* *Vatab.* *Pagninus.* *Cajetan.* בכה *Flere, & fluere affinia.* *Cur dicta vallis lachrymarum.* *Hieronym.*

6 Hujuſmodi autẽ ſcaturigines, aut fluẽta *ſcrutari*, aut *revelare*, ut dixerunt Septuag. vel *perveſtigare*, ut dixit Theodotio, dicitur in Hebræo, *ligare*, aut circũvolvere, inſtar chirurgi, faſciis, & linteolis. Quare aliqui legunt, *flumina faſciavit*, quod nihil aliud videtur eſſe, quam perveſtigatis, aut revelatis hujuſmodi ſcaturiginibus, obturare omnes vias, quaſi appoſitis lapidibus, aut ceſpitibus, aut linteis, vel pannis, quibus aquæ ductus, & canales obturari ſolent. Quare, ſicut chirurgus, vulnera, & ſanguinem fluentem ſiſtere ſolet ligamentis, & faſciis adhibitis; ita etiam divina Sapientia hominem docuit rationem, & artem, qua perennes ſcaturigines comprimere poſſit, aut, ut ita dicam, ſanare; nam ſicut chirurgus qui ligat vulnus curare, & ſanare dicitur, ita etiam qui obturat ſcaturigines, & terræ hiatus, illos dicetur ſanare. Hoc igitur erit, guttas, vel lachrymas fluminis ligare. Nam quod Tygurina dixit; *E guttis flumina colligit*, videlicet quod ex guttis undiq; ſtillantibus, & in certum locum influentibus, fluvios in terræ faciem elicit, multaſq; res ſub terram abſconditas in lucẽ profert; Hoc (inquam) neq; bene cohæret cum lectione Hebræa; neq; cum antecedentibus, & ſequentibus; ubi continenter ſermo eſt de metallis, & terræ opibus abditiſsimis, quę in lucem tandem proferuntur. Hanc autem partem ultimam ſignificanter Septuaginta legerunt; *Oſtendit virtutem ſuam in lumine*, id eſt, hac productione rerum abſconditarum in apertum, & lucem, tum oſtendit Deus, teſtaturque mortalibus, quantum ipſe virtute, atque ſapientia polleat; *tum*, ut ait Nicet. *Homo ipſe gratiam, atque vim ſibi datam divinitus, facit inſignẽ.* Quis vero ſit harum omnium ſententiarũ finis, & ſcopus, dicet ſtatim Iob.

LXX. *Theodotio.* חבש *Regia.* *Deus inſtar chirurgi comprimens fluentes ſcaturigines.* *Tygur.* *LXX.* *Nicetas*

XII. Sapientia vero ubi invenitur? & quis eſt locus intelligentiæ?

1. *Vera ſentẽtia, & finis totius capitis elucidatio.*
2. *Quid* Sapientia, *&* Intelligentia. *Scientia practica. Explicatus Moyſes. & Salomon.*
3. *Divina Providentia participatio, Sapientia humana.*
4. Sapientia terrena *quæ? Interrogatio ubi de re difficili. Explicatus Iacobus.*

Rerum, inquit, divinarum, quæ in theſauris continentur ſapientiæ, & ſciẽtiæ Dei, multo difficilior inveſtigatio, atq; inventio eſt, quã eorum omnium quæ in terræ, aut maris theſauris deliteſcunt. Tum etiã præmia illa ſpiritualia, multoque corporis divitiis & voluptatibus præſtantiora, quæ ſunt a Deo ſupremo judice probitati & virtuti propoſita, non cuivis patent, neq; induſtria humana obtineri poſſunt. Quare fruſtra vos, o amici, ſanctitatem metimini opibus atque divitiis. Ego vero ſi Sapientiæ, quæ cum vera religione, veraq; pietate conjuncta eſt, compos fiam, ſatis me beatum exiſtimabo, & lętus in futurorum præmiorum ſpe exultabo, & gloriabor. Nam errat profecto cælo toto, qui Divinam ſapientiam, Divinæque bonitatis participationẽ in terra potiſsi-

1 *Dilucida hujus ſententiæ, atque ſequentium paraphraſis.*

potissimum, non in cælo provenire existimat. Hæc nisi fallor est hujus sententiæ, atq; totius Sapientię laudationis scopus & finis, ut initio capitis admonuimus.

2 חכמה בינה

Sapientia practica.

Sapientia vero ubi invenitur? Eædem voces *Sapientiæ*, & *Intelligētiæ* hoc loco, quæ in fine capitis, atq; idem profecto significant: videnturq; ad opes & praxim referri, & ad rectam rationem agēdorum, quæ sapientia practicæ vel tota, vel potissima ratio est. Quare Psal. 104.21. hęc ipsa originalis vox vertitur *Prudentia*; *Vt erudiret principes ejus, sicut semet ipsum, & senes ejus prudentiam doceret*. id est, constitutus est Ioseph a Pharaone reliquorum Senatorū præses primarius, quos tum in pietate, tū in recta administrandi regni ratione instrueret: &, ut elegāter ait Theodoretus, *non verbis solum utens, sed etiam operibus in ipsam pietatem trahebat*. Quare Exod. 3.3. dicitur de Beseleel; *Implevi eū spiritu Dei, sapientia, & intelligentia, & scientia in omni opere ad excogitandū quidquid fabrefieri potest, &c.* *Intelligentia* vero est ab alia radice, & similiter vertitur, *Prudentia*, Proverb. 14.33. affertq; certum quodā judicium, atq; intentionem considerantē, aut expendētem quid, qualisve res aliqua sit, aut esse oporteat. Quare illud Psal. 49.22 *Intelligite hæc, qui obliviscimini Deū*, id est, pōderate, & cōsiderate, quid facto opus sit, &c. Quare etiā affert peculiare quodam lumen ad intelligendum; ut res non jam videatur per nebulam, sed juxta sua merita, & dignitatem consideretur. sic. 3. Reg. 2. vertitur *intueri* diligentius; *Intuēs clara luce; deprehendi, &c.* & supra Iob. 11. **Videns iniquitatem, nonne considerat?* intelligit, pōderat pro dignitate. Atq; hæc illa Sapiētia, quā postulavit, & adeptus est Salomon, utraque ista voce originali exposita. 3. Reg. 3. *Postulasti tibi sapientiam* (quę hic dicitur *intelligentia*) *ad discernendū* (recte exequendum) *judcium. Ecce dedi tibi cor sapiens, & intelligens*. ubi utraq; vox originalis. Qui hanc sapientiam postulat, divitias nō postulat, quippe rē longe diversa; *Sed & quæ non postulasti, dedi tibi, divitias, &c.*

Ioseph Cācellarius in curia Pharaonis.

Theodoret.

בין

Intelligentiæ practicæ vis, & proprietas.

* Dios que lo ve, lo conoce, y sabe apreciar en lo que merece.

3

Varia interpretatio hujus sapientiæ occultæ.

Ex hac igitur utriusq; vocis proprietate non difficile elicitur, quid per *Sapientiam*, & *Intelligentiam* intelligi debeat. Licet enim aliqui, ut Nicetas ait, *Sapientiā* hoc loco interpretentur, *rationes opificis, quibus mundus condidit, ac moderatur Deus*; Dionys. Alexand. rerum creatarū cognitionem, aut vero istam ipsam sapientiam eruendorum metallorū, aut excogitādorum artificiorū; At certe *Sapientia* hæc, & *Intelligentia*, est recta agendi ratio; quæ si in Deo consideretur, est suprema lex, & regula totius honestatis, & æquitatis illius Providentia, & potissimum quidem erga res humanas, atq; erga hominū opera justo aut præmio, aut supplicio afficiēda. Si vero consideratur in homine, aliquid Divinum, & ab illo participatū, quo homo recte, & juste agit, habetq; se sancte erga Deum, & homines; atq; huc pertinet, quod Methodius ait, *Pietatē, atque Religionem vocatam esse sapientiam, rē plane Divinam, atq; ab uno Deo precario concessam hominibus. Quo circa* (inquit) *principio idem Deus partim visis, partim angelorum consuetudine atque congressu, partim divinorū vatū opera ad pietatē homines erudivit*. Quare tū de *Sapientia* ipsa, & rerum divinarū cognitione, tū de sanctitate & Divinę naturæ participatione, & similitudine, elegans æque, ac verum est, illud Sapientiæ elogium apud Plutarchū, initio libri de Iside & Osiride; *Qui sapiunt* (inquit) *iis omnia bona sunt, a Diis immortalibus petēda, maxime autem cognitionem Deorum, pro captu humanæ naturæ consectantes, ab ipsis petimus nobis eam concedi, quia neq; majus homo accipere, neq; dignius dare munus homini Deus potest, veritate. Reliqua quippe non sibi propria, & peculiaria Deus homini largitur, neque enim argentum & aurū Deo beatitatem, neq; tonitru, & fulmen vim parat, sed scientia & prudentia*. Cum enim illa vitæ, & morū similitudo, & *incorruptio nos faciat simillimos Deo*, qui illam sapiētiam imitandi Deum, habet, & Divinam Sapientiam habet, & Deum peculiare ratione, & familiari scientia cognovit. Hæc illa precatio Moysi; *Ostende mihi viam tuam* (ut ingrediar vitæ actionib⁹, & pietatis exercitio) *ut sciam te*. sciam mores tuos meis repræsentare, & adumbrare. Ridet igitur Deus *qui scire vias illius vellent, & tamen judiciū Dei sui derelinquerent*. Ridet item, potius increpat, quod *suus populus illum non intellexerit*; id est, animi affectum, & bonā gratiā, debitumq; obsequium nō reddiderit, perinde ac si illum non novisset.

Dionys. Alex.

Sapientia Divina in Deo, & homine, quid.

Methodius.

Sapientiæ, & pietatis eloquim.

Plutarch.

Sap. 6.20.

Exod. 33.13.

Isai. 58.2.

Isai. 1.3.

Vbi observandū est, quod cum dicitur *Sapientia non inveniri* inter pretiosissimas gēmas, atq; metalla, in ullisq; terræ angulis, aut maris penetralibus, plane asseritur esse *Sapientia* ista *de sursum*, longeq; diversa ab illa, *quæ terrena est, animalis, diabolica. Terrena*, inquā, quod terræ opes concupiscat, sicut *animalis*, quod voluptates. *Diabolica*, quod honores. *Terrena* ergo *Sapiētia*, vel inter illas ipsas res superius memoratas invenitur; vel inter ipsas terre- 4

Iacob. 3.21.

Terrena Sapiētia, ubi inveniatur.

nas

nas divitias nascitur & nutritur. Sed quoniam hujus Divinę Sapientiæ encomium minutatim Iob persequitur; nunc de ista *Sapientia* non plura. Id tantũ, quod sapiẽter observat Philip. quod hic modus interrogandi, *Vbi invenitur? & quis est locus?* indicat rem difficilẽ, *& quod nisi Deo demonstrãte neq; inveniri possit ab homine, nec haberi.*

Philipp.

Interrogatio de re difficili.

XIII. *Nescit homo pretium ejus, neque invenitur in terra suaviter viventium.*

1. *Vera sapiẽtia quibus ignota Baruch, & Ecclesi.*
2. Pretiũ *quid proprie. Sapiẽtia cũctis præponẽda*
3. Terra viventiũ *quid? Explicatus David.*
4. Vitæ suavitas *quæ? Illustratus Vulgatus.* Sæculũ præsens *quid? Illustrati Ioannes & Paul.*
5. *Cũ divitiis conjuncta vitæ suavitas. Qui* ablactati a lacte *apud Isaiam. Voluptas inimica Sapientiæ.*

1 ידע NEscit, Hebraice de præterito, *Nescivit*, nõ *cognovit*, non est expertus, id est, rẽ hanc pretiosissimã inter lapides, aliaq; pretiosa metalla non invenit; nemo ex his terrenorũ bonorum pervestigatoribus, & conquisitoribus in illã incidit. nõ enim videtur loqui de omnibus in universum, sed de his, qui tantũ de sensibilibus judicant; ut ex Baruch. 3. aperte hic locus explanari potest; ubi cũ de Sapiẽtia, Prudentiaq; similem sermonẽ instituisset, *Vbi sit prudentia, ubi sit Virtus, ubi sit intellectus?* Subjecit statim, ignotã *esse principibus gentium, & qui dominantur super bestias, quæ sunt super terrã; qui in avibus Cæli ludũt; qui argentũ thesaurizant, & aurũ, in quo cõfidũt homines; qui argẽtũ fabricãt, & solliciti sunt; Chananæis etiã, Themanitis, & Agarenis, qui exquirunt prudentiam, quæ de terra est.*

Quibus ignotus Divinæ sapientiæ thesaurus.

Quare non omnino plane interpretãtur, qui vim hujus locutionis in eo tãtum ponunt, quod significetur (ut etiã Philip. interpretatus est) sapiẽtia timoris Dei inæstimabilis esse, eo quod tã magna sit, ut quãtum sit ejus meritũ penitus homo ignoret. Gregor. argute quidẽ, & subtiliter, quamquã non valde juxta phrasis exigentiam, dixit, nescire pretiũ ejus, idem esse, quid nihil habere, aut invenire dignũ æstimatione illius. q.d. *No sabe con q̃ poder cõprarla.* Septuag. *Non novit homo viam ejus.* q.d. Aberrant tota via, toto cælo, qui cupientes ditescere, terram, mariaq; perscrutantur; cum *fons sapientiæ sit in excelsis, & ingressus illius* (via, quæ ad illam ducit) *mandata æterna.* Vide hoc primũ caput Ecclesiastici, vbi idem fere argumentum disseritur. Quare subjicitur, *Radix sapientiæ cui revelata est, & astutias* (agẽdi actiones exquisitas) *illius quis agnovit? Disciplina Sapiẽtiæ cui revelata est, & manifestata, & multiplicationẽ gressus illius quis intellexit?* Q. d. nemo sane ex his, qui de terra sunt, & de terra sapiunt, & loquuntur.

Cajetan. Philipp. Gregorii arguta expositio. LXX. Ecclesi. 1. 5.

2 ערך *Pretium ejus.* Aquila proprie dixit ordinẽ; nã *gharac*, proprie est, *ordinare*, aut *disponere*. sed eleganter dixit Interpres, *pretiũ*; nam secundũ gradum, & ordinem, in quo res aliqua cõstituitur, illius pretium cognoscimus, & æstimamus. Quare proprie etiã legeremus hoc loco, *Nescit homo appretiationem*, vel, æstimationẽ ejus. Atq; huc etiã reducitur illa significatio *disponendi*, nã legere possemus, *Nescit homo dispositionẽ ejus*; quia cũ res disponuntur, ordinem servant. Ergo qui primo loco sapientiã istam non quærunt, neq; cæteris opibus præponũt, ita ut *primũ* illam, atq; *regnũ Dei quærant*, isti certe ordinẽ illius plane ignorant. vide Proverb. 8. *Vbi Sapiẽtia præponitur cunctis opibus pretiosissimis, & omnibus desiderabilibus, auro, & lapidi pretioso, & argento electo.* Quare inferius. vers. 33. eadẽ Sapientia monet, *Audite disciplinam & nolite abjicere eã.* Vbi eleganter Paginus, *ne postponatis eã.* q.d. ne retro illã conjiciatis, quasi rerum ordinẽ invertentes, illi aliquid minus dignũ præponẽtes. sic enim exigit verbi proprietas. פרע

Pretium, pro ordine, & gradu rei alicujus.

Ordinem rerum invertentes, qui primo non quærunt regnum Dei. Matth. 6. 33.

3 *Neq; invenitur in terra suaviter viventiũ.* id est, Non est de hoc mundo, ut pote cujus origo immortalis sit, de cæloq; petẽda. *Terra* autẽ *viventium*, terra est habitata mortalibus; Sic David spe firma concepta, nõ prius se aut in mortẽ, aut in manus hostiũ perventurum, quam regno potiretur, dicebat Psal. 26. 13. *Credo videre bona Domini in terra vivẽtiũ.* Quare eleganter Septuag. explicarunt Hebraismum, legentes, *Non est inventa in hominibus.*

Terra viventium communis habitatio. LXX

Sed quare Interpres addidit illam particulã, *suaviter*? an quod ea sapientia inimica sit carni, & voluptati? Quare qui *suaviter vivunt*, illam aversantur. An, ut *vivẽdi* vim peculiarem, & rationem explicaret, quã in ipsa *vitæ* ratione latere existimabat? videlicet, *vivere* quasi vitę tantum indulgẽdo, nihil de morte; aut de his, quæ post mortẽ manent, curando. Hi sane nõ solũ *suaviter vivere*, sed in hoc tantũ mundo vivere censeri possunt; nã qui *carnẽ suã crucifixerunt*, mortui sunt, & vita *illorum abscondita est cum Christo in Deo.* quare & dicuntur a Paulo, *Erepti de præsenti sæculo nequã.* quasi diceret, de medio sublati, & vitam istam, quæ videtur, non viventes.

Cur interpres aliquid interpretatione addiderit.

Vita, & vivere in cõmuni dicta ad voluptates.

Vitæ præsentis amatores. Galat. 5. 24. Galat. 1. 4.

Quare

Vitæ hujus cõtemptores, instar mortuorũ

Quare etiam, quorum Sapientia ipſa ſupremi Patris, Pater eſt, ut quos in *novam vitam*, novamq; ſpem *regeneravit*, hi dicũtur eſſe non de hoc ſæculo, ſed de futuro; nam ille dicitur, *Pater futuri ſæculi*, Iſaiæ. 9. 6. quamvis in hoc ipſo ſæculo adhuc degant; & ideo cum ipſe Chriſtus Ioãnis 18. 36. dixit; *Regnum meum non eſt de hoc mundo*, non dixit, Non eſt hic; ſed, *Non eſt hinc*. An etiam ideo dixit, *Suaviter vivere*, ut indicaret illos omnes divites, de quibus ſermo erat, & qui conquirendis divitiis, eruendisque pretioſis metallis, atq; lapidibus intenti ſunt, vel hoc ipſo divitiarum nomine male audire, ut qui vitæ ſuavitates, & voluptates conſectentur; proptereaq; lõge abſint a vera ſapientia? Vide Amos. 6. ubi cum divitiis nimius luxus, atq; laſcivia cõjungitur. & Iſaiæ. 28. Vbi *vinum*, & *ebrietas*, *lac*, & infantiles omnes delitiæ cum inſigni ſtultitia, & ignorantia conjunguntur, nam voluptatis ſtudium videtur reddere animum ineptiſsimum ad veram ſapientiam, verumq; de rebus judicium: non enim vult Deus *docere ſcientiam* pueriles iſtos animos, non minus deliciarum conſectatores, quam ſi eſſent etiam nunc lactentes, aut recenter *ablactati a lacte*, nuperq; *avulſi ab uberibus*. Sapienter & graviter Seneca; *Aſpice Nomentanum, & Apicium terrarum, ac maris bona conquirentes, & ſuper menſam recognoſcentes omnium gentium animalia. Vide eoſdẽ e lectis ſuis ſpectantes popinam, aures vocum ſono, ſpectaculis oculos, ſaporibus palatum, mollibus, lenibusq; fomentis totum corpus laceſſentes. Hos eſſe in voluptatibus dices; nec tamen illis bene erit, quia non bono gaudent. Ego nego quemquam poſſe jucunde vivere, niſi ſimul & honeſte vivat*. Vbi alia plura de Sapientiæ, & virtutis voluptate. Quare ſtulti vocãdi ſunt *divites*; *qui hic habent conſolationem ſuam*: quia, ut hoc loco inquit Gregorius, *tanto verius ſtulti ſunt, quanto majora perdentes in minimis lætantur*. utilia præterea multa hoc loco Gregorius. Illud ex Aegyptiorum ſapientia addam, exiſtimantium ſane a vitæ voluptatibus, & pingui cuticula longe alienam eſſe veram ſapientiam; nam, ut Plutarchus de Iſide & Oſiride refert, ſolebãt Sacerdotes Iſiaci dari Api bovi, quem colebãt, potum ex quodam peculiari puteo, non ex Nilo. *Non quod Nili aquam prophanam arbitrarẽtur Crocodili cauſa (ut quorũdam ferebat opinio) nihil enim eſt æque apud Aegyptios, majori in honore, atque Nilus. Sed quia ejus aqua pota creditur pinguedinem, carniſq; magnum efficere incrementũ. Non volunt autẽ Apim pinguem eſſe, & multa carne obeſſum, ut nec ſe ipſos quidem, ſed animis volunt levia, atque gracilia circumdata eſſe corpora, ne Divina pars a mortali prematur*. Hæc illa pars eſt, in qua Sapiẽtia, reſidet. Et cum Iſis apud illos ſit eadẽ, quæ Minerva, ſacerdos Iſiacus illum ſignificat, ut ipſe Plutarchus definit, *Qui ea, quæ circa deos monſtrantur, & aguntur, legitime percipit, ratione ſcrutatur, & inquirit eorum veritatem*. Adde etiam, & qui rectam agendi, & vitæ inſtituendæ, omniſque pietatis ſervandæ rationem a Deo percipit. Tantum hoc, ut teneas ubi *invenire* Sapientiam poſsis, ac nuſquam *in terra ſuaviter viventium*, accipe hæc ſigna; *Altum quoddam eſt Sapientia, & virtus excelſum, regale, invictum, infatigabile, nec ſatietatem habet, nec pœnitentiam, immortale. In templo invenies, in foro, in curia, pro muris ſtantem, pulverulentam, calloſas habentẽ manus*. Porro ne tibi imponat illa, quæ invenitur *in terra ſuaviter viventiũ*, Voluptas, ex his notis illam diſcernes; *Frons ipſa ad malam ſpem invitat, humile, ſervile, imbecillum, caducum, cujus ſtatio, ac domicilium fornices, & popinæ ſunt, circa balnea, ac ſudatoria, ac loca ædilem metuentia, mollis, enervis unguento madens, fucata, tam bonis, quam malis obvia, per riſum furens*. Senec. de vita Beat. cap. 7. 8. 12.

Cur dicatur Christus Pater futuri ſæculi.

Cum Divitiis voluptatũ studium conjunctum frequenter.

Voluptas inimica ſapiĕtiæ.

Senec. de vit. Beat. c. 11.

Luc. 6. 24.

Gregor.

Plutarch.

Sapientiæ inveniendæ signa.

Seneca.

Voluptatis notæ.

XIIII. *Abyſſus dicit, Non eſt in me, & mare loquitur non eſt mecum.*

1. Abyſſus. & Mare, *metonymicos. Proſopopœja.*
2. Abyſſus *quid in Sacro ſermone. Explicati Moyſes, & David.*
3. *Maris Theſauri, & alia commoditates. Illuſtrati moyſes, Ezechiel, & Salomon.*

1

QVamvis aliis in locis loca ipſa metonymicos accipiantur pro habitatoribus locorum; quo etiam modo Philippus, *abyſſum, & mare*, hoc loco accipi ait pro his, quæ in locis vel mundi, vel infernorum ſunt: ſed quidem elegantius, & congruentius eſt, ut per illuſtrem Proſopopœjam, inducat elementa quaſi de *Sapientiæ* domo, & ſede rogata reſpondere, ſuperiorem illius naturam eſſe, quam quæ ex elementis originem trahat; aut in locis illis inveniri poſsit, in quibus natura ſuas opes, theſauroſque recondidit.

Metonymia.

Philipp.

Proſopopœja

2

Abyſſus. Cajetanus exiſtimat *abyſſum* eſſe aerem; idque, ut ſuo ordine colligat ternarium numerum elementorum, aerem, aquam, terram. Sed apud Cajetanum

Cajet.

תהם

Abyssus quid proprie. tanum plus fortase nunc valet illa enumeratio, quæ Philosophię servire potest, quam verbi propria, & genuina significatio, quæ Sacre intelligētiæ necessaria est. Namque *abyssus*, quantumvis (ut Hebræis placet) voraginem, & sine fundo, profundum significet, nunquam pro aere reperitur, nam semper datur profunditati aquarum; quæ cum plurimæ sunt, propter copiam, & obscuritatē, *vorago* dicitur; aut ut alii volunt, nomē habet a tumultu, & fremitu, quem efficiat aquarum cōmotio, & semper ad aquarum profunditatē, vel ad terrę partes profundiores, & opertas aquis pertinet, atque adeo e regione opponitur superiori, & aereæ regioni. Genes. 49. 25. *Benedicat te benedictionibus cæli desuper, benedictionibus abyssi deorsum.* Ps. 106 26. *Ascendunt usq; ad cælos, & descendunt usq; ab abyssos.* Atque in universum *abyssus* ad mare pertinet, vel profunditatem, aut copiam aquarū. Quare recte dixit Theodoret. Ps. 103. *Humidam naturam abyssum Sacræ litteræ nuncupant.* & August. *Omnis aqua diffusa per maria, & per flumina, & per antra quoq; occulta, abyssus dicitur.* Sed ut aliqua ratione distinguatur a mari (de quo statim) certe *abyssum* nunc profunditatē fluminū intelliget, ut illi respondeat quod nuper dixit, *Profunda quoq; fluviorū scrutatus est, & abscondita in lucē produxit.*

Theodoret. Augustin. Abysses, non pro maris, sed pro fluminum profunditate.

3 *Et mare loquitur.* Simili oratione mare dixit, & serio affirmavit non esse apud se; cum enim mortaliū industria non potuerit exhaurire mare, neq; ejus profunditatem ita penitus scrutari, ut quæ in illa latēt, proferre potuerit universa in lucem, certe requiritur hac de re maris ipsius firmum, verumq; testimoniū, Sapientiā non concrescere, neq; procreari inter margaritas, & uniones, neque inveniri ab urinatoribus posse. Quamvis autem nō nemo existimet ideo *abyssi, marisq;* fieri hoc loco mentionem, propter tanta, tamque varia quæ in profundo monstra, & animātia generantur, inter quæ nemo Sapientiā invenit; sed multo certius, cōgruentiusq; illorum mentio fit propter recōditos rerū pretiosissimarum thesauros, qui vel in mari sunt, vel per mare advehuntur. quo videtur pertinere illa Zabulonis Benedictio Deut. 33. 19. *Inundationes maris, quasi Lac suggent, & thesauros absconditos arenarum.* ubi Septuag. legunt; *Divitiæ maris lactabunt te, & emporia maritimā habitantiū.* Quod simplicius legit Theodoret. *Divitias maris suggent, & mercaturam habitantium juxta mare.* Onkel⁹. *Facultatē populorum comedent, & thesauri, qui abscōditi sunt in arena revelabūtur eis.* ubi utrumq; maris beneficium significatur. quāvis Genes. 49. 13. alterū tantum navigationis, & negotiationis potissimum indicari videtur; *Zabulon in littore maris habitabit, & in statione naviū pertingens usq; ad Sydonem.* Fereq; similis ex mari abundantia, & opulētia indicatur Ezech. 31. 4. ubi de Rege Assyriorum; *Aquæ multæ nutrierunt illū, abyssus elevavit eum.* ubi quamvis describatur sub arboris figura cōsitæ juxta perennia fluēta, tamen per *multas* illas *aquas*, & *abyssum* recte Hieronymus intelligi existimat opes, atq; divitias. Huc etiā illud pertinet, quod ubi *mulieris fortis pretiū*, dignitasque describitur Prov. 31. 10. dicitur fere eadē loquēdi phrasi; *Mulierē fortē quis inveniet? procul, & de ultimis finibus pretiū ejus.* q. d. de intimis, ultimisq; maris, terræq; recessibus; videlicet propter uniones, & margaritas, quæ in terræ visceribus, marisq; profundo inveniri solent. Quare ex Hebræo legitur; *Distans a margaritis pretiū ejus.* vel ut dilucide dixit Tygurina; *Mercem habet gemmis procul petitis pretiosiorem.* Septuag. autem: *Pretiosior est lapidibus pretiosis.*

Osorius. Maris thesauri, & commoditates. LXX. Theodoret. Onkelus. Aquæ, & abyssus symbolum divitiarum. Hieronym. Pagnin. Tygurina. LXX.

XV. *Non dabitur aurum obrizum pro ea, neque appendetur argentum in cōmutatione ejus.*

1. *Sapientia superior terrenis opibus. Pecuniæ respondent omnia. Illustrati Salomō, & Mathæus.*
2. Aurum obrizum *quid?* Inclusum, & Inclusura *quid in Sacro sermone. Explicatus locus Regum, atque Ieremiæ.*
3. Commutatio *quid. Pecunia ponderari solita.* Pondo *apud Latinos.*

1 Videtur quasi occurrere tacitæ objectioni; Esto quidē nō reperiatur Sapientia inter pretiosa metalla, cæterū undecumque habeatur, aut undecumq; proveniat, cōparari poterit pretio auri, aut argenti. Si ita esset, certe numerari jam posset inter terrenas opes; sicut enim, ut est in Proverbio Hispano, *Oro es, lo que oro vale*; ita etiam videtur in auro, & argento numerari debere, quod auro, aut argento cōparari posset. propterea enim a Sapiēte dictum est; *Pecuniæ obediunt omnia*; vel ut est in originali; *Argento obediunt*, vel, respondent; eo quod ad sonitum, vel tinnitum pecuniæ, præsto adest, quasi vi cōpulsum, & evocatum ab ultimis finibus quidquid latebat, & quidquid desiderat dives. Sed respondet Iob, *non dari aurū obrizum* pro Sapientia, vel quia non Eccles. 10. 19.

ſit expoſita venalis, vel quia emendæ, & cõparandæ non ſatis ſit quodcumq; auri pondus, & copia; quaſi per hypallagẽ dicat: *Nõ dabitur ea pro auro.* Imo hoc eo mirabilius, quod quo plus quis habet argẽti, & auri, minus habeat Sapientiæ, & plus ſtultitiæ. Quare ſi alicujus rei cõmutatione emi poſſet Sapiẽtia, certe non tam cõpararetur divitiis, quam paupertate. unde Sapiens ſubſannãs ſtultũ, Prov. 17. 16. *Quid prodeſt,* inquit, *ſtulto habere divitias, cũ Sapientiã emere nõ poßit?* Quod ex Hebręo legi poteſt; *Quorſum pretium in manu ſtulti, ut emat Sapientiã, cum cor non ſit illi?* Nã cæleſtis hæc *Sapientia* non tam multis divitiarum impenſis, quam ſtudioſo quodã & bene ad virtutem, & pietatem animato corde indiget. Quæ ſententia eadem videtur cum illa; *Quid prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur: aut quam dabit homo cõmutationem pro anima ſua?*

Paradoxum, quo plus eſt auri, minus eſſe, quo ſapientia cõparetur.

Sapiẽtia paupertate acquiritur.

Matth. 16. 26. Marc. 8. 36. Luc. 9. 25.

2 *Aurum obrizum.* Vox, *Obrizi,* non eſt originalis, ſed eſt aliud nomen auri, quod *obrizũ* appellari ſolet, unde forte hoc auri epithetum in hunc locum tranſlatũ eſt. de quo ſuo loco dicendum. Sed hic tamẽ ſubeſt aliud auri nomen, videlicet *Cegor,* a radice *çagar,* quod eſt, *claudere,* vel, *includere,* aut, *concludere.* unde aliqui ſimpliciter vertũt, *Aurum,* ut Pagn. & Vatab. alii, *Aurum mundum,* ut Cajetan. alii, *Aurum puriſsimum,* ut Complutenſes; *Ob id dictũ quod aurum clauditur, & cuſtoditur firma cuſtodia,* unde 3. Reg. 6. 10. dicitur, *Operuit illud auro puriſsimo.* quod in Hebræo dicitur, *Auro çagur;* & ab aliis dicitur, *Auro concluſo.* Hoc vero nomine hoc loco Tygur. intelligit in univerſum, *quod in theſauris concluſum habetur.* A Septuag. autem ex proprietate vocis, dicitur, *Non dabitur concluſura pro eo.* Quod Auguſt. legit, *Nõ dabitur aurum pro ea incluſum.* Nicetas vero, *pecuniam* ipſam intelligit, propterea quod tuto illam claudimus. Sed ego tamẽ hoc peculiari *auri* nomine, ſive *clauſuræ,* aut *concluſuræ,* ſignificari exiſtimo aurum optimum, atq; puriſsimum. Cũ enim ex Iſid. tria ſint auri genera, *factũ, infectũ, ſignatũ;* intelligo nõ ſignatum in pecunia, neque infectũ; ſed factum, & artis beneficio expurgatum ab omni ſcoria, & cælatũ, formatumq; in pretioſiſsimæ alicujus coronæ, monilis, aut torquis figuram; propterea q; *clauſura,* aut *concluſura* dicatur, vel aurum incluſum, clauſumve, quod circularis illa torques, aut coronæ figura undiq; clauſa ſit, aut quod caput, collumve cingat, & claudat. Ad hanc rem illa mihi nõ levis conjectura eſt, quod nomẽ *Incluſoris,* ab hac ipſa claudendi radice, *Magger,* ſit nomẽ artificis, 4. Reg. 24. 14. *Nabuchodonoſor tranſtulit omnem Ieruſalem, & univerſos principes, & omnes fortes exercitus, decem millia in captivitatẽ, & omnem artificem, & incluſorem,* ubi licet Kaldæus, *incluſores,* intelligat eſſe cuſtodes urbis, aut janitores, quaſi clauſores portarum: & alii velint eſſe *incluſores* caſtrorum, id eſt, homines caſtrametandi, rerumq; bellicarũ peritos; Complutenſ. vero, interpretẽtur *Theſaurarios, qui includant, & ſervant aurũ reſque pretioſas,* qui apud Iſaiam dicuntur *Præpoſiti domus,* at profecto nomen eſt artificis. Quare ſemper cum *artifice* conjũgitur, bis hoc capite, & Ierem. 24. 1. *Fabrũ, & incluſorem.* & iterum c. 29. 2. *Faber, & incluſor de Ieruſalẽ.* Quare *Incluſor* erit, cælator aurarius, vel argentarius, qui vel gẽmas auro, vel argento includit, vel coronulas, aut torques aureas facit, quibus capita, collaq; geſtantium includantur. *Clauſuræ,* autem dicitur Exod. 25. 11. etiam, *corona,* & 3. Reg. 7. 29. dicitur *coronula,* atq; ibidem eædẽ ipſæ appellantur, *Sculpturæ,* verſ. 24. Videlicet opus ſculptoris, & incluſoris. Quare quod Noſter dixit, *Aurũ* & Septuag. *Concluſuram,* eſt quidem, *Concluſura* aurea, vel pretioſiſsima torques incluſorio opere confecta, de auro puriſſimo, digna theſauro, atque cuſtodia.

סגור

סגר

Pagn. Vatab. Cajetan. Complut.

Auri nomẽ a cuſtodiendo.

Regia. Tygur.

LXX.

Auguſt.

Nicetas.

Iſidor. lib. 16. cap. 17.

Aurum factũ cur dicatur cõcluſum.

Incluſores, qui.

מסגר

Chaldæus.

Complut.

Neq; appendetur argentum in cõmutatione ejus. Eodem modo accipiendũ, quo ſuperior pars, videlicet * *non poſſe appẽdi argentum in cõmutatione Sapientiæ,* aut quia non exponitur Sapiẽtia venalis, aut quia pretioſior, & gravior eſt omni argenti põdere. Quod autẽ *cõmutationẽ* dixit Interpres, ſolet idẽ dicere, *pretium,* Deu. 23. 18. 2. Reg. 24. 24. 4. Reg. 12. 4. quia medio pretio fit unius rei cum alia cõmutatio. Ipſo autẽ *cõmutationis* nomine dicitur Pſ. 43. 23. *Vẽdidiſti populum tuũ ſine pretio.* quod ſtatim exponitur, aut potius repetitur, *Et nõ fuit multitudo in cõmutationibus eorũ.* id eſt, non multo pretio, ſed vili vẽdidiſti populum tuũ, & ſingulos fere Iſraelitas cõmutaſti nõ pro multis, ſed pro uno argẽteo. *Non appẽdetur,* non ponderabitur in trutina. Nã quondã nõ tam numerabatur pecunia, quam pendebatur. hoc enim genus ſolvendi multo eſt alienius a fraude, quã numeratio. Atque hunc ipſum *ponderandi argentũ,* vel aurum receptiſsimum morem indicat ipſum verbum Latinum *Pendendi,* vel *appendendi;* tum etiam & verbum Hebraicũ, *Sakal,* quod ſimiliter *ponderare,* vel *librare* ſignificat: unde habet nomẽ *Siclus,* 3

* No ſe halla, ni aun a peſo de plata.

Commutatio pro pretio.

Argentum põderari ſolitũ.

שקל

quod

Siclus ponderis genus.

שקל

quod eſt genus pōderis: tum etiā & apud Latinos, *Pondo*, quod ad rei valorem pertinet, genus eſt ponderis: idem enim eſt, quod libra; ſicut & Talētum, quod libras habebat. Quæ res clarior eſt, quā ut majori confirmatione indigeat.

XVI. *Non conferetur tinctis Indiæ coloribus: nec lapidi Sardonycho pretioſiſsimo, vel Sapphiro.*

1. Conferre *quid proprie. Explicatus Ieremias.*
2. Pretioſi colorēs *ubi proveniāt.* Minium, & Rubrica. *Illuſtrata Sapientia.*
3. Tinctura auri *optima, color item optimus. Illuſtratus David, & Ieremias.*
4. Sophir, *vel* Ophir, & Aurum obrizum *ubi. Peruana regio unde nominata.*
5. *Lapis* Sardonychus, *vel* Onychinus *cujus modo ſit, atq; integra illius deſcriptio. Illuſtr. Moyſ.*

I Omnes Indorum opes Sapiētia ſuperat longiſsime: non enim habet cōparationem aliquam vel cum auri fulgore pulcherrimo, & pretioſiſsimo, vel cum Sardonycho, aut Sapphiro.

סלה

Non conferetur. Non comparabitur. Aquila dixit, *Non rejicietur.* Auguſtin. vero. *Non erit deterior præ auro.* Sed proprie ex Hebræo, *Non æſtimabitur cum auro.* a qua etiam radice eſt illa comparatio, Threnorum 4. 2. * *Amicti auro primo.* Proprie ex Hebræo, *Æſtimati, ſive, collati in auro.*

* Mas que vn oro.

Rixa Hebraizantium cum Vulgato.

כתם אופיר

Auri nomē.

Tinctis Indiæ coloribus. Vehementer hic ſuccenſent Hebraizantes Interpreti Latino, quod legerit, *Tinctos Indiæ colores.* cū in Hebræo, & Græco tantum legatur, *Chetem Ophir, aurum Sophir,* vel, *Ophir.* Prima autē vox *Chethē,* quæ ſubeſt hoc loco, vertitur etiam, *aurum,* Cant. 12. & infra Iob. 31. 24. *Obrizum.* Sed commode, atq; Sapienter ita vertiſſe, jam nunc oſtendā, ubi diverſas interpretum ſententias pōderaverimus. Ergo primū, *tinctos Indiæ colores* eos eſſe, quibus pretioſa ornamenta tingantur, vel inficiantur, Philippus, Albert⁹, Titelmanus, nonnulliq; alii Latini interpretantur. *In India* (inquit Philipp.) *colores pretioſi vel naſcuntur, vel fiunt.* atq; Albertus, *colorum,* aut *tincturarum* pulchritudinē ex majori terræ caliditate fieri docet. Quare & *Indiæ colores,* ut pote regionis jacentis ſub æquinoctiali, propterea que calidiſsimæ, pulcherrimos eſſe, atque præſtantiſsimos exiſtimat: commodiſsimeq; cum illis comparari Sapientiā, quæ tantum illos dignitate, & pretio ſuperabit, quantum lux colores omnes, qui ſine luce obſcuri ſunt: imo (ut quidam Philo-

Veſtium tincturæ Indicæ.

Philip. Alber. Titelm.

Sapientia tanto divitias excellēs, quāto lux colores.

ſophi voluerunt) veri colores non ſunt. Sapientia autem Sol eſt, lux eſt, Sapientiæ 7. 29. *Eſt enim ſpecioſior Sole, & ſuper omnem diſpoſitionem ſtellarum luci comparata invenitur prior, illi enim ſuccedit nox, Sapientiam autem non vincit malitia.* Rem autem hanc *colorum* pretioſis metallis, auro, & argento conjunctam, Plinius docet lib. 35. in proœmio, & lib. 33. cap. 7. ubi ait, *Inventri in argentariis metallis minium, & nunc inter pigmenta magnæ auctoritatis, & quondam apud Romanos non ſolum maximæ, ſed etiā Sacræ. Enumerat auctores Verrius, Iovis ipſius ſimulacri faciem diebus feſtis minio illini ſolitam, triumphantumq; corpora.* Eſſe autem conjunctum cum auro, eodem docet capite. atque jam inde a Trojanis temporibus rubricā in honore fuiſſe. Manifeſte ſane Sapientia c. 13. 14. rem illam de idolis miniatis confirmare videtur, *Siquis* (inquit) *faber lignum ſculpat, & aſsimilet illud imagini hominis, perliniēs rubrica, & rubicundum faciens fuco colorem illius, & omnem maculam, quæ in illo eſt perliniens.* De cuſtodia autem adhibita miniariis metallis Bæticæ Provinciæ a populo Romano, tum etiam & de pretio in vendendo lege ſtatuto, ne modū excederet, meminit eodem loco Plinius. Quare opportune pretioſæ tincturæ, aut colores inter pretioſa metalla, atq; lapillos referri potuerūt.

Sapiētia, Sol.

Plinius.

Minium apud Romanos ſacrum.

Idolorum facies miniata, aut rubricata.

Commodior tamen, & ad rem propinquior D. Thom. Nicolai, & quorundam aliorum expoſitio hos *Indiæ tinctos colores* interpretantium, diverſorum colorū pretioſiſsimos lapillos, quos India procreat.

D. Tho. Nicol.

Sed tandem illud verum, atque germanum eſt, ut per *tinctos Indiæ colores* nō niſi *Aurum Ophir,* intelligi voluerit Vulgatus, nam cum plura ſint auri nomina, atq; etiam genera pro regionum diverſitate, illud dicatur eſſe optimū, primumq; quod India tingit primo, præſtantiſsimoq; colore: id eſt, quod fulgētiſsimum gignit. cū quo egrege facit quod Hieronymus Epiſtola 140. ad Principiam Virginē, explanans illa verba, *Aſtitit regina a dextris, in veſtitu deaurato, circundata varietate.* ait in Hebræo haberi, *Diademate aureo.* Symmachū vero tranſtuliſſe, *In auro primo,* Aquilam, Quintam, & Sextam Editionem, *In tinctura,* vel, *in auro Ophir.* ubi *tincturā,* vel *tinctum colorem,* vides aperte idem eſſe, quod aurum hoc noſtrum. Subjicitq; Hieronymus eo loco: *Ophir genus auri eſt vel a loco Indiæ, vel a colore nomine indito.* atq; adeo Plinius lib. 33. cap. 3. *a colore* etiam aurum obrizum, ſive optimum nominat; *Auri* (inquit) *experimento ignis eſt, ut ſimili*

Vera expoſitio tincti coloris pro auro.

Aurum Ophir fulgētiſsimū.

Hieron.

Plinius.

colore rubeat, quo ignis: atque ipsum obrizum vocat. Isidorus quoq; lib. 16. Ethymolgo. c. 17. Hoc ipsum *Aurum obrizum* ex eo sic dictum scribit; *quod obradiet splendore, sitque coloris optimi.* Quare ipsum nomen, *Chethem*, forte significat insigne aliquẽ colorẽ, notã, aut maculã: nã ab eadẽ radice dicitur Ierem. 2. 23. *Maculata es in iniquitate tua.* Et si vox originalis, ut aliqui volunt, significat, *micare*, dicet Ierem. iniquitatem insignẽ, & micãtem in omnium oculis. Sed rem totã explicavit idem Ierem. Threno. 4. 1. exponẽs manifeste hujusmodi *Indiæ colores*, esse fulgentissimi auri colorẽ optimum; *Quomodo* (inquit) *obscuratum est aurum, mutatus est color optimus?* ubi pro *colore*, est eadẽ vox, *Chethem*, id est, aurum. Et ita legitur ex Hebræo; *Mutatum est aurũ?* Septuag. vero, *Mutabitur argentum?* q. d. peculiaris ille fulgor, *Chethẽ*, auri, extinctus est. ubi repetere noluit Interpres vocẽ *auri*, tum ne sentẽtiã minus concinnã redderet; tum quoniam *aurum*, multa sortitur nomina in Hebræo; atq; adeo ne voce eadẽ Latina ipse redderet tũ ibi, tũ in hoc loco, usus est hac circuitione *tinctoriũ Indiæ colorũ*. Ergo de prima illa voce *Chethẽ*, aut *auri* hoc dictũ sit.

Isidor.

LXX.

Cur Interpres variis auri circumloqutionibus utatur.

De secunda vero, id est, de *Ophir*, nũc dicendum paucis; Non constare quidem quæ nam regio sit *Ophir*; videri tamen in India, ut fere Sapientes omnes existimarunt, Hieronym. supra adductus Epistola 140. Ioseph lib. 8. antiquitatum c. 2. Gaspar Varrerius Lusitanus peculiari hac de re cõmentario, ubi adducit Rabanum, & Nicolaũ, Ioseph Acosta lib. 1. historiæ Indicæ c. 19. Adrichom. in suo Theatro in descriptione *Pharan*, &, ut hoc loco ait Nicetas, *Regionem esse apud Indos, in qua tũ pretiosi lapides, tũ aurum præstantissimũ procreetur*, atque Philippus ex illo *Ophir*, filio *Iectan*, nomen quoq; accepisse scribit, *Sciẽdum* (inquit) *est, quod vel maxime sub meridiana plaga hæc metalla nascuntur. Ophir autẽ, vel Evilath, cujus mentio habetur in Gene. 10, filii fuerunt Heber, filii Simei. Isti ergo, quãdo terra divisa est, eam regionẽ occupaverunt, quæ ex eorum vocabulis nomen accepit.* Alii etiã dicunt; quod a Plinio, aliisq; Latinis indicatur, *aurum obrizum* ab *Ophir* nominatũ esse, quasi *Ophirizũ*. Et ut illud omittã, quod diligenter a nostris Scriptoribus tractatum est, Francisco Ribera in Ionam c. 1. Benedicto Pererio lib. 15. in Genes. & lib. 12. in Danielẽ, & Gaspare Varrerio superius adducto, hãc *Ophir*, cujus mẽtio fit 3. Reg. 9. & 10. & 1. Paralip. 29. fuisse insulam, aut peninsulam Malachæ, vel Zophalæ, vel Samatræ, aut valde similẽ, valdeve loco propinquam; sed unũ illud addam, neotericis quibusdam placuisse, *Ophir* esse nostrũ Occidentale *Peru*. quod quidẽ sibi persuaserunt Montanus in suo apparatu in lib. *Caleb.* & Genebrardus, in Chronol. atq; Goropius Becanus in Hispanicis; nam & ipsa vox *Ophir* colludere videtur cum nomine *Peru*. Sed illa melior cõjectura, quod 2. Parali. 3. 7. dicitur Salomon *texisse domum laminis de auro probatissimo*, quod in Hebræo dicitur, *Aurum Parvajim*, quæ terminatio, & inflexio vocis videtur esse dualis, cujus singulare sit *Paru*, vel *Peru*, juxta Grammaticos Hebraicæ linguæ Canones. Cum autem illa vox dualis sit, duplex videbitur significari *Peru*; videlicet quæ peculiariter vocatur Peruana regio, & altera etiam Mexicana illi contermina: licet altera tantũ nomẽ proprium *Peru* retineat. Vel certe significabitur duplex India, videlicet Oriẽtalis, & Occidentalis. Etymologiã aliã hujus vocis cõminiscitur Becanus longe diversam ex sua lingua Cimbrica, multisq; ostendere nititur *Ophir* esse regionem ultra Mare Athlanticum, incidereq; in nostrum *Peru*. Sed auctor hic ingeniosus, acut⁹ argutus, nullum suæ doctrinæ solidum, firmumve fundamentũ præter suas suspiciones unquam posuit. Quare in hujusmodi rebus somniare, sed ut Sapientẽ virum, illũ semper existimavi, atq; cũ verosimilitudinis quadam voluptate, & veritatis specie, cujusmodi esse plerũq; solent Sapiẽtũ somnia. Sed ut ad Peruanæ regionis cõjecturam revertar, Cõstanter etiã affirmat Frãciscus Vatablus 3. Reg. 9. licet non totum *Peru*, at saltem partẽ aliquã ejus regionis significatam nominẽ *Ophir*, videlicet insulam illã, quæ nostratibus appellatur *Sãcti Dominici, La Española*, exteri *Hispaniolam*; Sed minuunt, quod apud nos integrũ est, sonatq; *Hispanam*. Sic vero ille, *Ophir insula est remotissima a sinu Ellanitico, nã tertio demum anno revertebantur inde: Vocatur hodie Spagniola, sic nominata a Christophoro Columbo, in Occidẽte est, in terra inventa nuper; est enim illic aurum laudatissimũ.* Sed quã tenues, quã leves istæ cõjecturæ, in re valde incerta! Quam levis quoq; illa nominũ collusio ex nomine Hebræo, cũ neq; ipsi Indi Peruani unquam audierint ante Hispanorũ adventũ eam suæ regionis appellationẽ, sed tãquã recenter ab ipsis Hispanis invectã, aut inventã acceperint! Memini me aliquando hac de re familiariter egisse cũ nobili Garcia Lasso Inga, qui maternã originẽ ducebat, ex Ingarũ Perua-

Ophir in India.

Hieron.

Iosephus.

Varrerius.

Acosta. Adrichom.

Nicet.

Philipp.

Aurum Ophirizum.

Franciscus Ribera.

Bened. Perer.

Varrerius.

An Ophir sit nostrũ Peru.

Montanus.

Genebrar.

Goropius.

Nomen Peru an Hebræis agnitum.

פרו

פרוים

Goropius qualis auctor.

Sapientũ somnia.

Insula S. Dominici an sit Ophir?

Vera nominis Peru ratio, & impositio.

norũ ſanguine,regio, viro ſane omni laude digniſsimo, neq; ſolum moribus honeſtiſsimis,ſed politioris litteraturæ ſtudio præclaro & qui nunc etiã Indiarũ Occidentaliũ hiſtoriam jucundiſsimã,veriſsimamq; parat,propediē daturus. Is audita illa conjectura nominis Hebraici tã lõge petita,tamq; curioſe excogitata, bone Deus,quãtũ riſit! audire me ſtatim juſsit veram illius nominis rationē; & occaſionē.Cum primi Hiſpani poſt longã navigationē, illa tenuiſſent littora, atq; indigenã quendam piſcationi intentũ,ex improviſo comprehendiſſent,geſtu,ac ſignis rogare cœperunt,quæ nã illa terra eſſet;ille (quod naturale) ſuſpicatus rogari,qui appellaretur,frequēter repetebat,Beru,Beru; eſt autem hoc nomen frequentiſsimũ ac familiariſsimum maritimis hominibus Peruanis. inde Hiſpani vel reſponſione decepti, vel occaſione ſumpta, regionem ipſam *Peru* appellaverunt. Quid hoc cum *Ophir*? Sed ſatis. nã vocat nos Sardonyx.

Vera nominis Peru notio, & inventio.

5 *Nec lapidi Sardonycho pretioſiſſimo.* Vocē originalē *Soham*, Vatabl. *Cryſtallũ* vertit; eandē vocem Onkel.Geneſ.2. vertit *Burla*,quod nomen videtur affine *Beryllo*.Reliqui conſentiunt cũ noſtro Interprete,& cum Septuag. *Onychen* interpretantes, ſive ut Nicetas,qui pro eodē reputat, *Sardonychen*.Quare Hieronymus ad Fabiolã, de illis duobus lapidibus Superhumeralis ſic ſcribit, *Qui Hebraice dicuntur,Soham,ab Aquila,& Theodotione Onychini,a Septuag. Smaragdi transferũtur.Ioſephus Sardonychas vocat cũ Hebræo, Aquilaq; conſentiēs; ut vel colorem lapidum,vel patriam demonſtraret.*

שוהם
בורלה
Chaldæus.
Nicetas.
Hierony.
Ioſephus.

Sed inter eos,qui prope inter ſe cõvenire videntur,eſt nõnihil etiã diſcriminis, nã *Onychē* cum *Sardio* videtur Epiphanius confundere, & alii cum utroq; *Sardonychē* Ego vero *Sardonychen*,quæ hoc loco *Sohã* nominatur,fere pro *Onyche* accipiam, diſtinguitur vero ſicut nomine, ita & re ab ea quæ *Sardius dicitur*,qui ab Hebreis *Odē* dicitur, a radice *Adam*, quod eſt rubere; quare lapidē *Sardiũ* Hebræi *Rubinum* exponunt. & forte nomē mutuatus eſt a *Ruben*, primogenito Iacob, cujus nomen in *Sardio* inſcriptum erat in Rationali. Quare hoc loco deceptũ exiſtimo Ioſephum, qui inter lapides Rationalis primo loco *Sardonychen* nominat,pro *Sardio*. Similiores autē ſunt Onyx,& Sardonyx ut re,ita & nomine.Quare quem hoc loco Vulgatus *Sardonychē* dicit, *Onychinum* nominat Geneſ. 2.12. & ſimiliter Exod. 28. ſæpe. atq; licet pleriq; diverſos lapides efficiãt, tamen illorũ differentiã nõ videtur Interpres valde curaſſe,atq; unũ,& eundem reputat Nilus Metropolita.Eſt autem *Onyx* ex ipſo nomine Græco, *unguis*,id eſt,lapis colore unguis humani. Quare cum *Sardonychen* dicit,videtur componere ex *Sardio* & *Onyche*, atq; ſignificare lapidem coloris humani unguis,ſed flaveſcentis,aut rubētis. Quare ait Plinius lib.37.c.6. *Sardonyches olim,ut ex nomine ipſo apparet,intelligebantur cãdore in Sarda,hoc eſt velut carnibus ungue hominis impoſito, & utroq; trãſlucido.* Atq; Iſido.lib.16.c.8. *Sardonyx ex duorũ nominũ ſocietate vocata eſt; eſt enim ex Onychis candore,& Sardo,conſtat autem tribus coloribus, ſubterius nigro,medio candido, ſuperius minii.* Quod Marbodæus ſuo quoque carmine deſcripſit priſco,

Sardonyx quis lapis.
Epiphan.
אודם
אדם
Sardius,idem, qui Rubinus.
Ioſephi error.
Onyx, & Sardonyx eadem gemma.
Nilus.
Onyx nomē a colore unguis.
Plinius.
Iſidor.
Tres Sardonychis colores coeũtes in unum.

Sardonycē faciũt duo nomina ſardus, Onyxq;
Tres capit ex binis unus lapis iſte colores,
Albus,& hinc niger eſt,rubeus ſupereminet albo.

Marbodæus.

Sed quoniam in Onychinæ, aut Sardonychæ Gemmæ colore aſsignando,mira eſt varietas auctorũ, certe non diverſos ejuſdē Gēmæ colores, ſed eundē vel remiſsiorē, dilutioremve,vel intenſiorem,aut pro patriæ,& regionis varietate paululum diverſum,intelligere oportet; nã ut ait Plinius, *Nullo Sardarum veſtigio Arabicæ ſunt, ſed radice nigra, aut cæruleum imitante,nec ſine quadã ſpe purpuræ, cãdore in minium trãſeunte. Armeniacæ cætera probãdæ, ſed pallida Zona*.Ex Zenothemo præterea Plinius refert; *Indicã Onychen plures habere varietates, igneã,nigrã,corneã.* Iſidorus quoque, *Onychæ genus rubore ſanguineum, quod Aetiopia, Arabia, & Aſ[illegible]ca inveniatur, &c.* Atq; de hoc Epiphanius intelligēdus eſt, dum Sardonychē facit *coloris igni[illegible],qui ſanguinis colorē referat, ſed ſubviridem.* Qua in re fuiſſe ſane videntur Septuag. qui Exodi 28. ubi eadem Hebraica voce dicitur, *Sumes duos lapides Onychinos*, Illi dixerunt, *Sumes duos lapides Smaragdi.* nõ tam quod verã Smaragdum,quã quod Sardonychē ſubviridem intellexerũt. Quare & Epiphanius teſtatur, eſſe quandã Sardonychē,quę vocatur Molochites,quaſi habens malvæ colorē; ut etiã Plinius interpretatur lib.ult.c.8. de qua Solin.ait cap. 46. *Molochitē Arabs invenit virentē craſsius, quã Smaragdus, contra infantũ pericula ingenita vi reſiſtentē.* Cum quo etiã facit,quod in hiſtoria illa de Sardonyche Polycrati Regi adducta, quã infra tãgemus, *Smaragdum* illã vocat Herod.in Thalia. *Cerei*,aut *mellei coloris* alias,ſpurias cenſet Epiphan. [illegible]as quoq; Indicas eſſe, ait Plin. *Hoc* (inquit) *in Indicis cereum, aut corneum invenitur,*

Iſidor.
LXX.
Sardonyx ſubviridis, dicta Smaragdus.
Molochites apud Epiph. & Plinium.
Solinus.
Herodot.

tur, etiā circuli albi: quædā in iis cœlestis arcus anhelatio est. Superficies vero locustarum maris crustis rubentior. Nilus, *flavum*, tantum nominat.

Sed perdā operam, si in hac colorū varietate amplius demorer. de quo Plinius, Isidorus, Alber. Christophorus Encelius lib. 3. consulēdi. Illud mei instituti magis proprium, si patriā, & præstantiā hujus gemmæ, propter quam pretiosissima a Iobo dicitur, indicemus. Aethiopicas esse, Arabicas, Indicas, Africanas, cōstat ex Plinio & Isidoro superius adductis. Arabicæ, & Indicę præcipuæ. Marbodæus de Onyche,

Encelius.

Vbi terrarum proveniat Sardonyx.

Marbod.

Hanc quoque dant nobis Arabes dat,
& India gemmā.

Et de Sardonyche,

Partibus hunc nostris Arabes, sed & India mittit.

Nilus.

Sardonyches Arabicę, & Indicæ præstantissimæ.

Nilus etiā in Tauro Monte provenire dicit. Indicas esse præstantissimas, atq; pretiosissimas, vel ex hoc Iobi loco elici potest, & ad colorem, quem vulgus appellat carneum, accedere, ex illa Plinii descriptione, quā de Indicis tantū accipi debere existimarunt Ismenias, Demostratus, Zenothemis, Sotacus apud eundē, Neq; dubiū, quin in India, cujus hic Iobus meminit, in maximo pretio fuerint. (Quamvis Zenothemis Scripserit, Indis nō fuisse habitas in honore) nam, & lapis Onychinus terræ Evilath, quæ in India creditur esse, valde cōmendatur, Genes. 2.12. Romanis quidem gemma celeberrima, ut scripsit Demostratus: Magnitudine præcipue cōmēdatur, nam, & oportuit valde magnas fuisse gemmas illas Onychinas superhumeralis, in quibus singulis sena nomina filiorum Israel insculpi possent, Exod. 28. *Et tantæ* alias *magnitudinis apud Indos*, ut Plinius scribit, *Vt inde capulos factitarent.* Addit quoq; Nilus, ea esse magnitudine, *Vt Indi ex iis lectorum pedes conficiant.* Ad præstātiā illud pertinet, quod Epiphanius c. 12. scribit, *Plurimum delectari hac gēma Regum, & divitū hominum sponsas, quæ hāc gēmā in poculorum usum convertunt.* Hæc deniq; gēma est illa, quę Regi Polycrati gratissima cum esset, ejus unius jactura volūtaria fortunæ volubilitatem inconstantis redimi posse existimavit, *nā assiduo gaudio lassus, provectus navigio in altum, annulū mersit, at illum piscis eximia magnitudine escæ vice raptum, in culinam Domini rursus fortunæ manu reddidit. Sardonychē eam gemmā fuisse constat.* Scriptor est Plinius lib. 37. c. 1. Herodot. lib. 3. Cicer. lib. 5. definibus. Vnica jam tandē observatione hujus gemmę tractationem includo, si dicā nō Indicam

Onyches magnitudine cōmendata.

Plinius.

Nilus.

Epiphan.

Gemma Polycratis Regis.

Plin.
Herodot.
Cicero.

Sardonychen, at Arabicā pretiosissimam tum nominari hoc loco a Iobo, tū fuisse illam Polycratis Sardonychen, quippe advectam e Mari Rubro, verba hæc Solini c. 46. Ex *Arabici litteris sinu Polycrati regi advecta Sardonyx, gēma prima, in orbe nostro luxuriæ excitavit facem; superficies ejus probatur, si meracius rubeat; arguitur, si fuerit feculentior. Medietas circuitur limite candicante. Optima est, si nec colorē suū spargat in proximum, nec ipsa ex altero mutuetur. Reliqua nigro finiuntur. Quod si transluceat, vitio vertitur.*

℣. XVII. *Non adæquabitur ei aurum, vel vitrum: nec cōmutabuntur pro ea vasa auri.*

1. Adæquare *quid? Aurum unde dictum.*
2. *Particula, &, pro disjunctione.* Vitrum, *& spē ciēs unde. Explicatur Moyses.*
3. *Crystallus unde.* [illegible] *hujusmodi fuerit.*
4. Adamas. Doctrina & veritas *Sacerdotis, ca-*
5. Vitrum *unde. Illius inventio.*
6. *Quartum auri nomen* Ophaz, *aut* Mophaz, *& ubi sit. Explicatus Ieremias, & David.*
7. *Vas in Sacro sermone quid. Vasa aurea inutilia. Explicatus Moyses, Ieremias, Lucas.*

1 Iterum comparatur Sapientia cum rebus aliis pretiosissimis.

Non æquabitur. Non coæstimabitur ei, vel, non appretiabitur, nō ordinabitur cū ea, vel, nō disponetur in eodem gradu cū illa. *Aurū.* jam hoc tertium est nomen auri, *Zahab*, quod nomen videtur esse a mūdicie & puritate: significat enim aurū optimū, purissimum, mundissimum, ut supra diximus. Quare hoc nomine significatur, *aurum optimū terræ Evilath.* Genes. 2.12. & *aurum mundissimū*, Exod. 35.24. vide etiā infra Iob 37.22. super id, *Ab Aquilone aurū venit.* Quare idem nomen est vini purissimi, & splendentis, sine sedimēto, & fæce Ierem. 51.7. *Calix aureus Babylon in manu Domini.* quod non tā ad materiā, quā ad liquorē auratum quē continet, referendū putant, quasi diceret, *Calix auri purissimi*, & splendentis, aurescentisve liquoris.

Tertia auri appellatio a puritate.

זהב

Vinum aurescens.

Vel Vitrum. Hebraice, *Et vitrum*; sicut etiā legunt Septuag. Sed frequenter particula copulativa, *Et*, sumitur pro disjunctiva, *Vel. Vitrum* autē, *Zechuchith*, est a radice *Kacac*, quod est, purificare, mūdare, aut fulgere, & candescere. de quo nō semel dixi. Quare videtur idē esse, quod lucens, & fulgēs, aut pellucidum, & transparens, cujusmodi esse oportet, quod Exod. 30.34. dicitur *Thus lucidissimum.* id est, *pellucidum*, ut vertunt Septuag. & *Oleum*

LXX

Particula Copulativa, pro disjunctiva.

זכוכית

זכך

Vitri nomen a luce, & diaphano.

purissi-

LXX.

purissimum, atq; lucidum. Levit. 24. 2. quod obscurius reddiderunt Septuaginta dicẽtes, *Oleum expressum ad lumen.*

Vocis originalis varia interpretatio.

Quia autem res hæc pellucida, & transparens ad multas gẽmas, materiasq; pretiosas referri potuit, Interpretes quoque res diversas intelligunt: Nam Thargum vertit, *speculum*, quod forte eo sæculo recens *speculi* inventio, summo haberetur in pretio, & non nisi ex pretiosa etiam materia fieret. ut enim ait Plinius lib. 33. cap. 9. *Laminas duci, & specula fieri non nisi ex optimo posse creditum fuerat.* Meminit deinde *speculorum argenteorum*, atque Aegyptiorum speculorum *argento non cælato*, sed tincto, & picto. *Mirumque* (inquit) *crescit pretium fulgoris excæcati!*

Thargum. Speculorum materia. *Plinius.* Specula Aegyptia.

3
Cryſtallus.

Alii vero hoc nomine intelligunt *Crystallum.* Ita nonnulli Hebræi, quos sequitur Regia, atque Nicetas etiam. Videturque res hæc cõgruere cum Orientalium, Indicarumque gemmarum enumeratione. Nam cum de *Crystallo* differit Plinius lib. 37. cap. 2. *Oriens* (inquit) *hanc mittit. Sed Indicæ nulla præfertur. Iuba etiam auctor est, in quadam insula Rubri Maris ante Arabiam sita nasci. Xenocrates etiam tradit torrentibus sæpe deportari.* Quæ omnia non longe absunt a Iobi patria, atque sermone. Neque vero multum abludit *vitri* nomen a *Crystallo*. nam ut Plinius ait, *Ad Crystalli similitudinem mire accessere vitrea.* Atque utrumque respicere potuerunt Complutenses Hebræi exponentes, *Vitrum Crystallinum.* Pagninus quidem post Rabbi Levi Kimhi, existimat significari lapidẽ pretiosiorem auro, cum post aurum, amplificationis causa adjungatur. Ergo Rabbi Abraham, Rabbi Mardochai, Pagninus Cajetanus *Adamantem* interpretantur; lapidem quidem pretiosissimum. ut enim Plinius ait lib. 37. cap. 4. *Maximum in rebus humanis, non solum inter gemmas, pretiũ habet Adamas, diu nõ nisi Regibus, & iis admodum paucis cognitus; unus modo in metallis repertus, perquam raro comes auri, nec nisi in auro nasci videbatur.* Meminit deinde Adamãtis Aethiopici, Indici, Arabici, quos omnes Iobo cognitos, & in usu fuisse oportet. Et fere Adamãtum plura genera Vitrum, Crystallumve referunt. ut scribit peculiariter de Adamante Indico tũ Plinius, tum etiam Isidorus lib. 16. cap. 13. Quare ne pretiosissimus lapis inter pretiosissima atq; pulcherrima pontificis ornamenta desideraretur, existimat Epiphanius, *Doctrinam, & Veritatem*, quæ in Rationali erat, vel ut alii legunt, *Illuminationes, & Coruscationes*, fuisse Adamantinum lapidem, qui cum ingrediebatur Pontifex Sancta Sanctorum, si populus peccato se polluerat, mutabatur, fiebatq; niger: quod si Deus illos morte, gladiove punire decerneret, sanguinei coloris efficiebatur: quod si tandem non peccasset populus, lapis splendebat, ut nix: & tunc festum celebrabatur. Quemadmodũ Propheta ait. *Celebra festa tua, Iuda. Abstulit iniquitates tuas*, &c. Atque tempore etiam Zachariæ Patris Ioannis, peculiariter lapidẽ splenduisse, quin etiam populum spectantem anxium fuisse, ne forte gemma eos redargueret. Sed hæc aliqnando a nobis fusius dicentur. Nnnc tantum indicabo nescio quem alium mirabilem fulgorem Sardonychum Superhumeralis, quem scribit Iosephus lib. 3. antiqui c. 9.

Regia. Nicetas. *Plinius.* Cryſtallus ubi. *Complut.* *Pagn. R. Levi, Chimhi. R. Abrah. R. Mard. Cajetan.*

4

Plin. *Isidor.* *Epiphan.* Hebræa traditio de fulgoribus Rationalis. *Nah. 1. 15.* *Iosephus.*

5
LXX.

Sed quidquid de Adamante sit, & de Crystallo pretiosis utique, noster Interpres sequutus Septuaginta, quem sequuta quoque est Tygurina, *Vitrum* vertit, materiam quondam in admiratione maxima, æque ac pretio habitam; & cujus origo prope Iobi patriam fuisse fertur. sic enim Plinius scribit lib. 36. cap. 16. *Pars est Syriæ, quæ Phœnice vocatur, finitima Iudææ, intra Montis Carmeli radices, paludem habens, quæ vocatur Cendevia. In illius littore forte a mercatoribus vitri materiam inventam, cum sparsi per littus epulas pararent, nec esset cortinis attollẽdis lapidum occasio, glebas nitri e nave subdidisse. Quibus accensis permixta arena littoris translucentes nobilis liquoris fluxisse rivos*, &c. De *Vitro* Indico, idem auctor est. *In India e Crystallo fracta fieri, & ob id nullum comparari Indico.* & Sydonem quondam vitriariis officinis nobilem fuisse, foreque, ut si flexile, & ductile vitrum fuisset, argenti & auri pretia detraherentur. quod Tiberii, atque Neronis exemplis confirmat. Non fuisse autem minorẽ in vitro, quam in argento, & auro luxum Alexandrinus Clemens lib. 2. Pędag. c. 3. eleganter scripsit, *Curiosa*, inquit, *ac superflua tornatorum in vitro vanagloria, ad frangendum propter artem paratior, quæ simul docet & timere, & bibere, est abonis nostris institutis, & legibus exterminanda.* Hæc omnia cum vidisset Interpres, sapiẽter judicavit & posse, & debere ad vitrum referri, propter pretium, & dignitatem. Nam quod Gregorius hoc loco ait, *Vitrum esse longe vilius auro*, atq; ideo ipsam litteram ab historico intellectu deficere, & ad indagãdum allegoriæ mysteriũ nos mittere, certe ab ipsa litterali, historicaque hujus loci expositione lõge absunt. Vnum illud obstare posset, quod vitrum nõ tam videtur

Tygurina. Vitri origo. *Plin.* Vitreæ suppellectilis, nõ minor quã auteæ, & argenteæ luxus. *Clemẽs Alex.* *Gregor.*

opus naturæ, quam artis. sed quidem fere tota illius ratio natura constat.

6 *Nec cõmutabuntur pro ea vasa auri.* Iterũ hic Aurum quarto alio nomine significatum, videlicet *Paz*, quod videtur dici a radice *Pazaz*, quod secundum Hebræos significat fortificare, aut roborare, unde nominatur aurum valde expurgatũ, & defęcatum, eo quod solidius, duriusq; evadat ex fornace, neq; imminuatur, aut consumatur igne. Certe Hieronymus post Rab. David, & Hebręos alios existimasse videtur, *Paz*, esse nomen terrę, aut regionis auriferæ, unde aurum optimum nomẽ acceperit. Quare Ierem. 10. 9. *Argentum involutũ de Tharsis affertur, & aurum de Ophaz.* Quod in Hebræo est idem nomẽ. & a Septuag. dicitur, *Aurum Mophaz.* In plerisque autem Vulgatis codicibus legebatur, *Aurum de Ophir*, ut etiam legendũ existimavit Vatablus. Vtcumque hoc sit, certe nomẽ est *auri optimi.* Quare Interpres Latinus 3. Reg. 10. 18. vertit, *Aurum fulvum nimis.* & Danielis. 10. 5. *Aurum obrizum.* & Threnorum 4. 2. *Aurũ primũ.* Septuag. vero videntur existimasse, *Paz*, non tã esse *aurum*, quam lapidem pretiosum. nam Ps. 20. ipsi legunt; *Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.* in Hebræo est, *Coronam Paz*, quod Hieronymus dixit, *de auro obrizo*, & Ps. 18. 10. *Desiderabilia super aurum, & lapidẽ pretiosum.* In Hebræo est, *Super Zahab, & Paz.* ubi etiam Hieronymus, *Lapidem pretiosum*, legit. & Ps. 118. 127. *Super aurum, & Topazion.* sunt eadẽ duo nomina *Zahab*, & *Mipaz*. Imo, & Hieronymus ipse Proverb. 8. 19. *Lapidem* etiã *pretiosum* dicit, *Melior est fructus meus auro, & lapide pretioso.* Vbi in Hebræo est, *Mipaz.* Vnde aliqui suspicantur *Paz*, non tã esse *aurum*, quam *Topazium* instar auri fulgentem, propter ipsorum nominum collusionem, & affinitatem. Res sane ambigua. Illud certum, esse rem valde pretiosam. cũ qua Sapientia comparata, prælucet.

Auri nomen quartum. פז פזז

Hierony. R. David.

Aurũ Ophaz quod, qualeve

LXX.

Vatabl.

LXX.

Hieronym.

Sed quod *Vasa auri* dicit, non solũ pretiosam materiã, sed pretiosam etiam artis cælaturam indicat, quæ in vasis, & suppellectile pretiosa, nimio luxu adhibebatur; Qui quantus fuerit, tum Atheneus lib. 11. tum Clemẽs nuper citatus eleganter scribit, & severe reprehendit, *Argenteorũ* (inquit) *& aureorum, gemmeorumq́ poculorum irritus, & inutilis est usus, ut qui sit visus solũ deceptio. Nam sive eis calidum mixtum liquorem infuderis, excalfactorum vasorũ molesta est tractatio; sive rursum frigidum infuderis, qualitatem materia trãsfundit, liquorẽ corrũpens; & est damnosus dives potus. Valeat ergo Theridei calices, Antigonides, Cbãtari, Labronii, Lepastræ, & poculorum genera innumerabilia: Trullia præterea, & Psycteres, & Aenochoæ.* Et paulo inferius, *Sellæ autem argenteæ, pelves, & acetabula, scutellæ, & catini, & præterea vasa aurea, & argentea, nonnulla quidẽ ad ciborũ ministeriũ, alia vero ad alios usus, quos me pudet dicere; Ex Sectili Cedro, Thuris virgulto, Ebenoque, & Ebore instructi tripodes, lectiũ argenti pedes, & ex Ebore cõpacti, auroq́ interspersæ, & testudine variatæ cubilis valvæ, & stragulæ vestes purpureæ, & aliorũ colorũ parata difficilium, insolentũ deliciarũ argumenta, invidiæ, mollisq; ignaviæ insidiosa cõmeta sunt, omnia amãdanda, &c.*

Suppellectilis pretiosæ nimius luxus.

Athenaus. Clementi Alex.

Et ut de nomine *vasis* illud semel admoneam, nõ solũ est id, quod vel bibẽdo, vel rẽ quampiã continendo, aptũ est, sed quidquid in usu hominũ paratur, & quidquid ad suppellectilem pertinet. Quare Levit. 13. 48. quicquid ex pelle cõfectum est, in Hebræo dicitur, *omne vas pellis.* Septuag. *Omne vas operarium pellis.* 3. Reg. 6. 7. *Malleus, & securis, & omne ferramentũ, non sunt audita.* Hebraice, & Septuag. *Omne vas ferreum nõ est auditum.* sic etiã 1. Reg. 6. 8. *Anos, & mures aureos*, appellat Scriptura *Vasa aurea, quæ exolvistis.* Quare ut uno verbo dicam, vas est, quod nos appellamus *Pieça*, o *Alhaja.* sicut Isaiæ 61. 10. sponsa dicitur, *adornata monilibus suis.* quod in Hebręo est, *vasis suis.* & Act. 9. 15. dicitur Paulus, * *Vas electionis.* & Act. 10. 11. *Linteum descendens*, dicitur *vas quoddã.* Vide Budẽũ de asse, ubi ex iis que Cicero dicit in Lege Agraria contra Rullũ, *Muli, equi, vasa reliqua, quæ magistratus instrumentũ implet, vasarii nomine cõprehẽduntur.* Quare *vasa aurea* illa omnia erũt, quæ ex auro, & pretiosa materia conficiuntur, ad quosvis usus.

Vas quid in Sacro sermone.

LXX.

* Vna escogida pieça, y rica joya.

Budæus.

Cicero contra Rullum.

XVIII. *Excelsa, & Eminẽtia nõ memorabuntur in cõparatione ej⁹. Trahitur autẽ Sapiẽtia de occultis.*

1. Excelsa, & Eminentia *nomina propria. Consuetudo vulgati Interpretis.*
2. Ramoth *quid apud Hebræos. Corãlia pretiosa.*
3. Pelles, & Cornu unicornis. *Ebur pretiosum.* Sericum *illustratus Ezechiel.*
4. Gabis, *quid apud Hebræos. Explicatus Ezech.*
5. Trahere, aut attrahere *quid? Longanimiter pietati vacandum. Illustrati* Iacobus, & David. Occultum *quid. Græcum Sapientia nomen unde. Illustratus Ecclesiasticus.*

1 CVM incidit (inquit) de Sapientia, deque ej⁹ dignitate sermo, nõ est, quod in cõparationem, aut sermonem adducãtur, quæcumq; dignitate, & pretio excel-

sa, &c

Excelsa, & Eminentia, voces valde difficiles.

Philippi expositio allegorica.

Consuetudo Latini Interpretis in reddēdis nominibus propriis.

sa, & eminētia sunt; nam cætera indigna sunt, quorum in Sapientiæ dignitate æstimanda vel mentio fiat. Hæc est sententia facilis quidem. Sed duæ illæ voces *Excelsa, & Eminētia* sunt valde difficiles. Et quidem pono illam Philippi expositionē per *Excelsa, & Eminētia* intelligentis *Angelos*, minime litteralem esse. Quare pleriq; ex Hebræis, Hebraizantibusq; conveniunt, *Excelsa, & Eminentia* esse nomina propria lapidum pretiosorum. Neq; vero id alienum est a more, & consuetudine Vulgati interpretis, qui plerumq; nomina propria solet explicationis gratia appellativis exponere; rursus appellativa multa, quasi propria essent, intacta, & sine interpretatione relinquere, cujus rei exempla multa ad Sacræ Scripturæ intelligentiam necessaria proferemus cap. ultimo, ubi de nominibus filiarum Iob dixerimus.

2

LXX.

ראמות גביש

Ergo cū in rem hanc incidissent, Septuag. alterum nomen appellativum reddiderunt, alterū reliquerunt intactum: nam legunt, *Sublimia, & Gabis nō erunt in memoria.* Habetur vero in Hebræo, *Ramoth, & Gabis.* Sed mirabilis Hebræorum, Hebraizantiumq; omniū incertitudo, & varietas in his pretiosis lapidibus, aut unionibus nominandis, & designandis.

R. David. R. Mard. Pagn. Regia. Vatabl.

Coralium, & Sericū in pretio habita Iobi sæculo.

Plinius. lib. 32. c. 2.

Et quidem *Ramoth*, R. David, R. Mardochai, Pagninus, Regia, Vatablus, existimāt appellari Coralia: sicut etiam eandem vocem Tygurina vertit, *Coralium*, ubi Ezech. 27. 16. nos habemus, *Sericū*, quas res oportuit esse notas Iobi ætate, sicut & cæteras opes Indicas & Arabicas. Nam, ut Plinius dixit, *Quantum apud nos Indicis margaritis pretiū est, tantū apud Indos in coralio.* Subditq; statim, *Gignitur, & in Rubro Mari, sed nigrius.* Item *in Persico*, atq; ex Coraliis frequentissimis in Maris Rubri fundo nascentibus ipsum Mare reddi, appellariq; *Rubrum* supra meminimus. Addit quoq; Plinius, *Auctoritas baccarum ejus non minus Indæorum viris quoq; pretiosa est, quam fœminis nostris uniones Indici. Aruspices eorum, vatesq; imprimis religiosum id gestamen amoliendis periculis arbitrantur. Itaque & decore, & religione gaudēt.* Potuit igitur inter materias pretiosissimas opportune *Coralium* a Iobo connumerari.

ראם

Eugub.

Alii vocem *Ramoth*, ad Rhinocerotē referunt, favetq; ipsum originale nomen Rhinocerotis, *Reē*, a quo videtur *Ramoth*, deduci posse. Ergo Eugubinus *Ramoth* dicit esse, *pellem Rhinocerotis*. Verum hoc fictum est omnino; nam neq; pelles illæ in pretio sunt, neq; inter metalla, lapidesq; pretiosos videbātur opportune pelles interserēdæ. Quare alii de cornu Unicornis aut Rhinocerotis accipiūt, quod & pretiosum est, atq; perrarū. & præterea cū ipsa Latina lectione consentit, est enim hujusmodi cornu *excelsum, & eminēs*, cū scriptum sit, *Exaltabitur, sicut unicornis, cornu meū.* & Iterū, *Ædificavit, sicut unicorniū sanctificiū suū in terra*, id est, in loco sublimi, & in loco excelso, & eminēti.

Cornu Rhinocerotis eminens, atq; pretiosum. Psal. 91. 11. Psal. 77. 99.

Sed quorsum nūc lōge diversæ materiæ, nimirū osseæ, inter metalla, & lapides pretiosos meminisset? An quia par utriusque rei pretium? nam pretiosis quidem ossibus, ut Ebori, proximus fuit honor, & locus auro, gēmisque. 2. Parali. 9. 21. Threnorū. 4. 7. Ezec. 27. 15.

Eboris pretiū proximum gēmis.

3

Varia itē versio Ramoth.

Tygur. Pagn. Regia. Theodoret. LXX.

Vocem eandē, *sericū*, vertit Latinus Interpres Ezech. 27. 16. *Syrus negotiator tu⁹, propter multitūdinē operū tuorū, gēmā, & purpurā & scutulata, & byssum, & sericū, & Chodchod proposuerūt in mercatu tuo.* ubi Tyg. vertit, *Corallū, & carbūculū.* Pagn. *Corallū, & unionē*; Reg. *Corallū, & Rubinū.* Theodor. *Aromata, & Onychē.* Septuag. autē nomina originalia, tanquā propria, intactā relinquūt, *Ramoth, & Chorchor.* Vt ut res fuerit Interpres elegāter dixit, *Excelsa*, sive vocē deducat a radice *Rū*, quod est *exaltare, aut elevare*, & pertinet ad dignitatē, & excellētiā.

רום

Quare hoc nomen, *Excelsum*, tribuitur excellētibus, & præpotētibus hominibus, Isai. 2. 12. & pro re præstātissima Prover. 24. 7. sive deducat a radice Raam, quæ ejusdem etiam significationis est.

ראם

4

Vocis Gabis varia interpretatio.

Nicetas. Symmach.

גבה

R. Mard. Pag. Cajetan. Regia.

אל גביש

Secūda vox, *Gabis*, incertior, & ignotior, quāquā enim Nicet. dicat significare *eminēs, & elatū*, & Symma. quoq; verterit, *Excelsa, & sublimia*: recteq; cōveniat cū radice *Gabah*, quod est *elevare*, aut *exaltare*: sed tamē pleriq; Hebræi existimāt esse genus lapidis pretiosi, ita R. Mardoch. post quē Pagn. Cajet. & alii, ut Reg. *unionē*, vertūt. Vox quidē originalis hoc tātū loco invenitur, sed in cōpositione *El-gabis*, reperitur Ezec. 13. 11. *Dabo lapides prægrādes.* & Ezec. 38. 22. *In Ibre vehemēti, & lapidib⁹ immēsis.* ex quib⁹ locis aliqui cōjecturā faciūt debere hoc loco intelligi, *Crystallū*, quæ sit instar grādinis, & cælestiū lapidū prægrādium. Res incerta, & ad verū certumq; sentētię sensum eliciendum non valde necessaria, dū modo constituatur, significari aliquid in cōmuni excellēs, vel aliquid peculiare.

5

Illustris lectio Septuag.

Trahitur autē Sapiētia de occultis. Si dixisset Interpres *præ occultis*, vel *super occulta*, rē totā illustrasset. Sicut fecerūt Septuag. legentes, *Attrahe Sapiētiā super intima.* id est, Si quis illā latentē, & recōditā eruat trahatq; in lucē, id est, apprehēdat, obtineatq; profecto præ omnib⁹ thesauris, & recōditis margaritis æstimabit illā. Eandē

Aquila.

Proprietas verbi Attrahendi.

משך

Sapientia longanimiterque quęrenda, & pariter excolęda.

quoq; cōparationē elucidavit Aquila, *Dulce est Sapientia, ultra ea quæ sunt spectabilia, & illustria.* Forte enim in illo verbo, *trahēdi*, aut *attrahendi*, quod nos habemus, nescio quem habitum exugendi rem dulcem subintellexisse videtur. *Trahitur*, proprie, *attrahitur*, vel, *extrahitur*. & nescio quam prolongationem, aut longanimitatem in *attrahendo*, & operando videtur hoc verbum indicare quasi dicat, *Protrahitur Sapiētia de occultis*, vel, prolongatur ejus attractio, aut, longanimiter laboratur in ejus attractione. quod quidem verbū verti solet *elongare*, aut *prolongare*, Isai. 13.22. Ezech. 12.28. Quod idem profecto esse videtur, cum illo Ecclesi. 6.19. *Quasi is, qui arat, & qui seminat, accede ad Sapientiam, & sustine bonos fructus illius.* id est, longanimiter, & patienter labora. ut enim Iacobus Apostolus ait c.5.7. *Agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneum, & serotinum. Patiētes estote & vos, & cōfirmate corda vestra, quoniam adventus Domini appropinquabit.* Cum igitur patiētes nos jubet esse, longanimes nos vult, longanimiterque expectare, & attrahere operum bonorum fructū. Quare subjicit Ecclesiasticus, *In opere* (cultura, colendi, & excolendi labore) *illius paululum laborabis, & cito edes de generationibus* (germinibus, fructibus) *illius.* Quod quidem egregie convenire videtur cum illo Psal. 125. ubi piorum hominum, virtutis colendæ opus, laborque describitur, *Seminantes* videlicet, *in lachrymis*, propter hujus sæculi, hyemisque acerbissimæ molestias incredibiles, *euntes ibāt* (sensim, pedetentim, non nimium festinantes, sed quales ire mœsti, miseriq; possunt) *& flebāt, mittentes semina sua*. pro quo Hebræi legunt, *Portantes attractionem*, sive, *prolongationem sementis*. vel, ut clarius dicam, longanimiter extrahentes, vel, elongantes semen: quod dicere possumus, *Sembrar a la larga*. Ita etiam ab hac ipsa radice hoc loco dicitur, *Trahenda Sapientia*. quasi dicat, elonganda, prolonganda, seminanda, aut excolenda longanimiter, sic enim laborātibus nobis *fructum afferet in patientia*.

Seminanda pietas, & Sapientia longanimiter.

Compl. Pagn. Regia.

Luc. 8.15.

6

Pagni Regia. Tygur. Vatabl.

פנינים

LXX.

פנה

De occultis. Alii legunt, *Præ margaritis*. Et quidem vocem originalem, *Peninim*, ab eodē nostro Interprete vertitur, *Opes*, Prover. 3.15. *Pretiosior est cunctis opibus.* ubi Septuaginta legunt, *Pretiosior est lapidibus.* & Hebræi, *gemmis*, vel, *margaritis*. & Proverb. 20.15. *Est aurum, & multitudo gemmarum, &c.* Sed quidem vox hæc deducitur a radice, *Pana*, quod est respicere illud, quod ante nos est. Quia autē illud, quod est ante nos, videtur esse quasi intra tempus futurum, vel intra locum, in quem nōdū ingressi sumus, ideo significat hęc vox illa, quæ sunt a nostris oculis & conspectu remota, aut quæ in occultis locis reposita delitescunt, cujusmodi sunt thesauri lapidum, metallorum, vel pretiosarum rerum, quos intra terræ viscera natura cōdidit. Significatur ergo Divinæ Sapientię thesaurum multo magis abstrusum, recōditumque esse, quam metalla, aut pretiosos lapides, propterea multo magis nobis laborandum in illius investigatione, multo etiā nobis naturali tantum lumine minus cognitam, minusq; naturalibus viribus perviam. Quod profecto Ecclesi. 6.24. indicatur, *Sapientia doctrinæ secundum nomen est ejus, & nō est multis manifesta; quibus autē est manifesta, permanetusque ad cōspectum Dei.* ubi licet secundam Græcam etymologiam posset dici, ipsa Sapiētia ex proprietate sui nominis occulta, & ignota; *Sophia* enim a *Zophos*, id est, a caligine dicitur, quasi in caligine, & ignoratione delitescens: tamen, ut allusio non Gręce tantum, sed Hebraice etiam cōveniat, potius ex ipsa re sumenda est; nam cum sępe nominetur, significeturque auri, gemmarum, universarumque opum appellationibus, significatur esse aliquid recōditum in occultis recessibus; & oportet quidem a paucissimis inveniri; & quod in rebus rarissimis, pretiosissimisque contingit, plerisq; ignotam, & occultam esse: & nō nisi nomine tenus cognitam, qui autem semel illā invenit, si sapiēs est, nunquā dimittit.

Divinæ Sapiētiæ Thesaurus valde abstrusus.

Gręcum Sapiētię nomē quid afferat.

σοφία ζόφος

XIX. *Non adæquabitur ei Topazius de Æthiopia: nec tinctura mundissima componetur.*

1. Topazius *in Hebræo quidā Smaragdus optimꝰ. Epiphanius notatus.*
2. *Topazii natura, & descriptio. Æthiopia Orientalis, & Abyssina ubi.*
3. Flumina Æthiopiæ, *& Troglodytæ.* Cimbalum alatum *apud Isaiam.*
4. *Topazius virens. Nomen illius unde.*
5. Tinctura *quid propriè? Sapiens sola pietate cōtentus.*

Topazii prima invētio, patria Æthiopia Oriētalis; color, præstantia.

1

Nominis Hebr. ambiguitas.

פטדה

R. Dav. R. Ion.

Topazius. In Hebræo, *Piteda*, constat esse nomen pretiosi lapidis, sed incertum quis ille sit. Nam R. David R. Ionah,

Pagn. Regia. Vatab. Cajetan. Plinius.

Smaragdi quę probatissimæ

& post illos plerique ex Hebraizantibus, Pagninus, Regia, Vatablus, Cajetanus, cõtẽdunt esse Smaragdum, atq; hujus rei cõjectura fit ex Plinio lib. 37. cap. 5. ubi Aethiopicas Smaragdos valde cõmendat ex auctoritate Iubæ, nimirum *acriter virides*. Sed levis hæc cõjectura est, nam probantur etiam Smaragdi Scythicæ, Aegyptiæ, Bactrianę, Cypriæ, Hermineæ, & Persicę, atq; Thodicæ. Quare, & Nilus Metropolita suo illo tractatu de lapidibus, nõ unã tantum patriam Smaragdo assignat. *Hue (inquit) Aethiopia mittit, & Aegyptus, & Persis, & quidam Atticæ montes.* Atq; Epiphanius etiam *in Iudæa, Aethiopia, & in terra quam Phison, id est, Gãges præterfluit*, provenire scribit: Quamquã hoc loco existimo, bona venia, lapsum Epiphanium, nam in terra, quam alluit Phison, inveniri tantum scribit Moyses, *aurum optimũ, lapidemque Onychinum*, nisi forte intellexerit *Onychinum subviridem*, propterea que Smaragdum dixerit, ut supra indicavimus. Denique vera Smaragdus non appellatur in Hebræo, *Piteda*, sed Bareketh Exod. 28.

Nilus Metropolita.

Epiphan.

Lapsus Epiphanii causa.

Genes. 2. 12.

ברקת

Ergo Vulgatus constans est in vertendo, intelligendoq; Topazio, tum hic, tum Exod. 28. 17. & c. 39. 10. & Ezech. 28. 13. convenitq; cũ re ipsa, quam oportuit esse valde exploratam Iobo, ut quæ in illis Orientalibus regionibus proveniat; videlicet tum in Arabiæ insula, tum in Aethiopia Orientali, nõ longe ab Aegypto, atq; a Iobi patria. Sic enim de Topazio scribit Plinius lib. 37. c. 8. *Egregia etiam nũ Topazio gloria est suo virenti genere, & cum reperta est, prælatæ omnibus. Id accidit in Arabiæ insula, quæ Chitis vocatur, in qua Trogolodytæ prædones, cum diutius fame, & tempestate pressi herbas, radicesq; effoderẽt, eruerunt Topazion. Hæc Archelai sententia est. Iuba Topazion insulam in Rubro Mari a continente Stadiis 300. abesse tradit, nebulosam, & ideo quæsitam sæpe navigãtibus, ex ea causa nomẽ accepisse. Topazion enim Troglodytarum lingua significationem habere quærendi. Ex hac primum importatã Berenicæ reginæ, quæ fuit mater sequentis Ptolomæi, a Philemone præfecto regis, ac mire placuisse, & inde factam statuam Arsinoe Ptolomæi Philadelphi uxori, quatuor cubitorum sacratam, in delubro, quod Aureũ cognominabatur. Recẽtissimi auctores & circa Thebaidis Alabastrum oppidũ nasci dicũt.* Epiphanius quidem scribit, nasci in Topaza urbe Indiæ, quamquam in inventione paulo diversus sit; *Inventa* (inquit) *quondam illic a lapicidis in corde alterius lapidis, quam cum splendidam vidissent, & Thebanis, quibusdam ostendissent, parvo pretio vẽdidere: Thebani vero tum temporis regnũ administrati reginæ attulerunt. Illa vero diademati suo imposuit in medio frõtis.* Strabo lib. 16. in descriptione Arabiæ, & Arabici Sinus, sic scribit, *Post sinum esse Ophiadem insulam, propter Topazia insignem. Is autẽ (inquit) lapis est pellucidus, splendore aureo refulgens, at interdiu videri non possit, nocte vero videtur ab iis, qui eum colligunt, eam signo aliquo imposito, de die effodiunt. Aegypti reges maximam hominum multitudinem mercede conductam, ad horum lapidum collectionẽ, custodiamq; collocaverunt.* Fere eadẽ scripsit Nilus Metropolita, tum de magna Thebaide, tum de insula sinus Arabici.

Topazius ubi proveniat.

Plin.

Topazii prima origo, & inventio.

Epiphan. de invent. Topazii.

Strabo.

Topazii ex Strabone descriptio, & inventio.

Nilus.

Quare cum hoc loco dicitur *Topazius de Aethiopia*, utiq; Aethiopiam Orientalẽ nominat, quæ sub Aegypto est, & fere est, quam Abassinam, sive Abyssinam nominãt; atq; Aethiopas, Abyssinos etiam nominari, videtur Benjaminus Tudelẽsis affirmare, in suo illo itinerario, quod Arias Montanus Latinum fecit. Esse vero hujusmodi Aethiopas Abyssinos Arabiæ confines, cum quibus Arabes assidua bella gerant, scribit Franciscus Alvarez in suo itinerario. Illud vero etiam addit Benjaminus, regionem hanc Aethiopiæ esse illam, quæ Genes. 2. dicitur terra *Evilath*. Verũ diversam esse Aethiopiam ex eodẽ loco videtur colligi, cum dicitur, vers. 13. *Secundus fluvius Gehon circuire omnem terram Aethiopiæ.* Quãquã *Evilath* non longe esse ab Aegypto, neque ab Assyria, sed prope Palesthinam, colligi potest ex cap. 25. Genes. 18. *Habitavit Ismael ab Evila usq; Sur, quæ respicit Aegyptum introeuntibus Assyrios.* & idem fere dicitur 1. Reg. 15. 7. *Percussit Saul Amalech ab Evila, donec venias ad Sur, quæ est e regione Aegypti.* Quare etiam Strabo lib. 16. inter Arabes nominat *Chavilatheos*, vel quod idem esse videtur, *Hevilatheos*. Vnum tantum nõ prætereundum, Aethiopum, atque Maurorũ nomen ad universos Arabes aliquãdo referri, tum etiam ad Aegyptios, & Afros, propter fuscum faciei colorem, ut ex Leunclavii historia Turcia eleganter confirmat noster Nicolaus Serarius super Tobiam cap. 2. q. 3. Sed non procul esse hanc Aethiopiam ab Aegypto, vel a circumvicinis regionibus, colligi tandem potest ex illo Isaiæ 18. 1. *Væ terræ Cymbalo alarum, quæ est trãs flumina Aethiopiæ, quæ mittit in mare legatos, & in vasis papyri super aquas.* Quo loco videtur Propheta loqui de interiori Aegypto, quæ cõfinis est Aethiopię, non longe a Nilo, neq; a Mari Rubro, nobilis mercatura, & alatis navibus, factis ex

Aethiopia Orientalis, seu Abyssina.

Benjaminus Tudelens.

Montanus.

Aethiopes Abyssini cõtermini Arabiæ.

Frãciscus Alvarez.

Evilath quę regio.

Strabo.

Aethiopũ nomẽ de universis Arabibus.

Leunclavius.

Serarius.

Aethiopia nõ longe ab Aegypto.

Madianitas ad Aethiopes pertinere.

juncis, & papyro. Atq; adeo Madianitas ipsos Aethiopes esse, colligi potest ex Habacuc 3. 7. *Vidi tentoria Aethiopiæ, turbabūtur pelles terræ Madian*. & Ps. 86. 4. *Ecce alienigenæ*, (Palesthini) *& Tyrus, & populus Aethiopū*. (Aegyptii, aut Madianitæ: nā nunc isti, nunc illi Aethiopes appellātur.) Quare, & Sephora uxor Mosis, Madianitis erat; simulq; Aethiopissa, Exo. 2. 1. Nu. 12. 1. Quæ omnia rursus egregie conveniunt cū illo Plinii testimonio nuper adducto, tributis Topazii inventionē Troglodytis. Esse autē Troglodytas Aethiopes ipsos sub terrā habitantes, propter immodicos illius Aethiopiæ Orientalis calores, ex ipso Græco nomine constat, ut Plinius ipse scribit lib. 5. c. 4. Pomponius Mela, & alii Geographi, de quo forte nō nihil dicemus infra c. 30. vers. 6. atq; hos ipsos Troglodytas significari ab Isaia per *Cymbalū alarum*, sive, ut in Hebræo est, per *Vmbrā alarū*, vero simile videtur. Præterquā enim quod, *alæ*, significare videantur naves, velaq; plena ventis, quibus quasi alis volitant, tamen *Cymbalū* vertitur ab Interprete, & a Symmacho, *sonitus alatus*, forte per allusionem quasi ad serpentinū sibilādi in loquendo sonitū. Nā *Troglodytæ*, sive Aethiopes *non tā loqui, quā stridere videtur*, ut Mela scribit. Rursusq; Herodotus: *Troglodytæ* (inquit) *Aethiopes omnium hominū velocissimi, serpentibus, lacertisq; vescuntur; nulla alteri simili lingua utūtur; vespertilionū more strident*. Proptereaq; *Cymbalizare* in loquendo videntur. Tū etiā isti dicuntur habere *umbrā alarum*, id est, *umbrā alatā*, id est, fugacē, & cito quasi avolantem. Nam in Berenice, & Ptholomaide, quæ fuerunt Troglodytarū urbes, ante solstitium quadraginta quinque diebus, totidemque postea nullam umbram effici, scribit Plinius lib. 6. cap. 24.

Vxor Moysis Aethiopissa & Madianitis.

Troglodytæ Aethiopes.

Plinius. Pomponius.

Cymbalū alarum peripgra sis Troglodytarum.

Symmach.

Troglodytarū lingua stridēs. Mela. Herodot.

Troglodytis umbra alata, cur.

Plin.

4

Topazii color

Theophr.

Epiphan.

Nilus Metropolita.

Marbodæus.

Sed ut ad Topazii naturā quam describere cœpimus jā tandē revertamur, certe videtur a Plinio eleganter descripta, nimirū, *ex aureo quodā fulgore cū virore quodam porraceo diluto*. Quare a Theophrasto, *Prasitis* gemma; ab aliis, *Prasius* lapis, id est, porraceus dictus est. Diminutus igitur videtur Epiphanius, cū ex eo tantū Topazium describit, *quod colore rubeat magis, quā carbunculus*. Neq; magis exacte Nilus Metropolita, *Topazius* (inquit) *pellucidus lapis est, vitro persimilis, colore holoserici*. sicut etiam Marbodæus, dū duas Topazii species numerat;

Alterius puro color est vicinior auro,
Clarior alterius, tenuisq; magis reperitur.

Ergo Sapienter Isidor. lib. 16. c. 7. merito inter viridiores gemmas Topaziū numerat, *Est* (inquit) *ex virenti genere, omniq; colore resplendens, gemmarū amplissima*. Qualem profecto mihi cōmōstravit aliquādo doctor Ioannes Lendinez, nō Medicinæ solū neq; Chimicæ tantū artis, sed metallorū, lapidum, optimatumq; aliarū rerum cognitione apud nostros Hispalenses præclarus, cujus gēmæ vel primus ipse aspectus omnē ambigendi de illius præstātia, & pretio dubitationem tollit. Illud peculiare videtur, quod hoc loco de Topazii nomine, & etymologia scribit Gregorius *Topaziū* (inquit) *pretiosus lapis est, & quia Græca lingua, Pan, omne, dicitur, pro eo quod omni colore resplendet, Topaziū, quasi Topādiū vocatur*. *Omni certe colore splendere Topazium*, Isidor. præter Gregoriū, scribit. Nō deest auctor quidam, qui nomen *Topazion*, ab Hebræo nomine Auri optimi; *Paz*, deduci velit, quod aurū optimū suo colore, ac splendore æmuletur. Sed nugatur ille; cū *Topazion*, Græcum sit a quærendo: *Paz* vero Hebræū; atq; propriū, & peculiare auri nomen longe diversum; ut diximus. Quamquā sciam cōsonare id, Ps. 22. *Posuisti, in capite ejus coronā de lapide pretioso*: in Hebræo haberi; *coronam Paz*; quod addito Greco articulo τὸ, fiet, *Corona Topazii*. Sed certe hæ nominū affinitates, & cōnubia illegitima, & parum firma esse solent. De nomine autē, *Paz*, diximus supra vers. 17, nu. 6.

Doctor Ioannes Lēdinez.

Gregor.

Topazii appellatio, & natura aliena.

Contra Gesner, Avenar.

Topaziō, *a verbo Aethiopico, aut Troglodytico*, Topazin, *id est*, quærere, *aut a* Topazo *insula, ex Plinio lib. 37. c. 8. superius adducto. Paz vero Hebræum a* fulgendo.

Nec tincturæ mundissimæ cōponetur. Hic iterū eadē vox, quā supra Interpres reddidit, *Tinctos Indiæ colores*, fulgentissimū profecto Indiæ aurū, aut Aethiopiæ, mūdissimum, & splendissimum significans, id quod etiā hoc loco intellexit Philipp. *Cū diversa auri pretiosi nomina* interpretetur. Quare etiam Septuag. legunt, *Auro puro nō conferetur*. quam collationē, aut cōparationem sic accipit Nicetas, ut asseratur Sapientia cum auro non simul libranda, neq; simul ponderanda; *Nā* (inquit) *quæ simul ponderantur, in utramq; lancē imposita examinantur, vel quia qui hanc est adeptus Sapientiam, nollet eam cū auro, sed solā portare*. quasi ei sola sufficiat; & quidquid aurum valet, multo nobiliori, eminētiorīq; ratione Sapiētia contineat: ut qui Divina gratia, & pietatis possessione contentus, fœlixq; sit, illud dicere possit, quod dicebat ille alius quapiam re, ut ipse existimabat, beatus; *Sibi sua habeant Regna reges, sibi divitias divites, sibi honores, sibi virtutes, sibi pugnas, sibi prælia, dum mihi abstineāt invidere*. Sapiens vero; *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa*.

Philipp.

Nicetas.

Sapientia eminenter continēs aurum.

Plautus in Curcul.

Sap. 7. 11.

XX. Unde ergo Sapientia venit, & quis est locus intelligentiæ?

XXI. Abscodita est ab oculis omniū viventiū: volucres quoq; Cæli latet.

XXII. Perditio, & Mors dixerunt: Auribus nostris audivimus famam ejus.

1. Abscondere. *Sapientia, virgo castissima. Templi Minervæ inscriptio.*
2. Volucres Cæli, *qua Sapientia superior æthe-rea regione.*
3. Perditio, quid? *Ejusdem vocis repetitio ad asseverationem.* Fama.
4. Fama Sapientiæ *omnes mundi partes complēs Varia expositio* Perditionis.

Nexus, & sentētia dilucida.

VErsiculus vigesimus idē est, cum superiori duodecimo. Non provenit (inquit) in eodem solo, neq; ex eadē origine, ex qua terrenæ opes. Non est enim illius origo sub Cœlo. *Latet enim Cæli aves;* nō in terra, nam abscondita est ab oculis viventium: non sub terra, nam manes, & defunctorum umbræ de nomine tantum, non de facie illam agnoscunt. Hæc est horum versiculorum sententia.

1 Sapientia virgo pudicissima. עלם

Abscōdita est. Nescio quid virgineū, atque castissimum videtur Sapiētiæ tribui in hac voce *Abscondendi*, nam in Hebræo prop. est, *Abscondit se*, vel, *abscondet*. Alma virgo Sapientia. est enim eadē vox, a qua Virgines dicūtur *absconditæ*, vel occultæ, ut aliquando diximus, ex illo Isai. 7. 14. *Ecce Virgo concipiet.* quo loco vide Hieronymū. Et quidem illud est perpetuū Sapientiæ epithetū, quod non pateat vulgi oculis, & prophano conspectui. Cū quo illud facit, quod Plutarch. lib. de Iside, & Osiride scribit, dum de Philosophia Aegyptiorum differit, qui pleraque fabulis occultabāt, atq; ante tēpla Sphinges collocabāt, quo innuerēt suā rerum sacrarū doctrinā Sapientiam sub involucris latitare. atq; Sapientiam sub involucris latitare. additq; Minervæ Fanum, quod Sai erat, hanc habuisse inscriptionē, *Ego sum omne, quod existit, est, & erit, meumq; peplum nemo adhuc mortaliū detexit.* Est autē *peplum*, aut flammeū, velamen capitis, vultusq; virginei. Atq; eodem loco adducit Plutarchus illud apud Aegyptios peculiare Iovis cognomen, *Amun*, vel *Ammonē*, quæ vox *occultū aliquid* significat, estq; *invocantis*, qua Deum obscurū, & absconditum vocabāt, & orabant, ut se proderet, atq; præberet ad conspiciendum. Hujusmodi igitur Sapientia, pietasq; Virgo est, quam neq; suis viribus industria humana invenire, neque illius nuptias digne ambire, neq; illius cōspectu frui, sine Divino munere, & gratia mortalium aliquis possit. Scriptum est enim, *Incerta, & occulta Sapientiæ tuæ manifestasti mihi.*

Plutarch.

Inscriptio tēpli Minervæ.

Priscorum invocatio, & preces, ut se Deus illis manifestaret.

Psal. 50. 8.

2 *Volucres quoq; Cæli latet.* Cajetan. *Angelos* intelligit; ideoque dici in originali de præterito, *Volucres Cæli latuit*, ut indicaretur, Angelos naturali notitia, & lumine non habuisse Divinæ Sapientiæ cognitionē. Gregor. Dæmones superbos, qui & in Evangelio dicuntur, *aves Cæli*; hi enim cū a sanctitate, & Divina Gratia exciderint, a vera Sapientia recesserunt. Philip. superbos, leves, aut *alta sapientes*, quos omnes latet *Sapientia timoris Dei*. Sed hi omnes allegoriam sapiunt. D. Tho. respici existimat ad augurales quasdam aves, ex quib? Prisci Sapiētiæ, & futurorum cognitionē capere se posse credebant. Sed hæc expositio longe petita est. Alii ad Gryphes illos, aut alatos Serpētes referendū putāt, quos dicunt pollere ingēti visus perspicacitatē, proptereaq; thesaurorū custodes existimatos, quorum etiā meminit D. Clemens Rom. lib. 4. Constit. c. de Avaritia, *Avarus* (inquit) *serpentis locum obtinet, quē ajunt in sepulchris dormire.* Alii idē esse cū illo vers. 7. *Nec intuitus est eam oculus vulturis.* Simplex, & germanus sensus est, quē initio proposuimus, in regione sublunari & æthere, quā pervagātur aves, nunquā inveniri, ut cujus origo sublunaris nō sit, sed supercœlestis. Aut quod indicavit Nicetas, Cū inter avium genera minime reperiatur, non licere homini illam aucupari, neq; principibus quidē, quamvis *in Avibus Cæli ludant.*

Cajet.

Gregor.

Philipp.

D. Thom.

D. Clemens.

Simplex expositio.

Baruc. 3. 29.

3 *Perditio, & mors.* Pertinet hæc quoque sententia ad ejusdē rei confirmationē, videlicet, Neq; subterranea loca, ubi vel natura suas opes, vel funerum luxus divitias viventiū, ornamentaq; simul cum ipsis cadaveribus recondidit, Sapientiæ ortū, & originem sibi vendicare potuerūt. Ibi nimirū tātū dominatur *Perditio*, exitium, interitus, vastitas, nō vera Sapiētia, quę ipsa vita est, & verę, ac beatæ initium vitę. pro *perditione* vox eadē, quæ supra, ubi diximus subesse in Originali *Abadō*. Illud minus simplex, quod Nicetas, per *mortem*, & *perditionem*, intelligit Dæmones, aut homines etiam peccatores. *Hujus* (inquit) *Sapientiæ homines, & qui desiderant Angeli obliti sunt, ut merito & illi, & hi perditioni, atque interitui serviant.* Alii peccatum ipsum, quæ vera stultitia est, aut affert

אבדון

Nicetæ, & aliorum expositio nōcoherēs

peccati pœnā ignorantiā. Sed non bene hæc cohærent. *Dixerunt*, afseverarunt ferio. *Auribus audivimus*, frequēter, fæpeq; rem ubiq; notā, & pervulgatā. quæ repetitionis illius vis exprimitur in Hebræo efficacius, *Auribus audivimus auditum ejus*. nam triplex ejufdem rei vox fignificationem intendit, & auget vehementer. *Famā*. Septuaginta, *Gloriam*. quod alias dicitur *nomē*, quafi dicat, Nomē famofum, & gloriofum. quod ex proprietate radicis eft, *auditus*, vel *auditio*, eo quod, quæ celebria funt, longe lateque pervulgata, frequenter audiantur.

Repetitio ejufdem vocis ad energiā affirmationis.

Auditus cur pro fama.

שמע

4

Sed quid eft, *Perditionem audivisse famā Sapientiæ*? Cajetanus, Quia dæmones, & animæ damnatorum exhibuerunt fe indignos hoc Divino, & Cæleſti Sapiētiæ dono. Sed quid hoc cum fama Sapientiæ? Illud magis acutum Epifcopi Algarb. quod in inferorum regionē innumerabiles homines opinione Sapientiæ præftantes dejiciuntur, qui nomen quidem Sapientiæ, fed vim, & rationē complecti minime potuerunt. Sed hoc potius eft famam illorū hominum falfam, & adumbratā auditam effe, nō vero gloriā ipfius Sapientiæ verā & folidam. Philip. quod rationales creaturæ *famam timoris Dei audierint, quā in natura fua inditam perceperunt, fed per inobedientiā eam habere minime voluerunt*. Hoc quoque allegoriam fapit. Hebræi (quos refert Vatabl.) ajunt *perditionē* appellari, *materiam ipfam informē*, quæ ob id dicatur *audiſſe famam Divinæ Sapiētiæ*, quod quodam modo in fe oftendit Divinam Sapiētiam. Hæc expofitio dura, & coacta, & cū cæteris fententiis minime cohærēs. Illud melius convenire cenfet Vatabl. ut *perditio, & mors*, fit homo perditus, corruptus propter peccatum Adæ, in quo falvando, & reparando reluceat Divina Sapientia. Sed hoc quoq; manifefte allegoricū eft. Ergo verofimilem expofitionē judico illam Nicetæ, *Metallorū materies quibufdā in locis reperitur; at Sapientiæ gloria ufq; ad eos, qui terram oppofitā noftræ incolunt, pervenit*. Ita ut nullus non fit locus, quem laus, & nominis Sapientiæ gloria non cōpleverit: quāquā de facie illā mortalium nemo alicubi agnoverit. Nifi mavis per Profopopœjam induci mortuorum regionē infernam de Sapientia interrogari ab aliquo illius ftudiofo, & amatore, atq; refpondere, Nunc tantū illius nomen, & famam ex tuis verbis percipimus, ante hūc diem apud nos inauditā. ficut de re quapiā nova, & nūquā nota rogati dicere folem⁹, *A hora lo oygo*. Placebit nō nemini.

Vera expofitio famæ Sapientiæ. *Cajetan.* *Oforius.* *Philippus.* Hebræorum expofitio coacta. *Vatabl.* Verofimilior explicatus Nicetæ. Acuta expofitio.

XXIII. *Deus intelligit viā ejus, & ipfe novit locum illius.*

1. Via Sapientiæ quæ? Continere. *Illuftratur Salomon.*
2. *Commendatur* Sapientiæ via *a pulchritudine, & facilitate, Illuftratus Salomon.*
3. *Dilucidā fententia paraphrafis.*
4. Intueri, Mundus *pro terra, & aliis terræ partibus. Deus ex judicii ratione Sapientiam debet agnofcere.*

HOC folū fupereft, ut quæ nulli mortaliū cognita fit Sapiētia, Soli Deo nota fit; *ipfe* enim *intelligit viā ejus*, id eft, bene novit, ubi verfetur. Videtur enim fecunda pars, *Ipfe novit locum illius*, effe præcedentis expofitio. Hoc autē loco *via Sapientiæ* non videtur effe via, qua ad illam pervenitur, de qua Scriptum eft, *Beati, qui cuftodiunt vias meas*. videlicet viā, quē ad Sapientiæ domum ducit: fed videtur effe *via*, quam tenet ipfa Sapientia. Quafi diceret, *Bien fabe Dios por donde ella anda*. Philippus paulo aliter hanc fententiā accepit, *viam* videlicet, & *locum*, quē ipfa Sapientia tenet, dum defcēdit ad homines. *Pro certo* (inquit) *fcit Deus, quo hæc Sapiētia properet, cui etiam ipfe ducatum præbeat ad locum quietis, videlicet ubi ipfe per hanc Sapiētiam timoris fui, fuper quietum, & humilem, & trementem fermones fuos requiefcere delectetur*. Sed fimplicius eft, quod initio diximus: tum etiā, & quod in dicat Tygurina, *Deus viam ejus monftrat, quippe qui novit locū ejus*. quod idem videtur effe cū illo Sapientiæ 8.21. *Scivi, quoniā aliter non poffem effe continens* (obtentor, & apprehenfor Sapientiæ) *nifi Deus det: & hoc ipfum erat Sapientia, fcire cujus effet hoc donum. Adii Dominum, & deprecatus fum illū, &c.* Auguft. lectio nefcio quid addit, *Dominus commendavit viam ejus*. id eft, non folum ab eo debemus difcere, ubi Sapientia habitat, fed cum ille nos doceat multo pretiofiorē effe auro, & argento, docet & hortatur nos illā quærere, & certis quafi notis indicat, commendatq; viam, qua pofsimus ad illā pervenire, cum ait, *Viæ ejus, viæ pulchræ, & omnes femitæ ejus pacificæ*. ut quæ jucūditatem, & pacem mirabilē conferat Sapientiæ inveftigatoribus. & iterū, *Viam fapiētiæ monftrabo tibi, & ducā te per femitas æquitatis, quas cum ingreſſus fueris, non arctabūtur greſſus tui, & currens nō habebis offendiculum*. & iterum, poftquā de tenebrofa iniquitatis femita dixit, fubjungit, *Juftorū femita, quafi lux fplendens, procedit, & crefcit ufque ad perfectum diem*.

1 Via Sapientiæ quæ. *Prov. 8.32.* *Philipp.* *Tygur.* *Auguft.* Deus ad Sapientiæ viam alliciens. *Prov. 3.17.* *Prov. 4.11.* *Prov. 4.18.*

XXIIII. Ipse enim fines mundi intuetur: & omnia, quæ sub cælo sunt, respicit.

3 Paraphrasis, contextus totius sententiæ.

DEus (inquit) nos docet Sapientiam quærere in cælestibus, & quæ supra nos sunt, *fontemq́ illius esse in excelsis*. Propterea nō esse stultis, & terrenarum opū consectatoribus perviam; Scriptum est enim, *Excelsa stulto Sapientia*. Fidendū, (inquam) est Deo docenti, non esse Sapiētiam sublunare aliquid, aut terrenum bonum; nam novit ille, utpote Creator universorū, quid cælorum ambitu, & terræ finibus contineatur; cujus valoris, & pretii unumquodque sit, quod infra cælum est: videt enim explorate omnia, atque librat, & ponderat quantumvis levissima; cujusmodi sunt venti, & stillæ imbrium. Hæc videtur esse simplex, & germana sententia usque ad vers. 26.

Prov. 24. 7.

4 נבט

Ipse enim intuetur. Videlicet ex proprietate vocis, respicit peculiari quadam affectione, & observatione, lustrat, perlustrat, circunspicit omnia. *Fines mūdi* prop. *Fines terræ*. Nā vox, *mundi*, varie sumitur a Vulgato Interprete, nūc pro terra, nūc pro toto orbe, nunc pro duratione Sæculi hujus; apud Latinos vero etiam pro aliis mundi partibus, & pro *inferno* ipso sumi solet nonnunquā apud Poetas, ut eruditi observāt. Probationem hanc atq; rationē sic construit Cajetanus; ut cū Deus prima regula sit omnium agendorum (videt enim omnia, quæ sub cælo sunt) singulis legē agendi, aut efficiendi præscribat; oportet etiā ipsum nosse, in quo consistat Sapientia practica, per quā homo in suis actionibus docetur, & instituitur quid agere debeat, & quid fugere. Nam mundi gubernator, cujus Providentia ad alia opera naturalia, etiam minima, se extendit, debuit etiam rationem agēdi præscribere homini. Sed præstat nexus, & constructio rationis, quam initio proposuimus, quo etiam modo accipit, construitq; Nicetas. *Qui cuncta* (inquit) *cognoscit, & qui est rerum omnium effector, is viam Sapientiæ novit*. Facitq; cum hoc, vox *Dei*, quæ vers. 23. est nomen judicis, tum præscribētis formam, legemq; agendorum; tum ex eadem formula, & lege judicaturi mortales. quæ lex, formulaq; videtur præscribi infra vers. 28. *Et dixit homini, Ecce timore Domini, ipsa est Sapientia, & recedere a malo, &c.*

Mundus quid apud Latinum Interpretem.

Vide Mart. Delrium in Senec. Herc. Fur. Act. 1 & in Hypol. act. 1.

Cajet.

Nexus sententiæ præstantior.

Nicetas.

XXV. Qui fecit ventis pōdus, & aquas appendit in mensura.

1. Facere *quid*. Ponderat *Deus res levissimas Scientia ventorum apud Salomonem.*
2. Metiri, *&* ponderare *pro eodem. Deus ponderator cogitationū. Illustrat. Samuel, &* Isaias.
3. Ponere, *quid*. Lex pluviæ *quæ*.
4. *Certa lex meteorologicarum impressionum*. Procella sonās *quid*.

NOn enumerat hos mirabiles naturæ effectus, ut inde colligat creatoris potentiā, sed ut exemplis confirmet, quod superius dixerat, Deum rerum universitatē, vires, & proprietates exploratas habere; nihilq; propterea latere illum posse, etiam levissima, & ignobilissima; & in illius justa trutina, & pondere nihil Sapiētię ex æquo præponderaree, nihilq; æque in honore, & pretio apud illum esse. Hæc est sententia, & nexus. I

Nexus, & paraphrasis sententiæ.

Qui fecit. Certa ratione, arte, industria aptavit, & quasi labore quodam fabrefecit. *Ventis*. in Hebræo, vento, aeri, spiritui. *Pondus*. Septuag. *Libramentum*; intelligit forte elementum aeris, quem quasi pendulum, & quasi Divinæ Potentiæ manu appensum, & in sublime elatum constituit, suamq; illi sphæram, & locum præfiniens, quasi libravit, & certo pondere, & mēsura moderatus est, non secus quam terrā, aut rem aliam graviorem; omnia insuper contulit, quæ illius naturæ pondus, & inclinatio postularunt, ut qui probe novit quantum ponderaret, quantiq; æstimari deberet. Non displicet observatio Vatab. *Facit aerem servare suam proportionem, & aquā similiter*. & ex his duobus reliqua elementa intellige, ut observavit August. *Tota* (inquit) *creatura per partem significatur*. Si autem de *vento* ipso (quæ est frequentior interpretatio) accipias, *Fecit ventis pōdus*, cum certam vim, & impulsum ventis indidit; ut nō nisi certo tēpore spirarent, ad certas definitasque regiones pervenirent, non eveherentur in sublime, nisi certa lege, & termino. quæ omnia, & quæ de ventis in universum quæri, & disputari solent, mirabilia sunt. Quæ nosse non est adeo minima Sapientiæ pars, ut Salomon inter res naturales insigniores, quas divinitus edoctus est, hanc ipsam nō enumeret Sap. 7. 17. 18. *Dedit mihi horū, quæ sunt, scientiam veram, ut sciam dispositiones orbis terrarū, consummationes temporum, stellarum dispositiones, naturas animalium, differentias virgultorum, virtutes radicum, vim ventorum, &c.*

עשה

שקל

Aeris mirabilis dispositio.

Vatabl.

August.

Ventorum dispositio mirabilis.

Ventorū sciētia non contēnenda.

Sed forte, *Feciſſe ventis pondus*, non tam eſt libratos illos, & quaſi certa quadam menſura expenſos creaſſe, ſed præparaſſe illis pōdus, & libram, qua, ſi quid forte excederent, aut plus juſto viderentur fremere, & incitari, ſtatim pondere, & bilancibus, pro ſuo juſti judicis, & gubernatoris ſapientiſsimi munere, coerceret, & moderaretur. *Hizo tambien ſu peſo, y fiel para los vientos.* Nihil eſt enim tam leve, tamq; vile, ac nullius ponderis, quod nō ille certis ponderibus examinet.

2 Deus omnia juxta ſuas naturas examinans.

Et aquas appendit in menſura. Aquila; *in commenſuratione.* Recte, *menſuram*, dixit; ut ſuis quæque rationibus accommodatis, & opportunis examinet, & dijudicet Deus; nam *numerat* ea, quæ multitudine conſtant; *ponderat*, quę mole, & magnitudine; at liquida, & effluentia *menſurat.* Ideo *in numero, pondere, & menſura* dicitur omnia *diſpoſuiſſe.* Ergo ventis *pōdus*, *aquæ menſuram* adhibet. *Appendere*, autem hoc loco, eſt proprie metiri, aut juxta pręſcriptum menſurā, pondusve præparare, dare, diſponere. Quare eleganter dixit Symmachus. *Aquā exæquabit menſura.* Vel dimenſus eſt. Alioquin, *Palmus* extenſus nō ponderat. & 1. Reg. 2. 3. ab eadem radice; * *Ipſi præparantur cogitationes.* id eſt, quaſi menſura quadā, pondere, & trutina menſurantur, & ponderantur; expendit, quanti quæque cogitatio ponderis ſit, quantíque momēti: quod vanum, & leve eſt, abjicit: quod ſolidum, & grave ſuo premio, quaſi in altera lance poſito, remunerat. Si igitur *aquam*, quæ viliſsima quædam res eſt, & maxime communis, *menſura* quadā certa elargitur Deus, quid ille ſine ratione, & digna æſtimatione conſtituet? Projiciet ne Sapientiam, quæ res eſt pretioſiſsima, inter ea, quæ terrena ſunt, & pili non facit? Vide Ezech. 28. 25. ubi ab illa ipſa radice, *appendendi*, commendat Deus ſuam hanc rationem cognoſcendi, & dijudicandi ponderis, & pretii cujuſcumq; rei. *Et dixiſtis*; * *Non eſt æqua via Domini.* (proprie, non ponderat Deus, quid facto opus ſit.) * *Numquid via mea nō eſt æqua; & non magis viæ veſtræ pravæ ſunt?* Id eſt, bene, recteque ego pondero, & ęſtimo cujuſque merita; vos vero iniqua trutina, & improbo examine res æſtimatis; & vos ipſos magnifacitis, quos ego flocci non facio: atque e contrario, levia vos cenſetis, quæ apud me graviſsima ſcelera ſunt. In Dei ergo ſtatera juſtiſsima, graviſsima eſt Sapientiæ dignitas, & momentum.

(⁂)

Sap. 11. 21.

תכן

Dei juſtiſsima trutina.

* Peſa los pēſamiētos, y los recibe, y paga por peſo, y medida.

Etiam res leviſsimas ponderat Deus.

Iniqua hominis ſtatera.

Haze de hecho, y no ſe para, a tomar el peſo, y la medida.

* Mi peſo es cabal, y el vueſtro falſo, y falſo.

❧ *XXVI. Quando ponebat pluviis legem, & viam procellis ſonantibus.*

NON conjungo cum ſuperiori ſententia; nam illæ particulæ non ſemper nectunt ſenſum: verum de elemento aquæ videtur præcedens ſentētia debere accipi; & hæc nūc & pręſens de pluvia, ut novi aliquid afferat. Nihil, inquit, eſt cujus locum, originem, tempus, terminoſq; omnes Deus non habeat perſpectos; ſive ea ſint, quæ perpetua ſunt, & ſemper conſtantia, ut elementa: ſive ea, quæ caſu videtur effici, & repēte exurgere, ut pluvia, & tonitrua; *Ponit* igitur, proprie, facit, pręparat, arte quadam, & ratione diſponit, *legem*, præceptum, ſtatutum. Tygurina, *dixit terminum*. videlicet conſtituendo, & præcipiendo, ut certo tempore, certaque proportione, & menſura pluat, pro ut rerum humanarum vel utilitas, vel recta moderatio, & Providentia exigit: *dat* enim *pluvias, & tempora fructifera*, ut Paulus dixit Athenienſibus Act. 14. 17. Tum etiam præſcripſit *pluviæ legem*, locumque deſignavit, quo loco effici, & creari debeat, & in quem locum defluere. de quo plura capit 37. & 38.

3 Particulæ ornatus, & trāſitionis gratia.

עשה

Tygur.

חקק

Et viam procellis ſonantibus. Ex hac certe ſententia elici poteſt, hanc rerum naturalium enumerationem fieri a Iob, ut cōfirmet, quod ſuperius propoſuerat, Deum noſſe viam, ſedem, originemq; Sapientię, ut qui viam, locum, certamque rerum omnium originem, atque principium idē ipſe conſtituat, diſponatque univerſis; non ſolum elementis, quæ ſuas ſemper ſedes retinent; ſed iis rebus, quæ vagæ, incertęque feruntur, pluviis, & fulminibus: non ſolum, inquam, loca deſignat, & regionē, inquam incumbere debeant *procellæ*, tonitrua, & fulmina, ſed etiā certa loca, certamque aeris regionem, in qua nubes cogi, fulgura edi, fulmina cōflari, & meteorologicæ reliquæ impreſsiones procreari debeant. *Procellis ſonantibus.* Septuag. Complutenſes legunt; *Viam in concuſsione vocis.* Auguſt. *Vim tempeſtatum vocibus.* neque enim *vis*, pro *via*, hoc loco omnino incommoda expoſitio eſt. Sic enim interpretatur etiam Nicetas, *Aeris ſonitus, tonitrus rationes, cauſas, vias, & motiones cognitas habet.* In Hebræo pro, *Procella ſonante*, eſt *Hhaziz*; quam vertit Vulgatus Iob 38. 25. *tonitruum*, & Zachar. 10. 1. *nives*, quāvis eo loco, *nubes*, legerint Cōplutēſes

4 Deus certas omnibus ſedes, & actiones præſcribens.

Complut.

Auguſt.

Vis pro via.

Nicet.

חזיז

Complutenſ. in Lexico.

ex ver-

ex versione Hieronymi, eādēq; significationem tribui illis ab Hebræis. Atq; Thalmudistæ, referente R. Mardochai, ajunt esse hoc nomen unum ex quinque nominibus nubis. Ajunt autem fere Hebraizātes omnes, cum Rab. Mardochai, esse *coruscationem, quæ præcedit tonitrua.* neque hoc est alienum a mente Vulgati, qui illā conjungit cum *sonitu*, id est tonitru. vertit autem *procellam*, vel *nubes*, quoniā hæc omnia conjuncta sunt, *Procella, fulgur, tonitruum.* elegantius vero quā Hebraizantes, Interpres noster dixit, *sonitum*, aut *sonans*; nā vox originalis non significat proprie tonitruum, sed vocem, clamorē, aut sonitum. Quamquam eadem voce etiam dici possint *tonitura*, quæ dicūtur esse *voces Dei*, & sic Exod. 9. semel vertitur *tonitrua*. Vide supra cap. 26. verf. 14. & inferius cap. 37. verf. 4. & 5.

R. Mard.

Quinque nubis nomina apud Thalmudistas.

Pagn. Regia. R. Mard.

קול

XXVII. *Tunc vidit illam, & enarravit, & præparavit, & investigavit.*

1. *Homo jubetur ex creaturis agnoscere creatorem.*
2. *Creatura tabella repræsentans creatorem. Creaturarum usus.*
3. Enarrare *quid. Lex agendorum homini statim proposita. Illustrati Moyses, & Ecclesiasticus.*
4. *Sapientia dux, & vexillum rerum omnium agēdarum.* Præparare *quid.*
5. *Deus Sapientiam proponit homini servandam, & servata rationem exigit.* Investigare *quid.*
6. *Sapientia requiescēs inter legis observatores. Explicati Baruc & Salomon.*

1 CVM (inquā) certis legibus universitatem creaturarum a se conditā naturæ auctor constringeret, tunc Deus in eam potissimā Sapientiam, & legem respiciebat, qua hominē esset gubernaturus, & quam oportebat hominem servare cognoscendo, & amando creatorē suum: nā voluit Deus hominē ex ipsis creaturis cognoscere, & amare suum opificē, tum etiā jam tunc illi revelavit supernaturaliū rerum fidem, quarum etiam spē, & charitatem ab homine requirebat: imposuitque præceptum de non edendo vetito pomo, in cujus observatione homo se præberet veræ Sapientiæ, veræque pietatis studiosum. Hæc interpretandi ratio bene cohæret cum antecedentibus, optime quoque cum versiculo sequente.

Sententiæ dilucida paraphrasis, & nexus cū sequētibus.

2 *Tunc vidit illam.* Nicetas videtur interpretari de *Sapientia*, quæ relucet in rebus creatis, quam dicitur Deus *vidisse*, cū *vidit universa, quæ fecerat, & erant valde bona.* *Tunc*, inquam, id est, in prima rerum creatione, cū naturæ universæ leges ferebat. *Qui postquam* (inquit Nicetas) *vidit illa esse valde bona, nunc nobis Sapientiā explicavit suorum effectorum tabella, quasi quadam nobis proposita, in qua illius Sapiētiam cerneremus; atq; a creaturarum pulchritudine, & magnitudine, Sapientiæ ipsius invisibilia comprehenderemus*. D. Thom. & alii Latini nimium subtiliter hoc loco theologizāt. Sed illud videtur ad rē, ut dicatur Deus in ipsa rerum cratione Sapientiā *vidisse*, prævidisse, observasse; quia propter hominem cūcta creavit, ea ratione, & mēsura, quæ homini adducere, & suadere posset sui opificis nō solū cognitionem, sed venerationem, & cultum. Tum etiam in ipsis rebus creatis *vidit* Deus Sapientiam illā practicā, cū circa usum creaturarū certā legem, & rationē agendi præscripsit homini, prævidit q;, quis futurus esset in creaturarum usu Sapiens, quis insipiens, cui mundus futurus esset in occasionem Sapiētiæ, & boni; cui in deceptionem, & lapsum; sicut scriptum est. *Creaturæ Dei* (quas ille ad usus nostros, & suam gloriam creavit) *in odiū* (ad usus nefarios, & odibiles) *factæ sunt* (ab idololatris, & fide carentibus hominibus) *& in tentationem animæ hominū, & in muscipulā pedibus insipientium.* (dum non solū non agnoscunt creatorē ex creatura, sed creaturam pro creatore stulti adorāt.

Nicetas. Genes. 1. 31.

D. Thom.

Creaturæ propter hominē factæ.

Sap. 14. 11.

3 *Et enarravit.* Septuag. *Exposuit eam.* Nicetas accipit de Sapientia creaturis ipsis quasi immista, quam Deus visendā, & cōtemplandam proposuit in ipsis creaturis. D. Thom. *Manifestavit Angelis.* Cajetan. Revelavit primo homini; ut testatur lex lata de cibo vetito. Non displicet hoc ultimum; nā Sapiētiam, quæ est recta ratio agendorum, & obedientiā Divinæ legi, tū etiam legem Fidei, & Charitatis supernaturalis proposuit homini, & utriusq; tam naturalis, quā supernaturalis observationem requisivit ab homine. Congruit cum hoc sensu verbum, *enarrādi*, quod proprie etiā vertere possis, *scripsit*, vel, *numeravit*. nam verbū, *çaphar*, est idem quod nostrū Hispanū, *Contar*; quod dicitur vel de narratione, vel de numeratione, & supputatione, quę fit vel verbo, vel libello, & scriptura. Quare dicetur Deus *Sapientiam*, id est, pietatis, & agendorum legem * *Numerasse*, supputasse quasi ex libello, & scripto tradidisse, ut cujus rationem exacturus esset, & universas hominis actiones ad numerum, & rationē revocaturus. Cōjungere solet Scriptura cum hominis, mūdiq; totius creatione, legis præscriptionē

Varia enarratio.

Nicetas. D. Thom. Cajet.

Deus quasi ex scripto, & numero requireus ab homine præceptorum obedientiam.

ספר

* Diole Dios la Ley por quēta, y armosela en sus libros luego en criādolo.

& judicis nomen exacturi ab homine exactissimam vitæ rationẽ: *In principio enim creavit Deus,* (Elohim, judices, Deus judex, qui mundi propter hominem creati, usum ipsi homini permisit, sed rationẽ redditurο) *Cælum, & terrã.* & Eccles. 15. 13.16. *Non dixeris per Deum abest* (supple, mihi Sapientia.) *quæ enim odit, ne feceris. Deus ab initio cõstituit hominem, & reliquit eum in manu consilii sui. Adjecit mandata, & præcepta sua. Apposuit tibi aquam, & ignem. Ante hominem vita, & mors, bonum, & malũ quod placuerit ei, dabitur illi.* Hæc est Sapiẽtiæ enarratio facta homini jã inde a sua prima conditione, & hic, ut ita dicam, rationum alveolus, & codex scriptorius, vel supputatorius.

4 Philipp. *Et præparavit.* Philipp. *Præparavit eam cordibus fidelium futurorum.* q. d. non solũ primo homini eam veræ Sapientię legem proposuit, sed cunctis etiã hominibus eãdem proponendam preparavit. Dura, & coacta interpretatio. Cajet. Cajetan. *Præparationes, id est, viam ad Sapientiam decrevit.* Hæc quoq; expositio, nunc non bene cohæret. D. Thom. D. Thomas non refert ad ipsam Sapientiam, sed ad cæteras res creatas: *Præparavit* (inquit) *orbẽ in Sapientia.* Sed hoc multo minus placet. Dionys. Illud vero maxime displicet, quod ait Dionysius; *Præparavit, id est, hominibus dare disposuit, eorumq; corda ad illã aptavit.* Sed illud paulo melius, quod dicatur *præparata Sapiẽtia,* ut cum ipsa sit, cunctarum rerum, actionumq; humanarũ regula, non nisi juxta illius præscriptum, sua officia, actionesque cuncta obirent. Theodotio. Cui interpretationi videtur posse favere Theodotio legens: *Ordinavit eam,* nã hæc loquutio pertinere solet ad militiæ ordinem, & disciplinam, cum milites redigũtur in ordinẽ, ut suo Imperatori pareant, (Sapiẽtia rerum creaturarum dux.) atq; in suum vexillũ respiciant. Sic igitur videtur *ordinata Sapientia* in orbe terrarũ, quasi dux, vexillumq; in quod cuncta intueantur. Sed juxta vocis proprietatẽ, & cõsuetã phrasim Scripturarũ, illud melius (כון) quadrat, ut dicatur Deus *præparasse* Sapientiam, id est, firmasse, & stabilisse, firmã, & ratam voluisse, proposuisseq; perpetuo servandam tũ naturæ ipsi, tũ homini, tanquã humanarũ actionũ certã regulã.

5 Dionys. *Et investigavit.* Dionysius; Deus investigavit, & consideravit, an veraciter homo illam haberet, & quẽ invenit insipientem, a se repulit. Sed non quadrat, cũ hæc omnia de ipsa Sapientia accipi debeant. Cajetan. Cajetanus: *Quod Deus investigat, & quærit homines volentes Sapientiæ donum,* (Deus quærẽs Sapiẽtiæ amatores.) quibus aditũ patefaciat ad illius thesauros, cum quo illa omnia loca faciunt, quæ jubent quærendam Sapientiã studiose, & diligẽter. Illud videtur paulo subtilius, neq; nõ egregie cohærere cũ illa inveniendæ Sapientiæ difficultate sæpius proposita in hoc capite; *Deus,* qui locũ Sapientię probe novit, is ipse est, qui illam quærit, & investigat, investigatamq; atq; inventã proponit homini; ne vel homo causetur Sapientiã sibi esse inventu impossibilem, vel causetur suam insipientiã, offert Deus homini Sapiẽtiam erutam jam, & deprõptã ex suo Thesauro. (Subtilis, & cohærens expositio.) Tum etiã *investigavit,* & ut ex proprietatę verbi originalis colligitur, *scrutatus est,* (חקר) Consideravit præterea, & observavit, an legem, quã servandã ille pręcepit, & firmam stabilemq; esse voluit, servaret ipse homo; exploravit diligenter qua ratione homo se gereret erga Divinã legem. (Deus Legem semel traditam, exactissime exigẽs ab homine.) q.d. Non obliviscitur Deus legis a se traditæ, sed quamvis videatur *abiisse in regionem longinquam,* (Luc. 5.13.) exigit tandem rationem, & post gustatum vetitum pomũ, *deambulat* tandem in paradiso accersens, redarguensq; præcepti transgressores. (Genes. 3.8.) Cum hac exponendi ratione facit, quod elegãter scribit Nicetas: (Nicetas.) *Qui nomine* (inquit) *Sapientiæ pietatem adversus Deum intelligunt, ajunt a Deo depromptã nobis, traditamq; esse rationẽ, quemadmodũ sentire de illo debeamus: nec non quemadmodum ad ea, quæ eundem parentem habent, nobis sit accedendum.*

6 Illud etiam cũ hoc facit, quod plerique dicunt, Deum *investigasse Sapientiam,* quia investigare nos docuit, cum legẽ a nobis, legisq; obedientiam requisivit. Nã illa est *vera Sapientiæ investigandæ,* & inveniendæ via, observatio legis, & præceptorũ, (Sapientiæ investigãdæ via observatio Legis.) sicut Baruc. 3.9. dicitur: *Audi Israel mãdata vitæ auribus percipe, ut sciatis prudentiam, Dereliquisti fontem Sapientiæ. Nã si in via Dei ambulasses, habitasses utiq; in pace super terram. Disce ubi sit prudentia, ubi sit virtus, ubi sit intellectus; ut scias simul, ubi sit longiturnitas vitæ, & victus, ubi sit lumẽ oculorum, & pax.* Quare inferius vers. 37. cũ de lege populo data, lataq; in Monte Sinai loquitur Propheta, tũ etiam, & de lege Evangelica (nã utraq; lex ad veram Sapientiam, veramq; instituendæ vitæ, & formandarum actionum rationem spectabat) ait: *Deus adinvenit omnẽ viam disciplinæ, & tradidit illam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.* q.d. Idẽ ipse antiquæ Legis Lator, cõmõstratorq; antiquæ Sapientiæ, illã promovit, & ad *perfectũ adduxit* factus homo. (Heb. 7.19.) Deinde vero initio c. 4. sequentis rem totam elucidavit Baruc; *Hic liber mandatorũ*

Dei,

Dei, & lex, quæ est in æternum. Omnes, qui tenent eam, pervenient ad vitam; qui autē dereliquerunt eam, in mortem. Convertere, Iacob, & apprehēde eam; ambula per viam, & splendorē ejus, contra lumen ejus. ubi Theorodor. observat, cum Deus dicitur: *invenisse Sapientiã*, dictũ esse humano more; ipse enim est Sapiētiæ fons: Quare ipsum invenire, vel *investigare Sapientiam*, forsan est, Sapientiam apud ipsum inveniri, & investigari. Hinc videas Ecclesi. 24. 10. Sapiētiã sic de se loquentē, *In omni populo, & in omni gēte primatum habui; & omniũ excellentiũ, & humiliũ corda virtute calcavi* (quod enim primũ, excellentissimumq; in omni republica esse potest, ac debet, pietas est, veraq; religio) *& in his omnibus requiem quæsivi, & in hæreditate Domini morabor.* (cũ enim reliqui populi ex certa lege, & præscripto a Deo tradito non viverent, quæsivit Sapientia, ubi per legē traditam, servatamq; quiescere, & demorari posset) *& dixit mihi, in Iacob inhabita, & in Israel hæreditare, & in electis meis mitte radices.* videlicet cũ De⁹ bene vivēdi leges traderet perpetuo servādas, dixit Sapiētiæ, ut perpetuo moraretur inter Israelitas, & quasi per legem datam se se insinuaret in illius populi familiaritatem. Atq; hæc est illa peculiaris requies, & inhabitatio Sapiētiæ in Israel, quam Baruc quoq; per ipsam legē datam exponit c. 4. 3. *Ne tradas alteri gloriã tuam; & dignitatem tuam gēti alienæ. Beati sumus Israel, quia quæ Deo placent, manifesta sunt nobis.* Quod idem est cum illo Ps. 147. 10. *Qui annuntiat verbũ suum Iacob, justitias, & judicia sua Israel, non fecit taliter omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis.* Quæ legis acceptę dignitas eadem est, cum Sapientiæ acceptæ dignitate. Sicut clarius dixit Moyses pupulo Devt. 4. 5. 6. *Scitis, quod docuerim vos præcepta, atq; justitias, sicut mãdavit mihi Dominus Deus meus: Sic facietis ea in terra, quam possessuri estis, & observabitis, & implebitis opere. Hæc est enim vestra Sapiētia, & intellectus coram populis, ut audientes universi præcepta hæc dicant, En populus Sapiens, & intelligens, & gens magna.* Sed eidem populo Divinorum præceptorũ transgressori, ne vana Sapientiæ opinione gloriaretur, dictũ ab eodem Moyse est, Devt. 32. 29. *Gens absq; consilio est, & sine prudentia, utinam saperent, & intelligerēt.* & iterũ, a Ierem. *Stultus populus meus, me non cognovit; filii insipiētes sunt, & vecordes; Sapientes sunt, ut faciant mala, bene autē facere nescierunt.* & iterũ: *Quis cæcus nisi servus meus; & surdus, nisi ad quē nuntios meos misi? Quis cæcus, nisi qui venundatus est? & quis cæcus, nisi servus Domini?* & illud tandē; *Quomodo dicitis, Sapientes nos sumus, & lex Domini nobiscũ est? Vere mendaciũ operatus est, stilus mendax scribarũ. Confusi Sapientes, perterriti, & capti sunt: verbũ enim Domini projecerunt, & Sapientia nulla est in eis.*

Thedoret.

Loquutio de Deo humano more.

Pietas in Rep. potissima.

Sapientiæ requies in Legis observatione.

Sapientia, & vivendi lex.

Abest Sapientia Legis trãsgressoribus.

Ierem. 4. 22.

Isai. 42. 19.

Ierem. 8. 8.

XXVIII. *Et dixit homini; Ecce timor Domini, ipsa est Sapientia: & recedere a malo intelligentia.*

1. Dicere. *Cur dicatur* Sapientia effusa *super res omnes. Veræ sapientiæ definitio.*
2. Ecce. *Veræ divitiæ quomodo obtinendæ. Præce.*
3. Timor *quid. Veræ Sapientiæ elogium.*
4. Iudicii, & Intelligētiæ *finis, recta operatio.* Stultus, & Mendax, *qui male agit. Scire pro agere, Illustrati Isaias, Habacuc, Ioannes.*
5. *Vera Sapientia cum sanctitate conjuncta.* Initium Sapientiæ *quod? Explicati Moys. Salom.*
6. *Pulchra allusio ad lignũ Sciētiæ boni, & mali.*

HAec est totius capitis lōge gravissima, verissimaq; clausula. *Et dixit.* Pręscripsit, edixitq; homini verã sapiendi, veramq; vivendi legem. Subtilis est illa Vatabli notatio, & nexus exquisitus hujus sententiæ cũ superiori; *& dixit*, id est, dũ hæc faceret, visus est, quasi dicere homini, eundemq; admonere, quid esset vera Sapiētia; videlicet, Divinæ legis, præceptiq; custodia. Atq; ni fallor, hæc est ratio, propter quam dicitur Deus *Sapientiã effudisse super omnia opera sua*, *Sapientiaq; astitisse* in omnium rerũ creatione, quod legem perpetuo servandam cunctis rebus inderet, obedientesque suæ voluntati, & legi cunctas efficeret; quæ videtur esse veræ Sapientiæ definitio.

1

Clausula omnium dictorũ. *Vatab.*

Subtilis nexus.

Ecclesi. 1. 10.

Prov. 8. 27.

Ecce, rem omni observatione dignissimã; non enim exigit Deus ab homine, ut vel terras pervagetur, vel trãsfretet maria, vel recōditos terræ, ac maris sinus penetret, & evertat, si ditescere veræ Sapientiæ opibus velit, sed tantũ, ut quã ille cōmōstrat Sapientiam, amet, & Numē cognitum veneretur, & colat. Nulla hic excavandi montes, & perveniendi ad argēti venas, & ad locũ, in quo aurum conflatur, opera, & labor, nulla cum Gryphis, & serpentibus pro auri glebis dimicatio, nulla inveniendi Sapphiros, Sardonyches, Topazios de *Aethiopia*, & de ultimis *Indiæ* finibus difficultas, & temporis, operæq; dispendium: tantũ suademur *Cōgregare* nos in disciplinæ *domum*; Emere ab illa *aurum ignitum*; *Appropinquare pedibus Dei, & accipere de doctrina illius*; *Diligere, quærere* illã; *Cogitare de illa*; *Vigilare propter illam*; *Incli-*

2

Ecclesi. 51. 31.

Devt. 33. 3.

Apoc. 3. 28.

Prov. 2. 2. *nare cor* ad cognoscẽdam prudentiam; *Invocare* Sapiẽtiam; Petere a Deo, *ut mittat illã de cœlis sanctis suis, & a sede magnitudinis suæ, ut nobiscum sit, & nobiscũ laboret, ut sciamus quid acceptum sit apud illũ, & deducat nos in operibus nostris sobrie, & custodiat nos in sua potentia*: Nam a diligentibus, & quærentibus invenitur facile; *& præoccupat, qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat, & optanti datur sensus, & in invocantem venit spiritus Sapientiæ.* Sap. 6. 13. 7. 7.

3 Timor pro religione. LXX.

Timor Domini ipsa est Sapientia. Dixi de timore supra cap. 1. ubi etiam exposui, qua ratione accipiatur pro Pietate, & religionis cultu. Hoc autem loco recte explicarunt Septuag. quid esset timor, *Ecce cultus Dei est Sapientia, & recedere a malo intelligẽtia.* Quod Septuag. dixerunt: *Abstinere a malis.* Est enim hæc duplex perfectæ justitiæ pars. Est autem elegans Isidori hujus loci cõmentarius, *Re ipsa* (inquit) *summa Sapientia est, vera de Deo opinio, scientia vero summe Divina, actio optima. Illa de Deo verã sentẽtiam assequitur, hæc a malis abstinet. Illa verbis de Deo Divinisque rebus disputat; hæc agendi laude cõmendatur. Si ergo is, qui Deo charus, & amicus est, scit ac sapit, utramq; est amplexus virtutẽ, tum eam, quæ in cõtemplando, tum illam, quæ in agendo versatur, & illã quidem, tanquã animam, hanc vero veluti corpus. Sane supervacanea est eorum hominũ philosophandi ratio, qui optimæ disciplinæ, ac vitæ despicientes, in procudenda tantum lingua, atque in orationis concinnitate studiũ ponunt.* Videndus quoque in Catena Græcorum ad eãdem rem Gregorius Theologus, atque Chrysostomus. Isidor. Nazianz. Chrysost.

4 Cur sapientia, quæ intellectus est, voluntati tribuatur.

Sed cum sæpe hoc capite, tum vero potissimum versiculo præcedente, verã Sapientiam definierimus, quæ in actione, & legis observatione consistit, atq; nunc etiam, quæ in Dei timore, & vera pietate, ac religione versatur, breviter explicandum est, Quare quod propriũ intellectus esse videtur, id est, *sapere*, voluntati, imo vero, & actioni ipsi tribuatur? Cujus rei, una, vel altera assignari potest ratio. Prima, quod (ut Ambrosius ait sermone 16. in Ps. 118) *judicii finis est Iustitia*, id est, rectæ intelligentiæ finis est recta operatio: Stultissimum autẽ videtur rectam intelligentiam, rectumq; judicium in pravã operationem evadere. Igitur stultus ille est, qui rectam intelligentiã cum pravo opere conjungit, sicut sapientissimus, qui par pari copulat, & res inter se nexas, & cognatas, quas Deus conjunxit, non separat: hic enim adæquat, & conformat voluntatem suo judicio, quæ est Sapientiæ, & veritatis definitio, & ratio. At qui peccat, si verum agnoscat, veritatem illam, & conformitatem operis ad suã regulam minime servat, hic stultus, mendaxq; est. Hinc illud 1. Ioan. 2. *Qui dicit, se nosse Deum, & mandata ejus non custodit, mendax est, & veritas in eo non est.* & Ierem. 7. 8. *Vere mendacium operatus est stylus mendax scribarũ*: nã scribunt leges, quas minime ipsi servant. Sic Christus Dominus Ioannis 8. Gloriãtibus Pharisæis de Abrahamo parente, illiusq; fide, exprobrat hujusmodi ignorantiam, & stultitiam, & ingenium vere diabolicum, atq; mendax. *Vos* (inquit) *ex patre Diabolo estis. Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit.* Cum enim Deũ cognovisset, non sicut Deum glorificavit. & infra: *Pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis, quia Deus vester est, & non cognovistis eum; ego autem novi eum: & si dixero, Quia non scio eum, ero similis vobis mendax. Sed scio eum, & sermonẽ ejus servo.* Id est, (ut interpretatur Theophilactus) *quia sermonẽ ejus servo*, vel, ut particula illa, *&*, sit expositiva: *Scio*, &, id est, servo. Hinc est, quod res inter se nexas, cõjungit, frequẽter Scriptura, videlicet, *judicium, & justitiã*, id est, rectam rationem, rectamq; agendorũ intelligentiam, & præterea ipsam actionẽ: diciturq; ipsum *judicium fieri*, sicut, & ipsa justitia; aut *custodiri*, sicut præceptum. Ps. 118. 121. Ps. 105. 2. Proverb. 1. 3. & Prov. 2. 9. Vnde videtur cõqueri Habacuc, *quod non perveniat usq; ad finem judicium*: id est, quod nõ evadat usq; ad rectã operationẽ quæ est finis judicii practici. Quare tantã impiorum justitiam, qui cum videant, & intelligant, perinde labuntur, & corruũt, ac si nihil viderent, notat Isaias loco nuper adducto; c. 42. 19. *Quis cæcus, nisi servus meus? Qui vides multa nonne custodies? Qui apertas habes aures nonne audies?* Vide Ioannis 9. 39. & infra, *In judiciũ ego in hũc mundum veni, ut qui non vident, videant* (& vivant etiam, ambulentq; quasi videntes) *& qui vidẽt* (adepti videlicet veram Dei, & agendorũ intelligentiam) *cæci fiant.* (id est, vivant, ambulentq; ac si vere cæci essent.) *Et audierunt quidam ex Pharisæis, & dixerunt ei, Numquid & nos cæci sumus? Dixit eis Iesus: Si cæci essetis, non haberetis peccatum. Nunc vero dicitis, Quia videmus, peccatum vestrum manet.* Atque hos quidem ipsos suis coloribus depingit Paulus ad Tit. 1. 16. *Qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Theologi in hanc ipsam rem subtiliter disputant, quod omnis peccans sit ignorans.

Cur Scribarũ stylus mẽdax. V. 43. 44. 55. Cur Diabolus in veritate nõ permansit. Theophil. Particula &, causalis, aut expositiva. Iudicium, & Iustitia curcõ jungantur. Habac. 1. 4. Cæcus in Sacro sermone, qui perinde impingit, ac non videret. Prima ratio, atq; respõsio. Ambros. Peccãs stult'.

5 Secunda ratio, & dubitationis responsio.

Secunda ratio, quod omnis Sapientia

eſt participatio quædam Dei, & ſplendor quidam ſuperni luminis. Vera igitur Sapientia illa eſt, quæ ſuam originem repetit, & hominem cum Deo conjungit, non ſolum intellectu, ſed voluntate, moribus, actionibus, quæ quidem *faciunt eſſe ſimilẽ Deo.* (Sap. 6. 20.) Eſt enim vera Sapientia illa, quæ *de ſurſum eſt,* fons aquæ vivæ *ſalientis in vitã æternam,* (Ioan. 4. 14.) & eo geſtiens conſcendere, unde ducit originẽ, juxta id Eccleſi 1. 1. *Omnis Sapientia a Domino Deo eſt, & cum illo fuit ſemper, & eſt ante ævũ. Fons Sapientiæ, verbum Dei in excelſis, & ingreſſus illius mandata æterna.* Sic ait Moyſes Devteron. 33. 3. *Qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius.* id eſt, qui illum ſequuntur, ambulant in viis ejus. vel, ut Septuaginta (LXX) dicunt, *Hi ſub te ſunt:* id eſt, ſe penitus illi ſubjiciunt, ut edoceãtur verã Sapientiã. Vide id Ioannis 6. 45. *Erunt omnes docibiles Dei. Omnis, qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me.* Hæc eſt illa Sapiẽtia, quæ inclinat hominis cor, & animum atque greſſus ipſos dirigit, & impellit in *vias, quæ a dextris ſunt;* (Prov. 4. 27.) hæ enim ſunt viæ, *quas novit De⁹.* Scriptum eſt enim, *Cor Sapientis in dextera illius.* (Eccleſ. 10. 2.) Cum enim, *Cor,* Sapientiæ, atq; intelligentiæ ſedes ſit, cum ipſius Sapientiæ virtute, & benficio, ad ea, quę dextra, quęque meliora ſunt, cor, animuſq; diriguntur, & ad Deum impelluntur, argumento eſt, veram illam eſſe Sapiẽtiam: *Cor autem ſtulti in ſiniſtra illius.* Quare vana illa Sapientia, atq; ſtulta cenſetur, quæ hominẽ vel a Deo ſeparat, vel cum illo non conjũgit; ſicut Pſ. 93. 11: dicitur: *Dominus ſcit cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt.* Quod explicuit Paulus. 1. Corinth. 3. 20, *Dominus novit cogitationes Sapientum; quoniam vanæ ſunt.* Quare ſtatim ſubdit David: *Beatus, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum.* Sic Coloſſens. 2. 8. appellatur *deceptoria Philoſophia, & inanis fallacia ſecundum traditiones hominum;* id eſt, quatenus refertur ad homines; non vero ad Deum, qui eſt toti⁹ Sapientiæ fons, & prima origo. Hinc facile perſpicitur, qua ratione dicatur, *Timor Domini* eſſe *ipſa Sapientia.*

Cor Sapiẽtiæ ſedes ad meliora propenſum.

Cur dicatur Philoſophia inanis.

Sed hæc ipſa ſententia paulo ſecus habetur apud Eccleſiaſticum, nam c. 1. 16. dicitur: *Initium Sapientiæ timor Domini.* & cap. 1. 22. *Corona Sapientiæ timor Domini.* & cap. 21. 13. *Conſummatio timoris Dei, Sapiẽtia, & ſenſus,* & cap. 16. *Radix Sapientiæ eſt timere Deum, & rami illius longævi.* & cap. 1. 20. *Plenitudo Sapientiæ eſt timere Deum.* Quæ omnia fere eandem ſententiam habent: nam quod dicitur: *Initium Sapientiæ,* alii legunt: *Primitiæ Sapientiæ.* Quod interpretantur, primum, præcipumque. ſed *Primitias* has ego ſic accipio, quod velit Deus ſibi ferri in acceptis, offerrique velut in ſacrificio Sapientiã, ut agnoſcamus illius donum eſſe. Divus Thomas, *Initium Sapientiæ* dixit eſſe *timorem Domini,* (D. Thom. 2. 2. q. 19. a. 7.) id eſt, primum Sapientiæ effectum. Quod vero deinde dicitur: *Corona, aut, plenitudo Sapientiæ, timor Domini,* ſignificat ſane Sapientiam vere perfectam, vereque Regiã eſſe, quæ cum religione, & pietate conjuncta eſt: ſordidam vero, planeque ignobilem, quæ ſejuncta eſt a vera pietate, & religione. Neque ſolum timorem Dei eſſe *Coronam,* ſupremumque Sapientiæ honorem, ſed radicem etiam, atque fundamẽtum: nam *in malevolam animam non intrabit Sapientia, neque habitabit in corpore ſubdito peccatis.* (Sap. 1. 4.)

Iobi ſentẽtia cum aliis Scripturis collata.

Sapientia aliquid ſublime, & regale.

6

Illud tantum dignum videtur, quod nõ prætereamus, non obſcuram eſſe hujus loci alluſionẽ ad *Lignum ſcientiæ boni, & mali:* Cũ enim cætera, quę dixit de lege, pluviis, ventis, aliiſque rebus naturalibus a Deo lata, videantur reſpicere ad primam illam rerum creationem, & conſtitutionẽ univerſi, hæc quoq; ſententia nõ ſine elegãtia, & utilitate doctrinę eodem videtur referenda, ut notet Iob vel primæ mulieris vaniſsimã illam curioſitatem, vel ſerpentis etiam callidiſsimi fraudem, noxiũ illud ſciendi deſiderium ſuggerentis, *Eritis ſicut Dii, ſcientes bonum, & malum.* (Geneſ. 3. 5.) Atqui (inquit Iob) vera Sapientia proſequendi bonum, fugiendi malum, obtineri debuit obedientia, & obſervatione præcepti de non guſtãdo interdicto pomo: hæc enim unica, ac vera Sapientia eſt, Deum colere, & ab iis recedere, & abſtinere, quæ ille fugienda præcipit: nam & res ipſæ, quæ rationis, & intelligentiæ participes non ſunt, ſapientiæ tamen participes eſſe dicuntur, quod auctori naturæ, neceſsitatiſque legem nunquam non ſervent.

Illuſtris alluſio ad lignum Scientiæ.

Vera Sapiẽtia obtinetur obedientia.



NOTATIO *RERUM INsigniorum, quæ in Commentariis fusius explicantur.*

PARAPHRASIS Capitis præcedentis.

CAPUT XXVIII.



N EODEM INSTITUTI MEI Cardine semper consistã, [a] nimirum ut asseram jam tandem, quamvis impiorum vita, exitusque interdum acerba, & calamitosa sint, at frequẽter eadem vel bona, vel mala impiis, atque sanctis communia esse. Est enim hujusmodi varietatibus, atq; vicissitudinib⁹ obnoxius istius mũdi status. Ratione tamen atque Providentia summa cuncta gubernari. Si enim cũcta Deus ratione disponit elementa, metalla, cæteraq; id genus, quanto magis humana certo consilio, atque arcanas rerum rationes ordine administrat? Quamvis autem causas, atque abstrusas rerum rationes non possimus nos plene assequi, at non ideo temere aliquid ex nostro cerebro statuendum est; veluti si ærumnas omnes ad occultum aliquod scelus reuocare velis. Sed Dei Sapientiæ, atque Providentiæ nobis occultæ suppliciter obsequendum. Propterea quæ latent in terræ visceribus, humana tandem industria penetrari, & erui possunt; at quæ in Divina mente latent, quis pervestigare valebit? Vnũ illud certum, & constitutum præmium est proprium, ac peculiare pietati, nimirum Sapientia vera ac solida, a qua impii abhorrent omnes, quãvis auro, atq; argento, gemmisq; pretiosissimis circumfluant, & iis, quos terra fert, fructibus amplissimis affluant. Sed ut hæc, quæ dixi, confirmẽ, pauca quædã ex natura exempla proferam.

a De hujus capitis fine, & nexu prævia, & necessaria observatio a n. 1. usq; ad 4.

Est quidem [b] argenti mirabilis, nimiumque occulta nativitas, nimiumque abstrusus locus, in quo conflatur, at tandem exitum quærit, &, instar germinantis ex terra herbæ, se se prodit, ac signis quibusdam sui pervestigatores admonere videtur viæ, & rationis, qua illud effodere possint, atque in lucem, utilitatemque commũne proferre. Nec non [c] aurum, in quo expurgando, conflando, percolando, cælando tamtopere humana industria laborat, certe a natura etiã mundissimum, atq; expurgatissimum effici solet, rude licet, atque infectum, sed tamẽ colore, atq; nitore humanos oculos nõ solum præstingente, sed mirabiliter exhilarãte, atq; pelliciente, & suæ nativitatis locum occultis quibusdã notis, & quasi nutibus commonstrante.

b De Argenti nomine, nativitate, generatione, inventione, quædã opportuna n. 2. & 3.

c De Auri similiter nomine, natura, aureis cætenis, plura speciosa æque, ac utilia n. 4. & 5.

1 *Habet argẽtũ venarum suarũ principium: & auro locus est, in quo cõflatur.*

Quid de [d] ferro dicam, quod auro etiam gratius inter bella, cædesque existit? Illius certe fodinæ minus abditæ, minusque profundæ sunt, nimirum ipsi supremo pulveri valde vicinæ; materia vero, terra ipsa parum excocta, pulveris instar effoditur, quæ deinde artis beneficio compingitur, & formatur in ferrum, suamque gratiam rependit terræ, ex qua desumptum est: ferro enim tellurem scindimus, serimus arbusta, ponimus pomaria, vites squallore deciso annis omnibus cogimus juvenescere. Ferri vero pars defæcatissima, & quasi nucleus, nimirum Chalybs; similiter æs, quod ipsa terra, instar præduri lapidis, creat (aliquando enim, ut lapis cæditur, illius videlicet materia concrescente in lapidem) accedente igne, sine cujus beneficio, & virtute iners, irritusque esset artis labor; ad usus humanos liquatur, & funditur: & interdum etiam eo progreditur humana industria, atque Sapientia, ut siccissimos, durissimosque lapides emolliat, colliquatosque fundat.

d De Ferri natura, & usu opportuna quædã, tum etiam de peculiari illius cum terra cognatione n. 1.

2 *Ferrum de terra tollitur, & lapis solutus calore in æs vertitur.*

3 *Tempus posuit tenebris, & universorum finem ipse considerat: lapidem quoq; caliginis, & umbra mortis.*

Idem itaque ipse naturæ sapientissimus artifex, qui suum nocturnis tenebris spatium cum luce divisit, tempusque constituit, cum luci adventanti cederent, terminum res occultandi præscripsit; atque idem ipse rebus non existẽtibus, profunda quadam caligine immersis, suum tempus præfixit, cũ emergere in hanc lucem deberent. Cõstituit quoque rebus istis pretiosissimis in obscuro delitescentibus, & vel in terræ visceribus, vel in profundo mari subsidentibus tempus suum, cum industria humana ad mortalium sive piorum, sive impiorũ usus, & cõmoditates essent producendæ. Quantus igitur Divinæ lucis splendor, sine cujus splendore cæca essent omnia! Quam mirifica illius Providentiæ ars, & ratio, quæ homini commõstrat viã, qua res diuturna obscuritate obsitas, patefaciat, atque eruat! Temporis præterea opportunitatem expectat, & observat, quo quæq; res perfectionem suam, atque absolutionem assequatur, ne nisi omnibus suis expleta numeris in mortalium oculos incurrat. Quare non solũ metallis profundissimis latitandi tempus præfinit Deus, sed universis etiam aliis, quantumvis reconditissimis, & invẽtu difficillimis, suæ caliginis, & ignorationis, suæ quoque lucis, & conspectus articulum, & horam designavit. Omnia itaque sua Providentia cõplectitur, omnium exitus, & eventa subtilissime cognoscit, principia ipse instituit, progressiones etiam moderatur, & regit, & absolutiones cõfert perfectissimas. [e] Namque non minori quidem Providentia, atque Sapientia ex informi, obscuraque materia, plurima speciosissima, & eximie formata corpora educit, rupes ingẽtes, & profunda caligine demersas perscrutatur, ipsosque præcelsos montes vel nubibus obscuratos, vel solis ardoribus exustos, ac denigratos evolvit, & explicat, quo pretiosos lapillos delitescentes eliciat. Tandemque docuit homines rationem, qua saxosas montium cavernas, atq; radices ingẽti licet vitæ discrimine excavatas subirent, ut quæ natura occultavit, ac demersit, quamvis invita, & repugnantia in lucem traherentur.

e De lapide caliginis, id est, obscurissimis specubus, & cavernis, de fodiẽdorum metallorum, excavandorumque montium ratione, quædam opportuna n. 5. & 6.

4 *Dividit torrens a populo peregrinãte eos, quos oblitus est pes egentis hominis, & invios.*

Illud quoque ad insignem Dei Potentiam, atque Sapientiã, & mirabile naturæ artificium spectat, quod aliquãdo ex abditissimis terræ, ac montium antris erumpant flumina, tantaque aquarum copia exundent, ut frugiferos agros operiant, desertisque prioribus alveis, profundissima quæque patefiant. Ac tunc quidẽ ea loca, quæ pedes peregrinantium hominum nunquam attigerant, sicco vestigio, ac firmo gressu pertransiri possint: tantumq; valet interdum humana industria, ut fluviorum cursum, quoquo velint, detorqueant, profundũ abyssi aperiant, & iter illac constituãt expeditum, & facile, ubi nunquam impressa cernebantur humana vestigia. [f] Contingit etiam non raro, ut torrens aliquis, cujus propriæ sunt temporales exundationes, & fortuitus, incertusque alveus, quippe quem efficit impetus cõfluentium aquarum, separet, arceatque longius vicinorum locorũ accolas, illisq; antiquas suæ habitationis sedes inique auferat, & quadã quasi æquitatis lege, pro illis restituat alia quædã loca pervia, quorũ nemo antea meminisset, ut quæ certe impervia, & intranabilia penitus extitissent. Sic sane terra, quæ ad gignendũ ferrũ, aut aliud quodpiã metallum utilis est, sæpe numero in aquis invenitur, & a torrente discissa ferrũ protulit. Nec nõ lapides, qui in profundo sunt conditi, ac propemodũ radicibus nixi, torrentis impetus in apertum extulit, ubi subjectã materiam divulsit, & nullo firmamẽto fultã terrã abripuit.

f De Torrentibus erumpentibus in auri fodinis, opportuna observatio, n. 3.

5 *Terra, de qua oriebatur panis, in loco suo igni subversa est.*

Atq; ut de illis terris taceã, quæ cũ prius lætas fruges effunderẽt, postea cælesti incendio deflagarunt, de illis quoque, quæ terræ motu cõquassatæ dehiscunt, & quasi incluso, subjectoq; igne exustę subvertuntur, Certe illud in natura mirabile est, quod cum quidam agri sint frugiferi cõcipiendis, cõprehendẽdisq; seminibus idonei, alii sulphurei sint, seu quod idẽ est, igniferi; imo, & eadẽ aliquãdo terra, quæ cũ in superficie suo calore, & quasi nativo igne semen cõceptum tẽpefaciat, & suo complexu diffundat, at in profundo materiam omnino

sulphuream, salsugineamque continet; quare altius eruta, & subtus versa ignem exhibet; cujus quidem ignis, id est, sulphuris beneficio, & vi igniculi alii fulgentissimi concoquuntur, & generantur, nimirum pretiosi quidam, & igniti lapilli, quos ut eruat mortalium cupiditas, terram ipsam vertere, invertere, & subvertere solet.

6 *Locus Sapphiri lapides ejus, & glebæ illius aurum.*

Est vero etiã locus, in quo instar lapidũ in magna copia [g] Sapphiri pretiosissimæ proveniũt simul cum auri glebis, & aureis ramentis permistæ: unde fit, ut Sapphirus aureis quasi pulveribus respersa, pũctis quibusdam collucere, scintillareq; videatur. Cujus quidem prima est inter gemmas species, ac regia dignitas.

g De Sapphiri natura, præstantia, & pulchritudine, viribus, significatione, tum ex Sacris, tum ex prophanis exquisita multa edisserũtur n.2.3.

7 *Semitã ignoravit avis: neque intuitus eã oculus vulturis.*

Ejusmodi vero loca pretiosissimorũ lapillorũ, atq; gemmarũ feracia frequenter impervia sunt mortaliũ gressibus, atq; adeo etiã ipsis avibus inaccessa; ut neq; eo videatur perspicacissimus vulturis oculꝰ pertingere posse. Cũ enim auriferæ, aut gemmiferæ terræ frequenter quoq; sulphureæ sint, exhalare solent noxios vapores, quos alites lõge fugiunt. Quanquã aliquando ita suos thesauros natura recondit, ut ipsæ etiã aves, quarũ est sensus acutissimus, nulla ratione illos ex sublimi regione intueri possint. [h] Et vero contingit sæpe, ut illæ ipsę terræ ita sint natura sua steriles, & arentes, ut nullã avibus nidificãdi cõmoditatem præbere possint, nullã viatoribus expeditã ad iter semitã, nullũ opportunũ animantibus pastũ. Neq; vero hujus rei aliquod nobis in propinquo exẽplum deerit: Cum enim regio Sodomitica rerum omnium optimarum, atq; pretiosissimarũ uberrima fuerit, at postea neq; ipsis avibus ullam commodam habitationem propter insignem vastitatem, neque propter odores teterrimos accessum præbet.

h De Gryphibus, deque accipitribus, aut milvis, quædã in hunc locum opportuna, scituque jucunda n.3. & 5. Item & de Tinnũculis mira proprietas, & naturæ propensio in hũc locum opportuna.

8 *Non calcaverunt eã filii institorum: nec trãsivit per eã leæna*

Inaccessa quoq; est immanibus, vastisq; belluis, atq; illis quoq; qui quãvis homines sint, tamen inhumanitate, & feritate belluina præditi sunt; divitibus (inquã) superbissimis, atq; mercimoniorũ distractoribus, & qui negotio gerẽdo, vendendo, & emẽdo instant, qui lucri spe aliqua nulla nõ loca circumire solent. In illa ergo loca sicut nomquã pedem posuit Pantheres, neque Leopardus, ita sane, neque humanæ avaritiæ & cupiditatis feritas unquam penetravit.

i De Institoribus, Tum etiã de Mercatorũ quorundam avaritia ad belluinã feritatẽ relata, utilis observatio. n.2.3.4.

9 *Ad silicem extẽdit manũ suã, subvertit a radicibus mõtes.*

10 *In petris rivos excidit: & omne pretiosum vidit oculus ejꝰ.*

11 *Profunda quoq; fluviorũ scrutatus est, & abscondita in lucem produxit.*

Itaq; cum Sapphiri, ac gemmæ pretiosissimę, auri glebæ, cæteraq; pretiosa metalla tam sint procul remota ab humano conspectu, tamẽ Deus suã Sapiẽtiam homini impertitus est, qua nullũ non terræ Angulũ perscrutari, & evertere valeat; nullamq; non viam, atq; rationẽ invenire, qua occulta in lucẽ proferre, atq; ex solitudine ad civitatẽ humanosq; usus evocare possit, sive lateant illa sub saxosis mõtiũ radicibus, sive silicibus, & saxis, marmoribusq; durissimis intra suas venas adhærescant auræ, & pretiosorũ metallorũ glebæ, & grana; sive in profundo flumine demersa delitescant, ut gemmæ, ac pretiosæ margaritæ, ad quas investigandas, & expiscandas necesse sit, ingentia flumina in plurimos rivulos diducere. Atq; adeo cũ homo ipse quærens scaturigines aquarũ, silicibus ferrũ, & manũ admovet, montesq; evertit, contingit, ut certe venas aureas, aut argenteas, aut etiã quampiã metalli materiã, gẽmasve curiosius simul pervestiget, fæliciterq; inveniat, nihilq; tandem intentatum relinquit ob acre cõquirendi, & cõparandi studiũ, sive ob divinitus cõcessam Sapientiam. Quæ eo aliquando pertingit, ut perpetuas scaturigines maximorum fluviorum, restringere, obturareq; possit. Qua quidem rerum occultissimarum productione, atq; illustratione tum ostendit Deus, testaturq; mortalibus, quantum ipse virtute, atque Sapientia polleat; tum homo ipse gratiam, atque vim sibi datam divinitus facit insignem.

At rerũ divinissimarũ, quæ in arcanis Sapiẽtiæ, & sciẽtiæ Dei thesauris cõtinentur, invẽtio, & perscrutatio multo est humanæ mẽti difficilior. Tũ etiã præmia illa spiritualia, quæ longe sunt corporeis divitiis, atq; voluptatibus præstantiora, a supremo Iudice probitati, & virtuti proposita, sola humana industria obtineri nõ possunt. Quare frustra vos, o amici, sanctitatem metimini opibus, atque divitiis. Ego

vero

12 *Sapientia vero ubi invenitur, & quis est loc⁹ intelligētiæ?*

vero si Sapientiæ, quę cum vera religione, veraquē pietate conjuncta est, compos sim, beatum me jure existimabo, atq; lætissimus in futurorum præmiorum spe jucundissime cōquiescam: nam cęlo errat toto, qui Divinam Sapientiam, atq; Divinæ bonitatis participationem in terra potissimum, non in cælo provenire existimet.

13 *Nescit homo pretiū ejus, neq; invenitur in terra suaviter viventium.*

Rē sane pretiosissimā, planeq; Divinā, Sapientiā, mortalium nemo satis pro dignitate æstimare novit. Nemo terrenorum bonorum pervestigator, & cōquisitor in illam incidit: nemo qui terrenarum tantum atq; sensibilium rerum aspectu capitur, illius luce, atque conspectu dignus habitus est. [k] Quare tota aberrant via, qui cū ditescere cupiant, terras tamen, mariaq; perscrutantur, cum Sapientiæ fons in cælo sit. Quippe est carni inimica, & non tam cum vita ipsa, corporis, quam cum morte connexa.

k Quam sint voluptates corporis inimicæ Sapientiæ, & pietatis, utiliter ostenditur n. 3. 4. 5.

14 *Abyssus dicit, Nō est in me. & mare loquitur, Nō est mecum.*

Sed age, elementa ista amplissima percontare, ubi nam Sapientiæ domus sit? Respondebunt sane, multo superiorem illius naturā esse, quā ut ex elementis originē trahat, aut in illis occultissimis locis inveniri possit, in quibus natura suas opes inclusit. Nam sive spatiosissimus æther, sive aquarum immensitas, atq; omnis per maria, per flumina, per antra aqua diffusa negabit apud se esse. Præsertim vero mare istud vastissimum, nemini unquam mortalium satis exploratum (quis enim illud unquam exhausit?) firmum, verumq; testimonium præbebit, Sapientiā nō procreari inter margaritas, & uniones, neque inveniri ab urinatoribus posse, nunquamve naviū beneficio, aut exteri mercatoris industria advectam esse ex remotissimis regionibus.

15 *Non dabitur aurū obrizum pro ea, neque appēdetur argentum in cōmutatione ejus.*

Sed esto (inquies) Sapientia reperiri non possit inter opes terrenas, at auri argentive pretio comparari poterit, ubicumq; tandem illa proveniat. Minime vero: nam neq; illa venalis exponitur; neque comparandæ ullum auri optimi, purissimiq; pondus, aut ulla quamvis ingens, numerosaq; pecunia satis erit. Tū præterea gravior, atq; pretiosior est omni argento, quamvis mundissimo, ac defæcatissimo.

l Qui colores quondam pretiosi, qui etiā sacri, opportune indicatur n. 2.

16 *Non conferetur tinctis Indiæ coloribus: neque lapidi Sardonycho pretiosissimo, vel Sapphiro.*

Omnes sane Indorum opes Sapientia longissime superat: non enim habet comparationem aliquam, vel cum auri fulgore pulcherrimo, vel cum pretiosissima Sardonyche, aut Sapphiro. [l] Præstantissimi illi colores, quos, vel nativos, vel factitios India mittit, nō minus a Sapientia superantur, quam cæteri colores ab ipsa luce. Vilissimi præ illa sunt varii, ac multiplices lapilli, quos Arabes, quos Persæ in [m] Oriente legunt, mirabili lucis varietate distinctos. Non poterit cum illa fieri ulla contentio, aut comparatio. [n] Onychis, Sardii, Crystalli, aut Berylli.

m Quæ terra, vel regio sit Ophir, & an eadem quæ Peruana, diligenter inquiritur n. 4.

n Disputatio de Onychis, aut Sardonychis nomine, & natura nō indiligens n. 5.

17 *Non adæquabitur ei aurum, vel vitrū, nec commutabuntur pro ea vasa auri.*

Aurum certe mundissimum terræ Evilath, tum etiam clarissimū, atque purissimum Vitrum, aut Crystallus, Adamasve pellucidus nō poterit cum Sapientiæ splendore, & dignitate conferri, neque aurum defæcatissimum ex Ophaz, aut de Tharsis; [o] nullaque magnificentissima suppellex, non minus propter artem, & cælaturam, quam propter materiam pretiosissima, ad Sapientiæ pulchritudinem, & ordinem assurgere possunt.

o De vasibus, & luxu nimio in suppellectile, utilis observatio n. 7.

18 *Excelsa, & Eminentia non memorabuntur in comparatione ejus. Trahitur autem Sapientia de occultis.*

Verū enimvero cū incidit de Sapiētia, deq; illius præstantia, ac dignitate sermo, nō est quod in cōparationem, sermonemq; adducatur quæcumq; dignitate & pretio [p] Excelsa, & Eminētia sunt: nā cætera indigna sunt, quorū ulla mentio fiat. Pretiosior itaq; Sapiētia est Coralio Indico, aut Arabico, cujus decor, atq; religio nō levis inter homines est. Multo illa est majoris virtutis, & ad pellenda, retundēdaq; venena efficacitatis, quam Rhinocerotis pellis, aut cornu præcelsum, quæ pretiosa sunt æque, ac rara; aut quā alii lapilli ingētis pretii. Nā si quis Sapientiā longe ab humanis cōspectibus remotā eruat, trahatque in lucē, tandemq; obtineat, profecto præ omnibus thesauris, ac reconditis margaritis æstimabit illā; & qui semel illius dulcedinis gustū aliquē perceperit, in illius investigatione patientissime laborabit. Sapientia quippe cum multo magis occulta, magisq; recōdita sit, quā

p De duarum vocum Hebraicarū significatione, ac de Coralio diligens tractatio n. 2. & 2.

q De Topazii natura, colore, præstantia, patria, diligens tractatio a n. 1. usque ad 4.

r Quæ Aethiopia, cujus hoc loco mentio fit, diligenter exponitur ex Sacris n. 3.

occultissimæ, reconditissimæq; aliæ naturæ opes, multo magis laborare, persistereq; oportebit in illa comparanda, atque invenienda.

Multo illa inferior est q Topazius r Aethiopiæ, quæ sub Aegypto est, aut Persica, Aegyptiave Smaragdus; multū illi de dignitate, & pretii magnitudine cōcedet fulgētissimū æque ac purissimū Indiæ aurū. 16 *Non adæquabitur ei Topazius de Aethiopia: nec tinctura mundissimæ cōponetur.*

Vnde ergo rem tā eximiam, tamq; præclarā accersere nobis poterimus? nō enim provenit in eodē solo, neque ex eadē origine, ex qua terrenæ opes, illa nascitur, neq; ex libero isto cælo, & aere decidit aliquando, ut quæ aves ipsas cæli omnino lateat: neq; ex terra ista, quæ sedem, ac domiciliū mortalibus præbet: nam instar virginis cujusdam castissimę, ac speciosissimæ abscōdit se se, ut nunquam oculis corporeis cerni possit. Quid, quod nullis, nō dicam humanis, sed neq; superiorum intelligentiarum viribus obtineri, aut investigari potest: nam neq; illas ipsas spirituales substantias virtute, & mētis acumine præstantes, nedum præstantissimi alii Principes, ac superbissimi homines propriis viribus illam assequuti sunt. 20 *Vnde ergo Sapientia venit, & quis est locus intelligentiæ.*

Quod si ad inferorū, maniūve sedes infimas animo, & mente intēderimus, de Sapientiæ domicilio rogata, respōdebūt sane nobis, neq; in illis subterraneis locis, in quibus natura suas opes recōdidit, ubi etiā funerū luxus, viventiū divitias, ornamentaq; simul cū ipsis cadaveribus inclusit, Sapiētiæ ortū, & originē cōtineri: quāvis Sapiētię laus, & gloria nominis nullū nō locum quāvis remotissimum cōpleverit, & usq; ad eos etiā, qui terram oppositā nostræ incolunt, pervenerit. 21 *Abscondita est ab oculis omnium viventium, volucres quoq; cæli latet.* Illi etiā sive Angeli, sive homines, qui interitui, & perditioni serviunt, quiq; cælesti hoc Sapiētię dono se indignos reddiderunt, asseverabūt quidē cōstanter, Sæpe se clarissimū Sapientiæ nomē auribus accepisse, vim vero illius, atq; rationē, ut qui stultissimi fuerint, minime tenuisse: nam multorum, qui opinione Sapientiæ claruerunt, & Sapiētum nomina aut captarunt ambitiose, aut inique usurparunt, nomen inane sine re fuit. 22 *Perditio, & mors dixerunt: Auribus nostris audivimus famam ejus.*

Illud quidem reliquum est, ut cum nemini mortalium satis sit Sapientia cognita, Deo sempiterno bonorum omnium auctori, & largitori familiarissima sit, novit sane ille, ubi assidue Sapientia versetur, & quiescat; quam sibi sedem, atq; domicilium delegerit, quam teneat viam, cum ad mortalium mentes Dei beneficio, ut se se illis insinuet, descendere videtur; qua etiā via ad illā pervenire mortalis possit. Cō monstrabit itaq; Deus illius viam, quippe optime novit locum ejus. 23 *Deus intelligit viā ej⁹, & ipse novit locum illius.*

Ipse sane docet nos, Sapientiam in cælestibus locis, quæ supra nos sunt, quæri oportere: neq; esse sublunare aliquod, aut terrestre bonū. In numerato enim ille habet, ut qui universitatis huj⁹ opifex sit, quid cælorum ambitu, ac terræ finibus contineatur, cujus dignitatis, & pretii unumquodque sit, lustrat, attentissimeque observat, ac perspicit universa, & singula quamvis levissima, ac minutissima æquis ponderibus librat, & examinat. 24 *Ipse enim fines mūdi intuetur: & omnia, quæ sub cælo sunt, respicit.*

Nihil sane illū latere potest, qui rerum omniū naturas, vires, proprietates exploratas habet; in cujus trutina justissima nihil exæquo Sapiētiæ præpōderat. Fecit sane ille certa ratione, & exquisita Sapiētia, certā quasi lancē, atq; mēsurā, qua levissimā, atq; vastissimā istam aeris molē moderaretur; quē quasi pendulū, & suæ potētiæ manu appēsum in sublime provexit, suamq; illi sphærā definiēs, omnia cōtulit, quæ illius natura & inclinatio postularent. Tū ventis ipsis vim, atq; impetū indidit, ut nō nisi suis tēporibus flarēt, nec sine certa lege, & mēsura vel sævirēt in terras, vel in sublime incerto impetu proveherentur: atq; librā tandē, & pōdus præparasse visus est, qua, si quando plus justo fremere, & incitari, atq; in terras vehemētius incūbere viderētur, statim pro suo gubernatoris sapiētissimi munere coerceret, & tēperaret. Certa quoq; lege, atq; mensura fluidā aquæ naturā dimensus est, atque æquissime dijudicavit, qua ratione dari, vel negari mortalibus, quo loco, & ordine pro sua dignitate constitui deberet. 25 *Qui fecit ventis pondus, & aquas appēdit in mēsura.*

Neque

26 *Quãdo ponebat pluviis legem: & viam procellis sonãtibus.*

Neq; vero iis tantũ elemẽtis, quę perpetua sunt, ac semper cõstantia, sed illis etiã, quæ casu videtur effici, & subito exurgere, ut pluvia, & tonitrua, modũ statuit: enim vero arte quadã, atq; ratione præceptũ imposuit, terminumq; proposuit pluviæ, ut certo ordine, & quãtitate, prout humanarũ rerum vel utilitas, vel necessitas exiget, terras perfundat, tum præterea certam regionem in aere attribuit, in qua concrescere, & effici, ac certum locum in quem defluere deberet, assignavit. Neq; vero ille minus providet, ac perspicit aeris sonitus, tonitruorũ rationes, causas, vias, atque motiones universas, locaq; illa, per quæ fulgura, ac fulmina discurrere debeant.

27 *Tunc vidit illam, & enarravit, & præparavit, & investigavit.*

Itaq; quãdo supremus naturæ architectus creaturarũ universitatẽ certis naturę legibus devinciebat, tunc certe in eã potissimũ Sapientiã, atq; legẽ æquissimam respicere videbatur, qua hominis vitã moderaretur, & contineret, & ad recte, & honeste agendũ, amandumq; suũ opificẽ incitaret: voluit quippe hominẽ ex creaturis ipsis ad suũ creatorem cognoscendũ, & diligendũ assurgere. Ac jam inde a prima hominis creatione, supernaturali fidei lumine illum instruxit, ab eodemq; etiã spei, & charitatis officia requisivit, præcepto etiam peculiari imposito, in cujus observatione oporteret hominem prętare se veræ Sapiẽtiæ, veræq; pietatis amatorẽ. At sane postquã omnes creaturas valde esse bonas vidit, tunc nobis Sapientiã explicavit, suarum effectorũ, quasi tabella quadam nobis proposita, in qua illius Sapiẽtiã cerneremus, atq; a creaturã pulchritudine, & magnitudine, Sapiẽtiæ ipsius invisibilia cõprehenderemus. Tũ vero in ipsis creaturis Sapiẽtiã quãdã practicã vidit De⁹, cũ circa creaturarũ usum certã legẽ, rationẽq; agẽdi præscripsit homini, prævĩditq; quis in illarũ usu futur⁹ esset Sapiẽs, quis insipiẽs, & stultus. * Atq; hãc ipsam agẽdi legẽ enarravit, exposuitq; primo homini, injũcto pręcepto illo, de nõ edẽdo pomo vetito: & quasi ex libello, & syngrapha illi Sapientiã servãdã commisit, rationẽ aliquãdo exacturus reddituro. * Neq; vero primo homini solũ eã veræ Sapiẽtiæ legẽ proposuit, sed cunctis etiã hominibus eandẽ custodiendã jã inde ab initio præparavit, atq; cæteris etiã creaturis quodãmodo præscripsit. Quare videtur profecto Sapiẽtia, velut Imperator clarissimus prælato vexillo universarũ creaturarũ exercitũ ducere, atq; moderari, in suũ imperatorẽ respiciẽtiũ. ʃ Neq; vero suæ legis, suæq; Sapiẽtiæ hominibus semel propositæ, deinceps obliviscitur De⁹; * namq; investigat profecto, atq; inquirit, an veraciter homo illã observet, ut quẽ Sapientiæ deditũ inveniat, pręmio afficiat, quẽ insipientẽ, a se repellat, ac quẽ invenerit Sapientiæ studio teneri, huic viã cõmonstret, atq; aditum ad illã patefaciat. Ac ne quis inveniẽdæ Sapientię difficultatẽ, & multam viæ obscuritatẽ, causetur, Deus ipse quasi inventã, & investigatã, atq; ex suo thesauro depromptã homini offert, & certã agendi regulã servandã tradit.

** enarravit:*

** & præparavit:*

** & investigavit.*

ʃ *Quod vera Sapiẽtia in recta agendi lege posita sit, utiliter explicatur n. 6.*

28 *Et dixit homini: Ecce timor Domini, ipsa est Sapientia, & recedere a malo intelligentia.*

Sic sane Deus, qui totius Sapientiæ, atque probitatis fons est, pręscripsit, edixitque homini veram sapiendi, veramque vivendi legem. Atque dum illum conderet, visus est re ipsa hominem admonuisse, ᵗ in quo vera sapientia cõsisteret, videlicet in Divinæ legis custodia, ac Divino cultu, & timore, omnisque improbitatis odio. Rem plane omni observatione dignissimam: Non enim exigit Deus ab homine, ut vel terras, vel maria perscrutetur, montes excavet, cum Gryphis, & Serpentibus pro auri glebis dimicet, Aethiopiam, atque ultimos terræ fines perlustret, ut pretiosissimos lapillos comparare possit; sed tantum ut se in Sapientiæ culturam, & disciplinam tradat, cujus opibus, atq; præceptis verissimæ, immortalesq; opes continentur. Illa demum potissima, ac verissima Sapientia est, nõ quæ rationibus leviter excogitatis petitur, ac mentẽ ad Dei cultum, & timorem sanctissimum non accẽdit, sed quæ cum justitia, & religione conjuncta est.

ᵗ *Qualis sit hæc Sapientia practica, & cur sapiẽtiæ nomen tribuatur actionibus volũtatis, copiose, atque utiliter disseritur n. 4. & 5.*

CAPVT.

CAPVT. XXIX.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Conciliat iterum attētionem orationis suæ, ex pristinæ quondam suæ dignitatis commemoratione, quam tum ex Sapientiæ, tum ex pietatis existimatione apud omnes comparaverat. Simulque docet ex temporaria fælicitate, aut miseria nō esse temere judicādum de hominis animo.

I. *Addidit quoque Iob, assumens parabolam suam, & dixit.*

1. *Varii hujus capitis nexus cum præcedentibus.*
2. Addere *in Sacro sermone quid.*
3. Primum, *quid in Sacro sermone. Miserorum ingenium.*
4. *Qua mente Iob desideret pristinam felicitatem.*
4. *Divina Custodia, atque oculi. Deus, Pastor.* Deum faciem avertere, *quantum malum.*

I Interpretum varietas in nexu hujus capitis cum præcedentibus.



BSERVANT Græci rursus, siluisse amicos ad Iobi orationē, quibus nulla suppeditaret refellendi ratio: tacentibus vero illis Iobum exordiri orationem aliam, ab alio capite, nimirum a pristina fælicitate, atque ab eo studio, quo fælicitatis tēpore Deum est prosequutus. Hæc vero omnia in eum finem referri, ut se amplius purget ab objectis, & ab iniquæ vitæ suspicione. Divus Thomas existimat, cum superius ostenderit temporales divitias cōmunes esse probis, ac improbis, nunc in se ipso ostendere nō esse alligatam sanctitati hujus vitæ fælicitatem: nam idem ipse, qui semper eandem vitæ sanctitatem coluit, nunc miserrimus est, qui quondam fælicissimus. Sed quāvis hi nexus spernendi non sint, at ut aptius hæc oratio cum præcedente cohæreat, illud videtur posse dici paulo subtilius, & elegātius, quod cum videret Iob amicos suos attentos, & veluti obstupescentes ad suam orationem, atque (ut parerat) nihil repugnantes, subito venerit illi in mentem pristina conditio, & suæ Sapientiæ præclara quōdam apud omnes existimatio, cum sapiētissimis monitis, atque honestissimarum actionum exemplis Remp. suā moderabatur; cum audientes obstupescebant, atq; intenti tenebant ora; ille vero regebat dictis animos, & mulcebat pectora. Res toto hoc capite luculenter ab ipso descripta.

Auctor Catenæ.

D. Thom.

Nexus subtilior, neq; non commodior.

Addidit Iob assumens, &c. Id est, Rursus assumpsit parabolā, rursusque dicere cœpit; Non enim placet quod Tygurina ait: *Vlterius sermonem suum prosequēs, Iob dixit:* Nam verbum *addendi* junctum alteri verbo, valet idem, quod iterum, rursus, secūdo. Diximus superius, dicemus etiam inferius. Quod autem hic dicitur *assumpsisse* parabolam, eodem sensu dicitur, quo supra cap. 27. num. 1. 2

Tygur.

II. *Quis mihi tribuat, ut sim juxta menses pristinos: secundum dies, quibus Deus custodiebat me?*

VTinam (inquit) restituat me Deus in eum ipsum locum, in quo ipse me aliquādo constituit, evexitque. Augustinus: *Quis nam me restituet in menses priorum dierum?* Septuaginta singularem *mensem* dixerunt. Symmachus, & Aquila: *Menses primos*. Atque eadem est ratio, & significatio *primi, aut, pristini:* nam *Kadā*, significat id, quod est ante nos sive loco, & positione, sive tempore, & antiquitate. quod dicitur anterius, sive primum. Sed Iulianus observat, *mensem* in singulari dici, *Nā miserorum est brevem aliquam fælicitatis particulam exoptare.* quasi dicat: * *Quis mihi mēstruam restituat fælicitatem, in qua antea vigebam?* 3

Augusti.

LXX.

Symmach. Aquil.

קדם

Primum idem quod pristinum.

Iulianus.

* Quiē tuviera agora si qui era vn mes de los de aql buē tiempo.

Sed his ne verbis orat Iob pro fælicitate recuperanda? Respondet D. Thomas hæc verba non pertinere ad orationē aliquam, sed ad exprimendum desiderium. Verū hæc duo non valde distant inter se. Ego existimo nihil esse incommodi, si & pristinam fælicitatem desideret, & pro illa recuperanda orationem formet, ut hoc loco sentire videntur Iulianus, atq; Chrysostomus, & ex Latinis Philippus; eo tamen fine, & animo, *ut Dei Providentia fieret illustrior*, ut Chrysostomus ait. Vel, ut justus tandem habeatur ab amicis ex recuperata fælicitate, qui impius censetur ex infortunio. Tū etiam, ut misericordiā excitet in omnium animis a cōmutatione fortunæ: est enim oratio pathethica, & amplificationem habet, qualis illa; 4

D. Thom.

Pristinæ fælicitatis votum, & preces.

Iulianus. Chrysost. Philipp.

Heu mihi qualis erat, quātū mutatus ab illo

Virg. Aenei.

Hectore - - - - - - -
Et illud;
Ovid. 6. Meta. *Heu quantum hæc Niobe Niobe distabat ab illa.*
Similiter Iob; Heu quantum disto ab illo, qui quondam fui.

Secundum dies, quibus Deus custodiebat me. In pristina fælicitate (inquit Olympiodorus) non tam numerat speciosam sobolem, & magnas opes, *sed potius Divinam custodiam, atque opem; & quia in tanto splẽdore Divino septus præsidio jus summopere tuebatur*. Vnde colligit Olympiodorus, optare Iob *semper esse in Dei fide, atque tutela*. Sed simplex, & apertus sensus accipiendus est de illa *Custodia*, de qua supra dictum est; *Nonne tu vallasti eum, ac domum ejus, universamque substantiam per circuitũ?* (Iob 1. 10.) Quæ *Custodia* multo excellentior est illa, *quam Angelis suis Deus mandavit* de nobis, *ut custodiant nos in omnibus viis*. (Psal. 90. 11.) Nam non contentus Angelorũ præsidio, agit Deus ipse pastorem, custodemque nostri, nostrarumq. rerum, sicut Ieremias dixit. 31. 10. *Congregabit, & custodiet eum, sicut pastor gregem suum; redemit enim Dominus Iacob, & liberavit eum de manu potentioris*. (Deus custos, & pastor.) Nõ solum enim procurat commoda, verum etiam, quod nõ est minima custodiæ pars, removet dãna, atque defixis semper oculis in eum, quem custodit, hostium, malorumque omnium insidias arcet. Quare cũ permittit populum hostibus, & malis omnibus, suamque custodiam removet, ait Devtero. 32. 20. *Abscondam faciem meam ab eis*. ut avertente faciem, oculosque pastore, & custode ovium, irruant sævissimi lupi in gregem. (Avertente faciem Deo, incurrũt in nos mala.) Contra vero, si custodiat, solus ipse tuetur, & sufficit etiam in media solitudine; sicut eodem loco Scriptũ est: *Invenit eum in terra deserta, in loco horroris, & vastæ solitudinis*. (Devt. 32. 10.) Quod ex Hebræo legunt: *Sufficit ei in terra deserta*. satis superque munivit eum Divinorum oculorũ custodia. *Bastòle Dios*. Nihil enim illo præsente; desiderari, custodiente vero, nihil lædere potuit. Vide de Divinorum oculorum custodia Clementem Alexandrinũ lib. 1. Pedagogi. cap. 8. (Clemens Alex.)

30. III. Quãdo splẽdebat Lucerna ejus super caput meũ, & ad lumen ejus ambulabam in tenebris.

1. Lumen *Divina Iustitia. Lucerna pensiles supra caput.* Lucerna *in Sacro sermone cujus res symbolum.*
2. Tenebræ *calamitates, & difficultates discrimenum.*
3. Tenebræ *rerum agendarum obscuritas, & difficultas.*

1 Mirabilis Dei propitii custodia, instar illius, cum per noctem *ignis columnam*, id est, erectum igem, & sublimem flãmã prætulit suis peregrinis. (Dei custodia, & vigilia. Exod. 13. & 14.) *Quando splendebat lucerna ejus*. propr. *Dum splendere faciebat lucernam suam super caput meum*. id est, cum cælitus præbebat mihi lumen, & incredibili favore prosequebatur. *Super caput*; videlicet, Meum caput, meam ille vitam tuebatur a *sagitta volãte in tenebris*, & ab omni hostili *incursu*. (Psal. 90. 6.) Philippus ait, nescio quid peculiare *præ omnibus* aliis significari nomine *Capitis*. (Philipp.) Forte nonnulla allusio fit, ad pẽsiles illas lucernas, quæ olim supra capita lucebant. Vide, quæ diximus supra cap. 18. vers. 6.

Lucerna ejus. Illius benevolentia, & favor, tum etiam illa ipsa illius præsentia, & facies multo jucundissima, atque clarissima, quę meum animum complebat, & cõfirmabat. *Quia tu* (inquit David) *lucerna mea, Domine*. & iterum: *Illustra faciem tuam supra servũ tuum*. (2 Reg. 22. 29. Psal. 30. 16.) sunt hujusmodi sexcenta. Philippus, *Multis modis lucerna in Scripturis appellatur, hic vero potuit Iob pro gloria temporali dixisse, quam a Deo acceperat*. (Philipp.) Diximus de hoc plura loco indicato.

2 *Et ad lumen ejus ambulabam in tenebris*. Non est eadem apud omnes interpretes hujus *luminis* interpretatio, sicut neque *tenebrarum*: nam plerique, ex Vulgata illa *tenebrarum* pro malis, & difficultatibus acceptione, exponunt; (Varia expositio. Vatab.) *Illius favore vincebam summas tribulationes, rerumque difficultates, & per Dei gratiam, nihil mihi erat difficile*. Sed quæ nam tribulationes acciderant Iobo, quem Deus custodiebat? Aut cum quibus nam malis, & difficultatibus unquam pugnavit, qui in summa fælicitatẽ vivebat? Melius ergo in hac ipsa *tenebrarum* significatione, conficietur hæc sententia, Divina Lux disjiciebat tenebras omnes, ne unquam illas sentirem, sed lætus, alacerque pergerem, nullis difficultatibus impeditus, & undequaque fælix. (Cõmoda tenebrarum hujus loci expositio.) Olympiodorus per *tenebras* intelligere videtur, (Olympiod.) *Cæcos vitæ hujus fluctus, quibus, qui jactantur, ad Divinam legem, quasi ad sydera sese usque ostendentia retorquent oculos, illiusque splendore, ac ductu iter conficiunt suum*.

3 Sed placebat quondam mihi hujus loci *tenebras*, non tam esse calamitates, quam res difficillimas, atque obscurissimas, quę vel in agendo, vel in cognoscendo ocurrere solent, quã interpretandi rationem, (Tenebræ rerũ agendarum difficultas, & ignoratio.)

non

Nicetas. Philip. D. Thom.

non ſolum indicarunt Græci, verum etiã Philippus, Divus Thomas, & poſt illum alii Latini: neque ſolum cum Cajetano intelligebam per *tenebras*, primam illam quaſi ſtultitiam, & ignorantiam puerilẽ, ſive primum illum rationis crepuſculum, cum affulget puero rationis uſus, ut ſignificet ſe Iob jam inde a primis annis Divinæ Sapientiæ lumine illuſtratum fuiſſe, luciſque ſemitam tenuiſſe, *ſicut*, inquit ipſe, *fui in ipſis diebus adoleſcentiæ meæ*; ſed in univerſum, quod Divinæ Sapiẽtiæ lux illi ſemper affulſerit, cum docebat populum, & *auris audiens beatificabat illum*, &c. q. d. Nunc me loquentem vos miramini; utinam nũc eſſem tam perſpicaci mente, ut fui quõdam, cum in rebus difficillimis, atque obſcuriſsimis Deus mihi præferebat lumen: ad cujus ego ſplendorem ambulam, id eſt, diſputabam, diſſerebamque ſine ulla difficultate, aut offendiculo, cum Deus *Illuminabat tenebras meas*, & *lucerna pedibus meis erat verbum illius*. Hæc enim omnia ad revelationem rerum difficillimarum pertinent.

Cajetani anguſta expoſitio.

Crepuſculum rationis in puero.

Pſalm. 17. & Pſal. 118.

Sed jam nunc primam intelligentiam magis probo, ut pote magis cohærentem ſequentibus. Vel certe cum hæc inter ſe non repugnent, integram hujus ſententię intelligentiam ex utraque interpretatione confici velim.

IIII. *Sicut fui in diebus adoleſcentiæ meæ, quando ſecreto Deus erat in tabernaculo meo.*

1. Dies adoleſcentię *qui. Varia lectio. Hyemis, & adoleſcentia, cur dicantur opprobrium. Illuſtratus Lucas, & Exechiel.*
2. Adoleſcentię *quæ peccata, quæ item laus.*
3. *Familiaritas cum Deo.* Secretum *in ſacro ſermone quid.*
4. *Adoleſcentia perturbationes. Deus trãquillitatis amator, Illuſtratus Salamon.*

I Quod Vulgatus dixit, *dies adoleſcentiæ*, alii legunt, *dies hyemis*, ſicut Tygurina, aut *Autumnum*, ſicut Vatablus, aut *dies opprobrii*, ſicut Regia: nã vox deducitur a radice *Hharaph*, quæ ſignificat exprobrare, aut ignominiã facere, aut hyemare, & quod frigus, & hyems videatur quaſi probro quodam, & ignominia afficere arbores, atque *ſuo honore ſpoliare*, ſic enim etiã Latinus explicat, cum injuriã temporis, & frigoris dicit. Significat autem ejuſmodi opprobrium, & ignominiam, quæ non ſolum in verbo conſiſtit, ſed etiam in ipſa re, & quaſi dehoneſtatione, & malo ipſius rei, ſicut id Geneſ. 30. 23. cum Rachel ſterilitatis malo liberatam ſe vidit, ait: *Abſtulit Deus opprobrium meum.* Quam loquutionem etiã imitata eſt Eliſabeth Lucæ. 1. Poſtquam concepit; *Sic fecit mihi Deus in diebus, quibus reſpexit auferre opprobrium meum inter homines.* Quare quãcumque cladem, *opprobrium*, vocat Scriptura 1. Reg. 17. 26. 2. Reg. 13. 13. Pſal. 21. 7. & Pſal. 68. 8. Atque propter eandem nominis proprietatem non ſolum *Hyemem*, ſed etiam *Autumnum*, eodem nomine ſignificari volunt, videlicet cum ſub initiũ hyemis incipiunt fructus vitiari, & corrumpi, & folia cadere. Quam nominis rationem, quæ ex terræ vaſtitate, & ſterilitate ſumitur, indicaſſe videtur Ezechiel 36. 30. Cum poſt inſignem vaſtitatem, atque ſterilitatem prædicit: *Salvabo vos ex univerſis inquinamentis veſtris, & vocabo frumentum, & multiplicabo illud, & non imponam vobis famem, & multiplicabo fructum ligni, & genimina agri, ut non portetis ultra opprobrium famis in gentibus.* Hinc etiam *adoleſcentiam*, dici voluit noſter Interpres, nõ quia (ut Vatabl. dixit) *ut autũno ſemina terræ mãdantur, ita in adoleſcẽtia homines facile generant*; nam in autumno terræ ſemina non mandantur, potius colliguntur fructus, ſed quia illa ætas, quæ nõ eſt idonea ferendis fructibus grandioribus, & maturioribus, quæ ſibi relicta ſylveſceret, proptereaque diligenti cultura, & aratione indiget, in opprobrio, & cõtumelia eſſe videatur apud viros. Vel quod ea ętas vitiis, & probris, aut vitiorum exprobrationibus, & increpationibus maxime obnoxia ſit. Quo videtur alluſiſſe Ierem. cap. 31. 19. priora peccata vocans *opprobrium adoleſcentiæ*. Vel quia ut hyems, ita ea ætas multis perturbationum fluctibus, procellis, atque tempeſtatibus agitetur. Ergo eleganter nũc dixit Interpres, *dies adoleſcentiæ*. Quam etiam lectionem habent Septuaginta Complutenſes, Symmachus, & docti etiam Hebraizantes Pagninus, Cajetanus, Forſterus, Complutenſes in Lexico. Quamquam Septuaginta Vaticani legerint; *Cum eram graveſcens vir*. quod procul dubio reſpicit ad illam ſignificationem autumni, ut colligi poteſt ex pereleganti cõmentario Nicetæ; *Quãdo* (inquit) *velut frugiferæ arbores, bonis eram uſquequaque onuſtus, quãdo in omni via, in amplis fortunis, in muneribus religionis, ac pietatis exequendis, nec levis quidem eram, nec inſtar Euripi agitabar; verum morum conſtantiam, ac ſoliditatem retinebam, atque*

Varia lectio. *Tygur. Vatabl. Regia.*

חרף

Hyems, & adoleſcẽtia cur dicantur injuria afficere.

Clades, aut calamitas cur dicantur opprobrium.

Sterilitas dicta opprobriũ.

Adoleſcentię & Autumni ſimile opprobrium.

LXX. Compl. Symmac. Pag. Cajet. Forſter.

LXX. Vaticani.

ea, quæ

2 Adoleſcentia ſancta res mira. *Eccleſi.11.9.*

ea, quæ ad honeſtum pertinent, immota mente adminiſtrabam.

Quod Iobi de ſua adoleſcẽtia teſtimonium, præclarum eſt eximiæ illius ſanctitatis argumentum: Nam cũ *adoleſcentia,& voluptas vana ſint*, ut ſcribit Sapiens; Quid magis mirabile, quam in tanta ætatis, & adoleſcentiæ levitate, tanta morum gravitas, & pondus, tanta cum Deo familiaritas? *Magna* (inquit hoc loco Philippus) *virtus, atque præcipua erat in illo, Deiq́; gratia ſingularis, ut in tempore adoleſcentiæ ſuæ in ſecreto ejus, Deus cum ſuo familiariſsimo moraretur.* Ergo multo melius, quam Tobias, *Cum eſſet aliis junior, nihil tamen puerile geſſit in opere*. Cum tamen frequenter eſſe ſoleant adoleſcentum *peccata* (ut Plutarchus Sapienter dixit) *ingentia, atrocia, ingluvies ventris, furta paternæ pecuniæ, alea, comeſſationes, potationes, virginum amores, adulteria. Quapropter juveniles impetus accuratis rationibus vinciri, ac compeſci convenit.*

Philipp. Iob cum Tobia cõparatus *Thob.1.4.* *Plutar. de lib. inſtituend.* Adoleſcentũ peccata nõ levia.

3 LXX. *Auguſt.*

Quando ſecreto Deus erat in tabernaculo meo. Septuaginta: *Cũ Deus viſitationem faciebat domus meæ.* Auguſtinus: *Cum verbum Domini inſpiceret domum meam*. Quod vel nimium arctam neceſsitudinem, & familiaritatem Dei cum Iobo, ejuſque familia ſignificat. Tygurina: *Cum Deo eſſet arcta neceſsitudo cũ meo tabernaculo.* vel quod Deus res illius domeſticas procuraret, atq; promoveret. Vox etiam *ſecreti*, videtur ſocietatem quandam, aut comitatum ſignificare. Vnde alii legunt: *In ſocietate Dei, in meo tabernaculo.* Vel, *Dum eſſet ſocietas Dei ſuper tabernaculum meum*; Vel, *Comitante Deo*; quod videretur Deus ſe præbere pedagogum, & adoleſcentiæ comitem ipſi Iobo. Sed fere ſemper Vulgat⁹ vocem originalem *ſod*, refert ad *ſecretum*, vel ad arcanum conſilium, quod quamvis inter ſocios, & ejuſdem Regni aut Reip. conſortes tractari ſoleat, proprietas illa *ſecreti* indicare quidem videtur internam quandam Divinarum rerum cõtemplationem, Divinaque colloquia ſecreta, & a tumultu rerum aliarum traductoq; animo admirabilem quandam mentis pacẽ, & tranquillitatem. Quod in adoleſcentia mirabile eſt; cũ illius via perſimilis ſit *viæ navis in medio maris*, nimirum navis jactatæ fluctibus, impulſæ ventis furentibus. Neque vero *loquitur Deus ad cor*, niſi prius humanam mentem *ducat in ſolitudinem*: *Nõ enim in ſpiritu grandi, & forti Dominus, non in commotione; ſed in ſibilo auræ tenuis.* Quã niſi operto pallio vultu, clauſis oculis, erectiſque auribus percipere nemo queat.

Tygur. *Vatab. Pagn. Cajet.* סוד

4 Adoleſcentiæ trãquillitas, & malitia mirabilis. *Hoſea.2.14.* *3.Reg.19.* Sermocionatio cum Deo mentis ſimplicitatẽ, & tranquillitatem requirit.

Scriptum eſt enim: *Cum ſimplicibus ſermocinatio ejus*, id eſt, cum iis, qui non duplici multipliciũ curarum, ſollicitudinũque, ſed ſimplici, corde & unico Divina curant. cum his (inquam) Dei *Sermocinatio*. proprie dicas, Dei ſecretum, vel colloquium arcanum; & iterum Pſalm. 23. 15. *Firmamentum eſt Dominus timentibus eum, & teſtamentum ipſius, ut manifeſtetur illis.* Quod Hieronymus ex Hebræo legit: *Secretum Domini timentibus eum, & pactum ſuum oſtendet eis.* Nimirum pii ſunt Divini conſilii Senatores, & conſiliarii, etiam ſi ſenes non ſint, quantumvis adoleſcentes, quantumvis pueri, tantum honeſti, & ſancti. Quod illi probe æſtimarũt, qui ſancto puero Daneli *dixerunt ſenes; Veni, & ſede in medio noſtrum, & indica nobis, quia tibi dedit Deus honorem ſenectutis.* Scriptum veriſsime eſt, *Corona dignitatis ſenectus, quæ in viis juſtitiæ reperietur.* Suprema inter ætates dignitas ſenectutis; at par illi eſt adoleſcentia ſancta.

Prov.8.32. *Hieronym.* *Dan.13.50.* *Prov.16.30.*

V. *Quando erat Omnipotens mecum, & in circuitu meo pueri mei.*

1. Omnipotens, *Saddai. Eloah. Iobi ſanctimonia.*
2. Pueri *de famulis, aut filiis, Pater familias, centrum. Familiares circumferentia.*
3. Pater *idem, qui magiſter. Idem, & exemplar.*

SI Nomen *Omnipotens*, *Saddai*, afferat nunc quaſi incrementum beneficii, & favoris Divini, ſupra id, quod nomẽ, *Dei*, in ſententia præcedenti ſignificabat, profecto indicabit Iob ſecundum diverſitatẽ & incrementa ætatum, majora indies a Deo beneficia, & benevolentiæ ſigna accepiſſe; puer enim, atque adoleſcens Deũ habuit *Eloah*, fortem, atque potentẽ, qui ætatem illã inconſtantẽ, labilem, imbecillam continebat, confirmabatque in bono. At vir jam factus, uxore ducta, atque ſuſceptis liberis, Pater familias, Deum habuit *Omnipotentem*, bonorum omnium largitorem, ſufficientem præbere neceſſaria omnia familiæ ſuæ, cujus ope vitæ, atque negotiorum omnium omnes difficultates ſuperabat. Hæc enim omnia latent in proprietate illi⁹ nominis, *Saddai*. Sed *Omnipotẽtiam* hanc, & ſufficientiam illius nominis, Septuaginta referunt ad ingentes opes, legunt enim, *Cum eram materiatus nimis.* Nicetas: *Cum mihi materies divitiarum ſuppetebat; ipſius vero divitias, ac nobilem ſobolem, virtutis materiem mihi egomet ſtatuebam*,

1 Omnipotens, & Saddai quid afferant. Iob majora indies beneficia a Deo accipiens. *LXX* *Nicetas.* Divina beneficia virtutis materia.

bam, cum & divitias in egenos conferrem, & liberos Dei arbitrio, ac voluntate educarem.

Et in circuitu meo pueri mei. Quidam ad famulos referunt, ut Gregorius indicat, Philippus, Vatablus. & alii; videturq; colligi ex *circuitu*: nam significat se fideli servorum suorum custodia circumseptū, atque numeroso famulitio stipatum. Alii de filiis accipiunt, ut Nicetas, recentioresq; Latini post Divum Thomam: & certe anceps est ad utrumq; *puerorum* appellatio. Habetq; sanctitatis quandam amplificationem, quod cura, & sollicitudo amplissimæ familiæ, tum servorum, tum liberorum, nihil illum abstraheret a secreta illa cum Deo familiaritate, & necessitudine. Elegans vero est Nicetæ cōparatio, quod ita essent liberi *illius in circuitu, ut in illū, tā quam in centrum oculorum, animique aciem intentam haberent*. Nam optimus Pater familias est veluti circuli centrum, a quo licet multæ lineæ ducātur inter se divisæ, sed tamen quælibet linea, vendicat sibi totum centrum; ita patrem totum sibi vendicāt singuli filii; &, quod in proverbio est, Vnus pater centum filiis sufficit. Sed illud peculiare est centro, quod respiciatur ab omnibus lineis; non aliter sane parens suæ familiæ, suisque liberis inspiciēdus, & imitandus propositus est. Id quod post multa alia de liberis educandis præcepta, eleganter tanquā totius operis coronidem, docuit Plutarchus: *Ante omnia* (inquit) *debēt parētes nihil peccando, omniaque pro officii rationibus agendo, evidens se se liberis exemplum præbere; ut in istorum ii vitam, tamquam in speculum intuentes, a turpibus dictis, factisque avertantur. Quorum vero tota vita turpis est, ii ne servos quidem objurgandi libertatem sibi relinquunt, nedū filios.* Quare *Patris* nomen in sacris litteris, idē est, & *magistri* atque præceptoris; ita ut, & præceptor, qui sancte, & diligēter munus suum obeat, pater merito sui alumni appelletur. Hæc illa est Prophetarum, aut Sacerdotum Paternitas quædā 4. Reg. 2. 12. & 5. Reg. 6. 21. judicū. 18. & sæpe alibi.

2
Pueri famuli. *Gregor. Philip. Vatab.*

Pueri filii. *Nicetas. D. Thom.*

Elegans Nicetæ comparatio.

Paterfamilias instar cētri in circulo.

3
Paterfamilias exēplar filiorum.

Plutarch.

VI. Quando lavabam pedes meos butyro: & petra fundebat mihi rivos olei.

1. *Pueri, & puellæ conviviorum ministri. Vngendi consuetudo, & unicuique parti corporis idonea unguenta adhibita.*
2. *Abundantia significatio. Explicatus Moyses.*
3. Oleū, & mel de petra *Illustrati Moyses, & David.*

Videri posset alicui describere Iobus pristinam suam fælicitatem, ex lætissimis, lautissimisque suis, suorumq; filiorum conviviis; Tum ex eo quod præcedens sententia indicet conviviorum, mēsæque ministros: nam *pueri*, puellæq; ministrabant mēsæ, ut ex illo Virgilii facile colligi potest AEneidos, 1. in illo apud Reginam convivio;

Dant famuli manibus Limphas, Ceremque canistris.
Expediunt, tonsisque ferunt mantilia villis.
Quinquaginta intus famulæ, quibus ordine longo
Cura penum struere, & flammis adolere Penates.
Centum aliæ, totidemque pares ætate ministri.

In hac vero sententia indicabitur etiam pristina ungendi pedes in convivio consuetudo; quod, & Magdalena præstitit Ioannis 12. Matth. 26. Marci. 14. & apud priscos alios, eadē ratione fieri Athenæus docet lib. 12. ex Antiphane, & Trophonio; atque lib. 15. idem moris fuisse apud Athenienses, ut delicatorū pedes unguēto ungerentur; veterumque nimiam curiositatem, ut unicuique parti corporis idonea unguenta adhiberent, pedibus, cruribus, maxillis, uberibus, tēporibus, brachiis, superciliis, capillis, Baccharinum, Amaracinum, Aegyptium, Phœnicinum, Nardinum, erudite persequitur Fulvius Vrsinus in sua appendice ad Triclinium Petri Ciaconii. Cum vero etiam in hac nostra sentētia, in Originali sint pro *pedibus*, *vie*; Rursus *via*, pro vestigio, aut pedis planta, mutuo accipi soleat, faciet cum hac ipsa consuetudine, quod Plinius lib. 15. cap. 3. de oleo disserens; *Vidimus* (inquit) *etiam vestigia pedum tingi. quod M. Othonem mōstrasse Neroni Principi ferebant.*

Atque hæc tantum in hunc locum probabiliter indicata sint: nam simplicior sententia illa est, ut hæc sit ingentis cujusdā abundantiæ, & fertilitatis circumloquutio. Septuaginta: *Fluebant viæ meæ butyro, & montes mei fluebant lacte.* id est, tanta erat copia, numerusque meorum gregum, ut quocumque me verterem, viderem notas diffluentis lactis ex distētis uberibus; indeque fiebat, ut ipse tingeret, *lavaretque* pedes suos *butyro, & lacte*. Simile est id, Devtero. 33. 24. *In benedictione, Asser* (cujus nomen divitias, & beatitudinē sonat) *tingat in oleo pedem suum*. & deinde subditur; *Ferrum, & æs calceamentum ejus*; quia videlicet terra illius tribus prędives,

1
Pueri, atque puellæ conviviorum ministri.

Vngendi pedes incōvivio priscus ritus.

Athenæus.

Fulvius Vrsin.

Pes pro via.

Plinius.

2
Abundantiæ periphrasis.

Benedictio Asser.

& abundans erat venarum ferri, & æris. Idemq; indicatum eſt Geneſ.49.20. *Aſſer pinguis panis ejus*(ea pinguedo olei eſt, aut butyri) *& præbebit delicias Regibus*. (nam ex pane, & oleo, atq; butyro placentæ fiebãt delicatę.) Similes igitur ſibi delicias, aut potius abundantiã ex oleo, & butyro contigiſſe ait Iob; & ſimilis etiam profuſi ſanguinis redundantia ſignificatur Pſ.97. 25. *Intingatur pes tuus in ſanguine*.

3 LXX. Montes feraces olivarum. Cajetan. *Et petra*, Septuaginta; *Montes*; montes videlicet ſaxoſi, & montana loca, quæ feracia erant Olivarum. Quod autem Cajetanus *petram* hanc *fundẽtem oleum*, intelligit petram *molẽtem olivas*, ridiculum eſt. Sed plane alludit ad fluminum, fontiumque ſcaturigines, quæ cum ſoleant frequẽter in montibus petroſis, & in ipſis ſaxis aperiri, ait Iob, nõ aquam, ſed oleũ ex ipſis petris collegiſſe. Quod ſimile eſt illius Devter. 32. 13. *Vt ſuggeret mel de petra, oleumq; de ſaxo duriſſimo*. id eſt, abundãtiam olei, atq; mellis ſylveſtris: nam in rupibus terræ Sãctæ, quippe regionis prę calidæ, frequentiſsime apũ examina, quæ vix poterant alvearibus capi, mellificabãt, & nullus erat locus inutilis, aut infrugifer; nam in ipſis rupibus oleæ naſcebantur. Item, & illd Pſal.80.15. *De petra melle ſaturavit eos*. Quod aliqui intelligunt mellitos, dulceſque fructus, ut dactilos, ficus, uvas; ficut, & Exod.13.5. *Terram lacte, & melle manantem*. id eſt, multis pecoribus, multiſq; ſuaviſsimis fructibus. Philippus vero exiſtimat fieri potuiſſe, ut ille potus deſerti ad voluptatem, voluntatemque bibentium ſaperet ſicut mel, atque oleum; ſicut manna pro voluntate comedentiũ, continebat *omnis ſaporis ſuavitatem*. Sed quidem hæ tantum ſunt incredibilis cujuſdã feracitatis, & abundantiæ periphraſes; quale eſt illud;

(Inſignis abundãtiæ circumloquutio. — Philipp. — Sap.16.20. — Virg. Eglo.3. — Theocritus 5. Edyll.)

Mella fluãt illi, ferat & rub⁹ aſper Amomũ
Et illud;
Et nõ fluct⁹ aqueos, ſed lac profundat bimera
Aeſtuet & cratis vino, Sia fruge nitefcat.

Conſonantq; reliquæ voces: nam *fundere*, aut *profundere*, tum etiam *rivi*, ſive (ut alii vertunt) *paludes*, ad abundantiam quoque referuntur, ut ſupra c. 10.17. *Non videat rivulos fluminis, torrentes mellis, & butyri*.

VII. *Quanda procedebam ad portam civitatis, & in platea parabant Cathedram mihi.*

1. Egredi *quid in ſacro ſermone*. 2. *Princeps primo mane curans Rempub.*
2. *In portis judicia celebrata. Explicatus Moyſes.*
3. Cathedra, *& ſedes Principũ atque judicum; Tũ etiam magiſtrorum. Explicatus locus Regum.*
4. *Principes, & Reges aliquando de ſuggeſto concionati. Explicatus locus Reg. & Paralip.*

I Devt.28.6. יצא

AB agris, & rure, ad urbem ſe trãsfert: Non fælix (inquit) ſolũ erã ruri, ſed etiam domi, atq; in urbẽ beatus, *benedictus ingrediens, & egrediẽs*. *Procedebã*, egrediebar, ut munus publicũ obirem, ad exercẽda judicia, & Rempublicã adminiſtrandã, cũ multu comitatu. Ejuſmodi *egreſſio*, aut *proceſſus*, eſt aut Imperatoris ad bellum 1.Reg.8.20.2. Reg.18.2. aut viri ad munus publicũ obeundũ, uti *Sol procedens* de altehemiſpherio ad obeũdum alterũ, Pſ.18.5. Non aliter etiam civitatis gubernator, & Reip. Princeps procedit; idq; ſummo mane; ut primã curam civitatis, & publici cõmodi expergefactus ſuſcipiat, Sic Septua. *Cũ exibam matutinus in civitate*. Eleganter Olymp. *Tanquã Princeps quidam, ac magiſter cæteris ad virtutẽ, ſic nec ſomno, nec ebrietatibus indulgebat, ſed charitate commotus de mane in plateis reſidebat, tanquam lex, atq; effigies civitatis propoſitus*. Sed illam procedẽtis ſolis cõparationem pulcherrime attigit Seneca lib.1. de Clement. cap.3. *Quo* (Principe) *præcedente non tãquam malũ aliquod, aut noxium animal e cubili proſilierit, diffugiunt: ſed tanquam ad clarum, & beneficum ſidus certatim advolant*.

(Princeps procedẽs ſummo mane inſtar Solis ad obeũdã civitatem. LXX. Olympiod. — Seneca.)

Ad portam civitatis. Gajetan. vertit: *Super eis, quæ ſunt civitatis*; ut non locum, ſed potius negotium ſignificet; ut & indicare videntur Septuag. *Exibam matutinus in civitate*. Sed quidem vox, *plateæ*, & *cathedræ*, arguit etiã certum quendã locum. Tygur. legit; *Per oppidũ ad portam*. Vatabl. *Per portam juxta urbem*; Pagnin. *Portã ſuper civitatem*; quod ſic interpretatur Vatablus; *De ambulaturus ſcilicet circa urbis mœnia, ut ſit ſub noctem tẽpore æſtatis*. Sed hæc interpretatio humilior eſt, quam quæ in exemplũ magni cujuſdã Principis, magnæ apud ſuos populares auctoritatis afferri debeat. Tum etiã valde levis, valdeq; frigida eſſet doctrina, quę tunc temporis traderetur a Principe. Malo itaq; exiſtimare jã tunc tẽporis *in portis* ſolere judicia exerceri; quare procedebat ad populi portã, & publicũ atq; frequẽtiſsimum urbis cõvẽtũ jus dicturus: Nã & hæc ipſa judicii, & portarũ res antiquior videtur fuiſſe; cũ dictum ſit Geneſ.4. ad Cain. *Si male egeris, pro foribus peccatum tuum aderit*, id eſt, Iudicaberis. Kaldæus *ad judicii diem*. Sed de porta diximus plura cap.5. verſ.4. num.2.

(Tygur. Vatab. Pagninus. — Iudicia in portis urbium facta jam inde a primis ſæculis. — Kaldæus.)

Vatab. Pagn. Regia. Cajet.

LXX

Sedes, & Sedere propriũ Iudicantiũ, dicentium, docentium.

ישב

Iobus Doctor sui populi.

Chrysost. *Origen.* *Olympiod.* *Philipp.*

3 *Et in platea parabãt.* Alii in prima persona: *Parabã.* prop. *Faciebã parare.* Sed magis Latine ab Interprete dictum est: *Parabãt,* sicut, & a Septuag. impersonaliter: *Ponebatur mihi sella.* *Cathedrã.* ex vi originalis votantũ est *sedes*; sed recte sumitur pro judiciaria sella, aut pro Regali solio: nã judicũ Principũve *sedere* est, sicut & eorũ, qui judicãtur, ministrãt, audiunt, *stare.* Quare vox eadé vertitur *soliũ,* Amos 6. 3. & pro sede Regali, 1. Regum. 20. 25. & pro sede simul Regali, atq; judiciaria 2. Reg. 23. 8. *David sedẽs in Cathedra sapientißimus Princeps inter tres.* Quare etiã hãc Iobi *Cathedrã* ad doctrinam videtur referre Chrysost. & ad *priorẽ illã suã in dicendo libertatẽ, & dignitatẽ.* Sicut & Origen. ad *Incessum Audiũ charitatis, quod aliorũ eruditioni, atq; utilitati operã navaret.* Olympiod. vero non tã ad sermonẽ, quam ad vitæ exemplũ, *Tanquã Princeps quidã, & magister cæteris ad virtutẽ, & tanquã lex, atq; effigies civitati proposites.* Philip. quanquã in *Cathedra* significari intelligat examen diversorũ negotiorum, sed tamen nihil regiũ, nihil severũ intelligit. *Sedes* (inquit) *nõ tanquã severo judici, & cruento; sed ut magistro plebis, ac doctori populi.* & quidé aliquãdo, *sedere,* benegnitatis. & comitatis est, cum nihil humanitatis detrahit majestas Principis, & dignitas doctoris. *Vnũ ille se* (de optimo Principe in Panegyri. Plin.) *ex nobis, & hoc magis excellit, atq; eminet, quod unũ ex nobis putat, nec minus hominẽ se, quã hominib⁹ præesse meminit.*

Reges populi de suggesto Doctores.

LXX.

4 Sed præstat, quod initio diximus, præsertim cũ & Reges aliquãdo de suggesto ad populũ verba fecerint: non enim judices tantũ, sed concionatores, ac magistri erant; quod fecit Iosias 4. Reg. 23. 1. cum *congregatus est ad eũ omnis populus a parvo, usq; ad magnũ, legitq; cũctis audiẽtibus omnia verba libri fœderis, & stetit Rex supra gradũ:* id est, *conscẽdit suggestũ.* & exponitur 2. Paralip. 34. 31. *Stãs in tribunali suo percußit fœdus.* In primo auté loco legunt Septuag. *Stetit Rex ad columnam.* & in 2. *Stetit Rex super columnam.* Sic etiã David 1. Paralip. 28. Convocavit, & instruxit concionem. Salomon etiam Ecclesiasten egit.

V. VIII. Videbãt me juvenes, & abscõdebãtur: & senes aßurgẽtes stabãt.

1. Iuvenes *in Sacro sermone, qui.* Abscondi *ad reverentiam, Honor delatus senibus.* (rentũ.
2. Senes *qui.* Assurgere. & stare. *Senes instar pa-*
3. Princeps *pro judice. Rex Regum magistratibus inferioribus jus dicens.*
4. Manus *allegorice.* *Explicatus Salomon.*

1 IN honore (inquit) & reverentia maxima erã apud omnes ordines, & omnis ætatis homines: & quantũ doctrina, & dignitate juvenes, pueriq; distabant a senibus, excellentibusq; viris, tantũ senes ipsi, Principesq; a mea dignitate, Sapientiaq; aberant. *Iuvenes.* vox ad pueros, vel adolescentiores anceps est. *Abscondebãtur.* *Reverentiã* (inquit Philipp.) *pietatis, & sancti timoris indicat.* Nicetas intelligit eos, qui ætate, moribusq; *Iuvenes* erant, qui cũ justi virtutẽ vererẽtur, ab illius se cõspectu abducebãt; sicut enim exoriente Sole bestiæ *congregantur, & in cubilibus suis* absconduntur; nam in nocte tantum impune pertranseunt, & grassantur; ita qui male agunt, oderunt lucem, & optimi Principis splendorem, quẽ superius diximus, instar Solis procedentẽ ad obeundã urbem, non sustinent; sed cõfestim fuguint, & absconduntur. Simplicius est, si juvenilem ætatẽ intelligamus, quæ gravissimæ Iobi doctrinæ min⁹ idonea erat: sicut & Plato Ethicæ doctrinæ censet adolescẽtes min⁹ idoneos, at in Mathematicis exerceri oportere. Indicat vero Iob Remp. a se optime institutã, ut *Iuvenes* verecũdiores essent, & senibus honorem locumq; digniorem deferrent. Quare, sicut dicebat ille, in sola Sparta expedire fieri senem, cum cerneret, quem honorem senibus juniores haberent; ita profecto in Iobi Republica Husitana, & expediebat fieri senem, & juvenes educari, & institui.

2 *Et senes.* Alii vertũt: *Decrepiti,* quã vocẽ reddere etiã solet Interpres, *Antiquũ,* vel *antiquos,* superi⁹ c. 12. 12. & 12. 10. & c. 32. 6. Sed, *decrepitos,* vertit 2. Paralip. 36. 17. Certe ex proprietate, & merito suæ radicis, tantũ significat hominem, qui diu exstitit, diuq; vixit. Recte ergo hoc loco *senes,* & ætatis, Sapiẽtiq; provectioris *assurgẽtes:* nam cum prius ipsi sedissent, ut pote doctores, magistriq; adolescentum, assurgẽdo profitebantur se Iobi discipulos, eundemq; ipsum velut parentem veneraturi. Hoc enim indicabat ille urbanus, & comis *Assurgendi* habitus in adventu seniorum; quem adolescentes Spartiatę tã religiose servabãt. ejus enim rei causam rationẽq; rogatus Telecrus, respondit, *Vt in iis* (inquit) *qui nihil attinẽt, honorãdis, ita se gerentes, magis honorẽt parẽtes. Stabant.* Habitus est famulantis, audiẽtis, discentis. Primũ frequẽtissimum est in Scripturis, *stare corã Deo, Coram Rege.* Secundũ rarius, cũ potius cõtrarius habitus *sedẽdi secus pedes* alicujus sit habitus discipuli discẽtis. Sed hic ex subjecta materia sic oportet exponi,

נערים

Philipp. *Nicetas.*

Iuvenũ appellatio in quos quadret.

Psal. 103. 22.

Plato.

Plutarc. in Laconic.

Pagn. Regia.

ישש

Assurgendum senioribus tã quã parẽtibus

Plutarchus in Lacon.

Stare cujus habitus.

ut ad audiendũ referatur, simul & ad habitũ servorũ, qui corã regibus stantes ministrãt, vel mandata accipiũt. quare hæc erit periphrasis supremæ dignitatis, & Regis Regũ, corã quo ipsi Reguli stabãt, ille vero jus dicebat omnibus, nã Princeps statibus jus dicit, & sententiã pronuntiat. sicut Iosue 20. 9. reus sanguinis *stabat corã turba expositurus causam suã*. Observat autẽ Nicetas, Iobũ in hac sententia verberare amicos suos, quod in eum tunc insultarẽt, qui prius eisdẽ ipsis formidolosus, ac gloriosus exstitisset.

Nicetas.

IX. *Principes cessabant loqui, & digitum superponebant ori suo.*

3 SEntentię precedentis expositio est, atq; amplificatio. *Principes*, optimates, capita populi. Septuag. *Potẽtes*. Philip. dicit: *Potestates*. Origen. *Divites*, quibus tũ potẽtatũ divitiæ loquendi facultatẽ faciebant, & quorũ dicta, atq; sententias universi auditores in cælũ usq; extollebant. Scriptũ est enim, *Dives loquutus est, & omnes tacuerũt, & verbũ illius usq; ad nubes perducẽt*. At (inquit Iob) me præsente obmutescebãt. Nomẽ autẽ *Principis*, nomẽ videtur magistratus, & judicis. Exod. 2. 14. *Quis te constituit Principẽ, & judicẽ super nos?* & Ps. 118. 23. *Sederũt Principes, & adversum me loquebantur*. Quare eadẽ ipsa radix, *sur*, unde dicitur, *sar*, id est, *Princeps*, aliquãdo imperare significat, vel legẽ ferre. ut Prov. 8. 16. *Per me Principes imperãt*. Ergo significat cæteros minores magistratus, stantes corã illo bene instituedæ Reipublicæ præcepta, legesq; accepisse, tanquã a Rege Regũ, ut supeṛi⁹ diximᵘ. Quo quidẽ Iob suã Sapiẽtiã valde cõmendat: nã & Salomõ ex illa, hãc ipsam rem vel imprimis sibi pollicebatur, quã habuit nullo negotio Iob, *Habebo* (inquit) *propter hãc claritatẽ ad turbas, & honorẽ apud seniores. Iuvenis, & acutus inveniar in judicio, & in cõspectu Potentiũ admirabilis ero, & facies Principũ mirabũtur me. Tacentẽ me sustinebũt, & loquentẽ me respiciẽt, & sermocinante me plura, manus ori suo imponẽt*. Similiterq; in hoc loco pro, *digito*, est in originali, *manᵘ*, digito enim quivis cõpescatur labellũ, sed *manu* tamẽ obstruitur os.

LXX. Philipp.

Ecclesi. 13. 26.

Princeps pro Iudice.

שׂוּר
שַׂר

17. & 18.

Vide c. 1. v. n.

Sap. 10. 11. 12. 13.

Iobus cum Salomone comparatus.

4 Illa autẽ Origenis allegoria nõ est inelegãs, quod digitus ori injectus, manusve apposita usurpetur pro factis: *Manũ igitur*, aut *digitũ* imponebãt ori præsente Iobo, quia sua illorũ facta cogebãt illos obmutescere, ut pote, quæ minus clara, & illustria essent, quã Iobi virtutes. Ad similẽque allegoriã illud nõ invitũ trahi potest Prover. 26. 15. *Abscõdit piger manus sub ascella sua, & laborat, si ad os suum illas converterit*: id est, si efficiat, quæ loquitur. Vide Greg. lib. 21. moral. cap. 10.

Origenis elegãs allegoria.

Manus abscõdita, pro opere obscuro.

X. *Vocẽ suã cohibebant duces, & lingua eorũ gutturi suo adhærebat.*

1 Milites amusi. Ducis propria Sapientia. Dux unde dicatur. Illustratus Isaias.
2 Varia lectio. Silentii circumlocutio.
3 Singularis in audiendo attentionis descriptio. Oculi demissi inter audiendum.
4 Oculus ad experimẽtũ. Illustratus locus Regũ.

1 DVces. Alii referunt ad militię duces, virosq; bellatores, quorũ animus solet esse a Sapientiæ studio alienus, & (ut ait D. Tho.) solent audaciores, & promptiores esse ad loquendũ, & blaterandũ. Ita fere Latini omnes. Quare erit hęc Sapiẽtiæ, & eloquẽtiæ Iobi ingens amplificatio, quod sui admiratione defixos, silẽtesq; teneret duces ac milites, cum potius *leges*, atq; Sapiẽtia *silere soleãt inter arma*. quãvis enim 2. de Rep. velit Plato militẽ debere esse *Philosophũ*, & *discẽdi cupidũ*; tamẽ idem ipse in Critiar. pobat priscũ Atticę institutũ, quo milites *separati a Divinis viris* habitabant. Audiebant igitur *Duces* ac milites: nemo nõ parebat legibᵘ, omnes ex æquo, & jure moderabatur. Sed quidẽ, *Ducis*, nomẽ ex proprietate suæ radicis, nõ pertinet ad militiã, oritur enim a radice *Nagad*, quod est nuntiare, indicare, explanare, aut docere verbo, aut exẽplo, aut gestũ, aut alia quapiã re. Inde dicitur *Princeps*, aut *Dux*, qui suos subditos, & populares, vel verbo, vel nutu moderatur, & in cujus os, nutũ, oculos intenti respiciũt subditi. Ex adjuncto autẽ, *præceptoris* nomine explicatur proprietas vocis, Isai. 15. 4. *Ducẽ ac præceptorẽ gẽtibus*, id est, docentẽ, & præcipientẽ vel annuntiãtẽ, imperantẽq; quid facto opus sit. Quare Prov. 28. 16. dicitur, *Dux indigẽs pruḍẽtia, multos opprimet*: nã cũ ducis (id est ex proprietate vocis, *Legislatoris*) propria sit Sapiẽtia ad docendũ, Potẽtia vero ad coercendũ, si Sapiẽtia destituatur, per Potentiã opprimet, nihilq; recte moderabitur. Ergo (inquit Iob) nemo dux, nemoq; doctor tã Sapiens, qui per meam doctrinã nõ proficeret, meq; tacitus nõ audiret.

D. Tho. Nicol. Cajetan.

Milites a sapientia abhorrentes.

Plato.

Dux, aut Princeps præit exemplo.

נגד

Ducis sapientia, & potẽtia.

2 *Vocem cohibebant*. In originali est: *Vocem abscondebãt*. Nihil autem aliud est, *vox abscondita*, quã vox suppressa. Quare elegãter dixit Tygur. *Procerum vox premebatur*. nã illud aliud vix convenire potest, quod Pagnin. & Regia vertunt, *Absconde bant se*. Et quod ait Vatabl. *Vna cũ voce abscondebantur*,

חבא

Tygur.

Pagn.

Vatab.

bantur, & silentes proripiebant se: nã hi ipsi proceres erant auditores Sapientiæ Iobi, & *lingua corũ gutturi suo adhærebat*, illo disserente, id est, manebat immota. Simile id Ps. 136.6. *Adhæreat lingua mea faucib⁹ meis.* elinguis, mutusq; fiã. q. d. ligata maneat lingua, & contracta ad fauces, ne suo officio expedite fungi possit. Res eadem paululũ variata phrasi Ps. 12.16. & Zachar. 14 12. *Lingua eorum contabescet in ore suo.*

XI. *Auris audiens beatificabat me, & oculus videns testimonium reddebat mihi.*

3 Facilis explicatus.

PLanus sensus ille videtur, qui legenti statim sese offert, Qui me audiebant, mirabiliter deliniti meo sermone, me beatum prædicabant, & qui me contuebãtur e suggesto verba facientem, & jura dantẽ, nõ minus illustre mihi Sapientiæ, & integritatis testimonium reddebãt. Nemo igitur aderat, qui mea verba tanquã Divina quædam oracula nõ exciperet. Sed interpretatio hæc nõ est valde exquisita. Quare Græci paulo subtilius exponunt, quippe separant *aurem audientẽ* ab *oculo vidẽte*, id est, eum auditorẽ, qui cũ audiat, at (ut ait Origenes) oculos demittat, præ reverentia, & *adverso obtutu intueri non posset*, propter *nimiũ splendorem* dicentis: *Id circo* (inquit) *oculos abducebant, quia ad excelsas, altasq; illius notitias, nullo pacto niti se posse intelligebant.* Certe splendor ille vultus, & oculorum præstingens aliorũ aciem, vere Regia, vereq; Divina esse solet. Sueton. in Augusto, *Oculos habuit claros, ac nitidos, quibus etiã existimari volebat inesse quiddã Divini vigoris, gaudebatq; si qui sibi acrius contuẽti, quasi ad fulgorẽ solis oculos submitterẽt.* Dicẽti vero Iobo nõ solum propter oris dignitatem, sed etiã propter doctrinæ sublimitatem oculos submittebant. Quare ut tantã doctrinæ magnitudinẽ attentius perciperent, avertebant oculos, ut *tantum auditui redderetur, quantũ vidẽdi sensus amitteret.* Quare licet attenti & benevoli auditoris *sint oculi, in ipsum dicentẽ conversi* (ut Plutarchus docet libello de auditione) vitiumq; in auditore censeatur *demissio vultus*: at nunc vultus, oculorumq; demissio erat virtus auditorũ Iobi, atq; eximia ipsius dicentis laus. Hanc interpretandi rationem indicarunt Septuaginta legentes, *Oculus videns me declinavit*. Videbatur ergo illis loqui quasi *ex cõsortio sermonis Dei*; ita erat inter docendum vultu prope Divino, ut non possent in illum intendere.

Græcorum expositio subtilior.

Origenes.

Splendor Regius.

Sueton.

Plutar. in Simpos. q. 5.

LXX

Exod. 34.29.

4 Germanior explicatus.

Iob cum Salomone collat⁹.

Sed ego tamen hoc encomiũ Sapientię Iobi persimile existimo illius testimonii, quod reddidit Salomoni Regina Sabba. 3 Reg. 10. *Videns enim omnẽ Sapientiã Salomonis, dixit ad Regẽ: Verus est sermo, quem audivi in terra mea super sermonibus tuis, & super Sapientia tua, & non credebã narrantibus mihi, donec ipsa veni, & vidi oculis meis.* Non aliter cũ Iobi Sapientiæ fama lõge, lateq; pervagaretur, ex solo auditu prædicabatur apud omnes beatus. Qui ergo illius videndi desiderio ad illũ disputãtem, & disserentẽ veniebant, re ipsa, & experimẽto cõperiebant verissima esse, quæ fama, & rumore jactabantur. In quam eandẽ sententiam adducit hoc loco Philippus illud sancti Loth elogium 2. Petri. 2. 8. *Aspectu, & auditu justus erat*, id est, experimentum, ipseque conspectus sanctitatis illius par erat famæ, & existimationi.

Res in Iobo par rumori, & famæ.

Philipp.

XII. *Eo quod liberassem pauperẽ vociferantem, & pupillum, cui non esset adjutor.*

1. Liberare *quid*. Pauper.
2. Pupillus. *Tria miserorum genera egentia tuitione Principis. Illustratus Paulus.*
3. *Iob Rex regum, & Salomon.*
4. *Vera Principis gloriatio, & Aegyptiorũ Reges.*
5. *Iob citra invidiam se laudans.*

1

HOC est optimi Principis officiũ, *liberare*, salvare, in tuto cõstituere, facere, ut fugiat, vel ut evadat: est enim hoc loco verbum, *malat*, quod vel eripere, vel evadere, aut effugere significat. & ita addiderunt Septuag. explicationis gratia, *De manu Potentis*. Indicatq; illud verbũ *liberãdi*, ingẽs *pauperis* periculũ, difficultatemq; effugiendi. *Pauperẽ*, Septuag. *Mendicum*; proprie humilem, oppressum, *vociferantẽ*. Ex Hebræo *Clamor* significatur, aut ululatus hominis vehementer afflicti, & anxii, implorantis opem, quod, *clamare*, vertitur Ps. 17.42. *Clamaverunt, neq; erat, qui salvum faceret.* Vere Regia illa Theoderici Regis vox apud Cassiodorũ, *Inter gloriosas Reip. curas, quas perpeti cogitatione, Deo auxiliãte, revolvimus, cordi nostro est levamẽ humiliũ, ut contra Potentiã superborũ nostræ pietatis erigamus obstaculũ, nec liceat quicquã apud nos audaciæ, cujus est propositi superba calcare.*

מלט

LXX.

Pauper clamans.

שוע

Cassiod. lib. 3. Var. c. 20.

Et pupillum. Orphanum, *Cui non esset adjutor*. In Hebræo, cum distinctione, *& cui non erat adjutor*: ut indicet tres miserorũ ordines indigentes Principis tuitione, & judicis misericordia, & æquitate, *Pauperẽ* oppressum, *Orphanũ*, & illum, *cui nemo pa-*

Tres miserorum ordines.

tracinatur. Quod videtur esse illud Ecclesiast. 4. 1. *Vidi lachrymas innocentiũ, & neminẽ consolatorem* (patronum, adjutoremve) *nec posse resistere eorũ violentiæ cunctorũ auxilio destitutos.* Indicatur vero vehementer requirere a nobis Deus, ut juvemus infirmiores, de quo est illud 1. ad Timot. 5. 8. *Si quis suorũ, & maxime domesticorũ* (id est, fidelium, qui sunt intra domum Dei) *curã non habet* (id est, opem non fert) *Fidem negavit, & est infideli deterior.* id est, est maxime injurius in Deum, qui pręcipit miseris benefacere, & renuntiavit fidei, juriq; humanitatis. q. d. *Es peor q̃ un erege, o q̃ un renegado.* Ingẽs Hyperbole inhumanitatis.

3 Vbi primo observandũ est id, quod initio capitis primi proposuimus, Iobũ fuisse Regem Regum, ut qui Regibus aliis, magistratibusq; jus diceret, legesq; daret. Quare & aliquando *pauperem vociferantẽ*, appellantemq; a minoribus judicibus ad tribunal Iobi, ipse supremus judex, & magistratus *liberabat.* Sic enim Salomon, qui inter Palęsthinę Reges, illo Regis Regũ munere fungebatur, ut Sapiẽt. 8. 14. & 15. indicatur, ait beneficio Sapiẽtiæ, quã adamabat, fore *ut disponeret populos, & timerent illũ audientes Reges horrendi.* Et iterum Prov. 8. 15. Sapientia dicit, *Meũ est cõsilium, & æquitas, mea est prudentia, mea est fortitudo: per me Reges Regnant, & legũ conditores justa decernũt, per me Principes imperant, & potentes decernunt justitiã.* Quæ omnia tum in Sapientiã Salomonis, qui erat supremus inter Palæsthinæ Reges magistratus, tum vero in Iobũ supremum etiã Principem inter Idumæos, & jus dicentẽ aliis Regulis, egregie conveniunt.

Iob Rex Regum.

Pauperes oppressi provocantes ad Iobi tribunal.

Salomon Rex Regum inter Palæsthinos.

4 Secundo observat Chrysostomus, Nõ gloriari Iobum, quod sacrificiis operam daret. *Iudæorũ enim* (inquit) *hæc erat gloriatio.* Sed in eo potissimum, quod *judicaret pupillo, & viduæ benefaceret*, atque illa præstaret, quæ a bono Principe, & judice requirit Deus, nimirũ ut sit Princeps subditorum suorũ, atq; populariũ verus pater, qua in re paternã quoq; Dei gubernationẽ imitantur Principes, cui propositũ est, ut ingentibus beneficiis mortales omnes demereatur. Quare inter Divinas virtutes illud est, quod ad suos Reges transtulerunt Aegyptii: nã Sacerdotẽ, qui coram populo preces, & vota pro Rege faciebat, illud solebat de Rege pręducare ad populi gratiã conciliandam, *Leviores infligeres pœnas, majores vero reponere gratias, quã pro delictorum, aut beneficiorum meritis.* Auctor est Diodorus Siculus lib. 1. Quãto magis pauperem vociferantem, orphanũque ab injuriis, & calumniis vindicabit. Sapienter enim Ecphantas ille Pythagoricus dicebat, *Verum Regem eadem amicitia subditis esse sociatum, qua Deus mundo.*

Chrysost.

Princeps pater subditorũ.

Divina virtus Principis.

Aegyptiorum Regum beneficentia.

Diodorus.

5 Tertio, quod notat Isidorus in Catena, quod *Pharisæus* se laudans apud Deũ, offendit, at *Iobus quãvis plura, & majora de se prædicarit, tamen laudẽ tulerit.* ille enim nemine incitante, vel impellente se cõmendat: friget autem laus, quã sibi quisq; assumit nulla necessitate coactus. secus Iob, quẽ justa sui defensio, & iniqua criminatio adversariorũ cogunt ad proferẽda vitæ suæ merita. Quare, & Paulus, dum aliquando se cõmendat, ait, *Vos me coegistis: ego enim a vobis debui cõmendari.* Vide Plutarchum cõmentario, Qua quis ratione se ipsum citra invidiã laudare possit, *Vsu* (inquit) *venire potest, ut audendũ sit viro civili, aliquid de se ipso dicere, non gloriæ ullius, aut gratiæ captandæ causa, sed quia occasio, & res ita postulent.* Inter alias vero causas se ipsum absq; culpa reprehensionis laudandi primam assignat, *Si calũniæ aut accusationis depellendæ gratia id faciat.* Secundã, *Si quis in aliquã inciderit calamitatem.* Tertiã, *Si rem bene gestã defendat.* Quartã, *Si suam quis laudẽ in Deũ transferat.* Quintam etiã, *Si laudẽ propriã ad utilitatem auditoris referat.* Quæ omnia pulchris exemplis sentẽtiisq; confirmat, atq; pulcherrime in Iobũ universa cadunt. De quo illud dicit Basil. in Caten. *Tẽpus tacendi, & tempus loquendi*, nã postquã calamitates incredibiles diuturno silentio toleravit, virtutibusq; se exercuit tacitus, & modestus, nunc necessaria oratione vitæ suæ actiones exponit. Vide hoc loco Greg. lib. 19. c. 19. 10.

Isidor.
Luc. 18.

Frigida sine necessitate sui cõmendatio.

Iobus se necessario, & opportune laudans.

2. Cor. 12. 11.

Plutar.

Quinque causæ laudãdi se citra invidiã.

Basilius.

Eccles. 3. 7.

13 *XIII. Benedictio perituri super me veniebat, & cor viduæ cõsolatus sum.*

1. Periturus *quis. Varia lectio.*
2. *Viduitatis malum. Deus judex viduarum, Illustratus locus Regum.*
3. *Vidua cur ingrata* Cõsolari, *&* Laudare *in Sacro sermone quid. Explicatus Moyses.*

1 Septuaginta: *Benedictio pereuntis.* Philippus ait. Septuaginta legisse, *Benedictio pauperis.* Vox originalis significat interitũ ejus, qui in summo vitæ, rerumq; discrimine versatur, & quẽ vel falsa, & iniqua delatura, vel calumnia Potentiorum agebãt capitis reum, atque certo *periturus* credebatur, nisi illi adfuisset incorrupti judicis æquitas, & benignitas. Divinum porro est, certo periturum hominem a morte, a discrimine revocare: Dei quippe sunt exi- אבד

Psal. 67. 21.

ctus mortis, id eſt, viæ, & rationes, quibus quis poſſit e certa morte effugere. *Hæc* (inquit Seneca) *Divina Potentia eſt gregatim ac publice ſervare; multos autẽ occidere incendii, ac ruinæ potentia eſt.* Is inquam, *benedicebat* mihi, & omnia bona precabatur jam ereptus diſcrimine. Septuagin. Aliũ ſenſum indicant: * *Benedictio pereuntis ſuper me veniat.* ut ſit optanter, aut deprecãter; *Quæ a me illis benedictio accidit, eadem mihi eveniat.* Si vero legendum ſit de futuro, *veniet*, ut Cajetanus contendit, videbitur ſibi polliceri, ſuæ juſtitiæ, ſuorumque recte factorum certum premium, *reddendum* aliquando a *Iuſto Iudice*. Sed quidem non levis mihi ſuſpicio eſt, Iobũ nunc cõmendare illam optimi Principis virtutem Miſericordiã, & Clemẽtiã, quæ ſæpe merentibus pœnas, extremumq; capitis ſupplicium remittit. Sic quoque Artoxerxes mirabili lenitate Regum Perſarum ſævitiam temperavit; nã (ut ſcribit Ammianus lib. 30.) *tiaras ad vicem capitum quibuſdã noxiis amputabat; & ne ſecaret aures more regio, e galeris fila pendentia præcidebat.* Chryſoſtomus ſane Hom. 20. ad Pop. Anti. illud affert Theodoſii Imperatoris, cum ſolemnitate Paſchali jubebat vinctos dimitti; *Vtinã* (dicebat) *mihi liceret & defunctos revocare, & ad priorem vitã reducere. Et hi* (inquit Chryſoſtom. nimirum rei læſæ majeſtatis) *jam mortui ſunt prius, quam judicium proferatur.* Sic *perituri benedictio venict ſuper* Regẽ in exigẽdis pœnis humaniſsimũ. Vide in hãc rẽ Fabr. 3. Semeſt. c. 16. & 17.

Sen. de Ira. — * El bien, que les hize, eſſe me venga. — Cajetan. — Ammianus — Chryſoſt.

2 *Et cor viduæ conſolatus ſum.* Cor (inquã) mœrens, atq; amarum; *viduæ*, quæ præ afflictione, & mœrore neque audebat, neq; valebat vociferari; tantum loquebatur, & clamabat in corde ſuo: ſicut & Anna, cum *multiplicaret preces coram Domino, loquens in corde ſuo, & vox penitus non audiebatur, ad multitudinem doloris, & mœroris* retulit, 1. Reg. 1. 13. 16. Illius deſiderium exaudivit Iob, inſtar ſupremi Numinis, quod *exaudit deſideria pauperum. Viduæ* (inquam) cujus conditio miſerrima eſt. Diximus nonnihil de Viduitatis ærumnis, ſuperius cap. 24. n. 3. Nunc illud tantum, quod qui ſe judicem, vindicemq; viduarum cõſtituit, Deũ viduarum judicẽ imitatur. vide id 3. Reg. 17. 20. cum Elias pro viduæ filio oraturus, ait: *Domine Deus meus, etiam ne viduã, apud quam ego, utcumque ſuſtentor, afflixiſti, interficiendo filium ejus!* q.d non illi ſuffecerat viduitas, quin etiam addidiſti filii orbitatem? utraque res miſerrima. Septuaginta; *Hei mihi Domine, teſtis viduæ.* Teſtis inquam, non ſolum quod videre ſe ſignificet, injuriam, quæ viduæ irrogatur; ſed etiam, quod judex, vindexque futurus ſit. Philippus: *Pupillus, pauper, & vidua, omne genus humilium, afflictorumq; ſignificant.*

Vidua nõ audens vociferari, cantũ in corde ſuo gemẽs — Pſal. 10. 16. — Cur Deus dicatur teſtis viduæ. — Philipp.

3 *Conſolatus ſum.* Clare, & dilucide, quod in Hebræo eſt, *Exultare feci præ gaudio.* vel *cantare feci, aut jubilare.* Tygurina: *Cor viduæ commovebam ad jubilum.* ad ſolatium, & lætitiam pertinet, ac ſi diceret; Exhilarabam, lætificabam viduam, implebã gaudio, ita ut continere ſe non poſſet, quin exultaret, jubilaretq; nam *Ranan* eſt exultare, cantare cum tripudio. Vbi eſt elegãs rerum anthitheſis; nam *cor viduæ* mœrẽs, verba ſupprimens, & dolorem premẽs, & ne hiſcere quidem audens; jam tandẽ ope allata, vix ſe poterat continere, quin cantu, & Iubilo proderet incredibilem cordis lætitiam. Conſolatio itaq; major erat prę terito mœrore; nam hunc tandem continebat cor, illam non capiebat animus. Septuagin. videntur hoc jubilum referre ad laudes ipſius Iobi decantatas; legũt enim *Os viduæ benedixit me.* Vbi illud obſervari præcipit Chryſoſtomus; *Quamvis viduarũ genus ſit quodammodo ingratum, non naturæ voluntatiſve vitio, ſed egeſtatis neceſsitate; quãvis ægre eũ laudent, a quo ſunt beneficio affectæ: nam furnus eſt paupertatis viduitas: eas nihilominus Iobi nomen cum laude uſurpaſſe.* Incredibilis igitur beneficẽtia Iobi aperiebat mutarum viduarum, reddebatq; diſerta ora. Atque cum hac interpretatione facit ipſa radix *conſolandi*, aut canendi; quod etiam eſt laudare cũ cãtu, & exultatione; unde illud Thren. 2. 19. *Lauda in nocte:* & Zachar. 2. 10. *Lauda, & lætare.* & Levit. 9. 24. *Cum vidiſſent turbæ, laudaverunt Deum.* Vides igitur non jam ingratum viduarum genus, ſed gratiis agẽdis profuſiſsimũ, ut quę cantu, & jubilo proſequantur beneficii largitorem. *Quidam* (inquit Seneca) *furtive agunt gratias, & in angulo, & ad aurẽ. Nõ eſt iſta verecũdia, ſed inficiandi genus. Ingratus eſt, qui remotis arbitris agit gratias.* & rurſus; *Nõ eſt quod quiſquam excuſationẽ mentis ingratæ ab infirmitate, atq; inopia petat; gratus poteſt eſſe voluntate.* Illud etiam amplificat Iobi æquitatem, & benignitatẽ quod iis bene faceret, a quibus nihil lucri ſperare potuiſſet. Quod eleganter obſervavit Nicetas, Nam quid muneris a *paupere, pupillo, vidua? Magni* porro *animi, & boni proprium eſt, non fructũ beneficiorum ſequi, ſed ipſa. Tunc eſt virtus dare beneficia nõ utique reditura. quorũ a viro egregio ſtatim fructus perceptus eſt. Non eſt beneficium, quod in quæſtũ mittitur. Hoc dabo, hoc recipiam, auctio eſt.* Senec.

Tygur. — רנן — LXX — Chryſoſt. — Senec. de Ben. li. 2. c. 23. 30. 31 — Senec lib. 1. de Ben. & l. 4. c. 14

XIIII. *Iuſtitia indutus ſum, & veſtivi me, ſicut veſtimento: & diademate judicio meo.*

1. *Ius olim dicebant Magiſtratus armati. Illuſtrata Sapientia. Sumebant etiam purpuram, aut prætextam.*
2. Iuſtitia. Pallium, *aut* tunica. *cujus rei Symbolum. Explicatus David.*
3. *Iudex non ſolum erga alios, ſed erga ſe juſtus.*
4. Diadema, Cydaris, Mitra, *quid in Sacro ſermone. Iudicum inſigne. Commendatus Hieronymus Prado.*
5. Iudicium *quid. Regia virtutes.*

1 MIre ſe ornatum non tam peculiaribus armis, aut veſtimẽtis, quã virtutum inſignibus, juſtitia, æquitate nũc profitetur Iob: quibus verbis profecto indicat peculiaria quondam fuiſſe judicum ornamenta. Et quidem armis inſtructos ad jus dicendum proceſsiſſe Imperatores, vel ex illo non obſcure colligi poteſt Sapientiæ 5. 18. 19. *Accipiet armaturam Zelus illius, induet pro thorace juſtitiam, & accipiet pro galea judicium certũ; ſumet ſcutum inexpugnabile, æquitatem.* Solebant quippe Reges ipſi, atque Imperatores jus dicere, judicũque munus exercere. Atque eo nomine Virgilius prædicat Auguſtum;

(Imperatores armatos jus dixiſſe.)

= = = = = = Cæſar dum magnus ad altum
Fulminat Euphratem bello, victorque volenteis
Per populos dat jura, viamque affectat Olympo.

(*Virgil. lib. 4. Georg.*)

Peculiaria etiam Regum ornamenta fuiſſe, cum jura darent, indicat idẽ ipſe Poeta depingens Priamum Regem, ex obſervatione viri eruditiſsimi noſtri ordinis Iacobi Pontani lib. 12. ſuarum Symbolarũ;

(*Iacobus Pontanus.*)

Hoc Priami geſtamẽ erat, cum jura vocatis
More daret populis, ſceptrũq; ſacerq; tiaras
Illiadumque labor veſtes: = = = = =

(*Virg. 7. Æn.*)

Cum quo illud facit, quod Polyenus libr. 4. Stratagemat. Scribit, Alexandrum, cum apud Macedones, aut etiam Græcos judicium exerceret, mediocri, vulgariq; foro uti ſolitum: at inter barbaros, ſplendido, & militari, ut barbaris metum incuteret. Sumebant interdum, deponebantque pro qualitate judicii, atque ſententiæ ferendę Romani magiſtratus purpuram, vel prætextam. de quo videndus non inutiliter Bayſius de re veſtiaria. Quem mutandarum veſtium morem antiquiorem fuiſſe, & ab ipſis Iobi temporibus inoleviſſe, ex hac noſtra ſententia facile colligi poteſt; ubi Iob non tam externa veſtimẽtorum, aut armorum inſignia, quã certa peculiariaque virtutum ornamenta ſumpſiſſe in judicio, aſſerit, ut non tam externa facie, & habitu, quam re ipſa, & animo judex eſſet, juſtitiamque tueretur.

(*Polyenus.*) (*Bayſius.*)

2 *Iuſtitia.* Sanctitatem dicit, quæ virtutẽ omnem complectitur, vel illam peculiarẽ quæ reddit unicuique, quod ſuum eſt. Idẽ repetit, & exponit particula ſequenti, *Veſtivi me ſicut veſtimento.* Septuaginta: *Sicut diploide.* vel, *ſicut pallio,* quod totũ hominem tegit. Vox originalis, vel *pallium,* vel *tunica,* vel *diplois,* verti ſolet aliis locis ab Interprete. Ego hoc loco tunicam potius dicerem, ut ſignificet, juſtitiam fuiſſe quaſi veſtem interulam, quæ nunquam ab illo deponebatur, ſed adhærebat intime. Qua phraſi utitur David Pſ. 108. 29. *Operiantur ſicut diploide* (tunica, aut pallio, quod ſemper hominem comitatur. Hieronymus, *quaſi cingulum, quo ſemper accingitur*) *confuſione ſua.*

(Iuſtitia.) (LXX. מעיל) (Tunica ſymbolũ rei, quæ nunquam deponitur.) (*Hieronym.*)

3 Duo hic obſervat Chryſoſtomus. Primum, poſtquã dixit opem, & ſalutem allatam pauperi, ſubjeciſſe, *Veſtimentum juſtitiæ,* ut non ſolum erga alios juſtus ſignificetur, ſed etiã in ſe ipſo: *Nã ſunt* (inquit) *qui cæteris præſint, verum ipſorum vita turpis eſt, & ingloria.* Cum tamen ipſa magiſtratuum vita debeat cæteris eſſe tanquã lex quædam animata, in quam intueantur. Secundum, quod ſicut neceſsitas cogit veſtibus ſemper uti, ſic nunquam ipſe calamitoſorum judiciũ deſeruit, quaſi dicat, Hęc fuiſſe illius quotidiana, familiariaq; ornamenta, *El trage ordinario.* Nam quidẽ, qui non ſemper juſtitiam adminiſtrant, licet aliquando induantur juſtitia, ſed illa non eſt quotidiana, familiariſque veſtis, ut poſte quam ſtatim deponant. Atque illud etiam obſervat Gregorius, quod, *Qui juſtitia, ſicut veſtimento veſtitur, ſe undique bono opere protegit, & nullam partem actionis ſuæ, peccato nudam relinquit: nam qui in aliis actionibus juſtus eſt, in aliis injuſtus, quaſi hoc latus cooperit, illud nudavit: neque jam bona ſunt opera, quæ ſubortis aliis pravis operibus inquinantur.*

(*Chryſ.*) (*Gregor.*)

4 *Et diademate judicio meo.* Diadema, aut Cydaris Sacerdotis, Iudicis, Principis inſigne glorioſum, videlicet faſcia, aut vitta, quã redimiebatur caput, ſicut Iſai. 62. 3. dicitur, *Eris corona gloriæ in manu Dñi, & diadema Regni, in manu Dei tui.* Cũ, * *in manu,* dixit, non intelligit *aureũ annulũ,* ut frigide quidã exponunt, ſed Dei opẽ, & Potentiã, qua in tantum gloriæ faſtigiũ evehatur, ut aſcendat ad ipſum Dei caput ornãdũ, inſigniẽdumq; Regia dignitate, ita ut de illo glorietur De⁹, quaſi de Corona.

(Diadema quorum, & quale inſigne.) (* Pondrate Dios ſobre ſu cabeça.) (Diadema in manu, quid ſit.)

צניף
צנוף

Eſt autē hoc *diadematis* nomen in Hebręo *Tſaniph*, a radice *Tſanaph*, quod eſt circū-volvere, aut circundare. quia videlicet diadema circumvolvitur capiti, & cingit tempora. Eſſe vero vittā, aut faſciā, colligi poteſt ex ipſa Vulgata interpretatione Iſaiæ. 3. 23. ubi vertitur *vitta*: & fere ſonat idem, quod noſtrum Hiſpanum *ca-neſa*. Vertitur aliquando *Cydaris* Levit. 16 4. & *Corona* Iſai. 29. 1. Sed de *Coronæ*, *mitræ*, & *diadematis*, appellationibus, varioque honore, & uſu nunc non plura, quod pluribus de illis diſſeruerint Noſter Hieronymus Prado, vir omnium judicio Sapiens, cap. 21. Ezech. & Petrus Faber lib. 3. Semeſtr. c. 25. Illud tantum, quod hoc loco *judicium*, non ſolum ſignificat æquitatem, ſed comprehendit totam judicialē forenſemq; formam adminiſtrandi juris, atque Reipublicæ. Quæ duo in Rege cōjuncta ſunt, atque etiam in ſupremis aliis magiſtratibus. Et quod *Iuſtitiam*, *Iudicumque* ſua inſignia, ornamentaque Regalia fuiſſe dicit, quibus excultus incedebat, illud ipſum videtur eſſe, quod ab Heſiodo, Plutarcho, aliiſque Scriptum eſt. Iovi regnanti aſtitiſſe Dicem, Themimque, quaſi illius conſiliarias Virgines Sanctiſsimas; quas profecto nihil aliud fuiſſe intelligē-dum eſt, quam Iuſtitiam, & Iudicium; aut Ius, Faſq; quæ ſunt plane Regiæ virtutes. Quo etiam illud pertinet Anaxarchi conſolantis Alexandrū ob Chliti cædem; *An ignoras* (inquit) *Ius, & Fas Iovi aſsidere, ut quidquid Rex agat, id fas, juſtumque putetur?* Vide Plutarchum libello ad Principem ineruditum.

Hieronymus Prado. Pet Faber.

Iuſtitia, & Iudicium Regū ornamenta.

Heſiod.

Dice, & Themis aſsiſtētes Iovi.

Plutarch.

℣ XV. *Oculus fui cæco, & pes claudo.*

1. *Princeps per ſe ipſum curaus res pauperum.*
2. Cæcus, & claudus, *quorum Symbolum. Optimus judex.*
3. *Princeps, quatenus Reip. caput, populo minime onerosus. Eſt etiam velut pedes portantes onus. Explicatus Moyſes, & Baruc.*
4. *Princeps vicem ſubire debet omnium Reip. partium, atque membrorum. Illuſtratus Iſaias.*
5. *Princeps, Reip. medicus. Explicatus Iſaias.*
6. *Sub optimo Principe, nihil ſibi timet pauper. Explicatus Iſaias.*

1 NON inutiliter obſervari poteſt ex Hebræo, *oculum*, & *pedem*, eſſe pluræ lis numeri, *oculi*, & *pedes*, ut integrum, perfectumque auxilium miſeris, & egētibus a ſe præſtitū ſignificet; ut ſub optimo principe neque civis claudicet, neque ullo unquam lumine deſtituatur. Tum illud, ipſum Iobum per ſe, nō per ſervos, aut alios adminiſtros curaſſe res pauperum. in Hebræo enim ſic ad verbum legitur; *Oculi eram cæco, & pedes claudo ego.* Quod etiā obſervavit Chryſoſtomus: *Non dixit per ſervos faciebam: verum egomet naturæ peccata emendabam, nec hominem ſolum, verum etiam ipſius naturæ vitia corrigebam, mutilisque corporis artubus rebus neceſſariis præbendis, eximiaque Providentia conſulebam.* Sane ſi Princeps *ſui gregis inſpector ſit*, non poterit, niſi inhumaniſsimus ſit, ſua ipſe manu miſeros non ſublevare; *Quo ſtudio* (inquit Theodericus) *convenit reparari, quod & noſtris oculis frequenter conſtat offerri?*

Chryſoſt.

Prov 27. 23.

Caſsiod. lib. 2. var. c. 39.

Sed quid hoc loco *cæcus*, & *claudus*? inde enim colligemus, quid præſtiterit ſua ope Iobus, dum vice oculorum, ac pedū erat pauperibus. Plerique intelligunt ignorantiæ tenebris, & pravitate operum, atque morum laborantes, quos illuminabat, & ad rectam virtutis viam reducebat. Ita Origenes in Catena: *Vſurpatus eſt* (inquit) *oculus, tanquam dux viæ, ad intelligendum: pes autem, quaſi dux viæ morum.* Atq; fere eadem ratione Philippus. Chryſoſtomus vero, *ipſos corpore mancos, membriſque captos, ac debiles intelligit, aut quos membri alicujus calamitas opprimebat.* Quippe his etiā opitulari debet bonus Princeps. Ego illud præterea addo, quod cum re præſenti eleganter cohęret, ut hęc pertineant ad judicium forenſe; nam cū ipſe Princeps, aut magiſtratus ignorantes, ſimpliceſque homines, atque ſuæ cauſæ vix bene conſcios admonet, inſtruitque, videtur eſſe ipſe *Cæcorum oculus*; & cum imbecillibus, jusque ſuū non potentibus proſequi, animos facit, favetque, videtur profecto eſſe idem ipſe *Claudorum pes*. Ergo (inquit Iob) nemo in meo tribunali ſua cauſa cecidit, quod illi patronus, & advocatus deeſſet, qui de rebus neceſſariis illū inſtrueret; aut quod eidem deeſſet diligēs aliquis procurator, cujus labore, & diligentia, & quaſi diſcurrendi ſollicitudine, obtineret in cauſa; vel, ſi opus eſſet, ipſe Iobus pro ſalute miſerorum diſcurrebat. Neſcio quod ſimile laudat in Trajano Plin. *Incedis pedibus, ambulas inter nos, ita cōmunia, & confuſa Principis veſtigia.* In hac interpretatione præeunt mihi Divus Thomas, atque Cajetanus.

Cæcus, & claudus quis.
Origenes.

Philipp. Chryſoſt.

Cæcus, & claudus in judicio forēſiquis

Plinius in Panegi.

D. Thom. Cajetan.

Sed paulo attentius conſiderandā, premendaque eſt hæc ſententia; atque illud primo obſervari poteſt, Principem quidē debere ſe exiſtimare, ita eſſe ſupra Rempublicam, ut non ſit illi onerosus, ſed eſſe illius partem, & membrum corporis poli- 3

Princeps Reip. caput non onerosum.

tici: non quidem ſicut naturæ auctor, qui ita eſt naturæ, & Vniverſi caput, ut nō ſit pars mundi, neq; comprehendatur in univerſitate creaturarū; ſed eſt Princeps pars ſuprema ſuæ Reipublicæ, quæ tamen, capitis inſtar, nullum eſt ſuo corpori onus, ſed honor, dux, lumen. Illorum vero, qui Rēp. oneribꝰ opprimūt, imago viva quędā ſtatua aurea, aut argētea, inutilis omnino ſuo populo, imo non inutilis ſolum, ſed gravis, moleſta, exitioſa. Sicuti deſcribūtur Idola Baruc. 6. 3. *Videbitis in Babylone Deos aureos, & argēteos, & lapideos, & ligneos in humeris portari, oſtentantes metū gentibus.* & Iſai. 44. 10. *Quis formavit Deū, & ſculptile conflavit ad nihil utile?* & iterum Iſai. 46. 1. *Facta ſunt ſimulachra eorum beſtiis, & jumentis, onera veſtra gravi pondere, aſque ad laßitudinem.* Hujuſmodi profecto ſunt lignei, lapideiq; Principes humeris ſuorum ſubditorum impoſiti, graviſsimi, atq; moleſtiſsimi: at bonus Princeps caput eſt, oculus eſt, idemque ipſe, velut pedes, portāt onus populi, ſicut ad Moyſen dictum eſt, Numer. 11. 17. de Principibus illis, *ut ſuſtentent tecū onus populi, & non tu ſolus graveris.* & Exod. 18. 22. *Levius ſit tibi partito in alios onere.* quo faciunt Septuaginta legētes; *Ipſi allevabunt te, & ſuſcipient onus tecū.* Quare Princeps nomen habet in Scripturis, ab elevando; non tam quod ipſe elevatus ſit, porteturque ſublimis in humeris aliorum; quam quod ipſe elevet, portetque aliorum onera ſuper ſe.

Principes Reip. graves inſtar lapideę ſtatuæ.

Optimi Principis formula

Princeps dictus ab elevādo ſuperſe populo.

נשיא

4 Secundo, Notandum Principem ita eſſe Reipub. partem ſupremam, ut licet caput ſit, ita tamen debeat intendere, in ſingulorum etiam abjectiſsimorum popularium commoda, ut etiam oculus ſit, atque pes, cæteraq; membra Reipublicæ neceſſaria. Non enim tantum loci, & ſedis pręcellentis honorem habet caput in humano corpore, ſui honoris gratia, ſed potius propter totius corporis utilitatē, & uſum, ut melius influxum ſuum, atque vim derivare inde poſsit in univerſas totius corporis partes; *Quem* (inquit Seneca) *tam ſupra ſe eſſe, quam pro ſe ſciunt: cujus curam excubare pro ſalute ſigulorum, atque univerſorum quotidie experiuntur.* Quare ita eſt caput, ut ſit cor Reipublicæ, manus, pedes, qui totum Reipublicæ pondus ſuſtineant, & circumferant. Hinc videas nullā eſſe ex præcipuis corporis humani partibus, cui non aſsimiletur Regia poteſtas, ut in illa Nabuchodonoſoris ſtatua licet videre, cujꝰ partes omnes a capite uſq; ad pedes varios Regnorum, Regumque ſtatus ſignificabāt. Quare prælatus, aut Princeps, inſtar Magni Elię, *eſt currꝰ, & auriga*, id eſt, *pedes* qui portant onus, ſicut *currus*, atque *oculus*, qui dirigit, velut *auriga*. Imo Elias fuit inſtar Iobi, qui fuit *oculus*, atque *pedes* ſuo populo. Eſt præterea Princeps, *manus*, atque *ſinus*, *ut portare* poſsit populum *in ſinu ſuo, ſicut nutrix portat infantulū.* Quo reſpicit illa promiſsio facta Eccleſię Iſai. 49. 23. *Erunt Reges nutritii tui.*

Princeps non ſolum caput, ſed etiā inſtar cæterorū Reipub. mēbrorū

Seneca 1. de Clem. c. 3.

Nabuchodonoſoris ſtatuæ partes figura Regum diverſorum.

4. Reg. 2. 12. 13. 14. Princeps currus, & auriga.

Num. 11. 12.

5 Tertio, Bono Principe, integro, incolumique exiſtente, nihil non integrum, & incolume in Republica futurum, ut qui medicinam ipſe præſentiſsimā afferre debeat malis omnibus, ſitque mirificus quidam *Cæcorum*, *Claudorumque* medicus, atque Chirurgus: hoc enim *medici* nomen familiare quondā fuit Regibus, ut aliquando diximus ad illum Iſaiæ locum 3. 7. *Nō ſum medicus, & in domo mea non eſt panis, neque veſtimentum: nolite conſtituere me Principē populi.* ubi pro *medico* eſt vox, quæ proprie ſignificat *Chirurgum*, ut Theodotio etiam vertit, referente Hieronymo, *Qui ligat vulnera, & providet ſanitati.* ille videlicet, qui Reipublicæ vulnera ſanat, & ſua ipſe ſuppellectile miſerorum ærumnas, & inopiam alligare, & ſublevare poſsit. Iuſtitiam quoque *Medicinam Reip.* appellavit Apulejus, ſuo illo de Philoſophia libro. Sed habet Princeps quocumq; medico, atque Chirurgo aliquid præclarius, ut eleganter dixit Chryſoſtomus. *Pro natura* (inquit) *melior quidē, quam quivis medicus, curator erat hominum mancorum, ac membris captorum: nam quæ arte corrigi nequibant, ſolatio ipſe, ac mira Providentia uſus, recreabat. Noſtræ autem ætatis homines videntes etiam cæcos faciunt.* Illud addit Chryſoſtomus pertinere ad optimum Principem, nō ſolum, ut conſoletur ſubditorum calamitatem, ſed ut illam, quoad fieri poſsit, auferat, penituſq; reſarciat; *Siquidem* (inquit) *nec claudicationem, nec cæcitatem illi ipſi ſentiebant: tanta in eos hujus cura, & ſtudium exiſtebat, ut calamitatem ipſam minime viderentur experti.*

Medici cognomētum Regum.

רפא

Theodotio. Hieronym.

Iuſtitia medicina Reip.

Apulejus.

Chryſoſt.

Princeps non ſolum conſolator, ſed curator calamitatis.

6 Quarto, Tandem nihil eſſe, quod calamitoſus, homo, cęcus, aut mācus timeat ſibi in bene conſtituta Republica, ſub optimo Principe: Quamvis enim qui *hominem non habet*, frequenter laborare ſoleat, imo & ejus ſanitas, cauſæque curatio, non minus *triginta octo annis* contemni, & in obſcuro jacere (dū enim claudus venit, *alius ante eum deſcendit*, & vicē præripit) at optimus Princeps in Chriſti ſupremi Regis formam, exemplumque intuens, abjectiſſimumqueq; curat, ſanat, & languentibus eſt pro *pedibus*, tum etiā, & pro *ore*, jubetur

Nihil mancum ſub optimo Principe.

Ioan. 5. 1. 7.

enim qui poteſt, patrocinari homini *muto*, id eſt, in ſua cauſa ſilenti, Prover. 31. 8. *Aperi os tuum muto, & cauſis ominum filiorũ, qui pertranſeunt. Aperi os tuũ, decerne quod iuſtum eſt, & iudica inopem, & pauperem.* Chriſtus itaque Rex Regum, exẽplar Principis optimi, quo regnante, atque curante populum ſuum, dictum eſt: *Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt, tunc ſaliet ſicut cervus, claudus, & aperta erit lingua mutorum.*

Chriſtus IESVS forma Optimi Principis. *Iſai. 35. 6.*

XVI. Pater eram pauperum: & cauſam, quam neſciebam, diligentiſsime inveſtigabam.

1. *Paternus erga pauperes affectus. Deus,* Pater pauperum, & maritus viduarum. *Vnde dicantur* Pater, *&* Pauper. *Illuſtrati Paulus, & Matthæus.*
2. Pater *pro patrono. Illuſtratus Eccleſiaſticus.*
3. *Magiſtratus cauſam diligenter cognoſcat. Quid* veritas, mendaciumve *in Sacro ſermone* Doctrina, & veritas *Sacerdotis. Illuſtrati Daniel, David, Sapiens.*
4. *Iudicium vigilantia.*
5. *Quid cauſa, quid inveſtigare, aut probare. Regum munus. Illuſtratus Salomon, atque David.*

I

Princeps Pater orphanorum.

PAter eram pauperum: Omnia (ut diximus) integra in Repub. ubi imperat optimus Princeps; Nemo orphanus: nã ſe cõſtituit *Partem orphanorum.* Nulla vidua, nam idem ipſe eſt vir viduarum. & quidẽ cum filiorum viduæ pater eſt, pro viro, & marito eſt viduis ipſis, ut dicitur Eccleſi. 4. 10. inſtar Dei, qui cum *pater* dicitur *orphanorum*, idem ipſe dicitur *maritus viduarum* ut 1. Thimot. 5. exponunt Chryſoſt. Oecu. Theoph. exponentes quid ſint, *Viduæ in Chriſto luxuriantes*, videlicet, quæ cũ Chriſtum haberẽt quaſi maritum, illius fide abrogata, voluptatibus aliis ſe tradiderunt. Porro vulgatum eſt illud Principum cognomen, Parens Reip. Sed illud indulgentiſsimum, *Pater pauperum, & Orphanorum.* Elegãs imprimis illud Theoderici Regis, apud Caſsiodorum; *Bene principalis clemẽtia ſuſcipit, quos pietas paterna deſtituit; quia ſub parente publico genitoris minime ſentiri debet amiſsio: Adnos ſiquidem iure recurrit infantia deſtituta.* Ita quod ille de Principe non uſquequaque optimo dixit, de Iobo merito dictum fuerit; *Talis fuit, ut ſub illo filios tollere libuerit, expedierit.* Mirũ; ut ſub illo parẽtes mori e re filiorũ fuerit! quippe ab optimo Principe adoptandorum.

Deus maritus viduarum. *Chryſoſt. Oecu. Theoph.*

Caſsiod. 4. var. c. 42.

Plinius in Paneg.

Sed obſervat Philippus *Paternum* Iobi *affectum* erga pauperes, & Gregor. quoq; multum intereſſe, quod quis opus bonum ex bono affectu faciat. *Plerumq; enim* (inquit) *multa homines pauperibus largirentur, non quia eoſdem pauperes diligunt, ſed quia ſi minime tribuant, iram iudicii ſuperni formidant. Qui ſi Deum non metuerent, quæ habẽt, dare noluiſſent.* & inferius: *Non patronum ſe vel proximum, vel adjutorem pauperum, ſed patrem fuiſſe teſtatur, quia nimirum magno charitatis officio ſtudium miſericordiæ vertit in affectum naturæ.* Hunc ergo quaſi naturæ affectum erga pauperes requirit a nobis Deus, cum præcipit eleemoſinam largiendam *fratribus*, Deutero. 15. 9. 11. Eccleſi 29. 13. Et ipſe ſe *propinquum* pupillorum nominat, id eſt, cõſanguineũ, & maxime conjunctum, Prover. 23. 11. quod ex naturę ſuę propẽſione, & paterna bonitate omnibus bene velit, & benefaciat. Quid enim aliud illud eſt: *Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*, niſi illum eſſe patrẽ miſerorum, & pauperum: nam in filiis ſuis parentes ſive lætantur, & honorantur; ſive læduntur, & offenduntur: & præterea ipſum Deum ſe totũ ſingulis pauperibus, quaſi filiis unicis tribuere, ut in *uno* quoq; vel offendatur, vel honoretur. Quare ipſe ſit verus *Melchiſedech*, id eſt, invocetur a ſingulis etiam minimis, *Rex meus Sãctus*, & *Iuſtus*. Atque eſt in hoc loco pulchra Hebraicarum vocum alluſio, inter *patrem*, & *pauperẽ*: nã *Ab*, dicitur pater; *Ebiõ* pauper. utrumque ab, *Abah*; quod eſt deſiderare, & concupiſcere. Eoquod pater toto deſiderio, & concupiſcentia ad filios feratur; pauper vero deſideret, quæ ſibi neceſſaria ſunt. Si igitur Princeps optimus, Pater eſt, toto deſiderio feretur ad explẽda, cumulandaq; pauperum deſideria, quod proprium parentum eſt: atq; æmulabitur Patrem omnium Deum, Qui *deſiderium pauperum exaudit*; & annuit votis, verus ipſe *Abimelech*, Pater meus, & Rex.

Miſericordia impendẽda tã quam ex affectu naturæ.

Cur ſe Deus propinquum pauperũ nominet.

Matth. 10. 42. & 25. 40.

Deus verus Melchiſedech

Alluſio inter patrẽ, & pauperem.

אב
אביון
אבה

Pſal. 10. 16.

2

Sed ut cum tota oratione ſentẽtia hæc cohæreat, non ſolum illam accipio de affectu erga pauperum inopiam ſublevandam, ſed etiam de calumniis eorum, & injuriis in judicio propulſandis contra Potentiorum violentiam: nam & *Patris* nomen, pro patrono non raro uſurpatur; & cum hoc ſenſu facit id Eccleſi. 4. 10. *Tu judicans eſto pupillis miſericors, ut pater, & pro viro matri illorum: & eris tu, velut filius altiſsimi obediens, & miſerebitur tui magis, quã mater.*

Pater pro Patrono.

3

Et cauſam, quam neſciebam, &c. Hoc etiã pertinet ad Optimi Principis, & integerrimi officiũ magiſtratus, non ſuſcipere temere cauſas, & delationes civium, neque

Iudicis officiũ in explorãda causa multipliciter explicatur.

dere non bene, satisq; cognita sententiã ferre. Quare perfectam causæ cognitionẽ præcipiunt judici Sacræ Litteræ; hoc loco, *Diligentissime investigare*, Devter.21.1. *Perspicere*, Proverb. 28.5. *Cogitare judiciũ, & advertere omnia*, Devteron.17.9. *Diligẽtissime perscrutari, quod difficile, & ambiguũ est*, Exod. 23.2. in judicio ferendo *non sequi turbam, nec plurimorũ acquiescere sententiæ*, 2.Paralip.19. *Videre quid faciant, & cũ diligentia cuncta facere.* Atq; existimo hanc

Veritas judicii quid in Scripturis.

esse *Veritatem*, quam sæpe Deus requirit a judicibus, videlicet, ut *veritatem* causarũ, sive judicii *veritatem* inquirant, Exod.18.21. Devtero.17.9. Exod. 23.2. & Daniel 13.48. Daniel, *cum staret in medio eorũ, ait, Sic fatui filii Israel, non judicãtes, neque quod verũ est cognoscentes, condẽnastis filiã Israel?* Atque hęc illa veritas judicii comes Psal. 110.7. *Opera manuum ejus veritas, & judicium.* Licet enim Chrysostomus, *veritatẽ*, sumat pro *misericordia*, sed præstat, ut pro *veritate* sententiæ ferẽdæ, & justæ, simplicisque causæ cognitione, quod dicere solemus, *Hazer razon, y verdad.* Sic etiam Psal. 88.14.15. *Iustitia, & judicium præparatio sedis suæ.* & per expositionem additur: *Misericordia, & veritas præcedent faciẽ tuam.* ubi quamvis Augustinus, *Veritatẽ* sumat pro *fidelitate* promissionum, sed accipio pro æquitate, & justitia. Cum quo consonat id Prover.3.3. *Misericordia* (qua quis gratuito benefacit) *& veritas* (qua quis ex justitia cognita, & explorata, impendit Deo, vel proximo debita officia) *non deserant te.* & id Proverb.20.28. *Misericordia, & veritas custodiunt Regẽ.* q.d. Hæ virtutes sunt Regis satellites. Quare & illud erat propriũ Summi Sacerdotis, summique judicis insigne, *Rationale judicii*, quod gestabat in pectore, in quo erat, *Doctrina, & Veritas*, Exod. 28.30. quod ex ex proprietate vocis dicere possis, *Integritatem*, quæ est ipsa justitia, & æquitas: vel, ut alii vertunt, *Illustrationem, & manifestationem*, quæ in rebus dubiis, respõsis a Deo redditis, admonebant Pontificẽ quid verum, & quid facto opus esset. Nisi enim judex veritatem causarum omni via, & ratione perspectam habeat, sæpe errabit in judicio, sæpe etiam indiget illuminari a Deo, ne præpostere judicet. Quã *veritatem* imitati postea videntur Aegyptii, quorum Sacerdos Summus, idemque judex collo appẽsam gestabat imaginem Sapphiro insculptam, cui nomen, *Veritas*, Auctor Aelianus libr. 14. Atque huic *veritati* cognoscendarũ causarum respõdet illud *mẽdacium*, Proverb.29.12. *Princeps, qui libenter audit verba mendacii, omnes ministros habet impios.*

Chrysost. — August. — Virtutes Regiæ. — Rationale Iudicii. — אור תמם — Aelianus. — Summi Sacerdotis Aegyptiorum gestamen.

Mẽdacium, falsa delatio.

ubi intelligo nomine, *mendacii*, injustas calumnias malitiose confictas, & falsas denuntiationes, juxta id Ecclesi.51.3. *Liberasti corpus meum a perditione, a laqueo linguæ iniquæ, & a labiis operantium mendacium.* Sic enim ibi legunt Septuagin. *Rege exaudiente verbum injustum libenter.* id est, facile, & nõ magna veritatis inquisitione: nã id aditum patefacit calumniatoribus. sicut e contrario diligens veritatis amor, solet iniquos a calũniis deterrere, & quod ille dixit, *sub optimo principe, non delatores, sed leges timentur.* Et denique, qui magistratus bene cognoscere causas criminũ vult, non cito, neq; temere judicabit, non iratus, neque, ut ille dixit, *animo calenti*, sed salutariter, & utiliter cunctabitur, nam ut sapienter admonuit Seneca: *Dandũ est semper tempus, veritatem enim dies aperit: potest pœna dilata exigi, non potest exacta revocari.* Quare Olympiod. hoc loco ait: *Hæc ad eos dici oportere, qui temere judicant, atque cõdemnant.* Et quidem, tum in aliis criminibus, tum in furto perquirẽdo, & perscrutando mirabilis fuit quõdam judicum diligentia, ut etiam cum lucernis, & perfodiendo parietes fieret. Plinius lib. 29. cap. *Inquisitio* (inquit) *per parietes agitur, & qui judicetur a Gadibus columnisque Herculis accersitur.* Eodem quoq; respicit Petronius Arbiter: *At* (inquit) *non servus publicus tã languide agit, sed raptam arundinem subter lectum mittit, omniaq; etiam foramina parietum perscrutatur.* sic supremus judex minator se *scrutaturum Ierusalem in lucernis*, Sophon.1.2. & Ezechieli præcipit, ut judicis munus obeat, *profodiatque parietem*, & in apertum proferat, ingẽtia populi crimina cap.8.8. *Fili hominis fode parietem.* Deniq; Platonis. 12. de legibus hoc præceptũ est, ut judex clausa omnia, & obsignata, ac minutissima quæque perscrutetur, & excutiat, ne furtum latere possit.

LXX. — Plinius Paneg. — Salutaris Iudicũ cunctatio. — Statius lib. 8. Thebaid. — Seneca libr. 2. de ira. — Olympiod. — Iudicum in perquirendis furtis diligẽtia. — Plinius. — Petronius. — Platonis præceptum.

4 Optimi Principis diligentia.

Sed præterea indicat Iob, non solũ delatas causas, &, quas vocant, denuntiationes, diligenter excussisse, & explorasse, verum etiã ipsum per se tam fuisse sollicitũ de sua Republica, ut sponte sua perquireret, quid rei, malive in populo esset, cui sua industria, & consilio succurrere cito posset. Quod eleganter Chrysosto. *Hoc* (inquit) *certe majus est, quam esse judicẽ. qui exercent judicia, sedent; & illi quidẽ eos expectant, qui acceperunt injuriam, qui, cum illi abierunt, tunc præsto sunt. At Iob prævertens, lustrabat omnia; eos quærens, qui læsi essent, multa adhibita diligẽtia.* Hæc est illa magistratuũ diligẽtia, de qua Cõstantini Lex:

Chrysost.

Lib. 1 Cod.tt. 89. *Iuſtiſsimos, & vigilantiſsimos judices publicis acclamationibus collaudandi damus omnibus poteſtatem.* Sed nunc pauca de vocibus.

5 רוב *Cauſam.* Litem. Septuaginta: *judicium,* contentionem, aut jurgium forenſe. Philippus reſtringit, *ad negotia, cauſasque pauperum,* & ad retegẽdas calumnias, doloſque potentiorum digno ſupplicio proſequẽdos, ut cohæreat cum eo, quod ſequitur: *Conterebam molas iniqui,* &c. Addidit Interpres, *diligentiſsime,* ut vim verbi originalis melius exprimeret: nã in Hebræo tantũ eſt: *inveſtigabam.* Chryſoſtomus variis modis exponit; *Scrutatus ſum, ſtudioſius exquiſivi, curioſe ſemper perſpexi, omnia movi, ut calamitoſos reperirem, neve quiſpiam violatus injuria uſpiam lateret.* Accommodari autem ſolet verbũ Hebræum ad has ipſas inquiſitiones Iudiciarias; ut Pſ. 43. 22. *Nonne Deus requiret* (Hieronymus, *Inveſtigabit*) *iſta?* & Proverb. 25. 1. *Gloria Dei celare verbum, & gloria Regũ inveſtigare ſermonem.* Deus enim cum omnia ſciat, celat tamen, & diſsimulat: at Reges, quos multa latent, oportet cauſam, *quam neſciunt diligenter inveſtigare.* Subjungiturque verbum *ſcrutandi* ab eadem radice; *Cælũ ſurſum, & terra deorſum, & cor Regum inſcrutabile.* Quod ex Hebræo legitur: *Cordis Regum non eſt ſcrutatio.* Id eſt, ut Complutẽſes exponunt; *Non eſt ejus ſcrutari ſupra dicta.* q.d. Regum officium eſt, non quidem vacare Philoſophiæ, & cõtemplationi rerum naturalium, cæli, & terræ, ſed potius inquirere in actiones, & mores ſuorum civium, & inveſtigare, ac noſſe, quid inter cælum, & terram geratur. Quare terminũ inveſtigationis Regum, videtur eſſe *cælum ſurſum, & terra deorſum,* & hoc eſt, quod aliquando vertitur *explorare,* aut *probare;* quod nos dicimus, *Hazer informacion, o probança:* Pſal. 138. 1. *Domine probaſti me.* Hieronym. *Inveſtigaſti me.* & ibidem, *Proba me Deus,* Hieronymus, *Scrutare me.* Modum autem inveſtigandi, & faciẽdi (ut ita dicamus) hujuſmodi probationem, ſtatim ſubjungit; *Tu cognovisti ſeſsionem meam, & reſurrectionem meam; intellexiſti cogitationes meas de longe, ſemitam meam, & funiculum meum inveſtigaſti, & omnes vias meas prævidiſti,* &c. Videlicet, obſervare veſtigia, actiones omnes, greſſus, diverticula, verba, conferre antiqua, & præterita cum præſentibus, ex quibus ſyncera rei veritas conſtare poſsit. Hæc itaque Deo tribuit, ut ſignificetur ſupremus judex bene habere cognitas, & exploratas cauſas omnium mortalium, quem imitari, quoad fieri poſsit, debeant humani judices in inveſtigandis, perquirendiſq; cauſis forenſibus.

Margin: Philipp. — הקר — Chryſoſt. — Hieronymus. — Regũ munus non tã vacare Philoſophiæ, quam adminiſtrationi Reipub. — Hieron. — Deus ſupremus Iudex forma judicũ humanorum in cauſis cognoſcendis.

☙ XVII. *Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.*

1. *Principis clementia, atque ſeveritas. Commiſeratio conjuncta cum indignatione.*
2. *Quid conterere. Potentiores inſtar leonum. Optimi Principis munus prædiſſicile.*
3. *Princeps paſtorem agit. Illuſtrati Moyſes, & Samuel.*
4. *Vigilandum Principi, & nocte ſurgendum. Paſtor improbus.*

HAec eſt altera pars, officiumque optimi judicis, ſeveritas erga nocentes & impios: nam niſi ſeveritas adſit, clemẽtia, & benignitas contemnitur. Quamvis enim (ut ille dixit) optimo judici, *quærẽdæ ſint ignoſcendi cauſæ, nõ puniendi occaſiones;* Tamen ſimul optimi judicis eſt impudentes coercere, & ad reſtitutionem iniq; ablatorum vi cõpellere, habereq; ſe inſtar Apis, quæ Regis, moderatoriſque populorum ſymbolum eſt, ſeveritatis aculeum ſimul conjunctum cum clemẽtia, & mellificationis inſtrumento. Ergo audendum judici, & Principi eſt adverſus Potẽtiam, violentiamque impiorum, ut *virtute perrũpat iniquitatem, ne forte extimeſcat faciem Potentis;* nam qui ita principatum, magiſtratumve gereret, ut leges ſubjiceret arbitrio, & libidini alicujus civis, & qui periclitanti juſtitiæ, timiditate quadam, non ſuccurreret, judicatur a Platone civitatis, patriæque hoſtis maximus. Eſt autem in optimo Principe mirifice conjuncta clementia erga pauperes cum ſeveritate, & indignatione erga nocentes, & iniquos: ut enim ſapienter docuit Ariſtoteles: *Cõmiſeratio, & indignatio perturbationes ſunt, bonorum ambæ morum:* oportet enim condolere cũ quis indigne vexetur, ſimiliter & propter illum indignari. quod & ſe feciſſe hoc loco teſtatur Iob, iratus, & indignatus adverſus iniquum, cujus conterebat molas. Rei hujus ſimile exemplũ in Moyſe, *Viro mitiſsimo ſuper omnes homines, qui morabãtur in terra;* ſed adverſus peccatores rebelles, adverſus idolorum cultores, adverſus Aegyptios ſeveriſsimo, *iraſcente valde,* atque *indignante.* In David itẽ ingenii Principe leniſsimi, qui bello clarus, & hoſtiũ ſanguine inſignis, at clementia multo præclarior, exemplũ præbens, ut Baſilius ait, *quomodo magnanimus idem, & clemens eſſe poſsit.* Atq; Plato quidem 1.

Margin: 1 — Ammian Marc. lib. 19. — Apes cujus ſymbolum. — Olaus Magn. lib. 1. de gent. Septentrion. — Eccleſi. 7. — Magiſtratus timiditas. — Plato lib. 9. de Legibus. — Ariſtot. lib. 2. Rhetoric. c. 9. — Commiſeratio, & indignatio ſimul junctæ. — Num. 12. 4. — Exod. 32. 19. — Baſil. Epiſt. 1. ad Greg. Theol.

de Rep. *mansuetum simul, & iracundum ingenium in custode civitatis* requirit, *instar generosi canis, qui adversus familiares, & notos mitissimus sit, contra vero adversus ignotos.*

2 שבר Philipp. *Conterebam.* Proprie. Confringebã; *molas*, dentes, aut dentes molares, qui fortiores esse solent ad retinẽdum, ut indicavit hoc loco Philippus. עול *Iniqui*, per vim, nefasque agentis. hic vides iniquum raptorem sævientem in pauperes, comparari cũ leone discerpente inferiores animantes, aut cum lupo diripiente ovem. Vbi observat Chrysostomus Iobum, atq; optimũ Principem, judicemve, utrisque utilem esse: nã & læsos ab accipienda injuria, & injurios a faciẽda avocat, atq; ad meliorem mentem convertit. nam sive judex absolvat, & tueatur, sive cõdemnet, & puniat, semper sibi proponit tum Reipublicæ, tum etiam singulorum bonorum quoad fieri potest, & ut Seneca dixit, *cujus curam excubare pro salute singulorum, atq; universorum quotidie experiuntur.* Cum vero ait: *molas contritas*, & confractas, acute observavit Chrysostomus significari: *Eorum qui suapte natura mordere solent, potentiam enervatam; ita ut Potentes ipsi a nova inferenda injuria arcerẽtur omnino.* Hine videas quam difficilem provinciam subeat, qui verus magistratus judexve, aut quod idẽ est, *pastor bonus* esse velit, pugnandum enim est illi sæpe cũ leonibus, & lupis, & confligendum cũ potentissimis Tyrannis, homicidis, laniatoribus pauperum. quod eleganter Cicero in hæc verba dixit, *Sudandũ est his, qui magistratum gerunt pro communibus commodis, adeundæ inimicitiæ, subeundæ sæpe pro Rep. tempestates: cum multis audacibus, improbis, nonunquã etiam potentibus dimicandũ.* Quid? *Ponenda etiam anima*, & committenda luporum dentibus, pro ovibus suis.

Potentior superbus, Leo, & Lupus. — *Chrysost.* — *Optimus Iudex bonis, & malis utilis.* — *Impii ab optimo Principe, non solum in præsens, sed in posterũ repressi.* — *Cic. pro Sextio.* — *Principi cum bestiis pugnãdum.* — *Ioan. 10. 11. 14.*

3 LXX. *Et de dentibus illius auferebam prædã.* Septuaginta, *De medio dentium eorum rapinã eripui.* Notant scholia Græcanica in illo auferendi verbo, vim peculiarẽ, q.d. *Evulsi.* Chrysostomus quoque: *Animi (inquit) contẽtionem, ac fortitudinem cerne, & rei difficultatem animadverte.* In Hebræo proprie est, שלך *Extrahebam*, aut *Projicere faciebam.* eleganter Chrysostomus: *Rem jam plane obrutã; judicioq; præreptam in integrum restitui, nec desperabam, quamvis res esset præjudicata; verum, & devoratum negotium, more optimi, vigilantisq; pastoris eruebam quasi ab ore leonis, ovis cruribus abstractis, summisque auribus avulsis.* Vbi profecto vides, Iudicem, Principemve, Pastorem esse, atque Pastoris illius, simulq; Regis persimilem, qui ad Saulem, (atque utinam is bene intellexisset, atque memori mente retinuisset, quæ illi a pastore dicebantur, sibi utique servanda in occidẽdo lupo illo Agag, ex Dei præcepto, atq; ex suo peculiari Regis officio) dixit, inquam, ad Saulem David, *Pascebat servus tuus patris sui gregem, & veniebat leo, vel ursus, & tollebat ariẽtẽ de medio gregis, & persequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum, & illi consurgebãt adversum me, & apprehendebam mentum eorum, & suffocabam, interficiebamq; eos.* Quare si quãdo pauper, miserve aliquis pereat devoratus ab Vrso, Leoneve alio potentiori, *requiretur* utique *de manu pastoris*, qui ex suo officio, jureque pastoritio tenebatur prædã auferre. Quod jus pastoritium exigebat Labã a Iacob Genes. 2. 5. 31. 39. *Ego damnum omne reddebam; quidquid furtim peribat, a me exigebas; arietes gregis tui non comedi, nec captum a bestia ostendi tibi.* Vbi Septuaginta legunt: *Ego solvebã a me ipso furta diei, & furta noctis.*

Micet. — *Chrys.* — *Pag. Regia.* — *Princeps pastor.* — *1. Reg. 17.* — *Ezech. 3. 18. 20.* — *Ius pastoritium.* — *LXX.*

4 Vbi vides judici, & magistratui invigilandum esse, ne vespertini lupi, & nocturnæ bestiæ prædam reportent. Quare, & Plato lib. 7. de legibus exurgere nocte magistratus jubet; *Magistratus* (inquit) *profecto nocte in urbibus vigilantes malis hominibus, tum hostibus, tum civibus terrori sunt: amandi, honorandique justis, & temperatis, sibi, & civitati utiles universæ.* Quo illud Homeri pertinet,

Non licet integram noctem dormire regentem
Imperio populos, & agentem pectore curas,
Cujus consilio, populiq; ac multa regantur.

Sic dies, noctesque Palinurus ille Somno suadenti regugnabat,

- - - Clavumque affixum, & hærens
Nusquam amittebat, oculosque sub astra tenebat.

Excubat (inquit Sen.) *Principis cura pro salute singulorũ.* Nam quid aliud significare existimas nomen illud optimi judicis, aut gubernatoris, *Vigilantissimus*, quam pastorem super gregem suum nocturnas agentem excubias, quæ profecto gregi securitatem aliquã afferre possint? sicut aliquando Seneca commendans *Cæsaris* diligentiam dixit, *Omnium domos illius vigilia defendit, omnium otium illius labor, omniũ delicias illius industria, omnium vacationem illius occupatio.* Sed quid, Deus bone, si Iudex ipse, aut Princeps lupus sit, si fur, & latro? Si pastor ipse *perdat, & mactet? demoliatur, non parcat, derelinquat, quod crassum est, occidat, quod abjectum est, nõ reducat, quod perierat, non quærat, violẽter tollat pelles, & carnem desuper ossibus eorum, & ossa*

Plato. — *Home. lib. 2. Iliados.* — *Virg. 7 Aen.* — *Seneca.* — *Sen. de brevit. vita.* — Pastor Lupus. — *Ierem. 2. 8. & c. 12. 10. & c. 23. 1. Ezech. 34. 3. Mich. 3. 3. Zachar. 1 1. 5. 13. Ioan. 10. 8. 10.*

confrin-

confringat, & contereidat, ficut in lebete, & quafi carnem in medio olle.

XVIII. *Dicebamque; In nidulo meo moriar, & ficut palma multiplicabo dies.*

1. *Totius fententiæ paraphrafis.*
2. *Extremæ fenectæ periphrafis.*
3. Nidi *multiplex allegoria. Explicatur Abdias.*
4. Palma *quid proprie. Varia lectio. Phœnicis vita quanta. Illius fumus, Symbolum fupremi honoris.*
5. *Elucidatio Vulgati.* Truncus palmæ numerat annos.

1
Elucidatio fententiæ.

HAec (inquit Iob) tantamez Reipublicæ pax, atque fælicitas, nō folum aliis afferebat vitam jucundifsimam, fed mihi etiam, cui cuncti benevolebant, beneque precabantur; fælicem fenectam pollicebatur; deinde vero fælicem quoque atque tranquillam mortem; &, quod raro evenire folet, juvenis, vir, atque fenex fælicifsimus fine fælicitatis vicifsitudine, fore ut effem, fperabam. Sed;



Sen. in Herc Oethae act. 2.

Quos fælices Cynthia vidit,
Vidit miferos abitura dies
Rarus fælix, idemque fenex,

Varię fenectutis circumloquutiones.
Symma.
LXX.

Dicebam. Certo apud me ftatuebam fore, ut *in nidulo meo morerer*. Symmachus: *Vt cum nido meo fenefcerem*. Proprie, Deficerem, præfenio expirarem; poft longifsimam vitam, *in fenectute bona*, ac beata. Septuaginta, *Aetas mea fenefcet*. Hæc autem vitæ lōgifsimæ ufque ad extremam fenectutem circumlocutio, fit Genef. 35. 29. *Confumptus ætate mortuus eft*. & 25. 8. *Deficiens mortuus eft in fenectute bona*.

3
Varia expofitio Niduli.
Vatab.

Sed quid per *nidum* fignificetur, aut per *mortem in nidulo*, non eadem eft apud omnes expofitio: nam Hebræi, quos imitatur Vatablus, exiftimant fignificari mortē fubitam citra moleftiam longæ ægritudinis, in medio liberorum fuperftitum.

Mortis pacatę periphrafis.

Poteft etiam fignificare, non folum lectum fuum, vel domum, aut Regnum, fed etiam fecuram, tranquillamque mortem, ita ut neque exularet ejectus a civibus propter Tyrannidem, ut folent plerique Reges, neque occumberet appetitus aliorum infidiis; ii enim in nido, lectoque fuo non moriuntur: q. d. Non ego Tyrannus, fed meorum populariumverus pater, propterea nō ego Tyrannorum fupplicia commeritus. Si *nidum* dicat pullis plenum, fignificabit, mortem in medio fuorum liberorū, qui parentis amantifsimi oculos clauderent, & extremū fpiritum haurirent. Forte etiam *nidus* fignificabit editum, & eminentem urbis locum, in quo Regia ftructa effet: ut pote in optimo, atque munitifsimo loco, ficut etiam Proverb. 8. 2. indicat Sapientia fuam arcem fuiffe *in fummis, excelfifque verticibus*. Sic etiam *Abdiæ*. 4. dicitur Edom, *Exaltatus, ut Aquila, & inter Sydera pofuiffe nidum fuum*, eo quod in mōtanis, præcelfifque locis habitaret. Res ad hos omnes explicatus proclivis.

Arx in loco civitatis præcelfo.

4
Palmæ varia acceptio.
חול

Et ficut palma multiplicabo dies. Statuebam (inquit) fore, ut diutifsime viverem, *ficut palma*. Sed de *palmæ* nunc fignificatione, non parva eft diffenfio: nam eandē vocem originalem *Hhol*, vulgatus Interpres vertit *arenam*, Devteron. 33. 19. & Pfal. 138. 18. *Super arenam multiplicabūtur*. & Hofeæ 1. 10. *Tibi Ifrael, quafi arena maris*. Quare hic quidem vertunt, *Sicut arena multiplicabo dies*: nam cum arena, quælibet quamtumvis maxima multiplicatio numeri comparari folet. Alii poft R. Salomonem, & antiquiores Hebræos, *Phœnicem* vertunt; quos fequuntur Tygurina, & Cajetanus. Atq; hunc etiam Iobi locum Tertullianus de Refurrectione cap. 13. legit, *Sicut Phœnix multiplicabo dies*, atque adeo Philippus Presbyter hoc loco teftatur, idem effe *Palmæ*, & *Phœnicis* avis nomen, fortafifque de ave loquutum Iobum, *ut ficut illa nidum fibi faciens, in ipfo poft multa tempora a femet ipfa dicitur concremari, & rurfus de ejufdem nidi cineribus refurgere, ita Iob dicat fe per mortem in cinere carnis velut in nido pro tēpore futurū; & inde refurrecturum in gloria*. de quo diximus fupra c. 19. verf. 25. ubi etiam lectionem illam Pf. 91. *Iuftus ut Phœnix florebit*, ex Tertulliano adduximus. Facitque cum hac expofitione, tum quod Phœnix fit Symbolum vitæ lōgifsimæ: *nam vivere fexcentis fexaginta annis*, fcribit Plinius, at vero *Quingentis*, Ambrofius, & Hieronymus, poft Herodotū, & Ovidium;

Regia.
R. Salomon.
Tygur.
Cajetan.
Tertullian.
Philipp.
φοῖνιξ
Phœnix fymbolū diuturnitatis.
Phœnicis vita longifsima.
Plin. lib. 7. c. 48.
Ambrof. libr. Fide refurrect.
Hieron. Epift. ad Præfidium.
Herod. lib. 2.
Ovid. 15. Met.

Hæc ubi quinque fuæ complevit fæcula vitæ, &c.

Quadraginta, & quingentis, Solinus; cum quo videtur convenire Mela: Alii mille annos vitæ tribuunt; ut Martialis;

Solin. c. 46.
Mela lib. 3.
Martial. lib. 5.

Qualiter Affyrias revocant incendia nidos,
Vna decem quotiens fæcula vixit avis.

Tacitus fcribit effe, qui afferāt, *Mille quadringentos fexaginta vivere*. Scribit etiam Plinius auctore Manilio; *Cum hujus alitis vita fieri converfionem magni anni. Quamvis* (inquit Solinus) *plurimi auctores magnum annum, non Quingentis, & quadraginta, fed duodecim millibus nongentis quinquaginta quatuor annis conftare dicāt.* Recte ergo dici

Tacitus.
Manilius.

potuit per elegantem Hyperbolem, atq; comparationem, *Sicut palma, Phœnix, multiplicabo dies.* Facitque pro eodem mentio illa *nidi* facta; nam videtur, non ſolum vitam longævam, mortemque fælicisſimã ſibi pollicitus, ſed honorificentisſimũ quoque funus. Nam ſuum ipſa Phœnix rogũ, nidumque conſtruit ex thuriferis ſurculis, ligniſque odoriferis, in quo concrematur. Atq; adeo, Herodotus ſcribit, *Phœnicem juvenem geſtare patrem, paternos ve cineres myrrha obvolutos in templum Solis; ibidemque humare.* Ergo mors, funuſque Phœnicis ſupremi honoris, funeriſque honorificentisſimi ſymbolum erit.

Phœnicis ſupremus honor

Herod. lib. 2.

5 Sed, *Palmam*, tamen hoc loco præter Latinum interpretem, agnoſcunt, leguntque Septuaginta; *Sicut truncus palmæ, multo vivam tempore.* ubi forte, *truncum*, dixerunt, tum propter firmitatem, tum propter gradatos illos corticis pollices, quos cum faciunt rami decidentes ſingulis annis, annuis gradibus creſcere videtur; adeoque in *trunco palmæ*, multi anni numerantur. Atque ſicut rem illam de Phœnice ave juvare videbatur mentio illa *nidi*; ita rem hanc de palma confirmat profecto mentio *Radicis apertæ ſecus aquas*, ſententia ſequente.

LXX.

Palma annuis gradibus creſcens.

X X. Radix mea aperta eſt ſecus aquas, & ros morabitur in meſſione mea.

1. *Fertilitatis circumloqutio.*
2. Palma *amat aquas.* *Illuſtratus David.*
3. Hypallage. *Quid* Radix aperta. *Arbores infrugifera.*
4. *Quid* Ros. *Meſſis rorem deſiderat* *Quid* meſſio. *Explicati* Iſaias, *& Salomon.*

1 QVanquam cõſtat adhuc Iobum perſtare in deſcribẽda ſua fælicitate, incertum tamen quid deſignet hæc *radix aperta ſecus aquas*. Vatabl. refert ad abundãtiam omnium proventuum: nam *radix*, quæ in aquoſo ſolo defixa eſt, feracisſima eſt. q.d. *Quæ erant mihi neceſſaria ad vitam, abunde aderant:* atque ſimilem mihi bonorum abundantiam ſemper pollicebar. Cajetan. ad ipſas arbores refert, & partem ſequẽtem ad meſſes, quarum fælicem, & abundantem proventum quotannis percipiebat; ac forte indicat, aquarum, & fontium abundantiã in ſuis agris fuiſſe, quod in illis regionibus præcalidis, & aretibus pars quædam fælicitatis erat, & cujus fieri mentionem non indignum; ſicut propter ſimilem cauſam fit mentio *Fontis Iacob* juxta Samariam Ioann. 4. 6.

Radix juxta aquas ſymbolũ fertilitatis.

Vatab.

Cajetan.

2 Sed tamen exiſtimo nunc ſe comparare Iob cum *Palma*, atq; ſuarum rerum fælicisſimarum ſtatum, cum aquarum abundantia: cum enim diuturnitatem palmæ ſibi polliceretur, nunc etiam & fælicitatẽ, ac fructum commemorat; ut omnino ſimilis ſententia ſit, atque illa Pſal. 1. 3. de viro juſto, & beato; *Erit tanquam lignũ, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo: & folium ejus non defluet; & omnia, quæcumque faciet, proſperabuntur.* Quas omnes eſſe peculiares palmæ notas, diximus, cum eum Pſalmũ interpretaremur. Sed quod ad *aquas* pertinet, potisſimum palmę convenit; licet enim de *Cedro* dicatur Ezechielis. 17. 5. *Firmare radicẽ ſuper aquas multas*; & de Platano *exaltata juxta aquam, Eccleſi. 24. 19.* Tamen de *Palma*, quæ in *Iudæa*, *fælicisſime provenit*, ut teſtatur Plinius; ſcribit idem eodem loco: *Gaudet riguis, totoq; anno bibere, neque quidem contenta eſt ſolis pluviis*, atque Theophraſtus, *Magis gaudere a quis ſcaturientibus, quam pluviis.* eſt enim ſitibunda, & bibula; cujus ſitis cauſa videtur eſſe, tum quod habet regiones calidas, & ita Plinius ait: *Nullam Palmam eſſe frugiferam, niſi in terra, & ſolo fervido, & nitroſo, aut ſalſo*, quæ omnia ſitim efficiunt; Tum etiam, quod ut idem Plinius ſcribit lib. 17. Palma eſt *Solis amantisſima*; quare oportet habere ſemper affluentem humorem; quam affluentiam hoc etiã loco ſignificat plurale nomen *aquarum*.

Palma juxta aquas fælicitatis ſymbolũ

Arbores aquarum amãtes.

Plin. lib. 13. c. 4.

Theoph. lib. 2. de Plant. c. 4.

Cur Palma ſit aquarũ amãs.

Plin. lib. 17. c. 44.

3 Dicitur autem, *Radix aparta ſecus aquas*, vel per Hypallagem, quod aqua aperta ſit circa radicẽ; Quod nos diceremus; *Que tẽga el agua deſcubierta al pie.* Videlicet, quod pateat illi, & affundatur aqua ad illius radicem, ita ut ſemper illi adſit. Hæc enim omnia cadunt in proprietatem vocis originalis *aperiẽdi*. Vel forte eſt Hebraiſmus perſimilis noſtro Hiſpaniſmo, dicimus enim, vel de foſſione vitiũ; *Abrir, y cerrar*; vel de cultura etiam aliarum arborũ; *Abrirles las pozas*. Atque hoc etiam in *Palmam* peculiariter convenire, docet Palladius, ſcribens rem ruſticã in Octobri, præcipienſque, ut *Palma circumfodiatur aſſidue, ut irrigatione cõtinua æſtatis vincat ardores.* Sic igitur pollicebatur ſibi Iob fore, ut tãquam Palma *ſecus decurſus aquarum*, aperta ſemper radice, difficultates omnes, atque ardores temporis ſuperaret; floreſque, ac dactylis gravaſcẽs ſemper eſſet, & *fructum ſuum daret*, inſtar palmæ, non alienum, neque inſititium, ſed dulcisſimum, atq; ſuaviſſimũ, & fælicisſima iſta arbore

Hypallage.

פתח

Verbum aperiendi in rem ruſticãconveniens.

Pallad. in Octob. tract. 12.

Pſal. 1. 3.

Arbores steriles, infælices. dignum; *nam quæ infrugiferæ sunt, infelicissimæ quoque sunt, & a religione damnatæ.*

4 *Et ros morabitur in messione mea.* Catenæ auctor, *rorem*, intelligit, quo cōplentur, & Nicetas. maturescunt fructus; ita ut se ipsum cum messe comparet Iob; *Quemadmodum* (inquit) *fructus rore, atque imbribus lætificati atque completi suo tempore demetūtur, sic ego in bonorum copia, ætate exacta, putabā ex hac me vita migraturum.* Et cum hoc sensu facere videtur verbum, *morandi*, quod idem לין est, quod pernoctare, aut habitare. q. d. *Ros*, humorque matutinus, atque serotinus pernoctabit, permanebit usq; ad messem meam; putavi fore, ut nunquam exarescerent mei fructus; neque unquam exciderent mearum facultatum folia, & rami. Sed ego *rorem* intelligo aerem illum Commodior roris usurpatio. roridum, atque humidum, qué desiderant messores, ut bene, & facile messem demetere possint integris spicis, & nullo grano præ ariditate dissiliente; sicut etiam illa est fælicitatis cujusdam promissio, aut significatio, Isai. 18.4. *Sicut nubes roris in die* Ros messi salutaris *messis.* quod Septuaginta clarius videntur LXX. dixisse: *Sicut nubes roris in die messis erit ante messem.* & Proverb. 25. 24. *Sicut frigus nivis in die messis.* Quo pertinet illud Virgilii;

Virg. 1. Geor. *Humida solstitia, atque hyemes orate serenas*
Agricolæ. * * * *

Deinde.

* * * * *Nullo tantum se Mæsia cultu*
Iactat, & ipsa suas mirantur Gargara messes.

Colum. lib. 2. Atque illud etiam præceptum rei rusticę, *ut fœnum demetatur, ante quā inarescat, roridū adhuc, & paulo humens.* Cum quo etiam sensu recte convenit *Messionis* nomen; licet enim vox ipsa originalis proprie significet frugem ipsam, atque messem, & interdum etiam ramos; sed Interpres *messionē*, dixit, ut intelligeremus utilitatem roris ad ipsam actionem, laboremq; demetendi. Ergo omnia sibi fælicia pollicebatur Iob; non solum fructus, sed etiam cælestem illum rorem, quo facile, ac jucūde avelleretur, seu demeteretur ex vita; & fæliciter, sicut Eliphaz dixit, inferretur in Suavis mors sepulchrū, *sicut acervus tritici*: nā quib⁹ nō Mors plena difficultatis, & doloris. affunditur Cælestis ille ros, cum difficultate, & cum ingenti doloris sensu pręciduntur ex vita, & cum magno labore moriuntur.

(?)

XX. *Gloria mea semper innovabitur: & arcus meus in manu mea instaurabitur.*

1. Gloria *quid.* Innovari, *aut* mutari *quid.*
2. *Varia Lectio.* *Arcus Dei, & arcus hominis.*
3. Gladius, & arcus *priscorum arma.* *Arcus pro militari disciplina.* *Illustratus Samuel.*
4. Instaurari *quid.* *Illustratus Samuel.*

Pollicebar (inquit) mihi fore, ut gloria mea, pręcellensque dignitas novis ornamentis indies augeretur, & quasi recés, novaque quotidie cōfirmaretur adversus adversarios omnes, difficultatesque superandas. *Gloria* dignitas, honor, gravitas, quidquid hominem gloriosum, gravem, & pręcellentem efficit. *Innovabitur*; Augustin⁹, *Gloria mea nova.* Similis loquutio apud Isaiam: * *Mutabunt fortitudinem.* Videlicet pristinam cum nova; hesternam cū hodierna; id est, nunquam consenescent. Sed indies induentur recenti robore. Symmachus: *Gloria mea innovabitur præsens mihi.* id est, semper fruar præsenti fælicitate. Septuaginta: ad conditionem contrariā referunt; *Gloria mea vana mecum*; id est, *spes inanis, & res mihi ipsi contra ceciderunt.* Sed cohæret melius nostra lectio.

Et arcus meus in manu mea. Septuaginta legerunt: *Arcus meus in manu ejus graditur.* Cui lectioni duas expositiones adhibet Nicetas; primā, quod *arcum suum*, vocet, *arcum Divinum*, a quo sagittas, & tela accipit. q. d. Nunc tamen manus Dei cōtra me extenta est, & arcus illius in meam vitam intentus. Secunda, quod dicat *arcū suū* dirigi a Divina manu, id est, res suas omnes solitas Divina ope dirigi, & gubernari, perveniréque ad finem optatum: Nō aliter, quam cum. 4. Reg. 13. 16. & 17. Eliseus dixit ad Regem Israel; *Pone manum tuam super arcum; & cum posuisset ille manū suā, superposuit Eliseus manus suas manibus Regis.* unde sagittæ emissæ, erant *Sagittæ salutis.* non aliter *Arcus Iob in manu ejus*, id est, Dei. Sicut etiam de Ioseph dictum est Genes. 49. 13. *Sedit in forti arcus ejus*; id est, arcum suum, quo se ab hostium, fratrumque injuriis defenderet, nō commisit solum suis brachiis, ac viribus, tantum Deo fortissimo, sagittandi peritissimo. Indicat præterea Nicetas, *Arcum Iobi*, vocari ipsum cor, & mentem Iobi, ut nunquam in rebus decernendis aberraret a scopo, quippe *in manu Dei*, rectissimo semper jactu collimabat. *Cor enim regis in manu Domini.* de quo dicemus vers. 22.

Marginalia (right column): 1 — * Cada dia mudarā vestido, y saldrā de nuevo. — Symmach. — LXX. — Nicet. — 2 — LXX. — Varia lectio, & expositio. — Arcus directus Dei manu illius auxiliū. — Prov. 21. 1.

3 Germana lectio, & expoſitio.

Sed vera tamen ex Hebræo lectio; *Arcus meus in manu mea*, id eſt, Potentia, robur, arma ad tegẽdum, & ad offendendũ: nam *arcus, & gladius*, erant illius ſæculi fere univerſa armatura. Ideo tam frequens in ſacro ſermone *arcus, & ſagittarum* mẽtio; præſertim in Syria, & Aſſyria. Quare ut ſagittis ſagittas hoſtium repellere poſſent Iſraelitæ, juſsit David 2. Reg. 1. 18. *Vt docerent filios Iuda arcum*, id eſt, militarem diſciplinam. *In manu mea*. fere idem repetitur, id eſt, meæ vires, mea brachia non langueſcent, nec cõſeneſcet meum robur: ſemper *docebit Deus manus meas ad præliũ*; & ponet ille, *ut arcum æreum, brachia mea.*

Arcus, & gladius priſca armatura.

Pſal. 17. 35.

4 LXX חלף

Inſtaurabitur. Id eſt, mutabitur in melius, ſemperque augebitur meum robur. Septuaginta: reſpexerunt ad proprietatẽ verbi originalis legentes: *Graditur, vel gradietur*. nam verbum *Hhalaph*, proprie eſt tranſire, vel pertranſire, aut mutari pertranſeundo; quod in ſagittam, vel cultrũ, aut inſtrumentum quodcumq; aliud acutum, quo aliquid transfigitur, aut perforatur, recte convenit; nos dicimus; *Paſſar, o traſpaſſar*. Quare illud, quod dixerũt Septuagin. *Arcus meus graditur*, vel, *gradietur*, ad vim quandam ſagittandi, aut perforandi pertinere videtur. Sicut de *arcu Saul* dictum eſt: *Non eſt reverſus inanis*. ſic hoc loco Tygur. legit: *Arcus meus in manu mea recepit vires*. Videlicet, ad penetrãdas res oppoſitas. quanquã etiam illa Interpretis ſignificatio egregrie convenit; *inſtaurabitur*. id eſt, ulterius tranſibit, mutabitur in melius, ſuperabit, prætergreturque difficultates omnes.

2. Reg. 1. 22. Tygur.

XXI. *Qui me audiebant, expectabant ſententiam, & intenti tacebant ad cõſilium meum.*

1. Eloquentia *digna Principe virtus.*
2. *Iob Regii ſenatus Præſes, minime moleſtus fuit auditoribus.*
3. Conſilium, & ſententia, *quo differant.*
4. Conſilium *quid prop. Illuſtratus Sapiens.*

1 Iobi eloquẽtia virtus vere Regia.

TRes ſequentes ſententię ad inſignem Iobi eloquentiam, & copiam dicendi pertinere videntur, atque ado inter reliquas optimi Principis, integerrimiq; magiſtratus partes refertur, quod eloquentia Regem, juſque dicentem maxime deceat. Dicunt enim eſſe juſtitiæ, & fortudinis comitem; cujus quoque Philippum illũ Macedonem laudat Aelianus. Et vere *virtutem Regiam*, appellat apud Stobęum Muſonius. Nimirum hæ ſunt *catenulæ* illæ *aureæ*, quibus devinctos trahebat populos, ſuæ linguæ innexis, Magn⁹ Alcides, ut eleganter deſcripſit Lucianus. Hãc habuit quoque Salomõ cælitus ſibi affuſam cum Sapientia; Sap. 7. 15. *Mihi dedit Deus dicere ex ſententia, & præſumere digna horũ, quæ mihi dantur*. quæ duæ ſunt eloquẽtiæ partes, cogitare, & mente informare rationẽ dicendorum, deinde oratione exprimere apte, & ornate. quã eſſe Sapientiæ partem non minimã, atq; donum cæleſte non vulgare, ſubjicit ſtatim; *In manu illi⁹* (Dei) *& nos, & omnes ſermones noſtri* (orationes) *& omnis Sapientia, & operum ſcientia*. id eſt, Dei donum ſunt omnes facultates rationales, ſermocionales, factivæ.

Aelian. lib. 6. c. 19.

Vide Stobæũ, ſerm 147. & ſermon. 151.

Lucianus in Hercule Gallico.

2 Cajetan.

Ergo opportune Iob ait: *Qui me audiebant, expectabant ſententiam*. Quod Cajetanus pertinere exiſtimat ad *ſententiam* ſuã in concilio, ſenatuque probatam, cui ipſe præſidebat. Sed in univerſum accipi poteſt; *Qui me audiebant, expectabant*, id eſt, ut me audirent, non fuit illis longa, aut moleſta quæcumque etiam lõga expectatio. vel, me ſemel auditum libenter uſque ad finem ſuſtinebant dicẽtem, & minime defatigati attentiſsime ad finem uſque aſsiſtebant. Septuaginta; *Qui me audierunt, attenderunt*. minus congruit illa alia Pagnini lectio *audiendi*, pro *obediendi*.

LXX

Pagn.

3

Sententiam. Deeſt in originali, tantum enim eſt; *audiebant, & expectabant*. Sed expreſſum eſt ab Interprete, quod latebat: nam quid ab auditoribus expectari poterat ſuſpẽſis animis, niſi quam ſententiam Iob diceret? Philippus more Latinorũ, diſtinguit *ſententiam* à *conſilio*, quod illa ſit velut præceptum, & lex; conſilium vero utile alquid, non neceſſarium. Sic ergo nõ incommodus ſenſus efficietur: Ita expectabant, ut eſſent parere parati, ſi quid forte faciendum præciperem. Sed melius referri poterit ad ſequẽtem partem; Ita expectabant, ut intenti tacerent, ut nemo auderet dicentem interpellare, nemo obſtrepere danti conſilia. Nicetas: *Tacebãt ideo, quod quid opponerent, contrave dicerent, non habebant*. Affert etiam illud ſilentium neſcio quam præſtantem opinionem cõceptam de eo, qui dicit, fore ut nihil non dicat utile ad vitam inſtituẽdam, nihilque prætermittat, quo facto opus ſit.

Philipp.

Nicetas.

4 יעץ

Conſilium proprie eſt, quod quis ſuo marte excogitat, & adinvenit, quod cujuſque mentis judicio lubet, aut videtur optimũ. Pendebant, inquit, cæteri ex meo judicio. Hoc illud eſt Sapientiæ elogium beneficiumque: *Propter hanc tacentem me*

Sap. 8. 12.

sustinebunt (id est, expectabunt me, antequam dicere incipiam) *& loquentem me respicient* (non erit auditorum obtutus vagus, sed in me defixus; quod est audiendi præceptum apud Plutarchum) *& sermocinante me plura* (id est, etiam si longius provehar disserendo, & disputando) *manus ori suo imponent.*

Plutar. de officio auditor.

XXII. *Verbis meis addere nihil audebant, & super illos stillabat eloquium meum.*

1. *Rei Sacræ periphrasis apud Ioannem. Iobi Sapientem orationẽ non potẽtes repetere auditores. Quid* iterare sermonem *apud Salomonem.*
2. *Principis sermo frugifer, & jucundus. Explicatus Moyses.*
3. *Doctrina, instar pluviæ, idonea auditoribus.*
4. *Quid* stillare *in Sacro sermone. Concionatoris dotes. Explicatus Ezechiel, Amos, & Paralip.*

1 * Diziẽdo yo, no avia mas que dezir, ni q̃ pedir. Cajet.

* **A**Ddere *nihil audebãt*; Cajetanus: *Quod ultimus dicebat in consilio*, post auditas aliorum sententias; sicut Princeps, aut Cõsilii Pręses solet, auditis senatoribus, rem propositam cõplecti, & statuere, quod optimum videatur. Vel, quod nemo haberet, quid opponeret illius dictis, aut qua ratione illius orationẽ refellere posset. Vel, quod videretur omnib⁹ exhausisse totam rei difficultatem, ita ut nihil addi posse videretur. Vel, quod ejus dicta, & verba omnes æstimabant, velut Sacrũ Canonẽ, cui vel unicum verbum addere, vel detrahere nefas sit. Hæc enim est periphrasis rei, aut sententiæ maxime Sacræ. ut illud Apoc. 22. 18. quo sacerrimam suã revelationem claudit Ioannes; *Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas Scriptas in libro isto: & si quis diminuerit de verbis libri Prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ.* In hanc sententiã vocat Nicet. illud de *arcu suo instaurato* in manu Dei: *Cum nihil detrahere, aut addere possent sententiæ meæ, cuncti concedebãt. Quasi enim arcus, sic cor meũ manu tenebatur Divina, & a recto scopo nequaquam aberrabam.* Potest etiam hoc referri ad magnã in dicendo subtilitatem, sapientiamq; singularem quam auditores, velut discipuli rudiores, nõ valerent iisdem verbis, eademque orationis majestate, & dignitate repetere: nam proprie ex Hebræo legitur: *Post verbum meum non iterabunt.* vel, *Postquã dixissem, non iterabant sermonem.* ac si diceret, Nemo audebat repetere, ne scilicet depravarent; & ne sapientissimis dictis, sublimique prælectioni tãti magistri suis ipsi verbis aliquid detraherẽt: nam illud verbum *iterandi*, est fere idem, quod *mutare*, vel, ut ita dicam, alterare; quod est nõ solum alteram vicem, sed etiam quasi alteram faciẽ, & alteram formam verbis ipsis inducere. Quare ab eadẽ radice dicitur Proverb. 17. 9. *Qui altero sermone repetit, separat fœderatos.* Quod proprie in Hebræo est: *Qui iterat verbũ.* id est, qui mutat repetendo, vel qui repetit cum mutatione aliqua depravando, quod audivit. & Prover. 24. 21. * *Cum detractoribus, ne cõmiscearis.* Proprie; *Cũ iterantibus*, vel, *mutantibus*, vel depravantibus, quæ audierunt. Sic igitur auditores Iobi nõ audebant iterare, vel aliqua ex parte mutare, quæ a Iobo exceperant, ne tantę Sapientiæ splẽdorẽ aliqua ex parte obscurare viderentur.

Circumloquutio Sacræ sententiæ.

Nicetas.

Iobi Orationẽ sublimiorem, vix auditores cõsequi potuisse.

Pagn. Regia. Tygur.

Quid Iterare, aut Repetere.

שנו

* Con los que trastruecã las palabras.

2 *Et super illos stillabat eloquium meũ.* id est, tanquam cælestẽ quendam imbrem, & lapsam de cælo orationẽ, sic mea verba excipiebant, & mirabiliter influebant in eorum animos mea cõsilia. Philippus; *Sensim intertora viscerũ penetrabat.* Olymp. *Cum siti, atq; cum aviditate audiebant.* Septuaginta nescio quam lętitiam infusam auditorum animis significant, qualẽ affert ros, & pluvia herbis, & plantis; *Gavisi sunt, cũ loquerer eis.* Kaldæus. *Pulcher erat eis sermo meus.* Simile id Devt. 32. 2. *Concrescat in pluviam doctrina mea, fluat ut ros eloquium meũ, quasi imber super herbam, & quasi stillæ super gramina.* nã *imber*, & *stillæ* lætas faciunt herbas, & fœcundant terram, optat itaque sermonem suum utilem accidere auditoribus. sic hoc loco ait Olympiod. *Frugiferi erant sermones Iob, atq; in audientiũ animis vim strenuam, ac robur habebant.* Vtrumque vero, id est, suavitatem, atq; fructũ doctrinę salutaris, indicavit paraphrasis Onkeli eo loco Devt. *Suavis sit, sicut pluvia, doctrina mea, suscipiatur, sicut ros, verbum meũ. Sicut venti pluviæ, qui perflant super gramẽ, & sicut guttulæ imbris serotini, qui veniunt super herbã.* Quod utrumq; si non habeat concionatoris oratio, nihil aliud profecto efficiet, *quam ventus, & nubes, & pluviæ non sequentes.* Eritque ipse concionator *Vir gloriosus, & promissa non complens.*

Orationis cũ pluvia cõparationis varia expositio. Philipp. Olympiod. LXX. Chald.

Doctrinæ lenitas, & utilitas instar pluviæ.

Onchel.

Qualis futura sit Oratio cõcionatoris.

Prov. 25. 14.

3 Sed in voce, *stillãdi*, observat Gregori⁹ quandam in docente curã, & studium, quo se, suaq; verba acõmodet captui auditorũ; ut qui sint angustæ mentis, quasi angusti orificii, infusam humoris copiam cõtinuo ne respuant. *In hac* (inquit) *stillatione elofluii, quid aliud, quam mensura prædicationis accipitur, quia oportet ut exhortationis gratia singulis juxta capacitatem ingenii conferatur. Debet enim ad infirmitatẽ audientium*

Gregor.

Acommodanda Oratio captui auditorũ.

tium

tium ſemet ipſum contrahendo deſcendere, ne dum parvis ſublimia, & id circo non profuturà loquitur, ſe magis curet oſtendere, quam auditoribus prodeſſe. Atque id forte obſervari poteſt in illo Devter. verbo, *concreſcat*, nã niſi tenues vapores, nimiumq; ſubtiles exhalationes craſſeſcant, nec ferêt utilitatê aliquam, neque ex ſublimi regione in terras deſcedêt. Sic ſane ſi nimiæ ſubtilitates craſsiori quodam modo plebi nõ exponantur, non capiunt auditores, neq; influet ſana doctrina in illorum animos. Recte quidem, & utiliter Gregorius, quãvis eam particularem vim nõ afferat vox *ſtillandi*; ut dicemus ſtatim.

Nimium ſubtiles ſermones prætervolant captũ rudiorum inſtar nubecularum inanium.

4 Alii ea voce ſignificari exiſtimant doctrinam, quæ ex ore dicentis, inſtar pluviæ ſpargatur, ſed referri potiſsimum ad prophetias, & comminationes ſeveriores, ut colligi poteſt ex Ezech. 26.40 *Stilla ad Afiricum.* & c. 21. 2. *Stilla ad ſanctuaria, & propheta contra humum Iſrael.* & Amos. 7. 16. & Michææ 2. 6. 11. Quibus locis continẽtur ſupplicia, & terrores Divini. Cujus ſignificationis analogia eſt, quod *Stillæ*, & guttæ cum impetu, & nimbo deſcendere ſoleant, propterea que ſymbolum eſſe videantur ſupplicii, & terroris cælitus immiſsi; aut etiam quamvis leniter primum defluant, eſſe tamen ſolent indicium procellæ ſævioris; quod dixit Hieronymus. Amos. 7. *Stillare Prophetas, idioma Scripturarum eſt, quod non totam Dei ſimal inferant iram, ſed parvas ſtillas comminatione denuntient.* Alii ad tegulas reſpiciunt, quæ accepto cæleſti imbre ſtillant, & aſsiduitate etiam excavant lapides; ſic prophetæ, & prædicatores ſtillant, quod ipſi a Deo accipiunt. Ergo hunc locum Iob ſic exponẽdum exiſtimant, ut ad terrorem quẽdam injectum auditoribus referatur, propterea q; auditores Iobi nihil illius verbis addere auderent præ timore, & reverentia. Ego omnino hũc locum ad doctrinæ ſuavitatem ſenſim, & blande illabentis, exhilarantis, & inebriãtis auditorum animos, omnino pertinere jam oſtendi, probaviq; ſolide ex communi interpretatione, ac ſequens ipſa ſententia plane demonſtrabit. Nunc de verbo, *ſtillandi*, aſſero idem omnino eſſe, quod loqui, aut prophetare. & ut R. Mardochai dixit, idem ſignificat, quod *Dabar*. Quod agnovit Hieronymus Mich. 2. ſuper id: *Ne loquamini loquẽtes, &c. Aquila* (inquit) *interpretatus eſt: Ne ſtilletis ſtillantes, quodam idiomate Hebraico, eloquium ab eo quod fluat, & ad aures perveniat audientium, in ſimilitudinem pluviæ deſcendẽtis, ſtillationem vocans.* At ex ſubjecta materia modum capit: nam vel ad terrorem & ſupplicii comminationem pertinet, ut locis adductis, & 2. Paralip. 12. 7. *Non ſtillabit furor meus ſuper Ieruſalem.* nos de ſupplicio, & pœna dicimus: *Lloverle ſobre la cabeça.* Iam vero ad lætiſsimam, & ſuaviſsimam doctrinã, ut locis a nobis ſuperius indicatis. & 2. Machab. 8. 27. *Miſericordiæ initium ſtillans in eos.* Quod ſi quidquã vox ipſa per ſe affert, potius eſt blandum aliquid, lætum, ſalutare. Pſal. 67. 9. & de rebus dulcibus, Amos. 9. 13. de odoriferis Cantic. 5. 5. *Stilla* nullo adjuncto, pro re ſuaviſsima, & odoratiſsima *Stacte*, Exod. 30. 34. Quare ex proprietate vocis colligere poſſumus, oportere, ne ſemper concionator tonet, & fulguret, niſi ſic exigat opportunitas, & utilitas auditorum; *Stillet* interdum blande, & leniter, ut audiatur amice, & benevole, *loquaturque ad cor Ieruſalem, & advocet eam, conſoletur*, iterumque *conſoletur populum Dei*, atque eo ſpirituali ſolatio auditores perfundat: *nam ſicut ros ſupſuper herbam, ita; & hilaritas ejus.*

Stillare de prophetia ſeveriori, & cõminatoria.

Hieronym.

Montan.

Stillare ad blãdã, & ſuavem orationem.

R. Mard. דבר

Hieronymus.

Verbum Stilladi ex adjunctis modũ capiens.

Concionator ne ſemper tonet.

Iſai. 40. 1.

Prov. 1. 9. 21.

XXIII. *Expectabant me, ſicut pluviam, & os ſuũ aperiebant, quaſi ad imbrem ſerotinum.*

1. *Docentis oratio non tã curioſa, quam utilis, quatenus permittatur elegans. Iobi auditores bene inſtituti.*
2. *Aperire os, cujus habitus. Explicati David, & Paulus.*

Quæ fuerit Pluvia matutina, *atque* ſerotina *precibus obtinebatur. Illuſtratus Zacharias.*

1 ME, meam orationem, *exſpectabant*, deſiderabant, aperto, & hiante ore, *ſicut pluviam*, ex qua omne ſibi incrementum, fructumq; pollicebantur: nam in animis audiẽtium promovebat ſemina bonarum cogitationum, atq; virtutum omnium fruges. Hinc videas Iobi auditores bene, & ſancte inſtitutos fuiſſe, ut qui exſpectarent ſemel, & iterum dicẽtem Iobũ; quod inter bene audiendi præcepta ponitur a Plutarcho, refertque ex Aeſchine; *Quod auditor, ubi dicens peroravit, non illico cõtradicere orditur, ſed ſpatium ei relinquit, ſive addendi aliquid dictis, ſi ita videatur, ſive mutandi quidpiam, vel detrahendi.* Secundo quod non quærebant curioſa, vel mollia & quæ *pruritum aurium* efficerent, ſed utilia, qualis *pluvia* eſt: nam qui nõ utile, niſi etiã curioſum, & ſubtile peteret, perinde faceret, ac qui antidotũ nollet bibere, niſi in pretioſo vaſculo; & qui hyeme nollet

Iobi auditores bene inſtituti.

Plutarchi Præceptum boni auditoris.

Salutaria, potius, quam curioſa quærenda ab auditore.

Plutarchus.

veſtem ſumere, niſi ex Attica lana. Quãvis (eodem Plutarcho auctore) *Quẽadmodũ, qui bibunt, extincta demum ſiti obvertunt pocula, cælaturãque contẽplãtur, ita ipſi ſententiis impleto detur reſpirãdi ſpatium, dictionemque conſiderandi, an elegans aliquid, & elaboratum habeat.*

2 Silẽtis, & attẽtiſsimi ad audiendum periphraſis.

Et os ſuum aperiebant. Aperire os, ſæpe eſt habitus loquentis, nunc e cõtrario tacentis, ſed deſiderantis, & inhiantis ad rẽ aliquã ſalutarẽ. ſicut Pſ. 118. 131. *Os meũ aperui, & attraxi ſpiritũ, quia mãdata tua deſiderabã.* Aperto ore hiãt famelici, & rem aliquam nimium ſollicite expectantes, tũ etiam, & nimium attenti & mẽte defixi in aliquid, vel audiendum, vel intelligẽdum 2. Corinth. 6. 11. *Os noſtrum patet ad vos, o Corinthii.* id eſt, non quæro, quod mihi utile eſt, ſed quod vobis, hoc unum deſidero, magno, & lõge lato deſiderio cordis. Propterea enim addit, *Cor noſtrum dilatatũ eſt.*

3 Pluvia tẽporanea, & ſerotina.

Quaſi ad imbrem ſerotinũ. Cum bis *pluviã* dixerit, & nunc *ſerotinã*, certe primo loco videtur locutus de *temporanea*, quæ ſemẽti faciẽdæ neceſſaria eſt, ſicut *ſerotina*, maturandis frugibus. Dicitur autẽ *tẽporanea*, etiam *matutina*, apud Ioelem. 2. 23. & *primitiva*, a Kaldæo eodẽ loco. At *ſerotina* dicitur eodẽ Ioelis loco: *Pluvia ſicut in principio*, vel, ut eſt in Hebræo, *Pluvia in principio*, id eſt, *in principio anni*, quod erat initium anni ſacri, videlicet verno tempore, in menſe *Niſan*, qui reſpondebat noſtro Martio, aut Aprili, quo tempore in ea regione matureſcebant fruges. Et ita Kaldeꝰ eo loco habet, *Serotinus imber in Niſan.* Neq; vero dicitur *pluvia, ſerotina*, quod veſpere, aut nocturno tempore cadat, ſed quod *ſero*, id eſt, ad finem anni uſualis, ad maturandas fruges. Quod autẽ raro ſoleat in illis calidiſsimis regionibꝰ pluere, ideo prima, ultimaq; pluvia magnopere deſiderabatur, & forte etiam *ſerotina* magis ardenter, ſine qua omnino vanus fuiſſet totus ſementis labor. Sic igitur Iobi doctrina maturare videbatur conſilia, & ſalutares cogitationes cõceptas in animis rudiorum. Forte ille habitus *aperiendi os ad imbrem ſerotinum*, eſt habitus precantis, & orantis, quod a Deo imber ille ſerotinus ſoleret multis precibus obtineri, ſicut Scriptũ eſt Zachar. 10. 1. *Petite a Dño pluviam in tẽpore ſerotino, & Dominus faciet nives, & pluviam imbris dabit eis, ſingulis herbam in agro.* Summis igitur a Iobo efflagitabant precibus, ut opportuna illorum animos doctrina perfunderet.

(Margin: Kaldæus. — Principio anni ſacri matureſcentes fruges in Paleſthina. — Kaldæus. — Serotina pluvia precibus obtinebatur.)

XXIIII. Si quando ridebam ad eos, non credebant; & lux vultus mei non cadebat in terram.

1. *Benignitas patris familias.*
2. Ridere *quid proprie. Doctrina Sapientis ſeria. Riſus qualis.*
3. *Varia expoſitio* lucidi vultus.
4. Lux vultus *ad hilaritatem. Illuſtrati Salomon, & David.*
5. *Patrisfamilias correptiones nõ ſine lenitate.* Facies concidens, *aut* obſcura, *quæ. Explicatus Samuel.*

I Animi, & contentiõnis honeſta remiſſio.

ALiquando etiam, quod patrem familias decet remittebat animum, atque gravem, & ſeriam de rebus. Divinis diſputationem, ut ſe benigniorem, humaniorẽque prẹberet ſubditis, naturamq; ſuam ita temperabat, ut partim ſeveritate contineret in officio, partim benignitate, & lætitia permulceret, & ad officium alliceret.

2 R. Gerſon. R. Abẽ Eſra.

Ridebam. Aliqui poſt R. Gerſon, & Rab. Abẽ Eſra, ſumunt *riſum* pro *irriſione*, ut ſignificetur poteſtas quædam Domini erga ſervos ad irridendum, convitiandum, & reprehendendũ. Sed hæc expoſitio invita eſt, & non bene conveniens cum iis, quæ dicuntur. Symmachus legit: *Arridebam illis*, quaſi connivens ad illorum riſus, & lætitiã: Tygurina, *Si quãdo jocarer apud eos, non credebant.* Certe vox originalis. *Ridere, irridere, ludere* ſignificat. Sed hoc loco ad lætiam tantum, & gaudium referenda eſt, quod ſapienter docuit, Philippus; *Plerumque* (inquit) *lætitia, ſive gaudiũ in Scriptura riſus nomine dicitur.* Cum autem ille *rideret, non credebant. Tanta* (inquit Philippus) *reverẽtia, & honore a prædictis habebar, ut Sapientiæ meæ, & gravitati, indulgentiæ blandimentũ, & remiſsionis hilaritas congruere vix poſſet. Non credebant* me ridere, riſus tantum cauſa, ſed ſerio aliquid inde velle elicere. Nicetas: *Quod per riſum ab eo fiebat, periclitandi alterius cauſa fieri arbitrabãtur.* Cum quo facit, quod ait Gregorius, *quod vir ſanctus talem ſe exhibuit ſubditis, ut etiam ridens timeri potuiſſet. Qua in re docemur, quod talis debet eſſet diſpenſatio regiminis, ut ii, qui præeſt, & arridens timeri debeat, & iratus amari.* Nunquam igitur ita ridebat effuſe, & cum cachino, ut illius *riſus*, reputari poſſet *error* (ſic enim Sapientem ridere non oportet) ſed potius riſus ille pars quædam erat Sapientiæ: nam ridẽdo inſtruebat quoque ſuos ſubditos. Colligit inde Nicetas: *Adeo gravem, atque cõſtantem decere eſſe magiſtrum, ut ei aut arridenti, aut ſalibus utenti fides non adhibeatur.*

(Margin: Symmach. — Tygur. — Riſus pro gaudio. שחק — Philipp. — Nicetas. — Gregor. — Sapientis riſus. Eccleſ. 22.)

nihil igitur ab illo fiebat ſine utilitate, fructuque ſuorum.

3 *Et lux vultus mei non cadebat in terram.* Varie ab interpretibus accipitur; primo, ut videatur eſſe obſequium quoddam impenſum ab ipſis ſubditis: nam ex Hebræo legitur: *Lumen faciei meæ nõ dejiciebãt*, vel, *non faciebant cadere*. Quod explicat Vatablus: *Non ſpernebant meam auctoritatem, ſed ridentem etiam reverebantur.* Alius, *Quod diligenter caverent, ne lucem, atque hilaritatem vultus illius aliquo modo turbarent, aut contriſtarent.* Nam demiſsio vultus, atque oculorum in terram mœrentis habitus eſt. Alii; *Non ſinebant cadere in terram*; id eſt, non abjiciebant, neque reprobabant, probabant potius vehemẽter meas omnes actiones, ſive riderem, ſive ſeverius agerẽ. Cajetanus neſcio quid argutum, & ſubtile: nam *lumẽ vultus* intelligit quaſi radios ipſorum oculorum, & cõjectum ipſius viſus, qui obſervabatur a ſuis ſubditis; excipiebantque illius oculos, non tanquã vanum aliquid, ſed tanquã pretioſum quid, & *habens myſterium*: non enim ſine cauſa attollebat ille, aut demittebat oculos. Sed hæ omnes interpretationes, duriores ſunt & coactæ.

Varia expoſitio. — *Vatab. Cajet. Regia, Iſid. Clar.* — *Eugub.*

4 Ego, quod ſimplex, & germanum videtur, proponam: *Lux vultus* ſignificare videtur hilaritatem, animi candorem, vultum placidum, atque benevolum, indicem internæ bonitatis, quæ propria eſt Sapiẽtis; ſicut Scriptum eſt Eccleſ. 8. 1. *Sapientia hominis lucet in vultu ejus.* Ex vultu (inquã) cognoſci poteſt Sapiens; & *ab occurſu faciei homo ſenſatus.* Non ſolum enim Sapiẽtia ornat animum, ſed etiam vultum illuminat. Sic Pſ. 66. 2. dicitur *Illuminare Deus vultum ſuum.* Cum ſe hilarem, benignumque præbet. jubemur etiam Pſ. 33. 6. *Accedere ad Deum, & illuminari*, id eſt, ut illuminemur; quod ſtatim explicat, *Facies veſtræ non confundentur*. id eſt, reddit Deus accedentes ad ſe lætos, & hilares, aufertque vultus mœſtitudinem, & confuſionẽ. Qua ratione autem ipſa impietas, & pravitas cordis non luceat, ſed potius nigreſcat in vultu impii, non ſemel indicatur in Sacris Litteris. Iſaiæ. 13. 8. Nahum. 2. 10. Fieri etiam poteſt, ut res hęc pertineat ad vultus, & totius oris ſpeciẽ, & dignitatẽ vere Regiã, quæ tum in aliis, tum in Iobo multum valuit ad cõciliandos ſubjectorũ animos. vere quippe ſcripſit Curtius; *Plurimis gentibus in corporum majeſtate veneratio eſt; magnorumque operum non alios capaces putant, quam quos eximia ſpecie donare natura dignata eſt.*

Simplicior interpretatio. — *Lux vultus propria ſapiẽtiæ.* — *Eccleſ. 19. 23.* — *Improbi vultu obſcuri.* — *Curtius lib. 5.*

5 Idẽ illud de hilaritate exponitur in ſecunda parte: *Non cadebat in terram*. id eſt, ſic ſemper vultu hilari, atque ſereno fui, ut nunquam conciderem facie, nunquam mœſtus incederem, ſicut de illo dictũ eſt Geneſ. 4. 6. *Quare iratus es, & cur concidit facies tua?* De quo faciei habitu erectæ, aut demiſſæ, non ſemel diximus. Illud igitur Optimi Principis habuit Iob, quod nunquam fuit *triſtis, neque turbulentus*. Iſaiæ. 42. 4. Quod ex Hebræo legitur; *non erit obſcurus*; vel, *non caligabit* (ut vertit Pagninus) obſcuritas enim faciei triſtitia eſt, ſicut & lux, hilaritas: Quare eo loco legunt Septuaginta: *Splendebit*; ſic etiam 1. Reg. 3. 14. *Non corripuit eos*. Propr. *Non fuit obſcurus ad eos*, ab eodem verbo. Id eſt, Samuel non ſevere increpabat filios, ſed potius hilarem, lucidumque vultum illis exhibebat: cui reſpondet id Eccleſi. 30. 4. *Lacta filium tuum, & paventem te faciet: lude cũ illo, & contriſtabit te; ne corrideas illi, ne condoleas*. & id Eccleſi. 7. 25. *Filiæ tibi ſunt, non oſtendas hilarem faciem tuam ad illas.* Ergo *lucem vultus non cadere in terram*, eſt nunquam demittere, vel nunquam deponere claritatem vultus, ſive doceret, ſive increparet. Id, quod eleganter indicavit Nicetas, ideo dixiſſe gravitati ſplẽdorem habuiſſe adjunctum, *quia ſuam gravitatem, & in facinoroſis objurgandis acrimoniam demõſtravit: nam qui ex illo genere ſunt, triſtes, atque a riſu ab horrentes eſſe ſolent.*

Principis vultus lætus. — *Faciei obſcuritas mœror.* — *Pagn.* — LXX — *Vultus parentum obſcurus ad filiorum erata.* — *Nicetas.*

℣. *XXV. Si voluiſſem ire ad eos, ſedebam primus. Cumque ſederem, quaſi Rex, circunſtante exercitu, eram tamen mœrentium conſolator.*

1. *Viã ſubditis quomodo praſcribat* Princeps. *Quales quæſtiones proponi debeant ab auditoribus.*
2. *Regia humanitas. Princeps ab exteris cultus, Illuſtratus Moyſes.*
3. Exercitus, *quid prop.* Accinctus *in Sacro ſermone quid. Princeps milites in officio continens.*
4. *Iob verus Rex. Notatus Cajetanus.*
5. Principis *clementia. Divinum benefacere.*
6. *Princeps, ſubditorum ſecuritas. Illuſtratus Salomon. Moyſes, Hoſeas.*

Etiam (inquit) ſi Rex illorum, ſupremuſq; judex eſſem, ſed humaniſsime erga illos me gerebam: atque cũ unus ex iis videri volebam, nõ ſecus quam unus e multis ad eos adibam, atque omnium moribus me accõmodabam. 1

Sententiæ paraphraſis.

LXX

Varia expoſitio Hebraicæ lectionis.

Si voluiſſem ire. Septuaginta juxta Hebræum legunt; *Elegi viam corũ*. Quod Latinus Interpres dilucide dixit; *velle ire ad eos*. Quanquam alios etiam ſenſus habere poteſt, videlicet ad ipſum pertinuiſſe eligere aliorum viam, id eſt, *Præſcribere illis, quam vitæ viam tenere deberent*. & quid facto illis opus eſſet, ita ut omnia Iobi arbitratu, & conſilio fierent. Alii, *eligere viam agendi cum aliis* interpretantur, quod quãcumque rationem, & viam ſive belli, ſive pacis ipſe eligeret, parebant alii; & ſive in pace ſederet, primus ille ſedebat, in Principe loco; ſive bellum gerendum eſſet, dux ille erat, & Imperator. Nicetas exiſtimat, *viam eligere*, eſſe habere delectum rerum utilium, de quibus cum auditoribus colloqueretur, viam illis virtutis commonſtrãdo. Quod etiam inter præcepta audiendi non eſt a Plutarcho prætermiſſum; ubi enim agit, de quæſtionibus proponendis, ſic ſcribit; *Qui invitatus eſt ad auditionem, audiat tacite dicentem; qui enim ad alia argumẽta deducunt, aut interrogationes interjiciunt, dubitationes movent, importuni auditores, nullam accipiant auditionis utilitatem; ſed ſimul & oratorem, & orationem conturbant. Vbi vero is, qui dicit, juſſerit auditores ponere, de quo diſputetur, ibi ſemper danda eſt opera, ut neceſſarium aliquid, aut utile quæſtio tua proponat*. Sed præſtat, quod initio diximus de humanitate erga ſuos. Philippus: *Eundo ad inferiores humilitatem ſuã aſſerit*. Quippe eſt illa Principis humanitas non dedignari civium congreſſus; de Optimo Imperatore dixit ille; *Cum civibus tuis, quaſi cũ liberis parẽs, vivis. Reverſus Imperator, qui privatꝰ exieras, agnoſcis, agnoſceris; eoſdẽ nos, eundem te putas, par omnibus*. & rurſus; *Liberum eſt ingrediente per publicum Principe ſubſiſtere, occurrere, comitari, præterire. Ambulas inter nos, non quaſi contingas; & copiam tui, nõ ut imputes, facis. Hæret lateri tuo, quiſquis acceſſit; finemq; ſermonis ſuus cuiq; pudor, non tua ſuperbia facit*.

Vatab.

Nicetas.

Iobus ſuis auditoribꝰ proponens utiles diſſerẽdi quæſtiones.

Plutarchus.

Præcepta bene audiendi.

Philipp.

Plin. in Panegyr.

2 *Sedebam primus*. Non ſolum (inquit) viã humilium non declinabam, ſed eorũ conſeſſum humaniſsime inibam: eximiæ enim illud humanitatis eſt: *ſedentem docere turbas*. Eſt etiam honoris, Regiæque dignitatis, illa prima ſedes. Neſcio vero quid hoc loco Nicetas de peregrinis dicit ad illum ventitantibus, doctrinæ, & conſilii gratia: *Vel ab hoſpitibus, & peregrinis* (inquit) *Regiam dignitatẽ accepit, quia non per imperiũ, aut per tyrannidem occupabat principatũ, ſed quia rerum utilium, virtutiſque viæ doctor, & dux erat*. Niſi forte indicet, etiam cum ad exteros proficiſcebatur, non ſecus atque Regem, & Principem ſuum ab illis exceptum; ſicut Geneſ. 23.4. cum dixiſſet Abraham ad *Hetheos*; *Advena ſum, & peregrinus apud vos; date mihi jus ſepulchri vobiſcũ*. Reſponderunt filii Heth; *Audi nos, Domine; Princeps Dei es apud nos: in electis ſepulchris noſtris ſepeli mortuum tuũ*. Quod Onkelus dixit; *Qui magnus coram Deo ſis, tu es inter nos reputatus, in meliori ſepulchrorum noſtrorum ſepelito mortuũ tuũ*. Septuaginta: *Rex a Deo tu es in nobis*. Non aliter Iob etiam apud peregrinos pro Divino Principe habebatur, primuſque ſedebat.

Luc. 5.17.

Nicet.

Iob ab exteris exceptus, ut ſuus Princeps.

Onchel.

LXX.

3 *Quaſi Rex circunſtante exercitu*. Hic rurſum vides humilitatem, humanitatemque cum gravitate, ſeveritateque temperatã. Recte, & juxta Hebræum Septuaginta legerunt: *Habitabã ſicut Rex in accinctis*: Auguſtinus; *Rex cinctus fortibus*. Recte autem Interpres dicit, *exercitum*; nam qui ſe comparant ad prælium, accingunt ſe. id, quod ex nomine *Gad*, & ex ejus interpretatione, & ex etymologia cõſtat Geneſ. 49.19. *Gad cinctus præliabitur*. Eadem vox vertitur, *Latrones*, ab Interprete Latino Ieremiæ 18.22. Hoſeæ. 6.10. 2. Reg. 4.2. & ſuperiꝰ Iob 13.12. Quo loco diximus *Latrones*, eſſe milites; idemque ſignificari Græca voce, *Monozoni*, ait Olympiodorus. *Sũt* (inquit) *Monozoni, qui in militibus honore excellunt, qui non idem, quod omnes cæteri cingulum geſtant, vel qui in nullum ordinem redacti, latronum more vitam traducunt*. Iſidorus vero ait eandem vocem ſignificare, *militaria agmina, aut cuneos barbarorum, & latronum conventus*. Ergo dicet Iob, tantum apud omnes valuiſſe auctoritate, ut etiam latrones illum Principem, atque Imperatorem vellent, atque omnes in officio cõtineret. Sed Iſidori verba utilia ſunt; *Tale quidpiam* (inquit) *Iobum dixiſſe opinor, vel quod militibus legitime præerat, & imperabat: vel quod terrorem latronibus inferebat, vel quod illos legibus coercebat*. Ego hic Regiam Iobi dignitatem agnoſco, *non minus legibus, quam armis munitam*, & illud etiam peculiare, quod cum ſumma charitate ab omnibus diligeretur, non minus ſecurus inter illos ſedebat, quam Rex cinctus militum cuſtodia.

Humanitas Principis nihil detrahens Majeſtati.

LXX.

Auguſt.

גדודים

גד

μονοζῶνοι

Olympiod.

Iſidorus.

Ex particula illa, *quaſi*, colligit Cajetanus non fuiſſe Regem, aut Principem, nos inde collegimus verum fuiſſe Regem, ſup. c. 1. nunc quoque verum fuiſſe magiſtratum, verumque habuiſſe jus gladii. 4

Erant tamen mœrentium conſolator: Septuaginta, *Conſolans triſtes*. Complutenſes: *Perturbatos*. Vox proprie, *lugẽtes*, ſignificat Viderurque hanc veluti clauſulam, ſum-

LXX.

Complutenſes.

אבל

mamq; officii Optimi Principis toti ſuæ orationi adjungere, quod omnia retulerit ad publicum civium emolumentum, miſerorumque ſolatium, etiam arma, ſeveritatem ipſam legum, atque juris: nam cum cōſtipatus eſſet militaribus copiis, erat tamen *mœrentium cōſolator*, eratq; cū ſumma humanitate terribilis, ut de Claudio illo Iuliano (alioquin ſuæ animæ, fideiq; proditore, ut Hieronymus aliquando appellat) Marcellinus lib. 25. ſcribit: *Iuſtitiæ bonis inſignib⁹ claruiſſe, multa ſignificāt; Primo, quod erat pro rerum, & hominum diſtinctione, ſine crudelitate terribilis: Deinde quod paucorum diſcrimine vitia cohibebat, tum autem quod minabatur potius ferro, quam utebatur; poſtremo conſtat eū in apertos aliquos inimicos inſidiatores ſuos ita conſurrexiſſe mitiſſime, ut pœnarum aſperitatē genuina lenitudine caſtigaret.* Atq; hoc illud eſt, quod Iſocrates aliquando dicebat, *Principem venerabilem potius eſſe debere, quam terribilē.* Sed unica illa beneficētia Divinū prope efficit Principem, quod Seneca ſapienter æque ac graviter dicit lib. 1. de Clement. cap. 5. *Servare proprium eſt excellentis fortunæ, quæ nunquam magis ſuſpici debet, quam cum illi contingit idem poſſe, quod Diis, quorum beneficio in lucem edimur tam boni, quam mali. Deorum itaque ſibi animum aſſerens Princeps alios ex civibus ſuis, quia utiles, boniqueſunt, libens videat, alios in numerū relinquat, quoſdam eſſe gaudeat, quoſdam patiatur.* Eleganter illa apud Senecam Medea dixit, Nihil eſſe in principatu levius, & vilius, Potentia, nihil gravius, & magnificentius, quam bene de miſeris mereri;

Conſide regnis, cum levis magnas opes
Huc ferat, & illuc caſus. Hoc Reges habent
Magnificum, & ingens, nulla quod rapiet dies,
Prodeſſe miſeris, ſupplices fido lare protegere.

Hieronym. ad Heliod. Epiſt. 3. — *Principis clementia.* — *Iſocr. oratione ad Nicoclem.* — *Seneca.* — *Sen. in Medea, act. 2.*

Optimi quoque Principis formam deſcripſit Iudas in oratione ſua illa ad Ioſeph, cum deprecaretur capitivitatē Bējamin, quam ſcripſit Ioſephus lib. 3. antiq. cap. 3. Eandem quoque elegantiſsime expreſsit, fælicem Imperatorem Chriſtianū depingens Auguſtinus lib. 5. de civit. cap. 24.

Optimi Imperatoris forma. — *Ioſephus.* — *Auguſt.*

6 *Mœrentium conſolator.* Arma, apparatūque bellicum conferebat ad ſolatium miſerorum, & defenſionē infirmorum. Ideo enim eminet Princeps, doctorque in populo, ut ſit velut *Collum Eccleſiæ, & ſicut turris David, quæ ædificata eſt cum propugnaculis; mille clypei pendent ex ea omnis armatura fortiū.* Nam illa *Turris David* non ſolum afferebat ſolatium miſeris, & egenis, ſed etiam ſecuritatem ac defenſionē pollicebatur, firmumque perfugium: tum etiam, & *ſpeculam,* ex qua Princeps, prælatuſve aliquis ſpeculari poſsit adventantia diſcrimina, & ante quā adveniant, opportune avertere; De Principe enim dictum eſt Hoſeę. 9. 9. *Speculator Ephraim, cū Deo meo Propheta,* id eſt, de longe videns, & Providēs gregi, inſtar Prophetę, ut impendentia mala præoccupare, & avertere poſsit, ſicque dicet miſer quivis, atque afflictus de ſuo Prælato, quod de Deo optimo dicere Ioſeph potuit fratrū invidia, atque odio appetitus, *Sedit in forti arcus m.⁹,* id eſt, arma mea, atque defenſionem apud turrim meam munitiſsimam, quæ Deus eſt, repoſitam habeo. quod David dicebat; *Fortitudinem meam ad te cuſtodiam;* id eſt, Tu ipſe cuſtoditā apud te habes. Denique has Optimi Principis virtutes omnes ad miſerorum ſolatiū elegāter deſcripſit Divus Ignatius Epiſtola ad Magneſios, & Trallian. agens de Epiſcopo, tum etiam, & Clemens Roman. 2. Conſt. c. 30. Quæ omnia recte in Iobum doctorem ſimul, Regemque optimum appoſitiſsime conveniunt: *Verbi miniſter, ſcientiæ cuſtos, mediator inter Deum, & homines, pietatis magiſter, poſt Deum pater voſter, Princeps, & Dux, Rex, & Dinaſta. Deniq; terrenus Deus poſt Deū: nā ſcriptum eſt: Ego dixi Dii eſtis vos.*

(?)

Princeps defenſor populi. — *Cant 4. 4.* — *Prælatus inſtar turris munitæ ſuis ſubjectis.* — *Princeps Speculator, & propheta.* — *Gen. 49. 24.* — *Pſal. 58. 10.* — *D. Ignatius. Clemens Rom.* — *Optimi Prelati virtutes, & deſcriptio.* — *Pſal. 81. 6.*



NOTATIO *RERUM INsigniorum, quæ in Commentariis fusius explicantur.*

PARAPHRASIS Capitis præcedentis.

CAPUT XXIX.



CUM AD IOBI GRAVISSImã orationem siluissent amici, quibus nulla suppeditaret refellendi ratio, ut se amplius purgaret ab objectis criminibus, atq; ut ex se ipso ostéderet sanctitaté vitæ nõ esse necessario cum ista rerum téporalium fęlicitate colligatam; cumque ex amicorum silentio, & attentione subiret mentem prçclaræ quondam apud omnes suæ temperantiæ, & existimationis memoria, cum salutaribus monitis suorum civium animos téperabat, & pectora mulcebat, rursus a pristina fælicitate, atq; ab eo studio, quo cũ fælix esset, omné sanctitatem coluit; aliã orationem in hunc modũ exorsus est.

1 *Addidit quoq; Iob, assumẽs parabolam suam, & dixit.*

Vtinam Deus Maximus in eum ipsum dignitatis locum me restituat, in quo sublimem constituit aliquando; & vel menstruam mihi fælicitatem permittat, in qua antea vigebam. Quamvis enim hanc téporariam, fallacemque fortunam nemo jure magni æstimare debeat, at certe illa recuperata, fieret Dei Providentia erga res meas illustrior, atque innocentia mea magis munita a meorum amicorum calumniis, in quibus nũc propter infortunium delitescit. Atq; illos imprimis dies opto,[a] cum in Dei pastoris vigilantissimi, ac solertissimi, velut imbellis ovicula, fide, atq; custodia vivebam securus, fælixque.

2 *Quis mihi tribuat, ut sim juxta menses pristinos. Secundum dies, quibus Deus custodiebat me.*

a Deus Pastor vigilantissimus ostenditur. n. 5.

Cum præsentissima illius benevolentia, & favore summas tribulationes, ac rerum omnium difficultates superabam, ac per Dei gratiã nihil mihi erat difficile. Cum Divina luce ita collustrabar, ut nullas unquam tenebras paterer, sed lætus, alacerque pergerem nullis difficultatibus impeditus, & undequaque beatus. Nam in cæcis hujus vitæ fluctibus, quibus mortales jactari solent, ad Divinam legem, quasi ad sydera se se usque ostendentia retorquebã oculos, illiusque splendore, & ductu secundissimo vento cursum tenebam meum. In rebus vero obscurissimis, atque difficillimis menti meæ Deus cæleste lumé præferebat, cujus ope perspicaci mente res nimium impeditas explicabam, ac sine ulla difficultate copiosissime de illis ad populum dicebam, & quid opus facto esset, constanter designabam.

3 *Quando splendebat lucerna ejus super caput meum: & ad lumen ejus ambulabam in tenebris.*

Tunc sane in adolescentia, velut in autumno, & opportuno omnium fructuum tempore, instar arboris frugiferæ, bonis eram usquequaque onustus, quando in omni via, in amplis fortunis, in muneribus religionis, ac pietatis exequendis nec levis quidem eram, nec instar Euripi agitabar, verum morum constantiam, ac soliditatem retinebam, atque ea, quæ ad honestum pertinent, immota mente administrabam. b Quamvis enim juvenilior ætas per se se opprobriis, & vitiis obnoxia sit, ac nullis maturandis præclarorum operum fructibus idonea, verum instar turbulentæ hyemis, multis perturbationum procellis agitata, c at jã ego inde a prima ætate magnam cum Deo consuetudinem, & familiaritatem contraxeram: jucundum enim illi erat meum hospitium, atque pergratum, domum visitare meam, ac se mihi cum summa animi pace, atque tranquillitate, ab omni procul mentis tumultu, socium, & comitem præbere.

4 *Sicut fui in diebus adolescentiæ meæ: quãdo secreto Deus erat in tabernaculo meo.*

b De adolescentiæ re, & nomine, studiis, virtutibus, & vitiis, quædã exquisita ad Scripturarum intelligentiam. n. 1. & 2.

c Cum Deo secreta ab externis tumultibus cõversatio, indicatur. n. 3.

Sic auté ętatis incrementa capiebam, ut præclaros quoq; in pietate, atque fælicitate progressus facerem: nam cũ in ætate illa priori, flu-

5 *Quãdo erat Omnipotens mecum, & in*

circuitu meo pueri mei.

xa, & labili Deũ haberem pædagogum, & doctoré, at uxore jã ducta, liberisq; susceptis expertus illum plane sum bonorum omniũ largitorem, ac sufficientem præbere omnia familiæ meæ necessaria, meq; ad omnes difficultates superandas corroborare, atq; confirmare. Tunc mihi sane multa divitiarũ materies suppetebat, ac nobili sobole, copiosoq; famulitio cõmuniebar. Hæc vero aliaq; plura beneficia virtutis materiem mihi egomet statuebam, cum & divitias in egenos conferrem, [d] & liberos Dei arbitrio, & volũtate educarem: nihil enim me familiæ gubernandæ cura, & sollicitudo ab usu, & assidua cum Deo consuetudine abducebat.

d Pater, suorum liberorum magister, & virtutis exemplar, utiliter designatur n. 3.

6 *Quando lavabam pedes meos butyro, & petra fundebat mihi rivos olei.*

Nihilo vero minus tunc lætissimis æque, ac honestissimis cõviviis me oblectabã, ac pretiosis pro more ungentis [e] etiã ipsa pedũ vestigia delicate tingebã. Fluebant tunc viæ meæ butyro, ac montes mei fluebant lacte: tanta enim erat copia, ac numerus meorũ gregum, & armentorũ, ut quocumq; me verterem notas viderẽ difluentis lactis ex distentis uberibus, ac nolens etiã butyrum, & lac ambulans premerẽ pedibus, tum etiam oleum in montanis locis ex maturis olivis distillans. Atque adeo ipsi silices, saxa ipsa, quæ aliis rigescunt, & arescũt in his præsertim siccis, æstuantibusque locis, mollescebant mihi, ac oleo, & butyro suaviorem, dulcioremque melle aquam ex perennibus fontibus largiter ad meos usus subministrabant.

e Exquisitus unguẽtorũ ad singulas corporis partes usus in conviviis, observat⁹ ex prisco ritu n. 1.

7 *Quãdo procedebam ad portam civitatis, & in platea parabãt cathedram mihi.*

Neq; vero in agris solum, sed multo magis in urbe fęlix erã. Quãdo enim ad publicũ civitatis locũ muulto cũ comitatu prodibã jus dicturus, & Reip. causam administraturus, primo mane surgebã. Deinde etiã in foro, & publico urbis loco, nõ tãuã severo, & cruẽto judici, sed velut magistro plebis, ac doctori sapientissimo populi jubebã sellam meã collocari, ac de suggesto etiã, si quãdo opus esset, concionem instruebã; omnibus deniq; tanquam Princeps quidam, ac magister ad virtutem, & tanquam lex, atque effigies civitatis propositus eram.

8 *Videbant me juvenes, & abscondebãtur: & senes assurgentes stabant.*

In honore, & reverẽtia maxima erã apud omnis ordinis, & omnis ætatis homines; & quantũ doctrina, & dignitate pueri, atq; adolescẽtes distabãt a senibus, excellentibusq; viris, tantũ senes ipsi, atq; Principes a mea dignitate, sapientiaq; aberant. Neq; enim minus juvenes moribus, & sensu, quam ætate, & annis mea præsentia deterriti, atq; meam virtutem reverentes, quasi minus idonei essent gravissimæ doctrinæ auditores, ut senioribus loco cederent, se e conspectu subducebant. At senes ipsi, & sapientia, sicut ætate, multum provecti, cum prius ipsi velut doctores juniorum sedissent, meos se discipulos assurgentes, & stantes libentissime profitebantur.

9 *Principes cessabant loqui, & digitũ superponebãt ori suo.*

Principes ipsi, ac viri optimates, quibus tũ dignitas, tũ amplissimæ facultates dicendi facultatem faciebant, & suos etiã ipsi privatos populos sapienter administrabant, corã me tamen ne mutire quidẽ, aut de rebus consultare audebant, huic unicæ curæ intenti, ut a me bene instituẽndæ Reip. præcepta, legesq; acciperent, atq; ori manu imposita silentium, unaque audiendi attentionem profitebantur.

10 *Vocẽ suã cohibebãt Duces, & lingua eorum gutturi suo adhærebat.*

Duces ipsos clarissimos, ac viros bello, victoriisq; insignes, qui audaciores, & prõptiores ad loquendũ, & blaterandũ esse solent, meæ vis eloquentiæ defixos tenebat, penitusq; silentes; neq; minus, quam cæteros, legibus ac Sapientię parere efficiebã. Nemo enim dux, nemo doctor tã Sapiens, qui per meam vocem, atque doctrinam non proficeret, ac me immoto silentio, oreque suspensus non exciperet.

11 *Auris audiẽs beatificabat me: & oculus videns testimoniũ reddebat mihi.*

Qui vero audiebant, mea oratione mirabiliter deliniti me beatum prædicabãt, & qui me contuebantur dicentẽ e suggesto, & jura populis dantẽ, nõ minus illustre Sapientiæ, & integritatis testimoniũ pręebant. Quorum interdum tantũ erat audiendi, ac mente, quæ dicebantur, cõplectendi studium, ut oculos demitterent, tum quod nimiũ dicentis splendorem sustinere non possent, tum ut tantũ auditui redderetur, quantũ videndi sensus amitteret. Tantũ denique ad exteras etiam provincias Sapientiæ laude, celebris eram, ut ex solo auditu, &

famæ gloria apud omnes prædicarer fœlix, ac beatus: Nam qui mei videndi desiderio ad me disserentem, & verba facientem peregre veniebant, re ipsa, atque experimento verissima esse comperiebant, quę rumor, & fama longe, lateque sparserant.

f De optimi Principis officio, ac de se citra invidiā laudādo utiles observationes, n. 3. 4. & 5.

Videbant, namque [f] Principis optimi vivam imaginem eripientis miserum hominem a potentioribus inique oppressum, & opem, ac fidem sui Principis implorantem. Nec nō pupillo, & ei, cui nemo aderat patronus, nemo vindex adversus improborum injurias subsidio currebam, & iis, qui ex iniquis aliorum inferiorum judicū sententiis, certum auxiliū petentes, me appellabant, jus suū incorrupte servabā. 12

Eo quod liberassem pauperē vociferātē: & pupillum, cui nō esset adjutor.

Ille sane, qui iniqua, & falsa criminatione, calumniaq; potentiorū capitis reus accersebatur, cui nisi incorrupti judicis æquitas, atq; benignitas adfuisset, certo periturus credebatur, postquā mea ope in tuto se cōspiciebat, omnia mihi fœlicia, & fausta precabatur. Atq; utinā illud mihi aliquando contingat (cōtinget ut spero) quod sæpe mihi precati sunt.* Viduæ autem cor incredibiliter mœrens, atque contabescens, quæ neque clamare, neque conqueri apud quemquam audebat, exhilarabā ego singulari solatio, & ingētibus beneficiis ad jubilum commovebam. Quamvis enim viduarum genus sit quodammodo ingratum, non naturæ, voluntatisve vitio, sed egestatis necessitate, quamvis ægre eum laudent, a quo sunt beneficio affectæ, eæ nihilominus meum cum laude nomen usurpabant. 13

*Benedictio perituri super me veniebat. * & cor viduæ consolatus sum.*

g De antiquo Iudicum, & Imperatorum in jure dicūdo habitu ex Sacris, & prophanis. n. 1.

Cū vero jus dicturus essem, nō valde curabā, [g] ut armis instructus aut satellitibus stipatus, quā ut pulcherrimis virtutū omniū, sed justitiæ potissimū, atq; æquitatis ornamentis decoratus prodirē: nō enim externa ego tantū facie, vestitu, & cultu Regio, sed vere ex animo integerrimo, & omnis æquitatis studiosissimo judicis munus obibam. Iustitiam itaq; sic semper retinui, instar interioris tunicæ, ut intime mihi adhæresceret; & etiā instar pallii illa me totum amiciebam: judicium vero omnemque administrandi juris, moderandæque Reip. rationem sic colui, ut illis velut Regalibus, judiciariisque insignibus, speciosoque diademate excultus incederem. 14

Iustitia indut⁹ sum, & vestivi me sicut vestimento, & diademate judicio meo.

Neque vero per famulos, aut alios Regni administros res pauperum, causasque curabam, sed egomet integrum, perfectumque auxilium laborantibus afferebam, atque etiam ipsa quodammodo naturę vitia meorū popularium corrigere tentabā, & cæcis ipsis, atque mutilis corporis artibus, aut quos membri alicujus calamitas opprimebat, rebus necessariis præbendis, eximiaque Providētia consulebā. Ignorantibus itaque, dux viæ ad intelligendū; imbecillibus vero, atque pigris dux viæ morum, omnisque virtutis erā. Illud non ultimum, quod in meo tribunali homines simplices, atque suę causæ vix bene cōscios admonebam, seduloque instruebam; impotentibus autem, atque jus suum non valentibus prosequi animos, ipse faciebam; nemo itaque apud me sua causa cecidit, quod sapiens illi advocatus, aut diligēs deesset procurator, cujus diligentia, & discurrēdi sollicitudine opus esset. 15

Oculus fui cæco, & pes claudo.

h De optimo Principis officio, sub quo nihil in Rep. mancum, omnia integra, utilis digressiuncula. n. 4. 5. 6.

[h] Sic enim me existimabam imperare meo populo, ut in singulorum commoda, utilitatesque inspicere, & singulorum onera sustinere, ac portare simul cum ipsis quoque deberem.

Illud vero cum unice curarem, ut in mea Rep. omnia (quoad fieri posset) sana, & integra essent, nemo orphanus reperiebatur, cui ego patria charitate non prospicerem. Atque adeo misericordiæ studium in affectum naturæ convertisse videbar, ac unicum patrem, ac patronum in defendendis egenis adversus iniquas potentiorum calumnias me præbebam. 16

Pater eram pauperum:

i Magistratuum in cognoscēdis, & explorandis causis necessaria diligentia, Iudicum veritas, & in perquirēdis criminū, præsertim furti auctoribus industria, & opera, ex Sacris, & prophanis.

* Nunquam sane inconsideranter, & temere [i] causas, & delationes civium suscipiebam: neque de re non satis perspecta, & explorata, mente præcipiti sententiam tuli, ut quemquam condemnarem; sed veritatem causarum, tum juris vim, atque rationem omnem sedulo perquirebam. Neque solum delationes criminum explicabam, & excutiebam, atque sedens expectabam eos,

** & causam, quam nesciebā, diligētissime investigabam.*

qui

qui accepissent injuriam, ut tunc cum me adiissent, præsto essem: sed prævertens lustrabam omnia, eos quærens, qui læsi fuissent, multa adhibita diligentia; adeoque studiosius disquisivi, & omnia perscrutavi, ut calamitosos reperirem, ne quispiam violatus injuria uspiam lateret.

17 *Contereba molas iniqui: & de detibus illius auferebā prædam.*

Sed ne tanta [k] clementia, & benignitas contemneretur, severissimum me adversus nocentes, impiosque præstabam; atque illorum truculentiam acerrime comprimebam, nullius potentioris Tyranni faciem reveritus. Eorum itaque, qui suapte natura mordere solent, dentes molares confregi, potentiamque enervavi, ita ut a nova inferenda injuria arcerentur omnino. Prædam autem de medio dentium illorum summa animi contentione, atque fortitudine extrahebam. Rem quoque plane obrutam, judicioque præreptam in integrum restitui; nec desperabam, quamvis res esset præjudicata; [l] Verum & devoratum negotium more optimi, vigilantisque pastoris, eruebam quasi ab ore leonis, ovis cruribus abstractis, summisque auribus avulsis.

k In optimo Principe, & Magistratu cōmiseratio, & clementia, cum severitate, & indignatione conjuncta, ex Sacris, & prophanis.

l Optimi Principis munus, & officium pastoris, pugna cum bestiis, labor assiduus, perpetuæ excubiæ, atque vigiliæ. n. 2. 3. 4.

18 *Dicebamque: In nidulo meo moriar:*

Hæc vero tanta mei populi pax, atque fælicitas, non solum aliis vitam efficiebat jucundissimam, sed mihi etiam, cui cuncti bene, ac fæliciter precabantur, fælicem pollicebatur senectutem, tranquillam denique, nec non jucundissimam mortem; &, quod raro evenire solet, sperabam fore, ut sine ulla fælicitatis vicissitudine, omnes longissimæ vitæ partes, ætatesque percurrerem: tandemque nulla vitæ difficultate impedirer, sed leniter, nullo ægritudinis, dolorisve sensu præ senio deficerem, & liberis meis stipatus, domi meæ, in lecto meo, in illo ipso arcis præcelso loco, tanquam in sublimi nido, extremum spiritum edens, a vivis evolarem. * Firma quoque spe sustentabar fore, ut non minus diuturnā vitā ducerem, [m] quam Phœnix, cujus est vita longissima; aut quā palma, in cujus trunco multi anni ex decidentibus annuatim ramis numerari possunt.

** & sicut palma multiplicabo dies.*

m De Palmæ cum Phœnice comparatione, & de Phœnicis avis vita longissima nōnulla ex prophanis selectiora. n. 4.

19 *Radix mea aperta est secus aquas: & ros morabitur in messione mea.*

Namque videre mihi videbar fælicitatis meæ radices firmas, & in loco uberi, & uliginoso defixas, arescere non posse, consenescere vix posse: [n] nam veluti si ad aquas uberrime affluentes palmæ radices diffusæ essent, sic mihi omnia, quæ essent ad vitam necessaria, abunde aderant; & sicut cum palma aperta radice, & irrigatione continua vincit æstatis ardores, gaudetque semper affluenti humore; ita sperabam fore, ut dulcissimis bonorum omnium fructibus onustus, omnes temporis difficultates facile superarem. Ac quemadmodum fructus rore, atque imbribus lætificati, atque completi suo tempore demetuntur, sic ego in bonorum copia, ætate exacta, putabam ex hac me vita migraturum, neque unquam rore illo cælesti, quo meæ res completæ maturescerent, destituendum; tum etiam mortem placidissimam mihi pollicebar instar messis, quæ cum exaruit, [o] ne præ ariditate confringatur, granis dissilientibus, rore cælesti indiget, quo humidior, lentiorque mollescat, cedatque præcidenti.

n De Palmæ natura, & irrigatione, quædam in hunc locum e re rustica opportuna. n. 3.

o De humidis Solstitiis ad messem opportunis, opportuna quædā in hunc locum. n. 4.

20 *Gloria mea semper innovabitur:*

Res igitur apud me erat non in opinione dubia, sed definita, & certa, gloriam meam, præcællentemque dignitatem novis quotidie ornamentis augendam, ac fore ut semper vigeret, semperque recens, ac florens nunquam occideret, sed firmior indies, illustriorque redderetur, nunquāq; præsentem desiderarē fælicitatem. Sed spes inanis, vanaque gloria, ac res fallaces omnes, quæ mihi ipsi contra ceciderunt; * Nam Præpotentis Dei arcus contra me intentus, & vehementer adductus jaculis me acerbissimis confixit; [p] Me, inquam, quem quōdam bene munitum adversus omnia vitæ, ac temporis incommoda arbitrabar, omnibusque armis, viribusque ad tegendum, & ad offendendum instructum, tantoque brachiorum robore pollentem, quod videretur fore, ut nunquam languesceret, consenesceretve, sed indies augeretur, atque confirmaretur. Ita ut arcui, jactuique meo nil opponi posset, quod non facile transverberaret. Non enim minus domi,

** & arcus meus in manu mea instaurabitur.*

p Multiplex arcus tractatio, allegoria, significatio, ad hujus loci, & Scripturarum intelligētiam. n. 3.

mi, & in pace, quam foris, & in bello ſtrenue me gerebam.

Illud vero, quod optimi Principis, integerrimique magiſtratus proprium eſt, eloquentiam, ac dicendi vim, & copiam, juſtitiæ, atque fortitudinis comitem, univerſi mirabantur, ita ut non ſolum Senatus, atque conſilii mei viri Sapientiſsimi attente audirent; & quam ſententiam ego dicerem, ſuſpenſis animis exſpectarent, ac quamvis longiſſima oratione uterer, nulla illis eſſet longa, moleſtave exſpectatio; Verum etiam reliqui omnes dictis, atque præceptis meis ita audientes ſe præbebant, ut ſimul atque dicere pararem, accurrerent. * Nemo itaque audebat dicentem interpellare, vel monenti, aut imperanti obſtrepere. nihil enim, quod opponerent, contrave dicerent, habebant, non manus ſolum, ſed & animum meis conſiliis dantes.

21 *Qui me audiebant, exſpectabant ſententiam:* * *& intenti tacebāt ad conſilium meum.*

Si quando in conſilio ultimus ego dicebam, ita rem propoſitam cō plectebar, & quod optimum erat ſtatuebam, nihil ut addi poſſe videretur; velut rem itaque Sacram Verba mea accipiebant, quibus vel addere, vel detrahere nefas eſſet; quaſi enim arcus, ſic cor meum manu tenebatur Divina, ut a recto ſcopo nunquam aberrarem, adeoque ſubtiliter de propoſita quacumque re diſſerebam, ut auditores quamvis ſapiētiſsimi, inſtar rudiorum diſcipulorum, non poſſent meam ſententiam iiſdem verbis, eademque orationis majeſtate, atque dignitate repetere. * Sic mea dicta, tanquam de q cælo lapſa oratio, & ſalutaris quidam imber, mirabiliter in eorum animos influebant, & ſumma cum animi alacritate, atque ſiti excipiebantur: quibus exhilarati, frugiferi reddebantur auditorum animi, ſalutarium præceptorum ſeminibus conſiti; Omnium vero inter docendum captui ita me attemperabam, ut quibus opus eſſet, terrorem injicerem; quibus opus non eſſet, leniter, ac blande, velut vaſis anguſti orificii, doctrinam inſtillarem, ut ſenſim & per partes ſalutaria vitæ monita imbiberent.

22 *Verbis meis addere nihil audebant,* * *& ſuper illos ſtillabat eloquiū meū.*

q *Verbum* Standi, *in Sacro ſermone uſus, & ſignificationis, tum etiā & pluviæ tum doctrina cōparationis; diligens tractatio.n.3.& 4.*

Sic ſane meam Sapientiam exſpectabant, deſiderabantq; aperto, & hianti ore, non minus, quam pluviam, maturandis frugibus neceſſariam, ex qua omnes ſibi bonorum ſeminum, bonarumque cogitationum, atque virtutum proventum, fructumque pollicebantur. Non enim ſolū bonis cogitationibus concipiendis, mea illis Sapientia proderam, inſtar pluviæ temporaneæ, quæ ſementi faciendæ neceſſaria eſt; verum etiam inſtar r imbris ſerotini ad maturādos, proferendoſque fructus optimos opportuni, illos perfundebam.

23 *Exſpectebant me, ſicut pluviā: & os ſuum aperiebāt quaſi ad imbrem ſerotinum.*

r *Paulo diligētior Imbris Serotini tractatio.n.3.*

Aliquando vero (quod indulgentiſsimum patrem familias decet) conſulto remittebam animum, & gravem, atque ſeriā de Divinis rebus diſputationē, ut me benigniorē, humanioremq, ſubditis pręberē; atque naturam meam ita temperabā, ut populares partim ſeveritate cōtinerem in officio, partim benignitate, & lætitia permulcerem, & ad officium allicerem. Arridebam itaque aliquando leniter, quaſi ad illorum riſum, & lætitiam connivens. Cum vero me ridentem cernerent, tum præ gaudio vix credebant, tum illud certo credebāt, me nō riſus tantum cauſa, ſed ut ſerio aliquid inde elicerē, corriſiſſe; & quod per riſum a me fiebat, periclitandi alterius rei cauſa, fieri arbitrabantur. Tandemque in ipſo gaudio, atque lætitia eum me præbebam, ut ridens timeri potuiſſem. Sic ſane cum ridentem revererentur, meam auctoritatem nunquam contemnebant, atque cum omnes mei vultus ſive mutationes, ſive habitus probatos haberent, cavebant diligenter, ne ſ lucem, atque hilaritatem mei oris, aliquo modo turbare, aut re aliqua indigniori obſcuraſſe ipſi viderentur. Ipſos præterea meos oculos nimium attente obſervabant, certo ſibi ſuadentes non ſine cauſa vel attolli, vel demitti. Quare ſic ſemper vultu hilari, atque ſereno fui, ut nunquam conciderem facie, mœſtuſve incederem: ſed indicem animi vere cādidi, vereque optimi ſplendidum, lacteumque vultum præferrem; quem ſemper, ſive docerem, ſive increparem, retinui, gravitati, & ſeveritati comitem ſplendorem adjungens.

24 *Si quando ridebam ad eos, nō credebāt;* * *& lux vultus mei nō cadebat in terrā.*

ſ *De luce vultus, & de hilaritate, ſpecie, & dignitate Principis, quædam opportuna. n.3.*

Cumque

25 *Si voluissem ire ad eos, sedebã primus cumq́ sederem, quasi Rex circumstãte exercitu, eram tamẽ mœrentiũ cõsolator.*

Cumque supremus illorũ Princeps, atque judex essem, ita me perhumaniter erga illos gerebam, ut unus ex iis videri vellem, nec secus quam unus e multis, ad eos adibam, atque omnium moribus me accõmodabam; neque solum viam infimæ sortis hominum non declinabã sed eorum consessum, & cœtum humanissime inibam. Quam vicissim ipsi singulari obedientia, & observantia humanitatem rependebant: nam quamcumque rationem, & viam, sive belli, sive pacis ego eligerẽ, parebant protinus, omnia meo arbitratu, & consilio facientes: & sive res in pace gereretur, in principe ego sedebam loco; sive ad bellum procedendum esset, dux ego, atque Imperator, fortissimorum hominum satellitio cinctus prodibam. Si quando vero contingeret, ut ad exteros proficiscerer, non secus quam Regem suum, Principemque excipiebant, ac loco primo collocabant; tantũ enim apud omnes mea valebat auctoritas, ut etiam latrones, & vagi solitudinis milites me Principem atque Imperatorem vellent. Militibus itaque legitime præeram; barbaros strenue superabam; terrorem latronibus inferebã; omnesque legibus fortiter coercebam: cumque ab omnibus summa charitate diligerer, nõ minus securus inter illos sedebam, quam Rex militum custodia cinctus. Omnia tandem ad publicam utilitatem, miserorumque solatium referebam, etiam arma, ipsamque legũ severitatem, quibus & tueri miseros, & consolari lugentes, & in summo Imperio summam pacem constituere, propositum mihi semper fuit. (?)

t De Principum humanitate, atque beneficentia, iterum utilia quædam n. 5. & 6.



CAPVT. XXX.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Commemoratæ fælicitatis atque Sapientiæ, existimationi, & laudi, quā quodā apud omnes obtinuit, nunc opponit præsentem calamitatē, & apud omnes risum, & contemptum abjectissimæ conditionis.

1. *Nunc autem derident me juniores tempore, quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei.*

1. *Particula* nunc *vehementiam habet. Pristina fælicitatis commemoratio misera.*
2. Iuniores *qui. Iob senior suis amicis.*
3. Pater *nomen honoris. Dignari quid.*
4. *Cibaria canum consueta.* Canis *symbolum rei vilissimæ. Canis pecuarii encomium.*
5. Canum præfectus. *Quid* Caput canis *apud Samuelem.*

1 Sententiæ paraphrasis.



CVM IS FVErit mearum rerum status, imperii dignitas, nominisque celebritas, at nūc irrideor a juvenibus, & vilissimis hominib9, quibus neque propter ætatem, neque propter aliquam sui status dignitatem, ulla potest esse Sapientiæ existimatio, aut dicendi auctoritas. Singulæ hujus sententiæ voces plenæ sunt pondere.

Fortunæ inconstantia. *Nunc.* Brevem fortunæ cōmutationem indicat, inconstantis, & quæ dedit, cito reposcentis: sicut ille dixit apud Euripidē; *Euripides in Hecuba.*

Nec quibus secundæ res sunt, perpetuo sic futuras fidere.
Etenim & ipsa quondā eram, sed nunc non sum amplius,
Opes at unus omnes mihi rapuit dies.

Cōmemoratio pristinæ fælicitatis, misera. Præterea illud, *Nunc,* plenum est dolore, & miseria: nam commemoratio pristinæ fælicitatis, & comparatio cum præsenti clade multum habet sensus, & acerbitatis; quale illud est; *Plaut. in Rud. act. 5. scen. 2*

Miserum istuc verbum, & pessimum est.
Habuisse, & nihil habere.

Vide quæ diximus cap. 29. verſ. 2. Vbi pristinam fortunam recenset.

2 Quæstiunculæ explicatio, de quibus hęc sententia sit accipienda.

Iuniores tempore. Septuaginta; *Minores.* Augustinus. *Infimi.* Aquila: *Breves præ me diebus.* Dubium, an suos amicos notet, ut juniores, ita etiam minus Sapientes, minusque graves: an vero etiam alios, quibus risui, & contemptui erat? Chrysost. illos intelligit, *quorum et aperta erat, & manifesta iniquitas.* Nicetas: *Infimi, & propter ignobilitatem, egestatem, adolescentiamq; cōtēpti, & qui nullius frugis, nulliusq; pretii propter improbitatem sunt.* Addiderunt de suo Septuaginta alteram hujus sententię partem fere eandem cum superiori: *Nunc monent me in parte:* Augustinus: *Monent me minores tempore. Sane grave est* (inquit Nicetas) *Senem, qui multos antea commonefecit, a junioribus admoneri.* Illud autem, *in parte,* intelligit, quod non semper ab iisdem admoneretur, sed singuli, qui ab ipso quondam admoniti fuissent, officii partem ipsi quoq; admonendo persolverent; non tam, ut rependerent beneficium, (ut Chrysostomus ait) quam ut se superiores ostenderent, & miserrimum hominem exagitarēt. *Coram sene tacendum,* nedū garriendum, nedum monendum, reprehēdēdum junioribus, Sacræ, prophanæ litteræ sæpe monent. Vide quæ diximus cap. 29. versicul. 8.

Chrysost. — Nicetas. — צער — LXX. — Augustin. — Chrysost.

3 *Quorum non dignabar patres, &c.* Illi videlicet, quos omnino, mea domo, meaque familia, & convictū famulorum meorum, propter ignobilitatem natalium, vitæ, ac morum indignos existimabam. *Non dignabar.* Proprie. Abjiciebam, reprobabam, nauseabundus projiciebam cum fastidio. Hæc enim affert proprie verbum originale. *Patres,* optimos, aut excellentissimos eorum: est enim nomen ætatis, honoris, & Sapientiæ. Hoc vero non dici a Iobo propter contemptum, observat Philippus: fuit enim erga omnes mitissimus, comis, urbanus; sed ut illorum ignobilitatem ostenderet dignam contemni, sic frequenter tribuitur Deo, & sanctis subsannatio, & irrisio impiorum, ut hi significērur digni esse, qui subsannentur, & rideantur, ut diximus aliquando super id Psal. 12. *Qui habitat in cælis, irridebit eos.* & superius cap. 22. 19. & cap. 27. 23. Chrysostomus vero, atque Nicetas, quod vere illud genus improborū hominū ipse concontemnebat, Scriptum est enim de viro justo: *Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus, timentes autem Dominum glorificat.* Sed quidem hic contemptus debet referi ad sequentem partem.

מאס — Pater, nomen ætatis, honoris, sapientiæ. — Philipp. — Verus ne alio rum cōtēptus cadat in virū justum. — Chryſ. Nicet. — Psal. 14. 4.

4 Philipp. Varia expofitio. Nicetas.

Non dignabar patres ponere, adjungere. Philipp. *Comparare*, componere; *cum canibus gregis mei*. Hæc cum canibus cōparatio diverfos habet intellectus. Nicetas ad *egeftatem* refert. *Prorfus* (inquit) *indignum putaffem eorum, qui me nunc rident, patres intueri, quibus nō perinde*, * *ut canibus meis rerum copia fuppeditabat*. Sane certam cibariorum rationem præbendam canibus pecuariis præcipiunt, qui rem rufticā docēt. & Columella aut *Ordeaceam farinam cum fero*, aut *panem farreum, vel triticeum admifto fabæ coctæ liquore*, præfcribit. Quare hæc erit extremæ cujufdam inopiæ atque miferiæ amplificatio; qualis illa Luc. 15. 16. *Cupiebat implere vētrem fuū de filiquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat*. Philippus, quod abjectifsimi fuiffent, *nec canibus ejus digni comparari*. Canis, res vilifsima, & abjectifsima 4. Reg. 8. 13. *Dixit Hazael; Quid fum fervus tuus canis, ut faciā rem iftam magnam?* & Ecclef. 9. 4. *Melior eft canis vivus leone mortuo*. Divus Thomas argute, quod propter fordidam quādam fegnitiem, non dignaretur illis committere fimul cum fuis canibus cuftodiam gregum fuorum; quod videbatur effe fuæ domus vilifsimum, & extremum minifterium. Nam illis nulla erat dignitas, nulla virtus. At eft merito canibus (ut Varro dixit) fua *dignitas*, fua *acrimonia*; & pecuarius requiritur robuftus, apta membrorum omnium compofitione, latratu gravis, & formidandus. Rurfus illi nullum utile minifterium præftare poterant, ut ftatim dicet, *Quorum virtus manuum mi hi erat pro nihilo*: At cane (ut Columella eleganter ait) *quis famulus amantior Domini? quis fidelior comes? quis cuftos incorruptior? quis excubitor inveniri poteft vigilantior? quis denique ultor, aut vindex conftātior?*

* Valiā mas las perrunas, que llevavan alos maftines del ganado, q̄ el pan q̄ ellos comian a la mefa de fus padres.

Certa cibaria canum pecuariorum.

Colum. lib. 7. c. 12

Egeftatis extremæ, & abjectifsimæ periphrafis.

Philipp.

Canis cujus fymbolum.

D Thom. expofitio argu ta, & elegans.

Marc. Varro. L. 1. c. 21.

Canum fua dignitas, & laus

Colum. lib. 7. c. 12.

5 Germanior explicatus.

Chryfoftomus tandem, quod & mihi germanius videtur, quod illi *viderentur indigni, qui Canes curarent, & agerent*. id eft, quibus canum cuftodia committeretur. Eft hoc in villa minifterium vilifsimum, cibaria canum parare, & curare. quale illud videtur 2. Reg. 3. 8. *Numquid caput canis ego fum adverfum Iudā hodie?* &c. Quod fic ab aliquibus accipitur. *Numquid cuftos ego fum canum, qui ad tribum Iudæ pertinent?* id eft, Tam vilis fum, ut me tam acriter increpes? vel, Numquid me præfectum canibus exiftimas, atq; ducem eorum, qui David adlatrant, & ei refiftunt ne regno potiatur? Hujufmodi igitur minifterium *præfecturæ canum* fui gregis, ni dignabatur Iob fordidos illos, & inutiles homines. Favet huic fenfui tum lectio

Minifterium vilifsimū, præfici canibus.

Vatab.

Præfectus canum.

LXX. שית

Septuaginta; *Non putavi dignos canū meorum gregū*. tum verbum *ponendi*, quod proprie eft *ponere*, aut conftituere; quafi ad curandum, & confiderandum aliquid; aut ordine quodam difponere; quomodo præfectus rei alicujus dicetur pofitus in curam rei alicujus. Neque incōmode in præfectum canum conveniet; nam (ut Columella dixit) *Vel imprimis hoc animal mercari, tuerique debet agricola*. & Virgil. inter alias paftoritias curas;

Colum.

Virg. 4. Georg.

Nec tibi cura canum fuerit poftrema, fed una
Veloces Spartæ catulos, acremque Molofum
Pafce fero pingui - - - - -

Ergo cum canibus pecuariis comparari, aut illis præfici, digni non erant, qui velut inutiles canes, & mortui, res omnino pretii nullius, cenfebantur.

II. *Quorum virtus manuum mihi erat pro nihilo, & vita ipfa putabantur indigni.*

1. *Hominis inutilis circumloquutio.*
2. Vita *pro vita neceffariis*. *Quid* confummatio. *& Synteleia apud Septuaginta.*
3. *Peccator vita indignus, nihil boni volens agere.* *Quid* Accipere animam in vano, *apud David. &* Infuper habere, *apud Ecclefiafticum. Illuftratus Ecclefiafticus.*

HOmines nimirum ignavi, & infrugiferi. *Virtus manuum*, agendi facultas, actiones ipfæ, vires, & robur. *Mihi erat pro nihilo*; Quafi *nihilum mihi erat*, ut ait Auguftinus. Vatablus. *Nulla erat illorum potentia, & vires cum meis comparatæ*. Sed non quadrat. Epifcopus Algarbienfis, *Virtutem* pro operibus accipit in hunc fenfum; *Vt autem multi ex illis opes magnas habuerint, nihil mea refert*. Sed plane diffentit ab antecedentibus, atque fequentibus, ubi defcribitur egeftas, atque impotentia hominū eorum, de quibus agit. Neque vox originalis accipitur unquam pro divitiis. Divus Thomas fimiliter: *Omnem eorum Potentiam parvi pendebam*. Ergo verus fenfus elicitur ex Hebræo, quod eleganter expreffcrunt Septuaginta; *Et quidem virtus manuum eorum ut quid mihi?* vel, propter quid, aut, quare mihi? id eft, Inutiles mihi omnino erant vel ad cuftodiēdos, & curandos canes. Nicetas: * *Nunquam eorum opera egui.*

I Defcriptio hominis infrugiferi.

Auguft. Vatab. Ofor.

כוח

D Thom.

LXX Simplicior expofitio.

Nicet.

* Gente tan defaprovechada, que no me podia fervir de nada.

Et vita ipfa ipfa putabātur indigni. Res in Latino dilucida, fed ægre refpōdēs Hebr.

2 & Græco. Legitur enim ad verbum ex Hebr. *Super ipſis periit Calahh.* quæ vox vertitur ab eodẽ Interprete, *abũdãtia*, ſuperiꝰ, Iob 5.26. Quare hoc loco, Symma. legit: *Perierat illis, quidquid ad vitam facit*; videlicet victu ipſo ad vitam neceſſario plane deſtituebantur. Septuaginta: *Super eos peribat cõſummatio*. pro *cõſummatione* autẽ eſt vox Græca *Syntelia*, quã Chryſ. vertit, *utilitatem*; atq; Nicetas in illius vocis interpretatione ſic ſcribit; *Synteliam dici puto, quæcumque vitæ præbent utilitatem, quorum penuria Iobi premebantur adverſarii: ſuper ipſos enim periit Syntelia, id eſt, rerum ad vitã utilium abundantia.* Quam ſignificationem quanquam ſibi ſuſpectam dicat Theſauri Græci concinnator, ſed ex Græcis ipſis pervetuſtis, ſimulque ſapientiſsimis auctoribus hauſtam, & acceptã libenter amplectimur. Quare quod vertitur in Septuag. Latinis, *Conſummatio*, ſignificabit nõ quidem *finem*, ſed potius perfectionem, & integritatẽ quandam ex rebus omnibus, vel neceſſariis, vel utilibus. Ergo, ut ad proprietatem Hebrææ vocis redeamus, recte *abundantia* hæc rerum ad vitam neceſſariarum, aut utilium ſignificari potuit ab Interprete nomine *vitæ*. At Hebræi atque Hebraizantes dicunt ſignificare longiorẽ vitam, id eſt, ſenium; quare legunt hoc loco; *Super ipſos periit ſenium*; Tygurina legit; *Vigorem*. Sed utcumque legas, res eadem ſemper eſt; quam elegãter Vulgatus dixit; *vitam*, id eſt, ætatis, temporiſque vigorem, aut florem. *Periit* igitur illis *vita*, id eſt, nihil honore, & fama dignum geſſerũt in vita, proptereaq; vita ipſa indigni fuerunt. q.d. *Vixerunt inutiles*. Tum etiam *periit illis ſenium*, ut qui præ fame, & egeſtate, defectuque neceſſariorum, non potuerint diutius vivere, & *multiplicari in ſenecta uberi*, viles quidem multis de cauſis.

Margin: כלח — *Symmac.* — LXX. συντέλεια — *Chryſoſt. Nicetas.* — *Henric. Steph.* — Vita pro rebus ad vitam neceſſariis. — *Complutenſes. Pagnin. Regia. Cajetan. Tygur.* — *Vatab.* — *Pſal. 91. 15.*

3 Sed illa potiſsimum, quod (ut ait Nicetas) *Nihil unquam boni geſſerunt.* In quam ſententiam videtur quoque dixiſſe Salomon Eccleſ. 6. 3. Dum de avaro ſordido loquitur, quod *illo melior ſit abortivus*: nã ſicut abortivus non vixit, ita ſordidus ille vita, dum vixit, putabatur indignus: *Fruſtra enim venit* (ingreſſus eſt in hũc mũdũ, vixit) *& pergit ad tenebras* (in Hebræo proprie, Venit in vanitate, vel in vanum) *& oblivione delebitur nomen ejus.* Igitur qui ſimiliter vixit, vita profecto indignus eſt; quod etiam in hominem peccatorem quadrat, dum nihil boni, memoria dignum gerit; Propterea enim accipit a Deo vitam, ut egregie factis vita ſe dignum reddat. Fruſtra autem, vel in vanum veniſſe in vitam dicetur, qui *accepit in vano animam.* (vitam, vitalem facultatem reſpirandi, tũ etiam animam ipſam, Principium operationum) *ſuam* (Heb. *Extulit ad vanitatem animam ſuam*) ſic Eccleſi. 19. 4. dicitur: *Qui credit cito, levis eſt corde, & minorabitur; & qui delinquit in animam ſuam, inſuper habebitur.* agit nimirum de his, qui facile rebus viſibilibus ſua deſideria cõmittunt, & pro miſsis fallacibus hujus mundi cito ac leviter credunt; hujuſmodi enim ambitioſus, & cupidus ſemper *minorabitur*, id eſt, decreſcet, & ibit in deterius, & præterea facit, & delinquit contra *animam ſuam*, id eſt, cõtra vitæ ſuæ jucunditatem, & tranquillitatem; ac pręterea *Inſuper habebitur*, id eſt, inutilis erit; & quod vulgo dici ſolet, impertinens; quod Hiſpaniſmo noſtro eleganter reſpondet, *Serà un hombre por demas.* Quæ vox in eodẽ etiam ſenſu, forenſis eſt, ut cõſtat ex Papiniano, *L. Sunt perſonæ D. de Relig. & ſump. fun.* ubi cum agit de ſepultura in proprio fundo, cujus uſus fructus alicujus eſſet, alteri danda, quod ſtricto jure non poterat, ait; *Propter publicam utilitatem, ne inſepulta cadavera jacerent, ſtrictam rationem inſuper habendam.* (contemnendam, & tanquam ſupervacaneam rejiciendam) *quæ nonnunquã in ambiguis religionum quæſtionibus omitti ſolet.* Ejuſmodi itaque eſt, qui in *animam ſuã delinquit*; *vita* utique *indignus*, ut qui inutilis vixerit, neque boni aliquid geſſerit, contemnendus, & inſuper habendus.

Margin: Vita indignus qui vita abutitur. — *Pſal. 23. 4.* — Inſuper haberi, quid inutili, & ſupervacaneo — Papiniani Lex.

III. *Egeſtate, & fame ſteriles, qui rodebant in ſolitudine, ſqualẽtes calamitate, & miſeria.*

1. Steriles *qui proprie.* *Inopia, & ſqualoris circumloquutio.*
2. Rodere *quid.*
3. Squalere *quid.* *Heri in ſacro ſermone pro nocte præterita. Ignobiles repente evadentes divites.*
4. Calamitas *quid proprie.* *Ignobilium hominum petulantia.*

I Barbarum profecto quodam, ac ferum genus hominũ deſcribit Iob, a quibus rideretur, & cõtemneretur in ſua calamitate. Qui autem hi fuerint, dicemus inferius verſ. 8. poſtquam illorum peculiares, & proprias notas expoſuerimus. Illos igitur nunc notat ab egeſtate, & fame, & rerum omnium ad vitam neceſſariarũ inopia. *Steriles.* Kaldæus, *Sterilitatem* hanc refert ad orbitatem filiorum, quod quamvis

Margin: Ferinum hominum genus notatũ a Iob. — *Kaldæus.*

גלמד cum vocis Originalis ſignificatione quadret, ſed non quadrat cum contextu. Hebræi, & Hebraizantes vocem Originalẽ vertunt, *ſolitarios*. q. d. habitantes in locis incultis & ſterilibus, horrida & vaſta ſolitudine. quem ſenſum expreſsit Pagninus: *Propter penuriam, & propter eſuriem ſolitarii errant*. Vatab. *Coacti fame fugiebant ad locum ſiccum & arentem*. Cum quo facit lectio Auguſtini; *Egeſtate, & fame inſtabiles*. Et favet etiam, quod Vulgatus vocem Originalem vertit, *ſolitariũ*, ſuperius Iob 3. verſic. 7. Nicetas paulo ſubtilius *ſteriles* interpretatur, *Inopes, nihilq; frugis, fructus ve habentes*. vel, quod *nec reperire rationem quampiam vitæ ſuſtinendæ poterant*. Forte eo etiam reſpexit D. Thomas exponens: *Fructificare non valentes*, id eſt, quibus nunquam proveniebat rerum, aut fructuum copia; neque Deus illos dignabatur rore Cæli, aut pinguedine terræ; cum tamẽ ipſi Iobo *petra funderet rivos olei*. horum enim inopiam & ignobilitatem cum ſua priſtina dignitate, & fælicitate comparat. neq; ab hac interpretandi ratione multum abludunt Hebraizantes.

Pagninus. *Vatab.* *Auguſt.* Subtilior expoſitio. *Nicet.* *D. Thom.*

2 ערק *Qui rodebant in ſolitudine*. Verbum *Rodendi*, Syriacum eſſe volunt, & in hoc tantum libro, idq; ſemel, aut iterum inveniri, nempe hoc loco, & infra verſ. 17. *Qui me comedunt*. At ab Hebraizantibus vertitur, *Fugere*, tum etiam, & Septuaginta; *Fugiebant in inaquoſam*. vel, Fugiebãt ad ſolitudinem. Sed certe Vulgatus intellexit idẽ eſſe, *fugere ad ſolitudinem*, fame & egeſtate compulſos, ut herbas colligerent; quod mandere, aut *Rodere in ſolitudine*. *Rodere* autem dixit potius, quam *comedere*, ut ad duriores arborum radices reſpiceret, de quibus ſtatim dicet.

Pagn. Regia. Vatab. Tygur. Cajetan.

3 אמש *Squalentes*. Vox Originalis *obſcuritatem*, aut *noctem* ſignificat, ſive *heri*, ut vertunt hoc loco Septuaginta; ſive *noctem heſternam*, aut præteritam; unde eſt illud Geneſ. 19. 34. *Ecce dormivi heri* (nocte prę terita) *cum patre meo*, & cap. 31. 29. *Deus patris tui heri* (nocte preterita, & in ſomnis) *dixit mihi*. Ergo cum hic dicitur *ſqualẽtes*, poteſt ſignificari miſerrimos homines lucifugas, profugiſſe ex urbe in ſolitudinem nocturno tempore, ne a quopiam videri poſſent. aut potius etiam profugiſſe, & abdidiſſe ſe in tenebras, & obſcuritatem ſolitudinis, ne a quopiam invenirentur. Hebræus apud Cajetanum, neſcio quid valde humile comminiſcitur hoc loco; quia enim vox præcedens, *Solitudinis*, ſignificat etiam *ſiccitatem*, ſolitudo enim ſicca, & arida eſt, ideo ipſe legit, *Siccitatem noctis*, id eſt miſerrimos homines habuiſſe noctes ſiccas, id eſt *ſine cœna*. Itaque dormiiſſe incœnes præ inopia, & calamitate. Sed forte illud eſt verius, & germanius, ut notentur homines, quorum patres nuper errant miſerrimi, repẽte autem filios prodiiſſe divites. Quod enim recens eſt, dicimus fuiſſe nuper, heri, nocte heſterna. Ergo iſti nuper * *heri nocte* erant in *ſqualore*, & tenebris; *hodie* tenent ſummam rerum.

Cajetani humilior expoſitio.

*Gente, que anoche no tenian que cenar, y oy no ſaben lo que ſe tienen.

Calamitate. Eſt deſolatio quædam, & devaſtatio, cum nihil eſt integrum, nihil erectũ, aut firmũ; aut, quod idẽ propemodum ſignificat, *miſeria*. Ergo, ut recte ait Nicetas; *Eos ut minime ingenuos accuſare videtur, qui ex obſcuris locis, aut parentibus eſſent*, a quibus ipſe injuria afficiebatur; atq; nobis etiam documentum præbet æquo animo ferendi ſordidorum, contemptorumque hominum injurias.

4 *Nicetas.*

Patienter ferẽdæ injuriæ illatæ ab ignobilibus.

IIII. *Et mandebant herbas, & arborum cortices, & radix juniperorum erat cibus eorum.*

1. Mandere *quid prop.* Herba *quid in Hebræo.* Malva *qualis cibus.*
2. *Quid* Alima *apud Græcos. Cibus miſerorum.*
3. Radices arborum *pro cibo.*
4. *Quid* Iuniperus, *&* Geniſta, carbones Iuniperorum. Ligna Arceutina

HAec eſt altera nota barbaræ illius gentis, atq; contemptiſsimæ, quod victitarent ſylveſtriũ arborum radicibus quod proprie in Troglodytas & vicinos illos regionis Huſitanæ convenire inferius dicemus.

1 Radicibus victitantes Troglodytæ.

Mandentes. prop. *Succidentes*, videlicet ad mandendum colligẽtes *herbas*. *Herbas* autem dixit Interpres, quod de proprio herbæ apud Latinos nomine illi non cõſtaret, quã Hebrei vocant, *Maluahh*. Quidam *urticam* eſſe volunt; Quare Thargũ vertit; *Qui eradicabant ſpinas loco herbarum comeſtibilium*. Alii *malvã* eſſe volunt, conſonante etiam voce Hebræa. Eſſe autem *malvam* cibũ viliſsimorum hominum ſcripſit Plutarch. in ſimpoſia. 7. ſapientum, ex Heſiod. atq; eſſe medicamentũ arcens famem, ac ſitim potius, quam cibũ. Cæterũ neq; eſſe malvam, neq; debere interpretem moveri illa vocum aſſonantia, & affinitate manifeſte colligitur ex ipſa nominis Etymologia, & radice: nã *Maluahh*, dicitur a *Melahh*, id eſt, *Sale*; quod ſit herba amara, & ſalſa, ut pote quę naſcatur in

קטף מלוח *Cajetan. Thargum. Vatab. Tygur. Regia.*

Malva cibus viliſsimus.

Interpres nõ debet moveri aſſonantia vocum.

מלח

loco salsuginoso, ut interius dicemus. Quare alii melius vertunt; *Qui mandebāt salsam.* tantum itaque abest malva a *sale*, ut *malva* sit herba insulsa & fatua. Præterea, quia *Maluahh* (ut ait R. David) *est herba quædam dura, & mala, & non nisi in simili loco proveniens, videlicet in loco malo, & in solitudine, terraque salebrosa*, qualis hoc loco describitur: *Malva* autem, nec dura est, sed potius tenera, & mollis; neq; mala, imo vero utilis; neq; amara, & injucunda: nam quondam in acetariis est habita in deliciis; quare incommode affertur nunc pro exemplo pessimi, & abjectissimi cibi. Atque hoc dictum sit pro interprete Vulgato, & pro exquisita illius in interpretando diligentia.

Forster.

Malva quondam habita in deliciis in acetariis.

Græci nihilominus peculiarem herbā legunt: *Circuibant Alima in resonante. Circuibant* (inquit scholiastes Græcus) *quod necesse haberent circuire ad quærendas herbas. Resonantem* vero, vel *sonantem* vocant valles, locave saxosa, quod in iis repercutiatur vox, & resonet Echo; aut quod cum convalles nemorosæ sint, ventis perflantur, & sonent. *Alima* autem (inquit Nicetas) *herba est quædam, quæ celeriter explet comedentem, gignitque satietatem.* & quidem *Alimos* herba mirabilis est, quam his verbis descripsit eleganter Ioannes Gorræus in suis Medicis definitionibus. *Est frutex similis Rhamno, sine spinis, foliis oleæ, sed latioribus, sepimento vallari idoneus, mirabili (ut ait Solinus) effectu, quod admorsa fames interdum nulla sentiatur.* Sicque nomen habet ab, *a*, privativa particula, &, *limos*, quasi sine fame, quod famem arceat. Scribitur autem etiam cum aspiratione *Halimon*, ut scribit Plin. lib. 17. c.24. & Dioscorides lib. 1. c. 103. qui ait nasci *in sepibus, & maritimis.* atq; Ruellius affirmat in Gallia frequentē nasci in sepibus. Tūc vero *Halimos*, deducitur a salsugine, quod olus maritimum sit, & nō nisi in terra salsuginosa proveniens. quæ etymologia egregie convenit cum ipso nomine, & significatione Hebræa, ut nuper dicebamus. Id quod etiam confirmare potest Galen. lib.6. simpl. medic. docens, *Halimum in Cilicia esui deservire, esseque gustus salsi & subadstringentis.* Ergo sive frutex, sive herba, olusve sit, esui non ineptam esse constat, neque omnino cōstat, quæ herba sit. Halimon Græcis, esse Latinis Auronem vel Aurionem scripsit Plinius, & consentiunt, quæ de Aurione scribit Theophr. libr. 4. de histor. Plantarum. cap. 20. & lib.5. de causis plant. cap.22. *Hedera* (inquit) *& Aurio, nimio pabuli desiderio, salsugineque sibi ingenita, arbores necant, sed Aurio perniciosior est, quod plus habet salsuginis.* Plin. libr.22. cap.22. esse *olus marinum salsum*. Vtcumque sit, ille est miserorum, & in solitudine degentium hominum cibus commodissimus, & ad sedandam famem in primis utilis. Quamvis vero Solinus cap. 16. velit hanc herbam tantum in Creta nasci, proptereaque appellat, *Creticam*; at in Mauritania etiam inveniri scripsit Serapio, & apud Mauritanos appellari *Molochiam*, atque per *Babyloniam circumferentes, in manuales fasciculos componere, & clamitare, Molochia, Molochia.* Quod nomen manifeste est illud Hebræum, *Maluahh*. Neque tantum prohibere famem, sed etiam sitim scribit Plinius; *Semine Alimi linguæ subdito, sitim non sentiri*. Plutarchus in Symposi. inter Pharmaca sitim & famem arcentia, *Alima* ponit: quæ vox in interpretatione Latina vertitur *Malva*; quamvis forte Malva non sit. Sed de his herbis, quæ cibus vilissimus erant, satis.

Græcorum lectio & interpretatio. *Nicetas.* ἄλιμος. Herba miræ virtutis. *Ioann. Gorr.* *Plinius.* *Dioscorides.* *Ruellius.* *Galenus.* Aurio, herba quæ. *Plinius.* *Theophrast.* Alima idoneus cibus pauperum. *Solinus.* *Serapio.* *Plutarchus.*

Et arborum cortices. In Hebræo proprie 3
est; *& virgulto*; aut, *& arbore*; vel, *super*, aut, *juxta arborem*. id est, colligebant ejusmodi herbas juxta arbusta. At interpres voluit etiam significari aliud cibi genus barbarorum, & Sylvestrium hominum, nempe *cortices arborum*; quanquam inter corticis usus nunquam cibatus meminit Plin. lib.16. c.9.

Cortices arborum an cibo idonei. *Plinius.*

Et radix juniperorum erat cibus (panis) 4
eorum. Iterum hoc loco Septuaginta; *Alima erant eorum cibaria*. Symmachus; *Radix frumentorum agrestium*. Augustinus; *Radix herbarum*. Alii post Rab. David. *Radix genistarum*. Nos vocabulo pene simili appellamus, *Retama*; quod Hebraice est *Rothem*, & pluraliter, *Rethamim*; a qua etiam radice videtur dici locus ille, *Rethma*. Numer. 33.18. dictus a copia genistarum. q.d. *el Retamal*. Sed quamvis nomen assonet, at res ipsa dissonat; cum enim hæc eadem vox sit 3. Reg. 19. 5. incommode diceretur, *Sedisse Elias subter unam genistam*: fere enim nulla est genistæ umbra, ut sub ea homo quiescere, & sedere possit, quamvis Cajetanus eo loco præcipiat, *non esse contendendum cum interpretantibus genistam.* Quare Septuaginta eum locum intactum reliquerunt, quod de propria arbore illis non constaret, & vocem Hebræam retinuerunt, *Sedit sub Rathman*. Complutenses; *Sub Ratham.* *Genista* autem fere eadem est, quæ *spartum*, ut Plin. indicat, aut certe persimilis; & quamvis flores sint grati apibus,

LXX. *Symmach.* *August.* *R. David.* *Cajetan. Forst.* רתם רתמים Iuniperus & genista. *Cajetan.* *LXX.* *Complutenses.* *Septuag.* *Plinius.*

Dioſcorid. lib. 4. c. 157.

tamen radices illius nulli unquam hominum gratæ, aut utiles eſſe potuerunt; rurſus quamvis flores, aut ſemen geniſtæ in medicina locum habeant, ut Dioſcorides docet, at nũquã radices fuerũt utiles vel cibo, vel morbo. Quid, quod carbones, *Retamim*, commendantur Pſal. 119. 3. quod Chryſoſtomus ex aliorum lectione legit, *Carbones conſtipatos*, qui eſſe non poſſunt ex geniſta? Ergo vocem Originalem, *Iuniperum*, interpretantur Septuaginta Pſal. citato, & Hieronymus, atque Aquila, tum etiam & Vulgatus Interpres. 3. Reg. 13. & hoc loco; facitque conjectura Pſalmi, quod ex Iunipero carbones fiant acerrimi propter materiæ ſpiſsitudinem & denſitatem, quam in conficiendo carbone laudat Theophraſtus libr. 5. de Hiſtor. plantarum. cap. 10. Et ita quamvis ex editione Luciani Martyris habeatur eo loco Pſalm. *Cum carbonibus deſolatoriis*; ipſe Hieronymus interpretatur: *Cum carbonibus Iuniperorum.* & Iſidor. lib. 17. Originum cap. 7. Sic dictum Græce *Iuniperum* exiſtimat; *quod conceptum diu teneat ignem adeo, ut ſi prunæ ex ejus cinere fuerint opertæ, uſq; ad annum perveniant*, quaſi a voce Græca, *Pyr*, id eſt ignis, deducatur. Sed venia ſanctiſsimi, & ſapientiſsimi doctoris mei Hiſpalenſis, *Iuniperus* Græcum nomen non eſt; ſed Latinum; dicitur autem Græce, *Arceυtos*, Dioſcoridi libr. 1. cap. 104. ut etiam teſtatur ipſe Hieronym. Epiſtol. ad Fabiolam de. 15. manſionib. Vnde etiam dicuntur ligna Iuniperina, *Arceυtina*. 2. Paralipom. 2. 8. & ſimiliter. 3. Reg. 6. 33. ubi nos habemus; *Fecit in introitu templi poſtes de lignis olivarum quadrangulatos*; habent Septuaginta; *Iannas ex lignis Iuniperinis*. & in Græco, *Arceυtinis*. quãvis in Hebræo non ſubſit vox *Rothem*; ſed in loco Regum *Semen*, quod eſt oliva; & in loco Paralipomenon, *Algumim*, quod dicunt eſſe genus ligni pretioſi. Ergo, ut ad *radices Iuniperorum*, redeamus, recte hoc loco dictum eſt, *Iuniperorum*. Sed quod illius radices eſui aptæ aliquando fuerint, apud probatum aliquem auctorem non video. Forte in Arabia hunc uſum habuerunt. Septuaginta in communi acceperunt; *Radices lignorum manducabant propter magnam famem.*

Iuniperus. Hieronym. Aquila. Iuniperi carbones acres. Theophraſt. Editio Luciani Martyris. Hieronym. Iſidorus. Iuniperus Latinum nomen. ἄρκευθος. Dioſcorides. LXX. רתם שמן אלגומים Radices Iuniperorum an idoneus cibus. LXX.

V. Qui de convallibus iſta rapientes; cum ſingula reperiſſent, ad ea cum clamore currebant.

1. *Varia lectio. Improbiſsimorum hominum deſcriptio.*
2. *Deſcriptio famis, & inopiæ.* Clamor *quid. Explicatus Iſaias.*
3. *Quid* deſerta *&* cavernæ. *Troglodyta.*
4. *Quid* gloria *&* rupes *in Sacro ſermone. Explicatus Ieremias.*

1 Lectionum diſſenſio. LXX.

SEnſum longe diverſum habent Septuaginta, tum etiam & Hebræa, atq; Hebraizãtes omnes, quam noſtra lectio. Septuaginta; *Inſurrexerunt ſuper me fures*: quod non video quomodo cum reliquis ſententiis cohæreat, niſi quod hos ipſos, a quibus irridetur, appellet fures, videlicet latrociniis, & rapinis famoſos. Pleniorem ſententiam ex Hebræo afferunt poſt R. Gerſon, & R. Abraham, Hebraizantes: *E medio expellebantur; clamabant contra eos, ſicut furem*. Quod enim, *convallem*, dixit Vulgatus, quæ interjacet in medio duorum montium, ipſi dicunt, *medium*, aut interiora; & quod noſter dixit, *rapere*, ipſi vertunt expellere, aut ejicere. Itaque efficitur hæc ſententia; Hujuſmodi vagi, & improbi homines, non permittebantur quondam in civitate: quare ſi in medio civium aliquando comparuiſſent, ſtatim ejiciebantur clamantibus contra eos univerſis, tanquam adverſus furem. Sed hæc exponendi ratio habet hoc incommodi, quod nõ poteſt bene cum reliquo ſermone cohærere: nam egit de ſolitudine; aget iterum de deſertis montium. Qua igitur ratione illos ipſos ſylveſtres, & feros homines nunc conſtituet in media civitate, & frequentia hominum? At Cajetanus propius diſcedit, & illam ipſam Hebraizantium lectioné, refert quidem non ad latrocinia facta in civitate, ſed in agris, cum improbi iſti errones excurrentes per campos, & ſolitudines, forte in aliquem hortum incidunt, clanculum ſubintrant, furaturi herbas, aut fructus; deprehenſi itaque cum clamore expelluntur, furem omnibus inclamantibus. Sed ſenſus iſte humilior eſt, quam pro gravitate rei, & pro dignitate orationis Iobi.

R. Gerſon. R. Abraham. Pagn. Regia. Vatab. Tygur. Eugub. Interpretatio parũ cohærẽs. Cajetanus. Expoſitio humilis.

2 Illud ergo congruentiſsimum, & maxime cohærens videtur, quod Latinus interpres dilucide nobis propoſuit, quod *de medio*, ſupple montium; id eſt *de convallibus* rapientes: nam vel de alienis prædiis, & hortis, vel de aliorum barbarorum hominum manibus oportebat radices, aut herbas eſculentas rapere; indeque ſumma celeritate quaſi expulſos ad ſua taguriola, & ſpecus convolare: *& cum ſingula reperiſſent*, id eſt, cum quidpiã

horũ, ſive herbulã, ſive radicẽ, aut corticẽ eſui idoneũ, ad ea *accurrebant* cum ingenti *clamore*, ſicut ſolent milites ad prędam; ſicut ſolent latrones ad hominem errantem in ſolitudine; ſicut fures cum exultãt *capta præda*, & *dividunt* inter ſe *ſpolia*. Ille clamor jubilantium eſt, & gaudentiũ atq; adeo de agrorum, & vinearum fructu lætiſsimo, quo homo letari, & exultare ſolet, dicitur Iſaiæ. 16. 10. *In vineis non exultabit, nec jubilabit*. Prop. *Non clamabit*, aut, *non vociferabitur*. Quod Septuaginta dixerunt, *In vineis non lætabuntur*. & ſimiliter Pſal. 64. 14. de agrorum fructu, ubertate, & copia: *Clamabunt, etenim hymnũ dicent*. Similiter igitur iſti famelici, miſerrimique homines incolentes arentia loca, viliſsima herbula, aut radice inventa, qua ſi incredibili aliqua optimorum fructuũ ubertate, & copia clamabant, & lætabantur.

רוע Clamor jubilantiũ ex perceptione fructuum.

LXX

VI. *In deſertis habitabant torrẽtium, & in cavernis terræ, vel ſuper glaream.*

DEſcribit nunc illorum domos, atque cubilia nihilo meliora, quam cibum. *In deſertis torrentium*: id eſt, fracturis, aut rimis, foſsiſve alluvione factis ad ripas fluminum. Ex proprietate autem vocis ſonat aliquid plenum horrore. Quo videtur reſpexiſſe Interpres cum dixit, *deſerta*. Tygurina. *Loca horrida*, in quæ abdebant ſe ſe, ut vitarent hominum oculos, ſimulque vitã ſuam defenderent, vel latebris, vel locorum aſperitate. Nã quod D. Thomas interpretatur, *deſerta torrẽtium*, ideſt, deſertos, & arentes alveos torrentiũ, non quadrat vocibus originalibus.

3 ערץ Tygur. D. Thom.

Et in cavernis terræ. Septuag. *Quorum domus erant cavernæ petrarum*. Nomen habet *caverna*, hoc loco, vel a colore aereo, & ſubobſcuro; vel ab erubeſcentia, quaſi renuat videri, quod ſubobſcura ſit; aut quod in illam ingrediantur, qui nolunt videri. In Hebræo proprie eſt, *Cavernæ pulveris*; quaſi excavatæ cavernæ in ipſa terra arte, & induſtria. quod forte etiam cõvenit, ut dicemus, cum Troglodytis habitãtibus in cavernis ſubterraneis.

LXX. חור

4 *Vel ſuper Glaream*. Quia *torrentium* meminerat, nunc *Glaream*, dixit Latinus Interpres: nam *Glarea* in fluviorum ripis, vel in maris littoribus reperitur; & quod in calidiſsimis illis regionibus barbari, & agreſtes homines fluviorum, aut torrentiũ ripas in deliciis haberent. Vox Hebræa, *Rupem*, ſonat, *Rupiumq; foramina*: nã *Ceph Rupes* eſt, aut *Saxum*. Vnde dicitur *Cephas* quod interpretatur Petra, Ioan. 1. Quale ſolet eſſe miſerorũ perfugium in medio æſtu ſolitudinis, aut fugientium latibulũ, ſicut dictum eſt Ieremiæ. 4. *A voce equitis, & mittentis ſagittam fugit omnis civitas, ingreßi ſunt ardua, & conſcenderunt rupes.*

כיף

VII. *Qui inter hujuſcemodi lætabantur, & eſſe ſub ſentibus delicias computabant.*

1. *Lectio varia.*
2. Lætari *quid prop. Ruditus onagrorum.*
3. Habitare *quid. Explicatus Samuel.*
4. Sentes *quid prop. Iuniperi folia, & umbra.*

PErſtat in eodem. Quod autem Interpres dixit: *hujuſcemodi*, ea omnia intelligit; de quibus locutus eſt, Herbas, arbores, radices Iuniperorum, cavernas, & fracturas torrentium. Quare paulo liberius, ſed nõ inelegãter vertit; quod in Hebręo ad arbores tantum reſtringitur. Eſt enim vox, quæ virgultum, aut arborem ſignificat. q. d. Inter arbuſta, aut inter arbores, quod Septuaginta dixerunt, *Inter medium bene ſonantium*. Symmach. *Inter plantas agreſtes ſonabant famelicum quiddam*. Sicut etiam ſupra cap. 6. dicitur, Onager fameſcens *Rugire*, aut rudere; cum enim bene ſatur eſt, atq; hilaris, nõ eſt, quod rugiat, aut cõqueratur. Secũdo poteſt ſumi in bonũ pro *clamore* læto; quod Interpres Latinus cenſuit multo melius cõvenire cum antecedentibus, & ſequentibus, quæ ſunt etiam lætitiæ, & exultationis plena; Inter arbores ferini illi homines vitam ritu ferino propagantes, lætantur, & voces, ſeu potius ruditus edunt, & brutum aliquid potius, quam humanũ ſonant. Hoc quoque de Arabibus, aut Troglodytis debere accipi, non ſine bono teſtimonio paulo poſt dicemus.

2 Elegans, ſed paulo liberior Latina interpretatio. LXX Symmach. Ferina Troglodytarum vivẽdi ratio.

Et eſſe ſub ſentibus delicias computabant. Prop. *Congregabantur*, vel colligebantur, id eſt, colligebãt ſeſe ſub denſis vepribus. nos diceremus: *Recogianſe a los çarçales*. Septuagint. *Manebant*, vel *commorabãtur*: nam verbum originale ad habitionẽ alicujus loci pertinet, ut patet ex. 1. Reg. 26 19. *Ejecerunt me hodie, ut non habitem in hæreditate Domini*. Prop. *ut non colligar in hæreditate Domini*, vel ut nõ aggreger, id eſt, ut non poſsim ſimul cum aliis habitare in terra ſancta, & in Ieruſalem.

3 ספח LXX. Colligẽdi verbum de habitatione dictũ.

Sub ſentibus. Septuaginta dixerunt: *Sub* 4

LXX. Nicet. ſarmentis agreſtibus, In Græcorū Catenæ legitur: *Sub ſiccis virgultis*. Idq; indicat paraphraſis Nicetæ: *Cavernas, & ſolitudines colebant, aridiſque ad latendum, atque ad fallendum eos, qui præteribant, virgultis tegebantur.* Intelligere itaque videtur latibula arte, & induſtria parata, ad exercenda latrocinia, & prædas agendas de viatoribus. Latinus autem Interpres nihil aliud reſpexiſſe videtur, quam idoneam, dignãque manſionem, & umbram efferatis illis hominibus. Vox originalis *urticam* ſignificat, aut *ſpinas*; forte loca notat juniperis plena, na *ſpina pro folio junipero eſt*, ut Plinius dixit; & forte etiam hac ratione amplificabit miſerā illorum ſtationē, & umbrā, quæ cum juniperorum ſit, noxia, & moleſta eſt, ut Poeta dixit: *Iuniperi gravis umbra*. De qua ſcripſere Titius lib. 10. cõtroverſ. c. 1. & adverſus illū Villiomarus. Ruſusq; idem Titius, in ſua aſſertione adverſus eundem Villomarum.

(Margin: חרול Iuniperi folio & umbra. Plin. lib. 17. cap. 12. Virg. Eclo. 10. Robertus Titius. Villiomarus.)

VIII. *Filii ſtultorū, & ignobiliū, & in terra penitus non parentes.*

1. Stulti qui. Ignobile, & anonymum.
2. Abyſſina regio, & Aethiopia orientalis. Troglodytarum nomen, & caverna.
3. Troglodytarum ſermo, cibus, lapis pretioſus. Phtrophagi.

1 נבל FIli ſtultorum. Filii ſtulti: *Nabal*, abjecti, viliſsimi, fatui; *& ignobiliū*, in Hebręo: *abſq; nomine*. Ignobile enim eſt, quod ignotum eſt, ac ſi eſſet ſine nomine; quod autem ſine nomine eſt, vile, & obſcurum eſt. Et ſic Græci etiam *Anonymum* vocãt, quod ignobile eſt. Congerit quædam in hãc nobilis, & ignobilis ſignificationē Tyraquellus. c. 2. & 4. de nobil. Vtriuſq; vocis ſignificationem, totãq; ſententiã elucidavit Chryſoſt. *Ex inſipientibus inſipiētes, ex turpibus, atq; deſpectis, turpes, atq; deſpecti, ex ingloriis atq; obſcuris, inglorii, atq; obſcuri.*

(Margin: Ignobile apud Græcos, & Latinos quid. Tiraquellus. Chryſoſt.)

Et in terra penitus non parentes. Eleganter interpres illuſtravit, quod in Hebræo eſt, *Contriti*, aut, *contuſi præ terra*. Septuag. *Nomen & gloria extincta eſt de terra*. Vix attollentes caput, nulla in re cõſpicui. Et forte alludit ad ipſam illorum habitationem in ſubterraneis terræ cavernis; qui enim in obſcuris cavernis deliteſcebant, obſcuriſsimi erant, & qui ſubducebant ſe ab hominum cõſpectu, in nulla re conſpicui erant.

(Margin: כאה LXX.)

2 Iam res ipſa poſtulat, ut inveſtigemus an deſcribat nunc Iob peculiare aliquod genus hominum? Nam ita eſſe peculiares ipſæ notę cibi, habitationis, ſermonisque barbari, inſtar rugitus, aut ruditus ſylveſtrium aſinorū, & quæ ab initio capitis hucuſq; Iob dixit, probare videtur. Ego quidem ſic exiſtimo, ad Iobi cladem multos ſpectatores ex circũvicinis regionib⁹ accurriſſe, illos præſertim, quos quondã Iobi timor ab improbitate, & ſceleribus patrandis prohibebat; Atq; nunc tandem eludētes petulanter inſultaſſe miſerrimo homini. Hos nunc notari, eoſdemq; fuiſſe Aethiopes illos Oriētales, de quib⁹ ſupra diximus, his conjecturis exiſtimari cogor; Primo, quod ut ſuperius diximus, Aethiopia illa Orientalis non longe abſit ab Huſitana regione, quæ aliquando Arabia, aliquando Abyſsina, ſeu Abaſsyna, ſeu Troglodytica regio appellatur a bonis auctoribus, juxta mare Erythreū, ſive mare Rubrum, imo, & Arabia Troglodytica appellatur a Dioſcor. lib. 2. c. 193. Troglodytas autem ſic dictos, eo quod in cavernis habitent, ipſum nomen indicat; nam, *Troglē*, Græce, caverna, aut foramē eſt, quale mures, aut teredines rodendo efficiunt; unde *Troglodytes*, qui cavernam ſubit, & in foramē ſe ſubducit. De illis hęc Plin. lib. 5. c. 8. *Troglodytæ ſpecus excavant; hæ illis domus. Victus, ſerpentium carnes: ſtridorque, nō vox; adeo ſermonis commertio carent*. Paulo uberior Tloglodytarum deſcriptio apud Solinum, cum quibus etiam Athlantes conjungit ad limen Aegyptium, ſive ad Nili oſtium. *In ea* (inquit) *inſula, quæ oſtium Nili facit, gentes tenent diſſonæ, quæ in aviæ ſolitudinis ſecretū receſſerūt. Ex his Athlātes ab humano ritu prorſus exulant. Nulli proprium vocabulum, nulli ſpeciale nomen. Diris ſolis ortus excipiunt, diris occaſus proſequuntur, uſtiq; torrentis plagæ Sydere oderunt Deū lucis. Affirmant eos ſomnia nō videre, & abſtinere penitus ab animalibus univerſis. Troglodytæ ſpecus excavant, illis teguntur. Nullus ibi habendi amor; a divitiis paupertate ſe abdicarunt voluntaria, tantum lapide uno gloriantur, quem Hexecontalithon vocant, tam diverſis notis ſparſum, ut ſexaginta gemmarū colores in parvo ejus orbiculo deprehēdantur. Iſti carnibus vivunt ſerpentum, ignariq; ſermonis ſtrident potius, quãm loquuntur.* Habes hic ſolitudinē illam barbaram, cavernas, ſordidam rerum omnium egeſtatem, clamorem illum inconcinnum, potius ferinū quam humanum; quæ omnia certis indiciis indicavit Iob.

(Margin: An peculiare genus hominum deſcribat Iob. Aethiopes Oriētales ſeu Abyſſinos notavi a Iobo. Dioſcorides. τρωγλη. Troglodytarū nomen unde. Plinius. Solinus. Athlantum, & Troglodytarū deſcriptio.)

Sed ex duobus illis peculiaribus, quę ſcribunt Solinus, & Plinius, alterum de ſermone cõfirmat Herodotus in Melpomene; *Troglodytæ* (inquit) *lingua nulli alteri ſimili utentes, ſed veſpertilionū more ſtrıdētes.* 3

(Margin: Herodotus.)

Alterū de pretioſo illo lapide Plin. quoq; lib. 37. c. 10. c. ultimo; *Hexecontalithos in parva magnitudine multicolor, hoc ſibi nomē adeptus eſt: Reperitur in Troglodytica regione.* At illud de fame, & ſqualore, quod ultimo fere loco Iob commemoravit, habere poſſumus ex eodem Plinio, qui dum de Topazio ſcribit lib. 37. c. 8. *Id (inquit) accidit in Arabiæ inſula, quæ Chitis vocatur; in qua Troglodytæ prædones, cum diutius fame, & tempeſtate preſſi, herbas, radiceſq; effoderent, eruerunt Topazion. Hæc Archelai ſententia eſt.* Hi profecto ſimiles omnino videntur Europeorum illorum populorum ad Caucaſum, ſive ad Dioſcoriadem, quos Strabo, *Pthirophagos* nominat, *quibus* (inquit) *nomē a ſordibus, ac fame datum eſt. His proximi ſunt Soanes, nihilo fame meliores, robore autem meliores.* Atque hæc de his noſtris conjecturis, quibus utinam meliores alias, atque probabiliores afferat, cui hæ ipſæ non probentur.

Hexecontalithos.

Topazii invētio.

Plinius.

Strab. lib. 15. Pthirophagi

IX. *Nunc in eorū canticū verſus ſum, & factus ſum illis in proverbiū.*

1. Cythara, *canticum.* Pſalmus, *in malum. Illuſtratus Ierem.* *vid.*
2. Proverbiū & parabola *quid. Explicatus* Da-
3. Abominari *quid: Morbus Iobi fœdiſsimus.*
4. *Priſcorum in ſpuendo religioſa conſuetudo.*
5. *Iobi faciem deturpatam fuiſſe ſalivis.*
6. Deſpuere *cujus habitus. Illuſtratus Moyſes. Sputum vilißima. Explicatus Iſai.*
7. *Alapa, & ſputa allegorice quid.*

MOleſtiſsima hæc fortunæ cōmutatio, ut Chryſoſt. ait, iiſdē nūc maledictis verberari ab illis, qui propter ſordidiſsimā, & ferinam vitam, omniū fabula, & proverbium erāt. *Cantio itaq;* (hæc Nicetas) *& carmē effectus ſum eorū, meaſq; calamitates pro quovis alio ſermone habēt in ore.*

Chryſoſt.

Nicetas.

Canticum. Septua. *Cythara eorū ego ſum.*
1 Cytharā ſumpſerunt pro cātico, quod ad cytharam canitur. In meū (inquit) dedecus ridicula carmina cōponunt, & cantilant, & meas calamitates cum gaudio, & carmine excipiūt. Quod Iere. dixit Thren. 3. 63. *Seſſionē eorum, & reſurrectionem eorū vide; ego ſum pſalmus eorū.* id eſt, ſive ſtēt, ſive ſedeant, de me canunt, & in meis malis exultant. Sic etiā Paul. lib. 5. tit. de injuriis, *pſalterii* meminit, ſicq; definit; *Pſalteriū, quod vulgo dicitur, & canticū in alterius infamiam cōpoſitum, & publice cantatū.* Vulgo dicitur, *Cantaleta.* Vbi profecto notatur infenſus quidam, & hoſtilis animus ſpectatorum adverſus Iob; Gaudiū enim

Pſalterium in jure quid.

Cāticum, Pſalmus in alienis malis hoſtiū eſt, ſicut & commiſeratio amicorū. Vide quæ diximus. c. 17. verſ. 6. ſuper id, *Exemplū ſum coram eis*; ubi diximus legi poſſe, *Tympanum*, ſicut & hoc loco Septu. dixerunt *Cytharam*, ad cujus ſonitū illi carmina cōponunt. Sicq; cōponunt intuentes in calamitatem ejus, quē oderunt, tanquā ſi in pūcta, & notas muſicæ ipſi cōponant canticū. Quare Septuag. eo loco Thre. 3. pro eo, quod nos habemus: *Ego ſum pſalmus eorū*; ipſi legerūt; *Inſpice in oculos eorū:* nam hoſtes (inquit) mea mala intuentur tāquā pūcta, & notas muſicæ, quas in ſuo cantico componendo ſequantur. Hæc igitur eſt *importuna muſica* hoſtium in aliorū luctu, & malis. Atq; illud ipſum videtur, *ſumi in parabolā.* Eſt enim (ut Greg. aliquādo dixit) *Parabola muſicū inſtrumentū.*

Muſica hoſtiū in aliorū malis.

Greg. in tit. c. 17. Iob.

Et factus ſum illis in proverbiū. In Hebr. 2
In ſermonē proverbialē, aut etiā, *in parabolā.* Nihil tā vulgare, & tritū, quā Iobi calamitas, de qua omnes jucundiſsime fabulantur. Nunc *parabola*, nō pro ſentētia aliqua graviſsima, ſed pro notiſsima, & vulgo familiariſsima; id quod etiā in graviſsima ſua calamitate numerat David. Pſal. 108. *Sederūt Principes, & adverſū me loquebātur.* Nō tantū mea mala in vulgus ſpargebantur, ſed etiā Principū virorum domos, mēſas, tribunalia, & ſubſellia implebāt. Si vero (id quod licet ex vi originalis vocis, ſignificat enim ſermonē præ cæteris inſignē, & præſtantē) *proverbiū* accipiatur pro ſentētia proverbiali, ſenſus erit, Iobi infortuniū proverbio fuiſſe uſurpatū in ſignificationē magnæ alicujus, & meritiſsimæ calamitatis. Plura de hac re diximus ſuper id. c. 17. verſ. 6. *Poſuit me in proverbiū vulgi.*

Parabola quid.

מלל

X. *Abominantur me, & longe fugiunt a me, & faciem meā conſpuere non verentur.*

ABominantur. Averſantur, non dignātur me viſu, aut colloquio, aut ullo familiaritatis genere. Verbū originale affert 3
nauſeā rei omnino viliſsimæ, atq; contēptiſsimæ, quā deteſtamur, & a qua faciem oculoſq; avertimus. Pars ſecunda: *longe, fugiūt a me*, vim, & proprietatē prçcedētis verbi exponit. Nicet. *Rē me plane deteſtabilē atq; odioſam ducunt.* Forte vim morbi incredibilē, cū fæditate, fætoreq; indicat, & leprā illā, de qua ſupra diximus, quā etiā ipſi propinqui vehemēter averſabātur, & fugiebāt, id quod indicare etiā poteſt *ſputū rejectū* adverſus illū, ut ſtatim dicemus.

העב

Nicet.

4 LXX. Et faciem meã conſpuere nõ verentur. Septuag. prop. ex Hebræo: *Neq; in faciẽ meam pepercerunt ſpuere.* Propr. Non prohibent, non continent ſputũ a mea facie. Indicare poteſt hujuſmodi *ſputum* ipſum morbũ quo laborabat: nã cum priſci a cõtagio ſe removebant quã longiſsime, ſpuere ſolebant. Sic de comitiali morbo ſcribit Plinius lib. 28. c. 4. dũ de hominis ſaliva loquitur: *Deſpuimus comitiales morbos, hoc eſt contagia regerimus. Simili modo & faſcinationes repercutimus, dextræq; claudicatis occurſum.* Quanquã hæc ſuperſtitioſa potius, quã vera. Illud veriſsimũ, & naturale, ex occurſu, aut conſpectu fœditatis alicujus nauſeam fieri, & ſalivas redundare.

חשן

Spuendi ritus priſcus.

Plinius.

5 Sed illud habet hoc loco dubitationẽ, an ita ſe res habuerit, ut præclara illa ſanctiſsimi viri facies, cujus paulo ante *Lux nõ cadebat in terrã*, quã vidẽtes juvenes abſcõdebant ſe ſe, & ſenes aſſurgentes ingẽti cum voluptate contẽplabantur; impudentes illi, & petulantes homines deturparint turpiſsimis ſalivis? Sic affirmare videtur Nicet. *Vbi* (inquit) *ad me propius acceſſerint, ſputiſq; fœdaverint, longe recedunt.* Et Theophanes Nicenus ſua epiſt. 2. quæ eſt, *De patientia ad omnes Chriſtianos*, hunc ipſum Iobi locum elucidãs ait; *Servi abjecti, & viles illudentes, & deridẽtes, cõſpuentesq; in ipſum, calamitates aſsidue exprobrare nõ deſiſtebant.* Sic etiã rem, ut ſonat, interpretantur Latini fere omnes, poſt D. Thom. Et quidem re ipſa *ſpuere in faciẽ*, cum ira quadã, & ſeveriori increpatione cõjungitur, Num. 12. 14. *Si pater ejus ſpuiſſet in faciẽ illius, nonne debuerat ſaltẽ ſeptẽ diebus rubore ſuffundi? Separetur ſeptẽ diebus extra caſtra, & poſtea revocabitur.* Vbi Onkel. legit *Si pater ejus increpando increpaſſet eã.* Vatab. *Præ ira*, ubi videtur Deus cõparare leprã, qua Maria ſoror Moyſis propter murmurationẽ percuſſa eſt, cũ turpi, & putri ſputo, quod parẽtes irati, & indignãtes regerere ſolẽt in filios. Quare ſic iratus Deus videtur ſpuiſſe in faciẽ Mariæ lepram. Sic igitur videbantur illi homines exiſtimantes Iobum percuſſum a Deo propter ſua peccata, adjũgere ſe Deo puniẽti, & ſpuẽti in faciẽ Iobi fœdiſsimam illã lepram, jaculantes etiam ipſi turpiſsimas ſuas ſalivas. Atq; hæc eadem fuit priſca illa cerimonia Deut. 25. 9. Cũ quis uxorẽ fratris defuncti nolebat accipere; *Accedet mulier ad eũ, & tollet calceamentũ de pede ejus, ſpuetque in faciẽ illius, & dicet; Sic fiet homini, qui non ædificat domum fratris ſui.* Quibus cerimoniis, atq; verbis videbatur mulier imprecari illi homini exilium, & repulſam a ſua ipſius domo per morbũ aliquẽ contagioſum, qualis lepra erat, quã omnes abominabantur, & deſpuebant; tũ etiam & illud, quod cũ *lepra* frequenter cõjungi in Scriptura ſolet, ſterilitatẽ, aut inutilem, & fœdũ *Seminis fluxũ*. Levi. 22. 4. 2. Re. 3. 29.

An re ipſa Iob cõſputus fuerit, an tantum per metaphoram.

Nicet.

Theophanes.

D. Thom.

Spuere indignantis.

Onkel.

Vatab.

Lepra inſtar ſputi rejecti in faciem.

Cerimonia ſpuendi in illius faciẽ, qui non ſuſcitaret ſemen fratris.

6 Sed etiam per contẽptum, & injuriam fit, cum deſpicatiſsima quæque ſpuimus, quale eſt illud Ariſtippi cũ Dionyſio Tyrãno, quod ſcribit Laertius; *Conſputus* (inquit) *a Dionyſio æquo animo tulit, & cũ quidam eã illi ignominiã exprobraret; Piſcatores* (inquit) *ut Gobium capiant, non ægre ferunt a mari aſpergi, & ego ut balænã capiã, nõ patiar oris illius excrementis aſpergi?* Idemque rurſus Ariſtippus ingreſſus aliquando in permagnificas, per pulchraſq; ædes, expuit in faciẽ Domini: *Non habui* (inquiẽs) *opportuniorẽ locum.* Sic Origenes in id Iſa. 50. *Faciẽ meam non averti ab increpantibus in me*; (quod implevit Chriſtus Dominus Matt. 26. Marci. 15. Luc. 18.) ait, *Ad extremam injuriam refertur ſputamenta accipere.*

Deſpicatiſsima conſpui.

Laertius in Ariſtipp.

Alii vero (quod minus placet) hoc Iobi dictum exiſtimant accipi per Hyperbolem, ut per *ſputum* intelligantur injuriæ, & contumeliæ coram, & in faciẽ jactatæ: utrumq; enim fœdum oris excrementum eſt, ſive putre ſputum, ſive turpe verbum. Vnde & Greg. eleganti allegoria; *Faciem* (inquit) *conſpuere eſt, non tãtum in abſentia bonis detrahere, ſed unumquemq; juſtũ, etiam in præſentia confutare; quos tunc pravi, dum aperte irridendo deſpiciunt, in eorum cõtumeliis fluxa verba, quaſi defluentes ſalivas emittunt.* Nicetas quoq; in expoſitione Naziãzeni, orat. 38. *de Chriſti nativitate*, imitationẽ Chriſti operum allegorice tractãs ait: *Sputa, & alapæ contumeliæ illæ dici poſſunt, quæ palã, aperteq;, ac velut in faciem inflĩgũtur. Colaphi autem, quæ clam, atq; obſcure infliguntur. Colaphus enim eſt cõcavi tactus plaga, quæ in collũ furtim infligitur, ac ſtrepitũ edit.* Iob utroq; modo percuſſus in faciẽ.

Secunda ſententia minus veroſimilis.

Hyperbole

Gregor.

Sputum pro turpi verbo.

Nicetas.

XI. Phretrã enim ſuam aperuit, & afflixit me: & frænum poſuit in os meum.

1. Funis *quid. quatuor alterũ expenendi rationes*
2. Funis & Pharetra *quid in Sacro ſermone. Explicatus David.*
3. Pharetra Dei *quæ.*
4. Aperire Pharetram *quid. Dei conſilia nunc operta, nunc aperta.*
5. *Varia lectio. Petulantia & impetus adverſariorum Iobi:* Frenum *ſilentii Symbolum.*
6. Frænum *de re acerba & moleſta. Illuſtratus Iſaias, & David.*

HAec(inquit)mala patior,quod Deus vel adverſarius ille(de quo ſæpe loquutus eſt, præſertim cap.16.)me poſuit pro ſcopo ſuorum jaculorum.In Hebræo eſt : *Funem meum ſolvit*. Quod Hebræus apud Cajetanum intelligit ; Deũ *aperuiße funem* id eſt,limites agrorum patefeciſſe, prædonibus . Sed hic *funis* , non eſt ille, qui terminos , agroſque dividit , ut ſtatim dicemus.

Cajetan.

Vatablus poſt R.Gerſon,*Funem* interpretatur,*reverentiam* ſubditorum,*qua erãt velut obligati, ut Iobum reverentur*: quam cum Deus ſolvit , videtur Iobum expoſuiſſe contumeliis , atque aditum patefeciſſe petulantiæ ſuorum adverſariorum. Sed expoſitio hæc dura eſt,& inutili cum labore quæſita.

R.Gerſon. Vatab.

Non deeſt, qui *funẽ* hoc loco pro habenis uſurpet , rurſus *habenas*, pro *Dominio*, & *ſumma rerum*, legit itaque : *Funem meũ ſolvit,id eſt curru , & aurigatu privavit me, ſcilicet Dominio.* Alii *funem*, aut arcum reſolutum,& apertum,id eſt,lenteſcentem, & languentem,id eſt,remiſſum robur , & diſſolutas vires.

Ioan.Forſt.

2 Sed hæ omnes interpretandi rationes, nodum in ſcirpo, & in *funiculo* quærunt. Res ipſa plana eſt , quam non Vulgatus ſolũ,ſed Septuaginta etiam intellexerũt, *funem* pro *Pharetra*. Neque refert , an dicatur *funis Dei*,vel *funis Iobi*:nam unus,& idem eſt, quem Deus intendit, ut Iobum configat. Eſt autẽ *Pharetra*,nõ locus ille,in quẽ conduntur,& reponuntur ſagittæ ; ſed ipſe nervus, & chorda arcus , cui imponitur ſagitta,& qua remiſſa, emittitur;ut conſtat Pſal.10.2.*Paraverunt ſagittas ſuas in Pharetra* . Hieronymus ex Hebræo ; *Poſuerunt ſagittam ſuam ſuper nervum*. Sic etiam vox eadem Iudic. 16.7. vertitur: *Nerviceus funis*. & ex proprietate ſuæ radicis ſignificat *funem*, qui extenditur,adducitur,& intenditur.

Funis,nervus Pharetræ.

Pharetra nervus ipſe.

Hieronym. יתר

3 Sed quid per *Dei pharetram* oportet intelligi ; & per chordam adductam arcus illius?Gregorius:Dei conſilia occulta ad aliquam finem, & ſcopum directa,ex qua ſagittas calamitatum accipimus . Divus Thomas,*Divinam diſpoſitionem* , ex qua aperta,hominibus adverſitates proveniũt. At Phlipus, *Pharetram*, exiſtimat *multitudinem plagarum*, vel *ipſum Diabolum*, vel *poteſtatem* illius . Nos, *Divinam virtutem*, atque Divinam eſſe Providentiam intentam ad collimandũ,&cõfigendum, nõ tã ipſum Iobũ,quã præclaros alios ſcopos, atque fines ſuæ gloriæ , ſuæque Providentiæ,noſtri etiam commodi.

Dei pharetræ & arcus intenti varia allegoria.

Gregorius. D.Thom. Philipp.

Divina Providentia intẽta in ſcopum Divinæ gloriæ, & noſtri commodi.

Aperuit. Neſcio quid in hoc verbo *aperiendi*,ſubtiliter invenit Grego. quod aliquando Deus *pharetra clauſa* jaculatur, cum occulto conſilio exercet nos calamitatibus : aliquando vero *pharetra aperta*, quando ipſas noſtrarũ calamitatum cauſas,& rationes aperit, & exponit . Sed ſicut *pharetra* hoc loco eſt ipſa arcus chorda intenta,ita etiam *aperire*,eſt ſolvere,& laxare:nã chorda adducta conſtringitur, & quaſi clauditur glandula arcus;at vero cum remittitur, videtur aperiri, & ſolvi; atq; illud ipſum inſtrumentũ,quo remittitur, appellamus clavẽ: illud vero ipſum quod eſt *aperire*,apellamus ſolvere,*ſoltar*, quod eſt ipſam ſagittam emittere. 4

Gregor. פתח

Et frænum poſuit in os meum, Exeo,quod verbum *ponendi*,aut *mittendi*, quod idẽ eſt in Hebræo,aliquando ſumatur pro compoſitis,ideſt,pro deponere,aut dimittere; legunt Hebraizantes,*Frænum depoſuerunt*, aut,*dimiſerunt a facie mea*,vel *ab ore meo*,id eſt,coram me. Quod Vatab. etiam legit; *Frænum a facie mea excuſſerunt*; *Frænum* autem vocat, *Timorem,quia ut fræno cohibentur equi,ita & homines timore continentur in officio?* Tygur. *Effrænes in me feruntur*. q.d. omni pudore ſublato,& timoris fræno excuſſo in me debacchantur. Alii: *Dæmones* intelligunt effrænes, id eſt , non cohibita illorum poteſtate,ſed permiſsis,laxatisq; habenis.Sed eleganter Latinus Interpres verbum *ponendi*,aut *mittendi*,pro *imponendi*,aut *immittendi* uſurpavit. Sicut & Septuag.*Frænum facici meæ immiſerũt*.Auguſt. *Frænum in faciẽ meam miſerunt*. Per frænũ autem injectum illius ori,quidam intelligunt petulantiam ſuorum illuſorum, qui illum agebant ut inutile pecus,mutum hominem laceſſentes,tundentes, lacerãtes. Nicetas: *Silentii vinclis os meum adſtrinxit, cum mihi libertatẽ orationis ademit*.Paulo aliter Philip.*Frænũ ei in ore , ne præ dolore loqueretur,impoſuit , dũ aut vox interdum anguſtiis intercluditur, aut Deũ,ne blaſphemet, a Domino cuſtoditur* . Confirmare poſſunt interpretationem hanc, ex verſ.28. in lectione Septuag,*Gemens ivi ſine fræno*. 5

שלח

Vatab.

Frænũ,timor.

Tygur.

Cajetan.

LXX.

Auguſt.

Iſidor,Clar.

Nicetas.

Philip.

Ego per *frænũ* hoc loco intelligo quidquid durum,& naturę palato acerbũ,quo homo ad inimica, & repugnantia naturæ adigitur,& cum non ſua voluntas,ſed alterius fit.ſic Iſai.30.28.*Frænũ erroris,quod erat in maxillis populorũ*, id eſt , imperium Aſsyriorum,quo multos ſubjectos populos pro libito infrænabat, & agebat quoquo verſus.errareq; faciebat. Sic etiã dũ David impiis precatur calamitates , quibus reſipiſcant,ait Pſal.31.9. *In chamo &* 6

Frænum,quod eſt naturæ moleſtũ. & durũ.

Fræno maxillas eorum conſtringe, qui non approximant ad te. Ergo frænū eſt, quidquid moleſtum eſt, inimicumq; naturæ.

XII. Ad dexteram orientis calamitatis meæ, illico ſurrexerunt: pedes meos ſubverterunt, & oppreſſerunt, quaſi fluctibus, ſemitis ſuis.

1. *Germana lectio.*
2. *Hebraizantium lectio. & expoſitio.* Inſurgere *ad audaciam. Cōſtructio pluralis cum ſingulari. Petulantia juvenū.*
3. *Quid* oriens. Naſci *aut* florere *de lepra. Explicatus Moyſes.*
4. Dextera *quid.* Ad dexteram ſtare, *militantis illuſtratus David.*
5. Fluctus, *calamitates repetita. Quid propr. in Hebræo.*

Sententia ſubobſcura; ad cujus elucidationem præmittendum eſt, veram le-
1 ctionem eſſe, *Calamitatis,* non *calamitates.*

Vera lectio examinatur.

Quam vocem, licet neq; in Græco, neque in Hebræo ſit, ſubintelligendam cenſuit Vulgatus, expreſsitq;, non ut apponeret, & conſtrueret cū verbo *cōſurgendi,* ſed ut componeret cum illo participio *Orientis.* Quare cum *calamitates* in plurali legunt, & interpretantur, Gregorius, D. Thomas Dionyſius, Nicolaus, Titelmanus, nonnulliq; Latini, imo & Philippus, mendoſa profecto lectione uſi ſunt; licet non omnino incommodum ſenſum adhibuerint; videlicet quod ab Orientali, vel Meridionali parte hoſtes irruerint in illius agros.

Mēdoſa interpretum Latinorum lectio.

Quo etiam vitio laboravit lectio Aug. *A dextris germinantes* (vel oriētes) *cōſurrexerūt:* Conſtat vero illius mendum ex vera lectione, & correctione Vaticana Septu. *Super dextra germinis* (vel, germinantis) *inſurrexerunt,* quod nos dicimus, *orientis.*

Auguſt.

Septuaginta Vaticani.

Eſt vero magna diſſenſio de ſignificatione illius vocis *Orientis,* aut *germinis,* aut
2 *germinantis*; quæ vox deducitur a verbo *germinādi,* aut *efflorefcēdi,* vel *oriendi,* quod quidē verbū eſt cōmune naſcenti, & exorīēti ſive luci, ſive herbæ, aut arbori.

Oriens, aut germinans cōmune multis.

פוח

Quare Hebraizātes poſt R. David. R. Moſ. R. Abra. & ſiquis alius eſt hujus farinæ, ajūt vocē originalē ſignificare *pueros,* qui ſunt in primo flore ætatis, aut adoleſcētes floridiores videlicet, filios, & germina illorū ſtultorū, quos ſupra nominavit; & ut eſt illa ætas petulās, atq; procax in ſenes, & miſeros homines, dicat Iob, ſibi in ærumnas, & calamitates delapſo, petulātiſsimos pueros a dextris conſtitiſſe, qui ludibriis, atq; cōvitiis illū inſectarentur, atq; exagitarent.

RR. David, Moſeh. Abrahā. Paguin. Regia.

Quare Cōplut. in lexico legerunt; *Ad dexteram pueri, vel, juvenes ſurrexerunt.* vel ut Pagn. legit; *Adoleſcentes ad extremū latus inſurgunt.* vel ut Cajetan. legit: *Super dextrā juvētus ſurgent.*

Complutenſ.

Pagninus. Cajetan.

In qua lectione duo obſervari poſſunt; Primum, conſtructio nominis ſingularis, cū verbo plurali, quæ indicat debere fieri diſtributionem verbi ſub ſubjectis contentis nomine ſingulari, id eſt, *puer ſurgēt,* hoc eſt quilibet puer audebit inſurgere adverſum me. Secundum, quod illo verbo *ſurgendi,* indicatur petulātia juvenilis adverſum Iob; cum enim antea illum revererētur, at poſtea data per calamitatem occaſione in illum debacchabantur. Atque hæc de Hebraizantium lectione, & interpretatione.

Cōſtructio nominis ſingularis cum verbo plurali.

Græci vero per *orientem,* aut per *germē* ſive *germinationē, rerū ubertatē, & fælicitatē* interpretantur; ut ſignificet ſe cū maxime florebat, deturbatū ad extremas erūnas. Qui ſenſus, non valde leniter cohæret.

Græcorū ſententia.

Atq; illud etiam aperte tropologicum eſt quod Nicetas ſignificari a Iobo exiſtimat; *Laudabiles meas actiones inſectantur, cum me incorrupta mente, pietati operam nāvaſſe inficiantur.*

Nicetæ tropologia.

Sed Interpres per *orientem,* aut *germinā*
tē, ipſum calamitatis quaſi enaſcentis ini- 3
tiū intelligit, quod ſic videretur poſtulari ab adjunctis. Et quāvis videatur præter Scripturarū morē illum *ortum,* vel germinationem accipere in malum, cū fere ſemper in bonū uſurpetur; certe ſi ſuam *calamitatē* nominet Iob primā illam leprā, eleganter ſignificabit nomine *orientis,* vel *germinantis*: nam & de lepra dicitur Levi. 13. 11. *Si effloruerit lepra in cute.*

Morbi, & lepræ ortus, vel germinatio.

Septuag. ex Hebræo? *Si floreſcens effloruerit.* & ab eadem radice, Exod. 9. 9. *Erunt ulcera, & veſicæ turgentes.* Proprie, *Efflorefcentes,* vel *germinantes,* aut *orientes.* Nos dicimus eadem translatione, *Nacidos.*

LXX

Dextera autem *calamitatis,* poterit eſſe ipſum calamitatis robur, & vis, vel conſpiratio quædā ſuorum hoſtium, Dæmonum, vel hominum, confortantium, & adjuvantium ſuū morbum, & adſtantiū illi a dextro latere, ut acerbiorē redderent. Sicut dicitur Pſ. 15. 8. *A dextris eſt mihi Dominus, ne cōmovear,* & Pſal. 108. 31. *Adſtitit a dextris pauperis.* & Pſal. 88. ait David Deum ſtetiſſe a ſuis hoſtibus, illosque invictos effeciſſe, *Exaltaſti dexteram deprimentium eū.* Ergo dicet Iob morbos ſuos per ſe graviſsimos, multo acerbiores redditos fuiſſe petulātia ſuorum adverſariorum.

שלח

Pedes meos ſubverterunt. Prop. impulerunt, aut emiſerunt ad lapſum, vel ad pręcipitium. Incubuerunt in me totis viribus, *Tanquã parieti inclinato, & maceriæ depulſæ*, quod inhumaniſsimum eſſe, cadẽtem impellere, diximus ſuperius. Illud nõ prætereundum, Septua. legere; *Pedem ſuũ extenderũt*, vel, *pedes ſuos extẽdit*. Quod pertinere videtur ad ſupplantandũ. Auguſtin. vero, *Pedes meos vinxerant cõpedibus*, quod ſpectat ad inextricabiles ærumnas. (Pſalm. 61.4.)

5 סלל

Et oppreſſerunt, quaſi fluctibus, ſemitis ſuis. Eleganter Sept. juxta Hebræũ: *Straverũt ſuper me ſemitas perditionis ipſorũ.* q. d. Fecerunt per me viã, atq; me proculcato, aditus patefactus eſt malis, & hoſtibus univerſis, quaſi rupto numero, & aperta janua, atq; ſtrata, & cõplanata ſemita, ita ut primę calamitates novas alias indies ærũnas advocarint. Ait ergo; Aſsiduis dãnis opprimor, & quaſi fluctibus non ſemel appetor, ſed ſæpe repetunt me mala; recurrunt, incurruntq; in me, *Olas van, y olas vienen*. Hoc enim indicare videtur hæc fluctuum, & ſemitarum translatio, ut ſapienter indicavit Philip. *Semitis* (inquit) *ſuis, id eſt frequenti repetitione me affligunt*. & Vat. *Reddunt vias ſuas tritas frequenti diſcurſatione, ut me damnis conficiant.* (Fluctus allegorice; aſsidua mala. — Philipp. — Vatabl.)

איד

Quaſi fluctibus. Vox originalis apud Septuag. *perditionẽ* ſonat, apud alios Hebraizantes, *cõtritionẽ*, vel *fractionẽ*; apud alios, *dãnum*, vel *incõmodum*. Atvero apud noſtrum interpretẽ, ſignificat *afflictionẽ*, Pſa. 17.19. & *interitũ*, Prover. 2.26. & *fontẽ*, *vaporẽ*, vel *nubẽ*, Gen. 2.6. & *imbrẽ*, infra Iob. 36.27. Et forte omnia hæc ducuntur *a nube*, quæ deſuper grandinat, aut pluit, & perdere ſolet ad interitũ, & contritionẽ uſque arbores & ſegetes, & omnia virentia. Hoc autem loco vertitur *fluctus*, comprehenditq; hæc omnia, quæ diximus, videlicet malorum grandinẽ, & imbrẽ ærũnarum, quæ miſerum hominem obruunt, opprimunt, confrigunt, ſic Aquila hoc loco dixit: *Inundationẽ*. Quã lectionem eleganter illuſtravit Nic. *Aquila* (inquit) *pro, ſemitas perditionis, colluvionis* (ſcaturientis aquæ) *dixit: quaſi enim aqua, quæ impetu fertur, ſic loquacitatibus, atq; audacibus conatibus multorum Deus quaſi viam cõplanavit.* (Aquila. — Nicetas.)

❧ *XIII. Diſsipaverunt itinera mea, inſidiati ſunt mihi, & prævaluerũt: & non fuit, qui ferret auxilium.*

1. Diſsipare *quid prop.* Itinera. *Notatus Cajet.*
2. *Incerta via periculoſa.*
3. Prævalere *quid. Calamitates perferentibus utiles, inferentibus noxiæ. Illuſtratus Paulus.*
4. *Quid* Ruptus murus, *aut* fractura lata *in Hebræo. Calamitatis Symbolũ. Illuſtratus Amos.*
5. *Quid* irruere *&* devolvere *Explicatus Iere.*

VIdetur amplius deſcribere, & exponere magnitudinem, & vim fluctuũ illorum, quibus oppreſſus eſt: *Diſsipaverũt* Hoc tantum loco, invenitur verbum hoc:
1 נתם
Septuag. *Contritæ ſunt ſemitæ meæ*: Alii, *diruerunt*. Alii, *Corruperunt*, vel, *ſubverterũt*. (LXX.)
res fere apud omnes eadẽ. *Itinera*, ſtudia, opera, quidquid vellem, quidquid pararẽ diſsiparunt. Vatab. *Impedimento mihi ſunt, quo minus aſſequar, quod cupio.* Nicet. *Meæ fælicitatis viæ ſublatæ ſunt omnes.* Ego potius referrem ad inextricabiles difficultates: Nulla mihi patet ſalutis via, qua effugiam, quo me vertam, neſcio, ita me implicarunt præſentia mala, ita omnia mea priſtina ſtudia impedita ſunt. Perſequitur vero eleganter illam ipſam fluctuum translationem; nam ingenti aliqua eluvione, & inundatione ſolẽt deleri ſemitæ. Si velis videre Rabbinicum omnino ingenium, & interpretandi rationem, licebit in illo Hebræo apud Cajet. qui per *pedes ſubverſos*, quos ſupra dixit, exiſtimat intelligi aſinas & animalia abacta a prædonibus; per *itinera diſsipata*, Oves; quia *illis* (inquit) *utebatur tãquã via ad fælicitatẽ*. Bellũ ſomnium. (Pagn. Reg. Caje. Tygur. Vatab. — Vatabl. — Nicetas. — Itineris, & viæ ſignificatio. — Ingeniũ Rabbinorum. — Cajetanus.)

Inſidiati ſunt mihi. Deeſt in Hebræo, & Græco, quod tamẽ additum eſt a Latino 2
per paraphraſim, illuminationis gratia: cũ enim viæ, & ſemitæ meminiſſet, opportune in incertis, dubiisq; ſemitis inſidiæ parantur ab adverſariis adverſus hominem aberrantem. (Vulgati interpretis ſolertia & lumen.)

Et prævaluerunt. Proprie: *Proficiunt ad meam contritionem*. Nos diceremus, *Valeles y ſalenſe con ello*. id eſt, accidunt illis pro 3 יעל
votis omnia ad me lædendum: nullas adverſum me irritas inſidias pararunt. Tũ etiam, mea damna illis fuerũt utilitati, & lucro, proficiunt itaque, & utilitatem capiũt ex meis malis, *Et nõ fuit, qui ferret auxiliũ.* Hebraizantes longe alium ſenſum eliciunt, quam verba Latina ſtatim offerunt; cum enim videatur conqueri, quod nemo ſibi opis, & ſolatii cauſa adſit; at illi, quia in Hebræo eſt relativum plurale: *Non adjutor eis*; Exponunt hoc de ipſis adverſariis Iob: idq; dupliciter. Primo, Tygurina: *Promovẽt ad lædendum me, ut eis adjutore nihil opus ſit.* Id eſt, meis adverſariis ſatis per ſe ſingulis viriũ eſt, nec eſt, quod in meam perniciem conſpirent, qui antea nullo inter ſe fuerant ſocietatis, & communionis fœdere conjuncti; conqueritur (Hebraizãriũ multiplex expoſitio. — Tygur.)

Cajetan.

itaq; quod qui antea interſe fuerant inimici, at in illo ſuæ calamitatis die facti ſint amici. Vbi etiam putat Cajetanus ſignificari Dæmones, ut qui alienis viribus ad perficiēda ſua ſtudia opus non habeāt ſicut homines. Quæ interpretandi ratio ſubtilis eſt, ſed paulo coactior. Secundo Vatablus, ut ad contemptum, & ignobilitatem ſuorum adverſariorum pertineat, *Cadentem me impellunt, & meam infælicitatem adjuvant ii, qui antea ope erant deſtituti.* Prævalent (inquit) quibus olim nullæ vires, nullus adjutor. Sed illud tertio nō inelegans, ut adjutor, *qui fert auxiliū*, quaſi neutraliter accipiatur, nam Hebræi non aliud habent genus, quam maſculinū, aut fœmininum: *Prævalent*, proficiunt, utilitatem & lucrum ex meis damnis arbitrantur ſe captare. Sed nihil eis proficit, nihil illos adjuvat, quod meam perniciem adjuvat, & promovet, ſicut dicebat Paulus. Philip. 1. 20. *In nullo terreamini ab adverſariis, quæ illis eſt cauſa perditionis, vobis autem ſalutis, & hoc a Deo.* Nam tribulationes (inquit) non ſunt ſalutares, iis, qui illas infligunt, & afferunt, ſed potius exitioſæ, at perferentibus ſalutares ſunt. Nihil igitur compendii (inquit Iob) poſſunt mei adverſarii ex meis ærumnis facere, prodeſſe ad meā perniciem poſſunt, imo, & in ipſa mea pernicie procuranda utiles mihi erunt, non ſibi.

Vatab.

Subtilior explicatus.

Tribulationes perferentibus ſalutares, infe rētibus noxiæ

XIIII. *Quaſi rupto muro, & aperta janua irruerunt ſuper me, & ad meas miſerias devoluti ſunt.*

4 EGo exiſtimo illam primam fluctuum translationem promoveri, & amplificari his ſententiis. Interpres autem per *murum ruptum, & apertā januam* explicuit, quod in Originali ſimplex erat, *Fractura*, ruptura *lata*. Eſt enim proprie earuptura, quam efficit impetus fluminis, aut fluctuū exundantium, ut colligitur ex illo Hoſeę 4. *Inundaverūt*, pro. diruperūt. & ſuperius c. 28. *Dividit torrens*, id eſt, dirumpit, cum exundat. Quare non ineleganter dixit Vatab. *Veniunt adverſum me magno impetu ut fluvius ſolet rupto aggere.* Tyg. *Irruūt, ut latū flumē ruptis aggeribus.* Sed quia frequēter illa fractura, aut eruptio ſolet in Scripturis dici dē *muro*, aut de *maceria* labefacta ta, & diruta, ideo expreſsit Vulgat. illud, *quaſi rupto muro*, ad quem videlicet magno impetu alliduntur fluctus, tandemque evertunt. Eſt autē apertus, aut *ruptus murus* ingentis calamitatis, & deſolationi

פרץ

Vatab.

Tygur.

Murus ruptus ſymbolum ingentis calamitatis.

ſymbolum, & hominis nulli non dāno, & malo expoſiti, omniq; munimento carētis. Reſtaurationis vero, & reſtitutionis, in priſtinam fælicitatem, illud eſt Amos. 9. 11. *Reædificabo aperturas murorū ejus.*

Et aperta janua. Latitudinem illam, quę eſt in Originali, intellexit Interpres, eſſe aditum patentem & latū, ideo dixit, *apertam januam.* Quāquam neſcioquid hoſtile indicatur cum impetu hoſtium civitatis fores effringūtur, & patefit aditus. *Irruūt*, quaſi inito fœdere conjurati de meo interitu. *Ad meas miſerias*, deſolationem, vaſtitatē, *devoluti ſunt.* Verbum originale, eſt idem, quod *volvere* cum ſuis compoſitis, devolvere, provolvere, & dicitur aliquando de rota, & iis, quæ magno impetu, inſtar rotæ, devolvuntur. Vnde ab eadem radice dicitur *Galgal*, id eſt, *rota*, quod ſit volubilis, quod ad celerrimū motū deorſum refertur. Cujuſmodi eſt illud Ierem. 51. 15. adverſus Babylonē, quam cū monte inexpugnabili comparat, *Ecce ego ad te, mons peſtifer, * Evolvā te de petris*, id eſt, tua ſaxa præcipitabo, teq; totum dejiciā magno impetu, id eſt, tuos fortes, & viros bellatores auferam. Kaldæus, *Conſumam te de fortibus.* Similiter ait Iob ſuas ærūnas ingenti impetu inſtar rotæ volubilis, & cōcitatiſsimę adverſum ſe devolutas. Quam proprietatē agnovit Philippus. *Veloci (inquit) impetu, & nemine reſiſtente.* Sed quoniam idē verbū ſignificat involvere, aut convolvere, neſcio quid latentiū inſidiarum agnoſcunt Hebraizantes, Quod Vatab. exponit, *Advoluti ſunt ad me latenter.* Sed non quadrat, cū jam non hic de latētibus inſidiis, ſed de aperto impetu loquatur. Cajet. legit, *Sub deſolatione involverūt ſe*, quod ipſe idem interpretatur, *Ex omni parte deſolantes venerunt, ad inſtar eorum, qui ſe totos involvunt ſub linteis.* q. d. operti, & veſtiti indignationē, & mei perdendi ſtudio. Sed dure, & coacte. Noſter Interpres rem profecto ipſam Latine, & Hebraice fæliciter aſſequutus eſt.

גלל

גלגל

* Yo te dexare deſgalgar dende arriba.

Chald.

Philip.

Vatab.

Cajetan.

Latinus Interpres Hebraizantibus præ lucens.

XV. *Redactus ſum in nihilum, & abſtulit, quaſi ventus, deſiderium meū: & velut nubes, pertranſiit ſalus mea*

1. Redigere. Quid. Nihilum. *Illuſtratus Ezech.*
2. Auferri, & deſiderium *in Sacro ſermone, filii parentum deſiderium.*
3. Nubes *Symbolum fallacis fælicitatis.* Abire quid. *Illuſtratus Salomon.*

1 VI dolorum & cruciatuum incredibilium omnino cōſumptus, videri poſ-

ſum,

ſunt, atque meæ incolumitatis ſpes omnis, inſtar leviſsimæ nubis celeriter emigraſſe, prorſusque evanuiſſe.

הפך בלה

Redactus ſum in nihilum. Vox *redigendi* proprie ſignificat convertere, aut reverti quod eleganter dicitur, *Redigi* in aliquid. *Nihilum* autem proprie ſignificat vetuſtatem, attritionem, & conſumptionem rei ſeneſcentis, quod ſignificăter dicitur per Metalepſim, *nihilum*, aut *intertus*: nam his etiam modis vertere ſolet Vulgatus Ezechiel, 26. 21. & 28. 8. aliquando vertitur *turbatio*, Iſaiæ 17. 14. & *formido* Iob. 18. 11 Idemque hoc verbum veteraſcēdi, *Balah*, per Metateſim litterarum ſignificat idem quod *Bahal*, quod eſt terreri, aut formidare. Hinc igitur variæ lectiones, quæ omnes expoſitiones eſſe poſſunt noſtri Interpretis. Septuaginta, *Convertuntur in me dolores.* vel, *Revertuntur mei dolores.* Auguſt. *Iterantur dolores mei*, id eſt, mei dolores inſtaurantur. Alii, *Converſi ſunt in me terrores*, formidines, perturbationes. Quod ſi etiamnunc allegoriam illam fluctuum irruentium, & alluvionis ingentium dolorum perſequatur Iob, locus profecto, & re, & verbis ſimillimus erit Ezech. 26. 18. ubi deſcribitur urbs quædam, inundatione aliqua diruta, & ſolo adæquata, penitusque *redacta in nihilum. Hæc dicit Dominus Deus; Cum dedero te urbem deſolatam, ſicut civitates, quæ non habitantur; & adduxero ſuper te abyſsū, & operuerint te aquæ multæ; & detraxero te cum his, qui deſcendunt in lacum ad populum ſempiternum, & collocavero te in terra noviſsima, ſicut ſolitudines veteres; cum his, qui deducuntur in lacum, ut non habiteris. Porro cum dedero gloriam in terra viventium, in nihilum redigam te, & nō eris.* & iterum cap. 28. 19. *Nihili factus es, & nō eris in perpetuum.*

Metalepſis. — בהל — *Varia lectio.* — *LXX.* — *Auguſt.* — *Deſcriptio civitatis everſæ*

2 *Abſtulit quaſi ventus deſiderium meum.* Philip. elegantem habet hujus loci paraphraſim, *Deſiderium meum, quo remunerationes tuas per mandatorum tuorum cuſtodiam præſtolabar, pariter cum ſalute, quaſi venti impetu, & quaſi translationis nubis celeritate rapuiſti, quia abripi permiſiſti.* Sed interpres elegăter dixit, *Abſtulit quaſi ventus.* Quod in Hebræo eſt, perſequitur, vel inſequitur. & quadrat quidem in *ventum* flantē a tergo, & quaſi inſequentem, aut perſequentem, & cum impetu percellentem. *Deſideriū meum.* Prop. in originali: *Principem meam.* alii, ultroneam, vel ſpontaneā, aut, liberalem meam; nam vox *Nadab*, voluntarium, & ultroneum liberalitatis, & beneficentiæ affectum affert principe dignum, ſive in offerendo, & dando, ſive in deligendo, ſive alia peculiari ratione. Ergo quidam intelligunt animam ipſam, & vitam præ cunctis aliis rebus deſideratam, ut quæ ſit potiſsima hominis pars. Sic Complutenſes, atq; Vatablus: *Animā meam nobilem, & inclitam.* Tygur. *Animam beneficētiæ ſtudioſam*, Alii; divitias, & cætera bona externa deſiderabilia. Alii filios in quibus tota eſt parentum voluntas, & deſiderium. Septuaginta. *Spem*, dixerunt: *Spes mea, ſicut ſpiritus.* Alii; Evanuit quidquid mihi relictum erat ad ſpem meliorē. fere idem, quod Philippus dixit; *Deſideriū remunerationis.* Sed eleganter dixit Interpres Latinus in communi, *Deſiderium meū* Sicut & Symmach. *Deſideria*, aut, *jucunditates meæ*, id eſt, quicquid mihi jucundum eſſe poterat; quicquid velle; aut ſperare poſſem, ludibrio venti expoſitum eſt, impulſum, diſsipatum.

Philipp. — רדף — נדב — *Varia deſiderii, & deſiderabilis interpretatio.* — *Complutenſes. Vatab. Tygur. D. Tho. Dioniſ. Cajetan. Nico.* — LXX. — *Philipp.* — *Symmach.*

3 *Et velut nubes*, quæ quamvis in ſublime evehi videatur, & ingenti mole conſpicua ingentem pluviam polliceatur, ſed vi vētorum disjecta diſſolvitur. Sic temporalis mea fælicitas, & gradus ille ſublimis fælicitatis. *Nubes* cito tranſiens ſymbolum rei deficientis, & evaneſcentis. Iob 7. 9. Hoſeæ. 13. 3. Tum etiam fallacis, & vani promiſsi, quale illud eſt Prover. 25. 14. *Ventus, & nubes, & pluviæ non ſequentes, vir glorioſus* (verboſus, & multa promittens) *& promiſſa non complens. Pertranſiit.* Septuag. *Diſceſsit*, exceſsit, celeriter emigravit. *Salus mea.* aliquis; *Anima mea, a qua pendet ſalus mea.* Sed dure, & coacte. Cajetanus, *filios* intelligit, qui *ſalvant patrem prorrogando ejus eſſe.* Hoc quoque lōge petitum. Divus Thomas, *de ſalute corporis:* Hoc anguſtum. Preſtat ergo ut paulo latius accipiamus. *Salus*, incolumitas, melior ſpes, & conditio ſalutarior. Nihil nunc, quod videam, bene me ſperare jubet de ſalute, & integritate rerum mearum recuperanda.

Symbolum inconſtantis fælicitatis. — *LXX.* — *R. Steph.* — *Cajetanus.* — *D. Thom.* — *Salutis ampla & germana ſignificatio.*

XVI. Nunc autem in memet ipſo marceſcit anima mea, & poſſident me dies afflictionis.

1. Marceſcere *quid.* Anima *cur dicatur* effundi, *aut cor, vel oratio. Illuſtratus Moyſes, & David.*
2. Poſsidere, & obtinere *in Sacro ſermone quid* Dies, *de calamitoſo.* Hypallage. *Explicatus Moyſes.*
3. *Nocturni dolores.* Noctis, & Somni *ſimulacrum.*
4. Oſſa *quid; & quem locum, vel in dolore, vel in fælicitate habeant,* Olei *efficacitas. Explicatus David.*

5. *Varia lectio, & expositio*, Comedere, *pro detrahere*.

1 CVM Multa (inquit) sint mala gravissima externis oculis obversantia, quæ me reddāt miserabilē, at illud longe gravius, quod interius animo, & viribus totus langueo, & velut contabesco; curis, cogitationibusque molestissimis implicor, atque distineor. *In memet ipso.* Eleganter, & Latine, quod in Hebræo, & Græco est, *Super me*, aut, *Contra me.* q.d. non solum foris miserandam rerum omnium faciem intueor, sed intus etiam obversatur animo tristissima imago; cum enim in me converto oculos, langueo, & concido animo. Si quando assurgo mente, & spe, Deum intueor. Vide Gregorium. *Marcescit anima:* Septuaginta juxta Hebræum *super me; effundetur anima mea.* q.d. exhaustis viribus, confecto robore, pene jam mortuus. Philippus: *A vigoris sui intentione dissolvitur.* *Anima* pro vita, aut vitæ energia, & robore frequenter in Sacris. *Effundere animā*, pro exspirare, aut mori, frequens etiam apud sacros, & prophanos. Censetur enim cadaver instar vasis cujusdam pleni spiritu, & anima, plenique humore vitali, aut sanguine, qui etiam dici solet, *Anima*, aut vita; hæc cum effunditur, manet inane, exhaustum, & exangue cadaver exucto vitali humido, & arescente vita. Tum etiam quoniā frequenter sanguis pro anima sumitur, & simul cum sanguine vita ipsa profunditur, ideo dicitur, *anima*, aut vita *effundi*, & aliquando etiam vomi, ut ille dixit; *Purpuream vomit ille animam.* Sed illam corporis cum vase similitudinem, & animæ cū humore, qui diffunditur expressit Lucretius lib. 3. nunc animam vocans *liquorem*, nunc *fumum*;

Gregorius. — שפך — *Philipp.* — Anima, vitæ energia. — Effundere animam. — Corpus instar vasis pleni vitali humore. — *Lucretius.*

Nunc igitur quoniā quassatis undiq; vasis
Diffluere humorem, & laticem discedere cernis
Et nebula; ac fumus quoniam discedit in auras;
Crede animam quoque diffundi:
Quippe etenim corpus, quod vas quasi constitit ejus,
Quam cohibere nequit conquassatum ex aliqua re.

Græcus tamen scholiastes hunc animæ marcorē & diffusionem refert ad cogitationum inconstantiam, & labantes in animo sententias. Nicet. *Dissolvitur, id est suspensa hæret, quod neq; Deo adscribere injustitiam velit, neque sibi quicquam absurdi conscius sit.* Simili phrasi dicuntur Psal. 72. 2. *effusi gressus*, cū non consistunt. & 1. Reg. 1. 15.* *Effundi animam coram Domino*; cum variæ cogitationes, & confusæ perturbatæq; curæ coram Deo exponuntur inter orandum; Quod etiam dicitur, *Effundere cor.* Psal. 61. 9. & *Effundere orationem*; Psal. 141. 3. Alias *effundere animam*, pertinet ad effusam animi lętitiam, & gaudiū. Psal. 41. 5, Sed cum discrimine: nam quādo in malum, *effundi*, est idem, quod *exhauriri*, & exinaniri. sic illud Gen. 49. *Effusus es, sicut aqua, non crescas.* id est, penitus exhaustus, & exinanitus eris, propter nefariam libidinem; prava voluptas tuam vim animi omnino exhausit, atque exinanivit, ideoq; nihil excelles tuos fratres. Antiqua illa Hebræorū, qui in Hispania exulabāt, translatio, barbare, sed significanter exprimebat; *Escorristete, como el agua, non mejores.* At vero cum in bonum accipitur, significat, tantam boni, & lætitiæ copiam, ut etiam si ore redundet, & foras effluat, exhauriri penitus non possit.

Nicetas. — * Derramarse el coraçon, y no poder recogerse. — Cogitationū & curarū multiplicium inconstantia. — Profusa lætitia animi in bonum, aut in malum.

Et possident me * *dies afflictionis.* Septuaginta. *Habent me.* prop. Tenēt comprehensum, & quasi arctissime vinctum. Simile id Exod. 15. 14. ab eadem radice; *Dolores obtinuerunt* (Septuaginta: *Apprehenderunt*, apprehensos possederunt, ceperunt: *Cogieron los*) *Habitatores Philisthiim. Dies*, ærumnosissima, & calamitosissima tēpora. *Afflictionis.* prop. dolorum. & ærumnarum: non possum me explicare tantis ærumnis & cruciatibus, vel per Hyppallagem: Habeo, possideo dies calamitosos; incidi, deveni, in luctuosissima tempora. Vtrumq; eleganter. Illud quoq; obiter notandum utilem, sed non valde solidam esse in hoc loco illam Gregorii observationem: *Modo dies afflictionis possident justos; quia dies lætitiæ post sequentur*: nam in Hebræo futurum est, *Possidebunt*, ut significetur perpetuitas quædam, & diuturnitas ærūnarum. 2

* Han hecho en mi fuerte y presa el tiēpo, y los dolores. — אחז — Dies pro tempore calamitoso. — ענה — Gregorii observatio utilis — Futurum, dete diuturna.

XVII. *Nocte os meum perforatur doloribus, & qui me comedūt, non dormiunt.*

CVM Miserrimo cuique induciæ sunt dolorum, nocte nimirum, indulgente morbo & mitescente dolorum acerbitate; ego multo acerbius excrucior; tunc enim pervadit ossa intima sævus dolor, & qui me vexant, somno, & quieti fugiunt meos cruciatus, & noctes insomnes: Semper igitur exagitor; semper illi me insectantur. *Nocte.* Nicetas, nihil peculiare agnoscit, quam diuturnitatem illam acerbi doloris. q.d. dies, *noctesque*; Sed 3

Cohærens paraphrasis totius sententiæ — *Nicetas.*

eſt in commemoratione *noctis*, vis illa, & amplificatio, quam indicavimus; eſt enim *nox*, ſicut & ſomnus, laborum medicus, edomitor curarũ, & ut Orpheus in hymnis dixit.

Nox doloris levamen. *Orpheus.*

Sacroſanctum doloris omnis ſolamen.

Pauſanias.

Pauſanias certe in Corinthiacis lib. 2. ſcribit apud Sycionios fuiſſe Somni ſimulachrum hujuſmodi: *Leonem* (inquit) *ſopiens Somnus, Epidotes cognomento*. quod quid aliud eſt, quam ſomnum ſævos domare, & conſopire dolores? Hæc eſt illa ingentis doloris, & luctus ſignificatio, cum *per noctem non tacet pupilla oculi*. de quo diximus in Thren. 2. 18. Vid. quæ de illis morbis diximus, in quibus nocte ingraveſcũt dolores. c. 2. in enumeratione morborum ſect. 5. num. 1. Vide etiam. c. 7. verſ. 13. & 14. & c. 10. verſ. 17.

Somni ſimulachrum.

Significatio ingentis doloris.

4 *Os meum perforatur.* Oſſa mea perforãtur, terebrantur, acerbus dolor pervadit, & penetrat oſſa, ſuis ſedibus dimovet, & convellit, eruit, effodit. Cadunt hæc omnia in proprietatem verbi originalis. Septuaginta, *Oſſa confracta*. Auguſt. *Oſſa confuſa*. Alii Græci, *Combuſta*. Nicetas, *Exuſta vi irruentium cruciatuum*. Acerbiſsimus ille dolor eſt, qui pervadit oſſa; & multo acerbior, ſi noctu ingraveſcat. nocturnũ cruciatum ſignificat Ezechias, Iſai. 38. 13. *Sperabam uſque mane; quaſi Leo ſic contrivit oſſa mea*. Sunt etiam in Sacro ſermone apud David; *Oſſa conturbata*, Pſal. 6. 3. & Pſalm. 30. 11. *Diſperſa*, Pſalm. 21. 15. *Inveteraſcentia*, Pſal. 31. 3. *Diſſipata*, Pſal. 51. 6. Quæ omnia vel ad extremam conſumptionem, & maciem pertinent, vel ad extenuationem omnium virium, & præcipuarum animæ partium. Sic hoc loco interpretatur Nicetas per *oſſa, animi nervos*. Denique cum Deus dicitur, *liberare oſſa*, Iſai. 58. 11. aut, *cuſtodire*, Pſal. 33. 21. aut facere, ut *exultent*, Pſal. 50. 10. indicatur ingens quoddam animi gaudium totum hominem pervadens, & in intimas animi partes ſe ſe inſinuãs. Ideo hæc, quæ ingẽtis efficacitatis, & ſenſus acutiſsimi ſunt, ſive bona, ſive mala, comparantur cũ *oleo*, quod penetrat in oſſa uſque, atq; medullas, Pſal. 108. 18. Sic de oleo Ariſtot. problem. 22. ſect. 31. *Nihil æque pervadit quas cumq; res; etiam ipſa ſubit oſſa*. Vide, quæ ſuperius diximus. c. 20. nu. 10.

Oſſa bene, aut male habẽtia quid ſignificẽt.

נקר

LXX. *Auguſt.* *Nicetas.*

Oſſa male affecta, quid indicent.

Nicetas.

Quæ animi ſenſum penetrant comparantur cũ oleo

Ariſtot.

Oleũ ſubtile,

5 *Et qui me comedunt*. Vox, quam ſupra num. 3. diximus ab aliis verti. *fugere*, aut *fugare*. Quare Complutenſes legunt: *Fugantes mei*. id eſt, qui me perſequũtur, aut, fugaces mei, forte propter celerem, & irrequietum motum, quem vel efficiunt in alio, vel in ſe habent. Hinc variæ exponendi rationes. Prima, ut iſti *comedentes*, fugantes, aut fugaces, ſint arteriæ nunquam quieſcentes. Sic poſt R. David explicat R. Mardokai, *Sunt* (inquit) *venæ pulſatiles, quia Gharak ſignificat, fugere, & ſequi, & Gherec, vena in qua pulſus agitatur*. Sic ergo interpretatur Vatablus; *Neque pulſus meus redditur minor tempore nocturno; qui tamen minui deberet, quia calor retrahitur in partem interiorem*. Videtur ergo de febri nocturna conqueri acutiſsima. Atque eodem ſpectat Pagninus, qui, *pulſus*, legit. Certe Septuaginta, *Nervos diſſolutos*, legunt. Forteque intelligunt illorum motum inæqualem, & varium, aberrantemque. Regia cum Hebræo illo apud Cajetanum; *Venas*, vertit. Sed qua nam ratione *venæ* dicentur quieſcere, & dormire, aut vero vigilare? An, ut ait Cajetanus, quia venæ non ceſſabant emittere putres humores? An propter confuſionem quandam, & commotionem noxiorum humorum intra venas? Sed hæc non afferunt per ſe dolorem, aut cruciatum.

Varia lectio, & expoſitio.

ערק

Complut.

R. David. *R. Mardochai.*

Vatab.

Febri nocturna laborans Iob.

Pagninus. *LXX.*

Regia. *Cajetan.*

Venæ Iobi laborantes.

Cæterum duos alios explicatus habet hæc ſententia. Primum; ut *qui Iobum comedebãt*, ſint illius hoſtes, & detractores; qui mordebant, comedebant, arrodebant, & inceſſanter adlatrabant. Placuit hoc Algarbienſi Epiſcopo; immo non diſplicuit Philippo, qui non tantum de hominibus, ſed de Dæmonibus accipi poſſe ſcribit; Ii enim vigiles ſunt, & in malo nunquam dormitant. Secundum, ut *vermes* intelligantur, qui depaſcebantur, & arrodebant membra, & ulcerum latera. Significavit hoc proculdubio Vulgatus, atque interpretantur univerſi Latini poſt Gregorium, Philippus, D. Thomas, Nicolaus, & poſteriores cæteri. Sed de Iobi vermibus diximus abunde tom. 1. c. 2.

Duæ aliæ probabiles exponẽdi rationes

Oſorius.

Gregor. *Philippus.* *D. Thomas.* *Nicolaus.*

XVIII. In multitudine eorum conſumitur veſtimentum meum, & quaſi capitio tunicæ ſuccinxerunt me.

1. *Varia lectio & expoſitio Vermes ulcerum.*
2. Conſumere quid proprie. *Pthiriaſis. Illuſtratus Samuel.*
3. *Angina Iobi*. Suſpendium, *forte de morbo*. *Illuſtratus Samuel.*

I IN *Multitudine eorum*. Cũ in fonte tantum ſit, *in multitudine potentiæ*, aut fortitudinis, *conſumitur veſtimentum*; Pagninus peculiariter retulit ad dolorem; *Propter*

Pagnin.

Vatab. *multã vim doloris*. Vatab. similiter ad morbum; *Præ multitudine roboris, ſubaudi morbi id eſt, præ nimia morbi gravitate*. Cajetan. Cajetanus ad magnam vim & copiam putris humoris manantis, quo veſtes etiam ipſæ concreſcebant, & putreſcebant. Vulgatus ad illud, quod proxime præceſſerat, duxit referẽdũ, videlicet ad corroſores illos, atq; devoratores indefeſſos; quam ſententiã eleganti paraphraſi elucidavit Philippus; Philipp. *Scatentium vermium multitudo ſemper ſe cõmovens, & per diverſos vulnerum ſinus diſcurrens, veſtem quoque meam, dum per ſe repere non ceßat, attrivit*. LXX Septuaginta ſentẽtiam in ſua illa amplitudine, & proprietate retinuerũt; *In multa virtute apprehendit ſtolam meam*. & Tygurina quoddam late Tygur. patens ſuppoſitum expreſsit, omnia videlicet mala; *Veſtimentum meum vi malorum faciem ſuam mutavit*. Ergo non incommode ad ea omnia referetur, vermes, putres fluores manantes ex ulceribus, dolores, & morbi cruciatus, ac totius corporis fæditatem.

2 חפש Pagnin. Cajet. Regia. Cẽplu. Forſter. *Conſumitur veſtimẽtum*. Proprie legi poteſt; *Mutatur veſtimentum*. Quia vero cum mutatur veſtis, nudatur homo, aliqui legendum exiſtimant; *In magno robore nudatur indumentum meum*. Quo profecto reſpicere potuit, qui hujuſmodi paraphraſi Oſorius. locum hunc elucidare conatur; *Cogit me doloribus, & ardoris vehementia veſtem meã ſingulis horis invertere, cum eam toti corpori injectam tolerare diu non poßim*. Sed ſane illa mutatio, aut prioris veſtimenti denudatio, ad mutationem faciei ipſius veſtimenti pertinet. Sicut ab eadem radice dicitur. 1. Reg. 28. *Mutavit Saul habitum ſuum*. & 3. Reg. 10. *Mutavit aſperſione pulveris os, & oculos ſuos*. Sic Tygurina hoc loco; Tygur. *Veſtimẽtum meum faciem ſuam mutavit*. Niſi forte dicat neceſſarium eſſe propter vim morbi, ſubinde veſtimentum mutare, quod in ægrotis purulentis frequenter evenire ſolet; quod etiam cum vermiculis illis, qui corpus exedunt, peculiariter Pedicularis morbus infeſtans ipſás veſtes. convenire poteſt; cum illis peculiare ſit veſtes ſubintrare; eſt enim illud malum Pthiriaſis, ſive pedicularis morbi, non ſolum ipſius hominis, ſed etiam ipſarum veſtium: de his enim animaleulis cum agit Plin. lib. 11. cap. 33. Plinius, ait gigni in *veſtibus, præcipue lanitio interemptarum a lupis ovium*.

3 Prima exponendi ratio. *Et quaſi capitio tunicæ ſuccinxerunt me*. Si ad vermes referatur (ut videtur voluiſſe Vulgatus, & plerique Latini) ſenſus erit. Immenſam vermiculorum multitudinem per collum veſtis turmatim aſcendere, & quaſi effervеſcere. Illud autem, quod eſt, *Succingere, quaſi capitio*; nihil aliud ſignificat, quam capitium ipſum, & orificium veſtium totum circumdatum eſſe, plerumq; infeſtiſsimis hujuſmodi beſtiolis; quod eleganter dixit Philippus: Philipp. *Multitudo vermium totum, atq; ex omni parte circumdatũ, & quaſi in unum vulnus redactum, inceſſabili æſtu, hauſtuque diſcruciat*.

Secunda exponendi ratio. Si vero de ſanie concreſcente, & conſtringente ipſum periſtomium, & orificium veſtis loquatur, ſenſus erit: Veſtem prę denſatione, & quaſi conſtrictione anguſtiorem redditam, ita ut pene tota ipſa ſit velut orificium tunicæ. Periſtomium tunicæ juſtæ menſuræ. Hoc enim eſſe ſolet juſtæ omnino, & æqualis menſuræ cum collo; licet alios ſinus laxos, & fluentes veſtis habeat. quaſi dicat; Vndique conſtringor veſte, quæ me jam capere nõ poteſt; quippe ipſum orificium tam anguſtum eſt, ut commode reſpirare non poſſim; tanta videlicet eſt vis saniei, atq; putredinis.

Tertia expoſitio. Si vero de ipſo morbo loquatur, ſignificabit ſe quaſi ſtrangulari angina. Qua ratione Nicetas, Septuaginta legentes, Nicetas. *Quaſi ora veſtimenti mei circumdedit me*, interpretatur: LXX. *Tranſlata* (inquit) *uſus eſt oratione: nam qui periſtomio cujuſpiam collum cõſtringunt, ſuffocant illum, & ſtrangulant; dicit igitur, Quia me arctius cõplexus eſt, permade me comprimit, & ſtrangulat, ſicut cum anguſta ora veſtis jugulum adſtringit, premitq; vehementius*. Iob laborãs angina. Vide quæ diximus, c. 2. diſp. de morbis ſect. 8. & de *attenuato* Iobi *ſpiritu* cap. 17. Ad quem etiam morbum Elias Thiſbites, in radice *çacar*. refert illud Aeliæ Thiſbitis ſentẽtia de ſuſpendioſo morbo Iobi. capitis. 7. verſ. 15. *Elegit ſuſpendium anima mea*. ubi ait, *çacar eſſe morbum, qui obturat os fiſtulæ cibalis, quæ eſt in collo; quo morbo homo correptus in hora moritur*. סכר Addit etiam pro ſuo Rabbinico more, & ingenio: *Quod morbus iſte ab exordio conditi mundi, primum omnium invaſit pueros, deinde etiam adultos; & hoc interdum cum ſternutarent; tunc evolabat ſpiritus eorum, & moriebantur*. Sternutatio olim exitioſa. *Vnde profecta eſt conſuetudo, ut homini ſternutanti dicant, Salus*. Illud vero multo magis Rabbinicum, quod laqueum, ſuſpendiumque Achitophelis. 2. Reg. 17. de hoc morbo intelligere velit: quod enim dicitur, *Diſpoſita domo ſua ſuſpendio interiit*; exiſtimat An Achitophel vero ſuſpendio interierit. quod *morbus iſte invaſit eũ, ob nimiam enim triſtitiam, eo quod non ſucceßiſſet conſilium ejus, & quod perierit ſtrangulatione*. Nos appellamus *Garrotillo*. Simile igitur fuerit illud *ſuſpendiũ*, vel ſtrangulatio Iobi, atq; Iob. 7. 15. de ſimili nunc morbo conqueritur, cum *quaſi capitio tunicæ*, aut quaſi *laqueo*, premiſe, & conſtringi queritur.

XIX. Com-

❧ *XIX. Comparatus ſum luto, & aſsimilatus ſum favillæ, & cineri.*

1. Lutum *cujus rei Symbolum. Morbi fœditas.*
2. Lutum *quid prop. Explicatus Habacuc.*
3. Pulvis & cinis. *Humana origo. Argutia Cajetani.*
4. *Duo hominis nomina, cur* lutum, *cur* cinis. *Anima* ignis, *Corpus* cinis. *Illuſtratus Sapiens.*

I PRæ tanta itaq; ulcerum ſpurcitia, & ſanie videor non ſolum lutulentus, & ſordidus, ſed lutum ipſum, ipſæq; ſordes. *Lutum* autem referri tum ad ſordes, tum ad contemptum, & extremam abjectionem diximus ſuperius. Tygurina: *Deduxit me ad argillæ vilitatem*. Paulo acrior lectio Septuaginta: *Reputaſti me ſicut lutũ*, id eſt, non exiſtimaſti indignum, qui omnium pedibus proculcarer. Quanquã ſententiam hanc paulo ſublimius accipit Catenę auctor, ut hoc loco proponat naturę humilitatem, ac terrenæ originis memoriam adhibeat ad precationem, & cõmiſerationem: *Cogita* (inquit) *o Domine, me terram eſſe, & mihi rurſus abeũdum eſſe.* Sed idẽ Nicetas ſenſum a nobis prius indicatum elicere, & probare videtur, ut quaſi affectu quodam, & indignatione commotus dicat, ſe a Deo non exaudiri, quod nihilo illum magis faciat Deus, quam viliſſimum lutum, aut terram, vel cineré. Sed illud, quod diximus, germanũ, & ſimplex eſt, ut de ſui morbi, ſtatuſque ſordida, atque miſera conditione loquatur, in quam a Deo præcipitatus eſt. Sic enim eſt in Hebræo; *Projecit me in lutum*, quaſi magno impetu præciptavit me in has ſordes, in quibus nunc jaceo: *Ad ſummam* (inquit Philippus) *vilitatem perductum ſe dicit, qui vulneribus, & ſanie, ſicut lutum computreſceret, & fæteret.*

Simplex ſententia.
Lutum ſordes
Vid. c. 10 verſ. 9 num. 6.
Tygur.
LXX.
Nicetas.
ירה
Philipp.

Eſt autẽ *lutum* hoc loco proprie illud,
2 quod ſubſidet in fundo maris, aut fluminis, quod efficit aquam turbidam, & lutulentã; dicitur enim a verbo *Hhamar*, quod eſt turbare, aut intumeſcere, quæ ſunt maris propria, ſicut Habacuc. 3. 15. dicitur, *lutum aquarum multarum*. & Pſal. 45. 4. eadem voce dicũtur, *aquæ turbatæ*, videlicet nimia commotione limi, & luti excitati ex maris profundo. Quare forte reſpicere poterit ad tranſlationem illam ſemel cœptam fluctuum, id eſt ærumnarum, quibus dum appetitur, & opprimitur, videtur conſpurcari, obducique limo, & luto, quod ſecum convehunt.

חמר

Et aſsimilatus ſum favillæ, terræ, aut pul-
3 veri; *& cineri*, id eſt; ſimillimus ſum rei viliſsimæ, pulveris, cineris, & ſi quid vilius, & abjectius eſt. Philippus: * *Exſiccante carnis ejus putredine, cinis fiebat, & favilla.* Quod idem videtur eſſe cum illo cap. 7. 5. *Induta eſt caro mea putredine* (videlicet fluente, & manante, velut luto. cum vero concreſcebat, ſequitur) *& ſordibus pulveris cutis mea aruit.* Valde minutũ & curioſum potius, quam ſolidum, quod hoc loco Cajetanus ſcribit, ſermonem eſſe de *pulvere*, qui verrendo ejicitur foras, & ſimiliter de *cinere*, qui ejicitur poſt colatũ lixivium; ut ſignificet Iob æſtimatum a domeſticis, tanquam immunditiam domus, ideoque foras projectum ad ſterquilinium, & proculcatum. Potius dicerem, cum eædem voces ſint *pulveris, terræ, & limi*, de quo dicitur formatus Adã, ut primam illam ſuam ſordidam, lutulentãque originem in memoriam revocet; atque in illam originem, tanquam in ſcaturiginem totius putredinis, atque ſordium, ſordidam iſtam ſuam conditionem, & ſtatum reducat. Quid mirum (inquit) tantũ ſordeſcere, qui ſim ipſum lutum, pulvis, cinis? Quod videtur indicari lectione Septuaginta; *In terra, & cinere pars mea.* quod Nicetas ſic exponit. *Homini a Deo pars, nõ in rebus pretioſis, ſed viliſsimis, in cinere inquam, & pulvere, quæ pedibus obteruntur, conſtituta.*

נפר
אפר
Philippus.
* Eſtoy ſeco, y hecho una yeſca.
Cajetani argutiæ.
Miſeriarum, & morborum reductio in luteã noſtram originem.
LXX.
Nicetas.
Hæreditas hominis in luto & cinere.

Et, ut de his nominibus nonnihil dicamus,
mus, repetendum eſt ex capite. 10. hominem dici *lutum*, propter contemperationem, & compoſitionem ex corpore, & anima, tanquam luti ex pulvere, & aqua: cum autem diſcedit anima, areſcitq; vitale humidum, remanet ſolus pulvis. Sed unde nam *cinis*? Certe ex eadem compoſitione animæ, & corporis; nam dum vivit homo, calet, ardetque velut accenſa terra, aut inflammatus carbo: At abeunte anima, & extincto calore, & igne remanet tantum cinis. ſic Euſebius Cæſarienſis de Præparatione Evangelica libr. 11. cap. 4. diſſerens de arcana Hebraicorum nominum impoſitione, & ſignificatione, inter alia nomina ait, *Hominẽ appellari Adam*, id eſt, terrenum, &, *Is*, qui ſolet dici vir, a radice, *Es*, id eſt ignis; ita ut primo nomine, conditio corporis; at vero ſecũdo conditio animæ, id eſt, virilis, calida, & ignea ſignificetur; Animam autem eſſe ignem, antiqua plurimorum ſententia facit, Zenonis, & Democriti, atque aliorum quam referunt, & exponunt Cicero. 1. Tuſcul. Varro. lib. 4. de lingua Latina. Nemeſius lib. 4. de natura hominis. c. 2. Lactantius lib. 2. cap. 13. & de opificio Dei

4
Cur homo dicatur lutum.
Cur homo dicatur Cinis.
Cadaver cinis
Euſebius.
אדם
איש
Animam eſſe ignem priſcorum ſentẽtia.
Cicero.
Varro.
Nemeſius.
Lactantius.

cap. 17.

Nyſſenus. cap. 17. Gregorius Nyſſenus lib. de anima cap. 1. ex quo illud elicit Lactantius loco citato; *Si anima ignis eſt, in cælũ debet eniti, ſicut ignis, ne extinguatur, hoc eſt ad immortalitatem, quæ in cælo eſt. Et ſicut ardere, ac vivere non poteſt ignis, niſi aliqua pingui materia teneatur, in qua habeat alimentum, ſic animæ materia, & cibus eſt ſola juſtitia, qua tenetur ad vitam.* Rem hanc ipſam Sapienter interpretatus eſt Fulgentius lib. 1. Mitholog. tractans Promethei Fabulam, qui ignem cælo deductum luteæ ſtatuæ adhibuit, ſicque homines non ſolum finxit, ſed etiã animavit. Ergo ſi extinguatur ignis, oportet olim inflammatam terræ materiã in cinerem redigi; ſicut hac in re non omnimo male, alioquin ſtulteſcentes illi Sapientiæ 2. 23. dicebant. *Fumus flatus eſt in naribus noſtris, & ſermo ſcintillæ ad cõmovẽdum cor noſtrũ, qua extincta cinis erit cor noſtrum.* Vbi lõge pulcherrime comparatur halitus, quẽ ore exſpiramus, cũ fumo proficiſcente ex interno vitæ, & præcordiorum igne: cadaver vero cum terra, materiave exuſta. Atq; hoc illud videtur, quod Iob de Deo dixit; cap. 34. 15. *Si direxerit ad eum cor ſuum, ſpiritum illius, & flatum ad ſe trahet, & homo in cinerem revertetur.*

Animę niſus in cælum.

Fulgentius.

Mitholegia Promethei.

Halitus cur dicatur fumus

✠ XX. *Clamo ad te, & nõ exaudis me: ſto, & non reſpicis me.*

1. *Totius ſententiæ dilucida paraphraſis.*
2. Clamare, & ſtare *cujus habitus. Iobi in orãdo conſtantia. Explicatus Paulus.*
3. *Iobi charitas. Ingenium amantum.*
4. *Doloris vis efficiens varios animi, & corporis motus.*

1 Sententiæ paraphraſis.

ACceſsit (inquit) pro dolorum omniũ, & cruciatuum cumulo, quod te, o ſupremũ Numen, in quo unicum eſt meę ſalutis prẽſidium, aſsidue inclamo; tu vero te meis precibus ſurdũ præbes, neque ullũ audiendi ſpecimen mihi polliceris; nihi loque magis, ſi inſtem, & tuam opẽ aſsidue efflagitem; ſive clamore, ſive ſilentio; ſive habitu ſupplici, & demiſſo, ſive paulo erectiori, & attẽtiori ad tuos nutus; tu ad meas querimonias, & expoſtulationes graviſsimas reſpondes, ac neque tuis oculis miſerrimum hominem dignaris.

2 Perſeverãtia orationis. *Clamo ad te.* In Hebreo, & Græco. *Clamavi*; ut ſtudium indefeſſum clamandi, & efflagitandi opẽ ſignificet. Quanquam hæc ipſa perſeverantia ſequenti voce, *ſtãdi*, iterum ſignificari exiſtimet Philip. *In clamore* (inquit) *intentio eſt orantis, in ſtãdo vero perſeverantia, & indeclinabilis fiducia juſtitiarũ ſuarum.* Sic Tygur. *Perſeverantem minime*

Philipp.

Tygur.

curas. Et recte: nã *ſtare* habitus eſt exſpectantis, deſiderantis, tum etiã & vocantis cum magna pectoris, & vocis cõtentione. Poteſt etiã eſſe habitus tacentis, & attẽtiũ tantũ ad ea, quæ miniſtrãda Dominus juſſerit, *ſtant* enim miniſtri, pariterque ſilent corã ſuis Dominis. id annotavit Vatabl. *Cũ ſto tacendo, nihil me curas.* Erit ergo ſententia: Neque me ſupplicem, & proſtratũ clamantemque attendis, neque ſtantẽ, tacentemq; reſpicis; nunquã itaque tibi curæ ſum. Quod ſi me non audis, neq; reſpicis, non eſt ulla mea culpa, aut ſcelere: nã *ſto*; quod fideliter miniſtrantis eſt, & ſervi ſua culpa non excidentis a gratia, & benevolentia Domini ſui; ſicut Scriptum eſt; *Qui ſtat, Domino ſuo ſtat, & qui cadit Domino ſuo cadit.* Rom. 14. 4.

Stare, quorũ habitus.

Vatab.

3 *Nicet.* Hic duo obſervare licet; primum cũ auctore Catenę: *Illud* (inquit) *Nõ exaudis me, eximiam quandam erga Deum charitatem oſtendit: ſic enim loquitur, quia ab eo ſe credit audiri.* Neque enim ſi nõ audiretur, ſurdo narraret ſuas ærumnas. Quanquam illud quidẽ familiare ſit amantium, conqueri ſe neque reſpici, neque audiri, ſed plane contemni, dũ id, quod ardenter efflagitãt, nõ conſequuntur. Quare *non audiri*, erit non obtinere ſuas preces: *non reſpici*, erit non ſentire Dei vultum propitiũ, atque benignũ. De hoc vero amãtiũ ingenio diximus ſuperius c. 3. in cauſis querimoniarũ Iob.

Amantium ingenium.

4 Aegri animi varii motus, & cõverſiones. Alterum vero indicari ſummam quandam inconſtantiã, & converſionem in corporis habitu, & actionibus, quam efficit vehemẽs animi anxietas, & ardor; qualem etiam efficere ſolet intus conceptus ignis amoris; nam jam oraturus ſe proſternit; jam miniſtraturus ſe erigit, & ſtat; jam demittit oculos coram judice; jam erigit ad Dominum; jam illachrymatur, & clamat, jam abſterſis conticeſcit lachrymis;

Ovid. 10. Meta. de Myrrha.

- - - Et modo deſperat, modo vult tentare, pudetque
Et cupit, & quid agat, nõ invenit; utq; ſecuri
Saucia trabs ingens ubi plaga noviſsima reſtat,
Quo cadat, in dubio eſt, omnique a parte, timetur,
Sic animus vario labefactus vulnere nutat.

✠ XXI. *Mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ adverſaris mihi.*

1. Crudelis *quid. Ad mortem referri in Sacro ſermone. Illuſtrati Samuel, & David.*
Prapoſitio. In; durities *quid. Explicatus Ieremias.*

3. *Vera sententia expositio. Illustratus David.*
4. Ponere *quid prop. illustratus Samuel atq; Dav.*
5. Ascendere, *&* inequitare, *ad fœlicitatem. Illustrati Isaias, & Moyses.*
6. *Quid* videre *in Sacro sermone*. Nubes *felicitatis humanæ symbolum. Explicatus Isaias.*
7. Valide *quid. Varia lectio.*

1 AMoris affectus vehemẽs, &, quod affine est, cum ira conjunctus; Sic ille, qui nihil magis, quam amare;

Virg. Eglog. 2.

O crudelis (inquit) *nihil mea carmina curas?*

Nil nostri insereris? mori me deniq; cogis?

Vide quæ diximus c. 3. vers. 2. sectione. 8.

In crudelem, in hostem, videris enim hostiũ meorum votis cumulate satisfacere, dum me finis cum incredibilibus ærumnis conflictari. Vbi nota ex proprietate vocis illum proprie dici *Crudelem*, qui ærumnosi, & miseri hominis non miseretur; ut clare ab hac ipsa radice dicitur, & exponitur Ieremiæ. 6. 23. *Crudelis est, & non miserebitur.* & iterum Ierem. 50. 42. *Crudeles sunt, & immisericordes.* unde dicitur Prover. 12. 10. *Viscera impiorum crudelia.* id est, quæ nulla alienorum malorum miseratione tangũtur. quod manifeste opponitur alteri parti, *Novit justus jumentorum suorum animas*, id est, sancti homines etiam irrationalium pecudum cõmiseratione tanguntur. Ergo cum Deum vocat, *crudelem*, significat, non mitescere pœnis de illo sumptis quãvis gravissimis, sed videri expetere adhuc extremum de illo supplicium: nam nõ semel hujusmodi, *crudelitas*, ad mortem refertur, ut illud, 2. Reg. 2. 26. *Ita ne usque ad internecionem, tuus in me mucro desæveit?* & illud Deutero. 32. 33. *Venenum aspidum insanabile.* Quod proprie est, venenum aspidum immisericors, aut crudele. id est, mortiferum, Onkelus: *Sicut capita aspidum crudelium.* id est, mortiferarum. Ergo sic ait: *Mutatus es mihi in crudelem*, vel, ut in originali est, de futuro: *Mutaberis*, aut *cõverteris*, vel *vertes te*, id est, cum tuarum creaturarum vitam, & spiritum ames, at nunc videris toto studio, & voluntate ferri in meam necẽ, & interitum, hostium instar, qui nullo nisi extremo supplicio de hostibus suis sumpto satiari possunt. Hæc est enim, illa *plaga inimici crudelis*, & nullius quamvis gravissimæ pœnæ miserescens, de qua aliquando diximus.

כור Crudelis quis proprie.

Crudelitas ad necem relata.

Crudele pro mortifero. *Onkelus.*

הפך

Ierem. 30. 14.

2 *Et in duritia manus tuæ adversaris.* Proprie etiam de futuro, *adversaberis*, ut significet assiduos suos cruciatus sine intermissione a Deo continenter infligendos. *In duritia* autem *manus* idẽ est, quod *in manu durissima*, aut *fortissima*. q. d. fortissime me percutis, pro viribus me verberas, & vulneras; atque in me perdendo omnes tuas vires, roburque expromis. Septuag. *Manu potẽti me flagellasti.* Et quidem vox originalis *duritiei*, affert confirmationem quandam invicti roboris, nemini cedẽtis, tum etiam importunitatem quandam rei semel, & iterũ repetitæ, atque sua importunitate, & quasi multiplicatione vincentis, & superantis: quale illud est Ieremiæ 30. 14. *Propter multitudinem iniquitatis tuæ dura facta sunt peccata tua.* sive ut Hebræi legunt; *Multiplicata sunt*, aut, *confortata sunt*. Videtur enim Divina misericordia quodammodo opprimi, indefessa illa importunitate peccandi. Sic igitur hoc loco *durities manus*, non solũ erit vis vehemens. sed etiam importunitas quædam, & quasi multiplicatio flagelli nunquam intermissi, sed per multas plagas, multosque cruciatus repetiti. Totã vero sententiã eleganti paraphrasi elucidavit Philippus: *Pium* (inquit) *& misericordem Deum fuisse sibi ostendit in prosperis, & in adversis subito commutatum, cujus etiam plagæ duritiei graves pœnas sustineat.* Illud autem quod ait; *Adversaris*, eleganter dictum est ab Interprete, est enim a radice, *Sathan*, unde dicitur *adversarius*. qui stat ex adverso, & indefesso studio repugnat. de cujus vocis proprietate aliquando diximus. & quia idem verbum ad odium, & inimicitias refertur, tum etiam ad minas, alii vertunt, *Odio habuisti me.* Alii: *Minitaris mihi.* Quod non solum ad hostile vulnus, sed etiam ad hostiles, ingentesq; terrores pertinet.

LXX. עצם

Complutensis.

Durum pro forti.

Philipp.

שטן

Varia lectio.

Pagn. Vatab. Regia.

XXII. Elevasti me, & quasi super ventũ ponẽs, elisisti me valide:

3 EX Sublimi (inquit) fælicitatis fastigio, in quod me evexeras, nũc in profundum malorum baratrũ præcipitas, eo acerbiori, & magis miserando casu, quo e sublimiori fortuna. Sed cum ait; *Elevasti me*, videri posset esse eadem sententia, quę Psal. 101. 11. *A facie iræ indignationis tuæ, quia elevãs allisisti me.* Sed quidẽ diversa videtur similitudinis, & translationis ratio: nam illud videtur sumi a põdere primum sublato, deinde alliso, & jaculato in terrã magno impetu. Hoc autem loco videtur potius comparatio duci a nube, quæ in sublime excitata, ventorum vehiculis gestatur universo mundo cõspicua, & interdũ etiã luce clarissima perfusa; sed paulo post illo eodem, quo in sublime excitata est, vẽto disjicitur, & dissipatur; Qui sen-

Fortunæ commutatæ duplex comparatio.

ſus ex proprietate ſingularium vocum facile conſtabit.

4 Poni aut imponi relatum ad equitationem.

Quaſi ſuper ventum ponens. id eſt, Imponens me ventis vehendum, feciſti ut inſiderẽ ventis veluti inequitaturus. Aliquando etiam verbum *ponendi*, aut *Imponendi*, cum ſubeſt verbum *Racab*, ad equitationẽ refertur, ut 2. Reg. 6.3. *Impoſuerunt arcam Dei ſuper plauſtrum novum*. Videlicet, vehendam inſtar equitantis. quod Septuag. ad phraſim Scripturæ dixerunt, *Aſcendere fecerunt arcam*. *Que ſubieſe, como a cavallo*. & Pſal. 65. 12. *Impoſuiſti homines ſuper capita noſtra*. id eſt, Agimur ab iniquis Tyrannis, ut muta jumenta; inſident, & inequitant noſtris capitibus; ſuſtinemus, vehimus illorum Tyrannidem graviſsimã.

רכב

LXX.

5 Inequitare ad fælicitatem.

Illa vero ſublimi quaſi equitatione ſignificatur ingẽs fælicitas, tũ quod referat Deum, qui dicitur *Aſcenſor*, id eſt, inequitator *Cæli* Pſal. 67.34. & Devter. 33.26. *Et inequitator Cherubin*, Pſ. 17.11. & *Occidentis* Pſ. 67.5. tum quod ille *Aſcendendi*, & *inequitandi* habitus fuerit nobiliſsimorũ, potentiſsimorumque; quod fuit apud Perſas nobilitatis inſigne, ut ſcribit Strabo, li. 15. poſtea ad milites nobiliores tranſlatũ eſt: ſicut a contrario ignobilitatis erat peditẽ incedere, juxta id Eccleſ. 10.7. *Vidi ſervos in equis, & Principes ambulãtes ſuper terram quaſi ſervos*. Si vero etiam in hac loquendi ratione, vectura ſit, non equus, aut mulus ſed aer, ventus, montes ſublimes, excelſi colles, tunc jam mirabilis quidam nobilitatis, & fælicitatis gradus ſignificatur, ut id Iſai. 58.14. *Suſtollã te ſuper altitudines terræ*; id eſt, equitare, aſcendere te faciam ſuper mõtes, inſidebis rector, auriga, æquitator ſummis verticibus; tradam tibi mõtium, collium, montanorum, terræ, & regionis montuoſæ regnum, habenas. ſicut prædixerat Moyſes, Devt. 32.13. *Conſtituit eum ſuper excelſam terram.* proprie, Aſcenſorem, vel, inequitatorem poſuit. Septuaginta; *Aſcendere fecit eos ſuper fortitudinem terræ*. Ergo fælicitatis amplificatio eſt, cũ hic dicit: *Non* tantum præcelſis montibus, ſed nubibus, vẽtis, aſcenſorem, & inequitãtem me impoſuiſti.

Equitãtes nobiles.

Strabo.

LXX.

6 Liqueſcere, & proſterni de ingenti caſu.

Eliſiſti me valide. Verbum *elidendi*. ſæpe a Vulgato vertitur, *liquefacere*, aut *defluere*, vel *liqueſcere*, vel *tabeſcere*, ut Pſ. 64. 11. & 74.4. quod ad duo referri ſolet, videlicet, ad defluviũ ſanguinis ex accepto vulnere, poſt ingentem aliquem caſum e ſublimi. Sicut ab hac radice dicitur. 1. Reg. 14.16. *Ecce multitudo proſtrata*. Hebraice, *Liqueſcẽs*, aut *tabefacta*. Iſai. 64.7. *Alliſiſti nos in manu iniquitatis noſtræ*. id eſt, noſtris ipſis iniquitatibus quaſi vulnerati, & confoſsi proſtrati defluimus, & tabeſcimus. ſic igitur potuit dicere Iob, *Eliſiſti me*, & liquefacis, id eſt, poſt ingentem caſum, quaſi accepto vulnere, & aperto corpore, ſanguine totus mano, diffluo, & tabeſco. Sed, quod cum ſemel indicata *nubis* tranſlatio ne melius congruit, ſecundo referri ſolet hoc verbum ad nubium liqueſcentium, & ſtillarum minutiſsimarum defluvium. q.d. omnis illa mea priſtina fælicitas defluxit, evanuit, liquata eſt, & ſoluta prorſus in vapores, & ſtillas minutiſsimas; liqueſco nunc, & tabeſco aſsiduo fletu, & ſtillis lachrymarum; huc tandem recidit priſtina vitæ lætitia, atque jucũditas; levis, inanis fuit, inſtar nubis vaniſsimæ mea illa proſperitas, quã ventus cogit, ventus quoque diſſolvit, & liquefacit; ſicut *Spuma gracilis*, quam efficit ventus cõmovendo mare, & quæ eadem *a vento diſpergitur*.

מוג

Nubis liqueſcentis tranſlatio ad fælicitatem evaneſcentem.

Sap. 5. 15.

7 תושיה

Valide. In Hebræo eſt, *Thuſiah*, de qua voce ſæpe diximus ſignificare legem, ſubſiſtentiam, decretum. Hinc varia Hebraizantiũ lectio: *Eliſiſti legẽ, aut decretum meũ. id eſt, meam vivendi rationem non probaſti, impietatis dãnaſti, & ſupplicio affeciſti*. Alii: *Eliſiſti me decreto*. id eſt, ſtatuiſti me elidere. Regia: *Liquefeciſti me ſubtilitate*; forte ut ad pluviam minutiſsimam referat. Quę *ſubtilitatis* ſignificatio, multo magis aliena eſt, quam ſenſus ipſe. Ergo præſtat, ut accipiatur pro *ſubſiſtentia, firmitate, robore*. quod ad Deum retulit Interpres dicens: *Valide*. q.d. Divina virtute, prævalida, atque præforti eliſus ſum. Si vero ad ipſam Iobi virtutem; Quidquid (inquit) quondam erã, evanuit, defluxit, nihil enim illud firmum fuit, aut ſolidum; erant nimirũ vaniſsimi, & tenuiſsimi vapores ad ſpeciem tantum concreſcentes, non alio ſolidiori fundamento ſuſtentati, quã vento, & aere, re omnino fluxa, & inconſtante.

Varia lectio, *Vatab.*

Regia.

XXIII. *Scio, quia morti trades me, ubi cõſtituta eſt dom⁹ omni vivẽti.*

1. Scire *ad experimentum, & exſpectationem.*
2. Tradere *ad debitum*. *Mors tum Tyrannus, tum Iudex æquiſsimus. Illuſtrata Sapientia, & Eccleſ.*
3. *Sepulchrum* domus; cõſtitutum *in Sacro ſermone quid.* Domus teſtamenti.
4. Extendere manum, *in bonum.*
5. *Mors ærumnarum levamen.*
6. *Exploſa aliorum expoſitio. Reſurrectio, & animæ immortalitas.*
7. *Lectio Septuaginta. Affectus mori volentis. Vita optanti mortem, pœna.*
8. *Imbecillitatis, velle mori. Mortis arbitriũ ſontibus permiſſum.*

1 PErſuaſum (inquit) mihi eſt, ex mortiferis vulneribus, quib⁹ cōfoſſus ſum, fore ut brevi morti me, tanquā tortori, extremoque ſupplicio committas. Tanta igitur ſupplicii acerbitas, cujus videor tua ſententia dānatus, nunquā non mihi miſero obverſatur ante oculos. *Scio*, Non ſolū rem bene notā, atque animo inſidentē, & quaſi peculiari experiētia ſibi perſuaſam ſignificat, ſed affert etiā quandam ſpeciem ſolatii, & avidę exſpectationis, ut ſtatim explicabimus.

2 Mortis circūloquutio. שוב *Tygur.*

Quia morti trades me, Septuag. *Quod mors me conteret.* In Hebræo lenius: *Reverti facies me in mortē.* vel, morte convertes me q.d. per mortem reſtitui hominem, & cōverti in terrā, de qua ſumptus fuit, repetit enim terra ſuum debitum, & repetunt cūcta ſuos ortus, atque origines. Tygurina eleganter; *Mors reſtituet me.* Poſtquā enim *introivit mors in orbem terrarum*, tanquam mundi hujus moderatrix, certe illius dominatus, ſi conſideretur reſpectu hominis quē immortalem, & liberū ab initio Deus conſtituit, Tyrannicus eſt, invidia, & crudelitate plenus, & manifeſta injuſtitia, *Nō enim eſt inferorum* (id eſt, mortis) *Regnum* (Regia arx, & ditio) *in terra.* Occupat enim, quod ſuum non eſt. At vero ſi conſideretur iſte idem Mortis dominatus reſpectu hominis jam lapſi in peccatum, & cōparatione Divinæ Iuſtitiæ, quæ hominem terræ addixit, omnino juſtus eſt, reddit que unicuique quod ſuum eſt, & reſtituit terræ debitum ſuū, reducitque hominem juxta Dei ſententiam in ſuā originē.

Mortis in terra dominatus quatenus iuſtus, & quatenus tyrannicus. *Sap. 1. 14.*

Sicque valde cōmendatur æquitas mortis tanquā incorruptiſsimi cujuſdam judicis, Eccleſi. 41: 3. *O mors, bonum eſt judiciū tuū, homini indigenti, & qui minoratur viribus, defecto ætate; & cui cura eſt de omnibus, & incredibili* (id eſt, deſperanti, & impatienti) *qui perdit Sapientiā.* nā hæc omnia genera miſerorum, cui vita hæc iniqua eſt, in ſola mortis ſententia ſuarū injuriarum, atque ærumnarū repoſitum habet ſolatiū, atque remedium. & rurſus verſ. 5. *Noli metuere judicium mortis: memento, quæ ante te fuerūt & quæ ſuperventura ſunt tibi* (tanquā enim judex incorruptus nullius perſonam accipit mors, ſed æqua omnes falce demetit) *Hoc judicium a Domino omni carni.* Vides igitur, ut mors minime iniqua ſit, cum terræ, quod ſuū eſt, reſtituat, atque Divinę Iuſtitiæ fidelis, nec nō inexorabilis adminiſtra ſit. Ergo potuit Iob ad ſolatium dicere; *Scio, quia * mors me reſtituet*, tradetque terræ; aut, convertet me in terram.

Mors Iudex æquiſsimus.

* La muerte me guardara juſticia, y deſhara mis agravios.

3 Domus in ſepulchro, tabernaculū in vita

Vbi conſtituta eſt Domus. Septuag. clare dixerūt; *Domicilium eſt omni mortali terra.* Domus inquam, id eſt, ſedes quieta, perpetuaq; deſtinata viventibus omnibus, peregrinantibus dū vivunt, ad patrium, naturaleque ſolū redeuntibus, dum moriūtur: namque dū vivimus, ſumus in tabernaculis, ad breve tēpus erectis, de quo memini aliquādo dixiſſe. Quod autē dicitur *domus parata*, aut *conſtituta*, ex proprietate vocis originalis duo indicat. Primū, certum & conſtitutū tēpus rei alicujus, quaſi dicat, Domus certo, & conſtituto tēpore inhabitanda. quod eleganter convenit cum re ipſa, conſtituit enim Deus vitæ terminos, mortiſque tēpus. Secundū indicat, locum *conſtitutū*, & præfixum, ad quē cōgregatio aliqua, aut cōventus hominū cogitur, certo quaſi fœdere, & pacto convenientium, quod in Hebræo dicitur; *Domus Moghed*, & ſæpe etiam vertitur, *Domus teſtamenti.* proprieque dici etiā poteſt, *Domus cōgregationis*, vel *conventus*; eo enim tandem cōveniunt mortales omnes, certo, & conſtituto humanitatis, & mortalitatis fœdere. Quia vero illa ipſa originalis vox ſignificat cōgregationem plurimorū convenientiū ad rem aliquā graviſsimā, vel ad ſolēnitatem aliquam, & feſtum peragendum, poteſt etiam hic locus eo referri, ut mortales, qui vitę miſeriis divexabantur, condicto tempore, & loco ſepulchri, lętiſsimi conveniant, ad ſolemnitatem peragendā melioris ſtatus, ſortiſque fælicioris.

Vide, quæ diximus ca. 18. ℣. 14. יעד מעוד

Domus teſtamenti, ſepulchrum. *Pagn. Regia.*

Defunctorum congregatio.

☙ *XXIIII. Veruntamē nō ad cōſumptionem meam emittis manum tuā, & ſi corruerint, ipſe ſalvabis.*

1. *Varia lectio.*
2. Mittere manum, *in malum. Illuſtratus Moyſes, & David.*
3. Conſumptio, *quid.* Cumulus *ſymbolum rei deſtructæ.*
4. Extendere manum. *in bonum.*

1 Varia lectio. ענה שוע

MIrabiles hoc loco tragedias excitāt Hebraizantes, quod videant longe alias eſſe lectionis originalis voces, & ſignificationes: nā pro *conſumptione*, eſt prop. *tumulus*, aut *acervus*; & ita prior pars ex verbo legitur; *Veruntamē nō in tumulū mittet manū.* Pro verbo autē, *ſalvādi*, eſt proprie *clamor*; quare legitur poſterior pars: *Si corruerint*, vel, *ſi contriti fuerint*, *clamor.* Sed operę pretium faciemus, ſi noſtræ lectioni duas, treſve expoſitiones probabiles adhibeamus, multis omiſsis, quas Hebræi, Hebraizāteſque afferunt plus tene-

brarum,

brarum,& difficultatis,quam lucis, atque utilitatis allaturis.

2

Duplex interpretãdi ratio veroſimilis.

Primo ergo, ſi poſt querimoniã præcedentẽ,nunc ſe erigat Iob in ſpem de Divina benignitate,is erit primus ſenſus; Video me lethalibus plagis cõfoſſum,ſed dũ mihi anima fuerit,ſpes erit. *Manum* quidẽ ille exeruiſſe,injeciſſeq; video,ad me percutiendũ,ſed minime tamen exiſtimo me ab illo occidendũ,penituſq; conficiendũ: nã licet plerique mortales ab illo percuſsi proſternantur,ſed tamen quos proſternit ac dejicit,ſtatim erigit,& ſalvat. Cum hac expoſitione bene cohærẽt ſingulæ partes; ita ut *emittere*, vel *extendere manum*, ſit in malum. Exod.24.11. Geneſ.37.22. Quod nos habemus: *Manus veſtras ſervate innoxias*. In Hebræo eſt: *Manũ ne mittatis in eũ*. Septuaginta; *Manum nõ inferatis ei*. & Pſ. 54.23. ubi nos habemus; *Contaminaverunt teſtamentum ejus*. In Hebræo habetur: *Injecit manum ſuam in virum teſtamẽti*, vel *pacis ſuæ*. Vel ut legit Hieronym. *Extẽdit manũ ſuã ad pacifica*. & alibi ſæpe; eſt enim ille habit[9] percutiẽtis, aut percutere volẽtis.

Mittere manum ſumptum in malum.

Hieronym.

3

Tumulus, aut cumulus ſymbolum rei deſtructæ.

Conſumptio vero recte dicitur ab Interprete, quod in originali eſt, *Tumulus*, vel *cumulus*, aut *acervus Lapidũ*, qui ſymbolum eſſe ſolet, rei deſtructæ; aut etiam ſepulchri, in quo jacent oſſa, & cadavera congeſta,& cõfuſa,velut in cumulo, ſine ullo ordine. Quod autem ſequitur in ſecunda parte; *Si in ruina ſua eis clamor*, hanc habet intelligẽtiã; Si corruerint, clamore opus erit, id eſt, oratione, & precibus, quibus Deus alliciatur ad ſalvandum. Sic ſubſidunt æſtus, & tragædiæ, quas Hebraizantes excitant.

Eugub.

4

Secunda exponẽdi ratio veroſimilis.

Secundo fieri poteſt,ut cũ de morte dixiſſet, nũc precetur Deum ſibi præſto adeſſe, ante quã excedat a vivis: nã non ſolet *extendere Deus manũ in conſumptionẽ*, id eſt, in conſumptum,& defunctũ hominem,ut illũ revocet ad vitã: ſed dum adhuc vivit, *ſi corruit, ſalvabit*. Hęc interpretatio minus mihi placet, quam ſuperior,ſed tamen nõ omnino diſplicet: nam voces ipſæ nõ diſſonant: *extendere* enim *manum* auxiliantis eſſe ſolet,aut aliquid operis aggredientis. Devt.12.7.1. Paralip.13.9. Ezech.2. 9.& in Pſalmis ſæpe ſumitur etiam *Conſumptio* pro tumulo,& ſepulchro, aut ſtatu,& cõgerie mortuorum. In ſecunda autẽ parte, *Si corruerint clamor eis*, ſupple, prodeſſe poterit. Quæ pars ſi cum interrogatione legatur, ſenſus erit negãs; Poſtquam homo mortuus eſt, non proſunt preces, clamorve,ut revocetur ad vitã. Si autẽ ſine interrogatione, ſenſus erit affirmans; Eos, qui corruerint in tribulationes,ſi clament,ſalvare ſolet Deus. Sic videtur expoſuiſſe Rab. Moyſes.

Extẽdere manum de ope oblata.

Secundæ partis varia acceptio.

R.Moyſes.

5

Pathethica Oratio.

Tertio tandẽ poſſunt eſſe verba hominis vehementer dolentis, atque ſui cruciatus medicinã, & ſolatium quærentis non ex alio, quã ex ipſa morte; Cũ, inquit, ſciã me mori, lætor tamẽ vehementer, quia ad *tumulũ*, ad mortem, ad ſepulchra,& mortuorũ congeriẽ, non ſolet Deus *manũ extẽdere* ad percutiendũ,& flagellandũ, ſed potius, quos viventes vexat,& exagitat, jam tunc in ſepulchro quieſcere ſinit, non amplius dolẽtes, neque cõquerentes; & ſi eo tandẽ *corruant, clamor eis*? q.d. cũ corruerite, clamare, & dolere omnino ceſſabunt.

6

Latinorum interpretatio durior.

Hæ omnino videntur veroſimillimę interpretandi rationes: nam illa, quã pleriq; Latini ſequuntur, coacta mihi videtur, videlicet, ut Iob ſibi pro ſolatio proponat fidẽ immortalitatis animæ,& quod Deus, quẽ ſemel lethaliter flagellat, nõ omnino conſumit, remanente nimirum immortali anima. Quare ſi homo corruat in mortẽ, meliorẽ partem, id eſt, animã ſalvat Deus. Hæc (inquã) expoſitio, quæ eſt D.Thomę, Dionyſii, Titelmani, jam inde ab ipſo Philippo presbytero, videtur initiũ ſumpſiſſe. *Dicit* (inquit ille) *homines non in perpetuã conſumptionẽ redigendos, ſed aliquãdo ab inferis revocandos*. Sed quãvis vera expoſitio ſit, aliena tamen videtur a germana vocum proprietate,& ſignificatione.

D.Thom. Dionyſ. Titel. Philipp.

7

LXX.

At Septuag. vehemẽtem quendã animi dolentis affectũ hoc loco exprimunt lõge ut videtur, a noſtra, & ab Hebræa lectione diverſum. Sic illi: *Atque utinam poſſem mihi ipſi manus afferre: aut rogarẽ alium, & faceret mihi hoc*. Quæ ſentẽtia, ut cũ noſtra conſentire poſsit, poſſemus noſtræ lectioni quandã quaſi optãdi formam tribuere, ad eum modũ, quo cũ aliquid ab adverſario nobis objicitur, ut ille exiſtimat, malũ, ſed re vera, noſtraque ipſa opinione bonũ, atque utile, reſpondere ſolemus cũ peculiari geſtu, *No barcis vos eſſo*. quaſi diceremus, deſperantes de re nobis valde profutura, proptereaque minime nobis præſtanda ab adverſario; Vtinã id faceres; veruntamen nihil, quod mihi utile futurũ ſit a te exſpecto. Sic ergo Iob cũ dixiſſet, *Scio quia morti trades me*; erectus ſpe illa, & memoria mortis, fineque ærumnarũ, ſtatim ſe corrigat, dicatque: * *Veruntamen non ad conſumptionẽ extendis manũ tuã*. non ille eo animo eſt, ut velit me incredibilibus malis brevi expedire; diuturna profecto morte vult me conficere, ſeu quod idem eſt, cum vita infælicifsima diutius conflictari; Et

Dolentis hominis affectus vehemens expectãtis, & deſperantis ab hoſte remediũ.

*Pero no hara el eſto, q̃ ſu intencion no es, de acabar preſto cõmigo, ſino de q̃ pene a la larga.

cum jam corruerim in ingentia mala, vitã ſalvare, & tueri in mediis cruciatibus, ne cruciari deſinam. Erit ergo ſimilis ſentẽtia cum illa cap. 6. 9. *Qui cœpit, ipſe me conterat, ſolvat manum ſuam, & ſuccidat me.* Veruntamen non extendit ad *conſumptionem*, & ſuccisionem manum ſuam, quod mihi gravisſimum eſt, lõgeque ipſa morte gravius. Sic ille dixit eodem ſenſu animi;

Sen. in Hercu. Aethæo. act. 3.

Levis una mors eſt; Levis, at extendi poteſt

Et iterum:

Mors miſeris levamẽ, vita pœna.

Qui cumque miſero forte diſſuadet mori,
Crudelis eſt. Interim pœna eſt mori;
Sed ſæpe donum in pluribus veniæ fuit.

Atque iterum:

Sen. in Agam act. 5.

Rudis eſt Tyrãnus, morte qui pœnã exigit,
Mortẽ aliquid ultra eſt! Vita, ſi cupiat mori.

Hoc illud eſt vulgare:

Ovidius.

Morsq́ minꝰ pœnæ, quã mora mortis habet.

Seneca.

Qua de re Seneca lib. 2. de Beneficiis graviter diſſerit: *Quẽadmodũ* (inquit) *acerbiſſima crudelitas eſt, quæ trahit pœnam, & miſericordiæ genus eſt, cito occidere: quia tormentũ ultimũ finem ſui ſecum affert: Quod antecedit tempus, maxima futuri ſupplicii pars eſt.*

Ergo, ut ad Septuag. revertamur, cum dirum ſuppliciũ dilatæ mortis vellent exprimere, per paraphraſim dixerunt: *Vtinã mihi liceret manus afferre.* Quod Chryſoſt. eleganter obſervat referri, *non ad viriũ imbecillitatẽ*, Sed quia nefas eſt ſe ipſum occidere. Vnde duo comprobari exiſtimat; *Videlicet, & plagã intolerabilẽ eſſe, & mentis pietatẽ ſervari incolumẽ.* Verum enim vero quamvis hominẽ ærũnis quaſi vinci, ita ut vel mortẽ optet, vel ſibi inferre velit, non virtutis ſit, ut ad Oedipũ dixit Antigone;

Chryſoſt.

Mortis deſiderium ex imbecillitate.

Sen. in Thebai, act. 1.

Et hoc decebat roboris tanti virum,
Non eſſe ſub dolore, nec victum malis
Dare terga: Nõ eſt ut putas, virtus, pater,
Timore victum, ſed malis ingentibus
Obſtare, nec ſe ſe vertere, ac retro dare.

Ariſtotel.

Vnde Ariſtoteles dixit; *Mori fugientẽ paupertatẽ, vel amorẽ, non eſt fortitudinis ſed potiꝰ ignaviæ; mollis enim animi eſt fugere res laborioſas, nõ ut honeſtũ conſequaris, ſed ut malũ vites.* In quam rẽ cũ Plinius junior Catilio Severo ſcribit lib. 1. ac Tytum Ariſtonẽ laudat, longa, & pertinaci valetudine laborantẽ. *Mirareris* (inquit) *qua patiẽtia hanc ipſam valetudinẽ toleret, ut dolori reſiſtat, ut ſitim differat, ut incredibilem febrium ardorẽ immotus, opertuſque trãſmittat. Nuper me, paucoſque metũ rogavit, ut medicos cõſuleremus de ſumma valetudinis, ut ſi eſſet inſuperabilis, ſponte exiret e vita, ſin tantũ difficilis, & longa, reſiſteret, maneretque. Id ergo arduũ imprimis, & præcipua laude dignũ puto. Nã impetu quodam, & inſtinctu procurrere ad mortẽ, cõmune cum multis: deliberare vero, & cauſas expendere, utq; ſuaſerit ratio, vitæ, mortiſque conſiliũ ſuſcipere, ingẽtis eſt animi.* Poſſe igitur miſerũ eſſe, & vivere, virtutis, & magni animi eſt. At quid naturæ ipſi, & imbecillitati humanæ utile eſſet, & facilius toleratu, nunc Iob exprimit, quod imbecillitatis non eſt, licet ſit aliquid humanum; quo etiã illud pertinet cap. 7. 15. *Elegit ſuſpendium anima mea.* q. d. ſi libera mihi mortis facultas daretur, ſtrangulatio nẽ ego eligerẽ, quod mortis genus levius mihi, atque facilius foret. Fuit enim aliquando apud Aegyptios dãnatis permitti ſolitum mortis arbitrium, ut Diodorus ſcribit lib. 3. idẽque aliquãdo conceſſerũt Romani Principes, ut colligitur ex Plinio lib. 22. c. 12. & Tacit. lib. 15. & docet Vlpianus L. aut dãnum. §. 1. D. de pœn. ſed iniquũ id eſſe elegãter ſcriptum eſt. Quintiliano declamatione 11. *Hoc tantum* (inquit) *ab affectibus veſtris omnium mortalium nomine peto, ne cui nocenti pœnæ præſtetur arbitrium. Infinitam, Iudices, ſceleribus aperitis audaciã, ſi pœnã licet eligere condẽnato.* Nulla ergo lege Divina, aut humana permiſſam ſibi eſſe mortis liberam facultatẽ indicavit Iob; illam vero ipſam humanã imbecillitatem mori volentẽ cõfirmavit pietate, & ſanctimonia ad tolerandũ ærumnarũ difficultates: quod non ſolũ imbecillitatis non fuit, ſed incredibilis fortitudinis. De quo aliquãdo plura dximꝰ ſup. c. 3. ſect. 6.

Plinius libr. 1. Epiſt. 22.

Humani affectus ſignificatio.

Mortis arbitrium dãnatis permiſſum.

Diodor. Plinius. Tacitus. Vlpianus.

Quintilian.

Nemini permiſſum mortis arbitrium.

XXV. *Flebam quondam ſuper eo, qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi.*

1. *Elucidatio totius ſententiæ.*
2. *Reticentia. Commiſeratio, virtus Regia. Illuſtratus David.*
3. Durum, & dura dies *quid in ſacro ſermone. Illuſtratus Samuel.*
4. *Lachrymæ ſine ope, & opere inutiles miſero. Voluntas miſerendi. Illuſtrati Iacobus, & Salomon.*
5. *Quid* compati. *Miſericors anima patitur quod miſer corpore. Illuſtratus Paulus.*
6. *Virtus compaſſionis præſtantior re externa præſtita. Explicatus Paulus.*
7. Iuſtitia, & ſanctitas *pro miſericordia, & eleemoſyna. Explicati Salomon, & Iſaias.*
8. *Miſericordia ſanctitatis fructus.* Miſericors *erga omnes juſtus. Explicatus Paulus, & Matthæus.*

1

SI Immiſericors ego adverſus miſeros extitiſſem, ut vos, o amici exiſtimatis, merito nunc experiri deberem ſeverũ erga me Deum, cæteroſque immiſericordes atque inſultantes meis malis. Sed cũ me ſemper alienis calamitatibus, & ærumnis

ſocium

socium præbuerim, alienasque miserias, cũfletu, & lachrymis prosequutus fuerim, debuit profectò nũc mea calamitas, aliorũ misericordiã, & cõpatientiam allicere.

Reticentia.

2 *Flebam quondã*. In Hebræo est, reticẽtia quædã quasi cũ juramento imprecatorio: *Si non flevi*. Quod sic supplet Tygurina; *Quidlibet mali contingat, si nõ flevi calamitosis*. Quæ imprimis virtus hominem decet, Principem vero exornat. Certe Marcum Antoninũ Verũ nõ solum vere, se Regie etiam dicere solitũ Capitolinus scribit: In humanum plane esse humanis casibus, & calamitatibus non ingemiscere. Idemque auctor est, Gordianum seniorem mollissimis fuisse præcordiis, & lachrymari solitũ esse, quoties puer in scholis verberaretur. Dignũ propterea Regno, & Imperio. Quare merito puduit Alexandrum illũ Ferentium Tyrannũ illachrymatum aliquando fuisse, audientẽ tragicum Poema, qui suis subditis minime misericors exitteret, ut Aelianus refert lib. 14. de varia historia. Neque vero obscure viro miserenti jucũdã beatãque vitã, atque præcelsam Regni sedẽ, & dignitatẽ pollicetur David Ps. 111 *Iucundus* (jucunde, & fæliciter vivet) *homo qui miseretur* (vir misericors) *& commodat* (nõ solũ inquã jucũdus felixq; vivet, sed oppido sibi utilis, ac cõmodus erit) *Cornu ejus* (dignitas, Regnũ) *exaltabitur in gloria*.

Principes exornat misericordia.

Capitolinus in Antonino.

Aelianus.

Misericordi promissum regnum.

Sed in hac cõpatientia, & collachrymatione ad miserorum ærumnas potissimũ illud perspicitur, quod in Principe maxime requiritur, primũ, ut duriores casus, & tristiores subditorũ res Principes, quoad fieri possit, sublevẽt, quod in C. Theodos. leg. 23. de Petit. & ultro deb. eleganter dicitur: *Solẽt Imperatores duriores casus, & tristiorẽ fortunam Imperatoria humanitate mollire*. Deinde ut Princeps cives suos (ut Plinius in Panegyr. ait) *amare omnino videatur*. Si vero lachrymetur ad ærumnas, & calamitates suorũ, quis non dicat, *Ecce quomodo amabat eos*. Vides igitur Iob Regẽ sanctissimum virtutẽ vere Regiam pietatis, & misericordiæ coluisse. Delirabant Stoici, qui misericordiã existimabant esse vitium crudelitati oppositum, contra quos Sapiẽter scribunt Lactantius, lib. 6. cap. 10. & 14. Augustinus, lib. 9. de Civitate cap. 5. & lib. 1. de moribus Ecclesiæ cap. 27.

Optimi, & clementissimi principis officiũ.

Codex Theodosii.

Plinius.

Ioan. 11. 36.

Stoicorum error de misericordia.

Lactant.

Augustin.

3 *Super eo, qui afflictus erat*. Prop. est in Hebræo. *Super durum diẽ*, vel, *super durum diei* vel, *super durũ die*. Quod manifeste pertinet, ad calamitatẽ, & miseriam. Et quãvis frequenter, *durus*, dicatur active, qui se durum ac difficilẽ præbet, vel contumacẽ, & rebellẽ, Ezech. 2. 4. & Iudic. 4. 24. & 1. Reg. 5. 7. tamẽ aliquando etiã accipitur quasi passive pro eo, qui dura patitur, id est, difficilia ad tolerãdũ. Vnde 1. Reg. 1. 15. *Mulier infælix nimis ego sum*. Prop. ex Hebreo *Mulier dura spiritu*. Septuag. *Mulier dura die ego sum*. vel ut alii legunt, *In dura die*, quod eleganter noster dixit, *infælix*. Septuag. autem hanc duritiẽ, & asperitatem *diei* interpretari videtur, immedicabilitatẽ desperati alicujus mali, & calamitatis, nam legunt, *Ego super omni impotenti flevi*. Quod Nicetas interpretatur: *Genus quodã hominum, quorũ haud sanabile erat malũ, quibus communem sensum doloris tribuerit, iis videlicet, quibus ipse auxiliari non poterat*. Nã cum non poterat ipsa re, lachrymis tamẽ, & compatientia aderat. Si enim re ipsa auxiliari potuisset, tantumque miseraretur collachrymãdo, dici in illum posset, quod aliquando, ab Augustino refertur, de eo, qui in puteum profundũ decidisset, eum enim cum vidisset quispiã permotus misericordia dixit; Miser quomodo decidisti in puteũ? at ille: Quid refert quomodo inciderim? Hoc potius age, ut hinc educar. Nam *Quid proderit* (ut Iacobus ait) *Si cum frater, aut soror nudi sunt, dicat aliquis, Ite in pace, & non dederit necessaria corporis*. Id est, Quid prossunt mollia verba, ubi re ipsa, & ope opus est quando & ipse qui loquitur, opẽ præstare potest? Sic Salomon Prov. 22. 9. dixit: *Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur: de panibus enim suis dedit pauperi*. Quod prop. in Hebreo legitur: *Pronus*, vel *benignus oculo*, vel *benignus oculus*. ubi ita comendatur pronitas illa, & mollitudo animi ad misericordiam, ut non solum benigne intuearis, alloquarisque pauperẽ, sed ut etiã re ipsa sustentes. Hæc enim est vera misericordia, ut explicat lectio Septuagin. *Qui miseretur pauperis, enutrietur*. id est, pro nutrimẽto, vel victu præstito pauperi misericorditer, & liberaliter, (est enim cum misericordia conjuncta liberalitas.) vicissim ipse a Deo indulgentissimo patre delicate nutrietur, & tractabitur. Hæc enim veræ misericordiæ merces: nã ut Paulus dixit. 2. Corint. 8. *Si voluntas prõpta est, secũdum id, quod habet, accepta est*. Sed de hoc iterum in parte sequenti.

Durus active, & passive.

קשה־יום

Pagn. Regia.

LXX.

Nicetas.

4

Non sufficiũt verba, ubi re ipsa opus est.

August.

Iacob. 2. 15.

Pagn. Regia. Tygur. Vatab.

Misericordiæ præmium.

5 *Et cõpatiebatur anima mea pauperi*. Septuag. gemitum cõjungunt cum illis superioribus lachrymis: *Gemui videns virum in necessitatibus*. propr. *indoluit*, aut *contristata est*. Verbum quidẽ, quod hoc tantum loco in Scripturis occurrit, & non eandẽ omnes Hebraizantes illi significationem tribuunt: nam alii vertunt *Cõtristari*, aut *mœrere*, alii *dolere*, aliquis etiã *uri*, aut *laterari*-

LXX.

עגם

Misericordiæ affectus varie significatus.

Certum tamē eſt ſignificari animi affectū ex miſericordia, & cōpaſsione provenientem. Quod R. Mardoch. interpretatur, *dolere, ſollicitū eſſe, diſcruciari, mæſtū eſſe*. Cum quo animi affectu cōgruit, quod ſequitur: *Anima mea*: fieri enim poteſt, ut vir miſericors ſic proximi ærūnis, & egeſtate afficiatur, ut ſicut alius corpore, ipſe animo nihilo melius habeat. *Haud leve* (inquit Chryſoſt.) *eſt mentē habere ad condoleſcendū idoneā*. Hoc enim eſt illud Pauli: *Quis infirmatur* (laborat, & dolet, corpore, vel animo) *& ego nō infirmor?* (non dolenti, & ægro animo ſum perinde ac vir omnino calamitoſus, & miſer. hoc enim appellare ſolet Paul⁹ *infirmitates* ſuas, labores ſuos, atq; ærūnas) *Quis ſcādalizatur* (offendit) *& ego non uror?* (Quod acerrimi doloris, atque cruciatus eſt) Sic hoc loco Iob, *anima*, & totis viſceribus urebatur in proximorum ærumnis, & calamitatibus. Quod autem ait, *pauperi*, ſignificat quidem hominē omni ope deſtitutum, & ex proprietate originalis vocis *deſiderantē*, ut pote cui nihil boni adſit, proptereaque omnia deſideret: Quod hoc loco Cajetan. vertit, *Miſellū*, minus exæquat ſignificationem. Sed obſervandū ex Gregorio, argute omnino, atq; ſapienter de re hac differente hoc loco; *Quamvis vera cōpaſſio ſit paſſioni proximi ex largitate ſubvenire*; at aliquādo facilius eſt eleemoſynā porrigere egēti, quam ex anima, & interno cōpaſsionis ſenſu compati. Quia *largitorē muneris rerum abundātia facit, & non virtus cōpaſsionis*: Quare *ille perfecte tribuit, qui prius in ſe dolentis paſſione transfert*. Hujus cōpaſsionis perfectū omnino exēplum nobis præbuit Dei fili⁹, qui cum nos miris modis ditare potuiſſet, at niſi pri⁹ ipſe egenus fieret, & noſtris infirmitatibus doloribusque ſuſceptis compateretur, mederi noſtræ miſeriæ noluit, *propter nos egenus factus, cum eſſet dives, ut illius inopia nos divites eſſemus*. Quare Paulus non minoris, imo pluris videtur facere voluntatē illam ex cōpaſsione, & miſericordia faciendi eleemoſynam, quam munus ipſum 2. Corint. 8. 10. *Nō ſolū facere, ſed, & velle cœpiſtis ab anno priore*. Et iterum; *Secundū virtutem, & ſupra virtutē voluntarii fuerūt*; voluntarii inquam, id eſt, ultronei, ſpōtanei, & liberales: nā cum quis voluntatem compaſsionis, & miſericordiæ affectum, & lachrymas miſero prębet, aliquid ſui præbet: ut enim ait Gregorius; *Exteriora largiens rē extra ſemet ipſum præbuit*; *qui autem fletum, & cōpaſsionem proximo tribuit, aliquid de ſemet ipſo dedit*. hoc autē inſignis liberalitatis eſt, internæ ſuæ mētis aliquid

R. Mard.

Miſericors animo ſaucius.

Chryſoſt.

2. Corint. 11. 29.

Infirmitas pro calamitate, & ærumna.

Pauper, quis.

אבה

Cajetan.

Gregor.

Perfectæ compaſsionis formula.

2. Corint. 8. 9.

Voluntas potiſsima in miſericordia pręſtandā.

Gregor.

egenti ſponte tribuere. Quod ergo ſtatim addit Apoſtolus: *Nō ut aliis ſit remiſsio, vobis autē tribulatio*; exiſtimat Gregorius dictum eſſe, *condeſcendendo infirmis*; cum illa perfecta miſericordia ſit, per quā ut aliis ſit remiſsio, nobis accreſcit tribulatio.

Illuſtratus Paulus.

7 Ex his vero miſericordiæ operibus, ſuā vitæ innocentiā, & ſanctitatem cōprobat Iob: nam fere pro eodē Scriptura accipere ſolet miſericordiam, vel eleemoſynā, & *juſtitiam*, vel *ſanctitatē*: Quare *Sanctus* pro miſericordi, & benefico, Pſ. 4. 4. Mich. 7. 2. *Iuſtitia* pro eleemoſina; Pſ. 111. 6. & 9. Prover. 10. 2. Matt. 6. 1. & 2. Corint. 9. Et quod nos habemus: *Miſericordia*, vel *eleemoſyna*, in Hebræo aut in Græco eſt, *Iuſtitia*, Geneſ. 32. 10. Pſ. 23. 5. Dan. 4. 25. Pſ. 102. 6. 18. Elegans eſt in Hebræo, tāſmutatio litterarum cum ſimilitudine, & ſono *Hheſed*, Miſericors; *Tſedehh*, juſtus. & *Hheſed* pro ſancto, & miſericordi, ſimul in Sacro ſermone, imo & apud Latinos, Sapiētes, & Philoſophos. ex quibus Cicero dixit lib. 1. Officiorum. *Iuſtitia, in qua virtutis ſplēdor eſt maximus, ex qua boni viri nominātur, & huic cōjuncta beneficētia, quā eādem, vel benignitatem, vel liberalitatē appellari licet*. Sic colludunt illa duo loca Proverb. 21. 3. *Facere miſericordiam* (Septuag. *Facere juſta* Hebraice *juſtitiam*) *& judicium magis placet Domino, quā victimæ*. & illud Mich. 6. 7. 8. *Nūquid placari poteſt Dominus in millib⁹ arietū? Indicabo tibi, o homo, quid ſit bonū, & quid Dñs requirat a te; utique facere judicium, & diligere miſericordiā*. & Hoſeæ 6. *Miſericordiam volui, & non ſacrificium*.

Ex miſericordiæ operibus ſuā innocētiā probans Iob.

Sanctus, & miſericors.

Iuſtitia, & eleemoſyna.

חשד

צדח

Cicero.

Beneficentia cū Iuſtitia cōjuncta.

8 Illa autē videtur eſſe ratio, quod *juſtitia, & ſanctitas* pro eleemoſyna, aut pro miſericordia accipiatur, quod videatur eleemoſyna, & miſericordia eſſe quaſi primus ſanctitatis, & juſtitiæ fructus: nā ſic Paulus eleemoſynam vocat: *Fruges juſtitiæ* 2. Corint. 9. 10. & quo ſolum juſtitiæ fuerit magis pingue, & fertile, eo uberiores fruges eleemoſynæ proferet; & quo minor ſanctitas magis tenuem, & macrā eleemoſynā: atque adeo, ubi nulla miſericordia, aut eleemoſyna, ibi nulla ſanctitas, neque juſtitia apparebit. Secūda ratio, quod qui eleemoſynam facit, videatur reddere omnibus, quod ſuum eſt; videlicet & ſibi ipſi, cujus humanitas humanitatis ſenſum, & cōpaſsionem jure ſuo exigit, & pauperi victum, ſuo quaſi jure debitum, & Deo ipſi exigenti etiam, atque dicēti; *Quod uni ex iſtis feciſtis, mihi feciſtis*. Sic igitur *attendendum* nobis eſt, quomodo *juſtitiam noſtram faciamus*,

Coram Deo.

Cur miſericordia pro Iuſtitia, & ſanctitate ſumatur.

Eleemoſyna fructus Iuſtitiæ.

Qui facit eleemoſinam erga omnes Iuſtus.

Matt. 25. 30. 45.

Matt. 6. 1.

VI. EX-

XXVI. Exſpectabã bona, & venerunt mihi mala: proſtolabar lucem, & eruperunt tenebræ.

1. *Dilucida ſententiæ paraphraſis. Ingrati quales. Iob, cum in ærumnas incidit, præcipue vacans operibus miſericordiæ. Divites frequenter crudeles. Divitiæ cum miſericordia ſtabiles.*
3. Erumpere *quid.* Lux, & tenebræ. *Iuſtis indies meliora.*

1 HIS Meis egregie factis, & omnis juſtitiæ, & ſanctitatis officiis deberi ſummã vitę fælicitatem, & jucunditatem, plane mihi perſuaſerã, atque ventura omnia ex animi ſententia ſperabã; ſed ſpem cõſequutus eſt eventus triſtiſsimus, & incredibilium turba malorũ. Præter expectationẽ itaque ſubito eruperũt tenebræ, quæ præclaram vitã, & ſplendentẽ fortunã obſcurarunt: & qui alios mœrentes, & jacentes in tenebris illuminabã, nunc neminẽ habeo, qui meã vicem doleat, neminem, qui in tantis malis lucẽ, aut ſolatium præferat. Video enim omnes ad miſerias meas lapideſcere, etiã illos, qui beneficentiæ meæ participes nuper fuerunt. Sicut de Siphnio lapide dicitur, oleo excalfactũ dureſcere, alioqui molliſsimum, non aliter, qui beneficiis deteriores fiunt.

Elucidatio, & paraphraſis ſẽtentiæ.

Siphnii lapidis mirabilis natura. Ingrati deteriores beneficiis.

2 כי *Exſpectabam bona.* In Hebræo particula *Quia*, aut *Quãdo*, q.d. Quando maxime his miſericordiæ operibus vacabam, propterea que uberius mihi pollicebar premium, tunc incurrerunt in me tenebræ. Fieri enim potuit, ut cum in ſuas ærũnas incidit Iob, tunc vel maxime pietati ſe totũ tradidiſſet: atque cõmunis adverſarius tunc demũ acerbius adverſus illum odiũ ſuſciperet, & cũ plus illum Deus diligeret, ſeverius caſtigaret. Sic enim & Divinæ Providentiæ diſpoſitio, & invidia adverſarii, & Dei amor, & benignitas in affligendo juſto eniteſcunt clarius. *Exſpectare* autem longam quandã, & patientem expectationem affert; ut ſignificet ſe diu exſpectaſſe recte factorum præmiũ, *bona*, jucunda, & læta, rerum lætã, & jucundã faciẽ ex animi ſententia. Septuag. *Inhærens bonis, ecce occurrerunt mihi magis dies malorum.* Quod Nicetas ad ſuperiorem ſententiã de eleemoſyna, & miſericordia refert, q. d. *Non divitiis deceptus de alienis calamitatibus oculos dejiciebã, imo vero iis, quæ in manibus habebam, bonis anteferebam.* Videlicet ſolent eſſe divites immiſericordes, & inhumani. Quare difficile reperias hominem divitẽ ac voluptatibus delinitum, & ſimul alienarum ærumnarũ æſtimatorẽ. Sed illa ſententia germanior, & cohærentior, quam indicavit Chryſoſtomus; *Ob partem alieni mali ſpõte ſuſceptam bona exſpectabam; ſed Spes me fefellit.* Vnde colliges optimam eſſe apud Deum viam ſtabiliendæ, & confirmandæ fælicitatis, alienis ſe malis per miſericordiã, & humanitatem immiſcere, & doloris alieni cõmunionem ſpõte ſuſcipere; nam ſolet Deus invitum flagellare, qui omnem reſpuit doloris ſenſum; & propriis malis afficere, quem aliena non tangunt.

Iob ardẽtius pietati vacãs, cum tentatus eſt.

קוה *Exſpectare, ad diuturnã patiẽtiã, & longanimitatem.*

LXX.

Nicetas.

Chryſoſt.

Miſericordiæ alienę calamitatis, remediũ cõtra miſeriã ſuam.

3 בוא *Eruperunt tenebræ.* In originali nõ aliavis quã *veniẽdi*, eſt enim idẽ quod ſuperius, *venerunt.* Sed verbũ illud *erũpendi* vim ſubitã, & inopinatũ impetũ malorũ affert. De *luce*, & *tenebris* ſæpe diximus, expoſitio enim eſt ſuperiorũ *bonorũ* atque *malorum.* *Exſpectatio lucis,* eſt novæ diei, & lucis exoriturae ſpes concepta. Nunquam meam fælicitatem occaſuram confidebam, nunquam extinguendam lucernam meã, ſed indies meliora, fore etiam *ut Deus educeret quaſi lumẽ juſtitiã meam, & judicium meum tanquã meridiem.* Id eſt, nova gloria, & ſplẽdore probitatẽ meã per ſe ſe ſplendẽtem illuſtraret, & celebraret, atque indies creſcerem, & *procederẽ,* quaſi *ad perfectam diẽ,* ad meridiẽ, id eſt, ſtatum lætiſsimum, atque fæliciſsimum, quem mortalium nemo ignoraret. Hæc enim videbatur illa antiqua juſtorum promiſsio Proverb. 4. 8. *Iuſtorum ſemita* (vita, vitæ conditio, & fælicitas eorum, qui nunquam recedunt a ſemitis juſtitiæ) *quaſi lux ſplendens creſcit, & procedit uſque ad perfectam diem.*

Pſal. 36. 6.

Promiſsio fælicitatis.

XXVII. Interiora mea efferbuerunt abſque ulla requie: prævenerunt me dies afflictionis.

1. Interiora, venter, efferveſcere *Illuſtratus locus Cantic. Iobi morbus.*
2. Silentium *pro* requie. *Explicatus David, & Ionas.*
3. Venire, & prævenire, *quid.* Dies *de miſero. Illuſtratus David.*

1 QVacumque occaſione dilabitur ſtatim ad querimonias, & cõmemorationẽ incredibilium cruciatuũ atque morborũ. Nunc vero quod totus æſtuaret, & ureretur ingẽti febri, inopinaque mors jã opprimeret: *Interiora mea.* inteſtina, viſcera, & vitalia omnia, quæ in cavitate thoracis ſunt a collo, uſque ad inguina, cor, pulmones, & aliquando eadem originalis vox vertitur *Venter,* non ſolum pro ventriculo, & ſtomacho, ut Num. 5. 22. & Ioã. 2. 1. ſed pro viſceribus, & vitalibus, potiſ-

מעי *Venter pro viſceribus.*

ſimum corde, & præcordiis, aut toto pectore Cant.5.14. Thren.1.20. *Conturbatus eſt venter meus, ſubverſum eſt cor meũ in memet ipſa*, id eſt, æſtuat meum pectus, & intumeſcit, non ſecus ac mare conturbatur, & æſtuat, corque præ nimia conturbatione agitatur, & ſubſultat frequẽtiſsime. Sic

LXX.

Septuagin. hoc loco dixerunt: *Venter meus efferbuit. Efferbuerũt*, ebulliunt, cõmoventur, & ſubſultant, quaſi ſubjectis flammis;

Nicetas.

Nicetas; *Mea uruntur præcordia*. Recte vero notat idem Catenę auctor, *Effervescere, cũ aqua igni concalefacta fervet, atque ebullit.* nam ab eadem radice dicitur c.41.22. *Ferveſcere faciet, quaſi ollã, profundũ mare.* Qua-

R. Mard.

re R. Mardochai ait: *Quod ſignificatio illius eſt coctio*. Ergo Iob forte illud ſignificat, quod de moribundo homine dicere ſolemus, & de eo, qui jã vix poteſt ducere ſpiritum, tumente, & concitato pectore, *Que le hervia la olla.* Locum hunc aliquãdo ad aſthmatis morbum retulimus. c. 2. ſect. 8. Sed nunc placet, quod diximus, quod febrilis ignis decoquebat illius pręcordia, & pectoris operculũ atq; coſtas extollebat, excitabatque ingentem ęſtum; eademque eſt illa *ventris conturbatio*, ſeu æſtus, quem ex Ieremia nuper adducebamus.

Philippus.

Sed Philippus, neſcio quẽ, ingentẽ cruciatum ſignificari exiſtimat inferni ſimilẽ: *Magnos* (inquit) *dolores gehẽnarũ ſignificat, dum ſuas cum illis cõparat pœnas, quibus ejus viſcera interna fervore coquerentur*. Deinde vero quod additur, abſque *ulla requie*; ſic interpretatur; *quod doloribus ſimul, & cogitationibus cruciaretur*. Sed ſimplex eſt, quod diximus.

2 *Abſque requie.* In Hebręo: *Abſq; ſilentio.* Conturbatio, & cõmotio frequenter ſigni-

Quies ſilentium.

ficantur nomine vocis, aut ſonitus; Quies vero, atq; tranquillitas per ſilentiũ; eſt e-

דמם

nim cũ ſilentio cõjuncta. *Silent*, id eſt, trãquillantur fluctus, Pſ.106.29. & ibidẽ, *Statuit procellã ejus in auram.* Hebraice, *In ſilẽ-*

Hieronym.

tiũ, Hieronym. *In tranquillitatẽ.* & Ion. 1. n.12. *Ceſſabit mare*, Hebrai. *Silebit*, Septua. *Quieſcet*. Ergo Iobi viſcera, & præcordia non ſilebant, velut *mare fervẽs* æſtuabant perpetuo; neque unquã intermittente dolore, ſibilabat intercluſus ſpiritus; ipſa inteſtina inſolito gemitu rugiebant; & cor tacere nõ poterat incredibiliter excruciatũ. Paulo ſecus Septuag. nã referũt ad il-

LXX.

la ſuæ vitæ, & facinorum præconia; *Venter meus efferbuit, & non tacebit. Vis* (inquam)

Nicetas.

cruciamentorum (ſic fere Nicetas) *exclamare me, & ejulare cogit, ac præclara mea e-*

Philipp.

numerare facinora. Philippus. *Quod ignoraret unde ſibi hoc malum pœnarum, qui nõ cognoſceret culpæ meritum, contigiſſet.*

3 *Prævenerũt me.* Occurrerunt obviã mihi nihil tale ſuſpicãti, & occuparunt incautũ & ſecurum hominẽ. Recte Vatab. *Antici-*

Vatabl. Tygur.

paverunt me. Quod enim alii dicunt: *Apprehenderũt me*, minus eſt: nã verbum originale proprie ſignificat priorẽ illã ratio-

קדם

nẽ veniẽdi, aut aliquid aliud faciẽdi, & id, quod tempore, aut loco eſt ante nos. Graviſsima eſt ærumna, quę incautũ occupat, a qua illi ſe ſecuros arbitrabãtur, qui dicebãt Amos.9.10. *Nõ appropinquabit, neq; veniet.* (præveniet, Thargum, *accelerabit*)

Thargum.

ſuper nos malum. Dies afflictionis, tempora calamitoſa. Septuag. *Dies mendicitatis.* Alii

LXX.

ad diẽ mortis referunt quod videret ſe juvenẽ, aut virum robuſtũm, morte præventum, & jã jã moribundũ in *dimidio dierum*

Immatura ſenectus ex calamitate.

ſuorum. Sicut etiã conquerebatur David vi multarum perſequutionum cõſenuiſſe ante tẽpus; *Inveteravi* (inquit, conſenui, &

Pſal.6.8.

quaſi canos contraxi) *inter omnes inimicos meos.* eleganter Theodoret. *Omnibus malis*

Theodoret.

graviora mihi ſunt inimicorum opprobria, hæc enim me conſumunt, & liquefaciunt, & extremã ſenectutem adducunt. Hoc ipſum quoq; de ſe teſtatur Iob. Philippus ad internum judicii appropinquantis timorem refert: *Dies afflictionis, tempus judicii voluit indica-*

Diesafflictionis, Iudicium.

re, quo præventũ ſe videtur dicere. Simile id quoque David Pſ.6.1. *Domine ne in furore tuo arguas me.* Furorem enim Interprete

Nyſſenus.

Nyſſeno, vel judicii, vel inferni indignationem intelligere videtur, quem jam ſibi videbatur imminentem ſuſtinere.

XXVIII. Mœrẽs incedebam ſine furore; cõſurgẽs in turba clamabã.

1. Mœrere *quid. Triſtibus omnia obſcurãtur. Lugubris habitus.*
2. *Varia lectio.* Furor *quid. Patientiæ frænum. Explicatus David. Cajetanus.*
3. Clamor *ex doloris magnitudine. Notatus Ca.*

1 Omnia ægerrimi, & miſerrimi animi, ac conditionis calamitoſiſsimæ documenta præbui. Sed quod ait, *Mœrẽs in-*

Triſtitia mẽtis caligo.

cedebam, obſcuritatem affert, quæ eſt mœrentis animi triſtitia, aliena ab omni luce, & jucũditate: quare legi poteſt, Obſcurus inceſsi, contenebratus, aut quid ſimile. Sic

קדר

Vide, quæ diximus c.3.℣.5.n.3 & c.17.℣.7.n.1 & ℣.12.n.5. & aliis locis, ubi de tenebris.

Ierem.4.28. dicuntur *lugere terra, & mœrere cæli*, cum obducũtur tenebris. Diximus

Mœror rerum inanimatarũ.

aliquando triſtibus, & miſeris omnia tenebreſcere, occupantibus cerebrũ ſpiritibus obſcuris, atris, & lucis expertibus: quare

Melancholica, quę obſcura, & nigra

& illa melancholiam generant, quæ nigra ſunt, ut olivæ nigræ, quæ obſcurant ſpiritus;

tus; alia vero lumen, & ſplendorē afferunt ſpiritibus, ut margaritæ, Hyacinthus, Corallium, Crocus; quæ propterea mœrentibus medentur ex præcepto medicorum. Hinc lætātibus *nova lux oriri videtur*, mœrentibus deficere. Hinc fit, ut obſcuritas ad lugubrem, & nigrum lugentium habitū referatur. Ita dicat Iob, Atratus inceſsi, pullatis, & nigris veſtibus. Tygur. *Lugubri habitu*. Pagnin. *Pullatus*, lugeo ego meam mortem, quæ jā jam inſtat; & quoniā nemo futurus eſt, qui me defunctū lugeat, & ſupremum funeris honorē impēdat, quin potius video omnes in meis malis meæ mortis exſpectatione exultantes, ego qua poſſem ratione me ipſum paulo poſt moriturum proſequor ad ſepulchrū, mortem ego non fugio, ſed cōplector, ſed advoco, ſed neceſſaria ad funus, ne illa cunctetur, præparo, & jā, *quaſi lugens, & contriſtatus ingredior*. Vide quæ diximus c. 1. v. 20. n. 6.

Arist. tract. de viribus cordis c. 9 — *Esther. 8. 16.* — *Tygur.* — *Pagnin.* — *Pſal. 34. 14.*

2 *Sine furore*. Emendandum putavit Eugubinus, & legendum *ſine fervore*, eo quod ex Hebræo proprie legatur, *ſine Sole*. cujus hic ſenſus ſit; Ater & niger ſum, non quia Sol me peruſerit, aut decoloraverit; ſed quia cū pollerem quondam inſigni, ac vere Regali oris totius dignitate, & ſplēdore, nunc tamen denigratum me ſuper carbones reddit, qui me urit morbus graviſsimus. Vatablus: *Facies mea nigra, nō propter afflictionem, & gravitatē morbi interioris*. Sed melius ad animi triſtititiam; Qui tam graviter affectus ſum, tenebras amo, ac Solis lucem vito: Tygurina: *Solem non ſentiens*: At Latinus Interpres non legit *Hbamma*, id eſt, Solē; ſed deduxit a radice *Hbamam*, quod eſt etiam calefieri, aut excādeſcere, & indignari, aut furere; quare recte legit, *ſine furore*, ſine indignatione, ſine excandeſcentia; quod hanc habet intelligentiā; Video me mori, ac plane deficere, neque poſſe ratione ulla incaleſcere, aut animo erigi ad depellendam mortem, & obſiſtēdum extremo diſcrimini. Cedo itaque ac mœreo, non enim eſt, quod mea iraſcendi facultas ſe ſe erigat, & excandeſcat adverſus mala graviſsima, quæ nulla ratione eludere poteſt. Doleo ſane, ſed non furo, neque indignor adverſus Numen, ut vos de me cēſetis. Compos mei ſum, & malorum graviſsimorum patiētiſsimus; quoad fieri poteſt dolorem cōprimo, ut cum graviſsime doleam, videar tamē eſſe ſine dolore: nam dolor, & ægritudo animi *furor*, dicitur Pſ. 6. 8. *Turbatus eſt a furore* (præ dolore, & ægritudine ingenti) *oculus meus*. Apud prophanos ſæpe *dolor* pro *ira*; aut *furor* pro *dolore*. Ergo qui *ſine furore* incedebat, cū vehementer doleret, ſine dolore videbatur. Legerunt eodem modo Septuaginta, Cōplutenſes, *Ambulo ſine furore*. At correcti Vaticani longe ſecus; *Gemens ivi ſine fræno*. Vnde autem hanc lectionem deprompſerint, prorſus ignoro. Sed tamen hanc explicationem habet, quam Nicetas adhibet. *Ipſa Patientia, quaſi fræno quodam fletus magnitudinē, atque perpetuitatem nequeo cohibere, verum intemperanter, effuſe, ac denique effrænate ploro, gemo*. Videlicet dolentem vel maxime ſemet frænare, & ſiſtere impetum oportet. Cū enim *omnium perturbationū animi dolor graviſsimus ſit*, ut Plutarchus dixit; Propterea que rectum de rebus judicium ſæpe corrumpat, atque pervertat, ut docuit aliquando Ariſtoteles, profecto velut beſtia quædā fera, & immanis tractandus eſt, frænandus, & cōprimendus: nam incredibiles habere ſolet impetus: *Vixque dolor frænos capit*, aut regi ſe permittit, ut Helena dixit; *Ratione quamvis careat, & flecti neget magnus dolor*. Vide quæ ſupra diximus. verſ. 11. & cap. 3. ſectione ſexta. n. 2.

Eugub. — *Varia lectio Hebraizātiū.* — *Vatab.* — *Tygur.* — הבוח חמם — *Dolor, & ægritudo, furor quidam.* — *Dolor pro Ira* — *Septuaginta Complutēſes, & Vaticani.* — *Nicetas.* — *Dolor animi perturbatio vehemens.* — *Plutarchus in orat. de Conſolatione.* — *Ariſt. 6. Ethic. cap. 5.* — *Seneca.*

3 *Surgens in turba clamabam*. Nicetas: *Nec cœtus interim frequentiam reverens, & coram multis, qui circumſiſtunt vociferās*. Lōge aliter Philippus: *Ad ſpem animi virtute cōſurgens, quia Deus docuerat me patientiam, ut æquanimiter ferrem publica ſatisfactione vociferans, & exorās*. ut cum falſa ſuæ vitæ criminatio, tum ingens dolor, & cruciatus animi, atque corporis illum clamare cogerēt. Clamabam (inquit) ſed ut virum patientiſsimū decet, nō furentem, neque indignantem, dolentem tamen, & humanitatis vexatæ documenta præbentem.

Nicetas. — *Philippē.*

Sed in medio hoc mœrore, & luctu, cui nō riſum moveat Hebræus ille apud Cajetanum, pueriliter omnino locum iſtum graviſsimum tractans, & in hāc ſententiā legens, & interpretans; *Obſcurus ivi in ſine Sole: ſurrexi, in cōgregatione, clamabo. Domeſticorum (inquit) crudelitatem erga ipſum Iobum deſcribit narrando, quod in ſine Sole, hoc eſt in nocte ivit obſcurus, hoc eſt ſine lumine per aulam, & videns lucernam extinctam clamavit ad congregatos domeſticos, & nullo veniente ivit nocte ſine lumine*. Similem interpretandi rationem adduximus ex eodem Cajetano cap. 17. verſ. 12. ſuper id: *Noctē verterunt in diem*, non alio animo, quam ut aliquando lectoris moleſtiam per intervalla minuamus.

Cajetan.

XXIX. *Frater fui Draconum, & ſocius Struthionum.*

1. Dra-

1. Dracones efferati homines.
2. Dracones terreſtres, aut marini.
3. Dracones ſolitudinis amantes. Iob exulans civitate.
4. Draconum luctus, & pugna cum Elephãtis. Illuſtratus Micheas.
5. Draconũ fames, & ſitis. Illuſtratus Ieremias.
6. Syrenes quæ. Avium cantus querulus. Leviathan.
7. Struthiones, & ululæ, an cantus edant propter ablatos pullos. Quid ſtruthio in Hebræo. Illuſtratus Ieremias.
8. Frater, & ſocius de ſimili. Explicatus Salomõ.
9. Quare in Hebræo dicitur filia ſtruthionis, potius quam filius. Luctus muliebris.

1 SOcietas hæc, atque fraternitas cũ *Draconibus*, & *Struthionibus* procul dubio pertinet vel ad morũ, atque naturę ſimilitudinẽ aliquam, vel ad loci ſocietatem, & habitationem, ut ſtatim dicemus, ſi tamen pri⁹ quid rei ſint *Dracones* iſti, & *Struthiones* inveſtigaverimus. Et primũ quidẽ Cajetanus exiſtimat ſignificari barbaros, atque efferatos ſuorum domeſticorum animos, atque ferinos mores, & venenata verba, quibus afficiebatur, & mordebatur; & per *Dracones* quidẽ intelligi viros, per *Struthiones* autem intelligi fæminas, propterea quod in originali pro *Struthionibus* legam⁹, *filias Struthionum*. Cæterum hoc diſcrimen parum ſolidum eſt, cum nomen *Draconis* ſit generis Epicœni.

Dracones qui. *Cajetan.* *Draco in Hebræo generis Epicœni.*

2 Illud paulo difficilius, cuj⁹ generis *Dracones* iſti ſint? nam vox, *Thanim*, licet ſæpe *Serpens*, aut *Draco* reddatur a Latino Interprete, tamen idẽ *Serpentis*, aut *Draconis* nomẽ nunc pro terreſtri, nũc pro marina bellua uſurpatur. Quod enim in mari ſunt ingẽtes piſces terreſtribus ſerpẽtibus aſſimiles, id in terra ſunt ſerpentes ipſi, atq; Dracones. Quare *Cete* vertitur Geneſ. 1. 21. & *Draco cubans in medio fluminũ* Ezhec. 29. 3. At pro *terreſtri Dracone* manifeſte accipitur, & pro *colubro* Exod. 4. 3. Pſ. 90. 13. Ierem. 10. 22. atque aliis etiam locis. Dicũtur enim in Ieremia herbis veſci, & habere cubile inter acervos arenæ, & *habitare in civitatibus deſolatis*, atq, habere *mammas*, & *lactare catulos* ſuos, Threnor. 4. 3. ubi idem illud originale *Draconis*, nomen vertitur *lamia*; atque res ipſa exigere videtur, ut quoniã piſces muti ſunt, potius ad terreſtes belluas res hæc ſerpentũ gementium, atque Draconum ululantium referatur.

Draco quod animãtis genus. תנים *Dracones terreſtres, atque marini.* *Draco potius de terreſtri.*

3 Ergo cũ *Dracones*, atque ſerpentes frequẽtiſsime habitent in ſolitudine, videbitur hæc *Draconũ* ſocietas, & ſimilitudo ad eandẽ ſolitudinis, & vaſtationis rationem pertinere, q. d. Vaſtatus ſum, & in extremã ſolitudinẽ redactus, ut omnino videar eſſe ex illorũ animantium genere, quę habitant in ſolitudine, & in civitatibus deſolatis. Nonnihil hujus rei videtur indicatũ a Niceta: *Animalia* (inquit) *hæc ſunt, quæ ſolitudinem amant: Hæc igitur eo Iobus dicit, quia extra urbem, ac ſub dio cõmorabatur.* Illud etiã addi poteſt, quod affert Steuchus poſſe fieri, ut dicat Iob ſe optare ſolitudinẽ, ubi longe, lateq; gemere, & cõqueri ſine arbitris poſsit, atq; impune vociferari.

Draconum ſocietas de habitatione ſolitudinis. *Nicetas.* *Eugub.*

4 Sed tamẽ hæc cũ *Draconibus* ſimilitudo ad ululatum, & luctũ, nõ ad ſolitudinẽ alii referunt; id quod ex Micheæ 1. colligitur: *Faciã planctum velut Draconũ, & luctũ quaſi ſtruthionum.* Dicunt enim hoc noſtro loco Philippus, Hieronym. Beda, Dracones luctuoſum quid ſibilare, & quaſi ululare oppreſſos ab Elehpnatis. Philippi hæc ſunt verba; *Cruciatib⁹ pœnarũ affect⁹ dolores meos ſibilus tẽperabam, quemadmodũ facere dicũtur Dracones, quando ab Elephãtis capiũtur, & interficiuntur.* Fere idem docet Hieronymus Mich. 1. *Dracones* (inquit) *terribili ſibilo perſonant juxta hiſtorias eorũ, qui de Phyſicis cõſcripſerunt eo tẽpore, quo vincuntur ab Elephãtis.* Rem fere eandẽ recipiunt Rupertus, & Remigius Mich. 1. Pugnam quidẽ Elephãtum cũ Draconibus apud ſcriptores rerũ naturaliũ lego, ſed luctũ hunc, triſtéve ſibilũ Draconũ minime lego: nam vel raro Dracones interficiuntur ab Elephãtis; vel uterq; ſimul interit: nam ut Plinius dixit; *Cõmoritur ea dimicatio; victuſq; corruens Elephas, cõplexum elidit pondere.* Deniq; nõ timet Elephantẽ Draco, ſed timetur. Non aliud ſcribitur a Plinio lib. 8. c. 11. Solin. cap. 38. & cap. 65. Diodoro Siculo lib. 4. non longe a principio. Aelian. lib. 1. cap. 43. Iſid. lib. cap. 2. cap. 4.

Philipp. Hieronymus. Beda. *Rupertus, Remigius.* *Draconis, & Elephãtis pugna.* *Plinius. Solinus. Diod. Aelian.*

Aliã hujus graviſsimi gemitus cauſam ſcribunt alii, ſitim, qua cũ laborat Draco, æſtuans gemit, & ſibilat horrendum. Hæc quoq; cauſa, & ſitis hauſta videtur ex Rabbinorũ fontibus: nã apud probatos ſcriptores, nihil ejuſmodi legitur; Tantũ Theodoretus neſcio quid æſtuãtis anhelitus indicavit, in expoſitione Michęæ: *Quia* (inquit) *ſolitæ ſunt cũ cantu quodã præficæ lugere, & more Serpentũ ſibilantiũ ex æſtuante corde emittere anhelitum, & violentia quadã hunc edere, poſuit dictas ſimilitudines.* Quanquã etiam illud quoq; legamus apud Plin. & Solin. *Dracones eſſe valde appetentes frigidi ſanguinis Elephantorum, ob id æſtu torrente præcipue a Draconibus expeti.* Sed non ob id ſibilare, aut gemere. Verior gemendi, & ſibilandi cauſa, quæ ex Ieremiæ. 14. 6. colligitur, fames: nam de fameſcentibus

Rabb. Mich. 1. Dracones æſtuãtes ſiti. *Theodoret.* *Dracones appetentes ſanguinis Elephãtum.*

onagris dicitur, *Traxerunt ventum, quasi Dracones, quia non erat herba.*

At gemitum hunc, & horribilem sibilũ non tam ad Dracones terrestres, quã ad cantũ lugubrem avium tristissimarum, videntur accepisse Septuagin. legentes hoc

LXX.

loco, *Frater factus sum Syrenũ.* Quo etiam

Symmach.

modo legit Symmachus, atque eandẽ vocem originalẽ, *Thanim*, vertit quoque *Syrenes* Latinus Interpres Isai. 13. 22. *Respon*

תנים

Syrens, quæ animantes.

debunt ibi ululæ in ædibus ejus, & syrenes in delubris voluptatis. Syrenes autẽ interpre-

Nicetas.

tatur Nicetas, aves quasdam, quæ canere solẽt, *Alcionas*, aut *Vlulas*. *Vtrumq; enim genus est* (inquit) *animatũ luctuosum.* Sed quod

Syrenum cãtus.

ad Syrenes attinet, potius illarũ cantus sive aves sint, sive quid aliud, suavissimus dicitur esse, atque ideo Hesiodus vẽtos ab

Hesiod.

illis demulceri scribit, ita ut mare trãquilletur. Et Suidas quidẽ verbo *Syrenes*, scri-

Suidas.

bit, *Syrenes mulieres quasdam canoras veteri fabula celebrari, quæ in insula sedentes suavitate vocis prænavigantes delectarint: eosq; ad obitum detinuerint.* Addit statim, *Syrenes, & Onocentauros, quorum meminit Isaias, Dæmones quidem sunt, ea figura apparentes in desolatione urbis ira Divina inflicta. Syri autem olores esse dicunt, qui post lavationem ex aquis in aerem subvolantes suave quodã carmẽ canunt. Iob vero dicit: Frater factus sum Syrenum, & sodalis passerum, hoc est, Cantilo meas calamitates, quemadmodũ Syrenes.* Chrysost.

De Syrenibus vide Girald. Syntagm. 5. Natalẽ lib. 7 c. 13. Delrium in 2. Chorum Medeæ. Põtanum. in fine 5. Aenid.

Chrysost.

vero rem eãdem hac paraphrasi elucidat; *In lugubrẽ avium cantum incidi, ineam naturam dedidici, nihilo sum his avibus melior.* Et

Luctus cum avium cãtu lugubri cõparatus.

sane non raro luctus, & querimoniæ cum avium cantu querulo conferri solent, ut illa apud Senecam Iole;

Sen. in Herc. Oethæo, act. 1.

= = = = = = = *Cur mea nondum*
Capiunt volucres brachia plumas?
Fælix, Felix cum sylva domus
Nostra feretur, patrioque sedens
Ales in agro, referam querulo
Murmure questus, volucremque Iole
Turba loquetur = = = = = =

Pauloque ante Syrenum meminerat;

= = = = = *Me vel Siculis*
Addite saxis, ubi fata gemit
Thessala Syren. = = = = =

Tandem quidquid de cãtu Syrenũ sit, aut de gemitu Draconũ, vocẽ *Thanim* ad luctũ, & gemitum pertinere certum est, ex Mich. 1. 8. Isai. 13. 22. Ierem. 14. 6. atque ex Iob. 3. ubi diximus: *Qui parati sunt suscitare leviathã*, esse præficas, & lamẽtatrices, vel lamentatores paratos *suscitare*, & instaurare *luctũ suum*. In qua lectione, & interpre-

RR. David, Abrahã, Mard. & alii.

tatione cõveniũt R. David R. Abrahã R. Mardok. & Gerson. R. Moyses, & R. Peru

sol. & Paraphrasis Ierosolymitana, & post hos reliqui Hebraizantes: nã syllabam illã ultimam, *Than*, vel *Thanim* sumunt pro *Ebel*, id est, *luctu*, de quo ibi diximus.

Et socius struthionum. Cur hoc loco *struthio* in exemplum, aut similitudinem afferatur, non omnes Interpretes conveniũt: 7

nam Philippus ad stultitiam *struthionũ* refert, aut ad solitudinẽ, in qua fere degunt;

Philippus.

Fatuus (inquit) *factus sum, & insipiens, ut struthio avis stultissima; sit hebes præ dolore frustra me æstimẽ laborasse. Sive aliter, ab hominibus derelictus, bestiis, quæ habitant in solitudine, factus sum frater, & socius.* Et qui-

יענה

dem vocem originalẽ *Iaghana*, nõ eodem modo omnes vertunt. Septuagin. fere *Syrenes*, vertunt Isaiæ. 13. & 34. Ierem. 50.

LXX. Regia. David Chimhi in עין

Alii post Mardokai, *ululã*. Kimhi in radice *Ghain*, interpretatur avem degẽtem in solitudine, quæ vocem lugubrem emittat, & nomen habet a radice *Ghanah*, quod est

ענה

respondere, aut cantare cum labore, & afflictione, sive ut alii dicũt, *gemere*, & *ululare*. Rursus de causa istius ululatus, aut cantus lugubris est dissensio: nã aliqui dicunt hujusmodi avẽ siti enectam gemere. Alii post Kimhi, & Mardochai referunt ad pullos hujus alitis, qui a parentibus dimissi *ob defectum cibi flent, atque ululant.* Quo vi-

Vatab. & Gral. Mich. 1.

detur alludi Thren. 4. 3. *Filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto.* Quanquã alii hũc ipsum locum referunt ad miram struthionis charitatem erga pullos suos: nam scribunt capi a venatoribus infixis peracutis ferri cuspidibus circa nidum, quos amore filiorum cõtemnit, atque ita saucia, atque transfixa intereat. Rem scribit Ae-

Aelianus.

lianus lib. 14. cap. 21. Sed a nullo probato Scriptore traditur tunc gemere, aut ululare. Forte illud verisimilius, quod struthiones lamententur filios ablatos a venatoribus, ut indicare videtur Thargũ Thren.

Thargum.

4. locum illũ, *Filia populi mei crudelis quasi struthio in deserto*, hac paraphrasi elucidãs: *Enutrivit cõgregatio populi mei vinctos crudelib⁹, & lamentãtur super illos matres illorũ, sicut struthiones in deserto.* Quanquã Quin-

Quinquarboreus.

quarboreus existimet locũ hunc, non tam de planctu matrũ, quã de ipso luctu pullorũ struthionis debere accipi, ut sit similitudo quædam permista dissimilitudine q. d. nõ minus plangũt ac gemunt matres propter ablatos sibi liberos, quam ipsi pulli Struthiocameli, quos deserunt parentes. Nihil habeo de hoc struthionum luctu melius, aut certius. Quamquam illud minime prætermittẽdum, quod Rupertus

Rupertus.

super Michæam indicavit, hanc cum luctu Draconum, atque Struthionum similitudi

nem

nem non referri ad peculiarem aliquam causam, quæ cogat ejusmodi animātia gemere, sed tantum indicare Iob querimonias, & gemitus suos nulla consolatione deliniri, nullaque commiseratione suscipi ab auditoribus; sicut quamvis serpentū sibilus, & voces struthionis lugubres videātur, nemo tamen illas audit cum commiseratione aliqua, sed potius cum horrore quodam, atque animi odio. Nunc pauca quædam de vocibus.

Gemitus indigni cōmiseratione.

8 *Frater, & socius*, &c. Societas hæc, atque fraternitas procul dubio pertinet ad similitudinem, vel comparationē. Sicut enim societas, & amicitia non nisi inter similes, & pares intercedere solet, multæque existunt causæ similitudinis inter fratres, sic sane societas, atque fraternitas pro similitudine usurpari solet. Quare *fratres* in scelere, & moribus, dicuntur Simeon, & Levi Genes. 49.5. Sed clare Prover. 8.9. *Qui mollis est, & dissolutus in opere suo frater* (similis) *est sua opera dissipātis.* id est, decoctor, atque desidiosus similes sunt.

Societas, & fraternitas inter similes.

9 *Socius struthionum*. Quod ad naturam hujus animantis attinet, cum Iob dicemus infra cap. 39. Nunc tantum, quod ad modum dicendi facit: nā proprie in Hebræo legitur; *Socius filiabus struthionis*. Kimhi, quem sequutus est Mardochai, existimat *filias* appellari, pullos ipsos. sed quare potius filiæ, & nō filii? Respondent alii, quia struthiones fœminę gregatim gradi soleāt frequētiusque videri, acrioremque ac lugubriorem ululatum habere, cum queruntur. Sed quis id docet? nā his in rebus non licet facile conjecturas admittere, nedum leviter fingere. Forerius Isai. 13. hujusmodi rationem reddit, quod hæc avis *non incubat, neque fovet ova, neque excludit sicut reliquæ aves, ut potius videatur esse filia, quā mater, imo filia sine matre*. Hanc rationem descripsit (ut solet pleraque) ex Ioanne Forstero. Sed minime satisfacit: nā pari profecto ratione dici tā posset filius struthionis, quam filia struthionis. Refert vero idem Forsterus ex Hebræorum magistris, ideo sic dici filiā potius, quam filiū, quod struthio tātum sexum fœmineum habeat. Sed hoc credi non potest, nec debet. Illa paulo melior ratio altera Kimhi, quam tradit in libro Michlol, *Benoth iaghanah*, id est, *filiā struthionis*, Hebraice dici, eo quod homines fœmella fere vesci soleant, cum adhuc parva est: nam Aethiopes dicuntur vesci struthionibus, atque inde etiam nominati videntur quidam Arabiæ populi, *Struthophagi*, apud Strabonem lib. 16. Diodorum Siculum lib. 4. Addamus nos quoque rei hujus rationem hanc, quod cum gemitus, & ululatus muliebris plerumque sit, & fœminarum potius, quam virorum, recte cum in exemplum luctus afferuntur nomine fœmineo dicentur, *filiæ struthionum*. sic cum David nimium profuse luxit Absalonem, dicitur verbo fœminini generis, *Luxit David filium suum*. 3. Reg. 13. 37. Sed quid, quod aliquando mentio fit struthionis, non propter luctum, sed alias ob causas, fere tamen semper dicitur fœminino nomine, *filia*, aut *filiæ struthionum*? ut Isai. 13. 21. & Isai. 34. 13. & 43. 20. & Ierem. 50. 39. Ergo tandem illa hujus rei vera, & simplex causa esto, quod ipsum nomen avis *Iaghanah* est fœminini generis; quare cū pluraliter significātur, dicūtur fœminino genere, *filiæ struthionis*, non filii.

R. Chimhi. R. Mard.

Struthiones fœminæ lugubriores.

Forerius.

בנות יענה

Struthophagi.

Strabo. Diodor.

Ratio alia nō inelegans luctus fœminei struthionum.

Luctus ad fœmineā mollitudinem relatus.

Vera dubitationis proposite solutio.

יענה

XXX. Cutis mea denigrata est super me, & ossa mea aruerunt præ caumate.

1. Cauma *quid apud Græcos, & medicos.*
2. *Morbi ignei descripto.* Cremium *quid. Illustratus David.*
3. Cutis denigratio *unde.*
4. Cythara, *instrumentum lætitiæ, cujusmodi fuerit. Illustratus David.*
5. Organum *quale. Illustrati Moyses, & Amos.*

1 CVtis in nigrum colorē versæ causam gravissimam exponit, ex qua ad superiores illos gemitus, & ululatus compellebatur, videlicet ariditatē, & cauma. Est autem *Cauma* vox Græca, quæ eleganter respondet voci originali, estque ariditas, æstus, ardor, videlicet morbi genus. Ioannes autem Gorræus breviter, ac docte sic *Cauma* definiens, scribit: *Sunt qui interpretentur apud Hippocratem, febrem, quam, & Pyr appellavit. Alii vero aeris ambientis fervorem, alii cauteria, & escharas, quos omnes verum dicere annotat Galenus in Aphoris. 13. lib. 7.* Quæ omnia fere sunt Galeni verba. atque illud addit, quod forte cū Iobi ulceribus ardentissimis, & caumate facit; *In hujusmodi æstibus fortibus, convulsiones, aut distentiones, malū esse, propter nervorū siccitatē.* Diximus nos de ulcere *Scchin*, quod ex ardore proveniebat, plura c. 2. v. 7. sect. 3.

Cauma morbi genus.

Ioan. Gorræus.

2 De hoc autem *caumate* videtur id Deuter. 28. 22. *Percutiet te ardore, & æstu, & aere corrupto.* Qui morbus videtur depascere, & vorare intimas ossibus medullas; videtur que fere idē cum illo Ps. 101. ubi elegantissime describitur ęgrotātis hominis macie, & ardore confecti, incredibiliterque vexati, morbus gravissimus: *Defecerunt,*

Tabefactio hominis præ ardore hypothiposis.

ſicut fumus, dies mei (quaſi ſubjecto hujus morbi igne, & ardore, cõflagrans totus evaneſco, & mea ſubſtantia videtur in vapores tenuiſsimos, atque in fumũ tota reſolvi) *& oſſa mea* (quibus humor ille vitalis medullarum continetur, quo totũ corpus videtur irrigari, & pingueſcere) *ſicut cremiũ aruerunt.* Nomen novum quanquã apud Columellam lib.12.c.19. *Cremia*, aut *gremia ſint ſurculi aridi, tenuia ligna.* & ſimiliter etiam apud Plininm lib.12.c.19. Dicantur *ſarmẽta, ſive cremia Cynnamomi.* Videtur autem ſignificare rem concrematã, aut concrematu facilem; & ut Hieronym. ſuper id Hoſeæ.10. *Quaſi ſpumam, &c.* ait: *Septuaginta, & Theodotio cremium trãſtulerunt, aridas ſcilicet herbas, ſiccaque virgulta, quæ camino, & incendio præparantur.* Aquila legit in hoc Pſ. *Sicut cinis.* Symmachus; *Sicut incendium.* Theodotio; *Sicut frixoriũ.* vel, *ſicut quod frigitur.* Theodoretus; *Sicut torris aridus.* Atque eodem pertinet ſequens quoque ſimilitudo fœni: *Percuſſus ſum, ut fœnum.* videlicet ſolis ardore. Illud enim eſt arborem aut herbam *percuti*, languere, & exſiccari) *& aruit cor meum* (totus ipſe) *quia oblitus ſum, comedere panem meum* (inedia enim conſumit, & arefacit corpus; perdiderat ergo omnẽ cibi appetentiam, ut ait Theodoretus. *A voce gemitus mei* (præ mœrore, & gemitu) *adhæſit os meum carni meæ.* (id eſt, ſucco omni exucto cutis arida hæret nudis oſsibus. Hæc
3 omnia illuſtrẽ hypotipoſim continent æſtuantis hominis, quem morbus, & ardentiſsimum urit cauma. Inde cutis denigratio, aut obſcuritas nimium peruſtæ. Quare minus cohærent, quæ alii de cauſa hujus denigrationis aſſerunt, D. Thomas, & plerique Latini referentes ad putres humores. Philippus, quod *in ſtercore conſtitutus per multa tempora ſoles ardentiſsimos uſque ad oſſa pateretur.* Quare eleganter dixit Nicetas: *Nõ tam ei ex ſole, quam ex morbo ac plaga accidebat: nam quæ extabeſcit caro infuſcatur, & nigra evadit; & cum ſub dio reſideret in ſtercore, dici æſtu exurebatur, ſed multo magis ob immoderatum ulceris incendiũ atque fervorem.*

Poteſt autem illud, *præ caumate*, dupliciter accipi; primo ut ſit, propter vim caumatis, & ardoris; aut ut afferat comparationem, *præ caumate*, id eſt, pluſquam cauma, aut quam ipſe æſtus.

XXXI. *Verſa eſt in luctum Cythara mea, & Organum meum in vocem flentium.*

Luctuoſiſsima totius capitis clauſula. Huc omnis priſtina fortuna recidit, & Cythara, qua me quondam oblectabam, nil niſi luctuoſum, & triſte ſonat; organũ quoque fletus acerbiſsimos perſonat.
4
Verſa eſt in luctum Cythara. Indicat plane duo hæc muſicorum inſtrumentorum genera nõ niſi lætis, & jucundis ſerviiſſe: nam fuerunt etiam inſtrumenta, quæ luctui dicata erant, & cum quibus non niſi triſtia canebantur. Cytharam autem, quę hoc loco dicitur in originali *Cinor* fuiſſe dicatam celebrationi feſtorum, conſtat ex Pſal.80.3. *Sumite Pſalmum, & date Tympanum, Pſalterium jucundum*, ſive dulce; ubi pro *Pſalterio*, eſt eadẽ vox, quæ hic *Cythara.* & ſimiliter Pſ. 136.2. *Suſpendimus organa noſtra*; Pro *organo*, eadem vox, quæ etiã redditur Lyra.1. Paralip.16. eſt etiam lætitiæ, & gaudii Ezech. 16.13. *Quieſcere faciam multitudinem canticorum tuorum, & ſonitus Cythararum tuarum non audietur amplius.* Frequẽter autẽ, *Chinor*, vertitur *Cythara* Geneſ.4 21. Pſal.32.2. Pſal. 56.9.3. Reg.10.12. Cujuſmodi autem inſtrumentum fuerit diximus ſupra c.25. verſ.12.

Et Organũ meum. Septuaginta. *Pſalmus meus*: nam originalis vox fere indifferens eſt ad Canticum, & ad inſtrumentum muſicum, a qua dicitur Ezech. 53.32. *Quaſi carmen muſicum, quod ſuavi dulcique ſono canitur.* Pro *organo* vero, & ipſo inſtrumento muſico Geneſ.4 21. Pſal. 150.4. Certe antiquiſsimum eſt, ut quod ab ipſo Tubal inventum fuerit, *Patre canentium Cythara, & organo.* Quidam exiſtimant eſſe tibiam, quæ inflatione ſonat. Alii non ſolum eſſe fiſtulam, ſed fiſtulis conſtare. Certe nomẽ habet a radice *Ghagab*, quod eſt amare; vel quod ad illud cantarentur amatoria, quæ Ezech. 33.32. dicuntur *dulcia, & ſuavia*; vel quod illius uſus, & luſus amorem, & voluptatem efficeret. Diximus de hoc loco jã indicato. Illud vero obſervat hoc loco Iulianus, fieri quidem poſſe ut cũ pietate inſtrumenta muſica haberet; quando quidem & in templis eſt illorum uſus. Et quidem ex his rebus, quid non pium, & honeſtum, ſi ad pios, & honeſtos uſus referatur? Sed in eo improbi falluntur, quod ſibi impuriſsimis, & abutentibus re quacũque oblata, idem omnino licere putant, quod ſanctis, & piis hominibus. Vide id Amos. 6. *Sicut David; putaverunt ſe habere vaſa Cantici.* De quo diximus ſuperius.

(∴)

Marginalia: Cremium. Colum. Plinius. Hieronymus. LXX. Theodotio. Aquila. Symmach. Theodoret. Vide cutis obſcuritas. D Thom. Philip. Nicetas. — Muſica inſtrumẽta lætis cõvenientia. כינור — 5 LXX. — Oleaſter. Gen. 4. Forſter. — עגב Organi nomẽ dictum ab amore. — Iulianus — Muſicæ ſtudiũ cum pietate conjunctũ. — Impii abutẽtes honeſtis per ſe rebus.

PARA-

NOTATIO *RERVM INsigniorum, quæ in Commentariis fusius explicantur.*

PARAPHRASIS Capitis præcedentis.

CAPVT XXX.



CVM IS FVERIT MEARVM Rerum status, imperii dignitas, nominisque celebritas, at nunc irrideor petulanter a juvenibus, hominibusque vilissimis, quibus neque propter ætatem, neque propter ullam sui status dignitatem potest esse aliqua Sapientiæ existimatio, vel dicendi auctoritas. Nunc itaque, (quod non solum dolendum propter brevem fortunæ commutationem, sed propter rei indignitatem) grandævus jã atq; maturus homo admoneor a junioribus, & singilatim admoneor suggillorq; ab iis, qui a me quondam jure admoniti fuerint, non quidem eo animo, & fine, ut gratam mihi beneficiis memoriam illi repẽdant, sed ut se superiores ostendant, atque miserrimum hominẽ exagitent. Illi (inquam) quos omnino mea domo, ac meorum familiariũ convictu, propter natalium ignobilitatem, ac vitæ, & morum impuritatem indignos existimabam, & propter sordes vitæ, ac morum cum fastidio, & nausea projiciebam; quorum optimi, atque sapiẽtissimi plane digni erant contemni, prorsusque indignum putassem eorum patres intueri; Quibus non perinde, ut canibus meis, rerum copia suppeditabat; adeo abjectis, atque sordidis, ut non dignarer illis committere vilissima domus meæ ministeria, neque simul cum meis canibus custodiam gregum meorũ concredere. Quippe indigni prorsus erãt, qui canes curarent, & agerent, cibariaque pararent, quod est extremum tandem, atque vilissimum familiæ ministerium.

1 *Nunc autem derident me juniores tẽpore, quorũ non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei.*

Homines nimirum ignavi, & infrugiferi, quorum vires cũ meis cõparatæ nullæ omnino erant, opes nullę, atque mihi omnino inutiles: nunquam enim eorum opera egui. Qua propter & victu ipso ad vitã necessario plane destituebantur, ac cum nihil honore, & homine dignum in vita gessissent, merito suo judicabãtur fame, & egestate contabescere.

2 *Quorum virtus manuũ mihi erat pro nihilo: & vita ipsa putabãtur indigni.*

Barbarum plane, ac ferum genus hominum, rerum omnium ad vitam necessariarum inopia laborantes; loca inculta, & horrida incolentes; propter famem, ad siccam vastamque solitudinem fugientes; nihil frugis, fructusve habentes, & qui nec reperire, nec parare rationem quampiam vitę sustinendæ poterant. In solitudine autem instabiles, & aberrantes, vilissimas quasque herbas colligebant, quas ferarum instar arroderent. Homines sane lucis inimici, & nocturno potissimum tempore, ne a quoquam videri, aut inveniri possent, ex latibulis suis prodeuntes, ut cibum comparare possent; quibus non raro contingeret, ut siccissimas haberent, incœnesq; dormirent noctes. Quamquam illud quoque indignissimum, cum nuper illorum parentes hujusmodi fuerint, in summo squalore, & tenebris, at repente jam nũc hodie prodiisse illorum liberos opulentissimos, ac summam rerum tenuisse.

3 *Egestate, & fame steriles, qui rodebãt in solitudine, squalẽtes calamitate, & miseria.*

Qui etiam ipsi heri succidebant [a] malvas, herbasq; austeras, & acerbas, fereque ad mandendum ineptas, juxta arbusta nascentes; atque ipsis etiã paulo tenerioribus arborum corticibus, ut pane, nec nõ juniperorum, genistarumve radicibus utebantur.

4 *Et mãdebãt herbas & arborũ cortices, & radix juniperorũ erat cibus eorũ.*

a *Quod herbæ genus, quia ve juniperus hoc loco, ex Hebræo, & diligẽter quæratur. n. 1. 2. 3. 4.*

Ii ipsi, qui me nunc maledictis incessunt, prædones profecto sunt,

larro-

5 *Qui de convallibus ista rapientes, ad ea cum clamore currebant.*

6 *In desertis habitabant torrentium, & in cavernis terræ, vel super glaream.*

7 *Qui inter hujuscemodi lætabantur: & esse sub sentibus, delicias computabant.*

8 *Filii stultorum, & ignobilium: & in terra penitus non parentes.*

9 *Nunc in eorum canticum versus sum, & factus sum illis in proverbium.*

10 *Abominantur me, & longe fugiunt a me, & faciem meam conspuere non verentur.*

11 *Pharetram enim suam aperuit, & afflixit me, & frænum posuit in os meum.*

12 *Ad dexteram orientis calamitatis meæ*

latrociniis, flagitiisque infames, quos frequenter boni cives furtis atque rapinis lacessiti, a civitate exeuntes, multo cũ clamore insequuti sunt. Non enim vagi, & improbi homines permittebãtur in civitate consistere. Quare si publice aliquãdo comparuissent, statim expellebantur, & ejiciebantur. In agris vero cum isti errones per campos, & solitudines excurrunt, si forte in aliquem hortum incidunt, clanculum subintrant furaturi herbas, fructusve; cumque deprehensi fuerint, expelluntur, fures omnibus inclamantibus. Illi vero, si quid in locis paulo humidioribus, aut in imis vallibus quidpiam, quod mandi possit, repererint, cum ingenti clamore, ad prædam omnes convolant, & quasi de uberrimis dulcissimisque fructibus sibi gratulãtes, arripiẽtesque, summa celeritate ad tuguriola sua, & specus cõvolant.

Neque vero meliora sunt illorum cubilia, domusque: nam vel in fracturis, aut rimis terræ, aut fossis alluvione factis ad ripas fluminũ, vel in terræ cavernis, vel in montium antris, vel ad maris littus suas sedes constituunt, ut humanos oculos vitent, aut vitam suam latebris, & locorum asperitate tueantur.

Hæc sane omnia, quæ non hominum, sed ferarum sunt, pro summis deliciis habebant, interque sylvestria arbusta ferino more, instar onagrorum rudebant, atque barbaro quodam, confusoque clamore exultabant. Aliquando vero subito aliquo timore perculsi, abjectissime se se sub densis vepribus colligebant; aliquando vero aridis se ad latendum, atque ad fallendum eos, qui preteribant, virgultis contegebant.

b Omnes profecto isti ex parentibus insipientibus, insipientes; ex turpibus, atque despectis, turpes, atque despecti; ex ingloriis, atque obscuris, inglorii, atque obscuri; abjectissimi omnes, planeque fatui, & nullius nominis, ipsaque terra abjectiores, & nulla in re conspicui.

Molestissima vero mihi hæc fortunæ commutatio, iisdẽ nunc maledictis verberari ab illis, qui nuper propter sordidissimam, & ferinã vitam, omnium fabula, & proverbium erant: cantio itaque, & carmẽ e converso ego effectus sum eorum, measque calamitates, non solũ pro quovis alio sermone habent in ore, sed cum gaudio, & carmine excipiunt, atque in meum dedecus ridicula carmina componunt, & cantitant, ut nihil apud illos tam vulgare, & tritum sit, quam Iobi calamitas.

Nomen ipsum meum cum fastidio, & nausea usurpant, visu, colloquio, aut ullo familiaritatis genere me non dignantur, rem, me, plane detestabilem, & odiosam ducunt; atque a meo cõtagio se quamlongissime removent. ut enim fœdissimum istum meum morbum, atque contagium regerere videãtur, c adversum me despuunt, & ubi ad me propius accesserint, sputisque fœdaverint, longius recedunt, injuriis, & contumeliis fœdissimis in faciem jactatis.

Hæc tã gravia mala patior utique supremi numinis voluntate, atque consilio. Voluit enim me Deus pro scopo præfigere suorum jaculorum. Adduxit itaque, intenditque vehemẽter chordam sui arcus, & vim omnem ad me collimandum, trasfigendumque, tum etiam ad præclaros alios suæ gloriæ, suæque Providentiæ fines, exeruit, funemque laxavit. Cum vero me videant homines profligatissimi tot plagis confossum, excusso omni pudoris, & reverẽtiæ fræno, quasi laxatis habenis, effrænes, atque precipites in me feruntur, & quasi fræno injecto in meum os, agunt me ut inutile pecus, ac mutum hominem lacessunt, tundunt, lacerant. Deus quoque silentii vinclis os meum adstrinxit, cum mihi libertatem orationis ademit, præ dolore videlicet, qui vix frenos capit, egoquasi fræno impeditus clamare nequeo; patior itaque quicquid durum, & acerbum naturæ palato est.

Mutus enim, & tacitus usque persisto; quamvis me petulantissimi atque procacissimi pueri, parentum stultissimorum, atque ignobilissimorum digna germina, convitiis, & scomatis exagitare non verean-

b *His omnibus sentẽtiis contineri Troglodyticæ gentis descriptionẽ, subtiliter, atque diligenter exponitur. n. 1. & 3.*

c *Spuẽdi ignominia, religio, significatio ex Sacris, & profanis observatur. n. 4. 5. 6.*

tur,& a dextris consistentes, ut incautum melius adoriri possint, ludibrio,& despectu impudentissime ludunt hominem,nimirum nuper in summo fælicitatis vertice consistentem, repente ad ærumas incredibiles delapsum. Malorum enim seges uberrima,ac meæ vitæ inimicissima in ipsis meis rebus, inque meo corpore exorta est, unaq; efflòruit fædissima ista scabies, qua totus operior, cum qua universi morbi, atque dolores societatis dexteras junxisse videntur, ac se se mutuis auxiliis exacuere, atque confirmare. Ipsi etiam morbi per se se gravissimi atque molestissimi, inimicorum meorum improbitate, & irrisione multo graviores,atque acerbiores efficiuntur.

illico surrexerunt: ædes meos subverterunt:

Nam in me fere jam oneri gravissimo succumbentem, incumbunt totis ipsi viribus,ac nituntur artibus omnibus pedes meos labefactare,ut me dejiciant, dejectum atque prostratum,quasi planam, tritàque viam conculcent. Et quidem veluti sævissimis fluctibus in me irruentibus, assiduis malis opprimor. Dolores autem, instar fluctuum perpetuorum sibi per vices succedunt,& misere ocurrunt, quibus penitus obruor atque, cõfringor. Interim nihil est in me firmum,quod malis vel leviter resistere possit. Sic quasi plana & expedita via universa ad me accedunt mala, obstructa mihi omni effugiendi semita.

Et oppresserũt,quasi fluctibus,semitis suis.

13

Dissipaverũt itinera mea: insidiati sunt mihi: & prævaluerunt: & nõ fuit,qui ferret auxilium.

Si quod enim diverticulum,aut effugium esse potuit, rapidissimorum fluctuum impetu labefactatum, & deletum usque est, ac meæ fælicitatis viæ sublatæ sunt omnes. Nemo quippe non meum melioris spei studium impedire conatur, quominus assequar, quod ardentissime cupio. Vndique inextricabilibus impedior difficultatibus, & incertis,dubiisque semitis aberranti mihi insidias paratas ab adversaris sentio, sed mimime illas irritas, aut vanas. Præter quam enim, quod in me lædendo fæliciter operam collocant,multum quoque ex meis damnis utilitatis, & lucri percipiunt, & cum per se singuli imbecillum,penitusque fractum hominem facile superare potuissent,sine mutuis auxilis; at in meam nunc perniciem junctis umbonibus consentiunt.

14

Quasi rupto muro, & aperta janua,irruerũt super me:& ad meas miserias devoluti sunt.

Vt vero ingentis fluminis violentus impetus moles oppositas labefactare, & obruere solet, atque facilem, & late patentem aditum ruptis aggeribus aperire, sic sane mei hostes violentia, atque ferocia in me incurrentes,& nescio quibus aut amicitiæ,aut Zeli quasi armis muniti,& operti,verissime autem mei perdendi studio,admirabili cũ celeritate vertuntur,& concitantur.

15

Redactus sum in nihilũ,& abstulit,quasi ventus, desiderium meũ: & velut nubes trãsiit salus mea.

Tot igitur malorum, & cruciatuum incredibilium acerbitate, & sensu omnino conficior, & velut nimia vetustate attritus consenesco, ut omnino jam in nihilum abiisse videar. Et quidem tum desiderium meum,atque votorum meorum spem,præmiumque Divinæ legis custodibus propositum, quasi venti inclementis impetu, & quasi transvolantis nubis celeritate simul cum salute, & vita ipsa dissipata video: Tum Deus ipse, quod solum mihi spei tutissimum perfugium esse poterat, incredibili indignatione concitatus, quidquid mihi jucundum esse posse videbatur, atque melioris conditionis spem omnẽ impulit,atque disjecit. Igitur mea fælicitas,quæ quondam instar nubis ingenti mole conspicuæ,magnam bonorum omnium fæcunditatẽ pollicebatur, momento temporis excessit atque evanuit.

16

Nũc autẽ in memet ipso marcescit anima mea,& possidet me dies afflictionis.

Cum multa igitur mala gravissima meis occulis obversentur, sed illud longe acerbius, quod interius animo & viribus langueo, & contabesco, atque cogitationibus,& curis molestissimis irretior, quibus ipsa vis animi labefactatur totusque exhaurior,ipso vitali humore veluti effuso. Luctuosissima,igitur ac plena doloribus, & ærumnis tempora arctissime vinctum me constringunt.

17

Nocte os meum perforatur doloribus,

Nocturno vero tempore,cum miserrimo cuique,indulgente morbo, induciæ dolorum esse solent, multo ego acerbius crucior, tunc enim intima pervadit ossa sævus dolor, quæ veluti terebrari, atque suis sedibus cõvelli,& erui videntur: & qui meam vitam, atque san-

Et qui me comedũt, non dormiunt.

guinem sitiũt, suo somno, & quieti ducunt meos cruciatus, noctesq; meas insomnes. Noctu igitur, diuque me insectantur, cũ quibus profecto meis hostibus, veluti conjuratione facta mei corporis pulsus, & arteriæ, celeri, & aberranti motu, ac vermes etiam sævo morsu consenserunt.

18 *In multitudine eorum cõsumitur vestimentum meum: & quasi capitio tunicæ succinxerunt me.*

Propter multam doloris vim ac nimiam morbi gravitatem, putredinisque manantis copiam, denique scatentium vermiculorum multitudinem ipsa mea vestis putrescit, & atteritur, atq; adeo cogor vestem sepius invertere, ac omnino etiam mutare, nam totius corporis fæditas ipsam vestimenti faciem mutat, & destruit. Ipsum vero vestimenti capitium, & os infestissimis hujusmodi bestiolis turmatim ascendentibus, & quasi effervescentibus concrescit, & constringitur, ita ut me jam capere non possit, neque commode respirare permittat: accedente etiam molestissima angina, quæ me strangulat, & cõprimit: sicut cum angusta ora vestis jugulum adstringit, premitque vehementius.

19 *Comparatus sum luto, & assimilatus sum favillæ, & cineri:*

Præ tanta igitur ulcerum spurcitia, & sanie, videor non solum inquinatus, & sordidus, sed sordes ipsæ, atque lutum, & ejusmodi plane sum, ut indignus non habear, qui omnium pedibus proculcer: atque adeo etiam ipse Deus mecum sic agit, ut nihilo me pluris facere videatur, quam si lutum essem vilissimum, aut levissimus cinis, aut si quid vilius, & abjectius est, quod cum nullius usus sit, foras projicitur. Sed quid mirum, me tantum fordescere, qui ex ipsis sordibus, & vilissimo terræ pulvere concretus sim; propterea enim videtur mihi a Deo pars non in rebus pretiosis, sed vilissimis, [d] in cinere (inquã) & pulvere, quæ pedibus obteruntur, constituta. Abeunte itaque aliquando igne interno, quo accendimur, & vitali isto calore extincto, cinis utique remanebit corpus hoc, quod gesto. Ergo ut te aliquando mei tandem misereat, summe Deus, cogita me terram esse, & mihi rursus in terram abeundum esse.

d *Cur homo dicatur cinis: anima vero ignis pulchra observatio. n. 4.*

20 *Clamo ad te, & non exaudis me: sto, & nõ respicis me.*

At accedit pro dolorum omnium, & cruciatuum cumulo, quod te, O supremum numen, in quo unicum est salutis meæ præsidium, assidue inclamo, Tu vero te meis precibus surdum præbes, nullumque audiendi specimen, spemve polliceris, nec ratione ulla mearum querimoniarum rationem ducis, quocumque tandem modo me geram, sive instem, & tuam opem assidue efflagitem, nunc clamore, & gemitu, nunc silentio habituque supplici atque demisso; nunc corpore erectiore, & attentiore ad tuos nutus, nunc prostrato, & ad tuos pedes abjecto. Quod si me neque audis, neque respicis benevole, certe id non est propter ullum meum peccatum, quippe qui omne fidelis servi obsequium quam sollicite præstiti. Quamquam, quæ tua est bonitas, præpotens Deus, non audire proculdubio me non potes; neque enim meas querimonias surdo me narrare confido.

21 *Mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ adversaris mihi.*

Sed quid agam, nam videris profecto, dum a me responsum aufers, non secus quam sævissimus hostis, hostium ipsorum meorum votis cumulate respondere. Sinis enim me cum gravissimis malis, diuturnisque cruciatibus conflictari, nec ullis de me pœnis sumptis, quamvis accerbissimis mitescis, quin potius pro viribus me verberas, atque in me vulnerando, concidendoque vires tuas omnes, roburque expromis, indefesso robore adversum me depugnans.

22 *Elevasti me, & quasi super ventum ponens, elisisti me valide.*

Ex præcelso fælicitatis fastigio, in quod me evexeras, nunc in profundum malorum baratrum præcipitas, eo magis acerbo ac miserando casu, quo ex sublimiori fortuna. Cum enim prius velut nubem toti mundo conspicuam, atque luce clarissima perfusam me excitaveris, & ipsis velut ventorum vehiculis inequitare volueris, at nunc eodem quasi fortunæ vento reflante dissipas, ac liquefacis me totum, & quidem quasi in stillas minutissimas lachrymarum, pristina illa fælicitatis species universa tabescit, atque dilabitur.

23 Satis itaq; mihi mortifera vulnera persuadent fore, ut brevi morte

e *Mors judex æquissimus.n.2.*

me tanquam tortori, extremoque supplicio committas; cujus terror homini sane tua jam sententia damnato nunquam non mihi ante oculos obversatur. Sed id jam tandem non supplicii solum, sed extremi solatii avide exspecto: e mors enim me restituet terræ parenti, repetamque tandem meum ortum, & in illa sede quietius consistā, quæ mortalibus omnibus ad patrium, nataleque solum contendentibus certo loco, certo, & constituto tempore præparata est.

Scio, quia morti trades me: ubi cōstituta est domus omni viventi.

24 *Veruntamē non ad cōsumptionē meam emittis manū tuā: & si corruerint, ipse salvabis.*

Quamvis vero lethalibus me plagis cōfossum videā, sed dum mihi anima fuerit, spes erit; manum quidem exeruisti, injecistique ad me percutiendum, sed minime tamen, ut existimo, ad occidēdum, penitusque conficiendum. Nam licet plerique mortales a te percussi prosternantur, sed tamē quos prosternis ac dejicis, velut in cumulum aliquē aut acervum dissipatorum lapidum redactos, aut in cumulum & aggerem multorum cadaverum, ossiumque congestos, cum primū clamorem opem implorantium audieris, erigis atque salvas. Scio sane te auxiliatricem tuam manum ad hominem jam consumptum, & vita functum minime extendere, ut illum statim ad priorem vitam revoces, sed quidem dum adhuc vivit, quamvis gravissimis in ærumnis jacētem erigere, & excitare soles. Illos presertim, qui tuam opem cōtenta voce efflagitaverint. Ego vero tam acerbè doleo, ut cum sciam me mori, f lætor tamen, quod sciam Deum, quos viventes vexat, & exagitat, jam tūc in sepulchro, quieti permittere, nō amplius de prioribus malis, atque cruciatibus dolentes, neque conquerentes. Quamvis enim impiorum animos immortales sempiterni maneant cruciatue, at sanctis sua est post vitæ ærumnas constituta fælicitas. Vtinam ergo jam me Deus tot dolorum vinculis exolvat. Verum tamen nō ille eo est animo, ut morte brevissima me conficiat; vult enim vexare diutius.

f *Ingēs cruciatus vivere, cum miser vivas, & de mortis arbitrio reis aliquādo permissō, ex Sacris, & profanis selecta quædā.n.7.& 8.*

25 *Flebam quondā super eo, qui afflictus erat, & cōpatiebatur anima mea pauperi.*

Sed quidem, quod ad meæ vitæ innocentiam attinet, indignissime crucior. g Si enim immisericors, & inhumanus adversus miseros unquam ego extitissem, ut vos, O amici, de me existimatis, merito nunc experiri deberem severissimum erga me Deum, ceterosque mortales immisericordes, atque insultantes meis malis. Sed cum alienas semper ærumnas cum ingenti animi mei sensu, & fletu atque lachrymis prosequutus fuerim, debuit profecto nunc mea calamitas aliorū misericordiā, & clementiam allicere, atque vel ex adamantino pectore lachrymas extundere. h Cum vero ego in quorumdam hominū minime sanabiles clades incidebam, iis communem sensum doloris tribuebam, cum aliter auxiliari non poteram, nam ex animo aliorum ærumnis, & egestate sic afficiebar, ut nihilo ego melius animo, & corde quam ipsi calamitosi corpore haberent; ex quibus profecto misericordiæ operibus satis superque meam vitæ justitiam, atque sanctitatem contestatam vobis esse oportet.

g *De Principum in subditorum ærumnis misericordia, & lachrymis, pulchra quædam.n.2.*

h *De misericordiæ, & compassionis affectu tribuēdom feris, utilia multa a n.2.usq; ad 8.*

26 *Exspectabā bona, & venerūt mihi mala: præstolabar lucē, & eruperunt tenebræ.*

His præclaris pietatis operibus, atque omnis justitiæ, & sanctitatis officiis deberi magnam vitæ fælicitatem, atque jucunditatem plane mihi persuaseram, atque eventura omnia ex animi sententia sperabā. Sed spem consequutus est exitus tristissimus, & incredibilium turba malorum. Præter exspectationē itaq; subito eruperunt tenebræ crassissimæ, quæ præclaram vitam ac præillustrē fortunam obscurarunt, & obruerunt; & qui alios mœrentes, atque in tenebris jacentes illuminabam, nunc neminem habeo, qui meam vicem doleat, & in tantis malis levissimi alicujus solatii lumē præferat, video enim omnes, etiā illos, qui beneficentiæ meæ participes fuerunt, ad meas nunc miserias lapidescere.

27 *Interiora mea efferbuerūt absq; ulla requie: prævenerūt me dies afflictionis.*

Sed quid interim ego? Aestu, febrique immodica jactor, viscera ipsa subjectis quasi flammis subsultant, & effervescunt, æstuat pectus, & instar ferventis maris intumescit, nunquam vi morbi intermittente, sibilante intercluso spiritu, atque intestinis sæve rugentibus. Itaque incautum, & securum hominem calamitosissima tempora anticipaverunt,

verunt; & extrema jam dies hostiliter præoccupavit.

28 *Mœrens incedebã sine furore: consurgens in turba clamabam.*

Omnia itaque miserrimi animi, ac cõditionis calamitosissimæ signa præme fero, ut lugubri habitu, atratusque incedere debere videar, meam ipsemet mortem lugens. Nemo quippe futurus est, qui me defunctum lugere velit, ac supremum funeris honoré impendere; quin potius video in meis malis exultantes omnes, avidissimeque extremum meum diem exspectãtes. Ego igitur qua possum ratione me ipsum moribundum prosequor ad sepulchrum. Et quidem ipsa mea facies lugubrem, nigrumque habitum jam induit, & propter morbi gravitatem tenebras amo, lucemque vito. Cum enim plane jam deficiam frigeamque totis artubus, non possum ratione ulla incalescere, aut animo erigi ad depellendam mortem, & extremo discrimini obsistendum. Mœreo itaque, & cedo morti patientissime; quamquam ipsa patientia, quasi fræno quodam fletus magnitudinem, atq; perpetuitaté inhibere nequeo; intéperáter enim atq; effusissime plorare, & gemere cogor; nec cœtus interim frequentiam reverens, & coram multis, qui circumsistunt vociferans, publica quasi satisfactione falsam criminationem refutans.

29 *Frater fui Draconũ, & socius Struthionum.*

Vastatus sum, & ad extremam redactus solitudiné; cumque extra urbem exulem, ac sub dio pernoctem, videor profecto esse i ex illorũ animantium genere, serpentium nimirum atque Draconum, quæ in civitatibus desolatis, & in solitudine habitãt, luctuosum aliquid assidue sibilantia, atque ululantia: gemitu itaque meo, atque suspiriis ex imo tractis pectore, lugubrem Syrenum, aviumque tristissimarũ cãtum luctuosissimum ad vivum refero, & struthiones sitientes, & famescentes, aut de suis pullis ablatis nimium sollicitas, proptereaque gementes, imitari videor. Utinam, itaque quod solitariis istis animantibus, mihi contingat, ut nactus solitudinem, longe lateque gemere, & conqueri, atque impune sine arbitris vociferari possim.

i Cujus generis Dracones isti sint, quis illorum luctus, ululatusve, ex Sacris, & profanis, fusior disputatio a n. 2. usque ad 9.

30 *Cutis mea denigrata est super me, & ossa mea aruerunt præ caumate.*

Quid enim non clamem vehementer, qui subjecto gravissimi morbi igne totus exuror. Exarescit pellis extrema, & nigrescit, ossa intima vitali illo humore, quo irrigantur, & pinguescunt exucto propter vim ardoris vehementissimi, videntur ipso æstu, igneque ficciora, & aridiora.

31 *Versa est in luctum cythara mea, & organum meum in vocem flentium.*

Huc heu, pristina mea fælicitas recidit, ut cythara, qua me quondam oblectabam, nihil nunc nisi luctuosum, ac funestum sonet, & organum, lyra, ac cætera lætitiæ, & jucunditatis instrumenta, ad quæ Psalmos quondam lætissimos, atque suavissimos fundebam, non nisi miseras nunc, acerbasque voces habere possint.

(?)



CAPVT. XXXI.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Pœnis atq; cruciatibus incredibilibus, quos hactenus enumeravit, ſubjungit ſuarum præclara virtutum officia, ne non exiſtimetur, ut innocens pati.

I. *Pepegi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.*

1. *Iobi, atque ſanctorum Patrum continentia ante conjugium.* Explicatus Moyſes.
2. *Germana expoſitio. Mentis, & cogitationum puritas.*
3. *Carnis, & ſpiritus diſſidium, rurſuſque concordia, quam paciſcuntur viri ſancti. Illuſtratus Salomon, & Paulus.*
4. Pacti *nomine, lex, & ſtabile decretum,*
5. Oculorum *ad caſtitatem momentum. Illuſtratus Matthæus.*
6. *Precepta de non videndo petulanter, apud Salomonem.* Inſania oculorum *apud Ezechielem.* Inceſſabile oculorum delictum, *apud Petrum.*
7. Oculi *animi feneſtra.*
8. Oculis *cur* cogitatio, *&* concupiſcentia, *tribuantur. Qui ſint* oculi fornicantes *apud Moyſen. Illuſtratus Paulus, & Salomon.*
9. *Curioſus intuitus damnatus. Illuſtratus Paulus, & Salomon.*



I NONNVLLA, quãvis valde tenui veriſimilitudine ductus Cajetan⁹ exiſtimat ordiri nũc Iobũ enumerationem ſuarũ laudũ, atque virtutum clariſsimarum ab ea animi deliberatione, quam habuit, dum quondam juvenis de ducẽda uxore cogitabat, nullum ſibi non rectum, honeſtumque finem præſtituens. Nam in Hebræo legitur, *Et quid intelligam,* aut, *quid conſiderabo in virgine?* q. d. Quid nam ego animo proponerem, dum uxorem virginem ducere ſtatui? Sane non voluptatis libidinem, ſed prolem. ſicuti ille dicebat ſancte, ac pie inſtitutus adoleſcens, *Domine, tu ſcis, quia non luxuriæ cauſa accipio ſororem meam conjugem, ſed ſola poſteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in ſæcula ſæculorum.* Ad Sarã vero uxorem ipſa nuptiarum nocte; *Filii ſanctorum ſumus, & non poſſumus ita conjungi, ſicut gentes, quæ ignorant Deum.* Vide Auguſtin. lib. 3. de Doctrina Chriſtiana: *Patres* (inquit) *illi veteres, plures uxores ſinguli cum haberent, ſicut Sapiens in cibo, & potu non niſi ſalutem corporis, ſic in concubitu, non niſi procreationem liberorum intuebãtur.* Neque vero obſcure hinc elici poterit ſanctum Iobum nunquam præter uxorem fœminam agnoviſſe, quod & in Iacob obſervare licet ex illius verbis Gen. 49. 3. loquentis ad Ruben primogenitũ; *Tu fortitudo mea, & principium doloris mei,* ut ad eum locum aliquando diximus. Tũ etiam in Tobia præcipiente filio ſuo, cap. 4. 13. *Attende, fili mi ab omni fornicatione, & præter uxorem tuam nũquam patiaris crimẽ ſcire.* Atque ſic inter illos Epicteti Canones refertur Cantic. 37: *Circa venerea pro virili, ante conjugium, caſtum, purumque eſſe oportet.*

Cajetan. — Cogitatio de ducenda uxore, honeſto fine. — *Tob. 8. 9.* — *Auguſt.* — Patriarcharũ Caſtitas ante conjugium. — Epictetus.

Ego vero illum ſenſum hujus ſentẽtiæ exiſtimo germanum, ac ſimplicem, quem omnes Interpretes agnoſcunt, ac ipſi etiã Septuaginta; *Et non intelligam ſuper virgine.* Symmachus: *Nihil cogitavi de virgine:* ut hanc temperantiæ, & continentiæ partẽ, quæ præcipua eſt, primo loco proponat. Vide Ariſtotel. 7. Ethicorum cap. 3. & 4. Clement. Alexandr. lib. 2. Pedago. cap. 10. quod eſt, *De procreatione liberorũ.* & Gregor. in 1. libr. Reg. cap. 15. Baſil. lib. de virgin. 2

2 Germanus ſẽtentiæ explicatus. — *LXX.* — *Symmach.* — *Ariſtotel. Clemens Alex. Gregor. Baſilius.*

Quoniam autẽ (ut Chryſoſtomus ait) *Evangelicæ diſciplinæ abſolutionem Iob complexus eſt,* in hac ipſa ſententia, nam *quæ poſtea Chriſtus juſſit, eadem re ipſa perfecit;* Ideo hujus ſententiæ vis accurate explicanda eſt, & quale ſit hujuſmodi animi *cũ oculis pactum,* aut quorſum ſtabilitum, diſcutiendum. Quod autẽ hoc loco dicitur, *Pepegi fœdus,* manifeſte indicat, animi, & membrorum corporis diſcordiam, & pugnam, atque hominis interioris cum externo teſtatas inimicitias, & inteſtinũ bellũ, quod Paulus teſtatur ad Romanos 7. 23. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in legem peccati, quæ eſt in membris meis.* Vbi vides regna diviſa, diverſas leges juraque diverſa, ex quibus diverſa quoque vivendi genera inſtituuntur tũ ab animo, tũ a corpore. Nititur autem quiſque alterum ſibi ſubjicere, ſi non blanditiis, mollibuſ-

Chryſoſt. — Iob ſervãs Evangelium. — Animi, & corporis pugna. — Carnis, & ſpiritus Regna, legeſque diverſæ.

que verbis, at vi quadam, ita nititur *Peccatum*, fomesque peccati, mentem liberã, atque ingenuam *captivare*, subdereque *in legẽ peccati*. Quã de re conquerebatur aliquando ratio ipsa, voluntasque spiritualis, & spirituales Potentiæ adversus sensus, appetitumque, & concupiscentiam Cantic. 1.6. *Fili matris meæ* (id est, sensus externi, aliæque appetitivæ potentiæ ortum habentes ex eadem anima) *pugnaverunt adversum me*. (ecce illa repugnantia, & continua pugna) *Posuerunt me custodem in vineis* (videlicet ut bona tantum sensibilia, quæ facultatum sensitivarum hæreditas, & portio sunt, servarem, & curarem,) *vineam meam* (bonum videlicet honestum, & rationale, quod rationis proprium est) *non custodivi*. Atque velut captiva, & servilibus ministeriis, ac tentationibus, impugnationibusque pravi fomitis defatigata, conqueritur se *denigratam*, & Sole perustam, ut servam, non ut liberam, & ingenuam decet, *Fusca sum, & decoloravit me Sol*. Vide eo loco Nyssenũ. Ergo videtur hæc esse conquestio amissæ illius internæ pacis, & cõcordiæ, quam habuit homo in statu innocentiæ, in quo ex unica tantum Divina lege vivebatur, atque eadem erat mentis, membrorumque lex. Quid igitur nunc remedii? non aliud certe, quã *Pangere fœdus cum membris*, cum corpore, ut lubens, & volens rationi acquiescat. Hæc est sanctissimorum virorũ animi cum corpore concordia. Hoc est sanctissimi Iobi *pactum*, & fœdus *cum* suis *oculis*. Eleganter hoc loco Vatablus: *Fuit maxima concordia carnis, & spiritus mei*, Inquit Iob.

Anima corpori serviens.

Nyssenus.

Vatabl.

Sed ne leve aliquid, & facile existimaretur hæc amicitiarum ratio, recte dixit: *Pepigi fœdus*, ut significaretur efficax quædam, & stabilis animi persuasio, firmumq; propositum de servanda castitate. Hæc enim omnia indicat, *pactũ, fœdus*. q.d. Firmiter decrevi, & certo statui. est enim illud *fœdus*, quasi lex quædam sancta, & inviolabilis. Sic Chrysostomus hom. 34. in Matth. 10. tom. 2. *Legem posui oculis meis*. ac Septuaginta legunt: *Testamentum posui*, quæ voces significant constitutionem aliquam firmam, & stabilem.

Pactum, & fœdus ad rẽ per se difficilẽ stabiliendam.

Chrysost.

LXX.

5 *Cum oculis meis*. Quod ad servãdam castitatem attinet, oculi sunt membra præcipua, cum quibus agendum, & pasciscendum est: nam nisi oculi sint certa lege, & fœdere obligati, & constricti, nullum erit tam firmum castitatis propositum, quod oculorum vel pravitate, vel fraude, vel importunitate, vel negligentia, vel levi-

Oculorum in castitate servãda præcipuũ obsequium.

te non labefactetur. Quare per paraphrasim eleganter Philippus sententiam hanc elucidat in persona animi; *Ego* (inquit animus) *cum his obtutibus carnis meæ definivi, ac statui, ut nihil omnino turpe, atque obscenum mihi intrinsecus nuntiaret, quod delectationibus volutarem*. Hinc Christus Dominus, ut oculorum procacitatẽ in vidẽdo comprimeret, dixit: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum, jam mœchatus est eã in corde suo*. Matth. 5. 28. Quod non solum fuit, interdicere pravam cogitationem, pravumque consensum, atque reducere externum videndi actum, ad eandem speciem actus interni, constituereque in interno præcipuam malitiam, quæ in opus externum refunditur, ut Theologi docẽt; sed (ut Chrysostomus ait) deterrere hominẽ a vidẽdo curiose, & petulanter, proposito gravi, & acerbo supplicio adulterorum. *Adulterorum* (inquit) *supplicia minitatus est iis, qui cernerent improbe*.

Philipp.

Actus interni malitia redundans in externum.

Chrys.

Hinc de oculis, atque videndo tot præcepta, & monita: *Ne respicias mulierẽ multivolam, ne forte incidas in laqueos illius*. & iterum: *Virginem ne conspicias, ne forte scãdalizeris in decore illius*. Tertium quoque; *Noli circumspicere in vicis civitatis*. Quarto etiam: *Averte faciem tuam a muliere compta, & ne circumspicias speciem alienam*. Hæc est illa, *Oculorum insaniens concupiscentia*, Ezechielis 17. 16. *Insanivit super eos concupiscentia oculorum suorum*. Hi sunt illi *Oculi* apud Petrum; *pleni adulterii, & incessabilis delicti*. Hinc illa multo prudentior, quam severior Zaleuci Locrensium Legislatoris lex de eruẽdis oculis homini adultero, ut qui fuissent adulterii vel duces, vel suasores, ut enim Iuris periti præscribunt; *Inspicienda est origo delicti, & causa faciendi quæri debet, non factũ*. Vide, quæ supra diximus cap. 24. n. 15. super id, *Oculus adulteri observat caliginem*. Vide etiam quæ dicemus infra vers. 7. 9

Præcepta de honeste vidẽdo, aut non videndo.

Ecclesi. 9. 3. 5. 7. 8.

Oculi insaniẽtes.

2. Petri. 2. 14.

Adulterorum pœna.

L. si quis in servitut. 7. d. eodem tt.

Ut ne cogitarem quidem, &c. Mirũ quod possit animus pascisci cum oculis de non cogitando! Quid enim oculis, qui externa tantum sentiunt, cum cogitatione, & animi cõsensu in peccatum aliquod? Sed observandum tamen est, magnam esse oculorum cum corde, & spirituali appetitu conjunctionem, sunt enim fenestræ, & janua, per quas vel legati, & nuntii rerum externarum, & visibilium intrant, & perferuntur ad animum, unde efficitur, & oritur cogitatio; vel sunt etiam fenestræ per quas videtur animus egredi, & se effundere in res externas per concupiscentiam, & delectationem. quo *fenestrarum* 7

Oculorum cũ cogitatione consensus.

Oculi animi fenestræ.

Gregor. Hieronymus. August. Nilus. Salvianus.

nomine, ex Ieremiæ, 9. 21. utuntur ſancti Patres, præſertim Gregorius hoc loco, Hieronymus Epiſtola, 32. Auguſtin. ſuper id Pſalm. 41. *Vbi eſt Deus tuus?* Nilus Abbas in ſuis capitibus diverſis, atque etiam Divus Salvianus libr. 3. de providentia ait, in hanc ipſam rem eleganter; *Sciens Salvator, feneſtras quodammodo eſſe noſtrarum mentium lumen oculorum, & omnes improbas cupiditates, in cor per oculos, quaſi per naturales cuniculos introire, extinguere eas penitus foris voluit, ne intus orirentur, & lethaliter creſcentibus fibris convaleſcerent fortaſſe in animo, ſi germinaſſent in viſu.* Vide hoc loco Gregorium graviſsime hac de re loquentem. *Semel* (inquit) *ſpecies formæ cordi per oculos alligata, vix magni luctaminis manu ſolvitur. Præceps quippe anima dum ante non providet, ne incauta videat, quod concupiſcat, cæca poſt incipit deſiderare, quod vidit.* Conſpirat in eandem quoque rem Clemens lib. 3. Pæd. cap. 11. *Videtur*, inquit, *ſuper omnia eſſe averſandus mulierum aſpectus; non ſolum enim ſi tangantur, peccari poteſt. Etſi enim fieri poteſt, ut qui viderit, ſe fortiter gerat; verum tamen ne cadat, cavendum eſt: fieri enim poteſt, ut qui viderit labatur; ſed fieri non poteſt, ut qui non viderit, concupiſcat. Dum enim laſciviunt oculi, caleſcunt appetitiones. Melius eſt labi pedibus, quam oculis. Dominus itaque quam fieri poteſt cōpendioſiſsime medetur huic vitio: Si te tuus* (inquiens) *ſcandalizat oculus, excinde eum, ex imo evellens cupiditatem: cum per oculos cupiditas ineat prima pugnæ præludia. Ante totum enim corpus corrumpuntur oculi. Talem utique effœminatum Sardanapalum Regem Aſſyriorum in lecto pedibus ſurſum ſublatum ſedentem, purpuram carpentem, & albuginem oculorum verſantem introducunt.* Hæc ibi ſparſim Clemens, quæ nos in continentem ſententiam conjunximus. Vide, quæ diximus ſuper. cap. 24. verſicul. 15. de *Oculo adulteri*.

Gregorius.

Clemens.

8 Hinc fit, ut *oculis* tribuatur actio *cogitandi*, quod cogitationis initium per oculos fiat; tribuatur etiam non ſolum quod intellectus eſt, ſed quod voluntatis videlicet deſiderium, ſicut ait Salomon Eccleſ. 2. 10. *Quæ deſideraverunt oculi mei, non negavi eis*; quod magnus ſit ad concupiſcentiam aditus, videre. Quod Chriſtus Dominus dixit Matth. 5. *Videre ad concupiſcendum.* & Ioannes appellavit: *Concupiſcentiam oculorum.* de quo illud quoque eſt Numer. 15. 39. cum jubet Deus: *Vittas Hiacynthinas poni per angulos palliorum, quas cum viderint, recordentur omnium mandatorum Domini, nec ſequantur cogitationes ſuas, & oculos per res varias fornicantes.* Vbi videntur idem fere eſſe *cogitationes*, & *oculi fornicantes*, id eſt, concupiſcentes & petulanter deſiderantes. Septuaginta; *Et oculos, in quibus vos fornicamini poſt eos.* Onkelus: *Et poſt viſionem oculorum veſtrorum, poſt quæ vos erratis.* Quaſi dicat, quorum ductum ad cogitandum, vel conſiderandum vos ſequimini. idque præſertim, in re *fornicandi*, ſive petulanter, & laſcive videndi; quod etiam de idololatria non ſemel dicitur. Propterea enim dicuntur oculi *pravi amoris duces*, ut laſcivus ille poeta dixit; *& prima origo, inſtrumentumque præcipuum amatoriæ faſcinationis*, ut Heliodorus in Ethiopicis ſcripſit: *Dux* (inquit Baſilius libr. de vera virginitate) *prævius, ac pronubus oculorum jactus eſt ejus, cujus manus miniſtræ ſunt tactus.* Nazianzenus quoque oratione 8. *Ea oculi impudici, & avidi attingunt, quæ nefas eſt attingere; ſunt enim organum avidiſſimum atque promptiſsimum.* Ergo, qui oculos retrahit a videndo, penituſque refrænat, is profecto non minus innocentiam ſuam probabit, quam Seneca, cum innocentiam ex cæcitate adſtruit de remediis fortuitorum diſſerens; *Oculos perdidi. Quam multis cupiditatibus via inciſa eſt! Quam multis rebus carebis, quas ne videres, vel eruendi erant! Non intelligis partem innocentiæ eſſe cæcitatem? Huic oculi adulterium monſtrant; huic inceſtum; huic domum, quam concupiſcat; huic urbem, & mala omnia. Certe irritamēta ſunt vitiorum, duceſque ſcelerum.*

Concupiſcentia, & fornicatio oculorum.

LXX.

Onkel.

Oculi ſceletū duces.

Propert. lib. 2. Eleg. 15.

Heliod. Baſilius.

Nazianz.

Ex modeſtia oculorum innocentiæ confirmatio.

Seneca.

9 Forte autem ipſe curioſus, nimiumque attentus obtutus, & defixus in re aliqua vocatur hoc loco *cogitatio*; ſicut, & ſermo nimium attentus, & ex præmeditatione procedens, dicitur *meditatio*, dicitur que *lingua*, & *guttur meditari*, Pſalm. 34. 28. & 36. Proverb. 8. 6. nam hoc loco non tantum prohibetur fortuitus quidam, & parum attentus, parumque conſideratus conſpectus virginis, ſed nimium curioſus, nimiumque attentus. Quippe cum intentio oculorum animi intentionem ſecum trahat, poteſt intentus oculorum conjectus appellari animi intentio, & cogitatio, ut eleganter Clemens nuper adductus dicebat; *Dum laſciviunt oculi caleſcunt appetitiones; & oculi proximos impudentius reſpicere aſſuefacti; quod conceſſum otium habeant, intendant cupiditates.* Qua ratione *contemplatio*, non ſolum tribuitur menti, ſed etiam *oculis* apud Paulum, cum jubet nos *contemplari, non quæ videntur, ſed*

Cogitatio cū oculorum intentione conjuncta.

Clemens.

2. Cor. 4. 18.

quæ non videntur: nam ſecus quæ videntur, quomodo videri non poſſunt? vult ergo ne viſibilia contemplemur attente, curioſe, & eo animi deſiderio, & affectu, quo ſagitarii ſolent intendere in ſcopum, quem collimare deſiderant; ea enim vis verbi Græci, atque etiam Latini *contemplãdi*: & ita eum locum Pauli explicuit Anſelmus. *Non attendentibus nobis, quæ vidẽtur*: atque adeo Chryſoſtomus hunc Iobi locum ad contemplationem retulit: *Non cõtemplabor, inquit, idcirco oculum ſuum erudiebat; ut nõ virginum formas, pulchritudineſque curioſius perſequeretur*: eademque ratione interpretatus eſt Theophanes Nicænus tractans hunc ipſum locum Epiſt. 2. ad omnes Chriſtianos: *Nec curioſis* (inquit) *oculis attendebat mulierum facies*: atque eadem eſt illius loci apud Matthæum intelligentia; *Qui viderit mulierem*, &c. eſt enim *Blepo*, non ſolum oculos, ſed etiam animum ad videndum advertere, & quod alius dixit: *Cernere acutum*. Atque hoc illud eſt, quod Auguſt. in ſua regula, 3. c. 21. obſervavit: *Oculi veſtri, etſi jaciuntur in aliquam fœminarum, figantur in nulla*: affertque ex verſione Septuag. locum ſacrum: *Abominatio eſt Domino defigens oculum*, Sicut etiã Chryſoſt. hom. 3. de verbis Iſaiæ; *Vidi Dominum*, ex Proverb. 6. (quamvis apud Septuag. nunc non inveniamus) affert; *Non dixit: ne videas, id enim nonnũquam fit ultro; ſed ne cognoſcas, illud tollẽs, ne ſtudio animadvertamus, ne curioſe intuearis, ne contemplationi immoreris, quæ ab animo corrupto, & cõcupiſcentia proficiſcitur*. Sed quoniam ſi *cogitandi* verbum proprie, & rigide ſumatur præclaram continet morum doctrinam, Ideo de ipſa interna mentis cogitatione pauca quædam ſtatim adjiciemus.

Anſelmus.
Chryſoſt.
Curioſus obtutus damnatus.
Theophanes.
Βλέπω
Horat. lib. 1. ſermon. ſat. 3.
Auguſt.
LXX.
Chryſoſtom.

De Virgine.

10. *Virginum conſpectus, & ſtupri nomen multos deterruit. Virgo dicta, quia nullius ſit. Proprietas nominis Hebræi*
11. *Virginum pulchritudo maxima. Levius crimen, quod pulchritudo ſuaſit.*
12. *Improbitas ſcortatorum. Cavendum a virginum conſpectu. Curioſitas videndi. Naphtæ natura*
13. *Forma, ignis inſiliens in animum. Unde dicatur* forma. *Virgines* oculorum ægritudines. *Amatorem caſtitatis, neque videre, neque videri.*
14. *Oculorum cum manibus & tactu cognatio.*

10 HAec eſt amplificatio temperantiæ, & caſtitatis ſingularis viri ſanctiſsimi, quod neq; virginẽ deperierit, neque unquam commiſerit, ut attente, & petulanter virginem aſpiceret. Sed cum pleroſq; effrænes, & libidinoſos, ipſum ſtupri nomẽ, & ſceleris gravitas deterrere ſoleat a virginum conſpectu, & concupiſcentia, videretur ſane major fuiſſe laus, quod abſtineret a concupiſcentia fœminarum aliarum, quas attingere, vel concupiſcere aut facilius eſſet, aut minus improbum. Reſponderi huic rei dupliciter poteſt. primum, *Virginem*, hoc loco fortè accipi, non tam pro ea, quæ incorrupta eſt, & viro incognita, quãm pro ea, quæ nullius viri eſt; ſive virgo ſit, ſive non, dummodo ſoluta ſit; nam quæ hujuſmodi eſt, præſumitur virgo. Intelligentiam hanc indicavit Chryſoſtomus, homil. 2. de patientia Iob. tom. 1. *Tantum* (inquit) *abfuit ab alieni thori inſidiis, ut neque ad innuptam virginem, in qua nihil periculi fuerat, impudentem oculum deflexerit*. Atque Theophanes Epiſtola ſecunda, hunc ipſum locum tractans, *Si in virgines* (inquit) *ac liberas mulieres erant illi oculi adeo continentes, & caſtigati, & vel in cogitatione, & oculo fornicationem rejiciebat; quanto minus adulterii labem, & maculam ad illius animam penetrare omnino potuiſſe credendum eſt?* Videntur itaque hoc loco tãtum agnoſcere *Virginem* ſumi pro libera, & innupta muliere. Sed quidem ipſum originale nomen *Bethul* ſtricte, & proprie *Virginem*, & incorruptam ſignificat; atque adeo ipſam virginitatem in abſtracto, Devteron. 22. 14. & 15. & Iudic. 11. 37. 38. Alia enim nomina, quæ virginem ſignificare ſolent ex proprietate vocis videntur potius eſſe nomen ætatis; quanquam de incorrupta etiam virgine dicantur.

Stupri nomen multos deterret a virginũ conſpectu.
Duplex propoſitæ objectionis ſolutio.
Chryſ.
Theophanes.
בתל

11 Secundo, & verius reſponderi poteſt hoc eſſe ſingularis continentiæ, & caſtitatis encomium; quod neque petulanter aſpexerit virginem, cujus pulchritudo maxima eſt, cum florem non amiſerit, neque fœdo contactu emarcuerit. Quare quamvis ex alia parte creſcat flagitium ejus, qui virginem oppreſſerit, at certe ex hac minui videtur, quod facilius ſit humanam imbecillitatẽ conſpectu pulcherrimæ virginis capi, & demulceri: nam ut Plato in Sympoſio dixit: *Amor inter flores habitat, ut in eo, quod deſloruit, nunquam libenter inſidet*: eſt quippe *decor natura ſua, libidinis invitator*, & incitator, ut Tertullianus de cultu fœminarum dixit. Quare, qui ex legum præſcripto res ponderãt, levius, & venia magis dignum cẽſent flagitium, quod pulchritudo ſuaſerit, quã quod deformitas attulerit. Certe Chryſoſtomus

Secunda reſponſio dubitationis.
Tertullianus.
Levius peccatum, quod pulchritudo ſuaſit.
Tiraquellus de connub. n. 12.
Chryſoſt.

hom. 3. in cap. 1. ad Thimot. *Illum* (inquit) *magis adulterum dixerim, qui quamlibet ex vulgo, quam qui Reginam violaverit. Illic enim plurima irritamenta sunt, puta opes, elegantia formæ, & hujusmodi cætera; quorum hic nihil invenias. Eadem profecto ratione illum magis ebrium dixerim, qui quovis bet vino, quam qui optimo inebriatur. Ita & cupidum eum potissimum censeo, qui ne minima quidem rapere omittit: nam qui maxima diripit, minima fortasse contemnet: qui autem parva non despicit, quo modo his majora despiciet? Fur igitur hic magis, quam ille est: nam qui non aspernatur argentum, nunquam profecto aurũ aspernabitur.* Quare Ecclesiasticus illum appellat hominem *fornicariũ*, non qui delicato tantum pane vesci cõcupiscat, sed cui nullus panis insuavis existat, cap. 23. 25. *Homini fornicario omnis panis dulcis, non fatigabitur transgrediẽs usque ad finem.* Sunt enim turpissimi scortatores, qui vaga libidine delectantur nullo delectu; & ut Plato in Convivio dixit, hi vere *non amant, sed ad explendum tantum desideria inhiant, & quodcumque sors illis offert, exequuntur.* Isti igitur magis ex affectu improbi, magisque turpes, non solum virginum, sed quarumcumque aliarum corruptores. Qua propter idem Ecclesiasticus hominem bene moratum, beneque institutum monet ulterius, ne ad virginis alicujus conspectum per imprudentiam incautus labatur: *Virginem* (inquit) *ne aspicias, ne forte scandalizeris in decore ejus.* Ecclesi. 9. 5. nam qui nimium se cõtinuerunt intra præscriptum, & terminos sanctioris, atque purioris vitæ; at conspecta virginum forma, aliquando se fœde alicujus cogitationis macula deturparũt, & ut, de Salomone dicitur: *Dederũt maculam in gloria sua.* Hoc igitur opus, sicut eximiæ castitatis est, ita etiam singularis est virtutis, atque fortitudinis. Quod cum alius dixit de ipsa cujusque pulchritudine cum sua ipsius castitate,

Fornicarius quis.

Plato.

Ecclesi. 47. 21.

Lis est cum forma magna pudicitiæ:

Ovid. in Epist. Paridis.

Hoc de pulchritudinis conspectu pugnãte cum pudicitia optimorum virorum, affirmari quoque verissime potest; quare enitendum illis est, ne in certamine turpiter vincantur. Atque illud Alexandri Magni libẽter memoria repetam, cum a pulcherrimarum virginum filiarũ Darii conspectu abstinuit: *Non committendum* (inquit) *sibi, ut cum viros vicisset, vinceretur a fœminis.* Laudat hujus pudicitiam Plutarchus oratione 2. de Alexandri virtute: *Reliquis* (inquit) *Persidibus tantum superior fuit pudicitia, quantum fortitudine Persis: nullam enim invitam vidit, & quas vidit, magis præteriit, quam non visas: ut cum alias fuerit humanissimus, adversus pulchritudinem formæ dumtaxat superbe se gesserit.* Atque hujus ipsius exemplo si non petulantiam, at oculorum curiositatem cõprimere conatur idem Plutarchus libello de Curiositate: *Alexander* (inquit) *Darii uxorem, quia formosissima dicebatur, noluit in suum venire conspectum; nos lecticis mulierum oculos subjicientes, & eos a fenestris suspendentes, nihil peccare nobis videmur, adeo lubricam, & ad omnia fluentem curiositatem facimus!* Igitur quod de *Naphta*, id est, sulphureo illo bitumine, quod terra profert, scribit Plinius. lib. 2. cap. 105. *Huic* (inquit) *magna cognatio ignium, transiliuntque protinus in eam undequaque visam*; Hoc quoque de igneis oculorum tedis, internoque concupiscentiæ igne affirmare possumus, continenda omnino hæc lumina esse, ne videant pulchritudinẽ, est enim his ignibus cum pulchritudine maxima cognatio, transiliuntque in illam undecumque visam. Atque e contrario etiam poteris dicere formam esse ignem, qui facile transiliat in nostros oculos, nostramque animam undecumq; visam. nã concupiscentia turpis, *quasi ignis exardescit*, ut aliquando diximus. Propterea enim pulchritudo, *formæ* nomen apud Latinos habet, quod sit quasi fornax fervens; dicitur enim, ut Nonius Marcellus existimat, a *forvo*, quod calidum, & fervens significat. In quam rem eleganter dixit Chrysostomus homil. 3. de verbis Domini: *Vt ignis, ubi fœnum aliquod, aut culmum arripuerit, nihil moratur, sed simul lucidam accendit flammam: Itidem, & ignis concupiscẽtiæ, qui est in nobis, simul atque per oculorum intuitum elegãtem ac venustam attigerit formam, protinus exurit animam.* Vide Proverb. 6. ubi cum *igne* comparatur concupiscentia oculorum. ubi versicul. 25. nos habemus: *Ne concupiscat pulchritudinem ejus cor tuum, ne capiaris nutibus illius*; Septuaginta legunt. *Non te vincat formæ cõcupiscentia, neque capiaris tuis oculis, neque abripiaris ab ejus palpebris*, nimirum vult amantem castitatis, neque videre, neque videri. Sic profecto virgineus decor conspectus exurit oculos, atque illis dolorem ingentẽ solet inurere. Qua de causa appellatæ sunt aliquando *Virgines, oculorum ægritudines*, conspicientiumque dolores; cujus loquendi moris apud Herodotum, Plautum, Plutarchum exẽpla, vir variæ litteraturę, sine aliorum invidia dicam, Princeps, Petrus Victorius libr. 2.

Alexadri responsum.

Plutarch.

Alexander dũtaxat adversus pulchritudinem formæ superbus.

Alexãdri pudicitia.

Plinius.

Naphtæ cum concupiscentia oculorum comparatio.

Pulchritudo ignis.

Ecclesi. 9. 9.

Formæ nomẽ unde dictum.

Nonius.

Chrysostomus.

LXX.

Virgines oculorum ægritudines.

P. Victorius. variarum lection. cap. 5. opportuna protulit.

Baſilius. Sed rem totam claudet utiliter D. Baſilii Magni lib. de virginit. pulchra ſententia, de Virgine differens: *Eſt ſane iniquum, & indignum præter quam quod ad vitium per oculos vehitur, virginem, quæ manu contrectare non audet, ea jactu oculorum indifferenter attingere. Quæ igitur non evitavit luminum jactum, quantum in ſe eſt, ne manus quidem tactum vitavit, ſicut enim cum igne tangimus ignis indicia per impreſſas nobis adu ſtiones excipimus, ita poſsibile non eſt eum, quē ignis amoris attigerit, ejuſmodi tactum innocuum, inviolatumque præferre.*

Ut ne cogitarem, &c.

15. *Doctrina de cogitationum cuſtodia propria Evangelii. Illuſtratus Matthaus.*
16. *Cogitationum facilitas, atque comprimendi difficultas, Virus, de quo varia Patrum ſententia.*
17. *Cogitationum pravarum multa genera. Corruptio mentis variis ſimilitudinibus explicata a Patribus. Illuſtratus Ieremias, & locus Paralip.*
18. *Comminatio non cuſtodienti cor. Explicati Salomon, Paulus, Ioannes.*

15 Clara, & diſtincta doctrina de cogitationibus curādis, propria Evangelii.

SED Ad id, quod de *cogitando* ex Chryſoſtomo, & Gregorio ſupra tetigimus parumper revertamur; ajunt enim Iobum in hac ſuarum cogitationum cuſtodia imprimis impleviſſe Evangelicam perfectionem. Hæc enim dilucida, clariſque verbis expreſſa de cogitationibus doctrina propria eſt perfectionis Chriſtianæ, ut ex Matthæi. 5. colligitur: *Audiſtis quia dictū eſt antiquis; Non mæchaberis. Ego autem dico vobis, Quia omnis, qui viderit mulierem ad cōcupiſcēdum eam, jam mæchatus eſt eam in corde ſuo.* Vt enim hoc loco Gregorius ait: *Per Moyſen luxuria perpetrata, per auctorem vero munditiæ luxuria cogitata damnatur.* Quanquam, & Baſilius ſuper illud Moyſis; *Attende tibi ipſi, ne quando fiat verbum occultum in corde tuo iniquitas,* Hanc ipſam cogitationum cuſtodiam, ſollicitam, atque diligentem præceptā nobis interpretatur: *Facile (inquit) admodum labimur in peccata, quæ cogitatione admittuntur, & qui finxit ſigillatim corda noſtra, probe conſcius maximam peccatorum partē ſolere perfici ſubitario, & acri illo motu propoſitæ, aut cogitationis imprævisæ, principem illam animæ puritatem, quæ præcipua ejus conſiſtit, nobis edixit retinendam atque tuendam.*

Gregor.

Baſilius.

Cogitationū cuſtodia etiā a Moyſe tradita.

16 Exponit deinde eleganter reliqua peccata operis, tanto eſſe difficiliora, quanto majori opportunitate temporis, atque loci indigent. Idemque ipſe in Conſtitutionibus Monaſt. cap. 18. de hac cordis cuſtodia interpretatur id Epheſ. 6. *Sumētes ſcutum fidei, in quo poſsitis omnia tela nequiſsimi ignea extinguere.* Quis enim ab ignearum ſagittarum jactu, & ſenſu immunis eſſe poſsit? Veriſsime enim dixit venerabilis ille Petrus Damianus; *Non puto, quod ille, qui clauſit cælum oratione; clauſerit animum a cogitatione, ut facilius ſit cælum obſerare, quam animum.* Illam Marcus Eremita, quæ eſt *moleſta, & odioſa* comparat; *Cum latrone irruente ex improviſo, quæ vi corripit animum.* Extinguēda vero ſunt *tela ignea*, ſi excipiantur ſancta alia, & caſtiſsima cogitatione, neque ſemel injectā animo pravam cogitationem tractemus, verſemus, repetamus. In quam rem elegans illud eſt Philonis libr. 2. Allegoriarum legis, tractantis fugam Iacobi, ex domo Laban; *Si pulchritudine conſpecta captus periclitaris, ne offendas ad eam, fuge clam a illius imaginatione, nihil amplius menti renūtians: nam continuæ reminiſcentiæ veras formas imprimendo, lædūnt mentem, & in vitam concitant. In his enim clancularia fuga ſaluti eſſe ſolet, cunctatio vero, renuntiatio, dilatióque ſuperat rationem, & in ſervitutē redigit. Qua propter cave anime, ne unquam rem ſenſibilem, a qua periculum imminet, tibi ipſi renunties, neve retractes eam, ne forte ſuccumbens ei reddaris infælicisſimus: fuge potius libertatem ferocem ſervituti manſuetæ præferens.* Aut certe quod ii, qui pila ludunt, diligenter cavent, Cavendum eſt ne conjectam in nos pilam per moram aliquam teneamus, & quod ajunt calefaciamus: ſed vix objectam animo, in ipſum pudicitiæ hoſtem retorqueamus: nam ſi incauti, & negligentes hujuſmodi occultis, ſecretiſque jaculis vulnerari nos ſinamus, etiam ſine opere computreſcemus, & interibimus. Sūt enim, ut ait Philo lib. Quod deterius pot. inſid. cogitationes *mētis partus*, ut Bernard. de inter dom. cap. 39. ait, pravæ cogitationes, *filii viperæ*, qui in mētis utero concepti, matrē deinde lacerāt, & interimunt. *Quemadmodū enim* (inquit Chryſoſt.) *cerva confixa jaculo in vitali corporis parte, etiam ſi venatorū effugiat manus, nihil inde fert lucri, ſic, & anima accepto concupiſcentiæ jaculo e laſcivo, curioſoque aſpectu, etiam ſi cum jaculo permittatur abire, tamen ipſa per ſe corrumpitur, ac perit, ubique videns hoſtem, & inſequentem habēs.* De hac vero ipſa animi corruptione, quæ per pravas cogitatiotiones fit, accepit id 2. Para-

Marcus Erem. de Baptiſmo.

P. Damianus ſer. non. Virg. nativitatis.

Philonis allegoria de cogitationibus.

Simile.

Philo.

Bernard.

Chryſ. hom. 3. de verbis Iſaiæ; Vide Damianum.

Bernard.

Cogitatio prava ſine opere inſtar iaculi.

LXX

Pravarum cogitationũ variæ comparationes, & epicheta.

lip.26.16. quod de Ozia dicitur: *Elevatũ est cor suum in interitum suum.* Quod Septuaginta legunt: *Exaltatum est cor ejus ad corrumpendum.* Ipse vero Chrysostomus, *usque ad corruptionem. Quid* (inquit) *est usque ad corruptionem? usque ad pravas cogitationes, quæ omnem mentis nostræ sanitatem corrumpunt. Hoc itaque dicit, Elatum est cor ejus, neque se continuit concupiscentia.* Has ipsas cogitationes pravas Cæsarius comparat cum turpibus *sputis, flegmatibus, luto, stercore,* quæ animam conspurcant, *& horrorem Deo faciunt*; cum *immundissimis meretricibus*; cum *carbonibus vivis*, quos sine vulnere retinere non possumus; cum *rebus fætidissimis*. Nazianz. oratione. 49. vocat: *Primogenita Ægypti, & semen Babylonis,* atque *parvulos Babylonios,* quos oportet *allidi ad petram,* ut eleganter eo loco interpretatur Nicetas, atque similiter Ambros. lib.2. de pœnit. cap. 11. Origenes hom. 11. in Iesum nave, & oratione de salutari adventu Christi: *Peccatrices, ac captivatrices cogitationes appellat opera Diaboli, quæ venit dissolvere Filius Dei.* Nilus in Ascetico, vocat *Idola in abscondito,* quæ *qui ponit,* & erigit, maledictus est, Deuteron.27.15. Rursus idem in Paræn. *Semen Diaboli.* Ambrosius super cap.4.2. ad Corinth. appellat *Occulta dedecoris, ut non solum de opere, sed & de cogitatione pellantur.* Bernard. sermon.3. de Nativitate; *Torrẽtes iniquitatis, quæ intrant usque ad animam. Est autem* (inquit) *cogitatio mala rivus exũdans,* & qui nullis *obicibus repelli potest.* Vide Gregor. lib. 1. Reg. cap. 15. Basil. de Virginitate.

Cæsar. hom. 10. *Nazianzen.* *Nicetas.* *Ambros.* *Origen.* *Nilus.* *Bernard.* *Gregorius.* *Basilius.*

17 Sunt vero etiam pravæ, immundæque cogitationes aliæ, quas sane ipse animus ex inertia, & temeritate quadam evagandi, aut prava etiã voluptate sibi ipsi creat, ut idem Basilius loco citato docet, & in Regul. brevior. interrogatione 21. Abbas Pachõ apud Palladium in histor. Lausica section. 26. Diodochus de perfect. c. 83. Climacus Grad. 15. Marcus Eremita, *In Responsione ad eos, qui de Baptismate dubitabant.* de quibus illud videtur Ieremiæ.17. 9. *Pravum est cor hominis* (sinuosum, mille cogitationum diverticulis, & pravitatibus perplexum) *& inscrutabile* (difficile cognitu, etiam ab ipso homine, nisi valde attente, & diligenter probet se ipsum) *Quis cognoscet illud?* (q. d. quis judicabit, aut quis cordis cogitationes, & ambages requiret?) *Ego Dominus, scrutans cor, & probans renes.* (id est, ipsas etiã secretas cordis appetitiones, & concupiscentias, carnisque voluptates, quæ per *renes* significari solent) *qui do unicuique juxta viam suam, & juxta fructum adinventionum suarum.* Nimirum cogitationes sunt *viæ cordis,* & *adinventiones,* sive machinationes, & studia.

Pravarum cogitationũ discrimen.

Basilius. *Palladius, Diodochus, Marcus Eremita.*

Cogitationes ex ipsa cordis instabilitate provenientes.

18 Hinc illæ cõminationes factæ; *Iniquitates operantibus in corde,* Psalm.5.17.2. Et *Iniquitatem meditantibus in cubili suo.* Psal. 35.5. &, *Iniquitatem aspicientibus in corde,* Psalm.65.18. &, *Errantibus ab utero,* id est, a prima peccati conceptione, Psalm. 57. 4. Hinc quoque illæ judicis minæ, fore ut *revelentur,* & discooperiantur *occulta.* Thren.4.22. & quod *Investigaturus sit omnia secreta ventris,* Proverb.20.27. & *Scrutaturus Ierusalem in lucernis,* Sophoniæ 1. 12. & quod *Ipse novit in tenebris constituta, & lux cum eo est,* Danielis. 2. 22. Huc Salonius vocat id Ecclesiast. *Cor stulti in sinistra illius; Quia* (inquit) *& mala cogitat, & malis operibus accumulat, pro quibus in die judicii a sinistris ponetur.* Itẽque illud, *Si spiritum potestatem habentis,* id est, Diabolica suggestio, *ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris,* sed fortiter repugna. Sic sane, *abyssum Dominus intuetur*; abyssus autẽ est cor hominis, in quo *reptilia,* id est, venenatæ cogitationes, *quorum non est numerus,* ut Bernard. ait de interior. domo cap. 44. Propterea non solum præcingendi, & constringendi lumbi corporis a pravis operibus; sed etiam * *Succingendi lumbi mẽtis,* ab impuris cogitationibus 1. Petri 1. 13. & *Præcingendum etiam cor, & pectus ad mammillas zona aurea,* Apocal.1.13. id est, coercenda cogitatio, & continenda in officio pudicitiæ. sic enim fiet, *ut omnia, quæ intra nos sunt, Deo benedicant,* & ut *præsit homo volatilibus cæli,* id est, ut Basilius ad pulchram allegoriam retulit, *ut imperitet aerivagis, & plenis vanitatis cogitationibus;* atque ad diem judicii revelato corporis crassissimi amictu, animam exhibeat pulcherrimis picturis decoratam, non *turpibus atque indecoris cogitationum imaginibus.* & ut Paulus ait; *Ostendant opus legis Scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendẽtibus in die, cum judicabit Deus occulta hominum.* Hæc tandem esto hujus rei clausula ex Origene lib. 4. contra Celsum, sanctissimum fuisse Iobum, ut qui Deũ semper habuerit præsentem: *Nam quis alius* (inquit Origenes) *modus est, qui facilius hominem ad recte vivendum convertat, quam fides, certaque persuasio, nihil a nobis, vel dici, vel geri, vel cogitari denique, quin oculis Dei pateat?* Sed rursus quantum ex impu-

Minæ intentæ prave cogitantibus.

Salonius. *Ecclesi. 10.2.5.*

Hominis cor abyssus.

* *Gregor. lib. 32 Moral. & hom. 13. in Evãg. August. lib de Cõt. c. 7. & serm. 23. de verb. Domini. Beda, & communis interpretatio*

Psal. 102. 1. Gen. 1. 26.

Basil. hom. 10. Exam & de vera virginitate.

Rom. 2. 15.

Origen.

Deum videre nostras cogitationes, ingens honestæ vitæ remediũ.

dicis

dicis cogitationibus malum, jam nunc videamus.

II. *Quam enim partem haberet in me Deus desuper, & hæreditatē Omnipotens de excelsis?*

1. *Pars a Deo attributa, pro supplicio. Scortatores ærumnis obnoxii.*
2. *Pars de supplicio, vel præmio.*
3. *Divinum supplicium desuper ruens.* Pars, vel hæreditas *in malum.*
4. *Deus habitans in corpore casto, tanquam in templo. Explicatus semel, & iterum Paulus.*
5. *Sacerdotis castitas. Explicatus Ecclesiasticus.*
6. *Nomina honorifica, quibus Paulus castitatem insignit. Fornicatio probrosa.*

SEparant Græci sententiam hanc a præcedente. Quare quod Septuaginta le-
1 gunt: *Quid partitus est Deus desuper, & hæ-*
LXX. *reditas Omnipotentis ex altissimis?* illi explicant in hanc sententiam; Quam obrē post tantam animi continentiam, ac puritatem, Deus mihi hanc pœnarum partem contulerit, prorsus ignoro. Sic fere Nicetas. Chrysostomus vero eleganter rem
Nicetas. Chrys. totam explicuit his verbis; *Nec enim dicere quicquam fas est, me pœnam hanc ideo luere, quod divitiis ad socordiam, atque mollitiā abusus sim, etenim hominem mulierosum, voluptatumque illecebris, ac deliciis diffluētem, cebasque ludicris studentem, jure optimo quis in adversam, contrariamque vitæ conditionem conjecerit: eum vero, qui comessationes vitarit, qui homines joculares, & moventes risus repudiarit, qua tandem ratione quis in hanc tetram, mæstamque vitam præcipitaverit?* Atque cum hac interpretandi ratione cōsentire etiam potest nostra lectio, si *partem Dei* (ut est in Hebræo) *& hæreditatem*
Saddai, vastator, & vindex. *Omnipotentis,* (Saddai, vastatoris, & vindicis) sumamus in malum, id est, in pœnam, & supplicium. Dicet igitur Iob, mirabile esse hominem castum, & impurissimarum voluptatum inimicum, ad tantas ærumnas recidisse. Nam plerumque hu-
Luxuriosi dissipatores substantię. Luc. 15. 13. jusmodi sunt bonorum abliguritores, qui *dissipant substantiam suam vivēdo luxuriose.*

Alii alia etiam via separant hanc sententiam a præcedente, reguntque ab illo superiori verbo *cogitandi, & pangēdi fœdus*
2 Secūda interpretatio vero similis. quasi dicat Iob, etiam pacto fœdere proposuisse in animo suo cogitare quā partem, quamve hereditatē decerneret Deus judex homini sive probo, sive improbo. Hac fere ratione interpretatur Cajetan⁹.
Cajetan. Augustin. Et quidē preter quā quod arguta est, & subtilis expositio, & forte ab Augustino indicata, qui sic scribit, *Quæ est alia pars Dei super? subauditur, non cogitabo. Aut ita, & quæ est, nisi illa?* videtur esse universale quoddam remedium adversus peccatum, ut possit se homo continere in officio, & virtute, concipere cogitationem, & timorem judicii novissimi, de quo aliquando plura diximus.

Sed ut cōmunior apud Interpretes, ita etiam elegātior, & pulchrior nexus est cū
3 Germanior nexus, & expositio. sentētia superiori, ut pertineat ad rem de castitate servanda, aut violata, & ad illius vel præmium, vel pœnam. In malum, & pœnam postulari videtur ab illis particulis, *desuper, & de excelsis,* quæ aliquando indicare, & minari solent Divinum suppli-
Desuper denotat divinū supplicium. cium *desuper* jaculatum, instar ruentis pōderis, aut decidētis pluviæ immissæ, judice desuper, tanquā de specula sublimi, despectante omnes mortalium actiones, ut digno supplicio improbos afficiat. Ait er-
Vera sententię elucidatio. go; Statui apud me nihil habere consortii cum stupratoribus virginum, aut cum scortatorib⁹ impurissimis; *Quā* enim (per admirationem) *partem,* (id est, quam vehemens supplicium, quam severam vindictam retribuendam impurissimis hominibus, oculos habentibus plenos stupri, adulterii, & incessabilis delicti! Non est au-
Pars. & hæreditas in malū. tem infrequens in Scriptura *partem, sortem,* aut *hæreditatem,* in malum, & in pœnā accipi, Psalm. 62. 11. Isaiæ. 17. 14. & supra Iob. 20. 29.

4 Pars Dei, quid In bonum vero etiam nō ineleganter, nam *partem Dei, & hæreditatem Omnipotentis* ipse Interpres illuminationis gratia per paraphrasim dixit: *Partē, quā Deus ha-*
Deus habitās in homine casto, fugiēs impurum. *bet,* id est, quam sibi Deus vendicat in homine. q. d. Cum hominis impura cogitatio animæ supremam sedem conspurcet, totumque hominem fœda, turpisque voluptas insigni dedecore afficiat, quod mihi Divinæ præsentiæ, atque familiaritatis, & inhabitationis cujusdam, in meo animo, & corpore præmium pollicerer, si turpiter cogitarem, turpiterque viverem?
1. Corin. 3. 13. Cor ille sibi offerri postulat. Sed purum, atq; mundum. Templū ille nos vult suū, *templumque Spiritus sancti, qui in nobis est.*
1. Cor. 6. 14. 15 16. 19. Sicut Scriptum est; *Nescitis quod templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* si tamen non *simus nostri,* neque *tollentes mēbra Christi,* id est, corpus quodāmodo cum Christo suscitatū, *faciamus mēbra meretricis.* Non enim vult *habitare Sapientia in cor-*
Sap. 1. 5. *pore subdito peccatis;* & fugit a *cogitationibus quæ sunt sine intellectu,* videlicet ab illis, quæ propriæ sunt irrationalium pecudū. Nō solum autē animum castū, sed etiam

corpus,

Corpus caſtũ templum Spiritus Sancti.

corpus vult Deus *partem ſuam*, & *hæreditatem dici*; ſicut ait ad Corinth. Paulus: *Corpus non fornicationi, ſed Domino, & Dominus corpori.* id eſt; Datum eſt homini corpus, quod Deus caſtis, mundiſque actionibus occupatũ ſanctificaret. Quare illum locum ex 1. Corinth. 3. 13. ſic legit Cyril. Ieroſol. Catecheſ. 4. *Neſcitis quod corpora veſtra tẽplũ ſunt Spiritus ſancti, qui habitat in vobis?* atque de Corpore adverſus Manichæos eodem loco diſſerens; *Ne patiaris* (inquit) *a quoquam tibi perſuaderi, quod alienum ſit a Deo corpus hoc. Qui enim hoc credebant, tanquam alieno quodam vaſe in ſcortationem ipſo facile abuſi ſunt.* Quare aliquando Paulus *Fornicatorem* cum *Profano* conjungit, & utriuſque imaginem repræſentaſſe Eſau; ſic enim ait Hebræos. 12. 16. *Ne quis fornicator, aut profanus, ut Eſau, qui propter unum eſcam vendidit primitiva ſua.* nam ſicut Eſau propter vilem, brevemque eſcæ, & palati voluptatem, Sacrum illud primogenii jus, quod ad ſacerdotium pertinebat, quaſi profanavit, cum vendidit; ita etiam fornicator ſuum corpus, quod Deo ſanctum eſſe deberet, tãquam illius pars, & hæreditas, pro vili eſca voluptatis profanat; ut Cyrillus Ieroſol. loco indicato ſapienter monet, hunc ipſum locum tractans; *Ne parua voluptate, vendatis magnam dignitatẽ.* atque id potiſsimum poſt Deum factum hominem, cujus corpus ſanctiſsimum, vult ille exemplar, regulamque eſſe noſtrorum corporum, ad illius *claritatem*, & imaginem *configurandorum*, adeo ut dixerit Paulus Chriſtum factum eſſe hominem *noſtro corpori*, formando, videlicet, & ſanctificando. *Dominus* (inquit) *corpori.* Ideo puritatem, & caſtimoniam, ſacerdotum præſertim, cõparat Eccleſiaſticus cum re Sacra, videlicet cum adipe illo oblationis, qui ad honorem Dei totus cõburebatur: *Surrexit* (inquit) *Nathan Propheta in diebus David, quaſi adeps ſeparatus a carne.* eſt autem *adeps* caſtitatis, & continentiæ ſymbolum, quod enim in corpore animalis excerni, & ſeparari in ſemen ſolet, concreſcit ad pinguedinem, & adipẽ; atque nimium pingues ſterileſcere ſolent. ut dici poſsit illud Ieremię 31. 14. *Inebriabo animam Sacerdotum pinguedine.*

Cyrill. Ieroſolymitanus.

Fornicator, & profanus cur jungantur.

Philipp. 3. 21.

5 Eccleſ. 47.

Eccleſ.

Adeps ſymbolum caſtimoniæ.

6

Hinc fit, ut Paulus *Caſtimoniã* vocet, *ſanctitatem*, quod reddat hominem ſanctum, & dignum Dei inhabitatione, & hæreditate. In quam rẽ inſignis eſt illa Pauli exhortatio 1. ad Theſal. 4. 3. *Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra.* (id eſt, videtur ad hoc reduci lex Divina, ut caſtitatem ſectemini; ſic fere interpretãtur Theodoretus,

Caſtitas, ſanctimonia Evãgelica.

Theodoret.

Chryſoſtomus, Caſsianus lib. 6. cap. 15. & 16. cui ſimile eſt id, quod ſtatim ſequitur de vocatione) *ut abſtineatis vos a fornicatione.* (hæc videlicet, ut inquit Chryſoſtomus, ſunt illa præcepta, quæ illis ſæpe dedit, & inculcavit: *Vide,* inquit Chryſoſto. *quomodo nuſquam de alia re adeo vehementer, obſcure, ac latenter loquitur, atque de iſta?* cujus rei exẽpla ſubjicit ex Epiſtolis Pauli) *Vt ſciat unus quiſque veſtrũ* (Chryſoſtomus. *Quid miraris quod ubique diſcipulis de hac re ſcribit, quando, & Timotheo ſcribens dixerit, Te ipſum caſtum cuſtodi.* Cum igitur dixit: *Vnusquiſque*, neminem excipit) *vas ſuũ poſſidere* (Latini *uxorem* intelligunt, ſed Chryſoſtomus, & Theodoretus, *Suum unius cujuſque corpus*) *in ſanctificatione* (per caſtitatem enim ſanctum eſt Dei templum: ſic etiam ad Hebræos 12. *Pacem ſectamini, & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deum.* id eſt, *caſtitatem* Interprete Chryſoſtomo, Theodoreto, Caſsiano, lib. 6. cap. 16.) *& honore:* nã fornicatio dicitur ignominia Eccleſ. 47. 22. *Macula in gloria,* nos per antiphraſim meretricem vocamus, honoratã; *la honrrada*, & caſtitatem, ad honorem referimus; *Tocole en la honra.* atque adeo etiam Paulus, *Confuſionem*, appellat Philipp. 3. 19. *Quorum Deus venter eſt, & gloria in Confuſione ipſorũ.* Interprete Ambroſio. & Rom. 1. 26. *Paſsiones ignominiæ*) *non in paſsione deſiderii, ſicut gentes, quæ ignorãt Deũ.* Sedulius presbyter; *Ignorant* (inquit) *Deum auctorem caſtitatis,* q. d. *No entienden que Dios, es Dios de Caſtidad.* Certe magna ex parte idololatras infeſtavit turpis libido ad omnem immunditiam profuſa. *Ergo* (inquit Chryſoſtomus) *diſciplinæ eſt res iſta, & multæ, ne laſciviatur*) *& ne quis ſupergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem ſuum, &c.* (hoc de adulterio paulo inferius latius explicabimus.) Concludit tandem Apoſtolus, quaſi caſtitas ſit ſumma noſtræ religionis: *Nõ enim vocavit nos Deus in immunditiã, ſed in ſanctificationem.* Caſsianus lib. 6. cap. 15. legit: *Non enim vocavit nos in ignominiam, ſed in ſanctificationem.* Atque etiam Cyrillus Ieroſolym. Catecheſ. 4. capite *De corpore*; hanc ſummã Evangelicæ vocationis proponit; *Tu in libros Evangelicos inſcriptus cum ſis, cave ne delearis propter ſcortationem.* Vbi nota ex Chryſoſtomo, cum Deus vel adulterii, vel alicujus fornicationis pœnas repetit ab homine, nõ ſolum ulciſci proximi injuriã, ſed potiſsimum injuriã factã *Spiritui ſanctificationis*, & Deo ipſi volẽti habitare in noſtro corpore mũdo. Ergo hoc profecto erit *Spiritui gratiæ cõtumeliã facere*, ut Apo-

Chryſ. Caſsianus.

Chryſ.

Pauli locus de caſtimonia corporis illuſtratus.

Vas, pro corpore, & uxore.

Sanctimonia pro caſtitate.

Caſtimonia honor: turpitudo probroſa.

Sedulius.

Deus Caſtitatis.

Chryſoſt.

Caſsian.

Cyrill. Ieroſol.

Caſtitatis læſæ, etiam Divinæ majeſtatis læſæ injuria.

ſtolus

ſtolus dixit ad Hebræos. 10. 29. per caſtitatem autem, & ſanctimoniam *glorificare, & portare Deum in corpore noſtro*, ut idē dixit 1. Corinth. 6. 20. hanc de *templo*, & *parte*, ſeu *hæreditate* Dei per Caſtitatem, & mūditiam corporis, admonitionē, & doctrinam claudens.

III. Numquid non perditio eſt iniquo, & alienatio operātibus injuſtitiam?

---

1. *Divini ſupplicii metus.*
2. *Scortatoribus, & voluptuariis interitus. Illuſtratus Paulus. Perditio quid.*
3. Alienatio, *&* alienus *quis. Libidinoſi Dei guſtum non ſentiunt. Explicatus locus Regum*
4. *Libidinoſi corpore multipliciter flagellati, fœdi morbi. Illuſtratus Eccleſi.*
5. *Voluptates corporeæ mentis inimicæ, & quare.*

1 NON Pauci Latini ſententiam hanc in univerſum accipiunt, ut ideo ſe cōtinuiſſe dicat, quod improbis omnibus conſtitutus ſit a ſupremo judice peracerbus interitus, & a Divina beatitudine, & luce jucundiſſima abalienatio quædam, & exilium, relegatioque a cōſortio, & ſedibus beatorum. Et favent quidem ipſæ voces *iniquitatis*, & *injuſtitiæ*, quæ nullum peculiare peccatum exprimunt.

Philipp. D. Thomas.

Suppliciū turpis libidinis.

Sed placet Philippi, Divi Thomæ, & aliorum interpretatio, ut hæc pertineant ad ſupplicium nefariæ libidinis, & omnis turpitudinis. *Nūquid non perditio eſt?* Proprie, *Contritio*, pernicies, calamitas, interitus. Sic etiam Paulus Philipp. 3. 18. voluptuariis, & *inimicis crucis Chriſti*, minatur finem, *interitum*. & 1. Theſalon. 4. 6. judicis vindictam ſeveram; *Quoniam* (inquit) *vindex eſt Dominus de his omnibus, ſicut prædiximus vobis, & teſtificati ſumus.*

איד

Chryſoſt.

Non enim (inquit Chryſoſtomus) *tantum voluptatis jam capimus, quantum expectamus & ſuſtinebim⁹ ſupplicii. nā malitia unius diei, oblivionem faciet luxuriæ multæ.* Valde vehemens lectio Septuaginta; *Væ perditio injuſto.* Cum autem in Scriptura dicitur, *væ*, ſupplicium acerbiſſimum, vel ipſe inferni cruciatus affertur, ut aliquando diximus.

Eccleſi. 11. 29.

LXX.

Particulæ væ, acrimonia.

3 *Et alienatio operantibus injuſtitiam.* id eſt, ex proprietate vocis, peregrinatio, exiliū, relegatio: nam *alienus* in Scripturis dicitur, qui alienus eſt, extraneus, & peregrinus, neque ejuſdem generis, neque ejuſdem communionis, aut legum. Sic igitur voluptuarius, & turpis homo a ſedibus, & conſortio exulat beatorum, a legibus, & familiaritate ſanctorum; illū Deus a ſuo conſpectu relegat: nā ut ex Paulo dicebamus; *Sine ſanctimonia, & caſtitate nemo Deū videbit*, Alienat enim a ſe Deus, & amandat procul omne immundum, atque ut Sixtus (ſive is Pontifex Sanctus, ſive alius Philoſophus Chriſtianus ſit) in tractatu illo de Malis Doctoribus, & de Caſtitate, Caſtitatem *rem præ cæteris Deo charam*, vocat, *in quo præcipue ejus ſimilitudinem gerimus, ſi incorrupti, & integri jugiter manſerimus. Eſt enim* (inquit) *infinita virtus, corporis vincere voluptatem. Totum juſtitiæ, atque ſanctitatis fundamentum; quod ſi in aliquo vacillare cœperit, omnem ejus fabricam nutare metuendam eſt.* Quod vero Eugubinus *alienum* hoc loco ſumit pro inſolito & inuſitato ſupplicio. q. d. *Eſtrāñeza de caſtigo.* hoc alienum ego exiſtimo a germana interpretatione. Multo illud melius, & ſignificantius, quod Septuaginta legunt: *Abalienatio.* q. d. Abalienato animo Deus eſt erga hujuſmodi iniquos, & impuros; nauſeat ad illorum conſpectum: jubet lōgius abſcedere, extraneum ſe, & ignotum illis præbet, & quaſi ad alienos durius loquitur; *Procul hinc, procul eſte, profani. Quomodo* (inquit S. Cæſarius Arelatenſis) *ſi aliquis in veſtimentis ſputa projiciat, ita nobis horrorē faciunt, ut nec oculis aſpicere, nec ſummis ſaltem digitis velimus attingere; putas, cogitationes libidinoſæ, qualem horrorem faciūt Deo? Et ſi in templo Dei quis porcos, & canes introducat, & lutum aut ſtercora ſpargat, offenditur animus noſter; quid de nobis cogitamus, ſi cogitationes luxurioſas ſuſcipientes, Deo, qui in nobis habitare dignatur, injuriā irrogemus?* Abalienamus profecto a nobis Deum. Tum etiā ipſimet impuriſſimi hohomines a re Divina, (quod ingens quoque ſcelus eſt, & ingens ſceleris pœna) abalienato ſunt animo; quod & de Salomone quoque Scriptura teſtatur 3. Reg. 11. 3. & 4. *Depravatum eſt cor ejus per mulieres, neque erat cor ejus perfectum cū Domino Deo ſuo, ſicut cor David patris ſui; & averterunt mulieres cor ejus.* Intellige tenerum illum cordis affectum, & voluntatis propenſionem defeciſſe; abalienatum igitur a Deo, & a re Divina illum reddiderant meretrices. Quod ſtatim explicatur verſicul. 9. *Iratus eſt Dominus Salomoni, quod averſa eſſet mens ejus a Domino Deo Iſraël.* Hujuſmodi igitur averſio ipſiſſima *alienatio* eſt, quod cum eleganti quadam alluſione videntur Septuaginta ſignificaſſe; *Declinare fecerunt mulieres alienæ cor ejus.* q. d. Alienæ abalienarunt illius animum, & ut erāt ipſæ alienigenæ, ita animo illum, & affectu alienigenam reddiderunt.

נכר

Fornicarius relegatus ab omni Sanctorū cōſortio.

S. Sixtus.

Caſtitas Dei ſimilitudo.

Eugubin.

LXX.

Deus nauſeās ad turpes, & impuros homines.

Cæſarius.

Impuri animi, & corporis alienatio a divinis.

LXX.

4 Sed in his duabus vocibus *Perditionis*, & *alienationis*, diſcrimen agnovit D. Thomas: *Perditionẽ* enim refert ad corporale damnũ, vel ſupplicium, ſive *periculũ perſonæ, & rerũ*; Deinde vero *alienationem*, ad animum. Paulo ſecus Cajetanus primam partem ad *pœnã ſenſus*; ſecundam vero ad *pœnã damni*. Vtrumque veriſsimum, & forte non valde alienum ab ipſa vocum propietate: nã cum dixerit Paulus: *Fornicariũ peccare in corpus ſuum*, veriſsime dixit: *Seminat enim in carne*, atque de carne uberrimam perditionis, & corruptionis meſſem percipiet. Primum enim, quot quantaque turpiſsimorum hominum flagella! Quot, quam graves morbi! Quam implacabiles dolores! Quanta membrorũ omnium imbecillitas, & perturbatio! Quantus ſenſuũ omnium ſtupor! Quanta fœditas dealbatorum ſepulchrorum! Certe ſi nihil aliud, graviſsima tamẽ erunt illa corporis detrimenta, & incõmoda, atque voluptatum turpiſsimarum ſtipendia, quæ Aetius enumerat: *Exolutio virium, cruditates, hebetudo ſenſuum, oblivio, tremor, articulorũ dolor, renũ & veſicæ morbi, oris graveolentia, dentium dolor, gurgulionis inflãmatio, ulcera in membris Pthiſis*, Denique mala omnia. Quod eleganter Chryſoſtomus, Homil. *Quod nemo læditur niſi a ſe ipſo*. ſignificavit; *Hi* (inquit) *qui in deliciis, & luxuria vitam ducunt, reſoluta quidem corpora, & omni cera molliora circumferunt, atque agmine quodam infirmitatũ repleta, quibuſque ad cumulũ malorũ podagræ tremor, & immatura ſenectus ſuccedit; & eſt eis vita ſemper cum medicis, & medicamentis; ſenſus autem ipſi tardi, graves, obtuſi, & quodammodo jam ſepulti*. Idem hom. 56. ad popul. Antiochen. ipſis primis verbis; *Non tam vehemẽter fluvialium aquarum curſus ripas corrodere ſolet, ſicut deliciæ & luxus, omnia valetudinis noſtræ firmamenta facile ſubruere*. Sicut enim adlãbens aqua nihil nocere videtur, exedit tamen, & conſumit: ſic ſane voluptas demulcet quidẽ, ſed comeſt robur; & ſicut Hedera arborem virẽtem complexa, videtur ornare, & cõveſtire; at exugit omnem illius viriditatem, & ſuccum, tandemque aretacit, & ut Plinius dixit, *arbores necat, omnem ſuccum auferendo mammas erigens, & radicoſa geſtans brachia*; ita ſane meritrix, voluptaſve, ætatis virorẽ perdit, & omnia animi, & corporis bona abſumit. De qua illud dici poteſt, quod de iniqua muliere dixit Heſiodus;

Hæc quamvis validum, ſine torre, maritũ
Vrit, & exſiccat, citiuſque ſeneſcere cogit.

Ergo ſæva tempeſtas voluptatis ipſum adoleſcentiæ florem perurit, frequẽter etiã dejicit, & extinguit; ſin minus *libidinoſa intẽperanſque adoleſcentia* (ut ille dixit) *effœtum corpus tradit ſenectuti*. Sed ſi nihil horũ, at quanta diſcrimina *perditionis* cũ hoc vitio conjuncta ſunt! Quam miſer interitus plerumque comes voluptatis! Prov. 7. *Neſcit quod de periculo ejus agitur. Inclinata eſt ad mortẽ domus meretricis, & in profundis inferni convivæ ejus*. Rurſus hominem fornicarium *Putredo, & vermes hæreditabunt, & extolletur* (id eſt, tolletur, & punietur) *in exemplum majus, & tolletur de numero anima ejus*. Et iterum: *Propter ſpeciẽ mulieris multi perierunt, &c.* Atque hujuſmodi plura. Sapiẽter profecto Venerem Libitinã finxit antiquitas, quã Deam, & vitæ, & mortis, dicebant; ſicut enim amor vitæ, & generationis initium eſt, ita & libido plerũque mortis. In Veneris Libitinæ tẽplo, ut Plutarchus ſcripſit, ea, quę ad funera pertinebant, vendebantur; erat enim illa profecto maleficii ſemper machinatrix, & quos ad libidinem inflammabat, mortẽ, & *perditionem* moliebatur. Cum igitur illam ſequeris, & in ejus templo verſaris, funus tuum proſequeris; & ut Chryſoſtomus eleganter dixit; *Fornicarius, vel mortuus eſt, vel dæmoniacus, illius inſtar, qui aſsidue habitabat in ſepulchris mortuorum*. Nam quid aliud ſunt meretrices, quã ſepulchra dealbata omni fœditate refertiſsima?

5 At de *alienatione* illa, quam ad animam pertinere diximus, quis ambigat? Vecors eſt, quem voluptas decipit; qui autem vecors eſt, amẽs eſt: nam teſte Hoſæa: *Fornicatio, & vinũ, & ebrietas auferunt cor*. Vide eo loco Hieronym. Gregor. 31. Moral. D. Thom. 2. 2. q. 15. a. 3. & q. 153. a. 5. D. Auguſtinũ ſuper id Pſal. 57. *Supercecidit ignis, & non viderunt ſolem*. Platonẽ lib. 9. de Rep. Ariſtot. lib. 7. & Ethic. c. 9. Senec. lib. 7. declam. in Præfat. Gell. lib. 19. c. 2. Alexander aliquando ex hac ipſa re, illam ſuę divinitatis falſam exiſtimationem deponebat, cum deprehenderet tantam fœditatem in Deum cadere non poſſe. Ergo deprehendebat *ſe eſſe mortalem*; ut Plutarchus ſæpe ſcribit; melius brutum dixiſſet: ſunt enim iſtæ corporis, & tactus voluptates, non ſolum menti, & veritati inimicæ, ſed propriæ pecudum. Plura de his apud eos, quos indicavimus. Nos non plura. Hæc igitur erit illa *mentis alienatio*, quæ accidit voluptatem cõſectatoribus, & operantibus injuſtitiam, ut ait Iob.

Marginalia (left): D. Thom. — Cajetan. — Turpis voluptatis ſupplicium incorpore, & in animo. — Morbi fœdi, & turpes. — Aetius lib. 3. Tetrabil. — Chryſ. — Meretrix, & voluptas hedera. — Plin. libr. 16. c. 34. — Heſiodus Op. & Dies.

Marginalia (right): Cic. de Senect. — Interitus, & naufragiũ bonorum omniũ ex turpi voluptate. — Eccleſi. 19. — Venus Libitina. — Plutarch. qq. Roman. q. 23. — Voluptas machinatrix interitus. — Chryſ. — Animi detrimenta ex turpi voluptate. — Hoſ. 4. 11. Hieronym. Gregor. D. Thomas. Auguſt. Plato. Ariſtotel. Aulus Gell. Seneca. — Plutar. lib. de Diſcrim. adulat. & amici, & in vita Alex. & in ſympoſ. 8. c. 1.

IIII. *Nonne ipſe conſiderat vias meas, & cunctos greſſus meos dinumerat?*

1. *Libidinoſi tenebras amant.* Viæ, & greſſus. *Deus tenebrarum revelator.*
2. Irriſores, *& ridiculi homines aſſectatores libidinoſorum.*
3. Vanitas, & mendacium *quid apud David. Turpe divitis mendacium. Illuſtratus Salomon.*
4. Dolus *de lingua, & de actione.* Pedes *quid.* Feſtinate *ad alacritatẽ. Illuſtratus Iſaias, & Salomon.*
5. *Imprecatio tacita. Particula* Si.

1 COhæret eleganter hæc quoque ſententia cũ materia ſubjecta, de turpi libidine, atque voluptate, cũ enim hujus vitii proprium ſit amare tenebras, atq; nimium ſtulte ſibi blandiri, de Dei quaſi aut ignoratione, aut oblivione eorum, quæ in tenebris, & in occulto fiunt, ait enim; *Parietes, & tenebræ circundant me, & delictorũ meorũ non memorabitur altiſsimus*; (Eccleſ. 23. 29.) Sapiẽter nunc occurrit Iob, dicens; Turpiſsimorũ hominũ vias, atque greſſus univerſos obſervari, & numerari a Deo; *Vias*, univerſæ vitæ converſationem, ſtatum, inſtitutum vivendi, & *omnes greſſus*; id eſt, non tãtum præcipuas vitæ actiones, & lõgiores vias; ſed minutiſsima etiã conſilia, atque cogitationes leviſsimas in numerato habere. (Viarum humanarum obſervatio.) id eſt, gradus, & greſſus ſingulos. Nicetas, (Nicetas.) *Leviſsima quoque tenet momenta.* Vide, quæ de *Viis* diximus, & de hujuſmodi obſervatione Divina, ſuperius c. 24. verſ. 23. ſuper id: *Oculi autem ejus ſunt in viis illius.* Hac ſane conſideratione Divinæ præſentiæ nititur Cæſarius Hom. 10. comprimere impuras cogitationes, ne dum actiones; (Cæſarius.) *Etiã illi, qui in ſecretis luxuriæ ſerviunt, meretricũ amplexus in conſpectu hominũ perhorreſcunt, plus timentes opprobria hominum in publico, quam Dei præſentiam in occulto. Si ergo propter judicia hominum, nullus eſt, qui velit publice a meretricibus oſculari; quare in ſecreto conſcientiæ noſtræ, luxurioſas cogitationes nõ ſolum frequenter ſuſcipere, ſed etiam non parvas moras habere permittimus?* Ergo Iob egregie ſuã innocentiam tuetur, & caſtiſſimæ vitæ conſtans inſtitutum, cum ait: ſemper ſe reveritum eſſe omnes mortaliũ vitæ actiones.

V. *Si ambulavi in vanitate, & feſtinavit in dolo pes meus.*

VIdetur nunc innocentiã ſuam teſtari erga proximum, quẽ nunquam læſerit. quòd multo meliꝰ quadrat, quã quod Græci intelligunt nunc aſſerere Iob, ſemper ſe vitaſſe improborum hominũ ſocietatem, & familiaritatem. 2 (Nexus cũ præcedentibus.) Legunt enim Septuag. *Si inceſsi cum irriſoribus.* (LXX.) legunt autem loco *vanitatis*, *irriſores*, quos Nicetas interpretatur, *Homines riſum facientes.* (Irriſores, qui. Nicetas.) Iulianus autem, eos *qui comeſſationibus, atque ebrietatibus indulgẽt.* (Iulianus.) Olympiodorus: *Scurrae*: (Olympiod.) nam hujuſmodi grex, fæxque hominũ addictiſsimi ſunt impuris illis voluptatibus, de quibus diximus. (Genus hominum impurũ, ſordidum.) Et forte quidem priſca fuit illa irriſorum, & ſcurrarum licentia, & admiratio, quæ apud Romanos viguit, mimos, & pantomimos alentes, laudantes, conſectantes; adeo ut Seneca Epiſtol. 47. appellarit, *Nobiliſsimos juvenes mãcipia Pantomimorum.* (Seneca.) Notat idem Tetullian. de Spectaculis. (Tertullianus.) Vide janũ Gruterum ad illam Senecæ Epiſtolam. (Gruterus.)

Sed certe vox originalis *Vanitatis*, vehementis ſignificationis eſt, atque ejuſmodi hominem ſignificat, qui nihil facit ſolidum, ſed fruſtranea omnia, & ſine certo aut debito fine, qui fruſtrà, & ſine cauſa vivit, ſicut Pſal. 23. 4. dicitur: 3 (שוא) *Qui non accepit in vano animam ſuam.* (Vanus, qui fruſtra vivit.) Quo loco Symmachus, *Mendacem* dixit, videlicet cujus verba aut promiſſa fruſtra ſunt, id eſt, falſa, & mendacia. (Symmach.) & ſic etiam hoc loco: *Cũ vanitate, & mendacio.* quæ omnino germana ſignificatio eſt *Vanitatis* in Sacro ſermone; ſicut ait David Pſal. 11. *Diminutæ ſunt veritates à filiis hominum.* (Vanitas pro mendacio.) Deinde exponitur: *Vana loquuti ſunt, unus quiſque ad proximum ſuum.* (Hieronymus, *Fruſtra loquuntur*) *labia doloſa in corde, & corde loquuti ſunt.* (Hieronym.) Id eſt, nemo non ſub dolo, & maligno corde agit cum proximo; repẽdit nimirum alter alteri mendacii, & vanitatis vicem. Vide etiam Pſal. 4. 3. *Diligitis vanitatem, & quæritis mendacium.* atq; Pſ. 61. 10. & 30. 6. ubi *Obſervantes vanitates ſupervacue*, ſunt obſervantes vanitates mẽdaces, atque fallaces. Sic etiam Proverb. 30. *Vanitas, & verba mendacii*, idem ſignificat. Ergo cum hæc veritas dictorum, & conventorum ſit quaſi fundamentum humanę politię, recte Iob illã primo loco proponit. Diximus alibi *de veritate, & ſimplicitate* hominis, quæ non eſt ultima illius laus, cap. 1. verſ. 1. n. 54.

Sed non magna (inquis) laus prædivitis hominis, non mentiri, neque cum dolo agere cum pauperibus: nam paupertatis potius mendacium eſt, ut dixit Salomon Proverb. 30. 9. *Ne forte egeſtate compulſus*

Divitum mendacium turpiſſimum.

furer, & perjurem nomen Dei mei. Scilicet nunquam mentiuntur egregie, & luculēter divites. eſto Michæas teſtis.cap.6.11. *Divites ejus reperti ſunt in iniquitate, & habitantes in ea loquuntur mēdacium, & lingua eorum fraudulenta in ore eorum*. Eſt autem, *Ambulare cum vanitate*, cum mēdacibus familiariter vivere, aut certe vitā inſtituere.

4 Dolus linguæ.

Et feſtinavit in dolo pes meus. Recte *dolus* conjungitur cum *mendacio*, & *vanitate*: nā agitur *dolus in lingua*, Pſal.14.3. Eſt videlicet *novacula illa, quæ facit dolum*, Pſal.51. atq; eadē eſt illa *lancea*, & *ſagittæ*, de quibus Salomon Prover.26. *Sicut noxius eſt, qui mittit ſagittas, & lanceas in mortem, ſic vir, qui fraudulenter nocet amico*. Sed ex adjuncto *Pedis feſtinantis* nomine, debet etiā accipi pro fraudulentis actionibus, & omni adverſus proximum iniquitate; quod melius quadrat, quā quod Nicetas interpretatur, *Pedem animæ*. & alii Latini; *Pravum nocendi ſtudium atque libidinē*. *Feſtinatio* autem illa, alacritatem, & lætitiam affert ad capiendam prædam; unde dicitur Iſaiæ.8.3. *Feſtina prædari*. & Eccleſi.2.25. vertitur: *Deliciis affluere*; quod eſt cum aviditate quadam, & alacritate, ad captandas delicias, & voluptates, quācūque data occaſione convolare. Cujuſmodi feſtinatio ſemper tribuitur improbis; *Quorum pedes ad malum currunt, & feſtinant, ut effundant ſanguinem*.

Dolus, fraus actionum.

Nicetas.

Feſtinatio, & alacritas impiorum in malum.

Prov.1.16. & Iſaiæ 59.7. & Rom.3.15.

Eſt autem hæc ſententia ſub juramēti cujuſdam imprecatorii formula; imprecatio autem, pro more Scripturę, boni ominis gratia reticetur; niſi forte illa prima particula, *Si*, ſit nota ſimplicis cujuſdam cōditionis.q.d. An ambulaverim in vanitate, nec ne, ipſe qui ſtatera, & bilancibus ęquiſsimis ponderat mortalium ſpiritus, certo cognoſcere poteſt; neque enim ego illi imponere poſſum.

Imprecationis formula cum reticentia.

VI. *Appendat me in ſtatera juſta, & ſciat Deus ſimplicitatem meam.*

1. *Divinum teſtimonium* ſtateræ *nomine*. Statera juſta *quæ. Etiam Hypocrita ſtateram præferunt.*
2. *Deus ſanctitatis tantum ponderator, cætera apud illum nullius ſunt momenti.*
3. *Scriptura regula. Metonymia. Explicatus Moyſes.* Simplicitas *quid.*

1 LXX.

SEptuaginta videntur ſententiam hanc accipere quaſi in invocationē Divini teſtimonii, pro ſua innocentia: nam per parentheſim legunt; (*Steti enim in ſtatera juſta, novit autem Dominus innocētiam meā*) Sed quoniā ſequentes aliæ ſententiæ habent ſuam imprecationem adjunctā, malo ſententiam hanc per imprecationem accipere. * *Appendat me in ſtatera juſta*; Publice, & in omnium conſpectu, ſublata in ſublime ſuæ veritatis, & ſui æquiſsimi judicii ſtatera me appēdat, & libret, ut ſi forte inveniar *minus habens* pietatis, & religionis erga Deum, quam par ſit, ingēs publici dedecoris apud univerſos mortales ſupplicium ſuſtineam. Indicavit rem hanc Philippus; *Certus* (inquit) *de æquitate juſtitiæ Dei ſe manifeſtari optat hominibus*. Eſt autem *Statera juſta*, aut *Statera juſtitiæ*, ut eſt in Hebræo, ſtatera ſancta, quæ oſtēdat juſtis, & veriſsimis bilancibus, & ponderibus, quid quæque res ponderet, & valeat. cui opponitur *ſtatera doloſa*, Prover.11.1. Hoſeæ. 12.7. &. Amos.8.5. & *Statera impia*, Mich.6. 11. Ergo illa eſt *Statera juſta*, de qua Levit. 19.36. *Statera juſta, & æqua ſint pondera*. eadem ratio ponderis, & ſtateræ; præceſsit enim verſ.35. *Nolite facere iniquum aliquid in judicio, in regula, in pondere, in menſura*. Hujuſmodi autem *Statera* Dei propria eſt, & ab illa communicata hominibus; ſicut Salomon Prov. 16. 11. *Pondus, & ſtatera judicia Domini, & opera ejus omnes lapides ſacculi*. Quare ad eū Levitici locum dicunt Hebræi, quod qui iniquis utitur menſuris, aut ponderibus, profanat Dei nomē, & facit recedere illius majeſtatis, & gloriæ præſentiam, qua videbatur adeſſe juſtæ, & æquæ ponderationi, & juſtæ ſtateræ. Et forte cum *Stateram juſtam* nominat, indicat nihil referre, ſi ſua ipſius ſtatera, aut humani judicii pondere juſtus videatur; fallit enim plerūque hujuſmodi examē; & plerumque Hypocritæ prætendūt manibus ſtateram juſtitiæ, ut juſti videantur, cum non niſi fallaci, & iniqua utantur; Ille enim qui *in equo nigro ſedebat, in manu etiam ſua præferebat ſtateram*, ut eſſe videretur, qui minime erat.

* Saq̄me Dios la mētira a la cara, y ſepan todos, quien yo ſoy.

Philippus.

Statera juſta, quid.

Statera juſta propria Divini judicii.

Hebræorū de Dei Statera ſētentia.

Etiam Hypocritæ præferētes Staterā juſtitiæ.

Apoc.6.5.

2 Statera Dei appendens hominū juſtitiā.

Sed eſt præterea illa, qua Deus utitur, *Statera juſta*, ſive *Statera juſtitiæ*, & ſanctitatis, quod illa potiſsimum appendantur merita juſtitiæ, & ſanctitatis; ſicut Scriptum eſt; *Spirituum ponderator eſt Dominus*. Rerum autem viliſsimarū, & ſub ſenſum cadentium ponderator eſt homo. Sic aurum, argentum, honores, ſanguis, & id genus alia, quæ apud homines graviſsima judicantur, nullius ſunt apud Deum momenti: ponderat tantum ſanctitatem: *Quoniam* (inquit Sapientia. 11.23.) *tanquam momentum ſtateræ, ſic eſt ante te orbis terrarum*. Tantū illa, quæ propter Deum fiunt,

Prov.16.2.

Deus ſanctitatē ponderans. Homo res leviſsimas.

2. Cor. 5. 17.

ſiunt, aut ſuſtinentur, quamvis *momentum*, & *leve* videatur, *æternũ gloriæ pondus* ponderant.

3 *Sententiæ paraphraſis.*

Et ſciat Deus, id eſt, Sic ſane ſciet, cognoſcetque Deus; vel, ſic proponet Deus univerſis mortalibus viſendam, & conſiderãdam meam innocentiam: nihil enim mihi gratius accidere poterit, quam meã ſanctitatem cognoſci, & probari meo judici; nihil mihi gravius, quam illi non probari, neque cognoſci. Iam hoc loco Gregorius illam Scripturæ regulam tradit, quod *ſcire Deus dicitur, Scire nos facere, uſitato noſtræ loquutionis modo; qui lætum diem dicimus, ex quo contingit, ut lætemur*. Verba item Philippi digna ſunt, quæ hoc loco deſcribantur: *Non aliquid ignorat Deus, ut examinando cognoſcat; ſed ſciat Deus, ita dixit Beatus Iob, pro ſcire alios faciat. Sicut alibi dicitur, Tetat vos Dominus Deus veſter, ut ſciat, ſi diligatis eum, pro, ut ſcire cæteros faciat.* Regula hæc tradita eſt a ſanctis Patribus ſuper id Geneſis 22. *Nunc cognovi, quod timeas Deum, &c.* Auguſtino qq. in Geneſ. q. 58. Chryſoſtomo Hom. 47. Theodoreto. q. 72. Quanquam illa aliorum ejuſdem loci interpretatio, in noſtrũ quoque locum quadrare poteſt, quod Deus dicitur cognoſcere, quod facit, ut ipſe homo de ſe ipſo cognoſcat. Sic igitur dicere poteſt Iob; Vtinam Deus mihi perſpectum, & exploratũ faciat, quid de me ſentiat, & ſuum erga me animum præſtito aliquo ſigno teſtatum faciat, ut jam dubium ſit neque mihi, neque aliis, me ab illo amari, & affligi quidem, non ut inimicum, neque ob ſupplicium, ſed ob gloriã ſuam: libẽter enim illi vel vivam, vel moriar. *Sciat* (inquit) *ſimplicitatem meam*, id eſt, integritatem, veritatem, perfectionem, innocentiam; opponitur enim hujuſmodi *ſimplicitas*, e regione *vanitati*, de qua dixerat verſicul. præcedenti. Vide, quæ de proprietate hujus vocis *ſimplicis*, diximus cap. 1. verſicul. 1.

Quomodo Deus dicatur denuo ſcire.

Scripturæ regula.

Philipp.

Auguſt. Chryſoſt. Theodoret.

VII. *Si declinavit greſſus meus de via, & ſi ſequutum eſt oculos meos cor meum, & ſi in manibus meis adhæſit macula.*

1. Greſſus *quid.*
3. *Germana lectio. Oculorum concupiſcentiæ obſequens cor. Cordis importunitas in petendo. Illuſtratus Eccleſi.*
3. Cor *de affectu.* *Aſpectus rerum externarum, non noxius, ſanctus.*
4. *Dona jud cibus accepta* Adhærere *quid. Divitiæ alienæ dulciſſima.*
5. Macula *quid.* Manuum ſordes, *aut nitor.*

1 *Nicetas.* *LXX.* *Philipp.* *Gregor.*

SI Vel minimum (inquit) deflexi de via, *Pietatis* (inquam) *ac virtutis*. Sic Nicetas. Septuaginta, *Pes*, quaſi dicat, neq; minimũ deflexi. Philippus: *Nihil mandatorũ Dei præterii*. Gregorius per *greſſus*, deſideria interpretatur: *Toties* (inquit) *greſſus de via declinat, quoties noſtra cogitatio iter rectitudinis per conſenſum relinquit erroris*.

2 *LXX.* *D. Thom.* *Dionyſ.*

Et ſi ſequutus eſt oculos meos cor meum. Eleganter quod in Hebræo; *Si abiit cor meũ poſt oculos*. Septuaginta ſignificanter: *Si oculo obſequutum eſt cor meum*. Divus Thomas, quem videtur ſequi Dionyſius, exponit de oculorum conjectu in rem deſideratã, quaſi dicat; *Si ad hoc habendum oculus meus tetendit, quod cor deſideravit*; nam legit: *Si oculus meus ſequutus eſt cor meum*. Quæ lectio etiam habetur apud Philippum, & Gregorium; qui etiam videtur indicare eãdem expoſitionem Divi Thomæ. Circumfertur etiam lectio eadem in Hieronymo, & Beda. Sed plane conſtat lectionem eſſe mendoſam, atque interpretationem etiam detortam: nam vera lectio eſt: *Si ſequutum eſt oculos meos cor meũ*, ut habetur in correctioribus Vaticanis. id eſt, ſi concupivi interius, quod exterius vidẽbã. Philippus videtur utramque lectionem conjunxiſſe per paraphraſim: *Nec cor meum acquieſcens ſequutũ eſt oculos meos, cum concupiſcentiæ imagines ei offerrem*. Hic vides jam clare ſignificari, quod ſuperius dicebamus; Deſiderium, & concupiſcentiam ideo aliquãdo attribui oculis, quod illorum concupiſcentiæ obſequatur, & acquieſcat voluntas, cujus proprium eſt deſiderare. Sic Eccleſi. cap. 2. 10. poſtquam dixiſſet: *Omnia, quæ deſideraverunt oculi mei, non negavi eis*. ſtatim per expoſitionem ſubjungit; *Nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur*. Vbi iterum vides importunitatem quãdam in poſtulando, & petendo, attribui oculis: ſed negare, vel concedere, attribui cordi. Quare quod Salomon *non negabat*, obſequutus nimirum ſuis oculis, negabat utique conſtãter ſanctiſsimus Iob, cujus cor nũquam pravo aliquo affectu excæcatum, ductum ſequebatur concupiſcentiæ oculorum.

Latinorũ lectio maculoſa. *Philippi.*

Deſiderĩũ, & concupiſcentia cur tributa oculis.

Importunitas oculorum.

3 *Cor pro affectu, & concupiſcentia.* *Olympiod.*

Obſervat autem hoc loco eleganter Olympiodorus, *Cor* hoc loco pertinere ad cupiditatem, & affectum, non ad mentem, & cogitationẽ, nam, *Quæ digna ſunt* (inquit) *in hac rerum univerſitate, & laudare, & contemplari honeſtum eſt, ut corporum*

ſymmetriam, & proportionem, ut cælorum varias temperationes, ut lapidum ſplendorem, ac nitorem; ſed nulla tamen capi harum rerum, cupiditate. Quare ſapienter monet Ephrẽ ſerm. *De recta vivendi ratione, Cum ea, quæ ſenſui jucunda ſunt in vita conſpicis, vide ne capiaris iiſdem; nam in illis laqueus, & eſca mortis latitat: neque enim nudum piſcator hamum in aquam demittit.* Atque adeo inſtructi eſſe debemus, non ſolum ut vitemus conſpectum præſentium, ſed ne viſis capiamur, & decipiamur; Quare idem Ephrem ſermon. *de non ſuſpiciendis rebus momentaneis; Oportet* (inquit) *nos haud tepidos in cuſtodiendis ſenſibus eſſe; ſi quidem honeſtatis oſornos tentans res confundit, ne mẽtis imperio diſtingui poſsit inter bonum, & malum.* Nam facile imponit ſtultis ſplendor vanitatis externus, aut etiam rerum optimarum obſcuritas quædam; de quo Scriptum eſt; *Faſcinatio nugacitatis obſcurat bona.* Faſcinavit profecto oculos *pulchrum pomum.* Illud igitur conſequutus erat vir ſanctiſsimus (ut Nicetas ait) ut conſpectus rerum externarum nullas excitarent in animo noxias cupiditates. Diximus plura de nexu, & conſenſu oculorum, & cordis verſic. 1.

Ephrem. — Sap. 4. 12. — Gen. 2. 9. — Nicetas.

4 *Et ſi in manibus meis adhæſit macula.* Septuaginta reſtringunt ad dona, quibus judicis, & Principis animus corrumpitur: nam legunt: *Si in manibus meis tetigi dona.* nullum ſordidum lucrum, aut res proximo per injuriam ablata. Eleganter autem dictum eſt: *Adhæſit.* proprie, *Agglutinatũ eſt.* Sic enim vertitur Geneſ. 34. 3. Ieremiæ 13. 11. Pſalm. 43. 25. referturque ad ardentem alicujus rei concupiſcentiam. Quadrat ergo in rem injuſte ablatã, quæ mirabiliter agglutinatur manibus injuſti poſſeſſoris, ut vix abjici, aut reſtitui poſſit, quod ſemel injuſte ablatum eſt. Cavẽdum ergo, ne contingant manus rem alienam, non magis quam picem, quæ manũ coinquinat, atque animum etiam: ſunt enim ſicut *aquæ furtivæ*, ita etiam furtivæ divitiæ dulciores, ut quæ nullo labore cõſtent. Atque de his muneribus dictũ quoque eſt ſupra cap. 15. verſic. 34. *Libenter accipi*, quod jucundiora ſint, quã propria; & ſuavior *ovicula pauperis*, quam propriæ oves, atq; arietes prædivitis illius hominis 2. Reg. 12.

LXX. — דבק — Injuſte ablata difficile reſtitui, & cur.

5 At vero noſter Interpres minus ſtricte accepiſſe videtur hanc *maculam*, non ſolũ pro ea, quæ ex iniquo lucro contrahitur, ſed omnino pro labe cujuſcumq; peccati, quæ hominis *manum*, id eſt, actionem deturpat, & commaculat. Et quamvis potuerit Interpres legere *maculã*, a radice *Mum*, quod eſt *macula*, aut *ſordes*; Sed potuit etiam legere *aliquid*, aut *quidquam*, a radice *Meum*, ſicque fit ſentẽtia amplior; Nihil omnino meis adhæſit manibꝰ, quod illas inficeret. Vide, quæ alibi de munditia, & nitore manuum, & precum diſputavimus.

Latinæ lectionis germanior expoſitio. — מום — מאם

℣ *VIII. Seram, & alius comedat, & progenies mea eradicetur.*

---

1. *Pœna digna Tyranno.*
2. Progenies *quid. Dives laborans locupletandis liberis. Illuſtratus Nahum.*
3. Eradicare, *& radix de ipſo familia, & generis auctore. Explicatus Moyſes.*
4. Eradicatio, *de exilio. Iobi ſpes.*

1 IMprecatio eſt cõveniẽs rapinæ, & oppreſsioni pauperum, ut per eadem torqueatur, per quæ quis peccat. & ſicut iniquus Tyrannus vult introire in alienos labores ſine ullo ſuo diſpendio, ita ſane ſimilem ipſe vim patiatur, & ſuis laboribus minime frui permittatur; & quod ingentem dolorem, & cruciatum affert, non ſolum ipſe non utatur bonis partis; ſed videat alienos illis uti, & pingueſcere. Vide quæ de re hac diximus cap. 20. verſicul. 20. & 21.

Pœna digna tyranno, & oppreſſore pauperum.

2 *Et progenies mea.* Symmachus: *Poſteri mei.* Interpres pro liberis videtur accepiſſe: nam in filiorum egeſtate, & extrema inopia plectitur parentis avaritia, & rapina, quia filiis locupletandis videtur inhiare, & rapere Dives, & Tyrannus: ſicut de Principe Aſſyriorum dictum eſt Nahum 2. 12. *Leo cepit ſufficienter catulis ſuis, & necavit leænis ſuis, & implevit præda ſpeluncas ſuas, & cubile ſuum rapina.* Alii minus cõmode accipiunt vocem originalem, quæ etiam ſignificat *germina*, pro germinibus ipſis, & quæcumque profert tellus. q. d. quæcumque ſevi, & terræ mandavi, ut ab aliis occupentur; aut quidem ante quam creſcant, & ad maturitatem perveniant, evellantur, uti fere ab hoſtibus ſolet, alienos agros invadentibus, & depopulantibus. Scio ſane hunc ſenſum recte convenire cum priori parte hujus ſententiç, ubi de ſemente, & terræ fructibus mentio fit.

Symmach. — Tyrannus rapiens prædam liberis locupletandis. — Secunda exponẽdi ratio. — יצא

3 Cæterũ non ſolũ ex proprietate nominis, ſed etiã ex verbo *eradicandi*, recte etiã convenit in familiam, & poſteritatẽ: ſunt enim poſteri omnes alicujus radicis rami & germen, quare ipſa *Progenies* dicitur

Progenies eradicata quid.

eradicata, quando ipse Paterfamilias simul cum suis filiis, familiaribusque omnibus convellitur, & perditur. Qua etiã dicendi formula, quicumq; de stirpe alicujus capitis, & patrisfamilias dicitur esse radix, & stirps, ut Levit. 25. 47. ubi nos habemus: *Si invaluerit apud nos manus advenæ, & attenuatus frater tuus vẽdiderit se ei, aut cuiquã de stirpe ejus.* Quod in Hebræo proprie legitur: *Si vendiderit se stirpi, & familiæ peregrini.* Quicumque enim sunt de stirpe, & radice, ipsius radicis rationem, & nomen habere vidẽtur.

Radix de eo, qui ex radice oritur.

Eradicatio ad exilium.

Forte igitur hæc imprecatio *eradicãdæ progeniei*, videtur pertinere ad errorem, exiliumq; filiorum; cum enim exulat homo a patria, videtur certe convulsus, & eradicatus ex suo natali solo. Vnde in Hebræo *exilium* dicitur a *radice*, quasi eradicatio, & cõvulsio. Sicut e contrario, cum quis in patrio, & nativo solo nõ solum fæliciter, sed etiã secure, & sine metu agit, dicitur bene radicatus, superius c. 5. 3. *Vidi impium firma radice.* Ieremię 12. 2. *Plantasti eos, & radicẽ miserunt.*

Exilium unde dictum in Hebræo.

שרש משרש

Nicetæ objectio.

Sed subtiliter Catenæ auctor hoc loco objicit, nequire Iobũ hoc dicere, qui inops sit, liberisq; orbatus. Respõdet vero, *Aut ipsum hæc ante calamitatis tempus loquutum esse; aut tanquã justum rursus vitæ beatæ spe niti.* adde posse loqui de omni spe futuræ posteritatis, & suscipiẽdorum liberorum. Vel si mavis, hæc erit imprecatio quædã rerum omnium infaustarum, nõ solum de fructibus agrorum, aut de posteritate, Quidquid ad me pertinere deinceps potest, convellatur, pereat, etiam ipsa boni spes exarescat.

☞ IX. *Si deceptum est cor meum super muliere: & si ad ostium amici mei insidiatus sum.*

☞ X. *Scortum alterius sit uxor mea, &c.*

---

1. Decipere *quid in sacro sermone. Meretricia illecebra, & deceptiones.* Parvulus *quis. Illustratus Hoseas, & Salomon.*
2. *Pericula alienæ mulieris cum esca, & deceptione comparata. Illustratus Salomon.*
3. *Voluptas periculosa animo, & corpori.*
4. *Quam multiplices mulieris illecebræ ex omnibus illius membris. Mulier non tangenda, neque illius vestis. Illustrati Salomon, Isaias, Moyses.*
5. *Adulteri insidiæ. Mulieres in Gynecaeo. Amantes excubantes ad amicarum fores.*

1

Mulieris nomẽ de nupta.

Deceptio de illecebra.

Adulterii crimẽ nunc a se repellit, id quod ex singulis partibus manifeste constat, præcipue ex *mulieris* nomine, quod frequẽter solet attribui non virgini. *Deceptio* autem hæc pertinet ad voluptatis illecebrã, qua cor *abstractum, & illectum* seducitur. quo etiã modo videtur intelligi *Columba illa seducta non habẽs cor.* Hoseæ 2. videlicet, quam propositi cibi dulcedo inescat, & decipit. Hæ sunt meretriciæ *illecebræ*. Prov. 9. quas prop. dicas ab ipso verbo *decipiendi, deceptiones*, id est, verba ad fallẽdum, & suadẽdum composita, & cõparata. Quare de ipsa meretrice Prov. 7. 10. dicitur; *Præparata ad decipiẽdas animas*, id est, suavitate, & blãditiis inescãdas. Et allusione quidẽ ad hãc ipsam meretriciã deceptionẽ, turpisq; voluptatis errorẽ, adolescens, quẽ meretrix decipit, & allicit, dicitur *Parvulus*, & *insipiens*, aut *stultus*, quæ nomina ex proprietate hujus ipsius radicis, significant eum, qui facile decipitur. q. d. deceptum, aut deceptibilẽ, vel suasibilẽ; nos proprie diceremus, *El bovo, o el engañado.* Vide Proverb. 7. 6. *De fenestra domus meæ video parvulos* (Septuaginta) *quemcumq; insipientẽ filiorum.* prop. *deceptibilem*, aut *suasibilem*) *Considero vecordem juvenem, &c.* Quare commode subditur: *Ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio, præparata ad decipiẽdas animas.* & iterum c. 9. 16. & 17. eadem meretrix clamat; *Si quis est parvulus, declinet ad me; & vecordi loquuta est: Aquæ furtivæ dulciores sunt, &c.* Vide etiam Exod. 22. 16. ubi e contrario de viro pelliciente virginem dicitur; *Si seduxerit quis virginẽ, &c.* id est, si blandis verbis, aut pollicitationibus, &c. Deniq; vis hujus deceptionis, proprietatisque verbi exprimitur. 3. Reg. 22. *Quis decipiet Achab?* videlicet bono aliquo omine, & præsagio victoriæ allectum. & Proverb. 14. 15. *Innocens* (proprie, *deceptus*, aut *deceptibilis*, aut *suasibilis*) *credit omni verbo.*

פתה

Adolescens cõsentiẽs meretrici cur dicatur parvulus.

2

Mulieris illecebræ deceptiones.

Hinc videas illecebras alienæ mulieris frequenter comparari cum illis omnibus periculis, atque vinculis, quæ cum deceptione aliqua, & suavitate, dulcedineq; cibi propositi conjuncta, & obducta sunt, Scriptum est enim: *Inveni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, & sagena cor ejus.* Eccles. 7. 27. & iterum Proverb. 7. 23. *Veluti si avis festinet ad laqueum &c.* Levissimarum enim, stultissimarum que avicularum proprium est, capi & inescari hujusmodi illecebris. Quod si de muliere adultera, & prima adulterii occasione hoc loco sermo sit, ut statim dice-

mus, quam certę, quam verę ſunt illius deceptiones, fraudes, veneficia! Adultera, eadem & venefica eſſe creditur. vid. Tiraquel. l. 8. Connub. nu. 22.

Deceptio exitioſa corpori, & animæ.

Secundo obſervandum eſt, non ſolum in hujuſmodi deceptione, & falſitate agi de periculo corporis (ut nuper dicebamus) ſed de veriſſimo *animæ periculo, cordiſque* interitu, ut hoc loco dicitur, & Proverb. 6. 26. & 32. *Qui adulter eſt, propter cordis inopiam perdet animam ſuam*. Et Prover. 7. 10. & 23.

4

Tertio obſervandum eſt ſententiam hanc videri ſine ſuppoſito; non enim exprimitur, a quo nam cor viri illiciatur, & decipiatur. Non enim inquit, *a muliere*, ſed *ſuper muliere*. Reſponſio vero plana eſt: nam vel decipitur cor hominis ab ipſa *concupiſcentia abſtractum, & illectum*, ut Iacobus ait; vel ab ipſa muliere, quæ non raro, verbo, oculo, oris nutu, atque Levitate, ne dicam procacitate primum aditum patefacit adulterio: non enim ſemper adulteri auſus, & temeritas, aut effrænata libido initium facit adulterii. De verbis meretricis Eccleſi. 9. 4. *Ne audias illam, ne forte pereas in efficacia illius*. Pro. 2. 16. *Mollit ſermones ſuos*. Prov. 5. 3. *Favus diſtillãs labia meretricis, & nitidiꝰ oleo guttur ejus*. Eccleſi. 9. 11. *Colloquium illius quaſi ignis exardeſcit*. Quare Ioan. 4. 27. *mirabantur, quod cum muliere loqueretur*. De oculis indicatur Canticorũ. 4. 9. Quanquã ibi transferatur ad rem diviniorem. Sic in proverbio eſt, *Mulieris oculus, ſpiculum*. Tota facies Prover. 2. Eccleſi. 9. *Illius cor ſagena*, Eccleſ. 7. 27. *Manus, vincula*, id eſt, non aliis vinculis, aut catenis indiget, quam manibus; vel non alia vi opus eſt ad capiendum, quam levi manuum contactu. Propterea Hieronymus libr. 1. adverſus Helvidium exiſtimat dixiſſe Apoſtolum. 1. Corinth. 7. *Bonum eſt homini mulierem non tangere*. De nutibus Iſaiæ. 3. 16. Pro. 25. Hoſ. 2. 2. *Auferat fornicationes ſuas a facie ſua*. Quod videtur explicari Eccleſi. 26. 12. *Fornicatio mulieris in extollentia oculorũ, & in palpebris illius agnoſcetur*. Greſſus ipſe *compoſitus*, & *ſaltatio* Iſaiæ. 3. 16. Eccleſi. 9. 4. Denique veſtis ipſa, de qua Hieronymus ſupra citatus ſcribit, quod Ioſeph; *Cum tangere illum vellet impudica mulier, fugit ex manibus ejus, & quaſi ad morſum rabidiſſimæ canis, ne paulatim virus ferperet, quod tetigerat, abjecit*. Denique tota mulier illecebra eſt, fallacia, & deceptio eſt, veneficium eſt.

Iacob. 1. 14.

Mulier ipſa adulterio anſã præbens.

Verba meretricis illecebroſa.

Meretricis oculi ſecula.

Tota facies mulieris, periculum.

Fœminæ contactu compreheuſus.

Hieronym.

Nutus fœminæ impudicæ exitioſi.

Fœmineus, & malis inceſſus

Hieronym.

Veſtis impudicæ fœmine venenata.

Tibulus lib. 1. Eleg 1. & 2.

5

Et ſi ad oſtium amici inſidiatus ſum, id eſt, ſi ad fores mei proximi collocavi inſidias & latitavi in tenebris, captans occaſionẽ alienam domum, torumque violandi; qui habitus eſt adulteri. Annotavit Vatablus inſidias collocatas alienis foribus, *ad corrumpendam ſcilicet uxorem ejus, quæ in oſtio ſtare ſolet*. Sed alienum eſt: nam potius mulieres in gynecæis, reconditioribusque domus angulis, & lateribus commorabantur. Hinc illa rei turpis ſignificandæ honeſta formula, *Ingredi*, vel *intrare ad mulierem*. Et illa vel adulteri, vel amantis circumloquutio, ſtare pro foribus, exſpectare, inſidiari, & cuſtodũ, id eſt janitorum, aut canum vinctorum inſtar, noctes aſsidere ante januas, ut ille dicebat;

Vatab.

Fœminæ in interioribus domus angulis.

Rdulteri ante fores pernoctantes.

Me retinent vinctũ formoſæ vincla puellæ,
Et ſedeo duras janitor ante fores.

Tibul. lib. 1. Eleg. 1.

Et iterum adulter idem ad oſtium *Domini*, id eſt mariti inſidians;

Ianua difficilis Domini te verberet imber;
Te Iovis imperio fulmina miſſa petant.
Ianua jam pateas uſu mihi victa querelis,
Nec furtim verſo cardine aperta ſones.
Et mala ſi qua tibi dixit dementia noſtra,
Ignoſcas, capiti ſint precor illa meo.
Te meminiſſe decet, quæ plurima voce peregi
Supplice, quum poſti florida ſerta darem.

Tibul. Eleg. 2. lib. 1.

Quippe & amantes, alienas fores ſpargebant mero, coronabãt floribus, ut ille dicebat;

= = = = = = Agite bibite feſtivæ, fores.
Potate, ſite mihi volentes propitiæ.

Plaut.

Hinc illa inclementium ventorum, & nocturnarum nivium deprecatio ante fores;

Extremum Tanais ſi biberes Lyce,
Sæva nupta viro: me tamen aſperas
Porrectum ante fores objicere incolis
Plorares Aquilonibus.

Horat. lib. 3. Serm. Od. 10.

Affectus idem in Divino, & puriſsimo amore, Cant. 5. 6. 7. *Aperi mihi, quia caput meum plenum eſt rore*. nam amatores, & pronubi Sapientiæ *aſsident in foribus*.

Sap. 6. 15.

☞ *X. Scortum alterius ſit uxor mea, & ſuper illam incurventur alii.*

1. *Lacedamonum familiaris inipretatio. Lacedamones ex genere Abraham. Illeſtuatus locus Machabaeorum.*
2. *Dignum adulterio ſupplicium. Illuſtrati Samuel, & Heſeas.*
3. Molendi *munus ſervile, turpe etiam Illuſtratus locum judicum, & Thren.*
4. *Similitudo* permolendi *cum re turpi.*
5. Incurvare, *quid*, poteſtas. *Fornicarii ſub jugum miſſi. Illuſtratus Eccleſ. & David.*

Gra-

1 GRavifsima profecto est hujusmodi imprecatio homini uxorem habenti. Atque ex hoc forte loco,& antiqua Hufitanæ gentis consuetudine,Lacedemoniis quoque in usu fuit,ut cum acerbifsima execratione adversus eos,quos vehementer odissent,uti vellent, inter cætera domus exitia imprecarentur, ut eorum uxores adulteris delectarentur. Sic sane Suidas,inverbo,*Dacnomenos*, scribit: *Lacedæmoniorum execratio est; Vtinam ædifices, ac terram egeras,& equos alas,& uxor tua mœchum habeat. quod hæc omnia sumptuosa, & noxia sunt.* Lacedæmonios autem posteros fuisse Abrahæ constat,ex. 1. Machab. 12.7.&. 21. in rescripto illo Oniæ Regi Spartiatarum ad Ionatham: *Inventum est in Scriptura de Spartiatis,& Iudæis quoniam sunt fratres,& quod sunt de genere Abrahā.* Quanquam aliis verbis, aliisque nominibus rem eandem scribat Iosephus lib. 12. Antiquit.cap. 5. nominans Regem Lacedæmoniorum, *Arium scribentē ad Oniam, Iudæos, & Lacedæmonios esse ex Abrahami gētilitate.* De necessitudine vero ista Spartiarum cum Iudæis, disseruit erudite, & copiose noster. Nicolaus Serarius super Machabæos.

Δακνόμενος

Lacedæmonū solennis imprecatio.

Suidas.

Lacedemones ex progeniæ Abraham.

Iosephus.

Nicol. Serar.

2 Esse autem hanc justam adulterorum pœnam, manifestat illa adulterii Davidis comminatio, atque re ipsa inflicta pœna. 2.Reg.12.12. *Eo quod tuleris uxorem Vriæ, tollam uxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo,&c.* Ad eandemq; supplicii compensationem pertinet, quod plerumque sive ex pravo exemplo, sive ex justa quadam indignatione,& zelo,virorum adulterium impudicas quoque,atque adulteras reddat uxores. Qua propter scripsit Seneca epist.95. *Improbus est, qui ab uxore pudicitiam exigit, ipse alienarum corruptor uxorum.* Sed multo luculentius,multoq; elegantius Lactantius lib. 6.cap. 23. rem hanc ipsam scripsit: *Servanda*(inquit)*fides ab utroque alteri est,imo exemplo continentiæ docenda uxor,ut se caste gerat, iniquum est enim,ut id exigas, quod præstare ipse non possis:* Quæ iniquitas efficit profecto, ut essent adulteria, fæminis ægre ferentibus præstare se fidem, non exhibentibus mutuam charitatem. Denique nulla est tam perditi pudoris adultera, quæ hanc causam non vitiis suis prætendat, injuriam se peccando non facere, sed ferre. Quod optime Quintilianus expressit: *Homo*(inquit) *neque alieni matrimonii abstinens, neque sui custos,quæ inter se natura cōnexa sunt; nam neque maritus circa corrumpendas aliorum conjuges occupatus, potest vacare domesticæ sanctitati; & uxor cum in tale incidit matrimonium, exemplo ipso incitata, aut imitari se putat, aut vindicare. Cavendum igitur,ne occasionem vitii nostra intemperantia demus, sed assuescant invicem mores duorum, & jugum paribus animis ferant. Nos ipsos in altero cogitemus: nam fere in hoc justitia summa consistit, ut non facias alteri quicquid ipse ab altero pati nolis. Hæc sunt, quæ ad continentiam præcipiuntur a Deo.* Quare commeritum illud supplicium est; dignumque populo adultero. Hoseæ.4. *Non visitabo super filias vestras,cum fuerint fornicatæ, & super sponsas vestras cum adulteraverint, quoniam ipsi cum meretricibus conversabantur.* De plurimis enim illud dici potest, quod de Clytemnestra;

Dignum adulteriisuppliciū

Viri adulteri reddunt uxores impudicas.

Seneca.

Lactantius.

Quintilian.

Dum fuit Atrides una contentus, & illa
Casta fuit: vitio est improba facta viri.

Et de eadem Erupides:

Stultæ quidem sumus mulieres,non nego.
Cum autem insito hoc animis peccat maritus
Fastidiens connubia,imitari vult
Mulier virum, & alium parare Amasium.

Primum itaque (inquit Aristoteles) *leges sint viro ad uxorem; ut injuria cesset, sic nec ipse injuriam patietur.*

Ovid. 1. de arte amandi.

Euripides.

Aristot.

Sed redeundum ad nostræ sententiæ voces expendendas. In Hebræo proprie legitur: *Molat alteri uxor mea*, quod de proprio, *molendi*, officio Vatablus accipit: *Eripiatur* (inquit) *mihi,& alteri famuletur. Solebant mulieres in familiis, in quibus non erant servi, molere, & panem conficere.* Illud certum, fuisse hoc ministerium tum ancillarum, tum vilisfimorum servorum. Primum Exodi. 11. 15. Isai. 47. 2. De servis, Iudic. 16.21. Cæterum metaphorice debere accipi, docuit ipse noster Latinus Interpres vertens,*Scortum alterius sit*; adque adeo Septuaginta legentes: *Placeat quoque uxor mea alteri.* Et res ipsa plane probat hanc esse imprecationem pœnæ ex æquo respondentis adulterio. Quare eleganter dixit Nicetas, hoc esse dictum a Iob, *Aequalitatis studio, ut iis, quæ gesserat,paria acciperet.* Eandemque Hebraismi proprietatem agnovit Vulgatus, cum Threnorum. 5. 13. dixit: *Adolescentibus impudice abusi sunt.* quod in Hebræo est: *Adolescentes ad molendum tulerunt.* Quamvis alii ad servile illud molendi ministerium,vile pariter,ac laboriosum referendum existiment. Agnoscunt quoque Hebræi rem eandem Iudic. 16. cum Philisthæi captum Sāsonem,*Vinctum catenis, &*

3 טחן

Vatabl.

Hebræum, *Taban*, quod est molere. unde Hispanū molā dinum, *Tahona*.

Servile molendi ministeriū.

LXX

Nicetas.

Sāson permolens,quid.

clauſum in carcere molere fecerũt. Videlicet quod ſuas illi uxores permolendas, & ſubagitãdas tradiderint, ut ex fortiſsimo homine ſuſciperent prolem robuſtã, & la certoſam. Quam rem potius acciperem de meretricibus, proſtitutæque pudicitiæ fæminis, quarum cõſuetudo redderet Sã ſonem mollem, & elumbem; præſertim cum illius fortitudo detonſa jam, & amiſſa in gremio cujuſdam meretricis, videretur tunc quoque meretricia opera indigere, ne ſuccreſceret. Non vero de propriis Philiſthinorũ uxoribus, quarum nõ niſi apud nationes immanitate barbariſsimas, uſus communis fuit. Sed quidquid

4

de hoc loco ſit, certe res eſt in noſtro certior, neq; non *molendi*, aut *permolendi*, cũ re, quæ nominari non poteſt, comparationis, & ſimilitudinis ratio elegans. Illam argute Cajetanus explicat ex eo, quod ſicut mola inferior ſuſcipit ſemen atq; frumentum, non ad fæcunditatem, ut terra, ſed (ut ipſe inquit) *quaſi ad perditionem*, id eſt, ad uſum, & verſationem; tum etiã mola piſtrini mercenaria eſt, cuicumque granum deferenti expoſita, ita ſane meretrix, quæ ſui corporis quæſtum facit expoſita eſt cuicumq;. Sed commodior videtur illa exponendi ratio, quod mola inferior verſetur, & ſubagitetur a ſuperiori. Quare non ineleganter legit Tygurina. *Permolat uxorem meam alius.* Quod honeſte, ſanctèque dictum eſt, ſicut & quod ſequitur.

Honeſtã rei turpis ſignificatio.

Cajetanus.

Commodior cõparationis ratio.

5

Et ſuper illam incurventur alii. Proprie, Accubent, decumbant, inclinẽtur, aut humilient ſe ſe. Per, *alios*, quidem Septuaginta filios intelligunt: legunt enim, *Filii mei humilientur*, id eſt, ut ſit ſuperioris expoſitio, ex meo ipſo toro filios alienos ſuſcipiam humiles, degeneres, nothos. Sed alii propius ad rem turpem referunt, quod videatur eſſe habitus viri congredientis. Sicut de Salomone ſcriptum eſt, Eccleſi. 47. *Inclinaſti fæmora tua mulieribus, poteſtatem habuiſti in corpore tuo.* id eſt, ut ex Græco legitur; *Lumbos*, aut, *viſcera inclinaſti*, & demiſiſti, vinciq; te (quod turpiſsimum eſt) a fæmina paſſus es. Quod egregie convenit cum illa ipſa incurvatione cervicis, totiusque corporis humiliatione, qui eſt habitus ſuperati, & triumphati hominis. Sicut ab eadem radice dictum eſt. 2. Reg. 22. 40. *Incurvaſti reſiſtentes mihi*; & Pſalm. 77. 37. ubi Septuaginta: *Electos Iſrael impedivit*; Hieronymus ex Hebræo legit: *Incurvavit.* & iterum Iſaiæ. 45. 23. *Mihi curvabitur omne genu.* Quicumque ergo turpiter incurvantur, turpiſsime quoque a fæmina ſuperantur, & vincuntur. Quare eleganter illo Eccli. loco legerunt Septuaginta: *Subjugatus es in corpore tuo.* Quaſi ſub jugum miſſus, capite dejecto, & gravi pondere, quod eſt, *Habuiſſe poteſtatem in corpore, id eſt, fæminæ dominatum, & imperium ſuſtinuiſſe.*

Secunda circũloquutio rei innominatæ.

כרע

Incurvari quid.

Vinci a fæmina, turpe.

Habitus ſuperati hominis, incurvari.

LXX.

Hieronym.

LXX.

DIGGRESSIO
Ad ſanctas, & honeſtas verborum ac nominũ translationes, quibus in Sacro ſermone nominantur, quæ nominari non debent.

6 Operæpretium profecto fuerit hoc loco Sacri ſermonis ſtudioſo, ſi nomina illa, quibus ſancte, & honeſte Sanctæ Scripturæ nominare cõſueverunt ea quę nec dici, nec nominari debent, obſervet; ſicut enim hoc ipſo loco, ita profecto ſæpe exquiſitis trãslationibus res iſta dicitur, atque vel ex hoc, purioris, ſanctiorisque ſermonis ſtudio Scripturarum ſermo Sacer, Sanctuſq; merito appellatur: cum enim res alias, ut blaſphemiã, & quæ horrent aures, per circumlocutionem explicare ſoleat (ut aliquando diximus) tum vero præcipue rem turpem ſancte, & honeſte. Atque adeo Hebræi nullum videntur habere proprium nomen loci, aut rei turpis. Sicut enim res ipſa claritatem fugit, & tenebras amat, ita etiam nullã clara oratione, ſed occulta, atque trãslatitia explicari debuit, in lingua præſertim ſancta. Quare videtur Apoſtolus ad Epheſ. 5. 3. tanquam Hebræus loqui, cum ait,

Scripturarum verba ſancta.

Hebræi non habent proprium nomen rei turpis.

Paulus cur Hebræis ſanctitatẽ ſermonis præcipiat.

Forni-

Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut avaritia(intellige aviditatem turpē, adulterium, aut intemperantem libidinem) *nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos.* Quam rem R. Moyſes lib. 3. Ductorii dubiorum. c. 10. ſcripſit in hæc verba: *Recte vocatum eſt hoc linguagium ſanctum, in ipſo namque non invenies verum nomen, & proprium fornicationis neque invenies nomen impoſitum alicui membro, quod turpe eſt nominare.* Et ex traditione ſuorum ſapientum ait, *Vocatum eſſe Heliſæum ſanctum, quia elōgavit ſe a cogitationibus carnalibus.*

R. Moyſes.

7 Hieronymus.

Neque hac in re movere quemquā debet, quod Hieronymus exiſtimaſſe videtur, fæmineum turpe, quod in Hebræo unica voce ſignificatur, circuitione illa explicari, *Quod intrinſecus latet*, Cantic. 4. 1. atque eandem vocem originalem vertit ipſe *turpitudinem*, Iſai. 47. 2. ubi in utroque loco ſubeſt in Hebræo vox *Tſemahh*, de qua voce, atq; de illius interpretatione Latina hæc ipſe ſcribit Iſaiæ. 47. *In eo ubi nos interpretati ſumus denuda turpitudinem tuam, Septuaginta tranſtulerunt: Revela operimentum. Theodotion ipſum verbum Hebraicum poſuit, Semilatecha, Aquila, Tſamatecha, Symmachus, Taciturnitatem tuā, quod taceri debeat præ verecundia: quod quidem & in Canticis Canticorum legimus, ubi ſpōſæ pulchritudo deſcribitur, abſq; taciturnitate tua. Nolentibus, qui interpretati ſunt, transferre nomen, quod in Sancta Scriptura ſonaret turpitudinem. Recteque contra Babylonem inverecundis utitur nominibus, licet nulla ſit turpitudo, humani corporis membrum vocare nomine ſuo, cui præcipitur, ut nudet pectora, & crura, ut fæmina aperiat, & vadat in captivitatem, videaturque ignominia ejus, & opprobrio pateat ſempiterno.* Pauloque inferius: *Diſputant Stoici multa, re turpia, prava hominum conſuetudine, verbis honeſta eſſe, ut parricidium, adulterium, homicidium, inceſtum, & cætera his ſimilia. Rurſumque re honeſta, nominibus videri turpia, ut liberos procreare, inflationem ventris crepitu digerere, alvum relevare ſtercore, veſicam urinæ effuſione laxare. Ergo Tſammatheh, quod Aquila poſuit, ut diximus, verenda mulieris appellātur, cujus etymologia apud eos ſonat, Sitiens tuus, ut inexpletam Babylonis indicet voluptatem.*

צמה

LXX. Theodotion. Aquila Symmach.

שמלתך

Multa re turpia, nominibus honeſta, & e contra.

8 Objectionis ex Hieronymo reſponſio.

Ego, ut de iſta Aquilæ, & Hieronymi ſententia nūc dicam nō ſine verecundia, & reverentia, quod ſentio, Primum cēſeo illam *Sitientis*, vel *Sitibūdi* translationem, recte quidem cum re ipſa, quam Hieronymus exiſtimat, convenire, ut pote quæ ſub eadem honeſtiſsima translatione nō ſemel ſignificetur in Sacris litteris. Ieremiæ. 2. 25. *Prohibe pedem tuum a nuditate* (quod alibi dicitur *revelare*, aut *diſcooperire crura*) *& guttur tuum* (os vulvæ) *a ſiti*, id eſt, ab intemperanti æſtu libidinis. Et ſimiliter ſitis hæc ardētiſsima explicatur Prov. 15. *Tria ſunt inſaturabilia, & c. os vulvæ.* Quare exiſtimavit Hieronymus, illam vocem deduci a radice *Tſama*, quod eſt *ſitire*; cum quo etiam convenit illa altera pulchra translatio voluptatis hujuſmodi, *aquæ*, aut *vini* nomine, quæ ſitim ſedant, Prover. 5. 15. *Bibe aquam de ciſterna tua, & fluenta putei ſui* (id eſt, tu ſolus fruere uxore tua) *deriventur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas divide.* id eſt, filii, quos ex uxore ſuſceperis, te ad publica munia exeuntem comitentur, cura etiam illos præfici rebus publicis) *habeto eas ſolus, non ſint alieni participes tui* (videlicet cū uxor honeſta eſt, non dubium quin filii nō habeant dubium parentem) *Sit vena tua benedicta* (ideſt fæcunda, & minime ſterilis, deinde vero tota res exponitur) *Lætare cum muliere adoleſcentiæ tuæ, ubera ejus inebrient te in omni tempore, in amore ejus delectare jugiter.* Sicut autem vir dicitur *bibere aquam de ciſterna, & ſitire fontem*; non minus commoda ſimilitudinis ratione uxor quoque.

Sitientis trāslatio, & nomē ad rē occultā.

Hieronym.

צמא

Aquæ, turpis voluptas. Bibere ad candē rem.

Secundum, video doctis viris illā Hieronymi etymologiam diſplicere: nam vocem *Tſamahh* volunt aliqui a *germinando*, ideſt a radice, *Tſamahh*, deduci, forte a pubis germinatione, cum generando maturitas eſt: ut ſignificatur Ezechielis. 16. 7. *Vbera tua intumuerunt, & pilus tuus germinavit.* Vbi eleganter Theodoretus, *Capillos*(inquit) *vocat ornatum illum, qui ab ætatis maturitate proficiſcitur.* Alii, ſive a *germinando*, ſive a *Tſamam*, quod eſt *cincinnus* aut coma capitis deducatur, exiſtimāt ſignificari nihil omnino turpe, ſed frontis cincinnos, aut capillos. Quare illud Iſaię, *Denuda turpitudinem*, erit, auferre capitis velamen, aut detonderi fæminam, quod turpiſsimum eſt. Et illud Canticorum, de oculis ſponſæ pulcherrimis, multoque venuſtioribus, ſubvolitantibus a fronte capillis interlucente lumine. Alii a *Tſamab* quod apud Interpretem Vulgatum eſt, *perdere*, aut *conſumere*, apud Hebraizantes vero alios, eſt *frangere*, aut *conſtringere*. Quare dicunt eſſe nomen faſciæ conſtringentis, aut velaminis capitis, quo crines conſtringuntur, & adligantur. Quare illo loco Iſaiæ. 4. 7. legerunt Septuaginta, *Revela operimentum tuum.*

9 Hieronymi Etymologia plerisque diſplicens.

Varia Hebraicę vocis origo & notio.

Theodoret

צמם

10 Tertio etiā, ſicut Hieronymo placuit

illud ſit nomen rei turpis, at (quod hujus controverſiæ caput eſt) non eſt nomen proprium, ut ſermo Latinus habet ejuſmodi multa, ſed translatitium, & honeſte rem inhoneſtam ſignificans ſub pulchra metaphora; quod initio dicebamus.

Latinis multa propria nomina rei turpis.

Hujuſmodi igitur in lingua ſancta ſunt multa rei immundæ, & fœdæ munda, & ſancta nomina. Speciatim, quæ ſequuntur. *ÆS*, Ezechielis.13.36. rei ſordidæ, & rubiginoſę ſymbolū in fęmina. *VMBILICVS*, Iob.40.11. *AMIGDALVS* in viro, Eccleſ.12.5. ut ibi diximus. *VERENDA*, a radice *Bos*, quod eſt erubeſcere, aut confundi, Deuteron.25.11 Quare res turpis vocatur *CONFVSIO*, Philip.3.19.Petr.1.4.4. Iud. 13. Apoc.3 16. Communi etiam nomine, *MEMBRVM, FRVSTVM*, aut *Pars*, a radice *Abar*, quod eſt partiri, aut ſecare, quaſi pars prorſus a conſpectu ſeparata. *NVDITAS*, per antiphraſim, quod minime nuda eſſe debeat, ſed potius *abundantiori* (ut Paulus ait) *honore circumdata*. De viro Exod.20.26.Geneſ.9. 21. *Noe inebriatus atq; nudatus*. De fœmina Nahum.3. 5. Thren.4.31. *Inebriaberis, atq; nudaberis*, & ejuſdem rei circumloquutio Geneſ.2. *Viderunt ſe nudos*. *IGNOMINIA*, Ezec. 16.37. & conjungitur utrumque videlicet *Nuditas* cum *Ignominia*, verſ.7. *Nuda eras, & confuſione plena*, & Iſai. 20.4. *Nudam, & diſcalceatam diſcoopertis natibus ad ignominiā* (Hebraice, ad nuditatē) *Aegypti*. Cum quo etiam facit, quod ſponſa recenter viro cognita, quæ Levit.19.20. dicitur, *Nubilis*, nomen habet in Hebræo, *Nehherepheth*, a radice *Hharaph*, quod eſt exprobrare, quod ea res ſit probro & improperio. Diximus de hoc *honoris*, aut *ignominiæ* appellatione, ſuperius, verſi. 2. nu. 6. Dicitur præterea propter locorū propinquantem, *FEMVR*, de viro Geneſ. 24.2.47.29.49.10. Exod.1.5. de fœmina, Numeror.5. 21.& 22.& 27. Iudith. 9.2. & eodem pertinet ſecundum aliquos Hebræos illud Geneſ. 32. 32. *Tetigit nervū femoris ejus*, quanquam hujuſmodi Hebræos rideat Aben Eſra, eo quod ex mēbro illo extabeſcente non deberet Iacob claudicare. Eundem etiam locū appellat Hebræus ſermo, *INTER PEDES*, ubi Geneſ. 49. 10. nos legimus: *De femore ejus*. Rurſus *PEDES*, rem eandem ſignificant: nam quidquid infra alvum eſt, *pedibus* tribuitur. In fœmina Ieremiæ 2. 25. *Prohibe pedem tuum a nuditate*. & eodem etiam pertinet Threnor. 1. 9. *Sordes ejus in pedibus ejus*. De viro. Iſaiæ 7.20. *Radet Dominus in novacula conducta pilos pedum*. Huc etiam illud *Cooperire*, vel *tegere* pedes 1.Reg.24. Iudic.3. 24. ex Hebræo cū purgatur venter; quanquam pertineat ad id, quod prorſus tegi debet. Dicitur præterea *CARO*, vel *CARNES*, Levit. 16. 4. ubi legitur *verenda*, in Hebræo, *Caro*. Ezechielis 16. 26. 23.20. 44. 7.& 9. Levit. 15.2. *Qui patitur fluxum ſeminis*. Hebraice *fluxū de carne ſua*. ſic enim exponitur verſ. 3. *Cum adhæſerit carni fœdus humor*. quod illud ſit carnis opus, commune pecudibus, quo languet, & hebeſcit ſpiritus, ex quo putredo, & vermes. Sic quippe *vidit Deus, quod omnis caro corruperat viam ſuam*. Geneſ.6. 12. Item *PHARETRA*, & *SAGITTA*; nam de *filia*, aut muliere fornicaria, & proſtituente ſe omnibus, dicitur pereleganti tranſlatione Eccleſi. 26 15. *Contra omnem ſagittam aperiet pharetrā, donec deficiat*. Vides quid *ſagitta*, quid *pharetra*, etiam nemine indicante, quibus turpiſsime pugnatur. Denique Paulus 1. Corin. 12.22.23. vocat *MEMBRA INFIRMIORA*, *ignobiliora, inhoneſta*.

בושׁ

אבר

2.Cor. 12.23.

נחרפת

חוף

Aben Eſra.

II

Apud Latinos vero, etiam ipſa ratio, & honeſtas docuit, ut eſſent ſuæ honeſtæ tranſlationes. *LOCVS* aliquando pro obſceno muliebri. Varro; *Loci muliebris ubi naſcendi initia conſiſtunt*. Quintus Serenus de præceptis medicinæ;

Varro. Q. Serenus.

Obſcenos ſi pone locos nova vulnera carpent.

Eademque *loci* ſignificatione utuntur Columella lib.8.cap.11. Cicero 2. de natura deorum, Lucretius lib.4. non ſemel. Dioſcorides lib.1.cap.59. Ariſtotel. lib.7. de hiſtoria animal. cap. 3. Rem eandem alibi; *VASCVLVM* vocavit Petronius, nec non Plautus in Penulo. Tum illud: *ARVVM, SVLCVS, & VOMER* ex Virgil.3.Georgic. ubi agit de equis. & Lucretio lib.4. ubi de fœminis ſterilibus. *Arvi* præterea, quod ſemen ſuſcipit, in eadem ſignificatione iterum uſurpat, idem Lucretius lib. 4. quod a Varrone vocatur *PORCA*, & ab Arnobio, *SCROBS*. Illud etiam de fœminis ad rem iſtam voluptarum tranſtulerunt Latini antiqui, *HORTVS, SALTVS*. Cicero, *NVCES*, Catullus, *OLERA*, quæ impuri, & obſceni ſcortatores legunt. Atque hujus generis illud eſt, *RAMVS*, pro eo, quo viri ſunt, ut obſervat Meurſius part.2.Exercit Critic. ex Apulejo, Auſonio, Prudentio, Arnobio. Deniq; *Agricolatsonis* vocabula ad rem voluptatū crebro trāslata, annotat Gruterus lib.4.Suſpic.c.11.&.12.

Columella. Cicero. Dioſcorides. Ariſtoteles. Petronius. Plautus. Virgilius. Lucretius. Varro Arnobius Cicero Meurſius. Gruterus

Inno-

Innominatam vero actionem ipsam illa verba significant; *INGREDI*, vel *intrare ad mulierem*; *HUMILIARE*, *ASCENDERE cubicule.* Quod ille dixit, *Concutere lectum alienum.* *COGNOSCERE*, *COLLOQUI*, *TANGERE*, *REVELARE*, vel *Discooperire turpitudinem*. Quarum rerum exempla frustra scienti daremus. Item illa: *CONVERSARI cum meretricibus*, Hoseæ. 4. 14. Quod Hebraice est *Separari*; quærit enim res illa solitudinem, & tenebras. quo videtur Iudas Apostolus allusisse scribens advers⁹ illos turpissimos Borboritas versic. 19. *Qui SEGREGANT semetipsos, animales, spiritum non habentes.* ut in commentariis nostris eo loco explicuimus. item *Iocari*, *Ludere*, Gene. 26. 9. ex quorundã expositione; tum etiam, & apud Latinos, ut ex Martiale, Horatio, Livio, Ovidio, Athæneo, Plutarcho observat Heraldus in suis Animadversionib⁹. Ratio horum, quia ex ingressu, conversatione, joco venitur ad grave scelus. Item de fæmina illud est, *PROSTERNI*, *EXPONERE fornicationem suam*; *ESSE alicujus*, Ezech. 16. 16. & *DIVIDERE PEDES*, versic. 26. Paulus: *NEGOTIUM* vocat, adulterium præsertim. Rursus Sapiens; *COMEDERE*, *& BIBERE*, Proverb. 30. 20. *Via mulieris adulteræ, quæ comedit, & tergens os suum, dicit: non sum operata malum.* De Bibendo, & sitiendo diximus superius, & illud Ecclesi. 26. 15. *In filia non avertente se, firma custodiam, ne inventa occasione utatur se; ab omni aqua proxima bibet, & contra omnem palum sedebit, & contra omnem sagittam aperiet Pharetram, &c.* Atque huc etiam referri a profanis verba *contendendi*, *jaculandi*, *pugnandi*, suspicatur Gruterus nuper adductus. Item illud apud Isai. 57. 5. *Qui CONSOLAMINI in Diis subter omne lignum frondosum.* Quod proprie ex Hebræo legitur, *Incalescentes cum Diis sub omni ligno viridi*, id est fornicantes; est enim ille calor, æstus Veneris.

Iuven. sat. 6. — Innominatæ actionis sacra nomina. — Allusio. — Heraldus. — 1. Thessal. 4. 6. — Ian. Gruter.

13 Apud Latinos vero etiam honesta verba sunt rei inhonestæ: *DARE POMA* vel, *legere poma*. Catullus, *LEGERE OLERA*; Cicero, *LEGERE NUCES*. Hi enim fructus sunt, qui apponuntur in mensa Priappi. De his Vide Lipsium antiquarum lectionum lib. 3. ad finem. Ovidius dixit; *Adimere nomen virgineum.* Item *PATRARE*, est consummare, supple actum rei Venereæ, qua significatione verbo *impetrandi* usus est Plautus in Pænulo. Et *Pater* (ut inquit Isidorus in Glossis) *dictus est, quod patratione peracta, filium procreet, & patratio est rei Venereæ consummatio.* Denique res ista, sicut apud Paulũ appellatur *IMMUNDITIA*, comuni nomine; ita etiam apud profanos dicitur; *NEQUITIA*, ut ille dixit;

Catullus. — Cicero. — Lipsius. — Ovidius. — Plautus. — Isidorus.

Nequitia est, quæ te non sinit esse senem,
Et iterum alius;
Non ego nequitiæ dicerer esse caput.

Ovid. lib. 1. Fastorum. — Propert. li. 2.

Deniq; hujus generis illa sunt, quod meretrix vocatur in Hebræo *Kedesa*; id est, *SANCTA*, quasi minime sancta, a radice *kadas*. Dicitur etiam *Hhalalah*, id est, *COMMUNIS*, aut sordida. nostrates vocant *honoratam*; *La honrada*, per contrarium intellectum. & ejusdem generis sunt apud Latinos illa nomina *FRATER*, & *SOROR*, de quibus nominibus memini dixisse priore volumine. 14

קדש — חללה — Vide quæ diximus c. 1. vers. 4. nu. 16. & c. 17. vers. 14. nu. 6.

Ex his ergo tãdem disces sancte loqui, *Sicut decet sanctos.* Vide Greg. 1. Reg. c. 15. Agnoscesque sanctæ linguæ tum sanctitatem, tum pulcherrimarum translationum fæcunditatem, & copiam. Sed pergendum ad reliqua, quæ de adulterorum scelere pronuntiat Iob.

XI. *Hoc enim nefas est, & iniquitas maxima.*

1. Nefas quid: incestus, scelus in Sacro sermone. Explicatur Isaias, & locus judicum.
2. *Adulterium ingens malum. Avaritia apud Paulum. Illustratus Salomon.*
3. *Varia lectio. Adulterii crimen morte punitum.*

ADulterium (inquit) nefarium scelus est, & grande piaculum, non nisi morte expiandum. *Nefas.* Vox, *Zimah*, a radice *Zamam*, quod est *cogitare*. Quare proprie significat cogitationem, seu præmeditationem, & fere semper sumitur in malum, videlicet pro eo scelere, quod adversus aliquẽ nefarie molimur, & præmeditamur; quare erit cogitatio, aut machinatio sceleris, sive nefarium scelus animo præmeditatum; ut videtur indicari ex ipsa vocis proprietate Isaiæ. 32. 7. *Ipse cogitationes concinnabit ad perdendos mites.* & Proverb. 24. 9. *Cogitatio stulti peccatum*, id est, nũquam non ille inique adversus proximum cogitat, & machinatur. Ergo cũ hujusmodi nefaria cogitatio plena sit deliberatione, plena proinde videtur malitia: Quare illud nomen peculiariter tribui solet infandis quibusdam libidinibus, quæ, ut pote magis exquisitæ, & magno natura abhorrentes, indigent diuturno consilio, & præmeditatione, ut fiant. Sic 1

זמה — Adulterium scelus præmeditatum. — Nefas, quid proprie.

ubi Levit. 18. 17. habemus: *Turpitudinem uxoris tuæ, & filiæ ejus non revelabis; filiam filiæ ejus, & filiam filiæ illius non sumes, ut reveles ignominiam ejus, quia illius sunt, & talis coitus incestus est.* Pro, *incesto*, est in originali, *nefas.* & similiter Levit. 19. 29. vertitur *piaculum.* & Levit. 20. 12. vertitur, *scelus.* & Iudicum. 20. 6. incredibilem illum libidinis furorem Benjaminitarum in uxorem Levitæ, appellant, *Magnum nefas; nunquam tantum, & tam grande piaculum, factum est in Israel.* Inter hujusmodi igitur nefaria scelera, & grandia piacula refertur hoc loco adulterium, quod plenum est improba cogitatione, & nefaria industria & insidiis ad perpetrandum.

2 *Et iniquitas maxima.* Sic etiam Genes. 20. dixit Abimelec, cui videbatur adulterii occasio oblata ab Abraham; *Quid fecisti nobis? Quid peccavimus in te? quia induxisti super me, & super Regnum meum peccatum grande?* non solum propter insignem sceleris improbitatē, sed etiam propter supplicii magnitudinem, quod vel Deus, vel etiam homines de adulterio, deque adulteris sumere solent. Peccatum item *profundum*, atque insignium scelerum exemplar, & exemplum appellatur Hoseæ. 9. 9. *Profunde peccaverunt, sicut in diebus Gabaa.* Meminit enim historiæ judicum. 19. & 20. cū uxor Levitę nefarie ab adulteris vexata, & occisa est a viris Bējaminitis. *Profunditas* autem illa est immanitas quædā, & vehementia improbitatis. Paulus, *Avaritiæ*, etiam nomē inurit adulterio, Ephes. 4. 19. & 5. 3. *Fornicatio* (inquit) *& omnis immūditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis.* & 1. ad Thesalonic. 4. *Ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum;* ubi Theodoretus notat verbū *Circumveniendi, Pleonectin, significare per avaritiam in aliena invadere: avaritiam autē, & plura habendi cupiditatem hic vocari adulterium:* nam adulter non solum suis contentus non est, sed aliena appetit. Atque eodem respiciens Chrysostomus vocat: *Adulterium; latrocinium, & fraudem, imo quovis latrocinio pejus, ac gravius.* Vide etiam id Ephes. 5. *Omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, &c. Pleonectes,* enim est *appetitor, & occupator alieni.* Cum quo facit id Prov. 6. 30 ubi cum furto comparatur: *Non gravis est culpa, cum quis furatus fuerit: furatur enim, ut esurientem impleat animā: deprehēsus quoque reddet septuplum, & omnem substātiam domus suæ tradet. Qui autem adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suam; turpitudinem, & ignominiam congregat sibi; & opprobrium illius non delebitur.* Est enim scelus adulterii, ut dixit Chrysostomus, sine excusatione. Clemens vero Romanus lib. 6. Cōstit. Apostol. cap. 27. Adulterii injustitiam gravissime ostendit; nam cum de *Sodomitis*, de *Adulteris*, de *Scortatoribus agit*, sic scribit. *Primi interitum mundi machinātur, qui quod a natura est, contra naturā facere conantur. Secundi vero injuriam aliis faciunt, cum aliena matrimonia violant; & quod a Deo factū est unum, in duo dividunt, ac liberos faciunt suspectos, & legitimum maritum insidiis exponūt. At scortatio, corruptio est proprii corporis, quæ non adhibetur ad generationem filiorum, sed tota ad voluptatē spectat. In primo impietas, in secūdo injustitia, in tertio denique peccatum est.* Thales ille etiā perjurio, quod ad speciem attinet, volebat esse adulteriū gravius: nā ut Laertius scribit, adultero sciscitanti, an abjuraturus esset, se non cōmisisse adulterium; *Non est* (inquit) *perjurium adulterio pejus: nam non dubitaret de pejerando, qui adulterium cōmisit.* Quam rem pulchra illa, valdeque severa Chrysostomi sentētia hom. 3. de Ozia, cōfirmabimus; *Sicut Nauclerus in portu naufragium faciens neutiquam assequitur veniam; ita vir post nuptialem portum aliena conjugia invadens, vel mulierem alienam curiosius spectās, nullam habebit defensionem, tam apud Deum, quam apud homines.*

Sed vim habet, quod in Hebræo est, 3
pro *iniquitate maxima*, Iniquitas judicū, vel, Iniquitas judicata, a radice *Palal*, quod est, judicare, quod differt a verbo *Sapat*; hoc enim significat quidquid in forensi causa peragitur; at vero *Palal* significat rem dijudicare, & cum omnibus suis circunstantiis considerare, sicut facere debent Iudices, & arbitri causarum. Ergo hic dicitur adulterium, *Iniquitas judicata*, sive ut Complutenses legunt, *Iniquitas judicanda*, quod multas habeat suę improbitatis, & nefarii sceleris circunstantias, consideratione, & judicum pręmeditata sententia, severoque supplicio dignissimas. Vel quod etiam nefarium hoc scelus, quod in Reipub. damnum vergit, potissimum requirat Iudicum vigilantiā ad cives in officio cōtinēdos. Sive quod propter incredibilem Zeli furorem, quo ardet maritus læsus ab adultero, oportuit, ut propter illum placandum res hęc peculiariter Iudicibus cōmissa diceretur, ne ingēs scelus sine peculiari Legum cura prætermissum videretur. Id, quod indicat lectio Septuag. *Furor enim iræ indomitus, cōmaculare viri uxorem.* Sive tandē, quod nulla fuerit Respublica bene insti-

Adulterii pœnæ, & sceleris gravitas.

Adulterii profunditas quæ.

Avaritia, adulterium; item & circumventio.

Theodoret.

πλεονεξία

Adulteriū, latrocinium, & fraus.

Chrysost.

πλεονέκτης

Adulterii crimen inexcusabile.

Chrysostom.

Clemens.

Laertius.

Chrysost.

פלל

שפט

Complutens.

Adulterii circūstantię gravissimæ.

Adulterii cognoscēdi, & vindicādi cura peculiariter pręcepta Magistratibus.

tuta, nullumque ſæculum, in quo non judices, & magiſtratus graviſsime inquiſierint in adulteros graviſsimis ſuppliciis conſtitutis.

XII. Ignis eſt, uſque ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina.

1. Ignis *opportuna adulterii pœna.*
2. *Libido,* ignis. *Aſmodeus unde dictus.*
3. *Libidinis æſtus. Explicatus Eccleſiaſticus. Adulterii malum.*
4. *Supplicium ſpuriorum filiorum. Illuſtratus Sapiens.*
5. *Adulterorum pœna combuſtio. Explicatus Moyſes.*
6. Ignis *Zelotipia. Explicatus Salomon. Adultor correptus a Damone.*

1 *Cajetan.* CAjetanus exiſtimat hãc eſſe alteram imprecationis partem, ut ſi Iob adulterio ſe polluerit, ſuis agris, frugibuſque tenerioribus imprecetur ignis incẽdium, quo univerſa illius deflagrent. Sed cæteri omnes interpretes partem hanc accipiũt de ipſius adulterii aut culpa, aut pœna; de culpa quidem D. Thomas, quod videatur totã mariti læſi ſubſtantiam, facultateſq; devorare, & conſumere, derivando videlicet illas ad filium alienum, quẽ adulter ex adultera ſuſcipit. Sed videtur hæc *ignis* uſurpatio, totaq; interpretandi ratio coacta, aut longe petita. Congruentior illa Philippi; *Hæc* (inquit) *funeſta, ac deteſtabilia cogitare, vel facere, eſt ignis incentiva libidinis, omnia virtutum devorans, atque univerſa in homine Sanctarum rerum incrementa conſumens.*

Adulteria pœna, & culpa ignis inſtar. *D. Thom.* *Philipp.*

2 Eodem fere modo Gregorius tum hoc loco, tum ſuper 1. Reg. cap. 15. quod totũ eſt de pudicitia ſervãda; *Quid eſt libido niſi ignis? & quid de carne, & mẽte exortæ virtutes, niſi flores? Quid itẽ turpes cogitationes, niſi paleæ? Quis etiã neſciat, quia ſi in paleis ignis negligenter extinguitur, ex parva ſcintilla omnes paleæ accenduntur. Qui ergo virtutum incrementa non vult exurere, ita debet libidinis ignem extinguere, ut per tenuem ſcintillam nunquam poſsit ardere.* Sed rem eandem illuſtravit Baſilius lib de vera Virginitate, hoc ipſo Iobi loco uſus, diſſerens de non tangenda Virgine, neque contrectanda manu: *Sicut cum ignem tangimus, ignis indicia per impreſſas nobis aduſtiones excipimus, & aut bullæ repente tactum cõſequutæ turgeſcunt, ac doloroſa per fervorem, & inflammationem ulcera mox rumpenda minantur; ita poſsibile non eſt, quem ignis amor attigerit, ejuſmodi tactum innocuum, inviolatũque præferre; ſed aut ſimili ratione bullæ per tactum manus, cordi clam ſubrepunt, atque intumeſcunt; diraſque amoris perturbationes fer ventibus, & æſtuantibus, incontinentiſsimiſque agitationibus pariunt, ac peccati ulcera cõtinuo rumpenda, minantur: aut animum totũ in intimis tam graviter exulceratum indicat: Ignis enim ardens* (inquit) *eſt in omnibus mẽbris: in quem vero ſupervenit, eum a radicibus perdidit. Itaque quoniam in membris omnibus ignis hic ardet, his, qui corpus aduſtione liberũ ſervare inſtituunt, membrorum omnium contactus caute vitandus eſt.* Quid, quod etiam *Aſmodæus* ille dæmon malus, qui dicitur eſſe *Rex ſuper omnes filios luxuriæ,* videlicet ſpurciſsimus ſpiritus, ad quem tanquã ad Principem obſcenitatum omnium procuratio ſpectat, nomen habet ab igne: nã *Es,* ignis eſt, & *Madad,* metiri. Is igitur eſt, qui *Ignem menſurat,* & põderat, novitque quantum incendium luxuriæ excitari in corde humano poſsit: atque conatur hujus ignis menſuram, cuicumque certam, imo & quam poteſt maximam ſubjicere.

Philipp. *Gregorii pulchra de libidinis igne allegoria.* *Baſilius.* *Libidinis cum igne, & ulcere ex inflãmatione cõparatio.*

Aſmodeus, quis, & nominis ratio.

אשמדי

אש

מדד

Vide Serarium, Tobia 3. 4. 5. 6. 7. 8.

Et opportune quidem, nam non ſemel libidinis æſtus in Sacro ſermone cũ *igne* comparatur, ſic enim Eccleſiaſticus ait: *Multi propter ſpeciem mulieris perierunt, & ex hoc concupiſcentia, quaſi ignis, exardeſcit.* & iterum; *Homo nequam in ore carnis ſuæ, non deſinet donec incendat ignem.* Quod propter fornicationem dictum voluit: nã ſubjicit: *Homini fornicario omnis panis dulcis:* Nam; 3 *Eccleſi. c. 9.*

Cæco carpitur igne. &:

Venus erubeſcendis adurit ignibus.

Virg. 4. Aene. Horat. 1. carm. Oda; 27.

Hujus farinæ illa ſunt cum Poetæ dicunt amantes *torreri,* & *ardere,* cum ſubjicit Cupido faces, cum amaſios ſuos, *ſuos ignes* vocant. Sed quia ignẽ hunc diximus, devorare univerſam hominis ſubſtãtiã, quot ſane, quantaque mala cum adulterio cõjuncta ſint, eleganti complectemur paraphraſi Nicetæ: *Qui torum* (inquit) *violat alienum ingens hic incendium excitat malorũ: nam viro injuriam facit, uxorem contaminat, ſuſpectos liberos incertos reddit, cum providẽtia certat, habitudinem dividit, viro ſtruit inſidias. Tantum examen malorum ex intemperantia adulterii exiſtit.* *Nicetas.*

Sed de pœna, & ſupplicio, forte ſimplicior, cohærentiorq; erit ſignificatio: *Ignis* enim in Scriptura omne ſupplicii, maliq; genus ſignificare ſolet. Significavit ergo adulterii ſupplicium graviſsimum eſſe, & quod in univerſa adulteri domo ingens excitet calamitatum incendium, quod nõ ſolũ facultates omnes, atque facultatum, 4

Ignis adulterii pœna. *Ignis omne ſupplicium.*

& agro-

Vniverſa adulteri ſubſtãtia, & familia exuſta.

& agrorum fructus, ramos, germina, verũ etiam radices omnes exurat, & filios etiã perdat: nam ut Sapientia pronũtiat cap. 4. *Spuria vitulamina non dabunt radices altas, neque ſtabile fundamentum collocabunt. Et ſi in ramis in tempore germinaverint, infirmiter poſita, a vento commovebuntur, & a nimietate ventorum eradicabuntur*, &c. & ſtatim: *Ex iniquis enim ſomnis filii, qui naſcuntur, teſtes ſunt nequitiæ adverſus parentes in interrogatione ſua*. Atque ſimililiter hæc ipſa maledictio ſtatuitur in adulteram, & filios ejus Eccleſi. 23. 34. *Hæc in Eccleſiam adducetur, & in filios ejus reſpicietur. Non tradent filii ejus radices, & rami ejus non dabunt fructum.* Cum quo videtur facere lectio Septuaginta valde vehemens; *Ignis, eſt ardens ſuper omnes partes*: ſive ut lectio Complutenſis habet: *Super omnia membra.*

LXX.

5 Combuſtio priſca adulterii pęna.

Quid, ſi forte indicet hic locus priſcam illam adulterii pœnam combuſtionis? ut enim colligitur ex Geneſ. 38. Videntur priſci eam combuſtionis pœnam in uſu habuiſſe; dixit enim Iudas poſt acceptum nuntium de fornicatione Thamar; *Producite eam, ut comburatur*. Id quod, & apud Crotonienſes in uſu erat. Scribit enim Lucianus in apologia *Pro mercede conductis*; Salæthum Crotonienſem Principem legẽ tuliſſe, ut adulteri vivi cremarentur; Atq; cum ipſe fratris uxorem deinde cõmaculaſſet, deprehenſus, atque ſe excuſans dũ cauſam diceret, quod amore captus feciſſet, *Voluntarius* (ut Lucianus ait) *& nihil reluctãs in ignem animo magno inſiluit*. Opilius etiam Macrinus Imperator, adulterii reos ſemper vivos ſimul incendit junctis corporibus. Quod autem illa combuſtionis pœna non omnino de vera combuſtione, ſed etiam de *Lapidatione* intelligi ſub nomine *ignis* poſſit, memini indicaſſe, c. 10. verſicul. 15. num. 8. An autem adulterio *Lapidationis* pęna conſtituta fuerit lege Moyſis, an tantum pœna mortis; lapidatio vero poſtea uſu, & cõſuetudine populi introducta, differere, alterius loci eſt.

Lucianus.

Salæthi Lex de adultero.

Macrini in adulteros Lex.

Lapidationis pęna.

6 Ignis, Zelotipia læſi mariti.

Tandem ignem hunc ad juſtã viri Læſi Zelotipiam referre videtur Nicetas, juxta id Proverb. 6. 35. ubi de adultero deprehenſo ſermo eſt: *Zelus, & furor viri nõ parcet in die vindictæ, nec acquieſcet cujuſquã precibus, nec ſuſcipiet pro redemptione dona plurima.* Atque Hieronymus in Amos. 7. ſuper id: *Vxor tua in civitate fornicabitur*, quod ad adulterium virorum Hieronymus potiſsimum refert; nã ait juxta Symmachi interpretationem paſsive accipiẽdum: *non quod ipſa fornicetur, ſed quod paſſivo genere ab aliis conſtrupata ſuſtineat fornicationem*. *Grandis* (inquit Hieronymus) *dolor, incredibiliſque ignominia, quando maritus in media civitate uxoris injuriam prohibere non poteſt. Non eſt tantus dolor in filia conſtuprata, quantus in uxore polluta: maritus enim libentius audit uxorem interfici, quã pollui.* Ergo furore inceſus incredibili adverſus illum inflammatur, a quo ſe læſum exiſtimat. Illud non prætereo Cromatiũ in cap. 5. Matthæi, ſic hunc locum legere ex Septuaginta: *Furor iræ, & immundi ſpiritus commaculare uxorem alienam.* Videtur enim aſſerere adulterum quaſi agitari, & poſſideri a dæmone. Quod eleganter dixit Cæſarius Arelatenſis hom. 16. quæ eſt de erepto energumeno: *Multi* (inquit) *dæmonem in corpore alieno formidant, in ſuo corde diſsimulant; omnis enim qui ſuperbiam diligit, Diabolo plenus eſt: & ſi cum ſuperbia invidiam etiam habere voluerit, duobus dæmonibus ſubditus erit; & ſi cum invidia etiam adulterium fecerit, a tribus dæmonibus poſſidetur.*

Nicet.

Hieronymi.

Quantus viri dolor ex adulterio.

Cromatius.

Adulter, inſtar correpti a dęmone.

Cæſarius.

✠ XIII. *Si contempſi ſubire judicium cum ſervo meo, & ancilla mea, cum diſceptarent adverſum me.*

1. *Particula, ſi. Iobi erga domeſticos æquitas.*
2. *Verbum* contemnendi, *Nullius quamvis vilisſimi, jus aſpernendum.*
3. Servus, *&* ancilla *quid. Servus* nullus *cenſetur in jure. Dominorum erga familiares judiciũ.*
4. *Servis proponitur præmium in altera vita. Dominorum erga ſervos moroſitas. Illuſtratus Paulus.*

1 Dionyſ. Si, nota imprecationis.

Hæc etiam eſt juſtitiæ pars, quam nemo deſideravit in Iob. Notat autem Dionyſius illã particulã, *Si*, negative debere accipi pro, Nõ. Sed potuit hæc notatio prætermitti: nam eſt illa nota imprecationis tacitæ, ut ſæpe explicuimus. Ait ergo Iob, nõ ſolum aliis in alia cauſa, ſed etiam ſuis domeſticis, & familiaribus in propria cauſa judicem integerrimum ſe præſtitiſſe; & nõ tam alterius judicis ſententia, quam ſua probitate impulſum unicuiq; ſervo, & ancillæ jus ſuum reddidiſſe, & ut eleganter dixit Nicetas: *Inæqualitatem fugiebat ſupremus ipſe Princeps, atque magiſtratus.*

Iob ſervis æqualitatẽ ſervans.

Nicetas.

2 מאס

Si contempſi ſubire judicium. in Hebręo, *Si abominatus ſum*, vel, *Abhorrui*. vel cum Aquila: *Si abjeci*. quod affert nauſeã quãdam rei viliſsimæ, & abjectiſsimæ. Septuaginta dixerũt: *Si deſpexi judiciũ*, id eſt,

Aquila. LXX.

ſi deſpe-

Olympiodo. si despexi jus illorum. Quod Olympiodorus eleganter elucidat: *Servus meis liberæ orationis, & suæ causæ defendēdæ potestatem faciebam, ut si quid forte a me per injuriam in eos committi suspicarentur, audacter dicerent.* Simile, id quod Seneca scribit lib. 3. de Benefic. cap. 22. *Qui de injuriis Dominorum in servos audiat, positus est, qui & sævitiam, & libidinem, & in præbendis ad victū necessariis avaritiam compescat.* Oportuit enim, ut esset, qui iniquā dominorū insolentiā jure, & potestate cōprimeret. At Iob ipse judex sui, ipse patronus suorum servorum. Ergo non attendebat personam in judicio, ut abjectissimi hominis abjiceret etiam jus, sed ex jure, & æquo rem definiebat.

Seneca.

3 *Cum servo meo, & ancilla.* Tam justus erat Iob, ut ubi videtur non reperiri justū, videlicet inter servum, & Dominum, ibi tamen ille justitiam coleret: nam servus in jure *nullus* censetur, nulla illius qualitas, nullum jus, adeoque etiam servorum testimonium invalidū est. At optimi principis æquitas, & humanitas erga servos quoque relucebat. *Meminerimus.* (inquit Cicer. 1. de Offic.) *& adversus infimos justitiam esse servandam. est autem infima conditio, & fortuna servorum: quibus non male præcipiunt, qui ita jubent uti ut mercenariis ad operam exigendam, & justa præbenda.* Ergo in Iobū verissime illud cōvenit, quod ex Philosophiæ præcepto, scribit de Lucilio Seneca; *Familiariter cum servis tuis vivis. Hoc prudentiam tuam, hoc eruditionē decet. Servi sunt? Imo homines. Servi sunt? Imo contubernales. Imo humiles amici; imo conservi, &c.* Vbi pulchra alia de servorum conditione. Quamvis vero *judicium*, totū forensem strepitum ex proprietate vocis originalis significet, possetque non incommode intelligi, quod suas ipsius causas, si quid intercessisset cum subditis, & servis, committeret aliis judicibus, & Regiis cōsiliariis, verum melius videtur convenire, ut agat de privato, & domestico judicio, cum suas rationes ponebat cū servis suis, videlicet non mancipiis, sed familiaribus, atque domesticis: vox enim, *servi*, proprie significat quēcumque ministrū, aut quodcumque subditorum ministerium, etiam ingenuorum, atque liberorum. & vox *ancillæ*, quæ Hebraice dicitur *Amah*, domus fidelem, & fidam ministram sonat. Ergo videtur agere de mercede operariorū, famulorumque omnium minime fraudata: nos diceremus, *Que se ponia a razon, y cuēta cō los criados, y cō las amas de casa.* Atque adeo nihil incōmodi, si in universum de omnibus servis accipiamus; *Quibus uti ut mercenariis ad operam exigendā, & victū præbendū*, præscripsit in officiis Cicero. & *Servus* (inquit Seneca) *ut placet Crysippo, perpetuus mercenarius est.* & beneficium dare potest, *ubi benevolentia erga Dominum fortunæ suæ modum transit.* Neminem igitur sua mercede fraudavit.

Cicero. Seneca. ep. 47. שפט אבד אמה Seneca.

7 *Cum disceptarent adversum me.* Etiam in mea causa non timebant a mea potentia; & quamvis adversum me litigarent, non habebant me tamen adversarium, sed patronum, & judicem. Quod indicat illa lectio Septuaginta, quam affert Philippus: *Cum disceptarent apud me.* Quanquam nūc Vaticani legāt: *Cum litigarent mecum.* Habebant igitur servi, & ancillæ Iob suum quoque præmium in hac vita: nam cū fere Domini adversus servos insolescant, & nullum videantur habere in hac vita præmium; quippe tantum proposuit illis Paulus præmium in futura, scribens ad Ephesios. 6. 8. *Scientes* (inquit) *quod si boni quicquam fecerit homo, hoc reportaturus sit a Domino, sive servus fuerit, sive liber.* observavit hoc Chrysostomus, tum etiam illud pereleganter; Oportere aliquando, ut & Dominus serviat, moréque gerat suis servis: ait enim Apostolus: *Et vos Domini eadem facite illis.* eadem, *Quæ? Cum benevolentia servite, servit enim, & Dominus.* Hæc Chrysostomus. Quare non solū servi Iob apud illum, sed etiam *adversus* illum *disceptare* poterant, tum etiam, & pro se orationem reddere. Enim vero mirabilis est quorūdam Dominorū morositas, qui neque servos quidem coram se labra movere permittunt: *Virga* (inquit Macrobius ex conquestione Evangeli) *murmur omne compescitur, & ne fortuita quidē sine verberibus excepta sunt, tussis, sternutamentum, singultus magno malo luitur. Sic fit, ut isti de Domino loquantur, quibus coram Domino loqui non licet.* quæ fere sunt eadem Senecę verba Epistol. 47. Quare & Plutarchus lib. *De ira cohibenda*, præcipit, ut *servis etiam vapulātibus nō interdicatur facultas pro se dicēdi, atque peccatum suum excusandi*; quod quidē est permittere, ut *disceptent* cum Domino. Hujus sane generis est illa humanitas, quā in suo Trajano commendat Plinius; In illius enim causa, id est, in causa fisci, & ærarii, quæ est ipsa causa, & res Principis, licebat cuivis litē intendere, & disceptare adversus Imperatorem; *Dicitur Procuratori tuo, in jus veni, sequere ad tribunal: Quæ præcipua gloria tua est, sæpius vincitur fiscus, cujus mala causa nunquam est, nisi sub bono Principe. Ingens hoc meritum, majus illud, quod eos Procuratores habes, ut plerūque*

Philipp. LXX. Vaticani. Servis præmium propositum in altera vita. Chrys. Dominorum erga servos insolescens morositas. Macrobius. lib. 1. c. 11. Plutarch. Plinius in Panegyrico.

cives tui nō alios judices malint: Liberum autem disceptanti dicere, nolo eum eligere.

XIIII. *Quid enim faciam, cum surrexerit ad judicandum Deus, & cum quæsierit, quid respondebo illi?*

1. *Iudicis supremi consideratio, comprimit Dominorum erga suos servos morositatem. Illustrat Salomon, & Paulus.*
2. *Iudex nunc sedens, nunc surgens, quid indicet.*
3. Quærere *quid proprie.* Visitare.

1 ALtera pars hujus sentētiæ est alterius expositio. q.d. Quid faciam, & quid respondebo, cum judicaverit, & quæsierit Deus? Proponit autem rationem, qua se ipsum excitabat vir sanctissimus ad servādam æquitatem, non solum foris, sed etiā domi; considerabat nimirum Deum judicem, a quo ipse esset repulsam passurus, si ipse aliquando repulisset, atque abjecisset cujusquam causam, & jus. Atque hæc est illa Salomonis gradatio, qua vult Principes, atque magistratus continere in officio, & æquitate, quod Deum ipsi quoque habeant judicem, Eccles. 5. 7. *Quoniam* (inquit) *excelsior est alius, & super hos quoque eminentiores sunt alii; insuper & universæ terræ Rex imperat servienti.* & Sapientię 6. 2. *Audite Reges terræ, & intelligite, discite judices finium terræ, quoniam data est a Domino potestas vobis, qui interrogabit opera vestra, &c.* & Isaias. 10. 1. ad illos, *qui condūt leges iniquas,* ait; *Quid facietis in die visitationis?* & ad eosdem, qui contemnebant judicium miserorum, Ieremias ait. 5. 28. *Nūquid superbis non visitabo, dicit Dominus?* Quo Paulus Ephes. 6. 9. respexit: *Et vos Domini, eadem facite illis, scientes, quia illorū, & vester Dominus est in cælis, & personarum acceptio nō est apud Deum.* & Colossen 4. 1. *Domini, quod justum est, & æquum præstate, scientes quoniam, & vos Dominum habetis in cælo. Papæ* (inquit Chrysostomus ad Ephes.) *Quantam rem clanculum innuit? quomodo terruit? hoc est autem, quod dixit; Qua mensura mensi fueritis, eadem remetietur vobis.*

Consideratio Dei supremi Domini, & Iudicis, comprimit superbiā dominorum.

Chrys.

2 *Cum surrexerit adjudicandum;* quasi excitatus miserorū clamoribus, & querimoniis, propter mercedem fraudatam, aut iniqua onera crudelissime exacta; tunc enim, & mercenarii, & servi *clamāt* ad Deū Devteron. 24. 14. Iacob. 5. 4. Exod. 3. 24. *Ad judicandum* autem cum sæpe dicatur *sessurus super sedem majestatis suæ,* & *sedes ponendæ,* assessurique illi judicanti Principes Regni; at nunc dicitur *surrecturus ad judicium;* qui surgentis habitus, militantis, percutientis, comminantis esse solet. Cum enim *sedet,* indicatur rectitudo, & æquitas Divini judicii, nihil per incuriam, aut per oblivionem prætermittentis: Cum *surgit,* indicatur judicii severitas, & judicis pugnantis contra insensatos, cōspectus terribilis.

Matth. 19. 28. & 25. 31.

Apoc. 4. 2.

Deus nunc sedens, nūc stās in judicio.

3 *Et cum quæsierit,* proprie ex Hebræo; *Cū visitaverit.* Septuaginta: *Si visitationem aliquam faciat.* Nicetas: *Visitationem Divinā, castigationes ipsas, dicit.* Visitatio hæc superioris est erga subditos requirētis ab universa familia actorum, & agendorum rationem. *Quid respondebo?* q.d. obmutescā. Certe *servus* ille *nequā* nihil respondit homini Regi, dicenti: *Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me: nonne ergo oportuit, & te misereri conservi tui?*

פקד

LXX.

Nicetas.

Matth. 18. 32.

XV. *Numquid non in utero fecit me, qui & illum operatus est; & formavit me in vulva unus?*

1. Servus, & Dominus, *nomina non naturæ, sed fortunæ.* Facere, & formare.
2. *Ejusdem naturæ consideratio ad comprimendam superbiam. Illustrati Petrus, Ioannes, Lucas.*
3. Servi secundum carnem, *quid apud Paulum. Servorum commendatio. Servi animo. Illustratus Amos.*

HAec est altera ratio ex natura ipsa petita, quę dominis omne supercilium, fastidiumque adimit erga servos; nimirum quod omnium hominū natura sit eadem, & unus omnium creator tum animi, tum corporis. Cajetanus autem primā partem refert ad creationem animæ, secundā ad corpus. Sed quidem de toto homine utraq; pars accipienda; estque una alterius aut expositio, aut expolitio, aut simplex quædam repetitio, quæ frequenter fit in Scriptura; & rei, quæ dicitur, affert asseverationem quandam cum vehementia. De verbis autem *faciendi,* & *formandi* diximus abunde, cap. 10. super id: *Manus tuæ fecerunt me, &c.* nunc de sentētia ipsa. Verum enimvero qui dominatione, & dignitate insolescunt, ita solent exuere humanitatem omnem, ut quasi servi homines non essent, aut ipsimet superioris alicujus, Divinæque conditionis existerent, sic cum servis agunt, illorūque non conditionem modo, sed & naturam 1

Secunda ratio cōprimens superbiamdominorum.

Cajetan.

עשה

כון

Nomina Domini, & Servi non naturæ, sed peccati. fastidiunt. Atqui hæc nomina *servus*, & *Dominus* non sunt naturæ, sed *peccati*, ut Nicetas hoc loco dixit, eleganterque docuit Augustinus lib. 19. de Civita. c. 15. *Rationalem* (inquit) *hominem factum ad imaginem suam, noluit nisi irrationalibus Dominari, non hominem homini, sed hominem pecori. Inde primi justi, pastores pecorum, magis quã Reges hominum constituti sunt: ut etiam sic insinuaret Deus, quid postularet ordo creaturarum, & quid exigat meritum peccatorum: Cõditio quippe servitutis jure intelligitur imposita peccatori. Proinde nusquam Scripturarum legimus servum, ante quam hoc vocabulo Noe justus peccatum filii vindicaret. Nomen itaq; istud culpa meruit, non natura*. Eadem fere scripsit Gregorius, sed promovit paulusum. Albutius, & Phaneus lib. 4. controver. 22. dixerunt hæc nomina imposuisse fortunam. Ideoque Seneca rem eandem scribit lib. 3. de beneficiis cap. 28. Epistola 31. ad finem, & 77. Aristotel. lib. 1. politic. & Anaxandridas vetus poeta apud Atheneum libr. 6. Sed copiose atque eleganter Seneca Epistola 47. ex quo descripsit, dum inducit Prætextatum disputantem cum Evangelo, Macrobius lib. 1. Saturnal. cap. 11. *An forte* (inquit) *servos in hominum numero esse non patevis? unde in servos tantum, & tam immane fastidium, quasi non ex iisdem tibi, & constent, & alantur elementis: eandemque spiritum ab eodem principio carpant? Vis tu cogitare eos, quos jus tuum vocas, iisdem seminibus ortos, eodem frui cælo; æque vivere, æque mori? Servi sunt, imo conservi. Si cogitaveris tantundem in utrosque licere fortunæ: nam tu illũ videre liberum potes, quam ille te servum.*

Augustinus. Gregor. Servi, & Domini nomina fortunæ. Seneca. Aristotel. Anaxandridas. Macrob.

2 Sanctorũ modestia, & æqualitas erga alios servata. Hanc profecto eandem naturæ originem, atque infirmitatem respexit supremum illud Ecclesiæ caput Petrus, cũ procidentem ad pedes ejus adoraturum Cornelium Centurionem *Elevavit dicens, Surge, & ego ipse homo sum*, Actuum. 10. 26. Paulus quoque, & Barnabas Actuum 14. 15. Divinos illos honores a Lystrensibus sibi oblatos respuerunt dicentes: *Viri, quid hæc facitis? & nos mortales sumus similes vobis homines*. Atque adeo procidentem coram se Angelum, superioris licet naturæ, at ejusdem supremi creatoris, & Domini utriusque spiritualis, atq; corporeæ creaturæ, admonuit Ioannes semel, & iterum Apocalip. 19. & 22. *Vide ne feceris, cõservus enim tuus sum*. Quare eleganter monuit Clemens 3. Pædag. cap. 11. *Non utendum famulis, tanquam jumentis; atque æquitatem, patientiam, & benignitatem Dominis pulchre convenire.*

Clemens.

Sed quid est (inquis) quod ait Paulus Ephes. 6. 5. *Servi, obedite Dominis carnalibus cum timore, & tremore*? quod proprie ex Græco legitur: *Obedite Dominis secundam carnem*. ubi videtur significari illa naturæ inæqualitas. Minime vero: nã potius triste servitutis nomẽ delinivit, temperavitque Paulus brevis servitutis nomine, & spe: *Nomen* (inquit Chrysostomus) *duntaxat servitutis habes, Dominium istud juxta carnem est, temporale, ac breve: nam quidquid carnale est, fragile est, ac marcidum*. Ergo quod, *secundum carnem*, dixit, non naturã, sed temporis, & vitæ conditionem significavit. Tum etiam illud, quod *secundũ carnem*, inferius, & ignobilius est, esse posse secundum animum, & secundum virtutẽ vere ingenuum ac liberum, vereque nobile: Animo sane *servus sapiens dominabitur filiis stultis*. Proverb. 14. 15. & iterũ. *Servo sensato liberi servient*. 17. 2. ubi Septuaginta legunt; *Servus intelligens reget Dominos stultos; in fratribus autem dividet partes*. In quam rem convenit illud Senecæ Epistola 37. *Quemadmodum stultus est, qui equum empturus, non ipsum inspicit, sed stratum ejus ac frænos: sic & stultissimus est, qui hominem, aut ex conditione, quæ vestis modo nobis circundata est, æstimat. Servus est? Sed fortassi liber animo. Servus est? hoc illi nocebit, alii non nocebit.* Quod re ipsa confirmatum videtur in Mycitho illo servo ad regẽdum, & imperandũ nato, cujus præclarum virtute animum Prætextatus ille his verbis describit: *Duas virtutes, quæ inter nobiles quoque invicem claræ sunt, in uno video fuisse mancipio, imperium regendi peritiam, & imperium contemnendi magnanimitatem. Anaxilaus enim Missenius, qui Messanam in Sicilia condidit, fuit Rhegynorum Tyrannus. Is cum parvos relinqueret liberos, Mycitho servo suo commendasse contentus est. Is tutelam sancte gessit, imperiumque tam clementer obtinuit, ut Rhegyni a servo regi non dedignarẽtur. Perductis deinde in ætatẽ pueris, & bona, & imperium tradidit, ipse parvo viatico sumpto profectus est, & Olympiæ cum summa tranquillitate consenuit*. Præclara deinde multa illustrium doctrina, & Philosophia, servorum exempla profert, non enim usque quaque illud verum est, quod quidam proverbio dicunt, *Servis dimidiũ ingenii abstulisse Iovem*. quod indicavit Homerus illis carminibus, quæ Clemẽs Alexandrinus lib. 4. Stromat. refert:

Altitonansque viro, virtutis Iupiter aufert
Dimidium, quem alii misere servire necesse est.

3 Pauli locus de servorum obsequio illustratus. Breve servitutis nomen, & officium. Chrysostomus. Seneca. Macrob. Servus, idem Rex. Clemens. Homerus.

Sed hæc interpretatur Clemẽs de iis, qui animo ſervi ſunt, venundati ſub peccato. Perſequitur Prætextatus egregias alias ſervorum virtutes plurimorũ, atque efficere conatur multos eſſe, non ſolum vulgari benevolentia, ſed etiam amicitia, & familiaritate ſuorũ Dominorũ digniſſimos, non raro etiam virtute, & animo ſuperiores; ad eos enim, qui ingentibus ſceleribus veram animi nobilitatem amiſerant, dictum eſt: *Numquid nõ, ut filii Aethiopum vos eſtis mihi, filii Iſrael, ait Dominus?* Claudo rem hanc eleganti illa Senecæ ſententia lib. 3. de beneficiis. poſtquã enim cap. 18. propoſuit quæſtionem, An beneficium dare ſervus Domino poſſit; reſpondetque, dare utique aliquãdo poſſe, ſubjungit cap. 20. *Errat, ſi quis exiſtimat ſervitutem in totum hominẽ deſcendere. Pars melior ejus excepta eſt. Corpora obnoxia ſunt, & adſcripta Dominis: mens quidem ſui juris, quæ adeo libera, & vaga eſt, ut ne ab hoc quidem carcere, cui incluſa eſt, teneri queat, quominus impetu ſuo utatur, & ingentia agat, & in infinitum comes cæleſtibus exeat. Corpus igitur eſt, quod Domino fortuna tradidit, hoc emitur, hoc venditur; interior illa pars mancipio dari non poteſt; ab hac quidquid venit, liberum.*

Servorum egregiæ virtutes.

Amos. 9. 7.

Improbi, mãcipia.

Seneca.

Animus natura ſua liber.

XVI. Si negavi, quod volebãt, pauperibus, & oculos viduæ exſpectare feci.

1. *Iob occurrens deſiderio pauperum. Petendi magna moleſtia.*
2. Oculi deficientes, & exſpectantes, *cujus rei ſymbolum.* Deficere *pro deſiderare, Illuſtratus David.*
3. Exſpectare *quid proprie. Pauperes non deludendi vana ſpe. Cito dandum. Illuſtratus Salomon.*

1 Mirabile quodam ſtudium, & ſenſum cõmiſerationis, quo pauperes proſequebatur, nunc explicat Iob: nõ ſolum enim petentibus munificum, & liberalem ſe præbebat; ſed etiam minime exſpectata viduæ, ac pauperis deprecatione, rebus neceſſariis illos ſublevabat; & non ſolum petitioni, ſed etiam voluntati, deſiderio, oculis atque exſpectationi miſerorum ſatisfaciebat, ut qui a petendo, & deprecãdo, vel præ pudore, vel difficultate alia impediebantur, non ideo rebus neceſſariis deficerent. Septuaginta: *Impotentes, quacũque aliquando re opus habebãt, non ſunt fruſtrati.* videlicet imitabatur Deum optimum, *qui deſiderium pauperum exaudit, & præparationem cordis eorum.* id eſt, non ſolum petitionem ipſam, ſed etiam primum petendi affectũ pręſtita ope proſequitur. Laudatur quidem in Alexãdro illo Severo (auctore Lampridio) quod eos appellaret, *Qui nihil peterent, dicens: Quid eſt, cur nihil petis?* In Chriſtiano illud maxima laude dignum, quod etiam non petẽtem ſublevet nõ ſolum egeſtate, ſed & petendi labore, & moleſtia.

Sanctorũ munificentia in pauperes.

LXX.

Pſal. 9. 42.

Alexandri Severi humanitas.

Lampridius in Severo.

2 *Et oculos viduæ exſpectare feci.* Septuaginta: *Viduæ oculum non tabefeci.* Quod Nicetas interpretatur: *Non ſum paſſus egeſtate, aut lacbrymis, aut aſsiduo oculorum conjectu, intentioneque contabeſcere; quod ipſum accidiſſet, ſi nec rerũ, quas optabant cõpotes fuiſſent, nec non deſpectæ fuiſſent.* Ex Hebræo proprie legitur: *Oculum viduæ non conſumpſi,* vel, nõ feci, ut deficeret. Vnde dicitur: *oculus deficere.* Pſal. 118. 82. & 123. Ierem. 14. 6. Eſt autem hujuſmodi, oculorum deliquium conjunctũ cum deſiderio, & exſpectatione. Sic enim Pſ. 83. utrumq; conjungitur, *Concupiſcit, & deficit anima mea.* Quod ex Hebræo legitur: *Concupiſcit, & deſiderat.* Quia autem cum vehemẽti animi deſiderio, cõjũctum eſt etiã animi deliquium, & defectus, & cũ defectu animi defectus quoque oculorum, ideo *deficiẽtes* & *exſpectantes oculi* ſymbolum ſunt deficiẽtis præ deſiderio animi: quia autem miſerorum oculi nõ tam reſpiciunt in vultum potentiorum, quam in illorũ manus; *Oculi enim ſervorum in manibus Dominorum ſuorũ, & oculi ancillæ in manibus Dominæ ſuæ.* Pſal. 22. Ideo etiam *oculi viduæ* in manus Iobi reſpicientes, non ſunt fruſtrati deſiſiderio, & exſpectatione.

LXX

Nicetas.

כל[illegible]

Oculorũ deliquium. deſiderium, exſpectatio.

Complutenſes.

Miſerorũ oculi in manu divitum.

3 Sed eſt in illo *exſpectandi* verbo peculiaris ſenſus: nam ſunt nonnulli, qui quãvis miſeris, atq; egenis non ſtatim negẽt poſtulata, vana tamen ſpe illos deludunt: & cum bis dat, qui cito dat, ipſi nunquam larguintur, quod non niſi tardiſsime larguintur. Illud enim habent in ore; *Vade, & revertere, & cras dabo tibi, cum ſtatim poſſint dare.* Elegãter itaque Tygurina hunc locum legit: *Si viduas lactavi vana ſpe.* Statim igitur ſubveniebat pauperi, atque *hilarem datorem* ſe præbebat; neque non illud Sapientiæ præceptum egregie prȩſtabat: *Cor inopis ne afflixeris, & non protrahas datũ anguſtiãti.* In moroſos enim, & tardos largitores, *verbis glorioſos, & promiſſa nõ cõplẽtes,* quadrat, id, quod Democritus audiẽs quendã multa magnificis verbis, ſed mẽdaciter promittentẽ, dixiſſe fertur: *Conare*

Moroſus, & tardus largitor.

Prov. 8. 28.

Rom. 12. 8. 2. Cor 9. 7.

Prov. 35. 14.

Stobæus.

(inquit) *ad exigua largiendum, quam ad plurima promittendum esse proclivior.*

Forte vero significat Iob, tantũ abfuisse, *ut oculos viduæ exspectare faceret*, ut potius ipse exspectaret viduam, cui occurreret, & re necessaria cumularet. Didicerat nimirum ab Abraham parente, cujus oculi exspectabant egẽtes, & peregrinos, de quibus bene mereri posset; hoc illud est, *Sedenti in ostio tabernaculi, cum elevasset oculos suos, apparuerunt ei tres viri, quos cum vidisset, cucurrit in occursum eorum.* Genes. 18. 1. 2. Didicit uterq; ab illo totius bonitatis auctore, de quo Scriptũ est; *Exspectat Dominus, ut misereatur vestri; beati omnes, qui exspectant illum.* q. d. Prior ille exspectat, prior desiderat bene de nobis mereri, ac nostrę necessitati, desiderio, exspectationi occurrit.

Isaic. 30, 18.

XVII. *Si comedi buccellã meã solus, & non comedit pupillus ex ea.*

1. *Pupilli genus miserrimũ. Buccella quid propr. De proprio pane largiendum egeno. Illustrans Isaias, & Lucas.*
2. *Beneficia ab eo qui confert, extenuanda.*
3. *Vocandi pauperes ad mensam.*

1 PVpilli genus miserrimum, ut qui interdum neque quærendi, neque vero petendi artem noverint. hos etiam necessario victu sublevabat Iob. *Buccellam*, alii. *Panem*, vel *cibum meum*, Sed epitasim habet *Buccellæ* nomen. q. d. neque meo proprio victu ita me refeci, quin illius partẽ caperet orphanus; non solũ cadentes de mensa micas illis permittebam. Nicetas; *Vide quanta hæc sit misericordia, qui vel perexiguam panis particulã partiatur egentibus.* Discant igitur Domini, non solũ particulari quodam alio furfuraceo, acerofo, secundario, vilissimoq; pane sustẽtare egenum, sed parte etiã sui ipsorum victus, ipsiusque panis similacei, nivei, & primarii, & aliquando etiam in signũ charitatis *intinctam* propria manu *buccellam* porrigere. Sicut enim hoc loco Iob suam *buccellã* communicabat pauperi, ita & Isaię. 58. 7. jubetur dives, *Panem suũ frangere esurĩeti.* & Tob. 4. 17. *Panẽ quoque tuum cum esurientibus, & egenis comedere.* Atque hoc sane illud videtur Luc 36. 11. cum ipsas paratas nobis vestes, & cibos jubemur communicare non habenti; *Qui habet duas tunicas, det unã non habenti: & qui habet escas, similiter faciat.* Atque illud etiã non solum charitatis, & liberalitatis, sed urbanitatis etiam, & insignis animi demissionis, & modestiæ est, quod *buccellã* dicit; cu ingentibus beneficiis, & minime parco victu de orphanis bene mereretur. Multo enim majora, gratioraq; beneficia fiunt, cũ extenuantur ab eo, qui confert. Cujus rei in Lacedæmoniis exemplum scribit Plutarchus: nam cum *Smyrnæis egentibus ingentẽ commeatum misissent: Nihil magni est* (inquiunt) *hæc enim collegimus unius die prandio nobis, & jumentis detracto.* Multo gratius Iob: Nihil (inquit) magni est, quod accipiunt pupilli ex mea mensa: *Buccella*, ac ne *buccella* quidem, sed buccellæ pars, dimidiumve. Digna, veraque Abrahami progenies, qui cum *vitulum tenerrimum, & optimum, butyrum, & lac* apponeret suis hospitibus, id est, quicquid optimũ, & delicatum domi habebat, at *buccellam* tantũ *panis*, profitetur esse, Genes. 18. 5.

Cajetan. Tigur.

Nicetas.

Delicatus etiam panis cõmunicãdus egentibus.

Ioan. 13. 26.

2 Beneficia col|lata extenuare liberalitatis, & modestiæ est.

Plutarchus in Lacon.

3 Illud tandem, forsan adhibuisse ad mẽsam pauperes, atque pupillos. quod indicat Gregorius: *Communio* (inquit) *conversationis esse cum talibus intra domesticos parietes debet, ex quibus æternæ proficiant merita retributionis, unde sanctus vir non quemlibet, sed ad manducandum socium pupillum se habuisse perhibet.* Quod idem faciendũ præcipiebat Tobias senior juniori. 4. 7. *Panẽ tuum cum esurientibus, & egenis comede.* Implebat igitur sancti, quod pręscripsit Christus Dominus Luc. 14. 13. *Cum facis convivium, voca pauperes, & debiles, claudos, & cæcos, & beatus eris.*

Gregor.

XVIII. *Quia ab infantia crevit mecum miseratio, & de utero matris meæ egressa est mecum.*

1. *Varia lectio. Infantes expositi adoptandi.*
2. *Crescere quid. Iob puer adhuc generosam suscepit orphanorum prolem. Misericors imperio dignus.*
3. *Indoles optima, Dei beneficium. Indoles pessima.*
4. *Iobi modestia in extenuandis præclare gestis signum prædestinationis.*

1 INter præclara misericordiæ opera pręclara quoq; hæc sentẽtia per parẽthesim interjecta est. Quia autem paulo obscurior est in Hebræo, pullularunt diversi sensus: nam ex verbo legitur; *Ab infantia crevit mecum, tanquam pater.* Sed *quid creverit*, subticetur. Et Septuag. quidem subintelligere videntur *pupillum*, aut *pauperẽ* quos ipse sua buccella reficiebat: nam legunt: *Quoniam a juventute mea enutriebã, ut pater.* Similiter Vatab. in prima parte *Orphanũ* intelligit, in secũda *Viduã*, quę cũ egrederetur ad op⁹ suũ, ipsum Iob habebat

Varia lectio, & expositio.

LXX.

Vatab.

ducem, & patronum. Sic igitur infantes expoſiti, & orphani apud illum tanquam apud patrem enutriebantur.

2 Vera, & ſimplex expoſitio. Sed Interpres, cum res eſſet de benignitate, & commiſeratione, illã ipſam prępoſuit huic ſentẽtiæ: Miſericordia, & benignitas non ſolum ex virtute, & ſtudio, ſed ex naturę quadam propenſione innata mihi eſt, & hæc ſemper ab infantia crevit mecum; ita ut indies adoleſcente natura, incrementa etiã caperet humanitas, & pronitas ad benefaciẽdum. Poteſt quidem verbum ipſum originale *Creſcendi*, גדל active legi, & cum proprie ſignificet *Magnificare, exaltare enutrire*, commode diceremus, Magnificavit me, exaltavit me, enutrivit, videlicet quod propter beneficẽtiam, omnes illum etiam adhuc puerũ colerent, & amarent: tũ etiam libenter illi Regnum, & imperium detulerint, ſicut dicebat David, *Pſal. 111.9.* *Cornu* (id eſt, Regiã, & præcelſam dignitatem) *ejus, qui miſeretur, & commodat, exaltandum in gloria.* Illud etiam ſignificat adeo fuiſſe miſericordem, ut ipſius miſericordiæ uberibus, & lacte nutritus, & educatus videretur, atq; adeo puer adhuc erat tanquam pater orphanorum: Nemo enim in illa ætate deſideravit vel ſenile conſilium, vel paterna viſcera. Tũ etiam cum indies creſceret præclaris miſericordiæ facinoribus, creſcebat etiam puer ſanctiſsimus copioſa generoſaq; ſobole pupillorũ, miſerorumque, quos adoptabat. *Puer miſericors, pupillorum adhuc parens.*

3 LXX. *De utero matris meæ egreſſa eſt mecũ.* Septuaginta proprie ex Hebræo: *De ventre matris meæ dux eis fui.* Sed ſenſus idem: nã qui egreditur cum aliquo, illum ducẽ ſequitur. Quocumque igitur (inquit) pergerẽ, illam mecum deducebam itineris, & mearum omniũ actionum comitem. Hæc eſt illa optima, Dei beneficio, puerorum indoles, & ad peculiares quaſdã virtutes, naturæ propenſio, & pondus. juxta id Eccleſ. 1. *Initium Sapientiæ timor Domini, & cum fidelibus in vulva concreatus eſt.* Stoicorum ſane *decretum eſt*, referẽte Plutarcho, *Diſci poſſe virtutem, principiũque ejus eſſe bonam indolem.* Sicut & ſunt quædam in pueris peſsimę indolis, crudelitatiſque documenta, quod in proverbio Hiſpano pereleganter eſt; * Carduus, qui aliquando punget, tener adhuc cum ſpinis naſcitur: Hi profecto *errant a vulva, & ab utero.* At Iob non minus, quam ille, qui de ſe dixit, *Puer ingenioſus eram, & ſortitus ſum animã bonam*; ſortitus quoque fuit indolem optimam.

Puerorum indoles. — *Plutarch. libr. de Homero.* — * El cardo, q̃ ha de picar, luegonace cõ eſpinas. *Pſalm 57.4. Sap. 8.19.*

4 Licet hoc loco viri ſanctiſsimi modeſtiam, & animi demiſsionem mirari, quod cum in miſericordiæ operibus multum ipſe poſuerit ſtudii, & induſtrię, at illa valde extenuat, cum nõ tam virtuti tribuat, quam naturæ, atque naturæ conditori. Gregorius: *Conſtat, quia ſuæ virtuti nihil tribuit, qui profecto teſtatur, quia hoc ex conditoris munere accepit. Quia ſicut ſuo opere in utero conditus non fuit, ita nec ſua virtute ab utero pius fuit.* *Iobi modeſtia in extenuandis egregiis ſuis facinoribus.* *Gregor.*

Secundo obſervandum, ſignum Divinæ prædeſtinationis hoc loco indicari a Gregorio; cum primæ ætatis ſtudia virtutum tẽpore, & ætate non langueſcunt, ſed creſcunt indies: *Electis* (inquit) *cum foris ætas corporis, intus, ſi dici liceat, creſcit ætas virtutis.* *Signum prædeſtinationis* *Gregor.*

Tertio non incommode etiã hanc ſententiã referri a Niceta, & Evagrio ad doctrinæ, & ſanctę inſtitutionis ſtudium, quo adoleſcentiores a primis annis informabat, & tandiu illos manu ducebat, dum opera aliena nõ magnopere egerẽt; quod Principe ſapiẽtiſsimo digniſsimum erat. *Nicetas. Evagrius.*

XIX. Si deſpexi pereuntem, eo quod non habuerit indumentũ, & abſque operimento pauperem.

XX. Si non benedixerunt mihi latera ejus, & de velleribus ovium mearum calefactus eſt.

1. *Non deſpiciendus egenus, ſed ſervanda humilitas in eroganda eleemoſyna. Illuſtratus Eccleſiaſticus.*
2. *Vera lectio. Statim ſuccurrendum egeno.*
3. Latera *quid proprie. Explicatus Moyſes, & locus Regum.*
4. Benedicere *ad abundantiam, & copiam. Inanimatis quomodo benedicendi vox tributa. Eleemoſyna per ſe ſe vocalis, etiam tacito, & ingrato paupere. Illuſtrati Salomon, & Lucas.*
5. *Eroganda eleemoſyna de proprio, non de alieno. An etiam de* mãmona iniquitatis?

Eleganter, *deſpexi*, quod in in Hebræo eſt: *Si vidi*, id eſt, ſi ita aſpexi, ut deſpicerem, nihilque curarem: ſi cum viderẽ nudum non ſubſtiti, ut opem, atque veſtimẽtum afferrẽ. Obſervat Gregorius hoc loco Iobi humilitatem juxta ac pietatem erga indigentiã inopũ: *Nam ſunt* (inquit) *nonnulli, qui mox ut ab egenis fratribus fuerint neceſſaria poſtulati, poſt dona largituri, prius in eos contumelioſa verba jaculantur: nec magni eſt operis, quod poſtulata tribuunt, quia ipſo donationis ſuæ munere vix eundem* 1 ראה *Gregor.* *Superbia procul arcẽda ab eleemoſyna.*

excessum sermonis legunt. Quibus bene per *Ecclesiasticum dicitur* cap.18.15. 16.17.18. *Fili mi, in bonis non des querelam, & in omni dato non des tristitiam verbi mali. Nonne ardorem refrigerabit ros? sic & verbum, melius quam datum. Nonne ecce verbum super datū bonum? Sed utraque cum homine justificato, Stultus acriter improperabit, & datus indisciplinati tabescere facit oculos.*

2 *Pereuntem.* Hæc vera, & germana lectio, nam maculosa est illa, quam fere Latini omnes habent post Gregorium, & Philippum; *Si despexi prætereuntem.* Ergo indicatur nudus periens præ frigore, & nuditate. Indicat vero, statim necessaria veste sucurrisse nudis; & quem semel egētem vidit, nunquam iterum simili incommodo laborantem vidisse: nam Hebræa etiam sonant; *Si videbo pereuntem.* statim igitur subveniendum nudo, statim, ut videris, ne iterum (quod ab humanitate alienum est) videre contingat. *Cum videris* (inquit Isaias) *nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris.*

Germana, & correcta lectio.

Isaia. 58.7.

3 *Si non benedixerunt mihi latera, &c.* Septuaginta: *Humeri*: Tygurina: *Fæmora*. proprie Pagninus, & Regia, *Lumbi.* quo etiā modo vertit Interpres Genes. 35.11. Quæ eadem vox vertitur *Spolia*, aut *nuncupatoria*, sive *vestes*, aliis locis. hac forte analogia, quod vestes præcingi circa lūbos soleant. Quare ab hac ipsa radice dicitur Numer. 32. 17. *Armati* (vestiti, aut præcincti circa lumbos) *& accincti pergemus*; & 2. Reg. 2.21. *Tolle tibi spolia ejus.* vel, ut alii legunt: *Sume tibi armaturam ejus.* vel alii, *Lumbare.* videlicet ornamentum lumborum, aut præcinctorium militare. Itaque *Lumbi* illi sunt, quos minime nudos esse oportet, & quos ornamenta, & vestes decent maxime. Atque forte Iobus intelligit, *Infirmiora nostra*, quibus, ut Paulus dixit, *abundantiorē honorē circundamus.* Nisi forte Synecdochicos, partē sumpsit pro toto homine. Interpres autem *latera* dixit, partes videlicet molliores, & imbecilliores, quibus a frigore majus periculum.

LXX.

חלץ

Pagnin. Regia, Tygur. Vatabl.

Varia lectio.

LXX.

1. Cor. 12. 23.

Synecdoche.

4 Sed quid illud est, *latera benedicere?* simplex, & germanum, ipsos mendicos benedicere, & bene precari Iobo propter sua ipsorum latera, & nuditatem confota, & concalefacta. Tum etiam rem ipsam, atque eleemosynam, etiam nemine loquente, loqui, & clamare, & egregiam viri beneficentiam prædicare. Quod si eleemosyna tā est per se se vocalis, recte monuit Christus Iesus, inane esse studium hypocritarum, cum *faciunt eleemosynam, tuba canēdi ante se.* Præterea nulla mendicorum ingratitudo, vel oblivio debet nos retrahere a benefaciendo: nam præter quā, quod ex eleemosyna, & misericordia nostra multi excitentur ad benedicendum nobis (sic enim inanimatis tribuitur sensus benedicendi) res tamen, & eleemosyna ipsa licet inanimata, Deo tamen loquitur, ac precatur nobis a bonorum omnium largitore, parem, imo multo copiosiorē gratiam, & ex velleribus ovium datis pauperibus, quot alia vellera, bone Deus, quot oves provenient liberali, benefico! eam enim præabundantiam, & copiam affert verbum *benedicendi.* Hoc illud est Eccles. 29.15. *Cōclude eleemosynam in sinu pauperis, & hæc pro te exorabit* (etiam paupere tacēte) *ab omni malo.* & Proverb. 19.17. *Fæneratur Domino, qui miseretur pauperis, & vicissitudinem suam reddet ei.* Atque eo videtur futura hæc gratiæ, & eleemosynæ retributio certior, & copiosior, quo mendicus obliviosior, & impotentior fuerit. Iā enim tunc videtur totū onus retribuendi in Deum pauperis vadem refundi, ut manifeste docuit Christus Dominus Luc. 14. 13. *Cum facis prandium, aut cœnam, noli vocare amicos tuos, &c. Ne forte, & ipsi te invitēt, & fiat tibi retributio. Sed cum facis convivium, voca pauperes, debiles, & claudos, & cæcos, & beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in resurrectione justorum.*

Sermo tributus ipsi eleemosynę, & rebus inanimatis.

Matth. 6.2.

Mēdicorū ingratitudo non debet nos retrahere a largiendo.

Benedictio affert copiam.

ברך

Deus vas pauperis, & eleemosynæ retributor.

De velleribus ovium mearum, &c. Philippus observat, doceri hoc loco eleemosynā non de alieno, sed de proprio fieri debere, sicut Scriptum est; *Frange esurienti panem tuum.* & iterum; *Honora Dominum de tua substantia, & de primitiis frugum tuarum da pauperibus.* 5

Philipp.

Isaia. 58.7.

Prov. 3.9.

Cum hoc tamen videbitur prima facie pugnare id Luc. 16.9. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* Quasi præcipiat Dominus, de injustis etiam, & inique partis, retentisque divitiis eleemosynas facere. Sed respondet Augustinus in qq. Evang. nequaquam id præcipi, ut ex injuste partis; sed bene quidem ex injuste retentis: nā si divitias illas, quas homo bono titulo possidet, retineat, & abscondat, cū pauper indiget, jam iniquæ, & injustæ appellari poterūt. Ergo ne iniquæ divitiæ sint, erogandę & communicandæ sunt, atq; facieda eleemosyna, quā nisi largiaris, erit iniqua apud te cōclūsa, & pauperi negata

An de injuste partis largienda eleemosyna?

Augustin.

Vers. XXI. *Si levavi super pupillum manum meam, etiam cum viderē me in porta superiorem.*

1. Elevatio manus *habitus comminantis aut percutientis.*
2. Porta *pro judice, & magistratu, Iustitia non utēdum severe.*
3. Humerus, & junctura *quid prop. Varia lectio.*
4. Os *quid in Hebræo.* Canna *quid apud Hebræos, & Latinos.*
5. Membra, *quibus perpetratum flagitium, affecta digna supplicio.*

I SI *levavi manum meā.* Manifeste ad malum pertinet iste habitus *elevandi manum*; & ad minas intentas contra pupillos referri potest, sicut, & id Isaiæ 5. 8.9. *Si desieris extendere digitum, & loqui, quod nō prodest.* nam digito, aut manu sublata, & appressa pectori, aut fronti, solemus alicui comminari. hoc placuit Tygurinæ, & Cajetano. Sed frequētius, *Levatur manus*, vel ad percutiendum, vel ad alterius bona capienda. Ergo ait, Nunquam se abusum potentia, & robore, vel ad inferendā injuriam, vel ad detrahēda spolia miserorum, etiam si videret se in *porta superiorē*.

Tygur. Cajetan.

2 Septuaginta fere juxta Hebræum: *Confidens, quia mihi est adjutorium multum.* id est, etiam si magistratus, & optimates Reipublicæ illius partes agerent, & pro sua ipse potestate neminem timeret. De hac autem potestatis, & magnitudinis cū æquitate, & modestia conjunctione, diximus sæpe. Gregorius existimat asserere Iob etiam cum juste, & jure posset infirmiores ad rem aliquam severius adigere, & compellere, noluisse tamen urgere pupillum. Sunt enim plerique, qui licet nihil injuste conari velint, at si semel intellexerint jure aliquid posse, mirū quā severe exigant, & quam immaniter repetant! *Redde quod debes.* Gregori⁹: *Nec tunc utilitatis meæ negotia virtute contra pupillum exequi volui, quando me in judicio etiam ex justitia potentiorem vidi.*

Potentia cum æquitate conjuncta.

Gregorius.

Iniqui, & plus nimio severi sui juris exactores.

Matth. 18.28.

XXII. *Humerus meus a junctura sua cadat, & brachium meum cum suis ossibus confringatur.*

3 HAec est prima imprecatio differtis verbis proposita, sceleri ex æquo respondens, ut statim explicabimus. *Humerus*, superior brachii pars, *armus meus*, Pagnin. Regia, Cajetanus dixerunt, *Latus meum.* Exponit autem Cajetanus, *Latus*, dici partem illam, quæ diviso toto homine in quattuor partes sub humero pēdet. Legunt igitur, *Latus ab humero cadat.* Vox quidem originalis juxta subjectam materiam, nunc *Latus* vertitur, Exod. 27. 14. nunc *Scapula*, Zachariæ 7. 11. frequenter tamen vertitur *Humerus*, Devter. 33. 12. Ezechielis 12.6. Isaiæ 11.14. Rursus eadē vox, quæ vertitur *Humerus*, accipitur pro ea vestimenti, aut corporis parte, quæ circa humeros est, & in vestibus dicitur, *ora*, Exod. 28. 7. Qua significatione etiam sequens pars, quæ vertitur *junctura*, vertitur *Humerus*, vel *scapula* Genes. 9.23. Genes. 49.15. Genes. 21.14. Hoc autem loco eleganter dicitur *junctura*, quæ videlicet est humeri, vel brachii jūctura cum collo. Symmachus. *Summum humerum* dixit, vel *summitatem scapularum*. Theodotio autē, *Cervicem*, jugulum, aut claviculam. Augustinus: *Discedat Humerus a jugulo*, decidat, avellatur, tanquam languidū, & aridum.

Pagnin. Regia. Cajetan.

שכם

Varia lectio.

Latus, vel humerus quid.

Symmach. Theodotio. August.

4 *Et brachium meum cū ossibus suis confringatur.* Septuaginta, *A cubito confringatur.* juxta Hebr. legitur: *a canna cōfringatur*, consonante voce originali, *Cane*, quæ significat idem, quod Latine *Canna*, aut *Calamus*, videlicet fistulam, vel os brachii, *La caña, o la canilla del braço.* quia videlicet os brachii refert calami, vel fistulæ similitudinem. & similiter etiam significat calamū aromaticum, quē vocamus *Canela.* Quare Hebræi vocāt: *Calamum brachii.* existimat autem Kimhi, & cum illo R. Mardochai, Vatablus, & quidam alii Hebraizātes, esse os a nodo, vel flexura cubiti usque ad humerum. Sed ego multo melius convenire video in alterū os, a cubito usque ad manum, ut sit hęc secunda pars, paulo diversa a priori, quæ de superiori brachio agebat, hęc autem de inferiori, quam vel *radium*, vel *brachiale* videtur appellare Ruffus Ephesius de appellatione partium corporis humani lib. 1. cap. 11. & Theophilus de fabric. corporis humani cap. 9.

LXX. Pagn. Regia. Cajet. Vatabl.

כנה

Canna apud Sacros, profanos quid.

R. Chmhi, & Mard. Vatabl.

Ruffus Ephesi. Theophilus.

5 Est vero in hac Iobi imprecatione illud perelegans, ut pœna culpæ respondeat, atque illud ipsum membrum pœnę subjiciatur, per quod Tyrannidem, & sævitiā in pauperes Tyrāni exercent, quæ igitur man⁹ inique levatur, cadat, bracibiū, quod vires exerit, quod percutit, quod confringit, *confringatur.* Et, ut ille dixit, *Fumo puniatur, qui fumum vendit.* Manus quōdam præcidebantur ejus, qui impie parentem verberare, aut tangere ausus esset, Referunt Cujacius lib. 7. observat. cap. 16. Pet. Faber lib. 3. Semest. c. 19. Similis lex illa *Sacrilego præcidantur manus*; quam versat Seneca, quā aut alienę domus destructori Iustinianus sanxit Nov. 135. 134. & in novo jure multis in locis, qui alterius arū dinetо, aut vineę sępi ignē immisisset, manus cauterio, & stigmate signari, L. Ruft.

Pœna sceleri, & membro peccanti adhibita.

Lamprid. in Alex.

Cujacius. P. Faber, Sen. lib. 9. cōtro vers. cōtrov 4.

Iustinianus. Incendiariorum pęna.

Adulterorum pœna castratio. Diodorus. Horatius. Plautus. Terentius. Martial. Valerius M. Lampridius.

tit. 11. de Incend. §. 3. 5. 6. Denique adulteris, & mœchis, & hujus farinæ hominibus, naturæ opprobrio, pœna castratio apud Aegyptios, ut scribunt Diodor. Siculus lib. 1. cap. 2. Horatius lib 1. Epistol. 15. & 1. sermon. Sat. 2. Plaut. in Pœnulo act. 4 Scen. 2. Terent. in Eunuch. Martial. lib. 2. Epigram. 60. Valer. Maxim. lib. 6. cap. 1. Lamprid. in Heliogab. Sæpe itaque membra, quæ quidpiam admiserunt, pari, dignaque pœna puniuntur.

XXIII. *Semper enim, quasi tumentes super me fluctus, timui Deum, & pondus ejus ferre non potui.*

1. *Divini timoris efficacitas. Fluctus quid proprie. Abjiciuntur cuncta ex Dei timore.*
2. Pondus, onus ut de ingentibus minis. *Deus paratus comprimere Tyrannos.*
3. Pondus, *de supplicio æterno, aut temporali.* Lapis probationis, *qui.*

1 Job timens Deum. LXX. אֵיד

NIhil (inquit) meæ virtuti, laudive tribuendum, sed Dei timori, quo ille meas carnes confixit, quo semper in officio, & recto continuit me. Septuaginta: *Timor Domini continuit me. Tumentes super me fluctus*, proprie est in Hebræo; *Contritio, interitus afflictio, calamitas*. His enim modis omnibus solet Interpres vertere originalem vocem. Sed quoniam videtur esse ejusmodi calamitas, atque pernicies, quam tempestas efficit, aut nubes, aut imber, recte per paraphrasim Interpres dixit, *Tumentes fluctus*, qui valde formidabiles sunt. Est vero hoc loco utilis, ac pulchra Gregorii consideratio: *Fluctus* (inquit) *cum tumentes desuper imminent, cumque eam, quam deferunt mortẽ, minantur, nulla tunc navigãtibus rerum cura tẽporalium, nulla carnis delectatio ad mentem reducitur. Ea ipsa quoque ex navi projiciunt, pro quibus longam navigationem sumpserunt. Cũctæ res in despectũ mẽtis veniunt amore vivẽdi. Quasi ergo tumentes super se fluctus Deũ metuit, qui dum veram vitam desiderat, omnia despicit.* Ut videatur Nauclerus sapiẽtissim⁹ dicere improbis periclitantibus, & naufragãtibus; *Quis est homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos?* Projicienda ergo, quæ animum gravant, & opprimunt; *Prohibe linguam tuam a malo, & labia tua ne loquãtur dolum, diverte a malo, & fac bonum.*

Timor Dei cum tempestate pulchre cõparatus. Gregor. Psal. 33. 13.

2 *Et pondus ejus ferre non potui*. id est, nunquam me parem existimavi ad repugnandum Deo, & sustinẽdum illius impetum, & fortitudinem in me incurrentem. Est autẽ *onus*, vel *pondus*, quod sæpe Prophetæ repetunt, videlicet, supplicium, & minæ ingentes, sub quibus videatur imbecillitas humana dejici, & opprimi. Eadẽ vox sæpe vertitur *Assumptio, tumor, elevatio, celsitudo*; quia enim põdus elevatur, & attollitur sublime, solet pro ipsa celsitudine usurpari. Hebraizantes ad Deũ referunt, *Celsitudinem*, aut majestatem ejus, neque ferre, neque effugere possem. Videtur enim ille paratus bellum inferre, & ingentia mala grandinare desuper, pluereque fulmina super Tyrannos, atque pupillorũ & viduarum oppressores. Cum quo facit lectio Septuaginta. *A prehensione ejus non sustinebo.* Quod Nicetas nõ solum ad Tyrannidem refert, sed etiam ad oblivionẽ benemerendi de pauperibus, & imbecillibus; *Si me* (inquit) *Deus per injuriam quidpiam agentem, aut non bene merentem deprehendisset, intolerabile illius mihi ferendũ esset supplicium.* Atque, ut ex his Nicetæ verbis colligitur, tum ipse, tum etiam Gregorius hoc Divini supplicii pondus de temporali accipiunt. q.d. Vix Divinam plagam illatam ferre, aut perferre possum. Sed non minus commode intelligi poterit de æterno Tyrannorum supplicio, deque extremi judicii severitate, quam qui mente, & cogitatione ponderat, videtur probare *lapidem* illum *oneris*, ad quem se exercebant robustissimi quique, de quo Scriptum est Zacha. 12. 3. Et Ecclesi. 6. 22. *Quasi lapidis virtus probatio erit in illis, & non demorabũtur projicere illam*. Loquitur enim de Sapiẽtia, quæ nimium gravis videtur stultis, & pondus ejus ferre non possunt. Sic ergo pondus æterni supplicii, extremæque sententiæ esset nobis nũc probandum, & mente sustollendum, sicut faciebat Iob: atque cum impares nos invenerimus, deberemus profecto continere nos in officio, neque prius aliquid audendum, quam nosmet ipsos interrogassemus, an *pondus ejus ferre*, & habitare *cum igne devorante, & cum ardoribus sempiternis* possemus.

נשׂא Pagninus, Regia, Vatabl. LXX Nicetas. Gregor. Divini judicii pondus, quasi lapis oneris. Iudicii severitas mente apprehendenda, & quasi ponderanda. Isaia. 33. 14.

XXIIII. *Si putavi aurum robur meum, & obrizo dixi, fiducia mea.*

1. *Divitiæ erigunt animos; sunt* fiducia, & spes. *Explicatus Salomon.*
2. Robur. *quid. Divitiarum inconstantia. Illustratus Paulus.*
3. *Avarorum mollis, & effaminatus animus. Nocent divitiis.*

1 Divitiæ, robur, & opes.

DE Nominibus *auri Zahab*, & *Chethem* dixi superius cap. 28. Nunc quã pulchre jungantur cum auro *robur*, atque *fiducia*, & quam sancte Iob nihil spei, neque suæ vitæ præsidii collocaverit in divitiis: hæ enim dicuntur esse *substantia*, & *fortitudo* hominis, imo, & *urbs fortitudinis*, intra quam se communiunt adversus omnes vitæ difficultates, de quo sæpe diximus, &

Prov. 10. 15.

Baruc. 3. 18. *Argentum thesaurizant, & aurum, in quo confidunt homines*. & Eccles. 31. 8. *Nec speravit in pecuniæ thesauris*. & Psal. 61. & 11. *Nolite sperare in iniquitate*, quod statim exponit; *& rapinas nolite concupiscere*. Ergo divites ad quidvis audendum, & perficiendum eriguntur suis facultatibus, & illarum ope, & præsidio nihil non sperant, sicut Scriptum est: *Aurum, & argentum est constitutio* * *pedum*. q. d. non potest figi firmus gradus, stabileque vestigiũ nisi in pecunia: cætera enim videntur fluxa, & instabilia, & statim: *Facultates, & virtutes excitant Cor, & super hæc timor Domini*. Sic igitur Iob potius religioni, & sanctitati nixus, quam auri grandi ponderi, aut thesaurorum magnitudini, non *putabat aurum robur suum*. Pro *robore* est vox *Chiçel*, quæ duo contraria significat, videlicet inconstantiam, vertibilitatem, mutabilitatem, simulque stultitiam: nam cadũt hæc omnia vitia in stultos: deinde etiam firmitatem, robur, spem, quæ sunt inconstantiæ opposita, de quo non semel diximus prioribus capitibus. Ergo cum hujus sæculi divites decipiat splendor auri, stulte in illo spem collocant, & pedem figũt, quod est mera inconstantia, & mutabilitas. At Iob, qui rem probe noverat, nunquam speravit *in incerto divitiarum*, ut admonuit Paulus faciẽdum divitibus omnibus, sed *Thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum*. 1 ad Thimot. 6. 17. & 19. Vide supra cap. 8. vers. 13. nu. 4. & cap. 5. versic. 3. n. 1.

Divitiæ diviti animos faciunt.

Eccles. 40. 25. 16.

* No ai, en q̃ hazer pie, sino en el dinero

2 כסל

Vide c. 4. ℣. 6. n. 1. & c. 8. ℣. 14 n. 2.

3 LXX. Ardens avarorũ pecuniæ libido.

Est vero etiam elegans hoc loco lectio Septuaginta: *Si posui aurum in conjugium meum*. Quod sane ardentissimam pecuniæ libidinem significat, de quo nostrates etiam solent dicere, *Que esta uno muy casado con su oro, y cõ su plata*. ut vix æquo animo ferre possit, vel momento temporis ab illis separari, aut abesse. Indicat etiã mollẽ, & enervatum animum istorum omniũ, qui pravis affectibus, avaritiæ potissimum subjugati, & conjugati sunt; nubunt enim velut imbecillæ fœminæ viris suis, auro, & argento: & nõ tam ipsi viri, & Domini suarum pecuniarum, quam argentum illorũ. Rursus quod nos dicimus *fiducia*, pulchre dixit Symmachus *Metus vacuitatem*: est enim hujusmodi *fiducia*, & animi confidentia, qua quis audacter, & intrepide agit, omni metu vacuus. Vide superius cap. 8. versicul. 14. super id, *Non ei placebit vecordia sua, &c.* & versicul. 15. *Innitetur super domum suam*.

Mollis, & effeminatus improborum, & avarorum animus.

Symmach. מבטח

XXV. *Si lætatus sum super multis divitiis meis, & quia plurima reperit manus mea.*

1. *Divitiæ, fortitudo, & quid comprehendant.*
2. *Manus, & ad manum in Sacro sermone quid. Lætitia divitiarum compescenda. Explicatus David, & locus Regum.*
3. *Temporalis fœlicitas efficit inane gaudium, & tumorem animi majorem rebus ipsis possessis. Illustrati Ecclesiasticus Isaias, & Ioannes.*

1 COnfirmat nulla se ex affluentibus opibus lætitia intemperanter elatum, aut suæ industriæ leviter gratulatũ, quod beatior atque fælicior indies fieret. In originali pro *divitiis multis* est vox *Hhajil*, quæ proprie est, vis, robur, fortitudo, facultas, & recte ad censum, & divitias refertur ab Interprete, tũ propter rẽ ipsam, tum propter conexionem cum sententia præcedente, quam præsens ista exponit; *Divitiæ enim sunt fortitudo Damasci*; Isaiæ 8. 14. & *Fortitudo gentium*, Isaiæ 60. 5. & *Fortitudo danda in direptionem*, Ierem. 17. 3. & Sophoniæ 1. 13. & *Fortitudo interficienda, & sacrificanda Domino universæ terræ*, Mich. 4. 13. & *Abundantia virtutis*, Psal. 32. 17. Adde etiam cum fortitudine ista, quã divitiæ efficiunt, reliquas omnes vires, sive in armentis, & gregibus, sive in robore corporis, sive in re quapiam alia collocatas: nam hæc omnia complectuntur, *divitiæ illæ multæ*. Id est, divitiæ, & vires multiplices, & omnis generis. De vana autem illa lætitia, & gaudio statim.

חיל

Divitiæ, fortitudo.

2 *Et quia plurima reperit manus mea*. Mendosa Augustini lectio pro *manu*; *Si in innumerabilibus posui animam meam*. q. d. etiã cum affluerent divitiæ, non apposui cor, & inter immensas opes immoderatam cupiditatem amputabam. Germana lectio; *Quia multa reperit manus mea* industria, virtus, multa comparans, & adipiscens; vel multa habens parata ad manum, ita ut nihil desideraret, quo frui statim non liceret. Vtriusque intelligentiæ exẽpla in Sacro sermone. Psal. 20. 9. *Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis: dextera tua inveniat omnes, qui te oderũt*. id est, Assequatur,

August.

Manus, industria, & virtus.

Manus inveniens.

comprehendat; manus bis repetita, utrãque indicat. Siniſtra apprehenſos, & detentos, dextera verberet, & cædat. Iſaiæ 10.10. *Invenit manus mea* (obtinuit, cepit) *regna idoli*. At in altera ſignificatione. 1. Reg. 10.7. *Fac, quæcumque invenerit manus tua; quia Dominus tecum eſt*. id eſt, Aggredere, quidquid voles, quicquid occurrerit; fæliciter enim cuncta cedent. & c. 25. 8.* *Quodcumque invenerit manus tua, da ſervis tuis*. Quod primum ocurrerit, etiam nullo labore quæſitũ. Ex tanta igitur Iob, tamque uberi bonorum omnium ſegete, quæ ad manum habebat, nullã ille animo lætitiæ voluptatem percipiebat: nam ut Chryſoſtomus dixit, *Is, cui nullius rei poſſeſſio erat, non ſic in pecunia animum integrũ ſervabat, ut Iobus, qui tot rerum generibus abundabat. Etenim ubique animi propopoſitum coronatum eſt*. Ergo etiam vana lætitia, quæ ex ingentibus opibus capi ſolet, minime efferebatur, vel quia immenſis ille opibus carere volebat, & certo tantum rerũ omnium numero ſe, ſuamque familiam continebat, reliquis omnibus, quæcumque ſuperaſſent, in egentium uſum converſis, ut hoc loco Nicetas ait, eo adducens lectionẽ Septuaginta, *Si in innumerabilibus poſui manum meam*. de quo diximus, c. 1. verſ. 3. n. 5. Vel quia inanem animi lætitiam illa cõſideratione facile cõprimebat, ut Chryſoſtomus ait, *Incertam, & inſtabilem eſſe illarum poſſeſſionẽ*. Amareſcunt enim ſtatim hujus vitæ, & defervent æſtus, atq; ſuavitates mortis & rerum ipſarum inconſtãtię, & viciſſitudinis memoria.

*Lo primero, que hallares de á mano.

Chryſoſtomus.

Iobus certam ſibi mẽſurã divitiarum præſcribens.

Nicetas.

LXX.

Chryſ.

Illud vero in hac ſententia non obſcure indicatur, divites, atque potẽtes hujus ſæculi ex ſua fælicitate facile extolli, & efferminari gaudio, multoque magis intumeſcere, atque exultare, quam ipſa vel divitiarum, vel fælicitatis menſura exigere, aut efficere poſſe videatur. Sicut Iſai. 16.6. ait: *Audivimus ſuperbiam Moab: Superbus eſt valde: ſuperbia ejus, & arrogantia ejus, & indignatio ejus, plus quam fortitudo ejus*. Neque aliter quidẽ ad Idumæos, Abdias 3. *Superbia cordis tui extulit te habitantem in ſciſſuris petrarum*. q. d. Quamvis in excelſis montibus ſedẽ fixeris, non te mõtes extulerunt, ſed ſuperbia cordis tui ad nubes uſque rapuit. *Dicis enim: Quis detrahet me in terram?* Similis quoque de Aegyptiis facta ſententia Iſai. 30.7. *Superbia tantum eſt, quieſce*. Id eſt, Aegyptiorũ exercitus & apparatus bellicus multo minor eſt, quam illorum ſuperbia, & inſolẽtia. Quare illi, ſero licet ſapientes, dicebant Sap. 5. 8. *Quid nobis profuit ſuperbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis?* Cum tamen videretur dicendũ; Quid nobis profuerunt divitiæ? ſed illæ non tam noxiæ, quã inanis illa exultatio, & faſtus multo divitiis major, atque nocẽtior. Nõ aliter profecto inſoleſcebat Goliath multo magis tumens animo, quam corpore. Scriptum eſt enim Eccleſi. 47.5. *David in tollendo manum in ſaxo fundæ, dejecit exultationem Goliæ*. Quaſi nõ ſat fuerit proſtraſſe, & dejeciſſe molem illam carneam, niſi etiam immoderatam illius animi exultationem, & ſuperbiam funderet, atque obtereret. Reſpondet itaque ſupplicium vaniſsimæ exultationi, & faſtui tumentis animi, qua ſe efferunt potentiſsimi. Scriptum eſt enim. *Quantum glorificavit ſe, & in deliciis fuit, tantum date illi tormẽtum, & luctum; quia in corde ſuo dicit; Sedeo regina*. Apoc. 18. 7. Ergo illud ſalutare conſiliũ, ad divites præſertim, ut cũ ex divitiis quã vis ingentibus nullam valde magnam habeant lætandi materiam, non lętentur intemperanter, cum potius etiam ſi lætitiæ plenæ eſſent opes, præſtaret tamẽ, ut qui *gaudent, tanquam non gaudentes eſſent, & qui emunt, tanquam non poſsidentes: & qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur*.

Divites inaniter exultãtes, & vane tumẽtes.

Divitum ſuperbia major, quam menſura divitiarum.

Exultatio Goliæ major, quã corporis moles.

Comprimẽda divitiarum jactantia, atque lætitia.

1. Cor. 7. 30.

XXVI. *Si vidi ſolem, cum fulgeret, & lunã incedentem clare:*

XXVII. *Et lætatum eſt in abſcondito cor meũ, & oſculatus ſum manum meam ore meo:*

XXVIII. *Quæ eſt iniquitas maxima, & negatio contra Deum altiſsimum.*

---

1. *Duæ potiſsimum interpretandi rationes.*
2. *Philoſophi in religione, & cultu unius Dei turpiter errantes.*
3. *Prima idololatria circa Solem, & ſydera. Illuſtrata Sapientia.*
4. *Statuarum, & ſimulacrorum origo. Illuſtrata iterum Sapientia.*

I

Tres iſtæ ſententiæ duos habent explicatus probabiles, ex quibus neutrum præterire licet, primum, ne in multorum Latinorum, tum antiquorum, tum recentiorum indignationem, aut querimoniam incidamus, ſecundum ut Græcis quoque

Duæ veroſimiles exponẽdi viæ.

placere videamur, quorum res, & sententiæ frequentissime nobis placent; præsertim cũ simplicitatis interpretandi, & sententiarum cohærentiæ rationem vel maxime ducamus. Sicque, si non plerisque, nobis tamẽ ipsis satisfecisse videamur. sic bene de omnibus merebimur.

Prior explicatus. *Philipp. Beda. D. Thom. Nicol. Cajet. Vatabl.*

Ergo prima interpretandi ratio Philippi, Bedæ, Divi Thomæ Nicolai, Hebraizantium etiam quorundam, Cajetani, Vatabli, uno verbo dicam, fere Latinorũ omnium, ut nunc propulset a se sanctus Iob omnem superstitionis, & idololatriæ; ac violatæ religionis suspicionem: atque cõstanter affirmet se nunquam Soli, vel Lunæ Divinos honores tribuisse. Cohærẽtia cum antecedentibus hæc, ut post enumerata sancta morum officia, nunc verã suã fidem, atque religionem statuat: Priscos enim Philosophos cõplures legimus morũ doctrina, atque integritate conspicuos sed in religione uni⁹, verique Dei, aut turpiter deceptos, aut populari quadam consuetudine abductos, quod Dei erat, creaturis impendisse. Qua nota inurit Platonicos August. lib. 10. de civit. cap. 1. Ciceronẽ quoque Lactantius. lib. 2. de Origine erroris. cap. 3. quod ipse inscribit. *de literratorum errore*, sic vero exorditur: *Quid prodest ad vulgus, & ad homines imperitos hoc modo concionari? cum videamus etiam doctos, & prudentes viros, cum religionum intelligant vanitatem, nihilominus tamẽ in iis ipsis, quæ damnãt, colendis, nescio qua pravitate præstare.* In Ciceronem vero sic invehitur: *Video te terrena, & manu facta venerari. Vana esse intelligis, & tamen eadẽ facis, quæ faciunt ipsi, quos ipse stultissimos cõfiteris. Quid igitur profuit vidisse te veritatẽ, quam nec defensurus esses, nec sequuturus? Sed nimirum Socratis carcerem times, ideoque patrocinium veritatis suscipere non audes.* Denique sic suam quoque sentẽtiam Seneca apud Augustinum lib. 6. de Civitate c. 10. de Deorum religione exponit: nam eo libro, quem Seneca contra superstitiones condidit, hoc legebatur: *Omnem istã ignobilem deorum turbam, quam longo ævo, longa superstitio congessit, sic adorabimus, ut meminerimus cultum ejus magis ad morem, quam ad rem pertinere.* Vides istorum Philosophiam, & mores, si non cum ignoratione veri Dei, at cum veri Dei contumelia, & depravato adorandi creaturas more corruptissimos.

Nexus cum superioribus.

Priscorũ Philosophorũ errores.

August.

Lactantius.

Seneca. August.

3

Sed cum a se repellit Iob omnem idololatriæ suspicionem, cur tantum *Solis, & Lunæ*, non etiam inanium deorum, & vanissimorum simulachrorum meminit? An quia prima, & antiquissima idololatria, non tam versata fuit circa falsorum deorum, hominumque statuas adorãdas, quã circa Solem, & Lunam, & fulgentissima sydera, quæ sua specie, & pulchritudine primum oculos, deinde mentes insipientum in varios circa religionẽ errores abduxerunt? Sane in rem hanc potissimum quadrat illud Sapiẽtiæ 13. 1. *Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei* (id est, qui verum Deum ignorant, & ut in Græco est: *Natura vani sunt*, id est, re ipsa, ut ipsa quasi natura rationalis, cujus finis ultimus est sui creatoris cognitio, vana fit, & suo fine frustrata, cum illum ignorat) *& de his, quæ videntur bona, non potuerũt intelligere eum, qui est: neque operibus attendentes, agnoverunt, quis esset artifex: sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aerẽ, aut gyrum stellarum, aut nimiam* (violentam) *aquam, aut Solem aut Lunam, rectores orbis terrarum Deos putaverũt. Quorum etsi specie delectati Deos putaverunt, sciant quanto his dominator eorum speciosior est, speciei enim generator hæc omnia constituit.* Deinde subjicit: *sed tamen adhuc in his minor est querela; & hi enim fortasse errant, Deum quærentes, & volentes invenire: etenim cum in operibus illius conversentur, inquirunt, & persuasum habent* (in Græco, & Septuaginta, *persuadentur aspectu*) *quoniam bona sunt, quæ videtur. Infælices autem sunt, & mortua spes est illorum, qui appellaverunt Deos opera manuũ hominum, &c.* Sicut igitur illa prima luminum fulgentissimorũ adoratio minus turpis, minusq; inepta, ita videtur antiquior, priorque fuisse, utpote homine nondum ad tam stupidas, tamque absurdas persuasiones de Divinitate prolapso. Quare illa postea Idololatriæ, & adorationis statuarum, & simulachrorum origo subsequuta est, quam c. deinde 14. Sapientia indicat, *Neque enim* (inquit Sapientia) *erant ab initio, neque erunt in perpetuum: supervacuitas enim hominum hæc adinvenit in orbẽ terrarũ, & ideo brevis illorum finis est inventus* (destinatus, & constitutus. Septuaginta, *Deo liberatus*) *Acerbo enim luctu dolens pater, cito sibi rapti filii fecit imaginem, & illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquã Deum colere cœpit, & constituit inter servos suos Sacra, & sacrificia. Deinde interveniente tempore, convalescẽte iniqua consuetudine, hic error tanquam lex custoditus est, & Tyrannorum imperio colebãtur figmenta. Et hos, quos in palã homines honorare nõ poterant, propter hoc, quod longe essent, e longinquo figura eorũ allata, evidẽtem imaginem Regis, quem honorare volebant, fecerunt ut illum, qui aberat,*

Prima idololatria circa Solem, & Lunã.

Idololatriæ origo.

LXX.

4

Origo Idolorum, & Simulachrorum humanorum.

tanquam

tanquam præsentem coleret sua sollicitudine. Cujus quidem rei, atque loci commentarius non inepte peti potest ex lib. 1. Mythologiarum Fulgentii, differentis unde *Idolum* dicatur, illius hæc verba: *Diophãtes Lacedæmonum auctor libros scripsit Antiquitatum. 14. in quibus ait, Syrophanẽ Aegyptium familia, substantiaque locupletem, filium genuisse, quem voluit enormis substantiæ successorem, ineffabili, ultra quam paternitas exigebat, affectu erga filium deditum. Isque dũ adversis sortitunæ incursibus raperetur patri, crudele geminæ orbitatis reliquit elogium, & ut posteritati perpetuale suffragium denegasset, & substantiæ propagandæ subitam interceptionem objiceret. Quid igitur faceret, aut fæcũda paternitas hac sterilitate damnata, aut fælix substantia in successione curata? Parum erat non habere, quod habuit, nisi etiam esset, qui obtineret, quod reliquit. Denique doloris angustia, quæ semper inquirit necessitatis solatium, filii sibi simulachrum in ædibus instituit, denique tristitiæ remedium quærẽs, seminarium potius doloris invenit, nesciẽs quod sola sit medicina miseriarum, oblivio. Fecerat enim ille, unde luctus resurrectionis indies acquireret, non in quo luctus solatium inveniret. Denique idolum dictũ est,* εἴδωλον, *quod nos Latine species doloris dicimus: namque universa familia in Domini adulationem, aut coronas plectere, aut flores inferre, aut odoramẽta simulachro succendere consueverat. Nonnulli etiam servorum culpabiles Domini furiam evitãtes ad simulachrum profugi veniam merebantur, & quasi salutis certissimo collatori florum, aut thuris offerebant munuscula, timoris potius effectu, quam amoris affectu.* Denique hujus rei non immemor, & Petronius ait:

Fulgentius.

Primus in orbe Deos fecit timor:

Petronius.

Nam, & Mintanor musicus in Chromatopion libro musicæ artis, quem scripsit ait: Dominũ doloris, quem prima compũctio humani finxit generis, exin inveteratus error humanis pedetẽtim cõsertus disciplinis, barathro quodã sævæ crudelitatis prolabitur. Atque quidem cũ illa Græci nominis ratione, facit quoque ethymologia nominis Hebræi, *Aven*, quod est *dolor*. Psal. 9. 7. & Psal. 89. 10. & *Idolũ* Num. 23. 21. *Nõ est idolum in Iacob, nec videtur simulachrum in Israel.* Septuaginta: *Nõ erit labor in Israel, neque videbitur dolor in Israel.* Sed de origine Idolorum cultus, nunc non plura. Interim videndus August. lib. 2. de Origine erroris, præsertim cap. 17. & lib. 1. de falsa relig. cap. 22. & 3. Isidor. lib. 8. Etymolog. cap. 11. Berosus in vita Nini. Noster Valentia in Apologetico de idololatria. cap. 4. Bellarminus tom. 1. controv. lib. 1. de verbo Dei cap. 13. Pereira lib. 15. in Genes. disp. 3. Franciscus Ribera 2. cap. Hoseæ. Beuxamis tom. 1. Harmõ. c. 12. super id *In Beelzebub Principe Dæmoniorum*, apud quos alii. Iam ad nostram sententiam.

Idolum Hebraice cur dicatur a dolore.
און
LXX.

Augustinus. Isiderus. Berosus. Gregorius Valentia. Bellarminus. Pereira. Ribera. Beuxamis.

Si vidi Solem, cum fulgeret.

5. Videre, *quid proprie.* Lux *pro sole.* Fulgere *quid in Sacro sermone. Explicatus David.*
6. *Elementa pro Diis adorata.*
7. Sol *variis nominib⁹ ab antiquitate cultus. Qua illius imago.*
8. Civitas Solis. *Aegyptii cultores Solis.* Bel, *seu* Belus. *Illustratus locus Canticorum.*
9. Oriens Sol *adoratus ab antiquis. Oratio versus Orientem, & cur ita factum. Qua item cerimonia, & habitu. Illustrata Sapientia.*

V*Idendi* verbum alacritatem quandã, & lætitiæ voluptatem affert hoc loco; est enim lux jucunda, & læta. Affert etiam intentionem quandam, & animi, & oculorum in rem, quę videtur, ut eam cõprehendas, & pro dignitate æstimes. Quæ omnia recte conveniunt in hanc de adoratione Cælestium luminum interpretationem. *Solem*, ex vi originlis vocis tantũ legimus, *Lucem*; est enim nomen, quod ex æquo ad utrũque luminare majus, & minus referri solet, sed ex subjuncto nomine *Lunæ*, res ipsa exigebat, ut hæc pars prior de *Sole* acciperetur; quo etiam modo legunt Septuag. Facit etiam sequens *Fulgendi* verbum, quod in lucem fulgẽtissimam per Excellentiam convenit, & forte indicat primum Solis exorientis jubar, quod lætissimum, & jucundissimum est: Scriptum est enim, *Exitus matutini, & vespere delectabis*, Psal. 64. 9. id est, Facies, ut Oriens, & Occidens suo cõspectu nos delectent. Sed quidem observandũ est, verbum *Fulgendi*, idem quoque esse *insaniẽdi, & inique agendi*, atque *laudandi*, vel *glorificandi*; quæ omnia videntur quodammodo conjuncta: nam species, & fulgor cælestiũ luminum, ad insaniam, & errorem abduxerunt insipientum mentes, & oculos, ut illis laudes, & gloriam Divinam tribuerẽt; De quo statim.

5
ראה
Videre cum voluptate.
הלל
LXX.
Antonomasia.
Sol exoriens jucundissim⁹.
Analogia plurium significatorum ejusdẽ verbi.
ללה

Enim vero non solum cælestia lumina, sed alia etiam elementa per errorem adorata, dixit Sapiẽtia, ut nuper adduximus. Qui error sic a Divo Augustino 7. lib. de Civitate, multis capitibus, præsertim. 16. describitur: *Apollinem ipsum solem esse dixerunt, Dianamque germanam ejus, similiter Lunam, & viis præsidere, unde & virginem volunt, quod via nihil pariat; & ideo ambos*

6
Elementa pro diis habita.

ſagittas habere, quod ipſa duo ſydera de Cælo radios terras uſque pertendant. Vulcanum volunt, ignem mundi. Ditem patrem, hoc eſt Orcum, terrenam. & infimam partem mundi. Idẽ etiam error Perſis, & Maſſagetis inſedit: Adeoque ignem, & aquam coluere etiam Aegyptii; ut ſcribit Porphirius libro de *Abſtinentia carnium*, & Euſeb. lib. 3. de Præparat. Evangeli. c. 2. & de Ventis peculiariter, quos Sapiẽtia vocat, *citatum ſpiritũ*. Vide Senec. lib. 4. natur. qq. c. 17. Circio enim Galliam infeſtanti, templũ conſecravit Auguſtus, cũ in Gallia moraretur.

Porphirius. Euſebius. Seneca.

7 Sed præcipue *Solem* pro Deo habitum, & cultum ab Aſſyriis, & Phœnicibus, ſub nomine Adonidis, quem Venus, id eſt terra abſentem, & vagantem per ſex anni, & cæli diſtantiora ſigna luget, elegãter ſcribit, fuſeque perſequitur Macrobius 1. Saturnal. cap. 21. ubi etiam refert a Phrygibus adoratum ſub nomine Attinis cum fiſtula, & virga. *Fiſtula* (inquit Macrob.) *ordinem ſpiritus inæqualis oſtendit, quia venti, in quibus nulla æqualitas eſt, propriam ſumunt de cælo ſubſtantiam; virga ſolis poteſtatem aſſerit, qui cuncta moderatur.* Eundem ſub nomine Oſiridis coluerunt Aegyptii; *Et hoc ſigno Oſirim monſtrant; inſculpunt ſceptrum, in eoque ſpeciẽ oculi exprimunt, ſignificantes hunc Deum, Solem eſſe, Regalique poteſtate ſublimem cuncta aſpicere. quia Solẽ Iovis oculum appellat antiquitas.* Quam rẽ copioſe quoque tradidit Diodorus lib. 1. c. 2. *Primi* (inquit) *illi homines olim in Aegypto geniti, hunc mundi ornatum conſpicientes admirantesque, in univerſorum natura duos eſſe Deos, & eos æternos arbitrati ſunt, Solem videlicet, & Lunam, & hunc quidem Oſiridẽ, hãc Iſidem certa nominis ratione appellarunt.* A Maſſagetis ſcribit Strabo lib. 11. *Tantummodo Solem Deum putant, atque illi equũ mactant.* Pœni quoque Deum agnoſcunt, ut ſcribit Herodotus lib. 4. Sed peculiariter *Solem* Perſarum, *Lunam* Græcorum præſidem credebãt, ut ex Herodoto lib. 1. colligitur. & Cicerone lib. 2. de natur. Deorum. Tandemque apud Pęones figura, & imagine peculiari colebatur, ut ſcribit Maximus Tyrius ſerm. 38. Terã tempus, ſi plura hujus farinæ ex infinitis afferam, quæ tum in Macrobio adducto videri poſſunt, tum in Lilio Giraldo in hiſtoria Deorum *in Apolline, in Bacho, in Oſiride, in Mitra*; Fulgẽtio *in Phaetõte, & Typhone*; Phornuto in *Apolline, & Diana*. Arato in *Phenom*. Alex. libr. 6. cap. 4. & lib. 4. cap. 13. Sed illud tamen non prætereundum, quod Macrobius fere multitudinem illam plurimorum Deorum, quos

Sol, ſub nomine Adonidis cultus a Phœnicibus. Macrobius. A Phrygibus. Ab Aegyptiis Oſiris, Sol. Solis figura, & ſtatua. Diodorus. A Maſſagetis Strabo. A Pœnis. Herodotus. A Perſis. Cicero. A Pœonibus. Tyrius Max. Lilius Girald. Fulgentius. Phornutus. Aratus. Alexand. Macrob.

Antiquitas coluit, univerſam ad Solem revocare conatur, ex antiquorum Theologorum, Orphei, Homeri, Heſiodi, Platonis teſtimonio; quare *Sol* erat idem, quod Iupiter, Nemeſis, Pan, Ianus, Saturnus, Adad, cæteri denique lib. 1. cap. 22. & cap. 23.

Multitudo Deorum revocata ad Solem unicum.

8 Sed, ut ad ſacrorum librorum teſtimonia, ſi quæ ſunt, veniamus, certe ab Aegyptiis potiſsimum Solem adoratum, & cultum, argumento eſſe poteſt, *Civitas illa Solis*, apud Iſaiam. 19. 18. quam Græci *Heliopolim* nominãt, quã ibi prædicit, cum quatuor aliis præcipuis urbibus in Chriſtum Deum credituram; ſic autẽ cognominatã propter Solis religionem, & cultum probare poteſt Strabonis de Heliopoli ſcriptum lib. 17. *Regio Heliopolitana, ubi Solis civitas eſt in aggere ingenti poſita, quæ ſolis templum habet, &c.* Addit deinde quædam Aegyptii moris, & tẽpli, ac ſtructuræ veſtigia. Quod autem de Templo Solis, & de duplici Heliopoli, ſcribit Macrobius cap. 23. prætermitti non debet: *Aſſyrii Solẽ ſub Iovis nomine, quem Dia Heliopolitem cognominant, maximis cerimoniis celebrant in civitate, quæ Heliopolis nuncupatur, regnãte apud Aegyptios Senemare, ſeu idem Senepos nomine fuit. Perlatumq; eſt primum in eam per Oppiam Legatum Deleboris Regis Aſſyriorum, Sacerdoteſque Aegyptios, quorum Princeps fuit Parmetis, diuq; habitũ apud Aſſyrios; poſtea Heliopolim commigravit. Cur ita factum, quaque ratione Aegypto profectum in hæc loca, ubi nunc eſt, poſtea venerit, rituque Aſſyrio, potius quam Aegyptio colatur, dicere ſuperſedi.* Scribit quoq; Plinius lib. 36. cap. 8. Reges Aegyptios obeliſcos referentes figuram radiorum Solis, & inſcriptos litteris Aegyptiis Solis numini conſecraſſe, idque primum inſtituiſſe Mitrem, qui in Solis urbe regnabat. Atque Diodorus lib. 2. cap. 1. ſcribit Buſium civitatem maximam cõdidiſſe Solis urbẽ ab Aegyptiis, *Græcis vero Thebas appellatã; cujus metria centum quadraginta ſint ſtadia ambitu cõplexa, atque magnis ædificiis, ac ſpecioſis Deorum templis, aliiſque ornamentis pulcherrimis exornata.* Quanquam Dalecampius, & mẽdum in Diodoro, & aliam Heliopolim eſſe contendat. Si apud Aſſyrios, bene quidem, ut ex Macrobio attulimus; ſi apud Græcos, innominata. & apud Palæſthinos etiam fuit civitas Solis, Iud. 19. 46. quam eandem eſſe, quæ *Bethſames*, id eſt, *Domus Solis*, exiſtimat perdoctus vir Andræas Maſsius. Plura autẽ oppida appellata fuiſſe Bethſames, opinatur Hieronymus in qq. Hebraic. nẽpe in tribu Iuda,

Aegyptii Solis cultores. Heliopolis. Strabo. Duplex Heliopolis. Macrob. Templum Solis. Plinius. Obeliſci conſecrati Soli. Diodorus. Dalecampius. Bethſames, quæ civitas. Andræas Maſsius.

Nepta-

Bethsames plures. Hieronym. Goropius Becanus. Kaldaus.

Nephtalin, Dan, Isacar. Tangit nonnihil Becanus lib.6. Hispan. Rem vero hanc cõfirmat ille locus Cantic. *Nolite me considerare, quia fusca sim, quia decoloravit me Sol. Filii matris meæ pugnaverunt adversum me, &c.* Quem locũ sic Kaldæus per paraphrasim elucidavit; *Dixit cœtus Israel coram populis; Nolite me despicere, & quod nigrior vobis sum, & quia feci juxta opera vestra, & adoravi Solem, & Lunam: quia prophetæ falsi fuerunt causæ, ut devolveretur ira furoris Domini super me; & docuerunt me, ut servirem idolis vestris, & ambularẽ in institutis vestris.* Eandem expositionem sequutus est Rab. Salomon; ac ex nostris Theodoretus, hęc ex Spõsæ persona verba afferẽs; *Denigrata sum, dum creaturas adoro, omisso creatore, & Solem hũc aspectabilem colo pro Sole justistitiæ.* Baal quoque quidam esse volunt Solem ipsum: nam, & *Apollinem* vocatũ *Beel*, seu Belem ab Aquilejensibus Italiæ, scribit Herodianus lib.8. historiæ, & Lilius Girald. in Apolline; Bel autem eundem esse, qui Baal, tum nomen ipsum Hebræum indicat, tum Hieronymus docet lib. 1. coment. in Hoseam. Atque eodem pertinet, quod Phylo Biblicus, atque Eusebius scribunt; Iovem a Phænicibus nũcupatum, *Beelsamen*, quod Latine sonat. *Cæli Dominum*, quod videlicet sit Sol reliquorum luminum Princeps. Vide Lilium Girald. Sintag. 2. in Iove. ubi nomen *Beli* confundere nititur cum Græco nomine Solis, *Helios*. & Servium 1. Aeneid. qui Saturnũ, & Solem apud Assynos tradit nuncupatum, *Hel*, id est, Deum.

R. Salomon. Theodoret. Baal, sive Bel, Sol. Herodian. Giraldus. Hieronymus. Philo. Giraldus. Servius.

Fuit igitur antiquissima juxta, ac communissima apud regiones illas Arabię cõterminas adoratio Solis; quare rem indicare potuit Iob, imo & digito tãgere suo sæculo forte vigentem: cujus rei argumẽtũ dissertis verbis scribit Herodotus lib. 1. de Persis agens: *More habent editissimi quibusque conscensis montibus Iovi hostias immolare, omnem [illegible]yrum cæli Iovem appellante. Soli, Lunæque sacrificant, & Telluri, igni, Aquæ, atque ventis, hisque solis sacra factum jam inde ab initio; Vraniæ quoque sacrificant sic nimirum ab Assyriis, Arabibusque edocti.*

Arabes adoratores Solis; & elementorum. Herodot.

9 Sed illud, quod de *Solis fulgore* diximus, ad illius exorientis jubar referri posse, facit sane cum hac ipsa re: adorabant enim prisci Orientem Solem, atque exorienti sacrificabant, ut descripsit Poeta;

Solis exorientis adoratio. Virg. 12. Aen.

Illi ad surgentem conversi lumina Solẽ,
Dant frugibus manibus salsas, & tempora ferro
Summa notant pecudum, pateris que altaria libant.

Quem morem fuisse Magorũ, atque Persarum scribit Herodotus libr. 1. idemque Trismegisti præceptũ in Asclepio, & Pythagoreorum, ut scribit Cælius 12. cap. 9. Aliorum quoque Ethnicorũ, a quibus decepti, & edocti Israelitæ notati ab Ezechiele cap. 8. 16. *Dorsa habentes contra templum Domini, & facies ad Orientem, & adorabant contra ortum Solis.* Eleganter autem dicitur: *Dorsa habentes contra templũ:* namque, ne cum illo Ethnicorũ adorandi ritu convenirent Israelitæ, adorabant ad Occidentẽ, & manifeste probat porta Oriẽtalis, per quam adoraturi ingrediebantur conversi ad Occidentem. Vide D. Thom. 1. 2. q. 3. art. 3. Anastas. Nicen. q. 18. in Scripturam. Perdurasse autem eum Paganorum ritum usque ad Priscillianistas, queritur Leo Papa sermon. 7. de Nativit. *De talibus (inquit) institutis illa generatur impietas, ut Sol inchoatione diurnæ lucis exurgens a quibusdam insipientioribus de locis eminentioribus adoretur. Quod nõnulli etiã Christiani adeo religiose se facere putant, ut prius quam ad B. Petri Apostoli Basilicam, quæ uni Deo, vivo, & vero est dedicata, proveniunt superatis gradibus, quibus ad suggestum areæ superioris ascenditur, converso corpore ad nascẽtem se Solem deflectant, & curvatis cervicibus in honorem se splendidi orbis inclinent. Quod fieri partim ignorantiæ vitio, partim paganitatis spiritu multum tabescimus, & dolemus: quia & si quidam creatorem potius pulchri luminis, quam ipsum lumen, quod est creatura, venerantur, abstinendũ tamen est ab hujusmodi specie officii.* Iam ergo Leonis tempore illa primæ Ecclesiæ consuetudo adorãdi, & templa erigendi versus Oriẽtem obsolescebat; quam servandã curarunt, & præceperunt primi illi Ecclesiæ Patres statim adducendi.

Herodot. Trismegistus. Israelitæ adorãtes conversi ad Occidentem. D Thom. Anastasius. D. Leo.

Hujus autem cærimonæ non omnino certa ratio. Illa forte non ultima, quam indicat D. Iustinus. q. 118. ad gẽtes, quod cum Divinis præstantissima quæque ad honorem, & venerationem destinemus, Orientem etiam, quæ mundi pars hominum opinione præstantissima cẽsetur, in orando respiciamus. Illa etiam, quod matutinum tempus existimaretur sacrificiis, & precibus opportunius, adeoque evigilantes intendere debebãt in ipsam lucem matutinam. Cum qua ratione colludit illud Sapientiæ 16. 28. *Quod ab igne non poterat exterminari, statim ab exiguo radio Solis calefactum tabescebat; ut notum omnibus esset, quoniam oportet prævenire Solem ad benedictionem tuam, & ad ortũ lucis te adorare.* Et humano quidem more existimabant

Cur ad Orientem conversi variæ causæ. Iustinus. Allusio Sapiẽtiæ ad priscum morem.

matuti-

Matutinę Deorum salutationis.

matutinas salutationes Diis esse gratissimas, tuncque dicebantur primā diei horā Diis nuntiare, quasi dormiētes Deos prima luce excitarent. Rem indicavit Arnobius lib. 7. adversus gentes: *Quid sibi volunt excitationes illæ; quas canitis matutinai, collatis ad tibiam vocibus? Obdormiscunt enim superi, remeare ut ad vigilias debeant?* & Apulejus. lib. 11. Milesiæ Fabulæ: *Inchoatæ lucis salutationibus religiosi primam nuntiantes horam perstrepunt*. Sed elegāter Seneca Epistola 96. *Vetemus salutationibus matutinis fungi, & foribus assidere templorū. Humana ambitio istis officiis capitur: Deum colit, qui novit.* Tetigit rem hanc Lipsius, lib. 2. electorum cap. 18. Ioseph⁹ Scaliger ad lib. 1. Tibulli eleg. 3. Forte illa etiam non inepta ratio, quod exoriens Sol major appareat, æque ac mitior, propitiorq; ut qui se conspici fixis oculis permittat: nam paulo superius conscendēs omnino arcet, læditq; humanos oculos. Ideo Mercurius jubebat Occidente Sole minime orandum esse ad Occidentē, sed converti ad Austrū, ne languor cadentis lucis precādi ardorem restingueret. Divinioribus tamen rationibus aliis rē eandem non est aspernata Ecclesia Christiana, ut luculenter ostēdit Cardinalis Bellarminus lib. 3. de cultu Sanctorum c. 3. quod est de forma templorum, & Durantius de ritibus Ecclesiæ, cap. 3. Noster Iacobus Gretserus agens de Christi Domini Cruce respiciente ad Occidentem lib. 1. de Cruce. c. 25. idque confirmant ex Tertulliano lib. contra Valentinianos c. 3. Iustino q. 118. Epiphanio, Hæres. 19. Orig. Basilio, Gregor. Nysseno, Augustino, Germano, Damasceno, Vualfrido. Quibus adde eundē Tertullianum in Apologet. c. 16. & 30. Clementem lib. 2. Const. cap. 57. Athan. de plurimis qq. q. 14. Anast. Nicen. q. 18. in Script. Clem. Alex. lib. 7. Stromat. cap. 4. & tāgitur in antiquis Hispaniæ legibus p. 1. tt. 10. Leg. 14. cum D. Thoma Theologi. 22. q. 84. art. 3. ad 3. Martinez lib. 8. Hipotyp. cap. 5. Durantus de ritibus Ecclesiæ superius adductus. Lilius Girald. Sintangm. 17. Atque ex hoc more suum panegyricum, & Theodosii Imperatoris auspicia exorditur Pacatus; *Vt Divinis rebus operantes in eam cæli plagam ora convertimus, a qua lucis exordiū est, sic ego vota verborum soluturus, id oratione tempus aspiciā, quo Romana lux cœpit.*

Arnobius. *Apulejus.* *Seneca.* *Lipsius.* *Ioseph. Scaliger.* *Trismegistus in fine Asclepiade.* Ecclesiæ mos orādi ad Oriētem. *Bellarmin.* *Durantius.* *Gretserus.* Multi patres agentes de adoratione ad Orientem. Latinus Pacatus.

Et Lunam incedentem clare.

10. *Luna culta.* Lunæ noctilucæ *templum.*
11. *Lumen delectat, & suadet.* Lactare *quid. Illustrata Sapientia. & Hoseas.*
12. Osculari *in Sacro sermone ad adorationē pertinere. Explicati Moyses, & Hoseas.*
13. *Priscorum in adorando cum osculo ritus; & cōsuetudo. Osculum labratum.*
14. *Osculum in adoratione in sacris. Illustratus locus Reg. Exech. Ps.*
15. *Quid per osculum significetur. Varii adorandi ritus.*

SIcut Sol cæli rector, & Rex, ita Luna *Cæli Regina*, etiam in Sacro sermone cognominata est, & pene ab eisdem culta & adorata a quibus Sol, ut supra indicavimus. Adeoque *Luna noctiluca* templum habuit, cujus Varro meminit lib. 4. de lingua Latina. Sed potissimum videtur adorata in plenilunio, cum videtur incedere pompatico, imo fœmineo gressu. quem significat ille *incessus*, quasi dominantis, atque triumphantis. Illud vero quod sequitur; *& lætatum est in abscondito cor meum*; videtur profecto idem cum illo Sapiētię; *Quorum, & si specie delectati, &c.* Est enim ut diximus, ille lucis ille lucis conspectus per se multo lætissimus, atque jucūdissimus. Quod idem significat Symmachi lectio: *Si dilatatum est cor meum*, idemque fere Sapientiæ 12. ubi despecie Solis & Lunæ sermo est, *Persuasum habent, quoniā bona sunt, quæ videntur:* nam ex proprietate vocis originalis, *lætandi*, hic significatur *lætitia* quædā, quæ cum voluptate quadā hominis animo latenter obrepit, & aliquid suadet. Ab eadē enim radice dicitur, *puer*, aut *parvulus*, quasi suadibilis. Lectionem maculosam esse librariorum incuria, & *Lætatum*, pro *Lactatum* subrepsisse contendit noster Franciscus Ribera, vir proculdubio doctrina juxta, ac sanctitate præclarus; idque ex verbo originali *decipiendi*, quod hoc loco subest, sive *lactandi*, ut vertere solet Vulgatus, existimat necessario colligi ad illud Hoseæ. 2. *Ecce ego lactabo eam*. Et quidem eleganter Ribera illustrat ex Nonio, Pōpejo, Sexto, Terentio, illam vocem, atque significationem *lactandi* pro *decipiendi*; vox enim eadem supra versic. 9. vertitur: *Si deceptum est cor meum*; & similiter hoc ipso loco Septuaginta, *Si deceptum est clam cor meum*; eadē omnino significatione, quasi diceretur; *Si lactatū est*, Ac bene esset, nisi Correctio Vaticana illam *lætandi* vocē retinuisset, sensu quidem minime incommodo; namque vana illa lætitia atque species, lactando oblectat, atque illectando decipit, errorēque suadet. Hæc enim omnia cadunt in

10 Luna adorata, a quibus Sol. Templum Lunæ noctilucę. *Varro.* 11 *Sap. 13. 3.* *Symmach.* פת Examen germanæ lectionis. *Francisc. Ribera.* Lactare quid. *LXX.* Vaticana lectio, & correctio.

ſignificationē verbi originalis, atque hu-
juſmodi omnes illecebras, & oblectamē-
ta complectitur. De cujus proprietate di-
xi ſuperius cap. 5. non pauca.
Et oſculatus ſum manum meam ore meo.
12 Hoc fere modo Septuaginta; *Si oſculatus*
LXX. *ſum manum meam ponens ad os meum.* Pag-
Pagn. Cajet. ninus, Cajetan. Alii vero Hebraizantes,
Vatabl. Regia. ut Vatablus, & Regia: *Si oſculata eſt manus*
mea os meum, ſenſu eodē, ſed dicendi for-
ma inſolentiori. Illud vero, *&*, conjūgit
cum parte ſuperiori: *Si ita lætatus ſum*, ut
interna animi perſuaſio me impulerit in
externum illum habitum adorandi, & oſ-
Verbum oſculandi, de adoratione. culandi manum. Rem autem eſſe de ado-
ratione probare poteſt ipſum originale
נשק verbū *oſculandi, Naſak*, quod ad adoratio-
nem etiam refertur, non ſolum a Septua-
ginta, ſed etiā a Hieronymo ſuper id Pſ.
2. *Apprehendite diſciplinam*, legentibus *ado*
rate. quod alii dixerunt, *Oſculamini*. quod
etiam verbum ſubeſt Hoſeæ. 13. 2. *Vitulos*
adorant, Pagninus, Regia, Tygurina: *Oſcu-*
Pagni. Regia. Tygurina. *lantur vitulos*. Quam quoque lectionem
Hieronym. fuiſſe Aquilæ, teſtatur Hieronymus. *Aqui*
la (inquit) *interpretatus eſt: deoſculantes, qui*
enim adorant, ſolent deoſculari manum ſuam;
quod Iob feciſſe ſe negat. & Gen. 41. 40. *Ad*
tui oris imperium cunctus populus obediet.
Quod ſimiliter legit Regia: *Super os tuum*
oſculabitur omnis populus. Vatablus, *Os tuū*
Vatabl. *oſculabitur omnis populus, hoc nempe ſigno te*
13 *illorum eſſe Dominum oſtendentes.* Erat verò
hæc adorandi cerimonia, & ratio, quam
Plinius. fere deſcripſit Plinius lib. 28. cap. 2. *Inter*
adorandum dexteram ad oſculum referimus,
& totum corpus circumagimus. nam eminus
ſtantes, manum verſus eum, quem adora-
bant, porrigebant, eamque ſtatim reverē-
ter referebant ad oſculum, ita ut palma,
Dextrā averſam, an cōverſam palmam oſcularentur. quæ ad Deum converſa fuerat, eadē ipſa
reverteretur ad os: Nā quod poſtea Pli-
nius ait, *Dextra oſculis averſa appetitur*, in-
telligi oportet de oſculis impreſsis dex-
træ alienæ. Apulejus apolog. 1. de impro-
Apulejus. bo quodam, *Si fanum aliquod prætereat, ne-*
fas habet adorandi gratia manum labris admo
vere. & lib. 4. de Aſino; *Multi admiratione*
ſtupidi, & admoventes oribus ſuis dexteram,
priori digito in erectum pollicē, ut ipſam prorſus Deam venerem religioſis adorationibus Ve
nerabantur. Minutius in *Octavio: Cecilius ſi-*
Minutius. *mulachro Serapidis viſo, ut vulgus ſuperſtitio-*
ſus ſolet, manum ori admovens, oſculum labiis
impreſſit. Lucianus in Encomio Demo-
Lucianus. ſthenis ad finem, deſcribens illius mortē:
Salutato (inquit) *Deo ſponte ſequar, ego ſic*
ſperabam facturum, cum ille manum ori admo
vet, neque ego ſuſpicabar, eū aliud facere, quā
orare Deos. Et de ſacrificiis: *Si quis pauper*
ita Deo litat, ut dexteram duntaxat ſuā ipſius
exoſculetur. Atque hinc etiam cum homi- Manu adorare, quid.
nes alios venerabantur, dicebantur manu
adorare, aut venerari. Tacitus lib. 16. de Tacitus.
Nerone: *Poſtremo genu flexus, & cœtum il-*
lum manu veneratus. Suetonius de Clau- Suetonius.
dio, *Eoſdem ſpectacula edentes ſurgēs, & ipſe*
cum cætera turba voce, ac manu veneratus eſt.
Sed Tertullianus peculiariter de Oriēte Tertullianus.
Sole: *Plerique veſtrum affectione aliquando*
cæleſtia adorandi, ad Solis ortū labia vibratis.
Hieronymus in Ruffinum: *Qui adorant, ſo-*
lent deoſculari manum, & capita ſummittere.
Et quidem Gloſſarium antiquum docet
hoc genus oſculi, *labratum*, dici ſolitum,
patiendi ſenſu, videlicet quod Rex acci-
piat ab alio oſculum in ſuum honorem. Cujacius.
Vide Cujacium lib. 11. obſer. c. 27.
Ex Sacris in eandem rem pauca quæ- 14
dam, præter ea, quæ nuper dicebamus 3.
Reg. 19. *Genua, quæ non ſunt incurvata an-*
te Baal, & omne os, quod non adoravit eum,
oſculans manum. & Hieronymus illud E- Hieronym.
zechielis 8. 17. *Ecce applicant ramum ad na-*
res ſuas. de hac ipſa adorandi cerimonia
uſurpat: *Applicabant* (inquit) *ramos ad na-*
res ſuas, haud dubium, quin palmarum, ut per
hoc eos idola adorare ſignificet. Deniq; & Iob
inter cæteras virtutes etiam hoc habuiſſe, ſe
dicit, quod nunquam aſpiciens cælum, & Solē,
& Lunam, & aſtra fulgentia, oſculatus ſit ma-
num ſuam, id eſt, adoraverit creaturas. Quo
videtur pertinere illud Pſal. 2. 12. *Appre-*
hendite diſciplinam. quod proprie ex He-
bræo legi poteſt, *Adorate filiū*, ut ait Hie-
ronymus in cōmētariis: vel, ut idemmet Hieronym.
vertit, *Adorate pure.* Aquila, *Oſculamini fi-* Aquila.
lium. Quod egregie cū adoratione conve
nit. Vide hoc loco Genebrard. Atq; adeo Genebrard.
illud Pſal. 124. 3. *Non relinquet Dominus*
virgam peccatorum (impiorum Babylonio-
rum dominatum) *ſuper ſortem* (in terra,
& in oppidis) *juſtorū, ut non extendant juſti*
(videlicet provocati pravo exemplo, aut
minis, & vi compulſi) *ad iniquitatē* (id eſt,
ad idola, vel ad idololatriā, a radice *Gha-* עול
val) *manus ſuas.* Hæc interpretatio Caje- Cajetan.
tano placuit. Sed mihi non omnino, tum
quod verbum *extendendi*, ſeu *mittendi ma-*
num, eſt ad aliquid operis faciēdū potius
quam ad oſculādum. tum quod iniquitas
ab illa radice nō invenitur poſita pro ido
lo; neque eſt eſt eadem vox, quæ dicitur
iniquitas maxima. Atque ad illud oſculum
humanum, de quo nuper dicebamus per-
tinere videtur illud Eccleſi. 29. 5. *Donec ac*
cipiant, oſculantur manus dantis.
Sed unde nā, aut quorſum hæc *manuū* 15

deoſ-

Quorſum manuum oſculū ia adoratione
Hortibonus.

deaſculatio inter adorandum: Hortibonus quidam in Laertii notis, exiſtimavit, ad quandam ſilentii venerationem illud pertinuiſſe, ut labris manus admoverēt, quaſi digito cōpeſcentes labellum: Paræmimicum enim illud eſt, Deum coli ſilentio.

Ritus oſculātium manus, & genua.

Sed illud multo verius, ut cum adorantes ſæpe manus, pedes, genua, ora, oculos aliorum ſuaviarentur, cum verebantur ore profano Deos, vel Principes tangere, eminus id facerent porrecta manu, ſtatimque ad os relata. Cicero act. 5. in Verrem meminit ſimulachri Herculis, cujus mentum adorātium oſculis attritum fuerit. Lucretius etiam ſimulachrorum, quorum dextræ attenuatæ fuerint.

Cicero.
Lucretius.

Sæpe ſalutantum tactu, præterque meantiū

Differuit de hujuſmodi priſco ritu luculenter Iuſtus Lipſius lib. 2. elect. c. 6. Muretus lib. 10. Var. cap. 1. Pythæus 1. adverſariorum c. 7. Fulvius Vrſinus. Et de diverſis quoque adorandi generibus, & ritibus, Cælius non uno loco. Claudius de Sainctes repet. 9 de Euchariſtia cap. 7. Iacobus Durantius lib. 2. Variarum cap. 16. Ioannes Durantus de ritibus Eccleſi. lib. 1. cap. 3.

Lipſius.
Muretus.
Pythæus.
Vrſinus.
Cælius Rodig.
Sanctes.
Durantius.
Durantus.

XXVIII. *Quæ eſt iniquitas, &c.*

16. *Divinæ adorationis* gloria, *&* laus *apud Iſaiam.*
17. *Ex idololatria Zelus in Deo. Idololatria ſymbolū univerſorum peccatorum. Varia illius nomina.*
18. *Idololatria crimen: cur dicatur* iniquitas judicata.
19. Negatio, *&* mendacium, *idololatria.*

16 Idololatriæ gravitas.

IAM De peccato idololatriæ id, quod ſequitur verſic. 28. *Quæ eſt iniquitas maxima:* nam videtur Divinitatē ipſam Deo velle auferre, & quantum in ſe eſt, ſuo ſolio exturbare, Divinumque honorē creaturæ impendere: cum ejuſmodi ſit illa vera Divinitatis gloria, ut nihil præter Deū illius particeps eſſe poſsit. Sicut enim una & ſingularis eſt Divinitas, ita & unica, & ſingularis illius adoratio, quæ nulla ratione communicari creaturæ poſsit, Scriptū eſt enim, Iſaiæ 42. 8. *Gloriam meam alteri nō dabo, & laudē meam ſculptilibus.* ubi *laudis,* & *gloriæ* nomine ex frequēti Scripturæ, & Patrum uſu, eſt idem, quod *latria,* ut aliquando copioſe oſtendimus.

Laus, & gloria, Latria.

17 Hinc ille Zelus Dei ardentiſsimus adverſus violatores ſui nominis, & cultores idolorum; ut propterea dicat ipſe Deus indignabundus, *Vidit Dominus, & ad iracūdiam concitatus eſt, &c. Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit, uſque ad inferni noviſſima; devorabitque terram cum germine ſuo; & montium fundamenta comburet.* Dicitur præterea, *Amaritudo, & Fel,* Devteron. 32. 18. quod Divino palato acerbiſsimum ſit.

Devt. 32.

Varia Idololatriæ nomina.

Cūm aliquod maximum flagitium notatur in Sriptura, comparatur cum idololatria, tanquā cum prima improbitatis mēſura. 1. Reg. 15. 23. Quare idololatria videtur eſſe ſymbolum peccatorum omniū præſertim, quæ adverſus Deum fiunt: ſicut *ſanguine*, vel homicidio ſignificari ſolent univerſa, quæ contra proximum, Ezechelis. 9. 9. *Iniquitas domus Iſrael, & Iuda, magna eſt nimis valde, & repleta eſt terra ſanguinibus, & civitas repleta eſt averſione.* Simile id Ezechielis 22. 3. *Civitas effundens ſanguinem in medio ſui, ut veniat tempus ejus & quæ fecit idola contra ſemet ipſam.* & per Antonomaſiam infidelitas appellatur, *peccatum,* & gentes, & idololatræ, *peccatores.* Galat. 2. 15. *Nō ex gentibus, peccatores.* Luc. 24. 7. *Tradetur in manus peccatorum.* Ioan. 16. 8. *Arguet mundum de peccato, quia non crediderunt.* Vehemēs illa amplificatio eſt Sapiē. 14. 17. *Infandorum cultura idolorum, omnis mali cauſa eſt, & initiū, & finis: aut enim dū lætātur, inſaniūt, aut certe vaticinātur falſa, aut vivunt injuſte, aut pejerant cito* Ad tantum flagitium *obſtupeſcunt cæli, & portæ ejus deſolantur vehementer,* Ierem. 2. 11.

Idololatria omnium peccatorum ſymbolum.

Sanguine ſignificata peccata cōtra proximum.

Antonomaſia peccatum pro idololatria.

Vix de alio crimine tam graviter cōqueritur Deus, atque de idololatria; vix alicujus improbitatis tam multæ, tamque graves appellationes. Iam enim appellātur idola, *offenſiones, & dolores oculorum,* ut quæ Deus non ſuſtineat videre; Iam *Abominationes,* ut quas non ſine ingenti nauſea coram ſe videat; jam, *odium, ſpurcitia, immunditia, ſordes*. Denique nihil eſt turpe, nihil immundum, cum quo non cōparetur *maxima* hæc *iniquitas.*

Conqueſtio Dei graviſsima de Idololatria

Varia idololatriæ nomina.

18 Vbi obſervandum, ſicut ſuperius cum de adulterio egit verſic. 11. & appellavit iniquitatem maximam, in Hebræo haberi, *Iniquitatem judicum,* ſive *Iniquitatem judicatam,* ita etiā hoc loco legi in Hebræo, *Iniquitatem judicatam,* videlicet dignam judicio judicumque ſentētia ſeveriſsima, & graviſsimo ſupplicio. Congruit cū hoc graviſsima, & ſeveriſsima lex deinde lata, non uno tantum loco. Vide Devter. 4. 25. & 23. 6. aut quia (ut non ineleganter expoſuit Vatablus) *jam iniquitas illa fuiſſet judicata, atque ipſe Iob extremo ſupplicio affectus,* ſi idololatriæ labe ſe cōtaminaſſet

Vatabl.

19 LXX *Et negatio contra Deum altiſsimum.* Proprie Septuaginta juxta Hebrēū: *Quod mētitus ſum coram Domino altiſsimo.* Hinc idololatria, aut idola ſæpe dicuntur *mendaci.*

Cur Idololatria dicatur mendacium

& idololatræ, *mendaces*, aut quia mẽtiũtur idola promittentia, & præferentia, quod nõ ſunt, aut quod idololatræ negẽt verũ Deum, verumque ſuũ Dominum. Pſ. 44. 18. Iſaiæ. 18. 15. & 17. Exod. 3. 9. & c. 44 20. & c. 54. 4. & c. 59. 13. Hoſeæ. 7. 1. Ieremiæ. 8. 8. Illud etiam ad hujuſmodi mẽdacem Dei negationem facit, quod qui Deũ non agnoſcit, neque reveretur, videtur facere contra mentẽ, ut pote cui naturalis videatur, & inſita Dei creatoris ex creaturis cognitio, & reverẽtia. Atque hæc de hac prima interpretandi ratione, quæ de creaturarum adoratione eſt.

Prioris expoſitionis de adorato Sole, judicium; atque ſecundæ, quæ eſt de Divitiarũ ſplendore, explicatio, & probatio.

20. Præcedens expoſitio minus cohærens.
21. Interpretatio, & nexus cohærentior. Sol, & lux ſplendentis fortunæ ſymbolũ. Eclypſis, atrum narum. illuſtratus Eccleſias.
22. Divitia, & deſideria inanem lætitiam in animo generant.
23. Amoris ſymbolum, oſculari manum, tum etiã ſuorum operum jactatio.
24. Qua ratione divites dicantur negare Deum.

20. Præcedẽs ſententia minus cohærens.

PRromovimus primam expoſitionem, & ingenti veriſimilitudine communivimus. Sed dicam ſyncere, neque germanam, neque omnino cohærentem non immerito videri poſſe. Hujus mei ſenſus auctorem habeo Chryſoſtomum, cui *minime fit veroſimile hæc dicta eſſe in Idolorum cultũ.* (Chryſ.) *Quoniam* (inquit) *nunquam id in ſummis virtutis officiis poſuiſſet*: nam veram illam religionis fidem, & cognitionẽ retinere poſſunt homines moribus corruptiſsimis; & potius eſt initium, atque fundamentũ ſanctitatis, non ſummum faſtigium. Ego etiã illam rationem adjũgo, quod minime appareat, quorſum ſe ab idololatriæ crimine aſſerere vellet Iob, quod nemo illi vel objecit, vel objicere potuiſſet: præſertim, cum continens ſuorum præclare geſtorũ narratio, & præſentis orationis opportunitas rem illam minime poſtularent.

Ergo ſi tenendum eſt filum orationis, potius videtur hic locus referendus ad illam, de qua nuper loquebatur, fælicitatẽ ſplendentis fortunę, atque auri, tanquam ſplendidiſsimi ſolis fulgorem; & argenti, tanquam Lunæ candicantis lucem jucundiſsimam, quas nunquã coluit, neque adoravit. Eſt enim *idolorum ſervitus, avaritia.* (Secũda expoñẽdi ratio cohærentior. — Lux, fælicitas. Epheſ. 5. 5.)

Eſt itaque lux ſolis ac lunæ jucundiſsima quædam fælicitatis imago, quam divites, & avari colunt, & adorant; & quæ aliquãdo ipſa coluit, & venerata eſt, ac comitata ſanctos, ſingulari quadam Dei optimi providentia. Quantam enim putas fœlicitatem ſignificatam Ioſepho, cum *vidit ſolem, & Lunam, & Stellas*, illum *adorantes*? Ac denique ſicut miſero cõtenebreſcunt Sol, & Luna; ſic fælici Sol, & Luna ſolito ſplendidiores exoriuntur. (Felicitatem adorant avari. ſed aliquando fælicitas honorat ſanctos. — Geneſ. 37. 9.)

Sed in hac exponendi ratione diſcrimẽ eſt: Nam Septuaginta exiſtimaſſe videtur nunc proponi a Iob peculiarem quãdam rationem, atque ratiocinationẽ, qua ipſe utebatur ad contemptum divitiarũ: nam ipſi legunt, *An non videmus ſolem, qui lucebat deficientem, Lunam autem decreſcentem? non enim in eis eſt.* Quam ſententiam Chryſoſtomus ſic illuminat: *Si ea, quæ in cælo ſunt, aſtra uſque lucentia, viciſſitudini tamen ſunt obnoxia, Sol enim deficit, & Luna minuitur; An non extremæ hoc fuerit demẽtiæ, quæ terrena ſunt, ea ſtabilia, ac firma putare? Hæc nimirum cauſa erat, cur illum humana hæc bona neque oblectarent præſentia, neque abſentia angerent.* Subjungit ſtatim: *Si id, quod uſque adeo utile, ac neceſſarium eſt, quo ſublato vita eſt erepta mortalibus, commutationem tamẽ admittit: Multo magis ea admittẽt, quæ tum ſupervacanea ſunt, tum illam nobis neceſſitatem afferentia.* Similiter quoque Olympiodorus; *Vt Sol deficit, ac Luna divino juſſu conſeneſcit, ſic ego quoque de divitiis, tanquam de re, quæ nunquam conſiſtit, cogitabam, illudque didici, nequaquam eſſe mentis aciem in incertas opes intendendam.* Simili uſus ratione, atque trãslatione videtur Eccleſiaſtes in ſua illa concione, de contemptu divitiarũ, univerſæq; humanæ felicitatis, appellans Solis defectũ, *Quid habet* (inquit) *homo de univerſo labore ſuo, quo laborat ſub ſole.* q. d. in hac rerũ omniũ caducarũ viciſsitudine, & cõmutatione: ſubjicit deinde: *Oritur Sol, & occidit.* Atq; quotidiano hujuſmodi defectu, & (ut Hieronymus ait) ſuo ortu, & occaſu, mũdi, nedum hominis interitũ, & inconſtantiã repræſentat. Colligit tandẽ ex hujuſmodi, aliiſq; naturalibus rationibus, *omnia eſſe* vaniſsimã *vanitatem*. Sed rectè etiã cohærebit, ut ipſam ſplendentẽ fortunã, appellet *Solem*, ac *Lunam*, non cõſiderata illa viciſsitudine, & lucis defectu. Illam autem lætitiam *videndi auri glebam* (ſic enim aliquis appellavit Solem) & argenti maſſam Lunarem, indicavit idem Eccleſias. cap. 5. 10. *Quid prodeſt poſſeſſori, niſi quod cernit divitias oculis ſuis?* q. d. hæc luminaria auri, & argenti tantum ſer- (Bipartita interpretandi via. — LXX — Chryſoſt. — Olimpiodorus. — Eclypſis humanæ fælicitatis. — Eccleſ. 1. 4. — Hieronym. — Sol auri gleba apud Euripidẽ Cælius. lib. 4. c. 10.)

Eccles. 5.9.

vire divitibus avaris,ad videndum,cũ fulgent: proptereaque videtur dictum; *Avarus non implebitur pecunia; & qui amat divitias,fructum non capiet ex eis*.nam cum tantum illis utatur ad videndum, impleri nõ potest, cum Scriptum sit: *Nõ saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur*. Proptereaq; idem Salomõ comparat sordidũ avarum, qui *non utitur bonis substantiæ*, cũ illo,qui non utitur lumine Solis cap. 6.5.

Eccles. 1.8.

22 Lætitia inanis ex divitiis.

Congruit etiam,quod sequitur; *Si lætatum est in abscondito cor meũ*.Diximus enim divitias efficere solere vanissimam quandam animorum lætitiam, atque voluptatem. Vrget etiam Nicetas particulam illam; *In abscondito; Plerosque enim* (inquit) *invenias, qui palam contemptum præseferant divitiarum,in mentis autem latebris cupiditatem pecuniæ alunt,atque occultãt*. Tum etiã forte illud indicat; Avaros nõ tam ex iis, quas possident, facultatibus, & divitiarũ magnitudine voluptatem capere solitos, quam ex occultis quibusdã desideriis eorum, quæ non habẽt, voluptatem sibi fingẽtes: ut aliquãdo exposuimus,disserẽtes de divitũ cupiditate, & desideriis multis.

Nicetas.

Avaritiæ malum occultũ.

23 Olympiod.

Cohæret, quod sequitur; *Et osculatus sum manũ meã*.Olympiodorus: *Sæpe numero nonnulli,cum sua facta efferunt,manus osculantur suas*. simile id quod præcessit. n. 25. *Silætatus sum, quia plura reperit manus mea*. Existimat præterea Chrysostomus hæc de manuum osculo,*ad amantium similitudinem sumpta videri,qui dum ii,quos diligunt,absunt, illorum divitias, ac res gestas cũ admiratione usurpantes, manus suas suaviantur. Existimo quia in signum osculandi manus illius,quem diligunt*. Sic igitur, qui absentes divitias concupiscit, manus suas suaviatur,ut significet se amare, & deperire, quod non habet.

Osculi manuũ allegoria.

Chrysost.

24 Olympiodor.

Iam id,quod sequitur,de *Iniquitate maxima*, & *negatione*, aut mendacio adversus Numen, sic elucidat Olympiodorus eleganti paraphrasi: *Si ego aliquãdo in mea potius dominatione, atque in meis egregiis facinoribus, quam in Deo spem, atque fiduciã collocavi,plane mentitus sim veritatem,cum non a nobis ipsis, sed a Divina gratia omne sit auxilium. Ergo si deceptus tale quid passus sum, in scelere,id mihi ponatur gravissimũ*. Negãt autem Deum bonorum omnium largitorem divites, juxta id Prover.30.8.9. *Mẽdicitatem,& divitias ne dederis mihi, ne forte satiatus illiciar ad negandum, & dicam, quis est Dominus?* Quasi dicant,divites; *Ego feci me ipsum*. Tum etiam, depositũ divitiarum illis a Deo commissum, negare videntur:nam pauperi Dei nomine petẽti, negãt se aliquid habere,quod largiri possint. Sed jam de ista sententia satis.

Mẽtiũtur, qui Deo cũcta nõ referunt accepta.

Divites negãtes depositum pecuniarum.

29 XXIX. *Si gavisus sum ad ruinã ejus, qui me oderat: & exultavi, quod invenisset eum malum.*

1. *Pronum humanum ingenium ad gaudium de inimicorum malo.*
2. *Verum signum dilectionis inimicorum.*
3. *Dictio* Euge *Invenire,& exultare quid.*

NVllam lætitiæ voluptatẽ animo cepi ex meorum adversariorum rebus adversis,neque elatus sum in illorum pernicie atque ruina. Quod quam sit difficile, novit nemo, nisi qui ab alio læsus est. Quãvis enim quis se a vindicta contineat & totam rem Deo supremo vindici committat; sed cum videt jam hostem supplicio affectũ, quotus est, qui non sibi lætandi, atque gaudendi materiam amplissimam oblatam intelligat? Quãtum enim gaudium illi negatum est,cui dicitur; *Non lætaberis in die perditionis eorũ*. Quantũ vero cõceditur,quibus dicitur fore,*ut videãt pauperes,& lætetur?* & qui sibimet gratulãtes dicũt, *Euge, euge, viderunt oculi nostri!*

1 Difficile non gaudere in adversariorũ ruina.

Abd. 12. *Psal.* 68.38. *Psal.* 34.21.

Sed illud dubitationem habet,cur non potius suam probitatem cõmendet Iob, quod suos inimicos dilexerit; hoc enim excellẽtius: quã,quod minus est,in illorũ malis non gavisum fuisse? Responsio petenda ex Gregorii documẽto quodam in hujus loci tractatione: *Sæpe in dilectionis imagine erga inimicum animus fallitur: seque hunc diligere æstimat, si ejus vitæ contrarius non existat. Sed dilectionis vim occulte,& veraciter, aut profectus inimici, aut casus interrogat: si enim de prosperitate additur,& de calamitate se odientis lætatur. constat quia non amat,quem non vult esse meliorem;eumq; etiã stantem voto persequitur,quem cecidisse gratulatur*. Verum enim vero ex odio etiã nascitur lætitia de alterius malis,ut elegãter Plutarchus dixit: *Inimicitia cum odio introducit invidiam,obtrectationem,lætitiam de adversis inimici rebus, acceptarum injuriarum memoriam, eamque in animo relinquit*. Ex verissimo itaque signo suam erga amicos charitatem commẽdat Iob, Virtutem sane Christiano dignam: addo etiam dignã magno, & excelso animo. Videtur enim illum, qui in alterius malis lætatur, non tam nocẽdi desiderium, quam vires defecisse. Plutarchus de utilitate ex inimicis capienda sapiẽter; *Simplicitati,& magnanimitati atque bonitati plus hic loci est, quam*

2 An majus inimicos diligere, quam non gaudere in illorum ruina.

Gregor.

Plutarch. de invidia.

Veræ dilectionis indicium.

Plutarch.

in amicitiis . Non enim tã pulchrum eſt, bene
amico facere,quã turpe non facere id,cum ne-
ceſsitas ejus requirit . Cæterũ oblata occaſione
ulciſcẽdi inimicũ, eum miſsũ facere,æquanimi
tat is eſt : qui vero & miſeratur inimicũ affli-
ctum,& opẽ fert indigẽti,& filiis ejus, ac fa-
miliæ adverſo ipſorum tempore operam ſuam,
ſtudiumque defert,hunc,qui nõ amat ob animi
humanitatem,neque ob probitatem laudat;

Huic pectus atrum eſt, atque adamantinũ,
Effićta ferro viſcera vel rigent.

Cæſari, cum ſtatuas Põpeji dejectas erigi juſ-
ſiſſet,Cicero dixit, Pompeji ſtatuis reſtituendis
tuas defixiſti. Vide Proverb. 24. 17.18. &
Ecclesi.8.8.& quæ diximus ſuper id c.22.
19. *Videbunt juſti,& lætabuntur, & innocẽs*
ſubſannabit eos . Ex quo etiã loco peti de-
bet enodatio illius quæſtionis, quam hic
Gregorius. tractat Gregorius , videlicet qua ratione
poſsimus lætari de inimici ruina? nã *Eve-*
nire (inquit) plerumque ſolet,ut non amiſſa
charitate , & inimici nos ruina lætificet , &
rurſum ejus gloria ſine invidiæ culpa contri-
ſtet. Sed plura loco jam indicato.

3 Secunda vero pars: *Et exultavi,quod in-*
veniſſet eum malum, nihil habet peculiare ;
eſt enim ſuperioris expoſitio. Septuagin.
LXX. illum *exultationis* affectum exprimunt: *Et*
Nicetas. *dixit cor meum,Euge.* Notat vero Nicetas,
Euge,dictionem eſſe ad voluptatem,atque irri-
ſionem pertineatẽ. Verbum autem *exultandi*
עור affert motũ quendam lętantis animi,& ſe
ſe ipſum excitantis, & exurgẽtis,quaſi ad
fruendũ occaſione oblata: nam ab eadem
radice eſt id Iudic.5.12. *Surge,ſurge Debo-*
ra,ſurge,ſurge, & loquere Canticum. Quare
Symmach. hoc loco Symmachus ex proprietate vo-
cis originalis legit; *Sic inſurrexi.* Cum autẽ
ille habitus *exultandi,*aut inſurgẽdi,vel e-
levandi ſe,aliquid hoſtile afferat,illa *exul-*
tatio, juxta ſubjectam materiã, accipi de-
bet cũ animo, & habitu hoſtili. Lectio il-
la, quam habet Hebræus apud Cajetanũ,
Cajetan. quamvis juxta proprietatẽ Hebrææ vocis
languidior videatur, at Iobi charitatẽ er-
ga inimicos multum cõmendat: *Si commo-*
vi,quia invenit eum malum, q.d. Nihil om-
nino animo perturbatus ſum , ac neq; le-
viter quidem ad lætitiã cõmotus, nos di-
ceremus: *No por eſſo hize movimiẽto ningu-*
no. De proprietate vero verbi *inveniendi,*
Invenire. (valet enim idẽ quod *venire in,* rurſus per
Hypallage. hypallagẽ,dicitur homo *venire in malũ,*cũ
in calamitatẽ incidit) diximus alio loco.

XXX. Non enim dedi ad peccã-
dum guttur meum , ut expeterem
maledicens animam ejus.

1. *Conſuetudo Scripturarum. Verbum* Dãdi *variũ ac multiplex in Sacro ſermone.*
2. *Appetitus hominis importunis, præſertim læſ ſicus.* Petere , *aut expetere quid . A Deo non petenda vindicta.*
3. Maledicere. Defendere. *Læſi ab hoſte juramento minantur vindictam.*
4. *Iob nunquam maleprecatus ſuis adverſariis.*

SOlent Sacræ Litteræ nõ ſemel , quod I
difficilius eſt,præmittere,& quę mino Conſuetudo
ra ſunt poſtponere,ut ſignum ſint præce- Scripturarum
dentiũ , aut ut ex præcedentibus facilius
credantur. Minus autem videtur,nulla cõ
jicere in inimicum maledicta,quam nullã
concipere lætitiã ex illius malo;Sed tamẽ
res per ſe ſe difficilis , ac ſpecioſa coram Metonimia.
Deo. *Non dedi ad peccandũ guttur;* Nunquã
verbo maledico peccavi adverſus proxi-
mum. *Guttur,* os, linguã, (ſunt enim hæc
omnia ſermonis inſtrumenta,& ſæpe pro Instrumenta
ſermone ponuntur) ſua ſponte ad inimi- ſermonis pro
corum execrationes prona , & expedita, ipſo ſermone
non permiſsi ſuæ libidini, ſed continui in
officio , & charitate . Illud vero : *Dare ad*
peccandũ guttur, Hebraiſmus eſt, nihilque
aliud ſignificat,quam peccare gutture. Si
milis locutio,Eccleſ.5.5. *Ne dederis os tuũ,*
ut peccare facias carnẽ tuam. Exponitur ſta-
tim: *Et ne dicas,&c.* Sic, *Dari pedẽ in cõmo-*
tionẽ, eſt nutare,aut vacillare,Pſ.120.3.&
Dare faciem ad aliquẽ, eſt intueri in ipſum, Hebraiſmus.
ut in Hebræo eſt,Daniel.9.3.Ezech.14.7.
8.& 15.7. *Dare fornicationes,*cũ aliquo for-
nicari.Ezech. 23.7.& ſexcẽta hujuſmodi.
Si nimiũ curioſe premere velis vocẽ il- 2
lam *Dandi,* Finge quod vere potes,tẽ læ- Appetitus læ-
ſum ab inimico, jã injuria accepta, & ipſe ſus petens ab
animus, & appetitus male affectus expe- homine om-
tere videntur ab homine omnia inſtrumẽ nia vindictæ
ta ſe ulciſcendi, & adverſarium lædendi, inſtrumẽta.
cor,manus,pedes,linguam, ad peccandũ.
Qui ſui animi impos eſt, facile dat poſtu-
lata;qui ſui compos eſt,nedum *guttur* dat
ad peccandũ, & expetendũ animã inimi-
ci . Facit cum hoc ipſa vox , quæ ſequitur
*expetendi,*quod proprie eſt *petere.*q.d. Nũ-
quam dedi guttur meũ,neque petii.id eſt, שאל
neque male loquutus ſum de adverſario,
neque expetivi animo . Quãquam illa eſt
petendi , aut *expetendi* ſimplicior interpre-
tatio, quod non petierit a Deo ullũ malũ
ſuis adverſariis.Qua de re loquitur elegã Gregor.
ter hoc loco Gregorius: *Peccaret* (inquit)
ſi hoc optaret a Deo fieri , quod ipſe facere vel Maledicta,&
omnino nõ poſſet, vel ſi poſſet,minime deceret: imprecatio-
nam qui maledictionibus inimicum impetunt, nes.
quid aliud in eum facere Deũ volunt,niſi quod
ipſi facere aut nequeunt, aut erubeſcunt.
Maledicens animã. Male precans illius 3

אלה

Iuraměta imprecatoria, & cõminatoria.

vitæ, aut ipsi homini. Verbum *Maledicẽdi* est aut execrari, aut jurare, juramento videlicet imprecatorio. Quare hic acciperẽ de juramẽto hujusmodi, cum homo læsus ab inimico jurat se vindicaturũ, & justas de inimico pœnas sumpturum. Cujusmodi illud est Iudith. 1.12. *Indignatus Nabuchodonosor juravit, quod defenderet se* (vindictam sumeret) *de omnibus regionibus his.* & 1.Reg.15.22.

Illud non prætereundum, quod cũ Da-
4 vid, atque Ieremias graviter ab hostibus vexati, suis vel persequutoribus, vel illusoribus mala gravissima imprecentur, quamvis juste sane, & nullo vel odio, vel vindictæ cupiditate, sed vel per prophetiam, vel Divinæ gloriæ tuendæ Zelo; at mitissimus Iob, neque hac quidẽ ratione, ullas adversus hostes, & illusores suos imprecationes usurpat. Et observat quidem Gregorius, jam in sua illum mente inscriptum habuisse; *Diligite inimicos vestros.* Et, *Non reddẽtes malum pro malo, nec maledictũ pro maledicto.* Quod postea Scriptum est Luc. 6.2 7.1. Petri. 3. Dixi de hujusmodi imprecationib⁹, quas sancti viri jacere in impios solent, superius. Hic tantum Septuaginta exprimunt id, quod sæpe subticetur, videlicet justã pœnam maledicentiæ; *Audiat auris mea maledictionem meã; & diffamer a populo meo male affectus.*

Iob cum Davide, & Ieremia collatus.

Gregor.

LXX

XXXI. Si non dixerunt viri tabernaculi mei, Quis det de carnibus ejus, ut saturemur?

1. *Prima sententia non omnino rejecta. Mansuetudo Iobi, Davidis, Christi Domini erga suos inimicos. Servorum erga suos Dominos obsequium.*
2. Manducare alicujus carnes *in malum, servorum adversus suos heros severiores odium. Dominorum severitas, & morositas.*
3. *An Iobi familia defatigata in excipiendis hospitibus, Iobo unquam detraxerunt? Nemo segnis in familia justi. Explicatus Isaias.*
4. Devorare alterius carnes *in bonum. Iob. & Principis erga servos clementia.*
5. *An hic locus de Eucharistia accipi debeat?*

I Illud pronomen, *ejus*, quod nulli certo antecendẽti alligatum videmus, ansam præbuit multis interpretationibus. Et quidem Cajetanus, & Isidorus existimant, cõmendari hoc loco singularẽ Iobi mansuetudinem, & animi tranquillitatem in mediis injuriis, ita ut cum Iob sæpe ab hoste, & inimico læsus, immoto animo persisteret; At *Viri tabernaculi* illius, vernæ, & famuli arderent adversus hostes, atq; si fieri posset, illos vellent discerpere; sed tamen illos placabat Iob, & a vindicta continebat, pugnare gestientes pro hæro suo optimo, atque amantissimo; ergo relativum *ejus*, refert hostem. Simile mansuetudinis exemplũ prębuit David maledictis impetitus a Semei. 2.Reg.16.10.& 11. Cum illius milites, & servi arderent adversus hostẽ; *Dimittite eũ, ut maledicat, &c.* Sed multo illustrius exemplũ habemus in Christo Servatore Luc.9.54.& 55. Cũ increpavit discipulos tonantes, & fulgurantes adversus Samaritanos. Hujus ergo mititatis, & mansuetudinis Evãgelicæ videtur Iob expressa figura, qui suos domesticos adversus hostes, excandescentes placabat, & leniebat. Facit quoque particula, quæ in Hebræo est, quæ per interrogationẽ eleganter etiam vertitur: *An non dixerunt, &c.* ut cohęreat cum pręcedente, quod videlicet a suis ipse domesticis stimularetur, ad sumendã de hostibus vindictam. Hęc prima interpretatio, nisi longiuscule, & quodam cum labore quęsivisset antecedens illius relativi, omnino mihi arrideret: nam aliæ quas subjiciemus, non minores habẽt difficultates: & jam nunc dicam; si cui sequẽtes non placebunt, hanc ipsam tuto complecti posse.

Multiplex interpretãdi ratio.

Cajetanus. Isidorus.

David mititatis exẽplum.

Christus mãsuetudinis exemplar.

Iob Evangelicæ mansuetudinis imago.

אם

Prima interpretatio probabilis.

2 Sed frequens tamen reliquorũ Interpretum consensus Iobũ intelligunt in illo antecedente, cum discrimine tamen: nam alii in malum accipiunt illã loquendi formulam, *saturãdi carnibus*, Gregorius, Philippus, Hugo. Et videtur etiam Interlinearis; ait enim, quod in hoc ostenditur *Patiẽs Iobi charitas.* Cajetanus etiã, Vatablus, Isidorus Clarius, Benedictus, Eugubinus, Pereira lib.24. in Genes. disp.2.n. 47.& 48. Emanuel Sa in annotationibus. Ergo intelligunt, vel detractores Iobi, vel qui illius necem machinabantur, juxta ea, quæ diximus sup.c.19.v.22.& *Carnibus meis saturamini.* Alii vero in bonũ accipiunt pro ardentissima charitate, & desiderio fruẽdi alicujus præsentia; Chrysostom. Olympiod. D.Thomas, Dionysius, Lyra. Titelman. Ioannes Ferdinandus, lib.3. Thesauri.c.43. Sed hæc explicatius tradenda.

Secunda expositio bipartita

Gregorius. Philipp. Hugo. Glossa. Cajetan. Vatabl. Isidorus. Eugubin. Benedictus. Pererius. Emanuel Sa.

Chrysost. Olympiod. D.Thom. Dionys. Lyra. Titelmanus. Ioannes Ferdinandus. Gregorius.

Secundo ergo Gregorius intelligit familiares ipsius Iobi exoptasse illius mortẽ: *Quia* (inquit) *si injuste agentibus, aut unquam per silentium cederet, aut per rectitudinẽ non contrairet, profecto adversarios non habuisset. Sed in eo, quod vias vitæ tenuit, exoptatores suæ mortis invenit.* Ergo videtur propter sanctiorẽ illam suæ familiæ disciplinam, cum nihil injustum servis permitteret, illorũ in se odia concitasse. Sententiã istam amplexati sunt viri docti recentio-

res.

Oserius. Aslunica. res. Addit etiam doctus quidā Interpres, severitatem, & asperitatem in tractandis servis significari hoc loco a Iob, quibus illos in officio continebat, juxta Salomonis præceptum Prov.29.& Ecclesi.33. Sed ut vere dicam, quod sentio, non sine verecūdia, nihil video a Iobi sanctissimi mansuetudine, & charitate erga familiares suos magis alienum, quā istam severitatem, & asperitatem; neque quicquā magis repugnans cū illis sententiis.13.14.& 15.hujus capitis. Scilicet dure, & aspere illos tractabat, quos cum haberet ejusdē fidei, & religionis consortes; *Iam nō ut servos, sed pro servis charissimos fratres* (ut Paulus de Onesimo ad Philemonem) *accipiebat, non solum in Domino, sed etiam in carne.* Scilicet mansuetissimus, ac patientissimus Iob erat sicut *leo in domo sua, evertens domesticos suos, & opprimens subjectos sibi.* Scilicet Iobi servi hostes essent (quamvis aliorū dominorum servi utique hostes censeri plerumque possint) cum Iob minime esset sevus, aut contumeliosus. Eleganter ait Macrob lib.1. Saturn. c. 11. *Unde putas arrogantissimū illud manasse proverbium, quod jactatur: Totidem nobis hostes esse, quot servos? Non habemus illos hostes, sed facimus, cū in illos superbissimi, contumeliosissimi, crudelissimi sumus: & ad rabiem nos cogunt pervenire deliciæ, ut quidquid nō ex voluntate respōdet, iram, furoremq; evocet. Domini enim animos induimus Tyrannorum, & non quantū decet, sed quantum libet, exercere volumus in servos.* Sed ais, insignem servorū Iobi nequitiam insigni etiam severitate, & asperitate contineri debuisse. Ita ne tā parum profecerat apud suos domesticos Iob sua disciplina, & sanctissimæ vitæ exemplo? Ego in animum nunquā inducam meum Iobi servos ferino illum more discerpere exoptasse, & ejus sanguinē unquam sitivisse. Præsertim cum *viri tabernaculi* non tantū cōprehendat servos degeneres, & mancipia vilissima, sed cunctos domesticos, atq; familiares, quorum sicut familiæ, ita, & illorum patrem majori jure se præbebat.

Censura præcedentis expositionis.

Iobi erga servos comitas, & māsuetudo

Ad Philem.16.

Ecclesi.4.35.

Macrob.

3 Aliorum mitior explicandi ratio.

Philippus.

Paulo lenius alii cōjungentes sentētiā istam cū sequente de excipiendis hospitibus, ita ut hæc *verba sint domesticorū Iobi, quos nimiū fatigabat in tractandis hospitibus.* Hanc exponēdi rationem primus docuisse videtur Philippus: *Cum enim ut strenuus, & efficax in omni opere bono, & hospitalitati vacaret, omnesq; prætereuntes libenter susciperet, hinc domui suæ cura sollicitior nascebatur, & ob hoc famuli laboris tædio victi, hoc modo male dicebant eundem Dominum suum, dicentes: Quis det de carnibus ejus, ut saturemur? Pro hospitalitatis igitur virtute, qua & cæteri sancti Deo placuerunt, odium servorum contraxerat.* Hæc Philippus: quæ descripsit Beda, & fere eadē Vatablus. Ergo volunt hi Interpretes servos defessos, & fatigatos assiduo labore, mala, atq; necem vel imprecatos, vel machinatos suo Domino. Vel, ut non nemini placuit, rem familiarē furatos, & deprædatos, quod vulgari proverbio dicimus: *Comedere dimidiū latus alicujus.* Qua etiā formula dicitur Isai.9.20 *Unusquisq; carnē brachii sui vorabit.* id est, fratri suo opes, & facultates auferet. Hæc quidē exponendi ratio benignior est, sed tamen cum ipsa Iobi humanitate, atq; benignitate cōparata, adeo dura, & aspera mihi videtur, ut nunquā devoraturus sim facile, neque crediderim Iobi familiam adeo segnē fuisse in officio hospitalitatis, sed omnino illius Abrahamicæ similē, de qua sic scribit Philo, cū de Abrahami hospitalitate disserit lib. de Abrahamo: *Nemo ad humanitatis officia segnis est in Sapientis familia, tam mulieres, quā viri, tam servi, quā ingenui, prompte ministrant hospitibus.*

Beda. Vatabl.

Censura præcedentis expositionis.

Philipp. Abrahami familia strenua in officio hospitalitatis.

Contrariæ interpretationis auctores, qui in bonum accipiunt, cū discrimine interpretantur. Græci quidem, ut velle aliquem comedere, & intra sua viscera condere, sit ardentissimæ cujusdā charitatis. Olympiodorus: *Ancillæ nimio studio, illius quæ flagranti cupiditate incensæ, dixerunt; Devoremus eum.* Chrysostomus, *Insanū amorē, quo servi illū prosequebantur, ostendit. Sic (inquit) mihi, dediti erant, & affixi, ut vel carnibus expleri cuperent, ipsos meos artus absorbere, ac devorare peroptarent.* & cum Hom.83. In Matth. Christi Iesu se nobis manducādum præbentis, atque se se nobis cōmiscentis charitatem pluribus persequitur, tandem subjungit; *Hoc Iob significabat de servis, a quibus maxime amabatur, qui suum amorē proferentes, dicebant; Quis daret nobis, ut ejus carnibus impleremur?* Augustinū vero in bonam quoque partem accepisse nemini dubium esse debet: nam quāvis allegorice, at *adulatorum* esse istam vocē vult. Sed explicatius alii, *Saturari carne illius*, existimant significare desideriū fruendi illius præsentia, & conspectu jucūdissimo. Et quidem rem istam confirmare potest, quod nisi hæc sententia cōtineret præclaram alicujus laudē virtutis, atque clementiæ Iobi, & mutuā suæ familiæ charitatē, minime videretur inserenda in catalogo reliquarū virtutū. At illa in optimo Principe, & patre familias eximia est; *Ut enim* (ait Chrysostomus) *ad summā virtutē pervenisset, non solū erga alios, verum etiam erga*

4 Tertia exponēdi via Græcorum.

Olympiod.

Chrysostomus.

Augustinus.

Chrysostom.

ſuos ſervos clementia utebatur. Hæc enim omnis eſt facilitas, cũ quis eos, quibus imperat, humanitate regit, nulla violentia moderatur.

5 Accedit, quod locus hic multo cõmodius accõmodabitur ad Euchariſtiæ Sacramentũ, & charitatem fidelium reficiẽtium ſe Chriſti corpore, ſi ad litteram de charitate famulorũ Iobi intelligatur, ut a Chryſoſtomo adducto, & ſuper 1. ad Corint. 10. hom. 25. *Quos amamus* (inquit) *nõnunquam etiã morſu petimus: Quarẽ Iob, ut ſervorum in ſe amorẽ oſtenderet, dicebat, illos ſæpe numero nimio in ſe amore dixiſſe; Quis det de carnibus ejus ut ſaturemur? Ita & Chriſtus ſuã carnẽ dedit nobis, quo nos in plurimũ ſui amorẽ allexit.* Gregorius præterea, atq; libenter in rem eandem Eccleſia hæc verba uſurpat; nõ quidẽ ut eum ſenſum verborũ Iobi certo ſtatuat, ſed ut pie per elegantem acommodationem illius verbis utatur ad rem ſuã. Hoc enim dixerim, ne quis exiſtimet ullum eſſe in hac, vel illa interpretandi ratione fidei diſcrimen. Mihi profecto, cui primum non valde; placere hoc ultimũ debet: Cui vero neutrum; at ſaltem illud primum, quod cum memoria nunc repeto, jam ſane blandiri, & placere incipit.

Sentẽtię hujus accõmodatio ad Euchariſtiam. Chryſoſt.

Gregorius.

Iudicium præcedentium expoſitionum.

XXXII. *Foris non manſit peregrinus, oſtium meũ viatori patuit.*

1. Foris, *quid proprie.* Manere. *Quondam publica hoſpitia, aut caupona nulla. Explicatus locus judicum.*
2. *Pluralis numerus ad amplificationem. Cur Abraham* ſedens in oſtio ſui tabernaculi. *Hoſpitalitas qualis requiratur a Paulo.*
3. *Aegyptiorũ inhoſpitalitas, ſacrificabãt hoſpites. Illuſtratus locus Sapientiæ.*
4. *Multarum gentium barbararum ſævitia erga hoſpites, & peregrinos. Iupiter Hoſpitalis. Explicatus locus Machab.*

1 Vere Iob ſicut Abrahami ſanguinis, ita & hoſpitalitatis hæres. Elegãter Chryſoſtomus: *Domum* (inquit) *habui cõmunem, menſam communem: mea, haud mea, ſed Domini ratus: Dominus enim dedit: ergo cum conſervis partienda cibaria.*

Chryſ.

Foris, ſub dio, in media via, cęli injuriis, & pertranſeuntium petulantiæ expoſitus; *Fuera de caſa.* Vox enim, quæ *Foris*, aut *Foras* ſignificat, eadem ſignificat, quod *extra domum* eſt, Ezech. 41. 17. & *viam*, Iſai. 51. 23. & *Plateam*, 3. Reg. 20. 34. Vide, quę diximus ſupra Iob. 5. verſ. 10. n. 3. Nullæ tunc hoſpitales domus, quæ pauperes, & peregrinos exciperẽt; nullæ cauponæ viatorum; niſi vir quiſpiam bonus, & hoſpitalis hoſpitium præberet, neceſſarium erat manere, & pernoctare in platea, Gen. 19. 2. & judic. 19. 6. Et in Orientis quidẽ regione, raris oppidis culta, ariditate, & æſtu infeſta, neceſſaria locupletiorum virorũ erga peregrinos, & pauperes hoſpitalitas. Pulchrã hac fere de re inſtituit quæſtiunculã Serarius noſter ad 6. c. Tobiæ.

בחוץ

Hoſpitia publica.

Nicolaus Serarius.

Non manſit, non pernoctavit, non dormivit. Affert verbum originale *Lun*, protectionem quandã in loco, aut ſub tecto; in quo quis manet, & cõmoratur: Cujuſmodi illud eſt, Iudic. 19. 6. *Quæſo te, hodie hic maneas, & ne in platea maneas.* & Geneſ. 19. 2. Vide, quę diximus c. 24. ver. 7. ſuper id: *Nudos dimittunt homines.* ubi Septuag. legunt: *Nudos dormire fecerunt.* Iobque proculdubio ibi notat inhumanitatem, & inhoſpitalitatem vicinarum regionũ, de quibus dicemus ſtatim. *Peregrinus*, quicũque ille eſſet, quamvis omnino ignobilis, exterus, & alienus, quem Interpres, *Advenam*, & *hoſpitem* aliis locis vertere ſolet.

לון

LXX.

Oſtium meum. Epitaſim habet pluralis numerus in Hebræo: *Oſtia mea.* undequaque patuit ad meam domum aditus; volebam non unico tãtum oſtio, ſed mille excipere peregrinos; non ſemel, ſed ſemper, idque animo lubentiſſimo: nam pluralis illa ſignificatio cum nõ poſſit in ipſum oſtium bene convenire, exaggerat vim verbi, cui adjungitur, *Patuit.* In Hebræo, prima perſona ſignificationem quoq; auget; *Aperiebam*, vel *aperui*; ego ipſe prætereũtes invitabam in introitu meæ domus, ſicut quondam Abraham *ſedens in oſtio tabernaculi ſui.* Paulo vero ſignificantior lectio Septuag. *Omni viatori patuit.* quod Chryſoſtomus illuſtrat: *Non quod plerique factitant; ut eos, quos ſuſcipiant hoſpitio, curioſius ſcrutentur, hoc idem Iobo familiare erat; quin potius cunctis domus illius patebat.* Neſcio quid annotare videtur Vatabl[9] legẽs: *Patuit ad iter*, vel, *juxta iter*. Quaſi ipſum oſtium apertum eſſet ad eam partem, quæ publicam peregrinorum viam reſpiceret; *ut peregrini facilius declinarent in domum.* Recte. Sed ſi hoſpitalitas ea eſt, quã Paulus ad Timotheum, & Titum eſſe vult, ut eleganter dixit Ambroſius lib. 1. de Abraham. c. 5. Profecto; *Præſto eſt advenientibus & occurrit obviã, & itinera explorat, & adeſt non quærentibus, & rapit prætergrediẽtes.* Ideoque ait, *Abraham in oſtio ſui tabernaculi: non otioſus ſedet, qui longe aſpicit: neque aſpexiſſe contentus, occurrit obviam.* Pari ergo ratione dicemus, Iob non otioſe *aperuiſſe oſtium ſuum*, ſed ut lõge aſpiceret, atque etiam obviam viatoribus occurreret.

2

Numerus pluralis ad vehementiam.

Gen. 18. 2. LXX. Chryſoſt.

Vatabl.

Veræ hoſpitalitatis forma.

Ambroſius.

Ad Ægyptiorum, & barbararum gentium, quas Iobus perſtringit, inhoſpitalitatem, digreſsio.

3 Notata a Iobo Aegytiorũ inhoſpitalitas.

SED ſicut ſuperius, cũ barbarorum hominum mores efferatos notabat Iob, diximus vicinos illũ Troglodytas vellicaſſe, ſic ſane cũ ſuã nũc humanitaté erga hoſpites, & peregrinos deſcribit, perſtringere mihi videtur Aegyptiorum inhoſpitalitem, & ſævitiam Buſiridis illius Pharaonis, Aegypti, inquã, Regis, apud profanos ſcriptores valde celebrẽ, & ſuo ſæculo apud Huſitas crebris forte ſermonibus uſurpatã. *Is* (ſic ſcribitur ab Hygino) *cum eſſet ſterilitas, & Aegyptus annis novem ſiccitate exaruiſſet, ex Græcia augures convocavit: Thaſius Pigmalionis fratris filius Buſiridi monſtravit, immolato hoſpite venturos imbres, promiſsique fidẽ ipſe immolatus exhibuit.* Sive fabulã, ſive hiſtoriã ſic narrat Ovid.

Hyginus.

Ovid. 1. Faſt.

Dicitur Aegyptus caruiſſẽ juvãtibus arva
Imbribus; atq; annos ſicca fuiſſe novem.
Cũ Thaſius Buſirim adit, monſtratq; piari
Hoſpitis effuſo ſanguine poſſe Iovem.
Illi Buſiris, fies Iovi hoſtia primus,
Inquit, & Aegypto tu dabis, hoſpes, aquã.

Verum nõ tã in unũ hoſpitem, Thaſium, ſed in ceteros quoſcumq; ſæviiſſe, ac Iovi mactaſſe, auctores ſunt Pherecides, & Heratoſthenes, Plutarchus, in Parallel. c. 38. Euſebius in Chron. Auguſtinus, 18. de Civitate. c. 12. Arnob. lib. 8. contra gent. Cyrillus. lib. 18. c. 5. Giraldus in Hercule, Servius ad id Virgilii 3. Georg.

Pherecides. Plutarch. Euſebius. Auguſt. Arnob. Cyrillus. Lilius. Servius.

= = = = = = Quis aut Euriſthea durum,
Aut illaudati neſcit Buſiridis aras?

Virgil.

Et id Ovid. 9. Metamorph. de Hercule,

Ovidius.

Ergo ego fœdantẽ peregrino templa cruore
Buſirim domui. = = = = =

Sed quid ea res mactationis hoſpitũ, veritatis habuerit, varie ab ſcriptoribus exponitur. Strabo quidẽ nullum Regẽ vult Buſiridem, nullumq; Tyrãnum, ſed rẽ ſic ſe habere. *Auctor eſt Eratoſthenes*, (verba ſunt Strabonis lib. 17.) *Cõmunem barbaris omnibus conſuetudinẽ eſſe, ut hoſpites pellant: Aegyptios vero accuſari propter ea, quæ in fabulis de Buſiride, & Buſiritica præfectura dicta ſunt, volentibus poſteris loci hujus inhoſpitalitatem calumniari: cum Medius Fidius, nullus Buſiris, nec Rex, nec Tyrannus. Illud quoque Vulgatum eſſe,*

Strabo.

Buſiris an verus Rex fuerit

Duriter ac lõgũ Aegypti perducit ad oras.

Atque illud permultum ad hoc facit, quod locus eſt importuoſus, & quanquam portum habeat, is tamen, qui Pharo proximus eſt, nequaquam patet; ſed a bubulcis cuſtoditur hominibus prædatoriis, qui applicantes quoſque adoriantur. Carthaginenenſes vero demergũt peregrinos, qui in Sardiniam, vel Herculis colũnas adnavigant. Sed verum fuiſſe Buſiridẽ, verumque Tyrannũ, ceteris placuit. Diodorus vero lib. 2. c. 4. *In Oſiridis veluti frugum, ac fructuũ repertoris memoriam apud poſteros immortalẽ, boves ruffos, quoniam videntur colore ſimiles Typhoni, qui Oſiridem necavit, immolari permiſſum: & homines quoque colore Typhonis antiqui Regis; ad ſepulchrũ Oſiridis ſacrificio mactabant. Qua ex cauſa pauci ruffi Aegyptii reperiebantur, externi plures. Hæc res materiã fabulandi Græcis dedit, Buſiridẽ hoſpites necaſſe. Sed ad Oſiridis ſepulchrũ ea crudelitate necatum eſt.* Alii exiſtimãt crudelitatis fama, quã in Hebræos infantes Buſiris exercuit, Græcorum figmentũ extitiſſe: is enim idẽ videtur fuiſſe Pharao ille, quẽ alii Orum, alii Amenophim, alii Chenephim nominãt. Ego vero cum videã non ſolum Buſiridem, aut Pharaonẽ, qui regnavit tempore Moſis, ſed etiã univerſos Aegyptios inhoſpitalitatis dãnatos; adeoq; etiã ante Buſiridẽ, id eſt ante Pharaonem, cujus tẽpore natus eſt Moyſes, Philo *libidinẽ inhoſpitalem* notat illius, qui Sarã abſtulit Abrahamo, lib. de Abrahamo, exiſtimo non tantũ id pertinere ad cõmunem forte illam hoſpitum, & Hebræorum mactationem ad Oſiridis aram, verum etiam ad communem Iſraeliticæ gentis oppreſsionẽ, & iniquam, durãque ſervitutẽ; ut non obſcure oſtenditur Sapientiæ. 19. 13. dum de Aegyptiis dicitur; *Iuſte patiebantur ſecundũ ſuas nequitias. Etenim deteſtabiliorem inhoſpitalitatẽ inſtituerunt. Alii quidẽ ignotos non recipiebãt advenas, alii autẽ bonos* (benemeritos) *hoſpites in ſervitutẽ redigebant; & nõ ſolũ hæc, ſed alius quidẽ reſpectus* (viſitatio, aut punitio) *illorum erat. Quoniam inviti recipiebant extraneos.* (videntur enim Aegyptii omnes peregrinos acerbo odio proſequuti) *Qui autem cum lætitia receperunt hos*, (videlicet uel inter ſolemnia ſacra, vel ad feſtum aliquem diem) *qui eiſdem uſi erant inſtitutis* (videlicet jam in cõſortium ejuſdẽ juris, atque civitatis admiſſos) *ſævisſimis* (paulo poſt neglecta fide hoſpitii) *afflixerunt doloribus. Percuſſi ſunt autem cæcitate, ſicut illi in foribus juſti, cũ ſubitaneis cooperti eſſent tenebris, unuſquiſq; trãſitũ oſtii ſui quærebat.* Quod videtur dignũ fuiſſe inhoſpitalitate ſuppliciũ, ut qui neq; hoſpitio, aut domo

Diodorus.

Buſiris an idẽ, qui Pharao.

Philo.

Inhoſpitalitas Aegyptiorum opprimẽtiũ Hebreos.

Sapientiæ locus de nequitia, & inhoſpitalitate Aegyptiorum illuſtratus.

Dignum inhoſpitalitate ſupplicium.

sua dignabantur advenam, & peregrinū, domo ipsi sua, tectoque careret. Hæc igitur verissima fuit Aegyptiorum inhospitalitas, quam non solum tempore Mosis, sed universo fere Aegyptiacę captivitatis tempore, postquam Iosephi memoria obsolescere cępit, exercuisse erga Israelitas videntur.

4 Inhospitalitas aliarū gentium.

Arnobius. Plutarch.

Ab Aegyptiis vero videtur ad nationes alias crudelitas ista inhospitalitatis derivata: *Tauris* (inquit Arnobius) *Ponticis, & Aegyptio Busiridi ritus fuit hospites immolare.* Plutarchus in Parallelis ex Dercyllo 3. Italicorum refert in Italia: *Faunū Regem, qui Mercurii filius fuit, patri immolare hospites solitum. Phalaridem itē Agrigentinorum Tyrannum, hospites torquere, & excruciare consuevisse. Peryllus autem faber ærarius æream buculam confecit, Tyrannoque obtulit, ut in ea peregrinos vivos cremaret.* Inhospitales quoque Lacædæmonii, atque Thebani, ut scribit Dionysius Halicarnaseus lib. 2. Tacitus lib. 11. & Appolloniatæ, ut ait Aelianus lib. 13. Variæ historiæ. Philostratus in vita Appollonii lib. 6. cap. 10. Strabo lib. 8. Spartiani quoque Spartā suam nemini peregrino permiserunt, ut scribit Plutarchus in Agide, & in Lycurgo, & Carthaginenses, auctore Strabone lib. 17. *Scythæ* quoque auctore Herodoto lib. 4. & Strabone lib. 7. Deniq; Horatius, *Britannos hospitibus feros* prædicat. Nostro sæculo Sinarū inhospitalitas celebris est, neminē ad suas sedes admittentium peregrinum, sive timore id faciant, sive inhumanitate. Et eam efferatam inhumanitatem pellendi hospites e suis finibus communē fuisse Barbaris omnibus tradit Strabo lib. 7. auctoritate Eratosthenis.

Dionys. Hal. Tacitus. Aelianus. Philostrat. Strabo. Plutarch. Horatius lib. 3. carm. Od. 4.

Aliarum gentium humanitas & hospitalitas.

Quare humaniores aliæ nationes, atq; civilitatis studiosiores hospitalitatē egregie coluerunt, atque adeo *Hospitalem Iovē*, sub cujus tutela hospites esse credebātur: ut indicat illud Virgilii.

Virg. 1. Aene.

Iupiter, hospitibus nam te dare jura, loquūtur.

Iupiter Hospitalis.

Propterea; videtur voluisse Antiochus, ut appellaretur templum *In Garizim, pro ut erant hi, qui locum inhabitabant Iovis hospitalis*, ut dicitur 2. Machab. 6. 3. Quia videlicet illi Samaritani profitebantur advenas a Persis, & a Medis, adeoque illarū sedium hospites, hospitalem debere Deū colere. Hujus meminit Cicero 3. definib. & Orat. pro Rege Dejotaro, & nonnulli alii Poetæ apud Lilium Gyraldum Syntag. 2. Ergo, ut ad Iobum revertar, vicinarum gentium barbaram, & inhumanā inhospitalitatem detestatus Iob, hospitalitatem coluit benignissime, & ante legē, ante Evangelium, quod legis, quod Evangelii erat, sedulo implevit.

Cicero. Lilius.

XXXIII. *Si abscondi, quasi homo, peccatum meum, & celavi in sinu meo iniquitatem meam.*

1. *Spontanea peccati, & occultarum etiam cogitationum confessio.*
2. *Germana expositio.*
3. Abscondere *quid. Humanum ingenium in occultando delicto. Illustratus David, & Samuel.*
4. Sinus laxus, & strictus.

1 Chrys. Olympiod. LXX.

CHrysostomus, Olympiodorus, & Græci existimant proponi a Iob eximiam quandam animi humilitatem; quæ ut sensum integrum habeat, conjungēda est cum sententia sequente, juxta Septuaginta, sic legentes: *Quod si, & cum non spōte peccassem, abscondi peccatum meum: non enim expavi turbam multitudinis, ut non enararem coram eis.* involuntarios igitur illos, & primos mentis motus, qui ratione præcurrunt, publica confessione curabat, & ut Olympiodor⁹ ait, ejus rei, *Quæ nō esset ad recte rationis legem expressa, confessionem non reformidabat.* Atque qui (ut Chrysostomus dixit) *recte factorum nullum testem quærebat, erratorum cunctos esse conscios optabat.* Sciebat nimirum spontanea criminū confessione elevari, relevarique delicta, quæ ad lucē, & confessionem extinguūtur; in tenebris, & occulto nutriuntur, & adolescunt. Vide Tertullianum lib. 2. adversus Marcionem, Chrysostomum Hom. 20. in cap. 4. Genes. & Homil. 44. in cap. 19. De tentationibus autem illis, ac primis animi motibus non occultandis, vide Cyprianū sermone de Lapsis, Gregorium homil. 4. in Evangelia, Ephrem lib. 1. admonit cap. 8. Cassian. Collat. 2. cap. 11. Eusebium Emissenum homil. 5. ad Monach. & hom. 10. Ex profanis quædam alia congerit Faber. 3. Semestr. cap. 5.

Olympiod. Chrysost. Cōfessio peccati salutaris. Tertullian. Chrysostom. Cyprian. Gregor. Ephrem. Cassianus. Eusebius. P. Faber.

2 Germana expositio innocentiæ Iob.

Ego vero censeo, his verbis suam animi sanctitatem ita commendare Iob, ut asserat nullum habuisse occultū scelus, quod pro ingenio humano abscondere vellet: nā qui affirmat non abscondisse ullū peccatum, non ideo affirmat, detexisse, sed nihil habuisse, quod absconderet. Sensum hunc indicavit profecto Philippus; *De cogitationibus dixisse mihi videtur, se cōsensione iniqua cujuslibet peccati nō fuisse participem.* Ergo videtur absolvere enumerationem

Philipp.

sua-

Iob occurrẽs tacitæ objectioni.

ſuarum virtutum,atque repellere a ſe hypocriſim, quam ſæpe illius amici objecerant,ſic occurrens hujuſmodi objectioni tacitæ; Quamvis tibi,o Iob,hoſpitalitatis, miſericordiæ, & aliarum virtutum externa documenta,& ſanctitatis ſpeciem quãdam permittamus: nõ ideo te nobis ſatis probabis,neque a ſuſpicione occultorum ſcelerum purgabis: nam illud eſt humanũ ingenium,eorum præſertim,qui ſimulata virtutis ſpecie, ſanctitatis famam colligere ſtudent, ut quæ videri ab hominibus poſſunt, ſtudioſe efficiant; quæ videri nõ poſſunt,ſibi tantum,& ſuæ libidini, tenebriſq; faciant. Huic occurrit Iob; Scio id eſſe humanum ingenium, ubi quidpiã ab homine peccatum eſt. At ego nihil amo, quod tenebras amet, & lucem averſetur: neque quidem, melior videri volo, quam ſim. Nunc premendæ voces.

3 כסה

Cõfeſsio quõdam publica per publicum ſacrificiũ pro peccato.

Si abſcondi. Propriæ ſignificationis, atque rei hujus exemplum Pſ.31.5. *Delictum meum cognitum tibi feci;& injuſtitiam meam non abſcondi. Dixi: Confitebor adverſum me me injuſtitiam meam Domino.* erat videlicet tunc genus quoddam confeſsionis publicæ, offerendo oblationem pro peccato. Ergo,*abſcondere*,erit nullum dare externũ documentum peccati alicujus, & vel ſilẽtio,vel oblivione,vel alia ratione diſsimulare delictum, aut honeſta aliqua ſpecie virtutis,& pietatis,illud ornare,vel excuſare.idem enim verbum,*abſcondendi*,ſignificat veſtire,vel operire.

Adã proprie, & appellative.

Tygur.

Adam peccatum tegens.

Gregor.

Principes peccata ſua ſtudioſe occultãtes.

Quaſi homo, in Hebræo. *Quaſi Adã*.Recte quidem,ſi appellative ſumas cum Vulgato: nõ inepte etiam, ſi proprie,pro primo homine,cum Tygurina. Mirum enim humani ingenii poſt peccatum exemplũ præbuit primus homo nuditatem tegens, ſeque abſcondens,& peccatum omni via, & ratione excuſans. Vide hoc loco Gregorium. Principes vero præſertim, atque judices illud vehementer ſtudẽt, ne quid ſuorum peccatorum reſciat populus: quare abſcondunt diligenter. Vide id primo Reg.15 30. cum Saul ait; *Peccavi; ſed nũc honora me coram ſenioribus populi mei, & coram Iſrael,& revertere mecum, ut adorẽ Dominum Deum tuum.* Valde enim periclitatur Principis, & magiſtratus exiſtimatio apud populum,quorum mores deturpant honores,atque dignitates.

4 חבב

In ſinu meo. Apud me,vel penes me.vox originalis, proprie *Latibulum* eſt, atque *receſſus*. De *ſinu* vero nõ pauca diximus ſuperius c. 19. ſuper id: *Repoſita eſt hæc ſpes in ſinu meo.* Nunc tantum,etiam apud Latinos, *Sinum ſtrictum*,ſervire rei abſcondẽdæ. ſecus *ſinus laxus*, ſymbolũ eſt rei contentæ,vel acceptæ, non furtive, ſed bona fide, & quam non oporteat abſcõdere,ut Lyricus dixit;

Sinus ſtrictus, & ſinus laxus, cujus rei ſymbolum.

Horat. libr. 2. ſerm. Satyr. 3.

- - - - - Nuceſque
Ferre ſinu laxo,donare,& ludere vidi.

Sic cum de rapinis,& muneribus occulte, & furtive acceptis, aliquando loquitur Plinius dixit, *Rapinarum provincialiũ ſinus.* Sinus enim ſtrictus abſcondendo ſervit. Sed non dubium,quin translatitie ad mẽtis receſſum, & conſcientiæ arcanum res hæc pertineat.Paulo argutior eſt illa quorundam Hebraizantium lectio: *Si abſcõdi quaſi hominẽ,peccatum*: nam præclarum exemplum eſt, atque viva imago animi male ſibi conſcii, & peccatum ſuum abſcondentis,ſceleratus homo Iudicem fugiens, atque ſupplicium.

Plin. libr. 36. cap. 15.

Cajetan.

XXXIIII. Si expavi ad multitudinem nimiam, & deſpectio propinquorum terruit me: & non magis tacui,neque egreſſus ſum oſtium.

1. *Aliorum expoſitio.*
2. *Principis patientia, & magnanimitas. Seditio vulgi. Illuſtratus Eccleſiaſticus.*
3. *Princeps non ſubditus libidini magnatum. Illuſtratus locus Regum.*
4. *Princeps non accipient perſonam conſanguineorum. Iudex non in ſua patria. Explicatus Matthæus.*
5. *Virum juſtum, uxor & propinqui ſæpe irridentes. Illuſtratus Samuel,& Tobias.*
6. *Magiſtratus non ex privato affectu jus dicẽs.*
7. *Princeps diſsimulãs injurias.*

Varii ſenſus ſententiæ apud Interpretes, ſed in quibus ſingilatim percenſendis, non multum pretii, neque operæ, ut pote qui nullam Iobo dignam virtutẽ ſenſu afferant,præter eas,quæ expoſitæ ſunt. Eo enim fere omnes referuntur, quod Iob nũquam formidaverit prodire in publicum, retardatus alicujus conſciẽtia criminis,licet poſſet multitudinẽ quãvis facile ſuperare: nunquam enim voluit cõtendere cum multis, ſed potius tacitus ſuſtinere quaſvis injurias, ac domi ſe cõtinere, pacis potius, & tranquilitatis publicæ,quam privatarum injuriarum ulciſcendarum amator. Sed quæ dicemus,videbuntur melius cohærere. 1

Varius explicatus.

2 *Si expavi ad multitudinem nimiam*. Nunquam (inquit) conſpectum populi reformidavi, cũ enim neminem etiã ex plebe

infima læſiſſem, nullius conſpectum verebar: nihilque mihi iniquitatis, & calumniæ objiciẽdum timebã. Simile id 1. Reg. 12. Cũ Samuel dixit ad univerſum Iſrael; *Loquimini de me coram Domino, ſi quempiam calumniatus ſum, &c.* Sed quoniam ex Hebræo proprie legi poteſt, non ſolum paſſive; *Pavore frangebar*; Sed etiam active, *Frangebam, vel, terrebam multitudinem*; Opportunior ſenſus erit; Nunquam imperitæ multitudinis, aut opinione, aut tumultu retardatum, quin officium ſuũ ſtrenue præſtaret, veraque doceret: frangebat enim ſua virtute vulgi cõtumaciam, *& valebat irrumpere iniquitatem*, atq; populares ſeditiones, & impetus ſingulari ſapiẽtia, arteque ſedabat: quæ in Principe, & magiſtratu nõ ultima tandẽ virtus eſt. Quis enim non timeat illam *populi collectionem* (ſeditiones) *& delaturam* (proditionem) *civitatis*, morte ipſa graviores, ut Eccleſiaſticus teſtatur?

Eccleſi. 7. 6.

Eccleſi 26. 6.

3 שפחה *Et deſpectio propinquorum terruit me.* Ex Hebræo proprie legimus: *Contemptus familiarium*; nam vox originalis multorum propinquorum cognationem, aut familiã ſignificat, atque adeo aliqui pertinere exiſtimant ad nobiliores tribus, atque familias, quorum potentiſsimos viros minime reformidaverit, illorum inſolentiam, impetuſque pro virili cõprimens, &, ſi quando opus eſſet, publice illos admonens, & corripiens, quamvis propterea in illorum cõtemptum veniret. Nam ſolet profecto aliquando Princeps a recto, & vero deterreri metu magnatum, atque Satraparum, ſicut Rex ille, qui domo ſua Davidẽ profugum, expulit dicẽs; *Vivit Dominus, quia rectus es tu in conſpectu meo, & non inveni in te quicquam mali: ſed Satrapis non places. Revertere ergo, & vade in pace.* Vide, quæ ſupra diximus cap. 1. verſicul. 1. n. 13. nu. 69. & 70.

Optimi Principis conſtantia in comprimendis potẽtioribus.

1. Reg. 29. 6. & 7.

4 Sed illud forte melius, ut ſignificet ſe nunquam accepiſſe perſonam ſuorũ propinquorum, neque inordinate, erga ſanguine ſibi cõjũctos jus dixiſſe, ſed omnia ex jure, & æquo judicaſſe. Quẽ enim habebant pauperes, & pupilli patrem, ac patronum, nemo habuit ſuæ temeritatis, aut ſceleris aſſertorẽ. Itaque ſicut nihil odio nihil gratiæ tribuebat Princeps ſanctiſsimus. Et quod Paulus jure conſultus indigenam prohibuit: *In ea provintia, ex qua quis originem ducit, officium fiſcale adminiſtrare, ne aut gratioſus, aut columnioſus apud ſuos eſſe videatur*; Hoc (inquam) nihil oberat recte adminiſtrationi in patria ſua; nõ enim minus integer, & ſacerdos, & judex fuit apud ſuos, quam Põtifex Aaron, qui ab æquitate inſigni laudatur Deuter. 33. 9. *Qui dixit Patri ſuo, & matri ſuæ, Neſcio vos: & fratibus ſuis, Ignoro illos; & neſciverunt filios ſuos.* id eſt, Qui nõ accipiebat in judicio perſonam cujuſquam, etiam ſi cõſanguineus eſſet, etiã ſi pater, aut mater. Quem locum ſic elucidat paraphraſis Onkeli: *Patris ſui, & matris ſuæ nõ eſt miſertus, quando rei fuerunt judicii faciem fratrũ ſuorum, & filiorum ſuorum non accepit.* Contẽni autem apud cognatos, civeſque ſuos judicẽ ſolere, indicat id Matthei. 13. 57. *Nõ eſt Propheta ſine honore, niſi in patria ſua, & in domo ſua.* Hujus rei rationẽ inveſtigat eo loco Divus Thomas, argureq; reddit, tum ex ſe ipſo, tũ ex Philoſopho. Sed forte illud etiã hoc loco indicat Iob, ſi quando a ſuis cognatis, vel ab ipſa uxore, & liberis adoleſcẽtioribus contẽneretur propter continua pietatis officia, non ideo in pietate, & religione tepuiſſe, aut retrocesſiſſe. Vſu enim evenire ſolet, ut etiã in familia, & domo, bene & ſãcte inſtituta, non nemo ſit, qui patri familias interdum detrahat; & ſi nõ ſervi, at cognati, & propinqui, at uxor ipſa, neſcio ſub quo charitatis prætextu, a charitatis, & pietatis operibus retrahere conetur virum piiſsimum. Sic Tobiam vacãtem operibus miſericordiæ, *Arguebant omnes proximi ejus, dicẽtes: Iam hujus rei cauſa interfici juſſus es, & vix effugiſti mortis imperium, & iterum ſepelis mortuos?* Tob. 2. 8. & verſic. 15. poſt plagã cæcitatis: *Parentes* (propinqui, nos ſic dicimus, *Sus parientes*; alioquin pupillus relictus fuerat Tobias, quare per expoſitionem ſequitur,) *& cognati ejus irridebãt vitam ejus, dicentes, Vbi eſt ſpes tua, pro qua eleemõſynas, & ſepulturas faciebas?* & aliquãdo etiam *uxor ejus irata variis modis exprobrabat ei.* verſic. 22. 23. Sed ne exiſtimes ob calamitatem tantum, & paupertatem, uxoris, & cognatorum cõtemptui virum patuiſſe, in promptu ſit Michol, *Deſpiciens in corde ſuo Davidem ſubſilientem, atque ſaltãtem coram Domino.* 2. Reg. 6. 16. & amarulenta quadam, ſubſannatoriaque ironia conata, ſed fruſtra avertere virum a pietate, & cultu religoſiſsimo.

Paul. libr. 5. ſent. de tt. Fiſc. advocato.

Lex Anaſth. lib 1. C tt. 10

Sacerdos, & Iudex incorruptus.

Onkel.

D. Thom.

Cognati, & propinqui detrahentes . . n . . o Patri familias.

Parentes pro cognatis.

6 Quid, ſi hæc deſpectio propinquorum, aut cognationum, & familiarum, ſignificet nõ contemptum Iobi, quem cuncti ſuſpiciebant, ſed potius ipſam abjectionẽ ignobilium propinquorum? q. d. Nihil magni ducebam me tot familiarum patrem, & Principem haberi; aut ſi quiſpiam ex meis contemptibilis ſua culpa fieret, aut injuriam aliquam ab extraneo pateretur, non

Iob non dedignatus humilitatẽ, & paupertatem propinquorum.

ideo percellebar animo, nec mea poteſtate utebar ad illius defenſionẽ ſed potius rem æquitati, & magiſtratibus commitẽs tacebam ipſe, & me intra domum meam continebam. Res profecto digna optimo magiſtratu, & ſancto Principe.

7 *Et non magis tacui, neque egreſſus ſum oſtium.* Philippus hæc refert ad tempus calamitatis, cum acceptis injuriis, & indigniſsime contemptus *ponebat cuſtodiam ori ſuo, & tanquam ſurdus non audiebat.* ſed nõ bene cohæret cum enumeratione reliquarum virtutum prioris vitæ, ex quibus priſtinam innocentiam confirmare conatur. Reliqui fere Interpretes accipiunt de injuriis quõdam acceptis. Neque mirũ quidem: nam etiam aliquando optimus Pater familias audit *ſervum maledicentem* ſibi: & contemptiſsimus quiſque petulãter detrahit Principi. Eximia igitur Sapiẽtia, atque lõganimitate *diſsimulabat ſe audire*, & quaſi nihil omnino læſus, domi ſe continebat, nihil curans, quę otioſi ad domus oſtium, vel in ipſo veſtibulo ineptiſsime garrirent. Vide, quæ ſupra diximus, cap. 3. verſic. 26. ſuper id: *Nonne diſsimulavi, nonne ſilui, nonne quievi?*

Philipp.

Eccleſ. 6. 22.

1. Reg. 10. 7.

XXXV. Quis mihi det auditorem, ut deſiderium meum audiat Omnipotens, & librum ſcribat ipſe, qui judicat.

1. *Sententia univerſa. Amicorum calumnia. Totius capitis clauſula.*
Emaculata lectio. Auditor, *&* audire, *de judice. Explicati Moyſes, & Samuel.*
3. *Varia lectio.* Signare *de publicis inſtrumentis ſicut, &* Liber. Manus *pro Scriptura.*
4. *Deus judex libro cujuſque merita commendans. Conſuetudo Regum Perſarum. Explicatus locus Eſther. Illuſtratus Ezech. Malachias. David.*
5. *Expoſitio vero ſimilior. Varia lectio. Iobi fiducia, & bonæ conſcientiæ teſtimonium.*

1 DVæ aliæ ſequentes ſententiæ, cũ hac ipſa nexæ ſunt, ſed hinc cõmunicãda illis lux, ideo ſeorſum elucidanda. Quia vero videtur oratio inverſa, hoc modo recta convertenda: *Vtinam deſiderium meum audiat Omnipotens, ut tribuat mihi auditorẽ.* Exiſtimat vero Iulianus in Catena, hanc ſententiam per parentheſim legendã eſſe; *Cum enim* (ait) *multitudinis rerum, quæ dictæ erant, jam pertæſum eſſet amicos, atque minus libenter audirent, Auditorem deſiderat.* Olympiodorus quoque, *Fortaſſe* (inquit) *prudentes auditores requirebat ad ea, quæ ipſe dicebat percipienda idoneos.* Quod enim Iob ad Dei gloriam, cæterorumque eruditionem, & vitæ normam dicebat, in inanem atque in inſolentem gloriæ cupiditatẽ amici interpretabantur.

Inverſa ſententia.

Iulianus.

Olympiod.

Sed accipi nihilominus hæc cũ ſequentibus ſententia poteſt, tanquam toti' capitis clauſula acrimonię, & efficacitatis plena; Vtinam mihi idoneus adeſſet auditor, qui univerſa, quæ pro mea innocentia dixi, & quæ cõtra illam objecta ſunt a meis adverſariis, fideliter utrinque excepta, ac bene memori mẽte comprehenſa in librũ referret, atque etiam vellet (quod unicum in votis habeo) ſuum quoque teſtimoniũ fidemque publicam innocentiæ meæ, ſupremus judex adjungere, & adſcribere. Clariſsimum profecto mihi pro mea ſanctitate adverſus omnes calumnias, cõtumeliaſque teſtimonium præberet. Sed habent etiam ſuccum ſingulæ partes, quem exprimamus.

Vehemens totius orationis clauſula.

Paraphraſis lucida.

Quis mihi tribuat auditorem. Maculoſa illa Gregorii, D. Thomæ cæterorumque codicum lectio, quæ habet *Adjutorem*. At cum ex Hebræo, & Græco habeamus *auditorem*; Pagnini paraphraſis dixit; *Iudicẽ audientẽ me.* Exiſtimat ergo *auditorem* eſſe judicis nomen, cujus eſt auditis partibus, quod juſtũ eſt, diſcernere, & ſtatuere. Neque id inſolens in Sacro ſermone, Deuteron. 1. 16. *Audite illos* (& per expoſitionem) *& quod juſtum eſt judicate.* 2. Reg. 14. 17. ubi nos habemus, *Sicut Angelus Domini ſic eſt Dominus meus Rex, ut nec benedictione, nec maledictione moveatur: unde & Dominus Deus meus eſt tecum.* Senſus eſt, quem ex Hebræo expreſſerunt Septuaginta, *Sicut Angelus Domini ad audiendũ bonum, & malum.* id eſt, ad diſcernendũ, & judicandum inter bonum, & malum. Ergo deſiderat nunc Iob, quod ſæpe poſtulavit, Divini judicii publicum teſtimonium, & incorruptum aliquem in ſua controverſia judicem: ab hominibus enim, qui aut amore, aut odio permoventur, appellat ad Deum. Senſum hunc habet quoque interpretatio Philippi; *Auditorem* (inquit) *Deũ implorat, ſciens utique eum judicem eſſe juſtiſſimum.* Reliqui fere de quovis *auditore*, & teſte ſuæ orationis accipiũt. cohęret utrũque; illud paulo coactius, ſed acre, & vehemẽs. hoc paulo demiſsius, ſed ſimplex, & ut videtur, germanum. 2

Germanæ lectionis examẽ

Gregor. D. Thom. Dionyſ. Hugo. Pagnin.

Auditoris nomẽ de Iudice.

LXX.

Philipp.

Vt deſiderium meum audiat Omnipotens. Quod Interpres dixit, deſiderium a radice, *Avah*, quod eſt deſiderare, ut etiã Thargum, & Rabb. Levi agnoſcunt, & legunt; vel ſi deducatur a *Thava*, quod eſt ſignare, 3 תאו

Thargum. R. Levi.

RR. MardoKai Abraham. Pagni. Regia. Cajet. Vatabl. Tygur. ſcribere, aut ſubſcribere, ut Rab. Moſeh, & Rab. Abraham Peruſol, & fere Hebraizantes univerſi volunt; Tum hæc ſententia efficietur; Signũ innocẽtiæ meæ Deus dabit, audiens, & reſpondens pro me: nã idem verbum Hebræis eſt, *Audiendi, & reſpondendi*. Sed alia poterit eſſe translatio, ſane pulchra, ſumpta a publicis teſtimoniorũ ſcriptoribus, qui libros ſuos ſignãt, atque ſubſcribunt, ut inſtrumentis publicis habeatur fides. *Liber* enim ex proprietate vocis, atque ex uſu Scripturarum, eſt ille codex, in quo notarius, aut ſcriba recenſet, quæ geſta ſunt; ſicut dicitur Ieremiæ 32.10. *Scripſi in libro, & ſignavi, & dedi librum poſeſsionis Baruc.* & Exod. 17. 14. *Scribe hoc monumentum in libro.* Ergo dicet Iob: Vtinam meam defenſionem in codicem referret diligens aliquis, benevoluſq; auditor, ſignaret, profecto illam Deus, atque ſua ſubſcriptione, teſtimonioque muniret, ut poſteritas fidem haberet meis dictis, meæq; innocentiæ. Sic Deus audiet, reſpondebit, teſtificabitur mihi, atque præbebit ſignum meum, ſignans ipſe, atque ſubſcribens mihi. Forte huc reſpexerunt Septuaginta legentes: *Et manum Domini ſi non timui.* Manum (inquã) pro ſcriptura, aut ſubſcriptione. q.d. Non timeo illius teſtificationem, & totius cauſæ, cõtroverſiæque ſubſcriptionem, aut Dei judicis manum, calamum, ſententiam. Forte illud valde ſimplex, atque germanum; Deſidero, ut meam petitionẽ ſigno meo ſubſcriptam, & breviariũ meæ cauſæ audiat, accipiat, expediat benigne judex meus. Sed verſabimus iterum hoc deſiderium ſequente commentario.

Integra ſentẽtiæ collectio.

LXX.

Simplex explicatus.

4 Philipp. D. Thom. Dionyſ.

Et librum ſcribat ipſe, qui judicat. Philippus, Thomas, Dionyſ. & plerique Latini, *Deum judicem* intelligũt, qui idem auditor eſt hujus controverſiæ, qui res omnes hujus cauſæ, & tum calumnias adverſariorũ, tum Iobi reſponſiones, & ſuæ innocentiæ confirmationes, ut ſcriptis mãdet ad ſempiternam memoriam, ipſe precatur Iob. Certum enim eſt fore, ut tanquam veriſſima teſtimonia jubeat judex accipi, & cõſervari, quæ illius adverſarii elevant, & ſiniſtre interpretantur. Habet vero Deus librum monumenti, & quem vocant memoriæ, in quem refert univerſas hominũ actiones, inſtar illorum Regum ſapientiſsimorum 2. Reg. 8. 16. & 3. Reg. 4. 3. qui habebant miniſtros *a commentariis*, quibus dictabant ſubditorum & cauſas, & merita, ne per oblivionem excideret, & ne vel honeſti labores juſto præmio, aut ſcelera digno ſupplicio non afficerẽtur. Idẽ quoque moris fuit Regibus Perſarum, ut ex Eſther. 2. 23. colligere licet, Eunuchorum enim inſidię, & ſalutaris Mardochai delatio mãdatæ *ſunt hiſtoriis, & annalibus traditum coram Rege*, eo videlicet vidente, aut etiam dictante. Quare c. 12. dicitur ipſe *Rex conſcripſiſſe in commentariis*. Deus itaque, ut qui ſit gratiæ referendæ, imo conferendæ, atque totius æquitatis prima ipſa regula, & norma, ſcribit ipſe ſua manu tum peccata, tum merita præclara. Sic ſane Ezech. 9. 2. viſus eſt judex ipſe in medio Angelorum armatorum, ac vindicum ſuæ juſtitiæ; *In medio eorum, & atramentariũ Scriptoris ad renes ejus.* Quod Symmachus dixit: *Tabellam*, alii *Membranam*, vel *papyrum*, videlicet, *ut omnium peccata deſcriberet, & ſanctos a peccatorum numero ſegregaret*, ut ait eo loco Hieronymus. De hoc libro petit David, *deleri iniquitatẽ ſuã*, Pſal. 50. 3. 11. & ne ſcribantur in memoriali *delicta juventutis*, Pſal. 24. 7. Sed potius redigat in librum ſuas miſericordias Deus omni memoria digniſsimas; *Reminiſcere miſerationum tuarum, &c.* Eſt item liber, quo ſanctorum opera deſcribit Malachiæ. 3. 16. *Attendit Dominus, & audivit; & ſcriptus eſt liber monumenti coram eo* (ſimile id Eſther. 2. 23. *coram Rege*) *timentibus Dominum, & cogitantibus nomen ejus.* Ergo hunc librum memorialem, quo ſua merita deſcripta eſſe a ſupremo judice certo novit, poſtulat Iob exhiberi, & proponi conſpicuũ univerſis mortalibus, quo de ſua innocentia publicũ præbeatur teſtimonium.

Latinorum expoſitio.

Deus in libro memoriæ referens hominum actiones

Miniſtri Regum a Cõmẽtariis.

Mos Regum Perſarum.

Hieronymus.

Liber memorialis cõtinẽs opera Sanctorum.

Sed alii Interpretes, Hebraizantes potiſsimum, interpretantur eum, *qui judicat*, adverſarium, qui Iobum condemnat, & ſiniſtre cenſet de illius rebus; eſt enim in Hebræo; *Vir litis, & controverſiæ meæ*. id eſt, qui cum mihi lis eſt, & controverſia. Tantum enim tribuit ſuæ cauſæ, ac veritati ſuæ defenſionis, ut cauſam ſuam ſcribendam libenter crediturus ſit ſuo adverſario, dum tamẽ fideliter eccipiat, & ſcribat, quæ ipſe veriſsime de ſe profitetur: fiet enim proculdubio, ut librum ſuæ defenſionis tanquam veriſsimum, a quocumque ille tandem ſcriptus fuerit, judex ſuo teſtimonio approbet, & confirmet. Vel duos optat ſcribi libros; alterũ pro ſe ab integro, & fideli auditore, vel judice: alterum ſuarum criminationum, & calumniarum a ſuo adverſario: utrumque ergo cum ſibi oblatum acceperit judex, audieritque, librum ſane calumniarum repellet procul, atque mendaciorum damnabit, librum vero defenſionis ſuo ſigillo ad teſtimo-

5 Hebraizantium interpretatio.

Lucidior ſententię propoſitio.

ſtimonium veritatis ſempiternum cõmuniet. Nihil præterea moratur Iob, quod adverſarius objiciat, criminetur, ſcribat, quod volet; ſi Deus, (quod diu multumque deſideravit Iob) publico judicio, publicaque ſentẽtia, litem jam tandem, atque controverſiam dirimere velit. Iã, quę ſequuntur, aditum facilem habent.

XXXVI. Ut in humero meo portem illum, & circumdem illum, quaſi coronam mihi.

1. Humerus, *cujus rei ſymbolum, ad pœnam, & ſupplicium. Commendatus D. Thomas.*
2. Portare *quid.*
3. Corona, coronare, diadema. *Coronati ſupplicabant.*
4. *Corona poſt peccatorum confeſsionem ex Chryſoſtomo.*
5. *Lectio Septuaginta. Creditores gloriam aucupãtur ex debitoribus.*

1 Librum illum meæ vitæ acta continẽtem, & Dei manu, ſentẽtiaque munitum, paratus ſum portare humero, & capite, omnibus cõſpicuum, publicum videlicet vitæ, ac morũ teſtimonium. Vtrãque hujus ſentẽtiæ partem in bonum accipiunt plerique Interpretes. De *capite*, & *corona* quidem conſtat. Sed de *humero* etiã illud probat, quod honorificis inſignibus impoſitis decorari ſoleat; Eſt videlicet (ut Philippus ait) *Locus cunctis conſpicuus.* Ergo ait librum illum geſtãdum humeris tãquam ſuæ dignitatis inſigne. Nicolaus, *Tãquam ſuæ victoriæ vexillum.* Dionyſius, *Tanquam rem per omnia loca circumferendã.* ita ut quod aliis oneri eſſe ſolet, & moleſtiæ, mihi (inquit Iob) decori, & dignitati erit; & circumferendi, publicandique laborem multa nominis mei gloria, & laude, atque ſanctitatis exiſtimatione lubens compenſabo. Sed Divus Thomas argute ſane primam *humeri* partem ad pœnã refert. Quæ interpretandi ratio perplacet mihi, tum propter ſenſum cõmodiſsimum tum propter ipſarum vocum proprietatem. Scribantur (inquit) univerſa, quæ ad meam cauſam pertinent: quidquid deinde judex ſtatuerit, feram; ſi pœnam, onuſque ſupplicii, humero imponam, humerũque ſupponam non invitus. Si laudem, & pietatis præmium, imponam capiti, tanquam victoriæ inſigne, & ſpecioſum diadema demanu judicis.

(Humerus decorari ſolitus præclaris inſignibus. *Philipp.* — *Nicolaus.* — *Dionyſ.* — D. Thomę ſubtilis explicat° — Humerus ad pœnam: corona ad premiũ)

2 Cum hoc ſenſu convenit elegãter verbum *portandi*, quod eſt elevare, & attollere, diciturque de gravi onere, & pœna, uti dicitur Ezechielis, 18. 20. *Filius nõ portabit iniquitatem patris*; & cap. 23. 49. *Peccata idolorum veſtrorũ portabitis.* & aliis frequenter locis, præſertim apud Ezechielẽ, Levit. 22. 9. & 16. cap. 24. 15. Numerorum 14. 34. Vide, quæ diximus cap. 7. verſ. 21. Facit etiam cum hoc, quod quaſi ſub juramento quodam, & imprecatione legitur in Hebræo: *Si non portem illũ humero meo.* Quod minus bene convenit cum re jucũda, & glorioſa: opportune autem cum re moleſta, & gravi, cui nos cum juramento quodã adſtringimus: Neque vero obſtat particula illa copulativa ſecundæ partis: præter quam enim quod in Originali deſideretur; nihil cogit ad eandem omnino rem, utrãque partem referri.

(Portare, & onus de gravi ſupplicio.)

Et circumdem illum. Proprie, redimiam caput, ligabo, adſtringã diademate: eſt enim proprium coronæ, & diadematis circumdare. Vnde, & verbũ *Coronandi* uſurpatum eſt pro *circumdare*: & forte etiam cum filii dicuntur *corona parentum*, ſignificantur eſſe *in circuitu* parentum ſuorum. Hinc, & *corona* pro *circulo*; & pro muris cingentibus civitatem: & ad montes etiã & littora coronantia mare, vel ad mare coronans inſulas frequenter transfertur. Dixi hujuſmodi coronas fuiſſe faſcias circumligatas capiti, ſupra cap. 29. Gloriæ vero, & honoris fuiſſe, vulgati° eſt, & notius, quam ut probatione egeat. Vide Petrum Fabrum lib. ſemeſtr. 3. cap. 25. Cum vero Iob ſuæ vitæ, atque innocentiæ teſtimonium ſibi inſtar, *coronæ*, futurum aſſerit, non ſibi ſoli laudem, & gloriam quærit, ſed auctori bonorum omnium Deo; nimirum poſt rem bene geſtã, atque poſt inſignem alicujus facinoris gloriam partam, coronas aſſumebant; ſed coronati ſupplicatum procebebant. Quo pertinet illud Cælii Sabini apud Gellium lib. 7. c. 4. ex perſona Catonis: *Populus ſua opera potius ob rem bene geſtam coronatus ſupplicatum eat, quam re male geſta coronatus veneat.*

(3 Coronare pro circumdare. עטר — Corona pro circulo. — *P. Faber.* — Iob facinorũ ſuorum coronam Deo referens. — Priſcus ſupplicantium ritus. *Gellius.*)

4 Quid ſi hæc quoque pars ſecũda de *corona*, ad aliquam peccatorum confeſsionẽ pertinere poſsit? Si poſt ſcriptam, beneq; perpenſam ab æquo judice cauſam meã, criminis alicujus reus convincar, lubens cuivis me pęnę ſubjiciam, ac minime cunctatus crimẽ profitebor meum. Erit enim mihi ſceleris confeſsio pro *corona*. Elegãter ſane Chryſoſtomus homil. 3. in c. 26. lib. 2. Paralip. ſuper id, *Elatũ eſt cor Oziæ*, ſcribit. *In mũdanis, & forenſibus judiciis poſt accuſationem, & criminum confeſsionẽ, reſtat mors; apud Divinum autem tribunal, poſt accuſa-*

(Criminis cõfeſsio inſtar Coronæ. — *Chryſ.*)

cuſationem, & confeſſionem criminum datur corona. Sed quod primo loco diximus, minus inſolens, magis cohærens.

5 LXX. Græcorũ lectio elucidata.

Septuaginta *Librum* hunc non ad ſuæ vitæ, ſuorumque operum deſcriptionẽ, & hiſtoriam, ſed ad ſyngraphas dati, & accepti inter creditorem, & debitores hac ratione retulerunt: *Si ſyngrapham, quã habui contra quempiam, in humeris utique circũponens coronam, legebam, & ſi non ſcindens eam reddidi, nihil accipiens a debitore.* ut neget ſe unquam gloriatum fuiſſe, quod multos debitores haberet ex ſyngrapha ſibi obſtrictos, ſed potius *faſciculos* illos ſyngrapharum, & obligationũ *deprimentes* (ut Iſaias appellat) rupiſſe, & debita condonaſſe. Olympiodorus eleganter: *Non ut aliquis nominibus glorians ſyngraphas utraque manu evolvebam, publiceque legebã: verum illas cõſciſas cõdonatis nominibus, debitoribus reddebam.* Quare illud, *humeris circumponens*, interpretatur Chryſoſtomus eſſe, tanquam glorioſam aliquam rem ſibi circumdare, & ex aliorum debitis inanem ſibi gloriam aucupari. Sic fere legit, atque intelligit locum hunc Ambroſius lib. de Tobia, cap. 17. Sed ego quidem non video, unde Septuaginta hanc ſententiam nunc acceperint, atque ſine ullo nexu cũ antecedẽtibus, aut conſequentibus interſeruerint reliquæ orationi; ſenſus tamẽ ipſe per ſe & utilis, & verus eſt.

Inanis creditorum adverſus debitores gloriatio. — Iſaia. 58.6. — Olympiod. — Chryſoſtom. — Ambroſius.

XXXVII. *Per ſingulos gradus meos pronuntiabo illum, & quaſi Principi offeram eum.*

1. *Vitæ* greſſus *quid.* *Conſcientiæ exāmen.* *Illuſtratus David.*
2. Scopẽdi *verbum unde deductum.* Scops *quid.* & Scops *avis quæ.*
3. *Iobi humilitas.* Dux *in Hebræo quid.*

1 Sentẽtiæ paraphraſis.

AVditori, & Scriptori libentiſsime dictarem, & exponerem, quicquid unquã egerim, aut cogitarim, per omnes vitæ, & ætatis gradus a primis pueritiæ annis, cum mihi jam rationis uſus affulgere cœpit ad hãc ipſam horã, per omnes quoque actionum ſeries, & ordines. Nã quod Philippus ait, *Per ſingulos virtutum gradus, & profectuum incrementa*; anguſtius eſt, quam illa omniũ *greſſuum*, id eſt, actionũ enumeratio petit. Hunc præterea ſenſum habere poterit; Poſtquam Scriptus eſſet liber, & in ſummam omnes vitæ rationes redactæ, ego ipſe recitarem corã meo judice. Sicut etiã Paulus ait, ſiſti nos oportere ante tribunal Chriſti, ut *referat*, & pronuntiet, exponatque, *unuſquiſque, pro ut geſſit.* Tum etiam videtur Iob bonæ conſcientiæ teſtimonio erectus, audere rationẽ juris ſui reddere, & omnes vitæ actiones, atque cogitationes ab omni calũnia, & criminis ſuſpicione defendere. Qui tãtum audet, profecto non ſemel actiones ſuas omnes, atque cogitationes diſpexerat, collegerat, ponderaverat, & ut ille dicebat: *Totum ſe exploraverat ad unguem.* Atque ut Rex ille ſanctiſsimus, ad rem aliã paulo diverſam, *Cogitavi* (ait) *dies antiquos, & annos æternos in mẽte habui, & meditatus ſum nocte cum corde meo, & exercitabar, & ſcopebam ſpiritum meum.* Pſ. 76.5.6. Quid autem exiſtimas eſſe *ſcopere ſpiritum*, quã per omnes *vitæ gradus* ſcrutari, & explorare actiones, & cogitationes? Hierony. *Scopebam ſpiritum meum, hoc eſt, fodiebã quaſi agrum*, videlicet, ne ſemen aliquod vitii, aut *radix amaritudinis*, & peccati lateret, quæ *ſemen verbi Dei ſuffocaret.* Atque eodem pertinẽt, videlicet ad eandem animi & motuum omnium explorationem, illæ aliæ lectiones, Septuaginta Vaticani: *Sarriebam ſpiritum meum.* Quã ex Græco approbat Hieronymus ad Suniam, & exiſtimat ſignificari, *frequentem retractatum cogitationum: nã ſarriendo, & ſarculando quæruntur herbæ, & ſarculo ſecantur.* Aquila: *Effodiebam, & ſcalpebam.* Symmachus, & Quinta editio Auguſtinus, & Pſalterium vetus, & Hebraizantes; *Scrutabatur.* Kald. & alii; *Perveſtigabat.* Pſalterium Romanũ; *Ventilabam.* Mirum quam hæc omnia afferant curam, & diligentiam, in excutienda conſciẽtia, & *per omnes gradus* explorãda!

2. Cor. 5.10. — Iob ſuæ conſcientiæ aſsiduus, & diligẽs examinator. — Illuſtratus David de ſcopẽdo ſpiritu. — Hieronym. — LXX. — Aquila. Symmach. Auguſt. Pagn. Vatabl. Regia. חשב

2 Scopus, explorator.

Sed illud peculiariter, quod verbũ *Scopendi*, non a *Scopis*, ut vulgo exiſtimant, deductũ videatur, ſed quod veriſimilius eſt a Græco, *Scopos*, qui eſt, *ſpeculator*, & explorator, obſervator, inſpector, qui tanquam e ſpecula contemplatur, & annuntiat. Sic ſane ubi Hoſeæ. 9.10. legimus: *Quaſi uvas in deſerto inveni Iſrael, & quaſi prima poma ficulneæ in cacumine ejus, vidi patres eorum.* Septuaginta Vaticani legunt; *Sicut ſcopum in ficu temporaneum:* Sicut enim ſcopus id eſt, ſpeculator rem longe venientẽ annuntiat; ita præcox ficus maturitatem, ut docte annotavit Billius ad orationem 32 Nazian. Sic Iob pollicetur ſe annuntiaturum, & ſcopiturum ſpiritum ſuum coram ſuo judice, ut nihil nõ aperte, & ingenue fateatur quod ipſe contemplari, & videre etiã in annis longe diſsitis potuerit. Forte etiã ea vox ab *Scope* ave ducta eſt, quã Aſionem Latini nominant. eſt autẽ, *Scops*,

σκοπός — LXX. — Iacobus Billius — Scops avis.

sic

Eustathius. sic dicta, ut ait Eustathius, quod noctu maxime cernat; multiplici autem colli, & capitis flexu, & circũactu demiratur, & contemplatur hominem; est enim avis parasita, saltatrix, atque humanorum gestuũ & vocum imitatrix, ut Athenæus, & Aelianus tradunt. Sic igitur etiam Iob dicet, se ad vivum expressurum omnes præteritas suæ vitæ actiones, & motus, & dicendo, aque annuntiando imitaturum quicquid unquam gesserit, ut per *gradus singulos* appareat quis, qualisve fuerit, atque de sua vita judex tandem pronuntiet, quid de illius innocentia, & vita statui, & censeri debeat.

Athenæus. Aelianus.

3 Jobus nunquã sanctitatis defensione insolescens.

Sed ita ne Iob post tantam *Scopendi*, & explorandi, atq; per universas ætates annuntiandi curam, & diligentiam, cum nihil sibi conscius sit, insolesces, aut te justum gloriaberis, teque, quasi jam pronũtiata pro te sentẽtia, justificabis? Minime inquit Iob, non *enim in hoc justificatus sum, sed qui judicat me Dominus est*. Itaque supplex librũ hunc de universa vita mea conscriptum Principi meo, ac judici offeram, tanquam libellum supplicẽ, ut ille suo testimonio declaret, vera ne dixerim, an pro vitæ meritis præmium, an pœnam sustinere debeam. Præterea accedam ad judicem cum summa reverẽtia, & animi demissione, qualis Principem decet; adibo præterea illum venerabundus, ut qui me hucusque per tot vitæ gradus, ac difficultes duxit incolumem, deduxitque, ne unquam graviter offenderẽ: illi quicquid in eo libro boni descriptum fuerit, acceptũ referam. Eo enim videtur pertinere quod in Hebræo est: *Velut ducem appropinquare faciam eum*, quod per hypallagem dictum videtur; Appropinquabo ad eum, tanquã ad ducem. Sicq; Philippus, per paraphrasim: *Omnium bonorum operum suorũ auctori eundem supplicans offerat librum.* Vox *Principis*, ex propria significatione, est ille ante quem stamus, vel qui corã suo populo est tanquam dux, ac Princeps: dicitur enim *Nogued*, id est *Princeps*, aut Dux, a præpositione *Negued*, id est, ante, aut coram, eo quod, ut Rab. Mardokai, ait; *Populus ponat faciet suã, & aspiciat eum in omnibus negotiis suis.* Habet igitur vim, & acrimoniã oratio Iobi; *Tanquam Principi offeram*; ei videlicet, coram quo sto; quẽ semper suspexi, semperque in omnibus meis negotiis, & actionibus præsentẽ habui; ille me novit verum dicere, illi non nisi vera ego annuntiabo. Quod alii dicunt: *Cũ summa reverentia accedam ad illũ, qui paratus fuerit audire causam meam, eo modo, quo Principes audire solemus*; bene quidem est; sed paulo languidius. Quod primo diximus, pietate, & acrimonia plenum.

1 Cor. 4.4.

Pagn. Regia. Cajet. Hypallage. Philipp.

נוגד Dux, & Princeps, quid proprie.

R. Mardoc.

Vatabl. Cajet.

XXXVIII. *Si adversum me terra clamat, & cum ipsa sulci ejus deflent.*

1 *Varia contextus rationes.*
2. Terræ clamor. *Metonymia. Nimia cupiditas ditescendi ex terra fructibus.* Cessans terra.
3. *Sulcandi labor, & lachryma. Merces reddita abstergit lachrymas arantium.*

Sollicitus est nunc nimium Cajetanus de contextu, & merito; quoniam, quæ de *libro* suo illo, atq; *auditore* dixerat Iob, videtur fuisse clausula totius capitis. nũc quorsum ad suarum laudum enumerationem convertitur? existimat itaque Cajetanus ipsum Iobum prius rem hanc de agris, & agricolis dixisse, ultimo vero de *libro*, & *auditore*, & *corona* circumponenda capiti. sed Auctorem, vel Scriptorem hujus libri invertisse ordinem sentẽtiarum. *Auctor* (inquit) *libri, quia potice scripsit, existimavit indecens, ut personam lugubrẽ, quandiu perseverat afflictio, terminaret cũ coronis, & ideo terminavit sermonem Iobi, in execrationibus testibus innocẽtiæ.* Plus nimio arguta, & scenica responsio. Illa pronior, atq; solidior, quod cum amici sepe illi objecissent tyrannidem, & rapinã, ne videretur illis non satis objectionibus fecisse, nunc ad rem istam, quæ caput erat controversiæ, cum novis execrationibus confirmandam revertatur, quasi summam totius suę responsionis. Vel, quod cum jam tyrãnidem, atque rapinam plene a se repulisset, nunc novum criminis genus commemoret, videlicet nimiam cupiditatẽ ditescẽdi ex suis possessionibus, quo uniuersę suę innocentiæ contestatio concludatur. 1

Cajetan.

Nimia argutiæ.

Si adversum me terra clamat. Terra clamare adversus aliquem solet, quæ cõscia fuerit alicujus sceleris in ea perpetrati, proptereaque vindictam postulet a Deo. Vide, quæ diximus cap. 13. versic. 22. & c. 16. versic. 19. Et videretur quidem referri posse ad aliquam terræ, & regionis partẽ, vel inique, & per Tyrannidem vexatam, vel depopulatam, & suo Domino injuste ablatam; quod indicavit Nicetas: *Si terra* (inquit) *a suo Domino est aliquando gemitu debilitata.* Quare etiam *lugere* dicitur ipsa *terra*, cum ex depopulatione, & sterilitate lugubrem faciẽ sumere videtur. Sed huic sensui obstare videtur, quod in originali, 2

Terrę clamor quis.

Varia expositio.

Nicetas.

non

non de terra aliena, sed de sua ipsius sermo videtur; est enim ex verbo; *Si terra mea clamat.* Aliis hic sensus placet; *Si non jure possideo terram, quam habeo.* Vatablus: Terram pro *colonis* sumit, clamãtibus pro laboris mercede. Sed destruitur elegãtia, & acrimonia Prosopopejæ; præter quam quod vox *Adamah*, vix invenio, ubi pro habitatore, aut homine Metonymicos accipiatur. Semper enim ipsam proprie humum significat; & frequẽter eam, quæ colitur. Philippus, Thomas, Dionysius, quod terra ipsa nimia cultura sine intermissione, & quiete quotannis fatigata clamare videatur adversus iniquum, & importunum Dominum. Philip. *Quod terræ suæ in dandis fructibus extra possibilitatis modum ejus noluerit imperare.* Sed quod nam tantũ crimen, quod quotannis sereret agros mi nime effætos, aut macros, sed potius uberrimos, atque crassissimos? Aut quod tam præclarum virtutis documentum, ubi, & quando latifundia erãt amplissima, alternis annis serere, & non nisi in bene cultis requietisque novalibus? Præsertim, quod cessans terra multo ditior, & copiosior avaro existat colono: nam

Vatabl. — אדמה — *Philipp. D Thom. Dionys.* — *1.Georg.*

Illa seges demum votis respondet avari.
Agricolæ, bis quæ solem, bis frigora sensit.
Illius immensæ ruperunt horrea messes.

Virg. 1. Georg.

Illud germanum, & bene cohærens cũ sequentibus videtur, ut terra ipsa culta, & arata multo agricolarum, & operariorũ labore sua mercede fraudatorum, clamet adversus tantam avari hominis, immanitatem. Sicut Iacob. c. 5. ait: *Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, clamat, & clamor eorũ in aures Domini Sabbaoth introivit.* Expositio igitur petenda ex sequentibus.

3 *Et sulci ejus deflent.* Iuxta priorem illam exponendi rationem, quod alii, quorũ agros bene cultos ac consitos Iob spoliaverat, suis fraudati fructibus deflere cogerẽtur. Sed id melius, ut sit similis omnino sensus cum parte præcedente; illud enim significat particula, quæ in Hebeæo est, *pariter* aut similiter, quod Vulgatus dixit; *cum ipsa.* Significat igitur ille *sulcorum fletus*, laborem sulcandi, & subigendi terrã, multo arantium gemitu, & lachrymis; De quibus, id est; *Euntes ibant, & flebant mittẽtes semina sua.* Atque tauros etiam in arãdi opere describens Poeta:

Operariorum merces fraudata. — Verosimilior interpretatio. — יחד Fletus terræ quid significet. — *Psal. 125. 6.*

Depresso incipiat jam tum mihi taurus, aratro,
Ingemere, & sulco attritus splendescere vomer.

Virgil. 1. Georg.

Flent igitur *sulci* respersi agricolarum sudore, aut lachrymis, quia nihil aliud hujusmodi fletũ sedare potest, quam laboris præmium, quod abstergat sudorem, & lachrymas arefaciat. Deficiente igitur per summam immanitatem operariorum mercede, *flent* adhuc *sulci*, ingemunt agri agricolarum flentiũ, atque gementium socii, & testes.

XXXIX. *Si fructus ejus comedi absque pecunia, & animam agricolarum ejus afflixi.*

1. *Anticipata solutio optimi divitis. Sordida divitum avaritia, gratis omnia ad vitam comparantium.*
2. *Terræ virtus, & robur. Explicatus locus Genes.*
3. Agricola *proprie quid. Est terra velut maritus.* Baal *quid sonet.*
4. Anima *quid.* Affigere. *Illustratus Malachias.*

Partem hanc, quo a priori diversa sit, I
Cajetanus referendam censet ad fructus alienorum agrorum, quos etiam gratuito oblatos non prius acceperit, quam suo pretio coemptos. Res eadẽ prius indicata a Niceta; *Neque alieni soli fructus commesse audebat, non prius soluto pretio:* nõ cõtẽtus, sane si credita pecunia, ut hodie divites solẽt, res necessarias a mercatorib⁹, & venditoribus acciperent. Videlicet longe aberat ab immanitate illa, & sordida, quorũdam Principum, atque magistratuũ avaritia, qui fructus optimos, & carnes pinguissimas, atque delicatissimas, & exquisitissimas omnes cupedias comedũt, *& absq; pecunia.* & ut hic legũt Septuaginta, *solus sine pretio*; & vi ablatas miseris, & pauperculis venditoribus. *Hi profecto amant vinum, & pinguia*, & tamẽ ditescunt nam *comedunt*, & bibunt *absque pecunia*; cũ tamen scriptum sit; *Qui amat vinũ, & pinguia non ditabitur.* Hi quoque fructus pecorum absque pecunia percipiunt, & vestiũtur lanis, & serico pretioso, Sed proh immane scelus, *Vestimẽtum* eorum *mistum sanguine.*

Cajetan. — *Nicetas.* — Sordida divitium victũ cõparãtium avaritia. — LXX. — *Proverb. 21. 17.*

Si comedi fructus. Septuaginta legunt; *virtutem.* Nicet. *Vis terræ, ac robur est ipsa fructuum procreatio, ac tempestiva ubertas.* Vox originalis frequenter vertitur ab interprete fortitudo. R. MardoKai. ait significare etiam *virorem*, aut *humidum radicale*, quæ etiam in terrã conveniunt: aliquãdo enim redditur pinguis, & crassa, aliquã do effeta, macra, & exilis. Vnde Genes. 4. 12. *Cum operatus fueris terram, non dabit tibi fructus* (Onkelus *Robur.* Septuaginta: *virtutem*)

Isaia. 9. 5. — LXX. — *Nicetas.* — כוח — *R. MardoK.* — *OnKelus.*

LXX

virtutem) ſuos. Addiderunt Septuaginta, *Si comedi ſolus*, ut indicarent, cum pauperibus omnem cibatum communicaſſe.

3 Agricola quid.

בעל

Baal quid.

Cur idololatria dicatur fornicatio.

Et animam agricolarũ ejus afflixi. Prop. Herorum, ac dominorum ejus, a quibus negat ſe quicquã per vim abſtuliſſe: ac Dominos neq; ſolo, neque fructibus privaſſe. Agricolæ autem nomen Hebræũ, *Baghal*, proprie ſignificat maritum, & Dominum. Vnde idem nomen *Baal*, erat nõmen idoli, cui ſe ſubjugarat populus, & velut marito nupſerat. Quare & dicebatur idololatria, *fornicatio*. *Agricola* vero ſubagitans, & ſulcans terrã, & ſeminans, maritum repræſentat. Quare & ſuperius, cum de nominibus honeſtis rei inhoneſtæ ageremus, verſ. 10. indicata ſunt illa, *Hortus, Saltus, Arvum, Sulcus, Vomer*.

Agricolationis verba ad rem uxoriam trãslata.

Symmach.

LXX.

Vatabl.

נפח

Affligere quid.

Regia.

Ex ſufflare quid.

Animam autem *Agricolarum*, Symmacus, *ſpem* fructus percipiendi intellexiſſe videtur: nam legit: *ſpe privari*. Addit Scholiaſtes, *Re aliqua, quæ Domini eſſet per vim, ac poteſtatem abrepta*. Septuaginta ipſam animæ partẽ, & appetẽtiã lætitiæ, aut triſtitiæ capacẽ. *Si animã terræ recipiens contriſtavi*. Vatablus: ipſam vim reſpirandi, quæ nimio labore anguſtiatur, & intercluditur: *Si cultores ejus nimiis operis confeci*. Proprie ex Hebræo verbũ *affligẽdi* eſt, flare, aut exſufflare, quod Regia interpretatur: *Si animã ejus afflare feci*, melius dixiſſet: *ſuſpirare* vel *anhelare*. nã ſignificat etiã ſpirare cũ ſuis cõpoſitis. Vnde illud Malach. 1. ab eadẽ radice, dum loquitur propheta de ſacrificiis nimiũ macris, & exilibus, quæ afferebãtur ab Iſraelitis, e contrario ipſis dicẽtibus nimiũ oneroſa eſſe præ pinguedine; *Et dixiſtis, Ecce de labore* (ideſt, vide, quã ſim defatigatus onere, & labore portandi tã pingue pecus) *& exufflaſtis illud*; id eſt, præ labore ſuſpiraſtis. Tygur. *Anheli eſtis*. Septuaginta: *Exſufflavi illud*, per antitheſim, & colluſionẽ cõtrarii ſenſus. Vos exſufflaſtis, & ſuſpiraſtis præ nimio onere. Ego vero tanquã rem omnino leviſsimam, & nullius ponderis, ac pretii exſufflo, & levi flatu repello, & rejicio, atq; adeo etiã abominor. Sic ait Iob *animã*, & reſpirationẽ nõ afflixi, nõ feci anhelare.

Tygur.

LXX.

XL. Pro frumento oriatur mihi tribulus, & pro hordeo ſpina.

1. Tribulus *quid*. Acanus. *Herba prohibẽs ebrietatem. Illuſtratus Salomon.*
2. Spina *quid, labruſca. Explicatus Iſaias.*
3. *Clauſula controverſiæ Iob. illius opportunum ſilentium.*
4. *An extrema ſint pars ſacri textus. Quid de titulis quorundam Pſalmorum.*

1

SI quicquã horũ ego ſcelerũ admiſi, imprecor, ne unquã ex meo labore fructũ percipiam, neq; amplius annonæ videam ubertatẽ. *Pro frumẽto, tritico; oriatur mihi tribulus*; Septuaginta Vaticani, Theodo. *Spina*. Nicet. quoq; teſtatur, Symmachum legiſſe *Acanũ*, additq;: *Hanc ego ſtirpẽ in libris Regũ agnovi ſic prorſus appellatam*. Alii, *Palliurus*. Certe vocem originalẽ *Hhoahh*. Vulgatus vertit, *Carduũ*. 2. Paral. 25. 18. & 4. Reg. 14. 9. ubi Septuaginta etiã *Carduũ* in lib. Reg. at in Paral. retinuerũt fere vocem Hebræã, *Aachuch*. De *Acano* autẽ illo Symmachi, volunt fere idem eſſe cum *Achanto* ſylveſtri, ſeu Alba ſpina. Certum eſt eſſe herbã, aut fruticẽ ſpinoſum, cujus meminerunt Theoph. de hiſtoria plantarũ lib. 1. c. 16. & lib. 6. c. 1. Plin. lib. 22. c. 9. atq; illud peculiariter etiã appellatur *Acanũ*, illud veluti pomum, quod in caule carduorũ aſſurgit, & extuberat, quod noſtrates appellant: *Alcarchofa, o Alcarcil*. ſimiliter quoq; vocem Hebræã ſignificare herbam ex ſentium genere, cõſtans eſt apud omnes, & appoſita quidem voce, cõmuni nomine *ſpinã* vertit Vulgat⁹ Can. 2. 2. Proverb. 26. 9. *Quomodo ſi ſpina naſcatur in manu temulenti, ſic parabola in ore ſtultorũ*. Parabola enim pungit, & admonet ſtultum, ſicut ſpina ebriũ. Quãquã volunt quidam eſſe *ſpinã*, quæ geſtata manu prohibet ebretatẽ, ac de hac loquutũ Salomonẽ, ſicq; parabolã ſacram eſſe remediũ contra ſtultitiã: quare ſi de hac *ſpina* ſermo eſſet, profecto haberet ſenſum elegantẽ: *Oriatur* mihi ſpina, quæ me pungeret, & me ex ſtultitię, atq; ebrietatis coargueret, & inflicto dolore ad ſaniorẽ mẽtẽ revocaret.

LXX.

Theodotio.

Nicet.

Tygurina.

חוח

LXX.

Acanus, & tribulus quid.

Theophraſtus.

Plinius.

Spina prohibens ebrietatem.

Bayunn

2

Et pro hordeo ſpina. Sic etiã Septuaginta. Theodotio, *Germina imperfecta, & inutilia*. Alii *loliũ*, aut *Zizaniã* interpretãtur. Alii *Tribulũ*; vox quidẽ originalis, *Baeſab* deducitur a radice *Baas*, quod eſt fœtere: quare vertunt *herbam fœtentẽ*. Ioãnes Forſterus exiſtimat, *Eſſe fructum fœtidum palato, & olfactui ingratum, & odioſum, quiq; faſtidium, & nauſeã parit*. Cõplutẽſes: *Labruſcã* vertunt, genus videlicet *uvæ fœtidæ, & peſsimi ſaporis*. R. Mardok. ait *Botri mali, & uvæ odibilis*. Legitur enim Iſai. 5. 4. *Expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruſcas*. Vbi iterum Symmachus legit: *Fructus imperfectos*. Aquila *fructus peſsimos*; quamquam & *Sapría*, qua voce Grçca ibi utitur, a fętore, & putore deducatur, & proprie dicatur ſignificare vini quoddã genus herbis in eo putreſcẽtibus cõditi, & gravẽ ex illis odorẽ cõcipiẽtis. Septuaginta autẽ, atq; Theodotio *ſpinas* dixerunt: quare minus eſt,

Pagn.

Tygur.

Vatabl.

Cajetan.

Forſterus.

באשה

באש

Complutenſes.

R. MardoK.

Aquila.

σαπρίας

Theodotio.

quod quidam tantum interpretatur, *uvas omphacinas, &* nondũ maturas, sed acres, & peracerbas. Quidquid sit, imprecatur sibi omnia dulcia, & suavia, si quæ cũ iniquitate rapuit, atque comedit, amarescere, & molestissimâ nauseâ efficere, ac nihil deinceps utile ex terra percipere.

℣. *Finita sunt verba Iob.*

3 Vatabl. Dixit, ac peroravit Iob. Vatablus existimat *clausulam esse forensem*, qua significetur: *caussam esse dictam*. Plerique existimant significari, Iobum nunquam amplius, neque tam seria, neque tam longa, tamque continente oratione usum: nam paucula tantum verba ad libri finem Deo respondit. Sed quidem videtur indicari, quod tã lõgã orationẽ Iob habuerit, absq; ulla interpellatione amicorum, nihilque deinceps habuisse, quod objicerent, nihil quod ipse amplius pro se afferret: satis enim, atque superque suam innocentiam ostenderat, atque confirmarat. Et Septuaginta caput. 32. exordientes ab hac clausula, sic nectunt cum sequẽtibus: *Et cessavit Iob a verbis, cessaverunt autem, & tres amici ejus ultra contradicere*, ut initio sequentis capitis nótatur: *Omiserunt autẽ tres viri isti respondere Iob, &c.* Nescio quid simile in fine Psalmi. 71. *Defecerunt laudes David filii Iese*: Cum enim suum votum ardentissimũ de venturo Messia explicuisset, nihil habuit, quod amplius petendum sibi esse duceret, ut qui jam summam suorum votorum expressisset. q.d. *Cõ esto acabo, lo que tenia que dezir, y que pedir.* De hoc loco vide, quæ diximus. c. 19. vers. 27. super id: *Reposita est hæc spes in sinu meo*. Simili ratione Iob consummavit, atq; perfecit suæ causæ, & innocentiæ defensionem atque cumulatissime de suo jure, & æquitate disseruit. Illud enim verbum, *finiendi*, significat rem integram, absolutã, perfectam omnibus numeris.


Germanus explicatus. LXX. Quid sit defecisse laudes David. Finiendi verbum de perfectione.

Observat vero Origenes ad Iobi commendationem, *Non simpliciter cessasse sed verbis: cor enim ejus in Divinarum rerum cogitatione, atq; notitia non cessavit.* Novit igitur tempus loquendi, & tempus tacendi, ac postquam quod sui muneris erat, cumulate præstitit, ne tam contendere, quã veritatis, & innocentiæ partes agere videretur, rem totam Deo relinquit judici, & direptori, & extremo adversus detractores, & calumniatores malitiosos remedio utebatur, non jam verbis, sed oratione: sicut Scriptum est: *Detrahebant mihi, ego autem orabam.*

Origenes. Ecclesi. 3. Psal. 108. 4.

Sed illud quæstionem habet, an hæc verba, *Finita sunt verba Iob*, sint pars sacri textus: nam Cajetanus sic de illis censet: *Hæc clausula deficit in textu vulgatæ editionis*. Et quidem partem hãc neque habent in textu, neq; interpretantur Gregorius, Philippus Beda, Hyero. Nicolaus, Hugo, Dionys. Vulgatæ editiones, quæ circunferuntur cũ annotationibus Vatabli, & quę Parisiis edidit Robertus Stephanus anno 1540. Plerique etiam Vulgati Codices, & sex, aut septem Manuscripta pervetusta, quæ Hispali nunc mihi cõsulere licuit ex Bibliotheca Ariæ Montani, apud D. Iacobum enfiferum, & ex Bibliotheca Columbi Templi maximi, atque duo item alia domus Professæ nostræ, & nostri collegii Divi Ermenegildi. Sed leguntur tamẽ ea verba in Hebræo, & Septuaginta, & in Complutẽsi Hispana editione, refertque eãdem Henrricus, ex Codice sancti Germani, & sancti Dionysii: agnoscit præterea D. Thomas, & fere alii recentiores interpretes. Tandem in correctiori editione Vaticana leguntur quidem, sed minutioribus characteribus, ea videlicet forma, qua alia scribuntur, quæ nõ sunt partes sacri textus, & qua annotationes quædam, cujus modi illæ sunt, cum in medio Pals. 9. annotatur *Psa. 10. Secundum Hebr.* Et in medio capitis. 3. Danielis post canticum trium puerorum; *Huc usque in Hebræo non habetur, & quæ posuimus de Theodotionis editione translata sunt*. Et titulus Psal. 17. qui paulo longior est, ac minus probatæ auctoritatis apparet. Ego (ut de nostris verbis jam cẽseam) incertam rem existimo: sic enim apparet judicatum ab iis viris, quorum correctioni editio Vaticana demandata est a Pontifice. Quare qui tanquam sacræ Latinæ editionis nolet admittere, non damnarem: qui ingenue admitteret, laudarem ingenue.

4 Quæstiuncula explicatio. *Cajet.* *Gregor. Philipp. Beda Hieronym. Nicolaus. Hugo. Dionys.* Codices manu scripti. Incerta res de his verbis ultimis.



PARA.

CAPUT XXXI.

PARAPHRASIS Capitis præcedentis.

1 *Pepigi fœdus cũ oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.*



SED Ne cuiquam ob ſcelus aliquod, tam graviter plectendus, ac ne non innocens tot mala pati videar, mearum præclara virtutum officia, quibus vita mea enituit, enumerabo. Primum quidem cum juvenis adhuc eſſem, ac de ducẽda vxore virgine cogitarem, quem alium, niſi honeſtum, ſanctumque matrimonii finem, ſuſcipiendæ nimirum prolis, non voluptatis, & luxuriæ mihi proponerem? Atque adeo firmiter apud me ſtatui, meos [a] oculos ſancta, & ſtabili lege, & quaſi pacto fœdere conſtringere, ut cum interno animi decreto conſentirent, ne unquam improbe, & petulãter, ac ne curioſe quidem virginem,[b] cujus pulchritudo maxima eſt, adſpicerem: [c] neque ad pravam cogitationem viam inciderem. Tantumque abfui ab alieni thori inſidiis, ut neque ad mulierem innuptam, in qua minus periculi fuerat, impudentem oculum deflexerim, ne ullius flagitii duces mihi oculi eſſent, ac ne cupiditatibus, praviſque cogitationibus viam patefacerem; ac per apertos oculos iniquum, & turpe aliquid ingrederetur.

a De vi oculorum in caſtitate ſervanda, aut in cogitationibus vel avertendis, vel concipiendis, utilis doctrina. a. n. 5. uſque ad. 9.

b De virginum aſpectu ex ſacris, & profanis ad mores obſervatio. a. n. 10. uſque ad. 14.

c De cogitationibus pravis tractatio utilis. a. n. 15. uſque ad. 18.

2 *Quam enim partem haberet in me Deus, & hæreditatem omnipotens de excelſis?*

Quam obrem poſt tantam animi puritatem, cur mihi Deus hanc pœnarum partem contulerit, prorſus ignoro. Etenim hominem mulierioſum, voluptatumque illecebris ac deliciis diffluẽtem, jure optimo quis in adverſam, contrariamque vitæ conditionem conjecerit. Quam enim vehemens, & acerbum ſupplicium conſtituit Deus impuriſsimis hominibus, oculos habentibus plenos inceſſabilis delicti! [d] Atque ſi ego ſane ſupremam animi ſedem turpi aliqua cogitatione conſpurcaſſem, meque totum obſcæna quapiam voluptate, dedecore affeciſſem, quodnam quæſo mihi Divina præſentiæ, atque familiaritatis, ac cujuſdam in animo meo, & corpore Divinæ inhabitationis, præmium atque fælicitatem polliceri poſſem? Animum enim incorruptum, & integrum, corpus quoque caſtum, & ſanctum, ſuam ſibi peculiarem partem, & hæreditatem vendicat ille bonorum omnium, atque virtutum auctor Deus. Mirum igitur hominem obſcænarum hoſtem voluptatum ad tantas ærumnas recidiſſe!

d Ad caſtimoniæ laudes, & nomina honorifica, quæ in ſacro ſermone habet, opportuna digreſſio. n. 4. 5. & 6.

3 *Numquid non perditio eſt iniquo: & alienatio operantibus iniquitatem?*

Improbis quidẽ conſtitutus ſit a ſupremo judice peracerbus interitus, & a ſempiterna beatorum mentium beatitudine exilium miſerrimum,[e] nefariæ preſertim libidinis, atque omnis turpitudinis conſectatoribus: hos enim extrema pernicies proculdubio manet: alienus enim immundus erit a ſanctorum familiaritate, & conſortio proculque a Divino conſpectu relegatus. Eſt enim Deus erga immundos homines abalienato animo, & ad illorum ſordes, conſpectumque quaſi nauſeabundus ſtomachatur, & iraſcitur. Atque ipſi quoque voluptuarii, homines a re Divina (quod &

e De flagellis, ſtultitiaq; hominum luxurioſorũ, & voluptuariorum, utiliter multa indicantur. n. 4. & 5.

ingens quoque ſcelus eſt, & ingens ſceleris pœna) faſtidioſiſsime abalienant. Corpore itaque miſeri vexantur, ſæviſsimeque flagellantur, animo quaſi extra ſeſe poſiti, incredibili vecordia ineptiunt & ſtulteſcunt.

Cum enim ſtultiſsimi ſibi blandiantur de Dei quaſi ignoratione, aut oblivione eorum, quæ in tenebris, & in oculto faciunt; at Deus illorum vivendi rationem attétiſsime obſervat, & explorat: neque tantum inſigniores vitæ actiones, longioreſque vias, ſed minutiſsima etiam quæque conſilia, atque leviſsimas cogitationes, greſſuſq; ſingulos in numerato habet. Propterea ego animi & corporis caſtimoniam ſanctiſsime colui, quod Divinorum cóſpectum luminum, tenebras impuriſsimæ voluptatis illuminantium revererer, & colerem. 4 *Nonne ipſe conſiderat vias meas: & cũctos greſſus meos dinumerat?*

Deinde vero, quod ad proximum attinet, præter quam quod diligentiſsime omnem improborum hominum ſocietatem, familiaritatemque vitavi, atque riſum facientes, & eos qui comeſſationibus, atque ebrietatibus indulgent, ſemper fugi, ſerio, & ſolide me totum ad honeſtatem & virtutem conformans: * certe nunquam mendacio, aut fraude malitioſe quemquam læſi, neque cum mendacibus vitam meam inſtitui nullaque vel verbo, vel iniqua actione lucrum aliquod ſordidum ex aliorum facultatibus captavi, oblatam ve rapiendi occaſionem alacriter arripui. Sin aliter feci, quidvis malum, & acerbum mihi imprecor. 5 *Si ambulavi in vanitate: * & feſtinavit in dolo pes meus:*

Nihil vero me leviter, aut ſiniſtro fine geſsiſſe, ille, qui æquiſsimis bilancibus judicii mortalium omnium actiones examinat, explorate cognoſcet, ſi me publice & in omnium conſpectu, ſuæ veritatis, examiniſque ſtatera in ſublime ſublatum libret, atque perpendat; atque ad pondus & regulam ſuæ ſanctiſsimæ voluntatis, & legis meas omnes actiones exigat. Sic ſane fiet, ut cum mea innocentia ſatis cognita, & probata meo judici maneat, univerſis etiam mortalibus conſpiciendam, probandamque proponat. 6 *Appẽdat me in ſtatera juſta: & ſciat Deus ſimplicitatem meam.*

Iratum merito experiar mihi numen, ſi vel minimum de pietatis, atque virtutis via pes meus deflexit, quodpiamve divinorum mandatorum præterii, aut prava cogitatione, & cupiditate animi impulſus, flagitium aliquod proſequutus ſum. Non enim quæ in oculos incurrebant, ſtatim amabam, neque illorum concupiſcentiæ unquam obſequutus ſum, nullus enim rerum externarum conſpectus in animo meo cupiditates excitavit. Neque cum magiſtratus eſſem, ullius ſordidi capiendis muneribus lucri labem contraxi; ſcio enim, quod inique ablatum eſt, tenaciſsime picatis avarorum manibus adhæreſcere. Nihil tandem labis, & ignominiæ ex ullius ſceleris ſtudio ſuſcepi. 7 *Si declinavit greſſus meus de via: & ſi ſecutus eſt oculus meus, cor meum: & ſi in manibus meis adhæſit macula:*

Dignam itaque, ſi quidquam per vim, & iniquitatem rapui, meo ſceleri pœnam imprecor, ut meis ipſe laboribus, boniſque partis frui nunquam permittar; ſed iis, quæ ego ſeminaverim, alieni utantur, & pingueſcant. * Atque ſi filiis meis locupletandis alienas facultates aucupatus ſum, meorum liberorum egeſtate, & extrema inopia, atque miſerrimo exilio, ablata omni poſteritatis ſpe, ſeveriſsime plectar; non minus filiis, quam ipſis agrorum ſeminibus, germinibuſque areſcentibus, radicituſque convulſis: nam ſi qui ita rebus externis ad uſum, & voluptates ſuas utuntur, ut cum egenis illas non communicent, ingentis ſceleris, atque ſupplicii rei conſtituuntur; quid de illis cenſendum erit, qui per vim, & injuriam, egenos ipſi reddunt, & miſeros, quos Deus bonis honeſte affecerat ad ſufficientiam, & vitæ jucunditatem? 8 *Seram, & alius comedat, * & progenies mea eradicetur.*

Nefarium vero adulterii flagitium, quod eſt cum inſigni turpitu- 9 *Si deceptum eſt cor meũ ſuper muliere:*

& si ad ostium amici mei insidiatus sum.

10 *Scortũ alterius sit uxor mea, & super illam incurventur alii.* 11 *Hoc enim nefas est, & iniquitas maxima.*

12 *Ignis est usque ad perditionẽ devoras, & omnia eradicans genimina.*

13 *Si contempsi subire judicium cum servo meo, & ancilla mea, cũ disceptarent adversum me.*

14 *Quid enim faciam, cũ surrexerit ad judicandum Deus? & cum quæsierit, quid respondebo illi?*

15 *Nunquid nõ in utero fecit me, qui & illum operatus est, & formavit me in vulva unus?*

16 *Si negavi, quod volebant, pauperibus: & oculos viduæ expectare feci.*

pidine, & dedecore conjunctum, nunquam admisi; neque permisi unquam, ut peregrinæ, & alienæ voluptatis illecebra in animo meo excitaretur: nunquam ad mei proximi fores per noctis tenebras insidias collocavi, alieni thori violandi occasionem captans.

Quodsi unquam adulteravi, gravissimam illam, æque ac justissimam adulterii & stupri pœnam subeam, ut æqualitate quadam alius quispiam meum thorum polluat, ac meam uxorem in stuprum illiciat, nec non turpissimi quique cum illa communicent,[f] & instar inferioris pistrini molę, quę aliena femina excipit,[g] alienę ipsa volupta ti serviat, & sui corporis quæstum faciat.

Adulterium namque nefarium scelus, grandeque piaculum non nisi acerbissima expiandum morte; atque ipsa etiam adulterii præmeditatio, & excogitatio nefaria est. Quare tanta sceleris immanitas Divino judicio severissime discutitur; & ab hominibus etiam (ut quod in maximum Reipublicæ damnum vergat) diligentissime inquiritur, puniturque; gravissimis in adulteros suppliciis constitutis.

Quare non dubitem, si ipse me unquam adulterio polluerim, meis agris, fructibusque tenerioribus, [h] ignis incendium imprecari, quo res omnes meæ deflagrent. Ignis enim quoque voracissimus adulterium est; qui mariti læsi substantiam, & facultates depascitur. Adulteri quoque non solum animum subjecta libidine inflammat, verum etiam universam domum radicitus exurit: ipseque adulter ingens incendium excitat malorum, quod ipsas adulterinorum germinum radices usque exurit: ipse vero læsus vir incredibili incensus furore, & se excruciat, & adulteros insectatur.

Illam vero justitiæ partem, quæ erga familiares versatur, nemo sane in me desideravit. [i] Non solum enim aliis in aliena causa, sed etiam meis domesticis, servis, atque ancillis in propria me causa judicem integerrimũ præstiti; neque alterius judicis sententia, quam mea probitate impulsus unicuique servo & ancillæ, quibus mecum nullum erat jus, jus suum reddidi; cumque supremus ipse princeps ac magistratus essem, inæqualitatem omnem fugiebam: nunquam enim fastidiose abjeci servos mecum volentes ex æquo disputare; sed liberæ orationis, atque suæ causæ tuandæ potestatem faciebam, ut si quid forte a me per injuriam in eos committi suspicarentur, audacter dicerent. Atque adeo ubi videatur justum reperiri non posse, justitiam ego servabam: qui enim adversus me litigabant, nihil sibi a mea potentia timebant: non enim habebant me adversarium, quam judicem, quam patronum.

Considerabam nimirum Deum judicem, a quo, si cujusquam ego causam, jusque abjecissem aut repulissem, repulsam quoque ipse passurus sim; nam pauperum, infirmorumque hominum querimoniis excitatus, surget aliquando ad judicandum Deus injurias vindicaturus miserorum, tuncque nihil erit, quo illius judcium, meumque supplicium eludere possim.

[k] Atque illud sane mihi omne supercilium, fastidiumque adimebat, quod una sit omnium hominum natura: unus omnium animi, atque corporis opifex: nomina quoque servorum ac dominorum, fortunæ potius, quam naturæ fuisse.

Pauperibus vero (ita mihi recte, ac fæliciter cuncta procedant) petentibus opem, non solum munificum ac liberalem me præbui, sed minime expectata egeni ac viduæ deprecatione, rebus illos necessariis sublevabam; atque illorum desiderio, expectationi, oculis benignus occurrebam, ne quisquam vel pudore, vel difficultate petendi præ inopia deficeret: ac nulla ratione sum passus vel egestate, aut lachrymis, aut assiduo oculorum conjectu, intentioneque viduas

f *Pulchra & diligens honestarum trãslationum rei inhonestæ, ex sacris & profanis digressio a n.6. usque ad.15.*

g *Quæ sit Dei judicio justa adulterorum pœna, eleganter ostenditur. n.1. & .2.*

h *Combustio, adulterii quondam pœna ex sacris & profanis indicata. n.5.*

i *Quædam de officio dominorũ erga servos, deque quorumdam morositate. n.3. & .4.*

k *De servitute, atque servis perhumaniter tractandis, ex sacris & profanis opportuna quædã. n.1.2.3. & .4.*

contabescere; quod ipsum accidisset, si nec rerum, quas optabant, compotes fuissent, nec non despectæ fuissent; aut vana illas spe lactassem.

Pupillis etiam (genus miserrimum, ut qui sæpe, neque quærere, neque petere noverint) quotidianum victum præbebam; atque cibi mei partem orphanis communicabam; ita ut vel perexiguam panis particulam partirer cum egētibus, & mensæ socios miseros quosque adhiberem.

17 *Si comedi buccellam meam solus: & non comedit pupillus ex ea.*

Ipsos pupillos, tanquam pater, ab infantia nutriebam domi meæ, una cum meis familiaribus, & liberis: atque tum his, tum viduis ducem & patronum me præbebam. Neque mirum quidem; nam misericordia, & benignitas non solum ex virtute & studio, sed ex naturæ quadam propensione innata mihi est; atque semper indies adolescente natura, sua cepit incrementa mea bonitas, & beneficentia; propter quam universis puer adhuc charus exstiti, ac postea juveni adhuc summos honores, imperiumque libentissime detulerunt. Cum autem videretur clementia, & misericordia, statim atque in hanc lucem editus sum, suis me ulnis excepisse, suisque uberibus educasse; videbar certe adhuc puer numerosam pupillorum, egentumque hominum, quos adoptabam, prolem suscepisse. Cum vero nemo in me vel senile consilium, vel paterna viscera desideraret, sanctis etiam monitis atque consiliis parvulos instruebam, & tandiu illos manu ducebam, dum opera mea magnopere non egerent.

18 *Quia ab infantia crevit mecum miseratio: & de utero matris meæ egressa est mecum.*

Quo vero me supplicio dignum non censeam, si cum viderem hominem nudum, & præ frigore rigentem, & conglaciantem, nihil curavi, aut non statim substiti, ut opem atque vestimentum afferrem?

19 *Si despexi pereuntē, eo quod non habuerit indumētum: & absque operimento pauperem.*

Dispeream, si latera, quæ mollissima sunt, & quibus a frigore majus periculum; lumbi, fæmora, quæ minime nuda esse oportet, universam denique mendicorum nuditatem, honestis vestibus non confovi; ipsis statim, propter beneficium acceptum, clara atque contenta voce bene mihi precantibus, atque ipsa veluti eleemosyna, quasi per sese meam beneficentiam, & misericordiam prædicante; proptereaque fælicem pecorum meorum proventum pollicente, quod pauperes ita sublevassem, ut non de alieno, sed de ipsis mearum ovium velleribus, meisque facultatibus benigne indigentibus fecissem.

20 *Si non benedixerūt mihi latera ejus, & de velleribus ovium mearum calefactus est.*

Vivam semper infælix, & miser, si unquam potentia & robore abusus sum vel ad inferendam injuriam, vel ad prædam faciendam imbecillorum, quibus nemo patronus, defensorque adesset; quamvis a meis partibus omnes starent, quamvis Reipublicæ principes, & optimates meam causam agerent; atque pro mea ipse potestate neminem timerem. Et sane cum jure possem homines miseros, & humiles ad rem quampiam severius compellere, nolui tamen premere, & urgere pusillos.

21 *Si levavi super pupillum manum meam: etiā cū viderē me in porta superiorem.*

Quodsi non benigne remittebam, summus humerus, armusque meus discedat a jugulo, & tanquam membrum aridum languidumque decidat: neque solum brachii superior pars, sed radius ipse, & brachiale a cubito usque ad manum comminuatur, ut digno supplicio, manus, quæ inique contra infirmum levata fuerit, concidat: brachium, quod percusserit, atque confregerit, percussum confringatur.

22 *Humerus meus a juncture sua cadat: & brachium meum cū suis ossibus confringatur.*

l *Membra, quæ quippiā peccarunt, eadē ipsa supplicio affecta apud veteres. x. 5.*

Cum tot igitur pulcherrima, atque præclarissima facinora effecerim, nihil tamen meæ virtuti, aut laudi tribuendum existimo, sed Dei timori, quo meas ille carnes, atque agendi omnes facultates confixit, ut ab officio, & honesto nunquam discederem. Si enim Dei præcepta neglexissem, tetram quandam malorum omnium tempestatem, extremamque perniciem in me incumbentem cernere videbar.

23 *Semper enim quasi tumentes super me fluctus, timui Deū & pondus ejus ferre non potui.*

videbar. Neque unquam me parem exiſtimavi ad repugnandum ſupremo numini, & ſuſtinendum illius impetum, atque vim in me incurrentem. Illius enim minis opprimebar tantæ celſitudinis majeſtate deterritus, quem ſciebam paratum eſſe, bellum acerbiſsimum inferre improbis, atque ſævisſima ſuper tyrannos, & oppreſſores pupillorum, atque viduarum ſupplicia grandinare, & fulmina pluere. Quodſi me Deus per injuriam quidpiam agentem, aut non bene merentem deprehendiſſet, intolerabile illius mihi ferendum eſſet ſupplicium.

24 *Si putavi aurũ robur meũ, & obrizo dixi, Fiducia mea.*

Quid vero boni ab illo ſperare potuiſſem, ſi vitæ meæ præſidium, opemque in auro primo, atque puriſsimo collocaſſem; in illoque pedem figere conſtituiſſem, quod eſt mera inconſtantia, & mutabilitas, ac non potius veræ ac ſolidæ pietati inniterer? Neque quidem unquam me inſana pecuniarum libido inflammavit, aut facultatum mearum copia, impetu & quadam temeritate ad inſana me conſilia impulit.

25 *Si lætatus ſum ſuper multis divitiis meis, & quia plurima reperit manus mea.*

Triſtiſsima mihi cuncta cedant, ſi ex affluentibus mihi opibus ac rebus omnibus in vita jucundiſsimis, lætitia intemperanter elatus ſum; aut meæ induſtriæ gratulatus, blanditus ve mihi ipſi de illis rebus, quæ vel ad corporis robur, vel ad reliquas agendi vires, & facultates attinent. Nam inter inmenſas opes immoderatam cupiditatem amputabam, & certo tantum rerum numero me, familiamque meam continebam, reliquis omnibus, quæcumque ſuperaſſent, in egentium uſum converſis: [m] quippe e tanta tamque uberi bonorum ſegete, inanem animi lætitiam, illa conſideratione facile comprimebam, eſſe illarum poſſeſsionem plane inſtabilem, atque incertam.

m *Ex divitiis & temporali fælicitate majorem quandam, atque propterea inanem lætitiam generari. n. 3.*

26 *Si vidi Solem, cum fulgeret, & Lunam incedentem clare.*

Maximi apud Deum & homines flagitii, & criminis reus fiam, niſi veram fidem atque religionẽ ſemper colui ſine ulla idololatriæ ſpecie aut ſuſpicione: [n] Nunquam enim me pulcherrimus iſte, atque jucundiſsimus Solis, Lunæ, cæterorumque fulgentiſsimorum ſiderum conſpectus, in errorem aliquem abduxit: neque unquam [o] exorientis Solis jubar, ut laudem illi, honoreſque divinos tribuerem, ſplẽdoris illecebris, & oculorum lenocinio quodam perſuaſit. Si cum Lunam adſpicerem, argentea luce conſpicuam, pompatico, imo fæmineo incedentem greſſu, veluti cæterorum luminum Reginam, atque ductricem, vana aliqua lætitia illectus, mecum tacitus cogitavi, Divinum illi numen ineſſe; atque interna animi perſuaſio in externum aliquem adorandi habitum me impulit, ut manum verſus cælum porrigens, ſtatim reverenter ad oſculum referrem, atque hac cerimonia divinitatem, veri uniuſque Dei (quod in me eſſet) [p] impudens, inſanuſque auferrem, divinoſque creaturæ honores impenderem; quod & flagitium maximum eſt, & flagitiorum omnium cumulus, atque mendaciorum omnium turpiſsimum, impudentiſsimumque in abnegenda unica Divinitate mendacium. [q] Neque vero in illam alteram idolorum ſervitutem, avaritiam, & pecuniarium ſacrũ cultum ſplendentis fortunæ facies, & rerum jucundiſsimarum ſummus ſplendor, Gemmarum, aurique nitor me impulit; Nunquã enim in mentis latebris cupiditatem pecuniæ alui, neque præſentis fælicitatis admirationem aliquam occultavi, neque ad amantium ſimilitudinem, eorum quæ non habebam, deſiderio flagrans, manus meas ſuaviatus ſum. Hæc enim ſi feciſſem atque in mea potius dominatione, quam in Deo ſpem atque fiduciam collocaſſem, plane mentius eſſem veritatem, cum non a nobis ipſis, non a rebus externis, ſed a Divina gratia omne ſit axilium, omnis vera ac ſolida jucunditas.

27 *Et lætatũ eſt in abſcõdito cor meum, & oſculatus ſum manũ meam ore meo.*

28 *Quæ eſt iniquitas maxima, & negatio cõtra Deum altiſsimum.*

n *De priſca Solis, & Lunæ adoratione, deque illius origine, & antiquitate, in Ægypto præſertim, diligens tractatio. n.*

o *De adoratione ad Oriẽtem, & quibus cirimoniis, & ritibus ex ſacris, & prophanis non pauca. n. 1. 2. 3. 4.*

p *Idololatriæ gravitas, impietas, varia nomina, quæruntur. n. 17. 18. 19*

q *Harum ſentẽtiarũ expoſitio cohærentior, & allegoria Solis, & Lunæ ad ſplendentium, divitiarum fortunam, & vitæ jucunditates, diligenter, & minutatim explicatur. n. 20. 21. 22.*

29 *Si gavisus ſum ad ruinam ejus, qui me oderat: & exultavi quod inveniſſet eum malum.*

Adverſa experiar omnia, ſi ullam lætitiæ voluptatem cepi ex meorum adverſariorum rebus adverſis, aut in illorum ruina, atque pernicie gaudio affectus ſum, ac neque leviter commotus: quippe illos mirifice diligebam, atque perpetuo quodam amore proſequebar.

Vnde etiam protectum est, ut nihil infaustum meis hostibus precarer, neque quidem os, guttur, cæteraque sermonis instrumenta, sponte quasi sua expedita, & prona ad inimicorum cominationem, & execrationem, suæ libidini unquam permitterem, sed semper in officio charitatis continerem, ne quo unquam verbo contra proximum peccarem, aut vitam illorum odissem, vindicationis ad injuriam propulsandam cupiditate.

30 *Non enim dedi ad peccandum guttur meum, ut expeterem maledicens, animam ejus.*

Ac sæpe quidem accidit,[r] cũ ab hoste & inimico læsus immotus ipse persisterem, ut mei famili & vernæ, zelo quodam ad ulciscendam injuriã inflammati, inimicos ipsos discerpere vellent, illos tamen ego mea bonitate demulcebam, ut placate & moderate ferrent: neque id omnino facile obtinebam, quippe me non diligebant modo, sed certatim amabant, atque horis omnibus, oculis, auribus, complexu tenere vellent, ut me, si fieri posset, comedere, & intra viscera condere, & vel carnibus meis expleri cuperent; ipsosque meos artus absorbere, ac devorare peroptarent. Quamquã neque deessent in mea familia, quę humanarum rerum diversitas est, viles & degeneres famuli, qui propter sanctiorem disciplinam, qua nihil injustum domi meæ permittebam, vel propter nimiam in tractandis hospitibus diligentiam, me odissent, ac detractorio dente morderent.

r Duplex hujus sententiæ tractatio, in bonum, & in malum, & quomodo ad rem Eucharistiæ referenda, elucidatur diligenter.

31 *Si non dixerunt viri tabernaculi mei, Quis det de carnibus ejus, ut saturemur?*

Illud vero avi mei sanctissimi Abrahami semper in animo infixum habui, ut non tam illius sanguinis, quam hospitalitatis hæres fierem, domum enim meam habui communem, mẽsam cõmunem; mea haud mea, sed Domini ratus. Ergo cum conservis partienda cibaria. Neminem itaque peregrinum extra tectum, non solum cæli injuriis, sed civium etiam petulãtiæ expositũ pernoctare sum passus; Domus mea, ipsa erat hospitalis, quæ assidue patebat peregrinantibus, exterisque advenis: atque ego ipse in Domus vestibulo, & iuxta iter consistens, prætereũtes perhumaniter invitabã: nefas enim existimassem,[s] quod barbari tyranni facere consueverunt, Domum apertissimam & hospitalem non habere, nedum suis finibus hospites vi expellere, nedum lędere.

32 *Foris nõ mansit peregrinus: officium meũ viatori patuit.*

s Ad vicinarum gentiũ Aegyptiorum præsertim inhospitalitatẽ, quas Iobus hac sententia perstringat non indiligens, ex sacris, & profanis digressio.

In ingẽti præterea mihi scelere hypocrisis ponatur, si cũ recte factorum teste nullum quærerem, erratorum tamen cunctos esse conscios non optarem: ac ipsos primos mentis motus, publica confessione non curarem. Scio enim spontanea criminis confessione elevari delicta, atque in luce extingui, quæ in tenebris nata in occulto adolescunt, & vires sumunt. Nullius itaque sceleris mihi conscius sum, quod pro more, & ingenio humano, jam inde a primo parente, dissimulare, & sub honesta aliqua pietatis & virtutis specie abscondere curaverim, neque levem aliquam cogitationem, aut iniquam alicuius peccati consensionem apud me tacitus aluerim.

33 *Si abscõdi, quasi homo peccatũ meũ: & celaui in sinu meo iniquitatem meam.*

Nullius me peccati conscientia retardavit, quin sine rubore, & timiditate prodirem in publicum. Quamvis vero nihil mihi vulgi multitudo objicere potuisset, quod verendum mihi esset; sed possem quascumque turbas facile superare; nunquam tamen volui cum multis cõtendere, sed quasvis potius injurias accepi tacitus, ac me domi contini, pacis & tranquillitatis publicę, quam privatarum injuriarum appetens. Sed incorruptum nihilominus, integrumque me præstiti justitiæ, & honestatis vindicem. Nunquam enim imperitæ multitudinis, aut stulta opinio, aut furẽs impetus a recto & æquo me deduxit, quin officium meum strenue obirem, veraque intrepidus docerem. Frangebam enim singulari virtute contumaciam vulgi, atque populares tumultus eximia arte, sapientiaque sedabam. Potẽtissimos homines, familiarum nobilissimarum capita minime verebar, quo minus insolecentes comprimerem, & si quando opus esset, publice objurgarem, quamvis propterea in illorum aut odium, aut contemptionem adducerer. Ac illud non postremum, quod meorum propinquorum, & sanguine conjunctorum personam nunquã accepi, quin omnibus jus ex

34 *Si expavi ad multitudinem nimiã, & despectio propinquorum terruit me: Et nõ magis tacui, Nec egressus sum ostium.*

æquo

æquo dicerem, ac nemo mea dominatione fretus, suę sibi temeritatis me patronū polliceretur. Propter assidua vero pietatis officia, quāvis interdum a cognatis, & familiaribus despicerer, nō ideo frigebam in virtutum studio. Cum vero in extremos, atque ignobilissimos ex mea cognatione homines incidebam, minime illos fastidiebam; sed, quamvis mihi cōtemptioni esset, benigne illos, atque familiariter tractabam. Quodsi quisquam ex meis cōtemptibilis sua culpa fieret, aut injuriam aliquam ab extraneo acciperet, nō ideo percellebar animo, nec mea potestate utebar ad illius defensionem; sed rem totam æquitati, & magistratibus cōmittens, tacebam ipse, & me intra domum meam continebam.

35 *Quis mihi tribuat auditorem, ut desiderium meū audiat Omnipotens, & librum scribat, ipse, qui judicat.*

Sed iam, amici, video vos multitudinis rerum, quas dixerim pertæsos, & quæ ad Dei gloriam, & justam veritatis, & innocētiæ defensionem enumerarim, in deteriorem vos partem, & inanem gloriæ cupiditatem interpretari. Vtinam ergo sapientem aliquem, & ad percipiendum, quæ a me nunc dicerentur, idoneum haberem auditorem, qui universa, quæ pro mea innocētia verissime protuli, & quæ adversarii contra objiciunt, bene memori mente comprehensa, ac fideliter excepta,[t] in librum referret: isque idem (quod unicū in votis habeo) supremus esset judex, a quo nulla esset provocatio, qui fidem suā innocentiæ & veritati a me contestatę ascriberet; obtinerem proculdubio clarissimum pro mea sanctitate adversus omnium calumnias testimonium, subscriptum, signatumque a judice ad sempiternam memoriam seculorum. Et quidem etiam ipsi meo adversario, qui cū mihi lis, & controversia est, quique me confidenter condemnat sceleratæ vitæ, rem totam conscribendam facile committam, ea tamē lege, ut fideliter, ac syncere excipiat, quæ a me verissime dicta sunt; quippe librum, a quocumque tandem scriptum, sua judex auctoritate, publicoque communiet testimonio, & calumniis, falsisque meæ vitæ criminationibus infirmatis, severeque repulsis, pro mea veritate & innocentia incorruptum feret judicium.

t *Ex prisca consuetudine, & cōmentariis, Deus singulorū merita in monumentum referri præcipiens, ostenditur. n. 4.*

36 *Ut in humero meo portem illum, & circundem illū, quasi coronam mihi.*

Paratus sane sum universa meæ vitæ acta libro cōprehensa, ac Dei manu, sententiaq, munita, humero & capite sublata, universis conspicua circumferre. Quid ni enim ejusmodi librum, humero meo tamquam amplissimæ dignitatis insigne, aut tamquam victoriæ clarissimæ vexillum non imponerem, quippe non mihi oneri, sed ingenti decori, & honori futurum? Circunferendi itaque laborem, sanctitatis existimatione, & publica apud omnes laude lubens compensarē. Quodsi quidquā forte supplicii, & pœnæ judex decernat, humerum, caputque non invitus oneri subjiciam; erit enim profecto mihi spontanea sceleris confessio vice pulcherrimæ coronæ. Si vero præmium conferat speciosum diadema, quo caput cingam, atque cōdecorem, de manu mei judicis accipere arbritabor. Quod quidem neque inaniter spero; ut qui numquam mihi turpem, atque vanissimam ex alienis laboribus, & ærumnis coronam decreverim: sordidos ve honores ex aliorum inopia, & egestate aucupatus fuerim: nam fasciculos syngrapharum, quas contra quempiam habui, nō imponebam meo capiti, ut omnibus essent conspicuæ, glorians nominibus debitorum, & publice legens ad inanem ostentationem; verum cōscindens condonatis nominibus debitoribus reddebam.

37 *Per singulos gradus meos pronūtiabo illum, & quasi principi offeram eum.*

Auditori vero, atque scriptori, siquis adesset idoneus, lubens exponam, atque dictabo, quicquid unquam egerim, cogitarimve per omnes vitæ, & ætatis gradus, jam inde a primis pueritiæ annis, per omnes quoq; actionum series, & ordines; nec non postquam in brevē summam omnes meæ vitæ actiones redegissem, lubens ipse contenta voce coram meo judice, de libro recitarem; deinde tamquam libellum supplicem cū summa animi reverētia, & submissione, judici meo offerrem, ut ille tandem sua sententia decerneret aut præmium, aut pœnam: illi denique, quicquid in eo libro laude dignum legi poterit,

acceptum

acceptum referam: quippe illius Divina ope per omnes vitæ gradus ſalvus, & incolumis deductus ſum.

Sed dicendi tandem finem faciam, & ut quæ ſæpe objeciſtis crimina, Tyrannidem præſertim, atque rapinæ, & ſordidæ avaritiæ ſuſpicionem, immoderatamque diteſcendi cupiditatem, plane diluam, falſaque eſſe univerſa doceam, audacter, & confidenter dicam; Si terra hæc ipſa, in qua habito, alicujus a me flagitii perpetrati cōſcia eſt, ac, quaſi læſa ipſa eſſet, ultionem adverſum me poſtulat Divinam; ſi aliquam terræ in hac ipſa regione partem a ſuo domino injuſte abſtuli, aut per tyrannidem vexaui, aut depopulatus ſum; ſi non jure optimo poſsideo provinciam iſtam; ſi nimia diteſcendi cupiditate, & fame, terram quotannis exercui, ac ſine ullo requieſcendi intervallo plus nimio laborare coegi; ſi terra inſuper ipſa multo agricolarum, & operariorum culta labore, mercedeque ſua defraudatorum, ullius avaritiæ me reum facit, atque ſulci ipſi agricolarum ſudore, & lachrymis madentes, teſtes ſunt tum illorum fletus, tum ullius meæ inhumanitatis, quod illorum ſudorem & lachrymas mercede perſoluta non abſterſerim:

38 *Si adverſum me terra clamat, & cum ipſa ſulci ejus deflet.*

Si auſus ſum alieni fundi fructus comeſſe, non prius ſoluto pretio: ſi ab agrorum Dominis vi quicquam abſtuli, aut illos ſpe fructus percipiendi fraudatos, ſuſpirare & ejulare præ ingenti animi mærore cœgi:

39 *Si fructus ejus comedi abſque pecunia, & animam agricolarum ejus afflixi.*

Illud mihi merito imprecor, ut nullum unquā ex labore meo fructum percipiam, quin potius pro frumento proveniat in meis agris palliurus, & quævis alia ſpinoſa, noxiaq; herba: & pro hordeo loliū, zizania, labruſca, atque omnis faſtidioſa, & fætida herba; tandemque pro dulcibus, & ſuavibus fructibus, nihil de inceps ex terra decerpam, quam id, quod mihi graviſsimi doloris aculeum infigere, ac nauſeam moleſtiſsimam efficere poſsit.

40 *Pro frumento oriatur mihi tribulus, & pro hordeo ſpina.*

Hæc dixit, ac peroravit Iob: neque deinceps tam ſeria, tamque longa oratione, nulla jam ſuorum amicorum interpellatione, aut provocatione, uſus eſt. Itaq; cū amicis nihil ſuppeteret, quod objicere præterea poſſent, poſtquam Iob tam luculenter de ſuo jure, atque æquitate diſſeruit, ac poſtquam ſuorum votorum ſummam expoſuit, ſilentio conquievit, interim multa ſecū tacita cogitatione, multa cum Deo mente colloquutus.

41 *Finita ſunt verba Iob.*





IOANNIS DE PINEDA SOCIETATIS IESV, COMMENTARIORVM IN IOB, LIBER VNDECIMVS,

Qui est de Certamine undecimo, idest prælonga Eliu disputatione, atque oratione habita ad Iob, & ad tres illius amicos.



SI IN PRIMO hoc vestibulo, & quasi ore lōgissimæ huj⁹ Orationis Eliu (quippe sex integra, non pauciora, ambitiose nimis occupavit capita) præmiserimus, quæ de ipso Eliu, deque hujus disputationis, & certaminis qualitate quæri, & exponi possunt, facilem deinde ad intelligentiam totius orationis aditū aperiemus.

QVÆSTIVNCVLA. I.

Ex quo nam genere fuerit Eliu?

1. Eliu *fuisse ex progente Nachor, prima sentētia. Buz, Provincia Idumææ. Illustratus Ieremias.*
2. *Fuisse ex progenie Abraham. Secunda sententia.* Ram, *&* Aram, *quis. Abraham trinomius.*
3. Posteritas, *&* cognatio, *differunt.* Cognatio, *quid proprie ex Hebreo. Explicatus semel, & iterum Moyses.*
4. *Vera quæstionis solutio. Eliu Idumæus. Cur illius cognatio indicetur. Adolescentum parentes quæri solere.*

DVcti similitudine, & cognatione cognominis, *Buzites*, plerique existimarunt fuisse Eliu ex progenie Nachor fratris Abraham. Nam Genes. 22. 21. dicitur Nachor suscepisse ex Melcha uxore, *Hus primogenitum, & Buz, fratrem ejus*. Quare videtur *Eliu Buzites*, gentilitio cognomine referre genus Buz. Sententiam hanc, quasi ex traditione quadam, accepit Philippus. Describuntque commentaria Hieronymi, & Bedæ; idemque Hieronymus in quæstionibus Hebraicis; fereque amplectitur Nicetas; atque juniores interpretes sequuntur. Sed infirmum prorsus argumentum, quod ex solo nomine, aut cognomine ducitur; cum plures nomine *Buz*, legamus. 1. Paralip. 5. 14. Ezech. 1. 3. quos neque ad unum aliquem generis, nominisque parentem referendos existimamus. Tum etiā, quod Nicetas in protheoria. cap. 21. existimat verosimile (imo D. Tho. Hugo, verū existimant, atque adeo Gregorius) illud cognomen sumptum *a quapiam provinciæ Ausitidis urbe*: dicerem potius ab Idumææ regionis provincia: nā Iere. 25. 23. indicatur esse provincia, aut regni caput; *Dedat, & Thema, & Buz, & universis, qui attonsi sunt in comam, & cunctis Regibus Abrabiæ, &c.* Nam si (ut inferius dicemus) Eliu quoque Princeps, aut

I
Primæ sententiæ suspicio & auctores.

Philipp. Hieronym. Beda.

Nicetas. Titelmanus. Manuel Sa.

D. Thom. Hugo. Gregorius.

Buzitis cognomen unde.

Buz, fuerit ne urbs, an provincia.

dux fuit, oportebit quoq; in regione Hus partem illi assignare, in quâ dominetur. Quanquam quidem Buz, non provinciā, sed urbem Idumææ vocet Hieronymus, atque adeo gentes illas Dedan, & Thema, & Buz, ad Arabiā constituat. *Hæ* (inquit) *gentes in solitudine sunt, vicinæ, & mistæ regionibus Ismaelitarum, quos nunc Sarracenos vocamus, & de quibus dicitur, Qui attonsi sunt in comam*. Theodoretus, vocat *Buz gentem Persicam*: Videlicet eam Arabiæ partem, quæ vergit ad Persas, & Medos. Cum quo consentit etiam, quod Septuaginta explicate tradunt, Eliu fuisse *Ausitidis regionis*.

Hieronym. Theodoretus. LXX.

Secūda sententia asserere videtur Eliu fuisse ex progenie Abraham, nimirum per Esau, nititur autem illi nomini *Ram*; hunc enim existimant esse ipsum Abraham; sic aperte legit Kaldæus, *De cognatione Abraham*. Sequuntur Philippus, & commentaria Hieronymi, & Bedæ, ex recentioribus Albertus Magnus. Ergo cum *Ram* sit ex progenitoribus David. 1. Paralip. 2. 9. 10. dicitur enim *Ram*, Nepos Phares, & Filius Esron, idemq; *Ram* vocatur *Arā* in Matthæo. *Esron autem genuit Aram*; non loquitur de hoc *Ram*, quippe posteriori, quā Eliu Buzites, sed de priori alio: & consequenter asserunt Abraham trinomiū esse; Primo *Ram*, cū in Kaldæa esset, quod interpretatur excelsus. Secūdo *Abrahā*, quasi *transiens*, aut proficiscēs, quia videlicet profectus est trans flumen Euphratē. Tertio tandem *Abraham*, quasi *Pater multarū gentium*. Hic ergo *Ram*, est, de cujus cognatione dicitur esse Eliu. Et quidē nisi splēdida, & celebris fuisset cognatio *Ram*, nūquam illius mentio fieret. *In generationis itaque* (ait Philippus) *Eliu nominibus nobilitatem nativitatis voluit demōstrare, quæ utique clara, ac splendida familia esset, unde hic nasceretur, cui etiam tātus vir Abraham, tam magnus, & illo sæculo præcipuus, quique Deo placuisset, singulariter nominatus cognatione adjungeretur*.

Secundæ sententiæ auctores, & fundamenta. Kaldæus. Philipp. Albertus. Ram quis. Abraham trinomiūs. Philipp.

3 Sed est in hac ipsa sententia nonnihil dissidii, nam Philippus adhuc censet esse Eliu ex Nachor, fratre Abraham: nā quod Nachor, & Abraham fratres fuissent, qui deinde erant posteri Nachor, erant quidem, non de posteritate, *at de cognatione Abraham*: nam ipse Abraham vocat filios, & posteros Nachor, *cognationem suam*, Genes. 24. 3. *Cum adjuravit servum suū, ad terram, & cognationem meam proficiscaris, & inde accipias uxorem filio meo Isaac*. Quod impletū legimus in domo, & familia Nachor. Alii, & rectius existimant, si semel asseratur Ram fuisse eūdem, qui Abraham, consequenter asserendū Eliu fuisse ex posteris Abraham per Esau: tum quoniā originale nomē *cognationis*, *Mispahhath*, significat familiam, aut domum, cujus sit unicum caput, & auctor; quare significat multos cognatos, aut cōsanguineos, sub uno parente, & generis propagatore, ut clare per candē ipsam vocē dicitur Genes. 24. 40. *Accipies uxorem filio meo de cognatione mea, & de domo patris mei*. Quod impletum est in Rebecca filia Bathuelis, nepte Nachor: non enim familia Nachor, erat cognatio Abraham, id est, familia Abraham, sed erat cognatio, & familia, domusq; patris Abraham. Cū autem hic dicitur, *Eliu le cognatione Ram*, dicitur esse de domo, & familia Ram, qui si Abraham est, oportet quoque fuisse ex illius posteris, & filiis. Eadem quoque vox vertitur *familia*, & adjunctis aliis explicatur, Nume. 1. 20. *Per generationes ac familias, & domos suas*. Tum etiam, quoniam si illud speciosum erat, quacumq; ratione comunicasse sanguini Abrahami, cur etiam sacri istius libri auctor, illud non explicuit, cum trium aliorum amicorū mentio facta fuit, quos certius erat fuisse posteros Abrahæ? Neque tantum de cognatione, sed de familia, & posteritate per Esau? Sed ais, familia, *& cognatio Ram* celebris erat, & nobilis, qui nisi sit Abraham, ignobilis erit, ut cujus caput nemini notū? Respondeo nobis quidem nunc ignotum esse, at honoris, & nobilitatis causa tunc scriptum, nō videri dubium, sicut etiam *Barachel*, quē oportet famosum fuisse suo sæculo virū, hoc tantum loco legimus. Denique quisquis fuerit *Ram*, quisquis *Barachel*, honoris ergo nunc scribitur, cum tamen neque parentes, neque cognatio aliorum trium describatur.

Duplex hujus sententiæ semita. Phillipp. An Eliu ex Nachor. An ex Esau. משפחת Cognatio, & familia, quid proprie. Ram nobilis familiæ caput.

4 In re ista nemo habere potest aliquid certi, & explorati, conjecturæ, si quæ ex Scripturis fieri possunt, productæ jā sunt. qui illas attētè ponderabit, in neutra parte inveniet magnum momentum. Ego hominem amicum Idumæorum, & Hussitanorum Principum, & posterorum Esau, facile quoque credam Idumæum, & Esau posterum, inter Idumæos natum, & educatum. De cognatione illius, si cui, quā nuper dicebamus, non valde placuerit, atque adeo putarit aliquid aliud mysteri inesse in ea parentis, & cognationis indicatione, licebit quidem, suscipere, quod jam dicam. Vbi de alicujus origine, & genealogia ex professo non agitur, si senex ille sit, de quo agimus, aut cū quo loquimur,

Rei istius incertitudo. Eliu ex posteris Esau. Cur mētio facta fuerit parentum Eliu.

mur, neque obiter quidem, strictimve, illius parentes, aut cognatio indicari, aut quæri solet: ut qui ex suis facinoribus, & præclare gestis notus esse debeat. At si junior sit, quæri, & ostendi illius parentes solent: juniores enim ex parentibus potius, quam ex suis operibus nobilitaté habent. Sic sane vides de adolescente Davide rogare Saulem 1. Reg. 17. 56. *De qua stirpe descendit hic adolescens? & cujus filius sit iste puer?* Rursus. *De qua progenie es, o adolescens?* Tobias quamvis cæcus, at audito adesse juvenem illum, rogat cap. 5. 16. *Rogo te, indica mihi, de qua domo, aut de qua tribu es tu?* Respondit vero Raphael. *Ego sum Azarias, Ananiæ Magni filius*; nimirum illius speciē præ se ferebat. Similiter Raguel osculatus Tobiam juniorem dixit: *Benedictio sit tibi, fili mi, quia boni, & optimi viri filius es*, c. 7. 7. Quid igitur mirum, si trium Principum virorum ætate, ac sapientia provectissimorū cognationes, atque parentes taceantur; at junioris Eliu cognatio, parensque, simul cum illius nomine statim indicentur? videlicet ut adolescentiam illius nemo contēnat, neque sapientiam, quamvis propter ætatē cum ceteris amicis nō enumeretur.

Adolescentū parētes quæri solēre.

QVAESTIVNCVLA II.

Quis Eliu fuerit; an idem, qui Balaam?

1. Balaam *fuisse ipsum Eliu, antiquorum sententia.*
2. Balaam *Mesopotamius, quæ illius patria. Illustratus Moyses.*
3. *Mesopotamiæ fines.* Aram, *quæ regio.*
4. Balaam *Ariolus. Damnatus avaritia, & falsa doctrina.* Ariolus *quis vocatur.*
5. Balaam *tandem resipiscens. Non valde longa vita Eliu.*

I EX Hieronymo in qq. Hebraicis ad plures emanavit traditio illa pervulgata, Eliu ipsum eundē fuisse Balaā. Quā sententiam fuisse *Patrum doctissimorū Scripturarum*, scribit Phillippus, tum hic, tum in præfatione totius libri. Idem sequitur Rupertus lib. 6. in Genes. cap. 34. Hieronymi verba adscribēda ex traditione Hebræa, Genes. 22. *Secundus natus est de Melcha Buz, & ex hujus genere est Balaam ille Divinus, ut Hebræi tradunt, qui in libro Iob dicitur Eliu; Primum vir sanctissimus, & Prophetes Dei, postea per inobedientiā, & desiderium munerum dum Israel maledicere cupit, divini vocabulo nuncupatur, dicitur que in eodem libro: Et iratus Eliu filius Barachiel Buzites, de hujus videlicet Buzi radice descēdens.* Hæc Hieronymus. Quæ, si ille ex sua sentētia protulisset, multum apud me haberent ponderis. Sed nunc leviter excogitata censeo: nam Balaam fuit quidem ex Mesopotamia: Eliu vero, quāvis *Mesopotamium* appellet Episcopus Algarbiēsis, forte alludēs ad hanc Hieronymi traditionē, at fuit ex terra Hus. Hoc habemus ex auctoritate Septuaginta, quæ gravissima est, vocant enim *Hussitanum*: tum etiā ex re ipsa, quæ exigit Husitam fuisse, qui ad consolandum Husitanum Regem accesserit, aut potius non tam accesserit ex alia provincia, quā ibi omnino degēs, Iobi infortunio, & disputationi interfuerit. Et illud quidem habemus ex Deuter. 23. 4. de Ammonite, & Moabite: *Conduxerunt contra te Balaam filium Beor, de Mesopotamia Syriæ, ut malediceret tibi.* Vbi Onkelus legit: *Conduxit contra te Bileam, filiū Beor, de Pethor Syriæ, quæ est juxta Euphratem.* Vbi videtur forte vocem originalē retinuisse, quod crederet, eam fuisse urbem aliquā patriam Balaam.

Hieronym.

Philipp.

Rupertus.

Eliu nō fuisse Balaam.

Eliu Husitanus.

Osorius.

LXX.

An Balaā Mesopotamius.

Onkel.

Sed ais, rem hanc esse incertam: nam Numer. 22. 5. potius videtur Balaam fuisse Ammonites: nam Balac *misit ad Balaā filium Beor Ariolum, qui habitabat super flumen terræ filiorum Ammon.* Vbi Septuaginta vocē etiam quasi originalem retinētes, videntur assignasse propriam urbē Balaā, *Misit legatos ad Balaā in Ibathura, quod est, super flumen terræ filiorum populi illius*, quæ etiam particula, *terra populi illius*, habetur in Hebræo, vox autem illa originalis oppidi Balaam, proprie est *Pethor*, quam etiam hoc loco, sicut in Deuteronomio retinuit Onkelus. Ergo tantum videtur ex his locis elici posse, Balaam habitasse quidē juxta Mesopotamiā, aut juxta Euphratem, & terram Ammonitarum: nā Mesopotamia, si largiuscule accipiatur, pro universa regione, quæ inter duos illos magnos fluvios, Tygrim, & Euphratem interjacet, non dubium, quin Babylonem usque pertingat. Euphrates enim, ab Armenia, unde erumpit, Capadociam petit, Mesopotaniam præterlabitur, & Babylonem secat, tandemq; in Rubrum mare influit. Sicut autem Mesopotamia est juxta Kaldæam, & juxta terram Ammonitarum, ita etiam est juxta Arabiam, & Husitanam regionem: nam omnes istæ provinciæ sunt Syriæ, sive Aram. Itaque nihil certi haberi potest, cujas fuerit Balaam, tantum sedem habuisse ad Orientalem

Cujas fuerit Balaam.

LXX.

Onchelus.

Mesopotamia quid comprehendat.

Euphratis tractus.

Balaam patria incerta.

talem partẽ illius regionis; ipse enim ait, Numer. 23. 7. *De Aram adduxit me Balac, Rex Moabitarum, de montibus Orientis.* Refertur autem hoc a nonnullis ad Arabiam Fælicem Orientalẽ, unde tres Magi Reges Christum adoraturi venerunt, successores quidẽ Balaam, ut Hieronymus, Ambros. Chrysost. & plerique Patrum tradiderunt. Aram autem, sive Aramęa regio, ipsa est Syria, quæ omnes illas regiones complectitur, ut sentit Divus Hieronymus, de Tradit. Hebrai. Genes. 10. Et super id Amos 15. *Tenentem sceptrum de domo voluptatis.* Immo & propterea aliquãdo videtur Syria cum Mesopotamia confundi; solet enim appellari *Syria fluviorũ*, Genes. 24. 10. & Devt. 23. 4. quasi Syria-Mesopotamia, in Hebræo non solũ quod aliqua tantũ Syriæ particula sit, quę dicitur Mesopotamia proprie dicta, sed quod maxima Syriæ pars tota sit Mesopotamia, & interamnis, videlicet inter Euphratem, & Tygrim. Quare frequenter quod in Hebræo dicitur *Aram*, vertitur ab Interprete, *Syria*. Ergo Balaam non quidẽ *Aramæum*, ut Kaldæus, & Iosephus appellant; sed Madianitam sine ullo Scripturarum detrimento appellat Andræas Masius Iosue 13. vers. 22. Ergo, ut tandẽ concludam, nihil effici potest ex ista Balaam patria, & habitatione, quod probet, non fuisse Eliu.

Magi posteri, Balaam.

Hieronym. Ambros. Chrysost.

Arã, Syriave, quid comprehendat.

Syria cur cum Mesopotamia conjungatur.

Syrię maxima pars inter Tygrim, & Euphratem.

Kaldæus. Iosephus.

An Balaã Madianita.

Masius.

Respondeo sane, nihil omnino certi inde haberi; at illud videri maxime probabile, Balaam non fuisse Husitanum; Eliu vero, & Husitanum esse dictum est, & deinde confirmabimus. Tum etiam quoniam Balaam, *Divinum*, atque *Ariolum* fuisse, Scripturæ testantur: sunt autem *Arioli*, ut definit Isidorus libr. 8. etymol. c. 9. *Qui circa aras Idolorum, nefarias preces emittunt, & funesta sacrificia offerunt iis, qui celebritatibus Dæmonum responsa accipiunt.* Quare antequam prophetaret, erigebat Balaam *aras*, & *imponebat victimas*, semel & iterum, Numer. 23. 1. & 29. id, quod etiam docet Augustin. lib. 2. qq. ad Simplician. Vide etiam libr. 4. qq. in Numer. q. 48. Theodoretus super Numer. q. 40. 41. 42. 43. 45. Idemq; ex Origen. Ambros. Chrysosto. confirmant Arboreus in Theosophia, & noster Ioannes Ferdinãdus in Thesauro Scripturarum, verbo *Balaam.* Damnatur etiam improbæ *avaritiæ* apud Iudam Apostolum, & *falsæ doctrinæ*. 2. Pet. 2. 15. Apoc. 2. 14. & nefarium adversus Israelitas consiliũ Madianitis suggerit, de gerendo bello, non per viros, sed per *fœminas*, Numer. 31. 16. Eliu autem, nemo, una excepta arrogãtia, & tumore animi, ac loquacitatis nota, damnat vel falsitatis, vel improbitatis: de Deo enim, deque Divinis rectissime sentit, & de universis pietatis, & virtutũ officiis salutarem disciplinã præcipit.

Verosimili⁹ Balaã nõ fuisse Husitanũ.

Balaam Ariolus, & Idololatra.

Num. 22. 5.

Ariolus quis.

Isidorus.

August. Theodoret. Origen. Ambros. Chrys. Arboreus. Ioannes Ferdinandus.

Sed objicis, Eliu quidem primum extitisse justum, & sanctum, atque etiam Dei Prophetam cum Iob disputantem, postea improbum, avarum, & falsorum dogmatum, atque Magicæ artis magistrum. Id, quod etiam de Balaam asseruit Hieronymus; *Primum sanctus, & Prophetes Dei, postea per inobedientiam, & desiderium munerum Divini vocabulo nuncupatur.* Respondeo, contrarium videri multo verius, ut Balaam primum Ariolus, & Magus, & ignorans verum Deum, postea a Deo vero edoctus, & illustratus fuerit, sicut ipse significat Numer. 24. 3. *Dixit homo, cujus obturatus est oculus, qui cadit, & sic aperiuntur oculi ejus.* Sic docent Augustinus, & Theodoretus citati. Præterea, quod si Iob est quintus ab Abraham, ut cap. 1. diximus; & Eliphaz Primogenitus Esau, oportebit Eliu, qui hoc tempore vixit, supervixisse fere annos trecentos, usque ad internecionem illã Madianitarum, cum quib⁹ interfectus est Balaã, Numer 31. 8. & Iosue 13. 22. quod contigit sub mortẽ Moysis. Vide Titelmanum in præfatione hujus libri.

An Balaã primum sanctus, postea magus

Hieronym.

Oppositũ verius. Balaã primo Ariolum, postea Dei veri culterem.

August. Theodoret.

Titelman.

QVAESTIVNCVLA III.

An Eliu fuerit ex Iobi amicis, qui ad illum consolandum venerunt?

1. *Eliu inter amicos Iobi relatus.*
2. *Tres tantum amici Iobi nominati, Hi miraculo excitati ad visitandum Iob.*
3. *Eliu forte Iobi consanguineus, Fortuito interfuit disputationi amicorum.*

AMicum vocat Gregorius, ac fere is est cõmunis sensus Interpretũ: neq; enim familiariter, imo ad severiorem objurgationem neq; accessisset. Contra obstat, quod inter reliquos amicos nunquã numeretur: & cum c. 32. versic. 3. in Hebræo habeatur, *adversum amicos ejus*, vel *suos*, indignatus est: at tum Septuaginta, tum Vulgatus Interpres, omiserunt de industria illud pronomen, ne videretur referendum ad ipsum Eliu, quasi ipse fuisset illorum familiaris, & socius: cum tamen

I

An Eliu fuit Iobo familiaris, & amicus.

LXX.

men debeat referri ad Iobum, cui illi tres amicitia, & necesſitudine juncti eſſent. Sed in hac tamen dubitantiuncula duo videntur aſſerenda.

2 Primum non fuiſſe ex ſocietate trium illorum amicorum, *qui condixerunt ſibi, ut pariter venientes conſolarentur Iob.* Semper enim tres numerantur, non plures, ſupra cap.2.11. & cap.42.7. Tum etiam Deus non videtur in numero ponere Eliu, neq; illius meminiſſe, cum loquitur cum Eliphaz de *duobus illius amicis*, cap.42.7.& 9. imo & ipſe Eliu, non *ſuos amicos* nominat, ſed Iobi potius, tres illos viros, cap. 35. 4. cum ait; *Reſpōdebo ſermonibus tuis, & amicis tuis tecum.* Tandem Hebręi hos tantum tres amicos peculiari illo miraculo excitatos ad Iob viſitādum tradunt, quod Nebienſis refert ſuper id Pſal.4. *A fructu frumenti, &c.* & Galatinus lib.10. cap.7. ad Euchariſtiæ Sacramentum; de tribus his Iobi amicis agens; *Tradunt* (inquit) *Hebræi, arbores, quæ erant in hortis eorum, aruiſſe, videruntque panem, quo ſuſtentabātur, verſum in carnem viventem; & vinum, quod bibebant, converſum in ſanguinem; & receſſerunt unuſquiſque de loco ſuo, & hujus officii gratia liberati ſunt a deſcenſu ad locū, qui deputatus erat eis in Gehenna. Eliphaz de regione Theman, quæ (ut placet multis) inſula eſt in ſinu Arabiæ. Baldad, de provincia Suha, quam credunt eſſe partem Aegypti Superioris. Sophar, de regione Naama; ea eſt terra Iudææ, quam Promiſsionis appellant, & ipſi quidem convenerunt in unum, ut accederent ad Iob conſolaturi, & confirmaturi eum.* Sed de his diximus plura cap.2. Accedit, quod ætatis, tum etiam dignitatis diſsimilitudo, non poterat amicitiam, & familiaritatem facile illicere neq; cum Iobo, neque cum illius amicis, & prolixioris ætatis hominibus.

Iob 2. 11.

Eliu non numeratus inter Iobi amicos.

Nebienſis. Galatinus.

Traditio Hebræorum de Iobi amicis miraculo excitatis ad viſitandū Iob.

3 Secundum, ſicut multos alios tum ſubita Iobi clade, tum trium Regum advētu commotos ad tam inſolitum ſpectaculum confluxiſſe; ita & Eliu adoleſcentem acrem, & vehementem, non ſolum audiendi, videndiq; ſapientiſsimos Reges, etiam non rogatum dicēdi cupidum acceſsiſſe, veroſimile eſt; prę ſertim ſi ulla ſanguinis communione junctus erat, aut ex diſcipulis quōdam, & auditoribus Iobi familiaribus. Rem hāc Olympiodorus his verbis tradidit in fine cap.42. *Videtur Eliu non una cum Iobi amicis ad eum viſendi cauſa veniſſe, ſed fortuito adfuiſſe; & in Iobum jā laborioſa ægritudine, ærumnaq; mulctatum, & in amicos cum eo diſputantes, incidiſſe.* Accidere enim ſolet, ut poſt inſtitutam diſputationē, nonnulli conveniāt, atq; in diſputātium cœtu conſiſtant, atq; ea, quæ utrinque dicuntur, audiant, ſuas ipſi etiam rationes quaſdā obtrudant, & eas ejuſmodi, ut iis deinde ſit diſputandi munus cōplectendum omnino. Eliu itaq; viſendi tantum cauſa adfuit; quare de illius adventu, ne verbum quidem Divina Scriptura. Acceſsit vero (ut exiſtimo) bono, & amico animo, ſi non ad conſolādum, at certe ut aliquam officii partem perſolveret. Quare á principio univerſæ diſputationi interfuit, ut ipſe indicat ver. 6.7.11.12.16. Deinde quoniam Iuſtitiæ cultor, & Divini tuendi honoris cupidus, & ſtudioſus, neq; vulgari excultus ſapiētia videtur: quæ duæ ſemper res, primis illis præcipue ſæculis, multum valebant ad benevolentiam inter Reges, & viros Principes conciliandam. De quo ſtatim.

Eliu forte ex Iobi conſanguinitate, & auditoribus.

Olympiodor.

Diſputationibus aliorū ſeſe immiſcentes.

Eliu ſapiēs, & juſtus bono animo ad Iobū accedēs.

QVAESTIVNCVLA IIII.

Quæ Eliu ſanctitas, atq; ſapientia?

1. *Eliu vir juſtus, figuram geſtat vanæ gloriæ amatorum.*
2. *Sapiens, & eloquens.* Sententiæ *nomen in bonum, fere ſemper in Sacro ſermone. Catholica dogmata Eliu.*
3. *Numinis* Eliu *notio, & interpretatio, Minus peccaſſe, quam cæteros amicos.*

1 ELiu virum ſanctum non minus, quā tres alios amicos, aperte oſtendit tum illius oratio, tum illud, quod elegāter Gregorius in Præfatione hujus capitis, ſapienterque obſervat, tātum reprehenſum eſſe a Deo *imperitæ* cujuſdam in dicendo arrogantiæ, & tumoris: cum tamen cæteris pręcipiat peccati expiationem laborioſiorem per ſacrificia, & orationem. Quare cum alii Hęreticorū perſonam, & mores referant, at hunc Eliu exiſtimat figuram repræſentare *vanæ gloriæ amatorum*, & quorumdam *Doctorum fidelium, ſed tamen arrogantium*, qui non tā Dei gloriam, quam ſuas laudes aucupantur. Quamquam illæ virtutes in eo non omnino deſiderantur, obſervātia, & pietas erga majores natu, atque modeſtia quædam, & *capitis demiſsio* in audiendo, cap.32.6. & paratus eſt, ſi quid erraverit, corrigi, c.34. verſ.32. non eſt *perſonarum acceptor*. c. 31. verſ.31. familiariter cum Deo agit, & blande illum compellat *Patrem*. cap.34. 36. Deum timet omnia potentem,

Eliu ſanctior tribus amicis.

Gregor.

Eliu figura Doctorum arrogantium.

Eliu virtutes Pietas, & Obſervantia.

rentem, & præmio, aut pœna afficientem mortales, cap. 33. & 34. 35. 36. Denique ubique videtur ardere Divini amoris zelo, sed non secundum scientiam. Sapiētia vero, atque eloquētia eximia fuit, fundit enim sententias sapientissimas, ex ipso Dei testimonio dicētis, cap. 38. 2. *Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis?* *Sententiarum* vero nomen sic exponit Gregorius cap. 2. hujus Præfationis: *Cum dicit Sententias, sed non addit protinus quales, vult procul dubio, bonas intelligi: nā cum Sententiæ dicantur, nisi etiam malæ dicātur, malæ sentiri nō possunt; in bono enim semper Sentētias accipimus,* sicut Scriptum est: *Sapientior sibi videtur piger septem viris loquentibus Sententias.* & quidem R. Moyses Aegyptius lib. 2. Ductoris dub. c. 24. ait. *Apud amicos honoratum fuisse Eliu* propter sapientiā. Sed plura suo loco. Nunc tantum indicanda, quæ Eliu sua procul dubio sapientissima oratione attingere videtur. Primo quidē, *Trinitatis* mysterium insinuat, cap. 32. vers. 22. agnoscere videtur *Spiritus Sancti* donum *Sapiētiæ*, vers. 4. *Creationem*, & *animam* rationalem *inspiratam* a Deo primo homini, c. 33. vers. 4. 6. c. 34. 14. 19. c. 35. vers. 10. c. 36. vers. 3. *Angelorum innumerabilem* multitudinem, cap. 33. vers. 33. Reliquorum naturæ operum, *Meteororum* præsertim mirabilitatē, cap. 36. vers. 27. 28. 29. 32. cap. 37. 3. 4. usque ad 22. *Iustitiam*, cap. 34. vers. 10. 11. 12. 17. 19. cap. 36. vers. 6. 7. 22. *Providentiam* singularum actionum, cap. 34. vers. 21. 22. 25. 28. cap. 35. 13. c. 37. vers. 3. *Incomprehensibilitatem*, cap. 36. vers. 25. 26. & cap. 37. vers. 23. 24. *Aeternitatem*, cap. 36. vers. 26. Dogmata item quædam tum ad Fidem, tum ad mores pertinētia; *morbos corporis* interdum pro peccatis immitti, cap. 33. vers. 17. 19. 25. *Sanctorum Angelorum preces*, cap. 33. vers. 23. Studium *Orandi* in tribulationibus cum animi demissione, cap. 33. vers. 26. 27. *Somniorum* quorundam Divinas immissiones, c. 33. vers. 15. *Operum* dignam mercedē, cap. 33. ver. 17. 27. c. 34. vers. 11. 18. 22. 25. 26. 30. cap. 36. 9. 10. *Adoptionem filiorum Dei*, cap. 34. vers. 36. Novissimum *Iudicii diem*, & sempiternos impiorum cruciatus, c. 35. vers. 15. Piorum etiam dignum *præmium*, c. 36. vers. 11. Supplicem, & utilem *Sanctorum patientiam*, cap. 33. vers. 26. cap. 36. vers. 10. 15. 18.

Eliu eloquentissimus. — *Sentētia quid sit.* — *Gregorius.* — *Prov. 26.* — *Dogmata, & præcipua capita Orationis Eliu.*

Denique nihil minus sapiētiæ, & Theologiæ sublimioris videtur tribuēdū Eliu, quam amicis senioribus. Imo & cum illos aliquando Prophetarum appellatione dignati fuerimus, hunc potiori jure ex Augustini sententia, *Prophetam* compellabimus: nam super id cap. 32. 19. *En venter meus quasi mustum absque spiraculo, &c.* Cōmēdat (inquit) *hunc Scriptura, quia in prophetia loquutus sit.* Cæteris quoque acutiorem, & in dicendo acriorē, propiusq; accedentem ad veritatē, D. Thomas cēset, propterea q; illi non respondere sanctum Iob. Atque adeo Gregorius jubet: *Verba Eliu tanto graviori circunspectione pēsanda esse, quanto per juventutis audaciā ferventiori spiritu proferuntur.*

Eliu nihilo minus sapiēs quā alii amici — *Augustin.* — *Eliu an Propheta.* — *Eliu acutior cæteris.* — *D. Thom.* — *Gregor.*

Rectam deniq; fidem, atq; rerum Divinarum sciētiā suo nomine præferre videtur: nam ex eodem Gregorio, *Eliu*, sonat, *Deus meus iste*, vel, *Deus Dominus*. Illud enim videtur de fidelibus dictum; *Scitote, quoniam Dominus ipse est Deus*. Sed cum a nomine *El*, & affixo primæ, & tertiæ personæ videatur componi, sic explicari oportet. *Deus meus ipse*. Vel, *Fortitudo mea ipsius*. Speciosa quidem, ac religiosa compellatio, non minus quam aliorum trium amicorum nomina: neque minus pulchra illa notio ejusdem nominis, quam Olympiodorus tradit in fine Catenæ; *Sonat* (inquit) *Elius, Deus audiens, seu Filius Deum enuncians*. Quamquam, unde istam significationem hauserit, ex quave radice decerpere potuerit, prorsus ignoro. Sicut autem nomē *Buz*, ex quo *Buzites* dictus est, inter Hebreos postea usurpatum fuit; sic sane etiam invenimus nomen *Eliu*: nā Samuelis proavus 1. Reg. 1. 2. dictus est *Eliu*; tum etiam Princeps quidam de tribu Manasse, 2. Paralip. 12. 10. & nepos *Obed Edom*. 1. Paralip. 26. 7. & Dux, qui præerat tribui Iuda, *Eliu frater David*. 1. Paralip. 27. 18. Sed quomodo peccaverit Eliu, tum re ipsa, & cōtradicēdi, atq; maledicēdi studio, & temeritate quadā prave judicandi; tum in forma ipsa argumētandi (quamquam multo minus peccavit, quam cæteri amici, ut eleganter explicat Nicetas in Protheoria capitis 21. *Iobi tantum mentem non est assequutus, cum ad Deum Iudicem provocavit.* Vide inferius vers. 3.) idem dicendum, quod de cæteris amicis. Vide superius initio capitis 4.

Notio, & proprietas nominis Eliu. — *Gregor.* — *Psal. 99. 3.* — אל י ו — *Olympiod.* — *Eliu minus peccans, quā alii amici.*

QVAESTIVNCVLA V.

An hæc Oratio Eliu numeranda sit inter Iobi certamina?

1. Eliu acerrimus athleta. Iræ opportunitas in bello.
2. Eliu impetus. Silentium Iobi, & patientia frangit.
3. Iræ antidotum. In rixa, Victor, qui vincitur.

I

Acrimonia Eliu in disputādi cōgressu.

CErtamen fuit eo gravius, quo Athleta ætate valentior, & ardore dicēdi, & repugnandi, atque vincendi cupiditate commotior. *Post tres alios* (inquit Greg.) *ad contumelias etiam Eliu junior excitatur, ut tranquillitatem tantæ mansuetudinis saltē dedignata levitas perturbaret ætatis.* Adde ætati per se præcipiti magnum iræ impetum; quæ, ut Seneca aliquando dixit; *Extollit animos, & incitat, nec quicquam sine illa magnificum in bello fortitudo gerit, nisi hinc flāma subdita est, & hic stimulus peragitavit, misitq; in pericula audaces.* Accedit vero, quod cum hoc sit certamen ultimum, omnium suarū virium ignes subjicit Sathanas athletæ suo, quo Iobum dejiciat. Atque in id potissimum incumbit Eliu, quod adversarius sibi efficiendum proposuerat, ut blasphemasse probet: verba enim potius, quam facta Iobi calumniatur. Vide inferius vers. 3. Videre igitur licet adolescentem natura vehementem, & acrem, iratū, & indignantem adversus hominem ætate gravem, ac meritis, mitissimum, ac patiētissimum laborum incredibilium, illū prætera studio, & impetu dicendi elatum, & insolescentem adversus hominem silentem, & aures jam habentē quotidiano cōvitio defatigatas. Et cum omnia acerrimi Athletæ, atque irati concertatoris documenta præbeat Eliu; in Iobo tamē omnis mitissimi animi significatio elucet: *Rubicundus ille est ob iram* (mutuor Basilii verba) *hic minime ruborem præfert, illi, sanguinei oculi, hujus quiete, ac cum gravitate aspiciunt: vox illi aspera, huic mitis.* Est vero novus hic totius disputationis actus, nova etiā argumentandi forma tanto subtilior, quanto magis in se ipsam reflexa, nā videtur argumētari (ut Logici ajunt) quasi ad hominem, ex ipsius Iobi verbis, & dictis. Tanto igitur orationis pondere, quasi respondendi facultate negata, videtur opprimi Iob; accedente præsertim Divina etiam locutione, quæ acriter in eundem invasit, & institutam Eliu orationē quodammodo suscepit, atque promovit. Sed cum amicos cæteros Iob sua oratione, atque defensione refutaverat, nūc quoque non minus silentio, & sustinētia incredibili invictum se ab injuriis, & calumniis, atque ab impetu, & temeritate adolescētis hominis inexpugnabilem præstat; sapientissimumq; esse demonstrat: *Sapientibus enim* (ut Euripides dixit) *silentiū est respōsum:* quo magis, *adversus iniquos opus habemus.* ut Plutarchus addit: Atque illud quidem præstat suo immoto silentio, & omnis sensus experte, quod inter convitia, & contumelias faciendū Basilius præcipit hom. de ira; *Noli* (inquit) *tuam persuaderi mentem, nec ab eo, qui te convitiis, & omni injuria petit, comprehendi patiare. Sine illum frustra te allatrare: in se ipso disrumpi. Sicut enim ille, qui minime sentientem, aut curantem verberat, se ipsum lædit, & incommodo afficit, quod neque inimicum plectere, neque animam, iramque exsatiare se videat; Sic & is qui contumelia in eum, qui nequaquam doleat, utitur, ardebit magis, & animo æstuabit.* Ergo cum suo silentio quasi inferior videatur Iob, & victor Eliu; *at in rixa profecto, ille inferior est, qui Victor est.* Vincit igitur silentio Iob, & ille omnino inferior est; cui dici oportet: *Amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor tollatur a te.* Ephes. 4. 31. Qui autem existimat Eliu se interponere, *Aequissimum arbitrum inter Iob,* & amicos, ut cum utrosque reprehenderit, *depositis utrinque erroribus*, in gratiam redeant suo interventu; benignius quam oportet, immoderatum impetum Eliu, & insolentem excandescentiam interpretantur. Hæc, quæ præmisimus, fores aperuerunt lumini totius disputationis.

(5)

Libr. 1. de ira. cap. 6.

Ira ad fortitudinē cōferens.

Sathan stimulans, & impellens Eliu.

Eliu adolescens acer, & clarus dicēdi studio.

Basilius lib. de Ira.

Novus actus totius disputationis.

Iobi defensio, & responsio silentio potius, quā verbis.

Euripides.

Plutarchus de vitioso pudore.

Basilius.

Iræ remediū in mediis cōtumeliis.

In rixa ille victor, qui victus silet.



CAPVT. XXXII.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Eliu tres Iobi amicos ſeniores reprehendit, quod non potuerint Iobi orationem redarguere: atque ſuæ orationi valde inſolens, & parum verecundum exordium capit ab offenſione, & commendatione ſui.

I. Omiſerunt autem tres viri iſti reſpondere Iob, eo quod juſtus ſibi videretur.

1. Omittere *quid.* Quies, *præteriti laboris index.* Viri *appellatio de imbecillo.* Reſpondere *non ſolum verbis, ſed etiam re.*
2. *Amphibologia ſublata ex Textu Hebræo.*
3. *Irati habitus. Iracundia cũ ſuperbia conjuncta.*

I LXX. 

O*MISERVNT.* Septuagint. eleganter: *Ceſſaverunt tres amici ejus, ultra contradicere IOB.* Verbum ipſum originale *quieſcendi, Sabbath,* indicat contẽtionem, & defatigationem diſputationis præteritæ, & ingentem vim poſitam in repugnando, & contendendo. *Tres viri.* Nihil nunc præclarum, & magnum importat. *Viri* appellatio, potius imbecillitatem indicat nomen *Ghanaſim*, quod tanquam inferiores ſuperati fuerint a Iob, atque illorum arguméta valde fuerint debilia, & remiſſa, longeque infirmiora Iobi defenſione, & illius innocentiæ veriſsima teſtificatione. *Reſpondere.* Exiſtimo verbum *Reſpondendi*, non ſolum ad verba referri oportere, ſed etiam, ad geſtum, & habitũ corporis: nam eſt etiam re ipſa, & oculis ſua reſponſio ad alterum, ut nõ ſemel diximus. Significarunt itaque nihil amplius ſibi cum Iobo, controverſiæ, diſputationisve futurum, ſed relinquendum hominem, & permittendũ *abundare in ſuo ſenſu*, non cedẽtem amicorum monitis. Diſceſſiſſent itaq; niſi illos detinuiſſet ſua Eliu oratione, & interventu.

Quies poſt magnam diſputandi contentionem. שבת

Vir pro imbecillo. אנשים

Reſponſio nõ ſolum verbis, ſed etiã re ipſa.

2 *Eo quod juſtus ſibi videretur.* Ambiguam orationem efficit reciprocum illud, *ſibi*, quod vel ad amicos, vel ad ipſum Iob referri poteſt. Septuaginta de amicis accipiunt, legentes: *Erat enim Iob juſtus coram eis.* Addit etiam ſua lectione Symmachus, viſum fuiſſe amicis, multo quã ipſos ſanctiorem, *eo quod ipſe juſtus appareret ſuper eos.* Quaſi jam Iobi defenſio tot juramentis, & execrationibus confirmata, illis perſuaſiſſet, Iobum vixiſſe ſancte, & immerito ſuis criminationibus tentatam fuiſſe illius innocentiam. Indicat hoc Chryſoſt. clare vero hac ratione interpretãtur Gregor. Gloſſa Rabani, & alii Latini. Sic igitur ſponte tacuerunt, ſilẽtio ſe victos pro fitentes. Sed ex Hebræo cõmodiori ſenſu tollitur ambiguitas, eſt enim reciprocum ſingularis numeri, ut ad Iobi judicium de ſe ipſo referatur: Quare proprie legas: *eo quod ipſe juſtus in oculis ſui ipſius.* vel, *in oculis illius*, quaſi tanta Iobi conſtantia, & ardor in ſe defendendo, viſa illis eſſet iracũdia potius, atque pertinacia repugnandi, & cupiditas volendi videri juſtum, & ſanctũ, atque contentio, & tumor ſuperbientis animi: cũ tamẽ revera eſſet veritatis, non contentionis ſtudium. Senſum hunc non ſolum Hebraizantes, Vatabl. & Cajetanus, ſed D. Thomas, & Carthuſianus agnoſcunt, atque adeo etiam Olympiodorus. Vide verſ. 3.

Ambiguitas Orationis Hebraice ſublata. LXX. Symmach.

Chryſoſt. Gregor. Rabanus. Nicolaus. Hugo. Titelmans Oſorius.

Elucidatio Hebraicæ lectionis.

Secũda interpretatio veroſimilior.

Vatabl. Cajetan. D. Thom. Carthuſianus. Olympiod.

II. Et iratus, indignatusque eſt Eliu, filius Barachel Buzites, de cognatione Ram. Iratus eſt autem adverſum Iob, eo quod juſtũ ſe eſſe diceret coram Deo.

1. *Ira contentionis libidinem parit. Irati habitus. Ira ex ſuperbia.*
2. *Veritas hiſtoriæ Iob.*
3. *Quæ fuerit Eliu iraſcendi occaſio, quod illius propoſitum in confutando Iob.*
4. *Particula,* Corã *ſerviens comparationi. Explicatus Samuel.*
5. *Ira ubi opportunum habeat locum, & tempus Explicatus Matthæus. Ira, quæ juſta eſt, ira non eſt.*

I N*Vllum viro juſto quieſcendi ſpatiũ: nam aliis ſilẽtibus, intervenit oblatratio moleſtiſsima, & poſt aliorũ contẽtionem, ſuccedit *iratus Eliu.* Ira autem in diſputatione, ut Plutarchus dixit: *Studiũ cognoſcendi in libidinẽ contendendi vertit.* De hujus autẽ parentibus, & cognatione nuper dicebamus: nũc tantũ ex hoc loco peti egregiam hujus hiſtoriæ, & veriſsimæ perſonæ Iobi confirmationem adverſus

Plutarchus.

Veritatis hujus hiſtoriæ argumentum ex Eliu, & ejus origine.

Judæos,& Hæreticos,existimantes esse fi ctam parabolam.

2 Quis enim nisi plane demens dicat, hominem, cujus gens, patria, parentes, nomen, cognomenque gentilium describuntur tam accurate, fictam, aut scænicã personam gessisse, neque verum fuisse hominẽ? Iam de illius animo acri,& vehementi, qui duobus vocibus significatur, *Iratus, indignatusque*. Quod in Hebræo vehementi quoque amplificatione dicitur: *Iratus est nasus ejus.* quod furentis est, & ex nimium accenso sanguine in præcordiis fumum conceptum, scintillasque ore,& tumentibus naribus, distlantis, & expirantis hominis. Septuaginta dilucide; *Iratus est valde in Iob*. Quare is videtur fuisse Eliu habitus, quem in irato depingit Seneca lib. 1. de ira, cap. 1. atque Basilius homil. de ira, Nyssenus super secunda Beatitudine, *Flagrantes, & micantes oculi: multus ore toto rubor ex æstuante ab imis præcordiis sanguine: labia quatiuntur: dentes comprimuntur: horrent, ac subriguntur capilli: spiritus coactus ac stridens; articulorum se ipsos torquentium sonitus, gemitus, mugitusque, & parum explanatis vocibus sermo præruptus, & complosæ sæpius manus, & pulsata humus pedibus, & totum concitum corpus, magnasque minas agens: fœda visu, & horrẽda facie depravantium se, atque intumescentium*. Adde plane contemptum esse Iob ab Eliu: ut enim Dorotheus ille egregius vitæ spiritualis, & nostrarum passionum mortificandarum magister, sua Doctrina, 19. docuit: *Impossibile est aliquem in proximum suum irasci vel excandescere, nisi prius elatus fuerit corde, ut contempserit eum, & illo se potiorem existimaverit*. Sed quid mirum, contemptum Iob ab adolescente irato? *Iratis nimirum* (hæc sunt Basilii verba) *non est senectus venerabilis, non vitæ virtus, non generis propinquitas, non acceptæ jã gratiæ, non denique quidquid aliud, quamvis æstimandum, in honore est*.

Acer,& vehemens animo Eliu.

Irati habitus

LXX.

Seneca. Basilius. Nyssenus.

Iob contemptus ab Eliu. Dorotheus.

Ira ex contemptu.

Basilius.

3 *Eo quod justum se esse diceret coram Deo*. Iustæ indignationis, ut ipse Eliu ducebat, probabilis causa exprimitur, quod Iob *justificaret se*. Hebr. *animam suam*, atque ipsum etiam animum ab omni sceleris labe constanter assereret. *Coram Domino*, videlicet adducendo Deum suæ innocẽtiæ testem, tot juramentis execratoriis. Solet enim esse illa jurandi formula, *Coram Deo*, Galat. 1. 20. 1. ad Timot. 4. 1. 2. Reg. 3. 28. *Mundus ego sum apud Dominum*: Hebr. *Coram Domino*, id est, Deo teste. Poterat igitur offendisse animum delicatũ & fastidiosum Eliu, illa tam crebra jactatio dirarum, & execrationum. Sed illa potuit videri Eliu probabilior reprehensionis, & indignationis causa, quod cum homo, etiam si sibi ullius sceleris conscius non sit, at non continuo justificatus sit, quoniam *oculi Divini multo lucidiores Sole*, reperire in homine possint sordes,& labes, quæ humanos oculos fugiunt; Iob tamen audacter, & fidenter *diceret se justũ coram Deo*, ad lumen,& splendorem sempiternæ illius sanctitatis, & puritatis. Sic sane monet Ecclesi. 7. 5. *Non te justifices ante Deum, quoniam agnitor cordis ipse est*. Ergo Paulus jubet exspectari novissimi judicii lumen, quo *illuminabuntur abscondita tenebrarum*; & *Laudem* a supremo judice, quæ vera laus est. Vide superius Iob 9. 2. 11. 12. 20. 21. cap. 27. 6. Quare videtur omnino Eliu jam non tam pugnare contra Iobi bonam conscientiam, & vitæ puritatem, quantum humanis oculis, & sensu perspici,& judicari potest; sed quod *Coram Deo* judice, in illius adspectu,& lumine sanctus, & purus videri vellet; fidẽterque appellaret ad illius tribunal. Amici itaque nitebantur dejicere Iobum a solatio, & fiducia bonæ conscientiæ, ut indicatur illis verbis: *Omiserũt respõdere Iob, eo quod justus sibi ipsi in oculis suis videretur*. Contenduntque etiam coram hominibus non fuisse justũ, sed multis sceleribus obstrictũ. At Eliu refutare illum nititur indignabundus, non quod *in oculis suis*, sed *Coram Deo justus* videri vult: cum ad magnitudinem Divinæ claritatis, sicut obscurantur, quæ per se videntur clara, & illustria; sic etiam pura, & nitida, infecta sordibus deprehenduntur. Sed rem hanc ipsam sæpe etiam docuit ipse Iob, ac suam mentem ingenue exposuit locis adductis. Calumniam igitur denuo instaurat Eliu. Vide supra cap. 4. versicul. 17. & cap. 15. 15. & cap. 25. 4. ubi sententias omnino similes tractavimus. Quod autem Rab. Moyses libr. 2. cap. 24. Duct. dub. nescio quod aliud discrimen nititur constituere inter rationes Eliu, & aliorum amicorum, obscure & Rabbinice id facit.

Quæ fuerit Eliu irascendi occasio.

Iuramenti formula.

Vera & maior causa iræ Eliu.

1. Cor. 4. 5. 2. Cor. 10. 18.

Quod sit propositum Orationis Eliu,& discrimen ab amicis.

R. Moyses.

4 Sed alius ex Hebræo sensus profertur ab Hebraizantibus, eo quod diceret *Iob se justum esse præ Deo*. vel, magis quam Deũ, aut, supra Deum; quod innocens ipse injuste puniretur a Deo. Hanc quoque calumniam pravo quodam sensu intentarũt alii amici Iob, & in eadem potissimum versari Eliu aperte colligitur, ex cap. 34. versicul. 5.& 6. Quia dixit Iob, *Iustus sum, & Deus subvertit judicium meum; In judi-*

Pagn. Vatab. Tygur. Oforius.

tando enim me mendacium est, violenta sagitta mea absque ullo peccato. Vide etiam versicul. 17. & cap. 33. versicul. 2. *Numquid æqua videtur tibi tua cogitatio, ut diceres, justior sum Deo?* Quare multum ubique laborat in statuenda Divina Iustitia, & æquitate. Ille igitur primus sensus videtur quoque cum hoc secundo conjungendus: nam & aliquando dictio, *coram*, videtur unius cum alio comparationem habere. Vt 1. Reg. 1. 16. *Ne reputes ancillam tuam quasi unam de filiabus Belial.* Propr. ex Hebræo: *Ne reputes ancillam tuam ad faciem filiæ Belial.* quod idem est, quod *Coram filia Belial:* nam quæ comparantur, juxta se invicem ponuntur. Sic apud nos, * *Ponere se cum aliquo*, vel coram aliquo, comparationem sonat: Et quidem in utrumque sensum prona est dictio Hebræa *Min:* Frequenter enim affert comparationem, & vertitur, *Præ*, aut, *Plus quam.* frequenter quoque vertitur, *a*, vel *De*, quo etiam modo Hebræus apud Cajetan. hoc loco legit; *Eo quod justum se esse diceret ab Elohim.* quasi dicat, justum approbatum ab *Elohim*, & non solum in conspectu hominum, sed etiam coram Deo; quod melius verti, *Coram*, quam ullo alio modo, Cajetanus ipse fatetur. Aitq; indicari hoc loco, quam suæ iræ, & commotioni causam justam prætenderet Eliu: videlicet superbiam, & elationem, quam comprimere ipse conaretur. Si enim unquã, tunc certe, videtur homo non temere, sed cum ratione irasci, *Cum vindicandi peccati causa efferbuerit in affectus*, ut eleganter Nyssenus dixit, De Beatit. ubi tum ipse, tum alii, quos eo loco noster Maldonatus affert, legunt illum locum Matth. 5. 22. *Qui irascitur fratri suo temere, aut sine causa, reus erit judicio. Est enim* (ut Basilius dixit hom. de ira) *pars animi Irascibilis, nobis ad multa virtutis opera necessaria, quando veluti miles quidam apud ducem arma sumens, paratus est ejus jussu auxilium præbere: sic iracundia rationi adjutrix contra peccatum fuerit, & veluti canis pastori, sit rationi obediens, nullam tamen benevolentiam erga ea, quæ nocent, retinet.* Sic Plato quoque vult suum civitatis custodem instar generosi canis, *iracundum simul, & mansuetum*, illud adversus ignotos, hoc adversus familiares. Illud igitur opportunum est *tempus iræ*, ut Chrysostomus ait hom. 16. in c. 5. Matth. *Cum reprimimus insolētes, eumque desides increpatione convertimus.* Atque idem ipse hom. in Psalm. 4. super id. *Irascimini, & nolite peccare*, ait, *Qui aliena corrigit, cum esse omnium mansuetissimum, atque ita se gerere, Divinum esse.* Ita se existimavit Eliu Divine agere, irascendo ad Iobi insolentiam reprimendam, & amicorum desidiã increpandam. Sed temere ille, & sine causa irascitur, & indigne perturbatur animo. Quæ enim ira sine peccato est, sine perturbatione est: quæ autem sine perturbatione, ira non est. Sed ut dixit Seneca lib. 1. de ira cap. 9. *Si modum sibi adhiberi patitur, alio nomine appellanda est.* Ideo sat est in illo Matth. loco dixisse: *Qui irascitur*; & superfluit illud *temere*, aut *sine causa*, quod cum ira conjunctum est.

Vtraque simul exponēdi ratio jungēda.

Particula Corā serviens comparationi.

* Nō os aveis vos de poner cōmigo, ni de laute de mi.

מן

Cajetan.

Iusta irascendi causa ad cōprimendã improbitatem.

Gregor. Nyssenus super 4. Beatitudine.

Ioannes Maldonatus.

Basilius.

Plato lib. 2. de Repub.

Chrysost.

Ira justa sine perturbatione est.

Seneca.

Germanior lectio Matth.

III. *Porro adversum amicos indignatus est, eo quod non invenissent responsionem rationabilem, sed tantummodo condemnassent Iob.*

1. *Irati creduntur esse inimici, sunt ægri, & infirmi, Correctio, & castigatio sine ira.*
2. Invenire, *conatum, & studium affert.* Non invenire *impotentiæ est.*
3. *Vnde iratus Eliu adversus amicos*
4. *An Eliu existimaret Iob fuisse justum, in quo dissentiat a cæteris amicis.*
5. *Proposita quæstiunculæ solutio. In eodem argumento versari Eliu, quo cæteros amicos.*

HIC iterum in Hebræo: *Indignatus est nasus ejus.* Septuaginta. *Iratus est valde.* Homini arroganti, & contendendi, atque vincendi cupido nemo placet: quare non minus *adversum amicos*, quam adversum Iob excanduit. *Irati vero, sermonis* (ut ait Plato) *rei levissimæ, gravissimas dant pœnas, inimici maledici, & maligni crediti esse.* Hoc propriũ hominum superborum, *inter quos semper sunt jurgia*, & neque cum humilibus, & silentibus pacificantur. Hoc quoque proprium eorum, qui ratione, & judicio minus valent: *Iracundissimi infantes, senesque, & ægri sunt, & invalidum omne natura querulum est. Ideo nunquam assumet ratio improvidos, & violentos impetus, apud quos nihil ipsa auctoritatis habeat.* Idē ipsum, quod excusare potuisset Eliu, atque efficere irascendi causam probabilem, videlicet, amicorum aut error, aut ignorantia quædam inveniendi, excogitandi, proponendi, accusat potius illius impetum, & iracundiam; non est enim prudentis aut peccantibus, aut errantibus irasci, Corrigendi sane, non sine castigatione, sed sine ira. Qui enim

I

LXX.

Plato.

Irati creduntur inimici. Prov. 13. 10.

Iratorũ propria.

Sen. lib. 1. c. 13. c. 10. Arist. 2. Rhetor.

Nihil est, quod excuset iracūdiam Eliu.

Seneca. *cui medetur, irascitur?* Vide Senec. libr. I. de ira, cap. 14. 15. 16. Ergo Eliu non aliter irascitur amicis, quam si quis dumo irascatur, quod non ferat mitia poma. nā illi vel inviti fatentur, ut Olympiodorus

2 ait, non posse Iobo repugnare, quamquā multo labore quęsierint, qua ratione Iobi rationibus occurrerent, at invenire non

LXX potuisse, ut Septuaginta legunt; *Eo quod respondere nō potuerunt opposita ipsi Iob.* Nō enim ideo tacuerunt, quod cum Iobo de illius sanctitate consentirent; ut Carthu-

Carthusianus. sianus existimavit; nam verbum illud originale *Inveniendi*, quia affert studium, & conatum *inveniēdi*, seu acquirēdi aliquid, ex consequente videtur etiā, cum quis dicitur, nō invenisse aliquid, significare non invenisse, non tam ex defectu laboris, & industriæ, quam facultatis: ita ut qui aliquid non invenit, cum laborem, & industriam omnē ad quęrendum, & inveniendum contulerit, dicatur certe non fuisse

Invenire, aut inveniri, ad potentiam, vel impotentiam referri. sufficiens potensve ad inveniendum. Atque hoc illud est, quod aliquando dicitur, quidquid invenerit *manus tua*, &c. id est, Quicquid potueris. Quare & Iosue 17. 16. & Genes. 19. 11. vertitur a Vulgato verbum, *Non invenire*, per *non posse.* Similiter quod infra vers. 5. dicitur. *Quod tres respondere non potuissent*; in Hebræo tā tum est; *Non responderent.* Quod vero addidit Vulgatus, *Rationabile*, cū in Hebręo non sit, explicationis gratia fecit, ut indicaret nihil occurrisse amicis, quod jure posset in Iobum regeri.

3 *Sed tantummodo condemnassent Iob.* Nimirum impietatis: nam id affert originale

LXX. רשע verbum, quod est impium esse, aut impietatis reum, & damnatum: Septuaginta: *Et posuerunt ipsum esse impium.* Hebræus a-

Cajet. pud Cajetanum existimat ex superioribus repetendam esse negationem, videlicet indignatum Eliu, & quod non invenissent amici responsionem, & quod non damnassent Iob, neque convicissent impietatis: sed potius in controversia de illius sanctitate, quasi victi silerent. Sęd negationem illā secundæ partis, neque Hebræa, neque Græca exprimunt; neque videtur subintelligenda in lectione Latina, cujus simplex, & germana intelligentia

Nicetas. hæc est, ut eleganter Nicetas exposuit,

Duplex causa indignationis Eliu. quod *duplici nomine adversus amicos ira accensus fuerit Eliu: primum, quod impietatis justum damnarunt*: quod tamen non satis persuaserunt: nam plus contenderunt, quam probare potuerint. *Deinde quod cum Dei causam suscepissent, victi essent ac siluissent, nec hominis impietatem contra Deum arroganter se se efferentis, coarguerint: in quo & Deum, cui patrocinabantur, propemodum prodidere; & Iobo ipso silentio victoriæ insignia concessere.*

An Eliu existimet, Iobum sanctum extitisse. Sed existit hoc loco dubitatio; Si Eliu propterea irascitur amicis, quod Iobum condemnarunt impietatis, existimet ne illum justum, & sanctum? Nicetas in Protheoria, cap. 21. Sic respondet ex persona Eliu; *Pietate, ac justitia Iobus præditus est, nec quisquam repugnarit: verum suam ipse causam læsit, cum ad Deum judicem provocavit.* Hinc primum ita colligit Nice- Nicetas. tas: *Ergo mens quidem Eliu minime reprehēdēda, nec enim re ulla gravi Iobum percussit, quod tamen ipsi amici fecerunt, cum illum impietatis nomine condemnarunt. Iusti duntaxat sentētiam animi non est Eliu assequutus, nec qua erga Deum charitate, quave fiducia apud Deum causam dicere cuperet, non intellexit.* Deinde infert: *Ita perspicimus, ne a Deo Eliu laudatum esse, quod verborum Iobi sententiam, & scopum ignorarit, nec condemnatum, quandoquidem is Iobum nullo impietatis crimine damnarit, nec propter sua scelera Iobum vexari pronuntiarit; id, quod affirmare amici minime sunt veriti.* Non lōge ab hac sententia Gregorius abest, cap. 3. & 4. hujus Præfationis: nihil enim in oratione Eliu reprehensione dignum existimat, præter dicendi arrogantiam. Cum enim ea, quæ dicuntur ab aliquo, ipse quadrifariam distinguat; aut enim bona, bene; aut mala male; aut mala bene; aut bona male dici possint; *Eliu* (inquit) *dicere non bene bona reprehenditur, quia in his, quæ veraciter loquitur, arroganter inflatur.* Ideo, non quæ dicit, sed eum, qui dicit, reprehensum esse Dei voce; *Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis?* Quasi dicat, *Novi, quæ dicit, sed ignoro, qui dicit, quia veraciter prolata approbo, sed eum, qui de bonis, quæ profert extollitur, non agnosco.* Cum hoc facit, quod ipse Eliu non tam præterita vitæ crimina, quam ipsa Iobi verba, cum suis amicis disputantis, coarguere videtur: & peccata tum oris, tū cordis post calamitatem, cap. 36. 21. *Cave ne declines ad iniquitatem; hanc enim cœpisti sequi post miseriam*, cap. 33. 8. 9. 10. 11. 12. *Dixisti mundus sum, & absque delicto, quia querelas in me reperit. Hoc est ergo, in quo nō es justificatus.* Et cap. 34. 5. 6. 7. 9. 35. *Iob stulte loquutus est, & verba illius non sonant disciplinam.* cap. 35. 3. 16. *Iob frustra aperit os suum, & absque sensu verba multiplicat.* Nimirum videtur rem eandem agere, quam evincendam spoponderat Sathanas. hic enim non tam sceleratæ vitæ

Eliu nec laudat⁹, nec cōdēnatus a Deo.

Gregor.

Quę dicūtur, possunt dici quadrupliciter.

Quid Eliu reprehendat in Iob.

improbitatem objecerat Iobo, in illo primo Angelorum conventu, quam fore, ut ærumnosus, & afflictus, blasphemia Deũ afficeret. Eliu quoque verborum peccata, blasphemiam potissimum, non tam extorquere, quam affingere, & probare cõtendit, cap. 34. 7. 37. Accedit tandem, quod Rab. Moyses, loco adducto ex Doctore dubiorũ lib. 2. cap. 24. nititur ostẽdere novum esse disputandi genus Eliu, novasque rationes: quod si quando sumit ea, quæ amici dixerant, facit ex amicorũ persona, non ex sua.

R. Moyses.

Eliu eadem, quæ cæteri amici objiciẽs Iobo.

Ego existimo in eodem omnino cardine volvi, quo amicos cæteros, neque eadem tantum, sed graviora etiã scelera Iobo tribuere; quæ igitur illi contenderãt, sed minime probaverãt, probare ipse aggreditur, & quibus potest aut verbis, aut rationibus exaggerat, & amplificat. Quare Miserias sceleribus videtur tribuere, Iobi sanctitate confutata, cap. 33. 9. 10. 11 27. cap. 34. 5. 6. incredibilem, Subsannandi libidinem objicit, cap. 34. 7. familiaritatem conjunctissimam vitæ, & morum cum impiis, cap. 34. 8. negatam Providentiam, cap. 34. 9. 17. 22. 27. cap. 35. 10. 13. 14. Tyrannidem, & apostasiam a Dei cultu, & reverentia, cap. 34. 18. 19. 28. cap. 35. 9. cap. 36. 6. 9. 18. 19. Hypocrisim. cap. 34. 30. cap. 36. 13. præter Blasphemiam, alia quoque peccata, c. 34. vers. 37. cap. 36. 9. 10. Crudelitatem, & præsertim Avaritiam, & iniquam donorum acceptionem, cap. 36. 18. Videtur quoque polliceri bona temporalia virtuti, & pietati, cap. 36. 11. & peccatis supplicia temporalia, cap. 36. 13. 14. 15. cap. 34. 20. 24. c. 33. 19. Vide Philipp. D. Thomam, cæterosque Interpretes ad finem. cap. 34. Vbi etiam mentem suam, imo mentẽ Eliu explicuit Gregorius, de quo ait; *Accusat Iobum, & pro peccatis flagella meruisse, & post flagella peccasse*. Quanquam eum locum ex lectione Septuaginta ad suam sententiam Nicetas non incommode interpretatur, ut ibi dicemus; Quæ in contrarium allata sunt, tantum probant, minus Eliu peccasse, minusque errasse, quam cæteros amicos, & non tam in præteritæ vitæ criminibus probandis, quam in Iobi respondendi, & ad Deum judicem provocandi constantia, & fiducia comprimenda laborare.

Philipp. D. Thom.

Nicetas.

IIII. *Igitur Eliu exspectavit Iob loquentem, eo quod seniores essent, qui loquebantur.*

V. *Cum autem vidisset, quod tres respondere non potuissent, iratus est vehementer.*

1. Exspectare *de longioris mora tolerantia. Illustratus Daniel, & Habacuc.*
2. *Eliu laudatus a Græcis, notatus a Latinis.*
3. *Adolescentum observantia erga seniores, in assurgendo; & audiendo. Illustratus Moyses.*
4. *An Eliu junior ætate cæteris.*
5. *Propositio verbo soluta universalis. Illustratus David.*
6. *Ira rationi adversa, latratui similis.*

EXspectationem hanc fuisse valde patiẽtem longissimæ moræ in universa disputatione audienda, indicat ipsum originale verbum *exspectandi*, quod diuturnã longioris moræ tolerantiam affert. Vnde dicitur Daniel. 12. *Beatus, qui exspectat, & perveniet usque ad dies mille trecentos triginta quinque*; & Habacuc. 2. *Si moram fecerit, exspecta eum.* Cui diuturnæ exspectationi, quamvis obstare videatur, quod sequitur: *quia veniet, & non tardabit*, sed favet potius: nam sensus est: Tardaturum quidem, sed non ultra tempus constitutum. Septuaginta autem exprimũt, *exspectasse* quidem, non tã Iob longa nuper oratione de sua innocentia, & de Divinis operibus disserentem; quam a principio controversiæ; & respondendi cupiditatẽ continuisse, cum suo judicio vagarentur, & aberrarent ab scopo amicorum respõsiones; *Eliu sustinuerat dare responsionem Iob.* Adolescenti vero dicendi, & respondendi precupido, quã longa visa est tarditas, & mora alienæ orationis, atque responsionis! Ipse *paululum* se argumentaturum pollicetur. cap. 32. vers. 20. & præstitit, scilicet. Vel forte, ut vers. 5. indicatur, post orationẽ Iobi exspectavit, an aliquid suppeteret amicis ad respondendum, & confutandum Iob. senioribus enim semper deferebat primas sermonis partes. Quare Olympiodorus fingit nunc amicos *dubitatione æstuantes*. Laudat Eliu *Prudentiæ* Olympiodorus, atque *verecundiæ, metus, & pietatis erga seniores.* Chrysostomus quoque, *Prudentis silentii*, & quod *ab studio ambitionis abhorret*. Gregorius ubique agnoscit ambitiosum hominem, acutum potius, & præcipitem, quam prudentem, & modestum; & qui *aperte beato Iob, non pro sua, sed pro amicorum reverentia honorem reservasse monstratur: quia plerumque contingit, ut arrogãtes plus ingenia male*

I חכה Verbum exspectandi de mora longissima.

LXX.

LXX.

Græci excusãtes Eliu, Latini vitii notantes.

Olympiod.

Chrysost.

Gregor.

Arrogantium mores, & ingenium.

Sapientum, quam ſimplicem vitam innocentium venerentur.

Eo quod ſeniores eſſent, qui loquebantur. Hoc illud eſt, quod indicavit Gregorius, Eliu nihil detuliſſe Iobo; contẽpſiſſe potius, tãtum veritum amicos, quorum perſonam, ut pote dignitate, & opibus florentium accipiebat. Viguit vero ſemper hæc adoleſcentium erga ſenes pietatis, & obſervantiæ lex in omni honeſta Rep. ab ipſa quaſi natura impreſſa viſceribus, ut adoleſcentes revereantur ſeniores, nõ aliter quam parentes ſuos, tum aſſurgendo, tum tacendo: ſicut enim Patris nomen præceptoris eſt, atque magiſtri; ita & ſedere, docentis eſt; e contrario vero aſſurgere, audientis cum attentione, & ſilentio: illa enim duo verbis differũt, virtutis, & ſenſus ejuſdẽ ſunt, aut certe cõjũctiſsima. Eccleſi. 32. 13. Vbi ſunt ſenes, nõ multum loquaris. & Levit. 19. 32. Corã cano capite conſurge. Etenim ad magiſterium, & doctrinam eum locum retuliſſe quoq; videtur Onkelus legens: A facie ejus, qui doctus eſt in lege, ſurgas. Eliu vero potius inſurgit, & increpat vehemẽtius, ne dum loquitur coram cano capite, cum Scriptum ſit: Seniorem ne increpaveris, ſed obſecra, ut patrem.

Greg. — Adoleſcentiũ erga ſeniores obſervantia. — Pater, idem magiſter. — Sedere, docentis: Stare audientis, & ſilẽtis. — Onchel. — 1. ad Timot. 5

4 Sed jam hoc loco Magnus Albertus exiſtimat, ideo Eliu dici juniorem, quod rationibus propriis, atq; ſpecialioribus utatur, at vero univerſalioribus amici; quæ autem communia ſunt, ſicut priora, ita & antiquiora, & vetuſtiora dicũtur. Sed nimium Poſterioriſtica hæc interpretatio obſcurat, quod per ſe ipſum clarum eſt. amicos ſeniores tempore fuiſſe. Hebræi, & Græci; Seniores eo erant diebus.

Albert. Mag. — Eliu junior amicis.

5 רְאֵה Cum autem vidiſſet. Id eſt, ex geſtu, & habitu aperte conjeciſſet, intellexiſſetque (nam verbum originale in oculos, & in mentem convenit) quod reſpondere nõ potuiſſent. Eleganter, quod in Hebræo, & Græco valde ſignificanter eſt: Quod non reſponſio in ore trium virorum. Vbi negatio illa nullo verbo alligata ad omnia tẽpora ſe extendit. Significat ergo, neq; rationabiliter reſpondiſſe, neque reſpondere potuiſſe. Sic non raro negatio abſoluta a verbo. Pſal. 58. 4. Neque iniquitas mea, neque peccatum meum Domine. Subaudi, nunquam a me admiſſum eſt in eos, nihil omnino eos unquam læſi.

Negatio verbo ſoluta, ampliſsimę ſignificationis.

Iratus eſt vehementer. Olympiodorus ad zelum refert pro tuenda Dei Iuſtitia, & Providẽtia. Sed vitium potius denotare, mihi videtur lectio Septuaginta; Indignatus eſt ira ſua. q. d. pro ſuo ingenio iracũdo, ut ſæpe ſolebat, nunc quoque excanduit. Illud, ſuum, familiare vitium notat. Hizo de las ſuyas. Atq; videtur nunc Eliu, ubi nulla ſubeſt rationabilis iraſcẽdi cauſa, iram accerſere, ſeu potius efficere, & ſponte ſe ſe ad ſuam iram impellere. Sæpe ad nos (verba ſunt Senecæ) ira venit, ſæpius nos ad illam; quæ nunquam accerſenda eſt. Habebimus itaque iratum oratorem, qui aliquando melior eſt. Sed ut idem Seneca expoſuit: nõ qui iratus, ſed qui imitatus irã. Quare eo magis mirandum, quod Eliu, qui valde iratus bis, ac ter hoc loco ſcribitur, tam apte, tamque compoſite omnes optimi oratioris partes obeat, atque exordio commodiſsimo uſus, graviter, ornate, & copioſe, exquiſitiſque rationibus de re tota diſſerat: nã nihil eſt, quod tantum a ratione, & ordine abhorreat, quã ira, quæ, ut Melanthius dixit,

Olympiodorus. — Lib. 3. c. 12. — Lib. 2. c. 17. — Iratus Orator. — Ira abhorrẽs a recta ratione.

Migrare coacta ratione res malas agit,

Dicit, meditatur, nihil certo, & ordinate perverſe omnia. Perinde (Plutarchi ſunt verbã) qui ſe una cum domo incendunt, omnia, quæ intus ſunt, tumultus, fumi, & ſtrepitus plena facit, nihil ut eorum, quæ conducunt, audiri, viderive poſsit: itaque facilius in tempeſtate, & alto mari, navis vacua aliunde gubernatorem recipiet, quam homo ira fervẽs, atque fluctuans, alienam admittat orationem. Adde, quam aptam, concinnamque orationem qui iratus eſt, habeat; rationemve ad recte excogitãdum, & ſubtiliter inveniẽdum præparet. Quare præcepit Sapho, in ira, ſilentium, & quietem;

Apud Plutarch. de Sera Num. vindicta.

Ira cum pectus rapida occupavit,
Futiles linguæ jubeo cavere
Vana latratus jaculantis.

Sed quod Latratus dixit, appoſite dixit, nam parit canis cæcos catulos; nõ ſecus iratus cæca conſilia, cæcaſque rationes.

Sapho. — Cæca Iræ cõſilia, inſtar canini catuli.

☞ VI. Reſpondenſq; Eliu filius Barachel Buzites, dixit; Iunior ſum tempore, vos autẽ ſeniores: idcirco demiſſo capite veritus ſum, vobis indicare ſententiam meam.

1. Clamor iræ comes. Sedatur muſica.
2. Antiquus de ætate, & ſenio?
3. Demiſsio capitis, & timor ad obſervantiam erga ſuperiorem.
4. Timor, & perturbatio ſerpentium propria. Illuſtratus Michæas.
5. Indicare quid. Eliu ſui cum invidia laudator. Græcorum eloquentia.

ACcedit jam ad dicẽdum iratus Eliu, & vociferabitur procul dubio homo in dicendo vehemens. Sed interim quibus poterimus rationibus revocabimus a vociferatione, & dictis irã demulcebimus, inſtar illius *C. Grachi oratoris vehementis, & morum auſteriorum, cui oranti ſervus a tergo adſtabat fiſtula concinnata, quali muſici vocem paulatim in utramque partẽ per tonos deducũt, tonumque lenem ſuggerebat, quo heri aſperitatem, & iracũdiam vocis delinitam auferebat.* Itaque niſi iratus diceret, ſonaret nobis ſuavius, neq; non videretur pulchrior, non inflatis tumẽs buccis, inſtar illius Marſiæ Tibicinis; *Quem ajunt capiſtro quodam, atque orificio violentiam flatus intercepiſſe, ac faciei inæqualitatem occultaſſe, atque compoſuiſſe;*

Orationis aſperitas fiſtula delinita.

Plutarchus de Ira cohibẽda.

Marſias Tibicen deformis.

Aurum tunc ſplendens malis circumdedit hirtis;
Os patulum loris ſtrinxit, retroque ligatis.

Idoneũ exordium Eliu.

Ergo exorditur tandem, non omnino ut intemperans, ſed ut animi cõpos a ſua ætate, quæ diuturnum illi ſilentium coram ſenibus adhuc imperavit, ſed rei indignitas (ut ipſe ait) finem illi ſilendi fecit, atque initium mutandi ſententiam, & quæ vellet, quæque ſentiret ſuo priſtino more dicendi.

2 *Junior ſum tempore.* Proprie dicas, Parvulus, aut minor, vel minimus. Quanquã eleganter, tum Septuaginta, tum Vulgatus *juniorem* dixerint. Quod autem Latinus dixit: *antiquiores*, & Septuaginta *ſeniores*; ex Hebræo ſine comparatione legitur: *Longævi, aut decrepiti.* Vtroq; enim modo vertere Vulgatus ſolet. Vide ſupra Iob. 15. verſicul. 10. ſuper id: *Et ſenes, & antiqui ſunt in nobis.*

צעיר

LXX.

3 *Idcirco demiſſo capite veritus ſum.* Prop. ex Hebræo. *Veritus ſum, & timui*, aut *expavi præ timore.* Quod affert cultum quendam, & obſervãtiam inferioris erga ſuperiorem; quod elegãter ſignificatum eſt *demiſſione capitis.* Elegãter quoque dixerunt Septuaginta; *Silui timens in vobis.* & quidẽ verbum illud originale *verendi*, aut *expavendi*, demiſſionem quandam, & incurvationem affert, ut Hebræi dicunt.
4 Quare legendum illi exiſtimant; *Incurvatus ſum, & timui.* Quæ ſignificatio cõjuncta eſt cum illa ſerpentum, & reptilium quaſi incurvatione, aut demiſſione, cum ad hominum conſpectum, quaſi exterrentur, & vel ſe continent a ſerpendo, vel fugiunt in latebras. Quare ad humilitatem, vel ad humiliationem, & animi demiſſionem refertur. Michæę 1.7. *Lingent pulverem, ſicut ſerpentes, velut reptilia terræ perturbabuntur in ædibus ſuis* (Septuaginta; *Turbabuntur in concluſione ſua*; id eſt, in latibulis, quo ſe proripuerunt prę timore, non audentes comparere) *Dominum Deum noſtrum formidabunt, & timebunt te.* Ergo ſignificat Eliu omnẽ ſe cultum, & reverentiam ſenioribus detuliſſe, atque forte etiam a tergo, vel in angulo delituiſſe.

ירא

Demiſsio capitis habitus reverentis.

Verendi verbum tranſlatũ a ſerpẽtib⁹

LXX

Indicare ſententiam meam. Verbum *Indicandi*, non affert levem aliquam, aut tenuem ſignificationem, ſed claram, & apertam ſuæ mentis expoſitionem: Eſt enim ejuſdem verbi uſus Danielis 2.7. ubi redditur: *Interpretatio.* & infra verſ. 10. ubi redditur, *Oſtẽdere ſententiam meam*; Quid ego ſentirẽ de tota controverſia, de impiorum, ſanctorumve ærumnis, de Iobi vita, veſtrarum rationum pondere. Quãquam in Hebræo, & Græco paulo latior ſit ſignificatio, & paulo etiam odioſior, & ambitioſior. *Sapientiam, Scientiam.* & recte quidem; videtur enim eſſe iſte Eliu egregius ſuæ ſapientiæ venditator, atque cum multa invidia ſe laudare: Nemo enim eſt (ut Plutarchus dixit) qui non dicat moleſtum, atque illiberale eſſe, de ſe ipſo ad alios loquendo aliquam ſibi dignitatem vẽdicare. Ergo oportuiſſet, neq; dum in certamine eſt, laudem victoriæ debitam præoccupare, neque ſuo ipſo ore canere. *Eorum enim, qui incertaminibus conantur, alii victoriam proclamant, ut moleſtam de ſe ipſis loquendi anſam præcidãt.* Ergo recte Xenophon: *Laus ab aliis profecta ſuaviſsima eſt auditu; aliis autẽ ea moleſtiſsima, quam ſibi quis ipſe tribuit.* Video in hoc loco Gręcos paulo benigniores erga Eliu, & prudentiæ, atque modeſtiæ nomine ab illis commẽdari. An quod viris ſuapte natura diſſertis, atque eloquentibus, Eliu loquens continenter, nimiumq; vehementer propter ullam naturæ ſimilitudinem minus diſpliceat? Latinis certe minime placet.

5

Indicare, non eſt tenuiter, ſed aperte oſtendere.

הוה

Plutarch. lib. de laudando ſe citra invidiam.

Xenophon.

Cur Græcis minus moleſtior Eliu, quã Latinis.

℣. VII. ***Sperabam enim, quod ætas prolixior loqueretur: & annorum multitudo doceret ſapientiam.***

1. Sperare *proprie quid.* Dies *pro ætate provectiori. Explicatus Moyſes, & Ieſue.*
2. *Eliu multo junior cæteris amicis. Loquendi privilegium ætati per ſe conceſſum. Illuſtratus Eccleſiaſticus, & Daniel.*

I אמר

Dies de tempore diuturniori.

ימים

SPerabam. Proprie ex originali legerũt Septuaginta: *Dixi*. Sic mecum dicebã,& ſtatuebam. Quod autem neceſſario, & certo apud ſe ſtatuerat, *ſperabat* fore.

Ætas prolixior. In Hebr. *Dies loquẽtur*: Qui etiam ſimpliciter dicti accipi ſolent pro ætate provectiori. Geneſ. 18. 11. *Erant ambo ſenes provectæ ætatis*.& Ioſue 13. 1. *Senex,provectæque ætatis*. In Hebræo: *Proceſſerant in dies*. Sic etiã exponit Vulgatus,quod Geneſ. 24. dicitur: *Abraham dierum multorum*. Quod in Hebræo tantũ eſt,*dierum*. nos dicimus: *Hombre de dias*.& Geneſ.4.3. Quod dicitur, *poſt multos dies*, Hebraice proprie eſt, *In fine dierum*. *Acabo de dias*. Abſolute etiam legitur a Septuaginta. *Poſt dies*. Quod quamvis Onkelus dicat,*poſt aliquos dies*, ut breve tempus ſignificaret, tamen forte indicantur anni, poſt quos accidit illud ſacrificium Abel, aut ſaltem unicus annus integer,ut Aben Eſra in eum locum ſuſpicatur. Ergo hic quoque non paucis annis ſe juniorem cæteris, fatetur Eliu. Eleganter quidem tribuit perſonam loquendi, ipſi multitudini annorum, quaſi id privilegium, & dignitas dicendi,atque docendi, ſoli inſit ætati,ſenectutique. *Dies loquentur*. Futurum illud, rem certo convenientem ex futuro indicat; Fieri non poteſt,quin ſenes tandem Sapienter de re propoſita loquãtur; non enim niſi ex ætate provectiori ſanã, veramque doctrinam peti,aut expectari. Illud eſt. quod Sapiens ait: *Loquere major natu* (Senex) *decet enim te*. Quamvis enim de rectore, & Architriclino convivii ille locus accipiatur, quem oportet,ut rectorem loqui, ſi quid ſit inter convivandum neceſſe,adeoque etiam ſi ille junior ſit;ſic enim quædam Græca legerunt: *Loquere preſbytero*,aut *ſeniori*. at verior,& germanior lectio habet; *Loquere Preſbyter, decet enim te*, qui reliquis pro tua dignitate, & ætate,dignus convivandi,ita etiam,& loquendi,atq; docendi magiſter creatus es. Hic eſt ille docendi honos ſenectuti proprius,& peculiaris,nõ niſi privilegio, aut miraculo Puero Danieli delatus,Daniel. 12.50. *Veni, & ſede in medio noſtrum, & indica nobis:quia tibi dedit Deus honorem ſenectutis*. Græci referunt non tã ad aliorum doctrinam, quam ad rerum multarũ experimenta, quæ in vita longa colligi poſſunt; propterea enim dicitur tempus ſapientiſsimũ. Septuag. *In multis annis noverunt Sapientiã*. Conſentit verbum Hebraicũ, quod duplicem actionem affert; *Multitudo annorum ſcire facit*.

LXX. Onkel.

Aben Eſra.

Privilegium ſenectutis ad loquendum.

Eccleſ. 32. 4.

Puero Danieli collatus honor ſenectutis

LXX.

VIII. Sed, ut video, ſpiritus eſt in hominibus: & inſpiratio Omnipotentis dat intelligentiam.

1. *Aſſerendi particula*. Autem, Ergo, Sed?
2. Spiritus *pro commotione animi*. Enos. *Illuſtratus Habacuc*.
3. Spiritus *pro anima rationali, aut pro Divino ſpiritu. Illuſtratus Samuel*.
4. Spiritus *in malum*.
5. Spiritus Sapientiæ. *Eligitur quinta expoſitio. Inſpiratio Dei*.

SED, *ut video*. In Hebræo aſſeverandi particula eſt. Symmach. *Vere*. quo etiã modo Vulgatus vertit, Geneſ. 28. 16. Iſai. 40. 7. & 53. 4. hoc tamen loco per particulam adverſativam, *Sed*; quæ interdum Latinis habet vim aſſerẽdi. Vulgatus per particulam, *ſicut*, Pſalm. 82. *Vos autem ſicut* (certe, vere. Hieronymus. *Ergo*) *homines moriemini*. aut per illativam, Iſai. 48. 4. *Ergo* (profecto, vere) *judicium meum cum Domino*.

I אכן Symmach.

Particula adverſativa interdũ aſſerẽs.

Hieronym.

Spiritus eſt in hominibus. Triplex eſt expoſitio; prima de *Spiritu* concitatiori, & alacriori ad dicendum, & quidpiam fæliciter aggrediendum,& conficiendũ. q. d. Nuper egomet me deſpiciebam juvenẽ, & inexpertum rerum multarum: tantum ſuſpiciebam ſenes, quorũ conſilia ſapientiſsima ſunt. At jã nunc ſententiam mutare compellor. ut enim video,& in me ipſo ſentio,& experior, juvenes etiã, quãvis communi hominum opinione minus ſapientes, minuſque ad reſpondendum,& dicendũ firmos, ſpiritus intus alit, ſuſtentat, excitat; neque in Sapientiæ,& rerum diſcernendarum ſtudio languent, ſicut multi ſenes, ſenectute ipſa frigentes, & hebeſcentes: quin potius nos fervemus, & exultamus. Sic recte opponetur *ſpiritus, homini*, qui hoc loco eſt *Enos*, miſer, imbecillus. Neq; raro in Scriptura *Spiritus* pro illa efficacitate, energia,& alacritate, quam dixi; ut Habacuc. 1. 11. de Nabuchodonoſore victoriis inſolente; * *Tunc mutabitur ſpiritus, & tranſibit*. Id eſt, animos ſumet ad promovendũ ulterius. Expoſitio hæc paulo coactior videtur, & cũ labore quæſita.

2 Triplex Spiritus expoſitio.

Paraphraſis ſententiæ.

Enos. Spiritus, acrimonia,& energia.

*Cobrarà de nuevo animo, y entrarà en colera, para paſſar adelante.

Secunda expoſitio, *Spiritus* pro anima rationali. q. d. Animus etiam intelligẽdi, & ſapiendi capax, eſt in juvenibus, neque eſt cur a Sapientiæ ſtudio,& rerum Divinarũ tractatione arceri debeant. Hoc videntur ſequi Cajetanus, Dionyſius, Nicolaus. Expoſitio hæc languida mihi videtur,& frigida illa ratio, quæ tantum ex

3 Spiritus pro anima rationali.

Cajet. Dionyſ. Nicolaus.

animo rationali cõmuni omnibus hominibus ſumitur ad commendationem Sapientiæ.

Spiritus Divinus.

Tertia, pro Divino, & Sancto Spiritu, qui hominis animum, in quo habitat, ad intelligendum Divina excitat. Sic videtur Symmachus legiſſe: *Spiritus Dei eſt in hominibus.* Sequũtur Divus Thomas, Vatablus, Titelmanus, & quidam alii. cum quo facere videtur, quod ſequitur; *Inſpiratio Omnipotentis Dei.* Et recte quidem is *Spiritus* dicitur *eſſe*, quaſi latitans, & delitescens, in *Enos, homine* miſero, & imbecillo, velut *Deus abſconditus*, in adoleſcente nullum magnũ Sapientiæ ſpecimen præferente. Quare Eliu commendavit quidẽ ſuam Sapientiam, nõ ex ætate, ſed ex *Divini Spiritus* magiſterio. is enim eſt, qui mortalibus ſpiritum Sapiẽtiæ inſpirat. ſicut etiam 1. Reg. 10. 11. & 12. cum viderent Saulem, adoleſcentem quidẽ, præter omnium opinionem prophetãtem, dicebant invicem: *Num & Saul inter Prophetas?* Verum cordatiores tribuentes Divino magiſterio, reſpõdit alius ad alterum dicens; *Et quis pater eorum?* id eſt, quis eorum magiſter. *Patris* enim nomen, *magiſtri* eſt, in Sacro ſermone: Quare ſic legit Kaldæus: *Quis magiſter eorum?* id eſt; quod Saul prophetet, rerum Divinarum cognitione imbutus, non id tribuendũ eſt *Cis* ſuo parenti, ſed patri, magiſtroque ſupremo omnium Prophetarũ Spiritui Divino. Non aliter hoc loco Eliu ex eodem *Spiritu* ſuam Sapientiam, diſciplinamque commendat. Idonea quidem videtur hæc interpretatio, niſi cui videatur valde ſublimis, ſicut præcedens valde languida.

Symmach. D. Thom. Vatabl. Titelman.

Iſai. 45. 15.

Spiritus Divinus Magiſter humanę ſapientiæ... ditatis.

4 Quarta exponendi ratio cõtraria tribus præcedẽtibus. Spiritus in malum. *Philipp.*

Quarta, contraria eſt tribus præcedẽtibus, ut *Spiritus* accipiatur in malũ, quaſi pro vago quodam, aberranteque ſpiritu; ita ut dicat, non mirum eſſe, quod amici, quibus ſolitus ſit Deus Sapientiæ ſpiritũ communicare, nunc permiſerit humano tãtum ſpiritu duci, & aberrare; verba Philippi hæc ſunt: *Dicit, ſibi magis videri, quod ſpiritu vagentur homines, quibus Deus Omnipotens Sapientiæ ſuæ inſpirationem tribuerit: quod in ſuggillationem prædictorum, quaſi ex obliquo dicit, velut ipſi ſoli hoc Sapientiæ bonum conceſſum ſit.* Fere eandem deſcribunt commentaria Hieronymi, & Bedæ. Expoſitio hæc exquiſita eſt, neque valde lenis.

Hieronym. Beda.

5 Germanior expoſitio.

Illa tãdem ſimplex, & germana, ut *ſpiritus* ſit, vel ſpiritus intelligentiæ, & Sapientiæ, qui reddit hominem facilem, & idoneum ad intelligẽda Divina; vel illud, quod per expoſitionem additur; *Inſpiratio Omnipotentis*, quæ non ſolum lumen affert intellectui, ſed etiam vim addit, roburq; ſpiritui humano. Qua ratione ſæpe dicũtur prophetæ *indui* ſupremo ſpiritu, aut *virtute*, præſertim ad docendum, & cõcionandum. In hac fere interpretandi ratione verſatur Gregorius, Hugo, & nonnulli alii.

Spiritus intelligẽtiæ, & robur ad dicẽdũ.

Gregor. Hugo. נשמת

Et inſpiratio. Spiraculum, afflatus. Dixi de hac voce originali, & qua ratione ab ſpiritu differat, c. 26. 4. Vbi etiam *inſpiratio*, vel *ſpiramentum* conjungitur cũ conſilio, Sapientia, & Prudentia. *Dat intelligẽtiam*, aut intelligere facit. eleganter Septuaginta: *Docet*. Neſcio quid ſubtiliſſimum hoc loco meditatur Cajetanus, videlicet per *inſpirationem*, aut flatum intelligi humanam mentẽ, quatenus eſt a Deo, ſicut flatus noſter ex imo noſtro pectore expiratur. Scio quidem flatum, vel ſpiraculum Dei, non ſemel in Sacro ſermone appellari animam rationalem, aut ſupernum lumen, aut Spiritus Sancti Doctrinam, ſed nunc, quod dixi.

LXX. Cajetan.

IX. *Non ſunt longævi Sapientes, nec ſenes intelligunt judicium.*

1. *Sapientia æſtimanda ex Divino munere.*
2. Longævus *quis. Sapiẽtia non ſemper obligata ſenectuti.*
3. Iudicium *quid. Adoleſcentia non contemnenda.*

NON Eſt (inquit) vel ex rerum humanarum magnitudine, vel ex diuturna multorum annorum ætate, ſed ex Divini Spiritus beneficio æſtimanda Sapientia, atque æquiſsimum de rebus judicium: neque id multitudini permittendũ eſt, neque ſenectuti, ſed tantum Divinæ benignitati, quæ quos vult, cumulat Sapiẽtiæ munere. Apud Sapientes quidem, illud eſt ad Sapientiam, & veritatem indagandam præceptum, quod Plutarc. lib. de Auditione, ſimilibus hujus ſententiæ verbis tradit; *Quæ in Philoſophia dicuntur, ea oportet, exiſtimatione ejus, qui dicit detracta, ſeorſim per ſe examinari: ut enim in bello, ita etiam in auditione multa ſunt inania. Etenim canicies dicentis, geſtus, ſupercilium, ſui jactatio, maxime autem vociferationes, ac tumultus faciunt ad percellendum imperitũ auditorem.* non aliter Eliu amicorum ſentẽtias detracta canicie, & exiſtimatione perſonarum ponderari vult. 1

Paraphraſis ſententiæ.

Plutarchus.

Non ſunt longævi. Vox originalis indifferens eſt ad magnitudinem molis, vel nume- רבב

numeri. Nunc fere Hebraizantes accipiũt referuntque ad magnitudinem quandam honoris, & dignitatis. Sic legunt: *Honorabiles*, Pagninus: *Magnates*, Tygurina, & Vatablus: *Magni*, Cajetanus, & Regia. Honoris, inquit, aut præcellentis dignitatis magnitudo non dat intelligentiam, neque continuo fit, ut honoribus, & dignitatibus Sapiẽtia obligata sit, ignobiles vero, atque infimi a fructu Sapientię excludi debeant. Sed cõsultius Latinus Interpres cum Septuaginta, originalem illam magnitudinem retulit ad numerum, q. d. multos, vel numerosos, aut annosos, videlicet *Longævi*: tum etiã multi, ne putetur, tantum inveniri Sapiẽtia, ubi senes, iique plurimi sunt. Perstat enim Eliu in suæ adolescentiæ existimatione, & auctoritate tuenda, *nequis* illam *contemnat*, & in convellenda etiam, & labefactanda existimatione senectutis, & congregationis trium illorum, quatuorve Sapientum.

Plutarchus. Pagni. Tygur. Vatabl. Cajet. Regia.

LXX. In sapientia non esse accipiendam personam.

3 שׂבע

Nec senes intelligunt judiciũ. Præcedentis expositio. *Iudicium* autẽ hoc loco pro æquissima rerum põderatione, & ęstimatione, tum etiam pro sapientissima alicujus causæ, & cõtroversiæ diremptione, & quasi sententia pro veritate, contra falsitatem. Ergo ait Eliu; Quamvis judicandi munus senectuti semper deferendum videatur; at non semper senectuti est obligatum, quod verum, & quod justum est. Potest etiam adolescens arbiter, & dirẽptor æquissimus esse alicujus controversiæ, rectissimeque statuere, quid probari, quid improbari debeat: quid in Iobi oratione damnandum, quid eligendum, & probandum.

Paraphrasis sententiæ.

℣. X. *Ideo dicam: Audite me: ostẽdam ego vobis Sapientiam meam.*

℣. XI. *Exspectavi enim sermones vestros: audivi Prudentiam vestram: donec disceptaremini sermonibus.*

℣. XII. *Et donec putabã vos aliquid dicere, considerabam. Sed ut video, non est, qui possit arguere Iob; & respondere sermonibus ejus.*

---

1. *Lucida harum sententiarum paraphrasis.*
2. *Græci benigniores erga Eliu, Latini severiores.* Disceptari *quid.*
3. Arguere, *verbum severum.*

IDeo (inquit) ad dicendum aggressus sum, quod existimarem silentibus jam vobis, atque aliena ope, atque opera egẽtibus, neque injucundam, inutilemve meã orationem futuram, neq; temeritati, aut immodestiæ animi tribuendã: quod enim meum fuit, vobis dicẽtib⁹ intervenire ausus non fui, sed attentissime, atque intelligenter vestram orationem excepi ad exitum usque, planeque consequutus sum, quidquid vos vestro studio, & cogitatione pervestigare potuistis. Sustinui igitur sperans fore, ut Iobi tandem mẽtis, atque verborum insolentiam coerceretis, atque magnum defensioni veritatis, Divinæque justitiæ vestra responsione prędidium pararetis. Sed opinione deceptus sum, ipsaque rei indignitas mihi vel invito, & repugnanti orationem extorquet. Hæc est harum sententiarum lucida paraphrasis. Minutiora quædam tantum indicanda.

I Elucidatio harum sententiarum.

Vers. X. Ideo, &c.

In originali: *Ideo dixi*. Ideo dicere orsus sum: neq; mutat sensum, quod noster vertit: *Ideo dicã*. Septuaginta: *Quare dixi: audite me*. Id est, ex paraphrasi Nicetæ: *Cum jam vestram orationem ad exitum adduceretis, atque vestram omnem Sapientiam exhauriretis, attentum me præbui: vos nunc vicissim me percipite: Prodam enim, quod sentio, & quod probare ipsi debebatis. intelligenter enim apud vos loquar.* Hoc loco sapienter observat Greg. arrogantes non tam curare ut *scientiam habeant, quam ut ostendãt*. Hi sunt quos Bernard. serm. 36. in Cantic. censet ignorare modum sciendi, quamvis scientiam habere videantur; *Qui* nimirum *scire volunt, ut sciantur ipsi, quæ turpis vanitas est.* In quos dixit utique Satyricus.

LXX. Nicetas. Gregor. Bernard. Arrogantum ingenium. Iuvenal.

Vsque adeone
Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc, sciat alter?

Illud enim tandem verum est; *Gloriæ cupido Sapiẽtibus novissima exuitur.* Si Taciturnitas tamẽ proximo utilis futura sit, quid ni ostendenda Sapiẽtia, & nos scire, sciat alter? Scriptum est enim Ecclesi. 20. 32. *Sapientia abscondita, & thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisq;? Melior est, qui cælat insipientiam suam, quam qui abscondit Sapientiam suam.* cum quo illud colludere videtur Horat. lib. 4. carm. Od. 9.

Horatius. *Paulum sepultæ distat inertiæ*
Celata virtus. * * * *

Græcum quoque proverbium est: *Musicã absconditam inutilem esse*. Cujus meminerunt Gellius lib. 13. cap. ult. Sueton. in Ner. cap. 20. Gellius. Suetonius.

Vers. XI. Exspectavi enim, &c.

2 Dixi supra, minus benignos esse Latinos Interpretes erga Eliu, quã Græcos. Quare Gregorius; *Loquens* (inquit) *Eliu indicat, quam superbe tacuerit: Cum enim dicit, Exspectavi sermones vestros, aperte declarat, se ad verba senum judicãtis potius studio, quã tacentis voto tacuisse*. Quamquam optimi auditoris officium se præstitisse, probare vult. Quod quale sit in rem præsentẽ, opportune describitur ex Aesquine a Plutarcho. *Cum ubiq; silentium adolescenti tutũ sit ornamentum, maxime nũc prodest, cum aut dicentem non perturbat, neque ad singula elatrat: sed etiam si oratio non probetur, sustinet tamen, expectatque, dum dicendi ille finem faciat; ac ubi is peroravit, non illico contradicere orditur, sed ut Aeschines præcipit, spatium ei relinquit, sive addendi aliquid dictis, sive mutandi quidpiam, vel detrahendi.* Claris fere verbis rem hanc ipsam se fecisse, profitetur Eliu: nam præter longiorem exspectationem subjicit, *Donec disceptaremini sermonibus*. Origenes, & auctor Catenæ testatur, quædam exemplaria Græcorum sic legisse; *Auscultavi usque ad intelligentiam vestram*. Alios vero legisse: *Donec exquireretis sermones, & quoadusque vos perveniretis, considerabã*. At nunc Vaticani legunt; *Dicam vobis audientibus, quoadusque exquiratis sermones, & usque ad vos intelligam*. id est, ut interpretatur Nicetas: *Nõ prius loquendi finem faciam, quã meos ipsi sermones approbaveritis, etiam si animi vestri intelligentiam superaro*. Quod videtur cum Hebræo convenire, ubi legitur: *Auscultavi usque ad intelligentias vestras*.

Gregor. Plutarchus. Origenes. Nicetas. Septuaginta Vaticani. Nicetas.

Quod autem Latinus dixit: *Donec disceptaremini sermonibus*, existimo significare voluisse plenam, perfectamque disputationem absolutis jã sermonibus utrinq; habitis. Quanquã illud ex Hebræo subtiliter indicat Vatablus: Exspectasse Eliu, dum excogitarẽt amici, quid essent loquuturi; non continuo itaque ad dicendum prosiliisse, sed post longũ amicorum silentiũ. Sic etiã Septuag. *Quoad usq; exquiratis sermonem*. Vatabl. LXX

Vers. XII. Et donec, &c.

3 Quod *arguere*, & *respondere* hoc loco dicitur, fere idem est: nam verbum *Iacahh*, quod est *arguere*, affert correptionem quãdam, aut increpationem, qua quis respõdendo, disceptando, contradicendo opponit se alteri, & alterius sermones confutat. יכח

XIII. *Ne forte dicatis: Invenimus Sapiẽtiam, Deus projecit eũ, non homo.*

1. *Quam nam excusationem sui silentii, dare potuissent amici.*
2. *Varia exponendi rationes.*
3. *Eligitur optima excusationis interpretatio.*

EGO (inquit Eliu) Divinæ causæ, atque justitiæ, vestro silentio, quasi desertæ, & proditæ, nullam esse sapientem, nõ modo probabilem excusationem, quã dare possitis, mea oratione ostẽdã; propterea que Sapientiam vobis vos insolenter assumitis: Nam quæcumque tandem excusatio vestram potius insipientiã prodet. 1 Paraphrasis sententiæ.

Sed quæ nam excusatio illa, qua suum silentium defendere poterant? Hæc; *Deus projecit eum, non homo*. Licet enim ex propria persona dici ab Eliu existimet Philippus, atque indicare etiam videatur Gregorius; *Nolite putare* (Sic elucidat Philippus) *quia insontem Deus abjecerit, & non potius merito suo*: At ex persona amicorum dici, hac sui silentii excusatione utẽtium, verosimilius est. Est vero multiplex apud Interpretes expositio hujus excusationis. Prima Isidori: *Non imprudentes* (illi dicerent) *tacemus, rem enim potius committimus Deo*, qui illum impulsurus, & projecturus sit in ingentia supplicia, quæ re ipsa illius impietatem prodent, & vindicabunt. Nos enim, qui homines sumus, parem illius insolẽtiæ, & temeritati pœnam infligere nõ possumus. Præsertim verbis tantum, & oratione, quæ nihil ille curat. Sed non videtur gravius aliquod supplicium desiderari ab amicis in Iobi causa.

Quæ probabilis silẽtii amicorum causa. Philipp. Gregor. Varia expositio. Isidorus.

Secunda Vatabli; Sapientius, saniusq; consilium *Nobis* (inquiunt) *visum fuisse*, non amplius miserum Iobum exagitare: *Satis esse, quod a Deo exagitetur*, & projiciatur. Sed hæc satisfactio multo lenior est, quam amicorum contentio postulare videatur. Vatabl.

Tertia exponendi ratio, quod amici existimarent hac tantum ratione vendicare se ab omni ignorãtiæ suspicione, quod Cõmodior Latinorum exponẽdi ratio.

jam oſtēderint Deum ſupremum judicē, non vero hominem, qui errare poſsit, in tot ærumnas conjeciſſe Iobum: propterea que ſuo judicio illum ſceleris cōvicisſe. In qua etiam re conſentiebat Iob, cum ærumnas omnes ſuas in Divinam voluntatem referebat. Hæc eſt Latinorum ſatis idonea exponendi ratio, Divi Thom. Nicolai, Titelmani, Dionyſii. Sed hæc (inquiet Eliu) excuſatio, niſi aliquid aliud addat, potius injuſtitiam aliquam ſupremo judici affingit: quem aſſeritis ſine cauſa ſe infenſum præbere homini probo, & juſto.

D. Thom. Nicolaus. Titelman. Dionyſ.

Duæ ultimę idoneæ exponēdi rationes.

Sed addam unam, aut alteram non minus idoneam interpretationem, vel quod quaſi Iobo cedentes amici judicarint, hāc novam Sapientiæ artem inveniſſe adverſus Iob, ſilendo potius, quam contendendo verbis. Præſertim apud hominem præfractum, & contumacem, quem Deus ſolus movere, & dejicere de ſua ſententia poſſet. Vel, quod Iobi reſponſionibus jā adducti eſſent amici, ut intelligerēt illud demum ſapientiſsimum eſſe conſilium, in re tā dubia, tamque ancipiti de cauſa humanarum ærumnarum rem totā Deo relinquere, qui illum in miſerias conjecerit, cauſamque, & rationem, nobis licet ignotā. Neque enim controverſiam hāc, de re hominis alicujus, ſed de Dei arcana Providentia eſſe. Certe rationibus iſtis cauſiſque probabilibus ſuum ſilētium defendere poterant amici. Sed neque probandæ, neque accipiendæ videntur adoleſcenti vehementi Eliu.

XIIII. Nihil loquutus eſt mihi: & ego non ſecundum ſermones veſtros reſpondebo illi.

1. Loqui verbum bellicum.
2. Diſputandi vitium, importunitas, & contentio.
3. Superbi communes ſermones nolunt exiſtimare ſibi dictos.

1 QVod ſi (inquit Eliu) actum vos agere putabatis, ſi ulterius veſtram cum Iobo diſputationem infinitam, ut videbatur, & concertatione plenam protraheretis, at integrum omnino mihi eſt cum illo congredi, qui nullum argumentum propoſuerim, nullumque viciſsim ab illo reſpōſum acceperim. Atque ut veſtra oratio nihil apud illum obtinuerit, at nihil tentare nocebit, ſi quid ego apud illum valeam, novis aliis, & exquiſitis argumentationibus, quæ rem hujus controverſiæ neceſſario demonſtrent.

Nihil mihi loquutus eſt. Philippus, *Aliorum* (Græcorum puto, quamvis nunc jā aliter legant) hanc lectionē adducit. *Nec dum in me loquutus eſt.* Quod egregie reſpondet originali, ex quo proprie legitur: *Non ordinavit adverſum me ſermones.* Eleganter Tygurina: *Contra me aciem diſputationis non direxit.* Nam verbum *Gharac*, bellicum eſt, & de dirigenda, ſeu inſtruenda acie ſæpe dicitur. atque eleganter ad argumentationum pugnam transfertur. Ego itaque nondum adverſum Martem, quemadmodum vos, expertus ſum. Cum vero videam nihil vos veſtris rationibus profeciſſe, alia via adoriar, & impugnabo Iobum: *Non ſecundum ſermones veſtros.* 2
Deus bone, quis tam contentioſus unquā diſputator extitit, qui non ſtatim initio polliceatur, nihil ſe importune replicaturum, aut repetiturum, quod ſemel dictum ſit: tātum prætermiſſa ſumpturum, aut inchoata perſequuturum? At quotus quiſque eſt, qui datam fidem ſolvat? Ideo diſputationes infinitæ. In eodem ſane cardine verſabitur, & ſtridebit Eliu, quem cæteri verſarunt amici. Paulo aliter hanc Eliu pollicitationem de aliter reſpondēdo interpretatur Philippus, videlicet non acturum *conviciis*, & *maledictis*, quemadmodum cæteros. Sed profecto neque hoc promiſſum ſervat. Alii, quod paucioribus acturus eſſet, & celerius rem totam concluſurus, quippe cenſet amicorum longam, pariter ac moleſtam orationē. Sed nihil minus facit, quam quod ſpondet. Nemo enim tam verbis multis, tam continenter diſputavit.

Philipp. Grecorum lectio. Ordinare verbum bellicū. Tygurina. ערך

Argumentātium pollicitationēs minime præſtitæ.

Philipp.

Illud obſervandum, quod ſubtiliter indicat Gregorius, ſuperbos, quorum perſonam geſtat Eliu, quæ ad communem omnium utilitatem dicuntur, nunquam ſibi dicta exiſtimare. Quemadmodum cū Iob palam de rebus Divinis dixiſſet, at nunc Eliu aſſerit, nihil ſibi a Iobo dictum, reſponſumve eſſe: dedignatur enim accipere, quæ cæteris amicis tanquam dignioribus dicta, & reſponſa ſunt. Ideo Christus Dominus Marc. 13. 34. præcipit, ut quæ majoribus dicta ſunt ad communem utilitatem, reliqui omnes ſibi dicta exiſtiment. *Quod vobis dico, omnibus dico.* 3

Gregor. Superborum ingenium.

XV. Extimuerunt, nec reſponderunt ultra: abſtulerunt a ſe eloquia.

16. Quo-

XVI. Quoniam igitur exspectavi, & non sunt loquuti: steterunt, nec ultra responderunt.

XVII. Respondebo & ego partem meã; & ostendam scientiã meam.

1. *Commutatio personarum in Sacro sermone. Illustratus David.*
2. *Ineptus disputator admirabundus.*
3. Extimere *quid proprie. Illustratus Ieremias, & Ezechiel.*
4. Auferri, & veterascere *contraria ejusdẽ verbi.* Sermones veteres, *quo. Illustratus Isaias, Defensus Vulgatus.*
5. Pars *in Hebraeo quid.* Partem suam agere, *in Sacro sermone non idem, quod in Latino.*

1 *Philipp.* Commutatio personarũ familiaris Scripturis.

NOnnullam obscuritatem versic. 15. fatetur Philippus, sed eam elucidãdã existimat ex frequenti usu Scripturarũ quæ sæpius commutant personas: cũ eisdem igitur amicis, nunc per tertiã personam loquitur Eliu, cum quibus adhuc per secundã personam egit. Hæc verba Philippi paulo etiam obscuriora; *De eisdem dicit, ad quos superius loquebatur, & ideo obscurãtur Scripturæ, dum personæ loquentium sæpe cõmutantur.* Persimile illud Psal. 66. ubi nunc per tertiam, nunc per secũdam personam permixtim loquitur cum Deo David: *Deus misereatur nostri, & benedicat nobis; Illuminet, &c.* Deinde per secundam; *ut cognoscamus in terra viam tuã, confiteãtur tibi, &c.* Hujus autem permutationis personarum plura aliquando exempla protulimus. Cæterum multo magis placet, nullam hic esse permutationem personarum, sed apostrophen Eliu ad circunstãtes. Verisimile enim est hujusmodi amicorũ disputationi multos alios interfuisse: Rem hanc eleganter elucidavit Nicetas: *Negãt* (inquit) *nõnulli duos hos versus esse Eliu, sed Scriptoris esse contendunt, dum silentii amicorum sermonem injecit. Ego vero ajo utrumq; versum esse Eliu, atque cũ ea figura, quæ Apostrophe dicitur esse conjunctum: ipse enim Eliu, tanquam cum aliis de Iobi amicis sermonem haberet, sic est de eis loquutus.* Non reprobat sane Quintilianus Apostophen in ipso orationis exordio, sed ubi *sensus redditur acrior, & vehementior ad personam directus alterius,* probat omnino, exemplisque confirmat. lib. 4. cap. 1.

Apostrophe. *Nicetas.* *Quintilian.* Apostrophe an viciosa in exordio.

Vers. XV. Extimuerunt, &c.

2 *Extimuerunt.* Per admirationẽ inquit, & ut moris est tumidorum quorundã disputatorum, qui solent inter disputandũ ad ipsum Vulgus se convertere, & illius plausum, & favorẽ gestu, & clamoribus insolitis captare. nam *sui jactatio, & vociferationes ac tumultus faciunt ad percellendũ imperitum auditorẽ.* Mirum (inquit) in tã ampla, tamque uberi ad disserẽdum materia, viros alioquin Sapiẽtiæ laude celebres, & in rerum Divinarum studio multum, diuque versatos, levissima hominis respõsione, obmutuisse, & hæsisse perterrefactos; atque subita quadam animi perturbatione fractos, & consternatos.

Plutarc. de aff. Auditoru.

3 *Extimuerunt.* Verbũ originale *Hhathath* eum pavorem affert, quo affici solent, & consternari, frãgique animo, ac plane deficere, qui ab hoste potentissimo superãtur, vel qui hostem fugiunt. Sic Ierem. 50. 36. *Gladius ad fortes illius, qui timebunt.* id est, qui vincentur, & expugnabuntur, victique tandẽ deficient. & Ierem. 51. *Emarcuit* (prop. *extimuit, expavit*) *arcus eorũ* (id est, contractus est, atque superatus. Ezech. 32. 30.) *Deducti sunt cum interfectis paventes* (id est, victi, & superati) *& in sua fortitudine confusi.* & vers. 24. *Qui posuerunt terrorẽ suum in terra viventium.* id est, qui alios vincere, & suo conspectu consternare solebant. Non aliter (inquit Eliu) amicos victos, & superatos defecisse corã Iobo.

חתת Verbum timendi de animi cõsternatione, & defectu.

4 *Abstulerunt a se eloquia.* Quod nõ durat neque perseverat in uno loco, sed deficit, & evanescit, *tolli, & auferri* dicũt Hebræi, sicut quod perdurat, atque perseverat, dicunt *veterascere* alicubi. atq; duos hos extremos significatus unico verbo, *Ghathak*, cõplectũtur. Primã significationẽ sequutus est Interpres: *Abstulerunt a se eloquia,* id est, vox illos, atque respondendi facultas defecit: Secundam verò *veterascendi* elegerunt Septuag. legentes: *Veteres fecerunt ex se sermones.* quod non tam ad diuturnitatem, quã ad defectum rei inutilis, & minime persistentis retulit auctor Catenæ. *Suos* (inquit) *ipsorũ sermones veteres, & putridos, & inutiles suo ipso silentio ostenderunt.* Sed quoniam illa *veterascẽdi* significatio potius ad diuturnitatẽ, & persistẽtiam rei referri solet, ut supra diximus, c. 21. vers. 7. & Isaiæ 23. 18. *Vestientur usque ad vetustatem,* id est, durabili, & nunquam deficiente veste; Ideo quod dixerunt Septuaginta, *Sermones veteres,* accipi oportet cũ negatione per zeugma e proximo petita: *Non responderunt, & non inveterãrunt sermones.* vel non fecerunt eloquia sua vetera, id est, nõ perstiterunt in tuenda sua causa, & in refellẽdis Iobi respõsionibus.

Duæ significationes cõtrariæ ejusdem verbi. עתק LXX. *Nicet.* Vetustas de diuturnitate. *LXX.* Zeugma.

Verſ. XV. XVI. Reſpondebo, &c.

5 Cum igitur (inquit) illos diutius ſilentes, & cogitabundos exſpectaverim, ſi forte quis reſumptis viribus vicem inſtauraret ſuam, veritatisque cauſam ſemel deſertã iterum ſuſciperet: cumque plane viderim in tam bona cauſa contacuiſſe, non valẽtes longius progredi, meum eſſe exiſtimavi, ut meas ego etiã, atque Dei partes adverſus Iobum agere: atque in hujus cauſæ tractationem meam quoque ipſe Sapientiæ, atque judicii particulam conferrem; atque meam quoque Sapiẽtiam tũ vobis, tũ Iobo probarem. Illud, quod aliqui *partẽ* interpretantur, *pro mea virili parte*: Philippus; *pro viribus meis*, Latine potius dictum eſt, quam ad germanã vocis proprietatem, quæ nõ ſignificat, conatum, aut vires, aut id, in quo poſitum eſt hominis robur; ſed diviſam, quandam portionem ex toto. Potius ergo ſignificat hujus diſputationis partes extremas ad ſe pertinere, cũ jam primas egerint amici.

Pars Latine, aut Hebraice.
Philipp.
חלק

XVIII. *Plenus ſum enim ſermonibus: & coarctat me ſpiritus uteri mei.*

1. Inaniter dicere, *quid. Inflatio animi adoleſcentum.*
2. Coarctate *quid proprie.*
3. Spiritus uteri *quid. Subventanea verba, quæ præmeditatione non matureſcunt.*
4. Spiritus *pro iracundia. Iratorum inflatio.*
5. *Dolores animi in parturiendo verbo. Sapientum, & ſtultorum ſilentium, ſimile conceptus. Illuſtrati Iſaias, & Ieremias.*
6. Mentis uterus *quis. Vẽter pro ventriculo animæ, id eſt, memoria. Illuſtratus David, & Salomõ*
7. Venter *pro cogitationum quaſi matrice. Explicatus Iſaias, & David.*

1 SApientiſsimarum quippe ſententiarũ, & ad rem propoſitam valde exquiſita varietate cõfertus, planeque plenus ſum: & mentem infinita rerum multitudo perã guſte refertarũ ad ſummas anguſtias adductã, conſtringit, angitque vehementer, & ad dicendũ incitat, & inflammat. Cum ait *plenum ſe ſermonibus*, amicorũ profecto inopiam notare videtur, qui tam cito exhauſti fuerint: ſe vero e contrario nõ inaniter ad dicendũ accedere, ſed pleno pectore. Recte Origenes: *Qui non plenus verbis ad loquendum accedit, inanis inania cogitabit.* Sed qui nũc fatetur ſe *plenum* atque inflatum, & deinde ſe comparat cum *utre* diſtento, atque adoleſcentẽ, audiat nunc, quod non inepte quidam dixerunt; *Non minus ſtudioſe faſtum, ac ſpiritus elatos adoleſcentum ex animis, quam aerem ex utribus excutiendum eſſe, ſi quid utile velis infundere. Alioquin arrogantiæ pleni, inflatique non admittunt.*

Plutarchus.
Origenes.
Plutarchus de Aſſc. Auditoris.

2 *Coarctat.* Ad angorem, & anguſtias animi pertinet. Septuaginta: *Perdit me.* Symmachus: *Comburit.* Aeſtuo (inquit) ac animo efferveſco, ac pene ſuffocor, ut mihi ſit omnino loquendũ. Longe (meo judicio) abit Pagninus, dum per paraphraſim exponit: *Afflictionibus, & anguſtiis affecit me.* nõ eſt enim iſte animi languor, & coarctatio, ex eo quod quis comprimatur, & in anguſtum concludatur; ſed ex eo, quod nimium turgeſcat, & diſtẽdatur multitudine rerum infertarum, quibus oppletur.

LXX.
Symmach.
צוק
Paguin.
Cujus modi iſta animi anguſtia.

3 *Spiritus uteri.* Sunt verba, quæ ſpiritu formantur, & proferuntur; quæ cũ concepta ſunt, erumpendi deſiderio, mentẽ diſtendunt, & inflant, atque conſtringunt, niſi per ſermonem diffluentur in aerem, & pectoris tumor, æſtusque ſpirituum inflãmãtium partes illas vocis formativas, deferbeat, & ſubſidat. Cajetanus: *Spiritum* exponit, *impulſum animi ſui ad propellendũ concepta verba.* Gregorius: *Spiritum elationis, qui ſe ſe intra ſilentum clauſtra nõ capit.* Denique Divus Thomas; quoniam iterũ intelligit eſſe intellectum, qui cõcipit intelligibilia, *Spiritum uteri*, exponit *voluntatem, quæ hominem impellit* ad parturiendum verba, & conceptiones mentis. eodem recidunt omnia. Quamquã illud arridet, quod Nicetas: *Spiritum* interpretatur *eam partem animi; in qua irarum ardor exiſtit*: nam qui iraſcuntur; impleti ſunt ſpiritu, & tument; ut elegãter Gregorius Nyſſenus deſcripſit, ſuper *Beati pacifici, &c. Cum ſanguis circa cor ſupra modum efferbuerit, nigra bile ex iræ affectione per totũ corpus diffuſa, tunc præ coarctatione vaporũ internorum, omnium ſenſuum vaſa circa caput in anguſtum rediguntur; oculi quidẽ ultra palpebrarum limites protruduntur ſanguineo quodã, ac Draconico obtutu, in id, quod offendit, intenti; viſcera autem anhelitu coarctantur, atque premuntur; intumeſcũt in collo venæ; lingua efficitur craſſa; vox in anguſtũ redacta arteria, ſponte ſua redditur acuta; Labia ſuffuſione frigidæ illius bilis, quaſi cõcreſcunt, & congelantur, obnigreſcunt, atque torpeſcunt ad naturalem dictionem, & occluſionem, ut ne ſalivam quidem in ore redundantem continere poſsint, ſed una cũ verbis emittant.* Quid magis proprium hujus *coarctationis*, & oppletionis Eliu? ſimilia ſcripſit Baſil. hom. de ira, cum iratum comparat

Spiritus uteri pertinet ad verba, quæ ſpiritu formantur.
Cajetan.
Gregor.
D. Thom.
Nicetas.
Cõmodior interpretatio.
Nyſſenus.
Irati tumẽtis pulchra deſcriptio.
Baſilius.

parat cum eo, quem Dæmon corripuerit: *Animus ira intumescens, oris item tumore increbescente, venæ obturbati intra viscera spiritus, disruptæ, &c.* Iratus itaque Eliu sane dicat, *Coarctat me spiritus uteri mei.* Sed illud, quod primo diximus, simplex, & germanum: nam *spiritus* ille est, de quo Scriptum est; *Totum spiritum suum profert stultus.* Et iterum: *Pretiosi spiritus vir eruditus.* Plerumque autem, qui veloces sunt ad loquendum, atque ad proferendũ *spiritum suum*, subventaneos profecto ex mẽtis suæ utero partus proferunt: non enim exspectant debitum maturitatis tempus, ut mentis conceptio perfici, & maturus jam fœtus, atque præmeditatus, vitalisq; existat. non secus, quam qui ante præstitutum a natura tempus fœtus editur. Nisi autem aperto ore conceptis verbis, & eluctanti spiritui aditum patefaciant, quantum dolent, quantumque distenduntur, & excruciantur loquutuleji isti! quibus illud convenit, quod Scriptum est: *Scientia inflat.* Et iterum: *Qui hujusmodi apponit scientiam, apponit & dolorem; a facie enim verbi parturit fatuus tanquam gemitus partus infantis.* Semper enim isti parturiunt, neque unquam fæliciter pariunt. Contingit autem, ut Sapiens etiam post multam, & diuturnam præmeditationem rerum ad proximorum utilitatem necessariarũ, parturiant etiam, ac nisi pariant, vehemẽter angantur, & doleant. Hinc Isaias multarum rerum ad populi salutem spectantium scientia gravidus, non omnino libere potens palam edere, quod parturiebat, ait: *Secretum meum mihi, secretum meum mihi.* & Ieremias: Gravissima supplicia jam jam imminentia gestiens prædicare: *Ventrem* (inquit) *meum doleo, ventrem meũ doleo sensus cordis mei turbati sunt in me.* & quasi jam eniteretur: *Non tacebo* (inquit) *quoniam vocem buccinæ audivit anima mea.* Et cum se aliquando contineret, deterreretur que a prædicando propter insignẽ auditorum impudentiam, sicque apud se statueret: *Non loquar ultra.* Subjicit deinde: extremas angustias animi parturientis; *Factus est* (inquit) *in corde meo quasi ignis exæstuans, claususque in ossibus meis; & defeci, ferre non sustinens.* Denique universam hanc animi prægnãtis allegoriam his hoc loco verbis elucidavit Origenes: *Sicut mulier prægnans, formato puero, qui in ea natus est, cruciatibus tandiu tentatur, dum conceptum, partumque ediderit: sic animo* dicendi *cupido evenire solet, concepit enim, comprehẽditque sermonem, quem dum dissimulat, format, atque ordine fingit: ubi vero illum formarit, ac finxerit, & perfectum exprompserit, tunc demum parit, atque in labore, ac cruciatu hactenus est, quoad peperit.* Videndus omnino Gregorius hoc loco, & Bernardus sermone 36. in Cantic.

Prov.29.11. Prov.17.27.

Subventanei partus ex verbis nõ præmeditatis.

Stulti dolentes, ut loquantur.

1.Cor.8. Ecclesi.19.11.

5 Sapiẽtes cõcepta verba cũ dolore enitẽtes.

Isai.

Ierem.4.19.

Ierem.20.9.

Origen.

Gregor. Bernard.

6 *Uteri mei.* Indicavimus quid *uterus* esset: nunc dicemus: *Ventrem suum* (inquit Philippus) *ipsam memoriam suam dixit, eo quod pene omnes sermones Iob, & amicorum ejus aliquando disceptantium, velut cibos intra capacitatẽ suæ memoriæ congregarat.* Ergo per *ventrem*, aut *uterum*, intelligit *ventriculum*, qui cibos cõcoquit; spiritualiter vero memoriam, quæ eorum, quæ ab aliis audivit, quasi alimenta capit. Et pro *ventriculo* quidem, *ventrem*, aut *uterum* accipi, quod in originali est, *Beten*, frequens est in Sacro sermone. sicut supra cap.20. versicul.15. & 20. & 33. & Psalm. 30. *Conturbatus est in ira* (propter iram inimicorum) *oculus meus* (liquesco lachrymis) *anima mea* (vis, & appetentia cibi,) *& venter meus* (ipse ventriculus, ita ut quidquid ingestum fuerit, neque coquere, neque retinere possit.) Eam vero mentis cum ventre, qui alimenta capit, comparationis, & allegoriæ rationem eleganter docent Nazianzenus, Oratione ad cives Nazianzenos, Nyssenus Oration. 14. super id: *Venter ejus eburneus*; & Bernardus sermone, 36. in Cantica. Hieronym. super id Iob 20. *Neque est satiatus venter ejus.* Hinc illud Bernardi, quod multa scientia ingesta stomacho animę, si charitate decocta non fuerit, transfusaque in actus, & mores animæ, convertetur quidẽ in pravos noxiosque humores, atque inflationes, & tormina mentis: nam *Scientia* (quæ non pervenit ad actionem) *inflat*; &, *Scienti bonum, & non facienti peccatum est ei. ac si per similitudinem dicatur* (inquit Bernardus) *fumenti cibum, & non digerenti perniciosum est ei.* Sed hæc *uteri*, & *ventris* acceptio hoc loco vix quadrare potest: Non enim evomere nititur Eliu, quod audierat, sed potius quem mente ipse formaverat, feceratque conceptum, parturit, & enititur.

Venter animę memoria. Philipp.

Vẽter pro stomacho.

בטן

Analogia ventriculi, & stomachi, ad mẽtis receptaculum.

Nazian. Nyssen. Bernard. Hieronym.

Quos sciẽtia inflet, & torqueat.

Bernard.

Ventris pro matrice, analogia ad mentem, & memoriam.

Quare illud verius, *ventrem*, aut *uterum* hoc loco pro *vulva*, & cogitationum quasi matrice accipi, deinde per translationẽ, non solum pro *memoria*, sed pro *corde* aut *intelligentia*; hæc enim omnia conjuncta sunt. Vide Ambrosium super id Psal. 39. *Legem tuam in medio ventris mei*; secundum antiquam lectionem: *Suus* (inquit) *etiam est venter mentis, qui semina concipit sensuũ.* Quo sensu dixit Isaias, cap. 26. *In utero accepimus, & parturivimus spiritum salutis.*

Ambros.

& Proverb.22.verſ.18.&.19.*Appone cortuum ad doctrinam meam, quæ pulchra erit tibi, cum conſervaveris eam in ventre tuo, & redundabit in labiis tuis*. Non aliter igitur nimium gravida mẽs Eliu, ore nititur parere mentis conceptiones, diuturna, ut ſibi videbatur, expectatione matureſcentes. Vide Theodoretum ſuper id Cant. 7. *Venter tuus ſicut acervus tritici vallatus liliis*. Vbi animam ſanctis cogitationibus gravidam, vocat *Penu*, arcanis plenũ myſteriis, quæ aperto ore deprompta, odore ſuaviſsimo auditores recreant.

Theodoret.

XIX. En venter meus, quaſi muſtum abſque ſpiraculo, quod laguncalas novas diſrumpit.

XX. Loquar, & reſpirabo paululum: aperiam labia mea, & reſpondebo.

1. *Duplex in Hebræo ſimilitudo. Rei ruſticæ præceptum de muſto non operculando.*
2. Lagena *quid.* Vter *quid in Hebræo, & Græco.*
3. *Nova ex Septuaginta ſimilitudo.*
4. Reſpirare *quid*. Spatium *unde dicatur Hebræis. Illuſtratus Hieremias.* Aperite labia.
5. Ventriloquus *aut* utriloquus, *& Pythonici, & quomodo reſponſa dederint.*
6. *Divini verbi cum muſto comparatio. Ructus ex Divina præmeditatione.*

1 TVrgentis uteri, atque inflati pectoris diſtenſionem illuſtrat eleganti comparatione, cum dolio occluſo, aut cum utre ligato, muſto plenis, nam ab utroque videtur duci ſimilitudo in originali. Prima; *Sicut vinum, quod nõ eſt apertum.* q. d. abſque apertura, per quam perſpirare poſsit. Eleganter autem dixit Vulgatus: *muſtum*, quod æſtuat, & fervet; cum quo congruit oratio Eliu, quaſi de muſto, & lacu fervida. *Apertum* autem dicitur, quoniam cum in dolia muſtũ infunditur, nõ ſunt ſtatim *Operculanda, ſed quoad uſque defervεat, refrigeranda, & ventilanda: nam vinum quandiu bene frigidum erit, tandiu recte manebit*, ut Columella, uſuſque quotidianus docent; neque vero æſtus ipſe, tumorque recẽtis vini anguſtias ullas, operculumve patitur.

Oratio Eliu quaſi de muſto fervida.

Præceptũ de muſto non operculando. Collumel. lib. 12. cap. 30.

2 Secundum: *Sicut utres novi*, vel, *lagenæ diſrupuntur*. Si cum parte præcedente jũgatur, ut Vulgatus voluit conficiens unicam ſimilitudinem, ſenſus eſt: Etiam ſi utres novi ſint, at ſi muſtum infuderis, orificium vero ligaveris, diſrumpentur, quo vinum reſpirare poſsit. Et quidem ſic Matth.9.16.17. *Neque mittunt vinũ novum in utres veteres, alioquin rumpuntur utres, & vinum effunditur*. Aut certe diverſa alia comparatio a præcedente eſſe poteſt, ſicut Septuaginta intellexiſſe videntur: *Sicut uter muſto fervens ligatus*. Elegãtius autem Latinus dixit: *Lagenas*, aut *lagũculas* (hæ enim teſtaceę ſunt, in quibus ſolet vinum infundi, & coqui) quam Hebraizantes, cũ Septuaginta, *Vtres*; hi enim pellicei ſunt, & potius deferendo, quam condendo, & concoquendo ferventi vino magis idonei. Licet Matth.9. dicatur: *In utres novos vinum novum nõ infundi*, ne illis ruptis effundatur. Et ſane exiſtimo ſicut vocem Hebræam *Ob*, proprie *utrem* ſignificat, & deinde Pythonem, qui malo ſpiritu, inſtar utris inflatur, & diſtẽditur; ita etiã vocem Græcam *Aſcos*, pro vaſe pelliceo accipi, etiam vinario. Vnde Iudith.10.5. legimus: *Aſcopam*, ſive *Aſcoperam vini*, quod nos dicimus, *Vna bota de vino*. Sed uſui quotidiano, & familiari prudenter obſequutus eſt Interpres.

Diverſa hujus ſimilitudinis conficiendæ ratio.

LXX.

Lagunculæ.

Vtres inepti coquendo, & condendo vino.

אוב Quorſum interpres laguũculã pro utre dixerit.

Ἀσκὸς Aſc opa quid.

3 Tertiam deinde comparationem ex *utre* elicuerunt Septuaginta, *Veluti follis ferrarii* ruptus ſpiritũ efflat, ita ipſe poſt diu conceptum ſermonem jam loqui inciperet. Similes profecto, & in rem fere eandem opportunæ ſunt duæ item aliæ comparationes nimium inflati pectoris vana quadã ſcientiæ opinione, quibus in vanum Poetam utitur Perſius Saty.1.

Novæ aliæ ſimilitudines inflati pectoris, & loquẽdi cupidi.

Quid didiciſſe, niſi hoc fermentum, & quæ ſemel intus
Innata eſt, rupto jecore exierit Caprificus?

Perſius.

Nihil enim aliud, inquiebat ille, doctrina eſt, quam fermentum, quod animum, velut maſſam inflat, & turgefacit. Nihil præterea aliud, quã *caprificus*: ſicut enim hæc marmora findit, ita ſcientia concepta iecur & pectus hominis findet, ut ſe tandem prodat, poſtquam in jecore, quod dicitur eſſe ſedes cupiditatis, radices egerit, ac niſi exierit ore, hominem diſrumpet, ut dicebat Eliu.

Scio hoc loco valde cõmendari a Chryſoſtomo patientiam Eliu, potẽtis adhuc cohibere verba, nunc vero fere inviti ſilẽtium rumpentis. Sed utinam ſileret diutius, *ac ſideret*, quoniam ſuppreſſa verba, *non illum dirumperent*. Illud certum, fore ut non aliter quieſcat animo, *niſi totum ſpiritum ſuum proferat*: *Reſpirabo* (inquit) *paululum*. Septuaginta; *Requieſcam*: recreabor, refocillabor. Non inepte Regia ex proprietate vocis originalis: *ſpatium erit mihi*. Tygurina per paraphraſim: *animi*

Chryſoſt.

Eccleſi.19.10.

LXX. Regu. Tygurina.

רוח Spatium unde dicatur Hebraice.

anguſtias removeam: Nam ab ſpiritu, vel ab aere dicitur Hebraice, *ſpatium*, ſicut etiam nos, quod latum, & ſpatioſum eſt vocamus, *Ayroſo*. Sic Ierem.22.14. Latinus omnino aſſequutus eſt proprietatē vocis, cū reddit: *Aedificabo mibi cænacula ſpatioſa*. In quo alii hallucinantur, Tygurina, & Regia: *Ventis pervia*. Vatab. *Refrigerantia*, id eſt, *æſtiva*. Septuaginta; *Perſtatilia*. Ergo cum dixit, *Reſpirabo*; ſignificat anguſtias illas ex ſpiritu compreſſo, & pectore nimium turgente, difflato ſpiritu dilatandas. Illa vero phraſis *aperiendi labia*, tractata a nobis diligenter ſupra.c.3.verſ.1.nu.4.5.

Tygurina. Regia. Vatabl. LXX.

5 Quid Pytho aut ventriloquus.

Duo hic tantū indicāda. Alterum, cū mentem ſuam, quam prius *uterum*, aut *ventrem* dixerat, nunc comparat Eliu ad *utrem*, & ad *Pythonem* inflatum, & turgentem divinatorio ſpiritu, profecto videtur vocare ſe *ventriloquum*, quos enim Hebræi, *Oboth*, Latinus *Pythones*, Septuaginta *Engaſtrimithos*, id eſt, *ventriloquos* dixerūt, Levit.19.31. Levit.20.27. Deu.18.11. 1.Reg.28.3. atque aliis locis, ubi nos *Pythonem* habemus. Ideo autem *Pythones* a ſciſcitādo, *ventriloqui* dicti ſunt, quod obtuſa voce, & ſtridula ex imo pectore, & ex ventre, quaſi ex utre, loqui viderentur. Ideo ſtridebāt, & profundum quid ſonabant, ut indicat illud Iſaiæ.8.19. *Pythones, qui ſtrident in incantationibus ſuis*. Et Iſaiæ.29.4. *Humiliaberis, de terra loqueris, & de humo audietur eloquium tuū, & erit quaſi Pythonis de terra vox tua, & de humo eloquium tuum muſitabit*. Vide Theodoretum Levit.19. ubi ait in hujuſmodi divinis *ab intus videri dæmonem loqui*. Origenem lib.7. cōtra Celſum, Chryſoſtomum. 1.ad Corint.cap.12. & ſuper acta.16. hom.35. ubi etiā Oecumenius. Sed plura alio loco, de *Pythone*, ſeu *ventriloquo*, aut *utriloquo*. Nunc tantum obſervanda viſa eſt ſtridula ſuperbia Eliu, ab imo pectore putātis voces ſuas, quaſi oracula, atque reſponſa Pythia edenda.

אובות

Pythones ex imo pectore reſcuātes, reſpondebant.

Theodoret. Origen. Chryſoſt. Oecumenius.

Superbia ſtridula.

Secundo obſervandum, non inelegāter, quæ quis mente concipit de Divinis rebus: *muſtum* vocari: Nam cum illa in mente decoquūtur, ructum excitant, qui per os difflatur. Hoc enim illud eſt; *Eructavit cor meum verbum bonum*. Et iterum: *Memoriam abundantiæ ſuavitatis tuæ eructabunt*. Et rurſum; *Eructabo abſcondita*. Quare Apoſtolos exiſtimabant, *Ructare muſti crapulam*; quia *hi* (inquit) *muſto pleni ſunt*. Hoc tantum diſcriminis, quod in cibo materiali ructus eſt indicium cruditatis: At in cibo ſpirituali potius bonæ concoctionis, bonæque meditationis. Sic Paulus ructabat ubique Chriſtū, quo plenus erat, ajebat enim; *Chriſti bonus odor ſumus*. Olemus videlicet, quem mādūcamus, quem bibimus, quem meditatione concoquimus.

Rerum Divinarum conceptiones inſtar muſti. Pſal.44.1. Pſal.144.7. Act.1.

Paulus olet Chriſtū, quo plenus eſt. 2.Cor.2.15.

XXI. Non accipiam perſonam viri, & Deum homini non æquabo.

1. *Perſonarum acceptio non cadit in ſapientem.*
2. *Varia lectio, & exquiſita ſignificatio verbi æquandi, & aſsimilandi Synceri hominis circumloquutio. Illuſtratus Iſaias.*
3. *Vulgata lectionis defenſio, & elucidatio. Honorifica cognomina cur dicantur ſimilitudinaria. Illuſtratus Iſaias.*

I Elucidatio ſententiæ.

LIbere (inquit) loquar, neque gratiæ ſerviā, neque ullius dignitas me deterrebit a dicenda & profitenda veritate. Et quamvis tibi, tuæ ætati, atque dignitati multum me debere fatear, ſed multo plus Deo; plus veritati debeo. Propterea enim dixiſſe videtur; *Non accipiā*. Vel cum Septuaginta; *Nō verebor perſonam viri*. Illud enim eſt *perſonam accipere*, cum plus perſonæ, aut dignitati, quam ipſi rei, & veritati tribuitur. Ergo removet a ſe omnem adulationis opinionem, atque ſapientiam ſuam tuetur. Sapientis enim eſt nūquam gratia moveri. Septuaginta uberiori paraphraſi locū hunc elucidarunt; *Hominem non verebor, ſed neque erga mortalem confundar: non enim novi admirari facies*. Quod ſignificat omnem pudorem, metumve reprehenſionis abjeciſſe, & cuivis humanæ verecundiæ antetuliſſe æquitatem.

LXX.

Sapiētem gratia non moveri.

LXX.

2 *Et Deum homini non æquabo*. Vniverſi Hebraizantes ſequuti Rabbi David, ſic legunt: *Hominem, vel ad hominem non cognominabo. vel, non nominabo*. Vatablus; *Ad hominem mutato nomine non utar*. Dicunt enim verbum, *Canah*, Idem eſſe, quod *nominare*, aut cognominare aliquem, non proprio nomine, ſed alieno, vel impoſititio. Quare ſic definit hujus verbi ſignificationem R. Mardokai, ex R. David: *Significatio verbi, Canah, eſt Ghalā, id eſt, tegere occultare nomen alicujus honoris gratia, inquit R. David in lib. Rad. unde grammatici pronomen vocant, quod ſit nomen occultum, ponitur enim vice nominis proprii. Vnde ſignificat vocare quempiam, non proprio nomine, ſed occulto, aut communi nomine: quod aliqui dicunt cognominare, quod*

Pagn. Regia. Cajetan. R.David. Vatablus. Varia lectio. כנה

עלם R.Mardok.

Nomē, cognomē, pronomē, quomodo dicantur apud Hebræos.

proprium

proprium eſt cognomen imponere ob eventum aliquem extrinſecum, ut Scipio, qui cognominatus eſt Affricanus a devicta Affrica, &c. Alii explicatius dicunt idem eſſe, quod honorifico aliquo titulo, aut cognomento, aliquẽ inſignire, ut ſi quis per excellẽtiam appellet aliquem ſapientem, Philoſophum, Apoſtolum; aut cognomentum imponat a re aliqua præclare geſta, ſic Hebræis, *Chinu*, pronomen vocant ab hac radice, quod ponatur vice nominis proprii. Exemplum illuſtre hujus ſignificationis, Iſai. 45. 4. ad Cyrum; *Vocavi te nomine tuo; aſsimilavi te, & non cognoviſti me*. Vbi pro, *aſimilavi*, ex Hebræo legũt: *Cognominavi te*. q. d. antequam haberes mei notitiã, non ſolum tibi *Cyri* nomen impoſui, ſed addidi cognomentum honorificum *Regis*, au *Chriſti*, aut *ſervi mei*. Sic etiã Iſaiæ. 44. 5. Vbi loquitur Propheta de convertendis ex gentibus: *In nomine Iſrael aſsimilabitur*, legunt: *cognominabitur*, id eſt, jam alio cognomine nominabuntur, videlicet viri Iſraelitæ ſecundum fidem. Ergo locũ noſtrum ſic exponendum exiſtimant; *Hominem non cognominabo*. Id eſt, Syncere loquar, & ſuo proprio nomine rem quamque cõpellabo; Nos hos dicere ſolemus: *Que ſin rodeos, dizen pan por pan, y vino por vino; y a las coſas no les buſcã conſonante*. Hominem, qui juſtus ſit, juſtũ; qui impius impium: Non enim (inquit) utar tectis, & impoſititiis nominibus. Te igitur, o Iob, pro tuis meritis nominabo, neque mutabo nomẽ, quod ex tua vita, atque ex tuis verbis merito tibi cõparaveris, ut nullis verborum ambagibus, ſed ſyncere vel juſtitiam tuam, vel iniquitatem oſtendam. Ergo poſtquam dixit: *Non accipiam perſonã viri*, ſubjungit, ut Tygurina per lucidam paraphraſim legit: *Nec honorificis appellationibus cuiquam blãdiar*. Paulo ſecus Cajetanus: *Non nominabo hominem*. id eſt, Non laudabo, nam nomen ad famam, & laudẽ pertinet. Sed ſubtilius eſt, quod diximus.

Margin: Antonomaticũ cognomẽ. — כינו — Aſsimilare quid. Illuſtratio Iſaiæ. — Synceri hominis proprietas & deſcriptio. — Tygurina. — Cajet.

3 Nunc tantum pro Vulgato dicendum; & unde potuerit depromere ſuam lectionem; *Deum homini non æquabo*. Imprimis non curavit puncta; quare ubi alii legunt præpoſitionem *El*, id eſt, *Al*; ipſe legit, *El*, id eſt, *Deus*, mutato *Cegol*, in *Cere*. Verbi autem *Canah*, nulla aliam agnoſcit ſignificationem, quam *aſsimilare*, aut *æquare*. Quæ ſignificatio, ſicut re ipſa convenit cum illa alia ſignificatione Hebræorum, *cognominandi*, aut *occultandi ſub cognomento* impoſititio, ita lõge clarior, & illuſtrior eſt: nam cum nomẽ tranſlatitium, aut (ut ita loquar) ſimilitudinarium frequẽter ſumatur vice honorifici alicujus cognomenti. v. g. qui aliquem vocet Regem, aut Imperatorem, cognominat quidem quaſi alieno nomine, ac ſi diceret, Tu es mihi, velut Rex, aut velut Imperator, & hoc eſt, qđ Vulgatus appellat, *aſsimilare*, vel *æquare*. Id eſt, quaſi ſimilitudinario, & honorifico aliquo titulo aliquem compellare, & non proprio nomine. Hinc illud Iſaiæ. 45. *Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro*, &c. Id eſt, Non ſolum tuo nomine proprio te compello per Prophetas meos, verum aliis cognominibus, quaſi ſimilitudinariis, & trãſlatitiis te orno; Voco enim *Chriſtum meũ*, *virgam furoris mei*, &c. Id eſt, Dico te eſſe velut Chriſtum, & velut virgam, &c. Et illud Iſaiæ. 44. *In nomine Iſrael aſsimilabitur*. Id eſt, Qui ex gentibus acceſſerit ad fidẽ Evangelii, perinde eſſe poterit Deo gratus, ac charus, ſicut Iſrael, vel Iacob: & per *ſimilitudinem* quandam, vel *adæquationem* poterit vocari Iſrael. Sic hoc loco: *Deum homini non æquabo*, aut non aſsimilabo, vel per Hypallagem, hominem Deo, id eſt, Honorificentiſsima illa cognomenta juſti, ſancti, innocentis, non ſimiliter tribuam homini, ſicut Deo: non erit mihi homo, ſicut Deus. Quare, o Iob (inquit Eliu) neque te, neque hominem ullum, ſimilem, ſupparemque Deo faciam. Nulli enim mortaliũ licebit per me corã Deo, de juſtitia ſua gloriari, aut ſibi juſti, & innocentis cognomen aſſumat, perinde ac Deo convenit. Hæc eſt non ſolum probabilis, ſed perelegans Interpretis mens, & lectio, juſta etiam, atque germana defenſio.

Margin: Vulgatæ lectionis defenſio, & elucidatio. — אל — כנה — Cognomenta honorifica cur dicantur ſimilitudinaria. — Iſaiæ. illuſtratio. — Hipallage.

XXII. *Neſcio enim quandiu ſubſiſtam: & ſi poſt modicum tollat me factor meus.*

1. *Sententia Paraphraſis.*
2. *Adulatores permutantes rerum, et virtutum, ac vitiorum nomina.*
3. *Vulgati Interpretis elucidatio, et defenſio.* Tollere, *quod proprie*. Faciẽdi *verbum de creatione*.

---

1 Religioni (inquit) mihi futurum erit, ſi taceam; aut ſi non claris, & diſſertis verbis, tuam inſolentiam, atque impietatem, o Iob, refellam; aut ſi ad alicujus gratiam loqui velim: nam ſi reveritus hominem, Dei cauſam deſeram, ingens mihi Divinæ iræ ſupplicium imminet, propter nefarium adulationis crimen, non niſi acerbiſsima morte expiandum.

Margin: Elucidatio ſententiæ.

2 *Neſcio, quandiu ſubſiſtã*. Alii deducentes

כנה
Varia lectio.
Vatabl.
LXX.

vocem originalem a radice, *Canah*, ſequũtur illam ſuperiorem ſignificationẽ, *Cognominandi*, aut *adulandi*. Quare legũt: *Neſcio cognominare.* Vatab. *Nõ novi mutato nomine alloqui.* Septuaginta. *Non novi admirari facies.* q.d. Hanc adulãdi, & aſſentãdi ſciẽtiam nunquam didici. Eſt quidem hæc nominum permutatio, ut hoc nunc ad illam verbi Hebraici ſignificationẽ illuſtrandã addamus, adulatorum peculiaris, & propria; ſic enim nomina propria vitiorũ cõtegunt, & diſsimulant, ut non niſi nominibus virtutum ſimilium utantur. Ergo adulatores appellationibus abuti perargute ſcripſit Plutarchus: *Equidem ſcribit Tucydides in bello nomina, hominum æſtimatione, a conſueta fuiſſe ſignificatione detorta ad res alias; Audacia enim habita fuit pro fortitudine; prudens cunctatio, pro timiditate, &c. Ita in adulationibus, prodigalitas, liberalitatis vocabulo; timiditas, cautionis; temeritas, celeritatis; iracundus, ac ſuperbus, animoſi; vilis, humiliſque, humani titulo afficitur.* Fere ſimiliã habet Baſilius homil. in Pſal. 61. ſuper id: *Ore ſuo benedicebãt. Multi ſunt, qui vitia virtutibus vicinis honeſtare contendunt, & vitiũ omne palliant, adumbrata nomenclatura e vicino ſubjectæ virtutis.* Ergo hæc eſt illa nominandi, aut cognominandi permutatio, cujus ſcientiam minime ſe tenere fatetur Eliu. Sed profecto Interpres deduxit a radice, *Cũ*, quod eſt firmare, vel *ſubſiſtere*. Quare eleganter dixit: *Neſcio, quãdiu ſubſiſtam*; & ſi in pœnam nefarii ſilentii, cauſæq; Divinæ proditæ, *tollat me.* Pagninus, & Cajetanus: *Cõburat*, Septuaginta, *Edat*, id eſt, corrodat, & conſumat, & de medio tollat, a radice, *Naça*, quod eſt elevare, aut tollere; & cõvenit in rem, quæ amplius non comparet. Quare dicitur Deus *tollere animam*, id eſt, vitã alicujus. 2. Reg.

Permutatio appellationũ propria adulatorum.

Plutarchus de differentia amici, & adulatoris.
Virtutum, ac vitiorũ nomina permutata.

Baſilius.

3

כון
Varia lectio.
Pagnin.
Cajetan.
LXX.
נשא

14. 14. *& tollere*, vel *auferre caput alicujus.* Geneſ. 40. 19. Illa autem ſignificatio *comburendi*, ſive *conſumendi* cum fractione, & combuſtione, quem tradunt R. David, & R. Mardokai, neq; propria eſt, neq; nunc neceſſaria. Illud autem, quod ait; *Factor meus*, opus creationis notat, quod exquiſita, & ſingulari arte peractũ eſt. Vide quę de verbo, *Ghaſa*, diximus ſupr. c. 10. ver. 8.

R. David.
R. Mardok.
Faciendi verbum de creatione.

עשה

4

Indicat autem Eliu graviſsima ſupplicia in adulatores a Deo cõſtituta. Septuaginta peculiariter ſimile aliquod ſupplicium exprimunt, quale ſuſtinet Iob; *Alioquin* (inquiunt) *& me tineæ edent.* Id eſt, tibi, o Iob, nunquam blandiar, ne tuæ impietatis particeps ſim, tuique ſuplicii. Sed nihil ejuſmodi ſubeſt in originali; tantum videtur mortem minitari his, qui non ad veritatem, ſed ad gratiam loquuntur, juxta id, quod ſcriptum eſt: *Deus diſsipabit oſſa eorum, qui hominibus placent.* Vbi elegans exemplum nefarii cujuſdam adulatoris, atque proditoris veritatis, & religionis ob hominum gratiam indicari exiſtimat Theodoretus, nimirũ *Rabſacem, qui ex Hebræis ortus contra Deum omnium conditorem convitia jactavit, hoc pacto ab Aſſyriis gratiã inire exiſtimans.* Rabſaces enim cum illis cẽtum octoginta quinque millibus Aſſyriorum *diſsipatus* eſt ab Angelo Domini. 4. Reg. 19. 35. Ergo hoc genus hominum Deo infeſtiſsimũ, qui eſt *veritas* ipſa. Eleganter ex Platone Plutarchus: *Si veritas eſt* (ut ait Plato) *divina, omniumque bonorum, & piis, & hominibus principium, apparet diis inimicum eſſe adulatorem, Pythio præ cæteris Appollini: impugnat enim ſemper hãc vocem; Noſce te ipſum; animum cujuſque decipiens, ignorationemque ingenerans bonorum, ac malorum.*

LXX.
Adulatoribus intentæ minæ mortis.

Pſal. 27. 7.
Nefarii adulatoris exẽplũ.

Theodoret.

Adulatores Deo infenſi.

Plat. 5. de legibus. Plu. de dignoſc. adulatore.



PARA-

CAPVT XXXII.

1 *Omiserunt autē tres viri isti respōdere Iob, eo quod sibi justus videretur.*

2 *Et iratus, indignatusque Eliu, Filius Barachel, Buzites, de cognatione Ram.*

PARAPHRASIS Capitis præcedentis.



CVM TRES AMICI, POST INgentem in repugnando, & contradicendo contentionē, nihil profecissent; quippe qui infirmis argumētis adversus incredibilē Iobi constantiā, & verisimā suæ innocentiæ defensionem, & testificationē, illum de sua sententia deducere non potuissent, non solum siluerunt, sed oculis etiam, & gestu, nihil sibi amplius cū Iobo controversiæ futurum non obscure significarūt. Discessissent itaq;, nisi illos Eliu sua oratione, & intervētu detinuisset. [a] Sive enim Iobi defensio tot juramentis, & execrationibus confirmata, jam illis visa fuisset immerito tentata suis criminationibus, ut quē jam se ipsis justiorem crederēt; sive tam incredibilis cōstantia, & ardor in se defendendo, videretur potius pertinacia repugnandi, & vane apud homines existimationis sanctitatis cupiditas, vanaque suæ innocentiæ persuasio; Censuerunt Iobum permittendū abundare in suo sensu. Siluit quoque vir sanctissimus, non solum tuenda sua causa, & veritate a calumniis asserenda, sed etiam audiendis conviciis, & maledictis amicorū oppido defatigatus. Sed fortissimo athletæ, neq; nunc quidem ullum quiescēdi intervallum; quamvis nulla illius animi lassitudo constantiā, & officiū impediet. Nam forte quidā juvenis, sicut ætate, ita etiam [b] eloquentia florens, rerū Divinarum, atque humanarū sapientia non mediocriter instructus, & ut videtur quidē, nō solum [c] pietatis, ac Divini honoris tuendi zelo succensus, [d] sed natura acer, & vehemens, &, quod in bello animos extollit, & incitat, iracundus, elatus homo, & confidens, ac plus nimio sibi placens, a principio universæ disputationi interfuerat. Quem sane vel aliqua ejusdē sanguinis cū Iobo cōmunio, vel vicinitas patriæ, vel Iobi inaudita clades laborantis, vel triū Regū, qui ad consolandū amicū hominem accesserant, adventus ([e] non enim ex illorū societate fuisse videtur) permovit, ut eo etiam ipse cum multis aliis ad videndū tam insolitū spectaculum, & ad aliquā officii partem retinendam, cōfluerēt. Hic sane speciosa nominis cōpellatione insignitus erat: nam *Eliu*, quod est illius nomen, Divinā fortitudinem sibi ipsi cōtigisse præferebat; Divinamque cognitionē, non solū nomine, sed re ipsa sibi præ cæteris arrogabat. [f] Cōtigerat illi quoque, si nō Abrahami, fratrisve Nachor stirpis, & cognationis nobilissimæ communio, & genus; at saltē perillustris aliqua ex genere Esau inter Idumæos familiæ agnatio, a Rā viro præclaro; Parensq; nō minus tunc temporis inter Husitanos nobilis, Barachel. Patria æque, ac gens, nō ignobilis, Buz. Illud quoque, juveni animo per se magno, & elato, animos facere potuit, aliqua Divinarū revelationū, & Prophetiæ spiritus sive experientia, & familiaritas; sive apud homines existimatio: nā & [g] Balaā fuisse hūc ipsum Eliu in multorū opinione, & persuasione est. Is, inquā, tot armis ad cōgrediendum instructus, placidissimū Iobi silentiū, & animi defatigati quietē aliquā, nec nō quietā, & tranquillā de Divinis rebus cogitationē suo interventu interpellat. Et ne unquam Iobo liceat quieta mēte consistere, ad singulare certamen hominem provocat ætate gravē, ac meritis, adolescens repugnandi studio elatus, & contentionis, quā veri-

a *Variæ silentij amicorum causæ, & an sanctitas Iobi persuasa jam fuerat a Iobo, diligenter tractatur. vers. 3. n. 1. 2.*

b *Eliu sapiētia, atque doctrina ex his, quæ docet sūmatim colligitur, quæstiun. 4.*

c *Sanctitas & pietas Eliu ostenditur. quæstiun. 4.*

d *Quam grave fuerit Iobi silentis cum Eliu certamē exponitur. quæstiū. 5.*

De nomine Eliu. q. 4. n. 4.

e *An Eliu fuerit Iobi amicus, quæritur. quæst. 3.*

f *Investigatur genus Eliu. quæstiun. 1.*

g *An Eliu fuerit idem, qui Balaam, diligenter tractatur. quæstiun. 2.*

tatis cupidus, ac dicēdi ardore,& repugnādi,atq; vincēdi cupiditate cōmotus.[h] Sed quē alios ſapiētiſsima oratione cōfutavit,hūc quoq; adverſariū ſilētio quoq;,ut jā ſpectaturi ſum⁹,ſapiētiſsimoſuperabit.

h Convitia, & contumeliæ ſilentio vincenda utilis obſervatio.quæſt.5.

Adoleſcens ita mirum in modum excandeſcens, & ſupra quā dici poteſt,bipatente nariū hiatu fumans,& ardens,totoq; ore ſcintillās, exæſtuante ab imis præcordiis ſanguine,ſubrectis capillis,coacto,& ſtridēte ſpiritu,toto corpore cōcitato,& intumeſcēte, terroribus ac minis Iobi conſtantiam cōmovere aggreditur, atq; ardore ſuo deflagrationem homini ſanctiſsimo minatur; eo quod indignum exiſtimaret,Iobum,qui homo eſſet,animum ſuum,vitamq; univerſam ab omni ſceleris labe,& ſuſpicione tam conſtanter aſſerere;idq;tot juramētis,& execrationibus ſuam innocentiā Divino teſtimonio confirmando: Præſertim,cū etiam ſi homo in ſuis oculis,nullius ſibi flagitii cōſcius ſit,at ſi coram Deo,ad lumen,& ſplendorē ſempiternę illius ſanctitatis,& puritatis,purus,& mundus apparere conetur,& in cōtroverſia ſuæ juſtitiæ,& ſanctitatis ad Divinum tribunal appellet;ſupremum ipſum,atq; incorruptiſsimum judicem iniquitatis inſimulare videatur,quod injuſte hominem innocentē affigat,ſeq; immerito ærūnis afflictum ipſo Deo juſtiorem pronūtiet.[i] Quis enim ſibi temperādum cenſeat,aut æſtuantis iræ impetum cohibere poſsit, quin ſuperbiſsimorum hominum inſolentiam pro virili parte reprimat?

Iratus eſt autem adverſum Iob, eo quod juſtum eſſe diceret coram Deo.

i Habere ne poſsit iræ impetus juſtā iraſcendi cauſam,& quæ nam illa ſit, utiliter obſervatur.n.4.

3 *Porro adverſum amicos ejus indignatus eſt,eo quod nō invenisſent reſponſionem rationabilem: Sed tantummodo cōdemnaſſent Iob.*

Nec homini contendendi,atq; vincendi cupido magis placuerunt amici:nam etiam adverſus illos incredibiliter exarſit,quod ſuo illi ſilentio viſi fuiſſent de ſanctitate, & totius controverſiæ capite victoriam Iobo concedere.Illud etiam indigne tulit, quod cum taciti viſi fuiſſent multo labore inveſtigare rationes,quibus Iobum cōfutarent; illas tamen neq; deprompſiſſent,neq; inveniſſent,ſed vel Iobum tandem non pronūtiaſſent impiū;vel ita illius impietatem coarguiſſent, ut rem ipſam minime perſuadere potuiſſent:nam plus cōtenderunt, quam potuerunt probare.Atq; illo potiſsimū nomine præſtitit ſe amicis iratum,quod cum Dei cauſam ſuſcepiſſent, jam nūc quaſi victi ſilerent.In quo & Deum,cui patrocinabantur,prodidere; & ipſo ſilentio victoriæ inſignia Iobo conceſſerunt.[k]Verum enim vero quamvis Eliu benignior erga Iobū videatur,ſed in eodem tamen maledicēdi, & criminandi illius innocentiam,quo cæteri amici,cardine crepat.

k An Eliu æquior extiterit in Iobi cauſa quam tres amici peculiari quæſtiuncula diligenter tractatur.

Expectavit quidem Eliu non ſolū longa nuper oratione de ſua innocentia dicentem Iobum,ſed univerſam amicorū diſputationē tam diuturnæ moræ impatiens,atq; reſpondendi cupiditatem diu repreſſit:cæterę enim amicorum reſponſiones vagari,& aberrare ſuo certe judicio videbantur.Sed ſilentio tamen ſe cōtinuit,ut non tam Iobo, quam illorum provectiori ætati aliquid deferre videretur.

4 *Igitur Eliu expectavit Iob loquentem, eo quod ſeniores eo eſſent, qui loquebantur.*

Cum autem ex ipſo geſtu,& habitu conjecit,planeq; intellexit, nullam omnino probabilem reſpondendi rationem, & Iobi confutandi illis ſuppetere,multo magis excanduit: & ut erat natura iracundus, ſeſe nunc multo vehementius incitavit. [l] At illum in tāto ardoris impetu,& cōmotione,ex ordine dicere potuiſſe, neque omnino inepte exorſum fuiſſe,mirum profecto videri debet.

l Quam ſit iracundia rationi inimica indicatur. n.6.

5 *Cum autem vidiſſet, quod tres reſpondere non potuiſſent, Iratus eſt vehementer.*

Ergo non omnino ut intemperans,ſed ut animi compos, ſapiēter Eliu filius viri illius primarii,Barachel,Buzites,in hunc modum exorſus eſt:Equidem cū me viderem ætate parvulum,ac multo vobis juniorem,qui ſenes eſtis,atq; ætate graves, caniciē veſtram ita ſemper obſervavi, ac reveritus ſum,ut omnino timerem, aut vos ſublimibus oculis intueri,aut non demiſſo capite,ſupplicive totius corporis habitu coram vobis conſiſtere.Quid enim adoleſcens coram graviſsimis ſenibus non deliteſceret vel in angulo,vel in tenebris? Continebam itaque me,meumque ſenſum, atque judicium de tota controverſia, cauſaque Iobi.Neque mihi integrum exiſtimavi,meum de veſtrarum rationum pondere, aut de Iobi reſponſionibus utram in partem judicium,ſententiamque ſtatuere.Ne, quod valde moleſtum, atque illi

6 *Reſpondenſque Eliu filius Barachel Buzites,dixit.*

berale eſt, aliquam mihi loquendo dignitatem vendicare, aut contra modeſtiæ, honeſtive pudoris legem agere viderer.

Certo enim apud me fore ſtatuebã, provectiori ætati, multum ſapiẽtiæ, quaſi obligatum eſſe. Sed profecto jam ipſo experimẽto didici, nihil eſſe, cur me adoleſcentẽ, & ut ætas exigit, rerũ multarũ inexpertũ deſpiciã. Video ſane me ad reſpõdendũ, & ad dicendũ minime lãguere, potius vehementi quodã ſpiritu incitari; fieri quoq; poteſt, ut multi ſenes, ſicut ætate, ita etiã dicendi facultate hebeſcãt, & frigeãt; Quaſi juvenes etiam non alat, accendatq; mens, atq; intelligentia, rerum capax Divinarũ. Quaſi Divinus ſpiritus, cujus munere ſapimus, & intelligimus, non etiã inhabitare poſsit abjectiſsimi etiã hominis animum, & ad Divinorũ cognitionem evehere. Quaſi viros diuturno ſapientiæ ſtudio probe inſtructos, & in rerum Divinarum tractatione exercitatos, humano ſpiritu agi, vagari, aberrare, non contingat. Certe Divinis ille ſpiritus eſt, cujus munere, & afflatu ſapientiæ ſpiritus mortalibus communicatur.

Nõ eſt enim vel ex rerum humanarũ magnitudine, vel ex diuturna multorũ annorum ætate, ſed ex ſupremo beneficio æſtimanda ſapiẽtia, veriſsimumq; de rebus judiciũ. Neq; enim id multitudini permittendum eſt, neq; ſenectuti: ſed detracta ejus, qui dicit, exiſtimatione, quæ dicuntur, ſeorſum examinari, & ponderari debent.

Verum enim vero ad dicendũ ea potiſsimum de cauſa aggreſſus ſum, quod exiſtimarẽ ſilentibus jam vobis, atque aliena ope, & opera egẽtibus, neq; injucundã, inutilemve orationem meã futuram; Quod enim meum fuit, vobis ſane dicentibus intervenire nõ ſum auſus; ſed attentiſsime, atque intelligenter veſtram orationem excepi ad exitum uſque; plẽneque conſequutus ſum, quidquid vos veſtro ſtudio, & cogitatione perveſtigare potuiſtis. Suſtinui igitur, ſperans fore ut Iobi tandem mentis, atque verborum inſolentiam coerceretis; atque magnum defenſioni veritatis, Divinæq; juſtitiæ veſtra reſponſione præſidium pararetis. Sed opinione deceptus ſum, ipſaque rei indignitas mihi vel invito, & repugnanti orationem extorquet.

Enim vero Divinæ cauſæ, atq; juſtitiæ veſtro ſilentio, quaſi deſertæ, & proditæ, nullam eſſe ſapientem, nedum probabilem excuſationem, quam dare poſsitis, mea oratione plane oſtendã: nam quæcumque tandem excuſatio, veſtram potius inſipiẽtiam manifeſte prodet. Qua enim re, obſecro, veſtrum ſilentium defendetis, cum Deus ſignis manifeſtis Iobum projecerit, merito utique ſuo?

At dicetis vos, Equidem non imprudentes tacemus: rem enim potius comittimus Deo, qui illum impulſurus, & projecturus ſit in ingẽtia ſupplicia, quæ illius impietatem vindicabunt: nos enim, qui homines ſumus, parem illius inſolentiæ, & temeritati pœnam infligere nõ poſſumus; præſertim verbis tantum, & oratione, quæ apud illum nullius prorſus momenti ſunt. Sapientius itaque, ſaniuſque conſiliũ viſum fuiſſe, hominem, quem Divina vindicta exagitat, quod in nobis erat, amplius non exagitare. Sane noſtrarum partium fuit in hac cõtroverſia plane oſtendiſſe Divino judicio, non humano affligi Iobũ, ut illius impietas conteſtata apud omnes eſſe debuerit. Eſto, ille ſcelus neget, at adverſus hominem contumacem ſilentio potius, quã verborum contentione agẽdum eſt, quem Deus ſolus movere, atq; dejicere de ſua ſententia poſsit. Præſertim, cum illud ſapiẽtiæ dignũ ſit, in re valde dubia, atq; ancipiti, de cauſa humanarũ ærumnarum, rem totam Deo relinquere; qui licet nobis occultam, at cauſam, rationemque facti apud ſe habeat æquiſsimam.

Quod ſi actum vos agere putabatis, ſi ulterius veſtram cum Iobo diſputationem, infinitam, ut videbatur, & concertatione plenam protraheretis, at mihi integrum eſt cum illo cõgredi, qui nullum argumẽtum adhuc propoſui, nullumq; ab illo mearum objectionũ reſpõſum accepi. Atque eſto illius vos oratio infregerit, nihilq; tandem veſtris

7 *Sperabã enim, quod ætas prolixior loqueretur: & annorum multitudo doceret ſapientiam.*

8 *Nõ ſunt longævi ſapientes, nec ſenes intelligunt judicium.*

9 *Ideo dicã, audite me, oſtendam ego vobis ſapiẽtiam meam.*

10 *Expectavi enim ſermones veſtros, audivi prudẽtiam veſtrã, donec diſceptaremini ſermonibus.*

11 *Et donec putabã vos aliquid dicere, conſiderabã: ſed ut video, non eſt qui poſſit reſpondere ſermonibus ejus.*

12 *Ne forte dicatis, Invenimus ſapiẽtiam: Deus projecit eũ, nõ homo.*

13 *Nihil locutus eſt mihi, & ego non ſecundũ ſermones veſtros reſpondebo illi.*

rationibus obtinueritis, at nihil tentare nocebit, ſi quid ego novis aliis, & exquiſitis argumentationibus, quæ rem hujus controverſiæ neceſſario demonſtrent, apud illum valeam: & quæ vobis dicta, reſponſaque ſunt, mihi dicta, atque reſponſa eſſe nequaquam velim.

Mirum profecto, in tam ampla, tamque uberi ad differendum materia, viros alioquin ſapiētiæ laude celebres, & in rerum Divinarum ſtudio multum, diuque verſatos, leviſsima hominis reſpoſione obmutuiſſe perterrefactos; atque ſubita quadam animi perturbatione fractos, & conſternatos! Nam coram Iobo, tanquā coram potentiſsimo aliquo adverſario, quaſi exanimati conciderunt; & ſemel inſtitutam ſuæ cauſæ defenſionem promovere non potuerunt, atq; priores ſermones, tanquam putridos, planeque inutiles ſuo ſilentio oſtenderūt. Quos tamen oportuiſſet in tuenda ſua cauſa, & in refellēdis Iobi reſponſionibus conſtantiſsime perſiſtere. Cum igitur illos diutius ſilentes, atque cogitabūdos expectaverim, ſi forte quis reſumptis viribus vicem dicendi inſtauraret ſuam, veritatiſque cauſam ſemel deſertam iterum ſuſciperet; cumq; plane viderim in tam bona cauſa cōſtitiſſe; meum eſſe exiſtimaui, ut meas ego etiam, atque Dei partes pro mea virili adverſus Iobum agerem; atque in hujus cauſæ tractationē meā quoque ipſe ſapientiæ, atque judicii particulam conferrem.

16 *Extimuerunt: nec reſponderunt ultra: abſtulerunt a ſe eloquia.*

17 *Quoniā igitur expectavi, & non ſunt locuti: ſteterunt, neque ultra reſponderunt.*

18 *Reſpondebo & ego partem meā, & oſtēdam ſcientiam meā.*

•Sapientiſsimarum quippe ſententiarum, & ad rem propoſitam exquiſitiſsimarū varietate cōfertus ſum; atque mentem infinita rerum multitudo peranguſte refertarum, ad ſummas anguſtias adductā cōſtringit, & ad dicendū incitat, & inflāmat. Aeſtuo profecto, & effervefco animo, ac pene ſuffocor, ut mihi ſit omnino loquendū; diſrūpar enim, niſi aperto ore æſtus iſte ſubſidat.

19 *Plenus ſum enim ſermonibus, & coarctat me ſpiritus uteri mei.*

Videor enim geſtare [m] mentem opportuno jam ad parturiendū [n] conceptu gravidam; ac pectus ſimile vinarii dolii operculati, muſto pleni, atq; verbis quaſi de muſto, lacuque fervidis. Quod ſi utres, aut lagenæ, quamvis recentes, muſto infuſo facile diſrumpuntur, & crepant obſtructo orificio, ut vinum reſpirare non poſsit; quid de me futurum exiſtimatis, ſi diutius me ſilentio contineam? Diſrumpar tandem: & veluti follis ærarii, qui diſruptus ſpiritum efflat, ita ipſe jam loqui incipiam, invitus licet, atque repugnans. Sic tandem recreabor, atque refocillabor; & iſtæ mei pectoris anguſtiæ aliqua ex parte relaxabuntur, apertoque ore dilatabor.

m *Verba intus concepta velut fœtum partui opportunum dolores efficere; & quod nā diſtrimen inter ſapientem, & ſtultum, utiliter explicatur. n.3. & 4.*

n *Vteri cum mente ſimilitudo diligenter exponitur ad Scripturæ intelligentiam, n.4. & 5.*

20 *En vēter meus, quaſi muſtū abſque ſpiraculo, quod laguculas novas diſrūpit.*

21 *Loquar, & reſpirabo paululū, aperiam labia mea, & reſpōdebo.*

Libere vero loquar, neque gratiæ inſerviā, nullius enim me dignitas a dicenda, & profitenda veritate deterrebit. Quamvis vero me tibi, o Iob, tuæ ætati, tuæque dignitati priſtinę multū debere profitear; ſed multo plus Deo, plus debeo veritati, Antefero enim æquitatem, quod ſapientis eſt, cuivis humanæ verecūdiæ; atque ubi opus eſt, omnem pudorē, metumve reprehenſionis facile abjicio: • Nunquā enim novi mortalem hominem, illis quæ Dei propria ſunt, honorificentiſsimis cognominibus, atque titulis inſignire, ſanctumq; & innocentem cognominare. Quorſum enim tibi, o Iob, cum iniquus ſis, ſanctitatis appellatione blandiri velim, & tuo proprio nomine, quod ex tuo merito tibi comparaveris, mutato, ſimile aliquod Dei cognomē tibi imponere, teque ſupparem Deo facere?

o *Verbi, æquandi, & aſsimilandi, in ſacro ſermone exquiſitus uſus, & de permutatione nominum virtutum & vitiorum, quibus adulatores utuntur, utilia quædam, n.2.3.*

22 *Non accipiam perſonam viri, & Deum homini nō æquabo.*

Non novi ſane, unquā admirari alicujus faciē. Quare religioni mihi futurum erit, ſi claris, atque diſſertis verbis tuam inſolētiſsimi animi impietatem non refellerem: namque ſi reveritus hominē, Dei cauſam deſerā, admittā aſſentationis crimen, nō niſi morte acerbiſsima, acerrimoq; igne, qui me de medio tollat, meiq; memoriam omnino deleat, expiandum. Quare nunquam committam, ut tibi blandiar, atque mea aſſentatione tuæ impietatis, tuique ſupplicii particeps fiam.

(∴)

23 *Neſcio enim, quādiu ſubſiſtam: & ſi poſt modicum tollat me factor meus.*

CAPVT. XXXIII.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Eliu convertit ſuam orationẽ ad Iob, redditque benevolũ, & attentum ex ſui animi ſynceritate, qua illius temeritatẽ coarguit, quod de ſuis ærumnis exſpoſtulare cum Deo auſus fuerit. Interim docet, non inquirendam curioſius ab homine Divinorum operum rationẽ, ſed res noſtras illius arbitratui permittendas.

I. *Audi igitur Iob eloquia mea: & omnes ſermones meos auſculta.*

1. *Attẽtionis callida cõciliatio, Sentẽtia paraphraſis.*
2. *Particula obſecrantis. Apoſtrophe in exordio.*
3. *Eloquium de ſententia graviſsima. Auditoris officium, expectare dicentem.*
4. Audire, & Auſcultare, *quẽ uſum habeant in ſacro ſermone. Auriũ bilãces.* Audire, & põderare



CONSIDERãt Græci, *Poſtquã Eliu cauſam expoſuit, quæ ſe ad dicendũ adducebat, magnũ cõſequatũ fuiſſe ſilentiũ.* Faciebat itaq; ſibi audientiã ardentis animi adoleſcens, tum verbis, tũ ſilentio. Nunc jam ad Iobum cõvertitur, atque illius attentionẽ, & benevolentiã perquã ſubtiliter, ne dicam callide, captat. Sic elucidat Nicet. *Audi ergo, o Iob, jã enim inſtituo, qui mihi tecũ futurus eſt, ſermonẽ: ad quem animo ingredior integro, omniſq; perturbationis experte, nec quicquam inconſiderati afferam.*

1 Nicetas. Eliu conciliãs attẽtionẽ callide. Paraphraſis ſententiæ.

2 *Audi igitur, Iob.* Obſecrãdo, & exhortãdo attentionẽ parat: nã particula *Na*, adhortantis, vel excitantis eſt; tũ etiã & obſecrãtis. q.d. Audi nunc, quæſo, Iob. Habet vim Apoſtrophe in ipſo exordio, juxta Quint. li. 4. c. 1. Ideo autẽ Apoſtrophen hãc nomino, quod proculdubio non cõſtituat Eliu hujus ſuæ orationis, & cauſæ judicẽ Iobũ, ſed auditores reliquos. Et eſt quidem *ſecũdum naturã, ut eos potiſsimũ alloquamur, quos conciliare nobis ſtudemus*. ut idem Quintil. docet: *Sed proœmio ſenſus ineſt acrior, & vehementior ad perſonam directus alterius.*

Particula excitantis, & obſecrantis. נא *Apoſtroph. Quintil.*

3 *Eloquia mea.* Sentẽtias, & parabolas graviſsimas. *Et omnes ſermones meos.* Verba ſingula velim a te percipi; ne me interpella dicentẽ. Videtur poſtulare, ſibi par rependi in audiendo officium; *Nam qui ſtatim interrumpunt* (inquit Plutarc.) *& neque audiunt, neq; audiuntur, ſed adverſus dicentes dicunt, ii cõtra decorũ agũt.* Quod ait, *Auſculta*, vertitur, *auribus percipere*, Iſai. 1. Pſ. 5. 1. Pſ. 48. 1. Præponitur quidẽ verbo *audiẽdi*. Deu. 32. 1. At poſtponitur hoc loco, & Iſai. 1. & Pſ. 48. & videtur quidẽ aliquid peculiare in *audiẽdo*, & attendẽdo ſignificare; cũ enĩ dicatur ab *Ozen*, id eſt, *aure*, ſignificat quaſi aures arrigere, & ad percipiendũ accõmodare. Quod eleganter explicuit R. Mardok. *Auris eſt inſtrumentũ, quod conducit ad attendere faciendũ; quare verbũ eſt auribus percipere, ſive auriſare, ſi fas eſſet ita loqui.* Vnde etiã, quia auribus, velut brachiis ſtateræ, ponderantur, quæ audimus, dicũtur ipſæ bilances, aut brachia ſtateræ nomine *auriũ*; & verbo *audiendi*, quod eſt *põderare*.

Eloquium, & parabola. Auditoris officium. Plutarchus de officio ditoris.

אזן 4 Audire, & auſcultare, quem uſum habeãt. Audire cũ attentione. R. MardoK.

Audire, & ponderare. *Vid. ſupra c. 6. verſ. 7. nu. 4.*

II. *Ecce aperui os meum, loquetur lingua mea in faucibus meis.*

1. Apertio oris *ad libertatem loquentis. Fauces, nõ ſilentii, ſed ſermonis nota.*
2. Simplicitas *quid. Irati creduntur inimici.*
3. *Purum, & electum, quid in ſacro ſermone. Fucus ornata orationis.*
4. *Sermonis puritas, cauſa æquitas.*
5. *Calliditas ſimulat ſimplicitatẽ. Cur mẽdaces iidẽ ſint perjuri.*

ECce aperui os meũ. Liberũ (inquit) mihi eſt loqui, dicẽdi, & reſpõdẽdi partibus ad me devolutis. Dixi c. 3. ver. 1. ad libertatẽ orationis hãc loquutionẽ pertinere: id quod etiã ſequẽte parte indicatur, quæ cũ idẽ repetat, etiã ſi verba nihil addant, at repetitio ipſa vim tribuit orationi, rebus, quæ dicũtur, cõvenientẽ. Quod vero Grego. indicat, & Hugo exprimit, pertinere illud ad ſilentiũ, nã res *in faucibus* peragitur ſine clamore. q.d. ſubmiſſius, & lenius tecũ agam; præter vim, præterque proprietatẽ ipſius loquutionis eſt. ſicut & quod D. Tho. obſervat indicare, ſe *proprios conceptus enuntiaturũ, neq; ſequuturũ aliorũ ſermones*. Certe *fauces*, os, labia, lingua pro *ſermone*, metonymicos uſurpantur.

1 Aperire os cujus habitus. Gregor. D. Thom.

III. *Simplici corde meo omnes ſermones mei: & ſapientiam puram labia mea loquentur.*

SImplici corde. Quicquid dixero, ex animo ſimplici, & recto depromã. omnẽ a ſe dolũ ſermonis removere exiſtimat Phili. *Duplicitatis malitiã* veris admiſcentẽ falſa, Gregor. *Calumniandi* ſtudiũ, D. Thom. *Malignitatẽ irriſoriã*, Cajet. Recte omnia: Sed

2 Philipp. Gregorius. D. Thom. Cajetan.

Simplicitas quid. ישר

cũ hæc *simplicitas* sit ex proprietate vocis *rectitudo* quædã, quæ cũ jucunditate, & lenitate cõjuncta est, & alicui grata, & jucũda existit, ut sæpe dicitur, *Bonũ, & rectũ in oculis alicujus*; Existimo Eliu significare, se bono animo ingredi ad dicendũ, non lædẽdi Iobũ, sed amico, & benevolo studio illũ juvandi, & ad meliorem frugẽ cõvertẽdi. Et, ut elegãter hoc loco dixit Chrys. *Nõ invidia ulla, aut odio incensum*. Videtur enim nunc suã irã velle defendere synceritate, & lenitate ãnimi: nã *irati credũtur esse inimici, maligni, & maledici*. Plura de cordis *simplicitate* dixim⁹ sup. c. 1. ver. 1. n. 51. Quę oportune ad hũc locũ inde peti poterunt.

Irati creduntur esse inimici.

3 LXX. Puritas cũ munditie, & electione conjuncta.

Et scientiã purã. Proprie: mundã, nitidã, tersam. Septuaginta: *Intellectus labiorũ meorum mũda cogitabit*. Præmeditatus sum, qđ omnino opportunum, & utile in præsentẽ controversiam videri possit, ex quo nihil inutile excerni, aut rejici debeat, sine fęce, & sine scoria. Et quidẽ ex proprietate vocis, *Barar*, illa *mundities* ad expurgationem scoriæ referri solet; quod solet dici, *electũ*: eligitur enim, qđ optimũ, & utile est, inutili materia rejecta, cum aliquid mundatur. Vnde dicitur Danielis. 11. 35. *Vt conflentur & eligantur, & dealbẽtur*. Et iterũ Dani. 12. 10. *Eligentur, & dealbabũtur, & quasi ignis probabuntur multi*. Quare Eccles. 1. ab hoc ipso verbo dicitur: *tractare in corde*, quod est diuturna præmeditatione eligere, & secernere ab inutilibus, quæ dicenda sunt. Et sane recte occurrit Eliu objectioni: nã qui tantũ effervescat, & ebulliat, multum fæcis, & materię inutilis despumare necesse est: opportune enim diceret quis Eliu, quod suo *Auditori* dicit Plutarc. *Syncerus artis studiosus debet omittere florida, & luxuriosa verba, eaq; putare pro pabulo fucorũ sophisticen ambientiũ: nam ipsa dictio habet aliquid ad decipiendum, si rebus applicetur suavis ac copiosa, & cum fastu aliquo, atq; apparatu*. Interim videtur notare amicos, qui multum inutilium verborum, atque conviciorum in Iobum jactaverint, a quibus ipse abstinere statuat.

ברר

Eligere, & electum.

Eliu occurrẽs objectioni.

Plutarch. de audiendo.

Fucus ornatæ orationis.

4 Nicetas. Sermonis puritas de æquitate causæ.

Græci hanc *munditiã*, & *puritatẽ* referũt ad æquitatẽ causæ, quam suscipit Eliu; *Incorruptam* (inquit Nicet.) *cognominationẽ dicit, ipsam controversiã, & causam apud Deũ pro Deo adversus hominẽ æquitate juris disceptandã*, q. d. sibi se tantum proponere probandum, quod persuadere utique possit, & debeat, non sicut amicos, quorum causa non fuerit in universum justa.

5 Gregor.

Argute profecto observat Gregor. Qui vitio aliquo laborãt, valde sollicitos esse, ne deprehẽdi possint; proptereaq; viis omnibus illius suspicionẽ a se depellere: *Magnæ* (inquit) *virtutis laus est, simplicitas loquutionis, quã quia arrogantes non habent, habere se hanc sollicitudinem asserunt, & pure se loquuturos denuntiant, quia duplicitatis suæ malitiã deprehendi formidant*. Mendacibus nihil familiarius, quã jurejurando sua dicta vera esse contestari, cũ tamen lepide dixerit Cicer. *Nihil interesse inter perjurum, & mendacẽ: nam qui mentitur, pejerare consuevit*. De bilingui quoq; scriptum est: *Verba susurronis quasi simplicia, & ipsa perveniũt ad interiora ventris*. Et in proverbio Hispano est, *Lo que le cubre, esso le descubre*, quod hominem operit, illo ipso proditur.

Callidi simulatores simplicitatis.

Cur mẽdaces sint perjuri.

Cicer. pro Q. R.

Prov. 26 22.

Proverbium Hispanum.

IIII. Spiritus Dei fecit me: & spiraculũ omnipotẽtis vivificavit me.

V. Si potes, responde mihi, & adversum faciem meam consiste.

1. *Tres nectendi rationes aspertores.*
2. *Verisimilior nexus. Præcedentium judicium.*
3. Faciendi, *verbum de creatione*. Spiritus Dei. *multipliciter usurpatus. Verbum & Spiritus velut Duæ Dei manus.*
4. Consistere *verbum bellicum. Oratio instar congressus bellici. Audaciæ periphrasis.*

I Varius cõtextus.

VErosimilis nexus cũ præcedẽte sententia multiplex. Primo, ut ex creationis beneficio ostẽdat se Deo debere, illius defensionis, & tuẽdi honoris obsequiũ, cujus est totũ, quod ipse est; coerceat etiam Iobũ mentione suæ originis, & Creatoris, cui deferre debet, quicquid habet: propterea homini nõ cõtendẽdũ cũ Deo. Hoc videtur sequut⁹ Diony. Sed præter quã, qđ videatur multo labore quęsitũ, lãguidũ est.

Dionysius.

Secundo, illud vehementius, & acrius; Nõ est (inquit) qđ me juvenẽ de Divinis rebus loquentẽ fastidias: nõ enim sum sicut ceteri mortaliũ, sed ex illis unus, quos omnipotens Dei *spiritus* vehemens, & fortis, præ cæteris afflat, & vivificat. Indicavit hoc Cajeta. proptereaq; existimat nominari ab Eliu *Spiritũ*, efficacitatẽ, *Dei, El*, fortis, & efficacis: *Et spiraculũ omnipotentis*, Saddai; ut significet suam sapiẽtiã præ cęteris singularem, & excellentem, Divinæ potentiæ, & magnitudinis supernæ beneficio sibi contigisse. Acceptum (inquit) refero Deo, quicquid præ cæteris habeã. *Haud enim me latet, non a me ipso, sed a Deo hunc prudentiæ sensum accepisse*. Sic Nicetas. Cũ quo etiam facit Philipp. qui existimat, hæc dici ab Eliu *ad auctoritatem audiẽdi* cõparãdam. Tertio paulo mitius, & melius, ut rationẽ reddat tum suæ orationis, tum

Secundus nexus acrior.

Cajet.

Nicetas. Pilipp.

Tertius nexus lenior.

suæ

ſuæ puritatis, & cãdoris; quod Divinus ſpiritus, qui illũ ad loquendũ excitet, atque ſuppeditet, quod loquatur. Hoc ſapit lectio Septuaginta; *Spiritus Divinus eſt, qui me fecit; ſpiratio autem omnipotentis eſt, quæ docet me*. Philipp. *Non poterit non vera, & recta dicere, qui ſpiritu Dei factus eſt*. Hinc etiã D. Thomas ſuam dicẽdi libertatem defendere exiſtimat, quod ſuus opifex intelligẽtiam illi, & intelligendi vim, & cupiditatem indiderit. Fere eodẽ modo Nicolaus.

LXX. Philipp. D. Thom. Nicolaus.

Sed quartum, ſimplex, & bene cohærens cũ ſequentibus; Nihil excellentius, o Iob, quam hominem me profiteor; nihil tu amplius, quã homo. Non eſt igitur, cur in ſocios, & æquales faſtidioſus ſis; ambo ex eodẽ luto formati; eodem ſpiritu apte, & concinne cõpoſiti; artificioſe politi; afflati, & excitati, ut vita frueremur. Potero igitur homo homini loqui; & tu pariter, quid pro te habes, homo homini reſpondere.

2 Cohærens nexus & ſimplex.

Quintũ tandem propter Gregorii auctoritatem non contemnendũ, nectentis cũ ver. 7. *Miraculũ meum, &c.* Sum ſane homo terrenus, ſicut & tu, o Iob, neq; eſt, qđ hominem homini multum præſtare intelligamus: quamvis negare nemo poſſit meate nunc ope, atq; doctrina indigere. Quid eſt (inquit Gregorius) *quod ſe Beato Iob, & conditus exæquat, & loquuturus exaltat; niſi hoc, quod arrogantes omnes cunctis quidem hominibus ſe æqualiter conditos meminerunt, ſed per faſtum ſciẽtiæ auditores ſuos æquales ſibi, vel eſſe, vel credere dedignantur?* Si unum eligẽdum, illud, quod quarto loco diximus, præſtat. Si nihil rejiciendum, poterit quidem integra ex omnibus intelligentia cõponi. Nunc indicandæ voces.

Gregorii nexus. Præcedẽtium nexuum cenſura.

Verſic. IIII. Spiritus Dei, &c.

3 Facere de opere Creationis.

Faciendi verbum, quod frequenter in ſacro ſermone pro Creationis opere uſurpatur, artificioſam, & elaboratam agẽdi rationem affert. c. præcedente. verſ. 22. & c. 10. verſ. 8. Quod autem hoc loco dicitur, *Dei ſpiritus feciſſe* hominem; dicerem idem ſignificari, quod parte ſequente per *Spiraculum*; niſi obſtaret, quod prima pars fere ſemper pertinet ad corporis formationẽ, ſicut ſecunda ad vivificationẽ animæ: & cum aliis locis dicatur, *Dei manibus* factus; forte ſignificatur nũc per *ſpiritũ*, Dei manus altera, videlicet, *Spiritus ſanctus*, quæ cum altera, id eſt, cũ *Verbo*, hominem creavit, & formavit, ut fuſius diximus. c. 10. verſ. 8. nu. 10. vel per *Spiritum Dei* indicatur Creatoris ſtudiũ, & charitas in formando, & poliendo ſuo opificio, ut eodẽ ipſo loco expoſuimus. nu. 17. 18. Vel, *Dei ſpiritus*, ſit Dei verbũ; quod verbum in nobis *Spiritu* formatur, licet in Deo non ſpirando, ſed intelligendo generetur. Vel ut idem ſit, quod Deus ipſe, qui *Spiritus* eſt, ut Severus in Catena intelligit, & Divus Gregorius. At Philippus paulo ſublimius hoc loco Trinitatem agnoſcit, cujus indiviſum fuit creationis opus; in *Deo*, Patrẽ; in *Omnipotente*, Filium; in *Spiritu*, Spiritum Sanctum. De *ſpiraculo* vero, & voce *Neſama*, diximus ſupra. cap. 26. nu. 4.

Spiritus Dei multiplex acceptio. Duplex Dei manus, quæ. Severus. Gregor. Philipp.

Verſic. 5. Si potes, reſponde, &c.

4 Cõſiſtere, verbum bellicũ.

Si potes. Id eſt, Si quid habes, quod pro te afferre poſſis, profer; conferamus jam tandẽ diſputationem: *Et adverſus faciem meam conſiſte.* Proprie in Hebræo: *Diſpone*, ordina, inſtrue, & ſta. Verbum ſane bellicum; ſupplent Vatab. Pagnin. & Cajet. ordina *Orationem*; vel, *ſermones*. Elegãter Tygurina: *Acie directa mecũ congredere, ac fortiter obtine gradum tuum.* q. d. Volo te non perturbare temere ordinem reſpõdendi, & argumẽtandi: ſed, ut poſtulatus fueris ad tempus, alternis dicere, & ad ſingula paria paribus reſpõdere. Sic ab eadem radice Pſal. 5. *Mane aſtabo tibi.* propr. *Ordinabo*, aut diſponam; ſupple, precem matutinam: eſt enim oratio, & precatio velut cõgreſſus quidam bellicus. Hieronym. *Mane præparabor ad te*. Quod etiam bellicũ eſt. Sicut exponitur Ioel. 2. Per eandem vocẽ; *Populus fortis præparatus ad prælium.* Ergo (inquit) certandum nobis eſt rationibus graviſsimis, & veritatis momentis, libere & intrepide vel a me objectis, vel a te repulſis. Illud, *Adverſus faciem*, audaciam, & confidentiam affert, ut alibi notavimus. Illud *Conſiſte*, diſputãtis eſt ex jis, quæ dicta ſunt a reſpõdente. q. d. ſta dictis. Vid. infra verſic. 8.

Vatablus. Pagnin. Cajetan. Tygur. Oratio inſtar cõgreſſus bellici. Hieronym. Audatia. Argumentum ad hominem.

VI. *Ecce & me, ſicut & te fecit Deus: & de eodem luto ego quoque formatus ſum.*

VII. *Verumtamen miraculum meũ non te terreat: & eloquentia mea non ſit tibi gravis.*

1. *Varius nexus, & explicatus.*
2. *Lectionis Hebraicæ elucidatio. Hiſpaniſmus. Proprietas quarundam præpoſitionum Hebraicarum.*
3. Miraculum pro ſtupore. *Arrogantium ingeniũ.*
4. *Lucida ſententia paraphraſis. Varia lectio.*

Eundem

1 Varius explicatus. D.Thom. Germanior ſententia. Nicetas.

EVndem habemus uterque creatorem humanæ mentis, & largitorem intelligentiæ. Pari ergo Sapientiæ cõtentione certabimus. Eandẽ quoque habemus corporis, & craſsiſsimi luti originem; pariter etiam ignorãtiæ tenebris obnoxii ſumus. Sic diſtinguit D. Thomas has duas partes. Sed præſtat, ut utraque pars ſentẽtiæ pertineat ad eandem terrenæ cõditionis originẽ; Nihilo tu natura, & origine melior, quã ego; non eſt igitur, quod ego verear tecum agere: Nihil cur verearis mihi juveni reſpõdere. Illud forte notat, quod ab hominibus ad Deum ſuam controverſiam revocare voluerit. Nicetas; *Hæc dicit, ut Iobum pudore ſuffundat, quippe qui Dei judicium ſubire voluerit, cum inter illum, & Eliu nihil interſit.*

2 Lectionis Hebraicæ explicatus. Pagnin. Reg. Cajet. Pagninus. Hebraiſmus explicatus Hiſpaniſmo.

Quod autẽ in priori parte ex Hebræo legimus; *Ecce ego ſecũdum os tuum Deo.* vel *ſicut os tuum ad Deũ*, vel paulo ſecus, ut Vatablus; *Ecce ego juxta os tuum pro Deo.* dupliciter exponi poteſt; primo quod in diſputatione de Deo, & de Divinis pares eſſent Iob, & ipſe Eliu, neque eſſet, cur ſibi tantũ arrogaret Iob facultatem dicẽdi de Deo. *Sicut os tuum*, Pagninus; *Secundũ ſermonẽ tuũ.* q.d. Perinde ego habeo loquẽdi facultatem, ſicut tu. *Os*, pro ſermone, aut ſermonis facultate paſsim. Secundo, ut ad deſiderium, vel petitionẽ alicujus referatur: Nos dicimus, habere, vel obtinere aliquid ad palatum, *A pedir de boca.* q.d. Deſideraſti quondam cum Deo diſputare, ea tamen lege, ne te ille terrifica ſua ſpecie opprimeret. Adſum nunc ego pro Deo diſputaturus, qualem optaſti, ſicut petiſti. Phraſis quidem frequentiſsima in Sacro ſermone; & fere ejuſdem ſignificationis, cum præponitur aliqua ex his præpoſitionibus, *juxta, ſicut, ſecundũ*, videlicet, *Caph, Lamed, Ghal*: Sed præpoſitio *Caph*, ut hoc loco. Ierem. 15. 19. *Si ſeparaveris pretioſum a vili* (quaſi) *ſicut os meum eris*, id eſt, ut ego prædixi tibi futurum. Zachar. 2. 4. Numer. 6. 21. *Iuxta quod mente devoverat.* proprie. *Secundum os voti ſui.* Onkelus; *Secundum votum ſuum.* Et Num. 35. 8. *Iuxta mẽſuram hæreditatis ſuæ dabunt.* Hebræ. *Secundum os hæreditatis*, vel poſeſsionis, *Segun lo que pidiere la poſſeſsion.* Eodem ſenſu 4. Reg. 23. 35. *Iuxta* (ſuper) *præceptum* (os) *Pharaonis.* Geneſ. 45. 21. 1. Paralip. 12. 23. Quadrat igitur, quod ait Eliu: *Ecce ego* adſum, tecum diſputaturus, *Sicut os tuum* poſtularat. Quanquam non omnino poteſt Eliu ſatisfacere votis Iobi; nam is optat diſputare cum Deo, qui novit abſcondita cordis: non cum homine, qui tantum judicat de externa rerum facie.

כ ל על — Vis particularũ aut præpoſitionum Hebraicarum. Onchelus. Regia.

Verſ. VI. Verumtamen, &c.

3 יאם — Miraculum cum terrore. Philipp. Gregor. Ingenium arrogantium. D.Thom. Nicolaus. Dionyſius.

Verumtamen miraculum meum. Proprie formido, ſtupor, horror, qui concipi ſolet ex re mirabili. Poteris itaque dicere: *Miraculum uſque* ad ſtuporem. vel, Stupor ex miraculo. Quare eleganter profecto hoc loco *miraculum*, vertit Latinus Interpres, atque cum terrore conjunxit. Neque incongrue Philippus obſervat, ſub ſimulatione quadam velle Eliu *minarum terrorem incutere, quo perturbatus Iob facile multiloquio ipſius cedat.* Ergo ſignificat Eliu vel ſuam in dicendo vehementiã, vel ſuam mirabilem eloquentiam, ut eleganter hoc loco indicavit Gregorius, cũ deſcribit ingenium arrogantium hominum; *Priuſquam dicant, mira ſe dicere ſemper exiſtimant: & loqutionem ſuã admirando præveniunt; quia vel in acutis ſenſibus ipſa elatio, quanta ſit fatuitas, ignorant.* D. Thomas ex proprietate Latinæ vocis; *miraculum* interpretatur; *Scientiam miraculoſe adeptam.* Sequuntur Nicolaus, & Dionyſius. Sed præter proprietatem vocis, atque exigentiam.

4 Paraphraſis ſententiæ. LXX. Varia lectio. כף פה Nicetas.

Non te terreat. id eſt; Non eo animo loquar, ut dicendi vehementia te obruam, atque graviſsima oratione mea te exagitem, obſtupefaciam; non enim ego terrore injecto, aut intẽtatis minis te obruam, ſed ſimpliciſsima veritate. Sæpe enim petiiſti, ne te Divina magnitudo ſuo pondere deprimeret, conturbaretve. Satius igitur tibi erit mecum diſputare, homine videlicet imbecillo; quam cum Divina magnitudine per ſe ſe formidanda humanæ menti. Septuaginta proprie ex Hebræo legunt, *Neque manus mea gravis erit ſuper te.* q.d. Nocere tibi non poſſum; quare ſi quid tacueris, non eſt, quod cauſeris Divinum terrorem. Sed procul dubio Vulgatus vel non legit *Caph*, id eſt, *manum*, ſed *Peh*; id eſt, *Os*, & pro ore *ſermonem*, aut *orationem eloquentẽ* tranſtulit; Vel juxta ſubjectam materiam, per *manum* intellexit, potentiam, & facultatem dicendi, qua valde potens ſibi videbatur Eliu. Elegans eſt. Nicetæ Paraphraſis hoc loco, & Hebraicæ Litteræ accommodata; *Nihil a me tibi horribile poteſt accidere, ſicut poteſt a Deo, qui & perturbare te facile poteſt, & mentem permovere, ut plane, quæ contra me habes, proferre non poſsis. Neque vero eſt quod dicas, vereri te, ne gravi te manu urgeam mea: memini enim cum diceres, niſi id formidares, te cum Deo certamen ſuſcepturum.*

VIII. Dixiſti ergo in auribus meis, & vocem verborum tuorum audivi.

IX. Mundus ſum ego, & abſque delicto: immaculatus, & nō eſt iniquitas in me.

1. *Propoſitio totius orationis* Eliu. Verbum *pro ſermone.*
2. *Latini ſolliciti nimium in quærēdis rerū, & vocabulorū differentiis. Negatio vehemens in Hebræo.*
3. *Varia lectio. Thalamus unde dicatur in Hebręo, velum nuptiale. Princeps inſtar tutiſsimi portus. Tyrannus, tempeſtas. Explicatus David, & Ioel.*
4. *Divina protectio. Iuſtorum peculiaris Providētia. Synonymia. Illuſtratus Moyſes, & Iſaias.*

1 Propoſitio Eliu. מלל

FInito exordio proponit jam vice narrationis id, quod ex Iobi oratione ſibi ſumit refellendum: Me (inquit) audiente intelligenter, & attente, libere pronuntiaſti, quod inficiari non poteris: nā egomet hiſce auribus audivi, non ſemel, ſed ſæpius: quod indicat illud, *Vocem verborū tuorum*; quod proprie dicas: *Sermonum tuorum*. Et quidem vere: nam non ſemel, ſed ſæpe ſuam innocentiam conteſtatus eſt, atque hoc ſignificat illa repetitio verſ. 9. per quatuor quaſi ſynonyma, repetita ſanctitate.

2 זכך פשע

Mundus ſum. Proprie, Candidus, nitidus, fulgens. Vide ſupr. c. 9. verſ. 13. & 16. & Iob. 15. & 8. 6. & c. 16. 18. *Et abſque delicto*. Proprie, abſque prævaricatione, vel rebellione, aut tranſgreſsione. Eſt autē ejuſmodi tranſgreſsio ex cōtemptu Legis. Septuaginta, *Non peccās*. Vide ſupra. Iob 10. 17. & c. 13. 23. & c. 31. 33. Accipit autē Latinus hęc duo tanquam diſtincta, ideo interpoſuit particulam, *Et*. Quare nimiū argute D. Thom. Nicolaus, Hugo Dionyſius, quatuor hic peccati ſpecies, & differentias ſollicite quærunt. At ſeptuaginta cum Hebraizantibus unicam partem conficiunt legentes, *Mundus abſque delicto*, ut ſecunda pars primam exponat. Et illa negatio, *Beli*, vel, *non*, aut, *Abſque*, vehementiam quandā negandi affert, ut doctis quibuſdā placet, ſupra alias particulas negativas, & conſtantiā quandam, ſive firmitatem in re negata, q. d. Nunquam prævaricatus ſum, neque unquam aliquo me delicto pollui.

Latinorum nimia diligētia. D.Thom. Nicoldus. Hugo. Dionyſ.

בלי

Negatio vehemens in Hebræo.

Varia lectio. Pagnus. Tygurina.

Immaculatus. Septuaginta. *Sine crimine*. Pagninus. *Innocens*. Tygur. *Irreprehenſibilis*. Vatablus; *Nitidus*. Cajet. poſt. R. David, & R. MardoKai, *Mundus*. Regia vero ex proprietate originalis vocis, *Tectus*: nā *Hhuphah*, *eſt Thalamus*, quaſi locus protect⁹, *& occultus, ſpōſæ cū ſponſo, & protectio*; ut ait R. MardoKai. q. d. nuptiale cubiculum; aut certe locus ille, in quo ſpōſus, & ſponſa velamine operiebantur pro ritu nuptiarum. Atque eodem fere nomine ait Elias Thisbites, apud Iudæos vocari *veſtē illam, quam expādunt ſuper caput ſponſi, & ſponſæ, quæque tenetur quatuor vectibus, ea hora, qua fit deſpōſatio, quod vocatur Italice Baldekino, & Germanice, Himel*. Nos dicere ſolemus, *Pallium*, aut, *Cælū*, quod ſuper rem aliquam expanditur, ut protegat. Explicatur vero Ioel ies. 2. 16. ubi ſpōſus, & ſponſa jubētur prodire e conclavi, vel penetrali ſuo, loco videlicet abſcondito, & tecto; *Egrediatur ſponſus de cubili ſuo, & ſponſa de Thalamo ſuo*, propter adventantiū malorū perturbationem. Ideo Pſal. 18. 6. Sol exoriēs, prodienſq; ex occulto Hemiſphærio in noſtrū conſpectū, dicitur *tanquā ſpōſus procedens de Thalamo ſuo*. Ab eademque radice dicitur *Hhoph*, id eſt, portus, quod ſit locus abſcōditus, & protectus a ventis. Ergo ex ſentētia Eliu dixit de ſe Iob, Ego *Hhaph*, id eſt, *protector*, active, vel *protectus* paſsive, ſi active accipias, ſenſus erit, Ego me præbui protectorē, & defenſorē pauperum, & infirmorū; Ego illis fui velut *portus*, & fida ſtatio, quo ſe recipiebant, qui Tyrannorū perſequutionibus, velut ſæva quadam tempeſtate, & ventorū inclementia jactabantur. Vbi vides comparari Regiam, paternamq; dominatione cum portu tranquillo, & fida naviū ſtatione, at vero violentiam Tyrannorū, cum ſæva tempeſtate, aut cum maris æſtu, & perturbatione. Si paſsive accipias, Ego *tectus*, aut *protectus*, ſupple a ſcelere: quod idem eſt, quod *mundus*, aut minime coinquinatus: cujuſmodi eſſe ſolent, quæ in locis abſcōditis aſſervantur operta. Et huc profecto reſpexit Interpres vertens: *immaculatus*. Quanquam ego potius referrem illud paſſivum, *tectus*, aut *protectus* ad Divinam protectionem, qua ſolet Deus proſequi, quos diligit, qui in *protectione Dei cæli commorantur*. Sicut de Benjamin, per hanc ipſam vocem dicitur, Deut. 33. 12. *Benjamin amantiſsimus Domini, habitabit confidēter in eo, quaſi in thalamo, tota die morabitur*. Onkelus ex Hebręo: *Proteget ſuper eū*. Septuaginta: *Deus obumbrans ſuper eum omnibus diebus*. Sicut ergo hoc loco appellatur, Benjamin, *tectus*, aut protectus; quia ut ait Theodoretus, *Perpetua Dei providen-*

Cajet. Regia.

Thalamus unde dicatur in Hebræo. R. MardoK. חופה

Elias Thiſbites.

Cur Sol dicatur ſpōſus procedens de thalamo.

Portus unde dictus in Hebręo חוף

Princeps eſt ſuis ſubjectis portus fidus.

Tyrannus ſuo populo tēpeſtas, & mare procelloſum.

Cur tectus ſumatur pro immaculato.

4 Tectus juſtus Pſal. 90. 1.

Iuſtus habitās quaſi in thalamo. OnKelus.

Theodoretus.

tia fruebatur; ita & Iob dicere potuit, *se tectũ*, aut protectũ: quæ peculiaris protectio sicut justorum est propria; ita quinquies, aut sexies vocibus fere synonymis inculcatur, Isai.4.5.6. *Super omnem gloriã* (germen gloriosum, id est, germinationẽ justorũ) *protectio*; *& tabernaculũ, in umbraculũ diei ab æstu*; *& in securitatẽ* (Septuaginta *protectionẽ*. Pagnin. *tegmen*) *& absconsionem a turbine, & a pluvia*.

Synonyma.

Divinæ providentiæ periphrasis.

X. Quia querelas in me reperit, ideo arbitratus est me inimicum suum.

XI. Posuit in nervo pedes meos: custodivit omnes semitas meas.

1. *Paraphrasis sententiæ.*
2. *Varia lectio.* Querela, Contradicere, Subvertere *quid in Hebræo. Explicatus Moyses.*
3. *Eliu calumnia. Optimus Princeps non tam puniendi, quam præmia conferendi cupidus.*

1 Elucidatio sententiæ.

ILLud (inquit Eliu) reprehensione non caret, quod dixeris, o Iob, Deũ occasionem nancisci voluisse, qua te velut impiũ hominem, non solum sceleris alicujus accusaret, verum etiam tanquã impium, hostemque suum condemnaret.

2 LXX. Pagn. Reg. Tygur. Caje. Cõplutenses in Legio. R. Mardok. Querela quid proprie in Hebræo. נוא Contradicere verbum judiciale.

Quia querelas in me reperit. Septuaginta, *Accusationem*. Fere Hebraizantes omnes: *occasiones*. Complutenses: *desertiones*, seu, *discessiones*. R. Mardokai, ait vocẽ originalem significare *contritionem*, aut *fractionem*, sane radicem, No, Vulgatus vertit: *Cõtradicere*, *subvertere cor*, mẽtemve alicujus: Quare nomen inde deductum, videtur significare ejusmodi contradictionem, qua quis persuadere alicui nititur contrariũ ejus, quod ipse antea sentiebat, aut persuasum habebat. Nu.30.5. *Si statim, ut audierit pater*; Alii; *fregerit*, persuaserit. Id est, si cõtra dicendo, fregerit illius animũ, & suaserit oppositũ, &.c.32.9. *Subverterũt cor*. Alii, *fregerunt*; videlicet falsa persuasione, & vano consilio retraxerunt a suo proposito. Hęc igitur falsa persuasio, aut contradictio, fit in judicio per accusationẽ, aut delationẽ alicujus criminis, quę etiã dici potest querela. q.d. Iob, Ex sententia Eliu; *Hallo Dios quiẽ diesse querella de mi, de que era yo su enemigo, y creyolo*. Invenit quidẽ Deus fraudulentũ *accusatorẽ fratrũ suorũ*, qui me apud illum accusaret, falsique criminis insimularet: invenit contradictionẽ meæ sanctitatis, & fractionẽ, subversionemq; ejus bonę existimationis, quã de me ipse prius conceperat; & quasi delatori integrã fidẽ adhiberet, ita me pro hoste habere cœpit. Hanc autẽ sententiam potuit Eliu elicere ex verbis Iob.c.13.24. *Cur faciem tuam abscondis, & arbitraris me inimicum tuum?* Et vers.29. *Consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ*. Vide etiam.c.19.6.11. forte enim Eliu *peccata*, & ignorantias *adolescentiæ*, interpretabatur ex Iobi sententia, occasiones captatas a Deo ad illũ condemnãdũ.

3 Calumnia Eliu.

Cum autem dicit, *reperit*, videtur affingere Iobo, quod de Deo nõ sentiat in bonitate, quasi abalienato Deus esset animo a Iobo, & quæreret occasionẽ, ut discederet ab amico, quod illiberale est, & alienũ a lege veræ, & honestæ amicitiæ. Nicetas vim peculiarẽ tribuit huic sentẽtiæ, quod non tam delationẽ ab alio factã Deus admiserit contra Iob; sed quod voluerit ipse invenire aliquid, quod supplicio dignum esset: Cũ tamen optimi Principis, & benignissimi sit desiderare, ut multos inveniat bonos, quos præmio afficiat; non malos, quos supplicio: *Deus* (inquit) *sicut aliquis inimicus diligẽter est mea perscrutatus, si quid forte per imprudentiam, inscitiamque deliqui, invenit contra me querelã, ut me supplicio afficiat, & omnes ingressus meos conclusit, perinde, ut solent perforato ligno sontiũ pedes cõstringi*. Vide similem Iobi querimoniã supra.cap.7.20.11.&.13.27.c.34.16. Vbi fere hæc ipsa sententia exposita est: *Posuit in nervo pedes meos, custodivit omnes semitas meas*. Vbi de *nervo*, aut cippo.

Nicetas.

XII. Hoc est ergo, in quo non es justificatus: Respondebo tibi, Quia major sit Deus homine.

1. *Paraphrasis, & nexus harum sententiarum.*
2. *Divina sapientia sublimior omni humano consilio. Illustratus David.*
3. *Contendere. Verbum forense. Elucidatio lectionis Hebraicæ.*
4. *Varia lectio.*

1 Paraphrasis & nexus harũ sentẽtiarum.

HAEC est summa tuorum lapsuum, & peccatorum, non solum linguæ, sed etiam animi, & mentis, quibus plane te ostendisti minime justũ esse; & quæ dixisti omnia, hac unica mea responsione facile labefactãtur, nimirum, quod *Deus, Eloah*, judex, *major sit*. Propr. ex Hebræo, per verbũ simplex, multiplicetur, magnificetur, crescat, infinitis partibus & numeris omnibus excellentior sit *homine*, *Enos*, mortali misero. Hinc igitur efficitur, ut non possis coram infinita magnitudine videri sanctus, neque cum immensa equitate contendere; neque coram supremo

רבה

judice

judice de falſitate ulla, malignave accuſatione tuæ vitæ cõqueri, neque cõprehendere certam aliquam rationẽ tuorũ ſuppliciorum, quam infinita ſapientia ſibi prǽſtituerit: Cum enim multa pro tua innocentia dixeris, multaq; contentione te defenderis, multo plura Deus, qui major eſt, pro æquitate ſuæ providẽtiæ, atque ſententiæ in tua cauſa pronuntiatæ reſpondere poterit. Si in communi accipias, veriſsima eſt hæc ſentẽtia Eliu, atq;
2 illius perſimilis: *Accedet homo ad cor altũ, & exaltabitur Deus.* Quidquid enim *profundo corde*, ſeu, ut in Hebræo eſt, *intimo* & medio cordis, ab homine excogitari, & inveniri attentiſsima cogitatione poteſt, inferius eſt Divino conſilio, atque ſapientia, atq; ita inferius, ut a Deo diſsipari, & velut ſagitta cõfigi certiſsime poſſit; ſic enim juxta Hebrę̃u, Theodotio interpretatus eſt: *& mentem, & profundũ cor hominis Deus configet.* Quod ad ſupplicia de mortalibus ſumpta retulit Theodoretus: *Manifeſta ſunt Deo omnia inſpicienti, qui propriã oſtendit altitudinẽ, dum pœnas a nequã hominibus exigit.* Sed de Divina immẽſitate, quæ cõprehendi ab homine nõ poteſt, pro hac ſententia, vide ſuperius.

Pſal. 63. 8. Divina conſilia ſublimiora omni humana ſapientia.

Theodo.

Theodoretus.

XIII. *Adverſus eum cõtendis, quod non omnia verba reſponderit tibi.*

3 CVr igitur litigare audes cũ Deo, & illius arcanæ Providentiæ obſtrepere, quem neque rerũ, atq; conſiliorũ ſuorum rationem tibi reddere oportet, neq; ſigilatim tuis vaniſsimis querimoniis reſpondere: qui tamen ſi reſponderet, obmuteſceres profecto, illi enim nemo jure contradicet.

Paraphraſis ſententiæ.

Verbũ *contendendi*, pertinet ad judicialẽ, & forenſem litẽ ad Dei tribunal inſtituendã, quod ſæpe poſtulavit Iob. Illud autem *verba tua*, verbis licet mutatis, eundem ſenſum habet, quẽ Hebræa; ſic enim proprie legitur: *Quod omnia verba ſua nõ reſponderit.* q.d. nõ ille reſpõdet, quæ poſſet; multa enim ſua ſapiẽtia cõtinet, quæ nobis non manifeſtat; cũ ergo vult, nullũ reſponſum præbet. Sed cũ Vulgato etiã Septuaginta, *verba*, retulerunt ad Iob, qđ Deus illius rationes defenſionis ſuæ ſingulas excipere, & ponderare noluerit; *Cur judicium meũ non exaudivit, meũ omne verbum?* Cõplutenſes: *Cur juſtitiæ meæ nõ audivit omne verbum?* Paulo ſecus ſenſum mutarunt Aquila, Symmac. Theodotio, ut dicãt Dei verba eſſe ejuſmodi, quibus nemo poſsit contradicere. Stulte igitur frivolus homo poſtulat ſibi reſponſum a Deo prę̃beri, cui denuo ipſe aliquid objicere, & replicare poſsit. Aquila: *Quid igitur contra Deum judicio contendiſti: omnia enim verba ejus non ferũt reſponſum?* Theodotio; *Quid igitur ipſum vocas in judiciũ? Omnes enim ſermones ejus ſunt eiuſmodi, quibus cõtradici non poſsit.* Nõ ideo tamẽ, quã tũ ſatis eſt, hominis querimoniis nõ ſatiſfaciet, ut ſequenti ſententia exponitur.

Cõtendere. ריב

Conciliatio Hebræi cum Latino.

Complutenſes. Aquila. Symmach. Theodotio.

Aquila.

XIIII. *Semel loquitur Deus, & ſecundo id ipſum non repetit.*

1. *Sententia, & nexus. Prima interpretatio parum idonea.*
2. *Secũda expoſitio veroſimilis,* Semel *fieri, & dici, quod immutabiliter ſtatuitur. Explicati Paulus, & David.*
3. *Tertia expoſitio durior,* Nunc, Hodie, Semel. *pro eodem ex Paulo, & Davide.*
4. *Quarta, & commoda exponendi ratio.* Semel *quod univerſale eſt, ex quo particularia deducuntur.*
5. *Quarta expoſitio non omnino integra.* Semel, *quod ſatis eſt.*
6. *Sexta & elegans interpretandi ratio. Iudicare* ſemel *quid.* Semel *quod irreparabile.*
7. *Septima & lenis nectendi, & exponendi ratio.* Semel loqui *dignum Deo.*
8. *Cenſura præcedentium interpretationũ. Eligitur ultima.*
9. *Obſurdeſcẽtes Divinis vocibus flagellati a Deo inſtar brutorum. Illuſtratus David.*
10. *Hebraiſmus in numerando. Explicati David, Salomon, Amos.*

IN hac ſententia poſita eſt totius capitis intelligentia, unde etiã petẽdus eſt ſequentiũ nexus, & ſenſus. Itaq; laborãdũ nõ nihil in illius elucidatione, quæ & per ſeſe difficilis, & apud interpretes nõ omnino illuſtrata, variis licet tẽtata interpretandi rationibus. Et primo quidẽ Ironicos accipi poſſe quidã exiſtimant: cum enim dixerit Iob. c. 23. *Vt intelligam quid loquatur mihi, &c.* eo reſpiciens Eliu ait; Scilicet cũ Deo expoſtulas, quod tibi non reſpõderit, aut nõ claris, & diſſertis verbis ſemel, & iterũ ſatisfecerit tuis querelis. Ille profecto, quod ſemel loquutus eſt, ſecũdo, ac ſæpius repetit, intelligi enim a nobis vult: quare ſi illius mentem, & reſponſionẽ non es adhuc aſſecutus, tuę potius ſurditati, quã illius ſilẽtio tribui debet. Aſsignat deinde plures, id eſt, tres modos Dei agendi, & loquendi cum hominibus, per *ſomnium*. verſ. 15. per *dolorem*, vel per *morbum*. verſ. 19. & *tribus vicibus*, id eſt aliis modis. verſ. 29.

I

Sententiæ difficultas, & interpretationũ varietas.

Prima expoſitionis; & nexus ratio.

In hac interpretatione cũ cætera nõ omnino displiceant, illud tamen nõ placet, quod *semel loqui Deum*, non ironice, sed serio, ac vere de Deo dici, cõsentiũt omnes interpretes, sensu quidem sublimi, & arcano, ut postea indicabimus.

2 Secunda interpretatio. Secundo, ut sentẽtia hæc pertineat ad immutabilitatem Divini decreti, quasi Eliu Iobũ accuset, quod existimaret suis precibus, aut querimoniis posse obtinere, ut si corã Deo causam diceret, Deus illum absolveret, & sentẽtiam mutaret, cum illũ antea manifesto supplicio condemnasset. Ait ergo: *Semel*, immutabiliter, *loquitur Deus*, neque opus habet re melius considerata retractare, quod semel decrevit:

Immutabilitas Divini decreti.

Quare si *per somnium in visione nocturna*, aut *per dolorem in lecto*, aut *aliis vicibus*, aliisque rationibus loquitur, rem eandem ille nobis immutatus dictitat: tantum repetit, aliis quasi verbis, ut hominem ad pœnitentiam adducat, & ad vitæ, & morum commutationẽ. vers. 17. *Vt avertat hominẽ ab his, quæ fecit, &c.*

Cajetan. Olympiodo.

Hæc interpretatio, quæ postea Cajetano placuit, primũ indicata est ab Olympiodoro, qui sententiam Eliu elucidat in hæc verba; *Illud tibi* (o Iob) *cogitandum erat, ea, quæ Deus decrevit, non eo jure sancita esse, quod eum aut more hominũ pœniteat, aut vero quod aliquid melius ratiocinãdo reperiat: quod vitium in Deum minime cadit, ut cui semel pronuntiasse sit satis*.

Particulæ semel, vis, & proprietas. Philipp.

Eandem fere vim illius vocis *semel*, agnoscit Philippus: *Ab ipso* (inquit) *principio mundi & deinceps semper loquutus est Deus hominib⁹, & semel nihilominus loquitur, sed ubi frequenter loqui dicitur Deus, vel lex ejus multiplex, vel per Prophetas mandatorum ejus diversitas significatur. Vbi vero semel loqui significatur, stabilitas, ac definita ejus sententia demonstratur. Hoc est enim illius loqui, quod facere: Ait ergo Eliu, Semel loquitur Deus, id est, non immutat, nisi hoc ipsum vitæ nostræ mutatio depoposcerit.* In hac itaque interpretandi ratione recte, & ex consuetudine sacri Sermonis *semel* immutabilitatẽ significat, sicut Paulus etiã dixit:

Hebr. 9.27.

Statutum est hominibus, semel, mori, id est, immutabiliter, immobili decreto. Similiter psal. 88.36. *Semel juravi in sancto meo.* Cujus semel facti juramenti firmitas, deinde explicatur: *Si David mentiar; semen ejus in æternũ manebit, & Thronus ejus sicut Sol in conspectu meo*, &c. Vide Proverb. 28.18.

Loquutio Divina pro castigatione.

Secundo hæc interpretatio vult Divinam loquutionem debere sumi pro Divina castigatione, & tribulatione, in quã reducit Philippus illum locum Iob, secũdum Septuaginta ex cap. 40. *Putas me aliter tibi loquutum, nisi ut appareres justus?* Id est, te affecisse tribulatione, &c.

Philipp. Theophanes.

Quẽ locũ synonymis verbis Theophanes epist. 2. de patientia sic exponit; *Quam aliam ob rem permisi, ut tentationes te invaderent, nisi ut, &c.* Vide quæ de hoc loco dixi in præfatione prioris tomi. c. 40. Video interpretationem hanc jure refelli non posse.

Tertio non deest, qui velit hanc esse simplicem quandam exhortationem ad 3 Tertius explicatus.
pœnitentiam, itaut per, *semel*, intelligat Eliu, totum hujus vitæ tempus, in quo *loquitur nobis Deus* vocãs ad pœnitentiã; Hujusmodi vocatione, & exhortatione minime usurus post hanc vitam. Quod ergo Paulus. 2. Corinth. 6. vocat: *Nunc*, & *tempus* præsentis vitæ *acceptabile*; & ad Hebræos. 4. vocat *Hodie*; vult non incongrue significari per *semel*.

Nunc, Hodie, semel, pro eodem.

Quam unicã vocationẽ variis modis efficit Deus, videlicet per *revelationem*, aut per *morbum*, &c. Hæc quoque interpretatio non est inutilis, nisi durior esset, atque coactior.

Quarto Chrysostomus vocem illam 4 Quarta expositio. Chrys.
semel, accipere videtur pro loquutione quadam universali, & communi quodã principio, quo multis particularib⁹ quæstionibus, & expostulationibus satisfieri posit.

Semel, pro integra, & universali responsione.

Propterea que cum *semel loquitur Deus*, non oportere, ut ad speciales deinde mortalium querimonias, & verba singula respõdeat, quare frustra conari Iobum cum Deo loqui, qui *semel loquitur, semelque* respondet, non paulatim, & per partes, quemadmodum homo.

Chrysost.

Chrysostomus: *Non singulatim audit, ac docet. Verum hoc Dei proprium est, semel quidpiam facere, non paulatim. Is sæpe numero somniis admonuit, ac visis, tu vero eum in judicium abstrahere statuisti.* Quod etiã facere potest illa superior hominis cum Deo comparatio, quod *Deus major sit homine*; unico enim verbo, unica locutione satisfacere potest omnibus humanis postulatis.

Gregor.

Facit cum hac interpretandi ratione Gregorius: *Deus* (inquit) *singulorum cordibus privatis vocibus non respondet, sed tale eloquium construit, per quod cunctorum quæstionibus satisfacit.* Et eleganter rem hanc persequitur hoc lib. 23. cap. 19. dicet ergo Eliu, jam suam mentem explicasse Deum, semel enim loquitur; neq; indiget pluribus verbis, sive flagellet, sive revelet, sive quacumque alia ratione cum homine agat; jamque per supplicia,

& fla-

& flagella, niſi ſurdaſter Iobus ſit, accēpiſſe reſponſionē ſuarum expoſtulationū. Placebit meritò nō paucis hæc expoſitio.

5 Quinta Latinorum expoſitio. *D. Thom. Dionyſ. Nicolaus.* Semel, quod ſatis eſt.

Quinto, D. Thom. cū Dionyſ. Nicolao, aliiſq; Latinis exponūt illud, *ſemel*, pro ſufficiēter; & quidē juxta cōſuetudinē Sacri ſermonis, in quo, *ſemel*, illud frequēter eſt quod ſecūda vel iteratione, vel repetitione nō indigeat; *ſemel*, enim ſatis eſt. Quā ſignificatione Paul⁹ dixit Rom. 6. 10. *Chriſtus mortuus eſt ſemel*, Hebr. 7. 27. & 9. 12. & 28. 1. Pet. 3. 18. Iudæ. 3. & 5. Ajūt ergo ſufficiēter Deū homini ſuā volūtatē declarare, ſive per naturale lumē rationis, ſive per tribulationes, viſiones, & ſomnia Divina, ut, quæ Deus hoc modo homini dixerit, ſatis, ſuperq; homo intelligat, neque opus habeat aliis loquēdi rationibus, & viis illi patefacere, & ipſum repetere. Sed nō videtur interpretatio hæc omninò perfecta.

6 Sexta interpretatio non inelegans.

Sexto, Elegās eſt, quod velit Eliu Iobū deterrere ab appellando ad Divinū judiciū: nā hoc nō niſi *ſemel* peragendū eſt, & poſt hāc vitā: at dū vivimus, non ſolū unica, ſed etiā pluribus rationibus Deus nobiſcū loqui, & agere ſolet extrajudicialiter tamē. Phraſis ipſa *ſemel loquēdi*, hāc exponēdi rationē cōfirmat, cū Paulus in eādē rē dixerit: *Statutū eſt hominibus ſemel mori; & poſt hoc judiciū*. & David, expoſitore Theodor. Pſ. 61. 11. *Semel loqutus eſt De⁹, duo hæc audivi*, videlicet premiū, ac pœnā: *Semel autē dixit* (inquit Theodor.) *nō ut numerū oſtēderet, ſed ut rem, quæ omnino futura eſt, demōſtraret*. Quę eadē ſunt Hieron. verba. In quo omnes ſignificationes illius particulæ, *ſemel*, cōvenire videtur, ſive ſignificet immutabilitatē, ſive id, quod ita fit, ut repetitione nō indigeat; ſive quod irreparabile eſt; ſicut, & Poeta Sulmonēſis dixit:

Heb. 9. 27.

Semel Deum loqui in Iudicio. *Theodoret.*

Hieronym.

Collectio ſignificationū variarū in unā.

Ovid Epiſt. 5. Semel, irrepārabile.

- - - - - - - *Nulla reparabilis arte*
Læſa pudicitia eſt, deperit illa ſemel.

Quintilianus. *Aſconius in 2. Verrina.*

Et Quintilianus quidē aliquādo, *Nō ſemel decretū*, ait, quod revocatur: Aſconius quoque, *ſemel, vicinū eſſe, ad pene nunquā*. Quaſi ſit explicatio huj⁹, quod eſt, *ſemel*, id quod ſecundo nō repetitur. Ergo dicere potuit Eliu, Divinū judiciū nō eſſe, dū vivimus, expetendū: nā cum, dū vivimus, revocari quidē poſſit vel hominis pœnitentia, vel Divina volūtate, vult tamē Deus judiciū ſuum, quod ferendū eſt poſt mortē, ſemel ferri irrevocabile, & immutabile. Quæ enim *ſemel* Deus tunc pronuntiabit, *ſemelq; loquetur*, nunquam indicta volet. Interim vero dum vivimus, agit nobiſcum judex intermediis quibuſdā quaſi actionibus, & interrogationibus, ut veritatem extorqueat, & ad pœnitentiam adducat.

Iudiciū ſemel peragendum.

7 Septimus nexus cohęrens, & lenis.

Illud tandē videbitur alicui optime cohærere, ac leniſsime decurrere, ut ſentētia hæc ſit tanquam cōcluſio, vel cōfirmatio illius majoris, quā aſſumpſit Eliu; videlicēt, quod *major ſit Deus homine*, quare ſubjungit, Nō contendendū eſſe homini cum Deo in judicio, non poſtulandū, quod *ad omnia noſtra verba* reſpōdeat. Nūc etiā addit: *Semel loqui Deū, & ſecūdo ipſum nō repetere*; uti decet ſupremi Numinis majeſtatē. *ſemel* itaq; ſuā mentē explicat homini. atq; ideo oportere vocē *ſemel* a Deo acceptā tenere, ac ſępe, diuq; cogitare, quę ille de nobis velit, ſtatuatq;. fruſtra ergò conari Iobū velle cū Deo agere, ſicut loquitur homo, cū homine, aut corā arbitro aliquo & intervētore; aut litē illi intendere: nā jā De⁹ pro ſua majeſtate, & Providentia ſtatuit certas quaſdā rationes loquendi cum mortalibus, videlicet per *ſomniū*, aut *viſionē nocturnā*, aut per *morbū*, *& dolores in lectulo*. Ergò cū ille *ſemel* aliqua iſtarū ratione *loquutus fuerit*, cogitandū nobis ſtatim eſt, quid nobis loquatur. Igitur (inquit Eliu) cū tibi, o Iob, nō una tantū, ſed pluribus ex conſuetis, & ordinariis rationibus loquendi ſuā mentē expoſuerit: nā *terruit te per ſomnia, & per viſiones nocturnas*, c. 7. 24 Tum etiā Eliphaz nuper cōmemoravit Divinā *ſpiritus trāſeuntis* revelationem *in viſione nocturna*, Divinamq; loquutionē cap. 4. 13. Tibi præterea morbos, graviſsimos immiſit; jam clariſsimis vocibus loquutus eſt, ut te *averteret ab his, quæ feciſti, & liberaret de ſuperbia*. infra. 17.

Semel loqui ad majeſtatē, & dignitatem pertinere.

8 Cenſura præcedentium interpretationum.

Ego, ut ingenue fatear, extremum interpretādi modum, illum præterea Chryſoſtomi improbare non poſſum, ſed tamē eſſe utiles omnes, atque idoneos, propterea in medio relinquendos.

Vltima, & ſimpliciſsima exponēdi ratio.

Mihi tamen omnium fere interpretum ope aliqua, ſimpliciſsimā, & cū verbis Latini Interpretis cohærentē, hanc texendi, & interpretandi rationem conficio: ut cū ſæpe Iobus poſtulaverit apertam viā diſputandi cum Deo, occurrat nunc Eliu, illud vel temere, vel ſtulte poſtulari a Iobo; eò quod præfinierit Deus modos agēdi cum mortalibus, videlicet, aut amice, & & familiariter loquendo per *ſomnium*, aut *per viſionem* aliquam *nocturnam* cum terrore aliquo, quod ſi has nocturnas, tacitaſq; Dei voces homo non intelligat, cum ſatis fuerit *ſemel loquutum eſſe verbis*; ſecundo loquitur verberibus, *& increpat per dolorem in lectulo*, *& omnia oſſa ejus marceſcere facit*. infra. 19.

Deus loquens primo per verba, deinde per verbera.

Et quidē hujus ſentētię Eliu, & rationis agēdi Dei cum hominibus exemplū eſt in 9

Nabuchodonosor ad obedientiã Divinę vocis addu ctus per flagella instar bruti.

Nabuchodonosori Dan.4. *Qui somnio, visio neq; nocturna, terrorẽq; supremo cõturbatus* nõ resipuit tamẽ, *neq; aversus est ab his, quæ fecerat*. Ergo deinceps cũ illo pœna ipsa, atque supplicio severissimo loquutus est Deus; & *secundo* primã illã benigniorem vocẽ non *repetiit*, sed *vox de cælo ruit: Tibi dicitur, Nabuchodonosor Rex: Regnum trãsibit a te, &c. Et ex hominibus abjectus est, & fænũ, ut bos, comedit*. Dan.4.28.30. *Quare post finẽ dierum oculos suos ad cælũ levavit, & sensus illius redditus est illi, & altissimo benedixit, &c.* Quod egregie cõvenit cũ sentẽtia Eliu.26.& 27. *Deprecabitur Deũ, & placabilis ei erit, & videbit faciẽ ej⁹ in jubilo, & dicet, Peccavi, &c.* infra.26.& 27. Nã solet Deus eos, qui obbrutescũt, vocesq; humanas audire, & intelligere dedignãtur, nõ jã verbis alloqui, sed flagello, *camo, & fræno*: Scriptũ est enim: *In camo, & fræno maxillas eorũ cõstringe, qui nõ approximãt ad te*, id est, qui tuã similitudinẽ (factus est enim *homo ad imaginẽ, & similitudinẽ Dei*) moribus, rationisq; usu, & honestatis studio nõ ostendunt. *Vrgeas* (inquit Nicephorus) *domesq;, ac premas, qui per virtutum semitas ad te propius nõ accedũt*. Athanas. *Nolẽtes pœnitere.* Theodor. *Nõ obtẽperantes*; per camũ, vero, & *frænũ animadversiones demonstrat* (ut ait Theodor.) Quare statim subdit: *multa flagella peccatoris*. Scriptũ est enim: *Flagellum equo, & camus asino, & virga in dorso imprudentiũ*. Quod apud Septuag. elegãter legitur: *Sicut flagellũ equo, & stimulus asino, sic virga gẽti iniquæ*. Quod enim de *servo*, atq; de bruto animãte dicitur, *Quod verbis erudiri nõ possit*, idem sane de impio dicitur, quia, *quod dicis, intelligit, & respõdere cõtẽnit* Cũ videat ergo De⁹, si misereatur impio, ut *nõ discãt justitiã*, statuit *judicia sua facere in terra*, ut *justitiã discant habitatores orbis, & in angustia requirãt eũ, &c.* Isa.26.9.10.16

Obsurdescentes Divinis vocibus flagella ti instar brutorum.

Psalm.31.

Gen.1.26.

Nicephor.

Athanas.

Theodoret.

LXX.

Prov.26.3.

Prov.29.19.

10 Nũc quædam minutiora indicãda breviter. *Semel.* Hebr. prop. est. *In uno loquitur Deus*. & *secũdo*, prop. *in duobus*. Hebraismus est; nã solẽt Hebræi, quãdo numerũ majorẽ ponunt post minorẽ, numerũ immediate majorẽ significare. v.g. tria, & quatuor, id est, tria, & quartũ, ut Amos,1.3.6.9.11 13. Prov.30.15.18.21.29. Sic nũc in uno, & in duobus, id est, Semel, & iterum. Simile Ps.61.11. *Semel, & duo*, id est, *secundo*.

Hebraismus in numerando.

Nõ repetit, propr. *nõ aspicit*, vel *nõ canit eũ*. nã verbũ, *jur*, canere, vel intueri, significat; utrumq; enim requirit quandã intẽtionẽ animi, & oculorũ in rẽ aliquã, quam proprie affert verbũ originale. Ergo Vatablus, post, alios Hebræos, secundã partẽ hujus sentẽtię referendã putavit ad hominẽ: *Vna via, sive ratione loquitur Deus, aut etiã duabus ei, qui priorẽ loquendi rationem nõ intellexerit*, vel, nõ perspexerit. Sed procul dubio nullã personarũ diversitatẽ agnouit Vulga. & de Deo utrũq; accipi voluit, videlicet quod *in uno*, id est, *Semel loquatur* & *in duobus*, id est, *secundo nõ videat*, vel *nõ cantet eũ*, priorẽ videlicet loquẽdi modũ: neq; uero recantet, id, quod primo decrevit, quod omnino videtur esse, *nõ repetere*.

שור

Vatabl.

Deum unico Verbo semel omnia loquutum.

ALLEGORICA DIGRESSIO.

11. *Dei opera ad unitatem reducta. Multa in unico Dei Verbo collecta. Explicatus Paulus.*
12. *Deum* semel *loqui in Scripturis, propter fæcunditatem unica vocis. Verbũ Dei, Verbum Magnũ.*
13. *Deum* semel *dixisse verbum Ecclesia integer mundus. Ecclesiæ, & mundi partes.*

Sed quoniã diximus particulã, *semel*, significare Dei immutabile decretũ, & semper sibi cõstãtẽ sentẽtiã, aliorũ locorũ ubi est similis Scripturæ loquutio, intelligẽtiã indicabo, Deũ dici *semel* loqui, quod est summa decernendi, & intelligẽdi simplicitas, & omniũ effectuũ ad unitatẽ reductio: quæ enim efficit, quãvis in se ipsis multiplicia, & per ministeriũ multorum Prophetarũ denuntiata, ut propterea dixerit Apostolus: *Multifariã, multisq; modis loquutus est olim Deus Patribus in Prophetis*: at in suo verbo unitatẽ habent; omnia ad unũ finẽ suæ glorię cõferuntur, unico filio suo Christo Iesu serviũt, & unico decreto statuta sunt: ut enim dixit Hilar. *Quæ Deo semel loquẽte audiũtur, & sub unius sermonis significatione sunt cognita, necesse est ea sibi esse cõnexa*. Greg. *Semel loqui Deũ*, vult, quod *Deus singulorũ vocibus, privatis quæstionibus nõ respõdet: Sed tale eloquiũ cõstituit, per quod cunctorũ quæstionibus satisfacit: ibi enim vita præcedentiũ, fit forma, sequentiũ, quia in Scriptura Sacra, quidquid potest singulis evenire, cõprehẽdit: atq; in illa per exẽpla præcedentium, etiam vitã sequentium informare curavit*.

11

Heb.1.1.

Omnia aduns cũ Divinę gloriæ fin em.

Hilarius.

Gregorius.

Loquitur semel Deus, cũ una, eademque sentẽtia, unicaq; voce multos multarum rerũ sensus arcanos conclusit: nã ut elegãter Hieronym. dixit, *In singulis multiplices latent intelligẽtiæ*. & Chrysost. unicũ Scripturę verbum, & vel *syllabã*, vel *apiculũ in profundo continere grandẽ quendã Thesaurũ*. *Semel* igitur *loqui* Deum, quod *Sapiẽtiæ, & Sciẽtiæ* illius *divitiæ* immensæ sint. Quo enim paucioribus verbis plura quis cõprehendit, sapientior est. Quare nunquã ap-

12 Fæcunditas uniꝰ sacræ vocis.

Hieron. Epist. 103. ad Paulin.

Chrysost.

Chrys. ho. 21. in c. 6. Genes.

Aug. 12. cõf. c. 30. & 31.

pellabo

דבר-קטן
דבר-גדול
Thalmudiſtę.

pellabo hãc unicã Dei in ſua Scriptura loquutionẽ, unicumq; verbũ *Dabbar Caton*, id eſt, *verbũ parvũ*, ut Thalmudiſtæ aliquã do appellarunt, ſed potius *Dabbar Gadol*, quod unicũ cũ ſit, tam multa, tamq; utilia cõprehendit. *Loquutus ſane Deus eſt ſemel*, nã quidquid dicere potuit, unico, quod genuit, verbo dixit. Plura illũ verba dixiſſe, menteve genuiſſe, nulla ratione potuit; *Apud ſe ſemel* (inquit Auguſtinus) *Deus loquutus eſt: quia unum verbum genuit Deus, in quo ſimul ſunt omnia, non diverſa, non ſeparata, non inæqualia, itaque ex illo verbo non ſolũ duo, quæ David cõmemorat, ſed univerſa, quæ facta ſunt audiri a nobis poßunt.*

Verbum Dei verbum Magnum

Auguſt. in Pſ. 61.

13
Semel loqui Deũ per unicum verbum ſuum.

Et ut ſemel dicamus, *ſemel loquutus eſt Deus* unico ſuo verbo, per quod mundum, hominẽ, Eccleſiam, Chriſtũ deniq; id eſt, verbũ ipſum, carnẽ factum, loqui viſ⁹ eſt; omnia enim, quæ facta ſunt, continet homo. ut videatur quidẽ homo eſſe nõ parvus mundus, ſed *megacoſmõ*, id eſt, *magnus mũdu.*, ut Nazianzenus dixit: *In parvo magnus alter mũdus ſupra terrã cõſtitutus.* Rurſus ipſe viſibilis mundus, homo quidã videtur eſſe; imo, & Divinũ quoddã animal, ſæpe tum a ſapiẽtiſsimis Philoſophis, tũ a ſanctis Patribus appellatus eſt; in quo intelligẽtia, & animã veluti Cœlũ; caput, cerebrũ; Oculi, Stellę; Cor, Sol, caloris, & vitæ fons; Iecur, Mare, ex quo flumina velut venæ per occultos terrę meatus in univerſam terrã derivãtur. Eccleſia vero mũdus quidã videtur eſſe, homoq; quidam ſuo capite, membriſq; cõſtans, ut ſæpe nobis repræſentat Paulus. Chriſtus denique Ieſus ipſe, & mundi, & hominis, & Eccleſiæ exẽplar eſt, in quo *inſtaurantur*, recapitulanturque univerſa. *Semel* igitur *loquutus eſt Deus*: cũ quidquid vel in noſtros oculos, vel in noſtrã mentẽ cadere poteſt, unico ſuo verbo loquutus fuerit. Sicut enim Iris multiplex, & varia eſt, & unico Solis ſplẽdore efficitur, variis quaſi circulis, variiſq; coloribus diſtincta; ſic poſt quã ſupercæleſtis ille Divinæ mẽtis Sol ejuſdẽ ſecum ſubſtãtię ſplendorẽ produxit, mira quędã rerũ varietas noſtris oculis, noſtræq; mẽti objecta eſt. Apparuit enim *valde bonus* mundus hic; in lucem data eſt Eccleſia, cujus, ſicut ait Nyſſenus, *Opificiũ quaſi quædã mũdi creatio eſt, in qua & cælũ novũ creatur, quod eſt firmamentũ fidei in Chriſtum, & terra nova paratur, quæ imbrẽ in ſe delatũ bibat; & alius homo formatur, qui per generationẽ ſupernã renovatur ad imaginem creatoris; & luminariũ natura fit alia, de quib⁹ dicitur, Vos eſtis lux mundi. Multa deniq; ſydera, quæ in Fidei fundamẽto exoriuntur, & qui mundũ*

Nazian. Orat. 2. in Paſ. Nicetas ibi.

Eccleſia alter mundus.

Epheſ. 1. 01.

In verbo Divino omnia, & ſemel recapitulata.

Chriſtus De⁹ homo illuſtravit mundum, qui eſt Eccleſia.

Nyſſen. Orat. 1. in Cantica.
Eccleſiæ partes inſtar novi mundi.

hũc novũ in opificio Eccleſiæ adſpicit, videt in eo illum, qui in omnibus eſt omnia. Video me præter morẽ feciſſe, digreſſum ad allegoriam; ſed ignoſcendum ſemel facienti.

XV. Per ſomniũ, in viſione nocturna, quando irruit ſopor ſuper homines, & dormiunt in lectulo.

1. *Inter* ſomnium, & viſionem nocturnam *diſcrimen. Illuſtratus Moyſes, & Ioel.*
2. Sopor *cum* horrore *conjunctus. Duplex genus Somnii Divini. Explicati Moyſes, & Samuel.*
3. Irruere *quid proprie.* Cadaver *et unde dictũ* Sõnus *pro morte.* Sopor *quid prop. Illuſtr. David.*
4. Cataphora, & Caros, *morbi genus. Somnus præparans aliquando Divinæ motioni.*
5. *Variæ voces* dormiendi *in Sacro ſermone. Duplex genus inſomniorum.*
6. *Cõmẽdati auctores de inſomniis Divinis ſcribẽtes.*
7. *Præparatio ad inſomnia.*

1
An ſomnium & viſio nocturna diſtinguantur.

INcipit jã explicare peculiares illos modos, quibus ſolet Deus mortales cõmonefacere. Et quidẽ pleriq; Interpretes in his verbis unã tantũ revelationis, aut Divinæ loquutionis formã agnoſcunt, ut *viſio nocturna* ſit tãtũ expoſitio *ſomnii*; in quo videntur cõvenire Gregorius, Philipp. D. Thom. & poſteriores Latini; imo, & Græci, cũ Septuag. legentibus; *Quãdo incidit ſævus timor in homines, in dormitationib⁹ ſuper cubili.* Alii vero diſtinguũt *ſomniũ*, a *viſione nocturna*: nã hæc cõtingere ſolet vigilantibus, ut Eliphaz, ſup. c. 4. & Regi Balthaſari, Dan. 5. Et ſane hæc duo Prophetiæ genera videtur fuiſſe quondã familiaria Prophetis, ut Danieli, cui *dedit Deus intelligentiã omniũ viſionũ, & ſomniorũ*, ut eleganter eo loco obſervavit noſter Benedictus Pererius. Idẽ diſcrimẽ indicatur Ioelis, 2. 28. *Senes veſtri ſomnia ſomniabunt, & juvenes veſtri viſiones videbunt.* & Num. 12. *Si quis fuerit inter vos Propheta Dñi, in viſione apparebo ei, vel per ſomniũ loquar ad illũ*: licet enim non nominetur expreſſe *viſio nocturna*, de nocturna tamẽ intelligendũ videtur, quo tempore viſiones majorem attentionem, & reverentiam cũ horrore, & timore quodam excitare ſolent. Quanquam non dubium, viſiones etiam diurnas objici ſolere vigilãtibus: de quarũ varietate ſtatim.

Gregorius. Philipp. D. Thom.
LXX
Benedictus Pererius.

Viſiones etiã vigilãtibus cõtingere.

2
Duplex genus divinorũ ſomniorum.

Rurſum indicari videtur duplex *ſõniorũ* genus, videlicet, aut cum novus aliquis ſubitus, & inſolitus *Sopor irruit ſuper hominẽ*, cujuſmodi videtur Geneſ. 15. cum eadem voce originali dicitur. verſ. 12. *Cũ Sol occumberet, Sopor irruit ſuper Abrahã.* & tunc ſolet cũ iſto *ſomno*, vel *Sopore* conjungi timor, vel horror proveniẽs ex aliquo ſom-

Horror, aut timor pro somno, vel sopore.

LXX.

nio horrifico, aut mirabili: quare loco Genes. nunc adducto, additur; *& horror magnus, & tenebrosus invasit eũ.* Et ita Septuag. hoc loco legunt: *Quando irruit sævus timor in homines.* & 1. Reg. 26. 12. pro *Sopore qui irruerat super Saul.* legunt; *Stupor Domini irruerat super illos.* ut eo quidẽ referri etiã posſit, quod Iob. 1. c. 17. dixit: *Terrebis per somnia, & per visiones horrore concuties.* Aut secundo, cum solitę quieti, & somnio se cõmittunt, quod indicatur illis verbis; *& dormiunt in lectulo;* quod discrimen opportune observatum est hoc loco a Cajetano, sed prius a Philippo ex illo verbo *irruendi. Irruere* (inquit) *dicitur, quasi extra solitum, repente, & subito superveniat.* Qualẽ etiam existimat fuisse *Soporẽ* illũ *Domini,* qui *irruerat* super Saul. 1. Reg. 26. 12. quẽ ideo existimat appellari *Soporem Domini,* non quia altisſimus eſſet, sed quia a Deo immiſſus. Nihilominus tamen inter *Soporẽ* & *dormitationem* ex proprietate vocis, est suũ quoque discrimen; quod elegãter observat Interpres in ipsis vocibus Latinis: nã licet vox *irruendi* tantũ significet cade-

Cajetan.

Philipp.

Sopor Domini, de somno insolito.

Sopor, & dormitatio, quo differant.

3 re, opprimere, aut prosternere, nimirũ ab effectu, quod somnus cadere faciat, & velut mortuũ cõstituat; nã ab eadẽ radice *cadaver* nominatur, quod stare non posſit, sed jaceat, sicut, & Latine dicetur a *Cadẽdo;* & verbum ipsum *soporandi,* vel *sopiẽdi,* collabi significet, quod, qui dormiũt *collabantur,* & cadant: at *Sopor* proprie dicitur de somno gravi, & alto, quo quis consepultus, & stupefactus jacet, qualis ille fuit Sisaræ ex potu lactis de quo Scriptũ est Iudic. 4. 21. *Soporẽ morti socians defecit,* est enim ut Poeta dixit, *cõsanguineus læthi sopor:* & pro morte ipsa, tum sæpe, tũ Ps. 75. sumitur: *Dormitaverunt* (prop. soporati, cõsopiti sunt) *qui ascẽderunt equos.* Hieron. *Currus, & equus similiter consopiti sunt.* ubi Theodoretus tantũ agnocit facilitatẽ & proclivitatẽ in somnũ; *Quemadmodum* (inquit) *homo nictans facile, si voluerit, dormit, sic illi brevẽ finem vitæ acceperunt.* At nõ facilitatem, sed profunditatẽ soporis eo loco significat. Quare Vulg. simplicẽ vocẽ originalẽ explicationis gratia vertere solet, *Soporẽ gravẽ.* Isaię. 1. 5. Septuag. autẽ, vocant *stertere.* Sic etiam Genes. 2. 21. *Soporẽ misſum in Adam;* Septua. vocãt *Extasim.* Symmachus, & Aquila, *Soporem gravẽ:* sic enim vertere poſſumus tũ vocem

Irruere apud Latinum, & Hebręũ, quid propriẽ.

Cadaver.

נפל

Sopor quid.

Somnus pro morte.

Hieronym.

Theodoret.

LXX.

Symmach.

Aquila.

4 Hebręam, tũ duas Græcas, quibus Græci utũtur, ut dicemus statim: nam *sopor,* Latinis est somn⁹ sine modo. Aquila extasim hãc, aut soporem, vertere solet *Cataphoram;* Symmachus autẽ, *Caron.* Elegãter sane: nã *Cataphora,* ex proprietate Græcæ vocis, est quasi depresſio quædam, vel immerſio aut degravatio, quæ ad profundũ somnũ accõmodatur; & privato nomine *Cataphora* dicitur morbi genus, videlicet magna quædam, & gravis somnolẽtia, & ut Gal. lib. de Comate docet, sive *æger profundo, & diuturno somno prematur,* quod cataphora somnolenta est; sive tantũ summa oculorũ gravedine detineatur, & quasi ad captandũ somnum cõparatorum, variis tamen rerum imaginibus moveatur, quibus vere dormire nõ posſit, quod est cataphora non somnolenta; semper ægrotus imaginẽ dormientis, & somno profundo consopiti hominis, quem facile excitare nequeas, reprę sentat. *Caros* vero, quod legit Symmachus, definitur a medicis, *Paralysis quædã imaginatricis facultatis sensum, motũque omnem, excepta respiratione adimẽs, clausis perpetuo oculis profundo somno.* Et uterq; quidem cerebri affectus similis est lethargo, & apoplexiæ, sed sua habent discrimina, ut Medici docent. Vides igitur (ut ad *soporis* proprietatẽ redeamus) significare profundum quendam somnum, qui quo magis ab omni sensu, & motione hominẽ abstrahit, eo Divinæ motioni, & interno Divinarum imaginum sensui hominem aptiorem relinquit.

καταφορά

Cataphora, morbus.

Galenus.

κάρος

Caros morbus quis.

Gorraus in definitionibus Medicis.

Somnus aliquando præparãs motioni Divinæ.

Quod deinde sequitur: *Et dormiunt in lectulo.* ad leviorem somnum, & dormitutionẽ refertur, aut ad ordinariam capiẽdæ quietis rationem, ex radice, *Nũ,* ut colligitur ex Ps. 120. 4. *Ecce nõ dormitabit* (etiã levisſime) *neque dormiet* (ab alia radice, *Jasan,* quod absolute *dormire* significat, q. d. multo minus dormiet) *qui custodit te.* Sic etiam Ps. 131. 4. e contrario præponitur *somnus* a radice *Iasan,* & sequitur per auxesim, levior *dormitatio* a radice *Nũ; Si dedero somnũ oculis meis, &* (imo neque) *palpebris meis dormitationẽ* (levisſimum somnum, aut nictationẽ oculorũ) Ergo manifeste, secunda hæc pars indicat somni genus levisſimi: quod aliquando etiã tantũ ligatis externis sensibus relinquit sensus internos valde idoneos ad percipiendas Divinas imagines: Quare duas somni dispositiones, ad duas Divinorũ insomniorũ revelationes accipiendas indicavit Eliu; cõtra quã Xenophanes, & Epicurei, omnẽ somniorum Divinationẽ auferẽtes dicebant indignũ esse Dei majestate, *obire lectos dormientiũ, cursare gravatos, & stertentibus injicere somnia,* quæ illi expergiscentes, vel non recordentur, vel non intelligant, vel etiam contemnant. Vidẽdus Cicero hac de re lib. 2. de Divinat.

נום

Variæ dormiẽdi voces, & proprietates.

ישן

Duplex somnitatio, pro duplici genere Divinorum insomniorum.

Cicero.

Video hic oblatam nobis occaſionem, nihil certe a noſtro propoſito deflectẽdi, ſed rẽ ipſam agendi, ut de ſomniorum veritate, & fide, ac de Divina per ſomnia revelatione, & loquutione pauliſper diſputaremus; niſi rem iſtã ſtrenue præſtitiſſent viri doctrina præſtantes, ordinis noſtri Benedictus Pererius 1. lib. in Daniel. Martinus Antonius del Rio lib. 4. diſquiſitionum Magic. c. 3. q. 6. & c. 1. q. 2. ſect. 2. & Petrus Thyræus libr. 2. de apparatione, & loquutione Divina: luculenter, & accurate Primus per multas ſectiones Secundus preſſe, erudite, utiliter: Tertius argute, & punctim. Perdam operam, ſi alienis vel congerendis, vel deſcribendis immorer, quẽ multa peculiaria, & propria ſcribenda vocant.

Pererius. Delrius. Thyræus.

7
Vnum certe illud, cum ſanctis hominibus Deus injicit Divina ſomnia, requirere ſolere illorum mentẽ, & ſomnum, qualẽ Socrates in Platonis politia deſcribit, qualemq; Cicero in hæc verba refert: *Qui ſalubri, & moderato cultu, atque victu, quieti ſe tradiderit, ea parte animi, quæ mentis, & cõſilii eſt, agitata, & erecta, ſaturataque bonarũ cogitationũ epulis; eaque parte animi, quæ voluptate alitur, nec inopia enecta, neque ſatietate affluenti, quorũ utrumque præſtingere aciẽ mentis ſolet, ſive deeſt naturæ quippiam ſive abundat, atque effluit; illa etiã tertia parte animi, in qua irarum exiſtit ardor, ſedata, atque reſtincta; tum eveniet duabus animi temerariis partibus cõpreſſis, ut illa tertia pars rationis, & mẽtis eluceat, & ſe vegetam ad ſomniandũ, acremque præbeat, tũ ei viſa quietis occurrent tranquilla, atque veracia*: Hæc ex Platone Cicer. Is vero poſtea, *Qui ſe tradit ita quieti præparato animo, tum bonis cogitationibus, tum rebus ad tranquillitatem accommodatis, certa, & vera cernit in ſomniis.* Sed hæc naturalis quædam diſpoſitio advocabit interdum naturalia ſomnia: non item Divina, & ſupernaturalia. Pergo.

Quæ ſit præparatio ad inſomnia. Plato. Cicer.

XVI. Tunc aperit aures virorum, & erudiens eos, inſtruit diſciplina:

1. Aperire aurem *quid. Metalepſis. Explicatus Samuel, & Ruth.*
2. Erudire *verbum ſeverum. Sigillum inſomniorum quale.*
3. *Hebraicæ lectionis illuſtratio. Cur quædam inſomnia memoriæ infixa; quædam avolantia.*
4. *Divinũ inſomnium cũ noſtra doctrina cõjunctũ.* Viſitatio *quid propt illuſtratus Eccleſiaſticus.*

1
CVM Divinorum ſomniorum, multæ cauſæ, multiq; fines Deo eſſe ſoleãt, ut vel aliquid prædicat futurum, revelet que myſterium, vel ab aliquo facinore deterreat; nunc certe explicat Eliu, quid frequenter efficiat Deus ſua cum hominibus per ſomnium loquutione, nimirũ cõmonefacere, & docere hominem quid agere, a quo averti debat. *Tũc* (inquit) *aperit aures*, diſcooperit, revelat, id eſt, loquitur, & audire facit; per Metalepſim: nã qui apertis, & detectis auribus eſt, audire poteſt; & qui loquitur, non niſi habenti aures diſcoopertas loquitur qui autẽ audit, intelligit. quare dixerunt Septuag. *Revelat mẽtẽ hominum.* Exẽpla obvia; illa opportuna Ruth. 4. *Audire te volui.* Septuag. juxta Hebræum. *Diſcooperiã aurem tuã.* 1. Reg. 20. 2. *Non faciet pater meus quicquã, niſi prius indicaverit mihi.* Septuag. juxta Heb. *Et non revelabit auriculã meam.* Sed retinet Vulgatus Hebraiſmum in eodem c. verſ. 13. & c. 9. 15. *Dominus revelaverat auriculã Samuelis:* id eſt, admonuerat, & loquutus illi fuerat. Vide 1. Reg. 12. 13. c. 22. 8. 2. Reg. 7. 27 inferi⁹ Iob. 36. 10. Qui vertit, *Aurẽ hominibus vellit*, Latine fecit, ſed minus idonee. nam *vellere*, eſt admonere, reprehendere, quod ad partẽ ſequentẽ pertinet, noſtrũ autem *aperire*, aut revelare ſimpliciter.

Aperire aures. Metalepſis. LXX. Tygurina.

Et erudiens eos. Hoc magis ſeveriorẽ correptionem, & caſtigationẽ verbo, aut re 2
ipſa factam, qua quis coercetur, & cõſtringitur, & quaſi ſtrictiori vinculo, religatur; *Vinculi* enim, & *diſciplinæ*, ſicut *erudiẽdi, caſtigandi*, atque *vinciẽdi* vox eadem. Vide ſupra Iob. 5. 17. c. 12. 18. & c. 20. 3. inferius c. 39. 8. forte hæc *eruditionis*, & diſciplinæ religatio, & cõſtrictio ad morbũ pertinet quod deinde exponet. Hebraizantes Hebraiſmum retinent: nam ex verbo legitur: *In vinculo ſuo claudet*, aut *obſignabit*. Sed incommode, & obſcure; cur enim potius *vinculum* dixerint, quam *diſciplinã*, aut *correptionem*? Scio cauſam: ut diſcedãt a Vulgato. Commodius Cajetanus: *In eruditione eorum ſigillabit.* Quem imitatur Vatablus, & Tygur. quod duplicem habet ex 3
poſitionem. aut quod ejuſmodi ſomniũ, viſumve immiſſum a Deo, minime evaneſcat per oblivionẽ, ſed maneat impreſſum, & alta mente repoſitum. Sic narrant minutiſſime ſua ſomnia Nabuchodonoſor, Pharao, Prophetæ. Neq; vero obſtat ſomnium illud Nabuchodonoſor, Daniel. 2. effluxiſſe ex illius memoria, proptereaq; poſtulaſſe a Magis, ut & *ſomnium*, & *interpretationem* ſomnii illi edicerent; id enim Dei voluntate, ad Danielis cõmendationem, & Magorum ignominiam pertinuit; Aut ſecũdo, quod ait Vatabl. *Deũ inſpirare hominibus caſtigationem, qua eſt eos caſtigaturus*

Erudire, ſeverius. יסר Varia lectio. Sigillum inſomniorum, quale. Pagnin-Regia. Cajetan. Vatablus. Tygurina. Divina inſomnia minutatim poſtea narrata a ſõmniãtibus. Lectionis Hebraicæ illuſtratio. Vatablus.

gaturus, quam sententiã sigillavit. Sed qua ratione congruet hęc exponendi ratio cũ sequentibus, versic. 26. 28. 30. *Deprecabitur eum, & placabilis ei erit, &c.* si sententiam jam obsignatam, & fixã protulerat Deus? Forte, quod minas intendat Deus, quas scribit, & obsignat suo sigillo, fore ita implendas, nisi resipiscat, & avertatur homo ab his, quæ fecit. Sic sane Septuag. de quo dam minarũ terrore injecto accepisse videntur, legẽtes: *In speciebus timoris talibus eos exterruit*. Sed placet, quod initio diximus. Nisi illud vero similius videatur Vulgatum retulisse ad signum veri, & Divini somnii, quod sit cum utilitate nostra, & disciplina, doctrinaque nostrorum morum, non vanum, & inutile, qualia dæmoniaca sunt. Hæc enim nocent potius, & inficiũt animos hominum: illa ædificant. Ergo dicet nunc Eliu, videri Deum quasi appresso, & appenso suo sigillo cõfirmare veritatẽ, & auctoritatem somnii alicujus a se immissi, cum hominem instituit sanctiori disciplina, & a malo retrahit. quẽ sensum vides eleganter consentire cũ littera Hebraica, *In eruditione sua sigillabit*. vel ut legit Tygur. *Disciplinam eorum velut impresso sigillo consignat*. Est enim Divinæ revelationis signum, utilitas; ea pręsertim, quę cum correptione aliqua nostrorum peccatorũ juncta est. Sicut scribitur, *Nisi a Domino missa fuerit visitatio, ne des in somniis cor tuum*. Videlicet; nisi a Domino missa fuerint insomnia tui *visitandi*, & erudiendi gratia. Est autem vox Græca *Episcope*, seu inspectio, & visitatio Divina, tum ea, quæ misericordiam, & opem affert; tum, quæ pœnas exigit ab aliquo: De hac itaque animadversione locũ intelligo. q.d. si somnio aliquo minas tuis sceleribus intendi, & Divinam inspectionẽ, atq; visitationẽ repræsentari intelligas, tunc acquiescere illi poteris: illis vero minime, quæ vanissima elatione complent animos somniantium, sicut Scriptum est: *Somnia extollunt imprudentes*. Quod Septuaginta dixerunt: * *Volare faciunt*.

LXX.

4 Lectionis Hebraicæ expositio verosimilior.

Divini insomnii judicium, utilitas.

Tygur.

Ecclesi. 34. 6.

Quid visitatio Græce. ἐπισκοπή

Insomnia vana.

*Danles alas, con q̃ se levãtã a mayores, y se engrien.

XVII. *Ut avertat hominẽ ab his, quæ fecit, & liberet eũ de superbia.*

1. *Fines, quos Deus constituit, immittendo Divina somnia.*
2. *Deus pronior ad corrigendum, quam ad puniendum depravata. Pœnitentia, & justificatio impii, opus mirabile ex multis capitibus.*
3. Superbia *quid. Est radix suppliciorum. Deus superbiam puniens, humilitate placatur.*
4. Superbia: *pro superbo tyranno.* Superbia *active, aut passive.*

1 INcipit jam enumerare Eliu, quos fines in nostra correptione sibi proponat Deus, omnes quidem cum nostra utilitate, & incolumitate conjunctos ne frustra nos corripuisse videatur. In præsenti autẽ sententia indicantur duo: primus, ut *avertat hominem, &c.* In Hebræo proprie: *Ut faciat recedere hominem ab opere*: Vel *ut faciat recedere hominis opus*. Vel, *ut homo* sit suppositum verbi: *ut faciat recedere homo opus suum*. hæc enim varietas constructionis sensum non mutat. At a quo nam opere abstrahere conatur Deus hominẽ? Cajetanus, *opus* futurum existimat; quod, cũ homo facere parat, deterretur a Deo, ne id perficiat. Exempla hujus in Abimelech Genes. 20. 3. in Laban, Genes. 31. 24. Sed hoc plus nimio argutum. Illud germanũ, & pronum est, ut *opus*, pro eo, quod re ipsa perfectum est, accipi debeat: nam quod tantum cogitatione, & desiderio stetit, non meretur appellationem *operis*. Illustravit ergo Interpres, cum dixit, *Ab his, quæ fecit*; hoc autem quid aliud est, quam peccatum? Ideo legunt Septuaginta. *Ab injustitia*. Nicetas cum superioribus ita cõnectit: *Semel loquitur Deus, fertque legem: postquam autem legem tulit, si quempiam jussorum negligentem invenerit, nocturnis illum terroribus ad mentem revocat, & monitis corrigit, & ad pænitentiã revocat*. Favet ipsum verbum, *Avertendi*, seu recedendi, seu declinandi a malo, quod indicat cursum, & impetum, in scelus præcipitem.

Fines peculiares Divinorũ insomniorũ.

Varia lectio.

סור

Cajetan.

LXX.

Nicetas.

Vides hic etiam Dei bonitatem, non tã ad punienda peccata proclivem, quam ad emendanda, & corrigenda; in eo enim totus est, ut resipiscat impius, *& vivat*. Vide Ezech. 18. Eo minas omnes, atque terrores confert, ut deterreat, & retrahat. Ideo *dissimulat*, ut ad *pænitentiam* tanta patientia, & *benignitate adducat*. Ideo cunctatur in inferendo supplicio, ut tempus pœnitentiæ concedat. Ideo *misericordia* illius *subsequitur*, & fugientem *persequitur*, ut *apprehendat*; & *avertat a via sua mala*. Nam multo mirabilius est ignoscere, quam punire: reducere domum, quam cõtinere domi; revocare, & reducere de via iniquitatis, quam hominem non errantem ducere, & recta gradienti comitem se adjungere; denique justificare impium. quam coronare justum. Quantum enim, & quam præclarum Divinæ virtutis facinus, peccatorem impetu ruentem in scelera, cõprimere, & sistere, instar equi præcipitis, aut Dromedariæ velocissimæ, *attrahentis ventũ amoris sui*, de qua Scriptũ est: *Nullus avertet eã?* Propterea jubemur vehemen-

2 Dei bonitas; non vindictæ cupidior, quã corrigẽdi, ne puniat.

Sap. 11. 24.
Rom. 2. 4.
Psal. 22. 6.
Hebr. 2. 16.

Divinę virtutis opus Justificatio impii.

Ierem. 2. 24.

hementer ſuſpicere, & admirari, vel Dei virtutem, vel hominis etiam Divina gratia corroborati pœnitentiam, Eccleſi.8.6 *Ne deſpicias hominem avertentem ſe a peccato.*

Pœnitētia peccātoris admirabilis ex multis capitibus.

Ephrem.

Quantum hoc ex infirmitate noſtræ naturæ, ex Dæmonis inſidiis, & potentia; ex Divinæ gratiæ virtute, eleganter deſcripſit. S. Ephrem tractatu de pœnitētia in Ionam Prophetam.

3

Gregor.

Superbia quid.

Et liberet eum de ſuperbia. Secundus Divinæ correptionis fructus. Gregorius exiſtimat eſſe expoſitionem præcedentis, ita ut *ſuperbia* generaliter accipiatur pro quolibet peccato, in quo ineſt Divinæ legis contēptus aliquis, & impudentiſsima humanæ voluntatis adverſus Divinā elatio, ſicut Scriptum eſt Eccleſi. 10.14. *Initium ſuperbiæ hominis apoſtatare a Deo, quoniā ab eo, qui fecit illum receſsit cor ejus: quoniā initium omnis peccati eſt ſuperbia.* Hæc interpretatio fere eſt Latinorum, D. Thomæ, Nicolai, Dionyſii, Hugonis. Solet ergo Deus immiſsis ſomniis, & terriculamētis nocturnis cōprimere inſolentiam ſuperbiſsimorum hominum, ut Nabuchodonoſori, & Balthaſari contigit; *Donec ſciant quod dominetur excelſus ſuper Regnum hominum, & poteſtas ejus, poteſtas ſempiterna.* Daniel.4.22.31.32. In hanc interpretādi rationem trahi poteſt littera Hebraica: *Vt abſcindat ab homine ſuperbiā. id eſt, ut humiliet eum ſub manu ſua.* Id eſt, Solet Deus homini objicere, & repræſentare, quæ cōferre poſſunt ad cōprimendam ſuam ſuperbiam, ut videns ſe conterritum, & humiliatū, nihil habeat, unde ſuperbire poſſit. Et certe hæc videtur cōmodiſsima Divinæ bonitatis ars, ne impios punire cogatur, *liberare illos de ſuperbia.* Hæc enim eſt, quam ſeveriſsimo ſupplicio proſequitur Deus. Sicut e contrario humiliatio peccatoris, Dei juſtitiā, vindictam de peccatore expoſcentis placare ſolet. *Nōne* (inquit) *vides Achab humiliatū?* Superbia autē, & impudens illa ſui confidentia, atque Divinæ legis contemptus, radix, & truncus quidam eſt, cujus fructus, & rami ſūt graviſsima Dei vindicta, & ſeveriſsima ſupplicia, ſicut Ezech.7.10. Scriptum eſt; *Egreſſa eſt* (erupit, quaſi gemma arboris frondoſi) *contritio, floruit virga* (videlicet ramus ſuperbiæ, quod inſtrumentum erit verberū, & plagarum) *germinavit ſuperbia* (hæc enim ſunt ſuperbiæ germina, & fructus *iniquitatis*, pœna ipſa iniquitatis) *ſurrexit in* (ex) *virga impietatis.* Vbi Septuaginta legunt: *Contumelia ſurrexit.* eſt enim contumelia, & ignominia digna ſuperbiæ pœna.

D. Thom. Nicolaus. Dionyſ. Hugo.

Vatabl.

Deus ſuperbiam puniens humilitate placatur.

3. Reg. 21. 29.

Ex radice ſuperbiæ fruct⁹, & germina ſuppliciorum.

LXX.

Sed juxta proprietatem vocis originalis, atque lectionem Septuaginta, potius accipiendum videtur, ut *ſuperbia* ſit trux, & ſævus alicujus Tyranni animus, multa in aliorum perniciem, & cedem moliētis; ſicut Ieremię.13.17. *In abſcondito plorabit anima mea a facie* (præſentia, & conſpectu) *ſuperbiæ*, id eſt, Tyrannorum, & hoſtium ſæviſsimorum. Rurſus *ſuperbiam* nō accipio quaſi active, ut ſignificet peccatū Tyrannidis, & crudelitatis, a quo revocet Deus hominem, quem corripit; ſed quaſi paſsive; quod liberare Deus velit eū, quē corripit a *ſuperbia alterius*, id eſt, a ſuperbo, & crudeliſsimo Tyranno, idemque ſignificat verbum *liberandi*, quod eſt protegi, & abſcondi a quopiam diſcrimine, quaſi in profugio aliquo, unde dictum eſt Pſ. 142. *Ad te confugi.* Hieronymus propriè: *A te protectus ſum.* Tum etiam ſic exigit id, quod ſtatim ſequitur: *Vt nō tranſeat in gladium.* & id plane intellexerunt Septuaginta legentes; *Et corpus ejus a ruina liberabit.* Vox enim, quæ *ſuperbiam* vel altitudinem ſignificat, dicitur etiam de *ruina*, ſeu valle profunda. Sententiam univerſam eleganti paraphraſi nexuit, & illuſtravit Nicetas: *Et vero* (inquit) *uſque eo eſt hic timor utilis, qui viſis, & ſimulacris utitur ad erudiendum, ut & futurum ſupplicium cohibeat: & hominis, quem reddit meliorē, corpus, & animum quovis malo, atq; incommodo liberet, nec in hoſtium manus eum incidere ſinat.*

4

Superbia pro ſuperbo tyranno.

גוה

Superbia active, aut paſsive quid.

כסה

Hieronym.

LXX.

Lucida totius ſentētiæ Paraphraſis.

Nicetas.

XVIII. *Eruens animā ejus a corruptione, & vitam illius, ut non tranſeat in gladium.*

1. *Quartus fructus Divinæ admonitionis.*
2. *Mortis ſubitæ circumloquutio.* Fovea *quid in Sacro ſermone.* Puteus *interitus.* Videre Foveā. *Metalepſis. Illuſtrati David; & Ezechiel.*
3. *Quartus fructus.* Tranſire *in bonum, & in malum.* Tranſire per ignem. *Explicatus idiotiſmus Regum. Hypallage.*
4. Gladius, *pro bello, & omni armorum genere. Vnde dicatur in Hebræo. Explicatus Moyſes.*

ALii volunt ſententiam hanc eſſe prędecentis expoſitionem. Sed præſtat, ut ſit tertius fructus Divinę correptionis: ac ne coincidat cum præcedente, is accipiatur non tam pro nece, quam pro inſidiis ab hoſtibus ſtructis, quarum diſcrimē eo gravius eſt, quo occultius. Solet Deus impium hominem inſidiarū ſupplicio afficere: corripit igitur, ne in illas incidat: & ſimul etiam erudit, & inſtruit, ut diſcrimina, & vitæ inſidias declinare poſsit.

1

Tertius fruct⁹ Divinæ correptionis.

חשן

Eruens, prohibens, continens. In Hebræo, & Græco nova ſentẽtia: Prohibet, & tuetur, *Animam*, vitam *a corruptione*, interitu, & pernicie. Septuaginta: *Pepercit animæ ejus a morte.* Recte; ſed eam mortẽ, & corruptionem intelligit, in quã quis incidit ſubito, velut in foveam paratis inſidiis: nã ex Hebræo proprie legitur: *Probibet vitam ejus a fovea.* Quid autem *fovea* ſignificet in Sacro ſermone, diximus ſupra, cap. 18. 7.8.9.10. Significat porro vitæ diſcrimina, & puteum malorum, quibus in interitum præcipitatur, qui Divinæ voci, & admonitioni non obedit. Quia autẽ in *fovea*, aut in ſepulchro res aliqua corrumpi, & interire ſolet, ideo *fovea* dicitur, *Puteus interitus*, Pſal. 54. & pro *corruptione* ſumitur ab Interprete, & a Septuaginta, Pſal. 15. *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionẽ.* Quod ex pręcedenti parte explicatur: *Nõ derelinques animam meam in inferno.* Quare quod in Hebræo eſt, *Videre foveam*, idẽ eſt, quod videre, & experiri *foveæ corruptionem*. Rurſus quia cum fera aliqua incidit in foveam, ſolet a venatoribus multis jaculis vulnerari, & configi, ideo etiã pro *vulneribus* accipitur, Ezechie. 29.4. ubi de Rege Iſrael ſub metaphora leonis dicitur; *Non abſque vulneribus ſuis ceperunt eum.* Quod Septuaginta dixerunt: *In corruptione captus eſt.* Proprie autem ex Hebræo, *In fovea captus eſt.* Ergo cum hoc loco *corruptionem* dixit *Eliu*, Vitæ diſcrimina, repẽtinũ interitum, & quæ cũ inſidiis, & morte conjuncta ſunt, ſignificare voluit.

LXX. — Mors inopinata. — Fovea vitæ diſcrimen. — שוח — Puteus interitus, quid. — Videre foveã, Hebraiſmus. — Fovea pro vulneribus, per metalepſim. — LXX.

3 *Et vitam illius ut non tranſeat in gladium.* Hic eſt quartus Divinæ correptionis, atque admonitionis fructus, *non tranſire in gladiũ*; cum enim ſoleat Deus gladio hoſtium, atque bello infeſtiſsimo, populi alicujus impietatem vindicare, vel privatum alicujus hominis ſcelus punire, permittẽdo ut cadat in bello; certe cum hominem corripit, docet, ut per pœnitentiam hujuſmodi ſupplicium declinare poſsit: & ut, ſi quando manus conſerat cum hoſte, incolumis, victorque evadat. *Tranſire* autem *in gladium*, eſt idem quod incidere in manus, & tela hoſtium, & cadere in bello. Quamvis enim *tranſire* aliquando ſignificet evadere ſalvum, & incolumem, ut Pſ. 141. 10. *Cadent in retiaculo ejus peccatores; ſingulariter ſum ego, donec tranſeã.* at ex adjunctis in malum accipitur, hoc loco *trãſire in gladium*, id eſt. permitti, & devoveri gladio, & neci. 2. Reg. 12.31. *David Ammonitas traduxit in tipo laterum*, Hebraice, & Septuaginta; *Tranſire fecit eos per fornacem*, in fornace quippe coquuntur lateres. & 4. Reg. 26.3. *Filium ſuum cõſecravit transferens per ignem*. Hebraice: *Tranſire faciens*. Id eſt, conjiciens in ignem, & cremans: non enim eſt, quod apud nos ſonare poſſet; *Paſſolo por el fuego*. ſed potius in igne depoſuiſſe, ut totus, quaſi holocauſtum concremaretur. Sic enim Ioſephus ait: Achaz Regem *unicum filium ſuum holocauſtum obtuliſſe ipſi Baal*, de quo iſtic eſt ſermo. Sic igitur *tranſire in gladium*, erit gladio perire. Niſi malis per Hypallagem exponere, ut gladius tranſeat, id eſt, adigatur in illum.

Quartus fruct⁹ Divinæ admonitionis. — Verbum tranſeundi cõtrariarum ſignificationum. — עבר — LXX — Tranſire per ignem, quid. — Ioſephus. — Hypallage.

4 *In gladium.* Omne armorum genus, quę lædunt, ſignificat; deinde bellũ, quod armati gerunt. Septuaginta: *Et non cadat ille in bello*. Quod autem hic dicitur *gladius*, eſt a radice Salahh, quod eſt *mittere*, aut *projicere*; quare ex proprietate vocis ſignificat jaculum, vel miſsile. Vulgatus: *Armaturam* in genere vertit 2. Paralip 32.5. & *Pugionem*. 2. Paralip. 23.10. *Gladiũ* vero hoc loco, & inferius, cap. 36. 12. Nehemiæ. 4.13. quam ſignificationẽ probant Hebræi, Rab David, Rab. Abraham. Rab. Mardokai: Quare quod Geneſ. 37.31. dicitur: *Tulerunt tunicam ejus mittentes, qui ferret ad patrẽ, &c.* Legendum exiſtimãt aliqui: *Glado ſcindentes*, vel jaculo, aut miſſili ſecantes. eo quod inſtrumentum illud ſcindendi, appellationem habeat a verbo *mittendi*, vel *projiciendi*.

Gladius pro omni armorũ genere. — LXX. — שלח — R. R. David, Abrah. Mard. — R. Mard. Pagninus in Theſ.

XIX. Increpat quoque per dolorem in lectulo, & omnia oſſa ejus marceſcere facit.

1. *Elucidatio paraphraſtica ſententia.*
2. *Deus paulatim intendens ſupplicia, & morbos. Increpatio ad dolorem, & rem ipſam relata. Explicatus Iſaias, David, Moyſes.*
3. *Dolor, quid proprie. Lectus morbi, & infirmitatis Symbolum.*
4. *Fortitudo, & diuturnitas morbi. Oſſa, pro omnibus membris. Explicatus David.*
5. *Morbus, peccati pœna. Aegrotanti orandum, & pœnitendum. Illuſtrati Sapiens, & Lucas.*

1 CVM Vero (inquit Eliu) ad priores Dei voces, & correptiones obſurdeſcit homo, & nocturnis viſis, atque terroribus nihilo fit melior, jam tunc multo ſeverius loquitur Deus, & *arguit in furore*, atq; *corripit in ira*, graviſsimo aliquo morbo afficiens, paulatimque vim morbi, atq; doloris intendens, & vitam ad ſummum periculũ adducens, conſumptis carnibus, abſumptis viribus, contuſsis, atque debilita-

Elucidatio ſequentium ſententiarum. — Pſal. 6. 1.

litatis oſsibus, ſummo cibi faſtidio; quouſque tandem vel per ſe ipſum his flagellis admonitus reſipiſcat, vel alicujus Angeli hortatu, & conſilio ſuam impietatem cum vehementi ſuſceptæ improbitatis odio, & vitæ priſtinę pœnitentia agnoſcat. Hæc eſt fere ſequentium ſententiarũ ſenſus, ſummaque.

2 LXX. *Philipp.* *Increpat quoque.* Sapienter Interpres illud, *quoque*, addit; ſicut & Septuag. *Iterũ*, ut ſecundã Divinæ correptionis viam, & rationem proponat. Philippus; *Non ſolũ viſionibus terret Deus, ut corrigat; verum etiam infirmitatibus diſcruciat, ut emendet.* Hoc illud eſt Iſaiæ; *In menſura contra menſuram.* Semel, & iterum menſurat ſupplicia, & paulatim per ſuos gradus, ubi videt opus eſſe, auget menſuram ſupplicii. *Increpat*, igitur jam non ſolum verbis, ſed verbere, & re ipſa. Ejuſmodi enim *Increpationem*, & caſtigationem affert originale verbũ, eã præſertim, quæ morbo, & corporis dolore, & cruciatu adhibetur: nam ab eodem dicitur Deus *arguere in furore*, Davidem graviſsime ægrotãtem, Pſ. 6. 1. & Pſal. 36. 1. & *Corripitur* Iobus mortiferis morbis laborans, ſuperius, cap. 5. 17. *Reges increpat*, 1. Paralip. 16. 21. & Pſal. 104. cum caſtigatur propter ablatam Saram Pharao *Plagis maximis*. Geneſ. 12. 17. Abimelech morbo graviſsimo, & *mortifero*, Geneſ. 20. 3. 17. Denique David morbos ſuos *correptiones*, atque *increpationes* vocat, Pſal. 38. 24. *Increpationibus propter iniquitatem corripuiſti hominem.*

Iſai. 27. 8. — Deus paulatim augẽs ſupplicium. — Increpatio re ipſa, & morbo. — יכח

3 LXX. כאב *Per dolorem.* Septuaginta *Languorẽ* dixerunt, & ſane conjungitur cum *infirmitate*, & cum *languore*, Iſai. 53. 3. & cum *ærũnis* Eccleſi. 2. 23. & cum *vulnere*, Iob. 5. 18. Geneſ. 34. 25. & Pſal. 68. 27. & cum *paupertate*, Pſal. 68. 30. & cum *Flagellis*, Pſ. 17. 18. & cum *gemitu*, Pſal. 30. 11. & fere ponitur pro *triſtitia*, Ezech. 13. 22. Ergo ſignificat cruciatum, aut morbum, qui cũ ingenti dolore corporis, & ægritudine animi conjunctus ſit, ex quo neceſſe ſit in lecto decũbere; lectus enim, aut cubile infirmitatis ſymbolum eſt, Luc. 17. 34. ut infra dicemus. Vt autẽ corporis dolores, & morbi contingant ad ſupplicium, aut expiationem, diximus ſuperius, c. 23. verſ. 10.

Lectus morbi, & infirmitatis ſymbolũ.

4 *Et omnia oſſa ejus marceſcere facit.* Afficit inquam, morbus etiam oſſa, ebibitque oſſium medullas. clare reddidit Interpres, quod in Hebræo obſcurius redditur: *multitudo oſsium ejus in fortitudine*, ſupple, doloris: Fortitudo enim illa a radice *Ethan*, videtur eſſe duritia quædam, aſperitas, vehementia pertinacia ægritudinis, & cruciatus. alii *perennitatem* quandam intelligunt, & diuturnitatem morbi. Sic Pſ. 73. eadẽ voce dicitur: *Tu ſiccaſti fluvios Etvã*; quod Hieronymus dixit: *Flumina fortia.* Alii. *Perennia*, aut vehementi impetu profluentia. Septuaginta ad torporẽ retulerunt, *Multitudo oſsium ejus obtorpuit.* Nicetas; *Horrorẽ* etiam oſsium ſupra *torporem* addit. Sed elegãter noſter Interpres: *Marcorem*, qui fit exucto nativo ſucco, & medullis confectis. Quod ſi pro *oſsibus* membra univerſa corporis intelligas, quod in Sacro ſermone licet, quia membra potiſſimum oſsibus conſtãt, tanquam parte ſolidiſsima, ut aliquando diximus; tunc ſignificabit atrophiam, & marçorem, atque torporem univerſi corporis. Vide ſup. c. 20. 11. & c. 21. 24. & c. 30. 30.

Fortitudo, & diuturnitas morbi. — איתן — *Hieronym.* — *Nicetas.* — Oſſa pro omnibus mẽbris. — Atrophia, & marcor totius corporis.

5 Vides, ut morbi, & corporis dolores ſint frequẽter ſupplicia impietatis. nã qui noſtri corporis auctor, & Dominus eſt, atque noſtrorum humorum, & ſanitatis cõtemperator, cum videt nos abuti corpore, & viribus, vires adimit, & ſanitatem; atque vinculis dolorum conſtrictos, & cõpedibus imbecillitatis detentos, atque lecto jacentes, tanquam cippo alligatos, tradit tortori: Scriptum eſt enim; *Qui delinquit in conſpectu ejus, qui fecit eum, incidet in manus medici.* Ideo jubet orandũ, & ſacrificandum pro peccato, & avertendum ab his, quæ quis facit, ad ſanitatem conſequendam; *Fili in tua infirmitate ne deſpicias te ipſum, ſed ora Dominũ, & ipſe curabit te. Averte a delicto, & dirige manus, & ab omni delicto munda cor tuũ: da ſuavitatem, & memoriam ſimilaginis, & impingua oblationem.* Peccata ſunt, propter quæ Paulus teſtatur multos apud Corinthios ægrotaſſe, & diuturna valetudinis imbecillitate laboraſſe: multos etiã ſuum diẽ obiiſſe 1. Corint. 11. 30. Sic Ierem. 16. 4. comminatur: *Mortibus ægrotationũ morientur*; Septuag. *In morte morboſa morientur.* non enim ſævior eſt hoſtis gladius, ſubito viã eripiẽs, & conficiens. Ex horum numero, qui cum propter peccata & ægrotant, & moriuntur, illi erunt, de quibus Scriptũ eſt, Lucæ 17. 34. *Erunt duo in lecto uno, unus aſſumetur, & alter relinquetur.* Quod. S. Ephrem peculiari homil. in hunc locum de ægrotantibus, *juſtis, & injuſtis, & qui in morbo vitam terminant*, accipit: per *lectũ* enim *infirmitatem denotari* exiſtimat. *Sunt* (inquit) *ægroti ac languidi juſti, ut Iob, & Lazarus: ſunt, & injuſti, ut Cain, & Giezi.* Sed de morbis, & de morborum cauſis ſuperius diximus.

Morbus ſupplicium peccati. — Deus vires adimẽs abutẽti vires. — *Eccleſi. 38. 15. 9. 10. 11.* — Aegrotanti, orãdum, & pœnitendum. — *LXX.* — *Ephrem.* — Lectus Iuſtorum, & injuſtorũ ærumnæ.

XX. Abominabilis ei fit in vita sua panis, & animæ illius cibus ante desiderabilis.

1. *Cibi fastidium, Lethale.* Nausea, & Abominatio. *Illustratus David, & Moyses.*
2. *Verbum* Abominandi, *de rebus fœdis, & immundis.* Herba, *res immunda. Explicatus David.*
3. *Anima, ventriculi appetentia. Panis desiderabilis, ad delicias. Explicatus Daniel.*

1 PErgit in describendo morbo gravissimo, cum pergit Deus contumacē peccatoris animum morbo ingravescente discruciare. Est autem illa cibi inappetentia languens, & jacens, ingens malum ægrotātis hominis, & per se mortiferum: ut indicatur Psal. 106.18. *Omnem escam abominata est anima eorum, & appropinquaverunt usque ad portas mortis.*
Cibi fastidiū lethale
Videturque similis quędam inappetentia fuisse conjuncta cū illa *saturitate*, de qua Psal. 105. 15. *Misit saturitatem in animas eorum.* quæ eadē videtur vocari *nausea*, abominatio ventriculi, aut animæ, Numer. 11.20. *Comedetis usque ad mensem dierum, donec vertatur in nauseam:* quæ est fastidium omnis cibi; ut eū locum clarius legit Onkelus: *Donec fastidietis, eritque vobis in offendiculum.*
Abominatio, & nausea.
Onchel.
Videlicet tanquam res abominanda, quam quis omnino aversatur. Porro ad nauseam, illa *abominatio* referri solet, & ad res sordidas, quæ nauseam efficiūt, ita ut nulla ratione trajici aliquid possit.
LXX.
Sic Septuaginta hoc loco; *Omnē esam frumenti non poterit sumere.*
2
Vox autem Hebræa in hoc tātum loco invenitur, & ajunt quidē Elias Thisbites. Rab. David, Rab. Mardokai, & Complutenses, verbum *Zaham* ad sordes referri, & excrementa, quæ ex cibis egeruntur.
Elias Thisbit. RR. David. Mard. Complutenses.
quare dicunt significare, nō solum *abominari*, aut *nauseare*, sed etiam *inquinari*, & *fœdari*: eo quod inquinationem & sordes abominari solemus.
זהם
Quare Elias Thisbites legit hunc locum: *Execretur tanquam rem fœdam, vita ejus panē.* quo eodem verbo utitur Thargum, Psal. 105.20.
Thargum.
Vbi Septuaginta legunt: *In similitudinem vituli comedentis fœnum:* legit enim: *In similitudinem vituli, qui comedit herbam, & coinquinat se.*
LXX.
Honeste enim, & munde per *fœnum*, aut *herbam viridem*, ex qua multū fœdi excrementi egeritur, sordes ipsas significari putavit.
Herba pro excremento.
Quod autē dixit Interpres *in vita sua*, dissolvit, & illustravit Hebraismum: nam in Hebręo cum verbum *abominandi* sit generis fæminini, vita est suppositum, in hunc sensum; *Vita ejus abominari eum facit eum.*

Et animæ illius cibus ante desiderabilis. Expositio præcedētis. 3
Animæ, vētriculo, appetentiæ redditur abominabilis ipse *cibus desiderabilis*; sive ut in Hebræo est, *Cibus desiderii*, vel aviditatis, qui solebat quōdam irritare palatum, & appetentiam.
Panis desiderabilis, quis.
Is videtur esse ille *panis*, qui Danielis, 10.3. dicitur (licet ab alia radice *Hhamad*) *panis desiderabilis*. Hebr. & Septuaginta; *Panis desideriorum*.
חמד
Theodoret.
Qui quāvis Theodoreto videatur esse panis quicumq; *Panis enim* (inquit) *necessarius est, & cōmunis omniū cibus; id circo panem desideriorum appellavit, ut cibum cōmunem, & alimētorum amabilissimū;* Sed certe ad voluptatem, & delicias pertinet, a quibus tēpore illo justus omnino abstinuit. Sic & panis aviditatis, vel desiderii, erit ille, qui cum delicatissimus sit, & ex farre purissimo, velut ex adorea cōfectus, potens est palatum, & appetentiā quantūvis depravatā irritare; & qui quōdam cum summa aviditate sumi solebat ab homine sano.
LXX.
Septuaginta paulo aliter legunt: *Et anima ejus cibum desiderabit.* Videlicet, quod tanta sit morbi gravitas, tātaque corporis imbecillitas, ut desideret quidem, & concupiscat cibum; sed sit ea aviditas inanis, ita ut oblatum cibum non possit sumere, neque trajicere.

XXI. Tabescet caro ejus: & ossa, quæ tecta fuerant, nudabuntur.

1. *Cibi fastidium. Marasmus ex inedia.*
2. *Hebraismus*, Non videri, *pro perire. Explicatus Ieremias.*
3. *Ossa prominentia, de extrema macie. Dolor savus, Leo. Explicatus Isaias.*

EX Cibi fastidio, & inedia sequitur cōsumptio totius corporis, cum paulatim cruciatuum, & dolorum funes intendit Deus, 1
Cibi fastidiū.
idque siue propter febrem consumentem substantiam humidam, ex qua marasmus vel atrophia provenire solet:
Marasmus ex inedia.
sive propter solam inediam, ex qua dissolvuntur vires animalis, & molliores, humidioresque partes absumuntur, ut medici docent de marasmo, & atrophia disputantes, aut etiam de senio ex morbo.

2
Tabescet. Propr. exedetur, consumetur Septuaginta.
LXX.
Quoadusq; putruerint ejus carnes. Addit lectio originalis: *Consumetur caro ejus a visu, vel a vidente.* id est, non poterit videri; caro ejus non apparebit. Clarius; Non erit caro, quæ videri possit; sed
Non videri, pro perire.

propter incredibilẽ corporis extabeſcentis maciẽ mutabitur priſtinus habitus totius corporis,& tã erit macilentus, ut nõ appareat in eo veſtigium priſtinæ faciei. Quod perit, aut evaneſcit,dicũt Hebræi, *Non videri.* Ierem.14.13. *Nõ videbitis gladium, & fames non erit.* Ac ſi dixiſſet: Nõ erit gladius, & famem non videbitis. Sophon.3. 15. *Non timebitis* (Hebræa, & Septuaginta, *Non videbis*) *malum*. Pſal. 88. 49. Eccleſi. 8. 16. Vide, quæ diximus ſupra,cap.3. verſicul. 10. & iterum ſequente particula.

3 Extemę maciei deſcriptio,exoſsibus prominẽtibus

Et oſſa,quæ tecta fuerant,nudabuntur. Eleganter, & dilucide,quod breviter,& obſcure in fonte; *Nudabuntur oſſa ejus,non videbuntur.* id eſt,quæ prius non videbãtur, neque diſcerni poterant, ut pote,quæ eſſent carne operta,ac bene veſtita,jam tũc apparebũt,ac ſi nudata fuiſſent,ita ut diſcerni,& numerari ſingula poſsint. Quare ſapienter,quod in Hebræo eſt: *Non videri oſſa*, Interpres dixit, *Tegi*, & quaſi veſtiri ſuper inducta carne. Septuaginta vero: *Et oſtenderit oſſa ſua inania* Eleganter Tygurina,cum Vatablo: *Et promineant oſſa ejus,quæ prius non videbantur.* Nã quod noſter dixit, *nudare*, a radice *Saphak*, Hebræi dicunt elevare, aut eminere: conſumpta enim carne neceſſe eſt oſſa prominere, & extare,quæ prius immerſa videbãtur carne. Quod enim Pagninus,& Regia,Cajetanus,poſt Thargum, Rab.David, R.Levi, R. Mardok. vertunt; *Oſſa ejus confringentur*, aut, *contudentur*, deducentes a radice, *Suph*, alienũ videtur ab hoc loco: nã *Suph*, potius ſignificat obruere, & quaſi conculcando abſcõdere,unde dicitur Pſ. 138. *Tenebræ conculcabunt me.* Sed illud tamen non alienum, quod morbo graviſsimo oſſa male habẽt. Hinc enim Ezechias morbi,dolorisque magnitudinem deprecabatur Iſai.38. 13. *Quaſi Leo, ſic contrivit omnia oſſa mea.* Vbi Cyril.eleganter *Qui tãdem Leo? morbi dolor, & tantum non mors, in ſpeciem infremens, & inſultum minitans.* Vide,quæ diximus ſup.c.30.30.

LXX. *Tygur. Vatablus.*

שפק

Thargum, Hebrai, et Hebraizantes.

שוף

Dolor ſævus leo.

Cyrill.

XXII. Appropinquavit corruptioni anima ejus, & vita ejus mortiferis.

1. *Inappetentia, & alia ſymptomata lethalia.*
2. *Varia* Mortiferorum *interpretatio. Miniſtri crudeles inferendi morbos, & mortem, Dæmones. Varia illorum nomina.* Pollynctores,*qui.*
3. *Simpliciter expoſitio.* Mortuum, & Mortale, *quid in Sacro, & vulgari ſermone. Illuſtrãt Moyſes, David, Paulus.*

1 *Galenus 1. de morb. vulga.cõ. 3.ſect. 12.*

APpropinquavit corruptioni. Ex tanta macie, & inedia certa mors, ut aliquãdo Galenus dixit; *Inappetẽtiã,quæ eveniebat in morbo, ſignum fuiſſe ipſam naturalẽ facultatem extingui.* Et per ſe quidem tum inappetẽtia,tum tabes mortifera ſunt. Septuaginta clare: *Appropinquavit anima ejus, & vita ejus inferno.*

LXX.

2 *Pagnin. Regia.*

Mortiferis. Alii tranſive, & active reddunt: *Mortificantibus.* Vatab. *Vt qui tradũt hominem morti, hoc eſt morbis.* Fere eodem modo Latini. D.Thom. Nicolaus, Dionyſius, *Signis, & cauſis mortẽ inducentibus.* Sed quorſum nunc,cum adhuc de morbo egerit,& de ſignis per ſe lethalibus? Non diſſimile, quod alii per *mortiferos* intelligunt paroxiſmos,& alia moribundi hominis ſigna,ex quibus certa fiunt mortis prognoſtica. Philipp. *Infernales miniſtros*; Dæmones videlicet homini impœnitenti,& poſt morbi cruciatus,& dolores non reſipiſcẽti adſunt, rapturi ad æternos cruciatus, ubi primum egreſſa fuerit anima e corpore. ſicut Scriptum eſt: *Si male egeris,ſtatim in foribus* (tui exitus,diſceſſus e corpore) *peccatum tuum* (peccati pœna) *aderit* (itineris comes,ſceleris vindex) Forte etiam per *infernales miniſtros* intelligit, ſpiritus nequiſsimos, quorũ interdum opera utitur Deus,non ſolum ad flagellandum hominem impium morbis, ſed etiam morte; quorum numero potuit eſſe ille *Angelus percutiens*, & interficiens Aegyptios, qui Exo. 12.23. dicitur Hebraice *Maſhbith*, id eſt, *Percuſſor*, vel *homicida*, vel *corrumpens*, aut *perdẽs*. & Paul. Grece vocat *Olotreutes*, id eſt, *perniciem afferens*. Et *Angelus crudelis*; Proverb.17. 11. & *Angelus exterminator*, Iudith. 8. 25. & 1. Corinth. 10. 10. & *Rex abyſſi, Hebr. Abadon, Græce autem Apollion. Latine habẽs nomen exterminans.* Apocal.9.11. Vide,quæ diximus ſupra cap.2. verſic. 7.nu 2. & 3. Hanc eandem rem indicarũt Septuaginta verſ.ſequẽte,ubi nominant, *Angelos mortiferos.* Tygur.(quod aliis etiã Latinis placuit) paulo Latinius, *mortiferos*, vult eſſe *Pollinctores*, qui cadaver lavant, ungunt, pollinciunt, & funus curant. q.d. parum abeſt, quin moriatur, & mortuus jam tradatur pollinctoribus. Sed quidẽ iſti non interficiunt,neq; mortem afferunt,de quo eſt ſermo,ſed potius mortuum efferunt.

D.Thom. Nicolaus, Dionyſ.

Philipp.

Gen.4.7.

Dæmones miniſtri inferẽdi mortẽ, & morbos.

Varia nomina Angelorũ crudelium.

משחית

ὀλοθρευτὴς

Tygur. Tremel. Oſorius.

Pollynctores.

3 Mortiferi pro moribundis.

Ergo illa mihi ut ſimpliciſsima, ita & germana interpretatio videtur, ut *mortiferi* dicantur moribundi homines,quaſi jã jam morituri, ut qui mortifere ægrotent. Et quãvis proprietas Latinę vocis id non ſuadeat; at ſuadet hanc intelligentiã vox

origina-

Mortalis, & mortuus poſitione differẽs

מתים

מות

originalis *Methim*, quæ ſignificat *mortalẽ mortuumve*, a *Muth*, id eſt, morte; hoc diſcrimine, quod ſi ſub, *mẽ*, habet, *Seva*, ut hoc loco, ſignificat *mortalem*; at ſi habeat *Tſere* ſignificat mortuum; ita ut vivens adhuc, & *mortuus* poſitione tantũ differat, quod mortalis rectus incedat, ſicut ſunt duo pũcta *Seva* (:) at mortuus jaceat, ſicut ſunt duo puncta transverſa (..) Sed hoc levioris negotii eſt, ſicut, & illud, quod propter diverſa puncta eãdem vocem *Methim* ad diverſas radices quidam exiſtimant reducendam, repugnante Hieronymo, qui cũ habet *Seva*, reducit ad *Muth*, id eſt, mortem, ſicut cũ habet *Tſere*, ut conſtat Iſai. 5.13. Tum etiam hoc loco. Quare ſi legas pro *mortiferis*, *mortuos*, ſenſus conſtabit, q.d. Parum abeſt, quin connumeretur cũ mortuis, & moribundi habitum præ ſe ferat: Quare *mortiferi* erunt iidem, qui mortales, non ſolum morti obnoxii, ſed mortis certiſsimæ, atq; breviſsimæ ſigna præferentes. Et proculdubio, licet, *mortalis*, lãguidioris ſit apud Latinos ſignificationis, at apud noſtrates in vulgari, ſicut, & in Sacro ſermone vehementioris eſt: nam nos, *mortalem*, dicimus, eundemque *mortiferum*, nã & venenum mortiferũ appellamus, *Ponçoña mortal*, itẽ & ægrotum, cũ colore, oculis, ore, atque totius corporis habitu, mortuum potius, quam viventem refert. ſicut de eo, qui repentino aliquo timore exanimis exalbeſcat, dicimus, *Puſoſe mortal*. Sic exiſtimo Paulum appellaſſe ſuum corpus, *Cum mortale hoc induerit immortalitatem*, id eſt, corpus nunc ſignis, & effectibus mortis circumdatum, quæ nihil niſi mortem repræſentant, exuerit omne id, quod mortis eſt, & vitam, vitæque ſempiternæ ſigna quaſi ſtolam ſibi amicierit: nam quod hoc modo mortale eſt, mortuũ refert. ſicut 1. Reg. 25. 37. dicitur de Nabal, * *Emortuum eſt cor ejus intrinſecus, & factus eſt quaſi lapis.* & Geneſ. 2. *Morte morieris.* id eſt, ſenties, præferesq; ſigna mortis certiſsimę: & qui te viderit, mortalem agnoſcet, cenſebitque. Sic illud per *Seva*, Iſai. 5.13. *Nobiles ejus interierunt fame.* vel cum Septuaginta: *Mortui propter famem.* quod Hebraizãtes vertunt: *viri famis.* quãto melius, *intereuntes*, vel, *mortui fam: ẽnos, Muertos de hambre.* id eſt, macilenti, & exucti, luridaque fame confecti. & Iſaiæ, 41. 14. per *Seva* etiam, *Nolite timere, qui mortui eſtis ex Iſrael*. qui velut mortui reputamini, & diſcriminibus graviſsimis expoſiti eſtis. & ut Paulus loquitur: *Morti deſtinati*. Ergo *mortiferos* hoc loco: *moribundos*, aut eos, qui propter graviſsimum mortis diſcrimen mortui reputantur, intelligi oportet. quæ graviſsima morbi periphraſis eſt, ut apud David Pſal. 87. 3. 4. *Vita mea inferno appropinquavit. Factus ſum ſicut homo ſine adjutorio.* (robore, qui utique melioris conditionis eſſem) *inter mortuos, liber* ab his cruciatibus, & morbis graviſsimis. Vide, quanta ſoleat eſſe morbi, & doloris acerbitas!

Simplex, & idonea expoſitio.

Mortale pro mortifero.

1. Cor. 15. 73.

*Puſoſe muerto, y cloſe.

Morbi graviſſimi deſcriptio.

XXIII. *Si fuerit pro eo Angelus loquens, unus de millibus, ut annuntiet hominis æquitatem:*

XXIIII. *Miſeribitur ejus, &c.*

XXV. *Conſumpta eſt caro ejus, &c.*

1. *Varios, & verus nexus.*
2. Nexus *idoneus. Artificium Oratoris.*
3. *Angelus, pro Prædicatore, aut Propheta. Angelus, nomen officii. Invocatio, & Patrocinium Sanctorum Angelorum.*
4. *Angelus monet, verberat, primum etiam terret; poſtea conſolatur.*
5. *Angelus* loquens, eloquens, interpretãs, *quid. Interpretis munus. Angelorum Patrocinũ. Sunt* Oculi, *et aures Dei.*
6. Mille, et Millia *de Angelorũ multitudine* Daniele, Paulo, Ioanne.
7. *Etiam ex ſupremis hierarchiis mitti ad homines.*
8. *Ad peculiares effectus Angelos peculiares, præter ordinarios cuſtodes deſtinari. Multos Angelos opitulari homini. Illuſtratus David.*
9. Angelorum officium. *Amplificant opera hominum.*
10. *Angelus docet hominem.*

I Contextus harum ſententiarum inter ſe, & nexus cum præcedentibus litigioſus eſt. Primo enim non pauci contẽdunt proponi ab Eliu aliã rationem, qua Deus ſolet loqui, & agere cũ hominibus: nam niſi homo per dolorem increpatus, & decumbens in lecto, in ſe redeat, mittet Deus quempiam Angelum ex ſuis miniſtris, ſuæ voluntatis interpretem, per quem homini exponat, qua ratione reſipiſcere, & pænitere debeat. Tunc demum fiet, ut poſtquam homo Angeli monitu, & pœnitẽtiæ munere melior fuerit effectus, cõvaleſcat ex morbo; præcipitatq; Deus Angelo patrono, ut ſuum alumnum liberet a morte. Sed hæc intelligẽtia minime quadrat cum præſenti inſtituto Eliu, præſertim cum his, quæ diximus verſicul. 14. nam potius intendit Eliu ſeveriori, & gra-

Varia nectẽdi ratio.

Nexus præcedẽs incómodus.

viori caſtigatione corripi hominē a Deo, cum leniori verborū doctrina erudiri ſe nō permittit. Quare tota illa morbi acerbitas non recte recidet in exhortationem Angeli, aut cujuſpiam doctoris, cum potius ſoleat caſtigari homo gravi ægritudine, niſi obediat Angelo, ut dolore tandem reſipiſcat. Adde, cū Eliu omnia hæc conferre nitatur ad Iobi doctrinam, ut illi ægrotanti, atque dolenti viam oſtēdat, qua melius habere poſsit, incongrue nūc illi pollicebitur Angelum deprecatorem, quod ærumnis, & flagellis nolit (ut ipſe Eliu exiſtimat) reſipiſcere.

2 *Secundus nexus commodior.* Ergo illud ad rem præſentem congruētius, ut doceat Eliu, quid æger ſervare debeat, quid Angelus illius patronus efficere ſoleat ad Deum placandū, & illius miſericordiam alliciēdam; quod ad hominē attinet, ut ad æquitatem redeat, & flagellatus ſapiat aliquando: quod Angeli eſt, procurare hominis incolumitatem, tū animi, tum corporis, & bona hominis opera Deo offerre, tandēque annuente Deo reſtituere hominem priſtinę ſanitati. His Iobum ad meliorem frugē adducere conatur. & quod non inepti oratoris eſt, poſt minarum graviſsimarum terrorem blandiloquentia, & ſolatio aliquo delinire conatur auditoris animum graviter laborātem. *Artificium ſapientiſsimi Oratoris.* Ab hac intelligentia non longe abeunt plerique Interpretes; ſed perpauci illam explicate tradunt. Nunc minutiora ſingillatim elucidanda.

3 *Vatablus, Tygur.* *Si fuerit pro eo.* Hebraice: *Super eū.* Vatablus, *Apud eum.* Quod Tygurina nō inepte reddit: *Cum obtingit ei, &c.* q.d. ſi ſecū habere contingat oratorem, & patronum ſuper ſua cauſa, ſuaque ęgritudine deprecanda. Senſum reddit Interpres: Potuit etiam proprie vertere, *pro*: nā præpoſitio, *Ghal*, nō unius tantum ſignificationis eſt. עַל

Aſtunica. *Angelus.* Quidā Interpres, *Angeli* nomine Prędicatores, aut Prophetas intelligit recta monentes, & graviter minantes, niſi homo reſipiſcat, quique interpretētur homini, atque exponant quid ab illo requirat Deus, tum etiam doceant, quid æquū honeſtumque ſit, & iniquitatis etiam, atq; flagitii reprehendant. *An hoc loco Angel⁹ ſumatur pro Propheta, & Prædicatore.* Quos propterea exiſtimat hoc loco appellari a Septuagint. *Angelos mortiferos*, & a Kaldæo, *Accuſatores.* Quis huic interpreti negat Prophetā, Sanctumve aliquem hominem Dei juſſa, & mandata perferentem appellari *Angelum* in Sacro ſermone? Malach. Vulgatū Matth. 11.10.1. Corinth. 11.10 2.7. & 3.1 enim æque, ac verum eſt, *Angelū* eſſe nomen officii, non naturæ; *Angelus nomen officii.* multos item Prophetas, imo omnes graviter inuectos eſſe in peccata populi, Divina mandata perferentes; quod eſt, Angelorum miniſterio perfunctos fuiſſe. Certe *Angeli*, aut nuntii nomē in Sacro ſermone frequentiſsimū, nunc refertur ad ſpiritus, nunc ad homines, quod eſt ex loci, & ſermonis circunſtantiis colligendum. Sed nunquid hic locus exigit, ut de homine accipiatur ea tātum ratione, quod poteſt aliquando accipi? aut vero quid cogit, ut inuocationem, & Patrocinium Sanctorum Angelorum, quod hic nobis ultro locus offert, atque cōfirmat, ulla ratione infirmemus, atque tollamus? *Sanctorū Angelorum patrocinium, & invocatio.* & quod univerſi fere Interpretes ſumma cōſenſione aſtruūt, nos excludamus, atque deſtruamus? *Quæ probēt locū proprie accipiendū de Angelo.* Res profecto minime obſcura de *Angelo* proprie dicto, cum *millium* mentio fit, qui Angeli ſunt, innumerabiles: & cum *loquutionis*, qua ratio deprecationis pro nobis Angelicæ indicatur: cum *commiſerationis*; nam videntur noſtra mala tāgere propius cuſtodes noſtros: cum curæ, & attentionis, qua vel unum quodpiam pietatis opus a nobis requirūt, *quo invento* poſsint cōmodi⁹ nobis *propitiari*, offerentes illud in Dei conſpectu. Denique curandum, ne locū hunc, quo velut diſtricto, & ſplendenti gladio hæreticos invocandis Sanctis, & Angelis inſequi fæliciter poſsumus, atq; etiam jugulare, vel ipſi illi e manibus nobis eripiant, vel quiſpiam retundat. *Locus adverſus hæreticos pro invocatione Sanctorū.* Ego continentem interpretatione hujus loci uſque ad verſ. 26. de Angelorum patrocinio, & precibus jam proponam, atque ex ſingulis particulis, verbiſque eliciam, & confirmabo.

4 *LXX. Nicetas.* *Angelus loquens.* Septuaginta dixerūt; *Si fuerint mille Angeli mortiferi, unus eorum non vulnerabit eum.* quod ita elucidat Nicetas; *Qui extremis cruciatibus exercetur, ſi perpeſsionis ſuæ cauſam in peccato cōſiſtere intellexerit, atq; ad Deum de errato ſuo confeſſus, ſe converterit, impendentem mortem inhibebit; etaiam ſi ſexcenta ſint, quæ mortem acerſant, atque laceſſant.* *Angelus non ſolum pro Evangelio.* Vidētur itaque nō tam pro perſona nuntiāte, quam pro ipſa nuntiatione, & indicatione mortis ſumpſiſſe. q.d. Etiam ſi jam mille ſigna mala, atque mortifera portendant ejus mortem, ope tamen pœnitentiæ vivet, Deuſque ſententiam revocabit. Sed ſenſus elegantior, & acrior, ſi propria *mala*, pro Angelo, non pro *Malacuth*, id eſt, nuntiatione ſumatur; מלאכות מלאך Rurſus pro *Angelo* bono, quem etiam ſenſum amplectitur Kaldæus; *Chaldæus.* *Si eſt in eo meritum, præparatur Angelus paracletus unus demillibus accuſatoribus, ut annuntiet filio hominis æquitatem ſuam.*

Quam-

Angelus bonus quomodo nos accuſet.

Quamvis enim *accuſator fratrũ ſuorum* ſit Diabolos, & Sathanas, at is *accuſat nos ante conſpectum Dei noſtri die ac nocte*, Apocal. 12. 9. 10. Sed qui nos ipſos accuſat apud conſcientiam noſtrã, qui urget, qui minatur, ut a peccatis ad meliorem frugem cõvertat, & mortem avertat impendentem, is bonus Angelus tutelaris eſt, vereque *paracletus*: *Vnuſque* de illis *millibus*, qui ſunt *adminiſtratorii ſpiritus in miniſterium miſſi, propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis*. nam plenum eſt paterna charitate, delinquentes monere, cõprimere, & ſi opus ſit, verberare; ut quondã factum narrat Euſeb. lib. 5. hiſtor. ad finem; Natalem enim quendam in hæreſim prolapſum, revocãt verberibus Sãcti Angeli; *Natalis deceptus, frequenter admonebatur in ſomnis: ſed cũ negligentius ſuſciperet viſiones, a Sanctis Angelis per totam noctem verberatus, & pœnis gravibus excruciatus, mane conſurgens cilicio ſe induit, &c.* Atque Hieronymum etiam iidem revocant a nimia lectione, & ſtudio prophanorum librorum, *illa voce inter flagella reſonante*, ut ipſe de ſe ad Euſtochiũ ſcribit, *Miſerere mei, Domine*. donec *ad Præſidentis* Chriſti Ieſu *genua provoluti, qui adſtabant* Sancti Angeli *precabãtur, ut veniã tribueret adoleſcẽtiæ*. Paracleti porro ſunt, & conſolãtur homines poſt moleſtiarum, & ærumnarũ exercitationes, ſicut de Lazaro deportato ab Angelis, in ſinũ Abrahæ Scriptum eſt, *Hic conſolatur*, Luc. 16. Quid, quod cum apparẽt, quamvis initio timorem injiciant, ad extremum *conſolationem*, & *tranquillitatem* relinquunt, ut eleganter æque, ac ſapienter docebat, dicebatque Antonius ille magnus apud Athanaſium. Hieronym. in Matth. 28. Chryſoſtom. hom. 9. in Matth. Gregor. hom. 26. Paſch. Cyril. Catheched. 14. Beda in 1. Lucæ. Alios adduximus ſuper, cap. 4. verſic. 16. cum de ſignis veræ revelationis ageremus.

Angeli boni, & tutelares verberãt interdum ſuos alumnos.

Euſebius.

Hieronym.

Sancti Angeli Paracleti.

Angeli boni primo terrẽt, poſtea conſolantur.

Hieronym. *Chryſoſt.* *Gregor.* *Cyrill.* *Beda.*

5 Is vero *Angelus* dicitur *loquens*. Pagn. & Regia, *Eloquens*. nam Rab. Mardochai ait vocem originalem ſignificare *ſermonẽ clarum, & elegantem, & quod vocat Rethoricum*. Hebraizãtes cum Hieronymo exponunt, *interpretari*, & *Melits* vocãt *Interpretem*, aut legatũ, qui pro alio loquitur, aut alterius ſermonem intermedia oratione tanquã orator, & internuntius eloquitur. nam ſolẽt ſane oratores bene compoſita, præmeditataque oratione uti; tum etiam Interpretes elucidantes, quod obſcurum erat. Quæ vox etiam accommodatur ad Prophetas, qui interpretabantur populo Divinam voluntatem, Iſai. 43. 27. & pro Verbo Divino Parabolico, & artificioſo, quod indiget interpretatione, Proverb. 1. 6. Ergo hoc loco *Eloqui* eſt, exponere homini, quid velit Deus, & quid ab illo requirat; quod eſt Interpretis officium; & declaratur particula ſequente. Vel potius eſt, oratorem, & internuntium agere; aut ſi Latine dici poſſet, *interloquutorem*; quaſi qui inter Deum, & hominẽ ſe interponat de cauſa acturus, & de re tota cõponenda: quod primum, & precipuum eſt oratoris, atq; legati munus, & ſub quo illud primũ comprehenditur. Sic ſane legati ſunt Angeli inter nos & Deum, deferunt nimirum ad nos illius voluntatẽ, & mãdata: noſtra item ad illum perferunt, & vel noſtras orationes, vel noſtra bona opera repræſentant, reſque ipſas noſtras in meliorem partem interpretãtur, ut nos reconcilient cum Deo. Et quidem quamvis ea Angelorum interceſsione nihil indigeat Deus, neq; ad faciendũ, neque ad cognoſcendum; at indigebamus nos, quibus Divina Providentia idoneũ attribuit patrociniũ Sanctorum Spirituũ, qui ante ſuum thronum aſsiſtunt, ut eleganter Hilarius docuit ſuper id Pſ. 129. *Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ, &c.* Nam cum videretur *aurium* nomine, ipſos Angelos nobis propitios intelligere, ſubdit; *Si forte hos eſſe oculos, vel aures, vel manus, vel pedes Dei intelligere voluerimus, habemus non improbabilis intelligentiæ auctoritatem. Maxime cum Scriptum ſit, Hebræ. 1. Sunt efficientes ſpiritus in miniſterium miſsi, propter eos, qui hæreditabunt ſalutem. Interceſsione itaque borũ nõ natura Dei eget, ſed infirmitas noſtra ad rogandum, & promerendum, ſpiritualis interceſsionis miniſterio indigens.* Sed qui de hoc Sanctorum Angelorum interventu argutam, & elegantem diſputationẽ videre volet, adeat noſtrũ Nicolaũ Serarium ad tertiũ caput Tob. ſua q. 4. 5. 6. 7. 8. 9.

Pagn. *Regia.* *R. Mard.*

מלץ

מליץ

Eloquẽtia Interpretum.

Propriũ Oratoris, & legati munus.

Angeli internuntii nos inter, & Deum.

Opportunum Angelorũ patrocinium.

Hilarius.

Angeli ſunt veluti oculi, aures, manus Dei.

Nicolaus Serarius.

6 *Vnus de millibus*. Hoc refert Vatabl. ad Divinorum beneficiorum innumerabilitatem, quam ſuggerat homini ægrotãti Angelus, in hanc ſententiam; *Si tũc adſit Angelus bonus, qui ponat ante oculos hominis milleſsimam partem beneficiorum Dei, ut annuntiet, ſive inſpret homini ipſi Deũ juſte omnia facere, & homo acquieſcat, tũc miſerebitur ejus Deus.* Sed importune hanc partẽ conjunxit cum ſequente; coheret enim aptius cũ præcedente *Angelo*, tum præterea pro libito ſupplevit *beneficium*, potuiſſet enim ſubintelligere peccatum hominis, ut diceretur, *Angelus eloqui unum* peccatum *de millibus*, ut hominẽ adduceret *ad æquitatẽ*,

Vatabl.

Præcedens expoſitio incommoda.

tandem

tandem illud durum est, ut *Vnum de mille*, dicatur millesima pars alicujus numeri. Secundo illud ad phrasim Scripturarũ magis accõmodatum, quod Isidorus Clarius interpretatur, *Vnum de mille*, Angelũ, vel interpretẽ, & doctorem, qui idoneus, & fidelis in suo munere vix reperiatur *Vnus inter mille*; sicut Ecclesiastes, cap. 7. 29. dixit, *Virum de mille unum reperi*. difficile enim inter tot hominũ myriades invenies *Viri* nomine dignũ, & qui officio suo fideliter, & laudabiliter fungatur: sicut ait Apost. de ministris Evangelii, *quæsitũ esse* a Corinthiis; *Vt fidelis quis inveniretur*. Sed hãc quoq; interpretationem superius rejecimus.

Isidorus.

1. Cor. 4. 2.

7 Simplex, & germanum, ut *millia*, significent innumerabilem Angelorum multitudinem, quæ neque a nobis certo definiri, sciri ve potest. Millenarius enim numerus immensitatis est: sicut & Daniel. 7. 10. *Millia milliũ, & decies millies centena millia* ministrantium, & assistentium Deo. Heb. 12. 22. *Multorũ millium Angelorum frequẽtia*. Apoc. 5. 11. *Numerus eorũ mille milliũ*. Ergo cum *millenarius numerus* frequenter ad Angelorum multitudinem referatur, nõ est, cur hoc loco, ubi de Angelo sermo est, aliorsum trahatur. Tãtum videtur obstare, quod numerus Angelorum dicitur esse *millia*, in numero plurali, Hebr. *Alaphim*. At hoc loco singulare est, *mille* Hebræ. *Eleph*. Vidit hoc Interpres, & *millia* vertit, tantumdem ratus singulariter, aut pluraliter dici; quod definitus numerus non nisi pro indefinito accipi oporteat.

Germana interpretatio.

Millenarius numerus nota innumerabilitatis.

Millia autem mille ad Angelorum multitudinẽ referri.

אלפים אלף

An Angelus nostri ordinarius custos nostram tantum salutem procuret; non etiam alii?

8 Illud vero quæstionem habet, an *Vnus Angelus de millibus* significet quempiã ex universis ordinibus, & hierarchiis idoneũ esse ex officio ad proxime res nostras procurandas; an vero potius tantum significentur inferiores Angelorum ordines, ex quibus ad nos mittãtur Angeli Custodes, & rerum nostrarum diligentissimi procuratores? Sicut D. Thom. 1. p. q. 112. a. 2. contendit superiores Angelos nunquam ad nos mitti, sed inferiores tantum: illos enim, videlicet Cherubinos, & Seraphinos, *denique superiora illa agmina*, ut Gregorius loquitur, *ab intimis nunquã recedere*. Res hęc in scholis differitur subtilius, & a nostro Gabriele Vazquez in utrãq; partẽ argute, & ingeniose 1. p. disp. 244. Greg. de Valent. disp. 18. q. 6. Francisco de Ribera ad cap. 1. Epistolæ ad Hebræos docte, & solide. Certe ubi ordo est, delectus quoque est maximus, ut non ad res quaslibet, quivis etiã e primis Principibus mittantur, sed superioribus gravissimæ legationes demandentur, minoribus item minores; ut enim Cyrillus Sapiẽter dixit ad cap. 6. Isai. *Omnia ab illis supremis potestatibus ornate, splendideque administrãtur, & administrationis termini, finesque gloriæ cuique sunt constituti a Deo, qui omnia pro arbitratu suo dispensat*. Sed nemo tamen, ubi res postulat, eximitur ex legatione, & ministerio obeundo erga mortales, ut Cyrillus eodem loco subjungit; *Idem quasi jugũ est omnibus sanctis spiritibus, & herili nutui serviunt, non indignam censentes servitutem, sed honori, laudique ducentes. Hæc virtus germana, ac genuina illis inest*, dicente Apostolo, *Omnes sunt administratorii spiritus* (videlicet Christi Domini Ministri, & obsequentissimi famuli) *in ministerium* (famulatũ, & obsequiũ Christi Domini) *missi* (Græce, *qui mittuntur*. vel, qui mitti solẽt, quasi ex officio ad bonum Ecclesiæ, quod est, Christi corpus) *propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis*; *Cherubini*, Genes. 3. 23. 24. Ezech. 10. 1. 2. 7. *Seraphim*, Isai. 6. 7. *Archangeli*, Tob. 12. 15. Luc. 1. 19. 26. Apocal. 1, 4. Quæ enim his locis Scriptura propriis supremarum Hierarchiarum nominibus narrat, proprie accipienda censent sancti Patres, Hieronym. Ambrosius, Augustinus, Greg. Cyrillus, Chrysostom. Damascenus, Rupertus, Beda. Ergo cum hoc loco dicitur, *Vnus de millibus*, certe nõ adstringitur ad peculiarem aliquem Angelorum inferiorum ordinem, neque ad custodem Angelum cujusvis hominis. Atq; hoc sit primum a me dictum.

An unus de mille significet quẽcumq; Angelum cujuscumq; Hierarchiæ.

D. Thom.

Gregor.

Gabriel Vazquez ingeniosus disputator.

Gregor. de Valentia.

Franciscus Ribera.

Ordo, & delectus in legationibus Angelorum.

Cyrillus.

Quẽlibet ex quãlibet Hierarchia posse mitti.

Hebr. 1. 14.

Hieronym. Ambros. August. Cyrill. Chrys. Damascen. Rupert. Beda.

Illud secundũ; Nihil cogere, ut locum hũc de Angelo custode ęgrotãtis hominis accipiamus: nõ enim semper demandat Deus, quę ad bonũ cujusque hominis pertinet, sive illa animi sint, sive corporis, Angelo ordinario custodi, sed ad speciales effectus, suum peculiarem Angelum aliquando mittit. Nam *Seraphinus* adurens, expurgansque labia Isaiæ; *Gabriel* Zachariam illuminans, & incredulitatem increpans; *Raphael* Tobiam seniorẽ sanans, juniorem comitans, Saram liberans ab Asmodæo, minime erant illorum ipsorum, quos curabant ordinarii custodes. Sed neque illi quidem (quãvis hoc non omnino exploratum) qui missi sunt ad Iacob, &

Deus ad peculiares effectus peculiares Angelos mittẽs.

Isai. 6. 6. Luc. 1. 19. Tob. 5. 20. & 11. 15 & 8. 3.

Petrum.

Angeli defenſores Iacobi. & Petri, a fuerunt ordinarii illorum cuſtodes.

Petrum. De illo Geneſ. 48. 16. *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris iſtis, &c.* Videtur enim ad illum miſſum peculiaris Angeli patrociniũ ad peculiaria quædam diſcrimina, & difficultates ſuperandas. De hoc vero Petrus Act. 12. 11. *Nunc ſcio vere, quia miſit Dominus Angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis.* Ex horum quoque numero, id eſt, non cuſtodes Loth, & filiorum ejus, ſed ad peculiarem effectum tunc deſtinati, *Qui eduxerunt Loth, & poſuerunt extra civitatem dicentes, Salva animam tuam, &c.* Geneſ. 19. & 17. & quem Abraham pollicetur comitẽ itineris ſervo ſuo Geneſ. 24. 7. *Ipſe mittet Angelum ſuum coram te, & accipies uxorem filio meo.* Et quem miſit Deus, *ut concluderet ora leonum*, ne Danieli nocerent. Dan. 6. 22. Quanquã hos omnes fuiſſe ordinarios tutelares, non omnino improbabiliter nõnulli Theologi ſuſpicentur. Sic vero & Divina Providentia, & Angelorũ charitas erga mortales illuſtrior eſt, cum non unus tantum nominatim ad id deſignatus alumnum ſuũ cuſtodiat, ſed alii extraordinarii ſaluti noſtri proſpiciant, & aliquando etiã legio, & exercitus integer; ut illud non ad unum, ſed ad plures referẽdum videatur, Pſal. 33. 8. *Immittet Angelus Domini in circuitu timẽtiũ eum, & eripiet eos.* Baſil. *Immittet ſe, &c.* Quod alacritatem, & celeritatem denotat Divinorum ſpirituum ad opem noſtram in periculis convolantium. Theodorus, *Simul pugnat.* Kaldæus: *Moratur, & quieſcit*, ſed illud juxta Hebræum: *Caſtrametatur*, vel, caſtra figit; Quamvis enim Baſilius, Dionyſius, Nicephorus exiſtiment, *unum Angelum propter fortitudinẽ integro exercitui, & conferto multorum hominum agmini cõparari*: at quis prohibet plures cæleſtis exercitus milites, & interdum etiam *plus quã duodecim legiones Angelorum* intelligi? Theodoretus cũ hoc loco jungit illum Apoſtoli, *Omnes ſũt administratorii ſpiritus*. Quis enim repugnet eo loco alluſiſſe David, ad duplicia illa *Caſtra* plurimorum Angelorũ, quæ vidit, Iacob, *Cum fuerũt ei obviã Angeli Dei*, Geneſ. 32. 2. Aut quis neget tunc *Caſtrametatum fuiſſe Angelum Domini in circuitu timẽtium eum*, cum dixit Eliſæus, 4. Reg. 6. 16. *Plures nobiſcum ſunt, quam cum illis. Et ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum in circuitu Eliſæi?* Sed pergendum ad reliquum Angeli officium, & interventum pro ſuo ægroto.

De Angelo Danielis, & Loth.

Alacritas Angelorum multorum convolantiũ ad noſtram opem.

Baſilius.

Theodorus. Kaldaus.

Dionyſ. Nicephorus.

Theodoret.

(5)

Quod ſit Sanctorũ Angelorum officiũ erga res humanas.

9 *Vt annuntiet homini æquitatem.* Plerique interpretãtur, ab Angelo *annuntiari*, vel præſentari *Deo hominis æquitatẽ*. id eſt, *Angelum* patronum exponere Deo ſuum alumnum jam rediiſſe admeliorem frugẽ, tot flagellis admonitum; ſic deprecari Angelum morbum illum, & dolorem graviſſimum. Neque obſtare poterit, quod in Hebræo legitur *homo*, cum articulo tertii caſus, videlicet *ad annuntiandũ homini, &c.* ſi, ut Cajetanus vult, is dativus ſit cõmodi. q. d. in favorem, & utilitatem hominis. Hæc expoſitio frequens eſt Latinorum, & videtur quidẽ ipſa fuiſſe mens Vulgati interpretis: præſertim cum egregie cõgruat cum re ipſa interceſſionis, & officii Sanctorum Angelorũ, qui vel preces noſtras, vel bona opera offerũt Deo, Tob. 12. Act. 10. Ita vero offerunt, non ut Deo aliquid ignotum patefacere, aut nuntiare ſe arbitrentur, ſed ut ſuper illis ipſis rebus, *Divinam veritatẽ conſulant*, Vt Auguſtinus ait, & illius bonitatẽ omni cultu, & obſequio digniſsimam, illis quaſi ſacrificiis oblatis proſequantur: *oblatioque noſtra, & glorificatio per Sãctos Angelos ad cæleſtem aſcẽdat majeſtatem*; & ut ſimul etiam ſuas obſecrationes, & deſideria noſtræ ſalutis (amant enim nos) ad Dei cultum, & gloriam adjungant. Vide Aug. 15. de Trin. cap. 13. & Epiſtola 120. & in Enchirid. cap. 56. Anaſt. Nicen. q. 61. in Scripturam, Bernar. ſerm. 7. in Cant. & ſerm. 12. in Pſal. *Qui habitat*. Et quidem in hanc interpretandi rationẽ illud eſt obſervandum, quod Sãctorum Angelorum proprium eſt, ita *annuntiare hominis æquitatem*, ut illã proponãt meliori, quã poſsint, ratione, & ad impetrandam Divinam miſericordiam magis idonea; videlicet vel excuſando, & extenuando præteritam culpam: vel præſentem animi deliberationem, & æquitatem laudando: & quantum veritas patitur, amplificando, & exornando; Sicut *Sathan, & accuſator fratrum ſuorũ*, bona opera noſtra extenuat, & contemnit; peccata vero exaggerat, ſuaſque etiam ex malignitate, & odio calumnias nequiſsimas adjungit. Vidimus hæc in illo concilio Angelorũ, ſuperius, c. 1. & 2. illa vero ſancti Angeli tacent, quæ loquitur, & accuſat Diabolus, quare illa tãtum Deo præſentãt, quę ſuaviter olere Deo poſsint, *Thimiamata orationum.*

Latinorũ frequens expoſitio.

Dativus commodi.

Quomodo Sãcti offerant Deo opera hominis.

Auguſt.

Anaſt. Nicen. Bernard.

Sancti Angeli amplificãtes, & exornãtes opera humana.

Cur ſancti Angeli habeant Thuribula in manibus.

tionum, & bonorum operum; ideo habent *Thuribula, & phialas plenas odroramētorum* in manibus Apoc. 5. & 8.

10

Expoſitio cõformior Hebraicę lectioni.

Sed verus etiã ille ſenſus eſt, qui ex Hebræo elicitur, & nõ difficile poteſt cũ ipſa lectione convenire, ut *annuntiet hominis æquitatē*, ipſi videlicet homini; vel, *exponat homini officiũ ſuũ*, prop. *rectitudinē*, qua homo ad æqualitatē, & juſtitiã reducitur. nam ex vi vocis originalis, *æquitas* eſt ejuſmodi rectitudo, in qua nihil depreſſum eſt, nihil eminens, ſed cõplanata omnia, & ad rectitudinē exacta. Sicut a Davide dictum eſt, *Ad omnia mãdata tua dirigebar*. id eſt, recta incedebam in via tuorũ mandatorũ. Eſtq; *æquitas*, ſeu æqualitas vitæ, gratiſsima Divinis oculis, ſicut dictũ eſt Pſ. 5. 9. *Dirige in cõſpectu tuo viã meã.* & Pſ. 10. 7. *Aequitatē vidit vultus ejus.* Ergo illud homini proponit Angelus, quod in Dei oculis rectum fore intelligit. Eandem fere ſententiã expreſſerunt Septuag. *Si annuntiaverit homini ſuũ ipſius crimen, & ſuã ſtultitiã oſtenderit, &c.* Illud coactũ, quamquã non alienum a ſignificatione vocis, quod Vatabl. vult, ut *æquitas* referatur ad Deũ, qui juſto hominē propter peccata ſua corripuerit morbi ſupplicio. Quã Divinorũ judiciorũ æquitatem, cũ Angelo docente agnoſcit homo, ſalutarē ſuſtinentiã, atq; pœnitentiã init. Eſt vero Angeli propriũ illud munus, docere hominē: ut enim Cyril. Ieroſol. Cahet. 14. elegãter ait de Angelis prædicãtibus Chriſti Reſurrectionē, *Angeli præſentes ubique curant ignorantias*, neque tantum Phyſicam, & medicinã, ubi opus eſt, docent, ut Raphael Tobiam; ſed Theologiam, & Fidei miſteria, reſque futuras: ut qui dicuntur loquuti in Prophetis, aut illos inſtruxiſſe. Non immerito ſane vocantur ſeptem *Lampades ardentes ante Thronum, qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei*, Apocal. 4. & 5. quod non ſolum ipſi fulgẽtiſsimi ſint, ſed omnes etiam, ad quos mittuntur, magna rerum ſublimium luce colluſtrent; cujus rei exemplum, ſymbolumque pariter exhibuit Angelus, qui act. 12. 7. cum *aſtitit* Petro, qua erat ipſe luce præfulgens, *lumen refulſit in habitaculo.* ut pie, & ſapienter obſervat Gerſon tract. 8. ſuper Magnif. cap. 3.

ישר — Pſal. 118. 128. — LXX. — Vatabl. — Proprium Angeli mun⁹. docere hominē. — Cyrillus. — Cur Angeli dicantur Lampades. — Gerſon.

23. XXIIII. *Miſerebitur ejus, & dicet: Libera eum, ut nõ deſcendat in corruptionem: inveni, in quo ei propitier.*

1. Primus modus contexendi ſententiam. Dei miſericordia erga ægrotos, & moribundos. Illuſtrati Paulus, & David.

2. Secundus contextus. Angelorum pro ægrotis patrocinium. Raphaelis diligentia in curando Tobia.

3. Angeli oratio pro ſuo alumno. Redimere vitã, *quid.*

Propitiatio *quid proprie.* Propitiare *active aut paſsive. Propitiatorium quale. Explicatus Moyſes, & David.*

5. Longior vita nullo pretio parabilis. Sola pœnitẽtia redimit. Explicatus David, & Salomon.

6. Angelorum ſtudium requirendi ab homine pietatis opera: abiguntur noſtris peccatis.

1

LXX — Gregorius.

Miſerebitur. Suppoſitum hujus verbi, adeoque totius ſententiæ incertũ. Et quidē a Septuaginta, & a pleriſque Latinis poſt Gregorium ſupponitur Deus, qui miſertus ægrotantis, & afflicti hominis, demandet Angelo curationem, & reſtitutionem priſtinæ valetudinis. Dicatque, pergratum ſibi extitiſſe inveniſſe in homine aliquid, quod propitiationi, & veniæ largiendæ aditum pateſaceret, (quæ ipſius eſt bonitas ad parcendum, & miſerandum valde propenſa) videlicet Angeli ſancti interventum, & ipſius hominis ægrotantis reſipiſcentiam; *Non enim vult Deus mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat.* Decurſus hic pius eſt, pariter ac elegãs. Verum enim vero Creatori ipſi noſtro, & formatori noſtrorum corporũ nõ poteſt per ſe ipſam, aut mors aut morbus, & tabes noſtri corporis placere; neq; non poteſt non illius paterna viſcera miſereri graviter dolentis, & ęgrotantis hominis. Indicavit hoc Paulus, cum Philipp. 2. 27. de Epaphrodito ſcribit; *Infirmatus eſt uſque ad mortē; ſed Deus miſertus eſt eju; non ſolum autem ejus, verum etiam & mei, ne triſtitiam ſuper triſtitiã haberem.* Vbi quãvis videatur Chryſoſtom. hoc dictum eſſe a Paulo, *Secundum communem audientium conſuetudinē mortem metuẽtium; neque hoc loco philoſophari.* at ſubtiliter profecto de Divina miſericordia in noſtris etiam corporis ærũnis, morbis, morte philoſophatur. Sicut & ille, qui non ex alio, quam ex morbi ſui magnitudine, & totius corporis imbecillitate, Divinam miſericordiam commovebat; *Miſerere* (inquit) *mei, Domine, quoniam infirmus ſum.*

Prima nectendi, & exponendi ratio. — Ezech. 3. 18. — Dei miſericordia in ægritudine hominis. — Chryſoſt. — Pſal. 6. 3.

Sed quidē erit nõ minus cohærens ſentẽtia, ſi de Angelo illo pro ægroto deprecãte accipiatur, qui dicatur ſui ęgroti miſertus. Sicut enim opera Diaboli ſunt aliqui morbi, & cruciatus, ac dolores humani, ut indicatur Lu. 13. 16. 2. Cor. 12. 7. Galat. 4. 14. & nos diximus c. 2. v. 7. n. 3. atque 2

Diabolus effector ægritudinis; Angelus ſanitatis.

Diabolus effector ægritudinis. Angelus ſanitatis.

id quidē ex invidia, & ſævitia Diaboli adverſus genus hominū; ita ſane ſancti Angeli ex benignitate, & ardentiſsima charitate noſtræ incolumitatis, & bonæ valetudinis, niſi aliud exigat Divina voluntas, & gloria, cui maxime intendunt, curatores, atq; procuratores, ſunt, & velut unius Eccleſiæ partes, altera fortior, ſemperq; valens, alterius infirmitati, & miſeriæ corporis, & animi, miſerata ſubvenit; & ut Aug. dixit cap. 56 Enchirid, pars, quæ *in ſanctis Angelis beata perſiſtit, ſuæ parti peregrināti, ſicut oportet, opitulatur, quia utraque una erit conſortio æternitatis, & nunc una eſt vinculo charitatis*. Quanta igitur alacritate putas deſcendiſſe *Raphaelē Archangelū, unū e ſeptē illis primis principibus, qui ante Deū adſtant*, ut curaret cæcitatē (rem tā parvam, privati hominis, moribundi ſenis) Tobię? Quanta porro lætitia factæ medicinæ, & ſanitatis reſtitutæ, putandū eſt tandē ſe *Medicinā Dei* ſuo nomine, atq; officio lętanter profeſſum fuiſſe, cū diceret; *Miſit me Dñs, ut curarem te, & Sarā a Dæmonio liberarē*? Quod vero peculiari ſuo nomine præfert Raphael, videlicet, *Medicinā Dei*, quā multi quoq; alii Angeli re ipſa prętitiſſe exiſtimandum eſt, cum alumnos ſuos adhibita inviſibili ſui patrocinii, & cuſtodiæ medicina, morbis periculiſque graviſsimis liberarunt? *Magna*, inquit Auguſt. *cura, & vigilanti ſtudio adſunt nobis, omnibus horis, & locis, ſuccurrentes, & Providētes neceſſitatib⁹ noſtris, & ſollicitudine currentes inter nos, & te, Domine.*

Angelus pars Eccleſiæ fortior infirmiori cōpatitur. Auguſtin.

Raphaelis alacritas, & diligentia in curādo Tobia.

Tob. 12. 14.

Aug. in Soliloq. c. 27.

Et dicet; Libera eū. Hæc etiā pars indifferens vel ad Deum, vel ad Angelū. Si ad Deū, ſentētia erit; Deū jam tunc miſertū ægrotantis hominis, demandare Angelo ſalutis curam, & ut aſsiſtat diligenter medico, illiq; inſpiret optimam medicinam, neq; ſinat per incuriā, & ignorantiam adverſa remedia pręcipere; ut infirmum erigat, & conſoletur, & ad ſumendas potiones, & pharmaca excitet; humores malignos coerceat, ne invadāt cor, aut partem aliā principem; ut tēperet ab æſtu vitalia; ut vim excernendi fortiorē reddat; deniq; totum negotiū curationis diligenter procuret. ut a Raphaele diligentiſsime curatū eſt. Sed leniſsimus contextus, ut de *Angelo* deprecatore hæc quoq; pars, ſicut & præcedens accipiatur; nā Angelus ex grata, & cōmiſerante voluntate, deprecans morbum, *Dicet* Deo; *Libera eū*. Prop. *Redime eū; ne deſcendat in corruptionē*. proprie in *foveā*, ſepulchrumve, qui eſt corruptionis locus. Septuag. *Retinebit, ne cadat*. Res potius preſtanda a Deo vitæ, & mortis Do-

3 Angelorū diligentia in curanda ſuorum alumnorū valetudine.

Lenior cōtextus.

פדע

שחת

LXX.

mino, quā ab Angelo. Sicut voce fere ſimili dicebat David, Pſ. 54. 29. *Redimet in pace animā meam ab his, qui approquinquant mihi*, & Pſ. 102. 4. *Qui redimit de interitu vitā tuā*. Quod quid aliud eſt, quā eum, qui Divino beneficio amiſſam, ac pene deſperatā ſanitatem receperit, ſic a morbo liberum eſſe, ut in ſui Redemptoris poteſtate tunc denuo ſe futurum agnoſcat, atque ſibi dictum exiſtimet; *Ecce ſanus factus es, jam noli peccare*. Ioan. 5. 14.

Convaleſcēs ex morbo, novo titulo devinct⁹ ſuo Redemptori.

Inveni, in quo ei propitier. In Hebræo per nomen verbale; *Inveni expiationē*, aut, *redemptionē*, aut, *propitiationē*, aut, *deprecationē*, aut *placationē*; videlicet Dei antea irati. Hæc enim omnia conjuncta ſunt in voce originali; tum etiā *pretium*, quod pro redēptione, & remiſsione peccati offertur, id eſt, quod propitiationem mereri, aut impetrare, quod Deū placare poſsit, & propitiū reddere homini, quaſi pretio, & redēptione oblata. Sic dicitur etiā Angelus *propitiari homini*, cum Deū propitiat homini, & in hac ſignificatione activa, *propitiari* dicitur Exod. 30. 10. *Deprecabitur Aaron*. alii *expiabit*. prop. *propitiabit*, placabit; Septuag. *Depropitiabit*. & Levi. 4. 20. *Rogabit pro eo*. Septuag. *Depropitiabit*. Sic igitur hoc loco Angelus dicitur propitiaturus homini, qui propitiabit, precabiturq; Deū pro eo. Significat vero ipſa vox originalis cooperire, linire, aut operire bitumine, quod eſt, quaſi priſtinā faciem rei alicujus, aut immunditiā abſcōdere, & aliam novā ſuperinducere. Quod etiā eleganter refertur ad deletionem, & abſterſionē peccati alicujus, & condēnationem præteritæ culpę q. d. Angelus; Inveni jā aliquid, quo excuſare, & tegere, diſsimulareve poſsim anteactæ vitæ ſordes, & peccata, & novā faciem inducere; videlicet pœnitentiæ propoſitum, & charitatem in Deū, *quæ operit multitudinē peccatorū*: & lachrymis, velut ſalutari quodā bitumine, nova facies animo ſordido inducitur. Inde dicitur *propitiatoriū*, quod erat Arcæ operculū, quo quaſi lex incluſa in Arca operiebatur, neper illam pateret cognitio peccati. In eo igitur operculo, & tectorio Arcę exhibebat ſe Deus propitiū, quaſi tegentē noſtra peccata. ut non mirū ſit illos prędicari a David *Beatos, quorū remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata*, Pſal. 32. 1.

4 כפר

Quomodo Angelus propitietur homini.

Pagnin. Cajet. Regia. LXX.

Condonatio peccati, quaſi inductio novæ faciei.

Propitiatoriū unde dictum.

Tum illud, quod ſupra indicavimus, vocem hanc ſonare *pretiū*. q. d. Angelus, ut Cajet; legit. *Inveni pretiū*; inveni quo animam, & vitā hujus hominis quaſi, oblato pretio redimere poſsim ab interitu. Sed obſtat (inquis) quod ait David Pſ. 48. 8.

5 Cajetan.

Pęnitētia, quaſi pretium redēptionis, & vitæ.

nullum

nullum eſſe pretiũ, quo poſsit longior vita impetrari, aut a morte inſtante redimi; *Frater nõ redimit, redimet homo? nõ dabit Deo placationẽ* (Hieron. *propitiationem*) *ſuam, & pretium redemptionis animæ ſuæ, & laborabit in æternũ* (ut laboribus hujus vitæ diutius vacare poſsit) *& vivet* (vivere poſsit) *ad huc in finẽ,* (Hierony. *ut non videant interitũ*, q. d. quamvis quis pluſquã fraterno affectu alterius vitæ tuendæ, & producẽdę conſulat, nullam inveniet propitiandi, & pretii offerendi rationẽ, qua emere, redimereve vitam poſsit. Qua igitur ratione invenit Angelus redemptionẽ, & propitiationẽ animæ, & vitę ægrotantis hominis? Reſponſum in promptu: Quãvis divitiæ interdum dicantur redimere hominem a morte, mortisve diſcriminibus, quę illi vel per invidiã, vel calumnias intentantur, ſicut Prover. 13. 8. dicitur, *Redemptio animæ viri divitiæ ſuæ*. at pecuniæ nec a morbo, neque a morte inſtante redimũt, ubi quis *appropinquavit mortiferis*. Vnum illud pretium inveniri poteſt, *Pœnitẽtia* peccatorũ, propter quam ſæpe Deus, *Vidẽs lachrymas & audiens orationem* ægrotantis hominis *adjicere* ſolet plures vitæ *annos*. Iſai. 38. 5. Vide, quæ ſupra diximus. verſ. 19.

Hieronym.

Propter Pœnitentiam, & lachrymas Deus adjiciens plures vitę annos

6 Hic obſervandum quantũ ſit Angelorũ ſtudium, & deſideriũ quærendi, & requirẽdi a nobis bonum aliquod opus, quod impetrandæ veniæ aditus ſit; quantum gaudium *inveniendi!* Hinc illa lætitiæ ſigna ex noſtro profectu, triſtitiæ ex defectu. Auguſt. Solil. c. 27. *Quoties bene agimus, gaudẽt Angeli, & triſtantur dæmones: quoties a bono deviamus, Diabolum lætificamus, & Angelos ſuo gaudio defraudamus.* Bern. ſerm. 3. ſuper Miſſus eſt. *Holocauſtum ſanctæ devotionis noſtræ gaudent ſe offerre Deo in odorẽ ſuavitatis.* Baſil ſuper Pſal. 33. *Quemadmodum fumus apes, & quæ grave olent columbas expellunt, ſic Angelum vitæ noſtræ cuſtodẽ lachrymabile multum, ac fœtens peccatũ abigit.* Vide Bernard. ſerm. de S. Michaele, & ſerm. 7. in Cant. & ſerm. 2. de Nativit.

Angeli requirẽtes a nobis bona opera

Auguſt.

Bernard.

Baſilius.

℣. *XXV. Conſumpta eſt caro ejus a ſupplicis: revertatur ad dies adoleſcentiæ ſuæ.*

1. *Sententiæ paraphraſis. Varia lectio. Vulgati defenſio.* Explicatus *David.*
2. Excutere, & Excuſſum *in Sacro ſermone quid Cur Adoleſcens dicatur* excuſſus. Excuſſum de re inutili. Tẽpeſtas, ſtupa, *unde dicantur. Explicati David, Moyſes, & locus Iudic.*
3. *Senſum ex morbo. Convaleſcens ex morbo comparatus cum puero.*
4. *Integræ valetudinis circũloquutio. Illuſtr. Amos*

1 HOC etiam ad excitandam Divinam cõmiſerationem, & ad deprecãdum morbum, videtur Deo dici ab Angelo mediatore; Iam ſatis ſuppliciorũ ſumptũ eſt de homine, ſatiſque pro peccatis ſuis ſævjit in illius carnem, corpuſque univerſum morbus acerbiſsimus, quo præterita ſcelera expiavit. Inſtauretur itaque jã, o Deus benigniſsime, illius vita, & vivendi omnes facultates tuo beneficio renoventur, ut juvenaſcere, & molliſsimæ pueritiæ, nitidæve adoleſcentię florẽ, roburque imitari, ac recuperare videatur. Hæc eſt bene cohærens ſententia, menſq; Vulgati. Sed, bone Deus, quantum ab illo diſsidẽt Hebraizantes, bona, ut ipſi cenſent, cauſa, ut quibus aperte faveat lectio Hebręa, itẽ que Græca Septuag. Ergo legunt illi Pagn. & Cajet. *Tenerior efficietur caro ejus carne pueri.* Vatabl. *Succulentior erit caro ejus, quã erat in juventute.* Tygur. per paraphraſim, *Recipiet caro ejus vegetabilem vim, etiam majorem, quã in pueritia habuit.* nã vocem, *Rutaphas*; quæ ſubeſt hoc in loco, & ſub illa forma nuſquam alibi reperitur, deducunt a radice, *taphas*, quæ ſemel item invenitur, Pſ. 118. 70. Vertiturq; a Græcis, & Latinis, Hebræiſq; univerſis, *incraſſari*, aut craſſum, pingue, & obeſum eſſe, *Coagulatũ* (Hierony. *Incraſſatum.*) *eſt ſicut Lac* (Heb. & Hierony. *Sicut adeps*) *cor eorum*. Pinguedo autem, & craſsitudo ad inſipientiã, & ſtupiditatem refertur. Quare Elias Thiſbites ait, quod *Evil, Cecil, ςacal, & nabal* (*hæc nimirum ſunt ſtultorum nomina*) *omnia in Thargum transferuntur per Taphas, id eſt, ſtulte egit, deſumptumq; eſt ab illo, Incraſſatum eſt velut adipe cor eorũ.* nos hominem bardum, & ſtupidũ vocamus, *Baſto, y Gordo*, quod pinguis venter videatur gignere craſſam, & pinguẽ mentem. Ergo neceſſario exiſtimant legendum, *Caro ejus ſucculenta*, pinguis, obeſa, bene compacta. Græci etiam in eandem interpretationem conſpirant, legentes, *Renovabit corpus ejus*. Vt ſignificetur effectus interceſsionis Angelicæ, & impetratæ valetudinis. Sed interpres vocem illam ſingularẽ, ſingulari huic loco aptãdã exiſtimavit, neque quidquid aliud ſignificare, quam quod res ſubjecta exigebat. Cumque non oporteat alterius radicis ramum eſſe, nemo poterit erroris aut ignorantiæ Interpretem convincere. Contrariã itaque ſignificationem tribuit, *Conſumpta eſt caro ejus*, extenuata, & prope jam confecta. Illud vero, quod de *pueritia*, adoleſcẽtiave dicunt, ſtatim.

Lucida ſentẽtiæ paraphraſis.

Hebraizantiũ diſceſsio a Vulgato.

Pagnin. *Cajetan.* *Vatablus.* *Tygurina.*

רטפש

טפש

Hieronym.

Elias Thabites.

LXX.

Latini interpretis defenſio.

2 *A ſuppliciis.* Eſt item hæc pars valde litigioſa: nam quod in Hebræo eſt, nihil vi-

מנער
נער

detur habere supplicii; sed ex verbo, *præ puero*, vel, *præ pueritia. minghar*. Est enim *naghar*, puer, sive adolescens tener adhuc, & in flore ętatis, a verbo, *naghar*, quod significat excutere, aut concutere. Vnde habet suum nomen puer, sive adolescens, vel quia excutitur e sinu, & e molliore cura parentũ, & truditur foras ad aliquid operis faciendũ, ut aliqui languidius interpretantur; vel ut alii vehementius, quia excutit se, sicut solẽt alacres, robusti, & agiles se excutere, quasi accingẽtes se ad aliquid operis aggrediendum, uti solet *Catulus leonis jubas excutere*, Ierem. 51. 38. & sicut Samson male de fortitudine sua securus, Iudic. 16. 20. *Egrediar, sicut ante feci, & me excutiã*. & sicut viribus, & alacritate resumptis, ut se *excuteret de pulvere, & cõsurgeret*, dictum est Ierusalem Isai. 52. 2. & sicut cũ quis expergiscitur, & consurgit, alacer, & expeditus, se excutit, quod nos dicimus, *Dejechar pereza*, O, *despereзarse*. propterea enim significat idem verbũ *consurgere*, aut *expergisci*, Zachar. 2. 13. *Consurrexit*, (excitatus est, & excussit se) *de habitaculo sancto suo*. (Septuag. *De nubibus sanctis suis*) quod utiq; virtutis, & fortitudinis est. quare robusti, & potẽtissimi adolescẽtes *filii excussorum*, vel potentũ, & juvenum, vel *juventutis*, vel filii *excussi*, id est, juvenes, & potentes nominantur, Ps. 126. 4. & quamvis Theodoretus, hoc loco *excussos* interpretetur, *imbecilles, & admodũ miseros*; at verũ est, quod dicit Hierony. ad Marcellam Epist. 141. *Excussos consuetudo sermonis humani vegetos, & robustos, & expeditos vocat.* & *ipsi Septuag. Interpretes in Esdræ libro pro juvenibus transtulerũt, in quo ita scribitur; Medii excussorum faciebant opus, & medii eorũ habebant hastas*. Sed de *excussis*, atque *excutientibus* graviter eo loco Hierony. argute, & belle Augustin⁹, qui tacito nomine Hieronymo respondet, *excussum* dici, non solum, qui ab alio, tanquam pulvis, aut res inutilis excussus sit, sed *qui se ipsum excutiat*, hanc itaque tantũ excutiendi, & adolescentis excussi, aut excutientis se significationem attenderunt Hebraizãtes. Sed tamẽ Vulgatus ulterius, & subtilius, quia quod excutitur, inutile est, & excussum, ut August. ait, *Dicetur, quod excutiendo exilit, unde, & dicitur excussus pulvis*. inde *excussum* ad rem inutilem, vel nocivã transfertur, quę projicitur, & removetur, ut dicam infra c. 38. 13. *Vbi impii excutiuntur* a Deo. Atque adeo, *excuti* ad suppliciũ pertinet, & ad jactationem molestissimam, cum hinc inde quis jactatur, concutitur, excutitur, neq; unquã quiescere sinitur, velut in tẽpestate aliqua maxima. est enim etiam ab hac ipsa radice *tẽpestas*, quasi excussio, & jactatio: & inde etiam dictũ est, Exod. 14. 27. *Involvit* (Septuag. *Excussit*) *Dominus Aegyptios in mediis fluctib⁹*. Quod repetitur Ps. 135. *Excussit* (Hierony. *convolvit*) *Pharaonem, & virtutem ejus in Mari Rubro*. Quare etiã hinc nomẽ habet *Stuppa*, quod confractione quadam, & contritione, ut Chimhi ait, & R. Mardoch. exiliat, & excutiatur ex lino. Vides jam solide legisse, & intellexisse Latinũ interpretem, *Consumpta est caro ejus præ excussione*, jactatione, contritione. quod quid aliud est, quam suppliciũ, & molestissimi morbi jactatio? Denique quidquid Hebraizãtes sua illa lectione exprimunt, sequente parte cõtinetur, secus inutiliter repetenda.

Forster.

Vnde dicatur Puer, vel adolescens.

LXX.

Excussus, aut excutiẽs, quis.

Theodoret.

Hieronym.

August.

Excussum de re inutili.

Tempestas unde dicta.

Vulgati defensio.

Stupa unde dicta Hebręis & Mard.

Revertatur ad dies adolescẽtiæ suæ. Vt qui 3
ex diuturno morbo contabescẽs, senio videbatur cõfectus, recuperata jam valetudine, & senio depulso convalescens, quasi ad aspiciendã denuo lucem revocetur, adolescat quasi ætatis flore, & firmitate ac viribus totius corporis confirmetur. Elegans sane hominis ex morbo convalescentis cum puero, & adolescentulo cõparatio; crescit uterque, augetur, distẽditur ad justam magnitudinem. Est itẽ periphasis virescentis, & vividæ naturæ, nullis adhuc pravis humoribus, aut morbis fœdissimis debilitatæ, & fractæ. 4. Reg. 5. 14. *Restituta est caro Naaman, sicut caro pueri parvuli, & mundatus est*. Certe Galen. in arte medicinali. tt. 100. in eodem gradu, & curatione *convalescentes*, atque *senes* conjungit, ut quo quis melius habet, eo videatur magis recedere ab statu senectutis, & *reverti ad dies adolescentiæ*.

Convalescẽs ex morbo puero cõparatus.

Convalescentiæ, & valetudinis circumloquutio.

Galenus.

Græci sententiam integram, paululum 4
immutatam sic reddunt, *Renovabit corpus ejus, sicut tectorium in pariete, & ossa ejus implebit medulla, & molliet carnẽ ejus, sicut parvuli, & restituet eum virum factũ inter homines*. Perelegans sane integræ, & confirmatæ valetudinis descriptio, & insignis etiã pœnitentiæ fructus, *Nec enim illa*, ait Nicetas, *tantum mortem prohibet, verum etiam integram valetudinem largitur*. Illa autem cũ tectorio *parietis* similitudo in hunc modum elucidatur ab eodem Catenæ auctore, *Quemadmodum ii, qui vitium facientem, & labantem parietem vident, liniẽdo calce renovant, atque restituũt, sic Deus illius corruptum corpus renovabit, & ad pristinam dignitatem excitabit, ac ferme iterum conformabit*. Vbi duo opportune indicãtur, videlicet tum pulchritudo restituta, cũ firmitas & vires redintegratæ Divino beneficio.

LXX.

Circumloquutio confirmatę valetudinis

Pœnitẽtiæ fructus.

Nicetas.

Pulchritudo comparata cũ pariete lito.

Quare

Quare cum pulchritudinem, ſimulque robur populi ſui auferenda, prædicit Amos, 7.7. *Ecce*, inquit, *Dominus ſtabat ſuper murū litum* (pulchrum nimirum aſpectu, beneque firmū) *& in manu ejus trulla cæmentarii* (ſua enim manu, atq; Potētia decorem, & robur ſui populi tuebatur Deus, quaſi parietem quendam c lce ſuperinducens. *Eſt*, inquit Hieronym. *trulla cæmentarii, qua ſolēt ſuperinduci parietes, & non ſolū pulchritudinem accipere, ſed & fortitudinem contra injuriam imbriū*. Subditur ſtatim totius viſionis expoſitio.) *Ecce ego ponā* (deponam) *trullam in medio populi mei Iſraël: non adjiciam ultra ſuperinducere eum*. ſuperinducit itaque corpus Deus, quod ferme collabebatur, & ruebat; & erectum, confirmatumq; virili pluſquā robore inſtruit; hoc enim eſt, quod dixerunt Septuaginta; *Virum inter homines* factum, &c.

Hieronym.

XXVI. Deprecabitur Deum, & placabilis ei erit, & videbit faciem ejus in jubilo: & reddet homini juſtitiam ſuam.

1. Deprecari. *Quid propriè, in Sacro ſermone. Ex Paralipom.*
2. Dei facies, *quid. Gratiarum actio pro conſequuta ſanitate. Illuſtratur Iſaias.*
3. *Gratia amiſſa reviviſcens per pœnitentiam. Juſtus ex juſtitia ſua referens fructus uberes.* Vivere, *& Vita ad felicitatem. Illuſtr. Ipſius Aſtorum.*
4. Reddere juſtitiā *quid. Illuſt. David, & Ierem.*

1 ET *Deprecabitur*. Quis ſaplerisque ſub auditur homo, qui jam tandem recōciliatus Deo, audebit faciem ad illum levare, orabitque, atque exorabit, & gratias pro accepto beneficio perſolvet. Ego libē ter hanc quoq; particulā ad Angelum refero, ut ſit quaſi clauſula interceſſionis Angelicæ; ſic, inquit, Deprecabitur Deū pro homine Angelus. Iā id, quod ſequitur de Deo; Deus exoratus propititium atq; placatum ſe exhibebit homini. in Hebre. *Benevolet ei*. aut, *diliget eū*, aut, ut Cajetanus etiā vult, *Gratificabitur ei*. nō omnino male. namq; ſignificat verbum originale ita cōplacere alicui, ut rem gratiſsimā illi facias; diceremus nos, *Darale cōtēto*, & aliquādo ad conceſsionē rei poſtulatæ pertinet, ut 2. Paral. 10.7. *Si placueris populo huic & lenieris eos verbis clementibus* (*Si les diere cōtento, y buenas palabras*). & illud Hieron. 14.12. *Si obtulerint holocauſtomata, & victimas, non ſuſcipiā ea*. Hebræi Complut. *Non cōplacebo eis*. Septuag. *Non placebo mihi in eis*. Utrumq; eleganter. *Ni me dare por contento, ni les dare cōtēto*. Nihil a me impetrabunt ſacrificiis, illorum poſtulatis neq; annuam, neq; gratum faciam. Sic hoc loco *Placabilis erit Deus*, precibus, & poſtulatis annuens, & Angelo interveniente, hominique laboranti gratiam faciens.

Deprecari. quid.
רצה
Complutenſes.
LXX.

2 *Et videbit faciem ejus injubilo*. Aliqui de Deo, *qui*, ut Tygur. ait, *faciē ſuam oſtendet lætā*. & Vatabl. *Favore ſummo proſequitur* hominem, ſed cōmodius, & germanius de ipſo homine, qui reſtitutæ ſanitatis beneficio exultans, Deo ſe exhibebit gratum, & ad templū, locumve Sacrum, ubi ſe Deus quaſi præſentē exhibet, adibit, ut *injubilo*, vel in acclamatione, hymnis, Canticis, & gratiarū actione, *videat illius faciē*, id eſt, in Divinæ majeſtatis conſpectu venerabūdus ſe ſtatuat. Sic aliquando *Dei facies*, vel Arca, vel tēplū, in quo erat Arca, ubi Deus præſentem ſe exhibebat, Exod. 25.30. *Panes prepoſitionis* (Hebr. *Facierū*) *in conſpectu Dei*, & 2. Paralip. 7.14. poſt perfectū templum, ait Deus, *Elegi locū iſtum mihi, &c*. Septuag. *Intrabit*, videlicet in templū, *facie ſilari cū profeſsione*. Nicet. *Diſciplina perpurgatus gratiarū actione, & hymnis Deum celebrabit*. Cujuſmodi eſt illud Ezechiæ ſanitatem precantis, *Domine ſalvū me fac, & Pſalmos noſtros cantabimus omnibus diebus vitæ noſtræ in domo Domini*. Atq; ad eādem rem Cyril. & Euſeb. referunt id, *Sicut pullus hirundinis, ſic clamabo, meditabor, ut colūba*. *Carmina*, inquit Cyril. *pro gratiarū actione emittēs, pollicetur ſe imitaturum aves, quæ canoræ ſunt*. Euſeb. vero; *Quoniā præter ſpem, ſalus mihi contigit, Hirundinis, & Columbæ cantilenas imitabor, tibi hymnos cōtexens, qui mihi vitam largitus es*.

Tygurina. Vatabl.
Dei facies.
LXX.
Nicetas.
Iſai. 38.20.
Cyrill. Euſebius.

3 *Et reddet homini juſtitiā ſuam*. Duplex eſt Nicetæ expoſitio; *Aut quia*, inquit, *ipſe homo a Deo beneficio affectus, unicuiq; in poſterū jus ſuū tribuet, illaque colet diſciplina factus melior*. (vides non niſi nimium coacte ſententiam hanc tribui homini cū contextus aperte de Deo loquatur), *aut quia Deus eos, qui ita ſunt affecti, juſtitia imbuit, vitæque anteactæ errata condonabit*. Hanc ſecundam interpretationem fere ſequitur Vatablus. Eſtq; frequens Latinorum, ut ſermo ſit de *juſtitia*, & gratia amiſſa, quam per pœnitentiam, & juſtificationem vivificat Deus, & quodāmodo amiſſam videtur reſtituere homini. Sed interpretatio videtur non minus coacta, quā ſubtilis. Illa ſimplicior Gregorii, ut *reddere juſtitiam ſuam homini*, nihil ſit, aliud, quam conferre homini juſtificationis gratiā, quæ, ut ait Gloſſa, quāvis ſit Dei dātis, eſt etiā hominis accipiētis.

Nicetas.
Vatabl.
Gratia amiſſa per penitētiā vivificata.
Simplicior interpretatio Gregorii.
Gloſſa Rab.

Gregorius.

Sicut inquit Gregor. oramus, *panē noſtrum dari nobis*, ita enim noſter eſt, ut detur nobis Divino beneficio.

Cajetan.

Cajetan. juxta ſubjectam materiam, *juſtitiam* interpretatur, ſanitatem adeptam, quæ ex æquitate quadam, & juſtitiæ ratione, non condigna, ut dicunt, ſed congrua, quaſi in pretium pœnitentiæ, & Angelicæ interceſsionis conferatur a Deo. Hoc plus nimio ſubtile.

4

Solida, & cohęrens interpretatio.

Illud tandem bene cohærēs, ſolidumque, ut cum dixerit Deū placatum temperaturū a ſupplicio, & morbo infligēdo, ſubjungat ſtatim, cum homine amice, & benigne deinceps Deum acturum, & collaturū, quæ juſto homine & præmio digna ſunt.

Deum pęnitēti, & juſto homini vitā cōferre.

Itaq; cum prius homini improbo *reddiderit* in caput ejus *injuſtitiam ſuam*, atque dignam iniquitate mercedē; nūc hominem ſanctū nō niſi juſtitiæ fructibus, & præmiis ſanctitatis ampliſsimis cumulaturus ſit; præſertim vita ipſa, qua juſtos ſuos afficere ſolet Deus; itaque *reddere homini juſtitiam ſuam*, erit, illi tanquā juſto, & amico vitā conferre fælicem, & diuturnā. Expoſitio hæc lucem, atque confirmationem capere poteſt ex Ezech. 18. 21. 22. 23. *Si impius egerit pænitentiam ab omnibus peccatis ſuis, & fecerit judicium, & juſtitiā, vita vivet, & non morietur* (q. d. fructus pœnitentiæ eſt vita fælix, ſicut impietatis peracerba mors. quod deinde clarius exponit) *in juſtitia ſua, quā operatus eſt, vivet.* e contrario vero, *in injuſtitia ſua morietur.* Vides jā quid ſit, *reddere homini juſtitiam*, vel, *injuſtitiam ſuā*. Sic etiam Paulo videtur *rediſſe juſtitiā ſuā* Deus; cum Act. 28. 3. *Vipera invaſit manū ejus. Et ille quidem excutiens beſtiam in ignē nihil mali paſſus eſt: at illi exiſtimabant eū intumorem cōvertendum, & ſubito caſurum, & mori.*

Theodōret.

Vipera cur reſiliēs e manu Pauli.

Senſit nimirum beſtiola, ut Theodoretus obſervavit quæſtiuncula 19. in Geneſ. corpus ſancti hominis, illud itaq; neque morbo neque tumore infecit. *Cū nihil* (inquit) *peccato tenerum, aut molle in eo reperiſſet, mox reſilit, & in ignem ſe conjecit, ſupplicium quodammodo de ſe ipſa ſumens, quod corpus ſibi cōveniens nullatenus adorſa eſſet.*

Adde etiam forte hanc loquutionē aliquid forenſe, & judiciale olere, ut *Reddere homini juſtitiam ſuam*, ſit hominem pœnitētem abſolvere ſupplicio, & pœna conſtituta, & dimittere liberum. Quod in favorem alicujus judex ſtatuit, dicimus, *Hazer le juſticia, o guardarle ſu juſticia.* Vide id Ierem. 51. 10. *Protulit Dominus juſtitias noſtras.* id eſt, publica ſententia Babylonios damnavit impietatis, noſque libertati reſtitutos, pronuntiavit innocentes Pſal. 7. 9. Loquutio contraria Iſai. 5. 23.

29. *XXVII. Reſpiciet homines; & dicet, Peccavi, & vere deliqui: & ut eram dignus, non recepi.*

1. *Prima expoſitio. Dei patientia, & longanimitas Aegyptiorum lex.*
2. *Secunda expoſitio.* Reſpicere *cum lætitia.*
3. *Expoſitio tertia. Humanæ imbecillitatis cognitio Pœnitētes ſibi, et cæteris precātur veniā. Expl. Dan.*
4. *Convaleſcens ex morbo ægrotantes inſtruito. Explicatus David.*
5. *Simplex expoſitio. Periphraſis ſanitatis confirmatæ, & civilis convictus. Illuſtratus locus Regum.*
6. *Peccati cōfeſsio ad recuperandā ſanitatē ex Dav. Deus puniens citra condignum. Aegyptiorum conſuetudo. Illuſtratus Sapiens.*

I

Prima exponēdi ratio veroſimilis.

R. Gerſon.

BRevitas, & cōtrario Hebraicæ orationis ſupprimentis ſæpe, & ſuppoſita, & appoſita divinare nos paſsim cogit. Suppoſitū verbi *reſpicièdi*, Deū facit R. Gerſon quē nonnulli Hebraizātes ſequuntur. q. d. Deum contēplari homines, exſpectareq; donec reſipiſcant, & dicant, *Peccavi.*

Cajetan.

Cajetanus etiā exiſtimat nunc indicari tertiū modum, quo Deus agit cū hominibus, patienter exſpectādo, & ſuavi Providentia alliciendo improbos ad pœnitentiā, reſpiciendo, & obſervādo interim illorū opera ſive ad prœmiū, ſive ad pœnam, quod eſt *reſpicere ſuper illos*, ut eſt in Hebræo.

Patientia, & Providētia Divina erga peccantes.

Divinū ſane ejuſmodi Providentia uti, & res humanas communi lege moderari, neque ſemper peculiaribus revelationibus, aut peculiaribus ſuppliciis, & morbis peccātes afficere.

Plutarchus de Sera Numinis vindicta.

Deum credibile eſt (Plutarchus inquit) *quamcumq; vitio captam animam, juſto judicio aggreditur, ejus motus perſpicere, ſic ubi ad pœnitentiam inflectuntur, tempuſq; correctionis largiri iis, quorum non extrema eſt, & incurabilis nequitia.* Reſpicit itaque, exſpectatque Deus pro ſua Providentia atq; Sapientia, & ſic illos erudit, & informat ad pietatem, ut dicat homo, *Peccavi.*

Aegyptiorū Lex, de muliere gravida mortis dānata.

Illud elegans, quod in eandem rē ſubjungit: *Legem Aegyptiā videntur recte quidam Græcorū deſcripſiſſe, quæ jubet gravidā, ſi mortis fuerit damnata, aſſervari, donec pariat. Quod ſi prægnans aliquis non ſit, ſed progreſſu tēpori actionē, aut conſilium arcanum in lucē poſſit producere, aut occulti alicujus mali indicium deferre, vel, ſalutaris fieri auctor conſilii, aut neceſſarii uſus invētor, nonne rectius facit, qui dilato ſupplicio eam utilitatem operitur, quam qui præmature eum interficiat?* Cenſendum profecto idem, de ſupremo numine *reſpiciente ſuper homines*, exſpectanteq; ſalutaris pœnitētiæ partum, gemituſq; illos, & voces, *Cōcipientiū, & parturiētiū ſpiritū ſalutis; Peccavi, & ut eram dignus, non recepi.* Iſai. 26. 18.

Sed

2 Secunda exponēdi ratio ſimplicior. *Dionyſ.* שׁיר *Philipp. D. Thom. Nicolaus.*

Sed multo ſimplicius, multoq, germanius, ut tota hæc ſententia ad hominē pertineat, qui morbo liberatus, *Reſpiciat ſuper homines*, Lætus videlicet, & exultans adepta valetudine. Sic Dionyſi⁹. favet, quod verbum originale, *reſpiciēdi*, ſæpe conjungitur cum lętiori cantu, Exod. 15. Iudit. 5. 1. Eccleſ. 2. 8. Sed languet hic ſenſus. Illud minus frigidū, quod Philip. D. Thom. Nicol. & aliis placuit Latinis, quod ſe ſe convertet ad homines, & corā eis peccatum ſuum priſtinum fateri non erubeſcet; neque non Divinam benignitatem publica confeſsione celebrabit.

3 Tertia expoſitio ſubtilior. Humanæ infirmitatis cognitio. אנשים *LXX.* Proprium pœnitentis peccatori, ſibi, & cæteris veniā precari.

Tertio paulo ſubitilius, *ut reſpicere homines*, pertineat ad cognitionē humanæ imbecillitatis, quam in ſe ipſo ſuo malo expertus eſt, ſitq; agnoſcere, & oculos convertere ad hominum peccata, & ſe cū cæteris peccatoribus Divinę juſtitię ſubmittere, & humanam injuſtitiā agnoſcendo, & accuſando, Divinam juſtitiā celebrare. Facit vox, *homines, Anaſim*, quæ ſignificat aliquid miſerum, & imbecillum, morbis, ærumniſq; obnoxium, tum etiā vox ipſa *reſpiciēdi*, quæ attentā obſervationē, & cōtemplationem rerū alienarum aliquando affert, qualem inſidiantes ſolēt habere. Et ita Septuag. hanc partem ad accuſationē retulerunt legentes; *Tūc accuſabit homo ſe ipſum.* Solent videlicet, quos vere ſuorum ſcelerum pœnitet, non ſolū ſuam ipſorū peculiarem, ſed humanam etiā iniquitatē fateri, accuſare, veniamq, & ſibi, & peccatoribus omnib⁹ precari. Cujuſmodi illud eſt Ierem. 14. 20. *Cognovimus Domine impietates noſtras, iniquitates patrū noſtrorum.* & Daniel. 9. 7. *Tibi Domine juſtitia, nobis autē confuſio faciei, ſicut eſt hodie viro Iuda, & habitatoribus Ieruſalem, & omni Iſrael, his qui prope ſunt, & his, qui procul in univerſis terris, ad quas ejeciſti eos propter iniquitates eorū, in quibus peccaverunt in te. Domine nobis confuſio faciei, Regibus noſtris, & patribus noſtris, qui peccaverunt.* Vides, ut ad deprecandas ſuas ærumnas, ſuaque peccata, reſpiciebāt illi Ieroſolymitani reliquorum hominū peccata, dicebantq;, *Peccavimus, & ut digni eramus, non recepimus.*

4 Aegrotantiū inſtructio. *Pſal. 21. 23. Pſal. 50. 15.*

Forte etiam res hæc pertinet ad exhortationem quādam, & eruditionē reliquorum hominum, *Anaſim*, ægrotantium, & imbecillorum, ad quos ſuam confeſsionē dirigat is, qui recens morbo liberatus eſt, ut alliciat illos ad ſimilē pœnitentiam, & ſalutare ſuæ ęgritudinis remedium. Sicut qui dicebat; *Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Eccleſiæ laudabo te.* Et iterum; *Docebo iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur.* Vbi eleganter Theodoretus; *Tuam benignitatē aſſequens, pœnitētiæ exemplar ero & tuæ bonitatis præco, atque impios commonfaciam, ut ad tuas preces confugiant.* *Theodoret.*

5 Simplex & germana ſententia. Circumloquutio ſanitatis confirmatæ, & civilis cōvictus. *Iſai. 38. 11. Theodoret.*

Sed tandem illud videtur ſimplex, & germanū, ut *reſpicere homines*, ſit periphraſis valetudinis adeptæ, & confirmatæ, atque publici, & civilis convictus. q. d. lecto ſurgens verſabitur deinceps in medio populi, & a morbi moleſtiis laxatus, redibit ad convictum, & ſocietatem ſuorum civium, & ad publici muneris functionē. Intelligentiæ hujus duplex eſt argumentum, ex illo Ezechiæ ægrotantis dicto; *Non aſpiciā hominem ultra*, id eſt, moriar, & non ero deinceps conſors convictus, & ſocietatis humanæ. Quod eleganter expoſuit Theodoretus; *Alienus factus ſum a viventibus, & peregrinus a cognatis meis.* ita nunc e contrario, *aſpicere homines*, erit minime ſe alienum præbere cognatis, ac reliquis civibus.

Verbum Aſpiciēdi proprietas Hiſpaniſmo illuſtrata. *R. David. Kaldæus.* Convaleſcentes ex morbo deſiderantes domo exire. *Galenus Arte Medicin. c. 100.*

Secundam, quod verbū *aſpiciendi*, ſignificare videtur exitum quendam ad videndum aliquid, cum intentione, vel attentione aliqua: quod pulchre dicat Hiſpan⁹; *Salir de caſa aver, o a mirar.* Quare R. David acute hunc locum vertit; *Ibit ad homines.* Kaldæus; *Diriget ſe ad filios hominis.* quod egregie convenit homini liberato morbo, & domo egredienti ad conſpectū ſui populi: ea enim eſt convaleſcentis hominis cura non ultima, jam tandem exeundi domo, qua ſe continuit multos dies. Sic Ezechias dicebat Iſai. 48. 22. *Quod erit ſignum, quia aſcendam in domum Domini?* Et ait ad eum Iſai. 4. Reg. 20. 5. *Ecce ſanavi te, & die tertio aſcendes templum Domini.* Cum quo facit illud medicorum præceptū pro convaleſcentibus ex morbo, & confirmāda ſanitate, *Motus, vehicula, ambulationes, & paulatim ſe ad conſueta opera transferre.*

6 Cōfeſsio peccati in recuperāda valetudine. *Pſal. 37. 6. Apollinar.*

Sed quid is, qui in publicum conſpectum prodit, dicturus, acturusve? Dicet; *Peccavi*, aperte atque ingenue cōfitebitur vir ſapiens peccatum ſuum; Videlicet ſua culpa, ſuoque peccato morbū contraxiſſe: ſua item pœnitentia, & Dei benignitate convaluiſſe. Sic David deplorat amiſſas vires, & valetudinem, tumores *cicatricum*, & ulcera ſanie manantia, renes, *lūbos*, & ilia ægerrime affecta, cor palpitās, & *conturbatum: A facie inſipientiæ ſuæ*; id eſt, propter peccatum, quæ ipſa veriſsima inſipientia eſt. Hic iterum vides, ut morbi & ſupplicia corporis, animum erudiant, & admiſſorum ſcelerum vel admoneant, vel accuſent. Elegāns eſt illud Apollinarii in Catena Barbari ſuper Pſalm. 37.

Supplicia in peccatorum cognitionem, & sensum revocant, & propterea animis prosunt, tanquam corpora, quæ ex stupore non sentiũt, ad sensum reducuntur.

7 חטא עוה LXX. *Peccavi.* Proprie. Aberravi. *Et vere deliqui*, proprie, Rectitudinẽ aut veritatem perverti, detorsi, incurvavi. Septuaginta. *Qualia consummabã.* quasi per admirationem; Qualia perpetrare ausus sum! *Et ut eram dignus, non recepi.* Septuaginta. *Non digne in me inquisivit, pro his quæ peccavi.* dilucide, quod in Hebræo brevius, & obscurius: *Non fuit mihi æquale.* citra condignũ punitus sum. aut, *non fuit mihi æquum*: id est, non conveniens, neque cõmodum. nã quod æquale, aut æquabile est, id ipsum facile, & conveniens est; propterea que cõmodum, aut utile; ideo vox originalis æqualitatem, aut utilitatẽ significat. Kald. R. Mardokai, & alii Hebræi; *Non profuit mihi.* id est, valde nocuit & animę, & corpori. Is videlicet solet esse impietatis fructus, & Dei benignitatis, & bonitatis premio ultra condignum, supplicio citra cõdignum afficientis mortales. Prædicat ergo de Divina bonitate, quod *Sacerdos olim Aegyptiorum* (scribente Diodoro lib. 2. cap. 3.) *Rege juxta aram hostiis deductis astãte, prædicare solebat, magna videlicet voce, audiente populo, Regis virtutes, in Deos pietatẽ, ac religionem, in homines humanitatẽ servantis; tum illum continentem dicere, justum, magnique animi, veracem, liberalem, omnesq́; frænantem cupiditates: pœnas insuper mitiores, quam postularent errantis crimina, exigẽtem; reddẽtem vero gratiam meritis ampliorẽ.* Sed rursus nos allicit Salomonis vox, Dei lenitatem erga impios, liberalitatem erga probos prædicantis, Proverb. 24. 14. *Viis suis replebitur stultus, & super eũ erit vir bonus.* id est, in recipienda operum suorum mercede, multo ditior, & copiosior evadet justus, quã impius: hic enim citra cõdignum, ille ultra condigum recipit. quod etiam videtur indicari in secunda parte, ubi ex Hebræis legitur a quibusdam; *& vir bon⁹ a foliis.* sive, *a rebus parvi momenti.* Quasi dicat; major est mensura præmii foliorum, & cogitationum, & rerum parvi momẽti, quam Deus confert justo, quã mensura supplicii, quã Deus punit fructus ipsos pessimos, & opera mala impiorum.

Varia lectio. Chaldaus. & Mard. Complutenses. Diodorus. Aegyptiorũ Sacerdotũ, & Regum consuetudo. Deus puniẽs citra, præmio afficiẽs ultra condignum.

XXVIII. *Liberavit animam suã ne pergeret in interitum, sed vivẽs lucem videret.*

1. *Sententiæ paraphrasis. Appositum in certum.*
2. *Pœnitentia redimit vitam, quasi oblato pretio.*
3. Lux, *vita*, Tenebræ, *mors.* Videre lucem, *vitæ periphrasis.*

1 *Liberavit animã suã.* Sic in quã præclare consulit Divina benignitas mortalium saluti, & incolumitati, quos ab exitio redimit, & inferorum pene tenebris obrutos, ad lucẽ revocat. Sed cum in Hebræo pronomen illud reciprocum, *suam*, idem sit, quod non reciprocum, commune relinquitur verbum *liberandi*, ut illi supponatur vel Deus, vel homo. Priorẽ sensum recipiunt multi Hebraizantes, Pagninus, Regia, legunt enim; *Redimit Deus animam ejus.* Videtur enim convenire in Deũ, cujus illud proprium est, *Redimere de interitu vitam nostram.* Vulgatus hominem supposuit; Sic, inquit, *liberavit* homo; redimere, & liberare potest *animam*, vitam *suã ab interitu.* Proprie a fovea, & mortuorũ tenebris. *Redemptio* autem cum fiat quasi oblato pretio, videtur pœnitentia esse ejusmodi, ut cũ pœnitentia facti scelus ipsum videtur infectum reddere, nimirum delet, pretium sit redimendæ vitæ proscriptæ jam propter scelus admissum, Septuaginta deprecanter; *Salva animam meam, ne veniat in corruptionem.* Quos imitatur Tygurina. *Redimit animam meam.* Sed præter textum. Porro *videre lucẽ*, & apud Sacros & apud profanos, Periphrasis est vitæ. Ps. 55. 14. & Psal. 48. 20. Eccles. 6. 5. superius 6. 3. 20. & inferius, vers. 3. sicut e cõtrario tenebræ sunt symbolum mortis. Qui per hanc *lucem* nescio quid cõspicuum, & illustre inter homines intelligunt, præter Phrasim Scripturę faciunt, est enim tantũ expositio præcedentis particulæ, & simplex vitæ circumloquutio. Vtiliter, mystice tamen, Philippus; *Vt agnitionis Dei lucẽ, & immensa ejus beneficia illuminatus agnosceret.*

Pagn. Regia. Ps. 102. 4. שחת 2 Pœnitẽtia est pretium pro redimẽda vita. LXX Tygurina. 3 Videre lucem quid sit. Vitę periphrasis.

XXIX. *Ecce hæc omnia operatur Deus tribus vicibus per singulos:*

XXX. *Vt revocet animas eorum a corruptione, & illuminet luce viventium.*

1. *Sententiæ Paraphrasis. Distributio accommoda.*
2. *Varia de* Trib⁹ vicib⁹ *Divina loquutione sententia. Deum loqui per assiduos Prophetarum. Explicati Paulus, & Amos.*

3. Varia genera Divinæ vocis. Deum etiam impiis loqui per beneficia, ex Luca, & Ieremia.
4 Verior exponendi ratio. Ternarius numerus ad paucitatem ex Scriptura uſu. Illuſtratus Moyſes.
5. Duæ extremæ Theologorum ſententiæ circa Divinæ vocationis tempus, & auxilia abundãtia collata impiis. Illuſtratus Matthæus.

1 SIC, inquit, agit cum hominibus Deus, ſic vulnerat, & medetur; ſic territat, & erigit, idque non ſemel tãtum, ſed iterum ac tertio. Sæpe quidem conatur ille homines juſtæ morti deſtinatos propter ſcelera, ab exitio eripere, & ex diſcriminum tũ corporis, tum animi tenebris, in quibus jacebãt, ad jucundiſsimam vitæ lucem, qua mortales fruuntur, revocare. Quod nos dicimus, *tribus vicibus*; Symmachus; *Bis, ter.* Quod Interpres dixit, *per ſingulos*, q. d. cum ſingulis, aut cum uno quoque homine; Hebr. & Græce tantum eſt; *Cum viro*, quod nullam affert diſtributionẽ, vel certe illa eſt, quæ vocatur, diſtributio accõmoda. Non enim ſemper Deus ea ratione loquitur cum omnibus, ſed cũ quibus pro ſua Sapientia, & Providentia conſtituit.

Symmach.

Diſtributio accõmoda.

2 Eſt vero inter interpretes ingẽs de his *tribus vicibus* controverſia, & quidem plerique conantur tres Divinæ loquutionis modos aſsignare, quib⁹ conatur Deus revocare homines a peccato. Cajetan. præter duos illos, primum inſomniorum, *viſionumque nocturnarum*; ſecundum, *dolorũ*, & morbi, tertium conſtituit, videlicet, *quo Deus loquitur homini pœnitenti, non imputãdo ad pœnam homini peccatũ, quod fecerat.* Sed in conſtituenda hac Dei tertia loquutione multum ſudat, neque valde utiliter. Alii ſupra illos duos modos loquendi, tertium addunt, per nuntium, vel Angelum, doctoremve alium. Sed ut ex loco illo nuper rejiciebamus interpretationem illam, quæ *Angelum* non proprie interpretabatur; ita nunc enim tertiam loquutionẽ addere poſſemus, ut ternarium numerum expleremus. Præſertim cũ ea ſit frequentiſsima Dei conſuetudo, *multifariã multiſque modis loquẽdi olim patribus in Prophetis*; id eſt, ut ex Syro habetur, *Omnifariam, omnibuſq; inſtrumentis*: cum enim eſſent Prophetæ, & doctores, aptiſsima inſtrumenta quibus Deus loqueretur, & ſuã voluntatem exponeret hominibus, nõ ſolum verbis, & prædicatione Prophetarum loquebatur, verumetiam ipſis Prophetarum actionibus, tanquã verbis, & ſermone utebatur, ut ait per Oſeam. 12. 10. *Loquutus ſum ſuper* (ad) *Prophetas, & viſionem multiplicavi, & in manu* (miniſterio, & operibus) *Prophetarum aſsimilatus ſum.* Nã illorum parabolæ, & ſimilitudines atque actiones ipſæ non ſolum meam voluntatem, meaque cõſilia, ſed meum ipſum ingenium exprimebant. Hinc illud ſeverum Dei præceptum nunquam tacendi prædicatoribus, & ſpeculatoribus impoſitum, Ezech. 3. 16. 17. *Audies ex ore meo verbũ, & annuntiabis eis ex me. Si dicente me ad impiũ, morte morieris, non annuntiaveris ei, neque loquutus fueris, ut avertatur a via ſua impia, & vivat, &c.* Qui profecto locus pro cõmentario eſſe poteſt harum Divinarũ loquutionum, quibus conatur Deus *avertere hominem ab his, quæ fecit.* Sed quidẽ quãvis hac loquendi ratione per Doctores, & miniſtros ſuos Deus homines conveni-
re ſoleat; Eliu tamen, quia cum Iobo, & 3
amicis agebat, illo ægrotante, & dolente; his vero aſſuetis Divinis colloquiis, inſomniis, & revelationibus, quæ duo erant Divinæ vocationis genera efficaciſsima; ideo cætera prætermiſit, quibus cum hominibus loquitur Deus; videlicet res ipſas *creatas*, quæ Dei voces ſunt, Deumque benedicunt, ac impios ad benedicendum invitant; *beneficia*, quibus allicit & pios, & impios, voces item ſunt, quibus multifariam loquitur Deus, & convertere conatur impios. Nam quod auctor quidam ſcribit, beneficiis non loqui Deum cũ impiis, *ſed potius tacere*; quis æquis auribus audiat, cum Scriptum ſit, *Non veni vocare juſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam?* & cum nõ ſolum vexatio ſuppliciorũ, ſed beneficiorum magnitudo peccatores cõvertere ſoleat, ſicut Ieremias, 20. 44. dicitur; *Scietis quia ego Dominus, cum benefecero vobis propter nomen meum, & nõ ſecundum vias veſtras malas, atque ſecundum ſcelera veſtra peſsima.* Aliter tres iſtas Dei loquutiones aſsignat Nicetas. *Hæc* (inquit) *Sapientis, atque admirabilis Dei ſunt opera, ut tripartita quadã ratione peccantes convertat; verbis, inquã, horribilibus ſomniis, morbis.* Tres item aliter Chryſoſtomus ſcribit; *Ita cum hominibus*
agit, ut arguat, & increpet, nocturnis terroribus minetur; loquendo doceat, increpationibus atque imbecillitatibus cruciat. 4

Ego duas potiſsimum rationes, quibus Deus cum hominibus agat, doceri hoc loco ab Eliu ſemper exiſtimavi; alterã verbis, aut viſionibus, aut inſomniis, terrificis ve minitationibus, aut aliis ejuſmodi rebus, quæ nõ tam videntur ineſſe homini, quam objici, & repræſentari; alterã morbis, & doloribus ac cruciatibus corporis, ut ſtupidus, & ſine ſenſu homo ad priora Dei verba, flagellatus tamẽ, & dolens, ſeſe, ſuſq; recepto Dei vocẽ percipiat, ejuſque

Varia de tribus vocibus Divinæ loquutionis ſententia.

Cajetan.

Secunda interpretãdi via.

Heb. 1. 1.

Deus loquens per actiones ipſas Prophetarum.

Manus pro miniſterio.

Varia vocum, & rerum genera, per quæ Deus loquitur homini.

Aſtunica.

Luc. 5. 32.

Deus beneficiis afficiens impios.

Nicetas.

Chryſoſt.

Simplicior, & germanior expoſitio.

Quæ fint tres vices, quibus Deus homini loquitur.

monitis obsequatur. *Tres* vero *vices*, quibus Deus hæc operatur, nõ pertineant ac varias formas Divinæ loquutionis, sed ad varias vices, quibus contingit sic Deum agere cum hominibus. q. d. Non est hoc tã infrequens, ut sæpe quidem non eveniat. Sic enim hoc loco accipitur ternarius numerus pro indefinita multitudine, sed nõ valde magna; ad quam significandam ternarius libentius, & familiarius, quam alii majores numeri usurpant Scripturæ. De qua re diligẽter egit noster Ribera ad c. 1 Amos, ubi multa ternarii numeri pro multitudine exempla congerit; sed quorũ nõnulla potius ad paucitatem, quam ad multitudinem referenda videantur. Nam *tres digiti*, quibus Deus *appendit* universam *terræ molem*. Isai. 40. 22. quasi paucissimis digitis dictum est, ad distinctionem omniũ digitorũ. q. d. facili, & nullo negotio terram sustinet. *Tertia, & quarta generatio*, in quas *visitat iniquitatem patrum*, Exod. 20. & 5. Deuter. 5. 9. potius ostẽdit terminos suæ justitiæ, & sumendi supplicii multo minores, & angustiores limitibus misericordiæ; nam subdit; & (at, sed) *faciẽs misericordiã in multa millia*, atque adeo, ut acute dixit Theodoretus, *Patientia uti solere erga patres qui deliquerunt, itidem, & erga filios. Si vero nepotes & posteri, malorum nequitiam sequuti fuerint, supplicium sumere*. Tertia igitur generatio, primam, & secũdam videbatur excludere. Quis vero *tres panes* Luc. 11. 5. putet multos significare, quin potius paucissimos, & tãtum necessarios, unũ amico, qui venerat; secundũ sibi, qui cũ illo cœnaturus esset; & servo aut ministro tertiũ? & illud Isai. 17. 6. *Excussio duarum, aut trium olivarum, in summitate rami, sive quatuor, aut quinque in cacuminibus ejus.* Omnes enim numeri usque ad quinq; solent esse paucitatis. Sunt hujusmodi nõnulla alia. Sed ad multitudinem, & numerum ampliorem pertinere ternarium docet Chrysost. *In farinæ satis tribus*. Hom. 47. Euthymius ibidem.

Ternarius pro multitudine nõ valde magna.

Ribera.

Ternarius pro parvo numero

Theodoret.

Omnes numeri usq; ad quinque sunt paucitatis.

Chrysost.
Euthymius.

Hoc ergo loco, *tres vices*, aliquoties significat, sed non infinitas; nõ tam sæpe repetitas, ut homo velit Divinæ patientiæ, *bonitatis* allicientis, & vocantis ad pœnitẽtiam *divitias* contemnere, & nullum peccando finem statuere. Cũ enim istæ Dei voces peculiares sint, & ut ita dicã, extraordinariæ, illis non semper utitur Deus.

5

R. Salomon.
Nicol.

An Divinæ vocationis ullus sit terminus,

Est vero hoc loco inter duo extrema pedetentim progrediendum; Nam R. Salomon, quem affert Nicolaus, contendit tribus tantum vicibus peccatorem accedentem ad pœnitentiã recipi a Deo; quarto non recipi, confirmatque ex illo Amos 2. *Super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor non convertã eum*: atque adeo quidã Theologi opinati sunt, aliquando posse hominem tam nefarie peccare, tamque sæpe, ut in pœnam Deus illi deneget sufficiens auxilium ad pœnitendum: esseque jam Divina justitia determinatam certã peccatorum mensuram, qua expleta, cõverti homo nequeat, quo trahunt illud Matth. 23. 22. *Et vos implete mensuram patrũ vestrorum*. Alterum extremum, nullã esse peccatis mensuram, aut multitudinẽ, quã Deus patiẽter nõ exspectet, paratus semper non solum sufficientia, sed etiã superabundantia auxilia, conferre. Media via tutissima est, Deum paratum semper cõferre gratiæ, & auxilii vocationis, quod satis est: aliquando vero denegare peculiaria illa auxilia, quibus impius efficaciter converteretur; permittere igitur, ut induretur, & obsurdescat, *sordescatque* in suo scelere amplius. Scio rem hanc multis, & patrum, & Scripturarum locis perdifficilibus perplexã esse, sed cujus longior tractatio scholarum sit, non nostra. Illud tãtum de Matthæi loco, nihil significari a Christo Domino per *mensurã illam implẽdam*, quam quod, cum patres satis graviter, diuque peccassent, atque multis Prophetarum homicidiis se polluissent, at posteri tantæ peccatorum mensuræ cumulũ addebant, scelera sceleribus addentes, & sanguini Prophetarum sanguinem, & necem indignissimam ipsius Dei. *Implebant* igitur, cumulabant, & exaggerabant mẽsuram impietatis paternæ.

aut sæpe præscribendum. Duæ extremæ Theologorũ sententiæ.

Media via in materia de vocatione Divina.

Apoc. 22. 11.

Illustratus Matth. locus.

XXXI. *Attende, Iob, & audi me, & tace, dum ego loquar.*

XXXII. *Si autem habes, quid loquaris, respõde mihi: loquere, volo enim te apparere justum.*

XXXIII. *Quod si non habes, audi me, tace, & docebo te Sapientiã.*

Arrogantia Eliu. Artificium Orationis illius. Attendere, & respicere pro eodem. Explicatus Salomon.
2. Concessio, aut Dissimulatio, Ironiæ genus.
3. Vulgati diligentia. Artificiosus orator Eliu.

QVis nõ prima facie censeat Eliu valde modestum, & temperatũ dispu- 1

Eliu arrogantia.

tatorem, qui optionem det Iobo, & eligat aut primus ipſe loqui, aut loquentem audire? Ego vero ſuperbum, & immoderatum dixerim: canit enim de Iobo triumphũ, antequã cõ victo ſceleris, & ſua oratione, rationibuſque revincto. Et cum Iobum jubet *attendere*, cenſet illum *imperitũ*, ut ait Philippus: cenſet etiam orationem ſuam dignam, quæ non ſolũ audiatur, ſed in quam oculis, & animo auditores ſe totos convertant: id enim ſignificat verbum originale, quod frequenter auribus tribuitur, aliquando vero oculis, Proverb. 1. 24. *Extendi manum meam, & non fuit, qui aſpiceret.* Septuaginta. *Extendi verba mea, & nõ attendiſtis.* vel, nõ audiſtis. Quod vero ſubjungit, *Audi me*, Nicetas. *Quid eſt*, inquit, *quod Deum, qui videri nequit, in judicium voces? En ego, qui ſimiliter, ut tu, homo ſum, corã adſum.* pro Deo ego tibi ſum: Nam ago illius partes: cũ me audies, Deũ tibi reſpõdere exiſtima. *Et tace* Septuaginta *obmuteſce*, proprie dicas, Intende tacitus, aut tacitus contẽplare, quæ a me dicentur. Philippus, *Tanquam impatiẽtem, jubet, ut ſileat. Dum ego loquor.* Græcus Scholiaſtes legiſſe videtur, *Ego ſum*. Et interpretatur, *corã adſum.* quaſi ſua præſentia velit eis injicere metum loquendi coram tanto viro, q. d. *Que eſtoy yo aqui.*

Philipp. Attẽdere, & reſpicere, quid. LXX. Nicetas. LXX. Philipp. Nicetas.

2 *Si autem habes, quid loquaris, &c.* Negat probabilem ullam reſponſionem præberi poſſe ſuis argumentis. & ut totius diſputationis arbiter, & magiſter, præſcribit *tempus tacendi, & tempus loquendi.* Iam præcipit ſilere, & obmuteſcere, jam jubet loqui, *loquere*. Eſt autem hæc *conceſſio*, quam vocant, aut *diſſimulatio*, quæ, ut aliquando Servius, dixit, *Eſt artificioſa prohibitio, quæ per conceſſionem fit.* Et Quintilianus quidẽ genus Ironiæ facit, *Cum ſimiles imperantibus, vel permittentibus ſumus.* & pro exemplo affert id Didonis Aeneid. 4.

Confeſsio, & diſsimulatio, ſpecies Ironię. Servius. Quintil lib. 9 cap. 2.

I, ſequere Italiam ventis, pete regna per undas. Virgil.

Quaſi dicat, Minime tibi expedit, minime poteris: erit videlicet conatus irritus repugnantibus Diis. Sic hoc loco concedit, permittitque Eliu Iobum loqui, & juſtitiam ſuam oratione tueri, quod (ut ipſe exiſtimat) minime poterit obtinere: pollicetur etiam ſuum ſilentium Iobo meliora, & veriora dicenti. quod illud ipſum Schematis, & Ironiæ genus eſt, quod ſubjungit Quintilianus eodem loco, *Cum ea, quæ nolumus videri in adverſariis eſſe, concedimus eis. Id acrius fit, cum eadem in nobis ſunt, & in adverſario non ſunt ejuſmodi.* Eſt illud quoque, Quintilian. Ironiæ genus

** * * * * * * Meque timoris*
Argue tu, Drance, quando tot cædis acervos
*Teucrorum tua dextra dedit. * * ** Aeneid. 11.

Ergo cum Iobo facultatem loquendi, mirabili ipſe rerum atque verborũ copia affluere profitens, cum illi juſtitiam, & bonitatem cauſæ permittit, jam quaſi ſceleris convictum, & injuſtitiæ damnat.

Illud autem quod ſubjungit, *Volo te apparere juſtum*, illuminationis gratia dictũ eſt ab Interprete, ut exprimeret mentem Eliu, negantis Iobo veram juſtitiam: cum tamen in Hebræo proprie ſit, *Volo te juſtificare.* vel, ut Græci legunt, *juſtificari*: ut ſignificet ſe bene animatum erga Iob, & nullo calumniandi ſtudio, perinde atque alios amicos, cauſam ſuſcepiſſe. 3 LXX. Artificium orationis Eliu.

Tandem cum rurſus *ſilentium* imperat, *attentionem* poſtulat, & *doctrum* ſe *Sapientiam* profitetur, inſolentior prima oratione, jam ſecundam de rebus ſublimioribus aggreditur. Novum exordium.

(:)



PARA-

NOTATIO RERUM INSIGNIORUM, quæ in Commentariis fusius explicantur.

PARAPHRASIS Capitis præcedentis.

CAPUT XXXIII.



POSTQUAM ELIU CAUSAM exposuit, quæ se ad dicendum adducebat, magnum videtur silentium fuisse cõsequutum. Facta itaque audientia ad Iobum cõvertitur, atque illius attentionem, & benevolentiam perquam subtiliter, ne dicam callide captans, ad hunc modum exhortãdo, & obsecrando aggressus est.

1 *Audi igitur Iob, eloquia mea: & omnes sermones meos ausculta.*

Audi quæso, o Iob; jam enim instituo, qui mihi tecum futurus est sermo; ad quẽ animo ingredior integro, omnisq; perturbationis experte: nec quicquam inconsiderati afferam: præsertim cũ non nisi sententias, & parabolas gravissimas ex me sis auditurus. Atq; adeo velim singula a te verba attentissime percipi; atque tamdiu exspectare, dum peroraverim: sic sane fiet, ut ea, quę audieris, justa mẽtis trutina ponderare tacitus possis.

2 *Ecce aperui os meũ: loquetur lingua mea in faucibus meis.*

Mihi porro liberum est, quæ velim, quæque sentiam exponere, dicendi, & respondendi ad me partibus devolutis. Meas itaque, ac peculiares mentis meæ conceptiones proferam: atque submissius, & lenius tecum agam, quam pro rei istius gravitate.

3 *Simplici corde meo õnes sermones mei: & sapientiã puram labia mea loquentur.*

a *Exquisitum, neque nõ callidum Oratoris artificiũ notatur fere in verbis singulis hujus exordii.*

Quidquid vero dicam, [a] depromam sane ex animo simplici, & cãdido; omnem enim & doli, & calumniæ suspicionem procul a me abesse intelligas, velim; neque hominem lædam, quẽ unice juvare, & ad meliorẽ frugem convertere vehemẽter opto: quẽque amico, & benevolo semper studio prosequutus sum. Itaque premeditatus affero, quod omnino opportunum, & utile in præsentem controversiam, atque in rem tuam videri potuit, sine fæce, sine scoria, unde nihil inutile excerni, aut rejici merito debeat: præsertim cum causam æquissimam pro Dei æquitate adversus hominis injustitiam, defendendam susceperim.

4 *Spiritus Dei fecit me: & spiraculum Omnipotetis vivificavit me.*

Non est vero, quod me adolescentiorẽ licet de Divinis rebus verba facientem ambitiose fastidias; pręter quã enim quod universi mortales operã, & officiũ nostrũ impẽdere debeamus Creatori, cujus sumus, quidquid sumus: At ego nõ sum, sicut cæteri hominum: sed ex illorum peculiariũ numero, & prima classe, quos Omnipotentis Dei spiritus nimiũ vehemens, & incitatus præ cæteris adflat, & vivificat, atque præcellenti Sapientia instruit. Divinæ itaq; Bonitati, quidquid præ cæteris habeam, acceptum referam. Haud enim me latet, non a me ipso, sed a Deo hunc prudentiæ sensum mihi cõtigisse: Ille quoq; nunc ad loquendum excitat; & quid loquendum sit, benignissime suggerit. Quare neque non potero libere pronuntiare, quæ velim, quæque sentiam: neque non vera, & recta dicere, qui a Divino spiritu meam orationẽ hauserim. Neq; vero velim te, o Iob, nimium mirari meam dicendi facultatem, & vim stupendam licet: sum enim homo tui similis, luteus nimirũm, atque ejusdem omnino humanæ cõditionis. Quare si potes, si quid habes, quod pro te faciat, profer jam tandem: & quasi acie verborum directa, ac recte oratione instituta mecum congredere, ac fortiter obtine gradum tuum. Cum enim certandum nobis sit rationibus gravissimis, libere vel a me objectis, vel a te repulsis, aut concessis, volo te minime perturbate respõdendi, &

5 *Si potes, responde mihi: & adversus faciẽ meã consiste.*

argumen-

6

Ecce & me, sicut & te fecit Deus: & de eodẽ luto ego quoque formatus sum.

argumẽtandi ordinem, sed ut postulatus fueris, ad tempus, & ad singula paria paribus responde.

Eundem habemus uterque mentis, & intelligentiæ largitorẽ: pari ergo Sapientiæ contentione certabimus; eandẽ quoque habemus ex altera corporis parte crassissimi, luti originẽ; paribus igitur ignorãtię tenebris obnoxii sumus. Ergo cum nihilo tu natura, & origine melior sis, quam ego; nihil est, quod verear senem; nihil quod tu contemnas juvenem. Illud tibi potius cavendum fuerat, ne terrenus homo ad Divinum judicium causam tuam referendam existimares. Adest enim nunc tibi, qualem optasti, homo videlicet; non ille quidem Divina, & insolenti specie, sed humana, qui tecum pro Deo disputaturus est, facili atque benigna.

7

Verumtamen miraculum meum non te terreat: & eloquentia mea non sit tibi gravis.

Non enim eo animo loquor, ut dicendi vehementia te obruere, atque gravissimæ orationis pondere obstupefacere, & opprimere velim. Nihil est in me formidandum. Non te terrore, aut minis exagitabo, sed simplicissima veritate. Quare satius multo tibi fuerit mecũ congredi, quam cum Divina majestate, a qua tibi horribile quid accidere potest, quod & te perturbare, & tuam mentem permovere valeat. Ne igitur verere, ne gravi te manu urgeam mea. Memini enim cum diceres, nisi id formidares, te cum Deo certamen libenter suscepturum.

8

Dixisti ergo in auribus meis, & vocẽ verborum tuorũ audivi.

Me itaque intelligenter, & attente auscultãte, audacter illud pronuntiasti, quod inficiari non poteris; nam ego hiscemet auribus audivi, non semel, sed sæpius; b Candido, inquiebas, ego animo sum, nitidissimis moribus, fulgenti vita, absque ulla gravioris delicti, aut rebellionis labe: Nunquam omnino prevaricatus sum, neque Divinę legis contemptu animum pollui: ut qui innocẽter vixerim, nullius justæ reprehensioni obnoxius. Vere pro meo munere Protector pauperum, fidaque statio infirmioribus, ad me namq; tanquam in tutissimum portum se recipiebant, qui Tyrannorum persecutionibus, velut sæva quadam tempestate, & ventorum inclementia jactabantur. Sic me Deus vicissim protegebat tum ab animi, tum a corporis incõmodis, ut perpetua illius Providentia recrearer.

9

Mundus sum ego & absq; delicto: immaculatus, & nõ est iniquitas in me.

b *Varia Sãctitatis nomina diligenter ex sua proprietate explicantur; Tũ præcipue illud,* Protegens, *aut* Protectus, *utiliter indicatur, n.3.*

10

Quia querelas in me reperit: ideo arbitratus est me inimicum suum.

Illud, o Iob, reprehensione non caret, quod dixeris, Deum Optimũ Maximum occasionem captasse, ut te non solum sceleris alicujus accerseret, verum etiam tãquam impium, hostemque suum severissimo supplicio condemnaret; sic invenisse Deum quendam fraudulentum accusatorem fratrum suorum, qui apud illum te falsi criminis insimulatum, bona tuæ vitæ existimatione dejiceret. Quasi vero Deus aut falsa alicujus accusatione decipi, aut abalienato animo esse possit ab eo homine, qui justitiæ, & sanctitati studet. Scilicet ille leviter adversus hominem indignatus, te tuaque curiosius perscrutabitur, si quid forte per imprudentiam, inscitiamque deliquisti, ut te graviori, quam par est, supplicio afficiat.

11

Hoc est ergo, in quo non es justificatus. Respõdebo tibi, quia major est Deus homine.

Hæc est igitur summa tuorum errorum, atque lapsuum non solum linguæ, sed etiam animi, & mentis, quibus plane ostendisti te a vera justitia longe abesse: Atque hæc, quæ dixisti omnia, hac unica mea responsione facile labefactantur; nimirũ quod Deus, ut pote supremus judex, infinitis partibus, & numeris excellentior sit homine mortali, & misero. Vnde necessario efficitur, ut neque possis coram infinita magnitudine, & sanctitate videri sanctus; neque cum immensa æquitate de justitia, & æquitate contendere; neque apud supremum judicem de maligna, falsave aliqua tuæ vitæ accusatione conqueri, neque comprehendere certum aliquem finem, & rationem, tuorum suppliciorum, quã Dei Sapientia præfinierit. Cum enim multa pro te dixeris, atque multa te contentione defenderis, multo plura Deus, qui infinitum major est, pro æquitate suæ Providentiæ respõdere expostulanti poterit.

Cur igitur cum Deo audes litigare, atque illius arcanę Providẽtiæ

obstre-

12 *Adversus eum contendis, quod non ad omnia verba responderit tibi?*

obstrepere, quem neque rerum, atque consiliorum suorum rationem tibi reddere, neque singilatim vanissimis tuis querimoniis respondere oportet? homini præsertim Divina verba, Divinęque Providétiæ rationes æquis auribus neque excipere, neque ponderare parato; maxime vero cum illius sermones ejusmodi sint, quibus contradici non possit.

13 *Semel loquitur Deus: & secundo id ipsum non repetit.*

c *Varia, & multiplex illius particulæ* Semel, *in Sacro sermone vis, & proprietas, multiplex itē, & varius nexus, atq; explicatus hujus sententiæ, non unico tantum numero, sed omnibus cōprehensus.*

d *Deum semel omnia dixisse, ex pulchra allegoria, & Divini Verbi Christi, Mundi, Ecclesiæ comparatione, diggressiuncula indicatur, n. 2. 3. 4.*

Et vero, o Iob, expostulas cum Deo, quod tibi non respondeat, atque claris, disertisque verbis non satisfaciat tuis querelis. Ille profecto, quod [c] semel loquutus est, iterum, ac sæpius repetit: intelligi enim a nobis vult. Quare si illius mentem, & responsionem non es assequutus adhuc, tuæ potius surditati, quam illius silentio tribue. Ille enim non uno tantum modo, sed tribus, pluribusque loquitur cum mortalibus. Illud tamen certo apud te statuendum est, quod Deus semel constituerit, dixeritque, non posse mutari: non enim ille retractat, quod semel decrevit. [d] Cum enim ille nō possit rem melius decursu temporis considerare, rem semel pronuntiasse satis habet, & si sæpius loquatur, idem omnino semper repetit, atque eandem tibi, cæterisque peccatoribus cantilenam occinit, ut semel nunc male actæ vitæ pœnitentia suscipiatur: nam post hanc vitam nulla hujusmodi vocatione utetur, cum jam non exhortandi, sed judicandi, & puniendi tempus erit. Tunc cum mortalibus rationes instituet, exigetque de minutissimis quibusque rebus, atque cogitationibus. Nunc ita in universum explicat suam mentē homini Deus, ut pluribus verbis non indigeat; sed sive verbis, sive flagello, & supplicio, satis se, suamque mentem homini exponat; & nisi surdaster homo sit, satis superque Divinam voluntatem possit percipere. Nunc quidē semel, & iterum Deum loquentem audire licet; postea pro suo tribunali semel ille loquetur: semel, & immutabiliter de nobis statuet, feretque irrevocabile judicium. Quanquam nunc etiam pro sui numinis majestate, paucis agit cum homine, ut sic discat semel acceptā Dei vocem memori mente versare, atque repetere; ut perspicere tandem possimus, quid ille de nobis velit, statuatque. Quare frustra, o Iob, conaris cum Deo agere, tanquam cum arbitro aliquo, & interventore tuæ controversiæ, cum ille certas quasdam rationes, atque vias agendi cum mortalibus jam præfinierit: quibus cum loquitur, cogitandum nobis relinquit, quid facto nobis opus sit. Atque tibi nō una tantum ratione, sed pluribus, videlicet nocturnis visionibus, somniis morbisque, atque doloribus usus est. Quorsum ergo novam cū Deo disputādi rationem inire cogitas, cum viis omnibus atque rationibus tecum ille egerit amice, & familiariter loquendo per somnium, cum terrore etiam aliquo per visionem nocturnam? Cum vero non te per miseris hujusmodi doctrina erudiri, nō amplius illam repetit Deus, sed omissis verberibus, increpavit, & doloribus docuit hominem protervum, atque contumacem, ut vexatus saltem sapere incipiat.

14 *Per somnium in visione nocturna, quādo irruit sopor super homines, & dormiunt in lectulo.*

e *Vocabulorum* Sōnii, *&* dormiendi, *ad rem præsentem, & Scripturarum intelligētiam ex Sacris, & profanis observatio, n. 11. 12. 13.*

Nosti (nam experto, & intelligenti loquor) solitum Deum mortales commonefacere Divinis somniis, aut visionibus nocturnis; cum nobis aliquis, & insolens, sopor cælitus immittitur, [e] quo quis consepultus, & stupefactus prosternatur, Extasi correptus profunda atq; diuturna, ab omni sensu, & motione abstractus. Aliquando vero leviori tantum somno correptum docet hominem, neque indignum cēset sua majestate lectos obire dormientium, cōcursare grabbatos, & Divina injicere stertentibus somnia.

15 *Tūc aperit aures virorum: & erudiens eos instruit disciplina.*

Quibus cum multa alia efficere soleat, at in primis vult homines docere, quam vitæ disciplinam, & legem sequi debeant: salutaria tūc itaque illorum auribus vivendi præcepta, & monita instillat, atque severiorem etiam, ubi opus est, correptionem adhibet, & vel morbo, vel dolore pariter immisso, quasi sigillo quodam impresso efficit, ne somnia, quæ ipse immisit, evanescant per oblivionem, sed alta maneant mente reposta: tum etiam illud est quasi sigillum, quod veri-

tatem

tatem somnii alicujus confirmat, cum ex eo utilitatem aliquam suorum morum comparat homo, & instructior in vita componenda evadit.

16 *Vt averiat hominem ab his, quæ fecit.*

Quid enim aliud intendat Deus, quam ut nocturnis terroribus negligentem hominem, & ab his, quæ perperam patravit; & a pravis deinde operibus, quæ mente complexus fuerat, omnino deterreat, & ad pœnitentiam revocet? Non est enim (quæ sua bonitas est) ad punienda peccata, quam ad emendanda, & corrrigenda proclivis. In eo enim totus est, ut in meliorem partem restitutus vivat homo; & deterritus, compressa jam impudentissima humanę voluntatis elatione, meliora sapiat. Atque cum videat se conterritum, & Divina virtute humiliatum, minime deinceps superbiat, minimeque Divinã lenitatẽ per superbiam lacessat. Sic sane resipiscens homo, Divino beneficio, tum Divinam vindictam declinare potest; tum etiam superbiam sævissimorum hostium: usque eo est hic timor utilis, quẽ Deus immittit visis, & simulachris, ut futurum suppliciũ prohibeat, & hominis, quem reddidit meliorem, corpus, & animum quovis malo ac incommodo liberet: neque in hostium manus eum incidere patiatur.

17 *Eruens animã ejus a corruptione: & vitam illius, ut nõ trãseat in gladium.*

Est vero ille etiam Divinę correptionis fructus non ultimus, ut cũ soleat Deus impium hominem insidiarum supplicio afficere; cũ corripit, simul etiam erudit, & instruit, ut discrimina, & vitæ insidias declinare posset; ne repente mortem improvisam incurrat, atque in foveam incidat, in qua multis hostium jaculis cõfossus misere intereat. Adde etiam salutare pœnitentiæ fructum, ut cum hostium gladio atque bello infestissimo improbitatem alicujus hominis punire soleat Deus, at per pœnitentiam docet, ut si quando manus conferat cum hoste, victor evadat, & adversariorum gladium minime experiatur; & facile omnem missilium, & jaculorum ictum, mucronemq; retundere possit.

18 *Increpat quoq; per dolorẽ in lectulo, & omnia ossa ej⁹ marcescere facit.*

Cum vero ad priores Dei voces, & correptiones obsurdescit homo, & nocturnis visis, atque terroribus nihil fit melior; jam tunc severiorem se præbet Deus, f morbum aliquem gravissimum infligẽs, sensimque ægritudinis, atque doloris aculeos exacuens; & hominis vitam ad summum puriculũ adducens, exhaustis viribus, consumptis carnibus, contusis atque dibilitatis ossibus, summo cibi fastidio: quousque tandem his flagellis admonitus vel per se ipsum resipiscat, vel alicujus Divinæ voluntatis interpretis hortatu, & consilio suam impietatem, Divinamque per morbum animadversionem, cum vehemẽti pristinæ improbitatis odio, atque pœnitentia agnoscat. Verũ enim vero qui nostri corporis auctor, ac Dominus est, atque corporum, & sanitatis contemperator, cum videt nos corpore, & valetudine abuti, vires admit, & valetudinem frangit, atque dolorum vinculis cõstrictum hominem lecto, tanquam cippo, alligatum diutissime torquet.

f Elegãs morbi gravissimi, & gravissimorũ Symptomatum descriptio ex Sacris, & profanis, fere decurrens per sententias subsequentes accurate observatur.

19 *Abominabilis ei fit in vita ej⁹ panis; & animæ illius cib⁹ ante desiderabilis.*

Ingravescente vero morbo, languere incipit, atque jacere omnis appetentia cibi; ac tanquam ad rem fædissimã, sic ad exquisitissimos cibos, & cupedias nauseare. Et interdũ tanta est mali mortiferi acerbitas, tantaque jacentis corporis imbecillitas, ut cum appetere cibũ aliquando videatur, sed sit ea aviditas inanis, ut oblatas escas neque sumere, neque trajicere possit.

20 *Tabescet caro ejus: & ossa, quæ tecta fuerãt, nudabũtur.*

Dissolutis igitur per inediã viribus, & mollioribus humidioribusque partibus consumptis, exurente etiam perpetua febri, consequi solet universi corporis tabes, & Atrophia, ex qua totius corporis, & oris habitus ita immutatur, ut neque vestigium quidem pristinæ faciei apparere videatur: atque ossa quidem, quæ prius carne tegebantur, & muniebantur, ita postea prominebunt, atque extabunt, ut perinde, ac si nudata fuissent, discerni, & numerari singula possint.

21 *Appropinquavit*

Ex tãta macie, & tabe certa mors, & ad ipsum sepulchrum vicinitas; g idque certo portendunt paroxysmi, & alia moribundi hominis signa, ex quibus certa ducuntur instantis mortis prognostica, homini

g Mortiferorũ, *varia, & diligens consideratio, tum etiã vocabuli,* Mor

morti-

tui, aut Mortalis *in Sacro sermone, peculiaris usus ad Scripturarum intelligentiam, n.3.*

mortifere affecto adsunt præterea tartarei tortores, quorum opera non solum in homine impio flagellando, verum etiã in interficiendo uti solet judex severissimus. Videas igitur jam tunc adesse pollinctores, qui cadaver curare debeant, & necessaria funeri comparare, ut parum jam absit, quin cum mortuis ipsis connumeretur.

Illam etiam rationem agendi cũ hominibus solet servare Deus, ut cum homo per dolorẽ correptus, decumbensq; in lecto, nõ resipiscit, mittat Deus[h] quempiã Angelum ex suis ministris, suę voluntatis interpretem, per quem homini exponat salutare pœnitentiæ suscipiẽdæ consilium. Tunc demum fiet, ut homo Angeli hortatu, & salutaris pœnitentiæ beneficio melior effectus, convalescat ex diuturno, & periculoso morbo: præcipiatque tandem supremus vitæ, mortisque arbiter Deus[i] Angelo patrono, suum ut alumnum integrę restituat sanitati. Et vero Angeli patroni munus est Divinam misericordiam allicere. Quare, si mihi credis, o amice Iob, ingenti hoc Angelici patrocinii solatio, Divinæ benignitatis consequendæ spe tũ acerbitatem istius ægritudinis, tum præfactam istã tui animi pervicaciã emollire curabis; atq; te prębere minime asperum monitoribus, quicumq; tandem illi sint, sive Angeli, sive homines sancti, qui Divina mandata atq; consilia ad nos perferunt. Illud vero persuasum tibi velim, qui extremis cruciatibus exercetur, si perpessionis suæ causam in peccato consistere intellexerit, impendentem mortem inhibebit, etiam si sexcẽta sint, quæ mortem accersant. Enim vero ex una parte accusator fratrum Sathanas mortem nobis propter scelera merentibus inferre molitur. Ex altera vero tutelaris noster, vereq; paracletus, atq; unus de immenso illo administratoriorũ spirituum numero, qui nostram salutẽ procurant, mortẽ ipsam frequenter objicit, atque minatur, non tam ut inferat, quã ut avertat, & a peccando deterreat. Sic sane Angelus Sanctus interlocutor est, inter Deum, hominemq; de nostræ vitæ, nostræque mortis cõtroversia componenda acturus: & Deo quidẽ quasi exponere videtur, si quæ unquã fuerunt hominis præclara merita, atque illa omni, qua potest, ratione amplificat, homini vero ponit ante oculos vel millesimam partẽ beneficiorũ Dei, & verissima illius paterna viscera, ut in illius supplicio, & flagello, quasi in præclaro, maximoq; beneficio, obsequens, supplexq; acquiescat.

Quod summæ profecto clementiæ, & benignitatis est, sive Angelũ interventorem respicias, sive Deum ipsum, apud quẽ pro nostra sive animi, sive corporis salute intervenit Angelus. Ii enim ardentissima humanę salutis charitate, nostrarum rerum procuratores sunt, qui ex gratia, & commiserante volũtate, nostros morbos in hunc modũ deprecantur apud Deũ; Redime, o summe Deus, vitæ Redptor, ægrotãtis istius vitã a potestate mortis, retine moribundum hominem, ne præceps ruat in locum corruptionis. Nã habeo sane, quod quasi pretium offerre possim pro hujus vitæ redemptione; atq; te indignantem propitiare, pariterq; hominis istius sordes, & peccata vel excusare, vel tegere: non aliud quidem, quã præteritę vitæ pœnitentiam, atque meliora futuræ cõsilia. Hujusmodi vero Deus Angeli deprecatione delinitus, hominis graviter affecti cõmiseratione tactus, respondet Angelo, pergratum sibi extitisse illius pro homine interventũ; tum etiã non minus jucundũ, invenisse in homine aliquid, quod propitiationi, & veniæ aditum patefaceret. Continuo igitur mandat Angelo in homine curando, operam strenue ut collocet.

Is profecto nimium sedulus, intuens in suum alumnum morbi virulentia, & ardore consumptum, ut amplius Divinam cõmiserationem excitet, hæc rursus ad suam orationẽ addet, Iam satis, o supreme arbiter, suppliciorum sumptũ est de homine, satisque pro peccatis suis sævit in illius carnem, & corpus universum morbus acerbissimus, instauretur itaq; o Deus benignissime, illius vita, ut iterũ juvenascere, & mollissimæ pueritiæ, nitidæve adolescẽtię florẽ, roburque imitari,

h An ad humanũ opem non solum Angelus Custos, sed alii præterea multi; & an ex quavis etiam suprema Hierarchia mittantur, peculiari quæstiuncula explicatur, n. 7.8.

i Angelorum multa, & præclara in homines merita indicantur, n. 9.10.

corruptioni anima ejus, & vita ejus mortiferis.

22 *Si fuerit pro eo Angelus loquẽs unus de millibus, ut annunciet hominis æquitatem:*

23 *Miserebitur ejus, & dicet: Libera eum, ut non descendat in corruptionẽ.*

24 *Consumpta est caro ejus a suppliciis: revertatur ad dies adolescentiæ suæ.*

25 Deprecabitur Deũ, & placabilis ei erit: & videbit faciẽ ejus in jubilo: & reddet homini justitiã suã.

26 Respiciet homines, & dicet: Peccavi, & vere deliqui, & ut erã dignus, nõ recepi.

27 Liberabit animam suã, ne pergeret in interitum, sed vivens lucem videret.

28 Ecce hæc omnia operatur Deus tribu vicibus per singulos.

29 Vt revocet animas eorum a corruptione & illuminet luce viventium.

30 Attẽde, Iob, & audi me: & tace, dum ego loquor.

31 Si autẽ habes, quod loquaris, respõde mihi: loquere, volo enim te apparere justum.

32 Quod si nõ habes, audi me: tace, & docebo te sapientiam.

ac recuperare videatur. Quod enim nunc est, percussum, jactatum, contritum est, quod tuo beneficio erit, tenerum, succulentum, vegetabile erit præ mollissimi & tenerrimi pueri virescentis corpusculo. Itaque renovabis corpus ejus, sicut tectoriũ in pariete, illinita velut calce candentis cutis, & ossa ejus implebis medulla, ac ferme iterũ totum hominem conformabis.

Hæc est itaq; Angelicæ deprecationis summa, & formula, qua propitiatur Deus, ac benignum se præbens, ostendit se bene velle mortalibus, atque quacumq; oblata occasione gratificare. Sic sane fiet, ut Divino sanitatis restitutæ beneficio exultans homo adeat templum, ubi peculiariter Deus se præsentem exhibet, ubi letissima gratiarũ actione ad Divinæ majestatis conspectum se statuat, hymnis Deũ celebret: & unicuique in posterũ jus suum tribuat, illudque colat disciplina factus melior. Tũ vero Deus ita benigne, & amice cum homine aget, ut perliberaliter, quæ justo homine digna sunt, præmia conferat, & amplissimis justitiæ fructibus illũ cumulet, præsertim vita ipsa longissima, qua suos justos afficere Deus solet. Sic sceleris præteriti pœnitens Divina sententia absolutus, liberque dimittitur.

Sic supremus mortalium judex Deus contẽplatur humanas actiones, & patienter expectat, donec resipiscant, fateanturq; ingenue suũ peccatum, peccatique pœnas [k], multo quam pro meritis, mitiores, sic suavi Providentia improbos ad pœnitentiã allicit, interim observãs, notansque omnium mortalium opera sive ad præmiũ, sive ad pœnã. Atque mirum sane est, quod cum primum benigne respiciat Deus, homo multis licet antea suppliciis attritus, erigitur statim Divina benignitate, atq; lætus, exultansq; publicè suũ peccatum fateri nõ erubescat, interimq; agnoscat, quanta sit humana infirmitas, quam in se ipso suo expertus est malo. Sic preõo humanæ injustitiæ, Divinæque justitię, redibit melior factus ad cõvictum, & societatẽ suorum civiũ, & ad pristini muneris functionẽ, illud semper incredibili admiratione recolens, quantum quondã aberrarit a vero, & justo! qualia perpetrare ausus fuerit! quam clemẽter Deus inquisierit in illius scelera! quam fuerit sibi peccatũ, animæ atq; corpori noxium atq; pestiferũ!

Hinc profecto perspicuum est, quã præclare consulat Divina bonitas mortaliũ saluti, & incolumitati eorum, quos ab exitio redimit, & ab inferorum pene faucibus erutos ad lucẽ revocat. Sic sane redimit homo vitã suã, a morte certissima melioris frugis consilio suscepto.

Sic agit cum hominibus Deus, sic vulnerat, & medetur, sic territat atque prosternit, rursusq. erigit, idque non semel tantũ, sed iterũ, ac tertio, ac sæpius quidẽ: conatur enim ille pro sua bonitate, homines exitio justissimo destinatos, ab exitio eripere, atque ex tenebris difficillimorum discriminum, in quibus miseri jacebant, ad jucundissimã vitæ conditionẽ revocare, atq; hæc Sapiẽtis, atq; adeo præfortis Dei consilia, & opera sunt, ut tripartita quadã ratione peccantes cõvertat, verbis horribilibus, somniis morbis, coarguendo, & increpãdo, nocturnis terroribus minitãdo, morbis, & imbecillitatibus cruciando.

Optionẽ itaq; tibi libenter concedo, amice Iob, ut eligas, quod velis potius, aut primus ipse loqui, aut loquentẽ audire. Sed audies, credo. Nã ejusmodi est mea oratio, in quã oculo, & animo auditores se totos cõvertere debeant. Quare obmutescendũ tibi erit me loquẽte: præsertim cum nullã probabilẽ responsionẽ meis præbere argumẽtis possis. Neq; jã est, quod Deum, qui videri nequit, in judiciũ voces: Nã ego, qui similiter, ut tu, homo sum, coram adsum. Sed loquere sane; polliceor enim meũ tibi silentiũ, meliora verioraque dicenti. Atque utinã aut ego te justum pronuntiare possim, aut tuã tu veram sanctitatem, justitiamque probare valeas. Sed quid ago? Attentum te iterum, atque iterum jubeo, ad sapientissimam, propeque Divinam orationem, quam denuo molior.

k *Deus citra condignum puniens, ultra cõdignum præmia conferens, utiliter indicatur, n. 6.*

CAPVT. XXXIIII.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Eliu de novo redintegrans orationem ſuam oſtendit ſummam rerum omniũ adminiſtratoris Dei æquitatẽ, propterea Iobũ iniq; conqueri de Divino judicio, nihil præterea iniquũ pati.

I. *Pronuntians itaque Eliu, etiam hæc loquutus eſt.*

1. Pronuntiare, *quid. Quid* Reſpondere. *Diligentia Vulgati Interpretis.*
2. Pronuntiatio *quid. Apud Rethores. Pertinet ad ſententiam judicis.*
3. *Multiplex exordium.*
4. *Sapientes ab eruditis quo differant.*
5. Apoſtrophe *in Proœmio*
6. *Nota hominis nequiter ſe humiliantis.*

1 

RONVNtians. Docte, & prudẽter quod in Hebræo, & Græco, eſt *Reſpondens*; quod Interpres vitavit, quia nemini nunc reſpõdere videtur, quin potius continenti utatur oratione, ſine interventu alterius. Dixit itaque *Pronuntians*, quaſi rurſus dicere agrediens. Vatablus, *Sermones perſequens*, quamvis nunc nemini reddat reſponſum. Sic enim cenſent docti quidam verbum *reſpondendi* Hebræis, nihil ſignificare amplius, quã agredi ad loquendum, aut dicere. Quod quidem indicaſſe videtur ipſe Latinus Interpres, cum verbo reſpondendi nunc abſtinet, quo libenter, & indiſcriminatim ſolet uti aliis locis frequentiſsime. Ego tamen admonui ſæpe verbum hoc ſuã ſemper proprietatem retinere, cum quis loquitur opportune ad ea, quæ poſtulat vel res ipſa, vel perſona illa, cum qua ſermo eſt. Sicut igitur interrogatio petit reſponſum; ſic cum res ipſa alterius ſermonem exigit, interrogationis vim habet, & qui opportune loquitur, reſpondere cenſendus eſt. Ergo hoc loco vel exſpectavit Eliu, an Iob loqui vellet: ſilenti itaque opportune vox Eliu iſta ratione, quaſi reſponſo quodam occurrit. Vel certe *reſpondere* conatur ipſis Iobi dictis, eaque omnia refellere, quæ nuper in ſua defenſione dixerit.

Reſpõdendi verbum. Vatabl.

Quod vero Philippus in verbo illo *pro-* 2
nuntiandi obſervat, Eliu quaſi judicem, *ſententiam pronuntiare*, ſic enim diſputat, ut diremptorem potius, & judicem totius controverſiæ, quam diſceptatorem agat, acutum eſt potius, quam ſolidum. Forte Interpres reſpexit ad geſtum, & *pronuntiationem* hominis eloquentis, & politi, orationem, vocemque ſuam ex rerum, & verborum dignitate moderantis; ſic enim *pronuntiationem* definivit aliquãdo auctor ad Herenium; ſicque exiſtimandus eſt Eliu adoleſcens acer, & vehemens tantã aſſeveratione dixiſſe, ut *affectus orationis omnes voce, vultu, totius prope habitu corporis inardeſcerent*, & ſuum *illum ignem*, auditores *conciperent*. quod Fabius in *pronuntiatione*, & actione requirit. Intellexit hoc Gregorius, & ſubtilliter; *Quid*, inquit, *per hujus pronuntiationis vocabulum, niſi inflatio elationis oſtenditur, ut verba, quæ de alta ſuperbiæ radice veniebant, cum quadam quaſi altitudine, & diſtinctione, & cum pronuntiationis diſtinctione procederent?* Vnde utiliter ad Divini Verbi miniſtros, & concionatores diggreditur de Divinis inſolenter, de ipſa interdum humilitate ſuperbe, & tumide buccinantes. Qui profecto vna manu ædificant, altera diruunt, & ſimul cum ipſo Divini Verbi ſemine videntur diſſeminare loliũ, & *Zizania*; & *agrum ſerere diverſo ſemine*, ut ſimul res Divinas cum ſua ſuperbia auditoribus propinent. *Vnde fit* (inquit Gregorius) *ut eorum prædicatio concors ſibi manere non poſsit, quia id quod rectum loquentes ſeminant, perverſe tumentes impugnant.*

Philipp. — Cicero. — Quint. lib. 11. cap. 3. — Mat. 13. 26. — Levit. 19. 19. — Gregorius.

II. *Audite Sapiẽtes verba mea, & eruditi auſcultate me.*

AB *Alio nunc initio ducit orationem* E- 3
liu, ut bene obſervat Nicetas, rurſumque captat attentionem, & benevolentiã conciliat; non quod novam ordiatur orationem, ſed quod, ut Fabius dixit, *Si multiplex cauſa eſt, ſua quibusque partibus danda præfatio eſt: nam Iudici, & in narratione non nunquam, & in argumentis, ut attendant, & ut faveant, rogamus.* Quamquam illo vitio, quod majus eſt, laborãt hęc proęmia, quod inſolentia, & ſuperba ſunt, ac minime diſſimulant eloquẽtiam. Quæ ſunt ſane proęmiorum deformitates.

Nicetas. — Novum orationis exordium. — Proęmiorum vitia.

Audite Sapientes. Proprie, ſcientes, & 4

intelli-

LXX. intelligentes rerum humanarum; atque Diuinarum. *Et eruditi*, Septuaginta. *Qui habetis scientiam*. Proprie, habentes usum multarum, magnarumque rerum; non solum docti, sed etiam experti; vos enim meæ orationis judices volo. *Indicare* (inquit ille) *difficile est sane, nisi expertum*. Quare *eruditos* vocavit Interpres, rerum multarum peritos. Sæpe jam monui, verbum *Iadagh*, non solum mentis esse, sed etiam sensus; id est, non solum ad speculationem referri, sed ad sensum, & experimentum; & ad ea omnia, quæ quacumque ratione humanæ mentis intelligentiã promovent, & illustrant. & quia hoc verbum affert etiã familiaritatẽ rerum, quas notas habemus, forte illos demulcet, significãs rerum sublimium cognitionem illis esse amicam, & familiarẽ. Quod enim alii discrimen inter *Sapientes*, *& eruditos* constituunt, quod illi de rebus Divinis, hi de moralibus, & Physicis; illi doctores sint, hi ab aliis docti, & instructi; & alienum, & parum solidum est. Vult autẽ Eliu non solum *audiri*, sed *auscultari*, attente percipi, intelligi, ponderari, quæ dicturus est. Dixi de discrimine horum verborum superioris capitis initio.

Cicer. de Amicitia.

ידע

Dionys. D. Thom.

5 Nunc primo observa, familiarẽ esse homini artificioso, & vehementi Eliu, Apostrophen, ut initio cap. 33. diximus; *Quæ figura proœmiorum esse* solet, ut Fabius docuit, & dat *sententiæ vires*. Quamquam si vel amicos nunc alloquitur, vel alios auditores, qui suæ orationi præsentes aderant, eosque Iudices constituit, non debet censeri Apostrophe, hæc enim est sermo a persona *judicis aversus*. Sine figura enim, ac simplex est ille orationis sermo, qui ad judicem ipsum convertitur.

Apostrophe Schema exordiorum. Quintil. lib. 4. cap. 5.

6 Secundo notavit Nicetas, quod Eliu *delinit auditores, quos anteà castigarat*. Belle suo modo loquendi Cajetanus; *Cerne passionem: ut ipse loqueretur, arguit illos; ut dicta ejus probentur, laudat illos*. Ingeniũ hominum sui amantiũ, *& qui nequiter se humiliant*, omniaque ad sui laudem referentium. Neque vero laudarent, sed illuderent, ac maligne vituperarent, si e re sua fore arbitrarentur. Vide Plutarch. commentario, De se citra invidiam laudando. ubi illam sui laudandi rationem docet, cum quis eos, *quibus idem studium est, eædem actiones, iidem deniq; mores laudando conciliat, & in se convertit; ut statim acclamẽt; Quasi vero tu non sis talis?* Sic Eliu Sapientes vocat, ut deliniti hac commendatione, sibi uni de Sapientiæ laude concedãt: & quasi suæ orationis nemo existeret idoneus auditor, nisi sapientissimus. Quanto melius ille, qui nil molitur inane; qui profitetur se *sapientibus, & insipientibus debitorem*. Qui parvulis, & solidioris cibi impotẽtib⁹, *Lac* præbet; qui cũ parvulis loquebatur ut *parvulus*; & cum *infirmis*, & imbecillibus, vocem quoque suam extenuabat, & attemperabat *infirmantis* instar, qui cũ posset, supprimebat *arcana verba, quæ nõ licebat homini loqui*. & *Sapientiam loquebatur inter perfectos*.

Nicetas. Cajetan.

Ecclesi. 19.22.

Rom. 1.14.

1. Cor. 3. 2.

2. Cor. 11. 29.

1. Cor. 2. 6.

III. Auris enim verba probat: & guttur escas gustu dijudicat.

IIII. Iudiciũ eligamus nobis, & inter nos videamus, quid sit melius.

1. *Varius nexus.* Auditus, *sensus fastidiosus*.
2. *Particula*, Et, *nota similitudinis*. *Illustratus Iobus*.
3. Guttur *quid proprie*. *Quid* dijudicare. *Iudicium sensuum*.
4. Iudicium *quid*. *Quid* eligere. *Oratio Eliu artificiosa*.
5. *An Eliu falso calumnietur dicta Iobi?*
6. Auferre, *in Sacro sermone quid*. *Quid item* pervertere.

Vers. III. Auris enim, &c.

1 Versiculus tertius ligari potest cum præcedente, aut cum sequente; si cũ sequente, is erit sensus; Sicut examen, & judicium verborum, & sermonis ad aures; & gustus ciborum ad palatum; sic examen ponderatioq; veritatis, ad mentis judiciũ pertinet; propterea vestrum de mea oratione, deque tota causa inter me & Iobũ, syncerum, emunctumq; judiciũ faciẽdum a vobis est. Si vero cũ præcedente nectatur, quod & Septuaginta voluerũt, aptior efficitur sententia; Ideo aures vestras attẽtas, & benignas postulo, quod aures sint judices sermonum, & verum a falso internoscere, rectumq; a pravo discernere possint, ac debeant; hoc enim unicum, & simplex aurium judiciũ, & promiscue, & cõmuniter omnibus a natura datum est, non secus quã palatũ, quod ciborũ varietates, qualitatesque dijudicat, exploratque. Iudicium igitur puræ, & opportunæ orationis ex auditu religioso dandum est. Assonant, consonant vera, & recta; dissonant, perstrepunt, offendunt falsa, importuna. *Auditum*, ille alius *dixit*, *sensum fastidiosissimum*; *auriumque judicium superbissimum*: cum quo mentis attentio, & intelligens judicium conjuncta sunt; erectæ

Duplex sentẽtię explicatus

Cicer. de Orat. & ad Heren.

Aurium Iudicium quale. nimirum aures mentem quoque excitant, & erigunt.

Dixi vero sæpe particulam copulativam, *Et*, esse notam similitudinis, & comparationis, exempla mille in Proverbiis, & libris Salomonis, in Evangeliis Marci, 9.49. Ioan. 5. cap. 7. *Pater meus usque modo operatus, & (quemadmodum) ego operor.* & 14. 19.

2 Particula copulativa nota similitudinis.

3 חך

Rursus vox, quæ hic redditur, *guttur*, aliquando *fauces*, aut *palatum*; vide, quæ in simili fere sententia diximus superius, cap. 2. 11. quamquam forte magis proprie, *palatum*, redditum est ab eodem Interprete, cum dicatur Thren. 4. 4. *Adhæsit lingua lactētis ad palatum.* & Ezechiel. 3. 26. *Linguā tuam adhærere faciam palato.* incongrue enim diceretur, *adhærere gutturi*. At cum de gustatu sermo est, *guttur*, aut *fauces* dicit, ut supra cap. 2. 11. & Septuaginta hoc loco. Quod vero Interpres dixit, *guttur dijudicat*, simplex in Hebræo, & Græco verbum est, *gustat*; habet enim gustatus, sicut reliqui sensus, suum judicium, suamque in sentiendo, & cognoscendo veritatem; percipiunt, & apprehendunt res objectus, forma quidam certa, & quam vocant, intuitiva cognitione; quis enim non videat, visum videre rem esse albam? gustum gustare rem esse dulcē? discernere præterea, inter album, & nigrum; inter dulce, & amarum? quod utique judicare est, sed imperfectum, & longe diversum a mentis judicio, ut Philosophus docuit. Sed hæc diligenter examinavimus, cum secundum Aristotelis de anima librum interpretaremur.

Sensuum judicium, & veritas aliqua. טעם

Arist. 2. top. c. 2. & 2. post. c. 18. 2 de anim. tt. 144 149.

Vers. 4. Iudicium eligamus, &c.

4 Sequitur deinde versiculus quartus, Ergo (inquit Eliu) dum ego loquor, dum vos auscultatis, comparare, & eruere studeamus verissimam, quo ad fieri possit, hujus causæ cognitionem, judiciumque faciamus æquum, incorruptum. *Iudicium*, causæ cognitio, inquisitio, pervestigatio, videlicet illud totum, quod precedit ante ferendum Iudicium; aut vero ipsum extremum Iudicium, atque sententia post causæ cognitionem statuenda, & pronuntianda: complectitur enim, *Iudicandi*, & *Iudicii* vox, quidquid in judicio, & foro fit, litis tractationem, criminationem, defensionem, absolutionem, condemnationem. res a nobis non semel observata. Vide cap. 10. versicul. 2. num. 2. & cap. 3. versicul. 18. num. 3. & cap. 8. versicul. 3. num. 2. Verbum autem, *eligendi*, indicat, quod tanquam optimum, & verissimum, præ aliis omnibus eligitur, atque præponitur omnibus illis rejectis, quæ vel nihil ad rem faciunt, vel veritati nocent. *Et constituamus*; Septuaginta proprie ex Hebræo: *Noscamus inter nos, quid bonum.* Nicetas; *Ergo communis sit veri disquisitio, & commune sit judicium, recte an secus Iobus dixerit.* Et hoc quidē artificiosum est, ad aliorum benevolentiam conciliandam; ad invidiam Iobo movendam. controversiam Iobi facere sibi cum cæteris communem.

Iudicii significatio in Sacro sermone. שפט

בחר

Eligere de re optima, & verissima. ידע LXX. Nicetas.

V. Quia dixit Iob: Iustus sum, & Deus subvertit judicium meum.

IAM Proponit illa Iobi dicta, quæ vel falsitatis, vel temeritatis, & insolentiæ cōvincere conatur; Meminerimus, inquit, quæ dixerit Iobus, quæ ipse neque negabit, neque non recognoscet. *Dixit* enim non semel, sed sæpe; nō leviter, sed valde asseveranter, contumaciter, præfracte. *Iustus sum*, satis meam innocentiam, atque causæ æquitatem meæ ostendi, & probavi tum Deo, tum æquis hominibus, neque jure me poterit quisquam ullius sceleris insimulare. Sed tamen mihi persequi jus meum non licet apud Deum judicem: quippe ille non ex judicii norma mecum agit, sed omni lege liber, pro sua voluntate innocentem excruciat, neque propter scelus ullum, quod judicii, & judicantis proprium est, gravissimo supplicio afficit, & ut eleganter dixit Nicetas; *Potentia magis, quam Iustitia usus insonti plagam inflixit.* Vide, quæ diximus superius, cap. 19. 6. & cap. 27. 2. ubi sententia fere eadem. Quare mirum, quod Philippus, non recognoscat hoc Iobi de se testimonium; & Gregorius dicat, Iobum hæc *minime dixisse*; Cum ideo *Omiserint tres amici respondere Iob, eo quod justus sibi videretur*, cap. 32. 1, &, *appendi simplicitatem suam in statera Iusta*, postularit, cap. 31, 6, &, *non recedere a justificatione, innocentia*, & conscientia bona constanter, & fortiter constituat, cap. 29. 5. 6. &, *Si fuerit judicatus, certo scire* fore, ut *justus inveniatur*. cap. 3. 18. Denique quid tam exploratū in hoc libro, quam Iobi cōstantia in tuenda, & asserēda sua justitia? Illud vero in speciem probabiliter asseritur a Philippo, Iobum nunquam dixisse, *Deus subvertit judicium meum*; sed *abstulit*, superius. cap. 27. 2. nam *subvertere*, in-

5 Sententiæ elucidatio, & paraphrasis.

Quæstiunculæ explicatio. Nicetas. Philipp. Gregor.

Diſcrimen inter ſubvertere, & auferre. quit, *Iudicium, ad æquitatem pertinet Iudicantis; abſtuliſſe vero judicium, id eſt, pro tempore diſtuliſſe, ad diſpenſationem juſti judicis pertinet.* & Nicetas quidem eandem ſententiam, per paraphraſim elucidans, mendacii, & calumniæ videtur notare Eliu. *Non dictum, factis meis judicium fecit; verũ; A me juſtitiam ſuam abſtraxit. Sic Iobi verba acceperat Eliu; veruntamen Iobus hoc tantum dixit; de factis meis Deus judicare cunctatur.*

Nicetas.

6 Sed verbi Latini, *abſtulit*, aut, *pervertit*, diverſitas nihil variat ſententiam, quæ in Hebręo eodem omnino verbo conſtat, eademque ſignificatione; nam, *ſur*, eſt auferre, declinare, divertere, ſubvertere, denique liberius, ac licentioſius vagari, & ferri; & alio inverti, & converti, quam res ipſa poſtulabat; quare quod ibi dictum eſt, *auferre judicium*; recte hic dicitur, *ſubvertere*; quod eſt, quaſi mutare, invertere, nos diceremº; *A me buelto al reves mi juſticia, y trocado lo de arriba a baxo.* Scholiaſtes Græcus; *Immutavit judicium meum.* Aquila, & Symmachus; *Pervertit, & amovit.* Quaſi dicat; Nõ me deduxit judicii via trita, & conſueta, qua ducit cæteros; ſed diverticulo alio difficillimo, & deterrimo, ſicut eodem verbo dicebat Ierem. Thren. 3. 11. *Semitas meas ſubvertit.* cum videret populum per maxima diſcrimina, & vitæ rerumque omniũ errores, & difficultates aberrantem, & extraordinariis ſupplicis affectum. Hæc cõjungenda ſunt cum cap. 27. verſicul. 2. ubi de eodem verbo, eademque ſententia plura.

סור

Hiſpaniſmus. Nicetas. Aquila. Symmach.

VI. *In judicando enim me mendacium eſt: violenta ſagitta mea abſque ullo peccato.*

1. *Eliu calumnia* Mendacium, *res ipſius permutata. Vera Iobi aſſertio a calumnia Eliu.*
2. *Varia lectio. Hebraica elucidatio.*
3. Mentiri *paſsive. pro falli.* Mendacium, *falſitas dicentis.* Mentitur, *qui fallit.* Mendacium *unde dictum apud Latinos.*
4. *Varia lectio,* Violentum *quid.*

1 QVIS, Inquam, mentitus? Expreſſerunt Septuaginta. *Dominus mentitus eſt in judicio meo.* Probabilius jam hanc eſſe calumniam affictam Iobo ab Eliu. nuſquã enim ille *mendacii* arguere viſus eſt Deũ; niſi Eliu maligne interpretetur, quę Iobus dixit de *ablatione*, & *ſubverſione* ſuæ cauſæ; quaſi Deus falſo illum propter ficta ſcelera, & falſas criminationes, ſupplicio graviſsimo dãnaſſet. Quo videtur pertinere illud c. 9. 17. *Multiplicabit vulnera mea ſine cauſa.* Ergo Latini *mendacium* hoc, atque calumniam regerunt in ipſum Eliu. Ego vero cum Græcis exiſtimo neque Eliu auſum fuiſſe tam aperte mentiri; neq; voluiſſe quidem; licet nimium ſe rigidum verborum Iobi judicem, & parum æquum interpretem exhibeat: quod cum ex ordinaria, & conſueta judicii forma, pęna ſit peccati alicujus index; qui innocentem punit, per mendacii ſpeciem quãdam, videtur illum peccati alicujus damnare; vel *mendacium* tribuit Deo, quod ſit quædam rei conſuetæ, & conſtantis mutatio. Qui enim in Iobi judicio, & cauſa judicii formam ordinariam mutavit, mẽdacio quodam permutatæ rei uſus eſt. Quo ſenſu conqueritur, *quod non æquo judicio illum affixerit Deus.* Sed in eo tamen fallitur Eliu; quod aliud ſit Deum in judicio Iobi noluiſſe uti ordinaria, & legitima juris forma; voluiſſeque diſsimulare illius innocentiã, quod diſpenſationis, & poteſtatis ſupremæ eſt, & ſæpe aſſertum a Iobo: aliud vero Deum iniquum fuiſſe in Iobi ærumnis, & illius innocẽtiam criminatum fuiſſe per mendacia, & calumnias. quod a Iobi & verbis, & mente alienum eſt.

Calumnia Eliu.

Græcorum interpretatio probabilior.

Mendacii ſpecies quædam, cum rerum ordo mutatur.

Vera ſententia Iobi explicatio, & Eliu refutatio.

Sed his anguſtiis poteſt nos liberare lectio Hebræa, quæ *mendacium* tribuit ipſi Iob, ſic enim ex verbo legitur; *In judicio meo mentiar.* quaſi ita Iob dixerit, Si aliter de meæ vitæ innocentia loquar, ſentiamve, aut aliquod crimen mihi affingi, inurive permittã, aut vobis cõcedã me alicujus peccati pœnas pendere, *mendaciũ* admittã, eritque. Quod videtur alludere ad id, quod dixit cap. 27. 4. *Non loquentur labia mea iniquitatem; nec lingua mea meditabitur mendacium.* Vatablus interroganter; *Super jure meo mentiri debeo? An, inquit, par eſt, ut mentiar ſuper innocentia mea?* Si active ſumatur, *mendacium*, verbumve *mentiendi*, (ut ſumi poteſt) mendacium rejicietur in amicos; ſic Hebræus, apud Cajetanum; *Super judicium meum faciam mentiri.* ſupple, amicos, & accuſatores meos, id eſt, mendacii illos convincam; ut ſæpæ quidem Iob objicit amicis dolos, & mendacia c. 3. 4. 7. & c. 21. 27. 34. & c. 27. 12. Illud tandem nõ inelegans, ut mẽdacium & falſitas pro fruſtratione ſpei ſumatur; & mẽtiri paſsive, pro falli; *In judicio meo mendaciũ*; id eſt, fefellit me ſpes mei juris aſſerẽdi, falſus ſum exſpectatione præmiorum; nam potius pro pręclaris facinoribus ſup-

2 Lectionis Hebraicæ elucidatio. Pagnin. Regia

Vatablus.

Cajet.

3 Mentiri paſsive, pro falli.

plicia accepit; & mendacium ego mihimet dicebam, ſuadebã, concipiebam, cum fælicem rerum omnium evẽtum mihi pollicebar. Eo videntur poſſe referri Aquila, & Symmachus; *Circa judicium meum falſitas.* Et hoc quidem non ſemel a Iobo dictum eſt, cum de *exſpectatione* ſua loqueretur, præſertim, cap. 30. 36. *Exſpectabam bona, & venerunt mihi mala: exſpectabam lucem, & eruperunt tenebræ.* Et quidem cum Interpres verbo, *mentiendi,* reddere noluit, ſed nomine *mendacii,* rẽ hanc ipſam videtur indicaſſe ſapiẽtiſsime; nam *mendacium* ibi eſt, ubi eſt falſitas; ut mẽdaciũ dicere poſsit, qui fallitur, at ille tãtum mentiatur, qui alterum fallit. atque adeo, *Mendacem,* ideo *a mendacio* dictum putãt, *quod illius mentem fefellerit fortuna;* ut Feſtus ex P. Nigidii auctoritate ſcribit; *Qui mentitur, ipſe non falſus, alterum fallere conatur, qui mendacium dicit, ipſe fallitur, quãtum in ſe eſt. Vir bonus præſtare debet, ut non mentiatur; prudens, ne mendacium dicat.* Recte igitur falſitatem eſſe mendacium ſuæ exſpectationis Iobi: vere enim hujuſmodi illi mendacium attribuit Eliu.

Aſtonica. Symmach.

Mentitur, qui fallit.

Mendaciũ unde dictum.

Feſtus.

4 *Violenta ſagitta mea abſque ullo peccato.* De hoc etiam ſæpæ a Iobo deploratum, ubicumque de ſuo morbo loquitur: ſed præcipue, cap. 16. 13. 14. 18. cap. 17. 2. cap. 9. 17. 28. cap. 6. 3. 4. *Violenta ſagitta,* a radice, *Anas,* quod eſt deſperare, & inſanabiliter dolere, & laborare. inde alii vertunt, *dolorata* ſagitta; vel, *doloroſa;* alii, *inſanabilis,* ſæva, nociva, mortifera, graviſsime vulnerans. Sed recte vertitur, *violenta;* ſicut & Septuaginta; *Violentum jaculum;* ut vim, & violentiam incredibilem doloris, & impetum malorum omnium ſignificaret.

אנש

Regia. Vatabl. Pagnin.

LXX.

VII. Quis eſt vir, ut eſt Iob, qui bibit ſubſannationem, quaſi aquam?

1. *Duplex ſententia, & contrarius explicatus. Tolerantia deſcriptio. Germana ſententia paraphraſis.*
2. Subſannatio *active, aut paſsive ſumpta. Pertinet ad verba. Explicati Oſeas, & Iſaias.*
3. *Varia* bibendi, *&* Aquæ *tranſlationes. Germana interpretatio.*
4. *Aquæ potus, & humiditas laxat, & tranquillat. Eſt ſua aquæ ebrietas. Illuſtratus Moyſes de* Ebria, *&* ſitiente.

1 AN Hæc ſententia ad laudem pertineat; ut deinde acrius vituperet; an vero ad apertam temeritatis, & inſolentiæ reprehenſionem, incertum eſt. Nam Græci, Nicetas, & Clemens, priori modo accipiunt, ut hæc ſit incredibilis cujuſdam tolerantiæ, & tranquillitatis animi deſcriptio: de quo cum Iobum laudet Eliu; at de Diviva Providentia negata, aut accuſata illum condẽnat. Nicetas ex perſona Eliu; *Mihi, inquit, eſt Iobi ſpectata virtus, qui ſua ſponte, atque judicio injurias ſuſcepit, ut qui aquam hauriunt.* (Deinde ſecundę parti negationem addit ad ſenſum contrarium) *idque cum nec apud homines offenderit, nec Deum impietate ulla violarit: quia etiam ſe a facinoroſorum, impiorumque conſuetudine, & convictu abſtraxerit.* Clemens vero; *Rerum omnium pretioſiſsimum eſt peculium, animi tranquillitas; talem nobis hic liber Iobum deſcribit.* Rurſus Nicetas; *Hoc de te conqueror, non quod injuſtus ſis, ſed quod res noſtras a Dei contemplatione, Providentiaque reponas.* Cæterum cum neque Hebræa, neque Latina eam negationem in ſecunda parte admittant, contrarius omnimo hujus ſententiæ ſenſus probandus nobis eſt; ut qui ſit & elegantior, & propoſito convenientior, ut incipiat Eliu invehi in Iob; Quis (inquit) mortalium, ſi vir eſt, & viri nomine dignus, eo ſtultitiæ, & impudentiæ devenit, ut dum temere, & ignoranter de Divinis loquitur, irridendum, & ſubſannandum ſe præbeat cordatis omnibus, atque ſapientibus? Quis ſani judicii vir, ita volet ſuæ vitæ conſiliorum, & actionum dignitatem tueri, ut in judiciis, conſiliſque Divinis illudere, & inſultare per ſummam temeritatem, & inſolentiam non dubitet? atque illam ſibi voluptatem maximam ſtatuat, quæ ex Divinæ Providentiæ contemptu, & maledicendi ſtudio percipi poteſt?

Dubius ſententiæ ſcopus.

Nicetas. Clemens.

Tolerãtiæ deſcriptio.

Clemens.

Germanior ſententiæ explicatus, & paraphraſis.

Ergo cum poſsit *ſubſannatio,* quaſi paſſive accipi, cum quis rideri, & ſubſannari dignus eſt; quaſi dicat; Quis tam abjectæ mentis eſt, ut ſuam ignominiã, ſuamque ſubſannationem amet, bibat, devoret, ſitiat, & pro delectamento habeat? certe id ſtultum eſt, cum Scriptum ſit, *Gloriam Sapientes poſſidebunt; ſtultorum exaltatio* (Septuaginta; *Quod exaltant.* & ſibi aſſumũt) *ignominia.* Sic Oſę. 7. 16. ſumitur paſſive; *Hæc eſt ſubſannatio eorũ,* (qua ipſi ſubſannãtur) *in terra Aegypti.* Eſt enim Aegyptus his, qui ad illam confugiunt, opprobrium, & confuſio. qua ratione interpretatur hunc locum Vatablus; *Bibere, inquit, ſubſannationem, velut aquam, eſt eſſe plenum ſermonibus ridiculis.* At multo lenior ſenſus, ſi active ſumatur, *ſubſannatio,* 2

Subſannatio active, & paſſive.

Prov. 3. 35.

LXX.

Vatablus.

Subſannatio active.

contem-

contemptus, & irrisio vel sociorum, de quo ipsi questi sunt cap. 11. 3. vel Providentiæ, atque rerum Divinarum verba impudentia, cum gestu, & sanna. Sic conjungitur cum *verbis*, Isai. 28. 11. & dicitur *loquela labii*; Septuaginta vero *irrisio*, vel *subsannatio labiorum*.

Subsannatio de verbis irrisoriis.

LXX.

Quid est autẽ, *Bibere subsannationẽ, velut aquam?* Philippus ait; *Viscera tanquam aquæ abundantia veneno hujus passionis impleta esse.* Clemens in Catena, indicat propterea comparari, *subsannationem* cum *aqua*, quod *vehemens illa tristitia, quæ ex accepta injuria, aut calamitate nascitur, subsannando superatur*, & sedatur. Alii referunt ad insignem maledicendi cupiditatem, & sitim, qua impius ardet, & non nisi conjectis in Cælum, & Divinam Providentiã convitiis extinguatur, aut refrigeretur. Existimat enim Eliu, illud quod Iob pro solatio, & delectamento sumit, videlicet si patiatur immeritus, & innocens, contumeliosum existere Deo, & supremæ illius æquitati. Divus Gregor. ad facilitatem, & contemptum peccandi, & maledicendi refert; quod enim *bibitur velut aqua*, facile trajicitur. Divus Thom. ad conscientiam nullo peccãdi scrupulo retardatam, quæ incunctanter, & indubitãter devorat scelus, quamvis ingens. Alii ad frequentiam, & magnitudinem scelerum; *aqua* enim abundantiæ symbolũ est. Recte hæc omnia, ex quibus integra quædam, plenaque vi, & sensu sententia coalescet, si tamen conjungãtur cum his, quæ diximus in simili sententia superius, cap. 15. versicul. 16. *Qui bibit quasi aquam iniquitatem.* Certe quod in hoc loco videtur conari Eliu, illud est, Iob esse projectissimæ cujusdam improbitatis, cujusmodi athei sunt, & Divinæ Providentiæ abnegatores; cum quibus, inquit, pari passu currit, atque ex illo hominum genere, de quo Scriptum est Deuteron. 29. 19. *Benedicat sibi incorde suo dicens; Pax mihi erit, & ambulabo in pravitate cordis mei, & assumat ebria sitientem*. id est, peccet per summam securitatem, & trãquillitatem, atque mẽtis, & viscerum relaxationem, quasi aquã biberet. Aquæ enim potu sentimus internas partes relaxari, & leniri, ut scribit Plutarch. de sanit. tuẽda; *cujus humiditas placida est, & quieta; cum vini humiditas, impetuum habeat multum, vimque recentibus affectionibus nequaquam amicam, aut æquam.* Promittat itaque sibi impunitatem, & fælicitatem, ac bonorum copiam, dum se totum tradit cupiditatibus sui cordis, nihil vel præmii, vel pœnæ exspectans a numine. Sicq; *absumat ebria sitientem*, id est, conjungatur ebria sitienti; & *ebria* ad se trahat *sitientem*. Sed quid est hoc loco *ebria*, quid *sitiens*? Locus perobscurus; illuminatus a nobis aliquando ex parte. nũc aliter, quoniam de *bibendo* sermo est. Quod ad *sitim*, & ebrietatem pertinet, est etiam sua *ebrietas* aquæ, cum ad satietatem bibitur, nam Scriptum est; *Visitasti terram, & inebriasti eam*. & iterum, *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrẽte voluptatis tuæ potabis eos, quoniam apud te est fons vitæ*. Vide Hieronym. id Hosę 14. 4. *Vivent tritico* ubi Septuagin. legunt. *Bibent, & inebriabuntur frumento*. & August. qq. super Genes. 9. 144. Ergo Rab. David per *ebriam*, intelligit partem concupiscibilem, quę voluptatibus, & deliciis se ingurgitat ad satietatem; & ebrietatẽ: per *sitientem* vero, partem intellectivam, quæ corporis voluptatibus non pascitur, sed potius abstinet. Ergo tunc *absumit ebria sitientem*, cum concupiscentia ad se attrahit partem superiorem, & cum homo ita iniquitatem, quasi aquam bibit, ut ea ebrietate concupiscentiæ videatur etiam ingurgitata, & obruta pars superior & quasi consopita, & sepulta ratio, & intelligentia; & adulationibus illis internis, & fictis benedictionibus, atque pollicitationibus, quas homo in corde suo confingit, videatur Synderesis temulenta, & stupida. Hi sunt igitur, qui *subsannationẽ, & iniquitatem bibunt, quasi aquam*; & sinunt corda sua *gravari crapula, & ebrietate*; & quorum concupiscentia voluptatibus ebria, rationem quoque *abstrahit*, & decipit.

3 Philipp. Clemens. Gregorius. D. Thom. Aqua symbolum abundantiæ. Germanus explicatus mentis Eliu. 4 Periphrasis extremæ improbitatis. Aquæ potu laxari viscera. Plutarch.

Vide c. 2. ṽ. 9. n. 7. Aquæ ebrietas. *Psal. 64. 10. Psal. 35. 9.* *Hieronym.* LXX. *Augustin.* R. *David.* Cur pars inferior dicatur *ebria*, superior vero *sitiens*. *Luc. 21. 34.* *Iacob. 1. 14.*

VIII. *Qui graditur cum operantibus iniquitatem, & ambulat cũ viris impiis.*

1. *Cogitationem improbitatis sequitur actio externa. Explicatus David.*
2. Ambulare, *aut* Gradi. *de fœdere, & societate.*
3. *An Eliu calumnietur, & mentiatur. Iobi propositum.*
4. *Varia lectio.* Placere, *&* Adæquari *quid. Illustratus Vulgatus.*
5. *Varia lectio.* Currere *ad pium voluntatis affectum. Explicatus David, & Salomon.*

---

1 PRopter impia, inquit, dogmata, & pravam de Divina æquitate, & Providẽtia opinionem, videtur profecto socius esse Iob sceleratissimorum hominum; nam

qui prave, & temere loquitur, videtur esse de grege, & cœtu impiorum; qui enim mente, & consilio consentit cum impiis, *abibit* quoque ad illorum opera, & facinora, sicut Scriptum est; *Qui non abit in cõsilio impiorum, & in via peccatorum nõ stetit.*

Psal 1.1.

Post internũ improbitatis consiliũ, sequitur actio externa.

licet enim immotus quis cogitare possit, & mente tantum suscipere consilium impiorum, at consequẽs erit, ut statim *abeat, & gradiatur cum operãtibus iniquitatem*; & ambulet cum viris impiis. In verbo autem *gradiendi*, sive abeundi, *& ambulandi*, sive progrediendi, non solum indicatur vita, & ratio vivendi impiorum, quæ qualiscũque illa sit, dicitur *via*, & *semita*, ut sæpe diximus; sed illud peculiare, videlicet error, inquietudo, & vagatio mentis; quod quadrat cum voce, *impiorum*, quæ proprie significat *inquietum*, & pacis, tranquillitatisque omnis vel inimicum, vel impotẽ; id, quod ipsum indicat verbum *ambulãdi*; quod ex sua proprietate, nullum significat terminum viæ, sed progressum quendam incertum; tum etiam verbum *gradiẽdi*, quod significat iter facere, aut viatorẽ esse, ex consuetudine, & officio. Sic impii, qui *quiescere nõ possunt*. Cum autem in Hebræo sit; *Graditur in societate*; contempsit Interpres, *societatem*, quam in verbo *gradiendi* includi existimavit; quamquam afferat ex sua proprietate, amicitiæ, & fęderis jurati cõjunctionem quandam; Vna iter faciunt, simulque eandem ingrediuntur vivendi, & sentiendi rationem; sed ita sunt mutuo fędere devincti, ut nõ solum ejusdem itineris, sed ejusdem etiam exitus, id est, vel pręmii, vel pœnæ participes esse debeant. Quod indicavit non sine utilitate Tygurina paraphrasis; *Cõsors est malorum, quæ facinorosis debentur, & versatur in conditione impiorum*. q. d. societatem iniit mercaturæ, & negotiationis impiorum. nihiloque, quam illi, ditior, & beatior evadet.

Cur vita impiorũ dicatur via.

רשע

Impii expertes tranquillitatis.

הלך
ארח

2

Isai.

Verbum gradiendi ad fœdus, & societatẽ spectans.

Tygurina.

℣. IX. Dixit enim: Nõ placebit vir Deo, etiam si cucurrerit cum eo.

3

LXX.

August.

Gregor. Philipp.

PRoculdubio existimavit Eliu, Providentiam non solum contemni, & accusari a Iobo, sed negari. Id quod lectio Septuaginta clarius docet; *Ne enim dixeris, Quia non erit visitatio viri, & visitatio ei a Domino*. S. August. *Non visitabitur, qui ambulaverit cum Deo.* Et quamvis Gregor Philipp. aliique Latini, mendacii manifesti arguant Eliu, qui errorem stultissimũ affingat Iobo; at certe Eliu nõ tam fingit, atque mentitur, quam male interpretatur Iobi verba; cum ille vel suas præclaras vitæ actiones incredibilibus ęrumnis, quasi inimicus sit; vel impiorum improbas, & sceleratas, quasi amici sunt, ingenti fælicitate cumulatas queritur, cap. 9. vers. 22. 23. 24. 29. 30. 31. cap. 10. vers. 15. cap. 13. vers. 24. 26. cap. 16 vers. 10. 18. cap. 19. 6. 11. 22. cap. 21. versic. 7. 23. 24. 25 cap. 24. versic. 2. Et fere in hoc cardine volvũtur omnes Iobi responsiones, & querimoniæ, ut neget sæpe pietati pręmium fælicitatis temporalis; concedat interdum improbitati; quæ si tantum præmia, suppliciave essent, aut hæc potissima, necessariave essent, ut Eliu cum cæteris sociis existimabat, Providẽtiam negasset Iob. Sed is negat ea esse vel pręmia, vel supplicia necessaria; quippe agnoscit sublimiorem aliam Providentiam, meliora pręmia, graviora supplicia.

An mentiatur Eliu.

Quod vero ad sententiam attinet, quã vis sensum retinuerit Interpres, sed verba invertit. nam ex verbo legi potest; *Nõ proderit viro*. vel; *Non adæquabitur in cõplacere suo cum Deo.* nam verbum *çacan*, quod Interpres vertit, *placere*, alii vertunt, *prodesse*, aut *proficere*, aut *adæquari*. Sed quidem hoc verbum significat adæquationem, vel assimilationem, vel congruentiam unius cum alio, ex quo alterius utilitas, vel cõplacentia, amicitia, familiaritas, ministerium, aut obsequium sequitur. Vt fuse diximus superius, cap. 22. v. 2. & 21. ubi hoc verbũ ocurrit. Vim ergo hoc loco expressit Interpres; Non adæquabitur, neq; *placebit* vir Deo, tanquam minister, & cõsuetudinarius illius; non placebit ei, tanquã amicus, & familiaris; non proderit vir Deo, tanquam servus, & obsequens; neq; reputabitur a Deo tanquam servus utilis, neque proderit ipsi homini sollicitudo, & labor ministrandi, & obsequendi Deo; denique non erit acceptus Deo, neque illũ dignabitur præmio, & felicitate, cum innocentem, & *impium ipse consumat*; *Iusti & nõ levent corã illo caput.* Nos uno verbo dilucide verteremus; *No le quadrara a Dios*. hæc quidem omnia claudit fæcunditas illius verbi, hujusque sententiæ.

4

Cajetan.

סכן

Varia lectio.

Placere, aut adæquari, quid proprie.

Iob. 9. 22. & 10 11.

In secũda etiam parte varietas est, vertentibus aliis, *Etiam si complacuerit cũ Deo.* aliis; *Etiam si cucurrerit*; propter verbum *Ratsah*. quod ad gratiam, benevolentiam, & propensionem animi refertur, cũ quis alium, quasi currens prosequitur bona voluntate, & favore ocurrit. quare significat vel placationem, vel complacentiam, vel lętum, & alacrẽ cursum, vel ocursum cum

5

Cajetã. Regia.

רצה

Currere ad alium voluntatis affectũ spectans.

com-

R. Mard. complacentia, & pio voluntatis affectu, seu placabilitate, ut dixit R. Mardochai. Philipp. Quare Philippus, quod vix unquam fecit, nunc ad Hebraicam phrasim, & proprietatem eleganti paraphrasi utitur; *Etiam si ita fuerit quispiam magnus, & summus, ut Deo in omnibus jussionibus implēdis ocurrat.* Et quidem *ocurrere* alicui, vel *currere cum aliquo*, benevolentiæ, & amicitiæ est; Psal. 49. 19 *Si videbas furem, currebas cum eo,* (Hierony. Hieronym. *Consentiebas ei.* & statim exponitur) *& cū adulteris portionem tuam* (societatem, commercium) *ponebas.* & Cantit. 1. 4. *Curremus in odorem unguētorum.* Ergo *currere cū Deo*, non solum est, quod alibi dicitur *ambulare cum Deo*, sed præterea addit, propensionem animi bene affecti, & alacritatem *currendi in via mandatorum* Divinorum, & ocurrendi Divinæ voluntati.

X. *Ideo, viri cordati, audite me. Absit a Deo impietas: & ab Omnipotente iniquitas.*

1. *Sententiæ paraphrasis.*
2. *Particulæ* Absit, *proprietas. Explicatī Samuel, & Moyses.*
3. *A judice abesse debet, quicquid justitiam polluit. Justitia virgo integerrima. Judex iniquus, Stuprator. Illustratus Sapiens.*
4. *Profana, prohibita.* Impietas *&* iniquitas. *quid proprie. A judice abesse debet, quicquid jure damnari potest.*

I Sententiæ paraphrasis. IDeo (inquit) firmam, & sapientem de Dei Providentia, & æquitate assertionem affero, cōtra hunc Iobi errorem stultum, atque vecordem, cujus vos judices appello, & alloquor, viri cordati, atq; sapientes. Absit enim a nobis tam inimanis stultitia, ut quidpiam iniquū de illius æquitate concipiamus; absit ab illa suprema judicii, & æquitatis norma, quod vel leviter detortum, deflexumve sit.

Osorius. Est ita, ut indicavi, diversitas; nam nōnulli accipiunt, priorem illam vocē, *Absit*, dictam gratia avertendi ominis, & detestandi sceleris. q. d. Absit a nobis error tam pestifer, & qui non nisi in pollutissimas, & sordidissimas athæorum hominū mētes cadere potest. ea enim est vis illius LXX. vocis, ut jam dicam. Rursus Septuaginta hunc ipsum sensum promoverunt, legentes; Proprietas particulę, Absit. *Absit a me coram Domino impie agere, & coram Omnipotente turbare justitiā.* q. d. Curandum mihi omnino est, ne coram Deo totius æquitatis, & justitiæ auctore, quicquam ego iniqui, injustive loquar, aut cōcipiam. Sed quidem, non tam a se, quam a Deo avertere vult Eliu omnem injustitię & impietatis suspicionem, *Absit a Deo*; est enim a radice, *Hbalal*, quod est profanū, חלל aut pollutum esse; quare cum de *impietate & iniquitate* agitur, opportune dicitur, *Absit a Deo*, a quo procul abest omne profanum. Sane a judice qui sanctus justitię custos esse debet, procul abesse debere omnem injustitiā, hac ipsa voce significatur, Genes. 44. 17. cū Ioseph ait ad fratres servitutem omnes profiteri volentes, pro furto unius; *Absit* (tanquam profanum) *a me* (qui pro meo judicis munere, justitiæ, & sanctitatis normam gero) *ut sic agam, & repetam ab immeritis pœnam servitutis. Qui* Iudicis munus ab omni injustitiæ specie alienum. *furatus est Scyphum, ipse sit servus meus; vos autem abite liberi.* Ionathas quoq; Iusti Davidis, justitiæque amator, dicenti Davidi, *Quæ est iniquitas mea in Patrem tuum?* Respondit 1. Reg. 20. 20. *Absit* (a Rege, qui justitiæ sanctæ, & impollutæ custos, & dispensator est, res injusta) *non morieris.* Quā to igitur magis a Deo *aberit* omnis injustitia; ut dictum est Genes. 18. 25. *Absit a te, ut rem hāc facias, & occidas justum cū impio.* Onchelus. Onchelus ad justitiam respiciens, legit; *Vera sunt judicia tua, ut non facias juxta hāc rem.* Et 1. Reg. 2. 30. videtur se Deus purgare ab injustitiæ cujusdam specie, cujus notaretur judex, aut Princeps, si præmiis afficeret immeritos, & uteretur familiaritate, & cōsuetudine impiorū, cū ait ad Heli, & illi⁹ liberos; *Loquut⁹ sum, ut domus tua, & domus Patris tui ministraret in conspectu meo usque in sempiternum. Nunc autem, dicit Dominus; Absit hoc a me; sed quicumque honorificaverit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Ergo cū de justitia, & incorrupto judice agitur, elegāter dicitur, *Absit*, quidquid justitiam sanctissimam, & incorruptum judicis animū polluere, & contaminare potest. Et certe observatione dignissimum est, quod illud idem verbum ideo significat polluere, aut profanare, quia primaria significatione significat violare, aut vim inferre, præsertim vulnerando, interficiendo; unde sequitur profanatio rei alicujus, præsertim in Lege. quod etiam elegāter convenit cum Iudex injustę polluit virginem sanctam, Iustitiam. judice, & justitia; nam qui facit injustitiā judex, & vim affert legi, violatque virgine castissimam suę curę cōmissam, sicut Scriptum est, Ecclesi. 10. 3. *Concupiscentia Spadonis devirginavit juvenculam, sic, & qui facit per vim judicium iniquum.* Idque pręsertim, si per sævitiam, & inhumanitatē lædatur innocens, & innoxius sanguis fundatur, tunc maxime censebitur sanctitas

juſtitiæ polluta,& profanata. Quod in rẽ quoque præſentem egregie quadrat, cum enim quereretur Iob ſuam innocentiam afflictam, vulneratam, ſanguine, & ſanie manantem; occurrit Eliu volens omnẽ injuſtitiæ ſuſpicionem removere a Deo, dicens, *Abſit a Deo*, quicquid corrumpere
4 juſtitiam poteſt; quicquid violentum, & crudele eſt. Et ut ſemel de iſta voce dixerim, cum ea, quæ contaminata, & polluta erant, prohiberentur, ne quis tangeret; inde vox illa, *Abſit*, non ſolum idem eſt quod *pollutum*, ſed etiam idẽ quod *prohibitio*, ut vertit Rab. Mardochai: & ita videntur intelligi loca, ubi de judicio injuſto agitur, ut Geneſ. 18.25. qui poteſt verti; *Prohibitio tibi, ut facias hoc, &c.* Quod etiã ex fœcunditate vocis quadrat in hunc locum; *Prohibitio Deo, impietas.* q. d. Cum Deus prohibeat, *juſtificare impium, & condemnare juſtum*; multo magis ipſi non tam prohibitum, quam alienum, & repugnans cenſeri debet, *impietas*, ex vocis proprietate, *Raſagh*, quæ opponitur juſtitiæ, & omnia jura evertit; quæ digna eſt condẽnari in judicio, ſicut, & juſtitia debet in judicio abſolvi, & defendi a judice. Quare quod Latinus vertit, *condemnare*, ſuperius Iob. 25.6. Pſal. 108.7. Hebræus vocat, *impiare*, id eſt, tanquam impium condemnare, & publica ſententia reum declarare. Cum ergo dicitur, *Omnis impietas abeſſe a Deo* ſupremo judice, indicatur, nihil debere eſſe in judice, quod ab ullo homine dãnari, aut de quo illi poſsit lis intendi; non debere illum admittere aliquid, quod juri repugnet. *Iniquitas* vero proprie eſt curvitas, & obliquitas, ſive deflexio a lege, & recto, cum innocentiam injuſte lædimus, & affligimus. Ergo ait Eliu; Deum injuſte neque læſiſſe, neque afflixiſſe Iobum, neq; unquã abuti Deum ad injuſtitiã, & violẽtiam potẽtię magnitudine: nam eam vim habet hoc loco Deus, *El*, fortis, & potens; & *Omnipotens*, Saddai, bonorum omnium fons uberrimus nemini denegat præmiũ. Quare cohæret ſequens ſententia.

R. Mardo X.

רשע

A Iudice debet abeſſe, quicquid dãnari poſsit.

עול

XI. *Opus enim hominis reddet ei: & juxta vias ſingulorum reſtituet eis.*

1. Reſtituere, & Pacificare *pro eodem.*
2. Opus, & Via *pro eodem.* Operis, & Viæ finis.
3. *Deus homini, quacumque pergat, obvius. Conſcientia increpans hominem. Eſt ſcientia. Explicatus Sapient.*

4. *Particula aſſeverantis. Deus non gaudet increpare impios, ſed tamen punit.*

IVſtitiæ officium, *reddere* unicuiq; quod ſuum eſt; id vero indicat *reddere*, aut *reſtituere*, ut non ſemel in hoc opere obſervavimus. Subeſt vero hoc loco, *Salã*, quod ad pacem pertinet; quę loquutio nobis familiaris ſignificat perfectam debiti alicujus perſolutionem. Vide, quæ diximus c. 21. verſ. 29. ſuper id, *Et cũ reddiderit, &c.* *Opus*, operis mercedem, pœnam aut præmium ſua lege ſtatuta, *Et juxta vias ſuas.* Diſtinguit Cajetan. *Opus* a *Via*, quod hæc ſit ſtudium, aut deſiderium. Sed idem ſane eſt quod *Opus*, aut operum continuata ſeries, & agẽdi, & vivendi inſtitutum, ut ſæpe diximus. Quod vero hic dicitur *reſtituet homini juxta vias ſuas*, aliis locis ſolet dici *repleri*, aut, *ſatiari viis ſuis*. id eſt, fructu, & mercede operum ſuorum affici: ut Prover. 14.14. Pro *reſtituere*, vero eſt verbum, quod proprie vertas, *invenire*, aut *invenire facere*. q. d. Facit Deus, ut quiſq; inveniat eum ſui itineris exitum, & finem fælicem, aut infælicẽ, qui tali via dignus ſit, & quẽ homo ſuis ipſe greſsibus, & ſtudiis quæſivit; permittit Deus homini, *ut illud aſſequatur, ad quod contendit quiſque*, ut eleganter dixit Tygur. Vrgent vero Septuaginta illam *viæ* allegoriam; *In ſemita viri inveniet eum.* q. d. quamcumque viã homo inſiſtat, obvium habebit Deũ, ſive ultorẽ, & vindicem ſceleris, ſive laboris, & itineris ducem, & comitem. Quare neque impius poteſt ire *ab Spiritu Dei*, aut *a facie ejus fugere*, quin illic inveniat Deũ, qui *illũ deducat per ſemitas æquitatis*. Neſcio quid de conſcientia meditatur Nicetas hoc loco, illa enim ſemper comitatur hominem, & *viarũ* omnium comitem, & ſociã Deus illam nobis adjungit; *Vnicuique* (inquit) *illa eveniẽt, quæ ea, quam ingreſſus fuerit, via digna fuerint: & unumquemque facti prius minime obſcuri conſcientia convincit.* De ſingulis ergo greſsibus nos cõſcientia admonet, & exitum noſtræ viæ identidem prædicit: ſi *viam iniquitatis* inſiſtimus, increpando conatur nos reducere *in viam vitæ*; ſicut Scriptum eſt Proverb. 6.23. *Via vitæ, increpatio diſciplinæ*, eſt enim reprehenſio conſcientiæ, *increpatio ſcientiæ*, & intelligentiæ. Rurſuſque Proverb. 21.29. *Vir impius procaciter obfirmat vultum ſuum* (quia videlicet neque monitoribus externis, neque interius monenti conſcientiæ, & increpanti audientem ſe prębet, quod deploratæ cujuſdã improbitatis eſt) *Qui autem rectus eſt* (ut opponatur parti prece-denti,

1 Reſtituere, & pacificare.

שלם

2 Opus pro mercede.

Cajetan.

Opus, & Via pro eodem.

מצא

3 Tygurina. LXX.

Deus homini quacũque in via occurrens

Pſal. 138.7.

Nicetas.

Conſcientia nunquã deſerens hominẽ.

Increpatio conſcientiæ.

denti; qui conscientiam audit) *corrigit viã suam.* Septuaginta: *Intelligit vias suas.* docetur enim, & instruitur a consciẽtia, qualem exitum suæ viæ habiturus sit.

XII. *Vere enim Deus non condemnabit frustra: nec Omnipotẽs subvertet judicium.*

4 Particula asseverantis. אמנם רשע Deus minime gaudens invenire impios.

INgens est in originali assertionis vis; *Vere*, fideliter, perpetuo, constans semper est Deus in justitia tuenda, & conservãda. *Non cõdemnabit frustra*; simplex verbum in Hebræo, quod versic. 10. diximus posse verti, *impiare*, aut tanquam impium condẽnare. q.d. Deus *non impiabit*, id est, Non facit ipse impios; neque gaudet invenire improbos; sed sua sententia declarat, qui sint improbi, & traducit illorum improbitatem publico supplicio. Quia autem videretur ipse gaudere numero multorum impiorum, si quempiam innocentem adscriberet numero damnatorum; ideo addidit Interpres, *frustra*: quod deest in originali. Et *quia, impiare innocentẽ*, absurdum est tribuere Deo, ideo dixerunt. Septuaginta per paraphrasim; *Putas Dominum absurda facturum?*

LXX. Subvertere. עות Iudicium. משפט

Nec omnipotens. Similis omnino sententia, quæ versic. 10. Suæ potẽtiæ magnitudine, & pondere non *subvertet*. proprie, inflectet, detorquebit, curvabit. Septuaginta, *Turbabit*, cõfundet, miscebitque sacra profanis; justum, & insontem cum impio. *Quod justum est*, Septuaginta ex Hebræo; *judicium*; judicii ferendi, & sententiæ pronuntiandæ formam, & rationem, quæ minime obliqua est, sed rectissima.

XIII. *Quem constituit alium super terram, aut quem posuit super orbem, quem fabricatus est?*

1. *Duplex confirmatio Divinæ æquitatis. Creator idem æquissimus moderator.*
2. *Varia lectio. Visitatio in bonum, & in malum Præpositio Hebræa.*
3. *Deus corrigit inferiorum judicum errata. Non est ab illo ad alium provocatio. Explicatus Salomon.*
4. *Deus ex ratione Creatoris, tuetur creaturas, & in pace conservat.*

1 Duplex pro

PRobat Eliu duplici elegante, æque ac subtili ratione nullam injustitiam posse cadere in Deum. Prima est hujusmodi; Oportet sane judicem aliquem atque moderatorem æquissimum universo terrarũ orbi præsidere; neque enim is sine lege, sine Providentia, sine rectore consistere potest; neque partes illius mutua societate devinciri, nisi esset qui potẽtia sua, & sanctissima æquitatis lege illas cõtineret. at nullus est alius præter Deum; is ergo est æquissimus, & incorruptissimus judex, non solum rerum ratione carentium, sed hominum libere agentium, rerumque omnium humanarum. Rursus minor illa propositio nõ indiget alia probatione, quam ut qui negaverit Deum esse mundi rectorem, & judicem, proferat alium meliorẽ, & incorruptiorem, qui possit constitui super terram, & cui tradita sit clavis universæ hujus mũdialis machinæ. Secunda, quod Deus sit mundi architectus, & fabricator, cujus proinde interest, curam gerere suarum creaturarum, atque tueri suũ opificium, & paterna Providentia cõplecti, & dirigere in suum finẽ, denique summa æquitate partes singulas continere, & moderari: non enim fieri potest, ut unus sit creator, & opifex, alius vero conservator, & rector; sed ut idem sit creator, & cõservator, pater, atque Rex, cujus est paterna administratio. Ex duplici igitur hoc capite colligit Eliu neminem sanę mentis posse desiderare in Deo, & in administratione, & Providentia rerum humanarum justitiam, & æquitatem. Sed premendæ singulæ partes.

Divina æquitate argumentum. Idem moderator æquissimus rerum ratione carentiũ, atque hominũ

Creator, idem moderator, & Provisor.

Quem constituit alium super terram? Ex Hebræo proprie legitur; *Quis visitavit?* idque magis proprie, & significanter, quam quod Tygur. dixit; *Quis invisit*, & quod Pagnin. *Quis præposuit.* Quod quidem cũ possit sumi in bonum; (est enim visitatio superioris, providentis necessaria, curantisque bonum subditorum) at frequẽter in malum sumitur, & ad supplicium refertur, cum Iudex visitans requirit, recensetque peccata populi. Ergo inquit; *Quis visitavit terrã?* quis edidit in sceleratos gravissima omni sęculo supplicia? quis hominum peccata requirit, exigitque ab improbis pœnas? quis denique justitiæ officium munusque tuetur, quã Deus ipse juris auctor, justitiæ parens, & lex ipsa, supremaque judicii regula? Est præterea in originali pro illo relativo, *alium*, relatium idẽtitatis, quod dicunt, cum præpositione, *Ghal*, quæ idem est, quod *pro, adversus, cõtra, super.* q.d. Quis pro illo visitavit terrã, *contra* illum, *super* illum? unde multæ pullulant elegantes intelligẽtię. Prima; Quis *super illum* visitavit terram? id est, si Deus

2 *Cajeta. Regia. Vatabl. Tygurina. Pagnin.* Visitatio in bonum, & in malum.

על Præpositio Hebræa.

Iudex

judex injuſtus eſt, quis erit ſuperior aliu s judex ſuper illum, ad quem ſit appellatio, & provocatio noſtrarum injuriarum? oportet enim, ſi ſunt injuriæ contra fas juſque, eſſe quoque aliquẽ ſupremũ juris vindicem, qui omnia tandem ad æquitatem reducat, & perverſa judicia judicum inferiorum corrigat. Ex qua eadẽ ratione conatur Sapiens tollere admirationem, quę ex tãta iniquitatis abundãtia impune graſſantis, oriri poterat in animis juſtorũ hominum Eccleſ. 5. 7. *Si videris calumnias egenorum, & violentia judicia, & ſubverti juſtitiam, in provintia; ne mireris ſuper hoc negotio; quia excelſo excelſior eſt alius, & ſuper hos quoque eminentiores ſunt alii, & inſuper univerſæ terræ rex imperat ſervienti.* q. d. Nõ mirum in judiciis inferiorum judicum ſępe errari; ideo enim ſunt tribunalia ſuperiora, in quibus inferiorum errata corrigũtur; & tandem cum judices humani pervertunt judicium, ſupremus rex Deus facit, ut & tyranni, & iniqui ſupremæ ſuæ æquitati, & juſtitiæ deſerviant. Atque idẽ Sapiens cap. 3. 17. nihil habuit, quod injuſtitiæ tribunalium humanorũ opponeret, quam tribunal Dei, ante quod tandẽ manifeſtare nos oportet; *Vidi in loco judicii impietatem, & in loco juſtitiæ iniquitatem, & dixi in corde meo; Iuſtum, & impium* (judicem) *judicabit Dominus, & tempus omnis rei tunc erit.* tunc videlicet etiam ipſi judices judicandi erunt. Sed de hoc diximus aliquando 3. & 7. cap. Eccleſ. Intelligentiã itaque hanc indicavit profecto ſubtiliter Philippus, hac paraphraſi; *Numquid alium rectorem poſuit, qui a creatoris juſtitia diſcreparet? Ipſe ergo quam potens conditor, tã pius eſt moderator, quia opus ſuũ cognoſcit, & diligit.* Ergo ſi Deus inique agit, oportebit illo alium eſſe excelſiorem. Et huc reducitur ſecunda explicandi ratio; Quis *contra illum* viſitavit? quis illi dicet; *Cur ita facis,* &c. Huc etiam pertinet, quod Vatabl. ait; * *Quis poſt illum viſitavit terrã, ut eã rectius diſponeret?*

Secundus explicatus; Quis pro illo, viſitavit terram? q. d. loco illius; vel ut illũ juvaret in tanto onere ſuſtinendo, & tãta rerum multitudine adminiſtranda, & providenda, quo etiam pertinet, quod quidã exponunt; *Quis cum illo, &c.* Hoc placuit Gregorio; *Per ſe quippe, ait, mundum regit, quem per ſe cõdidit: nec eget alienis adjutoriis ad regendum, qui non negligit, quod creavit; quod bene creavit, utique bene regit; quia quod pie condidit, impie non diſponit: & qui nec dũ facta curavit, ut eſſent, quæ nũc facta ſunt, nõ deſerit.*

3

Deus corrigẽs inferiorum judicũ errata.

Philipp.

Vatablus.

* Que Iuez de Reſidẽcia vẽdrá, a deshazer agravios: ſi Dios no nos haze iuſticia?

Secunda exponẽdi ratio.

Oſorius. Gregor.

Tertio denique Cajetanus, ut relativũ *Ille*, referatur ad hominem. q. d. Quis ſuper hominem, aut ſuper rebus humanis viſitavit terram? Sed languet, & tollit vim ſententiæ, quam afferunt priores interpretationes, in quibus refertur Deus, nõ homo.

Tertia interpretatio languidior.

Et quem poſuit ſuper orbem? Altera ratio ad confirmandam Dei juſtitiam, & æquitatem, quod Deus ſit hominis, univerſitatiſque rerum unicus creator, cujus munus eſt creaturas tueri, & dirigere in propriũ finem, quod ſine ſumma Creatoris æquitate conſtare non poteſt: ſi enim juſtitiæ violator eſſet, nõ redderet unicuiq; quod ſuum eſt. Eleganter Nicetas; *Is, qui ſua bonitate hanc rerum univerſitatem excitavit, contra quã oportet, opificium ſuum injuria nõ lædet, neque enim ab ipſo, quæ effecta ſunt, aliena ſunt, ut nos vexare debeat injuria: etenim ſibi ipſi parcit.* Preſsimus rationem hanc Creationis, & Divinæ erga creaturas charitatis, cap. 10. verſic. 8. ſuper id, *Manus tuæ, Domine, fecerunt me, &c.* quæ non ſolum ad unicum hominem, ſed ad univerſitatem relata eandem vim habet. Si enim Deus ſui opificii pater eſt, non tyrannus neque hoſtis, nihil indignum, iniquũve ſuſcipiet adverſus eos, qui in ipſius poteſtate, ac ditione ſunt. Si ſingula elementa, viventia inſuper, & homines ſuis ſedibus, locis, regionibus cõtinet, & diſponit, multo minus ſingulorum merita turbabit, aut miſcebit.

4 Secunda ratio pro Divina æquitate.

Nicetas.

Quem poſuit ſuper orbẽ? id eſt, Quis eſt alius mundi diſpoſitor, & ſingularum partium ſtabilitor, & fundator? In Hebræo proprie, *Quis poſuit*, diſpoſuit arte, cura, certo ordine, & ratione, *orbem* partem videlicet habitabilem, ut præberet commodam ſtationem terræ animantibus, & hominibus? Eleganter Septuaginta utramq; rationem in unicam concluſerunt; *Quis eſt, qui facit eam, quæ ſub Cælo, & quæ inſunt omnia?* Et ut tandem dicam, potuit quidem utraquẽ hujus ſententiæ pars accõmodari, aut certe dici ab Eliu per alluſionem ad diluvium, cum Deus ſuæ æquitatis manifeſtiſsimum documentum præbuit: *viſitavit* enim impios ingenti ſupplicio; deinde *diſpoſuit orbem* habitabilẽ Noe, & ſuis juſtis.

שום
תבל

LXX.

Pulchra ad Diluviũ alluſio.

XIIII. Si direxerit ad eum cor ſuum, ſpiritum illius, & flatum ad ſe trahet.

XV. Deficiet omnis caro, &c.

1. *Incertus, & multiplex nexus.*
2. Dirigere, *vel* apponere cor, *in bonum, & in malum. Illuſtrati David, & Samuel.*
3. *An* Spiritus, *&* Flatus, *idem ſint.* Trahere, Attrahere *in Sacro ſermone. quid proprie. Illuſtratus Ioel.*
4. *Deus reſpiratione communicans vitam, cohibito ſpiritu, auferens, Deus,* avertens faciem, *quid.*
5. *In Deo collecta, & unita vita creaturarum.* Cōgregari, *pro* perire.

1 PRocul dubio hæc ſententia eſt ſuperioris confirmatio, ad oſtendendam perpetuam, & conſtantem Divinæ Providentiæ, & ſupremæ legis æquitatem. Sed nectendi ratio dubia eſt. Quidā ſic explicāt, ut nunc probet Eliu Deum a jure, & æquitate nūquam diſcedere metu alicujus, uti ſolent aliquando noſtri judices, cum ipſe, cujus poteſtate omnium vita, & ſpiritus cōtinetur, neminem timeat, ſed tuto poſſit pro libito rerum univerſitatem perdere. Alii, ut probet Deum nihil ex ſua tantum poteſtate violēter agere, niſi ex æquitate etiam: nam ſi ex poteſtate, perderet ſtatim univerſa, ita D. Thom. Alii, quod Deus non ex ſeveritate juſtitiæ ut dicebat Iob, ſed ex lenitate agat cum hominibus, ita Philipp. quem ſequitur Titelman: Nā (inquit) *ſi, quæ in mundo quotidie geruntur ſecundum regulam juſtitiæ ſuæ voluerit intueri, deficiet, ac peribit: ſed cum pietate potius gubernat, ac ſuſtinet, nam ſi iniquitates obſervaverit, quis ſuſtinebit?* Gregorius vero, quē nō nulli ſequuntur, exiſtimat probari nūc, Deum non eſſe iniquū erga juſtos, ſed juſtiſsimum; ut qui ſtatim, ut homo ſe ſe ad illum converterit, direxeritque ad ſuperna cor ſuum, Deus placatus illius animū, & deſideria ad ſe trahet, & peramanter ſibi conjunget, & complebit opus bonum. Hęc interpretatio facit ſuppoſitum primę partis hominem, & ſecundæ Deum; quod cum valde coactum ſit, totaque ipſa interpretatio minime litteralis, mirum eſt quātum placuerit Dionyſio, & quā audacter appellet ineptam eam, quæ ſequitur, quæ proculdubio & aptiſsima eſt, & ſimpliciſsima. Ergo inquit Eliu, Deus non odit ea, quæ fecit; neque hominē maligne perſequitur; ſed cū juſtiſsimus ſit, ſanctos perpetua charitate complectitur. Si enim odio quodam proſequeretur hominem, & non potius ad infinita peccata cōniveret, jam univerſum genus humanum perdidiſſet, nullumque delectum habuiſſet ſanctorum atque improborū. atqui pereuntibus diluvio improbis, ſancti, & innocentes ſervati ſunt, in quibus ſervata etiam eſt humani generis propagandi ſpes; Ergo ille æquiſsimus eſt rerum humanarum moderator, & judex. Hunc ſenſum, & nexum confirmant ſingulæ partes.

Nexus incertus. & multiplex.

Oſeriut.

D. Thom.

Philipp. Titelman.

Gregorius. Dionyſ. Hugo.

Simplex, & germana nectendi, & explicādi ratio.

2 *Si Deus direxerit.* Proprie, appoſuerit, *cor ſuum.* quidam ad iram, & indignatione referunt. id eſt, Si oppoſuerit, vel contra poſuerit, & obfirmaverit cor ſuum cōtra hominem. Septuaginta intellexerunt, ſignificari voluntatis affectum, legunt enim; *Si velit*, idem Vatabl. & Tygur. *Si ei ſuus animus ſuggereret, ſi collibitum illi fuerit.* Et quidem, *Apponendi cor*, pro volendi, aut appetendi, loquutio nō eſt aliena ab Scripturis. Sed illud frequentiſsimum, ut *Apponere cor*, ſit advertere animum, cum obſervatione, & vera, & attenta cogitatione; & quia cum illa animi attentione, & ſollicitudine conjunctus eſſe ſolet animi affectus vel in bonum, vel in malum, cum res amore, vel faſtidio, & odio mentem, & cogitationem ſui cura ſtimulat, inde fit, ut vel ad volūtatis affectum erga res triſtes, vel lętas referri ſoleat. Sic noſtrates quod intellectus, & cogitationis eſt, ad utramq; partem accommodant, cum dicimus; *Tener las mientes en alguna coſa.* Videlicet apponere, vel figere cor in re aliqua, quam vel amamus, ut retineamus: vel timemus ut fugiamus: eſt enim tum amor, tū timor plenus cogitationis, attentionis, ſollicitudinis. & Latinus etiā ad idem dixit; *O curas hominum*, ſive in amando, ſive in averſando, & fugiendo. In Bonum Pſal. 61. 11. *Divitiæ ſi affluant, nolite cor apponere.* non ſunt enim magna cura, ſollicitudine, amore dignæ. utrumque complectitur elegāter Theodoretus; *Nolite illis veſtram mentem ſubmittere.* Sed lucidius Hilarius, *Cum ſint magni amoris, & deſiderii illecebræ rapiunt ingenia, menteſque pendulas apprehendunt.* In malum 1. Reg. 9. 20. *De aſinis, quas perdidiſti, ne ſollicitus ſis* (Septuaginta juxta Hebræum; *Ne ponas cor tuū eis* (ne triſteris, ne timeas) *quia inventæ ſunt*, & 2. Reg. cap. 3. 33. *Ne ponat Rex ſuper cor ſuum* (ne timeat, ne cogitet) *tantum accidiſſe mali, dicens, Omnes filii Regis mortui ſunt.* Sic igitur hoc loco, *Si Deus appoſuerit cor*, quod Interpres dixit, *direxerit*, recta in hominē defixerit, odio aliquo, aut indignatione ſtimulatus; quod ex ſubjecta materia, ſi non ex proprietate loquutionis, hoc loco intelligendum eſt.

3 *Ad eum*, hominē proculdubio. At unus & alter Interpres, Steuchus inquā, & qui eum deſcribit, exiſtimant illud pronomē debere accipi in neutro, quoniam Hebræi neutro carent. q. d. *Si direxerit cor ad id*, videlicet, ut juſtitiam contemnat, & jus

שום

D. Thom. Titelman.

LXX.

Vatabl. Tygurina.

Apponere cor quid. propric.

Quod mentis eſt, voluntati dare ſolemus

Perſius Satyr. 1.

Theodoret. Hilarius.

LXX.

Eugubinus. Aſtunica.

perver-

pervertat. qui sensus quamvis eodem recidat, sed multo veri⁹, & simplicius est, ut antecedens e proximo sumatur, sitque homo, de cujus spiritu statim sermo est. Nã quod Philipp. & Beda de *Mundo* intelligunt; *Cujus*, id est, de quo, *spiritum, & flatum*, id est, homines, & jumenta Deus auferre potest, coactum est & invitum.

Philipp. Beda.

Spiritum illius, & flatum. Facile, inquit, Deo est spiritum, vitamque universorum viventium, quam ex se ipso, qui vitæ fons est, impertivit, rursum ad se se revocare, & colligere: sic expirabunt universa. Divus Thom. Cajetan. & alii curiosius distingũt inter *Spiritum*, qui sit rationalis, & proprius homini; & *Flatum*, qui sit respiratio communis homini cum aliis animantibus, & propria animæ sensitivæ. facit cum hoc Philippus; *Spiritum*, inquit, *dixit animã, quæ vivificat hominem, & flatum, ipsam præsentẽ vitam, quæ corporibus nostris per anhelitũ ex hoc aere ministratur.* Gregorius, & post illũ nonnulli Latini: per *Spiritum* internas cogitationes, per *Flatum* externũ, externas quoq; actiones, quas Deus ad se revocat cum & internas, & externas omnes hominis operationes in se convertit. Mysticũ hoc. Illud ergo simplex, ut utrumque nũc ad idem referatur, sive *Spiritus*, sive *Flatus*, cum etiam ex proprietate vocis originalis fere idem significent, ut ostendimus superius, cap. 26. vers. 4. ubi egimus de discrimine *Spiritus, spiraments, & animæ. Spiritus* ergo, & *flatus* erit idem, quod *spiraculum*, aut spiritus ille attractus, quem inspiramus, & expiramus. Rursus *Spiritus*, & *Flatus*, sit ipsa respiratio Dei; nam relativũ *illius*, potest esse reciprocum, ac si diceret; *Spiritum suum, & flatum*; atque etiam si relatium *illius* referat *hominem*, cõstabit idem sensus; nam respiratio, aut *Spiritus Dei*, dicitur esse ipsius hominis, quod homini communicetur, ut statim dicemus. *Trahere* autem *Deum Spiritum, & flatum ad se*, est, non emittere spiritum, sive, ut Septuaginta eleganter dixerunt, *Cohibere, & spiritum apud se detinere.* Nam *trahere* proprie est colligere, retrahere, revocare. Vnde dicitur Ioel. 2. *Stellæ retraxerunt lumen suũ.* quod est inhibere, detinere, & quod emitti, aut dispergi solet, colligere, & revocare ad se se.

D. Thom. Cajetan.

An spiritus, & flatus hoc loco distinguantur.

Philipp.

Gregor.

Simplex acceptio spiritus, & flatus.

Spiritus Dei, & hominis.

LXX.

Trahere, aut retrahere, quid.

4 Sed elucidanda hæc, quæ sublimiorem intelligentiam continent: ac primo observãdum, Deum, sicut humano modo solet repræsentari ad alias Divinas proprietates significandas, ita etiam nunc respirantem, & inspirãtem, ac ducentem, reducentemque spiritum, quo significetur esse primum vivens, & vita ipsa, vitæque omniũ viventium auctor, & principium. Cũ enim nullum habeamus externum vitæ signum manifestius respiratione, hac vitam ipsam & repræsentamus, & significamus; *nam festum est enim respirationem*, ut Gal. dixit, *ad nullam particularem actionẽ, sed ad ipsam vitam pertinere.* Asclepiades dixit, respirationem esse, *animæ ipsius generationem*: & Praxagoras, *Corroborationem animæ.* Sicut vero per Dei *respirationem* significatur illius suprema vita, ita per illius *flatum*, & respirationem in res externas, significatur illius primæ vitæ cõmunicatio, & viventiũ processio a primo vivente. Quare sive homini communicatur vita, & anima rationalis, dicitur Deus illam cõmunicasse *per inspirationem*; sive aliis viventibus detur vita, *emittit spiritum suum*; sive Apostolis tribuitur vita supernaturalis per Spiritũ Sanctũ; *insufflat in eos*; sive jubet suo Prophetæ imaginem repræsentare futuræ Resurrectionis, jubet, *ut spiritus insufflet, & reviviscant* ossa. Denique propterea appellatur a Moyse, *Deus spirituum universæ carnis*, Num. 27. 16.

Deus spirans significatur esse prima vitæ origo.

Galen. de utilitate respirationis c. 1.

Respiratio manifestũ signum vitæ.

Deus vitã respiratione cõmunicans.

Gen. 2. 7.

Psal. 103. 30.

Ioan. 20. 22.

Ezech. 37. 9.

Secundo, si Deus dicatur inhibere spiritum, sicut tunc non exhibet illud manifestissimum nobis vitę signum, ita neq; censetur vitam communicare aliis rebus. Et mirum, quod cum ille dicatur, *lõgus, & latris naribus*, quæ sunt instrumentum respirandi proximum, aliquando non respiret. Nam *Latæ nares* datæ sunt, ubi multa, magna, & densa respiratione opus est. Nimirũ prona est Divina bonitas, ut multũ in nos expiret sui spiritus, & vitam diturnam nobis conferat. Quare jubet nos Paulus, *Patri spirtuum obtemperare*, ut *vivamus.* Quippe ille non unius tantum generis vitã, sed omne *vivendi* genus fælicissime conferre nobis poterit. Quare non solum propter duo nasi, & duo respirationis vitalia foramina, dicitur Deus, *inspirasse in Adã spiraculum vitarum*, ut in Hebræo legitur; sed quod illius spiraculum principium sit omnis vitæ, animalis, rationalis, supernaturalis. Quia autẽ sine respiratione non potest quis diu vivere, dicitur quidem Deus ita cohibere spiritum suum, ut non omnino non respiret, sed ita, ut avertens faciẽ, spiritum suum vivificantem emittat in alios, quibus ingentia beneficia cõferat, interim eis, quos morte, & supplicio afficere constituit, suum spiritum deneget. Conjungenda vero sunt cum his, quæ diximus sup. cap. 10. vers. 8. n. 18.

Deus inhibẽs respirationẽ, quid significet.

Cur Deus dicatur longus, & latus naribus.

Heb. 12. 9.

Gen. 2. 7.

Deus avertẽs faciem, quid significet.

5 Tertio, Quod cũ a Deo derivetur omnis vita rerum viventiũ, quod in illa sim-

Vita in Deo unita, in creaturis dispersa

plicis-

plicisſima vita unitum eſt, & collectũ, per exitum ad creaturas videtur dividi, & diſpergi in multa viventia. Rurſus cum vita aufertur viventibus, videtur quod erat in viventibus diviſum, atque diſperſum, uniri, & colligi in ſuo principio; & vita illa participata, revocari ad primã vitã, & fontem vivendi. Vnde forte hoc ipſum verbũ *trahendi*, aut colligendi, & congregandi,

אסף

quod ſubeſt hoc loco, ſignificat diſperdere; aut perire, eo quod cum vita aufertur viventibus, & pereunt, videtur illa ipſa vita congregari, & rurſus colligi in Deo, ut *ſpiritus redeat ad eum, qui fecit illum.* Sic Ierem. 8. 13. comminatur, *Congregans congregabo eos, ait Dominus.* Sive *Colligendo colligam*. id eſt, *perdendo perdam*. vel, *comedendo conſumam.* & Sophon. 1. 2. *Congregans congregabo omnia a facie terræ, dicit Dominus, congregans hominem, & pecus, congregans volatilia cæli, & piſces maris* (quod ſtatim exponitur) *& ruinæ impiorũ erũt, & diſperdam homines a facie terræ.* Similiter Hoſeæ. 4. 3. *Lugebit terra, ſed & piſces maris congregabuntur.* Septuaginta. *Peribunt*, morientur. Pſal. 103. 29. *Auferes* (colligis, attrahis) *ſpiritum tuum, & deficient.* Pſal. 25. 9. *Neperdas* (colligas) *me cum peccatoribus, & cum viris ſanguinum vitam meam.* quod quamvis alio verbo, ſed perſimili dicitur, Pſal. 27. 3. *Ne ſimul trahas* (attrahas, pertrahas, quaſi dicat, colligas, & cõgreges) *me cum peccatoribus* (& ſtatim exponitur) *& cum operantibus iniquitatem ne perdas me*. Denique phraſis hæc frequentiſsima in Sacro ſermone, *colligendi*, pro moriendi, aut perdendi, vel pereundi, ſive de juſtis, ſive de impiis. Num. 27. 3. Iudic. 18. 25. 1. Reg. 15. 6. Iſai. 57. 1. Sed unde nam Methaphora? Quidã tranſferunt, vel ex more veterum, qui oſſa mortuorũ colligebant; aut a frugibus, quæ abſumendæ colliguntur; aut quod qui moriuntur, pluri mis, id eſt, mortuis aggregantur; aut quod cum quis aliquid tollere, & penitus convellere parat, raſtris, & ligonibus, corradit, & colligit in unum locum; aut quod cum magna aliqua ſtrages fit, ſolẽt acervi cõgregari cadaverum. Frigent hæ omnes tranſlationes, ac nihil ſplendoris habent, ſi cum iſta, quã præ manibus habemus, Divinæ vitę ratione, & vitarum omniũ principio, & fonte cõferantur: colligit Deus ea, quæ ſparſim cõmunicaverat vivẽtibus, cũ vitã aufert; & vita ad ſuum auctorem redire videtur, cum abit ex ipſis viventibus, deficiente vita illorum, ut jam dicetur.

Eccleſ. 12. 7.

Congregari pro perire.

LXX.

משך

Colligere, pro perire, quænã trãſlatio.

Vera tranſlationis ratio.

XV. *Deficiet omnis caro ſimul, & homo in cinerem revertetur.*

1. Caro, *pro homine. Pro univerſis viventibus.*
2. Cinis, *quid proprie.*
3. *Spiritus Dei vivificans, & naturalis. Idem violẽtus, & perdens. Duplex reſpirandi genus.*
4. *Ingenium arrogantium. Superbia radicitus extirpanda; ne ſerpat.*

1

ABlato ſpiritu vivificante, quid ni *Caro* ſtatim *deficeret*, periret, expiraret. *Omnis caro*, quãvis de homine ſolo poſſet accipi, propter quẽ potiſsimum hæc dicuntur ab Eliu, ita ut ſequente parte idem exponeretur; nam *homo* habet appellationẽ *univerſæ carnis*, Geneſ. 6. 11. 13. Iſai. 40. 5. 6. Eccleſ. 41. 5. Iudith. 7. 16. Pſal. 64. 3. & 144. 21. Ioel. 2. 28. Ierem. 25. 31. & alibi frequenter; ſed congruentius videtur, ut univerſa viventia complectatur. Sicut & Geneſ. 7. *Conſumpta eſt omnis caro, quæ movebatur ſuper terram, volucrum, animantium, beſtiarum, reptilium, &c.* Similiter etiã Geneſ. 6. 17. c. 8. 17. c. 9. 11. 15. 16. Levit. 17. 11. Num. 27. 16. Pſal. 135. 25. Eccleſ. 1. 10. & c. 14. 18. & c. 17. 4. & c. 4. 8. Et quamvis illam ſimplicem *carnis* appellationẽ homo frequenter habeat, Geneſ. 6. 3. Pſal. 55. 5. & 77. 39. Dan. 12. 11. at etiam bruta appellãtur *caro* pleriſque locis ex adductis.

Carnis univerſæ nomen, de ſolo homine.

Caro cuncta viventia.

2

Et homo. Adam, terrenus: reſpicit ad primam ex luto originem, quod per ſpiritum & inſufflationem Dei, factum eſt *in animã viventem. In cinerem, aphar*, pulverem viliſſimum, tenuiſsimum, inutilẽ operis faciẽdis, vagum, & inconſtantem. Septuaginta vim expreſſerunt; *Omnis mortalis in terram abibit, unde & formatus eſt.* ſententia per ſe facilis.

Cinis quid.

אפר

LXX.

3

Sed illud tantum ad diluendam dubitationem. Qui fieri poteſt, ut ſine Dei ſpiritu, & flatu deficiat vita viventium, cum potius ſpiritus illius oris atque naſi, indignatio, ira, furor ſit? Quare *devorat*, exurit, & inflammat *Spiritus naſi* illius, cum ardet naſus, Pſ. 21. 10. *Dominus in ira* (in naſo) *ſua conturbabit eos* (proprie deglutiet, & exponitur) *& devorabit eos ignis.* & Deuteron. 32. 22. *Ignis ſuccenſus eſt in furore* (in naſo) *meo.* & Pſ. 2. 12. *Exardet ira* (naſus) *ejus.* & Iſai. 30. 27. & 2. Reg. 24. 1. Quare *fumat* etiam *naſus* Dei indignãtis, Pſal. 73. 1. Spiritu naſi *conſumit*, & perdit, Iob. 4. 9. Geneſ. 28. 13. *Aufert*, & tollit de medio, Iob. 15. 30. *Conculcat*, Iſai. 63. 3. *Arguit*, cõdemnat, Pſal. 6. 1. Percutit, Ierem. 33. 5. *Subvertit*, Deuteron. 29. 23. *Irat*, & cõminatur, Pſal. 94. 11. Deuteron. 29. 20. Hæc

Spiritus Dei vivificans, idẽ conſumens.

Spiritus naſi Dei quid efficiat.

enim

enim omnia dicitur facere ira, vel furor ejus, quod in Hebræ. est, *nasus ejus*. Et deniq; *dies nasi illius est, dies iræ*. Ierem. 18.23 Thren. 2.21. Respondeo, non omnē spiritum nasi Dei lenitatis esse; est aliquando indignationis, & exardescētię. Lenitatis, & beneficentiæ est, placida, quieta, naturalis respiratio, tunc dicitur Deus respirare, & *emittere spiritum suum*, creare, & recreare cuncta, *& renovare faciem terræ*. At respiratio frequens, violēta, densa, qualis iratorum, aut dolentium esse solet, præter naturam, & ingenium Dei mitissimū est, tunc ardet, tumet, fumat naso, tunc non tā respirat, quam exsufflat, urit, absumit.

Dei naturalis respiratio benigna, at alia violenta, & indignabunda.

Vide Galen. de Diffic resp. & de utilit. resp. & de Anatom. administratione.

XVI. *Si habes ergo intellectum, audi, quod dicitur: & ausculta vocem eloquii mei.*

4 IVbet iterum Eliu, attentum se præbere Iob atque omnem intelligentiæ vim intendere in eas rationes perpendendas, quas putat esse omnino efficaces ad evertendam Iobi sententiā. Græcus existimat non versari Iob in explicandis superioribus rationibus, sed potius in cudendis, & proferendis novis, nā lectionem Septuag. *Sin autem non sis monitus, audi hæc*. Hac paraphrasi elucidat; *Si hæc tibi persuadēt, benè habet; sin autē, attende reliqua*. Sed quidem sive superiora explicet, sive novā rationē adducat, semper sibi proponit Divinā justitiā, & æquitatē confirmandam. Considerat hoc loco Gregorius arrogantiā Eliu; *Habent* (inquit) *hoc proprium omnes arrogātes, ut cum fortasse acutū aliquid sentiūt, inde mox ad vitium elationis erumpāt, sensuq; omnes in sui comparatione despiciant. Quibus cōtingit miseris, ut plus vidēdo tenebrescāt, quia dum subtiliora attēdūt, semet ipsos intueri nesciunt*. Monet præterea, superbiam, nisi radicitus extirpetur, serpere, & dilatare sese, *ac per verborum incrementa in deterius proficere*. Prius enim superciliose dixerat; *Si habes, quid loquaris, &c.* nunc insolentius, *Si habes intellectum, &c.*

Nicetas.

LXX.

Gregor. lib. 24. cap. 28.

Ingenium arrogantium.

Superbia in dies crescens.

XVII. *Numquid, qui non amat judiciū, sanari potest? & quomodo tu eum, qui justus est, in tantum condemnas?*

1. *Lectionum varietas.*
2. *Prima exponendi ratio. Fundamentum reliquarum de Deo cogitationum. Fides illius Providētiæ.*
3. *Interpretum, atque variarum lectionum comparatio. Verosimilis suspicio lectionis Latinæ corrigendæ.*
4. Deligare, *& dominari similia. Deligādi prœliaria præcepta*
5. *Princeps, Chirurgus, & alligator. Illustrat Isaias & Ezechiel.*
6. *Varia lectio, eligitur Latina.*

TOto, quod ajunt, cælo videtur Vulgatus ab Hebræis, & Græcis discessisse. 1.
Quare solus ille incedit. Id ut appareat, primum varias, & dissidentes aliorum lectiones congeram. Græci; *Vide tu eum, qui odit iniqua, & perdit malignos, esse æternū, justum*. ex Hebræo vero Olympiod. *Numquid, qui odit judicium, obligabit?* vel ut legit Nicetas, *Obligabit ad sanandum?* vel etiā ut alii referunt, *augebit*, vel, *proficiet ad sanitatem*; vel ut vertit Comitolus; *Obstruet ad sanitatē?* Chaldæus, *Nū odio habens judiciū, custodietur?* Pagnin. Cajet. *Et dominabitur?*

LXX

Olympiod.

Nicetas.

Comitolus. Chaldæus. Pagnin. Cajetan.

In qua lectionum diversitate majus discrimen est in forma orationis, quā in verbi significatione; nam *ad sanitatē*, quā legit Vulgatus, pertinet illa *obligatio* vulneris; & *Chirurgorum* imitatio. At Vulgatus pas sive legit; *sanabitur*, aut *sanari poterit*. alii adhuc *sanare, obligare, dominari*. Quod sentētiam, & sensum longe diversum videtur efficere: nam si passive sumatur, ad ipsum Iobum refertur. *Qui non amat judicium*, extenuatio est, id est, qui odio habet judiciū, Divinę justitiæ, & judicio detrahit, qui nō agnoscit, neque cōfitetur Divinam æquitatem, ut tu, o Iob, facis, *sanari poterit?* sanitatem recuperabit amissam? aut etiam cum pravis opinionibus de Deo conceptis male affectus sit animo, melius habere poterit, & ad saniorem mentem adduci? q.d. nequaquam, nam illa bona, & integra oppinio de Dei Providētia, & ęquitate, circa distributionem pręmiorum, & remunerationem operum, quasi initiū, & fundamentum est reliquarum de Deo, & de illius bonitate cogitationum, sicut Scriptum est; *Sentite de Domino in bonitate; perversæ enim cogitationes separant a Deo*; Et iterum; *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & inquirentibus se remunerator est*. Huc pertinet illud Chaldæi; *Num odio habens judicium, custodietur?* id est, servari poterit corpore, & animo? aut; Eum qui negat Divinam Providentiam, custodire, & tueri volet ipsa Divina Providentia? adde etiam; Qui non amat judicium, id est, justum supplicium supremi judicis sentētia inflictum, non poterit sanari, neque melius habere, ille enim judicat, & percutit, ut sanet vitia, & curet. 2

Prima exponendi ratio de Iobo.

Sap. 1. Heb. 11.6.

Aliæ

Secunda expositio ratio de Deo, & de illius æquitate.

Aliæ vero lectiones atq; sententiæ omnes referuntur ad Deũ; & confirmant æquitatẽ, hac ratiocinatione; Oportet eũ, qui aliorum vulnera curare debet, & peccatis medetur adhibẽdo curationes acres & difficiles suppliciorum, qui justorũ etiã & proborum hominum ærumnas & *contritiones alligat & sanat*, esse æquitatis & justitiæ amatorẽ; secus enim, si corruptor justitiæ sit, corrigere non poterit, neque sanare hominũ morbos. Atqui Deus est medicus, chirurgus, alligator vulnerũ, sanator & curator; ergo Deus non est osor & corruptor judicii, & justitiæ sed judex æquissimus, & incorruptissimus. Aut potius conficietur aliter argumentatio cum

Nicetas.

Niceta; *Deus neque sceleratis licentiam, impunitatemque permisit, sed potius morbis, atque terroribus, ad graviora illis scelera aditũ interclusit, & eum, cui vitium amputare vult, morbo aliquo sanat*. Sed hæc sunt judicii, & justitiæ actiones, *Ergo Deus non odit justitiam, sed palam ostendit, cordi sibi esse judicium*, neque odisse res mortalium, sed potius curare atque tueri; neque Dominari in homines inique, sed æquissime atq; integerrime. Vides quantum inter utramq; interpretationem, & lectionem intervallum, atque dissidium?

3

Interpretum conciliatio.

Sed ego tamen facile me totam litem compositurum considerem, atque universos interpretes adducturũ in unã & eãdẽ mentẽ & intelligẽtiam, unius tantum litterulæ immutatione, si pro *sanari*, active legeremus, *sanare potest*, mirifice Vulgatus consentiret cum Hebræo, & Hebraizantibus. Et facile quidẽ potuit, e, in, i, permutari, legentis aut scribentis ignorãtia. Sed nunc mihi, non est animus lectionem Latinam, & Vaticanam presertim corrigere; ne corruptor potius, quam corrector videri possim. Conjectura tamen, quæ eam lectionem non improbabilem efficit, proponam.

Verosimilis suspicio lectionis emaculandæ.

Philippi lectio activa.

Primum, quod Philippus active legit tum in textu, tum in commentario: sic enim scribit: *Manifestum est, quia is, qui juste & recte judicari non diligit, neque sanare a vitiis animam, neque corrigere quemquam potest; Et quomodo tu Deum sanatorem languorum nostrorum, iniquitatis notare præsumis?*

Beda.

Quæ eadem verba descripsit Beda. & obiter quidem admonendum, lectorem duxi, pleraque ex iis, quæ in cõmentariis in Iob, inter opera Hieronymi circunferuntur, quæ vere Hieronymi non sunt, sed Philippi, perperam descripta esse, & a vera Philippi lectione, & interpretatione longe aliena, qualis hic locus est, cujus secunda pars, sic legitur depravatissime in

Commẽtaria quæ circunferuntur Hieronymi nomine mendosa.

Hieronymo, *Quomodo tu sanator es languorum nostrorum, qui iniquitates notare præsumis?* Quod vix idoneum aliquem sensum habere posse videtur. Accedit præterea, verbum activum in Hebræo; & illud, quod mihi ultimum est, contextus; & cohærentia cum antecedentibus, & sequentibus: nam versatur in confirmanda Divina providentia, & æquitate: cum quo nihil videtur facere prima illa lectio passive vocis. Secunda etiam pars sententiæ nullo modo cohærebit, quæ aperte de Deo est, *Quomodo tu eum, qui justus est, condemnas?* Quare consonabunt omnia, si referas ad Deum, & legas; *Qui non amat judicium, sanare potest?* Nam qui justitiam non amaret recte administrare mundum numquã potuisset: neque aptus esset alligandis hominum & animorum morbis, curãdis plagis, corrigendis moribus. Adde etiam ex Græcis: Si ille justitiam odisset, injustos, & improbos non alligaret, & *vinciret*, neque *coerceret* supplicio; neque mederetur improbis inflicto dolore; sic enim ille percutit, & manus ejus sanãt; vulnerat, & medetur: ut cum improbos propter improbitatem percutiat, & vulneret, cum primũ illi resipiscunt, statim sanet; justus vero nequaquam sauciet, contristetve. Quare neque impios fovet, neq; probos affligit.

Sed si omnino retineatur Latina lectio, quam in manibus habemus, *sanari potest*; referendam nihilominus ad Deum existimo: Deus si *non amaret judicium, sanari ab injustitia non posset*. Nunquam curari opera, & industria medici alicujus, principis ve superioris, atque potentioris, numquã alligari, numquam coerceri, & prohiberi ab injuriis, & tyrãnide exercenda; nullius jus infractum, & firmum reliquisset; numquam justitiã administrasset. At videmus multa justitiæ exempla, atq; supplicia edita in improbos, & pleraq; illũ ex jure agere: dubitare ergo de illius justitia, & æquitate nemo jure potest. Hæc de sententiæ intelligentia; nunc de illo verbo, *sanandi*, nonnihil.

Cõmodus sensus Latinæ lectionis.

4

Alligare, & sanare, inter se conveniunt.

חבש

Est quidem verbum, *Hhabas*, valde fæcundum, unde tot lectionum, ut vidimus, varietas pullulavit; sed pulchra potissimũ analogia *sanandi*, & *dominandi*; primo quippe significat *alligare*, aut superimponere alligando, aut circumligare; & obvolvere, quod licet *in cincturam jumentorum* cõveniat, ut dicit R. Mardok. quibus alligantur onera; tamen potissimum convenit in rem chirurgicam, quæ fasciis, & vinculis mederi solet vulneribus, & fracturiis. quãre licet aliquando vertatur *medori*, aut

R. MardoK.

רפא
Scientia ligaturæ.

ſanare,ſed non ſignificat in univerſum omnem medicinam,ut R.Mardoch. exiſtimavit, confundens hoc verbum cum *Rapha*, quod abſolute eſt *mederi*; ſed illam medicinæ partem,quæ in curandis vulneribus, & ulceribus, & confractis membris alligādis,& vinciendis verſatur,& illam potiſsimum, quam Hippocrates, & Galenus in *Officina chirurgi*, & in lib. *de fracturis*, perſequuntur,quod ſanandorum vel ulcerū, vel vulnerum in ligatura potiſsima vis cōſiſtat. Vt enim idem Hipp. lib.de Medico dixit;*Deligatio propria,& genuina medicinæ eſt,ex qua æger opem ſentit*.nihil enim relinquunt,quod non præcipiant ſive ligandi, & faſciarum materiam, ſive nodum; ſive filū,quo faſciæ conſui debēt; ne quam expediat,aut deligatura arctior; aut laxior; aut fortior, debiliorve ſit:ne citius reſolvatur,aut dolorem,vel laborē efficiat; ne ſit inelegans, ſed pulchra & concinna; ne tarda,& laborioſa,ſed cita expedita, facilis; unde debeat incipere faſcia; qua via circunducēda,quibus linteolis firmanda; quando faſciarum numerus augēdus, aut minuendus.Denique *legem ligaturæ*. preſcripſit Hippocrates, *ut in medicina, tamquam in civitate* (interpretante Galeno) *juberet ea,quæ in ligando facienda ſunt,prohiberetque contraria.*

Hipocrat. Galen.

Peculiaria de ligaturæ præcepta.

Lex ligaturæ in medicina, tanquam lex in Repub.

5 Pulchra analogia inter chirurgum, & deligaturam, atque principatum.

R.Mardok. Matt.23.4.

Ex hoc *alligandi* munere elegans tranſlatio ad Principis dominatum. Non ſolū quod Principes ligent facinoroſos, & in vincula conjiciant;non ſolum, ut indicavit R.Mardoch. quod legibus coerceant, & ligent ſubditos,ſicut ſcriptum eſt, *Alligant onera gravia,& importabilia,&c.* Sed quod Princeps eſſe debeat alligator vulnerum ſui populi,chirurgus,ſanator. Quare ille,quem ad imperiū populi vocabant, detrectans tam difficile munus,reſpondit Iſai. 3. *Non ſum medicus*. ubi Theodotio, *qui liget vulnera,& providcat ſanitati*. Clarius vero Septuaginta; *Non ero Princeps populi hujus*. Quare ad imperitos, & pravos Principes illud pertinet Ezechiel. 34. 4. *Quod confractū eſt,non alligaſtis*,& Iſai. 1. *Vulnus,& livor,& plaga tumens non eſt circumligata*.(hæc deligatio non eſt a verbo *Hhabas*, ſed a *Zaras*; quod duo contraria videtur ſignificare; comprimere, & quaſi circumligare, deinde etiam, ſive diſolvere,ſive irrorare,quod fit ſpargendo;quare proprie etiam ibi legas;*nō eſt irrorata*, vel, *non eſt perfuſa*.id eſt, non eſt conſperſa liquore aliquo medicato, aut vino. quod eleganter convenit cum re ipſa vulneris, & plagæ: ut enim Hipp. lib. de fracturis, faciēdum præcipit; & Galen. in illius cōmentario docet,*Summa curationis in perfuſione ſita eſt*)*neque curata medicamine*(videlicet poſt primos dies, cum ceratum, aut quid ſimile adhiberi oportet, ex medicinæ præcepto.Sed proprie ex Hebræo; *nō eſt alligata*, aut obvoluta. Hæc enim eſt propria & genuina vulneris curatio faſciis,& vinculis) *Neque fota oleo*. Illa vero ſunt optimi,& benigniſsimi Principis.Iſa. 61.1.*Vt mederer*(Septuaginta *ſanem*.Proprie,ſuperalligem, vel obvolvam) *contritis corde*. Cum enim Hippoc.& Galen.artem tradiderint alligandi,& curandi fracturas aliarum partium corporis humani,at cordis fracturam ſolus Chriſtus Ieſus alligat,& ſanat.& 30.26.*In die,qua alligaverit Dominus vulnus populi ſui, & percuſſuram plagæ ejus ſanaverit*. Vide,quæ diximus ſuper.c. 5.verſ.18.Ezech.30.11.Hoſ. 6.1.Vides igitur recte ſentētiam noſtram referri ad Deum, & Principem totius univerſitatis creaturarum;qui certe niſi æquitatis amator eſſet, & juſte adminiſtraret res humanas,neque medicus,& chirurgus hominum,pro ſuo Dominandi munere,eſſe poſſet. Quare claudit Eliu ſuā rationē vehementi interrogatione, permixta admiratione,& inſectatione temeritatis Iobi;*Quomodo*,numquid,*eum qui juſtus eſt,intantum*; id eſt, ut proprie ex Hebræo legi poteſt,tantum juſtum, vel,tam magnum juſtum,*condemnas* impietatis; vel ut ſupra de hoc verbo diximus, impiabis? Poteſt etiam illud *in tantum*, conſtrui cum verbo condemnandi,*in tantum condemnas*,id eſt, tam pertinaciter,tamque temere illi affingis injuſtitiam?

Theodot. LXX.

חבש
זרש
Verbum contrariarū ſignificationum.

Hipoc. Galen.

Optimi Principis munus.

Solus Deus alligator fracturæ cordis.

6 Varia lectio LXX.
כבר

Cæterum quia illud, *in tantum*,ex proprietate vocis Hæbraicæ ſignificat magnitudinem ſive continuam, ſive diſcretam, quæ eſt multitudo;Septuaginta hoc retulerūt ad longitudinem quādam, & quaſi multitudinem annorum,videlicet ad æternitatem,legunt enim,*æternum juſtum*; alii vero,ut Pagninus,& Cajetan.legunt,*multum juſtum*. Et longe quidem alio ſenſu: accipit enim Cajetanus *pro multitudine juſta*; perinde ac ſi dixiſſet; *Num multitudinem juſtam impiabit*, vel condemnat, ſupple Deus? Quaſi dicat; Nunquam Deus multitudinem juſtorum condemnat, aut ſupplicio afficit; tunc enim aperte eſſet iniquus: Sed dum quoſdam punit, alios ſervat; quod ſignum eſt æquitatis, qua perpendit ſingulorum merita. ut videre eſt in diluvio, cum ex univerſali clade totius fere generis humani paucos eripuit. Sic igitur nova hæc erit ratio ad confirmandam Divinam

Pagnin. Cajetan.

æqui-

æquitatem. Sed ſimplicior, & elegantior eſt noſtra lectio, atque ſententia.

XVIII. *Qui dicit Regi, Apoſtata. Qui vocat duces, Impios.*

1. *Prima Græcorum interpretatio. Prædicatori audendum verum dicere in conſpectu Regum. Illuſtratus Samuel, Paralip. & Lucas.*
2. *Hebraizantium ſententia coacta. Simplex interpretatio. Deus frangens improbitatem Principum.*
3. *Adamantis proprietates. Deus, & Propheta potentiores improbitate. Illuſtratus Ezechiel.*
4. *Dicere, de judice Principe. Rex pro Divite, & Domino.*
5. *Belial, quid ſignificet, quæ illius Etymologia. Explicatus Samuel.*
6. *Principum nomen a liberalitate. Sponte ſuas ſervant leges, Lacedæmoniorum ritus.*

ITerum in hac ſententia Vulgatus, Græci, Hebraizantes diſſentiunt. Sed bene
1 eſt. Græci quidem exiſtimant Iobum nūc reprehendi, quod Deo injuſtitiam attribuerit, hac ſimilitudine, vel argumento a minori; *Si is, qui dicit Regi, Inique agis, apud Principes ſummæ improbitatis judicium ſubit, exiſtimant enim dominationis odio ſcelerata quædam machinari, quid illis fiet, qui Deo dicere audeat, Agis inique?* Et acute quidē obſervavit Chryſoſtomus, *Apud Principē, impium judicari eū, qui terreno Regi exprobrat injuſtitiam, neque enim apud Deum neceſſe eſt eſſe ejuſmodi.* Contingit enim, ut Regibus atque Principibus publica peccata exprobranda ſint, quamvis capitis periculum ſubeundum ſit Prophetæ, qui niſi hac animi virtute polleat, indignus eſt nomine Prophetæ, & miniſtri verbi Dei. ſic Azarias ille 2. Paralip. 26. inſigni virtute, & zelo Divini honoris Regi Oziæ reſtitit, & de illo quidem 1. Paralp. 6. 10. dicitur; *Ipſe eſt, qui ſacerdotio functus eſt.* quaſi dicat; Hic eſt ſacerdotis nomine dignus, qui in faciem Regis reſtitit. Docuit Chriſtus Ieſus Leones hujuſmodi Regios pro *Vulpeculis* habere, cum objicientibus ſibi Herodis timorem reſpondit, Lucæ 13. 32. *Ite, & dicite vulpi illi.* nihil moratus vel Herodis minas, vel quod illi renuntiarent, quid de vulpinis illius moribus ipſe ſentiret. Sed tamen Regia per ſe dignitas nunquam non eſt colēda, etiam cum Princeps iniquus eſt. Non agnoſcebat quondam Pythoniſſa illa Saulem Regem, at cum primum evocata eſt anima Samuelis, ſtatim illum agnovit: cum enim vidiſſet mulier Samuelem 1. Reg. 28. 12. *Exclamavit voce magna, & dixit ad Saul; Quare impoſuiſti mihi? tu es enim Saul.* Agnovit nimirum, quod Samuel ſignum aliquod reverētiæ, & honoris præbuiſſet coram Rege Saule, ex quo Pythoniſſa cognoſceret adeſſe Regem, quamvis apoſtatam, & a veri Dei religione, & obedientia ad Pythones deficientem. Iſta interpretatio Græcorum non eſt inepta.

Nicetas.

Chryſoſt.

Prophetis, & Prædicatorib⁹ loquēdum coram regibus.

Reges interdum Vulpino ingenio.

Regibus etiā impiis obedientia debita.

Secundo, Hebraizantes per *Regem*, intelligūt Deū, per *Duces*, aut Principes Angelos Divinæ juſtitiæ, atque Providentiæ miniſtros, quaſi dicat Eliu; Tu ipſe, o Iob, es, *qui dicit*, vel ſenſus, *Dicēs Deo Regi*, abſq; jure mundum adminiſtrare, & illius adminiſtros Angelos eodē iniquitatis crimine involvendos cenſens. Ita Cajetanus, Vatabl. Iſidorus. quare tota ſentētia expreſſa ad verbum ex fonte, eſt hujuſmodi; *Nūquid dicendum Regi, Belial? Impius ad Principes?* ita ne audes, o Iob, Regē Regum, atq; ejus magiſtratus, ducesque laceſſere contumeliis? Expoſitio quoque hæc in noſtrā lectionem cōvenire poteſt. Sed illud paulo coactius, quod Angelorum nunc meminerit Eliu, cum nunquam illorum meminerit Iob. 2

Secunda Hebraizantiū expoſiti ratio coacta.

Cajetan. Vatablus. Iſidorus.

Tertio, Quod Vulgatus expreſsit, leniſsimum eſt, atque egregie cohærens, & additione illius relativi rē illuſtravit, Deū enim refert; Qua, inquit, ratione Deus appellari injuſtitiæ poteſt, qui alios injuſtitiæ appellat, atque condemnat, nullius quamvis potētiſsimi Regis perſonam reveritus? Forte vero alludit ad id, quod dixerat ipſe Iob. c. 9. 24. *Terra data eſt in manus impii.* & cap. 16. *Concluſit me Deus apud iniquum, &c.* quaſi dicat, Minime verū eſt quod dixiſti, o Iob: nam ſi Deus Reges iniquos palam arguit impietatis, profecto illius voluntate, aut juſſu iniqui non ſunt, neque ille vult regnare impios, neq; juris atque æquitatis hoſtes principibus, & ducibus connumerat; ſunt quidem Reges potentiſsimi, ſed potentior illis eſt, atque illorum nequitiam, & improbitatē frangit. Cum quo elegāter videtur illud facere, cū Deus jubet Ezechieli bono animo concionari adverſus Regum, & Principū improbitatem Ezechielis 3. 8. *Ecce*, inquit, *dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum: &* 3
frōtem tuam duriorē frontibus eorum: ut adamantē, & ut ſilicem dedi faciem tuā, ne timeas. Cum enim peccatores præſertim potentiſſimi, *indomabili corde* ſint, & adamantino, ut *qui reſpuant* ictus Divinarū admonitionum, ignéque Divinorum beneficiorū vincant, ac nuſquam Divino Verbo incaleſcant (quæ ſunt adamantes proprietatis) eſt tamen adamas quoque Deus, ipſe illius que duriſsimum judicium, ſuppliciumque

Tertia, & germana expoſitio.

Deus comprimens improbitatem Principum improborum.

Plin. lib. 37. cap 4.

Deus, & Prophetæ adamātes fortiores adamantibus improbis.

Theodoretus.

gravissimum, ut interpretatur Theodoretus super id Amos 7. secũdũ lection. Sept. *Quid tu vides Amos? Et dixi, Adamantẽ. & dixit Dominus ad me, Ecce ego imponam adamãtem in medio populi mei Israel. Luculentã,* inquit Theodoretus, *& admodum durã plagam inferã, similemque adamantis, qui ex omnibus materiis durissimus est, & fortissimus.* Sed ejusmodi tamẽ adamas est Divinum judicium, Divinaque justitia, qualem scribit Plinius, nobilioris fortiorisque naturę, qui alios adamantes *frangere, & perforare potest*. Sic sane potentissimus Deus, potẽtissimos reges impios injustitiæ, & iniquitatis accersitos damnat, & gravissimis tormentis confringit.

Plinius. Adamantẽ frãgi, & perforari alio adamãte nobiliori.

4 *Dicit*. Quasi Princeps, & judex pronũtiat. est.n. illud *dicere*, judicis, & Principis jubentis, & statuẽtis ailquid. Sed præterea etiam *dicit*, in jus vocat; severissime corripit, non permittit abire impune, sed sua sententia, & edicto cõdemnat. *Regi*. Sive *Rex* proprie accipiatur; sive pro viro divite, & potẽtiori: hoc enim modo Latinus nõ raro *Regem* accipit, nam Domini a servis *Regis* nomine colebãtur, ut etiam Grammaticus observat, super id Terentii in Phormi. *Nemo satis pro merito gratiã Regi refert*. id est, suo Domino. ubi Donatus, inquit, *Regem dici aut regnatorem, aut dominum, aut divitem*. Cujusmodi illud est, Plauti in Capti.

Dicere dictũ de Iudice. אמר

Rex pro Divite, & Dño.

Donatus. Terentius. Plautus.

Postquam meus Rex est potitus hostium.

Martialis. Martialis in Priscum;

Cũ te non nossem, Dominũ; Regemq; vocabã:
Cum vero te novi, jam mihi Priscus eris.

Idemque ad Ollum;

Quod te nomine jam tuo saluto,
Quem Regẽ, & Dominũ prius volebã, &c.

Denique *Regis* nomen, sicut, & divitis, pauperi oppositum. qua ratione videtur Columela dixisse, *Mercenarium circumvolitarare limina potentiorum, somnumque Regis rumoribus argurari.*

Collum. in Præfat.

Et Horatius; . . . . . . *Sive Reges,*
Sive inopes erimus coloni.

Horat. 2. Car. Od. 14.

Hinc etiam dicebatur *Rex convivii*, opulẽtior Dominus, unde illud; *Sex convivium cum Rege justum*. Et quidem opulentiores regnum divitiis vel parabant, vel mercabantur, vel expugnabant.

Rex cõvivii. Proverbium.

5 *Apostata*. Apostasiæ, inquit, convincit, & damnat, Pro *Apostata* est in Hebræo *Belial*; quam vocem cum Vulgatus frequẽter intactam relinquat, at interpretatur Iudicum 19. 22. *Absque jugo*. Proverbiorũ 16. 27. *Impium*. Devter. 15.9. *Iniquum* 85.41.9. & Psal. 101.3. *Injustum*. Nahum. 2.1. *Dispersorem*, vel, *vastatorem*. Nahum. 1.11. *Prævaricatorem* 3. Reg. 21.13. *Diabolum*. sed *apostata* vertitur hoc loco, & Proverb. 6.12. & hanc ipsam significationem versio probat Hieronymi Nahum. 2. & quod Græce est *apostata*, ait Latine interpretari, *prævaricatorem*. Rursus idẽ Hieronym⁹: super id Ephes. 4. *Nolite locũ dare Diabolo.* Sic scribit; *Diabolus Græcum verbum est, quod Latine dicitur Criminator; lingua vero Hebræa Satã appellatur, id est, adversarius, sive contrarius, & ab Apostolo Belial, hoc est absq; jugo, quod de collo suo Dei abjecerit servitutem. quẽ Aquila Apostatam trãstulit. Sciendum est ubicumq; in veteri lege filii pestilentiæ scribuntur, sicut ibi, Filii autẽ Eli filii pestilentiæ: ibi in Hebraicis voluminibus, Belial, hoc est Diabolũ pro pestilentia nominari: Licet plurimi pro Belial, corrupte in Apostolo Beliam legant;* Idem fere scribit super id Isai. 37.1. *Visitabit Dominus super leviathan.* Quod autem ait, *pestilentiam*, interpretari, est secũdum Septuaginta, quo etiã modo vertunt 1. Reg. 1.16. qui tamen nõ semper eodem modo interpretantur. nam Devter. 15.9. Iudic. 12. & 3. Reg. 21.13. & Proverb. 6.12. vertunt *iniquum*, aut *iniquitatem*. & Nahu. 1. 11. *Contrarium*. denique nemo est, neque ipse Hieronymus, qui huic nomini perpetuam aliquam significationem tribuat, sed quam locus ipse exigere videtur. quamquam omnes in eo conveniãt, quod significet nefarium aliquem improbitatis gradum, & hominem insigniter improbum, Divinæ legis desertorem, & hostem impudentissimum. Quales vidẽtur describi 1. Reg. 2. *Filii Heli, Filii Belial, nescientes Dominum, neque officium Sacerdotum ad populum.* id est, Divinorũ contemptores, & procacissimi in Deũ, & homines. Rursus pater illorum his verbis illos delineat; *Quare facitis res hujusmodi, quas ego audio, res pessimas, ut transgredi faciatis populũ Domini? & non audierunt verbum patris sui.* ubi videtur scelus filiorum Heli in eo constitui, quod nõ solum erant *Apostatæ*, sed etiã, ut ait S. Ephrem. Oratione de Heli Sacerdote; *Quod populum ad apostasiam inducebant.* Basilius proœmio in Ethic. eos vocat filios Belial, quod *scientes peccabant*, nõ ex ignorantia. His vero opponit Scriptura puerũ Samuelẽ, atq; sic depingit; *Puer Samuel proficiebat, atq; crescebat & placebat tã Deo quam hominibus.* Quare filius Belial, erit qui numquã in melius, sed in deterius proficit, contemptor hominum atque Dei. Et huc pertinẽt variæ nominis etymologiæ, & notiones. Licet enim quidam existimẽt nullius radicis ramum esse; sed plerique ducunt, atque componunt a *Bal*, sive *Beli*, id est, *non*, vel, *absque*, quæ particu-

Belial varie interpretatum. בליעל

Hieronym. 2. Cor. 5. 2. Reg. 1.

LXX.

Filiorum Belial descriptio.

5 Ephrem.

Basilius.

1. Reg. 2. 26.

Vnde dicatur Belial.

Negatio vehemẽs in Hebr.

בלי particula, ut doctis quibuſdam placet negationem quãdam vehementem affert, & quam ulla alia negativa particula firmiorem, & fortiorem; ut ſi dicas, nequaquam, neutiquam, omnino nihil. ut Pſalm. 103. *Neque* (neutiquam, nunquã omnino) *convertentur operire terram.* & Geneſ. 43. *Non* (nulla ratione) *videbitis faciem meam.* Ergo negatio, quam affert nomen *Belial*, cõſtans eſt, perpetua, vehemens. Altera cõpoſitionis pars eſt ſecundum Vulgatum, & pleroſque Interpretes, ex *Ghol*, id eſt, jugum; quare ſonat, *Abſque jugo*, nullo modo jugi, aut legis patiens. quo alludere videtur Paulus 2. Corinth. 6. pręceſsit enim, *Nolite jugũ ducere cum infidelibus.* Sequiturque, *Quæ conventio Chriſti* (facti ſub jugo) *ad Belial?* (jugi, & legis contemptorem Diabolum) Alii componunt ex *Ghalah*, quod eſt aſcendere, ut ſonet, *Non aſcendens*, vel, ut aliis placet, ſine honore. vel numquam creſcens, numquam proficiens. Regia hoc loco, *Abſque profectu.* cum hac etymologia colludere videtur a cõtrariis ille locus, quem diximus, proficientis Samuelis. Sed tertio alii deducunt a *Iaghal*, quod eſt, *prodeſſe.* cum quo facit locus ille Proverb. 6. 12. *Homo apoſtata* (Belial) *vir inutilis.* Omnes quidẽ iſtæ rationes inter ſe connexæ ſunt, ſed illa in hunc locum cõvenit; quod dives, aut rex potentiſsimus dicatur *abſque jugo*, id eſt, exlex, & omnis juris violator, propterea que *apoſtata*, & religionis deſertor. nam dives *ſatiatus illicitur ad negandũ, & dicit, Quis eſt Dominus?* Proverb. 30. 9. Agit igitur pro libito; & cum nulla lege teneatur, ad omne ſcelus projectiſsimus eſt.

[Margin: עול Alluſio Pauli ad nomẽ Belial. — עלה — Regia. — יעל]

6 *Qui vocat duces impios. Duces*, Principes, *nedibim*, liberales, voluntarios, & ſpontaneos, benigne faciẽtes omnibus pro bona voluntate; jus, & leges ſervantes ſua ſpõte, nõ coactos; niſi enim ipſe Rex, & Princeps velit ſponte ſe ſubdere legi, & ſervare jus, quis poterit illũ coercere, aut vi adigere? Hæc forte eſt ratio, & proprietas hujus nominis. atque utinam eſſet, uti eſſe debet, proprietas quoque ipſorũ Principum. memini me nuper adduxiſſe in rem aliam Diodori teſtimonium, dum Regis Aegyptiorum mores deſcribit; inter alias enim virtutes illo ante aram, & ſacrificiũ adſtante, ſacerdos quotidie magna voce prædicabat ad populum, *Regem ſponte ſuas ipſum leges ſervare.* Hæc eſt illa optimorũ Principum Theodoſii, & Valẽtiniani lex, *Digna vox* C. de Leg. & Cõſt. Princip. *Digna vox eſt majeſtate Regis, alligatum ſe legibus profiteri. adeo de auctoritate juris noſtra pendet auctoritas* (neque vero major poteſt Iuri conciliari auctoritas, quam ſi Rex ipſe ſuum jus ſervet) *& re vera majus Imperio eſt, legibus ſubmittere principatũ* (quippe Imperium Principis erga ſubditos eſt; at ſi ſibi imperet, ſe ipſo major efficitur.) Sed Principes tandem intelligant, ſi ſponte jus non ſervent, ſupremo Imperatori reddendam rationem, & pendendas pœnas violatæ juſtitiæ: *Vocat enim impios* dãnat impietatis, & de injuſtitia cõdemnat.

[Margin: Quid Dux. נדבים — Principes cur vocẽtur liberales. — Diodor. lib. 2. — Princeps ſpõte ſua ſe ſubdẽs ſuæ legi.]

In Hebræo nimium ſtricta, & anguſta ſententia; *Impius, ad Principes.* quod præter ſenſum Vulgati hunc quoque explicatum habere poteſt; Qui impius, & injuſtus eſt; non poteſt ad Principes de juſtitia ſermonem habere, aut illos de juſtitia damnare; in quo enim alios accuſaret ſe condemnaret ipſum. Cum ergo Deus contra judices, & Principes iniquos ſententiam pronuntiet ſeveriſsimam, non poteſt nõ eſſe juſtiſsimus. In ipſa certe ratione poſitum erat, quod Lacedęmoniorum magiſtratus (referente Plutharco) conſtituerat, ut cum ſententiam cujuſpiam qui fœdam vitam egiſſet, comprobaſſent non ipſi, ne ſi minus ſancti haberentur, legum lęderetur auctoritas; ſed alter prolata vitæ, & morum pronuntiaret.

[Margin: רשע Varia lectio. — Plutarch. libr. de Audit. — Lacedęmoniorum Iudicum conſuetudo.]

XIX. Qui non accipit perſonas Principum, nec cognovit Tyrannum, cum diſceptaret contra pauperem; opus enim manuũ ejus ſunt univerſi.

1. Accipere perſonas, *aut* elevare faciem, *aut* cognoſcere Tyrannum, *pro eodem* Cognoſcere. *Illuſtrati Moyſes, & Ieremias.*
2. Tyrannus *quis, varie redditus ex Hebræo.* Princeps, *quẽ pauperes appellant. Figura optimi Principis. Illuſtratus Iſaias.*
3. *In Creatorem non cadit acceptio perſonarum. Vniverſi homines natum æquales. Illuſtrata Sapientia.*

PErſtat in eadem Divinæ juſtitiæ, & æquitatis amplificatione; Non ille movetur humana potentia, & ſplendore, ut perſonas hominũ accipiat, & iniquis Principibus adverſus pauperes ſęvientibus favere velit. merita ille hominum, & mores æſtimat, nullum præterea dignitatis humanæ ſplendorẽ paupertati, & probitati anteponit: neque alicujus metu, & reverentia ab ęquitate diſcedit, aut a juſta ſentẽtia ferenda retardatur: *Non accipit*, non elevat, non honorat. de qua phraſi ſæpe I

LXX.

liximus. *Perſonam*, faciem, externã ſpeciẽ, & ſplendorem. *Principũ*, Potentiorum, dominantium in infimã plebem. Septuagin. *Non eſt veritus faciem honorati.*

Cognoſcere ad familiaritatem, & benevolentiam.

נכר

Pagnin. Regia. Tygur. Vatab.

Nec cognovit Tyrannũ. idem quod ſuperis dixerat: nam *cognoſcere* affert familiaritaẽ, & benevolẽtiam erga aliquem, cujus cõtrarium eſt, *alienũ*, & ſeverum ſe alicui præſere: nã uterque ſignificatus ſubeſt verbo *Nicar*, ſive familiariter tractare, & agnoſcere; nos etiam dicimus, *Reconocer, o ſer conocido de alguno.* Sicut 4. Reg. 12. 7. *Nolite amplius accipere pecuniã juxta ordinẽ veſtrũ.* Hebr. *a notis veſtris*, id eſt. ab hominibꝰ veſtri ordinis, amicis, & familiaribus. Hinc illud Threnor. 4. *Nõ ſunt cogniti in plateis.* id eſt, nemo ſe illis cognitum aut familiarem præbuit, quippe inter alienigenas; & hoſtes verſabantur. Hinc *cognoſcere perſonam*, aut *facies*, idẽ, quod *accipere perſonã*. Deuter. 1. 10. *Nulla erit diſtantia perſonarum.* Septuag. ex Hebræo; *Non agnoſces faciẽ in judicio.* Deus itaque non ſe præbet in judicio familiarem, benignumque potentioribus potius, quam pauperibus.

2

LXX.

Tyrãnus quis

R. MardoK.

Pagn. Cajeta. Vatablus. Tyg.

שוע

Tyrannum. Septuag. *Neque novit honorẽ ponere potentibus, admirari facies eorũ.* *Tyrãni* autẽ nomen idẽ eſt hoc loco, quod Vulgatus vertit *magnificũ*, Iſai. 22. 5. *Majorẽ*, Iſai. 32. 4. *Magnitudinem*, Iob. 36. 19. & R. Mardoc. ait ſignificare *liberalẽ*, aut *divitem*. quã ſignificationem fere Hebraizantes amplectuntur, Poſt R. Abrahã, Peruſol. R. Levi, Rab. Ioſeph. Sed eleganter Vulgatus dixit *Tyrannũ* tum hic, tũ Ezech. 13. 23. deducitur enim vox a radice *Suagh*, quid eſt clamare, & vociferari; præſertim opem, & auxiliũ, a potentioribus implorando in calamitate, ut exempla oſtendunt, Pſ. 17. 7. Pſ. 11. 8. 147. Ierem. 8. 19. inde igitur Princeps, vel potentiſsimus aliquis vir, *Suagh*, quaſi vociferatus, vel inclamatus paſsive, quod pauperes, & afflicti clamoribus, & vociferationibus ſoleãt, debeantque ab illo opẽ implorare.

Princeps verus cujus fides imploratur.

Quod ſi is ipſe, clamet contra pauperes, & afflictos, atque minis, & incõcinnis vociferationibus aures obtundat, & terrorem injiciat, dicitur active vociferãs, & clamans, & vere Tyrannus, fremẽs cõtra populũ.

Tyrannus vociferaas.

Ad quod eleganter reſpexit Vulgatus, cum dixit *Tyrannũ, cum diſceptaret contra pauperẽ.* Quod in Hebræo propr. legi poteſt, *Non cognovit clamorem*, vel, *clamantem corã paupere.* Quod nihil aliud eſt, quam *non cognovit Tyrannũ*, cũ clamoribus & vociferationibꝰ diſceptat contra pauperẽ.

Tyranni, & e contrario clemẽtiſsimi Principis deſcriptio.

Certe Tyrannorũ ingenium ab oppoſito ſignificatur, in illa optimi, & benigniſſimi Principis Chriſti Ieſu deſcriptione apud Iſai. 42. 2. *Non clamabit, neque accipiet perſonam, neq; audietur vox ejus foris.* Quod proprie legitur; *Non clamabit, neque vociferabitur.* Quod eſt idem, quod *nõ diſcepabit*, nã *diſceptatio* fieri ſolet clamoribus, & rixa. Quare Matthæus hunc ipſum Iſaiæ locum explicatius legit; *Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem ejus.* ubi *plateæ* nomen explicat, cujuſmodi ſit iſte clamor, & diſceptatio, nempe forẽſis, cũ potentiores in judicio contra pauperes cõtendunt, & clamoribus potius, & minis quã jure, & lege infirmiores vincũt. At cũ præſidet in forẽſi judicio Deus, nihil obtinent divitum clamores; potior enim cauſa eſt pauperis ſilentis, & afflicti.

Matt. 12. 19.

LXX.

Infidum auxiliũ potentiorum.

Nicetas.

Propterea Septuag. legunt hunc locum, ut monerent pauperes, ne nimium fiderent potẽtioribus, quorum auxilium ſæpe fallit; ſed Deo, qui exaudit pauperum clamorẽ; *Vana* inquiunt, *eis evadent, clamaſſe, & orare virũ.* ubi eleganter, Nicetas; *Qui hominum implorant auxilium, & qui principibus fidunt, ſtulti ſunt; neque ex ea re lucri quidpiã facturi ſunt.*

3

In Deum non cadit acceptio perſonarum.

Opus enim manuum ejus ſunt univerſi. Ratio eſt; quare non poſsit in Deum cadere acceptio perſonarum, quod hominum ſupremus auctor, & creator ſit; quare cũ & ipſi homines, & univerſa humana dignitas atque ſplendor effecta ſint a Deo, non poteſt ille mirari, neque revereri opera manuum ſuarũ.

Vnde oriatur acceptio perſonarum.

Frequenter enim acceptio perſonarum ſolet aut ex timore, aut ex reverentia inferioris erga ſuperiorem proficiſci; quæ nulla eſſe in Deo poteſt erga creaturas. Hinc etiam infertur ratio altera, quod Deꝰ nõ accipiat divitũ, & potẽtiorũ perſonas, ſed æquali ſtudio, & charitate omnis cõditionis homines, tam ſervũ, quã Dominum, tã divitem, quã egentẽ proſequũtur, videlicet quod in natura æquales ſint: nã auctor naturæ eiſdem manibus finxiſſe, & creaſſe videtur utrumque, ne dives exiſtimet ſe ſuperioris naturæ, aut ex nobiliori argilla, & pretioſiori materia formatum, quam pauperẽ.

Dives, & pauper apud Deũ æqualis conditionis.

Pari igitur Providentia, pari charitate omnes cõplectitur Deus. Rem hanc totã Sapientia expoſuit, cap. 6. 8. *Non ſubtrahet* (quaſi præ timore, non formidabit) *perſonam cujuſque Deus: neque verebitur magnitudinem cujuſquam: quoniam puſillum, & magnũ ipſe fecit: & æqualiter curæ eſt illi de omnibus.* Vide, quæ ſupra diximus cap. 31. 17 14. 15.

)?(

XX. Subito morientur: & in media nocte turbabuntur populi, & pertranſibunt: & auferent violentum abſque manu.

1. *Sententiæ paraphraſis. Repentinum impiorum exitium quid deſignet.*
2. *Alluſio ad Aegyptiacam noctem. Impii male ſecuri. Illuſtrata Sapientia.*
3. Turbari, *quid proprie. Denotat imminens diſcrimen. Impiorum ſupplicium ad aliorũ exemplũ.*
4. *Aliena aliorum interpretationes.* Pertrãſire *ad oblivionem, & contemptum rei. Explicatus Sapiẽs.*
5. *Germana expoſitio.* Pertranſire, *ad ſupplicii executionem, & conculcationem.* Violentus *quis. Illuſtratus Moyſes.*
6. Manus, Abſque manu, Ad manum, *in Sacro ſermone quid.*

1 Sententiæ paraphraſis.

ITA, Inquit, univerſi homines ſunt in ſupremi creatoris facultate, ut non ſolũ illos arguere, & in faciẽ exprobrare ſcelera, ſed digno ſupplicio afficere poſsit, nulla dignitatis aut opulentiæ, ſed tantũ vitę, & ſcelerum habita ratione. Frequenter igitur Tyrãnus repente interficit, perturbat, & exagitat illorum Reſpublicas, patefacit hoſtibus omnia vaſtãtibus illorum civitates, & arces munitiſsimas, atque omni humana ope deſtitutos, publico exemplo ac morte turpiſsima traducit.

Repentinum ſuppliciũ, q declinari non poteſt.

Subito morientur. Indicatur ſuppliciũ Divinum, cujus nulla humana cauſa aſsignari, aut quod nulla humana vi declinari poteſt. Vide, quæ diximus cap. 1. verſic. 18. & cap. 15. verſ. 30. & cap. 37. verſ. 20. & ſæpæ quidem de repentino Tyrannorum impiorumque interitu dictum a nobis.

2 Impiorũ mala ſecuritas.

Et in media nocte, Oſcitabũda, & dormitabunda impiorum ſecuritas, omnis diſcriminis oblita, tũ etiã omnis conſilii in ipſo diſcrimine ignara, & impotens. Vide, quæ diximus cap. 27. verſ. 20. & c. 20. verſ. 26. Forte nunc alluſio eſt ad Aegyptiacam illam noctem, cum turbatus eſt populus, interfecti primogeniti, & ablati ſunt violẽti abſque manu, & pertrãſiit Angelus vaſtator, ut deſcribitur Sap. 13. *Cum quietũ ſilentium contineret omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, &c.* Et ſubjicitur conturbatio ſomniorum, & viſionum. Idem contigit Balthaſari, in ipſa ſui convivii, & impietatis nocte; Dan. 15. 30. & Diviti avaro, Luc. 12. 20. Sicut enim plerumque, cũ noctu fulgurat; montes, atque poceriſsimæ arbores de cælo tãguntur, ſic Divini ſupplicii ignis impios, ac potẽtiſsimos Tyrannos frequenter tetigit, & in fumum atque favillam univerſam illorum gloriam & potentiam convertit.

Alluſio ad noctem Aegyptiacam.

Noctu mõtes de cælo tangi, Potentiores percuti.

3 נעש

Turbabuntur populi. Alii intelligunt populum oppreſſum ſeditionem nocturnam concitaturũ adverſus nequiſsimos Tyrannos. Sic nonnulli Latini: ſed aliene, & improprie, nã verbum originale affert eã turbationem, quam efficit impendens periculum, aut metus alterius potentioris, ut explicatur eadem voce 2. Reg. 22. *Commota* (turbata, perculſa, concuſſa) *eſt, & contremuit terra: fundamenta montium concuſſa ſunt, & conquaſſata* (iterum eadem vox, *turbata,* Septuag. vero Pſ. 17. *Cõmota*) *quoniã iratus eſt eis.* & Iere. 25. 16. *Turbabuntur, & inſanient.* Sic percellẽtur populi ſui Principis morte, & repẽtino exitio. Minus cõgruit paraphraſis Tyg. *Velut torrẽte auferentur populi.* Eleganter vero Philippus refert ad exemplum, quo alii erudiuntur, *Hoc* (inquit) *modo turbantur populi, qua turbatione terram ſenſibilem legimus cõturbatam, ſicut Propheta ait, Commoviſti terram, & conturbaſti eam, ſana contritiones ejus, quia commota eſt. ſic Sapiens exemplum peccatorũ hominum pertimeſcens, aſtutior fit caſtigato inſipiente.*

Turbatio ex metu.

LXX.

Philipp.

Pſal. 59.

Ex impiorum ſupplicio aliorũ inſtructio.

4 Aliena aliorum interpretationes.

Et pertranſibunt. Alii ad popularem tumultum, tumultuantes enim cives, hac illac diſcurrẽt, ut omnia occupent, & magiſtratus cum Principe de medio tollant. D. Thom. ad tranſitum de loco, in locum, & mutationem ſedis priſtinæ, & commigrationẽ gentis, vel ut *Dominium commutent, & Principes ſuos deſerant.* Vatabl. *Vt intereant.* Sed aliena omnia. Illud minus incommodum, quod ſubita regis morte perculſi, & perturbati cives, paulo poſt facile cõquieſcant, & minime ægreferant mortem Tyranni ſęviſsimi: quare ſtatim & admirationem, & triſtitiam deponũt; libertate conſequuta. Ergo *pertranſibunt,* id eſt, non hęrebunt in ſubito illo, & triſtiſsimo ẽvẽtu; nihil morabuntur, neque lugendum cẽſebunt Regis improbi mortem: nos diceremus, *Paßaran por ello: vel, paſſaraſeles, y olvidaranſe.* Quam proprietatem videtur habere hoc verbum Ierem. 2. 20. *A ſæculo cõfregiſti jugum, rupiſti vincula mea, & dixiſti, Non ſerviam.* quod alii deducentes vocem non a *Ghabad,* quod eſt *ſervire*; ſed a *Ghabar,* quod eſt *tranſire,* legunt, *Dixiſti, Non tranſibunt:* vel, *Non tranſibo. No paſſare por ello.* vel, *no a de paſſar aſsi.* quaſi dicat; Non ita fiet. Sic etiam Proverb. 19. 11. * *Gloria viri eſt iniqua prætergredi:* ab eadem radice, præterire, id eſt, contemnere, diſsimulare, oblivviſci injurias, neque difficilẽ, aut mirabundum, vel iracundum hærere in illatis contumeliis. Ita igitur in hoc loco,

D. Thom.

Pertranſire de oblivione, & contemptu.

עבד
עבר

* El hõbre de honra a de ſaber paſſar por coſas, y diſsimular agravios.

populi, qui ex nutu Tyranni pēdebant, illo jam sublato repentino casu, primum mirabundi *stupebunt*; paulo post contemnent, obliviscentur. quod quidem ad Tyranni supplicium, & ad Divinæ justitiæ, atq; potestatis amplificationem pertinet. Sed hoc quamvis argutum, non videtur omnino solidum.

5 Germanus explicatus. Pertransire de; Ministris Divinæ Iustitiæ. סור

Illud tamen videtur optimum, atq; simplicissimum, ut verbum *pertranseundi* atq; *auferendi*, referatur ad Divinę Iustitiæ ministros, & supplicii impiorum executores; sive ad hostes, quibus Deus utitur ad inferendum improbis supplicium; sive ad Angelos, quibus Tyrannorum interitus, & pęna frequenter demandatur. Sic Exod. 12. 12. *Transibo per terrā Aegypti nocte illa percutiamque omne primogenitum in terra Aegypti, &c.* & infra. 23. *Transibit percutiens Aegyptios.* Est enim ille habitus victoris depopulantis, & obvia quæque prosternentis, nemine retardante, vel resistēte. Vide, quę diximus cap. 15. vers. 19. Hostes ergo aut Angeli missi a supremo judice *auferent*, nō solum de medio tollent; sed removebunt, & dejicent de sua sede, & loco, præcipitabuntque violento impetu: *violentum*, vim vi quasi repellentes; & sęvitiā atque in humanitatē Divina severitate cōprimentes. Affert autē, *violenti*, nomē nescio quid Tyrannicum, & ferocitatem quandā taurinā.

Violentus quis. אביר

6 Oserius. Tyg.

Absque manu. Alii existimāt Hebraismo significari, facile, nullo negotio, absque labore ullo Tyranni statū labefactādum, & Divinæ Iustitiæ impetu prosternēdū. Sed nunquam invenio ejusmodi phrasim in Sacro sermone, potius id, quod *ad manum est*, facile, & in promptu est, ut 1. Reg. 21. *Si habes hic ad manum hastam, vel gladium.* & Esdræ, 7. *Secundum Sapientiā Dei tui, quæ est in manu tua.* id est, quæ abunde tibi suppetit, & qua facile uti poteris. Vatabl. *Amovebūt fortem non manu, id est, non potentia quia sæpe a famulis interficiuntur Tyranni.* Eo etiam respexit D. Thom. intelligens *absque manu armatorum*; sed insidiis. Idem fere Latini. Gregor. nulla humana industria, neq; hominū ministerio, sed cælitus, invisibiliter, *Absque manu*, inquit, *auferent, quia subito exitu urgente invisibiliter rapitur, qui visibiliter rapiebat: vidit ipse, quos rapuit: sed quis illū in morte rapiat, non videt.* Frequenter *manus* pro ministerio. Sed frequentissimū est ut *manus* pro ope, & auxilio, robore, viribus; Qui quondam vim afferebat infirmioribus, ad summam imbecillitatem redacto nemo suppetias feret. *Cum dormierit* enim neque aliorum manibus sustineri poterit, sed neq; ipse *inveniet manus suas.* Breviter, & elegāter Philippus, *Absque manu*, id est, *præsidio erit.* Hucforte spectat, quod nuper ex Septuag. adducebamus; *Vana eis evadēt clamasse, & orare virum, abusi sunt enim iniquè exhonoratis infirmis.* August. *Cum excluduntur infirmi.* Exponit deinde; *In eo male usi sunt, quia spiritū sequi maluerūt, Deū ista non curare. ex hoc enim illis male veniet, ut in necessitatibus suis clament, & rogent hominem, cum Deū rogare debuerint.* Sed aliter Nicetas, *Abusi sunt potestate, propterea quod humanæ gratiæ causa, imbecillos, & pauperes suo jure prohibuerunt.*

Phrasis Hebraica. Vatablus. D. Thom. Gregorius. Manus pro ministerio, aut pro viribus. Psal. 75. 6. Philipp. LXX. Augustin. Nicetas.

XXI. Oculi enim ejus super vias hominum, & omnes gressus eorum considerat.

XXII. Non sunt tenebræ: & nō est umbra mortis, ut abscondantur ibi, qui operantur iniquitatem.

1. *Divinæ æquitatis amplificatio ex illius oculis perspicacissimis.*
2. *Supremus judex dispiciens, & dijudicans minutissima, & occultissima quæque. Explicatus Daniel.*
3. Dei verbum, *pro illius sententia in judicio. Cur dicatur procedere ex ore illius* gladius biceps.
4. Operari iniquitatē *trāslatū ab agricolatione.*

ALII Censent statuere nunc Eliu rationem aliam pro confirmanda Divina justitia, & æquitate, petitam ex Divina cognitione; Omnia ille videt; ergo juste omnia judicat. Sed hęc ratio adversus proterv um, qui Divinam ęquitatē negaret, nō habet multum virium. Respondere enim posset, Deum videre quidē, sed connivere sceleribus impiorum; neque valde juvare proborum hominū pietatem, aut præmiū. Ergo non est nova ratio, sed simplex Divinæ justitiæ amplificatio. Omnia *videt*, omnia contēplatur, nemo post vitare Dei cōspectum. Septuag. *Ipse inspector est operum hominū*, nihil ille contēnit, quod non examinet severissime, non solum publica scelera sed etiam, quæ nemo præter illum videt, occultissima quæque, hominum videlicet studia, & minutissimas quasque cogitationes, atque universas viæ instituendæ rationes. Vide, quæ supra diximus cap. 31. 4. & cap. 24. 23. & cap. 23. 10.

I Divinæ Iustitię amplificatio. LXX.

Cohæret deinde quod sequitur de *Tenebris*, vel, locis obscurissimis, & *umbra mortis*, loco videlicet secreto ab omni humano cōspectu, subterraneo, & impervio lumi-

2 Supremus Iudex vocās ad examē omnia occulta.

LXX ni viventium. Septuag. *Neque erit locus, ubi latitent, qui faciant iniqua.* nihil igitur eſt tã occultum, quod æquiſsimus judex non revocet ad examen ſui judicii. Diximus non ſemel *De umbra mortis.* Nunc autem Greg. argute, ſed non omnino ſimpliciter, per *tenebras*, ignorantiam; per *umbram mortis*, *oblivionem*, quę mortis comes eſt, ſignificari exiſtimat. *Deus (inquit) mala hominum neque cogitata ignorat, nec perpetrat obliviſcitur; idcirco ejus judicio nullus abſconditur.* Et certe quantumvis qui velit in tenebris vivere, tenebrarum filius, non ideo nõ videbitur ab eo, de quo dictum eſt, Danielis 2.22. *Lux cum eo eſt.* Eo reſpexiſſe videtur Paulus, cum Hebr. 4.12. cõparat Dei verbũ cum *gladio ancipiti*; loquitur nimirũ, de verbo illo, quo feret in impios ſententiã; *Cum ſpiritu oris ſui interficiet impios.* Proptere enim *gladi⁹* biceps dicitur *ex ore illius procedere*, quod nõ tãtũ judicaturus ſit publica, externaque improborũ ſcelera, per unam aciem; ſed per alterã etiam interna omnia, & occultiſsima cordis peccata; *Vivus*, inquit, *eſt ſermo Dei (ſermo*, inquã, cõminatorius ad judicium, & ad ſententiam pertinens, *vivus*, accutiſsimus. *Tiene vivos los filos) & penetrabilior omni gladio ancipiti* (profunda enim, & occulta quæque perſcrutatur) *& pertingens uſque ad diviſionem animæ, & ſpiritus, cõpagum quoque ac medullarum, & diſcretor cogitationũ, & intẽtionum cordis.* Vbi elegãter Chryſoſtomus; *Et uſq; penetrabit, & puniens, & examinans, quia, & anima punitur, & interiora examinantur; propterea quod totum omninò hominẽ iſte gladius penetrat.*

Greg.

3 Cur Dei verbum gladius anceps.

Apoc. 19.15.

Dei ſermo judicantis.

Chryſoſt.

De loquutione autem *Operandi iniquitatem*, quæ affert laborem impiorũ, in excolenda ſemente, & terra iniquitatis; vide, quæ diximus ſupra c.2. verſ.8.

Operari iniquitatẽ, de re agricolationis.

XXIII. *Neque enim ultra in hominis poteſtate eſt; ut veniat ad Deum in judicium.*

1. *Varietas lectionis, & interpretationis.*
2. *Tres priores exponendi rationes minus cohærentes.*
3. *Tres aliæ interpretationes probabiliores.*
4. *Germana, & bene cohærens expoſitio. Diligentia & acumen Latini Interpretis.*

1 Varia lectio, & interpretatio.

LXX.

NOnnihil difficultatis eſt de hujus ſententiæ genuino ſenſu inter Hebraizantes. Tum etiam diſsidere videntur Hebræa, & Latina: ſed facile convenient, ſi primam partem expoſuerimus. Septuagin ta juxta Hebræum; *Quoniam non ſuper virum ponet ultra*, Sed quid eſt, *Ponere ſuper virum, ultra*, adhuc, rurſus, amplius? his enim modis verti ſolet ab Inteprete, particula originalis. Ex phraſi autẽ *ponendi ſuper aliquem*, & ex particula, *ultra*, & ex *judicii* nomine, pullulant hujus ſententiæ interpretationes his tres;

שים

עוד

2 Primo, ut *Imponere ſuper aliquem*, ſit imputare vel imponere alicui crimen, *ultra*, id eſt, amplius, quam peccarit, cum *veniet*, id eſt, cum ſiſtitur ad Dei judicium. Ita Iſidorus, & Tygurina legens; *Neque enim impingit cuiquam, quod non fecit, ut cum Deo in jus ambulet.* Similis loquutio Num. 12.11. *Ne imponas nobis hoc peccatum*; in Hebræo; *Ne imponas ſuper nos.* Ergo ſenſus erit; De⁹ quidem juſtiſsimus eſt, ut qui non exigat ab homine graviores pœnas, quam meretur illius peccatum. Sed ſenſus hic non cohæret cum antecedentibus, cum ſermo ſit, non tam de lenitate, quam de ſeveritate, & integritate Divini judicii nihil prætermittentis impune.

Prima expoſitio.

Tygurina. Iſidorus.

Secũdo, ut cohæreat cũ repentina mortę Tyranni, quam Deus judicio ſuo ſtatuerit *non ultra* differre. quaſi dicat; Non poterit homo præoccupatus repentino Dei ſupplicio, *ultra* vivere, neque ex *Dei judicio*, id eſt, decreto firmo, & conſtante aliquid diuturnioris vitæ extorquere ad pœnitendũ. Sic fere videtur interpretari Cajetanus. Sed abutitur hoc loco *judicii* nomine.

Secunda interpretatio.

Cajetan.

Illam particulam, *ultra*, Vatabl. & Steuchus referũt ad tempus futurum, quaſi dicat; Deus non cõmiſit homini futura, ſed ſibi reſervavit, ut ſic poſsit homo *venire* ad Deum *in judiciũ*, id eſt, poſsit eum illo cõtendere, & expoſtulare, an hoc, vel illud fieri expediat. Cum enim homo rerum exitus, & eventus futuros perſpectos non habeat, aliquando dubitare videtur, an ea quæ ante finem ultimum contingunt, expediant, nec ne. Sed neq; iſta interpretatio cohæret, neq; apte interpretatur particulã *ultra*. Sicut nec Græci, qui paulo aliter exponunt. Nicetas; *Hoc quidem tempore bonum, ac malum in noſtra eſt poteſtate: verum in eo, quod conſequitur ævo, ejus rei erit nobis erepta facultas, neque enim rei gerendæ optionem Deus daturus eſt amplius.*

Tertius explicatus. Vatabl. Eugub.

Nicetas.

3 Quarto, ut ſtatuatur firmitas, & integritas Divini judicii, quod neque retractari neque mutari poteſt; ſed ſemel pronunciata ſententia, non eſt in hominis poteſtate, illam rurſus ad *judicium*, id eſt, ad controverſiam, & litem revocare. Placuit hoc D. Thom. & quibuſdã Latinis, neque im-

Quarta expoſitio veroſimilis

D. Thom.

merito. Quare videtur Eliu stultitiæ nota re Iobum qui accepta jam Divina sententia, & supplicio conetur litem suã ad Divini judicii examen revocare.

Quinta interpretatio utilis

Quinto, ut respiciat ad subitam illam Tyrannorum mortẽ; quam Deus sine ulla forensi dilatione, aut mora, improbos afficit, ut *non sit in hominis potestate, ultra*, id est, ulterius rem protrahere, nulla data facultate adhibendi advocatos, aut testimonia refellendi, vel accusationem infirmãdi, aut provocandi ad superius judiciũ. Interpretationes quidem omnes probabiles pariter ac utiles.

4 Sexta expositio parum idonea. *Symmach.* *Nicetas.*

Octavo, Videtur Symmachus, interpretante Niceta, longe diversum sensum expressisse, & cohærentem quidem cum eo, quod proxime præcessit, Divino conspectu. nam cum etiã ex Hebræo legat, *Nõ in homine* situm amplius est, aut, *Nõ supra positum est amplius*: Nicetas existimat respexisse ad *Dei oculũ omnia contuentẽ*, propterea *nullum esse velum obductũ supra res humanas, quod Dei luminibus obstruere possit*. Sed longe aliã videtur esse vis Hebraismi, ut jã dicemus. Ergo illud tandẽ videtur germanum, & simplex, ut *Ponere super aliquem*, significet id, quod in aliquo residet, aut situm est. exẽpla supervacanea, sed tamẽ indicandum unum aut alterũ. Exod. 32.29 *Vt detur vobis benedictio*. Hebraice, *Vt ponat super vos benedictionem*: vel cũ Septuag. *Vt detur super vos benedictio*. id est, ut sit in vobis, permaneatque. Ps. 20.6. *Gloriam, & magnum decorem imposuisti super eum*, qui nunquã illum deserat, sed semper comitetur. Hinc noster Interpres, *Non ponet, & super hominem*, eleganter idẽ esse putavit, quod non esse in illo; quid autẽ est non esse in illo, quã *non esse in illius potestate*? Illud autẽ, quod *non est in potestate hominis*, statim subditur in secunda parte sententiæ, nimirum, *ut veniat ad Deum in judiciũ*. Illud autem, *ultra*, moram quandã, & procrastinationem videtur afferre: integra ergo sententia conficietur hujusmodi; Deus, qui attentissimus inspector est, idemque incorruptissimus judex rerũ humanarum, repẽte ad judicium suũ rapere Tyrannos solet: ille diem nobis judicii dicit; cũ oportebit ante tribunal illius sisti, cum ille volet; nõ enim licebit homini trahere moras, neque postquam accersitus fuerit, poterit procrastinare, aut tergiversari, nam tẽpus reddendæ rationis nõ permittitur optioni, neque voluntati nostræ, *ut veniamus in judicium*, cum voluerimus. Paratos igitur nos semper esse debere, nisi imparati, & inviti rapi ad judicium velimus, ac semper cogitantes, ne nimium securos, atque oblitos judicis sententia opprimat. Vide quã justus judex, quam amator æquitatis, quã nunquam connivens improbis, quam nihil tribuens gratiæ, & dignitati personarum, sed vitæ meritis, & moribus!

LXX.

Illustratio vulgatæ lectionis.

Diligentia Latini Interpretis.

Sententiæ elucidatio, & paraphrasis.

XXIIII. Conteret multos innumerabiles: & stare faciet alios pro eis.

1. *Divinæ Sapientiæ, & Potentiæ opus, Tyrannorum exitium.*
2. *Varia lectio.* Multum *pro magno.* Multiplex, *ad vim, & amplitudinem.*
3. Stare, *de columnis,* Columnæ, *de Principibus. Regna repente translata instar fluminum exarescentium, aut fluctuum maris stagnantium.*

I Itaque Divinæ potestatis, atque Sapiẽtiæ est, Tyrannos potentissimos maleperdere, atque de illorũ improbitate pœnas sumere, quorumdam aliorũ opera, qui prioribus sedibus substituuntur. Sed sive quorumdam ruinæ, sive aliorũ dignitatis causam, & rationẽ, ille pro suo judicis munere, & Sapientia exploratã habet, nobis licet nostra ratione minime cognitam, & pervestigatam.

2 Multitudo pro magnitudine.

Conteret. Affliget, vexabit, male perdet. *Multos*, nõ tã ad ad numerum, & multitudinem, quam ad potentiã, & multitudinẽ opũ, & dignitatis. quod cum quidã minus attẽderent, legerunt *multos, &* (atq; adeo) *innumerabiles*. Sed vera lectio *Multos innumerabiles*. Septuag. *Gloriosa, & Magnifica*, id est, magnos, & Potentes, q.d. Copiosos, multiplices, est enim eadem vox, quæ sup. c. 8. vertitur, *multiplex*, & pertinet ad vim, robur, potentiam.

רוע

Vera lectio.

כבר

חקר

Innumerabiles, id est, Hujus Divinæ justitiæ, & severitatis in improbos, quorũ ille personas non accipit, non unum, aut alterum, sed infinita exẽpla edidit. Sic sane ad numerum retulerunt Septuag. *Quorum non est numerus*. Tygur. *Conterit potentes infinitos*. In Hebræo proprie legitur, *Non investigatio*, vel, *non supputatio*, aut *non inquisitio*. Quod sicut de numero accipi potuit, ita etiam nihil obstabit, ut ad occultũ Dei judicium nobis incognitũ, & inexploratũ referri possit, q.d. Principum interitus, & intereundi causæ in Dei rationario sunt; nos non sumus illorum judices, sed Deus, quẽ minime latent, quæ nos latent; Explorata ille habet corda Regum inscrutabilia & mille sinib⁹, flexionibusq; prava. Fere in hanc sententiã Septuag. *Dñs omnes inspicit, qui comprehendit nõ vestigabilia, & gloriosa, & magnifica*. Quamquã Nicetas in aliam

LXX. *Tygurina.*

Varia lectio.

X

LXX.

Nicetas.

senten-

ſententiam accipiat; *Deus* (inquit) *quæ ma jora ſunt hominum opinione, facit, nihil eorũ ignorans, quæ ab hominibus gerantur.* Quod vero Cajetan. dixit, *Non eſſe hujus rei inveſtigationem*, id eſt, rem clariſsimam, & multis exemplis comprobatã non indigere inveſtigationis labore, cum in promptu ſit; frigidum eſt, & alienum a vehementia, & gravitate orationis Eliu.

Cajetan.

3 *Et ſtare faciet alios.* Alias eriget colũna loco priorum, quæ ſuſtentare poſsint regni pondus, illam enim proprietatem videtur habere verbum *ſtandi*. Neque vero evertit ſemper Deus regnum cum Rege impio, ſed hoc ſublato, populum tyrannide liberum alio benigniori Principe recreat, & tuetur. Aliquando etiam aliquos ex humili fortuna evehit, & horũ opera de Tyrannorum immanitate pœnas ſumit: quos deinde victoriis, & imperio inſoleſcentes ad extremum perdit. Denique vel ad ſuæ juſtitiæ, & poteſtatis documentum *Transfert regna, & conſtituit*, Daniel. 2. 21. & 6. Eccleſ. 10. 8. Sicut enim ſæpe ingentia flumina ſubito alveum mutant, & vel ex naturæ miraculo, vel occultiore alia vi exaruerunt, ita ſæpe regna, & populi tranſlata ſunt, & ſuos Principes deſeruerunt, aliosque amplexi ſunt; ſicut Scriptum eſt, *Fluvios ſcindes terræ*. & iterum, *Flumina ad deſertũ deducens*. Cui perſimile eſt id, quod Philo eleganter ſcripſit lib. *Quod Deus ſit immutabilis*; cum Divina immutabilitate regnorum mutationes comparans. *Nihil* (inquit) *eſt in humanis rebus, ac negotiis præter umbram, auramque leviſsimam ſine mora prætervolantem; eunt enim ultro, citroque tanquã æſtuaria. nam & maris æſtus nunc cum magno impetu, ſonituque accedunt, & lõge lateque per littora diffunduntur undis ſtagnantibus: nunc refluunt retro, magnamque maris partẽ in formam continentis redigunt. Simile quiddã accidit quando fortuna, poſtquã populoſam aliquam gentem inundavit magnis fœlicitatibus, fluxu averſo, ne guttã quidem ſinit reliquã, deletis etiam veſtigiis opulentiæ priſtinæ.*

Stare dictum de columnis. Columnæ de Principibus.

עמד

Habac. 5. Et Nahum 1.

Similia Regna fluminum.

Philo.

Ad ſupremi Regis Dei Majeſtatẽ, & dominationẽ interminatã in univerſas creaturarũ regiones, Reges, Regnaque terræ conſtituentis, dividentis, transferentis evertentis,

DIGRESSIO.

4. *Summa dicendorum.*
5. *Deus* Rex magn*9*. *Illuſtrati David, & Iſaias Myſterium* Hebraicæ *linguæ.*
6. *Divina Potentia contra humanam invocata. Geminatio ejuſdem vocis emphatica. Periphraſis Regiæ poteſtatis. Illuſtratus locus Eſther. Et Salomonis. Terra ſolertiſsime culta a Creatore.*
7. *Deus peculiaris populi* Rex. *Malogranata veſtis Aaronis, cujus ſymbolum. Iunonis Reginæ ſimulacrum. Explicati Moyſes, & Amos. Statuæ Danielis conſideratio.*
8. *Regnorum terræ diſtributor Deus. Diabolus affectator Divinæ poteſtatis. Explicati Daniel, & Matthæus. Illuſtratus Zacharias, & Ioannes. Reges ſervientes Divinæ Providentiæ.*
9. *Reges Dei loco. Dei facies, & manus in Principe. Explicatus Eccleſiaſticus.*
10. *Divina Providẽtia reges conſtituens, & mutans ex Zacharia. Reges ſine radicibus apud Iſaiam.*
11. *Dei dominatio propter Creatoris Potentiam. Ex Iſaia, & Daniele.*
12. *Peccata, quæ Deus Regni, & poteſtatis ſpoliatione punire ſolet.*

SED Quidem cum bona hujus capitis pars, atque hic potiſsimum locus, inſumatur ab Eliu in ſtatuenda, & confirmãda Divina Poteſtate, Providentia, Iuſtitia in Regibus, Regniſq; aut cõſtituendis, & augendis, aut transferendis, & evertendis, ſunt hæc explicatius tradenda, & diſtinguenda. Ea vero, quæ docet Eliu, fere his capitibus continentur. 4

DEVS

1. *Supremus* Rex *univerſorum.*
2. *Conſtituit: & creat, quos vult* Reges: *Diſtribuit, & attribuit quibus vult*, Regna.
3. *Non ideo ille ſe* Regno, *& dominatione abdicat, neq́ abjicit mortaliũ curã, nam Principibus, tanquã* Proregibus, *& adminiſtris utitur qui* illius loco ſedeant.
4. *Iure* Creatoris; *ſumma Sapientia, Providẽtia, Iuſtitia*, Regna *Imperiaque* Mutat, Transfert.
5. *Iure etiam incorruptiſsimi judicis tũ populi, tum ipſorum* Principũ ſcelera punire *ſolet*, Regni amiſſione, *& everſione, ad alienos trãſ*latione.

E T Primo quidẽ veriſsimus non unius tantum Provinciæ, regnive Rex, non unius ſæculi Aeræve unius, ſed cæli terræque Dominator ſempiternus, Deus eſt; cui canit David; *Exaltabo te* (præcelſam poteſtatis tuę ſedem, qua preſides univerſo orbi, celebrabo) *Deus meus Rex* (omniũ Deum atque regem, ſuum nominat ob amorem. Theodoret.) *Et benedicam nomen tuum in ſæculum, & in ſæculum ſæculi.* (quã- 5

Deus univerſorum ſæculorum Rex.

Paraphraſis.

Pſal. 134. 1.

Theodoret.

vis cum David uno tantum ſæculo vivere deberet, at prædicabat ſempiternam omnium ſæculorum dominationẽ ſui Regis) *Magnus Dominus* (eſt enim omnibus numeris perfecta, imo interminata, & immenſa illius dominatio) *&* (ideo) *laudabilis nimis* (non a me tantum, aut ab unius ſæculi hominibus, ſed ab omnibus generationibus, quæ illius imperio parent) *Generatio, & generatio laudabit opera tua, & Potẽtiam tuam pronuntiabunt. Regnum tuum regnum omniũ ſæculorum.* (homines nimirum uno tantũ ſæculo vivere, & regnare poſſunt, quare Regnum unius tantum ſæculi habent; at Dei regnum nullo ſæculo terminatur) Enumerat deinde regias virtutas, quæ in Deo elucent, propter quas digniſsimus ſit ſupremo, ſempiternoque Imperio, *Fortitudinem*, verſicul. 6. *Divitias bonitatis*, verſic. 7. *Miſericordiam, & Patientiam*, verſ. 9. Dictorum, & promiſſorum *Conſtantiã, & Veritatem*, verſ. 13. *Miſerorum Providentiam*, verſ. 14. Lenitatem, & *Manſuetudinẽ*, verſ. 9. *Curam paſcendi*, & neceſſaria ſubminiſtrãdi ſubditis, verſ. 15. 16. *Aures apertas* ad miſerorum *preces*, & clamores, verſ. 18. *Iuſtitiam*, & ſeveritatẽ erga improbos, verſ. 17. *Bonorum præmia*, verſ. 19. 20. Hæc nimirum ſunt neceſſaria Regum optimorum ornamenta. Quæ cũ in Deo ſumma perfectione reperiãtur, eſt profecto *Univerſæ terræ Rex*, ut prædicat Salomon; ſeu *Rex Magnus ſuper omnem terram*, ut iterum canit David: nam qui nutus tantum regionis Rex ſit, is puſillus Rex eſt. at qui univerſarum, is vere *magnus*. Quæ *magnitudo* ex proprietate vocis tum ad molem perfectionis, tũ ad numerũ referri poteſt; veluti ſi dicas, *Multus*, aut *numeroſus Rex*, quod univerſorum Regnorum Dominus ſit. Quo pertinet id Iſai. 9. 7. *Multiplicabitur ejus imperiũ, & pacis non erit finis.* ubi ſimiliter legũt Septuag. *Magnus principatus ejus.* & rem eãdem agnoſcit Cyrill. Oratio. ſua 5. & præterea Hebraizantes in eo Iſai. loco obſervant, illud verbum, *multiplicabitur*, vel, *ad multiplicandũ, Lemarbe*, eſſe plenũ myſterio, quod illud, *Mem*, quod in medio deberet eſſe apertũ, מ, ſit tamẽ clauſum, ם, & finale, ad ſignificandam æternitatẽ Regni, quod neque finem, neque exitum habiturum ſit. Quamquam de hoc myſterio aliter divinare velit Galatin⁹, lib. 4 cap 3. & lib. 7. cap. 13.

Regiæ virtutes.

Homines Reges puſilli, Deus Rex magnus. *Pſal. 46. 2.*

Magnitudo ad numerum.

גדל

Cyril. orat. 5. in Iſai.

לםרבה

6 Hãc autem Divinam, & interminatam poteſtatẽ eleganter invocat Mardochæus in illa ſua oratione Eſther. 13. 2. n. 9. adverſus Artaxerxis, hominis tandem, humanamque omnem poteſtatem. qui cũ paulo ſuperi⁹, aſſeratur *Rex maximus ab India uſque ad Aethiopiã centum viginti Septẽ Provinciarum*: ut dicere ipſe Artaxerxes potuiſſet, *Cum plurimis gentibus imperarem, & univerſum orbẽ meæ ditioni ſubjugaſſem, &c.* At ſic Mardochæus precatur; *Domine, Domine* (geminatio emphaſim habet dominationis ampliſsimæ, veriſsimæ) *Rex Omnipotens* (præcedentis dominationis expoſitio) *in ditione* (poteſtate) *enim* (certe, utique) *tua, cuncta ſunt poſita. Tu feciſti cælum, & terram, & quicquid cæli ambitu continetur* (proprie ex Græco. *Et omne mirabile ſub cælo.* Vides hic aſtrui Divinam dominationem univerſorum, titulo, & jure Creationis, ut poſtea explicabitur.) *Dominus omniũ es, nec eſt, qui reſiſtat majeſtati tuæ.* (Hæc denique eſt ultima Regni, Regiſque circũloquutio, & deſcriptio, ut nemo illi reſiſtere valeat. 3. Eſdr. 4. 3. & ſup. Daniel. 5. 19. Eccleſ. 8. 5.) *Ac ne quiſquam Iudæorum ſuſpicaretur* (ut Theodoret. ait) *Deum ipſorũ ſoli Paleſthinæ dominari, & ipſorum tantũmodo curam gerere, cum ipſorum dumtaxat Deus eſſe exiſtimaretur, merito docet David Pſal. 23 Eum toti terrarum orbi imperare, non violenter arrepta poteſtate; ſed jure dominatur, qui orbem conſtruxit.* Quare ait; *Domini eſt terra.* Quod ſi illius eſt, qualẽ putas fore, ut exiſtat, inculta ne, & ſpinis horrida? Mimine ſane: nam non ille, ſicut piger, paritẽrque ſtultus vineæ Dominus, de quo Scriptum eſt; *Per agrum hominis pigri tranſivi, & per vineam viri ſtulti: & ecce totum repleverant urticæ, & operuerant ſuperficiem ejus ſpinæ, & maceria lapidum deſtructa erat.* Erat nimirum agri, & fundi illius Dominus piger, & ſtultus. at *Dominus terræ*, eſt ſuarum creaturarum diligentiſſimus, pariterque ſapientiſsimus adminiſtrator: cujus cum *ſit terra*, oportet eſſe pulcherrimam, ac bonis omnibus ornatiſsimã. Ex quo efficitur, ut Dei quoq; ſit omnis *plenitudo ejus*. id eſt, quicquid cõtinet, & quicquid illius amplitudinem implet. nam id in jure, & in ratione poſitum eſt, ut quod in tuo agro conſitũ eſt, continuo tuũ ſit: & quod in alieno ſolo ædificatum eſt, nõ tuũ. Quid igitur eſſe in terra poterit, quod ampliſsima Dei dominatione nõ contineatur? præſertim cũ ipſe Deus, *terram plantet, riget*, & *incrementum det.* Propterea enim illi affudit aquę humorem, *nã ipſe ſuper* (juxta) *maria fundavit eam: & ſuper flumina præparavit eum.* Tum deinde homines *univerſi, qui habitant in ea*: ſunt enim *terrigenæ*, ædificati ex terra; & velut arbores in eadem conſitæ.

Invocatio Divinæ Poteſtatis contra humanam.

Illuſtratur Mardochęi oratio.

Regis, & Regni periphraſis

Theodoret.

Terra ſolerter a Deo Creatore culta.

Prov. 24. 30.

L. 7. de acquirendo rerũ dominio

1. Cor. 3. 6. 7.

Quare, quod ſe vellet potius unius tan- 7

Curſe vellet Deus cognominari Deum, & Regem Iudæorum.

Pſal.46.7.

rum populi, quam gentium univerſarũ Regem cognominari, & celebrari cum *jubilo & plauſu*, incredibilis benignitatis, & charitatis erat erga ſuum populũ, *Pſallite* (inquit, David) *Deo noſtro, pſallite: pſallite Regi noſtro, pſallite: quoniã Rex omnis terræ, Deus.* Deus, & Rex univerſorum: tamen pro ſua erga nos charitate *noſter*, id eſt, unius populi, & Deus, & Rex dici gaudet. Quare, & ſuam ſimul Potentiam, atque begninitatẽ tuetur Deus, Amos. 3.2. *Tantũmodo vos cognovi ex omnibus cognationibus terræ.* id eſt, prę vobis reliquas meę ditionis trib⁹, & nationes contẽno, ita ut licet non poſsim nõ omnibus creaturis pręſentiſsimus adeſſe, at vos familiares meos eſſe volo, quibus regia, & paterna cura provideam. ita ut aliis quaſi Prorregib⁹, & adminiſtratoribus cætera mundi regna cõmittam; & *populũ peculiarem* non niſi per memet ipſum regã, & gubernem. Sic Devt. 32. *Quando dividebat altiſsimus gentes* (gentium omniũ regna & provincias, ut qui univerſorũ rex eſſet) *Quando ſeparabat* (cogebat in diverſas patrias, & colonias) *filios Adam, cõſtituit terminos populorum juxta numerũ filiorũ Iſrael* (ita regna tunc ſeptem illis populis attribuit, & ſuam cuique terræ, & regionis planiciem, quę poſtea opportuna cederet uſibus, & habitationi filiorum Iſrael.) *Pars autem* (enim, certe, id eſt, quoniã licet rex ſit univerſorum, at certe unius tantũ rex eſſe vult, qui dicatur *pars*, peculiaris) *Domini populus ejus.* Ideo videas Summum Sacerdotẽ, qui ipſius potentiſsimi Dei figurã repræſentabat, veſtibus diverſicoloribus amictum, quæ omniũ quatuor elementorũ naturas, & colores referrent, tũ corymbus veſtis Hiacynthinæ ornabatur *malogranatis*, & quidẽ *plurimis*, ut ait Eccleſiaſticus. & nominatim erant *Septuaginta duo*, ut tradiderũt Hieronymus, & Iſidorus. quę quid aliud ſignificant, quam Septuaginta duas linguas in diverſas provintias, & regna diviſas. Nã *Malogranatũ*, ſicut multorũ granorũ ſub una corona collectio eſt, ſic ſane multorum civiũ atque populorum ſub uno Rege, regnũ eſt. & ſicut folliculis quibuſdam, & loculis fragmina dividũtur, ita ſuis ſedibus, & collectionibus diverſi populi, & urbes ſub uno Rege. Vbi obſerva multo eſſe elegantiorem hanc ampliſsimi imperii Divini imaginẽ, quam eam, quam finxit antiquitas, conſtituens Iunonẽ Reginã cum Regio diademate, dextra tenẽtem ſceptrũ, ſiniſtra vero malum punicũ; ut Divinæ majeſtatis, & amplitudinis dignitatem Regiã ſignificaret. nam nõ in manu, ſed ad pedes in lacinia, & limbo veſtis

Deus ad aliorum Regnorũ regimen, quaſi Proregibus utens.

Summi Sacerdotis veſtes, & malogranata cujus ſymbolum.

Malogranata Aaronis 72.

Iſidorus lib. 1. Ethym. c. 21. Hieronym.

Malogranatũ ſymbolum Regni aut Reip.

Iunonis Reginæ ſimulachrũ

Multo elegãtior Sacra figura Profanis ſymbolis.

plurima mala punica, id eſt, univerſa regna habere ſibi ſubjecta ſuper terrã, aptius per Sacerdotis figuram repręſentatur. De illa vero Iunonis Reginæ imagine, ſic ſcribit Pauſanias in Corinth. lib. 2. *Deæ ſignum in ſolio ſedet eximia magnitudine, auro, & ebore fabricatum Polycleti opus, corona capiti impoſita. Dea manu altera punicum malũ, altera vero ſceptrum tenet*, Subjicit deinde, *Quæ de malo puinico arcanis conſignata ſunt ſacris, ſilentio prætereo*. Veſtitur igitur Deus univerſis regnis, quamquam Iſraeliticum optimo loco geſtetur, videlicet humeris, & pectore: reliqua ad pedes ſubjiciantur.

Pauſanias.

Deus quaſi veſtitus Regnis univerſis.

Vbi obſervandum, aliquando quidẽ viſam eſſe hominis *Statuam* compoſitã *ex auro, argento, ferro, & ære*, id eſt, ex quatuor imperiis Chaldæo, Medo, & Perſa, Gręco, Romano, ſed ita tamen ex his omnibus cõflata erat *Statua*, ut nunquã ſimul unus Imperator univerſa imperia adeptus fuerit. propterea enim erat *Statua* illa, non vera, ſed tantũ imaginaria: At Deus vere dominator eſt univerſorũ Regnorum, quã ampliſsimam dominationẽ *tintinnabula* intermiſta *malogranatis* prædicant, & reſonãt: nam quę natio tam barbara Divinam majeſtatem, & potentiã non agnoſcit, & prædicat? Ideo David, ad *tintinnabulorum* ſonitum invitat, Pſ. 67.33. *Regna terræ cantate Deo, pſallite Domino*. Denique is eſt, qui *in capite habet diademata multa*, Apoc. 19.12.

Humana Imperia in uno Monarcha nõ coaleſcẽtia.

Statuæ Danielis conſideratio.

8

Hinc dividit ſupremus dominator Regna, quibus vult, vt veriſsima ſit illa Divinæ Sapientiæ vox, Proverb. 18.15. *Per me Reges regnant*. uti dicebat Moyſes, *Quando dividebat altiſsimus gentes, quando ſeparabat filios Adam; conſtituit terminos populorũ*. & Daniel; *Dominatur excelſus ſuper regnũ hominum; & cuicumque voluerit, dat illud*. Et ipſe Nabuchonoſor poſt reſipiſcentiã, *Poteſtas ejus poteſtas ſempiterna; & regnum ejus in generatione, & generatione. Iuxta voluntatem enim ſuam facit tã in virtutibus cæli, quã in habitatoribus terræ*. Res quidem etiam ſapiẽtibus omnibus indubitata, Homerus ſuo illo Hymmo in Muſas, & Apollinem;

Daniel. 4. 14.

Ex Muſis (inquit) *& procul mittente Apolline*
Viri Poetæ ſunt in terra, & Citharædi.
Ex autem Iove Reges.

Homerus.

In quam rẽ elegans eſt imprimis illud Plinii ſecundi in Panegyrico ad Trajanum; *Quod praſtabilius eſt, aut pulchrius deorum, quã caſtus, & ſanctus, & Dis ſimillimus Princeps? Ac ſi adhuc dubium fuiſſet forte, caſuque rectores terris an aliquo numine darẽtur: Principem tamen noſtrum liqueret divinitus conſtitutum. Non enim occulta poteſtate fatorũ, ſed*

Plinius.

ab Iove ipſo coram, ac palam repertus, electus eſt. Atque huc pertinere videtur, quod Baruc. 6. 65. ait de Idolis; *Neque Regibus maledicēt, neque benedicent.* Id enim ſolius Dei eſt. Quare illis verbis *Tentator* Divinitatem filii Dei affectaſſe viſus eſt, cum Matth. 4. 8. *Oſtendit Chriſto omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei; Hæc omnia tibi dabo.* & addidit Luc. 4. 6. *Quia mihi tradita ſunt, & cui volo, do illa.* Hinc Reges deponunt *coronas ſuas*, acceptas, referentes *Regi Regum, Agno*, apud Ioannem; & apud Zachariam dicuntur, *Quatuor quadrigæ velociſsimæ*, velut *quatuor venti*, qui deſignabant quatuor imperia, *ſtare coram dominatore univerſæ terræ.* Reges enim ille conſtituit, qui illius Providentia atque imperio ſerviant; quod eſt *adſtare coram illo.*

Apoc. 2. 10.

Zachar. 6. 1.

9

Deinde vero ita Deus cōſtituit Reges, ut Dei loco ſint, atque ipſæ ſedes, regna Dei potius eſſe dicantur, quam ipſorū Regum. Hinc ſane dicūtur Reges *ſedere in ſolio ipſius Dei*; 1. Paralipo. 24. 23. *Sedit Salomō ſuper ſolium Domini in Regem pro David Patre ſuo.* non ſolum quod Solium, & regnum David fuiſſet à Deo conſtitutum potius, quam Saul, ut alii interpretantur, & ut indicat lectio Septuaginta, *Sedit Salomō ſuper Thronum David Patris ſui*; ſed quod cujuſcumq; Regni ſedes, & Thronus, Dei proprius ſit, nō niſi commodato datus, & creditus homini. Sicut etiam 2. Paralip. 29. 6. Iudicibus civitatum dicitur, *Videte, quid faciatis; non enim hominis exercetis iudicium, ſed Domini.* & Devteron. 1. 17. *Quod juſtum eſt, judicate; quia Dei judicium eſt.* Significavit hoc Eccleſiaſticus 10. 5. *In manu Dei poteſtas hominis, & ſuper faciem ſcribæ imponet honorem ſuum.* non ſolum, inquit, quod Paulus Rom. 13. 1. *Nō eſt poteſtas niſi à Deo*; ſed quod *manus*, quæ geſtat ſceptum regni, & virgam judiciariā, videatur eſſe *Manus ipſius Dei*, potius quam manus hominis, propterea excipienda Regis mādata, quaſi ex manu Dei. Tū etiam quod honor ille, & ſplendor, qui in facie Regis, & Iudicis relucet, videatur eſſe aliquid Divinum, & quaſi facies ipſius Dei. Et quid mirū, ſceptrum ipſum Regis geſtari manu Dei, cum etiam *ipſum cor Regis ſit in manu Dei, & quocumque voluerit, flectat illud.* Itaq; cordis conſilia, quæ in corde Regis conflantur, & excogitantur, Dei etiam ſunt, & illius Providentiæ, atque Sapientiæ effecta.

Solium, & regnum.

LXX.

Sedes Regni Dei propria cōmodata hominibus

Manus Iudicis, & Regis quaſi Dei manus.

Prov. 21. 1.

10

Neque ſolum Deus conſtituit Reges, & Regna, ſed ex cōſtituto ſuæ Sapientiæ, & Providentiæ, aufert, mutat, transfert poteſtates. Sic apud Danielem *Numerat* tempus cujuſq; monarchiæ, & vitæ cujuſcūq; Regis; *Appendit* ſuæ Sapientiæ, & æquitatis pondere, quid in Rege, & Regno facto opus ſit; *Dividit* tandem, & quod ab uno aufert, alteri confert. Rem hanc graviter Cyprianus explicuit, cum ad *ſortem*, nō ad meritum, id eſt, ad Divinam Providentiā nobis occultam, Regna, & regnandi tēpus refert, Orat. de Idolorum vanitate; *Regna non merito accidunt, ſed ſorte variantur: & acceptum tempus certo fine cuſtodiunt.* In quā etiam rem Auguſt. 4. de Civit. c. 23. utitur illo Num. 14. 9. Cū Ioſue, & Caleb erigunt Iſraelitas degeneres in ſpem occupādi aliena Imperia; *Receſſit* (inquiūt) *ab eis omne præſidium.* Vbi Septuaginta legūt; *Abſceſſit tempus ab eis:* Auguſtinus vero; *Abſceſſit tempus ab eis regnandi atque florēdi. Dominus nobiſcum eſt*, qui utique regnandi tēpus definit, & numerat. Hinc cum Zachariæ Vati oſtenduntur diverſa imperia, diverſæque nationes, quæ aliena regna invaſura eſſent, videt *quadrigas egrediētes de medio duorum montium, & mōtes, montes æri.* cum etiam irent, & *diſcurrerēt per omnem terram*, ut ſibi cuncta ſubjicerent; at primum erāt intra duos mōtes, quaſi carceribus incluſæ & detētæ, donec *emitterentur ad diſcurrendum.* Cum autem alii aliter interpretentur *Montes* illos duos *æreos*; certe nunc videntur eſſe Dei *Potentia* ſuprema, atque ſeveriſsima *Iuſtitia*: His enim duobus terminis univerſa humana potētia atque Regnorū & Imperiorum diſpoſitio cōtinetur. Sunt vero *ærei*, eo quod ſuperiores, & fortiores ſunt omni humana induſtria, atq; potētia. Sic ſane apud Iſaiam Prophetam celebratur hęc Divina Potentia in evertendis, & evellendis firmiſsimis, atque ampliſsimis Imperiis, c. 40. 22. *Qui ſedet* (velut Rex ſupremus; *Sedere* enim Principis eſt; Scriptū eſt enim, *Sedebit Dominus Rex in æternū*) *ſuper girum terræ*, (deinde ad Regulos terrę deſcendit) *Qui dat ſecretorum ſcrutatores.* (Septuagin. *Principes.* Sed ex proprietate vocis, ſunt ii qui Regibus aſsiſtunt, quāvis enim ſint. Sed tamen in comparatione ad Deum, dicuntur ipſi Reges *aſsiſtere*, & *ſtare coram rege* Deo, potius quā eſſe Reges) *quaſi non ſint* (Septuag. *Quaſi nihil præeſſe.* id eſt; Qui Reges de medio tollit.) *Iudices terræ velut inane fecit. Et quidē neq; plantatus neque ſatus, neq; radicatus in terra truncus eorū, repente flavit in eos, & aruerunt, & turbo, quaſi ſtipulam, auferet eos.* Vbi vides Reges quāvis ampliſsimos, & potētiſsimos cōparari cum arbore, cujus truncus radices nō egerit, neque profunde ſit in terrā immerſus, quare & facile evelli, nullis manentibus

Deus mutans Reges, & Regna.

Daniel. 5. 27.

Cyprian.

Auguſtin.

LXX.

Quadrigarū & montium æreorum apud Zachar. conſideratio.

Zachar. 6. 1.

Potētia, & Sapientia Divina continens univerſa imperia.

Pſal. 28. 10.

Reges aſsiſtere corā Deo.

Regnum ſine radicibus arbor cur dicatur.

bus radicibus, neque fibris,& facile etiam exareſcere poſsit, cum tamen in aliis locis comparetur Regnum cum arbore *firma radice*. Sed ita evertitur, & convellitur a Deo, ut neque *locus inveniatur*, ubi ſata, plantatave fuerit. Denique Regnum, & ſceptrum, *quaſi ſtipula rapitur*, & transfertur a loco in locum, & a Regno in Regnũ impetu Divini ſpiritus, & juſtitiæ atque providẽtiæ.

Creator pro ſua potentia Regna transferens.

Tandẽ claudit hanc rẽ Iſaias ducto argumento ex potentia Creatoris: *Qui extendit velut nihil, cælos, &c.* & deinde. *Levate in cælum oculos veſtros, & videte, quis creavit hæc.* Quaſi dicat; Ipſa Creatoris potentia arguit, Regnorum diſpoſitiones penes ipſum eſſe.

11

Quo argumẽto uſus eſt Daniel.c. 5. 23. adverſus impium Balthaſarem; *Deum, qui habet flatum tuũ in manu ſua, nõ glorificaſti.* Quare opportune dixiſſe videtur Irinæus lib.5.c.24.

Irinæus.

Quod eſt *de terrenis Regnis, quatenus a Deo, non autem a Diabolo conſtituũtur*, ad hanc ipſam Creatoris potentiam aſpiciens; *Cujus juſſu homines naſcuntur, hujus juſſu & Reges conſtituũtur, apti his, qui in illo tempore ab ipſis regnãtur.*

Philo.

Deus immutabilis mutans Regna.

Denique eleganter Philo. lib. de Divina immutabilitate; *Totus orbis habitabilis more navis ſurſum deque jactatæ alternis fluctibus, nunc ſecundis ventis, nunc adverſis utitur. Nam verbum Divinum choreas in orbem ducit, quod vulgus hominum fortunã nominat. Et cum perpetuo feratur per civitates, gentes, regioneſque, res aliorum aliis omnium omnibus tribuit, ſubinde variantibus apud ſingulos temporibus, ut totus terrarum orbis tanquam una civitas optimo Reipublicæ genere adminiſtretur populari regimine.* Adeundus omnino Irinæus loco citato, Origẽ. hom. 4. in lib. Iudic. Ambro. lib. de Naboth. & ſuper.c.13. ad Rom. Auguſtin.4. de Civitate c.33.& lib.5.c.1.11.19.21.

Irinæus. *Origines.* *Ambroſ.* *Auguſt.*

12

Cur Deus trãſferat Regna.

Regum ipſorum ſcelera, propter quæ Deus aufert Regna.

Tandẽ veriſsima cauſa, cur Deus *tranſferat Regna*, vel ipſorum Regum, vel populi peccata fuerunt. *Populi peccata* inferius indicãtur verſ.30. & in Scriptura paſsim, præſertim *Idololatria*. Ipſorum autem Regum, & Principũ ſcelera ſuperius hoc.c. verſ.18.19.20.& inferius verſic.25.26.27.28. vide etiam ſupra.cap. 12. verſic. 17. & 18.21. Et quidem res hæc clare docetur ab Eccleſiaſtico.c.10.8. *Regnum a gente in gẽtem transfertur, propter injuſtitias, & injurias, & contumelias, & diverſos dolos.* quæ eſt prima cauſa perpendi Regni, *Violentia, & Tyrannis* erga pauperes. Secũda, *Superbia*, erga Deum. ut in eodem capite oſtenditur, quod totum eſt de ſtabilitate, aut interitu Regnorum, & de inſtituendo Rege. verſ.7.10. 16. *Propterea exhonoravit Deus* (auferens Regẽ, & dignitatẽ Regiã) *conventus malorum, & deſtruxit eos uſque in finem.* Et verſ. 17. 18. 21. &.c.16.8.9.10. Ierem.48.41.&.c.50.24. Nahum.2.23. *Imprudẽtia*, Eccle.10.3.& e cõtrario, *Principatus ſenſati erit ſtabilis*. Ibid. 1. *Avaritia*, Eccleſ.10.9. Ierem. 22.12.13. 17. Omnis *iniquitas* in genere. Eccle.10.4.24. Iſai.24.1.19. Amos.9.8. *Timore Domini* ſtabilitur, Eccleſi.10.28.25. *Inobedientia.* 1. Reg. 13.13.&.15.22. *Inhumanitas*, & crudelitas Ierem.22.3.17.&.c.9.4 5.4. Re.21.16. Hoſ. 7.39. Nahũ.2.11.12. *Clementia* vero *roboratur Thronus*. Prover. 20. 28. *Perſonarum acceptio*, præſertim *Cõtemptus pauperũ*, Eccle.10.26. Iere.21.12.&.c.22.16. Iſa.33.1.

Dan 4.19.31. &.c.5.20.23.

Ergo cum Reges ſancti ſunt, atque Regiis virtutibus præditi, tunc ſane Reſpublica exiſtimet *maximũ quoddam, atque Divinum donum* a Deo ſupremo Regnorum moderatore, atque Regũ Creatore ſuſcẽpiſſe, ut Plutarch. dixit. Ad eos vero, qui Regnorũ, Rerumque publicarũ gubernacula tenent, dictum eſt; *Et nunc, Reges, intelligite: erudimini, qui judicatis terram: ſervite Dño in timore; ne quando iraſcatur Dominus.* Qui conſtituit, aufertq; Regna, & Reges ducit *inglorios*, & *ſtare facit alios pro eis.* Quippe novit, & judicat Regum opera, ut ſequitur.

Plutar. in Nu.

Pſ.2.10.11.12.

XXV. Novit enim opera eorũ: & ideo inducet noctẽ, & conterentur.

1. *Sententia paraphraſis.*
2. *Noſſe dicitur Deus, cum facit nos cognoſcere. Manifeſtat a ſcelera occulta ſupplicio publico.*
3. *Varia lectio.* Inducere, vertere, convertere, *in ſacro ſermone quid.*
4. Conteri, *quid. ingens ſupplicium, humiliari ab iis, quos quis oppreſſerat.*

NOn qđ male velit hominibus Deus, non quod oſtentare velit potentiã, non quod Tyrannidẽ exerceat; ſed quod juſtus ſit, & humanorũ ſcelerũ cognitor, judex, vindex, tam ingentia edit in Tyrãnos ſupplicia: Ex quibus mortales intelligant, & illũ proſpicere, atq; curare quæ in terris agũtur; & eorũ fuiſſe nefaria ſtudia, quæ ipſe ſupplicio graviſsimo afficit, atque traducit. 1

2

Novit. Proprie, noſſe facit. Caje. & Vata. *faciet Deus, ut homines cognoſcant opera ſua*, tẽpore videlicet pœnitẽdi eis cõceſſo. Sed nihil coherẽs, neq; propriũ video in hac interpetatione. Illa prona; Novit Deᵘ nefaria impiorũ ſtudia; & manifeſto in illos edito ſupplicio univerſis mortalibᵘ manifeſtat, ſpectãdaq; proponit, atq; tunc tandẽ, cũ obruit improbos miſerandis tenebris,

Cajetan. *Vatablus.*

turpissimam illorum vitam, quæ diu latuerat, in lucem profert.

Varia lectio. שוב

Id circo, propter nefaria illorum opera. Sed in Hebræo, & Græco simplex copula, *Et inducet noctem*; in Hebræo, *Convertet*

LXX. Pagnin. Tygur.

Septuaginta, *Evertet*; sed prorsus convertēdi significatione. Pagnin. & Tygurin. lectionem Hebræam, quę valde angusta est, *convertet*, aut, *vertet noctem*; sic complent: *Convertent diem in noctem.*

Nicetas.

Nicet. *Illorū splēdorem, & fælicitatem in noctem, mæroremque convertit. Tenebrarum, & lucis* translationes sæpe a nobis in hoc opere explicatæ.

Vatabl. Cajet.

At Vatablus, & Cajetanus contrario sensu existimant significari tempus illud abeuntium jam tenebrarum, *Vertente nocte*. Cajetan. *Volvet noctem*. Vatab. *Vertet sese nox*. Id est, *exacta nocte contterentur*. q. d. Cū vivebat impius, illius splendore obcæcati miseri homines, tum ipsi in mediis ignorātiæ tenebris non perspiciebant verum justitiæ & veritatis lumen; at evanescentibus tenebris, & vertente nocte, quam Deus suo judicio, & sententia disiiciet, apparebit tandem, quam nefarii fuerint illorum conatus, & quanto supplicio digni. Sic profecto, *Dies Domini manifestat*

1 Cor 4. 5.

consilia cordium, & illuminat abscondita tenebrarum, videlicet pronuntiata sententia, & inflicto supplicio: idemque dies faciet cunctos cognoscere, quæ latebant. Vtrumque eodem recidit; sed ille prior intellectus Vulgati simplicior est, & ad proprietatem verbi *vertendi*, aut *cōvertendi* magis exactus.

4 LXX. Augustin. דכא

4 *Et conterentur*, confringentur. Septuaginta, *humiliabuntur*. quo etiam modo verbum originale solet verti a Vulgato. Augustinus legisse etiā in textu videtur; *Humiliabūtur, ut supra eos sit, quod sub ipsis erat.* Addit deinde, *Id est, premat eos, quod subditum illis erat.* q. d. humiliabuntur a suis subditis, & popularibus. Illud enim gravissimum est superborum hominū suppliciū, ab iis contemni, & opprimi, quos injuriis, & contumeliis oppresserant; sicut scriptū est; *Væ qui prædaris. Nonne & ipse prædaberis? & qui spernis, nonne & ipse sperneris.*

Isai 33. 1.

XXVI. *Quasi impios percussit eos in loco videntium.*

1. *Particula* Quasi, *veram causam denotans. Illius ex Hebræo proprietas, & significatorum analogia.*
2. Percutere, *quid proprie. Manuum complosio. Varia lectio.*
3. *Impiorū publica supplicia, ad exemplum. Jerusalē in medio terræ habitabilis, Illustratus Ezechiel.*
4. *Impiorum lux obtenebrata. Speculatores, & Principes cæci.* Locus videntium, *quis.*

SEd ne quis Divinæ justitiæ vim enervare contendat, dicendo, Deum nō tam studio æquitatis, & odio iniquitatis, quā 1

Eliu occurrēs taciæ objectioni.

alio quovis affectu incitatū evertisse tyrānos: sola, inquit Eliu, impietatis causa accersitos damnabit, *quasi impios*. Dixi aliquando particulam, *quasi*, nō solam similitudinem, veritatem nonumquam afferre.

Particula, quasi.

Quamvis Gregor. hoc loco scribat; *Nihil differt utrum, quasi, an pro similitudine, an pro veritate sit positum; quia quolibet dicatur ordine, aperte prava malorum vita signatur*. Sed hoc præsertim loco particula originalis *Thabbath*, causalis est. Eleganter Tygur.

Tygurina. תחת Pagninus.

Propterea, quod impii sint. Vel quod cæteri vertunt; *Pro impiis; por ser malos.* Pagninus, & qui cum eo vertunt, *loco impiorum*, sensum pervertunt. Quamvis enim præpositio Latina, *pro*, conjuncta personæ alicui significet locum, vel vicem illius; atq; eandem proprietatem habeat particula originalis, ut diligenter exposuimus c. 2 ver. 4. n. 3. tamen neq; semper quidē, neq; hoc loco significat *vicē*, sed causam; elegāte quidē analogia ad primariā significationē: nā primario significat, *subter*, aut, *deorsum*; & quia quod substituitur pro altero, videtur supponi illius loco, inde significat, loco aut vice alterius. Rursus causa rei videtur esse, quasi fundamentum rei, & subjici, vel supponi ipsi rei, ideo *causam* quoque significat. Deuter. 28. 47. Ierem. 60. 15.

Particula, quasi, causalis.

Percussit, complosit, strinxit manibus, 2

Cajeta. ספק

pulsavit, allisit. Cajetan. *Applausus eorum*. Id est, videndum, spectādum cum plausu, & acclamatione, & stupore omnibus proposuit. Vox eadem, quæ infexius vers. 37. vertitur, *constringi*. Et c. 27: 23. *stringere manus*. Affert enim verbū originale, illā manuū collisionem, quæ vel admirando & *stupendo* fit, Ierem. 31. 19. vel videndo, & *subsannādo*, Thrē. 2. 15. vel *dolēdo*, Iere. 48. 26. vel *irascendo*, & indignādo. Nu. 24. 10. Forte etiā illam, quæ *percussione* fit, dando palmas in faciē alicujus; qđ extremæ ignominiæ est. In universum autē videtur vellicare Iobum, quod irrideatur ab aliis tamquam impius, sicut ipse dixit supr. c. 30. 1.

Percutere varie redditum.

Manuum complosio ex vario effectu.

In loco videntium; in cloo videlicet celebri, & in multorū spectatorum frequētia 3 probantiū, & suspicientium supremi judicis æquitatem, & curā rerum humanarū. Supplicia autem impiorū celebrare publice, judicis est conantis reliquos in officio cōtinere injecto cunctis terrore gravissimi supplicii. Hoc illud est Ezechiel. 5. 5. *Ista est Ierusalem, in medio gentium posui eā, & in circuitu ejus terras; & contempsit judicia mea. Ideo ipse ego faciā in medio tui judicia*

Impiorū supplicia publica ad exemplū.

in oculis gentium. Ieruſalem enim dicitur *medium terræ*, Pſal. 33. ut pote, quæ ſit in quarto climate habitabili, ex illis ſeptem, in quæ Geographi dividant terram habitabilem. Ideó autem urbem in medio mũdi conſtitutam, & quaſi *in loco videntiũ* elegit Deus, ut ſicut beneficia, quę in ſuos juſtos cõferret, omnibus eſſent cõſpicua, ita & ſupplicia, quæ in impios ederet, quorũ peculiarem curam, & Providentiam gerebat, neminem laterét, ſed utrumq; fieret in oculis gentium. Sed de publicõ exẽplo ſuppliciorum memini me dixiſſe ſuperius non pauca.

4 Septuaginta vero, paulo aliter ſententiam conſtruxerunt; *Extinxit impios, conſpicui autem corã eo.* Perſequuntur enim illam ſuperiorem tranſlationem *lucis, & tenebrarum.* Extinguit, inquiunt, Deus ſplẽdorem impiorũ, ſed ita tamen, ut ſuæ Providentię, & juſtitiæ oculum ab illis non avertat; nam quoſdã reſpicit, ut illuminet, quoſdam, ut extinguat, & involvat tenebris. Sicut Scriptũ eſt; *Oculi Dñi ſuper juſtos. Vultus autẽ Dñi ſuper facientes mala, ut perdat de terra memoriã eorũ.* Ergo *percuſſit* illos Deus cæcitate, & tenebris *in loco videntium.* id eſt, florentibus aliis, & fulgẽtibus felicitate. Auguſtinus vero hanc affert lectionem; *Extinxit impios, qui lucere videbantur, & juſtitias ejus non cognoverunt.* q. d. Cũ in loco videntium, & res Divinas agnoſcẽtium, cõſtituti fuiſſent (eſt enim locus ſublimis Principum) at excæcati malitia, nihil videbant neque ſibi, neque ſuis populis utile. Illorum igitur ſplendorem extinxit Deus, & de ſublimi ſpeculatorum loco dejecit. *Percuſſi ſunt igitur in loco videntiũ;* quod nihil viderent.

Deus vidẽdo quoſdã obſcurat, quoſdam illuminat.

Pſal. 33. 17.

Auguſt. Speculatores, & Principes cæci.

XXVII. Qui quaſi de induſtria receſſerunt a Deo, & omnes vias ejus intelligere noluerunt.

1. Principes pro libitõ peccantes. Cur ſpontanei.
2. Intelligentia practica. Stultitia improborum.
3. Dei viæ quæ. Deus inſtruens Principes lenitate. Explicatus David.
4. Deus audiens clamores, ſupremus judex. Illuſtratus David.
5. Paupere tacente ipſe Tyrannus clamans ad Deũ.
6. Verbum futuri temporis quid indicet.
7. Avaritia Tyrannorum. Cur dicantur Peſtilẽtia a David

1 DE *Induſtria.* Addidit Interpres particulam, quæ quidem convenit in impios Principes, ſponte deficientes a Divina lege. quaſi dicat; Non ignorantiæ, ſed malitiæ, ſed ſceleris, eſt quod peccaverint: Divina igitur æquitas non ſolum peccatũ ſed peccati gravitatẽ, & circunſtãtias omnes expendit, & ſuo ſupplicio afficit. Nuper indicabamus, hos Principes appellari in lingua ſancta *Spõtaneos*, vel volũtarios, quod quidquid faciant, libito faciant, non coacti; neque lege conſtricti, ſed quaſi *de induſtria.*

Principes libito, & ſpõtanee peccãtes.

Cur Principes ſpõtanei.

2 *Et omnes vias ejus, &c.* Id eſt, non ſe tradiderunt Divinæ legi erudiẽdos, & informandos, perinde enim vixerunt (quod ad opera pertinet) ac ſi de Divina lege nihil unquã percepiſſent. Nicetas; *Dei juſſa practice nõ cognoverunt*, & recte etiam ex proprietate verbi *intelligendi*, *Sacal*, quod ad Prudentiam, & Sapientiã practicã rerum agendarũ pertinet ſicut ab hac ipſa radice dictum eſt Deuter. 29. 9. *Vt intelligatis univerſa, quæ facitis.* & Ioſue 1. 7. *Vt intelligas, quæ agis.* & infra, verſ. 8. *Tunc diriges viã tuã, & intelliges eam.* Quia autẽ hujuſmodi ratio improbe agendi cum ignorantia, & ſtultitia, non tã ex ignorantia mentis, quã ex prava voluntatis affectione conſtat, ideo quod ſimpliciter in Hebræo eſt, *nõ intellexerunt*; Interpres cum vehementia dixit, *intelligere noluerunt.* Vide, quæ in ſimili fere ſententia diximus ſuperius, c. 24. verſ. 13. Et quæ dicemus verſiculo ſequente.

Nicetas.

שכל Intelligere practicum.

XXVIII. Ut pervenire facerent eum clamorem egeni: & audiret vocem pauperum.

3 NVnc exponere videtur, quæ ſint illæ viæ Dei, quæve Dei opera inſiſtere, aut agnoſcere renuerũt ſceleratiſſimi Tyranni, videlicet, *Facere judiciũ, & juſtitiã: ſubvenire oppreſſo: judicare pupillo: defendere viduam.* Quæ quoniam ſunt propria optimi, & incorruptiſſimi judicis, illa Deus requirit ab homine, ſi velit in Divino judicio propitium habere Deum. alioquin, inquit Deus, *Venite, & arguite me.* Illæ etiam dicuntur *Viæ*, quas Deus terit, *Miſericordia, & Veritas*, Pſ. 24. 10. quas antea expoſuerat ipſe David; *Dulcis, & rectus Dominus, propter hoc legem dabit delinquentibus in via.* id eſt, ut Deus ſe beneficum, benignumque cunctis præbeat, atque etiam cunctos ad rectum vivendi tramitem alliciat. Deinde etiam, *Dirigere manſuetos in judicio, & docere mites vias ſuas*, id eſt, Principes atque judices inſtruere ſuaviſſimis præceptis lenitatis, & manſuetudinis, atque

Dei viæ.

Deus peculiariter requirẽs ab homine incorruptum judicium.

Iſai 1.

Deus inſtruẽs Iudicem lenitate.

incorrupti judicii, justitiæque servandæ. Has igitur vias omnino contempsere Tyranni, ut qui neque mãsueti sint, neq; integri, neque incorrupti judices, neque boni atq; utiles suis popularibus; adeo ut coegerint illos opis, & auxilii causa vociferari.

4 *Vt pervenire facerent.* Particula, *ut*, consecutionem notat; cum enim cœperint improbi *Servi cædere, & percutere cõservos suos*, præter orationem, & lachrymas nihil habuerunt præterea humanæ opis: *clamaverunt igitur, & Deus exaudivit illos.* Nisi autem Deus esset judex æquissimus, neq; ad illum clamassent afflicti; neque ille paratus esset audire, & respondere vociferantibus. Scriptum est enim; *Cum invocarem, exaudivit me Deus justitiæ meæ.* est enim *Deus justitiæ*, id est, Supremus juris, & æqui administrator est, quem appellant, & invocant, & qui invocantes, pro suo judicis munere supremo, exaudit.

Matt. 24.45.

Supremus Iudex audiens, opis causa invocatus.

Psal. 4.1.

5 Sed illud observãdũ, quod Græc⁹ Scholiastes paucis indicavit; nõ solum pusillos vexatos a Tyrannis inclamare Deũ judicem, *sed ipsum pauperũ clamorem deferri ad Deũ ab ipsis Tyrannis:* Sic enim legunt Septuag. *Vt perferatur ad eum clamor pauperum.* quod in Catena legitur active; *ut adducerent clamorẽ pauperis.* quod etiam convenit cũ nostra lectione, quæ active legit; *ut pervenire facerent clamorem, &c. Hi ergo qui faciunt injuriã*, inquit Nicetas, *Pauperis qui passus est, clamorẽ ad Deum perferunt.* Cum enim frequenter pauperes oppressi, nõ solũ clamare, sed neque hiscere audeãt, etiã si Deum non appellent, neq; vociferentur cõtestantes fidẽ Dei, & hominũ; ipsi tamẽ Tyranni voces, & clamores deferunt; cũ ipsa illorum peccata voces sint, clamores sint. Vide, quæ diximus c. 16. vers. 19.

Nicetas.

LXX.

Etiam tacente paupere, illi⁹ oppressio clamat ad Deũ.

6 *Et audiret, &c.* In Hebræo, *Audiet*, per futurum: Nescio enim quid indicat paulo tardius, sed certum, & minime frustraneũ; nam dissimulat interdum Deus, dum permittit & pauperes opprimi, & Tyrannos impune sævire: sed *audiet* tandem, id est, audire se ostẽdet, repetita de improbis vindicta, ereptaque præda: sic *patientia pauperum non peribit in finem.* quamvis *oblivisci* videatur Deus; quamvis *dormire*, ita ut illi dicendum sit; *Exurge, & salva nos, perimus.*

Verbũ futuri tẽporis, quid indicet.

Psal. 9.16.
Marc. 4.38.
Luc. 8.24.

7 Tertio, quoties lego pauperes a potentioribus & opulentioribus opprimi, toties immanem nefariorum Principũ avaritiã, non solum in pauperes sævientium, sed in cæteros divites, quos pauperes ipsi effecerint, significatam intelligo. Iis enim nihil aliud propositum est, quam, ut pauperes minime ditescere possint, & alii divites ad extremam inopiam redigantur; universos itaque status isti labefactãt, & perdũt. *Sedent enim in Cathedra pestilentiæ*, sive ut Augustin. exponit, *in Cathedra dominandi.* Cum enim ipsi sedeãt, at suis sedibus, suis fortunis universos dejiciunt; & instar *Pestilentiæ*, omnes, aut pene omnes invadũt, & perdunt: nam Pestilẽtia primum vilissimos quosque, deinde etiam nobiliores invadit.

Avaritia tyrãnorum.

Psal. 1.1.

August.

Cur tyrãni instat Pestilentia.

XXIX. *Ipso enim concedente pacem, quis est, qui condemnet? Ex quo absconderit vultum, quis est qui contempletur eum? & super gẽtes, & super omnes homines.*

1. *Primus, & secundus nexus probabilis.* Abscondere vultum, *pro dissimulare.*
2. *Germana expositio.* Quies *pro silentio, & pace. Pax justitiæ fructus. Illustratus Isaias.*
3. *Deus pacem tribuens oppressis.* Condemnare, *pro opprimere.*
4. Dei facies *ad favorem:* abscõdita, *ad tribulationem. Explicatus Paralip. & David.*

1 DVplex hujus sententiæ explicatus, & duplex quoque nectendi ratio. Prima, ut de Tyrannorum fælicitate, & pace agat; quæ non sine Providentia, & Iustitia contingit. Populari inquit, seditione adversus Tyrannos coorta, pax Reipublicæ subsequi solet: Aliquando vero pacifice agit ipse Tyrannus, ac illum nemo propter nefaria scelera condemnandum, & de medio tollẽdũ censet; utrumque Deo Providente, qui pacis, & belli auctor est. Tamdiu itaque Tyrannus impune vivet, dum permittet Deus; Verumenimvero si Deus quasi abscondito, & averso vultu dissimulet se videre, nemo erit, qui in Regũ, Principumque vitam, & mores quamvis corruptissimos inspiciat, inquiratq;. Sed quidem quamvis interdum conniveat Deus, nunquam tamen non contemplatur gentes, Respublicasque universas, atque adeo singulorum hominum actiones. Nexus, & interpretatio probabilis; Sed illa *abscondẽdi vultum*, significatio minus frequens. Et forte singularis in illo tantum Levit. loco 20.4. *Si negligens populus terræ, & quasi parvipendẽs dimiserit hominem, &c.* Quæ *negligentia*, in Hebræo hac phrasi exprimitur; *Si abscondendo absconderit populus terræ oculos suos a viro illo, &c.* Quo etiam modo legit Onkelus; id est, Si connixerit, & non curaverit.

Duplex interpretandi, & nectẽdi ratio.

Abscondere vultũ, pro dissimulare.

Onchelus.

Secundus nexus, & interpretatio probabilis.

Secundo, Vt in univerſum aſſerat nunc Baldad, ea quę vel ad pacem, & tranquillitatem Rerumpublicarū, vel ad perturbationem, & permutationē pertinent, Divinæ Providentiæ effecta eſſe, ſive rerū potiantur Tyranni & perturbatores publicę Rei, ſive pacificatores, & conſervatores. Niſi enim Deus benigne reſpiciat, nō deerunt regni hoſtes, qui multitudinē inique premant, damnentque miſerandæ ſervitutis: Cū nemo profecto videre, cōtemplarique poterit, quod lætum, & jucundum ſit, ſed triſtiſsimā omnium faciem, tum in cōmuni Reipublicæ ſtatu, tum in ſingulis civium ordinibus, atque familiis. Sic fere nectit, & interpretatur D. Thom. quod ut non eſt omnino lene, & germanum, ita nō eſt omnino contemnendum.

D. Thom.

2 Veroſimilior nexus, & interpretatio.

Tertio, Mihi Græcorū nexus, & expoſitio arridet, quam non tā exprimunt, quā ſignificant. Cum enim dixiſſet de pauperū clamore, quē Deus exaudit, nunc rationē ſubdit, ſpectare quidē ad Deū patrociniū, & defenſionem pauperū, & impotētium. Cū enim injuſto illos bello Tyranni infeſtāt, potentiſsimus Imperator Deus, cum hoſte confligens, Tyrannos proſternit, & interimit. Subitus ergo Tyranni interitus ſubita fit melioris vitæ lætitia, & tranquillitas, *Concedente Deo pacē*. Proprie, *Deus requieſcere facit*, ſignificat autem ejuſmodi quietem, quæ belli tumultibus contraria eſt, Ioſue 11.23. Iudic.3.30. Zachar.1.11. 2. Paralip. 22.9. atque eadem ratione, & Analogia ſignificat *ſilentiū*, quod cū pace & trāquillitate cōjunctum eſt, cum tēpus mutum eſt a bello, & a tumultu, Iſai.14.7. Quare hoc loco legi poteſt, *Ipſe ſilere facit*. Ipſe enim jubet *ceſſare impios a tumultu*, & jubet fieri ſilētium pacatiſsimum. Hinc illa cōgratulatio, & canticum lætiſsimū, ſublato Tyranno, Iſai.14.37. *Et erit in die, cū requiem tibi dederit Dominus a labore tuo, & a concuſsione tua, & a ſervitute, qua ante ſervitiſti, ſumes parabolā iſtam, & dices: Quomodo ceſſavit exactor, quievit tributū, cōquievit, & ſiluit omnis terra, gaviſa eſt, & exultavit!* Sic dicere poſſumus id Iſai.32.17. Fructus quos percipiunt cultores Divinæ juſtitię, & Providentiæ, eſſe pacem atque ſilentiū tutiſsimum; *Erit* (inquit) *opus juſtitiæ pax, & cultus juſtitiæ ſilentium*.

Deus pro paupere cōfligēs cum potentiſſimo tyrāno.

Quies bello oppoſita.

שקט

Iob.3,17.

Fructus, quos percipiūt Iuſtitię cultores

3

Interim vero, *Quis eſt qui condēnet?* q.d. ſi pro egenis, & afflictis eſt Deus, quis cōtra illos? Symmac. *Ipſo quietē dante, quis cōtra vindicabit?* proprie exverbo originali legi poteſt, *Quis inique agit?* Vel etiā, ut aliquando diximus, *Quis impiabit?* id eſt, quis pauperes, tanquā impios, cenſebit affligēdos, & vexandos ſupplicio? quis cū illis tanquā cum impiis, agendum cēſebit? Si igitur Deo preſentiā ſuam, & præſentiſsimū auxilium exhibente, nullus Tyrannus conſiſtere audet adverſus Dei alumnos. Alienū eſt, quod Gregor. & Philipp. exponunt referentes ad Deum: Si, inquā, Deus pacē tribuat impiis, quis illi? Providētiā, & arcana judicia condemnare audebit?

Symmach.

Deus defendēs pauperē.

רשע

Condemnare ad ſupplicium

Gregor. Philipp.

Ex quo abſcōderit vultum ſuū. At ſi Deus ſubtrahat ſuam opem, quis erit, qui Deum contempletur, & intueatur? quis illius numem reverebitur? quis, inviſibilem licet, præſentem & omnia videntē judicem timebit? aut aliter, Si Deus faciem ſuā avertat, & contēnere videatur cauſam pauperum, quis tunc *contemplabitur eum?* ſupple, hominem, frequens enim eſt in Sacro ſermone ea numerorum, & relativorum cōfuſio, & permutatio. q.d. Quis erit inſpector, & proviſor rerum humanarū? ad cujus nā auxilium confugient, qui inique vexātur? Sicut præſentem, & ſpectādum, ſe in lumine præbere, favoris, & benevolentiæ eſt, Pſal.4.7. Pſal.15.11. Pſal.20.7. Pſ. 66.2. Pſal.139.14. & ſic 1. Paralip.29.12. ubi nos habemus, *Tuæ divitiæ, & tua eſt gloria*, in Hebræo, & Græco Cōplutenſi eſt, *Divitiæ, & gloria a facie tua*. Ita e contrario *abſcōdere vultū*, eſt negatæ opis, & auxilii. ſæpe in Pſalmis, Pſal.12.2. Pſal. 29.8. Pſ. 43.24. Pſal. 68. 18. *& abſcondi res noſtras a Deo*, eſt negligi, & non curari, ſuperius Iob 24,1. Iſai.40.27. Geneſ.4 14. Deniq; *Deū abſcondi*, ad idem pertinet, quod Septuag. dixerunt, *Deum averti*, Pſal. 88 47. Hieronymus vero ex Hebræo, *Vſquequo Domine abſcōderis?* Theodoretus per Paraphraſim, *Dolores noſtros inſpicere non vis, neq; appares*. Denique quod de *Divinis oculis* aliquādo diximus, de illius quoque facie dicendū.

4 Abſcondere vultū, pro nō videre.

Divina facies præſens, favoris, & benevolentiæ.

Dei facies abſcondita, adopem negatā.

LXX.

Hieronym.

Theodoret.

30 *XXX. Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.*

1. *Paraphraſis ſententia.*
2. *Varia expoſitio, eligitur optima. Deus puniens Populum ablato Principe, vel ablato improbo.*
3. *Principes improbi miniſtri Divinæ Iuſtitiæ, & Providentiæ. Tyrannus quātenus proficuus Reip.*
4. *An Rex improbus detur a Deo? Permittitur, & declaratur exemplis.*
5. *Dei permiſsio. Explicatus Oſeas.*
6. *Cur Princeps improbus dicatur* Hypocrita, & Illuſor. *Illuſtratus, Iſaias.*
7. *Quæ populi peccata vindicet Deus Principe improbo. Contemptus Sacerdotum. Principum peccata ſolvit Populus. Explicatus Samuel.*

1 QVod maxime, inquit, a Providentia, & justitia alienum videbatur, ut rerum potiretur, & jus administraret, qui jus ipsum everteret, & leges pessundaret; hoc vel in primis est supremæ Iustitiæ opus, populi peccata punientis durissimo dominatu, & miserrima servitute; permittentis etiam, ut improbus aliquis, & corruptissimus homo ficta quadã humanitatis specie, & ementito sanctitatis splẽdore obrepat ad honores supremos, errore quodam populi. Hæc est apud Latinos, atque Græcos etiam sententia.

2 *Cajetan.* Sed Cajetanus existimat nihil hic dici *de peccatis populi*, cujus Deus improbitatem Tyranni alicujus animadversione, & disciplina coercere velit: Sed quod principatus hypocritæ sit erroris occasio suis civibus, existimantibus aut illum impium non esse, cum regnet; aut quod ille proponit populo, sanctum esse, cum frequenter multa impia suadeat. Quare illud; *propter*, erit cõsecutio quædam; Offendet, inquit, & peccabit populus sub Principe hypocrita, quem Deus regnare permittit.

Vatablus. Vatablus paulo aliter: Quæ eveniunt mala sive gẽti universæ, sive *hominibus* singulis, duabus de causis evenire solent: aut propter Principem impium, aut propter *peccata populi*. Nam in originali sententia brevior hanc fere interpretationem postulare videtur, ubi utraque sentẽtiæ pars soluta est; *Super gentẽ, & super omnes homines, a regno hypocritæ, ab offendiculis populi.*

Vulgati lectio elucidata. *LXX. Nicetas.* Sed sublimior, & cohærentior est Vulgati interpretatio; præsertim accedente auctoritate Septuaginta, quorum lectionẽ hac paraphrasi elucidat Nicetas; *Id quod Divinæ est Providentiæ, eum, qui adspectu atque specie ementitur virtutẽ, permittere ut rex declaretur, idque propter populi, cui animadversione, & disciplina opus est, improbitatem. Dabo tibi* (inquit Deus suo populo sceleribus corruptissimo) *Regem in furore meo, & auferã in indignatione mea.* Iratus enim Deus constituit improbis vel Principem improbum, qui illos exerucieṫ; vel, quod gravius est, illum etiam aufert, ut sine duce aberret populus, & pro libito vivat. Atque huc pertinent illæ comminationes, Isai. 3. 4. *Dabo pueros Principes eorum, & effæminati dominabuntur eis.* Et Ierem. 15. 4. *Dabo eos in fervorẽ universis regnis terræ, propter Manassen filiũ Ezechiæ.* Quem locum sic legit Anastasius Nicænus; *Per Manassen, &c.* Per reges enim iniquos, tanquam per suæ justitiæ ministros, recepit Deus dignas de improbis pœnas. Quod Plutarchus elegãter scripsit de sera numinis vindicta cap.

Dei suppliciũ auferre Principẽ, aut permittere improbũ *Osea. 13. 11.*

3 *Anastas. q. 5. in Scripturam* Reges improbi minist i Divinæ Iustitiæ. *Plutarch.*

4. *Nimirum* (inquit) *Deus quibusdam malis, tanquam carnificibus usus est, ad sumendas de aliis malis pœnas; quod verum esse de plerisque Tyrannis arbitror. Quemadmodum enim fel Hyænæ, & Phocæ, aliorumque fædorũ animaliũ coagula aliquid habent ad sanãdos morbos utile: sic nonnullis morsu, & pœna indigẽtibus Deus injiciens Tyrãni alicuius sævitiam implacabilem, aut magistratus molestam asperitatem, non ante id, quod excruciabat, ac turbabat sustulit, quam vitiosos morbo liberasset, ac purgasset. Tale medicamentum fuit Agrigentinis Phalaris; Marius Romanis; Orthagoras Myro, & Clisthenes Sycioniis.* Hęc illa est venusta sane Theognidis Megarensis sentẽtia Gnomica, cũ videret civitatẽ vitiis corruptã, & superbia, fastu, luxu tumentẽ;

Tyrãnus quid utilitati afferat Reip.

Theognides.

Vterũ fert civitas hæc: timeo autẽ, ne pariat
Virum correctorem malæ insolentiæ vestræ.

4 *Anastasius.* Anastasius sane inter alias, hujusmodi decimam quintam quæstionem proponit: *Cũ dicat Apostolus, quod mundi potestates sunt a Deo ordinatæ, an omnis Princeps, & Rex, & Episcopus a Deo præficiatur?* Respondet statim sapiẽter, & graviter. Cum Deus dicat in lege; *Dabo vobis Principes secundum corda vestra; est evidens quod ex Principibus, & Regibus, alii quidẽ a Deo præficiuntur, tanquam digni eo honore: alii autẽ rursus cum sint indigni, Dei permissione aut voluntate præficiũtur populo digno eorum indignitate.* Et Irineus lib. 5. c. 24. Quod inscribitur, *De Terrenis Imperiis a Deo constitutis*, ubi varios constituendorum Regũ fines constituit; *Quidam enim* (inquit) *illorum ad correptionẽ, & utilitatẽ subjectorum dantur, & conservationem justitiæ: Quidam autẽ ad timorem, & pœnam, & increpationẽ: Quidam autẽ ad illusionẽ, & contumeliã, & superbiam. quemadmodum & digni sunt: Dei justo judicio in omnibus æqualiter superveniente.* Recurrendum quoq; ad ea, quæ diximus cap. 31. vers. 24. Cujus rei unum, & alterũ exemplum Anastasius subdit præteriri non dignũ. Quando enim teterrimus ille Tyrannus Phocas incredebiliter sęvire in innocẽtes cœpit, singulari sanctitate Monachus quidã Constantinopolitanus, frequenter cũ Deo expostulabat de Imperatoris crudelitate, *Cur*, inquirens, *Domine eum fecisti Imperatorẽ?* Respõsum datũ est cælitus. *Quoniã non inveni pejorẽ.* Illud alterum ad cõprimendam superbiã ipsorum Principũ spectat; Monachus enim hypocrita, specie quidẽ Monachus sed re ipsa flagitiosissimus. Angeli monitu Thebaidę civitatis corruptissimę Episcopus creatus, cũ ad reliqua flagitia, denuo ex Sacro honore superbiret, & insolesceret, *Cur*, inquit illi Angelus, *superbis, & magni-*

An Rex improbus a Deo præficiatur. *Ierem. 3.*

Irineus.

Diversi fines, quos Deus cõstituit in Regibus præficiendis.

Anast. de Phoca Imperatore.

ſice tibi places, o infælix? nõ es creatus Epiſcopus, quod dignus ſacerdotio ſis: ſed quod civitas talis digna erat Epiſcopo. Vide Evariſ. Epiſt. 2. ad Aegyptios, & refertur 2. q. 7. cap. *Non eſt.* & Gregor. 6. q. 1. c. *Ex merito.* Et Hieronymus 8. q. 1. cap. *Audacter*. Vide etiã Gregorium ad Clerum Mediolanenſem, & ſuper id 1. Reg. 9. *Salvabis populum meum.* Et in hoc lib. 25. per nonnulla capita. Ambroſium in Apolog. David, *Quod regum lapſus pœna populorum ſit.* Et lib. 5. Epiſtolarum 28. Origen. hom. 4. in judic. Cyprianum lib. 1. Epiſt. 3. & 4. Bernardum de Converſ. ad Cleric. cap. 27. Aliquando enim permittit Deus, *regnare hypocritam* ut illius ſupplicium in univerſum populũ graviori cum pęna, & damno recidat. Sed de hoc nũc ſatis; alias plura. Singulæ pręterea partes premendæ.

Hieronym. Ambroſ. Origen. Cyprian. Bernard.

5 *Regnare facit.* Permittit: hi enim ſunt, de quibus ipſe Deus ait: *Ipſi regnaverunt, & non ex me: Principes extiterunt, & non cognovi.* Cum enim eo loco videatur Deus loqui de Ieroboam, ad quem ipſe Deus regnum videtur per Abiam Prophetam detuliſſe, ita ut Deus ipſe feciſſe videatur *regnare hominem hypocritam*: at quod Divina permiſsione factum fuerit, ut regnum Davidis ſcinderetur peccatis Salomonis, & Ieroboam, ait non regnaſſe Ieroboam ex ſua voluntate.

Oſe. 8. 4. De permiſſio.

6 *Hominem hypocritã.* Dixi non ſemel, quare impii, pręſertim divites, & Principes vocentur *hypocritæ*, nam officio, & munere, tum etiam opulentia, & ſplendore ementiuntur mores humaniſsimos, & Principe dignos; boni, & æqui ſtudium, curam, & charitatem pauperum; At nihil ab illis magis alienũ. Hi profecto ſunt *illuſores*, quod populum bene de illorum munere, & officio ſperantes, miſere illudant, de quibus Iſai. 28. 14. *Audite Verbum Domini, viri illuſores, qui dominamini ſuper populum meum.* Et iterum cum Principes graviſsimis, & integerrimis moribus eſſe debeant, & animo virtutibus exaggerato ad *irrũpendũ iniquitates* populi, *hypocrita* ſane erit, qui ſub purpura, & toga magiſtratus, petulantes, puerileſque mores, & animum fęmineum geſtans, illudat populum ſuæ fidei cõmiſſum; ſicut Scriptum eſt; *Dabo pueros Principes eorum, & effeminati* (proprie ex Hebræo, & Græco, *Illuſores*) *dominabũtur eis.*

Cur Principes improbi dicãtur hypocritę. Illuſores qui. Eccleſ. 7. 6.

7 *Propter peccata populi.* Septuaginta. *Propter perverſitatem*. Proprie etiam; *Propter offendicula*, laqueos, illaqueationem, deceptionem populi. hæc enim omnia cõplectitur verbum originale: eſt enim venatorum laqueos, & retia ſtruentium, & illectãtium ad ruinam, & offendiculum, quod cõmuni voce *peccata* dixit Interpres. Poteſt autem ſumi active, aut paſsive: ſi active, is erit ſenſus; Populi, & civium peccata, quibus ſuos proximos illaqueabant, & irretiebant dolis, & fraudibus; & inſidias, quas infirmioribus parabant, commeruiſſe, ut Deus illis immitteret ſævum aliquem Tyrannum, qui vicem rependeret, & potentioribus, opulentioribuſque inſidiaretur. Sic vides hoc eſſe juſtitiæ pariter, ac miſericordiæ opus. Dum enim potentiores de medio tollit Tyrannus, pauperes levãtur, & reſpirare permittuntur. Sic inter peculiaria peccata, quibus populus meretur *Regem hypocritam*, numerat Cyprianus Epiſt. 67. ad Rogatianum *Sacerdotum contemptũ*; Cum enim dixerit Deus ad Samuel; *Non te ſpreverunt, ſed me: ut hoc ulciſceretur, excitavit eis Saul Regem, qui eos injuriis gravibus affligeret: & per omnes contumelias, & pœnas ſuperbum populum calcaret, & premeret, ut cõtemptus Sacerdos de ſuperbo populo ultione Divina vindicaretur*. Si vero paſsive accipiatur, ſenſus erit; Deum permittere *hypocritam regnare*, ut illaqueetur populus, decipiatur, offendat, ruat tũ in errores, & peccata, tum in ærumnas graviſsimas, & inexplicabiles. Sic demum verũ eſt illud, quod Ambroſius dixit, in Apologia de David. *Regum lapſus pœna populorum eſt: ſicut enim eorum virtute ſervamur, ita etiam errore periclitamur.* Quid enim poſsit bene habere corpus Reipublicæ, capite, qui Princeps eſt, *languido* atque demiſſo? At de paſsimis Principibus Scriptum eſt; *Omne caput languidum*. Et a Seneca ad Neronem; *A capite bona valetudo in omnes vegeta eſt atque erecta, aut languore demiſſa*. Et a Sapiente, *Rex inſipiens perdet populũ ſuũ.* Eccleſ. 10. 3.

LXX. Quæ populi peccata tyrannidæ alicujus ſęvisſimi Principis puniat Deus.

Offendiculũ active, & paſſive. מקש

Iuſtitię ſimul, ac miſericordiæ opus. Cyprian. Contemptum Sacerdotũ ulciſcitur Deus tyrannide improbi Principis.

Ambroſ. Regum lapſus pęna populorum. Iſai. 1. 5. Seneca.

Vnius ob crimen, ait Heſiodus, pœnas urbs tota rependit,
Siquis ſacrilege ſe ſe gerat, aut injuſte,
Iupiter hinc cœlo clades immiſit ab alto.
Peſtem ſive famem.

Heſiodus.

In illa funeſta Iudaici populi peſte, ingenue fatebatur David, *Ego ſum, qui peccavi: Et ego inique egi. iſti, qui oves ſunt, quid fecerũt? Avertatur obſecro manus tua, contra me, & contra domum patris mei.* Sed juſte propter Regis peccatum puniebatur populus,

2. Reg. 24. 17.

Vnius ob noxam, & furtas. Quare cum *Furor Domini iraſceretur contra Iſrael*, ſatis habuit, ſi ſolum Regem in populo *commoveret*: quod autem habemus, *Commovit in eis David.* 2. Reg. 24. 1. legit Theodoretus, & Septuaginta Complutenſ. *Commovit in eo. David*. Quod enim ipſe mali moliebatur, in univerſum populum erat redundatu-

Ovidius. Theodoret. Septuaginta Complutenſes.

rum. Vbi etiam Sapiens ille dux Ioab prædixit ipsi Davidi. 1. Paralipom. 2.3. *Quare hoc quærit Dominus meus, quod in peccatum reputetur Israel?* Denique impium *regnare propter* illaqueationem populi, figura illa demonstrat Herculis Gallici, Catenulis ore, præceptoque suo pendentibus, illaqueatos, & irretitos populos secum trahentis. Vide Chrysostom. serm 2. de Pœnit. Salvianum lib. 6. & 7. de Providentia. Isidor. lib. tertio sentent. cap. 11. & præterea alios, quos nuper citabamus.

Hercules catenis alligās populum. Chrysost. Salvianus. Isidorus.

XXXI. *Quia ergo loquutus sum ad Deum, te quoque non prohibebo.*

XXXII. *Si erravi, tu doce me: si iniquitatem loquutus sum, ultra non addam.*

1. *Hebræa lectio. Tres expositiones minus commodæ.*
2. *Latina lectio elucidata, & defensa. Tertia persona pro prima.*
3. *Propositio Hebræa varie reddita. Explicatus Moyses, & Samuel.*
4. Levare. Prohibere. Pignorare.
5. *Interloquutio in jure quid. Arrogantium ingenium.*

1 Mirabilis est tum lectionum, tum interpretum dissensio: quibus variandi ansam præbuit prima illa pars, quæ in Hebræo est tertia persona, & sic ex verbo legi potest: *Quia ad Deum loquutus est, levavi* (peperci, abstuli erratum) *non corrumpam.* Ergo prima interpretatio est Cajetani, quæ sua subtilitate, nec non duritia singulari se statim prodit, ut sit quædam mimesis, aut imitatio orationis Regis hypocritæ, qua se ad populum commēdat, pietatem ementius, sic enim loquitur ad Deū levando non tantū manus sed etiam verba, & orationem hujusmodi: *Non corrumpā*, vel, *non destruā*. id est, Tu scis, o Deus, quod quædam mala non punivi; sed permisi, ut vitarem graviora mala, & scandala. Deinde sequitur vers. 32. Si quidpiam per errorem, & ignorātiam admisi, tu me, Deus, admone, paratum videlicet statim corrigere, & meliora sequi, agere, loqui. Sed quorsum nunc placuerit Cajetano oratio *hypocritæ*, aut unde nam illius preces audire potuerit, nemo novit præter Hebræum illum, quo ad manum utebatur.

Cajetan. Mimesis. Interpretatio coacta, & aliena.

Secundo, ut Iobum docere velit Eliu orandi formulam, & se Divinæ bonitati subjiciendi, primo, agnoscēdo illius supremā potestatem cum bonitate cōjunctam, qui potest levare, & remittere peccata, & non destruere. deinde dicendo ad Deum, *Si erravi, tu doce me, &c.* Hæc est interpretatio Vatabli, qui brevitatem lectionis Hebraicæ, hac paraphrasi illustrat; *Par erat, ut diceres Deo, cujus est remittere iniquitatem, & non distruere; Quamvis nesciam me peccasse, &c.* Eadem quoque lectio Pagnin. *De Deo consentaneum est, ut dicatur, Peperci, non destruam.* & Complutenses; *Ad Deū dicitur, peperci:* atque huc fere pertinet Chaldæus: *Num enim potest fieri, ut dicas de Deo; Sustinui, non disperdam?* Et forte etiam Septuaginta. *Quoniam erga fortem qui dicit, suscepi, non auferam loco pignoris.* id est, Quoniam erga Deum versatur hęc nostra controversia, te oportet fateri Divinam potestatem, atque justitiam esse quidem cum clementia temperatam, ut & pœnitentes suscipere, & quæ pro pœna, & pignore debitorum auferre posset, facile condonet. Sed si hæc exponēdi ratio minus invita esset, at cum præcedentibus cohærens minime esset.

Secunda expositio, & varia lectio. Vatabl. Pagninus. Complutenses. Kaldaus. LXX. Expositio invita, & minime cohęrens.

Tertia, Vt hæc sit quasi cōclusio, & summa totius probationis, & orationis de Divina æquitate, & Providētia. De Deo (inquit) loquimur, cujus est peccata, & pœnam condonare, & pacem concedere, aut e contrario, bellum immittere, terram vastare, denique invehere quidquid malorū, & ærumnarum est ad scelerum vindictam. Sic fere Episcopus Algarbensis. Et non minus verosimiliter, quā cæteri. Vnum illud omnibus cōmune, quod lectionē Latinam contemnunt.

Interpretatio tertia verosimilis. Osorius.

Sed, ut nos illam tueamur, observandū quidem, Interpretem non tam verba, quā ipsum germanum sensum sapienter captare. ait ergo. Nihil mirum, si cum ad Deum de Deo, re omnino sublimi, & arcana, loquutus fuerim, aliquando erraverim; ideo te non prohibebo, quin me errati admoneas. Quod enim tertia persona pro prima accipi soleat, insolens non est in Sacro sermone; prętertim cū prima persona subsequens sic exigit. Et illud, *levavi*, prætermissum est ab Interprete, vel conjunctum cum loquutione, quod putaret referri ad sermonem; sicut enim *Levare*, vel suscipere peccatum, aut pœnam, est condonare; ita *levare sermonem*, est loqui: quem eundē sensum Symmachus expressit; *Quia ad Deū loquutionem assumpsi, non recuso interpellari.* Si tertia illa persona omnino retineatur, sensus eodē recidet. Cū quis de Deo loquutus labitur, ego soleo facile cōdonare lapsum, & indulgere errāti, homini videlicet nō sa

2 Latinæ lectionis defensio, & elucidatio. Tertia persona pro prima. Levare sermonem. Symmach.

tis

tis callenti Divina. Similiter & te, ô Iob, facere oportet, ut mihi erranti condones, & ſi quid noſti melius, oſtendas: te videlicet meliora docentem *non prohibebo*, nõ interpellabo. Vide quantum præſtet perſpicuitas, & fides Vulgati, aliorum parum fidis argutiis, & obſcuris interpretationibus.

3 Præpoſitio varia. אל Regia. Pagnin.

Nunc minutiora quædam ad ſingulas partes. *Ad Deum loquutus*. Præpoſitio, *El*, aliquando *ad*, aliquando, *de*, ſignificat juxta exigentiã loci. Vt Geneſ. 20. 2. *Dixit de Sara uxore ſua, Soror mea*. quod alii legunt, *Dixit ad Saram uxorem ſuam*. vel, *ſuper uxore*. Et cum aliis etiam præpoſitionibus ultimi caſus frequenter permutatur, pro *Cũ* Geneſ. 49. 29. *Ego congregor ad* (eadẽ præpoſitio, *cum*) *populum meum. Sepelite me cũ* (*ad*) *patres*. Sic Onkelus, & alii Hebraizãtes) *patribus meis*. pro, *in*, Geneſ. 25. 15. *Pones in arca*, Hebraice, *ad arcam*. Pro, *ſuper*. 1. Reg. 17. 49. *Percuſſit in fronte* (Septuaginta. *Ad frõtem*, vel, *ſuper fronte*.) ſic hoc loco, *ad Deum*, de Deo, de rebus Divinis, ſuper arcanis Divinæ Providentiæ.

Onkelus. Regia.

4 Levare ſermonem. הבל

Loquutus. dixi in Hebræo haberi, *Loquutus, levavi*. id eſt, loquutionem levavi, vel aſſumpſi. quod nos dicimus, *Levantar platica*. Vide, quæ diximus ſuper c. 27. verſicul. 1. num. 2. & 3.

Verbum prohibendi quid proprie.

Non prohibebo. Verbum *Habal*, ut aliquando diximus, ſignificat obligationem, aut colligationem ſtrictiſsimi vinculi, qualis pignoratio eſt, aut dolor, quo homo cõſtringitur, vel parturiens diſsipatur, corrumpitur: inde ſignificat pignorare, aut corrumpere, vel diſsipare. noſter dixit, *Non prohibebo*, quod eleganter convenit cum primaria ſignificatione, non te conſtringam, non te impediam, liberam tibi dicendi, & reſpondendi facultatem, & optionem relinquo, neque os tibi obſtruam, neque obligabo linguam. Septuaginta illam alteram *pignorandi* ſignificationem elegerunt, *Non auferam loco pignoris*. Quod Nicetas ſic elucidat: *Non quia ipſe dicendo ſum Dei cauſam complexus, idcirco abs te quaſi nomen quoddam, & æs alienum exigo, quin potius quamvis nulla mea prorſus eſſet oratio, nunquid ad me reprehendendum habeas, videre cupio. Ego interim ſilebo*: quaſi dicat, Nõ te urgebo quaſi ſeveriſsimus exactor, neque opprimam negata reſpondẽdi facultate, quaſi ablato pignore, & facultate ſolvendi. Aliam etiam non multo leniorem interpretationem ex aliorum ſententia, vide apud eundem Nicetam.

LXX. Nicetas.

Cæterum quod alii dicũt, *Non deſtruã*, non diſsipabo, non corrumpam, tuam videlicet reſponſionem, ſicut utrumque admitti poteſt, ita ſine illo verus & ſimplex conſtabit ſententiæ explicatus.

Si erravi. Septuaginta fere ex Hebræo, *Abſque me videbo*. propr. *præter video*, vel, *non video*. id eſt, ſi præter id, quod ego viderim, *Erravi, tu doce me*, inſtilla mihi, & ſalutari admonitione perfunde. Philipp. *Quaſi in judicio conſtitutus, permittit interloqui*. Nam controverſiæ, & lites objectionibus, & reſponſionibus peraguntur. quã vis in Iure *interloquutio* judicis ſic dirimẽtis aliquid ex cauſa, non litigatorum. Pereleganſ eſt hoc loco Gregorii doctrina, & morum obſervatio: *Hoc* (inquit) *arrogãtes proprium habent; quod ab auditoribus ſuis, nequid inordinatum dixerint, tunc requirunt, cũ ſe laudabiliter aliquid dixiſſe cognoſcunt: nõ quod de dictis ſuis ambigant, ſed quod ad audientiã judicio favores quærant*. Sed de his *qui nequiter ſe humiliant*, alibi diximus. 5

LXX. Interloquutio quid dicatur in Iure. L. 1. §. hunc. D. de appellat. L. 15. §. in venditi. D. de re judic. Gregorius. Arrogantium ingenium.

Si iniquitatem loquutus. Septuaginta ex Hebræo. *Operatus*. id eſt, ſi mea oratione, contra jus æquumque feci, injuſtitiæ, & errati convictus obmuteſcam: ſin minus, nihil tuam offenſionẽ veritus (plus enim veritati, quam gratiæ, & perſonæ tribuo) permanebo in mea ſententia, & quæ præterea habeo dicenda, proculdubio audies.

Eccleſi. 19. 23. LXX. פעל

33. *XXXIII. Nunquid a te Deus expetit eam, quia diſplicuit tibi? Tu enim cœpiſti loqui, & non ego. Quod ſi quid noſti melius, loquere.*

1. *Incertitudo ſententiæ ex multis capitibus.*
2. *Duæ expoſitiones minus idoneæ.*
3. *Tertia expoſitio veroſimilior.* Pax, & in pace *eſſe, ad debiti ſolutionem. Illuſtratus Salomon.*
4. *Diſplicere quid proprie. Expoſitio optima.*
5. *Varia lectio. Nota ſuperborum.*
6. *Sententia paraphraſi. Loqui alicui, ad favorem.*

DIvinandum nobis eſt in ſentẽtia perobſcura. & ſive Latina, ſive Hebræa, & Græca inſpicias, nihil lucidum, ſed cõfuſa omnia, & nimia brevitate perplexa. Quare nemo eſt, qui illi relativo, *eam*, ſuũ peculiare antecedens non attribuat, mirabili prorſus varietate. Gregorius, iniquitatem, pœnam, falſitatem, diſputationem, ſcientiam, ſtultitiam, calamitatẽ mortem. Philippus, injuſtitiam, *Blaſphemiam*. Cajetanus, *Hypocriſim*. Et quid nõ? Rurſus verbi, *diſplicuit*, ſuppoſitũ alii faciunt Deũ vitam, mortẽ, diſputationẽ, & orationem ipſius Eliu. Deniq; ſi lectiones, verſiones, 1

Gregor. Philipp. Cajetan.

interpretationes persequeremur, plus tenebrarum, quam luminis afferremus: nam in singulis verbis sua est versionis, & lectionis, atq; significationis diversitas. Maxime tantū prababilia afferre conabimur.

2 Prima expositio Hebraizātium. *R. Levi. Pagnin. Vatablus. Eugubin.*

Primo Rab. Levi Gerson, quem sequūtur Pagn. Vatabl. Steuchus, non unam tātum, sed multas sententias latere putant, concisas, & singulas singulis fere vocibus per reticentiam quandam comprehensas; quod proprium esse solet hominū excandescentium, & mente atque animo perturbatorū. Ergo sic legunt, atque dispungūt: *Numquid a te Deus expetit eā: quia displicuit tibi?* Complent vero atque perficiunt sensum hac ratione. Pagninus; *Numquid* cōvenit, ut *a te* egrediatur prevaricatio, ob quam *reddat* tibi *Deus* malū? *Quia renuisti*: quia tu elegisti vitam hanc. Vatab. *An ex te provenire debet, ut Deus perficiat afflictionē illam, & te perfecte puniat? Nam abominatus es vitam tuam, elegistique mori, & non ego. & quid ad hæc respōdere possis?* Eugubinus hāc sibi interpretationem satis esse fatetur. atque utinam satis cohærens esset cum antecedentibus, & subsequentibus: cum enim subintelligentię multū habeat, intelligunt enim singulis vocibus quodlibet. at nexū contempserunt.

Secunda expositio Latinorū *Gregor.*

Secundo Gregorius proxime refert ad *iniquitatem*, quæ precessit, ac si diceret Eliu; Ego coram Domino rationes positurus sum, cur modo iniquitas mea a te reprehenditur, quæ constat, quod in judicio a te non requiratur. q. d. Eliu, Nihil est, o Iob, quod meum erratum, si quod est, moleste feras: nam illius rationem, aut pœnā a me repetet Deus, non a te. hoc fere Latini omnes sequuti sunt. Sed cōtra hoc est, quod Iob nihil loquutus est, quo significaret molestam sibi extitisse orationem Eliu. At inquis, si non verbis, tamen ore, gestu, oculis. bene est. at quomodo nunc Eliu renuit judicari, Et refelli a Iobo, quem proxime superioribus verbis constituerat judicem suæ orationis? Respōdet Gregorius; *Postquam de errore doceri se petiit, subito ab humilitatis specie ad verba tumidæ excusationis exilivit, quia omnino difficile est, ut elatio, quæ regnat in corde, non erumpat in voce: diu quippe morari non possunt in ipsa humilitatis imagine, quam specie tenus sumunt.* Vides quid videatur hęc interpretatio habere coactū.

D. Thom. Nicolaus. Dionys. Hugo. Titelman. *Gregor.*

3 Tertia Græcorum expositio verosimilior.

Tertio Græcorum nexus, & expositio mihi probabiliores. indicarunt illi: curabimus nos juvare, & promovere. Sic illi legunt. *Numquid a te reddet eam, quia tu expelles, quoniam tu eliges, & non ego?* quod sic elucidat Nicetas ex translatione Comitoli; *Num meorum verborū est tibi pœna persolvēda? ne igitur omittas, sed quæ mihi dicta sunt, reprehendas: tuum enim est deligere, atque dijudicare, recte ne an secus fuerim loquutus, nō meum, qui dixi.* Annotationes Vaticanæ Septuaginta hanc ipsam sententiā paulo aliter descriptam tribuunt Polychronio; *Nō ne tu debes reddere vices sermonum meorum? ne igitur repellas, sed redargue.* Quæ exponendi ratio, ut cum Hebræo cōvenit, ita non longe abest a Latino. Nam *expetere*, est verbum *Salam*, quod *pacem* significat, non solum post dissidium, sed etiam post solutionem, & redditionem, vel repetitionem alicujus debiti, cum debitor, & creditor nihil amplius habent, quo dissidere possint. Quare ab Interprete vertitur *pacificare, reddere, restituere, solvere.* Ergo hoc loco *repetere*, est tanquam debitum: Et idem, *Deū reddere a Iobo*; Id est, efficere ut Iobus debitam pœnam, rationemve reddat, restituat, solvat, sic ad pacem, & concordiam cum creditore redeat. Exemplum hujus significationis, & Analogiæ habes Prover. 13. 13. *Qui detrahit alicui rei, ipse se in futurum obligat* (nā detractor reus est delicti, & pœnæ non levis debitor; insuper obligatus restituere famam detractione sublatam) *Qui autem timet præceptum* (de non detrahendo, posteaque de restituendo, quod injuste abstulit) *in pace versabitur* (nihil debet, nihil restituere tenebitur) Quod deinde sequitur.

Polychronius. שלם Pax ad debitū solutionem.

4 Displicere quid proprie. מאס

Quia displicuit tibi; Proprie est abjicere, reprobare, repellere cum nausea, & fastidio, id quod nobis displicet, id est; Etiam si tibi mea oratio displicuerit, etiam si cū nausea, & tædio audieris, at sine nausea, & fastidio debes me admonere. Sic Aug. per præteritum etiam legit; *quia tu repulisti.* Si autem cum Septuaginta futurum legamus; *quia tu expelles*; sensus erit; Tuum est, o Iob, repellere, & reprobare, quod minus bene dixerim. Cum autem forsan innueret Iob minime sibi esse in animo amplius loqui, extorquere nititur responsionem. huc spectare videtur Paraphrasis Tygurina; *An a te ortam disputationem alius absolvit: quia tu juvisti?*

August. LXX. *Tygurina.*

Simplex sententiæ elucidatio.

Sed secundum aliorum interpretationes, meam afferam. Cum postulasset Eliu admoneri, & refelli, si quid errasset, paratissimus audire sine interpellatione: nunc subjicit; Me, inquam, admone, redargue, corrige; sic enim ego a te expeto: mihi redde meorum verborum vices, dum tamen a Deo increpando, & ab illius æquitate, & Providentia criminãda abstineas. Nam tuū ego de me judiciū a te requiro,

Deus non item, non enim ille a te dijudicari expetit, neque reddi suorum arcanorum rationem, nihil illi debes reddere responsi, sed obmutescere potius. Huc spectavit Isidorus: *Nũ censes fore, ut Deus absque consilio tuo nihil agat?* mecum igitur disceptandum, non cum Deo, præsertim cũ testatus fueris, neque tibi Deum, Divinasque agẽdi rationes placuisse, neque illius tibi justitiam satis probatam iri, facit cum hoc expositio Philipp. *Ob hoc displicuit tibi Deus, dum ejus justitiam, qua te puniret insontem, non vis veram esse justitiam: Nũquid a te ipse exigit, ut Blasphemus esses?* In re difficili non rejiciendum, quod cum aliqua verisimilitudine dicatur. Quæ deinde sequuntur, faciliora sunt.

Isidorus.

Philipp.

5 בחר *Tu enim expetisti.* Proprie ex Hebr. & Græco, *Tu elegisti.* aut, eliges. Tygurina. *Tua est optio,* ut vel probes, vel improbes, & refellas, quæ a me dicta sunt: tuum autem est eligere, & probare veriora: Tuum item est loqui, & absolvere disputationẽ hanc, ut qui cœperis: nos enim nunquam te lacessivimus; sed tuis lamentis aditum nobis ad redarguẽdum patefecisti: tu itaque & materiam dicẽdi, & primas partes elegisti. Vt significet se de rebus Divinis non invitum, & repugnantem loqui; tantum ut refellat Iobi errores.

Tygur.

Quod si quid nosti melius. Addit Augustinus, quasi ex textu Septuaginta. *Te reprehendens me ipsum forte reprehendendum non vides?* docetque ipse Augustinus, interroganter legendum. Ementita iterum humilitatis species.

August.

In Hebræo præterea, & Græco nulla dubitatio. *Quod nosti, loquere.* quamquam Gregorius ex ipsa nostræ lectionis forma utilitatem invenit; Non ait inquit; *quia melius nosti: sed si quid melius nosti: nimis hoc ipsum superbiisse est, de melioris scientia dubitasse.* Adde etiam dubitationem hanc, perinde valere, ac si aperte negasset Iobo vim ullam intelligentiæ, ut jam dicet.

Gregorius.

Superborum phrasis.

XXXIIII. *Viri intelligentes loquantur mihi, & vir sapiens audiat me.*

XXXV. *Iob autem stulte loquutus est: & verba illius non sonant disciplinam.*

6 SED Quid, inquam, verum de rebus judicium a Iobo requiro? quid meam orationem probare cupio homini stulto, & indisciplinato? quid ille sine ulla bona arte, sine ingenio, sine litteris respondere poterit, quam quod hactenus impudenter, & temere dixit? viros ego rerum expertos, scientesque requiro, quibus meam sentẽtiam facile probabo. Nemo quippe sana erit mente, qui mecum non sentiat: nemo qui ulterius disputantem, libẽter non audiat.

Viri intelligentes. Observat Philippus, Eliu se convertisse ad eos, qui cominus assistebant. Quãtum, bone Deus, industriæ, & artis in homine arrogante ad captandã vulgi gratiam! Quam turpe, benevolentiã turbæ imperitę blanditiis, & assentationibus, atque cõmendatione Sapientię mendaci velle colligere! Quod observat D. Thomas discrimen, ut *viri intelligentes loquantur,* id est, objiciant, & *Sapiens audiat,* paratus respondere objectionibus Eliu. non est solidum. potius *loqui* aut dicere *alicui,* videtur esse in gratiam, & favorem alicujus. Quasi dicat, *Intelligentes,* & ut in Hebræo est, *cordati,* mecum consentient, & Sapientes meæ sententiæ auscultabũt, atque subscribent, Iobum stultitiæ, & impœnitẽtiæ condemnantes. Per *viros* autẽ *cordis,* aut cordatos, intelligit Cajetanus, *Homines servantes cor mundum, aut saltem redeuntes ad cor.* Sed certum, esse periphrasim Sapientiæ, quæ sæpe tribuitur *cordi.* Septuaginta. *Intelligentes corde dicent hæc.* Quod sequitur ex Hebræo: expresserunt Septuaginta; *Iob non intellectu loquutus est, verba ejus non in scientia:* quamquam in Hebræo per futurum, *non intellectu loquetur;* ut significet nihil deinceps expectãdum a Iobo, quam quod hactenus constanter asseruit.

Philipp.

D. Thom.

Loqui alicui pertinet ad favorem.

Cajetan.

Sapientię circumloquutio.

LXX.

XXXVI. *Pater mi probetur Iob usque ad finem: ne desinas ab homine iniquitatis.*

1. *Paraphrasis sententiæ. Eliu oratio artificiosa. Pronomina possessiva ad amorem.*
2. Pater, *ad creationem.* Iupiter Pater. *Deus communicans creaturis paternitatem. Illustratus Paulus.*
3. Pater *honoris, & reverẽtiæ nomen. Parentes Dei imago.*
4. Pater *nomẽ severitatis, & Providentiæ. Illustratus Paulus.*
5. *Tribulationes ad probandum, & ad cruciandum.*
6. *Verbum* vertendi *severum. Usus Epithetorum apud Hebræos.* Homo peccati, *apud Paulum.*

1 SED Cum nihil (inquit) mea oratione proficiam, neque potuerim in bonam

partem restituere hominē perditi sensus, & obstinati animi, atque adeo neque numen ipsum iratum inflictis in illum plagis ad sanitatem revocarit, illud mihi tantum reliquum est, ut qui tuam, Pater sanctissime, tuorumque filiorum causam tueri institui, tuus nimirum filius, & tui honoris amplificandi zelo inflammatus ego, te orem atque obtester, quando Iobus paterna tua indulgentia, & benignitate se indignum præstat, ut paterna illum severitate, nihil de supplicio remittens, amplius exerceas, & quandiu ille in suo scelere, & errore persisterit, tandiū excrucies: quod exemplum futurum sit improbis hominibus, ut ab impietate, & blasphemia aliquā do deterreantur.

Artificiū eloquētiæ Eliu.

Incredibilis sane eloquentia Eliu, & affectus animi atque orationis mirabiles. *Pater mi.* Quantū, ad depellendam omnem odii, & pravæ affectionis suspicionem, probare vult suam charitatem erga Deū!

Pronomina possessiva pertinent ad dilectionem.
Sen. in Hypp. actu. 1. Proper. lib. 1. Eleg. 9. Ovid. Epist. Hypsi.

Dixi aliquādo hæc pronomina *meum, tuum, suum*, delicata esse, & plena affectionis, præsertim apud Poetas; quos enim diligunt, *suos* nominant, & tātundem refert dicere, *meus*, aut *tuus*, ac si diceret, *dilectus*, & is qui curæ, & cordi est. Huc spectat cōcursio illa triplex ejusdem pronominis Cantic. 8. 12. ut in Hebræo, & Græco habetur, *Vinea mea mihi corā me.*

Pater Deus quia Creator

2 Sed quid nomine illo, *Patris*, designare vult Eliu? Expositores frequēter ad creationem referunt, ergo Deū magnifico illo Creatoris omnium nomine cōpellat. Philippus. *Patrem vocat, quia ab ipso est homo creatus, & conditus.* Et quidem cum Iovē Patrem omnium vocabant, auctorem rerum omnium fatebantur, ac vitæ largitorem Bythini, ut scribit Arrianus in Bythiniacis, consuevere montium cacumina cōscendere, ac *Iovem Pappam* salutare. Scythæ vero, ut refert Herodotus in Melpomene, *Iovem Pappæum* dicebant; imo, & Hieronymus Ephes. 3. consēt id nomen a Deo creaturis communicatum, cum dicat Apostolus, *Ex Deo omnem paternitatem nominari in cælis, & in terra. Paternitatis*, inquit, *nomē ex semet ipso largitus est omnibus, sicut enim solus bonus dicitur, ita & solus Pater, quia creator est omnium, & universorum causa substantiæ, præstat cæteris, ut patres esse dicantur.* Quare, & Adā quod a Deo creatus sit, filius Dei dicitur, Luc. 3. 38. & inferius, *Quis est pluviæ pater.* cap. 38.

Philipp. Iupiter Pater. *Arrianus.* *Herodot.* *Hieronym.*

Pater ad honorē, & reverentiam.

3 Sed alii honoris, & reverentiæ ergo existimant nūc Deum nominari *Patrem*; ut Eliu latēter vellicet Iobum, qui Deum videatur injuria, ut hostis lacessere, quē potius omni religione, & pietate, ut filius parentem, colere debuisset. simul ergo erga Deum religionem commendat, atque justorum omnium, & filiorum Dei benevolentiam conciliare nititur, ut qui communem omnium causam pro communi parente suscepisse videatur, non odio cujusquam aut invidia, sed paterni, id est, Divini honoris zelo quodam, & ardente studio. Est videlicet *Pater*, honoris nomen, atque adeo præcipimur honorare parentes; multo vero sanctius, & religiosius Deum, cujus imago sunt parentes. In quā rem eleganter dixit Philo lib. de Decalogo, initio 4. præcepti. *Præceptum de honorādis parentibus situm in duarum tabularum cōfinio conjungit ambas. Et sunt qui audacius exaggerantes nomen parentum, ajunt patrem matremque Deos cōspicuos, illius ingeniti imitatores gingendis animantibus.* Proclus vero, parentes esse simulachra, & imagines Iovis omnium patris: quare qui in deorum simulacra impios se præstiterint, in Deum, ut pote in prototypum, impietatē refundere. Vide Gell. lib. 2. cap. 14. Plutarch. in Laconicis.

Parentes imago Dei. *Philipp.* *Proclus.*

Ego vero ad subjectam materiā de Divina Providentia, & æquitate nunc referendum existimo *Patris* nomen, quo videatur Eliu, & Providentiam, & paternam etiam Dei severitatem adversus Iobum statuere. 4

Gellius. Plutarch.

Patris nomen Providentiæ, & Severitatis

Nam est *Patris* nomen, Providentiæ quoque, & severitatis. Providentiæ, & curæ illa sunt, Sap. 14. 3. *Tua Pater Providentia cuncta gubernas*, & Matth. 6. 32. *Scit Pater vester cælestis, quia his omnibus indigetes.* atque ad Moysen, & Aaron populi res curantes, refert Augustinus id Psalm. 77. *Coram patribus eorū fecit mirabilia.* Propter rerum necessariarum Providentiam, & curam dicit Ioseph Genes. 45. *Fecit me quasi patrem Pharaonis, & Dominum universæ domus ejus, & Principē in omni terra Aegypti.* quæ non tam pertinent ad magisterium, consilium, charitatem; quam ad œconomiā. Sed est in hanc *Paternitatis* Providētiā, illustris locus Ephes. 4. 6. *Unus Deus, & pater omnium, qui est super omnes* (Hieronymus, *Quia auctor est omnium*. est videlicet Providentia conjuncta cum Creatoris majestate) *& per omnia* (Theodoretus, Chrysostom. *Providens, videlicet, & gubernans.* Hieronymus. *Transcurrens, vadensque per omnia*) *& in omnibus* (Hieronymus. *Quia nihil absque eo est.* Chrysostom. *Inhabitans propterea, & suam domum curās*) Ergo opportune *Patrem* compellat Eliu, agens de Providentia, & ad corripiendum, deterrendumque Iobum. Nam illa etiam severitatis paternæ sunt, Sapient. 11. 11.

August. *Hieronym.* *Theodoret. Chrysost.*

Tan-

Tanquam pater monens probasti. Et iterum. *Flagellat omnem filium, quem recipit. quis enim filius, quem non corripit pater?* Vide 2. Reg.7.14. Ps.88.31. Clemēt. lib.4. Apost. Constit. hortatur parentes ad severiorem filiorum correptionem; *Ne vereamini eos graviter castigatos corripere*. Quare Divinā severitatē Eliu advocat ad diutius excruciandum Iob.

Clemens Rom.

Probetur (inquit) *Iob usque ad finem*. Plerique Latinorum; *ad mortem usque*, quod in originali habeatur, *usque in sæculum*, vel, *in sempiternum*. Sed Vatablus, *Longo tempore*. Gregor. *Adhuc*, Philippus *Iugiter*. Sed elegātissime Vulgatus, *usque ad finē*, quod sonat victoriam quandam: Vince, o Deus, triumpha, proculca hominis istius pervicaciam; rē hanc ad exitum usque persequere, quo usque Iob erratum agnoscat, & se tibi dedat; ne deseras tuā causam, sed obtine; nihil remittas de supplicio, dum ille in suo scelere perstiterit. Illud etiam ad rē facit, quod dixit Tygurina, *Res Iobi discutiantur exactissime*: sic enim obtinebis, Deus, in hoc judicio. Sed quod ait, *probetur*, proprie dicas etiam, examinetur, discernatur justus ne sit, an impius. Si justus nihil illi nocebit ignis, sed expurgabit, & mundabit omnem scoriam: si impius, fumabit adhuc, & in vanissimas querimonias, verborumque levissimorum favillas totus abibit. Forte vero alludit ad paterna Dei viscera infligentis suis filiis plagam, ut probet, admoneat: quos enim nō ut filios, sed ut hostes digno supplicio afficit, nō *probat* cruciatibus, sed confessionem extorquet, sed condemnat. *Cum enim Israelitæ tentati sunt, & quidem cum misericordia disciplinam accipientes, scierunt, quemadmodū cum ira judicati impii tormenta paterentur. Hos quidem tanquam pater monens probasti: illos autē tanquam durus rex interrogans condemnasti*. De discrimine autem tribulationum, quæ vel ad probationem, vel ad suppliciū mittuntur, diximus superius. Cajetan. vero existimat nonnihil habere hoc verbum ironię & amarulentiæ: cum enim hoc velit constanter Iob, ut suæ ærumnæ ad examē, & probationē sanctitatis, & innocentię sint, non ad supplicium sceleris alicujus; occurrat per ironiam Eliu; Sane quidē *probetur* Iob, sed probetur diutius, excrucietur, neque unquam finem accipiat hęc *probatio*, quod quidem propriū est supplicii, quod obstinati animi perpetuum est, nō *probationis*, quæ tēporaria esse solet. sicut Scriptum est; *Ad tempus sustinebit patiēs, & postea redditio jucunditatis*. Et iterum. *Non in perpetuum irascetur, neque in æternum comminabitur; Quemadmodum miseretur est pater filiorum misertus est Dominus timētibus se*. Sunt nimirum *parentum in filios iræ celeres, quam graves*, ut Plutarch. dixit.

5 נצח

Vatablus. Gregor. Philipp.

Tygurina.

בחן

Deus tribulationibus crucians impios, purgās justos. sap.11.10.11.

Cajetan.

Ironia cum amarulēcia.

Ecclesi. 1.29

Psal.102.9.

Plutarc. lib. de educādis liberis.

Ne desinas ab homine iniquitatis. Quod in Hebræo est, ansam dedit varietati interpretandi. Sic ex verbo; *Propter cōversiones*, vel, *super responsionibus ad viros iniquitatis*. vel, *in hominibus iniqui*. nam verbum, *Sub* primario significat *converti*, aut *redire*, & deinde *respondere*, quod respondens convertatur ad eum, cui respondet. *Respondendi* itaque significationem amplectuntur Hebraizantes. Tygur. Pagn. Reg. *Vt paratæ sint responsiones contra pravos homines*; sic etiam Vatablus. Nam iis, qui Iobi sententiā secuti fuerint, respondebunt eædem calamitates, & supplicia. Illud valde invitum, quod Cajetanus ait, *Quoniam responsiones Iobi sunt responsiones viri iniqui*. Eandem significationem probarūt Septuaginta. Sed ita ut Eliu cōversus ad Iob illum doceret modum respondēdi. *Verumtamē disce, Iob, ne dederis ultra responsionem sicut insipiētes*. *Noli* (inquit Nicetas) *eosdem amplius usurpare sermones*: Sed videntur sane enervasse sententiam alioqui vehementem. Alii elegerunt illam primariam significationē *convertendi*, vel, *avertendi*; Vt hoc insigni severitatis exemplo convertantur impii ad sanctitatem, avertantur ab impietate. Sed quidem Interpres *conversionem* illam pertinere existimavit ad exercitationem, & jactationem alicujus per ærumnas. sicut eadem omnino significatione, quamvis ab alia radice, dicitur Prov.12.7. *Verte impiū, & nō erit*. nā ad supplicium, & verbera pertinet, *Dar le una buelta*. versa impios, exerce, jacta; peribit, & evanescet statim fucata fælicitas. Ita nunc, *propter Iob, conversionibus hominum iniquorum*. illum exerce, verte, inverte, jacta, non permittas quiescere, non desinas illum jactare, & super illū convertere manum, ut mereatur homo insignis improbitatis, id enim significat, *Homo iniquitatis*. qua phrasi, Apostolus appellavit Antichristum, *Hominem peccati*. quē definit Theodoretus; *Qui omnem operationem Diaboli in se suscipit*. projectus ad omne facinus, quod alibi dicitur, *venundatus, ut faciat malum*. nam hujusmodi constructiones per genitivum non afferunt tantū vim Epitheti, ut si dicas, homo iniquus (genitivi enim nominis substantivi adjectiva fiunt in Hebræo): sed præterea afferunt vim perpetui cujusdam Epitheti, & excellentiam in illo genere, ut quod statim addit Paulus. *Filius perditionis*, insigniter perditus. *homo peccati*, famosus peccator: nā

6

שוב

Tygur. Pagnin. Regia Vatablus.

Cajetan.

Nicetas.

Verbum vertendi, severū, & ad supplicium.

הפך

Homo iniquitatis. 2.Thes.2.3.

Epithetorum vis, & usus in Hebræo.

geni-

genitivo nominis substantivi constructo cum alio substantivo, etiam si pluralis numeri non sit, tum excellentiam quandam tum epitheta circumloquuntur Hebræi.

37. *XXXVII. Qui addit super peccata blasphemiã: inter nos interim cõstringatur, & tunc ad judicium provocet sermonibus suis Deum.*

1. *Varius Explicatus. Eligitur præstantior, & elucidatur paraphrasi.*
2. Constringere, explodere, *quid.*
3. *Artificium orationis Eliu.*

1 PEndet ex varietate superioris sentẽtię, hujus quoque varietas, nam si illa non restringatur ad Iobũ, neque hæc Nisi Iobi (inquit) blasphemiam coerceres gravissima, & diuturna plaga, *non defuturus esset, qui scelus peccato cumulans inter nos plauderet, ac verbis cum Deo litigaret*. Sic Tygur. (Tygurina.) Sed præstat sensus alter de ipso Iobo: Ad peccata superioris vitæ, hypocrisim, avaritiã, & reliquos errores. *addit.* in Hebręo. *addet*: non enim poterit ad sanitatem adduci. *blasphemiam.* (פשע) proprie, scelus, prævaricationem, dicessum a Deo Divinorum contemptum, Divinæ Providentiæ, atque justitię criminationem: & verberibus quidem nihilo melior effectus, nihil de sensu remittit. Sed dum pertinax est in innocẽtiæ testimonio postulando, & sibi tribuẽdo, injurius est erga Deum totius justitię auctorem, qui neminem nisi propter scelera puniendum statuit.

2 *Inter nos interim constringatur.* (ספק) Nos interim, quod nostrum est, insignem hominis stultitiam refellemus, subsannabimus, explodemus, exsibilabimus, ne illius sceleris, & Blasphemiæ participes nostro silẽtio videamur. Huc respexerunt Septuaginta; (LXX.) *Et iniquitas super nos cõputabitur, multa loquentibus verba contra Dominum.* De verbo autem *cõstringẽdi*, dixi supra, significare plaudere, pulsare, explodere, & quid quid vel explodendo, vel plaudendo fit. (Constringere, quid.) Quare Thargum; (Thargum.) *inter nos plaudit, & multiplicat verba sua coram Deo*. plaudit videlicet manibus, & canit de nobis triumphũ. Alii; Sibi quasi in excellẽtibus meritis applaudit. Cajetanus; (Cajetan.) Plaudet cum irrisione & contemptu nostri, non enim dignatur nos responsione aliqua: tantum ad Deum appellat. Vatabl. (Vatabl.) *Explodet opinionem nostrã.* Sed prælucet reliquis Vulgatus; Pulsemus, explodamus hominẽ, exagitemus, jactemus, ne impune audeat ad Divinum judicium provocare. Philip. (Philipp.) nostram cum Septuaginta lectione conjungit; *Condẽnetur inter nos interim, & absque crimine nostro erit, si postmodum Deum provocare tẽtaverit.* Nescio quid argutum Gregor. (Gregor.) in hunc modum; Si nos Iobum rationibus urserimus, & in arctum concluserimus, fiet tandẽ ut reformidet Divinum tribunal, quod strictius, & severius est, *Ex nostra assertione cognoscat, quia nequaquam Divinæ examinationi sufficiat.* Sic Gregor.

3 *Tunc provocet.* q.d. Tũc minime provocare audebit; non multiplicabit verba coram Deo, obmutescet nimirũ impeditus nostra correptione. Observa artificiosum atque malignum disputatorem Eliu; (Artificiũ orationis Eliu.) jam enim petit respõsionem nullam sibi adhiberi: jam rem totam cõmittit Iobo judicandam: jam ipse inique, & temere judicat: jam Iobum laudat, jam vituperat. jam Iobum accusat multiloquii; ipse vero nullum disputandi finem facit.



CAPVT XXXIIII.

1 *Pronuntians itaque Eliu hæc etiam loquutus est.*

2 *Audite sapientes verba mea, & eruditi auscultate me.*

3 *Auris enim verba probat, & guttur escas gustu dijudicat.*

4 *Iudicium eligamus nobis, & inter nos videamus, quid sit melius.*

5 *Quia dixit Iob; Iustus sum, & Deus subvertit judicium meum.*

6 *In judicando enim me mendacium est.*

PARAPHRASIS
Capitis præcedentis.



CVM EXPECTASSET ELIV An Iob loqui vellet: is vero nullam loquẽdi significationẽ præbuisset, rursus ille ad loquendum aggreditur, atque silenti homini hujusmodi oratione, quasi responso quodam, occurrit: ita tamen ut pristinæ Iobi orationi, & defensioni etiam respondere conetur, atq; omnia refellere, quibus suam ille innocentiam defenderat. Sed nõ solum ambitiose disceptat Eliu: se enim potius judicem, & diremptorem totius controversiæ constituit, quã disceptatorem: Verum etiam ornate nimium, & polite. nam orationem, vocemque suam ex rerum ac verborum dignitate ita moderatur, ut affectus oratorii vultu, totiusque prope corporis habitu inardescant, & insolenter auditoribus se probet.

Ergo rursus captata attentione, & benevolentia conciliata in hęc verba exorditur: Vos, o viri, Sapientia rerum humanarum atque Divinarum præclari, compello; vos quoque judices adhibeo, multarũ, atque magnarum rerum expertos, & quotidiano usu exercitatos.

Sicut enim examen, & judicium verborum, atque sermonis ad aures: & gustatus ciborum ad palatum; sic profecto examẽ, põderatioque veritatis ad mentis judicium, & trutinam referenda sunt. Propterea vestrum de mea oratione, deque tota inter nos atque Iobum controversia sincerum, emunctumque judicium efflagito. Ideo enim aures vestras attentas, & benignas postulo, quod aures sint orationis judices, & verum a falso internoscere, rectumque a pravo discernere debeant: non secus, quam palatum ciborum varietates explorat: purgatis enim, & religiosis auribus vera consonant, dissonant falsa.

Ergo dum ego loquor, dum vos auscultatis, quoad fieri possit, rei hujus judicium æquum, & incorruptum faciendum est. Et verissima causæ cognitio pervestiganda. Communis itaque nobis est veri disquisitio: & commune sit judicium, recte an secus Iobus dixerit.

Meminerimus vero, quæ dixerit Iobus: quæ profecto neque ipse negabit, neque non recognoscet: dixit enim non semel, sed sępe; non leviter, sed asseveranter, & contumaciter; Satis meam innocentiam, atque meæ æquitatem causæ ostendi, & probavi tum Deo, tũ æquis hominibus: neque vere poterit me quisquam allius sceleris insimulare. Sed tamen mihi jus meum persequi apud Deum judicem non licet; quippe ille non ex judicii formula mecum agit, sed omni privata lege liber, pro sua voluntate innocẽtem excruciat: nec proter scelus ullum, quod judicii, & judicantis erat, sed potentia magis, quam justitia usus insonti plagam inflixit.

Illud vero gravissimũ, quod visus fuerit Divino judicio atque sententiæ mendacium affinxisse. Quasi Deus falsa ullum criminatione atque immerito supplicio condemnarit. Nam quid obsecro supplicium est quam peccati pœna? Quid manifesta castigatione testatur Deus, quam occultum aliquod hominis scelus? At pernegat is adversus Divinum testimonium. Et religiosus homo, ut a mendacio abstineat, mendacium in Divinam veritatem rejicit, ait enim; Si aliter de

NOTATIO *RERVM INsigniorum, quæ in Commentariis fusius explicantur.*

meæ vitæ innocentia loquar,ſentiamve, aut aliquod crimē inuri mihi patiar,mendacium admittā.Ego vero ſuper jure meo mentiri debeam? an par eſt,ut ſuper innocentia mea mendax habear?imo vero accūſatores meos mendacii convincam. Illud tantum in mea cauſa mendacium mihi ineſt, quod mei juris aſſerendi me ſpes fefellit.Falſus ſum expectatione præmiorū: cum potius pro præclaris facinoribus ſupplicia acceperim: ego igitur qui ſecus exſpectabam,mendacium mihimet dicebam, atque ſuadebam. Et qui nunquam mentitus ſum,at mendacium ſæpe dixi, ſæpe concepi. * Eo enim ſpes omnis mea recidit,ut deſperate,& inſanabiliter doleā,ſęva graviſsimi cruciatus ſagitta,tanquam violento, quodam jaculo transfixus.

** Violeta ſagitta mea abſq; ullo peccato.*

Hæc eſt, optimi auditores, inſolentiſsimi hominis oratio. Et quidem eſto laudem aliquam mereri poſſet Iobi ſpectata virtus,qui ſua ſpōte atque judicio injurias ſuſcipit, ut qui aquā hauriunt: quia etiam ſe a facinoroſorum, impiorumque cōſuetudine, & convictu abſtraxerit, tamen illud eſt,quod de te,o Iob,conqueri debeam,non quod injuſtus ſis, ſed quod res noſtras a Dei contemplatione, Providentiaque ſeponas. Etenim quis mortalium, ſi vir eſt,& viri nomine ſana mente præditi dignus,eo ſtultitiæ,& impudentię devenit,ut dum temere,& ignoranter de Divinis loquitur,irridendū,& ſubſannadum ſe præbeat cordatis omnibus,atque ſapientibus? quis ſani judicii homo,ita velit ſuæ vitæ conſiliorum,& actionum dignitatē tueri,ut judicio cōſilioque Divino illudere,& inſultare non dubitet,atque illam ſibi voluptatem maximam ſtatuat, quæ ex Divinæ Providentiæ contemptu,& maledicendi ſtudio percipi poteſt? Quis tā ſtupidus,ut tum Dei ignominiam, ſuamque ſubſannationē amet,bibat, & ſitiat? atque ingentem ſitim,qua exardeſcit, nō niſi jactatis in cœlum maledictis extinguat,aut refrigeret? Scilicet hoc animi eſt ad ſcelera projectiſsimi,& ad peccandum ſæpe, incunctanter, graviſsime nulla religione retardati.

7 *Quis eſt vir, ut eſt Iob, qui bibit ſubſannationē, quaſi aquam?*

Propter impia nempe dogmata,atque pravam de Divina æquitate, & Providentia opinionem videtur profecto ſocius eſſe Iob ſceleratiſsimorum hominum: nam qui corrupte ac temere loquitur de Divinis,is mente,& animo de grege,& cætu impiorum eſt. Qui autē mente, & conſilio conſentit cum impiis, abibit quoque ad illorum opera,& facinora, atque illorum vitæ,& inſtituto vivendi comitem ſe adjunget, pariterque cum illis aberrabit, nunquam neque in vero de Deo ſenſu, neque in recto rerum agendarum judicio fixus,& immotus gradu.

8 *Qui graditur cū operantibus iniquitatem, & ambulat cū viriis impiis.*

Is porro eſt Iobi ſenſus non ſemel diſſertus,nihil utilitatis percipi ab homine ex amicitia,& familiaritate cum Deo,aut ex frequenti & ſollicito illius obſequio, etiam ſi ita fuerit quiſpiam magnus,& ſummus,ut Deo in omnibus juſsionibus implēdis alacriter occurrat,celeriterque univerſa mandata percurrat.

9 *Dixit enim: nō placebit vir Deo, etiā ſi cucurrerit cum eo.*

Ideo firmam omninoque fixam de Dei Providentia, & æquitate aſſertionem contra hunc Iobi errorem ſtultum atque vecordem, cujus vos judices,viri ſapientiſsimi,appello,& alloquor, cōſtituere aggredior. ª Abſit enim a nobis tā immanis ſtultitia,ut quidpiā iniquū de Divina æquitate concipiamus. Abſit ab illa ſuprema judicii,& æquitatis norma, quod vel leviter detortum, deflexumve ſit. Error profecto ille tam peſtifer nōn niſi in ſordidiſsimas atque corruptiſſimas Atheorum hominum mentes cadere poteſt.Quare curandum, atque cavendum omnino mihi,ut ne etiam de totius æquitatis,& juſtitiæ auctore quidquam ego iniquum,pravumve loquar,aut concipiam: aut ſupremo illi ſanctitatis, & juſtitię cuſtodi profanum, pollutumve aliquid affingam: nam qui juſtitiæ auctor,& norma eſt,neque juſtitiam corrumpere, neque vim æquitati afferre poteſt: nihil enim in judice eſſe debet,vel quod juri repugnet,vel quod jure ab aliquo damnari poſsit; neque qui Omnipotens eſt, atque uberrimus

10 *Ideo viri cordati audite me: Abſit a Deo impietas, & ab Omnipotente iniquitas.*

ª *Particulæ,* Abſit, *uſus, & proprietas, ad Scripturarum intelligentiam, & Iudicū, Principumq; doctrinam, diligēter explicatur. n. 2. 3.*

bono-

bonorum omnium fons, merenti virtutis & pietatis præmium unquam denegabit.

11 *Opus enim hominis reddet ei, & juxta vias singulorum restituet eis.*

Verumenimvero justitię munus est, unicuique quod suum est tribuere. Quare pro suo munere Deus eum vitæ ac viæ finem, & exitum unicuique confert, quē quisque suis gressibus, & studiis comparabit: quamcumque enim viam insistat homo, obvium profecto habebit Deum, sive ultorem, & vindicem sceleris, sive laboris, & itineris ducem, & comitem: atque unicuique illa tandē evenient, quæ ea, quam ingressus fuerit viā, digna fuerint: & unumquēque facti ipsius minime obscuri conscientia convincet.

12 *Vere enim Deus nō condēnabit frustra: nec Omnipotens subvertet judicium.*

Perpetuo sane Deus, constanterque justitiam tuetur, & cōservat: neminem ille facit impium, neque gaudet invenire improbos: sed sua tamen sententia improbitatem omnem, ubicumque sit, declarat, & condemnat. Putas vero Deum absurda facturum, ut quempiā innocentem numero adscribat damnatorum? unquam ille judicii ferendi, & sententiæ pronuntiandæ normam æquissimā atque rectissimam inflectet, aut detorquebit? Non turbabit, neque miscebit justum, & impium.

13 *Quem constituit alium super terrā, aut quem posuit super orbem, quem fabricatus est?*

Hanc autem Divinam æquitatem duplici, & ea gravissima ratione confirmabo. Primum enim oportet judicem aliquē atque moderatorem æquissimum universo terrarum orbi præsidere: neq; enim is sine Providentia, sine moderatore consistere potest: neque partes illius mutua societate devinciri, nisi esset qui sua potentia, & sanctissima æquitatis lege illas contineret: at nullus est alius præter Deū; is ergo est æquissimus, & incorruptissimus judex, atque moderator non solum rerum ratione carentium, sed hominum libere agentium, rerumque omnium humanarum. Alioquin tuum erit, o Iob, quempiam meliorem, & incorruptiorem judicem proferre, cui traditus sit clavus universæ hujus mundialis machinæ. Deinde cū Deus sit mundi Architectus, & opifex, illius profecto interest curam gerere sui opificii, atque creaturas universas paterna Providētia cōplecti, & ad suos fines deducere, partesque singulas universi summa æquitate cōtinere, & moderari: alioquin idē ipse secum pugnaret, nisi quæ effecit, tueretur, atque conservaret. Quæ cum ita sint, quis sanę mentis homo in Deo rerum omnium creatore, & administratore justitiam, & æquitatem desiderare poterit. Quis enim edidit in sceleratos gravissima in omni seculo supplicia? quis in occulta facinora inquirit, recensetque peccata populi? nonne Deus? Quod si is iniquus tibi videtur, quis tibi videbitur superior judex, ad quem sit appellatio, & provocatio nostrarum injuriarum? Nunquid alius est mundi rector, qui Creatoris opera corrigat, & dirigat? Quis post illum visitabit terram? quis eam rectius disponet? vel quis cum illo rerum universitatem sustinet, ut quasi partito imperio, & dominatu, partem suā quisque Providentiæ, & potestatis administret? is profecto qui sua bonitate hanc rerum universitatem excitavit, contra quam oportet, opificium suū injuria non lædet: neque enim ab ipso, quæ effecta sunt, aliena sunt, ut nos vexare debeat injuria, etenim sibi ipsi parcit. N. cum incredibili arte, & cura, atque certa ratione, & ordine res universas stabilierit, terramque ipsam habitabilem propter infanda scelera abstulerit, rursus suis justis restituerit, manifesto argumento est unicum illum, atque incorruptissimū esse totius æquitatis auctorē.

14 *Si direxerit ad eū cor suum, spiritum illius, & flatum ad se trahet:*

Tam constanter ille supremæ æquitatem legis servat, ut nullius unquam metu a jure, & æquitate discedat: cum enim ipsius potestate omnium vita,[b] & spiritus cōtineatur, tuto potest rerum universitatem pro libito disponere. Quod si ille tantum ex sua potestate ageret, non etiam ex æquitate, aut si tantum ex severitate justitiæ, ut tu asseris, o Iob, non ex benignitate, perirent profecto universa. Erga justos potissimum justissimus est. Nam statim ut homo se se ad illū converterit, dixeritque ad superna cor suum, Deus placatus illius

b *Divinæ respirationis, ad vitam creaturis communicandam, vel denegādam, & auferēdam, vis, & efficacitas, ad Scripturæ intelligentiā cum utilitate, & diligentia explicatur n. 3. & 4.*

animam,

animam,& desideria ad se trahit,& peramanter sibi conjungit, completque bonum hominis opus.Ergo non odit Deus ea,quæ fecit,neque hominem persequitur odio: Sed cum sanctus sit,sanctos perpetua benignitate prosequitur,ad impiorum vero innumera scelera sępenumero connivet: secus enim universum jam humanũ genus perdidisset, ac nullum Sanctorum, improborumque delectũ habuisset. Sed cum sit æquissimus rerum humanarũ moderator, improbos eluvione perdidit,innocẽtes servavit in tuto reconditos. Hoc enim attentissime curat, ne unquam æquitatem,& sanctitatẽ lædat.Et quod ex Divina illa bonitate est, vult profecto vitam universis impertiri: primus enim, & uberrimus vitæ fons est. Ex illius enim quasi respiratione, & anima spiritus & halitus afflatus est homini. Cum vero gravissimo aliquo scelere offensus punire hominem statuit, tũc quasi aversa facie cohibere videtur spiritum,& vitam,quam semel dederat, rursum ad se se colligere; aut certe quam uni denegat, aliis quibus propitium se præbet, largiter communicat.

15 *Deficiet omnis caro simul, & homo in cinerẽ revertetur.*

Ablato itaque spiritu vivificante non homo solum, sed uniuersa statim exprirarent viventia: homo præsertim ex pulvere cõpositus dissolveretur statim & pristinum in pulverem abiret.

16 *Si habes ergo intellectum,audi,quæ dico: & ausculta vocẽ eloquii mei.*

Quare iterum,atque iterum jubeo attentum te præbere, Iob,atq; omnem intelligẽtiæ vim intendere in has meas rationes perpendẽdas: sed his; quæ dixi fortiora etiam,& subtiliora adjungam.

17 *Numquid qui non amat judicium, sanari potest? & quomodo tu eum,qui justus est, in tantum condemnas?*

Nisi forte ita tu Divinæ justitiæ,& judicio detrahas, ut neque ratione,neque via ulla sanari ab isto mẽtis morbo,& errore possis. qui enim pravis de Dei Providentia opinionibus male affectus est, vix poterit ad saniorem mentem adduci.Est enim rectus de Divina Providentia sensus,quasi fundamentum optimarum reliquarum cogitationum: Quem si susciperes, & corpore & animo servareris: atque ipsa te Divina Providentia,quam coleres, his morbis,& ærumnis liberaret. Verumenimvero supremus ille judex est simul nostrorum animorum atque corporũ medicus,ac chirurgus: adhibet enim peccatis acres atque difficiles curationes: Si vero homo minime aspernetur manum,atque sectionem,& ustionem medici,postquam semel ille vulnerarit, alligabit statim,atque sanabit vulnus. Sic ille,& vulnerando,& sanando,judicium & æquitatem servat in omnibus. etenim neque sceleratis licẽtiam, impunitatemque permisit; sed potius morbis atque terroribus ad graviõra scelera aditum interclusit. Et eum,cui vitium amputare vult,morbo aliquo sanat. hæ sane sunt judicii, & justitiæ actiones: Ergo Deus non odit justitiam, neque res mortaliũ,sed utrumque potius integerrime curat,atque tuetur. Manifestum quippe est,Deum, si justitiam non diligeret, neque curaturum ut animos a vitiis sanaret, neque ut quemquam corrigeret: At ille,curator,& sanator est nostrorum languorum, improbos alligat, & coercet supplicio,& inflicto dolore furẽtes ad mentis sanitatẽ adducit. Denique nunquam sapientissimus iste medicus morbo aliquo injustitię laboravit. Quid enim illum alligare,& curare ab injustitia posset? cum enim idem sit Principis,atque chirurgi munus,qui nemini nem superiorem habet,nullo indiget medicinæ præsidio.

c Deus instar Chirurgi, curans humanos morbos, Præbens optimi Principis formam, utiliter disseritur n.3.4.

18 *Qui dicit Regi, Apostata. Qui vocat Duces, impios.*

Et quidem si is,qui regi in faciem audet iniquitatẽ objicere,summę improbitatis judicium subit,ut qui Regiam dignitatem odio quodam,& malignitatẽ læserit, quid illi fiet, qui Divinam Majestatẽ injustitię,& iniquitatis temere damnarit? Videris itaque,o Iob,tu ipse ne supremo Regi iniquitatẽ objicias:& absque jure mundum ab illo administrari: nec non illius administros Angelos eodem iniquitatis crimine involuendos cẽseas. Deus ne appellari injustitiæ potest,qui alios injustitiæ appellat, atque condemnat, nullius quantumvis potentissimi Regis personam reveritus? Neque enim ille vult regnare impios; neque juris atque æquitatis hostes juri, & æquitati præsidere; neque eos; quorum interest publicam rem, atque pietatem

promo-

promovere,[d] contemptores esse hominum atque deorum : & nunquam in melius sed in deterius proficere . Qui non solum omnis legis , & jugi impatientes sunt, sed aliis pravo exemplo auctores,ut deficiant a lege , & æquo ; atque adversus Divinam legem omnem dolum , & fraudem meditentur. Ille enim vere reliquorum dux,vere inter alios Princeps, & liberalis,atque spontanei nomine dignus, qui tantum ab eo abest, ut juri, & legi vim inferat , ut potius sponte sua obligatum se legibus profiteri gaudeat ; & non minus sua potestate,quam suo exemplo ad legum observationem, & cultum subjectos sibi compellat.

d *Nominis,*Belial,*significationis,& etymologiæ accurata disputatio n. 5.*

19 *Qui non accipit personas Principum ; neque cognovit Tyrannum,cum disceptaret contra pauperē: opus enim manuū ejus sunt universi.*

Non ille movetur humana potentia , aut splendore , ut personas potentiorum accipiat , & iniquis principibus adversus pauperes favere velit : merita ille hominum , & mores æstimat ; nullum præterea dignitatis humanæ splendorem paupertati,& prrobitati antepo nit , ut alicujus metu , & reverentia ab æquitate discedat , aut a justa sententia ferenda retardetur : non sordet in illius oculis sordida paupertas , non squallida macies , non tenuis, & parcus miserorum victus . Neque e contrario splendet coram eo splendidus victus atque vestitus , non Potentia , non amplitudo ; sed justitia, sed pietas ; quam neque obscurat egestas ; neque ementitur fælicitas. Imo potius potentiores istos,quorum opem egentes, & miseri inclamare deberent , si quando adversus pauperem clament, atque tumultuentur, ipse comprimit, & vocem adimit. Nam qui universitatis istius auctor est, atque largitor bonorum omnium,neque mirari potest humanum splendorem, neque non æquali studio, & charitate omnis conditionis homines complecti.

20 *Subito morientur, & in media nocte turbabūtur populi, & pertransibunt, & auferent violentum, absque manu.*

Ita cum universi homines sint in supremi Creatoris potestate,frequenter Tyrannos repente aufert , & perturbatis atque exagitatis rebus illorum publicis , & quasi pace cum hostibus stabilita, ut Tyrannorum omnia devastent , arces munitissimas expugnent , atque omni tandem humana spe illos destitutos publico exemplo,ac morte turpissima traducit. Quanta vero improborum oscitatio, & dormitātium mala securitas! quanta in mediis discriminibus subito exortis caligo , & turbatio! quantus populi inique oppressi tumultus, & seditio! quātus in impiorum morte, & repentino exitio,motus,& exagitatio subditorum! hac illac seditiosi discurrunt: hi repētino casu perculsi, illi vero velut in populari seditione tumultuātes,ut omnia occupent,& magistratus cum Principe de medio tollant.Quanquam quidem libertate consequuta facile conquiescent,ac levius ferent sęvissimi Tyranni mortem, nihil jam morantes, nec lugendum illum censentes,quem primum stupentes mirabantur. Interim Angeli missi a supremo judice,vim vi quasi repellentes,sęvissimā Tyrannidem,quasi Divina severitate comprimētes,nullo negotio universum Tyranni statum labefactabunt , nunc per insidias hostium, nūc nulla humana industria,hominumve ministerio,sed cęlestiū tantum, & invisibilium potestatum,adversus quas nulla manus, nullum præsidium satis firmum esse potest.

21 *Oculi enim ejus super vias hominum : & omnes gressus eorum considerat.*

Omnia Deus videt, contēplatur omnia, ipse est inspector omniū humanarū actionum, nihil ille contēnit, quod nō examinet severissime:nec solū publica scelera,sed etiā quæ nemo præter illum videt, occultissima studia,& minutissimas quasq; cogitationes,atque universas vitæ instituendæ rationes, non solū opera,fines,& exitus,sed ipsa agendi initia, quæ mente concipiuntur,quasi agendorū semina, opere postea ad finē deducenda . Cū enim locus nullus sit tā obscurus,in quo latitare possint, qui faciunt iniqua,nihil est tam occultū, quod æquissimus judex ad examen judicii sui non revocet: nihil ille per ignorantiā præterit,nihil per oblivionem impunitum relinquit.

23 Quamvis quidem nec Deus cuiquam impingit , quod non fecit, ut cum Deo in jus ambulet : nec ab aliquo graviores exigit pœ-

nas, quam meretur illius peccatum: Non enim ille severissimus exactor est suppliciorum, & pœnarum, sed benignissimus dilator dissimulator, condonator: sed digne tamen aliquando statuit, non ultra differre Tyranni vindictam; ita ut ex firmo Dei judicio atque decreto neque momentum diuturnioris vitæ extorquere ad pœnitendum valeat. Sic profecto cum sibi tantum futuros rerum, ac vitæ eventus reservavit Deus, quod præsens est bonum ac malum nostræ ille offert potestati: verum in eo quod consequitur ævo, ejus rei nobis erit erepta facultas, neque enim rei gerendæ optionem Deus daturus est amplius: tunc enim firmitas Divini judicii nec retractari, nec mutari poterit, neque rursus semel pronuntiata sententia ad judicium, & controversiam revocari. Sed referenda jam ab homine vitæ merces, & actiones omnes illo fine sempiterno claudendę. Quare frustra nunc etiam conaris, o Iob, quam semel accepisti tui judicii sententiam, & pœnam rursus ad vitam, & disceptationem adducere. Deus enim, qui attentissimus inspector est, idemque incorruptissimus judex rerum humanarum, judicii, & sententiæ ferendæ diem nobis dicit: neque homini licet, postquam accersitus fuerit, ulterius morari: non enim nostræ optioni permittitur, ut veniamus in judicium, cum voluerimus. Vide quam justus judex, quam nihil tribuens dignitati personarum, sed vita ac meritis omnia metiens, Omnia ex lege, & ratione administrans, & exigens! ut nisi homo plane a lege, & ratione abhorreat, nihil jure amplius postulare; nihil cum illo de ulla injustitia expostulare possit. *Neque enim ultra in hominis potestate est, ut veniat ad Deum in judicium.*

24 *Conteret multos innumerabiles: & stare faciet alios pro eis.*

Itaque Divinæ potestatis, atque Sapientiæ est Tyrannos potentissimos male perdere, quorundam aliorum opera, & ministerio usus, qui priorum loco substituti, rerum deinceps potiantur: cujus rei non unum aut alterum tantum, sed infinita pene exempla Divina justitia edidit, quorum ut numerus, ita neque occultum judicium nobis satis cognitum, & exploratum est. Nam hujusmodi insignium suppliciorum causæ, sicut nos latent, ita certe in Dei rationario sunt. Deus enim, quæ majora sunt hominum opinione facit, ac nihil eorum ignorat, quæ ab hominibus geruntur. Neque vero evertit semper Deus regnum cum rege impio; Nam uno dejecto alium interdum erigit, columnæ instar, qui pondus populi sustineat: sicque populum Tyrannide liberū alio benigniori Principe recreat & tuetur. Aliquando etiam quosdam ex humili fortuna sublatos ad Imperium evehit, quorum opera de Tyrānorum inhumanitate pœnas sumit: & hos statim victoriis, & Imperio insolescentes similiter perdit. [e] Ipse denique vel ad suæ justitiæ, & Providētiæ, vel ad potestatis documentum, transfert Regna atque constituit.

[e] *Dei esse, Regna cōferre, auferre, trāsferre, mutare, præfinire, & circūscribere, ut qui supremus Rex sit, cujus loco velut Proreges sunt homines, luculenter ostenditur peculiari digressione a n. 4. usq; ad 12.*

25 *Novit enim opera eorum: & idcirco inducet noctem, & conterentur.*

Non quod male velit hominibus Deus, neque quod ostentare velit Potentiam, aut quod Tyrānidem exerceat, sed quod justus sit, & humanorum scelerum cognitor, & vindex, tam gravia edit in Tyrannos supplicia; ex quibus mortales intelligant illum prospicere atque curare, quæ in terris aguntur; atque illorum fuisse nefaria studia, quos ipse supplicio gravissimo afficit, atque traducit: tum ut cæteri aliorum exemplo sapiant; tum ut ipse improbus castigatione eruditus sua ipse opera digno judicio æstimare valeat. Cum igitur gravissimo supplicio tenebris impiorum splendorem obruit, & in mœrorem convertit, mirum est quantum illorum impietas, quę diu latuerat, in lucem hominumque conspectum proferatur! Enim vero quasi exacta nocte, & affulgente jam cognitionis, & verioris judicii luce, apparebit tandem, quam nefarii fuerint impiorum conatus, & quam digni ut cōfringantur, & ab iis, qui fuerant Tyrannorum subditi, nunc vice versa comprimantur, & conculcentur.

26 Sed ne quis Divinæ justitię vim enervare contendat, quasi Deus non tam studio ęquitatis, & odio iniquitatis, quam alio quopiam af-

Quasi impios percussit eos in loco videntium.

fectu incitatus everterit Tyrānos, illud certe persuasum tibi velim, sola improbos impietatis causa accersitos, damnatosque esse, & tantum quod improbi fuerint, Deum quasi cōplosisse manibus atque cū plausu, acclamatione, & stupore universorum mortalium, illos cunctis ridendos, spectandosque proposuisse, nō in angulis, sed in locis celeberrimis: atque cum in celebri hominum frequentia illorū splēdorem extinguit, alios profecto in eorum locum statuit, quos ingēti lumine fælicitatis complet, ante omnium oculos.

27 *Qui quasi de industria recesserunt ab eo: & omnes vias ejus intelligere noluerunt.*

Verum enim vero non ignorātiæ, sed nequitiæ atq; sceleris fuit, quod Principes isti, summique viri peccaverint: sponte enim a Divina lege defecerunt. Divina igitur æquitas non solum peccatū, sed peccati gravitatē, & circunstantias omnes expendit, atque suo supplicio afficit. Hi sane sunt, qui nunquam se Divinæ legi erudiendos, & informandos tradiderunt, ac perinde sane vixerunt, ac si de Divina lege nihil unquam percepissent.

28 *Vt pervenire facerēt ad eum clamorē egeni, & audiret vocem pauperum.*

Cum enim Deus Optimus beneficentiæ, & misericordiæ legem erga pauperes præscribat potentioribus, virisque principibus, hanc potissimum legem contempsere Tyranni, ut qui neque boni, neque utiles suis popularibus, sed exitiosi omnino extiterint: ut coegerint miseros opis, & auxilii causa Deum judicem inclamare. Atque adeo iidemmet Tyranni, qui per vim, & sævitiā gemitus, & clamores pauperibus extorquent, ipsi sunt qui clamorem ad Deum perferunt. Frequenter namque ipsi pauperes ita comprimuntur, ut voce quasi strāgulata ne hiscere quidem corā Tyranno audeant. Dissimulat interdum Deus se audire, sed tamen ostendet repetita de improbis vindicta, ereptaque avarissimis hominibus præda. Illud etiam Divinæ Providētiæ, atque justitiæ opus est, ut seditione populari adversus Tyrannos excitata, Reipublicæ tranquillitas subsequi soleat, aliquādo vero pacifice agit Tyrannus ipse, ac nemo illum propter nefaria scelera condemnandum, & de medio tollendum censet: utrumque Deo Providente, qui pacis, & belli auctor est. Nā si Deus, quasi abscondito aut averso vultu dissimulet se videre, nemo profecto erit, qui in Regum, Principumque vitam, & mores, quamvis corruptissimos inspiciat, atque inquirat. Sed quidem quamvis interdum dissimulet se videre Deus; sed tamen palpebræ ejus contemplantur gētes, Respublicasque universas, atq; adeo singulorum hominū actiones. Denique ea quæ ad pacem, & tranquillitatem vel ad perturbationem, seditionemque Rerumpublicarum pertinent, Divinæ Providentiæ effecta sunt, sive rerum potiātur Tyranni, & perturbatores, sive pacis vindices, & conservatores. Nisi enim Deus benigne respiciat, non deerunt Regni hostes, qui multitudinem inique premāt miseranda servitute; cum nemo profecto aspicere poterit quod lætum jucundumque sit, ubique ante omnium oculos tristissima rerū obversante imagine. Sed si subito propitium se præbeat numen, Tyrannumq; prosternat, interitu illius miseris vitæ melioris nova spes, nova lætitia. Deus enim est, qui impiorum seditioni silentium imperat pacatissimum. cōtra cujus voluntatem quis tumultuabitur, aut quis indignis adversus pauperes modis aget? Quod si idē, quasi absens esset, suam opem subtrahat, quis erit qui præsentiam numinis revereatur: aut quis Deum omnia contemplantem timebit, quisve provisor erit rerū humanarum? Hæc, quæ dixi, auditores, tū de incolumitate, calamitateve Regni, aut Reipublicæ universæ, tum de singulorum hominum statu, & conditione, intelligenda velim; hæc enim non sunt fati, non casus, & fortunæ, sed Providentiæ, sed supremæ justitię effecta, consilia, & actiones.

29 *Ipso enim concedente pacem, quis est, qui condemnet?*

30 *Qui regnare facit hominem hypocritā propter peccata populi.*

Cujus quoque est, ut aliquando permittatur dominatus, & imperium improbo, & corruptissimo Principi, qui ficta quadam humanitatis specie, & ementito sanctitatis splendore ad honores supremos obrepat errore quodam populi, cujus Deus peccata Tyranni alicu-

jus disciplina coercere velit. Interim improbi alicujus principatus existet suis civibus errandi occasio existimatibus, aut illum impium non esse, cum regnet; aut quod ille proponit populo sanctũ, & legitimum esse. Sic quæ eveniunt mala sive genti universę, sive hominibus singulis, duabus de causis evenire solent: aut propter Principem impiũ, aut propter peccata populi; aut cũ animadversione, & disciplina opus est. Tunc enim Divina Providentia permittit, ut Rex declaretur, qui aspectu atque specie pietatem ementitur, & qui Principis officio mores humanissimos, & subditorum charitatem polliceatur, ac nihil minus opere ipso exhibeat.

Ergo si meo consilio sapies, o Iob, lubens te docebo, congruentissimam orandi formulam, atque Divinæ te Providentiæ subjiciendi; Videlicet primo agnoscendo supremam numinis potestatem cũ bonitate conjunctam; qui potest levare, & remittere peccata, & nõ destruere homninem, alioquin morte dignissimum. Ergo par est, ut Deo sic dicas; Quamvis nesciam me peccasse, atque quidpiam ignorans deliqui, tu me docebis. Cum Deo videlicet sic agitur, cujus est peccata, & pœnam condonare, & pacem concedere, aut e contrario bellum immittere, & terram vastare ad scelerum vindictam. neque vero mirum erit, si ego, qui de Divinis rebus, ac de arcanis illius Sapientiæ, & Providentiæ loquutus sum, aliquando erraverim: ideo te non prohibeo, quin me errati admoneas, imo suppliciter peto, ut erratum homini condones; & si quid nosti melius, ostendas: Nam te meliora docentem minime interpellabo, liberam omni dicẽdi, & respondendi facultatem, atque optionem tibi relinquo. Neque enim quia ipse dicendo sim Dei causam complexus, idcirco te urgere volo quasi severissimus exactor, neque opprimam negata respondendi facultate quasi ablato pignore, & facultate solvendi: imo potius an habeas aliquid reprehendendum videre cupio, ac si quid cõtra jus, & æquum feci, obmutescam: sin minus nihil tuam offensionẽ veritus, vera dixi, permanebo in mea sententia, & quæ præterea dicẽda habeo, proculdubio audies.

Nunquid cõsentaneum ducis, ut a te egrediatur prævaricatio, ob quam reddat tibi Deus malum, & post ingentes cruciatus te tandem morte consumat? Tu enim ipse tua oratione sic commeritus es, sic etiam petiisti, longioris vitæ jam pertæsus. In quo nihil est quod me reprehendas, vera enim loquor. Quod si erravi, pœnam a me repetet Deus, non a te. Nunquid enim meorum verborum est tibi pœna persolvenda? Ne igitur admonere omittas, tuum enim est dijudicare, mea ne oratio tibi displicuerit, quam etiã si cum nausea, & tædio audieris, at sine nausea, & fastidio debes admonere. Neque integrũ tibi erit disputationem detrectare, cum tu illam institueris. Sic ego tamen a te expeto corrigi, & mihi reddi verborum meorum vices, ut a Deo increpando, & ab illius æquitate, & Providentia vel criminãda, vel corrigenda omnino abstineas: tuum enim de me judiciũ ego requiro. Deus non item, non enim ille a te dijudicari expetit, quare mecum tibi, non cum Deo disceptandum est. Tua itaque est vel probãdi, vel refellendi optio, tu enim cœpisti, & primas dicendi partes elegisti, nos enim nunquam te lacessivimus.

Sed quid, inquam, verum de rebus judicium a Iobo requiro? quid meã orationẽ probare cupio homini stulto, & indisciplinato? quid ille sine ulla bona arte, sine ingenio, sine litteris respõderepoterit, quã quod hactenus impudenter, & temere dixit? Viros ego (cujusmodi vos estis auditores) rerum expertos, sciẽtesque requiro, quibus meã sententiam facile probabo, nemo quippe sana erit mente, qui mecũ non sentiat: nemo ulterius disputantem libenter non audiat.

Sed cum nihil mea oratione perficiam, neque possim in bonã partem restituere hominem perditi sensus, & obstinati animi: atq; adeo neque Deus ipse iratus inflictis in illũ plagis ad sanitatẽ revocarit,

31 *Quia ergo loquutus sum ad Deum, te quoq; nõ prohibebo.*

32 *Si erravi, tu doce me: si iniquitatem loquutus sum, ultra non addam.*

33 *Numquid a te Deus expetit eam, quia displicuit tibi? Tu enim cœpisti loqui, et nõ ego. Quod si quid nosti melius, loquere.*

34 *Viri intelligentes loquãtur mihi: & vir sapiens audiat me.*

35 *Iob autẽ stulte loquutus est, & verba illius non sonãt disciplinam.*

36 *Pater mi, probetur Iob usq; ad finẽ: ne desinas ab homine iniquitatis.*

illud mihi tantum reliquum est, ut qui tuam, Pater sanctissime, tuorumque filiorum causam tueri institui, tuus ego nimirum filius, & tui honoris amplificandi zelo inflammatus, te orem atque obtester, ut Iobū, qui paterna tua indulgētia, & benignitate indignum se præstat, paterna potius severitate exerceas, nihil de supplicio remittēs, quādiu in suo scelere, & errore perstiterit: tandiu excrucies, quoad exēplum futurū sit improbis hominibus, ut ab impietate, & Blasphemia aliquando deterreantur, & vel dolore ipso, & pœna te rerum omniū Creatorem, atque provisorem colant, & vereantur. Ergo sic examinetur Iob, justus ne sit an impius, ut vel omnino expurgetur, & emūdetur tribulationis igne, vel ementitus sanctitatis splendor fumet tādē, & evanescat: sic iis, qui Iobi sentētiā sequuti fuerint, respondebimus exemplo, & supplicio. Verum enim vero nisi Iobi blasphemiā diuturna atque gravissima plaga coercere velis, non deerit quispiā, qui scelus suum plausu, & insolentia inter nos efferat, ac verbis cum Deo litigare audeat. Præter quā quod Iob ad reliqua vitæ superioris scelera hypocrisim, avaritiam, pravas de Divinis opiniones, accumulet indies nova peccata, blasphemiam, Divinorum contemptū, & Divinæ Providentiæ, & justitię criminationem; ac verberibus quidem nihilo melior effectus, ut suam justitiam defendat, Deo adimit. Nos interim, quod nostrum est, insignem hominis stultitiam refellemus, explodemus, exsibilabimus: ne illius sceleris, & blasphemię participes nostro silentio videamur, aut ne ipse plaudat manibus, & canat de nobis triumphum, sibi quasi in excellentibus meritum applaudens. Pulsemus igitur, & exagitemus hominem, ne impune audeat ad Divinū judicium provocare. Quod si illum nos in arctū concluserimus, fiet tandem, ut divinum judicium, quod strictius, & severius est, reformidet. Sic profecto nostra correptione impeditus, jam coram nobis, & coram Deo obmutescet.

37 *Qui addit super peccata blasphemiā: inter nos interim cōstringatur: & tūc ad judicium provocet sermonibus suis Deum.*

)(:(



CAPVT. XXXV.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Denuo instaurata oratione contra Iob, & illius constantiam in sua innocentia tuenda, ostendit Eliu, quamvis Deo neque noceat, neque prosit mortalium sive impietas, sive pietas, Deũ tamen pro suo munere integre, & incorrupte judicaturum omnia.

I. *Igitur Eliu, hac rursum loquutus est.*

1. *Verbum* respondendi. *Novum exordium. Arrogantium ingenium.*
2. *Sententia paraphrasis.*
3. *Multiplex acceptio* æquitatis, *atque* judicii. *Mentis, & conscientiæ est suum tribunal. Explicati Isaias, & Exechiel.*
4. *An Eliu per mendacium calumnietur Iob. Accusatorum ingenium.*
5. *Præpositio* a, vel ab, *serviens comparationi. Vulgati desensio. Explicati Exechiel, Matthæus, Lucas.*



I VOD IN Hebræo est, *respondit*, similiter, & in
LXX. Septuaginta, recte Interpres vertit, *loquutus est*. Nã hoc loco respondere, est simpliciter loqui. (Respondere pro loqui.) Quamquam alii Latini existiment expectasse Eliu, an aliquid responderet Iob; ei vero tacenti, quasi respondisse acri alia, & vehementi oratione, & interrogatione.

Videtur autẽ denuo exordiri; ubi enim multiplex causa est, multiplex etiã procœmiũ locũ habet, ut superius observavimus. (Gregor.) Gregor. tamẽ ad loquentiã, & insolentiã Eliu hoc potius referendũ existimat. *Omnis*, inquit, *qui multa loquitur, in loquutione sua semper incipere studet: quatenus suspensos auditores faciat, quasi novum aliquid audire exspectantes, ut immensa loquacitas, per subjuncta semper initia continuetur.*

II. *Nunquid æqua tibi videtur tua cogitatio, ut diceres, Iustior sum Deo?*

III. *Dixisti enim: Non tibi placet, quod rectum est, &c.*

Stulte, inquit, æque ac impie aberrasti, o Iob, tibi justitiam, & æquitatem, Deo injustiam, & iniquitatem impudenter attribuens; justiorem enim te Deo incorruptissimo Iudice asserere nõ es verit⁹, qua si minime perpensis mortaliũ meritis prę- 2 (Sententię paraphrasis.)
mia ille aut supplicia in mortales dispenset, sæva quadam, neque nõ cæca dominatione, & potestate, ut neq; lege, neque ratione, non benevolentia, & studio, erga sanctitatem, non odio, & indignatione erga improbitatem, sed temerario quodam voluntatis impetu agatur: & minime curet hominum actiones, aut merita, ex quibus nihil nocumenti, aut emolumenti potest accipere.

Numquid æqua, &c. Aberrasti sine ratione, & judicio, dum id cogitasti, & protulisti. Septuaginta juxta Hebræum, *Quare hoc existimasti in judicio?* Græci ad judicium Divinum referunt, dupliciter: primo; *Quam animo de Divinis judiciis subivisti opinionem?* Secundo; *Quid tibi venit in mentem, cum Deum judicẽ provocasti?* Alii de judicio, quo *Deus* Iobum affligebat. Sed perquam aliene. Vatablus, *Iudicium*, pro justitia; *An*, inquit, *hoc justum esse putas, quod dixeris? &c.* Algarbiensis. *Num id cõfidis fore, ut si cum Deo litigaveris, superior ex judicio discedas?* Sed profecto *judicium* ego accipio pro mentis recta ratione, & legitima ratiocinatione, quod familiariter diceremus, *Que es posible, que tal ayas pensado en todo tu juyzio?* Nam recta ratio, & debitus modus rei cujusque juxta rationis præscriptum solet vocari *judicium*. Isai. 28. 26. ubi de Agricola sermo est, qui docetur a Deo rectam rationem, modum, & ordinem arandi, dicitur; *Erudiet eum in suo judicio, Deus suus docebit illum.* Et Ezechias 34. 16. *Pascam illos in judicio.* Septuaginta, *Cum judicio*. debito ordine, ut par est, & decet. Ergo quod *sine judicio* fit, aut cogitatur, cum lege rectæ rationis, & sanę mentis non quadrat. Tum etiam quoniam *judicium*, & jus cum rectitudine, & recta lege rationis conjunctũ est, ideo *judicium*, pro recto, & æquo,

(3 Aequitatis, & judicii varia interpretatio. — Vatablus — Osorius. — Simplicior Iudicii acceptio. — LXX.)

& quo-

Mens, & conſcientia humana habeant ſuũ tribunal, & judicium.

& quoniam humana mens habet ſuum tribunal, in quo de rebus judicat, & habet etiam Cõſcientia ſuã legem inſitã, ad cujus præſcriptum judicare debet; ideo cogitationibus humanis tribuitur *judiciũ*, & ut elegãter illuſtravit Latinus Interpres, *æquitas*, aut iniquitas. Quare cum vere, recteque judicat mens, æquum judiciũ proferre dicitur. cum falſo, iniquum; & a ſuperiori judice vel confirmatur, dicẽte; *Recte judicaſti*, vel reprobatur, objurgante; *Vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris?*

Luc. 7. 46.
Luc. 5. 22.

4 *LXX*

Vt diceres. In Hebræo, & Græco. *Quia dixiſti. Iuſtior ſum Deo*. Septuaginta, comparationem hanc abſtulerunt. quare ſimplici oratione utuntur; *Iuſtus ſum ante cõſpectum Domini*. quod non ſemel, ſed ſæpe aſſerit Iob. Propterea appellat ad Dei judicium, quod confidit ſe, ſuamque juſtitiã juſto, & incorrupto judici facile probari poſſe. Atque hoc ipſum temeritatis damnatur ab Eliu contendente, omnẽ humanam juſtitiam obſcurari corã Divinę ſanctitatis ſplendore, ut initio cap. 32. verſ. 2 explicuimus. Sed ubi nam Iob dixit ſe *justiorem Deo*? nuſquã, ut apparet. ſic cenſent Greg. Philip. & plerique Latini. quare exiſtimant mentitum Eliu, dum hoc mendaciũ impingit Iobo. *Arrogantes viri* (inquit Gregorius) *habere hoc proprium ſolent, ut dũ in nimia invectione prodeunt, etiam invehẽdo mentiantur: & cũ non poſſunt reprehẽdere juſte, quæ ſunt, reprehendunt mentiendo, quæ nõ ſunt*. Adde etiam id ſemper moris eſſe accuſatoribus, ut dubia pro certis, conjecturas pro re ipſa; veriſsimile ſignũ pro neceſſario aſſerãt contra reũ. Potuit itaque Eliu ex eo, quod Iob aſſeruit *ſe juſtũ coram Deo*, imponere, quod dixerit, *ſe juſtiorem* quo reſpexiſſe videtur Philippus; *Eliu*, inquit, *ſenſum Iobi invidioſe verbis ſuis exaggerat*. Sed D. Thomas, quẽ ſequitur Dionyſius, argutum aliquid meditatur: exiſtimat enim aſſerere Eliu dixiſſe Iobum nõ quidem expreſsis verbis, *ſe juſtiorem Deo*, ſed virtute, cum dixit, *Nõ tibi placet, quod rectum eſt*. quare non ait ſic dixiſſe, ſed ſic *cogitaſſe*, & ex ea cogitatione verba ſequẽtia profecta fuiſſe. Sed quidẽ hoc non eſt ſolidum, cum in Hebræo, & Græco habeatur, *dixiſti*. Tandem Cajetanus contendit neque comparationem illam dictam a Iobo, neque illi impoſitã ab Eliu. Quare prępoſitionẽ illã *Mem*, quæ ſubeſt in Hebręo, & poſt verti, *præ*, vel, *a*, nunc reddendam eſſe, *a*, vel, *ab*, in hunc ſenſum. *Iuſtus ſum a Deo*, vel juſtificabor a Deo, vel juſtificabo cauſam meam apud Deum.

An Eliu per mendaciũ calumnietur Iobum.

Gregor. Philipp.

Accuſatorum ingenium, & calumniæ.

Philipp.
D. Thom.
Dionyſ.
Cajetan.

5 Ego vero exiſtimo, optime reddidiſſe Vulgatum; & præpoſitionẽ illã Hebræã afferre comparationẽ; atque adeo etiã ſi dicatur *juſt⁹ a Deo*, perinde valere, ac ſi dixiſſet, *juſtus præ Deo*. vel, juſtior Deo. ſicut etiam, Matth. 11. 16. & Luc. 7. 35. Dicitur *Sapientia*, id eſt, Chriſtus, vel, Evãgelica doctrina, aut Divina lex, *juſtificata*, id eſt, juſtior declarata, & habita *a filiis ſuis*. id eſt, præ Phariſæis, & Scribis, qui cum ſe filios profiterentur, Evangelio tamen, & Divinæ legi repugnabant. & Luc. 18. 14. *Deſcendit hic juſtificatus ab illo*. id eſt, præ illo; Publicanus juſtior effectus, & habitus Phariſæo. Nam illud, *ab*, eadem ratione, qua denotat perſonam agentem, denotat etiam cõparationem. qui enim juſtificat aliũ ſuo facto, vel confeſsione, prędicat juſtitiam alterius præ ſua; ſicut qui condemnat, prædicat ſcelus alterius, ut eleganter oſtendit Origenes in Luc. 18. Sic leviora peccata dicuntur *juſtificari* a nefariis ſceleribus, Ezech. 16. 51. Et peccatores minus improbi dicuntur *condẽnare* ſceleratiſsimos, Matth. 12. 41. 42. Ergo Iob non ſemel dixit, ſe *juſtiorẽ Deo*, duplici ſenſu. Primo, quod ſi Deus illũ propter peccata puniẽdum ducit, ut exiſtimãt amici, facile ſuam ipſe juſtitiam probabit adverſus Dei judicium, & iniquam eſſe ſuam cõdemnationẽ, ſuppliciumque oſtendet. Secundo, ex ſententia etiam Eliu, quod qui ſe juſtum, & ſanctum eſſe tam conſtanter defendit, tamq; graviter de ſuis ſuppliciis cũ Deo conqueritur, videtur Deũ notaſſe rei alicujus, quæ ſibi diſpliceat, ut pote ſancto, & juſto; Deum igitur non ex omni parte ſanctum, & incorruptum. Hæc ni fallor eſt ſimplex, & facilis nodi hujus ſolutio. Videnda omnino ſunt, quæ diximus cap. 32. verſ. 2.

Defenſio, & elucidatio Vulgati.

Præpoſitio A, vel Ab, ſerviẽs cõparationi.

Elucidatio mentis, & ſententiæ Iobi.

2 *III. Dixiſti enim, Non tibi placet, quod rectum eſt: vel quid tibi proderit, ſi ego peccavero.*

1. *Particula aſſeverantis*. Iucũdum *pro utili*. Placere, *pro prodeſſe*.
2. *Enalage perſonæ. Prima, & ſecũda pro tertia, tertia pro ſecũda. Varia lectio. Dubitationis Solutio.*
3. *Enalage. Iobi ſententiæ ſenſus.*
4. *Artificium, & tumor Orationis Eliu.*

RVrſus, inquit, dicere non es veritus, nihil damni utilitatiſve ex peccato, vel ex pietate percipi poſſe. Particula, *enim*, recte reſpõdet originali, *Dixiſti ſane*, 1

Auguſt.

vel, *quoniam dixiſti*. Vtrumque aſſeverationem affert. S. Auguſtin. per disjunctionem. *Aut dices, &c.* quod minus quadrat. *Non tibi placet*, in Hebræo proprie. *Quid proderit*. aut, *quid cōmodabit?* ſed ſenſus idem: Nam quæ placent, commoda, & utilia ſunt. Rurſus illud, *quod rectum eſt*, addidit Vulgatus, ut ſententiam illuminaret, & ſecundæ parti, quę de peccato agit, ex oppoſito reſponderet.

Iucūdum pro utili.

סכן

2 Sed hoc loco oritur dubitatio; illud, *tibi*, ad quam perſonam referatur. Nam Vatablus cenſet eſſe *Enalagen perſonæ, tibi, pro mihi*. Idem ſequitur Algarbiēſis. Et quidem familiare eſt, ut alteri dicere videamur, quod nobis ipſis dicere, & convenire volum⁹; Et e cōtrario, aliquid de nobis dicamus, quod omnibus dictum volumus. Vt illud Matth. 18.21. *Quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei?* Id eſt, quoties peccāti dimittere quis debet? ubi prima perſona pro tertia. rurſus ſecunda pro tertia, Exod. 10.2. *Et narres in auribus filii, & nepotum tuorum, &c.* id eſt, ut omnes enarrent filiis, & nepotibus ſuis. Tertia autem perſona pro ſecunda occurret nobis inferius, ver. 15. Denique apud noſtrates frequentiſsimū eſt, ut ſecunda perſona pro prima accipiatur, quod plenum eſt affectu; ut illud Poetæ;

Vatablus. Oſorius.

Enalage perſonæ.

Prima. & ſecunda perſona

Virg. Eclog. 1.

Inſere nunc Mælibæe piros, pone ordine vites.

Quaſi dicat, Inſeram ego? minime id quidem. ita nūc ſecum ipſe colloquatur Iob: *Quid* tibi, o Iob, proderit, quidve *placere* debeat, *quod rectum eſt*, ex quo nihil capies utilitatis? Et confirmari hęc interpretatio poterit ex ſecunda parte ſequente, ubi cum Vulgatus iterum repetit, *Quid tibi proderit?* in Hebræo dicitur per primam per perſonam; *Quid proficiam ex peccato?* quo etiam modo auctor Catenæ; *Quid faciam, cū peccavero?* Auguſtinus; *Quid faciā, ſi peccavi?* Sed quamvis non multum interſit hoc vel illo modo accipias; illud videtur ſimplex, & germanum, quod videtur etiam Vulgatus voluiſſe, ut hæc dicantur ad Deum. Nam & ſimilem ſententiā attribuit Eliu ipſi Iob ſupra cap. 34 verſic. 9 *Non placebit vir Deo, &c.* Qui locus omnino adeundus eſt.

Varia lectio.

Nicetas.

Auguſt.

Dubitationis ſolutio.

3 *Vel quid tibi proderit?* In originali eſt prima perſona, ut jam diximus, *Quid proficiā a peccato meo?* id eſt, quid lucrabor ſi a peccato recedam, cum innocentem, & impiū pariter Deus conſumat; & cum me etiam nitidum, & *fulgentem manibus*, Deus ſuppliciorum *ſordibus intingat?* hujuſmodi enim ſententias protulit Iob, cap. 9. verſic. 16. 17.20.22. & cap. 10. 14.15. Sed quidem Vulgatus nunc iterum voluit eſſe Enalagen perſonæ primæ pro ſecunda; *mihi*, pro *tibi*, ut eadem eſſet ſententia, quæ ſupra, cap. 7.20. *Quid faciam tibi*. quaſi dixiſſe videatur Iob, Deum utilitate tantum curare hominum rẹs; & illas negligere, quæ ſibi inutiles exiſtant.

IIII. Itaque reſpondebo ſermonibus tuis, & amicis tuis tecum.

QVOD Hæc peculiaris Iobi aſſertio videtur ab amicis prætermiſſa ſine peculiari repugnatione, quaſi ignorantibus, aut conſentientibus cum Iobo, proponit ſe etiam amicis reſponſurū; quare non ſolum Iobo ſed etiā amicis ſuccenſet. Neſcio an lectio Septuaginta, aliquid contēptus contineat; *Ego tibi dado reſponſionem, & iſtis tribus amicis tuis.* Nicetas; *Iobum cū amicis ideo cōjungit, propterea quod jam victi eidem aſſentiebantur.* Amplam vero atq; magnificam reſponſionem prębet non quidē utrique aſſertioni, ſed ſecundæ; nam priorem ſatis, ſuperque impugnatā exiſtimat præcedente capite. 4

Artificium, & tumor Eliu.

LXX.

Nicetas.

V. Suſpice cælum, & intuere, & contemplare æthera, quod altior te ſit.

1. *Sententia Eliu Iobo male applicata.*
2. *Varia explicandi ratio, probata Latinorum.*
3. Suſpicere, intueri, contemplari, *quo differant* Cōtemplatio *aucupum. Alluſio illuſtratus David.*
4. Aether, *quid apud Sacros, & Profanos.*
5. *Germana ſententiæ collectio. Eliu vendicatus ab errore.*

COntendit Eliu hac oratione Divinā Providentiam non eſſe metiendā utilitate aliqua captata ex rebus humanis. id quod efficaciter probat Eliu, ſed nihil cōtra Iob. *Fortes*, inquit Gregor. *ſunt quidem ſententiæ, ſed beatæ Iobi perſonæ non congruunt*. Nam Iob quaſi ex conditione ad Deum loquitur; Non aliter me excrucias, quam ſi ex meis cruciatibus voluptas tibi aliqua vel utilitas accreſceret. Tum etiā, quoniam amici frequenter illi pollicebantur hujus vitæ præmia, aſſerit pietatē non exſpectare caduca bona, cum ſæpe ærumnis, & calamitatibus illam accipiat Deus. *Tanto itaque*, ut Gregorius ait, *Iobum increpationis hujus tela non feriunt, quanto contra eum injuſte mittuntur.* I

Gregorius.

Su-

2 *Suſpice cælum*. Ex Divina celſitate, & Divinę ſedis ſublimitate conatur oſtendere, nihil vel ex noſtris bonis, vel ex noſtris malis poſſe ad Deum pertingere. Sed hujus arguméti explicandi nõ una ratio eſt: Nam poteſt eſſe argumẽtum a minori: Si cælum, quod altiſsimum ſit, nihil a nobis, & ab inferiori mũdo accipere poteſt, quã to minus Deus, cujus ſedes celſiſsima cælum eſt? Sic fere Latini, Gregorius, Divus Thom. poſt hos alii. Græci vero Chryſoſtomus Olympiodorus, potius referũt ad difficultatem cognoſcendi; *Vide*, inquit Olympiodorus, *adverſus quem defenſionem compararis, nempe adverſus eum, qui te tanto eſt ſuperior*. Placent Latini, pro quibus etiã faciunt ſequentes ſententiæ.

Varia explicãdi ratio.

Gregor. D. Thom. Chryſoſt. Olympiodor.

3 *Suſpice, & intuere*. Solent ea verba non raro conjungi, & primum affert intentionem quandam circunſpiciendi, & diligẽter obſervandi, & ſcrutandi, quæ qualiſve ſit res. Secundum vero ſimplicius, & poſterius eſt, videlicet rem circumſpiciẽdo, & obſervando inventam, videre, & intueri forte contemnendo, aut vero admirando, & venerãdo. Sic junguntur. 1. Reg. 17. 42. *Cum inſpexiſſet Philiſtæus, & vidiſſet eũ*. Septuaginta. *Vidit Goliath David, & contẽpſit eum*. 4. Reg. 3. 14. *Si non vultum Ioſaphat erubeſcerem, non attendiſſem quidem te*, (vides attentam, & diligentẽ obſervationem. Septuaginta; *Si reſpexiſſem ad te?*) nec *reſpexiſſem*. Septuaginta, *Vidiſſem*) Pſ. 21. 18. *Ipſi vero conſideraverunt, & inſpexerunt me*. Thren. 1. 12. *Attendite, & videte*: Et Iſai. 42. 18. *Cæci intuemini ad videndũ*. Septuaginta ſicut in loco noſtro; *ſuſpicite, ut videatis*. id eſt, adhibete curam, ut videre poſsitis Evangelii lumẽ. Nã Phariſæi plane contemnebant lucem oblatam a Chriſto. Sic ait Eliu, Erige oculos mẽtemque, ut videre poſsis in cælum. ut enim Origenes ait, *In cælum non ſuſpicit is, qui cælum tantum aſpexerit*.

Duo verba ejuſdẽ ſignificationis, ſed cum augmento, & diſcrimine.

נבט

ראה

LXX.

LXX.

Origen.

Et contemplare. Hoc etiam intuendi verbum mentis attentionem, & conſiderationem affert, qualem ſolẽt habere aucupes, & inſidiatores. ita Num. 13. 9. vertitur, *conſiderare*, & hic, *contemplari*, non quidem ex aliquo edito loco quaſi ex ſpecula, ſed potius ex abdito, & infimo. unde ab eadẽ radice dicti ſunt *inſidiantes, quaſi aucupes*, Ierem. 5. 26. Pſal. 5. 9. & 58. 12. & 91. 12. & pulchra alluſione dixit David Pſal. 58. *Deus oſtendit mihi ſuper omnes inimicos meos*. quaſi diceret, Ipſi obſervant me attentiſſime: ſed Deus pro me multo majori attentione, & cura in illorum conatus, & cõſilia intendit. Hieronym. *Deus oſtendit mihi inſidiatores meos*. Ergo hujuſmodi attentiſsimum cõſpectum cæleſtis regionis, atque illius impaſsibilitatis, & incorruptionis præcipit Iobo Eliu.

Contemplari aucupũ, & inſidiatorum.

שור

Alluſio.

Hieronym.

4 *Aethera*. Vox *Sabhak*, proprie ſignificat id, quod leviſsimum, & tenuiſsimum eſt: quare *nubes* vertitur, Deuteron. 33. 26. Pſ. 88. 7. & ſimiliter hoc loco Septuaginta; *Reſpice in nubes, quam altæ ſint a te*. Semel vertitur, *aer*, Pſal. 17. 12. non ſemel *cælum*, Pſal. 88. 3. & infra Iob 38. 37. *Aether*, vero hoc loco, & ſimiliter ubi Septuaginta dixerũt Pſal. 17. 12. *Tenebroſa aqua in nubibus aeris*. Hieronym. dixit, *in nubibus Aetheris*. Ergo per *Aethera*, vel intelligitur quidquid in *Aethere*, & ſublimi regione ſuper nos eminet; quo etiam modo Latini *Aethera* accipiunt: vel quod cum re præſenti melius quadrat, *Cælũ*, & quæ in cælo ſunt, ut ſit repetitio, & expoſitio præcedentis. atque hæc eſt *Aetheris* frequentior inter Latinos ſignificatio, ut Apulejus definiiſſe viſus eſt; *Aetheris*, inquit, *appellatione, cælum ipſum, ſtellæque, omniſque ſiderea cõpago intelligitur*.

שחק Aether quid proprie. LXX.

Hieronym.

Apulejus. Aether apud Latinos pro regione cæleſti.

5 *Quod altior te ſit*. Latini omnes de Deo accipiunt. Græci de *nubibus*. Hebræa itẽ de *Aethere*. quod videtur cohærentius: nã ſequente ſententia fiet ſimilitudinis argumentive applicatio ad Deũ. ſenſus utroque modo conſtat; Dei ſedem celſiſsimã tuis operibus neque tu deteriorẽ, neque illuſtriorem reddere poteris; quanto minus Creatorẽ ipſum, qui ſuis operibus infinitum eminet? Ex his verbis, ingentis cujuſdam erroris Philippus dãnat Eliu, *qui Deum*, inquit, *corporaliter locus contineri arbitratur*. Sed in hominem præſubtilem nõ caderet tam craſſus error: neque in illius ſententiam recte intellectam: nõ enim alligat Deum cælo: ſed potius extrahit, ut brevi Paraphraſi expoſuit Gregorius. *Ex ipſis creaturis intelliges, quas altiores te eſſe corporaliter vides, quantum a Divinæ Potẽtiæ ſublimitate disjungeris*.

Varia interpretatio.

Rationis, & argumẽti collectio.

Philipp.

Eliu vendicatus ab erroris calumnia.

Gregor.

℣. VI. *Si peccaveris, quid ei nocebis? & ſi multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum?*

℣. VII. *Porro ſi juſte egeris, &c.*

---

1. Operari, *pro* nocere. Peccare, *quid proprie*. Iniquitas *cum Dei contemptu*.
2. Multiplicare *ad numerum, & magnitudinem*. Facere *in malum*. Timidiora, *ſimul* calllidiora.
3. *Quæſtiuncula propoſitio*.

1 SI Peccaveris, & a recto, & æquo aberraveris, *quid ei nocebis?* qua nam re illum lædes? Proprie, & eleganter Septuaginta. *Si peccasti, quid ages?* aut quid operaberis? Nam verbum *Paghal*, non tam *nocere*, quam operari, & laborare significat. quasi dicat; Laborando, & adnitendo, quid tandem efficies, quo illum lædas? Detorsit sententiam a leni, & facili sensu Philippus, dum secundam partẽ accipere videtur pro conatu hominis repugnantis, & contradicentis Divinæ vindictæ; *Si pro multitudine*, inquit, *peccatorum tuorum ulcisci in te voluerit, nunquid ei poteris contraire?* est enim expositio præcedẽtis partis. Non solum uno aut altero peccato nihil diminuis de Divina majestate, & sempiterna illa beatitudine, sed neque si *iniquitates tuæ*, prævaricationes, rebelliones, quę cũ Dei, & Divinæ legis cõtẽptu admittũtur. infinitę sint. etiã si injurius, & blasphemus existas, quod potius quadrat, quam quod D. Thomas, existimat ex Latina proprietate *iniquitatis* significari peccata contra proximum.

LXX. פעל Operari in malum. *Philipp.* Iniquitas quid.

2 *Multiplicatæ fuerint*: numero, & magnitudine amplificatæ; est enim originalis vox, ut sæpe monuimus, ad numerum, & molem communis. *Quid facies contra eum?* Verbum *faciendi*, non solũ sicut superius, laborem, & conatum affert, sed curam, artem, industriam, qua homo se comparat ad aliquid perficiendum. quasi dicat. Non solum illum labore, & viribus nõ lædes: nihil enim vales: sed neque industria, & arte ulla; non aperta vi, & impetu; sed neque callide, & maligne industria. Timidiora, & imbecilliora animalcula valent sæpe dolo, & industria, & quod vi nõ possunt, astu perficiunt: at contra Deum non vires, non consilium, industriave.

רבב עשה Facere, quid proprie. Timidiora, quo callidiora animantia.

3 Sane vero peccatum omne cõtra Deũ est, & contra illius gloriam, dolorem illi affert; quod quia summæ illi beatitudini repugnare videtur, peculiari digressiũcula explicemus, an Deus aut peccato lædi. & violari; aut hominis pietate juvari, & proficere ratione aliqua possit.

Dubitationis propositio.

An Deo hominum peccata noceant?

Ad peccati gravitatem, ex qua Deus doloré, mœrorẽ, injuriam accipere videtur;

DIGRESSIO.

4. Propositio eorum, quæ videntur probare Deũ nostris peccatis lædi. Timoris materia quæ. Deus ex peccato hominis dolens. Illustratus Moyses.
5. Deus contristatus hominum sceleribus. Dolor, & tristitia quo differant. Corripi. quid. Illustratur Moyses, Sapiens, Isaias.
6. Peccata tum Deo, tũ peccatori amara. Explicatus Moyses.
7. Peccatum contra Dei honorem. Contemptus Dei, illustrati Samuel, & Isaias.
8. Honor Deo impensus ab homine an sit Dei bonũ. Deus amans suum honorem.
9. Superbia Deo invisa. Appetit spoliare Deum. Explicatus Iacobus.
10. Quomodo peccatum appetat destruere Deum. Cur Deus rideat in nostris peccatis. Explicatus Ieremias.
11. Responsio objectionum. An Deus vere amittat honorem ex nostris peccatis.

AGE Ergo, quæstiuncula locus iste examinetur, An Deo nocere possit ullum hominem peccatum? nam quamvis Deo nihil melius, at peccato nihil pejus est, nihil Deo inimicius. Et quidem videri posset peccatum nocere summo, atque infinito bono, si Deus illud timeat: at timere videtur, nã illi dolorem, atque tristitiam affert. ut enim Philosophia docet, materia timoris dolor est: *Non enim* (inquit Aristot.) *cuncta timemus mala; sed quæcumque magnos dolores, vel corruptiones adducunt, & quæcumque ingentes videntur habere vires corrumpendi, aut ita nocendi, ut nocumẽtum ad ingentem tendat dolorem.* At peccatũ adferre Deo maximum dolorem cõstat, ex Genes. 6. 5. 6. *Videns quod multa malitia hominum esset in terra, &* (ideo) *tactus dolore cordis intrinsecus*, quod unico verbo dicitur in Hebræo; *Indoluit in corde suo.* Est autem verbum, *Ghatsab*, vehemens, & significat quidẽ ejusmodi animi sensum, qui cum dolore, tristitia, cruciatu, & afflictione cõjunctus est, quare vertitur a Vulgat. to *contristari*, sive *mœrere*, Proverb. 15. 13. Isai. 54. 6. & 1. Reg. 20. 34. & *affligi* aut, *laborare*, Ecclesi. 10. 9. Isai 63. 10. Genes. 5. 29. Quod sine ingenti dãno ejus, qui mœret, laborat, discruciatur, videtur nõ posse fieri. Ergo in eo loco legi potest, *Vidit, quod multa malitia hominum esset in terra, cõtristatus est, aut conturbatus.* quod videtur respicere vim, & proprietatem, *doloris*; ajunt enim, dolorem afferre secum quandam perturbationem, & inquietudinem. Vide igitur quanta sit peccati acerbitas, & virus. Vrgebimus eundem statim locũ.

4 Quæ videntur probare ex Peccato, lædi summum bonum. Timoris materia quæ. *Aristot. lib. 2. Rhetoric. c. 5.* Deus ex nostris peccatis dolens. *Pagninus.* Dolor in Hebræo cũ tristitia conjunctus. עצב *Paguin.*

Nunc rem hanc confirmo; nam *justitia* quidem eo videtur *a dolore* differe, ut eleganter explicuit D. Thomas, quod dolor

5 Tristitia, quo differat a Dolore. D. Thom.

communiter referri ſoleat ad ſenſibilia, cum aliquod malum preſens apprehenditur ſenſu; at vero *Triſtitia* ad ea mala referatur, quæ mens apprehēdit, & averſatur; quare Triſtitia eſt dolor quidam nimium exaggeratus ex mentis cogitatione proveniens, qua malum aliquod conjunctum nobiſcum ponderamus, cogitamus, averſamur. Quare ſicut Gregorius Nyſſenus hanc *Triſtitiæ* paſsionē aliquādo vocavit *Paſsionem tetricā*; ita ego vocarem, *Triſtitiam cogitationem tetricam.* Sic eo loco Geneſ. 6. ſemel, & iterum legunt. Septuag. Pro *pœnituit*; & *doluit*; *Cogitavit Deus, & recogitavit.* quod quid aliud eſt, quam triſtem cogitationem ſuſcepiſſe, quaſi propter bonum aliquod amiſſum, aut propter malum aliquod conjunctum, quod ſibi ex hominum ſceleribus proveniſſet? quaſi diceret, *Puſoſe Dios triſte, y pēſativo.* Symmachus illam etiam triſtitiæ proprietatē explicuit, *Averſatus eſt.* Quæ *triſtitia* ex noſtris peccatis nō ſemel dicitur in Scriptura, Iſai. 63. 10. *Ipſi autem ad iracundiam provocaverunt, & afflixerunt ſpiritum ſanctum ejus, & converſus eſt eis in inimicum.* Vbi ex verbo illo *dolendi*; proprie legas; *Contriſtaverunt ſpiritum ſanctum ejus.* Septuaginta, *Exacerbaverunt.* Quare etiam Ezech. 16. 43. ubi nos habemus *Probaſti me in omnibus his.* Septuaginta legunt; *Contriſtabas me in omnibus his.* vel, moleſtia afficiebas. Atque adeo Paulus Epheſ. 4. 30. ait; *Nolite contriſtare Spiritum Sanctum Dei.* Cum quo facit id Sapiētiæ, 1. 5. ubi deſcribitur Spiritus Sanctus præ triſtitia, & moleſtia fugiens hominem peccatorem; *Spiritus Sāctus diſciplinæ effugiet fictum, & corripietur a superveniente iniquitate*, quod idem eſt; quod, cōtriſtatur a ſuperveniente iniquitate; nam ſolet in Scriptura ſignificari *corripi*, pro *triſtitia.* & e cōtrario, ut 3. Reg. 1. 6. Cum David diſsimulavit inſolentiam Adoniæ, dicitur, *Nec corripuit eum pater ſuus.* quod ex verbo illo ſuperiori proprie legitur; *Non contriſtavit eum pater ſuus.* Sic igitur dicetur *Spiritus Sanctus corripi a ſuperveniente iniquitate.*

Divus Thomas 1. 2. q. 35. n. 2.
Triſtitia quid.
Nyſſen. lib. de anima Reſurrectione.
LXX.
Symmach.
Triſtitia ex noſtris peccatis.
LXX.
LXX.
Corripi pro triſtari.

6 Atque hæc eſt illa *Amaritudo*, qua Divinus guſtatus perfunditur ex noſtris peccatis, Oſeæ. 14. 1. *Pereat Samaria, quoniā ad amaritudinem concitavit Deū ſuum.* de quo Scriptum eſt Devteron. 26. 18. *Ne forte ſit inter vos radix germinans fel, & amaritudinem.* id eſt, homo, qui efficiat peccatū Divino guſtatui amariſsimum. Quamquam enim Paraphraſtes Ieroſolymitanus ad ipſum peccatorem videatur referre, nam legit; *Peccatum aſsimilatur radici fixæ in terra, cujus caput quidem, ut mel eſt, finis autem ejus amarus, ut abſynthium mortiferum.* tamen commodius eſt, ut ad ipſum Deum referatur, cui noſtra peccata amareſcunt. Hæc illa *exacerbatio* Divini palati tam frequenter repetita; *Exacerbavit Dominum peccator.* Pſal. 10. 4. Pſal. 77. 40. & 41. & 56. & Pſal. 105. 42. illa præterea *exaſpiratio oris Domini*, 1. Reg. 12. 14.

Peccata amara Deo.
Kaldeus.
Peccati dulcedo ipſi peccatori amareſcens.

7 Preterea quis neget honorem inter maxima, & pretioſiſsima alicujus bona numerandum? quamquā enim honor potius in honorante ſit, quam in honorabili; at eſt quidem *Maximum bonorum externorum*, ut Philoſophus docuit: Peccatis autem, atque ſceleribus hominum multum lædi Divinum honorem ipſa per ſe res clamat: cōtemnit enim peccator Deum. Hinc enim Auguſt. duas illas civitates diſtinxit, *Terrenam, quam fecit amor ſui uſq; ad contemptū Dei; celeſtem vero amor Dei, uſque ad contemptum ſui.* In illa fuerunt *Sapientes, qui cum potuiſſent cognoſcere Deum, non ſicut Deū glorificaverunt, aut gratias egerunt; ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratū eſt inſipiens cor eorum.* Dolens itaque conqueritur Deus; *Filios enutrivi, & exaltavi: ipſi autem ſpreverunt me.* qui contemptus ex peccato naſcitur: nam ex verbo originali; proprie legitur; *Ipſi prævaricati ſunt.* vel; peccarunt. nam *Paſagh*, eſt peccare cum cōtemptu. Sicut etiam ab eadem radice dicitur Iſai. 59. 13. *Peccare, & mentiri contra Dominum.* quaſi dicat, Contemnere, & datam fidem violare; quod cum contemptu fit. quod diceremus, *Ni hazer caſo de el, ni de guardar le la palabra*: Quare omnis peccator, contemptor Dei dicitur; Sicut omnis pietatis, & religionis cultor, Dei quoque cultor, & honorificator, 1. Reg. 2. *Quicumq; honorificaverit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* & Ierem. 33. 8. *Propitius ero cunctis iniquitatibus eorum, in quibus deliquerunt mihi, & ſpreverunt me.*

Peccatum cōtra Dei honorem.
Ariſt. 4 Ethi. c. 3.
Auguſt. 14 de Civit. c. 28.
Peccator contēnens Deū.
Rom. 1. 19. 21.
Iſai 1. 2.
פשע
Peccatum omne cū Dei cōtemptu.

8 Neque quidem peccatum eſſet injuria Dei, niſi honor iſte illi ab homine impenſus, eſſet aliquod Dei bonum; neque ipſe Deus odio haberet blaſphemiam, & contemptum ſui, ac denique peccata omnia, niſi quia amat ſuum bonum, id eſt, honorē ſuum, & gloriam, quam illi deferunt mortales. Hinc enim illa graviſsima querimonia; *Propter vos nomen meum blaſphematur tota die*, Iſai. 52. 5. & ubicumque de illius *nomine honorificando*; ac minime blaſphemando ſermo eſt. Quare & blaſphemiam ſui nominis, cum contemptu conjunxit apud Ezech. 20. 27. *Blaſphemaverunt me*

An honor impenſus ab homine, ſit Deo aliquod bonū.
Deus amans honorē delatū ab homine.
Ariſt. 2. Rhet. c. 11.

patres

patres veſtri, cum ſprevissent me contemnētes. Et huc etiā pertinet illa expoſtulatio Ierem. 2. 5. *Quid invenerunt in me patres veſtri iniquitatis, quia elongaverunt a me.* cū enim, ut Philoſophus dixit, *Cum abſque honorabilibus bonis, adeſt aliquibus fortuna, ſæpe numero contemnuntur*; ait Deus itaque; Si non propter bonorum ubertatem, & copiam, quibus vos fortunavi; at propter bonitatē minime me contemnere, aut deſerere debuiſſetis.

Ariſt. 4. Ethic.

9 Superbia quā inviſa Deo. *Bernar. ſerm. 4. de Natali. Iſai. 48. 11. Luc. 2. 14. Iacob 4. 6.*

Atque hoc cum in aliis peccatis, tum vero in Superbia veriſsimum videtur; *Superbus* enim, ut Bernardus ait, *non colit Deum, ſed adverſus eū extollitur, impius plane, & infidelis. Gloriam meam, Dominus ait, alteri nō donabo: & ſuperbus, Ego, inquit, mihi eam, licet non dederis, uſurpabo. Non enim placet ei Angelica diſtributio, dans gloriam Deo, pacē hominibus.* Quid porro eſt *Deum ſuperbis reſiſtere*, niſi cum ſuperbi ipſi Deo velint ſuū bonum auferre; Deum ex oppoſito pugnare, ut ſe ſuaq; bona tueatur, ut vim vi quaſi repellere videatur.

10 Peccatum appetens Deum deſtruere. *Vide D. Thom. 1. 2. q. 21. art. 4. ad 1. & q. 47. art. 1 ad 1. Vbi Cajet. q. 71. ar. 6 dub. ultim. ad 2. & 1. p. q. 19. ar. 9. § ad hoc. Med 3. p. q. 1 ar. 2. ubi Suarez. diſp. 4. Pelitanus de Satiſf. Chriſt. cap. 11.*

Tandem, quoniam tantum eſt peccati virus, vis tanta, ut non lædere tantum, verum etiam, quod in ſe eſt, Deum deſtruere appetat, & conetur, quod tanquam veriſsimum ſtatuunt Sapientes Theologi in ſuis diſputationibus. Atq; veriſsime etiā deſcribitur a Iob, cap. 15. verſic. 26. *Cucurrit* (impius) *adverſus eum* (Deum) *erecto collo; & pingui cervice armatus eſt.* qua ſi cornibus velit Deū petere, atq; proſternere; & de ſuo ſtatu, deque ſua beatitudine dejicere. Verum enim vero cum Deus ſit finis ultimus creaturæ rationalis, ac niſi ex illa ſumma beatitudine, beatitudinē participare nō poſsit; qui alium ſibi finem, quam Deum conſtituit, aliam quoq; beatitudinē ſibi cōminiſcitur; Deū eſſe, eum qui eſt, nō vult. deſtruit ergo, quod in ſe eſt. quo quid nocētius, & inimicius Deo?

Deum re ipſa nihil lædi poſſe. *Prov. 1. 29. Iſai. 66. 3. Pſal. 24. Pſ. 36. 13. 58. 9.* Cur Deus ridere dicatur in noſtris peccatis.

Hæc nihilominus licet ita videantur habere, ſed certe Theologice, & preſſe dixit Eliu, *Si peccaveris, quid ei nocebis?* nā qui natura ſua impaſsibilis eſt, nihil omnino quod in ſe eſt, accipere nocumēti poteſt. Ipſi certe peccatori peccatum ſuū nocet; proximo nocet. Quare cum omnino alicujus mali expers ſit Deus, in noſtris ille malis *ridere* dicitur, quod illum non tangant; tum etiā refundere in nos noſtra ipſa mala; quod peccando nobis nos ipſi maxime noceamus. Sicut ait Ierem. 14. 16. *Effundam ſuper eos malum ſuum.* Quare illa peccatorum diviſio, ut peccatum ſit contra ipſummet peccatorem (*nam qui fornicatur in corpus ſuum peccat*) aut contra proximū;

1. Cor. 6. 18. Peccati divi-

læditur enim ab homine homo: aut in Deum; ita accipi debet, ut priora duo mēbra ad verum detrimentum, & damnū referantur; ultimum vero ad affectum peccatoris, & peccati naturam, nō ad effectū pertineat. non quidē quod omnis qui peccat, neceſſaria conſequentia velit deſtruere Deum, & Deum non eſſe: ſed quod ex re ipſa, & affectu peccatoris, ſi in effectū deveniret, conſequeretur creaturam eſſe ultimum finem, Deū proinde non eſſe ultimum finem. neque Deum. de quo actionum humanarum ad ultimum finem ordine dixit Sapienter D. Thomas; *Quod per actum hominis Deo nihil poteſt accreſcere, vel deperire, ſed tamen homo, quantū in ſe eſt, aliquid ſubtrahit Deo, vel ei exhibet, cum ſervat, vel non ſervat ordinem, quem Deus inſtituit.* Sed quod hæc ad ſcholarum ſubtilitates plurimum ſpectent, non amplius promovenda.

ſio quomodo accipienda.

Quomodo dicatur peccator velle deſtruere Deum.

D. Thom. 1. 2. q. 21. ar. 4. ad 1.

Illud tantum, quo objectis ſatis fit, Tātam eſſe acerbitatem, & gravitatē peccati, ut dicatur beatiſsimā illā Deitatem afficere nocumento, dolore, triſtitia, opprobrio: quod quamvis re ipſa nō faciat, quid magis exaggeratum? Sic igitur averſatur Deus peccatum, ac ſi peccato deſtrui poſſet. Sic illi ſe præbet inimicum, ac ſi paratas ab illo inſidias timeret. Sic ſe triſtem, & tetricum peccatori exhibet, ac ſi ex peccato magna triſtitia, & acerbitate afficeretur. Sic deniq; injuria, & opprobrio violari ſe conqueritur, ac ſi verum ſuū honorem, & veram ſui nominis cum laude notitiam, quod verum bonum, quamvis extrinſecum eſt, amitteret: Cum tamen non omnino amittat: nam non permitteret ipſe Deus peccatum, niſi ex permiſsione illius multum ſibi honoris, & gloriæ ex alia parte accreſceret; atque vel ad manifeſtationem patientiæ, & miſericordiæ; vel juſtitiæ, & ſeveritatis, plus eliceret ex peccato, quam in honore illo extrinſeco amittere videtur. Proptereaque ſumma illius beatitudo nulla re etiam extrinſeca minui; nullo vero bono etiam extrinſeco lædi poteſt ex ullo hominum ſcelere, aut injuria. Sapienter ergo dixit Eliu, *Si peccaveris, quid ei nocebis?*

Reſponſio argumēti ex gravitate peccati.

An ex peccato hominū verum ſuum honorē amittat Deus.

VII. Porro ſi juſte egeris, quid donabis ei: aut quid de manu tua accipiet?

1. *Deus bonorum noſtrorum minime indigens. Illuſtratus Paraphraſi Pſal. 15.*

2. *Deus ad percutiendũ manus anguſte, ad largiendũ ampliſſima. Longimani reſponſum. Illuſtratus Iſaias.*
3. *Sua dona Deus e noſtra manu accipit. Quid, & qua de cauſa Deo aliquid gratum, & acceptũ. Explicati David, & Samuel.*
4. Manus, *apud Sacros, & profanos pro ſpontaneo, & gratuito.*

PORRO *ſi juſte egeris.* Eſto ita ſit, ut juſtus ſis, ut tu exiſtimas. *Sic* videntur Septuaginta accepiſſe. *Quoniã igitur juſtus es.*
1 LXX. Et ſic ex verbo legi poteſt, *Si juſtus es*, quãquam & illum ſenſum efficere poſſunt Hebræa; Si te deinceps juſtificaveris. *Quid donabis?* non ideo magno aliquo Deũ beneficio adſtringes. Chryſoſtomus, *Iuſtitia tua Deum nihil juveris. Ne igitur tuam vendites juſtitiam.* Nihil illius fælicitati, & bonorum omnium affluẽtiæ denuo adjicies. *Aut quid de manu tua.* id eſt, ex tuis bonis operibus, & pietatis exercitio. In hũc ſenſum vocat Philippus id Pſal. 15. 1. *Bonorũ meorum* (operum) *non eges.* quem ſenſum Baſilius quoque, & Theodoretus docuerunt. *Humanæ juſtitiæ non indiges. Propter noſtram utilitatem hanc legem, ut bene faciamus cõſtituit.* Atque adeo Hieronymus ait hunc Davidis locum, ex libro Iob, mutuatum, *Eandem*, inquit, *lineam, & in Iob Scriptam legimus, Quid prodeſt, ſi tu ſimplicem facies viam tuam?* Symmachus quoque eundem verſiculũ videtur per extenuationẽ accepiſſe, *Bonorum meorum non indiges*, ego tua potius pietate, & beneficẽtia indigeo. legit enim, *Bonum mihi non eſt ſine te.* Athanaſius vero nomine, *bonorum*, ſacrificia intelligit, ut exponitur, Pſ. 49. *Nunquid mãducabo carnes taurorum, &c.* q. d. Nihil tibi ex meis ſacrificiis utilitatis accedit. Atq; eodem modo noſtrum iſtum locum de *ſacrificiis* accipiendum exiſtimat D. Thom. *Quid de manu tua accipiet?* nimirum ille, *cujus ſunt omnes feræ ſylvarum, jumenta in mõtibus, & boves, qui cognoſcit* optime ubi *volatilia cæli* nidulentur, atque *viã aquilæ in cælo* exploratiſſimam habet, ſi avibus uti vellet. Quidquid præterea *pulchrũ*, & pingue *agri* proferunt, & tellus fundit, ac ſuſtinet, in Divinæ Potentiæ, & opulentiæ horreis continetur. Quare nõ ille indiget muneribus noſtrarum manuum, non carnibus, avibus, placẽtis, & frugibus. ex quibus ſacrificia offerebantur. Quare quod hoc loco ait Eliu, *quid de tua manu accipiet?* idẽ fere eſt, cum illo Pſal. 49. 10. *Nõ accipiam de domo tua vitulos, &c.* Quaſi dicat, Non opus eſt mihi accipere, nõ habeo accepta, & grata, neq; oportet me ambire tua munera, & dona.

Chryſoſt. — Deus bonorũ noſtrorũ minime indigẽs. — *Philipp.* — *Baſilius, Theodoret.* — *Hieronym.* — *Symmach.* — *Athanaſius.* — Bona pars Pſal. 15. paraphraſi illuſtrata. — *D. Thom.*

Ergo in ſingulis hujus ſententiæ verbis Emphaſis eſt, & mirabile orationis incremẽtum: primo in voce illa *manus*, Nam cũ 2
hominis manus tam anguſta, & ſtricta ſit, ut vix pugillũ rei tenuiſſimæ capere poſſit, nihil de illa poterit accipere Divina manus, quæ longiſſima, latiſſima, & ampliſſima eſt, præſertim cum bene facere mortalibus ſtatuit, aliquando enim (quæ ſua bonitas, & clementia eſt) videtur brevis, & anguſti brachii, & puſillæ, breviſque manus, cum punit, & percutit, at ad bene faciendum longiſſimæ. Sicut Scriptũ eſt, *Ecce non eſt abbreviata manus Domini, ut ſalvare nequeat.* id eſt, ad benefaciendum, & ſalvandum non habet manum contractã, aut decurctatam, ſed longiſſimam, atque ampliſſimam. potius enim contrahere ſolet juſtitiam, quam clementiam, & liberalitatem. Simili ergo modo dicere de illo poſſumus, ac de Artaxerxe illo Xerxis filio, cognomento *Longimano*, qui alteram manum habebat longiorẽ, dextram nimirum: cum enim vitio id illi verteretur, at ipſe in bonum omen, atque regiam virtutem convertebat, dicens, ſibi tanquam optimo Principi naturam conceſſiſſe, ut manum haberet ad largiendum ampliſſimã, atque longiſſimam: alteram vero nempe ſiniſtram ad accipiendum, & detrahendũ breviſſimam, & contractam: quippe & Rege dignius, *& beatius eſt, dare quam accipere.* Igitur de Deo, qui in benefaciendo Longimanus eſt, recte dixit Eliu. *Quid de manu hominis accipiet?*

Præterea illa *accipiendi* vox auget ſen- 3
tẽtiã. nã quod De⁹ capit de manu noſtra nõ tãtũ ideo eſt illi acceptum, quod manu noſtra oblatum fuerit: ſed quod primum de manu illius profectũ fuerit ad manus noſtras, deinde ſuam, & ipſius dona eidẽ tanquam noſtra obtulerimus. Sicut dixit David. 1. Paralipomenon. 29. *Tua eſt, Domine, magnificentia, & Potentia, & gloria, atque victoria, cũcta, quæ in cælo ſunt, & in terra, tua ſunt, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* Et rurſus, *Domine Deus noſter, omnis hæc copia, quã paravimus, de manu tua eſt.* Vult igitur David ſua munera accepta Deo eſſe, non tam quod *de manu ſua accipiat* illa Deus, quam quod de Divina manu primum accepta, & profecta fuerint, Aliter enim Deo dicere potuiſſet, *Quid de manu mea accipies?* Vt enim Apoſtolus dixit ad Romanos, 11. 3. 5. 7. *Quis prior dedit, & retribuetur illi?* Proptereaque idem David gratitudinis ergo, poſt acceptã a Deo ſalutem ait, Pſal. 115. 3. *Quid retribuam Domino.* quod proprie ex Hebreo legas, *Quid*

Manus hominis anguſta. — Deus ad percutiendũ brevis brachii, ad benefaciẽdũ lõgiſſimi. — *Iſai. 59. 1.* — *Plutar. in Apop. Rom. 10.* — Longimani ſapiens reſpõſum. — *Act. 20. 35.* — Quid Deo, & qua de cauſa acceptum. — *1. Paral. 29. 11. 13. 14. 16.* — Deus ſua ipſi⁹ dona e noſtra manu accipit.

redire faciam ad Dominum? quidquid enim ille muneris ad Deũ mitteret, redibat pro fecto ad ipſum beneficii auctorem, unde exierat, & retribuebat David illi, qui primum tribuerat. Quid igitur ille de manu

4 noſtra accipiet? Fallor, ſi nõ etiam *manu* mentio continet aliquid ſpontaneum, & gratuitum: quod enim in manu noſtra eſt, & in libera poteſtate, ſpõte poſſumus aut largiri, aut retinere: & cũ manu offerimus aliquid alicui, ſponte offerimus. Sicut Devteron. 16. 10. dicitur *oblationem ſpontaneam manus tuæ offeres*. qua etiam dicendi Phraſi dicit Latinus, *manu aliquid facere*, quod eſt, ſponte: ut Seneca aliquando dixit; *Morbos manu noſtra facere*. Quid igitur, inquit Eliu, ſpõte, & gratuito illi dare poſſumus, cui nos, noſtraq; debemus omnia?

Manus donũ ſpontaneum, & gratuitum.

Sene. de Brevit. vitæ. c. 3. & ad Martiam c. 19.

VIII. *Homini, qui ſimilis tui eſt, nocebit impietas tua: & filiũ hominis adjuvabit juſtitia tua.*

1. *Damnum ex prava imitatione. Sententia paraphraſis.*
2. *Tertius caſus commodi, aut incommodi. Humanum eſſe erga proximum, Divinũ eſt. Cur habeat homo duas manus æquales.*
3. *Deus ſufficienter providens humanæ indigentiæ juſtitiæ, & rationis lege. Sanctitatis argumentũ, juvare proximum.*
4. *Neminẽ lædi, niſi a ſemet ipſo, cũ animo læditur.*

1 PHilippus per imitationem interpretatur: Tua (inquit) vel ſanctitas vel iniquitas aut prodeſſe, aut nocere poterit tuæ vitæ ſectatoribus. *Homini (inquit) nocere poterit impietas tua, ſi male agentem te æmulatus non fuerit.* Atque eundem fere ſenſum docuit Gregorius. Sed allegoricum eſt, & a prima ſimplicique interpretatio alienum. Hæc igitur eſt lucida ſententiæ Paraphraſis, quæ ſequitur.

Philipp.

Damnum ex imitatione.

Gregor.

Humanum (inquit) eſt, non Divinum, alterius aut iniquitate, & injuſtitia lædi, aut juſtitia, & beneficentia juvari: id quod ex te ipſo diſcere aliquando potuiſti, læſiſti enim multos tua injuſtitia, & impietate, forte etiam alios muneribus aliquibus, & beneficiis ſublevaſti, & demerüiſti. Tũ præterea ſicut multa damna ab hoſtibus accepiſti, ita multa quoque aliorum miſericordia indiges, eſt quippe homo homini nunc Deus beneficentiſsimus, nunc lupus nocentiſsimus.

Simplex, & lucida ſententiæ paraphraſis.

2 *Homini.* Tertius iſte caſus commodi, & incommodi eſt, continetque illa ipſa verba *nocendi, & adjuvandi*, quæ claritatis gratia expreſsit Interpres, & tum in Hebræo tum in Græco ſupprimuntur. *Viro, ſimili tui, impietas tua; & filio hominis juſtitia tua.*

Tertius caſus commodi, aut incõmodi.

Qui ſimilis tui eſt. Qui bonis eget; qui malis urgetur; qui ſibi ipſi non ſufficit; quẽ alterius hominis opera ſive bona, ſive mala attingunt, ut pote non ſuperioris naturæ, ſed ejuſdem humanitatis ſocium vicinum, familiarem. Forte notat Iobũ, quod in ſuos populares, atque vicinos iniquus, & injurius extiterit: Cum tamẽ pro naturę ſocietate, & vitæ ejuſdem cõmunione debeat homo juvare comparem ſuum. Cõvenieus enim homini eſt hominẽ ſervare voluptas. Et cum id ita ſit humanum, ut in ipſa hominis ratione, & natura poſitũ ſit, at videtur eſſe Divinum benefacere homini. Plinius alioqui de Deo impie ſentiens de beneficientia Divina, *Deus eſt*, inquit, *mortali juvare mortalem*. Denique qui hominem *ſui ſimilem juvat*, ſe ipſum juvat, ſeque agnoſcit, aliquãdo pro humana imbecillitate poſtulaturũ alterius opẽ. Propterea enim duas habet homo man⁹, duo brachia æqualia (non ſicut Longimanus ille) ut tam ad accipiendam, & indigendum, quam ad dandum, & abundandũ natum ſe eſſe intelligat.

Plin. lib. 2. c. 7.

Benefacere, Divinum.

Plinius.

Homo ad dandum, & accipiendum natura ſua comparatus.

3 Sed obſervandum quidem Deũ, cui cura eſt de omnibus, ſatis ſuperque mortaliũ generi, & bono cõſuluiſſe, tũ juſtitię, tum ratione indita, tum etiã poſtea ſuo verbo & auctoritate cõfirmata, ſatis enim ſuperque quicumque etiam miſerrimus neceſſaria ad victum, & humanam commoditatem haberet, ſi omnes ex lege, & jure tum Naturali, tum Divino, & Politico cum illo agerẽt: ita enim ratione cuncta diſpoſita ſunt, ut ſingulorũ neceſsitatibus proviſum ſit. Nihil preterea juſtę querimonię poteſt aliquis habere, ſi nihil contra jus, & æquum factum ſit; tum demum alter nocet alteri, cum injuſtus eſt, atque ille erit munificus atque beneficus, qui juſtus fuerit. Sane mirum, quantum ſuos proximos adjuvent, qui ſancti ſunt, ut fere illa ſit veræ ſanctitatis, & juſtitiæ nota, ſi *Filium hominis adjuvat juſtitia noſtra*. Vide, quæ de beneficentia, & charitate erga proximum diximus ſupra, c. 22. verſ. 3. & 8. & cap. 24. verſ. 4. & ſequentibus.

Deus providens humanæ neceſsitati.

Naturæ Lex juſtiſsima.

Sãctitatis argumẽtũ, Charitas, & beneficia erga proximum.

4 Tertio, illud veriſsimum eſt, quamvis, ut Chryſoſtomus ait, quotidie videamus lædi quam plurimos, & affligi, & opprimi cum omni injuria, & ſicut non eſt poſsibile numerare fluctus maris, ita nec hi qui affliguntur, & injuriam patiũtur, poſſunt numero comprehẽdi, quibus neque leges ullæ ſubveniunt, nec judicum metus, nec

Chryſoſt.

Niſi quis animo lædatur, vere nõ lędi.

ulla

Paradoxum Chriſtianum.

ulla vis alia; *Neminem tamen poſſe lædi ab alio, niſi a ſemet ipſo*. Paradoxum hoc vere Chriſtianum, vere etiam ex vera Philoſophia, & Sapientia depromptum mirabiliter a Chryſoſtomo contra vulgi opinionem. Vide illum Hom. *Quod nemo læditur niſi a ſemet ipſo*. Niſi enim quis lędatur animo, non læditur. Id quod tum ex aliis, tū ex Iobi hiſtoria, & exemplo cōfirmat. Nā eo conferebat adverſarius omnes ſuas machinas, non ut pauperem, ægrum, orbum faceret, in quo nihil lædebatur, ſed ut dolentem, & excruciatum animo lædere poſſet, & vel verbum unum iniquū extorqueret. Secus enim quid Apoſtolos Chriſti pęnuria læſit? quid Lazarum ægritudo, & ulcera? quid Abelem immane parricidiū? quid denique Sanctos alios *tentatio, ſectio, gladius, occiſio*?

Chryſoſtom.

Heb. 11.37.

IX. *Propter multitudinem calūniatorum clamabunt, & ejulabūt, propter vim brachii Tyrannorū.*

1. *Tres nectendi rationes. Eligitur tertia. Sententiæ Paraphraſis.*
2. *Miſerorum maximus ſemper numerus. Deus auditor clamorum. Solemnis ad opem invocatio.*
3. Clamare, *& ejulare quo differant: ex Abac. & David.*
4. *Hebraiſmus.* Multitudo, *de ſagittis dicta.*
5. *Princeps gratis audiens miſerorum preces. Iudicū venales aures amputantur.*

1 Varius nexus. *Philipp.*

VArius nexus, neque tamē admodum difficilis, quamvis Philippus dixerit, *Obſcuram eſſe nimium ſermonum iſtorum cōſequentiam*. Primo, ut novā quaſi objectionem ex ſententia Iobi proponat, cui ipſe Eliu ſtatim reſpondeat; Dices (inquit) o Iob, ſi nemo innocēs patitur, cur ergo tot innocentes, tot miſeri, & egeni homines, graviſsimis injuriis vexantur a Tyrannis, & impuriſsimis hominibus, ut clamores in cælum cogantur tollere? Reſpondet ſtatim, verſiculo ſequente, iſtos afflictos, & vexatos, non omnino innocētes extitiſſe: nam eſto neminem læſerint, at Divinorū beneficiorum immemores vixerunt, &c. Sic fere arguta Paraphraſis Epiſcopi Algarbienſis. Illud ſimplex, & clarum, quod indicat D. Thom. ut ſit quaſi confirmatio, & expoſitio præcedentis; Homo homini nocere poteſt, unde tot calumniæ, tot clamores, & ejulatus, tot immanes Tyranni. Addit etiam Philippus, de Iobo hæc intelligi, quāvis pluraliter loquatur Eliu, ut illum annumeret *calumniatoribus, atque Tyrannis; quorum calumniis, & Potentia homo, & filius hominis oppreſsi, ingemiſcentes clament ad Deum*. Sed tandē tertius nexus erit multo elegantior, ut ex præcedente ſententia ita cōfirmet Divinam Providētiam; Quamvis noſtrorū operum vel dāna, vel lucra cælum non pertingant, at nō ideo Deus eſt aut inſcius, aut negligēs noſtrarum rerum: Nam eo aſcēdunt clamor ſcelerum, gemitus, & lachrymę miſerorū, deſideria pauperum: his excitatus Deus, non cupiditate lucri, nō damni metu, *deſcendit, ut videat, an clamorem, qui ad illū pervenit, opere compleverint* Tyranni; & pro ſuo juſti judicis munere, juſte judicet, & imbecillioribus, vim patientibus opituletur, ac ſi quem inveniat juſtitię, & humanitatis cultorem juſtis honoribus, & præmiis proſequatur.

Oſorius. D. Thom.

Simplex nex⁹, & interpretatio.

Philipp.

Elegantior nexus.

Lucida ſentētiæ paraphraſis.

Geneſ. 6.

2 *Philipp. Beda.*

Propter multitudinem calumniatorū. Active videntur accipere Philippus, & Beda, pro his, *qui alios calumniantur*. Sed vox originalis exigit, ut paſsive accipiatur, pro his qui calumniis vexantur, vim patiētes, a potentioribus oppreſsi. Septuaginta. *A multitudine calumniis appetita*. Multitudinem intellige miſerorum hominum, quorum ſemper maximus fuit numerus. vel cum Niceta, *Turbam calumniarū, inundant* enim, & calumnia calumniam tetigit.

עשק

LXX.

Miſerorū maximus numerus.

Nicetas.

Hoſ. 4.2.

Clamabūt. Camāt quidē homines, quorū res agitur, cum graſſantur Tyranni: ad noſtros igitur clamores ille accurrit; quamvis illum mala noſtra non pertingant, at tangitur miſericordia miſerorum. Sic cū *ingemiſcētes filii Iſrael propter opera, vociferati ſunt: aſcenditque clamor eorum ad Deum ab operibus, & audivit gemitum eorum. Et liberavit eos*, non ſua, ſed miſerorum utilitate, ſuam illam peculiarem Providentiam menſus eſt. Ergo qui nihil damni aut lucri accipit, non poteſt non accipere clamorē ſcelerum, clamorem pauperum. Cum Annius Latinorū prætor inſignis ferocię homo orationem impudētem habuiſſet, Mālius ad Iovem converſus, *Audi, inquit, hæc ſcelera, audite jus, faſque*. Divinum eſſe putabant, humanos gemitus audire.

Deus audiens clamores.

Exod. 3.23.24 25.

Livius lib. 8.

Invocatio Iovis, ut audiret.

3 Ejulare quid proprie.

Et ejulabunt. Vtrumque verbum, *clamādi, & ejulandi*, contentionem clamoris, & vociferationis adfert, ſed illud videtur peculiariter ſignificare vocem, & gemitum, quem vis doloris, & calamitatis extrundit. ſicut Abacuc. 12. *Vociferabor ad te vim patiens*. quare Exod. 3.23. Vertitur *ingemiſcere*. Hoc vero ſignificat eundem clamorē implorando opē alterius, ut indicatur, Pſ. 17.42. *Clamaverunt, nec erat qui ſalvos faceret*. Quare Rab. Mardochai, poſt Rab. David, exiſtimant idē eſſe, quod *orare*. Quare

זעק

שוע

R. Mardok. R. David.

cum

cum dicũtur oppressi *ejulare* propter *vim Tyrannorum*, Divinam adversus Tyrãnos opem petunt,& expectant.

Propter vim brachii. Eleganter illuminatus est Hebraismus, quẽ Græci ad verbum expresserunt; *Clamabũt a brachio multorum*. q.d. Brachium magnatum,& potẽtum. vox enim originalis significat multitudinem, aut magnitudinem. Potest etiã legi; *Propter brachium sagittariorum*, aut jaculatorum; nam *multi*, aut *multitudo*, nomina sunt sagittarum, aut sagittariorum, ut diximus,cap. 16.14.

Hebraismus. רבב *Multitudo de sagittis dicta.*

5 Vides profecto hic imaginem, potius exemplar optimi Principis, patriæ,& miserorũ patris. Sicut enim Deus gratis accipit voces oppressorum, & gemitus illorum nulla sua utilitate exaudit; ita profecto Principum aures, quæ suis convitiis, & detractionibus aversæ, imo obturatæ, esse debent, at patere debent miserorum precibus sine ullo pretio. Eleganter Cassiodorus lib.11. variarum,cap.32.de integritate judicis disserens: *Gratanter exolvit, quod deberi juste cognoscit; & tunc quæ oportet, fiducialiter suggerũtur: quia nõ est hæsitationis metus, ubi non est venalis auditus*. Iubetur Iudex, tenetur Princeps aures integras adeuntibus præbere, nõ vendere: qui vendiderit, statim illi amputantor, quippe jam non suæ, sed alienæ, & venditæ. aut certe asininæ illi affiguntor, veluti Midæ illi avarissimo, cui benignas atque benevolas avaritia ademerat.

Princeps instar Dei, gratis accipiens pauperũ preces. *Cassiodor.* *Venalis judicum auditus.* *Iudicis aures aut asininæ, aut amputatæ quando.*

X. *Et non dixit, Vbi est Deus, qui fecit me: qui dedit carmina in nocte?*

1. *Aliorũ nexus, & sententia elucidatio. Cur Deus permittat quosdam ab improbis diutius vexari.*
2. *Nexus, & interpretatio Germana. Perpetuum Tyrannorum Epithetum*, Oblivisci Deum.
3. *Quatuor aliorum expositiones minus idoneæ.*
4. *Impii pervertentes ordinem dierum, & noctium, Angelorum custodia.*
5. *Simplex expositio.* Lux *prosperitas.* Nox *tribulatio.*

1 INdicavimus nuper a plerisque Latinis hanc sententiam accipi, ut reddatur ab Eliu respõsio illius problematis superius a Iobo propositi, cap.21.7. *Quare impii vivunt*, & quare Tyrãni impune grassantur in egenos? quia, inquit, quamvis oppressi, præ dolore ingemiscant, at Deum creatorem non agnoscunt, & unicam salutis spẽ in illo non constituunt: quẽ si invocarent, profecto lumẽ sui auxilii preberet in obscura miseriarum nocte,& præsentissimũ solatiũ afferret, atque causas canendi, & agendi gratias pro salute consequuta. Tũ etiam quia hujusmodi miseri,& vexati homines ingrati sunt erga creatorem suum, & erga pristina ab illo accepta beneficia, ut obliviscãtur, quam multas olim a Deo acceperint canendi, & lætandi causas, cũ plerique alii multis ærumnis afficiuntur. Deinde vero etiã adjungit aliam causam, quod licet a potentioribus vexẽtur tamẽ ipsi impatiẽtes sunt ærumnarum, & superbiunt adversus Deum. &, ut inquit Greg. *Qui in tribulatione frangitur, a quo factus est, minime contemplatur: quia qui benigne hominem condidit, nequaquam injuste cruciari permittit*. Ideo frustra clamant, & sinit Deus impune grassari Tyrannos, impiis quibusdam sumentibus de aliis improbis pœnas.

Aliorũm nexus,& sententiæ paraphrasis. Cur Deus permittat, quosdã diutius ab improbis vexari. *Gregor.* *Qui ærumnarum est impatiẽs, ingratus est erga Creatorem.*

2 Ergo mihi placet cõtextus, quem indicãt Greci, & multi ex Latinis, ut hæc pertineant ad impios,& Tyrannos oppressores pauperum, quorum proprium est *oblivisci Dei, Eloah*, judicis; hoc enim Epithetum *Oblivisciẽtium Deum*, quasi perpetuum illis attribuit David, Psal.49.22. tum etiã *Non proponere Deum ante conspectum suũ in omni tempore*, Psal.53.3. Psal.8.5.14. Hinc enim quod neq; *Deum requirant*, nec recordentur, insolentiores fiunt adversus pauperes. Ideo David postquam Psal.53. dixerat suos hostes *fortissimos, non proposuisse Deum ante conspectum suum*. adjecit, *sela*, tamquam notam rei indignissimæ, & luctuosissimæ, atque extremæ calamitatis; cum enim nullo Numinis metu coerceãtur, quod tam nefarium facinus nõ perpetrabunt? Sic jura pervertunt, furunt, & grassantur in suos conservos, *cædunt, percutiunt*.

Nexus,& explicatio germanior. *Tyrannorum propriũ oblivisci Deum.* *Ex Dei oblivione superbiunt Tyrãni.* סלה *Matth.24.29.*

3 *Qui dedit carmina in nocte*. Tum hoc, tum quod vers. sequente, subditur, pertinet ad majestatem, & beneficentiam Creatoris Optimi Maximi. Quid sit autem *dare carmina in nocte*, nõ unam habet interpretationem. D. Thomas, Nicol. Hugo, existimãt hęc dici de Iob, quasi is visus sit negasse res omnes creatas esse a Deo propter bonum ipsius hominis; quam rem nũc refellẽdam suscipiat Eliu ex eo, quod Deus instruxerit hominem sapientia boni, & mali, & præterea etiam revelaverit *carmina*, & peculiares de Divinis rebus instructiones. Sed proculdubio asperior est hic nexus.

D. Thom. Nicolaus. Hugo.

De *Carminibus* autem, D. Thom. Cajet. Nicol. existimant, *carmina in nocte*, esse revelationes, & visiones nocturnas, quas

D. Thom. Cajetan.

Deus dormientibus immittere solet. Sed præter quã quod nexum hujus interpretationis cum præcedentibus non video, illud multo minus video, quare nocturnę revelationes dicũtur *carmina*, aut *cantus*; præsertim cũ frequenter conjunctus sit cũ hujusmodi nocturnis visionibus timor, & horror, ut indicavimus, cap. 33. verſ. 15. & cap. 4. verſ. 13. & 14. & nihil frequẽtius in revelationibus, & visionibus Prophetarum, quam horror, & tremor.

Vatablus. Steuchus. Osorius.

Secundo Hebraizãtes plerique, Vatab. Steuchus, Osorius, ut sit Epithetum auctoris, & creatoris naturæ, qui creavit stellas lucẽtes nocte, quas Philosophi, & Astrologi admirentur, & celebrẽt carminibus, quę etiam nos ad carmina, & Divinas laudes invitant. Sed quorsum nunc hoc Creatoris, & Stellarum encommium, cum de oppressoribus, & Tyrannis Dei contemptoribus sermo est institutus?

Deus ob cælorum fabricam laudatus.

Tertio, Alii nescio quos cantus aviculàrum nocturnos afferũt, quos proponat Eliu ad speciẽ, & laudẽ Creatoris. Sed profecto aves noctu cantilãtes funestæ sunt, ut noctuæ, cuculli, aliæ vero, quæ matutino crepusculo occinũt adventanti soli, lętiores sunt, sed nõ tanti momenti, ut nũc ad declarandam Creatoris majestatẽ adduci deberent.

Aves noctu cãtãtes funestæ.

4 Quarto sublimiori intelligẽtia, Septua. accipiũt hæc *carmina nocturna* pro excubiis nocturnis, sic enim legunt, *Qui distribuit nocturnas custodias.* & bene cũ pręcedẽtibus nectũt, Tyranni Dei obliviscuntur, atq; illi⁹ perpetui ordinis, quo tẽpora stabilivit: nã cum ipsi noctu latrocinia exerceant, nõ meminerũt, nec cõsiderãt, Deũ somno, & quieti attribuisse noctẽ: partim etiã canticis, & Divinis laudibus, nõ seditionibus, nõ latrociniis, nec prędis; itaq; ut Chrysost. ait, *Quo tẽpore somnũ capiũt homines, nemo struit insidias.* Paulo aliter, sed pereleganter Origenes; Non meminerũt Tyrãni esse quidẽ a Deo destinatos custodes nostræ salutis, & excubias nocturnas; *Sicut enim qui sunt in custodia collocati, nocturnasq; vigilias agũt, eos qui versantur in nocte, a latronibus, a belluis, ab hostibus defendunt; ita profecto qui castrametantur Angeli, custodes nostri sunt,* adversus nocturnas Tyrannorum incursiones. Ergo *carmina*, aut cãtica sumpserũt, pro custodibus nocturnis, qui noctẽ transigunt cantando, aut de periculo, cantando quoq; nos admonent.

LXX.

Tenebriones invertunt naturę ordinem

Chrysostom.

Origen.

Angelorũ custodia.

5 Sed tandẽ illud valde germanũ videtur, quod Greg. & Philip. nunc docẽt, *ut carmẽ in nocte*, sit lætitia in tribulatione. Philipp. *Cõsequens* (inquit) *est, ut ea res, quæ obscurã, reddit mentẽ hominis, nox dicatur, sicut & prosperitatis aliquando dies dicitur, quoniã qui in prosperis est, quasi quadã fælicitate illuminatur.* de quo die, & nocte ad justũ virũ dicitur Psal. 120. *Per diẽ Sol nõ uret te, neq; Luna per noctẽ.* Sed de hac *tenebrarũ*, & *lucis* allegoria diximus sup. c. 3. v. 5. c. 10. v. 22. c. 17. v. 7. Cohæret vero elegãter cũ pręcedẽtibus; ideo enim illi franguntur animo, isti vero audẽt, & grassantur, quod nõ recogitent Deũ judicẽ æquissimũ posse miseris salutẽ presentissimã adversus ipsos Tyrãnos afferre; & noctẽ tristissimã in lætissima cãtica cõvertere. Sic profecto dicitur Deus facere, miserorum *lumẽ splẽdescere de mediis tenebris*, cũ illos eripit, a negotio *perambulãte in tenebris*, addẽ *in nocte* quoque cũ pericula timẽtur, *Deũ dare carmina*, id est, ædere mirabilia opera, & *dare verbum Evangelizantibus virtute multa*, id est, sua potentia prostratis hostibus, dare suis justis materiam uberem canendi.

Simplex, & germana interpretatio. Gregor. Philipp.

Nox, tribulatio.

Lux prosperitas.

2. Cor. 4. 6.

Psal. 90. 6.

Psal. 67. 12.

XI. *Qui docet nos super jumẽta terræ: et super volucres cæli erudit nos.*

1. Brutorũ prudentia mirabilis, & qui illã doceant. Bruta sapientiora, quo homini similiora.
2. Homo ratione præcellens cæteris animantibus. Oppositum hæresi Manichæorum.
3. Volucrũ intelligentia. Vox humanæ similis. Auguria ex avibus. Peculiaria quarundam exempla.
4. Brutorũ minime vera sapientia. Hominis sensus cum intelligentia coniunctus. Paraphrasi elucidatus Ecclesiasticus, in descriptione hominis.
5. Secundus sententiæ expositatus coharentior. Homo peccato obbrutescẽs. Variæ brutorum appellationes convenienter homini.

PEndet hęc sententia ex superiori; nam qui existimant, hic describi Creatoris majestatẽ, & beneficia posita in homine, interpretãtur de mẽtis, & sapiẽtiæ dono, quo Deus hominem præ cæteris animãtibus insignivit, quæ maxima hominis dignitas in Creatoris laudẽ redundat.

Quædã brutorum intelligẽtiæ documenta.

In hac autẽ interpretãdi ratione, & encomio humanę doctrinæ, & cõparatione cũ brutis, peculiaris mẽtio facta est *jumẽtorũ*, aut *bestiarũ terræ*, nõ solũ varietate vastitate, robore, sed etiã prudẽtia quadã, & sapientiæ atq; disciplinæ vestigiis insigniũ, adeo ut nõ pauci existimarint rationalẽ animã etiã illis inesse, quod Aug. li. 6. cõtra faustũ Manichæũ. & lib. 2. de moribus Manichęorũ tribuit Manicheis; & Ephiph. li. 1. Tomo. 3. Hæresi 42. in Scholio. 1. tribuit Marcioni, Valẽtino, Colorbaso, Idẽ sensisse Ana-

Quædã in aliis animalib⁹ intelligentiæ documenta.

Qui Auctores cõcesserint intelligẽtiã brutis.

August.

Epiphan.

Pierius. *Porphirius.*

se Anaxagor. Pythagora Plat. refert Pier. li. 6. verbo *Litteræ*. Idē ex Pythagorica doctrina refert, & sequitur Porph. lib. 3. de sacrificiis. pro eodē adducens Platonē, Empedoclē, Democritū, Aristotelē; imo, & quædā bruta ex differentia locorū, & majori propinquitate ad intelligētias Aethereas, prudentiora esse quam homines: Propterea q; existimat Socratē, & Rhadamātū per animalia jurasse; Aegyptios quædā animalia pro Diis coluisse; & Socratē quādo dixit, *Cygnos suos esse cōservos, minime jocatum fuisse*. Idem scribit lib. 4. c. 1. Diogenes autem non solum mentem sed etiā intelligentiā (quæ est intelligendi, & perspiciendi usus) qua magis, vel minus utātur, quo magis, vel minus ad humanæ figuræ similitudinem accesserint: sicut e converso mores hominum, & ingenia perpendimus ex similitudine aliqua cum brutis: asinina enim labia ingenii stuporem indicant; genæ contractæ in tristi vultu, quod simiarum est, stultitiam; nasus ad faciē male discretus, qualis inest suibus, ruditatē. Laurētius Valla lib. 1. de Dialectica, c. 9. *intelligentiā*, quamvis non animā immortalē, concedit brutis, pro quo adducit Aristotelem, & Græcos, Ciceronem præterea & Quintilianum nā ille ait, *In formica non modo sensus, sed etiā mens, ratio, memoria est*. hic vero ait *sermonē magis deesse* cæteris animalibus: quā intellectū. *Ex eo*, inquit Senec. *apparet brutis inesse intellectū, quod nihil amplius si intellexerint, facerent*. Rem eandē justo cōmentario ostendere conatus est Plutarchus in dialogo, An brutis ratio insit. Mirabilia quædam Prudentiæ, discursus, gratitudinis, pietatis, & religionis, scribunt Plinius lib. 8. c. 17. & lib. 10. Aelian. lib. 13. Plutarchus sup. adductus. Basilius homili. 9. Exameron. Atque hic ipse scribens super id Isai. 1. *Cognovit bos possessorem suum, &c.* ait, *Testimonio istius Scripturæ probari bovem præ asino pleniorem obtinere intelligentiam: asinus enim præsepe cognoscit, locum videlicet suæ voluptati destinatum: bos vero nonnulla habet, & eam utilem intelligētiam propriæ honestatis, ac boni*. Atque de Cane, homilia 9. Exameron, feram aliquam persequente, & investigante, atque ad bivium, vel trivium perveniēte, sic scribit ratiocinari: *Cum ejus feræ vestigia, quam persequitur, investigat, siquidem invenerit ea pluribus se se findentia modis, divortia viarum singularum ubi suo illo sagaci odoratu perlustravit, vocem prope syllogisticam, per ea quæ agit, elicit hoc pacto. Fera, quam persequor, inquit, aut hac, aut illa, aut ista divertit parte; at qui non hac; non item illa: restat ergo illam istac abiisse via. Atque ita falsa tollendo, verū invenire solet*.

Cygnus.

Animalia prudentiora, quo similiora homini.

Homo stultior, quo brutis similior.

L. Valla.

Cic de Natura Deorum. *Quint lib. 1. cap.*

Sen. Epis. 121.

Plutarc. h

Plinius. Aelian. Basilius.

Bobis intelligentia.

Canis ratiocinatio.

Salvianus.

Salvianus quoq; contra gentes ait; *Non solum homines, sed etiā apes atq; formicæ qualcumq; res faciunt, & ante quā faciunt, meditantur: & postquā fecerunt, nō negligūt*, Quid plura? Sapiēs manifesto brutorū sapientiā testimonio cōfirmat Prov. 30. 24 non solum inquam *jumentorū terræ*, vastissimorū, *sed minimorū terræ: Quatuor*, inquit, *sunt minima terræ. & ipsa sunt sapientiora sapientibus: formicæ, lepusculus, locusta, stellio*. Deus igitur docuit jumenta.

Apum, & formicarū sapiētia.

2 Sed profecto Sapientiæ auctor *docet hominem super jumenta terræ*: tum quoniā brutorū prudentia, atque sapientia bruta est, & similitudinaria, per analogiam quandā ad sapiētiam, & actiones humanas; sicut enim homo obbrutescit, cum *cōparatur jumentis insipientibus*; ita & hæc ratiocinari videntur, cum hominem rationalē imitantur non tam intelligentia, & consilio, quā naturæ quodam instinctu, imaginatione, & sensu: tum quoniam mens intelligendi capax nulli, præterquam homini, animali data est. Res quidem non solū ratione demonstrata sed certa etiam fide confirmata, ut luculenter ostendimus cum librum Aristot. 2. de Anima interpretaremur, ubi & illam Manichæorū hæresim (sic appellāt Aug. & Epiphan.) ratione, & auctoritate refutavimus: & facultates omnes sensitivas brutorum, ex quibus mirabiles quædā actiones provenire solent, distinximus.

Homo ratione. & intelligētia præ cæteris animalibus, insignit.

Manichæorū hæresis, cōdere brutis rationem.

Volucrū intelligendi, & loquendi arguměta quæ?

3 Potuit etiam dici, Et *super volucres cæli erudit nos*, propter peculiarem quandā sapientiæ, & intelligentiæ imaginem, quæ in quibusdā *avibus* conspicitur; censet enim D. Thom. partem hanc dici, propter aviū garritus, motus, quasi divinitus instructarum, quos antiqui observabāt: Auguria intelligit, quæ ex avibus captabantur; faciebat enim Aquila *magnarum rerū auspicia*, ut Sen. dixit. *Cygnus lætissimarū*, ut Poeta cecinit: *tristissimarum Vultures, Corvi*, ut ex Herodoto, & Plutarcho intelligimus, *Grues tempestatis*, atque procellæ, ut Virgilius bis cecinit; *Infortuniorum Milvus*, ut scribit Plinius; *Prosperitatis, Luscinia, & Ardeola*, eodē auctore; *Hirundines infausti ominis*, ex Horatio, & Pausania. Teram tempus, si vanissima priscorum ex avibus auguria persequi velim. Congessit plurima Alexander Neapolitanus lib. 1. cap. 13. Et quidem aves futurarum præscias, *aut prænuntias*, *aut vocabant Oscines*, quæ voce

Volucrum intelligendi, & loquēdi documenta.

Intelligentia volucrum.

D. Thom.

Sen. lib. 1 natural quæst. c. 32.

Virg. 1. Aeneid. Livius, Decad. 3. lib. 7. Dio. li. 47.

Herodot. lib. 3. Plutar. in Problē c. 93. Diod. lib 46.

Virg. 1. Georg. Plin. lib. 10. c. 10 & c. 18. Plin. lib. 11. c. 7 & lib. 10. c. 29. Horat. lib. 4. Carmin. Oda 11. Pauſan.

augurium faciebãt: aut *Præpetes*, quæ volatu, obſervavit Servius ad id 3. Aeneid.

Et volucrum linguas, & præpetis omina pennæ.

Quas quidem agitari *Divina mente* exiſtimabãt, ut ſcribit Cicer. 1. de Divinatione.

Vox avium humanę ſimilis.

Sed ut hæc non tam ex intelligẽtia volucrum, quã ex errore hominũ proficiſcebãtur, ita quędã ſunt in illis veriora ſapiẽtiæ veſtigia; vox enim, quã humanam pleræque imitãtur, mirabilis eſt; exempla explorata: plurima teſtatur ſe vidiſſe, Plinius lib. 10. c. 42. ſed verba illius colligenda; *Humanas voces reddunt pſittaci, etiã ſermocinantes. Expreſsior loquacitas certo generi Picarũ eſt, adamant verba, quæ loquantur; nec diſcunt tantum, ſed diligunt, meditanteſq; intra ſemet cura atque cogitatione intẽtionem non occultant. conſtat emori victas difficultate verbi, ac niſi ſubinde eadem audiant, memoria falli. Agrippina cõjux Claudii Cæſaris turdũ habuit (quod nunquã ante) imitantẽ ſermones hominũ, cũ hæc proderẽ. Habebãt, & Cæſares juvenes item ſturnũ, luſcinias Græco atque Latino ſermone dociles; præterea meditãtes in die, & aſſidue nova loquentes longiore etiã cõtextu.* Caput deinde. 43; inſcribit *de Corvorũ intelligẽtia*, quo deſcribit Corvũ illũ ſutoris, *qui omnibus matutinis, evolãs in roſtra Tiberiũ, deinde German. cũ, & Druſũ Cæſares nominatim, mox trãſeuntem populum ſalutabat.* Quid referã *Cornicẽ Bæticã*, non loquentẽ, ſed ſermocinantem? Diomedis aves propter inſignem agendi intelligentiã, idem Plin. tradit exiſtimatas fuiſſe Diomedis ſocios, *Græcis adulãtes quaſi ex Diomedis generi, pleno gutture, atque madentibus pennis illius ædẽ quotidie perluentes, atque purificantes?* Memnonis aves ad ſepulchrum Memnonis quotannis pugnare, & quaſi exequiarum juſta perſolvere, ſcribit Aelianus lib. 16. cap. 16. Eſt omnino mirabile, quod ſcribit Plutarchus, multorum Græcorum atque Romanorum teſtimonio confirmatũ; Picam mirifice garrulam, multos dein de dies mutam in ſe ſe meditatã tibicinũ, quas audierat, modulationes, & pulſationũ numeros, atque omnes mutationes expreſſiſſe nemine cogente, docenteve, *ut intelligi inde poſsit* (verba hæc Plutarchi) *in animalibus facultatẽ a ſe ipſo diſcẽdi rationis majorẽ habere vim, quam docilitatẽ magiſtro aptã. Et quoniam in docendo, quã in diſcendo plus ineſt rationis, fides jam adhibeatur Ariſtoteli, qui docere etiã aviculas ait. Viſam enim eſſe Luſciniã, quæ ſuo pullo canendi modũ traderet.* Quid de illius Memphiticis aviculis, quarũ fide, & integritate utuntur in peragendis fortibus, & educendis ſuo ordine

Ariſtot. 4. & 9. hiſt. anim. Plinius. Pſitaci, & Picę reddentes voces humanas. Corvorum intelligentia, & vox. Cornix Bętica. Diomedis aves. Plinius. Aelian. Plutarch. Picæ garrulæ, deinde obmuteſcentis mirum. In avibus nõ ſolum diſcẽdi ſed etiã docẽdi facultas. Leonius de rebus Afric. c. 8.

Syngraphis ex urna, atq; legenti, & publicanti offerendis? Quid quod de Accipitribus Thracib⁹, cum pueris, cum cæteris hominibus ſocietatem aucupandi coeuntes, vocatos nominatim accedere, prædę partẽ accipere? Auctores ſunt Aelian. lib. 2. c. 42. Plinius lib. 10. c. 8. Quid Cornicem illã quã *Marres Aegyptiorum Rex, valde cicurẽ habuit, quæ poſtquã audiſſet, quo volatus dirigendus, & quæ nam regio tranſeunda, & ubi terrarum requieſcendum eſſet, eo Regi. litteras ocyus, quã quivis nuntius perferret?* Auctor idem Aelia. lib. 15. c. 37. Perdicem profecto *callidam, & aſtutam volucrẽ*, Baſilius dicit, *& malitioſe cũ venatoribus agere*. Apes, *civiles*; Grues, *diſciplinæ ordinem tenentes*; Ciconias non *longe a Prudentia, rationeque diſtare, pias, hoſpitales*; Gallum, *Elatum atq; ſuperbum*; Pavonẽ, *elegantiæ amatorem, politureque ſtudioſum*. Denique nihil in avibus deſiderabis, quod prudentiſsimis, & ſapientiſsimis quadupredibus cõceſsit natura, ſive pugnas, & inimicitias inter ſe ſe; ſive artem ſe adverſus inimicos tuẽdi, ſive charitatẽ, & pietatẽ erga pullos, pullorũ rurſus erga parentes; ſive gratitudinẽ erga hominem, ſive memoriam accepti beneficii, aut injuriæ, & alia intelligentiæ, & rationis documenta conſideres.

Sed conſtans ea veritas eſt, *ſuper volucres cæli erudit nos.* vel ut propr. ex Hebręo legitur in Auguſtino; *A (præ) volatilibus cæli ſapientiorẽ me fecit.* Quamvis enim nõ ſit ejuſdem generis hæc comparatio; nam ſapientia, & intelligentia brutorum non eſt vera, ſed analogica, at ſapiẽtior eſt homo, ut qui vera, & ſpirituali Sapientia ſolus ipſe inter cætera excellat animalia. Et auctor quidem naturæ ita *docet jumenta, & volucres*, ut quæ faciant, ſint quidem opera intelligentiæ, non ſuæipſorum, ſed Dei: at vero ita *docuit hominem*, ut quæ faceret ſuo peculiari conſilio, atque intelligentia faceret. Quod Sapientiæ beneficiũ præ cæteris animantibus commendat Eccleſiaſticus; poſtquam enim in fine, c. 16. dixit, *Anima omnis vitalis* (quod eſt omnis viventis) *denuntiavit ante faciẽ ipſius* (ſupple, terrę id eſt, ut in Gręco habetur, *operuit faciem ejus*. id eſt, ſi terræ ſuperficiem aſpicias, videbis illam plenã, & cooperutam diverſi generis animantibus, quæ denuntiant Sapientiam, & Potentiã Creatoris. ſubjicit ſtatim hominis præexcellentẽ Creationẽ (*Dominatus eſt beſtiarũ, & volatiliũ. Conſilium* (prop. judiciũ, id eſt, cõſiliandi, & judicãdi facultatẽ) *& linguã* (facultatẽ ſermonis, quo mẽtis cõcepta, & cõſilia exprimuntur) *& oculos, & aures* (hi

Plin. lib. 10. c. 44. Aelian. Plinius. Cornicula Aegypcia. Perdix callida. Baſil. hom. 8. Exam. Varia intelligentiæ documenta in volucribus. De intelligentia galli vid. infer. c. 38. ℣. 36. Auguſt. Brutorum ſapientia ſimilitudinaria. Hominis excellẽtia ab Eccleſiaſtico fuſe deſcripta. Cap. 17. 4. 5.

Oculi,& aures humanæ conjunctæ cũ intelligentia.

enim duo ſenſus intelligendo ſerviunt homini: & ut Philoſophus dixit, potiſsimi ſunt ad diſciplinas acquirẽdas ſive per invẽtionem,ſive per diſciplinam; quẽ uſum ſane non habent in cæteris animantibus, Quare oculi,& aures cũ *corde* humano ſtatim conjunguntur, id eſt,cum ſapiẽtia, & intellectu) *& cor dedit illis excogitãdi,& diſciplina intellectus replevit illos. Creavit illis ſcientiam ſpiritus*(id eſt,ſpiritum intelligẽdi. nam ſi quæ eſt in brutis ſcientia,& cognitio,illa eſt corporis,nõ ſpiritus) *& ſenſu implevit cor illorum* (Tygurina. *Replevit ipſos ingenioſa ſcientia*) *& mala,& bona* (prẽmia, aut ſupplicia futura) *oſtendit eis. Poſuit oculum ſuum ſuper corda illorũ* (id eſt, peculiarem illam rerum ſupernaturalium cognitionem,quæ Divino oculo,& menti propria eſt,communicavit homini) *oſtendere* (ad oſtendendum) *illis magnalia operũ ſuorũ,ut nomen ſanctificationis collaudẽt,* (id eſt, illius ſanctitatem venerentur) *& gloriã in mirabilibus illius,ut magnalia enarrent operum ejus. Addidit illis diſciplinam,& legẽ vitæ hæreditavit illos,&c.* Vbi vides qua ratione Deus *docuerit homines ſuper jumenta terræ,& ſuper volucres cæli.*

Hominis ſenſus intelligentiæ ſerviẽtes.

Scientia,ſpiritus quæ.

5 Sed quoniam ſuperius diximus magis cohærere ſententiam,ſi non tam de beneficiis humano generi collatis, quã de Tyrannis hominibus acciperetur, ſic leniter & ſimpliciter cõnectetur: Cum rugiunt inſtar leonum, & immanium belluarum Tyranni; cum ſitiunt humanum ſanguinẽ,cũ captant prædam infirmiorũ,videntur profecto a vera hominis dignitate, & natura degeneraſſe ad belluinos mores, omnis humanitatis,& veræ Sapientiæ expertes: nam docuit quidem hominem Deus majora,& meliora, quam *jumenta terræ*, quæ ex rapto,& mutuis cædibus vivunt,& quã volatilia cæli,quæ quamvis alarum præſidio a terra ſe ſubvehant,& ſublime volẽt, ſed tamen præter cantum,præter volatũ, præter cibum,nihil ſublime ſapiunt. Nihil tam frequens in Scripturis,quam hominẽ bruteſcere,cum peccat,& cũ ingenuo homine,& ratione dignos mores exuit, ſicut enim utriuſque naturæ ſpiritualis, & corporeæ particeps eſt, ita in quam partem inclinaverit,ſimilitudinem, & appellationẽ accipiet; hinc Deus, aut Angelus Dei; illinc *comparatus jumentis inſipientibus,ſimilis factus illis,* & jã Leo,Lupus veſpertinus, Draco magnus,Pardus *nõ Exuens Varietates ſuas*, Vulpes, Aquila magnarum alarum, Genimina viperarum, Hædus,Equus, Mulus,& quid non?

Secundus ſententiæ cõtextus ſimplicior.

Hominẽ peccato obbruteſcere.

Variæ animalium appellationes convenientes homini.

XII. Ibi clamabunt,& non exaudiet propter ſuperbiam malorum.

1. *Prima exponendi ratio coactior. Pauperum ſuperbia.*
2. *Secunda,& tertia expoſitio minus idonea.*
3. *Expoſitio germanior. Deus cur permittens pauperes opprimi. Verbũ futuri tẽporis de re diuturna;*
4. *Particula* propter, *non reddens cauſam.* Superbia, *pro dignitate, & gloria.*

DVplex hujus ſententiç cõſtructio duplicem quoque interpretandi rationem efficere poteſt,quã indicavit eleganter Gregor. *Incertum,* inquit, *videtur, utrũ dicat,propter ſuperbiam malorũ non exaudiet, an propter ſuperbiam malorũ clamabunt.* Iuxta primam conſtructionem videntur quidã Latini rurſus hæc accipere de ipſis pauperibus oppreſsis, qui licet *clamẽt* prẽ dolore,& oppreſsione, tamen non exaudiũtur a Deo, nec illis vociferantibus reſpõdet, *propter ſuperbiam*,id eſt,quia ſe neque humiles,neq; ſupplices Deo prẽbent: non enim ſtatim atq; aliquis opprimitur adeſt illi Divinum auxilium, ſi *ſuperbus, & malus* ſit. Græci cum Septuag. legentes cum interrogatione, ſententiam contrariã efficiunt; *Ibi vociferabuntur, & non exaudies, & ab injuria malorũ?* id eſt, ut exponit Nicetas, *Ibi,pro tunc poſitum eſt; tunc audies,& injurias illatas ab improbis ulciſceris*, atque hic mihi ſenſus, lectioque placeret quidẽ, ſi liceret ſine exemplo alicujus exẽplaris interrogationẽ appingere noſtrẽ ſentẽtiẽ.

I

Gregorius.

Cajetan. Titelman. Algerb.

Pauperum clamantium ſuperbia.

LXX.

Nicetas.

Huc quoque pertinere videtur Gregorii expoſitio,quam ipſe paulo ſubtiliorem vocat,ut dicantur ipſi oppreſsi *non exaudiri,quamvis clament*,quia eorum deſideria differuntur propter *opprimẽtium ſuperbiã*, permittente Deo,ut violentorum malitia nequiter augeatur atq; cõſummetur. Sed interpretatio hẽc multo cum labore quẽſita videtur.

Gregor.

Secundo vero Philipp. D. Thom. cum Latinis aliis accipiunt de ipſis Tyrannis ſed non eodẽ modo. nam Philip. illud, *ibi*, proprie accipit pro loco aliquo ad intelligentiam deſignato,videlicet pro loco pœnarum, ubi improbi juſtorũ oppreſſores perpetuo ingemiſcent, & cruciabuntur, *ſed numquam exaudientur* propter ſcelera ſuperbiæ,& Tyrannidis, quam quondam exercuerunt. Expoſitio quidẽ arguta, ſed non omnino ſolida. Illa vero multo alienior, & coactior, quam affert D. Thom. ut ipſi Tyranni dicantur ad Deum clamare, poſtulantes fieri deſideriorum ſuorum compotes, ſed illos Deus minime

2

D.Thom. Nicolaus. Dionyſ. Philipp.

Superbia tyrãnorum perpetuo punita.

D.Thom.

exaudiat, non enim in superborum, sed in humilium orationē respicit. *Et petunt quidem, sed non accipiunt, eo quod male petant, ut in concupiscentiis suis insumant.* Iacob. 4. 3.

3 Ego vero existimo simplicem ac bene cohærentem sententiā fieri, si persistet adhuc Eliu in describenda Dei Patientia, & Providentia sustinentis improbos Tyrannos fæliciter vivere, miseros vero diutius opprimi infælicissime, ut tandem vers. 15 colligat ex hac Dei quasi tarditate, & patientia non tolli, sed potius statui, & cōfirmari Providentiā; *Clamant* quidem miseri, & petunt opem, sed nō ex audit Deus, tum etiā utrumque futurum in Hebræo, *Clamabunt, & non exaudiet*, ut significetur diuturnitas quædam ærumnarum, atque Tyrannidis.

Simplicior expositio.

Deus aliquando permittēs pauperes opprimi.

Futuri verbū de re diuturna

4 *Propter superbiam malorum.* Non reddit causam, sed cū Græcis, & Hebræis accipio proprie, *ab injuria malorū.* vel, *a facie superbiæ malorum.* id est, coram improbis superbis. *Superbia* autem hoc loco pertinet ad altitudinem, dignitatem, gloriam, splendorem, atque omnium bonorū incremētum, & cumulum; tum etiam ad virentem, atq; splendentem fortunę faciē, ex quibus omnibus cum creetur superbia, & arrogantia sumitur pro ipsa *Superbia*; quæ splendētis fortunæ comes est. Ergo clamabunt miseri a potentioribus oppressi, numquam coram illis comparebunt, quin doleant, quin gemendi, & clamandi causas accipiant. Hæc interim Deus videt, audit, sed videre & audire dissimulat; ita audit, ut non respondeat, est enim nunc idem verbum exaudiendi, & respondendi. Eleganter jam nectitur versiculus sequens.

Propter, non reddēs causā.

Superbia pro fælicitate, & amplitudine.

גאה

Superbia comes fælicitatis.

Paraphrasis sententiæ.

XIII. *Non ergo frustra audiet Deus, & Omnipotēs causas singulorum intuebitur.*

1. *Germana sententia explicatio. Objectionis tacita responsio.* Non frustra, *quid.*
2. *Zeugma. Verbum* respondendi, *varie acceptū.*
3. Intueri, *cum observatione. Deus etiam palpebri demissis, intuens. Illustratus David.*

1 ALII accipiunt particulam, *ergo*, ut propriā illationis notā, atque ex dictis hanc eliciat conclusionem; Clamores *frustra*, id est, vanos, & preces fusas non ut oportet, minime exaudiri a Deo, ut respiciat ad illos, quorum, quantumvis afflictorum, preces Deus non audit. Sic fere Philippus. *Frustra clamant, qui non merētur audiri.* D.Tho. Cum quosdā exaudiat Deus spe, & auxilio præstito, quibusdam etiam clamantibus non respondeat, *non frustra*, id est, sine ratione id facit, sed æquissime causas singulorum perspicit, & disponit. Sed ille est obvius sensus, quem sapienter Gregor. *Clamantem non frustra audit, & tamen quod patitur, respicit: & audire voces dissimulat; & quod unusquisque tolerat, non ignorat.* Occurrit ergo tacitæ objectioni; Quid confert humanis rebus, aut quid statuit Divinam Providentiam, quod Deus clamores audiat, si statim laborātibus nō accurrat? Respondet, *Non frustra*, neque in vanum exaudire; tum etiam *nō frustra*, neque in vanum dissimulare se audire; nā cum audit, cōcipit supplicia in improbos, opem vero erga afflictos, atq; salutē, bonorumque suorum restitutionem suo tempore edenda: hæc vero omnia, quæ concipit, & statuit apud se Deus, *non sunt frustra*, non mendacia, neque falsa, sed certissima. Dilatio præterea, atque tardū, ut videtur, auxilium *non sunt frustra*; hac enim tarditate *justorū merita*, ut Gregor. ait, *proficiunt, & desideria dilatione intenduntur, sicut semina gelu pressa solidantur.* Quare particula illa, *ergo*, non est hoc loco illativa, sed adversativa; *Verumtamen, non frustra audit Deus, &c.* Septuagint. *Absurda enim non vult Dominus videre.* id est, Non frustra ille videt, auditve; nam si quod incurrit in Divinos oculos absurdū est, & odiosum, destruet tandem, & ad meliorem rationē sua potentia, atque sapientia convertet.

Philipp.

D.Thom.

Germanus explicatus.

Gregor.

Objectionis tacitæ responsio.

Tarditate auxilii crescunt merita justorum.

Gregor.

LXX.

2 *Et causas singulorum intuebitur.* Dilucida Paraphrasis sententiæ in Hebræo brevissimæ; *Omnipotēs nō intuebitur illud.* quid nā illud? certe, *singulorum causas.* sic explicatius tradiderunt Septuaginta; *Omnipotens inspector est eorū, qui consummant iniqua, & salvabit me.* itaque *causæ singulorū*, sunt vel miserorum innocentia, vel Tyrannorum iniquitas. Est autem per Zeugma repetenda ex superioribus negatio cum particula illa, *frustra*, *Non frustra intuebitur causas singulorum*. Est vero peculiaris vis, & emphasis in hujus sententiæ verbis, *audiendi*, & *intuendi*; nam cum in præcedente sententia, ubi dicitur Deus non exaudire clamorem, sit verbum *Ghanah*, quod significat *audire*, vel, *respondere*, quasi dicat; Deus non respondet, ita ut videatur non audisse: nunc tamen cum dicitur *audire*, est verbum *Samagh*, quod significat auditu aliquid percipere, & intelligere; & aliquando etiam animo acquiescere, & obedire. ut constat ex illo Deuteron. 28. 49. *Cujus linguam intelligere non possis.* ubi proprie legunt Septuaginta ex Hebræo;

LXX.

Zeugma.

ענה

Verbum respondendi acte.

שמע

Respōdere, & audire, pro intelligere.

LXX.

August. *Cujus non audies vocē*, quā Scripturæ phrasim observavit quoque Augustinus in Locut. SS. tum etiam ex Psal.57. *Non exaudiet vocē incantantiū*, id est, non percipiet, neque explicate audiet carmina incantatoria, sicque non mitescet ad præceptum *incantatoris*. Subest ergo in hoc loco hoc verbū *audiēdi*, id est, intelligendi, ut significetur, quātumvis Deus statim non respōdeat, non ideo non ideo nō intelligere atque percipere clamorem pauperū, & clamandi causas. Et congruit cum hoc ipso verbo, alterū quod sequitur *intuendi*, quod affert observationem quandam attētam, occultam, & quasi per insidias, quare aliquando veritur *insidiari*, id est, intueri ex insidiis. sic cū dissimulat se videre Deus, id est, manifesto aliquo documēto nō probat se videre mortaliū actiones, non ideo nō perspicit, & quasi ex insidiis contēplatur: de illo quippe Scriptū est Ps.10.4. *Oculi ejus in pauperē respiciunt, & palpebræ ejus interrogant filios hominum; Dominus interrogat justum, & impium*. quāvis dejectas atque demissas videatur Deus habere oculorum palpebras, ut vel dormiat, vel non videat, at illius palpebræ perlucidæ sunt, & illæ ipsæ perspiciunt, probant, examināt singulorum causas, justum, & impiū: *sufficiunt enim illi* (ut Theodoretus dixit) *duntaxat oculorum palpebræ, ut humana omnia cognoscat*. & Hieronymus; *Hæc est subtilitas divinitatis, & judicia dei occulta*.

Deus non respondens, percipiens tamē clamores. שמע

3 Intueri cū observatione. שור

Quomodo Dei palpebræ interrogēt hominem.

Theodoret. Hieronym.

XIIII. *Etiam cum dixeris, Non considerat: judicare coram illo, & expecta eum.*

1. *Duplex exponendi via*. *Considerare, quid proprie, Deus invisibilis, videns nos.*
2. *Iudex expectandus, atque timendus.*
3. *Dei judicia probanda ab homine.*
4. *Pro supplicio accepto, Deo agenda gratia.*
5. *Secunda expositio lenior. Fiducia ex præteritis beneficiis.*

1 Prima interpretatio severior.

DVplex esse potest hujus sententiæ nexus, & explicatus, primus acrior, & severior: secundus paulo mitior. Primus, ut perstet adhuc Eliu in describēdā Divina vidicta, atq; patiētia adversus impios, & Tyrannos; tum etiam ut Divina vindicta atque judicio severissimo deterreat Iob in hunc modum; Quāvis, o Iob, Deus non corripiat subito impios, nec ferat statim adversus illos pro innocētibus sententiam, sed lento gradu ad vindictā procedat; non ideo ille res humanas negligit; quin potius attentissime *considerat*. ubi iterum subest, illud verbū, *intuendi*, & observandi, quasi ex occulto, & ex insidiis; Nā *etiam si dixeris*, id est, tu, aut quivis alius indigne de Divina Providentia sentiens, dicere possit, illum *non considerare*, neque intueri res humanas, eo quod nō se præbeat nobis conspiciendum; oportet tamē ut illum invisibilē licet, tamquā videntes, *sustineamus*, & expectemus venturū ad judiciū severissimū universarum nostrarum actionū. Hebraizātes fere omnes eā secūdā partem vertunt per secundā personā, *non consideras*; aut, non intueris; vel, nō vides; q.d. Ais te, o Iob, desiderare Dei tribunal, ut possis coram illo tuam causam dicere: at nihil refert quod tu illum nō videas, videt enim ille te. Vatabl. *Quāvis difficile persuadeas tibi Deū te videre, tamē videt te*. Similiter fere Tyg. Sed hęc personarū mutatio sensum nō mutat, quare sequitur.

Deus invisibilis, contēplās humana.

Vatablus.

2 D. Thom. Nicolaus.

Iudicare coram illo. Divus Thomas, Nicol. & alii Latini sic interpretātur; *Præparare, ut judicium ejus suscipias; & expecta eū in futurum judicantem*. id est, adhuc nō dedisti dignas tuis sceleribus pœnas, dabis proculdubio; paulisper enim te volo expectare; *nam cito ille veniet, & nō tardabit*. quod *si moram* tibi videatur *facere, exspecta eum*; tunc integrum suppliciū de te sumetur, plenum Divinæ indignationis, quod erit valde exaggeratum; nunc enim levissima sunt, quę perferimus. Sed in hac interpretādi ratione illud est incommodū, quod potius Iob cōtendit expectandum esse Divinum judicium, in quo parē mercedē operibus accipiemus, neque ex præsentibus suppliciis aut calamitatibus debere pensari vera alicujus merita; Amici vero numquam controversiā referunt, differuntve ad futurum judiciū, sed rem totam decernendam existimāt ex presentibus ærūnis, & præsente Providētia: quare alia est Eliu sentētia, aliudque propositū.

Exspectandus Iudex, atque timendus. Habac.2.3. Heb.10.37. 2 Pet.3.9.

Philippus active accipit illud, *judicare*, pro eo quod est probare, & patienter perferre Divinum suæ calamitatis judicium; *Iudicare* (inquit) *cū eo debes, quod est judicium ejus concinere; non contra eum præsumptuoso judicio, in ejus injuriam prosilire*. Idem fere Gregorius; *Cum idcirco Deus considerare nō creditur, quia tarde miseretur, intima cogitationis ingredere, atque ibi corā ejus oculis causæ tuæ judicium suscipe, & quæ ipse vivendo contulisti, vel quæ misericorditer percepisti, discerne, & tunc ad spei fiduciam redibis*. Huc fere pertinet Vatab. *Oportet* (inquit) *prius cognoscere culpā nostram* (quod pertinet ad judicium) *deinde spem suam in Deo collocare*.

3 Dei judicia probanda ab homine.

Gregorius.

Vatablus.

4 *LXX.* In hac itē paulo severiori interpretandi ratione ponenda est lectio Septuag. & Græcorum interpretatio. illi legunt; *Iudicare coram eo, si potes collaudare eum, sicuti est*: *Olympiodo.* Olympiodori autem est hæc interpretatio; *pro supplicio agendę gratię Deo.* *Quid est, quod apud eum, qui talis est ac tantus, jure velis, judicioque contendere, quandoquidem, nec eum de ista ipsa pœna, quā nunc ei persolvis, pro dignitate potes laudare?* *Chrysost.* eodem fere modo Chrysostomus; *Deū non posse a nobis dignis laudibus ornari, haud magnum fuerit: verum vitæ nostræ rationes adversus eum velle defendere, quem nō possis digna prædicatione efferre, hoc vero permagnū est.* Et habet quidem ea lectio Septuag. speciem quandam Ironiæ, *Ironia.* quasi dicat; Vis apud illum judicari? bene est; scilicet obtinebis in illius judicio: expecta igitur eū, ut sustineas illius conspectum, cujus vel laus, vel ore tenus usurpata memoria viribus nostris superior est. Habet etiā illud verbum *exspectandi* aliquid terroris, atque minarum: *Exspectari dicitur res terrifica.* quod elegāter exprimeret Hispanus; *Quereis las aver cō el, pues esperaldo, y aviso os, que no ay quien lo espere.*

5 *Secunda mitior explicādi ratio.* Ego vero secundam interpretandi viā mitiorem, atque benigniorem quam Gregorii, accipio, probo, & cēseo lenissime cohærere, ut sit quasi totius orationis cōclusio, qua Eliu hortetur Iobum ad sustinentiam ærumnarum, & spē melioris fortunæ, in hanc sententiam; Conquereris, o Iob, causam tuam negligi a Deo, & vitæ tuæ superioris præclara merita præteriri: satis profecto tibi esset, *Iudicari coram illo*, id est, judicium tuæ vitæ, atque suppliciū inflictum a Deo judice, patienter accipere, & tua sustinentia, atque voluntate probare; quod si facias, licebit tibi meliora a judice tuo sperare. *Gregorius.* Gregorius; *Inter adversa fidenter exspectes, quem & post delicta propitium recolis.* *Fiducia, & spes ex memoria præteritorū beneficiorum.* tum etiam si coram Deo judicium tuæ vitæ instituas, invenies profecto propter aliqua bona opera, ingētia te ab illo accepisse præmia; eorum memoria tibi faciet bonam spem, si rursus æquitati, & pietati studeas. *Gregor.* Greg. *Quāti est periculi trāsacta munera cernere, & futura desperare?*

XV. *Nunc enim non infert furorem suum, nec ulciscitur scelus valde.*

1. *Sententia Paraphrasis*. Dei furor, *ad supplicia damnatorum. Explicatus David.*
2. *Varia lectio*. *Deus pauciora scelera manifesto nunc supplicio afficiens.*
3. *Personarum in Scriptura mutatio frequens.*

1 *Sententiæ paraphrasis.* Nunc enim, &c. Cohæret cum præcedētibus; *Nunc* spei in Deo reponendę tempus, & locus est; cum Deus non omnē stomachum suum refundit in impios: cum non paria irrogat sceleribus supplicia; sed multo leviores a te pœnas exigit, quā vitę tuæ ratio postulabat: Cum igitur in ipso supplicio Dei benignitatē experiaris, non est, quod meliorem spem abjicias. *Nunc enim non infert furorem suum.* *LXX* Septuag. *Non est visitans iram suam.* proprie; *Nō visitabit nasus ejus.* id est, sic humana scelera, sic tuā vitam visitat Deus, ut conqueri nō possis, quod vel suæ indignationi, vel tuo supplicio modum non statuerit. *Pagninus.* Dilucide Pagninus; *Paululum visitabit terrā.* *Tygurina.* Tygur. *Non animadvertit iratus*; tuū supplicium nō meretur indignationis, & *furoris* nomen. *Dei furor in futuris suppliciis.* Sic *Dei furorē* ad futuros impiorum cruciatus refert Nyssenus in Psal. 6. *Nyssenus.* *Ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me*. Orat, inquit, *ne in illo futuro furore tradatur ad judicium; neve per illam iram adhibeatur sibi castigatio*; Tunc igitur inferet Deus furorem suum, & visitabit in naso suo; ille enim dies indignationis, & furoris est. Vide, quæ diximus supra.

2 *LXX.* *Nec ulciscitur scelus valde.* Sic etiam fere Septuaginta; *Nec cognovit delictum vehemēter*; פשה Proprie ex Hebræo; *Non cognovit incrementum valde*, vel, multitudinem, aut copiam. id est, enormia scelera, atque numero innumera dignis suppliciis non afficit; *Deus pauca scelera manifesto supplicio prosequēs* non novit ille multitudinem scelerum. id est, perinde se gerit in suppliciis, ac si nō nisi pauca, & ea non valde gravia peccata cognosceret, pleraque condonat, dissimulat, de paucissimis tantum pœnas repetit. Nicetas; *Dei laudes, idcirco nō possunt a nobis digne celebrari, quia dū is inter nos judicia exercet, iræ suæ rationem minime ducit, nec culpas nostras metitur, nec admodū observat.* *Nicetas.* Indicat præterea Nicetas secundam hanc partem posse ad Iobum referri, Non cognovit Iobus incrementum, id est, iræ Divinæ magnitudinē, *ac pōdus, nec peccatorū nostrorum assequitur numerū: si enim assequeretur, illud item assequeretur, nequaquam Deū in impios stomachum suum omnem erumpere.* Placuit hoc quoque Pagnin. legenti; *Non cognovit multitudinem peccatorum suorū*. &

3 *Personarum mutatio frequēs in Scripturis.* quidem cadere hic sensus potest in lectionem Hebræam, cui nihil obstat sermonem de Deo proxime præcessisse: frequens enim est illa personarum mutatio in Scripturis. Hic tantū addendum, quod Greg. *Gregor.* sapiēter addit; *Ab Eliu rectum dicitur, si recte diceretur, vera sunt namque, quæ dixit, sed a Beati Iob increpationibus aliena.*

XVI. *Ergo Iob frustra aperit os suũ, & absque scientia verba multiplicat.*

1. *Particulæ copulativa vis, & significatio varia. Varia lectio.*
2. *Aperire os, quid. Explicatus Isaias.*
3. *Verbositas stulta. Multiplex de re forti.*

1 QVasi jã obtinuisset, & in summas angustias cõclusisset Iobum, ita necessaria, ut sibi videtur conclusione, claudit totam disputationem. *Ergo.* In Græco, & Hebræo, *Et.* Sed quia particula hæc copulativa aliquando reddit causam, & valet idẽ quod, ideo, aut, propterea, eleganter Interpres dixit, *Ergo.* q.d. Propter ea, quę ego disputavi, colligo vanam fuisse Iobi orationem, & plenam ignorantiæ atque temeritatis, & nihil eorum, quę proposuit, finem obtinuisse. *Frustra.* Proprie in Hebręo, & Gręco, vane, in vanum, oratio vanissima, sensus atque Sapientiæ inops, tãtum sonitu verborum, & querimoniarum clamosa. *Aperit os suum.* Pagninus, Tygur. propter præteritas Iobi responsiones. Idem est sensus nostræ lectionis per præsens, *aperit,* ut notet idem Iobi propositũ, suam vitam, suamque opinionem tuendi, cui pertinaciter adhæreat, ac nulla suorũ amicorum admonitione, aut oratione melior, & sapientior reddatur. Sed proprie ex Hebræo est Cajetano, & Regia per futurum, *aperiet,* ut significetur, nihil deinceps esse, quod pro sua sententia afferre possit Iob.

Particulæ copulativę varia significatio.

הבל

Varia lectio. *Pagninus. Tygurina.*

Cajetan.

2 Rursus hic videtur D. Thomæ, imo & Gregorio, atque aliis Latinis phrasis illa, *Aperiendi oris,* ad stultam verbositatẽ pertinere; quãquam possit etiam significari, ne verbum quidem posse Iobo suppetere ad respondendum. q.d. His meis rationibus revinctus Iob, ne hiscere audebit, neque *aperire os.* Hæc eadẽ *aperiendi oris* proprietas, Isai. 10. 14. *Non fuit qui aperiret os, & garriret.* id est, qui hisceret. Vbi Septuaginta, *Qui cõtradicat.* sic hoc loco; Nõ poterit Iob *aperire os* ad contradicendum; quidquid enim deinceps loqui præsumet, stultitiæ erit, & eundem semper errorem, atque stultissimam cantilenam canet.

D. Thom. Gregor.

Aperire os, quid. LXX.

3 *Absque scientia.* Nicetas; *Quia nec attendit Dei præstantem vim ac tolerãtiam, nec illius incomprehensa judicia.* adde etiam, neque suorum peccatorum gravitatem, nec levitatem suppliciorum. Cum hac vero ignorantia congruit verbositas, quæ sequitur; Scriptum est enim; *Stultus verba multiplicat.* Ecclesi. 10. 14.

Nicetas.

Verbositas stulta.

Multiplicat. Vox eadem, quæ superius, cap. 8. vers. 2. *Spiritus multiplex oris tui, &c.* & affert quidem *multiplicitas* hęc, quandã fortitudinem difficilem ruptu, cujusmodi est *funiculus triplex;* Quare vel inviti fatentur amici vim, & pondus sancti Iob. Septuagint. *Verba aggravat.* quod Symmachus ad proprietatem stultorum refert, * *Sicut stultus,* inquit, *sermones graves fecit.* Elegãter Gregorius; *Hoc esse proprium arrogantiũ vitium esse solet, ut & pauca credãt, quæ ipsi multa dixerint, & multa credãt, quæ ipsis pauca dicuntur; quia enim semper dicere volunt, aliena audire, non possunt.*

כבר

Multiplicitas de re forti.

LXX. *Symmach.*

*Es vn necio pesado, y porfiado.

Gregor.



PARA-

CAPVT XXXV.

PARAPHRASIS
Capitis præcedentis.

NOTATIO RERVM INsigniorum, quæ in Commentariis fusius explicantur.



1 *Igitur Eliu hæc rursum loquutus est.*

QVONIAM NVLLVM Respondēdi ad ea, quæ Eliu disputaverat, documentum præbuerat Iobus, rursus ad dicendum ille aggressus est. Et vel quod multiplicem causam agēdam sibi esse intelligeret, vel quod propter animi arrogantiam semper auditorum animos suspensos, atque nova expectātes tenere cuperet, novam orationē exordiri in hunc modum cœpit.

2 *Numquid æqua tibi videtur cogitatio tua, ut diceres: Iustior sum Deo?*

Stulte æque, ac inique a vero, & honesto aberrasti, o Iob, dum justitiā tibi, & æquitatem, Deo injustitiam, & iniquitatem impudenter affingis. Iustiorē enim te Deo incorruptissimo Iudice asserere non vereris, quā si minime perpensis mortalium meritis, pręmia ille aut supplicia distribuat, sęva quadam, nec non cæca dominatione, & potestate, ita ut ulla neque lege neque ratione, nec benevolentia, & studio erga sanctitatē, neque odio, & indignatione erga improbitatem, sed temerario quodā voluntatis impetu actus, omnino negligat humanas actiones, ex quibus nihil ipse nocumenti aut emolumenti perceptūrus sit. Quare aberrasti sane toto cælo, dum id cogitasti atque protulisti. Siccine tam falsam animo de Divinis Iudiciis imbibisse opinionem? aut vero quid tibi venit in mentem, cum Deum judicē postulasti? Num id cōfidis fore, ut si cum Deo litigaveris, judicio vincas? Perquam absona profecto cuncta hæc sunt a rectæ rationis, & sanę mentis lege.

3 *Dixisti enim: Non tibi placet, quod rectum est. vel, quid tibi proderit, si ego peccavero?*

Tu vero, quod cum omni rationē pugnat, dixisti nō solū te justū, & innocentem esse in Divinis oculis, sed & Deo ipso totius justitiæ fonte justiorem esse. Ac ne invidiosius verba tua exaggerate videar, certe cum Deus te propter tua peccata puniēdum statuat, si tuā te justitiam, & innocentiam probaturū confidis, quid aliud efficeres, quā illius iniquitatem asserere? & qui tam graviter de Deo cōqueritur, profecto ostendit aliquid invenisse in Deo, quod sibi displiceat: atque ideo illum non esse omni ex parte sanctum, & incorruptum.

4 *Itaq; respondebo sermonibus tuis, & amicis tuis tecum.*

Rursus dicere nō es veritus, nihil damni, utilitatisve vel ex peccato, & scelere, vel ex pietate percipi posse, tum a te ipso, vel a quovis alio homine, tum ab ipso Deo. Quasi nihil ille probitatem curet. Ais enim, Quid ego proficiam a peccato meo? quidve lucrabor, si ab iniquitate recedā, cum innocentem, & impium pariter Deus consumat? Deus vero res humanas, ut pote sibi inutiles, prorsus negligit.

Quia vero tui amici vel quasi ignorantes, vel quasi assentiētes corruptissimæ isti tuæ opinioni minime responderunt, amplam ego, atque magnificam responsionem tum tibi, tum illis pro mea sapientia adhibebo.

5 *Suspice cælum, & intuere: & contemplare æthera, quod altior te sit.*

Divina sane Providētia, o Iob, non est utilitate aliqua captata ex rebus humanis metienda. Id, quod ex Divini domicilii, & Divinæ sedis celsitate facile ostendam, nihil enim vel ex nostris bonis, vel ex nostris malis potest ad Deum pertingere, nihil ille ab inferiori mūdo accipere potest, nihil illius sedes, Cælum inquam, ab isto nostro mundo emendicat. Omni itaque ratione ille nobis superior est. Ac

vide interim, adversus quem defensionem cōparaveris, nempe adversus eum, qui te tanto est sublimior. Curcunspice igitur, ac diligēter observa, atque omnem oculorum aciem, & mentis cogitationem intēde in cælestem regionem, passionis omnis, & corruptionis expertem. Contemplare nubes, & quidquid in cælo isto pleno luminibus fulget: Cęli enim celsissimā sedē tuis tu operibus neque deteriorē, neque illustriorem reddere poteris. quanto minus Creatorē ipsum, qui suis operibus infinitum eminet?

6 *Si peccaveris, quid ei nocebis? & si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies cōtra eum?*

a An Deus aliqua re lædi possit hominum peccatis, & an vero honore minui; tū de gravitate peccati presse, & Theologice dissēritur ad expositionē Eliu, peculiari digressione a n.4. usq; ad 10.

Si a recto, & æquo aberraveris, [a] qua nā re illum ledes? Quamvis multum labores, & adnitaris, quid tandem efficies, quo illi incōmodes? Nō solum uno aut altero peccato nihil diminuis de Divina majestate, & sempiterna illa beatitudine, sed neque si iniquitates, & pręvaricationes, quæ cum Divinæ legis cōtemptu, & injuria a te admittuntur, numero, & magnitudine infinita amplificētur, atque sive arte & industria, sive aperta vi, & impetu contra Deū conferantur, nihil adversus illum valebis. Esto vero justus sis, ut tu existimas, aut te deinceps justificare coneris, num ideo magno aliquo Deū beneficio adstringes? Iustitia tua Deum aliquid [b] juvabis, aut illius fælicitati, & bonorum omnium affluentiæ ex tuis bonis operibus, & pietatis exercitio aliquid adjicietur? non ille ambit tua munera, & dona: nihil illius manus amplissima, atque largissima ex tua ista brevissima, & angustissima vola capiet; quidquid enim habes, Divinæ manui, & bonitati acceptum referri oportet.

7 *Porro si juste egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet?*

b Deus abundātissimus, nulla re indigens ex nostris operibus, cum utilitate tractatur n.1.2.3.

Humanum profecto, non Divinum est, alterius aut iniquitate, & injustitia lædi, aut justitia, & beneficentia juvari. Id quod ex te ipso discere aliquando potuisti; læsisti enim multos tua justitia, & impietate, forte etiam alios muneribus aliquibus ac beneficiis sublevasti, & demeruisti. Tum præterea sicut multa damna ab hostibus accepisti, ita multa quoque aliorū misericordia indiges. Est quippe homo homini nunc Deus quidam beneficentissimus; nunc lupus sævissimus, atque nocentissimus. Cum Deo itaque non est tibi agendum, neque cogitandū tamquā cum homine tui compare, qui bonis eget, qui malis urgetur, qui sibi ipsi nō sufficit, quē alterius hominis opera sive bona, sive mala attingunt; quippe non superioris naturæ, sed ejusdem humanitatis consorté. In quo mirabilis est auctoris naturæ Providentia, qui non propter se ipsum, sed propter nostrum cōmodum homines ipsos devinxit misericordiæ, & beneficentiæ legibus sanctissimis.

8 *Homini, qui similis tui est, nocebit iniquitas tua: & filium hominis adjuvabit justitia tua.*

Sed objicies, o Iob, Cur ego tot innocentes, tot miseri, & egeni homines gravissimis injuriis vexātur a Tyrannis, & impurissimis hominibus, ut clamores in cælum cogantur tollere? Responsio in prōptu est, Eos omnes, quos Deus vexādos tradit, nō omnino innocētes extitisse, nam esto neminē læserint, at Divinorum beneficiorum immemores vixerunt; Cum enim homo homini nocere possit, quorūdam peccata aliorū injuriis ulciscitur Deus: Vnde tot calumniæ, tot clamores, & ejulatus, tot immanes Tyranni: & quamvis quidem nostrorū operum vel damna, vel lucra cælū non pertingant, at nō ideo Deus est aut inscius, aut negligēs nostrarum rerū: patent enim illius fores, patent quoque illius aures clamoribus humanorū scelerū, gemitibus, & singultibus miserorum. His excitatus Deus, imbecillioribus vim patientibus opitulatur, ac si quem invenit justitiæ, & humanitatis cultorem, justis honoribus, & premiis prosequitur. Atque vel ex hoc ipso Divina Providentia confirmatur, quod homines, quorū res agitur Divinam implorent opem, ut quantum possunt, voce in cælum contendant, inde opem adversus tantam improbitatis potētiam, atque petulantiam gratis sibi impendi flagitantes.

9 *Propter multitudinē calumniatorum clamabunt, & ejulabūt propter vim brachii tyrānorum.*

Illam sane afferret Deus miseris, & oppressis omnibus, qui Creatoris Potentiam agnoscerent, & colerent; invocatus itaque lumen profecto sui auxilii prætenderet in obscura miseriarū nocte, &

10 *Et nō dixit: Vbi est Deus, qui fecit me, qui dedit carmina in nocte?*

presentissimum solatiũ afferret, atque lætissimas causas canendi, & agendi gratias pro salute consequuta. Nam si quis erga Creatorem suum, vel erga pristina ab illo accepta beneficia ingratũ se præbeat, nihil mirũ, si permittatur diu cum ærumnis conflictari, & a superbissimis Tyrannis pessundari. Hi vero permittuntur diutius fæliciter agere, supremi licet Iudicis, atque severissimi judicii prorsus obliti, necnõ sanctę Creatoris majestatis negligentes: qui pro sua Potẽtia, atque Sapientia lucẽtem istam cæli faciem mirabiliter illuminatam nobis exhibuit, quę nos ad carmina Divinasque laudes invitaret: qui suavissimis avicularum cantilenis die, atque nocte nos demulcet; qui tẽpora noctis atque diei ita distribuit, ut dum laboribus, & exercitationibus Divinis interdiu vacaverimus, at nocturnas excubias partim quiescendo, partim Divinas laudes cantilando trãsigamus. At obliti mortales Divinorũ operum, si miseri sunt, franguntur animo, & concidunt: si potentiores, grassantur, & furunt adversus imbecillos, quod minime recogitent Deum judicem ęquissimum posse miseris salutem pręsentissimam adversus ipsos Tyrannos afferre, & noctem miseriarum tristissimã in cantica lætissima convertere; atq; magnificentissimis suæ potẽtiæ documentis exhibitis, materiã mortalibus præbere, quam lætantes, & exultantes canant, musicisque omnibus instrumentis concelebrent.

11 *Qui docet nos super jumenta terræ; & super volucres Cæli erudit nos.*

Illud vero perpetuum est Divinæ Sapiẽtiæ, atque Potentiæ beneficium maximũ collatum mortalibus, quod illos præ cæteris animãtibus Sapientiæ, & intelligẽtiæ donó insignierit, atque cũ in cæteris quædam prudentiæ, & intelligentiæ vestigia cernantur, [c] sive terræ jumenta spectes, quorũ actiones, & quasi affectatæ ratiocinationes mirabiles sunt; sive [d] avium genus consideres, quarũ nonnullas plerique divinitus instructas arbitrantur, plurimas vero ad reddendas, & formandas humanas voces, ad sermocinandum, ad discẽdum, ad discendum, ad omnem calliditatem, & astum natas esse videmus; at homo solus mente donatus est, veraque Sapientia, cui non solũ intelligentia auctoris naturæ, sed proprium etiam, & peculiare suũ judicium consiliumque inest. Sed, proh dolor, tantam humanæ mẽtis dignitatem contẽnunt improbi obbrutescẽtes, degenerantes ad belluinos mores, ab omni humanitate, atque sapientia alieni. Docuit namque hominem Deus majora, & meliora, quã jumenta terræ, quę ex rapto, & mutus cædibus vivunt; & quã volatilia cæli, quæ quãvis alarũ præsidio a terra se subvehant, & sublime volent, sed tamẽ pręter cantum, præter volatum, præter cibũ nihil sublime sapiunt.

c *Ad brutorum prudentiam, & quædã intelligentiæ documẽta, opportuna digressio, n. 1. 2.*

d *An volucribus ratio, & sermocinatio insit, exemplis adductis ex Sacris, & profanis, disseritur, n. 3.*

12 *Ibi clamabũt, & nõ exaudiet, propter superbiam malorum.*

Sed interim patientissimus judex immanes has Tyrannorũ belluas superbire usque, & insolescere sinit, atque fæliciter agere, tum ut justi diutius oppressi, atque calamitatibus exerciti cumulatiora præmia accipiãt; tũ vero ut improbi impunitatis, & improbitatis fructus tandẽ cumulatissimos percipiant. Ideo sane nec clamantibus, & petentibus opem statim adest, responderve Deus; sed tarditate, & patientia rerum agendarum opportunitatem maturat, & Providentiam confirmat.

13 *Nõ ergo frustra audiet Deus, & Omnipotens causas singulorum intuebitur.*

Hinc profecto effici potest, cũ preces vanæ sunt, neque ea ratione qua oportet, funduntur, minime exaudiri a Deo; quãvis quidẽ cum quosdam audit, atque ope, & auxilio sublevat, quosdam vero quasi obsurdescens contemnit, non id temere facit, casuve aliquo, sed supremo consilio, atque æquitate, singulorũ causis, rationibusque perspectis, atque perpensis. Cum vero etiã innocẽtissimos homines per injuriam oppressos permittit diu cum gravissimis calamitatibus cõflictari, non id frustra facit: concipit enim, & meditatur supplicia in improbos, atque opis suæ conferendæ opportunitatem ad sanctorũ salutem certissimã. Cum enim ille omnia audiat, videatque omnia, quis putet frustra audire, aut videre, aut vero ita audire, ut distincte, & articulate non percipiat Tyrannorum clamorem, & pauperum

gemitus, aut ita intueri horum innocentiam, illorum improbitatem, ut quasi per nebulam videat, ac nō potius attentissime, & exploratissime cognoscat?

Quamvis, o Iob, Deus nō corripiat subito impios, sed lento gressu ad improbitatis vindictā procedat, nō ideo ille res humanas negligit, aut præterit, sed attentissime ex occulto, & quasi insidiis observat. Esto enim tu, aut quivis alius Divinæ Providētiæ criminator dicere possit, Deū non intueri res humanas, propterea quod non se præbeat omnibus intuendum: at si paululum expectemus, videbimus proculdubio illū venientē cū virtute multa, & majestate ad judiciū universarū nostrarum actionū severissimum. Neq; vero quod tu, o Iob, illū non videas, ille te non videt. Cū igitur adhuc integras non dederis scelerum tuorū pœnas, paulisper te exspectare jubeo, citissime quippe ille aderit, repetetque de te digna supplicia. Illud profecto tibi salutare existeret, si nunc te ita exhibeas, tuorū suppliciorū, atque Divinorum judiciorū adjutorē, & socium, ut & tuā culpā agnoscas, & illius de te judicium tua quoque sustinentia, atque volūtate probes: hac tantū ratione judiciū Dei desideres; secus ad illius tribunal minime provoces. Nā si temere perstes in eo consilio, expectandū tibi profecto erit, simulq; perferendū quidquid inde ad te redundabit. Quod si sedatis querimoniis, jā nō agas judicē tuę causę, sed Divinum judicium libēter accipas, licebit profecto deinceps meliora indies a judice tuo sperare; experieris enim indulgētissimum parentem, quem nunc sentis severissimum judicem. 14 *Etiam cum dixeris: Non considerat: judicare corā illo, & expecta eum.*

Nunc sane spei nostræ in Deo reponēdæ & tēpus, & locus est; cū Deus non omnē stomachū suū refundit in impios, cum non paria irrogat sceleribus supplicia, sed multo leviores a te pœnas exigit, quā vitæ tuæ ratio postulabat. Cum igitur in ipso supplicio Dei benignitatem experiaris, non est quod meliorē spem abjicias, vel quod illius furorem crimineris, quasi vel suæ indignationi, vel tuo supplicio modum nō statuerit. Nam perinde profecto ille se gerit in suppliciis, ac si nō nisi paucissima, & ea non valde gravia mortalium peccata cognosceret, pleraque nimirum condonat, nō valde pauca dissimulat, de paucissimis tantum pœnas repetit, atque illius laudes idcirco nō possunt a nobis digne celebrari; quia dum is inter nos judicia exercet, iræ suæ rationem minime ducit, nec culpas nostras metitur, nec admodum observat. Neque vero Iobus Divinæ iræ magnitudinem mente adhuc informavit; neque multitudinem peccatorum suorum assequutus est. Si enim assequeretur, illud item assequeretur, nequaquam Deus in impios stomachum suum omnem erumpere. 15 *Nunc enim non infert furorem suum: nec ulciscitur scelus valde.*

Iā mihi ex his, quæ verissime protuli, colligere licet, Iobi orationem vanam omnino fuisse, atque ignorantiæ, & temeritatis plenissimam; & nihil eorum, quæ proposuit, finem obtinuisse; fuit nimirum sensus atque sapientię inops, tantum verborum sonitu, & querimoniarum strepitu clamosa. Et quāvis oratione mea revinctus, nec verbum quidem habere possit, quod pro sua defensione faciat, video tamen illum stultitia, & verbositate fisum, in antiquo illo suæ innocentiæ tuendæ proposito inhærere, ut verba verbis, inania inanibus accumulet; nimirum Dei præstantem vim ac tolerantiam, illius incomprehensa judicia non attendit. 16 *Ergo frustra aperit Iob os suū: & absq; scientia verba multiplicat.*

)·:·(



CAPVT. XXXVI.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Rurſus Eliu ſtatuit Divinã Iuſtitiam, quæ cum ſumma poteſtate atq; Sapiẽtia, jus cuique ſuũ, atq; dignitatẽ tribuit; Id quod ex Divinis operibus cõfirmat, tum naturalibus, tũ ex peculiari Providentia circa potentiores viros. Ad extremũ explicat, ut perferendæ ſint ærũnæ.

I. *Addens quoque Eliu, hæc loquutus eſt.*

II. *Suſtine me paululum, & indicabo tibi: adhuc enim habeo, quod pro Deo loquar.*

1. *Artificium, arrogantia, eloquentia Eliu. Arrogantium ingenium.*
2. *Verbum* Addendi *adverbiaſcens. Explicati Moyſes, & Samuel.*
3. *Arrogantes ſilentii, & audientiæ captatores. Ironia. Hiſpaniſmus.*
4. *Arrogantes ſuæ potius laudis, quam Divinæ aucupatores. Varia lectio. Articulus tertii cajus. Illuſtratus Iſaias.*



NVNC IAM Dicturus Eliu, ſuũ quoq; exordium premittit, & in auditore ſuſtinentiam requirit, vel ut attentionem captet, vel quia ſi nimium curioſe, & minutatim alias amicorũ diſputationes numeremus, inveniemus ſane ter dixiſſe ſingulos, ter quoque huc uſque Eliu. At eum ad quartam jam orationem procedat, recte videtur ſuſtinẽtiam auditoris poſtulare, ut pote qui jam videatur prolixior cæteris; quare etiam orationis brevitatẽ pollicetur, quo libentius audiatur. Tum etiã proponit materiam orationis honeſtiſsimam, videlicet Divinę Iuſtitiæ defenſionem, quæ nemini jure videri debet prolixior, aut moleſtior. Quamquã Gregorius ad hominis arrogantiã referre videtur, nec non etiam ad loquacitatem; *Quia*, inquit, *arrogantes ſemet ipſos credunt doctiores oſtendere, quanto ſe potuerunt multiplicitati loquacitatis aperire: atque grave ſe dãnum perpeti judicant, ſi ſcientiã ſuam loquendi brevitate conſtringant.* Philippus potius

1

Artificium Eliu.

Gregor.

Arrogantes multiloquio laborantes.

Philipp.

nimium profundum, atq; copioſum ſermonem cognoſcit, atque multis ſacramentorum myſteriis reconditis plenum. Et quidem ſi unquã eloquens viſus eſt Eliu, nunc ſe ipſo eloquentior, & ſapientior eſt.

Eloquentia Eliu.

2

Addens loquutus eſt. Obſervavi aliquãdo verbum, *addendi*, cum altero verbo junctum fere adverbiaſcere; atque tãtum ſignificare, *rurſus*, vel *iterum*; ſicut enim ſecundum additur primo, ita cũ ſecundo aliquid fit, dicitur additione fieri. exempla obvia Deuteron. 5. 25. Vbi nos habemus, *Si audierimus ultra vocem Domini*, proprie ex Hebræo, & Septuaginta. *Si addiderimus audire*. utrumque autẽ conjunxit Onchelus; *Si ultra addiderimus audire*, Geneſ. 8. 10 ubi nos, *Rurſum dimiſit columbam*, proprie in Hebræo legitur; *Addidit emittere columbam*. Sed frequẽter etiam retinet Hebraiſmum. 1. Reg. 3. 21. *Addidit Domin⁹, ut appareret in Silo.* id eſt, rurſum apparuit. Conjunctum autem cum verbo *dicẽdi*, aut *loquendi*, paſsim; & vel ſignificat ſecũdam orationẽ, vel ſemel inſtituti ſermonis amplificationem quandã, & continuationẽ.

Addere, pro adverbio.

LXX.

Onchelus.

3

Suſtine me paululum. Multa (inquit Gregorius) *jam dixerat, & ſuſtineri adhuc paululum poſtulat; nam arrogãtes ſibi ſilentiũ exigunt, quod minime merentur.* Ego potius ad ironiam quandam plenam inſolentię refferem, cum fictaquadã humilitate ſententias noſtras ita extenuamus, ut cum videamur jubere noſtrum adverſarium nihil timere, at tũc maxime timere velim⁹, quaſi neceſſario ſuperandum, & obruendũ põdere noſtræ orationis. Illud etiam apud nos minantis eſt, & de victoria confidentis; *Eſperad un poquito, y lo vereis*. Sic hoc loco; *Suſtine*, vel, *expecta paululum*. Quod vero Tygurina dixit; *Suffer me paulisper*; minus cõmodum eſt, quam quod Regia, *Sta circa me*: nam verbũ, *cathar*, proprie ſignificat *circumdare*, vel eſſe circa aliquẽ, & ad locum refertur: quaſi dicat; *conſiſte, adeſto prope*. Quod vero D. Thomas illud, *paululum*, ad brevitatem orationis, & ſententiæ retulit, quaſi nunc ſub *unica reſpõſione* plura Iobi dicta refellere proponat, argutius eſt, quam ſolidum.

Gregor.

Arrogantium ingenium.

Ironia.

Hiſpaniſmus.

Tygurina.
Regia.

כתר

D. Thom.

4

Adhuc enim habeo, quod pro Deo loquar, ut illius cauſam, & juſtitiam, adverſus tuam temeritatem tueri poſsim. Quadrat in Eliu, quod eleganter admonet Gregorius, *Arrogantes dum ſpecie tenus Deum proferũt, auditũ ſibi ex reverentia ejus exigentes, ſe ſtudent magis oſtendere, quam illius facta prædicare.* Atque hoc illud eſt; quod Chriſtus judex dicturus eſt falſis prophetis, Matth. 7. 22. *Multi dicent, Domine, nonne in nomine*

Gregor.

Arrogantes ſibi potius, quã Deo captãtes laudem.

tuo

tuo prophetavimus? Respondebit vero, *Nō novi vos.* nam sive docuerunt verā doctrinam, sive vera etiam miracula ediderunt, se potius mirabiles efficere studebant, quā Dei fidem, atque virtutē. Paulo secus habetur in originali; *Adhuc Deo sermones.* sic enim legendum, propter articulum tertii casus: quam cum Cajetano, *ad Deum.* Accepit vero Interpres illum casum, ut esset favoris & commodi; quare vertit, *pro Deo.*
4 quamquam ut ea præpositio variæ significationis est, & aliquādo vertitur ab Interprete, *de*, posset nūc quoque verti, *de Deo.* Nisi quis vellet *sermones esse Deo*, idem esse, quod, quę loquitur Eliu, Dei volūtate, & præcepto loqui. ac si diceret, Adhuc De[9] habet, quæ pro se loquatur; nam ipse in me loquitur. Nos diceremus, *Aun toda via le queda a Dios, que hablar, y que alegar.* vel, Statuit ille, ut ego in illius causa pluribus disserā. quare fieri nō potest, ut ab aliquo in dicēdo prohibear. Est etiā hic terti[9] casus, cum Deo tribuitur, firmitatis, & decreti. Vt Isai. 18.2. *Ecce validus, & fortis Dominus.* ubi cū nomen, *Domini*, sit in Hebræo, cū articulo *Lamed*, alii legunt, *a Domino*; alii, *Fortis Domini.* sed illud germanum, & elegans, *Validus, & fortis Domino.* sive suppleatur *dies*, sive *hostis*, aut *miles.* q.d. Statutum est jam apud Dominum, & certum illi est, ut mittat hostē sævissimū, diem horribilem alicujus tempestatis. Sic hoc loco, *sermones Deo*, q.d. Statuit ille, ut ego loquerer; providit illius Sapientia, ut & ignorātiæ amicorum, & tuæ temeritati meis sermonibus ego opitularer: vult ille ut adhuc loquar; tuum igitur est tacere; quod ego loquar, non tā mihi tribuendū, quam Divino pręcepto, & voluntati. Nos diceremus, simili Hispanismo, *Està de Dios, que aun tengo de hablar mas.*

Varia lectio. Articulus tertii casus. Cajetan. Forerius. Tygurina. Forer. Tygurina. Hispanismus.

III. *Repetam scientiam meam a principio, & operatorem meū probabo justum.*

1 Sententia paraphrasis. Repetere. Assumere sermonem.
2 Pronomen meum. ad charitatem. Beneficia cōmunia peculiari gratiarum actione prosequenda. Illustrati Paulus, & David.
3 Sententia paraphrasis. Apostrophe.

I PAulo (inquit) altius disserendi initiū sumam, & quid verissimum in hac re constitui inter nos oporteat, ex remotioribus, sed necessariis principiis pervincā: atque ex ipsis naturæ, & creationis operibus probabo, nihil a Deo sine summa æquitate, atq; ratione constitui. *Repetam.* Gregor. & Latini quidam stricte accipiunt, quod replicare eadem videatur. Alii cum D. Thom. quod rem eandem, sed aliis tamen rationibus iterum probare aggrediatur. Sed quidem, *repetere*, hoc loco nō est iterare, & iterum petere, sed retrorsum petere, quod alte, aut longe repetere orationē Latinus vocat: quare ex Hebræo proprie dixerunt Septuaginta. *Suscipiam* (assumam, levabo, tollam) *scientiam meam de longe.* De qua phrasi, *assumendi sermonē*, aut *parabolam*, diximus, cap. 27. versic. 1. c. 28. versic. 1. atque tum ex verbo *assumendi*, tū ex nomine *scientiæ*, profitetur se dicturū, quæ explorata, & perspecta habet; idque, ut Philippus ait, *profundo nimiū, & copioso sermone.*

Gregorius. Hugo. Dionys. D. Thom. Repetere, quid. LXX. נשא Assumere sermonem. Philipp.

2 *Et operatorem meum probabo.* In illo pronomine, *meū*, significatio est singularis charitatis: tum etiam grati animi erga Creatorem: nam præterquā quod illa pronomina afferant aliquid singulare, & eximie dilectum ut aliquando admonuimus, sed illud etiam pertinet ad charitatis significationem, cum beneficia communia singulari animi gratitudine prosequimur. & quæ omnium sunt, nostra facimus. ut Paulus cū ait, *Qui dilexit me, & tradidit semet ipsum pro me.* Sic etiā David, Divinam potestatē, quā titulo Creationis exercet Deus in omnem creaturam, ad se tantum pertinere significat Psal. 14. 41. *Exaltabo te*, inquit, *Deus meus Rex*, ob amorem, ut ait Theodoretus. Similiter Eliu universitatis operatorem, *suum*, nominat. Cum autem verbum, *operādi*, ex sua proprietate afferat laborem quendam, & industriam operandi, & elaborādi, videtur velle repēdere Deo vicem hujus beneficii, quod eleganter dicitur in Hebræo, *Operatori meo dabo justitiā meam.* q.d. Quod meum est, præstabo. tu, O Iob, sentito, ut voles. ut illum notet tū ingrati animi erga Deū: tum etiā improbitatis, quod injustitiam attribuerit Deo, ut statim se explicat. Hic iterum observat Gregorius, sub Divina justitia velle Eliu, occultare suam arrogantiam.

Pronomen Meum, pertinet ad charitatem. Beneficia communia singulari animi gratitudine prosequatur. Sācti. Galat. 2. Ephes. 2. Theodoret. פעל Gregorius.

IIII. *Vere enim absque mendacio sermones mei: & perfecta sciētia probabitur tibi.*

I VERA Dicā, o Iob, simplicia, solida, quare si sapis, universa, quæ dixero, probabis. Eleganter Gregorius; *Illud quod*

Sensus germanus, & simplex. Gregorius.

rectum sensit, laudando præcucurrit. In Hebræo autem habetur; *Perfectus scientiis tecũ.* Quod Vatablus, de Deo interpretatur, q. d. Deus sapientissimus est tuo judicio, atque ex hoc principio ordiar meã disputationem, & justitiam Dei atque Providẽtiam confirmabo. Sed sensus male cohæret. tum etiam incongruens est, nã in hoc capite nihil ex Divina Sapientia colligere, aut deducere videtur. Multo remotius quod Aben Esra intelligit Apostrophen esse Eliu ad Deũ; Tibi, Deus sapientissime (inquit Eliu) probabo meam orationem, atque sententiam, utinam & Iobo. In Græco, & Septuaginta sententia paulo vehemẽtior; *Quæ justa sunt loquar, & nõ injusta verba, injuste intelliges.* q. d. Tu forsitan injuste cogitas: ego vero tantũ absum ab iniqua cogitatione, ut nunquã vel cogitarim, vel dixerim aliquid injustum.

Vatabli nexus incõmodus.

Aben Esra.

Apostrophe.

V. Deus potentes non abjicit, cũ, & ipse sit potens.

VI. Sed non salvat impios, &c.

1. *Propositum Eliu.* Potens, fortis, copiosus *de eodem.*
2. Fortitudo cordis *in bonum, & in malũ. Pro sapientia. Duæ Principum virtutes.*
3. Abjicere, *quid proprie.*
4. *Similitudo conciliatrix amicitiæ. Deus omnia sibi similia volens, invidiæ expers. Explicatus Moyses.*
5. *Similitudo invidiæ occasio. Invidia, & Odii discrimẽ. Improborum invidia.*
6. *Deus amplificans suas creaturas. Digna Principe cogitatio. Illustratus Isaias.*
7. *Deus ostendens divitias suarum attributorum, ex Paulo.*

1 EXorditur jam ex Dei Potentia, & ex gravissimis ruinis, manifestisque suppliciis Principum potentissimorũ. Investigat ergo causam, cur tam frequentibus, tam gravibus ærumnis Deus exerceat, afficiatque homines potentia atque opibus præcellentes. An, inquit, quod Deus potens cum sit, abjiciat potentes? q. d. Minime. Est autem pro germano explicatu observanda proprietas vocum; nã *Potens*, proprie significat fortem, magnũ, aut multiplicem. quod supra cap. 34. 24. vertitur *multus*. unde etiam Isai. 17. 12. & 18. 2. dicuntur, *aquæ multæ*, nõ solum copiose, sed etiam fortes atque vehementes. Ergo hoc loco *Potens*, significat aliquem multis nominibus prçcellentem, omnibus numeris absolutum, & multiplici bonorum omnium copia redundantem.

כבר

Potẽs, pro fortitudine, & copia.

2 Atque etiã hoc loco pertinet ad sapiẽtiam: nã proprie legimus in Hebræo; *Deus potens, & non abjicit potẽtem potentia cordis:* Septuaginta etiam; *fortis robore cordis.* Est autẽ *potentia*, aut *fortitudo cordis*, si in bonum accipiatur, *sapientia*, & rerum agendarũ intelligẽtia, qua quis valet. & potest *hæc fortitudo cordis* cõstrui cũ Deo, ut fere Hebraizãtes omnes volunt, Cajet. Vatabl. Tygur. *Deus potẽs potẽtia cordis.* Tyg. *Habet vires animo pares.* Vatabl. *Deus fortis, & valens intelligẽtia, nõ abjiciet hominẽ, qui valet vi intellectus.* atq; ita efficietur hæc sententia; Deus cum bonorum omniũ abundantissimus sit, & nulla nõ re optima prçcellat, non abjicit quidẽ præcellẽtes potẽtia, atq; sapientia homines, quæ duo sunt prima atq; potissima prçsidia Principum; Fortitudo, atque Sapientia. Cajetanus hãc *cordis fortitudinem* interpretatur, amplitudinem cordis, qua regnũ alterius, quis subjicere conatur: quasi dicat; Deus cum sit Dominus omnium, non habet fortitudinẽ cordis ad subjiciendum regnum alterius hominis. Tum etiam nemo potest habere adversus Deum hujusmodi cordis fortitudinem, qua Divinã dominationem sibi subjicere moliatur. Sed præstat, ut *ea cordis fortitudo* cõstruatur cũ hominibus potentibus, & præterea in bonũ accipiatur; nam quamvis *fortitudo*, vel *duritia cordis* in malum sit, Ezech. 2. 4. cap. 3. 7. & Iob. 41. 15. & Psal. 75. 6. ubi Hebræus habet; *Fortes corde*, Hieronym. *Superbos* Septuaginta, *Insipientes.* Ierem. 7. 20. & 13. 10. tamẽ nusquam a præsenti radice, *Coahh*, hæc enim semper sumitur in bonum, & semel tantũ hoc loco attribuitur cordi, atq; opponitur lãguori, & imbecillitati. quare significabit viros potentes, magnanimos, & ad res difficiles, & arduas strenuos, & virtutis est sive Deo, sive homini tribuatur.

Cajetan. Vatablus. Tygur.

Duæ Principum virtutes, Potentia, & Sapientia.

Cajetan.

Fortitudo cordis in malum.

Pagnin. Regia. Vatabl. Hieronym. LXX.

כוח

Fortitudo cordis in bonum.

3 Verbum autem *abjiciendi*, est de quo sçpe diximus, & proprie significat *abominari* seu nauseare ad aliquid, tanquã ad rẽ abominabilem, reprobare, repellere; quare hoc loco *abjicere potẽtes*, erit, Deum esse tã delicati stomachi, atque palati, atque tã morosi ingenii, ut vel sine causa, ex innata quadam antipathia, *potentes* solo *potentiæ* nomine non ferat, & quærat occasiones omnem humanam potentiam perdendi, & evertendi. Ergo hæc est sententia Eliu; Cum Deus potentissimus sit, neque non sapientissimus, fieri nõ potest, ut humana potentia atque sapientia illi sit invisa, aut inimica; vel quærat ille occasiones, ut male de sapientibus, atque potentibus mereri velit. Tũc ultra, Ergo si potẽtes dãnat,

מאס

Constructio rationis Eliu.

juste utique dânat, propter scelera, & improbitatem. Rursus primæ illius propositionis probatio hæc est; quod similitudo solet amicitiam conciliare: quare necesse est, ut gaudeat Deus potentibus atque sapiētibus, quippe illæ vidētur fuisse *Divinæ deliciæ, creasse hominem ad imaginem, & similitudinem suam*, ut earum omnino rerum efficeret hominem participem, quibus ipse Deus excellit, & quibus homo ipse poterat Dei similis esse; *Potētia* nominatim. Sic enim scribitur Genes. 1. 29. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostrā, & præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestiis, universæque terræ.* Atque adeo sua ipse Deus bonitate impulsus mūdum creavit, ut res omnes, quo ad fieri posset, sibi similes efficeriet. Quod agnovit Plato, atq; eleganter descripsit in Timæo; ex illo mutuatus est Plutarchus libello de Fato, & Providentia, in hæc verba; *Dicamus enim, inquit Timæus, causam cur universum hoc Machinatus sit auctor; Bonus erat, in bonum autem nulla adversus quicquam aut ulla de re cadit invidia: ea itaq; vacuus, voluit omnia sibi quāmaxime fieri similia. Hanc de origine mundi sententiam potissimam a prudentibus traditam, rectissime amplecteris: Volens enim Deus omnia bona, nihil (quantum omnino fieri posit) malum esse; ita omne id, quod cernit, adhumens, non quietem, sed motibus citatum incompositis, & vitiosis, in ordinem disposuit: ratus hunc utique confusione meliorē esse: fas enim neque est, ut optimus aliquid faceret nisi pulcherrimum.* Atque idem libello *de audiendis Poetis*, inter alia Homeri carmina, peracutum illud observat;

Gaudebat justo, sapienteq; Diva Minerva,

Non divite ullo, inquit, *nō formoso, nec robusto Deam gaudentem; sed prudente, & justo fingens; si quidē solent teneri similibus similia.* Atque propter eandem similitudinis gratiam, & studiū ait, se curā gerere Vlyssis,

Est quoniam prudens cordatusque. Quæ amicitię, & charitatis conciliatrix similitudo mille tum proverbiis, tū sententiis Sapientum celebrata est. De quo videndus omnino Aristoteles. 1. Rethoricorū. c. 11. & 2. Rethoricorum, cap. 10. adeo etiā ipsi improbi, quibus nemo placet, parium similitudine tenentur, ut non ob aliud justum oderint; quam quod *dissimilis sit aliis vita illius.*

5 Eatenus vero similitudo est causa amoris, quatenus nulla improbitas animū parium atque similium corruperit: nam sicut pares atque similes non longe inter se distant, ita neque longe distant ab invidia: quæ, ut docet Aristoteles, *Est dolor quidam quoniam similes boni aliquid adepti videātur. Vnde illud dictum est, propinquitas invidere solet, præsertim cum ambitio in fælicitate, aut in honore, & Sapientiæ existimatione invidiam stimulat; & cum putant sua bona ab aliis auferri.* Quare eleganter dixit Plutarchus libello *de fraterno amore, Gloriam velle, & admirationem captare eadem ex arte, aut facultate inter pravos perinde est, ac si duo aliqui eādē amātes mulierē, uterq; plus altero placere laboret.* Hincfit ut, improbis nihilo magis placeant improbi, quā probi, ac nihil certius, quam inter *superbos semper esse jurgia*, imo, *& pugnas*; & cædes, atque *diffusionem sanguinis.* Nam *ipsi quoque contra sanguinē suū insidiantur, & moliuntur fraudes contra animas suas.* Vbi autem potest aliquis alterius excellentiam, cui invidet, tollere e servata similitudine, certe non destruit similem, & comparem, sed conservat & tuetur: non enim idem est *odium*, quod *invidia*, ut *idem* Plutarchus sapienter admonuit. *Odium* enim adversus alterum, & universa illius bona concipitur: at *Invidia* adversus id tātum, in quo alius vel excellit, vel nostræ excellentiæ obesse creditur. *Multi* (inquit Plutarchus) *familiaribus ac domesticis suis invident, quos perire, aut in calamitatem incidere nollent: tantum molesta ipsis eorū est prosperitas, & gloriam splendoremque eorum pro viribus minuunt, contenti veluti excelsæ domus eam partem, quæ lumini officit, dejecisse.*

9 In Deum igitur, qui infinitis partibus omnem creatam potentiā superat, neque invidia cadere potest, neq; odium in suas creaturas; *Lætatur* nimirū in *operibus* suis; Et semper cogitat, quomodo *magnificet hominem.* Cum Isaias dicat, 32. 8. Princeps, *ea quæ digna sunt Principe cogitabit, & ipse super duces stabit.* id est, ut proprie ex Hebræo legitur; *Magnificus magnificentias cogitabit.* hæc enim sunt Principis animo dignæ cogitationes. sicut quidam Rex dicebat; *Spiritu principali,* (benigno, liberali, magnifico, digno viro Principe, & Rege) *confirma me*; qui rex sum, ne unquam sordidas, & abjectas cogitationes suscipiam. Sic Princeps *super duces stabit.* id est, qua potest ratione, Duces, & Principes volet omnes esse; & in his consiliis, tactisque magnificentissimis se exercet, *stat*, consistit. aut, ut legit Varabl. *Evehitur*; Tygur. *Propter liberalia facta clarius surgit.* Ego supremus Princeps tātum abest ab invidia, ut eas cogitationes semper suscipiat, quæ Deo, & ejus interminata potentia dignæ sunt, quomodo ipse supremus Princeps constituat Principes; ipse Potens potētes efficiat; bonorum omniū locupletissimus

Similitudo amicitiæ conciliatrix.

Prov. 8. 31.

Gen. 1. 26.

Deus bonitate impulsus mundum creavit.

Plato.

Plutarch.

Deus Invidiæ expers.

Homerus.

Cur dicatur Minerva gaudere sapientibus.

Aristot.

Sap. 2. 15.

Similitudo occasio invidiæ.

Aristoteles 2. rethoricor. c. 10.

Inter reborum odia, & inimicitię.

Prov 13. 10.

Eccles. 27. 16.

Prov. 1. 18.

Plutarc. de invidia & odio.

Discrimen Odii ab invidia

Deus semper volens Creaturas suas amplificare.

Psal. 103. 31.

Iob. 7. 18.

Digna Principe cogitatio.

Psal. 50. 13.

Vatabl.

Tygurina.

Chryfoftom. homines locupletes. Quam sane rem, & Paulus indicavit, & Chrysostomus elegātissime interpretatus est Rom. 3. 25. *Iustificati gratis per gratiam ipsius ad ostensionem justitiæ suæ.* Vbi Chrysostomus; *Quid hæc sibi vult, Ad ostensionē justitiæ suæ? Quēadmodum divitiarum ostensio facit, ut non solum ipse dives sit, sed etiam alios divites reddat: & vitæ ostensio, ut non solum ipse vivēs sit, sed & mortuos vivificet, & potentiæ, ut non solum ipsa potens sit, sed & infirmos cōfirmet; sic & justitiæ ostensio facit, ut non ipsemet sit justus, sed & alios justos efficiat.* Hinc colligit Eliu, nullas esse Deo cum sapientia, aut potentia hominum inimicitias, imo necessitudinem, & conjunctionem.

Confirmatio rationis Eliu. Accedit etiam, quod si Deus *Potentes* abjiceret, solo *Potentiæ* nomine, fieret ut aliquando viros justos, & immeritos abjiceret, & fastidiret, persæpe enim sancti homines Principatu, Potentia, Sapiētia, opibus excellunt. Hos igitur aut publicatione, aut supplicio aliquo afficeret ut potè innocētes, si Deus iniqu⁹ esset. In quo videtur Eliu, tum fœlicem suam, atque amicorum sortem tueri; tum etiam infœlicem Iobi conditionem alicujus sceleris insimulare.

℣. VI. *Sed non salvat impios, & judicium pauperibus tribuit.*

1. *Sententiæ paraphrasis.*
2. Salvare, & vivificare *quid. Explicati Moyse, & David.*
3. *Cur Potentes frequenter Deo invisi. Sancti Principes Deo Charissimi. Indignationis materia quæ.*
4. Iudiciu *in bonum, & in malum.*
5. Pauper *pro humili, & Sancto Deo peculiariter Charus.* Dare judicium

1 QVamvis Deus, neque invideat, neque male velit potentibus propter Potentiam, sed potius benigne consulat, at non ideo connivet illorum sceleribus, nec timet illorum Potentiam, neque pauperes, & innocentes despicit, aut sua spe destituit; sed omnes ex æquo judicat, & damnatis potentibus, imbecillos ipse sustentat. Hic est germanus explicatus.

2 LXX. *Non salvat impios.* Proprie ex Hebræo, & Septuaginta; *Non vivificabit.* id est, Nō subtrahit dignæ morti, & extremo supplicio; non sinit vivere incolumes; non conservat in vita diutius. quæ omnia Interpres complexus est verbo *Salvandi*, ut Hebraismū illuminaret. Exempla obvia.

Salvare, & vivificare quid. Genes. 6. 19. *Ex cunctis animātibus bina induces in arcā, ut vivant tecum.* In Hebræo, *Vt vivifices tecum.* Eleganter Onkelus, *Vt in vita conserves.* Paulo lōgius Septuaginta, *Vt nutrias*, Exod. 1. 17. *Obstetrices conservabant mares*; Propriè in Hebræo, & Græco, *Vivificabant masculos.* servabāt incolumes. Sed negative pro extremo supplicio capitis, Exod. 22. 18. *Maleficos non patieris vivere.* Hebræ. *Non vivificabis*, Septuagin. *Non sinetis incolumes.* Sic hoc loco, Deus non patitur vivere impios, non sinit incolumes, digna morte afficit, quāvis potentissimi sint mortaliū. Est enim sententia verissima; *Nō salvatur Rex per multam virtutem.* non illi displicet potētia, nisi sit cōjuncta cum injustitia, & improbitate. Sed quia frequentissime potētes abutuntur potentia, videtur Deus in universos potentes concepisse odium, & indignantem se præbere divitibus; & in ingentibus *Fluminibus irasci, Increpare mare, & exsiccare illud, Iudicio, & increpatione contendere adversus Montes, & Colles, & adversum fortia fundamenta terræ.* tum illud, *Excelsos statura succidere, & sublimes humiliare, & subvertere condensa saltus ferro, ut Libanus cū Excelsis cadat.* Quæ omnia symbola sunt, atque circumloquutiones potentissimorum hominū, quos propter impietatem gradu, & dignitate indignabūdus præcipitat. Illa enim est *indignationis* materia, quod & nomen ipsum sonat, cū bona, & res secundæ eveniunt his, qui indigni sunt, ut Arist. docuit. Cum autem Principes, & potētissimi homines sua improbitate efficiunt se indignos potentia, & principatu, indignantur adversus illos cæteri homines, indignatur Deus, *Ac ideirco*, inquit Ar. *Diis quoque ipsis indignatio attribuitur, & indignantur divitiis potentiæ, & bonis illis, quibus improbi indigni sunt.* Et maxime indignatur Deus adversus hujusmodi improbos, vel ex ipsa illa ratione Aristotelis: nam maxime ad indignationē pronos censet esse illos, *qui maximis digni sunt bonis*, eaque possidentes. *Nō enim justum est, ut non similes similia consequantur: deinde etiam si studiosi sunt, judicant nāque probe, oderuntque, quod injustum est.* Ergo sicut Deus vult justos ac sibi similes fœlices esse, ita indignatur adversus potētes, quod sibi sint dissimiles, & injusti, simul tamē potestate excellant. Et Potētia Divina, quę cum summa sanctitate conjūcta est, abjicit utiq; potentes improbos, quos, si sancti fuissent, ut sibi similes, profusa quadam & liberalitate, & charitate perpetuo prosequeretur.

Onchelus.

Non vivificare pro occidere.

Psal. 32. 16.

3 Cur Deus frequenter potētes abjiciat, & perdat.

Habac 3. 8. Nah 1. 4. Mich. 6. 2. Isai. 10. 33.

Multæ Principum potentissimorum circū loquutiones.

Arist. 2 Rhet. cap. 9.

Digni, & probi, cur adversus Principes indignos maxime indignētur.

Sancti Principes Deo similes, atq; charissimi.

4

Cajetan.

Iudicium in malum pro cōdemnatione.

Et Iudicium pauperibus tribuit. Cajetanus existimat hanc etiam partem ad supplicium pertinere, *& judicium* ad condēnationem, quasi dicat, Iudicium æquissimum exercet in omnes, sive potentes, & divites, sive pauperes sint, sola impietatis ratione utrobique cōsiderata: jubet quippe ipse Deus, neque quidē propter pauperem discedendum ab æquitate, Scriptum est enim, *Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis: juste judica proximo tuo.* itaque impios sive divites, sive pauperes digno supplicio afficit.

Levit. 19. 15.

שפט

Iudicium in bonum pro absolutione.

Sed præstat, ut *judicium* hoc loco, ad absolutionem, & præstitam opem referatur, in quo cum Gregorio, & Philippo fere universi Interpretes conveniunt, sic enim exigit orationis filum, & universa disputatio Eliu; atque ipsum etiam *pauperis* nomen, quod proprie sonat *afflictū, humilem, vociferantem præ dolore, mansuetum, modestum,* nā his modis omnibus solet Vulgatus vocem originalem reddere; & hæc omnia inveniri solent in homine paupere, & misero, quare nomen *pauperis* in bonum sumitur, *Sanctos* (inquit Philippus) *& innocentes viros consuevit Scriptura Divina pauperes appellare.* Gregor. *Pauperes, humiles vocare, consuevit Scriptura.* & recte, nam ubi Isai. 66. 2. *Pauperculus,* ab hac ipsa radice, exponitur *contritus spiritu, & tremens sermones Divinos.* Septuaginta vertunt, *humilem.* & Matth. 22. 5. dicitur, Christus *pauper.* & per expositionem, *mansuetus,* sive humilis. & quidem ut Nazianz. ait, *Pauperibus hoc a natura comparatum est, ut minime magnifice de se sentiant.* Quare *pauperes* sunt, *populus Dei,* cujus ipse non solum Rex, sed pater est, Exod. 22. 25. *Si pecuniam dederis populo meo pauperi.* Et Psalm. 13. 8. eadem est *plebs Dei,* quam *devorant* divites. quare *Salvat pauperes,* Psalm. 17. 28. 106. 41. Soph. 3. 12. & ubique illis benigne facit. Atque adeo *Iudicium pauperis,* ubique ad bonum, & salutem pertinet, Psal. 71. 4. *Iudicabit pauperes populi, & salvos faciet filios pauperum.* & Psal. 139. 13. *Iudicium inopis, & vindicta pauperum.* Denique, *Dare pauperi judicium,* ex ipsa proprietate phrasis, est aliquid, quod datur pauperi pro absolutione, ad condemnandum, & puniendū divitē oppressorem. quod ex sequente sententia confirmatur.

5

Pauper quid proprie significet.

ענה

Pauperis nomen in bonū.

Nazianzen. in Sententiis.

Pauper pro humili.

Pauperes Dei populus.

Dare judiciū.

VII. Nō auferet a justo oculos suos, & Reges in solio collocat in perpetuum, & illic eriguntur.

1. Duplex sententiæ acceptio. Pauperum ærumnæ evenientes quasi Deo non prospiciente.

2. Aufere, *quid proprie. Dei conspectus liberalis, & charitate plenus.*

3. In perpetuum. *pro victoria. Sanctitas tandē vincens, & triumphans.*

4. Premū pietatis. Regia dignitatis. Davidi plura, & amplissima regna promissa. Illustrat⁹. Samuel.

5. Erigi, & exaltari, *in bonum, & in malum. Explicatus Sophonias.*

I

Duplex exponēdi ratio.

NON *Aufert a justo oculos.* Hæc prior pars potest accipi dupliciter, primo ut sit expositio præcedentis, nō sinit pauperes affligi, illis prospicit, & favet, & nunquam suæ Providētiæ, atque tutelæ oculos ab illorum commodis, & vita dejicit: id est, Non permittit diutius affligi cum iniquis, & Tyrannis. Nā pauperum calamitates videntur quasi Deo non prospiciente evenire. Vel secundo in cōmuni cōcludit ex disputatis, Itaque a justo, quicūque ille sit, sive potens, sive pauper, non aufert, non prohibet, nō avertit *oculos* neminem pium, & justum dedignatur suo conspectu, atque benevolentia, sed pietatem ubicumque sit, prosequitur, non solū oculis, sed maximis honoribus, atque amplissimis beneficiis. De Divinorum oculorum vi & proprietate, diximus non semel.

2

Verbum auferendi acre.

גרע

Sed est in illo *auferendi* verbo peculiaris epitasis, nam *Garaph,* proprie est *auferre* aliquid de aliqua re, quod ad rei usum & necessitatem pertinebat, quare aliquādo vertitur *minuere,* Exod. 5. 8. & *fraudare,* Num. 9. 7. Ergo dicet Eliu, Deus perpetuo, necessario justis prospicit, providet, consulit; numquam illos fraudat debita ope, & tutela, nam pauperes, & imbecilli Divinæ fidei, virtuti, oculis commendati sunt, numquam diminuit oculos, non aspicit obliquis oculis, sed rectis, & cū sint, velut duo lumina ab animo ad oculos perforata, difficile est animum, & cordis affectum sevocare ab oculis. Deus itaq; non diminuens oculos suos a paupere, plena illum charitate prosequitur, & nulla in re necessaria illi deest: &, ut ita loquar, non est Deus diminutus, aut illius Providentia angusta erga pauperes. dicerem ex proprietate verbi, *Mira Dios a los pobres, no como apocado,* sed liberaliter, large, profuse intuetur, per otium, & cum summa volupate. Vel, ut dicat; Deus fixis intuetur oculis pauperes. nam quamvis aliquando videatur aut dormire, aut avertere oculos, semper tamen videt, & contēplatur res humanas. Eleganter hoc loco Gregorius, *Abstulisse a justis oculos*

Ab animo, ex corde oculorū foramina.

Conspectus defixus in aliquo, charitatis est.

Oculi diminuti, de quo dicatur.

Gregor.

suos,

ſuos fortaſſe Dominus creditur, quia injuſtorũ crudelitatibus hic ſine vindicta lacerantur: Sed famulos ſuos nunc magis reſpicit, nã jam prævidet, quid eis miſericorditer recompenſet.

3 *Et reges in ſolio collocat in perpetuum.* Iuſtos, inquit, Regalibus honoribus proſequitur, etiã apud homines; & ex juſtis Reges creat, & ſanctitatẽ ornat præmio amplisſimi alicujꝰ Regni firmi, ac ſtabilis, & prorſus invicti: ſicut impios Regno, & dignitatibus dejicit. *In perpetuũ*, Septuag. *Sedere eos facit in victoria*: Nicetas, *Tandẽ trophæis nobilitatos amplificat.* Quoniã autem, ut aliquando diximus, idem eſt *invictoria*, quod, *in finem*, ſive, *in ſæculum*, aut, *in perpetuum*; ſenſum hũc habet, quod juſtitiæ, & ſanctitatis hic finis ſit, ut præteritam paupertatẽ, & ærumnas vincat, ac triumphet exitu quodã fęlicisſimo, atque honorificentisſimo, non ſolum dum ipſe juſtus vixerit, ſed ad perpetuã poſteritatẽ. Pungit ergo Iobum, quod e cõtrario præteritam fælicitatem cõſequutus fierit exitus infelicisſimus, & regni atq; omnis dignitatis amisſio propter impietatem.

In perpetuum quid.

LXX.

Nicetas.

Sanctitas vincens, & triũphans omnes ærumnas.

4 *Et illic erigũtur.* Proprie ex Hebræo, & Græco, *Exaltabuntur.* Tantum, inquit, abeſt, ut Deus abjiciat humanam potentiã, ut potius pietatem, & ſui cultum, & religionẽ, humanæ potentiæ præmio afficiat, & proſequatur, Reges ille creat, cõſtituit, tuetur, & indies muneribus, & opulentia auget, & ita *erigit*, ut indies ſe ipſis meliores, & altiores fiant; at e contrario impii indies decreſcant. quare inter juſtos atq; improbos erit ſimilis quædam *cõcertatio*, *ſicut inter domum David, & inter domũ Saulis: David proficiens, & ſemper ſe ipſo robuſtior: domꝰ autẽ Saul decreſcens quotidie.* Itaque Davidi collocatꝰ in ſolio, *erigebatur*. Cujuſmodi majora indies ornamẽta pro pietatis, & religionis præmio pollicebatur ipſi Davidi Nathan ex Dei nomine 2. Reg. 12.8. *Dedi tibi domum Iſrael, & Iuda; & ſi parva ſunt iſta, adjiciam tibi multo majora. Quare ergo contempſiſti verbũ Domini?* Quod ex Verbo legitur; *Et dedi tibi domũ Iſrael, & domum Iuda: & ſi parum, adjiciam tibi ſicut illa, & ſicut illa:* quod peracute Vatab. interpretatur, *Si parum, ſubaudi, ex peccasſes, nec peccasſes*: q.d. Deus, fore ut ipſi majora, & ampliora Regna contuliſſet ſi juſtitiã paulisper coluiſſet. Illud vero, *Sicut illa, &c.* videtur perinde eſſe, ac ſi digito demonſtraſſet *illi omnia regna mundi, & gloriam eorum*, quaſi habuiſſet in animo illum exaltare ſuper Regnũ Aegypti amplisſimum, & ſuper Babylonium loclupetisſimum, atque ſuper univerſos Reges alios erigere, & exaltare. Hæc interpretandi ratio utique bene conſtat.

Premium pietatis.

2. Reg. 3.1.

Regna plura promiſſa Davidi.

Vatablus.

5 At ſuſpicionem habeo, ſecundã illam partem, *Et illic eriguntur*, in malum, & in ſuperbiam accipi; ut probet Eliu, Deum homines pios muneribus, & regalibus dignitatibus proſequi, dum pietatem illi cõſervant, ita ut honor, & opulẽtia cum illorum pietate, & ſanctitate cõtendat. At ſi in in ſummo dignitatis faſtigio collocati, *erigantur*, id eſt, ſuperbiant, & inſoleſcant, tunc Deus illos afficit extrema abjectione, & incredibilibus ærumnis. Id quod amplius exponitur ſequente ſentẽtia. Et quidem verbum *erigendi* frequẽter ad ſuperbiam refertur, Pſ. 130.1. *Domine, non eſt exaltatum cor meum.* Sophon. 3.11. *Auferam de medio tui magniloquos ſuperbiæ tuæ, & nõ adjicies exaltari* (Septuag. *Vt magnifice glorieris*) *amplius in Monte Sancto meo.* in eadem ſignificatione, 1. Reg. 3.2. Pſ. 100.5. Iſai. 2.11. Eccleſ. 7.9. Ezech. 16.50. Proverb. 6.5. & Proverb. 18.12. *Ante ruinam exaltabitur ſpiritus.* Ergo ruina eorum, qui in dignitate poſiti *eriguntur*, & inſoleſcunt, jam ſubjungitur.

Erigi, in malũ.

Erigi, de ſuperbia.

גבה

VIII. Et ſi fuerint in catenis, & vinciantur funibus paupertatis.

IX. Indicabit eis opera eorũ, & ſcelera eorũ, quia violenti fuerunt.

1. *Germana expoſitio.*
2. *Varia lectio.* Manicæ, & Catenæ *quid. Sanctorum triumphus de Tyrãnis. Illuſtrata. David.*
3. Catenæ, *captivitatis, & ſervitutis ſymbolum. Illuſtrati Salomon, & Iſaias.*
4. *Divina juſtitia parans impiis vincula. Paupertas, vincula. Illuſtratus Salomon.*
5. *Impii flagellis eruditi, ex Ezech. & Salomone. Sunt cæci, & ſurdaſtri.*
6. *Scelus quid proprie. Pertinet ad injuriã proximi. Prævalere in bonũ, & in malũ. Illuſtrat. David.*

1 NON Video, quomodo Vatabl. potuerit animo informare, hic fieri ſermonem de juſtis afflictis, cũ manifeſte loquatur Eliu de ſceleribus, & ſuppliciis impiorum. Cũ (inquit) ex ſumma dignitate, & poteſtate, ad carcerẽ, vincula, & rerum omnium indigentiam quis recidit, certe in cauſa ſunt illius ſcelera, quibus Deus meritas ſuperbiæ, atque Tyrannidis pœnas irrogat.

Vatablus.

Germanus explicatus.

2 *Si fuerint in catenis.* Septuaginta. *In cõpedibus.* quo etiã modo vertitur Pſ. 149.8. Nahum. 3.10. Cõſentit R. Mard. Sed *manicæ*, quæ ſunt manuum vincula, vertitur Iſai. 45.14. quomodo plerique ex He-

זיק

זקים

LXX.

R. Mardoch.

braizantibus vertendum putant. Quidquid sint, vincula sunt miserorum hominum, quos ex Regibus fælicissimis efficit Deus infælicissimos. Quare nõ solũ propter eandem vocem originalem, sed etiã propter eandem rem, & sententiam, videtur ex hoc loco desumptum illud Psalm. 149. cum suis justis promittit Deus triũphum de impiissimis Tyrannis, & commutationem suæ conditionis afflictæ, cũ illorum fælicitate; *Beneplacitum est Domino in populo suo, & exaltavit mansuetos in salutem.* (Theodoretus; *Eos, qui omni auxilio destituti sunt, bonisque moribus utuntur, sublimes, & illustres reddit*) *Exultabũt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis* (Theodoretus; *qui justitiam honorant, in gloria erunt multa quiete perfruentes, quandoquidẽ lectus quietem indicat.*) *Ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis, ut faciant in eis judiciũ conscriptum,* (constitutum, & fixum,) *Gloria hæc est omnibus sanctis ejus.* Sicut e contrario ignominia, & abjectio impiis.

Sancti reportãtes triũphũ de tyrannis.

Theodoret.

3 Dubitatio, quid per Catenas, intelligendum

D. Thom. Dionys.

At dubium est, an de ipsis veris corporis vinculis, & *catenis* ferreis loquatur Eliu, ut minetur impiis Regibus captivitatẽ: nã sic indicant pleriq; Latini, cũ quo facit locus Psalmi nuper adductus. Tum præterea Eccles. 4. 13. 14. ubi varius fortunæ casus in Regni alicujus vicissitudine docetur, Interprete Hieronymo; *Melior est puer pauper* (qui propter paupertatem, & propter ætatem lõgissime videtur a Regia dignitate abesse) *& Sapiẽs* (dũ modo justus sit) *Rege sene* (& propter ætatem, & propter diuturnam regni administrationem male securo) *& stulto* (impio) *qui nescit providere in posterum,* neque timere varias fortunæ vices. Quare subditur; *Quod de carcere, catenisque quis egrediatur ad Regnum, & alius natus in Regno inopia consummatur.* Alii vero metaphorice accipiunt. Philippus, *Pro fortibus Dei judiciis, & pœnis temporalibus, quibus quasi vinculis astringantur.* Forte *catenas* hujusmodi exponit Eliu sequentibus *funibus paupertatis.* Sic vincula, & *manicas* Isaias accipit, cap. 45. 14. pro eo animi affectu, quo vincti esse solent, videlicet supplicatione, incurvatione, deprecatione, abjectione; *Post te ambulabunt, vincti manicis pergent, & te adorabunt, teque deprecabuntur.* Denique vincula sunt servitutis symbolum, Nahum. 1. 13. & severissimi supplicii, Isai. 38. 22. *Nolite illudere* (contemnere Divinum Verbum, & minas) præsertim vinculum forte; credi enim potest quod nos appellamus *Cable*, esse id quod Hebraice dicitur *Chebel*, vel *Hhebel*) * *Ne forte constringantur vincula vestra;* ne forte malis inextricabilibus implicemini, quippe calamitatibus impedimur, ne vagemur pro libito; continemur in officio, & quasi rei, detinemur in carcere.

Catenæ, & vincula allegoricè quid.

Philipp.

Vincula cujus symbolum.

חבל

*No os apriete los cordeles

4 LXX Divina Iustitia parans impiis vincula.

Et vinciantur. Septuaginta juxta Hebræum, *capiantur*, comprehendantur, & teneantur, occupentur. indicat vincula impiis tẽdi, & parari a Divina justitia, quæ illos capit, fugientes licet, & ab opibus, & regni satellitibus bene munitos.

לכד

Funis, quid proprie.

חבל

Exod. 22 25.

Funibus paupertatis, vinculis arctissimis; nam a radice, *Hhabal*, dicitur, quidquid premit, & constringit. quare appellatione *funis*, comprehenditur *pignus*, quo obligatur homo; *dolor* præsertim parturientium, quia premit, Isai. 17. 8. Psalm. 116. 3. *delictum*, quo obligatur homo ad pœnam. Daniel. 6. 22. denique *peccatum*, per quod homo manet in reatu, deputatus ad supplicium, Proverb. 5. 22. & nunc *paupertas*, qua premitur, & cõstringitur homo, atque miseriis multis certissime deputatur, & addicitur. quare recte dixit Interpres, *funes paupertatis*, quod in Hebræo est, *funes ærumnarum*, afflictionis. Quid enim nõ mali in paupertate est? quam quidem *malum maximum esse censuerunt, ut ejus vitandæ gratia de saxis, & in mare se præcipitare hominem jusserint.* Sicut ergo *Regni* nomine, omnis fælicitas atque voluptas significatur, ita omnes ærũnæ intelliguntur, cum inopia regno opponitur, Eccles. 4. 14. *Natus in Regno, inopia consumatur.* Septuaginta, *In regno suo dictus est pauper.* quod eleganter convenit in Iobum, cui in regno ipso suo summa egestas, ac mendicitas imperabat.

ענה

Paupertas cur dicatur funis. Vatab. de Virtute Morali.

Egestas opposita Regni fæ-

LXX.

5 Tygur. Nicetas. Vatabl.

Indicabit eis opera eorum. Tygurina refert, *Eis, quid facto fuerit opus.* Sed nõ quadrat. Illud melius quod ait Nicetas; *Ut sua scelera recognoscant.* Eleganter Vatab. *Renuntiat opera eorum esse mala.* Proprie, docet, exponit. quippe calamitatibus, & suppliciis ad saniorem mentem adducit Deus, & in memoriam revocat scelera, docetque simul ea ipsa esse supplicia improbitatis, ut fratribus Iosephi, Genes. 42. 21. & Antiocho, 2. Machab. 9. 9. 11. 18. 1. Machab. 6. 12. 13. de quo ante prophetarat Daniel. 8. 23. *Impudens facie intelligens propositiones*, videlicet fore, ut ipse Rex ænigmata illa prophetica, & supplicia, ac comminationes intelligeret ipso experimento propter se esse dictas. Iuxta id Isaiæ, 28. 19. *Vexatio dabit intellectum.* Cum quo facit id Sapien. 1. 3. *Probata virtus corripit insipientes.* Vel ut

יגד

Homo per calamitates eruditus.

elegan-

Joines Nannius.

eleganter legit Nannius, *Potentia dum probatur, redarguit insipientes.* nam impii suppliciis erudiuntur, & corriguntur a suis pravis opinionibus, & credunt ipso experimento Deum esse vindicem suorum scelerum. Sic Deus *indicat* improbis eorum prava *opera*, & cum mortalium nemo audeat scelera in faciem exprobrare improbis principibus, at Deus *indicat*, & clare renuntiat. vide, quę superius diximus cap. 21.31. super id, *Quis arguet coram eo viam ejus?*

Deus in faciē exprobrās impiis.

Interim mirabilis est stupiditas impiorum, quibus necesse sit *indicari*, & quasi digito mōstrari opera, & scelera, cum omnibus sceleribus contaminatissimi existant; atque ad hujusmodi doctrinam tā sint surdastri, & tam male audiant, ut vix Prophetarum voces, & clamores audiāt. Scriptum est enim Isai. 58.1. *Clama, ne cesses: quasi tuba exalta vocem tuā, annuntia populo meo scelera eorum.* de quo diximus superius, cap. 21. versic. 19. n. 5.

Impiis surdastri, & male audiētes, tum & cæci.

6 *Et scelera eorum*, Expositio præcedētis. *Scelera* autem proprie sunt prævaricationes, & affert malitiam, perfidiam, contēptum, contumaciam in transgredienda lege, & rebellando adversus Deum. quæ vox ex adjunctis exponitur. Isai. 59. 13. *Peccare* (prævaricari. Septuaginta, *Impie egimus*) *& mentiri contra Dominum.* (hæc est malitia, perfidia) *& aversi sumus, ne iremus post terga Domini.* hic est contemptus & contumacia. Et sicut Isai. hoc loco refert contemptum, contumaciam, & perfidiam in transgredienda lege, ad calumnias proximorum, nam subdit, *ut loqueremur calumniam, & transgressionem, concepimus, & loquuti sumus de corde verba mendacii*; ita Eliu scelera impiorum ad Tyrānidem, & violentiam refert, nam subjicit, *quia violenti fuerunt.* Proprie ex Hebræo, & Græco, *Quoniam valebunt.* aut, quoniā fortes, potentes, robusti fuerunt. quod Vatablus ad supplicia gravissima refert; *quod pœnæ transgressionem ipsorum invalescant, nisi resipiscant.* Alii ad gravitatē scelerum, Quoniam prævaluerunt illorum scelera, tum magnitudine, tum multitudine. Sed Symmachus, sicut, & noster Interpres, ad superbum, & violentum dominatum, *Quoniam Tyrannidem exercebāt.* Et quidem cōgruit cum proprietate verbi originalis, quod licet afferat fortitudinem, & robur, frequenter in bonum, at non semel affert robur violentum, & noxium, adversus imbecilliores, quare dicitur de *Victore*, Exodi. 17. 11. Atque hoc ipso verbo conqueritur David, ex persona justorum vel hominum pœnitentium se ab iniquis, & violentis, vel, ab iniquitatibus per vim opprimi, Psal. 64.4. *Verba iniquorum* (Hieronymus, *Iniquitatum*) *prævaluerunt super nos.* Atque hujusmodi iniquis, & *prævalentibus* hominibus cōminatur Anna mortem violentam, quę violentos perimat. 1. Reg. 2. 9. *Impii* (inquieti, infestatores aliorum) *in tenebris conticescent* (conquiescent, qui prius tumultuabantur) *quia non in fortitudine sua roborabitur* (prævalebit, invalescet, adversus mortem) *Vir.* Eleganter igitur Interpres, hujusmodi prævalentes, vocavit *violentos*, atque furentes; quorum omnes conatus in imbecillos, & pauperes incumbunt: in illos enim incumbet etiam Divina vindicta.

פשע

Scelus cum cōtemptu, & perfidia.

LXX.

Scelus cum injuria proximi.

Varia lectio.

Vatablus.

גבר

Robur in bonum, & in malum.

Prævalere, quid proprie.

X. Revelabit quoque aurem eorum, ut corripiat: & loquetur, ut revertantur ab iniquitate.

1. *Sententia simplex* Revelare aurem.
2. *Impii excæcati splendore, curati tenebris, & recuperantes visum.*
3. *Flagellat Deus, ut ad se convertat. Non converti flagellatum, stupiditatis, & obstinationis. Illustrate exeq. Isaias, Ecclesiasticus.*

1 SIC Deus optimus, solet eos, quos voluptas, atque improbitas surdos Divinis vocibus reddiderat, ad auditum per flagella, & supplicia revocare, & expergefacere: attentis vero jam, & audiētibus instillat salutaria monita, & gravissimas correptiones, & sanctæ obediētiæ, verissimęque pœnitentiæ præcepta. Porro indicat non nemo *revelationem aurium* pertinere ad leviores pœnas. Cajetanus interpretatur, quodcumq; suppliciū. Vatablus, *Admonitiones, quæ ad aurē fiunt*, id est, secretas, & internas inspirationes. & fere eodem modo Philipp. atque Gregorius, *Revelata* (inquit) *aure unusquisque corripitur, quando intrinsecus æternorum bonorum desiderium percipit, & quæ mala extrinsecus perpetravit, agnoscit.* Sed certe illud est simplex, & germanum, ut *revelare*, aut *aperire aurem*, ut efficere, ut quis audiat Divinas voces, atque percipiat Divinas admonitiones. Vide omnino, quæ superius diximus, cap. 33. versic. 16. fere 2
in re simili.

Revelare aurem, quid.
Cajetan.
Vatablus.
Gregorius.
Philipp.
Revelare aurem.

Vbi observandum hunc nimium splēdorem rerum humanarum excæcare solere humanos oculos, nimium etiam tumultum, & copiam rerum externarū effi-

Impii excæcati splēdore, & surdi tumultu, & strepitu mūdi.

cere surditatem, ut opus sit, Deum optimum, ac sapiētissimum medicum hujusmodi cæcitati, remediis contrariis, surditatique mederi aut tenebris calamitatū, & ærumnarum, aut etiam extrema rerum omniū indigentia, & solitudine, sic enim ille revelat, & aperit oculos, revelat, & aperit aures, *ut corripiat*. idē fere cum illo, cap. 33. *Aperit aures virorū, & arguens eos, instruit disciplina*, vel, correptione. Sic igitur severius, & per flagella *loquitur*, ut *revertātur ab iniquitate*. non ad *interneccionem*, non ad *consumptionem*, non ad *mortē*; sed ad vitam promerendam diuturniorē. Diximus sæpe, quo animo Deus plagas, & supplicia infligat, nimirum *ut corripiat*, ut *revertantur ab iniquitate ad* Deū corripientem, & flagellantem.

Deus cæcitati humanæ medens tenebris.

In quem finē Deus calamitatibus afficit.

3

Quare obstinationi, & impudētiæ incredibili datur apud Isai. 9. 13. Quod *populus non est reversus ad percutientem se: & Dominum exercituum nō exquisierunt*: nam hominem percussum, & flagellatum, non cōverti ad flagellantem, est adhuc in suppliciis aversum esse a Deo, & neque flagelis retrahi posse ab amore creaturarū, neque meliorem fieri, tum etiam minime inquirere, quę sit verissima causa suarum calamitatum, an Divina ira, & vindicta, an vero quidpiam aliud. Quare Oseas. 6. 1. prędicit, aut docet, quid facto opus sit his, qui a Deo corripiuntur, *In tribulatione sua mane* (opportune, cito, statim atque Deus revelaverit aurem) *consurgent ad me: Venite, & revertamur ad Dominum*. Non solum igitur non fugiendum a Deo flagellante, non avertenda facies, non solum convertenda ad illum, sed arcte cōplectendus a nobis, & admovenda auris, ut a Deo reveletur, & vellicetur, Ecclesi. 13. *Inclina aurem tuam* (ipse enim revelat aures, ut homo melius sapiat) *& suscipe verba intellectus, & ne festines*, (ne fugias, neque divertas ab eo) *in tēpore obductionis* (incursionis, & vindictæ Divinæ) *sustine sustentationes* (nimium, valde longanimiter perfer) *Dei, conjungere Deo*.

Flagellatum non reverti ad Deum flagellantem, stupiditas, & obstinatio.

Tribulatis statim adeundus Deus.

Deus flagellās arcte complectendus.

XI. *Si audierint, & observaverint, complebunt dies suos in bono, & annos suos in gloria.*

XII. *Si autē non audierint, transibunt per gladium, & consumentur in stultitia.*

1. Sententiæ paraphrasis, Vitæ jucunditas promissa justis.
2. Servire de religione, & Dei cultu.
3. Vita completa, de diuturna. Dies, pro anno. Hebdomida annorum, & dierum. Deus puniens citra cōdignum. Explicatur Moyses, & Ezechiel.
4. Bonum, & Pulchrum de jucundo, Illustratur David, & Samuel.
5. Hypallage. Gladius cujus symbolum.
6. Mors stultorum; quæ mors item sapientum.

I

SI Deo per ærumnas, & flagella admonenti, & loquenti audientes, atque obedientes se præstiterint, atq; servierint supplices, quod reliquum est vitæ, bene beateque conficient, omnibus jucunditatibus circumfluentes: sin minus Divinum imperium detrectaverint, configentur Divinæ justitiæ jaculis, & digna stultis, Deumque ignorantibus morte peribunt. Sunt profecto istæ miseræ mortis comminationes, vitæque fælicis pollicitationes sæpe in hoc libro repetitæ. Est vero ille Oseæ locus, quem nuper indicabamus, persimilis, *Venite, & revertamur ad Dominum, & vivemus in cōspectu ejus, Sciemus, sequemurque, ut cognoscamus Dominum*. Sicut enim promittitur vita digna Deū *agnoscentibus*, ita e contrario mors, stultis, & Divinam *scientiā* repellētibus.

Paraphrasis sententiæ.

Vitæ jucunditas promissa justis

Hosee. 6. 1. 3.

2

Et observaverint Latine dictum est, pro eo quod est *colere*, & revereri, diligere, sicut alterum parentem. Septuaginta proprie ex Hebræo legerunt, *Si servierint*. est enim, Numinis, & religionis cultus, servitus quædam, ut aliquādo diximus. Exod. 4. 24. 11. & 20. 5. Devter. 10. 12. & 29. 4. 1. Reg. 26. 20. n. 4. 46. Ierem. 5. 20. Isai. 19. 21 11. Ps. 2. 11. & 97. 7. Malach. 3. 14. Sophō 3. 9. & superius Iob, 24. 14. quibus locis ab ipsa radice, *serviendi*, dicitur cultus religionis, tabernaculi, & sacrificiorum.

Observare. & servire, de religioso cultu.

עבד

3

Complebunt. finient, & conficient, perficient. Et quamvis in malum etiam sumatur, at nunc omnino in bonum sumitur, pro eo quod est, perfectam vitę mensurā, & annos plenos, ad satietatē usque vivere. *Dies suos*. Annos, qui constant diebus, quod videtur in usu Sacro fuisse jā inde ex quo dixit Deus Nu. 14. 34. *Filii vestri erunt vagi in deserto quadraginta annis, juxta numerū quadraginta dierū, quibus cōsiderastis terram: annus pro die imputabitur*. Quod ut ad cognoscēdam peccati gravitatē factū, dictumq; videtur (quod enim brevi scelus admittitur, diuturnū suppliciū meretur) ita etiā allusione facta ad hāc ipsam computationem *dierum* pro annis, ad declarandam Dei clementiam citra condignum punientis, dictum est Ezech. 4. 6.

Compleri vitā dictū nam

Dies pro annis vnde dict

Deus puniens citra cōdignū.

Dormies super latus tuũ dextrum, & assumes iniquitatem domus Iuda quadraginta diebus: diem pro anno, diem, inquam, pro anno dedi tibi. Est quippe sua proportio inter annum, & dies unius hebdomadæ; nam sicut hebdomada constat septem diebus; ita etiam annus septem quinquagenis dierũ; qui numerus quinquagenarius facer erat. Sic est *Hebdomada annorum, & Hebdomada dierum.* Dan.9. & 10.

Anni ad hebdomadã proportio.

4 *In bono*. in omni jucunditate, & suavitate. nam *bonum* in Sacro sermone est jucundum, delectabile, volupe, & quicquid cõtrarium est illi *funiculo paupertatis*, quẽ supra dixit. Nostrates finem fælicissimum hac phrasi circumloquũtur, *Acabar en bien.*

Bonum pro jucundo. טוב Hispanismus.

Et annos suos in gloria. Expositio præcedentis. Septuaginta dixerunt; *in decoribus.* Alii ex Græco; *in fælicitatibus.* Cajetanus; *In dulcedinibus.* Pagninus, Regia; *In delectationib⁹.* Certe vox *Naghã*, affert jucunditatem, delectationẽ, pulchritudinẽ rei nobis gratissimæ: nam pulchritudo etiam ad voluptatem, & jucunditatẽ refertur. Psal.146.1. *Deo nostro sit jucunda, decoraque,* (grata illi sit, & suavis, pulchrescat, & dulcescat illi.) *Laudatio* conjungitur etiam cũ suavitate, & amabilitate morum, 2.Reg.13. *Saul, & Ionathas amabiles,* (Septuag. *Iucundi*) *& decori valde* (quæcumque grata, quæcumque *amabilia* semper cogitantes, *grati* omnibus *in vita sua. & cum dulcedine;* Prov.16.24. favus *mellis* Tygur. *Amœna.* Septuag. *Bona.* Pagnin. *Dulcia.* Denique cũ *amœnitate viæ*, Prov. 3. 17. *Viæ ejus viæ pulchræ*, amænę, & sine offendiculo. *Gloria* igitur hoc loco omne hujusmodi junditatem, atque voluptatẽ comprehendit.

LXX. Comitolus. Cajetan. Pagninus. Regia. נעם Pulchritudo, ad jucunditatẽ & suavitatem. Philipp.4.8. Tygurina. LXX. Pagnin.

5 *Transibunt per gladium.* Hypallage; pertrãsibit per eos gladius. Simile id Ps.104. 18. *Ferrum pertransiit animam ejus.* quam quã Symmachus e cõverso legerit; *In ferrum pertransiit anima ejus:* id est, ut exponit Theodoretus, *Ad cædem usque periclitatus est.* Pro gladio, vero proprie est missile, aut jaculum. Sed sive *gladium*, sive *jaculum* dicas, significatur Divina ultio, hostium immanitas, mors certissima, atque acerbissima; & quę cũ his conjuncta sunt tristia, & peracerba omnia. Vide, quæ de *gladio* diximus, c.19.29. & c. 21.24. Rursus, *transire gladium per aliquẽ*, aut per aliquam terram, est opprimi, & devastari ab armato milite Levit.26.6.

Hypallage. Theodoret. שלח Gladius, & jaculũ cujusfymbolum. Transiẽs gladius, miles devastans.

Et consumentur in stultitia. In Hebr. *Sine scientia.* quod vel ad pœnam, vel ad culpã pertinere potest. Priori modo sensus erit: Peribunt eo supplicii genere, quo pereunt stulti, & insipientes Divinæ Providentiæ, numinisque abnegatores. Sic fere Philippus. Quo sensu videtur dictum Baruc.3.18. *Quoniam non habuerunt Sapiẽtiam, perierunt propter suam insipientiam.* id est, tamquã insipiẽtes mortui sunt. Quis sit autem finis stultorum, & insipiẽtium, describitur Sap.4.20. *Erunt decidentes sine honore, & in cõtumelia, inter mortuos in perpetuum.* finis videlicet inglorius, & ignobilis, qualem ipsi impii olim existimarant futuram mortem justorum, tamquã stultorum: ut dicitur Sap. 5. 4. *Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore:* ita ut hæc stultorũ mors opponatur morti justorum, *qui cõplent annos suos in gloria.* Aut vero pertinet hæc pars ad culpam, & ignorantiam, quam vocãt, affectatam obstinati animi, & nolentis accipere disciplinam. Sic fere Septuaginta; *Impios nõ facit salvos, eo quod noluerunt scire Dominum; & quod cum monerentur, inobedientes erant.* Ergo non tam propter priora scelera, quam quia Deo monẽti, & flagellanti rebelles se prębuerunt, consumpti deletique sunt. Paulo lõgius Nicetas; *Quod insita, naturalique ratione Deum cognoscere minime voluerunt.* Ego simplicissime acciperem; Ipsi Deo aperiẽti aurẽ, & loquenti, erudientique per supplicia, surdos, & cæcos se præbuerunt; Cęci igitur pereunt, & stultissimi, qui numquam erudiri voluerint; *Moriuntur* igitur *in stultitia.* Gregor. in eo ipso *stultitiã* horum ponit, *quod eos a culpa nec pœna compescat: & quia peccata, quæ flagellis emendare debuerant, flagellis exaggerant.* Huc accersenda, quæ diximus superius, cap. 4. vers. 20. & 21. super id, *Quia nullus intelligit, in æternum peribunt, morientur, & non in Sapiẽtia.* & c.21.n.19.n. 5. *Cum reddiderit, tunc sciet.* & vers.20. *Videbunt oculi ejus interfectionem suam.*

Philipp. Stultorũ mors qualis. Mors Stultorum opposita morti Iustorũ. LXX. Nicetas. Simplicissima exponendi ratio. Gregor.

XIII. *Simulatores, & callidi provocant irã Dei: neque clamabunt, cum vincti fuerint.*

1. *Nexus, & explicatus germanus.*
2. Hypocrita corde; *quis. Hypocrita, Princeps impius.*
3. Ira *active, aut passive. Hypocrita non assignat veram causam suarum ærumnarum.*
4. *Cur Hypocrita Deo tam invisus. Illustrati Samuel, & Isaias.*
5. *Iusti in tribulatione orantes: Impii irascentes. Clamor proprius vinctorum. Illustrati David, & Zachar.*

1 Nexus, & explicatus sententiæ germanus.

CUM Asseruisset Iob, ut suas ærumnas a peccato, & scelere assereret, justos sæpe multis incommodis, & calamitatibus, impios item sæpe multis vitę commodis, & jucunditatibus affici; Eliu hoc refellit manifestis suppliciis eorum, qui manifeste impii sunt, præcedente sententia: nunc vero suppliciis eorũ, qui licet externa sanctitatis specie fulgeant, at minime interna, & vera, ut interim vellicet Iobum, quod cum nolit suarum ærũnarũ causam ingenue fateri, atque tribuere occultis suis sceleribus, neque veniam improbitatis prioris a Deo petere, profecto hypocrita sit, & Divinum furorẽ adversum se exsuscitet. Hic videtur hujus sentẽtiæ simplex, & germanus nexus, atque explicatus.

2 Hypocrita corde quid. חנף

Simulatores, & callidi. Simplex in Hebręo vox, quę sæpe vertitur *hypocrita*. Sed additur in Hebræo, & Græco, *Hypocritæ corde*. Quod non tantũ expositionis gratia dictum videtur, sed potius amplificationis: nam quamvis Principes, & Potẽtes viri, si impii sint, hypocritę sint, ut qui Potentia, & principatu ostentẽt, quod re ipsa, & opere non præstant, at nunc dicitur *Hypocrita corde*, qui non solũ impius est, sed qui cum impius sit, pietatem semper habet in ore, & quædam pietatis opera externa facit, ut appareat hominibus sanctus; corde igitur, & intẽtione, & data opera, hypocrita est; quod eleganter duabus nunc vocibus exponitur ab Interprete, *Simulatores, & callidi*; eo quod callide, & malitiose simulare cõtẽdant, quod gestant in corde pallio pietatis, & colore sanctitatis: hæc enim est proprietas radicis, *Hhaneph*, videlicet inficere rẽ alieno colore, vel obnubere, & velare alieno pallio, & specie, ut aliquando diximus.

Princeps impius Hypocrita.

3 שום

Auguft.

Ira active, aut passive.

Hi igitur *provocant iram*. Latinus explicationis gratia addidit illud *Dei*. deest enim in Hebræo, & Græco; ex quo proprie legitur, *ponent iram*. quo etiã modo legit Augustinus. id est, *apponunt*, vel, *imponunt* suis ærũnis, & suppliciis *iram*, & indignationẽ, ut qui supplicio non provocentur ad pœnitentiam, sed potius ad iram, & indignationẽ, adversus Dei Providentiam, & correptionem. quo sensu dictum est superiori cap. 5. 2. *Stultum interficit iracundia*. Vel forte eo respicit, quod ad hypocrisim pertineat, *ponere*, & statuere pro causa sui supplicii, non peccatum aliquod, sed Divinam indignationẽ immeritas pœnas repetentẽ de innocente; Sicut ipse Iob olim cõquerebatur, *Iratus est furor ejus in me*. ut hic ex innocentia

Hypocritæ dant non causam pro causa suarum ærumnarum.

Iob. 19 11.

afflicta callide alliciat hominum erga se misericordiam. Sed quidẽ ille est simplex sensus, quem indicavit Interpres, nam ex ternis tantum pietatis operibus conjunctis cum impietate cordis, velle Dei gratiã, & benignitatẽ promereri, atq; cum illo de suppliciis, & calamitatibus expostulare, res est Deo nimium odiosa, atq; molesta, & ab Isaia dissertis verbis exprobrata nationi illi Hypocritarum, tũ alibi, tum vero, c. 58. ubi jubet Deus contẽta *voce, quasi tubæ annuntiari suo populo scelera*, ne ficta religionis specie, & externis ceremoniis, & sacrificiis sibi de sanctitate blandiatur. nam volebant etiã litem Divinæ justitiæ intendere, & obligationẽ objicere, ac præmia postulare, *Rogant* (inquit) *me judicia justitiæ*, (nimirum eam legem, ubi se acturum cũ hominibus Deus profitetur improborum vindicem, piorũ patronum, & remuneratorem) *quasi gens, quæ justitiam fecerit, & mandata Dei sui nõ dereliquerit*. Non solum autẽ non meruisse præmia, sed Divinam iram provocasse adversum se hujusmodi hypocritas, testatur Deus ipse c. 10. 6. *Assur virga furoris mei, ad gentem fallacem* (proprie, hypocritam, quæ hoc loco appellatur, *simulatrix, & callida*) *mittam eum, & contra populum furoris mei mandabo illi*. nimirum indignatur Deus, quod hypocrita cum illo velit agere, tanquam cũ mortuo, & sensus omnis experte idolo, quod colitur externis officiis, & cerimoniis, neq; requirit illius religio internam animi pietatem, & devotionem; sicut Sauli a Samuele dictũ est ex Dei nomine. 1. Reg. 15. 23. *Numquid vult Deus holocausta, & victimas; & non potius, ut obediatur voci Domini? quoniã quasi scelus idololatriæ est nolle acquiescere*. id est, Deo tantum externa offerre, non itẽ cor, & voluntatis affectum; cum tamen hæc sint potissima, & a quibus externæ cerimoniæ valorem sumunt. Ergo indignatur merito adversus hypocritas Deus, qui offerunt illi *debile, & claudum*, & quæ ignobiliora sunt. Septuaginta autẽ eam indignationem eleganter explicant; *Hypocritæ corde ordinabunt furorem*, quod est disponere, & velut aciem hostium in ordinem redigere, & adversum se statuere atque opponere, ut significetur Deus, instar ducis fortissimi aciẽ dirigere, & ordinare exercitum adversum hypocritas, ut & fictã illã sanctitatis speciẽ destruat, & scelera cordis suppliciis gravissimis afficiat, & patefaciat; & qui semel plagã aliquam accepit, si pergat esse hypocrita, rursum adversum se Omnipotentis irã provocet.

Simplex expositio.

4 Hypocrita Deo odiosus.

Regia. Tygur.

Cur indignetur Deus adversus Hypocritam.

Malac. 1. 14.

LXX.

Neque

5 *Neque clamabunt, cum vincti fuerint.* Cōfigit Iobum hoc quoque dicto, ut egregie observat Philippus, *Sanctum* (inquit) *Iob apertius videtur Eliu, quasi ex obliquo percutere, quod callide, & nequiter ageret, qui cum esset vinctus plagæ hujus compedibus, clamare ad Deum, ut a laqueis solveretur, minime curaret.* Ab impiis (inquit Eliu) plagæ, & supplicia non extorquent preces supplices, neque clamorem ad implorandam opem, & ad deprecandas tribulationes, sed potius edunt voces plenas superbiæ, & iracundiæ. Hæc igitur constantia non est vere innocētis animi, sed improbitatis internæ obstinatio, & contumacia desperantis animi. Propriū quidem ærumnosorum hominum, atque vinctorum videtur, *clamare, & sperare.* Sicut Zach. 9. 12. dicuntur *Vincti Spei*, quos spes in vinculis, & ærumnis sustētat. De Ioseph quoque Psal. 104. 18. *Ferrum pertrāsiit animā ejus, donec veniret verbū ejus.* Indicat in vinculis patienter expectasse Dei decretum, & tempus ab illo statutū; interim *Eloquiū Domini inflammavit eum.* (Hieronymus, *probavit.* Theodoretus; *Hæc omnia perpessus est more auri probatus, quasi per ignem. Tum etiā inflammatus Dei eloquio,* ardenter illum invocans cum clamore, & lachrymis, cū vinctus esset. Dissoluta igitur sunt *vincula brachiorum, & manuum ejus, per manus Potentis Iacob.*

Philipp. — Tribulationes a Iustis extorquent preces ab impiis iram. — Clamor vinctorum, & miserorum. — *Hieronym.* *Theodoret.* — *Gen. 49. 24.*

XIIII. *Morietur in tempestate anima eorum, & vita eorum inter effæminatos.*

1. *Mors instar tempestatis, & fulminis de cælo jaculata. Vnde habeat nomen.* Excutere, & excussum *active quid.*
2. *Verbum cōtrariarum significationum. Euphemismus.* Effęminatus. *Scortum masculum. Illustratus Moyses.*
3. *Eunuchi impuri sine viro.*
4. *Eunuchi, & Cynædi nubebāt instar fœminarū. Radebantur.* Domūculę Effęminatorū *quæ. Illustratus Isaias.*
5. *Cur* Effęminati *dicantur Condicti* Ephebiæ, *& gymnasia quæ.*

1 ANima. Quod in sequēte hemistichio, *Vita. In tempestate.* Septuaginta proprie ex Hebræo, *in juventute.* quod Nicetas refert ad immaturam mortem impiorum, qualis est mors puerorum. Alii ad stoliditatem juvenilem. Moriuntur non minus stolidi, quam si pueri decederent, sine ulla rerum scientia, aut experimēto. Tygur. *Morietur anima eorum per juvenilē stoliditatem.* Sed quoniam nomen originale tantum se potest extendere ad *pueritiam, & adolescentiam*, difficile visum est Latino Interpreti, id nomen nunc dari Tyrānis, & Principibus, & Iobo potissimum. præsertim juxta Rabbinorum interpretationem, R. Levi, & R. Mosseh; nam qui moriuntur in pueritia, nō sunt hi, qui ob scelera provectioris ætatis morte plectuntur. Propterea noluit vertere *juventutem*, sed, quod cum re subjecta convenire posset, atq; cum ipsa verbi originalis proprietate, *Tempestatem.* *Naghar*, enim proprie est *excutere*, quod aliquando diximus, passive convenire in puerum, vel adolescentem in ea ætate, quando excutitur e molliori gremio parentum, & pellitur foras ad negotia gerenda. Nunc vero addo etiam eam significationem *excutiendi*, aut *præcipitādi* posse adolescenti convenire, quasi active, quod omnia excutiat, & quasi præcipitet. nos active etiam significamus, cum dicimus, *Es vn hombre sacudido, y arrojado.* Hæc autem significatio impellendi, aut præcipitandi, egregie quadrat in *tempestatem.* Est enim quasi vehemens quædam nubium, & imbris impulsio, & præcipitatio. Tum etiam cum illa videntur cælū, & omnia ruere, & præcipitari. Similem etiam lectionem, & significationem refert Kimhi, quod *mori in excussione*, sit perire prædura morte, sæva, rapida, instar tempestatis horrificæ. Mortem enim videtur Deus cælo excutere adversus peccatores, velut fulmina, grandinem, tonitrua. Sed de illa peccatorum pueritia iterum dicemus in sequentibus.

LXX. *Nicetas.* — *Tygur.* — *R. Levi. R. Mosseh.* — נער — *Vide de Excusso plura c. 33. ℣ 25. & hoc cap. 38. ℣ 13.* — Adolescens cur dicatur excussus. — Tempestas dicta ab excutiendo active. — *R. Kimhi.*

Effęminatorum appellationis ratio, etymologia, significatio, usus.

ET vita eorum inter Effæminatos. Exigit sententia, pro elucidatione, ut de *Effæminatorum* appellatione, & re pauca dicamus. Nomen *Effæminatorum* in originali sonat duo contraria; videlicet aut *Sanctum*, aut *Profanum*, pollutū, scortatorem, sicut etiam *meretricis* mediū nomē, sonat enim idem, quod sancta, munda, casta: aut profana, scortum, communis. Et propter puritatem lingue sanctę, aut propter Euphemismū, ut aliquando diximus, boni ominis causa est, quod hęc nomina rerum, quæ nec nominari dignæ sunt, honestioribus, & faustioribus nominibus commutamus. Nos etiam *peccatri-*

Verbum contrariarum significationum. — קדש — Euphemism*.

cem, per ironionem dicimus; *La Santa.* Sunt vero, qui vocem masculini generis cum feminina confundant, nullumq; inter illa discrimen agnoscant, sed meretricē utroque nomine intelligant; quod omnino & vocibus, & rei ipsi repugnat. Ideoque noster Interpres vocem masculini generis, *Kades*, non *Scortum*, ut a fœmina distingueret, nec scortatorem, sed potius *effœminatum* vertit; idque sapienter; nam scortator est meretricarius homo, mulierarius. At vero quē noster appellat *effœminatum*, est cynędus, catamitus, quē alii Ganymedē appellant, propter turpissimum illum Iovis Ganymedismum. *Effœminatus* igitur est vir, qui velut meretrix prostat ad aversam libidinē, naturæ adversam, & instar feminę virum admittit. De quo est lex illa Devter. 23. 18. *Non sit meretrix* (Kadesah) *de filiabus Israel, nec scortator* (*Kades*, effeminatus cynedus, puer masculus meritorius) *de filiis Israel.* Dicuntur etiam *effœminati*, 3. Reg. 14. 24. & 3. Reg. 22. 8. & 4. Reg. 23. 7. ubi Septuaginta retinent vocē originalē, *Cadesim.* Et Theodoretus q. 25. ait, *per homonymiam appellari Dæmones sanctos; Cades enim interpretatur sanctus. At vero Aquilam interpretari Cadesim; illos qui fornicabantur a Domino. nimirum qui Astarti, id est, Veneri serviebāt*, intelligit procul dubio aversam venerē patientes. quare idē Aquila Hosee. 4. 14. ubi noster habet *Effœminatos*, ipse legit, *mutatos; hoc ostendere volens* (ut refert Hieronymus) *quod suā naturam mutaverunt, & de viris factæ sunt fœminæ.*

Montan. Hos. 4.
קדש
קדשה
LXX.
Theodoret.
Aquila.
Hieronym.

3 Cur Cynędi dicerētur effęminati, prima causa.

Id vero, id est, quod cynedi essent ac dicerētur effeminati, duplici ratione, aut quia etiam adolescentes, aut viri meritorii eunuchi fierent, proptereaq; cū ad aversam venerem transibant, remanebant effęminati; potius fæminæ, ut pote viri sine viro. sic enim Arnobi⁹, illos qui in honoris Matris Deûm castrabantur, appellat, *abcisos, & viro spoliatos*: rursus *deglabratos*: quod, & lævitatis, & glabriciei fęmineæ est. nam si barba est virilitatis signum, isti qui barbam non producunt. *Effœminati* erunt. Quare rasura olim flagitiosa habebatur: atque adeò quondā mollis, imo & flagitiosa *Clisthenis rasura* in proverbium abjit, & Aristophanes Pathicum Stratonem eo nomine traducit,

Eunuchi impuri.
Arnobius.
Rasura olim flagitiosa.
Aristophanes.

Eunuchus huc ades rasus novacula. Sunt vero eunuchi eodē omnino corporis tēperamēto, quo fœminæ, videlicet frigidi, & humidi, ut elegāter Hieronymus Mercurialis ostendit lib. 3. variarum, c. 8. atq; item in illa omnino corporis habitudine, & vocis sono, & qualitate, quam describit Macrobi. 7. Saturnal. cap. 7. & cap. 10.

Eunuchorum tēperamentū.
Mercurial.
Adriana. Iun. in com. de coma. cap. 1.

Hujusmodi igitur viros *effœminari* ad usum turpem, ostendit elegans ille Naziāzeni locus in Monodiam, in Basilii vita, *Viri*, inquit, *sunt inter mulieres ad eas custodiendas, oblectandasque; mulieres vero inter viros ad omnia obscœna patienda.* tum vero oratione 31. *De eunuchis* (inquit) *cuperem virile aliquid proloqui posse.* ubique enim illos insectatur, quod magna ex parte Arriana, & Macedoniana perfidia corrupti essent. Hunc turpissimum pueros effeminandi morem vetuit Domitianus, ut scribunt Sueton. cap. 7. & Ammian Marcel. libr. 18. Atque eo nomine assentatur illi Martial, lib. 6.

Nazianz.
Sueton.
Marcellinus.
Martialis.

Lusus erat Sacræ connubia fallere tedæ,
Lusus & immeritos execuisse mares.
Vtraque tu prohibes Cæsar, populisque futuris,
Succurris, nasci quos sine fraude jubes.
Nec spado jam, nec mœchus erit, te præside, quisquam:
At prius, o mores, & spado mœchus erat.

Adeūdus Barnabas Brisson. lib 2. Select. Antiquit. cap. 21.

Secunda vero causa cur *effœminati* dicantur, quod habitum ipsum muliebrem sumebant, non secus quam fœminæ viris nubentes. qui verus est intellectus, ex doctissimi Iacobi Revardi interpretatione, *L. Cum vir nubet. C. ad. Legē Iuliam. de adulte. Cum vir* (inquiunt Imperatores constātius, & Cōstans) *nubit, ut fœmina viris paritura, quid cupiatur, ubi sexus perdidit locū, ubi scelus est id, quod nō proficit scire; ubi venus mutatur in alteram formā, ubi amor quæritur, nec videtur!* Isti igitur formam, vultum, incessum muliebrem sumebant, simulque muliebria patiebantur. Cujus rei vice commentarii erunt Salviani Massiliensis verba lib. 7. de Providentia, Romanam sui temporis licentiam inurentis: *Quis* (inquit) *credere, aut audire etiam possit convertisse in muliebrem tolerantiam viros non usum suum tantum, atque naturam, sed etiam vultum, incessum, habitum, & totum quicquid penitus aut in sexu est, aut in usu viris adeo versa in diversum omnia erant; ut cū viris nihil magis pudori esse oporteat, quam si muliebre aliquid habere videantur, illic nihil viris quibusdam turpius videretur, quam si in aliquo viri viderentur.* Et inferius; *Cū enim muliebrem habitum viri sumerent, & magis mulibrem gradum: cum indicia quædam mēstruosæ impuritatis innecterent, & fœmineis tegminum illigamentis capita velarent.* Atq;

4 Secunda ratio nominis effœminatorum.
Iacob Revard. lib. 4. variorum, cap. 20.
Salvianus.

hos

hos ipſos appellat eo loco Salvianus *Effœminatos*, & eos ipſos *molles*, ut diſtinguat *amaſculorum concubitoribus*, quos notat Paulus. Hanc ipſam *Effœminatorum* conſuetudinē, joco licet, inuſit Martialis lib. 12.42.

Martialis.

Barbatus rigido nupſit Calliſtus Aphro,
Hac, qua lege vire nubere virgo ſolet.
Præluxere faces, velarunt flammea vultus,
Nec tua defuerant verba Thalaſſe tibi.
Dos etiam dicta eſt. Nondum tibi, Roma, videtur
Hoc ſatis? expectas numquid & ut pariat?

Lipſ. lib. 4. antiq. lectio. c. 8.

Obſervavit Lipſius in Antiq. lect. ex Plauto, Scipione Africano, Seneca, pueros meritorios, ut internoſci poſſent, tunicas cū manicis more mulierum geſtaſſe, quas *manuleatas* vocabāt. Et quidem huc videtur facere, quod 4. Reg. 23. 8. dicitur Ioſias *deſtruxiſſe domunculas effœminatorum, pro quibus mulieres texebāt domunculas luci*; ubi interpretantur *cortinas*, ex quibus fiebant tentoria. Septuaginta Complutenſes legunt, *Texebant ſtolas*, videlicet muliebres illas tunicas pueris meritoriis. Scio molliſsimos Iſraelitas, fœminarum nomine molliter incedentes, & muliebriter comptos traduci ab Iſaia, ex docta quorundā interpretatione, cap. 3, 16. *Pro eo, quod elevatæ ſunt filiæ Sion, & ambulaverunt extēto collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, & ambulabant, & pedibus ſuis compoſito gradu incedebant*: hos autem videtur eodem capite notaſſe, verſic. 4. *Dabo pueros Principes eorum, & effœminati dominabuntur eis*; quamquā hoc loco vox *effœminati* ſit ab alia radice. Denique tum propter rationes dictas, tum propter rem ipſam, quæ dici non debet, recte vocatur *effœminati*. Sic vero apud Nonium, in *Mulieravit*, *Mulieravit* (inquit) *ut effœminavit*. *Varro, Gnothi ſeauton, & Rex, & miſellus pauper amat, habetque ignem intus acrem, hic effœtum mulieravit, hic Canymedæo adoleſcenti cubiculum pudoris primus polluit*: Sic caſtigat Lipſius in Antiquis lectionibus. Hi igitur ſunt *Cadeſim*, profani, polluti, meritorii, cauponii, & quos Interpres *effœminatos* appellat.

Domunculæ effœminatorū quæ.

LXX.

Foreriu.

עלל

γνῶθι σεαυτὸν

Lipſ. lib. 4. antiq. lectio. c. 9.

5 Cur effœminati dicantur cō dicti.

Quia vero alii hos ipſos, *paratos*, *condictos*, aut *deſtinatos*, aut *præparatos* legunt, & vocant, reddenda hujus quoque lectionis ratio eſt, nam verbum originale, *ſanctificandi*, ſignificat cōſequenter, aliquid præparare, & deſtinare ad rem ſanctā, & ſacrum uſum: quare ex proprietate vocis hujuſmodi ſancti, dicentur conſecrati, & deſtinati ad uſum exſecrādum. erant nimirum ſuæ *domunculæ* iſtorum *effœminatorum*, & ſua etiam *Gymnaſia*, ſeu lupanaria parata, & condicta, quę *Ephœbiæ*, *Et Ebeteria*, vocabantur, de quibus, 1. Machabæorum, 1. 15. & 2. Machab. 4. 9. Vbi Serarius noſter, ex Tacito, Lampridio, Athenæo, Strabone, prolixe potius Faber lib. 3. Agoniſtic. cap. 27. 28. Denique, quamquam alii ad libros Regū exiſtimaverint, *Cadeſim* fuiſſe Sacerdotes caſtratos in honorem Bonæ Deæ, at certe fuiſſe ſcorta maſcula tum ex dictis, tum ex frequētiori interpretatione, ſuper libros Regum Rabani, Eucherii, Angelomi, Abulenſ. 4. Reg. 13. cap. 15. pro certo habendum eſt. Nunc jam ad integram ſententiam accedendum.

Ephebiæ, & Gymnaſi quæ.

Serarius.

Rabanus. Eucherius. Angelomus. Abulenſis.

Quid in *Effœminatis* ſentētia hæc deſignet.

6. *Prima exponendi ratio*, Effœminati, *pueri teneri*. *Impii immatura morte ſublati*.
7. *Secunda expoſitio*. Effœminati *in bonum*. *Angeli tortore ſimptorum*.
8. Effœminati, *& molles hypocritæ*. *Magnanimitas in contemptu honorum*.
9. *Tres alia expoſitiones incommodæ*. *Impii timidi, & laborum impatientes*.
10. *Duæ interpretationes idoneæ*. *Occulta ſuperbia punita*. *manifeſta luxuria*. *Sodomiticum incendium*.

6 QVoniam vero in *effœminatis*, aut nomen originale ſanctitatis, & innocētiæ, aut virtutis, & roboris maſculi defectus, aut ætas mollior, & adoleſcētior, qua ad voluptates abutebantur, aut voluptuaria, & impura vivendi ratio, aut vitæ genus deſtinatum, & mancipatum impuris illis libibinis officinis, aut pœna dicta libidini præpoſteræ, & id genus alia conſiderari poſſunt, multiplex eſt apud Interpretes hujus impiorū hypocritarum, aut comminationis, aut ſupplicii explicatus. Primus Gerſonitis, qui in *effœminatis* tātum cōſiderat adoleſcentiam, & teneriorē ætatem, quæ nullis adhuc inveteratis ſceleribus corrupta eſſe ſolet, propterea nomine originali *Cadeſim*, id eſt, ſancti, & innocentes appellari poſſunt. Intelligit ergo Hypocritas morituros *in tempeſtate*, id eſt, ex proprietate Hebræa, *In pueritia*, & connumerandam *vitam eorum inter effœminatos*, id eſt inter pueros, aut adoleſcentes, qui immatura morte ſublati ſunt. Hæc interpretatio non convenit cum re præſente, eo quod hujuſmodi hypocritæ deſcribantur jam provectæ ætatis, atque

R. Gerſon.

Prima interpretatio effœminatorum in bonum.

Impii immatura morte ſublati.

fœlicitatis. Niſi forte intelligat impios nõ minus immaturos, atque imparatos occupari a morte, quam ſi pueri eſſent, tum etiam non meliores mori, quam ſi in ipſis peccatis adoleſcentiæ luxuriantis ſublati fuiſſent: impleti enim *adoleſcentiæ peccatis* conſeneſcunt, quæ cũ illis in pulvere dormiunt. ſuper. cap. 20. 11.

7 Secunda expoſitio in bonũ, pro Sanctis. LXX. Nicetas.

Secundo. Septuaginta, qui reſpicientes ad proprietatem nominis, & ſanctitatis, intelligunt Angelos ſanctos, quorum miniſterio Deus improbos auferat, ſic enim integram ſententiam legunt, *Moriatur ergo in juventute anima eorum, & vita eorum vulnerata ab Angelis*. Nicetas, *Immature decedunt, ab Angelis mortem inferentibus ſauciati*. Quæ expoſitio partim rejicitur, ſicut precedens, partim quod valde ſit coactum, dici aliquem mori cum tortore, & interfectore, quod ab illo perimatur.

8 Tertia expoſitio. Gregor. D. Thom. Hugo. Dionyſ. Hypocritæ molles, & enerves.

Tertia, Gregorii, Hugonis, ex parte etiam D. Thom. & Dionyſ. & quorundã conſiderantiũ enerve, & molle hypocritarum ingenium, perſimile *effœminatorũ. Si (enim) inquit viriliter viverent, laus tranſitoria nulla eos corruptione vitiaret. Unde electis Propheta perſuadet, dicens, Viriliter agite, & confortetur cor veſtrũ.* Bone Deus, quam eſt humilitas maſcula virtus, cui *pro minima eſt judicari ab hominibus, aut ab humano die!* quanta veritatis, cum qua humilitas cõjuncta eſt. vis, & fortitudo! quãta magnanimitas illius, qui neque famam amat, neq; infamiam timet! *Magnanimitatis eſt* (inquit Ariſtoteles) *pulchre ferrẽ & fœlicitatem, & infœlicitatem, & honorẽ, & ignominiam, & non admirari neque divitias, neque clientelas, neque victorias tyrannicas, neque poteſtates, habere autem quandam animi altitudinem, & magnitudinẽ.* Et ut dicitur, 7. Ethic. *velle ſincere apparere, ſine ſimulatione*. Hinc videas Hypocritam, qui humanam laudem ex mendacio quærit, quã effœminatus, imbecill9, & timidus ſit. Sicut & illud, quod pulchre de arrogantibus ſubdit, proſtitutæ pudicitiæ nomine illos traducens, *Arrogãtes humanis laudibus mollia corda proſtituunt: qui a ſuis amoribus corrumpuntur, de quibus dicitur, Erũt homines ſe ipſos amantes.*

1. Cor. 4. 3.

Magnanimitas in contẽptu honorum. Ariſt. de Virtute.

Arrogantes mollis cordis. 2. ad Tim. 3. 2.

9 Quarta expoſitio. Impii timidi. D. Thom. Nicolaus.

Quarto, D. Thom. Nicol. reſpicẽtium tantum imbecillitatẽ *effœminatam* impiorum, non valentium reſiſtere, neque ærũnis, neque ſuis hoſtibus. Sed videtur hoc languidum.

Quinta expoſitio. Vatabl.

Quintus Vatablus, *Morientur* (inquit) *dum adhuc cum ſcortatoribus, & effœminatis vivunt*, id eſt, Mors illos corripiet, voluptatibus impuriſsimis vacantes. Sed non convenit miſerrimis hominibus graviſsime dolentibus, & ægrotãtibus, de quibus ſermo eſt.

Sexta exponẽdi ratio. Regia.

Sexto, conſiderari poteſt illa vocis originalis ſignificatio, *præparandi*, ac deſtinandi. nam quod *ſanctificabatur*, deſtinabatur uſui Sacro. Sic Regia, *Morientur inter conditos*. quaſi dicat, inter ſanctificatos, inter eos, qui ſupplicio, & neci acerbiſsimæ deſtinati ſunt. In hac lectione, & interpretatione deſideratur Vulgatæ lectionis verus, & germanus explicatus.

Septima expoſitio. Impatientes laborũ inſtar effœminatorũ.

Septima, ut impatientes ærumnarum comparet Eliu cum effœminatis, & quoad mollitudinem animi, & quoad ſupplicium. Quamtumvis dolentes ſint, atque ærumnoſiſsimi, ſi tamen ſint impatientes dolorum, non minori pœna afficientur, quam molles & voluptuarii, cum pari voluptatum cupiditate, & animi mollitudine corrupti ſint: atque inſtar puerorum voluptates conſectantium, nihil forti, & conſtanti animo ſuſtinere valeant. Senſus hic non omnino incongruus Iobum pungit.

Duæ cõmodiores exponendi rationes.

Sed tamen jam duas interpretationes afferam ſimplices, atq; bene cohærentes. Altera, quæ numero octava eſt, ut indicet hypocriſim, & occultam ſuperbiam digno ſupplicio, id eſt, manifeſta luxuria affici a Deo; quantumvis enim ſanctitatẽ ſimulaverint, & vitæ cujuſdam caſtiſsimæ, atque mundiſsimæ laudem aucupari voluerint, at turpiſsimi tandem mores manifeſtabuntur ipſo ſupplicio, & impuriſsimæ vitæ, inter cynædos turpiſsimos, ut qui ex illorum grege fuerant, pœnas ſuſtinebunt. Altera, quæ nona eſt, ut alluſio fiat ad Sodomiticum incendium, cũ tempeſtate illa, pluviaque ignea *effœminati*, & molles, atque maſculorum concubitores cõflagarunt. ille enim ignis *factus eſt exemplum ignis æterni*, ut ſuperius diximus. Igitur improbis Tyrannis, atque improbiſsimis hypocritis minatur ſimile exitium, ut & tẽpeſtatis illius horrificæ, pluviæq; ſulphureæ participes ſint inter *effœminatos* Sodomitas. Quo quid fœdius ad deteſtandam Tyrannidem, ſuperbiam, hypocriſim, quam *congregari* cum Sodomitis in *faſciculo in lacũ*, igne, & ſulphuræ ardentem? Habes pulchram utiliũ ac veroſimilium interpretationum varietatem, & ſylvam, inter quas excellunt duæ poſtremæ.

Occulta ſuperbia punita manifeſta luxuria.

Vltima expoſitio.

Iud. 7.

Iſai. 14. 22.

XV. Eripiet de anguſtia pauperem, & revelabit in tribulatione aurem ejus.

1. *Latinorum, & Græcorum expoſitiones non valde cohærentes.*
2. *Simplex, & germana interpretatio.*
3. Præpoſitio. In, *pro*, per. *Particula copulativa* Et, *pro* poſtquam. *Explicatus Moyſes.*

1 Latinorum expoſitio.

EST Hæc fere communis Latinorũ expoſitio; Non ſolum divites ſuperbos cõterit Deus, & vellicat illorum auriculam, ut admoniti reſipiſcant, ſed etiã exercet doloribus, & ęrumnis, ut Divinis monitis obediant; obedientes vero recreet, & ſanet. idem itaque pietatis officium ab omnibus requirit. Quam interpretandi rationem promovet D. Thom.

D. Thom.

Ne putetur (inquit) Deus perſonarũ acceptor, & principibus reſipiſcentibus, & miſerrimis etiã hominibus, probis tamen, æque ſe benignum, & peccatorum condonatorem præſtat. Sed non video, quomodo res hæc cohærere poſsit cum inſtituto Eliu, cui tantum propoſitum eſt inſectari divites Tyrãnos, hypocritas.

Græcorum interpretatio.

Græci paulo aliter, videntur enim conjungere cum ſuperiori ſententia in hunc modum; Cum Deus improbos illos Principes, & Tyrannos turpiſsimos de medio tollit, eripit de anguſtia pauperem. hoc præfert lectio Septuaginta;

LXX.

Moriatur in juventute anima eorum, eo quod tribulaverũt infirmum, & invalidum; judicium vero manſuetorum exponet.

Nicetas.

Nicetas; *Decernet vindictam juſtorum; & eorum, qui affecti injuria tacent.* Sed non poteſt hic ſenſus bene convenire cum illa ſecunda parte *auriculæ revelandæ*, quæ in Latino eſt, licet in Gręco deſideretur.

2 Germanus explicatus.

Ergo illud videtur lene, & germanũ, ut hæc quoque ſentẽtia ad eos ipſos pertineat, de quibus hactenus loquutus eſt; Si illi, quos ob improbitatẽ, funibus paupertatis vinxit Deus, revelata jam auricula, & correptione ſuſcepta, Divinam opem imploraverint, minime illos deſeret Deus; quin potius ereptos calamitatibus, quibus premebantur, priſtina ſalute, & fælicitate recreabit.

3 ענה Et, pro poſtquam.

Quod ad dictionem attinet, *Anguſtia* hoc loco non eſt a premendo, vel arctãdo, ſed eſt vox conjugata *pauperis*, q.d. *Eripiet pauperẽ a paupertate*; miſerum a miſeria, humilem, & abjectum ab humilitate. Et *revelabit*, id eſt, poſtquam revelaverit. nam particulæ copulativæ ea vis eſt, ut Levit. 15.15. *Lavabit veſtimẽta ſua, & ipſe lotus aqua.* id eſt, poſtquam ipſe laverit ſe aqua; Hebræ. *Lavabit veſtimenta, & lavabit ſe.* clarius Levit. 17.15. *Lavabit veſtimenta ſua, &* (poſtquam) *ſemet ipſum aqua.* Ierem. 10.13. *Dat multitudinẽ aquarum in cælo, &* (poſtquam) *elevat nebulas* (nubes) *ab extremitatibus terræ.* Sic hoc loco, &, pro poſtquam, *in tribulatione*, id eſt, *per tribulationem revelaverit aurẽ*, cordis nempe; ut agnoſcant peccatum ſuũ. Præpoſitio autem, *In*, ſæpe valet, *per*, ut aliquãdo diximus. De *Revelatione* autem *auris*, dictum eſt ſuperius.

Præpoſitio, In.

XVI. Salvabit te de ore anguſto latiſsime, & non habente fundamentũ ſubter ſe: requies autẽ mẽſæ tuæ erit plena pinguedine.

1. *Sententiæ paraphraſis.*
2. *Varia ſignificatio, & analogia verbi* Salvãdi. *Vulgati diligentia, & fides.*
3. *Os tributum rebus inanimatis non ad loquendũ ſ. d. ad devorandum.*
4. Anguſtia, *pro hoſte obſidente. Os inferni anguſtum, & pravæ conſuetudinis.*
5. Os, *pro ingreſſu. Explicati David, & Salomon.*
6. Latitudo *in Scriptura verſus omnem dimenſionem. Illuſtrati Moyſes, & David.*
7. *Anguſtia lata quid. Impiorum via lata anguſte: iuſtorum anguſta late.*
8. Stabile, & Fundamentum. *Varia lectio.*
9. Requies, Pinguedo, *Pinguia dulcia. Illuſtratus Moyſes.*

QVę in univerſum de ſuppliciis, & vexatione ſive hominum opulentiorũ, ſive miſerorum diſſeruit, nunc ad Iobum applicat, atque illi pollicetur meliorẽ fortunam, ſi tribulationibus eruditus, *audiat & ſerviat*, & revertatur ab iniquitate, juxta verſic. 11. Itaque (inquit) ſi quam ſubiiſti pœnam, tuis ſceleribus deberi intelligas, & illius admonitionẽ ſupplex ſuſcipias, ille te proculdubio abſtrahet ex iſto anguſtiarum baratro, quod te miſerũ devoravit: neque permittet, ut præceps labaris in immenſam voraginem inferioris abyſsi cum cæteris damnatis per æternitatem cruciandus. Bonorũ præterea maximorum affluentia te cumulabit, atque tum ille te excipiet lautiſsimo convivio poſt famis, & egeſtatis cruciatus; tũ ipſe domi tuæ tranquillus, & lætus accumbes ſplendidæ menſæ, conquiſitiſsimis, atque delicatiſsimis epulis refertæ.

1 Sententiæ paraphraſis.

סית

R. Mard.

Varia significatio, & analogia verbi salvandi.

Salvabit te, Verbum originale, *Cith*, varie reddi solet, sed propter vocis similitudinem, & assonātiam videtur idem significare, quod Latinis *cito, incito*, aut *concito*; quod agnovit Rab. Mardochai, qua ratione vertitur ab Interprete, 1. Reg. 26. 19. 2. Reg. 24. 1. 3. Reg. 21. 25. Quia vero, qui aliquid persuadet alteri, videtur illum stimulare, & incitare, sumitur pro *persuadere*, Deuteron. 13. 7. Iosue. 15. 18. & quia qui aliquem decipit, nititur persuadere, & incitat illum, ideo sumitur pro *decipere*, 4. Reg. 18. 32. & 2. Paral. 32. 11. 15. & quia qui alicui persuadet, aut decipit, conatur illum avertere ab aliquo, incitādo ad oppositum, ideo sumitur pro *avertere*, 2. Paralip. 18. 31. Ex eadem igitur radice variæ lectiones, & interpretationes pullularūt. Septuaginta *Super decepit te ex ore inimici*.

Nicetas.

Quod Nicetas mutatis personis sic interpretatur, ut Eliphaz non loquatur cum Iobo, sed potius regrediatur ad vitia Hypocritarum, & callidorum: & illud relativum secundę personæ, accipiatur pro tertia indefinita, *Plectitur* (inquit) *hypocrita, quod hosti ex ore mansuetum fefellit*. Sed transitus hic est importunus, & incertus, atque longus. Alii, ut Complutenses, *Suasit te de ore angusto*, id est, *Suasit te, ne incideres in os angustiæ*, aut, Suasit te, ut exires, videlicet opem implorādo, & manum illius, qui te posset extrahere. Sed multo consultius, illam alteram significationem *avertendi*, removendi, abstrahendi, elegit Interpres, & ut communiori, & clariori voce illuminaret, dixit, *Salvabit*; quod quidem fit, persuadendo veram pœnitentiā, abstrahēdo ab extremo vitæ, & animi discrimine, avertendo ab improbitate, exsuscitando a sordibus, in quibus improbus jacet, & incitando ad meliorem vitæ conditionem. Vides Vulgatum prælucere cæteris interpretibus.

Complutenses

Vulgati diligentia, & judicium.

Cajetan.

צר

De ore angusto, sive, *de ore angustiæ*, cōclusionis, obsidionis. Cajetanus legit, *De ore angustatoris*. & accipit, *Os*, pro lingua, id est, loquutione, & admonitione Dei, cū enim Deus loquitur per ærumnas, & dolores, videtur habere *os angustatoris*: sicut cum blandia, & dulcia loquitur, distillāt *illius labia mel*. Sed mirum, quod Hebræus ille apud Cajetanum, *os angustiæ*, ad sermonem retulerit, cum nihil sit magis familiare in Scripturis, quam tribuere angustiæ, morti, gladio, os & linguam, non quibus loquantur, sed quibus devorent, & absumant.

Cantic. 4.

Os tributum rebus inanimatis.

4

LXX.

Proxima est lectio Septuaginta, *De ore inimici*. Videntur enim sumere *angustiam*, pro hoste obsidente, & redigente in arctum, & angustum, idque ex proprietate vocis, quæ fere semper refertur ad hostilem impugnationem. *Os* igitur *inimici* erit ad devorandum, & dilacerandum. Sed quidem nunc nō erat de hostibus sermo.

Philipp.

Inferni os angustum, quo modo.

Philippus tamen existimat his verbis describi stationem inferorum, *Ideo autem appellari Os angustum, eo quod amplum sit ad recipiendum, & angustum ad emittendū: quoniam inferi mortuos intra se teneant, & eos ad vitam non patiantur exire*. Recte, sed allegoricum. Sicut, & tropologicum, quod Gregorius de *Puteo peccati*, & *pravæ consuetudinis*, cujus in gressus facilis est, exitus preangustus, & prædifficilis. cujus figura sunt *profunda* illa, de quibus *clamabat David*, exitum quærens, Ps. 129. 1.

Gregor.

Peccati, & pravæ consuetudinis os angustum.

5

Simplex interpretatio.

Sed illud simplex, & germanum, ut *Os angustiæ*, vel, *Os angustum*, sit ingens calamitas, velut vorago quædam, cujus os ingredientibus pateat, egredi volentibus angustissimum sit. *Os* enim loci alicujus, est aditus, seu ingressus. Sicut Proverb. 8. 3. *Sapientia clamitat juxta portas civitatis: in ipsis foribus*. Hebr. habetur: *Ad manum portarum, ad os civitatis*. Id est, ad locum, qui est juxta portas, & in ipso introitu urbis. Rursus describitur hoc loco *Angustia*, velut abyssus quædā malorum, in quā demersus homo neque *subsistere in miseriis*, neq; emergere possit, sed novis semper fluctibus eructantibus ex occultis scaturiginibus obvolvatur: sicut qui *enumeratione suarum calamitatum* (ut Theodoretus ait) *misericordiam commovere tentabat*, dicens, *Libera me ab his, qui oderunt me, & de profundis aquarum: non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suū*. non solum, inquam, precatur, ne os, & ingressus abyssi obturetur, ita ut præ angustia non possit egredi, sed etiam, ne abyssus suas scaturigines, quæ sunt velut ora, ita urgeat eructantibus aquis, ut undique jactetur, & obvolvatur fluctibus; aut ne ita obturentur scaturigines, ut aquæ non habeant, qua possint retrocedere, atque in suos fontes relabi. Hieronymus. *Nec coronet super me puteus os suum*. id est, Ne vorticibus, & fluctibus undequaque cingar instar coronæ, ut undiq; jacter. quod noster ille eleganter dixit:

Os pro ingressu.

Theodoret.

Psal. 68. 16.

Hieronym.

Ludovic. Crucius.

Ne glomeret tortos me super unda sinus.

6

Varia constructio.

Latissime. Tum in Hebræo, tum in Latino ambiguum est, cum quo nectenda sit ista *latitudo*. Quidā conjungunt cū verbo *salvandi*, salvabit te latissime, satis superque, salutē cōferet plurimā, certissimam,

istas tuas angustias cum latitudine, cum amplissima fortuna commutabit, *educet te in latitudinẽ, & salvum te faciet, quoniam volet te*, cum quo sensu facere videtur lectio Hebræa, quæ sic poterit construi, *Liberabit te de ore angustiæ, latitudo non angusta pro ea.* Ea enim vox *latitudinis*, frequẽter tribuitur terræ spatiosæ, & longe lateque patenti, in qua libere exultare liceat: sicut dictum est Exod.3.8. *Educã te de terra illa in terram bonam, & spatiosam.* hujusmodi enim *dilatatio* confertur, quasi bona fælicitatis pars, ut Devtero.33.20. *Benedictus in latitudine Gad.* ubi enim est ista *latitudo*, & liber quoquo versus incessus, nemine resistẽte, sed ipsis difficultatibus, cedẽtibus, & aditũ præbentibus, ibi amplissima est fortuna. Sic illud Ps.118.32. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* id est, cum libere, & pro voluntate agere mihi liceat, & cum molestissimis impedimẽtis, & difficultatibus me explicaveris. quę *dilatationis* jucũditas amplissima indicatur, Psal. 17. *Dilatasti gressus meos subtus me.* Angustiis itaq; semper respondet *dilatatio* sive *cordis*, sive *viæ* Genes.26.2. Psal.4. & 118.37. & 118.45. Isai. 60. 5.

[Marginal notes: Psal.17.20. — רחב — Latitudo, quid in Sacro sermone. — Benedictio, & latitudo Gad. — Dilatatio cordis, de ingenti lætitia.]

7 Ego vero suspicor hanc *latitudinem* tributam esse ipsi *angustiæ* a Vulgato Interprete: ita ut appellaverit *os angustum latissime.* Quid est autem *angustum latissime*, nisi quod maxime angustum est, aut quod sub angustia contineat aliquam amplitudinem spatiosissimam? Quare cum *Os* necessariam affinitatem habeat cum stomacho, *sicut angustiæ* tribuit *os angustum*, ita profecto eidem tribuit stomachum latissimum. Sicut Isaias similem cum pulchra quadam anthithesi angustiæ ad latitudinem, Stomachi amplitudinem tribuit inferno, & sepulchro 5.14. *Dilatavit infernus animam suam, & aperuit os suum absque ullo termino.* ubi quamvis *infernus* dicatur habere etiam *os latissimum*, & *absque ullo termino*, intelligi tamẽ oportet habere os latissimum ad devorandum, sed ad evomẽdũ angustum. Quare non solũ propter stomachi amplitudinẽ, verũ etiã propter rictum, & vastitatem oris, atque propter ingressum voraginis hujus, dicetur *os angustum latissime:* Sicut *via peccatorum* dicitur *lata* ad ingrediendum, sed tandem in eas angustias desinit, unde neque potest revocari gradus, neque omnino reperiri semita ad regrediendum. Sicut Scriptum est, *Iter impiorum peribit.* id est, amplius semita non comparebit, neque ullum itineris vestigium. Poterit igitur hæc impiorũ via appellari *lata angustissime.* E cõtrario vero *justorum semita*, quamvis arcta videatur, & pauci sint, *qui inveniant eã*, at desinit in latitudinẽ jucundissimã, & postquã quis in gressus est, *nõ arctantur illius gressus, neque currens habet offendiculum*, quare potest dici *via angusta latissime.* Vides igitur, quale sit immensæ illius abyssi, quæ hic describitur, *os angustum latissime.* nam cum facilis, & latus sit illius ingressus, & descensus, at ascensus arctissimus,

[Marginal notes: Verosimilior exponendi ratio. — Angustiæ os angustum, stomachus latissimus. — Via impiorum lata. — Matth.7.13. — Psal.1.6. — Matt.7.14. — Prov.18.7. — Iustorum semita angusta latissime.]

Noctes, atque dies patet atri janua Ditis,
Sed revocare gradum, superasque evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor est, pauci, quos æquus amavit
Iupiter, aut ardens evexit ad sidera virtus,
Diis geniti potuere - - - - - - - -

[Marginal note: Virg.6.Aenei.]

Hos enim salvat Deus *de ore angusto latissime*, id est, de angustiis minime angustis, sed latissimis, atque amplissimis. Qua etiam anthithesi dicitur Psal. 24. 18. *Tribulationes* (proprie, angustiæ) *cordis mei multiplicatæ sunt* (proprie, dilatatæ sunt. Sunt angustiæ latissimæ, amplissima vis faucium) *de necessitatibus* (Hieronymus proprie, *de angustiis*) *meis erue me.* quasi dicat, *Salva me de ore angusti latissimo.*

[Marginal note: Hieronym.]

8 *Et non habente fundamentum subter se.* Pars hæc in originali ut brevior, ita obscurior, & incertior, cum quo sit construẽda. Ex verbo legitur fere ab omnibus Hebraizantibus, *Non angustum pro ea.* ubi angustum est ab alia nova radice, videlicet, *Iatsak*, quod proprie est fundere aliquid fluẽs, & liquidũ. Sed quia quędã, quę funduntur, ut metalla, statim constringũtur, & coagulantur, significat etiam constringi, comprimi, & indurari. & quia quę indurantur, sunt firma, fixa, stabilia, ideo significat aliquid figere, aut constituere, & deponere firmiter, & immobiliter, 2. Reg. 15.24. unde supra c. 11. 14. dictum est ad Iob, *Eris stabilis* (quasi æs fusile, quod postquam per ignẽ probationis trãsiit, & fusum est, coagulatur, & compingitur, & constans permanet) *& non timebis.* Ergo *angustia*, quam hoc verbũ nunc affert, est compressio quædam, & quasi induratio, & stabilitas ex compressione, & compactione partium. Quare multo elegantius Hebraizantes legerent, pro non *angusto*, non compactum, aut, non compressum, vel quod inde sequitur, non stabile, non firmum, non induratum pro ea, atque ita minus in sensu aberrassent, nam quoniã *angustum* sumpserũt, pro eo quod proprie opponitur *lato*, interpretantur,

[Marginal notes: Varia lectio. — Tygur., Regia, Vatab. Caietan. — יצק — Iob.41.15. — Foster.]

Latini Interpretis defensio, & elucidatio.

Salvabit te de ore angusto in latitudinem, omnis angustiæ expertem, id est, in latitudinem spatiosissimam, & interminatã. Sed multo consultius Interpres, quoniam *angustum* est compactum, compressum, stabile, interpretatus est *fundamentum*. quâ etiam ratione inferius, cap. 36. versic. 38. *Quãdo fundabatur pulvis in terra*. quomodo fere legebant universi codices Vulgati. at nunc juxta primævã vocis originalis significationẽ correxit editio Vaticana, *Quãdo fundebatur terra*. eodem sensu. nã mãsit terra cõpacta, & cõstricta, quasi ex ære fusa, & conflata, firma, stabilis, cujusmodi esse solent fundamenta, & cujusmodi est terra, velut totius mundialis hujus machinæ fundamentum. Quare hic est nostræ sententiæ sensus; Extrahet te Deus ex immensa voragine, non habente fundum ullum, quæ cũ latissimos, & amplissimos habeat sinus, tum etiam profunditatem habet altissimam, in qua nihil est firmum, in quo subsistere possis, nulla substantia, in qua pedem figere, in quã si semel immergaris, numquã emerges; quæ nullum finem habebit, quamdiu non resipueris, non enim consistent tuæ ærumnę in ullo termino, nisi tuæ hypocrisi atque improbitati finem statueris, nam & vives usque cruciaberis, & mortuus per æternitatem.

Germanæ sententiæ collectio, & paraphrasis.

9 Varia lectio. Tygurina. LXX.

Et requies mensæ tuæ, &c. Iterum dissensio Hebraizantium sumentium hanc partem pro supplicio, cum allusione ad filiorum convivialem mẽsam cibis onustam, eversam in illa domus ruina. Tygurina; *Mensa tua referta pinguedine p[r]ostrata erit*. Septuaginta eodem sensu; *Descendit mensa tua*. q. d. Subsidit. Sed multo cohærentius, & germaniꝰ, ut ad salutis, & fælicitatis restitutionem pertineat. *Requies* forte a radice *Noahh*, quod est requiescere. Quod si forte a radice *Nahhath*, quod est descendere, erit leniter, molliter descendere, accubare, recumbere placide. Accũbes, inqnam, mensæ lautissimæ; & epulaberis quotidie splendide in incredibili bonorum omnium affluentia; post finem laborum excipiet te Deus convivio delicatissimo, jubebit *Lavare pedes, requiescere, comedere*. Illud minus congruit, quod alii dicunt, *Requies mensæ tuæ*, id est, *Quæ requiescent*, & reponentur super *mensam tuam*, nempe vasa, *erunt plena pinguedine*.

נוח נחת

Gen. 19. Pinguia, omnia bona.

Mensæ tuæ, Pagnin. Metonymiam dissolvit, *Mappam, vasaq; replebit pinguedine*; Sed non oportuit figuram clarissimam obscurari. *Pinguedine*, pinguibus, medullatis, delicatissimis, *In pinguedine terræ erit benedictio tua*, ut omnibus bonis, optimisque terræ fructibus perfruaris. Quæ pinguia sint, dulcia sunt, atque eadẽmet optime nutriunt. Sic cẽset Galenus, *Pingue ipsum dulce est, & quidquid nutrit, ex genere est dulcium: rursus hoc moderate calidũ, amicum, & jucundum*. quare idem alio loco scribens de causis doloris, & delectationis in uno quoq; sensu, ait, *Gustui gratissimos esse succos dulces, & pingues, atque corporis substantiæ maxime consentiẽtes*. rursus necesse esse, *ut qui naturaliter se habẽt, pinguibus delectentur*. Concinit Aristotel. *Quæ pinguia, & dulcia, & optima sunt, & gustui suavissima: eademq; omnia valide nutriunt*. Igitur pollicetur Eliu non solũ integram, perfectamque corporis, & naturæ constitutionem, sed etiam quæ ad voluptatem, & jucunditatẽ facere possunt. *Sic pinguedo* pro deliciis affluentibus, Ps. 35.9. Psal. 62.6. Isai 5.17. 3. Reg. 1.9. Tũ etiam pro ubertate, atque maturitate fructuum optimorum, Genes. 27. 28. 39. & Psal. 64. 12. *In stillicidiis ejus lætabitur germinans*. Paginus; *Cæli tui stillaverũt pinguedinem*. id est, pluviã matutinam, & serotinam, quibus fæliciter fructus proveniant, & ad maturitatem perducãtur. nã fructus maturi pingues sunt, & ut Galen. ait, maturescũt fructus *humiditate aquea indulcedinẽ; aerea vero transeunte in pinguedinẽ*. quare subjungitur, *Pinguescent* (maturescent) *speciosa deserti*. Igitur qui pinguedinem offert gustui, omnem suavitatẽ offert. Indicavit hoc Philippus, quamquã mistice exponat, *Paradisi jucunditatem, & immensam abundantiam beatæ vitæ, plenam ubertatis, & deliciis refertam*.

Pagnin.

Galen. 4. de simpl. med. fac. c. 10. & in 6. de morb. vulg. com. 5. 1. De symptom. caus. 6.

In 6. de morbo vulg. com. 5.

Arist. Sect. 21. Probl. 13.

Pinguedo pro delitiarum affluentia.

Pagninus.

Galen. lib. 4. de simp. med. facult. cap. 8.

Philipp.

XVII. *Causa tua, quasi impii judicata est: causam, judiciumq; recipies.*

1. *Sententiæ obscuritas, & varia lectio, Prima exponendi ratio.*
2. *Tres aliæ expositiones minus idoneæ.*
3. Iudicium, *&* implere judicium, *quid. Germanus explicatus.*
4. Recipere, *&* sustentare *quid. Illustrati Salomon, & Isaias.*

I Sententiæ difficultas, & lectio varia.

INgens est Interpretũ varietas nata ex obscuritate originalis, quæ etiã in Latinam lectionem redundavit; *Iudiciũ impii implevisti*. Quod potest primo accipi, ut nũc Eliu objiciat illi peccata, propter quæ salute, & pinguedine illa suavissima indignum se reddidit, videlicet; quod

judex, & magistratus cũ esset, suũ officiũ sancte, & incorrupte minime obivit, sed, ut impii judices solent, corrũpendo justitiã. in quem sensum adduci potest lectio Latina, ut *Causam suã* appellet, quã apud illũ judicẽ tractabat impi⁹ aliquis. *Causã* igitur *impii judicasse*, id est, *causam impio adjudicasse*. atq; hoc ipsum erit, *Implevisse judiciũ impii*, quod deerat impio Iuris, & æquitatis, judicem supplevisse gratia, & favore; accipiendo illius personã, & pro illo pronuntiando. Et huc fere pertinet, lectio, & interpretatio Cajet. *Officiũ impii implevisti*. q. d. Optimi, & incorrupti judicis officio defuisti, impii partes, & munus obiisti. Quãquã nesciã, cur ille Hebreus, *officiũ* potius, quã *judiciũ* dixerit, cõtra receptissimã vocis originalis significationẽ, de qua re mox plura. Huic vero sẽtẽtię recte cohærebit secunda pars. *Causam, judiciũq; recipies*, id est, pęnã injustitiæ sustinebis; quippe *judiciũ durissimũ his, qui præsunt fiet, & potẽtes potẽter tormẽta patiẽtur.* huc pertinet paraphrasis Algarbiensis.

Cajetan.

Sap. 6. 7.

Oforius.

2

Secunda expositio Vatabli.

Secundo Vatablus paulo subtilius; *Iudicio impii replevisti judiciũ, & justitiã, quæ replẽt omnia. id est, sequutus improborũ judiciũ, dixisti justitiã Dei, quæ omnia conservat, esse injustitiã.* Cũ quo etiã, invita licet, cõjungi potest lectio Latina; *Causa tua*, quã Deus judicat, dum te punit, *quasi impii judicis judicata est a te*. id est, Tu judicas tuam causam judicari a Deo tãquam ab impio judice; Respersisti illius purissimo, & candidissimo judicio iniquitatem; imples illius tribunal, quod per se justissimum est, injustitia. Cum Vatablo abit Stheucus. Hæc expositio difficilis est, parumque conveniens Hebræo, & Latino.

Eugubinus.

Tertia exponẽdi ratio Tygurinæ.

Tertia, quę ellicitur ex paraphras. Tygur. *Si impii judiciũ expleveris, justitia, & judiciũ retinebunt vigorẽ suum*, id est, Dũ impius fueris, & *judiciũ impii*. id est, scelera propter, quæ impii judicantur, & damnãtur, ad miseriæ, & iniquitatis mensurã cõpleveris, judicium justitiaque Divina nõ deponent vim, & severitatem suam, neq; mitescent. tunc igitur senties Deũ benigniorem, cũ meliora sectatus fueris. Admittet quoque sensum hũc lectio Latina; Dum *causa tua, quasi impii judicata* fuerit, *recipies* utiq; supplicium, quod *judiciũ*, justitiaque Divina in impios constituunt.

Quarta interpretatio.
Albertus.
D. Thom.
Dionys.
Titelman.

Quarta, Alberti, D. Tho. Nicolai, aliorumq; Latinorũ, ut respiciat Eliu ad id, quod supra dixerat, *Deus potentes non abjicit, sed non salvat impios, &c. Causa tua judicata*, damnataque est, non quod potens divesq; fueris, sed quod *impius*: itaq; ille solam impietatem supplicio afficit, suaq; sententia damnat, non opes, non potentiã. dignas igitur impietate dabis pœnas. Sed tum huic, tũ pręcedentibus interpretationibus commune est, ut *causam*, & *judicium* aliter sumant, quam originales voces postulare videntur.

Germanus sententiæ explicatus.

Ergo ille videtur simplex, & germanus explicatus, ut dicat Eliu Iobum sic *suam causam* apud Deũ egisse, atque dixisse, ut impii solent, cõplendo aures judicis iniquis querimoniis, impatiẽtia accepti supplicii, criminatione Divinæ Providentię, atq; justitiæ, nihil præterea eorũ omisisse, quæ impii solent facere, dũ corripiuntur a Deo: nã neque agnoscũt scelera neque æquo animo accipiũt supplicia. Atq; hoc quidẽ videtur, *implere judicium impii*. id est, jus suũ persequi, & suã causam agere iniquis rationibus, ex quibus sumatur argumentum verissimæ improbitatis, & manifeste prodatur improbus fuisse, qui improbe se defendit. Sensum hunc postulare videtur vox *judicii*, quæ non refertur hoc loco ad sententiã ferendã, aut ad pęnam inferẽdã, sed est ipsa actio, & prosequutio litis. quã Interpres elegãter dixit, * *Causam judicatã*, actam, & usq; ad opportunitatẽ sententiæ ferendæ deductã. vel *causam*, ut ita loquar, litigatam, *judicatã* ab ipso Iobo, & multis clamoribus, & defensionibus, ac testium, & accusationis infirmationibus peractam. Forte etiã quod in originali est *judiciũ*, Interpres dixit, *causam*: quod est *implere*, ipse vertit, * *Iudicata est*, ut causæ complementũ significaret, quod est sentẽtia pronuntiata, tũ ab ipso Deo, qui manifesto supplicio videbatur Iobũ dãnasse occultæ improbitatis, tũ ab ipsis amicis, qui pronũtiabant merito cruciari, quod impius fuisset, neq; melius corpore habiturum, nisi melior animo esset.

Iudicium, actio, & prosequutio litis.

* Aveislo pleitado, y bozeado, como los q̃ tienen mal pleito: y dado los descargos, que de vos se esperavan.

* El processo esta sustãciado como de quiẽ vos sois, y tal sera la sentencia, q̃ llevareis.

3

Varia lectio, & multiplex constructio.

Causam judiciumque recipies. Pro meritis tuæ causæ judicaberis, sententiam dignã accipies. In Hebræo non restringitur ad solum Iob, sed ad omnes impios extenditur; *Causam, judiciumque sustentabunt*. Tygurina: Intransitive, *causa, & judicium retinebũt*, sustentabunt, *vigorem suũ*; Quamdiu impius fueris. Cajetanus active; *Si ad cor redieris, officium Principis, quo fungeris, & jus, quod incorrupte dices, sustẽtabũt te, ne cadas.* Sapiẽter Interpres, quod erat pluraliter dictũ, ad Iobum retulit: nã, ut Philipp⁹. ait, *Sub pluralitate loquutionis videtur Eliu mordacioribus sanctũ Iob ferire sermonibus.* Tũ præterea elegãter, & Latine dixit Interpres, *recipies*. nam verbũ *Thamac*, est omnino idẽ, quod *sustinere*, aut sustẽtare,

Tygurina.

Cajetan.

Philipp.

תמך

quod vel fit apprehēdēdo aliquid, & sic significat *tenere*, vel apprehendere, Genes. 48. 17. Proverb. 3. 18. Proverb. 5. 22. Proverb. 31. 16. Amos, 1, 5. vel fit recipiēdo aliquid in se, & sustentādo illud, & sic significat *suscipere*, vel *recipere*, ut Isai. 42. 1. & cap. 41. 10. & Proverb. 11. 16. * *Mulier gratiosa inveniet gloriā*, (proprie recipiet, sustentat,) *& viri robusti habebunt divitias*, idē omnino verbū utriusq; partis, quare proprie; *Recipient, sustentabunt*, id est, gratiosæ, gratæ, & probæ Matri familias tribuitur honor; Patri autem familias res familiaris. vel, Mulieri incumbit honoris, viro autem procuratio facultatū; Præmiū probitatis fœminæ honor: viri autem laborantis, divitiæ. similiter Isai. 31. *Qui excutit manus suas ab omni munere*. in Hebræo proprie, *a recipiendo*. Nihil ergo elegātius, aut significantius dici potuit hoc loco, quam, *judiciū recipies*, perferes, sustinebis: hoc tua merces, hoc incūbet tibi. Si autē invertatur constructio, quod ex Hebræo licet, possumus sequi significationem illā *tenendi*; Causa, & judicium recipiēt te, cōstringent, apprehendent, non prius te dimittent, quā tu dimiseris impietatem,

*A cargo de la muger està el sustētar la hōra, y del marido la casa, y la hazienda. Vel, la buena muger de todos recibe hōra; y el que trabaja, de todo saca provecho

XVIII. *Non te ergo superet ira, ut aliquem opprimas: nec multitudo donorum inclinet te.*

1. *Sententia paraphrasis multiplex.*
2. *Ira a fervendo, & æstuando. Constructio multiplex.*
3. *Latini Interpretis diligentia, & judiciū. Ira, & Percussio active, an hoc loco idonee accipiatur.*
4. *Persuadere, decipere, vincere ab eadem radice cum analogia. Verba* hortandi *apud Hebræos complete sumpta. Illustrati Moyses, Samuel, Matthæus.*
5. *Acceptio personarum, & munerum.*

1 Sent. etiam elucidatio, & paraphrasis.

IAM Incipit Eliu traddere Iobo documenta bene vivendi, quibus superioris vitæ errata corrigātur, & se posit ad meliorē conditionem cōparare, quam si consequatur, sic in posterum instituit; Si cōtingat, ut in pristinam dignitatē restituaris, noli amplius peccare; neque sordida lucra & dona sectando, quibus te corrūpi sinas, neque subditos, & pauperes per vim opprimendo. Vel certe hortatur ad detestationē præteritorum scelerū; Vide in quas te miserias superbia, & injuria pauperum conjecerint, in quam egestatem, avaritia & donorū cupiditas. Ergo animo concipe ingens odiū adversus hujusmodi scelera, quandiu vita superstes fuerit; agnosce jam tandem verissimam causam tuarum ærumnarum.

2 Ira a fervēdo. חמה סית שפק Varia constructio.

Ira. Ex candescendentia, furor. Vox ab æstu, & fervore; fervet enim ira, & æstuat furor. *Non te superet*. prop. Non te cōmoveat, incitet, *ut aliquē opprimas*. in originale simplex vox, *in percussione, oppressione, complosione*. Ergo cum non exprimatur in Hebræo, cujus nā futura *sit ira*, aut cujus, vel adversus quem *percussio*, vel oppresio, alii referunt ad Deum; Thargum; R. Moyses, R. Levi, R. David, atq; Hebraizātes fere omnes, in hunc sensum; Ne ira Dei te male perdat. Atque eodem modo accepisse videntur Septuag. legentes; *Ira super impios erit, propter impietatē munerū*. Secunda vero pars *munerū*, sic accipitur ab Hebraizantibus, quod Divinam indignationē impius placare non poterit multo pretio, multisque donis oblatis; neque divitiæ declinare facient hominem a supplicio: Scriptū est enim; *Noli anxius esse in divitiis injustis, nō enim proderunt tibi in die obductionis* (indignationis, iræ) *& vindictæ*.

Thargum, & Hebræi.

Pagn. Cajeta. Vatabl. Isidorus, Eugubin.

LXX.

Eccles. 5. 10.

3 Latini interpretis diligentia, atque defensio.

Sed rem ipsam proculdubio tetigit noster Interpres, quorsum enim nunc diceret Eliu Iobo miserrimo, non posse fieri, ut vitā, salutemque suā multo pretio redimat. Tum quoniam verbū *superādi*, quod in Hebræo est incitare, aut cōmovere, nō potest pertinere ad iram alterius erga Iobum: valde enim improprie tū in Hebræo tum in Latino diceretur, ira Saulis incitat, aut stimulat Davidem, aut, ira Dei cōmovet hominē; quamvis enim Cajetanus percussionem, & iram Dei adversus Iob, explicet, *ad instar jumentorū, quæ incitantur ad ambulandum percussionibus*, sed tamen præterquā quod translatio hæc sit parum polita, certe is ipse incitatur, & cōmovetur ira, qui irascitur. quare si quis dicatur *incitare* aliū, significabitur non quidē irasci ille, qui incitat, sed ille, qui incitatur, exēpla aperta, Iob 2. 3. *Tu autem cōmovisti me* (ut instar irati me gererem) *adversus eū*. 1. Reg. 26. 19. *Si Dñs incitat te adversum me*: & 3. Reg. 21. 25. *Concitavit eū Iezabel*. Ergo cum ait Eliu, *Non te concitet ira*, perinde est, ac si diceret, Ne irasceris, neque furas adversus imbecilliores.

Cajetan. Percussio, & ira active.

4 Persuadere, decipere, vincere: ab eade radice.

Sed quam sapiēter dixit Interpres, *Ne te superet*, jam dicam. Verbum originale *superādi*, sæpe etiam vertitur, *suadere*, aut *persuadere*; tum præterea, *seducere*, *decipere*, cum quis alium vincit suasu & monitis, aut fraude aut alia quacumque ratione: ita ut non solum quis *concitet*, & *suadeat*, sed concitando, & suadendo vincat, & persuadeat. Exempla Deuteron. 13. 7.

Ioſue 5.18.2. Paralip.32.1 1.15. Quare verbum hoc debet ſumi complete, & perfecte, & cum victoria, non ſolum ut ſignificet incitationem, &, ut ita loquar, ſuggeſtionem, & tentationis, perſuaſioniſq; ſtimulos, ſed incitationem cum victoria, id eſt, cum efficacitate, & conſenſu ejus, qui incitatur, 2.Reg.24.31. *Commovit David dicentem, Vade, numera Iſrael, &c.* Id eſt, commovendo perſuaſit, & obtinuit, ut David diceret. Iob.2.4. *Commoviſti me adverſus eum.* obtinuiſti, quod petebas. *ut affligerem eum.* Et, ut ſemel dicam, verba apud Hebræos, quibus vel dehortamur, vel deprecamur, hac ratione, id eſt, cum complemento, & efficacitate ſignificationis accipi oportet. ut Geneſ. 15.1. *Noli timere.* & cap.16.24. & 35.17. Exod.14.13. & 20.20. & ubicumque hæc phraſis occurrit, id eſt, Ne ſinas te opprimi, & vinci a timore. Matth.6.13. *Ne nos inducas in tentationem.* id eſt, Ne ſinas nos vinci, & perſuaderi tentationibus, quamvis in illas inducamur. & ut alio loco dicit, *intremus*, ut ingreſsi in ſtadium, non ſuperemur. ſic exponentibus Auguſt. Gregor. Theoph. Ergo quod in Hebr. dicebatur, *Ne te incitet ira*; ſapienter illuminatum eſt, *ne te ſuperet.* qua dicendi formula uſus eſt quoque Paulus Rom.6.12. *Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore.* Vbi Chryſoſtomus pulchre obſervat, non dixiſſe; *ne Tyrannidem agat, quod ipſum neceſsitatis eſt; ſed ne regnet, ne voluntate noſtra a malitia poſsideamur.* Secus nunquam deerunt nobis pugnæ, atque impetus paſſionum, quibus repugnemus, *ne ſuperemur.* Sic vero pravi effectus, & concupiſcentiæ nos impugnant, ut incitent, ſuadeant, atque decipere conentur, & quod Iacobus dixit, *concupiscentia nos abſtrahat*, & illiciat: ſed enitendum, ne perſuadeat, neque obtineant. Imitabimur ergo juſtos illos, qui cum ſerpentibus colluctantes non ſuperabantur morſu, aut veneno, de quibus Scriptum eſt Sapientiæ. 16. *Filios tuos nec venenatorum vicerunt dentes.*

Verbum incitandi, & perſuadendi complete ſumptum.

Verba apud Hebræos hortandi, & dehortandi.

Matth 26.4. Aug. Epi 121. & lib. 2. de ſerm. Domini. Greg lib. 3. mor. cap. 3. Theoph. ſuper Matth. Chryſoſt. ſuper c. 6. hom. 11.

Iacob. 1. 14.

Vt aliquem opprimas. Dixi Hebr. eſſe ſimplex nomen, *in percuſsione*, vel, *in comploſione*, nam verbum *Saphak*, ſolet verti, *plaudere*, aut *complodere manu*, ut ſuperius, cap. 27.23. Sed videtur quidem propria radicis ſignificatio eſſe ſatisfacere, aut ſatagere, aut ſufficere. quam ſignificationem agnovit Vulgatus, 3. Regum. 20.10. quare nomen inde ductum, *ſufficientia*, aut *ſaturitas* vertitur, Iob.20.22. Vnde non male hic verteretur. *Ne te ſuperet ira in ſufficientia.* id eſt, ut quidam interpretantur, *ſufficienter*, quod ſatis eſt; & per extenuationem, valde, uſque ad exceſſum. ſed acute Latinus Interpres eam ſufficientiam retulit ad vires, & potentiam ſuperiorem infirmioribus. Quare quod obſcure dicebatur, *Ne te ſuperet ira, cum ſufficeris*, cum ſatis potens fueris, vel in *ſufficientia* tuarum virium, illuminavit dicens, *ut aliquem opprimas.* Quod Hebraizantibus etiam moroſiſsimis diſplicere non debet, niſi quibus optima non placent.

בְּסָפֶק

Regia.

Varia lectio.

Nec multitudo donorum. Mitto lectionem illam, *multitudo locorum*, quam in codicibus antiquioribus inveniri teſtatur Gregorius, quam etiam prolixe ille perſequitur. Vera enim, & germana eſt *donorum*. vox originalis propriæ ſignificat placationem aut propitiationem, id eſt id, quo quis redditur propitius, & placatus, id eſt, pretium, ſive preces. quia autem Eliu intendit inſtruere magiſtratum, & Principem. Interpres dixit *donum*, quo ſolent judices capi, & placari, imitatus quoque Septuaginta legentes, *Ira ſuper impios erit propter impietatem munerum, quæ accipiebant ſuper iniquitatibus.* Sed ſententia latius patet; Non te ſinas prece, aut pretio abduci ab æquo, & recto; non ad miniſtrabis jus ex avaritia, ſed ſincero, & candido animo. *Non accipies perſonam in judicio*; &, ut eadem voce dicitur num.35.14. *Non accipies pretium* (propitiationem, aut placationem, quo velut pretio dimittas liberum debitorem ſupplicii) *ab eo, qui reus eſt ſanguinis.* denique *neque multitudo precum*, quamvis ſemel, ac centies rogeris, *inclinet te*, faciat te declinare a vero, & recto. Ex hoc verbo dicitur, *Non declines ad dexteram, neque ad ſiniſtram.* Proverb.4.27. & dicitur de pravis judicibus, 1. Reg. 8.3. *Declinaverunt poſt avaritiam, acceperuntque munera, & perverterunt judicium.* Cum Interpres dixit, *inclinet*, tranſlationem duxit *a virga æquitatis*, & a regula juris rectiſsima, non Lesbia illa, quæ cedebat iis, quibus applicabatur, ſed quæ nemini cedat, neq; applicetur niſi æquo, & recto. Iudex, ſicut palma eſto, quæ non flectitur pondere, ſed nititur, & conſurgit in altum, & quo pluribus onuſtus precibus, & donis, conſtantior, & rectior ſit. imitetur ſane Narnienſem illum agrum, *qui imbribus ſiccior redditur*: non ſecus ille ad injuſtas preces ſeverior, & aridior.

Doctrina Principum, & Magiſtratuum.

LXX.

Inclinatio æquitatis per tranſlationem a virga juſtitiæ

Narnienſis agri mirabilis natura Plin. lib. 31. c. 4.

XIX. *Depone magnitudinem tuam abſque tribulatione, & omnes robuſtos fortitudine.*

1. *Sententiæ lucida Paraphraſis.*
2. *Varia lectio, & expoſitio. Permutatio tertiæ perſonæ cum ſecunda ad vehementiam.* Magnitudo, *quid proprie.* Magni, *fælices.*
3. Vinea, Vinum, Aurum, Munitio, *cur ab eadem radice.*
4. *Varia Tribulationis Interpretatio. Animi magnitudo in deſpicientia honorum, & patientia laborum.*
5. Robuſtus, *quis. Animi effectus potentiores. Iudex compreſſurus oppreſſores pauperum.*

1 Sententiæ paraphraſis.

PErgit tradere modeſtiæ præcepta, ut deinceps ſubmiſsius de ſe ſentiat; abjectius etiam de omni humano ſplẽdore, & Divitiarũ amplitudine; imbecillius de arcium munitiſsimarum, & humanarum virium fortitudine; tum quod harum rerum pretio non poſsit ille ſalutem emere, neque vitam redimere; tũ quod Deus non alliciatur his rebus, ſed pietate, & juſtitia. Paucis incluſimus Hebraizantium, atque Latinorũ longe diverſas interpretationes. Nunc explicandæ ſeorſum.

2 Secunda perſona ad vehementiam. Pſal. 14. 15.

De pone magnitudinem. Videtur Interpres, tũ vehemẽtiæ, tum claritatis gratia tertiam perſonam convertiſſe in ſecundã; proprie enim legitur, *Numquid æſtimabit* (Deus) *magnitudinem tuam?* q. d. *Ad nihilum deductus eſt in cõſpectu ejus malignus*, quantumvis potentiſsimus: nulla apud illũ magnitudo ſine ſanctitate. Inde igitur deſumitur præceptum ſalutare, Humana omnia, ac ſe ipſum contemnendi; Quem Deus non æſtimat, nec tu æſtima; Te reſpice, ac veriſsima tuæ improbitatis cognitione tibi ipſi vileſce; Abjice iſtum animi faſtum, cõprime tumorẽ; magnus quippe tibi ipſi videris, ſed inflatus es. Pro *magnitudine* eſt in originali vox a radice *Suagh*, incertę omnino, vel certe variæ admodũ ſignificationis: quidam vertunt *ſalutẽ*, vel *ſalubritatẽ*, ut ſit ſenſus; Num *æſtimabit ſalutem* (fælicitatem, opitulationẽ) *tuã abſque tribulatione*; q. d. Nõ te prius reſtituet Deus fælicitati, & ſaluti, quam tribulatione, & ſupplicio ſcelera expies: mereberis igitur Divinam opem patientia ęrumnarum. Alii; *Nũ æſtimabit divitias tuas?* Alii; *Clamorem.* q. d. Contẽnit certe Deus tuas iſtas querimonias, & inſolẽtes clamores. *Depone* igitur tãtã vocis, & querelarũ cõtentionẽ. Alii aliter. Sed certe vox originalis videtur ſignificare vel *ſalutẽ*, aut *ſalvationem*; vel opitulationẽ ad ſalutem; vel clamorem opis, & ſalutis cauſa; vel divitias, quæ multum ad ſalutẽ cõferunt; vel potentiam, & magnitudinẽ Principis, cũ qua ſolet eſſe ſalus, & fęlicitas conjuncta Ergo ex tãta hujus vocis amplitudine alii alia, Interpres *magnitudinem* elegit, ſicut, & Tygurina, *Amplitudinem*; & certe ſenſus redditur minus ſtrictus; *Magnitudo* enim ea omnia claudit, quæ ad fælicitatẽ faciunt. *Magnos* (inquit Seneca) *& fælices, & auguſtos diximus: ambitioſi Majeſtati, quidquid potuimus titulorũ, congeſsimus.* Ergo ait Eliu; Quidquid in tuis oculis amplum, & magnificum eſt, quidquid tuo judicio ſalutare videtur, *depone*, abjice, & illud tantũ in oculis tuis magnũ ſit, quod Deus magnifacit; pietatem exiſtima Principe, & magno viro dignam; non Tyrannidem, non violentiam, non opes; In his igitur deinceps non conſtituas ſalutis, & magnitudinis tuæ ſpem, ſed in ſola ſanctitate. Vide quam amplas, & quã magnificas ſententias afferat Eliu.

Magnifacienda pietas.

Magnitudo quid proprie. שוע

Pagnin. Regia Vatabl.

Tygurina.

Magni, id eſt, fælicitas.

בצר

3 *Abſque tribulatione.* Vnica iſta vox, *batſar* multis expoſitionibus anſam prębuit propter incertitudinem ſuæ radicis; Hebraizãtes fere omnes deducunt a radice, *batſar*, quod eſt *munire*: inde *munitio*, aut firmitas. Tum etiam *vindemia*, aut *vinea*, quod muniri ſoleat, ne diripiatur, & habet ſepem, *& turrim*; eadem quoque vox ſumitur ab Hebreis pro *auro*, quod ſit munitio, & *urbs fortitudinis*, vel quod indigeat cuſtodia, & munitione. Et, ut obiter dicam, ſi eadem vox *vineam*, aut *vinum*, & *aurũ* ſignificat, bone Deus tot ebrii, quot auri ſitiẽtes, & epotores! Ergo particulã hanc ſumunt Hebraizantes, ut ſit confirmatio ſuperioris; Non in auro, non in munitione, ſupple, erit tibi ſalus; nullis opibus, nullis viribus vitare poteris Divinam ultionem.

Prov. 10. 15. Vinum, vinea, & aurum, cur eodẽ nomine ſignificẽtur.

4 צור

Sed Interpres proculdubio deduxit vocem a radice *Tſur*, quod eſt, *anguſtiare*, vel *tribulare*. quod etiam cõmodum ſenſum habere poteſt. Primo, ut Philippus indicat, quaſi active; *Depone tumorem magnitudinis tuæ, ne iniqua potentia tua humiles, & infirmi tribulentur.* Alii Latini; Ante quam deterius tibi aliquid contingat, antequam graviori ſupplicio cogaris ſupercilium, & ſuperbiam deponere: non timore pœnæ ſed ſponte ſubmiſsionem animi amplectere, & pietatem cole. non ut ſervus in camo, & fræno, flagello, & virga; ſed ut filius, *abſque tribulatione*, abſque verbere. Vel; Nihil tibi durum, aut moleſtum videatur, ſed jucundũ potius, modeſtum te præbere coram Deo, coram hominibus: Non facit *tribulationem*, id eſt, *anguſtias* animi Pietas, patientia, ſubmiſsio animi, & contemptus humanæ ſuperbię, ſed potius latitudinem efficit, & magnanimitatem. *Decet* (inquit Seneca)

Philipp. D. Thom. Dionyſ. Nicol.

Sponte, & nõ coacte ſerviẽdum.

Voluptas humilii ſui contemptus.

Animi magnitudo in deſpicientia ſui ipſius.

Senec. lib. 1. de Clem. c. 5. *Magnanimitas quemlibet mortalē, etiam illū, infra quē nihil eſt. Quid enim majus, aut fortius, quam malam fortunā retundere? Magni animi propriū eſt, placidum eſſe, tranquillumque, & injurias, atque offenſiones ſemper deſpicere.* maximi autem animi ſe ipſum deſpicere. maximi, calamitates deſpicere. Iterum Seneca, *Calamitates, terroresq́, mortalium ſub jugum mittere, propriū magni viri eſt; magnus es vir; ſed unde ſcio, Si tibi fortuna non dat facultatem exhibendæ virtutis?*

Senec. lib. Cur bonis viris mala accidant.

Et omnes robuſtos fortitudine; Philippus duplicem adhibet expoſitionē; primam, quā indicavit D. Thom. *Depone omnes robuſtos*, id eſt, Dimitte, ne illis noceas tua fortitudine. id eſt; Neminem lædas, nec infirmū, nec potentē. Senſus hic coactus, & durus. Secundam indicat quoque Gregorius, *Omnes motus depone fortitudine ſuperbiæ roboratos.* q. d. Comprime affectus animi vehementiores, & violentiores, vel affectus potentiæ, violentiæ, Tyrannidis. Et fere eodē revocari poſſunt Hebraizantes, ſumentes ſubſtantivū nomē, quod eſt in originali, pro adjectivo Latino; Potētiam, robur, vires depone, deſpice, nihil contra Deum conare; non enim poteris, quāvis multa vi ſupplicium Divinū avertere. Quod Latini plerique ajunt, nunc proponi ab Eliu aliud præceptū bene adminiſtrandi Rempublicā, ut Potentiorū potentiā adverſus infirmiores coerceat; in illos enim potiſsimum debet virtus judicis incumbere, ut eos humiliet, & redigat ad cōmuniorem vitam, neque illorū perſonam accipiat; durum, inquā, hoc eſt, nec bene cohærens cum priori parte. Septuaginta cum ſequentibus conjungunt, ut mox videbimus.

Philipp. D. Thom. Gregor.

5 Animi paſſiones robuſtę quæ.

D. Thom. Nicolaus. Dionyſius. Titelman.

Iudex comprimens potentiores.

XX. *Ne protrahas nocte, ut aſcendant populi pro eis.*

1. *Sententia difficultas.*
2. *Tres priores expoſitiones minus idonea. Principi vigilandum. Tyrannus fidit nemini.*
3. *Dua alia expoſitiones non omnino ſimplices. Ex ſomnolentia Principis oppreſsio pauperum. Innocentia publico teſtimonio declaranda.*
4. *Dua expoſitiones non valde cohærentes. Non irritanda potentia. Aſcendere.*
5. *Vltima expoſitio idonea. Protrahere. Non invidendum alienæ felicitati.*

1 Sententię obſcuritas, & Interpretum diſſenſio.

PRæceptum item hoc eſſe bene vivēdi cēſent univerſi. Sed quod, qualeve ſit diſſentiunt; quippe eſt ſententia obſcuriſſima, & Latinus Interpres difficultatē aſſequutus, æque difficilem nobis ſententiā reddidit, ſicut invenit, locum ſpatiandi relinquēs expoſitoribus. Veroſimiliora, & meliora colligemus; eligemus optima.

2 Philipp.

Prima expoſitio Philippi; *Ne protrabas noctē* iſtius cæcitatis, & obſtinationis, in quā diu vixiſti; ſed ſtatim ad lucem ſanctitatis confuge; *ne aſcendant* in cœlū clamores *populorū*, quos oppreſsiſti, extremam de te vindictam repoſcentes. Videtur expoſitio allegorica. Secunda quorundā Latinorum; Ne differas *robuſtos*, & iniquos *deponere*, damnareque tua ſentētia, ne illi, ut ſupplicium declinare, & impedire poſſint, *populorū* opem invocent, *aſcendantq́*. Statim igitur ſume de impiis vindictam. Sic dicebat David optimi Principis partes obiens; *In matutino* (mature, cito, nō protrahebā juſtam impiorum ſententiā) *interficiebam omnes peccatores terræ; ut diſperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem*: Videtur hoc monitum præter rem, præterque neceſsitatem.

D. Thom. Dionyſ. Titel. Pſal. 100. 8. Pſal. 100. 8.

Tertia expoſitio.

Tertia, *Ne protrahas noctē*, neque dormias in utramque aurē ad multam diem, fidens *populis*, id eſt, excubitoribus, & ſatellitibus, qui te dormientē cuſtodiāt; ſed tu potius, ut Principē, & vigilem tui populi decet, vigila, ſatage, & tuæ ſalutis curam habeto; Principis enim eſt vigilare potius, & ſubditorum ſuorum ſomnū, & tranquillitatem ſua vigilia tueri. Hanc interpretationē deprōptā ex Hebręorū penu affert Eugubinus, valdeque laudat; utinam laude dignam. Nā quorſum nunc Eliu objiciat Iobo, quod populis fideret, aut populorū opem male ſecurus ſibi polliceretur? res adhuc a nemine amicorū indicata, neque objecta, nō prætereunda ſane, ſi hujus dormitabundæ oſcitātiæ illum inſimulare potuiſſent. Si vero præcipiat Principi, aut Regi, non debere ſe credere ſuis popularibus, ſed potius ab illis cavendū; Hoc quidē Tyrannorum præceptum eſt, quibus etiā ſui amici ſuſpecti ſunt: non Regis humaniſsimi, quem quia nemo timet, neminē quoque ipſe timere debet; Qui *arma* quidē *ornamenti cauſa habet*. Quodſi forte reſpiciat ad Kaldęos, & Sabæos vicinos, quibus nimiū fideret: certe hoc potius arguit illorum infidelitatē, & proditā amicitiā, quā ullā Iobi culpā viri optimi, & bene de omnib[9] exiſtimātis.

Eugubin. Principi vigilandum. Eugubinus. Tyrannorum præceptū; Nemini fidere. Sene. 1. de Clement. c. 14.

3 Expoſitio quarta.

Quarto, ut illum inſtruat diſciplina vigilandi, & cuſtodiendi civitatem, ac propter publicam rem nullo parcēdi labori; Ne ſtertendo, & deliciando, *noctē* ad multam diem *protrahas*, ne populares, præſertim opulentiores, & potentiores, ex Principis negligentia, & magiſtratus ſomno-

Ex ſomnolentia Principis, oppreſsio pauperum.

lentia putēt sibi impune licere opprimere pauperes, & *scandere* alienas domos; Si cut ille qui dicebat; *Moram facit Dominus meus venire, & cœpit percutere cōservos suos.* Quare qui oppresionem, & persequutionem patiebantur, somnū sui judicis caussantes, *excitabant eum*, dicentes; *Salva nos perimus.* & iterum, *Exurge, quare obdormis Domine?* hæc exponendi ratio laborat eo dem incommodo, quo præcedens.

Matth. 24. 48. *Psal. 43. 23.* *Marc. 4. 3. 4 Luc. 8. 23.*

Quinta expositio. Innocētia publico testimonio tuenda.

Quinto. Alio modo instruit quoq; judicē, ut innocentis *justitiam*, & veritatis, ac innocentiæ *Iudicium, educat quasi lumē*, & velut *meridiē*; ac publica sententia proferat in omnium conspectum; cum igitur innocentia in obscuro est, & in nocte calumniarum delitescit, præcipit, *Ne protrabas noctē*; sed celeriter tua sentētia innocentes tuere, ne multis injuriis vexatus populus, *pro robustis*, id est, propter potētiorum violentiam, ad te *ascēdant* vel expostulantes; vel adversum te excitentur indignantes. Hęc quoque D. Thomæ expositio arguta, & pulchra est, sed allegorica, &, ut videtur, præter rem.

4

Sexta expositio. LXX.

Sed jam ad veritatem propius. Sexta petenda est ex lectione Septuaginta, cōjungentium cum hac sentētia extremam partem versiculi præcedentis, *Omnes, qui tenent fortitudinem, noli extrahere per noctē, ut ascendāt populi pro eis; sed cura, ne facias indecentia.* Quo Græcus Scholiastes existimat doceri, *quamvis indignitatem vitari oportere, & juris æquitate erga omnes utendū*, in hanc sententiam; *Neq; eos, qui viribus valent, afficere debes injuria, ne forte noctu, & clam irrumpentes, hos quidē suis extrudant sedibus; pro illis autem alios substituant;* Sed quorsum nunc Eliu obtrudat pręceptum clementiæ erga potentiores, cum sæpe illi objiciant amici acceptionē personarum? An forte indicat Kaldęos, atq; Sabęos injuriis provocatos, irruptionem in Iobi res, atque agros fecisse? ergo Tyrannidem nō solū in subditos, sed etiā in vicinos, & alienos, objicere potuit Iobo.

Nicetas. Non irritāda potētia Principum.

Septima expositio.

Septima aliquanto simplicior; Ne noctu longe lateque infestes vicinos agros, neque irruptionē facias in alienos terminos, ut quibusdā suis sedibus pulsis, alios in locum illorū per vim, & iniquitatē reponas. Hoc videtur voluisse Symmachi lectio; *Nec cupias noctu supra ascēdere populos in locum eorū.* Et eodem referri poterit lectio Septuag. *Omnes, qui tenent fortitudinem, noli extrahere per noctē.* id est, Ne fueris dux multorum latronum, neque manu satellitum coacta cures ascendere, & irruere ad alienos terminos. Tum etiā, Ne efficias, *ut populi ascendant*, id est, tollātur excindantur, abeant, (nam quod ascēdit, & subducitur ab oculis, tollitur de medio, & perire videtur) *pro eis*, vel pro se, quod videtur redundare. id est, ne pereāt ipsi, oppressi a robustis.

Symmach. *LXX.*

Ascēdere. pro abire. & auferri. Pleonasmos.

5

Vatab Pagni. in Thesaur. Cajet. Isidor.

Octava fere Hebræorū, & Hebraizantium omniū post R. Abraham Perusol; *Tēpore nocturno, quando mens tua vacua est curis, noli meditari, quo modo gentes aliquæ, & populi perierint, alii vero non.* ne ducas noctē insomnem, cur quædā Gentes in alia rum sedes cōmigrarunt: nam hæc cogitatio potius relinquenda est Divinę Providentię. Sed quorsum hac de re nūc Iobus ab Eliu monendus? cum potius ipse Iob semper contenderit suarū ærumnarum, atque multarū calamitatū causam, in occultam Providentiā referri debere, nō in certa scelera, ut amici contendebant. Tū præterea, quoniam non lædit, imo juvat pietatem, si noctē in ea Divinæ Providētiæ consideratione traducas, quare Deus populos quosdā everterit, *& ab illis abstulerit regnū, & gētē, & locū*: alii vero in *labores, & possessiones aliorū introierint.* nimirū quibusdā *traddidit Deus labores gētium, & labores populorū possēderunt, ut custodiant justificationes ejus, & legē ejus requirant.* Rursus quibusdam *ablatum est Regnum Dei, & datum est genti facienti fructus.*

Præcedens expositio male cohærens.

2. Mach. 5. 19. Ioan. 4. 38. Psal. 104. 44. Matth. 21. 43.

Vltima expositio.

In nona tandē explicatione consistendum, ut vel ab ambitione, & libidine dominandi in multos populos, vel ab invidētia alienæ fęlicitatis Iobum deterreat. Et ponēda primum est proprietas verbi *protrahendi, Saaph*, quod proprię significat, *attrahere aerem*, vel anhelare; & inde *desiderare, & æstuare* præ desiderio; quia tunc anhelamus, Iob. 7. 2. *Servus desiderat* (anhelat) *ad umbram.* & similiter cū desiderio conjungitur Ierem. 2. 23. *Onager in desiderio animæ suæ attraxit ventum amoris sui.* Hoc ergo loco *protrahere noctē*, erit, desiderare nocte, aut noctem ducere anhelādo, & desiderando. aut certe ipsam noctē desiderādo, ut adveniat, trahere, & attrahere desiderio, & spiritu. Ergo sensus erit; *Ne nocte desideres ascēdere populos*; id est, dominari populis liberis. *pro eis*, id est, *in loco ipsorū*, ut legunt R. Levi, & R. Abraham; forte enim vicini Reguli sedederāt Iobo; nā supra diximus fuisse Regem Regū. Vel, Ne tibi somnū nocturnū eripiat, neque in cubili tuo te discruciet desiderū, & invidentia alienæ fęlicitatis, cū videris alios *populos ascendere*, & incrementū capere in suo loco. Id quod elucidavit Paraphrasis Tygurina; *Ne anheles noctu*,

Protrahere, quid proprie. שאף

R. Levi, & R. Abrah.

Tygurina.

cum

R. David.

cum populi ſua in ſede permanentes incremen-ta capiunt. Rab. David dixit, *Anhelare noctem*, eſſe, noctem trahere *deſiderando, expectando mane*; non ſat aſſequor, niſi ad illud alludat, quod ipſe Iobus dixerat cap. 24. 14. *Mane primo conſurgit homicida, interficit egenum, & pauperem: per noctẽ vero, erit quaſi fur.* In re incerta, & obſcura, nihil certi habeo, quod afferre amplius poſsim: Ab eo, qui afferat, accipiã gratus.

☞ XXI. *Cave, ne declines ad iniquitatem: hanc enim cœpiſti ſequi poſt miſeriam.*

1. *Varia expoſitio.* Iniquitas *quid proprie.*
2. Incipere *affert ſtudium, & voluntatis affectũ.* *Fœmininum pro neutro.*
3. *Inopia quid prop. Particula* Poſt, *pro,* Inſuper.

1 EXhortationem, & inſtitutionem Iobi hac clauſula abſolvit: *Cave,* diligenter obſerva, & te cuſtodi. *Ne declines.* Proprie, ne aſpicias, ne faciem convertas, ne pergas adhuc, *ad iniquitatem.* Vatablus reſtringit ad id, *Quod illum inducere poſsit, ut dicat Deũ aliquid injuſte egiſſe.* quaſi dicat; Vt iniquitatem affingas Deo. Philippus, *Ad deſperationem, & blaſphemiam.* Tygur. *Ad res nihili, quibus conetur Iob ſe ex miſeriis extricare.* Sed quidem nomẽ originale iniquitatis, commune eſt ad omnẽ iniquitatem, cujus comes fuerit dolor, & afflictio. Ego in communi accipio; Ne uſque adhæreas priſtinæ vitæ ſceleribus. Neque obſtat id, quod ſequitur,

Vatabl.

Philipp.

Tygurina.

Iniquitas quid proprie.

2 *Hanc enim cœpiſti ſequi.* Proprie. Hanc elegiſti, quam nunc denuo ſequereris. Eleganter Philippus; *Sequi voluiſti.* Illud enim *incipere*, eſt adhuc velle, & perſequi, quaſi novo ſtudio. *Poſt miſeriam.* Recte, quod in Hebræo eſt, *Præ paupertate*, & inopia. aut, *propter afflictionem*, & abjectionem. Hæc enim omnia afferũtur nomine *paupertatis.* Sed illud pronomen, *hanc*, ambiguũ eſt: nã nõ ſolum in Hebræo eſt cõmunis generis; ſed Latine etiam, quoniã Hebræi neutro carent, licebit pro neutro accipere: q. d. *hoc.* vel *ſuper hoc*, Septuag. *Super his elegiſti ab inopia.* Ergo ſi referatur *ad declinandam iniquitatem*, ut Græcus Scholiaſtes accipit, *Super his, id eſt, ab ea cõſuetudine, quæ indigna ſunt, faciendi*; ſenſus erit, quaſi conditionatus; Noli amplius peccare; *quia*, Si, ſi forte ſtatuiſti pœnitẽtia ſalutari liberari ab inopia, & miſeria, quę te premit. Sic illud *cœpiſti*, aut *elegiſti*, ad novæ vitæ inſtitutionem referetur.

Philipp.

Incipere, affert ſtudium, & voluntatẽ.

עני

Fœmininũ pro neutro.

LXX.

Nicetas.

3 Sed præſtat cum Interprete Latino, & frequente cæterorum expoſitione, *ad iniquitatem* referre; *hanc enim*, certe, ſuaſit tibi *inopia*; non quidem ut Vatablus dixit, *hoc accidit tibi ex tenuitate ingenii tui*, & inopia mentis, atque conſilii; (nam vix ea ſignificatio cadere poteſt in vocem originalem) ſed; *Miſeriæ* impatientia te adhuc non ſinit bene de Deo, & ejus Providentia, male de priſtina tua vita, moribuſque ſentire; nondum flagella tibi effecerunt meliorem mentem; ſupplicio miſer, obſtinatione miſerior, nam miſerrimum eſt tũ animo, tum corpore miſerum eſſe, & ſuppliciis ingentibus ingentia quoque ſcelera denuo accumulare. quare illud, *poſt*, idem erit, quod, *ſuper*, ut vertunt Septuaginta. aut, *inſuper.* nam etiã particula originalis eam vim habet. Diceremus nos; *Peccador ſobre miſerable.*

Latini interpretis præſtãtia.

Inopia varie accepta.

Particula, Poſt, pro, Inſuper.

☞ XXII. *Ecce Deus excelſus in fortitudine ſua, & nullus ei ſimilis in Legiſlatoribus.*

1. *Ex commendatione Divinæ Potẽtiæ; atq; Sapientiæ, ſpes injecta homini, Illuſtratus Iſaias.*
2. Excelſus *active*, & Elevatio, Inſurgere. *Illuſtratus Moyſes, & David.*
3. *Dei arx, refugium juſtorum. Illuſtratus Iſaias.*
4. *Divinæ legis perfectio, utilitas, æquitas allectũt ad obſervationem.*

1 PLerique exiſtimãt, hinc exordiri Eliu novum orationis genus, quo probet ſummam Dei Potentiã, & æquitatem nõ eſſe curioſius ab homine ſcrutãdam. Sed ex fine capitis proculdubio ego colligo hac Divinæ Potentiæ, & Sapientiæ commendatione conari Eliu, erigere Iobum ad meliora ſperãda, ſi ſuis monitis ad reſipiſcendum audiens ſit. *Ecce*, aderit tibi ſtatim Deus. Quamvis enim ille te fortiter afflixerit propter legis tranſgreſsionem, non minus tamen eſt potens ad reſarcienda omnia damna, ſi deinceps legis Divinæ ſtudioſum te præbueris. Similis profecto locus, ac parallelus propemodum Iſai. 30. 18. *Propterea* (quamvis vos afflixerit, & hoſti permiſerit) *expectat Dominus*, (anhelat, ſuſpirat, ardẽtiſsime deſiderat) *ut miſereatur veſtri* (ideo enim permittit vos laboribus frangi, ut vel laboribus fracti non reddatis vos indignos illius miſericordia) *Ideo exaltabitur parcens vobis* (nimirum tã *excelſus eſt in fortitudine ſua* ad ſalvandũ, & parcendũ, ſicut ad puniendũ) *quia Deus judicii Dominus* (æquiſſimus eſt, impœnitentes cruciat, expectat

Divinæ Potentiæ, & Sapientiæ commẽdatio facit ſpẽ.

Deus oſtendens potentiã parcendo.

ſceleris pœnitentes, recipit, ſanat) *beati omnes qui exſpectant eum.* utinam tam præſto nos meliora ſapiamus, atque ad illius opem anhelemus, quā ille nobis paratiſſimus conferet. Ergo ait Eliu. Ecce Deus æquiſsimus paratus eſt te his malis ſolvere, ſi tuis ſceleribus abſolvi velis; expectat ille, & anhelat; utinam tu, quod tui officii eſt, agnoſcas jam tandē, veliſque.

LXX.

Deus, El; Septuaginta, *Fortis;* potēs eſt omnes morbi incurabilis, & ſtatus perditiſsimi difficultates ſuperare. *Excelſus.* nō ſolum ipſe ſupra omnem mortaliū miſeriæ conditionem exaltatus, ſed active, erigēs, & exaltans, & intuto collocans ſupra omnem hoſtiū, malorumque vim. Sic ab hac radice dicitur Devt. 2. 36. *Non fuit civitas, quæ noſtras effugeret manus:* Propr. ex Hebræo, *Non fuit civitas, quæ exaltaſſet ſe a nobis.* Pſal. 19. 1. *Protegat* (ſublevet, exaltet) *te Deus Iacob.* & Pſal. 58. *Ab inſurgentibus in me* (ut ſuperiores me ſint) *libera* (exalta, cōſtitue ſuperiorem) *me.* Sic Deus nunc dicitur *Excelſus,* tum quod ipſe omni malo ſuperior ſit, tum quod poſſit ipſe hominem evehere ad ſtatum ſuperiorem omnibus malis; ſicut Scriptū eſt, *Qui ſperat in Domino, ſublevabitur.* & iterum. *Factus eſt Dominus refugium* (Hieronymus, *Elevatio*) *pauperi.* Sic profecto Septuag. acceperunt hunc locum; *Ecce fortis roborabit.* quod quamvis Scholiaſtes Græcus accipiat quaſi intranſitive, ut Deus roboret quaſi ſe ſe, id eſt, *Magna vi efficiat univerſa,* at tranſitive accipio, Roborat alios, & infirmos ſua ipſe fortitudine confirmat. S. Auguſtin. legit; *Deus confortabitur.* Ex eo igitur, quod Deus, & fortis ſit, & omnis miſeriæ immunis, pollicetur Iobo Eliu fore, ut illum a miſeriis evehat Deus. Sicut dicebat David Pſalm. 58. 10. *Fortitudinem meam ad te cuſtodiā,* (Scio nihil eſſe in me virium; quodſi quę ſunt, tibi acceptas refero, qui es omnis fortitudinis fons, & principium: *meā fortitudinem,* potius infirmitatē, in te conjiciā, ut illam tu pro tuo munere perficias, & cōfirmes) *quia Deus* (fortis, ſuſceptor) *meus* (Hieronymus *Exaltatio mea*) *es tu* (in quo tuto habitabo) ideo ſubjungit.

Excelſus active, & paſsive.

שגב

Proverb. 29.
Pſal. 9. 10.
Hieronym.

LXX.
Nicetas.

Auguſt.

Ex Dei fortitudine, & Beatitudine, ſpes miſeris.

Hieronym.

3

Fortitudo pro arce.

כוח

In fortitudine ſua. Tanquā in arce munitiſsima. Sicut Scriptum eſt Iſai. 33. 15. *Qui ambulat in juſtitiis, & loquitur veritatem; qui projicit avaritiā ex calumnia, & excutit manus ſuas ab omni munere; qui obturat aures ſuas, ne audiat ſanguinem, & claudit oculos ſuos, ne videat malum,* (hæc enim vera ſumma eſt ſcelerum, quæ amici objiciunt Iobo. Sequitur ſtatim promiſsio Dei Excelſi in fortitudine ſua) *Iſte in excelſis habitabit: munimenta ſaxorum ſublimitas ejus, panis ei datus eſt, aquæ ejus ſublimes ſunt. Regem in decore ſuo videbunt oculi ejus.* id eſt, particeps erit Divinæ fælicitatis atque conſors tecti, & menſæ. Sed ad vocem originalem potius pertinet, ut *fortitudo* ſit potentia, & virtus Dei potentiſsimi, cujus non eſt *abbreviata manus, ut ſalvare poſſit;* poterit igitur *mittere manum ſuam de alto,* & *extento brachio* pertingere uſque ad fundum altiſsimum ærumnarū. hoc etiam capere poteſt lectio Septuag. *Ecce fortis roborabit* (ſe) *in fortitudine ſua,* & in te liberando potentiæ ſuę præbebit documenta certiſsima. Nihil enim eſt in Deo eximium, atque Divinum, quod tibi ſi illius ſanctitatem imiteris, non ſit futurum ſalutare.

Iſai. 59. 1.
Pſal. 143. 9.

4

Divinæ Legis cōmoditates.

ירה

Et nullus ei ſimilis in Legiſlatoribus. Vel inter doctores; vel, Nemo, ſicut ille, docet, pręcipit, inſtruit hominē. nam ut ſupra diximus, verbum *Iarah,* cōmune eſt ad pluviam, & ad doctrinam, vel legē, qua perfunditur, & excolitur animus ad fructus bonorum operū. Vatablus exiſtimat hāc partem connecti cum præcedente; quod inter *Excelſos,* & *Fortes* nemo tā benignus, ut pote qui de aliorum ſalute ſollicitus ſit, *& doceat nos vitare pericula, ne pereamus,* Sed amplior, & illuſtrior ſentētia, ut nūc proponat Iobo omnes Divinæ Doctrinæ, atque legis commoditates, quibus conatur illius animum emollire ad reſipiſcentiam; Nemo, inquit, Legiſlator tam juſtus; agnoſce igitur æquitatem Divinæ vindictæ atque ſui ſupplicii, & illius *virgam juſtitiæ, & æquitatis ſupplex exoſculare.* Nemo tam ſapiens, ut de hominibus cōſtituat, quid in quaque Republica facto opus ſit; tuæ igitur miſerrimæ conditionis cauſam apud illum depone. Nemo tā ſalutaribus præceptis hominem inſtituit, *eſt enim Deus docens nos utilia:* huic igitur doctori te erudiendum tradde; *noli tu altum ſapere,* neque ex tuo cerebro vitam tuam moderari. Nemo tam æquus, tamque mitis in ferendis, atq; exigendis legibus; non enim invenire cupit ille ſcelera, quæ puniat, ſed egregia opera, quæ præmio afficiat; perge igitur vitam in melius commutare. Nemo tam patiens, tamque benignus admonitor, *multifariam* enim *multiſq; modis nobis loquitur;* non *iraſcitur,* ſed potius admonet *per ſingulos dies.* Denique nemo tam dives maximorum præmiorum, quibus cumulet ſuarum legū obſervatores. Omni igitur via atque ratione te ille ad ſanctitatem invitat, atque

Vatabl.
Iſai 58. 17.
Divinæ Legis perfectio, & æquitas.
Eſth. 5. 2.
Iſai. 48. 17.
Rom. 11. 20.
Hebr. 1. 1.
Pſal. 7. 12.

ſimi-

ſimili profectò ratione omnibus vitæ cõmoditatibus propoſitis Divinæ legis obſervationem commẽdavit nobis David Pſalm. 118. qua Eliu commendat Iobo ipſum Deum *Legiſlatorem*.

XXIII. Quis poterit ſcrutari vias ejus? aut quis poterit, ei dicere, Operatus es iniquitatem?

1. Suprema Dei æquitatis, & juſtitiæ periphraſis. Iudex ſuperior diſcutiens acta inferioris. Scrutari.
2. Regia majeſtatis circumloquutio.

1 Supremæ Dei æquitatis, periphraſis.

EXplicat minutatim Eliu, ſupremi *Legiſlatoris* majeſtatem; nunc vero incomprehenſam illius æquitatem. *Quis poterit ſcrutari?* ſimiliter Septuaginta. *Quis eſt, qui diſcutiat opera ejus?* quod Græci ad Divinę Providentiæ cõſilia referunt. Sed quidem illud *ſcrutari*, vel *diſcutere*, pertinet ad judicem ſuperiorem: nam in Hebræo proprie legimus, *Quis viſitabit ſuper illo?* id eſt, quis illius opera, aut judicia in judiciũ vocare poterit, & quæ ille ſua ſententia ſemel ſtatuit, quacumque ratione aut juris moderatione corrigere? id eſt, quis illo major, quis incorruptior judex?

פקד

Iudex ſuperior diſcutiẽs, & viſitans inferiorẽ.

2 Cohæret ſecunda pars, *Quis poteſt ei dicere, Operatus es iniquitatem?* id eſt, Quis illius ſententię, & judicio affingere poterit injuſtitiam? vel, ut ex utraque parte una integra conſurgat ſentẽtia, quis poſt longam Divinorum operum examinationem aliquid minus æquum invenire poſſit, quod illi objiciat? Res ſæpe prolata in hoc libro ad Divinæ Potentiæ, Sapiẽtiæque commendationem. Ex quo etiam regiam poteſtatem deſcripſit ille: *Cujus iræ nihil obſtat, cujus graviori ſententiæ ipſi, qui pereunt, aſſentiant; quem nemo interrogaturus eſt: imo ſi vehementius exaudivit, neque deprecaturus quidem.* Vide ſuperius c. 22. verſic. 4. & cap. 23. verſic. 13. & cap. 8. verſic. 3. & cap. 9. verſic. 12. 13. 19. & cap. 11. 10. 92. c. 15. 3. & ubicumque diſſeritur vel a Iobo, vel ab amicis de Divina Sapientia, Potentia, AEquitate.

Regiæ majeſtatis circumloquutio.
Senec. lib. 1 de Clement. c. 5.

XXIIII. Memento, quod ignores opus ejus, de quo cecinerunt viri.

1. Hebraizantium diſſenſio. Nexus, & ſententia germana. Ex confeßione noſtræ ignorantiæ, Deo, & Divinis operibus laus. Illuſtratus Salomon.
2. Opus, *peculiariter de Creatione dictum*
3. Varia lectio. Intuendi, & cauendi, *quæ analogia. Liber creaturarum diſtinctus notis Muſicis invitans ad hominem canendum.*
4. Priſci Poetæ quo ſæculo floruerint.
5. Viri *appellatio de imbecillo, & ignobili. Deũ eſſe per ſe notum.*

1 Diſſenſio Hebraizantium.

IN Illo *ignorandi* verbo hærent Hebraizantes omnes, ſequuti Septuaginta; nã vocem originalem putant reducẽdam ad radicem *çagab*, quod eſt, evehere, aut magnificare; aut ad radicem, *çaga*, quod eſt augere, & creſcere. Quare legunt, *Memẽto, ut magnifices, amplifices opera Dei.* Septuaginta. *Memẽto quia magna ſunt opera ejus.* At vero Vulgatus forte propter codicem alium correctiorem, deducendam exiſtimavit a radice, *Cagag*, quid eſt *ignorare*, aut *errare* per ignorantiam. Quare vertit, *Memento, quod ignores.* Sed quamvis verba longe diverſa; ſenſus utriusque lectionis affines ſunt, & in rem præſentem opportuni. Poſtquam enim dixit, *Vias Dei non eſſe a nobis ſcrutandas*, nunc ſubjungat, illud certũ eſſe, Dei vias eſſe æquiſsimas; & qui poſt Divinorum operum conſiderationem illis affingit aliquid injuſtitiæ, iniquitatisve, illa utique non ſolum non conſideravit, ſed neque leviter agnovit, imo ignorat prorſus. Ergo, o Iob (inquit Eliu) ſcito te Divinorum operum rationes ignorare, cum illorum æquitatem ab univerſis mortalibus decantatã tu ſolus accuſas; cum de tuis ærumnis, atque ſuppliciis aliter cenſes, quam poſtulet ratio Divini operis; quod qualecumque tandem ſit, cum ingenti animi reverentia, & ſubmiſsione excipiendum eſt. Convenit cum hoc illa altera lectio, *Memento, quod amplifices, extollas Divina opera* verbis, &, quod in te eſt, magnifice, & præclare de illis ſentias; nam ſi aliter loquaris, cẽſeasve, errabis utique per ſupinam quandam rei clariſsimæ, atque notiſsimæ ignorantiam. Ac jã nunc facile mihi ſuadeo, Interpretem inveniſſe, atque legiſſe radicẽ, *Caga*, quæ ad *magnitudinem* pertinet. ſed elegãter per *ignorantiã* reddidiſſe, ut totius orationis nexum, atque ſententiam, quãta maxima poſſet perſpicuitate nobis proponeret; Quod nemo poſsit vias Dei *ſcrutari*, nemo illius operum magnitudinem ſatis ponderare, atque examinare nemo illius judiciorum æquitatem clare perſpicere, hoc non eſt tribuendum illius injuſtitiæ, aut vitio operum, ſed noſtræ ignorantiæ. *Ignoramus* enim, id eſt, perfecte non poſſumus aſſequi illius opera. Rurſus voluit Interpres rem hanc ipſam

שגג
שגא
LXX.
Pagn. Cajeta. Vatab. Tyg. Reg.
Vulgatus.
שגב

Nexus, & ſentẽtia germana

שגא

Familiare Scripturis ex manifeſtis Dei redarguere ignorãtiam humanã.

confirmare argumẽto quodam ſacris litteris familiari ad retundendam temeritatem, & audaciam humanę mentis; Quid mirum, nõ poſſe a te diſcuti Divinę Providentiæ arcana, cum alia externa, & manifeſtiora Dei opera plane ignores? ſimile id argumentum, Eccleſ. 11.5. *Quomodo ignoras, quæ ſit via ſpiritus, & quomodo compingantur oſſa in ventre prægnantis, ſic neſcis opera Dei, qui fabricator eſt omnium.* & illud illud Sap. 9.16. *Difficile æſtimamus, quæ in terra ſunt, & quæ in proſpectu ſunt, invenimus cum labore; quæ autem in cælis ſunt, quis inveſtigabit?* Ergo ad hominem tentantẽ *ſcrutari vias Dei*, & diſcutere illius Providentiã, opportune dicetur, *Memento, quod ignores opus ejus.* tum etiam, *Memẽto, quod magnifices*, id eſt, magnitudinem, & celſitudinem Divinorum operum, multo tua intelligentia ſuperiorẽ agnoſcas, & prædices; nam ingens magnificatio Divinorũ operũ confeſsio noſtræ ignorantię eſt, & illius *Hymnus*, & *laus* noſtrum infantile *ſilentium*.

Ignorantia humana, & ſilentium, Dei commendatio.

2 *Opus ejus.* Creationis opera intelligũt Græci; *Quæ* (inquiunt) *ſunt mirabilia, quãvis conſuetudinis vitio videantur minora.* Et vox *operis*, ad Creationem refertur; eſt enim proprie id, quod quaſi labore manuũ efficitur cum moleſtia quadam, & defatigatione. de quo diximus, cap. 10. ſuper id, *Manus tuæ fecerunt me.* atque ita Meteora, & alia naturæ opera minutatim enumerantur. Sed ut ſententia minus ſtricta ſit, licebit etiam *operis* nomine intelligere, quidquid in opere Creationis relucet, Sapientiã, Providentiam, Aequitatẽ, & contemperatiouem rerum inter ſe diſſidentium.

Opus, de Creatione dictum.

פעל

Nicetas.

3 *De quo.* Ambiguum in Hebræo, ſicut in Latino, quod ſit antecedens hujus relativi. Auguſtinus ad Deum refert, *Quem laudaverunt viri.* eodemque modo Greg. & alii Latini. Sed cohæret profecto cum ipſo *opere*, ut etiam ſua lectione expreſſerunt Septuaginta. *Cecinerunt.* Varia omnino apud alios lectio. Septuaginta. *Magna opera ejus, quarum dominati ſunt viri.* id eſt, exponente Niceta; *Quorum dominatus, & imperiũ demãdatum eſt hominibus, quibus dictum eſt, Dominamini, piſcibus maris, &c.* Alii Hebraizantes, *Intuiti ſunt*, aut *contemplati ſunt viri.* Diverſitas nata eſt ex originali verbo *ſur*, quod cum puncto dextro in *ſin*, ſignificat *canere*, aut *intueri*; id eſt, recta intendere; ſive vocem canendo, ſimulque inſpiciendo in librũ rei, quę canitur; aut ſimpliciter oculos dirigẽdo, & figendo ad rem contemplandam. unde noſter dixit *cecinerunt*; at vero Hebraizãtes, *intuiti ſunt*. Si vero ſcribatur per *Sin*, cum puncto ſiniſtro, ſignificat *dominari*, ſive *dominium exercere*, unde ſuam lectioné hauſerunt Septuagin. Et quidem elegans eſt, ac virtute continet illam aliã Hebraizantium *intuendi*, aut *contemplandi*, ſignificat enim mortales ex conſpectu, & contemplatione creaturarũ ſtatim in divinas laudes cantãdas prorrupiſſe. Sicut Iſaias dixit cap. 40.26. *Levate in excelſum oculos veſtros, & videte, quis creavit hæc; qui educit in numero militiam eorum, & omnes ex nomine vocat præ multitudine fortitudinis, & roboris, virtutiſque ejus.* Non aliter Paulus Rom. 1.21. ait Deum manifeſtaſſe *inviſibilia ſua per ea, quæ facta ſunt*, atque *intelligenda, & conſpicienda* dediſſe; Sed Sapiẽtes, *cum Deum cognoviſſent, non ſicut Deum glorificaſſe, aut gratias egiſſe*, quod omnino eſt, *non ceciniſſe* Dei Potentiã atque Providentiam relucentem in creaturis, cæteraque beneficia conceſſa mortalibus non proſequutos fuiſſe laudibus, & exquiſitis canticis. Igitur univerſitas iſta Creaturarum eſt velut liber oculis mortalium objectus, ſuis notis muſicis, & characteribus diſtinct⁹, in quos intuẽtes, & intendẽtes, jubemur Divinas laudes ad librũ canere. Creaturæ autẽ *laudare*, & *bene dicere* Deũ dicũtur, quod mutis quaſi vocibus nos invitant, atque adeo etiam docent Divinas laudes Canere. Cantum enim etiam libro muto tribuimus, cum vocemus, *El libro de Canto*. rurſus canentibus nobis illę concinunt. *Interroga* (inquit Auguſt.) *mundũ, ornatum cæli, fulgorem, diſpoſitionemque ſyderum, & vide, ſi non ſenſu ſuo tamquam tibi reſpondeant, Deus nos fecit.* igitur ſic *canunt viri Dei opera*, cum intuentur, & contemplantur. Nonnulli vero Latini cũ Divo Thom. exiſtimant dictũ, *cecinerunt*; quod hoc loco ſignificẽtur viri illi priſci Theologi atque Poetæ, *qui carminibus cecinerũt* Divinas laudes. Sed quidem res hæc priſcorum poetarum junior eſt, longeque poſterior Iobi, & amicorum ętate, nam primus ipſe Iob Poetis omnibus præluxit. Vetuſtiſsimus enim fere Græcorum Poetarũ Orpheus incidit in tempus Sanſon. Sicut etiã Muſæus, & Linus, ut ex Iuſtino, & Theodoreto, Lactantio colligitur. Igitur *canere* nihil aliud eſt, quã Divinas laudes celebrare modis lætiſsimis. Quare ſæpe dicitur Deus eſſe *noſtrum Canticum*, ut in Hebręo legimus Pſ. 118.14. pro quo Septuaginta dixerunt, *Laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem.* id eſt, materia laudis, & gratiarum actionis pro ſalute

Gregor. August. Hugo. Dionyſ. Titelmans

LXX. Gen. 1.28. Titelman.

Varia lectio.

Pagnin. Regia. Tygur. Cajetan.

שור

Intueri, & canere, ab eadẽ radice cum analogia.

Homines ex cõſpectu creaturarũ invitari ad canendas Dei laudes.

Creaturę liber muſicarum notarum.

Aug. ſerm. 55. de verbis Dñi.

D. Thom. Dionyſ. Titelm.

Priſcorũ Poetarũ Seculũ.

Iuſtin. ut. in Paran.

Theodoret. lib. 2. Græcorũ affection. Lactant. lib. 1. c. 5. & 13. & 22.

Deus dicitur Cãticũ noſtrũ, præbens materiam canẽdi.

concef-

conceſſa. & Pſal. 42. 9. *In die mandavit Dominus miſericordiam ſuam, & nocte canticũ ejus*, id eſt, interdiu accipio beneficia, pro quibus noctu gratias illi agam. Quamquam non negem orationem adſtrictam, & numeroſam canendo, & gratias agendo olim a ſanctiſsimis viris adhibitã, penes quos erat Sacra Poeſis.

Ergo per, *viros*, ſi non priſcos Poetas, at quidem alii intelligunt *Gratos, & ſanctos homines cantãtes, & glorificantes Deum in operibus ſuis*. quod videtur ſumptũ ex Chaldæo legente, *viros juſtos*. alii *Viros, inſignesque Philoſophos*. Sed quidem nihil peculiare nunc affert vox *viri*, præter miſeriam, & ignobilitatem. nã ſubeſt hoc loco *Onaſim*, id eſt, miſerũ, & ignobile vulgus, qui cumque non modo Sapiens, ſed de media plebe, dum a ratione, & ſenſu alienus non ſit. nã eadem omnino vox ſtatim verſiculo ſequente redditur, *unuſquiſque*, quaſi dicat Eliu, Mirum eſt, o Iob, ignorari a te, quod lippis ipſis notum, & perſpectum eſt, quod vulgaribus canticis ab omnibus uſurpatur, Dei videlicet majeſtas, poteſtas, Providentia, nã hæc omnia in ipſos mortalium oculos, modo non cæcos, ſponte incurrunt: & licet *inviſibilia* ſint, at *per ea, quæ facta ſunt, intellecta cõſpiciũtur*. Quis enim ignoret quod per ſe notum eſt? eleganter Cyprianus, *Quæ eſt hæc ſumma delicti, nolle agnoſcere, quem ignorare non poſsis? unus eſt, & ubique diffuſus eſt, nam, & vulgus* (hi ſunt *viri*, quos nominat Eliu) *in multis Deum naturaliter confitetur, cum mens, & anima ſui auctoris, & principis admonetur*. Atque ſimiliter de his *viris*, *Onaſim*, id eſt, miſeris, & imbecillis hominibus loquitur in hanc ipſam rem Tertullianus, *Licet*, inquit, *anima carcere corporis preſſa, licet inſtitutionibus pravis circumſepta, licet libidinibus, & concupiſcentiis evigorata, licet falſis diis exancillata, cum tamen reſipiſcit, & ſanitatem ſuam patitur, & Deum nominat ſolum, quia proprie verus hic unus Deus, & bonus, & magnus, & quod, Deus dederit, omnium vox eſt, judicem quoque cõteſtatur illum, Deus videt, & Deo commendo, & Deus mihi reddit. O teſtimonium animæ naturaliter Chriſtianæ. Deinque pronuntians hæc, non ad Capitoliũ, ſed ad Cælum reſpicit*. Confirmabitur hæc virorum acceptio verſiculo ſequente.

Iſidorus. Srbene.

Appellatio viri de ignobili.

אנשים

Deum eſſe per ſe notum.

Cyprian. tract. 4. de varietate Idolorum.

Tertull. in Apolo c. 17.

Naturale Animæ de Deo teſtimonium.

XXV. Omnes homines vident eum, unusquiſque intuetur procul.

1. Dei cognitio communis omnibus. Sapientum, & Vulgarium hominum diſcrimen in participatione luminis Divini.

2. Videre, & intueri *quo differant.* Procul, *ea quæ in cælo ſunt. Explicatus Lucas.*

3. Philoſophorum ſtudium potius in Deo, quam in ſe cognoſcendo.

4. Dei cognitio omnibus naturalis, Vulneratus homo, *quid.*

POterit eſſe ſuperioris ſententiæ confirmatio, & expoſitio quædam, Quis (inquit) eſt, ſi modo homo ſit, proprie, *Adam*, quamvis terrenus, ex primo Adamo oriundus, qui non videat, *eum*? alii, *id*, ſupple opus. affixum in Hebræo indifferens ad utrumque genus. *Vnuſquiſq;* proprie, *Enos*, etiam miſerimus quiſque, & valde imbecilli judicii, *videre*, & *intueri* poterit, *ſed procul*, a lõge; omnibus enim ſunt Divina opera expoſita ad contemplandum, & ſuſpiciendum: ſed non omnibus ex æquo: Divino quippe lumini propinquiores ſunt ſapientes, & exercitati in rerum Divinarum contemplatione, remotiores vero e media plebe homines, humana tantum, & ſenſibilia curantes. ſed nemo tandẽ alicujus luminis, quo Deus, & ejus opera agnoſci poſſunt, eſt omnino expers. Sic prior pars pertinebit ad *ſapientes*, qui dicẽtur *videre Deum* peculiari ratione, nam verbum *videndi* hoc loco, affert voluptatem quandam, quæ ex vidẽdo capitur, tum etiam ſolet dici de viſionibus propheticis, quæ peculiari lumine contingunt Prophetis. Quaſi dicat, Sapiẽtiores contemplantur Deum, atque Divina, & reconditiora arcana cum ſumma voluptate: at *Enos*, & viliſsimus quiſque *Intuetur* tandem. Verbum hoc vulgarius eſt, & vel ſolã interdum ſignificat converſionem oculorum ad videndum. Sic ſubjungitur, *procul*, imperfecte, & ſubobſcure, ſicut cum procul aliquid nobis objicitur. Eleganter Philippus, *Quamvis quis tã pravus ſit, & frigidus, ut alienus eſſe ſtudeat a Creatore, & Deo ſuo, nullus tamen eſt, qui ſe abſcondat a calore ejus, & ideo unuſquiſque mortalium licet de longe ſentit, & intelligit Deum*. Gregor. *Procul cum intueri eſt, non jam illum per ſpeciẽ cernere, ſed adhuc ex ſola operum ſuorum admiratione penſare*. Tũ etiam *procul* videtur, qui non in ſe ipſo videtur, ſed in creaturis, quæ infinitum ab illo diſtant. Niſi forte, illud *procul*, vel, a longe, deſignet creaturas ſublimiores iſtas, ex quibus Creatoris cognitio facile comparatur, videlicet Cælũ, Stellas, Nubes, & alia meteora, quę procul ſunt a nobis. Quare dicat, Si in ipſis noſtris rebus,

1

Dei cognitio cõmunis omnibus.

אנוש

Divini Luminis participatio proxima, aut lõginqua.

Sapientum, & vulgarium hominum diſcrimen, & circũloquutio.

חזה

2

נבט

Videre, & intueri, quo differant.

Philipp.

Gregor.

Procul, de cæleſtibus dici.

& in nobis ipſis Creatorem nõ cernimus, (eſt videlicet non *longe ab uno quoque noſtrum*, & inventu tam facilis, ut illum poſſimus *attrectare manibus*, ut Paulus dixit. ſic exponête Chryſoſtomo, & Oecum.) at ſaltem ex aliis creaturis, quę procul a nobis conſpicimus Deum præſentem, & gubernantem agnoſcimus. Omne ſtudium ponebant Philoſophi, non in ſe ipſis, neque iis, quæ ad illos propius ſpectabãt; ſed in iis, quæ procul erant, cognoſcẽdis, Cælo potiſsimũ, ut elegãter oſtendit Lactantius lib. 6. cap. 20. dum de oculorum voluptate, & ſpectaculis diſſerit. *Ajunt*, inquit, *Philoſophi multo eſſe præclarius, & homine dignius, Cælum potius, quã cælata intueri, & hoc pulcherrimum opus intermicantibus aſtrorum luminibus, tanquam floribus adornatum, quã picta, & ficta, & gemmis diſtincta mirari. Sed cum diſerte ad contemptũ terreſtrium nos exhortati ſunt, & ad Cæli ſpectaculum excitaverunt, tamen Spectacula hæc publica non contemnunt.* Ex illis unum producam Senecam, *Dum oculi mei ab illo ſpectaculo, cujus inſatiabiles ſunt, non abducãtur, dum mihi Lunã, Solemque intueri liceat, dum cæteris inhærere ſideribus, dũ ortus eorũ occaſus, intervalla, & cauſas inveſtigare, ſpectare tot per noctes Stellas micantes, dum cum his ſim, & cæleſtibus, qua homini fas eſt immiſceat, quãtum refert mea, quid calcẽ?* Eminus igitur, & *procul* paſcebant oculos, & Creatorem intuebantur: multo id præſtituri ſapiẽtius, ſi, ut is ipſe aliquãdo dixit, *priora illa ago, ac tracto, & me prius ſcrutor, deinde hunc mundum*. ex utriuſque autem conſideratione cognoſci poteſt Deus, ut jam dicemus.

Chryſ. & Oecum. Act. 17.

3 Philoſophorũ contemplatio extra ſe ipſos.

Lactantius.

Sen. in cõſolat. ad Helui. c. 9.

Sen. Epiſt. 65.

4 *LXX.*

Neq; vero eſt prætereunda lectio Septuaginta, quæ eſt in hanc ipſam rem exquiſita; *Omnis homo videt in ipſo, quicumq; vulnerati ſunt mortales*: vel ut Interpres Catenæ explicat; *Omnis vidit in ſe ipſo*. id eſt. interpretãte Niceta, *Cũctis hominib⁹ eſt inſita Dei cognitio*, ut quaſi naturali quodã rationis motu ex ſe ipſo Deum cognoſcat, ut hoc loco indicavit Gregor. *Omnis homo eo ipſo, quo rationalis eſt conditus, debet ex ratione colligere eum, qui ſe cõdidit, Deum eſſe: quem videlicet jam videre, eſt dominationem illius ratiocinando conſpicere*: atq; hoc ipſum docuit Irinæus lib. 2. cap. 5. *Ratio mentibus infixa movet, & revelat, quoniã eſt unus Deus omnium Dominus.* cum ipſa quoque ratione cõjungit hanc Dei cognitionem Lactantius lib. 1. c. 3. *Nemo eſt, qui ſapiat, rationemque ſecum putet, qui non unum Deum eſſe intelligat, qui & cõdiderit omnia, & eadẽ, qua cõdidit virtute, moderatur.* Denique ex hoc loco Philippus, Beda, in cõmentariis, Hieronymus, cap. 1. ad Galat. Gregor. Nyſſen. libr. 8. Philoſo. cap. 7. & fere univerſi interpretes ſuper id ad Rom. 1. *Cum cognovissent Deum, &c.* Et ſuper id Sapientiæ. 13. *Si tantum potuerũt ſcire, &c.* docent Deum, & alia ejus attributa naturali lumine cognoſci.

Nicetas. Dei cognitio naturalis omnibus.

Gregorius.

Irinæus.

Lactant.

Philipp. Beda. Hieronym. Nyſſenus.

Secundam vero partem lectionis Septuaginta. *Quicumque vulnerati ſunt mortales*, dupliciter accipit Nicetas; vel ut ſit hominum Periphraſis, *Nã omnium eſt vulnerari, id eſt, patibili, & mortali natura conſtare*, quare videtur hæc pars reſpondere nomini originali, *Enos*, quod ſignificat infirmum, & deſperatæ valetudinis. At idẽ Nicetas ex lectione Symmachi; *Unu quiſque adſpiciens longe*, colligit ſecundam interpretationem vulneris; *Dei vulneratio-nẽ dici, ipſam mentis excitationem: nam qui ſtimulo concitantur, excitantur vehementius, animumque magis intendunt.*

LXX. Hominis periphraſis. *Nicetas.*

Enos, vulneratus.

Symmach.

Vulnerari, pro incitari.

Ego tertiam etiam *vulneris* acceptionem affero, ut dicatur, etiam ipſi *homines vulnerati* Deum agnoſcere, quod non tãtum acceperunt nocumentum animi per peccatum, ut Deum non poſsint naturaliter cognoſcere.

XXVI. *Ecce Deus magnus vincens ſcientiam noſtram: numerus annorum ejus inæſtimabilis.*

---

1. *Sententiæ Paraphraſis.* Multiplex, & Multus de re perfecta.
2. *Scientia quaſi bellum quoddam contra difficultates cognoſcendi, Minerva armata, Chorea Philoſophica, & militaris.*
3. *Imago veri Theologi Luctatoris, Iacob, Eſau ex ſuis peculiaribus notis, rudis, & parum idoneus ad ſcientias, Iacob natura ſua ad Theologiam idoneus. Virtutum appellatio maſcula. Illuſtratus Moyſes.*
4. *In bello Theologico an aliquando vincantur Deus, & Divina. Difficultates Theologicæ duplicis generis. Illuſtrati Moyſes, David, Salomon.*

ITA, Inquit Eliu, Deus ſe videndum præbet univerſis mortalibus ex ſuis operibus, ut nec prima ipſius opera, nedũ ipſe, perfecte examinare, & comprehendere poſsimus: multa enim divinitatis miſteria, multa item naturæ arcana, nos latent. Hic eſt nexus, & hæc ſententia dilucide propoſita.

I Sententię paraphraſis.

Ecce, deſignat id, quod ſibi probãdum atque Iobo perſuadendũ proponit Eliu, *Deus magnus*, proprie, multiplex, nimium exaggeratus. Septuaginta, *Multus*, id eſt,

הן
שגבו
LXX.

omni-

omnibus numeris perfectus, atque omnibus perfectionibus cumulatus, ſicut aliquando Divina fortitudo dicitur habere *multitudinem*. Pſ. 65.3. *In multitudine virtutis tuæ*, id eſt, eſſe omnibus numeris perfecta. ſic Deus dicitur *multus*, aut *multiplex*; quod omnibus bonis, omnibus item bonitatis numeris plenus ſit. Vide, quæ diximus, cap. 9. verſ. 4. num. 3. Atque eleganter Obſervat Græcus Scholiaſtes; *Cũ multum tribuit Scriptura Deo, ſignificare id quod certis finibus eſt incircumſcriptum, & infinitum.*

Multus, & multiplex de re perfecta.

2

Divinorũ ſtudium, & ſciẽtia inſtar certaminis.

Vincens ſententiam noſtram. Sua, inquit, incomprehenſa magnitudine longe ſuperat noſtrã intelligentiã. Quod autẽ in Hebræo, & ſine ulla victoriæ figura, aut trãſlatione dicitur, *nõ cognoſcemus*, elegãter Interpres expreſsit verbo *vincendi*, tũ quod Dei nomen, quod hic ſubeſt, ſonat fortitudinem, quare ex verbo legerunt Septuaginta; *Ecce fortis multus, & neſciemus*. tum quod in cognoſcendis rebus ſublimioribus, atque difficilioribus, videamur bellum gerere cum ipſa difficultate, atque conari illam nobis ſubjicere. Neç enim miſterio, & ratione vacat, quod Minevam bene armatã finxerit antiquitas prodiiſſe ex Iovis cerebro; Sapiẽtia enim non eſt inermis, nec mollis, cũ de ea Scriptum ſit, *Fortitudo, & decor indumentũ ejus*. Virgo nimirum, virago, & fortis, æque ac ſpecioſa. Quare quibuſdam Sapientiæ amatoribus, ſed mollibus, & delicatis, Sapientiam ſine labore ambiẽtibus, ac illius pulchritudinem, & conſpectum, his quaſi verbis, *Revertere, revertere, Sullamitis, revertere, revertere, ut intueamur te*, (quis enim, quãvis delicatiſsimus, & a labore abhorrens, Sapientiam non amat, *& natura ſua ſcire non deſiderat*, ſtultiſsimus etiam, Scriptum eſt enim, *Excelſa ſtulto Sapiẽtia*; nam etiam ſtulti illã ſuſpiciunt, diligunt, mirantur) his, inquam, mollibus, & delicatis amatoribus, reſpondet ipſa; *Quid videbis in Sullamite, niſi choros caſtrorũ?* q. d. Quid me delicatiſsimi, & effœminati amatores, queritis pulchram, ſed armatã virginem, ſed maſculam; Sponſam, ſed ad labores, & vigilias, atque ad bellum cõparatam, & obduratam? ſi ad vos vultum cõvertam, terrebo vos; nam ſi *pulchra, ut Luna*, at *terribilis* ſum, ut *caſtrorum acies*, nihil effœminatum in me videbitis, exercere ſoleo choreas, ſed *Philoſophicas, & duras*, ad numeros militares, habeo choros, ſed militum, & fortium, qui ad Sapientiæ certamina, & ad ſuperãdas difficultates, & ſapientiæ hoſtes procedunt, cum methodo, & ordine, non ſunt mei amatores adoleſcentes ſomniculoſi, ſed aſsiduis vigiliis, & lucubrationibus macerati, ad multam noctem excubantes, *corda ſua tradentes ad vigilãdum diluculo*, integras otiã noctes, non ſemel pervigilantes; ut ſtrenui milites, *Bona, & mala in omnibus tentãtes*; Sapientiæ gloriam, & triumphum *diligentes ſuper ſalutem, & ſpeciem*; denique victoriam difficultatum, & aditum ad veram ſapientiã *invenientes cum labore*. quãvis ſpecies ipſa, & color vultus marceſcat, atque corporis valetudo infringatur, & perturbetur. Certe circum tabernaculum, & Arcam, in qua erant legis tabulæ continentes veram ſapientiam, & repræſentantes veræ Theologiæ imaginẽ, ternę Tribus in militari cuſtodia excubabãt a ſingulis lateribus; quaſi oporteat verũ ſapientem, verumque Theologum in caſtris, & in excubiis ſemper manere.

LXX.

Prov. 31.

Sapientia armata.

Cant. 6.12.

Ariſtot. initio Metaph.

Prov. 24.7.

Sapientię perſona, & oratio

Choreæ Philoſophicæ, ac militares.

Eccleſi. 39. 5. 6. Sapiẽtiæ amatores quales.

Sap. 9. 16.

Sap. 10.

Lex, & Arca cur cincta militari cuſtodia

Num. 2.

Iacobi luctatoris in Divinorum Scientia victi & vincentis, Allegoria.

Sed rem exemplo nõ obſcuro cõmonſtrabimus, producemuſque, veri imaginẽ Theologi in ſpeciem delicati, re ipſa militis ſtrenui, & luctatoris acerrimi. Is fuit Iacob, non ſolum nomine *Videns Deum*, & contemplans Divina per pugnam, & *luctam*, nam idem *eſt Iacob*, & *Iſrael*, id eſt, *idem luctatur*, ut *videat Deum*; ſed re ipſa utrumque perficiens; nam ex duobus illis fratrib⁹, Eſau, ſicut corpore ad labores externos, & ruſticationem nato, ita ingenio fuit ad ſapiẽtiã minus idoneo; cum enim fuerit totus *in morem pellis hiſpidus*, fuit quoque rudi, atque ferino ingenio; nam *capilli criſpi*, & hirſuti denotãt *ſtolidum, & ferinos mores*, atque agreſte omnino ingenium, ut Polemon Athenienſis in ſuis naturæ ſignis tradidit. Tum etiam collum habuit, non minus quam manus, piloſum; *at collum aſperum habentes rudi ingenii uſquaque cenſendi ſunt*. Iacob e contrario *lenis*, id eſt, lævis fuit enim proculdubio carnibus mollibus, quæ proprie ingenioſorum ſunt, *capillis mediæ qualitatis, moderate flaveſcentibus, qui laudabilis, docilis, mitiſque naturæ ſunt, & ejus qui ad fælicẽ fortunam tendit: tum etiam manus molles leveſque bono ingenio præditum teſtantur*. vides igitur Iacobum ad ſapientiæ ſtudia natũ. Hunc Iſaac parens, ut ab externarum rerum ſollicitudine, & connubio avocaret, & ad Sapientiæ nuptias accenderet,

Iacob imago militis ſtrenui atque Theologi.

Gen. 25. 25.

Eſau ferinis moribus, & ingenio.

Polemon lib. de naturæ ſignorum interpretatione.

Gen. 27. 12. Ar. Phyſiogn.

Signa ingenioſorum.

Iacob ambiẽs nuptias Sapiẽtiæ.

voçat,

vocat, præcipitque ei dicens; *Noli accipere conjugē de genere Chanaan, sed vade in Mesopotamiam Syriæ, ad domum Bathuel patris matris tuæ, & accipe tibi inde uxorem.* Quā rem dum acutissimus Philo tractat lib. de profugis, rogat, Quis nam Bathuel, quisve Bathuelis domus, in quā se recipit *meditator Iacob?* sic enim illum vocat. Respōdet vero; *Sapientiam in Sacris litteris vocari Bathuel;* quod nomen interpretatur, filia Dei, & recte nā *Benath*, & deficiente litera *Nun*, *Bath*, est filia: *El*, autē est Deus; *Bathuel* est *filia Dei*; *Sed quo modo* (inquit Philo) *filia Dei, Sapientia, jure pater dici potest? An quia sapientia nomen fœmininū habet, naturam vero masculam? siquidem virtutes omnes habent appellationes fœmininas, vires autem, & actiones virorum perfectissimorum.* Vides igitur sapientiam masculā; tum etiam Iacobū sapiētiæ studiosum, & pronubū. qui, ut sapientiæ studiosum decet, *fuit vir simplex* (simplicitatis atque veritatis studiosus, & ab omni externarū rerum, atque sollicitudinum tumultu alienus, ut qui totus intendere deberet in rerum Divinarum contemplationem) *habitans in tabernaculis*, id est, domi se continens. Et quidem Hebræi per *tabernacula*, intelligunt Scholas, vel Gimnasia publica Theologiæ, in quorum altero dicitur docuisse Melchisedech, in altero vero Heber, qui etiam ipse fuit Divinæ Sapientiæ Doctor. Iacob igitur auditor Sapientiæ, & Theologiæ. Quare eum locū legit Onkelus; *Iacob erat vir integer, minister domus doctrinæ.* Sed ex his duobus uter fortior, & militari virtute prestantior? Esau ne, qui cum feris bellū gerebat, ut pote *Gnarus venandi*, an Iacob, cui ipsa sapiētia dedit *certamen forte*, non cum brutis, sed cū Angelis, & rebus spiritualibus, & intelligibilibus? *Ecce enim vir luctabatur cum eo usque mane*, postquam quidem *mature surrexisset, mansissetque solus*, in Divinarū rerum contemplatione. Quare cum Angeli, atque res spirituales objectæ illi sunt, ait; *Castra Dei sunt hæc: appellavit nomē loci illius, Mahanaim, id est, castra.* Hic videas Theologum, atque sapientem luctantem cum Angelo, cumque Deo; quāvis enim longe superior sit nostris viribus, at cognosci a nobis vult, tractarique manibus, apprehendi intelligentia, & cum viribus nostri ingenii colluctari.

Philo.

Bathuel interpretatur filia Dei.

Gen. 28.

בנת

בת·אל

Philo libro de profug.

Virtutū actiones masculæ.

Nicolaus. Tostatus.

Tabernacula, Scholæ Theologiæ.

Vter fortior Iacob. ā Esau?

Gen. 32, 22. 24. 25.

4

Deus quomodo a Theologo interdum vincatur

Sed vidimus pugnam Dei cum nostra scientia; nunc spectāda victoria, quæ adhuc videtur dubia, & incerta; nam Angelus, qui Deum repræsentabat, *cum videret, quod eum superare non posset, dixit ad Iacob; Dimitte me*; quasi Iacobi viribus superatus & cōstrictus fugere, effugereve illius manus non posset; vincebat igitur Iacob, veritatis, sapientiæque studiosus. Confirmatur hæc victoria, ipsius Angeli testimonio dicentis; *Si fortis fuisti contra Deū, quāto magis contra homines prævalebis?* quasi diceret, Iacobum viribus mentis non solum humana, sed Divina etiam sua intelligētia superasse, & suæ ratiocinationi subjecisse. Cujus quoque triūphi extat apud Oseam præclarum elogium; *In fortitudine sua directus est*, (bene illi cessit lucta) *cum Angelo, & invaluit ad Angelum, & confortatus est.* Rursus Sapiēt. 10. 12. Ideo dicitur *datū esse Iacobo certamē forte, ut vinceret.* Ergo in hoc certamine Victoria stat pro sapientibus.

An Iacob superaverit Angelum?

Ose. 12. 3. 4.

Sed nihilominus verissimum est, cum Divina cognoscimus, *a Deo vinci scientiā*, & intelligentiam *nostram*. Vt David cecinit, *Mirabilis facta est sciētia tua* (tui) *ex* (præ) *me*. Hieronymus. *Super me est scientia, & excelsior est.* Chrysostomus; *Mirum in modum excedit captum meum*, (ratio eorū, quæ tu facis,) *confortata est, & nō potero ad eam.* minus dicit, quam significat; non solum non possum vincere, vincor sane; & multis partibus superor. Sed interdū tamen videmur vincere, & superare in hoc sapientiæ certamine: nam, ut superius admonuimus, sunt quędam in Deo, quæ dicuntur *manifesta*, & *nota* illius, & quæ nemo, etiam stupidissimus, ignorat; veritates nimirum notissimæ, & clarissimæ; tū etiam aliæ paulo difficiliores, sed tamen non omnino superiores humana intelligentia, neque naturali lumine. cū his pugnat mens humana, & quamvis multo cū labore, prævalet tandem, & vincit: sunt item quædam in natura paulo abstrusiora, & difficiliora cognitu, ac non nisi sapientibus permissa, intelligentia, & ratiocinatione prævalentibus. At sunt alia supra nostram intelligentiam, supraque naturale lumen, quarum difficultate, & majestate facile opprimitur humana mens. Non aliter Angelus ille, qui luctabatur cū Iacob, ita suas vires attemperabat Iacobi viribus, ut licet cum labore, tamē videretur Iacob vincere, Angelus vinci. Quod si ille vires suas omnes exerere, & toto pectore voluisset cum Iacobo pugnare, quam facile illū dejecisset, perdidisset! Propterea in ipsa lucta, & Victoria *claudicat Iacob*; quamvis enim pleraque cognoscamus, tamen in ea cognitione claudicamus multa cum imperfectione: ut Sapientia in hac ipsa re docet; *Cogi-*

Psal. 138. 5.

Deus vincens sciētiā nostrā.

Hieronym.

Chrysost.

Extenuatio minus dicens, quā significās.

Quæ de Deo dicuntur, & cognoscuntur, in multiplici differentia.

Angelus luctans cum Iacob, quomodo videretur vinci.

Cur in ipsa victoria claudicat Iacob.

tatio-

Gen. 32. 26.

Iacob vincens in aurora quid.

Sap. 6. 16.

Iacob vincens nõ tã viribus, quam precib⁹, & lachrymis.

Hoſ 12. 4.

Theodor. q. 91. in Geneſ.

Rom. 12. 3.

tationes (ratiocinationes. Græce, Logiſmi, & Syllogiſmi) *enim mortalium timidæ, & incertæ* (*vacillantes.* quaſi diceret; claudicãtes) Propterea videbatur Iacob vincere Angelũ *aſcendente aurora*; quod multa ſit obſcuritate permiſta, & confuſa noſtra cognitio, illarum etiam rerũ naturalium, quæ ante noſtros ipſos oculos verſantur; ut Sapiẽs ait; *Difficile æſtimamus, quæ in terra ſunt, & quæ in proſpectu ſunt, invenimus cum labore*. Propterea ſi Iacob vincit, & aliquam tandem rerum, præſertim Divinarum, ſcientiam cõparat ſuperatis difficultatibus, non tã vincit viribus, quam precibus, & lachrymis; Sic enim Iacob ita vincit, & tenet apprehenſum Angelum, ut benedictionem ab illo eflagitet; ſic vincit Deum, & Angelũ, ut ipſum Deum roget cum lachrymis, ut ille ſinat ſe vinci; *Flevit*, (inquit Oſeas) *& rogavit eum*, nam in rerum Divinarũ ſtudio quãtum orationis, & lachrymarum poſuerunt Theologi, tantum profecerunt. Sic rogatus Angelus, *Victoriã ipſe* (ut ait Theodoretus) *conceſſit*. Tum etiam idẽ Theodoretus obſervat, *cum quæſiviſſet ab Angelo, qui vocaretur, non ſolum reſponſo fruſtratus eſt, ſed etiam objurgatur, tanquã excedens metas naturæ*. non enim volendum, *altum ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem*. Vidæ, quę diximus, cap. 22. verſicul. 2. num. 8. & 9. & ubicumque de Divina incomprehenſibilitate, Sapientiaque oportuit diſſerere, oſtendereque, *Deum vincere ſcientiam noſtram*. Iam de hac allegoria ſatis, quamvis enim non ſimus faſtidioſi allegoriarũ ſectatores; at illuſtres, & ab ipſa re poſtulatas non committendum, ut contemnamus.

Et numerus annorum ejus inveſtigabilis.

5. Inveſtigare *quid proprie*. Finis *pro fundo*. *Explicatus Iſai. & David*.
6. *Anni Dei, quid*. Annus *unde dicatur*. Mutari, *pro veſtiri. Illuſtratus Samuel, & David*.
7. *Æternitas quale attributum: Affert etiam immenſitatem perfectionis totius divinitatis, & reliquorum attributorum*

5

Inveſtigare, aut ſcrutari, quid proprie. חקר

CLarius reddiderunt Septuaginta; *Infinitus*. ſed magis proprie Vulgatus, ex Hebræo; *Non poteſt inquiri*, non inveniri ultimus limes, non principiũ, finisve. Ex verbo; *Non eſt inveſtigatio*, ut vertitur Iſai. 40. 28. & *finis*, Pſal. 144. 3. Vnde colligo propriam ſignificationem verbi originalis *inveſtigandi*, eſſe perſcrutari, aut inveſtigare aliquid uſque ad finem, & uſque ad imum; nos diceremus, *Haſta ballarle ſuelo, o cabo*. Sic Pſ. 94. 4. dicuntur eſſe *In manu Dei omnes fines terræ*, id eſt, profunditates, & quaſi fundamenta ſequitur enim; & *altitudines*, cacumina, vertices, *ipſe conſpicit*. Et eadem voce, & ſignificatione ſupra Iob. 11. *Veſtigia*, profunditates, & intimos fines,) *Dei comprehendes?*

Finis pro fundo.

6

Nicetas.

Philipp.

Anni Dei, quid.

Pro, *Annorum*, autẽ, Nicetas teſtatur in aliis codicibus legi, *Viarum*, atque ipſe interpretatur, *judiciorum, quæ inter nos exercet*. Quo videtur reſpexiſſe Philippus, totam ſententiam elucidans; *Vinceas ſciẽtiam noſtram magnitudine ſcientiæ, & altitudine judiciorum ſuorum*. Quare *Dei annos* videntur intelligere ea, quæ Deus in noſtris annis, operatur, occultis judiciis noſtra tẽpora diſponens. Sed ſenſus hic, nimium invitus, & coactus. Quare ſenſus planus, quem Interpres expreſsit, ut proponat Dei æternitatem, quæ quamvis ſit *tota ſimul interminabilis vitæ jucunda poſſeſſio*; at noſtro intelligendi, potius loquendi modo, nomine *annorum*, ſæculorum, dierum explicari ſolet; quippe hæc, ut pote, quæ mutationem afferãt, & ſimul tota non ſint, aliena a Deo ſunt; noſtre propria. Sic *annus* ex ſua proprietate, & etymologia nomen habet a mutatione, quaſi dicatur, *mutatorius*; nam affert ſecum novitatem unius, vetuſtatem alterius; quod Philoſophi dicunt, *prius, & poſterius*. quare ab hac ipſa radice dicuntur veſtes, *Miſnim*: nam mutantur, veteraſcunt, innovãtur. 1. Reg. 15. 9. & *mutari* idem eſt quod veſtiri, 3. Reg. 14. 2. quod enim ibi dicitur, *Commuta habitum*. tantum eſt in Hebræo, *Commuta te*: Similiter igitur *Sanim anni*, qui mutantur, quibus menſuratur natura mutabilis. Eo videtur alluſiſſe David Pſal. 101. 27. de cælorum duratione quamvis incorruptibilium, at multis mutationibus obnoxiorum, & de Dei æternitate loquens; *Ipſi peribunt* (dejicentur ab hoc ſtatu præſente;) *tu autẽ permanes, & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent*. (nã meſurantur annis, qui inſtar veſtis veteraſcunt, iterantur, & innovantur) *& velut amictum mutabis eos, & mutabuntur*, (novo habitu, & quaſi novo veſtimento ſumpto) *tu autem idem ipſe es, & anni tui nõ deficient*.

Simplex expoſitio.

Boetius.

Annus unde dicatur שנה

משנים

Veſtiri, & mutari idem.

7

Æternitas quale Dei attributum.

Sed cum Eliu proponat Divinam magnitudinem explicandam, cur tantũ æternitatis meminit, nõ etiam aliorum Divinorum attributorum? An quia æternitas non ſolũ ſit peculiare aliquod attributũ,

quam modus quidam interminatę perfectionis non solum Divinæ naturæ, sed etiam Divinorum omnium attributorum, ex quo necessario colligatur, atque etiã exprimatur immensitas non solum durationis, sed etiam totius divinitatis, atque divitiarum Thesaurus inexhaustus. Sciẽdum est ergo (ut pro Eliu, qui sane acutissimus est Theologus, hoc nũc Theologice dicamus, quamquam nesciã, an hoc ab omnib⁹ Theologis animadversum sit) Aeternitatis nomine proprie afferri magnitudinem quandam perfectionis immẽsam, qua major esse non possit; quæ ipsa minor esse nõ possit; nam ęternitas nõ tãtũ affert potissimum carentiam principii & finis; sed, ut Boetius dixit, vitæ *Beatæ totam simul, & perfectam possessionem*, quæ ex eo quod tota simul est, simulque perfecta, non potest mutari, diminuive: quare quod æternum, & semper est, eleganter Gregor. explicavit per hoc, quod *est unũ esse, & totum simul esse, & nihil deesse*. Sapienter Dionysius *Aeternũ* explicat per *immutabile, & totum impartibiliter*. rursus eodem loco *Tempus esse, quod in mutatione versatur: Aeternitatem, quæ eodẽ modo se habet*. Hinc necessario colligitur, quod ęternum est, cõtinuo illimitatę magnitudinis & perfectionis esse, atq; ita totum simul, ut nihil incremẽti admittere possit. Sicut autem infinitudo Divinæ naturæ non est peculiare aliquod attributum, sed quasi modus quidam Divinitatis per attributa cætera diffusus: ita sane Aeternitas Divinæ naturæ universas illius proprietates ambit, efficitq; necessario, ut sicut ipsa Divinitas est tota simul, semelque perfecta, ita etiã illius attributa æterna sint, id est, tota simul sint, semelque perfecta. Ergo cũ audio *æternam Dei sapientiam*, propono mihi scientiam totam simul omnium possibilium, cui præsentia sunt simul, semelque omnia. Cum audio apud Paulum *sempiternam Dei virtutem*, intelligo potentiam simul, totamque simul, quæ non potest crescere. Cũ lego apud Danielẽ, *Iustitiam sempiternam*, intelligo sanctitatẽ, omnibus numeris, quoad esse possibile est, semel perfectam. Cum Sapiens nominat *lucem æternam*, intelligo immensam *lucẽ æternæ vitæ* Dei, gloriæve ex ipsa æternitatis ratione, & immutabilitate semel ita exaggeratã bonis omnibus, ut sit *omnium bonorũ aggregatione perfecta*. Atq; adeo cum *æternitatem* nominant Sacrę litterę, ut apud Isaiam. 57.15. *Excelsus, & sublimis habitans æternitatem*; ea omnia significat, quæ tum Divinę naturæ, tum reliquarum omnium perfectionum immẽsitas cõtinet. Ergo sat bene, sat Theologice unica Dei ęternitate proposita ejusdem interminatam magnitudinẽ proposuit Eliu, semelque absolvit, ut statim ad opera Creationis progrediatur.

Aeternitas nõ solũ affert carentiam principii, & finis.

Boetius.

Gregor. lib. 16. Moral. c. 21.

Dionys. c. 10. Divin. Nom.

AEternitas ambit universa attributa.

Rom. 1. 20.

Dan. 9. 24.

1. Pet. 5. 10.

1. Ioan. 5. 10.

Sap. 7. 26.

℣ XXVII. *Qui aufert stillas pluviæ, & effundit imbres ad instar gurgitum.*

1. *Ex pluviæ generatione, & dispensatione, argumentum Providentiæ.*
2. *Prima exponendi ratio. Deus puniens scelera negata pluvia. Deus habet clavem pluviæ.*
3. *Minutiores aliæ expositiones* Nimbus, & imber *quo differant. Illustratus Nahum.*
4. *Expositio cõmodior. Deus habẽs in numerato guttas pluviæ.* Auferre. *Illustr. Moyses, & Salomõ.*
5. Effundere, *percelare. Aqua pluvialis an levissima, & purissima. Illustratus David, & Malach.*
6. *Varia lectio. Pluvia, instar fumi, & caliginis.*

I Divinam magnitudinem atque potentiam, quam ex illius æternitate significaverat, nunc ex creaturis ostendit, primumque ex pluviæ tum procreatione; tũ dispensatione mirabili in argumẽtum tũ Potentiæ, tum Providentiæ, atque beneficentiæ erga mortales. de quo diximus cap. 1, versic. 10. & 12, versic. 15. & c. 26. versic. 8. Iterumque recurret sermo, cap. 37. versic. 5. 6. & cap. 38. versic. 25. 26. 27. 28. 34. Quare nunc tantũ, quæ hujus loci vocumque singularũ propria erũt. inter quæ illud primum est;

2 *Qui aufert stillas, &c.* Valde mẽdosam esse illam lectionem Gregorii, quã sequitur Hugo, *Qui aufert stellas pluviæ*, quasi diceret, Deum interdum subtrahere mũdo stellas efficientes pluviam, cum illarũ effectum prohibet; nam vera lectio in Hebræo, Græco, Latino correcto, tollit *stellas*, reponit, & *aufert stillas*, atque hanc ipsam lectionem agnovit Philippus, Hieronymus, Beda cæterique Latini. ut jam videbimus. Ergo non dubiũ, quin aliquid valde mirabile circa pluviæ generationẽ, proponat nunc Eliu; sed quid nam illud sit, incertum est apud Interpretes.

Lectio emaculata.

Gregorius. Hugo.

Philipp. Hieronym. Beda.

Et primo D. Thom. & quidam alii Latini existimant, describi siccitatem, & sterilitatem, quam Deus efficere potest, negata pluvia: deinde vero nimiam imbriũ copiam, quos ille effundere potest ad diluendam, obruendamque terram, quorũ utrumque ingens est Divinæ Potẽtiæ opus. Diximus aliquando in Thesauris Divinis contineri pluviam, cujus ipse clavem habet.

Prima expositio D. Thomæ & Latinorum.

Deus habet claves pluviæ atque aliarum rerum reconditarum.

Keldani.

habet, tres itē alias claves, ut Paraphrasis Ierosolymitan. dixit Genes. 30. *Quatuor*, inquit, *claves sunt traditæ in manu Dominatoris, quæ nō sunt traditæ Angelo, nec Seraphe; Clavis pluviæ, de qua dicitur* Deut. 28. *Aperiet tibi Dñs thesaurū suū optimū, &c.* Vide quæ diximus, c. 3. vers. 10. n. 1. & c. 5. vers. 6. & vers. 10. n. 1. & 2. ubi ex novē tēporibus famis totum orbem pervadētis, diximus quinque potuisse numerari ante Iobum, & ab illius amicis adduci in exēplum Divinæ potētiæ, ad supplicium impiorum, *auferentis*, id est, prohibentis *stillas pluviæ*.

3 Aliæ exponēdi rationes.

An vero *auferre pluviam*, erit *serenitatē post tempestatē facere?* Hoc quoque non semel, Sacræ litteræ nobis cōmendant Tob. 3. 22. Sed hoc potius ad Divinæ benignitatis, & lenitatis, quā severitatis argumētum adducitur. An, ut significat Vatablus, quod illa cōmutatio pluviæ post ingentē siccitatem, aut siccitatis post ingentē pluviam mirabilis sit? quare sensus erit, *Aufert*, id est, cum abstulerit, prohibueritq; pluvias ac summam siccitatem induxerit, educit deinde ex sua inexhausta vi gurgites pluviæ copiosissimos. Hujus rei quoque exemplum in diluvio propositū fuit. An, ut Cajetanus ait, illud nunc Dei *opus describit, quod pluviæ grossæ deficiant cito, & quod hujusmodi pluviæ præoccupent multos homines in agris, & in itinere?* Nimbum voluit Cajetanus dicere, quē efficiunt grādiores guttæ: minutiores vero, & crebriores imbrem. Nimbum igitur Divina Potētia cogit, efficit, eademq; ipsa *aufert*, & dissipat, sicut dixit Nahum. 1. 8. loquens de calamitatibus a Deo immissis, respiciēs ad hāc ipsam rē; * *In diluvio prætereūte consummationē faciet*; potest ille nos obruere cataclismo: sed potest præterea momēto tēporis serenitatē efficere. Sed nihilominus hæc Cajetani interpretatio abjectior est, & humilior, quam pro Divinæ Potentiæ magnitudine describenda.

Vatabl. Cōmutatio serenitatis cum pluvia, & vicissitudo tēporis ex Dei Potentia.

Cajetan.

Nimbus, & imber quo differant.

*Embia de repente espātosos aguaceros de gruessos goterones, y haze, que passe depresto.

4 Vltima, & germana exponēdi ratio.

An tandem dicitur *Deus auferre stillas pluviæ*, quod Deus habeat in numerato singulas guttas stillantes? Hoc profecto non solum potentiæ, sed sapientiæ atque Providentiæ mirabilis est, quod pluviam certa ratione, certaque mensura, & numero guttarum temperet, & mortalibus largiatur. Hæc exponēdi ratio mihi arridet; quam haurio ex lectione Septuaginta; *Numerabiles autem ei stillæ pluviæ*. ubi eleganter Chrysostomus, *Scientiam, & Providentiā narrat, nec ira moderatum, sed certa numeri ratione tēperatum imbrem demittit.* Confirmari vero potest ex ipso originali

Deus habens in numerato guttas pluviæ.

LXX. Chrysost.

verbo, *auferendi*, *Garagh*, quod videtur ad numerum, sive ad numerandi rationē pertinere, estque proprie *Auferre subtrahendo*, & imminuēdo ex aliquo numero, quare *auferre guttas*, erit subducendo, subtrahendo, & auferendo numerare, quod nos dicemus, *Yr sacando, y contando*. Eam vim habere videtur Exod. 5. 8. *Mensuram laterum imponetis*, * *Nec minuetis*, (verbum *auferendi*; nihil ex eo numero subducetis, nullam partem numeri cōsueti) *quidquā*. Tum etiam pertinet ad rem certę mensuræ, & numeri, quando ex illa aliquid subtrahitur. & vertitur, *Fraudari*, Num. 9. 7. & *Minui de hæreditate*, Num. 36. 3. & *auferre* de certo, & prescripto mandatorum numero, Deuteron. 4. 2. Sic igitur hoc loco, ea ratione, qua dicitur Deus habere *thesauros nivis*, pluviæ, grandinis, dicitur nunc ex immensitate illa pluviæ, quæ in sua potentia continetur, subducere, & extrahere in numerato stillas pluviæ, & nunc augere, nūc minuere numerum, prout terræ, & mortalibus expedire videt. Res fere eadem, quæ ab Eliu, a Salomone prædicata Proverb. 8. 28. *Aethera* (proprie, *nubes*) *firmabat sursum, & librabat* (ut in numero, & mensura influant in terram) *fontes* (scaturigines illas cælestes) *aquarum*. Adeunda omnino, quæ diximus ad id, cap. 26. versicul. 8. *Qui ligat aquas in nubibus suis, ut non erumpant pariter deorsum*.

Verbum auferendi, pertinēs ad numerum.

גרע

* Daldes su tarea por quenta, y no les descōteis nada.

Ex thesauris suis Deus certo numero res dispensans.

Et effundit. In Hebræo, & Græco, pluraliter. Septuaginta; *Effundentur ad pluviam in nube*. Sed proprie ex Hebræo active; *Effundent*, supple, Cæli, *distillabunt*, *colabunt*. Non solum illam mirabilem artem percolandi guttatim aquam videtur proponere Eliu, sed etiam aquæ pluvialis puritatem, & purgationem quandam, qualem habere solent percolati liquores. Sic sane Galenus agens de Ponderibus, & mensuris; Aquam pluvialem, ut pote purgatissimam, & defæcatissimam, vult esse justam omnium liquorum mensuram; tum etiam alibi, Cum Hipocrate, esse *levissimam, limpidissimam, atque tenuissimam*. quamquam ea in re contrarius sit Plinius lib. 36. c. 3. censens *aquam pluviam neque levissimam, neque non sordidissimam*. at nunc adhibenda fides Medicis, si non quoad usum, & potum aquæ pluvialis, at saltem quoad splendorem rei in speciem purgatissimæ. Ergo verbum illud *effundendi*, idem est, quod purgare, aut defæcare liquorem, seu purgatum, & defæcatum reddere. unde dicitur Malach. 3. 3. *Colabit* (Septuaginta,

Gal. de Ponder. & mens. & de Aquis cum Hippocrate.

Aqua pluvialis purgatissima.

Plinius.

ficut in noftro loco, *Fundet) eos, quafi aurum, & quafi argentum.* id eft, fundendo
expurgabit, aut percolando, & expurgã-
do fundet: eft enim de mundãdo tota fen
tentia. Pf.11.7. * *Purgatum terræ*, (id eft,
in fundibulo teftaceo) *purgatum* (Hiero-
nymus, *colatum*) *feptuplum.* Sic cæli falu-
tarem imbrẽ nubibus excolatum, & per-
purgatum *effundunt, ad inftar gurgitũ.* Pro
prie *ad inftar fontis.* nã nubes, pluviæ *fon-
tes* dici poffunt manantes aqua. Sicut, &
Proverb.8.28. vox eadem, quæ *fons* ver-
titur Genef. 2. 6. *Fons afcendebat de terra*,
quod alii *vaporem*, aut *nubeculam* vertunt.
Sicut etiam hoc loco Hebraizantes: *Effun
dent pluviã ad vaporem.* fed incõmoda con
ftructio, nam potius e converfo elevãtur
vapores ad pluviam; nifi fignificetur unã
pluviam effe materiam alterius; nam per
funditur terra ad vapores iterum fubmi-
niftrãdos. Paulo commodius Tygurina.
Effundent pluviam ex vapore coacto. Omniũ
6 optime Interpres, præpofitionem illam,
Ad, indicatam articulo *Lamed*, elucidavit,
ad inftar gurgitis, vel fontis, aut inftar *va-
poris*, vel *inftar fumi.* nam hæc omnia fig-
nificare poteft vox originalis. Cum pluit
enim, conferta pluvia, vapore, & fumo,
totus ifte aer cõpleri videtur, &, ut Plu-
nius dixit, *Terra propter vapores fumidam
exhalat caliginem.*

* Limpio a crifol, acrifolado.
Hieronym.
אַד
Pagnin. Regia.
Vna pluvia materia alterius.
Tygurina.
Fumida caligo pluviæ.
Plin. li. 2. c. 42.

XXVIII. *Qui de nubibus fluũt, quæ prætexunt cuncta defuper.*

1. *Nubes, & cælũ a tenuitate nominata. Viciffitudines temporum cur vocentur* antiquitates.
2. Prætexere. Stillare. Pinguedo, *ros cæli. Illuftratus David.*
3. *Mirum nube tenuiffima prohiberi lumina celeftia.*

PErftat in pluviæ, imo in Divinæ Potẽ-
tiæ defcriptione. *Gurgites* illi *fluunt*,
1 ftillant de *nubibus*. Vox originalis tenui-
tatem, aut cõmminutionem fonat, quare di
citur de *pulvere* minutiffimo, Pf.17.11. &
deminutiffimo ramẽto æris, quod poteft
adhærere bilanci, & dicitur *Momẽtum fta-
teræ*, Ifai.40. 15. tandem dicitur de *nubi-
bus*, aut *æthere*, propter *tenuitatem*, Pf. 17.
12. & 36.6. Pf.67.35. Pf.77.18. Pf.78.23.
Prover.3.20. & 8.28. Tum etiam de *cælo*,
propter tenuitatem, id eft, Diaphaneita-
tem, expertẽ omnis terrenę crafsitudinis,
& opacitatis, Pf. 89.7. Iob.38.37. Quare
alii hoc legunt, *fluent de Cælo*, ex alto. Sym
machus, *Ex æthere.* Sed illud valde pecu-
liare, quod Septuagin. legunt, *Fluent anti-
quitates.* quod exponit Nicetas, *Guttas fluẽ
te, vetuftates nominavit, quoniam a prifcis
id fit temporibus.* Forte *antiquitates* nomi-
nantur, quod eximum Divinæ Potentiæ
opus fit, non femel, & iterum, fed fem-
per has rerum atque temporum viciffitu-
dines efficere, ut quotãnis pluat, æftuet
hiemefcat, autumnefcat; quem femel
tenuit mundus ordinem ab antiquo, eun-
dem femper retineat; potens enim Deus
eft & femel efficere, & femper tueri, &
confervare.
Quæ prætexunt cuncta defuper. Paulo di- 2
verfa lectio in Græco, & Hebræo. Septua
ginta non longe ab originali; *Obumbravẽ-
runt nubes fuper innumerabili homine.* Au-
guftinus; *Tenebrefcent fuper homines pluri-
mos.* Alii, *Stillabunt*, irrorabũt. Certe vox
originalis vertitur fere femper ab Inter-
prete, *pluere*, aut *ftillare*, Ifai. 45.8. & *Re-
pleri ubertate.* id eft, defluere, aut irrora-
ri fœcundante pluvia, Pfal. 64. 12. quod
Hieronymus dixit, *Veftigia tua rorabuntur
pinguedine.* nam ros, & pluvia, quæ funt
cæleftis pinguedo; veftigia funt Divinæ
Potentiæ atque Providentiæ. vertitur e-
tiam *rore concrefcere*, aut *in rorem concref-
cere*, Proverb, 3.20. Nunc Interpres imi-
tatus Septuaginta, quoniam fermo erat
de Divina Potẽtia, perterrefaciente mor
tales, & ut proponeret aliquid diverfum
a parte præcedente, retulit rem ad nubes
tenebrofas, quibus mundus inferior folet
interdum ad pavorẽ ufque, & animi an-
guftias obfideri. Sicut ait David in candẽ
rem, *Tenebrofa aqua in nubibus æeris.*
Vox autem, quæ vertitur ab Interpre-
te *cuncta*, ab aliis, *plurimi homines*, poteft
quidem adverbiafcere, quare dicet; Stil- 3
labunt, tenebrefcent, prætexent multũ,
valde. ut magna aliqua tempeftas videa-
tur nunc defcribi ad argumentũ Divinæ
potentiæ. Quo refpicit lectio Septuagin
ta Complutenfium, quam retinet Catena
Græcorum, *Obumbraverunt nubila indici-
bilibus tonitruis.* quod fit mirabile, celeftia
lumina a tenuifsimis, & levifsimis nube-
culis obfcurari, & prohiberi poffe: cu-
jus mirabilitatis differte meminit Plinius
lib.2.c.42. *Denfitas nubium Solẽ obumbrãt,
perfpicuum alias etiã urinantibus in quamli-
bet profundam aquarum altitudinem.* Tota
enim aquæ moles tranflucida eft; at
nubecula parva, & tenuifsi-
ma, opaca.
)?(

שַׁחַק
Nubes, & cælum a tenuitate nominata.
Symmach.
LXX.
Nicetas.
Cur viciffitudines temporum vocentur antiquitates.
LXX.
Auguft.
Regia Tygur. Complutenfes.
רעף
Hieronym.
Ros, & pluvia pinguedo cæli.
Pfal. 17.
רב
Septuaginta Complutenfes.
Mirum, cæleftia lumina obfcurari tenuiffimis nubibus.
Plinius.

XXIX. Si voluerit extendere nubes, quaſi tentorium ſuum:

XXX. Et fulgurare lumine ſuo deſuper, cardines quoque maris operiet.

1. *Nubium* extenſio *quæ. Multiplices nubium differentiæ.*
2. *Nubes ex natura rara, denſatur in pluviam Tempeſtatis.*
3. *Nubes quietæ, aut motæ, & agitatæ quid ſignificent. Explicatus Moyſ.*
4. *Cœlum* Tabernaculũ Dei. *Nubes illius tentorium militare. Nubibus multipliciter ille utitur.*
5. *Nubibus repræſentata Dei fortitudo. Illuſtrati Moyſes, & Eccleſiaſticus.*
6. *Varia expoſitio. Arcus Cœleſtis nuntiat pluvias. Prognoſticum ex vario nubium cum Sole concurſu.*
7. *Latinæ lectionis defenſio.* Res, *&* Daleth, *confuſa a Septuaginta.*
8. Cardines, *aut* radices maris; *quæ.* Extremitas terræ *pro mari.*

1
PErgit in amplificatione Divinæ potētiæ, & deſcriptione tempeſtatis. Sic incipiūt Hebræa a particula, *Aph*, inſuper,
אף
præterea, quanto magis. *Si voluerit extendere nubes.* Proprie ex Hebræo; *Si intelliget extenſionem nubium*, vel ut alii legunt, *diſperſionem*, aut *diviſionem*; hæ enim ſunt velut expanſio quædā; & afferuntur verbo *Pharas*, cum dextro puncto in *Sin*; at
פרש
cum puncto ſiniſtro potiſsimum ſignificatur extenſio. Nam quod Titelmanus in
Titelman.
terpretatur *extendere*, id eſt, rarefacere; & diſsipare ad inducendam ſerenitatē, coactum eſt, & alienum a tempeſtate, quę hic deſcribitur. Suppoſitum autem hujus ſententiæ cum in Hebræo non exprimatur, Cajetanus, Vatablus, Tygurina, Steuchus poſt Rab. Gerſon, exiſtimant eſſe hominem; quare dicet, Numquid homo poterit ſatis intelligere diviſiones, aut differētias nubium, & rerum aliarum diverſiſsimarum, quæ in nubibus, & cum nubibus
Cajetan. Vatablus. Tygurina. Eugubin. R. Gerſon.
generātur? nā aliæ grandinant, aliæ ningunt, tonant aliæ, aliæ fulgurant, fulminant; quædam ſunt evanidæ, & infæcūdæ, ventos aliæ, aliæ imbres generant; quædam concipiunt lucem, quædam pariunt tenebras; imò & aliquando ſimul cum pluvia pepererunt carnes, piſces, arbores. Varię quoque *nubium imagines*, ut Plinius ait; *Nam varietates colorum, figurarumque in illis cernuntur, prout admixtus ignis ſuperat, aut vincitur.* Varia, & certa Prognoſtica ex nubium motu, colore
Nubium multiplex differētia.
Plinius lib. 2. c. 61.
ſitu, & loco, conjunctione, diſperſione atrore, candore, magnitudine, parvitate. magnum, & mirabile naturæ opus extenſum, diviſum, varium, multiplex. Quis ergo, inquit Eliu, intelliget diviſiones, diſperſiones, differentias nubium?

Sed multo melius cum Gręcis, & Latinis, ut non tam imbecillitas, & ignorantia humana, quam Divina Potentia, atque ſapientia proponatur, non tā in multiplici differentia nubium, quā in expanſione, & amplitudine illarum: quamquam etiam proprium nubis ſit eſſe diſperſam, expanſam, diviſam; ſi enim cogatur, & concreſcat, ſolvitur in pluviam, & tamdiu nubes eſt, quamdiu diſperſa, & extēſa eſt. Græcus autem Scholiaſtes exiſtimat, nunc proponi id, *quod admirabilitatē facit; quemadmodum poſt puſillam nubem cōſpectam, concretione nubium cœlum contegatur univerſum.* & quidē id quoque obſervatū eſt ab ſcrutatoribus naturę, & a Plinio inter *Prognoſtica tempeſtatū*, indicatum, *Cœlo* (inquit) *quamvis ſereno, nubecula quamvis parva ventum procelloſum dabit.* Id quod Eliſæus quoque notandum præcepit Giezi ex re ipſa naturali tū Dei potentiā, tum pluviam imminentem colligendam, 3. Reg. 18. 44. poſtquā enim apparuit *nubecula parva, quaſi veſtigium hominis; Ecce cœli contenebrati ſunt, nubes, & ventus, & facta eſt pluvia grandis.* dedit enim quamvis parva ſereno cœlo, *ventum procelloſum*, miraculoſe quidē, tunc illa coacta, ſed poſtquā coacta fuit, naturale procellæ ſignum, ſequuturæ ex cauſis naturalibus jam motis a Deo. Quā ipſam rē tanquam conſuetum concitandæ tempeſtatis ſignum, Eurybates Clytemneſtræ narrat.
2
Nubes eſt rara, & expanſa.
Nicetas.
Plin. lib. 18. c. 35.
Tempeſtatis initium, & prognoſticum, nubes parvula.
Sen. in Agam. act. 3.

Exigua nubes ſordido creſcens globo
Nitidum cadentis inquinat Phœbi jubar.

Sed hæc Nicetę expoſitio nimis anguſta eſt, extendenda igitur ad nubes, quæ mirabiliter extendūtur in modum tabernaculi concamerati: ita ut videatur Deus in ſuis theſauris habere nubes complicatas, cum ſerenat, at vero cū voluerit pluere, expandit, & explicat.

Septuaginta neſcio quid peculiare indicant, *Si conſtiterit extenſio nubis.* q. d. Si ſteterint immotæ nubes. eſt enim ſua etiā peculiaris vis, & ſignificatio nubibus conſiſtentibus, nam ſi *in cacuminibus montiū nubes conſident, hyemabit*, ut ſcribit Plinius; *Si in vallibus ſederint, ſerenitatem promittunt.* Sicut e contrario etiam *cum feruntur, cœlo ſereno*, ventos prænuntiant, & Deuter. 33. 26. *Magnificentia ejus diſcurrūt*
3
LXX.
Nubes quietæ in montiū cacuminib' pluviā ſignificāt.
Plin. lib. 18. c. 35.

nubes. cum moventur enim, & agitantur vẽtis, Divinæ majestatis nuntia perferre videntur.

4 Varia lectio שאון

Quasi tentorium suum. In Hebræo; *Sonitus tentorii sui*. sive, collisio, aut commotio, ut significentur tonitrua, & eruptiones fulminum cum ingẽti fragore. Sed quidem originalis vox significat proprie sonitum, & commotionem tempestatis, aut aquarum. quare Interpres nihil peculiare in hoc sonitu agnovit. Græcus Scholiastes, *tabernaculi* nomine, cælum intelligit; hoc enim sæpe dicitur in Scripturis *Dei sedes*, & *tabernaculum*. Sequitur Steuchus. imo & D. Thom. Nicolaus, Dionys. intelligunt nubes *extendi instar tentorii*, quia instar Cæli, quod est Dei tentoriũ, solet totum Hemisphærium obduci nubibus. Vel, quia nubibus, tanquam tentorio cælum contegatur, in quo Deus residet.

Cælũ Dei tentorium. Nicetas. Eugubinus. D. Thom. Nicolaus. Dionys.

Sed multo congruentius, ut ipsæ nubes appellentur Dei tentorium, in quibus ille, quamvis inaspectabilis, se præsentem exhibeat. Sunt autem *nubes* valde opportunæ, quibus Divina majestas vel ad gloriam suæ potentiæ, vel ad mortalium terrorem familiariter utatur. Sunt illæ *Dei arcus*, quem intendit, dum fulmina, lapides, grandinẽ jaculatur in terras, Sap. 5. 11. vti explicuimus supra, cap. 6. versicul. 4. num. 2. Sunt eædem Dei judicis *Subsellia*; nam *veniet cum potestate magna, & majestate in nubibus*; Luc. 21. 27. Dan. 7. 13. De quo diximus, cap. 13. versic. 11. Num. 5. & cap. 26. versic. 10. Sunt ejusdem Regium *vehiculum*, quo ad nos descendit Exod. 19. 9. & 34. 5. & 40. 34. Num. 12. 5. Devteron. 31. Psal. 103. 3. 15. Sunt Dei Regalis & gloriosa *sedes*, Exod. 15. 10. Exod. 40. 38. Num. 10. 34. Ecclesi. 24. 7. Eccles. 14. 14. Apocalip. 14. 14. 15. 16. Sunt *Stragulum Throni Dei*, supra cap. 26. versic. 10. Sunt *Dei amictus*, Exod. 24. 15. & cap. 40. 35. 1. Paral. 5. 13. Iob. 22. 14. Psal. 92. 2. Isai. 45. 8. ubi precantur Sancti, *Vt nubes pluant justum*. videlicet, ut Deum invisibilem, qui in nubibus delitescit, jam tandem nobis exhibeant visibilem humana carne concretum, instar pluviæ, quæ ex nube concrescit, Ierem. 3. 45. Ezech. 10. 34. Apocal. 10. 1. Nunc tandem dicũtur nubes ita esse Dei amictus, ut sint *Tabernaculum* militare fixum in sublimi aere, intra quod se continet summus Imperator Deus, dimicaturus cũ mortalibus. Idemque postea cecinit David Psal. 17. 13. *In circuitu ejus, tabernaculum ejus, tenebrosa aqua in nubibus aeris*. Adeunda omnino, quæ in hanc ipsam rem diximus

Nubes Dei tẽtorium.

Nubium multæ appellationes, & translationes. Deus multipliciter utens nubibus.

Isai. 19. 1. Matt. 17. 5. Act. 1. 9. Apoc. 1. 7.

Nubes tabernaculum militare Dei dimicaturi cum hoste.

cap. 9. versic. 8. super id, *Qui extendit cælos solus*. ubi hanc allegoriam promovimus.

5 Nubes terrificum tabernaculum Præpotentis Imperatoris.

Nunc tantum hanc esse pulcherrimam nubium commendationem, quod non solum Regalis Throni magnificentiam, sed etiam militaris tabernaculi supremi Imperatoris terrificam speciem, & fortitudinem repræsentent; sicut Scriptum est, *Magnificentia ejus* (quod Regium est) *& virtus ejus* (quod Imperatoriũ, & militare) *in nubibus*. & rursus Devteron. 33. 26. *Ascensor* (inequitãs) *Cæli, auxiliator tuus*. (propterea non solum magna potentia, sed magna etiam celeritate accurret ad ferendam opportunam opem suis justis; nam) *Magnificentia ejus discurrunt nubes*. per hypallagem, *Nubibus discurrit magnificentia ejus*. Vides igitur, & magnificentiã Regalẽ, & Imperatoriam virtutem exerceri in nubibus. Conjunxit quoque illa duo Ecclesiasticus, cap. 43. *In magnitudine sua posuit nubes*. quod proprie ex Græco legitur; *In magnitudine sua confortavit nubes*. Sed dicendum forte nonnihil inferius, cap. 40. versic. 1.

Devt. 33. 26. Hypallage.

6 Varia expositio.

Et fulgurare desuper. Sententia in Hebræo minus stricta, ut quæ non de *fulgure*, sed *de lumine* in universum agat; quare ex verbo legitur, *Spargit*, aut, *extendit desuper lumen suum*. Quod quidam referunt ad serenitatem, quam Deus potest mirabiliter facere post tempestatem; *extendendo*, id est, rarefaciendo nubes, & rursus per illas jam attenuatas spargendo desuper Solis radios, quorum lumine compleantur sublunaria etiam usque ad *ipsas maris radices*, & profunditates. Cum hoc facit lectio Symmachi; *Et expandit super eam lumen suum*. Augustin. *Ecce fundit super omnia lumen suum*. Sed non cohæret hoc cum descriptione tempestatis. Vatablus, quod doceat modũ, quo nubes generãtur, nimirum extẽdẽdo radios solares super mare, & elliciendo vapores; ii enim, qui e mari excitantur, propria sunt pluviæ materia, ut ipse Aristot. docet, 1. Meteor. Sed hic non tam de generatione aut materia futuræ pluviæ, quam de ipsa jam pluvia, & tempestate coacta sermo est. Alii, quod cum nubes ex parte inferiori atræ sint, at ex superiori illuminãtur a Sole. Sed quid ea collustratio nubium, quã non videmus, afferet nobis spectandum, & admirandum? Quarto Nicetas in Catena legens, *Super ipsum extendit lætitiam*; testatur quoq; alia exemplaria pro, *lætitiam*, habere *Arcum*; ipse intelligendum vult de Arcu cælesti, qui fit ex

Titelmanus. Symmach. Augustin. Vatabl. Arist. Cajetan. Nicetas. Arcus cælestis.

reper-

repercuſſu cæleſtis luminis in nube rorida, cujus aſpectus eſt jucūdiſsimus mortalibus, propter Divinum promiſſum de nō perdenda iterum terra eluvione. & cohærebit quidem hic ſenſus cum tempeſtate, quę hactenus deſcripta eſt; nam ſolet Iris pluvias ulteriores prænuntiare, ut docent Philoſophi. Quare mirabile eſt tempore pluvio nimium triſti, & impedito repente exhilararit mortales Iridis conſpectu ſuper omnia meteora pulcherrimę. nam;

Iris prænuātiās pluvias.

Mille trahit varios adverſo Sole colores

Nuntia junonis varios induta colores,

Virg. 4. Aeneid. Ovid. 1. Met.

Huic exponendi rationi nihil magnum habeo, quod objiciam; quam non videri bene congruentem cum ipſa tempeſtate. nam hæc tunc, cum apppareт Iris, miteſcit, & ſerenat.

Quarto ergo, ſignificare ne voluerit Eliu mirabiles in tempeſtatis generatione, & prænuntiatione nubium cum Sole concurſus, acceſſus, receſſus? *Nam ſi nubes Solem circumcludant, quanto minus luminis reliquerint, tanto turbidior tempeſtas erit. Si in exortu rubeſcant, maxima oſtendetur tempeſtas. Si Sol in exortu lōge radios por nubes porriget, & medius erit inanis, pluviam ſignificabit.* Denique quid in tempeſtate ſapientibus naturæ ſcrutatoribus, non ſignificant nubes deſuper reſperſæ lumine? At his omnibus expoſitionibus, commune illud vitium eſt, quod cum ſecunda parte de *radicibus montium operiendis* non cohæret.

Nubium cum Sole concurrētium prognoſticum.

Plin. lib. 18. c. 35.

7 Sed tādem præluxit reliquis omnibus interpretationibus lectio ſimul, & interpretatio Interpretis Latini, qui *lumē* hoc ad fulgurationem, & fulminationem retulit, quippe mirabile eſt, *coruſcantibus nubium rimis, accenſum ſpiritum elidi ſcintillātibus fulgetris.* Dixi peculiaria quædam de fulguribus, & fulminibus ſupra cap. 28. ſupra id verſic. 13. *Obſtetricante manu ejus eductus eſt coluber tortuoſus.* Vnde, quæ ad hanc rem pertinent, petenda.

Latini Interpretis defenſio, & elucidatio.

Plinius lib. 2. c. 43.

Nunc tantū indicandā lectio Septuaginta Vaticana; nam pro *lumine*, aut, *fulgure*, habent: *Edo, & radices maris contexit.* reliquerunt profecto vocem Hebræā, & dixerunt, *Edo*, quaſi *Oro*, *Or* enim Hebræis lumen eſt. Frequenter autem propter ſimilitudinem *Res*, &, *Daleth*, alterum pro altero ſuppoſuerunt Septuaginta, quod hic quoque contigit: niſi forte legerunt, *Ed*, (quod certius exiſtimo) indeque dixerunt, *Edo*; quod eſt *nubes*, vapor, afflictio, ut ſupra diximus, ſtatimque explicabimus.

LXX. אור

Septuaginta permutātes ר *cū* ד

איד

Cardines quoque maris operiet. Proprie ſunt in Hebræo, *Radices maris*. Quæ ſint autem *radices maris*, quibus incumbat nubium operculum, varia interpretatio. Vatablus intelligit *ſuperficiem maris, quam appellat radicem propter fluctus vagos, qui in diverſa ſcinduntur mare radicis*. Quis hoc ſibi perſuadeat? Nicetas ait, ſignificari *fundamenta maris operta. id eſt, occultata fuiſſe, cum nemo intelligat, a quo nam mare portetur.* D. Thom. & Nicolaus, *Extremitates maris*, nā videtur mare intra nubes incluſum. Dionyſ. *Littora*, ad quæ interdum pertingunt cæleſtes nubes. Alii, extremas maris profunditates, quæ cæleſtis luminis participes ſunt. Alii per *Radices maris*, totum ipſum mare radicitus, quod dicatur *operiri nubibus*, quod cæleſti lumine percuſſum, nubium ſimilitudinem repræſentet. Sed quam longe hæc abſunt a tēpeſtate! Illud proximius, quod *Montes* dicantur *radices maris*, quibus magna ex parte vis maris, & fluctuum incumbere, & allidi videtur, & in illis revolvi. *Operiūtur* igitur *nubibus iſti cardines* in ingentibus tēpeſtatibus; fluctibus maris concitatiſsimis aſperguntur; cælitus quoque tangūtur fulminibus, & coruſcant fulguribus. Sed illud tandem, quod *radices, & cardines maris*, ſint Montes, ratione jam indicata, qua ratione Ionas demerſus cōquerebatur *ſe ad extrema montium deſcendiſſe, & terræ vectibus*, (montibus ipſis, quibus a terra arcetur mare) *concluſum. Operiantur* vero *nubibus* ad ingentis tempeſtatis ſignificationem. Sic obſervat Plinius inter alia tempeſtatum Prognoſtica, *Nubes in cacuminibus montium conſidentes.* Illud tandē non ineptum, quod *radices maris*, &, ut noſter dixit, *cardines*, ſint extremitates maris; rurſus hę pro ipſo mari ponantur, nam mare tanquam extremo termino terra limitatur. Sic appellat David *maris extrema*, Pſalm. 138. 9. & *extremitates terræ* ſunt ipſum mare, a quo dicitur Deus *vocare*, aut *elevare nubes*, Ierem. 10. 13. & cap. 51. 16. Pſal. 134. 7. Quod ipſum exponitur Amos. 5. 8. *Vocat aquas Maris.* Ait igitur; Cum Deus nubes elevet a mari, rurſus ad mare redeunt, & nubibus, pluviiſque in illud influentibus, inſtauratur, & renovatur, quod ablatum illi per vapores fuerat.

)?(

Cardinum, & radicum maris varia interpretatio.

Vatablus.

Nicetas.

D. Thom. *Nicolaus.* *Dionyſ.*

Aſtunica.

Montes cur maris radices.

Ioan. 2. 7.

Cacumina mōtiū operta nubibus, tēpeſtatis prænuntiū.

Plinius.

Radicum maris idonea expoſitio.

Extremitas terræ pro mari.

XXXI. *Per hæc enim judicat populos, & dat escas multis mortalibus.*

1. Deus cum ratione dispensans tēpestates. Indicare, *in bonum, & in malum.*
2. Deus e nubibus tanquam a Tribunali judicans. Ministri adstantes venti, fulmina. Illustratus Ecclesiasticus.

IAM Hæc omnia, quæ de Divinæ Potētiæ effectis disseruit Eliu ad suam rē applicat, id est, non solum ad proponendam Dei majestatem, & potētiam, sed etiam ad justitiam, & Providentiam. *Per hæc*, pluvias, nubes, tonitrua, fulmina, tēpestates denique horrificas, & per alia id genus naturæ opera, *judicat*, curat, prospicit, ostendit se judicare, curare mortalium res; judicio, & ratione cum hominibus agere; rationē exigere. Videntur hęc omnia claudi in originali verbo *judicādi*. Sed cohærebit utraque sententiæ pars, si ex partibus oppositis componatur. Ergo *judicare* erit condēnare supplicio, & pœna afficere, ut etiam Nicetas interpretatur; *His*, inquit, *rebus, quosdam supplicio, quosdam vero præmio, & beneficiis afficit.* Impios itaque obruit pluvia; grādine, pruina, gelu exurit; tonitru territat; fulmine exanimat: At his ipsis rebus locupletat probos viros, *Dans tempora fructifera, implens cibo, & lætitia corda eorum; Implens*, inquam, atque etiā cumulans; quod enim hic dicitur *multis mortalibus*, in Hebræo est, *ad multitudinem*, sive ad copiam, & abundātiā. sive, ut Symmachus dixit, *Præbebit escam copiosam*. Quare cū nubes sint subsellia Dei judicantis, ut nuper dicebamus, elegāter nunc subjungitur, tunc vel maxime, cum Deus se presentem exhibet in nubibus, cum pluit, tonat, fulminat, *judicare populos.* Cumq; e nubibus jus dicit, & sententiam pronuntiat, adsunt statim judicii, sententiæque exequendæ administri, venti, fulgura, & fulmina. Sicut ait David; *Qui ponis nubem ascensum tuū. quo*, ut inquit Theodoretus, *Providentiā ubiq; penetrantem declaravit; qui enim stat supra ventos, & nubes, utilitatē aut incommoditatē, quæ hinc producitur, opportune largitur.* & statim; *Facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignē urentē.* Divini enim judicii, atque sententiæ, venti, & fulmina, perlatores, & exequutores sunt. Ideo apud Ecclesiasticum, 43.3. dicitur, *Imperio suo acceleravit nivem*, (urget enim mortales De⁹ immissis pruinis; imperat, instatque nivi, ut descendat ad homines) *& accelerat coruscationes judicii sui.* (fulgura etiam cū ingenti celeritate illius mandata, & sententiam perferunt, sunt enim ministri *judicii sui; nam per hæc judicat populos*) propterea *aperti sunt thesauri, & evolaverunt nebulæ, sicut aves.* videtur, inquit, *nubes* ad nutum Divinum paratæ, ut cum primum imperaverit, non aliter accelerent gradum, quam aves e carceribus emissæ. nam hæ etiam, præsertim *columbæ*, ut aliquando diximus, Regum & Imperatorum mādata, & nuntia perferebant. Sic sane, & nubes, & nebulę, & meteora, quæ cū mandatis ad nos e superna regione mittit De⁹.

1 Deus cum ratione, & judicio efficiens meteoras impressiones.

Iudicare in bonum.

דין

Cohærentior interpretatio.

Nicetas.

Iudicare in malum.

Act. 14. 17.

Symmach.

2 Deus e nubibus tanquam e tribunali judicans.

Psal. 103. 3. Theodoret. Deum esse super nubes indicat, illas providentiæ subesse.

XXXII. *In manibus abscondit lucem, & præcipit ei, ut rursus adveniat.*

XXXIII. *Annuntiat de ea amico suo, quod possessio ejus sit, & ad eam possit ascendere.*

1. Sententiæ obscuritas. Varia lectio.
2. Quatuor interpretandi rationes Meteorologicæ.
3. Quinta, & sexta expositio moralis. Lux *præmium.* Tenebræ, *supplicium.*
4. Beatitudo, Lux. *Illustratus Ecclesiasticus. Lux Divinæ Gloriæ Symbolum, discernit justos ab improbis.*
5. In unica Solis luce continetur ferme universitas creaturarum. Solis elogium. Ad Divinam lucem omnia reduci.
6. Deus in corpore luminoso apparens Moysi. Illustratus Ezechiel.

LOcus hic illustris sane est, non tā lumine, & claritate, quam obscuritate, & tenebris; & quod in rebus obscuris accidit, multis scatet, sed incertis interpretationibus. Quas neque inutiliter colligemus, neque facile optimam eligemus: incerta enim omnino est illa germana, & simplex. Ergo lectori tres interpretandi rationes Meteorologicas proponemus; Physicam, & naturalē unam, duas Tropologicas, Anagogicam unam. Cū vero Tropologiam, aut Anagogiam nomino, materiam tantum nomino, non discrimen a sensu litterali; nam proculdubio primus, & litteralis sensus inter has omnes explicationes delitescit.

1 Sententiæ obscuritas.

Proponenda primum, sed leviter Hebræa, & Græca lectio, nō valde a Latina discrepantes, sed quibus tanquam fundamentis aliorū interpretationes erigātur. Sic igitur ex Hebręo, *Super manus*, aut, *super nubes operuit lucē, & præcipit super eā*

Varia lectio.

occurrenti, aut, *rurſus advenièti. Annuntiabit ſuper eũ amico poſſeßionē, ad aſcendendã*, harum vero lectionum poſt enarratas interpretũ ſententias, rationem ſingulatim reddemus inferius. Eadé fere eſt Græca; ſed nonnihil variata cõſtructione; *In manibus contexit lumen, & mãdavit de ea in occurrenti. Annuntiabit de eo amicum ſuum, Dominus poſſeßio, & de injuſtitia.*

2

Prima exponẽdi ratio Meteorologia.

Prima igitur interpretandi ratio, ut adhuc in materia Meteorologica nubifera verſetur, & hac quaſi clauſula muniat totam de nubibus orationem; Tantæ Deus Potentiæ eſt, ut *manibus*, virtute, & potẽtia *abſcondat*, operiat, & cõtegat lucé Solis, & maximum illum, & ſplendidiſsimũ ignem quaſi oppoſita manu, ſic oppoſita, & offuſa nube obſcuret, & involvat: rurſus pro ſua potẽtia, & præcepto disjiciat nubes, & redivivum reſtituat Solé mũdo, atque luce ipſa faciat ſpem ſuis amicis, & Providentiæ ſuę cultoribus fore, ut tũ ex opportuno imbre, tum ex luminis efficiẽtia, & ſalutari calore fruges coaleſcant, foveantur, & proveniant in magna ubertate; ſicque ipſi ad uberrimorũ fructuum, & bonorum poſſeſsionem pervenire poſſint. Cohæret hęc exponẽdi ratio, cũ illo judicio ſupplicii, & præmii, quod præcedente verſiculo propoſitum eſt.

Secunda expoſitio de fulminum generatione.

Vatabl. Tygur. Oſorius.

Secũdo, Vatab. Tygur. & aliorum, qui hos frequenter imitantur, ut res hæc pertineat ad generationẽ fulminũ. nam non videbatur res tam mirabilis contẽnenda in deſcriptione tẽpeſtatis. Tygur. *Nubibus includit exhalationẽ igneam, eique præcepit, ut tendat contra occurrentẽ vaporem, nũtiatque illi ſocia ejus, quod indignetur vapori aſcendenti.* Datur videlicet more poetico perſona his rebus inanimatis, nubibus, vapori, exhalationi, fulmini, tonitruo, & fragori nubium ſciſſarum, totaq; res fulminum repręſentatur ſub trãſlatione duorũ fortiſsimorum ducũ prælium cõmittentium, in hanc ſententiam; Auctor naturæ *abſcondit lucẽ*, id eſt, *educit calorẽ, & vaporem ſiccum, & calidũ, unde ſunt fulgura*; & claudit ſub nube: tunc Deus præcipit, ut ei vapori occurat alia exhalatio frigida, & impellatur, donec inflammata rumpat nubem. Sic videtur exhalatio calida annuntiare amico, id eſt, cõfortare ſe ſe, quaſi ingenti voce poſtulans opem, & indignari, quaſi aſcendens, & nitens adverſus exhalationẽ humidam, ut illam ſuperet; Hæc fere mens Vatabli.

Generatio, & eruptio fulminũ inſtar prælii.

Vatabl.

Tertia expoſitio de nubium cõgregatione.

Terta, Cajetani Meteorologica quoq; ſed non de fulmine, verũ adhuc de nubiũ generatione, & conglomeratione; Nubibus quippe imperat Deus, tanquã obſequẽtiſsimis famulis, ad heri ſui pręceptũ in aliquem præſcriptum locũ ſibi obviam concurrentibus, in hunc videlicet modũ. Cum nubibus *abſcondit*, & occultat lucem Solis, præcipit uni nubi, ut adveniens obviam alteri, adhæreat priori: & ſic nũtiat nubes unã alteri ſociæ ſimili advenienti poſſeſsionem, & acquiſitionem fieri vaporum aſcendentium, & concreſcẽtium ad locum, ubi nubes generantur: ſic nubes nubem advocat, & invitat ad aſcẽſum in *Aethera*, ac ſecum videntur vapores excitatos evehere.

Quarta interpretatio de viciſsitudine Lucis.

Quarta interpretatio eſt Græcorũ, ut ſermo ſit de dierum, ac noctium viciſsitudine; Poſtquã enim noctu lumen occultavit, quaſi oppoſita manu, *præcipit Soli*, & diei, ut *adveniat*; aut præcipit nocti, ut occurrat Soli cadenti. quarum rerum ſublimium, quæ Divinæ & voluntati, & poteſtati, tanquam propria, & peculiaris *poſſeſsio ſubjecta ſunt, cognitionem amicis ſuis impartitur.*

3

Quinta expoſitio de pluviis immiſsis propter impietatẽ.

Si vero referamus non jã ad rem Meteorologicam, & Phyſicã, ſed ad id, quod proxime præceſſerat Divinæ Iuſtitiæ, & Providentiæ laudem, *per hæc enim judicat populos, &c.* tres itẽ alii ſenſus conficiuntur a Latinis, Ergo quinto, Deus *in manibus* noſtris, id eſt, propter noſtrã opera ſi prava ſint, abſcondit lucem Deus, & cæli ſerenã faciem mortalibus eripit; noxios, perpetuosque imbres, & ſævas tempeſtates immittit. Qua de re ſuos amicos admonet, ut ſibi ocurrant, & obviam adveniant orando, ut placatior fiat, & ſerenum poſt tempeſtatẽ faciat: lucemque, cujus ipſe eſt ditiſsimus, impertiatur mortalibus, cujus obtinendi ſpem ipſe ſuis amicis non dubiam facit,

Sexta expoſitio de premio Iuſtorũ depoſito apud Deũ.

Sexto, Deus ſupremus arbiter humanarum rerũ *in manibus ſuis*, & in ſua virtute, & Providentia *lucẽ*, præmiaque continet piorum, tum etiã improborum ſupplicia. *Si manum aperiat*, bona, lucẽque jucundiſſimam elargitur; ſi comprimat, *abſcondit lucem*, bonaq; omnia eripit; pro ſua iterũ potentia jubet, ut *nova lux oriatur, gaudiũ & tripudiũ.* his jam rebus, id eſt, præmiorum, & munerum, atque ſuppliciorũ etiã viciſsitudinibus, ad ſuam amicitiã excitat mortales, & ſpem illis injicit fore, ut ad bonorum omnium poſſeſsionẽ Deo propitio atque benevolente *aſcendere poſsint.*

Lux, felicitas

4

Septimus explicat anagogicus de Luce Dei, & Beatorum.

Septimus tandem explicatus, & is anagogicus, Cum de *luce*, quæ tot tamq; varias viciſsitudines habet, diſputarit Eliu, atque de nubibus, quæ nunc nobis ſolem

eripiunt: nunc recedentes, & evanescētes eundē nobis restituūt, & cū in universum de lucis ac tenebrarum vicissitudine disseruisset, oportunitate, & rei similitudine excitatus: ad Deum, qui lucem habitat, inaccessibilem mēte, cogitatione & oratione effertur; Asseritque Deum proposita hujus *lucis* diurnæ vicissitudine cum tenebris, & pugna cum obscurissimis nubibus, quasi nuntio quodam misso ad suos amicos illos admonere, Thesauros habere apud se inexhaustos inextinguibilis lucis, nunquā obnubilandæ, nonquam cū tenebris commutandæ, lucem illam non *orir super bonos, & malos, & super justos, & injustos*, sed solis justis, atque amicis affulgere: de ea enim Scriptum est; *Lux orta est justo, & rectis corde lætitia*: Hac luce cōpleri civitatem supernam immortalium civium; *Nō enim indiget Sole; lucerna enim ejus est* Deus ipse: Hanc ipsam lucem esse, quæ immortales spiritus, cum transformātur *a claritate in claritatem*, in eandē quasi lucis imaginē *transformat*; & sicut stellæ videntur esse quædā exiguę Solis imagines, ita sanctos, & beatos omnes super lucentis Solis imagines futuros, *fulgentes tanquam stellas in perpetuas æternitates*. Hęc amicis suis nuntiat Deus per internuntios hujus visibilis, deficientisque lucis radios; Sicuti Sapiens scripsit; *Sol in asp ctu annuntiās in exitu*. Quid, inquam, annuntiat exoriens Sol? quidam putant annuntiari ab illo *lucem*. Sed frigide. quid enim annuntiari indiget, quod videtur? illud verius. *Annuntiare Gloriam Dei*, quā *Cæli*, quoque *Enarrant*. Sed quid existimas annuntiari a Sole exoriente *Dei Gloriam*, quam esse illum Dominum, & Regē gloriæ? id est, in Solis Imagine, & lucis splēdore, *annuntiare Deum suis amicis*, lucem esse ipsam Dei possessionem, atque Thesauros. Habet profecto ille *thesauros grandinis, nivis, pluviæ, ventorum*, habet præterea recōditos in terræ visceribus thesauros alios auri gemmarum, ex illis depromit, quibus terram locupletat, ex his, quibus ventrem, & famem mortalium adimpleat: denique *impleta est terra possessione illius*. Sed hæc non sunt propria & peculiaris *Dei possessio*, ut quæ omnibus cōmunis sit. *Luce* tantum continētur illius peculiares thesauri, & opes, de quibus *suis* tantum *amicis annuntiat*, communicat, ex quib⁹ suos amicos ab inimicis discernit, ut illi *limpido illuminentur lumine, & ubicunque habitent, lux sit; at isti, vinculis tenebrarum, & longæ noctis compediti, horrende paveant, & admiratione nimia perturbentur.*

Thesauri Lucis repositæ apud Deū suis Iustis.

Matth. 5.45.

Psal. 96.11.

Apoc. 21.23.

2. Cor. 3.8.

Dan. 12.3.

Ecclesi 44.1.

Tygurina.

Psal. 18.1.

Lux glorię Divinæ symbolum.

Iob. 38.22.

Psal. 103.22.

Sap. 17.20. Exod. 10.23.

5

Ergo sciendum, quod si *Solis* divitias (quis enim dubitet esse creaturarū inanimatarum, sicut illustrissimam, ita omniū commoditatum, & bonorum ad mortaliū vitam opulentissimam) si illius, inquā, opes explicare vellemus, certe diceremus illius universam possessionem esse *lucem*; in illorum prįsertim sententia, qui omnē Solis efficientiam, omnemque vim agendi in solo lumine constituunt. Quare in Solis lumine cōtinetur temporum vicissitudo, fructuum proventus, animalium, atque plantarū vita, terrę species, & pulchritudo, aeris varietates, forma colorū, terræ metalla, & lapides pretiosi; Maris gemmæ, & uniones, Stellarū species, Lunę varietates, Meteororum generationes mirabiles; *Cæli* (ut Plinius dixit) *lætitia, humani animi serenitas*. denique nō modo temporum, sed terrarum, siderumque etiam ipsorum regimen ductusque certissimus, & indefatigabilis. Id quod Dionysius videtur significasse cum de *luce* ad Divinæ bonitatis thesauros relata disserit, de Div. nom. cap. 4. *Clara* (inquit) *expressaque divinitatis imago est magnus hic Sol, totus lucens, ac semper splēdidus, omnibus etiā, quæ ejus lucem capere possūnt, collucet; habetque lumen per omnia diffusum, sursum, & deorsum ac si quid est, quod eo non participet, id ejus luminis tenuitati, aut parvitati, nō est tribuendum, sed iis, quæ quia apta non sunt ad capiendum lumen, ad illud capiendum non explicantur. itaque illius radius immensa splēdoris magnitudine penetrat, ad vitā excitat, alit, auget, absolvit, purgat, renovat: ac lumē mensura est, atque numerus horarum, dierū totiusque nostri temporis: colligit convertitq; ad se omnia, quæ videntur, quæ moriūtur, quæ illustrantur, quæ calescunt, & uno nomine, ea, quæ ab ejus splendore continentur: itaque* ἥλιος, *id est, Sol dicitur, quod omnia* ἀολλὴ *ποιεῖ, id est, congreget, colligatque dispersa, eaque omnia eum expetunt, quæ sensu percipiuntur, aut quod cernere cupiant, aut sentire, illustrari, calescere, omninoque contineri a lumine*, Sic ad spiritualem summi boni lucem revocat omnia, quæ creaturæ sive rationales, sive irrationales participant, & quasi divinitatis Thesauros omnes in uno lucis nomine contineri docet; quasi sola *Lux possessio illius sit*, ad illam omnia *congregat, colligitque* dispersa.

Solis divitiæ, Lux.

In unica Solis luce universitas rerum cōtenta.

Plin. lib. 2. c. 6.

Dionys. de Divin. Nom.

Solis elogiū

Ad Divinā lucē omnia revocātur.

6

Quare cum aliquādo videndę Divinitatis desiderio inflammatus, petisset Moyses, *Ostende mihi faciem tuam*, respōsum accepit, Ego *Ostendam tibi omne bonū*. id est, omnis boni, omniumque mearum divitiarum, atque possessionis speciem

Qualis Deus visus.

quandam tuis oculis objiciā. Objecit autē Deus corpus quodam ſplendidiſsimū; neque eam partē objecit quæ nimio ſplēdore illius oculos præſtingeret, aut ulla molleſtia afficeret; ſed poſteriorē, cujus lumen eſſet ita humanis oculis attemperatum, ut ſimul oculos atque animum incredibili voluptate compleret. *Annuntiavit* igitur tūc *Deus ſuo amico, quod lux poſſeſsio ejus ſit, & ad eā poſſet aſcendere.* Quare cum aſcendit in montem, ex conſortio ſermonis Dei, ſplenduit totus, & coruſcavit Moyſes, *ita ut non poſſent in illū intēdere filii Iſrael, propter gloriam vultus ejus.* Cum vero ingētibus ſuis donis locupletat ſuos amicos; non ſolum ſervos, & famulos; uti erat Moyſes, vult illos eſſe atque effici *Lucem mundi*; non enim habet aliquid pretioſius aut melius, quo illos exornet. Cum ſuā ſponſam Regalibus, iiſdemque Divinis veſtimentis condecorat, *luminibus* totam conveſtit, *Sole amicit, Lunam illius pedibus ſubjicit, duodecimq́; ſplēdidiſsimorum aſtrorum cæleſtiū, coronam* illius capiti imponit. Et vero quā aliam Stolam ipſe ſumit, quam lucem? *Amictus* videlicet *lumine ſicut veſtimento.* Cum ſua ſubſellia Divino apparatu conſtitui vult ante mortalium oculos, *nubes lucida* explicatur, quæ ſuo ſplendore præſtringat noſtros oculos, & veluti excæcatos obumbret. Cum *curru* vehitur illius *gloria*, quadrigis utitur totis collucētibus, & *ſcintillantibus*. Quid enim exiſtimas, aliud fuiſſe illos *oculos* Cherubinorum, quibus *pleni erant ante, & retro, quam ſcintillas quaſi aſpectu æris candentis? univerſus vero illorum aſpectus lampadarum, & viſio diſcurrens in medio animaliū ſplēdor ignis, & de igne fulgur.* Quod ſi ſplēdor ille ſuprem nubibus utitur, tunc ſane Arcū efficit, ut lumine reflexo in nubibus, omnem ſuam *poſſeſsionem in luce* demonſtret. Denique cum ſpeciē regni, magnificentiæque ſuæ oſtentat hominibus, homo factus, *reſplendet facies ejus ut Sol*: veſtimenta autē ejus lumine tota perfuſa, *fiunt alba ſicut nix*; atque eo oſtentat, ut certā ſpē injiciat, mortalitatis tenebris circūfuſis mortalibus, *poſſe ad* illius claritatem, & mōtem luminum cum illo *aſcendere*.

Vide Abul. q. 19. 20. 21. in Exod.

2 Cor. 3. 7.

Matt. 5. 14.

Apoc. 12. 1.

Pſal. 103. 2.

Matt. 17. 5.

Ezec. 1. & 10.

Matt. 17. 5. Marc. 9. 2. Luc. 9. 28.

Iam, ut hoc verbo claudam, cum audis *tenebras*, omnia mala intellige; cum audis *lumen*, omnia bona concipe. Dei *poſſeſsio lux eſt*, id eſt, Omnium eſt bonorum aggregatione perfectus.

)?(

XXXII. *In manibus, &c.*

XXXIII. *Annuntiat, &c.*

7. *Germana lectio*
8. *Nomen* manus, *&* nubis *an ab eadem radice. Illuſtratus Samuel, Moyſes, & Ieremi.*
9. Advenire *quid proprie*
10. *Varia conſtructio* Græcorū *Interpretatio. Societas, & fraternitas tributa rebus inanimatis.*
11. *Vulgata defenſio. Non ſemper* Naſus *pro ira.*

IAM Nunc ad ſingularia hujus ſentētiæ, & varietatē lectionum, atque vocum accedendū; quæ varietati interpretationum aditum patefecerunt ampliſsimū. *In manibus.* Mirabilis eſt illa Gregorii lectio, *Immanibus abſcōdit lucem, Immanes* (inquit) *ſunt, qui ſe elatis cogitationibus extollunt: ſed his immanibus lux abſconditur, quia ſuperbientibus veritatis cognitio denegatur.* Contraxit eandem lectionis maculā, Nicolaus, & Hugo; præterea nemo: nā illā agnoſcunt omnes, quæ eſt præ *manibus*, & quam Græci cum Latinis habent. 7

Gregorius.

At Hebræi *manus* non inveniunt; *nubes* tantū vident: diſcrimen ex eo natū, quod *Caph*, quæ eſt vola manus, & per Synedochen tota ipſa manus, volunt etiam *nubē* ſignificare, ſed qua analogiæ ratione, nūc quæramus. *Caphaph*, quidē in eſt *curvare*, aut *incurvare*, inde *Caph*, manus, vel pugillus, aut vola, & curvatura manus, tum etiā planta pedis, aut media illa pars, vertitur ab Interprete Latino *manus, pugillus, veſtigium.* Hebræi ergo volunt *nubē*, præſertim parvulam, habere ſimilitudinē volæ *manus*, quare & volunt ſumi pro *nube*, ſicut dictum eſt. 3. Reg. 18. 44. *Nubecula parva, quaſi veſtigium hominis.* Quod ex Hebræo poteſt legi indifferenter ad manū vel pedem; *quaſi vola hominis.* Sed hæc analogia non uſquequaq; vera eſt, cum non ſemper tempeſtas, aut pluvia, initiū ſumant ex nubecula parva, neque videātur nubes curvitatē manus aut pedis humani repræſentare. 8

כף

כפף

Idem nomen manus, atque nubis.

Quomodo Dextera ſua protexerit faciē Moyſis.

Confirmare tamē ſecundo nititur Pagninus hanc *manus*, & *nubis* analogiam ex illo Exod. 33. *Protegam te dextera mea, donec tranſeam.* Ubi perinde id eſſe putat, ac ſi dixiſſet: *protegam te nube mea*; quod non videtur alienum ab eo loco. Nam ſi corporali ſpecie tranſiturus erat Deus corā Moyſe, qua ratione deberet *dextera ſua tegere* illius faciem? ergo opportunius videbatur, ut oppoſita nube prohiberet cōſpectum, & ſpeciē corporis luminoſi trāſeuntis. Sed eſto dicamus illā *Dei dexterā*, fuiſſe nubem aliquā Dei potētia effectā,

Pagninus.

Abulenfis.

ut Abulenfis afferit eo loco q. 19, nõ ideo confequitur, ut nomẽ originale *manus*, fignificare debeat, aut poſsit *nubẽ*, fed tantum dexterã, aut manum, id eſt, quidquid Dei virtute, & potentia mirabiliter efficitur.

Tertio ubi legimus Thren. 3.14. *Levemus corda noſtra cũ manibus.* Hebræi legũt: *Levemus corda noſtra ad nubes.* Sed incommode, & invite. Ergo illa eſt vera, & germana lectio; *in manibus.* Quod vero Regia hoc loco legit; *Super devexa operuit lucem.* videtur reſpexiſſe, ad ſuperiorẽ faciem nubium convexam, quæ lumen Solis excipit; eademque illud nobis occultat. Sed quidem radix *Caphaph*, nihil niſi curvum, aut concavũ ſignificat; devexũ, aut declive nunquam.

Parum cõmoda trãſlatio Regia.

9

LXX. Advenite

Et præcipit ei, ut rurſus adveniat. Proprie ex verbo legitur in Hebræo: *Præcipit ſuper eam in obviante.* ſive ut Septuag. *In occurrenti.* a verbo *Pagagh*, quod eſt occurrere, & obviare. & ad *Orationẽ* ſolet pertinere, ut indicavimus in quinta Interpretatione: tum etiã ad contrarietatẽ, & reſiſtentiã rerũ contra ſe mutuo pugnantiũ. quod reſpiciebat ſecunda Vatabli expoſitio: atq; id ipſum indicavit Auguſtini lectio; *Mandavit de eo in contrariam.*

Auguſt.

Varia conſtructio.

Annuntiat de ea amico ſuo. Hebræa conſtructio indifferens eſt ad varias etiã Latinas conſtructiones. *Annuntiat amico*, vel *annuntiat amicus*, vel, *ſocius.* vel cũ Septuag. *Annuntiabit de eo amicũ ſuum.* Sed prima conſtructio, quã Latinus Interpres elegit, congruentior eſt, & Hebraizantibus nõnullis probata, ut Cajetano. Quod vero illæ res inanimatæ dicãtur amicæ, & ſociæ inter ſe, non eſt præter conſuetudinem Scripturarum; nã res ſimilis, & cõpares vocare ſolent nõ ſolũ amicas, aut ſocias, ſed etiam ſorores; ut cortinæ, quæ *conſociabantur*, id eſt, nectebantur, Exod. 26. 3. Quare non repugnat, quod vapor diceretur amicus, & ſocius alterius vaporis; & nubes comparis ſocia, atque adeo ſoror, ut volebat tertia Cajetani interpretatio.

LXX.

Rebus inanimatis tributa amicitia, & fraternitas.

Cortinæ Sorores appellatæ.

Cajetan.

Vatablus.

At illud valde arduũ, & difficile, quod nitebatur ſecunda Vatabli interpretatio; velle amicitiam conſtituere inter nubẽ, & fulgur, atque exhalationem fulminarẽ: quæ non magis coibunt in unam ſocietatem, quam ignis, & aqua.

10

Duplex Græcorum expoſitio.

Sed duplex præterea non prætermittẽdus ſenſus indicatur a Græco Scholiaſte. Prior, ut cum interrogatione legamus, in hanc ſententiã: Nunquid de hujus rei effectione aut cum altero deliberat Deus, aut vero communicat? vel, ut Chryſoſtomus ait; *Nunquid Deus de ſua poſſeſsione cũ aliquo cõmunicavit, de ratione quemadmodũ exardeſcat, & animadvertat in facinoroſos?* Poſterior, qui cum Septuaginta, & Symmacho, & cum noſtra lectione convenit, ut aſſerat, *Deum harum rerum cognitionem ſuis amicis impartiri.*

Chryſoſtom.

II

Naſus nõ ſemper ad iram.

Quod poſſeſsio ejus ſit, & ad eam poſsit aſcendere. Quia in Hebræo ex verbo habetur; *Poſſeſsio* vel, *acquiſitio facici*, aut *naſi*, exiſtimant pertinere ad indignationẽ, & excandeſcentiam, quæ facie proditur, & naſo fumat. quare Symmachus legit; *Zelus de injuſtitia*: quod Chryſoſtomus interpretatur *Dei excandeſcentiã, & animadverſionem in injuſtos.* aut etiam, quod Deus, *Annuntiabit amicis ſuis, ut illius Sapientiæ poſſeſsionem, non item quæ injuſta ſunt, conſequãtur.* Auguſtinus interpretatur, *Dei poſſeſsionem contra eos, qui aſcendere nituntur.* Alii Hebraizantes, quod indignetur, vel *iraſcatur* exhalatio calida contra vaporẽ aſcendentem. Sed in ſententia, & verbis tanta obſcuritate ambiguis, potuit ſumere Interpres illam primam vocem per ſe, ut ſit id, quod Deus annuntiat, *poſſeſsio* ſupple mea eſt *lux*, quã abſcondo, quam profero. rurſus vocem aliam *naſi*, aut *faciei*, non ſumpſit metaphorice, pro ira, & indignatione, ſed proprie pro facie, & parte anteriori, verſus quam progredimur; quare dixit *ad eam aſcẽdere*, quaſi facie ad illam converſa; quod & ſentẽtiam habet congruentem, & ſenſum ſublimem, ut in ultima exponendi ratione oſtendimus.

Symmach.

Chryſoſt.

Auguſt.

Vatab. Tyg.

Naſus, & facies proprie.



PARA-

CAPVT XXXVI.

PARAPHRASIS Capitis præcedentis.

NOTATIO *RERVM INsigniorum, quæ in Commentariis fusius explicantur.*



1 *Addes quoq; Eliu, hæc loquutus est.*

VRSVM VERO ELIV Instaurans orationem suam, suum quoque exordiolum præmittit; & in auditore quidem audiētiam requirit, & vel ambitiose vel artificiose attentionem captat. Cum enim alii amici ternis omnino vicibus disputaverint, atque ter quoque ipse disputationē suam instauraverit; jam quasi elatus dicēdi studio, multaque loquendi, uberiorem se atq; fœcundiorem orationem de Deo allaturum pollicetur, atque in hæc verba exorditur.

2 *Sustine me paululum: & indicabo tibi: adhuc enim habeo, quod pro Deo loquar.*

Nihil est, amice Iob, quod verearis obrui orationis meæ gravitate & pondere. Nam quid ego dicendo, nisi perparum valeam? paululum itaque tantum expectare te jubeo, paulisper me dicentem suffer; quamquam fieri possit, ut brevi oratione, plura tua in dicendo errata uno dicto, quasi uno digito prosternā: nam Divinam causam tueri adversus tuam temeritatem numquam desinam, quippe multa mihi Deo suggerente, atque etiam impellente, & præcipiente ad dicendum suppetunt. Nā quæ illius est sapientia, sapienter utique providit, ut & ignorantiæ amicorum, & tuæ temeritati meis ergo sermonibus opitularer. Tuum igitur erit silere, & attendere, meum usque loqui.

3 *Repetam scientiam meā a principio, & operatorē meū probabo justum.*

Paulo itaque altius disserendi initium sumam; & quid verissimum in hac re constitui inter nos oporteat ex paulo remotioribus, sed necessariis principiis efficiam: atque ex ipsius naturæ, & creationis operibus probabo, nihil a Deo sine summa æquitate, rationeque cōstitui. In qua re nihil mirum, si quædam repetam ex superius dictis: nihil tamen dicturum me profiteor, quod mihi, vobisque exploratū perspectumque non sit. Neque vero officio deesse nō possum: nam summum rerum omnium opificem, qui primā hominis naturam, atq; meā quoque mirabili arte, & industria elaboravit, meritissimis laudibus prosequar; &, qua fieri potest ratione, vicem tanti beneficii rependam. Quod meum igitur est, o Iob, præstabo: & Divinā æquitatem adversus tuas calumnias, & loquendi petulantiam, asseram. Tu vero sentito, ut voles.

4 *Vere enim absq; mēdacio sermones mei: & perfecta scientia probabitur tibi.*

Verissima sane ego pro veritate afferam, simplicia, solida, nullo mendacii fuco. Quare si sapis, universa, quæ dixero, probata tibi erunt: atque ex illo, quod tuo judicio constitutū esse oportet, nimirū Deum esse sapientissimum, propterea que justissimum, atque providentissimū, meæ orationis initium auspicabor. Interim tu, Deus optime, atque sapientissime, cui proculdubio meum dicendi studium, singulaque mea verba probata erunt, illam Iobo injice mentem, ut & illi probata sint.

5 *Deus potētes nō abjicit, cum & ipse sit potens.*

Primum ergo inquiramus cur tam frequentibus, tamque gravibus ærumnis Deus exercere velit homines potentia atque opibus præcellentes, atque incredibili bonorum omnium copia paulo ante redundantes; cum ipse Deus optimus bonorum omnium abundantissimus sit, ac nulla non re optima præcellat? [a] An quia, cū Deus potentissimus atque sapientissimus sit, hujusmodi magno corde viros

a *Quæ sit amoris, aut invidētiæ causa, & ut Deus omnia sibi similia esse velit, nō item homines, qui sibi similibus detrahere, & invidere solēt; copiose, & utiliter tractatur, n. 4. 5. 6. 7.*

mag-

magnaque potētia, propter animi livorem opprimere velit? sed absit a Deo totius bonitatis fonte, invidētia. An quia potētes solo potentiæ, & fortitudinis nomine suspecti illi sint, atque propterea omnem occasionē illos perdendi aucupetur? sed absit a Deo calumnia. An quia tam delicati stomachi, tamque morosi palati Deus sit, ut sine ulla causa ad res humanas, humanamque omnem amplitudinē, & dignitatem nauseet? sed absit ab illo omnis inutilis, & odiosa morositas, omnisque importuna mentis difficultas. Ergo in Deū, qui infinitis partibus omnem creatam potentiā superat, qui natura sua bonus est, qui creaturarum pater indulgentissimus, qui humanæ omnis potentiæ, atque dignitatis auctor; neque invidentia, neque odium neque fastidium cadere ulla ratione potest: a quibus profecto tantū abest, ut, quantum fieri potest, reliqua omnia simillima sibi, & charitatis vinculo, quæ ex similitudine nascitur, devincta esse velit, atque eas semper cogitationes suscipiat, quo modo universis benigne faciat.

Nihilo tamen minus nullius, quāvis potentissimi hominis aut potentiā reformidat, aut sceleribus connivet: pauperes vero atque impotentes sua ope minime destituit, sed omnibus ex æquo jus dicit æquissimum. Impium solo impietatis nomine digna morte, merentē afficit, nunquam passus improbitatem vivere. Itaque cum adversus potentiam, adversus divitias, adversus humanam omnem amplitudinem indignatur; adversus improbitatem profecto indignatur; quā etiam justo prosequitur supplicio, sit licet cum paupertate conjuncta: quamvis frequenter his subveniat propitius, quibus propter mānsuetudinem, & modestiam insolentissimi divites molesti, atque injurii existunt.

6 Sed non salvat impios, & judiciū pauperibus tribuit.

Prospicit igitur diligentissime innocētum saluti, & incolumitati, nunquam suæ Providentiæ, atque tutelę oculos ab illorum commodis, rebusque dejiciens, nunquamque permittens diutius justum hominem, quicumque tandem ille sit, ab iniquissimis Tyrannis vexari; nam pietatem ille ubicumque tandem sit, non solum oculis, sed maximis honoribus atq; amplissimis beneficiis prosequitur, defixis semper, rectisque luminibus in illa contemplanda, illiusque commoditatibus prospiciendis.

7 Non aufert a justo oculos suos, & Reges in solio collocat in perpetuum, & illic eriguntur.

Atque adeo sanctos homines regalibus plerūque honoribus exornat, & in firma, stabiliq; Regni sede, clarissimis Trophęis nobilitatos amplificat. Quodsi ad tempus aliquod, sanctitas & innocentia ærūnis ac paupertate exerceatur, tamen fine quodam fælicissimo, atque honorificentissimo concludetur, quam deinceps ita tuebitur, ut majoribus indies muneribus, & opulentia afficiat, nisi in dignitate regni semel adepta rursus insolescat.

8 Et si fuerint in catenis, & vinciātur funibus paupertatis:

Verum enim vero cum ex summo dignitatis, & potestatis fastigio ad carcerem, & vincula, atque rerum omnium indigentiam quis recidit, certe in causa sunt illius scelera, quæ meritis superbiæ, & Tyrānidis suppliciis Deus prosequitur. Quippe non raro variis fortunæ casibus, regnorumque vicibus, qui nuper fæliciter regnabat, potētioris Regis mancipium durissimā cogitur servire servitutē omnis generis calamitatibus irretitus, atque vinculis etiam inextricabilium suppliciorum constrictus; egestatis potissimum, cujus ad cruciandū vis est incredibilis. Illud vero agit, & curat supremus judex, ut vel ex suppliciis sua scelera recognoscant, & ad saniorem mentem adducat, certoque tandem sibi persuadeant Deum esse scelerum vindicem severissimum. Interim mirabilis est improborum omnium stupiditas, ut cum omnibus sceleribus contaminatissimi existant, vix unquam de illis cogitent, ac opus quidem sit ipsa illorum peccata ob oculos subjicere, & quasi digito indicari, ut ea tandem cognoscant, in quæ cæci, præcipitesque ruunt! In quos profecto omnis æquitatis oblitos, omnem Tyrannidem exercentes, omnique iniquitate

9 Indicabit eis opera eorum, quia violenti fuerunt.

subje-

subjectum populũ vexantes, potentissimi numinis vindicta incũbet.

Sic Deus optimus solet eos, quos peccati voluptas, atque improbitas surdos Divinæ vocationi reddiderat, per flagella, & supplicia expergefactos, ad auditum, & attentionem revocare: audientibus vero atque intẽdẽtibus instillat salutaria monita, opportunas correctiones adhibet, & sanctæ obedientiæ, verissimæq; pœnitentiæ certas rationes, præceptaq; præscribit: atq; interius quasi ad aurem personat, & nunc levioribus suppliciis aurẽ vellicat: nunc acrius pungit ea mente, ut ab iniquitate avocet, & ad se ipsum paterna sane charitate mortalium errata flagellantem, convertat.

10 *Revelabit quoq; aurem eorum, ut corripiat, & loquetur, ut revocetur ab iniquitate.*

Si Divinæ igitur admonitioni, & voci audiẽtes se præstiterint, supplicesque illi obsecundaverint, quod reliquum vitæ fuerit, bene ac beate conficient, omnibus jucunditatibus circumfluentes. Sin minus Divinum imperium detrectaverint, configentur acutissimis supernę vindictæ jaculis, tandemque digna stultis, & Deũ ignorantibus nece interibunt. Quam vero miserum est, brevissimam sceleris voluptatem diuturna multorum annorum, multorumque suppliciorum pœna persolvere! porro quam beatum, patientiam ærumnarum, & obedientiam Divinæ legis vitæ longissimæ, simulque suavissimæ, atque speciosissimæ jucunditatibus cõpleri! Ergo salutare illud consilium est, cito, non sero sapere, & tum insita naturalique ratione Deum agnoscere, tum illum præceptis obsequentes religiose venerari.

11 *Si audierint, & observaverint, complebunt dies suos in bono; & annos suos in gloria.*

12 *Si autem nõ audierint, trãsibunt per gladium, & consumentur in stultitia.*

Et ut nemo suas ærumnas a peccato, & scelere excusare possit, certe manifeste refelletur publicis eorum hominum suppliciis, qui licet æterna sanctitatis specie fulgeãt, at interna, & vera destituũtur. Odiosum profecto genus hominum, non solum impiorum, qui cum impii sint, callide & malitiose simulare conantur, quod corde gestãt, pietatem semper, quam oderunt, habentes in ore, & impietatem religionis facie obnubentes. Hi profecto statuentes, suarum ærumnarum causam non ex suis peccatis, sed ex Divina indignatione sumẽdam, Dei iram minime leniunt, sed potius accendunt, & exsuscitant: nam tantum abest ab illis Dei commiseratio, quantum ipsi ab ope, & auxilio suppliciter implorando.

13 *Simulatores, & callidi provocant iram Dei, neq; clamabũt, cum vincti fuerint.*

Ergo pereunt misere, nõ minus stolidi, quã [b] si infantes decederẽt sine ulla rerũ scientia, & experimẽto. Et quidẽ quãvis provectę ætatis sint, superioris tamen ætatis improbę, & omni scelere inquinatæ pœnas tãdẽ ab illis exigere solet Divina vindicta, quæ illorũ res omnes, vitamque ipsam instar sevæ cujusdam atque horrificę tẽpestatis excutit, disjicitque, atque sceleratissimos homines non minus morti immaturos, quam si pueri essent, acerbissime aufert, sanctorumque Angelorum ministerio usus, illorum potentiam, qui effœminate vivebant, & mollissime luxuriabantur, nullaque ratione videbantur virtute mascula resistere posse ærumnis, & difficultatibus, ut qui nihil forti, & cõstanti animo sustinere volent, extremo supplicio affectos ante omnium oculos turpitudinis nefandæ damnatos, & inextinguibili incendio destinatos traducit. Non solum vero divites superbos conterit Deus, & vellicat eorum aures, ut admoniti resipiscãt, sed etiam exercet doloribus, & ærumnis, ut ad obedientiam adducat, obedientes vero tandem recreet, & integræ restituat sanitati. Idem itaque pietatis officium ab omnibus requirit, sive illi Principes, sive vilissimæ conditionis homines sint: nam & utrisque peccantibus iratum, & resipiscentibus benignum se præbet. Sed illorum tamen potissimum causam agit, qui ab aliis injuria afficiũtur: postquam enim hos exercuit doloribus, morbis, permisitq; male haberi a Tyrãnis, justorum suorum statim decernit vindictã, atque in eos animadvertit severissime, qui per iniquitatem, & injuriã mansuetos vexãt. Itaque si quam subjisti pœnam, illam tuis sceleribus deberi agnoscas, Deique admonitionem supplex suscipias, eripiet te proculdubio Deus, & propejã devoratũ extrahet e faucibus barathri, nunquamq; permit-

[b] *De Effœminatorũ nomine, & re, tum ex Sacris, tum ex profanis diligens tractatio, prisci ritus, habitus, abusus, n. 2. 3. 4. 5. 6.*

14 *Morietur in tempestate anima eorum, & vita eorum inter effœminatos.*

15 *Eripiet de angustia pauperem, & revelabit in tribulatione aurem ejus.*

16 *Igitur salvabit te de ore angusto latissime, & non habente fundamẽtũ subterse*

permittet, ut immenſa miſeriarum vorago, quibus ſontes perpe-
tuo plectuntur, te exſorbeat: bonorum autem incredibilium copia te
cumulabit: idemque ipſe poſt famis, & egeſtatis cruciatus lautiſsi-
mo te excipiet convivio; tuque ipſe domi tuæ tranquillus ac lætus
accumbes ſplendidæ menſæ cõquitiſsimis atque delicatiſsimis epu-
lis inſtructæ. Hæc utique obtinebis, ſi ab illo te permittas ſuaderi, &
excitari ad veram ante actæ vitæ pœnitẽtiam, ut extremum vitæ, &
animi diſcrimen poſsis avertere. Cujus ſuaſio quamvis tibi nimium
ſtricta, ſeveraque videatur, ſed tamen, mihi crede, ſalutaris eſt. Quã
ſi ſuſcipias, fiet profecto, ut tuorum inimicorum, quorum calumniis
obhderis, ora obſtruas, atque etiam ipſas [e] tartari fauces ad recipiẽ-
dum late patentes; ad emittendum, & vomendum longiſsime angu-
ſtas declinare poſsis. Ex tantis igitur anguſtiis te Deus ſatis ſuperq;
eripiet, conferetque ſalutem plurimam, atque certiſsimam, ipſis ma-
ximis anguſtiis cum ampliſsima fortuna cõmutatis. Porro ejuſmo-
di eſt immenſa illa malorum vorago, ut nullum habeat fundum, ſed
ſinus latiſsimos, & ampliſsimos; altitudinem profundiſsimam, in qua
nihil firmum eſt, ubi pedem figere damnatus homo poſsit: in quam ſi
ſemel immergaris, nunquam emerges: nullum ergo cruciandi finem
habebis, dum non reſipiſcas: ergo niſi tuæ hypocriſi, atque impro-
bitati finem ſtatuas, neque vivens, neque mortuus non cruciaberis.
Satius itaque Dei monitis acquieſcere, ad incredibiles delicias in-
vitantis.

Requies autẽ menſæ tuæ erit plena pinguedine.

[e] *De propria* Latitudinis *ſignificatione, & ut poſsit convenire infernã faucib⁹, & ori* Lati an guſto, *exquiſite diſſeritur. n.6.7.*

17 *Cauſa tua quaſi impii judicata eſt: cauſam, judiciumque recipies.*

Pro meritis ſane tuę cauſæ ſententiam dignam accipies, atque cũ
ipſe judicium ſæpe corruperis, juſtitiæque vim attuleris, ſeveriſsime
a ſupremo judice judicaberis: nam optimi, & incorrupti judicis offi-
cio defuiſti; gratia, & favore impiorum cauſas ſupplevisti; Divina
judicia contumelia affeciſti. Tantæ igitur improbitatis, atque iniqui
tatis pœnam ſuſtinebis: & dum impius fueris, Divinã experieris vin-
dictam; quæ proculdubio non miteſcet, quamvis importunis clamo
ribus, & iniquis Divinæ Providẽtiæ criminationibus illius aures cõ-
plere, & iniquis rationibus cauſam tuam perſequi non ceſſes. Si cõ-
tingat igitur, ut in priſtinam dignitatẽ reſtituaris, noli amplius pec-
care, neque ſordida lucra, & dona ſectando, quibus animum tuum
corrumpas, neque ſubjectos populos opprimendo, quo juſtitiam, &
ſanctitatem lædas. Vides nimirum, in quas te miſerias ſuperbia, &
injuria pauperum conjecit; in quam egeſtatem avaritia, & donorum
cupiditas? Ergo animo concipe ingens odiũ adverſus ejuſmodi ſce-
lera, quamdiu vita ſuperſit: & agnoſce jam tandem cauſam veriſsi-
ſimam tuarum ærũnarum: ſuperat enim, ac male perdit Numinis ira
Principes captatores munerum ſordidiſsimos, quibus quamvis pre-
tioſiſsimis, placare judicem incorruptum non poterunt. Quare illud
diligenter curato, ut pravis avaritiæ ſuggeſtionibus, atq; iniquitatis
ſtimulis viriliter repugnes, neque tantum viribus, & potentia æqui-
tatem, & honeſtatem metiaris, ſed tunc demum juſtior ſis, cum po-
tentior fueris.

18 *Non te ergo ſuperet ira, ut aliquem opprimas: nec multitudo donorum inclinet te.*

19 *Depone magnitudinem tuam abſq; tribulatione: & omnes robuſtos fortitudine.*

Accipe igitur hæc ſalutaris modeſtiæ præcepta, ut deinceps ſub-
miſsius de te ſentias; abjectius etiam de omni humano ſplendore;
imbecillius de fortitudine humanarum virium, arciumque munitiſsi-
marum; tũ quod harum rerum pretio non poſsit homo ſalutẽ eme-
re, vitamve redimere; tum quod Deus non alliciatur his rebus, ſed
ſola pietate atque juſtitia. Nunquid igitur exiſtimas apud Deũ ma-
gni eſſe tuam magnitudinem? Abjice, quæſo, tuum iſtum animi fa-
ſtum, comprime tumorem; & illud certo tibi perſuade, non tibi prius
ſalutem cælitus concedendam, quam tribulatione, & ſupplicio ſce-
lera expiaris, & quam patientia ærumnarum Divinam opem deme-
rueris, nã inſolẽtes iſtos clamores querimoniarũ contemnit Deus,
potius faſtidit, averſatur. Depone igitur tantam vocis, & querelarũ
contentionem, abjice quidquid tuo judicio amplum, & magnificum

eſt: atque illud tantum in oculis tuis magnũ ſit, quod Deus magnifacit; ut non niſi in ſanctitate ſalutis & magnitudinis tuæ ſpem cõſtituas. Igitur ſi ſaluti tuæ conſultum cupis, meliorem ſtatim animo cogitationem ſuſcipe, ante quam graviori ſupplicio cogaris ſupercilium iſtud,& ſuperbiam deponere: neque timore pœnæ, ſed virtutis amore humilitatem amplectere, & virtutem cole; neminem lædito, ſive potens ille ſit,ſive imbecillus;comprime affectus animi vehementiores iniquitatis,& Tyranndis; vires tuas deſpice,nihil contra Deum conare, non enim poteris, quamvis multa induſtria, Divinum ſupplicium declinare.

20 *Ne protrahas noctem, ut aſcendant populi pro eis.*

Ne igitur iſtius cæcitatis,& obſtinatæ mentis tenebras dilige: ſed confeſtim ad lucem veritatis confuge, ne aſcendant in cælũ clamores populorum, quos oppreſsiſti, ſeveriſsimam a judice de te vindictam repoſcentes. Quam primum enim, ſi tuæ dignitati reſtituaris, officii tui partes exequendæ tibi erunt,mature impii damnandi,probi defendendi, nunquamque patiendum, ut te dormiente, & oſcitante Publica res perturbationem,& confuſionem accipiat,& in tenebris omnia miſceantur. peſsimi enim magiſtratus eſt ad multam diem in utramque aurem dormire fidentis ſatellitio,& cuſtodiæ excubitorum, cum potius optimi Principis ſit vigilare, ſatagere, & tũ ſuæ, tum Publicæ ſalutis excubias agere, atque ex ipſis tenebris veritatem, & innocentiam deliteſcentes in lucem proferre, potentiorum,& calumniatorum licentia,& petulantia repreſſa. Quamvis quidem eos,qui viribus valent,non debeas injuria afficere:ne forte noćte clam irrũpentes,hos quidem ſuis extrudant ſedibus, pro illis autem alios ſubſtituãt. Tum præterea nec noctu longe atque infeſtes vicinos agros,neque irruptionem facias in alienos terminos,ut quibuſdam ſuis ſedibus pulſis,alios in locum illorum per vim,& iniquitatem reponas: ſicque latronum dux conſtitutus cogas populos abire prioribus ſedibus deſertis. Quod cum per ſe nefarium ſit, tum vero etiam temerarium eſt, tẽpore nocturno, quando mens tua vacua eſt curis, noctem inſomnem ducere in ea meditatione, quorſum gentes aliquę, & populi perierint, alii vero denuo inſurgant,& rerũ potiantur. Tandem,quod tibi ſalutare futurum eſt,prava iſta,& ambitioſa tua deſideria dominandi liberis populis, comprimere ſtude, ne alienæ tibi fælicitatis invidentia, exitio ſit. Diligenter igitur obſerva, atque tuũ animum cuſtodi. & averte ab iniquitatis conſpectu,& blanda atque illecebroſa facie,atq; ab omni ſcelere, cujus ſane perpetuus comes eſt dolor, & cruciatus animi. Adhuc enim perſtare videris, imo & acriori ſtudio, quocuã deſerendę improbitatis, quam non ſolum tennitas ingenii tui,& inopia mentis atque cõſilii, ſed etiam ipſa calamitatis impatiẽtia, & Divinæ bonitatis criminatio tibi perſuaſerunt; quare cum ſupplicio miſerrimus ſis, at multo es obſtinatione miſerior.

21 *Cave, ne declines ad iniquitatẽ,hãc enim cœpiſti ſequi poſt miſeriam.*

22 *Ecce Deus excelſus in fortitudine ſua, & nullus ei ſimilis in Legiſlatoribus.*

Quod ſi meis monitis conſenſeris,o Iob, aderit tibi ſtatim Deus, qui quamvis te fortiter afflixerit propter legis ſuæ tranſgreſsionem, non minus tamen potens eſt reſarcire omnia damna,ſi deinceps Divinæ legis ſtudioſum te præbueris. Non ſolũ enim ipſe eſt ſupra omnium mortalium miſeriæ conditionem longe ſublimis, ſed erigens quoque,atque evehens ſui ſtudioſos ad tutiſsimam arcem,ſupra omnium hoſtium malorumque potentiam. Et nemo ſane unquam extitit Legum lator, aut Reip. alicujus inſtitutor tam ſapiens, tam juſtus, tam in exigendis legibus humanus. Tuam igitur cauſam apud illum depone; te illi inſtitudendum præbe, qui te ad ſanctitatẽ omnibus vitæ commoditatibus propoſitis allicit,& invitat.

23 *Quis poterit ſcrutari vias ej⁹, aut quis poterit ei dicere; Operatus es iniquitatem.*

Cujus æquitas corrumpi aut depravari nequit; cujus ſuprema judicia in judicium vocari,aut quacumque alia ratione juriſve moderatione corrigi non poſſunt. Quis enim illo vel major, vel incorruptior judex? Quis illius ſententiæ etiam poſt longam omnium

judiciorum examinationem ullam injustitiæ notam jure affinget?

Quamvis vero Divina judicia non sint a nobis curiosius discutiẽda, sed tamen illorũ æquitas exploratissima nobis esse debet. Quare qui de illorum æquitate dubitaret, plane ostendet se illa prorsus ignorare. Ergo, o Iob, illud tibi persuasum vellem, Divinorum operũ rationes ab universis mortalibus decantatas, a te solo ignorari, atq; adeo accusari, cum aliter de illis censeas, quam ipsa Divini operis dignitas postulet, quod cũ ingenti animi reverentia, & submissione excipiendũ est, & quantũ humanæ imbecillitati permissum fuerit, magnifice atque præclare de illo sentiendũ, atq; loquendũ. Quid, quod nemo hominum possit, pro meritis Divinorũ operum magnitudinẽ atque æquitatẽ satis perspicere, humanæ potius ignorantiæ, quã illorum operũ alicui vitio tribuendũ est? Quid vero mirũ nõ posse ab homine discuti supremæ Providẽtiæ arcana, cum alia minus difficilia, minusque recondita opera ignorentur: Videlicet quædam naturæ mirabilia, ex quorum conspectu, & cõtemplatione solent viri sapientissimi atq; sanctissimi excitari ad laudes Divinas decantãdas, & canticis suavissimis numerosissimisque carminibus celebrandas. Quis enim, modo ab humanitate, & mente nõ alienus, quãvis valde tenuis atq; imbecillis judicii, non videbit manifestissima atq; evidẽtissima Divinitatis, & Providentiæ argumenta, quæ in creaturis relucẽt, & omnibus sunt ad contemplandũ, suspiciendumq; proposita, quamvis quidem sapiẽtiores majori cũ voluptate, & clariori lumine ea videant, quæ vulgus vel leviter videt, vel videndo præterit.

Non enim omnibus datur perfecta illa, & clara cognitio, quã potest ex creaturis homo comparare, ut in se ipso, & ex se ipso homo Deum opificem suum agnoscat. Sed quidem ex iis, quæ procul a nobis sunt cælo, & astris, in Divinorum cognitionem nemo nõ venire potest: videtur enim cunctis hominibus aliqua tãdem ratione insita, Dei cognitio. Non enim tantum nocũmentum videntur accepisse per peccatum, ut Deum naturæ auctorem non possint naturaliter cognoscere, & investigare.

Sed tamẽ ita se Deus videndũ prebet in suis operibus, ut nec plurima effecta, nedũ ipsum perfecte cõprehendere, & examinare possim⁹: multa quippe Divinitatis misteria, multa itẽ nature arcana nos latent. Ex vero cum sit omnibus numeris perfecta, omnibusq; perfectionibus cumulata Divina natura, frustra contendit nostræ mentis imbecillitas, ut eam sibi penitus subjiciat, atque cõprehendat. Licet enim quædã illius attributa multo labore meditandi, atq; investigãdi nostra intelligẽtia assequi [d], & vincere videamur, sed illa lõge verior, longeque gloriosior victoria est, quã Divina celsitudo de tenuitate nostræ intelligentiæ reportat: obruit enim nostram scientiã, sũ scientia sua, & altitudine judiciorũ suorum, quibus nostra tempora moderatur: tum æternitate sua, & interminata suæ sapientiæ, suæq; beatitudinis possessione. Ex quo efficitur infinitas esse suę perfectionis partes, & numeros.

Eadem vero interminatæ perfectionis immensitas ex ipsis quoq; creaturis colligi non obscure potest: pro sua enim sapientia, atq; potentia jã negat pluviam arenti, & squalenti terræ: jam laxatis quasi habenis imbres effundit præcipites ad illam diluendã, atque obruẽdam: Rursus post sęvissimam tempestatẽ ablata pluvia, disjectis nubibus optatissimam serenitatẽ adducit: & vel in ipsa pluvia mirabilẽ efficit diversitatem, nunc in nube, nunc in imbre, tandẽque rore minutissimo coacto, & ipsis etiam infinitis propemodum stillis, & guttis numerando subductis, ad unamque computatis, & vel additis, & ablatis in certa mẽsura, & numero, pro ut terrę, & mortalibus expedire videtur: rursusque ex levissima atq; purissima unius imbris materia vaporibus tenuissimis ad futuram pluviam subministratis, clare ostendit mortalibus, quantã Numinis potentia sit, quod vel catacli-

24 Memento, quod ignores opus ejus, de quo cecinerunt viri.

25 Omnes homines vidẽt eum, unusquisq; intuetur procul.

26 Ecce Deus magnus vincens scientiã nostram.

27 Qui aufert stillas pluviæ, & infundit imbres ad instar gurgitum.

28 Qui de nubibus fluunt, quæ prætexerunt cũcta desuper.

d Quod rerum Divinarum studium, & investigatio, sit quoddam quasi nostræ intelligentiæ certamen, & congressus cũ Deo, in quo nunc vincere, nũc vinci videmur, ex Iacobi cum Angelo luctantis allegoria, diligẽter, & exquisite tractatur. n.2.3.4.

smo

28 *Qui de nubibus fluũt, quæ prætexũt cuncta desuper.*

ſimo mundũ obruere; velmomẽto tẽporis rerũ univerſitatẽ trãquillare poteſt. Nã de nubibus,& de cælo terrã iſtã tã conſtanti temporũ varietate,& viciſsitudine gubernari; tam opportune a quis perfundi; quotãnis hyemeſcere,æſtuare, autũneſcere,quotannis juveneſcere, ſeneſcere,renovari iterũ,iterũq; vireſcere;mundũ jã deſuper opacari,& obſcurari, jã operiri,& illuminari,quãta ſapiẽta,potẽtia quãta!

29 *Si voluerit extẽdere nubes, quasi tentorium suum:*

Præterea poterit ne homo ſatis intelligere diviſiones,& differentias nubiũ, atq; rerum aliarum diverſiſsimarũ, quæ in nubibus,& cũ nubibus generãtur? Nã cum quædã ſint evanidæ,& infęcundæ, quædã tamen grandinant,aliæ ningunt; Tonãt aliæ,fulgurant,fulminãt; ventos aliæ,aliæ imbres generant; quædã concipiunt lucẽ, quædam pariunt tenebras;magnũ ſane nubium, atque mirabile naturæ opus, extenſum,variũ, multiplex,longe lateque patens, ut quod ampliſsimã iſtius ætheris faciem mirabiliter obducere ſoleat;& aliquãdo ſane ex parvis initiis;nã[e] nubecula interdũ,quamvis parva, ventũ dat procelloſum, & ſordido obſcuroque globo extenſa totũ Solis lumẽ obſcurat. Accedit vero ad tantam nubium majeſtatẽ, & amplitudinẽ, Deum illis uti pro ſuo tentorio,unde tonat, fulminat, mortales territat; & jam vel hoſtes ſuos ignitis jaculis inde collimat, & cõfigit,vel familiaribus ſuis laborantibus ſumma celeritate,magnificentiſsimo quaſi nubium leviſsimarum curru vectus,opem affert certiſſimam; oſtentat quoque pulcherrimum illum cæleſtem arcum ſuum in nube rorida; ex ſuperioris luminis repercuſſu; cujus aſpectu jucundiſsimo, & futuræ ſerenitatis ſpe mortales exhilarat.

30 *Et fulgurare lumine suo desuper, cardines quoque maris operiet.*

e *Tempeſtatis prognoſticum ex parvulis interdũ nubecularum initiis fieri, ex Sacris,& profanis obſervatur,n.2.Item & alia ex Nubibus prognoſtica,n.3.& 6.*

31 *Per hæc enim judicat populos, & dat eſcas multis mortalibus.*

Denique quã varium, & multiplex, quam certum,& ad humanas commoditates opportunum ex nubibus prognoſticum! Quãtæ porro efficacitatis,cum imaginem ſuam in ipſa maris facie,atque in fundo etiam cæleſti lumine percuſſo imprimant! Contingunt illæ ſæpe terras ipſas,occultant littora; involvunt montes;& ad ingentis tempeſtatis ſignificationem ſummis inſidẽt cacuminibus, totique potiſſimum mari incumbunt; ex quo frequentiſsime elevantur.

32 *In manibus abſcondit lucem,& præcipit ei, ut rurſus adveniat.*

Hujuſmodi autem naturæ mirabilibus effectis,oſtendit ſe curare, judicareque mortalium res; atque ratione, & judicio cum illis agere;quoſdam præmio atque bonorum ubertate,& copia;quoſdã ſupplicio, ſterilitate,& inopia afficere.

33 *Annuntiat de ea amico ſuo,quod poſſeſſio ejus ſit,& ad eã poſsit aſcendere.*

Quantus vero Deus,qui quaſi manu oppoſita, offuſſa nube,fulgẽtiſsimũ Solis jubar obſcurat,& involvit;rurſuſque redivivũ reſtituit mundo! quo ſane ſpẽ injicit ſuis amicis, ſuæq; providentiæ cultoribus fore,ut tũ ex opportuno imbre,tũ ex luminis efficientia,& ſalutari calore fruges coaleſcant; ſicque ipſi ad ingentiũ bonorũ poſſeſſionẽ pervenire poſsint; Interim res eſt omni admiratione, atq; terrore plena, Nubes cogi,invicẽ occurere,miſceri,vaporẽ ſiccũ,& calidũ cõtinere; conſtringere; inter ſe quodã amicitiæ fœdere cõjunctas pugnare cũ igne, ab igne & fulmine rumpi; cogi iterũ, & quaſi mandatis a ſupremo Domino acceptis contẽdere, & mutuo ſibi occurrere ad aliquẽ præſcriptũ locũ;rurſus oratione,& precibus amicorũ Dei,disjici,& clariſsimã atq; jucundiſsimã ſerenitatẽ obtineri. [f] Qua ſane re ſupremus humanarũ rerũ arbiter, expreſſam quandã ſuæ Providentiæ imaginem quaſi in tabella mortalibus proponit,ex qua intelligant clariſsima piorũ præmia,quæ manu ille ſua cõtinet, & quib⁹ amicitię ſuæ,atq; beatitudinis futuræ ſpe nõ inani mortaliũ animos allicit. Tenebrarũ, vero,& caliginis offuſione rurſus obſcuriſsima improborũ ſupplicia ſignificat. Porro in ipſa hujus Divinæ lucis viciſsitudine cũ tenebris, & quaſi pugna quadã cũ atris,ac deſis nubibus,nuntio quodã miſſo videtur amicos ſuos admonere,theſauros apud ſe habere plenos inextinguibilis lucis nunquã cũ tenebris cõmutandę,quæ ſolis affulget ſanctis,qua omnes vidẽtur Divinæ opes,atq; jucunditates contineri,& externi luminis nuntio quodam,atque præconio apud mortales celebrari.

f *Lucis elogium,& opes, quæ in illius efficacitate contineri videntur. & quod nobis ſignificet ſupernæ lucis theſauros inexhauſtos, cum utilitate explicatur,n.4.5.6.*

CAPVT. XXXVII.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Perſtat Eliu in enarrandis mirabilibus naturæ effectis, præſertim meteoris, ad Dei Sapientiæ, Potentiæ, Iuſtitiæ, confirmationem; & ad humanæ audaciæ temeritatem cõprimendam.

I *I. Super hoc expavit cor meum: & emotum eſt de loco ſuo.*

1. *Propria hujus capitis materia.*
2. Pavere *ad admirationem cum metu pertinet. Explicati Moyſes,& Samuel.*
3. *Varia lectio. Cordis emotio ex tonitruo.* Attonitus. *Explicatus Abacuc.*
4. *Cur cordi perturbationes attributæ. Variæ perturbati cordis circumlocutiones.*



QVAMquam hujus capitis, tum etiã præcedentis materia fere eadẽ ſit, at incertũ, quid deſignet Eliu, pro materia proxima ſui *terroris*. Græcus Scholiaſtes, ad Dei *Sapientiam* refert; nam legunt Septuaginta: *Ab hac turbatum eſt cor meum. Ex hac* (inquit Nicetas) *contemplatione, cum nõ poſſit mea mens in Dei Sapientiam aciem intendere.* Fere Latini Interpretes referunt ad ea, quę enarravit cap. præcedente. Ego exiſtimo referendum proxime, & proprie ad ea, quæ nunc denuo proponet; quaſi dicat; Magna dixi, dicam majora, & maxime ſtupenda. quorum terrore animos auditorum excitat verſiculo ſequente. Sic videtur nectere Symmachus; *Etiam de his expaveſcit cor meum*; & Auguſtini lectio, *Sed in hoc obſtupuit.* & reſpondet Hebræo, quod a ſimili particula exorditur; Adhuc; etiam.

Nicetas. LXX. Gregor. Philipp. D. Thom. Nicol. Schencus, Dionyſ. Symmach. אף

2 *Expavit.* Stupor quidam, & animi cõmotio, atque corporis tremor, qui ex admiratione naſcitur, & ex timore quodã, affertur verbo originali; quare cum admiratione conjungitur, potius per admirationem exponitur, Geneſ. 27. 32. *Expavit Iſaac ſtupore vehementi, & ultra, quam credi poteſt, admirans ait, &c.* Pro timore autem, 1. Reg. 4. 13. *Erat cor ejus pavens pro Arca Dei.* Si utrumque jungas, vertitur *Miraculum timendum*, & ſtupẽdum; ut 1. Reg. 14. 15. *Omnis populus obſtupuit, & conturbata ſunt caſtra: &* (quia) *accidit miraculum, quaſi a Deo.* Statim ſubditur; *multitudo huc, illuc diffugiens.* Quare Septuaginta hoc loco dixerunt, *Turbatum eſt cor meum.* Sic igitur Dei miracula proponit ſe narraturum, ex quibus ingens Divinæ Potẽtiæ admiratio, & timor concipiatur, ita ut cogatur homo abdere ſe ſe in locum aliquẽ tutiorem, & prę timore fugere. quod in rem, quę ſequitur de tonitruis egregie cõvenit: *Adverſus* enim *tonitrua, & minas cæli ſubterraneæ domus, & defoſſi in altũ ſpecus remedia ſunt,* ut dixit Senec.

חרד Pavere, timentis, & admirãtis eſt. LXX. Seneca Lib. 6. nat. qq. cap. 1.

3 *Et emotum eſt de loco ſuo.* Septuaginta; *Effluxit.* Nicetas explicat, *parũ abfuit, quin ſedem ſuam derelinqueret.* S. Auguſt. *Evulſum eſt.* Proprie ex Hebræo.* *Subſilit* præ timore, ſubſultat præ metu, & admiratione. Sicut ab eadem radice dictum eſt Abac. 3. *Aſpexit, & diſſolvit gentes.* proprie. Aſpectu ſuo illos perterrefecit, commovit, ut huc illucque præ turbatione ſaltitarent, & diffugerent; ſaltitant enim qui *ſoluti* ſunt. Sic nũc videtur indicare homines mente motos magnitudine tonitrui; *Quorũ* (ut inquit Seneca) *mentes ſonus ille cæleſtis loco pepulit.* Et bene ille dixit;

Iuſsit & humanas motura tonitrua mentes.

Atque etiam Cicero. 1. de divinat; *Nõ ne perſpicuum eſt, ex prima admiratione hominum, quod tonitrua jactusque fulminum extimuiſſent, crediſſe ea efficere rerum omnium præpotentem Iovem?* Hos Latinus *attonitos* vocat. Vt enim aliquando Servius dixit, *Attonitus eſt, cui caſus vicini fulminis, & ſonitus tonitruum dant ſtuporem.*

LXX. Nicetas. Auguſt. נתר **Dan e ſaltos el coraçon, de puro temeroſo y ſobreſaltado. Tonitrui terror. Lib. 2. nat. qq. cap. 27. Ovid. 1 Metamor. Cicero. Servius in id 1. Æneid. Talibus attonitus.*

4 Res fere eadem perturbati, & commoti cordis, explicatur Ioſue, 2. 11. *Diſſolutum eſt cor noſtrũ,* quamquam ab alia radice; quaſi dicat; *Liquefactum eſt cor.* aut, diſſipatum. & Pſal. 39. 17. *Cor meum dereliquit me*; deſeruit, hoc item ab alia radice. & Geneſ. 42. 28. ubi nos habemus, *Obſtupefacti, turbatique,* ex Hebræo legitur, *Exiit cor eorum.* Septuaginta, *Obſtupuit*, ab alia item radice. Certe hujuſmodi perturbationes, quales ſunt ira, & pavor, cordi, in quo reſidet iraſcibilis, tribuuntur neceſſario. Id quod ex Cryſippo docet Galenus; *Nam, & cordis palpitatio, & totius animæ concurſus ad cor in pavoribus evidens eſt.*

Variæ perturbationis locutiones, & voces. LXX. Perturbationes cor cordi tribuuntur. Gal. 3. de Decret. Hipp. c. 5.

II. *Audite auditionem in terrore vocis ejus, ſonum de ore illius procedentem.*

1. *Ejuſdem vocis repetitio non ſemper affert eundem affectum. Auditu maxima cenſeri inaudita. Explicatus Marcus.*
2. *Scriptura regula.* Auditus, *&* auditio de re *inſigni. Actio pro re effecta.*
3. *Terror active, aut paſsive.*
4. Dei vox, *tonitruum, Magna, eadem, & Divina. Tonitrua rauca: & alia tonitruorum differentia.*
5. *Mirabilia naturæ effecta.* Sonus de ore Dei procedens, *revelatio.*

1 HOC Illud erat, quod *pavebat*, cujus terrore ſubſultabat feſtinũ cor. *Audite auditionem.* Repetitione ejuſdem vocis, videtur exigere attentionem in audiendo, ut per Paraphraſim legit Tygurina; *Audite attentius.* Sed ſi de tonitruo, & terrifica Dei voce ſermo eſt, fruſtra cõciliatur attentio, ubi ſubita ipſa vox auditorem etiam oſcitantem, & nolentem redditura eſt attẽtiſsimũ. Alii, quod nõ tam attentio, quam tremor, & pavor poſtulatur ab auditore, *Audite*, inquit, *cum tremore Dei vocem terrificã.* Sed ſi ipſa Dei vox per ſe potens eſt ſuos hoſtes perterrefacere, & exanimare, quorſum petitur ab homine audientia, & terror, quem vel habebit invitus? Ergo quod ſæpe diximus, nunc quoque obſervandum, ubicũque ejuſdem vocis, aut vocum conjugatarum repetitio fit, peculiarem aliquem affectum ſignificari, non unum, & eundem, ſed varium, atque diverſum, juxta diverſas materias. quare licet *audire audiendo*, quod hic dicitur, *audire auditionẽ*, attentionem poſtulet Iob. 13. 17. 21. 2. Iuxta Hebræum, & Zachar. 6. 15. aliquãdo tamen ſignificat leviter audire, & oſcitanter, atque adeo non animadvertere animo, Iſai. 6. 9. & Marc. 4. 12. *Audientes audiant, & non intelligant*; aliquando, ſemel, & iterum audire, quod diſsimulari nõ poteſt, quin audiatur, ut Ezech. 33. 4. Quare hoc noſtro loco juxta ſubjectam materiam, denotabitur rei, quæ auditur, magnitudo terrifica, quã vix aures ſuſtinere queant, quæ animum ſimul cum auribus attonitum reddat; Audite, inquit Eliu, rem, ſupra quam dici poteſt, tremẽdam: incredibilem tonitrui fragorem: Ita ne fieri potuit, ut pares eſſetis percipiendo, & audiendo vehementiſsimo tonitruo? Nam quæ auditu, & viſu maxima, & inſolita ſunt, viſa aut audita fuiſſe dubitamus; *Auris por ventura visto, o oydo tal coſa?* Vel etiam non ſolum auditum excitat, ſed intelligentiam poſtulat, ut ex tonitruo, de Divina potentia, & magnitudine ſublime ſentiant; Sic Nicetas ex lectione Septuaginta, quæ cum ſolo Iob loquitur; *Audi auditionem*, hac Paraphraſi elucidat; *Vim audiendi animi tui aperi, quæ a Deo ſunt importata hominibus, contemplare.* Atque hoc profecto voluit Interpres, cum, quod in Hebræo eſt, *audite audiendo*, ipſe vertit, *Auditionem*, vel, *auditum*; quod non niſi de re famoſa, & magnifica, aut terrifica dici ſolet, Habac. 3. 2. Pſal. 112. 7. Nahu. 3. 19. Iſai. 28. & Iuxta Hebræum, Num. 14. 15. & inferius c. 42. 5. Elicit autem Gregor. ex hoc loco regulam hujuſmodi, *Mos Sacri eloquii eſt, ut cum audiri aliquid per auditum inſinuat, audiri eundem auditum dicat.* Recte. Sed non eſt peculiare *auditui*, commune quippe eſt ad omnem fere actionem, ut rem ex actione intelligat; ex *commutatione*, rem commutatam, ex *petitione*, rem petitam, ex *requie*, rem in qua quietem capimus, ex *ſpe*, rem ſperatam. Sexcenta ſunt hujuſmodi; quorum exempla ex Sacris, & profanis aliquando protulimus.

Tygurina. *Caietan.* *Ejuſdem vocis repetitione non idem ſemper affectus.* *Audire audiẽdo, de audiendi incuria.* *Tonitrui incredibilis fragor.* *Quæ auditu, & viſu maxima ſunt, inaudita videri.* *Nicetas.* *LXX.* 2 *Auditio, vel auditus, de re inſigni.* *Gregor.* *Regula Scripturarum.* *Actio pro re effecta per actionem.*

3 *In terrore vocis ejus.* Idem ſenſus, quamvis diverſa conſtructio in Hebræo; *Audite audiendo in terrore vocem ejus.* Vox *terroris* affert commotionem, & perturbationem animi præ metu, vel præ ira; atque opponitur animo tranquillo, & libero ab his duabus perturbationibus. Ad iram igitur retulerunt Septuaginta; *Audite auditionem in ira furoris Domini.* ut nunc videatur perſequi illam partem, quam ſuperiori capite propoſuerat; *Per hæc judicat populos.* videlicet multa cælitus damna immittenda in impios; *Contemplare* (inquit Nicetas) *damna ob grandinem, vim imbriũ immenſam, terræ ſqualores, frugum exitium: ferme enim his rebus loquitur Deus, terroremque infert.* Sed merito Interpres eam cõmotionem ad humanum timorem pertinere cenſuit, Quis eſt, qui non intime cõcutiatur, & cõtremiſcat, audita Dei voce?

רגז *LXX.* *Terror active.* *Nicetas.* *Terror paſsive.*

4 Sed, quæ nam hæc *Dei vox*, & ſonitus *ex ore illius egrediens*? Pagn. dicit, *Fulgur.* ſed perquã incõmode. Plerique tonitruũ intelligunt, & quidem non incõmode, nã ut David ait, cum *Deus majeſtatis, intonat, vox Domini ſuper aquas, vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia.* eſt videlicet familiare Scripturis tonitrua appellare *Dei voces*; tũ quod cum tonitrua vocis ſimilia ſunt, Dei ſunt, quia ingentia ſunt, quod enim magnũ eſt, Sacrũ, & Divinum

Pſal. 28. *Dei vox, tonitruum.*

eſſe dicitur, tum quod univerſa mundialis machina non alterius, quam auctoris naturę imperio pareat. cum ergo tonitru ea concutitur, Dei voce & præcepto percelliſſe ſignificat. Vide, quæ de hujuſmodi Dei vocibus diximus, cap. 26. verſicul. 14. Conveniunt præterea cum hac interpretãdi ratione propriè hujus loci voces; pro *voce* enim, eſt, *Kol*, quæ omnem ſonitum articulatum, aut inarticulatum ſignificat; & in genere quemcumque ſtrepitum: peculiariter vero accommodatur *ad tonitrua*: Exod. 9. 28. & 19. 19. *Erant voces, & tronitrua, & nubes denſiſsima ſuper montem.*

קול

Sonus quid proprie. *Aquila. Auguſtin.* Vox vero, quæ deinde vertitur *ſonus*, licet ab Aquila vertatur, *loquutio*, & ab Auguſtino *ſtrepitus*; dicere poteris ex proprietate ſuæ originis, *clamorem*, aut *rugitum*, aut *gemitum*, inſtar columbæ gementis. quare in univerſum videtur ſignificare, ut Rab. Mardochai ſcribit, *Tumultum*, vel, *ſtrepitum*, aut murmur, quod beſtiæ edere ſolent, ſive leones rugiẽdo, ſive columbæ gemendo. Quo reſpexerũt Septuaginta legentes; *Meditatio de ore ejus egreditur.* Eſt etiam ea *Meditatio*, immurmuratio quædam, & muſitatio, quæ compreſsioribus dentibus, faucibus tantũ intonat, & raucescit. Vnde dicitur Iſai. 59. 11. *Rugiemus, quaſi urſi, & quaſi columbæ meditantes gememus.* Pſal. 38. 14. *Meditabor, ut columba.* & Pſalm. 5. 2. *Intellige clamorem meum*, Hieronym. *Rugitum meũ*. Proprie meditationem, id eſt, Quamvis expreſsis verbis non componam orationem meam, ſed inarticulatis gemitibus orem, tu intelliges, quid velim, quo indigeam. Ergo ſonus hujuſmodi, *rugitusve* eleganter etiam tonitruis convenit, illis videlicet, quæ murmurant, fremunt, mugiunt, raucescunt; de quibus ſcripſit opportune in rem noſtram Seneca: *Tonitruorum unũ genus, cujus ſit grave murmur, quale terrarum motum antecedit, clauſo vento, & frem*e*nte, cum ſpiritum intra ſe clauſere nubes, in concavis partibus earum volutatus aer ſimilem agit mugitibus ſonum, raucum, & æqualem, & continuum. Aliud genus eſt acre, quod crepitum magis dixerim, quam ſonum: qualem audire ſolemus, cum ſuper caput alicujus dirupta veſica eſt. Alia eduntur tonitrua, cum globata diſſolvitur nubes; & ſpiritum, quo diſtenta fuerit, emittit: hoc proprie fragor dicitur ſubitus, & vehemens, quo edito concidunt homines, & exanimantur, quidam vero vivi ſtupent, & in totum ſibi excidunt, quos vocamus attonitos, quorum mentes ſonus ille cæleſtis loco pepulit.* Ergo duplici illa

הגה — R. Mardochai. LXX. Meditatio quid proprie. Hieronym. Tonitrua rauca mugiẽtia. Sen lib. 2. nat. qq c. 27. Variæ tonitruorum ſonitus, & differẽtiæ.

voce ſapienter potuit Eliu deſignare duo genera tonitruorum.

Sed quoniam res tonitruorum verſic. 4. & 5. multo clarius, multoque magnificentius traditur; ſuſpicio mihi non levis eſt, has nunc *Dei voces* non eſſe tonitrua, ſed mirabilia univerſa, atque manifeſta Dei effecta, quæ in tempeſtate audiuntur, & cernuntur: nam, ut Nicetas dixit, *His rebus loquitur Deus, atque nobis poteſtatis, & ſapientiæ ſuæ ſcientiam tradit, ut eum qui hæc efficit, metuamus.* Accedit pretere a plurimorum Latinorum interpretatio, qui rem hanc non ad tonitrua, ſed ad ſonitus, & terrores quoſdam referunt, qui comitari ſolent Divinas revelationes, quibus Deus loquitur homini. Propterea que exiſtimant dici ejuſmodi *ſonitum de ore Dei procedere*: nam *ſonus*, inquit Divus Thom. *Tonitrui eſt, & quaſi manus ejus, id eſt, poteſtate formatus; at qui de ore illius procedit, ad doctrinã pertinet.* Sed res hæc petenda ex D. Thom. & Dionyſio.

5 Mirabilia naturæ effecta, Dei voces. Nicetas. Philippus, D. Thom. Nicolaus. Dionyſiu. Hugo. 2 Sonus ex ore Dei pertinẽs ad revelationes.

℣. III. *Subter omnes cælos ipſe conſiderat, & lumen illius ſuper terminos terræ.*

1. *Varia lectio. Fulmen cadens contra ignis naturam.*
2. *Expoſitio idonea. Hebraizantium conciliatio cum Latino.*
3. *Res naturales certa Providẽtia diſpenſatæ a Deo ad certos fines. Fulminator Deus ad continendos mortales. Illuſtratus Sapien. & Amos.*
4. *Fulminum differentiæ a Deo. Dei judicia, & ſupplicia cum ſumma ratione.*
5. *Fulguratio mirabile naturæ opus. Lex Divinæ Providentiæ omnia permeãt.*
6. *Macula, & emaculatio lectionis Latinæ. Ala pro extremitate rei.*

QVod in univerſum dixerat, nũc per partes explicat. Ergo Hebræi, & Hebraizantes, quoniam vocem *conſiderandi*, deducunt a radice *Iaſar*, quod eſt *dirigere*, & quaſi recta intendere, legunt; *Subter omnes cælos diriget*, ſupple, fulgur, nubem, aut pluviam. Rab. Abraham deducens a radice *Sarah*, quod eſt etiam ſolvere, aut diſſolvere, legit; *Sub cælo diſſolvit*, ſupple, nubes, compactas, & colligatas, & colliquabit in pluviam. Alii ſupplent, *tonitru*: & quia verbum originale, quod eſt *diſſolvere*, eſt etiam quaſi diſtrahere, quod enim ſolutum eſt, facile diſtrahitur; legunt, *Sub univerſo cælo diſtorquebit, diſtrahet* illud tonitru, ut compleat omnia ſpacia noſtri hemiſphærii. Sed in

1 ישר Kaldæus. Regia. Tygur. Vatab. Cajetan. Iſidorus. שרה

R. Gerſon. Cajetan. Steuchus. Sen. lib. 2. nat. qq. c. 15. & 31.

Fulmē cadēs mirum.

hac interpretādi ratione præcellunt, qui ſupplent, *fulmen*, ut indicetur mirabilis concitatiſsimusque deſcenſus fulminis, contra propriam ignis naturam, qui ut in hac ipſa re dixit Seneca, *Ignis ſua natura in verticem ſurgit, & ſi nihil illum prohibet, aſcendet; fulmē autem cadit eadem neceſsitate, qua excutitur.* Mirum igitur, cum ignis recta aſcendat, fulmē recta deſcendere. *Nihil itaque dubii relinquere videtur*, inquit Seneca, *quin Divina illi virtus inſit.*

2

Expoſitio germanior, & magnificentior.

Germanæ ſententiæ Paraphraſis.

Sed ut hæc expoſitio vero ſimilis eſt, neque male cohærens, ita alia Latinorū, & minus anguſta, & ſublimior eſt, & cū illa, quam verſiculo præcedente elegimus, cohærētior; Deus, inquit, rebus his meteoris, & ſublimibus loquitur mortalibus, & ſuam potentiam denuntiat, oſtēdit quoque Providentiam ſublunarium rerum; nam non ſolum *ille circa cardines cæli perambulat, ſed ſubter omnes Cælos noſtra conſiderat.* Conſiderat, inquam, inferiorem hunc mundum his rebus indigere; aut terrā imbribus ad concipiendos, maturandos, proferendos fructus; aut ut homines ſublimium iſtarum rerum aſpectu, & ſonitu perculsi, contineantur in officio; aut ut impii, quorum improbitas eget tacta fulminis, dignas dent pœnas; aut probi, & Dei amici, quorum uſibus, hæc omnia deſerviunt, temporalibus muneribus augeantur. Elegāter itaque reddidit Vulgatus vocem originalem, *Sarah*, ut ſit idem, quod, *Sur, intueri, conſiderare*, quaſi ex inſidiis inſtar ſpeculantis. quod in Divinam Providentiam omnino quadrat. Quamquam etiam ſi vocem deducamus cum Hebraizantibus ex radice *Iaſar*, poterit idem ſenſus cum noſtro conjungi, & ſic commode confici; Cum res hujuſmodi cælo cadunt, non cadunt vagæ, incerto, fortuito, Deus enim, qui nos, noſtraque *ſubter cælos conſiderat*, ad nos illa *dirigit*, res noſtras illæ petunt; Cū fulmina cadunt, petuntque terras, non poſſunt omnino recta deſcendere; eſt enim frequenter fulminum jactus tremulus, incertus, vagus, obliquus, *inſtar colubri tortuoſi*, ut cap. 26. diximus. at Deus illiuſque Providentia non eſt incerta, & vaga; ſed ad nos directa; & cum res mortalium ſic exigunt, contorquentur ipſa fulmina jactu directo. ſicut Sap. 55. 22. dicuntur hæc ipſa contra *inſenſatos* tanquam ad ſcopum dirigenda; *Ibunt directæ emiſsiones* (certo, & inevitabili jactu) *fulgurum*, (fulminum) *& tanquam a bene curvato arcu nubium exterminabuntur, & ad certum locum* (ſcopum) *inſilient. & a petroſa* (ſaxorum jaculatrice catapulta) *iræ plenæ* (denſæ) *mittentur grandines. Exardeſcet in illos aqua maris* (fluctus non vagi, & incerti, ſed in illos ſævientes), *contra illos ſtabit ſpiritus virtutis*, (quamvis enim *ſpiritus ubi vult, ſpiret; & neſcias unde venit, aut quo vadat*, at a Deo dirigitur, ut impetum faciat in ſuos hoſtes) *& tanquam turbo venti divides*, (ventilabit, diſcernet tāquā paleā a grano) *illos.* Vis etiā videre certā, vagarum licet nubium, pluviam, a Deo vel immiſſam, vel negatam certo tempore, certo dierum numero, certis locis, & regionibus, non tam *ſua ſponte, & per ſe*, ut ait Theodoretus, *quam Dei conſilio, & æquitatis ratione?* audi Amos 4. 7. *Dicit Dominus, Ego prohibui a vobis imbrem, cum adhuc tres menſes, ſupereſſent ad meſſem; & plui ſuper unam civitatem; & ſuper alteram civitatem non plui; pars una compluta eſt*, (in eadē videlicet civitate. Kaldæus; Super unam hæreditatem deſcendet pluvia) *& pars, ſuper quam non plui, aruit. Percuſsi vos in vento urente, & in aurugine; multitudinē hortorū veſtrorum*, (non ſolum commune pabulum, ſed privatorum etiam delicias,) *& vinearum veſtrarum, oliveta veſtra, & fruteta veſtra comedit eruca; & non rediiſtis ad me, dicit Dominus.* Non ſunt *bruta, & vana fulmina*, ut Plinius, aliquando dixit, *Non erravit antiquitas*, ut aberrans omnino Seneca exiſtimavit (cum Iovem tonantem, fulgentem fulminantem Deum mittere fulmina e nubibus credidit; nam non ſolum *ad coercendos animos imperitorum* (ut proxime adductus Seneca dixit) ſed ad coercendos, & continendos in officio ſapiētiſsimos quoſque atque fortiſsimos, *metum inevitabilem judicarunt, ut ſupra nos aliquid timeremus. Vtile erat in tanta audacia ſcelerum aliquid eſſe, adverſum quod nemo ſibi ſatis potens videretur. Ad conterrendos igitur eos, quibus innocentia niſi metu non placet, poſuerunt ſuper caput vindicē, & quidem armatum.*

שדה
שור

Hebraizātiū conciliatio cū Latino.

ישר

3

Certa Providentia res naturales directæ ad ſupplicium improborum.

Theodoret.

Pluvia certa ratione diſpēſata a Deo.

Kaldæus.

Plinius.

Sen. nat. qq. c. 41. 42. 43.

Fulminator, & fulgurator Deus.

4

Fulminum differētiæ a Deo proviſæ.

Sic vero certo conſilio, certaque Providentiæ ratione, dirigit Deus, ut ipſas certas etiam naturæ, & fulminum differentias cum diſcrimine, & cū ratione diſpēſet. Id quod voluerunt priſci illi Etruſci, qui *tres manubias Iovi tribuerunt* ex triplicis generis fulminibus; Quædam, *quæ monerent*, & mitiora eſſent, ex ſuo conſilio immittit Deus: Quædam, *quæ nocent*; atque hæc ex conſilii Deorum ſententia; quaſi Deus, qui natura ſua bonus eſt, prodeſſe velit ſemper, at nocere non niſi aliis etiam auctoribus: tum etiam, quod

Cur diceretur Iupiter aliquā dū fulminare, ex aliorū Deorū ſentētia.

Dei judicia atque supplicia justa sint, quæ si plurimorum judiciū consilio, & sententia probata; Quædam item alia, *quæ mutationem*, & devastationē rerum inferiorum importent. atque hæc etiam ex plurimorum Deorum consilio, *judicant* enim etiam cum illo *Sancti in nationibus, & dominabuntur in populis.* Quid igitur non cū consilio, cū judicio statuat Deus, *qui subter omnes cælos* attentissime *considerat; & cum magna reverentia disponit nos?*

Sap 3.8.

Sap 12.18.

Græcorum lectio.

Cohæret cum hac nostra interpretandi ratione, atque cum tota re Græcorum lectio, atque sententia; Nam quia verbū illud originale, in lingua Kaldaica significat *incipere*, aut, *primas*, aut, *principium tenere*, legunt Septuaginta; *Subter universum cælum principium ejus.* Nicetas, *principatum*, & *ditionem* intelligit; *Illi quoque* (inquit) *qui infernas incolunt regiones, in Dei sunt imperio, ac ditione; nec nostras res patitur imperante, Providenteque potestate carere.* Eodē spectat lectio Augustini; *Subter universum cælum circuit.*

LXX.

Nicetas.

August.

5 *Et lumen illius super terminos terræ.* Omnes alii, præter Græcum, & paucos Latinos, *fulgurationem* interpretātur. Mirabilis quippe Deus nō solum cum tonat, cū fulminat, sed cum fulget inter nubes, cum momento complet totum hemisphæriū subito fulgore, ab extremo termino, usque ad terminum oppositum terræ. *Fulgur enim exit ab oriente, & paret usque in occidentem* celeritate mirabili. Est etiam hoc auctoris naturæ opus: loquitur ille etiam fulgurans, non minus, quam tonās, & fulminans; sed hoc discrimine, ut sapienter dixit Seneca, quod cum fulgurat, comminatur supplicium. cum fulminat, jā ipso ictu nos erudit: *Fulguratio ostendit ignem; fulminatio emittit; illa cōminatio est, & conatio sine ictu; ista jaculatio cum ictu.*

Fulguratio mirabilis.

Matth. 24.27

Sen. lib. 2. nat. qq. c. 12.

Sed cum duas alias exponendi rationes afferat Græcus Scholiastes, priorem de lumine dilucentis Solis, *cum primū orbis terræ termini ab eo illuminantur*, nō probo, ut quæ neque cum tempestate, neque cum re de Providentia cohæreat. Posteriorem eligo; *Ad ultimas (inquit) terras illius manat Providentia.* Philippus, de omnipotētia, *qui ubique est, in cælo, in terra, in mari, & in abyssis.* eodem quoque modo Gregorius; *Qui summa regit, extrema non deserit: & qui ubique præsens, & æqualis est, etiam in dissimilibus, sibi ipsi dissimilis nō est.* Vbique igitur relucet illius virtus, sapiētia, divinitas.

Duæ aliæ expositiones. Nicetas.

Lux Divinæ Providētiæ per omnia diffusa.

Philipp.

Gregorius.

6 Hoc jam loco apparet illa D. Thom. & paucorum præterea Latinorum lectio, valde corrupta, *Super omnes cælos.* vera est enim, *Subter cælos.* quare & valde aliena Divi Thomę expositio, ut nunc afferat, Divinū Sapientię lumen excellentius esse super Solis, Cælique luces. Licet enim de Divino lumine sermo sit, at de eo est, quod in rebus creatis, & naturæ mirabilibus fulget.

D. Thom

Depravata quorundā Latinorū lectio.

Illud non prætermittendum, quod Hebræus, *terminos terræ*, vocat, *alas terræ*, more Poetico. Cajetanus autē *Alas terræ*, existimat vocari eam Aeris regionem, in qua coruscationes emicant, & discurrunt: quod ea sit regio, in qua aves volant. Sed sane illæ non sunt *alæ terræ*, sed aeris; quæ alio etiam loco *pennæ ventorum* appellātur, nisi existimet Cajetanus terram volare, & cum agitatur impetu eluctantium ventorum, tunc terram motitare alas. Sed res est in proximo, *alam*, appellat Hebræus, quidquid extremum est, & quidquid in ultimum protenditur; *ala* enim explicata, est avis extremitas expansa, & protensa. cum quo consonat ipsum nomen originale *Caneph*, cum eo quod nos dicimus, *canepha*; dicitur ergo de oris rerum inanimatarum, ut *vestimenti*, Devteron. 22.12. ubi vertitur *angulus pallii.* Aggæ. 1.2.13. ubi vertitur *ora vestimenti*. Isai. 11. 12. & Ezech. 7. 2. vertitur, *quatuor plagæ terræ.* & Iob. 38. 13. *Extrema terræ.* ubi res iterum explicanda.

Alæ terræ apud Hebræū quid.

Cajetan.

Ala, extremitas cujuscumque rei.

כנף

IIII. *Post eum rugiet sonitus, tonabit voce magnitudinis suæ: & non investigabitur cū audita fuerit vox ejus.*

1 *Fulgur prius videri, quam tonitru audiri. Verbum* Fulgere, *correptum.*
2. *Deus occultat se nubibus, cum venit, præcedentibus: Cum recedit, sequentibus.*
3. *Deus tonitru comprimens superbiam mortaliū. Illustrati Samuel, & Habac.*
4. Tonare *ad iram, & vultus perturbationem Tonitrua, sunt tubæ Imperatoris Dei. Illustratus Ezechiel.*
5. Investigare, *quid. Iacob, unde nominatus. Aliorum expositiones minus idoneæ.*
6. *Simplicior interpretatio. Græcorum lectio dura.*

1 IAM Post encomium Divinæ Providentiæ, & Sapiētiæ diffusæ super omnia illius opera, recenset id, quod diximus, maxime terrificum, & plenū minarum existere mortalibus, videlicet tonitruum, in quo fere universi Interpretes

D. Thom. Lyra. Dionys.

Græci, atque Latini conſentiunt. Sed illud, *poſt eum*, non eodem modo accipiũt omnes. quidam enim nimium aride, & Phyſice ideo, *poſt eum*, dictũ exiſtimant, quod hæc ſint poſteriora Dei, quæ videmus, nimirum effecta ſuo poſteriora principio. At plerique referunt ad fulgur, & coruſcationem, quaſi dicat; Poſt fulgorem ſequitur rugiens tonitru; licet enim prius exiſtat ſonitus, quam fulgur, at fulgur prius videtur, quia lumen celerius ſe diffundit: at ſonitus non niſi cum motu ad nos defertur. res ab Ariſtot. & omnibus Philoſophis explicate tradita, & ab ipſo etiam antiquiſsimo Lucretio ex ſententia Epicureorum decantata.

Cur fulgur videatur prius, quã audiatur tonitru.

Lucret. lib. 6.

Sed tonitrum fit uti poſt auribus accipiamus,
Fulgere quam cernant oculi, quia ſemper ad aures
Tardius adveniunt, quam viſum, quæ moveant res.
Id licet nunc etiam cognoſcere, cædere ſi quem
Ancipiti videas ferro procul arboris auctum;
Ante fit, ut cernas ictum, quam plaga per aures
Det ſonitum. Sic fulgorem quoque cernimus ante;

Propter quam fulguris incredibilem celeritatem proprio Epitheto illud vocant *ſubitum*. de quo eſt illud Senecæ libr. 2. Natural. qq. cap. 56. *Illo verbo fulgendi utebantur antiqui correpto, quo nos producta ſyllaba utimur, dicimus enim ut ſplendēre, ſic fulgēre. At illis ad ſignificandam hanc ex nubibus ſubitæ lucis eruptionem mos erat, media ſilla correpta, ut dicerent fulgĕre.*

Fulgur ſubitum. Seneca.

Fulgere correptum apud antiquos.

2 Sed Græcus Scholiaſtes ad Deum refert, *ut poſt Deum*, ſit poſt ejus imperium, poſtquã ille præceperit. *Magnos*, inquit, *atque horribiles tonitrus, quaſi quoſdã duci, ac Regi comites addidit affectatores. a voluntate itaque illius factum obſequitur, cunctaque illi morigerantur*. Et poteſt quidem hæc cum prima interpretandi ratione cõmode jungi, *poſt eũ*, videlicet, & poſt Deum, & poſt fulgur; nam primũ ſe Deus ſimul cum fulgure mirabili timendum præbet: deinde vero ſimul cum tonitru; Primum fulget Deus, poſtea ſonat. Sic *poſt eum rugit ſonitus*. Quamvis vero hujuſmodi meteora, fulgura, fulmina, tonitrua, imber, nubes, ſoleat nobis ſermo Sacer repræſentare tanquam anteambulones, & prænuntios ſupremi regis adventãtis ad nos; ſicut Scriptum eſt; *Ignis facie ejus exarſit*. & iterum; *Præ fulgore inconſpectu ejus nubes tranſierunt, Grãdo, & carbones ignis*. rurſus cum populum duceret ad terram promiſſam; *Ante faciem ejus ibit mors*. ſic quoque viſitaturus Eliam præmittit commotionem, terræ motum, fulgura; *Spiritus grandis, & fortis, & conterens petras ante Dominum, & poſt ſpiritum commotio, & poſt commotionem ignis, & non in igne Dominus*. At cum proponitur nobis Deus quaſi rediens ad æthera, eadem ipſa, quæ illum præceſſerant, poſt illũ ſequuntur, ut ſemper illum nobis occulant. Sicut ille Iovis conſcenſum in cælum deſcripſit;

Nicetas.

Terrifica meteora, præcedunt Deum venientem ad nos; ſequuntur recedentem.

Pſal. 17. 9. 14.

Habac. 3. 5.

3. Reg. 19. 11.

Ovid. 3. Met. 3.

Aethera conſcendit, vultumque ſequentia traxit
Nubila: queis nimbos, immiſtaque fulgura ventis
Addidit, & tonitrus, & inevitabile fulmen.

3 *Rugiet ſonitus*. Vox propria Leonis, is rugitu territat, & proſternit reliquas animãtes: tonitru Deus proſternit, & proculcat mortalium ſuperbiam; Sicut Scriptũ eſt, *In fremitu conculcabis terram*. quod cũ deberet legere Interpres ex proprietate ſuæ originis, *In ira conculcabis*; proculdubio ad hunc ipſam tonitruorum, & tempeſtatis rugitum, & comminationem reſpiciens, dixit, *in fremitu*. quo etiam pertinet id 1. Reg. 2. 10. *Dominum formidabũt* (proprie alii legunt, *conterentur*, alii *proſternentur*, deficient, cadent præ timore) *adverſarii ejus, & ſuper ipſos in Cælis tonabit*. & ſtatim; *Obſtupefacies gentes*, quaſi attonitas ingenti ſonitu. Vide, quæ dixi cap. 26. verſicul. 6. ſuper id, *Quis poterit tonitruũ magnitudinis ejus intueri*. Cum enim fere eadem utrobique ſententia ſit, hoc tamen eſt vocum diſcrimen, quod ibi *magnitudo* ſit idem, quod fortitudo, potentia; hic autem eſt *altitudo* eminentia, a radice, *Gaah*, quod eſt magnificari, aut exaltari. quod cũ referri poſsit ad ſuperbiam; Septuaginta legerunt, *Tonabit in voce ſuperbiæ ſuæ*. quod eleganter dixit Aquila, *In voce ſuperlationis, & celſitudinis*. Alii apud Septuaginta legerũt, *In voce cõtumeliæ*, ſive *injuriæ*. quod Nicetas interpretari videtur, *Præſtantiam, & comminationem*. videtur enim Deus tum ſuam præſtantiam, & celſitudinem extollere: tum abjectiſsimam noſtram conditionẽ, vituperio, & contumelia proſequi editis his magnificentiſsimis tonitruorum vocibus.

Deus tonitru comprimẽs ſuperbiam mortalium.

Habac. 3.

גאה

LXX. Aquila.

Nicetas.

4 Sed non prætermittendum ſine obſervatione illud *tonandi* verbum, quod proprie affert commotionem ingentem, tũ animi indignantis, tũ vultus mutati, qua-

Tonare, afferre cõmotionem indignãtis cũ mutatione vultus.

lem habere ſolent duces indignantes, & qualis in exercitu eſſe ſolet, quãdo it cęlo clamorque virũm, clangorque tubarum. Sic inferius, cap. 39. 38. ponitur *pro exhortatione ducum*, & conjungitur, cum *ululatu exercitus*. & Ezech. 27. 35. *Reges tempeſtate* (qua Tyrus ſubverſa eſt) *percuſſi*, * *Mutaverunt vultus*. perturbati videlicet. Ergo ſi active, ut ita loquar, ſumatur ex parte tonãtis, ſignificabitur Deus, quaſi Imperator fortiſsimus tonitu exhortans creaturas ad bellum; ſignificabitur etiam ululatus exercitus, & clamor creaturarum, & quaſi tubarum clangentium, cum procellę, nimbi, venti, tonitrua ſonant; repræſentatur itẽ tunc Deus quaſi vultu indignans, ore fremens, totus animo, & vultu cõcitatus ad aggrediendũ, atque perficiendum egregium aliquod facinus. Si vero quaſi paſsive, & quaſi metonymicos ex parte effectus, ſignificatur commotio mortaliũ, & perturbatio, mutatioque vultus exalbeſcẽtiũ tonitru audito. Diximus de hoc, cap. 26. loco jam indicato.

*Demudaróſe de puro turbados con la tẽpeſtad.

In Dei prælio cõmittẽdo adverſus homines, tonitrua ſunt tubę clãgentes.

5 Varia lectio, & expoſitio. עקב

Et nõ inveſtigabitur, cũ audita fuerit vox ejus. Varietatem interpretationum fecit ambiguitas verbi, *Ghakab*, quod ad plantam, veſtigium, calcaneũ pertinet, quaſi dicas, *Supplantare*, aut apprehenſo calcaneo, & planta pedis *retardare*, aut *dejicere* per fraudem; aut *inſidiari*, & quęrere per veſtigia, quod eſt *inveſtigare*: unde additione litteræ, *Iod*, formatũ eſt nomen proprium *Iacob*, *quaſi ſupplantator*. Ergo illã primam *retardandi* ſignificationem elegerunt Hebraizantes, poſt Targum, Rab. David, Rab. Moſech, Rab. Abraham: *Nõ retardabit eã*; Alii, *non ſupplantabit*; *nõ concalcabit*. id eſt, non poterit reprimi tonitruum, non retardabitur, nã ſtatim poſt fulgur audietur. Tygur. *Nec differet alia, poſtquam audita fuerit vox ejus*. nam unum tonitruum audietur poſt aliud, & crebris quaſi ictibus aures mortalium verberabit Deus. Sed ſenſus hic, & tranſlatio vocum proculdubio viſa eſt Interpreti paulo aſperior. Igitur aliam *inveſtigandi* ſignificationem a planta, & veſtigio ſumpſit, quo etiam modo Auguſtinus legit, *Nõ poterit inveſtigari, cum audita fuerit lux ejus*. Latini plerique ad Divinorum cognitionẽ referunt; nõ enim poteſt Deus perfecte inveſtigari ex creaturis. Sed non cohæret cum materia meteorologica. Ergo alii ad fulgur referunt, *Non inveſtigabitur fulgur audito tonitruo*: nã cum prius fulgeat, prius videtur fulgur, vel ſimul cum tonitruo, ideo opus non erit unum ſine alio inveſtigare, aut unum poſt aliud diutius expectare. Sed hæc interpretatio friget. Nicetas; *Nemo poteſt inveſtigare aut percipere rationem, quemadmodum vox tonitrui efficiatur*. Languet, & recedit non nihil a contentione orationis hæc interpretatio. Paulo erectior, & acrior, ſi dicas tã tam eſſe tonitrui vim, ut adigat hominem non tam ad conſiderandum, & inveſtigãdum, quam ad timendum. Quis enim tonante cælo per otium diſputet de tonitrui natura? quis tũc inveſtiget rerũ ſublimiorum cauſas? Tũc profecto trepidãt mortales, & nihil niſi de ſalute cogitant. Sereno ad diſputationem de tempeſtate cælo opus eſt. Eleganter Seneca poſt diſputationẽ de tonitruo. *Malo*, inquit, *fulmina non timere, quam noſſe: itaque alios doce, quemadmodum fiant. ego mihi metum illorum excuti malo, quam naturam indicari*.

Inveſtigare, quid.
Vatab Pagni. Regia. Cajetan.
RR David. Moſech, Abraham.
Tygurina.
Auguſtin.
Alb. D. Thom. Nicol. Dionyſ.
Aſtunica.

Languida interpretatio.
Nicetas.
Expoſitio argutior.
Ad diſputãdũ de tempeſtate opus eſt cælo ſereno.
Seneca.

6 Simplicior expoſitio.

Præſtat tamen id, quod prima facie ſeſe offert; Non poterit facile, neque certo inveſtigari, ubi detonuerit nubes, aut ubi fulmen ceciderit: ea enim poſt ingens tonitrum, ſubit omnes interrogatio, ubi nã ignis cæleſtis deflagraverit; cum tamen nemo certi aliquid reſpondeat: ſed quiſque pro ſuo auditu rem incertiorem reddat. Septuaginta longius a proprietate vocis recedentes, dixerunt, *Non commutabis eos, quoniam audiet vocem ejus*: Quod eſt exponẽte Gręco, *Vbi juſſerit Deus, haud fas eſt tonitrus ſonos commutare, quoniam illi parent, nec poſſunt non obtemperare*. Prædura omnino, & præobſcura Interpretatio.

LXX. Græcorũ lectio dura. Nicetas.

V. *Tonabit Deus in voce ſua mirabiliter: qui facit magna, & inſcrutabilia.*

1. *Varia expoſitio. Eligitur ſimplex. Mirabiles fulminis effectus.*
2. *Nives mirabiles. Fovet terras. Symbolum rerũ optimarum.*
3. Pluvia, imber, nimbus, *quo differant. Pluvia æſtiva ſaviores*
4. *Repetitio ejuſdem vocis ſignificat continuationẽ ejuſdem rei. Deus potens invertere temporum ordinem.*

1 Nicetas.

NE Res eadem *tonitrui* ſine nova nũc ſententia repetatur, Græcus Scholiaſtes explicat, Deum ideo tonare, *ut perterreat mortales*, & ingẽti admiratione obſtupefaciat. quod erit, *tonare* non ſolum *mirabiliter*, ſed etiam, ut in Hebræo eſt, *tonare mirabilia*. numero plurali indicante ingentem admirationem, & ſtuperẽ mortalium

Numerus pluralis ad amplificationem.

talium ad vocem tonitrui. D. Thom. non tam ad tonitruum, quam ad Dei vocē, id est, imperium Dei loquentis, & sonantis per mirabiles alios effectus, quos efficit in rerum natura. Cajetanus ad ea *mirabilia*, quæ cum tonat, sunt conjuncta cum fulmine, quod videlicet molliora prætereat, duriora invadat; Ovum consumat illæso putamine; Vase intacto dolium exinaniat; Fœtus exanimetur illęsa matre gravida, Liquefaciat ęs crumena intacta; & his similia. ut deinde *magna* alia fulminis effecta adjungat, quod discindat mōtes, turres maximas prosternat. Sed hæc interpretatio videtur plus nimio arguta: præter quam quod non agitur hic de mirabilitate fulminis, sed tonitrui. Sed ille explicatus, atq; nexus facilis est, ac bene cohærens, ut transitum faciat a tonitruo ad alia naturæ mirabilia; Is qui tonat, & fulgurat ad terrorem, & stuporem mortalium, efficit etiam alia non minus miranda, omnino sane & nostra scientia, & perscrutatione majora.

Cajetan.

Mirabilis fulminis effectus

Simplicior explicatus.

ꝟ. VI. *Qui præcipit nivi, ut descendat in terram: & hyemis pluviis, & imbri fortitudinis suæ.*

2

Augustini lectio maculosa.

PErcenset reliqua Meteorologica humidiora. *Qui præcipit nivi.* Manifeste mendosa est Augustini lectio; *Præcipiens nubi.* nulla quippe hic ambiguitas vocis ad *nivem*, & *nubem*; qualis inferius c. 38. versicu. 22. Est in Hebræo, & Græco peculiaris elegantia; *Dicit nivi, Esto super terram.* non solum ingentia illa tonitrua sunt Dei voces, quia, ut ait Nicetas, *Deus dicit, præcipitque ut fiant, sed verbo etiā suo, atque præcepto multa alia indigent, ut existere possint;* Inter quæ non ultima nix est. dicit enim Cōditor, ut ningat statis temporibus, & alternis grandinet. Sed cum ningit, quot, quāta naturæ miracula; quod *siccam & duram calcantes nivem minus algeāt, quam qui teneram,* & labefactatam; quod cū frigidissima sit, at in ea parte aeris *fiat, quæ prope terras sit, & plus habeat caloris;* in Aethiopia nūquā cadere: in Tartaria calidissima licet, media æstate aliquando ningere: & cum in maria nunquā nix decidat, at insulam *Nivariam* mari cinctā, *ob perpetuas nives, ad nomen accepisse*; quod in Aethnæ montis capite perpetua sit nivium canicies, perpetuis ignibus subjectis; quod cum lucidissima, & candidissima sit, at aliquando *rubescat*: quod in nive denique * *Vermiculi creentur,* & vivāt *rutili, ignem colore repræsentantes.* Denique quod prçceptū nivi sit, *ut sit super terram:* tum quod, ut ex Plinio diximus, semper in terris, nunquam in *alto mari ningat*; aut quod ex Seneca, quod *in ea parte aeris cōcipiatur, quæ vicina terris est.* aut denique quod mira sit nivium vis ad fovendas, & fæcundandas terras. Sicut Scriptum est, Psal. 147. 3. 4. *Emittit eloquium suum terræ* (præcipit enim nivi, ut descēdat in terrā) *Qui dat nivē, sicut lanā* (indusium albū, apricum, molle, pulchrum) *nebulam*, (quæ per se se frigidissima est) *sicut cinerē* (calidissimum ad exurendum) *spargit*. Res igitur mirabilis nix, & optimarum rerum in Sacro sermone symbolum propter cādorem, munditiem, constantiam. de quo eleganter hoc loco Gregor. Philipp. itē.

Nicetas.

Mirabilia Nivis.

Sen. lib. 4. nat. qq.

Petr. Mex. p. 4. Sylv. c. 23.

Plin. 2. c. 103. lib. 6. c. 32.

Rubesc. Pli. lib. 11. c. 25. Ar. lib. 5. de hist. anim. cap. 19.

Iidem, qui supra. & Strabo lib. 11.

Nive fovētur terræ.

Nix symbolū rerū optimarū

Gregor. Philipp.

3

Pluvia, hyēs, & imber, quo differāt in Hebræo.

Et hyemis pluviis, & imbri. Non dubiū, quin aliquod discrimē distinguat *pluvias hyemis* ab *imbre fortitudinis suæ*; quæ profecto fuit mens Vulgati Interpretis, cū voces originales easdē aliis, atque aliis vocibus Latinis reddidit; nam ex verbo sic legimus in Hebr. *Imbri pluviarū, imbri fortitudinis suæ*. Vbi duo subsunt nomina in Hebræo alterū *Gecem*, quod hic vertitur *hyems*, & aliis locis *pluvia*, aut *imber* sine discrimine; vel *spontanea*, ut Psal. 67. 10. vel *subita*, & *extemporanea*, ut 3. Reg. 18. 45. quare hoc loco *hyems*, erit hyemalis imber. Alterū nomen *Matar*, quod hic vertitur *pluvia*, & in secunda *imber*; & aliis locis, ut Deuteron. 11. 11. 14. 17. & cap. 32. versicul. 2. Quid autem intersit inter has duas partes, non eodem modo exponitur. nam per *hyemis pluvias*, vel ut est in Hebræo, per *pluviam pluviæ*, Septuaginta intelligunt, & legunt, *tempestatem pluviæ*. nam illa ejusdē vocis repetitio augmentum affert, & copiam: quare alii explicāt *pluviam uberem*; qualis hyeme esse solet, est enim hyems procellosa, & turbulenta, imbrifera, & aquosa, apud Poetas, & Philosophos. Quare etiam hyems pro tempestate ipsa accipi solet, quale illud est;

גשם

Varia lectio.

מטר

LXX.

Hyems pro tempestate.

Vicit hyems; laxis Laterum compagibus omnes
Accipiunt inimicum imbrem, rimisque fatiscunt
Olli cæruleus supra caput astitit imber,
Noctem, hyememque ferens, & inhorruit unda
Tenebris.

Virgil. Aenei.

Quare hanc *hyemis* vim, & proprietatem videtur profecto indicasse Vulgatus, atq; Septuaginta convertentes pluviā, in *hyemem*, aut *tempestatem*: tum etiā & Tygur.

Tygurina.

Nimb⁹, quid. vertens *nimbũ*, qui apud Latinos, eſt præceps pluvia, ſubita, denſa. Quare ubi ſimilis eſt illarum duarum conjunctio vocum Zachariȩ, 10. 1. *Dominus dabit pluviã imbris.* id eſt, uberẽ, & copioſam, Septuaginta legunt *pluviam hyemalem.* per quam etiam ſignificat, bonorum ſpiritualium abundantiam, & copiam Eccleſiæ affluxuram. Alii vero e converſo, *Imbrem pluviæ* vocãt *imbrem tenuem*, aut vero in illo nomine repetito nihil peculiare agnoſcunt; ita Vatablus, videtur etiã Eugubinus, ſicque videtur neceſſario exigere ſecunda pars, quæ proculdubio vim pluviæ vehemẽtioris affert. nec enim ſemper illa ejuſdẽ vocis repetitio, aut adjunctio genitivi auget ſignificationem, ut Devt. 12. *Terra pulveris*, aut *pulvis terræ*, nihil aliud eſt, quam, terra aut pulvis. & Pſ. 39. 3. *Lutum fæcis*, nihil eſt aliud, quam lutum, aut fex; Ergo recte cohærebit cum ſecũda parte, ſi prior hæc *hyemis pluvia* ſit ſpontanea, & temporalis. recteque ſubjungetur, *imber fortitudinis ſuæ*, ſive ut in Hebræo eſt, *imber pluviarũ fortitudinis ſuæ*, ubi coacervatio hæc vocum, & genitivus ille pluralis, vehementiſsimum, & procelloſum imbrẽ ſignificat, non quidem hyemalem, ſed vernum, aut æſtivum, cum fæviores tẽpeſtates coguntur; *Cum ver cœpit*, inquit Seneca, *major indignatio aeris ſequitur, & calidiore cælo majora fiũt ſtillicidia; ideo, ut ait, Virgilius noſter, Cum ruit imbriferum ver, vehemẽtior immutatio eſt aeris undique patefacti, & ſolventis ſe, ipſo tepore adjuvãte. Ob hoc nimbi graves magis, vaſtique, quam pertinaces deferũtur; Bruma lentas pluvias habet, & tenues, quales ſolent ſæpe intervenire, cum pluvia rara, & minuta nivem quoque admiſtam habet.* Grandines item æſtivȩ: & ſæviores tempeſtates: cujus argumẽtum tẽpeſtas illa ȩſtiva ad terrorem ingentẽ excitata 1. Reg. 12. 16. 17. Eleganter ergo hoc loco Vulgatus dixit, *imbrẽ*: eſt enim *Imber*, ut Nonius ait, *Agmẽ cæleſtiũ aquarum, & pluviarum.* Tum etiam poterit ſignificare hæc toties repetita *pluvia, pluviæ* repetitionẽ, & continuationem; quod etiam nos vulgo dicimus, *Agua, y mas agua: llovèr, que lloveràs*. Ergo ſignificabit Iob Deũ poſſe tum ſuis temporibus ſalutarem, & copioſam *hyemis pluviam*, tũ nõ ſuo tempore importunã, & nocẽtem terris affundere, & vices rerum ac temporũ pro ſua ſapientia variare; nunc ventis, & ſideribus imbriferis, nunc contrariis: nũc pro terræ exigentia, & mortalium cõmoditatibus lentius, nunc vehementius.

Vatablus, Eugubin.

Genitivus nõ ſemper valet adjectivum.

Seneca. Pluviæ, & tempeſtates æſtivæ ſæviores.

Nonius. Imber, quid proprie.

4 Repetitio ejuſdẽ rei ad cõtinuationem.

Potens Deus cõmutare tẽporum, & rerũ ordinem.

30 *VII. Qui in manu omnium hominum ſignat, ut noverint ſinguli opera ſua.*

1. Sententia difficultas ex multis capitibus.
2. Quod Orationis ſuppoſitum. Manus Dei an hominis hoc loco intelligenda.
3. Cœli deſignatio ad noſtra opera exercenda. Prima, & ſecunda expoſitiones coacta.
4. Facultas operandi, manus. Tertia exponendi ratio.

Sententia ſane difficilis ex multis capitibus; fere enim ex ſingulis vocibus redditur incerta. Primũ ex relativo, *Qui*, non enim conſtat ad quod ſuppoſitum referatur. Deinde cum in Hebreȩo *manus* nõ ſit in regimine, neque *hominis*, ſed hæc ſit ſentẽtia; *In manu omnes homines ſignat*; ambiguum eſt, cujus nam hæc ſit *manus*? Illud duplo difficilius, quid ſit *ſignare*; nã non uno modo, ſed pluribus, illisq; diverſis; & contrariis uſurpatur ab interpretibus. Quarto illud non facile, quid ſit, *Signare in manu*. Vltimũ illud nondum exploratum, cui dãdum ſit reciprocũ illud, *opera ſua*, Deo, an homini? 1

Et ut a facilioribus incipiamus, Nicetas exiſtimat hujus orationis ſuppoſitum eſſe *Tempeſtatem*, quæ prohibet hominem quo minus operibus ſuis vacare poſsit, ſed de hac interpretandi ratione, poſtea, Nunc tantum de ſuppoſito hujus ſententiæ, quod proculdubio univerſi Interpretes Latini, atque Hebrȩi cenſent *eſſe Deũ*, de quo præcedentia, uſque ad hunc locum, continenter agunt; Deus igitur eſt, *qui in manu hominum ſignat.* 2

Secundo, cujus nã ſit hȩc *manus*, in qua Deus ſignat homines? Poſſet enim quis intelligere ipſam *Dei manum*, & poteſtatẽ, qua homines continet, & humana omnia moderatur, & ad agẽdum incitat, vel ab operibus ſuis revocat, ut in ſequẽtibus rurſus dicemus. Sed proculdubio rem ipſam Interpres dixit, ſuſtulitque ambiguitatem originis, vertens, *manum hominum*, in quo Hebræi, Grȩci, Latini conſentiũt.

Tertiũ, videlicet quid ſit *ſignare in manu*, pendet ex quarto, id eſt, ex ſignificatione *ſignandi*.

Quartũ fere totius difficultatis caput eſt, quid ſit *ſignare*. Et ex duplici *ſignandi*, ſignificatione, duplex conſurgit interpretationum claſsis, quas claritatis gratia ſeorſum proponemus, ne multitudo cõfuſionem, & obſcuritatem efficiat; nã ex Latina tantum *ſignandi* proprietate, nihil aliud exiſtimant eſſe *ſignare*, quam de-

Nicetas. Quod ſit hujus ſententiæ ſuppoſitum.

Manus Dei, ã hominis hoc loco intelligẽda.

ſignare, ſignificare, delineare, & quaſi indicatione aliqua, aut prognoſtico oſtendere rei alicujus qualitatem.

Quintũ vero utrovis modo intelligas ſive Dei, ſive hominis *opera*, commodum habebit ſenſum.

3 Ergo primo Nicolaus, Dionyſius, & quidam Latini alii, ad ſigna, ſideraq; cæleſtia, videntur reſpicere, quæ ſunt in cælo conſtituta hominibus *in ſigna, & tēpora, & annos*; Deum itaq; *in manu hominum ſignare*, erit, quaſi cum manibus hominis, id eſt, operativa potentia conjungere illa ſigna, & temporũ varietates, quaſi deſignando homini, quid quoque tēpore agere debeat, alia enim noctu, alia die, pluvio tempore quædam, quædã ſereno decent opera. Manibus ergo hominum *aſsignat* Deus varietates temporũ; ſive diſponit, ingenerat, imprimit, quid quoque tēpore facere debeat, ut Dionyſ. ait. Interpretatio omnino coacta, & dura.

Quorundam Latinorum expoſitio coacta. *Nicolaus.* *Dionyſ.*

Secundo D. Thom. ad *ſignum rationis* a natura inſitũ humanę menti videtur referre, cum enim homo ratione diſcernat, quid quoque tempore facere aut poſsit, aut debeat, videtur ſane Deus ratione homini collata, *ſignum* quoque præbuiſſe ad cognoſcēda opera ſua, quaſi ſuis impreſſum *manibus*. Hæc quoque expoſitio nō eſt mitior quã præcedens, forte etiam a propoſita tempeſtatis deſcriptione magis aliena; præſertim cũ hinc elici poſsit, ſignum operandi inſtrumento manuum, impreſſum eſſe menti humanæ, non vero ipſis manibus: neque minus vere diceretur Deus ſignaſſe in pedibus hominis, aut in ore hominis, quid comedere, quando progredi deberet, cum rationem contulerit ad hæc diſcernendã.

Secunda expoſitio Divi Thomæ. Signum rationi impreſſum.

4 Tertia Franciſci Titelmani, Deum *in manu hominum*, id eſt, *in vi operativa imprimere, & velut inſcribere, atque inſculpere naturales inclinationes, per quandã naturalē diſpoſitionem*, ut facile quiſque intelligere poſsit, ad quod actionis, & exercitii genus natura ipſa aptus, & deſtinatus ſit. Quidam enim ad militiæ, quidam ad litterarum, nonnulli ad artium fabriliũ, aut mercaturæ faciendæ ſtudium natura ſua propendent. In hac quoque expoſitione, deſidero ſimplicitatem, & facilitatem, tum etiam cohærentiam cum tota oratione, & propoſito Eliu.

Titelman. Manus, potentia operãdi. Peculiares inclinationes hominum ad diverſa opera.

)(

Phyſiognomica, & Chiromantica, interpretationes duæ.

5. Homini man⁹ collata ad exercēdas omnes artes.
6. Solus inter animalia homo habens manus. Manus inſtrumentum ante inſtrumenta.
7. Chiromanticorum interpretatio. Signũ a ſignificando dictum. Regiones, & area Planetarũ.
8. Chiromantia vana, & fabella anilis. Chiromãtia Phyſica non omnino vana.
9. Phyſiognomia ex facie, & delineamentis judicans inclinationes, non omnino contemnenda. Etiam a ſanctis viris culta.
10. Phyſiognomia manuum cum hoc loco minime faciens.
11. Reſpondetur objectionibus Chyromanticorum. Memoria ſigna. Illuſtrati Moyſes, & Salomon.

QVarta paulo diverſior Frãciſci Valleſii interpretatio, dum locum hũc copioſe, & erudite tractat in ſua Sacra Philoſophia, cap. 32. Deum *ſignificaſſe* homini in ſuis *manibus opera ſua*, eo quod *vel ſuas ipſius manus intuens homo, agnoſcit ſe eſſe natum ad omnes artes exercēdas*, ſcribendũ, docendumque omnem ſapientiã, ad numerandum etiam, quod per manũ, & digitos olim fiebat. Sibi Valleſius objicit; Significaſſe etiã homini Deum in auribus, natũ eſſe audiendo, in oculis, videndo, in manibus, odorando. Reſpondet ſane hoc eſſe diſcriminis, quod reliquæ ſenſuum actiones communes ſunt aliis animantibus, at quæ per manus fiunt, hominis proprię, ut quibus artes, & ſapientiæ multa adminicula exerceãtur, & fiant. Ex manibus igitur *cognoſcit homo opera ſua*. Et vero cõfirmari hæc poſſunt, quod manuum beneficium uni animalium homini collatum eſt. Quamvis enim Plinius aliis præter hominem manus tribuat, at ſapiētius, veriuſque Galenus docet non modo *ſolum hominē recte manibus uti, ſed ſolum hominem habuiſſe manus, inſtrumentũ quidem animali ſapienti convenientiſsimũ, homini maxime proprium*. Manuum præterea beneficio non ſolum ad fortitudinem, & bellica arma, ad pacis, & legum condendarũ politiam, ad pietatem, & aras erigendas inſtructum eſſe, ſed ad domanda etiã bruta animalia; *Equum* (inquit) *domat ſapientia, & manibus, & leonem percutit*. Denique *natura pro omnibus ſimul armis dedit, inſtrumētum ad omnes quidem artes neceſſarium, pacis vero non minus, quam bello idoneum*. Quare non ſolum manus eſt *inſtrumentum corpori, animo autem mens*, ut dixit aliquando Ariſtoteles, ſed manus etiam ſunt menti,

5 *Frãciſcus Valleſius.*

6 Solus homo habet manus. *Plinius lib. 11 cap. 43.* *Gal. 13. de uſu part. c. 2 & lib. 17. c. 1.*

Quę manuum miniſterio fiant.

Ariſto. Probl. 6. ſect. *Ar. lib. 4. Part. anim. c. 10.*

& ani-

& animo inſtrumentum. Quare idē ipſe cum Anaxagora hic diſputat, de manibus agens; *Anaxagoras hominem prudentiſsimū omnium animalium eſſe ait; quoniā unus omnium manus obtinet; ſed recta ratio exigit, ut quoniam prudentiſsimus omnium eſt, ideo manus receperit. qui enim prudentiſsimus eſt, recte uti plurimis inſtrumentis poteſt. Manus autē eſſe videtur, nō unum inſtrumētum, ſed multa. eſt enim, ut ita loquar, inſtrumentum ante inſtrumenta.* Subjicit deinde præclara multa de manuum operibus. Qui igitur manuum ſuarum vim, & induſtriam perſpecta habeat, profecto cognoſcet opera & numero, & arte, atque magnitudine mirabilia, quæ poſſunt humana effici manu. Sed proculdubio laborat hęc quoque explicatio iiſdem incommodis, quibus præcedentes.

Manuum inſtrumentū ante inſtrumēta.

7 Proxime jam videntur in hunc locum inſinuare ſe ſe Chiromantici, Signorū, & linearum manus obſervatores nimium curioſi; & hanc manum ſibi oblatā arbitrātes, avide arripiunt, ex hoc loco nitētes ſtudium ſuum probare, & cōfirmare, ſimplici & aperta, ut illis videtur, hujus ſententiæ expoſitione, nimirum *ſignaſſe Deum, & deſcripſiſſe in manu omnium hominum* ejuſmodi lineas, unde *ſuorum operū*, eventuumque futurorum prænotionē, & augurium quodam cōparare poſſint. Roborari etiam poteſt hæc linearum, & manuū deſignatio ex illo altero loco Exod. 13. 9. *Et erit quaſi ſignum in manu tua.* ubi vult Deus Hebræis fore ſolemnitatem illam azimorum ſignum memoriale liberationis ex Aegypto, qualia eſſe ſolēt ſigna manibus indita, aut impreſſa. Quæ autem alia hujuſmodi *manuum ſigna*, quam lineæ illæ ſuis certis areolis diſtinctæ, quas *deſignavit* Deus *in manibus* hominum? Accedit, quod planetæ & aſtra *ſigna* ſunt, *ſignaque* vocantur tum Geneſ. 1. 14. tum etiam apud profanos; cōgruere igitur videtur, ut ſi illa homini aliquid ſignant, & non idē ſingulis, ſed cuique homini ſuam peculiarem ſignificationem oſtendūt, id fiat medio aliquo ſigno homini impreſſo, ex cujus inſpectione cognoſcat homo, quid ſibi peculiariter cæleſtia ſignent ſigna. Sic igitur in manibus habet homo impreſſa ſigna ſuis locis diſtincta; ſuis certis aſtris reſpondentia, quibus doceatur, & quaſi digito, & manu dirigatur, ad prænoſcendū, quid dicturus, facturus, paſſurusve ſit in poſterum. Et mirū, quod in unica vola manus ſit ſua regio Iovis, ſua Mercurii, ſua Veneris, & ſuis lineis tanquam limitibus ita contineatur vis & poteſtas cujusque, ut & tanta aſtra tam parvo ſpatio vivant cōtenta, & tam juſta ſint, ut nunquam terminos tranſiliant alienos! Mira quoque hominis manus quę continere valeat omnes ſeptem planetarum regiones, & terminos, ut cū Dei filius tantum in ſua manu dextera habere viſus ſit a Ioanne *ſeptem Stellas*; iſti videre ſe profiteantur in utraque cujuſlibet etiam viliſsimi, & ſordidiſsimi manu, ſeptenas Stellas, & bis ſeptem Planetas!

Quinta expoſitio Chiromāticorum.

Signa manib' indita areolis diſtinguūt Chiromātici.

Signum a ſignificando dictum.

Regiones Planetarum.

Apoc. 1. 16.

8 Sed rem de Chiromantia Aſtrologica omnino vanam, nō minus quam fabellas aniles, mei muneris non eſt pluribus nūc inſectari, quam nemo, tantum non leviſſimus, atque ſtultiſsimus, non deteſtatur. Mulierc ularum curioſarum, ſuperſtitioſarum, harum rerū cura, & perſuaſio. Ex hac nota pingit plebejam muliercula Satyricus;

- - - *Sortes ducet, frontemque, manumq́;*
Præbebit vati.

Iuvenal. lib. 2. Satyr. 6.

Diſputavit ſane adverſus has ineptias ex hoc etiam loco ſapienter, & copioſe Frāciſus Valleſius. cap. 32. de Sacra Philoſophia. breviter ſed eleganter atque ſolide Delrius noſter lib. 4. Diſquiſitionum Magicarum. cap. 3. 4. 5. apud quē licet videre alios. Tum etiā diſtinctionē illā a Chiromātia vana, & Aſtrologica alteri' Chiromātiæ Phyſicæ, quæ nō omnino vane ex linearū colore, lōgitudine, aut brevitate, infirmitate, aut robore, & forti deſignatione, cōſiderat corporis temperiem ſanguinis, & aliarum partum diſpoſitionem. Quā non omnino contempſit Ariſtoteles. problem. 48. ſect. 10. & 1. de hiſtoria animal. c. 15. & quam tum alii, tū Franciſcus Georgius probat, & laudat, in ſua Harmonia Cant. 1. Ton. 6. cap. 4. ex parte etiam recipit Franciſcus Valles de Sacra Philoſophia. cap. 32.

Valleſius. Martinus del Rio.

Chiromantia Phyſica nō eadem quæ Aſtrologica.

Ariſtot.

Frāciſcus Georgius.

9 Quodſi Deus in aliqua hominis parte ſignavit, deſignavitve illius animū, & naturales animi propenſiones, non *ſignavit* quidem *in manu*, ſed potius in facie, vultu, frōte, oculis, qui ſunt velut animi imago, atque totius corporis ſpeculum. Indicant hanc Metopoſcopiæ, aut Phyſiognomiæ naturalem obſervationem Sacræ litteræ, Taddiderunt, ſed ex naturalibus tātum cauſis, optimi Philoſophi, Vſi ſunt illa, cum utilitate tamen, cū ſobrietate ſanctiſsimi atque ſapientiſsimi viri, e quorū numero non ultimus Nazianzenus Orat. 4. adverſus Iulianum. qui quāvis in ea ſcientia ſe parum *ſcitum*, parumque *ingenioſum* vocet, at illud dixiſſe *per animi ſubmiſsionē, & morum facilitatem* teſtatur

Nazianzenus Phyſiognomiæ peritus.

ſtatur

ftatur Nicetas; *Quis enim* (inquit) *parem huic poteſtatem habebat ad hominum naturas ex vultu cognoſcendas, atque ad internum hominum, ex externis, & perſpicuis rebus percipiendum?* Ergo Nazianzenus, Iulianum ex vultu, & totius oris lineamẽtis longe ante vero ſimillime perſpexit, quis futurus eſſet. *Tunc* (inquit) *me non malũ de hoc viro conjectorem fuiſſe novi, quamquam alioqui non ex eorum numero ſim, qui in hujuſmodi rebus ſciti, atque ingenioſi ſunt. Sed me morum ac geſtus ipſius inæquabilitas, atq; ingẽs quædã mentis emotio vatem efficiebat; ſi quidem vates ille optimus eſt, qui recte conjicere novit; neque enim mihi boni quicquã ſignificare videbantur crura minime firma; humeri quos ſub inde agitabat, & attollebat; oculus vagus, & oberrãs, ac furioſum quidam intuens; pedes inſtabiles, & titubantes; naſus cõtumeliam ſpirans; vultus lineamẽta ridicula, idem ſignificantia; riſus protervi, & exæſtuãtes; nutus, & renutus omni ratione carentes; Sermo hærens, ſpirituque interciſus, interrogationes præcipites, & imperitæ, reſponſiones his nihilo meliores, &c.* De hoc quoque cõſulendus eſt Delrius, & Georgius. Noſtrum tantum eſt locum hunc, & *ſignationem manus hominis*, furto nobis a Chiromanticis ſubreptum, eripere, & verũ ſenſum, ſolidamque explicationem reſtituere, quod jam faciemus.

Nazianzenus Iulianum ex vultu prænoſcens.

Iuliani Phiſyognomicus aſpectus.

Martinus del Rio.
Gregor.

10 Sed ante audiendi Phyſiognomi, quos cũ nõ omnino rejecerimus, cumque Chiromantia illa Phyſica, poſsit ad veritatẽ Phyſiognomicam reduci; ſi poſsit quidẽ per illam ex *ſignis manuum* veroſimilis aliqua conjectura fieri humanarum actionum, ut ex ſuis ipſis manibus poſsit *homo cognoſcere opera ſua*, locus quidem hic non vano Iudiciariorũ judicio, ſed veroſimili Phyſiognomicorum conjectura, lumen accipiet. Quis enim neget ex manibus Eſau hiſpidis, & villoſis ſtudia, & mores illius agreſtes, atque ferinos, & belluina illius opera conjici potuiſſe? Memini me in aliam rem, de hac ipſa manuum indicatione ex Ariſtotele, & Polemone nõnihil dixiſſe. Sic ſane Franciſcus Valleſius cenſet exponi poſſe hunc Iobi locum. & quod ad rem attinet, vere quidem; ſed quod ad ipſam ſententiam, & proprietatem vocum, & totius orationis contextũ omnino aliene, ut jam oſtendam. Si prius tamen ſatisfecerimus his, quæ pro ſe afferunt Chiromantici.

An ex manibus poſsit aliqua conjectura morũ fieri?

Manus hiſpidæ Eſau, quid deſignarent.

Vide ſuperius c. 36 ỳ. 26. n. 3.

Valleſius.

11 Ad id quod ex Exodo afferebatur, *Signum illud*, quod requirit Deus, non poteſt eſſe a natura impreſſum, ſed arte, & cura uſurpatum ad memoriam peculiaris alicujus eventus. & ſumitur ſane tranſlatio ab annulis, quæ etiam dicuntur *ſigna*, & memoriæ ſerviunt, præſertim antiqui illi, quibus inſculpebatur memoriæ cauſa, vel effigies alicujus fæliciſsimi eventus, quales videtur annuli fuiſſe, quorum gemmæ *Victoriam cũ Trophæo exprimebant*: vel quidem effigiem amici, quẽ animo, & memoria quis ferebat, ut oculis etiã, & manu ferret; uti Sulmonenſis Poeta dixit;

Objectionibꝰ Chiromanticorũ ſatisfit.

Quæ imagines inſculperentur annulis.

Suetonius in Galba.

In digito qui me ferſque, referſque tuo.

Ovid. 1. de Triſtib. Elegia 6.

Atq; de hoc ſigno memoriali id videtur intelligendum Cant. 8. 6. *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum, & ſignaculum ſuper brachium tuũ.* non contentus (inquit Spõſus) ſi ſolum annulo meã effigiem geſtes, volo etiam, ut cordi inſculpas, ut brahio inuras, ut mei recordatio, & tuæ menti, & tuis actibus ſemper interſit; alluditur enim ad quarundam gentium præſertim Chaldæorum, ritum ſe incidendi, & inurendi Deorum ſuorũ ſtigmatibus, de quo alibi diximus. Bone Deus quantum hinc abſunt manuum inciſuræ, & areolæ Planetarum! *Signa* vero cæleſtia tempora nobis deſignant, & opportunitates rerum faciendarum, *ſementis, & meſsis*, & operũ ad vitam neceſſariorũ. *Signat* igitur Deus in *Cælo* noſtra opera, nõ *in manibus*. Sed aſtruendus jam verus, & germanus ſententiæ explicatus.

Antiquus ritus ſe incidendi, & inurẽdi.

Statuitur vera ſignificatio *Signandi*, & germanus ſententiæ explicatus.

12. Signare *Hebrais pro* claudere, *&* abſcõdere. *Explicati Moyſis, Salomon Daniel.* Pro perficere. *Illuſtratus Daniel.*
13. Signum *in Scriptura a ſignificando. Locus Iobi ex c. 16. illuſtrtur.*
14. *Germanus ſententiæ explicatus. Rei Ruſticæ præceptum.*
15. *Hebraiſmus.* Clauſa manus, *quid. Illuſtratus locus Iudicum.*
16. *Interpretationes minus idoneæ rejectæ. Septuaginta elucidati.*
17. Signare, *relatum ad ignorationem rei occultæ. Varia interpretatio.*

12 חתם

VErbum, *ſignandi* in Sacro ſermone, quod eſt ab originali radice *Hhathã*, proprie eſt claudere, occultare, confirmare ſigillo. Exempla obvia, ſed minutatim premenda, & examinanda, quo ſemel res hæc ſtatuatur, Iſai. 8. 15. *Liga teſtimonium, ſigna legem in diſcipulis meis.* id eſt,

abſcon-

abſconde,& obſigna,non enim intelligẽt hæc miſteria,niſi quos De⁹ docuerit. Iob 9.7. *Stellas claudit quaſi ſub ſignaculo*,cũ illas obducit tenebris,& eripit noſtro conſpectu: Propr. *Signat*, vel *obſignat Stellas*, Sic frequẽter jungitur,aut exponitur verbo *claudendi*, aut cõdendi. Dan.12.9. *Claude ſermones,& ſigna librum.* Devter.32.34 *Cõdita,& ſignata in theſauris.* Cãt.4.12.*Hortus concluſus, fons ſignatus.* Vnde *ſignũ*, aut ſignaculum licet Latinis *ſignet*,& ſigillet, quia ſignificat, at in Sacro ſermone ſignat,& ſigillat, quia claudit, & occultat. Quare quotieſcumque dicitur de litteris aut libro, ſignificat imprimere ſigillum, vel ad claudendum, vel ad cuſtodiendum firmiter, quæ clauſa ſunt, vel ad ſtabiliendum, quod mutare non licet, ſicut,quæ abſcõdimus, 1.Reg.21.8. Eſth. 8. Ierem.32.10.11. Iſai.29.11. aliquando vero idem eſt, quod *complere*, aut *perficere*, ſive ad finem adducere: nam litteras, vel librum perfectum, aut rem abſolutã ſigillo obſignare ſolemus, quomodo vertitur ab Interprete, Dan. 12. 24. *Vt finem accipiat peccatum*, (quod proprie legitur, *ut ſignetur*,vel, *ſigilletur peccatum*.quod etiam commodum habet ſenſum, & fere eundem cum noſtro, *Vt peccatũ abſcondatur, & quaſi ſigillo concludatur, ne ultra appareat*, quod ipſum eſt *finem accipere*, ut explicatur particula ſequente)*& deleatur iniquitas*. & iterũ, *& impleatur viſio*. quod proprie eſt, *ut ſigilletur viſio*, vel, *ut ſignetur*, non quidem ut occultetur, ſed ut muniatur, firma, & ſtabilis appareat, cum impleta fuerit, effectum ſortiatur, quemadmodum ſortiuntur, quæ ſigno ſtabilita ſunt. Denique nunquam, aut fere nunquam invenio in Scripturis poſt diligens ſtudium, verbum *ſignandi*, *Hbatham*, pro *ſignificare*, aut indicare. Quod enim in Geneſi dicitur,*Luminaria facta eſſe in ſigna*.nimirum ad ſignificanda *tempora,& annos*, nõ eſt ab hac radice,ſed a radice *Oth*, quod proprie eſt nota, deſignatio, character, littera, unde litteræ apud Hebræos, dicuntur *Othijoth*. & quod Ezech.9.4. dicitur,*Signa Thav*. id eſt,de ſigna, & delinea,eſt a radice *Thavah*. quaſi diceret *Thaviza Thav*, aut, *Signa ſignum*. Tantum poteris mihi objicere locum ſuperius expoſitum Iob. 24. 16. *Perfodit in tenebris domos, ſicut in die condixerant ſibi*. Cum enim ex hoc verbo legatur, *Sicut in die ſignaverant ſibi*. diximus referri poſſe ad adulterorum notas, & certas ſignificationes, quibus vel paciſcuntur ſecreto cum impudicis fœminis, quarum domos

Signum Latinis unde dicatur.

13 *Signum unde dicatur in Hebræo.* אות אתיות תוה תו

Locus ex cap. 16. amplius illuſtratus.

nocte adeunt, vel quibus domos ipſas,& aditus faciles interdiu deſignant, ut nocte facile ingredi poſſint. neque enim alia res videtur in adulterum (de quo ibi ſermo eſt) convenire poſſe. Sed jam indicavi eo ipſo loco propriam, & magis exactam interpretationẽ ex proprietate hujus radicis, videlicet, Vltro, citroq; miſſis litteris ſignatis, & clauſis cum aliis ſceleris ſociis, vel cum impudicis fœminis egiſſe, quod eſt *condicere inter ſe*, vel noctu perfeciſſe facinora, cum interdiu *ſe ſignaſſent*, id eſt, occultaſſent, & clauſiſſent domi, non audentes prodire in publicum. quod elegãter cohæret, cum eo, quod ibi ſequitur, *& ignoraverant lucem*.

14 Ergo jam affulget nõ obſcurus noſtræ ſentẽtiæ explicatus in hac media tempeſtatis diſcriptione; *Deus in manu omnium hominum ſignat*, claudit, & obſignat, quaſi ſigillo. Quid porro claudit, aut obſignat, quaſi ſigillo quãdo pluit, & ſævit tempeſtas? de hac enim eſt ſermo. Profecto nõ aliud, quã homines ipſos, quorũ manus, quaſi vinculis adſtringit cælum tempeſtuoſum, & iratum, & quaſi ſigillo appreſſo cõplicat, & impedit, ne exeri poſſint. quod omnino contingit agricolis, cum pluit, cum tonat, & fulgurat: quare, & hyems iners eſt, & deſes, quod homines cogat deſidere inertes, & cõplicatis manibus. Certe illud eſt rei ruſticæ præceptũ, *Leviora opera interdiu fiant, niſi cum impediaris a cælo*. Plinius inter alia, illa duo ex antiquitate repetit oracula, *Malum Patrẽ familias, quiſquis interdiu faceret, quod noctu poſſet, niſi in tempeſtate cæli. Peſſimũ, qui ſereno die ſub tecto potius operaretur, quã in agro*. Propterea Columella graviter præcepit villico, *ante multos dies cavere ſuſpecta tempora*. atque illam *menſtrui cujuſque officii rationem obſervare, quæ pendet ex ratione ſyderum cæli: nam, ut ait Virgilius*,

Tempeſtas claudit agricolas, quaſi ſigno quodã.

Plin. lib. 18. cap. 6. *Præceptum rei ruſticæ.*

Colum. lib. 11. cap. 1. & 2.

Virg. 1. Georg.

- - - - - Tam ſunt Arcturi ſidera nobis,
Hædorumque dies ſervandi, & lucidus anguis,
Quam quibus in patriã ventoſa per æquora vectis,
Pontus, & oſtriferi fauces tentãtur Abydi

Quare ſubjicit, *Temporibus accommodanda opera viris, ut permiſerit ſtatus cæli: itaque tẽpeſtatibus annotatis cautior villicus, vel abſtinere poterit operibus, vel feſtinationem adhibere*. Cogitur interdum media hyeme, & tempeſtate deſidere ad focum: at *ſoluta jam hyeme*, diſſolutis manibus,

Ex cælo, & tẽporis varietate pendentia opera ruſtica.

Horat. lib. 1. Carm. Od. 4.

Neque jam ſtabulis gaudet pecus, aut arator igni,
Nec prata ni canis albicant pruis.

Vides

15 Vides igitur rem rusticam a Cæli tempestate, & temporum varietate pendere: lenissime propterea cohærere cum descriptione tempestatis mentionem rusticorũ operum, cæssationisve, ut permiserit Cęli status. *Ergo claudere*, vel, *signare in manu*, ejusmodi loquutio est, atque illa, *Interrogare in ligno*, id est, *Interrogare lignũ*. q. d. *Echales en las manos el sello, y la cerradura*. Similis Hebraismus Iudic. 3. 15. *Aod utraque manu pro dextera utebatur*, quod hunc habet sensum: Vtraq; manus illi erat dextra. id est, sinistra utebatur, ac si esset dextra. nõ quod ambidexter esset; sed quod sinistra illi esset pro dextra, & sicut ambidexter utitur manu sinistra, ita ille utetetur. Sic enim consonabit cum eo, quod ex Hebræo legitur; *Aod* (Regia) *vir obturatus*; Tygur. *Clausus*, alligatus. Kaldæus, *Contractus manu dextera sua*. Pagninus per paraphrasim; *Qui dextera manu nihil efficiebat, sed sinistra*. & iterum, cap. 20. 16. *Viri fortissimi, ita sinistra, ut dextera præliãtes*. ex Hebræo etiam, *Clausa*, vel *impedita manu dextra* a radice, *Atar*, quod dicere possem⁹, *Que tenian atada la derecha, y suelta la yzquierda*. Atque eos homines, qui in agendo parũ expediti sunt, vocare solemus, alligatos, *Atados*. Sic homines *manu clausi*, & *obsignati* dicuntur, cum tempestas illos arcet ab agri operibus.

Osea 4. 12.

Hebraismus Illustratus locus Iudicum.

Regia. *Tygurina.* *Kaldæus.* *Pagnin.*

אטר

16 Quare quod hoc loco alii referunt, ad Dei Potentiam, quod ille tempestatẽ faciat *in manu*, id est, vehementi atque admirabili signo, hujus loci non est. Tum quod hæc manus non sit Dei, sed hominis, ut res ipsa, & lectio Latina exigit; tũ quod potius in homine obsignato, & impedito ab operando, significetur infirmitas quædã, ut lectio Septuaginta expressit. Minus alienum, quod Abẽ Esra, *manũ hominis* sumit, pro hominis libera potestate; quod Deus homini contulerit liberam potestatem exercendi opera rustica; & illius oculis, & scientiæ subjecit temporum varietates, & rusticorum operum opportunitates; nam cum pluit, dat signũ faciendæ sementis, & subigendi campos. melius R. Gerson, e contrario exponens, Deum *clausisse in manu hominis*, cum illius operandi potestatẽ adimit, & agricolas sub tecto cõtinet quasi domi reclusos immissa sęva tẽpestate & continentibus imbribus, ut cognoscat, ac re ipsa experiatur homo, nihil sine Deo posse, quidquid possit, inde pendere, juvari, impediri. *Cognoscit* ergo homo *opera sua*; cognoscit item infirmitatem suam. Sic Septuagint. *ut sciat omnis homo infirmitatem suam*. *Ideo* (inquit Nicetas) *sunt Dei opera admirabilia; ideo frigus existit, & æstus, ideo minime æquabiles Cæli temperationes, ut nostræ infirmitatis conscii modeste de nobis sentire discamus*. Quem sensum elicuerũt Septuagin. ex originali, ubi pro *singulis*, est *Anasim*, homines miseri, & imbecilles. Quam etiã *infirmitatem*, quam ex consideratione Divinæ Potentiæ agnoscit homo, ad peccata quotidiana accommodavit Concilium Milevitanum, cap. 7. hunc locum conjũgẽs cum illo David, *Delicta quis intelligit?*

Aliæ exponẽdi rationes minus idoneę rejectæ.

Aben Esra. *Nicolaus.* *Eugub.*

R. Gerson. *Cajetan.*

LXX

Nicetas.

אנשים

Milevitanum concilium.

17 *Opera sua*. Sive, Dei opera, quod Hebræo convenientius est; sive, hominis ipsius intelligas, sensus idoneus consurgit. Si ad Deum referas, significabitur Divinorum operum magnitudo, quam homo in tempestate agnoscit, & considerat, sed non satis complectitur mente. Et quidem verbum *claudendi*, ad ignorationẽ rei occultæ pertinere solet. quo videtur respexisse Nicetas; *Opera* (inquit) *Dei sunt admirabilia, ut mentis elationẽm, & contumaciã Deus coerceret*. Sed lenius decurrit sentẽtia, si ad humanas operas, & agri labores referas; a quibus tempestate, & Cæli inclemẽtia avocatur homo. Illud humilius, & angustius, quod ait Vatablus, *Pluviarum abundãtia cogit Deus homines remanere domi, quo minus possint invisere operarios suos*. Illud vero plus æquo amplum, quod Cajet. interpretatur, *Impediri homines non solum ab agricultura, & militia, sed etiã abstinere ab executione innumerabilium negotiorum*. Sed satis in hac sententia obsignati, & clausi. progrediendum ad sequentia liberius.

Cajetan. *Osorius.*

Signare, ad ignorationẽ rei occultæ.

Lenior interpretãdi ratio.

Vatabli expositio humilior.

Cajetan.

VIII. *Ingredietur bestia latibulum, & in antro suo morabitur.*

1. *Sententia paraphrasis.* Latibulum. *quid proprie.* Morari,
2. *Venti Australes nimbosi. Ventorũ promptuaria occulta. Deus in promptu habens etiã ea, quæ non sunt.*
3. *Cur dicatur tempestas* egredi. *Austi nimbo sus. Explicatus David.*
4. Arcturus *quid in Hebræo.* *Aquilo* dispergẽs.
5. *Interpretatio germana. Venti Aquilonares procellosi. Tempestatis descriptio ex ventis oppositis.*
6. *An venti contrarii simul spirare possint. Auster & Aquilo simul efficientes tempestatẽ.*
7. *Latini interpretis defensio. Græcorum elucidatio.*

1 Mirum, quod Philippus censet hanc sententiam multo *obscuriorem* pręcedentibus, multumque *dissonam*, cũ præclara sit, & valde consona! Vis, inquit,

Philipp.

hye-

hyemis, & terrificæ tempestatis cogit nō solū homines intra domos, sed feras intra latibula, pisces ad ima cōfugiunt; aves nidis se cōtinent, neque terror ingens permittit foris vagari. *Latibulum*. Septuagin. *Sub tegmen*, quo se protegant. Vox originalis non solum significat lustrum ferarū sed locum insidiarum; qui cū debeat esse occultus, cumque in eo insidiantes latitent, recte vertitur *latibulum*. infra, cap. 38.40. vertitur *specus*, & Psal. 9.29. *insidiæ*, id est, locus aptus ad insidiandum, quod statim exponitur per *occulta*.

LXX. Latibulum, quid proprie. ארב

Et in antro suo. Septuaginta; *Quieverūt, super cubile*. *Morabitur*. Usque manebit, per noctabit. quamvis nox data sit *bestiis silvæ, ut in ipsa pertranseant, & rapiant, & quærant à Deo escā sibi*; tamen nocturna tēpestas illas cogit intra antra pernoctare.

LXX. Morari, & pernoctare. שכן

℣. IX. *Ab interioribus egredietur tempestas, & ab arcturo frigus.*

Videtur jam connumerare vētos, qui tempestates efficiunt, sive superiores alias causas, sidera, & cōstellationes. *Ab interioribus*. Vatab. Tygur. *Nubium penetralia* intelligunt. *ex quibus tonitrua, aut turbinem descendere mirum sit*. sed importune, & longe nunc recurritur ad nubem. Quare simplex illud, & verum est, ut nūc *interiora* vocet, quæ superius nominatim dixit, *interiora Austri*; non solum propter Stellas Poli Antartici, tēpestatū, & nimborū effectrices, quā propter vētos nimbosos inde aspirantes; aut certe propter utrumque. quam rem exposuimus superius, cap. 9. versicul. 9. in sententia simili, *Qui facit Arcturū, & interiora Austri, &c.* Utroque autem loco Septuaginta, *Promptuaria* legunt, pulchra translatione; nam quoniam *promptuaria* solent esse in interioribus, & penetralibus domus, ideo pro *interioribus* sumuntur; qua etiam significatione vox originalis vertitur ab Interprete Latino, *cellaria*. Prover. 24.4. & *Secretum cubiculum*, vel, *Cubiculum intra cubiculum*, Iudic. 16.9. Genes. 43.30. 2. Reg. 13.10. 3. Reg. 20.30. cap. 22.35. Cantic. 3.4. quod elegantiæ poeticæ est; Sic enim vētorū abditissima claustra, & Aeoli domū atque recessus describunt, cum Dei Omnipotentiam significant, ventos vel coercentis, vel emittētis *ab interioribus Austri*;

2 — Vatab. Tygur. Osor. — Venti nimbosi aspirante ab Austro. — LXX. Ventorū promptuaria.

Nimborum in patriam, loca fœta furentibus Austri,
Aeoliā venit. hic vasto Rex Aeolus antro
Luctantes ventos, tempestatesq́; sonoras
Imperio premit, ac vinclis, & carcere frænat.
Illi indignantes magno cū murmure mōtis
Circum claustra fremunt. - - - - -
Sed Pater Omnipotens speluncis abdidit atris.

Virg. 1. Aene.

Vides hic *interiora Austri*, cubicula, & promptuaria ventorū, quorum non Aeolus, sed verus Deus ventorum promus, & condus. Sed illud præterea indicatur, voce *promptuarii*, Deum in promptu habere quidquid velit, quasi jam creata, & parata ad nutum; vocat quippe ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt. nō enim difficilius, aut tardius aderit tempestas denuo efficienda, quam si jam coacta, & detenta ex aliquo promptuario evocaretur in terras, ut ad illius vocem, & imperiū;

Deus in promptu habens omnia.

- - - Venti, velut agmine facto,
Qua data porta ruunt, & terras turbine perflent.

Opportune autē dixit *tempestatem egredi*, quod venti, & procellæ videantur *carcere premi*, & porta concessa statim egredi, atque vinculis elusis, se se lætissimos furiosissimosque proripere, secum advehētes tēpestatem, nubes, nimbum. Quod vero hoc loco *tempestas* dicitur, Isai. 21. est *turbo*; & cum Austro item conjungitur, *Sicut turbines ab Africo veniunt*. nā in Palestina *Auster*, sive quod idē est, *Africus*, nimbosus, & turbinosus est, & torrentes vel efficit, vel mirifice auget: ut colligitur ex Psal. 25.5. *Converte Domine captivitatē nostrā, sicut torrens in Austro*. *Auster* (inquit Theodoretus) *humidus ventus est, nebularum aerem implet, vehementes pluvias inducit, nubes dissolvit, aquis torrentes implet. Sic igitur inquit; Cives undique dissipatos jube, ut cogantur, & torrentis instar iter faciant*. Vide, quæ diximus super. cap. 27. versic. 20. super id, *Opprimet eum tempestas*. & cap. 9. vers. 9. n. 5. & c. 1. vers. 19. n. 3.

3 — Cur dicatur tempestas egredi. — Auster, vel Africus nimbosus. — Theodoret.

Et ab Arcturo frigus. Videretur esse res eadē cum illo, c. 9. *Qui facit Arcturum, &c.* Sed certe ibi vox est ab alia radice, & significat vel stellam, vel constellationem Aquilonarem, quæ efficere solet pluvias, & tempestates. hic autem est vox a radice *Mazar*, vel *Zarah*, quod est dispergere, aut ventilare: quare Hebræi cum Hebraizantibus vertunt hoc loco; *A dispergentibus*, sive, *a ventilantibus*, sive, *a dispersionibus frigus*. Neque omnes tamē in sensu conveniunt: nam Vatablus intelligit *Ventos Aquilonares, qui dicuntur scopæ Cæli, propterea quod reddant aerem nitidum, & mundum*, dispergendo nubes. quod desumpsit ex Rab. Levi, & Rab. David. Sunt

4 — Arcturi duplex in Hebr. radix. — מזר זרה — Varia lectio. — R. David. R. Levi, Pagnin. Vatabl. Tygur. Complutenses. — Aquilo dicitur dispergēs post tempestatem.

autem

autem vẽti Aquilonares frigidiſsimi; qui incumbere ſolẽt in terras poſt pluvias, & tempeſtates; quare recte dicitur, *Ab Auſtro egredietur tempeſtas, & ab Aquilone frigus;* Quam vim ex perſona ipſius Aquilonis ſcripſit Ovidius;

Ovid. 6 Metam.

Apta mihi vis eſt, hac triſtia nubila pello:
Induroq; nives, & terras grandine pulſo.

Cajetan.

Cajetanus quamquam intelligit etiã ventos Aquilonares, ſed nomine *ſparſionum*, exiſtimat primo ſignificatas Stellas Aquilonares, quæ ſparſæ ſunt, & non modicis inter ſe ſpatiis diviſæ. Alii e contrario nubes ipſas ſparſas, expanſaſque intelligunt, a quibus nunc imbres, nunc turbines, & nives mittuntur. Quæ exponendi ratio eo præſtat præcedenti, quod ſit cohærentior cum tempeſtate, quæ proculdubio adhuc deſcribitur. Et quidem ab illa *nubium ſparſione*, videtur Plinius *procellam* deſcribere, *Procella* (inquit) *disjecta nube, potius quam rupta.*

Cohærentior interpretatio.

Plin. lib. 2. cap. 49.

5

Germana interpretatio Hebraicæ lectionis.

Sen. lib. natur. qq. c. 18.

Sed quoniã de vẽtis tẽpeſtatẽ efficientibus videtur inſtitutus ſermo, certe nũc *diſpergentium*, aut *ſparſionum* nomine, ego intelligo ventos, nubila ſecum convehẽtes, & ſpargentes per aera; Venti enim, ut Seneca dixit, *modo adducunt, modo diducunt nubes.* & nunc Aquilonares quidẽ; quoniam de Auſtralibus ſermo præceſſerat. Quæ ipſa res in priſco illo Varronis carmine, in Marcipore, ad deſcribendam tempeſtatem non ineleganter exprimitur;

Varro.

Tempeſtas deſcripta a Septentrione, & frigore.

Nubes aquales frigido velo leves
Cæli cavernas aureas ſubduxerunt;
Aquam vomentes frigidam mortalibus,
Ventiq; frigido ſe ab axe eruperant,
Phrenetici Septentrionum filii,
Secum ferentes tegulas, ramos, ſyrus.

Tempeſtas ex contrariis vẽtis.

Tempeſtas igitur, non ſolum ab Auſtro, ſed a Septentrione, & frigore opportune notatur. Atque illa tandem ſęviſsima exurgit, cum contrarii venti concurrunt: quod hoc ſane loco indicatur a Iobo cõjungẽte *Arcturi*, & Septentrionis *frigus*, cum *Interioribus Auſtri*, mediamque inter duo extrema cõſtituentis *tempeſtatẽ*, multo elegantius, quam qui dixit;

Vna Eurusque, Notusque ruunt, creberque procellis
Africus - - - - - - Vbi enim *frigus ab Arcturo*, ſive quod idem eſt, Boreas aut Aquilo, qui cum cæteris ventis luctatus Cælum, Mare, Terras verſat? in cujus perſona ille alius cecinit;

Ovid. 6. Metam.

- - *Cum fratres Cælo ſum nactus aperto,*
(Nam mihi campus is eſt) tanto molimine luctor,
Vt medius noſtris concurſibus inſonet Aether,
Exiliantque cavis eliſi nubibus ignes.

6

Objicitur præcedenti expoſitioni.

An contrarii vẽti ſimul ſpirent.

Ariſto. 2. Meteor. c. 6.

Sed huic expoſitioni, & deſcriptioni tempeſtatis ex contrariis ventis potiſsimum ex Aquilone, & Auſtro, obſtat, inquis, Ariſtoteles, qui docet ventos contrarios ſpirare ſimul non poſſe; alter enim reprimit alterum. Sane; nam alterum ab altero vinci tandem neceſſe eſt. Sed parũper pugnare tamen, & manus conferere, aera, maria, terras concutere, quid prohibet? Quod ſuum quiſque habet, conferet in unam tempeſtatem, Auſter turbinem, Aquilo frigus. Helicen ſane, & Buram urbes in ſinu Corinthio, hauſit mare, ut Plinius ſcripſit: at dicunt id proveniſſe ex inundatione excitata Aquilone, & Auſtro ſimul ſpirantibus, unde Helice urbi cum Aquilonari urſa, quæ Helice etiam dicitur, nominis affinitas. Hos igitur duos vẽtos nominatim de tempeſtate efficienda concertare Ennius vere cecinit;

Plin. libr. 2. cap. 92.

Auſter, & Aquilo ſimul ſpirantes.

Ennius 17. Annal.

Concurrũt veluti venti, cũ ſpiritus Auſtri
Imbricitor, Aquiloq; ſuo cum flãmine cõtra
Indu mari magno fluctus extollere certant.

7

Vulgati Interpretis defenſio, & elucidatio.

Sed cur tandem Interpres *Arcturum* reddidit cum *diſpergentes*, aut *ventilantes*, debuiſſet reddere? Reſponſio in promptu; Quoniam res erat de tempeſtate ex utroque Cæli extremo proveniente: in Aquilone autẽ Arcturus procelloſus eſt; ideo Arcturum unde & Aquilones perflant, & tempeſtates frigidę invehuntur, tanquam rem notiſsimam nominavit. Forte etiam vocem originalem deduxit (quod potuit commode) ab alia radice, videlicet *a Zaram*, quæ vox vertitur, *turbo*, Iſai. 25. 4. & *imber* ſupra, Iob. 24. 8. & *Gurges*, Habac. 3. 9. & *Impetus*, Iſai. 28. 2. Quoniam igitur hæc ex parte Aquilonari eſſe ſolẽt effecta Arcturi, cauſam pro effectis poſuit. De Arcturo autem diximus ſupra, c. 9.

זרם

LXX.

Lectio Septuaginta elucidata.

Nicetas.

Sed cur tandem lectionem Septuaginta, quæ eſt ejuſmodi; *De promptuariis ſuperveniunt dolores; & ab extraneis partibus frigus:* Nicetas intellexerit non tã de aeris, & elementorum mutationibus, quam de humanorum corporum, atque valetudinis perturbatione, plane non aſſequor. ſic ille interpretatur; *A penetralibus, id eſt, ex viſceribus, iis qui obriguerunt, oriri dolores, in ſummis corporis partibus, quæ magis, quam reliqua membra frigore tentantur.* Niſi forte exiſtimat indicari, quid tempeſtas, & inclementia Cęli in corporibus efficiat humanis.

X. Flante Deo concreſcit gelu, & rursum latiſsime funduntur aquæ.

1. *Aquilo efficiens nives. Venti ſpirantes ex Dei ore* Divina *de magnus* Spiritus Dei, *etiam de aura leniori. Explicatus David*
2. *vis Aquilonis. Criſtallus, & nix cadentes ex Dei ore. Illuſtratus David.*
3. *Varia expoſitio.* Fundere *quid. Aquilonis, & Auſtri permutata vices. Explicatus David*

1 Aquilo efficiens gelu, & nivem.

QVoniã Aquilonaris frigoris meminit, conſequens fuit, ut exponere alterum Aquilonis. & Arcturi munus, & vim nõ ſolum in concitanda tempeſtate, ſed in efficiẽdo gelu. & procreandis nivibus. *Flante Deo.* Non ſolum ille Dominus eſt, moderatorque ventorũ, ſed ex illius ore ſpirare videntur. propterea venti vocantur *flatus*, aut *Spiritus Dei.* Et ut tranſlatio hæc indubitata ſit, dicitur *Spiritus oris illius*, ſuperius Iob. 15. 30. Sed alii vehementiã, & impetum venti intelligunt, per *Dei Spiritũ.* Dei enim, maxima, & excellentiſsima quæque ſunt, Sic quod Divinum, quod Sacrum eſt, continuo maximũ, & excellentiſsimum eſt. exempla obvia. Quãquam quod primo dixi ſolidum ſit: quod ſecundo loco, non uſque quaq; certum. Cũ enim pueri in fornace Babylonica invitarunt ad Divinas laudes, *omnẽ Spiritum Dei*, non tantum vehementiores, & fortiores ventos, ſed leviores, & mitiores auras invitarunt. Sunt etiam iſtæ *Dei ſpiritus*: non enim ſemper ille ſpirat vehemens, & iratus. Sed hoc tamen loco ex ſubjecta re tempeſtatis, atque Aquilonis, ſignificatur profecto ventus vehemens, cogens humidam, & pluvialem nubem in glaciem, aut in glacialem grandinem. ſic *concreſcit gelu.* Hæc etiã eſt propria Aquilonis vis;

[Margin: Ex Dei ore ſpirãtes vẽti. — Spiritus Dei, ventus vehemens. — Dan. 3. — Spiritus Dei de aura leniori. — 2 — Vis Aquilonis. — Ovid. 6 Meta.]

Induroq; nives, & terras grandine pulſo.

In Hebræo ſignificatur item glacies, aut nix, nõ tam a vento frigido, quam ab ipſo Deo effecta; *A ſpiritu ſuo Deus dabit gelu:* q. d. Deus ſimul cum ſuo flatu, & ſpiritu, ex ore ſuo effundit glaciem. Sicut etiam dixit David Pſ. 147. 6. *Mittit Criſtallum ſuam* (gelu, glaciẽ, & quicquid inſtar Criſtalli concreſcit.) *ſicut buccellas*. ſicut panis fruſtula, micas ex illius ore cadẽtes. Et quid mirum, eſſe *buccellas* cũ cibus arborum, & frugum ſint imber, & nix, ut Plinius aliquando dixit?

[Margin: Criſtallus, & nix, micæ cadentes ex Dei ore. — Cibus arborum. Plin. lib. 17. cap. 2. — 2 Varia lectio.]

Et rurſum latiſsime funduntur Aquæ. Sentẽtia ad multos ſenſus ambigua. nam poteſt primo eſſe ſuperioris partis aut repetitio, aut expoſitio; Ita concreſcit gelu, & conglaciat nix, ut in immenſos, & ſpatioſiſsimos aggeres excreſcat: & magna illa aquarum copia, quæ in nubibus incluſa erat, *fundatur*, rigeſcat, & quaſi ex ære fuſa induretur, conſtringatur. hoc enim ſonat vox originalis, ut ſi ex verbo legas, *Copia aquarũ in anguſto, aut, in arcto.* Quare legi poteſt; *Latitudo aquarum conſtringitur.* Neque vero eſt in originali illa particula *rurſus*, quæ indicat aliquid diverſum a præcedente. Alii exiſtimant illud *arctum*, vel *anguſtum* referri *ad pruinam, & minutam pluviam, quæ eſt pluvia lata*, (numero videlicet immenſo guttarũ) *& facile cõgelatur.* Sed vix verbis cõgruere poteſt. Alii, quod ex glacie illa attrita, & fracta rurſus ingens aquę vis cum grãdine permiſta diffundatur. Sed nihil peculiare, quod ad rẽ Meteorologicã pertineat, affert hæc interpretatio. Illud videtur commode cum parte antecedente cohærere, ut ſit ſuperioris ſententiæ expoſitio, aut quaſi diſtributio quædam: cũ enim dixiſſet de Auſtro, & Aquilone, nũc ſingulas facultates ſingulis tribuat, Aquiloni efficiendi gelu, & nives, Auſtro nives, & gelu liquandi, & fundendi. Res nõ prætermiſſa a Davide inter miranda naturæ Pſal. 147. 5. 6. *Mittit Criſtallum ſuã ſicut buccellas, ante faciem frigoris ejus quis ſuſtinebit? Emittet verbum ſuum, & liquefaciet ea: flabit ſpiritus ejus, & fluent aquæ.* Quod de mutatione Aquilonis in Auſtrũ Theodoretus explicat. & hunc quidem ſenſum indicavit Vulgatus appoſita particula, *rurſus*, q. d. Mutatis vicibus, & per mutatis ventis. Illudque *latiſsime*, videtur accepiſſe de cãpis ſpatioſiſsimis, in quos defluunt nives liquatæ in ingentes rivos;

[Margin: Fundi, pro cõcreſcere. — Iſidor Clar. — פּץ — Vatabl. — Oſorius. — Expoſitio ſimplicior, & cohærentior. — Aquilonis, & Auſtri vires diverſæ. — Theodoret. Vulgatus. — Statius. 2. Thebaid.]

. . . . . Cum vere reverſo,
Biſtoniæ tepuere nives, ſubmittitur ingẽs
Aemus, & anguſtos Rhodope deſcendit in amnes.

XI. Frumentũ deſiderat nubes, & nubes ſpargunt lumen ſuum.

1. *Varietas, & diſſenſio lectionum.* Frumentum *unde dicatur in Hebræo. Ratio Latinæ lectionis. Explicatus Moyſes.*
2. *Varia lectio. Verbum* deſiderandi *varie redditum. Nubium labor in irriganda terra. Illuſtratus Baruch.*
3. *Latinæ lectionis elucidatio. Creaturæ omnes cõſpirantes in utilitates mortalium. Illuſtrati Hoſeas, & Sapientia.*
4. *Nives, & Aquilones deſiderati a ſegetibus, & arboribus. Cuius loco ſint.*

MIRA-

1 Varia lectio. LXX. Frumentũ unde dicatur in Hebræo. ברי רוה Complut. בוא ברר LXX. Symmachi. Ratio Latinæ lectionis.

MIrabilis est dissensio lectionum, Latinæ Hebraicæ, Grecæ. Reddenda breviter singularum ratio. Hebraizantes fere legũt; *Etiam in serenitate fatigabit nubem.* alii, *Propter irrigationem fatigabit.* Septuaginta; *Electum format nubes.* quæ harum conventio lectionum, autque illarũ idonea sentẽtia? Certe ambiguitas videtur nata ex voce *Beri*, id est, *Frumentum*, quæ potest deduci a radice, *Barah*, quæ significat cibum capere, aut cibum meliorem, & delicatiorem eligere. inde pro cibo, & pabulo, *frumento*, Genes. 42. 19. & 45. 35. Iob. 39. 4. & ubi Genes. 35. 16. nos habemus; *Venit verno tempore in terrã.* ex verbo legunt Complutenses, *Quando dat cibum*, aut, *frumentum terra*, id est, *verno tempore*, quamquam alii ex alia radice aliter legant; potest enim deduci a radice affini *Bara*, per *Lamed Aleph.* quod est creare, aut efficere aliquid selectum, firmum, purum, pingue, & vegetũ; nã, quę Deus creat, omni ratione *valde bona sunt*, 1. Reg. 2. 29. judic. 4 6. 3. Reg. 4. 24. Dan. 1. 15. Ezechiel. 34. 3. Item affinis est, radix *Barar*, quod est eligere, mundare, expurgare. Hinc dixerunt Septuaginta, *Electum format nubes.* quod Symmachus interpretari, & legere videtur, *fructum*, qui est id, quod profert terra selectum, pingue, optimum. At vero Latinus Interpres dixit *frumentum*, tum quod inter cæteros fructus terræ sit optimus, & pinguissimus; tum quod *frumentum* seligatur, & expurgetur a paleis. At vero Hebraizãtes, *Serenitatem* dixerunt, quod efficiat Cælũ purum, & mundum: atque existimarunt post tempestatis sermonem, nunc jã subjungi serenitatem aeris, & elementorum. Sed nimiũ præpropere, & immature: adhuc enim in media hyeme, & in media versamur tempestate, postea de serenitate sermo erit.

2 Varia lectio. ברה Pagnin. Isidorus. R. David. Verbum desiderandi varie redditum. טרח

Alii propius ad rem tempestatis, & pluvię, sed longius a vera vocis radice, deducunt vocem originalem a *Ravah*, quod est irrigare, & inebriare, aut ad satietatẽ perfundere: quare dixerunt; *Propter irrigationem fatigari nubes*: ita Pagninus, & Isidorus. Sed nimium fatigantur, ut a Latino Interprete recedant. Et quidem cum Rab. David verbum *desiderandi*, quod in Hebræo est *Tarahh*, constanter exponũt, fatigare, aggravare, aut laborare facere: & sub forma verbi tantum legitur hoc loco; sub forma autem nominis vertitur Isaiæ 1. 14. *Molestia*, & Devteron. 1. 12. *Negotium.* quare videbitur verbum ipsum esse, facessere negotium, aut exhibere alicui molestiam, & laborẽ. Ergo hunc sensum efficiunt, *Serenitas negotium facessit nubibus*; nam illas extenuat, dispergit, dissolvit, verberatas primum, & fatigatas a ventis, qua eadem vexandi, aut fatigandi nubes, formula, ventos descripsit Lucretius lib. 2.

Cajetan. Lucretius.

. . . . *Nubila Cæli*
Verrunt ac subito vexantes turbine raptant.

Alii, *Lux*, aut, *Sol*, vel, *fulgur fatigat nubes*, extenuat, consumit. Vides sensum hunc esse coactum, tum etiam ut dixi, importunum. Paulo mitius alii; *Negotium, & labor rigandi incumbit nubibus.* videntur enim multo discurrendi labore rigandi; atque opes suas profundendi fatigari, & lassari. qui sensus multo elegãtior efficietur, si cum *frumento* conjungatur, quasi dicat; *Propter frumentum laborant nubes*, hæc una res illis negotium facessit. *Nubes* (inquit Baruch) *quibus cum imperatum fuerit a Deo, perambulare in universum orbem, perficiunt quod imperatum est eis.* & se ipsas impendunt, ac superimpendunt in usus, & commoditates mortalium. Alii forte commodius ad rationem tempestatis invertunt sententiã, *Frumentum fatigatur a nubibus*: nam si vehemẽtius pluat aut grandinet, dejiciuntur segetes, & ut ille dixit, *nimio imbre senescunt*, tum etiam læduntur grandine;

Nubes laborantes in irriganda terra. Baruc. 6. 61. Segetes prostratæ nimio imbre. Statius lib. 5. Sylvarum. Ovid. 1. Met.

Sternuntur (inquit ille) *segetes, & deplorata colonis*
Vota jacent: longique perijt labor irritus anni.

3 Latinę lectionis ratio, & elucidatio. Desideriũ tributum segetibus, & terræ. Vniversitas creaturarũ cũ Creatore cõspirãs incõmoditates mortalium. Sap. 19. 17.

Sed quidem quamvis hic sensus non sit omnino incommodus, sapienter Vulgatus sensum elegit, qui cum pluvia, & cum nubibus videretur maxime convenire. nã cum hæc sint emissa ad utilitates humanas, ut nuper adductus Baruch dixit, quid ex tempestate commodi; & opportunitatis ad vitam mortalium *frumentum* caperet, nunc proponendum censuit. Et elegãter tribuit *desiderium* segeti, sive quod idem est, terræ fructiferæ, & germinanti, cui respondeant nubes, juxta id Oseæ. 2. 22. Cum incredibilem fertilitatem, etiam terrenorum bonorum pollicetur suo populo Deus; *Erit in die illa; Exaudiam, dicit Dominus, Cælos; & illi exaudient terras; & terra exaudiet triticum, & vinum, & oleum, & hæc exaudient Iezrael.* Videtur nimirum in commoditates mortalium universitas creaturarum, cum ipso auctore naturæ mirabilem cõcentum efficere, & ut Sapientia dixit, *Sicut in organo suum sonum custodire.* Quare mutuo

Sap. 19. 17. sibi accinunt, mutuoque respondent. Igitur, ut ab extremo incipiamus, *frumentum, triticum, vinum, oleum, desiderant nubes*, & pluviam: sed hoc illorum desideriũ exponunt & denuntiăt terræ parenti, & petunt ab illa humorem, quibus alantur, & crescant; exaudit preces suorum fætuum terra, illasque exponit Cælo, supplex, & precabunda, tanquam parenti, tanquam œconomo auctoris naturę. Exaudit Cælum terræ preces, & refert de hac re ad Deum, & intercedit pro fructibus terræ, & commoditatibus mortaliũ. Deus tunc exaudit Cælum, & annuit desideriis frumenti, & aliorum fructuum; jubetque ut hæc omnia respondeant desideriis, & indigentiæ *Iesrabel*, id est, sui populi. Quare ipse Deus aliquãdo apud Ezech. 36. 8. Sic præcipit; *Vos montes Israel ramos vestros germinetis, & fructum vestrũ afferatis populo meo Israel.* Vides hæc omnia conspirantia in nostram salutem; tum etiam mutuum omnium creaturarũ consensum desideriorũ, Cæli præsertim, & quæ in Cælo sunt, nubium, & pluviæ, cum terra: Quod pulchre Euripides dixit apud Aristotelem;

Euripides.

Refert Arist. 8. Ethic. c. 1.

Cum est sicca tellus, ipsa certe tum imbrem amat:
Cum turget Æther, imbre cum Cælum tumet,
Affectat, ut telluris in sinus cadat.

Si quando vero terra fiat compos sui desiderii; quam læta potitur optatis Aetheris nuptiis!

Lucretius.

** * * * * Unde alma liquentes,*
Humorum guttas mater cum terra recepit,
*Fœta parit nitidas fruges. * * * **

4 Rerum paronomasia.

Sed si non in vocibus, at in re ipsa elegãs videtur esse Paranomasia; nam *frumentũ desiderat nubes*, idem videtur esse, quod cibus hominum desiderat suum cibum, aut desiderat potum. quid enim est *imber* frugibus, nisi *potus*, quo inebriantur; imo & cibus, quo saginantur? *Cibus* (inquit Plinius) *arborum imber est.* Valde autem opportune terræ, ac frugum mẽtio post nives, nubesq; niviferas coactas vi Aquilonum, facta est, quod illæ mirifice terram fæcundent. Quam rem hoc ipso *desiderãdi* verbo, tum in frugibus, tum in arboribus docuit Plinius, causamque cur desiderẽtur ab arboribus, & messibus nives, & Hyems Aquilonia, solerter investigavit, cujus testimonium erit hujus loci Cõmentarius; *Hyemem Aquiloniam esse, omnibus satis utilissimam. Imbres vero tunc expetendi evidens causa est, quoniam arbores*

Plin. lib. 17. cap. 2.

Nives, & Aquilones desiderati ab arboribus.

Plin. lib. 17. cap. 2.

fœtu exinanitas, & foliorum quoque amissione languidas, naturale est avide esurire: cibus autem earum imber. Ergo qui dixit hyemes serenas optandas, non pro arboribus vota fecit. Hiberno quidem pulvere lætiores fieri messes, luxuriantis ingenii fertilitate dictum est. Alioqui vota arborum, frugumque communia sunt, nives diutinas sedere. Causa non solum, quia animam terræ evanescente exhalatione, includunt, & comprimunt, retroque agunt in vires frugum, atque radices: verum quod, & liquorem sensim præbent, purum præterea, levissimumque, quando nix aquarũ cælestium spuma est; ergo humor ex his non universus ingurgitans, diluensque, sed quomodo sititur, distillans, velut ex ubere, alit omnia, quæ non inundat. Nihil in rem præsentem vel opportunius, vel elegantius; consentitque cum illo, *Qui dat nivem sicut lanam* (convestit enim terram, confovetque nive, ne hyeme conglaciet) *nebulam, sicut cinerem spargit:* est quippe cinis caliditate sua loco fimi arboribus, & frugibus, & illius usus satis omnibus salutaris, ex præcepto rei rusticæ.

Nives fecundãtes tellurẽ.

Cinis loco fimi.

Plin. lib. 17. c. 9. & cap. 28. & lib. 18. c. 17.

Et nubes spargunt lumen suum.

1. *Triplex Græcorum expositio. Rubẽtes nubes quid portendant. Illustratus David, & Matthæus.*
2. *Aliorum expositio. Lumen reddens pluviam fœcundam.*
3. Lumen, *pro pluvia. Hebræorum interpretatio.*
4. Lumen, *pro fulgure. Quorsum tam frequenter fiat mentio fulguris. Verbum* spargendi, *de copia, & multitudine.*

Similiter Septuaginta. *Dispergit nubilum lucem ejus.* Græci, ut ego conjicio (illi enim non omnino clare loquuntur) tres expositiones afferunt; aut quod *nubes spargunt*, id est, dissipant, & auferunt lumen. aut quod nubes primum atræ, deinde rarescentes, & evanescentes lumini aditum in inferiorem mundum patefaciunt. aut tandem, quod collisis, scilisque nubibus, extruditur fulgur, & fulmen. Duos posteriores sensus accipit, cõjungitque Vatablus, censens nonnunquã nubes dissolvi, & cælum reddi serenum propter fulgur. D. Thom. de illo *lumine* intelligit, quod ante exortum Solis, aut post occasum, acceptũ a Sole nubes rubẽtes refundunt in aerem. Et quidem subtiliter conjecit D. Thomas: non solũ enim est res hæc pulcherrima, & jucundissima

1 LXX. Multiplex Græcorũ expositio.

Vatab.

D. Thom.

con-

Nubium rubor res jucunda, & cum tẽpeſtate cõjuncta.

Pſal. 64. 9.

Plin. lib. 18. c. 35.

conſpectui (propterea enim *exitus matutini, & veſpere* dicitur De⁹ *delectare*, quod nos maximopere delectet Orientis, atq; Occidentis conſpectus) ſed cum tempeſtate, aut ſerenitate conjuncta, quarum rerum ex nubibus rubẽtibus certum prognoſticum fit; *Nam cum ante exorientẽ nubes rubeſcunt, ventos prædicũt: quod ſi & nigræ rubentibus intervenerint, & pluvias: ſi circa Occidentem rubeſcunt nubes, ſerenitatẽ futuræ diei ſpondent. Si in exortu rubeſcant, maxima oſtenditur tẽpeſtas*, Hæc Plinius ubi de tempeſtatum Prognoſticis. Quod ipſe Auctor naturæ docuit. Matth. 16. 2. 3. *Facto veſpere dicitis, ſerenum erit; rubicundũ eſt enim Cælum. Et mane, Hodie tempeſtas, rutilat enim triſte Cælum. Faciem ergo Cæli dijudicare noſtis.* Atq; hoc ipſum *lumen a nubib⁹ ſparſum*, videtur ſane illud eſſe, quod ſparſim; diviſimque a nubibus pluviis exit, ut Aratus diſerte dixit;

Aratus.

Si quidem obſcuret nigranti ſimilis,
Solem nubes, circum ipſam autem hinc inde
Radii intervoluti ſindantur.

Plinius.

Cum quo cohæret Plinii quoque Prognoſticũ; *Si Sol in exortu longe radios per nubes porrigit, & medius erit inanis, pluviam ſignificabit.* Sed idem fere; tantum non expreſſa voce *ſpargendi*, Virgilius cum de ſignis, quæ dat Sol ſive Oriens, ſive Occidens, cecinit;

Virg. 1. Georg.

Ille ubi naſcentem maculis variaverit ortum
Conditus in nubem, medioque refugerit orbe
Suſpecti tibi ſint imbres: . . . . .
Aut ubi ſub lucem denſa inter nubila ſe ſe
Diverſi (diſperſo lumine) *erumpent radii. . . . . .*

Hoc igitur modo tempore pluvio, *Nubes ſpargunt lumen ſuum.* Sed quidem cum adhuc in media pluvia, & media tempeſtate verſetur Iob, non videtur hæc exponẽdi ratio prorſus cohærere.

2

Lumen efficiẽs pluviam fœcundam.

Ergo alii *lumẽ* cum pluvia ipſa, hac ratione cõjungunt, quod nubes virtute Solis, & Stellarum excitantur, & coguntur, rurſusque ejuſdẽ ſuperioris luminis virtute, & calore ſolvuntur, & liqueſcunt, & niſi ex cæleſti lumine, non eſſet fœcunda pluvia; cum enim aqua ſit frigida, niſi cum cæleſti lumine conjuncta, neque calida, neque fœcunda eſſet. Ergo nubes contemperatæ cum lumine, & influentia Cælorum, ſpargunt pluviam ſimul cũ lumine ad fœcundandã terram. Hæc fuit Alberti hujus loci interpretatio, quam ſequutus eſt Dionyſius: ſed proculdubio longe petita, & coacta. nam eſto ad terræ fœcunditatem non ſolum frigiditas humidæ pluviæ, ſed ex cæleſti etiam lumine tepiditas requiratur, an ideo diceretur illud *lumen ſpargi a nubibus*?

Albert. Dionyſ.

3

Lumen pro pluvia.

אור

R. Ioannan. R. David. Pagnin. Tygur. Oſorius.

Sed jã *lumen* pro ipſa pluvia accipiunt nonnulli Hebræi, atque adeo vocem originalem, *Or*, ubique *ſignificare pluviam in ſermonibus Eliu*; aſſerit Rab. Ioannan, idẽque ſequutus Rab. David, cum ſuperius, cap. 36. 30. ubi nos legimus; *Si voluerit fulgurare lumine ſuo deſuper*; illi legunt, *Extendere deſuper pluviam ſuam*, tum hic, *Nubes ſpargunt pluviam ſuã.* Idem ſequuti ſunt Pagninus, Tygurina, Oſorius. Rationem hujus cõmutationis, & ſignificationes *luminis* pro pluvia aſsignat Rab. Mardochai, aut quia pluviæ dominatur *Or Katon*, *id eſt*, *luminare parvum*, quod eſt Luna: aut quia pluvia *eſt pellucida*, & lumini tota pervia. Alii vero eandem ipſam hujus loci lectionem referunt nõ ad *Or*, quod eſt lumen ſed ad *Leor*, quod eſt fluvius, aut rivus, vel pluvia inſtar rivi pellicudi, & limpidi.

R. Mardoc.

ארקטון

לאור

4


Sed quidem conſtat Latinum Interpretem deduxiſſe ab *Or*; quod eſt *lumen.* rurſus *lumen* voluiſſe *lumen* eſſe, non *pluviam*: *lumen* autem accepiſſe pro fulgure, & coruſcatione. In qua interpretatione tantum quærenda opportunitas fulguris: nam cum illius facta fuerit mentio, verſiculo. 3. præcedente; & facienda iterum ſit verſiculo. 15. ſequente, intempeſtive nunc iterum fulguraret. Sed nihil profecto elegantius; nihil ſignificantius, quam in continua tempeſtatis, & pluviæ deſcriptione frequens, & crebra mentio fulgurum, ut ipſa fulgurum, fulminumque frequentia vagantium, incertorum; repentinorũ, nunc in unam partem, nunc in aliam decidentium ſignificaretur; quæ item varietas regionum, quas fulmen aut tangit, aut perſtringit, verbo illo *ſpargendi*, commodiſsime ſignificatur; affert enim multitudinem, & frequentiam, imo, & copiam, atque affluentiam, quomodo redditur aliquando a Vulgato Zachar. 1. 17. ut illud *ſpargere*, ſit frequentibus fulguribus, & fulminibus terras inſpergere; qua etiã dicendi formula uſus eſt, qui dixit;

Quorſum ſæpius fiat mentio fulguris.

Verbum ſpargẽdi de copia, & multitudine.

Iamq; erat in totas ſparſurus fulmina terras.

Ovid. 1 Metam. 255.



XII. Quæ luſtrant per circuitum, quocumq; eas voluntas gubernantis duxerit: & ad omne quod præceperit illis ſuper faciem orbis terrarum.

1. incertum ſententiæ ſuppoſitum. Varia expoſitio
2. Luſtrare, quid in Hebræo. Venti ſequentes circulum Solis. Illuſtratus Eccleſiaſtes.
3. Venti ex quacumque parte Orizontis ſpirantes. Venti meridie quieſcentes. Explicatus Baruc.
4. Varia lectio. Malus navis habet nomen ab alligando. Princeps inſtar nautæ, & mali navis. Ventorum, & nubium commoditates.
5. Deus nauclerus. Nubes inſtar navis oneratæ pretioſis mercibus.
6. Nubes Dei nuntii. Obedientiæ Symbolum.

1 Incertum ſententiæ ſuppoſitum.

VAriam hujus ſententiæ expoſitionē efficit ambiguitas in aſsignando hujus ſententię ſuppoſito, quod referri debeat illo relatiuo, *eas*. Et quidem primo Græci referunt ad Deum, qui dicitur *luſtrare orbem, omnia permeare omnibus adeſſe nubes cogere, atque accerſere, & in tempore adeſſe.* (Nicetas.) Tygurina quoque de Deo, ſed audaci, & impropria loquutione, *Ipſe verſatur in orbibus.* (Tygurina.) Oſorius, cujus paraphraſis fere Tygurinam imbibit, ſed dilucidior, & elegantior, illam ipſam ſententiā paulo emollivit, *Dominus per omnium naturā intētus, atque cōmeans, ita ſe verſat, ut orbē cuncta luſtrando conficiat.* (Oſorius.) Sed ſenſus invitus, nexus difficilis nullis verbis poliri poteſt. Cajetanus, *Ad lucem* retulit, illam præſertim, quæ apparet *in aſtris erratici, quæ circumgirationibus volvuntur.* (Cajetan.) Quamquam de univerſo aſtrorum ordine intelligi debeant. Sed profecto neque cohærenter, neq; non coacte. Cæteri Interpretes Latinam lectionem ſimpliciter, & plane de *nubibus* accipiunt, de quibus ſemel inſtitutus eſt ſermo. (Cōmunis. & ſimplex expoſitio.)

2 Luſtrādi verbum, quid proprie in Hebr. סבב

Quod vero Latinus dixit, *Luſtrare per circuitum* alii legunt, *Vertitur*, aut *convertitur*, quæ eſt frequentiſsima verbi originalis ſignificatio, & anceps quidē ad mutationem localem, & ad alias mutationes & converſiones ſubſtantiales. quare Vatablus ait fieri *illam nubis converſionem nūc in aquam, nunc in grandinem.* (Vatabl.) Auguſtinus etiam ambigue dixit, *Ipſa per circuitū vertitur.* (Auguſtin.) Sed proculdubio contextus exigebat, ut de motu locali ea nubium converſio acciperetur, quam Latinus eleganter vertit verbo, *luſtrandi*, quod alibi dicitur *diſcurrere*, & ex proprietate verbi originalis diceremus, *Nubes eunt, at redeunt*, & (Deut. 33. 26.) vento impulſæ nunc recta feruntur, nunc retro vertuntur; nunc oblique flectuntur. Sic ad univerſos Cæli, & terræ tractus, atque regiones vertunt ſe ſe, omniaque perluſtrant. Quamquam & illud vox *circuitus* indicare poteſt, plerumque ventorum impetu circumagi, quaſi ſequantur circulum Solis: nam, ut inquit Divus Thomas, venti quoque videntur per vices ſuas ſuas Solis motum ſequi, ut primum cum Oriente Sole Orientales, deinde Meridionales, poſtea Occidentales venti ſpirent. (Venti circulū Solis ſequentes.) Sic nubes per hunc *circuitū* feruntur, & *luſtrant* univerſa. Confirmari hujus interpretationis ſuſpicio, & ratio poteſt Plinii teſtimonio lib. 2. cap. 47. ubi de ventis; *Cum proximi cadentibus ſurgūt, a lævo latere in dextrū* (id eſt, ab Oriēte in Occidens verſus meridiem; hāc enim vocat dextrum) *ut Sol ambiunt.* (Plinius.) Vides igitur *luſtrare* ventos *per circuitum univerſa.* Tum vero confirmatur res hæc ad vētos reſpicere, ex cap. 1. Eccleſ. verſ. 5. ubi cū motu Solis ab Oriente in Occidens conjungitur ſimilis vētorum circuitus circūeuntium univerſa; *Oritur Sol, & occidit, & ad locum ſuum revertitur. Ibiq; renaſcens gyrat per meridiem, & flectitur ad Aquilonem, luſtrans univerſa in circuitu ſpergit ſpiritus.* de vento enim ſecundam hāc partem intelligi debere, eo loco explurimorum auctoritate probavimus.

3 Ventorū circulus per Orizontem.

Sed veriſimilior alia mihi ſuſpicio eſt, non eſſe hunc ventorum, aut nubium circuitū ab Oriente in Occidens cum motu Solis, ſed eſſe motū illum, & impetū, quē habere ſolent per *circuitū*, id eſt, per circulū Orizontis; undecumq; enim flant vēti, & vel adducunt, vel impellūt nubes ex quocumq; loco, & ſitu, neq; ſemper, ſed raro, præſertim in tēpeſtatibus, & pluviis, contingit illa ordinata ventorum ſucceſſio, ut *cadentibus proximi ſurgant ab Oriente in Occidens*, quin potius contrarii, & oppoſiti ſæpe concurrunt, & pugnant, & ex omnibus cæli plagis exoriuntur; ſecum igitur convehunt nubes, & in diverſas cęli plagas impellunt per circuitū, ut *omnia luſtrent*, quod certe indicatur loco Eccleſiaſ. *luſtrans univerſa in circuitu, &c.* (Ventorum in cadēdo, & ſurgēdo ordo, & ſeries.) Quod in Hebręo repetitionē, & Epitaſim habet *Luſtrās, luſtrās*, & in Septua. *Gyrās, Gyrās*, q. d. nunc ex una parte, nūc ex alia, & frequēter ex oppoſita, ut Plinius loco ſuperius indicato docuit; *Omnes venti vicibus ſuis ſpirant, majori ex parte autē, ut cōtrarius deſinenti incipiat.* (Plinius.) Sicq; fieri neceſſe eſt, cū meridie potius ſileant venti; *Sol* (inquit Plinius) *auget, & comprimit flatus, auget* (Plinius.)

Vẽti Meridie quieſcentes.

Seneca.

exoriens,occidensq́; cõprimit,meridianus Aeſtivis temporibus. Itaq́ medio diei aut noctis plerumq́ ſopiũtur,quia aut nimio frigore, aut æſtu ſolvuntur. Atq; adeo Senecæ de hoc ventorũ circuitu ſententia, pro hujus loci cõmentario eſſe poterit lib. 5. nat. qq. cap. 16. 17. 18. *Totidem ventorum ſunt,quot cæli diſcrimina, nulla enim propemodum regio eſt,quæ non habeat aliquẽ flatum ex ſe naſcentem, & circa ſe cadentem.* quod a Baruc dictum eſt, cap. 6. 60. *Spiritus in omni regione ſpirat.* ſimiliter ſane nulla regio eſt; quæ beneficio ventorum, nunc imbrem, nunc ſerenitatem non ſentiat.

4 Varia lectio, LXX. תחבלות

Quocumq́ eas voluntas gubernãtis duxerit. Paraphraſis eſt unicæ tantum vocis Hebrææ *Thebhbuloth*, quam intactam etiam retinuerunt Septuag. quod illius ſignificationem vix una altera voce exprimere auderent. *Tranſvertet*, pervertet in *Thebidatboth*. Sed ea vox vertitur a Latino Interprete, *Conſilia*, Prov. 24. 5. & *Gubernacula*, Prov. 1. & 2. 20. 18. 5. & *diſpoſitio* belli gerendi, Prov. 24. 6. Quare Symmach. hoc loco legit, *In gubernatione ſua*, Auguſtin. *In gubernaculis ſuis.* Fere Hebraizantes, *In conſiliis ſuis.* Cajetan. *In ingeniis ſuis.* Certe vox deducitur a radice *Hbubal*, quod eſt adſtringere, & obligare, unde dicitur, *Hbebel*, id eſt, malus navis, ad quem alligãtur rudentes, & vela; & *Hbobel*, id eſt, gubernator, & nauta, qui rudentibus alligãdis, & intẽdẽdis præeſt; vel quod potius ex illo, quã ex malo navis funes, & rudentes, publicæ res pendeant, atque omnis proſpere navigationis, & fælicis fortunæ ſpes in illo ſita ſit. Tum etiã quod omnis Reip. ſtructure, & omnia armamẽta ex gubernatore, tanquã ex malo navis pẽdeãt, & illius cõſilio, atq; prudentia gubernentur; ipſe vero clavo affixus, & in puppi ſedens curſum rectiſsimum teneat. Qua fere dicendi tranſlatione Principẽ, & Sacerdotem inſignit Deus apud Iſai. 22. 23. *Figã illum paxillũ in loco fideli, & ſuſpẽdent ſuper eum omnem gloriam domus patris ejus, vaſorũ diverſa genera, &c.* Ergo ſignificat illa vox eã gubernandi rationẽ, quæ conſilio, & prudentia indiget, ex qua multa pendent, & quæ multis, ut vocant, obligationibus reſpondet. Quæ omnia elegãter elucidavit Interpres, dicens, *Quocumq́ voluntas gubernantis duxerit.* quod idem eſt, quod univerſa *luſtrare nubes in Dei gubernatione*, cõſilio, voluntate, providentia. Quã tæ autem ſint ventorum, ſimulque nubiũ commoditates, eleganter Scripſit Seneca lib. 5. nat. qq. c. 18. *Inter cætera* (inquit) *Providentiæ opera, ex una cauſa ventos aut invenit, aut per diverſa diſpoſuit: ſed primum ut aera nõ ſinerent pigreſcere, ſed aſsidua vexatione utile redderent. deinde ut imbrem terris ſubminiſtrarent, iidemq́ nimios compeſcerent. nã modo adducunt nubes, modo deducũt, ut per totum orbem pluviæ dividi poſſent. In Italiam Auſter impellit, Aquilo in Africam rejicit, Eteſiæ nõ patiuntur apud nos nubes cõſiſtere, iidem totam Indiam, & Aethiopiã continuis per id tempus aquis irrigant.* Sic nubes non tam ventorum impetu aguntur, quam voluntate, & ductu *Gubernantis*.

Symmach. August. Cajetan. הבל

Malus navis unde habeat nomen.

Princeps inſtar mali navis, & nautæ.

Ventorum, & nubium commoditates. Seneca.

5 Deus nauclerus; Nubes navis. Providentia, Clav⁹, portus, regiones.

Cum vero *Gubernantem* dixit, quod ex proprietate vocis originalis refertur, ut diximus, ad rẽ nauticam, intelligo Deum comparari cum *nauclero* peritiſsimo, nubem cũ *navi*, Divinam Providentiã, & voluntatẽ cum *clavo*, & *gubernaculo*; & regiones peculiares, cum *portubus* variis, pluviã, grandinem, rorẽ, fulgura, fulmina, & quæcumq; vel nubibus cõtinentur, vel ex nubibus fiunt; cũ *mercibus convectis* nubium, quaſi navium vehiculis, quas cũ *Gubernãtis voluntas*, ſapientiaq; moderatur, in hoc quaſi pelago liquentis aeris, ad portum cõducit, ut ibi pro rerũ, & hominum indigentia merces deponãt, & pluvia ſe exonerent, ex qua diteſcat tellus, vivant animalia, arbores, ſata creſcant, fontes, flumina incrementa ſumant.

Nubis opes.

6 Symbolum obediẽtię nubes.

Ad omne, quod præceperit illis. Symbolũ obediẽtię ſunt nubes in Sacro ſermone; Baruc. 6. 61. *Nubes, quibus cum imperatum fuerit a Deo perambulare in univerſum orbẽ, perficiunt, quod imperatũ eſt eis.* Forte propter levitatem, celeritatẽ, & frequentem diſcurſationem gerere videntur perſonã nuntii fideliſsimi, exequentis Domini ſui mandata, ſicut propter eandẽ celeritatẽ, venti, & fulmina ſunt Dei nuntii, & *Angeli*, Pſ. 103. 4. In illo etiam nubes repræſentant imaginem obſequentiſsimorum ſervorum, quod ad Dei juſſa, & voluntatẽm ſe totas impendunt, & ſuperimpendunt, atq; adeo cõſumuntur, & pereunt, ut videantur illud dicere fideliſsimi Paulli, *Sive vivimus, ſive morimur, Dñi ſumus.*

Nubes Dei nuntii.

Nubes ad Dei voluntatem ſe totas impendunt.

Rom. 14. 8.

Porro cum dicitur, *Omne quod præceperit illis*, indicat magnã varietatem, & diverſitatẽ miniſteriorum, quæ præſtãt nubes, nunc obſcurando Solem, nunc tẽperando æſtum, jã perfundendo terram, jã fulgurando, fulminando, tonando, concipiunt ignem, & pariunt, generant ventos, predicunt ſerenitatem, vel tempeſtatem, oſtentat Arcũ cæleſtẽ, & Dei magnificentiã, deniq; ſunt Dei thronus, & ſedes, vẽtorũ quadriga, navis. Diximus de nubibus ſparſim plura. Vide ſuper. c. 36. v. 28. 29.

XIII. Sive in una tribu, sive in terra sua: sive in quocumque loco misericordiæ suæ eas jusserit inveniri.

1 *Articulus tertii, & quarti casus. Varia lectio.*
2 Virga *instrumentum verberum, aut Principatus. Illustratus Moyses.*
3 *Latinæ lectionis defensio.* Nubes *symbolum Divinæ Iustitiæ, simulque misericordiæ. Explicatus Amos.*
4 *Dei terra peculiariter, ubi ipse colitur.*
5 *Commodior interpretatio. Deus curans desertũ, & arbores sylvestres. Illustratus David.*
6 *Deus gratuitus naturæ provisor. Nubes symbolum Prædicatorum. Illustratus Isaias.*

1 EXplicare videtur nunc distinguere, quæ Deus nubibus suis perficienda mandet. Et quamvis idem fere sensus sit, in Hebræo certe variatio nonnulla est, quod in originali proprie legitur, *ad tribum, ad terram, ad misericordiam:* sive quod idem est, *tribui, terræ, misericordiæ*, nã articulus *Lamed*, tertio, aut quarto casui servire solet. *Articulus Lamed.* Ergo Græci sententiam hanc conficiunt quasi ex partibus oppositis, nã sic legunt; *LXX.* *Hæc constituta sunt ab eo sive in disciplinam, sive in terram suã*; & primæ partis expositionem, ut sint ad *nocentes corrigendos*, ut ait Nicetas, *Nicetas.* fere sequuntur Hebraizantes legentes, *Ad virgam*, ut Regia, *Regia.* & Cajetanus. *Cajetan.* vel, *Propter flagellũ*, ut Vatablus, *Vatab.* Pagninus, *Pagnin.* Isidorus. *Isidorus.* q. d. His rebus Deus sive peccatores flagellat; sive probos locupletat. Iuxta id, quod superius dixit, cap. 30. versic. 31. *Per hæc judicat populos.* Quare huic parti, quę est de disciplina, & verberatione impiorum, respondebit secũda *in terram suam, & in misericordiam*: videlicet, cum *terram* peculiariter *suam*, in qua, ipse a sanctis religiose colitur, bonis, & ubertate locupletat. Ratio hujus lectionis, & interpretationis est; 2 quod vox originalis *sebet*, *virgam*, aut *baculum*, significat, sicut & illud alterum nomen *Meteh*. *שבט Virga instrumentum percutiendi.* Virga autem, aut baculus est vel instrumentũ percutiendi, & flagellandi; quod respexerunt Septuaginta, & Hebraizantes, *מטה* Scriptum est enim, *Psal 88.33.* *Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorũ.* *Num. 17.2.10* quare hæc appellatur *Virga disciplinæ*. Proverb. 22.15. & *Virga iræ*, Prover. 22.8. & *Virga furoris*, Isai. 10.5. & *Virga funiculus*, Zachar. 11.7. *Virga pro tribu, & familia.* Est vero etiam *Virga*, & baculus insigne Regni, aut Principatus, quod gestabant Reges, Principes & duces familiarum, & tribuum. Quare sumitur pro ipsa tribu, & familia, jam inde, ex quo primis illis Principum familiarum, & Tribuum baculis nomina ipsarũ Tribuũ inscripta sunt, & reposita in tabernaculo. Tum etiam propter rationis analogiã, quod sicut virgæ ex radice, & trũco germinãt, sic ex uno capite multæ tribus, multæque familiæ. Rursus utraque *Virgæ* significatio conjuncta est, eo quod ad Principem tribus, & familiæ supremũ magistratum spectet peccata populorum corrigere, & castigare. Quare Moyses tũ ut Dei Potestatem, tum ut Divina flagella, atque suppliciorum minas intenderet Pharaoni, *Iussus est portare virgam Dei in manu sua.* *Exod. 4.17.*

Sed quidem Interpres sapienter elegit illam alteram *Virgæ* significationem pro *Tribu, & Familia*, ut ad Divinam Potentiæ, & Sapientiæ significationem, nec nõ Providentiæ, & Iustitiæ pariterque Misericordiæ singulæ partes pertineãt. 3 *Latini Interpretis elucidatio.* Dicat itaque Eliu, quod Amos, 4.7. *Plui super unam civitatem, & super alteram civitatem non plui, pars una compluta est, & pars super aquam non plui, aruit.* Neque hoc tãtum propter opus justitię, sed etiam propter naturæ, & Providentiæ legem, *Nubes symbolum Iustitiæ, simul & misericordiæ.* nam idem ventus, qui pellit ex una regione nubes, in adversam rejicit, ut de Etesiis nuper adductus dicebat Seneca, *Seneca.* ut propter bellam naturæ varietatem pars una cõpluta sit, pars non sit compluta; & nunc una gens, una tribus sub Cælo pluvio sit, nunc alia sub sereno. Quid, si indicet esse regiones, quæ assiduis, & perpetuis pluviis madeãt, ut in novo orbe, quædã, quę nunquã pluviã videãt, *Vbi nunquã pluat.* ut de Aegypto scribit Mela, lib. 1. cap. 5. *Mela.* & Iuxta Babylonẽ Strabo, lib. 16. *Strabo.* & de Hyrcaniæ montibus Plin. lib. 31. cap. 5. *Plinius.*

Sive in terra sua. 4 D. Thomas *D. Thom.* cum quibusdam aliis Latinis *terram suã*, refert ad ipsas nubes, quarum dicatur esse illá terra, *Terra nubiũ quæ.* unde vapores nubiferi excitati sunt. Quia ergo nunc nubes pluunt, ubi nubes excitatæ sunt, nunc in alienam regionem impulsũ ventorum feruntur, ideo nũc *in una tribu*, nunc *in terra sua* voluntati Divinæ obsequuntur. Alii *terram suam*, ad Deum referunt, *Dei terra quæ.* cujus ea terra peculiariter dicatur, quæ illius cultui, & religioni servit, quam solet Deus peculiaribus beneficiis, & opportunis imbribus prosequi sicut Scriptum est, *Pluviam voluntariam* (gratam, salutarem) *segregabis, Deus hæreditati tuæ, & (cum) infirmata est: tu vero perfecisti eam.* *Psal. 67.10.* Eandem Providentiæ curam prædicat Psalmus 147. quod suæ civitati Ierusalem de pluvia, & omniũ fru-

ctuum ubertate copiosissime provideret.

5 Commodior sententiæ distinctio, & explicatio.

Sed ego tamen existimo has tres sententiæ partes commode distingui, ut dicat Eliu, Nunc Deum *in una tribu*, & familia pluere, q.d. in una terræ parte habitabili, & culta: Nunc *in terra sua*, id est, etiam in regionibus incultis, *ubi nullus mortalium commoratur*: ut dicet iterum Eliu cap. sequente versicul. 36. cum enim in *una tribu* pluit, prospicit Deus genti alicui; at cum in terra deserta, propter ipsam terram id facit, quia *sua* est. atque adeo nihil in universo est, quod illius Providentiæ particeps non sit. Satis enim terræ ornatum, pulchritudinem, opes ille significavit, qui dixit, *Domini est terra*. Arbores sane sylvescētes, & infrugiferas, & nullius agricolationis participes, curat, colit, rigat Deus, quod suæ sint; *Saturabuntur* (inquit) *ligna campi*. non, inquam, illæ arbores sativæ, & hortenses, quas curat industria humana, sed sylvestres, non alterius, quam Dei, & naturæ beneficio viventes. Sic ex Hebræo legit Hieronymus; *Saturabuntur ligna Dei*. Sui auctoris beneficio, *pinguescūt speciosa deserti, & exultatione colles accingūtur*: curat nimirum, & perfundit Deus nō solum regionem, & tribū, sed *terram suā*, quæcumque tandem illa sit. *Sive in quocūque loco misericordiæ suæ*. diximus in Hebræo haberi, *sive ad misericordiam suam*, quod illuminavit Interpres addēs, *in quocumque loco*, quasi dicat, Quacumque tandem ratione, & loco Deus hujusmodi naturę opera dispensat, bonitatis, & misericordiæ suæ divitias effundit; & gratuitū creaturarum suarum, providentissimumque moderatorem se præbet. Illud vero, quod statim additur, *in quocumq; loco jusserit inveniri*, Græci dupliciter vidētur exponere, primo ut sit quasi superioris partis correctio quædam; Ideo hæc eveniūt propter terrę fructus, modo Deum terra illa habeat ad benignitatem proclivem. quod præ se fert lectio Septuaginta, *Si in misericordia inveniet eum*. Secundo, ut indicet harum rerū causas non posse esse nobis perspectas; *Illud* (inquit Nicetas) *quis inveniat a Deo hīs de causis illa fieri?* Sed rē ipsam expressit Latina lectio, atque indicavit illam, quam superius dicebamus, obedientiam nubium, non enim sunt alligatæ uni loco, aut regioni, neque terræ, ex qua natæ, & excitatæ sunt, sed in quācumque spiritu impelluntur, & convolāt, figuram gestantes ministrorū Verbi Dei *euntium in universum mundum, & prædicātium Evangelium omni creaturæ; qui sane, ut nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas*, ubi indicatur gratia Divini spiritus, qui Apostolos, & Divini Verbi ministros instar *columbarum*, instar *nubium* impellit, ad diversas regiones, ut illas perfundant salutari Doctrina, tum etiam amore filiorum spiritualium, id est, infidelium adducendorum ad fidem, excitat ad quærenda infidelitatis foramina, & extremos recessus. Videndus Gregorius, & Philippus.

Deus deserta, & sylvas curans. *Psal. 23. 1.* *Psal. 103. 16.* *Hieronym.* *Psal. 64. 13.*

6 Deus gratuitus, & misericors naturæ Provisor.

Græcorum interpretatio. *LXX.* *Nicetas.* Nubes figura Prædicatorū. *Isa. 60. 8.* *Marc. 16.* *Gregorius. Philipp.*

XIIII. *Ausculta hæc, Iob: sta, & considera mirabilia Dei.*

1. *Varia lectio.*
2. *Cometarum materia, & causa efficiens. Vulgus admiratur insolita; Sapientes consueta.*
3. *Tres aliorum expositiones minus idoneæ.*
4. *Explicatus coharentior. Iridis periphrasis, eiusdem, natura. Illustratus Ecclesiasticus.*

1 Varia lectio. LXX. *Nicetas. Aquila. Theodotio. Symmach. Gregor.*

AVscultа. Assentire usque veritati, neque amplius in tuo sensu abundes. Septuaginta, *Auribus percipe*. proprie, Aures accommoda; attentum te præbe: Nicetas, *Mente assentire, & quanta Dei sit vis, considera*; Sic Aquila, Theodotio, Symmachus, Contemplare, intellige, cogita: Gregorius. *Arrogantia minoris est, auditum sibi velle extorquere majoris.*

Nicolaus. D. Thom. Cajet.

Hæc. Nicetas, *quæ dicta sunt*. Sequūtur nonnulli Latini. Alii, quæ deinceps dicētur. Ego utraque intelligo; quāvis ad sequentem potissimum orationē novo exordiolo uti videatur.

Tygur.

Sta. Tygurina, *Resiste*, consiste, confirma, erige te ad percipienda, & mente cōplectēda Divina opera. *Mirabilia Dei*, fortis, potentis. Illud minus cohæret, & alienum est, quod ait Cajetanus; *Attende instar stantis*. Septuaginta, & Græci ad perferendam Divinam correctionem retulerunt, *Sta commonitus virtutem Domini*, Augustinus, *Sed & commonere.*

Cajetan. LXX. August.

XV. *Numquid scis, quando præcepit Deus pluviis, ut ostenderent lucem nubium ejus.*

2 Relativū anceps. *Cajetan.*

QVod Latinus Interpres dixit, *pluviis* in Hebræo est, *Super eis*, relativum videlicet indifferens ad multa, Cajetanus ad astra refert, quæ Deus certa ratione, & lege ordinat, & disponit, ut ex materia nubis, id est, ex vaporibus, *lux*, id est, cometa generetur. Sed plane ipse cōtextus orationis indicat adhuc disputare Eliu de *pluvia, nube, ventis*, & de his, quæ ex

nubibus generantur: ad ſidera nondum conſcendit ex nubibus: nam materia nubium, ut quæ ſit frigida, & humida, inepta eſt ad inflãmationem diuturnam cometarum, quæ requirunt materiam exhalationis calidæ, & ſiccæ. Neque ſi conſcendiſſet quidem ex nubibus ad aſtra, cometarum generationem, & inflãmationem, illis tribuiſſet vir ſapientiſſimus, quamvis quorundã falſa exiſtimatio fuerit, *ut* Seneca refert, *Cometas eſſe ab ſtellis fluens lumen, & calorẽ inde deſcendentẽ*, aut Stellas denuo apparentes, quæ fuit, ut Stobæus refert, opinio Pythagoreorum, Anaxagoræ, Chaldæorum. vera quippe ſententia, docet eſſe exhalationẽ ſiccam, & calidã, ideoque ad ignis ſphæram attingentem, ibique inflãmatam, ſequi aliquando Cælorum motum, cũ ſuprema illa ignis parte cælo proxima. Et quidem Eliu non tã profert, neq; admiratur hæc nova, & inſolita naturæ opera, quam quotidiana, & cõſueta; quorum potiſſimum admiratio, & conſideratio in ſapientes cadit; nam de Vulgo illud eſt, quod in hac ipſa Planetarũ cõſideratione dixit Seneca; *Quãdiu ſolita decurrunt, magnitudinem rerũ conſuetudo ſubduxit, ita enim compoſiti ſumus, ut nos quotidiana, etiam ſi admiratione digna ſunt, tranſeant: contra minimarũ quoque rerum, ſi inſolitæ prodierunt, ſpectaculum dulce fiat. Hic itaque cœtus aſtrorũ, quibus immenſi corporis pulchritudo diſtinguitur, populum non convocat. At cum aliquid ex more mutatum eſt, omnium vultus in Cælo eſt. Sol ſpectatorem, niſi cum deficit, non habet. Nemo obſervat Lunã, niſi laborantẽ. Si quid turbatum eſt, aut præter conſuetudinem emicuit, ſpectamus, interrogamus, oſtendimus.* Ergo Eliu aliud ſane ſpectat, aliud oſtendit, quam inſolita illa cometarum ſpectacula.

Quæ idonea materia Cometarum.
An Cometæ generẽtur ab aſtris.
Sen. lib. 7. nat. qq. c. 1.
Stobæus lib. 1. Eclog. Phyſ. c. 1.
Vera de Cometis ſententia.
Vulgus admirator inſolitorum, Sapiẽtes cõſuetorum.
Sen. lib. 7. nat. qq. c. 1.

LXX.
Græcorum expoſitio longe petita
Nicetas.

2 Græci ad lucem aliam reſpiciunt, referunt quippe totam ſententiam ad primæ lucis creationem, nam ſic legunt Septuaginta; *Scimus, quia poſuit Deus opera ſua, cũ faceret lumen de tenebris.* Scholiaſtes vero ſic interpretatur; *Harum rerum auctorem Deum eſſe intelligimus, cujus illa prima vox fuit, Fiat lux, quæ prius non erat,* q.d. Hæc omnia opera auctoris naturæ, quæ ad tẽporum viciſſitudines, lucis, tenebrarum, nubium, tempeſtatũ, ſerenitatis ſpectant, eſſe quaſi appendices illius primæ creationis lucis poſt tenebras, & ad eandem creatoris potentiam referẽda. Sed video nexum hunc eſſe difficilem, & valde longe petitum.

Aben Eſra.
Eugubinus.

Multo jam germanæ interpretationi propinquiores Hebraizantes, poſt Aben Eſra, referunt ad nubes, quibus Deus ſtata lege naturæ *præcipit*, ut nunc obducãt Cælum, & eripiant lumen, nunc rareſcẽtes, & extenuatæ lumini patefaciant aditum.

Tandẽ noſter Interpres; *pluvias* dixit, potius quã *nubes*, quod poſt aſſiduas pluvias ſoleant nubes evaneſcere, & ſolvi, & cæleſti lumini perviæ fieri. quæ fere eſt frequentiſſima expoſitio Latinorũ. Vnũ aut alterũ in illa mihi duriuſculum; quod cum in media adhuc pluvia, & tempeſtate ſimus, non viderentur tam cito nubes extenuandæ, & ſolvendæ. Tũ illud, quod non videam congrua aliqua ratione, lumen cæleſte dici debere *lumen nubis*: nam cum nubes exiſtit, tenebroſa eſt. Scriptũ eſt enim; *Tenebroſa aqua in nubibus aeris*: cum vero oſtenditur mortalibus cæleſte jubar diſcedentibus nubibus, aut evaneſcentibus, nubium, quæ jam in rerum natura non ſunt, lux illa eſſe non poteſt.

Latinorum expoſitio.
Objiciuntur duo.
Pſal. 17.

4 Propterea exiſtimo cõgruentius videri, *ſi lucem quam oſtendunt* nubes, intelligamus fulgurationem cum Vatablo; neque mirum ſæpius fieri mentionem *fulgurantis lucis* in hac tempeſtatis deſcriptione; nam in tempeſtate frequenter fulgurat. Fulgurãs, ergo lux propria nubis eſt. Aut ſecundo ſit *Iris*, quæ nihil aliud eſt, quam lux in nube rorida mille efficiẽs colores, & varias, atque pulcherrimas lucis attemperationes, cujus inter alia naturæ opera, præclarum eſt apud Eccleſiaſticum elogiũ, cap. 43. 12. *Vide arcũ, & benedic eum, qui fecit illũ. Valde ſpecioſus eſt in decore ſuo; gyravit cælum in circuitu gloriæ ſuæ: manus excelſi aperuerunt illum.* Quis enim arcum tam ſpecioſum, tam magnum geſtare, tẽdere, curvare poſſit, niſi Excelſus? Videtur enim Deus cũ ſatis telorũ ex ętherea regione jaculatus eſt, revertẽs in cæleſtẽ regionẽ ſuam, arcum humeris ſuſpenſum, in ſignum ſerenitatis oſtentare mortalibus. Hæc mihi interpretãdi ratio præ cęteris placet, tum quod arcus ſit lux ipſa variata in nubibus, & in ipſis ſtillicidiis, quæ ſingula ſolis imaginem repræſentãt: ut in Meteoris diximus. Tũ quod res hęc cũ ſubjecta materia aptiſſime cohæreat, id eſt cum pluvia; nam Iris non niſi pluvio tẽpore apparet, ineſt in ipſa nube, & guttis pluviæ: eſt preterea ſignum pluvię, &, ut Seneca dixit 1. nat. qq. c. 6. *Arcus a Meridie ortus magnam viam aquarũ vehit; ſi circa Occaſum refulſit, rorabit:* nubes non ſolum diſjicit, ſed alit; Nam

Concipit iris aquas alimentaque nubibus affert.

Explicatur cõgruentior.
Vatablus.
Fulguris periphraſis.
Iris, lux.
Iridis encomium.
Deus ſerenãs ſuſpendẽs arcum cęleſtem humeris.
Iris, quid.
Iris ſignum pluviæ.
Seneca.
Ovid. 1. Metã.

Deni-

Denique verſamur adhuc in media tẽpeſtate, & cum hac ipſa arcum conjunxit Lucretius lib. 6.

Lucretius.

Hinc ubi Sol radiis tẽpeſtatem inter opacã
Adverſa fulſit nimborum aſpergine cõtra,
Tum color in nigris exiſtit nubibus arqui.

Denique res hæc de præcepto impoſito pluviis a Deo ad *oſtendendam lucem*, videtur olere pactum illud Geneſ. 9. 13. 14. 15. *Apparebit arcus meus in nubibus, & recordabor fœderis mei vobiſcum.*

XVI. Numquid noſti ſemitas nubium, magnas, & perfectas ſcientias?

1. *Varia lectio, & interpretatio. Ex nubibus alia meteora pendentia. Nubium ſemita, & diſcurſus.*
2. *Aliarum lectionum reductio ad Latinam.*
3. *Dei ſcientia magna, & perfecta.*
4. *Cajetani ſententia de Via Lactea minime vera.*

I Varia lectio. מפלשי

VT ad has *nubium ſemitas* Interpretes pervenire poſsint, mirabilis itinerũ varietas, & errorum diſpẽdium, ad quod impulit originalis vox *Miphlece*, quæ hoc tantum loco legitur, & illi quiſque ſuam ſignificationem tribuit. Complutenſes, *Extenſiones, ſive expanſiones*; Thargũ, *quæſtiones*, aut *involutiones*, quia verbum ſimile *Phalas*, cum puncto *Siboleth*, ſignificat involvere, miſcere, conſpergere, unde legit Tygurin. *Miſturas nubis*; R. Moyſes, R. Aben Eſra, multi ex Hebraizantibus, *Pondus, libramentum*, propter cognationẽ cum verbo *Palaç*, quod eſt põderare, aut librare: quod videatur mirabile, ut nubes in aere pendulæ, ſuis quaſi ponderibus libratæ cõſiſtant, & ſpatium etiam, & altitudinẽ aereæ regionis, in qua coguntur, auctor naturæ præfinierit, atq; libraverit. Alii, ut Vatablus, dicũt *varietates*, & quod idem fere videtur, R. Abraham Peruſol, R. Mardochai, Pagninus, & Græci vertũt, *differentias*; ſic enim legunt Septuaginta, *Scit differentias nubium.* quod videlicet ex nubiũ differentia fere omnis Meteororum ſcientia, & generatio pendeat: nam illa vel ex nubibus, vel a nubibus, vel in nubibus, vel circa nubes fiunt. Certe Latinus Interpres cũ *ſemitas* dixit, attendiſſe videtur mirabilẽ nubium diſcurrendi, & movẽdi celeritatem, per certa itinera, quãvis nulla relinquant in aere certa veſtigia. Similem enim itineris rationẽ admiratur Sapiens, *Viã Aquilæ in cælo, viam navis in medio mari, & viam colubri ſuper petram.*

Complut. פלש *Tygur. R. Moyſes. Aben Eſra.* פלס *Vatab. R. Abrah. R. Mardochai. Pagninus. LXX.* Ex nubibus alia meteora pendentia. Certus nubiũ diſcurſus, & motus. *Prov. 30. 19.*

Cũ his ergo *ſemitis* non invitæ conſentient aliæ lectiones, nam in illis *ſemitis* eſt ſuum *libramentum*, ſua *differentia*, & *varietas*: nunc enim ſuperius aſcendunt, nunc inferius deſcendunt pro differentia gravitatis, & levitatis: eſt ſua quoque *involutio*, & *confuſio*, cum contrariis ventis, & ſemitis impulſæ nubes ſibi ipſis occurrant, & miſceantur, ac mirabiles etiam in aere efficiant coloris, & lucis *miſtiones*, & *differentias*; tum rareſcentes, & expanſæ, tum contractæ, & in ſe ſe collectæ non minorem varietatem reddant. 2

2 Aliarum lectionum conciliatio cũ Latina.

Magnas, & perfectas ſcientias. Varietas lectionis, nihil variat ſententiã, ſive enim legas, *Magna perfectio ſcientiis*, ſive, *Perfecto ſcientiis*, ſive, *Perfectas ſcientias*, ſignificat Deum pro ſua ſapientia hæc efficere, ſupra humanam intelligentiã. Illud, *magnũ*, ex proprietate vocis, *mirabile, abſconditum, difficile* ſignificat. Illud, *perfectum*, integrum omni ex parte. Deus, inquit, omnium eſt artifex, nihil difficile illius ſapientiæ, quamvis noſtris oculis mirabile, occultum, difficile. 3

3 Dei ſcientia magna, & perfecta. פלא ם

Indico tantum Cajetani expoſitionem hoc loco, hãc *expanſionem* nubis interpretãtis de Via Lactea. Quod præter quam quod non cohæreat cum nubibus, & tempeſtate, nam ea via *Cælo manifeſta eſt ſereno*; non conſtat ille circulus nube, non exhalatione; nõ eſt in aere, ſed in octava ſphæra. Mirum, quod rem jam ſtabilitã, & fixam apud omnes ſapientes, nunc velit Cajetanus Cælo deducere, & in aere conſtituere! neque hoc ſolum ſed illã impingere ſapientiſsimo Philoſopho, & Aſtrologo Eliu, cum præſertim nemo unquam fuerit, qui Circulũ Lacteum ex nube compoſuerit, præter Cajetanum. 4

4 Cajetani ſententia de Via Lactea.

XVII. Nonne veſtimenta tua calida ſunt, cum perflata fuerit terra Auſtro?

1. *Lectio germana. Triplex nectendi, & exponendi ratio. Eligitur tertia. Tempeſtates Auſtrales graviores.*
2. *Ventus Auſtralis concutiens Domum filiorũ Iobi Illuſtratus Lucas, & Oſeas.*
3. *Elucidatio lectionis Hebraicæ. Spes mutandæ fortunæ, ex temporum mutatione.*

AVguſtini lectio, quæ habet, *Veſtimenta valida*, manifeſte mẽdoſa eſt. Probant lectiones cæteræ, ſive Latinæ, ſive Hebræa, & Græca. Sed illud difficile, quis hujus ſentẽtiæ nexus, quis ſcopus? multis I

I Auguſtini lectio maculoſa

proinde interpretandi rationibus ansam præbuit lectio Hebræa, quæ ex verbo sic habet; *Qui vestimenta tua calescunt, in quiescendo terra a meridie.* Ego ad tria omnino capita universas nectendi, & exponendi rationes refero.

Triplex nectẽdi, & exponendi ratio.

Primum, ut nunc proponat Eliu temporum varietates; cũ enim ex descriptione tẽpestatis, & Aquilonis videretur egisse de hyeme, dum cõmoratur Sol in signis Aquilonaribus, nũc proponit jam gratam vicem veris, & Favonii, soluta hyeme, & Sole ad signa australia cõmigrante, & tellure, viventibus, vestimẽtis, rebusq; humanis universis tepentibus, Solis vicinia, vel meridionaliũ ventorum flatibus: quod quidem videbatur postulari post tantæ hyemis inclemẽtiæ absolutissimam enarrationem.

Temporũ, & Solis varietates.

Hæc fere Vatablus, post R. Aben Esra, & Rab. Gerson, Tygurina, Steuchus, & docti quidam Latini.

Rab. Esra, & Gersonites. Vatabl. Tygurina. Eugub. Osorius.

Vẽtorum differentiæ.

Secundo, ut nunc proponat ventorum diversitatem, contrarietatem, vires, rem omnino mirabilem, cum enim de Aquilone, & ejus effectis adhuc dixerit, requiri videbatur, tractatio flatus cõtrarii, *qui efficit semitas nubium*, de quibus proxime dixerat; nam forte in ea regione Auster nubes dispellit, & disjicit; sicut idem ipse, ut ait Seneca, *in Italiam impellit*, & cõjicit, rursus quidam venti sunt mortalium vitæ infesti, quidam amiciores; quidã æstu, quidam frigore perurunt; quidam tellurem exagitãt, quidam vexatam demulcent, & recreãt. Quodsi forte illis regionibus Auster infestus, & violẽtus existat, at illud habet optimum, quod solvit hyemis, & Aquilonis rigores, & serenitatem adducit. Vero similis est hæc interpretãdi ratio, & conveniens cum lectione Latina, nec non cum Hebræa; nam terra vexata ab Aquilonibus, quiescit perflata Austro; & quæ frigore obriguerant, Meridionali vento confoventur.

Seu lib. 7. nat. qq. c. 18.

Auster an Arabiæ infestus.

Fovet corpora.

Tertia exponẽdi ratio cõgruentior.

Tertio, ut hæc sit tempestatis clausula appositissima, ut cum adhuc de hyemalibus pluviis dixerit, nunc æstivos imbres proponat, eo nocentiores, quo a calidioribus vẽtis adductos. q. d. Non solum tẽpestas, qua Deus se mirabilem, atque terrificum exhibet, cõjuncta est cum hyeme, & Aquilone; sed pro Dei voluntate, & libera potestate, cum Austro, cum æstate, cum omnibus anni temporibus. Hæc mihi explicandi, & nectendi via placet, placebit quoque aliis, si graviori auctoritate confirmem. Indicavit illam proculdubio D. Thomas; nam Austrum ad rem nubiũ refert. Sed luculentum est in re naturali,

Australes tempestates graviores.

D. Thom.

Senecæ testimonium lib. 4. natural. qq. cap. 3. *Cum ver cœpit, major indignatio aeris sequitur, & calidiore Cælo majora fiunt stillicidia, ideo, ut ait Virgilius,*

Cum ruit imbriferum ver,

Vehementior immutatio est aeris undique patefacti, & solventis se ipso tempore adjuvante. Ob hoc nimbi graves magis, vastique, quam pertinaces deferuntur; Bruma lentas pluvias habet, & tenues. Austro imber improbior est, & guttæ pleniores sunt: Plinius item lib. 2. cap. 47. *Æstuosum* nominat *Austrum, Italiæ humidum: Austro majores fluctus adducũtur, quam Aquilone, quoniam ille infernus ex imo maris spirat, hic summo. ideoq; post Austros præcipui terræ motus.* Sed illud quoq; ad nubes, & ad tempestates pertinet, *Ab Austro maxime nubes ingravescunt:* ut ait Seneca.

Seneca. *Plinius.* Post Austros terræmotus.

3 Suspicionẽ quoq; hujus rei promovere potest, quod cum eum vẽtum, qui *concussit quatuor angulos domus* convivantium filiorum Iobi, *Spiraverit a regione deserti*, atque eum dixerimus fuisse Austrũ; nam *Desertũ* pro *Austro* usurpari in Scripturis, Hieronymus in traditionibus docet; *Hunc autem ventum procellosum, & turbinosum* fuisse, illa ipsa *vehemẽtia* indicat; tum etiam, & quod idẽ Hieronymus scripsit ex aliorum traditione, super id Hos. 13. *Adducet Dominus ventum urentẽ, &c.* Quod hoc loco dicitur ventus *calidus*; *Illum esse, unum de his vẽtis, quos in Evangelio legimus, flare, & venire cum turbine, pluviis, atque fulminibus, ut subvertant domum, quæ super arenam ædificata est.* quod quãvis pugnare videatur cũ illo, quod Hosæas subjungit, *Et siccabit venas ejus, & siccabit fontem: & ipse diripiet thesauros:* at Kaldæus simul cum æstu, pluviam videtur conjunxisse, legens, *Adducam ventum vehemẽtem a via deserti, & ærarium eorũ exhauriet, subvertetque Metropolim regni illorum; fluere quoque faciet ipse omnis supellectilis expetibilis thesauros.* ubi vento Australi tres effectus attribuere videtur; primum, *urere*, & *exsiccare fontes*; secundum *subvertere domos*, & urbes; tertium, *fluere facere.* quæ duo ultima ad procellam, turbinem, tempestatem pertinere videntur. nam verbũ *Sacak*, Hebræum, quod proprie est *diripere*, & devastare, eam etiam devastationem videtur afferre, quam efficit turbo, & vehemens tempestas. Nunc ergo Auster urit, & exiccat, nunc repentinis imbribus perdit, & devastat; mirabilis proinde est Divina Sapientia, atque Potẽtia in varietate ventorum atque tempestatũ. Consentit cũ hoc Hebræa lectio; Quãvis terra quiescat ab Aquilonibus, propter

Ventus Australis concutiens domum filiorũ Iobi.

Hieronym.

De quo vẽto loquatur Christus, impellẽte domũ ædificatam super arenam.

Kaldæus.

Auster adducens pluviã.

שכך

4 Elucidatio lectionis Hebraicæ.

sub-

subeuntem Austrum, tuque ipse sentias vicem caloris, & æstus. vel, cum quiescit terra opposita alterius Hemisphærii ab Austro cõsurgente, & perflãte adversum nos. quam ipsam sententiam clariori alia interrogatione, & affirmatione illuminavit Latinus Interpres; *Non ne vestimenta tua calida sunt?*

Sed quorsum illum Austri impetum, & æstum ad sola *vestimenta* retulit Eliu? An quia in regionibus illis præcalidis vix possunt graviores vestes sustineri perflante Austro? Sunt enim humana vestimẽta, familiariora frigoris depellendi, & caloris efficiendi præsidia.

Cajetan.

Sumpsit vero ex his *vestimentis* Cajetanus causam referendi totam sententiã ad tempus meridiei, cũ agricola æstuans labore, vestes abjicit, & *desiderat umbram*, dimittens tunc terram parumper quiescere, ut hæc sit imbecillitatis humanæ periphrasis. Sed sententia hęc nullum habet cum superioribus, neque cum sequẽtibus nexum. Sicut neque illa, quã Chrysostomus adhibet lectioni Septuaginta; *Tua vero stola est calida: quiescit vero super terrã?* Refert enim ad urentes dolores, *Tua*, inquit, *vestis est nunc etiam corporis concalefacta doloribus; quamquam probabile est etiam refrigeratum iri; est enim id Sapientiæ Divinæ, ut laxamentum quoddam; atque exitum malis querat humanis.* Itaque mutationem fortunæ, & valetudinis, ex temporum, & ventorum mutatione pollicetur.

Chrysostom.
LXX.
Spes mutandæ fortunę ex tẽporum mutatione, & varietate.

XVIII. Tu forsitan cum eo fabricatus es Cælos, qui solidissimi, quasi ære fusi sunt?

1. *Interrogatio cum ironia.*
2. *Cælum pro orbibus cælestibus, aut pro aere.*
3. *Cæli nomen a tenuitate dictum.* Pro nube. Firmamentum, *expansum.*
4. *Cur aer dicatur Solidus: Deus per extenuationẽ confirmans res. Illustrat David, & Isai.*
5. *Solidum de forti, & violento. Aeris agitati vis incredibilis.*
6. Fusile, *quod pellucidum est. Aeris cum ære cõparatio.*

I
Interrogatio irrisoria.

NON Dubiũ, quin interrogatio hæc multum habeat acrimonię, sed prępterea multum etiam habere amarulentiæ & irrisionis, existimat Philippus, & *In injuriam Iob, per ironiam dici*, forte quod Divinarum rerum cognitionẽ videretur affectare, cum tamẽ res meteoras, & sublunares ignoraret. Sed certe mollior videtur interrogatio, tantumque ad Divinæ Potentiæ ex creaturis descriptionem pertinere.

2
Quid Cælorũ nomine intelligendum.

Sed in illa tamen dissentiunt Interpretes, quid *Cælorum* nomine intelligendum sit. nam nonnulli ex Hebræis, post Rab. Gersonitem, fereque Latini omnes, Gregorius, Philippus. D. Thomas, & posteriores; tum ex Hebraizantibus Vatablus, ex Græcis vero Symmachus, Nicetas, interpretantur de cælestibus orbibus, quorum nunc mirabilem amplitudinẽ, & incorruptibilem soliditatem proponat, ad Divinæ Potentiæ amplificationem; nimirum ut ex sublunaribus, & generabilibus atque corruptibilibus ascendat ad superiora, natura, magnitudine, constantia, stabilitate, longe diviniora.

R. Gerson. Gregorius. Philipp. D. Thom. Vatabl. Eugubinus. Symmach. Nicetas.

Cælum pro aere.

Sed contextus ipse lenis, & bene cohęrens libenter admittit, ut non tam de *Cælis* superioribus, quã de cælesti, id est, aerea regione accipiamus, ut observarunt Tygurina, & Regia, legentes, *Aethera*; & Cajetanus legens, non quidem *Cæli*, sed, *ad Cælos*, vel, *usque ad Cælos*; propter articulũ *Lamed*, ita ut sermo sit de ista aeris expansione a terra usque ad Lunæ orbẽ.

Tygurina. Regia. Cajetan.

3
Cælorum nomen a tenuitate dictum.
שחק

Sed quidem nomen ipsum originale, *Cælorum*, quamquam sit indifferens ad significãdos cælestes orbes, propter tenuitatem, puritatem, & transparentiam, Ps. 88.37. Iob. 36.33. tamen proprie etiã ex primæva significatione, quæ est contundere, comminuere, extenuare, significat apud Interpretem Latinum, *nubes*, Ps. 88. 7. Psal. 35.6. Deuter. 33.26. supra Iob. 36. 28. & ponitur etiam pro *aere*, Psal. 17.12. *Tenebrosa aqua in nubibus aeris*, cum quo facit verbũ originale *fabricandi* quod proprie est *extendere*, aut *expandere*, atq; omnino est illud, quod Genes. 1. dicitur, *Firmamentum in medio a quarum*, quod *vocatũ est cælum*, quod ex hac ipsa radice potest dici *extensio*, aut *expansio*, vel *extenuatio*. Similiterque apud Latinos, ut Plinius de aere agens lib. 2. cap. 38. *Hoc*, inquit, *Cælum appellavere majores, quod alio nomine aera omne, quod inani simile.* Quare post absolutissimam tempestatis, & rerum meteorarum descriptionem, proponit nũc immensam istam aeris regionem longe, lateque expansam, quæ est velut scena, & theatrum, in qua tot rerum figuras, mutationes, & cõversiones natura exhibet: & qui, ut eleganter dixit Seneca, *Cælum terramq; connectit, qui ima ac summa sic separat, ut tamen jungat, separat, quia medius intervenit; jungit, quia utriq; per hoc inter se cõsensus est. Supra se dat, quicquid accipit a terris: rursus vim siderũ in terrena transfundit.*

Fabricari quid proprie.
רקע

Plinius.

Sen. lib. 2. nat. qq. c. 4.

Sed

4
Cur aer dicatur ſolidus, & quaſi ex ære fuſus.

Sed huic prioris partis expoſitioni obſtare videtur ſecunda, nam res per ſe non conſiſtens, neque proprio termino definita, ut Philoſophi docent, fluxa, & vaga non poteſt jure affirmari eſſe *ſolidiſsima, & quaſi ex ære fuſa.* Sed reſpondetur facile, hoc non eſſe magis difficile, quã quod appelletur *firmamentum*, aut ſtabilimentum. Sciendum eſt ergo, multum cõmendari Creatoris potentiam, atque ſapientiã, quod non minus conſtans, perpetuaque ſit res fluxa, & labilis, quam ſi *ſolidiſſima ex ære fuſa* eſſet, quare cũ per extenſionem ſoleant res nimium extenuari, & diſrumpi, tamen Divina Potentia extẽdendo, & deducendo res, potius confirmat, & conſolidat, ut Pſ. 135.6. *Firmavit terras ſuper aquas.* quod ex Hebræo legitur, *Extendens terram ſuper aquas.* eſt enim valde mirabile, quod terra tam extẽſa, & juxta rem tã fluxam, & labilem, qualis eſt aqua, tamen habeat firmitatem, & conſtãtiam. Similiter Iſai. 44.24. *Stabiliens terrã*, proprie, extendens, extenſamque confirmans, & conſolidans. Nõ aliter ergo hoc loco, mirabilis eſt aeris firmitas, & conſtãtia tam longe, lateque extenſi, atque extenuati.

De⁹ extenuãs ſimulque conſolidans.

5
Solidum, de duro, & violẽto.
LXX.
חזק

Sed in Hebræo tamen duo peculiaria videtur dici de aere, & quod ſit *fortis*, & quod ſit *fuſilis*. Primum, quod nos habemus, *ſolidiſsimi*, in Hebræo proprie eſt, *durum, forte, prævalidum, violentum.* quare Septuaginta dixerũt; *Validæ ſicut aſpectus effuſionis.* quod quamvis aer videatur fluere, & fundi, ſicut aqua, tamen illius impetus violentus, atque prævalidus ſit. eſt enim aeris impulſi, & agitati vis incredibilis. *Conſideremus* (inquit Seneca) *quam ingentem vim per occultorũ agant parvula admodum ſemina, & quorum exhalatus in commiſſura lapidum vix locum inveniat; in tantum convaleſcunt, ut ingentia ſaxa diſtrahant, & in momenta diſſolvant ſcopulos, rupeſque radices minutiſsimæ, ac tenuiſsimæ. Hoc quid eſt aliud, quam intenſio ſpiritus, ſine qua nihil validum, contra quam nihil validius eſt? Quid eſt autem, quod magis credatur ex ſe met ipſo habere intenſionem, quam ſpiritus? hunc intendi quis negabit, cũ viderit jactari terram cum montibus, tecta, muroſque plures, & magnas cum populis urbes, cũ totis maria littoribus? Oſtendit intenſionẽ ſpiritus, velocitas ejus, & diductio.* Vbi clare vides extenſionẽ aeris cum illius violentia conjungi.

Vis incredibilis aeris impulſi.
Sen lib. 4. nat. qq. c. 6. 7. 8.

6
Pagnin Regia LXX

Secundum, aerem eſſe *fuſilem*; quod proprie ex Hebræo legimus, *Sicut viſio fuſilis.* aut, *ſicut ſpeculum fuſum*. Septuagin. *Sicut aſpectus effuſionis.* nam, *Raah*, eſt videre, inde *viſio*, & *ſpeculum*, in quo nos videmus; quod quia ſolet ex vitro, aut ex ære levigato, & polito fieri, Vatablus retulit ad *vitrum*, quod perſpicuum eſt, ut comparet Cœlorum perſpicuitatem cum vitro. Sed Interpres Latinus ad æs, aut calybem, ex quo ſolent ſpecula etiã fieri. Vel certe, illud verbum *videndi*, vel *viſionis*, nihil aliud ſignificare cenſuit, quam, quod Latine diceremꝰ, *Videtur Cœlum ex ære fuſum.* æs enim addidit, quod videret bene convenire cum verbo *fundendi*. ſicut enim æs fuſile conſtantiam habet, & firmitatem; ita aer, quamvis fluidus, & labilis, at conſtans, & perpetuus eſt.

ראה
Varia lectio.
Vatabl.
Elucidatio Latini Interpretis.
Aeris cũ ære comparatio.

XIX. *Oſtende nobis, quid dicamus illi: nos enim involvimur tenebris:*

1. *Conſtructio argumenti a minori, & ſententia Paraphraſis.*
2. Ordinare, *aut*, diſponere, *verbum forenſe. Non contendum cum Deo.*
3. *Ex ignorantia, compreſſa humana ſuperbia. Elucidata lectio Septuaginta.*

1
Philipp.

OStende nobis; Opportune nũc Philippus: *Inſultantis* verbum eſt, & *exprobrãtis*. Nimirum tu, o Iob, qui cũ Deo diſputare audes, & de te magnificentiſsime ſentis, at vero de Divinis operibus, & de arcanis Divinæ Providentiæ valde abjecte, poteris docere nos, profitentes ingenue noſtram ignorantiam. *Oſtende*, clare, & proprie Septuaginta; *Doce nos, quid dicamus illi.* Forte eſt argumẽtum a minori; Si hujuſmodi res naturales vix cognoſcimus, neque propterea poſſumus hujus ignorantiæ litem intendere auctori; quãto magis ignorata nobis erunt Arcana Divinæ Providentiæ, de quibus nullo modo poterit homo expoſtulare cum Deo, *dicere, ſtatuere*, præſcribere illi rationẽ agendi, aut exigere rationem eorum, quæ circa res humanas agit?

ידע
LXX.
Argumenti a minori cõſtructio.

2
ערך
Vatab. Cajet. Regia.
Ordinare verbũ forenſe.

Nos quippe involvimur tenebris. Dilucide, & Latine; quod in Hebræo eſt; *Nõ diſponemus.* vel, *non ordinabimus propter tenebras.* Verbum forenſe, & militare; Nõ audemus litem, aut diem Deo dicere; neque ad illus tribunal provocare: impares ſumus diſputando coram Deo, quanto minus conquerendo, expoſtulando? Vel, *Nõ præparabimus*; non diſponemus, ſupple, ſermonẽ aptum, & idoneum de Divinis operibus: plane enim imparati ſumus

3 Ex ignorátia cõpreſſa homi nis ſuperbia.

coram illo dicere, quanto minus cum illo contendere? *Propter tenebras*: nam in magna rerum omnium, earum etiã, quæ ante oculos ſunt, ignoratione verſamur; Ignoramus, quid in rebus ipſis, quid in noſtra ipſa cauſa facto opus ſit, noſtros ipſos cordis receſſus, conſcientiam noſtrã minime habemus exploratã: oportet itaque Divinæ Sapientiæ, atque Providentiæ res noſtras omnes ſubmittere. Paulo amarulentius Septuaginta, ut in ironia perſtet, *Requieſcamus multa dicentes*. Si tu nos doceas rerum naturalium, atque etiã ſupernaturalis Providentiæ cauſas, gratiſsimum feceris, nam adimes laborem inquirendi, cogitandi, diſputandi.

LXX. Amarulenta ironia.

XX. *Quis narrabit ei, quæ loquor? etiam ſi loquutus fuerit homo, devorabitur.*

1. *Sententia paraphraſis, & nexus. Elucidata lectio Græcorum.*
2. *Varia expoſitio. Devorare, ad verba ſuppreſſa. Hiſpaniſmus.*
3. *Devorare, de ſupplicio, & interitu. Elucidata lectio Septuaginta.*

1 Sententiæ paraphraſis, & nexus.

COhærens, & minime frigida ſentẽtia hæc videtur, Quamvis ſane de Divinis rebus & loqui, & ſentire ſublimius præſumeremus, at non ideo coram Deo, qui totius ſapientiæ fons eſt, diſputare auderet homo, niſi plane temerarius, & cũ ingenti capitis periculo. Quantulum enim eſt id, quod ego, vel alius quiſpiam mortalis de Divinis operibus aſſequi poſſumus, ut coram illo exponere non dubitemus? Quis præterea illum ex ſyngrapha convenire, quis, quamvis juſtas haberet querimonias, in librum referet, & ſuam cauſam deferet ad Dei tribunal? Nemo ſane: vana eſt igitur, o Iob, hæc tua loquendi, & ad Dei tribunal provocandi libido. In hanc eandem ſententiam accipio lectionem Septuaginta, *Numquid liber, & ſcriba adſtitit mihi, ut ſtans faciam hominem tacere?* quod Græcus exponit Scholiaſtes, * *Nũquid ex tabulis, aut e codice hæc apud eum dicimus? Quiſquamne reperiatur homo, qui dicat, vincula ei ſilentii injecimus?* quamquam hujus lectionis acriorem aliam interpretationem adhibeat Philippus, ut optet Eliu jure ſibi poteſtatem cõmitti, qua Iobi os obſtruat, *Si judex eſſem*, inquit Eliu, *cui, & liber legis juxta jus poteſtatis eſſet in manibus, ſcriba quoque dictanti adſiſteret, & auctoritas adminicularetur, ut ſtans poſſim dare ſententiam, facerem hominem tacere. Vbi ſanctum Iob videtur incontinẽtiæ notare linguæ.*

LXX.

* Delante de Dios, ni vos hablariades, ni le hariades a el callar.

Lectionis Græcorum duplex expoſitio.

2

Etiã ſi loquutus fuerit homo, devorabitur. Rei per ſe planæ cohærentia difficilis, tũ vero illa eſt valde aliena Cajetani expoſitio ducta a ſimili, *Quod quemadmodũ non litigamus cum Deo de corruptione noſtrorum corporũ, ita non eſt litigandum de obſcuritate noſtri intellectus*. quaſi dicat, Non conquerimur, quod devoramur a magnitudine, & mirabilitate Divinorum operum, & quod illius Providẽtia nobis ſit occulta. Sed illa tamen vero ſimilis eſt fere Latinorum omnium interpretatio, quod dũ tentamus loqui de Divinis, *devoramur*, & opprimimur ab illius gloria: tum illud, quod aliquis indicavit, Noſtra ſciẽtia, veluti tenuiſsimus rivulus a mari, abſorbetur ab immenſa Dei Sapientia. Quod enim aliter quidam diſpungunt, *Si loquutus fuerit Deus, homo devorabitur*, repugnat Hebrææ, Latinæ, & Græcæ lectioni. Quare hi poſſent non ineleganter referre verbum *devorandi*, ad imperfectam quandam loquendi rationem, cum præ ingenti cõturbatione animi, ſemiverba pronuntiamus, ſemiſopprimimus, quod nos ſimili Hiſpaniſmo dicimus, *Tragarſe, y comerſe las palabras*. Eo videtur ſpectaſſe Paraphraſis Tygurina, *Si quiſquam loquatur, eſt illud tamen imperfectum.* Sed non valde leniter cohæret cum præcedentibus: quãvis neque valde longe diſcedat.

Cajetani expoſitio aliena.

Nicolaus.

D.Thom. Nicolaus. Dionyſ.

Hiſpaniſmus.

3 Devorare, de ſupplicio, & interitu.

Ergo illud videtur requirere proprietas *devorãdi*, ut pertineat ad exitiũ, & ſupplicium extremum, quod ſolet appellare Scriptura, *præcipitare*, quod eſt perdere, deſtruere; nam quod in ſtomachum præcipitatur, & quod devoratur, abit in locũ conſumptionis. de quo fuſe diſſeruimus, cap. 10. verſic. 8. n. 12. Igitur ait Eliu, Si quiſpiam præſumeret coram Deo diſputare, aut cũ illo expoſtulare, cõceſſo aditu, meritas daret pœnas, præcipitaret illũ Deus in malorum, & miſeriarũ baratrũ. ut Iobum vellicet, ſuæ audaciæ pœnas pẽdentem. Vel illud tandem, quod exquiſitum eſt, & exquiſite cohærẽs, Si cuiquam ad Dei tribunal aut pro ſe, aut pro alio dicendi copia fieret, devoraretur procul dubio, qui in eo judicio reus eſt criminis alicujus; Nullius hominis patrociniũ eripiet impium a morte, ab exitio extremo, quin devoretur, & deſtruatur a Divina juſtitia ſceleris vindice, quamvis multa homo dicat ornate, & copioſe, quamvis exquiſitis rationibus Divinam juſtitiam flectere tentet. Et huic forte non invita concedet lectio illa Septuaginta, *Nũquid*

Elucidata lectio Septuag.

Elucidata lectio Septuaginta.

liber, & ſcriba, adſtitit mihi, ut ſtans faciam hominē tacere. q. d. in lite perſequenda certe humanū judicē poſſet aliquis vel reus pro ſe dicens, vel patronus pro cliente, jūdicis ſeveritatem emollire, & minas temperare ſua oratione, atq; revocare a ſententia ferenda, atque adeo etiā ſilentium accuſatoribus injicere in ſua cauſa, ne quis auderet amplius calumniari. Sed hęc non valent apud ſupremum judicem.

℣. XXI. *At nunc non vident lucē, ſubito aer cogetur in nubes, & ventus tranſiens fugabit eas.*

℣. XXII. *Ab Aquilone aurum venit, &c.*

1. *Aliorum expoſitio parum cohærens.* Idonea, *& bene cohærens clauſula totius orationis.*
2. *Varia lectio. Vulgati* Interpretis *diligentia.* Fugare, *quid proprie.* Mundities, *&* expurgatio *de ſplendore. Explicatur Moyſes, & David.*

1 Aliorum expoſitio.

FRequentiſsima interpretatio vult, ut poſtquā Eliu ex meteoris mirabilibus dilapſus eſt ad comprimēdam Iobi audaciam, nunc iterum redeat ad eandē materiam nubiū, & cæleſtis luminis, jā operti nubibus, jam aperti, idque pro arbitrio, & potentia ſupremi conditoris.

Clauſula idonea totius orationis.

Sed ne in graviſsima oratione, & epilogo, quæ nō ultima eſt inter potiſsimas orationis partes, deſideret aliquis vel cohærentiā, vel inſignem aliquā ſentētiam, qua ſumma totius diſputationis colligatur, exiſtimo nō agi iterū de re meteora, ſed ex meteoris confici pulchrā hanc ſimilitudinē & clauſulam; Sicut Deo jubente nunc eripitur nobis lumen offuſa nube; nunc illa disjecta, & fugata aurea lux redit mortalibus, quamvis neq; caliginoſæ nubis, neq; præulcidę ſerenitatis rationem perfecte cognoſcamus: ſimiliter ſane Divinorum judiciorū, atq; Providentiæ rerum humanarum ratio nobis perobſcura eſt, & ignorata, niſi Deus ſuo ſuperno lumine revelet: nunc ſe ille nobis caliginoſum præbet, lętum ſe, & hilarem rurſus aliquando prębebit, ut revelata illum facie cōtemplari poſsimus: tum etiā ſubitam ille nunc tempeſtatē miſeriarum cogit, quibus nos involvit; idemque ipſe ſordidos, & ſqualentes ſerenitate ſui ſpiritus recreabit, purificabit, & nitidos reddet. Ergo decet illū *formidoloſa laudatio,* id eſt, laus quædā cum timore tantæ majeſtatis; eſt enim nunc nobis formidādus

Nexus, & elucidatio ſententiæ.

Deus, quem non videmus. Sed nunc pauca de vocibus ſingulis.

2 Varia lectio.

Nunc nō vidēt lucē, ſubito aer cogetur in nubes. Latinus Interpres explicavit cauſam, nam in Hebræo tantum eſt, *Non viderunt lumen in æthere.* Sed ut ſequenti hemiſtichio reſponderet, nunc dixit, *nubes,* ſequitur enim ſtatim, *Ventus tranſiens fugabit:* proprie mundabit, vel expurgabit, quod verbum proprie etiā dicitur de ſerenitate, & claritate Cæli, Exod. 24. 20. *Sicut Cælū, cum ſereuū eſt,* proprie, *ſicut Cælum mundum;* Septuag: *Sicut Cæli ipſa puritate.* Pſ. 88. 44. *Deſtruxiſti eum ab emundatione, & ſedem ejus, &c.* id eſt, Regni ſplendorem, & claritatem illi eripuiſti. Dicitur etiā de re ſplendente, & nitente, Pſal. 11. 7. quare relativū, *eas,* in originali refert Cęlos, vel aerem, qui fugatis nubibus tanquam ſordibus expurgatur. Cujuſmodi autem ſit iſta mundities Cæli, & aeris, verſu ſequente explicatur.

Diligentia Interpretis Vulgati.

Fugare, quid proprie.

Mundities, & expurgatio de ſplendore.

LXX.

℣. XXII. *Ab Aquilone aurū venit: & ad Deum formidoloſa laudatio.*

1. Aquilo, *ſiniſtrum.* Aurū *de re munda, & ſplēdente. Illuſtratur Ieremias, & Zacharias.*
2. Laudatio, *proprie quid.* Explicatur David.
3. *Deus tempeſtatis, & ſerenitatis auctor timendus, & laudandus. Tempeſtatis deſcriptio.*

AB *Aquilone:* In Hebræo; *a ſiniſtra.* ſicut, & Meridies dicitur *dextra;* ut ſuperius late expoſuimus, cum de Cæli poſitionibus diſſereremus, cap. 23. verſ. 8. 9. 1 Septentrio ſiniſtrū.
Aurum. Septuaginta; *Nubes coloris aurei.* LXX.
Vbi Nicetas, *Dei,* inquit, *imperio Boreas nitidas, & fulgorem auri imitantes nubes adducit.* Nicetas.
Frequens tamen aliorum Interpretū Hebræorum, & Latinorum expoſitio, intelligit ſerenitatē Cęli, & aeris, inſtar *auri* puriſsimi, & defæcatiſsimi. Sub eadē trāſlationis figura, Zachar. 4. *Suffuſoria ex auro,* ſunt in Hebræo, *Suffuſoria fundentia ex ſe aurum,* id eſt, oleum puriſsimum, & ſplendidiſsimū aureſcens, & flaveſcens. & Ierem. 51. 7. dicitur Calix *aureus Babylon, in manu Domini,* id eſt, Calix plenus vino aureo, & ſplendido potius enim. ejuſmodi calix repræſentatur vitreus, in quo vinum tranſlucet, & ſplendeſcit. quod opportunum ſymbolum eſt mundanæ fælicitatis æque fragilis, ac ſplendidæ.

Aurum pro re nitida, & ſplēdente.

Vinum ſplendeſcens in vitro ſymbolū felicitatis mūdanæ.

Et ad Deum formidoloſa laudatio. in Hebræo; *Super Deum formidandum laudatio,* vel decor, aut ornamētū, vel gloria. nam 2

Laudatio pro gloria. הוד

vox illa, quæ vertitur ab Interprete, *Laudatio* ſignificat quidquid hominē glorioſum, ſpecioſum, laudeq; dignū efficit; ſicut ab eadē radice dictū eſt, Pſ. 20.6. *Magna eſt gloria ejus in ſalutari tuo, gloriā* (reverentiā, nominis celebritatē, & publicā laudē) *& magnū decorem impones ſuper eū.* Ergo ſignificat Eliu, Deū ex ſuis operibᵒ timendū, ſimul & celebrandum. Quare elegāter legerūt Septuag. *In his magna eſt gloria; & honor omnipotētis.* Symmach. *Deo terribilis, & admirabilis eſt laudatio.*

LXX. Symmach.

3 Deus tempeſtatis, & ſerenitatis auctor cū timore laudandus. Pſal. 18.

Deo igitur tempeſtatū, & ſerenitatis auctori, tū in elementis, tū in rebus humanis, deferēda laus, ſicut David jubet *afferri Dño ſacrificia, & laudis hoſtiam, & in tēplo ejus omnes dicere gloriā*; cum vel ſonat, & pluit, vel ſerenat, & illuminat. Nā cū illuminat vultum ſuū ſuper nos, *decorem induit*; cū iterum, obducit vultū ſuū nubibus, territat nos; ſic ex utroq; cōſurgit Dei *formidoloſa laudatio*, & gloria terrifica, ac decor timendus. Quid enim magis formidandū, quā iratus Deus in media tempeſtate, impugnans, exagitansq; mortales, offundēs tenebras, & caliginem plenā timoris atq; diſcriminis? ruere tunc videntur Cælum; *conturbat tūc fundamēta montiū*, tremefacit terrā, reflat tetrum naribus indignantibus *fumū*, ex quo nubes coguntur; *mittit ſagittas* fulminum; *multiplicat fulgura*, & calcare videtur capita ipſa mortaliū, quibus imminet.

Deus in tēpeſtate incutiēs terrorem.

Tēpeſtas minutatim a Davide deſcripta.

Deus ſerena fronte jucundiſsimus. Iſai. 18.4.

Res elegāter, & minutatim deſcripta a Davide, 2. Reg. 22. Pſ. 17. At quid ſpecioſius, quid cantico, & hymnis celebrari dignius, quā Deus ipſe *candidus*, inſtar *meridiani* Solis, & poſt tēpeſtatem non ſolum tranquillum faciens, ſed tranquilla ipſe atque ſerena fronte? *Quieſcā*, (inquit, poſtquā tonavit, & fulminavit) & *& conſiderabo in loco meo*. redibo ad lucidas Cæli ſedes, unde videbar ad tēpeſtatē efficiendā digreſſus, benignis deinceps oculis cōtemplabor meū populum) *ſicut lux meridiana clara eſt* (quippe *illuminabo vultum meum*, ac me exhibebo hominibus meridianum ſolē, qui nuper turbulētiſsimus, atque formidoloſiſsimus viſus ſum. Sic penes Deum eſt *formidoloſa laudatio*.

XXIII. Digne eum invenire non poſſumus: magnus fortitudine, & judicio, & juſtitia: & enarrari non poteſt.

1. *Nominativus abſolutus in Hebræo.* Saddai. *Sententia ſe ... phraſis.*
2. Enarrandi, *&* Reſpondendi *ſignificatio amplisſima. Divinorum operum magnitudo inenarrabilis. Illuſtratus Eccleſiaſticus.*
3. *Varia lectio. Elucidatio Græcorum.*

1 Nominativus abſolutus. Saddai.

IN Hebræo, *Saddai, Et nō inveniemus eū*. ſunt enim, ut aliquando admonuimus in Hebręo ſermone, quidā nominativi abſoluti. Quia autē proponitur majeſtas, & bonorum omnium abundātiā omnipotētia *Saddai*, recte Interpres dixit, *Digne invenire non poſſumus*, id eſt, Non ſumus digni illius aſpectu; non dignatur ille nos ſuo domicilio, & Throno; Temere tu, o Iob, illius cōſpectum, & judiciū expetis; ſatius eſſet, ut fortiſsimum, atque juſtiſsimum revereris. perſtringit illud Iobi dictū, *Vt inveniā eū, & veniā ad ſoliū ejus.* Et quāvis quidē nunc nobis nō pateat acceſſus ad illius tribunal, nihil tamē iniquum de illo cogitandū eſt, ut ſit non minus juſtus, quā fortis: cujus incorruptiſsimo judicio, & æquitati nihil detrahit potentia, ut nihil cōtra jus per potentiam agere velit, aut poſsit.

2 Enarrandi, & reſpōdendi ſignificatio latiſsima. ענה

Et enarrari nō poteſt. Oportet potius illius æquitati, laude, & obſequio reſpōdere. Quia autē verbū *enarrandi*, multiplex eſt: multiplex quoq; eſt hujᵒ partis lectio. nā verbum *Ghanah*, quod frequēter vertitur, *audire*, aut *reſpōdere*, proprie ſignificat actionē unius erga aliū, qua alter alteri, aliqua re aut ratione reſpondeat, ſive rependat vicē beneficii, ſive ſupplicii. Et fere quidem eadē vis, & fœcunditas eſſe videtur apud Latinos verbi *reſpondēdi*, Sic enim dicimus de rebus ipſis, ſuppliciū reſpondere ſceleri: prēmium virtuti; eventū votis, & expectationi, aut quid ſimile Ergo nunc vertere poſſemus: *Reſpondere*, aut, *reſpōdere non poteſt*. ſubaudi, homo. id eſt, Illius æquitati, & juſtitiæ nemo ex ç quo reſpōdebit laudando, & dicēdo, quæ dici, & enarrari poſſent. Cōſonat cū illo Eccleſ. 43.33. *Multa dicemus, & deficiemus in verbis: cōſummatio autē ſermonū* (hæc eſt ſumma dicendorū) *Ipſe eſt in omnibus*, (ipſe eſt omnia, & in omnibus ſe admirabilē prębet) *gloriātes ad quid valebimus? ipſe enim omnipotens ſuper omnia opera ſua. Terribilis Dominus, & magnus vehemēter, & mirabilis potētia ipſius, glorificantes Dñm, quantūcumq; potueritis: ſupervalebit adhuc, exaltate illum, quantū poteſtis, major eſt enim omni laude. Quis videbit eum, & enarrabit?*

5 Varia lectio Aquilæ.

Alii vero elegerūt illā aliā ſignificationē *rependendi pœnā*, & affligēdi, unde Aquila dixerit, *Iudiciū, & multitudinē juſtitiæ nō affliget*. innocentē nō opprimet, immeritum nō humiliabit. Quo etiā ſpectat

LXX.

lectio Septuag. *Qui juſta judicat, non putas exaudire eũ:* ut ad id referatur, quod dixit Iob, *Clamabo, & nõ eſt judiciũ.* Quãvis, inquit, illũ nõ videas; ſed audit ille tuos clamores, & tuæ cauſæ defenſionẽ perceptã & exploratã habet; juſtũ non cõtemnit, ſed unicuiq; quod ſuum eſt, tribuit. Alii ſine interrogatione, *Nõ exaudiet* tuam expoſtulationem plenam arrogantiæ, & temeritatis, non reſpõdebit tibi, temere, & petulãter oblatrãti, & conquerenti.

Vatabl.

Vatabl. *Nõ affliget, ſupple nos, libẽter ſed invitus.* Vides in tanta fœcunditate vocis cõmodiſsimum ſenſum elegiſſe Interpretẽ.

℣. XXIIII. Ideo timebunt eum viri, & nõ audebunt cõtẽplari omnes, qui ſibi videntur eſſe ſapiẽtes.

1. *Totius orationis clauſula.* Viri *nomen pro imbecillo.*
2. *Humanæ imbecillitatis eſt, Deum timere. Verbũ futuri temporis de re conſtituta, & ſervanda.*
3. *Hebraica ſyntaxis, & varia ſentẽtiæ elucidatio.*
4. *Deus comprimẽs ſuperbiam, & curioſitatem intelligendi. Antitheſis cum Paronomaſia.*

1 Elegans totius orationis cõcluſio, & exhortatio ad Dei timorẽ, & pietatẽ; Tantã Dei fortitudinẽ, atq; juſtitiã timebũt, & colẽt mortales ne experiri ſuo malo illius potẽtiã, & vindictã cogãtur; neq; curioſius audebit perſcrutari illi⁹ arcana, qui inter homines ſapiẽtiſsim⁹ videbitur.

Viri nomen in bonum, & malum.

Sed tamẽ in verbis nõ nihil elucidandũ. Primũ, quid *viri* nomẽ nũc afferat, an bonũ aliquid, & ſpecioſum? nã ſic exiſtimat Greg. *Significari eos, qui ad intelligentiã ſunt fortes.* Philip. *Magnos viros atq; cordatos.* D. Thom. & Latini alii, *Fortitudinis magnitudine, & ſapiẽtia* inſignes; ut reſpõdeat utriq; parti præcedenti, Divinæ fortitudinis, & ſapientiæ atq; judicii.

Gregorius.
Philipp.
D. Thom.

אנשים
Vir miſer, & imbecillus.

Sed quidẽ poſtulat originalis vox *Onaſim*, ut ſignificet miſeros & imbecillos homines; ut major ſit oppoſitio humanæ imbecillitatis cũ Divina fortitudine. Sic accepit Nicetas; *Cũ De⁹ in tãta ſit poteſtate, nimirũ ab homine imperito ac vili eum fas eſt pertimeri.*

Nicetas.

2 Quod autẽ ait, *timebunt*, recte reſpondet alteri parti, nã homines imbecillos, & infirmos, quiq; omnibus ærumnis obnoxii ſunt, & qui jam Dei potentiã, & juſtitiam ſuo malo experti ſunt, oportet judicẽ fortiſsimum timere. Vt vellicet Iobũ ærumnoſiſsimum, & tamen nihil formidantem Dei judiciũ.

Verbum futuri tẽporis, de eo, quod debet fieri.

Verbum autẽ futuri tẽporis ſolet denotare id, quod debet, quod expedit fieri, quod præcepto, & lege conſtitutum, ſervandũ eſt; quare *timebunt*; idem erit, quod, timere debent, timere jubẽtur, timere faciet ipſa Divina fortitudo, & vindicta. ut etiã ex verbo ſequenti futuri temporis conſtabit.

3 *Et nõ audebũt cõtẽplari.* In Hebræo eſt verbũ ſingularis numeri, *Non videbit*, aut, *Non cõtẽplabitur.* ſed recte Interpres, *Nõ audebit contemplari*; nõ expedit contẽplari, jubentur nõ inſpicere curioſius, & petulantius.

Hebraica ſyntaxis.

Conſtruitur autẽ in Hebraica Syntaxi verbum ſingulare cũ nomine plurali, ut vel plurale ſingulariter ſumatur; Nemo ex ſapientibus audebit. Vel ſingulare pluraliter; *Nõ audebunt, &c.* Id autẽ quod in Hebræo, & Græco eſt, *Sapientes corde,* Interpres Latinis per Paraphraſim explicuit, *Qui ſibi vidẽtur eſſe ſapientes,* q.d. ſapiẽtes in oculis ſuis, ſuo judicio, ut redderet orationem acriorẽ, & Eliu pũgeret Iobum magnifice de ſe ſentientẽ.

Sapiens corde in malum.

Quamquã quidẽ non oporteat accipi cum Gregorio in malum; *Qui ſibi vidẽtur eſſe ſapiẽtes.* ſed, Quamvis quidẽ ſapientiſsimi videãtur, ſintq; re ipſa, ut accipiunt Philip. D. Thom. & cæteri Latini, ut etiã Interpretantur Græci, cũ augmento ſentẽtiæ; *Ab homine imperito, & vili Dñm fas eſt pertimeri: tanto etiã magis a ſapiente metui, quãto ſcientia ampliore fuerit exornatus;* Philip. *Magni viri atq; cordati nõ præſumẽt ſcrutari incõprehenſibilem; neq; contẽplari inviſibilẽ.*

Gregorius.
Philipp.
D. Thom.
Philipp.

Varia ſentẽtiæ elucidatio.

Nemo, ſi ſapit, audebit, tẽtabit, volet ſcrutari Divinæ Providentiæ arcana; neque conqueri, quod innocẽs flagelletur: nemini etiã ſapientiſsimo, atq; innocẽtiſsimo, poſtulãti, expetenti Divinum conſpectũ, exhibebitur nunc videnda, contẽplanda ſupremi judicis majeſtas, & gloria; hos enim nimiũ alta ſapientes cõprimet Deus ſuppliciis, & flagellis. ut videtur vocibus fere iiſdẽ a Sapiẽte dictum Prov. 3. 7. *Ne ſis ſapiens apud temet ipſum: time Deũ, & recede a malo: Sanitas quippe erit umbilico tuo, & irrigatio oſſium tuorũ.* q.d. Cave, ne ſuperbiã cõprimat Deus morbo.

4 Sic Eliu pungit Iobum verbis ſingulis; quia, ut ait Philipp. *Hoc totũ in ſancti Iob exprobrationẽ dicitur.*

Deus ſuperbiã, & curioſitatẽ ſupplicio cõprimens.

Eſt vero elegãs in Hebræo Paronomaſia vocum, vel Antitheſis verborum *timendi, & contẽplandi:* ſunt enim valde affinia, nam *Raa*, eſt *videre*, aut *contẽplari*, & aliquando, videre cũ timore, & triſtitia, atq; dolore, ut Abac. 3. 9 *Viderunt te* (exponitur deinde quo affectu viderint,) *& doluerunt*; at vero *Iara*, eſt *timere*.

Antitheſis cũ Paranomaſia.

ראה
ירא

Ergo, inquit Eliu, ſic ſuſpice Deum, ut nõ audeas curioſius aſpicere; nam quid ni imperitus homo videat cũ timore Deum, quem neque ſapientiſsimus audet videre?

Hæc dixit Eliu.

CAPUT XXXVII.

1 *Super hoc expavit cor meum:*

PARAPHRASIS
Capitis præcedentis.

NOTATIO RERUM INsigniorum, quæ in Commentariis fusius explicantur.



QVIDNI IGITUR PRAE INgenti admiratione, & rerum maximarum reverentia, & timore obstupescã; & ex rerum Divinarũ contemplatione contremiscam, cũ non possit mea mẽs in Dei Sapientiã aciem intendere? Magna vero dixi, dicam nunc majora, ac maxime stupenda; ex quibus necesse sit ingentem Divinorum operũ, atque illius Potentiæ admirationem concipi in animis auditorũ, iisque illud ipsum, quod mihi, accidere: parum quippe abfuit, quin cor meum sedem suam relinqueret, & præ ingenti pavore aut concideret, aut emoveretur attonitũ ingẽti Divinæ vocis quasi tonitru perculsum.

& emotũ est de loco suo.

Maximã igitur [a] attentionẽ a vobis exigo, quãvis res ipsa audientiã faciet; quippe est valde terrifica, & supra quã dici vel audiri posse videatur: vix enim videtur humanus auditus par existere audiendo, & percipiendo vehementissimo tonitruo, quod cũ semel vestras aures impleverit mentẽ, & intelligentiã eriget ad Divinæ Potẽtiæ, & magnitudinis consideratione; nam externus ille sonitus vim audiendi animi tui aperiet, ut quę a Deo sunt importata hominibus, cõtẽplari possis. Quẽ enim nõ excitet Altitonãtis fremit⁹, & vox plena terroris? Contẽplare dãna ob grandinẽ, vim imbriũ nimiã, terræ squalores, frugũ exitiũ, ferme enim his rebus loquitur Deus, terroremq; infert, tũ etiã Dei voces illas, cũ videtur Cælũ graviter immurmurare, videlicet cũ spiritũ intra se clausere nubes; & in concavis partibus earũ volutatus aer similẽ agit mugitibus sonũ, raucũ, & ęqualẽ, & cõtinuũ, aut cũ cõglobata dissolvitur nubes, & crepitãtẽ spiritũ, quo distenta fuerat cũ ingẽti fragore emittit, quo edito cõcidũt homines, & exanimãtur. Deniq; multis aliis mirabilibus effectis, quæ in tẽpestate audiuntur, & cernũtur, loquitur mortalibus Deus, atq; potestatis, & sapiẽtiæ suæ scientiã tradit, ut eũ, qui istæc fecit, metuamus.

2 *Audite auditionẽ in terrore vocis ej⁹.*

a *De repetitione vocum conjugatarum nonnihil peculiare ad Scripturarum intelligentiam. n. 1. & 2.*

Atque hęc ut per partes tibi explicem, mirabile profecto est, cum Creatoris man⁹ distorquet sub Cęlo fulgur, facit fulmẽ, dissolvit cõpactas nubes, colliquat in pluviã. Et cũ ignis quidẽ natura sua in verticẽ surgat, cadere tamẽ Divinæ profecto virtutis indiciũ est. [b] De⁹ itaq; his rebus meteoris loquitur mortalibus, & suã potentiã denuntiat, ostenditq; se nõ solũ circa cardines Cęli perambulare, sed mortaliũ quoq; res, atq; sublunaria omnia procurare: cõsiderat, inquã, inferiore hũc mundũ cęlestibus auxiliis indigere, & sive ad perficiẽdos & maturãdos fructus, sive ad locupletãdos homines sanctos, sive ad deterrẽdos, & percellẽdos impios, hujusmodi cælestibus auxiliis occurrendũ esse. quorem generatio, & jactus incerta nõ sunt, & vaga, sed certo directa ad res mortalium ab ipso summo rerũ conditore. Quid enim nõ cũ summo judicio, summoq; consilio statuat Deus, cũ res nostras attentissime consideret, ut qui nõ solũ Cæli, sed sublunarium etiã imperium, ac ditionem sapientissime administret? Porrò mirabilis est Deus, non solum cum tonat, & fulminat, sed etiam cum fulget, cum micat intẽr nubes, cum momento complet nostrum hemisphęriũ repentinis fulgoribus. Quãvis quidẽ nusquã nõ reluceat

3 *Subter omnes cælos ipse considerat.*

b *Hujusmodi meteoras impressiones non esse incertas, & sine Providentia, ex Sacris, & profanis eleganter ostenditur, n. 2. & 3.*

illius providentia, quæ profecto usque ad ultimas terras manat.

Inter alia vero Divinæ Sapiẽtiæ, & Potẽtiæ opera, maximũ terrificum, & plenũ minarũ, tonitruum est, quod post fulguratione sequitur, quamvis lumen fulgurãs prius ad nos deferatur incredibili celeritate. Ita vero universa natura obsequitur Cõditori, ut illius volũtatem effectũ consequatur, cunctaq; illi morigerentur, & sive illũ ad nos de Cælis descendentẽ hæc meteora præeant, sive ad cælestes redeuntẽ sedes, post eum comitentur, semper illius majestatẽ terrificã nostris conspectibus abscondunt. Tonitru itaq; Deus prosternit, & proculcat mortaliũ superbiam; obstupefacit gẽtes, & sua celsitudine atque majestate abjectissimã nostram conditionẽ, editis hujusmodi magnificentissimis tonitruorũ vocibus, quasi vituperio, & cõtumelia quadam prosequitur. Tunc sane Deus quasi Imperator fortissimus videtur horrifico tonitruo hortari, & incitare creaturas universas ad bellum: It Cælo clamor creaturarũ, atque tubarum clangor, cũ sonant, rugiuntq; procellæ, nimbi, venti; interim Deus instar fortissimi ducis, vultu indignãs, ore fremens magnificũ aliquod facinus meditatur. Mortales vero animo cõmoventur, & perturbantur pallescunt, exalbescuntq; vident enim, atque sentiunt nõ posse humanis viribus neque tantam vim declinari, neque reprimi tonitruum, quin statim post coruscationem fulguris mortaliũ aures diverberet. atque adeo nemo potest investigare aut percipere rationẽ, quemadmodum vox tonitrui efficiatur: neque certo scire, ubi nubes detonuerit, aut ubi fulmen ceciderit; præsertim cum ingenti tonitu perculsi mortalium animi inepti reddantur ad harum rerum cælestium considerationẽ, atque tot mirabilium, quæ fulminis igne efficiuntur, & nostra scientia, & nostra investigatione majora.

4 *Post eum rugiet sonitus: tonabit voce magnitudinis suæ, & non investigabitur, cum audita fuerit vox ejus.*

5 *Tonabit Deus in voce sua mirabiliter: qui facit magna, & inscrutabilia.*

Is idem profecto, qui tonat, & fulgurat ad terrorem, & stuporem mortalium: efficit etiam alia non minus miranda naturæ opera.

6 *Qui præcipit nivi, ut descendat in terrã: & hyemis pluviis, & imbri fortitudinis suæ.*

Indigent nimirum, ut existere possint, alia naturę opera Dei verbo, atque præcepto. Inter quæ nõ ultima nix est. Ergo præcipit Cõditor, ut statis ningat temporibus: alternis grandinet. Sed tunc quot quantaque naturę miracula! quot etiam in ingẽti aliqua tempestate, & procellosa pluvia, densa, præcipiti, aut in temporaneo, & spontaneo imbri, aut vero in verno, & æstivo! Denique ille potens est tũ suis temporibus salutarem, & copiosam hyemis pluviam, tum importunam, & nocentem terris affundere, rerum ac temporum pro sua sapientia variatis vicibus.

c *De manuum præstantia, & quod soli homini sint concessæ, peculiaria quædam. n. 5. 6.*

d *Pro Chiromantia, & contra Chiromãtiã Astrologicam brevis, sed pressa disputatio. n. 7. 8. 9. 10.*

e *Diligens, & exacta disputatio ducta ex significatione verbi* signãdi, *ad Scripturarum intelligentiã, a n. 12. usque ad 17.*

7 *Qui in manu omnium hominũ signat: ut noverint singuli opera sua.*

Quippe Deus præpotens [c] manum hominis continet, & humana omnia moderatur: & vel ad agendũ incitat, vel ab operando retrahit. Videtur enim impresso rationis signo in hominum animis designasse etiam, & assignasse in illorum manibus, & operatrice facultate, quid quoque tempore agere deberent, cujus rei designatio conspici potest in ipsa manu hominis, quæ nunc otio mollescit, nunc vero assiduo labore obcallet: [d] lineasque ac scissuras contrahit, quippe ex ipsarum manuum conspectu agnoscit homo, se natum esse ad omnes artes exercendas. Sed illas videtur naturæ conditor [e] claudere, & obsignare, quasi sigillo appresso, cum tempore imbrifero, & tẽpestuoso illas cõplicat, & impedit, ne possint exseri ad aliquid operis exercendum, præsertim ad agricolationem, quæ ex Cælo pendet, & temporibus accõmodanda est, ut Cæli status permiserit. Tunc enim Deus adempta quasi operãdi potestate, recludit sub tecto agricolas, ut ne possint quidẽ operarios suos, & rura invisere, & recognoscere: ut ipso experimento suadeat sibi homo nihil sine Deo posse; ex illo, quidquid possit, pendere, juvari, impediri. Ideo tandem sunt Dei opera admirabilia, ideo frigus existit, & æstus, ideo minime æquabiles Cæli temperationes, ut nostræ infirmitatis conscii, modeste de nobis sentire discamus, de Divinis vero effectis magnificentissime.

Vis autem aeris, hyemis, & terrificæ tempestatis cogit non solum

8 Ingredietur bestia latibulum, & in antro suo morabitur.

homines intra tecta, sed præterea feras intra latibula. Pisces tunc ad imos recessus confugiunt: Aves apricis se nidis continent: quippe terror ingens non permittit ullum animal libere foris vagari. Tempestatum vero, & varietatum temporis efficiendarum reconditæ quoque, atque mirabiles causæ sunt, nã præter penetralia nubiũ, ex quibus tonitrua, & turbines depromuntur, sunt in Antartico Polo Stellæ efficacissimæ tempestatum, atq; nimborũ cõcitatrices, incitatricesque ventorum vehementissimorum, qui ex Australi parte, tãquam ex abditissimis claustris ruunt: nam hujusmodi cellariorum Deus est & promus, & cõdus: habet enim in prõptu quidquid velit, neque aliud videntur expectare procellę, & turbines, quam ut Deus illis aditũ patefaciat, egressuris statim rapidissime. Qua in re mirabilis est natura, & vis tum Stellarũ, tum ventorũ Aquilonariũ, qui post ingentes pluvias solent incumbere in terras, & disjectis nubibus Cælum expurgare. Quamquam etiam aliquãdo tempestas non solũ ab Austro, sed etiã ab Aquilone efficiatur, diductis, expansisque nubibus. Ex qua temporis, & aeris variete, & mutatione, magna etiam perturbatio effici solet; tum in intimis viscerum penetralibus, quæ frigore obrigent; tum in extremis corporis partibus, quæ magis, quã reliqua membra, frigore tentantur.

9 Ab interiorib9 egredietur tempestas, & ab Arcturo frigus.

10 Flante Deo concrescit gelu: & rursum latissime funduntur aquæ.

Neque vero cõditor est Dominus tantũ, moderatorque ventorũ sed ipse genitor, inspiratorque, ut pote ex cujus ore, & spiritu adflari videantur: nã qui vehemẽtissimi sunt flatus, profecto Divini merito censeri debẽt, illi potissimum qui mirabili efficacitate cõvertũt humidam nubem in glaciem, & grandinem. Rursusque postquam concrevit gelu, & in immensos aggeres excrevit, obriguitque, quasi ex ære fusile, permutato rursus vẽto dispergitur latissime pruina minutissimis, infinitisque guttulis refertissima. Sicut autem collata est Aquiloni facultas efficiendi nives, ita profecto Auster potestatẽ obtinuit liquandi, atque fundendi per campos spatiosissimos, per quos liquatæ nives ubertim rivis deducuntur.

11 Frumentum desiderat nubes: & nubes spargunt lumẽ suũ.

His omnibus cælestibus subsidiis, nubium præsertim beneficio, & ope, potest per se tellus arida pinguescere, atq; selectissimũ frumẽtum ad humanã vitã necessariũ proferre, nam noster victus, nostraq; cõmoditas videtur Cælo ipsi, atque nubibus negotiũ facessere, cum illæ se se in nostros usus libenter impendãt, atque etiã, cũ opus est, propter nostrã lætitiã, & Cæli serenitatẽ atque puritatẽ evanescant. f Et mirũ, quod cũ in speciẽ videatur frumẽtum fatigari nubibus cũ vehementi imbre atq; grandine sternuntur segetes, at proculdubio nubes ipse in terræ utilitatẽ, & humanos usus potissimum incũbunt: namque terrenis fructibus, satisque omnibus, cũ expetunt cælestem humorem, quo alantur, & crescant, respondet statim Cælum pluviũ, & gravescens nubibus, se se in telluris sinus insinuare gestiens. Quis enim ignoret Aquilonias hyemes, nivesque diutinas esse satis omnibus atq; arboribus salutares? Mirifice nãque creaturarũ universitas cum ipso Creatore, in cõmoditates mortaliũ cõspirat: cumq; omnia nostrarũ opportunitatum desiderio teneãtur, mutuo sibi respõdent, & de nostris cõmodis mutuam sibi opem, atque operã pollicentur: ipsamque frugum, & terræ indigentiã, tãquã clamores quosdã, vocesque ex desiderãti pectore profectas Cęlũ exaudit, & nubiũ muneri, officioque respondet. Illæ vero simul cũ lumine cælesti in terras sparso, futuræ aut serenitatis, aut uberioris pluviæ significationẽ præbent. Nunc enim ante exorientẽ rubescunt, ventosq; prædicunt, nunc nigræ rubentibus interveniunt, & pluvias important, nũc circa occidentẽ rubescentes, serenitatẽ futuræ diei spondent, denique cũ nubes sparsim, divisimque lumen transmittunt, diversis radiis erumpentibus, imbrem denuntiãt, qui cum pellucidus, limpidusque sit, lumen clare repræsentat: atque cum ipso fulgurãte lumine crebris intermicationibus permiscetur.

f *Rerum universitas in humanas opportunitates conspirans, inferiora cũ superioribus, rursusque omnia cum auctore naturæ, præsertim ad terræ ubertatem, & fructuum opportunitatem, n. 3.*

12 *Quæ luſtrãt per circuitum:*

Sic naturę Auctor ita verſat orbem, omniaque permeat, atq; omnibus adeſt, ut omniũ neceſsitatibus provideat, nubes cogat, atque accerſat, jubeatque in tempore adeſſe; videtur igitur per omniũ naturam intentus, orbẽ, cuncta luſtrando, conficere. Sed præcipue in nubibus mirabiles efficit converſiones, & mutationes: nam illas nũc in aquam, nunc in rorem, nunc in nebulam, in nivem, in pruinam, & in quid non, convertit. Sed illarum præſertim celeritas, & diſcurſus mirabilis eſt, nam ventorum impulſu, aliquãdo circulum ſolis diurni deſcribere, & conficere videntur: nã venti ipſi per vices ſuas, nõ raro ſolis motum ſequuntur. 3 Tum præterea cum ex quacomque parte Orizontis, venti ſpirẽt, undecumque etiam nubes excitantur; & vel ibidem imbres effundunt, vel in oppoſitas regiones impellũtur, Dei gubernatione, & conſilio: quæ cum ſumma inferiorum rerum Providentia conjuncta ſunt.

3 Dei ad Nauclerum analogia, Nubiũ ad navem; Pluviæ & nivis, ad mercimonia, cum pulchritudine oſtẽditur. n. 5

quocumque eas voluntas Gubernantis duxerit, & ad omne, quod præceperit illis, ſuper faciẽ orbis terrarum.

Et vero velut peritiſsimus aliquis Nauclerus, Deus nubem, tanquam navem, ſumma ſapientia moderatur, atque ad diverſas regiones, tanquã in portus quoſdam dirigit, ut ibi pluviæ, atq; cæleſtium opum mercimoniis ſe exonerẽt. Diligẽtiſsime igitur atq; celerrime perferunt nubes, & exequuntur Dei mandata, ſeq; ipſas in Dei juſsis & volantate exequendis libentiſsime impendunt, atque expendũt, non uno tantum, ſed mille munerũ, & officiorum generibus, obſcurãdo ſolem, temperando æſtũ, perfundendo terram, fulgurando, fulminando, tonando, generando ventos, prædicendo ſerenitatem, vel tẽpeſtatem, oſtentando cæleſtem arcum, & Conditoris magnificẽtiam atque ſubſellia, & thronum repræſentãdo.

13 *Nũc in una tribu, ſive in terra ſua, ſive in quocumq; loco miſericordiæ ſuæ eas juſſerit inveniri.*

Hæc quidem conſtituuntur a Deo ſive in diſciplinã, & correctionem improborũ, ſive in beneficium, & opem terræ ſuæ, quã profuſa benignitate proſequitur: Tum etiã ut juſtitiæ, ſimulque beneficẽtię & lenitatis manifeſta præbeat documenta mortalibus. Nã eodem vẽto arcentur nubes cum pluvia ex una regione, & impellũtur in aliã; Præter quam quod ſunt quidem terrę perpetuis imbribus madentes; quædam vero perpetua ſiccitate ſqualentes; nihil tamen eſt Divinæ benignitatis, atque providentiæ immune; nã non ſolum terræ cultæ & frugiferæ ſentiũt cæleſtia nubium, & pluviarum beneficia, verum etiam terra deſerta, & inculta, quæ cum eundem habeat Auctorẽ, & Conditorem, eundem quoque profecto ſentit, atq; experitur benigniſsimum Proviſorem. Quacumque tandem ratione, & loco ejuſmodi naturæ opera diſpenſat Deus, bonitatis, & miſericordiæ ſuæ divitias effundit: neq; enim ab ulla regione, & loco ab horrẽt nubes, cum primum a Divina benignitate mandata acceperunt.

14 *Auſculta hæc Iob, ſta, & conſidera mirabilia Dei.*

Aſſentire itaq; jã tandẽ veritati, o Iob, neque amplius in tuo ſenſu abundes, aures, mentẽq; accõmoda, & quanta Dei ſit potẽtia, quantaq; ſapientia, cogitatione pertracta. Conſiſte igitur, & confirma te ad percipienda non ſolũ, quę audiſti, ſed quę deinceps a me dicẽtur, non minora præcedentibus. Atq; adeo erige te, nõ ſolũ ad Divinam correctionem, verũ etiam ad meã quoq; lubenti animo perferendã.

15 *Numquid ſcis, quãdo præcepit Deus pluviis, ut oſtenderent lucẽ nubium ejus?*

Illud vero quã eſt ſupra humanam ſcientiam, & cogitationem, cũ Deus certa ratione legeq; cõſtituit, ut ex tenuioribus vaporibus prę fulgens pluvia generetur. Quamquã illud conſuetũ, & frequens vaporum, nubiumq; munus, ut nunc Cælũ obducant, & eripiant lumen; nunc rareſcentes, & extenuatę lumini patentẽ faciant aditũ. Solent enim nubes, & pluvię in ſplendidiſsimã atq; jucundiſsimã ſerenitatẽ deſinere; ſed ita tamen, ut poſtquã nubes detonuit, fulguravit, atque etiã cæleſtis arcus imaginẽ repræſentavit, rurſus ingẽtes pluviæ aliquando cõcitentur, vel quæ jã cõcitatę erant, ſolvãtur, & evaneſcãt.

16 *Nũquid noſti ſemitas nubiũ, magnas, et perfectas ſciẽtias,*

An ne ſatis aliquãdo demirari potuiſti, cũ nubes in aere pẽdulas videres, ſuis quaſi libratas ponderibus, nõ ulterius progreſſas, & ſub rectas, quã Auctor illis naturæ præfinivit? Rurſus cũ diſcurrunt, & impelluntur certis itineribus, nullis tamẽ relictis veſtigiis? Et quidẽ

in illis supernæ regionis semitis suũ est libramentũ; nam pro nubiũ differentia,& gravitate ascendunt,atq; descendunt: & viis cõtrariis sibi occurrentes permiscentur,atq; permistę mirabiles lucis,colorisque differentias reddunt. Deo quippe omniũ artifici sapientissimo nihil difficile,nostris licet oculis penitus invisum,atque mirabile.

17 *Nonne vestimenta tua calida sunt,cum perflata fuerit terra Austro?*

Sed si cum his conjungas temporum varietates, & gratam vicem veris, & Favonii, soluta jam hyeme,& Sole ad signa Australia commigrante, solisque vicinitate tellure, rebusque cunctis humanis tepentibus, illustrior tanti Conditoris sapientia, providentiaque cernitur. [h] Quid, si etiam ventorum diversitatem, contrarietatem, vires consideres? nam cùm quidam ventus nubes adducat, Auster aliquando dispellit,& rejicit,solvitque hyemis, & Aquilonis inclemẽtiam,quæ igitur terra,immodico frigore perusta erat meridiano vẽto confovetur. Sic quidam venti tellurẽ exagitant, & infestant,quidam recreant, atque demulcent. Illud tandem ingentis admirabilitatis, quod contrariis ventis, contrariisque temporibus, tempestates cogantur, & pluviæ ingravescãt;nam licet imbres hyemales frequentiores sint, at æstivi,et Australes sæviores, atq; nocentiores,nõ tam pertinaces, quam vasti, & violenti; nam vehementior est aeris immutatio undique patefacti,& solventis se ipso tempore adjuvante. Et quidem ab Austro sicut maximæ nubes,ita etiam maximi vẽti ingravescere solent; cũ alterius hemisphærii; terra ab Austro quiescit, vehementius adversus nostram spirante, simulque perurente,cũ propter æstum præcalidæ regionis, vix possunt graviores vestes sustineri.

h Ventorum varietates, & vires, atq̃ æstivarum tempestatum vices, itẽq; peculiaria quædã de vento Australi.n.2.3.

18 *Tu forsitan cum eo fabricatus es cælos qui solidissimi,quasi ære fusi sunt?*

Tu igitur qui res istas meteoras,& sublunares ignoras,comprehẽsas ne habes Divinas atque cælestes?nam sic jactas sublimiorum rerum cognitionem, quasi Cælorum creationi, longe supra res corruptibiles constantiæ, stabilitatis, atque diuturnitatis natura excellẽtium adstitisses: aut amplissimam istius ætheris regionem tua potẽtia, tuisque manibus expandisses, atque explicuisses: Quæ quamvis mollis,fluxa, & labilis sit, per Creatoris tamen potentiam constãs, perpetuaque consistit,ac si fuisset durissimo ex ære conflata. Et quidem aeris istius quamvis mollissimi, atque tenuissimi impetus vehementissimus, instar rei solidissimæ, est.

19 *Ostende nobis, quid dicamus illi: nos enim involvimur tenebris.*

Nimirum tu, ò Iob, qui cum Deo disputare audes; & de te magnificentissime sentis;at vero de Divinis operibus,& de Divinæ Providentiæ arcanis valde abjectè,poteris docere nos ingenue profitẽtes nostram inscitiam; nam si hujusmodi res naturales vix possumus cogitatione informare,neque propterea licet hujus ignorãtiæ litem intendere Auctori naturæ; quanto magis ignorata nobis erunt Divinæ Providentiæ cõsilia, minusque licebit de illis ulla ratione cum Deo expostulare? Quippe si cognoscendo, disputando impares sumus,erimus etiam profecto expostulando,& contendendo: Præsertim cũ in nostra ipsa causa,nostrisque in rebus sępe ignoremus,quid facto opus sit. Quodsi tu nos doceas, facies gratissimum: nam adimes laborem inquirendi, & cogitandi.

20 *Quis narrabit ei, quæ loquor? etiamsi loquutus fuerit homo,devorabitur.*

Verum enim vero,quamvis de Divinis rebus eloqui,& sentire sublimius præsumeremus,at non ideo corã Deo, qui totius est sapientiæ fons,disputare homo,nisi plane temerarius, & suæ salutis inimicus. Quantulum enim est id, quod ego, vel alius quispiam mortaliũ de Divinis operibus assequi potest, ut coram illorum ipsorũ Auctore gloriose exponere non dubitet? Quis præterea illum ex syngrapha convenire?Quis conqueri? quis quamvis justas habeat querimonias in librũ referre, & apud illius tribunal deferre? nemo sane. vanissima est igitur hæc tua loquendi, & ad Dei tribunal provocandi libido. Ego vero si judex essem, cui auctoritas adminicularetur, scriba quoque dictanti assisteret, incontinentis linguæ hominem mea sententia,imperioque ad tacendum adigerem. Sed quid ego? certe quis

petulantius præſumet coram Deo dicere, quãvis copioſe, & ornate, atq; exquiſitis rationibus Divinã juſtitiã flectere tentet, meritas dabit temeritatis pœnas, perdeturq; a Dei juſtitia ſcelerũ vindice; atq; etiã ingenti Divinæ majeſtatis timore perculſus quãvis permitteretur dicere, primũ balbutiet, deinde etiã obruetur, & opprimetur.

Sicut autem Deo jubente, nunc eripitur nobis lumen, offuſa nube, nunc ea disjecta, & fugata aurea lux redit mortalibus, quamvis neque caliginoſæ nubis, neque prælucidæ ſerenitatis rationem perfectam teneamus; ſimiliter ſane Divinorum judiciorum, & Providẽtiæ rerum humanarum ratio nobis perobſcura, & ignorata eſt, niſi Deus ſuperno lumine revelet. Qui nunc ſe nobis obſcurum, & inaſpectabilem præbet, præbebit aliquando conſpicuum, atque conſpectu jucundiſsimum, cum illum revelata facie contemplabimur. 21 *At nunc non videt lucẽ: ſubito aer cogetur in nubes, & ventus trãſiens fugabit eas.*

Atque ſicut auream lucem, & ſplendidiſsimam Cæli faciẽ Aquilo nobis reſtituit, disjectis nubibus, ita ſane nunc nobis eſt timendus, & formidandus Deus, cujus poſtea gloria, & lumine fælicisſime perfruemur. Itaque Deo tempeſtatum, atque ſerenitatis Auctori deferenda laus ſuprema, plena exultationis, ſimulque terroris, atque reverentiæ: ſic enim illius majeſtas, & potentia exigit, qui nobis tempeſtatis terrores, atque ſerenitatis lætitiam, & jucunditatem affert. 22 *Ab Aquilone aurũ venit, & ad Deũ formidoloſa laudatio*

Sed cum interim neque illius cõſpectu digni ſimus, neque dignetur nos ſuo domicilo, & Throno, ſatius profecto fuiſſet, ut fortiſsimum atque ęquiſsimũ judicem revereris, neque ad illius conſpectũ, & tribunal provocares: quãvis enim nobis non pateat illius judiciũ, nihil tamen de illo iniquum, aut pravum cogitandum eſt, in quo pares ſunt juſtitia, & fortitudo, ut nihil cõtra jus agere per potentiam velit, neque poſsit. Illius igitur æquitati, atque juſtitiæ, nemo parem dicendo laudationem afferre poterit: nemo illius opera exæquare enarrando. 23 *Digne eum invenire nõ poſſumus: magnus fortitudine, & judicio, & juſtitia, & enarrari nõ poteſt.*

Tantam igitur Dei fortitudinem atque æquitatem ſupplices colent mortales omnes, ne experiri ſuo malo illius potentiam, & vindictam cogantur, neque curioſius perſcrutari tentabunt illius arcana conſilia, qui inter homines Sapientiæ laude præcellunt. Et vero cum Deus in tanta ſit magnitudine, tanta ſapientia, tanta poteſtate, ab homine imperito, & vili eum fas eſt pertimeri: tãto etiam magis a ſapiente metui, quanto ſcientia ampliori fuerit exornatus; nam qui alta ſapiunt, ſuppliciis atque flagellis comprimere ſolet potẽtiſsima Numinis majeſtas. 24 *Ideo timebunt eum viri, & nõ audebũt contemplari omnes, qui ſibi videntur eſſe ſapientes.*

)-(



CAPVT



IOANNIS DE PINEDA SOCIETATIS IESV, COMMENTARIORVM IN IOB,

LIBER DVODECIMVS,

Qui est de duodecimo Certamine, id est, Colloquio Dei cum IOBO de turbine loquentis.



VONIAM novum hoc, & insolẽs certamẽ Dei cum Iobo, novumque, & usque ad illã diem inauditum colloquium fuit, non prius ad illud propius accedemus, quam nonnullas dubitationes præmiserimus, quæ viam parent faciliori intelligentiæ; ac ferme illæ erunt de occasione, & tempore hujus colloquii, de Divinæ apparitionis, vocisque ratione, & fine, atque de apparatu, & terrifica majestate Dei loquentis.

QVAESTIVNCVLA. I.

An Dei vox sequuta statim fuerit finem orationis Eliu?

1. *An Eliu expectarit a Iobo suæ orationis responsionem, duplex sententia.*
2. *Quæstionis explicatio. Deus repentino turbine humanam orationem compescens. Iob etiam per se a respondendo abhorrens.*
3. *Silentium, vice opportuni silentii. Adolescentum, atque Senum silentium.*

I LXX. SEptuaginta quidem, commode illud præmittunt; *Et postquã quievit Elius loqui, dixit Dominus ad Iob.* ut significent, nõ prius auditam Dei vocem, quã perorasset Eliu. An vero spatium etiam interfuerit, quo Eliu expectarit Iobi responsum, in ambiguo est. nam sic existimant Græci in Protheoria cap. 28. *Quia Eliu de Deo recte differentis orationem comprobavit: (ob eã enim ipsam rẽ tacuit, & non respõdit) id circo cum eo Dominus tacente, nec consilium suũ indicante, sermonem orditur.* Itaq; nõ prius loquutus est Deus, quam Iobi taciturnitas expectata, & spectata fuisset. Idem ipsum paulo post docuit Iulianus; *Fortasse quia ad ea, quæ Eliu disputarat, Iobus obmutuit; nec erat Elio silentii causa nota, (neque enim is sciebat utrũ quasi contemnens, an quia quid responderet, non habebat, siluisset) se se nunc Deus ostendit, suaque Iobum familiari colloqutione dignatur, dubitationemq; illorũ tollit; nequaquam Iobum, per contemptũ; sed ideo, quod sermo ipsi minime displicuisset, tacuisse.* Rem ipsam illi sensisse videtur, qui ex ordine, & lege disputationum, cẽsent rite, & recte absolutis argumẽtationibus adversariorum, Deum accessisse, minime perturbato ordine, ad totius controversiæ definitionem.

Eliu an expectarit Iobi responsum. *Nicetas.* *Iulianus.* *D Thom. Albert. Nicol. Dionysius.*

Mihi vero duo, aut tria videntur asserenda. Primum, nullum spatium intervenisse inter finẽ orationis Eliu, & Dei vocem, sive potius procellam: quin potius tempestas repente excitata Eliu loquẽtẽ compescuit, tres amicos abjecit, Iobum perterrefecit, omnibusque ita loquendi 2

Quæstionis idonea respõsio. *Deus repentino turbine cõpescens hominis sermones.*

facultaté ademit, ut mutos effecerit. Sic decebat Dei majestatem suo interventu objurgantem, & corrigétem *sermones* hominis *loquentis imperitos*; & sibi audientiã facientis.

Iob minime ad respondendum pronus.

Secundum, Etiam data loquendi facultate, & spatio, nihil respõsurum Iobum; quippe jam defatigatum diuturna disputatione atque auditione, eorum argumẽtorũ repetitione, suę mẽtis explicatione, suæ innocẽtiæ cõtestatione. Præsertim cũ Eliu visus fuerit expectasse Iobi respõsum in fine, cap. 33. & 34. & iterum in fine, cap. 35. neque tamen acceperit.

Tertiũ, Nõ videtur Iob cõtẽpsisse orationem Eliu, quod vitio tribui posit, sed tamen ea ratione præteriisse, qua & injuriæ, & petulantia verborum nostrorum adversariorum præteriri, & contemni a viris gravissimis, & sapiẽtissimis debent. Quamquã enim respondere sapientissime, & opportune posset, at satius ducebat, *Silere a bonis*, ut ille alter Rex faciebat, id est, etiam cum bonæ, & opportunæ responsiones suppeterent, regerendę in suos adversarios, supprimere tamẽ.

Psal. 38. 3.

3 Silentium opportunum responsum.

Interdum enim illud est optimum respõsum, silentium; *Silentium* (inquit Plutarchus) *Euripides sapientibus dixit, esse responsum. videamur autem magis eo adversus iniquos opus habere. Nam verbis quidem possumus placare urbanos homines.* Et quamvis in Proverbio sit, *silentiũ esse adolescentum ornamentum*, præsertim coram sene dicẽtiũ; at corã adolescẽte loquutulejo, Senis gloria silentium erit, & juvenilia verba *iniqua prætergredi*. Diximus, hac de re aliquando plura.

Plutarch. de vitioso pudore.

Vide c. 3. ℣. 1. Prov. 19. 11.

Quarto tandem, recto ordine, loco, & tempore sequuta est Dei vox, videlicet post exhaustas jam sapientum illorum rationes, quibus exercitatus fuerat Iobi animus, & ad sublimiora præparatus. Elegãter Methodius; *Illud animadverte, haud a primo Deum loqui hominibus; verũ ubi rebus præcultus fuerit animus, atque exercitatione corroboratus; atq; in locum editum, quãtum humana fert conditio, pervenerit.*

Methodius.

QVÆSTIVNCVLA. II.

An verus turbo, de quo loquutus est Dominus?

1. *Prior sententia non nisi Metaphorice turbinem interpretantium.*
2. *Verum fuisse turbinem, certa sententia. Scripturæ verba simpliciter accipienda, ubi nihil absurdi.*
3. *Prima ratio ex Dei loquentis majestate. Illustratus Moyses.*
4. *Secunda ratio ex Iobi rebus turbalentis. Deus repræsentans statum suorum justorum. Quo tempore visus Moysi in rubo. Illustratus David.*
5. *Turbo verus excitans attentionem.*

I Prima sententia accipiẽtiũ turbinem metaphorice.

QVærit præsens dubitatio de *turbine* & *tempestate*, an re ipsa constiterit; an tantum imaginatione, & significatione? Cajetanus rem hãc universam censet fuisse imaginariam, *in somnis, vel, in ecstasi apparente Iobi Deo in forma indignati, increpando eum.* Neque improbabile censet Isidorus eorum interpretationem, qui *turbinem* intelligũt *gravem somnum*, qualis fuit in Adam. Proximus est Vatablus, qui pro *turbine* legit *caliginẽ*, explicat vero, *de ipsa caligine, in qua videtur nobis delitescere, nam dicunt Hebræi Deum habitare in caligine, id est, non posse cognosci, qualis est; nam, & materia ipsa, qua includimur, impedit, quominus cognoscamus Deũ perfecte.* Vides Hebræos, qui litteram sequuntur, ubi spiritum quærere deberent, nunc e cõtrario, spiritũ quærere deserta littera? Dionysius, *Facilem, & expeditũ* censet Alberti expositionem, *intelligentis per turbinem, Disputationis hujus conflictum*. sicque respõdisse *Deum de turbine, quasi de causa materiali, non quasi de loco.* An id voluerit indicare Philippus, mihi dubium est; ait enim, *ipsum, quod de turbine dicitur, ad terrorẽ pertinere increpationis.* Titelmanus nihil aliud existimat, *turbinem*, quam terrificũ Divinæ vocis sonitũ, instar tempestuosi tonitrui. D. quoque Thom. docet methaphorice posse rem hanc intelligi, *ut dicatur Iobo Dominus de turbine respondisse; propter turbationem, quam adhuc patiebatur; tũ etiam propter turbinis obscuritatem, quia Divinam inspirationẽ non possumus in hac vita clare percipere, sed cum quadam obumbratione sensibilium similitudinũ.* Cõjunxit ergo D. Thom. illas Hebræorum, atque Latinorum exponendi rationes.

Cajetan.

Isidorus.

Vatabl.

Dionys. Albert.

Philipp.

Titelman.

D. Thom.

2 Certa sententia, verum fuisse turbinẽ, de quo Deus loquutus.

Ego vero censeo omnino falsam hanc exponendi rationem; atque non dubitarem graviorem illi notã inurere, nisi D. Thomæ visa fuisset non improbabilis; nã explicite, & confidenter nemo illã præter Cajetanum, docuit. Ergo statuo verũ *turbinem*, veramque tempestatem excitatam a Deo loquente cũ Iobo. Sic statuũt Gregorius, Philippus cum Latinis cæteris. Græci etiam inferius adducendi, Methodius, & Eusebius. rem tetigit Petrus Thyreus lib. 2. de apparitione visibili c. 2. & 3. & cap. 8. ratio est in promptu; quoniam ipsa plana, & simplicia Scripturæ

Gregorius. Philipp. Method. Eusebius, P. Thyreus.

verba

Scripturę verba simpliciter accipiēda, ubi nihil absurdi est.

verba rem narrant, quæ sine ulla translationis figura, nihil continet absurdi, imo vero multum opportunitatis, & convenientiæ cum persona loquente, & cum ea ad quam sermo fit, tum etiam & cū illis, quę intersunt disputationi.

3 Prima ratio ex Dei loquentis majestate.

Et primo quidem sic decet Deum cum homine loquentem, ut sui timorem, & Divinorum reverētiam injiciat hominibus. qua de causa excitavit ille tempestatē tetram, & caliginosam nubem, fulgura, fumum, tonitrua descensurus in Montē Sina, & legem traditurus Moysi; Res sane minutatim narrata Exod. 19. Devter. 4. *Accessistis ad radices montis, qui ardebat usq; ad Cælum, erantq; in eo tenebræ, & nubes, & caligo; loquutusq; est Dominus ad vos de medio ignis: vocem verborū ejus audistis, & formam penitus non vidistis.* Neque video rē hanc simplicius hoc descriptam esse, quā in nostra sententia. Tum etiam, quoniam in Originali dicitur *Iehova loquutus de Turbine*, quasi ostenderet se rerum omnium principium. Sic Eusebius libr. 1. de Dem. Evang. cap. 4. *Qui de turbine, & nubibus Iobo se ostenderat, Deum universi se esse indicabat.*

Eusebius.

4 Secunda ratio ex Iobi persona, & conditione.

Sic quoq; exigere videbatur persona, cum qua loquitur Deus, nimirum Iobus jacens in miserrima conditione, & statu rerū turbulento. docuit hoc Augustinus subtiliter; *Quod non dictū est* (inquit) *simpliciter per nubem, sed per turbinē nubis, hoc significari arbitror, quod non per sanam carnē interrogatus, hoc est, tentatus est Iob; sed per tribulationem, perturbationemq; carnis.* Rem hanc Gregorius sapienter hoc loco, *Si sano* (inquit) *atq; incolumi loqueretur, ex tranquillitate Dominica loqutio facta diceretur; sed quia flagellato loquitur, de turbine loquutus fuisse describitur.* Rem eandem paulo promovit Methodius; *Quoniam turbo tempestatis est auctor, nec Iobi fides in tempestate malorum ullum naufragiū fecit, sed multo magis eluxit, idcirco qui ei oracula edit, ad superioris ærumnæ procellā significandā, procellam item, dum loquitur, sumit. Atque ut Iobi res a tempestate ad serenam tranquillitatem ostenderet demigrasse, non solum per procellam, sed per nubes etiam loquitur.* Addit non nihil Philippus in rem eandem, *Quod de turbine dicitur, ad terrorem pertinet objurgationis, nam est sermone terribili, & increpativo arguendus Iob.* Persona igitur, ad quam loquitur Deus, *Turbinem*, & *procellam* nō improbat: imo vero postulat. Postulavit nimirum Iob Dei tribunal. advehit illud Deus, cōstituitque in superna regione, & si non suum conspectum, at fee-

August.

Gregorius.

Methodius.

Philipp.

dem majestatis suæ oculis illius repræsentat.

Quodsi utramque personam nempe Deum loquentem, & Iobū cōsideremus, postulare quidem videbatur turbulentus status Iobi, ut Deus in turbine esset, & sui justi speciem quandam reprǽsentaret, vehementi malorum turbine jactati; ut dicere posset; *Cum ipso sum in tribulatione.* Sic sane cum suus populus sęvissimo tribulationis igne torqueretur in Aegypto, & acutissimis malis pungeretur in *rubo ardente*, & in acutissimis spinis se mediū constituit, ut sui populi ardentis, & dilacerati figuram gestaret. Id quod ipsum hujus ejusdem apparitionis tempus repræsentabat videtur enim fuisse in ipso fervore, & æstu meridianæ lucis, cum pecudes perfugium aliquod, & umbram quærunt, quod indicat Scriptura; *Cū minasset gregem ad interiora deserti, &c.* Nimirum solent pastores,

Psal. 90 15.

Quo tempore Deus Moysi visus in medio rubi.

Aestibus in mediis umbrosam exquirere vallem.

Virg. 1. Georg.

Atque ea præsertim loca meridie subire solent, quibus non solū pecudes umbras, & frigora captent; sed opportunum etiā pabulum, quale dumi, & rubi præbere solent. Quid, quod non solum meridie, sed in ipso æstu meridianæ æstatis, ut ardentissimum ignem populi conflagrantis, & perfugium aliquod quærentis, ardentissimo, & æstuosissimo tempore significaret, contigisse res hæc videtur? qualem descripsit Poeta ex his ipsis notis temporis ęstuosissimi, interioris deserti, aut cōvallis, dumorum, & ruborum;

Iam clarum occultū Andromades pater
Ostendit ignem: jam Procyon furit,
Est Stella vesani Leonis,
Sole dies referente siccos.
Iam Pastor umbras cum grege languido,
Rivumq; fessus quærit, & horridi
Dumeta Sylvani.

Horat. Libr. 3. Carm. Od. 29.

Quid igitur æstum, & ignem ęrumnarum populi opportunius repræsentaret, quā Deus ipse, in meridie, in media æstate, in medio igne, in medio rubo ardēte Moysi visus? At non minus ille idem in *turbine*, & *tempestate*, cum populus jactatur tempestate, & turbine, sustinere videtur diluvium ærumnarum suorum justorū. Scriptum est enim, *In tribulatione invocasti me, & exaudivi te in abscondito tempestatis.* videlicet Deus ipse absconditus in tempestate, quæ super justum suum grandinabat, præsto erat justo Divinam opē implorāti, quasi ejusdem calamitatis volēs videri particeps, ut dici posit, *Dominus diluviū*

Psal. 80.

Psal. 88. Hieronym.

inhabitare facit, idem ipse *Diluvium inhabitãs*, ut Hieronymus legit. Cum enim ille facit nos cum diluvio luctari, & cũ tribulationum undis pugnare, Deus in ipso diluvio est., & in ipsa tribulatione nobiscum laborantibus. Sic igitur *turbo iste*, quo perculsus fuit Iob, ad Deum quoque quadam ratione pertinuit; ipse enim turbine absconditus, & nube involutus loquebatur; Vide, quæ in præfatione prioris tomi diximus, cap. 7.

Turbo excitãs attentionẽ ad Dei orationẽ.

5 Tertio tandem, sic exigebat adstantiũ ratio, ut perterrefacti procella, & turbine repente excitato, excitarẽtur ipsi quoque ad audiendum; non enim hæc tantũ propter Iobum loquitur Deus, sed propter amicos potissimum, quibus & de Dei sententia, & de Iobi innocentia, & de totius controversiæ veritate constare nunc deberet.

QVÆSTIVNCVLA. III.

Cujusmodi fuit turbo, de quo loquutus est Dominus?

1. *Quid* Turbo, *ex aliorum sententia.*
2. *Nunc* Turbo *tempestas integra.*
3. *An nubes de qua Deus loquutus, quieverit supra Iobi caput. Quid de Nube, de qua Deus loquutus Moysi.*
4. *Nubes prope Iobum.* Turbo *prope terram.*

Quid turbo.

I ILla dubitatio consequens est, Quid nomine *turbinis* intelligi oporteat? Ponẽdum est quidẽ *Turbinis* nomen apud Philosophos significare *ventum repercussum, proptereaque sæpius in se volutatum.* definit ergo pressius Seneca; *Turbo est vẽtus circum actus, & eundem ambiens locum, & se in ipsa vertigine concitans.* Plinius vero lib. 2. cap. 48. inter repentinos flatus numerat *turbinem*, & vult *erumpere majore e specu depressæ nubis, nec sine fragore.* Cujus varietatem assignãt, cum de Ecnephia, Typhône, & Præstere agunt. Hoc enim nostrum est indicare, Philosophorum explicare, & persequi, atque ex his ad rem nostrã mutuare necessaria. Noster Thyræus libr. 2. de Apparitione visibili, c. 8. censet, *Turbinem fuisse ventum validissimum, & vorticosum, obvia quæque deturbãtem, & prosternẽtem.* addit deinde, *Sub aspectũ venisse turbinem, densiori videlicet nubecula motu agitata, & in gyrũ raptata.* Vere, ut suspicor, omnia Thyræus, sed, quæ fortassis non nihil majoris luminis desiderent.

Sen. lib. 5. nat. qq. c. 13. Plinius. Pet. Thyræus.

Existimo sane *Turbinis* nomine tempestatem significari, quæ nubibus, tonitruibus, caligine, fulgoribus constat. nimirũ vox originalis comprehẽdit hæc omnia, est enim *çaghar*, tempestuosum esse, aut tẽpestate cõmoveri. quare nomen inde deductum significat *Tempestatem*, Ionæ. 1. 4. Psal. 48. 2. Ps. 82. 16. Nahum. 1. 3. Et quidem quamvis eadem vox sæpe vertatur *turbo*; qui sit venti impetus validissimi, atque procellosi; sed sæpe jungitur cum *tẽpestate*, ut quam *turbo* efficiat. Ergo hoc loco nõ solum fuisse *turbinem*, sed tempestatẽ, omnes ferè Interpretes intelligunt, præsertim Chysostom. & Methodius; cũ Septuagin. legerint; *Dixit Dominus ad Iob per turbinem, & nubes.* Augustin. *Per turbinem nubis.* Fuit igitur ater, & nimbosus turbo, & ventus e specu nubis cum fragore erumpens. 2

Turbo, tempestas integra.

סער

Chrysost. Methodius. LXX. August.

Rursus de hujusmodi *nube*, illud quæri potest; An sicut Moysi Deus loquutus in *nube* fuerit, nube nimirum quieta, & consistente supra verticem montis, aut supra Tabernaculum; ita quoque supra caput Iobi hæc nubes constiterit, loquẽte Deo? Thyræus existimat non fuisse visam nubẽ quiescentem, quemadmodum illã, ex qua loquebatur Moysi; sed in gyrum rotatã: cujus rei suspicionem facere potest, nomen ipsum *turbinis*, quod *verticem* sonat: tũ id quod Nicetas in Protheoria hujus capitis, definire *turbinem* videtur; *Turbo est ventorum conversio, atque contorsio.* Certe in tempestate, & turbine nubes ipsæ omnino quietæ, & consistentes esse non possunt, quas vis tempestatis exagitat, cõvolvit, rapit. Sed ab imo in summum agitatam, & rotatam vortice quodam, nihil est quod probet, nihil quod exigat. nam in turbine flatus, qui subeunt cavam nubem, vel qui nube protruduntur, verticẽ efficiunt, at necesse non est ipsam nubem, e qua erumpunt vorticari, & ab imo ad summum contorqueri. Et *turbinis* ipsum nomen, quamvis nimium Latine sumas, nihil est aliud, quam ventus validissimus in se se circum actus, objecta quæque deturbans, & prosternens: neque aliam vim habet in Hebræo, quam a conturbando, & rapiendo. Esse autem aliquid discriminis inter hanc nubem, & illam, de qua Deus loquebatur Moysi, nihil nunc refert. Certe Nicetas scribit; *Nubes ideo fumi, ut cum Iobo, similiter ac cum Moyse, & Aarone colloqueretur.* 2

An nubes Dei loquentis cõstiterit super Iobi caput.

P. Thyræus. Nicetas.

An nubes, de qua Moysi, similis fuerit nubi, de qua Iobo Deus loquutus est.

Tandem, Vbi nam nubes illa constitit? Supra caput Iobi. nam cum suum Tribunal cõcedere jam Deus videretur Iobo, 4

Nubes, & turbo imminens Iobi capiti.

opor-

oportuit nubem devectā ex superiori regione, ferme ad Iobi caput descendisse, & prope Iobum constitisse. Eleganter Chrysostomus; *Cum Cæli Symbolum, ac nota sit nubes, quando Cælum ipsum vult Iobi vertici imminere, ferme solium prope Iobū admovet, quo mētem ejus erigat, nec vocem ferri superne ambigat. Hoc ipsum in monte cū nubes illa constitit, factum mihi videtur, ut cælitus vocem mitti intelligerent.* Et quidem *turbo* id exigit, ut in infima aeris regione fiat; ac prope terram quidem, ut Seneca de vētis agens lib. 7. Nat. qq. c. 5. docet; *Turbo circa terras concipitur, ac fertur; ideoq; arbusta radicitus vellit, & quocumque incumbit, solū nudat. inferior nubibus utiq; nunquā altior.*

Chrysost.

Turbo prope terram.

Seneca.

QVÆSTIVNCVLA. IIII.

Cujusmodi fuerit Dei vox, de turbine loquentis?

1. *Ratio quærendi. Prior sententia negans fuisse veram Dei vocem auditam.*
2. *Certa sententia; Dei vocem externam fuisse auditam.*
3. *Deus totius controversiæ Præses adversus Iobum etiam insurgens.*

NON Continuo fit veram, & Physicam fuisse Dei vocem *de turbine*, verus licet turbo fuerit. ut enim ait Gregorius hoc lib. 38. cap. 6. *Potuit exterius Angelus in turbine aerem excutere, & tamen interius per semet ipsum Dominus vim suæ sententiæ cordi ejus sine verbis insonare, ut credatur, quod dicta Dominica, quæ sequuntur, ipse jam per verba protulit, qui repletus Deo, hæc sine verbis audivit.* Tum præterea, qui negaret verum turbinē, non continuo tenebitur negare veram, & externam Dei vocem: nā Titelmanus cum Metaphorice interpretetur turbinē, at Dei vocem non nisi externā interpretatur. Ergo quidam existimant loquutionem hāc Dei ad Iob imaginariā, & intellectualem fuisse, probabile cēsent Gregor. D. Thomas; inclinat Nicolaus; asserit Cajetanus, rationē, qua permotus ipse est, videtur indicare; *Ratione* (inquit) *consentaneū est; quod fuerit sermo iste tā prolixus in somnis, vel in ecstasi.*

I Quæstionis propositio, & dubitādi ratio

Gregorius.

Titelman.

Prior sentētia negantiū auditā exterius Dei vocem.

Gregor.

D. Thom.

Nicolaus.

Cajetan.

2 Mihi vero non minus certum est verā, & externam Dei loquutionem fuisse, quā verum turbinē. auctores iidem, qui superioris quæstionis. Ratio fere eadem, quoniam simplicibus verbis ita scribitur; neque magis proprie, vbi negare rem hanc ipsam nefas esset. ut cum audita est vox de nube, Matth. 3. & de *Cælo*, Ioan. 17. & de *medio ignis*, Deuteron. 4. & *de rubo ardente*, Exod. 2. Tum etiam quoniā hac ipsa Dei voce, & oratione compescitur Eliu, erigūtur, & erudiuntur amici; quare oportuit non soli Iobo interius loqui, sed externe, ut percipi Divina oratio a circumstantibus posset. Tertio, quoniam cum Deus sit hujus controversiæ Pręses, quæ externa est, cum se prębet diremptorē, & veritatis definitorem, oportuit, ut externa id oratione præstaret. Et quod fieri in disputationibus solet, ut qui præest, etiam ipse contra suum alūnum assertiones sustinētem argumentetur, ut & ingeniū sustentantis, & veritas eniteat; id in hac cōtroversia fit, ut non solum cæteri amici sua Iobo argumenta proposuerint, sed etiā ipse Deus Iobi Patronus, & disputationis Præses adversus Iobum insurgat novis interrogationibus. Quæ omnia nisi externa sint, coalescere non poterunt in unam disputationem; neque erit idoneus finis tumultuosæ disputationis, finis tantum mente, & imaginatione Iobi perceptus. Denique quoniā quod dicitur Deus *respondisse Iob*, nō tam ad verba, quam ad universam rem, & amicorum contentionem *respondisse*, id est, juxta subjectā materiam, & rerum exigentiam loquutum fuisse, & tum Iobi, tum amicorum adstātium rationem duxisse, censere debemus: quod nisi externa loquutione fieret, ut res exigebat, minime fieret.

Certa sententia, externam fuisse Dei vocem.

Deus totius controversiæ præses, & diremptor.

QVÆSTIVNCVLA. V.

An Deus loquens de turbine, in ipso turbine vocem dederit?

1. *Quæstionis ratio, & difficultas, & prima explicandi ratio.*
2. *Secunda exponendi ratio verosimilior. Deus loquens remittente fragore turbinis. Deus apparens Eliæ in sibilo auræ tenuis, quomodo.*
3. *Deū loqui de turbine, aut in turbine, quo differāt. Deus loquut' & auditus de nube turbinosa.*
4. *Fragor turbinis, & sonitus Divinæ vocis, quomodo interse contēperati.* Sonitus buccinę *qualis in promulgatione legis.*
5. Spiritus pertransiens *corā Eliphaz qualis.*

SI De *Nube*, aut de *Cælo*, aut de re alia quapiā, de quopiamve loco loquutus diceretur Deus, res omnino dubitatione careret: nūc quoniam de *turbine* dixit, qui est ventorum occursantiū impetus, & fragor, res dubia: non minus, quam si dicas vocem, aut sonitum ex aliquo processise; quod nihil insolēs est, aut vero unū sonū

I Explicatur quæstionis titulus, & dubitandi ratio.

de alio, aut unã vocem de alia voce auditam esse; quod vix informari cogitatione potest, quid rei illud sit. Ergo *Deũ loqui de turbine*, duplici ratione potuit fieri, duplici itẽ ratione potest explicari.

Duplex explicandi ratio. *P. Thyræus.*

Priorẽ noster Petrus Thyræus argute, & subtiliter indicavit suo libr. 2. de Apparitione Dei vocali, c. 8. ut simul cum ipso turbinis sono, & strepitu confuso; & indistincto, audiretur Dei vox distincta, & articulata, sed diversa quidẽ soni quãtitate; quippe Divina vox intensior, multum superabat alterius soni strepitum; nam hic Divinæ voci serviebat. Tũ prçterea excitabat auditoris animum ad attentionẽ; excitatũ vero Divina vox mysteriis imbuebat. Rem sic factã ipsa Scripturæ Phrasis insinuat; nam nisi simul cũ turbine loquutus esset Deus, non *de turbine*, sed *post turbinẽ* scriberetur loquutus. Neq; deest exemplum Divinæ loquutionis simul cũ vehemẽti strepitu tonitruorum, Exod. 19. 16. 17. 19. *Audiebantur tonitrua, clangorq; buccinæ vehementius perstrepebat.* deinde, *Sonitus buccinæ paulatim crescebat in majus.*

Dei vox distincta, cũ turbinis fragore confuso.

2

Secunda ratio difficultatem explicandi.

Posterior exponendi hãc *de turbine loquutionem*, modus est, ut turbinem ipsum, & procellosum ventorũ cõcursantiũ strepitum exceperit Dei vox, sine ullo intervallo: hçc articulate, & distincte nõ prius audita a Iobo, & a cæteris amicis percepta fuerit, quã conquiescente, & silẽte, vel saltẽ multum remittẽte ventorum fragore, & strepitu. Nam quantã Divinæ vocis contentionem putas futuram, quç vincere deberet vehementissimũ turbinis sonitũ? quantum excedens ipsam hominis facultatem audiendi, nisi novo miraculo roboraretur, & elevaretur, ad sustinendam tãtam Divinæ vocis contentionẽ? At, inquis, illud etiam intendebat Deus, perterrefacere Iobũ, & illius amicos voce gravi, & contenta. Sane, sed ea contentione, quam auditus ferre posset, & quæ audiẽtiam non corrumperet, sed potius efficeret, & quæ attentos redderet, nõ quæ attonitos. Exẽplo esse potest loquutio Dei ad Eliã, 3. Reg. 19. Precessit enim Dei adventũ, & vocẽ, *spiritus grandis, & fortis, subvertens mõtes, & conterens petras*: quem oportuit vehementer perstrepuisse, deinde *commotio*, & terræ motus, qui neque sine tumultu, & strepitu fuit; tandem *ignis*, fulgura videlicet, aut fulmina, quæ cũ ingentibus tonitribus adveniunt. Prenuntii omnes illi Dei adventãtis, loquuturi cum Elia, cujus majestas silentium statim faceret sua præsentia, sua voce. *Non ergo in spiritu, non in commotione; non in igne Dñs,* sed *in sibilo auræ tenuis*; sive ipsa Dei vox esset ipse sibilus, quia non vehemẽtius sonabat, quam *sibilus auræ tenuis*; sive simul cum Dei voce, *sibilus auræ tenuis* leniter, & dulciter spirans insonaret, ut tum Dei vocẽ, tum musico auræ concentu potius demulceretur, & alliceretur animus Eliç, quã a percipiẽda Dei voce impediretur.

Deus loquẽs remittẽte fragore turbinis.

Objectio.

Sibilus auræ tenuis, in quo loquutus est Dñs Eliç, qualis fuerit.

3

Deum loqui de turbine, aut in turbine, quo differant.

Ego in hac re sic primum statuo, *Deũ loqui de turbine*, esse Deũ loqui de turbinosa illa, & caliginosa nube, quæ imminebat Iobi vertici, unde erupit turbo. nã profecto illa *loquutio de turbine* significat locũ, unde videbatur formata, & articulata vox devenire ad aures Iobi, & amicorum illius. Neq; enim, si per *turbinẽ*, strepitum illum procellosi venti intelligas, cõmode dicas *de turbine* audiri vocem, sicut *de Cælo*, aut *de Rubo*, aut *de Propitiatorio*, sed potius *in turbine*: Sicut Deus dicitur fuisse auditus, aut loquutus non *in spiritu illo*, non *in cõmotione, &c.* 3. Reg. 19. quasi asseratur loquutus, & auditus *in sibilo auræ tenuis*. Neque quidem hoc est a proprietate *turbinis* alienum; nam, ut diximus, turbo adnexã habet nubẽ, e qua erumpit. Quare *de nube turbinis* intelligitur loquutus, quasi de loco, in quo Deus se præsentẽ exhibebat, & unde sonabat. Quare Augustinus ait; *Vox ista facta est; quomodo ad Moysen, vel quomodo cum se Dominus tribus discipulis in monte ostendisset.* videlicet *de nube* vox ad illos facta est.

August.

Secũdo, si *de turbine* loquamur pro fragore, & strepitu, quẽ vẽtus circumactus, & in se se contortus efficit, certe is videtur cõmodus rerum ordo, ut primum excitatus repentinus turbinis fragor horrore simul, & terrore affecerit audientium animos, & ad Dei vocẽ percipiendã præpararit. Deinde vero ille fragor ita fuerit attẽperatus tum voci Dei statim insonituræ, tum humanis auribus, ut vehemens fragor simul cum tonitruo Divinæ vocis neque attonitos redderet auditores, neq; attentionẽ impediret. Quare fieri potuit, ut paulatim remittente fragore *turbinis*, paulatim etiam intenderetur Divina vox quantum ad repræsentandã Divinam majestatem satis esset. itaq; cum vox Divina in ipso turbine inciperet, at cõtentio Divinæ vocis cresceret, turbine remittente. Simile quid videtur evenisse in Legis promulgatione; nã bis mentio fit *sonitus buccinæ*, Exod. 19. 16. & 19. & c. 20. 18. qui *sonitus buccinæ* videtur quidẽ fuisse vel ipsa Dei vox Legẽ ferentis, vel Angeli alicujus illo terrifico sono comitãtis Divinã vocẽ: nã is sonitus videtur de mõte processisse

4

Quomodo turbinis fragor, & sonitus Divinæ vocis inter se attemperati.

Sonitus buccinæ in Legis promulgatione, qualis fuerit.

simul

simul cũ tonitribus, & fulguribus,& paulatim intendebatur; *Sonitus buccinæ paulatim crescebat in majus, & prolixius tendebatur*, & subjungitur per expositionẽ, quid sonaret buccina; *Moyses loquebatur, & Deus respõdebat ei*, & c.20. *Cunctus populus audiebat voces, & lampades, & sonitũ buccinæ*. Cũ ergo in dies Divina vox cresceret, intelligentes se impares ferendæ tantæ sonitus cõtẽtioni; *Steterunt procul* (fugientes) *dicentes Moysi; Loquere tu nobis, & audiemus*; (audire poterimus) *non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur*. Ergo si cũ primũ vox Dei cũ fragore turbinis certans, terrori fuit; at postea fragoris remissio, & Divinæ vocis cõtentio aliqua, & claritas terrorem ademit, quantum ad efficiendã attẽtionem satis fuit. Rursus videtur hoc confirmari ex illa pristina revelatione Eliphaz, quę sane videtur etiam in turbine illi contigisse, c. 4. *Cũ spiritus illo præsente transiret*, (quod est venti cõmotio, & strepitus circa terrã) *& inhorrescerent pili* (nã sic etiam in hoc loco vox originalis *turbinis*, aliquando vertitur ab Interprete *horror*, ut superius, c. 18. 20. & tandẽ post *ingentem pavorẽ, tremorẽ, horrorẽ*) *vocẽ quasi auræ lenis audivit*. Oportuit itaq; sonitum *spiritus transeuntis*, efficientis etiam strepitum, remisisse, ut vox *quasi auræ lenis* percipi posset. Nunc nolumus Deũ de *turbine* loquentẽ tantum de cõtentione vocis remisisse, neq; cum tãto turbinis fragore certasse. Hæc dicta sint verosimiliter.

5 Quid spiritus transiens coram Eliphaz.

QVÆSTIVNCVLA VI.

An etiã cum Dei voce, aliqua imago objecta fuerit Iobi oculis?

1. Partis affirmativæ probatio.
2. Pars negativa statuitur. An visio magis, vel minus perfecta, quo magis sensibilis.
3. In turbine aliquid visui objectum.

1 Quæ pro parte affirmativa facere possunt.

PARS Affirmans statui videtur ex ipso Iobi testimonio, c. 42. 5. *Auditu auris audivi te, nunc autẽ oculus meus videt te*, quæ non videtur alia revelatio, aut visio, quam hæc ipsa, quæ nunc incipit. neque quidem minus videtur habuisse Iob, quã Eliphaz, qui tamen ut, c. 4. narratur, *vidit stantẽ quendam, cujus nõ agnoscebat vultum, imaginẽ coram suis oculis*.

2 Nullã imaginẽ nunc a Iobo visam.

Primũ cẽseo, nullã personã visam esse a Iobo, neque ab amicis, indicãdã nimirũ ab ipsa Scriptura, si quid ejusmodi intervenisset. Habet præterea non nihil, imo multum timoris, & attentionis, si non videas, quem audias. 3. Reg. 19. *Elias operuit vultum suum pallio, & ecce vox ad eum, &c.* Illud etiam ad horrorem pertinet, quod non videatur expressa aliqua imago, inter res alias horrore plenas. Sap. 17. 6. *Timore percussi illius, quæ nõ videbatur faciei, æstimabant deteriora esse, quæ videbantur, & sonitus invisus deficiẽtes faciebat illos præ timore*. Quare ad eos, quos nimio terrore affecerat Dei vox, dixit Moyses Deut. 4. *Loquutus est Dominus ad vos de medio ignis: vocem verborũ ejus audistis, & formam penitus non vidistis*. Neq; vero ideo perfectior est revelatio, quo magis sensibilis sit, & imaginibus personata; sed forte imperfectior, quo magis recesserit a puritate intelligibilis actus. Quamquã in hac re nulla certa regula: sed ex circumstantiis, & re subjecta censendum.

Vox ejus, quẽ nõ videas, terrifica.

An perfectior aut imperfectior revelatio, quo magis sensibilis.

Secundum; Non solum fuisse videtur objectus sensui turbo ille propter nubẽ caliginosam, unde erupit: sed forte etiam aliquid vaporis accensi, & densioris materiæ retortum, & rotatum visui objectum, quo præstingerentur oculi adstantium. sic enim Presterem volunt Philosophi esse turbinis accensi genus. Facit hoc quoque insolẽs spectaculum ad horrorẽ.

2 In turbine aliquid sensibile.

Prester.

Tertiũ; Nihil certo constat de illis verbis cap. 42. Si quid peculiare habent, ibi explicandum. Iam ad capitis sententias singulas.





CAPVT

CAPVT. XXXVIII.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Deus totius disputationis Præses, punctum difficultatis potissimæ de rerum humanarum Providentia exponit Iobo, & illius amicis, ex rebus naturæ mirabilibus; quæ cum propter hominem creantur, & curantur a Deo, demōstrant hominem, resque humanas potissimum curari.

I. *Respondens autē Dominus Iob de turbine, dixit.*

1. *Respondendi verbum proprie sumptum. Deus pro amicis respondens.*
2. Iehova. *Deus ostendens se Auctorem, & provisorem universitatis.*
3. *Interrogatio incitans orationem. Interrogatio per contemptum. Illustratus Samuel, & Sapiens.*



ESPONdens. Pręter ea, quæ superius, non semel observavimus, in hoc *respondendi* verbo, afferri non solum quod interrogatio aliqua postulat, sed etiā quidquid res ipsa, de qua sermo est, aut qui præsentes sunt, exigunt; certe nunc etiam potest cū aliqua *respondendi* proprietate accipi, primo ut dicatur Deus ad Iobi rationes, & superiores querimonias, & expostulationes, quibus amici non satisfecissent, ipse respondendi vicem suscepisse. Quare dū ipse respondet, tū notat amicos ignorantiæ; tum Iobum videtur comprimere, ne multum suæ sapientiæ, suæque causæ tribuat.

1 Respondendi verbum propriè sumptū.

Deus respondendi vicē suscipiens.

Dominus. Subest nomen *Iehova*, cujus nominis ratio, quod ab essendo, & subsistendo dicitur, congruit cum materia hujus capitis. nam cum hic describatur perfecta, & absoluta creaturarum omniū natura; elementorum perpetua, & stabilis lex, inanimatorum incredibilis varietas, animantium propensiones, & proprietates mirabiles; opportune profertur Dei nomen, quod significat Deum esse primū fontem totius entitatis. Indicavit hoc eleganter Eusebius nuper adductus lib. 1. Dem. Evang. C. 4. *Qui de turbine, & nubibus Iobo se ostenderat, Deum universi se esse judicabat.*

2 Deus ostēdēs se universitatis Creatorē, & Provisorē.

Eu. eb.

II. *Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis?*

ACre, & vehemens Divinæ orationis exordium, quod ab interrogatione, & reprehensione sumitur: nam cum ipsa per se interrogatio figurata incitet orationem, at multum illam intendit interrogatio: hæcque videtur contemptus, & invidię cujusdam. Equidem cum multos interrogationis modos assignet Quintilianus; at videtur prætermisisse illū, qui ad contemptum pertinet, tum etiā ad terrorem quędam. nā illud, *Quis est iste*, imperitiam adducit in contemptum. Tum etiam loquenti terrorem, & silentium injicit. Cōtemptus quoque illud est, Ecclesiast. 13. 18. *Pauper loquutus est, & dicunt, Quis est hic?* & illud 2. Reg. 16. 9. *Quare maledicit canis hic moriturus, Domino meo regi?* Eundē quoque affectum indicat pronomen, *iste*, & vocabulum *imperitiæ*.

3 Interrogatio acris.

Quintil. lib. 9. cap. 2.

Interrogatio per contēptū.

At, *Quis est iste*; Iobus ne, an Eliu?

4. *Prior sententia asserens his verbis notari Eliu. Et illius probationes.*
5. *Quid in Hebræo* involvere. *Quid* imperitia. *Sophistarum vitium, & garrulitas.*
6. *Imperita adolescentia multarum rerum inexperta. Illustratus Moyses.*
7. *Secunda sententia referens hanc sententiam ad Iob.*
8. *Quod genus imperitiæ tribui possit Iobi verbis. Varia Auctorum expositio, & responsio.*
9. *Quæstionis solutio, & secunda sententia confirmatio.*

DVplex sententia. Prima Latinorum post Gregoriū ducem, sequitur Philippus, Beda, D. Thomas, Nicolaus, & posteriores, Dionys. Hugo, Titelmanus, Gētianus Hervetus in commentaris Clemētis, 1. Stromat. His verbis notari Eliu. Cujus sententiæ nonnullę sunt suspiciones;

Primæ sententię Patroni, & probationes. Gregorius. Philipp. D. Thomas, & alii recentiores.

Prima, quod non minus peccavit Eliu, quam alii amici; at illi *imperitiæ*, & temeritatis loquendi reprehensi sunt, c. 42. Ergo, ne impune abeat Eliu, nunc quoq; imperitiæ, & temeritatis reprehenditur.

4 Prima ratio.

Secũda ratio.

Secũda, quod cũ Dei cauſam videatur Eliu agere contra Iobũ, ne ſine reſpõſione omnino ſibi blandiretur de ſapientia, & de victoria, oportuit ex eodẽ illo Divinorũ operum genere quædã alia proferri ab ipſo Deo, quæ, ſi quid vere dictũ eſt ab Eliu, confirment; ſuperbiam vero, qua dictum eſt, comprimant.

Tertia ratio

Tertia. Ex forma ipſa interrogationis, qua nullũ exprimitur propriũ nomẽ. Nã ſicut Deꝰ novit Iobũ, ſicut & juſtos alios *ex nomine*, ut c. 1. obſervabamus; ita videtur ignorare nũc Deus nomẽ Eliu, quare cõmuni pronomine illũ demonſtrat, *Quis eſt iſte*, quod ſolet ad contemptũ pertinere. &, ut ait Gregor. ad *exprobrationẽ*, ſubjicit autem; *Non dicimus, Quis eſt iſte? niſi de eo utique, quem neſcimus. Scire autem Dei approbare eſt, neſcire reprobare.* At Deus Iobi ſermones bis, ac ter probavit ſuo teſtimonio non ſolum initio libri, ſed in extremo totius rei actu.

Relativum *Quis*, ſuppreſſo nomine proprio ad contẽptum.

Gregorius.

Quarta ratio

Quarta, Quoniam hæc reprehenſio videtur omnino eſſe orationis, quæ proxime præceſsit, nã cum interceſſerit valde prolixa oratio Eliu, valde nũc incõmode videretur ſermo eſſe de Iobi *ſermonibus imperitis*, qui omnino ſilet, tacituſq; perſiſtit, altero adverſus illum perorante.

2

Quinta ratio.

Imperitia Eliu ex multis philipp.

Quinto denique, quoniã Eliu, qui tam multa dixit, videtur ſane *involvere ſententias*, id eſt, miſcere, & confundere, ſive, ut in Hebræo eſt, *Obſcurare conſilium*, id eſt, multis verbis, & ut Philippus dixit, *Cũ ſuis fuſis, atque permixtis diſputationibus*, potius tenebras, quam claritatem ullã rei propoſitæ afferentibus; & ipſum Dei conſilium, quod in operibus hominũ ſua digna mercede proſequendis, ſtatuit ſervare, quãvis vere, tamen cõfuſe, & perturbate proponit. Sive dicas, *conſiliũ* ipſum ſui animi, & ſuam ſententiã obſcure proponens, & vix multis verbis mentem ſuã ſatis exponens. Propterea igitur dici poſſunt *ſermones imperiti*, ſive, ut in originali eſt, *abſque ſcientia*. Gregorius ait, *Sententias* Eliu appellari *imperitas*, quod licet *bonæ* ſunt, *ſed imperitis, & arrogantibus ſermonibus erant involutæ. imperitiæ quippe vitium eſt, rectũ non recte ſapere, id eſt, cæleſte donum ad appetitum humanæ laudis inclinare.* Vide Gregorium. D. Thom. atque alii Latini *imperitiã* referunt *ad falſitatem*, hæc enim eſt rationis, & intelligẽtiæ defectus. Deniq; poſſet hoc referri ad vanam quandã dicendi, & pronuntiandi ambitionẽ, ut c. 34. verſ. 1. obſervabamus ex Gregorio: quod etiã in quibuſdam Sophiſtis notat Clemẽs, 1. Strom. quos deſcribit, *Se ipſos erigentes, cõtentioſas comparantes quæſtiones, Dictiuncularum venatores, puſillarũ quarundam artiũ Aemulatores, Litigatores, & jurgiorum conſarcinatores, in nominũ delectu, & certa dictionum compoſitione, & connexione tota vita laborantes*. quo loco obſervat Gentianus uti Clementẽ voce Græca *Imantelisſmòs*, quę ex Iulio Polluce, & Euſtathio, eſt *duplicis lori laberintho ſimilis obliqua circũactio*. quare metaphorice ſignificabit linguæ volubilitatem verba verbis inſtar lori involvẽtis, propterea que hic dici, *Quis eſt iſte involvens ſententias ſermonibus imperitis?* Vel in eo conſtituetur hæc *ſermonis imperitia*, ut Cajetan. indicavit, quod, cum Deus illum nõ miſerit ad ſuæ cauſæ defenſionem, tamen ipſe prædicaverit injuſſus; & Divinũ conſilium de reſervãdo præmio, aut ſupplicio hominum in alterã vitã, ipſe Eliu ſua oratione obſcuraſſe viſus fuerit: propterea que oportuiſſe, ut Deus ſuam ageret cauſam, cõmodiori via atque ratione.

Elia multa dicendo multũ confundit rẽ propoſitam.

Gregor.

Arrogãtia imperita

D. Thom.

Imperitia ambitio.

Clemens.

Sophiſtarum vitia.

Gentianus Hervetus

ἱμαντελιγμὸς

Imãtelisſmòs, de linguæ volubilitate.

3

Sed cum in oratione Eliu, quãvis prælonga, mirabile omnino artificium oratoris, & reconditam rerum humanarum atque Divinarum ſcientiã invenerimus, ſine multiloquio, ſine ſtultiloquio, ut volebat Philippus: cum Græci modeſtiam potius in Eliu, quam ullam arrogãtis hominis ſpeciem agnoſcant; cumque illum ab omni falſitatis, & mendacii opinione aſſeruerimus; poſſemus *hanc ſermonũ imperitiam*, vel *abſque peritia, & ſcientia*, tum propter Latinam vocem *peritiæ*, quæ frequenter dicitur de uſu, & experimento; tũ propter vocis originalis proprietatẽ, referre ad ipſam adoleſcẽtiam Eliu, multarum rerum inexpertam; & tantũ Theoricæ, ac nudę cognitionis, non etiam praxis, & ſenſus ſcientẽ, propterea que diſputantẽ acrius, & vehementius abſque ſenſu illo, & lenitate cõmiſerationis, quæ cum ætate, & experientia cõjuncta eſſe ſolet; qui, cum eſſet ex Iobi popularibus, & forte ex illiꝰ cõſanguinitate, & cognatione, at nimium ſe alienũ præberet homini calamitoſiſsimo. nã hæc omnia capere poteſt vox originalis, *ſciendi*, aut *cognoſcẽdi*, nimirũ ſcientiam ſenſitivã, aut experimẽtalem, tũ etiã id, quod ex aſsidua familiaritate, & experientia conſequi ſolet, bene affectum animum, & mitẽ erga aliquẽ, & proclivẽ ad ferendã opem. unde id Gen. 18. 19. *Futurus eſt ingentẽ magnã: ſcio enim* (id eſt, hoc favore illum proſequor) *quod* (quia) *præcepturus ſit filius ſuis, &c.* quare illud Exod. 2. 25. *Reſpexit Dñs filios Iſrael, & cognovit eos*, illud ipſum ſignificat, quod

Peritia, aut imperitia de experimento.

ידע

Benignior de ſenſio ſermonum Eliu.

Scientia de experimento.

Alienæ calamitatis miſericordiam cõciliat experiẽtia, & charitas.

Complutēſes in textu.

LXX.

alii cum Kaldæo legunt, *Et liberavit eos.* & Complutenſes; *Et miſertus eſt eorum*: nã recte cenſent, *Scire Dei eſſe miſereri, vel liberare.* & quod Septuaginta. Vaticani; *Innotuit illis.* & Septuag. Complutēſes; *Cognitus eſt eis*; id eſt, re ipſa, & auxilio præſtito experti ſunt illius clementiam: familiariter ab illo accepti, benigne tractati ſunt. *Tratòlos Dios, como conocido.* tum etiam, egit cũ illis tanquam cum cognatis, & cõſanguineis; cõſanguineus, & cognatus ipſe aliquando futurus: quia enim cõſanguinei eſſe inter ſe ſolẽt familiares, & noti, ideo *notus* pro cõſanguineo, & propinquo ſumitur, Ruth. 2.1. & 3.2. Ergo hæc erit Dei ſententia increpantis Eliu; Quis hic, qui cũ rerum tantũ cognitione, non etiã ſenſu, & experimẽto inſtructus ſit, tantũ ſibi tribuit, ut & ſenibus detrahere audeat; & hominẽ graviſsime laborantẽ abſque cõmiſeratione, abſque pietate majoribus, conſanguineis, notis, & familiaribus debita, ſola oratione, ſola ſublimiorũ rerũ apta, & cocinna pronũtiatione, non tam delinire, & conſolari, quam exulcerare, obruere, perterrefacere conetur? Atque hæc de hac prima ſentẽtia, & interpretandi ratione.

Notus pro cognato.

Paraphraſis & elucidatio ſententiæ.

4

Secunda ſententia referẽtiam ad Iobũ.

Secunda interpretandi ratio eorũ, qui hanc Dei ſententiã, & reprehẽſionem de Iobo intelligũt: quã proculdubio Septuagin. ſua lectione nõ obſcure indicarũt; ut ſtatim exponemus. clare vero exprimit Chryſoſt. in Catena. Et proculdubio quãquã non verbis, ſenſũ tamen idẽ docet Iulianus: ſequuntur ex Latinis Auguſt. & ex Hebraizãtibus, R. Moyſes lib. 3. Ductoris dubiorũ c. 24. Cajetanus, Eugubinus, Iſidorus. Hujus quoq; interpretationis atq; ſentẽtię probationes nõ ſunt omnino invalidę. Prima quoniã vim infert cõtextui ſententiarũ, qui ſententias eodẽ tenore prolatas, videlicet ſecundã, & tertiam ad diverſas perſonas refert. præſertim cum initio dictũ ſit, Deũ *loquentẽ ad Iob* ſic dixiſſe; *Quis eſt iſte, &c.* Secunda, ex lectione Septuag. *Quis eſt hic, qui celat mẽ conſiliũ, continens autẽ ſermones in corde, & me putat celare?* quod quidem nõ ad Eliu, ſed ad Iobũ pertinere videtur ipſis Græcis expoſitoribus, Chryſoſt. & Iuliano; nã licet taceret Iob, *at videbantur*, ut ait Chryſoſt. *multa in ejus animo verſari, quæ palã efferre minime audebat. Docet itaq; Deus; Si illa quæ dicere eſt auſus, uſq; eo gravia, acerbaq; erant, cujuſmodi ea fuerint, quæ animo latebant incluſa? Nec enim quia ea, quæ animo conceperat, minime extulit, idcirco verba non ſunt; nẽpe ſimul & partus, & conceptus eſt ſermo.* Iu-

Chryſoſt. Iulianus. Auguſt. R. Moyſes. Cajetan. Eugubinus. Iſidorus.

Prima ratio.

Secũda ratio. LXX.

Chryſoſt. Iulianus.

Deus reprehẽſione comprimens in Iobi mente tumultuantes cogitationes.

lianus vero ſic videtur hæc Dei verba accipere; ut reſpondeat tacitæ querimoniæ Eliu, quod Iob ex contẽptu tacuiſſet; excuſatur ergo Iob a Deo ab *imperitia* arrogãtiæ: *Quis hic celãs conſiliũ*; & reſponſionem imperite, & arroganter ſupprimens? nemo ſane, nõ enim eo Iobus animo eſt: ut quemquam indigne contemnat.

Deus Iobum excuſans ab imperitia.

At vero Auguſtinus, cũ de Iobo quoq; ſententiam hanc omnino interpretari videatur, colligit aliquid imperfectionis, quod ſignificetur nomine *imperitiæ. Sciendũ, inquit, eſt, ſic in principio libri hujus laudatũ Iob Dei teſtimonio, & in fine tribus amicis, ut tamen noſſet Deus, quantũ ei deeſſet ad perfectionem, quo etiã laudabiles ſecundũ hãc vitã viros paterna flagella perducũt, quæ noluit ab Apoſtolo removere, dicens, Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur. Nemo flagellatus dicat, Indigne ſe accipere diſciplinam; quaſi ultra non ſit, quo per illam proficiat. Et ſi non factis, ſaltem verbis peccatur: & ſi nõ verbis, ſaltem temeraria præſumptione intus in corde, vel ſermonibus cogitationum.* Ergo imperitiam tumultuantium cogitationum in Iobi mente comprimere videtur Deus hujuſmodi acerrima interrogatione.

5 Auguſtin.

Tertia, Quoniã de ſe dictam eſſe hanc ſententiã, ipſe Iob intellexit, cum initio, c. 42. dixerit ipſe; *Quis eſt iſte, qui celat conſiliũ abſque ſcientia? ideo inſipienter loquutus ſum.* vocibus fere ſynonymis, ſicut hic dicitur, *Involvere ſententias*, vel, *obſcurare cõſilium imperite*, vel, *abſque ſcientia.*

Tertia ratio.

Quarto, quoniã cum Deus concertãs, & diſputans cum ſuo athleta, vellet illius patientiã, & fortitudinem illuſtriorẽ reddere; oportebat ſane, nõ tã rejicere Eliu diſputantem, ut ipſe Iobum defenderet; quam Eliu diſputãtis partes ſuſcipere, & inſtaurare vicẽ adverſus Iobum ſe defendentem, atque tractationem illã Divinorum operum perſequi, & promovere.

Quarta ratio.

Quinto denique, quoniam tota interrogatio, & reprehenſio commode poteſt ad Iobum referri; ut Iobus reprehendatur non quidem ullius falſitatis, aut lapſus gravioris linguæ, cum potius de Deo, deque Divinis, de ſua innocentia, & in univerſum de pietatis ſtudio, de operũ retributione ſententias pronuntiarit graviſsimas; ſed quod *involverit*, ſeu, ut in Hebræo eſt, *Occultaverit*, vel *obſcuraverit cõſilium.* quod, ut diximus, idẽ omnino eſt, quod ipſe Iob dixit, cap. 42. quod abſcõderit, vel celaverit: nam quę involvuntur tenebris, ea abſconduntur, & latent.

Quinta ratio. Totius hujus reprehẽſionis Divinæ relatio ad Iob.

Sed cujus nam *conſilium* hoc, quod ob-

ſcura-

Quid vitii in Iobi ſermonibus.

ſcuratũ, & *involutum* eſt a Iobo, aut quod nam vitium in ea occultatione a Iobo admiſſum? Septuaginta ſane ipſiusmet Iobi conſilium, & cogitationem intellexerũt, legentes; *Quis eſt iſte, qui celat me conſiliũ, continens autem ſermones in corde, & me putat celare?* ita ut cum Iobi verba aſperiora viſa fuiſſent; at in illius mente nõ minus aſperæ, & querulę cogitationes volverẽtur. quas, ut dixit Chryſoſ. ſupprimebat, ne Deũ lædere, aut amicos in Dei Providẽtiæ cauſa irritare videretur. Ait igitur Deus; Tacitas illas cogitationes ſibi eſſe perſpectas; quare non tam ſupprimi, quã omnino arceri a mente oportuiſſe. Chryſoſt. *Stulte igitur occultare ea conaris, quæ latere non poſſunt. Vides quã blandam, quã ad corrigendũ, & arguendũ aptã uſurpet orationẽ.* Alii *conſiliũ* pro mente, judicio, cogitatione etiam ipſius Iobi, in hunc ſenſum cũ Vatablo; *Quis eſt ille, qui ſic loquitur obſcure?* Iſidorus; *Qui ſuã mente ſine amicorũ offendiculo explanare non potuit, quomodo ad Divina dijudicanda per ſe aptus erit?*

LXX. — Conſilium Iobi id eſt, cogitationes oportuiſſe cohiberi. — Chryſoſtom. — Conſilium, id eſt, animi ſenſa obſcure prolata. — Vatabl. — Iſidorus.

1 Alii ad Dei *conſiliũ*, & rationem rerum agendarũ, premii conferendi juſtis, ſupplicii inferendi improbis. Quod multo melius congruere videtur; pertinet enim ex proprietate vocis ad judicis cogitationẽ, & Providentiã certa ratione, & arte premeditata res diſponentis, & moderantis. Cum igitur Iob de *Dei conſilio*, & Providẽtia circa humanorũ operũ mercedẽ; atq; rationem agendi cũ ſanctis, cũ improbis, multa dixiſſet; præſertim vexatus tot argumentis, & contentione ac contumeliis importuniſsimorũ diſputatorum; anſam viſus eſt prebuiſſe ſuis amicis ſiniſtre aliquid ſuſpicandi, aut intelligendi de Divina Providentia, atq; æquitate; Cenſet igitur Deus; Nihil falſum dictũ a Iobo, ſed tamen confuſe, & perturbate dixiſſe, quę oportuiſſet clare, & perſpicue; aut certe reliquiſſe intacta, ut pote noſtra intelligẽtia ſublimiora: In hanc ſententiã Tygur. *Quis eſt ille, qui ſermonibus imperitis offundit tenebras conſilio Divino?* Cajetanus item Iobi verbis ſcandalizatos amicos; tũ etiã ſcandalum ejuſmodi ortũ fuiſſe *ex arrogantia ſciẽtiæ, quã homo caret, ad diſputandũ cũ Deo;* Tũ præterea ex ignorantia peccatorũ occultorum, quę nobis neſcientibus imputat Divina juſtitia. Paulo itaque cõfidentius (quod imperitorum eſt) diſputaſſe Iobum.

Dei ipſius cõſilium, quomodo a Iobo involutum. — Germanus Divinæ reprehẽſionis explicatus. — Tygurina. — Cajetan. — Iob, quã parte fidẽtius diſputat.

Denique D. Tho. Albertus, & frequenter alii cenſent Iobũ, ſi nõ verbis, at ſaltẽ ſpecie tenus modũ exceſiſſe. Gregorius nihil omnino reprehendi a Deo, tantũ vehementi interrogatione occurriſſe Deũ, ne ſuus Athleta de victoria parta ſibi blãdiretur, & inſoleſceret. Sed res hæc ad c. 41. abſolvẽda, & ſemel a nobis decernẽda.

D. Thom. Albert. — Iob modum excedẽs in loquendo.

Propoſuimus, & (quoad fieri potuit) promovimus utramque interpretandi rationẽ. neutram non probabilẽ; propterea in medio relinquendam lectori. Si vero meũ judiciũ poſtulat; Cenſeo primã, quę eſt de Eliu, ſpecioſam eſſe; & quæ, tũ Iobo favere videatur, tum adoleſcentis cõfidẽtiam merito cõprimat. Secundã vero ſolidiorẽ, & in qua nihil deſiderari videatur, quã priorum illarũ probationũ brevis aliqua reſponſio. Illa autem hæc erit, quod ſicut Eliu nõ numeratur inter alios amicos, ita neq; ille per ſe reprehẽditur a Deo. Sed quidẽ quod aliis dicitur, ſibi dictũ exiſtimet. Neq; vero de ſapientia ſibi blandiri debet adoleſcens, cujus ambitioſam diſputationem repente cõprimit turbo cæleſtis; & ipſius Dei de ſuis naturæ operibus oratio magnificentiſsima. Denique reprehendi quidem potuit Eliu; ſed reprehenſus non eſt; quod id minoris apud Deum fieret; cujus totum negotium cũ Iobo eſſet. An vero Iob verbo aliquo lapſus ſit, diſputabimus infer. c. 41.

6 Quæſtionis reſpõſio, & ſecundæ ſententiæ approbatio. — Reſpondetur objectionib. ſentẽtię prioris.

III. Accinge, ſicut vir, lũbos tuos, interrogabo te, & reſpõde mihi.

1. Præcingi, *cujus habitus. An differant in Scripturarum uſu* Cingi, accingi, præcingi. *Illuſtrati Eccleſiaſticus, & Lucas.*
2. *Lumbi pars infirma cingulo confirmãda. Cinctus mulieris pulcher. Militis, fortis. Cingulum Veneris, Martis.*
3. *Prima vices jaciendi jaculum, ſorte dabantur.*
4. *Interrogationes non expectantes reſponſum.*

IAM Reſpõdens Iobi votis ardentiſsimis Deus, illũ excitat ad ſingularẽ diſputationem, quam ſæpe expetierat; Ecce (inquit) jam annuo poſtulatis, neq; te incautum opprimã: age, te compara ad certamen, te virum præſta; ſi quid mente, & ratione vales, nunc oſtendas, licet.

I Sententiæ paraphraſis.

Et quidem *præcingi*, habitus eſt nihil aliud expectãtis, comparati jam, & operis initium expectantis, eo quod cinctus eſſe ſolet extremũ ornamentũ, vel militis, vel hominis cujuſpiã domo egrediẽtis ad publicũ convictũ civitatis. Sic dictũ eſt Petro Act. 12. *Præcingere, & circũda tibi veſtimentũ tuũ, & ſequere me.* & Eccleſ. 36. 28 *Succinctus latro, & exiliens de civitate in civitatem*: nimirum ſtat ſemper paratus ad fugam, nunquam ſecurus.

Præcingi, cujus habitus, & ſymbolum. — Cingulũ, extremum ornamentum.

Eſt etiam aliquid operis ſtrenue aggrediendum,

Præcingi, ad aggrediẽdum opus.

dientis; qui ſi miniſter ſit, *linteo ſe præcingit*, ad miniſtrandum Ioan. 13. Luc. 12. & Luc. 17. ſin vero potens aliquis vir, *præcingit ſe*, & paludamẽtum reducit ad cingulum, quo magis expeditus ſit, ut obſervavit Theodoretus ſuper id Pſal. 64. *Accinctus potẽtia. Quoniam*, inquit, *cinctus ad conficiendum, quod vult, magis expeditus eſt; Zonam eleg ãti figura virtutem nuncupavit.*

Theodoret.

Eſt quoque ad prælium ſe comparantis, & ſumentis arma, gladium præſertim, quo accingebantur. Quæ cingendi ratio, in hunc locum convenit, cum ad ſingulare certamen non tã provocetur Iob, quã vocetur: ipſe enim potius provocaverat Deum. Quamvis vero Auguſtinus, Pſ. 92. ex quo deſumpſit Gloſſa, videatur conſtituere diſcrimen inter *præcingi*, quod videtur eſſe miniſtraturi: *accingi*, quod eſt præliaturi; *cingi*, quod eſt quidpiã operis facturi; *ſuccingi*, quod eſt iter agreſſuri; at certe hoc diſcrimen potius ex circumſtãtiis, & ſubjecta materia eliciendũ eſt, quã ex ipſa voce originali, quæ non uno tantum modo verti ſolet ab Interprete.

Præcingi, ad bellum.

Auguſt. Gloſſa.

Accingi, præcingi, ſuccingi, quo differant.

Sed tamen cum verbum *cingendi* cum *lumbis* jungitur, minime exiſtimãdum eſt redundare per pleonaſmum, ſed potius indicare partem infirmam, quæ in milite muniẽda, & roboranda eſt armis. Atque hoc ipſum indicatur nomine *viri*, quod ſtrenuitatem, & fortitudinẽ hoc loco affert, *Accinge, ſicut vir*. Solet videlicet eſſe muliebris cinctus pulcher, & pretioſus, Iſai. 3. 24. & Ierem. 1. 32. qualis ab Homero deſcribitur Veneris illud cingulum;

Lumbi pars infirma cingulo confirmanda.

Cinctus muliebris ſpecioſus.

Varĩũ, ibi vero ei mulcimenta omnia erant.
Ibi inerat quidem amor, ineratque cupiditas, inerantque nugæ
Blandæ, quæ quidem fefellerunt mentẽ valde quamvis prudentium.

At cinctus viri, fortis, militaris, terrificus: quare antiquitas cingulũ cõſecravit Marti, ut & Homerus indicat. 2. Iliad. Ergo, inquit Deus, Cõſiſte intrepidus, o Iob, ſi forte par ſis ictibus mearũ interrogationum ſuſtinendis, aut propulſandis; nolo te (ſic enim tu poſtulaſti) accingere lumbos ſacco, quod ſupplicis eſt, & veniam errati poſcẽtis ex miſericordia, ſed accingi fortitudine, & robore, quod jure, & ratione decertantis eſt: nam jure, & ratione tecum depugnaturus ſum. Quoniã vero in provocatione, & ſingulari certamine, provocatus arma eligit, & deſignat, Deus autem videtur a Iobo provocatus; ideo præcipit Iobum *accingi*, quoniam quidẽ ſimilibus ſe armis munit ad hunc cõgreſſum Deus, Scriptum eſt enim, *Et erit juſtitia cingulum lumborũ ejus, & fides cinctoriũ renum ejus.* nam Deus juſtitia, & verbi ſui fideliſsima ſtabilitate, & cõſtantia adverſus hoſtes ſuos dimicat. Neque ſolum in bello his armis dimicat; ſed in ſuo tribunali ex hac æquitatis formula judicat. ea enim eſt firmitas, & ſtabilimentũ ſubſelliorum Divinorũ; *Iuſtitia, & judicium correctio ſedis ejus*. Hieronymus ex Hebræo, *Firmamentum Solii ejus*. igitur inquit, Qui tantum juſtitię tribuis, qui tantũ juri tuo fidis, accinge lumbos tuos nõ aliis armis repugnaturus, quam æquitate.

Cingulus Marti ſacrum.

Provocati ad ſingulare certamen eſt arma deſignare.

Iſai. 11. 5.

Pſal. 76. 2.

3 *Interrogabo te, & reſponde mihi*. Nõ erat cujuſvis pro libito primus ictus, aut primus jactus haſtæ in ſingulari certamine: ſed ſorte primæ vices contingebãt alteri cõcertatori. Quod eleganter ſervatũ eſt ab Hom. in certam. Hectoris, & Paridis,

Sorte primus ictus tribui tur in ſingulari certamine.

Sortes in galea ex ære facta movebant, cum cœpiſſent,
Vter jã primus mitteret ferratã haſtam.

Hom. Iliad. 3.

At cum Iobus viſus ſit optionem dediſſe Deo, c. 13. 22. *Voca me, & ego reſpõdebo tibi: aut certe loquar, & tu reſponde mihi*, opportune Deus primas interrogandi vices aſſumit; quippe jam Iobus a declamando, & querendo abſtinuerat.

4 Quod vero hic dicitur, *Reſponde mihi*, idem omnino eſt, quod inferius dicitur, c. 40. verſ. 3. *Indica mihi*. aut *fac ſcire me*. Et mirum, quod Algarbienſis Epiſcopus hęc non referat ad id, quod ſequitur, *Interrogabo (inquit) ut me rationibus, quibus tua cauſa nititur, erudias*. Sed ſenſus planus, Ad interrogata reſponde. quod ſicut & partem pręcedentẽ, Cajetanus exiſtimat, dictum per contemptum, & irriſionẽ ſciẽtię Iobi, quaſi velit Deus ſpeciem quandã arrogantiæ, & cõfidentiæ Iob cõprimere provocantis ad Divinum tribunal, & ſat bene pro ſe corã Deo dicturi profitẽtis. Sunt vero quædam interrogationes, quæ nõ fiunt, ut ſciatur veritas ab interrogante, ſed ut extorqueatur a reſpõdente, vel certe prodatur ignorantia reſpondentis: cujuſmodi eſſe ſolent magiſtrorũ interrogationes. At vero Græci exiſtimant hæc nõ tam dici ad Iob cõprimendum, & dejiciendum, quã ad erigendum, & confirmandum, *Quoniã* (Chryſoſtomus inquit) *ægritudine proſtratus Iobus jacebat, verbis hominem excitat, ut ad ea quæ dicuntur, animũ attendat*. Olympiodorus vero, *Accingere, vir eſto, animi mærorẽ abjice. Ex tuæ ſatisfacio poſtulationi*. Hoc Græcorum paulo blãdius, & indulgentius, illud Cajetani, ſeverius, & amarulentius. Temperandus igitur ex utroque germanus explicatus.

Oſorius.

Cajetan.

Interrogationes nõ ex ignorantia, ſed ex ſcientia factæ.

Chryſoſt.

Olympiodor.

IIII. Ubi eras, quando ponebam fundamenta terræ? Indica mihi, si habes intelligentiam.

1. Nexus difficilis, 7 res nectendi rationes verosimiles.
2. Eligitur exponendi ratio amplissima.
3. Ex aliorum Providentia, confirmatur circa res humanas. Mundi ordo, & concentus optimus.
4. Cum hominis origine juncta ignorantia, & ignobilitas.
5. Sapientia Divina commendatio ex Aeternitate. Salomonis de Sapientia locus diligenter elucidatur. Cur dicatur sapientia Fundata.
6. Ignobilitas ex terrena origine, Arcadum antiquitas. Athenienses cur dicti Terrigenæ.
7. Fundamenta terræ quæ dicantur. Mundus instar domus suis partibus distincta. Deus sedēs super terrā, *quid. Illustrati Moyses, David, Isai,*

I MIrabilium naturæ operum, & constitutionem quorsum nunc proponat Deus Iobo, nō tam appetenti neque tentanti suis expostulationibus, & querimoniis res hujusmodi, mirabiles licet, quā Divinæ Providentiæ, & Sapientiæ, reconditas rationes? Certe non una via nectendi hanc materiam cum Iobi proposito, & opportunitate. Prima D. Tho. & aliquorum Latinorum, quam videtur quoq; Olympiodorus sequi, ut a minori ostendat Iobo, non posse ab illo comprehendi rationem Divinorum operum, Providentiæ, atque Sapientiæ, qui comprehendere non possit rationes rerum sensibilium. Probabilis quidem exponendi modus, sed paulo languidior.

Nexus difficilis.

Prima nectendi ratio.

D. Thom.

Olympiod.

Cajetan.

Eugubinus.

Secūdus proximus est Gregorii explicatus, ut ex rerum mundialium cōsideratione, vel potius ignoratione, se ipsum despiciat, & nulla in re sibi blādiatur, *Beatus*, inquit, *Iob post interrogationem verberis discutitur interrogatione sermonis; ut quæ sunt superna consideret; quædam minime cōprehendit, ad semet ipsum redeat, & quam sit juxta nihil in supernorum comparatione cognoscat*. videtur hoc paulo coactius, & olere tropologiam.

Secundus nexus.

Gregorius.

Tertia Philippi, ut ex Providentia totius mundi, & singularum ej⁹ partium, æquissima, & sapientissima administratione, a majori ad minus, colligat erga unū hominem & Providentissimū, & justissimum esse Creatorē, Tu igitur, o Iob (verba Philippi) *Qui me circa unum homunculū injuste arguis operari, ubi eras, cum ego mundum, quem ex nihilo feceram, gubernarem? & cum omnem creaturā gubernatione justitiæ regerem, in te eram injustitiæ aliquid acturus?* Hæc interpretandi ratio paulo acrior, ac nisi pungeret Iobū, nō omnino rejiciēda.

Tertia interpretādi ratio.

Philipp.

Quarta Chrysostomi, e converso, ut a minori ad majus ostēdat erga Iobi res, & in universum erga cunctos mortales Providentiam indulgentissimam, & solertissimam, cum res alias, quæ propter hominē creatæ sunt, tanta Providentia, & Sapientia administret Creator Deus. *Hujusmodi* (inquit Chrysostomus) *quandam argumentationem ducit; Si propter te mundus tanta fruitur Providentia, quanto magis ipse?* Hæc Chrysostomi interpretandi ratio benignior, & indulgentior est.

Quarta ratio a minori ad majus.

Chrysost.

Ego certe, quod in Divini sermonis fecunditatem convenire necesse est, ex his 2
omnibus unicā hujus capitis intentionē, & nectēdi rationem conficiam, cum unū alteri nō repugnet, imo unius cum altero contemperatio mirifice conveniat cū Iobi animo mille affectuum, & cogitationū varietate agitato, quibus nunc severitate nunc lenitate, nunc Divinorum attributorum explicatione occurrendum fuit, inter quæ sane illud non ultimum voluisse videtur Deus hac suorum operū illustri enarratione, ut ægerrimum illius animū, & variis cogitationibus curisque molestissimis, atque acutissimis doloribus perturbatum, admiratione simul, & voluptate, quæ ex Divinorum operum enarratione percipi poterat, tāquillaret, & demulceret; Iam ergo ad sententiam.

Amplior, & fecundior exponendi ratio eligitur.

Vbi eras, quādo ponebam fundamenta terræ? Ex primo mundialis machinæ funda- 3
mento orditur commodissime, Considerat Chrysostomus nō proferri a Deo totius mundi ornatum, & pulchritudinem, sed unius tantum elementi; ut opportunam inde argumentationem ad stabiliēdam suam Providentiam, ducat Deus apud hominem laborantem, *Non meminit* (inquit) *Sapientiæ, quæ vel in conformatione, vel in mundi eminet apparatu; verum ut aliquid amplius Iobo, a terra ac Cælo hujusmodi argumentationem ducit; Ego tua causa tā præstanti absolutaque ratione terræ fundamēta constitui; te autem, cujus causa illam sum fabricatus, contemnā?* Theologi sane Mūdi hujus partes per se singulas, & majores, & meliores, & ornatiores posse a Deo fieri per se singulas omnino censent; at universitatem rerum melius contemperatam, & omnium inter se nexum, & proportionem commodiorem fieri posse negāt, Ergo si illud, quod per se fieri a Deo potuit melius, & magnificentius, sui admiratione fixam rapit humanam mentē, quid ipsa consideratio Divinæ Potentiæ, & magnitudinis? quid ipse Creator,

Chrysostom.

Argumētatio a minori.

D. Thom. 1. p. q. 25. art. 6.

Mundus optimo modo, & ordine creat⁹.

 in tu-

in cujus altos sapientiæ sinus, ut Olympiodorus ait; *penetrare nemo potest?*

4 *Ubi eras?* Ex terra, quæ ipsam hominis ex terra formati originē, & formationem præcessit, docet, quā sit homo ignobilis, impotens, ignorans, & ad Divinum Creatoris consilium nihil omnino conducens. Cum enim nondum esset homo, at Deus mirabili potentia terrā effecit, singulari, & eximia arte fundavit, & stabilivit: non igitur indiget Creator humano consilio; tum etiā Divinorum arcanorū rationes priores, & majores sunt humana mente. Rursus inde perspicitur humanæ mētis ignorantia, quod coæterna non fuerit suo Creatori. Sicut e contrario ex eo cōmendatur Divina Sapientia circa rerum omniū creatarū Providentiā, & gubernationem, quod Patri Creatori adstiterit in Creatione universitatis hujus. Nā impiissimo Arrio postulanti de filio, *Ubi erat?*

5 Respondet ipsa; *Cū eo eram cuncta componens.* atque suā æternam originē magnificentissime ipsamet describit, Prov. 8. *Dominus possedit me in initio viarū suarū.* (vel ut ex Heb. legitur, *Initiū viarū suarum*) Verbum enim, & sapiētia Patris est *initiū* est omniū Divinarū operationū; internarū quidē, quoniā Generatio Verbi est prior origine Spiratione: externarum, quoniā *omnia per ipsam facta sunt, & in ipsa creata.* Rursus ipsa Sapiētia *est initiū viarum Dei*, ante ipsas vias; cum *nemo possit venire ad Patrē, nisi* Sapientia *traxerit:* & per ipsam Sapiētiam Divina bonitas ad res creatas descenderit *initiū viarum suarū* ad opera sua. Quare ipsa est *Principium viarū Dei*, de quo etiā *Principio* dictum est, *In Principio creavit Deus Cælum, & terrā*) *Antequam quidquam faceret a principio.* (nō enim ipsa facta est, *sed primogenita ante omnē creaturam.*) *Ab æterno ordinata sum* (Propr. ex Hebræo, *Principatum habui.* electa, constituta in Reginam, & vexilliferam tuorum, operum; *a sæculo coronata sum;* Hic videlicet inter Sapiētiā, & creaturas ordo, qui inter res diversorum omnino ordinū esse potest, inter Deū, & creaturas. Septuag. *Ante sæculum fundavit me*; q.d. Mea subsistentia æterna est, sicut, & ipse Deus. Tū etiam quoniā licet terra videatur fundamentū totius mundialis machinæ, at certe non sunt in terra *condita universa*; sed *in Sapientia*, propterea *Deus illā fundavit*, id est, Illa est rerum omnium Basis, & fundamentum, in *quo cōdita sunt universa.*) Et *ex antiquis* (Septuag. *In principio*) *antequā terra fieret.* a terra vero incipit enumeratione aliarum creaturarū. Huc profecto spectat id Sapient. 9. 9. cū Divinæ Sapiētiæ parem cū Deo æternitatē, inde etiam omnium supremam cognitionē attribuit Salomon, loquens de suo illo tēplo; *Quod præparasti ab initio, & tecum Sapientia tua, quæ novit opera tua, quæ & adfuit tunc, cū orbem terrarum faceres, & sciebat quid esset placitum oculis tuis, & quid directum in præceptis tuis.* Quare Ioannes Divini, & æterni Verbi, & sapientiæ assertor, illam prædicat *enarratricē* Divinorum operum, ut quę apud Deū fuerit, *& in sinu Patris*, quippe homo in tempore conditus, & ultimus Divinorū operū, & corporū creatorum, vix tempora ipsa supputare, vix rerū sensibilium, & terræ, quam calcat, rationem comprehendere potest. Ignobilitas vero humana coram suo conditore, & indignitas incredibilis, si obmurmuret, si repugnet; *Væ qui contra dicit fictori suo, testa de Samiis terræ. Nunquid dicet lutum figulo suo, Quid facis?* q.d. indignissimum est hominem ex terra, & luto formatum repugnare suo conditori. Et illud, *Testa de Samiis terræ*, tantundem valet quantū, Vas testaceum, ex ipsa terra effictum; q. d. homo formatus ex terra, quæ item formata ab eodem Creatore fuit, cū non dū erat homo. Quare ex hac ipsa ratione luteæ originis, & cōditionis supplices se Deo prebent. qui incredibilibus suppliciis afficiūtur ab ipso Creatore, Isai. 4. 6. 8. *Et nunc, Domine, Pater* (Creator) *noster es tu, nos vero lutum: & fictor noster tu: & opera manuū tuarum omnes nos.*

6 Cum vero hanc nobilitatem terra antiquior habere homo non possit, certe non est cur de magna aliqua suæ nobilitatis origine glorietur. Fuere quidē Arcades, quos *Proselenes*, quasi Anteluoares appellabant, quod suā originem referrēt ad tēporis initium, cū nondum Luna esset, cujus rei meminit Plutarchus in qq. Rom. 76. aliiq; plures numero Scriptores. Sed licet hanc antiquitatem mentirentur, at mentiri nō poterant exstitisse ante terrā; hoc tantū certe gloriabantur, quod primi omniū hominum ex terra geniti fuissent. Quare idē Plutarchus, q. 92. scribit *Usum coronæ querneæ* fluxisse ex *Arcadum prisca cōsuetudine, quibus aliqua est cum quercu cognatio. Primi enim hominū e terra nati credūtur, sicut quercus inter stirpes prima.* Atq; adeo Atheniēses etiā nobilitatis antiquissimę ergo appellati *Terrigenæ*, quod nō [illegible] aliis prioribus hominibꝰ oriundos, sed ex ipsa terra ortos dicerēt, ut Cice. de Orat. testatur, *De quorum*, inquit, *vobis possessione propter pulchritudinem etiā inter Deos cer*

tamen

Hominis impotentia, & ignorātia ex terrena origine.

Aeternitatis, simulque Sapientiæ commendatio.

Sapientia assistēs Patri creāti.

Salomonis de Sapiētia locus illustratus.

Sapientia Divina quo modo initiū viarum Dei.

Eccles. 24.

LXX. Quare dicatur Sapientia æterna, fundamentum.

LXX.

Sapiētiæ æternitas probat, illā esse infinitam.

Isai. 45. 6.

Cōmemoratio Luteæ originis ad sustinētiā, & humilitatem.

Ignobilitas ex terrena origine

Arcadum antiquitas.

Plutarch.

Congerit plura de hoc Tiraquel. de Nobil. c. 19. n. 28. 29. & super Alexād. lib. 5. c. 18. Delrius parte ultim. Cōment. in Hippolytum. Act 2.

Corona quernea.

Athenienses cur appellati Terrigenæ.

Cicero.

Strabo lib 8. Herodot. lib. 7.

tamē fuiſſe proditum eſt, quæ vetuſtate ea eſt, ut ipſa ex ſe ſe ſuos cives genuiſſe dicatur, ut corū eadem terra parēs, altrix, patria dicatur. Quam rē luculēter perſequitur Plato in Menexeno, ſive de Attica Antiquitate; namque propter ſapientię laudem, fingebant *eo tēpore, quo tellus omnia animalia omnigena producebat, feras, & armenta, terram dumtaxat illam adhuc ſterilem, agreſtibusq́ animātibus vacuam; proprie vero ex omnibus animantibus hominem genuiſſe, qui cæteris intelligentia præſtat, ſolusque jus, ac Deos colit.* Quare Auſonius in Catalogo urbiū nobilium, ſic de Athenis;

Plato in Menextro.

Auſonius.

Nunc & Terrigenis patribus memoremus Athenas,
Pallados. . . . . . .

Sed hoc verū eſſet (quod fabula eſt, quod in primo homine ex terra formato, & in cæteris de terra oriundis quodam modo verum eſt) ubi Athenienſes, ubi ſapientiſsimi hominum, ubi ipſe Adam erat, *Quādo ponebat Deus fundamenta terræ?* Tandē hāc antiquitatis rationem, ad ſapientiam pertinere, indicat plane locus ille, c. 15. 7. *Nunquid tu primus homo formatus es, & ante colles formatus? Nunquid conſiliū Dei audiſti? & inferior te erit ejus ſapientia?* Qui locus adeundus eſt ad hujus uberiorē explicatum.

Fundamenta terræ, quid.

Quando ponebam fundamenta terræ. Duplici ratione accipi poteſt, aut intranſitive, quod vocant, id eſt; Quando terrā ſtabilem, firmā, fixam creabam, ſicut ſcriptū eſt, *Fundaſti terrā ſuper ſtabilitatē ſuā.* Quia enim fundamētum ſtabile, & firmum eſt, ideo ipſa terræ firmitas, & ſtabilitas, *fundamentum* illius dicitur; & ipſa terra cum creata eſt, dicitur, *fundata*, Pſ. 101. 26. *Initio tu Domine terram fundaſti.* ubi perelegāter Theodoretus; *Tu donaſti terræ illud, quod eſt.* quia ſicut *Cælum* dicitur habere *columnas ſuas*, id eſt, firmitatem, & ſtabilitatem, ut ſuperius diximus, cap. 26. 11. ita etiā terra dicitur habere *ſuas columnas*, id eſt, ſuam ſtabilitatē & conſiſtentiam, ſuperius, c. 9. verſ. 6. de quo ibi diſſeruimus. Terræ igitur ipſa creatio, *fundamentū* eſt rei immobilis. Quare omnino qui illā perpetuo motu cieri dixerunt, hāc terrę fundationē everterunt; Vel poteſt ſumi trāſitive, ita ut terra dicatur fundamentū totius machinę mundialis, ſuper quo præjacto videtur ſuperſtructus orbis univerſus; eſt enim mundus hic, velut ampliſsima domus, cujus tectum ſit Cælū; impluvia ſubdialia, aer iſte, at vero fundamentum domus, terra ipſa. ita ut Deus ſe potentiſsimam præbeat tum in cacumine iſtius magnifici palatii, id eſt, in Cælo; tū in ſolidiſsimo fundamēto, id eſt, in terra, ſicut Scriptum eſt, *Dominus ipſe eſt Deus in Cæl. ſurſum, & in Terra deorſum.* Quare cum dicitur Deus Iſai. 40. 22. *Sedere ſuper girum terræ*, nō ſolum ſignificat *terræ*, atque terrigenis præſidere, ſed efficere, ut *terra ſedeat*, id eſt, firmiſsima ſubſidat, & permaneat immota: nam hujuſmodi humani modi tribuuntur Deo, cum illos efficit in creaturis.

Pſal. 103. 5.

Theodoret.

Secunda expoſitio fundamēntum terræ.

Mūdus inſtar domus ſuis partibus diſtinctus.

Deut. 4. 39.

Deus ſedens ſuper terram, quid deſignet.

Deo tribuuntur effectus, quos ipſe efficit in creaturis.

V. *Quis poſuit menſuras ejus, ſi noſti: vel quis tetendit ſuper eam lineam?*

1. *Terra cum fundamento analogia.*
2. Ponere, *de apta diſpoſitione. Explicatus Moyſes, & Agæus.*
3. Menſura *active, aut paſsive. Pertinet ad magnitudinem. Illuſtratus Ieremias & Moyſes.*
4. Linea, & perpendiculum, *apud Hebræos, & Latinos quid.* Lapis Cementariorum. Funiculus coccineus *Raab. Illuſtratus Zacharias.*
5. *Funiculus ad ædificandum, & ad deſtruendum. Deus in menſura deſtruens. Spei cum Perpendiculo analogia. Illuſtrati Iſaias, & Sapiens.*
6. *Apoſtolorum poteſtas. Illuſtris Pauli alluſio.*

1 Fundamenti cum terræ elemento analogia.

ILlā præjacti fundamēti in terræ Creatione tranſlationē ex arte Cementaria perſequitur, & exponit; primū enim area deligitur certę longitudinis, atque latitudinis, ad certam pedum menſuram; deinde vero linea ducta deſignantur fundamenta, jaciuntur poſtea, & tandē ad amuſim eriguntur parietes. Cum vero de *mēſura terræ* loquitur, non ſolū ſignificat ingentem molem terræ, ſed etiam certā illam, & definitā menſurā ad proportionē cum reliquis elemētis, & certam a Cælo diſtantiam, quæ tum ipſi terræ, tum cęteris mundi partibus cōgruentiſsima eſſet.

2 שום Verbum ponēdi, aptā diſpoſitionē affert.

Quis poſuit, arte, cura, ratione diſpoſuit. referturq; ad eam partiū diſpoſitionē, quā exigit ędificium recte conſtructū, quod ex multis partibus recte inter ſe cōpoſitis conſtat. Vnde dicitur Agæi. 1. 2. *Ante quā ponatur lapis ſuper lapidē.* Exod. 4. 11. *Quis fabricatus eſt* (poſuit, diſpoſuit) *ſurdū, & mutum?* id eſt, Quis hominis aures, & linguā certo loco, forma, rationeq; diſpoſuit, quæ cum reliquis partibus, atq; cū toto corpore pulchre conveniret? indicatur ergo terræ partes, montes, valles, camporum planities, ſpecus, partes alias eminentiores mari, alias depreſsiores, univerſas denique ad lineam, quā vocāt, directionis, atque ad centrum gravitatis, mirabili fuiſſe artificio diſpoſitas.

Partes terræ ad lineam directionis factæ.

3 מדה מדד Menſura activè, aut paſsivè.

Menſuras ejus. Vox originalis *menſuræ* funiculum etiã menſorium ſignificare ſolet, quod nos vocamus, *medida.* conſonãte etiam ipſa voce Hebraica *Mida*, a radice *madad*, quæ ſignificat menſurare, atque ſumitur pro mẽſura activa, quo aliquod menſuramus: vel pro ipſa re menſurata propter magnitudinem, diciturque de ædificiis ampliſsimis, Ierem. 22.14. *Aedificabo mihi domum latam.* Septuaginta, *Domũ commenſuratã.* quam Theodoretus interpretatur, *Habentem proportionẽ longitudinis, latitudinis, & profunditatis*, id eſt, menſuras ſibi ipſis reſpõdẽtes. Sed Vulgatus ipſam proprietatẽ Hebraiſmi aſſequutus eſt; proprie enim legitur, *domũ menſurarũ.* magnarum, videlicet, atque ampliſsimarum, quales Regiam decent. & Nu. 13.33. *Populus proceræ ſtaturæ eſt*; in Hebræo, *Homines menſurarum.* quos nos ad amplificationẽ dicimus, *Deſmedidos, y deſmeſurados*, id eſt, ſupra omnem menſuram. Ergo indicatur Terræ magnitudo, atque latitudo mirabilis, quæ inferius traditur explicatius, verſi. 10.8. & quam Eccleſiaſticus negat ab homine dimenſam eſſe, Eccleſi. 1.2. *Altitudinem Cæli, & latitudinem terræ, & profundum abyſsi quis dimenſus eſt?*

LXX. *Theodoret.* — Domus menſurarũ, quid. — *Pagnin. Regia.* — Terræ magnitudo.

4 *Quis tetendit*, extendit, & diduxit. Septuaginta, *Quis induxit. Lineam*, Aquila, *Canonem*: Symmachus, *Funiculũ menſuræ*; Septuaginta ſimpliciter, *Funiculum.* & eſt quidem ſtructorius funiculus Cemẽtariorum, quo ad lineam, & filum erigunt muros, & dicitur *Perpendiculũ*, Zachar. 1.15. & abſolute, *Menſura*, Iſai. 28.17. & 34.11. Ierem. 31.39. *Funiculus* autẽ Threnorum 2.8. Ezech. 40.3. Ioſue. 2.18. ut videatur fuiſſe ille *funis coccineus* appenſus in feneſtra *Raab*, ſimilis funiculi Cementarii. Et opportune quidẽ, cum iſte *Funiculus* ſervire ſoleat ædificando, aut deſtruẽdo, poſitus fuerit pro ſigno, ne deſtrueretur domus Raab. Neque vero hujuſmodi *funiculus*, aut *perpendiculum* eſt, quo plumbo a filo, & Gnomone pendente rectitudo, ſeu obliquitas operis perpẽditur, & examinatur. quod nos vocamus, *Nivel*; ſed quod extendunt Latomi in longitudinẽ muri utrinque affixum, ut plane, & æquabiliter laterum lineæ jaciantur: *filum* illi vocant; Hebræi, *Kav*; Vitruvius autẽ lib. 7. *Regulam*, & *lineam*; Cicero, *Normam*, & *regulam*. Quare Architectãdi magiſtri præcipiunt *longitudines ad regulam, & lineam, altitudines ad perpendiculum, angulos ad normam reſpondẽtes exigi.* Illud vero alterum inſtrumentũ plumbo a filo pendẽte, quod Latinus *perpendiculum* appellat Hebræus vocat *Eben*, id eſt, lapidem, vel pondus; ſolet enim cõſtare lapide, ferro, aut ſtanno; de quo Zachariæ, 4.9. *Manus Zorobabel fundarũt domum iſtam, & manus ejus perficient eam: & lætabuntur, & videbunt lapidem ſtanneum in manu Zorobabel.*

LXX. *Aquila. Symmach.* LXX. Mẽſura, aut perpendiculũ cementariorum. — Funiculus coccineus Raab, qualis. — Perpendiculũ apud Hebræos & Latinos, quid. — *Vitruvius.* קיה קו *Cicer. lib. 2. Academ.* — אבן

5 Illud autem primum inſtrumẽtũ, quod dicitur *linea*, extenditur, aut diducitur: hoc autem, quod eſt *perpendiculum*, aut *lapis*, dicitur appendi, & demitti. Rurſus *linea*, vel *regula* duos uſus habere poteſt; primum *ad ædificandũ*, ut ex loco Zachariæ conſtat, ſecundum ad *deſtruendũ*, Iſai. 34.11. *Extendetur ſuper eã menſura*, (quod hic dicitur *linea*) *ut redigatur in nihilum: & perpendiculum*, (*Eben*, lapis, ponduſculũ,) *in deſolationem.* Ideo autẽ eſt *Funiculus* ad deſtruendum, tum etiam, & *Perpendiculum* ad deſſolandum, quoniã cum perpẽdiculo examinetur obliquitas, vel rectitudo, quod invenit ædificator in ædificio, & Deus in Eccleſia ſua obliquũ, deſtruit, & ad rectitudinem conatur adducere: tũ etiam quoniam Deus non deſtruit temere, & ſine menſura, & regula, ſed ut alibi dixit Iſaias, *In menſura contra menſurã*; id eſt, applicando ſæpe regulam, & funiculum, ne plus deſtruat, & puniat, quã expedit: & ſicut ædificia ordine, & paulatim eriguntur, ita Deus ordine, & paulatim deſtruit. Sapientiæ, 12.2. dicitur, *Eos, qui exerrant, partibus*, id eſt, paulatim *corripere, & partibus judicare, dans locum pœnitentiæ.* quod Iſai. 18.2. dicitur. *Ite Angeli veloces ad gẽtem expectantem, & cõculcatã.* Pro *expectantem*, legitur ex Hebræo, *Ad gentem Lineæ lineæ*: aut, *Mẽſuræ mẽſuræ.* id eſt ad gentem, quæ conculcatur, & deſtruitur a Deo lineatim, ad lineam, ad regulam, id eſt, paulatim deſtruitur, cum modo, & ordine: nam *Kav*, eſt linea, quæ ſicut ſpes intendit, & applicat ſe alicui rei, ita applicatur parieti, & expectat, ut paries erigatur ut illi poſsit commenſurari. Horum autẽ duorum funiculorũ meminit Scriptura, 2. Reg. 8.2. *Percuſſit David Moab, & menſus eſt eos funiculo, coæquans terræ* (ecce *funiculum ad deſtruẽdum*. quãquã eſt ab alia radice *Hbabal*) *menſus eſt autem duos funiculos, unum ad occidendũ, & unum ad vivificandum.* id eſt, non temere deſtruxit, nec temere reſervavit captivos; ſed per partes, lineatim, cum regula, & linea. Quo profecto videtur Paulus reſpexiſſe 2. Corinth. 10. dicens; *Si amplius gloriatus fuero de poteſtate noſtra, quã dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in deſtructionem veſtram, non erubeſcam.* (videtur enim ſignificare duplicis poteſtates funiculũ, quam

Perpendiculi duplex uſus. — Deus ad rectitudinẽ adducens obliquitatem. — Deus in mẽſura deſtruẽs. *Iſai. 27. 8.* — *Sap. 12. 11. 10.* — *Regia.* — Spei, & perpẽdiculi analogia. — חבל — 6 Pulchra alluſio.

illi

illi Deus contulerat in univerſum mundum) *nos autem non in immenſum gloriabimur* (id eſt, non glorior in ea ampliſsima poteſtate *ædificandi, & deſtruendi*) *ſed ſecundum menſuram regulæ, qua menſus eſt nobis Deus menſurã pertingendi uſque ad vos.* q.d. Ad vos tantum nunc lineam, & menſurã Apoſtolicæ poteſtatis extendo; quam tamen poſſem in univerſum mundũ extendere. Alludit fortaſsis ad id Pſal. 18.5. *In omnem terram exivit ſonus eorũ.* quod proprie ab hac ipſa radice legitur; *In omnem terrã exivit linea, vel regula eorũ.* quod ſicuti de Cælis intelligi poteſt, quorum linea, ut Chaldeus ait, id eſt, *effectus extenſi ſunt in omnem terram;* ita de Apoſtolis eleganter accipietur, qui poteſtatis lineam ſuper univerſum mũdum extẽdere poterant, *ad ſolvendum, & ligandũ, ad ædificandum, & deſtruendum, ad evellendum, & plãtandum.* Ergo, ut ad *terrã* revertamur, hęc *lineæ extenſio* ſuper terram, non ſolum eſt illius creatio, & cõſtitutio, Potentia Divina, sed omnimoda ſubjectio Divinæ Poteſtati *ad ædificandum, & deſtruendum.*

Poteſtas Apoſtolorum.

Kaldaus.

Divinæ Poteſtatis regula.

VI. *Super quo baſes illius ſolidatæ ſunt: aut quis demiſit lapidem angularem ejus?*

1. *Amplificatio ſtabilitatis. Terræ columnæ.*
2. *Soliditas communis baſi, & fundamento. Annulus unde dictus.*
3. Demittere *quid. Initium dicendorum* de Lapide Angulari.

PErgit illam terræ firmitatẽ fundamẽtalem explicare, & amplificare. Sicut autem diximus *terræ fundamenta* ſumi intranſitive, & ſignificare ipſam terrę firmitatẽ; ita nũc *Baſis* terræ, eſt ipſa terræ firmitas, ſicut enim columnæ firmæ, & immotæ conſiſtunt baſibus ſuis innixæ; ita ſane terra ſtat immota, non alio fundamento, non alia Baſi, quam ſua gravitate ſubnixa. Simili tranſlatione dicitur terra habere *columnas*, ſuperius Iob. 9.6. Quarę quod Septuaginta dixerunt Pſal. 103.5. *Firmaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuã;* Hieronymus ex Hebræo vertit, *Super baſim ſuam.* Et Aquila, & Symmachus, referente Theodoreto, *Super ſedem ejus.*

1 Amplificatio ſtabilitatis terræ.

Terræ columnæ.

Hieronym. Aquila. Symmach. Theodoret.

Quod autem dicitur *Solidatæ ſunt*, ſapienter fecit Interpres, ut aliquid cõmune *Baſi*, & *Fundamento* ſignificaret, nam fundamẽtum tum per ſe ſolidatur, & cõpingitur, tum non prius jacitur, quam ſolum inveniatur æquabile, & bene compactum, ſuper quo ſterni, & ſolidari poſsit: id quod etiã *baſis* omnino requirit. In Hebræo, autẽ verbum eſt, quod potius fundamento, quàm baſi convenit: nã proprie legitur, *Immerſæ*, vel *ſubmerſæ* ſunt, vel *infixæ*, quia autem quod ſubmergitur, vel infigitur, ſolidari videtur, ideo dixit Interpres *ſolidari*. Fundamentum autẽ immergitur, baſis autẽ potius emergit. Sed utrumque commune habet, quod ſolidũ, & infixum eſt. Septuaginta vero legerũt; *Super quo circuli ejus infixi ſunt.* lectionis ratio hæc; quod ex hac eadem radice *demergendi*, aut *infigẽdi*, dicitur annulus, vel circulus, cui immergitur, vel infigitur digitus, aut vectis. ergo nomen juxta exigẽtiam verbi accõmodarunt. Olympiodorus ſic explicat hos circulos; *De fixi palis fulcra enim, ac firmamenta ipſa circulos nuncupavit.* Chryſoſtomus vero: *Ita fixa, ſtabiliſque manet; ut ſi impoſitis, infixiſque ea circulis geſtaretur.*

2 Soliditas cõmunis baſi, & fundamẽto.

טבע

Ratio lectionis Græcæ.

Annulus unde dictus.

Olympiodor.

Chryſoſt.

Aut quis demiſit, jecit, conjecit, dejecit, *lapidem angularem ejus?* Ex verbo jaciendi, aut demittendi, tũ ex ipſo nomine *lapidis*, atque ex re ſubjecta, pertinet hæc ſententia ad rationem fundamẽti, & ſtabilitatis terræ: quippe in fundamẽtis ſterni ſolẽt lapides magni, quadrati, qui *Angulares* nunc appellantur. Quia autem *Lapis Angularis* connectit in uno angulo duos parietes; certe nõ ſolum per *Lapidẽ angularẽ*, & fundamentalem terræ, ipſam terræ firmitatem, & ſtabilitatem intelligimus, ſed ut argute D. Thom. dixit; ipſum terræ centrum, in quod imaginamur omnes circumferentiæ lineas coire, tanquã in angulum, qui diverſas partes connectit: & cum centrum ſit pũctum quoddam, commode dicetur habere rationem anguli; quod in puncto conſiſtit.

3 Demittere, quid.

Quæ conveniãt lapidi angulari.

D. Thom.

AD Lapidem Angularem & illius munera, DIGRESSIO

4. *Tractatio de* Lapide Angulari *controverſa, & cõtentioſa*
5. *Prima* Lapidis Angularis *notio ex angulis.*
6. *Primus hujus lapidis uſus in fundamento.* Firmiſsimus angulus *apud Nehemiam. Illuſtratus Iſaias.*
7. *Duplex ratio lapidis fundamẽtalis.* Angularis *qui foras prominet. Cur dicatur a Petro* ſummus, pretioſus.
8. Angulus, *Princeps. Turres fortiſsimæ in angulis murorum.*
9. *Alterũ munus* Lapidis Angularis *jungendi duos parietes.*

10. Objectiones adversariorum, contra prædictum munus.
11. Responsio, & elucidatio Pauli. Confirmatio ex consensu Patrum contra temere negantes.
12. *An* Lapis Angularis *locũ habere possit in fastigio ædificii. Quid* Caput Anguli *apud David.*
13. Lapis offensionis, *quid apud Petrum, Idẽ qui* Angularis. *Illustratus Zacharias.*

SEd quia Lapis Angularis celebris est in Scriptura, tũ etiam nexio illa *duorũ parietum in uno Angulari lapide*, cõtroversa, & audio multa hinc inde a multis sive ex veritatis studio, sive ex cõtentione jactari, syncere nunc, licet paucis, dicam de Lapide Angulari: interim dũ prædoctã illam patris Hieronymi de prado tractationem ad Apparatũ templi Ierosolymitani in suis in Ezechielem commentariis, nõ habemus. Sic fiet, ut intelligamus quorsum terræ firmitas, & naturalis illius gravitas comparetur a Deo cũ *Angulari Lapide.*

Hieronymi Pradi tractatio de Lapide Angulari.

5

Lapis Angularis, quibus angulis constat.

Lapis quidem *Angularis* tũ ex Latina, tum ex Hebræa proprietate, est lapis angulis politus, & sectus, q.d. quadrangulum, vel habentem angulum, vel angulos rectos, quos appellamus, *Sillares quadrados, y sacados a esquadra*. ut in simili materia, & forma describuntur Isai. 44. 13. *Artifex extendit normam, formavit illud in runcina: fecit illud in angularibus, & in circino, &c.* De quo non magis dubitandum, quã de significatione simplici, & germana anguli. nisi forte denominatione externa dicatur *Lapis angularis*, nõ qui ipse angulos habeat, sed qui ad ædificii angulos, in quibus maxima ædificii firmitas posita est, muniendos adhibetur, ut statim dicemus. Sed quia propria ratio *Lapidis Angularis*, tum illius usus, & proprietates colligendę sunt ex Scriptura, & ex illis potissimum locis, quibus Christus Dominus dicitur esse *Lapis Angularis*, ideo ad illos breviter digrediendum.

6

Multiplex usus lapidis Angularis.

Habet vero lapides Angulares nõ unũ tãtum usum, sed multos. in quo bona hujus lapidis intelligentiæ pars posita est. Existimarunt sane nonnulli *Lapidẽ Angularem* usum tãtum in ædificiorum fundamẽtis habere, uno aut altero loco in universum persuasi. Et quidẽ primo certum est *Lapidem angularẽ* in fundamento sterni; id quod vel ex hoc nostro loco facile suaderi potest, ubi sermo est de *fundamẽto terræ*. Isai. 28. 16. *Mittam* (quod hic dicitur, *demittere*) *in fundamentis Sion lapidẽ probatum, angularem, pretiosum, in fundamẽto fundatum.* quæ forte *fundamenti* repetitio significat infimam fundamẽti partem aut potissimã. Huic, ut pote substrato in fundamento, monet Petrus. 1. c. 2. *Ut tanquam lapides vivi superædificemini*. Paulus item ad Ephes. 2. *Superædificati supra fundamentum Apostolorũ, & Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Iesu.* Et quoniam in fundamentis sternebantur lapides quadrati firmissimi, quicumque ingẽs lapis aptus fundamento, & sustinendo ædificio, quamvis angulos ipse nõ habeat, *lapidis angularis* appellationẽ habere poterit. Atq; adeo existimavit Christianus Adrichom in sua Ierosolyma. nu. 154. ad *Durissimum quoddam saxum in fundamento Montis Siõ* alludi, cum Christus se *Lapidẽ Angularẽ* nominat. atq; de hoc ipso mentionem fieri, Nehem. 3. 20. sub nomine *firmissimi anguli*. Quare cum negatur Babylon iterum ædificanda dicitur Ierem. 51. 26. *Et non tollent de te lapidem in angulis, & lapidem in fundamenta, sed perdita in æternum eris.*

Primus usus Lapidis Angularis in fundamento.

Lapidis Angularis appellatio etiam de eo, qui nõ habeat angulos.

Adrichom.

Sed quidẽ *Lapis Angularis* in fundamẽto duplici ratione considerari potest, aut qui in quavis parte fundamẽti substernitur, & hic dicetur Angularis, si quadratus sit, & ad regulam angularem excisus, & politus: cujusmodi significari videtur lapides illi pretiosi, qui in fundamentis novæ Ierusalem dicuntur sterni Apocal. 21. cum enim *duodecim fundamenta* numerẽtur, & a singulis mũdi partibus portę tres cum tribus fundamentis, & tribus generibus lapidum pretiosissimorũ, oportuit illos lapides fundamentales optima, & fortissima figura politos, & *Angulares* repræsentari. Sic enim & melius inter se jungi, & coalescere poterũt in unico fundamẽto. Aut quidem dicatur *Angularis*, quod ad angulum ędificii constitutus illã partem muniat, & confirmet. Utrumque vero genus lapidis fundamẽtalis videtur significari a Ieremia loco nuper adducto. *Non tollent de te lapidem in angulis*; (videlicet qui in singulari parte ędificii constitui solet) *& lapidem in fundamenta*, qui in reliqua fundamenti parte sternitur. ut significet non amplius prodituros Babylone Regem aut Imperatorem, qui *angulũ*, id est, imperii locum primariũ teneat, neque qui fundamẽto serviat, id est, dominatum aliquem obtineat. Et de hoc quidem genere *Lapidis angularis*, intelligitur qui dicitur *Lapis primarius*, Zachar. 4. 7. *Educet Lapidem primariũ*. quod nihil aliud videtur esse, quam fore, ut Christus publice manifestaretur, & quasi foras produceretur, instar *Lapidis primarii*, qui educitur, & producitur in angulo ædificii: *Sale a*

7

Duplex ratio Lapidis Angularis in fundamento.

Lapides pretiosi in fundamento Ierusalem, Angulares.

Lapis in angulo fundamenti.

Lapis Angularis, qui foras educitur, & angulum confirmat.

fuera, y haze eſquina. quare dicitur eo loco in Hebręo, *Educet lapidem capitis*, quod ille lapis ſoleat produci extra ordinem aliorum lapidum, & inſtar capitis prominere; aut quod emineat in ſupremo loco, ut ſtatim dicemus. Unde factũ eſt, ut Petrus dixerit *Chriſtum lapidem ſummum, angularem*. ac ſi diceret *primarium*, quod alii ſumũt pro lapide ſummi faſtigii; alii pro lapide infimi fundamenti accipiunt, quod loco adducto apud Iſaiam, dicitur *lapis anguli* ſimpliciter, & ſic etiam Paulus Epheſ. 2. 20. appellat *Summum Angularẽ lapidem*. qui ideo videtur dici ab Iſaia *Lapis pretioſus*; id eſt, optimus, & optimo loco collocatus.

Cur Lapis Angularis dicatur pretioſus, & ſummus.

8 Ad hãc ſane *Lapidis Angularis*, id eſt, cõſtituti in angulo ędificii tranſlationẽ pertinet, quod Principes, & optimates dicuntur *Anguli*, 1. Reg. 14. 38. *Applica huc univerſos angulos populi*, & Iudic. 20. 2. Iſai. 20. 11. *Deceperunt Aegyptum angulum populorum ejus*. Soph. 3. 6. Zachar. 10. 3. cum enim, ut Hieronym. ait ſuper Iſai. 20. *Angulus in tota domo fortiſsimu ſit, angulũ pro regno ponunt Scripturæ, eo quod populos contineat*. Et quamvis aliquando turres fortiſsimæ murorum in angulis ſint, at hæc *angularũ* metaphora nõ eſt ſumpta a turribus, ſed potius e converſo turres ſignificãtur nomine *anguli*, ab angulis domus, quæ ſunt velut oſſa ædificiorũ; rurſus hęc firmitas angulorum domus transfertur, vel poti⁹ ſemper reſpõdet *lapidibus Angularibus* fundamentalibus, fortiſsimis: ſemper enim a fundamẽtis uſque ad ſummũ faſtigium grandiores, & meliores lapides in angulis ponuntur. Vide, quæ de angulis diximus, cap. 1. verſ. 6. nu. 24. ſuper id, *Et concuſsit quatuor angulos domus, &c.*

Angulus, id eſt, Lapis Angularis pro Principe.

Hieronym.

Turres fortiſſimæ in angulis.

Angulis conſtantes fortiſſimis lapidib⁹

9 Præter hanc autem fundandi, aut confirmandi, & ſtruendi angulum munus, rurſus *Angularis lapis* ubicumq; ſit, licet maxime in fundamento, cõnectit duos parietes, quare dicitur eſſe nexus, pax, concordia, fortitudo illorum. Et quamvis hujus rei probationem minime neceſſarium ſit petere ex Paulo, at conandum ex illo elicere, ut bene de viris doctis, & de multorum patrũ interpretatione, pro virili noſtra mereamur. Sic ergo ait Paulus Epheſ. 2. 14. *Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum; & medium parietem materiæ ſolvens, &c. ut duos condat in ſemet ipſo*.

Alterũ munus nectendi duos parietes.

An poſſit ex Paulo elici munus jũgẽdi duos parietes.

10 Ecce (inquiũt, qui objiciunt, & nituntur deſtruere) non agit Paulus de ædificando, & erigendo duplici pariete ſuper unico Angulari lapide, ſed *de deſtruẽdo medio pariete*, qui dividebat duos populos, ut palatium quoddam ampliſsimum remanere poſsit, quod ſine anguſtiis Eccleſiã ex duobus populis capere poſsit. Præterea nulla domus apte ſignificatur conſtare ex duobus parietibus tãtum, quare neque ſignificabitur Eccleſia ex eo, quod unicus *lapis Angularis* connectat duos parietes.

Objectio adverſariorum.

11 Reſpondeo, Manifeſte agere Paulum primum de *diruẽdo medio pariete maceriæ*, quo dividebantur duo populi: deinde de ædificanda Eccleſia in unico *lapide Angulari* Chriſto, *qui facit utraque unum*, & cujus intervẽtu ad novam ædificii rationẽ, oportuit deſtrui maceriam. nam ſi *deſtructa maceria*, remanebat unum integrum, & amplum palatium ex utroque populo, jam ſupponitur fundatum illud palatiũ. at Paulus profecto de ipſa Eccleſiæ fundatione, & inſtitutione loquitur. Sic inferius Paulus ex dictis infert, nu. 19. 20. 21. *Ergo jam nõ eſtis hoſpites, ſed ſuperædificati ſuper fundamento, & Angulari lapide*. Res profecto tantum indigens oculis ad vidẽdum, & legendum. Neque vero id, quod in objectione dicebatur, agere Paulũ de diruendo aliquo ædificio, verum omnino eſt; nam, ut argute obſervat Ambroſius, *Maceria* non erat firmus aliquis, & perpetuus alicujus ædificii paries, ſed res *ad breve tempus in agro erecta*: at Eccleſia firmũ, conſtans, perpetuum ædificium, ſuper firmo Angulari lapide erectum, ad conjungendum duos parietes hujus novi ædificii. itaque non Palatium ex ſola deſtructione maceriæ, ſed veluti area plana relinquebatur, in qua ſuum lapidem angularem collocaret Deus, & *duos parietes cõnecteret*, & ſuperædificaret: non quod duo tantum parietes aptum ędificium cõponere poſsint, ſed indefinite loquitur, ubicumque nexus duorum parietum, ibi Chriſtus eſt Lapis Angularis: & quoniam ejuſdem rationis eſt quilibet angulus ex angulis quatuor, quibus domus continetur, Chriſtus autẽ unicus eſt, tantũ oportuit dici in ſingulari, *Lapis Angularis*, cujus cum virtus, & firmitas infinita ſit, & univerſam Eccleſiã contineat, unicus ipſe ſatis eſt ad ędificandam domum, & arcem fortiſsimam, & omnibus ſuis angulis & partibus abſolutiſsimam, ita ut ubicũque diverſi parietes concurrant, ipſe ſit *Lapis Angularis*. Et vero hunc *Lapidis Angularis* uſum conjungendi duos parietes, confirmat fere omnium Patrum, & Eccleſiaſticorum Doctorum conſenſus, ubicũque mẽtio ſit *Lapidis Angularis*, ut mirum ſit a cordato aliquo Doctore negari. Docent eo Pauli loco diſertis verbis Chryſoſtom.

Elucidatio Pauli de Lapide Angulari.

Ambroſ.

Maceria, quid

An repræſentetur Eccleſia ædificata ex duobus tantũ parietibus.

Temeritas negantium Lapidis Angularis officium jungẽdi duos parietes.

Chryſoſt.

Hieronym. Ambroſ. Theodoret. Anſelm. Sedulius.

ſoſtomus, Hieronymus, Ambroſius, Theodoretus, Anſelmus, Sedulius, & vere dico, univerſus chorus expoſitorum Pauli, nemo negat, nemo nõ dicit. mendacii me convincat, qui unam tantum auctorẽ cõtra me proferat. Rurſus aſſerunt iidẽ ſuper Pſ. 117. Hieronym. *In caput*, interpretatur, *connectens duos parietes*; q. d. *Initium utriuſque*. cito nunc teſtes iterum univerſos Interpretes. inter alios elegãter Baſil. *Non enim quivis Lapis Angulo eſt accommodus, ſed probatiſsimus, & qui utroque latere parietem connectat*. Gregor. Nyſſenus exponens hunc locum de perfecta Chriſtiani forma; *Duplici*, inquit, *Angularique fabricæ quadrat: neque enim niſi duo concurrãt parietes, Angulus fieri poteſt*. Vniverſi itidẽ Interpretes ſup. Iſai. 28. 16. ubi elegãter Cyrillus. *Angularem, ut qui per fidem unam duos populos conjungit. Semper enim in Angulis ædificiorum duo cõcurrunt muri, & contigui in unum coagmentantur*. Hieronymus ibi cenſet, ideo bis dici *Lapidem, Lapidẽ*, quia duos populos copulavit. Tãdẽ univerſi Interpretes, 1. Petri. 2. Qui permixtim his omnibus locis utuntur: tum etiam ex illo Matthæi. 21. 42. qui de ſumptus eſt ex Iſaia, & Davide. Sed aliis peculiaribus locis Origen. Tract. in Matth. 19. Auguſt. Pſ. 88. 94. 99. 11. & in c. 1. Ioã. Tract. 7. & ſerm. 18. 40. de verbis Domini, & ſerm. 13. de Epiphan. Fulgent. ſerm. 3. de Epiphan. Cyprian. lib. 2. Teſti. ad Quir. c. 15. Nyſſ. de forma perfecti Chriſtiani. Eundem Lapidis Angularis uſum probat ipſum originale nomen, *Penneth*, quod a *Panah*, id eſt, a reſpiciendo videtur dictum: eo quod Angulus promineat, & proſpiciendũ ſe præbeat. vel quia ipſe Angul⁹ ad duas partes proſpectũ habeat, videlicet ad duos parietes, quos connectit.

Baſilius. Nyſſenus. Cyrillus. Hieronym. Origen. Auguſt. Epiphan. Cyprian. Nyſſenus.

Notio, & etymologia anguli. פנת פנה

12 An Lapis Angularis poſsit in ſupremo loco eſſe.

Tertio, ſicut *Lapis Angularis* poteſt, habere uſum in quacumque parte Anguli erecti a fundamento uſque ad faſtigium, etiam poteſt eſſe in ſuprema parte totius ædificii, aut in loco ſublimi, & prominente. Sic a Petro, Iſaia, Paulo dictum eſſe *Summum, Angularem Lapidem, Chriſtũ* exiſtimant Anſelmus ſuper Paulum, Sedulius, Chryſoſtom. *Summus Angularis Lapis, & parietes continet, & fundamenta: nunc ſuperne totum corpus continet, nunc inferne ſtructuram ſuſtinet*. Nyſſenus item de perfecti Chriſtiani forma, exiſtimat ideo dici Chriſtum *Caput Anguli, quod non ſolũ ſit principium, ſed finis ſpiritualis ædificii*. Quã vis enim cum ſpiritualis Ieruſalẽ *deſcẽdat de Cælo*, oporteat, quaſi inverſam deſcendere, ita ut illius fundamentum ſummum ſit, & celſiſsimum, proptereaque idem ſit *Lapis Angularis in fundamento fundatus*, & idem *ſummus*, atque ſupremus: at quidẽ nõ ſolum hac ratione, ſed etiam ex utraque parte Chriſtus continet totum ædificium, ita ut non ſit eadem metaphora eſſe *Angularem*, & eſſe *ſummum*. & manifeſte videtur indicari a Paulo dicente, *In quo* (tanquam in fundamento) *omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum Sanctum in Domino* (iterum in Deo creſcit, & perficitur, tãquam in ſupremo, & honoratiſſimo Lapide totius ædificii. & Pſ. 117. 7. *Lapis, quem reprobaverunt ædificãtes, factus eſt in caput Anguli*. videtur enim ſumi metaphora a cementariis, poſtquam jecerũt ædificii fundamenta, ac nuſquam alicujus Lapidis commodam ſedem repererunt, reputantes omnino inutilem, poſtea tamen Dei Providentia factum eſſe, ut in optimo, & honorificentiſsimo loco reponeretur. quem utique, ut pote ad finẽ ædificii, ſublimem eſſe oportuit. Atque viri docti, & ingenio arguti ſuſpicantur, *Caput Anguli* vocari ſummum Angulũ frontiſpicii, locum videlicet quidem eminentem, & honoratiſsimum: & forte rẽ ipſam hiſtorice contigiſſe in conſtructione frõtiſpicii portæ Orientalis templi Salomonis. Quorũ ego argutam ſuſpicionem nõ præripiam, ſed illorum inventum illis ipſis confirmandum, & ornandum, & publice edendum permittam, non ingrate a viris doctis ſuſcipiendum. Quamvis hic locus leniter, & commode explicari poſſit tum de Davide, quem Aulici Saul reprobabant, & exulare cogebant, ita ut in nulla illum Regni Iſraelitici parte conſiſtere paterentur; at poſtea non ſolũ particula illius ędificii, ſed *Primarius Lapis, & Angularis, probatiſsimus*, in optimo, & honorificẽtiſsimo loco cõſtitutus ſit a Deo, in prima videlicet Regni ſede. Tum de Chriſto Domino, quem reprobabant Sacerdotes, & Phariſæi; qui *cõſtitutus eſt Rex a Deo ſuper Sion Montem Sanctum ejus*.

Quid ſit caput Anguli. Caput anguli. Locus Pſalmi 117. de Davide, & Chriſto. Pſal. 2. 6.

13 An Lapis Angularis ex propria ratione poſsit eſſe Lapis offenſionis.

Tandem illud tribui videtur *Angulari Lapidi*, ut ejuſmodi ſit, *ut poſsit eſſe Lapis offenſionis*. 1. Pet. 2. 78. *Lapis, quem reprobaverunt ædificãtes, factus eſt Lapis offenſionis, & petra ſcandali*: quod ſumptũ ex Matth. 21. 44. Luc. 20. 17. idem Rom. 9. 32. 33. & alluſum ad Iſai. 8. 14. Habet autem dubitationẽ, an hoc dicatur perſiſtendo in eadem metaphora *Lapidis Angularis*, an vero inſtituatur nova tranſlatio? Nam quidam viri docti exiſtimant, ideo dici Lapidem illum, *qui factus eſt in caput Anguli*, fuiſ-

Ioan. Maldon.

fuisse Lapidem offensionis, quia *Angulares Lapides* extra ædificium extare solent. quare qui minus cauti sunt, dum prætereunt, ad Angulum offendunt. Cum quo facere potest id, quod ex Zacharia nuper afferrebamus, *Educet Lapidem Primariū*, quod Lapides primarii, Angulares soleāt produci, & extare extra ordinem aliorū.

Zachar. 4. 5.

Dubitationis responsio.

Ego vero existimo, cū dicitur *Lapis offensionis*, nō teneri idem filum allegoriæ *Lapidis Angularis*; sed tantum servata communi ratione Lapidis, asserit nūc esse fundamentum, *nunc cadere de monte abscissum sine manibus, & conterere statuam*, eos vero qui hostili impetu in illum Lapidē incurrerint, *confringendos*, sicut qui vehemēter in Lapidem impingit. Ergo ex dictis cōstat, quid *Lapis Angularis* sit in usu Sacri sermonis, quem usum habeat in ædificio, quæ item allegoriæ ratio, cū de Creatione terræ dictum est, *Quis demisit Lapidem Angularem ejus*, & quam subtiliter dictū a D. Thom. fuerit, *Lapidem Angularē* esse ipsum terræ cētrum, in quo omnes lineæ ductæ a circumferentia uniuntur, in quo Lapidis Angularis, si non omnis, at non ultima proprietas, & usus positus est.

Dan. 2. 34.

Lapis Angularis, terræ centrum.

Lapidem Angularem ejus, &c.

14. *Iterum comparata terra cum Lapide fundamētali.*
15. *Terra similis Lapidis conjungentis duos parietes. Centrum simile Anguli, quē lineæ efficiunt.*
16. *Quæstiuncula propositio de terræ firmitate. Olim valde controversa.*
17. *Dubitationis responsio. Interrogationes istæ aut ignorantes pungunt, aut sapiētes excitant*

14 Ergo, ut ad rem nostrā redeamus, duplex est ratio, cur ipsa terræ stabilitas comparetur cum *Lapide Angulari*: prima propter cōmunem illam rationē fundamenti; Sicut enim *Lapis Angularis* est primus, fortissimus, maxime immotus in toto ædificio, & qui idem permanet quātūvis aliæ partes mutētur, & vel destruātur, vel denuo instaurentur: ita sane terra est totius mundi pars prima, infima, immota, & reliquorum elementorum fundamētum, supra quam mille fiunt quotidie aeris, aquæ, rerum aliarum generabiliū, & corruptibilium destructiones, & constructiones: *Terra autē in æternū stat*, sustinetque immota quotidianas, atque perpetuas mixtorum commotiones.

Iterum cōparatur terra cū Lapide fundamentali.

Ecclef. 1. 4.

15 Secundo, comparatur cum *Lapide Angulari*, ut argute, & subtiliter D. Thomas indicavit, propter illam alteram rationē, & usum conjungendi duos parietes; si enim per *Lapidem Angularem terræ* intelligamus ipsum terræ centrum, in quo, & circa quod maxima terræ firmitas, & immobilitas cōsistit, & perspicitur, certe nihil similius *Lapidis Angularis*, nam præter quam quod sicut Angulus ita est acutus, ut in puncto desinat, habet præterea proprium, ut Angulus idem sit, in quo lineæ se intersecant, simulque conjungūtur, parique ratione Cētrū terræ fingimus esse acutissimū aliquid, videlicet punctum, in quo simul desinunt, & conjunguntur quæcumque duæ lineæ ductæ a circumferentia mundi ad centrum terræ: quare Centrum est Lapis Angularis, aut Angulus reliquarum mundi partium.

Terra similis Lapidi cōjungētis duos parietes.

Centrum cōparatum cum Angulo, autcū Lapide Angulari.

16 Sed illud ultimū in hac terræ consideratione quæstionem habet, cur ad cōprimendam humanæ mentis arrogantiā proponat Deus hanc de *Terræ fundatione*, & gravitate quæstionem, quæ proculdubio non est omnino negata humanæ intelligentiæ, & cognitioni? Nam Philosophi rē hanc ex ipsa natura gravitatis clare docent provenire, conatibus omnibus partibus, & contendentibus ad eundem gravitatis locum. Basilius in Catena sic scribit; *Hinc discimus terræ fundamenta esse hominum naturæ ignorata*. & statim addit *externorum Philosophorum opinionē, quæ ex centro, & æquali distātia a Cælo ejusmodi terræ æquilibrium statuere conatur*. Qui profecto Basilii locus sumptus est ex ipsius Basilii commentariis in c. 13. Isai. super id vers. 13. *Movebitur terra de loco suo*, ubi Philophorum sententiæ de loco terræ, & illi[9] stabilitate videtur objicere, Semel motam a Deo amittere suum fundamentū, Quod tamen ipse nunquam concedit, *Si tanta*, inquit, *firmitate nititur, & constabilita est, prorsus mota semel a fundamentis, ab ipso, quo nunc nititur, transmovebitur, fundamento*, Quare frequēter sancti Patres nullam aliam hujus rei causam Physicam assignant, quam Divinam voluntatem, atque potentiam, ut Nazianzenus sua Orat. 34. *Quo pacto, inquit, terra firma, & immota cōsistit? Quid nam pro vehiculo habet? cujus rei adminiculo fulcitur? quidque rursus futurā illam sustinet? neque enim rationi quidquam, cui innitatur, occurrit, si Divinam voluntatem exceperis.*

Dubitationis propositio.

Basil. de terra Centro & naturali loco.

Patres referētes firmitatē terræ in Divinā voluntatē.

17 Ergo dicendum hac in re, sicut alia pleraque, Iobi quidem tempore nō fuisse res hujusmodi certo apud sapiētes stabilitas, & fixas. Quare ejusmodi res naturales

Terræ stabilitatis causa olim valde cōtroversa.

posterioribus etiam sæculis plenæ fuerũt cõtroversiis, & dissensionib⁹ Philophorũ; atque de Terræ immobilitate septẽ maximorũ sapientũ dissidentes sententias numerat Aristot. 2. de Cælo. plures itẽ recẽset Seneca lib. 6. Naturalium quæstionũ. Et quid hodie quoque tãfirmum in Philosophia, etiã hæc terræ firmitas, quod in dubio non posuerit sapiens aliquis nõ ignobilis? Secundo responderi potest, res hujusmodi ita proponi a Deo, ut non solum ignorantiæ nos convincat, sed si forte illarum rationes teneamus, admiratione Divinorum operum homines excitet: præsertim cum potẽtiam illam Dei creatricẽ, producentẽm res ex nihilo; tũ præterea peculiares fines suæ Sapientiæ, & Providentiæ comprehendere nunquam possimus.

Aristotel. *Seneca.*

Interrogationes a Deo factæ ignorantes pungunt; scientes excitant in admirationem.

VII. *Cum me laudarent simul astra matutina, & jubilarent omnes Filii Dei.*

1. *Duplex nectendi, & exponẽdi ratio. Divinæ Sapientiæ deliciæ ex rerum Creatione.*
2. *Proponitur Quæstio, quid sint* Astra Matutina. *Prior sententia esse Angelos, probatur quatuor rationibus.*
3. *Secunda sententia simplicior.*
4. *Responsio ad objectiones partis oppositæ.*
5. *Astra pro stellis, Pro Planetis.* Astra matutina, *quæ. Deus matutinus provisor creaturarum. Illustratus David.*
6. Iubilare *quid proprie. Stellæ concentum efficientes.*

1 Prima nectendi, & exponendi ratio.

DVplex hujus sententiæ cõstructio cũ superiori. Prima, ut referatur hæc *Laus, & jubilus Filiorũ Dei*, ad terræ Creationem; Tunc, inquam, cum jaciebam terræ fundamenta, propter tam præclarũ tamq; magnificum opus, me laudabant astra matutina, &c. Sic indicãt Gregorius Philipp. exponit Frãciscus Georg. in Harmonia mũdi Cãt. 1. tono. 8. c. 1. Videlicet ut cum Deus incredibili Sapiẽtiæ, atque suavissimo concentu, & Harmonia mundi, ac terræ fundamenta constitueret, simul etiam Angeli, ipsaque Cælestia corpora suas laudes, vocesque gratulatorias adjungerent, præ admiratione Creatoris. Neque mirum, cum post terræ Creationem statim subjungatur, ingens Divinæ Sapientiæ voluptas, quasi ex aspectu rerum creatarum, cũ Symmetria, & proportione; *Quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens: & delectabar per singulos dies, ludẽs coram eo, &c.* id est, delicians atque ridens cum eo. Hic nexus non est improbabilis; forte etiam a nobis amplectẽdus, ut statim dicemus.

Philipp. Gregorius. Frãciscus Georgius.

Sap. 8. 30.

Secunda construĕdi, & exponĕdi ratio.

Secunda constructio, ut nunc etiã subaudiatur, *Vbi eras, cũ me laudarẽt astra &c.* Vt illã ignorantiæ, & ignobilitatis rationẽ, quæ ex humana origine petitur, amplius urgeat Deus. Et quidem una nõ repugnat alteri, sed potius mutuo se juvat, & confirmant.

2 Astra Matutina esse Angelos, prior interpretatio. *Gregorius. Philipp. Beda. Nicolaus. Iunilius.*

Iterum dubitatio, Quæ sint hæc *Astra matutina*? Nam quidam existimãt esse ipsos *Filios Dei*, vel, Angelos, & per expositionem adjungi. hoc tribuit Latinis Isidorus: & certe Gregor. Philippus, Nicolaus, Dionys. hoc sequuntur; idem ex Philippo describunt Beda, & commentaria Hieronymi. Idem videtur sequi Iunilius initio Genesis. Quæ exponendi ratio confirmari potest primo ex eo, quod Astra simul cum Angelis nominentur. Deinde, quod Angelus apostata videtur nominari apud Isaiam, *Stella matutina*, nimirum *Lucifer, qui mane oriebatur*, & qui aliorum Astrorum matutinorum, decidentium de Cælo agmen ducebat, tanquam apostatarum dux. Tertio quoniam cum Stellæ nõ nisi quarto die creatæ videantur, at hujusmodi *laudatio*, & *jubilatio* sit statim consequuta post Creationẽ terræ, & opus primi diei; non videtur intelligi posse de ipsis cælestibus luminibus, quæ simul cũ Sole, & Luna creata sunt, quarto die. Prætermitto, quod *laudatio*, & *jubilus* multo melius intelligatur, cum tribuitur Angelis, & creaturis intelligentibus, quam cum rebus inanimatis.

3 Secunda sententia simpliciter intelligens ipsa Astra eligitur.

Sed multo verius videtur, sic exigente ipsa propria, & simplici vocis significatione, ut de ipsis *Astris*, & Stellis pars hæc accipiatur: atque sicut initio Genesis proponuntur duo extrema, videlicet, *Cælũ, & Terra*; ita hic proponantur eadem ipsa extrema, inverso tamen ordine, videlicet Terra, & Cælum: ibi, quod Cælum prius dignitate, & natura sit, quã terra; hic vero prior terra, quod ea in ratione ædificii prior sit reliqua machina mundiali. Tum etiam, quoniam cum hæc enumeratio Divinorum operum fiat ad comprimendam humanæ mentis arrogãtiam, oportuit ut primum proponeretur terra, quam videmus, quam calcamus, ex qua sumus, ut cũ experiamur ea, quæ ante oculos sunt, nobis esse ignorata, reliqua deinde, præsertim cælestia, multo esse nobis ignotiora colligat. deinde singulatim ad alia elemẽta, & mixta descendet.

Terra, quatenus fundamẽtum, prior reliquis mundi partibus.

4 Responsio ad objectionis partis oppositæ.

Neque vero obstant rationes in oppo-

situm

Responsio ad objectiones partis oppositæ.

situ adductæ, quæ tantũ efficere possunt non esse omnino ineptam expositionẽ illam de Angelis. Illa vero, quæ quarto loco proposita est, solvitur; si vel hæc pars nõ cõstruatur cũ Creatione Terræ, ut superi⁹ indicam⁹; vel si illud intervallũ quartę diei, cũ creatę sunt Stellæ, a prima, cũ creata est terra, nõ cõsideretur; sed opus illud Creationis indiscriminatim accipiatur sine illo dierũ discrimine. nã statim subjiciũtur opera aliorũ dierũ. In universum igitur ait De⁹, Vbi eras in prima mũdi, & rerũ Creatione, atque distinctione?

5 Synedoche.

Nunquid vero *Astrorum* nomine, ipsa per se astra, an vero per Synedochem, orbes ipsos cælestes intelligi oportet? certe simplicissimus sensus est, ut de ipsis per se astris intelligamus, quæ sunt Cælorũ species, & ornat⁹. Vide quod diximus super id, c.26. n.13. *Spiritus ejus ornavit cælos.*

R. David & R. Aben Esra. Vatabl.

Astra. R. David Aben Esra, quem videtur sequi Vatablus, intelligit septem Planetas, qui per excellentiam, dicãtur *matutini*, vel, ut Hebraizãtes legũt, *Stellæ luminis*, id est, luminosi, quorum tum aspectus, tum discursus, & efficientiæ mirabiles sunt. Sed ex ipsa vocis proprietate, nomẽ est commune ad omnes Stellas semper lucentes, Psal. 146. 4. Psal. 147. 3. Genes. 15. 5. & cap. 37. 9. & super Iob. 25. 5. non enim magis relucet Creatoris potẽtia atque sapiẽtia in septem Planetis, quã in reliqua multitudine Stellarum, neque magis laudatur a Planetis, quã a reliquis luminibus; sicut Scriptum est; *Laudate cũ Sol, & Luna: laudate eum omnes Stellæ, & lumen.* neque in his ducibus reliquorum luminum, quã in reliqua militia cælesti magis mirabilẽ se Creator præstat. Dicũtur autem *Stellæ matutinæ*, ut Cajetanus vult, ut significaretur Stellarum atque Cęlorũ motus diurnus ab Oriente in Occidens. nam per *mane*, sive per *matutinum*, significatur per Synedochẽ dies integer, rursus per diẽ significatur motus diurnus, quare *Stellæ matutinæ* erunt Stellę circumlatę ab Oriẽte in Occidens. Sed hæc Cajetani Metalepsis nimis lõga, nimisque coacta est. D. Thom. *Matutina* dicit, quasi de novo creata; sicut apud nos *Astra matutina* sunt, quæ initio diei denuo post tenebras videntur. Ratio non omnino cohærens. Eugubinus, & qui eũ describere solet, quod astra maxime conspiciantur matutino tempore. Sed certe apud nostrates, credo apud alios quoque, nocte lucẽt atq; conspiciuntur Stellæ: mane dispellũtur, & fugantur, neque alia auroræ, & diluculi descriptio verior, quam;

ככב

Cajet.

Cur dicantur Stellæ Maturinæ. Synedoche.

D. Thom.

Eugubin. Ajtunica.

Aurora Stellę fugantur.

Seneca.

Iam rara micant Sydera prono
languida mundo, nox victa vagos
Contrahit ignes, luce renata
Cogit nitidum Phosphoros agmen.

Illud vero multo alienius, quod aliquis asserit, intelligi hic reliqua astra præter solem; cum eodem sane die creata extiterint. Illud facilius, ut *Astra matutina*, sint astra luminis, vel luminosa, quod mane dilucere incipiãt. inde *mane* pro lumine. Quamquam ex ipsa etiã originali voce videtur posse elici matutina quædam creaturarũ cura, & diligentia in suo Creatore laudando: nã *Bakar*, est proprie mane consurgere, vel manicare ad aliquid querẽdum, visitandũ, vel ad aliquid operis faciendum, unde Ps. 26. *Vt visitem templum ejus*, id est, ut mane consurgã ad visitãdum. Ezech. 34. 11. 12. *Visitabo eos, sicut visitat Pastor gregem suum.* videlicet summo mane, summa cura, atque diligentia. Nõ aliter dicuntur stellæ fuisse *matutinæ*, id est, statim ab initio suæ creationis, Cõditoris potentiam prædicasse, atque hac quasi cura in hanc lucem venisse, ut Conditori gratias agerent. Itaque illas quasi manicasse: ad deprimẽdam opinionẽ humanæ sanctitatis, & innocentiæ, cum nõ statim elucescat rationis lumẽ, & usus homini, sed post multos annos; quãvis enim in nostris animis lumẽ aliquod intelligẽtię signatũ sit; at illius usus statim matutinus esse nõ potest: & quãvis in primo illo dilucẽtis rationis crepusculo Conditorem quis agnoscat, at dicere cũ Augustino poterit, Tarde te agnovi, Pulchritudo antiqua. prius quippe aberravi ego, quã te laudarẽ. At stellæ mane ipsum suæ creationis in Divinis laudibus posuerunt.

Mane pro lumine.

בקר

Visitare quid proprie.

Stellas statim a sua creatione Deum laudasse.

Rationis usus

Augustinus in Confession.

6

Cum me laudarent, &c. Vox originalis significat lætiorem cantum cum jubilo, & acclamatione: quod sæpe vertitur ab Interprete Latino *exultare*, id est, exultãter, & cũ ovatione resonare: quare *exultatio* tribuitur linguæ Ps. 50. 16. & conjũgitur cum *jubilo*, Isai. 16. & cum *laude*, Isai. 25. 6. pertinet itaque ad laudem, & gratiarũ actionem persolvendam cum lætitia, & alacritate.

Laudare ad lętitiã & gratiarum actionẽ.

רנן

Sed cum hujusmodi *Astrorum*, & rerũ inanimatarũ *laudatio*, atque Divinæ Potẽtiæ prædicatio possit communi quadã ratione *Astris*, sicut cęteris rebus tribui, quæ dicuntur *Deo benedicere*, cũ homines illorũ conspectu permoventur, & excitãtur ad Divinas Laudes; at possunt *Astra*, & Cæli habere peculiarem rationẽ exultandi, clamandi, & *laudandi*; nam cũ ipse Cælorum, & Astrorum motus videatur

Quo modo astra, & inanimata Deũ laudent.

esse

Cæli,& Aſtra efficiẽtes harmoniã in Divinis laudib⁹.

eſſe exultatio quædam,atque alacritas,tũ etiam harmonia,& cõcentus propter cõſonantiã,& proportionem rerum,& motuum inter ſe inæqualium; inde profecto videtur Cæli,& aſtra potius loqui, & laudare Deum,quã res aliæ inanimatæ.vide infra verſ.37. Mirabilis igitur harmonia, & concẽtus ſtellarũ ex imparibus magnitudinibus, inęqualibus etiam intervallis, diſparibus facultatibus, & numeris luminis,& efficiẽtiæ, quaſi ex vocibus inæqualibus, ſed ad harmoniam cõpoſitis,ſimulque reſonantibus. Cũ quo facit, quod legimus, *cũ me laudarent ſimul* unico concẽtu,unico conſenſu. Accedit etiã,quod indicat Cajetanus,alluſioné fieri ad pervulgatã conſuetudiné Principum jaciẽtium primum arcis fundamentum cum ingenti lætitia,& acclamatione muſicorũ inſtrumentorũ: Non aliter ſane cum prima hujus mundi fundamenta jacta ſunt a Conditore. Atque gratias etiam præterea agũt,quod terra ſit opportunum fundamẽtum,circa quod reliqua elementa, Cæliq; ipſi perpetuo verſentur: propter quã fœcundandam,& perficiendam ipſi circumferuntur. In motu igitur circa terrã videtur perfici ſuperiorũ corporũ operatio.

Cajetan.

Primo fundamento jacto lætitia.

Et jubilarent omnes Filii Dei.

7. *Ex creatione aliarum rerum, non ſolum homo, ſed Angelus etiam excitatus ad Dei laudes.*
8. Filii Dei, *Aſtra, quæ familiariter verſantur in domo Dei.*
9. Filii Dei, *Angeli. Illuſtratur David.* Laudare, *quid proprie.*
10. *Plauſus, & jubilatio Angelorum propter Terræ, aut propter Stellarum creationem.*
11. *Quãdo Angeli Creati? Cur hoc loco, nõ etiã in Geneſi, videatur fieri mẽtio Creationis Angelorũ.*

7 POteſt hinc ſumi reſpõſio objectionis tacitæ. Si Aſtra,& res inanimatæ laudant Deũ,cum illorum aſpectu excitatur creatura rationalis ad Divinas laudes;nõ ſtatim a ſua creatione potuerunt *Aſtra laudare Deũ*, cum nõdum homo eſſet, qui Deum agnoſceret. At ſaltẽ erant Angeli, tunc ſimul creati,qui ex rebus ipſis Creatis Deum laudabant. Sicut autẽ quidã accipiebant *Aſtra matutina* pro Angelis;ita nunc a converſo quidam accipiunt filios Dei pro aſtris,& Stellis. Ita hoc loco Cajetan⁹: nõ improbabile cẽſet Eugubinus. neque vero id repugnat, quod ſydera dicantur *Dei Filii*; cũ enim ſuprema Creatoris Sapientia,atque virtus enixa videatur reliquas creaturas, pluviam,grandinem, mare;quid ni etiã dignetur appellare partus, filiosque ſuos fulgẽtiſsima iſta ſydera,quæ propter lucẽ, & candorem peculiari quadam ratione illius ſupremę lucis pulchritudinem repræſentant? Tum præterea,quoniã cum Cælorum atque aſtrorum lex,motus,natura conſtans,atq; perpetua ſit, atque nihil in illis auctor naturæ voluerit eſſe varium,& fortuitũ, videtur ſane cæleſtia iſta lumina Dei domus, domeſtici; non ſicut terreſtria mille defectibus,& mutationibus obnoxia,quę licet cõmunem,& ordinariam naturę legẽ non ſubterfugiant, at ſicut ſervi, ſunt extra illam peculiarem, & delicatam gubernationem,& æconomiam filiorum Dei.

Reſponſio objectionis tacitæ.

Cajetan. Eugubinus.

Sydera,& Stellæ videntur eſſe domeſtici,& familiares Dei; corruptibilia vero ſicut ſervi.

9 At Lenis ipſa vocũ ſignificatio neceſſario exigit, ut filii Dei intelligantur Angeli,conſentientibus Kaldæo, qui vertit, *Acies Angelorum.* & Septuag. legentibus, *Angeli mei.* Græcis itẽ atque Latinis expoſitoribus univerſis. De hac autem appellatione, *Filiorũ Dei*, diximus c.1.verſ.6. Et quidem cõmode; nam aliarum rerum creationi, præſertim Cæli, ſubjungitur Creatio Angelorum, qui in Cælo creati ſunt.ut Pſ.148.cum invitat David univerſas creaturas ad Divinas laudes, imprimis vero primas,& præcelſas, quæ in Cęlis habitant, *Angelos, Virtutes, Sydera, Stellas, Lumen, Cæleſtes aquas.* qui Davidis locus videtur cum hoc noſtro colludere;nã cum cœperint a ſua creatione *de Cælis, & in excelſis* Aſtra,& *Filii Dei* jubilare,& laudare Deũ, poſtulat ſuis votis Pſaltes, neceſſent a laudibus, & jubilo; ſed perſtent in Divinæ bonitatis, & potentiæ præconio; *Laudate Dominũ de Cælis, &c. Angeli, Virtutes, Stellæ, & Lumen, &c.* Vbi Symmachus, & Hieronymus ex Hebręo ſimiliter legunt; *Stellæ luminis*: ſicut etiam diximus, *Aſtra matutina* eſſe idem, quod Aſtra diluculi, *aut Stellæ luminis*, & fere eiſdem vocibus;nam quod hoc loco dicitur *jubilare*, dixit David *Laudare*; quod eſt vehemẽter clamare; aut vociferari præ lætitia; a radica *Halal*,quod eſt gloriationem, laudẽ, lætitiam,cũ jubilo, & ingenti voce attollere; ut homo extra ſe poſitus videatur. quare aliquando vertitur *inſanire*, quod inſani vociferentur: & inde componitur *Haleluia*, a *Halal*, & *Ia*, quod eſt Dei nomen;quaſi dicas, Laudate cum ingẽti jubilo,& acclamatione Deum. quam vocis proprietatẽ reſpicientes Septuaginta legerunt, *Laudaverunt me voce magna omnes Angeli mei.*

Filii Dei, Angeli. Kaldæus. LXX.

David concinens cũ Iob.

Symmach.

Laudare, quid proprie. הלל

Haleluia.

LXX.

10 Sed quoniam iſta *Angelorũ laudatio*,& vociferatio dupliciter quidem accipi poteſt,primo,cõmuni quadam ratione cum cæteris creaturis,quæ ſua pulchritudine,

Duplex exponendi ratio.

& præ-

& pręſtantia laudāt Creatorem,ſicut ars cōmendat ſuū artificē; tum etiā qua poſſunt ratione Creatori ſuo pro accepto naturæ beneficio gratias geſtiunt agere: Nā,ut dixit Theodor. *Qui creatus eſt laudat:Creator laudatur.& ingratus,qui Conditorē nō lauda!.* Secunda,ut cū creatione aliarū rerū cōjungatur hymnus Angelorū. Iterumq; hoc dupliciter; primo propter creationem terræ, ita ut primi Anguiaris Lapidis,& fundamēti totius mundi cōſtitutionē, id eſt, creationē terræ comitata fuerit lætitia,& acclamatio Aſtrorū,plauſusq; Angelorū extollentiū Divinā bonitatē non ſolū cōmunicantem ſe ſe ſupernis mētibus,luminibusq; cęleſtibus,ſed inferioribus etiā,terreſtribusq; corporibus. At vero ſecūdo Gręci cōjungere vidētur cū creatione Aſtrorū. Nā ſic legunt Septuag. *Quādo facta ſunt ſydera,laudaverunt me,&c.* Quare elegāter Chryſoſt. *Angeli ipſo aſpectu obſtupuerunt,cū multitudinē, pulchritudinē,diſpoſitionē,utilitatē, varietatem, ornatū ſplendorē,cōcentū,cæteraq; omnia,quæ multo illi,quā nos, melius vidēt,intuerentur.* Anaſtaſius vero Synaita lib.4.Hexamerō cenſet Angelos quarto die Deū laudaſſe propter creationē Aſtrorū;ſed nō propter illā tātum, ſed propter myſteriū Incarnationis, quod in illis repræſentabatur; *Hymnis,*inquit,*Deū celebrarunt. Quam ob rē? Quoniā facta ſunt aſtra. Nō certe propterea,ſed cū vidiſſent Solē e terra recurrentē in myſterio didicerūt Chriſti Incarnationē, & e terra aſſumptionē. & ideo cū vidiſſent eū ex ſancta Virgine,tanquā ex abyſſo exortum,ſtatim exclamarunt dicentes, Gloria in Excelſis Deo.* Sed hic auctor cenſet Aſtra, & Solē *prius in terra facta eſſe, deinde Cælo eſſe tradita.* quod ſi verum eſſet,minus incōmoda eſſet expoſitio. Sed falſum ſupponit, & omnino allegorica eſt,parumq; cohærēs.

Theodoret.

Angelorū lætitia, & plauſus in creatione terræ, & aſtrorum.

LXX.

Chryſoſt.

Anaſtaſius.

Angelos quarto die laudaſſe Deum propter myſterium Incarnationis repræſentatū in Sole.

II Iā hoc loco movet Chryſoſt.celebrē illā apud antiquiores Patres quæſtionē de tēpore creationis Angelorū, cujus planā reſponſionē exiſtimat hinc elici; *Hinc,*inquit, *planū eſt, primos ante mundū Angelos effectos.* Sed cū hæc cōtroverſia luculēter atq; ſapiēter diſputata fuerit a noſtris Doctoribus, Benedicto Pererio lib. 1.Cōm. in Gen.Ludovico Molin. 1.p.q.61.Greg. de Valēt.q.12.de Angel.Pūc.2.Gabriele Vaſquez. 1.p.Diſp.224.quod iterū recurret inferi⁹.c.40.v.14.Super id,*Ipſe eſt principiū viarū,&c.* Mei tātū muneris nūc eſſe exiſtimavi reſpōdere Chryſoſtomo.Quāvis naturę ordine ſupponi videatur Ange l⁹,ut qui Deū propter reliqua opera creata laudet; at non ideo oportere illū præceſsiſſe mūdi creationē,ſicut neq; præceſſerunt Aſtra creationē terræ. quæ tamen Deū quoq; laudant.Potius ego hinc colligā,neq; inefficaciter, ſimul cū mūdo corporeo creatos eſſe Angelos, quod illorū ſimul cū creatione aliarū rerum, mentio fiat:quę profecto ſuo Cōditori ſtatim omnes gratias agūt. Sic nullo diſcrimine Angeli cum cæteris creaturis invitantur ad Creatoris laudes; Pſ. 148. eo quod ſimul creata cuncta ab illo fuerint verbo,atque præcepto.Sic colligit Epiphan.to.2.lib.2 Hereſ. 65. exponēs id Pſ. 2. *Ex utero ante Luciferū,&c.Niſi una cū Cælo,& terra Angeli quoq; creati eſſent,nō utiq; dixiſſet ad Iob; Quādo genita fuerūt Sydera, laudaverunt me omnes Angeli;* & Aug.11.de civit.c.9. *Iam ergo erāt Angeli,quādo facta ſunt ſydera.* At cur hoc loco creationis Angelorū ratio habeatur,non itē in Geneſi, illi exponāt, qui Geneſim exponūt; Certe ſi vera illa ratio eſt,cur Moyſes nō meminerit Creationis Angelorū,quod Iudæis ad idololatriā propenſis, noluerit anſam præbere colendi honoribus Divinis eas præſtantiſsimas creaturas;apud Iobum tamen,& illius amicos viros ſapientiſsimos, nihil ea res habuit periculi, præſertim loquēte ipſo rerum omnium Conditore.

Chryſoſt.
Quando Angeli creati.

Benedict. Pererius.
Ludovicus Molina.
Gregorius de Valentia.
Gabriel Vazquez.

Reſpondetur Chryſoſtomo.

Angeli creati ſimul cum mūdo corporeo.

Epiphan.

Auguſt.

Cur hic, nō in Geneſi, facta mentio creationis Angelorum.

Chryſoſt.
Theodoret.

℣. VII. *Quis cōcluſit Oſtiis mare,quādo erūpebat,quaſi de vulva procedēs.*

1. *Sententia difficultas,& difficultatis ratio.*
2. *Prior interpretatio parum cohærēs. Maris vulva quæ. Duplex locus naturalis fætus.*
3. *Secunda expoſitio.Divinæ Bonitatis,& Sapiētiæ fœcunditas,ex qua proceſsit Mundus.*
4. *Mare non fuiſſe Terræ coævum,ſed de ipſa Terra creatum fuiſſe,quorundam ſententia.*
5. *Tres itē aliæ reſpondendi rationes minus ſolidæ.*
6. *Germana explicatio de* Cōgregatione aquarū in locū unū. Cōcludere *quid prop.Expl. terum.*
7. Oſtiā Maris,*quæ. Plura Maria. Tribulationū, & ſpei emergendi Symbolum.*
8. *Erūpere de re fluēte.Illuſtr.David,Ezech.Mich.*
9. *Alveus Maris inſtar alvi materna.*

SEntētia,ut videtur,nō valde difficilis; ſed ſane nō omnino facilis, nā quāvis
I manifeſtū ſit,agi de illo Divinę poteſtatis atq; bonitatis documento,quod præbuit mortalibus,cū vim Maris immenſam certis locis, regionibusq; definivit,& cōmoda relinqueretur animantibus habitatio; at quando hoc factum,aut quid illud eſt, *quando erumpebat,*aut,*quæ illa vulva,ex qua erupit,atq; proceſsit?* Nam *Mare* primo die ſimul cum Terra,& Cælo Creatū eſt, de cujus prima creatione nūc videtur agi;ut indicatur hac metaphora *vulvæ*, & par-

Difficultatis ratio.

turitionis, non ſolum cum natum, id eſt, creatũ eſt, ſed cũ appetebat naſci, & movebatur, quaſi ad exitũ, inſtar fętus maturi ad nativitatem. At vero Mare clauſum eſt Oſtiis, & circũſcriptũ terminis tertia die, poſt primã creationẽ nõ erupit, neq; proceſsit.

2 Hæc nectendi, & conciliandi utramque ſentẽtiæ partẽ difficultas: quæ an tollatur ab interpretibus, nũc videdũ.

Prima exponẽdi ratio. *Nicetas.* *Quæ dicatur Maris vulva, aut Mater.* *Dionyſ.* *Cajet.* *Duplex locus naturalis fœtus; duplex item Maris.*

Ergo varia *Vulvæ*, & parturitionis expoſitio. Græci, Nicetas videlicet dupliciter exponit; *Matrem ipſam, dicit Abyſſum aut certe Dei Potentiam, qua perfectum eſt, ut Mare exiſteret.* Videtur autem intelligere per *Abyſſum* id, quod poſtea Dionyſius indicavit, & Cajetanus explicuit, locũ illum naturalẽ aquæ ſuper univerſam terrã, in quo primũ Mare creatum, & quaſi cõceptione formatum eſt, quaſi intra vulvam. Nam ſicut duo ſunt loca naturalia fœtus; alter vulva ante nativitatẽ, in qua concipitur, & incrementa capit novẽ mẽſium ſpatio; alter communis hæc animãtium habitatio, in quẽ editur ex alvo materna: ita ſane, & *Mare* duo habuit naturalia loca; alterum, cum ambiebat terram univerſam; & tunc videbatur eſſe in vulva, id eſt, in priori loco ſuæ Creationis: alterum, quem obtinuit, cum confluxit univerſa aqua *in locum unum, ut appareret arida.* qui confluxus videtur fuiſſe eruptio quædã cum ingẽti impetu ex vulva, & loco prioris creationis.

Præcedẽtis expoſitionis refutatio.

Hæc ſane explicandi ratio ſubtilis, & arguta eſt: nõ enim libet, neque operę pretium eſt obtrectare. Sed tamen illud adhuc non dicitur cohęrenter, tunc eſſe Mare cõcluſum, quaſi in vulva, *quando erũpebat* in ſua prima Creatione. Nã in prima creatione omnia occupabat, & ſuper univerſam terrã ſpatiabatur. Adde, quod cũ in Hebræo ſit, *Quãdo exibat de vulva*, profecto nõ exibat Mare, cum *Congregabantur aquæ in locũ unũ*, ſed potius intrabat in carceres, quibus poſtea clauſum, & detentum eſt. Expoſitio igitur acuta; ſed dura, & coacta. præter quam quod illa etiã ſimilitudo Cajetani plena ſit diſsimilitudine, & diſparitate: nã cũ *vulva* afferat ingẽtes anguſtias, quibus continetur, & cõprimitur fœtus, antequam emittatur in liberam, & ſpatioſam lucem, valde incommode comparabitur prior ille, & ſpatioſiſsimus univerſæ terræ ambitus cum vulva materna; cum potius ille ſecundus, in quem aquæ cõgregatæ ſunt, longe fuerit anguſtiſsimus.

Diſsimilitudo fętus cum Mari.

3 D. Thom. quẽ ſequuntur Dionyſ. & Nicolaus, *Vulvã* intelligunt, occultũ Divinę Providentię, ſive *Divinæ Sapiẽtiæ fœcunditatẽ.* Titelmanus cũ Niceta, *Omnipotentiã*; ſive hæc ipſa omnia Divina attributa ſimul intelligas, in quibus tanquã in fęcundiſsima rerum omniũ poſsibilũ matrice, ſemina, & initia rerũ creandarũ cõcepta ſunt, ibique formam, & vitã habent. quod *enim factũ eſt, in ipſo vita erat*; tẽpore autẽ ab æterna Dei Sapientia, & Providentia, cõſtituto, quaſi maturũ jã conceptũ enixa eſt Divina Bonitas pulcherrimas rerũ ſpecies, *& antequã parturiret, peperit*; id eſt, ſine ullo parturiendi labore, aut dolore, ſed ſumma voluptate cõmunicavit ſe ſe creaturis, quæ parentẽ ipſum conditorẽ, quo ad fieri poſſet, referrent. Vt enim dixit Plato, *Bonus eſt; bonus nulla unquã invidia tangitur, omnia igitur, quantũ ſibi eſſe poterãt ſimilima, fieri voluit.* Video hãc quoq; interpretandi rationem elegantẽ eſſe, ſed ſtare adhuc difficultatem illã, Tũc, cũ primo *erupit Mare*, nõ fuiſſe *concluſum Oſtiis.*

Secunda expoſitio. *D. Thom.* *Dionyſ.* *Nicolaus.* *Titelman.* *Nicetas.* *Ioan. 1.* *Iſai. 66. 7.* *Plato in Tim.* *Bonitas Divina minime invida.*

4 Philippus ſane cenſet per Catacreſim, terrã ipſam dici *vulvã*, de qua *Mare procedebat*; creditque aquam elementarẽ fuiſſe creatã de ipſa terra, de qua aliæ creaturę creatæ ſunt; quare ita cenſet; *Duas partes mundi magnas, Cælũ, & Terrã, Deus ex nihilo fecit; & de una earũ, velut de materia informi cæteras creaturas diſtinctas, ſive formatas inſtituit; inter quarũ creationẽ, & Aquas credimus factas: quarũ quidem conditionẽ in principio Geneſis nõ legimus ſcriptam. Hunc ergo Maris proceſſum effuſionẽ aquarũ dicere mihi videtur, qui de occultis terræ ſinibus emanabat, & operiebat faciẽ terræ.* & ſtatim diſſertis verbis negat *aquas eſſe congenitas, & ſimul creatas cũ Cælo, & Terra.* Hanc ipſam verbis eiſdẽ ſentẽtiam de *Maris creatione* deſcribunt cõmentaria Heronymi, & Bedæ. Sed quidem ſententia hæc ſingularis eſt; de qua ut nũc nihil dicã, (nam hæc res ad Geneſim in opere primi diei pertinet, ubi frequẽs Patrũ expoſitio docet, omnia quatuor ſimul elementa fuiſſe congenita atq; coęva, cõprehenſaq; a Moyſe nomine Cæli, & Terræ) quod ad rẽ noſtrã attinet, cẽſeo nihilo meliorẽ, molliorẽve eſſe hãc interpretãdi rationẽ, quã pręcedẽtes.

Philipp. *Philippi ſententia de creatione Maris.* *Hieronym.* *Beda.*

5 Sed quidem pro his omnibus interpretationibus cõmunis videtur eſſe propoſitæ illius difficultatis ſolutio, Primo quod creatio rerũ omnium, omniumque dierũ fuerit ſine ullo temporis diſcrimine; ſub unica itaq; ratione ſimul proponitur *eruptio* illa, & exitus Maris ex Divina Potẽtia, ſimul etiam *concluſio* illius intra carceres, & certos fines. Vel ſecũdo; quod ille duæ partes hujus ſentẽtię, videlicet prima creatio, & poſterior congregatio non

Triplex propoſitę dubitationis ſolutio.

habeant

habeant inter ſe ordinē, ſed ſine ullo nexu hic proponantur. q. d. *Quando erūpebat Mare*; quando *cōcludebatur Oſtiis*. Tertio tādē, ut illud *qu ido*, idē ſit, quod *poſtquā*, efficiatq; illū ſenſum, quem exprimit Vatabl. *Quis ſtatim poſt creationem aquarū cō clusit maria quaſi foribus oppoſitis?* Sed ſane vero neq; cū Latino, neq; cū Hebræo, aut Græco quadrare poteſt aliqua ex his tribus reſponſionibus: requiritur enim ordo, & nexus illarū duarum partium ſimul exiſtentium, ſimulque effectarum, Divina Potentia, ut ipſa Maris eruptio concludatur a Deo; & ut proprie legitur in originali, *in ipſo emergere, & exire de vulva*, tūc claudatur, non poſtea.

Vatablus.

Rejicitur precedēs reſponſio.

6 Ego, quod maxime cohærens, & ad rē propoſitā opportunum videri poteſt, proponam, idque breviſsime: Sententiā hanc non eſſe accipiendā de prima Maris creatione, ſed de opere tertiæ diei, id eſt, de *Congregatione aquarū in locū unum*. Probabo, & exponā utramq; hujus interpretationis partē. Primā, nō agi de prima aquarū productione, quod neq; illa habuerit peculiarē aliquā rationē fundamenti, aut membri alicujus principalis reſpectu aliarum partiū univerſi: neq; in illius prima productione fuerit aliquid ſpecioſum, & ad humanū ſenſum tā mirabile, quam cū tertia die juſsit Deus, *Congregari in locum unū*, & velut formam, ſpeciē, locumq; accipere cū cæteris rebus congruētē. Propterea ſane viſus eſt Moyſes Maris creationē prætermiſiſſe, & ſub terra cōprehendiſſe. Quamquā non ideo aliis Scripturæ locis, Maris creatio explicate non tradatur, ut Pſ. 94. 5. & 145. 6. *Qui fecit Cælū, & Terrā, Mare, & omnia, quæ in eis ſunt*. Secūda autē pars facile probabitur, ex leniſsima, & ſimpliciſsima ſingularū vocū ſignificatione, & conſtructione: Quā interpretandi rationē elicio ex Niceta, *Quādo* (inquit) *veluti infans, in lucē ab ipſa edi abyſſo properabat, ad omnē terrā aquis obruendā paratū, niſi Divinis juſsis, quæ portas appellavit, prohibitū eſſet*. Indicat eundem ſenſum Iſidorus, & qui cū illo legunt de præſenti, *Quando erūpit, quaſi de vulva procedens, &c.* Tunc igitur Deus *concluſit Oſtiis Mare*, ſic etiam vertunt Septuag. *Concluſi autē portis Mare*. Verbū in fonte propr. eſt, *texit* aut operuit, videlicet cū aliqua re oppoſita, aut injecta aliquid operim⁹, & tegim⁹. ſic Thre. 3. 44. Simul vertit *operire, & opponere*; *Operuiſti in furore* (id eſt, te ſubducis a noſtro cōſpectu medio interjecto, aut oppoſito, ne poſsimus ad te penetrare; ſtatim enim explicat) *oppoſuiſti nubem tibi, ne trāſeat oratio*. ſumit enim Metaphorā a judice, qui poſtquā pronuntiavit capitalem ſententiā, ne precibus, aut miſericordiæ locus pateat, ſe domi continet clauſis Oſtiis, nemini conceſſo ingreſſu. Sic igitur *Mare* Deus *cōcluſit*, id eſt, texit, operuit, ſubduxit a noſtro cōſpectu, cū terræ finibus, & concavitatibus illud cōcluſit, altiſſimis circumjectis, interjectiſq; mōtibus, non tam ne nos ad illud, quam ne ad nos illud irrumpere poſsit.

Cohærens, & germana explicatio difficultatis.

Cur Moyſes videatur prætermiſiſſe Maris creationē.

Nicetas.

Iſidorus.

LXX.

Concludere, quid proprie.

כסה

Deus inſtar Iudicis ſeveriſsimi.

Sed cū *Oſtia Maris* lego, libēter plura maria, pluraq; freta intelligo, ſuis oſtiis diviſa. Quare nō inepte Pagn. in Theſauro dixit, *Diviſit Oſtiis Mare*, nā ex pluribus *cōgregationibus aquarū* neceſſario efficitur eſſe plura freta, per quæ, quaſi per Oſtia fluat, & refluat, influat, aut effluat. Neſcio quid argutū, & ſubtile meditatur Auguſt. hoc loco: cū enim *Oſtia Maris* ingrediendo, & egrediendo videātur ſervire, agnoſcit Divinā Potentiā ad emittendū iterū Mare per eadem Oſtia, quæ nunc clauſa ſunt. ut quaſi in Symbolo interim jubeat bene ſperare eos omnes, qui jactantur in hoc Mari magno tribulationū fluctib⁹, habet enim Oſtia, quæ Deus aperire aliquādo poſsit, & velit: *Vt non ſolū*, inquit Auguſt. *modum haberet exercēdi juſtos perſecutionibus, ſed etiam ut liceret juſtis inde egredi*. Sed quidē ad litteram, *Oſtia Maris*, freta ſunt, aut circumjecta littora, quæ repagula, & fores vehementi pulſatione, & ictu frequētiſsimo effringere conatur, ſed fruſtra. de quo iterum verſ. 11. 10.

Plura Maria.

Pagnin.

Auguſt.

Tribulationū & ſpei ſymbolum.

Quando erumpebat. Septuag. *Cū fremeret ex utero matris ſuæ egrediēs*. In annotationibus Vaticanis refertur paraphraſis Chryſoſt. exponiturque ex Græco, *Habebat ſtimulos quoſdā, quibus incitaretur*. in Catena vero Latina refertur ex Chryſoſt. *Quādo fluctuabat, quādo obſtetricabatur*. Aquila; *Cū luctaretur*. Proprie ex Hebræo; *In emergēdo*. vel, *egrediendo*. Et quidē pertinet hoc verbū ad partū, & proluviem illā, quam ſimul cū fœtu profundere ſolet puerpera: affert igitur niſum parturiendi, & profluēdi. Pſ. 21. 10. *Tu extraxiſti me de utero*. ideſt, tuo impetu, & niſu erupi; & mea me mater enixa eſt; tu vires parturienti, & motū tribuiſti mihi naſcenti. Mich. 4. 10. *Dole, & ſatage, filia Sion*, prop. *Enitere, & erūpe*. Septuag. *Viriliter age*. nimirū, inſtar parturientis, & enitentis. Atq; ab eodem verbo dicitur, Ezech. 32. 2. ad Regē Aegypti, *Aſſimilatus es Draconi, & ventilabas cornu in fluminibus tuis*. ubi alii legunt, Eduxiſti aquas per flumina tua. Alii; Erupiſti ſed proprie, & eleganter; *Erumpere facie-*

8 LXX.

Chryſoſt.

Catena Comitoli

Aquila.

Erumpere de re fluida.

גיח

LXX.

bas; id est, educebas, & diducebas Nilum in multos rivulos. Sic igitur hoc loco proponitur Mare fluitans, enitens profluere, & exundare cũ impetu, & eruptione. De quo verbo iterum dicam, c. 40. vers. 10. 8. super id, *quod influat Iordanis in os ejus.*

August.

Quasi de vulva procedẽs. Augustinus, *Volens progredi.* Elegãter, & proprie nos diceremus, *Quien le cerrò las puertas al Mar; al querer salir de madre?* nimirum *vulva* sint cavernæ illæ cæcæ, & obscuræ, & sinus terræ, atq; loca depressiora, quibus Mare coercetur, & cõtinetur, id est, alveus Maris, est *alvus* ipsa, ex qua nititur erũpere.

Alveus Maris instar alvi maternæ.

IX. *Cum ponerem nubem vestimentũ ejus: & caligine illud, quasi pannis infantiæ, obvolverem.*

1. *Aliorum expositione rejecta, eligitur germanior de opere tertii Diei. Gratia Dei, nutrix creaturarum.*
2. *Providentia commendatio.* Ponendi *verbum, de arte, & industria.*
3. *Nubes, & nebula quomodo excitatæ ante Creatum Solem.*
4. *Operimentum nebularum, & nubium fovẽs, & fœcundans aquas.*
5. Caligo, *pro rariori nebula, Pro densiori nube; pro aere caliginoso. Aer instar pannorum infantilium.*
6. *Mare instar infantis, ligatum brachiis, & cruribus intra cunabula.*
7. *Divina Providentia obiens munus deligentissimæ nutricis, Quid in curando infante.*
8. *Mundus, & Mare senescens laborans catharro.*

1 D. Thom. Titelman. Dionys. Asturicen.

HAEC Rursus ab aliis ad primam aquarum creationem referuntur, cũ *tenebræ erant super faciem abyssi.* Sed laborat hæc interpretatio eadem difficultate, qua præcedens sentẽtia; propterea quod jam videatur has tenebras pręcessisse lux primæ diei, & *congregatio aquarum* facta die tertio. Tum præterea, quoniam non videtur usque ad tertium diem fuisse illa mixtorum generatio, *nubis*, & *nebularum*: Ergo persequitur opus tertiæ diei, perstatque in eadẽ Metaphora infantuli nascentis. Neque est, quod quisquam curiosius nobis objiciat, juxta nostram expositionẽ, in præcedente sententia, non proponi Mare tanquam jam natum, editum ex alvo materna; sed in matrice tantum cavernarum, & locorum humiliorum cõclusum, licet quidem nasci, & erumpere gestiens: satis enim fuit, ut sub fętus concepti ratione Mare semel proponeretur, ut nunc erga illud, tanquam erga tenerrimum, & delicatissimum infantulum, *Gratia Dei*, quæ apud Sapientem dicitur, *Nutrix suarũ creaturarũ*, omnia diligentissimæ, atq; indulgentissimæ nutricis munia præstaret, foveret, convestiret, *involveret*;

Cohærentior expositio.

Gratia Dei nutrix creaturarum.

2 *Cum ponerem.* Aquila, *Circumvolvi.* quã curam, cum sibi ipsi tribuit auctor naturæ Providentiam suam cõmendat: Nicetas: *Nec vero id in naturam tãtum vaporum, qui eliciuntur ex aquis, referas: & id enim meo agitur imperio.* Verbum autẽ *ponendi*, artem dispositionem, cõpositionem affert, atq; certum locum, & ordinem. quod mirifice convenit in elementorum omnium, atque mixtorum certas sedes, atque regiones.

Aquila. Nicetas.

Ponere, ad artẽ, & industriã pertinet.

3 *Nubem.* Si nubes, & vapores, ut excitẽtur ex aquis, indigent virtute, & calore Solis, & Lunæ; certe vel non loquetur de ipso opere tertię Diei, cũ non dum erant facta *luminaria*: vel elevatæ sunt nubes & excitati vapores luce primæ diei; vel ipsa Creatoris Potentia.

Nubes, & nebula, cujus virtute elevatæ tertia die.

4 *Vestimentum ejus.* Septuaginta, *Operimẽtum.* Sed in Sacro sermone tantundẽ refert *operire*, aut *circumdare*, quod *vestire.* quare cum aquis tota terra operiebatur, erat vestita aquis Psal. 103. *Abyssus, sicut vestimentũ amictus ejus.* Fovetur igitur Mare nubibus, fœcundatur, concalescit. Idque juxta propriam naturam, & indigẽtiam; ut indicavit elegãter Catenæ auctor; *Quẽadmodum infanti panni sunt perquam commodi, sic etiam Mari nubes ac nebulæ.*

LXX. Operire, vestire, circundare.

Mare fovetur nubibus.

Nicetas.

5 *Et Caligine, &c.* Septuaginta, *Nebula*, quæ est rarior, & subtilior nubes. Et quidem vox originalis *Ghoraphel*, vertitur eodem modo, *nebula*, 3. Reg. 8. 10. 11. *Cum nebula implevit domum Domini, & non poterãt Sacerdotes stare, & ministrare propter nebulam. Tunc ait Salomon; Dominus dixit, ut habitaret in nebula.* quod apud Septuaginta bis eodem capite habetur; & semel vertitur, *nubes*, secundo *caligo.* Cum autẽ ab Interprete redditur *caligo*, significatur nubes densa, & caliginosa, Exod. 20. 21. & Devteron. 4. 15. & pro *Nube imbrifera*, Ps. 17. 10. Ergo videtur idem omnino intelligi, & exponi per *caliginẽ*, quod prius per *nubem* dicebatur, quamquam non oporteat intelligi *nubem* imbriferã; nondũ *enim pluerat Dominus super terram.* aliqui licet existiment *illum fontem, qui ascẽdebat e terra*, fuisse *nubem*, ut Chaldæus vertit; vel *vaporem roscidum*, ut alii volunt. quo forte fiet allusio non obscura hac *caligine, & pãnis infantiæ.* Quodsi vox originalis ferre posset, libenter sane *caliginẽ* hãc ego interpretarer *aerem caliginosum*, qui frequẽter significatur appellatione, *tenebrarũ.* quod profecto indicavit Nicetas, suspicatus ideo dici Mare *obvolutum*, & quasi

Caligo nebula. ערפל

LXX.

Caligo, nubes caliginosa.

Gen. 2. 5.

Fons ascẽdens de terra quid. Kaldæus.

Caligo pro aere caliginoso.

Nicetas.

quaſi *faſciatum caligine*, id eſt, aere, *quod Mare, non ſolũ Terra, verum etiam Aere cõtineatur: ut neque ſublime, neque in latus ullũ extra menſuram, ac lineam ſe queat efferre.* Et quidem eſſet ea *infantilium pannorum*, & induſiorum pulchra quoque trãſlatio; ſicut enim decuplo rarior, ita & mollior eſt aer aqua. Quod autem Interpres illuminavit, dicẽs, *pannis infantiæ*, in Hebręo, & Græco eſt vox ſimplex, *quaſi faſcia*, quæ ligat, & involvit. quare ad infantilẽ etiam faſciationem refertur, Ezech. 16.4. & in univerſum vertitur *ligari*, aut *faſciari*, Ezech. 30.21. Quæ item tranſlatio eleganter convenit cum re ipſa; ſicut enim infantulus pannis, & faſciis crura, manus, brachia ligatus, intra cunabula reponitur; ſic ſane, ne Mare libere porrigat brachia, & ne ultra modum *ſpatioſum* ſit *manibus*, ligatum, & convolutum eſt a Creatore; & intra ſua cunabula, id eſt, intra terræ ſinus, & cõcavitates repoſitum, ibique velut infantulus, qui tunc quieſcit, cũ minime quieſcit, veluti cunis fluctuantibus perpetuo motu agitatur, *quieſcere non potens*, natrice, id eſt, Dei Providentia quaſi cunarum fluxũ, atque refluxum faciẽte: tũc vero vagiebat Mare tanquã infans, cum primũ mugiebat, cũ fremebat.

Aeris cum infantilibus pãnis cõparatio.

חתל

6

Mare velut infantulus, ligatum manibus & in cunabulis repoſitũ.

Iſai. 57.20.

Fluxus, & refluxus, velut cunarum fluctuatio.

7

Ac ut perſpiciamus, quã diligenter omnia nutricis diligentiſsime officia obierit Divina Providentia erga Maris infantiã; certe illa præſtitit, quæ Galen. lib. 1. de ſanitate tuenda c. 7. intuenda infantis valetudine præcipit, *Primum*, inquit, *faſciis deligetur, ſed corpori prius toti ſale modice inſperſo, deinde utantur balneis ſalubrium aquarũ, & univerſa victus ratione humida.* Hæc nemo in Maris providentia deſiderabit: Vides enim Mare *faſciis* ligatum, Salſum totum, non quidem lotum, ſed ipſum balneum ſaluberrimum, & univerſam illius ſubſtantiam humidam. Et quamvis *Mare magnum* ſit, & inſtar Dei illius, qui ſub infantis ſpecie fingebatur deliteſcens, vix ab ancilla ligari poterat *incunabulis*, id eſt, faſciis, & linteis;

Nutricis diligentiſsime officium obiens Divina Providentia.

Galenus.

Puer ille (inquit) *quẽ ego lavi, ut magnus eſt, & multum valet!*

Neque eum quiſquam colligare quivit incunabulis.

Plaut. in Amphit. act. 5.

Vide Lambinum.

At Deus infantulũ hunc ligat facile, condit intra cunas obvolutum, religatum, & lachrymulis effluens, cum primis illis placidiſsimiſque roribus perfundebatur.

8

Sed cum nunc etiam Deus *Mare nubibus operiat*, nebulis, & vaporibus confoveat, habebunt ne adhuc rationem illam faſciarum, & infantilium linteorũ? Quid ni, inquies, cum ſemper Dei Providentia indulgentiſsime enutriat, & conſervet ſuas creaturas? Sane quidem. ſed eſt ratio dubitandi, Quoniam jam *mundus antiquatur, & feneſcit, & prope interitum eſt.* oportebit itaque Mare etiã deveniſſe jam ad ſenectã. Ergo nunc nubes, nebulæ, vapores habeant ſane rationem, & ſimilitudinem materiæ catharri, & continuarũ fluxionum, qualibus ſolent ſenes laborare, De ſenibus enim, atque de ſenectute deſtillationibus affluente, Scriptum eſt, *Revertentur nubes poſt pluviam.*

An nunc etiã nubes habeãt ſimilitudinem infantiliũ pãnorum.

Heb. 8 13.

Mare ſeneſcẽs catharro diſtillans.

Eccleſ. 12.2.

X. *Circũdedi illud terminis meis, & poſui vectem, & oſtia.*

XI. *Et dixi: Uſque huc venies: & non procedes amplius: & hic confringes tumẽtes fluctus tuos.*

1. *Repetitio ejuſdem vocis ad peculiarem affectum. Maris concluſio conſtans, & perpetua.*
2. Fluctus *unde dicantur in Hebræo.* Limitis cũ lege *comparatio. Maris termini Divini, qui ſint.*
3. *Maris* vectes, *qui. Sapiẽtia inſtar arenæ confringenti, Regios impetus, Illuſtratus locus Regum,*
4. *Deus dicto citius efficiens.* *Verbum* addendi *ad ſecundas vices pertinens.*
5. *Perpetua Maris agitatio ad commendationẽ Divina Potentia.*
6. *Varia lectio. Verbum contrariarum ſignificationum. Maris ſuperbia circa littora.*
7. *Synonymia, & repetitio ad rei confirmationẽ.*

PRona eſt ſtatim quæſtiuncula; Cũ nuper de *Maris cõcluſione* egerit, cur nũc tã parvo intervallo repetat? Reſpondeo; cum vox bis repetitur in Sacro ſermone, nunquã nõ ſignificatur peculiaris aliquis affectus, aut vocis unius, aut ſentẽtiæ integræ: majori jure cum ſententia iiſdem aut ſynonymis vocibus repetitur. Quid ergo repetitione hujus rei nobis inſinuatur? Certe quid ſimile illius, quod c. 37. dicebamus, in frequẽti illa nubium, & luminis fulgurantis repetitione; videlicet, fulgura non ſemel, ſed frequenter illuminare tenebras tempeſtatis per breviſsima intervalla. Ergo *concluſio Maris* primũ dicta, nunc iterum fuſius expoſita, indicat illam primam concluſionẽ durare adhuc, & conſtantem futuram, ac nunquam fore, ut Divini Præcepti repagula, & fores effringat, ſæpe licet, ac ſẽper conetur, & tentet erumpere. *Circũdedi illud terminis.* Septuag. *Poſui illi terminos.* Verbũ in Hebræo vehemẽs, fregi, cõfregi, attrivi illud.

1

Quæſtiunculæ reſponſio.

Repetitio in Sacro ſermone ſemper cũ peculiari affectu.

Mare conſtante præcepto compreſſum.

2

LXX.

שבר

Circum late, Quid proprie Fluctus unde dicãtur in Hebræo. משברים

ad rei humiliatæ, dejectæ, desolatæ contritionem pertinet. & ab eadẽ radice dicuntur fluctus ipsi, *Misbarim*, quasi fractiones, & contritiones, quia fluctus se se infringunt, & alliduntur ad littora.

Terminis meis. Proprie, decreto meo, le-
2 ge, statuto; Lex quippe, terminus, & limes est agendorum: & sicut intra limitẽ; ita intra legem detinemur, & coercemur. Tum etiã lex, sicut terminus, agros discernit. Quod Cajetanus vertit, *Fregi super eo statutum meũ*, quod videlicet primũ illud creationis decretum, cum aqua erat supra terrã, Deus fregit, & abrogavit ex parte, cum jussit aquas secedere in locũ unum; omnino alienum est: nam cũ hujus rei Scriptura meminit, nunquam proponit Dei decretum infirmatũ, aut abrogatum, sed potius stabilitum, & confirmatũ. Multo melius R. David, R. Levi, *Fregi decretum*, id est, percussi, cæcidi fędus nunquam abrogandum. Quamquam huic interpretandi rationi obest, primũ quod ea significatio *percutiendi fœderis*, vix convenire possit voci originali; tum illud, quod nõ proponitur hoc Dei decretũ, quasi ex pacto, & stabilito fœdere cum mari, sed potius ex Divinæ Potentiæ, & Sapientiæ decreto cõprimẽtis invitum, & repugnãs mare, & semper erumpere conans. Cum autẽ ait, *terminis meis*, indicantur Dei, id est, Divina esse, vel mõtes altissimos, & firmissima littora, quæ objecta sunt undiq; fluctuãti Mari. Quod enim Dei est, oportet in suo genere optimum, & excellentissimũ esse. Aut indicatur peculiaris Dei Providentia; non enim sunt illi termini, & carceres Maris naturæ fortuitæ, & vagantis sine consilio, sed sapientissimi, atque Præpotentis Conditoris.

Legis cum limite comparatio. חקק Cajetan. Expositio aliena. R. David. R. Levi. Frangere fędus, pro percutere. Maris termini Divini.

3 LXX.
Et posui vectem, & ostia. Septuag. *Claustra, & portas.* Sed *vectem* vertit Interpres aliis etiam locis; & vox quidẽ originalis significat proprie repagulũ, aut obicem, quo clauduntur fores; sic dictum a velocitate fugiendi, & discurrendi ab uno extremo januæ in alterum; quasi dicas, *Pessulũ currẽ*; *Cerre le las puertas, y corrile la trãca.* Qui autẽ sint *vectes*, & *ostia*, indicavi superius, cũ Latinis, esse freta, littora, mõtes circumjectos. Terminus etiã est *arena* Ierem. 5.22. proptereaque existimãt dictũ, datam esse *Sapientiã Salomoni, sicut arenã, quæ est in littore Maris*; quod sicut arena repellit, & comprimit ferociẽtes fluctus, sic sapientia coercet Regios impetus, & iras. At Græci intelligunt Dei imperiũ, atque præceptũ, quod effringi, aut violari non potest. Ergo ex his omnibus *vectes*, & *ostia* compono; *His verbis* (ait Chrysostomus) *rei firmitatem ostendit. Illis, quæ cõsequũtur, etiã facilitatem, subjungitur enim.*

Repagulũ, & vectis, unde dicantur. Vectes, & ostia maris, quæ. בריח 3 Reg. 4.29. Sapientia Regibus pro littore fluctibus cõprimendis. Plenior interpretatio. Chrysost.

4
Dixi. Statui, ratum, & fixum esse volui. ad quod satis fuit *dixisse*, & solo verbo imperasse. *Usque huc venies.* Libere tantum in æquore spatiabere. *Et nõ procedes amplius.* elegãter, quod in Hebræo est, *Non addes*, id est, non poteris amplius spatii, & loci tuæ ditioni adjungere. Quanquã posset exponi cõmode, & ad phrasis exigentiã; *Non iterũ*, supple, operies terram. Nã verbum *addendi*, ad repetitionẽ, & secundas vices pertinere solet, sicut & id Ps. 103.9. *Neque convertentur operire terram.* Id est, iterum non operient.

Deus facile, solo verbo efficiens. Hebraismus. Verbum addẽdi secundas vices affert.

5 LXX.
Et hic, hoc ipso in littore, *Confringes tumentes fluctus tuos.* Septuag. *In te ipso comminuentur fluctus tui.* ut mirũ sit, ipsos furentes, & tumidos fluctus in se ipsos reduci, & in se ipsis debilitari, & frangi. Eleganter Chrysostomus; *Hac de causa Deus Mare nec tranquillum, nec mite passus est, ut cũ Divino imperio pugnante natura, Divinoq; jusso semper vincente, esset Dei potestas prædicabilis. Etenim si foret aqua pacata, ordinis concinnitatem, atq; moderationẽ naturæ aquæ plerique adscriberent; nunc vero conturbata, verberata, intrinsecus protrusa, cũ suis finib⁹ excedere nequeat, Dei prædicat potestatem.* Id quod a Ieremia dictum est, c. 5.22. *Posui arenam terminum Mari, commovebuntur, & non poterunt; & intumescent fluctus ejus, &*
6 *non transibunt.* confringunt enim in ipso præscripto limite tumorem. Ex Hebræo Pagninus; *Pones* (depones) *elationem fluctuũ tuorũ*, Nã verbum originale *çoth*, non solũ *ponere*, aliquando significat contrarium *ponendi*, quod est *dimittere*, aut *deponere*, Iob. 10.20. Quamquã in propria, & genuina *ponendi*, significatione, habet elegantẽ quoque sensum; *Hic ponet* (supple, *ventus*. Ita Vatablus, aut tertia persona pro secunda *Pones*) *elationẽ fluctuũ tuorũ.* Symmachus; *Huc usque constituta sit elatio fluctuũ.* huc usque gloriari, efferri, eminere, intumescere, superbire, extolli, magnificari licet. claudit hæc omnia verbum originale. Non solum igitur proponitur Maris superbia, & ferocia compressa, & coercita ad littora, sed quod in littore potissimũ intumescat, & efferatur; cum enim ubique *mirabiles sint elationes Maris*, at in littore potissimum, cũ ad erumpendum, & transgrediendũ, quasi collectis in se se viribus, & reducto spiritu fluctus enituntur, & fremunt; & ex obice major indignatio, & æstus. Hæc nos dicemus, *Las resacas, que haze la Mar.*

Chrysost. Cur voluerit Deus, Mare semper agitari, & furere. Divinæ potẽtiæ cõmendatio ex Mari. Varia lectio. שות Verbum contrariarũ significationum. Vatabl. Symmach. גאה Maris superbia, & elatio circa littora.

D. Thom.

Voluit ſane D. Thom. curioſe nimiũ, pro tribus illis *termino, vecte, oſtio*, diſtinguere tria verba, *venire, procedere, cõfringere*.. ſed nihil hic ſolida obſervatione dignum, quã quod res eadem ſexies repetita

Synonymia ad rei firmitatẽ, ſicut & repetitio.

vocibus ſynonymis, ſignificat rẽ firmiſsimã, nunquam violandã, cum ſecundo aliquid dictũ, aut *viſum* fuiſſe, *firmitatis indiciũ ſit* Geneſ. 41. 52. Quare Gregorius ſapiẽter hic obſervat; *Quod in cõcluſione maris ſecũdo de oſtiis dicitur, more ſacri eloquii, res ſemel dicta pro confirmatione replicatur.*

Gregorius.

Offerebat ultro hic nobis locus quæſtionem illã, An hæc maris intra ſuos limites compreſsio ex Dei præcepto, perpetuo miraculo danda ſit; non etiam naturæ ipſi, & elemẽtorum diſpoſitioni; niſi eſſet a nobis diligenter diſputata, cap. 26. verſ. 10, n. 2. uſque ad 6.

XII. *Nunquid poſt ortum tuum præcepiſti diluculo, & oſtendiſti auroræ locum ſuum?*

1. *Formula Divinæ interrogationis. Circumlocutio operis quarta diei.*
2. *Sententia lucida Paraphraſis.*
3. *Lumina creata ante hominem. Univerſalis providentia commendatur.*
4. *Ortus & occaſus ordine certo ſuccedentes. Cuncta ex Dei Sapientia ad fines ſuos properantia.*

1 Varia formula Divinæ interrogationis

Diverſa interrogationis Divinæ formula variũ atque diverſum nexũ, & ſcopũ hujus ſententiæ fecit apud Interpretes: nã cũ Iob nuper rogaretur a Deo *Ubi eras?* nunc vero rogatur, Nũquid poſt *ortum tuũ*, aut, *poſtquã natus*. Cajetanus, quẽ videtur ſequi Epiſcopus Algarbiẽſis, videtur ſententiam hãc referre ad vitam politicam, & civilem rerũ conſtitutionẽ, in hanc ſententiã, Nunquid ea dierum, & noctium viciſsitudo, qua humana politia continetur, & conſtat, & quæ cum impiis locum permittat noctu vagãdi, at ſtatim aurora ſubito illucente, illos deterret, & coercet, expectavit ortũ tuũ, ut non eſſet hoc rerum diſcrimen, & cura civitatis moderandę penes aliũ judicem, & magiſtratum, quã penes te? Sed certe ut nexus hic paulo coactior, & longior eſt, ita ille ſimplex, & facilis, quem ipſa verba offerũt, ut proponatur opus diei quartę, cum creata ſunt *Luminaria*, & inſtitutus ille lucis naſcendi, & renaſcendi ordo, quo nunc fruimur. Quare hæc interrogandi forma, *Nũquid poſt ortum tuũ*; aut, ut in Hebræo eſt, *A diebus tuis*, perinde valet, atq; illa prior; *Ubi eras*, cum ego lucis ac tenebrarũ vices

Cajetan. Oſorius.

Nexus facilior, & germanior.

Opus quartę diei.

LXX. Chryſoſt.

conſtitui ante ortum tuum? Septuaginta; *Nunquid tecum lucem conſtitui matutinam?* Chryſoſt. *Aderas ne*, inquit, *quando dixi, Fiat lux, Fiant luminaria?* Et nunc ſane nõ

2 Paraphraſis ſententiæ.

ſolum potentiã, ſed peculiarem ſuã Providentiã rerum omniũ inferiorũ comendat Deus. Nunquid (inquit) te naſciturũ, tuamque juſsionẽ expectavit mundus, ut alterna dierum, noctiumq; viciſsitudine conſtaret, ad humanum convictũ, mortaliumque omniũ, ac viventium vitã neceſſaria? & cum tu ſtatim, atque in hanc lucẽ editus es, noctium atque dierũ alternatione indigeres, id tuo præcepto factum ne eſt, an meo, in quem ut pote in rerum omnium auctorem, univerſarum rerum moderatio, & Providentia incumbit?

3 Chryſoſt.

Nunquid poſt ortum tuum? Chryſoſtom. *Aderas ne?* ut humanam originẽ oſtendat fuiſſe poſteriorẽ creatione lucis, & viciſſitudine dierum, & noctiũ. Philippus, *Iſta prius, quã in Adã per me exiſteres, ſunt creata.* Sed illud etiã cum hac interrogatione quadrat; Noli te magni facere, quaſi Cõditor univerſitatis hujus, tui tantũ cauſa a rebus tuis vel rerum ordinẽ mutare, & invertere debeat, vel de novo inſtituere, quaſi tantum tui cauſa lux, & tenebræ inſtituta fuerint, non etiã reliquorum. Atq; hoc inſinuat illa lectio Septuag. *Nunquid tecũ lucem conſtitui matutinã?* Quæ ſemper eadẽ conſiſtunt, nõ fiunt ab homine mortali, neque unius tantum hominis gratia: ſed ab ęterno numine ad univerſitatis hujus Providentiã, & opportunitatem. Philippus huc reſpiciens, *Iob*, inquit, *arguitur, qui Deum factorem, & gubernatorem rerum omnium, diceret circa ſe nullo moderamine æquitatis operatum.*

Philipp.

Rerum univerſalis providẽtia cõmendatur.

Philipp.

4 שחר

Præcepiſti diluculo? Tibi ne paret diluculum, & Lux matutina? *Et oſtendiſti auroræ.* proprie ex Hebræo, Septuag. *Et cognovit Lucifer*, aut, *ſcire feciſti locum ſuum.* Septuag. *Ordinem ſuum?* quod idem omnino eſt; nam locus ortus, & occaſus ordine conſtat: eſt enim ſuus ortus, & occaſus hyemalis, ſuus æſtivus. Eadem ratione dictum eſt, Pſal. 107. *Sol cognovit occaſum ſuũ.* nullus in oriendo, nullus in occidendo error, nulla oblivio: noverunt res ipſæ edoctæ a Creatore, quid facto opus ſit. neque minus ordinem ſervant, quam ſi intelligentiæ participes eſſent; opus quippe naturæ, eſt opus intelligentiæ. Semper aurora mutat locũ: Semper igitur edocetur a Deo, ſemper ducitur, ſemper agnoſcit, & ſequitur Creatoris ductum.

Res ex Creatoris Sapientia certo operantes.

)?(

XIII. Et tenuisti concutiens extrema terræ: & excussisti impios ex ea?

1. *Varia lectio, & interpretatio.*
2. Alæ terræ, *quid. Illustratus Moyses, Sapientia, Ieremias.*
3. Excussio terræ, *unde dicatur, varia translationis ratio. Tres sententiæ minus commodæ. Illustratus Amos.*
4. *Ortus, & occasus Symbolum brevitatis vitæ, & humanæ felicitatis. Illustratus Ecclesiastes.*
5. *Angelorum ruina, quando.*
6. *Lucis diurnæ encomium.*

1

IN Hebræo, & Græco sine supposito sunt illa duo verba *tenendi*, & *excutiẽdi*. Septuaginta; *Lucifer cognovit locum suum, apprehẽdere pennas terræ, excutere impios ex ea?* In Hebræo ex verbo, *Ad tenẽdum, &c.* Pagnin. Tygurina, Vatablus, Cajetanus, Steuchus, & Hebraizantes omnes, tũ etiã cum Septuag. Græci Nicetas, & Chrysostomus, ad *Aurorã*, vel ad *lucẽ* retulerunt, quæ ipsa *tenet extrema terræ*; momento occupans totum hemisphæriũ. Sed quoniam secunda pars, *excutiẽdi impios ex terra*, cõmodius videtur Deo, quam luci tribuenda; ideo Interpres eodẽ modo, sicut præcedentem, sententiã hanc construxit; quamquam sensus semper idem constet; Deus enim media luce dicitur *tenere extrema terræ*, fortiter apprehendere, occupare, Vatablus *arripere*, Tygurina *Occupare*, eleganter omnia, & juxta proprietatẽ, verbi originalis.

LXX. / Oforius. / Pagnin. / Tygur. / Vatabl. / Cajetan. / Eugub. / LXX / Nicetas. / Chrysostom. / Vatab. / Tygur. / אחז

2 Alæ terræ, quid.

Pro *extremis terræ*, in Hebræo sunt; *Alæ terræ.* & quidẽ notandum, nunc non dari alas luci; sicut Psal. 138. *Si sumpsero pennas meas diluculo.* sive juxta Heb. *Pennas diluculi*, vel *auroræ*: est enim lux volucris, pẽnata, radios velut pennas explicãs, rebus mundialibus quasi involitans. Nunc vero nõ tam phrasi Poetica, quam Hebraismo tribuuntur *Alæ* ipse terræ; nam Hebræus appellat *Alas*, extremitatẽ cujusque rei; quare extremi terræ anguli, aut ora vestimenti, & fimbriæ palliorum, dicũtur hoc nomine, *Canaph*, vel, *Cenaphim*, quod nos dicimus *canefas.* Sic Devt. 22. *Faciant sibi fimbrias per quatuor angulos palliorum.* Hebraice, **Super quatuor alis.* Atque eadem Metaphora Isai. 11. 12. & Isai. 24. 16. Ezech. 7. 2. dicuntur *Quatuor plagæ terræ*, id est, anguli, sive extremitates, instar alarũ avis extentarũ. quod nos diceremus, *Las quatro puntas del mũdo.* Deus igitur vel lux ipsa momẽto effusa in totum hemisphærium, attingensque extremã lineã æquatoris, complectitur extremas terræ oras velocitate mirabili, quod Divinæ Sapientiæ atque potentiæ opus est, *attingere a fine usque ad finem fortiter*, vel, ut proprie ex Græco legere possumus, *alacriter, disponendo omnia*, complendoque luce *suavissime.*

Hebraismus. / כנף

* En las quatro esquinas, o puntas de el manto.

Sap. 8. 1.

Quod autem Interpres addidit cõcutiens, fere Latini omnes ad terræ motum referunt, quo exterrẽtur impii. Sed certe nihil hic de terræ motu; tãtum de luce, & ut leniorem redderet translationem illã *excutiendi impios*, præmittere voluit Interpres *concussionem*: prius enim res concutitur, quam excutiatur.

Dionys.

3 Trãslatio ducta ab excutiẽdo vestimẽto.

Et excussisti impios ex ea. Non dubium, quin pulchra sit hujus particulæ trãslatio: sed tamen incertũ, unde sumatur. Frequẽtissimus sane explicatus est, ut sit translatio a vestimento, quod cũ concutitur, excutitur pulvis, aut tinea; non aliter expurgat terram Deus vilissimo *pulvere impiorum*, cum illos de medio tollit. Philippus translationem ducit a cribro; *Præ magnitudine*, inquit, *virtutis suæ utraq; manu tenens margines terræ, quasi cribrum huc, atque illuc cõcutit, sive excutit, ut impios velut paleas, & loliũ excutiat a frumento justorum.* qua etiã translatione usus est Amos 9. 9. *Ecce mãdabo ego, ut concutiam in omnibus gentibus domum Israel, sicut cõcutitur in cribro*, videlicet, ut permundaret triticum suum, qui etiam *permundat aream suã.* Sed neutra harum trãslationum videtur cum luce præcedentis sententiæ cohærere.

Impii pulvis. / Philipp. / Translatio a cribro. / Impii paleæ. / Matth. 3. 12.

Potius dicerem debere necti cũ terra, quã cum Deus cõcutit, videtur velle excutere impios ex gremio telluris parẽtis. nam verbum originale proprie significat *excutere* quasi ex gremio; de quo late diximus, c. 33. vers. 25. n. 2. Sed hæc etiã translatio desiderat nexũ cum præcedentibus.

Translatio a gremio telluris parentis. / נער

Ergo Vatablus sic explicat, ut dicatur Deus media luce, & vario atq; multiplici auroræ ortu impios tollere, & excutere de terra; *quia ex mutatione solis, varii morbi oriuntur*, quibus pereunt impii. Sed explicatio hæc plane coacta est, lõgissimeque petita, cũ potius aurora recreet cunctos mortales; nã Scriptũ est, *Exitus matutini, & vesperẽ delectabis*, id est, delectare nos facies.

Vatablus. / Psal. 64. 9.

4 Sol suis circuitis numerant annos humanæ vitæ.

Quinto alii volunt hanc *impiorũ excussionem*, id est, ablationem ex terra, conjũgi cum lucis ortu, & occasu; quod vitam nostram metiatur, & consumat Deus lucis istius orientis atque cadentis, mẽsura, & numero dierum, atque noctium, hac enim ratione, Eccles. c. 1. humanæ vitæ inconstantiam ostendit; *Generatio* (inquit)

præterit, & generatio advenit. ſubdit deinde, *Oritur Sol, & occidit; & ad locum ſuũ revertitur, ibique renaſcens girat per meridiem, & flectitur ad aquilonem, luſtrans univerſa.* En tibi lucem, quæ cõplectitur extremitates terræ, & ſuis circulis atque viciſsitudinibus humanæ vitæ inconſtantiam atq; brevitatem, tum etiã fœlicitatis impiorũ falſitatem, & vanitatẽ non ſolum ſignificat, verum etiã efficit. Sed quidem quamvis ſententia hæc non ſit inutilis, videtur tamen multo cũ labore quæſita, neq; lux potius nunc referenda ad impiorũ minas & ſupplicium, quã ad piorum recreationẽ, & ſolatiũ, cum ſuperius dictum ſit, de *luce*, Deum *annuntiare amico ſuo, quod poſſeſsio ejus ſit, & ad eam poſsit aſcendere.*

Lux indifferẽs ad impiorum terrores, & ad piorum ſolatium.

Sexto, Alii præterea non tam ad impios homines, quam ad apoſtatas Angelos ſententiã hanc pertinere volent; cum enim Angeli ſancti non ſolũ albi, & lucidi, ſed lux ipſa aliquando appellẽtur, rurſus Angeli apoſtatæ non ſolum *Principes tenebrarũ*, ſed tenebræ ipſæ, & omnes ſimul cũ Cœlo creati fuerint, at nõ niſi morula breviſsima in Cœlo perſtiterint, cõgruentiſsimum videtur, ut ex illa cæleſti terra impios, & deſertores Angelos excuſſerit, cum corporalẽ lucem creavit Deus, ut ſimul cũ mundi tenebris corporali luce diſpulſis, diſpellerẽtur illæ tenebroſæ mentes ex Cœlo, remanẽte ſanctorum Angelorum luce, quæ *ornat Cœlos, obſtreticato per manum Dei colubro tortuoſo*, ut ſuperius diximus, ex quorundã interpretatione, c. 26. verſ. 13. n. 1. Sed hæc quoq; interpretatio, præter quam quod allegorica eſt, nõ cohæret. Pertinet enim ad primum diem creationis, cùm tamen jã nos verſemur in quarto *Luminarium.*

5 Aliorum expoſitio de Angelis apoſtatis cœlo pulſis, cum creata eſt prima illa lux.

Ego, quod maxime cohærens cũ luce, cum operibus tenebrarum, quæ luci contrariæ ſunt, cum ipſa proprietate verbi *excutiendi*, exiſtimo tranſlationẽ ſumi ab iis, qui luce exorta expergeſiunt, & ſurgunt ſomno. nam ipſum verbum originale *Nagbar* eſt *excutere*, queãdmodum excutit ſe, qui ſomno conſurgit, & expergiſcitur, ut Zachar. 2. 13. *Conſurrexit* (excuſsit ſe) *de habitaculo ſancto ſuo.* Vnde adoleſcẽtes ab ipſa radice dicuntur *excuſsi*, id eſt, attẽti, & expediti, quod nos diceremus, *Vivos, y deſpiertos.* Ergo hoc, inquit Deus, præclarum eſt lucis beneficium, ut filios tenebrarũ, id eſt, impios excutiat, expergefaciat ſomno vitiorũ: ſic enim elegãter ait Chryſoſtomus, nũc Deum loqui, de *latronibus, de iis qui ſepulchra effodiunt, cæteriſque omnibus, qui ad ſcelera ſocia utuntur nocte*; namq;

6 Explicatus cõvenientiſsimus. Translatio ab expergiſcentibus.

Excutere refertur ad ſomnum.

Vnde juvenes dicãtur excuſſi.

Chryſoſt. Lucis beneficium, quo impii cõprimuntur.

hoc *hominum genus poſt lucis exortum, nõ amplius licenter audet in terras, ſed potius exterminatur, & cõpeſcitur, lucem enim, a qua illi arguũtur, odere.* Videtur igitur Deus ſole, quaſi miniſtro uti, ad exterrẽdos impios, & nefariis flagellis abducẽdos. vide quod diximus, c. 24. verſ. 15. 16. 17. ſuper id, *Oculus adulteri obſervat caliginem, &c.* Nã tenebriones iſti, ut pote *filii tenebrarum*, fauſtas ſibi noctes precãtur; interim *diei maledicunt*, qui illorum nefaria opera redarguit. Supremus igitur judex videtur *ſcrutari* univerſam terram *in lucerna* Solis, & quaſi prætenta face explicare extremos, & abditiſsimos terræ ſinus. Et ſane Sol opportunũ habet nomẽ in lingua ſancta, dicitur enim *Sẽmes*, a verbio *ſamis*, quod eſt miniſtrare: quod videlicet ſit quaſi miniſter Dei, & naturæ, quo Deus parens omnium utatur ad fœcundãdam, & vivificandam naturam, ad redarguenda opera tenebrarum, ad excutiendos, & expergefaciendos impios. Hic igitur ſupremus judex Deus, *in matutino* videtur *interficere omnes peccatores terræ*, aut certe fugare, & excutere, atque in occultiſsimos angulos recondere, *Ortus enim eſt Sol, & congregati ſunt, & incubilibus ſuis collocabuntur.*

Soph. 1. 12.

Solis nomẽ a miniſtrãdo.

נער

Pſal. 100. 8.

Pſal. 103. 22.

XIIII. Reſtituetur ut lutum, ſignaculum: & ſtabit, ſicut veſtimentum.

1. *Proponitur ſententiæ obſcuritas.*
2. *Examinantur voces.*
3. *Tres exponendi rationes parum idoneæ.*
4. *Tres aliæ interpretationes humiles, & parum cohærentes.*
5. *Duplex explicatus cohærens, & idoneus. Lux rerum ſpecies, & forma.*
6. *Optima interpretandi ratio de opere ſexta diei. Quæ in hominis creatione ex luto miranda, quæ conſideranda.*

SEntẽtia proculdubio perplexa, & multarum interpretationũ varietate impedita, præter quam enim quod duæ ſimilitudines valde diverſæ, imo vero tres ducantur in hac ſententia, videlicet ex *luto*, ex *ſignaculo*, ex *veſtimẽto*; illud tamẽ perobſcurum eſt, in quem cõveniant iſtæ ſimilitudines, tum etiã quomodo debeant conſtrui, aut quod ſit appoſitum verbi *reſtituendi, lutum ne, an ſignaculum?* In re igitur varia, & multiplici breviſsime proponemus meliora, eligemus optima, ſi tamẽ brevem premiſerimus vocum proprietatem, & ſignificationem, quæ ad verã ſententiam aditum aperiant.

I Sententiæ obſcuritas, & interpretationũ varietas.

Reſtituere, quid proprie.

הפך

חמר

Lutum.

חתם

Signaculum.

יצב

Stare.

Reſtituere. Proprie eſt vertere, aut cõvertere, aut reverti: & affert quidem mutationem, & converſionẽ unius rei in varias formas, aut vices, aut loca, aut partes, ut cum invertitur aliquid, aut evertitur, & ſubvertitur: ſicut etiam cum hoſtes cõvertuntur in fugam, tunc enim terga vertunt. quod ſane non incommode dicitur *reſtituere*, quod eſt in priſtinum ſtatum, & formam convertere. *Lutum* vero id, quod ſonat, argilla, ex qua lateres fiunt, ex quo finguntur lutea vaſa, ex quo factus eſt homo. Porro *Signaculum*, ſigillum, quod peculiare inſigne, atque figuram imprimit. Illud paulo diverſum, quod *ſtare*, ſive erigere, aut conſtituere, in originali eſt plurale, *ſtabunt*. Licet quidem hæc numerorũ permutatio valde frequens ſit in Scripturis, neque ſententiã variet.

3

Prima expoſitio Latinorũ, humilior. *D. Thom. Lyra.*

His premiſſis, prima interpretandi ratio eſt D. Thom. Nicolai, & quorundam Latinorum referentium hanc ſententiam ad terræ motum, quo quædã ædificia trahunt rimas, ſed ceſſante motu terræ, facile reſtituũtur, & obducũtur, *Sicut Lutũ*: quædam vero, ut arbores, concutiuntur, ſed tamen non rũpuntur inſtar *veſtimenti excuſſi*. Interpretatio proculdubio humilior, quam Divinus ſermo poſtulet, tum minime cohærens; nam cum Dei oratio nunc non verſetur in operibus artis, quid nunc pertinuit dicere ædificiorum rimas, & aperturas poſſe obduci gipſo, aut calce? Aut quid tã ſtupendum, ædificia findi, & fatiſcere, aut arbores concuti?

Secunda interpretatio Hebraizãtium.

Secunda eſt quorũdam Hebraizãtium exponentium de terra, ac materia, quæ novis ſemper formis quaſi ſigillis impreſſis afficitur, & inſignitur, præteritas abjicit, & vertitur in varias formas atq; figuras, inſtar luti molliſsimi. homines vero etiã mutantur, ſicut *veſtimentum*, & diverſimode afficiũtur a Solis luce in diverſis anni temporibus. Hanc exponendi rationẽ primus attulit, R. Gerſon ſequuti ſunt Vatablus, Tygurina, Eugubinus. Nexum nullum habet hæc interpretatio, nihil pręterea magnificũ, dignũve Dei oratione.

R. Gerſon. Vatabl. Tygurina, Eugubin.

Tertia exponẽdi ratio parũ cohærens. *Dionyſ.*

Tertiam indicavit Dionyſius, ut cũ de impiorũ excuſsione, & interitu videatur proxime dixiſſe, nunc ſubjungatur opus Divinæ Potentiæ, atque Sapientiæ reſtituentis mũdo in demortuorum locum alios homines, inſtar *Luti*, quod unam figuram amittit, aliã admittit. Sic ſane, *Generatio præterit, generatio advenit, terra autẽ in æternum ſtat*. Rurſus qui adveniunt denuo, *ſtare* videntur, ſed ſtare diutius non poterunt, quippe *veteraſcunt ſicut veſtimẽtum, & velut opertorium mutabuntur*. Certe hujuſmodi Philoſophia producitur ab Eccleſiaſte, non tam ad prędicationem Divinæ Potentiæ, quam ad comprimẽdam hominum ſuperbiam. Non cohæret itaq; cum ſemel inſtituta enarratione operũ, & dierum Creationis.

Generationũ viciſsitudo, & mundi renovatio. *Eccleſ. 1. 3. Pſal. 101. 27.*

4

Quarta interpretatio humilis, & invita. *Cajet.*

Quartam vero, quæ Cajetani eſt, minime prætermittemus: cum enim impiorũ mentio proxime præceſſerit, exiſtimat nunc eoſdem nunc præſtingi duplici ſimilitudine: prima quod ſint inſtar *Signaculi, id eſt, quod conjuratio ſecreta impiorũ*, quaſi ſub ſigillo clauſa, eſt *ſicut lutum*, quod vertitur, *& indifferẽter una pars ſuſtentat aliã*: ſic impii mutuo ſe ſuſtentant. Secunda vero, *quod quemadmodum veſtimentũ accõmodatur corpori, ita impii conſtituunt, ut quilibet accommodet ſe alteri, & ſit velut veſtis alterius, ita ut nulla oriatur inter eos diſcordia*. Vide quam vili, & abjecta, quã invita, quam lõge petita interpretatione deceperit nunc quoque Cajetanũ Hebręus ille, quo ad manum utebatur! Hebraizantes alii longe alia ratione ad impios referũt, qui matutina luce occupati aliam faciem, aliam veſtẽ ſumunt, nocturnam depoñũt, ne detegatur illorum improbitas. Ergo interdiu habitu ipſo ementiuntur probitatem, & honeſtatẽ morum, & tam facile id efficiunt, quam lutum, aut quam terra mollis, & ſubacta ſuſcipere poteſt diverſas ſigillorũ figuras. Indicarunt hoc Iſidorus atque Vatablus. quæ interpretãdi ratio colludere videtur cum illo, c. 26. 15. *Oculus adulteri obſervat caliginẽ, dicẽs, Non videbit me oculus, & operiet vultũ ſuũ.* Interpretatio quidem bene cohæret cum luce, & *impiorum excuſsione*, ſed humilior eſt, quam pro Divini ſermonis amplitudine, & dignitate.

Quinta expoſitio cohęrẽs, ſed humilis. *Vatabl. Iſidorus.*

Sextus explicatus eſt Franciſci Titelmani, ſumentis *Signaculum* pro homine, qui Divina imagine, & ſimilitudine ſignatus eſt. Cum ergo *impii* homines *excutiũtur*, & tolluntur *de terra*, tunc *Signaculum reſtituitur* ſuæ origini, & vertitur in lutũ, & pulverẽ, & velut veſtis attrita primam illam figuram, & venuſtatem amittit. Cõgruens quidẽ expoſitio, ſed nõ cohærẽs.

Sexta exponẽdi ratio nõ cohærens. *Titelman.*

5

Duplex exponendi ratio idonea.

Lux rerũ ſpecies, & formas ſæpius ablatas rebus, ſæpius reſtituta.

Ego, ſecundum aliorum interpretationes, duas præterea afferam, alteram, ut eãdem rem de luce ſemel propoſita promoveat, Illa quippe novam ſemper faciẽ rebus affert, novam ſpeciẽ, & quaſi *Sigillo* quodam, ita res omnes lumine perfuſas, Divinæ perfectionis inſignibus afficit, & exornat: ut quam videntur in nocte, & tenebris faciem, & ſpeciẽ amiſiſſe, rurſus

redivi-

rediviva lux reſtituat, & iterū imprimat rebus, ſicut *lutum*, & cera, cui ſæpe apprimitur *ſigillum*. Inſuper ſinguli dies *ſtant, ſicut veſtimentum*: cum enim lux ipſa, quæ conveſtit, & exornat univerſum mundū, recens exorta videatur eſſe veſtis quædā ſpecioſiſsima ex aureis filis, & radiis contexta; cum occidit Sol, videntur tum lux ipſa, tū res cunctæ lāguere, & initar *veſtimenti veteraſcere*. Sed renaſcente luce, deponunt cuncta attritam illam veſtem, & reſtitutam alia pretioſiorem ex recēti lumine induuntur.

6 Secunda expoſitio de hominis creatione. LXX.

Alteram explicandi rationem prębent nobis Septuaginta legentes, *Aut tu jumēs terram, lutum plaſmaſti animal, & idoneum ad loquendum eum poſuiſti ſuper terrā?* Ergo videtur opportune nūc poſt alia creationis opera indicari a Deo opus ſextę diei, id eſt, hominis formatio ex luto; tum etiā illius natura terrea, & fragilis, Divina tamen Potentia conſiſtens, & erecta. Cum quo recte conſentit noſtra lectio, Homo enim dici poteſt *Signaculū*, quaſi paſsive, id eſt, Dei ſimilitudine ſignatus; aut, ut Gręci voluēt, quod *præ cæteris rebus homini Deus tradiderit ſuum inſigne*, id eſt, *rationē, qua reliquæ res omnes caruerūt*, quod *ſignaculum reſtitutum eſt, ut lutū*, id eſt, verſum, & converſum eſt, rurſusque reverſum: primum, cū lutū ipſum verſum eſt in hominem; deinde cum homo ipſe ſignatus Divina ſimilitudine *reverſus* eſt in lutum, *& terram, de qua ſumptus eſt*; *Ego*, inquit Chryſoſtomus, *utroque nomine Deū admiror, vel quod corruptioni obnoxium humanum corpus conflarit: vel quod in ipſa corruptione vim ac ſapientiam ſuam expreſſerit*. Tum præterea illud eſt mirabile, quod lutū *ſteterit*, nimirum erectum; at quidē *ſtetit ſicut veſtimentum*, quod veteraſcit; veteraſcente nimirum, & ſeneſcente corpore, collabēte *luto*, quod prius *ſteterat*. Expoſitio hæc optime cohæret cū aliis diebus creationis, tum etiā ipſum nomen *luti*, vel, ut Græci explicant, *terræ madidæ, idoneæ ad fingendū hominem*. Et illa præterea *veſtimenti* tranſlatio ſæpius uſurpata in Sacro ſermone, confirmare videtur, rem hanc pertinere ad hominē. Vide, quę diximus, c. 10. verſ. 9. Ubi non mirum, quod in ipſa creatione hominis ex luto, admoneat illum Creator ſuæ mortis, & converſionis in lutum; nā lutum per ſe utrumque revocat in memoriam, & potentiam Creatoris, & fragilitatem hominis. Vide cap. 10. citato, & c. 19. ubi diximus in ipſa noſtra Creatione admoneri nos, non ſolum potentiæ Creatoris, ſed ejuſdem et potentiæ ad efficiendā Reſurrectionē corporis creati ex luto, poſtquā in lutum converſum eſt, ut obſervavimus ſuper id, *de terra ſurrecturus ſum*, c. 19. verſ. 25. n. 28. 29. 30.

Homo, ſignaculum. Nicetas. Chryſoſtom. Lutum conſiſtere erectum, mirum. Luti cum veſtimento cōparatio. Origo hominis ex luto admonet hominē Divinæ Potentiæ, & humanæ fragilitatis.

XV. *Auferetur ab impiis lux ſua, & brachiū excelſum confringetur.*

1. *Nexus difficilis quatuor interpretationibus tentatus.*
2. *Nexus, & interpretatio commodior, de hominis peccato, & ſupplicio. Illuſtratus Eccleſiaſticus.*
3. *Hominis obſcuratio ex peccato. Illuſtratus Eccleſiaſticus, & Baruch.*
4. Brachium excelſum *ad ſuperbiam*. Brachiū, *&* armus *Regni Symbolum.*

I Nexus exquiritur.

IN Sententia per ſe clara, nihil, præter nexum, difficile. Cum Græcis plerique, Quoniam ſemel impiorum mentio facta eſt, nunc ex illorum ſupplicio cōmendari Divinam potentiam. Nicetas, *Punire impios, eorumque potentiā obterere, nempe Divinæ id dexteræ eſt, atq; operationis*. Alii, ut D. Thom. & qui illum ſequuntur Nicolaus, & Dionyſ. referunt ad ſuum illum terræ motum, quo vitæ lux, & arcium fortiſsimarum celſitudo perire ſolent.

Nicetas. D. Thom. Nicolaus. Dionyſ.

Sed illud ſubtilius, & argutius, quod Cajetanus cum luce connectit, ut cū dixerit impios tenebriones noctu vivere, & graſſari; exoriente vero luce diffugere, & cōprimi; videntur quidem noctem habere pro luce. Ergo cum verā lucem Deus affert mundo, aufert illorū lucem, id eſt, tenebras; comprimitque illorum vires, & improbitatem, quod inſignis cujuſdā Providentiæ eſt.

Subtilior Cajetani nexus.

Alii ex ipſa luce, quā oderunt improbi, eliciūt minas ſempiternarum tenebrarū. Quia, inquit, iſti oderunt lucē, atque prę clara opera, amarunt tenebras, & mores teterrimos; omnis illis eripietur lux, & ſempiternis tenebris damnabuntur.

Oſorius.

Denique cum Providentia, quā Deus in mundi, & rerum omnium cōſtitutione ſervat, aliqui ſic nectunt, ut cum duplex ſit Providentiæ pars, illam Deus tā oſtēdit in impiorum ſupplicio, quam in rerū aliarum inſtauratione, & conſervatione.

Eugubinus.

2 Nexus ſimplicior, & commodior.

Ego vero exiſtimo ſententiā hanc cohærere cum primi hominis primo, & fæliciſsimo ſtatu: tum etiā cum ſecundo poſt peccatum ærumnoſiſsimo, in quo repræſentata eſt Divinæ Providentiæ, atque æquitatis imago, juſtos fęlicitatis luce jucundiſsima complentis, impios vero meritiſsimis ſuppliciis proſequentis. Atque

hujus sententiæ cōmentarium facile conficiemus ex c. 17. Ecclesiastici, ubi hominis innocentis *lux*, & *virtus*, tum peccatoris *tenebræ*, & *imbecillitas* mirifice describuntur, ad hujus nostræ sentētiæ illuminationem. Ergo, inquit, universitas creaturarum homini servit, tum lucis ac tenebrarum vicissitudo: illa etiā, quæ in Cœlo lucent, illius sunt, creata nimirū, *ut essent in signa, & tempora, & annos; vestivit* præterea *illū Deus virtute secundum se*, ut ait, Ecclesiasticus, id est, virtute quasi Divina, *& testamentum æternum constituit cum illis, & dixit, Attēdite ab omni iniquo.* ut scilicet quasi ex pacto fœdere pietatis, & obediētiæ, fælicissimo statu tum corporis, tum animæ, & rerum omnium amplissima potestate potirentur; sin minus lux illa fælicissima illis auferretur, & in supplicium, tum ærumnis aliis, tum incredibili corporis, & animi infirmitate afficerentur. Vides jam transgresso præcepto, *ablatam ab impiis lucem suam*. sive, ut est in Hebræo, *Probibitam*, id est, privatos illos luce, qua fruebantur. Sicut e cōtrario dictum est. Ps. 83. 12. *Non privabit bonis eos, qui ambulāt in innocētia. Ibūt enim de virtute in virtutem*, id est, Divino beneficio rerum omnium potiētur, juxta id, *Præcepta mea cor tuum custodiat, longitudinem enim dierū, & annos vitæ, & pacem apponent tibi.* & iterū, *Qui recti sunt, habitabunt in terra, & simplices permanebūt in ea, impii vero de terra perdentur, & qui inique agunt, auferētur ex ea.* q.d. Mundum, & terram justis concessam cum cælesti lumine ad fruendū, at ab impiis auferendā lucem, auferendam terrā. Vt in hanc rem videatur sane dictum opportune ab Ecclesiast. 17. 27. *Quid lucidius Sole? & hoc deficit. Aut quid nequius, quam quod excogitavit caro, & sanguis? & hoc arguitur. Virtutem altitudinis Cæli ipse conspicit, & omnes homines terra, & cinis.* id est, Etiam sine ullo peccato, aut culpa sua aufertur homini lux ista Solis, quam cōspicimus, sive subeunte nocte, sive opposita umbra alterius astri; quāto igitur majori jure impiis cogitantibus, quæ carnis, & sanguinis sunt, auferetur lux? Cælestis ille globus obscuratur, non obscurabitur, qui ex terra factus est homo, *& arguetur* peccati, damnabiturque mortis, ut revertatur in terram, & cinerem? Hac ipsa eadem profecto ratione ad pietatem, & jucundam ac tranquillam terræ ac luminis possessionē hortatur Baruc. c. 3. 13. quasi cum Adamo loquutus, *Si in via Dei ambulasses, habitasses utique in pace super terram. Disce, ubi sit prudentia, ubi sit intellectus, ut scias simul, ubi longitudo vitæ, & victus, ubi sit lumen oculorum, & pax.* Perdidit enim hęc Adamus, immortalitatem, victum, lucem oculorum, pacem, & reliquorum bonorum abundantiā, simulque *virtutem* illā qua *vestivit* illū Deus: per peccatū enim *brachium*, viresque illius confractæ, & debilitatæ sunt, cōpressaque superbia. Illud enim significat *celsitudo* illa *brachii*. unde legerunt Septuaginta, *Brachiū superborū.* Aut certe, *brachiū excelsum* significare poterit illam hominis potestatem super omnem carnem, quam timebant cuncta animantia: *Posuit enim terrorē illius super omnem carnem, & dominatus est bestiarū, & volatilium.* est enim *Brachium* vel, *Armus*, ut aliquando diximus, Regni, & potestatis Symbolum. hoc vero *Brachium* ad subjicienda sibi reliqua animantia si non omnino præcisum post peccatum, at *confractum*, & debilitatum est. Vide Basilium Hom. 10. Hexameron.

Ecclesi. 17. 3.

Homo propter peccatum quibus mulctatus.

Prov. 3.

Prov. 3. 21.

Promissiones Iustorum impiorum supplicia.

3 Elucidatus Ecclesiasticus

Bona, quibus spoliatus est peccator.

4 Celsitudo brachii ad superbiā, aut ad potestatem.

Ecclesi. 17. 4.

Brachium, & armus Regni symbolum.

Basilius.

XVI. *Nunquid ingressus es profunda Maris: & in profundis abyssi deambulasti?*

1. *Dei interrogatio arguit hominis ignorantiam. Divina attributa inter se nexa.*
2. *Metonymia. Maris descriptio.*
3. *Profundū, quid, & unde dicatur. Varia lectio. Fluxus, & refluxus. Mare ex potentia Creatoris, quasi ex fonte perenni manans.*
4. *Deus nunc ambulans super fluctus Maris, nūc in profundo, quid designet. Prædicata illius potentia ex transitu Maris Rubri. Explicatus Isaias.*

1 CVM Parumper abrupisset filū suæ orationis, atque operum creationis Deus, impiorum mētione Divinis operibus abutentium, redit eo iterū, unde discesserat, orditurque a Maris immēsitate, quam cōplecti potest coercendo sola Divina virtus, & exhaurire investigādo sola Divina Sapientia. Cum autem rogat hominem Deus, *an Maris profundum, atque novissima penetrarit*, perinde est, ac si assereret, hęc ab illo ignorata, & incōprehensa esse; soli vero Creatori perspecta, & explorata. Quod melius cum re præsenti convenit, quam quod Philippus indicare videtur, hæc dici ad stabiliendam Providentiam, & præsentiam Divinā, q.d. Adsum ego præsens, quo tibi nō licet ingredi, & iis ego rebus provideo, quas præsens video, & quæ a tuo conspectu quāremotissimæ sunt. Quamquam quidē omnia hæc Divina attributa, hac sententia

Interrogatio Dei arguit hominis ignorātiam.

Philipp.

Divina attributa inter se nexa.

stabi-

ſtabiliantur, Potentia, Sapientia, Providentia, Præſentia.

2 D. Thom. Nicolaus. Dionyſ. Metonymia.

Profundum Maris. D. Thomas, cum Latinis exiſtimat per Metonymiam, ſignificari infinitas piſcium varietates, quæ in Maris profundo ſunt. Ego ſynceram adhuc Maris, & elemẽtorum mentionẽ fieri exiſtimo, nondum viventium, & immenſam illam altitudinem Maris, quæ rei obſcuriſsimæ, & ignotiſsimæ humanę intelligentiæ, ſoli Deo perſpectæ, ſymbolum eſt. Vide ſuperius c. 28. 11. Pſal. 64. 8. 68. 15. 16. Eccleſiaſt. 1. 2. c. 23. 28.

3 Profundum, quid, & unde dicatur, Cajetan.

Profundum autem, quod dicitur a radi *Bacah*, quod eſt flere, aut plorare; varie redditur ab interpretibus. Cajet. quidem tum hic, tum ſupra cap. 28. verſ. 11. vertit *tricas*, ſive *perplexitates*, videlicet loca illa in Maris fundo, in quibus, ex diverſis meatibus concurrentibus, aquæ intricãtur, & implicantur; aut certe *voragines, & receſſus Maris*, ut dixit Iſidorus; Tygurina, *Guttas*. Regia; *Fletus*, diceret elegantius, *Lachrymas*. denique Septuaginta, *Fontem Maris*, dixerũt: videlicet altiſsimas, & obſcuriſsimas ſcaturigines manãtes aquis, ſeu lachrymis. de qua tranſlatione diximus, c. 28. verſ. 11. n. 5. 6. ubi dicitur Deus *ſcrutatus profunda fluviorum*, id eſt, perveſtigaſſe ſcaturigines fluviorum manantes & illachrymãtes. quæ res cum potius cõveniat in flumina ex aliquo ſemper capite deducta, quam in Mare, elegãter dixit Olympiodorus: *Non meminiſſe fontis, quaſi fontem habeat Mare; ſed poſitum eſſe pro initio; Unde, inquam, ſit Maris initiũ ductũ noſti?* quippe non minus eſt mirabilis fontium, & fluminum ſcaturigo, quam nulla ſcaturigine perpetuis aquis Mare redundans. Subtile, & argutum eſt id, quod in hac lectione Septuaginta, Philippus indicari exiſtimat, videlicet fluxum, atque refluxum Maris, quaſi fontes Maris immenſam illam Maris copiam eructent, cũ Mare fluit, & æſtuat: rurſumque illi ipſi eandẽ aquã ebibãt, cum refluit, & ſubſidet. Sed quidem illud ſimplex eſt, ut ſignificetur, aquarũ immenſitas non ex alio manaſſe, quam ex Potentia Creatoris.

בכה Iſidorus, Tygurina, Regia. LXX

Olympiod.

Philipp. Fluxus, & refluxus Maris.

Mare ex potẽtia Creatoris, tanquã ex fonte manans.

4 Vatabl. Cajet. Tygurina, Regia.

Et in noviſſimis abyſſi. Eleganter illuminatũ eſt ab Interprete, quod in Hebræo, & Græco legitur, *In veſtigiis abyſſi*. Vatablus, *In vado*, vel, *in fundo*; Cajetanus, *In inquiſitione*; Tygur. & Regia, *In perveſtigatione*. Nam vox originalis ſignificat, aliquid quærere, & inveſtigare uſque ad fundum, & noviſsimũ. de quo verbo diximus cap. 29. verſ. 16. n. 15. & cap. 11. verſ. 7. de *Abyſſo* autẽ, diximus ſuperius c. 28. verſ. 13. Cum autem negatur humanæ Potentiæ, conceditur Soli Divinæ, *deambulare, & viam invenire in Maris profundo*; Ita videtur cõmendari Divina Potẽtia ex Maris profunditate hominibus inacceſſa, ut eadem ipſa Divina Potentia commendetur ex eo, quod poſsit tramitem invenire, & deſignare viam ad deambulandum in profundo Maris, & in *noviſsimis abyſſi*. q. d. *Dios ſabe ballarle, y darle vado al Mar*. Prędicatur igitur aliquãdo Deus, ſuperius, c. 9. 8. quod *Gradiatur ſuper fluctus Maris*; nunc vero, quod *deambulet in ipſo profundo*; utrumque enim imperantis, & dominãtis eſt, univerſam Maris regionem circumeuntis, & quaſi poſitione pedum ſubjicientis, & poſsidentis ſive ſummam, & extimam aquam, ſive infimam, atque noviſsimam. Et quidem *cũ graditur ſuper fluctus Maris*, videtur concitare mirabiliter fluctus; Cum *deambulat in noviſſimis*, mirabiliter etiam *conturbare profundum*. Pſ. 64. 8. Et forte potuit alluſio fieri hac ſententia ad tranſitum Maris Rubri, ſi jam id accidiſſet; nam ejus rei fama univerſas illas provincias compleverat, ut Ioſue. 2. 10. *Audivimus, quod exſiccavit Dominus aquas Maris Rubri ad veſtrũ introitũ*. & Sap. 19. 8. dicuntur hæc *Mirabilia, & monſtra*. atque Iſai. 51. 10. ex eo ipſo facinore prædicatur Deus.

חקר

Divinæ Potẽtiæ cõmendatio ex Maris profunditate.

Deus nunc ſuper fluctꝰ Maris gradiens, nũc in profundo, quid deſignet.

Deus nũc cõcitãs fluctus, nunc profundum Maris.

Ex trãſitu Maris Rubri, prædicata Divina Potentia.

℣. XVII. *Numquid apertæ ſunt tibi portæ mortis, & oſtia tenebroſa vidiſti?*

1. *Interpretum diſſenſio. Duæ aliorum interpretationes parum idoneæ.* Portæ mortis. *nunquam deſignãtur in Mari.*
2. *Congruẽtior expoſitio.* Portæ mortis, *Terra caverna. Mortis Regia, Infernus. Illuſtrata Sapiẽtia.*
3. *Portæ mortis ſoli Deo patentes.*
4. *Deus timendus inferis. Allegoria Christi deſcẽſus ad inferos.*

I Eugubin.

EVgubinus ſcribit *Omnes cõſentire portas mortis eſſe centrum terræ*. atque id utinam vere ſcripſiſſet, ne ulla diſcordia Interpretum nos impediret. Sed longiſsime ab illo abeſt D. Tho. ut qui exiſtimet nunc deſcribi Cælum, cujus influxus efficientes corruptionem rerum inferiorũ appellentur *Portæ mortis*. Expoſitio proculdubio longiſsime petita. Ergo ad alicujus rei inferioris, & elementi deſcriptionem pertinet profecto hæc ſententia ex frequenti conſenſu aliorum Interpretum: ſed diſſentiunt in illo aſsignãdo. Nã

Diſſenſio Interpretum. D. Thom.

Cajetan.

Cajetan⁹ de *Mari* interpretatur, in quod *qui deſcendit*, & enavigat, *narrat*, videtque *ejus pericula*; hæ ſunt *portæ mortis*. deinde graviora alia quædam diſcrimina, & imminentem mortẽ, appellari *Oſtia tenebroſa* ſive, ut in Hebræo eſt, *Portas umbræ mortis*. Scio *umbram mortis* ad pericula referri, ſed mortis vel domum, vel portas, vel arcẽ, & regiam, nemo conſtituit in Mari; in terra ſæpe docemur, in Sacro ſermone.

Portæ, aut dom⁹ Mortis nõ dicũtur eſſe in Mari.

2 Ergo proculdubio de terræ profunditate, & altiſsimis ſpecubus, tum propter ſequentem ſententiã, ubi agitur de *terræ latitudine*, nunc autem de illius profunditate; tum quod terræ profunditas nõ ſemel proponatur in Scriptura, ad excellẽtiam, ſupra c. 11. verſ. 8. *Profundior inferno, &c.* Habet autem peculiarem cognationem terra cũ morte, quod terra mortuos excipiat gremio; cum enim excedũt ex vivis, in terram concedunt. Tum etiã quod illius ſpecus, & cavernæ ſpeciẽ habeant ſepulchri, imo &, ut Poetæ loquũtur, & fingunt, illæ ſunt terræ fauces hiãtes in prædam mortalium. quare *Infernorũ Regnum* dicitur *nõ eſſe in terra*; ſed potius *ſub terra*, Sap. 1. 14. *Deus*, inquit, *mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum, neque infernorũ regnum in terra*: quod proprie ex Græco legas; *Neque inferni regia ſuper terram*. q. d. Mors non eſt invecta a Deo in mundum, quin potius, ſi quid ille ad mortẽ pertinens in mundo cõſtituit, abdidit in viſcera terræ, ibique fabricavit ampliſsimum quodã ſepulchrũ, quod exciperet eos, qui ſua culpa æternę mortis damnarentur. Illa igitur eſt domus regia Mortis, ibi umbra, & ſimilitudo Mortis; & ut ſuperius dixit, c. 10. verſ. 21. 22. illa eſt *terra tenebroſa, ubi umbra Mortis, & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat*, qui locus omnino adeundus eſt pro cõmentario hujus noſtræ ſententiæ.

Verior, & germanior expoſitio.

Terræ cũ morte peculiaris affinitas.

Specus, & cavernæ portæ Mortis.

Infernorũ regnũ ſub terra.

Infernus dom⁹ Regia Mortis.

3 Ergo *Mors* hoc loco erit locus ille mortuorum, & damnatorũ, in ipſis terræ viſceribus profundiſsimus; tum etiã alii pro fundiſsimi receſſus, & cavernæ, atq; voragines quædam altiſsimæ, quę videntur eſſe hiantes fauces Mortis. hæ igitur erunt *Portæ Mortis*, quæ dicerẽtur *apertæ*, vel ut ex Hebræo legi poteſt, *diſcoopertæ*, & detectæ, ſi ea, quæ abſcondita ſunt in imis terrę viſcerib⁹, patere poſſent; quod cum omnino negatũ ſit humanis oculis, at Deo pro ſua Potentia atque Sapiẽtia expoſitum eſt. Vide c. 34. verſ. 22. cap. 28. verſ. 22. 24. c. 26. verſ. 6. c. 11. verſ. 8. 9.

Portæ Mortis ſoli Deo patẽtes.

4 Quod autẽ additur *Oſtia tenebroſa*, expoſitio eſt præcedẽtis: repetitur enim in Hebræo, *Portæ umbræ Mortis*. De Umbra autem *Mortis* ſæpe diximus, & de lethiferis inferni tenebris, ſuperius in fine c. 10 dicemus etiam, n. 16. ſequente.

Græci vero eleganter promovent illã *portarum Mortis* tranſlationem legentes; *Aut tibi aperiuntur metu portæ Mortis, aut janitores inferni videntes te, timuerunt?* ut ſignificet non ſolum vim Divinæ Sapientiæ penetrantis occulta; ſed etiam poteſtatis tremefacientis firmiſsimas terræ partes ſuo nutu, & conſpectu. Quod vero Iulianus, Chryſoſtomus, Theophilus, de Chriſti deſcenſu ad inferos ſcribunt; tum etiam, & Gregorius, Philippus, & alii Latini; elegans imprimis eſt, ſed allegoricum.

LXX.

Chriſti deſceſus ad Inferos

Iulian. Chryſoſtom. Theoph. Gregorius. Philipp.

℣ *XVIII. Nunquid cõſideraſti latitudinem terræ? indica mihi, ſi noſti, omnia.*

℣ *XIX. In qua via lux habitet, &c.*

1. *Latitudo terræ, in Sacro ſermone, quid. Illuſtrati Moyſes, Iſaias, Ez. Iohel.*
2. *Nexus hujus ſententiæ cum præcedentibus. Terræ ambitus.*
3. *Varia interpretatio*, ſemitæ lucis. *Cauſa perpetui motus circularis.*
4. *Idonea expoſitio de loco lucis, & tenebrarum.* Habitare *quid. Theſaurus unde dicatur.*
5. *Solem mergi in Mare, aut condi inter montes, opinio antiquorum. Lucem ex Cælo oriri, tenebras ex inferis. Illuſtrata Sapientia.*
6. *Deus cuncta movens ad ſuos fines.*

MIrum eſt, ut ſtatim lecto, & audito nomine *Latitudinis*, D. Thomas, & Latini, ut ſunt in hujuſmodi Latinis proprietatibus diſcernẽdis attẽtiſsimi, illud arripuerint, preſerint, emulſerint, tandẽ que elicuerint, nũc agi *de terræ latitudine*, quæ conſideratur a Philoſophis ex Meridie ad Septẽtrionem, ut deinde verſiculo ſequente agat *de lõgitudine* ab Oriente in Occidens. Quia enim Philoſophi confingunt porrectum hominem per mũdi axẽ, cujus caput ſit in Oriente, dextrũ in Meridie; inde *longitudinem* mundi, vel terræ conſiderant, a capite, id eſt, ab Oriente in Occidens; *Latitudinem* a Meridie in Septentrionem, Adeoque etiam Olympiodorus ait, Rogari a Deo Iobum de *terræ diametro*. Recte hæc, & vere. Sed proculdubio minime exacte ad phraſim, & conſuetudinem Sacri ſermonis; nã Scripturę 1

D. Thom. Nicolaus. Dionyſ. Titelman. Oſorius.

Latitudo terræ, quæ.

Olympiod.

vocant

Latitudo in Scriptura, cõprehendit omnes dimenſiones.

vocant *latitudinem*, non quæ opponitur *longitudini*, ſed quę univerſum rei ſpatiũ, univerſaſque differentias poſitionis cõplectitur; quæ ex quacumq; parte anguſtiis, & brevitati opponitur. Vnde Devt. 19.8. dicitur, *Cum dilataverit Dominus terminos tuos* (& exponitur) *& dederit tibi cũctam terrã*. & Ezech. 41.7. de latitudine, & longitudine videtur dici, *Platea erat in rotundum aſcendens ſurſum*. quod proprie legitur ex Hebræo, *Dilatabatur, & circuibat deſuper*. id eſt, erat longior, quã lata; & Gen. 34.10. *Terra in poteſtate veſtra eſt*. proprie; *terra lata eſt in manibus veſtris*. id eſt, patet libera, & ſpatioſa circumquaq; Denique accipitur pro ambitu cujuſcumque rei, etiã in orbem, Iſai. 54.2. *Dilata locum tẽtorii tui*. Ergò hæc *terræ latitudo*, eſt profecto univerſus terrę ambitus, de quo etiam dictum eſt, Eccleſiaſ. 1.2. *Latitudinem terræ, & profundũ abyſſi quis dimenſus eſt?* Idemque ipſum probat nomen originale, quod eſt pluralis numeri, *latitudines terræ*. ut ſignificet omnes illius poſitiones, & ambitũ univerſum. Cujus rei pars ſequens expoſitio eſt; *Indica mihi, ſi noſti omnia*. eſt enim illud *omnia*, numeri ſingularis, q.d. omnem, vel totã; refertque terram univerſam, ut explicate legerunt Septuaginta, *Cognoviſti latitudinem ejus, quæ ſub Cælo?* Rogat ergo Deus id, quod non ſolum humanæ induſtriæ, & labori, verũ etiam humanæ conſiderationi, incomprehenſum eſt; videlicet ut homo cogitatione certa exploret, atque cognoſcat univerſos terræ angulos, receſſus, partes.

Latitudo terræ, illius ambitus.

LXX.

2 At quorſum rogatur homo a Deo, an hujuſmodi terræ ſpatioſiſsimæ latitudinem exploratam, & cognitã habeat? Certe non ſolum, ut ex immenſa terræ magnitudine, Creatoris immenſitatem colligat: neque ſolum, ut ignorantiæ hominẽ arguat, qui rem phyſicam, terræ ambitum non poſsit cõſideratione cõplecti, (quippe Philoſophi, & Mathematici profitentes ſe terræ ambitũ certa ratione, & mẽſura definire, & comprehendere, nihil tamen certi, & indubitati inter ſe conſtituunt) ſed ut ex comprehenſione univerſæ terræ cognoſcere poſsit *locum lucis, atque tenebrarum*, nam hæc ſententia proculdubio nectitur cum ſequente.

Nexus, & opportunitas huius ſententiæ.

Terræ ambitus non omnino certo cõſtitutus inter Mathematicos.

℟ XIX. *In qua via lux habitet: & tenebrarum quis locus ſit.*

℟ XX. *Vt ducas unumquodque ad terminos ſuos: & intelligas ſemitas domus ejus.*

3 DIvus Thomas cum aliis Latinis per *viam, ſemitã, terminos lucis*, exiſtimat ſignificari motum Solis, & aſtrorum, qui apud Philoſophos ſunt adhuc mille quæſtionibus impediti, & vix ſatis idonee explicati per epiciclos, & orbes alios excẽtricos & cõcẽtricos. Vatabl. varietatẽ Solis per Zodiacum efficientis dierũ, & noctium varietatem in diverſis terræ partibus. Cajetan. potius exiſtimat quæri hac interrogatione id, quod non eſt, videlicet locum certum, & fixum, in quo conſiſtat lux, aut nox. qui cum inveniri nõ poſsit, (quippe eſt lux in continuo motu) exiſtimat ex conſequente, rogari Iobũ cauſam perpetuitatis motus cæleſtis circularis. cujus nulla videtur alia, præter Divinam voluntatẽ. Alii, hic agi de mirabili noctis, & lucis ſucceſsione, & contemperatione. neque hæc proponi Iobo, quod comprehendi nequeat phyſica illarum ratio, poſt quam facta ſunt; ſed quod mirabilis ſit harum rerum inventio, creatio, diſpoſitio, & quæ in mentem humanã per ſe non caderet, niſi prius factam vidiſſet.

D. Thom.

Semita lucis eſt motus aſtrorum.

Vatabl.

Cajetan.

Cauſa perpetui motus circularis cælorum.

Aſtunica.

4 Ego vero exiſtimo rogari Iobũ de luce, & tenebris ſecundum ſpeciem; in quẽ locum ſe abdat lux, cum nos deſerit, unde emergant tenebræ, cum ad nos accedũt? Secus enim cum tenebræ nihil ſint, ſed ſola carentia luminis, nullus illarum motus eſt, nulla habitatio, nulla domus. Res profecto prima facie mirabilis, a profanis ſcriptoribus ſæpius; a Sacris non ſemel uſurpata. atq; hunc ſenſum ipſę voces videntur exigere, tum etiam illa interrogatio præcedens, *latitudinis terræ*; An in aliquo terræ extremo receſsu invenerit lucis domicilium. Quare Septuaginta legerũt, *In qua terra habitet?* Sic vero ex Hebr. *Vbi via, in qua habitabit?* videlicet poſt viæ, & itineris ſpatium emenſum. Illud enim videtur ſignificare verbum futuri tẽporis, quod proprie ſignificat quieſcere, demorari, quaſi in cubiculo, & loco recondito, aut in theſauro. nam habet quidẽ vox originalis *Sacan*, cognationẽ per metalepſim litterarum, cum *Niſcab*, qui eſt theſaurus, camera, aut *Gazophilacium*. Tum etiã eſt proximũ verbo *Sacam*, quod eſt, mane cõſurgere, quaſi dimiſſa quiete, & quieſcẽdi loco, quod frequẽter vertitur a Latino Interprete *de nocte cõſurgere*. *Sacan* vero erit

Idonea expoſitio de loco lucis, & tenebrarum.

LXX.

Habitare, & quieſcere, quid proprie.

שכן
נשכה
שכם

Theſaurus unde dicatur.

ad

ad quietem, & noctem traducendā alicubi comorari. Idē vero de *tenebris*, & *nocte* quæritur, locus, quo, cum fugatur, ſe recipit,
5 ubi interdiu latitat. Solem alii Occidentē immergi freto, cōdi in terras, duas item habere domos, ad oriendum, ad occidendum, ſępe dixerunt Poetæ: ut cum de Hercule ille loquitur;

Solem mergi, & condi, opinio antiquorum.

Seneca in Her. furent. act. 4.

Fervide Titan, obitus pariter
Tecum Alcides vidit, & ortus
Novitq́ tuas utrasq́ domos

Nocti itē ſuam domū ſub inferos tribuerunt. Ariſtoteles ſane libr. 2. Meteor. c. 1. aliam refert antiquorum opinionē de loco, & domicilio noctis, & tenebrarum, videlicet poſt altiſsimos quoſdam montes Septentrionales: inde emergebant tenebræ, ubi condebatur Sol. *Hanc* (inquit, regionem Septentrionalem) *elatiorē eſſe, documentū inde capere poſſumus, quod multi, qui apud veteres ſublimium rerū expoſitionē tradiderunt, perſuaſum habere viſi ſunt, Solē ipſum non ſub terram, ſed circū terram, & hūc plane locum cōmeare, nec cōſpicuum exiſtere: imo tenebras abducere, quoniā Septentrionalis ille tractus celſior aſſurgat.* inde igitur ex altiſsimis montibus præcipitari noctē credebant, quam nomine *majorum umbrarū*, Poeta ſignificare viſus eſt, in deſcriptione noctis incipientis, & Solis cadentis;

Virg. lib. 6.

Majoresq́ cadunt altis de mōtibus umbræ.

Sane quidē *Luci* in ſuperna regione, *Tenebris*, & *nocti* in infera, Sacrę litteræ, ſimul etiam profanæ tribuerunt: quippe ſicut fons luminis in Cælo eſt, ita etiā Deus, qui in Cælo reſidet, *Pater luminū eſt, apud quem* non ſuccedit *umbræ* alicujus *viciſsitudo*, ut Iacobus dixit. Porro nocti, & tenebris infernus locus aſsignatur propria domus, & ſedes, ut cum affunditur mundo caligo, videatur aſcendiſſe ex orco, & inferno;

Iacobi 1. 17.

Virg. lib. 6.

Umbrarum hic locus eſt, ſomni, noctisq́ ſoporæ

Quare tenebras illas Ægyptiacas, quaſi inferorum faucibus eructatæ fuiſſent, appellat Sapiēs, 17. 14. *Noctem ab infimis, & ab altiſsimis inferis ſupervenientem.* illæ videlicet ſunt *noctis æternæ* plagæ; illic *noctis cubile*, unde ſurgunt, unde ad nos evocātur tenebræ: dixit etiam ille;

Seneca in Oedip. act. 2. in Her. Oeth. act. 4.

Cubile video noctis. hunc tenebras vocat

Sic cum Lucretius atram pingit tēpeſtatē, dicit ex inferis aſcēdere tenebras, quibus obſcuretur Cælum; lib. 6.

Lucretius.

Quod tanc per tōtū concreſcūt aëra nubes;
Undique ut tenebras omnes Acheronta reamur
Liquiſſe, & magnas Cæli cōpleſſe ruinas.

In illa ætherea regione lux habitat; ē contrario iſte eſt locus tenebrarū; ſed homini inviſus, & ignotus; ut cujus imperio minime pareant lux, & tenebræ, *neque ducat unumquemque ad terminos ſuos.*

Hanc vero ſecūdam partem fere eodē modo reddiderunt Septuaginta; *Si duces me in fines eorum*? 6
q. d. Nū me edocere poteris rationē mundum adminiſtrādi, dies atque noctes contemperandi, rebusq; ſingulis, locum, terminos, tempus præfiniendi. Verbum Hebræum vim habet accipiēdi, quaſi manu; *Capies eam* (noctem) *ad ſuū finem*? nihil enim movetur, quod non deducatur ipſa Dei manu, & poteſtate; ſi ille manum non admoveat, immota, iners jacebit, & ſqualebit natura. Fugam ille alius meditabatur ad extremos terræ, Mariſque receſſus; at neq; Deum fugere poſſet, niſi ſua illum manu Deus caperet, atq; deduceret; *Etenim* (inquit) *illuc deducet me, & tenebit me dextera tua*. Et eodē verbo, & re dicebat Abraham captum eſſe Dei manu, deductumque, neſcientē quo iret; Geneſ. 24. 7. *Deus Cæli tulit me de domo patris mei, & de terra nativitatis meæ*. Sic potentiſsimus Deus capit Solem, accipit tenebras, ducit atque reducit. Quid tandem de illius manu nos non capimus? Vide, quæ diximus, c. 36. verſ. 32. ſuper id, *In manibus abſcondit lucem, & præcipit ei, ut rurſum adveniat, &c.* Vatablus hanc ſententiā cum præcedente connectit ſenſu non incommodo; *An*, inquit, *noſti locum lucis, & tenebrarum, quod illas in ſuis certis domiciliis, & ſedibus cōſtitueris*? q. d. Ego Solus, qui res creavi, & certis in locis, terminiſque collocavi, illarum rationem, viam, ſedes, comprehendo. Sed nexus hic, quæſitus videtur cum labore.

לקח

Deus cuncta movens.

Pſal. 103. 22.

Dei manus cūcta deducens.

Vatabl.

XXI. *Sciebas tunc, quod naſciturus eſſes? & numerum dierum tuorum noveras?*

1. *Nexus dubius. Tres aliorum expoſitiones.*
2. *Commoda interpretatio, & nexus cum præcedētibus.*

1 IN Hac ſententia dubius eſt nexus, dubiū, quid deſignet illud, *Tunc*, & de qua nativitate ſermo ſit. Sed breviter elucidāda omnia. Quidam exiſtimant ſententiā hanc accipiendam de opere ſextæ diei, & formatione hominis, de quo, in Iobi perſona, aſſeratur fieri nō potuiſſe, ut qui nōdum creatus eſſet, neq; primis diebus adfuiſſet, potuiſſet cognoſcere creationem

Nexus dubius.

Aſſumitur.

lumi-

luminarium. Sed ſenſus omnino inſulſus, ſi tantū ex unius, duorūve dierum ſpatio colligatur ignorātia hominis. E cōtrario Cajetan. exiſtimat de Iobo ſermonē eſſe; (Cajet.) illumq; interrogari, an tūc, cū exiſteret in matris utero, ſui curā aliquā, & nativitatis ſuę horam maturandi, habere potuit. Vrget amplius rationem hanc interpretandi, Tygur. *Habes ne cognitum tēpus, quo naſcebaris?* ut aminori colligat, (Tygurina.) Etiam cum natus eſſes, nativitatis tuæ horam nondū cognoſcere potuiſti; quāto minus rerum illarum rationes cōplecteris, quæ multis te ſæculis antiquiora fuerunt? Chryſoſt. *Quando natus es ipſe? neq; enim noſti, quando quidē ab aliis didiciſti, quantū tuum eſt vitæ* (Chryſoſtom.) *ſpatium. Quæ igitur cognata, & propinqua tibi ſunt, ignoras; eorumq; quæ ab initio fuerunt, tibi ſcientiam arrogas?* Sed obſtat quidem utrique expoſitioni aliorum naturæ operum ad elementa ſpectantium, continuata ſeries, & enumeratio.

2 (Cōmoda expoſitio. Nexus cū precedentibus. D. Thom.) Ergo media incedendū via, ut de ipſo Iobo, non de Adamo: rurſus non de hora nativitatis illius, ſed in univerſum, antequā exiſteret, ſermo ſit. Nexus vero hic aſſignatur a D. Thoma, ut cū de Solis ortu, & occaſu dixerit, nunc aſſerat, Cælorum motibus, non poſſe colligi certam hominum vitę periodum. Sed nexus iſte nimiū Phyſicus eſt, neque valde opportunus.

Ergo argutus eſt, & proprius ille, quē (Vatabl.) Vatablus, in Hebraiſmo deliteſcētē agnovit, ut hæc ſentētia pendeat a præcedēte. Sciebas ne lucis domū, vel, ut eſt in Hebr. *Noſti, quod tunc*, propterea *quod tunc*, cū lux a me creata fuit, jā tu *natus eſſes*; & nūquid magnus numerus annorū tuorū te potuit docere naturas rerū etiā antiquiſſimarū? Negat igitur Iobo ſcientiā rerum priorū, propter humanę vitę brevitatē. ſicut diximus v. 4. ſuper id, *Vbi eras, &c.* Hoc (LXX.) indicarunt Septuag. legētes, quaſi per ironiā, *Novi igitur, quod tunc natus es, & numerus annorū tuorū multus.* (Auguſt.) Auguſt. ſimplicem lectionē, cū Hebræo convenientē habet, *Nūquid ſcis, quia tunc natus es?* Explicatius (Chryſoſt. Olympiod.) autē Chryſoſt. & Olympiod. *Si harū rerū vias noſſe te dixeris, item dic te tunc exſtitiſſe.*

22. XXII. *Nūquid ingreſſus es theſauros nivis: aut theſauros grandinis aſpexiſti?*

1. *Temporum varietates. Aegyptiæ grandines.*
2. *Nimia Latinorum ſubtilitas in diſtinguendo loco nivis, & grandinis.*
3. *Theſauri rerum meteorarum, qui.*
4. Theſaurus *a recondēdo dictus apud Sacros, & profanos. Explicatus David, & locus Paralipom.*
5. *Quinque Theſauri proprietates convenientes Cælo, & aeri. illuſtratus Moyſes.*

CVM hyeme nix, æſtate grādo genera- 1 (Tēporū varietates.)
ri ſoleat, viciſsitudines hyemis, atq; æſtatis mirabiles proponit. Sed quo mirabiliores hujuſmodi naturæ effectꝰ, exiſtimāt aliqui Interpretes proponi rēpētinas (Eugub.) grādines, qualis illa, quę Aegyptios cāpos & ſata percuſsit. nam ad Aegyptiorum plagas fieri alluſionē ſtatim dicemus verſiculo ſequente. Tū grandines in immēſa copia, & opportuno tēpore a Cælo jaculatas, quod ſignificari videtur *in theſauris*.

Nunquid ingreſſus es? Hinc D. Thomas 2 (D. Thom. Nivis, & grādinis diſcrimē)
nimiū ſubtiliter elicit locū, ubi nix generatur, eſſe remotiorē a noſtro conſpectu: propterea dictū, *ingreſſus es*: At *grandinē*, & groſsiorem quidē, frequenter generari in infima regione, & nō nunquam prope terrā, ideo dictum, *aſpexiſti*. Recte ex Philoſophia, non itē ex hujus loci propoſito, & vocum exigētia. nam *theſauri grādinis* (Theſaurꝰ grādinis, idē qui nivis.) nō magis patent noſtris cōſpectibus, quā theſauri nivis. neq; non utriuſq; partis ſignificatio eſt eadē; *ingreſſus* ne vidiſti? rurſus, poſtquam deveniſti, potuiſti videre?

Theſauros. At quę nā rerum meteorarū 3 (Theſauri rerum meteorarum, qui. D. Thom.)
apothecæ, *aut theſauri*? D. Thomas exiſtimat eſſe vapores, in quibus tanquā in materia, latent res meteoræ. Addunt alii prę ter materiā, *theſauros* immēſæ potētię, ex qua educuntur hujuſmodi naturæ opes. (Philipp.) Philip. *Divinā voluntatē, & diſpoſitionē arcanā, quæ non cuivis patent. Hi* (inquit) *theſauri non in aliquo immenſo, & capaci loco ſunt, qui moles, & cōgeries intra ſe habeat cōditas niviū infinitarū; ſed in ejus volūtate, & diſpoſitione ſunt cōſtituti, ſicut in alio loco ait,* (Pſal. 49. 11.) *Pulchritudo agri mecum eſt.* Alii immēſam iſtā aeris vaſtitatē. atq; Theodoret. *Theſauros ventorū*, interpretatur *aerē*, Pſ. 134.

in quo vidētur latere, quæ ibi generātur: 4 (Theſaurus a recondēdo dictus.)
hæc quippe proprietas eſt *theſauri*, pro loco ſecreto: & *theſaurizare*, idem, quod recōdere, Iſai. 39. 6. 4. Reg. 20. 17. Amos. 3. 10. Græci etiam atq; Latini nominis *theſauri*, eadē vis pro cōditorio rei cujuſcūque: nā pro depoſitione pecunię, non niſi per Synedochen. Plinius *Theſauros caver*- (Plin. lib. 17. c. 14. Gellius.) *narum*, dixit. qua ratione Gellius etiam lib. 2. cap. 80. ex ſententia Valerii Sorani ſcribit, *quos theſauros Græco nomine appellaremus, priſcos Latinos flaviſſas dixiſſe, id eſt, cellas quaſdam, & ſpecus ad cuſtodiendas res veteres religioſas.* Adde etiā Pliniū hiatus, & receſſus oris Satyrorū dixiſſe, *theſauros maxillarū, in quos Satyrorū, & Sphingiorum genus cibū cōdit.* & Poeta. 4. Georg. alvea- (Virgil.)

Theſauri, apothecæ.
LXX.

ria vocat, *Mellis theſauros*. Sed, & in Sacris *cellæ vinariæ, & apothecæ Olei*, dicũtur nomine originali; *theſauri*, Paral. 27. 27. quod elegãter retinuerũt Septuag. legẽtes, *Theſauros agri, vini, olei*. & cavernæ quibus ingẽs aquæ marinæ vis continetur, *theſauri* ſunt, Pſ. 32. 7. & qui eructãt vẽtos, Pſ. 134. 8. & fere jã *Theſauri nivis, & grãdinis*, iidẽ ſunt, qui *theſauri pluviæ*, Deut. 28. 12. *Aperiet Dñs theſaurũ ſuũ optimũ cœlũ, ut tribuat pluviã terræ tuæ in tẽpore ſuo, benedicetq; cũctis operibus manuũ tuarũ*. quo loco omnes *theſauri* proprietates indicãtur. 1. quod in

5
Theſauri propria cõveniẽtia Cælo.

Cælo videãtur latitare, & cõdi res omnes ad humanos uſus neceſſariæ. 2. quod ſicut Regi facile eſt recludere, *& aperire* theſauros, & recõditis uti, ita & Deo hujuſmodi naturæ effecta pro ſua volũtate edere. Indicavit rationẽ hãc Chryſ. & Philip. hoc loco, Theodor. Pſ. 134. 3. quod ex illo *theſauro optimo*, id eſt, utiliſsimo atq; pretioſiſsimo, omnes noſtræ utilitates, & opes derivẽtur. 4. quod abundãtiſsimus theſaurus ſit, & inexhauſtus, ex quo quotãnis ditescit, & ornatur terra; *benediciturq;* humana omnis agricolatio, & labor deniq; Hi ſunt *theſauri* naturæ, ut qui divitias naturales cõtineant, ut Philoſophi vocãt, nam divitiæ illæ nõ naturales, quæ falſæ divitiæ ſunt, effodiũtur ex terra; hæ vero accipiũtur e Cælo. Vide, quæ dixi, c. 1. v. 3. n. 2. 3. 4.

Chryſoſt. Philipp. Theodoret.

Ariſtot. Polit. c. 5. & 6.

XXIII. *Quæ præparavi in tẽpus hoſtis: in diem pugnæ, & belli.*

1. Theſauri, *& armamẽtaria. Alluſio ad Aegyptias plagas. Nubes inter Aegyptios, & Iſraelitas Dei arcus.*
2. *Non ſolum fulmina, & venti Dei arma, ſed etiã res molliſsima, ut nix. Rerum ordo immutatur adverſus Dei hoſtes.*
3. Præparare, *pro recondere. Deus debellãt hoſtes auferendo pluvias, & alia Cæli, terræq; præſidia.*

1
Dicit *Theſauros* illos eſſe armamẽtaria ſua, qua etiã ratione Poeta dixit, *Armamentaria Cæli*. quæ *theſauri* ſignificatio agnoſcitur a bonis auctoribus. Duplex hujus ſententiæ explicatus. Primus ille, quẽ verba Latina præſeferunt; Deũ de Cælo pugnare ſolitũ his armis adverſus hoſtes ſuos grãdine, pluvia, lapidibus; *quæ præparat*, diſponit, ſervata habet opportuno tẽpore adverſus hoſtes ex prõptuariis producẽda. Forte alluſum ad Aegyptias plagas; tũc enim produxit vẽtos, lapides, imbres de theſauris ſuis, & percuſsit Aegyptũ. Adeoq; Elias Thisbites in voce *Belaſtar*, refert ex R. Salomone, nubẽ illã, quæ Exod. 14. 19. ſtetit inter caſtra Aegyptiorũ, & Iſraelitarũ, ut exciperet ſagittas, & Iacula Aegyptiorũ, vocatã eſſe *Belaſtar*, id eſt, *arcũ* aut *Baliſtã*, quoniã non ſolũ ut ſcuto, ſed etiã ut arcu utitur nube Deus adverſus hoſtes ſuos. Diximus ſæpe Deũ in aere figere militare ſuũ tabernaculũ, recẽſere milites, producere ex ſuis armamẽtariis arma, inſtruere acies, debellare hoſtes. Vide, c. 9. v. & c. 6. v. 4. ubi diximus *nubẽ* eſſe Dei arcũ, ſagittas, & haſtã, *fulmina*. & c. 36. verſic. 29. & verſ. 31. & ſparſim per totũ illud c. 36. multa ad hanc rem.

Iuven. ſat. 13.

Appian. & Suid.

Alluſio ad plagas Aegyptias.
Nubes inter Aegyptios, & Iſraelitas inſtar Divini arcus.

בלשטר

Res Meteoræ Dei arma.

In hoc vero ſenſu cur tantũ *grãdinis*, & *nivis* meminerit *adverſus hoſtes*, nõ etiã rapidiſsimorũ vẽtorũ, tonitruorũ, fulminũ? hæc enim ſunt fortiſsima, & terrifica Dei arma adverſus hoſtes ſuos, de Cælo pugnantis: ut deſcribitur, 2. Reg. 22. Pſ. 17. 15. Pſ. 7. 14. Habac. 3. 11. Sap. 5. 21. An ut potentiæ ſuæ efficacitatẽ oſtẽderet, nõ ſolũ armis per ſe fortiſsimis, ſed etiã invalidiſſimis tirũphantis hoſtes? nã quid mirũ igne, & fulmine terreri, exuri hoſtes? Illud valde mirum, muſcis, ranis, culicibus, crabronibus, nive etiam molliſsima, tenuiſsima configere, proſternere inimicos ſuos. Qua in re eluceſcit [illegible] ſummi Imperatoris potentia; ut cũ creaturæ ipſæ per ſe molles, infirmæ, frigidæ, exardeſcunt adverſus hoſtes Creatoris ſui. Sicut e contrario frigebat, & *manſuefiebat ignis* erga Dei amicos Sap. 19. 18. Sed promovetur hæc Divinæ potentiæ ſignificatio ſequẽte quoque interpretandi ratione.

Dei arma non ſolum fulmina, ſed etiam res molliſsimæ, ut nix.

Res mutantur naturã adverſus Dei hoſtes pro juſtis.

3
Secundus explicatus eſt, ut verbũ *Præparãdi*, juxta ſuã originalẽ proprietatẽ, ſit ſervare, aut prohibere, at condere aliquid præparatũ, & oportuno ſuo tẽpore promẽdũ. Ergo *præparare*, pro cõdere, & reſervare. Septuag. *Repoſita ſunt*. Cajet. *Quæ prohibui*. Tygur. *Reſervavi*. Pagn. & Reg. *Retinui*. Propr. etiã *detinui*, aut *ceſſare feci*. Significare ergo poteſt, Deũ nive, pluviis, grãdine ſolitũ perfundere, & fœcundare terras; at cũ hæc detinet, & prohibet, debellare ſuos hoſtes, nihil agẽdo, tantũ auferẽdo ab illis cæleſtia præſidia; quod ſummæ poteſtatis eſt. Favet huic exponendi rationi, quod in Hebræo eſt, & ab Interprete prætermiſſum, quod nõ valde intereſſet; *quæ prohibui in tẽpore anguſtiæ*, quod enim vettitur, *ad tẽpus hoſtis*, propter præpoſitionem *Lamed*, poteſt etiã verti, *In tẽpore hoſtis, & in die prælii*. nam eſt præpoſitio omnibus fere caſibus deſerviens.

Secunda interpretãdi ratio.

Præparare, pro reſervare.
LXX.
Cajetan.
Tygurina.
Pagnin.
Regia.

Deus auferendo cæleſtia pluviarum præſidia debellans hoſtes.

XXIIII. *Per quã viam ſpargitur lux, dividitur æſtus ſuper terram?*

1. Va-

1. *Varia* lucis *interpretatio. Via Solis obliqua. Duæ interpretationes parum idoneæ.*
2. *Duæ aliæ interpretationes idoneæ, & cohærētes.* Lux *pro pluvia, & meteoris aqueis.*
3. *Germana expositio. Res meteoræ sapienter distributæ a Creatore.* Dispergere, *quid.*
4. *Ventorū pro singulis provinciis sapientissima distributio.*

1 EX Nivoso, & grandināte Cælo, quod cito serenatur, ad serenitatē statim progreditur; quæ fit pasa luce, & radiis lōge lateque per aera fusis; aut certe ad aliquā aliā meteorologicā impressionē, & mutationē aeris. Ergo varia est hoc loco usurpatio *lucis*; prima Latinorū nonnullorū, etiā Hebraizantiū, ut *Lux* sit Sol, cujus varius ortus, & occasus nūc describatur, ut varietate quadā mirabili, tū lumē, tū calor, & æstus cōmunicetur diversis regionibus. Ergo cū primum rogatus fuerit Iob, de *via Solis* ab Oriente in Occidens, nūc de *via obliqua*, qua ad Polos mundi, & ad Tropicos accedit, vel recedit. Vel certe de *via illa*, idest, ratione, qua lux momēto tēporis pervadit totū hemisphęriū. Res quidē adhuc inter Philosophos controversa, quomodo lux generetur, diffundatur, cōmunicetur? In hac autē interpretandi ratione, mirabile est quod Cajet. interpretatur *lucē dividi*, id est, diversimode oriri nunc clarā, & serenā; nūc obscurā; & nubilā. nā proculdubio ipsa vox *dividēdi*, denotat diversas partes, & regiones quibus lux se cōmunicat. Sed hæc expositio nō valde cohæret. Secunda interpretatio Vatabl. *Vt lux sit exhalatio, quæ facile inflāmatur, unde fiunt Stellæ currētes, & cometæ criniti.* quę dicatur *spargi*, *quia ex illa fit vētus, qui spargitur super terrā.* Hæc expositio neq; cohæret, neque non coacta est.

Lucis varia interpretatio.

Via Solis obliqua. *D.Thom. Nicolaus. Dionys. Eugubin.*

Cajetani interpretatio aliena.

Vatabl.

Expositio invita, & parum cohærens.

2 Tertia, ut *lux* sit fulgur, Tygur. *Qua parte lux fulguris erumpat, quā ventus Oriētalis in terrā dispergit.* Nexus hic; Tū quoniā cępit agere de tēpestate, in qua nix, & grādo: perstabit quoq; in pluvia, & tēpestate versiculo sequēte. Tū quia *æstus* ille solet sumi pro vento Subsolano, quē c.27. diximus esse nimbosum in illis regionibus: & qui verti solet *vētus Oriētalis*, sive *urēs.* Expositio hæc idonea, & bene cohærēs est.

Tygurina.

Expositio verosimilis.

Quarta, ut *lux* sit pluvia pellucida, aut pruina albicans, quæ lucē etiā refert; aut aliæ impressiones aqueę, quas nomine *lucis* significare solet Hebræus sermo, ut diximus c.27. vers.5. 11. Sic Septuag. *Vnde procedit pruina, aut dispergitur Auster in eā quæ sub Cælo?* verterunt autē *Austrū*, pro *Subsolano*, arbitror, ut significarēt nivē, & gelu solvi in pluviam vento calidiore, ut hoc loco indicavit Catenę auctor. de quo diximus. c.37. vers. 10. & fere de tota hac meteorologica materia. Cohæret itē hæc interpretatio cū re pręsente. Sed illa *lucis* pro pluvia usurpatio est insolentior.

Lux pro pluvia, & humidis impressionibus.

LXX.

3 Existimo vero, ut tandē dicamus, post quā dixit Deus de *thesauris*, & promptuariis rerū meteorologicarum; nunc ad cōmendationē suæ Providētię, quæ in rerū harū dispēsatione, & distributione multū elucet; rogare Iobū, *qua via dividatur*, id est, unde oriātur, quo tendāt, quo mittātur, & distribuantur ignes subito erūpentes ex nubibus, *divisi*, & quasi frustatim emicantes, & per intervalla brevissima jaculati? illud enim est, *lucē dispergi*, aut *dividi*, id est, divisam, & quasi frustatim, & particulatim deprōptam ex suo reconditorio, & per partes, & intervalla fulgurare: Tū etiā ad diversas regiones peculiari providentia mitti, & destinari pluvias, & fulgura: nunc enim pluit, ningit, fulgurat, in una provincia, nūc in alia. Opportuna igitur, & cū consilio, & providentia hæc lucis ac rerum meteorologicarū distributio, vocatur *dispersio*; nam etiā ipsum verbum originale, est distribuere per partes, & loca. quomodo Complutenses legerūt juxta Hebræos; *Qua via distribuitur lux.*

Germana interpretatio.

Meteororum distributio in terra.

Lucem disperg, quid.

Dispergere, quid propriē.

Complut.

4 Præterea in secūda parte rogari de vētorū aut origine, id est, Prōptuario, & thesauro, aut motu, tū etiā, & de illa ventorū distributione, qua quidā uni regioni, alii ali familiares sunt, nescit enim *homo unde veniāt, aut quo vadāt.* De illis vero rogat, qui vel tēpestates excitant, vel comitātur. vel propter vehementiā, convertere, & *dispergere* vidētur terrā. nam verbū *dividēdi*, quod hoc loco subest, vehemens est, & significat dissipare, conterere dividendo, aut spargendo; Vel *spargitur* passive, & intrāsitive, spargit, dissipat se. nos vehementem ventum vocamus; *Vn viento desbecho.* De vento autem Orientali, urēte, *Kadim*, diximus non semel.

Venti singuli singulis regionibus familiares.

Ioan. 3. 8.

Verbum dispergendi, vehemens.

XXV. Quis dedit vehemētissimo imbri cursū, & viā sonātis tonitrui?

XXVI. Ut plueret super terram absque homine in deserto, &c.

1. *Divinæ Providentiæ commendātio circa res universās. Non solum circa hominem.*
2. Pelagi *nomē dictū a dividendo. Dei, & naturæ ordo in dispensanda plovia, quasi aquæ ductus.*
3. *Præceptis aquæ ducēdæ cōveniēs ratio pluviarū*
4. *Tonitrua, & fulgura, non vana, & vaga.*

1 Divinæ Providentiæ cōmēdatio.

PVlcherrima ſane eſt Divinæ Providētiæ cōmendatio ex eo, quod dividat Deus, ſervetq; ſuam partē aquæ, & pluviæ terræ incultę, *ubi nullus mortaliū cōmoratur*. quippe eſt hujus univerſitatis Creator, proviſor, parens. Igitur cū ex ſuo illo pluviæ, & aquarum promptuario rivulos quaſi deduceret, ad irrigandas, & fœcundandas diverſas regiones, ſuā etiā partē deſtinavit ad terram incultā; nō enim tātum gerit ille curam mortaliū; ſed ferarū etiam, quibus ex terræ irrigatione, & fœcunditate pabulum parat; tū etiam ipſius terræ, quam abſque ulla animantium neceſſitate, aut opportunitate excolit, & conveſtit. Ergo hæc non tam Potentiæ, quam Providentiæ, & indulgentiæ, largitatisque Divinæ commendatio eſt.

Deus non hominis ſolum, ſed etiā rerū aliarum Proviſor.

2 LXX. Aquila. פלג

Quis dedit. Septuag. *Quis præparavit*. Aquila, & Græci juxta Hebręū, *Quis diviſit?* a radice *Phalag*, quod eſt dividere, & partiri. & frequenter accommodatur ad eas diviſiones rei alicujus, quæ fiunt per domos, & familias. quod nos *dicimus repartimiento*. Et quidē vel ex ipſo nomine *Pelagi*, videtur pertinere ad aquam, & diviſionē aquarum, ſive ad rivulos, & peculiares aquæ ductus, vel alveos: quare inde habet nomē *Pelagus*, quod ex illo dividātur, & deriventur flumina. Ergo ſapiētiſſimus univerſitatis Creator atq; Proviſor *dedit*, diviſit. *Curſum*, Prop. Septuag. juxta Hebræū, *Fluctum aquæ validæ*. alii, *Aquæductū*, vel ductū, canalem, alveum, a radice *Goalah*, quod eſt aſcendere, elevare, aut ducere, adducere, educere; eo quod per canales, & *aquæ ductus* aſcendat, ducatur, educatur aqua. 3. Reg. 18. 32. 4. Reg. 18. 17. Iſai. 3. 62. Qua tranſlatione quid pulchrius, & elegantius ad ſignificandā certā naturæ legem, & ordinē pluvię diſpēſandæ, & dividendę, quaſi aquæ ductū ab ipſo Creatore cōpoſitum, & ſtructum, quo non per fiſtulas plumbeas, non per tubulos fictiles, non per canales ſtructiles, ut Vitruvius pręcipit, depreſſos ſub terram, ſed per fiſtulas, & tubulos aereos, certiſſime derivetur aqua ad terram deſertā, & ad mōtes incultos? Nō igitur iſtę aquæ incertæ, & vagæ, quæ nulla certa via, neque loco ferūtur; ut ille in aliam rem de Meandro cecinit;

Pelagi nomē unde ducatur.

Curſus, aquæductus. & impetus. עלה

Dei Lex, & ordo diſpenſandę pluvię, quaſi aquæductus aereus.

3 Vitruvius lib. 8. c. 7.

Ovidius.

Et nūc ad fontes, nūc ad Mare verſus aptū
Incertæ feruntur aquæ.

Sed certis diſtinctis canalibus recta perducitur ad terras cultas, ad incultas, & deſertas *vehemētiſſimus imber*; ſive ut ex originali legimus, *Vehemēs inundatio*, aut, eluvio impetens. Quod cū illa aquæ ductus tranſlatione congruit mirifice: nā qui de Aqua ducenda agunt, præcipiūt *libramēta aquæ ducēdæ in centenos pedes, ut minimū, ſurſum elici*. at Deus bone, quanto iſti aquę pluviæ aquæductus opportuniores, ut qui elevatiores! habent enim & ipſum nomē ab elevādo, & aſcēdēdo, ut qui in præcelſa iſta aeris regione ſtructi ſunt ab auctore naturæ. Quæ omnia ita contēperata ſunt, ut rurſum ipſa aqua ſubire poſſit altitudinē ortus ſui, videlicet per medios vapores, & exhalationes ſubtiliores, quæ rurſus vertūtur in pluviā. Deinde illa eſt altera lex aquæ ducēdæ, *ut ſi longiore tractu veniat, ſubeat crebro, deſcendatq;, ne libramenta pereant*. Sed auctor naturæ nō indiget his curvaturis aquęductuū, non poſſūnt aquæ cęleſtis decurrētis in terras libramenta perire; recta, uno curſu, uno impetu currit. Tādē *ut in omni cōfractu collis dometur impetus, per curvaturas Laminarum, & tuborū*. At in his naturæ ductibus neceſſarium non eſt domari aquæ impetū; potius *dat impetum vehemētiſſimo imbri, & curſum*, fluxumque præcipitem.

Plin. lib. 3. c. 31.

Aquæductus quantum elevandus.

Pluvia diviſa ab Auctore naturæ juxta leges aquæ ducēdæ.

4 Varia lectio. LXX. Pagnin. Regia. זרן Aquila. Symmach.

Tum etiā *dat*, deſignat, præparatq; viā *Sonantis tronitrui*. Septuag. Cōplutenſ. *Viā tēpeſtati*. Vaticani, *Viā tempeſtatū*. Alii, *Viā ad coruſcationē*. Certe vox originalis ſignificat coruſcationē, aut emicationē fulguris: quæ quia cū nube, & cū tonitruo conjūcta eſt, aliquādo vertitur *nubes*, Zachar. 10. 1. aliquādo *Tonitruū ſonans*, ut hoc loco; qua etiā ratione Aquila dixit, *Strepitū vocum*; & Symmachus; *Sonitum tonitrui*. Igitur fulmina, & fulgura nō vaga, bruta, & vana, ſed certa via, & ratione ad ſingulas regiones, & terræ tractus directa. Vide, quæ diximus, c. 37. verſ. 3.

XXVI. *Ut plueret ſuper terram abſq; homine in deſerto, ubi nullus mortalium commoratur.*

1. *Deus excelens, & rigans deſertum.* Deſertum *unde dicatur.* (*creſcētias.*
2. *Alluſio illuſtris ad Arabia deſertū, & Nili ex-*
3. *Aegypti fertilitas, Dei, & Cæli oblita.*
4. *Divinæ liberalitatis eſt, ingratis benefacere. Verbum* Impendi, *ad abundantiam pertinis.*
5. *Deus beneficiū uni denegans, & alteri conferens. Divini Verbi cum pluvia comparatio. Illuſtrati Iſaias, Lucas, Paulus.*
6. *Aegyptus aliquando ſterilis. Pluvia cōmune beneficium, qu odingratis etiam datur.*

1 Deus pluens in deſerto cō-

NON Solius, inquit, hominis Deus rationē ducit; ſed rerū aliarū; ſecus non *plueret in deſerto abſq; homine*. Elegāter illuminavit Interpres per paraphraſim,

quod iterũ repetitur in Hebręo, *Nõ homo, vel absq; homine*, dicens, *ubi nullus mortaliũ cõmoratur*. q.d. In deserto incõmodo, atq; adeo contrario vitę humanę ad quod vel non penetrant homines, vel in eo diutius demorari non possunt; habet enim nomẽ *Midbar*, a peste, & morte. q.d. Etiã in locis pestiferis, & incultis curãdis atq; colẽdis præbet se Deus providentissimũ, atq; benignissimũ, nõ enim id utilitate sua facit, aut quod ab homine annuũ exigat ex terræ fructibus tributum. Nã quid ab homine exigat, *ubi nullus mortaliũ cõmoratur?*

Deserti nomẽ quid sonet. מדבר

2 Quod si forte per *desertum* quasi digito demonstret, (ut quibusdã placuit) desertam illã Arabiã, juxta quã hæc oratio habebatur, terrã utiq; infrugiferã, & arẽtem, quod aliquando imbre aliquo copiosissimo perfundatur ingenti beneficio auctoris naturæ; certe ex cõsequente respicere poterit ad vicinã Aegyptum, Nili excrescentiis abundantissimã: ut Auctor naturę dicat se nõ tantũ providisse Aegypto, sed deserto etiam; neq; minus posse irrigari desertum aquæductibus cælestibus, quã Aegypti tellurẽ Rivulis ex Nilo derivatis; non minus debere desertum Cęlo, quã tram Nilo: nec minus se mirabilem potẽtia, atque sapientia præbere Deũ, *ubi nullus mortalium cõmoratur*, quam ubi abũdat terra hominibus, ut quæ maxime. De Aegypto sane ille cecinit;

Allusio ad Arabię desertã, & ad excrescẽtiam Nili.

3 Aegypti fertilitas.

Claudianus.

Aegyptus sine nube ferax, imbresq; serenos
Sola tenet, secura poli, nõ indiga vẽti, (dat
Gaudet aquis, quas ipsa vehit, Niloq; redũ-

Nemo, inquit Seneca, *aratorum in Aegypto aspicit Cælum*. Deum igitur non orabat supplex, ut dicebat Tibullus,

Sen. lib 4. nat. qq. c. 2.

Tibullus.

Te propter nullos tellus tua postulat imbres
Arida, nec pluvio supplicat herba Iovi.

Quippe *Aegyptus*, ut ait in Panegir. Plin. *Aedis, augendisq; seminibus ita gloriatur, ut nihil imbribus, Cæloque deberet*. Quanto melius cum illa terra, & vel cũ deserta actũ est, *quæ de Cælo expectat pluviã?* quæ Deo neque frustra supplicat? quæ nihil de se gloriatur; nihil non imbribus, Cæloq; debere se videt, atque fatetur.

Aegyptus Cæli oblica propter redundantiam Nili
Deut. 11. 11.

℣. XXVII. *Vt impleret inviã, & desolatã, et produceret herbas virẽtes.*

4 QVanta liberalitas, ut etiã in ingratã tellurem, & natura sua sterilẽ *beneficia peritura cõferat?* quantæ opes Auctoris naturæ, ut in desertũ illas profundere velit? Quam liberalis, & largus domesticorũ illius victus, ut possit terrã arẽtem, & sitientẽ exsatiare! Verbũ *implẽdi*, satietatem affert, simulq; fertilitatẽ, & abundantiã, qua exsaturamur. Quare indicat Deus horridã, & incultam eremũ aquis a Deo irrigatã interdum sterilitate deposita herbescere, & virescere; interim vero loca frugifera, & hominum curatione cultissima, ad vastitatẽ, & squalorẽ adduci, deficiẽtibus opportunis imbribus: tũc enim Deus nõ ideo negat aliquibus regionibus imbres, quod parcus sit suorum thesaurorũ, aut quod prõptuariorum sit cõdus, non promus, imo potius cũ solitã aquarum, & imbriũ copiã, mẽsuramq; annuã uni regioni negat, alteri largitur; ut suppliciũ, & vastitas unius, sit ubertas, & lætitia alterius, sicut per Isaiã in hanc ipsam rẽ ait, ad Divini Verbi divitias, ex pluviæ comparatione explicandas, c. 55. 10. *Quomodo descendit imber, & nix de Cælo, & illuc ultra non revertitur, sed inebriat terrã, & infundit eã, & germinare eam facit: sic erit verbum meũ, non revertetur ad me vacuũ.* Si quando enim cõtingat imbrẽ, & nivẽ super petras decidere, non ideo illã statim reducit Deus ad sua prõptuaria. Illuc enim ultra non revertitur; sed defluit tunc aqua ad terrã humiliorẽ, ut inebriet eam, & germinare faciat. Sic cũ uni regioni negatur solita imbriũ mensura, nõ reservat illam Deus in suis thesauris, sed elargitur alteri. Sic cũ quis se reddit indignũ Verbo Dei, nõ illud penitus aufert Deus, sed cõmunicat alteri; Sicut dicebant Paulus, & Barnabas Act. 13. 46. *Vobis oportebat primũ loqui Verbũ Dei, sed quoniã repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce cõvertimur ad gentes*. Hoc illud, *Auferetur a vobis, & dabitur genti, &c.* Nõ enim aufert Deus, ut penitus auferat; sed ut in auferẽdo reluceat illius liberalitas; Sic *Delictum illorũ, divitiæ sunt* mundi. Rom. 11. 12. Sic sterilitas agrorum, divitię, & fertilitas est deserti. Forte igitur, ut in illa ad Arabiã desertã, & Aegyptum allusione persistamus, cum Deus sterilitatem illã septennẽ Aegypti, Nili cõstrictione, & detentione invexit, tunc Arabiã desertã largissimis imbribus perfudit, *pluitq; super inviam*, & desolatam, ut produceret herbas virẽtes, ut *cũ Nilus frustra nubila optavit, Cælumq; respexit* (ut ait Plin. de alia Aegypti sterilitate) *cũ inopia, siccitate usq; in injuriã sterilitatis exaruit, & alto pulvere incãduit*; tunc nõ frustra terra deserta Cælũ respexerit, Aegypti opes orãs, atq; exorans, & quod ille fieri nõ posse dixit, at fecit Conditor rerũ, *ut legẽ casuris imbrib⁹ diceret, ne in malorũ Improborũque rura defluerent*. Tũ etiã quod quedã etiã beneficia indignis, & in-

Pluvia liberalitatis documentum. Sene. 4.

Implẽdi verbum ad satietatẽ, & abundantiam.

5 Pluviam quã Deus denegat terræ cultæ, profundit in desertum.

Divini Verbi cum pluvia cõparatio.

Beneficium, quod indign⁹ repelli cõfert Deus digniori.

Matth. 21. 43.

Plin. in Panegyr.

Sen. de Benefic. lib. 4. c. 28.

gratis regionibus dantur, velut aquæ terræ sterili, & incultæ, atq; solo ingrato, ex eo provenit, quod pluvia cõmune omniũ beneficium est; sunt enim ex illis, quæ in medio ponuntur. *Satius* (inquit Seneca) *est prodesse etiam malis propter bonos, quã bonis deesse propter malos. Ita diem, Solem, hyemis, æstatisque cursus, & media veris, autumnique tempora, imbres, & fontiũ haustus, ventorũ statos flatus, pro universis Deus invenit.* Quamvis igitur terra deserta ingrata sit, & sterilis, at permittenda illi aqua, quæ neque ingratis denegatur.

Sen. de Benefic. lib. 4. c. 28.

Cur pluvia deserto, & beneficia ingratis dentur.

XXVIII. *Quis est pluviæ pater? aut quis genuit stillas roris?*

XXIX. *De cujus utero egressa est glacies? & gelu de Cælo quis genuit?*

1. Gignere *pro concipere.* Vterus *etiam virorũ.*
2. Ros, Glacies, Gelu, *quid proprie. Horum generatio.*
3. *Pater, & Mater creaturarũ, qualitates activa, atque passiva, aliorum interpretatio.*
4. *Deus Pater, simul & Mater creaturarũ. Cũcta Dei aliquã similitudinẽ participantia. Potissimus similitudinis gradus, quis. Illustratus Iacobus.*
5. *Primus mensis cur dictus, Pater. Patris nomen Divinum.*
6. *Matris nomen affert reverentiã. Sol Terræ Maritus, simul & Mater. Deũ appellarunt.* Metropatora. *Rotæ figuli, & sellæ parientis cur idẽ nomẽ.*
7. *Dei scientia velut Mater creaturarum. Eadẽ filia, & velut Sponsa Dei. Eva Sponsa, & velut filia Adami.*

1 Patrẽ, Matremq; pluviæ, roris, pruinæ, glaciei, nunc quærit a Iobo Deus; Patrem inquã atque Matrem singulis sentẽtiis nã illud *Gignere* utrobique, ad Matrẽ pertinet, quæ dicitur *Gignere* concipiẽdo, aut pariendo. Quare Septuag. legũt, *Quis peperit?* & ita verbum originale *Ialad*, frequẽter vertitur *parere*, aut *parturire*, & ab eodem verbo passive dicitur filius *nasci*, aut *natus*, id est, *conceptus*, Iob. 14. 1. *Homo natus* (cõceptus) *de muliere.* Rursus quod in altera sententia dicitur, *de utero egredi*, idem est, quod in altera dicitur, *Pater*; est *enim uterus virorũ*, & parentum, ipsa interna substantia, & viscera de quibus dicitur *Egredi*, id est procedere, decidi substantia filii medio semine, Genes. 15. 4. *Qui egredietur de utero tuo.* 2. Paral. 32. 21.

Gignere, pro concipere.

LXX.

ילד

Vterus virorum, atque parentum.

2 Rursus pro *Glacie*, Cajetanus ex proprietate, & usu Philosophorum intelligit aquam gelatã in stagnis, paludibus, fluminibus, aut aliis locis inferioribus, non solum propter frigus, sed propter crassum, aliquid, & terreum admistũ. Per *Gelu* autẽ de *Cælo* intelligit grandinem, aut nivẽ. Sed potius cum D. Thoma censeo utrobique agere de meteoris impressionibus. & per *glaciẽ* intelligi nivem, aut grandinem, aut aliquid simile. Nam vox quidẽ originalis aliquando vertitur *Crystallus*, aliquãdo *Gelu*, quod nocte cadit, Genes. 31. 40. at vero per secundum *Gelu*, intelligi *pruinam*, ut legunt, & interpretãtur hoc loco Septuaginta, & Græci quamquã vox originalis nunc vertatur *pruina*, Exod. 16. & *nebula*. Ps. 146. 5. sed hic tamen pruinam intelligo cujus materia eadẽ fere est, quæ roris, videlicet vapor exiguus, & subtilis a temperato calore, in rorem; a vehemẽte, congelatus in pruinam.

Cajetan.

Glacies, quid.

קרח

Roris, & pluviæ causa, & generatio.

3 Hoc jã posito illa dubitatio prona est, quid significet hac interrogatione Deus? Cajetanus existimat significari nullos esse parẽtes horũ meteororum, sicq; propr. legitur ex Hebræo; *Nũquid est pluviæ pater?* q. d. minime: ut doceat, quæ in aere generãtur, nõ similiter generari sicut animalia ex Patre, & Matre, & quæ ex semine sicut plãtas. respõsio proculdubio aliena.

D. Thomas, & qui illum sequuntur existimant rogari Iobum *Patrem*, id est, causam efficientẽ harum rerũ, nimirum Solẽ, aut cælestia corpora, aut *calorem*, quæ videtur esse masculina qualitas. rursus *Matrem*, quæ fert uterũ, id est, causam materialem, quæ est vapor, aut *humiditas*, quæ videtur esse hujusmodi mistis imperfectis gravida, aut etiam *frigus*, quæ videtur esse qualitas patiens, & fœminina.

D. Thom. Dionys. Nicolaus.

Calor masculus, humiditas feminina qualitas.

4 Sed proculdubio ipsa interrogationis formula, & decursus totius orationis aperte ostendit, eo dirigi, ut se Deus profiteatur parentẽ, id est, indulgentissimum æque ac efficacissimum omniũ rerũ conditorem, id est, Patrẽ ac Matrem. cũ enim appellatione *Patris* significari soleat Creatoris potestas, atque efficacitas, ut superius diximus c. 34. vers. 36. at nomine *Matris* Providentia, indulgentia, sapientia, conservatio afferri videtur. Verum enim vero sicut Pater filio vitã, substantiãque tribuit, ita sane Creator cunctorum vitæ atq; substãtiæ initiũ est; & sicut filius similitudinẽ parentis refert, ita universæ creaturæ aliquam alicujus gradus, & ordinis similitudinem Divinæ substantiæ, & entitatis participant, ut eleganter docent Theologi cum D. Thoma. 1. p. q. 33. art. 3. in qua similitudine, & Divinæ naturæ participatione cum diversi gradus sint, certe ille potissimus est, cum per gratiam efficitur homo filius Dei, & *Divinæ*

Deus, Pater. & Mater creaturarum.

Cunctæ creaturæ, aliquam Dei similitudinẽ habẽt. *D. Thom.*

Potissimus gradus similitudinis creaturarũ cũ Deo.

consors

consors naturæ, ut ait Iacob.c.1. *Voluntarie genuit nos verbo veritatis, ut simus initiũ aliquod creaturæ ejus.* id est, ut inter cæteras creaturas, quarum ille communi ratione parens est, nos potissimi filii diceremur, atque essemus regeniti ab illo verbo, veracis fidei, & charitate in cordibus nostris quasi seminata, qua filii Dei progignimur.

Primus mẽsis cur dicatur Pater.

5 Ad hanc cõmunem Creatoris, atq; Paternitatis rationem (*Ab* enim pater est) dicitur primus apud Hebræos mensis, qui est *mensis novarũ frugum*, ut dicitur Exod. 13.4. & c.23.15. cũ *florent*, & *vigent* omnia, Levitic.2.14. Exod.9.31. dicitur (inquã) hic *Mensis Abib*; quasi parens, sator, & creator rerũ. Et quidem id nomẽ potest deduci cõmode a radice *Abah*, quod est desiderare, bene velle, vel affectum esse erga aliquem, quod Pater parterno charitatis, & pietatis affectu feratur ad filios vel procreandos, vel tuendos, & conservãdos, atque adeo Deus indulgẽtissimus creaturarum suarũ parens suas creaturas paterna charitate, & bonitate produxerit, productas vero tueatur, atque cõservet. Quare semper huic *Patris nomini existimarunt aliquid inesse Divinũ*. ut sapiẽter dixit Philo, initio quarti præcepti, *Preceptũ, inquit, de honorandis parentibus situm in duarũ tabularum cõfinio, cum enim in prima sit ultimũ, conjungit ambas: quod ideo factum arbitror, quia parentũ natura videtur mortalis, & immortalis essentiæ cõfinium, mortalis, propter cognationẽ cum hominibus, & cæteris animantibus; & propter corpus corruptibile: immortalis vero, quia gignendo refert Deum genitorem omnium.* Quare eleganter dixit Origenes Homilia.51. in Leviticum, *Nomen Patris grande mysterium est: nomẽ Matris grandis reverentia est.*

Pater unde dicatur. אבה

Philo. Patris nomen Divinum.

Præceptum de honorãdis parentibus in cõfinio duarũ tabularum.

Origen.

Matris nomẽ affert reverentiam.

6 Est itaque Deus *Mater* etiã suarũ creaturarum, ut enim proxime adductus Origenes dixit, *Matris nomen reverentiã affert cujus labore, cura, ministerio filius natus, & nutritus est*. Sic cum labore quodã instar Matris parturientis, significatur Deus creasse hominem, ut diximus, c.10. vers.8. super id, *Manus tuæ fecerunt me, &c.* Tum præterea illius paterna indulgentia, atq; Providentia complectitur, fovet, enutrit creaturas universas. sicut propter similẽ rationem Sol (qui ex propria nominis originalis etymologia dicitur *Semes*) quasi maritus creatæ naturæ, & Pater rerũ generabilium, atque terræ *sponsus*) habet nihilominus etiã rationẽ, & similitudinem Matris foventis, cõplectentisque rerũ interiorũ imbecillitatem. Et mirum, quod a prophanis etiam arcano cognomẽto appellatus sit Deus unico ex Patre Matreq; cõposito nomine! Refert quippe Clemẽs 5. Stromatũ ab Orpheo, *Metropatora* appellatum, id est, *Matripater*, sic canente,

Deus quasi cũ labore quodã parturiens hominem.

שמש Sol, terræ spõsus, & maritus

Sol, mater fovẽs creaturas.

Clemens. Deus appellatus Matripater.

Exitii expers, Matripater, volvũtur ab ira
Cui omnia, qui ventosq; moves, atque omnia nimbis
Contegis, &c. = = = = = Deinde,
= = = = = *Producit ver tibi flores*
Purpureos veniens: a te quoque tempus hybernum est.
Nubibus advẽtãs gelidis quas dividit unis.

Quo loco sic Clemens ait. *Per illud quidẽ Matripater, non solum significavit generationẽ, sed etiã dedit occasionẽ iis, qui introducunt productionẽ, ut Dei quoq; conjugem excogitarent. Paraphrastice autem Scripturas illas exponit propheticas, nẽpe & eã, quæ dicitur per Isaiã, Ego solidãs tonitru, & creans spiritum; cujus manus exercitum Cæli fundaverunt: & eã, quæ per Moysem, Videte, quod ego sum, & nõ est alius Deus præter mẽ.* Vnum vero, & eundem esse *Matrẽ*, & *Patrem* Deũ ex sententia antiqui illius Valerii Sorani habetur apud Augustinum lib.7. de Civit. c.9. cum Iovem appellat Genitorem Genitricemque deorũ, atque rerũ, ut ex sua emẽdatione legit ibi Ludovicus Vives,

August. *Ludov. Vives.* *Soranus.*

Iupiter omnipotẽs regũ, rerumq;, Deũmq;,
Progenitor, Genitrixq; Deũm, Deus unus, & omnis.

Vt qui unicus ipse Deus vim maris, fœminæq; contineret in procreatione, & enixu creaturarum. Quare & illud mysterio nõ vacat, quod in lingua sancta unum, & idẽ nomen sit rotæ figuli, atq; Sellæ fœminæ pariẽtis, nam cum sæpe dicatur Deus *figulus*, & *plastes*, fictorve suarum creaturarũ, quod illas, hominẽ præcipue, quasi figulus circumductu rotæ figlinæ videatur ex luto formasse, atq; finxisse, certe tũc, cũ illas creabat, videbatur instar puerperæ sedẽtis in sella pariẽtis, eniti, atque parere, quas sua idea, & mẽte cõceperat.

Idem nomen rotæ figuli, & sellæ pariẽtis. אובנים

7 Sed quid nam in illa summa sapientia, summaq; mente, in qua nihil nõ est virile, atque perfectum, habere potest rationem fœminæ, & Matris in mundi procreatione? Tetigit dubitationis hujus punctum, & responsionẽ sapienter Philo lib. de temulentia, *Rerum* (inquit) *Opificem patrem quoq; suæ creaturæ juste possumus dicere. Matrem autẽ scientiã ipsius, cum qua congressus Deus non humano more proseminavit creaturã. Illa vero Dei semine cõcepto enixa est justo partu unicũ illũ, dilectũ, sensibilẽ filiũ mũndũ hunc. Qua propter a quodã Divino viro inducitur Sapiẽtia de se ipsa loquens in hũc modũ; Deus creavit me primã operum suorũ, & ante*

Deus instar matris enitẽs creaturas.

Philo.

Scientia Dei instar matris.

sæcula fundavit me, necesse enim erat, ut Mater, nutrixque omniũ rerum creaturas omnes ætate antecederet. Leo vero Hebræus, seu potius Philo, illo suo Dialag. 3. de Amore, fere eandem Sapiẽtiæ Divinæ allegoriam persequitur, atque, *Aristotelem pulchritudinem agnovisse summam, cæterum altius ascendere* nõ valuit: Plato vero *Ægyptiaca, vel Mosayca sapiẽtia instructus, pulchritudinis summæ originem, Summũ scilicet pulchrum*, & agnovit, & posuit. *Quod*, inquit, *à Moyse accepit*: nam ait, *In principio creavit*. Chaldæus, *In Sapiẽtia, at Hebraice, Sapientia initiũ vocatur. Et Salomon optimus discipulus, & Interpres Moysis ait, Dominus Sapiẽtia fundavit terram, & stabilivit Cælos prudentia. & subjungit, Dominus possedit me in principio viarum suarũ: vias mundi creationem vocat. Quare primogenitam Sapientiã vocat, & quasi filiam maximam, quæ deinde quasi adjuverit, ut conjux parentẽ, in universi formatione.* Ad hanc ipsam mysticarum allegoricarumque nuptiarũ rationẽ revocare nititur Canticum Salomonis, quo videtur induci *summa Sapiẽtia, & pulchritudo summi pulchri amore capta, & ex illo quasi ex Mare fœmina, concepisse universum hoc, communem amborum progeniem, & una cum singulis ejus partibus enixa. Et sicut*, inquit, *ex Sole ut Mare, & ex Luna ut fœmina in Cælesti regione se mutuo amore prosequentibus omnia in hoc inferiori mundo procreantur; sic se habet summa Pulchritudo cum summo Pulchro, in rerum omnium productione.* Interest vero illud, quod ipsa nõ solũ conjux, sed filia natu maxima summi Pulchri existit, ut in primis parentibus evenisse, scimus: nã Eva ex Adæ costa producta fuit, quasi ex Patre filia. Deinde legitimo matrimonio ipsi consociata, totum genus hominũ procreavit. Platonizavimus nõ nihil, sed non cum pœnitentia. Vidimus enim Divinæ Sapientiæ, Providentiæ, Bonitatis viscera indulgentissima cõplectentis foventis, enutrientis mundum hunc, quasi unicum dilectumq; summi artificis opus.

Leo Hebræus.

Allegorica expositio Canticorum.

Eva Adami cõjux, & quasi filia.

De indulgentia vero, & summa charitate, atque lætitia, quam Creator percipit ex conspectu creaturarum, quasi filiorum, ut cum illis, tanquam cum parvulis videatur colludere, arridere, lætari, diximus alio loco. Vide etiam superius versicul. 8. & 9.

30. XXX. *In similitudinem Lapidis, aquæ durantur: & superficies abyssi constringitur.*

1. Mirabiliæ effecta frigoris. Aquæ lapidescentes.
2. Crystallus optima ubi, quid item sit. Quædam aquarum, & fontium miracula.
3. Cur Maris profundum nõ conglaciet. Mare Glaciale Ostium lacus Meotidis prælio pedestri, atque navali opportunitatem prabens.

QUoniã semel de effectibus frigoris congelãtis humida, dictum est, pergit ad glaciei, & frigoris mirabiles alios effectus, quod res tam fluxa, tam liquida, tã mollis, qualis est aqua, lapidescat, & indurescat vehementer, retenta adhuc natura pristina. Elegans in fonte Hebraismus; *Aquæ abscondent se*. mutant quippe faciem, & non secus, ac si abscõditæ latitarent, ita neque apparet, neque videtur id, quod erat. Sed elegãter Interpres, *Duritiem* illam *glaciei* mirabilẽ proposuit, & expressit: Idonei quippe Scriptores tradũt, in regione Aquilonari muros firmissimos construi, & erigi ex Glaciei fragmẽtis, nõ secus quã ex saxis, & marmoribus, adversus quos irritus fit omnis bombardarum impetus, & omnis obsidentiũ conatus. Atque adeo tantã esse Glaciei duritiem, ut non solũ hebetet, & repellat instrumenta ferrea, sed vincat, & frangat. 1

Mirabilis frigoris effectus

Hebraismus.

Glacies lapidescens. *Olaus lib. 11. c. 20. & 21.*

Quid si, ut nonnulli volũt, Crystalli hic mentio fiat? Id quod vero similius fiet, quod *Crystallus* non solum ex vehemente gelu, sed quod in India optima fit, & juxta Mare Rubrum proveniat. illud igitur designabit Deus, quod in illa regione Arabiæ, & Husitana Provincia experientia familiarissimũ erat: de quo sic scribit Plinius lib. 37. c. 2. *Crystallũ facit gelu vehemẽs concretum. Non alibi certe reperitur, quam ubi maxime hybernæ nives rigent: Glaciemq; esse certum est, unde, & nomen Græci dedere. Oriens, & hanc mittit, sed Indicæ nulla præfertur. Iuba auctor est, & in quadam insula Rubri Maris ante Arabiam sita, nasci, quæ Neron vocetur, & in ea, quæ juxta gemmam Topazion ferat.* 2

Crystallus optima. ubi.

Plinius.

An etiam quædam alia miracula aquarum insinuat? quod quædam aquæ facile durentur, & lapidescant, quod cõgelatio quædam est, quædam res in ipsas conjectas lapides reddant? Seneca lib. 4. natural. qq. illud ex Ovid. affert,

Quædã miracula aquarum.

Seneca.

Ovidius.

Flumen habent Cicones, quod potum saxea reddit
Viscera, quod tactis inducit marmora rebus

Hæc (inquit Seneca) *aqua, si solidum tetigit, hæret, & astringitur. inde est, quod res abjectæ in eundem lacum lapideæ subinde extrahuntur. quod in Italia quibusdam locis evenit, sive virgam, sive frõdem demerseris, Lapidem post paucos dies extrahis.* Ex plurimis igitur

aquarum, & Glaciei miraculis, potuit aliquod nunc Divino sermone designari.

3 *Pagninus.*

Et superficies abyssi constringitur. Eleganter Pagninus dixit ex Hebræo, *Superficies aquarũ congelata capiet se.* quod quid aliud est, quam cõstringi, & velut partes se mutuo apprehendere, & cõplecti arctissime? Et recte quidem, atque ex natura ipsa dictum, *Superficies aquarum*; non enim quãtumvis frigus maximum penetrare potest intimas Maris partes, & penitus excludere teporẽ internarum partium, tum etiã aeris clausi particulas prohibentes congelationem.

Cur potius superficies Maris cõglaciet.

Neque vero hic proponitur tantum contemplanda, & miranda facies fluminum conglaciantium, quamquã hoc vade mirandum; sed *facies abyssi*, id est, Maris; quale est *Mare Glaciale* sub Aquilone, quod nihil acontinẽti differre videtur; perinde enim in eo itur, dimicatur, ædificatur, sicut in continenti.

Mare Glaciale, aut Aquilonare.

Cui proximum est, quod Strabo lib. 2. scribit de Ostio Meotidis, in quo congelato Mithridatis dux hostem vicerat; postea æstivo calore, & nivibus liquescentibus hostem rursus navali pugna superavit.

Strabo. Ostium lacus Meotidis.

Vide Zonaram in Copronymo. Sub quo sevissima hyeme fluvii, Maria quædam, & Pontus ad multa passuum millia conglaciarunt.

Zonaras.

Hujus rei permulta similia exẽpla congessit Simon Majolus colloquio primo, & colloquio, 10.

Simõ Majolus.

XXXI. *Nunquid cõjungere valebis micantes Stellas Plejadas, aut gyrum Arcturi poteris dissipare?*

1. *Nexus commodus.* Plejades *Aquilonares*, Arcturus *Australis. Deus instar gubernatoris peritissimo.*
2. Congregare. *quid proprie. Plejades, sydus rebellans.*
3. *Cur* Plejades *dicãtur* Micãtes. *Varia lectio.*
4. Plajades, *quale sydus.*
5. Arcturi *nomen, & natura. Orionis descriptio, Nominibus fabulosis quomodo utãtur Scriptura.*
6. Gyrus, *quid proprie.* Dissipare. *Antithesis pulchra.*

1 Nexus cõmodus.

QVamvis auctor naturæ videatur a meteoris impressionibus, & a Maris, fluviorumque mirabilibus mutationibus ascendere, redireque rursum ad cælestem regionem; sed tamen opportune a propinquo id facit, sunt enim proculdubio ea cælestia signa nimbosa, & turbulẽta, atque meteorarum impressionum potẽtia. Quia autem *Micantes Stellæ Plejades* Septẽtrinales sunt, ut statim dicemus; *Arcturus* vero Australis, ut Hebræi volunt, ideo certe videtur rogare Iobum, an sua potentia pertingat, pervadatque universum Cæli ambitum, & velut peritissimus aliquis, simulque sapiẽtissimus naturæ gubernator possit, noveritque simul intendere in moderationem diversarum Cæli partium, atque Astrorum? Qualis fere inducitur a Poeta, peritissimus ille gubernator Palinurus crebro reflectens cervicẽ ad diversas Cæli regiones, captans serenitatis Prognosticum, & indicia,

Plejades Aquilonares, Arcturus Australis.

Deus instar peritissimi gubernatoris.

Explorat ventos, atq; auribus aera captat:
Sydera cuncta notat, tacito labẽtia Cælo,
Arcturum, pluviasque Hyadas, geminosq; Triones
Armatumq; auro circumspicit Oriona.

Virg. 3. Aeneid. 515.

Sic igitur naturæ auctor singulorũ naturas diversas, atque multiplices contemperat, gubernatque sapientissime: tum etiã singulorum naturas ad certos, & opportunos naturæ fines dirigit, & conformat; nimirum *Stellas Plejadas* in unius astri aspectum, & figuram cõjungit certa omniũ illarum Stellarum proportione, & Sympathia: Rursum distãtiores illas Stellas, quæ *Arcturum* conficiunt, certis intervallis disjunxit, quod profecto Solius Divinæ Sapientiæ, Potentiæ, Providẽtiæ fuit. Sed hæc tamen explicatius tradenda in vocum peculiari explicatione.

Astrorũ propinquitates, & intervalla ex Providentia.

2 LXX.

Nunquid conjungere valebis, &c. Septuaginta legerunt; *Intellexisti nexum Plejadis?* quod enim noster ad Potentiam; Græci ad Sapientiã retulerunt. Olympiodorus, *Illud quasi vinculum, illaque Stellarum, quæ Plejades efficiunt congmentatio, an tuæ Sapiẽtiæ, atque intelligentiæ est opus? an vero causam tenes, cur eædẽ Stellæ sic inter se apte cohærent?*

Olympiod.

In Hebreo tamẽ lectio est ad utrũque indifferens. *Nunquid congregabis?* proprie, *Nunquid ligabis*, colligabis, quasi sub uno vinculo devincies plures Stellas, quasi ad unũ aliquem finem cõspirantes, & conjuratas? nam Originale verbum ejusmodi colligationẽ significat, quæ plurium conjuratorum rebellionẽ significat: nos eodem fere vocabulo appellamus *Liga*. quia ergo exorientes Plejades vidẽtur cõjuratione facta rebellare adversus mundum, elementorum seditionẽ concitãtes, aerisq; ac terræ perturbationes, recte dicuntur *congregatæ*, aut *colligatæ*, aut *conjuratæ*, vel conspirantes. Quæ *congregationis* ratio multo elegantior est, quam quæ sumitur ex sola illarũ locali propinquitate: quę tamen potuit etiã verbo *congregandi*, aut ligãdi, designari. nã a Poetis

Congregatio ex rebellione

קשר

Plejadum nomen a congregatione.

Philipp. πλεκτὸς

etiã a mutua propinquitate, & cõjũctione describũtur juxta ipsũ nomẽ Græcũ, quod, ut docte observat hoc loco Philip. dicitur *Plettes*, id est, a multitudine, quod multę simul jũctę essent. aut explicati⁹ cũ Gregor. *A Potu plistus, id est, a pluralitate. Ita autẽ*, inquit, *vicinæ sibi, & divisæ sunt conditæ, ut & simul sint, & tamen conjungi nequaquam possint*. a qua cõjunctione Manilius vocat, *Sydus glomerabile*. & Cordubensis Seneca, *Densos Plejadum greges*. quã quam alii etiã *a Pera to plin* dictas putẽt, quod exortu suo tempus ad navigandum idoneum denuntiant.

Gregorius. ἀπὸ τοῦ πλείσους — Manilius. — Sen. in Medea, act. 1. — περὶ τὸ πλεῖν

Vatabl. — Osorius.

Sed longe diversa significatione Vatablus, & qui illum paraphrasi elucidare solet, Algarbiensis, verbũ *congregandi*, aut *ligandi* intorquẽt ad significationem *prohibendi*, aut *coercendi*. q. d. Numquid prohibebis, coercebisque harum stellarum vim, & effecta? Sed quidem sensus asperior, & cum labore quęsitus, ut mox videbimus.

3 Vatab. Varia lectio. עדנות עדן

Micantes Stellas. Ex Hebræo legunt Vatablus, & Regia, *Delicias Plejadum*. Pagninus, *Fructus delicatos*. & quidem nomen originale *Ghadanoth*, est a *Ghadan*, quod est deliciari, aut voluptati, & deliciis abundare, unde dicitur Paradyssus voluptatis Genes. 2. 15. ubicumq; est in Hebræo, *Hortus Ghaden*, sive, *Edẽ*. & ab eadẽ radice dicuntur Ezech. 31. 15. *Ligna voluptatis*; id est, delicata, aut deliciosa. & Ieremiæ. 52. vertitur *teneritudo*, qua repletur venter. denique significat quidquid pingue, tenerum, & delicatum est. Ergo hoc loco *delicias Plejadũ*, aut secundũ alios, *delicatos* illarũ *fructus* interpretãtur *flores*, fructusque vernos, quos Deus prohibet, & coercet hyberno tẽpore, rigore, & inclementia Plejadum, efficit vero, ut erũpant verẽ clementia tum temporis, tum aliorũ Astrorũ. Sed quis non videat hanc interpretandi rationem esse invitã, atque coactã? quis enim appellet *delicias Plejadum*, flores, atq; fructus, qui sub aliis signis, alioque tempore nascuntur?

Servius, & Pǒtan. 1. Georg.

Præcedens expositio invita.

ענד Complut. Cajetan.

Ergo Alii vocem *Ghadanoth*, quasi per trãspositionẽ literarũ, deducunt a radice *Ghanad*, quod est circumdare, aut vincire, quare Complutenses, Cajetanus, & alii, legendum existimant, *Nunquid congregabis*, vel, *ligabis vincula*, aut, *applicationes Plejadum*? ut fere idem significetur hoc nomine, quod ipso verbo *congregandi*, aut *ligandi*. Et quidem sic accepisse videtur Vulgatus, dum cõtempsit significationem illius nominis; cujus loco dixit *Micantes*, quod videtur esse perpetuum, nec non cõmune Stellarum Eiptetũ. Nisi forte intellexerit *delicias Stellarum* non alias profecto esse, quam suum ipsarum ornatum, & pulchritudinem, id est, lucem, & splendorẽ, ideo *Micantes* dixit.

Deliciæ stellarũ splẽdor.

4 Varia lectio vocis originalis. כימה

Plejades. Non levis difficultas de propria significatione nominis originalis, *Cimah*. varius enim, & multiplex est Vulgatus in illo vertendo, nã supra Iob. 9. vers. 9. vertit *Hyadas*, nunc *Plejadas*. at Amos. 5. vers. 5. vertit *Arcturum*. de quo diximus non nihil superius. c. 9. Latini certe volũt esse septem Stellas caudę Tauri inhærentes, ex Plinio lib. 2. c. 41. quas item *Virgilias* nominãt, ex Gellio lib. 13. c. 9. proculdubio autẽ *Plejades* nimbosæ sunt, & pluviæ: & ex originali nomine *cima*, videtur deductum Grecũ *Chima*, quod est hyems aut tempestas. Statius lib. 5. Sylvarũ *Nimbosum sydus* appellat, rursusque,

Plinius. Gellius. — Strat. lib. 4. Thebaid.

Neque enim violentior exit
Amnis humo, cum Taurum, aut Plejades
hausit aquosas.

5 Quid proprie Arctur⁹. & unde dicatur. כסיל כסל

Aut Gyrum Arcturi. Hic iterum varietas, & difficultas in originali nomine, & significatione *Arcturi*. nam cum dicatur *Cecil*, a *Caçal*, quod est inconstantem, & varium esse, quasi signum, & Astrum, quod inconstantiã, & perturbationem temporis, & aeris efficiat, nunc vertitur ab Interprete *Arcturus*, qui nimbosus est, ut late diximus superius, c. 9. vers. 9. n. 1. eo vero loco vertitur ab eodem Interprete *Oriona*, forte quod de propria nominis significatione nihil certi haberet. de quo etiam diximus loco citato. Nũc tãtum, fere ab aliis interpretibus verti *Oriona*, a Septuagint. & Hebraizãtibus, una excepta Tygurina, qui *Cynosuram* vertit, quæ est altera Arctos, minor ursa. Hoc tãtum ex hoc loco eliciunt, esse astrũ ex pluribus Stellis multum inter se distantibus, illud enim, *poteris dissipare*, tãtundem videtur esse, quod, Poterisne dissipatas, & certis spatiis atque intervallis disjunctas cõstituere? Sed conjectura hæc, & interpretatio incerta, nam in contrarium sensum potuit jure a Tygurina adduci, *Cohærentes Stellas Cynosuræ disjunges*? Elegantem porro Orionis descriptionẽ habemus ex Basilio in c. 13. Isai. 9. *Quoniam Stellæ Cæli, & lumen earũ non expandent lumen suũ*. ubi pro *splendore* Septuag. legunt *Orion*, &c. Sic igitur Basilius, *Liquet Scripturam Oriona dicere id Sydus, quod duas, & viginti Stellas cõplectitur, a nonnullis Bootes nominatur: nonnulli circa hæc studia versati, numerosam hãc Stellarum complexionẽ in partes diducunt, asserentes earum quidẽ quatuor esse tertiæ magnitudinis,*

Varia Arcturi lectio. — Basilius. Orionis descriptio.

atq;

a tã, earum novẽ quartæ, reliquas vero novem quintæ. hic Stellarum globus in Boreali, sive Aquilonari parte locatus est, qui, vel teste Scriptura, Orion nominatus est, quod in unum corpus compactus sit. Astra quidẽ dicunt esse, non item Stellas, quod astri hoc est, syderis nomen, indicet congregationem Stellarum, sive multitudinem conflatam in unum. Rursus de *Arcturo* sic eodẽ loco sentit Basilius; *Arcturi cõmeminit Scriptura, quem ipsi cernimus media in parte Orionis positũ esse. vero Stella colore subrufescẽti. e vicino ei adjacet Plejas, vel Scriptura teste, sic nominata, ceu assolent, qui externas litteras assectãtur, puta, Hebræi, qui Isthæc arcana naturæ anxio labore cõmentantur. Porro in ipsa Plejade apparẽt septem, eædem compactiles, sibique in vicẽ addensatæ, non item sex, ut quidam sunt arbitrati; positi autem in forma triãgulari.* Sed nõ amplius in his anxio labore immorandum. Vnum tãtum, quod Basilius, & Cyrillus in hoc Isaiæ loco observavit, *Orionis, aut Arcturi fecisse mentionem, ut inde unum aliquod ex astris insignissimum significaret.* Rursus dum ista nomina usurpant Sacrę Litteræ; *Nõ sequuntur Græcorum incantamenta, Fabulas nimirum hominum, aut mulierum in astra cõversarum. Sed potius abutuntur nomine usitato, & trito.* nomina autem originalia naturas rerum ipsarum, & Astrorũ, fabulas autem minime respiciunt.

Basilius. Arctur⁹, quid.

Hebræorum anxius labor.

Cyrillus. Nominibus Astrorũ quomodo utãtur Sacræ litterę.

6 Illud autem quod dicitur, *Gyrum poteris dissipare*, non eodem modo ab omnibus legitur, a Septuaginta; *Septum Orionis aperuisti?* Quod Nicetas sic interpretatur; *Cũ statis temporibus se se Orion ostendat, utrũ tua perfectum est opera, ut is quodam quasi septo occultaretur, rursumque appareret?* sed quidem ea *septi* translatio longior, & durior est. In originali est nomen dictum a trahendo, contrahẽdo, prolongãdo. quare alii vertũt, *Contractiones Cesil*, ut Regia. quod fere est idẽ cũ Tygurina, *Cohærẽtiã Stellarũ.* nisi potius intelligat occultationẽ ej⁹ astri, quæ dissipatur, & aperitur, cũ rursus apparet. Cajet. legit, *Tractus.* q.d. spatium illud, per quod movetur. quod fere idem est, cum nostra lectione, *Gyrũ.* Alii respicientes ad illam nominis originalis *prolongationem*, ut Pagnin. legunt. *Fructus serotinos Orionis.* Sed cum *Cesil* sydus hyemale sit, & in mense *Caslev*, id est, novẽbri oriatur, nulli tunc fructus. Quod in Hebræo pro *Dissipare*, est aperire, forte habet elegãtem rerum ac verborum Antithesim; nam *colligatio* illa *Plejadum*, videtur esse opposita huic apertioni, q.d. neque tu illas Stellas colligasti; neque hoc alterum astrũ dissolvere, & dissipare poteris. Sed in re ancipiti licuit Interpreti idoneum aliquem sensum, atque significationem deligere.

LXX Nicetas.

Varia lectio.

Regia. Tygurina.

Cajet.

Pagnin.

Dissipare.

Antithesis.

XXXII. *Nũquid producis Luciferum in tempore suo, & vesperum super filios terræ consurgere facis?*

1. *Ortus, & occasus Astrorum mirabiles. Deus Pastor, Imperator, & Præcentor.* Procedere, *quid.*
2. Lucifer, *quod sydus,* Phosphorus, *&* Vesperus, *semper cum Sole contendens.*
3. Filii terræ, *qui, Viventia hauriunt vitã a luce.* Coma, *&* Filii Luciferi, *radii lucis.*

Mirabiles quidem Stellarum, Astrorum, Planetarum ortus, & occasus sunt suis temporum intervallis, certis atque constantibus distinctos, ut videatur esse mens, & sapientia suprema velut Pastor quidam vigilãtissimus suo tempore, & statis horis producens, seu juxta Hebræum, *Exire faciens* Stellas in apertum, & spaciosissimum istũ regionis ætereæ campum; Tum etiã, velut peritissimus Imperator producens ordine milites, & ex præscripto militaris disciplinæ, *Egredi, & ingredi* faciens. aut velut Psaltes, & ducẽdi Chori magister scientissimus, Choros Stellarum quasi preeundo ad certos modos, & numeros vocat, ducit, movet, nam verbum originale *Producendi*, aut *procedẽdi*, vel *egrediẽdi*, cõmune est ad processum Militum, Chori oventis, Gregis, &c. Et elegãter etiam ad ortus, exitusve Astrorũ accõmodatur Ps. 64. *Exitus* (productionem, processum) *matutini, & vespere delectabis.* atque adeo pro ipso loco Oriẽtis sumitur, Ps. 74. 4. *Neque ab Oriente.* propr. *non ab exitu*, vel, *a productione.*

1 Ortus, & occasus Astrorum mirabiles.

Deus instar Pastoris ducẽtis stellas.

Instar Imperatoris recensentis milites.

Instar Præcentoris movẽtis & dirigentis harmoniam.

Procedere. יצא

Luciferum. Non minor, forte major, varietas, atque difficultas in propria nominis originalis significatione; cum enim in hoc tantum loco legatur, quisque suã significationem tuto illi tribuit. Et cõsulto quidem fecisse videntur Septuaginta, qui vocem originalem, seu propriam retinuerunt, *Mazaroth*, quod nomen quia habet cognationem cum radice *Mazar*, quod significat *separare*, aut *dispergere*, videtur Symmachus legisse; *Nũquid produces, quæ sparsa sunt, unumquodque juxta tempus suũ?* contraria vero significatione videlicet *Cõgregãdi*, Nicetas interpretatur, *Sydus Cœtus, atque Cõplexiones, quæ signa Zodiaci vocare soliti sunt.* Pagnin. & Regia in cõmuni *Signa cælestia* esse volunt. Thargum, R. Abra-

2 Varia de Luciferi re, & nomine sententia.

LXX. מזרות מזר

Symmach.

Nicetas. Pagnin. Regia. Tharg. R. Abr. R. David.

Abrahã, R. David existimãt esse *Planetas*. Vulgatus unam tantum Stellã intellexit; *Lucifer* enim est Stella pulcherrima, quę cũ præit Solẽ, vocatur *Lucifer*, aut Phosphoros; cum vero subsequitur, *Vesperus*, nimirum *Stella veneris*. Quamquã Philippus nõ unam, sed diversas esse scribat, ductus tantum nominum diversitate. Sic ex *Lucifero matutino*, & ex *Vespero* utramque sententiæ partem cõponendam duxit, inde forte ducta conjectura, quod certi tẽporis mentio fieret, quod peculiari ratione in *Luciferũ*, & in *Vesperũ* quadrat, Stellam quidem Poetarum pręconiis celebrẽ; quale est illud Pisidiæ;

Philipp.

Pisidias. Phosphorus & Vesperus.

Quis ve unum, & idẽ sydus acri lumine
Modo Phosphorum, modo Vesperũ, si perspicit,
Hoc nesciat binorum opifem cursuum,
Lucis prophetã, noctis esse nuntium?

Iam igitur *ducit diem*, jam *ducit noctem* instar ducis. Quare quod in secunda parte dicitur, & *Vesperũ consurgere facies*, propr. ex Hebræo legitur, *Vesperum deduces*, aut, *Vesperum ducem facies*. vel, *deducere facies*. est enim velut Stellarum dux, illarum agmen nunc adducens noctu, nunc reducẽs mane;

Sen. in Medea, act. 4.

Mergat (inquit ille) *diem timendũ dux noctis Hesperugo*

Et quidem pre plurimis aliis, mirabilis est hæc Stella semper quasi cum Sole colludens, aut cum illo de pulchritudine contendẽs, aut illius pulchritudinem ex ipso *Veneris* nomine, deperiẽs: *nunquam* enim, ut Martianus scribit, *A Solis orbe plus quadraginta sex partibus aberrare valẽs, & tamẽ in suo posita circulo eũ varia diversitate circumdat, quia aliquando eum transcurrit, aliquando subsequitur, nec comprehendit: aliquãdo superfertur, nõnunquam ei subjacet, quippe quæ nõ annis omnibus revocat cursum. Tũc etiam retro graditur ultra anni circulum, tardior collustrat orbem; nunc faciens ortũ, ut in Luciferum: nunc post occasum Solis effulgens, Vesper, vel Vesperugo nominatur, solaque fulgori Solis emergentis diu conspecta non cedit.*

Veneris Stella cũ Sole cõtendens.

Martianus lib. 8. de Astronom.

Martianus Capel lib. 5. de Astronomia.

Vides igitur ut in re valde incerta, & obscura, reliquis omnibus interpretationibus præluxerit Latinus Interpres, *Producens suo tempore Luciferum?*

3 *Et vesperum super filios terræ, &c.* Pro *Vespero* est in Hebræo *Ghes*, a radice, *Ghas*, quod est congregare, aut convenire. Et nunc iterũ hic dissensio: nam alii, *Arcturum*, qua etiã ratione reddidit Vulgatus, c. 9. versic. 9. ut eo loco exposuimus. Sed quidẽ juxta loci exigentiam sapienter cũ Septuaginta, Latinus Interpres nunc *Vesperum* dixit; neque dissonat nominis originalis etymologia, dicitur enim a *congregando*, quod videatur congregare, ducereque, ac reducere agmẽ Stellarũ, ut Seneca in descriptione auroræ;

Tygur. Vatabl. Cajetan. Regia. Pagninus. עש עיש

Iam rara micant sydera prono
Languida mundo, nox victa vagos
contrahit ignes, luce renata
Cogit nitidum Phosphoros agmen.

Sen. in Her. furent. act.

Rursusque Ovidius;

. . Diffugiunt Stellæ, quarũ agmina cogit
Lucifer . . . . .

Ovid. 2. Meta.

Quod vero ait, *super filios terræ*, in Hebręo est, *Cum filiis suis*. quod Pagninus cũ Hebraizantibus explicat, *Cum Stellis minoribus, velut filiis suis*. non enim sunt omnes Stellæ Plaustri, vel Arcturi ejusdem magnitudinis. Sed persistendum existimavit Interpres in eadem re *Luciferi*. Quare *filios Luciferi* existimavit dici vel mortales, vel animantia, quæ lucis exortu excitantur, & foventur, vitam a luce, velut a cõmuni parente haurientes. Lõge aliter Septuaginta, sed tamẽ opportune ad eximiũ Luciferi splendorem; *Vesperum super comã ejus deduces?* comam autem interpretatur Nicetas, *Insignẽ claritatem, ac venustatem.*

Animãtia vitã a luce haurientia.

LXX.

Coma Luciferi.

Nicetas.

XXXIII. *Nunquid nosti ordinem Cæli, & pones rationem ejus in terra?*

1. *Nexus sententiæ.*
2. Ordo Cæli, *Natura lex. Numerus Stellarum.*
3. Ratio, *quid propriæ. Mundus inferior parens doctrina, & legi Cælorum. Germana sententia Paraphrasis, & expositio.*

I CVM Certi, & statuti tẽporis, quod orientia vel occidẽtia sydera servãt, meminisset Deus, ad cæteras cęlestiũ motuum, effectuumque leges perpetuas, atque constantes progreditur.

Nexus.

Nunquid nosti? q. d. Nunquid tua sapiẽtia hæc constituta sunt? aut, Venissent ne hæc in tuam mentem, nisi prius vel vidisses, & expertus esses, vel cęlitus edocereris? *Ordinem Cæli*. Septuag. legerunt, *Commutationes Cæli*. interpretatur vero Nicetas, *Cæli conversiones, aerisque commutationes, aut omnia, quæ tumq; sub Cælo contingũt.* Philippus vero intelligit, *Numerum astrorum, & militiæ eorũ ordinem*. Sed certe originalis vox significat decretum, legẽ, statutum. Eleganter igitur Tygurina, & Vatablus legunt, *Iura, legesq; Cæli*, videlicet perpetuum, atque constantẽ ordinem, rationemq; movendi, illuminandi, efficiẽdi,

Ordo Cæli, naturæ Lex.

LXX. *Nicetas.*

Philipp.

חקת *Tygurina. Vatablus.*

leges inquam, atque jura non solũ quæ ipsis cælestibus orbibus imposuit, edixitque naturæ auctor, sed leges etiam, atq; jura cælestia, quibus parent inferiora; nã illa nobis prescribunt, designantq; certas agendi, quiescendi, atque movẽdi leges, atque rationes.

2 D.Thom. *Et pones rationem ejus in terra.* D. Thom. cum Latinis existimat, *Cælestium rationẽ poni in terra*, si peculiares effectus suis causis superioribus assignentur. Fereque hoc indicat Græcorũ lectio; *Scis, quæ sub Cælo simul facta?* q.d. Scis ne, quę in terra fiunt, pendẽtq; ex peculiari Cælorum efficientia? Sed proculdubio interpretatio est durior, & coactior. Fere Hebraizãtes legũt, *Ponis, disponis, imponis, imperium ejus, Dominium, præfecturam in terra?* nam deducũt vocem originalẽ a Verbo *Satar*, & a nomine *Soter*, quod dicunt significare præfectum, aut præpositum, sive ducẽ, aut Dominum. Sed proculdubio significat gradũ aliquem præfecturę, aut magistratus, magisteriive: conjungitur enim fere cum *judice*, & vertitur ab Interprete Latino, *Præceptor*, Proverb. 6.7. & *Magister*, Devter. 16.1.5. & *Doctor*, 2. Paralip. 26.11. & *Dux*, Devter. 20.5. & *Princeps*, Iosue, 1.10. denique *Exactor*, Exod. 5.14. Ergo significat Principem præscribentem subditis jus, legemq; agendi, docentẽ meliora, exigentẽ justa. Tum etiã Elias Thisbites, ait significare, *cautionẽ debiti, aut cautionem dotis, & scripturã, seu litteras, in quibus continetur potestas, quam alius ali tradit.* atq; id desumi ex hoc loco Iobi, *Num pones potestatẽ ejus in terra?* nos vocamus, *Escritura de obligacion; carta de dote; poder en causa propria.* Iuxta quod Complutenses dicunt significare *descriptionẽ*. Quæ omnia recte quadrant in imperium, principatumq; Cælorum supra mũdum inferiorem, quẽ Deus illis, quasi ex descripto, & syngrapha cõcessit, præscripsitque. Rogat ergo Iobum Deus, An ipsius potentia, sapientiave factum fuerit, ut terra pareat Cælorũ legibus, ut doceatur *tẽpora, & annos*, temporum quæ opportunitates serendi, metẽndi, excolendi agros, colligẽdi fructus? Añ ipse in Cælis, & astris suã descripserit potẽtiam, atq; sapientiã? An ipse constituerit Solem *in potestatem diei, Lunam, & Stellas in potestatẽ noctis?* An ab humana sapiẽtia Cæli instructi fuerint, ut hominũ magistri, & præceptorũ latores esse possent, & mortalibus *enarrarent Gloriam Dei*: ut denique illi essent velut exactores, qui a mortalibus justa exigerent, & opera lucis præciperent? Hoc sane est *rationem*, dominatum, descriptionẽ, præceptum, præfecturam, doctrinam *Cæli poni in terra.*

LXX.
Varia lectio.
Tygurina. Vatabl. Pagnin. Regia. Caiet. Eugub.
שטר
Elias Thisbites.
Paraphrasis germana sententiæ.
Mundus inferior parens legibus cęlorũ.
Psal.135.8.
Psal.18.1.

XXXIIII. *Nũquid elevabis in nebula vocem tuã, & impetus aquarum operiet te?*

1. *Dei vox, Tonitruũ. Imperiũ.* Loqui, *imperare.*
2. *Deo vocanti parent ea, quæ non dum sunt.*
3. *Nubium promptuarium in extremis recessibus Maris, & Terræ.*
4. Impetus aquarum, *de abundantia.*

EX Eo, quod Dei voces in nubibus, vel ex nubibus auditæ, sæpe soleant in Sacro sermone designare tonitrua, D. Thomas, & qui illũ sequuntur, Nicolaus, & Dionysius, tonitrua hoc loco interpretantur, quibus Deus magnificentissima, simulq; contẽtissima voce loquatur mortalibus. Sed proculdubio nunc nõ est *tonitrui vox*, sed Dei imperiũ, quasi ex suo Thesauro, & promptuario recõditissimo evocãtis nubes; nõ enim hoc loco est ulla differentia *nebulæ*, ac *nubis*. *Vox* vero *Dei* pro illius Imperio, tam frequens in Scripturis, quam *dicere*, aut *loqui* pro *imperare*. *Vocat* igitur Deus *nebulam*, aut *nubes*, cum vult, præcipitque nubes cogi, imbremque effundere.

Sed quidẽ in hac nubium evocatione, primo observandũ est, res, quæ non sunt, ideo dici vocari a Deo, tanquam, *ea quæ sunt*, ut significentur omnia possibilia, esse in Divinæ Sapientiæ, Potentiæ, atque voluntatis Thesauris recondita, & nõ minus Divino Imperio obedientia, quam si voces imperantis acciperent. Vide Sapiẽtiæ. 16.24. & 19.6. *Omnis creatura deserviẽ. tuis præceptis; Nam nubes, &c.* Sic dicitur Ierem. 4.20. *Contritio vocata*; & 4. Reg. 8. 1. Ps. 104.16. *Fames vocata*, & Hagæi. 1.11. *Siccitas*, Ierem. 49.29. *Formido*; & Thren. 1.15. *Tempus*. quod hęc omnia præsto adsint Divino Imperio, & voluntati. Nõ aliter *vocat Deus aquas Maris*, id est, *nubes* Amos. 5.5. & *Frumentum*, Ezech. 36.29. Sic *Cælũ*, & *Terra* Divinis vocibus obediẽtia, invocãtur a Prophetis contra surditatem humanam.

Secũdo, elegãter dicitur *Vox elevata ad nubes*, non solum ut significetur reconditorium, & promptuarium nubiũ in extremis Terræ, Marisq; recessibus, ut necesse fuerit vocem contendere, & *elevare*, ut ex longissima distantia audire possent nubes, nam *Elevando voce, illas levat Deus ab extremo terræ*, sed ut significet ipsas nubes

1 Aliorum expositio, D Thom. Nicolaus. Dionys.
Dei vox, illi' imperium.
2 Quid indicet res inanimatas vocari, & adesse.
Rom.4.17.
Devt.32.1. Isai.1.2.
3 Elevari nubes ad Dei vocem quomodo.
Ierem.51.16.

eleva-

elevari ad eum ipſum locum, quẽ illis deſignat Divina vox. quaſi dicat, Præſto illi adſunt; & cũ videatur Deus tempeſtatẽ concitãs in ipſo ſublimi aere reſidere, vocatæ nubes ſublimes ſtatim adſunt ad Dei vocem elevatã, & e ſublimi prolatã.

Et impetus aquarũ operiet te. Proprie ex Hebræo, Copia, abũdantia vel inundatio.
4 Eleganter Philippus, Nunquid ad imperium, ac nutũ tuũ illico imbres infundẽt, & operient te? Septuaginta autem perſiſtentes in illa Divinę vocis, & imperii allegoria, legunt, *Vocabis autẽ nubem voce, & tremore aquæ validæ obediet tibi?* Nicetas, *Illæ imbutæ aqua, quaſi tremore perculſæ dicto audientes erunt?* q.d. Deus, Liqueſcunt ſtatim ad meum imperium nubes, atq; totas ſe impendunt, & ſuperimpendunt in meum obſequiũ. Sed quid mirum nubes molles liquefieri, & ſudare coram Deo? Montes etiam, *ſicut cera fluunt a facie ejus.*

Philipp.

LXX.

Nicetas.

Pſal. 96.5.

XXXV. *Nunquid mittes fulgura, & ibunt: & revertentia dicent tibi, Adſumus?*

1. Fulgur, *pro fulmine. Circũloquutio famuli obſequentis.* Mittere *dictum de nuntiis.*
2. Ire, & reverti, *pertinet ad mandata perfecta. Illuſtratus Moyſes. & Matthaeus.*
3. *Obedientiæ vox.* Adſum. *Explicatus Iſaias.*

1 POtentiæ hoc eſt ſupremæ, quod fulguribus atque fulminibus utatur tanquã ſervis obſequentiſsimis, quippe vox originalis non ſolum fulguris coruſcatioẽ, ſed etiam ipſum telum fulminis emicãtis ſignificat. Pſ. 103.4. Cum autem de fulminibus ſæpe dixerimus, nũc tantũ, quę hujus loci propria ſunt. Eſt nimirũ hæc circumloquutio obſequentiſsimorum famulorum, ac fere eadem cũ illo Davidis, *Facis Angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos flãmã ignis.* id eſt, ventis, & flammarũ igne uteris ut nũtiis, *& miniſtris tuis.* nã quod hic dicitur *mittere*, ſuperioris Principis eſt, aliquid demãdãtis nuntio perferẽdũ, aut exequendum. Latitat enim nuntius, atq; nuntium in illo verbo *mittendi*, ut nõ ſemel admonuimus. Rurſus quidquid *adeſt*, id eſt, accidit nobis, intellige vocatũ, & miſſum a Deo, & tum Divino juſſui parere, tum aliquid nobis ab illo denũtiare.

Fulgur pro fulmine.

Circumloquutio famulorũ obſequentiſsimorum. Pſal. 103.4.

Mittere ad nuntios pertinens.

2 Illud autem quod eſt *ire, & reverti*, D. Thom. dictũ cenſet, eo quod fulmina *repercutiuntur ex uno loco in alium.* quaſi parata ad Cõditoris nutum ab incœpto itinere deſiſtere, & ab inſtituto reverti. Rurſus, *reverti dicẽtia, Adſumus*, exiſtimat eſſe periphraſim obedientiæ. qua ratione Gregor. dixit, *In illo verbo, adſumus, quodã obſequium declarari.* atq; fere eodẽ modo Græci. Nõ laſſantur ex uno mandato, quippe parata ſunt ſæpius ire, & redire, vix cũ reverſa fuerint. Sed proculdubio hæc eſt circumloquutio famuli fælicitet exequentis accepta mãdata, quare elegãter Philippus, *Revertentia fulmina eo modo dicuntur, cũ effectũ fuerit illud, ad quod dirigitur jubentis ſcientia.* Phraſis eadẽ de Angelorum obedientia, & agendi celeritate, & efficacitate, ſub perſona ſtrenuorũ militum euntium, videntiũ, vincentiũ, Zach. 9.8. *Euntes, & revertẽtes.* Gen. 28.21. Ioan. 1.35. *Aſcendẽtes, & deſcẽdẽtes.* Quare quod in Matthæo legimus Centurionẽ dixiſſe, *Dico huic, Vade; & vadit: & alio, Veni, & venit:* non ſic accipiendũ eſt, ut ut unus eat, alius revertatur; ſed ut cuicumq; aliquid operis demandet, idẽ ipſe *eat, & revertatur* perfectis mandatis, quod ſtatim exponitur, *Fac hoc, & facit.* Sic ſignificatur quidem *corvus* dimiſſus a Noe, nõ obiiſſe legationem, neq; perfeciſſe mandata, nam *egreſſus, non eſt reverſus.* Sicut a contrario columba obita legatione *reverſa eſt.*

D. Thom.

Gregorius.

Famuli exequentis accepta manda periphraſis. Philipp.

Ire, & reverti, ad perfecta mandata pertinens. Matth. 8.9.

Gen. 8.7.8.9.

3 *Et dicẽt, Adſumus.* Cajetanus ait litterã inverſam eſſe: Sic vero cõſtruẽdam, *Mittes fulgura, & dicent, Adſumus, & ibunt, & revertentur.* eſt enim illa obedientiæ vox, *Adſum; Ecce me; Præſto ſum*, antequam accipiatur mandatũ. Sed ea etiam ratione invertit litteram Cajetan. prius enim eſt dicere, *Adſumus*, deinde *mitti*, illud eſt enim ordine dictum, *Ecce ego, mitte me*, ergo ordine, quo ſcripta eſt, accipienda eſt ſententia. ut poſtquam *reverſa fuerint*, dicant, *Adſumus*, Ecce nos. obſequii nimirum vox, nõ ſolum præſtandi, ſed præſtiti, & legationis non ſolum obeundæ, ſed jam obitæ. q.d. Ecce jam abſq; ulla mora imperata confecimus. Septuaginta, *Dicẽt tibi, Quid eſt?* Nicetas, *Quid nam eſt, quod optas facere?* Sed præſtat, Quid nam reliqui eſt nobis perficiẽdum? An defecimus in aliquo?

Cajetan. Obedientiæ vox.

Iſaia, 6.8.

LXX.

Nicetas.

XXXVI. *Quis poſuit in viſceribus hominis Sapientiam: vel quis dedit gallo intelligentiam?*

1. *Sententia ſcopus.* Viſcera, *quid contineant. Appellantur* Occulta. *Cur* Occultis, *cur* Renibus *tribuatur intelligentia. Illuſtratus* David.
2. *Græcorum lectio elucidata. Scientia texendi Divina.* He, & Hheth, *frequenter impoſuerunt Septuaginta interpretibus. Illuſtratus Moyſes, David. Salomon.*

3. Va-

3. *Varia lectio. Cor, cogitatio, pictura habet nomen ab aspiciendo.*
4. *Gallinacei multa nomina. Cur illi tribuatur intelligentia. Illius encomium.*
5. *Vero similis alius nexus, & interpretatio.*

I Scopus sententiæ.

SCopus, & argumentum sententię planum est, videlicet a Deo pereñi, & inexhausto sapientiæ fonte omnem intelligentiã dimanasse, tũ eam quæ proprie sapientia est, & inest mentibus humanis, atque Angelicis; tum etiam, quæ analogice dicitur sapiẽtia, & in solertioribus quibusdam animantibus cernitur. Sed in singulis partibus ingens difficultas, propter variam illarum vocum interpretationẽ *viscerum*, & *galli*, quæ sunt seorsum examinandæ.

Viscera, quid proprie in Hebræo. טחות טוח Vatabl.

Ergo pro *Visceribus*, in Hebræo est *Tuhhoth*, a radice *Toahh*, quod est linire, vel tegere; & quia quod tegitur, occultatur, inde significat etiam *abscõditũ*, vel *occultũ*. & peculiariter quidem hujusmodi *abscondita*, vel *occulta*, Interpres noster vocat *viscera*, quod etiã sequitur Vatablus. Alii vero interpretantur *renes*, ita Hebræi, & fere Hebraizantes omnes, R. Mardochai, Pagninus, Regia, Tygur. Cajetanus, Isidorus, quia enim *Renes* sunt obducti, & operti adipe, dicunt sic appellatos. Et quidem *viscerũ* nomen ea omnia comprehendit, quę sunt in thorace animalis, in quibus vita, vitaliaq; præcipue consistunt. Quia autem, quæ spiritus sunt, & ad mẽtem, & intelligentiam pertinent, sunt abscõdita, & quasi corpore obducta in homine, ideo occultis, & abscõditis videtur tribui sapiẽtia; sicut & ab eadem radice dicitur Ps. 51. *Veritatem dilexisti, incerta, & occulta Sapientiæ tuæ manifestasti mihi*. vel, ut alii ex Hebręo legunt, *Veritatẽ dilexisti in occultis*, idest, veritatem viscerum, cordis, intẽtionis; odisti vero Hypocrisim, & externam tantum speciem operum; diligis sacrificia medullata, intimũ rei, cor ipsum. Nã quod Cajetanus ait *visceribus*, & *renibus* tribui sapientiam, quia renes secundũ Physicos officium habẽt purgandi humores superfluos impedientes rectum rationis usum; alienum profecto est, & inutili cum labore ad hujus loci expositionem quæsitum. Quod enim aliquando *renibus* tribuatur, *eruditio* quædam, & quasi sensus intelligẽdi Ps. 15. 7. *Increpuerunt me renes mei*, tantum significat *Renes* esse partem delicatissimã; quare tenerrimos affectus, sensusq; animi significant. Sed sive *in visceribus* sive *in renibus* legas, sensus fere idem. Et habet quidem hæc interpretatio valde difficilem, & incommodum nexum cum reliquo totius capitis decursu, in quo describitur continenter Cæli, aeris, & meteororum natura, & varietas.

R. Mardoc. Pagninus. Regia. Tygur. Cajetan. Isidorus.

Viscera continent vitalia omnia.

Cur sapientia tribuatur absconditis.

Cajetan.

Cur Renibus tribuatur erudicio, & intelligentia.

2 LXX.

Sed hujus quoq; primæ partis difficultatem auget præterea lectio Septuagint. *Quis dedit mulieribus texturæ sapiẽtiam, aut variegandi scientiam?* Et vero cum Græci viderent sententiam hanc videri omnino alienam ab argumento, & contextu capitis, conati sunt hanc difficultatem nexus emollire, Severus, Olympiodorus, Chrysostomus, Nazianzenus; *Dum quæ in Cælo* (inquiunt) *terrisq; fiunt, enumerat, attexuit, Ecquis mulieres, genus cæteroqui infirmum, texendi artificio instruxit. atque ad opificii varietatem infectas lanas, coloresque, ut adhiberent, ostẽdit! Miscet autem parva magnis Divina Scriptura*. Certe textrinæ scientiam nõ nisi Divinam esse, & a Pallade communicatam mulieribus, Homerus scripsit lib. 12. Odysseæ;

Severus. Olympiod. Chrysost. Nazianz.

Scientia texẽdi mirabilis.

Homerus.

- - - - - Pallas docuit variare labores,
Pingere acu vestes, opera ardua intexere telis.

Et iterum Hymno in Venerem, cujus studia nunquam placuerunt Palladi;

Vtique (inquit) *illi bella placuerunt, & officium Martis;*
Hacq; Virgines mollicarnes in domibus.
Præclara opera docuit - - -

Quæ sunt autẽ illa *præclara*, & domestica opera, quam texere, acu pingere? & illa etiam, quæ *mulieri forti*, & sapienti tribuit Salomon; *quærere lanam, & linũ, & operari consilio manuũ suarum; sindonẽ* texendo *facere*, & acu pingendo *cingulũ* variegare? *Textiliũ inventionẽ*, Aegyptii sibi usurpant ut scribit Plinius; at, ut hoc loco Græci scribunt, *Textricis artis studium, neq; cõtemptum, neque supervacaneũ est, in quo Divinæ Sapientiæ extant impressa vestigia; quã ipsam artem nec Deum puduit, ut sibi propriã adsciscere, cum nõ alium, ac se ipsum ejus auctorem esse confirmavit*. Hãc autem sententiã haurire potuerunt Septuaginta ex eo, quod legerunt in originali *He*, pro *Hheth*. quę permutatio litterarum similium frequenter illis imposuit: quem quoque ex similitudine errorẽ frequentẽ in *Res*, & *Daleth*, tribuit illis Hieronymus, ut aliquando admonuimus. Ergo cũ sine punctis legerẽt, facile fuit *Tavah*, pro *Toahh*, legere; est autem *Tava*, nere. quod opus esse peculiaris intelligẽtię docet Scriptura Exod. 35. *Mulieres doctæ, quæ neverant, dederunt Hyacinthum, &c.* Vbi juxta Hebræum legunt Septuag. *Omnis mulier sapiens mente, manibus nere, attulerũt neta*. & statim in Septuaginta, & Hebræo; *Mulieres, quibus visum* est

Præclara fœminarũ opera quæ. Proverb. 31.

Texendi invẽtio.

Plin. lib. 7. c. 56. Nicetas.

Dei inventũ, ars texendi.

ה ח He, & Hheth, litterę similes erroris causa Septuaginta.

ד ר Hieronym.

טוח טוה

LXX.

Conſilium, & ſapientia manuum fœminarum.

eſt mentis varii, in Sapientia nerunt pilos caprinos. Hęc igitur ſapiętia *nendi*, eſt illa, quæ Proverb. 31. 13. dicitur, *Conſilium manuum ſuarum.*

Vides nũc quid ſingulæ interpretationes habeant ſolidi, & cohærentis. Quid vero præterea habeat, ſi tantũ ſimpliciter legeremus, *Quis poſuit in occultis Sapientiam?* mox dicemus poſt explanatam ſecundam partem.

3 Varia lectio. שכוי שכה R. David. Pagnin. R. Mardoc. Cajetan.

Aut quis dedit gallo intelligentiã? Hic iterum vocis originalis ſignificatum dubiũ, & multiplex; varia proinde, & multiplex interpretatio *Secvi*, a radice *Sacah*. R. David Pagninus, R. Mardochai, Cajetan. dicunt ſignificationem radicis eſſe *aſpicere*, aut *videre*. & inde ſignificat Picturã, quia videtur; & viſionẽ imaginariam, quia proponitur cordi, quaſi conſpicienda. deinde vero accõmodatur ad ſignificandum *Cor*, quia in eo ſunt imaginationes, & picturæ cordis, atque cogitationes, & ut vertitur Pſ. 72. *Affectus cordis*, ſive contẽplationes; vel quia cor cõtemplatur, & intuetur res. Nam illa alia ratio hujus analogiæ quæ a Cajetano traditur, quod dicatur *Cor* ab aſpiciendo, *quia cor eſt prima animalis pars viſa, cũ generatur animal; vel quia cor eſt illa pars, ad quã præcipue ſpectamus ſcrutãdo ea, quæ ſunt hominis*: hæc, inquam ratio, valde aliena eſt; Quis enim ſcrutari poteſt cor hominis, cũ *ſit pravũ, & inſcrutabile?* prope abſunt, qui dicũt proprietatẽ radicis eſſe *cælare*, aut *fabrefacere* ingenioſe, & induſtrie; atq; inde nomen deductum ſignificare *Vas*, & per accommodationem, *Cor*, vel *Renes*, in quibus figurantur, exprimuntur, continentur cęlaturæ, cogitationes, imaginationes. Vel active, figurãs, & pingens imagines, & cogitationes. At vero radix *Sacah*, eſt *pictũ*, aut *imaginatũ*, vel *inſignitũ eſſe*, ſecundum Latinũ Interpretẽ, & dicitur de picturis, & cogitationibus.

Cur dicatur cor, & cogitatio, & pictura ab eadem radice.

שכה

4 Thargum. R. Moſeh. R. Abrah. R. Simeon.

Cur autem nomen inde deductũ ſignificet *gallũ*, & ut Thargum, & R. Moſeh, R. Abraham Eſra, R. Simeon, Ben Iachih in Thalmud volunt, *Gallũ Sylveſtrẽ*, non explicant, niſi forte quod cũ radix ſignificet pingendi, & imaginandi artificiũ, & ingenium, id per excellentiã tribuatur *Gallo*, quaſi proprio Epitheto vocetur Artificioſus, intelligens, induſtrius. nã Gallus habet aliud propriũ nomẽ, quædam itẽ alia appellativa; nam Iſai. 22. dicitur *Geber*, a virtute, & fortitudine, quaſi *Vir*. & Prov. 30. *Zarzir*, quaſi, *præcinctus*, & fortis. In quo autẽ illa induſtria, & intelligentia cõſiſtat, explicat R. Moyſes ex quodã Thargum, & ex Doctoribus Hebræorũ, *Quod media nocte ſurgere doceat hominẽ ad laudandum Deũ*. Sed quidem illud eſt etiã in Gallo peculiare intelligentię documentum, quod ternis horis canat, tum etiã, ut Gregorius hoc loco ait, *profundioribus horis noctis valentiores, ac productiores edere cantus ſolet; cum vero matutinũ jam tẽpus appropinquat, leniores, & minutiores omnino format voces*. Sed Gallorũ encomium luculẽtum eſt apud Plinium, in quo multa ſapiẽtiæ, & intelligentiæ veſtigia, *Gloriã ſentiunt hi noſtri vigiles nocturni, quos excitãdis in opera mortalibus, rumpendoq; ſomno natura genuit. Norunt ſydera, & ternas diſtinguunt horas interdiu cãtu: cũ Sole eunt cubitum, quartaq; caſtrenſi vigilia, ad curas, laboresq; revocant: nec Solis ortũ incautis patiuntur obrepere. Imperitãt ſuo generi, & regnũ in quacumq; ſunt domo, exercent: dimicatione pariter hoc quoq; inter ipſos, velut ideo tela agnata cruribus ſuis intelligentes. Cælũ ſola volucrum aſpicit crebro.* Et deinde plura. Proximũ eſt quod ſcribit Aelianus; *Gallinaceũ exoriente Luna quaſi Divino quodã ſpiritu afflatum, bacchari, atq; exultare ferunt, Oriens quidem vel ipſum nunquam fallit.* ubi exempla profert Aelian. amoris, & pietatis Gallinaceorũ.

Gallus habet multa nomina in Scripturis. גבר זרזיר R. Moyſes.

Cur Gallo tribuatur induſtria, & intelligentia. Gregorius.

Plin. lib. 10. c. 21. Gallinacei encomium.

Aelian. lib. 14. c. 28.

Nexus difficilis.

Propoſuimus, promovimusque aliorũ interpretationes, & lectionẽ Latinã, Hebræam, Gręcam. Sed in quibus illud ſemper deſideravimus cohærentiam, & nexũ cum præcedentibus, & ſequentibus.

5 Veroſimilis alius nexus, & interpretatio.

Illud tantum addendum, quod cũ prima pars ſonet aliquid *occultũ*, ſecunda vero aliquid *conſpicuũ*, quod proponitur videndum, cõmode poſſet hujuſmodi ſententia confici, Quis poſuit in occultis ſapientiam? Egit enim nũc de occultis viis lucis, tenebrarũ, de occulta generatione Maris, terræ, de recõditiſsimis theſauris, & cellariis pluviæ, nivis grãdinis: deinde de manifeſtiſsimis aliis naturę effectis, tonitruo, fulgure, Lucifero, gelu, glacie; pulchre nunc ſubjungitur; Sive cauſas rerum abſconditas ſcruteris, ſive effectus ipſos per ſe conſpicias, relucet Divina Sapientia, effuſa nimirum ſuper omnes creaturas, diſponens omnia ſummo ordine. Sic ipſa Sapientia *poſita eſt*, & præfecta, tum etiam *data*, velut in Principem, ſuper omnia ſive *occulta* ſive *manifeſta*? Convenit hic ſenſus cum ipſis verbis *ponendi*, aut *imponendi*, ſive, *dandi*, aut *præficiendi*. neque minus bene cohæret, quod ſequitur.

שות נתן

)?(

XXXVII. *Quis enarrabit Cælorum rationem: & concentū Cæli quis dormire faciet?*

1. *Nexus, & expositio Latinorum. Cælorum concentus, illorum proportio.*
2. Enarrare, *quid. Sententia elucidatio. & Paraphrasis.* Cælum *pro aere.*
3. *Tonitrua, & fragores procellarū, efficientia harmoniam.*
4. Concentus, *quid proprie. Instrumenta musica ex vasibus concavis.*
5. *Ratio variarum lectionum. Vulgata defensio, & elucidatio.*

1 Latinorum expositio. NExus, & sententia plerisq; interpretibus facilis, & in aperto, ut in universum nunc agat de *enarratione*, sive, ut in Hebræo est, de numero Cælorū, qui nemini adhuc Philosophorū, aut Astrologorū satis est exploratus. ita Cajet. Vatabl. (Cajetan. Vatab. Kaldæus.) *Quis tam prudēter fecit Cælos eo numero, quo sunt?* & fere Kaldęus, *Quis fecit Cælos septē?* vel de universa Cælorū ratione, motu influentia, figura magnitudine, tū etiā *concētu*, id est, cōvenientia & proportione omniū & motuū, & orbiū interse. Sic fere Latini, atq; adeo Philipp. (Philipp.) hunc *Cæli concentū* interpretatur, Cælorū *dispositionē, pulchritudinē, de quibus homines, vel Angeli Deum laudāt.* proptereaq; ipsa materia laudādi, *concentus* quidā suavissimus sit. Addit peculiare aliquid D. Thomas, (D. Thom. Nicolaus.) ut cū de *Gallo* sermo prǫcesserit, de *Gallo* quoq; nūc fiat quod nemo sit, qui gallū admoneat ternarū vigiliarū, neq; in Cælo sit sonitus aliquis, qui nunc cesset, nunc sonando gallū admoneat sui cantus. & tamē ille nos excitet, & statis horis canat, mortalibusque videatur enarrare Cælorum rationem.

2 Sed ut quę de Cęlorū ratione, numero harmonia, influxu, quæ sunt omni humanæ intelligētiæ inenarrabilia, nunc prætermittamus, certe propriā, & genuinam hujus loci sententiā lōge aliā esse intelligemus, si vocū proprietates, atq; nexū cū præcedentibus quæsierimus. Ergo primā partē Septuag. (LXX.) propr. ex Hebræo descripserūt, *Quis est, qui numerat nubes Sapiētia?* (Enarrarē, pro numerarē, aut describere.) verbū enim *enarrādi*, idē est in originali, quod *numerādi*, aut *describēdi*, & supputādi per numeros. porro *Calū*, videtur intellexisse hoc aereū; (Cælum pro Sententiæ elucidatio. שחק) in quo nubes cogūtur; nā vox originalis vertitur, *nubes*, superius 36. Ps. 88. Devt. 33. Ergo postquā mirabilē auctoris naturę, sapientiā proposuit, in his præsertim meteoris, & æthereis impressionibus, sive causarū reconditissimarū, sive effectorū manifestissimorū; nunc statā, & ratā legē, quā æther servat, proponit; non enim numero aut magnitudine, aut diuturnitate majores, minoresve sunt istæ aeris permutationes, & varietates, quā illi prǫscripserit Cōditoris sapientia. Quis enim, præter ipsum Conditorē, *enarrabit* ipsi ætheri, & Cælo sapientiā, quā in ipsis rebus meteoribus producēdis servare debet? Eleganter Tygur. (Tygurina.) *Quis Sapiētia sua ætheri dictabit, quæ faciat?* Rursus, *Quis numerabit nubes*, & guttas pluviæ, ne plus nimio pluat, aut plus æquo perseveret hyems, & occupet vices aliorū temporū; ne plures nubes generētur, quā oportet; aut ne diutius in terrā incumbāt, quā sat fuerit? Nescio quid peculiare in *numero* potius, quā in *mensura* agnoscit Olympiodorus; (Olympiod.) *Quis*, inquit, *in numerum, & non in mensurā incertam nubes redegit? verū ad mortalium utilitates earū coitionē molitur?* Hæc est *Cælorum ratio*, quam Deus in numerato habet, inenarrabilis homini.

3 Cohæret secunda pars; nam cum jubet auctor naturæ, *concentus* ille, quem elementa efficiunt, & qui consurgit ex pluvia, tonitruis, fulminibus, tanquā ex proportione numerorum musicorum, omnino conticescit: & serenitate consequuta, ne sibilus quidem auræ tenuis immurmurat. (Concentus quē tonitrua, & procellę efficiunt.) Ille igitur in numerato habet tempus pluviæ, & *procellæ sonantis*, tempus etiam quietis, & serenitatis.

4 נבל Sed in vocibus est cum difficultate sua quoque translationum pulchritudo. nam pro *concentu*, est nomē *Nebel*, a radice *Nabal*, quod est *defluere*, aut decidere, & marcescere. (Concentus, quis proprie. Synedoche.) inde nomen significat *defluxum*, seu, ut alii volunt, *inundationem*, & per Synedochem, vas ligneum, aut testaceū vel coriaceum, quo potest aqua defluens excipi, & contineri; qualis est lagena, aut uter, quo liquor aliquis defertur. Quia vero e vasculis ejusmodi cavis solebant fieri musica aliqua instrumenta, (Instrumenta musica é vasis concavis.) inde sumitus pro instrumento musico, *Psalterio*, aut *Nablo*, quod est ab ipsa radice *nabal*. quia vero hujusmodi instrumenta efficiunt cōcentum, & harmoniam, inde pro *cōcentu*, & harmonia.

5 Hinc natæ diversæ lectiones, & interpretationes ex fęcunditate vocis originalis; & sua cuique placet. (Ratio variarū lectionum. LXX.) Septuaginta illā primam, *decidendi*, elegerūt; legunt enim, *Quis Cælum in terram inclinavit?* loquutio similis Psal. 17. *Inclinavit Cælos.* Nicetas, (Nicetas.) *Vides, ut terram ipsam contingat?* Quasi dicat, superiora cum inferioribus miscere, & supernis influxibus terram subjicere,

& conjungere, Divinæ prorsus sapientiæ est. Regia; *Defluxum Cælorum*, dixit, & R. Mardochai, ait *Esse pluviam fortem*: quare legit hunc locum cum R. David; *Quis pluvias Cæli quiescere faciet?* Alii post R. David & R. Levi legunt etiam; *Vtres*, vel *lagenas Cæli*. Sed R. Moyses, & post illum Pagninus clare legunt, *Nubes plenas aqua*, nimirum instar *utris*, aut *lagenæ*. Quod si conjungamus cum illo dicto Rab. Mardoch: quod significat *pluviam fortẽ*, dicemus significare tempus nimbosum, *Quando llueve a cantaros*. Ergo Deus pro sua potentia tunc, cum Cælum ruit præ fragore, cũ totum defluit pluviis vehementibus, tumultuantibus elementis, & ventis strepentibus, & seditionem concitantibus, repẽte serenitatem adducit, & silentium elemẽtis indicit. Interpres noster, ut suavissimus est, & placidissimus, *Concentũ* illum, & harmoniam elegit, concinente Symmacho; *Organa Cæli quis ornabit?* & Augustino, *Organa Cæli in terra declinavit?* De elementorum harmonia servantiũ numeros & proportionem, diximus aliquando. Vide Sap. 19. 17. *Elementa sicut in organo, &c.*

Regia. R. Mardoc. R. David. R. Levi. R. Moyses. Germanus explicatus. Symmach. August. Elementorũ harmonia.

XXXVIII. *Quando fundebatur pulvis in terra, & glebæ compingebantur.*

1. *Aliorum nexus, & interpretatio parũ cohærens.*
2. *Germana, & cohærens expositio. Terra indigens humore, ne dissolvatur. Illustratus David. Tempestas, & serenitas repræsentantes primam terræ conditionem. Explicatus David.*
3. Fundere, *quid proprie. Emaculata lectio.*
4. Compingi, *quid. Græcorum lectio elucidata.*
5. *Præcedentis materiæ clausula. Et nova Animalium enarratio.*

1 NON Alium nexũ assignant Latini cum præcedentibus, quã quod nunc afferatur, ea omnia quæ hactenus exposita sunt, jam inde a prima terræ creatione constituta fuisse a Deo. Græci, quod cum semel Cæli fecisset mentionem, nũc illius naturam, & qualitatem exponat, quod sit tenuissimũ, sicut *pulvis*, atq; firmũ, simulque cõpactum, durissimum, solidissimũ, velut *glebæ compactæ*. de qua lectione statim. Alii nullum nexum quærunt, tantum esse hanc novam sententiã rei mirabilis, id est, gravitatis terræ. Vatablus; *Quis dedit terræ, cum facta est, ut descenderet ex sublimi in imum?*

Latinorum nexus. Græcorum nexus. Aliorũ interpretatio nõ cohærens. Vatabl.

2 Sed cohærebũt omnia, si adhuc ad pluviam respiciamus, & ad beneficium, quod aqua terræ præstat. nã cum ex Philosophorum verissima, & frequentissima sententia, quam libris de Generatione, & de Cælo cõfirmavimus, terræ ex natura sua summa siccitas conveniat, nisi ea aliqua humiditate tẽperaretur, fieret profecto, ut tota dissolveretur, & abiret in vagum, & siccum pulverẽ. Quod eleganter dixit Plinius lib. 2. c. 65. quod est de *Aquæ rotunditate*, *Ita*, inquit, *formasse artifex naturæ credi debet; ut cũ terra arida, & sicca constare per se, ac sine humore non posset, nec rursus stare aqua sine sustinente terra, mutuo implexu jungerentur, hac sinus pandẽte, illa vero permeante totam intra, extra, supra, venis ut vinculis discurrẽtibus, atque etiam in summis jugis erumpente.* quod indicatum quoque videtur Ps. 23. 2. *Super maria fundavit eum* (orbem terræ) *& super flumina præparavit eum.* Est enim Divinæ Providentiæ opus, terræ aridæ affudisse humorem Maris, & fluminũ, ut eleganter eo loco observavit Theodoretus, *Cum enim* (inquit) *tellus natura esset arida, dedit ei humiditatem moderate respõdentem: cum extrinsecus ipsam Mari cinxerit, & mediterraneas regiones interjecto pelago distinxerit, & fluviis quamplurimis, & maximis, nec non etiã fontibus, qui per medium cõtinentis fluunt, hos quidẽ semper currere; hos vero scaturire effecerit.* simile profecto beneficium partibus terræ habitabilis exhibẽt etiam pluviæ; nam si hæ diutius desiderẽtur, mirum est, quantum dehiscat statim terra, & tota, ut ita dicã, pulverescat! Ergo pulcherrima est ista reflexio, & allusio tempestatis, & deinde succedẽtis serenitatis ad id, quod prima terræ, & aquæ generatione contigit; nã Mare primum operiens terram, deinde confluens in unum locũ, ut *appareret arida*, videtur repræsentasse imaginẽ vehementis pluviæ, & tempestatis obruentis terrã, deinde vero serenitatis subeuntis, & trãquillantis elemẽta, concedentisq; tempus, & opportunitatẽ agendi mortalibus. Ergo jubet Deus, postquã de tempestate, & serenitate egit, recurrere ad primã illam terræ constitutionẽ, quãdo *fundebatur pulvis.*

Germana, & cohærens interpretatio. Terra humiditate compingitur, siccitate dissolvitur. Plinius. Theodoret. Allusio ad primã terræ faciem, & cõditionem.

3 Vbi observandũ, mendose legisse Latinos plurimos, Gregoriũ, Thomam, atq; recentiores, ex Hebraizãtibus etiã Isidorum, *Fundabatur*, cum radix sit *Iatsak*, quę significat *fundere*, *infundere*, & *conflare* aliquid quasi opere fusorio, quod eleganter in terram cõvenit, quæ propter circũfluxã aquæ humiditatem videtur densata, & cõflata opere fusorio. Tũ etiã quia quod funditur, manet conflatũ, firmũ, stabile, ideo sumitur pro re stabili, beneque cõpacta, supra. Iob. 11. 15. *Eris stabilis* (quasi cõflatus,

Mendosa quorundam Latinorũ lectio. Fundere, pertinet ad rei firmitatem. יצק

flatus, & compactus opere fusorio, nimirũ tanquam aurum transiens per ignẽ) *& nõ timebis.* & accõmodatur idẽ nomen ad *terræ cardines*, id est, firmitatem, & stabilitatem, 1. Reg 2.8. Quadrat elegãter hæc fusio, aut infusio, vel humectatio, cũ nomine *pulveris*, *Ghaphar*, quod significat summum, levissimum, tenuissimum pulverem, & velut cinerem, humore aliquo omnino indigentem.

עפר

4 Cohæret in eodem sensu secũda pars, *& glebæ compingebantur*: nam verbum *Rabak*, propriè est cohærere, & agglutinari, quod etiam terræ partibus convenit, quæ medio humore cohærent, & agglutinantur. quod Cajetanus vero dixit, per *pulverem fusum* significari flumina turbida, & multo pulvere cõfusa, in ingenti tempestate, *per glebas* vero *compactas*, terram lutulentam, argutius est, quã solidum. Præstat enim, ut pars utraque ad terram pertineat modo exposito.

Compingi, quid.

רבק

Cajetan.

Indicanda tantum lectio Septuaginta; *Diffusus est sicut terra cinis: & ag glutinavi cum, sicut lapidẽ cubum.* Quæ profecto lectio quamvis aliquas retineat ex originalis voces, tamen lõge alium sensum habet, quam quẽ ipsa per se verba postulant, totiusque orationis decursus. Quid enim referebat nũc dicere, ut ex interpretatione Olympiodori colligitur, *Circa terram, quæ nigrore quodam infecta est, Cælum affusum esse*, quod propter splendores, *pulveris* instar est? tum etiam Cælum firmum, & constans esse, qualis est basis cubi, quæ est quadrata?

LXX.

Olympiod.

Finis Meteororum, & Introductio ad tractationẽ de animalibus.

5 ATque hic est finis totius de Elemẽtis & Meteoris Divinæ orationis. Sequitur vero Animaliũ, Volucrumq; maxime insignium naturæ enarratio. Et quidem hic poterat caput diversum, utpote de diversa materia institui, ut & dividũt quædam Latina vetustiora, quæ imitantur Biblia Roberti Stephani; & Isidori. Sed quia Hebræa, Græca, & Latina Vaticana ab hinc tribus, quatuorve sententiis caput novum exordiuntur, nobis nõ licet neque in re levissima ordinem invertere, ne pervertamus; non enim deerit sequẽti capiti sua peculiaris materia. Forte etiã ratio metri, & sententiarum numerus in Hebraica Poesi non alium finem, neque aliam pausam orationis requirebat.

Clausula præcedentis orationis, & novæ materiæ exordium.

Nunc illud tantum cum Philippo colligere possumus, decem in universum esse animalia, quæ Creatoris oratione celebrantur terrestria sex, volatilia quatuor, Leonem, Corvum, Ibices, Cervas, Onagrum, Rhinocerota, Struthionem, Equũ, Accipitrem, Aquilam. Forte, quod hoc denario, & perfecto numero universas animantiũ naturas intelligi voluerit: & plura quadrupedia, quam volatilia nunc producuntur, quod plura quadrupedia quam volatilia produxerit natura. Nam quod postea, c. 40. ex infinito aquatiliũ genere & numero unus tantũ Leviathã proponatur, illius unius vastitas supra omnẽ admirationẽ maxima, effecit, de quo suo loco.

Philipp.

Decẽ animalia nunc celebrari Divina oratione.

Plura terrestria, quã volatilia.

LEO.

XXXIX. *Nũquid capies Leænæ prædam, & animam catulorũ ejus implebis?*

XXXX. *Quando cubant in antris, & in specubus insidiantur?*

1. *Dei providentia circa animalia; hominis solatiũ, & spes. Scopus hujus tractationis.*
2. *Leo Rex animaliũ præditum virtutibus Regalibus. Vigilans. Navis periclitans dormiente Leone.*
3. *Leo vivens ex præda. Edoctus à Deo artẽ venandi, Incontinenter edens, triduo abstinens. Latinorum expositio, & nexus.*
4. *Græcorum expositio languida, & parum idonea.*
5. *Idonea exponendi ratio. Dei Providentia circa educationem catulorum.*
6. *Sententia paraphrasis. Nomina* Leonis, Leænæ, catulorum *apte accipienda* Leæna, *virili nomine appellata.*
7. *Catulus occultans se. Leo adultus dormiens in aperto. Explicatus locus Iudicum.*
8. *Leo venationi vacans, incurvans se. Nunquam in aperto fugiens. Illustratus David.*

1 PErgit Creator non solũ paulo remotiori rerum inanimatarũ exemplo, & Providentia, sed proximiori ex animaliũ cura, & indulgẽtia, Iobi jacẽtẽ, & afflictũ animum demulcere, & erigere in meliorem spem, sensumque Divinæ bonitatis certiorem; atque ut occurrat etiam tacitæ objectioni (posset enim aliquis dicere Deũ ita *circa cardines Cæli perambulare*, ut Cælũ cælestiaq; tantum curaret, & illam tantũ sempiternã Cælorũ, & elementorũ legem tueretur, non etiã res alias generationi, & corruptioni obnoxias, vagas, incertas, quæ ad peculiares animalium na-

Deus ex providentia circa animalia, consolatus Iobũ.

Deus occurrẽs tacitæ objectioni.

Finis hujus tractationis de animal.

turas ſpectant; Subjicit nunc Creator, nihil tam minutũ eſſe, quod ipſe non curet, cui non provideat neceſſaria, etiam illis, quæ longe inferiora homine ſunt; quorũ eſt feritas immanis, natura bruta, & fera; mores, ingeniũ belluina, aut longe ab omni humana familiaritate, & commoditate remota. quod ipſum ſic colligit Chryſoſt. *Si eorum, quæ ſupervacanea ſunt, tãtum Providentiæ rationem duco, quæ nec vobis ad ſervitutem ullam præſtãt utilitatem (quid enim commodi ab his animantibus ad hominum genus dimanat?) quanto magis veſtris conſulam rationibus?* Philippus ſic format collectionem; *Ego, qui omnia juſta diſpenſatione procuro, circa te tantum, o Iob, videbor injuſtus?*

Chryſoſtom.

Philipp.

2 Leo Regium animal præditum virtutibus Regalib⁹.

Nunquid capies Leænæ, &c. Vel ex hoc loco intelligi poteſt *Leonem* eſſe primum, & Regiũ Animal, cũ primo loco ab Auctore naturæ proferatur: nimirum præditus eſt regalibus virtutibus, magnanimitate, pietate, liberalitate, ſincẽdi ſtudio, mitiate, juſtitia, vigilantia, fortitudine, toti⁹ corporis habitu, inceſſu, oculis, ore, pectore permagnificis. Ac ne quidẽ fruſtra cum Principis Symbolũ ſit Vigilans oculus ſceptro impoſitus, Leo animaliũ Princeps perpetuæ Vigiliæ Symbolum eſt, quod nunquã neque dormiens cõniveat, adeo apertis oculis dormit. Et ut quidam obſervarunt, caudam inter dormiẽdũ motitat, ne videatur omnino dormire Princeps: ac ne ex ſomniculoſo Principe periclitetur Republica, non aliter quã navis ex ſomniculoſo Leone. Ajunt enim *navẽ, dormiente in ea Leone, plus ſolito mergi: experrecto, rurſus allevari.* Propterea Leo ſoli Sacer, qui & ipſe Principis Symbolũ eſt. Horum omnium probationes, exẽplationes petendæ ex Plinio lib. 8. cap. 16. Aeliano lib. 2. Solino c. 40. Plutarcho in Symp. 4. q. 5. & in Cõmẽt. *Vtrũ terreſtria an aquatilia, &c.* Rurſus idem Leo Tyrannum ſęvũ refert, ut diximus c. 4. v. 10. n. 1.

Principũ ſymbolum Leo, & oculus vigilans.

Leo dormiẽs apertis oculis

Navis periclitãs dormiẽte Leone.

Oeſculapius.

Plinius. *Aelianus.* *Solinus.*

3 *LXX.* צוד

Leones vivũt ex præda.

Nunquid capies. Propr. ex Hebræo, *Nũquid venaberis.* Sic etiam Septuag. *Venaberis Leonibus eſcam?* quamquam elegantius noſter dixit, *Prædam*; nam Leones nõ niſi ex venatione, & præda vivunt. neque enim cadaver attingunt, niſi quod vivũ ceperint, ut idonei auctores ſcribunt. Providet igitur Deus unicuique animantium generi convenientem cibatum; & *dat jumentis eſcam ipſorum*, Pſal. 146. 9.

Aelian. lib. 2. c. 3. *Philoſt. lib. 6. c. 12.*

Sed cũ illud *Leænæ*, ſit tertii caſus, quid eſt Deum illi capere, & venari prędã. Plerique intelligunt id, quod Pagninus legit; *Nunquid venari docebis Leonem?* nimirũ eſſe opus Divinæ Sapientiæ, & Providẽtiæ docuiſſe Leones artem venandi, ſicq; voraciſsimę animanti ſufficienter de cibatu providiſſe: deinde etiam, *& catulis Leonũ*, qui voraciſsimi ſunt, & ut ait Cajetanus, *Inſtar puerorum frequẽter comedentes.* quod indicat illud verbum *impleadi*; & *animæ*, ſeu ingluviei, id eſt, Stomachi rapacitati, ſeu capacitati, ad ſatietatem uſque prędã ſuppeditaſſe: Hi enim quoque *rapiunt, & quærunt a Deo* venatore ſupremo, ſive venatoriæ artis magiſtro, *eſcam ſibi.* Idque multo magis mirandũ, quod Leones, non ſemper venatum prodeunt, *ſed poſtquam multa incontinenter devorarunt* (ut ajũt Ariſt. & Plinius) *Solida ſine ullo diſſẽctu, mox nihil triduo, aut certe biduo edant;* Tunc igitur *cubant in antris.* Id quod explicate tradiderũt Aelianus, Plutarchus, Solinus; *Expletus vel triduo, vel quoad primi cibi cõcocti ſint, abſtinet, cubandoque ſe fovet.* interim etiam in antris cubantes inſidiantur, quaſi Leo in *ſpelunca ſua.* hæc eſt fere Latinorum exponendi, & nectendi ratio.

Pagnin.

Leo artẽ venatoriã edoctus a Deo.

Cajet.

Pſal. 103. 21.

Leo poſtquã multa devoravit, triduo abſtinens.

Ariſtot. lib. 8. de nat. animal. cap. 5. *Plinius.*

Pſal. 9. 28.

4 Græcorum expoſitio. *LXX.*

Græci adhuc partes hujus ſententiæ minus conjungunt, & plus detorquent ab originali vocum proprietate; quippe ſic legunt Septuag. *Venaberis Leonibus eſcam, aut animas Draconum replebis? Timuerũt enim in cubilibus, ſedent in ſylvis inſidiantes,* Olympiodorus; *Quis Leoni captandæ prædæ naturalẽ vim tribuit? Quis inſidiandi rationẽ, & in quædam invadendi cibi cauſa belluas docuit?* Sed præter quã, quod languida eſt hæc tantum diverſarum belluarum propoſitio, neſcio cur *Dracones*, pro Leoninis catulis legerunt, repugnãte voce, ac nemine ſuffragante? Rurſus verbum *cubandi*, aut incurvandi, repugnans, & invitum ad *timorem* retulerunt; niſi forte propter habitum incurvandi, & humiliãdi ſe, qui aliquãdo ad timorem pertinet, ut poſtea dicemus.

Olympiod.

5 Duæ aliæ exponendi, & cõnectẽdi rationes.

Ergo aliam interpretandi, & connectendi rationem idoneã proponemus, in hoc poſitam, quod non ſit ſermo in univerſum de Dei Providentia circa eſcam, & cibatum Leonum, ſed peculiariter, *catulorum*, dum in *antris cubant*, neque ſufficiẽtes ſunt ad longam, & externam venationem. nam neque ſententia ſequens in univerſum de *Corvorum*, ſed de pullorum Corvinorum cibatu agit. Eſt enim in hac *pullorum*, & *catulorũ* cura, tum etiam in *Ibicum, & cervarum fœtibus* procurãdis Divina Providentia illuſtrior, & indulgẽtior circa res infirmas adhuc, & non ſatis a ſuis viribus tutas, ſed aliena ope, & opera indigentes. Atque rem hanc ipſam indicavit Vulgatus, cum *Leænam* dixit,

Dei Providentia circa Leoninos catulos

xit,

xit, quæ ut pote amantissima, & indulgẽtissima suorum catulorũ, sollicita est non tam suæ, quam catulorum famis, & indigentiæ.

6 Prima sententiæ paraphrasis.

Ergo hæc est totius sententię elucidatio, Quamvis Leæna amore catulorum, quos in lustris suis relinquit cubantes, venatũ prodeat, at (inquit Deus) ego sum, qui matrem stimulo, & educo ad venationem; ego, qui prædam ipsam designo, ego, qui capio, captamque adduco ad catulos expectatione inhiãtes, ego, qui illorum *animam*, appetentiam, ventriculum expleo. Tum etiam dum Leæna in venatione est, ego doceo catulos adhuc in latibulis, quomodo infirmiores animantes prope transeuntes ex insidiis invadãt. Neque vero huic expositioni obest, quod vocem originalem plerique legunt *Leonem*, non *Leænam*, videlicet Septuaginta, Pagninus, Regia, Tygurina, Vatablus, & fere Hebraizantes omnes; nam constans est Vulgatus in reddendo per nomen fœmininum vocem *Lebi*, cum habet in fine Aleph, loco, *He*, sive præcedat *Camets*, sive non præcedat. ut Ezech. 19.2. Nahu. 2.13. Genes. 49.9. Num. 23.28. Oseæ. 13. 8. Isai. 30.6. quamquam utrovis modo legas sive *Leænam*, sive *Leonem*, res eadem. Leo enim Epicænum nomen est, & Leoni damus, quod Leænę proprium est. Atque adeo apud Homerũ *Leænas virili Leonis genere appellari*, observat Gellius libr. 13. c. 7. Et sane in *Leænam*, quam in *Leonem*, melius convenit, quod hoc loco dicitur de catulorum educatione, & cura: illa enim est, quæ natorum charitate excellit, & pro illis mirum in modum contra venatores *depugnat*, & *usque ad mortem*, ut Oppianus scribit, *armis, & telis omnibus contemptis*; ut summo periculo catulos illi suffuretur audax venator, ut dixit Horatius lib. 3. carm. Od. 20.

Nomina Leonis, Leænę, catuli.
LXX.
Pagnin.
Regia.
Tygurina.
Vatabl.
לביא
Leo nomen Epicęnum
Leænæ appellatæ virili nomine.
Gellius.
Leæna charitate catulorũ excellens.
Oppian. lib. 3. de Venatione.
Horatius.

Non vides quanto moveas periclo,
Pyrrhe, Getulæ catulos Leænæ?

Est præterea nomen originale *Lebi*, nomen provecti jam Leonis, sunt enim juxta diversos ætatis gradus, diversa etiam generis Leonini nomina, ut exposuimus superius cap. 4. versic. 10. nu. 3.

Diversa Leonis nomina.

7 Catuli nomẽ in prima ętate, unde dictũ.
כפרים

Et animam catulorum ejus implebis? Pro *catulis Leonum*, subest *Cephirim*, quam vocẽ loco indicato diximus significare *leunculum* juvenculum, quasi in secundo statim ætatis gradu, postquam desiit nutriri lacte, & dum adhuc in lustris, & antris delitescit, neque multum audet, aut potest interdiu vagari extra antrum; quod indicat ipsum nomẽ originale quod sonat occultationem, aut latibulum: nam *Caphar*, est aliquid operire, aut tegere, & occultare, nã de Leonibus provectioribus, & qui jam attigerint perfectam ætatem, illud tradunt Aelianus, & Oppianus, *Non dormire in aliquo specu, sed in aperto nihil metuentem, ubicumque nox ei super venerit*. Hi igitur catuli voracissimi sunt, nam, ut Avicenna docet, ex quo descripsit Albertus, quia natura sua Leo est *valde calidus, & siccus, non potest diu lacte nutriri*: indiget igitur statim prędа. Stimulante itaque fame, & *anima* calidissima, nimiumque appetente, sęviunt, & rugiunt. Quare illud ad amplificationem invicti Samsonis roboris pertinet, quod Iudic. 14.6. *Catulus Leonis (Cephir) sævus, & rugiens occurrit ei, &c.* Cum enim statim appelletur *Ariehh*, quod nomen jam est provectioris ætatis post *Cephir*; propter sęvitiam tamẽ, & voracitatem videtur appellatus *Cephir*, *catulus*. Qualem *fulvæ matris ab ubere, jã lacte depulsum cum dente novo*; depingit Horatius. & qualem Papinius cũ novis unguibus;

כפר
Aelian. c. ...
Oppian. de Venat
Leo perfectæ ętatis in aperto dormiens.
Avic. de Animalib.
Albert.
Catuli voracissimi.
Leo occurrẽs Samsoni, cur dicatur Catulus.
ארוח
Horat. 4 carm. Ode. 4.
Statius lib. 9. Thebaid. 739.

Vt Leo, cui parvo Mater Getula cruentos
Suggerit ipsa cibos, cum primum crescere sensit
Colla jubis, torvusq; novos respexit ad ungues,
Indignatur ali, tandemque effusus apertos
Liber amat campos, & nescit in antra reverti.

8 Catuli nõ longe progrediẽtes ex antris.
שחו

Dicuntur vero *Catuli cubare antris*, quod non dum, dum catuli sunt, & in prima ætate, longius progrediantur *ex antris*: aut quod progressi continuo revertantur, ut nunc indicavit Stati[9]. Vel, ut sit idẽ, quod secunda parte exponitur, *in specubus insidiari*. Nam verbum *cubandi*, proprie est incurvare se, humiliare, inclinare, & submittere; qui habitus est venatoris ex insidiis captantis prædam, prostrati, & procumbẽtis, ut melius delitescat. a quo verbo dicitur Psal. 9.33. *Inclinabit se, & cadet, cum dominatus fuerit pauperũ.* Leo enim invasurus in prædam, colligit, incurvat, & humiliat se se: nam continuatur allegoria, præcesserat enim: *insidiatur in abscondito, quasi Leo in spelunca sua, &c.* Sed *catulo* potissimum ea insidiatio ex antro, tribuitur Psal. 14.17. Ierem. 15 48. *Dereliquit, quasi Leo* (catulus Leonis) *umbraculum suum.* quod hoc loco dicitur *specus*. Et forte ad hanc humiliationem, & captationẽ prædæ ex insidiis pertinet illa Septuagin. lectio, *Timuerunt in cubilibus, & sedẽt in sylvis insidiis*. ita enim ad faciendam prædã se occultant catuli, & se incurvant, ut

Cubare, quid.
Incurvare se, habitus venãtis.
LXX.

Leo nunquā præbens argumentū timoris. *Aristotel.*

videantur timere. Nunquam tamen vere timet Leo; neque in aperto, *sed si quando locis nudis, atque patentibus cernitur, nunquā fugit, aut metuit, sed sensim, pedetentimque discedit*, ut scripsit Aristotel. Igitur si quādo habitum timentis præfert, si quando habitum insidiātis, quod etiam animi degeneris est; id facit *in umbraculis, & in antris*, ubi spectari non potest. Res scripta ab Aristotel. & Plinio, sed eleganter, & opportune a Solino; *Cum premuntur a canibus, contemptim recedunt, subsistentesque interdum ancipiti recessu dissimulant timorē; Idque agunt, si in campis patentibus, ac nudis urgeantur: nam sylvestribus locis, quasi teste ignaviæ non reformidantes, quanta possunt se fuga subtrahunt.* Cōjungenda sunt cum his, quæ de Leonis nomine, & natura juxta loci exigentiam diximus cap. 4. versic. 10. & cap. 6. versic. 7.27.

Leo in occulto fugiens, in aperto subsistens. *Solinus c. 40.*

CORVVS.

XXXXI. *Quis præparat Corvo escam suam, quando pulli ejus clamant ad Deum, vagantes, eo quod non habeant cibos?*

1. *Deus Pater, & Mater Corvinorum pullorū Corvi erga parentes senescentes crudeles.*
2. *Latinorum expositio de pullis Corvorum albescētibus; Ideo a parentibus deseri, Objectiones, & responsiones.*
3. *Corvorum crudelitas, & ingluvies obliviscentiū pullos. Quo alantur in nido pulli Corvini.*
4. *Corvorum voracitas ejicientium pullos ex eadem regione. Germana expositio.*
5. Præparare, Placenta *unde habeat nomē. Corvorum esca multiplex.*
6. *Corvus clamosus, Deus clamores audiens instar judicis. Corvi senes comeduntur a filiis.*
7. Vagari, *quid. Corvi exploratam habentes naturam agri.*
8. *Cur Corvi primo loco mentio fiat, rationes tres. Avaritiæ Symbolum, & oblivionis Corvus.*

1 Deus pater, & materpullorū Corvinorum.

HOC Item Divinæ Providentiæ, & indulgentiæ documentum, quod nō solum leunculorum mater, sed, & parens etiam Corvinorum pullorum esse dignatur, illorū inamænas, & absonas crocitationes, quasi suorum infantulorū vagitus æstimat; illorū importunissimis clāgoribus demulceri, & ad misericordiam allici dignatur, illorum voracitati nō solum large, sed & delicate accurrit, molliori, & roscido cibatu: denique vagantes illos quærit, velut mater sollicita, errātes sequitur, reficit, fovet. Quod si præterea parētibus impiis, ac sevis vicem impietatis, suppliciiq; rependat Deus mutua filiorum severitate, & cōtemptu adversus parentes Corvos senescentes; quod nam ad bonitatis, & indulgentiæ, cum justitiæ & æquitatis temperatione, argumentum illustrius? Hæc omnia in hac sententia cōtinentur, sed explicanda per partes.

Corvi erga parentes senescentes patem crudelitaté rependentes.

2 Ac primum quidem investigandū, quænam hæc Corvinorum pullorū passio, & quis, aut ob quam causam *clamor ad Deū*? Frequentissima est Latinorum, etiam aliquorum Græcorum hujus loci, tum etiam, & illius Ps. 146.9. expositio, ex parentū erga corvinos pullos naturali quadam impietate, quod pulli recēter exclusi ex ovis albescere videantur, vel quod implumes sint, vel quod albioribus pilis subalbicent, negliguntur itaque a parentibus nigerrimis, deseruntúrque tāquam alieni, & nothi tunc, cum maxime cibo, & nutritio indigent. Suscipiuntur vero, & curantur a *Gratia Dei nutrice omnium*, sustentanturque vel cælesti rore, vel muscis involitantibus, atque in illorum fauces se se insinuantibus. Rei hujus incertum auctorem, rumoremq; vocat Cajetanus; sed designabimus tamen certos Scriptores, nō dico rei certæ; de hoc enim statim. Et primum quidem Gregorius hoc libro 30. Moralium rem explicate tradit, sequuntur Divus Thomas, Nicolaus, Dionysius. Titelman. Osorius. Verba hæc Gregorii; *Editis pullis, ut fertur, escā plene præbere dissimulat, priusquam plumescendo nigrescant, eosque inedia affici patitur, quo ad usque in illis per pennarum nigredinē sua similitudo videatur. Qui huc illucque vagantur in nido, & ciborum expetunt aperto ore subsidium. At cum nigrescere cœperunt, tanto eis præbenda alimonia ardentius requirit, quanto illos alere diutius distulit.* Super Ps. 146. idem scribunt. Hieronymus; *Philosophi dicunt, quod de rore vivant pulli Corvorum.* eodem loco Cassiodorus, Iacobus Christopolitanus, Dionysius, Nicolaus, Hugo, D. Isidorus, lib. 12. Etymolog. cap. 7. quamquam *Cælestis Roris* non meminit. Tantum scribit *ante quam plumescant, non pasci plene a parētibus, post acceptam vero nigredinem plumarum, abundantius pasci.* Ioannes, 44. Episcopus Ierosolym. lib. de institut Monach. cap. 8. & habetur tom. 9 Bibiliothecæ Patrum. Petrus Berchorius in suo Reductorio morali, Auctor lib. de natura rerum. Cælius Rhodiginus. *Septem vero dies deseri, & negligi a parentibus,* scribunt D. Thomas, Dionysius, & pauci alii.

Latinorum expositio de pullis Corvorum albescētibus.

Cajetan. Gregorius. D. Thom. Nicolaus. Dionys. Titelman. Osorius. Hieronym. Cassiod. Iacobus de Valentia. Hugo, D. Isido. Ioannes Ierosolymitanus. Berchorius. Auctor lib. de Nat. rerum. Rhodiginus.

Si cōtra hanc interpretandi rationem

objicia-

Objicitur præcedenti expoſitioni, & reſpondetur.

objiciamus,non recte cõvenire cum illo, quod dicitur, *vagantes*, dum enim ſunt in nido implumes, minime poſſunt volare, aut vagari. Reſpondet, & explicat Ioannes Ieroſolymitanus, & fere cum Gregorio, intelligi, *Pullorum in ortu candidorum ora biantia, huc illucque in nido vagantia, & cibos expetentia*. Nam quod Dionyſius ex aliorum opinione reſpõderi poſſe exiſtimat, legendum non *vagantes*, ſed *vagientes*, ſine exemplo alicujus codicis eſt, tum etiã repugnant veræ lectioni. Obſervat vero Caſsiodorus tam delicate, & indulgẽter tractari ab auctore naturæ infantiam Corvorum, ut permittat deſpici, & negligi a parentibus, ne fœtido, & cadaveritio cibatu pullos alant. Subminiſtrat ergo ille molliorem, & meliorem, nimirũ vel cęleſtem rorem, vel minutiores alias beſtiolas involitantes.

Dionyſ.

Caſsiodorus.

3 Alia interpretandi ratio ex naturali Corvorum crudelitate.

Huic proxima eſt Chryſoſtomi ſentẽtia exiſtimantis, non quidem ob ullam alboris ſpeciem, ſed ex ipſa parentum crudelitate pullos adhuc implumes negligi, & deſeri, ſed in ea ratione cibi, quem tũc illi Providentia Divina offert, paulo eſt a ſe ipſo diverſus, nam in Catena eſt hujuſmodi illius ſententia; *Dicitur Corvus propter ingluviem ſuos non alere filios: illos vero penuria cibi oppreſſos, naturali quadam apud Deum voce uti, & parvis quibuſdam, quæ intra nidum procreantur, beſtiolis nutriri.* At vero idem Homil. in Eliam Prophetam; *Odit* (inquit) *prolem ſuam Corvus, & natam non educat. Vnde David pullorum Corvorum educationem Deo adſcribit. Expoſitis enim ad aerem, ut pote a parentibus neglectis, obvolitant animalcula quædam, Divina Providẽtia ſuppeditata: quæ captãntes illi creſcunt, & aluntur, unde dicit, Et pullis Corvorum invocantibus eum.*

Duplex Providentiæ ratio in educatione Corvorum.

Præcedẽti expoſitioni objicitur.

Adverſus hanc exponendi rationẽ pręter id, quod de *vagatione*, & errore pullorum dicitur, cui vix bene ſatisfaciunt, nihil jure objici poteſt, quam quod ejus rei, videlicet pullorum Corvinorum implumium a parentibus neglectorum, nulla reperiatur apud idoneos naturalis hiſtoriæ Scriptores mentio. Quod enim aliqui adducunt Ariſtotelem lib. 6. de hiſtoria animal. c. 6. longe aliud eſt, tantum enim loquitur de *Aquilarum* genere prolem ſuã faſtidiente: & adhuc *difficiliorem eſſe in alendo* illam, cui nomen Pygargus, cauda albicans dedit, benigniorem autem, quæ tota nigricat colore. Sed neq; *faſtidii Corvorum*, neque *albeſcentium* meminit *pullorum*. Certe faceret ad hanc expoſitionem non parum, ſi in Plinio invenirẽ, quod ex

Ariſtotel.

Plinio Servius adducit ad id. 1. Georgic.

Servius.

Tum liquidas Corvi preſſa ter gutture voces, &c.

Plinius (inquit) *in naturali hiſtoria, dicit Corvos eſſe oblivioſos, & plerumq; minime ad nidos ſuos reverti, ſed quadam ratione naturæ hæc congerunt ad ſuos nidos, quæ vermes poſſint creare, ex quibus relicti eorum pulli aluntur interdum*: Sed ſi habeant quibus alantur in nido, *quid petunt clamando cibos, eo quod non habeant eſcam?*

4 Nova exponẽdi ratio.

Theodoret.

Tertia exponẽdi ratio deſumi poteſt ex Theodoreto ſuper Pſal. 146. ut quamvis *pullorum Corvinorũ* mentio fiat, ſed tamen cum etiã *Corvi* fiat, ſententia in univerſum accipiatur, Deũm opportune providere avi voraciſsimæ, ſive Corvus grãdævus ſit, ſive pullus, neceſsitatis ſuarum creaturarum ratione ducta, atque clamoris ob neceſsitatem emiſsi. Quare quod *de volatilibus Cæli, quæ Deus paſcit*, in univerſum dicuntur a Matthæo, Lucas propter Corvos dicta explicat, c. 22. 24. *Conſiderate Corvos, quia nõ ſeminant, neque metunt, quibus non eſt cellarium, neque horreũ, & Deus paſcit illos. Sed* quidem hæc interpretatio tollit peculiarem hujus ſentẽtiæ vim, & pulchritudinem, quę in re hac *pullorum Corvinorũ* ſita eſt, ut jam dicemus. Quamvis locus ille Lucæ, in univerſum de Corvis, qui voraciſsimi ſunt, accipiẽdus quidem videatur.

Corvorum voracitas.

Germana expoſitio ex Corvorũ crudelitate erga prolem.

Ariſtotel.

Ergo reſpicit proculdubio locus hic illam Corvorum ex ingluvie, & voracitate ſęvitiam erga pullos, quam Scriptores naturæ tradunt. cum enim, ut Ariſtotel. 6. de hiſtoria animal. cap. 6. ſcribat; *Commune fere eſſe omnibus alitibus, quibus ungues adunci, ut pullos, cum primum provolandi facultas fuerit, nido expellant, percutienteſque cogant diſcedere: cumq; enutrierint, nihil præterea adhibeant curæ, excepta cornice, quæ aliquandiu providet, quippe quæ volantes jam ſuos pullos paſcens ipſa comitetur*: At hoc peculiare Corvo, quod idem ſcribit libr. 9. cap. 31. Quod *Locis arctioribus, & ubi non ſatis cibi pluribus ſit, duo tantum incolunt: & ſuos pullos, cum jam poteſtas volandi eſt, primum nido ejiciunt, deinde regione tota expellunt*. Plinius tantum ſcribit, *Robuſtos fœtus ſuos fugare longius*. Aelianus vero indicat, quamquã a parentibus exagitatos, at non quidem pullos, ſed grandes, neque regione tota cedere, forte revertentes; *Fœtus* (inquit) *ſuos nutritos, & ætate procedente firmos acriter inſectantur, nidoque expellunt, quam ob rem filii Corviculi deinde ea, quæ ſunt ad vivendũ neceſſaria, inquirũt, genitoreſque ſuos minime alunt.*

Plin. lib. 10. c. 12.

Aelian lib. 2. c. 39.

5 Præparare, quid.

Iuxta hoc quidē quadrant ſingulę partes hujus Divinæ Providētiæ elogii; *Quis præparat Corvo*, illi videlicet, de quo ſtatim dicet, Corviculo, recens en ido excluſo; *Præparat*, a radice *Cun*, non ſolum certo ſtatuit, deſignat annonam Corvis (nā ut ait R. Mardochai affert hoc verbū, ſtabilitatem, & certificationem) ſed præterea conficit, & cōdit illius guſtatui paratiſsimam eſcam. nam ad dulcedinem, & condimentū pertinet, quod ab hac radice dicitur Pſ. 67. 11. *Paraſti in dulcedine tua pauperi Deus.* atque ab ipſa radice dicitur etiam *placenta*, quæ parabatur, uſtulabatur, & condiebatur diligenter, Ierem. 7. 18. & cap. 49. 19. Indulgentiſsima Conditoris Providentia! Non ſolum homines, ſed etiam irrationalia, ab auctore naturę, non ſolum in neceſſarias, *ſed etiā uſque ad delicias amantur!* At quę *Eſca*, aut cujus generis, unius ne tantū? Cibatus multiplex, varius. Sic Macrobius, lib. 7. c. 5. ubi cōtra cibum multiplicē diſſerit, *Videmus Corvos omnibus inſidiari, fructus arborum perſequi.* Ergo licet *nō ſerant neq; metant, neque habeant horrea*, quibus ſemina cōgregent, nō cellaria, quibus fructus, & carnes aſſervēt, Deus *paſcit illos* multiplici eſca.

כון

R. Mardoc.

Placenta dicta a cōdimento, & ſuavitate.

Seneca.

Macrobius.

Corvorū eſca varia, & multiplex.

6 *Quando pulli ejus clamant.* Avis quidem clamoſa, & multis clamoris generibus, multiſq; ſignificationibus inſtituta mirabiliter a natura; *Maxime*, inquit Aelianus, *omniū avium multos clangores, & varias voces fundit; nam inſtitutus cum humanam vocē emittit, tum ejus loquutio alia quædam eſt ludentis, alia ſerio agētis. Si enim quod pertineat ad Deum agit, hic tibi Sacrum quippiam, & divinationis plenum loquitur.* Sed quidem illę crocitationes *ad Deum* ſunt, cum ſuā cauſam, & neceſsitatem victus agit, nam *clamare* ex proprietate radicis *Soagh*, eſt opem, & ſalutē ingenti vociferatione poſtulare. *Clamor* (inquit Theodoretus) *ob neceſsitatem emiſſus, petitionem imitatur.* Vide quantum cupiat inclamari Deus in tribulationibus, in neceſsitatibus! Clamoribus, quos neceſsitas, & ægritudo extorquet, qui verę petitiones non ſunt, opitulatur ille, quid clamores, quos animus elicit, quos mens in illum intenta?

Corvus, avis clamoſa.

Aelian. lib. 15 c. 4.

Clamare ad implorandam opem.

שוע

Theodoret.

Clamor ob neceſsitatē emiſſus inſtar petitionis.

Illud præterea, cum pulli omnes alitū pipire, & clamare ſoleāt ad parētes ſuos, ſi parens Corvi non adſit, ſi ad clamores pulli obſurdeſcat, Deus vicē parentis ſubit, & adoptat filios deſertos aparētibus. Tum præterea videtur hic clamor a corviculis ad Deum ferri nō ſolum tanquam *Patrē Orphanorum*, verum etiam tanquam ad judicem, invocant igitur Divinam indulgentiam, & pietatem, cōtra impietatē ſuorum parētū, & quaſi illos accuſarent infandæ cujuſdam infidelitatis, quod ſuorum *domeſticorū curam non habeant*, ita illis naturę auctor dignam vicem rependi imperat. nam *Filii, genitores ſuos in ſenectute minime alunt*, ut Aelianus dixit: Dignus etiam, qui, cōtra quam, Ciconiæ ſenes, tractentur a filiis. *Nā Corvus* (ex eodem Aeliano) *jā ætate affecta, cū pullos alere non poteſt, ſe ipſum eis cibū præſtat, hi autem comedūt patrē, unde Proverbiū eſſe natū ferūt, Mali corvi malū ovū.* Vide igitur auctoris naturæ bonitatē, æquitatem. Illi tantū Corvi hac pęna non mulctandi, quos profert Ariſtot. lib. de mirabilibus auſcultationibus, *In Cranone urbe Theſaliæ duos eſſe tantū Corvos ferunt, qui ſe ipſos quidē alio trāſferunt. Cæterū alios totidem ex ſe natos relinquunt.* Genitores itaque *ſoboli loco cedunt*, ut ait Plinius, qui idem ſuſpicatur diverſam hanc alitem eſſe.

Deus adoptās Corvorum filios deſertos.

Deus inſtar Iudicis audiēs Corvorū clamorē.

Aelian. lib. 15 c. 41.

Corvi ſenes comeduntur a filiis. Proverbium.

Ariſtot.

Plinius.

7 *Vagantes, eo quod non habeāt eſcam.* Aberrāt pulſi natali Cælo, & nido, incertas eſcas quæritantes: nā verbum originale incertā aberrationem ſignificat, unde dictū eſt Geneſ. 37. 15. *Errare in agro.* & Pſ. 118. 176. *Erravi, ſicut ovis.* Quod vero ſtatim additur, *eo quod nō habeant eſcā*, cū in Hebræo ſit brevius, eſt etiam obſcurū, & anceps, nā ex verbo habetur, *Vagantur ad nō eſcam.* quod primo poſt accipi cū Septuaginta, *Errant cibaria quærentes.* Cum enim nondum habeant agrorum qualitatem, & ſoli ubertatem exploratam, coguntur agros circumluſtrare, & in commoda tandem regione conſiſtere. nam, ut ſcribit Aelianus, *Quātum cum ſterili ferax ager differat, plane noſcunt, in uberrimo enim gregatim feruntur, per ſterilem agrum, & infructuoſum bini volare aſſolent.*

תעה

Vagare.

LXX.

Corvi exploratā habentes agrorum qualitatē.

8 Hinc jam facile eſt colligere peculiarē aliquam rationem propter quā primo loco producatur ab auctore naturę avis nō omnino fauſta; nā primo quidem potuit aliquis dicere, quod Nicetas ſuper illud cap. 26. *Extendit Aquilonem ſuper vacuum, &c.* ubi aſſerit per *Boream reliquos vētos ſignificari*, exemplo hujus loci, *Vbi*, inquit, *Pulli Corvorum pro volucri natura ponūtur.* Sicut etiam quod Luc. 12. peculiariter dicitur de *Corvis paſcendis*, univerſaliter videtur dictum propter omne genus volucrum apud Matth. 6. 26. *Reſpicite volatilia Cæli.* Quo eodem modo Ambroſius legit Lucam. Sed profecto, & vere, & pulchre poſſunt rationes peculiares in Corvis deſignari. nam ut Hieronymi verbis utar, *Si de avibus Cæli in univerſum diceret,*

Cur primo loco Corvinē tio facta.

Nicetas.

Corvus pro omni volucri.

Ambroſ.

Hieron. Pſalm. 146.

Cur non magis Aquilas, aut Vultures numeravit?

Divinæ Providentiæ ratio erga Corvos.

Secũda ergo ratio, quod valde illuſtris cernatur in Corvo Divinæ Providẽtię imago, quo minus provida eſt natura Corvorum, & magis obliviosa. Hoc enim ſibi volunt, qui Corvi illam fabulam confixerunt *Miſſi ab Apolline ad aquationẽ, ſed magna ſegete invẽta adhuc viridi, inveſtigare voluiſſe granum frumenti, expectaſſe ut maturuiſſet, mandato Domini neglecto.* Quod videtur, neſcio quid ſapere legationis illius demandatæ a Noe *Corvo non revertenti.* Quid itẽ magis obliviosum, magis ingratum, quam digreſſum ex Arca, ubi liberaliter alitus fuerat, & hoſpitis, & hoſpitii, atque hoſpitalis victus oblitũ non revertiſſe? Hoc illud, quod ſuperius dicebam, tarde, & difficulter reverti ad nidum: Periret igitur, niſi ſua illi Providentia Deus *pararet in deſerto menſam*, & *præpararet eſcam*, ubiq; terrarum; nam ubi vident aratrum, & boves, *comitantur vomerem aratoris veſtigia ipſa rodẽtes*, ut Plinius ſcribit. Ergo quamvis naturalis Providẽtiæ pręclarum exẽplum ſit, *Formica, populus infirmus, qui præparat in meſſe cibum ſibi*, at multo illuſtrius Divinæ Providentiæ exemplum, *Corvus*, cui oblito ſui, *præparat*, recõditque in ipſa terra eſcam Deus.

Ælian. lib. 13. c. 42.

Corvus obliviosus.

Plin lib. 17. c. 5.

Prov. 30. 25.

Tertia ratio, quod ſicut illa eſt Divinę Providentiæ amplificatio, quod *Solem ſuũ faciat oriri ſuper bonos, & malos, & pluat ſuper juſtos, & injuſtos*, Sic etiam, & avibus nocentiſsimis, atque voraciſsimis ſatis ſuperque ſuppeditet cibi; denique præſtet omnia *omnibus abunde ad fruendum*; & ipſis etiam avariſsimis, inſatiabilibus ſuppeditet ad ſatietatem. Corvus ſane avaritiæ Symbolum eſt, ut Clemens ait, at iis etiam providet. quare eleganter obſervavit Baſilius Hom. in divites avaros, *Aviũ rapaciſsimos, at voraciſsimos Corvos, cibũ Heliæ attuliſſe, & qui alienas ſolebãt eſcas invadere, viro juſtiſsimo miniſtros fuiſſe, naturæ quoque oblitos in pane, carneq; afferendis, Dominico præcepto paruiſſe.* Eſca itaque Corvi miniſterio oblata indicat tum Dei Imperio obſequentes creaturas, contra peculiares inclinationes; tum commendat Providentiam Dei in paſcẽdis ſuis juſtis, atque etiam, juſtitiam, nam qui ſuos pullos propter voracitatem non paſcit, compellit ſuo Imperio Deus, ut ſanctis miniſtrent ſuo ipſo roſtro cibos, ut Antonio, & Paulo. Sic Corvo edaciſsimo cadaverum, præcepit, ut intactum ſervaret corpus Vincentii Martyris.

Matth. 5. 45.

1. Tim. 6. 17.

Corvus avaritiæ ſymbolum.

Baſilius.

Creaturæ Creatori obſequentes contra peculiares inclinationes

Hieronymus in Pauli eremitæ vita.

)(



NOTATIO RERUM INsigniorum, quæ in Commentariis fusius explicantur.

a *An Dei vox consequuta statim fuerit orationē Eliu, exponitur quæstiūcula 1.*

b *An verus turbo fuerit, de quo loquutus est Deus, diligenter expenditur, quæstiuncula 2.*

c *Cujusmodi fuerit turbo & nubes loquente Deo, disseritur, quæstiūcul. 3.*

d *An fuerit Dei vox exterius percepta, explicatur quæstiuncula 4.*

e *Quomodo intelligi possit Deus loquens de nube, tractatur quæstiūcula 5.*

f *An simul cum Dei voce repræsentata fuerit exterius aliqua imago, explicatur quæstiūcula 6.*

g *Quem perstringat hæc sententia, Iobum ne, an Eliu? diligenter quæritur a n. 4. usque ad 8.*

PARAPHRASIS Capitis præcedentis.

CAPUT XXXVIII.

1 *Respondens autē Dominus Iob de turbine, dixit:*

2 *Quis est iste, involvens sententias sermonibus imperitis?*



POSTQVAM PERORAVIT Eliu, forte etiam Iobo approbante illius orationē (quamquā nō satis habebat Eliu causam perspectā taciturnitatis Iob) Deus jam quasi ex ordine, & lege disputationum, atque rite, absolutis argumentationibus adversariorum, accedit ad totius controversiæ definitionem, [a] sed ita tamē, ut nullum spatium intercesserit inter finem orationis Eliu, & Dei vocem; [b] quippe tempestas repente excitata Eliu compescuit; tres amicos abjecit; Iobum perterrefecit, atque universis loquendi facultatem ademit. Et quidem quamvis turbinosus videbatur futurus, atq; terrificus ipse hujus disputationis conflictus, sed illum præterea comitatus est externus turbo, atque procella, ac vera quædam tempestas qua adstantes ad audiendum excitarentur; Tum etiam perturbatus & procellosus Iobi status significaretur: Dei etiam majestas terrifica mortalibus præsens sentiretur. Solet enim Deus suam præsentiam contestari [c] turbine, id est, nō solum vento repercusso, & sæpius in se volutato, sed præterea erumpēte cum fragore ex nubibus, additis etiam tonitruis, fulguribus, & aeris impetu validissimo, atque verticoso obvia quæque deturbante, atque prosternente. Nubem itaque turbinosam Iobi vertici prope imminentem, quasi Solium suum excitavit Deus, quo Iobi mentem erigeret, nec vocē ferri superne ambigeret. [d] Verum enim vero quamvis posset Deus interna admonitione Iobi animo, & cordi verba sua instillare, sed externæ quoq; vocis sonitus auditus est, atque perceptus ab universis adstātibus, quorum etiam, non solum Iobi, rationem ducebat. [e] Simul igitur cum ipso turbinis sono, & fragore confuso, audita est Dei vox distincta, & articulata, sed diversa quidem soni quantitate: quippe Divina vox multum contentione superabat strepitū procellæ, neque enim prius audita est Dei vox, quam multum remisisset vētorum fragor. Et sane quāvis de ipsa nube turbinosa, & obscura videretur procedere Dei vox; [f] at nulla persona visa; nihilque aliud præter densiorem illam nubem objectum sensibus. Nam totam animi attentionem in magnificentissima Dei oratione de rebus naturæ mirabilibus ad Providētię cōfirmationem percipiēda, adhiberi oportebat. Deus itaq; se totius nunc naturę, ac rerum omnium primam verissimamq; originem testatus, acre, & vehemens suæ orationis exordium ab interrogatione, & reprehensione duxit. [g] Quæ quamvis Eliu adolescentem ambitiosæ, & inexpertæ eruditionis, atque fœcundæ perstringere potuisset, ut qui multa dicendo propositæ controversiæ de Divina Providentia, atque illius decreto de retributione, & fine bonorum operum, tenebras potius, & difficultatem, quam lucem attulisset; potissimum tamen cum Iobo loquitur, cujus tumultuantium cogitationū imperitam multitudinem Deus cōprimere, acerrima hujusmodi interrogatione voluit. Quis nā, inquit, iste, qui celat me sui cordis cōsiliū, & cum fat multa valde aspera de rebus sublimioribus, atq; Divinis pronuntiarit, asperiores alias querimonias tacitus mente, & corde volutat? At oportuit ejusmodi querulas cogitationes non

solum supprimi, sed omnino arceri. Ecquis etiam hic, qui suam mentem sine amicorum offendiculo explanare non potuit, quin audientibus, sinistre aliquid cogitandi, & concipiendi de mea Providẽtia, & consilio occasionem præbuerit? Ita ne confuse, & perturbate multa miscuisse, quæ vel nunquã attigisse, vel clarissime proposuisse expedivit? Quis denique, qui licet sententias proferat verissimas, at dicendi rationem, & modum non tenet?

3 *Accinge, sicut vir lumbos tuos, interrogabo te, & respõde mihi.*

Ecce jam annuo postulatis, neque te incautum opprimam; Age, te ad certamen singulare compara; te virum præsta, & si quid mente ac ratione vales, nunc ostendas licet, nã vellem te consistere intrepidum [h] instar præcincti, & bene armati militis, si forte par sis ictibus mearum interrogationũ sustinendis, aut propulsandis. Tu enim mihi respondendi, aut interrogandi optionem concessisti. Et respõdendo, scilicet, me novi aliquid docebis. Animum igitur jam attendito ad ea, quæ audies, omni animi mærore abjecto.

h *Varius cingendi usus, & opportunitas ostenditur n.1.*

4 *Vbi eras, quando ponebam fundamenta terræ? Indica mihi, si habes intelligentiam?*

Habes ne comprehensam, & exploratam naturæ istius universæ rationem? nam qui res sensibiles explorate nõ cognoscat, multo minus erit idoneus Divinorum operum rationibus comprehendendis. Ita ne in tua causa iniquum aliquid constituerim ego, qui antequam nascereris summa æquitate mundi istius naturã moderabar? Quodsi propter te mundus tanta fruitur providentia, quãto magis ipse? Ego tua causa, tam præstanti absolutaque ratione, terrę fundamenta cõstitui, te autem cujus causa illam sum fabricatus, contemnam? expectare ne debet mea Providentia tuũ consilium? [i] Atqui ego cum nõdum esset Homo, terram effeci, atque stabilivi arte mirabili. Et vel ex hoc ipso tuæ intelligentiæ tarditas, atque hebetudo perspici potest, quod mihi coęternus minime fueris, sed vitæ brevitas, & originis ignobilitas tuam ignorantiam prodant.

i *Quod æternitas Dei illius Sapiẽtiã demõstret; at vero primordia humanæ originis ignorantiã, & ignobilitatem, argute indicatur ex Sacris, & profanis, n.4.5.6.*

5 *Quis posuit mẽsuras ejus, si nosti: Vel quis tetendit super eam lineam?*

Quis vero arte, atque ratione disposuit ingentem hanc terrę molem ad certam, & definitam mẽsuram, atque proportionem cum reliquis elementis, atque ad eam partium dispositionem, quam postulat ædificium absabre constructum? Quis terræ partes, nimirũ montes, valles, cãporũ planities, specus, partes alias depressiores Mari, alias eminentiores, ad lineam directionis, & ad centrum gravitatis exegit? Indigui ne [k] Cementariorum opera deducentium lineas, & funiculos structorios, ad erigendum hoc terræ fundamentum, mundique opificium?

k *Linearum, & funiculi Cementariorum usus, & proprietas, ad Scripturarum intelligentiam ostenditur, n.4.5.6.*

6 *Super quo bases illius solidatæ sunt? aut quis demisit lapidẽ Angularẽ ejus?*

Cujus ne Sapientia, atque potentia [l] terræ stabilitas confirmata est, & tanquã bases defixæ, & suo fundamento immersæ, super quo, tanquam super area æquabili, & bene cõpacta sterni possent? Quis illius fundamenta [m] ex Lapidibus magnis, quadratis, Angularibus cõpegit? Quis Angulos, in quibus magna domus firmitas, consistit, ex optimis fortissimisq; Lapidibus erexit, ut Angularibus positis in imo fundamẽto, alii Angulares Lapides positi in summo fastigio responderent? Quis terram esse voluit primum, & immobile totius mũdialis machinæ Lapidem? Quis illius centrum, quod velut punctum imaginamur, cum reliquorum corporum circumferentia contemperavit?

l *Quænam sit causa stabilitatis terræ, & an ea explorata fuerit antiquis philosophis, indicatur n. 16.17.*

m *Diligẽs, & opportuna tractatio* Lapidis Angularis, *& illius usus ad Scripturarum intelligẽtiam, opportuna digressio a n.4. usque ad 13.*

7 *Cum me laudarent simul astra matutina, & jubilarent omnes filii Dei.*

Tunc sane, cum jaciebam terræ fundamẽta, propter tam præclarum, tamque magnificum opus, omnium suarum partium atque mẽbrorum proportione, quasi Harmonia, & cõcentu suavissimum, ipsa cælestia corpora; simul etiã Angeli, præ admiratione Creatoris, suas etiam laudes, vocesq; gratulatorias adjungebant. Atque inter reliqua astra illa potissimum videntur Creatorem laudasse, quorum aspectus, discursus, efficientiæ mirabiles sunt, nimirum Planetę, in quibus naturæ auctor non minus se mirabilem præbet, quam in reliqua stellarum multitudine: quorum diurnus motus mane incipit ab Oriẽte in Occidens, quorum lux matutina, nimiumque splendens semper cõspicitur, quorum Deus matutinus diligentissimusq; velut pastor,

atque ductor curã gerit. Omnia proinde cælestia lumina in ipso suę Creationis exordio, Deo Creatori gratias gestierunt agere, ad illius potentiã celebrandam quasi summa cura, summoque surgentes mane. Et quidem ipse Astrorum, Cælorumque motus videtur esse exultatio quædam, atque alacritas, tum etiam harmonia, & concentus rerum inter se inæqualium, cum mirifica proportione ex imparibus magnitudinibus, disparibus facultatibus, inæqualibus intervallis, diversis deniq; numeris, & gradibus luminis, efficiẽtiæ, distantiæ, quasi ex diversis vocibus ad harmoniam compositis. Et vero astra, & incorruptibilia corpora, quæ supernæ illius lucis pulchritudinẽ repręsentant, domestici Dei, imo & illius filii censeri possunt. Sed illæ potissimum cælestes beatorum mentes, Cælorum habitatrices in Divinæ bonitatis, & Potentię præconium vires, vocesque suas omnes intenderunt, cum multitudinem, pulchritudinem, dispositionem, utilitatem, varietatem, ornatum, splendorem, concentum, cæteraq; omnia, quę multo illi, quam nos, melius vident, intuerẽtur, [a] simul certe cum illis primis creaturis a Conditore creati.

[a] *Quo tẽpore creati fuerint Angeli, quantũ ex hoc loco potest colligi, observatur n.11.*

8 *Quis cõclusit ostiis mare, quã lerũpebat, quasi de vulva procedens?*

Cujus vero potentia vim Maris immensam certis locis, regionibusque definivit, ut commoda relinqueretur terræ animantibus habitatio? meo certe imperio perfectum est, ut ex abysso illa immensa, & spatiosissima, qua universa terra ambiebatur, incredibili cum impetu confluxus aquarum fieret in loca depressiora, atque tum in prima sua creatione, tũ in hoc confluxu, & congregatione, ex Divina illa potestate rerum omnium optimarum fęcundissima, in qua tanquã in matrice rerum creandarum semina cõcepta sunt, Mare processit amplissimum, & spatiosissimum, quod statim post creationem conclusum est quasi foribus oppositis, contentum vero intra suos carceres fluctuabat, enitebaturque ad exitum, instar fętus maturi, qui materni uteri angustias sentiens, exire nititur, & Cælo frui liberiori.

9 *Cum ponerem nubẽ vestimentũ ejus, & caligine illud, quasi pãnis infantiæ obvolverem.*

Mea tum gratia, atque bonitas universarum creaturarum nutrix indulgentissima, omnia nutricis munia diligenter obivit, fovẽdo, cõvestiendo, involvendo immensum hunc infantulum; videtur enim Mare aere ambiente, nubibus, nebulis rarioribus, velut pannis percommodis foveri, & cõtineri: quibus rebus tanquam fasciis impeditur etiam, ne in latus ullum, neque sublime extra mensuram, & lineã se queat efferre. Tũ etiã ut, instar infantuli repositi intra cunabula, ne libere porrigat brachia, & ne libere spatietur manibus.

10 *Circũdedi illud terminis meis, & posui vectem, & ostia.*

11 *Et dixi, Usq; huc venies, & nõ procedes amplius, & hic confringes tumẽtes fluctus tuos.*

Et vero sæpe licet, ac semper conetur se se expedire, & Divini pręcepti vincula rumpere, poterit nunquam: quippe suis illud terminis, ac repagulis Deus coercuit, id est, montibus altissimis, & firmissimis littoribus circumjectis, quibus tanquam perpetuis limitibus, & sempiternis legibus illius impetum, superbiamque confregit: objecit itaque vectẽ, & pessulum fortissimum, quibus claustra, portasq; ostiorum, id est, fretorum obstruxit. Opus sane minime fortuitæ, & vagãtis sine consilio naturæ; quin potius Sapientissimi, Potentissimique Conditoris, solo verbo, non solum confringentis Maris impetus, sed præterea efficientis, ut concitatissimi fluctus in se ipsis debilitentur, & frangantur: & quamvis in ipso littore incredibiliter efferãtur, superbiant, intumescant, at præceptum semel constitutum nunquã violent, neque ultra præscriptos limites procedant.

12 *Nũquid post ortum tuum præcepisti diluculo:*

Heus vero tu, qui tantũ tibi tribuis, aderas ne, quando verbo meo dixi, ut fieret lux, fierentque luminaria? Nunquid te nasciturum, tuãque jussionem expectavit mundus, ut alterna dierum noctiumq; vicissitudine constaret, ad humanum cõvictum, viventiumque omniũ vitam necessaria? Et cũ tu statim, atque in hanc lucem editus es, noctium atque dierum alternatione indigeres, potuisti ne hac tibi de re necessaria providere? an potius ea mihi incubuit cura, in quem, tanquam in rerum auctorem universarum, universa Providentia, & moderatio incumbit? Tua ne sapientia factũ gloriaberis, quod lucis

ac te-

ac tenebrarum permutatio, qua politica, & civilis vita cõstat, & quæ impiis permittit locum, & facultatem noctu vagandi, atque grassandi, interdiu vero invisam illis lucem objicit, ortum tuum expectaverit, ut ejusmodi rerum discrimen, & cura civitatis moderandæ, non penes alium judicem, & magistratum, quam penes te resideret? Noli te, quæso, magni facere, quasi conditor universitatis tui tantũ causa rerumque tuarũ vel naturæ ordinem invertere debeat, vel denuo instituere: sunt enim rerum universarum rationes per me cõstitutæ, ordine stabili decurrentes; est suus luminis ortus, suus occasus; nullus in oriendo, nullus in occidendo error, oblivio nulla; quippe cuncta a me edocentur, & manu ducuntur, ne quidpiam aberrare contingat.

Et ostendisti auroræ locum suum?

13 *Et tenuisti concutiẽs extrema terræ, & excussisti impios ex ea?*

Et mirum, Deo auctore, & duce, momento temporis lucem simul conspici in universo hemisphærio, quasi explicatis alis versus omnes mundi extremitates! media itaque luce Deus terram videtur concutere quasi vestimentum, ut illam vilissimo impiorum pulvere excutiat, & expurget: nec non etiam, sicut cribrum utraq; manu apprehẽdens, margines terræ, cõcutit, excutitque impios, velut paleas, & lolium a frumento justorum; Idemque efficit in motu, & concussione terræ, ex cujus gremio abjicere tentat improbos. Quæ omnia Divinæ Potentiæ facinora sunt. Sed luce potissimum administra utitur ad exterrendos impios, & nefariis flagitiis abducendos. Quippe hoc genus hominum lucem oderunt, post cujus exortum non amplius licenter audent in terris, sed potius exterminantur, & compescuntur. Atque simili profecto ratione videtur Deus simul cum illa prima luce primæ diei, dispulisse etiam atque excusisse tenebras illas Angelorum apostatarum ex mundo illo superiori, & ex lucidissimis Sãctorum domiciliis.

14 *Restituetur ut lutũ, signaculum: & stabit sicut vestimẽtũ.*

Et vero cum multa sint in mundi hujus, & naturæ constitutione Divinæ Sapientiæ, atque Potentiæ documenta, præter quam enim, quod cõcussa terra rimas trahat, rursusque coeuntibus partibus, easdem facile obducat, & consuat; tũ etiam materia, quæ continuo vertitur in varias formas atque figuras, quasi novis semper sigillis, figuretur; res præterea corruptibiles, Homo præsertim, diversimode Solis lumine in diversis anni temporibus afficiantur, rursusque restituãtur mundo res aliæ recentes in locum præteritarum: at inter hujusmodi omnes mutationes, illa est lucis propria, quod improbi matutina luce occupati aliam faciem, aliam vestem sumunt, nocturna dedeposita, nam interdiu habitu ipso morum probitatem, & honestatẽ ementiuntur. Sed manet illos illa extrema, longeque miseranda permutatio, cum Dei signaculo insignitus homo suæ origini restituetur, & convertetur in lutum, ac velut vestis attrita primam illam figurã, & venustatem amittet. Interim Deus, jucundissima quadam novitate novam semper rebus faciem affert, novamque speciem, & quasi sigillo quodam, ita res omnes luce perfusas Divinæ perfectionis insignibus afficit, & exornat, ut eam, quam in tenebris videntur amisisse, iterum rediviva lux restituat, denuoque figuret, & recentẽ in singulos dies ex radiis lucis vestem fulgentissimam induat. In quo humana conditio non obscure repræsentatur, quod cum homo lutum fuerit rude, & informe, deinde tamen signatum est Divina imagine, atque erectum ad Cæli conspectum; sed tamen ob culpam, mortis pœna, insta rvestimenti, paulatim atteritur, & veterascit.

15 *Auferetur ab impiis lux sua: & brachium excelsum cõfringetur.*

Punire itaque impios, eorumque potẽtiam obterere, nempe Divinæ id dexteræ est, atque operationis. sive enim vitæ, & lucis usuram adimat impiis; sive nocturnas tenebras, in quibus illi vivunt, & vidẽt, diurna luce dispellat; sive sempiternarum tenebrarum minas illis objiciat, simul sane imaginem repræsentat felicissimi illius status, & præclaræ conditionis, in qua Homo conditus est, tum etiam illius alterius ærũnosissimæ, simulq; obscurissimæ, in qua superbiæ atque

inso-

insolentis animi pœnas dedit, si nõ omnino ademptis viribus, amissis facultatibus, & præciso brachio, at saltem debilitato, & fracto.

Sed ut ad magnificentissima naturæ opera revertar, nunquid potuit unquam creata potẽtia hujus Maris immensitatem vel complecti cogitando, vel exhaurire investigando? Sane Maris profundum, atque novissima ignorata tibi sunt, & incomprehensa; at mihi soli perspecta, & explorata. Quis enim mortalium infinitas piscium varietates, quæ in Maris profundo delitescunt, complecti numerando, aut perpetuas illius scaturigines, altissimas, & obscurissimas voragines, profundissimos recessus, pervestigãdo invenire potuit? Quis præterea fluxum atque refluxum effecit, ut videantur profundissimi aliqui fontes nunc eructare ferventem, & æstuantem aquam, nunc ebibere, & exsorbere subsidentem æstum? illa profecto, quæ hominibus inaccessa sunt, pervia sunt Conditori, qui etiam in extremis Maris recessibus tramitem invenit, & viam designat, ac nihil est, sive super fluctus ille gradiatur, sive in ipso fundo Maris deambulet, quod illius potestatem non sentiat.

16 *Numquid ingressus es profunda maris, & in profundis abyssi deambulasti?*

An vero parent tibi Maris fluctus, atque voragines, quæ nunquã non cum ingenti mortis discrimine adeuntur mortalibus? An profundiores, atque obscuriores aquarum vortices, quibus ad mortem recta contenditur? an altissimos terræ specus, qui sunt velut patentes aditus domus inferorum, & illius obscurissimæ arcis, quam sub terram incolit Regina Mors, ostia teterrima? An tibi clare patent terræ viscera, & quæ in illis umbris lætalibus sepeliũtur, & obruuntur? Poteris ne unquam tuo vultu, atque præsentia vel illuminare inferorum tenebras, vel penetrare, atque tremefacere reconditissimas, atque firmissimas terrræ partes?

17 *Nũquid apertæ sũt tibi portæ mortis: & ostia tenebrosa vidisti?*

An unquam vel cogitatione dimetiri potuisti, eam terræ lineam spatiosissimam, quæ ducit a Meridie in Septentrionem, deinde vero etiam illam longissimam, quæ ab Oriente protenditur in Occidens? an universas terræ mensuras, spatiumque immensum comprehendere cogitatione potuisti, atque illius ambitum certa ratione atque giro definire?

18 *Numquid considerasti latitudinẽ terræ, indica mihi, si nosti omnia?*

Verum enimvero, quamvis minime inviseris, cæleste lucis cubile, & domicilium, & quotidianam illam Zodiaci viam, per quam cum Sol pergit, efficit dierum, & noctium varietatem; at si tibi universæ terræ ambitus, atque recessus explorati sunt, designa mihi locum, in quo lux consistat, atq. pernoctet: unde Nox emergat, ad nocturnas luces producendas? namque videtur post diurnum illuminandi laborem in secretum aliquem locum se se abdere lux, ut post quietem nocturnam iterum rediviva mundo oriatur. Ego sane sum, qui res singulas duco, ac reduco, suis certis sedibus atque domiciliis constituo, singulis suos assigno terminos, & manibus meæ potestatis lucẽ contineo, & condo, lucem item aperio, & expromo.

o *Quis luci locus, & sedes: quis nocti, & tenebris, tum Sacris, tũ profanis scripturis assignatus, peculiaria quædam. n.5.*

19 *In qua via lux habitet: & tenebrarum quis locus sit.*

20 *Ut ducas unũquodq; ad terminos suos: & intelligas semitas domus ejus.*

Nondum quidem cum Cælum luminaribus distinxi, atque tempora, & annos ad humanam politiam, & convictus necessarios assignavi, Homo erat, quem meorum consiliorum participem efficerẽ; Imo neque tu delitescens adhuc in maternis visceribus, vel tui curã gerere, vel tuæ nativitatis maturandæ, & horã constituendi, rationẽ aliquam habere potuisti. Quæ igitur cognata, & propinqua tibi sunt, cum ignores, eorum quæ ab initio fuerunt, & quæ humana cõditione superiora sunt, tibi arrogas scientiam? Nunquid tandiu vixisti, ut ingens numerus annorum tuorum potuerit te docere rationes, & causas rerum antiquissimarum? Si harum igitur rerum vias nosse te dixeris, item dic te jam inde ab initio, & ante cæteras creaturas extitisse.

21 *Sciebas tunc, quod nasciturus esses, & numerũ dierum tuorum noveras?*

Sed ut lucis varietate, & dispositione dimissa, ad tẽporum, & aeris vicissitudines descendemus; plane mirabiles sunt repentinæ grãdines in immensa copia, opportuno etiam tẽpore a Cælo jaculatæ.

22 *Nũquid ingressus es thesauros nivis: aut thesauros grãdinis aspexisti?*

Ingres-

Ingressus itaque, videre potuisti remotissimas illas aeris officinas, in quibus nix, grando, & aliæ naturæ opes conficiuntur, & recōduntur, & tempore suo producuntur: namque earum rerum apothecæ, & promptuaria meam tantum voluntatem, & arcanam dispositionem expectant: neque aperiri possunt, nisi me annuente, ad terram, mortalesque universos locupletandos.

23 *Quæ præparavi in tēpus hostis, in diē pugnæ, & belli.*

Quamquam Cæli etiam armamentaria aperiri jubeam, cum grandine, pluvia, lapididibus, aliisq; id genus jaculis cælestibus meos hostes expugnare constitui. Illa enim reposita habeo, suo tempore ex meis promptuariis producenda. quippe non semper utor armis terrificis, atque ignitis; satis enim sunt meis hostibus expugnādis arma etiam mollissima, atque frigidissima, pluvia, nix, glacies, quibus aut terram eluo, aut peruro. Atque illud præclarum meæ potentiæ argumentum, quod sæpe etiam expugno, triumphoque humanam superbiam, non solum emittendo ejusmodi jacula, sed detinendo, & prohibendo, quippe cum sentio meos hostes, bonorum temporaliū, & terræ fructuum ubertate insolescere, cælestia ejusmodi præsidia illis denego.

24 *Per quam viā spargitur lux: dividitur æstus super terram.*

Atque nunc nivoso, & grandinante Cælo, nunc sereno, & claro, pasa luce, & radiis lōge lateque per aera fusis, res mortalium æquissime procuro, & administro. Nimirum vario Solis ortu, & occasu diversis regionibus consulo, diversasque aeris, atque temporis contēperationes efficio, diversas item lucis qualitates, & rationes: nā licet illa Divina, atque cælestis momento temporis per universum hemisphærium diffundatur, sed non semper eadem facie exoritur, nam pro temporis exigentia, & varietate, nunc clara, & serena exurgit, nunc obscura, & languida. At etiam mirabiles sunt aliorum luminū varietates, nam ex ignitis exhalationibus fiunt Stellæ currentes, & Cometæ criniti, ex quibus tandem resolutis ventus fit, qui spargitur super terram; Tum etiam lux fulguris, nulla parte certa erumpens, quam Ventus Orientalis in terram dispergit: adde etiam humidas alias meteoras impressiones, pellucidas, & albicantes, quarum Generatio, & diffusio supra omnem admirationem sunt. Illud tandem, unde oriantur, a quo projiciantur, quo tendant ignes subito erumpentes ex nubibus, divisi, & quasi frustatim emicantes, & per intervalla brevissima jaculati, & ad diversas regiones, pro cujusque opportunitate destinati, & distributi. Cum quibus potest quoq; de mirabilitate contendere vehementissimi Australis venti impetus, qui vel tempestates excitat, vel comitatur; & cum se se vehementer spargat, atque diffundat, videtur simul terram convertere, atque dispergere universam.

25 *Quis dedit vehemētissimo imbri cursum, & viam sonantis tonitrui?*

Sed in hac tempestatum, & pluviarum providentia, illius non ultima pars est, quod suam partem aquæ, & pluviæ servet, reponatque Deus terræ incultæ, ubi nullus mortalium commoratur. Eo enim videtur invisibiles quosdam tubulos, & canales aereos struxisse, per quos opportuni imbres derivarentur; atque certas etiam vias designasse, per quas tonitrua, fulgura, flumina, nō vaga, & bruta, sed certa, constantia ad singulas regiones, & terræ tractus dirigeret, quippe est universitatis hujus Creator, provisor, parens. Igitur cū ex suo illo pluviæ, & aquarum promptuario rivulos quasi deduceret ad irrigandas, fœcundandasq; diversas regiones, suam etiā partem destinavit ad terram desertam, & incultam: non enim tantum gerit ille curā mortaliū, sed ferarum etiā, quibus ex terræ irrigatione, & fecūditate pabulū parat, tum etiam ipsius terræ, quam absq; ulla animantiū necessitate, aut opportunitate exornat, & convestit. Quod quidē non facit utilitate sua, aut lucri spe aliqua, neque ut annuos exigat ab homine reditus: quid enim ab homine exigat, ubi nullus mortalium commoratur? Cujus rei exemplum non longe abest nostris regionibus; quippe Ægyptus ariditate, & fame aliquando squaluit; at

26 *Vt plueret super terram absque homine in deserto, ubi nullus mortalium commoratur.*

vero Arabia ista deserta imbribus largissimis aliquãdo perfusa est.

Quanta vero liberalitas auctoris naturæ, ut etiam in regionẽ ingratam, & natura sua sterilem, beneficia peritura conferat! Quantæ opes, ut illas in desertum profundere velit, ubi nullus mortalium cõmoratur! Quam lautus, quamque magnificus victus, & dimensum domesticorum illius, cum etiam terram arentem, & sitientem ad satietatẽ usque explere possit! p quippe ita loca frugifera solet Deus ad squalorem, & sterilitatem adducere, denegatis imbribus, ut quod uni denegat regioni, liberalissime in aliam eroget.

27 *Vt impleret inviam, & desolatã, & produceret herbas virentes.*

p Cum Deus uni denegat beneficium, alteri conferens, justitiam temperat cum liberalitate, utiliter observatur. n. 4. 5.

Et vero ejusmodi naturæ opes non tam ex materia elementorũ, & Solis efficiẽtis conjugio, quam ex meæ potestatis efficientia, atq; ex utero, & visceribus meæ Sapientiæ, Providentiæ, Indulgentiæ, vitam, & conservationem rerum universarũm profero, q mundi hujus non pater solum, verum etiam mater indulgentissima, atque providentissima, nivem, grandinem, Cristallum, pruinam, rorem, pluviã, & si quid aliud est, fælicissime atque fœcundissime progignens.

28 *Quis est pluviæ pater, aut quis genuit stillas roris?*

q Quod Deus sit pater, materq; simul suarũ creaturarum; & quod quasi conjugio suæ Sapientiæ, universum istud condiderit, ex Sacris, & profanis luculenter ostenditur, n. 3. 4. 5. 6.

Et quoniam semel de effectis frigoris mentio incidit, quid tã mirũ, quam quod res tam fluxa, tam liquida, tã mollis, qualis est aqua, retenta adhuc natura pristina lapidescat, & indurescat vehementer, ita ut faciem, & speciem aliam omnino præferant, vel marmoris atque saxi, aut cristalli, gemmæve alicujus pretiosissimæ? Accedit etiã, quod quędam aquæ res, quas acceperint, in lapides vertunt; & si solidum contingunt, hærent, & adstringuntur. Sed cum mirifica sit marium, ac fluminum conglaciantium facies, in quibus tanquam in continenti agi potest; at nulla tanta naturæ, & frigoris efficacitas fuit, quæ intimas pelagi partes penetrare potuerit, & depulso tepore partium internarum congelare.

29 *De cujus utero egressa est glacies? & gelu de cælo quis genuit?*

30 *In similitudine lapidis aquæ duratur: & superficies abyssi constringitur.*

Cum iis sane tam variis naturæ effectis mirabilem concentum efficiunt nimbosa, & turbulenta sydera, quales sunt in Septentrione Plejades, splendore mirabiles; In Austro vero Arcturus, ille quidẽ, cum plures Stellæ sint, apte inter se se cohærentes, & colligatæ, & quasi junctis umbonibus adversus mundum inferiorẽ conspirantes, terræ delicias, atque pulchritudinem impediunt, & ingenti inclemẽtia terram infestãt; Arcturus vero, Astrum etiam nimbosum, & plurimis Stellis, non parum inter se distantibus, constans, terras itidem atque elementa perturbat. An ne igitur tua potentia, o Iob, pertingit, pervaditque universum Cæli ambitum, ut velut peritissimus naturæ gubernator, valeas simul intendere in diversarum Cæli partiũ, diversorumque Astrorum moderationem? Scies ne diversas, multiplicesque Stellarum naturas, in unius Astri aspectum, & figurã certa ratione devincire: rursusque distantiores illas Stellas, quæ Arcturũ conficiunt, certis spatiis, & intervallis disjungere? An vero tuæ Sapientiæ atque intelligentiæ est opus, nosse quomodo quædam inter se se apte cohæreant; quædam item idoneis spatiis, locisque separẽtur; nunc quædam abscondantur, quædam in conspectum mortalium dentur?

31 *Numquid consurgere valebis micantes Stellas Pleyadas, aut gyrũ Arcturi poteris dissipare?*

Mirabiles igitur Stellarum, atque Astrorum ortus, & occasus cum sint, suis temporum intervallis distincti, atque constantes, tuum ne erit instar vigilantissimi Pastoris suo tempore, statis horis, in apertũ & spatiosissimum æthereæ regionis campum Stellas producere; & instar potentissimi Imperatoris cęlestem militiam recensere, aut instar peritissimi Præcentoris Stellarum choros, præeundo, ad certos numeros, & modos vocare; Zodiaci signa circumvolvere; Stellam Veneris producere, nunc ad ducendum diem, nũc ad ducendam noctem; & ut nunquam non cum Sole de pulchritudine contendat, cũ aliis vero minoris magnitudinis luminibus, radiisque ipsa splendidissimis velut comata, & capillata?

32 *Numquid producis Luciferum in tempore suo, & Vesperũ super filios terræ cõsurgere facis?*

Vt vero ex certo, & statuto tempore, quod sydera vel oriẽtia, vel cadentia servant, ad cæteras cælestium motionum, effectionumque

32 *Nũquid nosti ordi-*

nem cæli: & pones rationem ejus in terra?

perpetuas atque constantes leges progediamur, nunquid tua sapientia constitui, aut provideri potuissent Cælorum ordines, conversiones, commutationesque, ex quibus inferior mundus sua jura, agẽdique leges accipit? An ne tuum fuit cælestibus corporibus demandare imperium, atque dominatum inferioris mundi, illorumque leges, & imperium rebus inferioribus exequenda præscribere, ut illi essent nostrarum actionum, velut præfecti, & exactores?

34 *Nũquid elevabis in nebula vocem tuam: & impetus aquarũ operiet te?*

Conjungit sane Deus cum tanta Cælorum amplitudine, & magnificentia vocem suam plenam formidine, cum de Cælo tonat, indeq; imperio suo, voce nimium vehementi, nimiumque cõtenta, ab extremis terræ, marisq; recessibus evocat nubes, quæ tam cito coguntur, imbremque effundunt, quam si alicubi prius constitissent, & Divina voce accepta, in illius obsequium se totas impendere festinarent.

35 *Nũquid mittes fulgura, & ibunt, & revertentia dicet tibi, Adsumus?*

Fulguribus præterea atque fulminibus pro mea suprema Conditoris majestate, tanquam servis utor obsequentissimis; quibus cum quidpiam a me demandatum est, diligentissime exsequuntur, atque celerrime ex uno loco in alium resilientia, & si opus sit, parata reverti, & ab incepto itinere desistere, mandata perficiunt, perfectisque alacriter revertuntur; & coram supremo Conditore cõsistentia, Ecce, inquiunt, absque mora imperata tua confecimus; An defecimus in aliquo? An est aliquid reliqui nobis perficiendum?

36 *Quis posuit in visceribus hominis sapientiam? vel quis dedit gallo intelligentiã?*

Ex me sane, tanquã ex pereni, & inexhausto sapientiæ fonte, omnis ratio, & intelligentia, non solum quæ in mundi administratione cernitur, sed quæ mẽtibus humanis, atque Angelicis inest, & quæ in solertioribus quibusdam animantibus relucere videtur, derivata est: neque solum internum, & occultum hominibus spiritum intelligẽtia instruxi, sed, [r] (quod non minimum est, quippe est intelligentia, & arte plenissimum) mulieres, genus cæteroqui infirmum, texendi artificio exornavi, atq; ad opificii varietatẽ infectas lanas, coloresq; ut adhiberent, ostendi. Manus itaque rerum efficiendarum scientes effeci; renibus peculiarem sensum appetitionum indidi, cor excogitandi, & imaginandi facultate, tanquã pulcherrimis quibusdam imaginibus, picturisque exornavi: Atque adeo quodcumque intelligẽtiæ vestigum in ullo animante cernitur, a me impressum est, & illud sane peculiariter, quod Gallinaceus, quasi sciẽtissimus rerũ, profundioribus horis noctis, valẽtiores, ac productiores edere cãtus solet, cum vero matutinum jam tempus appropinquat, leniores, & minutiores omnino format voces.

[r] *Artis textrinæ, quæ in Græcorũ lectione hoc loco dessignatur, commendatio, ex Sacris, & profanis, n.*

37 *Quis enarrabit cælorum rationem? & concẽtum cæli quis dormire faciet?*

Cui præterea mortalium cælestium orbium numerus, magnitudo efficientia, motus satis explorata fuerunt? Quis illorum inter se proportionem, & convenientiam, ex qua velut mirabilis quędam harmonia consurgit, & quæ Divinarum laudum uberrimam materiam suppeditat, satis perspexit? Quis item ea, quę in hoc ęthere fiunt, describere, & numerare potuit? Illa vero neque numero, neque magnitudine, aut diuturnitate majora, minorave sunt, quam sapientia Conditoris præscripserit. Quis præpterea in numerato habet nubes, nubiũque varietates, imbrium guttas, ne pluat plus nimio, neque diutius nubes incumbant in terras, quam sat fuerit? An non mea sapientia constituuntur, definiuntur universa, & elementa ipsa quamvis diversis facultatibus prædita, ita attemperantur, ut sive tumultuentur, & concitentur, sive tranquillentur, & quiescant, nunquam non suavissimum contentum reddant?

38 *Quãdo fundebatur pulvis in terra: & glebæ cõpingebãtur.*

Perseverant universa hæc constante lege, jam inde ex quo prima terræ fundamenta jacta sunt, & pulveritiæ illius partes ita compactæ, ut naturali pondere in imum universæ propenderent. Qua in re imago quædam repræsentata est ejus, quod ex pluviæ beneficio quotannis accipit terra; sicut enim in prima creatione tota fuit operta aquis, ne cum summe sicca, & arida natura sua existat, constare per se sine humore non posset, ita nunc sane imbribus frequentibus per-

fusa, ita compingitur, & agglutinatur, ut opere fusorio firma, & cōstans conflata videatur.

Atque ut ex providentia, & moderatione elementorum, rerūque meteorarū ad animalia, & altilia maxime insignia, in quib⁹ mirabiliter mea Providētia enitet, ſ gradum faciam, prope jam res humanas, quid, quæso, tam minutum est in natura, cui ego non provideam necessaria, etiam illis, quorum est formidabilis feritas, ingenium brutū, mores immanes, natura longe ab humana familiaritate, & commodis aliena? Itaque si eorum, quæ supervacanea videntur, tantam Providentiæ rationem duco, quæ hominibus ad servitutem nullam præstant utilitatem; quanto magis humanis consulam rationibus? atque ut de Leonino genere, quod primum est inter reliqua animātia, primum dicamus, opus sane Providentię, atque sapientiæ supremæ fuit, docuisse Leones artem venatoriā, sicque abunde illis de cibatu providisse, ut & se, & suos catulos edacissimos ad satietatem usque explere possint. Quis itaque Leoni captandæ prædæ naturalem vim indidit? quis insidiandi rationem, & in quasdam invadēdi, cibi causa, belluas docuit? Sed illustrior sane est erga catulos Providentia, quamvis enim leæna catulorum charitate, quos relinquit cubantes in antro, venatum prodeat, at ego sum ipse, qui matrē stimulo, & educo ad venationem; ego, qui prædam ipsam designo; ego, qui capio, captamque offero catulis expectatione inhiantibus; ego qui illorum animam, & appetentiam exsatio; ego item, qui catulos ipsos teneriores adhuc versantes in latibulis, venari doceo, & in infirmiores animantes prope transeuntes ex insidiis invadere, nunquā enim in aperto, & plano, quod degeneris animantis est, vel fugiunt, vel ad insidiandum se abjiciunt.

Neque vero minus illustre Providentiæ, atque benignitatis documentum, quod non solum leunculorum, sed præterea teterrimæ, & infaustæ alitis, Corvinorum, inquam, pullorum, & patrem, & matrem indulgentissimam me præbeam; atque illorum inamænas, & infaustas crocitationes, quasi charissimorum filiorum vagitus æstimem, & ad misericordiam alliciar, dum illorum voracitati, non solū abundē, & magnifice, verum etiam delicate occurro, molliori, & roscido cibatu: namque sive parentum oblivione, & negligentia derelictos, sive eorumdem stultitia, quod videant albicātes, & implumes, abjectos, & contemptos, sive cibi avaritia quadam, & ingenii immanitate, nativo solo, & regione expulsos, ego suscipio vagantes, errātes quærito, famelicos, & hiantes multiplici, & varia esca reficio, & ad commodam uberemque regionem deduco; paremque tandem gratiam parentibus suis senescentibus rependendi rationem designo.

)?(

ſ *Leonis primo loco facta mentio, ut pote principis animalium, ac symboli Principū Regalibus virtutibus præditi, observatur, n. 2. & 3.*

t *Multa sparsim de Leonis natura, ingenio, viribus, nominibus, ætate, tum ex Sacris, tū ex profanis, observantur.*

■ *Quæ de clamore, & cibatu, tum etiā & de aliis naturæ Corvorū proprietatibus jactari solent, diligenter examinātur ex testimoniis Sacris, atque profanis, præsertim n. 2. 3 4. usque ad 7.*

39 *Nūquid capies Leænæ prædam: & animam catulorū ejus implebis?*

40 *Quando cubant in antris: & in speculis insidiantur.*

41 *Quis præparat corvo escam suā, quādo pulli ejus clamāt ad Deum vagantes, eo quod non habeāt cibos?*




CAPVT. XXXIX.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Perſequitur enarratione mirabiliũ naturæ operũ, illam præſertim Divinæ Providentiæ, & Sapientiæ partem, quæ circa animaliũ generationem, & partum verſatur; tum & circa mirabiles aliarum naturas, & proprietates: quarum conſideratione, & admiratione defixus Iob, imperitiam verborum ſuorum agnoſcit, & ſubmiſsius confitetur.

IBICES.

I. Numquid noſti tempus partus Ibicum in petris?

1 
ON DVbium, quin ab auctore naturæ proponatur res aliqua naturę mirabilis, ſed quid nam *Ibex*, quid in *tẽpore partꝰ*, quid in ipſo *partu* peculiare, & mirabile ſit, omnino eſt incertũ.

Varia nominis Hebręi lectio. יעל יעלה Vox quidem originalis, *Iaghal*, ſive etiã in genere fœminino, *Iaghalah*, Hierony. vertit *Ibicẽ*, tũm hic, tũ 1. Reg. 24. 3. idem Prov. 5. 19. tranſtulit *Hinnulũ*; *Cerva charisſima, & gratiſsimus Hinnulus.* ubi Symmach. & Theodotio, *cervus*. ſimiliter & Septuag. Pſ. 103. 18. *Cervos* vertunt, *Montes excelſi cervis*. At vero hoc loco Septuagin. *Tragelaphos* legunt, quod nomẽ ex *Hirco*, & *Cervo* cõpoſitum eſt, q. d. *Hircocervum*. Alii *Caprã*, aut *Hircũ Sylveſtrẽ*, & *ferũ* interpretantur, in quo fere R. David, & R. Mardoch. atq; Hebraizantes cõveniunt; Regia, *Capreas* dixit; Cõplut, *Genus cervorũ* vocant ex Hebræorũ ſententia; deniq; cũ noſtro Vulgato in appellatione *Ibicis* cõveniũt Pagn. Tyg. Vatab. Cajet. Iſid. Certe videtur ad cervinũ, caprinumque ſimul genꝰ pertinere, cõjungitur enim cũ *Cervo* hoc loco, & forte illud animal eſt, quod *Capreã*, aut *Capreolũ*, aut *Rupicaprã*, nominant. Strabo quidẽ lib. 4. ex Polybio tradit, *Alpes gignere peculiaris formæ belluam, habitu quidẽ ad cervi ſtaturã, collo dumtaxat excepto, & villis, in quibus capræ perquã ſimilis eſt, geritq; ſub mẽto carnis globũ ad palmæ magnitudinẽ capillo ſunt, craſſitudinẽ pro equini pulli cauda habẽtẽ.* 2 Fere eadẽ, aut perſimilis videri poteſt deſcriptio *Feræ capræ* apud Aelian. lib. 6. c. 24. & quę cũ ſummis montiũ, & petrarũ faſtigiis, quarũ hoc loco mentio fit, multum facit: *Capræ feræ ad ſummos Lybicorũ montiũ vertices cõmorãtur, ad boum magnitudinẽ accedunt, ipſarũ armi, & crura luxurioſis pilis diffluunt, tibiis parvis, frontibus rotundis, aculis raris, & tẽca vis non valde projectis ſunt.* (An forte hoc genus Dorcadũ?) *Cornibus poſt primũ exortũ utrisq; ab alteris lõge diverſis, & aberrãtibus, & majoribus, ut ad armos pertingãt. Ex capris longe maxima ad ſaliendũ habilitate ſunt: nã ex cacumine in aliud longe diſtãs cacumẽ trãſiliunt: & tametſi ſæpe earum quæpiam, dũ ex uno vertice in alterum ſaltare contendit, ob nimiã intervallorũ diſtantiã per prærupta ſaxa præceps agitur, nihil tamen læditur, ſic eſt adverſus ſaxorũ duritiẽ membrorũ reſiſtenti firmitate, ut nec cornua frangat, nec caput diminuat.* Quæ res affinis eſt cum illo Cãt. 2. 8. *Ecce iſte venit ſaltens in montibus tranſiliens colles. Similis eſt dilectꝰ meus Capreæ, Hinnuloq; Cervorũ.* Atq; adeo Philipp. hoc loco exiſtimat hoc animal *in Canticis vocari Damulã, & aliquando Capreã, & vel maxime in ſaxis nutriri, vel in cavernis petrarũ.* Cũ quo mirifice conſentire videtur *Ibicis* deſcriptio apud Pliniũ: nã ſub *Caprarũ* genere, & appellatione *Ibices* cõprehẽdit lib. 8. c. 53. *Capræ* (inquit) *in plurimas ſimilitudines transfigurantur. Sunt Capreæ, ſunt Rupicapræ, ſunt Ibices, pernicitatis mirandæ; quãquã onerato capite vaſtis cornibus, gladiorumque vaginis. In hæc ſe librant, ut tormẽto aliquo rotati in petras, potiſsimum e mõte aliquo in aliũ tranſilire quærentes, atq; recuſſu pernicius, quo libuerit, exultant.* Facit cum hoc, quod Montanus in ſuis naturæ obſervationibus, 300. exiſtimat eſſe animãtem in Sardinia notiſsimã, quã vulgus appellat *Maſlon*; corporis forma, & pilo caprino, cornibus arietinis, elegãtẽ, velocẽ, vivacem. Sed huic non tã vaſta cornua, quam pingit Plinius. Illud præterea quod addit Montanus, nomen *Iaghal*, deſignare numerum ſupra centum, & decem; ideoque animantem hanc eſſe valde vivacem, incertum eſt, & Cabaliſticum.

Hieronym. *Symmach.* *Theodoret.* LXX. *R. David.* *R. Mardoc.* *Regia.* *Pagnin.* *Tygurina.* *Vatabl.* *Cajetan.* *Iſidorus.*

Capreolꝰ, aut Rupicapra. *Strabo.* Fera Capra. *Aelianus.* Ibices videri Capras feras. Caprea apud Salomonem, quod genus animãtis. *Philipp.* *Plinius.* *Montanus.*

Tragelaphus. Solinus. Diodorus.

3 Forte huc pertinet *Tragelaphus*, ut Græcis placuit, ex eodem nimirum Caprarũ genere; quãvis enim Plinius lib. 8. c. 33. & Solinus in fine, c. 31. scribant *Non alibi*, *quã juxta Phasim amnem nasci*: at in *Arabia* etiã (ubi hæc scribebantur) nasci scribit Diodorus. de quo vide Pliniũ, & Solinũ.

Cur dicatur Ibex petræ. Vnde Ibex habeat nomen. עלה יעל

4 Quodcumq; tandem animal sit, hic ex peculiari nota dicitur, *Ibex petræ*, id est, amans rupium, atq; petrarum, idẽ 1. Reg. 24. 3. & Ps. 103. 18. *Montes* assignãtur *Cervis*, aut *Ibicibus*. Quare aliqui deducunt a radice *Ghalah*, quod est *ascendere*; quia cõscendit loca sublimia; vel forte ab ipsa radice, *Iagbal*, quod est prodesse, aut utile esse, per antiphrasim, quod illarũ venatio minime utilis, sed maxime periculosa sit.

Philipp. Quid peculiare in tempore partus Ibicũ. Cajetan. Quo tempore Ibices partus suos abscondant. Gregorius.

5 *Sed quid laboris est* (inquit Philipp.) *nosse tempus cervarũ, & Ibicũ parientiũ: aut unde tã latebrosum est humanæ notitiæ, præsertim cũ hæc ipsa animalia pene in medio hominũ cõmorentur?* Quid vero peculiaris Providentia in ea re lucet? Hujus rei variæ suspiciones. Numquid in illis cavernis petrarũ se abscõdunt, aut partus suos occulunt? Respondet Cajetanus, minime nũc sermonem fieri *de occulto loco*; sed potius de ignoto *tẽpore*. Sed cum *tempus* conjungatur cũ *petra*, forte rogatur Iob, An notũ sibi sit tempus illud peculiare, quo Auctor naturæ cõstituit partus Ibicũ, & caprarũ Sylvestrium, cũ pullos suos in summis rupiũ fastigiis, & in reconditissimis specub[9] petrarum occulũt. Hoc indicavit Gregor. *Meridiana*, inquit, *pars Ibices aves vocat, quæ Nili fluentis inhabitant. Oriẽtalis vero, Occidentalisq; plaga parva quadrupedia, Ibices nominat; quibus, & moris est in petris parere, quia neq; sciunt, nisi in petris habitare. Quæ si quãdo etiam de altis saxorum cacuminibus ruunt, in suis se cornibus illæsa suscipiũt.* Sane cõmode post illam obliviosam negligentiã Corvorum in educandis pullis, subjungetur nunc diligentissima cura ferarũ caprarũ in curandis filiis.

Ibicum charitas erga prolem. Aelianus. Gyllius. Ferarum Caprarum pietas erga parẽtes.

Sic enim Aelianus ex accessione Gyllii, ex Oppiano refert lib. 6. c. 25. scribens de Feris Capris; *In hoc genere Mater pullos suos etiam atq; etiã diligẽter curat: quam quidẽ maternã educationẽ filii cum pari studio cõpensant; nã charis parentibus senectute confectis pabulum suo ore collectũ eis porrigũt; & ex fluvio haustã aquã ad potionem afferunt, ac eorum corpus horridũ lingentes, nitidum reddunt. Quod si solam matrẽ comprehẽderis, continuo etiam suam capies teneram prolem. Nam sua sponte in vincula incidunt, & cum matre capiuntur.*

6 An forte sermo est de peculiari anni tẽpore, quo Ibices concipiunt, pariuntve, illorum naturę idoneo, & a natura stato, & præscripto? Et quidẽ aliquid hac de re dicemus in Cerva. An *tẽpus partus*, est tempus conceptionis? nã ex proprietate originalis vocis, conceptio, generatio, nativitas simul significantur.

Duplex aliaratio tẽporis partus. Tempus, quo Ibices, & Cervæ concipiũt, mirabile. יעל Plinius. Oppian. Olympiod.

Nam hoc etiam in *Cervis* peculiare; quod in transcursu, imo potius in cursu rapidissimo admittãt mares. quod quãvis Plinius sic dicat, *Fœminas Cervorũ ingredi in cõceptu, quia vim mariũ nõ tolerant*; tamen Oppianus, *Magna*, inquit, *celeritate currentes fœminas cervi ineunt, nec earũ cursum retardare possunt, sed inexorabiles illæ ad consistendũ mari, & fugere perseverãt.* Quod cũ valde mirandũ inter ea sit, quæ animal generãt, designari sane potuit hac interrogatione *tẽporis partus*, seu conceptus *Ibicum*. An illud est, quod Olympiod. (quamquam sine testimonio idonei Scriptoris) tradit, *Cervam, & Tragelaphũ, hoc est Capram Sylvestrem, in petris atque speluncis sua sponte contectis concipere?* Propterea *tempus conceptionis Ibicũ*, & *Cervarũ* ignotum esse homini, penitusque occultum? Si quid præterea luminis ex *parturitione Cervarum* accipi potest ad *Ibicum partum* elucidandum, indicabimus statim.

CERVÆ.

Vel parturiẽtes Cervas observasti?

II. Dinumerasti menses cõceptus erũ: & scisti tẽpus partus earum? I

III. Incurvantur ad fœtum, & pariunt: & rugitus emittunt.

IIII. Separantur filii earum, & pergunt ad pastum: egrediuntur, & non revertuntur ad eas.

1. *Continens paraphrasis harum sententiarum.*
2. Observare, & Custodire, *quid proprie. Cervarum parturientium periculum abortiendi.*
3. Observare, *de re occulta. An cervæ parturiẽtes locum secretum, an apertum ament. a partu occultant prolem.*
4. Implere *dictum de prægnantibus.*
5. *Quo tempore cervæ concipiant. quãdo Arcturus oriatur.*
6. *Rerum ordo non semper servatus in Scripturis.*
7. *An cervæ difficultate potius, quam facilitate pariendi excellant. asseritur facilitas.*
8. *Cervæ ad concipiendũ, ad lactandum accubãtes.*
9. *Cervæ partẽtes exedentes involucrum fœtus. Cervorum intestinum infimum.*
10. *Varia lectio. Metonymia. Cervi quando maxime rudant.*

11. Se-

11. *Separari quid. Hinnulorum incrementum celere. Exercentur a matribus.*

12. *Hinnuli apte procreati ani, non amplius revertuntur ad matres.*

---

1 AN, Inquit Deus, tibi ſunt in numerato dies partus cervarū, ut illis parturientibus, & præ dolore rugientibus opituleris? Docuiſti ne illas ad emolliendā, & perferēdam vim doloris, procumbere, flectere, incurvare ſe, ut corporis vaſa, & viæ laxentur? An Hinnulos cervinos docuiſti matrē deſerere, paſci recenter depulſos ab uberibus, digredi, & matris jam oblitos, ſui juris eſſe, & vagari pro libito? Divina hæc ſunt opera, ſublimores Divinorū operum rationes humana mente, & Providētia. Sed ſeorsū elucidādā ſingula,

2 *LXX.* שמר

Duplex obſervandi ratio, & interpretatio Chryſoſt.

Tempus pariēdi Cervis periculoſum.

Parturientes Cervas obſervaſti? Septuag. propr. ex Hebræo, *Cuſtodiſti?* quod cū ad obſervationem ſpeculandi, & contēplandi, tum etiā tuendi, & propulſandi periculum pertinere poſsit, duplicem habet explicatum; Alterū Chryſoſtomi; *Cuſtodiſti*, ſervaſti conceptū, ne immaturū fœtū abigerēt? vel ut legit Interpres Catenę Grçcæ juxta Cōplutenſem editionē; *Obſervaſti dolores cervarū?* nā idē verbū originale ſignificat *parturire*, atque *dolere*. Chryſoſt. *Recte dixit, cervarū dolores obſervaſti? quādoquidē eæ ſemper ſunt in metu, ac fuga; ſemper imbecillæ, perpetuo circumſiliunt; quo nā igitur pacto non partū abigunt?*

Vatab.

Alii, ut Vatabl. dicunt cervas difficultate pariēdi laborare, ideoque illius parturiēdi tēporis Deū eſſe obſervatorē, & cuſtodem, ut laborātibus opituletur, & aliqua ratione, aut naturali induſtria difficultatem illam vincat. Et recte quidem conveniret; ſi illius difficultatis teſtimonium aliquod firmū haberemus, de quo ſtatim.

3 *Gregor. Philipp. D. Thom. Cajet. Nicolaus. Dionyſ.*

An Cervę parturiētes locū apertū, an ſecretū amenti

Ariſtotel. Plinius.

Plutarch. Solinus. Aelianus.

Altera vero explicādi ratio indicatur a Greg. & Philip. & explicate traditur a D. Thom. Cajet. Nicolao, Dionyſ. ſignificari hac ſententia locū, in quo pariunt cervæ, eſſe occultū, & ab illis deligi ſecretum, ut Cajetan. ait, *Unico aditu contentū.* ne feris, aut venatoribus multiplex ingreſſus pateat. Sed certe Auctores idonei rem hāc *Cervarū parientiū* cōtraria ratione tradūt. Nam ſic ſcribit Ariſt. 6. de Hiſto. Animal. c. 29. & lib. 9. c. 5. *Parere juxta vias maxime ſolēt metu belluarū.* Plinius vero paulo Luculentius; *In pariendo ſemitas minus cavent humanis veſtigiis tritas, quā quæ ſecretæ, ac feris opportunæ.* Res eadē a Plutarc. refertur lib. *Utrū terreſtria prudentiora ſint, &c.* Solino, c. 31. Aelian. lib. 6. c. 14. qui nō ſolum illā hujus rei cauſam tradit, *Quod Hinnulis ſuis inſidias a feris timeat fieri; ſed vel quia celeritatis fiducia homines egregie cōtemnat.*

Cur Cervæ in aperto pariāt.

Addit vero Aelian. *Poſtea autē quā ſe opimo corporis habitu affectā ſentit, non amplius juxta viā partū edit, quod jam ſe minus accōmodatā ad currendū intelligit, at enim vel in ſaltibus, vel in convallibus parit.* Quod ſane nō de *Cerva*, ſed de *Cervo* mare Ariſt. loco citato ſcribit; *Marē, cū pinguerit, quod valde tēpore fructuū fit, nuſquā apparere, ſed longē ſecedere.* Nō pariūt igitur in occulto, ſed in aperto. At quidē poſtquā pepererūt, latebras, & receſſum pullis ſuis amāt; Sic enim ſubjungit idem Ariſt. *Cū peperit, Hinnulū ducens in ſtabula, aſſuefacit, quo refugere debeat; ſaxū hoc eſt abruptum, uno aditu; quo loco eam ſi quis invadit, expectare, repugnareq; affirmant.*

Cervæ a partu occultātes prolem.

Solinus.

Xenophon.

Idemq; explicatius ſcribitur a Solino; *Nec qualibet partus ſuos educant: teneros ſtudioſe occulunt; & abſconditos inter profunda fruticū, vel herbarum pedum verbere caſtigāt ad latendū.* Cum quo facit, quod Xenophon de venatione, præcipit, Venatorē de *ſpecula proſpicere, & cervas ſimul cū luce Hinnulos ad locū ducere videbit, in quo ſuum quæq; futura eſt.* Huc igitur potuit reſpicere illa *obſervatio parturientium cervarū.*

Simplicior interpretatio.

Sed quidem illa eſt interpretatio ſimplex, & lenis; Tua ne ſapientia, atque providentia, O Iob, præſcripſit cervis certum, & ſtatutum tēpus pariendi? & vero exploratum eſſet, quo tēpore concipiunt, quo pariant, niſi eam ego ſcientiam tibi, & aliis mortalibus communicaſſem?

II. Dinumeraſti, &c.

Septuag. juxta Hebræū; *Numeraſti mēſes earū plenos?* id eſt; Pręſcripſiſti ne, quot
menſes uterū ferre debeāt a conceptu, ut 4
poſsis noſſe, quo tēpore pariturę ſint? Nā quod Cajet. *Plenitudinē* ad tempus refert, nimirū *menſes, quos debent implere, antequā pariant*, id quod dixit Tygur. *Nū poſſes numerare, quāto ſpatio menſes ſuos impleāt?* Vatablus paulo aliter; *Mēſes, quibus fœtū, vel conceptū adimplent*; hęc, inquā, aliena ſunt; nam *impleri*, ſeu, *plena*, ab hac ipſa radice, dicitur prægnans, quia plena eſt fœtu, Ecclef. 11. 5. & eadem *implēdi* ſignificatio cū de armentis ſermo eſt apud idoneos Latinitatis Scriptores de equis, & aſinis loquētes, *Fœminas a partu optime ſeptimo die impleri; Mares fatigatos melius implere.*

LXX. Cajetan.

Tygurina. Vatabl.

מלא

Impleta prægnans.

Col. lib. 7. c. 6. Plin. lib. 8. c. 44.

Refert vero Cajetanus interrogationē 5
hanc ad *Ibices*, de quorū cōceptus, & partus tēpore verſiculo primo dixerat, cum quo hæc *dinumeratio* melius cohæret, quā cum *Cervis*. Græci ad *Ibices*, ſimul, & *Cervas*,

Cajetan.

vas. Latini pleriq; ad *Cervas*, quę proxime præcesserunt. Neq; obstat a naturæ Scriptoribus designari tempus conceptionis, & partus cervarum: nā non oportet res has esse omnino ignotas humanæ intelligentiæ; cū significetur tātum esse à Divina Sapientia constitutas, provisas. De tēpore autem conceptus *Cervarū*, sic scribit Solinus; *Fœminæ, licet conferantur; nō concipiunt ante Arcturi Sydus.* Eadem Plinii verba; *Ab Arcturo* (inquit) *mense Augusto, & Septembri.* Videlicet, ut Albertus designavit, ad finem Augusti, & initiū Septēbris: Nā Arcturi Sydus oritur undecim diebus ante æquinoctium Autumni, ut ait Plin. contingit autē id æquinoctium Octavo Kalendas Octobris, id est, 24 die Septembris, ut scribit Columella. *Ferūt vero uterū octo menses*, ut Aristot. & Plinius tradunt. Quare *medio vere Hinnuli nascuntur*, observatore Xenophonte, cum de venatione Cervorum agit, *nā tenellos Hinnulos Verno tēpore venari* præcipit; *tunc enim nascuntur.*

Tempus conceptionis Cervarum. Solinus. Plinius. Albert. Arcturus quādo oritur. Plinius lib. 2. c. 49. Colum. lib. 12. c. 2. Aristotel. Xenophon. Quo tēpore hinnuli nascātur, quo venādi.

III. *Incurvantur ad fœtum, &c.*

6 Quāvis recta series exigere videbatur, ut sicut res fiunt, ita enumerarentur, Cōceptus, menses uteri, parturiendi dolores, partus, educatio pullorum, depulsio ab uberibus; tamen non semper ordinem hunc Scripturæ servant, neq; quidē in historiis; quod plerumq; vel orationis impetus, vel rerū significatio, vel translationum ratio, vel metrum, aut quidpiam simile, non sine elegantia, & pulchritudine ordinem perturbet, & invertat. Ergo nūc peculiariter aptandæ singulę partes harū sententiarū ad proprietates ipsas Cervarum, & Hinnulorum, sive in partu, sive in conceptione illas reperire contingat.

Rerum ordo, & series naturæ nō servata interdicēdū.

7 *Incurvantur ad fœtum.* Regia, Tygurin. Cajetan. & fere Hebraizantes omnes, *fœtū* disjungunt ab *incurvatione*, & conjungunt cū verbo sequente *Pariendi*. Sed sensus perinde constat. *Incurvari* autē *ad fœtū* emittendum, est *genu flectere*, ut vertit Cajetanus; vel ut proprie ex Hebræo legitur, *Accubare, corruere*, referturque ad difficultatem pariendi, qua dicuntur cervæ laborare; & quam his verbis per Paraphrasim elucidat Vatablus; *Cætera animalia optime se se cōponunt, ut facile pariant. at ista se se alio modo disponunt, incurvant enim se præ dolore, & in terrā prosternūtur, ut fœtus suos emittant; quod faciūt maximo cū dolore, nā mēbranas cōfringunt, quæ sunt in vētre suo. Si quando natura conatur emittere fœtus, videntur resistere: nō adjuvant ipsam naturā.*

Regia. Regia. Cajetan. כרע *Vatab. Cervarum pariēdi difficultas.*

Et quidē hæc pariendi difficultas videtur indicari Ps. 28. 9. *Vox Domini præparātis Cervos*, ubi Hieronymus ex Hebræo legit cū omnibus Hebraizantibus, *Obstetricans*, vel, *parturire faciens Cervas præ metu.* Quod licet ad abortū referat Vatablus quod videlicet terrifico tonitru perculsas cervas, & in latebris adhuc sylvarum cōmorantes, tempestas aboriri cogat; tamen alii in bonum accipiunt, videlicet quod Deus præparat, & juvat ad partum tonitru, & tempestate; secus perirent propter nimiam difficultatem pariendi, & propter angustias viarum.

Hieronym. Vatablus.

Sed res hæc de difficultate pariendi cervarū a paucissimis probatę auctoritatis auctoribꝰ traditur; tū etiā in illo Psalmi loco nulla alia proprietas Cervorum agnoscitur, quam in perimendis, & extrahendis halitu serpentibus, a Hieronymo, Augustino, Cassiodoro, & Græcis Theodoreto, Basilio, Athanasio, Didymo, Eusebio, Nicephoro. nam potius videtur auctor naturæ indidisse Cervis peculiarem facilitatē in pariendo: cognoscunt enim naturaliter herbam, qua se ad faciliorem partū pręparāt, de qua sic Plin. lib. 8. c. 32. scribit; *Cervorū fæminæ ante partum purgātur herba quadā, quæ Seselis dicitur, faciliore ita utentes utero.* Idem vero lib. 25. c. 8. scribit Herba Seseli etiam uti post partū, ex Aristot. Illud vero Aelianus, ex accessione Gyllii lib. 9. c. 17. ex Ciceronis auctoritate refert. Igitur tanquā effectum peculiaris providētiæ nunc fiet mentio *partus cervarum*, ut pote præfacilis; quod etiam videtur Chrysostomus agnovisse hoc loco, *Sua*, inquit, *Sponte pariunt, nec opera obstetricis egent ulla.*

Cervi halitu extrahētes serpentes. Hieron. August. Cassiodorus. Theodoret. Basilius, & alii Græci. Plinius. Cervæ præparantes se ad partum. Aelianus. Partus Cervarum facilis. Chrysostom.

Sed suspicari licet in illa *incurvatione*, vel *accubatione cervarum* unum, aut alterū peculiare indicari; primum, quod indicat Aristot. non semper cervas in transcursu velocissimo concipere, ut nuper dicebamus, sed incurvatas, & accubantes: *Cerva* inquit, *plurimū subsidens coit*, quare *incurvari ad fœtū* erit, accumbere, & subsidere ad concipiendū. vel secundo cōmendabitur Divina Providentia, & quasi indulgētia erga hinnulos, quod peculiari ratione constituerit ipse, ut cervę nō nisi incurvatæ, & acumbētes pullos suos lactent. Res videtur indicata a Xenophonte lib. de venatione, ubi præcipit, ut venator *de specula cōtempletur, ubi cervæ recumbant, & lac præbeant, intentæ, ne ab ullo videantur.* tum præterea *Hinnulum veluti terræ affixum esse*; quod utique erit *Matrem incurvari ad fœtum*. sive ut proprie ex Hebræo

8 *Aristot. Cervę accubātes cōcipiūt. Cervæ accubātes hinnulos lactant. Xenophon.*

legimus, ad recenter natum, & lactetem.

9 Varia lectio. פלח Et *Pariunt*. Propr. ex Hebræo legūt Hebraizantes; *Confringunt, scindunt, dissecant*: quod Greci videntur referre ad mitigationem dolorum; cum enim dolores dicātur funes, quibus tanquam funibus arcte cōstringitur parturiens; dolores remittuntur, cum rumpuntur, & scinduntur funes; unde legunt Septuag. *Dolores earū solvisti?* ut ad facilitatem illam partus, de qua nuper dicebamus, pertineat. At vero forte indicatur in hac effractione, seu dissectione, quod fœtus involucrum, statim atque peperit, scindat, & dissecet, *Cū peperit* (inquit Arist.) *involucrum primū exedit*. Forte, quod in pariendo intestinum aliquod abrumpatur; nam & cervus ipse infirmū valde intestinum dicitur habere, atq; propterea in cursu subinde acquiescere, & respectare. *Semper*, inquit Plinius, *in fuga acquiescunt, stantesque respiciunt. Cum prope ventum est, rursus fugæ præsidia repetētes. Hoc fit intestini dolore, tam infirmi, ut ictu levi rumpatur intus.*

Funiculi dolores. LXX. Cervæ exedētes involucrū fœtus. Aristot. Cervorum intestinum infirmum. Plinius.

10 *Et rugitus emittunt*. In originali propri legitur; *Dolores suos emittunt*. Chrysostom. duplicē adhibet expositionem; priorem, ut *dolores* sint, ipsi cruciatus pariendi, in hunc sensum; *Dolores earum sedabis, ac prolligabis, ut non semper in dolore sint?* Secundam; *Pro doloribus, ea quæ cum dolore edita sunt.* Sic Septuag. Vaticani; *Earum partus emittes?* quod ex Symmachi lectione exponendum vult Chrysostom. *Quæ pepererūt, derelinquunt.* quippe postquam recentem prolem educaverunt, quo libuerit, abire permittunt. quamquā res hinnulorū emittēdorum statim describetur. At Latinus Interpres retulit ad *rugitus*, quos parturientes emittunt præ dolore, & est quidem in cervorum voce hoc peculiare, ut Aristoteles scribit, quod *Cervi tempore, quo libidine efferantur, vocē mittunt, at fœminæ, cum metuunt*. solet enim metus vocem adimere; at cervis, & præsertim fœminis timidissimis vocem efficit. Mirum autem si parturientes, & dolentes, nō ruderent, & rancarent. Tunc ergo, cum maxime timent partus discrimen, maxime rugiunt.

Chrysost. ובל LXX. Symmach. Metonymia. Aristotel. Cervi quādo maxime rugiant.

IIII. Separantur filii earum, &c.

11 Sententia hæc ad Hinnulorū educationem spectat. *Separantur filii.* Ambiguitas originalis vocis variæ lectioni, atque interpretationi ansam præbuit; nam verbū originale significat *cōdensationem* quandā, &, ut ita dicā, *spissitudinem*. deinde per analogiā significat *somniare*, quod provenit ex crassis humoribus cōcrescentibus; tum etiam *pinguescere*, & *confortari*, vel *roborari*; tandemq; convalescere, aut *sanari*, quoniam, quæ convalescunt, & sanantur, incrassantur, & pinguescūt; Hinc Cajetanus legit; *Sanabuntur filii*. Vatabl. vero, *Sani evadunt*. additque Cajetanus, *Ecce opus mirandū; quod cerva pariendo contra maternum morem lædit pullum suum, qui tamen sanatur, Divina id ordinante Providētia*. Sed res hęc omnino tacetur ab aliis scriptoribus. Regia; *Convalescunt*, neq; incōmode; ut significet id, quod de Hinnulis scribit Arist. *Hinnuli incremētum celere*, quod celeriter a nativitate augeantur, & adolescant. Cæteri vero legunt, *pinguescunt*. sed sapienter Latinus Interpres dixit, *separātur*; ut doceret, cum primū cerviculi justū incrementum acceperunt separari, & dimitti a matre. & idem indicarūt lectione sua Septuag. *Abrumpent filios suos*. quod nihil aliud esse videtur, quam adultos jā filios, & bene a se instructos in saltu, & fuga, separare, atque abrumpere a se; nā ut superius dicebamus ex Aristotele, Plinio, Aeliano, Solino, priusquam dimittāt editos partus, *exercentur cursu, & fugam meditari docent, ad prærupta ducunt, saltumq; demonstrant*. Atque hujusmodi sane *separationem*, videntur indicasse Septuag. addētes de suo, *Nutristi Hinnulos earū sine metu, & partus earum emittes?* Sicut enim ipsa juvenilis catulorum Leonis sęvitia, inexperta discriminum, multo sęvior est, quā Leonum parentum feritas; ita sane videtur Hinnulorum timiditas venatorum, & discriminum inexperta, minor esse atque stupidior; præsertim cum de hoc cervorū stupore, & simplicitate multa scribantur a naturæ scriptoribus, & nominatim a Solino dicente, *Stupent omnia, propterea facilius se præbent sagittantibus.*

Variæ lectio, & expositio. Separari, quid proprie. חלם Cajet. Vatabl. Regia. Arist. lib. 6. de hist. c. 29. Hinnuli celeriter crescentes. Plinius. Cervæ prolē suā saltu instituentes. Hinnuli minus timidi, quam parentes. Solinus c. 31.

12 *Et pergunt ad pastum*. Proprie Septuag. ex Hebræo; *Multiplicantur in genimine*. Augustinus, *In tritico*, in frumento, in omni illo quod saginare armentum potest; in *pabulo* electo, & puro. Nam hæc omnia affert originalis vox. Tum etiā *multiplicantur*, non solū enutriuntur, increscunt; sed ut Nicetas ait, *Propagantur*, & jam a lacte depulsi, quamvis non revertantur ad Matres, pascuntur a Deo. Quare Nephtalin quod pulcher esset, & nemine indigeret, vocatur *Cervus emissus*. Rē vero hanc Hinnulorum non revertentium ad Matres, cū propagationi, & multiplicationi apti sunt, ab aliis auctoribus prætermissam, indicavit eleganter Poeta Lyricus, cum Cloem similem facit Hinnuleo;

LXX. August. ברו Nicetas. Gen. 49 21. Hinnuli.

Horat. 1. Carm. Od. 23.

Quærenti pavidam montibus aviis
Matrem, non ſine vano
Aurarum, & ſylvæ metu.

Concludit tandem, tempus maturum eſſe egrediendi, & non revertendi ad matrē;

Tandem deſine matrem
Tempeſtiva ſequi viro.

ONAGER.

V. Quis dimiſit Onagrũ liberũ, & vincula ejus quis ſolvit?

VI. Cui dedi in ſolitudine domum, & tabernacula ejus in terra ſalſuginis.

VII. Contemnit multitudinē civitatis, clamorē exactoris non audit.

VIII. Circumſpicit montes paſcuæ ſuæ, & virentia quæque perquirit.

1. *Paraphraſis harũ ſententiarum. Dei domus ampliſsima, cum alluſione ad rem domeſticam Iobi.*
2. *Onagri deſcriptio, & natura ex oppoſito reſpondens aſino domeſtico, qui familiaritate hominum gaudet. Vnde habeat nomen.*
3. *Aſinus domeſticus familiaritate gaudēs. Arabia abundans Onagris. Dicta a ſolitudine.* Salſugo *quid. Onager parvo contentus.*
4. *Onager parſimoniæ Symbolum. Cervorum temperantia.*
5. *Solitariæ vitæ laus. Solitudinis amantes contēpti a ſapientibus ſeculi. Accuſati etiam. Simplicitas Chriſtiana.*
6. *Cordis ſolitudo ſervanda in media multitudine. Aſinus ſcientiſsimus certæ viæ. Dextera Symbolum gerēdorum negotiorum. Ferinæ paſsiones ſolitudine cicurantur.*
7. Exactor *quis. Circũloquutio vitæ licentioſæ.*
8. *Cibatus aſini domeſtici, atque ſylveſtris.*

1 Paraphraſis harũ ſententiarum. Iſai. 1.

SVNT Sane quædam animalia domeſtica ad ſerviendum nata, & humanæ curæ demandata, qualis eſt aſinus, *cognoſcens præſæpe Domini ſui.* At hujuſmodi ſervitute, virga, camo vinculis exemi, ego (ait Deus) Onagrum, & large ac liberaliter ſuſtento nulli præſepio alligatũ, ſub nullo tecto commorantem; urbanum tumultum, & multitudinem fori deridentē; non gementem ſub onere, non addictum ſervituti exactoris alicujus, clamātis poſt tergum, virga tundentis, & ſtimulo pungentis; delicatiores ille cibos contemnit, cōtentus præſentibus, & quæ illi ſolitudo mōtuoſa, & ſalebroſa parciſsime profert, lætus, & gratus veſcitur. Et ſane jam non ſolam Providentiam aut Sapientiā, ſed Potentiā ſimul videtur oſtentare Cōditor, & familiæ ſuæ ampliſsimæ magnificentiā, cum alluſione quadam ad Iobi aſinas, & boves. q. d. Tibi, o Iob, manſuetę illæ aſinæ, boves pauci ſerviebant, hæc te armenta, & agelli non valde lati efficiebant potētiſsimum Oriētalium hominũ. At mea familia ampliſsima; quippe ſerviunt mihi etiā ipſi Onagri jugi impatientes, & ſervitutis inexperti: tua rura arabant boves; at mihi obſequuntur, meque poſſeſſorem agnoſcũt, & ad præſepe meũ demorantur Rhinocerotes, qui præſepe non agnoſcunt. Hæc ſunt, quæ his ſentētiis indicantur; & quæ nos illuſtrabimus breviter, ad illa cum opus fuerit recurrē rentes, quę de Onagro diligenter ſcripſimus, cap. 6. verſic. 6. & cap. 11. verſic. 12. Vbi de nomine originali *Phere*, & an eſſet *Mulus*, an vero ſui generis, & nobis ignotum animal.

Dei domus, & familia ampliſsima.

פרא

V. Quis dimiſit, &c.

2 Onagri natura ex oppoſito reſpondēs aſino domeſtico.

Solvit illi vincula Deus, quibus utique alligaretur, ſi a Cōditore creatus eſſet ad ſerviendum, ſicut aſinus domeſticus; hunc enim alligavit Conditor præſepio, illum exemit vinculis; hunc ſervituti, & labori addixit, illum libertate donavit. Quare tota aſini Sylveſtris deſcriptio videtur ex oppoſito Aſino domeſtico reſpondere: nam cum is humanę ſervituti ſit addictiſsimus, & ſive ruſticis, ſive urbanis operis, &, ut Plinius dixit, *Quidquid per aſellũ fieri poteſt, viliſsime conſtat.* Ideoque *aſinis feriæ nullæ, niſi in familia ſunt*, ut Cato præcipit in re ruſtica; At Onagro perpetua libertas, & continens feriandi otium, ita ut Onager ſit indomitæ, & petulantis libertatis Symbolum, ut expoſuimus, cap. 6. verſic. 5. num. 3. cap. 11. verſ. 12. num. 3. & 4. Quare etiam videtur habere nomen *Phere*, a *Pharad*, quod eſt dividere, ſeparare, diſpergere, recedere, quod ſeparet ſe a ſervitute, & ad libertatem abeat.

Plinius.

Cato.

Onager libertatis ſymbolum.

פרד

VI. Cui dedi in ſolitudine, &c.

3 Aſinus domeſticus cũ familiari curatore gaudens.

Aſinus domeſticus familiariſsimũ hominibus animal, ut Galen. lib. 2. Method. ſcribit. *Si curatorem inſpexit, non ſolum ut hominem, ſed etiam ut hunc hominem agnoſcit, & micat auribus, & caudam quatit, &*

Galenus.

rudit,

rudit, & lascivit cum eū aspexit, utique indicans se familiarem agnoscere. At Onager amantissimus solitudinis, Oseæ. 8. Ierem. 2. Ecclesi. 14. de quo diximus etiam loco citato. Et quidē videtur hic locus designare solitudinem Arabiæ: nam Arabia videtur abundare Onagris, ut scribit Xenophon lib. 1. de expeditione Cyri, describitque in hunc modum; *Per Arabiā Euphrate ad dexteram relicto; iter per deserta loca fecere: in his Onagri cursu equos facile superabant: cumque jam ad eos equites proxime accessissent, ad cursum illi incitabantur; restitabant deinde, cum abessent longius: atque ita sæpius iterata fuga, equitem fallebant.* ut videatur hoc etiam referendum ad id, quod statim subditur, *Contemnit multitudinē civitatis.* Quod vero Montanus ait in Observationibus naturæ cap. 301. Onagrum ita amare solitudinem, ut etiam sui generis societatem non curet; falsum videtur; quippe Onagri gregatim incedunt ad pastum, & ex pastu, ut locis superius indicatis diximus, præsertim super id cap. 24. 4. *Tanquam Onagri egrediuntur ad pastum.*

Arabia abundās Onagris. *Xenophon.* *Montanus.*

Domum. Mea domus non, sicut tua, angusta, & tectum parvuum; planicies camporum longe lateque patens subdio continet meos Onagros. quippe non curo tā cum animalia, quæ in præruptis mōtibus commorantur, ut sunt Ibices, & Cervi; sed etiam, quæ planiciem camporum amant. Hoc videtur indicare nomē *solitudinis, Arabà*, nimirū campestris, Devt. 1. 1. unde dicitur *Arabia deserta*. Quare de ipsa regione vicina videtur sermo esse.

Onagri amāt campos apertos.

Arabia nomē habet a solitudine. ערבה

Quod autem subjungitur, *in terra salsuginis*, potest dupliciter accipi. Primo pro terra sterili, sicut Ps. 106. 34. ut notetur forte aliquid peculiare; videlicet Arabes illos Onagros gaudere forsitā malvis salsuginosis, aut alio quopiam pabulo salso. quamquam in hac re nihil certi; quin potius herbis omnibus indiscriminatim videtur uti, ut Oppianus apud Aelianum ex accessione Gyllii, scribit; *Onagri pastu aluntur herbarum, quas abunde fundit terra.* Vel secundo, commendabitur Providentia Creatoris, qui in terra salsuginosa, sterili, arida, tamen sufficientem annonā præbet Onagro, illumque parvo lætum, & contentum efficit, & multarum rerum, & circum fluentium deliciarū contemptorem, amore solitudinis. Tertio etiam, ut hæc pars sit omnino præcedentis expositio; & *terra salsuginis* nihil sit aliud, quam *solitudo*, & desertum, vel terra inhabitabilis, Ierem. 17. 6.

Salsago, quid. Onagri quod pabulum. *Oppian. Aelian. lib. 5. c. 22.* Amor solitudinis reddit Onagrū parvo contētum.

VII. Contemnit multitudinem, &c.

4 שחק המה

Contemnit. Ridet, irridet, illudit, *multitudinem civitatis*, turbas, tumultum, perturbationem, confusionem; q. d. cōmoratur in locis ab omni urbano tumultu remotissimo. Sed quid est illud *contemnere*? certe multo lætiorem vivere in deserto, quam si ad urbem adduceretur. nihil ille præterea curat, nihil appetit, quam quæ ex deserto habere potest. Alia animalia furto, & rapto vivunt, nunquam præsentibus contenta, circuunt, & quærunt, melioribus insidiantur, & cupedias, cibosq; exquisitos expetunt: at Onager nihil præter solitudinem curat; nullus rei apppetentia illum ex terra salsuginis abstrahit. Vt interim perstringat immoderatum luxum mortalium, & rerum infinitarum superfluentium libidinem intemperantissimam; atque doceat naturam paucis cōtentā; & quod *non in abundantia cujusquā vita est ei.* Simile, quod de temperatione cervorū scribitur ab Aeliano, tum ad hominum, tum ad Onagrorū mores opportunum; *Cervus, inquit, ad vivendū præsentibus contentus est, nec plura desiderat; imo vero hominibus tēperantius multo, & ventri moderatur, & cupiditates continet. Nam in Hellespōto collis est, ubi cervi, quorum altera diffissa est auris, sic pascuntur, illius extra fines ut nunquam progrediantur; nec enim alias pastiones desiderant, nec prata alia bonitate præstantiora concupiscunt: & vero satis habent omni anni tempore præsentibus vesci. Quid ad hæc homines, quos sane nunquam, ne orbis quidem terræ explere queat?*

Onager tēperantiæ symbolum. Luxus immoderatus. *Luc. 12. 15.* *Aelianus.* Temperantia Cervorum.

5

Sed videtur præterea in hac *contemptione multitudinis* tumultuantis, commēdari ab auctore naturæ, solitaria vita, & quæ a rerum externarum tumultu, & perturbatione aliena est; nā cum propriū asini sit; *cura, & sollicitudine carere*; & curatoris alteri⁹ fidei se cōmittere, multo illud magis proprium *Onagri* est, qui *deridet tumultū civitatis.* Ad eos, enim qui in urbe, & rerū multarum confusione, & perturbatione, multarumque divitiarum congestu versantur, tanquam ad urbanos asinos multa divitiarum, & curarū sarcinā onustos, dictum videtur; *Quid habet amplius homo de universo labore suo, quo laborat sub Sole?* Mirum, ut sapientes sæculi hujus vocent, & æstiment tanquam asinos, eos, qui strepitu, & turba civitatis se abdicantes, negotia contemnunt, & otium illud solitudinis pro summo negotio, & summa voluptate sectantur, & diligunt! Quo nomine nō solum quondā despiciebātur

Cōmendatio vitę solitarię. *Eccles. 1. 3.* Solitudinis amatores, & cōtēptoris urbani tumultus, vocātur asini a mundi sapiētibus.

Philosophi nec privatæ, nec publicæ rei curam gerentes, toti in rerum Divinarũ contemplatione positi, ut scribitur a Platone in Theeteto, sed etiam asininę cujusdam ignaviæ, & inertię accusati sunt quõdam Christiani, atque virum illum sapiẽtissimum, & unius salutis animæ curandę diligentissimum, Flavium Clementem, quem patruelem suum Consulatu perfunctum, Christianam religionem amplexum, a Domitiano occisum, Suetonius appellat, *hominem contemptissimæ inertiæ.* Atque adeo ad hanc Aethnicorum calumniam, Christianos, tanquam solitarios Onagros, inertes traducentium, respondet Tertullianus, cap. 42. Apologetici; *Injuriarum,* inquit, *titulo postulamur, & infructuosi in negotiis dicimur. Quo pacto, homines vobiscum degentes, ejusdem victus, habitus instructus, ejusdem ad vitam necessitatis? neque enim Brachmanæ, aut Indorum Gymmosophistæ sumus, Sylvicolæ, & exules vitæ. Plane temperamus, ne ultra modum, aut perperam utamur. itaque non sine foro, non sine balneis, tabernis, officinis, stabulis, nundinis, cæterisque commerciis cohabitamus in hoc sæculo. Sed ceremonias tuas non frequento, &c.* Ergo etiam in media turba, & vita urbana ille erit terrenarum solicitudinum vinculis exemptus, & degens in solitudine, *Si,* ut Gregorius hoc loco ait, *pro solitudine corporis intelligamus solitudinem cordis? quid enim prodest solitudo corporis, si solitudo defuerit cordis: qui enim corpore remotus vivit, sed tumultibus conversationum se inserit, non est in solitudine. Si vero prematur aliquis corporaliter popularibus turbis: & tamen nullos curarum sæcularium tumultus in corde patiatur, non est in urbe.* Hanc *simplicitatem* infantilem, a multiplici cura abhorrentem, exigere a nobis Deum, cũ frequentissime filios suos vocat *Pueros*, observat Clemens Alexandrinus lib. 1. Pædagog. c. 5. *Hæc* (inquit) *videtur esse stultitia his, qui ad calliditatem, & versutiam se exercuerunt: jure ergo sunt pueri, qui solum Deum Patrem noverunt, simplices, infantes, qui sunt unicornium Cornuũ amatores. Id est, qui unitatem amant.* Hujusmodi ergo solitarius Onager, qui ab urbanis negotiorũ tumultib⁹ se subducit, illud videtur dicere, quod, qui ut jumẽtum, Domini sui ductum sequebatur obsequentissimus; *Quoniam nõ cognovi litteraturam, introibo in potentias Domini; Domine, memorabor justitiæ tuæ solius.* vbi Psalterium Romanum legit, *Nõ cognovi negotiationem.* quasi dicat; Cum cor geram solitarium, contemnamque multitudinem urbanorum negotiorum, Deum, Divinaque tantum in cordis solitudine curabo.

Plato. | Christiani quondã accusati inertiæ. | Suet. in Domi. c. 15. | Tertullian. | Gregorius. | Solitudo cordis, potior, quã corporis. | Clement. | Simplicitas Christiana. | Cor solitariũ, Divinis familiare. | Psal. 70. 15.

6 Et orandum quidem vehementer, ne cum ad multitudinem civitatis, id est, negotiorum externorum, corpore accedimus, deliciosissimam illam, liberamq; cordis solitudinem amittamus. Sic precatur idem Propheta; *Dominus Custodiat introitum tuum, & exitum tuum,* ubi Kaldæus legit, *Introitum tuum ad studia legis, & exitũ tuum ad negotiationes mundi.* Vide eundem Paraphrastem codẽ Psalmo, super id, *Dominus protectio tua super manum dexteram tuam;* est enim *Dextera,* Symbolum dexteritatis in negotiis gerendis.

Et quidẽ qui hujusmodi solitudini, sibi, & Deo vacant, quamvis a Mundo æstimẽtur, & tractentur, velut stolidissimi asini, sunt tamẽ sapientissimi, & certæ viæ tenendæ atque discriminũ declinandi sciẽtissimi, ut videatur dictum de illis, quos mundus stultos vocat; *Hæc erit vobis directa via, ita ut stulti non errent per eam.* Isai. 35. 8. nam hæc sunt asinorum proprietates, *Totam peragrare viam, in neutram partem declinando.* Tum etiam, *obviis in via non cedere.*

Denique illud unum longe diversum in Onagro spirituali, quod dum Onager in solitudine degit, ferus est, & indomitus, familiaritate autem hominum, & urbano convictu mansuescit. at e contrario ferinæ animorum passiones, quæ in multitudine civitatis nimium superbiunt, & efferascunt, tamen in solitudine cicurantur, & mansuescunt, ut eleganter docuit Basilius Epistola ad Gregorium Theologum, *De vita in solitudine agenda.* vide eundem lib. de laudibus Eremi, & in Regulis fusius disputatis, interrogatione quinta, & sexta, atque alios Patres de vitæ solitariæ laudibus.

7 *Et vocem exactoris non audit.* de *Exactore* dixi cap. 3. vers. 18. esse illum, qui adhibita vi, & minis, exigit opus aliquod, vel repetit debitum urgendo, & instando importunis clamoribus. de quo cũ constet, quid erit, *Onagrum non audire vocẽ exactoris?* Et primo Vatablus venatorem videtur intelligere; *Qui vult eũ redigere in servitutem, more exactoris, qui aliquid ab aliquo exigit.* q. d. *Non potest cicurari.* Cajetanus in communi legit, & interpretatur *vocem oppressoris,* nempe hominis, qui percutiendo, onerando, pungendo, clamando opprimere solet animalia bruta; refugit ergo hujusmodi humanos convictus, quod ineptus natura sua sit ad humanum obsequium. Sed cum legamus apud idoneos

Cavendũ ne in urbano tumultu amittatur solitudo cordis. | Psal. 120. | Kaldæus. | Dextera ad negotia gerenda. | Asinus sciẽtissim⁹ rectę viæ, & pericul declinandi. | Ælian. | Galenus lib. 2. Methodi. | Ælianus. | Ferinæ passiones animorũ solitudine cicurantur. | Basilius. | Exactor, quis. | Vatabl. | Cajetan.

Plinius libr. 8. c. 44. Scriptores, Onagros aliquando cicurari, & domari. atque adeo quanto magis capti manſueſcunt, tanto efferatiores eſſe, antequam capiantur; Exiſtimo hanc eſſe circumloquutionem licentioſæ illius naturæ, & vitæ liberæ, atque ſolitariæ, in qua nulla exactio laboris, nulla oneris impoſitio, nullus clamor inſtantis a tergo agaſonis; nam cum aſinus domeſticus vocem audiat, agnoſcatque, nunc clamore nunc fuſte, & virga exigitur ab illo opus. Ergo, ut Hoſeas dixit, *Abit Onager ſibimet* ſolitarius, id eſt, ut Ieremias dixit, *In deſiderio animæ ſuæ.* ideo eleganter legerunt Septuaginta, *Non audit querelam exactoris.* nam, & iniquis oppreſſus oneribus miſer aſellus, plagarum patientiſsimus; inſuper & clamore, ac minis exigitur, pluſquā reddere poteſt, laboris, & operæ.

Circumloquutio vitæ licentioſæ.

Hoſee 8. 9.

Ierem. 2. 24.

VIII. Circumſpicit Montes Paſcuæ, &c.

8 Videtur pergere in eadem antitheſi aſini domeſtici, atq; ſylveſtris, quod domeſticus dimenſum accipit parcum, & vile; at Onager pro libito ipſe ſibi pabulū quęrit tenerum, virens, varium. Cajetanus exiſtimat indicari illius terræ ſalſuginoſæ ſterilitatem, ob quam neceſſe ſit deſerta camporum planitie conſcendere in mōtes, pabuli inveſtigandi cauſa. cū quo videtur facere illud Ierem. 14. 6. *Onagri ſteterunt in rupibus, traxerunt ventū, quaſi Dracones, quia non erat herba.* quaſi non alia de cauſa conſcendant in montes, quam fame ſtimulati, ad quærendum aliquid virens: quocumque enim etiam parvo cōtentus eſt, & illud tantum quærit, quo facile, & ſine ullo laboris diſpendio vitam ſuſtentare poſsit. Alii vero intelligūt ſignificari licentioſam vitam, nunc in campeſtribus, nunc in montanis, ut pro libito omne pabuli, herbęque genus deguſtet: ut enim ex Plinio dicebamus; *Onagri paſtu aluntur herbarum, quas abunde fundit terra.*

Cibatus Aſini domeſtici, atq; ſylveſtri.

Cajetan.

Plinius.

RHINOCEROS.

℣. *IX. Numquid volet Rhinoceros ſervire tibi, aut morabitur ad præſepe tuum?*

℣. *X. Numquid alligabis Rhinocerota ad arandum loro tuo? aut cōfringet glebas vallium poſt te?*

℣. *XI. Numquid fiduciam habebis in magna fortitudine ejus, & derelinques ei labores tuos?*

℣. *XII. Numquid credes illi, quoniā ſementem reddat tibi: & aream tuam congreget?*

1. Rhinoceros *relatus ad bovem domeſticum. Sententiarum. Paraphraſis.*
2. Rhinoceros, *unde nomen habeat. Varie redditur ab Interpretibus. Confunditur cum Monocerote.*
3. *Unicorne animal non unius tantum generis. Aſinus Indicus. Boves unicornes. Monocerotis deſcriptio.*
4. *Quid in Monocerote conveniens cum Iobi Rhinocerote.*
5. *Rhinocerotis deſcriptio.*
6. *Rhinoceros quando viſus Romæ. Rhinoceros Iobi idem, qui Plinii. Quæ inter Rhinocerotem, & Bovem ſimilitudo, quæ item oppoſitio.*
7. *An Rhinoceros duo habeat cornua.*

SIcut quadā alluſione ad aſinos domeſticos diximus mentionē factam eſſe Onagrorum, ita nunc Rhinocerotis hiſtoria proponitur comparatione ad bovem. 1 Ille autem cum omnino ſit inutilis humanis commoditatibus, atrociſsimum utiq; animal, at Divino Imperio, & Providentiæ ſervit, & ad Dei præſepium moratur, illū enim ſuſtentat Deus. Nihil eſt igitur, quod quantumvis habeat homo multa aſinarum millia, multa etiam juga boum, multum ſibi aut de opulentia, aut de potentia blandiatur. quid enim bos eſt relatus ad Rhinocerota, qui nulla vi aut induſtria domari poteſt, non manu tractari neque ad præſepia religari, non in ſtabulum cogi, non jugum accipere, & ad aratrum inſtitui, aut in terræ cultura, & verſura laborare? nam quamvis quidem inſigni vaſtiſsimorum membrorum fortitudine polleat, at non illa eſt, quæ humano labori uſui eſſe poſsit ad agricolationem. nihil enim de illo ſperare poteſt agricola, nihil ſubſidii accipere neque ad ſerendum, neque ad arandum, neque ad meſſes convehendas in aream, tandem in horrea recondendas. Hæc videtur eſſe harū ſententiarum ſumma per partes explicanda.

Rhinoceros relatus ad bovem.

Paraphraſis harū ſententiarum.

Sed prius ſtatuendū eſt, quod, qualeve animal ſit Rhinoceros. Originalis vox 2 *Reem*, aut *Rem*, videtur dici ab altitudine, & elevatione, quod habeat Cornu ſublime, & erectum; propter cognationē cum Radice *Rum*, quod eſt, *elevare*, aut *ſublimē eſſe.*

Rhinoceros unde habeat nomen.

ראם

רום

Rhinoceros, & Monoceros

eſſe. Ab univerſis interpretibus uno ex duobus nominibus vertitur, *Monoceros*, ſive *Vnicornis*, & *Rhinoceros*, quod dicitur habere cornu in nare, q. d. *Naricornis*. Et ſane altitudo, vel ſublimitas in utrovis recte conſtituitur; nec putet aliquis altitudinem tantam cornu, in parvũ illud Rhinocerotis cornu nõ poſſe cõvenire: quippe ſatis eſt, ut in capite, aut naribus emineat illud cornu, videlicet in parte ſublimi. Ab Interprete Latino nunc uno, nunc altero nomine indifferenter vertitur: *Vnicornis* Pſ. 21. 22. Pſ. 28. 6. Pſ. 91. 11. Iſai. 34. At *Rhinoceros*, Deuter. 33. 17. Num. 23. 22. & 24. 8. & in præſenti noſtro loco. Sicut etiã ab Aquila, a Hieronymo vero Pſ. 21. *Vnicornis*. Pſ. 92. *Monoceros*, & Pſ. 18. *Rhinoceros*. Septuaginta vero, *Vnicornis*, ſive *Monoceros*, legunt ubique: ex quo ſuſpicio eſt apud Hieronymum, & Septuag. eundem eſſe *Monocerotem*, & *Rhinocerotem*, ut explicate hoc loco docet Philippus, & quidã alii confundentes utrumque, ut Albertus magnus lib. 22. Animal. Sed Rab. Elias acriter contendit nõ poſſe *Rem*, eſſe *Vnicornem*; cum Deuteron. 33. 17. pluraliter dicantur *cornua illius*. Sed quidem hæc objectio non magnã habet vim; nam illud ſingulare *Rhinocerotis*, ponitur pro plurali, quaſi diceret, *Cornua Rhinocerotum*. Sicut a contrario diceret quis, *cornu tauri*, pro, *cornua*. Tũ præterea Rhinoceros, quamvis duo habeat cornua, ſed tamen ab uno, quod prægnagnum, & prævalidũ eſt, potuit accipere denominationem Monocerotis. Quare, & *Rhinocerotem* Vnicornẽ nominat Tertullianus, adverſus Iudæos, & lib. 3. adverſus Marcionem, c. 18. & ex uno cornu illum deſcribit Plinius lib. 8. c. 20. Atque adeo etiam quãvis Ambroſius, libr. de Benedictionibus, 11. illam ipſam dubitationem R. Eliæ attingens, ſcripſerit, *Cũ dixerit, Cornua, quomodo poſuit Vnicornuum, requirendum, cum ipſe Vnicornuus inter generationes ferarũ, ut periti ajunt, non inveniatur*, at ſtatim *Vnicornuum* perfectæ ætatis deſcribit, *cum ei oriuntur cornua*.

Nomen originale varie redditum ab Interprete Latino.

Aquila.
Hieronym.
LXX.

Idem Monoceros, & Rhinoceros.
Philipp.
Albert. Mag.
R. Elias.

Cur in plurali dicãtur cornua Rhinocerotis

Tertullian.

Plinius.
Ambroſ.

3 Sed conſtare non poteſt an *Monoceros*, & *Rhinoceros* idem ſint, niſi ex utriuſque deſcriptione: quæ deinde cum animali, quod nobis proponunt Sacræ Litteræ cũ ſuis peculiaribus proprietatibus, & indiciis conferenda erit.

Et quod ad *Vnicornem*, ſive *Monocerotẽ* attinet, incertum eſt, quod animal deſignarit Ambroſius, cum dixit, *Peritos dicere non inveniri inter generationes ferarũ*. quippe Vnicorne Animal non unius tantũ generis eſt. nam eſt Aſinus Sylveſtris, ſive Indicus, *Monoceros*; Apud Ariſt. libr. 2. de hiſt. c. 1. Pliniũ libr. 11. c. 37. Philoſtrat. lib. 3. de Vita Appolli. Aelianũ lib. 5. c. 21 apud quem mirabilis eſt natura; *Sylveſtres aſinos* (inquit) *equis magnitudine non inferiores apud Indos naſci accepi, eoſque reliquo corpore albos, capite vero purpureo, oculiſq; nigris eſſe, cornuq; in frõte gerere, cujus ſuperius puniceum, inferius autẽ album, medium vero nigrum ſit. Ex hoc cornu bibentem ab inſanabilibus morbis tutum fieri*. Sed hæc non eſt vulgati Vnicornis figura, ut inferius dicemus. Sunt itẽ, & Boves unicornes apud Plinium lib. 8. c. 21. & lib. 37. c. 11. Solinũ c. 53. tũ etiam, & apud Ceſarem lib. 6. Cõmentariorum. Sed *Monocerotis*, proprie dicti, ſeu *Vnicornis* hæc eſt hiſtoria ex Plinio, dum de feris Indicis ſcribit; *Aſperrimam feram Monocerotẽ, reliquo corpore equo ſimilem, capite cervo, pedibus Elephanto, cauda apro, mugitu gravi, uno cornu nigro media fronte cubitorum duûm eminente. Hanc ferã vivam negant capi*. Eadẽ imago apud Solinum c. 53. qui addit, *Cornu ad longitudinẽ pedum quatuor, ſplendore mirifico, ita acutũ, ut quicquid impetat, facile ictu ejus perforetur*. addit Aelianus libr. 7. c. 3. peculiares alias notas; *juba, & pilis fulvum eſſe, pedũ bonitate, & totius corporis celeritate excellere, atque ſimiliter ut Elephãtos, pedum digitis indiviſos eſſe. Inter ſupercilia cornu uno, eodemque nigro, non levi quidem, ſed verſuras quaſdam naturales habente, atque in acutiſſimum mucronem deſinente: omniumque maxime animalium abſonam vocem, & contentam mittere, & ad alias quidem beſtias ad ſe accedentes manſueſcere, cum vero gregalibus ſuis pugnare. Neque modo cum maribus naturali quadam contentione diſſidere, ſed etiam cõtra fœminas (præter quam coitus tempore) certare, pugnamque uſque ad mortẽ ingraveſcere. Nam, & maximo robore præditus, & inexpugnabili cornu armatus eſt: deſertiſſimas regiones perſequitur, ſimul & ſolitarius errat*. Aliæ item *Vnicornis* ſcribuntur proprietates ab Iſidoro, & Alberto, quas etiam refert Paulus Iovi. libr. 18. ſuæ hiſtoriæ, ſed quæ ad noſtram rem non multum faciũt.

Ambroſii ſententia incerta.

Animal Vnicorne nõ unius generis.
Ariſtotel.
Plinius.
Philoſtrat.
Aelianus.

Aſinus Indicus mirabilis.

Boves Vnicornes.
Plinius.
Solinus.
Caſar.

Imago Monocerotis.

Solinus.

Aelianus.

Iſidorus.
Albertus.
P. Iovius.

Ex dictis primum collige, diſcrimẽ ab *Aſino Indico*, tum etiã ab illo *Monocerote*, ſive *Vnicorni*, quod Cæſar lib. 6. Cõmmẽtariorum refert inter boves, *Cervi figura, cujus a media fronte inter aures unum cornu exiſtit excelſius, magiſque directum his, quæ nobis nota ſunt, cornibus. ab ejus ſummo ſicut palmæ, ramique late diffunduntur*. nam hæc fera in Hercinia Germaniæ ſylva invenitur. At verus Monoceros non niſi India,

An verus Monoceros deſcriptus a Cæſare.

aut

aut certe apud alias lōge barbaras, & disſitas regiones.

4 Conveniens historia Monocerotis cū Rhinocerote Iobi.

Conveniunt autem hæc, quę de *Monocerote* attulimus, cum *Rhinocerote* Iobi, primum in feritate illa solitaria, lōge remota ab agris excultis, & frumentitiis Secūdo in fortitudine indomita, quæ nunquā se finit alligari, neque ad arandum, neque ad capiēdum. Nam ut Solinus ex Plinio dixit, *Interimi quidem poteſt, capi non poteſt*, nisi forte *pullos etiam num teneros*, ut scribit Aelianus. Quo videtur allusum, Pſ. 88.11. cum adversus Pharaonem dicitur, *Tu humiliaſti, ſicut vulneratum ſuperbum*; Tunc enim non nisi vulneratum, atq; interfectum cepisse, atq; subjecisse videtur indomitam feritatem Pharaonis, atq; aliorum impiorum obstinatorum. Tertio, convenit etiam cum illa proprietate, quā diximus ex Aeliano, nihil curandi, neque quidem gregales suos, neque fœminas, quod versic. 11. dicitur *Derelinques ei labores tuos*. & versicul. 12. *Numquid credes illi, quod ſementem reddat, &c.* q. d. Nulli curę, nulli labori natum esse id animal, tantum ferino, & inutili errori. Atq; hęc de Monocerote.

Rhinoceros, vivus nō capitur. Solinus. Aelian.

5 Quæ sit historia Rhinocerotis. Plinius. Aelianus. Solinus. Diodorus. Strabo.

Nunc proferenda, quæ de *Rhinocerote* habemus, & cum dictis conferenda. Hæc igitur est ex Plinio *Rhinocerotis* descriptio, lib. 8. c. 20. *Rhinoceros unius in nare cornu, qualis ſæpe viſus, hoſtis Elephanto, longitudo ei par, crura multo breviora, color buxeus*. Addit Aelianus, *Hujus pellē tāta exiſtere firmitate, ut ægre jaculo penetrari queat*. Superaddit Solinus, c. 43. *Cornu unicum repādum*. quæ omnia cōfirmantur a Diodoro lib. 4. Bibliothecæ. Sed luculentior est apud Strabonē descriptio lib. 16. *Rhinocerotes, ut Artemidorus ait, longitudine parum ab Elephantis exceduntur, quod Alexandriæ vidiſſe affirmat ſe, fere etiam quantū ad altitudinem, ejus autē, quem nos vidimus, color non buxo, ſed Elephanti ſimilis erat, magnitudo vero tauri, forma apro proxima, præſertim quantum ad rictum, præter naſum, qui cornu quoddā eſt recurvum, omni oſſe durius, eo pro armis utuntur quemadmodum aper dētibus. habet etiam duo ſingula tanquam Draconum volumina, a dorſo uſque uterum circūeuntia, alterum jubam verſus, alterum ad lūbum*. Cum qua coloris varietate facere videtur, quod ex Oppiano, Gyllius in sua accessione lib. 5. cap. 25. scribit: *Frons leviter rufa eſt, & dorſum maculis purpureis diſtinguitur*.

Gyllius.

6 QuādoRhinoceros Romæ visus.

Sed cum Pompeji magni ludis, tum etiam Augusti tēpore visus sit Romæ *Rhinoceros*, Vlyssipone vero non solum visus, sed cōmissus etiam cum Elephanto spectante Emanuele Rege, anno 1515. cum visus nostris diebus Toleti, Madriti, non jā amplius dubitare licet, quin verus Rhinoceros fuerit, quem descripsit Plinius, tum colore corporis buxeo, tum notis aliis; atque diversum animal ab Vnicorni, & Monocerote. Esse vero Rhinocerotem Iobi hunc ipsum potius, quam illum Monocerotem, illud videtur efficaciter ostēdere, quod cum hoc loco Rhinoceros cōparatione quadam referatur ad bovem, propter aliquam corporis similitudinem, mores vero diversissimos; *Rhinoceros* sit Bos quidam *Indicus*, vel Aethiopicus, nasuto cornu, vel nare cornuta, ut vocat Pausan. lib. 9. quamquā Festus Pompejus, *Bovem Aegyptium* nominet. Sic enim hęc Rhinocerotis tractatio, cum Bovis Sylvestris, & feri, ad bovem domesticum, & familiarē Antithesi, multo erit elegantius. Habemus præterea in *Rhinocerote Buxei coloris*, vel potius subnigri, similitudinem Bovis, qui cōmendatur etiam *colore rubeo, vel fuſco*. Tum præterea *grandibus mēbris, cornibus proceris, ac nigrantibus, & robuſtis, fronte lata, & criſpa, cervice lōga, & toroſa, palearibus amplis, & pene ad genua promiſſis, pectore magno, armis vaſtis, capaci, & tanquam implente utero, lateribus porrectis, lumbis latis, dorſo recto planoq̄, vel etiam ſubſidente, clunibus rotundis, cruribus compactis, ac rectis, ungulis magnis, corpore denſo*; ut specie tenus videatur Bos, esse parvus Rhinoceros, at Rhinoceros esse maximus quidam Bos.

Rhinoceros Vlyssipone cō missus cū Elephanto. Verus Rhinoceros descriptus a Plinio.

Rhinoceros Plinii, idē qui Iobi.

Rhinoceros. Bos Aegypti aut nasutus. Festus.

Colum. lib. 6. c. 1. Bovis genero si indicia.

In hac vero similitudine est illa Antithesis morum pulcherrima inter Bovem, & Rhinocerotem, quā explicabimus per partes capitibus sequentibus.

Morum, & ingenii oppositio inter Rhinocerotem, & Bovem.

7 An Rhinoceros habeat duplex cornu. Iustinus. Genebrard. Clemens.

Sed ante, quam ad ipsas sententias veniamus, dicēdum breviter, an etiam in eo sint similes Bos & Rhinoceros, quod habeat Rhinoceros geminū cornu. Nā sic videtur docere Iustinus Martyr Dialogo cōtra Tryphonem, cōtendens crucis figurā cornibus repræsentare; oportere proinde cornu esse bifurcum. sic existimat Genebrardus Pſ. 28. eandemque sententiam tribuit Alexandrino Clementi, lib. 1. Pædagogi, c. 4. cum ait, *Chriſtianos eſſe velut ſimplices infantes, qui ſunt amatores unicornium cornuum*. Sed quod ad Iustinum attinet, valde obscure loquitur, multo vero obscuriorem interpretationem ipse Genebrardus adhibet Clementi; nam is potius intelligit a Christianis amari, & coli unicum Deum; qui in unico Rhinocerotis cornu significatur, ut superius ex loco

Vnicornis symbolūunici veri Dei.

Num.

Theodoret. Hieronym.

Numerorum indicavimus, ex interpretatione Theodoreti, tum etiam hoc loco Psalmi, ubi Hieronymus.

Martialis.

Sed objicis præterea oculatum testem Martialē in Amphitheatro 22. *Geminum cornu* tribuentem Rhinoceroti.

Namque (inquit) *gravem gemino cornu sic extulit ursum,*
Jactat ut impositas taurus in astra pilas.

Politianus. Calderinus. Marolius.

Difficultatem viderunt Interpres Martialis, quam infæliciter tollere agressus est Politan⁹. in Miscellaneis c. 56. Melius, sed paulo durius Calderinus, per *Geminū cornu*, intelligens geminum ictum. Lenius, Maroilius, *Geminum cornu*, unū illud prægrande, alterum minutum in capite, aut humeris, quod item prævalidum est: atq; oportet quidem vel ex ipso Martiali interpretationē petere, cum ipse paulo ante 9. de Rhinocerote dixerit, unico cornu mirandum;

Quantus erat cornu, cui pila taurus erat!

Sed jam ad singulas sententias.

IX. Numquid volet Rhinoceros servire tibi, &c.

1. Rhinocerotis cum bove opposi tio. Servire, de terræ cultura. Explicatus Moyses, Ezechiel, Ieremias.
2. Bovis ingenium obsequens. Rhinoceros nemini serviens. Illustratus Moyses. Cur populus Fidelis comparatus cum Rhinocerote.
3. Multiplex ratio pabuli bovilli. Curatio boum ab opere. Morari, quid.

1 Antithesis Rhinocerotis cū Bove. Bos natus ad serviendum. Cic. de Natur. lib. 2. Servire, de terræ cultura. עבר

VOlet servire. Verbo serviendi allusio profecto fit ad terræ culturam; ad quam videtur esse Bos natus, & homini concessus a Cōditore. *Quid*, inquit Cicero, *de bobus loquar, quorum cervices natæ ad jugum, tum vires humerorum, & latitudines ad aratra extrahenda?* Et quidem verbum originale, *serviendi*, de terræ cultura dicitur Genes. 3. *Vt operaretur terram*, proprie, *ut serviret terræ*, Genes. 42. *Cum Agricola*, proprie, *Serviens agro*. Ezech. 36. 9. *Arabimini, & accipietis sementem*, id est, excolemini, Septuaginta, *Colemini*, serviā vobis, *Yo os beneficiarè*. Iob. 7. *Servus* (famulus ruris, agricola) *desiderat umbram*. Genes. 47. 19. servos agricolas profiteri se volētes, Aegyptii, dixerunt, *Eme nos in servitutem Regiam, & præbe semina, ne pereunte cultore, redigatur terra in solitudinem*. Quare de indomito populo, & neque acclamatione, neque stimulo, & flagello mansuescente, neque obsequente ad culturā Divinæ legis dictum est, *A sæculo confregisti*

Ierem. 2. 10.

2 *jugum, rupisti vincula, dixisti, Non serviam*. Bos itaque obsequētissimæ naturæ cum sit, facile domatur, & vult servire, quippe ut ait Aristoteles, *Est ingenio miti, remisso, & minime pervicaci*, & tantæ obedientiæ postquam semel domitus est, quantū describit Aelianus lib. 4. c. 29. *E natura bovis est, cum ex feritate ad consuetudinem traductus est, ut ad parendum facilis sit. Enim vero ad feretrum portandū sub jugum missus, quietus manet, sive velis cum erecto capite quiescere, sive ad terram inclinato abjici*. At vero Rhinoceros *non vult servire*. Cujus indomitę fortitudinis elogium est, illud Num. 24. 8. *Cujus fortitudo similis est Rhinocerotis*. ut Theodoret. q. 44. in Numeros, & Procopius eodem loco docent; per hoc enim animal, *quod nullis hominum viribus in servitium redigi potest, significabatur populus nemini serviturus, quam diu unicum Deum coleret*; quemadmodum Rhinoceros unicū habet cornu. Vnde dicebat David, *In te inimicos nostros ventilabimus cornu*. Tū illud, quod ad laborem, & servitium compellitur bos vel voce, & acclamatione (audit enim vocem armentarii, & paret Imperio) vel flagello, & stimulo: & illa est Bubulci periphrasis, Eccles. 48. 25. *Qui gloriatur in jaculo, stimulo boves agitat*. At Rhinoceros neque pungi, neque stimulū sentire potest; *ut qui pellē habeat tanta firmitate, ut ne jaculo quidem penetrari possit*.

Bos natura obsequens. Aristotel. Bovis ingenium. Aelianus. Theodoret. Procopius. Cur populus fidelis cōparatus cū Rhinocerote. Psal. 43. 6. Bubulci periphrasis. Aelianus.

3 *Aut morabitur ad præsepe tuum*. q. d. Nō est animal cicur, & domesticum. Hæc altera, ab Bovem antithesis. Is enim a magistris pecorū in pabulo curatur diligentissime, *Bobus* (inquit Columella) *pro temporibus anni pabula dispensantur: nec illos recte pascendi una ratio est, ad præsepia sive pascendi, quibus pro conditione regionū cibi præbentur*. Nullus enim est mensis, qui nō habeat sua peculiaria pabuli ministrandi, & dimetiendi, præparandi, servandi, miscēdi præcepta: quod minutatim persequitur Columella, lib. 6. c. 3. At Rhinoceroti nullum aliud præsepium, quam sylvæ, lucus; sive folia ille decerpat, sive semina colligat, sive virentibus, sive potius aridis gaudeat.

Pabuli bovilli multiplex ratio. Colum.

4 Quod autem ait, *morabitur*, Septuagin. ex Hebręo, *Aut dormire super præsepe tuū*, proprie est, *pernoctabit*, manebit post laborem diurnum, debet enim cōjungi, cū illo *servitio*, quod præcessit, q. d. An Rhinoceros volet tibi interdiu servire, & laborare in terræ cultura, præmio allectus nocturni pabuli, quod sub tuo tecto, & ad præsepe tuū alligatus noctu percipiet. Quæ est itē cum bove cōparatio: quippe a

לון LXX. Morari, quid proprie. Curatio Boum ab opere.

Col lib. 2. c. 3

est peculiaris curatio, *& tractatio boum ab opere disjunctorum, primum, confricando, neq; statim ad præsepia religando, quam sudare, & anhelare desierint. & cũ tempestive potuerint vesci, non multum, nec universum cibum, sed partibus, & paulatim præbendo, ducendo ad aquas, sibilisque allectando, quo libentius bibant, postea domum reductos largiori pabulo satiando.* A quo quam longe abest indomita feritas, & licentiosa vivendi, & agendi ratio Rhinocerotis!

X. *Numquid alligabis Rhinocerota ad arandum, &c.*

1. *Boves araturi, quam arctissime ligandi. Rhinoceros ineptus ligando.*
2. *Arationum differentia, & integra ratio agricolandi terram. Illustratus Isaias.*
3. *Pracepta in vitulorum domitura. Rhinoceros indomitus.*

1 חלם

QVod ait, *ad arandum*, proprie legitur in Hebræo, *In sulco*, vel, ad sulcum ducendum, vel, ad sulcandam terrã, quod est *arare*. Sed in communi dictum, ut statim exponemus. Non Rhinoceros, sicut Bos, cujus domitura funibus, & vinculis

Vincula Boũ.

perficitur, a quo vincula, & jugum opus exigunt, neque vincula quæcumque, *nam araturos Boves quam arctissime jugi oportet*, ex arandi disciplina. Nõ solum igitur ille non admittit vincula (cum enim taurorũ cornua videantur ad excipienda vincula composita; at Rhinoceros vinciendo natura sua ineptus est,) sed præterea comparem dedignatur, nam *neque societatem gregalium suorum admittit*: cum nullo igitur animali ad laborem, & servitium humanum jungi potest.

Plin. lib. 18. c. 18. Colum. lib. 2. c. 2. 3. 4.

Rhinoceros neque vinculis aptus, neq; cõparẽ amat.

2 שדד

Ad confringendum glebas vallium post te. unica in originali vox *Sadad*, ad agricolãdum valles, vel ad sarriendas, occandas valles, ad contundendas grandiores glebas terræ primum proscisæ, & inaratę, nã vox originalis nõ est simpliciter, *arare*, sed *sarrire*, quod est leviter versare, aut purgare terram. Et sic vertitur a Hieronymo Isai. 28. 24. & *Confringere sulcos*, quod hic dicitur *confringere glebas*, & quod Latinus vocat *Occare*, Oseæ. 10. 12. *Arare* vero est ab alia radice, *Hbaras*, quod est *prolongare sulcum*, & producere usque ad finẽ versuræ. quæ arationum differentia indicatur Isai. 28. 24. *Numquid toto die arabit arans* (a radice *Hbaras*, profunde arabit, nostrates dicũt, *Barbechar*) *proscindet* (proprie a radice, *Pathahh*, aperiet, patefaciet, nos in vinearum cultura, dicimus, *abrir*, in agricultura vero *Vinar*) *& sarriet humum suam* (sarculabit, ab hujus loci radice *Sadad*, leviter versabit, arabit superficie tenus, quod in sementibus quibusdam, ut in fabis fieri solet. in frumentitio vero diceremus, *Cobechar*, quod est, semẽti proxime præpare, vel post jactum semẽ versura alia, & levissima aratione tegere sementem, & complanare terram occando, & *confringendo glebas*, quod dicitur, *Sembrar, y cubrir.*) Describitur ergo atque simul docetur perfecta, & integra ratio agricolandi terram: & postquã semen jactum est, cõplanandi, confractis, & contritis glebis, & ut Columella dixit, *resolutis*, & terra, inducta crate, coæquata, quod e re arvi maxime est,

Sarrire.

Occare. חרש

Arationũ differentiæ.

פתח

Integra ratio agricolandi.

Col. lib. 2. c. 18.

Multum adeo rastris glebas qui frangit inertes,
Vimineasq; trahit crates, juvat arva.

Virg. 1. Georg. 19.

Quæ *confractio glebarum*, & sarritio, sive occatio aliquando fit, ut Isidorus dixit, *Bubus dimissis; cum rustici aratione facta grandes glebas ligonibus frangunt*; aliquando vero, Bubus ipsis, & levi vomere.

Isidor. lib. 19. Aethim. c. 2.

3 Sed quid illud, *ad confringendas glebas post te?* Numquid unquam bovem præcessit aratori, sequitur Bos aratro junctus: imo vero sequitur semper, instatq; a tergo, stimulatque bubulcus; recalcitrat tũc contra stimulum a tergo pungentis. Ego certe suspicor hoc loco pulcherrime, atque subtilissime indicari domiturã vitulorum, doceriq; brevissime a Deo, quæ postea a magistris rei rusticæ præcepta sunt. Quare hæc erit verissima circumloquutio domituræ novelli juvenci, *Alligare illum ad confringendum glebas valliũ post se.* Sic enim præcipiunt in domando, primo, *ut canabinis funibus cornua juvencorũ ligentur*: deinde, si opus fuerit, *plures dies religati teneantur*. Tertio, *ut ad aratrum instituantur in subacto agro, ne statim difficultatem operis reformident, neve adhuc tenera colla dura proscissione terræ contundant*, quod hic est, *confringere glebas vallium*, id est, mollioris terræ, non enim primo assuefaciẽdi sunt ad aratrum in loco sublimi, & confragoso. Quare quod pro *con vallibus*, dixit Tygurina *Profundos sulcos*; incommode fecit, & quod alienum esset a *confractione glebarum*, quæ levi vomere, & tenui sulco fit. Tandem *postea quam juvencus desævit, simulque iras contudit; manu producatur, ita ut & aliquis ante* (Ecce illud, *post se*) *& a tergo complures, qui sequantur retinaculis eũ contineant. & unus cum clava salignea procedens*. (q. d. *præcedens*, & *post se* ducens) *modicis ictibus subinde*

Colum. lib. 2. de domãdis bobus.

Tygurina.

inde impetus coerceat. Ergo hæc sententia perinde valet, ac si dixisset; Rhinoceros nō potest domari instar juvenci novelli.

Rhinoceros domari nō potest.

XI. *Numquid fiduciam habebis in magna fortitudine ejus, &c.*

1. *Aliorum expositiones parum idoneæ. Eligitur germana. Explicatur Salomon.*
2. Derelinquere. *quid proprie.* Labor. *Allusio ad legem de non alligando ore bovis triturantis.*
3. Reddere sementem, *& ad bovis labores, & agricolationis fructum.*

1 Quid sit *fidere*, aut *confidere fortitudini Rhinocerotis*, Cajetanus existimavit ad rem bellicam pertinere, cum quadam allusione ad Elephantum, cujus opera, & fortitudine solebant in præliis uti. q. d. Numquid poteris uti ad prælium fortissimo, & acerbissimo animali? sed expositio est aliena; abrumpit enim filum orationis, & agricolationis semel institutæ. Secundo vero D. Thomas, & qui illū sequuntur, allusionem putant fieri ad canes villaticos, & alios famulos custodes agrorum, & areæ. q. d. Neque pro bove, neq; pro cane, neque pro custode tibi erit usui Rhinoceros. Sed lenis contextus totius orationis id exigit, quod eleganter dixerunt Græci; *Numquid rem rusticam illi credes?* q. d. Fisus, ususque fortitudine Rhinocerotis, sperabis multos terræ provētus, sicut solent homines ex bovis labore, & fortitudine sperare, atque percipere? Scriptum est enim; *Vbi non sunt boves, præsepe* (area, horreum) *vacuum est: ubi autē plurimæ segetes, ibi manifesta est fortitudo bovis.* Non igitur in tuos usus, tuave horrea plurimis segetibus implenda cōferet Rhinoceros fortitudinem suam; neque tu illi concredes labores agrarios, & opera rustica. Ita erit præcedentis partis expositio.

Cajetan.

D Thom. Nicolaus. Dionys.

Germanior explicatio. Nicetas.

Prov. 14. 4.

2 Quamquam propter proprietatē verbi originalis *derelinquendi*, quod pertinet ad id, quod non reconditur, sed foris de industria relinquitur, & deseritur tanquā residuum, videbitur fieri allusio ad humanissimum illud præceptum, *non alligandi os bovi trituranti.* cum enim ex fortitudine bovis plurimas segetes agricola collegerit, inhumanū esset particulam aliquā *laboris*, & defatigationis, lassitudinisque suæ (nam hæc est proprietas vocis originalis) non *derelinquere*, & permittere bovi laboratori, ut hæc sit sententia; Numquid ita uteris labore Rhinocerotis in agricultura, ut pietatis, & humanitatis ergo aliquam particulam ex frugibus collectis, veluti bovi, illi permittas?

Derelinquere quid.

עזב

Deut. 25. 4. 1. Corint. 9. 9.

Allusio ad Bovem, & legem de non alligādo ore.

Labor.

יגע

XII. *Numquid credes illi, quonam sementem reddat, &c.*

3 Sementem reddat. Potest necti cum præcedente sententia, ita ut *reddere semētem*, sit partem illam pabuli, & seminis accepti ab hero, & bubulco, postea laborādo majori cum fœnore restituere suo Domino. Sed ab aliis accipitur de vectura, & comportatione frugum in aream. q. d. *Reddet*, id est, redire faciet, id est, comportabit fruges tuas in aream? est enim multiplex bovis utilitas, nō solum ad terræ culturam, sed etiam ad vecturam; nulla autem commoditas Rhinocerotis ad humanos usus.

Bos sementē acceptā restituit cū fœnore.

ישב

Rhinoceros inutilis humanis cōmoditatibus.

STRVTHIO.

XIII. *Penna Struthionis similis est pēnæ Herodii, & Accipitris.*

XIIII. *Quando derelinquit ova sua in terra.*

XV. *Obliviscitur, quod pes conculcet ea, aut bestia agri cōterat.*

XVI. *Duratur ad filios suos, quasi nō sint sui: frustra laboravit nullo timore cogente.*

XVII. *Privavit enim eam Deus sapientia, nec dedit illi intelligētiam.*

XVIII. *Cum tēpus fuerit, in altum alas erigit, deridet equum, & ascensorem ejus.*

Ad Sapientiæ, & Providentiæ Divinæ confirmationem producitur nūc exemplum animantis mirabilis omnino naturæ, in quadrupedum, volucrumque confinio, sed longe ab utrisque diversæ. Cum enim e quadrupedibus produxisset asinum, & bovem feros, id est, Onagrum, & Rhinocerota, longissime distantes ab asino, & bove domesticis; nūc ex pennatis volucrē, fere bestiam, producit. Quis, inquit,

Paraphrasis totius historiæ Struthionis.

inquit, mortalium ſatis demiretur Struthionem magnitudine, pēnarum pulchritudine, & ſpecie, proprietatibus vero etiam aliis naturæ mirabilibus? nam cum pennas habeat non minus, quam aliæ volucres volatus pernicitate valentes, ut puta quam *Herodius*, qui in præcelſis ripium faſtigiis nidificat; aut quam *Accipiter*, ex Aquilino genere, cujus volatus perniciſsimus eſt, atque præcelſus, tum ad quærendam, & perſequendam, tum ad capiendam prædam; at ſi propterea Struthio gloriatur, & exultat pennis, ſtulte gloriatur, non enim ideo illi alas contuli, ut volaret. Quamvis non omnino inutiles illi exiſtant, nimirum pro ſtimulis, & calcaribus ad curſum velociſsimū. Itaque nihil eſt, quod uſui ſit rebus ipſis creatis ſine meo numine, & Providentia: nihil, quod natura ipſa poſsit, niſi a me conſervetur, & ſuſtentetur. Id quod etiā in hujus animalis procreatione, & generatione clarius relucet. Quanto enim Struthiocamelus ſtolidior eſt, & ſuorum ovorum oblivioſior; tanto mea Providentia ſolicitior, atque benignior. Cum enim ille pariat ova, at deſerit in ipſa tellure, leviter abdita; quæ profecto ibi concaleſcunt, & confoventur, interim abit, quaſi ovorum cuſtodia minime ad ſe pertineat; quaſi nihil ſit periculi, quod pedibus hominum diſpergantur, aut a beſtiis, & feris proculcentur. Pullos autem jam excluſos inclementer tractat, paternaque charitate obdureſcente, nullo prolis lædendæ timore, nulla ſolicitudine tuendæ afficitur, ac ſi in pariendo, & in excludendo non laboraſſet: quippe videtur naturali charitate, & diligentia atque ſolertia, qua præditæ ſunt cæteræ animantes, Struthionem privaſſe naturæ Conditor. Sed pulli tamen benigniter, & indulgenter ſuſcepti a mea Providentia, enutriuntur atque plumeſcunt: adeoque vitæ conſervandæ aptiſſima illis inſtrumenta contuli; ut quamvis ab induſtriis venatorib⁹, & velociſsimis equitibus invadantur, pedum tamen atque alarum ſubſidio tanta velocitate currāt, ut equos, & inſectatores ſuos ſpe venationis fruſtratos irrideat. Hęc eſt harum ſententiarum nexio, & ratio, ſed explicanda per partes.

---

13. *XIII. Penna Struthionis ſimilis eſt pennæ Herodii, & Accipitris.*

1. *Numerus incertus avium, quæ hic deſcribuntur.* Pavo *glorioſus, ſimulque malevolus.* Gallus ſylveſtris.
2. *Militum galeæ ornatæ pennis Struthionis. Caſsis Alexandri. Struthio glorioſa.*
3. Neelaſſa, *quid apud Græcos.* Struthio *dicta vel a luctu, vel a lætitia.*
4. Hhacida, *incertum avis genus. Varie redditur.*
5. *Ciconia, Symbolum pietatis. Struthio miſericors per contrarium intellectum.*
6. *Idonea ſententiæ expoſitio.* Struthio Arabica. Aves cervinæ.

---

1 De natura & numero aviū, hoc loco deſcriptarum. *R. David. R. Abrah. Pagninus. Cajetan. Mercerus.*

NON levis difficultas in numero atque nominibus harum avium explicandis: nam in Hebræo tantum agnoſcūt duo nomina, duas item aves, R. David, Rab. Abraham, Pagninus, Cajetanus, Mercer⁹, & fere Hebraizantes, *Pavonem*, pro noſtro *Struthione*, & *Ciconiam* pro Herodio, & Accipitre. Alii, ut Græci, plures quam tres. Sed explicandæ originales voces: ſic enim legitur ex Hebræo, pro *Penna Struthionis*, *Penna lætantium læta*, aut, *lata*. Græci vero, *penna lætantium Neelaſſa*, nam quod in Hebræo eſt pœna *Renanim*, deducitur a radice *Ranā*, quod eſt cantare, gloriari, lætari, ovare: quare proprie eſt, *penna*, vel, *ala lætantium*, & ovantium. Quia autem Pavo eſt glorioſus (& ut Plinius ait, non glorioſum tantum animal, sed, *& malevolū; gemmantes quippe, cum laudatur, expandit colores adverſo maxime Sole, quia ſic fulgētius radiant, quos ſpectari gaudet.*) Rabini illi cum Hebraizantibus, quos retulimus, exiſtimant ſignificari *Pavonem*, ita ut ex prima illa hujus capitis interrogatione dependeat hęc ſententia: Numquid tu contuliſti Pavoni pēnas pulcherrimas, quibus glorietur, & exultet? Sed quidem ſi ſemel hujus avis mentio fieret, oporteret in illius deſcriptione, & elogio diutius immorari. Thargum exponit, *Gallum ſylveſtrem*, qui etiam exultat, ovatque, inſtar triumphātis. Sed non tanti eſt *Gallus ſylveſtris*, neque illius cantus, ut nunc ad Divinæ Sapientiæ, & Potentiæ commendationem, iterum proponi debuerit præter ea, quæ cap. 38. verſicul. 36. de *Galli intelligentia*, dicta ſunt. Rab. Abrahā exiſtimat eſſe aves, quæ lætantur, *& exultant, cum comedunt in agro fruges*: ideo nomen habere a canendo, & exultando. Sed hoc commune pluribus avibus. Alii tandem cum noſtro Interprete conſentiunt in ſignificatione *Struthionis*, Tygurina, Vatablus, Forſterus.

רן Pavo malevolus, ſimul & glorioſus. *Plinius lib. 10. c. 20.*

Thargum. Gallus Sylveſtris.

R. Abrah.

Tygurina. Vatab. Forſterus.

Sed in ratione nominis diſſentiunt, nam quidam volunt *pennam exultantium*, per periphraſim dici, *pennam Struthionis*,

2 Militū galeę

Plinius. Prisca Galearum insignia

quod hujusmodi *pennis* gloriosorum militum *galeæ adornentur*, ut Plinius scripsit: Sed quidem hujusmodi galearum insignia non videtur in usu, & more antiquo fuisse, potius jubæ, & caudæ equinæ, aut *pelles Leoninæ*, & *Vulpinæ*, aut *cristæ* rubentes. Posterior vero videtur fuisse illa militaris gloria in galeis *ex pennis Struthionis*, cujus meminit Plinius libr. 10. cap. 1. & *Pavonis*, apud Claudianum in sextum consulatum Honorii, & ex *Pennis albis cādidissimis*, quibus *Alexandri cassis circumcincta fuit*, ut scribit in illius vita Plutarchus. Illud melius convenit, ut referatur exultatio, & gloriatio ad ipsam naturam avis lætabundæ, & gloriabundæ; vel ad pulchritudinē ipsarū pennarum colore, crispitudine superbientium, eadem prorsus ratione, qua hic dicitur, *deridere venatorem, & equitem*, qua in re gloriari, ovare, triumphare videtur, & sibi de sua celeritate, & alis plaudere. Deniq; hoc esse nomen Struthionis probat descriptio proprietatum, quæ statim subjicitur.

Plinius. *Claudian.* Alexandri cassis pēnis cādidis ornata *Plutarch.* Cur dicatur Struthio gloriosa.

3 LXX. נעלסה נלץ

Sed quod statim addunt Septuaginta, *Neelassa*, certe etiam additur in Hebræo, *Pena Renanim Neghalaça*, a radice *Ghalaç*, quod item est *exultare*, & lætari. Quare perinde est, ac si diceretur, *Penna Struthionis* gloriosa, lætabunda, exultans. Nihil enim aliud præter pennas videtur habere Struthio, quo gloriari, & exultare possit. Quod enim Græci volūt, *Neelassam* esse peculiarem quandam avem pulchram ad aspectum, alienum videtur, ut nunc fiat tot avium nominatio, & enumeratio, cum non nisi unius natura, & proprietates designentur.

Neelassa, quia apud Græcos.

Illud tantum dictis objici posset, aliam esse Struthionis appellationē supra cap. 30. versic. 29. videlicet non a cantando, & exultando, sed potius a gemendo, & ululando. Sed responderi potest eo loco agi de gemitu luctuosissimo, ideo nomen lugubre usurpatum fuisse, quod cum ipsa etiam Struthionis natura lugentis ablata pignora; vel cum ipsis pullis a venatore direptis, & triste gementibus, bene convenit. Nunc autem lætius, & gloriosius nomen eidem avi tribui, propter pennarum exultationem, & gloriam; præsertim cum peculiares notæ pariendi ova, & educandi pullos aperte convincant hanc esse Struthionem, quam illam c. 30.

Nō unū Struthionis nomē in Scripturis.

Struthionis nomē a luctu, vel a lætitia. יענה

4 הסידה Hhacida, incertū avis genus.

Quod vero in secūda parte dicitur *Herodius, & Accipiter*, proculdubio respondēt uni tantum voci originali, *Hbacida*, cujus significatio quia omnino est incerta, Interpres duplici nomine exprimere curavit, ut posset melius significationem, & veritatem attingere; nā quod duas aves nunc distinguunt Septuaginta vertentes, *Asida*, & *Netssa*, opinione decepti sunt. nam vox *Natsa*, quæ post *Hbacida*, sequitur, non significat peculiarem aliquam avem, sed *plumam*, vel *alam*. Et quidem neque ipse Hieronymus, neque Septuaginta neque Hebraizantes perpetuo sibi in vertendo originali nomine constant. Nā quod Hieronymus hic dicit *Herodiū*, qui est ex genere Aquilino, Falco aut Hierofalcus Zachariæ, 5.9. vertit *Milvum*, *Ciconiam* vero Ierem. 8. 7. & *Porphyrionem*, Devteron. 14.18. At vero *Herodium*, hic, & Levitici. 11.19. Psal. 103. Septuaginta vero Interpretes, quāvis suę linguæ peritissimi, Zachar. 5. legunt *Vpupam*. Psal. 103. *Herodium*. at vero in hoc loco, & Ieremiæ. 8. vocem originalem reliquerunt intactam, *Asida*. Theodotio vero, Symmachus, & Aquila *Herodium* legunt Zachariæ. 5. At vero Symmachus in hoc loco nostro *Cygnum*; Aquila vero, ut testatur Olympiodorus, legit *Accipitrem*; Alii. ut idem Olympiodorus refert, dixerunt esse *peculiarem avem, quæ in Mesopotamia reperitur*. Hebraizantes fere omnes *Ciconiam* vertunt, eo quod nomen ipsum videatur sonare pietatē, & misericordiā: Ciconia autem propter pietatem erga parentes senes, & effœtos sit pietatis, & misericordiæ Symbolum. Denique alii volunt esse ipsum Struthiocamelum, dicique a pietate, & misericordia per contrarium intellectum, eo quod sit crudelis erga suos pullos, quam interpretationem Pagninus in Thesauro, & in textu sequitur, tum etiam Cajetanus, Isidorus. Sed cum huic nomini originali diversæ omnino res, & proprietates tribui videantur in Scripturis, videlicet in Ieremia, *Intelligentia* quædam, & præsagium *temporum*, hic vero *privatio intelligentiæ*, & stoliditas, & Psal. 103. sublimis volatus, & *nidificare* in excelsis arboribus; At vero hic *derelinquere ova sua in terra*, certum videri potest hoc loco nō intelligi Struthionem appellatione *Hbacidæ*, sed potius avē contrariæ naturę, & proprietatum, sive quoad naturalem pietatem erga pullos, qualis est Ciconia; sive quoad sublimem volatum, & rationem nidificandi, qualis est Herodius, vel Accipiter; quod ipsę proprietates naturales, quæ statim subjunguntur, aperte ostēdunt, cum nulla ratione cōvenire videantur neque in Ciconiā, neque in Aquilinum genus.

LXX. *Septuaginta incōmode vertētes vocē originalem.* נצה *Hieronym.* Herodius. Milvus. Ciconia. Vpupa. *Theodotio. Symmach. Aquila.*

5 Ciconia symbolum pietatis. Struthiocamelus misericors per contrariū intellectum. *Pagnin. Cajetan. Isidorus.*

Potest ergo sententia hæc accipi cum 6

simili-

Duplex ſententiæ expoſitio idonea. ſimilitudine, ut legit noſter Interpres, vel cum diſſimilitudine, ut videntur ſonare Hebræa, ſed eodem ſenſu: *Penna Struthionis exultat: An numquid penna Herodii, plumæ?* quaſi dicat, Avibus iſtis numquid tu contuliſti pennas, & plumas? plumas quidem omnes; ſed longe diverſæ rationis, diverſæque naturæ. Illud enim indicat naturæ auctor, eſſe Struthionem quaſi miſti generis: nam Struthio ita eſt avis, ut ſit pene beſtiarum generis, ut Plinius ait, præſertim Struthio Arabica, quæ valde magna eſt, ut teſtatur Xenophon libr. 1. de expeditione Cyri, & Diodorus Siculus lib. 3. rerum antiquarum, cum enim in deſcriptione Arabiæ verſatur, ſcribit, *Arabia fert animalia naturæ duplicis, mixta ſpecie: quorum aliquos appellant Struthiocamelos, qui ex Struthione, Cameloq; conſtant, unde, & nomen trahunt; magnitudine ad Cameli naſcentes modum.* Plinius vero ſcribit, *Altudinẽ equitis inſidentis equo excedere.* Quod vero Diodorus indicavit, ex Camelo, & Struthione conſtare, non vult gigni ex duplici animali, ſed ſpecie referre partim Camelum, altitudine, collo, cruribus; partim vero Struthionem, id eſt, id quod ſuũ proprium eſt; atque etiam propter quandam ſimilitudinem cum magnitudine cervi, videntur appellari *Aves cervinæ* ab Strabone lib. 16. & Diodoro lib. 4. de ſcribentibus Arabes Struthophagos.

Plin. lib. 10. c. 1. *Xenophon.* Struthio Arabica magna. *Diodorus.* *Plinius.* Cur dicatur Struthio Camelus. Aves cervinæ *Strabo.* *Diodor.*

XIIII. *Quando derelinquit ova ſua in terra, &c.*

1. *Struthio minus idonea fovendis ovis. Naturaliter calvet. An aliquando incubet ovis.*
2. *Nidus Struthionis. An viſu foveat ova. Quo tẽpore pariat. An omnino negligat.*
3. *Locus Ieremiæ illuſtratus.*
4. Obliviſci. Conculcare.

1 PRoprietas hæc a nemine Scriptorum tam explicate traditur; videtur enim ne magnitudine, & gravitate corporis illa confringeret, a natura proviſum, ut illa derelinquat naturæ, & calori cæleſti, quę illis incubant, & fovendo excludant. Neque mirum; nam *ova* alia *citra incubitum ſponte naturæ gignunt, ut in Aegypti ſimetis,* Scriptore Plinio; & hujus indicium eſt, quod pectore, & cruribus fere ſit implumis: *naturaliter enim,* ut Plinius ait, *Struthiocameli calvent,* non ſolum capite, ſed pectore, & clunib⁹, ſi hęc calvities dici poteſt. Sine plumis autẽ inutiliter incubare, & fovere tentaret. Forte autem non omnino ita deſerit, ut aliquando non incubet; nam Aelianus libr. 14. cap. 19. 20. 21. ſcribit *amplius octoginta ova ex ſe ſe parere; fœcunda ab infœcundis diſcernere, tantumque frugiferis incubare, non tamen uno, eodemque tempore pullos excludere: ſed ex his, partim jam in lucem proferuntur, partim etiam fovetur.* Rurſus deſcribit nidum, quẽ fingit ſibi in ipſa terra; *Pedibus ſane nidum ex ſabulo architectans, in ſolo humilem nidum fingit, & conſtruit, cujus medium concavum efficit, labia ambientia alte exaggerat, ac tãquam muro circummunit, ut munitio eminẽs pluviã in nidum influere, & pullos etiam nũc teneros alluere prohibeat.* Niſi forte hæc incubatio pertineat ad id, quod Cælius lib. 20. cap. 5. ſcribit, ſolo viſu ova ſua in arena recondita fovere. qui potius oculorum reſpectus, obſervatio quadam eſt, & ab Alberto ſine ullo firmiori teſtimonio traditur lib. 23. hac ratione; *Ova menſe Iulio parit* (hoc tempus idoneum calefaciẽdo) *& in ſabulo abſcondit; quæ calore Solis excluduntur, ut alia multa ova animalium, & ideo ad ea non revertitur; quod nudo corpore ea fovere non poſſit, & ſubinde reſpicit ad locum, in quo condita ſunt.* D. Thomas deſignat peculiare tempus pariendi ova, cũ exoriuntur Vergiliæ. Sed non producit hujus rei auctorẽ, niſi forte id accepit ex traditione, & doctrina Alberti Magni. Iſidorus non tam ad Solis, quam ad arenæ, & pulveris æſtuantis beneficium refert; libr. 12. cap. 7. *Ova* (inquit) *ſua fovere negligit; ſed projecta tantum modo fotu pulveris animantur.* Olympiodorus item ait, *In terrã ova abdere, ibique foveri.* Quare quod dicitur *in terra,* & in originali, *Super terram,* tantum eſt, non in alto nidificare, ſed in plano ſolo. Si quando vero contrectet ungulis, & incubare tentet, *Ovũ eſt duriſſima, & quaſi lapidea cruſta munitũ,* ne facile frangatur.

Struthio minus idonea incubando, & fovẽdis ovis. *Plinius lib. 10. c. 54.* *Aelianus.* An Struthio aliquando incumbet ovis. 2 Nidus Struthionis. *Cælius.* Struthio viſu fovẽs ova. *Albert.* Tempus pariẽdi ova. *D. Thom.* *D. Iſidor.* *Olympiod.* *Oppianus.*

3 Quod vero eſt apud Ierem. 4. *Filia populi mei crudelis, quaſi Struthio in deſerto.* vel, ut legunt Septuaginta; *In incurrabile, quaſi Struthio.* incertum ad ova, an ad pullos jam excluſos pertineat: quos etiam a parentibus derelictos Deus curat, & paſcit, omni humana ope deſtitutos. LXX

XV. *Obliviſcitur, quod pes conculcet ea, &c.*

NON Curat, neque animadvertit, ita agit, ac ſi neque meminiſſet, neque illi veniret inmentẽ, Ova, quæ non ſunt

in ſublimi nido repoſita, expoſita eſſe diſcrimini pertranſeuntiũ. Per *pedem*, Græci, Philippus, D. Thomas, & Latini intelligũt hominum pedes, ut diſtinguat a *beſtiis agri*. Ego potius exiſtimarem idẽ ſignificari in utraque parte: nam invaſtiſsima, & invia ſolitudinẽ nullus viator, præſertim pedes. Si quando vero eo appellat homo, eques eſt venator.

Philipp. D. Thom.

Quod vero dicitur *Conculcet*; proprie eſt, diſpergere, aut diſperdere, & disjicere. indicat enim pedibus incurſantibus, aut diſpergi, quæ congregata ſunt in terra, aut proteri, & opprimi.

Cõculcare. דוה

XVI. *Duratur ad filios ſuos, &c.*

1. *Varia lectio. Struthionis charitas erga pullos. Cur dicatur crudelis.*
2. *Naturalis parentum charitas erga prolem. Lactis generatio ex amore.*
3. *Filii eo plus diliguntur, quo majori labore conſtant. Cur primogeniti maxime dilecti. Illuſtratur Moyſes.*
4. *Cur ſtruthio ſit avis ſtolida, Caput parvum ſtolidorum.*

I Varia lectio LXX.

VIdetur jã agere de educatione pullorum. Septuaginta active legunt; *Obduravit filios ſuos*, ſed eodem ſenſũ, *obduravit*, duriter tractavit. Paulo diverſum ſenſum indicavit Olympiodorus, ut ſinat obdurari filios ſuos, *Hæc avis*, inquit, *poſtquam ovum elaboravit, labore pullos ſuos confici ſinit, ut ne a ſe ipſa alantur, cõtra ſuſceptæ prolis educationem naturali charitate obdureſcente*. Atque huc potius pertinere diximus illud Threnor. 4. 3. *Crudelis, quaſi Struthio*. videlicet, quod mulieres Ieroſolymitanæ infantulos ſuos nõ minus negligerent ſine cibo, & potu, quã Struthio pullos ſuos. Sed res hæc apud alios Scriptores non reperitur. Potius ex Aeliano, quod amore acerrimo erga fœtus ſuos flagrans, ſitienter cum eis verſari cupiat; *Ex inquiſitione paſtus revertitur: ac nimirũ prius quam in nidum introeat, huc illuc verſans oculos circum ſpectat, quod metuat ne quis ſe ſe ſpeculetur. deinde ardentiſsimo pullorum ſtudio victa, & ſi ferrum ſplendeſcit, ita tamen alis paſsis, tanquam velis contento fune explicatis, intra nidum mirabiliter ingreditur: nam cuſpidato ferro trãsfixa acerba morte afficitur*. Sed poterunt hæc hac ratione conciliari, ut cum erga fœtus ſuos alia charitatis documenta præbeat, at certe pullos non paſcat; quare coguntur filii Struthionũ gemere Mich. 1. 8. Iob. 30. 29. nõ aliter matres illæ Ieroſolymitanæ, cætera erga filios indulgentiſsimæ, non poterãt præ fame filios alere.

Olympiod.

Aelianus.

Struthionis charitas erga pullos.

Quaſi non ſint ſui. Quid enim magis naturale, quam charitas erga *ſuos*, & cura ſuſtentandi? ut ex hac ratione dixerit Ioſephus conſtitutum ſe a Deo *Patrẽ Pharaonis*. Sed, *& Lamiæ nudant mammas, & lactant catulos ſuos*. Quã rẽ eleganter perſequitur Gregorius Nazianzenus, carmine ad Nicobolum Patrem Nicoboli filii nomine;

2 Naturalis charitas erga prolem.

Geneſ 45 8. Thren. 4. 3.

Nazianz.

Quod tua progenies ego ſum; pater optime parvum
Munus id eſſe reor. nã brutis omnibus hic mos,
Atque hominum generi flagrare libidinis Aeſtu,
Conſilioq; Dei vitam capiuntq; viciſsim,
Dantque aliis, laudemque ipſi poſt ultima fata,
Semen ut in ſpica redivivo flore vireſcunt.
Aſt etiam me poſt aluit tua cura? quid autem
Hoc iterum magni? vituli quoq; plena parentis
Vbera fronte premunt, atquẽ hunc perferre laborem
Vis adigit, dulcis tamen hæc, jucundaque matri.
Stridula quin etiam circumvolat undique pullos
Implumes volucris, ſeque hic, illicque fatigat
Pabulo dã proli nutrix impaſta requirit.

Sola, inquit Plutarchus, *lactis confectio ac diſpenſatio ſufficit ad demonſtrandam naturæ providentiam, atq; induſtriam*. quippe eſt illa enutriendi cura prima, & manifeſtiſſima. *nimirum quia pariendi, & alendi finis eſt non neceſsitas, ſed amor*. Is ipſe efficit animalia de guloſis parca. *Sic Homerica illa avis pullis tradit;*

Plutarch libr. de Amore prolis.

Lactis procreatio ſignũ paternæ charitatis.

Eſcæ quidquid habet, male ſit ſibi quamlibet ipſi.

Sua enim ipſius fame pullos alit, cibumque jã ventri appropinquantem, abſtinet, & ore premit, ne imprudens deglutiat. Ex ipſa igitur rerum natura dictum eſt, *obduratur erga filios ſuos, quaſi non ſint ſui*.

Fruſtra laboravit, &c. Id eſt, vanus eſt ille labor, cujus cuſtodiendi atque tuendi nulla eſt ſolicitudo. Elegãter Nicetas; *Dum pullorum ſuorum amiſsionem non timet, operam perdit*. Indicat naturæ auctor naturalem illam parentum charitatem, quæ ita cum labore conjuncta eſt, ut ferme ex ipſo labore naſcatur, ut quo majori labore proles ſtetit, eo plus a parente

Nicetas.

Charitas parẽtũ major, quæ eo majore labore conſtant filii.

diliga-

Primogeniti cur magis diliguntur a Parentibus.

diligatur. unde ajunt plus a matribus, quam a patribus prolem diligi. Tum etiã ab utrisque parentibus filios primogenitos; quod etiã prima procreatio existat utrique parenti laborioſior, ut indicavit Iacob. primogenitum alloquens Ruben; *Tu principium doloris mei.* Quare hæc filiorũ charitas, ſicut ſolet ex animãtibus imbellibus, & timidis audaciſsimas reddere, ita e contrario *timore cogente* ex audaciſsimis efficit timidas, ut ſubtiliter indicavit Plutarchus loco nuper adducto; *In univerſum,* inquit, *amor prolis animalia audacia reddit timida: & de ſensibus induſtria.* nõ ob aliud, quam ne *fruſtra laboraverint, nullo timore cogente.* Quare ex Homero in deſcriptione *Canis anxiæ pro teneris catulis,* acutum illud affert, quod primum latratu iraſcatur, deinde *vero metũ pro catulis, quaſi ſecundã iram concipit.* Vide, quæ diximus, c.22. verſ.4. n.4. ſuper id. *Nũquid timens arguet te, &c.* Vbi diximus de timore parẽtum in caſtigãdis filiis, & Eccleſi. 30. verſ. 7. ſuper id; *Pro animabus filiorum colligabit vulnera ſua; & ſuper omnem vocẽ turbabuntur viſcera ejus.*

Geneſ.49.

Plutarch.

Homerus.

XVII. *Privavit enim Deus intelligentia, &c.*

4 Varia lectio.

Sapientia pro prudentia.

LXX.

נשה

EX Hebræo legitur, *Fecit Deus illam oblivisci Sapientiam:* vel, removit, abſtulit ab illa ſapientiam, prudentiam, ſcientiam, & rationem rerum agendarum. Septuaginta; *Tacere fecit ei Deus Sapientiam,* id eſt, Non dixit illi Deus, non præcepit Divina Sapientia, quid facto opus eſſet in educatione filiorum, nihil enim ſine dictamine, & præcepto ſummæ Sapientiæ fit indito creaturis.

LXX.

Symmach.

חלק

Auguſt.

Nec dedit illi intelligentiam, Septuagint. *Non partitus eſt ei.* Symmachus, *Non diſtribuit ei prudentiam:* nã omnis ratio recte agendi creaturarum, ſive rationalium, ſive irrationalium particula eſt ſupremæ illiꝰ ſapientiæ. Auguſtinus; *Deſpexit illã Deus in Sapientia.*

Cur Struthio dicatur ſtolida.

Sed dubium eſt, ad quid debeat hæc *inſipientia* referri? Plerique juxta ſubjectam materiam accipiunt, quod ſcilicet illi nõ contulerit Deus, ſicut cæteris avibus, prudentiam, & ſolicitudinem in educatione filiorum. Alii minus ſtricte; Non mirum, inquit, negligẽtem eſſe ſuorum filiorum, cum ſit ſtolida. Hujus autem ſtoliditatis notam in eo deſignat Plinius, quod in tãta reliqui corporis altitudine, cum colla

Plinius.

fruticæ occultaverit, exiſtimet ſe latere. At vero Diodorus Siculus lib.2. ex ea ipſa re Struthionis ſolertiam, & naturæ magiſtræ ſapientiam commendat; *Cum effugere,* inquit, *nequit, inter arbuſta ſæpius, aut umbroſa loca caput abſcondit, non naturæ deſidia, ne videatur, aut conſpiciatur ab aliis, ut quidam putant: ſed quia ea corporis pars cæteris debilior, umbrã ſibi pro tutela parat: natura enim optima ſingulis animantibus ad ſui ſalutem magiſtra, non ſuæ tantum, ſed earum quoque quos procreat, curam ſalutis gerit.* Certũ tamen eſt, vel ex hoc loco, eſſe minus prudentem, quam alias aves, ſignum ex parvitate capitis, quæ ſtolidorum eſt, ex Phyſiognomia, ex cujꝰ defectu, præſertim cũ cerebrum fere nullum habeat, ſtoliditatem illam devorandi effici putãt, ut quid quid tetigerit, continuo degluriat, lintea, ferrum, lapides.

Diodorus.

Caput parvũ ſtolidum.

Struthio ſtolide omnia devorat.

XVIII. *Cum tempus fuerit, in altum alas erigit, &c.*

1. *Pulli Struthionis celeriter adoleſcentes. Duplex exponendi ratio.*
2. *Cur data ſint alæ Struthioni.*
3. *Illius uſus contra venatores.*

1 Varia expoſitio.

SI De pullis ipſis loquatur, idoneus ſenſus efficietur; Pullus, quamvis a parentum cura deſtitutus, tamen meo præſidio defenditur, brevi adoleſcit, & alarũ beneficio fugit, & declinat pericula. Indicavit hoc Tygurina; *Poſtquam adultus eſt, alas attollit.* Nimirum videtur eſſe celere Struthionis incrementũ. *Tria,* inquit, Aelianus ex Oppiano; *ex minimis evadũt maxima animalia; ex aquatilibus, Crocodilus; ex volucribus, magna Struthio; ex quadrupedibus, Elephantus.* Ergo *in tempore,* ut in Hebræo legimus, aut *Iuxta tempus,* id eſt, brevi tempore, *alas erigit.* Sed ſenſus idẽ, & nexus commodior, ſi in univerſum accipiatur, & conjungatur cum parte ſequẽte; *Cum tempus fuerit;* nimirum cum a venatoribus, & equitibus appetitur, *alas erigit.* nam ſecus tardigrada eſt, & greſſus pompatici. Dicitur autẽ *alas attollere,* nõ tam librare, aut quatere, ſicut cæteræ volucres, quia non ad volandum in ſublime, ſed ad *currendum,* ut Plinius dixit, *pennæ illi datæ ſunt.* Aelianus vero dicit; *alas, tanquam vela, contento fune explicare.* Xenophon libr. 1. de Cyri expeditione in Arabia; *Struthiocamelum nemo omnino capere potuit, tam longe enim modo pedum pernicitate, modo vero alarũ, quaſi velificatione*

Tygurina.

Struthio celeriter adoleſcens.

Aelian. lib. 14 c. 10.

Commodior exponẽdi ratio.

2 Cur dicatur Struthio, alas attollere.

Plinius.

Aelianus.

Xenophon.

Struthionis ars contra venatores.

premovebant, ut ſtatim equites deſperata præda inſequi deſinerent. Ergo, ut Aelianus ait, *Vtrinque in alas ingruens ventus, tanquam vela illas extendit, & ſinuat.* & cum adeo velox ſit, *ut vel cum alite volante contendere poſſit*, ut Oppianus ſcribit, *deridet Equũ, & aſcenſorem ejus*, videlicet præda fruſtratũ. Forte etiam hæc equitum, & venatorum deridẽdorum ars in eo poſita eſt, ut Plinius, atque Aelianus dicunt; *Cum propior facta eſt, ut a venatore capiatur, obvios lapides: ſic pedibus retro ad hoſtes verſus, tanquã funda jaculatur*. Sed non ſemper derideri poteſt induſtria humana. Venandi rationem vide in Aeliano, lib. 14. c. 21.

Oppianus.

3 Plinius. Aelianus.

EQVVS.

XIX. *Numquid præbebis Equo fortitudinẽ: aut circumdabis collo ejus hinnitum?*

XX. *Numquid ſuſcitabis eum, quaſi locuſtas? Gloria narium ejus terror.*

XXI. *Terram ungula fodit: exultat audacter: in occurſum pergit armatis.*

XXII. *Contemnit pavorem, nec cedit gladio.*

XXIII. *Super ipſum ſonabit Pharetra: vibrabit haſta, & Clypeus.*

XXIIII. *Fervens, & fremens ſorbet terram: nec reputat tubæ ſonare clangorem.*

XXV. *Vbi audierit buccinã, dicit, Vah: procul odoratur bellũ: exhortationem ducũ, & ululatũ exercitus.*

1. *Nexus hujus materiæ cum præcedente.*
2. *Paraphraſis, & elucidatio totius hiſtoriæ de equo.*
3. *Quod equorum genus nunc celebretur. Regiones diverſæ equis nobiles.*
4. *Equi Sylveſtres Syriæ Equi Paleſthini, & Palmati. Aegyptus equis nobilis. Illuſtratus David.*

1 CVM de Equo, atque equite dixiſſet derideri a beſtia ſtolida, & inſipiẽte, conſequens fuit, ut ſupremæ ſapiẽtiæ opus, quod in Equi fabricatione relucet, ſtatim proponeret. qui, ſi in velocitate inferior, at in exultãtis animi generoſitate, fortitudine, intelligentię documẽtis, multiplicis ad humanos uſus cõmoditatis, fidelitatis civilis cujuſdam, & humani cõvictus, militaris glorię, fortitudinis impavidæ, aliarumq; rerum maximarũ gloria, cum Struthione, cũ cæteris quadrupedibus inſignior eſt. Ergo hæc eſt hujus nũc orationis, & elogii equini ſententia; An tua opera, tuaq; ſapientia effectum eſt, ut inter quadrupedia, Equus & generoſiſsimus, & idoneus ad bellũ, viribꝰ, & animo inſtructus evaderet? Mea ſane potentia bellatorẽ illũ cõſtitui, trudoq; impavidũ ad bella, etiã inermem. Tu, ſcilicet, equo tribuiſti cervicẽ arduam, collum erectũ, denſas, criſpantesq; jubas; & ut ipſa projectione cervicũ, horrendisq; fremitibus ex hinniẽti pectore erũpentibus, terribilẽ ſe cunctis exhibeat. Nũquid tuũ eſt, illum ſaltu inſtruere, & crebris celeribusq; motibus agitare? Mirum, cum bipatentes ille nares difflat, ferociam, & vim terribilem ſpirare videtur. Quod ſi planiciẽ, aut molliorem terram nactꝰ eſt, exultãs quatit cãpum quadrupedante pedũ ſonitu, conſiſtens vero, nunquam ita quietus eſt, quin nunc hac, nunc illa ungula terrã fodiat, & virium ſuarũ robore alacer, & ſuperbiẽs, audacter ſe prælio cõmittere geſtiat, & hoſtibus armatis impavidus obviam procedat. In rebus arduis, & tempore difficillimo nulla timoris documẽta præbet. Quin potius animo conſiſtit, reſiſtit in faciem hoſti; nec ullus micantiũ armorum, & gladiorũ diſtrictorum ſplendor cogit illum terga vertere. Circumſepiunt illum multorum ſagittariorũ cunei; circumvolant micantes ſagittæ, balliſtarum crepitus circũſonant; & ut illum dejiciant coruſcantium jaculorum, & ſplendiſsimorum gladiorũ mucronibꝰ appetitur. Neq; propterea armorum fulgore, aut ęreorũ Clypeorum repercuſſus ignis illius oculos præſtingit. Cum fervet, cum fremit, incredibili velocitate tranſmittit ingẽs terræ ſpatium, tam avide, tamq; fervẽter, ut & terram ipſam, & homines quoſque obvios abſorbere velle videatur. Interim vero, dũ exoritur clamor virũ, clangorque tubarũ, quatit terram, & cõmunẽ tubam, ipſe fremitu, pedibuſq; incitat, & promovet: quaſi in illius auribus remiſſe admodum, exiliterq; tubæ clangerent. Cũ vero jam ad præliũ cõmittendum ſignũ datur, & inſonant vehemẽtius buccinatores, vix

Aptus nexus hujus materię cũ præcedẽti.

2 Paraphraſis totius hiſtoriæ de Equo.

præ gaudio credit · & qua potest ratione assonat, & respondet, fremitusque lætitiæ plenos denuo fundit. Quippe longe ante expectat paratissimus tumultum exercitus procedentis ad prælium, & non minus ipse, quam milites fortissimi, ducum clamorem, & exhortationem ad se pertinere existimat: captatque olfactu sagacissimo aerem bellici tumultus; neque solum sentit, sed præsagit, præsentitque sonitum classicorum. Hæc vero non sunt humanæ sapientiæ, atque potentiæ vestigia, sed Divinæ, non solum in rebus per se se magnis, at inutilibus, sed in rebus ad commoditates, & usus humanos mirifice comparatis, relucentia.

3 An præcipua Oratio sit de Equis Arabicis.

Sed ante alia explicandum, an de Arabicis, Syriacisve equis sermo proximus, & primarius sit, an vero in universum de equis cujuscumque regionis, aut alicujus ex circumvicinis. Nam cum de aliis animalibus Arabicis, quibus ea regio abundat, sermo habitus sit; videtur quoq; ex eadem regione productus equus. Et quidem fere nullum est animal, quod ita pro regionum diversitate suum peculiare pretium, & dignitatem habeat. Sunt enim celebres Tyrrheni, Siculi, Achæi, Cappadoces, Mauri, Scythæ, Parthi, Magnetes, Epæi, Iones, Armeni, Thraces, Erembi, Lybici, Hispani, Lycospades, ut Aelianus numerat lib. 4. c. 1. & Armeni potissimum, omnibus optime indolis notis, & documentis insignes; quæ regio non longe abest ab Arabia. Et quidem equi Sylvestres in Syria plures sunt, & mirum in modum feri, ut Aristotel. in Mirabilibus tradit. videntur etiam nobilitate insignes habiti equi Palesthini, quos sub nomine, *Equorum Palmatorum* significari ab Arcadio, & Honorio Imperatorib. L. unica de Grege Dominico, tt. 5. lib. 10. & L. equos de Scænicis, tt. 7. ejusdē libri, existimat Petr. Faber lib. 2. Agonisticō. c. 28. nam cum Generosis, meritissimisq; equis Hermogenianis, & Palmatis cōstituatur annona ex publico, videtur quidem *Palmati* deducti ex Syria, & Palesthina, palmaque inusti, & notati, quæ devictæ, & triūphatæ Palesthinæ, & Iudeæ Symbolum erat. Atque inter alias quidem equorum notas, *Palmarū* meminit Nemesianus in suo illo præeleganti carmine.

Equi generosi apud diversas regiones. — *Aelianus.* — 4 *Equi Sylvestres in Syria.* — *Aristot.* — *Equi Palesthini.* — *Equi Palmati. qui.* — *P. Faber.* — *Palma insigne Iudeæ.* — *Nemesianus.*

Cornupedes igitur lectos det Græcia nobis,
Cappadocumque notas referat generosa propago
Armata, & Palmas nuper Grex omnis avorum.

Ego vero existimo hoc loco sermonem non haberi, de equis feris, aut Sylvestribus; nam ejusmodi non sunt militares, imo neque valde apti domituræ; nam cum cēteri possint similes illorū Aethiopicorum, *qui forte comprehensi, abstinent, e propterea cibo, & potione, quod serivendi indignitatem acerbissime ferant*, certe nō nisi de iis, qui & libentissime, & fidelissime serviunt, nunc sermo est. Atque forte de equo Aegyptio, cujus tum ad alia, tum vero maxime ad bellum usus, & præstantia erat, ut docent Scripturæ; nam illi Aegyptii *in curribus, & in equis*. Rursus Aegyptii sunt *equus, & ascensor ejus*: de quo dixi aliquādo ad caput primum Ecclesiastæ. Et quidem cum Aegyptus esset plana, nobilis erat equis, & equitatu; Nam, ut Plinius dixit, *Equi dignitas præcipue in planis regionibus, sicut bovis in montanis.* Sed reliqua nobis per partes indicabunt singulæ sententiæ.

Equi Aethiopici. — *Oppian. lib. 3. de Venatione.* — *Aegyptii Equi militares.* — *Aegyptus nobilis Equitatu.* — *Plinius.*

XIX. *Numquid præbebis equo fortitudinem, &c.*

1. *Varia equorum genera, & usus.*
2. *Equi militaris descriptio, Marti Sacer: belli Prognosticum.*
3. *Equi fortitudo virilis. Imperii Symbolum. Israelitæ abstinentes ab immoderato usu equorum in bello. Illustratus David, & Zacharias.*
4. Hinnitus, *quid proprie. Varia lectio.*
5. *Colli equorum ornamenta. Hinnitus equorum divinatorius.*

1 QVamvis, ut ait Varro, multa sunt equorum Genera, quorum *Alii idonei sint ad rem militarem, alii ad prædam, alii ad vecturā, alii ad admissurā*, hic tamen potissimū de militari agitur, ut pote cujus statim fortitudo proponatur, & commēdetur. Nam non hic potissimum celeritas, quæ aliquando imbellis, & timida est; nō pulchritudo, & sagina, quæ delicata est, qualis in nostratibus equis; sed *fortitudo*, quæ ipsa plerumque deformis, & excarnis, & ossea, potius quam mollis, & carnea est. qualem profecto graphice descripsit Synesius in Epistolari illa cōmendatione equi, quem dono miserat Vranio. *Dono (inquit) tibi misi equum omnibus equi laudibus ornatissimum: qui usum sui tibi præbebit ad certamina cursuum, ad venationem, ad pugnas in bello, ad pompam deniq. victorialem de Lybico Trophæo celebrandam. Nō enim facile dixerim venator ne sit præstātior, aut in certamine cursor, aut pompicus, aut bellator. Quod si indecētior et forma Nyssæis equis apparet, ut cui aspera, & prominens,*

Varro. — *Varia Equorū genera.* — *Equi militaris cōmēdatio.* — *Synesius.* — 2 *Descriptio Equi fortissimi, sed minime pulchri, aut venusti.*

calva sit, & lumbi excarnes, cogitandum similiter in equos, ut homines, nō simul omnia diz divinitus conferri. Sed forte hoc ipso nomine laudabilior fuerit, quod majores partes duras, quam molles, a natura acceperit: tolerandis enim laboribus ossa, quam carnes aptiora sunt. Vestri quidem equi carne, nostri ossibus excellūt. Ideo equ⁹ victor Marti Sacer immolabatur, ut Plutarchus scribit in quæstionibus Rom. 97. *Quia animosa est bestia, & bello apta, atque Martialis equus. Diis vero ea potissimum immolant, quæ his acceptā sunt, & convenientia. Victor autē equus mactatur, quia Deo victoria est accepta ferenda.* Libr. autem de Iside, & Osiride, scribit, *Orum ab inferis reversum ab Osiride parente institutum ad prælium, rogatumque, quod nā animal ad pugnam eunti censeret utilius? cū Equū, respondisset Orus, miratum fuisse, & in dubium vocasse, quod non Leonem potius, quā equum dixisset. Respondisse Orum, esse Leonē utilem indigenti auxilio, Equum autem facere ad instandum hosti, eumque interficiendum. His auditis delectatum Osirim fuisse, ut qui satis instructum ad pugnam Orum sentiret.* Sapienter igitur Anchises solo ex equorum aspectu bellorum Prognosticum facit;

Equus Marti sacer. *Plutarch.*

Ori respōsum de equo.

Belli prognosticū ex equo.

Virgil. lib. 3. Æneid.

Quatuor hic (primum omen) equos in gramine vidi.
Bello armantur equi: bellum hæc armenta minantur.

Atque ex equino capite in fundamentis Carthaginis reperto;

Monstrarat caput acris equi, sic nam fore bello
Egregiam * * * * * *

3 Fortitudo igitur non quæcūque, sed bello idonea, & humanæ custodiæ opportuna commendatur in equo, non illa fera, & indomita, atque inutilis Rhinocerotis. Quare ex proprietate vocis originalis possemus interpretari fortitudinem virilem, aut virtutem humanæ instar, quod etiam indicavit Homerus. Iliad. 4. nominans Equorum *alacritatem, & virilitatē*. Tum etiā significat virtutem dominatricem, & sub potestate, & dominatu continentem alios. Nam *Gabar*, virtutem, & dominium significat. Vnde quatuor illa fortissima Imperia virorum fortissimorū designantur per *quatuor quadrigas equorū*, qui *perambulant*, triumphantq; *universam terram*, apud Zachariam. Quare inter dixit Deus suo populo nimium equorum usum, quod cum ea res bello, & victoriæ opportuna esset, nolet in equorū potius, quam in Divina fortitudine sui populi fiduciam reponi; & ut vel hac ratione populum suū ab Ægyptiis discerneret, dicē-

Equi fortitudo virilis.

Homerus.

גבר

Equus symbolū imperii.

Zachar. 6. 1.

a David, *Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Dei nostri invocabim⁹.* Igitur cum David cepisset Adarezer, subnervavit omnes jugales curruum. 2. Reg. 8. & Iosue 11. dixit *Dominus ad Iosue pugnaturum contra exercitum curruum, & equorū infinitorū, Equos eorum subnervabis, & currus igne combures.* Vide Isai. 31. 1. & Ose. 1. 7. & Zachar. 10. 4. ubi promittit Ecclesiæ suæ Deus Apostolos, & Ministros fortissimos, *quasi equum gloriæ suæ in bello.* Vide Basilium Psal. 32. super id. *Fallax equus ad salutē.* & super id Isai. 2. *Repleta est terra equis.* Sed an omnino prohibuerit Deus suo populo equitatum, diximus, cum de equitatu Salomonis, ad Ecclesiast. cap. 2. ubi de magnificentia, & numero Armentorum illius.

Psal. 19. 8.

Basilius.

4 *Aut circumdabis collo ejus Hinnitum.* Septuaginta proprie ex Hebreo, *Induisti collum ejus?* nam vestis circumdat hominem. Quare licet ab alia radice, *circumdare* idē est quod *vestire*, atque utroque verbo indiscriminatim utūtur Scripturæ. Pro *Hinnitu* autem, Septuaginta legunt *Timorem*; Symmachus, *Clamorem*, aut *fremitū*; Chrysostomus interpretatus est, *Elationem cervicis terrificam*; eodemque fere modo Cajetanus, *Vestes collum ejus arduam?* & existimat *vestimenti* nomine intelligi jubas densas, atque crispantes, quibus equorū cervices vestiuntur, & superbiunt. Sed originalis vox proculdubio ad sonitum terrificū refertur, & significat tonitru, quod sit indignantis Cæli terrifica vox. Quæ autem est indignantis, & ferventis equi vox, nisi *Hinnitus?* sic consentiunt cū nostro Interprete Hebraizantes, Symmach. Tygurina, Vatablus. eandemque lectionem habet Augustinus. Et est pulcherrima translatio ducta ab equorum phaleris
5 & ornamentis, illis præsertim, quæ cum tintinnabulis, & cimbalis, equorum collis appenduntur, qualia & Homerus Iliad. 4 describit, & Virgilius lib. 7.

Instratos ostro alipedes, pictisq; tapetis,
Aurea pectoribus demissa monilia pendēt:
Tecti auro, fulvum mandunt sub dentibus aurum.

Quasi dicat Deus, Tu quidem poteris equum vestire, & ornare pretiosis aliquibus stragulis, pictisque tapetibus, & ærea crepitacula collo appendere; sed meæ potius est industriæ, atque potentiæ pulcherrima ornamenta * *Hinnituum*, equino collo circūdare. *Hinnitus*, res in equo plena sapientia, & divinatione quadam, & ex quo amplioris fortunæ, imo & Imperatoriæ dignitatis præsagium faciebāt.

LXX. לבש Varia lectio.

Hinnit⁹, quid proprie.

LXX. *Symmach. Chrysost. Cajetan.*

רעם

Symmach. Tygurina. Vatabl. August.

Equorum ornamēta colli.

Homerus. Virgil.

*Supletorio pudieras tu ponerle al cavallo vn pretal de relinchos?

Hinnitus divinator⁹, & imperii omen.

Vide

moratur, illum enim largissime sustẽtat Deus. Nihil est igitur, quod quantumvis habeat homo multa asinorum millia, multa etiam juga boum, multũ sibi aut de opulentia, aut de potentia blandiatur. Quid enim bos est relatus ad g Rhinocerota, qui nulla vi aut industria domari potest: non manu tractari, neque ad præsepia religari, non in stabulum cogi, non jugum accipere, & ad aratrum institui, aut interræ cultura, & versura laborare? Nam quamvis quidem insigni vastissimorum membrorum fortitudine polleat, at nõ illa est, quæ humano labori, & usui esse posit ad agricolationem; nihil subsidii ex illa accipi neque ad serendum, neque ad arandum, neque ad messes convehendas in aream, tandem in horrea recondendas.

g Historia Rhinocerotis, atq; Monocerotis, tũ etiã utriusq; cum Rhinocerote Iobi cõparatio, ex Sacris, & profanis diligẽter tractatur, omnib⁹ hi sententiis.

8 *Circumspicit montes pascua sua, & virentia quæq; perquirit.*

9 *Nũquid volet Rhinoceros servire tibi? aut morabitur ad præsepe tuum?*

10 *Numquid alligabis Rhinocerota ad arã dum loro tuo: aut cõfringet glebas valliũ post te?*

11 *Nũquid fiduciã habebis in magna fortitudine ejus, & derelinques ei labores tuos?*

12 *Nũquid credes illi quoniã sementẽ reddat tibi: & areã tuã congreget?*

¶ Sed ad Divinæ artis subtilitatem, & industriam mirabilem nunc producenda animans ex quadrupedum volucrumque confinio, sed longe ab utrisque naturę diversę. Quis enim mortalium satis demiretur Struthionem magnitudine pennarum, pulchritudine, & specie, proprietatibus vero etiam naturæ mirabilibus? nam cum pennas habeat non minus, quam aliæ volucres volatus pernicitate valẽtes, ut puta, quam Herodius, qui in præcelsis rupium fastigiis nidificat; aut quã Accipiter, ex Aquilino genere, cujus volatus pernicissimus est, atque præcelsus, tum ad quærendam, & persequendam, tum ad capiendam prædam; at si propterea Struthio glorietur, & exultet pennis, stulte gloriatur, non enim ideo illi alas contuli, ut volaret; quamvis non omnino inutiles illi existant, nimirum serviũt illi pro stimulis, & calcaribus ad cursum velocissimũ. Itaq; nihil est, quod usui sit rebus ipsis creatis sine meo numine, & providẽtia: nihil, quod natura ipsa efficere possit, nisi a me conservetur, & sustentetur. Id quod etiã in hujus animalis procreatione, & generatione clarius relucet quanto enim Struthiocamelus stolidior est, & suorum ovorum obliviosior, tanto mea providentia solicitior, atque benignior. Cũ enim h ille pariat ova, at deserit in ipsa tellure, leviter abdita, quæ profecto ibi concalescunt, & confoventur; interim abit, quasi ovorum custodia minime ad se pertineat, & quasi nihil sit periculi, quod pedibus hominum dispergantur, aut à bestiis, & feris proculcentur. Pullos autem jam exclusos inclementer tractat, atque paterna charitate obdurescente, nullo prolis ab aliis lædendæ timore, nulla solicitudine tuendæ afficitur, perinde ac si in pariendo, & in excludendo minime laborasset. quippe videtur naturali charitate, & diligentia, atque solertia, qua præditæ sunt cæteræ animantes, Struthionẽ privasse naturæ Conditor. Sed pulli tamen benigniter, & indulgenter suscepti a mea providentia enutriuntur, atque plumescunt: adeo que vitæ conservandæ aptissima illis instrumenta contuli, ut quamvis ab industriis venatoribus, & velocissimis equitibus invadantur, pedum tamen, atque alarum subsidio tanta velocitate currunt, ut equos, & insectatores suos spe venationis frustratos irrideãt.

h Tum alia de Struthionum natura, tũ vero illud, an pullorum suorũ negligẽs, an vero diligentissima sit, differitur n. I

13 ¶ *Pena Struthionis similis est pennis Herodii, et Accipitris.*

14 *Quando derelinquit ova sua in terra, tu forsitã in pulvere calefacies ea?*

★ Sed cum de Equo, atque equite dixerimus, derideri a bestia stolida, & insipiente, consequens fuit, ut supremæ Sapientiæ opus, quod in Equi fabricatione relucet, tibi statim proponam; i qui sane si in velocitate inferior, at in exultantis animi generositate, fortitudine, intelligentiæ documentis, multiplicis ad humanos usus commoditatis, fidelitatis, civilis cujusdam, & humani convictus, militaris gloriæ, fortitudinis impavidæ, aliarumque rerum maximarũ gloria, tum Struthione, tũ cæteris quadrupedibus longe excellẽtior.

i Naturæ equinæ, & plurimarum illius affectionum, ad Scripturarũ intelligentiã, ex Sacris, & profanis per hanc tractationem sparsim historia traduntur.

An itaque tua opera est, tuaque sapientia effectũ, ut inter quadrupedia Equus, & generosissimus, & idoneus ad bellum viribus, & animo instructus evaderet? Mea sane potentia bellatorem illum constituo, trodoque impavidum ad bella etiam inermem. Tu scilicet equo tribuisti cervicem arduam, collum erectum, densas crispantesque jubas; & ut ipsa projectione cervicum, horrendisque fremitibus ex hinniente pectore erumpentibus, terribilem se cunctis exhibeat.

15 *Obliviscitur, quod pes conculcet ea, aut bestia agri cõterat?*

Plutarch. *Herodot.* *Alexand.* *Tacitus.* Vide Plutarchum de fortuna Alexandri, orat. 2. Herodotum lib. 3. Alexandrũ Neapolitanum lib. 15. c. 13. Id quod Germanis potiſsimũ tribuit Tacitus lib. de moribus Germanorum. Sed ſi nihil aliud, at certe quod hic ejuſmodi *Hinnitus* ſignificatur nomine *tonitrui*, indicat ſequuturũ ſtatim vehementiſsimum impetum, inſtar fulminis, in media prælii tẽpeſtate; ſunt enim etiam *ſua fulmina belli*, ſunt fulmina ſagittæ, & gladii micantes. (Cur hinnitus vocetur tonitruum.)

℣. XX. *Numquid ſuſcitabis eũ, quaſi locuſtas?*

1. Nota generoſi equi a commotione.
2. Equi armati inſtar locuſtarum. Locuſtæ loricatæ, & armatæ. Illuſtratus Ioannes.
3. Equi locuſtarum ſimiles ſaltu, & celeritate. Equi alati, vento geniti Hiſpani. Veſparum Symbolum.
4. Equi generoſi nares apertæ, fumantes, ignitæ.

1 (רעש) QVaſi locuſtas. In Hebræo eſt, Terrebis, commovebis, tremere facies, crebris motibus cõcuties, aut extolles, nam hæc omnia affert verbum originale. Et quidem Cajetanus exiſtimat deſignari notam generoſi equi, quod commoveatur, & tremat, non tam ex metu, quam ex animæ commotione ad invadẽdum, ut dixit Poeta; (*Cajetan.* Nota generoſi equi.)

(*Virg. 3. Georg.*)
- - - Si qua ſonum procul arma dederũt,
Stare loco neſcit, micat auribus, & tremit artus.

Sed proculdubio hæc commotio, & agitatio referenda eſt ad ſimilitudinem cum *locuſta*.

2 Sed in quo nã ea ſimilitudo conſtituẽda ſit, non eadem eſt interpretatio, nam Græci referunt ad formam, habitumque locuſtarum, quaſi virorum armatorum, quam ſpeciẽ repreſentãt equi Cataphracti. Quare legunt Septuaginta; *Circũpoſuiſti ei armaturam*; q. d. non ideo exultat, & effertur audacia, quod tu illum armis undique cõmunieris, ſed quod illum ego ad bella natura ſua idoneum effecerim, & corpore toroſo, jubis denſis, ungulisque robuſtis inſtruxerim. Ad quam etiã ſimilitudinem *locuſtarum*, & armorum fit alluſio Apoc. 9. 7. 8. 9. *Similitudines locuſtarum, ſimiles equis paratis in prælium; & ſuper capita earum tanquam coronæ, ſimiles auro: & facies earum, tanquam facies hominũ; & habebant capillos, ſicut capillos mulierum: & dẽtes earum, ſicut Leonũ erant, & habebãt loricas, ſicut loricas ferreas: & vox alarum earum, ſicut vox curruum equorum multorum currentium in bellum.* ubi vides arma plurima ad ipſam locuſtarum ſpeciem, & habitum referri. Nam quod de *dentibus leonis* dicitur reſpicit id, quod a Plinio ſcribitur, de locuſta, *in commiſſura occipitii, & ſcapularum habere, quaſi dentes, eoſque inter ſe terendo ſtridorem edere.* & quod de *aculeis, habere pinnas pro aculeis.* Cum autẽ nominat *loricas*, præter quam quod capita locuſtarũ *loricata* appareãt, certe etiã equi Cataphracti ſunt in eo illarũ ſimiles, quod loricis ſquamatis, aut plumatis ex ære muniebãtur capita, ut deſcribit Poeta Chloreum; (Equi armati inſtar locuſtarum. *LXX.* *Plinius lib. 11. cap. 29.*)

(*Virg. 11. Æn.*)
Spumantemque agitabat equum, quem pellis ahenis
In plumam ſquamis auro conſerta tegebat.

In quem locum videndus eſt Servius, ac longe elegantior, & locupletior noſter Pontanus ex Statio, Luctatio, Iuſtino, Salluſtio, Lipſio de milit. lib. 3. Dialago. 6. potuit itaque ad *armatas locuſtas* hic locus reſpicere. Quæ interpretandi ratio propter auctoritatem Septuaginta, non eſt contẽnenda. (*Servius.* *Iacobus Pontanus.*)

Quamvis hæc ſimilitudinis ratio præter quã, quod ex rebus valde imparibus ſit, videtur eſſe aliena a propoſita naturæ ratione; potius enim in arte, & induſtria humana conſiſtit, veſtiente equum hamatis, & ſquamatis armis.

3 Alii eam ſimilitudinem cum locuſta, in eo conſtituunt, quod equus, ſicut locuſta volet ſaltando, aut ſaltitet volando; Et quidem locuſtæ *tanto volant pennarũ ſtridore, ut aliæ alites credantur, ſoleque obumbrãt, ſolicite ſuſpectantibus populis, ne ſuas operiant terras.* Tum etiam & cicadæ, quę locuſtarum generis ſunt, *excitatæ volãt*, ut idem Plinius dixit. Cũ ergo poſſet equo velocitas cum aliis avibus cõparari, ſed elegantiſsime nunc cõfertur cum *locuſtis*; *quæ cum ducem non habeant, egrediuntur per turmas ſuas*, repreſentantes militarem aliquam aciem, atque adeo etiam tanquam ad bellum, contra illas procedunt; & ut teſtatur Plinius, *Necare illas in Syria* (ubi hæc ſcribebantur) *militari imperio coguntur.* Equi autẽ velocitas bellica eſt, & inſtar *cicadæ, excitatus volat*. Atque adeo cũ equum bellatorẽ inſtituit Xenophon lib. de re equeſtri, præcipit; *exercendum ſaltu tranſgrediendo foſſam*, cui in conatu ſaliendi adhibenda ſunt calcaria. præterea docendum *ſuperare vallum, in collẽ erumpere, de colle deſilire.* quæ omnia profecto fiunt *ſuſcitando equum, quaſi locuſtam.* Atque ad hanc velocitatem equinã reſpiciẽtes Ægyptii, ut *veſpas ſignificarent*, equi cadaver (Equus ſimilis locuſtæ ſaltu, & celeritate. *Plinius lib. 11. cap. 29.* *Prov. 30. 27.* Contra locuſtas pugnatur in Syria. *Xenophon.* Veſparũ ſymbolum, equi cadaver.)

Otus.

fingebant, Oro teſte. cujus ratio peti poteſt ex Aeliano lib.4. *Equi*, inquit, *cadaver projectum, veſpas gignit, ex hujus putreſcentis medulla evolant veſpæ, nimirum volucris progenies, ex equo animali velociſsimo.* Quare non mirum, quod ille Hadriani equus

Hadriani Equus.

Volucris vocatus ſit; cum in univerſum, avium nomine illos dignētur nobiles Scriptores, cum illos *alatos*, potius alites vocant. Qua propter fingunt Equas vento concipere;

Equi Alati. *Silius lib.6. Ovid.3.Amor. Virg.3.Geor.*

Ore omnes verſæ in Zephyrum ſtant rupibus altis
Exceptantque leves auras: & ſæpe ſine ullis
Cōjugiis vento gravidæ (mirabile dictu!)

Hiſpaniæ Equi vento geniti. *Varro. Columell. Plinius.*

Quod de Hiſpaniæ equis ſcribunt quoq; conſentientes cum Poeta, Varro lib.2. de re ruſtica, c.1. Columella, lib.6. c.27. Plinius lib.8. cap.42. Vento igitur genitus equus, quod mirum, ſi;

Virgilius.

- - - - - - Curſibus auras
Provocet: ac per aperta volans, ceu liber habenis
Æquora, vix ſumma veſtigia ponat arena,
Ille volat ſimul arva fuga, ſimul æquora verrens.

Iam non mirum, *ſuſcitari, quaſi locuſtā.*

4 LXX.

Gloria nariū ejus terror. Neſcio cur plenā ex Hebræa lectione vocē, *narium*, in *pectus* tranſtulerunt Septuaginta, legentes; *Gloria pectorū ejus audacia*. præſertim cum ſit optimi equi, atque generoſiſsimi laus a *naribus apertis, non anguſtis*, ut Varro ſcribit. quippe nares patulæ, multo quam conniventes, & apertiores meatus habent animæ, & faciunt videri equū terribiliorem, ut Plato in Phædro, & ex Platone Oppianus docent. Vidētur igitur non minus *terrorem*, quam;

Equorum nares apertæ. *Varro.* Plato.

- - - - - - Spirantes naribus ignem

Virgil. libr.7. Æneid.12.

Sicut & illi, qui *lucem elatis naribus efflāt.* Parum enim fuerat dixiſſe;

Fumant humentes calida de nare vapores.

Nemeſianus. Plinius. Cajetan.

Atque adeo hunc *narium ignem* videntur refrigerare, cum bibunt; nā ex Plinio. *Quo quis acrior, in bibendo profundius nares mergit.* Cajetanus illud admonet, *terroris* nomine, ſignificari tremorem quendam, aut pallorem narium; qualis eſſe in timentibus ſolet, collecto introrſus calore. Sed qui fieri poteſt, ut naribus tremat, & exalbeſcat, ſi totus ardet, ſi agit ore ſpumas, Si nares diducit, & inflat?

Fremensque collectum volvit ſub naribus ignem.

℣. *XXI. Terram ungula fodit, &c.*

1. *Equorum laus ab Vngulis.* Caballi *nomē unde dictum.*
2. *Equorum Vngula quales. Illarum pulſatio ex ſuperbia, & exultatione. Non ſequitur ducem gregis.*
3. *Equorum audacia, & virtus.* Audacia, *quo differat a* fortitudine.
4. Arma, *quid. Equus inferens ſe bello.*

I

Commendatio Equi ab ungulis. *Aelianus. LXX.* Caballi nomē unde.

COmmendatur nūc generoſus, & bellator equus ab ungulis robuſtis, &, ut Aelianus dixit, *rotundis*, quibus *fodit terram*; vel, ut ex Hebræo legunt Septuaginta; *Fodiens in campo luxuriat*. Vnde videtur apud Latinos *Caballi* nomen deductum, quod terram cavet, & excavet ungula impreſſa. Quod neq; prætermiſſum eſt ab equi generoſi deſcriptoribus;

Virg.3.Georg.

- - - - - - - - Cavatque (cornu.
Tellurem, & ſolido graviter ſonat ungula

Nemeſianus.

Et rurſus Nemeſianus hanc pedum concitationem in pulſanda terra ad ſuā cauſam refert generoſi animi;

Nec pes officiū ſtandi tenet: ungula terrā
Crebra ferit, virtusque artus animoſa fatigat;

Vngulę Equorum quales. *Xenophon. Aelian.*

Atque adeo cum equi tantum valeant pedibus, primum in illis probari *ungulā*, *an ſit ſpiſſa vel tenuis, cava, vel plana, rotunda, vel oblonga*, præcipit Xenophon in Hypparchico, & *de venatione*.

Vngularum pulſatio ex ſuperbia, & animi exultatione.

Exultat audacter. Eiſdē fere verbis Aelia hāc exultationē ad ſuperbiā referens lib. 4.c.19. *Inter cæteras animātes equus magno, elatoq; animo eſt. Enim vero magnitudo, & celeritas ipſa, cervicisq; eminētia, & crurū facilis contractio, facilisq; porrectio, & ungularū crepitus inducunt eum, ut audacius is exultet, & geſtiat, inſolentiusque efferatur.* Quare illi, qui equum ex diverſorum animantium virtutibus componebant, mulieris ſuperbiam ſimul cum coma illi tribuebant. Atque adeo non minus, quam Leo, *ducem nō ſequitur gregarium propter ſuperbiam*, ut Ariſt. obſervat. Quare, & in lingua ſancta, ab hac ſuperba exultatione videtur habere nomen: dicitur enim çuç, quaſi *Sus* quaſi gaudens, & exultans, a radice *Sos*, quod eſt gaudere, & exultare. Quo etiam pertinet, quod *cū Gregalibus in pabulo contendit, in currēdo, aliave quavis re, quo potior ſit.* quare eleganter ipſam exultationem videtur depinxiſſe Poeta in ingrediendi ſuperbia;

Equus non ſequitur ducem gregis. *Ariſtotel.*

Equi nomen apud Hebręos. *Varro libr.2. cap.7.* סוס שוש

Virgilius.

Altius ingreditur, & mollia crura reponit

Sed imaginem hanc propoſuit graphice Ovid. in Halieutic;

Hic generoſus honor, & gloria major equorum:

Nam

Nam capiunt animis palmam, gaudentque triumpho,
Seu ſeptem ſpatiis circo meruere coronã,
Nonne vides victor quanto ſublimius altũ
Attollat caput, & vulgi ſe venditet auræ!
Celſave cum cæſo decoratur terga leone,
Quam tumidus, quantoque venit ſpectabilis actu,
Compeſcatq; ſolum generoſe concita pulſu
Vngula, ſub ſpoliis graviter redeuntis opimis!

3 Quod vero *audacter* dicitur, in originali potius eſt *fortiter*, vel, *in fortitudine*. quam quam eleganter ea fortitudo, *audaciæ* nomine explicatur, quæ ſolet eſſe fortitudinis comes, tum etiam, & ſuperbiæ. quamquam cum *audacia* vitium ſit, & *ante pericula audaces præcipites ſint, in ipſis vero periculis timidi, & tergiverſantes*, ut Ariſtotel. docet; hæc equorum audacia, *fortitudo* eſt & virtutis ſpeciẽ habet; *cum fortes in ipſis operibus fervidi ſint, ante vero quieti*. Habet igitur equus, quod optimum eſt in audacia ante periculum, videlicet *exultare*, & concitari: & quod optimum eſt in fortitudine, in ipſo diſcrimine, videlicet non tergiverſari, neque timere;

כּוֹח

Audacia vitiũ, & in periculis timiditas.

Ariſt. 3. Ethicor. c. 7.

Fortes in periculis, ante pericula quieti.

Virgilius.

Primus adire viam, & fluvios tentare minaces
Audet, & ignoto ſe ſe committere ponto.

Varro.

Quod eleganter Varro dixit, Equum a pullo conjectari docens; *Si cũ flumen trãsvehundum eſt, gregi imprimis prægreditur, ac non reſpectat alios*. Tandem exultatio, & *audacia* binis item, non amplius, verbis a Varrone dicuntur lib. 2. c. 7. *Si Hilaris, & intrepidus.*

4 *In occurſum pergit Armatis*. Septuaginta legunt, *Procedit in campum in virtute*. Quod Nicetas interpretatur, *Per campum incedit ad bellum*. quod videtur fere idem cum illo;

LXX.

Nicetas.

Virg. 2. Georg.

Hinc bellator equus campo ſe ſe arduus infert.

Vox originalis *arma* ſignificat. Alii, *armaturam*. Græci intelligunt, *Cataphractos, & armatos milites*;

נשׁק

XXII. *Contemnit pavorẽ, &c.*

1. *Metonymia. Equi ad repentina perturbantur. Quomodo exercendi, ne paveſcant.*
2. *Equus non reformidans micantia arma. Comparatus cum Leone, & tauro.*

1 PAvor, pro re timenda, & formidanda. Videtur eſſe expoſitio rei præcedentis, videlicet *armatorum*. Græci in Catena legunt, *Sagittas* aut, *Iacula*. Septuaginta Vaticani; *Occurrẽs Regi deridet*. quod nullam habeat dignitatis rationẽ, ſed impetu maximo feratur in obvia quæque. Sed ut cũ notis generoſi Equi, quæ hactenus deſcriptæ ſunt, etiam hoc cohæreat, pertinebit profecto hic *pavor* ad id, quod in bello, & in armis non ultimo formidabile eſt, videlicet armorum crepitus, clãgorque tubarum; quamvis enim Equi ad omnia repentina maxime perturbentur, at illud non tam ex pavore, quam ex animi concitatione provenit;

Metonymia. Nicetas. LXX.

Equi ad omnia repentina maxime perturbantur.

Virg. 3. Aene.
Columella.

- - - - Nec vanos horret Strepitus.

Quod diſerte ſcripſit Columella lib. 6. c. 29. *Cum natus eſt pullus, confeſtim licet indolem æſtimare, ſi hilaris, ſi intrepidus, ſi neque conſpectu, neque rei auditu terretur*. Quare, & ſua peculiaris ars equos per ſe audaces & bellicoſos efficiẽdi, traditur ab Aelian. lib. 4. c. 9. *Ne armorum fremitum, & gladiorum ad clypeos reſonãtium crepitum equi extimeſcant, eos ad ſtrepitum, & ſonitum aſſueſcere cogunt, armataq; cadaverum ſimulacra ſub ipſum fœnum ſubjiciunt, ut cæſorum conſpectum in bello ferre conſueſcant, ut ne rerũ terribilium metu affecti, ad rem militarem inutiles ſint.*

Aelianus.

Quomodo ſint aſſueſaciẽdi Equi militares.

2 Explicatio vero eſt, quod ſequitur; *Nõ cedit gladio*. proprie; *Non retrocedit a facie gladii*. nõ fugat illum micans gladius. Septuagin. *Nec ſe avertet a ferro*. Ingens profecto amplificatio equinæ conſtantiæ, & *fortitudinis*; *nam tunc vel maxime, cum leæna pro Catulis fœta dimicat, oculorum aciem traditur defigere in terram, ne venabula expaveſcat*. At Equus tãtum abeſt, ut expaveſcat, ut potius ab ipſa facie micantis gladii allici videatur, & ſponte occurrat, non defixis in terram oculis, ut leæna; nõ clauſis, & demiſſo capite, ut Taurus, ſed collo erecto, atque apertis oculis.

Equus nõ reformidãs ſplẽdens ferrum.

LXX.

Plin. lib. 6. c. 16.

XXIII. *Super ipſum ſonabit pharetra, &c.*

1. *Equeſtris ſagittatio, aut jaculatio.*
2. Sonitus, *quid proprie. Illuſtratus David.*
3. Haſta, & Clypeus, *quæ armorum genera. Illuſtratus Samuel.*

1 INdicat uſum, & arma equeſtris militiæ: ex Equo enim pugnabant ſagittis; quare & ſagittandi ſtudium cum equitatione conjungit Strabo, cum ſcribit, *Equitandi ſtudium a Medis ad Perſas, & ad Armænos profectum fuiſſe*. Fuere item equites jaculatores. Atque adeo Plinius teſtatur ſe librum cõpoſuiſſe de *jaculatione Equeſtri*.

Equeſtris ſagittatio.
Strabo.

Plinius.

atque

atque *equorum ingenia*, inquit, *inenarrabilia jaculantes obsequio experiuntur, difficiles conatus corpore ipso, nixuque invitantium. Iam tela humi collecta equiti porrigunt*. Sed illa presertim frequentior inter Asiaticos
Herodot. pugnādi ex equo ratio, *Hastis prælongis*, ut scribit Herodotus lib.1.

2 LXX. רנה Pharetra quid.

Sonabit pharetra. Septuagin.legunt, *Super ipsum gaudet arcus*; alii, *cantabit*: alii, *stridebit*. Certe vox originalis lætum quédam clamorem, & ovationem significat, quæ cum *pharetræ* tribuitur, tantum significat crepitationem, & sonitū cordæ reductæ ad emittendam sagittam: nō enim est *Pharetra*, in quam conduntur sagittæ, sed in qua reponuntur, videlicet ipse arcus, & ballista, sicut Scriptum est, *Paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent*,
Isai. 10.2. *&c*. Ergo sonitus, & crepitatio arcus ad insignes equitis jaculantis vires spectat; ex quo etiam cōmendavit Homerus Menelaum Iliad.4.

Homerus.

Nervum papillæ admovit, arcui vero ferrum.
Sed postquam circularem arcum valde extendit,
Sibilavit arcus, nervus vero valde sonuit, saliitautem telum,
Citatum per turbam pervolaße cupiens.

3 Clypeus quid in Hebræo. כידון Hieronym.

Vibravit hasta, & Clypeus. Septuaginta tātum legerunt, *Gladius*. In Originali prop. *Ferrum Hastæ, & Cidon*. Quid autē sit *Chidon*, incertum est; quamquam certum sit esse genus armorum. Hieronymus vertit *Clypeum*, aut *scutum*, Iosue. 8.18. 1.Reg. 17.6. Ierem.6.23. & 50.42. idem vero ipse reddit *Hastam*, infra c.41.21. Tum etiam Septuaginta non semper in eadem
LXX. terpretatione constant. nā illo Iosue loco legunt, *Gæsum, quod habebat in manu Iosue*. quod Theodoretus q. 10. Cum Iosepho, & Symmacho *Clypeū* interpretatur. Procopius ex aliorū interpretatione, *Scutum, Hastam, Scipionem, Baculum, Acontū*, sive, *contum*. rursus Septuaginta legunt *Clypeum*. 1.Reg.17. Neque potest hoc loco *Hasta* intelligi: nā sunt arma, quæ muniunt humeros, & scapulas, ergo est Clypeus, vel aliquid loco Clypei ad protegē-

Theodoret. Iosephus. Symmach. Procopius.

Nicolaus. dum. Lyra, Iosuē 8. potius *Hastam* intelligit. & 1.Reg. confirmat nō significare *Clypeū*, ex eo, quod *armiger illius portabat Clypeum*, quare intelligit *laminam descendentē a Casside desinentem in acutum inter scapulas, ut sit protegeret collum, & juncturam armorum capitis*. R.David, & R.Mardochai cum omnibus fere Hebraizantibus, dicūt esse *hastam*, aut *lanceam*. Et oportet quidē esse genus armorum ad percutiendum, ut

R.David. R.Mardoc.

colligitur ex Ieremia citato, & inferius, c. 41. Res igitur incerta, ut fere semper, ubi occurrunt nomina propria rerū. Hoc nostro loco bene quidem quadraret, ut hoc nomen significatet genus aliquod peculiare teli: nam non videtur commode fieri mentio *scuti* in impetu ruentis equi ad prælium. Quod etiā indicavit Interpres cum dixit, *Vibravit*: quamquam id verbū deest in originali, videntur enim sub illo primo, *sonandi*, omnia hæc contineri, *Sonabit Pharetra, Hasta, & Cidon*. At invenio quidem *Clypei sonitum* in militia equestri apud Philostratum lib.2. de Vita Apollonii, cum Damis vult equitem, & equū bellatorem instructum esse, *hostem ferire, & se protegere, insequi, ac refugere, & inimicū pellere: & equum assuefacere, ne Clypei sonitum, aut fulgentis galeæ splēdorem formidet, neve pugnantium clamorē perhorrescat*.

Clypei sonitus. Philostrat. Equus quomodo assuefaciendus.

XXIIII. *Fervens, & fremens sorbet terram, &c.*

1. *Equi commotio, & tremor ex fortitudine.*
2. *Varia lectio. Equi velocitas pro, ictis junta.*
3. *Sonitus Classici equis optatissimus.*

QVod *fervens* dicitur, in Hebræo est, *In commotione*, vel, *in agitatione*. vox eadem, quæ versic.20. redditur, *suscitare*: Quod vero dicitur *fremēs*, in Hebræo est, *In commotione*, ira, indignatione, & videtur discrimen habere a verbo præcedēte, quod primum affert aliquid timoris, aut tremoris: at vero secundum affert animi affectum commoti, & indignantis. primū igitur poterit referri ad corporis, & mēbrorum agitationem, nam *nescit stare loco*. At secundum pertineat ad internum affectum expectantis, & exoptantis prælιū. Et recte utrumque verbū *fervendi*, & *fremendi* exponitur, nam hæc procedunt ab animo concitato, & indignante.

1 Quis fervor, & commotio Equi. רעש רגז

2 LXX. Varia lectio. גמא

Sorbet terram. Septuaginta dixerunt, *Evertet terram*. Hebraizantes fere omnes, *Fodit*, vel, *effodit terrā*. Alii, *inundabit terram*, vel, *impetet*, aut, *impetum faciet*. Sed quidē fere semper Latinus Interpres verbum Originale reddit, verbo Latino, *bibendi*, aut *sorbendi*, quod etiam probant Rab. Ioseph, Rab. Mardochai, & alii Iuniores. quam proprietatem probant loca, in quibus est hujus verbi usus. Tum etiā quod illa Hebraizātiū lectio nunc friget, postquam semel dictum fuerat, *Terram ungula fodit*. Quid etiā sit *Equum sorbere terrā*, non una interpretandi ratio. Vatablus,

R.Ioseph. R.Mardoc. Vatabl.

ad cur

ad cursus celeritatem refert; *Tãta*, inquit, *velocitate currit, ut terram absorbere videatur*. nos de Veredariis dicere solem⁹. *Que cuelan, y tragan leguas, como tierra*. Forte significat habitum illum indignantis, & irati, dum invitus retinetur ante signum committendi prælium; videtur enim velle devorare homines, & deglutire, quæ prope sunt. Sic Nicetas videtur accepisse lectionem Septuaginta; *Eo*, inquit, *affectus est animo, ut terram sit eversurus*. Simile quid tribuitur illis ferocissimis Diomedis Equis;

Nicetas. LXX

Ovid. in Ibim.

Vt qui terribiles pro gramẽ habẽtib⁹ herbis,
Impios humano viscere pavit equos.

Et quidem hæc exponendi ratio cohærere videtur cum eo, quod sequitur.

3 D. Thom.

Nec reputat tubæ sonare clangorem. D. Thomas cum Latinis, exponit id, quod prima facie se se objicit, nihil magni facere terrificum classicum, quippe non horret strepitus vanos: imo potius, ut Virgilius dixit, *lituos patitur*. Sed ex proprietate verbi originalis, proprie legerunt Septuaginta, *Non credet, vel, non fidet*. a verbo *Aman*, quod est credere, aut, fidelem esse. quod Septuaginta ad fidelitatẽ equi retulerunt, *Non credit, donec significaverit tuba*. Vbi Nicetas, *Quam nihil sine ordine moliatur docet, id est, attentissimus est ad signũ classici, nec prius se committit prælio, quã signum committendi acceperit*. Sed sensus alius ex Hebræo elicitur cũ Latina lectione consentiens; impatiens est moræ, & si qui sonum procul arma dederunt, stare loco nescit; & quem maxime optat tubæ clangorem, diffidit se auditurum; quippe, quæ maxime optamus incredibilia nobis fiũt, & antequam consequamur, & postquam obtinuimus.

Classicum Equis gratissimum. Virgil. LXX. אמן Nicetas. Expositio germanior.

XXV. *Vbi audierit sonitum buccinæ, &c.*

1. *Interjectio lætantis alacriter. Equus hilaris ad sonitum classici.*
2. *Equum musica demulceri.*
3. *Equus ad cursum quibus incitetur. Præsagit pugnam.*

1 Interjectio exhortantis. האח

Dicit *Vah*. Proprie Septuaginta ex Hebræo, *Dicit, Euge*; est enim interjectio lætantis, *Heabh*. Nos simili particula utimur ad exhortandum, & ad incitandum: *Ea*. Et quidem audito *sonitu buccinæ*, aut tubæ, mirum in modum lætatur, & exultat, ut Statius Cecinit;

Statius lib. XI. Thebaid.

Ad lituos hilarem, intrepidumq; tubarum
Prospiciebat Equum - - - - -

Non solum quod bello delectetur, sed quod musica etiam, ut Plutarchus scribit; *Equos tibiis, & fistulis mulceri*. & Aelianus pervulgatum esse *Sybaritas saltationem equos docuisse*; cujus meminerunt Suidas, & Athæneus. Tũ illud, quod Plinius de Equorũ docilitate; *Tanta est*, inquit, *docilitas, ut universus Sybaritani exercitus equitatus, ad Symphoniæ cantum saltatione quadã moveri solitus inveniatur*. Quin etiam Aelianus scribit lib. 4. c. 20. *Lybicas equas cãtu ad tibiam mansuescere, & insistere pastore insistente*. refertque ex Euripide incitari equos atque equas, *& nuptiali fistula præcinente, nuptias equinas celebrari*. Sed potissimum, quod hic locus præfert, tubæ auditu ad cursum incitari, Solinus docet, c. 57. *Quidam*, inquit, *equorum cantibus tibiarum, quidam saltationibus, quidam colorũ varietate, nonnulli etiam accensis facibus ad cursum provocantur*. Itaque auditu voluptatem percipere, idem videtur esse, quod dicere, *Vah*; *Voluptatem iis inesse*, inquit Solinus, *Circi spectacula prodiderunt*.

2 Equum musica demulceri. Plutarchus de musica. Aelianus lib. 6. c. 13. Athenæus lib. 12. c 6. Suidas. Plinius. Equorum docilitas. Aelian.

3 Solinus. Equi ad cursum quib⁹ rebus incitẽtur.

Procul odoratur bellum. Hoc ipsum profecto est, Quod Plinius ait, *Præsagiunt pugnam*. Tum etiam, & pugnæ, belliique successum; aliquando enim ex sui equi alacritate spem, bonumque omen capiebat Turnus.

Plinius lib. 8. c. 42. Equus præsagus pugnæ.

Exhortationem Ducum. Proprie est, Clamor, aut, strepitus Principum. Sed hoc quid aliud, quam exhortatio Imperatoris insidentis? Hoc ipsum dissertis verbis Plinius; *In Circo ad currus juncti non dubie intellectum adhortationis, & gloriæ fatentur*.

רעם Plinius.

Et ululatũ exercitus. Iterum proprie, clamor, commotio. quod indifferens est, ut sonet classicum, vel confusum clamorem militum congredientium; aut vero impetum ruentium; vel utrumque. quo quidẽ intellectu quodam incitatur equus. Atq; eo magis mirandum, quod confuso quodam, permixtoque clamore belli significationem percipiat; non jam unius tantũ ducis, & equitis vocem, & imperium.

תרועה

ACCIPITER.

XXVI. *Numquid per sapientiã tuam plumescit Accipiter, expãdens alas suas ad Austrum?*

1. *Aves pugnacissima, & velocissima. Conditoris indulgentia, & Providentia.*
2. *Plura Accipitrum genera.*
3. Accipitrum *nomen dictum a volando.*

4. *Prima expoſitio Græcorum. Avium volatus cõſiſtens, perſeverantiæ Symbolum.*
5. *Latinorum expoſitio. Ratio plumeſcendi Accipitrum. Aviarium quale.*
6. *Tentatur alia interpretatio. Vulturum cõceptio. Accipiter Soli ſacer. Civitas accipitrum.*
7. *Accipitres Tinnunculi. Aquilonares præſtantiores.*

1 Aves pugnacisſimæ, & velocisſimæ.

EX Quadrupedibus fortisſimis, ac velocisſimis, leniter, & opportune gradum facit ad aves fortisſimas, pugnacisſimas, velocisſimas, *Accipitrem*, & *Aquilã*. Et vero ex plurimis, quæ in *Accipitris* natura, Divinæ Sapientiæ documenta relucent, unum vel maximũ proponit ex *plumeſcendo*. Tum etiã, ut Chryſoſtomus obſervat; *Eorum, quæ nullum fructum afferunt utilitatis, fruſtraque videntur eſſe, meminit, ut doceat, ſi tanta erga hoc animantiũ genus Sapientia utitur, atq; Providentia, multo majore erga illud genus, quod utilius eſt hominibus, uti.* Tũ etiam hinc colligemus, ut Seneca aliquando dixit, etiam *uſque ad delicias* homines a ſupremo Conditore amari; quippe iſtæ aves ſunt, in quibus *Principes ludunt*. ludo igitur, & oblectamento humano illas creavit Deus. maximi enim Principes harum avium aucupio maxime delectantur. Ergo inquit; Anne tu, per Sapientiam tuam cõſtituere, aut efficere potuiſſes, ut Accipiter tempus plumeſcẽdi noſſet, atque ad eam rem maxime propitio vento Auſtrali uteretur, atque in eum adverſum pennas explicaret? Sed hæc diligentius explicanda.

Chryſoſtom. — Conditoris in — *Seneca.* — *Baruc. 3.*

2 *Ariſtotel.* *Plinius.* Plura Accipitrum genera.

Plumeſcit Accipiter. Cũ Ariſtoteles numeret decem Accipitrum genera; Plinius ſexdecim, magnitudine, colore, aviditate, & venandi induſtria diverſa; certe tamẽ neq; illorum diverſitatẽ, imo neq; nomina cum diſtinctione deſignarunt; neq; ea, quæ deſignarunt, certis indiciis, & experimentis tradiderunt. Præſertim cum omnibus quædam ſint communia: ſed an hæc *plumeſcendi* ratio omnibus cõmunis ſit, an vero alicui generi peculiaris; ex jã ſubjiciendis Interpretum ſententiis colligemus, præmiſſa tamen vocum ſimplici, & germana proprietate.

3 Accipiter unde habeat nomen. נץ נצה

Accipiter. In Hebræo eſt, *Nets*, a radice *Natſah*; quod plumam, vel pennam ſignificat; quaſi nomen habeat a volando, vel ab ea ipſa proprietate, quæ hic deſignatur, *expandendi alas ad Auſtrum.* Eſt autem nomen *pennæ*, aut *plumæ* ab eadẽ radice, Levitici. 3.16. Pſ.54.7. Iſai.40.31. quod enim ibi dicitur de Aquila, *Longo membrorum ductu*, idẽ eſt quod, *Ingentibus alis*. tum etiam ſupra verſ. 13. *Penna Struthionis.* Ergo verbũ ab ala; vel pluma deductum, quod verba liter, & non niſi ſemel, id eſt, in hoc tantũ loco legitur; Hebraizantes fere omnes vertunt, *Volare*, ut exponatur parte ſequẽte, *extendendo alas*, quod profecto volando fit. Septuaginta autem longe diverſa ſignificatione, *ſtare* aut *conſiſtere* dixerunt, id eſt, tantum *expãſis alis conſiſtere* abſque volatu: Vulgatus, ad rem plumarum retulit, *plumeſcendi*, id eſt, plumas amittendi, rurſuſque emittẽdi, ut jam videbimus.

Varia lectio. — LXX.

4 Prima expoſitio Græcorũ. LXX. *Olympiod.*

Iam ergo prima exponendi ratio eſt Græcorum, legentium; *Tua ſcientia ſtetit Accipiter, expandens alas, immobilis, reſpiciens, quæ ad Auſtrum?* Quod in hanc ſententiam accipitur ab Olympiodoro; quod dicitur *Accipiter, verſus Auſtrum explicatis alis fere erectus in aere conſiſtere, prædamque contemplari, atque hac demum ratione in illam ipſam involare.* Sed apud Aviũ Scriptores nihil ſimile invenitur; tantum de Falcone Sacro apud Albertum, *Diutisſime volare, & prædam ſequi; nec deſerere ad duarum, trium ve, aut etiam quatuor horarũ ſpatium.* Qua in re *perſeverantiæ Symbolũ* referre poterit, non minus quã ſi immotus in aere conſiſteret, ut Philippus indicavit, exponens lectionem Septuaginta.

Falco ſacer. *Albertus.* Perſeverãtiæ ſymbolum. *Philipp.* — *Chryſoſt.*

Chryſoſtomus paulo ſecus, referẽs ad avium naturam, quæ nullo labore paſcũtur ab Auctore naturæ, & volantibus licet, ſubminiſtratur eſca. *Qua tandem ratione* (ait Chryſoſtomus) *factum eſt, ut ſuſpenſus in aere Accipiter teneretur? quo pacto alimenta ſunt eidem ſubminiſtrata?* Sed præter quam quod hæc res nõ ſit propria Accipitrum, ſed communis generi volucrum; certe lectio illa Septuaginta longe abeſt ab originali: aut vero nimium coacte ſumit *expandere alas*, pro eo, quod eſt, *expanſis alis conſiſtere abſque volatu.*

5 Secunda expoſitio Latinorũ. *Gregorius.*

Secunda exponendi ratio Gregorii, quem fere ſequuntur Latini poſteriores, utramque partem, & *plumeſcendi*, & *expãdendi alas ad Auſtrum*, in hæc verba interpretantis; *Quia per annos ſingulos pennam veterem Accipiter nova naſcente projicit, ac ſine intermisſione plumeſcat, pene nullus ignorat. Non autem hic illud plumæ tempus dicitur, quo in nido veſtitur, quia tunc pullus ad Auſtrum alas extendere non valet, ſed illa annua pluma deſcribitur, quæ, laxata veteri pẽna, renovatur. Et quidem domeſticis Accipitribus, quo melius plumeſcere debeant, humida, ac tepentia loca requiruntur. Agreſtibus vero moris eſt, ut flante Auſtro alas expandãt quatenus eorum membra ad laxandam pennã veterem, venti tepore concaleſcant. Cum vero*

ventus deest, alis contra radios Solis expansis, atque percussis, tepentem sibi auram faciunt, sicque capto tepore apertis poris vel veteres exiliunt, vel novæ succrescunt. Confirmari hæc, quæ Gregorius dicit de Accipitribus nō cicuribus, possunt, quod hæc pennarum mutatio incipiat vere, perficiatur vero æstate: tum locus, vel Aviarium, in quod includuntur cicures, expediat esse expositum Soli, & Australi plagæ, ut Budæus hac ipsa de re disserens explicate præcipit. Tum illud observari solet, ut aviarium sit spatiosum, pluribusque perticis instructum, ut Accipiter non in una tantum desideat, sed moderato volandi exercitio in plumescēdo proficiat. Quod igitur ars, & industria humana faciunt, acceptum profecto esse oportet ab ipsa natura, quæ Accipitrem docuit, & Solē, & loca aprica, & aerem meridionalē captare, ut facilius amissis pennis veteribus, novis plumescant. Illud igitur quod est, *Expandere alas ad Austrum*, quāquam volitando fiat, at tunc volatus neque est, neque esse potest sublimis, diuturnus, vehemēs, quousq; pennarum mutatio perfecta fuerit. Quare verbo *expandendi*, seu *dispergendi*, explicatur; & recte convenit cum amissione pennarum; nam tunc pennæ decidentes disperguntur. ab eadem enim radice dicitur Ezech. 17. *In omnē ventum dispergētur. Sic plumescit Accipiter, dispergendo pennas suas ad Austrū.* Nā quod nonnulli existimant, nomen *alæ* originale *Canaph*, significare non pennas, sed integram alam; non est certum, quin potius frequēter pennarum, alarum, plumarum, nomina indiscriminatim usurpantur.

Gregorius. *Aviarium Accipitrū ad mutādas plumas, quale.* *Budæus.* *Volatus cur dicatur fieri expandendo alas.* פרש *Marinus.* כנף

6 Sed quia in hac *plumescendi* ratione, & Accipitrum intelligentia, nihil invenimus Scriptum a principib⁹ naturæ descriptoribus, tentandum est præsenti loco, alia quoque via lucem afferre, non nisi dubitanter, & timide in re incerta, & tantum suspicionibus exposita. An itaque locus hic tantum commendat volatum Accipitris, solem versus? nam Aelianus lib. 14. c. 12. quodam Vulturum genus proponit, quod fere verbis similib⁹ dicit, *expandere alas suas ad Austrum.* non quidem plumescēdi causa, sed sublimiori alia nimirū concipiendi, & genus suum propagandi, atque plumescentes pullos excludendi. verba hæc Aeliani; *Vulturem non nasci marem ajunt, sed fœminas omnes generari: quam rem non ignorantes hæ bestiæ, pullorumque solitudinem ac inopiam timentes, ad gignendos pullos talia machinantur; adversæ Austro volant, vel si Auster non spirat, ad Eurum ventum oris hiatu se pandunt. Spiritus venti influens, ipsas implet.* Cujus quoque rei videtur meminisse Ambrosius, scribēs, Vultures dici *sine concubitu concipere, & generare.* Rem eandē paulo immutatam scribit Orus. Neque vero hic curiosius distinguo *Vulturem* ab *Accipitre*; nam quæ sunt sub genere avium rapaciū valde cōfusa sunt. Cum hac vero suspicione facere potest, quod existimetur Accipiter solare animal esse, propterea que Apollini, id est, Soli ab Aegyptiis consecratum; *Cū Apolline autem*, inquit Aelianus, *idcirco convenientiam habere ajunt, quod de avibus Soli Accipitres semper nullo negotio adversos Solis radios intuentur, neque intentis oculis sursum versus iter suscipere gravantur, nec Divina flamma offenduntur.* Atq; adeo Strabo scribit lib. 17. Accipitrum civitatem in Aegypto esse, ubi Accipiter colitur. & Porphyrius libr. 4. de abstinentia ab animalibus, scribit Solem appellatum esse Accipitrem; quare fieri potest, ut propterea etiam Sole gaudeant meridionali; ideoque *expandant alas suas ad Austrū.*

Tentatur alia exponēdi via *Aelianus.* *Vultures quomodo concipiant.* *Ambros.* *Orus.* *Accipiter cur Apollini Sacer.* *Aelianus.* *Strabo.* *Accipitrum civitas.*

7 An forte illud Accipitrum genus mirabile indicatur, quod in Aegyptum advolat ineunte vere, ad speculandas Australes quasdam insulas, mirabili naturæ solertia, & intelligentia? hos Accipitres. *Tinnunculos*, Aelianus Vocat. cap. 14. & rem in hæc verba scribit, *Accipitres esse creduntur, qui censentur in genere Aquilarum. Ineunte vere delecti ex omnibus duo in Ægyptum allegantur, ad speculandas insulas quasdam desertas, quæ Libiæ adjacēt. Illi autem ubi reverterunt, præeuntes eo alios deducunt: quibus duobus cæteri peregre illius profectionis festum agunt: cum ad eas insulas pervenerunt, quas illi duo speculati commodiores sibi judicarunt: hic in multa quiete, & tranquillitate pariunt, & excludunt; passeresque, & columbas venantur: pullos cum magna redundantia alunt, deindeque firmos ad volandum in Aegyptum abducunt, tanquam ad paternas sedes.*

Accipitris Tinnūculi natura mirabilis *Aelianus.*

An tandem quod illi Accipitres fortiores, velociores, majoresque sint, qui in regionibus Aquilonaribus nascentes, versus Austrum volant? itaque sit hæc Aquilonaris Accipitris circumloquutio, *Versus Austrum pandere alas.* Sed in re dubia, & incerta non pœnitendum incertas, & dubias, verosimiles tamen suspiciones attulisse.

Accipitres Aquilonares præstātiores.

AQVILA.

XXVII. Numquid ad præceptũ tuũ elevabitur Aquila, & in arduis ponet nidum ſuum?

XXVIII. In petris manet: & in præruptis ſilicibus commoratur, atque inacceſsis rupibus.

XXIX. Inde contemplatur eſcam: & de longe oculi ejus proſpiciunt.

XXX. Pulli ejus lãbent ſanguinem: & ubicumque cadaver fuerit, ſtatim adeſt.

CVM Neq; apud ipſos profanos Scriptores omnino cõſtet, an Vultur ſit Aquilini generis ſpecies aliqua, cum omnia Aquilarum, Accipitrum, Vulturum genera permiſta ſint, non ſolum adulteratis nominibus, ſed etiam promiſcua, adulterinaque natura; præſertim cum quædam ex proprietatibus hoc loco indicatis *Vulturi*, non *Aquilæ* conveniant, ut dicemus, verſic. 30. certe neque nũc deſignare certo poſſumus, quam ſpeciem Aquilę ſignificet *Naſar*, quamquam mihi dubium nõ ſit, diverſam eſſe re, ſicut & nomine ab ea quæ præcedente ſententia deſcripta eſt, & vocata *Nets*. Ex peculiaribus autẽ Aquilini, aut Vulturini generis proprietatibus, illæ quærendæ ſunt, quæ cum hoc loco maxime congruant. Sententia vero videtur hujuſmodi.

נשר
Quod genus Aquilæ nunc deſcribatur incertum.

Numquid ita tu conſtituiſti rerum naturas, & ita eſſe voluiſti involucrũ genere, ut Aquila ſublimi volatu in ſupremam aeris regionem ſe ſe extolleret: tum vero etiam in ſublimibus, & præcelſis locis nidularetur? Ego ſane illi pro mea voluntate, quæ ipſa ſumma ratio eſt, certũ domicilum deſignavi, in quo familiariter habitaret, nimirum prærupta ſaxa, cauteſq; mortalibus inacceſſas. Tam acuta vero oculorum acie illam inſtruxi, ut vel ex editiſsimis locis deſpicere poſsit regiones inferiores, & inde ſpeculari, unde ſibi, ſuiſque pullis eſcam parare poſsit. An vero ſapientia tua Vulturini, aut Aquilini pulli edocti ſunt carnes adamare, & ſanguinem ſitire, atque exſorbere? Tum præterea ego ſenſum illis contuli pręſentiendi etiam ex longiſsima diſtantia corpora occiſa, ut ſtatim feſtinãter eo involent, & occiſorum carnibus, & ſanguine largiter paſcantur. Nihil enim eſt, quod mea Sapientia ego non inſtituam in vita, victuque opportuno procurandis, atque conſervandis. Nihil tandem, quod mea ego Providentia, atque benignitate non cõplectar. Sed hæc explicãda per partes.

Paraphraſis harum ſententiarum.

XXVII. Numquid ad præceptum tuum, &c.

1. Præceptum, verbũ, os. *Explicatus Moyſes.*
2. Altitudo, *quid propric. Aquila volatus ſublimis, & directus.*
3. Elevare, *quid. Aquila, & Accipitres nidulãtes in locis altiſsimis. Idumæa regio montana. Illuſtratus Abdias.*

AD *Præceptum tuũ.* In Hebræo propr. *Ad os tuũ.* quaſi diceret, Tuo dicto, tuo imperio, tum etiam, tua voluntate, & libito, facile. Diximus de hac phraſi, c. 33. verſic. 6. n. 2. Quare quod in Hebræo eſt, *Os Dei*; vertitur ab Interprete Latino, *Verbum Domini*, vel, *Imperium*, Numer. 13. 4. 1. Paralip. 12. 4. Reg. 24. 3.

1
Præceptũ, verbum, os.

Elevabitur Aquila. Verbum originale præcelſam, & præexcellentem altitudinem ſignificat; quare frequenter dicitur de *Divina altitudine*, & celſitate, Iob. 11. 8. Pſ. 112. 5. Iſai. 5. 16. & 52. 13. dicitur etiam de *Cælorum altitudine*, Iſai. 55. 9. Pſ. 102. 11. & tandẽ dicitur de ſuperbia, quæ affectat Divinam celſitudinem, & *ſimilis eſſe altiſsimo*, Pſ. 130. 1. Ezech. 16. 50. 1. Reg. 2. 3. Iſai. 2. 11. & ſemper, ubi hujus vocis originalis uſus eſt, ſignificatur inſignis, & pręcellens altitudo. Indicatur ergo hoc loco præcelſus Aquilæ volatus, ut Cęlũ prope contingere videatur, quod utique cum *Aquila* convenit, quæ ut Oppianus ait, *Aerem volatu ſuperat, & ſublimius evadit.* Atque ita elevatur, ut directo volatu aſcẽdat; quod etiam affertur verbo originali *elevandi*, videlicet rectitudo quædam, quod ſic teſtatur Aelianus libr. 14. c. 10. *Alliæ aves volandi idcirco diverticulis, flexionibusque in Cælum efferuntur, quod recta non poſsint: ſola Aquila directo volatu in ſublime fertur. Aliæ item rectam viã flectunt, cum ad terram delabuntur: Aquila deorſum verſus recta defertur.* Illud vero, quod R. David ſuper id Iſai. 40. *Aſſument pennas, ſicut Aquilæ*; refert ex R. Sahadia; Aquilam quolibet decẽnio aſcendere ad ignẽ elemẽtarem, cũ ſit maximi volatus,

2
Elevatio, aut altitudo, quid propric.

Oppian. Ireut.

Aelianus.

Aquilæ volatus directus.

R. David.
R. Sabadia.

Rabbi-

Rabbinicũ videtur. Sed de hoc dicemus iterum statim, ubi de *nidificando*, & vers. 29. ubi de *contemplanda esca*.

3 LXX. *Et in arduis ponet nidum suum.* Iã hic Septuag. subolfacientes Vulturũ proprietates, *Vulturem* nominant; *Aut vultur super nidum suũ sedens moratur?* Sed non dubiũ, quin ea ratio *nidulandi in arduis* cõmunis sit, universo fere Aquilino generi, Accipitri, Vulturi, Aquilæ, quæ omnes alites *Elevant nidum suũ*, ut hoc loco legimus ex Hebræo. nã verbũ originale solet accommodari ad eã altitudinẽ, quã habet pars aliqua eminens supra cæteras ejusdẽ generis; quare dicitur de altitudine montiũ, Deut. 12. & *Cornuũ*, Ps. 106. & *Oculorũ* Prov. 26. & quia hujusmodi loca sunt separata, ideo idẽ verbũ significat, *separare*. Ergo significatur Aquilinum genus nidulans in locis altissimis, & ab omni tũ hominũ, tum aliorũ animalium accessu remotissimis. de *Accipitre*, Arist. de hist. lib. 9. c. 11. *Accipiter in locis saxosis; & arduis nidulatur.* & de *Vulture*, tum Arist. adductus, tum Plinius lib. 10. c. 6. *Nidos nemo attigit; nidificant in excelsissimis rupibus.* de Aquila Plinius; *In petris, & arboribus nidificare* scribit; quã rem luculentius dixit Arist. & verbis in rem nostrã opportunis lib. 9. c. 32. *Nidulantur locis non planis, sed celsis, præcipue quidem arduis saxis, & præcipitibus.* Causam subjicit duplicẽ, *ut tutiores ab insidiis sint, & quia difficulter a terra tolluntur.* Res explicate tradita Abdiæ. 1. 4. *Si exaltatus fueris, ut Aquila, & si inter sydera posueris nidũ tuum; inde detrabam te, dicit Dominus.* Idumæi enim, quibus cum loquitur, in montanis habitabãt, & de regione munitissima sibi blandiebãtur. Præcessit enim, *Superbia extulit te habitantẽ in scissuris petrarum. Exalta soliũ tuũ.* & Ieremiæ. 49. 16. *Qui habitas in cavernis petræ, apprehendere niteris altitudinem collis; cum exaltaveris, quasi Aquila nidum tuum, &c.*

Elevare, quid proprie.

גבה

Accipitres, & Aquilæ nidulantes in locis altissimis, & remotissimis. *Aristot.* *Plinius.*

Idumæorum regia mõtana.

✠ XXVIII. In petris manet, &c.

1. Dens petræ, quid apud Hebræos. Quoddam Aquilæ genus amans montes, quoddam littora.
2. Aquila, Divina, visu pollens. Quorsum Kaldæi comparati cum Aquilis Aquilonaribus.
3. Aquila Tyrãni, & Avari Symbolũ. Pennæ Aquilinæ amantes auri. Aquila invidum animal.

1 MAnet, &c. Commoratur, &c. In Heb. *Commoratur super dentẽ petræ, & super arcem.* id est, in locis valde prominẽtibus, instar dentis; & in locis natura sua munitissimis. Quod autẽ dicit, *manet*, & *cõmoratur*, non solũ indicat quod eo ascẽdat, sed quod jugiter, & familiariter ejusmodi loca frequentet. & ibidẽ pernoctet. Quod verbis fere synonymis scribit Plinius lib. 10. c. 3. de illo Aquilę genere, quã Græci Melænacton appellant, *Magnitudine minimã, colore nigricantẽ, viribus præcipuã. Sola*, inquit, *sine clangore, sine murmuratione, conversatur in montibus.* Et quidem Arist. lib. 9. c. 32. alia etiam Aquilarũ genera cõmemorat, quæ loca plana, sylvas, lucos, & littora amant. Forte etiã hæc ratio *manendi in petris*, indicat id, quod Aristot. eodem in loco scribit; *Considat in locis editioribus, quia difficulter a terra tolluntur.*

Dens petræ, quid.

Plinius.

Melænacti propria.

Aquila amans montes. *Aristotel.*

Quoddã Aquilę genus amãs sylvas, & littora.

✠ XXIX. Inde contemplatur escam, &c.

ARistote. loco proximo adduct⁹; *Volant sublimes, ut perquã maxime procul aspiciant. qua propter homines solã aviũ omniũ Aquilã Divinã perbibent.* Atq; a Deo tantũ pollere oculorũ acie scribit Isidor. lib. 12. c. 7. ut *cũ super maria immobili pẽna feratur, nec humanis pateat obtutibus: de tãtã sublimitate pisciculos natare videat; ac tormẽti instar descendens, raptã prædam pennis ad littus pertrahat.* quo videtur fieri allusio, Deuter. 28. 49. cum minatur hostes, quasi Aquilam in prædã velocissime involaturos. *Adducet Dominus super te gentẽ de longinquo, & de extremis terræ finibus, in similitudinẽ Aquilæ volantis cũ impetu.* & Habacuc. 1. 8. *De longe venient, volabũt, quasi Aquila festinans ad comedendum, omnes ad prædam venient, facies eorum ventus urens.* Vt forte videatur insinuasse Aquilam volare ex adverso vẽti urentis, & Australis; nam cum Chaldæa esset ad Aquilonem, videtur comparare Chaldæos cum Aquilis Aquilonaribus volatu, atque aucupio velocissimis, quæ *de longe contemplantur escam.* Qua in re Symbolum gerit Aquila potentissimi alicujus Tyranni, qui sedis suæ fastigium, & volatus celsitudinem eo confert, *ut contempletur escã*, & imbelles alias animantes rapiat. Quare quamvis Regina avium appelletur, & ex Aquilæ significatione, ut Aelianus scribit, *Filium suum nomine Midã, Gordias Regem fore cõjecit: cum supra hujus caput arãtis primo volasset. deinde totum diem in jugo sessitare non prius destitisset, quã is ad vesperam arationem dimisisset.* tamẽ, ut idẽ Aelianus docet, Aquila, *Violentũ potius animal, & Tyrannicũ est: neque modo in assequendis ad vivendum*

2 *Aristot.*

Aquila Divina. *Isidor.*

Aquila visu pollens.

Chaldæi comparati cum Aquilis Aquilonaribus.

3 Aquila symbolũ tyrãni.

Præsagium regni ex aquila. *Aelian. lib. 14 cap. 4.*

neceſſariis rapinas facit, ſed etiam uſu carniū delectatur. quare Chaldæorum avaritiam, & rapinam cū Aquila comparat Abacuc. 2. 9. *Væ qui congregat avaritiam malam domui ſuæ, ut ſit in excelſo nidus ejus, & liberari ſe putat de manu mali.* ducit enim metaphoram a nido Aquilarum, in quem ad alendos filios, venationem convehit. Atque recte etiam Principis avari noxia ſocietas, & vicinitas mala ſignificabitur per Aquilam; *Nam non modo præſentē, & vivētem cæteræ omnes volucres extimeſcunt, atque ejus conſpectum exhorrent, & pennæ ejuſdē, ſi quis cum aliarum pennis commiſcuerit, incorruptæ atque integræ manent; aliæ cum illis communitatem non ferentes, putreſcunt.* Videtur enim rapina, ſitis, & fames cum ipſis avaris defunctis dormire, & habere oſſa plena avaritia. quippe etiam de aliquo Accipitrum genere ſcribitur, quod ſi *Oſtibiæ illorum ad aurum admoveatur, ſic ipſum illecebra quadam mirabili ad ſe attrahit quemadmodum Heracleotem lapidem ſua vi prædicant, quaſi præſtigiis, & captionibus ferrum ad ſe attrahere.* Denique quid ad Principes avaros, & ambitioſos ſignificādos magis idoneum, quam quod *natura ſit invida, & famelica,* ut Ariſtotel. ait; atque adeo *invidet ſuis liberis jam majuſculis, quaſi edaciuſculis. Atque aliæ ab aliis lōgiſſime ædificant, ne mutua ex loci propinquitate inopes prædæ pereant.* Quod utinam avari ambitioſique præſtarent; neque alter alteri injuriam inferret.

Principis avaritia ſocietas noxia ex Aquilæ ſymbolo.

Aelianus lib. 14. c. 17.

Pennæ Aquilarum noxiæ, & rapaces.

Aelianus lib. 14. c. 1. Plinius lib. 19. c. 3.

Ariſtotel. lib. cap. 39.

Aelianus lib. 14. c. 17.

Ariſtotel. lib. 9. c. 34.

Aquila invida.

XXX. Pulli ejus lābent ſanguinem, &c.

1. *An Aquila bibat aliquando.*
2. *Aquilæ genus pullos ſuos ſpargēs ſanguine. Eucharistiæ ſymbolum.*
3. *An aliquod Aquilarum genus gaudeat cadaveribus. Perenopterus*
4. *Vultur præſentiēs cadavera. Eſt acutiſſimi odoratus. Illuſtratus Habacuc.*

1

Aquila an vivat ſine potu.

Ariſtotel. Heſiodus. Oppianus. Aelianus.

עלע

AQuilam non bibere docet Ariſtoteles atque eo nomine carpit Heſiodum lib. 8. de hiſtoria, cap. 18. quod cum *Aduncæ aves vivant prope ſine ullo potu, Heſiodus tamen faciat Aquilā bibentem.* Forte quod *illis ſit pro potu ſanguis prædæ,* ut Oppianus ſcribit. hujus vero rei hiſtoriam opportunis in noſtrum locum verbis, deſcribit Aelianus, cap. 17. *Aquilæ nullas fruges exedunt, & conficiunt, ſed carnes vorant, & ſanguinem exſorbent.* quod enim hoc loco dicitur *lambere*, proprie eſt in originali, *deglutire*, aut *exſorbere*, ut alii vertunt. Septuaginta vero legunt, *Pulli ejus conſperguntur in ſanguine.* Quod forte videretur alicui reſpicere ad illud *Vulturis*, ſeu *Aquilæ* genus, cujus Aelianus ex acceſsione Gyllii meminit, cap. 13. quod nihil in amore ardentius habet, quam pullos; & ſic in alendam prolem incumbit, *ut non ſe expullorum loco commoveat: ſi quando nutrimenti facultas deſit, ne fame pulli pereant, fœmori ſuo vulnus infligit, & manantem ſanguinem eis ipſis exſorbendum dat.* Quod ſi hoc paternæ charitatis documentum eſt: quale illud erit; Chriſtum Ieſum Aquilā veriſsimam, non ex fœmore, ſed univerſi corporis ſanguinē, pedibus, manibus, pectore, toto corpore manantem, filiis ſuis inſtar pullorum Aquilæ in fide perſpicacibus inſperſiſſe, ſaginaſſe bibēdū propinaſſe? Auguſtinus vero hanc Septuagint. lectionem ſic habet; *In ſanguine volutantur.* Quod, ut Nicetas indicat, videtur conjungi cum parte ſequente; *Sanguinem adamāt, & in locis ubi ſauciorū, occiſorumq; cadavera ſunt, verſantur,* de quo ſtatim.

LXX.

2

Vulturis genus ardentiſsime in pullos charitatis.

Gyllius.

Aquila ſanguine inſpergens pullos, Chriſti IESV ſymbolum bibendū ſe præbentis.

Auguſt.

LXX

Nicetas.

Et ubicumque cadaver fuerit, &c. Aquilis in univerſum tribuitur veſci cadaveribus; & proculdubio non omnium generū commune eſt, ſed alicujus tantum; ſicut enim non omnes ſunt carnivoræ, *unā una quæ Iovis appellatur, carnes non attingit, ſed ad victum ei herba ſatis eſt,* ut Aelianus ſcribit; ita Ariſtot. ex Aquilis unum tantum genus videtur nominare, quod cum cadaveribus verſatur. & forte hæc eſt, quam *Perenopterum* Plinius vocat, *Ieiunæ ſemper aviditatis, & querulæ murmurationis, quæ ſola Aquilarum exanima fert corpora.* quod deſcripſit ex Ariſtotele lib. 9. c. 32. Atque Oppianus teſtatur, *Aquilas nullum attingere cadaver, niſi forte ab ipſis relictum poſt venationē.* Idemque de Falconibus, & Accipitribus ſcribit Albertus. Quod videtur facere cum ipſa præſtātia, & ſuperbia Animalis; Sicut enim Leo quadrupedum Rex, dedignatur cadavera; ſic etiam, & Aquila Regina volucrum. Cæterum dubitari non poteſt, quin cadaveribus gaudeat aliquod Aquilarū genus, tū propter hunc locum, tum propter illud Matth. 24. 28. Lucæ, 17. 37. *Vbicumque fuerit corpus,* (mortuum) *illuc congregabuntur Aquilæ.* quod hic dicitur, *ſtatim adeſſe.*

3

Aquila nō in univerſum veſcitur cadaveribus.

Aelian. c. 1.

Perenopterus

An Aquila veſcatur cadaveribus.

Ariſtot. Oppian.

Albert.

Quod autem hic dicitur *cadaver*, proprie eſt in originali *Corpus occiſi*, aut *vulnerati*. ut videatur reſpicere illam pervulgatam Vulturum proprietatem præſentiendi, atque etiam præſagiendi futuram hominum ſtragem. nam hujuſmodi Vultures ſanguinarii ſunt, & ſanguinem

4

Vultures ſanguinarii, & obſervatores cadaverum.

חלל

exſor-

Aelianus lib. 14. c. 12. exſorbent. Propterea ſcribunt, *hominem vicinum ad moriendũ diligẽter obſervare. Tũ etiam expeditos in bellum exercit⁹ præſentione quadam conſequuntur, planè ſcientes, & quod ad bellum proficiſcuntur, & quod omnis pugna ſtrages edere ſolet.* Quare illud, quod ab Aeliano ſcribitur cap. 13. *Futuro bello ſeptem ante dies, quã pugna committatur, locum prævidere, in eamque partem, in qua alterutra pars ſucumbet, reſpectare*; vel, ut Plinius ſcribit, cap. 6. *Triduo ante, aut biduo volare, ubi cadavera futura ſunt*: quod referendum potius videtur ad odoratum acutiſsimum, quo ex longiſsima diſtantia odorem percipit cadaverum. Quo profectò alludere poteſt illa, quam diximus ex Ieremia, & Abacuc, hoſtium velocitas *inſtar Aquilarũ* ex longiſsima diſtantia convolantium, vel propter cædis præſagiũ; vel propter certitudinem; non enim ſecus accelerabant, quam ſi jam cadaverũ odorem percepiſſent, ut *ſtatim tempore adeſſent*; quippe hoſtes inſtar Vulturum, nõ niſi ex alieno damno, & ſanguine paſcuntur, & pingueſcunt.

Vultur acutiſſimi odoratus

Hoſtes inſtar Vulturum.

XXXI. *Et adjecit Dominus, & loquutus eſt ad Iob.*

1. *Nexus, & opportunitas Divinæ Orationis.*
2. *An hæc Dei oratio fuerit de turbine.*
3. *An nũc quoq; externis percepta fuerit Dei vox.*

NON Dubium, quin Dei ſermonem conſequutum fuerit ſpatiũ aliquod atque ſilentium, quo illa turbinis vehemẽtia remittente, & timore, qui initio Divinarum revelationũ accidere ſolet, abeũte, Iobi animus Dei oratione tranquillatus, & Divinorum operum conſideratione defixus, ſilens, & immotus perſtitit; nõ ſolũ enim inſtruebatur exterius per vocem, ſed interius etiam docebatur, pauca hæc, quæ ex infinitis prope animãtiũ, rerumque generibus producta ſunt, manifeſte oſtendere Divinam Providentiam, atque benignitatem, ſuas cuique vires tribuentem, opportunis ad vitam, & cõſervationem muneribus, & facultatibus munientem, cunctorum cõmoditatibus proſpicientem, nihilque relinquentẽ ſua Providentia, conſilioque deſtitutum. Oportere proinde bene de Divina Bonitate ſentire, atque in ipſis ærumnis, difficultatibusque maximis, ſpem de illius potentia, atque ſapientia firmam, & conſtantẽ retinere. Hæc cogitantem Iobum, rurſus Deus ſua voce excitat.

1 *Nexus cũ præcedẽtibus.*

2 *Divinæ vocis opportunitas.*

Sed ante alia, dubitationi ſatisfaciendum, An in hac ſecunda oratione, loquatur adhuc de turbine? Cajetanus quidem affirmat, jam nunc Deum abſque turbine loqui. Nicetas ait *Audita Dei voce, gaudio ut par erat, exſiliiſſe* Iobum; quod quidem argumẽto eſt, jam illa ceſſaſſe, quæ timorem afferebant. Ego certe in hac re nihil habeo certi; quamquam vero ſimilius exiſtimem, ſemper cum Dei voce, aliquẽ fuiſſe turbinis, mitioris licet, fragorem; ſed Divinę vocis magnitudine minorem. Sic enim decebat Dei majeſtatem loquentis; Sic quoque impedimento eſſe non poterat Iobo auſcultanti. Vide, quæ diximus, c. 38. quæſtiuncula, 4. Tum præterea quoniam cum ſequenti ſtatim capite loquatur de turbine Dominus, non videtur intermiſſus turbo tam brevi ſpatio.

An Deus nũc quoque loquatur de turbine. Cajetan.

Veriſimilior dubitationis reſponſio.

3 Illud præterea, an hæç Dei ſecunda oratio, fuerit externo ſono formata; & auditu a Iobo percepta? nam D. Thomas aſſerit, fuiſſe tantum interius Iobo inſpiratam. Sed quidem & externam fuiſſe, & ejuſdem omnino rationis cum prima, iiſdem rationibus probari poteſt, quibus uſi ſumus initio; c. 38. q. 3.

An hæc Dei loquutio fuerit externa. D. Thom.

XXXII. *Numquid qui contendit cum Deo tam faciè conquieſcit? Utique qui arguit Deum, debet reſpondere ei.*

1. *Duplex ſententia acceptio, & explicatio.*
2. *Elucidata Græcorum lectio.*
3. *Cujus rei reſponſio poſtuletur a Iobo.*

SEntentia facilis, ſed quæ non uno tantũ modo accipi poteſt; nã proprie in Hebræo legitur, *Numquid contendere, aut, litigare cum Deo, eruditio?* q. d. Quamvis ineruditi animi, parumque ſapientis ſit cũ Deo ſapiẽtiſsimo, ratione, & judicio velle contendere, aut litem illi intendere: at ſaltem oportet, ut aliquem hujus contentionis fructum percipias, & eruditus atque caſtigatus maneas, ſapientiorque in poſterum efficiaris. Utinam igitur ſalutarem aliquem Divinæ correctionis, Divinæque caſtigationis fructum percipias, Nam verbi originalis quod eſt docere, caſtigare, erudire, hæc videtur proprietas. Si vero ad doctrinam, & eruditionẽ, quaquis præditus eſt, referatur, hæc erit ſententia; Nunc jã cognoſces, ■ Iob, ſapientis non eſſe Deum provocare, a quo facile compeſci, & comprimi poſſunt humani omnes impetus, & conatus. diceremus nos; *Parece os ahora, que a ſido diſcrecion,*

1 *Duplex ſentẽtiæ explicatus idoneus.*

יכח

Secunda expoſitio eruditionis.

Aliorũ interpretatio min' idonea.

poneros con Dios a razones? Paulo ſecus Vatablus; Non eſt ille bene eruditus, neque bene obſequens Divinæ diſciplinæ, & caſtigationi, qui Deo caſtiganti obſtrepit, & litem intendit. Obſcurior multo Græcorum lectio; *Numquid judicium cum Omnipotente declinat?* Quod in hunc ſenſum ego accipio; Videtur ne nunc tibi infirmior eſſe Dei cauſa? an ſuperior evaſiſti Divino judicio? Nicetas per paraphraſim; An me, quaſi minus idoneam, atque probabilem orationem attulerim, a te refelli poſſe arbitraris? Latinus autem Interpres rem totam ut illuminaret, & tum Iobi ſilentium, tum animi obſequentiſsimi demiſsionem, atque Divinæ Orationes efficacitatem ſignificaret, dixit Iobum paulo ante querulum, ægro, & perturbato animo, audita Dei voce mirabiliter delinitum *conquieviſſe*. Nã quod Dionyſius interpretatur, non debere *conquieſcere*; id eſt, *dimitti, ut quieſcat*; ſed potius *fortiter examinari, & exerceri*; valde alienum eſt.

2 LXX.

Nicetas.

Dionyſ.

3

Vtiq; qui arguit Deũ, debet reſpondere. Leniſsima correptio, quæ reſpondendi facultatem non adimit, ſed potius ad reſpondendum invitat. Sed ad quid nam jubetur Iobus reſpondere? Nicetas per Paraphraſim; *Iudicio, quod de te antea feci, reſponde. id eſt, Quid judicii, quid rationis, afferas, expecto.* Si verbum *reſpondendi* proprie, & ſtricte deberet accipi, certe referendum eſſet ad ea, quæ proxime diſſeruerat Deus de mirabili quorundã Animantium natura ad Divinæ Potẽtiæ, Sapientiæ, & Providentiæ confirmationẽ. Quaſi dicat; Si quid habes, quod objicere poſsis, proferto. Vatablus nimium preſſe, & ſtricte, *Qui conatur convincere Deum, reſpondeat ad hanc interrogationem, nempe, An contendere cum Deo, ſit ſe ipſum caſtigare.* Sed profecto reſpõſum Iobi indicat aliquid aliud a ſe requiri. Ergo illud videtur cum tota re melius convenire, ut verbum *reſpondendi*, libere accipiatur, & ad ea omnia referatur, quæ hactenus pro ſe dixit; Si quid habes, quod pro te dicere debeas; quod tibi faveat; quod mihi incommodet; quod tuam juſtitiam tueatur; quod meam æquitatem, aliqua ex parte lædere poſsit, tibi per me proponere licet. Eleganter Nicetas; *Neque vero hæc dicit, quod de Iobi religioſa mente quidquam dubitet. Verum ut amici ex iis, quæ reſponderit, cujuſmodi Iobus ſit, intelligant.*

Nicetas.

Cujus rei reſpõſionem exigat a Iobo Deus.

Vatabl.

Simplex. & idonea expoſitio.

Nicetas.

XXXIII. *Reſpondens autem Iob Domino, dixit.*

XXXIIII. *Qui leviter loquutus ſum, reſpondere quid poſſum? manum meam ponam ſuper os meum.*

XXXV. *Unum loquutus ſum, quod utinam non dixiſſem: & alterum, quibus ultra non addam.*

1. *Iobi Reſponſum pietate ſimul, & urbanitate plenum.*
2. *Varia Hebraizantium expoſitio, & lectio.* Leviter loqui, aut Maledicere quid. *Illuſtrati Moyſes, Ieremias, Ezechiel.*
3. Loqui *active, aut paſsive.* *Elucidati Septuaginta. Iob non cum Iehova, ſed cum Deo judice loqui poſtulans.*
4. Ponere manum ſuper os, *cujus geſtus. Percuſſio pectoris, quid ſignificet.*

Diximus cap. 4. Divinis revelationibus primum afferri, & effici timorẽ, poſtea lætitiã. Iam nunc igitur animæquior factus Iob, & depulſo tædio, quo ex reſpõſionibus amicorum affectus fuerat, ne videatur nihilo plus ex Divino ſermone profeciſſe, quam ex oratione Eliu, reſpõſum præbet breviſsimum, ſed pietate, & urbanitate pleniſsimum; quo ſic ſe victũ fatetur, & victoriæ inſignia Deo defert, ut nunquam veritatis tuendæ ſtudiũ deſerat; nam nihil graviter erratum a ſe agnoſcit; tantum *leviter*, ut jam explicabimus.

1

Iobi reſponſum pium, & urbanum.

Qui leviter loquutus ſum. Hebraizantes alii ad contemptum, & abjectionem loquentis referunt; *Contemptibilis ego ſum*, vilis. Septuaginta. *Cum nihil ſim.* Sed procul dubio verbum originale ad verba refertur, quibus aliquis alium male tractat, aut leviter accipit, aut deſpicit, & vilipẽdit. quod verbum ſubeſt cap. 3. 1. Cũ Iob *Maledixit diei ſuo*, id eſt, viliſsime, & abjectiſsime de illo loquutus eſt. Exempla opportuna eo loco protulimus; ſed nunc non minus commoda accipe, Ierem. 6. 14 *Curabant contritionem populi mei cum ignominia.* proprie, *cum levitate*; vel cum facilitate, leviter de illa loquendo, ſicut de rebus abjectiſsimis leviter, & cum ignominia ſolemus loqui, *No haziendo caſo, y hablando a poco mas, o menos.* Levitici 19. 14. *Non maledices ſurdo*: non afficies

2

Varia Hebraizantiũ expoſitio, & lectio.

קלל

Leviter loqui, aut Maledicere, quid.

injuria ulla, quam ille audire non potest. Ezechie. 22. 7. *Patrem, & Matrem contumeliis affecerunt.* vilipenderunt, leviter tractarunt.

3 Ergo Interpres rem ipsam dixit, *Leviter loquutus sum*. quod ad contemptum quendam verborum pertinet. Sed cum active, aut passive accipi possit, duplex inde sensus; prior, quem indicarunt, Septuaginta, & Hebraizantes; Contemptus sum, & leviter tractatus a te, o Deus sapientissime, ut par erat; quid igitur homo vilissimus audeat coram te loqui? ut illud * *Loquutus;* sit. quasi passive, Cõtemptus ego verbis Divinis. Posterior sensus, & quem merito expressit Interpres ex ipsa originali proprietate participii activi; *Loquutus leviter*, parvipendens ego, non ea ratione qua de Deo, & de Divinis, par est, mortalem loqui. Septuaginta longiorem paraphrasim sentẽtiæ reddiderunt; *Quid adhuc ego judicor commonitus, & arguẽs Dominum, audiens talia, cum sim nihil?* Quod expositore Niceta, hanc habet interpretationem; *Abstictus sum; quid ergo longius animadversionem producis? Quam ob rem isthæc audio, & admoneor, perinde quasi a me Deum redargui rectum sit, qui nullius pretii, ac plane nihil sim?* quasi dicat, Ita videor reprehendi, & ita mihi satisfacere velle videris, ac si ego tuã causam læsissem; & par esset, ut cum homine mortali supremus rerum Cõditor judicio ageret. Cum quo sensu facit, tum quod pro *Domino* est, hoc loco, *Iehova*, totius entitatis, & substantiæ creaturarum fons, & origo, cum quo nõ licet homini expostulare, neque loqui. At vero cũm Deo, *El*, judice, postularat Iob aliquando colloqui, ea tamen conditione, ne magnitudine sua, quam affert nomẽ *Iehova*, illũ deterreret, & opprimeret: Tum quod Iob animo demissior, & ægritudine levatus ex Divino sermone, negat se jam velle, quod aliquando postulavit.

4 *Manum meam ponam super os meum.* Gestus est, ut Cajetano videtur, agnoscentis peccatum oris, & verborum, sicut manu pectori admota agnoscimus, & fatemur peccatum cordis. Sed proculdubio res, ratioque longe diversa, nam *manum ponere super os*, non est percutere os, sed potius arte, & ratione certa, manu compescere labia. nam percutere, & verberare pectus, aperte indicat repeti pœnitentiam ab illo, unde *exeunt cogitationes, adulteria, blasfemiæ, &c.* Sua igitur manu Publicanus verberabat conscientiã, & pro-

Io qui. active, aut passive.

* Estoy hablãdo de vos, como yo merezco.

LXX.

Nicetas.

Iob cum Iudice Deo, nõ cũ Iehova loqui postulans.

Cajetan.

Ponere manũ super os, cujus gestus.

Tunsio pectoris ad pœnitẽtiam.

Matth. 15. 19. Marc. 7. 21.

debat auctorem delicti latitatem sub pectore. ut enim Augustinus dixit Sermone 8. de verbis Domini; *Tundere pectus quid est, nisi arguere, quod latet in pectore, & evidente pulsu occultum castigare peccatum?* Ergo ille gestus non est percutientis, sed diuturnum silentium sibi ipsi imperantis. Vide supra cap. 21. 5. Michæ 7. 16. Quare eleganter hoc loco Olympiodorus, ex persona Iobi; *Non mihi verba deerant, quãdo quasi peccatorum meorum pœnas luerem, condemnabar. Ad ea autem, quæ tuam potestatem; atque sapientiam attingunt, quidquã vel addere, nefas est.* Vide, quæ diximus, c. 9. versicul. 3. super id, *Non poterit ei respõdere, &c.* Et ubi de silentio justorum disseruimus, cap. 3. versicul. 1. & versicul. 2. num. 3. cap. 13. versicul. 19. num. 4.

August.

Olympiod.

XXXV. *Vnum loquutus sum, & alterum, &c.*

1. *Quinque minus idoneæ interpretandi rationes.*
2. *Simplex interpretatio*
3. *Cujus nam peccati sermonis, Iobum pœniteat.*
4. *Formula excusandi lapsum verborum.*

FEre universi Interpretes existimant Iobum se accusare duplicis errati, sed in illo assignando longe discedunt; Divus Thomas duo hec assignat, Primum, quod voluerit cum Deo disputare, Secundum, quod suas justitias visus sit, Divinis judiciis prætulisse. Albertus, primum, cum dixit se a Deo affligi *non æquo judicio*; Secundum, cum queritur, graviorem esse calamitatem suis meritis, si *appendantur in statera*. Gregorius duo tantum distinguit tempora, alterum ante calamitatem, cum forte leviter peccavit; alterum, post calamitatem, cum nõ omnino siluit ad Dei verbera. utrumque igitur tempus accusat. Philippus, illa duo verba esse existimat, *Elegit suspendium anima mea:* & illud alterum, *Si flagellat, occidat semel, & non de pœnis innocentum rideat.* Cajetanus item aliter, primum, cum pollicetur sibi victoriam in Divino judicio, *Scio, quod justus inveniar, &c.* rursus illud, cum postulavit, ostendi sibi, *quantas habeat iniquitates, & peccata.*

Verũ, quod ad phrasim loquendi pertinet, nihil profecto aliud significatur, quã non semel loquendi modũ excessisse, quasi diceret; Semel, atque iterum, sæpe etiã erravi. sed ita me deinceps cõtinebo, ut iterum labi non contingat; obmutescam igitur, *& non aperiã os meum, quoniã*

1

Varia interpretatio.

D. Thom.

Albert.

Gregor.

Philipp.

Cajetan.

2

Simplex explicatus.

Psal. 38. 10.

tu feciſti. Non eſt ergo quærendus ille numerus binarius nimium ſolicite. Sapienter enim dixit Gregorius; *Si tranſacta beati Iob verba diſcutimus, nihil eum nequiter dixiſſe reperiemus: ſi vero dicta ejus, quæ cũ veritate, ac libertate prolata ſunt, in aliquo ſuperbiæ vitio flectimus, duo jam ſolummodo nõ erunt, quia multa ſunt.*

Gregorius.

3 Quomodo Iob dicatur verbo lapſ⁹.

Ex hoc jam loco fere colligunt Interpretes omnes cum Gregorio, non tã Lapſum fuiſſe Iobum peculiari aliquo verbo nequam, aut falſo, quam paulo liberiori oratione. Oportuiſſet enim paulo modeſtius, pauloque demiſsius de Deo diſputaſſe, paucioraque de ſua juſtitia, & innocẽtia loquutum, ne in ſpeciẽ videretur aliquid Divinæ æquitati, & Providentiæ detraxiſſe: Sic Gregorius ait; *Dicta illius cum libertate prolata: at in aliquo ſuperbiæ vitio flecti poſſe.* Tum etiam, *quamvis res flagello dignas non egiſſet, at illicite loquutũ fuiſſe, id eſt, de flagello murmuraſſe. Igitur minus ſe patientem in verbere agnoviſſe.* Et Philippus ſuper id cap. 17. *Non peccavi;* Sic ait; *Non omne, quod loquutus eſt, ita rectum fuit, ut per ſe tanquam plenum, & conſummatũ ſine aliqua reprehenſione fuerit. Licet in ipſis reſponſionibus non potuit carere eccato.* Cajetanus *imprudentiã* illi tribuit, ſuper id cap. 19. *Scitote, quia Deus nõ æquo judicio affiixit me.* Denique cum hoc videtur facere illorum ſententia, qui de Iobo accipiunt id, cap. 38. *Quis eſt iſte involvens ſententias ſermonibus imperitis?* ubi eam ſermonum *imperitiam* varie tractavimus, & conjunximus cum illo, cap. 42. *Inſipienter loquutus ſum, &c.* Vbi nos iterum. & cum tandem pronuntiat Deus; *Non eſtis locuti rectum, ſicut ſervus meus Iob.*

Gregorius.

Philipp.

Cajetan.

Illud vero, *Quod utinam non dixiſſem;* illuminationis gratia additum eſt ab Interprete, ut eum animi affectum exprimeret, quem affert verborum pœnitẽtia, aut excuſatio aliqua, cum in dolorem, vel ægritudinem, rejicimus ſermonis vel aſperitatem, vel temeritatem; ut illa dolore, & amore furens Medea ad Iaſonem; 4 Aſperioris ſermonis excuſatio.

. . . Illud jam voce extrema peto
Ne, ſi qua noſter dubius effudit dolor,
Maneant in animo verba: ſed melior tibi
Memoria noſtri ſubeat: hæc iræ data,
Oblitterentur . . . . .

Sen. in Medea act. 3.

Reſpõdet vero Iaſon, quæ & cælitus Iobo a Numine dicta videri poſſunt;

. . . . Omnia ex animo expuli,
Precorque, & ipſe fervidam ut mentem regas,
Placideque tractes: miſerias lenit quies.

)?(



PARA-

CAPUT XXXIX.

1 *Numquid nosti tempus partus Ibicum? * vel parientes Cervas observasti?*

2 *Dinumerasti mēses cōceptus earum: & scisti tempus partus earum?*

3 *Incurvātur ad fœtū & pariunt, & rugitus emittunt.*

4 *Separātur filii earum, & pergunt ad pastū: egrediuntur, & non revertuntur ad eas.*

* 5 *Quis dimisit onagrū liberū? & vincula ej9 quis solvit?*

6 *Cui dedi in solitudine domum, & tabernacula ejus in terra salsuginis.*

7 *Contēnit multitudinē civitatis, & clamorē exactoris non audit.*

PARAPHRASIS
Capitis præcedentis.



AN TVAE SAPIENTIAE, Tuæque artis fuit, [a] Ibices, Capreas, Rupicapras condere pernicitatis mirādæ, solidissimis cornibus instructas, petrarum, & rupium amantes, in quibus assidue commorentur, & vel pariant, vel concipiant statis a natura tēporibus, atque partus suos, summa indulgentia, atque charitate tueantur, & occulant? Tum etiā ut illæ, instar Cervarum, & Tragelaphorum, in speluncis sua sponte contectis concipiant.

* An tibi sunt in numerato dies partus [b] Cervarum, ut illis parturientibus, & præ dolore rugientibus, opituleris? An tua providentia illas tuetur, ut cum semper sunt in metu ac fuga, semper imbecillæ, & perpetuo circumsilientes, partum non abigant? docuisti ne illas ad fœtum concipiendum subsidere; ad emittendum vero, & perferēdam vim dolorum, procumbere, flectere, incurvare se, ut corporis vasa, & viæ laxentur: ad lactandum vero, & nutriēdum recenter natū, terræ se se apprimere, in qua hinnulus affixus est? [c] An illarū dolores solvisti, docuistique herbam, qua faciliorem haberent uterum, ne membranas, & intestina abrumpant? An cum rugiunt præ dolore, illarum dolores sedabis, & profligabis, ne semper in dolore sint? An ne virtute tua effectum est, ut hinnulorum incrementum celere sit, & discriminum atque venatorum inexperti, stupeant omnia, atque etiam obivos se præbeant sagittantibus? docuisti vero illos matrem deserere, pasci recenter depulsos ab uberibus matrum, digredi; & matrem jā oblitos, sui juris esse, & vagari pro libito? Divina sunt hæc opera, sublimiores Divinorum operum rationes, & consilia, humana mente sublimiora.

Sunt sane [d] quædam animalia domestica, ad serviendum nata, & Humanæ curæ demādata, qualis est asinus, cognoscens præsepe Domini sui, at hujusmodi servitute, virga, camo, vinculis exemi ego Onagrum, & large ac liberaliter sustēto, nulli præsepio alligatum, sub nullo tecto commorantem, urbanum tumultum, & multitudinē fori deridentem, non gementem sub onere, non addictum servituti exactoris alicujus urgentis, clamantis post tergū, virga tundentis, & stimulo pungentis. Delicatiores cibos cōtemnit, contentus præsentibus: & quæ illi solitudo montuosa, & salebrosa parcissime profert, lætus, & gratus depascitur. [e] In quo sane imago quædam, & commēdatio solitariæ vitæ mortalibus proposita est, quæ a rerum externarū tumultu, & perturbatione atque multarū divitiarum, & sollicitudinum sarcina, tanquam ab onere domesticorū asinorum aliena est. ¶ Sicut autem asini Sylvestris ad domesticum, & urbanum relatione, & comparatione mirabiliter relucet supremi conditoris Sapientia, ita nunc sane eadem ipsa manifestabitur Rhinocerotis, id est, feri, & indomiti [f] Bovis ad domitum, & cicurem per omnes proprietates enarratione, enim vero quātumvis ille omnino sit inutilis, atque ineptus humanis commoditatibus, atrocissimum utique animal, at Divino Imperio, & Providentiæ servit, & ad Dei præsepium

NOTATIO *RERUM INSIGNIORUM, quæ in Commentariis fusius explicantur.*

a *Quod animātis genus sit Ibex, diligēter inquiritur n. 1. & 2.*

b *Cervorum natura, & proprietates ad sententiarum Sacrarum intelligentiam, ex Sacris, & profanis accurate colligūtur per omnes has sententias.*

c *An Cervæ partus difficultate, vel potius facilitate insignes sint, dissèritur n. 7.*

*

d *Elegans Asini sylvestris ad domesticū oppositio, & cōparatio sparsim iis sentētiis exposita.*

e *Solitariæ vitæ cōmendatio, & de antiqua in Christianos calūnia, opportuna quædā, & utilia. n. 5. 6.*

f *Rhinocerotis, cum Bove comparatio, similitudo, & discrimen tractatur n. 1. 4. 5.*

Tam acuta vero oculorũ acie illam inſtruxi, ut vel ex editiſsimis locis deſpicere poſsit regiones inferiores, & inde ſpeculari, unde ſibi, ſuisq; pullis eſcã parare poſsit. [m] An vero ſapiẽtia tua Vulturini, aut Aquilini pulli edocti ſunt, carnes adamare, & ſanguinẽ ſitire, atque exſorbere? Tum vero præterea ſenſum illis contuli præſentiẽdi, etiã ex longiſsima diſtantia, corpora occiſa, ut ſtatim feſtinanter eo involent, & occiſorum carnibus, & ſanguine largiter paſcantur? nihil enim eſt, quod mea ſapientia ego non inſtituam in vita, victuque opportuno procurandis, atque conſervandis; nihil tandẽ, quod mea ego providentia, atque benignitate non complectar.

m *An Aquilæ cadaveribus gaudeant, diſſeritur, n.*

Cum Dei ſupremi rerum omniũ cõditoris orationẽ plane Divinã ſpatium aliquod quietis, ſilentiiq; conſecutũ fuiſſet, illo turbinis fragore terrifico multũ remittente, cœpit ſane Iobi animus tranquillari, Divinorũ operũ conſideratione defixus. Quippe non ſolũ exterius per vocem, ſed interius etiã per lumen Divinũ edocebatur tum iis enarratis Divinæ Sapientiæ operibus, tum infinitis aliis, quæ produci poſſent, manifeſte confirmari Divinã Providentiã, atque benignitatẽ, ſuas cuique vires tribuentem; opportunis ad vitã, & conſervationem muneribus, & facultatibus munientẽ, cunctorum commoditatibus proſpicientem; nihilque relinquentem ſua providentia, cõſilioque deſtitutũ. Oportere proinde bene de Divina bonitate ſentire, atque in ipſis ærũnis, difficultatibusque maximis ſpem de illius potentia atque ſapientia firmã, & conſtantẽ retinere. Hæc cogitantem Iobum, rurſus Deus ſua voce excitat, de eodem turbine, deque eadem nube, quamquam multum fragore terrifico remittente.

Hæc cũ jã audieris, o Iob, nõ ſine utilitate aliqua, a te percepta eſſe velim: oportet enim, ut ex hujus contentionis ſtudio fructũ aliquẽ percipias, & eruditior, atq; caſtigatior ex hac mea diſciplina evadas. Iã igitur facile cognoſces vanos, irritosq; fuiſſe tuos illos diſputãdi, & cõquerendi ad meũ tribunal ardores, & conatus, qui tã facile poſſunt a me cõprimi, & ſedari. An igitur jã nunc videbitur tibi inferior Dei cauſa? An tuã ſuperiorem, & meliorem etiã nunc cenſebis? An meã orationẽ, quaſi minus idoneam, minusq; probabilem refelli poſſe exiſtimabis? Iam nunc igitur tuum eſt reſpõdere judicio, quod de te ante a feci; & quid judicii, quid rationis afferas, expecto.

Hac Divina voce atq; indulgẽtiſsima objurgatione excitatus Iob, & æquiori animo cõfirmatus, depulſo quoq; tędio, quo ex amicorũ reſpõſionibus moleſtiſsimis affectus fuerat, ne videretur nihilo plus ex Divino ſermone profeciſſe, quã ex Oratione Eliu, reſpõſum præbet breviſsimũ, ſed pietate, & urbanitate pleniſsimũ, quo & Deo defert victoriæ inſignia, & tamen veritatis tuendæ ſtudiũ nõ deſerit in hãc rationẽ; Cum præ tua ſuprema, Deus, Majeſtate nihil ſim, nihilque valeam, viliſsimus ego, contẽptus, ut par erat, & leviter ate tractatus ſum; Quare cũ nihil planẽ ſim, ac pretii nullius, quorſum longius animadverſionẽ tuã producis, ac mecũ, quaſi cũ cõpare agere vis? Os itaq, iſtud meũ, quod leviter loquutum eſt, impoſita percutiã manu, ſimulq; mihi ipſi diuturnũ ſilentium imperabo. Et ſane quidẽ nõ mihi verba deerant, quando cũ hominibus ſermo habebatur, quãdo quaſi peccatorũ meorũ pœnas luerem, condẽnabar. Ad ea autẽ, quæ tuã poteſtatem atq; ſapientiã attingunt, quidquã vel addere, vel loqui, vel contradicere, nefas eſt. Non ſemel igitur loquutũ me leviter agnoſco: videri enim alicui potui, præferre meas juſtitias tuis judiciis, aut tibi iniquitatis aliquid affingere, cũ graviſsime de meis ærũnis conqueſtus ſum, & mihi in tuo tribunali pro me dicturo victoriã ſum pollicitus. Sed ita me deinceps continebo, ne iterũ labi contingat, neque liberioris orationis pœnam ſubire cogar. Interim dolori, & ægritudini, quæ immoderatius dixerim, ut tribuantur iterum atque iterum tuam benignitatem ſupplex oro.

putat tubæ ſonare clangorem.

25 *Vbi audierit buccinã, dicit, Vah: procul odoratur bellũ, exhortationẽ ducum, & ululatum exercitus.*

26 *Numquid per ſapiẽtiã tuam plumeſcit Accipiter, expandẽs alas ſuas ad Auſtrum?*

27 *Nũquid ad præceptũ tuum elevabitur Aquila, & in arduis ponet nidũ ſuũ?*

28 *In petris manet, & in præruptis ſilicibus commoratur, atque inacceſsis rupibus.*

29 *Inde cõtemplatur eſcã, & de longe oculi ejus proſpiciunt.*

30 *Pulli ejus lãbent ſanguinẽ: & ubicumque cadaver fuerit, ſtatim adeſt.*

31 *Et adjecit Dominus & loquutus eſt ad Iob.*

32 *Numquid qui contẽdit cum Deo, tã facile cõquieſcit? utique qui arguit Deũ, debet reſpondere ei.*

33 *Reſpondens autẽ Iob Domino, dixit.*

34 *Qui leviter loquutus ſum, reſpõdere quid poſſum? manũ meã ponã ſuper os meũ.*

35 *Vnum loquutus ſum, quod utinã nõ dixiſſem: & alterũ, quibus ultra nõ addã.*

CAPVT.

CAPVT. XXXX.

ARGVMENTVM CAPITIS

Illuſtrioribus aliis duobus ſuæ Potentiæ, atque Sapientiæ effectis, oſtendit Iobo Deus, humanā virium imbecillitatē parem eſſe humanæ juſtitiæ; proinde imparem Divinæ Iuſtitiæ, atque Potentiæ. Temerarium itaq; illum eſſe, qui cum Deo non de viribus, & Majeſtate, ſed de juſtitia, & innocentia velit cōtendere.

I. *Reſpondens autem Dominus Iob de turbine, dixit.*

II. *Accinge, ſicut vir lūbos tuos, interrogabo te, & indica mihi.*

1. *An Deus nunc proprie, & vere reſpondeat Iobo.* Reſpondere, *loqui.*
2. *Deus reſpondens ſilentio Iobi. Græci benigniores, Latini ſeveriores in interpretatione harū ſententiarum.*
3. *An Deus iterum loquutus de turbine. Turbo, & procella inſtaurata, excitatus pulvis.*



I Primaqueſtiūcula, an Deus nunc proprie reſpōdeat Iobo.

QVAE huic loco peculiaria ſunt præter ea, quę initio, c. 38. expoſuimus, breviter perſtringemus. Et primum quidem, an cum dicitur *Deus reſpondere Iobo*, proprie accipiendum ſit; an vero ratione illa communi, qua ſæpe diximus, *Reſpondere* idē eſſe, quod loqui, aut ſemel cœptam orationem proſequi. Nam Septuaginta hanc ſecundam interpretandi rationem indicāt ſua lectione; *Adhuc reſpōdens Dominus, &c.* At vero D. Thomas exiſtimat nova nunc Deum reſponſione occurrere Iobo ſuam innocētiam, & juſtitiam ſumma animi cōtentione tuenti, & ad faſtidium uſque repetenti, & conteſtanti. Cajetanus item peculiariter *reſpondere* exiſtimat ad id c. 19. 25. 6 *Quia Deus non æquo judicio afflixerit me. Ecce clamabo vim patiens, &c.* Nam rem hanc videtur indicare verſicul⁹ tertius ſequēs.

LXX. — D. Thom. — Cajetan.

Sed exiſtimo, rem eandē nunc agi, quę in ſuperiori capite, cum ex eodem Argumentorum genere, videlicet ex magnificentiſsimis Divinæ Potentiæ, & Sapientiæ operibus diſputetur. Licet quidē res eadē nūc urgeatur, & prematur, id quod D. Thomas, & Cajetanus obſervant. Reſpondet igitur Deus amplificando rem eandem, quam ſemel inſtituerat. (Dubitationis vera reſpōſio)

Gręci vero, atque Philippus argute indicant, Deum nullis Iobi verbis reſpondere, quin potius illius ſilētio; cum enim poſtulatus a Deo, atque etiam expectato reſponſo, nihil reſpōderit, jubetur rurſus animi ſui ſenſa, & cogitationes palā exponere, ut illius reſponſione fiat Divina cauſa melior, & illuſtrior. Philippus quidem paulo ſeverius; *Nolo, ut taceas, ait Deus, ſicut diſponis ipſe; ſed potius loquere.* At vero Græci forte mitius, & blandius, quam cum terrifica Dei voce, & increpatione cōveniat; *Incredibilis,* inquit Olympiodorus, *Dei erga homines perſpicitur benevolentia. quia enim Iobus ea, quæ ſe digna erat, ſanctitate diſputare cum Deo recuſarat, ac ſe nihil eſſe confeſſus erat, ideo illum rurſus Deus blande, amiceque compellat; Noli, inquiens, ſilentio uti; loquere; te ipſe collige; vir eſto; ægritudinem pelle; animoque complexus, quid te reſpondere oporteat, viro dignā da reſponſionē.* Sed potius quidem ad terrorem, & reverentiam ſupremæ majeſtatis, iterum atque iterū petitur ab illo reſponſio, quam proprię infirmitatis, atque ignorantiæ conſcius reddere nō valet. (Nicetas. Philipp. — Philippi. — Olympiod. — Græci blādiores, quam videatur expedire.)

Illud etiam dubitationē habet, An de eodem turbine loquatur nunc Deus, de quo loquut⁹ eſt initio cap. 38. Lectio Septuaginta indicat in eodem turbine auditam Dei vocē, *Adhuc Dominus dixit ad Iob de nube:* Itaque ſemper Deus nunquā intermiſſo turbine, aeriſque perturbatione loquutus eſt, ut diximus cap. precedēte verſic. 31. At vero ſuſpicio mihi eſt, in hac ſecunda Dei oratione tempeſtatem, & turbinem invaluiſſe, & perſtrepuiſſe vehementius; forte etiam ad majorem terrorem, & ad Divinæ Potentiæ, & gloriæ illuſtriorem ſignificationem inſtaurata fuiſſe tonitrua, & aliquam ſpeciem ſplendidiſsimam objectam fuiſſe Iobi oculis, qua reprę́ſentaretur Deus *ſpecioſus indutus veſtibus;* tum etiam excitatus turbine multus *pulvis* impetu ventorum concurſantium, quo *facies* Iobi, & aliorum ibi adſtantium obduceretur. atque hæc omnia peculiari ratione, & vi effecta fuiſſe, quā initio hujus orationis expoſuim⁹, cap. 38. Hāc ſuſpicionem mihi injiciunt ſentētię, (Secunda queſtiuncula, an nūc loquatur Deus de turbine. — LXX. — Turbo inſtauratus.)

quar-

quarta, quinta, sexta, septima, octava, ut in illarum tractatione exponemus. Interim vide initio cap. 38. quæstiuncula tertia, quarta, & quinta.

℣. III. Numquid irritum facies judicium meum, & condenabis me, ut tu justificeris?

1. *Scopus totius capitis. Græcorum interpretatio benignior.*
2. *Latinorum expositio magis idonea, quamvis paulo severior. Dei Servus Divinæ Gloriæ, quam suæ magis attentus. Illustrati Petrus, & Paulus.*
3. Irritare, *quid proprie. Quæ requirant ex ratione sua firmitatem.*
4. *Triplex alia exponendi ratio* irritandi judicii.
5. *Iustorum patientia Deo honorifica. Pater quondam Iudex filiorum. Illustratus Ecclesiasticus.*
6. *Iudiciũ a superiori irritari. Dei æquitas ex illius suprema potestate. Explicata Sapientia.*
7. *Præcedentium expositio cum varietate.*

1 EX Hac sententia pendet scopus, & intentio totius capitis; videtur enim contendere Deus adversus Iobum nulla ratione fieri posse, ut suum *judicium irritũ fiat*. Quod quidem nõ unam habet interpretationem. Et primo præmittenda est lectio Septuaginta longe a Latina diver- (LXX) sa; *Ne repellas judicium meum. Putas autem me aliter tibi respondisse, quam, ut appareas justus?* quamvis enim singula verba hujus sententiæ fere inveniãtur in originali, & in lectione Latina; sed totus contextus mirum in modum diversus est. Habet autem sensum juxta Chrysostomum valde lenem; *Non quod te condemnem, hæc loquor; verum ut justum esse palam doceam: neque aliam ob rem mihi constitutum esse, ut illa tibi accidérent; nisi ut cunctis mortalibus tua justitia promulgaretur, & tibi quidem ornamẽto, & gloriæ; orbi autem terræ esset emolumẽto.* Atque in eandem sententiam Origenes, & Gregorius Nazianzenus existimãt jam nunc illustri præconio declarari Iobum, & arcanam suæ calamitatis causam aperiri a Deo. Cum hoc sensu posset, quãvis minime leniter, conjungi lectio Latina; *Numquid irritum facies judicium meũ?* Ita ne in meo judicio obmutescis, cum sępius postulaveris apud me causam dicere tuam? Frustra ne patebit jam tibi aditus ad meum tribunal? Atqui certe eo animo tibi, meum cõspectum desideranti, respõdi, non quo tibi, pro te loquendi facultatem adimerem, aut te ullius peccati reũ traducerem; quin potius ut tua oratione, & mea responsione tua innocentia conctis contestata innotesceret. Sed proculdubio hujusmodi interpretandi ratio aliena est a contentione, & severitate Divini sermonis, & a contextu totius capitis, in quo quæ dicuntur, speciem habent reprehensionis.

Chrysostom.
Græcorum interpretatio lenior.
Origenes. Nazianz.

2 Ergo illa multo commodior interpretatio Latinorum, ut expostulet cum Iobo, quod voluerit *irritum facere Divinum judicium*. Sed qua nam ratione, non omnes conveniunt. nam Philippus, D.Thomas, Nicolaus, Dionysius, & fere Latini omnes, etiam Hebraizantes, Vatablus, Cajetanus, Steuchus, interpretãtur *irritum fieri Divinum judicium*, sive, ut est in Hebræo, *Dissolvi*, & dissipari, cum Divinæ Iustitiæ, & æquitati detrahitur; Videbatur ergo Iob asserendo suã innocentiam immerito afflictam, injustitiam tribuere judici immeritum punienti; vel, ut ipse dixit, *non æquo judicio affligenti*; Oportuisset autem, ut Iob potius vellet videri peccator meritis pœnis affectus, quam vel specie tenus de ęquitate Divini judicii dubitasse, aut ansam alicui dubitãdi præbuisse. Hoc enim est munus obsequentissimi servi Dei, suam vel gloriam vel existimationem ad Divinam gloriam cõferre; quam suam existimationem velle tueri, læsa Divina. Sicut Petrus scribit 1.4.14. *Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis, quoniam quod est honoris, gloriæ, & virtutis Dei, super vos requiescet*; nimirum nostris opprobriis illius gloriã tuemur. Deinde quod addit Petrus, *Nemo vestrum patiatur, ut homicida, aut fur.* Hunc habet sensum; non committendum esse furtum, vel homicidium, propter quod jure quis pœnam lege statutam perferre cogatur. Sin minus falso accusatus furti, vel homicidii, aut immerito etiam damnatus constanter, & patienter perferat, sine ulla Divinæ Providentiæ querimonia, hic sane *Divinum judicium irritũ non facit*, neque tentat Divinam Providentiam damnare, ut se justificet. Quare Paulus *Ministrum se Dei exhibet in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, per ignobilitatem, & per infamiam, ut seductor, & ignotus*, (id est, quem nemo visu, & familiaritate dignetur) *quasi moriens*, id est, meritæ morti adjudicatus, & damnatus. qua ratione Paulus nod solum *non faciebat irritum Divini judiciũ*, quin potius Divinã statuebat justitiã sua patiẽtia incredibiliũ ęrumnarum. Ergo hæc exponẽdi ratio aliquid tribuit Iobo adversus Divinam justitiam, quod Gregorius his verbis nõ levibus hoc loco expli-

Latinorum exponendi ratio magis idonea.
Philipp. D.Thom. Nicolaus. Dionys. Vatab. Caiet. Steuchus.
Dei servus nil mo spectans Dei gloriã etiã suo dispẽdio.
Chorint. 6
Qua ratione Iobus videretur læsisse Divinũ Iudiciũ.
Gregorius.

explicat; *Qui contra Domini flagella semet ipsum defendere nititur, flagellantis judicium evacuare conatur: nam cum culpa sua feriri se denegat, quid aliud, quam justitiam ferientis accusat? Beatus itaque Iob culpam suã inter flagella non inveniens, nec tamen flagella eadem causam sibi esse augendi meriti deprehendens, injuste se feriri credidit.* Fere eadem ratione Philippus. *Quo (inquit) sensu Sãctus Iob dixerit ea, quæ supra cõscripta sunt, in hoc loco, Dominus manifestat, nam & cum increpatione propter hoc ipsum ab eo arguitur, qui in ejus injuriam, & sugillationem se justificare voluerit, dũ eum ex ipsis cruciatibus, quos sibi inique inflictos asserit, injustitiæ notat.* Hæc est paulo severior Latinorum expositio adversus Iob. Sed tentandum, an alia ratione posit hic loquus lucem accipere.

Philipp.

Præcedens expositio paulo severior.

3 Certe quod in Latino est, *Irritum facere*, est simplex verbum contrarium verbo *confirmandi*, aut firmũ, ratumque aliquid faciendi; erit igitur *infirmare*, *labefactare*, *frangere*, *irritare*, quod de iis rebus dicitur, quæ firmitatem requirunt, cujusmodi est *Iuramentum*, Num. 30. 14. & *Fœdus*, 3. Reg. 15. 19. Ieremiæ 33. 20. & *Consilium* firmum stabile aliquid faciendi, Psal. 32. 10. & Isai. 8. 10. Nehemiæ. 4. 9. atque inde videtur deduci *Phura*, quod est genus mensuræ, nam mensura est aliquid certũ, & firmum, quod nullo modo irritari, aut mutari debet, aut potest. quod Hieronymus vertit *lagenam*, aut *laguncluam*, Aggi. 2. 19. Isai. 63. 3. *Iudicium* autem, ut sæpe diximus, est non solum litis contestatio, aut causæ tractatio, sed *Ius*, & præscriptum, vel lex. quod dicimus *el Aranzel*, ratio, mensura, & exemplar agendi, ut 1. Reg. 8. *Hoc erit jus Regis*. Tum etiã sentẽtia judicis vel absolvendo, vel damnãdo, quæ quia debet esse firma, & immutabilis, significat decretum, & statutũ, 1. Reg. 27. 11. 3. Reg. 4. 18. Tum etiam significat officium, aut ritum consuetudine firmatum, Genes. 40. 13. Iosuæ, 6. 15. 1. Paral. 24. 19. Ierem. 30. 18. quibus omnibus locis subest nomẽ *Mispath*, id est, *Iudiciũ*, ea significatione, qua dixi, pro *ritu, consuetudine, decreto, sententia*, quæ infringi, aut infirmari non debent.

Quid sit irritum facere.

פור

Quæ ex sua ratione firmitatẽ requirãt.

פורה

Iudiciũ quid.

משפט

4 Iam ergo hinc eliciemus idoneum sensum; ut *irritare judicium*, non tam sit, Divino Iudicio iniquitatem affingere, quam illius decreti, sententiæ, juris, mensuræ stabilitatem, & firmitatem infirmare, labefactare, mutare. ut Deus non expostulet cum Iobo de suæ æquitate, & justitię existimatione ab illo læsa; sed potius, quod visus fuerit importunis querimoniis velle, ut Deus mẽsuram calamitatis, qua illum affecerat, mutaret, & imminueret; & quasi plus nimio in mensura excessisset Deus, ita Iob sua delicta extenuat præ sua pœna. q. d. Deus; Numquid tu mihi præscribes mensuram judicandi: pœnam, suppliciumque infligendi? *Numquid tu mensurabis judicium meum?* Atqui, o supreme Iudex (inquit Iob) *Pro mensura delecti erit plagarum modus*. Hanc ego mensuram in tuo judicio requiro: nam *si appendantur peccata mea in statera, & calamitas, quam patior, hæc gravior apparebit*, quare, & Ieremias precabatur, *Corripe me Domine, verumtamen in judicio*, mensura, ordinaria, & consueta judicandi ratione. Deus vero respondet; In judicio humano hæc mensura. At in meo judicio non hæc tantum mensura, sed mea Providentia, mea voluntas, *pro hac erit plagarum modus*.

Triplex alia expone di ratio cõmodior.

Deut. 25. 2.

Iob 6. 2.

Ierem. 10. 24.

Tum præterea *irritum facies judicium meum*: & quod ego semel decrevi, existimabas fore, ut tuis rationibus ad mutandum compellari? quasi ego non præviderim, quæ tu nunc excogitasti; & quid unũquodque exigat, non ponderaverim æquissimi judicii mei lancibus, quippe ita judico, ut simul de omnibus unico intuitu perspectis, judicium feram. *Tu enim fecisti priora* (inquid Iudith) *& illa post illa cogitasti: & hoc factum est, quod ipse voluisti: omnes enim viæ tuæ paratæ, & judicia tua in tua Providentia posuisti.*

Iudith. 9. 4. 5.

5 Tandem, ut Tygurina ait, *Nũquid rescindes a me judicata?* q. d. Minime id mihi honorificum existet, nam quæ semel facienda constitui, ne meę sententiæ gravitas periclitetur, non oportet mutari, sed duitius conservari, & ab iis etiam coli, & suscipi, quorũ res agitur, si bene sunt erga Divinam gloriam animati? Propterea eos, qui filiali charitate Deum prosequuntur, ad patientiam ærumnarum, & Divinæ Providentiæ cultum hortatur Sapiens; *Iudicium patris audite, filii, & sic facite* (exequimini) *ut salvi sitis*. q. d. Quidquid Pater statuit, & sua sentẽtia decernit (quippe Pater judex erat filiorum) filii ratum, & firmum habere debent, *facere*, exequi, & minime *irritum facere*. Quidquid igitur Deus de nobis statuat, nõ est tentandum *irritum facere*, sed suscipiendũ silẽtio, vel ea tantum ratione, quod *Deus fecerit*, & decreverit, instar illius, qui dicebat, *Obmutui, & non aperui os meum os meum, quia tu fecisti*. In quam rem sapienter hoc loco Gregorius; *Superna sententia,*

Tygurina.

Iustorum patientia honorifica Deo existit.

Ecclesiast. 3. 2.

Pater quondã erat judex filiorum.

Psal. 38. 10.

Gregor.

& si

etsi non est cognita, non tamen credatur injusta; sed eo saltem justum credat omne, quod patitur, quo nimirum constat, quia Deo Auctore patiatur. Magna enim satisfactio percussionis est, voluntas justa Conditoris.

6 Judicium irritari a potentiori.

Denique *judicium* aliquod *irritum* potest *fieri*, quando vel qui judicatur tam potens est, ut non possit ulla judicis vi cõpelli ad exequutionem sententię, vel quãdo est superior aliquis judex, qui inferioris sententiã, & judicium corrigat, & rescindat. Sed neque hac ratione potest Divinum *judicium irritum fieri*; id quod statim ostendit Deus a versic. 4. *Si habes brachiũ, sicut Deus, &c.* Quare ex hac ratione imbecillitatis humanæ, & supremæ potẽtiæ, qua nullus est superior judex, concludit Sapiens non posse *irritum fieri Divinum judicium.* Sapient. 12. *Quis dicet tibi, Quid fecisti? aut quis stabit* (resistet) *cõtra judicium tuum? aut quis in conspectu tuo veniet vindex iniquorum hominũ? Aut quis sibi imputabit, si perierint nationes* (etiã sancti cum impiis) *quas tu fecisti? Non enim est alius Deus, quam tu, cui cura de omnibus, ut ostendas, quoniam non injuste judicas judicium? Neque Rex, neque Tyrannus inquirent de his, quos perdidisti. Cum ergo sis justus, juste omnia disponis.*

Ex suprema Dei potestate statuitur ejus æquitas.

7 Præcedentis expositio. Varia etiã interpretatio.

Et condemnabis me, ut tu justificeris? Præcedentis expositio, quare eosdem habere potest explicatus, quos pars præcedẽs. *Condemnabis me* injustitiæ, ita ut velis potius mihi injustitiam, quam tibi attribui? aut *Condemnabis me* irritandi judicii, & sententiæ infirmandæ, & mutandi mei decreti, ut tu appareas justus cum ærumnis liberatus fueris, quas ego pro mea sapiẽtia, & voluntate constitui? Tum etiã, Itane fieri putas, necessarium esse meum judicium, & sententiam nota aliqua iniquitatis inuri, si tu declarandus sis innocẽs? atqui bene potest stare mei judicii æquitas cum tua innocentia. Quamvis enim tuam justitiam, & innocentiam asseras in meo judicio, quamquam te omni peccati suspicione absolvam publico testimonio, non ideo ullius ego peccati notã subibo. nõ enim in meo judicio pugnat sanctitas cum ærumnis.

IIII. *Et si habes brachium, sicut Deus, & simili voce tonas.*

V. *Circumda tibi decorem, & in sublime erigere: esto gloriosus, & speciosis induere vestibus.*

VI. *Disperge superbos in furore tuo: & respiciens omnem arrogãtem humilia.*

VII. *Respice cunctos superbos, & confunde eos, & contere impios in loco suo.*

VIII. *Abscõde eos in pulvere simul, & facies eorum demergẽ in foveam.*

IX. *Et ego confitebor tibi, quod salvare te possit dextera tua.*

Quis harum sententiarum scopus, & nexus?

1. *Græcorum nexus, & interpretatio minus idonea.*
2. *Latinorum expositio convenientior.*
3. *Quorsum nunc commendetur Dei Potentia adversus Iobum, & prima Divinæ argumentationis constructio.*
4. *Tres aliæ exponendi rationes verisimiles.*
5. *Interpretandi ratio optima.*

Græci non eodem modo, quo Latini legunt, aut intelligũt. nam apud Septuaginta hæc sonant aliquid concertationis, & pugnæ, inter Deum & hominẽ; 1 LXX. Græcorũ nexus, & interpretatio min⁹

Numquid brachium tibi est contra Dominũ, aut voce contra eum tonas? &c. Quod lenissime accipitur a Chrysostomo, & Origene. Chrysostom⁹ quidẽ, ut doceatur Iob deponere metum, & spem concipere ex ipsa Dei Potentia in hanc sententiam; Si conscientia tuæ imbecillitatis cũ mea potentia collata, tibi animos adimebãt, quasi vellem ego mea te potẽtia opprimere; potius inde colligere potuisses, non fuisse mihi tecum pugnandum imparibus omnino viribus. *Nec enim bellũ inferens, te sauciari permisi; quæ enim tua fortitudo, ut prælioses mihi ipse lacessendus? Num tibi brachiũ est adversus Domini brachium? Ergo non hæc ad ostentationem, sed ad Dei notitiam valerent, ut hinc discas meam vim.* Origenes vero multo honorificentius, ut hoc sit virtutis Iobi præconiũ, & publica contestatio; ut videatur Iobi virtus in vincendo Satana similis extitisse Divini brachii, atque virtutis; *Adversarium superasti. Revoca igitur tuam illam mentis celsitudinem, lauream accipe, splendorem, ac dignitatem indue. At*

Chrysost.

Origen.

tu vero arrogantis fastum obtrivisti, eumque cum sua cohorte longius projecisti, ut ea res ignominiæ sit illi, atque dedecori. Sed proculdubio hæc non conveniunt cum confessione Iobi, & severitate Divinæ Orationis.

Ergo ex sentẽtia omnium Latinorum

2 Latinorũ simplex explicatus.

simplici, & germana, His omnibus sententiis, nova quædam Dei adversus Iobum argumentatio cõtineri videtur, cujus antecedens cõstat sex prioribus sententiis, cõsequens vero ultima, *Ego cõfitebor, &c.* Cujus hæc videtur constructio; Si Dei similem potentiæ, & pulchritudinis gloriã habes, poteris tuis viribus salutem tuam tueri. Quod si neque cum Divina gloria, neque cum illius specie, & pulchritudine contendere potes; consequens est, ut nec salutem possis tuis viribus tibi parere.

Nova Dei adversus Iobum argumẽtatio.

3 Quorsum adversus Iobum cõmẽdet Deus potentiã suã.

Sed premendum amplius antecedens, & consequens hujus argumẽtationis. Ac prima quidem de antecedente dubitatio oritur, Quorsum nunc Divina Potentia commendetur in reprehendendo Iobo, cum Iob nihil unquam, neque quidẽ specie tenus, Divinæ Potentiæ detraxerit; imo vero semper de illa præclare loquutus fuerit, ac nihil sibi esse negotii, contẽtionisve cum terrifica Dei majestate, aperte professus fuerit, sed tantum cũ Divino judicio, & æquitate? Cajetanus respondet, hac oratione probari, temerariũ esse cum Deo illum cõtendere, qui, si quã Deo contentione sua injuriam infert, nõ potest illam paribus viribus defendere.

Cajet.

Novæ rationis cõstructio.

Et explicatur hujus rationis robur. Quoniam qui quidpiam cõtra aliquem audet, vel superiori, vel saltem pari potentia præditum esse oportet, ut conatus suos vel perficere, vel tueri possit; nisi temerarius, ridiculusque haberi velit. Ergo si cũ Divina æquitate ausus est Iob contendere, oportuisset pari cũ Deo potentia præditum esse. Secus facile a Deo dejiciendum, & temeritatis damnandum, atque puniendum. Sed non videtur cũ hac ratione interpretandi cohærere illud, consequẽs, *Quod salvare te possit dextera tua, &c.*

4 *Philipp. Nicolaus. Dionys.*

Secundo Philippus, quem imitatur Nicolaus, & Dionysius, videtur argumentũ construere, & antecedens explicare; ut probet Deus stultum esse cum Deo illum contendere, qui Divina virtute indiget ad suam salutem, cum non possit ipse salutem sibi parare. explicatur vero hic discursus; Qui cum Deo contendit, & quasi ex æquo cum illo agit, & expostulat, non videtur indigere illius ope, & potentia

Argumẽti formatio secũda.

adversus superbissimos, & sævissimos hostes, Dæmones, atque homines, ut de illorum calumniis, & insidiis salvetur. quippe videtur esse æqualis cum Deo virtutis: secus stultum est contendere cum Deo, cujus suppliciter opem implorare, & salutem ab illo expectare quis debet. Atqui tu, o Iob, neq; salutem a me petis, neque non cum mea æquitate contendis; Ergo vel pari mecum potentia præditus es, atque potens eris te tueri, & asserere ab omnibus ærumnis, & adversariorum impetu, & calumniis; vel si non es tantæ potẽtiæ, ut manifeste constat ex meis effectis, voce, vestibus, specie, indignatione; stultus, & temerarius eris, si mecum contendas, & salutẽ ex mea ope nõ procures. Verba hæc Philippi; *Quam impossibile est, ut hæc habeas, tam stultum est, ut quasi ex æqualitate contra Deum loquaris, a quo humiliter sperare misericordiam debes, ut ejus dextera, & virtute contra superbos, impiosque salveris.* Hæc quoque interpretatio laborat eodẽ incommodo, quo præcedens. *Philipp.*

Tertio, D. Thomas in hunc finem cõfert totam argumentationem, ut probet stultum esse, hominem gloriari de sua justitia, cum non possit ipse sibi suis viribus suæ salutis causa existere. non potest vero, quia neque alia mirabilia Dei effecta, potest imitari. Hæc interpretandi ratio videtur a Gregorio desumpta, sic exponente per Paraphrasim; *Si potes hæc terribilia facere, tibi, & non mihi deputo bona omnia, quæ fecisti. Si vero non potes, liquet, quod a reatu nequitiæ tua te non vales virtute liberare.* Hæc expositio *salutem* accipit tropologice, non simplici, & litterali sensu.

Tertia exponendi ratio: *D. Thom.*

Gregorius.

Quarto, Vatablus, ut probet justitiam summam cum summa potẽtia conjunctã esse, propterea in Deo esse, qui potentissimus est, non in homine imbecillo. Diximus superius ex ipsa infinitæ potentiæ, & supremæ dominationis ratione necessario colligi, Deum esse justum. Sed quidem hæc quoque interpretatio paulo videtur longior, & durior.

Quarta interpretatio. *Vatab.*

Ego secundum alios Interpretes, meã quoque interpretandi rationem, & argumentationis nexum adjungam. Cũ enim dixisset Deus conari Iobum suis ærumnis liberari, ut justificaretur, & appareret justus, & innocens; velleque propterea, ut Divinum *judicium irritaretur*, & illius decretum infirmaretur, & mutaretur: quod vel fieri poterat a judice alio superiori, & potentiori, qui Divina decreta rescinderet; vel ab eo, qui cum dãnatus esset alicujus supplicii, non posset aliqua vi cõpelli,

5 Congruẽtior exponendi ratio.

Ratiocinationis opportunitas, & nexus.

nunc

nunc ſubjicit Deus, irritos, & vanos eſſe hujuſmodi Iobi conatus, cum nō ſit alius ſuperior judex; neque ſalutē ipſe ſuā, & incolumitatem contra Dei ſentētiam, judicium, ſtatutum comparare poſsit; oportere proinde, ut Deo flagellanti ſupplex obſequatur, ſine querimoniis. Non poteſt autem ſalvare ſe contra Dei ſententiam, & potentiam, qui non eſt æqualis roboris, qui ſimilia facinora edere non poteſt. Hæc videtur ſimplex, & bene cohærens interpretandi, & argumentandi ratio.

Vnde ducatur hæc ſupremę majeſtatis, atq; potentię deſcriptio.

1. Difficultas præſentis ſententiæ.
2. Prima exponendi ratio. Divina Potētia ex Creatione Angelorum, & Dæmonum ſupplicio.
3. Deus magnifice ornatus in opere Creationis.
4. Latinorum expoſitio Tropologica. aut miſtica.
5. Duæ interpretationes idoneæ. Regiæ majeſtatis cum Divina comparatio.

1 EXplicuimus conſequens, & intentionem hujus argumētationis; nunc antecedens. quod cum certum ſit, continere periphraſim Divinæ Potentiæ, incertū eſt, unde ea ſumatur. Et quidem tres, quatuorve omnino explicandi rationes invenio.

2 *Prima exponēdi ratio. Philipp. Cajetan.* Prima eſt Philippi, & Cajetani, deſcriptionem hanc univerſam Divinæ Potentiæ ſumentium primum ex creatione naturæ Angelicæ, deinde ex Dęmonum ſuperborum præcipitatione, & ſupplicio, in hanc ſentētiam; Si brachio efficere, & voce imperare vales; celſitudinem (naturæ Angelicæ) ornamentis *glorioſis*, donorū naturalium, & ſupernaturalium, *indue*; (putat enim legendum active, & tranſitive) & *ſuperborum* appetitum excellentiæ comprime; dejice ex priori dignitate, & loco in ſortem abjectiſsimā, & locum infimum. Minutiora quædam pro ſuo more diſtinguit Cajetanus; ſed ea ratione, qua diximus, expoſitio redditur veroſimilis, quamvis non omnino cum lectione Latina conveniens. *Dei potētia in creatione Angelorū, & ſupplicio Dęmonum.*

3 *Secunda deſcriptio Divinæ potentiæ ex operibus creationis.* Secunda referri tota poteſt ad opera creationis ſex dierum, quamquā non omnino dierum, & operum ordine ſervato; effecit quippe Deus *Brachio*, quod alibi *manibus* dicitur, Cælum ac terram; tonuit voce, cum dixit, *& facta ſunt*; videtur vero *in ſublime* erectus, & univerſitati creaturarum præſidens *ſpecioſis veſtibus* glorioſus, cum cæleſti, & ſublimi lumine creato in firmamento Cæli, lucis ſuæ documenta præbuit: *Superborum* ſive Dæmonum, ſive hominum arrogantiam *humiliavit in loco ſuo*; dejecit illos de Cælo in infernū baratrum, hos vero de paradiſo in terram maledictā, & in ſtatum mortalitatis, brevi redigendos in *pulverem*. Hæc eſt ſumma Divinæ Poteſtatis deſcriptæ hoc in loco; quā nemo integram habet. nonnulli per partes indicant, Nicolaus potiſsimum. *Nicolaus.*

4 *Tertia interpretatio. D. Thom. Dionyſ.* Tertio, Divinæ Potentiæ, ſimul & Divinæ ſanctitatis, & puritatis deſcriptionem D. Thomas, & Dionyſius hac fere ratione conficiunt; quod *brachio* ſuo ſuſtētet Deus ſanctos, *voce* territet impios, doceat ignorantes, omni ex parte, ſanctitate, & puritate *fulgeat*; in ſupremo gloriæ ſolio ſupra omnem creatam cōditionem evectus, & ſanctorum fulgore, velut *ſpecioſis* quibuſdam ornamētis circumdatus; unde *ſuperbos* dignis afficiat ſuppliciis, digna etiam morte, & extremæ ſortis abjectione. Sed præſeferunt hujuſmodi interpretationes Anagogiæ, & Troprologiæ plurimum.

5 *Duæ interpretationes magis idoneæ. Titelman.* Ego præterea duas ſubjiciam interpretandi rationes, nō minus ſane ſimplices, & bene cohærentes, quam elegantes; alteram, qua non eſt ſuus auctor fraudandus, Franciſcus Titelm. ut oſtendat nullam humanam potentiam, neque opulentiam poſſe cum Divina comparari; Quantumvis, o Iob, cultu regio, & pretioſiſsimis ornamentis fulgeas; quantumvis ſublimi throno ſedeas, & reliquorum mortalium humeris, atq; verticibus inſideas; quantumvis ad juris, & æquitatis leges excolēdas cuicumque Principi optimo, aſpires; & quod in te fuerit, virtute tui brachii irrumpas iniquitatē, improborū Tyrannidem comprimas, ſuperbiam dejicias, & proculces, & digna etiam morte aliquando proſequaris (quippe his omnibus juſtitiæ, & æquitatis operibus mini me a te neglectis viſus es gloriari.) Sed hęc quid ſunt cum mea virtute, & juſtitia comparata, qui Divino brachio, Divino Imperio, ſempiternę gloriæ, atque dignitatis ornamentis fulgeo; qui univerſorū mortalium ſcelera ulciſcor; atque omnē elatæ mentis inſolentiam vultu ipſo meo deſigno, ut impiorum dominatum frangam, penituſque dejiciam? Quę profecto eſt magnificentiſsima ſempiternæ majeſtatis, dominationiſq; deſcriptio. Illa altera jure nemini diſplicebit, ut tota hæc ratio ex re ſubjecta, id eſt, ex turbine, & *Regii ſplēdoris, & cultus deſcriptio. Humani cultus, & potentiæ cum Divina cōparatio. Divinę Majeſtatis deſcriptio ex turbinis, & procellæ excitatione.*

tem-

tempestate, de qua Deus loquitur, desumatur; Tunc tandem, o Iob, ancipitẽ fortunam mecum experieris, si possis istius brachii, & virtutis signum aliquod præbere; si edas tonitrua, turbinem verses, tempestatem concites, & fulgura multa dispergas, quibus superborum insolentiam abjicias, perinde ac ego; qui corã te, gloriosis decoris, & splendoris ornamentis corusco; qui concitato, versatoque pulvere tuã, tuorumque amicorum facies obduco, & inspergo, nulla humanæ dignitatis ratione habita; atque ipsos etiã Tyrannos potentissimos hujusmodi cęlestibus prodigiis prosterno in terram, & vel præ metu cogo, ut se se in specus, & foveas abdant. Sic universa oratio decurrit leniter, & cõstat discursus Divinæ argumẽtationis. Cõjectura hujus interpretationis multiplex; nam *brachium*, cum *voce Dei*, tum etiam illius *gloria*, *furor*; *dispersio improborum*, vocibus fere Synonymis, aut iisdem, quæ in hoc loco; dicuntur in descriptione tẽpestatis Isai. 30.30. & nos sigillatim indicabimus. Nũc singulæ sententiæ breviter percurrendæ.

IIII. *Si habes brachium, sicut Deus; &c.*

1. Brachii Divini, Brachii itẽ humani attributa.
2. Homo potens ex conjunctione cum brachio Divino. Illustratus Moyses, & Ecclesiasticus.
3. Dei vox quæ. Tonitrua signum Dei indignantis. Cur Phiala iræ effusa in aerem.

1 *LXX. Chrysost.* Brachiũ Dei, & brachiũ hominis.

QVod Septuaginta dixerunt, *Brachiũ contra Dominũ*, cõparative sumi potest, ut etiã Chrysostomus accepit. Porro sicut *Brachium Dei*, semper sonat invictũ robur omnia vincens, ita *Brachiũ hominis*, merã infirmitatẽ affert; est enim *brachiũ carneum*, molle, & enerve, Ierem. 17.5. 2. Paralip. 32.8. est nimis *breve*, manus item *abbreviata*; ut *salvare nequeat*: Isai. 59.1. facile *arescit*, Zachar. 11. 17. non resistit ictui, vel vulneri, quare facile *inciditur*, & *infringitur*, Ps. 36.17. Ezech. 30.21. Ieremiæ, 48.25. facile quoque, si parũper erigatur, languescit, & concidit, Danie. 11.6. *Non obtinebit* (retinebit) *fortitudinem brachii, neque stabit*, (durabit) *semen ejus*. At vero, *brachium Dei*, spiritus, & non caro, Isai. 31.3. propterea *terrificum* est. Isai. 30. 30. non est *abbreviatum*, neque contractũ, sed valde longum, & extentũ Ps. 135.12. Iere. 23.17. *Attingit a fine usq; ad finẽ*. Sap. 7.24. quippe habet *magnum* brachium, Exodi, 15.16. Ps. 78.11. sustentat, quod semel suscepit, neq; *lassatur*, aut languescit, Hos. 11.3. Ps. 36.17. *Brachia peccatorũ conterentur, confirmat* (sustẽtat) *autẽ justos Dominus*. Quare in benedictione Aser pollicetur Moyses ex indefatigabili Dei brachio, firmũ præsidium, Devt. 33.27. *Habitaculũ ejus sursum, & subter brachia sempiterna*. id est, quãvis in Cælo ille resideat, non ideo illius brachia non continent, & complectũtur inferiorem mundum indefatigabili robore, & sempiterna virtute.

Brachii humani attributa.

Brachii Divina attributa.

2 Hominis brachium potens ex cõjunctione cũ Divino.

Quare si ũquã *hominis brachiũ* aliquid potuit efficere, non aliter potuit, quã ex cõjuctione cũ Divino brachio: ponit enim ille *manũ super manũ nostrã*, & brachiũ sustẽtat brachio Ps. 88.20. Gen. 49.24. *Dissoluta sunt vincula brachiorũ* (Heb. roborata sunt brachia) *illius per manus Potentis Iacob*. Denique *Divini Brachii* gloria esse solet, multa, insolita, & inaudita miracula patrare, pręsertim ad conterendos impios, Ecclesi. 36.67. *Innova signa, immuta mirabilia, glorifica manum, & brachiũ dextrum, excita furorem, & effunde irã*. Quis ergo homo *habebit brachium, sicut Deus*?

3 *Dionys.* Dei vox, quæ.

Et simili voce tonas. Alii interpretantur de voce Dei imperantis, docentis, cũ efficacitate dicentis, veritatem contestantis. Sed simplex, & prona est interpretatio cum Græcis, de *tonitruo*: namque *Dei vox*, id est, tonitruũ, & tempestas conjungitur sane cum illius *Brachio*, Isai. 30.30. cum tẽpestate excitata fudit copias Sennacherib; *Auditã faciet Dñs gloriam vocis suæ, & terrorẽ brachii sui ostendet in cõminatione furoris, & flãma ignis devorantis* (fulgure, & fulmine) *allidet in turbine, & in lapide grãdinis. A voce enim Domini pavebit Assur, virga percussus*. Diximus de *Dei voce*, id est, tonitruo c. 26.14. c. 37.45. c. 38.25.34. Vide etiam Apoc. 16. cum *septimus Angelus effudit Phialam iræ Dei in aerem* (quippe in aere Deus se iratum præbiturus erat ingẽti tẽpestate excitata, & tonitruis editis) *& exivit vox magna de tẽplo, & throno, dicẽs Factum est. Et facta sunt fulgura, & voces, & tonitrua, & terræ motus, & grando magna, sicut talentum, descendit de Cælo in homines*. Tunc videlicet Brachium Dei *innovavit signa*, & voce Divina tonavit.

Cur Phiala iræ Dei effusa in aerem.

Illud tantum, vocẽ humanã valde parva sphæra contineri, & non valde longe audiri; *At Dei, & Cælorum sonus in omnem terrã exit, & in fines orbis terræ*. Rursus *inanis* esse solet vox hominis, *& velut æs sonans, aut cymbalum tinniens*. At *Dei vox* simul cum fulgure, & cum fulmine. Ita cum homo homini loquitur sæpe friget, cũ loquitur ille, *cor ardet nostrum*.

Psal. 18.3.4.

1. Cor. 13.4.

Luc 24.32.

V. Circunda tibi decorem, & in sublime, &c.

1. Altitudo, & sublimitas, *quid. Dei pretiosa ornamenta.*
2. *Locus sublimis de Dei majestate. Explicatus Salomon, & Paulus.*
3. *Hominis imperantis in terra vanissima superbia. Illustratus locus Machabæorum. Deus de sublimi expugnans hostes. Illustratus Daniel.*
4. Pulchritudo, & gloria, *de vestibus, aut fortitudine.*

1
Quid sit altitudo, aut sublimitas.
Olympiod.
Cajetan.

DVplex sententia Latina, simplex est in Hebræo, & Græco. *Orna sublimitatem*, aut, altitudinem. Septuaginta. *Assume altitudinem.* Sed sensus semper idem, ut Olympiodorus exponit, *Hæc tibi sume, quæ naturæ Dei conveniunt, indue gloriam, indue honorem.* Cajetanus interpretatur de Angelica natura, quæ appellatur celsitudo, & excellentia, quam Deus vestivit multis naturæ, & gratiæ præclaris ornamentis. Sed perquam aliene. Philippus interpretatur, *decorem æternitatis.* Divus Thomas, *Claritatem, veritatem, puritatem Divinæ essentiæ.* Nicolaus, *Ordinē universi*, quo videtur Creator circundari, & vestiri. Sed videtur in universum accipiendum, & intransitive; Orna te, decora, excole te cultu, & elegantia regia, imo Divina.

Quæ sint Dei præclara ornamenta.
Philipp.
D. Thom.
Nicolaus.

2
D. Thom.
Philipp.
Nicolaus.

Et in sublime erigere. Divus Thomas, *In summo perfectionis, & sanctitatis fastigio.* Philippus, *In summo honoris, & dignitatis gradu.* Nicolaus, *Præsidens*, & eminens *universitati creaturarum.* Recte hæc omnia. Sed juxta illam nostram suspicionem, allusio est ad eam ætheris, & procellosæ nubis celsitudinem, quæ Iobi capiti imminebat; de qua loquebatur illi Deus, quasi diceret; Tenta huc conscendere, & in sublime erigere, ut jam nunc ex æquo mecum congrediaris. Desiderabas mei tribunalis aditum, ut venires ad meum solium; patet tibi accessus; Tuum erit ascendere, & te ipsum subvehere. ut vel ipsa corporis gravitas, & *terrena inhabitatio deprimens* hominem, doceat illum *nil sublime sapere*, sed humilibus consentire. tum etiam; Ex loco, ubi tu existis debes metiri vires tuas; & æstimare etiā meam supremam celsitudinē ex loco superno, unde ego expugno arrogantes, & superbos. Quanta enim temeritas, cum ego sim *in Cælo, & tu super terram*, velle mecum congredi! Sane ut difficultatem pugnæ explicaret Paulus, quæ nobiscum est, non *cum carne, & sanguine*, sed cum spiritibus nequissimis, dixit *colluctationem nobis esse in cælestibus*. id est, illos esse in cælestibus, & in aere isto sublimi; ut vel ex hoc intelligeremus nobis esse superiores. Vide id. 2. Machabæor. 15 cum Nicanor minime in sublime erectus, at *superbia erectus*, interrogavit; *Si est potens in Cælo, qui imperavit agi diem Sabbathorum?* & respondentibus Iudæis; *Est Dominus vivus ipse in Cælo potens, qui jussit agi septimum diem*; *at ille ait; Et ego potens sum super terram, qui impero sumi arma.* Sed quis exitus infælicissimi Nicanoris? quis gentis triumphus, *Habentis adjutoria de Cælo? Sublimis omnes Cæli* (sublimia ista, unde pugnavit adversus suos hostes Deus) *benedixerunt Dominum.* Ergo cum superbissimorum conatus sit, *in Cælum conscendere*, ut ex loco sublimi, tutissimo, expugnare tentent Dei altitudinem; At illorum conatus vanus est, non enim possunt ad tantam celsitudinem assurgere; Tum etiam, & Deus in *sublime erectus*, grandine, & lapidibus illos dejicit. Cujus signum ille *Lapis de monte cadens*, & Statuæ pedes comminuens. quippe cum omnis humana potentia sit terræ affixa, at Deus, & * *sublimē* tenet collē, & lapides. Sicut est in Proverbio.

Locus sublimis ad supernam Dei majestatem, inferior ad humanam ignobilitatem.

Ecclesi. 5. 1.

Ephes. 6. 12.

3
Superbia Nicanoris.

Divinæ majestatis [illegible] quod resideat in cælo.

Isai. 14. 13.

Dan. 2. 45.
* El tiene la cuesta, y las piedras.

Esto gloriosus. Diximus aliquando *Gloriam*, peculiariter ad vestium pulchritudinem referri, Exod. 28. 2. 40. Matth. 6. 29. Vide, quæ diximus, c. 19. versic 9. Est vero vox eadem, quæ dicitur *Confessio*, Ps. 103. 1. *Confessionē* (Hieronym. *Gloria*) & *decorem induisti.* & videtur quidē is Psalmi locus per imitationem ex hoc nostro. In universum autem *gloria*, quæ hic dicitur, est quo quis gloriosus est, honor pulchritudo, opes, Regius splendor exempla certa, & frequentia. Sed de fortitudine terrifica, supra. 39 20. & Ps. 44. 4. *Accingere gladio tuo; specie tua, & pulchritudine* (gloria) id est, gladius te gloriosum efficit; merito gloriaris gladio. & Zachar. 10. 3. *In bello* conspicitur *gloria* equi, & equitis. & frequēter conjungitur cum specie, & *pulchritudine*, sequentis partis; nam nomina originalia fere sunt synonyma. significant ergo Dei terrificam majestatem externis quibusdam rebus significatā, lumine, fulgurationibus, tonitruis, nubibus; quę opponūtur humanæ glorię. & vanissimæ arrogantiæ. Quod vero alii hunc decorem, & *gloriam* ad sanctorū beatitudinem referunt, vel ad laudes. & præconia; minus congruit, ut superius indicavimus.

4
Gloria de vestibus pretiosis.

הוד

Gloria ad fortitudinē relata.

הדר

)*(

VI. *Disperge superbos in furore tuo, &c.*

1. *Verbum* dispergendi, *vehemens, & de vehementi supplicio, Verbum item bellicum. Illustratu Isaias, & Habacuc.*
2. Dei Facies, Vultus, Nasus, *ad indignationẽ. Illustratur David.*

1
Pagnin. Cajet. Vatabl. Tygur. Regia.
הפץ
Verbum dispergendi vehemens.
LXX.
Olympiod.
D.Thom.
Allusio ad ædificatores turris Babel.

IN Hebræo, furor est appositum verbi; Disperge iras, furores, *effunde indignationem*, ostende te iratum. Est autem verbum *dispergendi* vehemens, & affert contritioné, & confractionem, unde dictum est, Ps.2.9. *Tanquã vas figuli confringes eos.* Confractos disperges, dispergendo côteres; in omnem partem vindictam tuam exerce. quod Septuag. referunt ad Angelos Divinæ Iustitiæ ministros; *Mitte Angelos iræ.* id est, cum Olympiodoro; *Vtere, si potes, Angelis ad ulciscendum contumeliosos, atq; superbos, & eos longe amãda.* D. Thomas; *Disperge, ut in unum convenire nõ possint.* ut fiat allusio aliqua ad divisionem, & dispersionem superbissimorũ ædificatorum turris Babel. Sed eleganter cohæret cum re de tempestate; Divide superbos; hac illac disjice; coge illos fugere; vel, longe lata strage dispersos prosterne: vel, disperge, & mitte fulgura, & fulmina, quibus illos dispergas, & prosternas. nam verbum hoc cum turbine, & fulmine conjungitur Isaiæ 30. 30. *In commitione furoris, & flamma ignis devorantis allidet* (disperget, dispersis fulminibus prosternet. Septuaginta elegãter, *fulminabit*) *in turbine, & lapide grandinis.* ut videatur quidẽ is locus Isaiæ expressus ex hoc nostro; Tum etiam, & ille alius ejusdẽ Prophetæ, cap.33.3. cum Deus e sublimi dispersit Assyrios; *A voce Angeli fugerunt populi, & ab exaltatione sua dispersæ sunt gẽtes.* adhuc enim perstat in illa translatione Dei, in tempestate de Cælo expugnãtis humanã superbiam; videtur enim verbum *dispergendi*, bellicum; quod dicimus *Desbaratar*, 3.Reg.22. 17. 4.Reg.25.5. Ierem.52.8. Atque poterit hoc etiam respexisse David Psal.67.1. *Exsurgat Deus, & dissipentur inimici ejus; & fugiãt, qui oderũt eum, a facie ejus.* id est, Exsurgens Deus, & sublimis, dispergit statim superbos. Idem cum illo Habacuc. 3. *Aspexit, & dissolvit gentes; stetit, & mensus est terram.* nam dispersis hostibus expedita mãsit terra Dei populo, ut illam tribus metirentur, & dividerent inter se.

LXX.
Verbum dispergendi bellicum.

2
In furore tuo. Proprie, In naso tuo, vel in facie tua; quasi dicat; Vultu tantum indignante, superbos disperges, & dissipabis. quod sequente parte exponitur; *Respiciens omnem arrogantem humilia;* incurva, deprime, prosterne, nam *Vultus Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum.* quippe solo vultu dispergit. &, ut noster ille dixit in Paraphrasi Poetica Latine;

Dei nasus, facies, vultus indignationis est.
Psal.33.17.

Exurge, vagos fuga dissipet hostes
Formidoq; tui pavidos agat æmula vultus.

Ludovicus Crucius.

VII. *Inspice cunctos superbos, & confunde, &c.*

1. Confundere, *quid. Varia lectio.*
2. *Superborum dignum supplicium, Ignominia, & abjectio.*
3. Absconditi, *dicuntur humiles, & ignobiles.* Pulvis, & Fovea, *sepulchrum.* Facies alligata, *defunctorum.*
4. *Periphrasis confusionis, & erubescentiæ. Illustratus Lucas.*
5. Confiteri *pro laudare. Confessio nostrorũ peccatorum conjuncta cum Dei Gloria.*

1
Confundere, quid proprie.
Aquila.
כבה
LXX.
Olympiod.

COnfundere, Proprie est *humiliare*, atque etiam *conterere* cum ignominia, & confusione, proculcare. aut cum Aquila, *invertere*; cum aliis, *subvertere*, & quod Septuaginta dixerunt, *Corrumpere*. vel ut legitur in Catena, *Putrefacere*; & ut interpretatur Olympiodorus, *Tabe, atque putredine consumere.* verbum quidem hoc tantum loco repertũ, quare ex subjecta materia exigẽda est propria significatio. Propria quidem pœna superbiæ, extrema humiliatio, & abjectio. quod Cajetanus ad pœnam superborum Dæmonũ refert. sed præstat, ut in communi accipiatur, & de eo, quod non semel diximus, Deum tempestate, & tonitruis confundere humanã superbiam.

Cajetan.

2
Nihil tutum a cæli injuriis.

In loco suo. ubicumque tandem fuerit; quamvis in extremos recessus se abscondant. nam nihil tutum a Cęli injuriis; etiã domibus suis inclusos, & a parietibus, & tecto munitos. Gregorius, quamvis Tropologice, sed proxime ad litteram, *In loco suo* interpretatur, *in ipsa superbia; Impius,* inquit, *in loco suo conteritur, quia ipsa superbia, qua elevatur, opprimitur. Vnde Propheta ait, Dejecisti eos, dũ allevarentur; non ait, post quã elevati sunt; quia falsa cõtingit gloria exterius elevari, & sua illis in pœnam vertitur culpa.* Mirum igitur ex superbia, & elevatione effici abjectionẽ, & cõfusionem, ex lumine umbram, ex die tenebras, deni- ex superborũ *exaltatione, ignominiam.* Sed an etiam *locus* hic superborum sit, terra

Gregorius.
Superborũ dignum supplicium.
Psal.3.15.
Prov.3.35.

Terra locus humanæ humilitatis. *Pſal.89.3.*

hæc, quæ eſt ipſa abjectio, & humilitas noſtra, cum in illam convertimur, ſicut Scriptum eſt, *Ne avertas hominem in humilitatem*, dicemus ſtatim.

VIII. *Abſconde eos in pulvere ſimul, &c.*

3 *D.Thom.* Abſconditi humiles, & ignobiles. *Pſal.64.3.*

DIvus Thomas. Vt ſit expoſitio præcedentis; Redde illos obſcuros, & ignobiles, cujuſmodi ſunt abſconditi. Alii ad mortem, quæ eſt extrema gloriandi, & ſuperbiẽdi meta; Sicut, Prophetę rogãti, *Vſq; quo peccatores gloriabuntur?* Reſpõſum eſt, *Donec fodiatur peccatori fovea.* Vide Iob 20. 7. *Si aſcenderit in Cælum ſuperbia ejus, quaſi ſterquiliniũ, &c.* Et quidem *pulveris*, & *foveæ* nomine ſepulchrũ, & ſtatus mortuorũ ſæpe ſignificantur. Illud autẽ, quod eſt *demergere*, proprie eſt in Hebræo *alligare*, & *involvere*, aut *faſciare*, quare prop. legitur, *Facies eorũ alliga*, aut involve, quod quamvis eleganter referri poſsit ad habitum defuncti, qui ſyndone involvitur, cũ *facie; ejus ligatur ſudario, atque manus, & pedes inſtitis*; ſed videtur eſſe extremæ confuſionis, & erubeſcentiæ circũloquutio; nam ſuperbus ſicut habet elevatũ cor, ita etiam *elatos oculos*, ambulat *extento collo*, & vagis atque incertis oculorũ *nutibus*; ita qui præ confuſione erubeſcit, abſcondit ſeſe, & veluti habeat faciem ligatam, & obvolutam, ita *non audet oculos ad Cælum levare*, velletque demergi in foveam; *dicit enim montibus, Cadite ſuper nos, & collibus operite nos.* Ergo hæc eſt ſententia; Numquid potens eris glorioſiſsimos Tyrãnos ad extremam ignominiam, & confuſionem adducere. Fit autem ad tempeſtatẽ, & turbinem alluſio, ut jam diximus, propter cõcitatum pulverem, & propter foveas ſubterraneas, & *ſpecus*, quæ, ut dixit Seneca, *Excogitati ſunt propter fulmina, & Cælorum injurias.*

Pulvis, & fovea, ſepulchrũ.

חבש

Defuncti habitus, facies alligata.

4 Periphraſis ingentis confuſionis. *Pſal.103.1. Iſai.3.26.*

Qui erubeſcit, abſcondit ſe. *Luc.23.30.*

Seneca.

IX. *Et ego confitebor, quod ſalvare, &c.*

CVM Hujuſmodi, inquit potẽtiæ documenta præbueris, tunc te habebo, & prædicabo fortiſsimum, cujus ſalus nõ indigeat alienis auxiliis. Frequẽs in Scripturis, *confeſſio* pro laude, & honorifico teſtimonio rei, quæ taceri non debet, ſed publica excellentium operũ confeſsione celebrari; quod potiſsimũ Deo convenit Sicut cõfeſsio noſtrorum operum nobis confuſionem parat; quare utrumque ſolet cõjungi *Confeſſio* Dei, id eſt, illius laus & *Gloria* cum *noſtri peccati*, & confuſionis *Confeſſione*, Ioſue, 7.19. Ioannis, 9.24. 3. Eſdrę. 9.8. Vim autem hujus ſententiæ, initio hujus argumentationis diligenter tractavimus.

Confiteri, pro laudare.

BEHEMOTH.

X. *Ecce, Behemoth, quem feci tecum, fœnum, quaſi bos, comedet.*

XI. *Fortitudo ejus in lumbis ejus, &c.*

Quæ notio nominis Behemoth, quæ res?

1. *Nexus, & Scopus, atque difficultas hujus materiæ.*
2. Behemoth, *nomen plurale.* Iumentum *dictũ tam de feris, quam de domeſticis.*
3. *Prima Iudæorum expoſitio, & mendacium de Behemoth.*
4. *Secunda expoſitio parum veroſimilis.*
5. *Rejicitur tertia exponendi ratio.*
6. *Duæ interpretationes maxime veroſimiles.*

HIS Sententiis a decima uſque vigeſimam inſignis cujuſdã beſtiæ vaſtitate, & mole mẽbrorum omnium, ingluvie, & aviditate mirabilis deſcriptio cõrinetur, ad amplificationem Divinæ Potẽtiæ, cui tanta belluæ ſuperbia, & immanitas obſequitur; Tum etiam ad cõprimendam arrogantiam humanarum viriũ longiſsime inferiorum. Sicut autẽ nexus hujus deſcriptionis cum antecedentibus, & ſequentibus facilis eſt, ita ſane eſt prædifficile, & vehementer controverſum, quæ nam bellua, his omnibus proprietatibus, & indiciis deſignetur, appellatione *Behemoth*. 1

Nexus, & ſcopus hujus deſcriptionis.

Et ant equam diſsidẽtes aliorum ſententias afferamus, id primum ponendum in quo omnes cõſentiũt, videlicet nominis notio. Eſt quidem *Behemoth*, plurale nomen inflexione, & ſignificatione a ſingulari, *Behemah*, quod ſignificat terreſtre quadrupes, aut domeſticum, aut ferum, & agreſte, quod diſtinguitur a reptili, & vertitur *Iumentum*, aut *Iumenta*, etiam cum de feris, & agreſtibus dicitur, contra quam aliqui obſervarunt; nam de montanis, & agreſtibus dicitur Pſalm. 49. 10. 2

Behemoth nomẽ plurale.

בהמות
בהמה

Iumenti appellatio etiã de agreſti, & fero.

Forſterus.

Pſal.103.14. Ergo *Behemoth*, incommuni ſignificat beſtias, pecora, animalia nõ qui dem, ut Philippus dixit, *plures*, ſed & in plurali frequenter dicitur de *Iumẽtis* domeſticis, Pſ.72.22. Proverb.12.10. Exod. 20.8.4. Reg.3.17. Ex ſubjecta itaque materia colligendum, cujus naturæ ſit animal, non ex vocis proprietate.

3 Plurale nomẽ ad amplificationem.

Eſt præterea obſervandum plurale nomen, ſæpe ad amplificationem dici, ut ſępe monuimus, ſed in hoc ipſo nomine, Pſal.72. *Vt jumentũ (Behemoth, beſtię, una grã beſtia) factus ſum apud te.* ubi ſicut numero plurali ſignificatur ingens aliqua, & belluina ſtupiditas, muta, inſipiens; ità eodẽ ipſo numero ſignificari poteſt, quid quid beſtiis proprium eſt, ſed cum amplificatione, nimirum maxima vaſtitas, feritas, ingluvies, immanitas. Sed an nũc numerus pluralis dicatur ad amplificationẽ, an vero ſine ulla figura pro pluribꝰ beſtiis, incertum, ut ex dicendis cõſtabit. Quod vero Goropius Becanus, in Hieroglyph. lib.14. in fine, nomen *Behemoth*, ad linguã ſuam Cimbricam revocare conatur, ut ſit quaſi Cimbricum *Veenoth*, quod ſonat *pecudum, & inimicitiæ caput*, Merum eſt hominis ſapiẽtis ſomniũ. qui ſatius feciſſet, ſi in Cimbricis tantum ſomniaret, & nugaretur; non etiam miſceret Sacra profanis.

Beſtiarũ pluriũ appellatione quod propriũ illarũ eſt.

Goropius Becanus.

Proponuntur quinque interpretationes.

Nunc jam quinque omnino invenio interpretandi rationes, ex quibus ſi duas priores, ut pote minime probabiles nunc rejiciamus, de tribus aliis ſeorſum erit nobis accuratius differendum. Prima igitur eſt R. Salomonis, & quorũdam Hebræorum exiſtimantium eſſe hoc nomen peculiare, & proprium cujuſdam Animalis. quod docuit Pagninus, & Hebræi alii apud Nicolaum docentes, nunc eſſe nomẽ proprium; eſſe item aliquãdo nomen generale, & appellativum. Sed illius belluę peculiarem naturam Hebræi cum R. Salomone ex his notis deſcribunt apud Lyram ſic ſcribentem; *Iudæi dicunt, quod Behemoth eſt nomen cujuſdam Animalis incredibilis magnitudinis: tãtumque in una die depaſcit herbas mille montiũ, & craſtino renaſcitur herba in tanta magnitudine, ſicut erat in præcedenti die: & ad hoc inducit Ra. Sa. ſuper iſtum locum auctoritatem Pſ.49. In quo ubi habemus: Iumenta in montibus, & boves: Hebræi dicunt, Behemoth in montibus mille. Trãſlatio a Hieronymo ſumpta immediate de Hebræo habet, Pecudes in montibus millium.* Hæc Lyra. De hujus autem belluæ magnitudine, hæc item eſt Hebræorum ſententia apud Albertum, & Dionyſiũ, *Quod Behemoth ſit bos, cujus corpus ſeptẽ milliaria contineat, collum, unum, & caput, unum: Sicque novem milliaria in univerſum contineat, cujus cauda ſit quaſi ſylva cedrina.* Ingens proculdubio, & immane nõ tam animal, quam mendaciũ. Sed ſi non mentiuntur, at ſomniant proculdubio homines veræ ſapientiæ veræque Theologiæ expertes, quod viros mediocris ſapientiæ pudet & ſomniare. Addunt vero Iudæi. *Quod in Reſurrectione Deus illud Animal occidet, ut juſtis paret convivium.* De juſtis nihil ſint ſolliciti Iudęi, *recumbent* enim illi *in regno Cælorũ.* Si de ſe Iudæi ſatagunt, & carnes Behemoth expetunt; ferendum; nam ſimiles amant labra lactucas. Simile quid cõfingunt de carnibus ſalitis Leviathan, ut conſtabit inferius.

R. Salomon.

Pagninus.

Hebræorum cõmentum de *Behemoth.*

Mendacia, & ſomnia Iudęorum.

Iudæi appetẽtes carniũ *Behemoth.*

4 Secunda expoſitio minime veroſimilis.

Eſt vero ſecunda interpretandi ratio, non tam magnitudine, quã parvitate mirabilis, apud Iulianum in Catena, *Quidam* (inquit) *beſtias hoc loco ipſo vermes e putredine procreatos, Iobique artus depaſcentes intelligunt.* Favetque Olympiodorus, dicẽs, *Carnem Iobi, quaſi fœnum abſumi.* aquo vero abſumebatur, quam aminutiſsimis, atque infeſtiſsimis beſtiolis? Sed quoniam res hæc non tam adducitur a Iobo lamẽtante ſuas morborum ærumnas; quam a Deo enarrante magnificentiam ſuorum operum, non eſt vero ſimile locum hunc ad tam minuta mala referendum.

Iulianus.

Olympiod.

5 Tertia expoſitio parũ idonea.

Tertia, ut *Behemoth*, nulla dicenda figura, ſignificet plures beſtias, quas creavit Deus. 6. die, cum juſsit Deus, *ut produceret terra animam vivẽtem in genere ſuo, jumenta, & reptilia, & beſtias terræ.* Sic Septuaginta legerunt. *Ecce beſtias apud te, fœnum ſicut boves comedunt.* Itaque proponat Deus in univerſum creationẽ quadrupedum varietate, & natura mirabilẽ; Tum illud, ut ait Chryſoſtomus, *Quod cũ belluæ ſæpe numero Divino Cõſilio cum ſanguine minime paſcantur, boum alimentis contentæ ſunt, quod ipſum eſt admirabile, ut paſcantur fœno, non carnibus.* Hunc explicatum indicavit R. Moyſes Aegyptius lib. 3. Doctoris dubiorum, c.14. quamquam profiteatur ſe univerſam libri Iob ſummã collegiſſe, & Behemoth non meminerit, at in Leviathan videtur etiam cõprehendiſſe Behemoth, & ait, *Illud dici de univerſitate virtutum corporalium, quæ dividũtur in omni Animali ambulante, ſerpente, natante in aquis, & volante in aere.* Sed cum hæc interpretandi ratio, in primum verſiculum quadrare poſsit, at in reliquos nulla ratione poteſt, ut qui de una aliqua beſtia, non de omnibus dicantur.

Gen.1.24. LXX.

Chryſoſt.

R. Moyſes.

6 Dum maximè veroſimiles interpretationes.

Ergo in duas tantum ſententias, totũ interpretandi negotium incumbit, alterã quæ de Elephanto eſt, de Dæmone alteram, ſeorſum tractandas: & tunc demum de illis judicandum, cũ examinaverimus utra illarum verbis, & argumento harum ſententiarum melius ſatisfaciat. Nã aſſertores Elephanti, contendunt, neque in aliud Animal, neque in Dæmonem quaſdã hujus deſcriptionis partes convenire, ut quod de *paleis*, quod de *oſſibus*, quod de *oculis*, quod de *naribus*, dicitur. At qui de Dæmone interpretantur, exiſtimant in ſolum illum convenire, quod dicitur, *Ipſe eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ*, & *Principium viarum Dei*, quędam item alia, quæ de illius membris deſignantur.

Interpretationis, quæ eſt de Elephanto, propoſitio, expoſitio, & cõfirmatio per partes.

1. *Auctores prioris expoſitionis de Elephanto.*
2. *Rationes præcedentis ſententiæ.*
3. *An Elephantus habeat proprium nomen in Sacro ſermone. Illuſtratus locus Regum.*
4. *An* Adam, *fuerit nomẽ propriũ primi hominis.*

1 Qui de Elephanto interpretantur. *Forſterus. Marinus. Vatab. Tygurina. Eugubin. Titelmanus, & recentiores. Benedictus Pererius. Viegas. Chryſoſt.*

DE Elephanto accipiunt plurimi Hebræi, apud quos *Behemoth*, eſt Elephãti nomẽ, ut referunt Forſterus, Marinus, in theſauris, Vatablus, Tygurina, Eugubinus, Titelmanꝰ, Aſtunica, Oſorius, Benedictus Pereira in Danielẽ, cap. 3. ſuper id, *Benedicite omnes beſtiæ, &c.* Blaſius Viegas in Apocal. c. 12. ſect. 21. & ſane idem videtur ſenſiſſe Chryſoſtomus, ſic ſcribens; *Nec illud nos fugit, in diabolum hæc dicta eſſe, nonnullos exiſtimaſſe. Verũ enim primum hiſtoriæ danda eſt opera, deinde utilitati ſuccurrendum auditoris, nec contẽnenda anagogia.* Atque hinc prima ſumitur confirmatio, quod cum ſecundum hiſtoriã multorum animalium natura, & vires deſcriptæ ſint ab ipſo Auctore naturæ, ut Providentiam erga res naturales oſtenderet, & probaret Iobo, non videtur nunc alia orationis ratio, neque aliud argumẽtum, quare nunc hiſtoriam narrat, quę non in alium, quam in Elephantum cõvenire debeat, præſertim cum indicia ipſa certa, & peculiaria ſigna non videantur permittere nos vagari circa allegorias. Confirmatur item, quia ubi animalium quorundam membra, & proprietates deſignantur, ut apud Danielem quatuor illę beſtiæ, *quaſi leæna, & alas habens Aquilæ, & alia ſimilis*

2 Rationes hujus interpretationis.

urſo, & tres ordines erant indẽtibus ejus, &c. Ipſa res cum natura repugnãs, & ipſe dicendi modus, tum etiam nomen *viſionis*, cogunt nos allegoriã quærere, non hiſtoriam. At hic non permiſtio, & cõfuſio diverſorum animaliũ, ſed ſimplex unius naturæ narratio per ſuas partes proponitur. Accedit, quod in Scripturis, nullum inveniamus proprium nomen Elephanti. Nam quod 3. Reg. 10. 22. dicitur, *Dentes Elephantorum*, in Hebræo ſimplex eſt vox, q. d. *Ebur*, aut *dentes*, niſi malis eſſe vocẽ ignotæ ſignificationis: nam cum ibi legatur, *Senabim*, quidam ſuſpicantur, eſſe dictionem cõpoſitam ex *Sen*, quod eſt dens, & *Habim*, quod ſit *Elephas*. Sed ſuſpicionem ſuam nõ poſſunt juvare aliquo Scripturæ loco, cum ibi tantũ legatur. Ergo ne tam vaſtum, tam mirum animal, innominatũ ſit in Scripturis, & in hoc præſertim loco, ubi aliorum minoris admirabilitatis mẽtio fit, oportuit nomine aliquo quamvis appellativo, per excellentiã deſignari. Sicut etiam primus homo, qui & corporis magnitudine, & robore excellẽtiſſimus fuit, propriũ nomen non videtur habuiſſe, quam cõmune ſuæ ſpeciei; *Adã* enim hominem *terrenũ* ſonat, quod docet Epiphanius, initio Panarii, non aliter cõmuni, & appellativo nomine dicetur primum, & maximum Animal. Denique rei hujus firma erit probatio, ſi ex partibus ſingulis harum ſententiarum verum Elephantũ cõponamus. quare aggrediendũ.

Dan. 7. 4. 5.

3 In Scripturis nullum nomẽ Elephanto. שנאבים Complutenſis. Forſter.

4 Primus homo an habuit proprium nomen. Epiphan.

10. X. *Ecce Behemoth, quem feci tecum, &c.*

1. *Cur Elephantus habeat appellationẽ beſtiarũ. Illius magnitudo, vita, cornua, cor duplex.*
2. *Facere, de cõpoſitione aptiſſima omnium membrorum. Cur dicatur Elephantus factus cum homine. Illius commoditates, & ejus, ſocietas cum homine.* Cum, *pro* juxta.
3. *Elephãtus prope humani ingenii. Propoſitio, cũ, affert ſimilitudinem.*
4. *Quæ provinciæ abundent Elephantis.*
5. *Fœni appellatione quid intelligẽdũ. An in ſtatu innocentiæ animalia aliqua carnivora.*
6. *Elephantus. Bos luca, cum bove comparatus.*
7. *Elephanti cibaria. Gaudet cibo domeſtico, & blandimentis.*

1 נא Cur dicatur Elephãtus plures beſtiæ, variæ rationes.

IN Hebræo eſt præterea particula obſecrantis, *Ecce* nunc, quæſo, *Vide obſecro te.* hortatur ad attentam cõſiderationem rei admirabilis, Cur autẽ Elephantus, *Behemoth*, id eſt, plures beſtię dicãtur, nõ difficile plures, eaſque idoneas cauſas aſſignare. Prima ex ipſa loquendi Phraſi

peti

Hebraismus.

peri potest. quasi dicat, Ecce, Elephantus instar multarum bestiarum. in quo multa belluarum genera tibi proposita arbitreris; Nunc, ut de cæteris taceā, & quæ dici de plurimis possent, in unicam belluā cōcludam, Elephantum considera, &c. Secunda ratio ex peculiari usu Hebræorū, utentium numero plurali ad excellentiā; quare appellabunt bestias, illā, quę sit bestia bestiarum excellētissima. quæ excellentia cum in plurimis intelligentiæ, memoriæ, religionis, cœlestium cultus, pietatis, obedientiæ, castimoniæ, mansuetudinis, æquitatis documentis cōsiderari possit, at recte etiam in vastitate, & mole corporis cōstituitur ab auctoribus hujus interpretationis, neque incōmode; cum de Elephantis Indicis, & Aethiopicis, apud Husitanos celebriorib⁹, sermo esse potuerit. *India* enim, ut Diodorus scribit lib. 3. c. 10. *Plurimos, maximosq; Elephantes habet, robore ac magnitudine præstantes.* Quā eandem Indicorū magnitudinē testatur Plinius, & in universum, *Terrestrium Animaliū maximum esse*, scribit lib. 8. cap. 1. quod descripsit ex Arist. lib. 4. de hist. c. 4. Mensuram autē certam assignat Aelian. lib. 1. c. 2. *Alii ad duodecimum, alii ad decimū tertium dodrantē excelsitate procedūt, alii ad decimum quartū*; amplius explicat. c. 31: *Indici Elephanti novem cubitorū altitudine, latitudine vero quinq; habentur.* Tum vero illa idonea esse poterit huj⁹ appellationis ratio, quod diutissime vivat, multorumque animalium durationē unus ipse complectatur. Elephātum *animaliū diutissime vivere*, scribit Arist. lib. 4. de hist. c. 10. atque eam vitæ diuturnitatem ad magnitudinē videtur referre lib. de lōgit. & brevit. vitæ, *Majorib⁹ enim bona ex parte, quā minoribus vita longinquior est.* Vivunt autē fere ducentos annos, ut scribūt Arist. Aelian. Arrianus, Diodorus: etiā trecentos concedunt Plinius, & Solinus, c. 38. Promovet etiā amplius Strabo lib. 15. *Onesicritus* (inquit) *dicit eos ad trecētesimum annū vivere, raros ad quingentesimum: circiter ducentesimū robustissimos esse.* Multa præterea sæcula vixisse Alexandri Elephantū quendā, scribit Philostratus lib. 2. de vita Apollonii. An vero etiam Elephātus pluriū bestiarū rationem, & naturā habere dicetur, quod ut Arist. scribit lib. 2. de partibus animali c. 16. propter officium proboscidis, qua cibum tā humidum, quā siccum captat, & ori admovet, vocat *animal natura sua simul terrestre, & palustre*: tum etiā cum vere cornutū animal nō sit, at propter duos illos exertos dentes, cornutū appellatur. *Quis igitur in magno non ponat miraculo esse animal cujus ex ore erumpant cornua*, inquit, Pausanias in Aeliacis. Cū bisulcum non sit, sicut reliqua cornuta, at multifidū videtur; habet enim multos digitos designatos. Denique multorum animaliū differentias unus Elephas cōplectitur. Tum illud, quod non est solitarium animal, sed gregarium: *Elephanti*, inquit Plinius, *Gregatim semper ingrediuntur. ducit agmen maximus natu, cogit ætate proximus*: Tandem cū duplici tum corde, tū sensu animi, ut Aelianus scribit c. 39. *Elephantus esse dicatur, & altero quidem ira incēdi, altero mitigari*, & leniri, quis non dicat multas illum belluas continere? ut multis jā ex causis merito debeat *Behemoth* appellari.

Numerus pluralis ad excellentiam.
Elephanti præstantia super reliquas bestias.
Vastitas Elephantorū Indicorum.
Diodorus.
Plinius.
Aristot.
Aelian.
Elephāt⁹ propter vitæ diuturnitatem instar multorū animalium.
Aristotel.
Elephantorū vita quanta.
Aristot. Aelian. Arrian. Diodor. Solinus. Strabo.
Philostrat.
Aristotel.
Elephantus simul terrestris & palustris.
Elephanti cornua ex ore.
Pausan.
Plinius.
Aelianus.
Elephātus duplici corde, & gregarius.

2

Facere, quid. עשה

Quem feci tecum. Præter quā quod verbum *faciendi* affert peculiarē curam, aut industriam in *faciendo*, & componēdo toto corpore, & debita omniū partium cōstitutione; quæ cū non eadem in Elephāto, quæ in aliis sit animalibus, ut ex naribus, cornibus, id est, dentibus, quæ ex capite ipso ortum habent, ex testiculis, & totius corporis conformatione constat, at illud plenū est sensu, quod dicatur *factus cum homine*; aut *cum Iobo*. Utrumque enim denotare potest illud *tecum*. si hominē in universum designet, *cum quo dicatur factus*, significabit eodem, id est, sexto die creatū, quo creatus est homo: vel ita esse creatum, ut humanis usibus, & cōmoditatibus aptissimus, & familiarissimus esse possit; hoc enim designare potest illud, *cū* sicut Gen. 2. 18. dicitur mulier *adjutorium simile homini*. vel, ut legitur ex Hebræo, *corā homine*, vel ut Septuag. *Secundum hominē*, quod usui humano inserviret, & prope illū esset. Nā præpositio *cum* in Hebræo, eadem est, & idē valet, quod *juxta*. Certe ex Nearcho refert Strabo, quod Elephanti omnia discāt, & ad omnes usus idonei sint, *existimatam esse maximam possessionem Elephantorū currū*. est vero Elephanto mirabilis *Imperiorū obedientia, & officiorū, quæ didicere memoria, ad arandum etiā*, ut testatur Plinius. *Usus in bello*, quē eleganter describit Pausanias in Atticis, Aelianus, c. 31. ad *Vigilias, & excubias, Regumque custodias*, ex eodem Aeliano, c. 32. ad fidē rei sibi creditæ, & vel ad *nutricis munus obeundum*, ut exemplo idem Aelianus cōfirmat c. 35. Denique indicat ingenium, facile & mite, quod cicurari potest, ut habitet cum homine. *Natura* (inquit Aelianus, cap. 4.) *illum non modo summa ex omnibus animalibus magnitudine ornavit, sed & disciplina mansuetum, & tractabilem edi-*

Cur dicatur Elephantus factus cum homine.
Cum aliquo, quid designet.
LXX
Cum, pro *juxta*.
Strabo.
Elephātus maxima possessio, & multiplex usus illi⁹
Plinius.
Pausan.
Aelian.

dit. *Elephanto ad morum facilitatem erudito, nihil mitius, nihil ad id, quod volumus, obtemperantius eſt.* Eſt vero etiam elegans, quod addit Gyllius in ſua acceſsione, c. 5. *Tanta huic belluæ cum genere humano ſocietas, tamque prope accedit ad hominis ingenium, ut Cicero non vereatur affirmare, non parvam nationem hominum ſenſu ac ingenio eſſe multò inferiorem; ubi ſemel ad hominē adſueſcit, ab eo omnia patitur, ex eoque morum ſimilitudinem in ſe transfert, neque aliter quā perparvi cattelli, ex hominis manu gaudet cibum ſumere, &c.*

Gyllius.

3 Elephas ſimiliscum homine ingenii.

Quid ſi illud *tecum*, ſimilitudinem afferat ingenii, morū, intelligentiæ humanæ? hoc quoque opportunis verbis ſcribunt. Plinius; Elephas *Proximus humanis ſenſibus*. Strabo; *Ad rationale animal proxime accedit.* Conjūxit utrumque Solinus; *Iuxta ſenſum humanum intellectū habet.* Et quidem, ut aliquando ex uſu Sacri ſermonis obſervavimus, cum unum dicitur eſſe *cum alio*, aut *juxta alind*, perinde eſt, ac ſi diceretur eſſe ſimile alterius.

Plinius. Strabo. Solinus.

Cum, aut Iuxta, indicat ſimilitudinem.

4 Elephantis abundans Arabia & aliæ provinciæ.

Quod ſi illud, *tecum*, reſpiciat Iobum peculiariter, forte ſignificabitur, Elephātis eam regionem, aut conterminas abundare. Et quidem illæ ſunt Huſitanæ Provinciæ conterminæ, aut non valde diſtātes ab Arabia, & Aegypto, quas Plinius patriam Elephantorum aſsignat; *Elephātes ferunt Aethiopes, & Troglodytæ, ſed maximos India.* Quod ſi ad Arabicos etiā Reges, tunc jam temporis manarat conſuetudo Indicorum Regum, certe hunc locū elucidabit peropportune, quod de Indicis ſcribit Strabo lib. 15. *Privato homini equum, & Elephantem alere non licet. utrumque enim Regis poſſeſsio cenſetur, ſuntq; eorum curatores.* Ergo ſignificabit, Deum *feciſſe Elephantum cum Iobo*, id eſt, dignum, qui ab ipſo Iobo Rege curaretur, & aleretur, illiusque ſimul cum equo, qui magnificētiſsime deſcriptus eſt capite præcedenti, curam gereret.

Strabo.

Indorum Reges curatores Elephātorū

5 Fœni nomine quid intelligēdum.

הציר

An in ſtatu innocentiæ animalia ulla eſſent carnivora

Baſilius.

Fœnum, quaſi bos comedet. Non ſolū aridum, ut vult ille Hebræus, Cajetani, ſed etiam virens; herbam, quidquid demetitur ex proprietate vocis; *Paleas*, quæ dicuntur eſſe pabulum bovis, ſicut Iſai. 11. 7. dicitur, *Leo, quaſi bos, comedet paleas.* Quod videretur in adventu Meſiæ natura Animalium carnivororum rediiſſe ad priorem illam ante peccatum conditionem, in qua nulla fuiſſe animalia carnivora aliqui arbitrati ſunt, cū Baſilio Hom. 11. Hexam. Mirum igitur tunc Leonem ſanguinarium, & carnivorum pale s contentum eſſe! Mirum quoque Elephantū tam vaſtum, tam gravem, tam facili, levique pabulo vivere!

6 Elephanti cū bove cōparatio.

Duo autem præterea indicātur in hac ſimilitudine. primum, ſimilitudo aliqua cum ipſo bove, quare & Itali, cum primū Elephantos in Lucanis vidiſſent bello Epirotico, *Boves Lucas* cognominarūt. Tū quod cornuti viderentur, *tum quod maximam quadrupedem, quam ipſi haberent, vocarent bovem.* ut de hac appellatione diſſerit Varro libr. 6. de lingua Latina. Elephantis, item ut bobus, ad arandum utuntur Indi: & cum gregatim ingrediūtur, ſicut boves taurum maximum, ita Elephantes maximum ſequuntur, ut Arrianus in indicis, & Strabo ſcr bunt.

Bos Luca.

Varro.

Arrianus, Strabo.

7 Elephanti cibaria.

Alterum vero, ſimilitudo, & genus pabuli ex *fœno*, paleis, hordeo. Denique cum carnivorum animal non ſit, herba, & ſeminibus veſcitur. Illa etiam cibariorum blandimenta Aelianus aſsignat. c. 27. *Panes maximos, hordeum, carices, uvas, cœpas, allia, juncū, palmam, hederacea folia.* Plinius etiam lib. 8. c. 10. *Terram ediſſe iis tabificū eſt, niſi ſæpius mandant: devorant autem, & lapides. Truncos quidem gratiſsimo in cibatu habent. Palmas excelſiores fronte proſternunt, ac ita jacentium aſſumunt fructum.* Deſcripſit hæc Solinus cap. 38. ſed addidit, *Pabula, quæ a muſculis contacta ſunt, recuſant.* Strabo, *Apud indos herba, vel arundine viridi reficiunt.* Menſuram autem cibi hanc aſsignat Aelianus, cap. 43. *Elephāti novem ordei modios Macedonicos exedunt, & metretas Lacedemonicas quatuordecim bibere poſſunt, & rurſus ad ejuſdem diei veſperam octo.* quod deſcripſit ex Ariſtotele lib. 8. Hiſtor. cap. 9. Et quidem tum ex ſimilitudine cū *bove*, tū ex proprietate vocis; *pal arum*, ſignificatur nunc pabulum domeſticum ſubminiſtratum, & demeſſum ab homine. nam de pabulo, quod ipſe ſibi querit Elephantus, inferius dicetur verſiculo. 15. Ergo nunc mirum, tam inmanē belluam *ex manu hominis* velle *pabulum accipere*; atque ea re peculiariter gaudere, & mulceri! &, ut Aelianus dixit in cap. 9. acceſsione Gyllii cap. 5. *Non aliter quam perparvuli catelli, ex hominis manu gaudet cibum ſumere.* Tum illud ex cap. 4. *A magiſtris cibos illecebris, & ſuavium invitamētorum varietate refertos indulgeri.* Tā demque ex cap. 30. militares Elephantes *Nō prius aliquando cibos ſumere, quam præſepii labra floribus ornata conſpexerint, cibo ſuavitatem ex his bene olētibus comparantes.*

Aelianus.

Plinius.

Solinus.

Strabo.

Quæ mēſura cibi pro Elephanto.

Ariſtot.

Elephantus gaudēs domeſticis blandimētis cibariorum.

)?(

XI. Fortitudo ejus in lumbis ejus, & virtus illius in umbilico ventris ejus.

1. *Elephantus cõmendatus a fortitudine dorſi. Turres ligneæ illi impoſitæ.*
2. *Elephanti venter mollis. Qua virtus ventris, & umbilici, expoſitiones quatuor parum idoneæ. Modus ineundi fœminas.*
3. *Quinta expoſitio. Optima umbilici conſtitutio ad robur.*
4. *Synedoche. Venter ad intemperantiã. Elephas vino efferatur.*
5. *Vmbilicus, de fœmina. Elephas fœmina robuſtior, & major.*

1 A quo deſumatur hæc cõmendatio Elephãtis. *D. Thom. Dionyſ. Cajetan. Nicolaus.* Dorſum, & coxendices Elephanti fortiſſima. LXX. *Olympiod.* Cõmendatio fortitudinis a robore, & lũbis. *Plinius. Aelianus.* Elephantorũ turres. *Lucretius. Philoſtrat.*

PArtem hanc ad generationem pertinere exiſtimarunt D. Thomas, Nicolaus, Dionyſius, Cajetanus, eo quod ſeminaria vaſa in *lumbis*, & renibus mariũ ſint. Sed cum nihil peculiare in Elephanto ſit, quod ad hanc rẽ pertineat, ut verſiculo ſequente oſtendemus; nunc certe tãtum de dorſo illius, & coxendicibus agitur, in quibus maxima Elephanti vis, & robur perſpicitur; non in renibus, non in inſtrumẽtis generationis. Quare Septuaginta, *Lumbum* in ſingulari dixerunt, ut eleganter expoſuit Olympiodorus; *Locũ oſtendit, in quo beſtiæ robur reſideat, ſive ut Aquila cõvertit, dorſum; ſive, ut Symmachus, venter.* Quare nunc commendatur Elephantus a fortitudine, *Accinctorum lumborum.* Quæ roboris circumloqutio familiaris eſt Scripturis, ut diximus, cap. 38. verſ. 3. Ergo hoc illud, quod de Elephanto ait Plinius lib. 8. c. 10. *Duriſſimum dorſo tergus.* Aelianus ſcribit, *Dorſo nudo tres bellatores ferre, alterum dextra, alterum ſiniſtra pugnantem, ac ſimul quartum beſtiam dirigentem.* Sed illud majus, quod Plinius ait, *Turritos Elephantorum miramur humeros.* Quippe *turres Elephantorum in hoſtes ferunt.* Quas turres avaritia ſuperſtructas fuiſſe Lucretius ait lib. 5.

Hinc Boves Lucas turrito corpore tetros
Anguimanos belli docuerũt volnera pœni
Sufferre, & magnas Martis turbare catervas.

Philoſtratus libr. 2. deſcribit Elephantes, *Onuſtos turribus, quibus decem, aut etiã quindecim armati homines ſuperſtant, qui ex turribus, tanquam propugnaculis in hoſtes jaculantur, aut arcu ſagittas torquent.* Sed majus, ac verius, quod Auctor libri Machabæorum, 1. c. 6. narrat in exercitu *Antiochi* fuiſſe *Elephantos triginta duos doctos ad prælium, & turres ligneas ſuper eos firmas, ac protegentes ſuper ſingulas beſtias, & ſuper eas machinæ: & ſuper ſingulas viri virtutis triginta duo, qui pugnabant deſuper, & Indus magiſter beſtiæ.* vide igitur quanta fortitudo in lumbis, & dorſo Elephãti! Sed illud, quod ſequitur, paulo difficilius.

2 Elephanti vẽter mollis. *Plin. lib. 8. c. 10.* Quæ virtus ventri Elephãti. *D. Thom.* Prima reſponſio parum idonea. Elephãti qua ratione ineãt fœminas. *Albertus. Ariſtot. Diodor.* Secunda reſponſio nõ ſufficiens. *Titelman.* Tertia expoſitio minime ſolida. *Olympiod.* Vmbilicus, quid. *Ariſtot. Galenus.*

Et virtus ejus in umbilico ventris ejus. Nã potius mollis, & infirma pars in Elephanto *umbiculus.* Sicut enim *duriſſimum* dorſo tergus, ita *ventri molle.* Quare Rhinoceros, *in dimicatione cum Elephanto, alvum maxime petit, quam ſcit eſſe molliorẽ.* Quod ipſum intuens Eleazarus 1. Machabæorũ 6. 43. 46. in prælio adverſus Antiochum, *Videns unam de beſtiis loricatam loricis regis, & erat eminens ſuper cæteras beſtias: & ivit ſub pedibus Elephantis, & ſuppoſuit ſe ei, & occidit eum, &c.* Inflixit igitur læthale vulnus parti omnino imbecillæ. Quomodo igitur in illa *virtus*? D. Thom. quem alii Latini imitantur, *umbilico*, & *ventri* inſignem fortitudinẽ tribuit, atque ex eo colligit, quod cum non coeat more aliorum animalium, ſed quaſi inequitans fœminæ, & incumbens ſuo ventri, & umbilico toto corporis pondere, dirumperetur, niſi ea parte munitus eſſet. Illum vero modum congrediendi ex Alberto deſcribũt. Quamquam Ariſtoteles tantum ſcribat, *Fœminam ſubmiſſis cruribus, pedibusque innitentem, & ſubſidentem comprimi a mare.* Diodorus item, *virili munere fungi, ſicut equos, & reliquas quadrupedes.* Ergo hæc interpretandi ratio neque difficultati ſatisfacit, neque convenit cum his, quæ de Elephanti natura ſcribuntur.

Secũdo, Frãciſcus Titel. refert ad alligaturã oneris impoſiti, turriumq; lignearum, quæ cum fortiſsimis vinculis reductis ſub ventrem, & umbilicum adſtringãtur, non poſſent firma conſiſtere, niſi & venter firmus conſiſteret, & ſua duritie, & fortitudine perferre poſſet tantam vinculorum contentionem. Sed hæc quoque ratio longe petita videtur.

Tertio, Olympiodorus phyſice ſic explanat; *Re ipſa e dorſi ſpina ducti nervi umbilicum devinciunt, ut merito hujus animantis vis poſita ſit in umbilico, perinde quaſi in dorſo collocata eſſet.* Sed quidem hæc nervorũ in umbilico colligatio inaudita eſt apud Phyſicos. nam Ariſtoteles, *Quaſi putamen venarum, quæ exitum habet in vulva,* dixit eſſe umbilicum, lib. 7. de hiſt. Anim. c. 8. & 2. de Generat. Licet enim c. 4. & 5. & in aliis quidem *Venam ſimplicem, in aliis autem multiplicem deductam ex venis illis exeuntibus a corde*, docet: Et quamvis quidem Galenus in Introductione, c. 11. in Vmbilico unum nervum agnoſcat ſimul

cum venis, & arteriis, quæ umbilicum cõponunt (licet lib. 6. de decret Hipoc. c. 6. videatur aſſerere nullum omnino nervũ pertingere ad umbilicum. rurſus lib. 15. de uſu part. cap. 4. deſcribens interiorum anatomen, doceat venas, & arterias umbilici reduci ſub dorſum & ſpinam; at nemo in illis vim aliquam ullius animalis conſtituit.

Quarta expoſitio. LXX.

Ergo jam quarto, Erit ne hujus rei explicatio petenda ex lectione Septuagint. *Virtus* (inquiunt) *ejus ſuper umbilicũ ejus.* Erit ergo hæc pars expoſitio præcedẽtis, & periphraſis dorſi, quod eſt *ſuper umbilicũ*; Sed lectio hæc ſingularis eſt, & nõ minus ab Hebræo, quam a Latino recedens.

Dorſi periphraſis

3 Quinta exponendi ratio. Quæ optima umbilici conſtitutio.

Quinto vero, An per *umbilicum ventris,* deſignat rectiſsimam in Elephanto umbilici conſtitutionem, ut omnino in medio ventris infixus ſit? quę umbilici cõſtitutio optima eſt ad ſanitatem, & vitæ diuturnitatem multum confert. Vmbilicus vero mediũ animalis omnino occupare debet, ut docet Galen. lib. 2. de decret. Hipoc. c. 4. Rurſus cum ea res aliquãdo deficiat, rogat Ariſtot. ſect. 10. Probl. 63. *Cur vita brevi, imbecillisque viribus ſint, qui partem umbilico ſubjectam majorem, quã ſuperiorem habent pertinentem ad pectus?* Reſpondet vero iis minus caloris in vẽtriculo eſſe, atque plus excrementorum, proptereaq; morbis patere. Sed quidem cõſtitutio hæc umbilici nõ eſt peculiaris Elephanto potius, quam aliis animalibus, ut in illius deſcriptione peculiariter proponi debuerit.

Galenus. Ariſtot. Fortitudo ex umbilici conſtitutione, quo modo conſideranda.

4 Synedoche. Venter pro intemperãtia. Olympiod.

Ergo ſexto, per *umbilicum ventris* licebit ne ipſum ventrem intelligere; rurſus per *ventrem*, ſatietatem cibi atque potus? Indicavit hoc profecto Olympiod. partẽ hanc, allegorice licet, tractans, *Ventris luxu, atque intemperantia incitatus bacchatur,* Elephantum autem vini potus ad prælia trudit inermem. Et Aelianus lib. 1. cap. 30 ait, *Elephanto, qui ad bellum certat, non modo ex vitibus confecti, ſed etiam ex oriza facititii vini uſus indulgetur.* 1. Machabeorũ, 6. 3 *Elephantis oſtenderunt* (exhibuerunt) *ſanguinem uvæ, & mori* (quippe ut ait Plinius *Moris ſuccus in carne vinoſus, ad acuendos eos in præliũ.*) Venter igitur illos incitat, & armat in prælium. *In umbilico* itaque, & ventre *virtus.*

Elephantus vinoſus. Aelian. Plin. lib. 15. c. 24.

5 Vmbilicus de fœmina.

An tandẽ ſeptimo per *umbilicum,* Elephas fęmina ſignificatur, cujus, ſecus quã in aliis animalibus, vel non minor quam maris, vel certe major virtus deſignatur? *Vmbilicum* autem potius ad fęminam, quã ad virum pertinere dicemus inferius. At fœminam Elephantem multo robuſtiorẽ, alacriorem, magnanimiorẽ, & ad vectiones fortiorem, quam mare eſſe, Gyllius in acceſsione ſua c. 2. & Avic. etiã, fęminas, quã mares majores, & excelliores, ut nonnullis ſcribunt, reluctante Plinio tamen. Sed in re incerta, non pœnitendæ tot veritatis, & conjecturæ certæ faciẽdæ rationes, & ſuſpiciones vero ſimiles.

Elephas fœmina robuſtior. Gyllius. Plin. lib. 8. cap. 8. & libro. 11. cap. 49.

XII. *Stringit caudam ſuã, quaſi cedrum, nervi teſticulorum ejus perplexi.*

1. *Stringere, quid propri... Sẽtentia difficultas.*
2. *Duæ aliorum interpretationes, Semia, & genitale Elephanti.*
3. *Tertia exponendi ratio Caudã Elephanti, qualis.*
4. Cedrus *qualis arbor, cujus folia, ubi proveniat. Comparata cum Elephanti cauda, & lingua.*
5. *Actiones tribuuntur rebus in Hebræo, cum tribuuntur res facta per actiones. Explicatus Moyſes.*
6. *Cedri fructus qualis. Tres ſimilitudines inter Cedrum, & Elephantum.*
7. *Teſticuli abſconditi Elephanti inſtar cedri. Caſtimentæ exemplum.*

1

RVrſus hoc ad naturam Elephanti nõ facile accommodatu; quare vel hoc maxime objicitur hujus ſententiæ ſectatoribus, vix poſſe in Elephantum cõvenire. Exponendum igitur, quid habeat veritatis; ſi tamen prius ſtatuamus proprietatem verbi *Stringendi*; eſt enim in originali *Hhaphaſt*, quod proprie eſt, *velle*; aut *complacentiam habere*, & ad ingentem animi voluptatẽ refertur. quare proprie nũc legeremus; *Delectabitur in cauda ſua*, aut *volet*, vel, *Cum vult, cauda ſua, eſt tanquam cedrus.* Quia autem *ea caudæ voluptas*, in aliqua peculiari re poſita videtur, ideo quiſque ſuam affert lectionem, & illuminationem, *Caudam movet, erigit, ſtringit.* Rurſusque hęc omnia propter *cedri ſimilitudinem*, in qua vel erectio, vel impulſio, & agitatio vi vẽtorũ conſiderari poteſt; tum etiam propter ſignificationem *caudæ*, nunc pro eo, quod ſonat; nunc vero pro ea parte, quæ caudæ proxima eſt, atque generationis inſtrumentum, aliter atq; aliter. quæ omnia paucis exponẽda.

חפץ Stringere, quid proprie.

2 Prima interpretatio parũ idonea. D. Thom. Nicolaus. Dionyſ.

D. Thomas, Nicolaus Dionyſius, exiſtimant, in animalibus, illa, qua nuper indicavimus, figura coeuntibus, *caudã* inter fœmora *ſtringi*, ſeu adſtringi, ſicque munere venereo perfungi. Illud igitur nunc indicari, in quo conſiſtat illa caudæ voluptas, voluntasve. Sed quid hoc peculiare

Elephanto, quod aliis etiam cõmune eſt; præſertim cum neque res ſit illuſtris, neque nõ videatur digna, quæ præteriri deberet. Tum etiam quoniam hæc interpretatio nihil curat illam *cedri* comparationem.

Secunda interpretatio. *Albert.* Cauda pro generationis inſtrumento.

Secundo, Albertus *Caudæ* nomine intelligit membrum genitale, quod cum ex omnibus nervorum extremitatibus compoſitum ſit, in ejaculatione ſeminis ſtringitur, & omnes ſecum corporis nervos ſtringit. In eo autem *cedri* ſimilitudinem repræſentat, quod impurũ, & ſanguineũ humorẽ excreet, *cedri* inſtar, ex quo dicitur ſuccus exprimi ſanguineus. Sed neq; hæc exponendi ratio quidquam habet in generatione Elephanti peculiarius, quam in generatione aliorum animalium: neq; de hoc cedri ſucco quidquã certi eſt, prçter ſuccũ illum, aut cedrinam picem, quã *Cedriã* appellat Plinius lib. 14. cap. 20. & lib. 24. cap. 5. Et quidem ſemen Elephanti aliquam haberet ſimilitudinem cum pice Cedria, ſi verum eſſet id, quod mendaciũ planum cenſet Ariſtot. lib. 2. de Generat. Anim. c. 2. *Cteſias* (inquit) *Gnidius plane mentitur ea, quæ de ſemine Elephanti ſcribit. ait enim uſque adeo durari ſicceſcens, ut electro, id eſt, ſuccino ſimile efficiatur; quod nũquam fit.* At, inquiunt aliqui, Genitale Elephanti enormiter magnum eſt, ideo *cedri* ſimilitudinẽ erectæ, & excelſæ repræſentat. Certe oppoſitum conſtat ex Elephanti hiſtoria; ſcribit enim Ariſtot. lib. 2. de hiſtoria, c. 1. *Elephantus Genitale equo ſimile habet, ſed parvum, nec pro corporis magnitudine.* At certe huic interpretandi rationi favet, quod de *teſticulis* ſtatim ſubjungitur.

Cedrina pix. *Plinius.* *Ariſtot.* Semen Elephanti. Genitale Elephanti. *Pereira.* *Eugub.* *Ariſtotel.*

3 Tertio, *Caudam ſtringere*, id eſt, quoquo velit, *movere*, & agitare, inſtar cedri ventis impulſæ, interpretãtur Pagninus, Vatablus, Eugubinus. Addunt etiam, *Caudam ſtringere*, eſſe elevare, & erigere, quç magna eſt inſtar ingentis cedri: quod ipſum habetur in lectione Septuaginta: *Erexit caudã, ſicut cupreſſum.* Ita Vatablus Eugubinus, Titelmanus. Sed mirum, hos auctores tã magnifice ſentire de *cauda Elephanti*, quam conſtat eſſe valde exilem, & nullis pilis ornatam, inſtar cæterorum animalium! Occurrens vero huic objectioni Algarbienſis Epiſcopus, ſic per Paraphraſim interpretatur; quod *Elephantus caudam vult*, id eſt, *partes etiam corporis viliſsimas, nimis charas habet, ut eandem exilem, & nullis munitam pilis conſervatã velit perinde, atq; ſi poſſet illa muſcas abigere.*

Pagnin. *Vatablus.* *Eugubinus.* *Titelman.* *Oſorius.*

4 Tandem ſi in re incerta quidquam valet ſuſpicio aliqua, ex *Cedro* deſũmi poterit, quod lumen efficiat. Sciendum eſt ergo *Cedrum* a Septuaginta dici *cupreſſum*, quæ licet ſit fructu, & odore ſimilis cedri, Cedrus vero proculdubio hic ſignificatur, quç mirum in modum multiplicabatur in Libano; nam & *in Syriæ montibus cedri exeunt præſtantiſsimæ*, ut ſcribũt Theophraſtus lib. 5. de hiſt. Plantarũ, c. 9. Plinius lib. 13. c. 5. & lib. 16. c. 39. Eſt nimirũ *Cedrus, arbor montana* ex eodem Plinio lib. 16. cap. 18. & 32. & cum Hebraice vocetur *Erez*, & contignatio *ex cedro* vocetur *Arza*, certo conjectari licet eſſe, quam Arabes in Hiſpania vocabant, *Alerze*, diuturnam videlicet, & imputribilẽ materiam, ex qua Cordubẽſe templum initio contignatum fuiſſe dicitur. Quod vero Montanus in Notationibus naturç, c. 139. cenſet nomen *Erez*, latiſsimũ eſſe, & comprehendere omne genus arborum fructiferarum, falſum videtur: quippe Cedrus nõ habet aliud nomen in Scripturis, habere autem debuit arbor familiariſsima illi regioni, ſimulque odoratã, & ad multas opportunitates idonea. Duo vero peculiaria in rem noſtram Cedrus habet, alterum, quod cedro quamvis proceriſsimæ, & pulcherrimæ arbori, *foliũ eſt durũ acutũ, ſpinoſumque*, ut Theophraſtus ſcribit lib. 3. c. 12. tum etiam *capillatum, & pungens*, ut ait Plinius lib. 16. c. 22. quæ omnia brevitatem, & anguſtias foliorum declarant pro tanta proceritate, & craſsitudine, qualis in Syria provenit. *Illic enim* (inquit Theophraſtus) *cedri in montibus cum longitudine, tum craſsitudine præſtantiſsimæ exeunt: quippe adeo craſſeſcunt, ut ſint, quas ulnæ hominum quatuor nequeant amplecti, addunt his ampliores, pulchrioreſq; comperiri in hortis.* Quis igitur non miretur tantam Conditoris Sapientiã, *qui latiſsima folia Fico, Viti, Platano dederit* anguſtiſsima, & breviſsima, & ſtrictiſsima, *Capillorum* inſtar, Pino, & Cedro? Eædẽ profecto Providentiæ, & Sapientiç partes in animalibus, & Elephanto prçſertim, cum aliis minoribus caudas ampliſsimas, latiſsimas, ſetis ornatiſsimas dederit: Elephãto vero ſtrictam, brevem, & eam ſine pilis. Sic ſane Elephanto *Setarum nullum tegumentum, ne in cauda quidem præſidiũ abigendo tædio muſcarum* (*namque id etiam tanta vaſtitas ſentit*) *ſed cancellata cutis, & invitans id genus animalium odore. Ergo cum extenti receperunt examina, arctatis in rugas repente cancellis, comprehenſas enecant: Hoc iis pro cauda, juba, villo eſt.* Quid ſi in tanta vaſtitate addas inſignem ramorũ aliorũ

Cedrus multiplicata in Libano. *Theophraſt.* *Plinius.* Cedrus arbor montana. ארז ארזה *Alerze*, quæ materia. *Montanus.* Cedri folium, quale. *Plinius libr. 5. c. 9.* *Theophraſt.* *Plinius lib. 16. cap. 24.* *Plinius lib. 8. cap. 10.* Elephanti lingua parva.

brevi-

Arist. brevitatem linguæ, videlicet perexiguæ, & genitalis? *Linguam enim* (ait Aristotel. lib. 2. de Hist. cap. 6.) *perquam exiguam habet, atq; interius positam, quam in cæteris sit, ita ut vix eam videre possis*. Hæc igitur cũ tam exigua sint, nihilominus tamen, *volet caudam suam*, id est, contentus est sua cauda brevi, & stricta. & cum Plinius lib. 11. c. 50. scribat *caudas accidere animalibus, pro desiderio corporum*; At Elephantus quãvis non pro corpore, at majoré non vult, non desiderat, *Stricta*, nuda cõtentus est. Hoc proculdubio elegantissime indicavit Interpres, cum dixit, *Stringit Caudam*, ac si diceret, Strictam, & brevem habet caudam.

5 *Actiones verborũ quomodo tribuantur suppositis in Hebræo.* Et notandum quidem aliquãdo actiones verborũ tribui suppositis habentibus ut ita loquar, res factas, per tales actiones. exẽplaré demõstrant. Genes. 50. *In sepulchro meo, quod fodi mihi in terra Chanaan, sepelies me*. atqui Iacob non foderat subterraneum sepulchrum. Parum id refert, nam perinde, est defossum emisse, & possedisse. Deut. 2. *Aquam emptam haurietis, & bibetis*. Proprie ex Hebræo, *Aquã fodietis*. perinde si ipsi fodissent puteos, & aquam, si aqua ▪ puteis ab aliis effectis, & fossis uti poterant. Non aliter hoc loco, *Stringit Caudam*, Strictam habet caudam.

6 *Cedri fructus.* Alterum, quod in Cedro observari potest, cum ut arbor sylvestris, est exiguitas floris, fructus, seminis, pro tanta arboris magnitudine. Sunt enim hæc omnia *similia, magnitudine baccarum myrti*, ut ait Theophrastus, *& Iuniperi modo baccarum myrti magnitudine rotundas*, ut ait Dioscorides lib. 1. c. 89. Plinius lib. 13. c. 5. qui etiam addit. *Semen cedri cupressi esse simile*. item, & illud; *Cedri duo genera; quæ floret, fructum non fert: frugifera non floret*. Mirum igitur ex tam parvo, tam stricto semine tantam arborem exire! Rursus, *quæ fructum fert, abscondere flores, & fructificandi spem, & indicia*! Quæ proculdubio cum Elephanti natura facere videbũtur, si *caudam* pro re occultanda accipiamus, significatione nõ inaudita apud Latinos. Hęc enim est, quã ille dixit, *Caudã Salacẽ*, est enim ea valde parva, pro tanta animalis vastitate, ut superius diximus. Rursus non valde magna seminis copia redundat. nã pullus Elephãti valde parvus est nam *vituli anniculi*, æqualis nascitur, aut vero *vituli trimestris*, ut scribunt Aristot. & Plinius. Mirum ergo ex tanta parvitate ad tantam magnitudinem excrescere. *Tria enim* (ut Aelianus in Struthione ait) *ex minimis evadunt maxima animalia, ex aquatilibus, Crocodilus, ex volucribus, magna Struthio, ex quadrupedibus, Elephantus*. Hoc ergo primum in Elephãto, & Cedro, mirum, & simile. Secũdum illud quod sicut arbores majores, magis steriles sunt, ita etiam ait Plinius, *Animalia quo majore corpore, eo minus fœcunda sunt. Singulos enim gignunt Elephanti*. Tertium illud, quod sicut Cedrus frugifera, nullum præbet floris argumentum, abscondidit enim natura hæc fructificandi indicia; ita & Elephanti membrũ generationi aptum parvum, & non valde cõspicuum. Tum præterea *Nervi testiculorum perplexi*. Septuaginta, *Complicati*, nõ quidem, ut Titelmanus dixit, *duri, & fortes, cum in aliis animalibus sint molles, & teneri*; Sed multis nervorum plicaturis tecti, & abstrusi. *Testes*, (inquit Aristoteles) *nõ foris conspicuos, sed intus circa renes conditos habet*. Rursus occulto, & in tenebris rem veneream agũt; *Pudore* (inquit Plinius) *nunquam nisi in abdito coeunt*. Atque rem eandem de Elephãtorum castitate prolixius scribit Aelianus c. 22. *Non ut lascivi, societatem veneris cum fœmina faciunt, sed tanquam veneris successione carentes, liberis procreandis dant operam. Neq; id sane plus, quam semel in vita; & eo dumtaxat tempore, cum se fœminæ iniri patiuntur. Ut autem eorum quisque uxorem impleverit, non eam amplius attingit. Aperte porro ac palam in aliorum oculis non coeunt, sed recedentes, aut secedentes; aut sese in arbores densas, & frequentes occultant, aut in concavum locum, profundum se abdunt*. Quis jam in animali maximo, cujus dedecora occulta sunt. nõ videat repræsentari Cedrum maximã, cum fructu, sine flore, sine seminis, & generationis manifestis aliquibus argumentis: continere igitur, & *Stringere*, quæ ad rẽ illam faciunt, & ut Aelianus dixit, *Moderate Elephantum continere libidines!* Sed pergẽdum, hoc tãtum, indicato, quod refricabimus postea, locum hunc potius ad castitatem, quam ad luxuriæ rem facere.

Tres similitudinis rationes inter Elephãtũ, & Cedrum.

Theophrast. *Dioscorides.* *Plinius.* *Horat. 1. serm. Satyr. 2.* *Aelianus libr. 1 cap.* *Pullus Elephãti, quantus.* *Aristot.* *Plinius.* *Aelianus libr. 14 c 20.*

LXX. *Titelman.* *Aristot. lib. 2. de histo. cap. 20. Plin. lib. 11. c. 49.* *Plin. lib. 8. c. 5.* *Elephantorũ castitas.* *Aelianus.*

XIII. *Ossa ejus velut fistulæ æris, cartilago illius, quasi laminæ ferreæ.*

1. Dentes Elephanti nomine ossium quam solida sint.
2. Ossa laterum, & crurum Elephanti. An crura habeant sine flexu. Illorum venatio. Vsus pedum priorum.
3. Cartilaginis nomine quid alii intelligant.
4. Prudentia Latini Interpretis. Cartilago cujus natura, & temperamenti quo differat a nervis.

4. Probos=

4. Probos. ut Elephanti partim cartalaginosa, partim musculosa, Integra illius descriptio, Cur comparata cum Lamina.
6. Varia lectio. Lapis Smyrites, qualis.

1 An ossa Elephanti, intelligantur dentes.

CORporis pars solidissima ossa sunt. hęc rursus in Elephanto solidissima. Et quidē alicui videri posset, de dentibus loqui, qui propter soliditatem, fortitudinem, magnitudinem, nunc dentes, nunc cornua appellantur, ut superius ex Philostrato lib.2. de Vita Apollonii c. 6. indicabamus; de his enim sub nomine Ossiū, videtur idem loquutus, cum ait, *Natura cornutis omnibus animalibus perforata, & in medio vacua ossa supponens, tale etiā extrinsecus cornu producit. Elephantorum autē plena, & per omnes partes similia ossa sunt: quod si illud extrinsecus quis ad apertum inspiciat, in medio tenue foramen inveniet, sicut in dentibus esse videmus.* Et facit quidem nomen Originale, *Ghatbam*, quod licet *Os* significet, tamen ex proprietate suæ radicis dicitur a fortitudine, & duritie; maxima autem Elephanti fortitudo in dentibus est; facit etiam similitudo *fistulæ æris*; sicut enim in *æris fistula*, nulla est cōcavitas, ita neque in dentibus. Secus in aliis ossibus, quibus inest sua cōcavitas pro medullis. Tandem ne videatur pars hæc speciosissima, pretiosissima, & maxime admirabilitatis hoc loco prætermissa. Recte præterea cohærebit illa vox *fistulæ*; quæ deducitur a radice *Aphak*, & affert violentiam, & impetum; quare hunc locum aliqui legunt; *Ossa ejus velut fortitudines, robusta, violenta æris*, aut *Chalybis*. quod potissimum in dentes convenit, quibus Elephantus impetum facit.

Dētes Elephāti, quales.

עצם

אפק

Varia lectio

2 Ossa laterum, & crurum.

LXX.

Alii vero de aliis etiā *Ossibus* accipiūt, & Septuaginta peculiariter de *Costis*; legunt enim; *Costæ ejus, costæ aneæ*; vel ut alii legunt, *Latera*. Alii vero non tam de *Costis*, quam de reliquis ossibus, quibus universa corporis moles sustinetur. Et quidem si vox *fistulæ* sonaret ex sua proprietate, vincula aut juncturas, ut contēdit Eugubinus eleganter cum illo legeremus, *Ossa ejus juncturæ, aut vincula æris*. quasi diceret, Ossa ejus vinculis fortissimis alligantur, & continentur. Sed illam vocis originalis significationem nemo agnoscit, neque quidem ad rem, quam ille intendit, necessaria est; nam in ipsa comparatione *fistulæ ferreæ*, significatur illa juncturarum fortitudo, & rigiditas membrorū, videtur enim habere crura sine flexu. Vnde Strabo sic illos describit in venatione lib.16. *Nonnulli arbores notāt, quibus Elephantes accūbere solent: accidentes itaque ex altera parte truncum recidunt, cui cum bestia inhæserit, pariter cum arbore ruit, cumque surgere nequeat, propterea quod crura cōtinuum, & inflexum os habeant, ex arboribus desilientes illam obtruncant.* Quam eandem rem elegantius, æque ac luculentius descripsit Ambrosius lib.6. Exameron, c.5. *Elephantus nec genua inflectit, quia rigidioribus opus fuit cruribus, quo velut columnis tāta possit machina sustineri. Calcaneū leviter incurvat; rigent cætera pedum a summo usque ad imum. Nec sicut in anchylas nos sæpe deponimus, ita se etiam bestia potest tanta deflectere; meritoque non volvendi se, neque recumbendi usum cū cæteris animantibus potest habere communem. Fulcitur hinc inde trabibus maximis, ut in somnum aliquātulum sine periculo reflectatur, quia pes ejus nulla artuum conjunctione distinguitur.* Sed Aristot. libr. de Communi animalium gressu, tum etiā lib.2. de Histor. Animalium, c.1. fatetur, *Crura inflectere, nequire tamen præ nimio pōdere utrumque in latus æquilibrio quodā vergere. Sed aut lævo incumbere, aut dextro, atque eo ipso habitu requiescere.* Rem eandem explicuit Gyllius in sua ad Aelianum accessione lib.1.c.2. Quod cum verum sit, nihil tamen obstat, quo minus crurum ossa videātur repræsentare bacillos ferreos, aut columellas æreas, ut quibus tā vasta moles incumbat. quod potissimum quadrat cruribus proribus, de quibus scribit Arist. 2. de part. Anim. c.16. Elephantum *Propter vastam corporis magnitudinem, pondusque ingens, sustinendi tantummodo gratia pedes habere priores, nec ad ullū alium usum utiles, propter tarditatem flectendi, itque inopiam.*

Eugub.

An habeāt Elephāti crura sine flexu.

Strabo.

Elephantorum venatio.

Ambros.

Aristot.

Gyllius.

Aristot.

Priorū pedum Elephāti quis usus.

3 Quid intelligēdum nomine Cartilaginis.

גרם

Cartilago illius, quasi laminæ ferreæ. Pro *cartilagine*, in Hebræo est vox, quæ ossa significat, & conjungitur cum verbis, quæ rei duræ tribuuntur, ut sunt *Comminuere*, confringere, exsiccare, Proverb.17.22.& Prover.25.15. Num.24.8. Quod Isidorus sine ullo discrimine accipit, ut pars secūda sit expositio, aut amplificatio prioris, *Ossa ejus velut fistulæ æris*, *Ossa, inquam, ejus velut baculus ferreus.* Vt autem sit aliqua differentia horum *ossium*, a præcedētibus, Tygurina, videtur nūc intelligere ossa majora, & solidiora; legit enim; *Ossa ejus referunt fistulā æris, & solidiora ossa baculum ferreum.* E contrario vero Cajetanus existimat priori parte significari *Majora ossa*, in secunda vero *minora*. Septuaginta ad spinā, vel dorsum referunt; *Spina ejus ferrum fusile.* Explicat autem Olympiodorus, quid sit *Spina* aut *dorsum*, videlicet *membrorum omnium nexus.*

Isidorus.

Tygur.

Cajetan.

LXX.

Olympiod.

Certe

Conſiliũ Latini Interpretis

Certe Interpres, cum ſemel dictum eſſet de oſsibus, vocem originalem, quæ duritiem, & fortitudinem ſonat, pro re alia in Elephanto ſolidiſsima, videlicet *Cartilagine*, eleganter atque ſapienter intelligi voluit. *Cartilaginis* autem nomine, nõnulli intelligunt nervos, & tendines oſsium. Sed certe *Cartilago* longe differt a nervis; quamquam enim ſit ſicca, & frigida, ſicut nervus; potius tamen aſsimilatur Oſsi, ut Galenus docet lib. 5. de Anathomica adminiſtratione, c. 4. diſputans de oſsibus, & cartilaginibus pectoris. Quare idẽ lib. 12. de uſu partium c. 2. Cartilaginem duriorem eſſe docet, quam nervum; & ideo cartilagines aliquando ab oſsibus procedunt. Ergo per *cartilaginem* proculdubio videtur Interpres proboſcidem Elephanti intellixiſſe. Quæ quamvis tota cartilaginoſa non ſit, ut pote quę multos habeat motus, & flexiones, & cartilago non cõferat a dmotũ, ut proxime adductus Galenus docuit; Tamen propter conſiſtentiam aliqua ex parte cartilaginoſa eſt, ut ſunt etiam hominis nares; eſt enim proboſcis Elephanti naris, qua odoratur, & reſpirat, ut eleganter deſcripſit Galenus lib. 17. de uſu part. c. 1. *Habet*, inquit, *hoc animal, quo loco aliis eſt naſus, partem quandam pendentem, anguſtam, ac longam adeo, ut ad terram pertingat: quam cum primum ſum conſpicatus, ſupervacaneam, atque inutilẽ eſſe putavi: cũ autem animal ipſum uti ea pro manu animadverti, tunc non amplius ipſam judicavi eſſe inutilem; quod uſus hujus partis cum actione utili eſſet conjunctus: quãdoquidem partis uſus ita demum apparet, ſi actionẽ habeat utilem. Elephas igitur extremo hujus particulæ ſic omnia tractat, atq; ita rebus apprehendendis applicat, ut ne minima quidem numiſmata ipſum effugiant, quæ etiam, ſublata pronomida, ſeu proboſcide (ſic enim partẽ eam vocant de qua nunc agimus) rectori, qui ſibi inſidet, tradit.* Sed brevius Ariſtoteles hujus *Cartilaginis* fortitudinem, & uſum docuit, primo de hiſtoria Animaliũ c. 11. vocans *Narem prolixam, validamque*, & lib. 2. c. 1. *Talem, tantamque narem eſſe, ut ea arbores proſternat: quæ extrema ſui parte flecti non poteſt; cartilaginea enim, & proinde rigidiuſcula eſt.* & lib. 2. de partib. Anim. c. 16. *Peculiarem hanc partem magnitudine, & viribus ſortitum eſſe Elephãtum præ cæteris Animalibus.* Cum ergo pars hæc concava ſit, duoque habeat foramina inſtar narium aliorum animaliũ, recte compara tur *laminæ* circumvolutę; Quod Interpres reſpexit, cum *Laminam* vertit potius, quã *baculum*, ut alii Hebraizantes.

Aſtunica. — Cartilago natura, & temperies. — *Galenus.* — Cartilaginis, & nervi diſcrimen. — 5 Proboſcis Elephanti cartilaginea, & muſculoſa etiam. — *Galenus.* — Nares Elephanti. — Elegans Proboſcidis deſcriptio. — *Ariſtotel.* — Cum Proboſcis comparata cũ Lamina.

6 Vnum tantũ notandum, cum hunc locum Gregorius Nyſſenus legeret Homil. 5. in Cãtica, paulo aliter legiſſe, & aliquid etiã aliud addidiſſe ſupra id, quod habẽt Septuaginta. *Plane*, inquit, *ſunt terribilia, cujus latera quidem ſunt aenea; aurum* (Septuaginta, *Ferrũ*) *fuſile ſpina; inteſtina autem lapis Smyrites.* Eſt autem hic Lapis, quẽ vulgo vocamus *Eſmeril*, duriſsimus, cujus pulvere poliuntur Gẽmę; & ut Dioſcorides dixit, *Expurgantur, & eroduntur. Propterea Smyride ſinditur vitrum, quemadmodum & adamante.* Sed proculdubio incommode tribuitur tanta durities inteſtinis; præſertim cum ea lectio ſingularis ſit, & numquam Septuaginta Interpretibus agnita.

Nyſſenus. — Lapis Smyrites. *Dioſcor. lib. 5. c. 13. Gal. lib. 9. ſimp. med.*

XIIII. *Ipſe eſt principium viarũ Dei, qui fecit eum, applicabit gladium ejus.*

1. Viæ Dei, *illius opera*. Principium *pro re excell. ntiſsima. Illuſtratus Sapi. ntia atque Iacobus*
2. Gladius *unde habeat nomen. Cur dicatur* inebriari.
3. Gladii *nomine Divina Potentia, mors, cornu Rhinocerotis. Cur dicatur Rhinoceros* applicatus *Elephanto, inſtar gladii.*
4. *Draconis, & Elephãti pugna, & pœna occaſio. Illuſtratus Eccleſiaſticus.*

1 *Vias Dei*, ex peculiari Scripturarum Phraſi, diximus eſſe Dei opera, ut ex Prov. 8. conſtat, *In initio viarum ſuarum, ante quam quidquã facerem.* quamquam ibi *Initium viarum*, non ſit primum opus, ſed initium ante opera. hic vero *Initium viarum*, non ſit in univerſum primum opus, ſed poſt multa opera, primum in aliquo genere. Quod in Elephanto habet duplicem explicatum; aut quod primũ creatus ſit Elephãtus, ante alia quadrupedia; primumque ex prima illa terræ germinatione prodierit. Geneſ. 1. 24. ita ut vel tempore aliquantulo, vel naturæ ordine Elephantus reliqua pręceſſerit; aut quod *Initium*, id eſt, Principium, & Princeps reliquorum ſit magnitudine, fortitudine, docilitate. quem ſenſum manifeſte indicat lectio Septuaginta; *Hoc eſt Principium formationis Domini.* Hanc exponendi rationem, ut pote facilem, & bene convenientem cum ipſa re, nõ eſt cur alterius interpretationis ſectatores aſpernentur. Præſertim cum *Principium*, aut initium, pro re maxima, aut optima frequenter ſumatur in Scripturis, quod vulgo per expoſitionẽ dicere ſolemus, *Lo primero, y principal*; Sic

Vię Dei, quæ. — Quomodo Elephantus initium viarum Dei. — *LXX.* — Principium pro re excellentiſsima.

Iacob.1.18. Iacobus dixit, hominem Dei verbo regeneratum, *Eſſe initium creaturæ Dei*; non quod reliqua creatione præceſſerit, sed quod excellentia, & dignitate antecellat.

2 נגש *Qui fecit eum, applicabit gladium ejus.* admovebit, accedere faciet, id eſt, appetet mucrone, & invadet eum; Tãta, inquam, eſt fortitudine, ut cũ cætera animalia mirum in modum exhorreant cõgreſſum cũ Elephanto; at *qui illum fecit*, certaque diſpoſitione formavit, cum illo cõgreditur, illumque proſternit.

חרב *Gladium.* Licet vox originalis vertatur gladius, enſis, mucro; ſed in univerſum ſignificat quodlibet inſtrumẽtũ armorũ. quare vertitur *armatura*, Ezech.26.9. nimirum quidquid ſatiari petit, & exhaurire ſanguinem. nam dicitur ab exſiccãdo, & exhauriendo. cum autem ſanguis ſimilis ſit vini rubentis, gladius, qui illum bibit, & exhaurit, dicitur *inebriari*, Iſai.34.5. & ſtatim exponitur; *Gladius Domini repletus eſt ſanguine.*

Gladius unde habeat nomẽ.

Nunc jam dubitatio eſt prona; quid intelligi debeat *Gladii*, aut *mucronis* nomine. Aben Eſra, quẽ ſequitur Eugubinus, intelligit Creatoris potentiã omni creata fortitudine ſuperiorem. Idem videtur ſequi Vatablus, & Iſidorus. Verum cum multa de Elephantorũ venatione ab Ariſtotele, Plinio, Strabone, Philoſtrato, Aeliano ſcripta ſint; non ſolum enim Indi, & Aethiopes illos venantur; ſed etiã ſagittis cõfigunt, & ſecuribus enervant; nõ videtur hęc *gladii applicatio* tantum Divina, quin etiam ſit Humana.

R. Abẽ Eſra. Eugubinus. Vatablus. Iſidorus.

Titelman. Titelmanus, ad vitæ diuturnitatem retulit; *Gladiumque* intellexiſſe videtur ferã mortem, tardamque ſenectam; ut hinc Deus dicatur *illi applicare gladium*, cũ pro ſua ſapientia, illius vires atque vitam expugnat, & conficit. Sed videtur expoſitio inſulſior. neque peculiaris Elephanto, ſed communis quidem animalibus omnibus diuturnioris vitæ.

Cornu Rhinocerotis inſtar gladii adverſus Elephantum.

Alii, non inelegãter, *Gladii* nomine intelligũt mucronem Rhinocerotis, cũ quo ſunt Elephanto teſtatæ inimicitiæ; hujus igitur *mucronẽ*, id eſt, cornu, dicitur Deus *applicare* Elephanto, cum ipſe Rhinoceros invadit Elephãtum in ea parte, quæ a Deo opportune facta eſt ad accipiẽdum ictum, & vulnus, videlicet ſub ventrem. nam, ut Plinius ait lib.8.c.20. *Cornu ad Saxalimato, præparat ſe pugnæ, & in dimicatione alvum maxime petit, quam ſcit eſſe molliorem.* Quia autem Deus juxta debitã menſurã, hunc gladium ita applicavit, ut ictus non eſſet vanus, effecit quidam, ut Rhinoceros licet ſit longitudine par Elephãto, haberet tamen crura multo breviora, ut mucro, & cornu facile applicari poſſet infimę alvo.

Plinius.

Rhinoceros cur dicatur applicatus Elephanto.

4 An vero *Gladius* hic, qui in Hebræo habet nomen ab exſiccãdo, ebibendo, & exhauriẽdo; erit Draco, cum quo etiam teſtatas gerit inimicitias, idq; ut Draco ebibat, & exhauriat Elephanti ſanguinem? Pugnam hanc ſervata illa voce, & tranſlatione *exſiccãdi*, ſcribit opportune Plinius lib.8.c.12. *Eſt*, inquit, *dimicationis hujus fama, Elephantis frigidiſſimum eſſe ſanguinem: ob id æſtu torrente, præcipue a Draconibus expeti. quam ob rem in amnes merſos bibẽtibus arctatiſque illigata manu, in aurem morſum defigere, quoniam is tantum locus defendi non poſſit manu. Dracones eſſe tantos, ut totum ſanguinem capiant. Itaque Elephantos ab iis ebibi, ſiccatoſque concidere: & Dracones inebriatos opprimi, commorique.* Ergo nunc videtur Deus proponere humanæ conſiderationi ſpectaculum quodam gratiſſimũ duorum fortiſsimorum animaliũ alterius proboſcide, & manu; alterius gladio, & cornu, aut linguæ ſerpentinæ, & dentium mucrone armati, ut proxime adductus dixit Plinius, *Quam quis aliũ tantæ diſcordiæ cauſam attulerit, niſi naturæ ſpectaculum, ſibi paria componentis?* quod profecto illud eſt, quod ab Eccleſiaſtico Scriptum eſt c.33.11. *Contra bonum malum eſt, & contra mortem vita; ſic cõtra virum juſtum peccator. Et ſic intuere in omnia opera Altiſſimi; duo contra duo, & unum contra unum.*

Draco, gladius ebibens ſanguinẽ Elephanti.

Draconum cũ Elephanto pugnę ratio, & cauſa.

Spectaculum naturæ ex paribus animaliũ pugnãtiũ.

XV. *Huic montes herbas ferunt, omnes beſtiæ agri ludent ibi.*

1. *Elephanti ingluvies. Duplicis generis, Montani, & Paluſtres.*
2. *Elephantus innocuus. Natura mitiſſimus.*
3. *Ludere, pro illudere. Elephãtum a plurimis beſtiolis lædi, & terreri.*

1 NOnnulli exiſtimant deſcribi voracitatem tam vaſtæ belluæ, cui uni videantur montes paſcendo, & ſatiando ſervire. In quem ſenſum trahunt Hebræi, ut ſuperius indicabamus, illud Pſ.49. *Iumenta* (Behemoth) *in montibus.* ſed cum de pabulo, *& paleis*, quibus veſcitur Elephãtus, inſtar bovis, dictum ſuperius fuerit, nunc forte indicabitur peculiare genus Elephantorum, videlicet montanorum; nam alii campeſtres ſunt, alii paluſtres, ut inferius dicemus, ſimulque indicabitur innocua animalis natura, non

Elephanti ingluvies.

Elephanti mõtani, aut paluſtres.

2 Innocua Elephãti natura.

enim

enim insidiatur aliis pecoribus, non ovibus, non caulis pastorum, non segetibus, & satis; sed sponte germinantibus e terra in incultis montibus, quippe non est bellua carnivora. & cohæret eleganter cum secunda parte. *Omnes bestiæ agri ludent ibi.* Eleganter Tygurina, *Apud eum.* Mitissimus, inquit, est, neque illius congressum exhorret cætera animalia, sed læta in eisdem pascuis versantur; *Tanta*, inquit Plinius, *Elephanti narratur clementia contra animalia min⁹ valida, ut in grege pecudum occurrentia, manu dimoveat, ne quod obterat imprudẽs; nec nisi lacessita noceant.*

Tygur. Plinius lib.68. cap.7.

3 An vero *Bestias agri ludere ibi*; est ei illudere? & quod *omnis bestia* dicitur, forte de pluribus bestiolis agri, & planitiei, ubi sunt pecora campi, nõ tam fera, & sylvestria, quam gregaria, & mansueta intelligi debet, propter proprietatem verbi *ludendi*, quod frequenter significat illudere, & irridere. Mirum igitur tã immani belluæ illudere murem, *quem maxime odit*; confici a Camæleonte, quem imprudens devoraverit, tanquam Lethali veneno; terreri Suum grunitu, *atq; ita graviter perturbari, ut quamvis a primo ætatis tẽpore domiti, & mansueti, tanquam furiis incitentur, nullumque teneant ordinem!* Exempla narrat Aelianus lib.1.cap.33. *Denique hirudine in potu hausta intolerando affici dolore! A vermibus* illis *cæruleis, prope Gangem*, ut scribit Plinius lib.9.c.15. *ex Statio Seboso, proboscidem comprehendi, & abstrahi!* Quis igitur non dicat *bestias agri illuderi ei!*

Ludere, pro illudere. שחק *Elephãtum a plurimis bestiolis lædi, & illudi. Plinius libr. 8. cap.10. Solinus cap 38. Plinius lib.8.c.17. Plinius libr.8 cap.10. Aelian.*

XVI. Sub umbra dormit, & in secreto calami, & in locis humentibus.

XVII. Protegunt umbræ umbrã ejus: circundabũt eum salices torrentis.

1. *Somnus, & accubitus Elephanti.*
2. *Gaudet locis umbrosis, & humentibus. Dormit stans.*
3. *Dormire de re venerea. In occulto, & in umbrosis generationi vacãs Elephantus.*

1 Duplex exponendi ratio. prior, quam sequitur Vatablus, ut hæc per interrogationem legantur, quæ valeat negationem, *Numquid dormit sub umbrã? &c.* q.d. *Tantæ est magnitudinis, ut arbores eum sua umbra tegere non possint: neque potest latere in arundineto, & in loco lutoso, ut aliquæ animantes solent.* Cum qua interpretandi ratione facere potest, quod apud naturæ scriptores nihil inveniamus de Elephanti accubitu, & somno; quin potius Aelianus scribit *somnum erecto corpore capere, quia operosum ei esset decumbere simul, & deinde a cubitu exurgere, grave.* de quo diximus versic.13. ex Strabone, *Arboribus accumbere.* ex Ambrosio vero, *Recubandi usum cũ cæteris animalibus non habere communem.* Nihilominus existimo illam Vatabli expositionem incõmodam esse; tum quod invertat sensum rectum, & planum, quẽ expresserunt quoque dilucide Septuag. *Sub omnigenis arboribus dormit, juxta papyrum, & calamum, & carectum; obumbrant autem in eo arbores magnæ cũ ramis, sarmenta agri*; tum quod cum procerissimæ sint arbores, nõ dubium, quin possint Solis, & æstuantis regionis ardorem arcere.

Vatabl.

Somnus & accubitus Elephanti. Aelian.

Strabo. Ambros.

LXX.

2 Ergo duo, aut tria Elephanti propria nunc indicantur; primum delectari locis umbrosis, & humentibus. Rẽ diserte scribunt Aristot. lib.9. de Histor. c.46. *Amat amnes, & quamquam non fluviatile sit, tamẽ riparium dici potest.* & lib.2. de partibus c.16. *Est hoc Animal sua natura simul terrestre, & palustre; idcirco ut pariter humore atque terra uti possit, necesse fuit. Quam ob rẽ si quando iter per aquam faciunt nare emersa respirant.* Rem eandem descripserunt Plinius lib.8.c.10. Aelianus lib.1.c.7. in tria genera Elephantos dividens, *Palustres, mõtanos, campestres.* Sed valde in rem nostrã opportune c.25. in hæc verba. *Anni æstivo tempore, cum æstus ingravescit, tum Elephanti ad calorem frangendum inter se crasso perfunduntur cæno, quo partim vim caloris depellant, partim vel umbrosis speluncis, vel arboribus, quæ ramorum frequentia eos opacare possint, refrigerentur.* Quare hæc est descriptio *locorum humentium*, & uliginosorum, quod abundent umbris, calamis, & carectis, atque *salicibus torrentis.* ibi ergo placide requiescit, & dormit. Quod autẽ Tygurina, Cajetanus. Regia legunt; *Iacet*; valde incommode fecerunt; nam licet vox originalis significet quamcumq; quiescendi rationem, jacendo, prosternẽdo se, aut quamcumque aliam rationem accubandi, & dormiendi, tamẽ cum propter corporis gravitatem, non possint se prosternere, neq; decumbere more aliorum animalium, ut versic.13. ostendimus; *dormiunt* quidem, sed non jacent, neq; in alterum latus se reclinant, aut recumbũt.

Elephantus gaudens locis umbrosis, & humentibus. Aristotel.

Plinius. Aelianus.

Tygurina. Cajetanus Regia.

Elephantus stans dormit. שכב

3 An vero cum dicitur *dormire in secreto calami*, vel in arundineto, aut carecto, significabit usum fœminæ non habere nisi

Dormire de re Venerea.

in la-

in latibulis, aut inter sylvas densiores, & secretiores: nã hæc est etiam verbi *dormiẽdi* significatio, pro concumbere. Sic sane vehementer suspicor; nã ut Plinius dixit, *Non nisi in abdito coeunt.* Tum vero, ut Aelianus dixit, *Secedentes se in arbores densas, & frequentes occultant, aut in concavum locum, & profundum.* Sed unicus Aristotel. erit hujus loci commentarius, hujusque interpretationis cõfirmatio, lib. 5. de hist. c. 2. ubi quomodo Elephãtus umbram, & flumina amet, & quorsum, quomodo itẽ Elephas fœmina jaceat, & subsidat dilucide exponitur; *Elephanti*, inquit, *solitudines petunt coituri: sed præcipue secus flumina, & qua pasci consueverunt. Subsidit fœmina, clunibusq́; submissis insistit pedibus, ac innititur. Mas superveniens comprimit, atq́; ita munere venereo fungitur.* Igitur cum intra arbores abdat se, *illius umbram obumbrant arbores magnæ cum ramis*, ut dixerunt Septuaginta, præcipue *Salices torrentis*; nam sicut *aquas odere Cupressi, Iuglandes Castaneæ*; ita nõ nisi in aquosis proveniunt *Salices, Alni, Populi, &c.* Plinius lib. 16. c. 18.

Plinius libr. 8. cap. 5. Elephantus in abdito võcãs generationi. *Aelian.* *Aristot.* Arbores gaudentes aquis. *Plinius.*

XVIII. *Ecce absorbebit fluvium, & non mirabitur: & habet fiduciam, quod influat Iordanis in os ejus.*

1. *Elephantus tum sitiens; tum largi potus.* Absorbere *quid proprie. Varia lectio.*
2. *Avaritiæ descriptio, & Symbolum Bibendi Hyperbole.*
3. *Admiratio, & festinatio cujus affectus, Elephãtus tolerantissimus sitis.*

1 ALii fere hanc partẽ, neque incõmode, referunt ad naturã Elephanti siticulosam; propterea que largissimi potius, ut ex Arist. constat lib. 8. de hist. animal. c. 9. ubi de pastu, & potione Elephãti scribit; *Iam quidẽ Amphoras aquæ mensuræ Macedonicæ quatuordecim eodem hausit potu, & rursus a meridie ejusdem diei octo.* Illud igitur est *absorbere flumen*, facere ingẽtem haustum, quasi totũ velit exhaurire. In quam sententiã consentire potest proprietas verbi originalis *absorbendi*, quod proprie est in Hebræo calumniari, aut per vim, & fraudem aliquid extorquere, quare vertit Cajetanus, *Ecce rapiet fluviũ.* Vatablus; *Ecce calumniatur.* quod ad quandã aviditatẽ, & insatiabilem bibendi avaritiam refertur, illorum similem, qui volũt ab aliis per calumniam, & fraudem extorquere pecuniam, quorum est Sacra sitis.

Elephantus siticulosus, & largi potus. *Aristot.* Absorbere quid proprie. *Cajetan. Vatabl.* עשק

Eodem pertinet Regia; *Comprimet fluviũ*, id est, exinaniet, exhauriet, ut cursum suũ sistere videatur; quasi per fraudem, & calumniam defraudabit alveum suo fluvio, & aquas ad aliorum utilitates defluẽtes, in os suum, & fauces, per avaram sitim cõvertet. Elegans profecto avaritiæ descriptio, simulque Symbolum. Similẽ bibendi Hyperbolem, verbo illo *rapiẽdi* expressit Claudianus, agens de infinito illo Xerxis exercitu 2. in Ruffinum;

Regia. 2 Avaritiæ descriptio, & symbolum. Bibendi Hyperbole. *Claudianus.*

Haud aliter Xerxem toto simul orbe secutus
Narratur rapuisse vagos exercitus amnes.

Rursusque idem Paneg. 1. in Stilic.

Arebant tantis Epoti millibus amnes.

3 Cohæret secunda pars, *Et non mirabitur*; Nihil magnum ducet, etiam si magnã fluminis partem exhauriat. Septuaginta; *Si fuerit inundatio, non sentiet.* proprie ex Hebræo legitur; *Non festinabit.* nam verbum originale affert animi quandam accelerationem, & festinationem, qualis contingere solet ex metu, admiratione, stupore. Hinc Symmachus dixit, *Non pavebit*; noster, *Non mirabitur*, Hebraizantes ex ipsa radice, *Non festinabit.* quod nonnulli referunt ad ipsum flumen, in hunc sensum; Bibente Elephanto, non festinat fluvius, quin potius cursum sistit. At fere omnes de ipso Elephanto; Bibit nõ accelerate, & festinanter, sed sensim, & leniter; neminem timet; bibit secure, & intrepide; per otium se delectat potu. Ego vero hãc *festinationem* ad ipsam naturam Elephanti elegantius referri existimo, si non tam ad aviditatem bibendi, quam ad tolerãtiam sitis referatur; Multum ille bibit, sed non est in bibendo freques, neque festinus ad potum; cum enim ad bibendum accedit, non prius bbit, quam aquam ipse sibi diutina siti præpararit. Rẽ sic scribit Aelian. lib. 14. c. 44. *Claræ aquæ potio Elephãto inimicissima est; turbulentam, & sordidam suavissime bibit. At si ad flumen, aut ad lacũ accesserit, non prius, quam cænum pedibus perturbarit, & pulchritudinem aquæ deformarit, ad hauriendam aquam incumbit. Sine potione octo dies fert.*

Varia lectio. *LXX.* Festinare cujus affectus. חפז *Symmach.* Elephantus bibendi appetens. Elephantus tolerãtissim' sitis. *Aelian.*

Et habet fiduciã, quod influat Iordanis, &c. Amplificatio Hyperbolica prioris Hyperbolis. Septua. *Quia subibit Iordanis in os ej⁹.* Iuxta Heb. quia advocabit, adducet, attrahet Iordanẽ in os suũ. quod eleganter dictum est, *influere*. & proculdubio videtur fieri allusio ad Mare Mortuũ, in quod influens Iordanis absorbetur; nec ideo exũdat mare. ita sane videtur ingluvies, & aqualiculus Elephãti suffecturus ebibẽdo

גיח *LXX* Allusio ad mare mortuum.

continenti influxui Iordanis, maximi utique Palesthinæ fluvii. Vnde & conjectura fieri potest hæc cōtigisse juxta Iordanem, cui affinis est regio Hutitana, ut e proximo sumeretur exemplum.

XIX. In oculis ejus, quasi hamo capiet eū, & in sudibus perforabit nares ejus.

1. *Prima interpretandi ratio non probata. Ratio bibendi Elephantorum.*
2. *Secunda interpretandi ratio non omnino conveniēs. Sex venationis Elephantorum, diversæ rationes.*
3. *Præpositio, In, causam denotans. Elephantum oculis capi a Dracone. Draconis lingua instar hami appensa.*
4. *Elephantus a Dracone, & vermibus alligatur proboscide.*

I *Sententiæ ambiguitas.* Ambiguitas relativi, *Eum*, reddidit sententiam ad varios sensus ancipitem, præsertim cū in Hebręo, & in Gręco non habeatur, *hamus*, sed tantum capiet, accipiet, *assumet eum*. Ergo Hebræi, & Hebraizantes nonnulli ad *fluvium* referunt, *Vatabl. Eugubinus.* Vatablus, Eugubinus, ut perstet in describenda potione Elephāti; Ita bibit avide, ut excōspectu aquæ maxime delectetur; *Bibendi ratio Elephantorū.* Tum etiam nasum usque infundum fluvii *oculis* tenus immergit, ut aquam abunde *capiat*, quo fit, ut *sudibus* in imo fundo infixis, offendatur, & *perforetur naris*, quæ mollior, & carnea est. In qua exponendi ratione nihil est (ingenue dico) quod mihi placeat. *Rejicitur precedēs expositio.* Primum, quod perperā exponitur illud *in oculis*, quod proculdubio denotat instrumentum, aut rationē, qua capitur. Secundum, quod rem nimiū humilem, de læsione illa, & perforatione narium, & a nullo rerū naturaliū Scriptore notatam, illi scribunt: præsertim cum animal solers, prudens, catum, si semel ea bibendi ratione pateretur detriumentum, nunquam amplius narē immergeret, suo damno edoctum. Denique, quod proboscis, licet mollior sit, est tamen simul prævalida, & ad extremum cuspidis est durior, & cartilaginea, ut superius diximus: quare etiam si ea parte incurreret in palos, scrupos, & lapillos, & sudes infixas, nō facile vulneraretur.

2 *Elephantorū venationis ratio. Osor ius.* Ergo alii relativum *Eum*, pro ipso Elephāto accipiunt, & totam sententiam ad Elephantorum venationem referunt; nō una tamen ratione. Prima indicatur ab Episcopo Algarbiensi, quod ita *capitur, ut ruat in foveam ante oculos positam, & naris illius perforatus funibus alligetur*. Elephantum ergo *capit* hac ratione venator, seu quod idem est; Deus hanc illius capiendi artem demonstrans. Secunda adducitur a Titelmano & Dionysio, *Titelman. Dionys.* quod postquā in paratam foveā cecidit, ab uno quopiā venatore ceditur oculis, quos nimium teneros, & charos habet; dolenti tunc adest venator alius prioris injuriā propulsans, & amice demulcens, hordeumque porrigens, quo maxime gaudet. Huic se māsuetum, gratumque præbet, & in servitutem deinde tradit. Sic sane *in oculis capitur*, & *sudibus*, in *naribus* perforatur. Tertia etiā a Nicolao traditur venationis ratio; *Nicolaus.* qua supra paratam foveam cibus exponitur, quo viso allicitur Elephantus, & in insidias paratas ponte factitio mētiente ruit. Ex his tribus exponendi & venandi rationibus prima videtur insulsior; illam enim phrasim *in oculis*, enervat. partem item alteram, *perforatæ naris* nō explicat. *Tres venationis Elephantorū rationes incertæ.* Secunda, & tertia acceptæ sunt ab Alberto, qui itē accepit ex Avicena, qui rursum se ex quodā *Sene fide digno* accepisse profitetur; sed tacentur ab aliis scriptoribus. Et non parum diversæ plures aliæ rationes hujus venationis traduntur ab Arist. lib. 9. c. 1. Plinio lib. 8. c. 8. Aeliano lib. 1. cap. 6. 7. 10. 20. 21. 27. Strabone lib. 15. in descriptione Indicæ gentis & lib. 16 post descriptionē Tauri mōtis, Arriano in Indicis, Ambrosio lib. 6. Hexam. c. 5. ex quibus triplex alia venandi ratio colligitur; *Plures venādi Elephātos artes.* Prima per fossas, & vincula pedum, & colli: Secunda sagittis, & arcu; Tertia desultādo ex arboribus in clunes, & incidēdo securibus posteriorum crurum poplites. ubi nulla omnino mentio oculorum, neque perforatarum narium. Ergo alia tētanda, & tenenda exponendi via.

Suspicio sane mihi vehemens est, sententiam hanc cohærere cū eo, quod proxime præcesserat, nimirum cum potu Elephāti, qui si inter bibendū *capiatur oculis*, capiatur etiā nare, & proboscide, non dubiū, quin sententia tota lucem acceptura sit. 3 *Verosimilior exponendi ratio.* Sic enim retinebitur proprietas illius præpositionis, *in*, quæ in Sacro sermonē causam denotat, tum etiā verbi *capiendi*, quod ad prædā hostilem referri solet. *Præpositio, In causam denotat.* לכד tādemque Divinæ Sapientiæ, & Potentiæ, quæ per alia multo minora, & imbecilliora animalia insidias Elephanto parat, ita ut ipse dicatur *Elephantū capere*, cū naturas sic disposuit, ut ab aliis hostibus capi posset, nō tā arte humana, quā naturali astu, & industria pugnātibus. Quippe tota hæc res ad naturas rerū nō ad artē venationis humanā proculdubio referēda est.

Elephantum capi a Draconibus, oculis, & auribus.

Oppian.

Plinius.

Ergo,quod ad *oculos* attinet, sciẽdum est ex Oppiano, elephantum *minorem esse auribus, & oculis, quã pro tanta molis portione.* Secundo ex Plinio lib.8.c.12. *Dracones in amnem mersos insidiari Elephãtis bibentibus, arctatisque illigata manu, in aures morsum defigere, quoniam is tantum locus defendi non possit manu.* Sed si loco *aurium* reponeremus *oculos*, rem nostram haberemus. Ergo paulo ante dixerat Plinius, *Dracones obvii deprehensi in adversos erigũt se, oculosque maxime petunt: ita fit ut plerumq; Cæci, ac fame, & mæroris tabe confecti reperiãtur.*

Solinus.

Solinus rem dilucidius narrat,c.38. *Dracones nunquam invadunt Elephantos, nisi potu gravatos, ut venis propensius irrigatis, majorem sumant de oppreßis satietatem. Nec aliud magis, quam oculos petunt, quos solos expugnabiles sciunt.*

Aelianus.

Meminit etiam hujus rei *oculorum*, Aelianus, cap.43. sed non intra amnem, sed cum ad arborũ ramos decerpendos accedit Elephantus, Draco Latitans inter folia, *& funiculi instar appẽsus, & demissus in oculos insiliens effodit, & constrictum tenens, inusitato, & novo quodam laqueo strangulat.*

Lingua Draconis instar hami.

Itaque in *oculis ejus, capit eum, & quasi hamo*; nam bifida, & bisulca Draconis lingua ex toto corpore appensa. *Hami* speciem repræsentat. Tum etiã cum intra amnem sit hujusmodi pugna, qui capitur, *Hamo capi* videtur, quo intra aquam pisces capiuntur. *Hamum* ergo Interpres sapienter addidit, ut rem hanc, & capturam intra aquam peragi indicaret, aut ut ostenderet oculos appeti a Draconibus instar cibi suavissimi.

Tygurina.

יקש

Secundam autẽ partem, *In sudibus perforabit nares ejus.* Tygurina legit, *In vinculis.* nam verbum originale proprie significat, irretire, & illaqueare, aut parare insidias, & offendicula more aucupis. quod eleganter convenit cũ illo, quod diximus ex Plinio, Dracones *solere illigare manum*, id est, narẽ Elephanti.

Draco illigãs manũ Elephãtis

Quorsum ergo Interpres, *Sudes*, dixit? Sane ut responderet verbo *perforandi*; tum etiam ut rẽ indicaret, qua itẽ *in naribus* capitur Elephantus, duobus mucronibus, aut *sudibus* præacutis transfixus.

Plinius.

Elephãtus captus, & perforatus a vermibus.

Verba hæc Plinii lib.9.c.15. *In Gange esse Statius Sebosus haud modico miraculo affert vermes branchiis binis, sexaginta cubitorum, cæruleos, qui nomẽ a facie traxerunt. His tantas esse vires, ut Elephantos ad potum venietes mordicus comprehensa manu eorũ abstrahant.* hi sane in *sudibus perforant nares*, & capiunt *in naribus*. Atque hæc de hoc loco, & de tota Elephanti interpretatione.

Extremæ interpretationis, *Behemoth*, quæ de Diabolo est, expositio per partes, & confirmatio.

1. *Propositio, & summa secundæ interpretationis.*
2. *Auctores tam Græci, quam Latini, qui illam in primo, & litterali sensu indicant.*
3. *Nexus, & opportunitas hujus interpretationis.*

I Propositio, & summa secundæ interpretationis.

QVid jam habeat extrema sententia verisimilitudinis, nunc explicãdũ, & illius assertores proferendi, qui nullũ aliũ priorẽ litteræ sensum agnoscunt, veræ alicujus naturæ animalis, quamquam sub specie belluę, & membrorũ corporeorũ, volunt nũc repręsentatã Diaboli sęvitiã, fortitudinẽ, calliditatẽ, ingenium: & licet nonnulli Latini cũ D.Thoma, quasdã hujus descriptionis particulas ad Elephãti naturã alludere velint, sed in universum integrã descriptionẽ uni Diabolo convenire docẽt.

D.Thom.

2 Hujus sententiæ Auctores:

In hac interpretandi ratione versantur August. lib.11. de Genes. ad litterã, c.20. & lib.11. de Civit. c.15.17. Hieronym. hoc loco Ambros. lib.1. de pœnit. c.13. Cyrillus lib 9. in Ioan. c.6. Chrysost. c.11. in Matth. hom.27. & cõmunis Græcorũ in Catena Origenes, Gregor. Theologus, Athanas. Eusebius, Severus, & Catenæ auctor, Gregor. Nyssenus orat.6. in Cant. D.Gregor hoc loco, quẽ sequuntur Glossa ordinaria & interlinealis Rabani, Philippus. valde indicant Theodoretus, & Basilius super id Ps.103. *Draco ist., &c.* D.Thomas, Nicolaus, Dionysius, Hugo, Cajet. in Cõment. Abulensis in c.25. Mat. q.405. Leo Castrensis in c.27. Isai. Goropius Becanus in Hieroglip. lib.14. in littera P. Ioannes Ferdinãdus in suo theusauro, verbo *Behemoth*.

August. Hieronym. Ambros. Cyrillus. Chrysost. Origenes. Nazianz. Athanasius. Eugubin. Severus. Nicetas. Nyssenus. Gregor. Glossa. Philipp. Theodoret. Basilius. D.Thom. Nicolaus. Dionys. Hugo. Cajet. Abulens. Castro. Goropius Ioã. Ferdinãd.

3 Nexus cũ præcedentibus.

Hujus interpretationis nexus, cũ præcedentibus, quod sermo proxime pręcesserat de Dei Potentia cõprimentis superbos, cum quo opportune conjungitur, Diaboli superbia, & vires cõpressæ a Deo. Partes item singulas bene convenire jam ostendemus.

℟ *X. Ecce Behemoth, quem feci tecum, &c.*

1. *Particula Ecce. Diabolus cõplectitur vires plurimarum bellarum. Cur bestia dicatur. Explicatus Ioannes.*
2. *Dæmon propter superbiam, ad belluinã conditionem dejectus. Illustratus David, & Daniel.*

3. Facere. *Illuſtratus Ezechiel. de Diaboli creatione.*

4. *Quomodo Diabolus factus cum homine. Unicuique hominis ſuus impugnator. Quomodo impugnatio Dæmonum ſit a Deo.*

5. *Diaboli cibus actiones vitioſæ, aptæ igni. Bovis, & Dæmonis pabulū mundū. Illuſtratus Habacuc.*

6. Fœnum, *bona temporalia. Illuſtrati Petrus, & Iacobus.*

7. *Impii Diabolo dulces, Deo amari.* Fœnum tectorum, *amareſcens.*

8 *Diabolus omni ratione nobis inſidians.*

1 Particulæ, Ecce uſus. Diabolus cōtinens aſtus, & vires plurimū belluarū.

ECce. Invitat ad conſiderandā perfectiſsimam creaturam. Solet enim ea particula ſervire rebus præcellentibus, atque excitādę attentioni. *Behemoth*, plures beſtię, Diabolus, quod fortitudinem ſęvitiā, aſtus belluarū omnium cōprehēdat; ut ſignificatum eſt Apoc. 12. 2. *in Dracone habente capita ſeptem, & cornua decem.* ita ut cum Lernæa illa Herculis Hydra ſepticeps fuerit, aut octiceps, vel ut Alcæus dixit, *Quinquaginta*, ut Simonides, *Nonaginta Capitum*; at Dæmon veriſsima Hydra infinitorum capitū, *Behemoth*, belluæ, omnium virus, & ſęvitiā unus ipſe colligit, & continet, inſtar plurimorum regulorum, aut Baſiliſcorū; Ideo enim multa diademata habet, quod non unus tantum Regulus ſit, ſed omnium Baſiliſcorum, & Regulorum Rex, omniū diadematis unus ipſe inſignitus ſit. Rurſus cum *Draco* dicitur, beſtia ſimul marina, atque terreſtris eſt; utriuſq; enim generis Dracones ſunt. Dicerem etiā eſſe Draconem cæleſtē; *Viſum enim ſignum in Cælo, Draco magnus, & rufus.* & Apoc. 13. 1. *Beſtia aſcendit de mari ſimilis Pardo, & Urſo, & os ejus, ſicut os Leonis.* ubi cum diverſarum beſtiarū congeries ſit, exiſtimatum eſt a Beda, Primaſio, & aliis interpretibus, ſignificatā eo loco multitudinē impiorum. Sed ſignificatus quidem eſt unus impius, omnium impietates, & belluinos mores in ſe continēs, qui ſane cum impiorū caput, & pater ſit, atq; ejuſdem non naturę, ſed voluntatis, & vivendi rationis, res ipſa poſtulat, ut ſi peccatores vulpes ſunt, porci, canes, leones, equi, muli, tygrides, urſi, pardi, viperæ, ac denique cætera beſtiarum genera, continuo pater ipſorum, appellationē, capita, & rationem habeat omniū beſtiarum. Accedit prætere, quod cū creaturæ omnes rationales ad beatitudinem ordinētur, ſi quando contingat aliquā ejuſmodi creaturā devenire ad ſtatum, in quo ſit jā ineptā ad beatitudinem conſequendā, procul dubio perſimilis erit beſtiarū, quę beatitudinis participes eſſe non poſſunt. Dejectus igitur eſt *Behemoth*, a prima illa cōditione, & conſortio Angelorum ad conditionem beſtiarū, & belluinos mores; cū enim dictum ſit, *Homo cū in honore eſſet, nō intellexit, comparatus eſt jumentis, & ſimilis factus eſt illis*; eleganter ait Theodoretus, *Cauſam huius ſtultitiæ eſſe, quod nos dignitatē intelligere nolumus, quæ a Deo omniū conditore data eſt nobis; ſed jumentorū ferarumq; vitam amplexi ſumus.* cum quo eleganter conſentit quod ait Auguſt. tractatu. 18. in Ioan. *Alia vita terrena, alia cæleſtis, alia vita pecorum, alia hominū, alia Angelorum. Vita pecorum terrenis voluptatibus æſtuat, ſola terrena conquirit, in hæc prona atq; projecta eſt; Vita Angelorum ſola cæleſtia: vita hominum media eſt inter Angelorū, & pecorū. ſi vivit homo ſecundū carnem, pecoribus cōparatur: ſi ſecūdum ſpiritum, Angelis ſociatur.* Ergo cum Angelus vivere voluerit ſecūdū *opera carnis*, quæ quidē *manifeſta ſunt*, (nō ſolum enim, ſi nō in ſe ipſo, at in nobis amat, & procurat *luxuriam, immunditiam*, & alia quæ Paulus numerat ad Galatas. 5. 19. Sed præterea in ſe ipſo *inimicitias, contentiones, æmulationes, iras, rixas, diſſenſiones, ſectas, invidias*) vivit profecto *ſecundum carnem* & belluinam vitam, non minus, ſed magis quā homo, ut prote qui ex eo beſtiarum ſtatu aſſurgere jam non poſsit ad vitam meliorem. Is igitur cum *In honore eſſet non intellexit, cōparatus eſt jumentis* (Behemoth) *& ſimilis factus eſt illis.* Tandem quod illa videatur digna ſuperbiæ pœna. ut qui Divinos honores appetit, ad beſtiarum ſtatum deprimatur. hoc ſuperbienti homini, & Divinam ſimilitudinem affectanti contigit, ut proxime adductus David teſtatus eſt. Exemplū manifeſtum in Nabuchodonoſore Daniel 4. 22. & Daniel. 5. 20 & 21. quando *Elevatū eſt cor ejus, & ſpiritus illius obſirmatus eſt ad ſuperbiam, depoſitus eſt de ſolio regni ſui, & gloria ejus ablata eſt, & a filiis hominum ejectus eſt, ſed, & cor ejus cum beſtiis poſitum eſt, & cum Onagris erat habitatio ejus, fœnū quoque, ut bos, comedebat.* Diabol⁹ vero nō ſolum Rex ſuperbus, ſed *Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ*, e cœtu filiorum Dei ejectus, quādo in *ſuperbiā obſirmatus eſt*; neque ſolum cum *beſtiis fuit habitatio ejus*, ſed ipſe *Behemoth*, & beſtiæ, *fœnum, ut bos comedit.* Atque adeo fuere nonnulli, qui illam Nabuchodonoſoris hiſtoriā ad Diabolū referrent, ut eo loco ſcribit Hieronymus. Iā quid mirum, quod ſicut ſancti Angeli *Dii* vocantur, & *filii Dei*, Divinām ſpeciē preferentes; ita Diabolus ſe ſe transformet in omnes belluinas figuras, & *Behemoth* appelletur?

Left margin notes: Hydrę, quot capita. — Cur Draco habeat multa capita, & multas coronas. — Draco Marinus, ſimulque Terreſtris, cū etiā Cęleſtis. — Beſtia aſcēdēs de mari, quid ſignificet. — *Beda. Primaſius.* — Diabolus propter ſtatū ineptitudinis ad ad beatitudinem appellatur beſtia.

Right margin notes: 2 — Pſal. 48. 13. — Theodoret. — Auguſtin. — Digna ſuperbiæ pœna. — Hieronym.

3 Facere, perficere. עשה

Locus Ezechielis de Diabolo preſſus, & paraphraſi illuſtratus.

Quem feci. Verbum *faciendi*, ut non ſemel diximus, artē, & ſtudium in faciēdo, parando, aptando, perficiendo ſignificat. convenit igitur in Diaboli naturam præſtantiſsimam, perfectā a Deo, & pretioſiſsimis ornamentis decoratam, juxta id Ezech. 28.12. *Tu ſignaculum ſimilitudinis*. id eſt, te Deus inſignivit ſimilitudine ſua, & quaſi ſigillo appenſo, & impreſſo teſtatus eſt ſuum eſſe opus, *quem fecit*, non aliter atque artifices, perfectis operibus nomina inſcribunt ſua. Gloriari igitur videbatur naturæ auctor de creata Angelica natura, numeris omnibus perfectiſsima. quæ item dicitur, *ſignaculum ſimilitudinis*, id eſt, *ſignata ſimilitudo*, & perfectum exēplar mirabilis cujuſdam perfectionis, in quod poſſent naturæ aliæ, tanquā in perfectiſsimum exemplar intueri. Quare additur apud Ezech. *Plenus ſapientia, & perfectus decore*, & poſt alia pretioſiſsimarum gemmarū ornamenta; *Foramina tua in die, qua conditus eſt, præparata ſunt*. nam ad tātam gratiarum, & donorum ornamenta accepit naturam proportionatam, & aptam, ut dicere poſsimus: *Que quando le hizo Dios, le hizo cō el encaxe de las piedras, y cō las orejas abiertas para los çarcillos*. Denique hoc verbum *Faciendi*, idē eſt, quod magnificare, aut nova ratione aliquem efficere, & denuo creare. 1.Reg.12.6. *Dominus, qui fecit Moyſen, & Aaron, & eduxit Patres noſtros de Aegypto, adeſt*. id eſt, Qui miraculis editis, illos reddidit terribiles Phraoni, & apud univerſas gentes, celebres. Non aliter Deus dicitur feciſſe Angelos, magnos, & præcellentes inter univerſas creaturas.

Facere, pro magnifacere.

4 Creatio Angelorum.

Gregorius.

Sed quid illud, *tecum*? Ad tempus creationis refert Gregorius, quod Diabolus dicatur *factus* ſimul *cum homine*, ea ratione, qua omnia dicuntur facta ſimul in cognitione Divina, quamvis non eodem tēporis momento proceſſerint. Ita Gregor. aut quod omnia eodē tempore facta fuerint, cū Auguſtino; aut quod deſignetur ſimilitudo, ut Angel[9] intellectualis dicatur ſimul factus cum homine rationali, non item bruta. Ita etiam Gregorius; aut quod tātum ſignificet, Angelum eſſe Dei creaturam, perinde atque res univerſas; ita etiam Gregorius. aut quod cum beſtiæ eodem die creatæ ſint, quo homo, videlicet ſexta, licet Diabolus primo die creatus fuiſſet, & eodem jam cecidiſſet, at non erat adhuc *Behemoth*; nondum quippe erāt beſtiæ, ad quarum ſimilitudinem, ipſe dicitur *Behemoth*, tunc igitur cepit eſſe *Behemoth*, cum cœperunt beſtiæ, & cū

Auguſt.

Gregor.

cœperunt eſſe ſerpentes, ex quibus ipſe unus, *Callidior cunctis animātibus terræ, quæ fecerat Deus*. Tandem forte indicat Diabolū aſsiſtere homini ſimul etiam cū Angelo Cuſtode. Eſt enim dogma Theologicum ſingulis hominib[9] deputatos eſſe ſingulos Dæmones ad oppugnandum, ſicut ſingulos Angelos ad defendendum, quod mirabile eſt Divinæ Providētiæ opus creantis hominem, cui ſtatim, quippe in paleſtra cōſtituto, adeſſet impugnator, ut de hac ipſa re dici veriſsime potuerit a Deo, *quem feci tecum*. Hāc exponendi rationem indicavit proculdubio Philippus, qui locum hunc accepit de Angelo Iobi tortore, & illud, *tecū*, interpretatur, *apud te*, cujus hæc ſunt verba; *Diabolum fortem, & potentiſsimum inimicum tuum, quē ob immanitatem trucis animi ejus, Behemoth nomine feralis beſtiæ nuncupavi, apud te, velut bovem, animal videlicet manſuetum; fænum comedere faciam, non carnes, ut Leonē: quia carnes quando comeduntur, nō fit ſine viventis interitu. Circa te vero non ita eſt, ſicut jā dixi, cui juſsione imperii mei hoc modo præcepi, dicens: Ecce in manu tua eſt, verumtamen animam ejus ſerva*. Sed obſtat, inquis, non effici a Deo hanc Dæmonis impugnationem, neque ab illo præceptum eſſe, ut *nobiſcum* Dæmō verſaretur ad decipiendū, & impugnandum, quare non eſſe *factum Dæmonem nobiſcum*. Sed reſponſio poteſt peti ex D. Thom. 1.p.q.114.a.1. duo poſſe conſiderari hac in re; primum, *impugnationem ipſam*, quæ ex Dæmonum malitia procedit, & ex ſuperbia primi Angeli deputantis ſibi miniſtros determinatos ad hominum impugnationem. aut ſecundū conſideratur, *ordo ipſius impugnationis*, id eſt, quod hæc impugnatio ordinetur a Deo ad præclaros ſuæ Providētiæ fines; & hac ratione res hæc eſt a Deo. Quare & propter *permiſsionem*, & propter *Providentiæ ordinem*, dici cōmode potuit, *quem fecit tecum*.

Vnicuiq; homini ſuus impugnator Dæmon

Mag. 2. d. 11. Orig. lib. 3. Periarcon. cap. 2. Nyſſenus de vita Moyſis.

Philipp.

Objectio.

D. Thom.

Qua ratione impugnatio Dæmonū fit a Deo.

5 Multiplex cibus Diaboli.

Cajetan.

Fœnū, actiones vitioſæ.

Fænū quaſi bos comedet. Multiplex apud Interpretes hujus *fæni*, & cibatus Diaboli allegoria. Prima, quam Cajetanus elicit ex ipſa ariditate *fæni*, ut ſignificentur Dæmonis actiones virore omnis virtutis exuctæ, & ſiccæ. Sed diximus ſuperius ex proprietate vocis nihil aridum ſignificari; tantum illud, quod ex ſegete demetitur, ſive ſit virens, ſive aridum.

Gregorius.

Iſai. 40.

Caro, fœnum

Secundo Gregorius, quē pleriq; imitātur, intelligit carnales homines, quippe apud Iſai. *Omnis caro fænū, & fænū eſt populus*. Rurſus potius cū bove, quā cū equo (quāvis uterq; *fæni* appetēs ſit) cōparātur

Abacuc. 1.16.

Boves vescētes recenti, & mundo pabulo.

Dæmonis cibus electus.

quod dicantur boves non nisi recenti, & mundo pabulo vesci; non aliter Dæmon electissimū quemque devorare appetit, cum de illo Scriptum sit; *Cibus ejus electus.* ubi sub Metaphora Regis Babylonis videtur describi improbissimi Dęmonis ingenium molientis in rete suū universos cōcludere, & ex omnibus delicias sibi colligentis, & eligētis pinguissimum quemq; quia in ipsis *incrassata est pars ejus, & cibus ejus electus.* Et quidem illud præcipue efficere conatur, ut justorum opera *fœnum*, & Paleæ sine fruge, & grano sint, id est, sine fructu, sine soliditate rectæ intentionis, quippe hęc pabulum ignis sunt, neque secus exardebunt futuro igne;

Opera infructuosa paleæ, & fœnum.

Ovid. 6. Meta.

Quam si quis canis in ignem supponat aristis,
Aut frondem, positasque cremet fœnilibus herbas.

Quare Petrus 2.1. & 5. cum ad studiū solidissimarum virtutum exhortatur, *paleas* proponit arentes, & fructu, frugeque vacuas; *Vos autē curam omnem subinferentes, ministrate in fide vestra virtutem, scientiam, abstinentiam, patientiam, pietatem, amorē fraternitatis, charitatē. Hæc enim si vobiscū adsint, & superent, non vacuos, nec sine fructu vos constituent in Domini nostri Iesu Christi cognitione.* Quare deinde pollicetur bonis operibus fore, ut *abundanter* id est, tanquā fructus abundans, & uber recondantur in Cœli horrea, *Sic enim* (inquit) *abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum Regnū Domini nostri, & Salvatoris Iesu Christi:* Quare comparatur Christus Iudex Matt. 3.12 cum agricola, *Cujus ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suā, & congregabit triticum suū in horreum, paleas autē comburet igni inextinguibili.* Deniq; ubicumque Sacræ Litteræ minantur *ignem*, non nisi fœno, paleis, & lignis arentibus minantur: hęc igitur sunt Dæmonis cupediæ, & deliciæ, quæ per pabulū significantur; quippe bestiarū voluptas in cibo est.

6

Fęnum bona temporalia.

Tertio, *Fœni* nomine cōmode intelligi potest vanissima hujus mundi gloria, & externa facies, opes, cuncta denique temporalia bona, quorum flos non est, quam fœni, magis diuturnus. Hęc autem appetit Dæmon, cum etiam hæc minima bona invidet, atq; eripit sanctis, quemadmodū ingētes Iobi opes invidit, rapuit, devoravit, consumpsit; abstinuit vero carne, & sanguine. Quāvis enim simul Leo sit carnivorus, & sanguinarius, Deus tamen nō est passus, nisi ut bovem se tantū pręberet fœni, palearumque tantum appetentem. quippe dictum illi est, *Ecce universa, quæ habet, in manu tua sunt, verumtamen animā illius serva.* Philippi autem hæc verba: *Sed ecce bestia, quas feci apud te, fœnū sicut boves edunt. Id est, ut hoc dexteræ meæ potentia factum est, ut substātiam tuā, & facultates, quæ ad preciosæ mentis tuæ divitias fœno comparantur, in potestatem acceperat devorādas: & ideo vilia quæque, & temporalia tibi abstulit, quæ fœni nomine significata sunt, nō quæ magna, & grandia, id est, animæ ornamēta, quibus te spoliatum blasphemiæ ruina, & pondere obrueret, quasi peccato totus homo a Diabolo devoratur.* Quare propter inconstantiam & instabilitatem humanæ gloriæ, & universæ fælicitatis, frequenter usurpatur in Scripturis hæc hominis cum *fœno* cōparatio, Psal. 102. 15. Isai. 30.6. Vbi eleganter Hieronymus, Ps. 128.6. Ex quo loco rem ipsam docet Ambrosius, lib 3. Hexamerō, c 4. Iob. 14.2. ubi non pauca hanc in rem priori tomo & Petrus Apost 1. cap. 1 24. bona spiritualia, & incoruptibilia a temporalibus, & carnalibus discriminans, hāc ipsam comparationem usurpat: *Renati nō ex semine corruptibili, sed incorruptibili, per Verbum Dei vivi permanentis in æternū, quia omnis caro, ut fœnū, & omnis gloria ejus tanquam flos fœni, exaruit fœnum, & flos ejus decidit.* nihil enim in fœno constans, & diuturnum. Iusti autē, qui spiritu vivunt, nō *ex sanguinibus, neq; ex carne* coruptibilibus, sed ex Deo, & ex Divino, & incoruptibili semine nati, hi quidem *Plātati in domo Dei florebunt, & adhuc multiplicabuntur in senecta uberi, & bene patientes erunt* (id est, in longissima sæcula) *ut annuntient.* Atque hoc illud est Pauli ad Galat. 6 8. *Qui seminat in carne, de carne metet corruptionem: qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternā;* id est de Carnis operibus percipitur interitus, & mors, *Corpus enim*, ut ait Theodoretus, *interit, & in corruptionē dissolvitur.* Quare recte *corruptioni* opponitur *vita æterna*, & spiritualium bonorū incorruptio. Quo profecto alludit *immarcescibilis* sanctorum *Corona*, sicut *marcescens* divitum *decor, & vultus*, ex hac ipsa fœni natura, Iacobi, 1.9. *Vir duplex anima* (duplicia, id est, multa bona temporalia appetens) *inconstans est* (instabilis, & minime diuturnus) *in omnibus viis suis* (quacumque ratione se munire velit adversus temporis injuriam) *Glorietur autem frater humilis in exaltatione sua.* (quippe illa futura est diuturna, æterna) *dives autem in humilitate sua* (nihil enim habet diuturnū, quā futuram ignominiā, & egestatē.) *Quoniam, sicut flos fœni transibit, exortus est enim Sol cū ardore, & arefecit fœnum, & flos ejus decidit.*

Diabolus invidēs sanctis bona tēporalia.

Diabolus adversus Iobum bos, nō Leo.

Philipp.

Inconstantia humanæ fælicitatis fœnum.

Hieronym.

Ioan. 1.

Psal. 91. 15.

Theodoret.

Immarcescibilis sanctorū corona.

Vultus divitū marcescens.

decidit, & decor vultus ejus deperiit: ita, & dives in itineribus ſuis marceſcet. Hoc profecto *fœnum* bonorum temporaliũ ardebit aliquando, abſumeturque univerſa humana gloria. Hoc nunc *fœnum* vellet nobis ereptum Hoſtis noſter: ſi quando tamen videtur nobis offerre, nõ noſtro bono id facit, ſed ut meliora bona deprædetur. Quippe *oſtẽdit univerſa regna mũdi, & univerſam gloriam illorum,* & ea nobis omnia pollicetur ſe daturum, ſi *cadentes adoraverimus illũ.* atque eo potiſsimum animo id facit, ut cum fœno impleverimus nos, fœni ſimiles redditi, & arentes per avaritiã; illius pabulo, & prædæ cedamus; Scriptũ enim de avaro eſt; *Areſaciens conſumit animam ſuam.*

Quomodo nobis fœnum offerat Dęmon. — Matth. 4. 8. Luc. 4. 6. — Eccleſi. 14

7 Impii Deo acerbi, Diabolo dulces. Tit. 1. 16.

Quarto, illã etiam ratione peculiariter appellari poterunt peccatores *fœnũ*, quod cum Divino guſtatui amareſcãt, omnino inutiles, & *ad omne opus bonum reprobi,* at ſoli Diabolo dulceſcant, & ſuaviſsimum pabulum præbeant, propterea enim comparantur cum fęno tectorũ. *Fœnum* vero, quod in tecta cõferri ſolet, eſt illud, quod *prius quam evellatur, exaruit.* Pſ. 128. quod antequam exaruerit dulce; ſi prius quam evellatur, exaruit, amareſcere, indicat Galen. lib. 4. de ſimplic. facult. c. 15. Quare Plinius lib. 18. c. 28. de *Fœno* ſcribit, *ſecandum ante quam inareſcat: Cato, fœnũ, inquit, ne ſero ſeces; prius quam ſemen maturum ſit, ſecato.* Hi igitur inutiles omnino, at Diabolicæ fami, & gulæ utiles, & ſuaves; his ſaginatur, & diſtenditur ille.

Fœnum tectorũ amareſcere. — Galenus. — Plinius.

8 Homo, fęnũ. Diabolus omni ratione inhians in noſtrũ exitium. 1. Pet. 5. 8. Gen. 49. 17.

Quinto, tandẽ illa mihi videtur, & ſimplex, & non inelegans allegoriæ ratio, ut dicatur *Homo* in univerſum *Fœnum*, & herba; Dæmon vero devorare nos appetens, *Bos fœnum comedens.* Quare cũ *caro, & ſanguis* nominatur Homo, oppertune appellatur Dæmon, *Leo rugiens*, carnivorus, *circuens, & quærens devorare* carnem: cũ vero homo dicitur *fœnũ*, Dæmon habet nomẽ *Bovis* comedentis fęnum: cũ homo eques incedit, fit *Ceraſtes in ſemita, mordens ungulas equi, ut cadat aſcenſor ejus retro:* cum exit *Pater familias ſeminare*, fit ille *avis Cæli*, ut cõmedat grana jacta in terrã; cum in pelago hujus mũdi, velut infirmi piſculi jactamur, fit ille *Cetus*, & *Draco*, ut nobis *illudat:* cum homo eſt *terra*, fit ille ſerpens, ut *ſuper pectus ſuũ gradiens, nos comedat;* ſi homines ſint Stellæ, fit Draco, ut *cauda ingẽti trahere poſſit ſtellas, & mittere in terram:* Si *domus*, & ædificium ſumus, fit *ventus vehemens*, ut nos dejiciat: Si ſumus *ſemen*, aſſumit habitum *Inimici hominis, ut ſuperſeminet Zizania.* Denique in id ſe transfigu-

Luc. 8. 5. — Iob. 40. Pſal. 103. 27. Gen. 3. 14. Apoc. 14. 4 — Matth. 7. 27. Luc. 8. 23. — Matth. 13. 25.

ras, quod e re ſua, e noſtro damno fore animadvertit. Nunc itaque nos *Fœnum*, ille *Bos*, nos ille comedit, cum noſtri prædam appetit. Tũ etiam quoniã cum noſtræ vitæ, & incolumitati inimicisſimus ſit, ſuo ore, quod illi eſt Mors, videtur nos devorare, & deglutire, & *depaſcere nos in inferno*, & ſepulchro. Sed de Dæmonis ſævitia & odio in genus humanum, diximus, c. 1. verſ. 12. 13. 14. 15. & c. 2. verſ. 7. 5. 78.

Os Diaboli, Mors. — Pſal. 48. 15.

XI. *Fortitudo ejus in lumbis ejus, &c.*

1. *Quæ Diaboli membra. Illius fortitudo ex magnitudine noſtri damni.*
2. Lumbi *ſpectantes ad generationem.* Lumbi cõpreſsi, *ad continentiam. Illuſtrati Moyſes, David, Matthæus.*
3. Vmbilicus *ad rem fœminarum pertinens, multorum ſententia.*
4. *Vmbilicus cum utero, aut cum generatione non conſentiens. Mammæ, locus voluptatis, cum utero, & matrice cognatæ. Lac, & vinum, pro voluptate, illuſtratur Salomon, & Ezechiel.*
5. *Tres aliorum interpretationes parum idoneæ.* Cotylidones *quæ, & quem habeant uſum.*
6. Vmbilicus, *& vẽter de mollitudine fœminea.* Venter *de viris.* Eccleſiæ venter.

Cujuſmodi hæc fortitudo, & virtus Diaboli, ad vincendũ ne, an vero ad reſiſtendũ; Quid item *lumborũ*, quid *umbilici* nomine ſignificetur, nunc explicandum, cum in Dæmone, qui ſpiritualis eſt, membra corporea eſſe nõ poſsint. Certe quod ad *fortitudinem* attinet, quamvis *fortitudinis* nomen, tantũ videatur ſignificare robur ad reſiſtendũ, tamen nomẽ *Virtutis* plenum eſt tyrannide, & violentia; quare vox eadem ſignificat dolorẽ, luctũ, iniquitatem, quia ſignificat fortitudinem & robur injurium, quod aliis per vim, & iniquitatem, dolorem infert. Ergo nunc conſideratur Dæmonis fortitudo ex dãno, quod infert hominibus; & ex Tyrannide, quam per vim, & iniquitatem in nobis ipſis exercet.

1 Quæ Dæmonis membra. — און — Dęmonis fortitudo ex dãno, quod nobis infert.

Lumborum autem nomine, luxuriæ affectum ſignificari, docet Gregorius hic, & homil. 13. in Evang. quem poſteriores omnes imitantur, confirmatque ex Paulo ad Hebræos. 7. 5. 9. agens de Levi decimato *In lumbis Abrahæ*, cum obviavit ei Melchiſedech. Quippe eſt res proxima valis, & inſtrumentis generationis. Poſſet etiam adducere id Geneſ. 35. 11. *Reges de lumbis tuis egredientur.* Quare ad rẽ, & motus pudendos, referunt Hieronymus, Origenes, Theodoretus, Baſilius,

2 Quid lumbi ſignificent. *Gregorius.*

Didymus, id Psalm. 37.8. *Lumbi mei impleti sunt illusionibus*. & ad compressionem luxuriæ pertinere compressionem lomborum colliget Chrysostomus hom 3. in Matthæū, ex illo, *Erat accinctus Zona pellicea circa lūbos suos*. & Basilius illud Isai. 15. *Lumbus Moabitidis*, & Hieronymus illud Ezechiel. 16. *Cinxi te bysso*. qui etiam in eandem rem interpretantur id Luc. 12. *Sint lumbi vestri præcincti, &c.* Simul etiam Augustinus serm. 39. de Verbis Domini, & de contin. c. 7. Eutymius Luc. 12. Bernardus de modo bene vivendi, serm. 23.

3 Sed de *umbilico* res obscurior. Nā Gregorius *Lumbos* ad viros refert, *umbilicum*, vero ad fœminas. *Seminaria*, inquit, *viris in lumbis esse, inesse autem fœminis in umbilico perhibentur*. quam rē confirmat Albertus, ex eo quod matrix nervos habeat pertingentes ad umbilicum, propterea que umbilicus suscepto semine vehementi delectatione titilletur. Res eadem apud Græcos invaluit, nam Olympiodorus in Catena scribit; *Ne Divinus sermo fœminam in præteritis relinqueret, umbilici nomen attulit, qui doceret infesto exercitu Satanam non solū adoriri eos, qui semina gerunt, verum etiam mulierum genus. Summa autem cum dignitate verborum, & in mare lumbi, & in fœmina umbilici nomine est usa Divina Scriptura, si quidem, & parem dignitatem, atque modestiā ad mulieres afferri oportebat*. Hieronymus quoque Ezech. 16. super id *Non est præcisus umbilicus, &c.* ait. *Quomodo virorū seminarium significatur in lumbis, ita genitalia fœminarum honesto sermone juxta consuetudinem Scripturarum, Umbilicus vocantur, testimonio Iob, &c.*

4 Sed, ut de significatione allegorica *Umbilici* postea dicamus, nunc sane, quod ad Physicam Anatomiā pertinet, nihil omnino invenio, quod rem hanc de cōcupiscentia sita in *Umbilico*, juvare possit; nam apud Physicos, & Medicos, nullum habet umbilicus usum, quam in fœtu, nulloque modo censetur, esse generationis instrumentum in fœmina potius, quam in viro: imo si uterus, & matrix, atque locus voluptatis fœminæ habet peculiarem cognationem cum aliqua corporis parte, certe illi sunt lumbi; nam & *morbi uterales, cum lumborū affectione* conjuncti sunt, ut docet Galen. lib. 2. de Semine c. 1. tum prætereа illa est potissima fœminæ pars, quæ voluptati respondet, videlicet *mammæ*; quare consentiunt cum utero fœminæ, & in illis est voluptatis etiam sedes. Unde Hippocrates 5. Aphorismorum, & Galenus in ejus Commentariis sæpe asserunt, venas, & arterias ab utero in mãmas protendi: ex cucurbitula apposita mammis menstruum cohiberi: pro qualitate fœtus mammas aut intumescere, aut languere, & dejici: tēpore conceptionis venas uberum oppleri, & turgere, & id genus alia. Et idē Galen. in sextum Hippocratis de morbis vulgaribus Commento 5. 18. uterū, mammasque docet societate conjungi; cum eo loco doceat Hippocrates 3. *Si mammarum papillæ, & rubrum, viride sit, ægrotare conceptaculum*. Vide eundem lib. 5. de simplicium medicamentorum facultatibus c. 22. docentem; *Commune esse uberibus, & utero venas: & ubi ad alterutram partium sanguis defertur, alteram siccescere*. Ex quo factum est, ut ex mammarum cōtrectatione voluptas & percipiatur, & in ipsis insit. Sunt ergo Symbolum rei turpis Ezechie. 23. 3. *In adolescentia sua fornicatæ sunt, ibi subacta sunt ubera earum, & fractæ sunt mammæ pubertatis earum*, Prov. 6. 19. *Ubera ejus inebrient te*. & 7. 18. *Inebriemur uberibus*. est enim lacti, & vino communis dulcedo, & somni, atque voluptatis conciliat o. Quare Oseas. 2. 2. significat adulterium versari in lasciva, & molliter culta facie, tum etiam inter ubera; *Auferat*, inquit, *fornicationes suas a facie sua, & adulteria sua de medio uberum suorum*. Hinc Iuvenalis portentosam Messalinæ libidinē notavit ex *nudatis papillis*; Ovidius illam alteram ex *diffuso pectore*. Inde *ubera* pro amoribus, & voluptate, quare sunt *Ubera consolationis*, Isai. 66. 11. & *Ubera recōciliationis*, 12. & est *Tempus amantiū*, Ezec. 16. 8. quod in Hebræo est, *Tempus uberum*. & est *Cubile mãmarum*, Ezech 23. 17. cubile amatorium. Deniq; Spōsus habet *Mammas, & Ubera*, id est, amores, Canticorum 1. 2. & 7. 12. Nam, & Galen. in fine lib. 7. de usu partium, vult, in hominibus recte a natura mammas pectori additas, cū in aliis animalibus ad extrema ventris demissæ sint, quod in homine sit illarum cū corde specialis cōsensio; cor autem amoris, & fervētioris sanguinis sedes est. Hæc ideo dixi, ut ostenderem cōsuetam Scripturarum notationē, & circumloquutionem voluptatis in fœmina ex re mammarum, & inauditum esse in Scriptura *umbilicum* ad rem fœminarum, propter ullū naturæ consensum, peculiariter pertinere. Nam quod Ezech. 16. sub figura spōsæ dicitur, *Non est præcisus umbilicus tuus*, quod de pronitate ab libidinem interpretantur Origenes, Homil. 6. Hieronymus in Cōmentariis, Gregorius hoc loco, pertinet profecto ad descriptionē infantilis

Marginalia (left): 31 fili us. — Compressio lumborum. — Chrysost. — Basilius, Hieron. — August. Eutymius. Bernard. — Umbilicus an referatur ad fœminam. — Albert. — Olympiod. — Hieronym. — Galenus. — Mãmæ fœminarum cū utero, & voluptate cōsentiētes. Hippocrat. Galenus.

Marginalia (right): Galenus. — Mammæ symbolum turpis voluptatis. — Lac, & vinum Comnũ, & voluptatem conciliant. — Adulteriū in facie, & inter ubera quomodo. — Iuvenal. Sat. 6. — Ovid. 1. Fast. — Ubera & mãmæ pro amoribus. — Galenus. Mammæ homini cur in pectore. — Quid Umbilicus non præcisus. — Origenes. Hieronym. Gregorius.

Theodoret.

status, & sordidissimæ nativitatis, potius quam ad depravatos vivendi mores, & ut Theodoretus indicavit, populum adhuc ex Aegypto egressum, *quasi ex terra nativitatis nondum præcisò umbilico adhuc ex utero materno impietatis Aegyptiacæ alimenta capere*, nam infans per umbilicum alitur, & augetur.

5

Ioannes Camerensis.

Vmbilici usus in generatione.

Aristotel.

At, inquit, Ioannes Camerēsis, in suo opere de animantibus reptilibus lib. 4. c. 12. uteri fundum sub umbilico residere, ideo umbilicum in cōgressu dilatari, & inflari, distēto utero, & ideo expetere masculi pondus, quo comprimatur. in cujus confirmationem adducit Aristotelem de Generatione Anim. c. 7. Sed quidem Aristoteles, eo loco *umbilici* non meminit, tātum congressus, & applicationis serpentum. Tum præterea illud non efficit umbilico peculiarē inesse vim, aut sensum voluptatis, potius quam ventri, aut parti, sub qua latet fundus uteri, aut os matricis.

Cajetan.

Cotylidones, quid, & quem habeāt usum.

Galenus.

Cajetanus ex eo, quod originalis vox in Hebræo sit pluralis numeri (sonat enim *umbilicos*) existimat significari umbilicos internos fœminarum, quos Græco, inquit *Vocabulo appellant Cotylidones, a Cotylidone herba, habente formam umbilici, & sunt venæ quædam ad venerea*. Certe Galenus libro de Anatomia parva, Cotylidones ait esse meatus quosdam, nomen etiā habentes umbilici, quibus matrix alligatur fœtui, & fœtus accipit alimentū a matrice. & idem ipse libro de Anatomia vivorum ait, in nativitate rumpi Cotylidones. Sed præter quam ad fœtum, nullum alium usum in generatione illis tribuit.

Vmbilicus nō magis de fœmina, quā de viro.

Philipp. Hieronym. Beda.

Propterea alii *umbilicum ventris* nō magis ad fœminam, quam ad viros referunt, & utrumque quidem intemperantis libidinis, & voluptatis Symbolū esse volunt, atque his peculiariter membris inesse. Hujus interpretationis videtur Philippus, quem describunt commētaria Hieronymi, & Bedæ. Sed fere, quod ad *umbilicum* attinet, eodem incommodo laborat hæc interpretatio, quo præcedens: neq; enim *umbilico* videtur inesse peculiaris voluptas, neque est instrumētum peculiare voluptatis mari, sicut nec fœminæ.

Olympiodor.

Vmbilicus, pro ventre, & intēperantia.

Ergo paulo alia est Græcorum expositio nominatim Olympiodori, per umbilicum *intemperantiam, & satietatem*, intelligentis. *Prima*, inquit, *vis hujus belluæ a libidine proficiscitur, longius autē progressa ad umbilicū arrepit, quia ventris luxū, atq; intemperantiam comitantur affectus, qui ventri parent. ventris enim satietas obscenæ libidinis radix est.*

6

Vmbilicus ventris, de mollitudine fœminea.

Venter de viris dictus.

בטן

Ego, ut allegoriam a sanctis Patribus summo consensu cultam, & frequentissime usurpatam minime contemnam, aut convellam, censeo per *umbilicum ventris*, idonee significari mollitudinem, & voluptatem fœmineam, non solū propter appellationem *umbilici*, sed propter adjunctum *ventrē*, quod in originali est, *Beten*, nam quamvis id nomen tribuatur cordi, & visceribus, virorum etiam, præsertim in libro Proverbiorū, & supra Iob. 32. 19. tamen frequentissime refertur ad *Vulvā*, & matricem fœminæ, Devter. 28. 4. Iob. 3. 10. Psal. 21. 10. Psal. 126. 3. Psal. 131. 11. Ecclesiast. 12. Atque adeo cum vis peculiaris Diaboli per fœminā sit *ad decipiendas animas*, si semel de hac re dicebatur, oportuit aliquid peculiariter dici de fœmina. Scimus sane *ventrem*, & *ventris voluptates* pro re turpi, de utroque sexu dici, cum Sapiens Ecclesi. 23. 6. precetur *auferri a se ventris concupiscentias*. & Paulus etiam *ventrem* cum *confusione*, id est, cum pudendis conjungat, Philippenses, 3. 19. *Quorum Deus venter, & gloria in confusione ipsorum*; sic interpretante Ambrosio ibi, & Hieronym. Epistola. 128. Et Ecclesiæ fœcunditatem significans Sponsus, comparat illius *Ventrem* cum *acervo tritici vallato liliis*, Cant. 5. quod Hugo Victorinus retulit ad conjugatos, qui in Christi corpore, quod est Ecclesia, *ventris* locum, & denominationem habent, & liberis procreandis dant operam. quare Divus Hyeronymus Epistola 128. ad Fabiolam scribit, *Eleazarum, qui Zambri cum Scorto madianitide confixerat in locis genitalibus* (Numer. 25. quod ipse legit, *In Ventre*, & Septuaginta, *Per vulvā ejus*.) accepisse pro præmio ex sacrificio *Ventrem*, cum tamen sacerdoti non cederet nisi pectusculum, & armus, ex lege Exod. 29. quod *ex Hebræorum traditione, & secundum veteres lectiones*, dixisse Hieronymum, annotat in Scholiis, Marianus Victor. quāvis ignorem, quas *veteres lectiones* nominet, cum nec in Græco nec in Latino, & Hebræo illud habeatur. Denique propter locorū propinquitatem, non dubium quin per *umbilicum*, & *ventrem* nominētur, quę nominari non debent. Sed dicendum jam cum utilitate morum de Diaboli fortitudine in *lumbis*, in *umbilico*, in *ventre*, tum etiam, & in cogitatione, vel desiderio, quod sonat ipsum *umbilici* nomen, ut interius dicemus.

Venter de re turpi.

Ambros. Hieronym.

Venter Ecclesiæ quis.

Hieronym.

LXX.

Premium Eleazari, ex Hebræorum traditione.

Marianus Victor.

In lumbis ejus,&c.

1. Diabolus utens membris fornicariorum, tanquã suis. Explicatus Paulus.
2. Nostra membra arma Diaboli, aut Christi. Diabolus fortis ex nostra imbecillitate. Illustratus Paulus.
3. Diabolus illudens fornicariis. Luxuria, opprobrium, ignominia. Illustratus Paulus, & Sapiẽtia.
4. Fœmina potens nos decipere. Ipsa Diaboli fortitudo. Explicatus Salomon, & Sapiens.
5. Vmbilicus, ad pravas cogitationes. Voluptas conjuncta cum intemperantia. Ventris servitus. Illustratus Paulus.

1 NOtandum quidem, non solũ hoc loco asseri, Diaboli *fortitudinem* ad illudendos, & vincendos lumbos virorum, quod utcumq; videbatur nõ omnino mirabile, quippe hostis invisibilis, & desuper adversus carnem, & sanguinem depugnãs, potest facile partem corporis mollissimam, & minus natura sua munitam, collimare, & configere; sed præterea non aliis armis pugnare adversus hominem, quam ipsis lumbis hominis. Itaque fortitudo Diaboli in nostris ipsis lumbis sita est; unde *lumbi hominis*, appellantur lumbi ipsius Diaboli. *Quia nimirum* (inquit Gregorius) *ejus proprie corpus fiunt, qui suggestionum turpium blandimentis decepti, ei per luxuriæ fluxa succumbunt.* Rem eãdem dilucidius proposuit Philippus. *Voluptatũ,* inquit, *sectatores Diabolo fortitudinem propriis vitiis ministrantes, de parte illius, & cõsortio efficiuntur, ut sint membra ejus, quorũ tanquã corporis sui ipse est caput.* Quare non solum efficitur *Vnum corpus cum meretrice,* qui adhæret illi; sed etiam efficitur unum corpus cum Diabolo, cũ fornicarius suos ipsos lumbos, suum ventrem faciat membra Diaboli, quę per castimoniam, & sanctitatem poterat facere *membra Christi*. Atque hoc illud videtur, quod Paulus Romano. 6. de hac ipsa re loquutus, hortatur *propter infirmitatẽ carnis nostræ; Sicut præbuistis mẽbra vestra, servire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem; ita & nũc exhibete membra, servire justitiæ in sanctificationẽ.*

Philipp.

1.Cor.6.15.16.

2 Nos ipsi offerimus Diabolo arma cõtra nos.

Rursus hæc Diaboli arma, quibus opugnat, hæc mẽbra nostra, quæ ille nobis eripit, & sibi induit; non extorquet a nobis invitis: sed nos illi voluntate deferimus. Propterea que Paulus ait, *Ne regnet peccatum in nostro mortali corpore.* ubi elegãter Chrysostomus, *Non dixit, Ne vivat caro, neque operetur; sed, Peccatum ne regnet, ostendens non vi, ac necessitate, sed voluntate nos nostra a malitia possideri; non dixit, Ne Tyrannidem agat, quod ipsum necessitatis est; sed, ne regnet. & quomodo regnat peccatum?* *inquies, nõ a propria virtute, sed a tua socordia, atque ignavia.* Vbi item observandum recte vocari a Paulo, *Membra nostra arma,* nã illis, si nobis eripit, oppugnat nos Dæmon, tanquam suis; si vero sub duce Christo militamus, his ipse nostris armis, nostrisque mẽbris Diabolum triumphat. Nã sicut Diabolus in nobis cõtra nos pugnat nostris armis; ita Christus in nobis, nostrisque membris, pro nobis pugnat contra Diabolum; Quare nõ tam est ille adversus nos sua potentia fortis, quã nostra infirmitate: quod proprium est Tyrannorũ famentium animos ex infirmitate popularium, adversus ipsum populum. Hæc est igitur Diaboli fortitudo, Tyrãnica, ut superius annotavimus; & ut observat Chrysostomus super id Matthæi. 12. *Cum fortis armatus, &c. Fortem,* inquit, *Diabolũ appellavit, non quia natura talis sit, sed ut Tyrannicas illius vires, quas ex natura sumpsit ignaviæ, ostenderet.* Vide, quæ diximus c. 2. versic. 5. num. 2.

Chrysost.

Cur membra nostra, arma.

Diabolus instar Tyranni, potens ex nostra infirmitate.

Chrysost.

3 Diabolus illudens suis captivis.

Ex hac ipsa Diaboli fortitudine, & Tyrannide efficitur, ut cum lumborum nostrorum ministerio, & ope nos ipsos devicerit, statim nobis illudat; quod sane Tyrannorum est, & sordidissimorum militũ, illis, quos vicerint, exprobrare, & illudere. Sic David cõqueritur se hoc bello superatum, insuper *& illusum,* Ps. 37. *Lumbi mei impleti sunt illusionibus.* Hieronymus ex Hebræo, *Ignominia;* Quare impudica illa fœmina, quæ mentita est, Iosephum tentasse, illam per vim opprimere; non aliter rem exposuit, Genes. 39. *Ingressus est ad me servus Hebræus, ut illuderet mihi.* sed hæc tamen contumelia, & illusio ab alio inferebatur: illa indignissima, quę nobis infertur usu nostri corporis, & per nos ipsos; sic enim fornicarios, & voluptuarios homines ignominia afficit adversarius noster, ut ipsimet *contumeliis afficiant corpora sua in semet ipsis.* Diximus aliquando turpem voluptatem vocari *opprobrium, & ignominiam.* Quare Ecclesiasticus, c. 23. precatur, ne in manus incidat Tyranni immanissimi, & petulantissimi; *Aufer,* inquit; *a me ventris concupiscentias, & concubitus concupiscentiæ, ne apprehendat me, & animæ irreverẽti, & infrunitæ ne tradas me Domine.* Namq; spiritus luxuriæ est, tanquam Tyrannus quidam, & miles irreverentissimus, inverecundissimus, cõtumeliosissimus. De qua impura voluptatis Tyrannide, opportune dictũ est a Seneca Epist. 39. *Quis Hostis in quemquam tam contumeliosus fuit, quam in quosdam voluptates suæ sunt? quorum impotẽtiæ,*

Fornicariis illudẽs Diabolus.

Hieronym.

Rom. 1.24.

Luxuria instar militis inverecundissimi.

Seneca.

atque insanæ libidini ob hoc unũ possis ignoscere, quod quæ fecere, patiuntur. Serviunt itaque voluptatibus suis, non fruuntur; & mala sua, quod malorum ultimum est, amant. Tunc autem consummata est infælicitas, ubi turpia non solum delectant, sed etiam placent: & desinit esse remedio locus, ubi quæ fuerant vitia, mores sunt.

4 *Et virtus ejus in umbilico, &c.* Non solũ utitur adversarius nostris membris, ut in suam nos potestatem redigat; sed fęmina potissimum, cujus infirmitas, & mollitudo plena est violentia, atque Tyrannide; non solum quod fœminam etiam Diabolus ad turpia illiciat; sed quod fœmina utatur ad decipiendas virorũ animas; de cujus sęvitia, & artibus diximus super id Eccles. 7. *Amariorem morte mulierem, quæ laqueº venatorũ est, & sagena cor ejus; vincula sunt manus illius; qui placet Deo, effugiet illã; qui autem peccator est, capietur ab illa.* Vbi vides terram, mareq; infestari a turpi fęmina, etiam & aerem, Ecclesi. 9. 3. *Ne respicias mulierem multivolam, ne forte incidas in laqueos illius.* est enim etiã laqueus aviculis simplicissimis, de quibus dictum est Prover. 7. 22. *Adolescens sequitur eam; quasi bos ductus ad victimam, &c. Velut si avis festinet ad laqueum, &c.* Sed hæc videntur potius artis, & calliditatis, quam fortitudinis, & virtutis. Illa ergo potentiæ, & dominatus sunt. Ecclesi. 9. 2. *Ne des mulieri potestatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtute tua, & confundaris.* Quod ex Græco proprie legitur, *Ne ascendat ipsa super animam tuam, & que sibi penitus subjiciat.* quod eleganter dictum est, more victoris capientis arcem aliquam, post diutinam obsidionem; *ne ingrediatur virtutem*, aut, fortitudinem tuã, quasi diceret, *No le entregues las llaves del alma, q̃ entrara la fuerça, y se enseñoreara del Omenage.* Iuxta quod dictum est Ecclesi. 47. 21. de Salomone; *Inclinasti fœmora tua mulieribus, potestatem habuisti in corpore tuo.* nimirũ supplex, & procumbens in genua, fœmineæ potestati subjecisti corpus tuum. Sed de hac re diximus c. 31. versic. 1. 2. 3. 4. 9. 11. 12. Illud nunc tantum, si *Fortitudo*, & robur, hosti nostro animos faciunt, ut quidquid malorum possit, nobis inferat: certe hæc ilius fortitudo est, fœmina impudica, ex qua cuncta nobis mala proveniunt;

Supplicium crudele viris, ac pœna cupido
E te sunt rixæ, certamina, bella, querelæ,
Et dolor.

Quare e Cælo, ubi pax summa est, hanc Tyrannicam, & seditiosam fortitudinem turpem voluptatẽ præcipitatã fuisse, finxit Antiquitas;

Rejectus est numquid Deorum calculis,
E Cœtu Amor decem duorumque omnium
Turbavit ille, bella, litesque intulit,
Vbi esset una; quod foret valde insolens;
Huic arroganti alas ceciderunt Dei,
Volare rursus ne valeret ad polum;
Profugum, deorsumque expulerunt ad viros;
Alas dedere, quas habebat, posset ut
Exuvias referre victor ex hostibus.

Sed est in voce *umbilici*, vis peculiaris: quia enim refertur ad pravam voluptatẽ, ideo significat etiam pravitatem cordis, aut Cogitationis, Devt. 29. 19. Ierem. 3. 17. Psal. 13. Indicat enim non solum adversarium nostrũ nos vincere re ipsa per fœminam, sed per solam fœminæ cogitationem, & inane desiderium, quod ipsa cupidinis, libidinis, cõcupiscentiæ nomina præseferunt. Quare est castitas non solum corpore, sed, & mente; non solum *præcingendi lumbi corporis*, sed etiam *lumbi mentis, &c.* 5

In umbilico ventris. Superius indicavimus Tyrannidem voluptatis conjũctam item esse cum Tyrannide ventris, & intemperantiæ; ut enim ait Chrysostomus, super id, 1. ad Corinthios, 9. *Castigo corpus meum, &c.* Agens de hoc immoderato vẽtris affectu; *Affectus gravis, & ferus est, & servos facit, & maxime sibi ministrari.* & Theophilactus; *Omnium hæresum seminarium esse, unde illæ ortæ sunt.* Quapropter idem Paulus agens de ciborum esu; *Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate.* id est, Quamvis liceat mihi sumere quemcumque cibum, quantum ex natura cibi est; at nulli cibo ego serviam, ut mei ventris mancipium sim. Illi sane se ventri mãciparunt, & illorum *Deus venter est*, qui resistunt Evangelio. Curãdum igitur ne vincamur. Plutarchus sane lib. de tuẽda valet. præcipit; *Studiosus ac litterarum amans, si quãdo serius fuerit cœnandum, picturã Geographicam, aut librum, aut lyram, haud quaquam abjiciat, cum ventre bellum gerens, sed assidue cogitationẽ avocans a mensa, & ad illam traducens cibi cupiditatem, velut Harpyas litteris discutiat.*

✠ XII. Stringit caudam suã, quasi cedrum, &c.

1. *Dæmonis cauda nocentissima. Varia illius allegoria.*
2. *Dæmon insidiās nostræ morti. Cauda Scorpionis,*

Marginalia: Diabolus utẽs fęmina ad decipiendos, & captivãdos viros. — Feminarũ insidię, & artes ad decipiẽdũ. — Fęminę ad decipiẽdũ, vires. — Quid sit, ingredi in virtute. — Fęmina Diaboli fortitudo. — Apollonius. — Aristopha. — Vox umbilici ad pravitatem cordis. — Castitas corporis, & mẽtis. — Luc. 12. 35. 1. Pet. 1. 13. — Voluptas cõjũcta cum intemperãtia. Chrysost. — Theophilact. — 1. Cor. 6. 12. — Ventris servitus, quæ. — Plutarch.

quæ

qualis. Diaboli cauda, Mors nostra desidiosa.
3. *Perplexitas fraudum. Virilitatis Symbolum. Illustratus David.*
4 *Diabolus tegens turpitudinem peccati, Deus retegens. Explicatus Isaias.*

1 *Dæmonis caudanocentissima.*

QVæcumque hujus belluæ *cauda* sit, illa nocētissima est, ad strages edēdas paratissima. *Locustæ illę, quæ ex puteo abyssi ascenderant, habebāt caudas, & in caudis aculeos*, Apoc. 9.10. & *Equi* illi, quorū capita erant leonina, caudibus prævalebant; nam *potestas Equorum erat in ore ipsorum, & caudæ eorum similes serpentibus, habentes capita*. Apoc. 9.19. & Draco, *Cauda trahebat tertiam partem stellarū Cæli*, Apoc. 12.4. Propterea variæ hujus rei Patrum allegoriæ, sed quæ omnes tendāt ad eundem finem. Per *caudam* extremū aliquid omnes intelligendum præcipiūt. Gregorius Antichristum, quod novissimis temporibus futurus sit membrum Diaboli, erectum, & superbiens, velut *cedrus*. Eadē est Nicetæ interpretatio secunda: prior autem eadem, quę Philippi, quod ejus superbia, & strictissima durities, perpetua erit; *Mentem* (inquit Nicetas) *obfirmatam atque inexorabilem usque ad extremū servat*. Alii *caudam* Diaboli, *mortem* intelligunt, quæ est extremum malorum omniū, quæ ipsa est peccati, & iniquitatis finis; quam ille erigit, & qua superbit, qua cūctis hominibus minatur: quam Deus tandē *omnino destruet*; ut Paulus ait; *Novissima inimica destruetur mors*. Adde etiā quod morti nostræ Diabolus semper insidiatur, *Calcaneo* insidians, & mordens *Vngulas equi, ut cadat ascensor ejus retro*. & idē est, quod dicitur, *Iniquitatem nostri calcanei circumdare nos*, id est, nostram ipsam vitam, vitęque actiones universas, & animum ad superna contendentem, oppugnari, & obsideri extremo exitu, & fine. Nunquam igitur non insidiatur Hostis noster nostro fini, & extremitati, quod est, semper illū erectam, *strictam*, nunquam languidam, neque demissam habere *Caudam*, &, ut habetur in originali, motitatam, & agitatā. Quare etiam *locustæ illę*, Apoc. 9. dicūtur habere *caudas Scorpionum, & in caudis aculeos*; Nam, ut Plinius ait lib. 11. c. 25. *Scorpionis cauda semper in ictu est, nulloque momēto meditari cessat; ne quando desit occasioni. Ferit & obliquo ictu, & inflexo.* Quo quid opportunius ad insidias cōmunis adversarii nostris potissimum novissimis intētas? Ita profecto potestas hujus belluæ non solum in capite est, & in primo congressu; sed *potestas* etiam est *in cauda*, & extremo certamine. Rursusque habet *caput in cauda*, quoniam omnes suas cogitationes, & curas in finem nostrum intendūt, & instar Samsonis *vulpecularum*, quæ capitibus erant divisæ, ad caudas vero jūctæ, & alligatæ; ita sane plures Dæmones non ejusdem semper peccati suggestionem nobis instillant, sed alius, aliam. At vero omnes ad hunc finem alligantur, & consentiunt, ut fini, & morti nostrę insidientur. Sicut etiam nostra peccata quāvis diversa sint, eundem tamen finem habent, nempe mortem. Ergo sicut Diabolus ex nostris lumbis infirmis, & depravatis fortissimos sibi lumbos assumit; ita sane ex extremo vitę nostrę desidioso, & lāguido, *Caudam* ille sibi erigit, *stringit*, agitat, velut *cedrum* procerā, & imputribilē.

Posset vero per *caudam*, idē ipsum intelligi, quod per *lumbos*, & *umbilicum*, ut supra indicavimus; ut sit tantum expositio superioris: nam *cauda* solet esse nomen partis innominatæ.

3 Quod autem dicitur, *Nervi testiculorū ejus perplexi sunt*, Gregorius interpretatur, *Prædicatores falsitatis*, qui Dæmoniaci mendacii testes sunt, dolosi, intricati, falsis allegationibus, quasi nervorum implicationibus utentes. At Philippus intelligit *vincula* fortissima *illecebrarum* ac voluptatum, quibus homines carnaliter innectit, & implicat. Cajetanus vim Dæmonis ad generādos sibi filios, fraudibus, & involutionibus tentationum. Alii aliter. Ego dicerem cōmode significari, nihil plus valere Diabolum, quam fraude, & astutia: vel certe pares in illo esse vires, & fraudes, namque *testes*, & virilia, virtutis Symbola sunt. Sicut e contrario fęminea, sunt Symbolū imbecillitatis, ut ex Herodoto libr. 2. in Sesostre, colligi potest. Illi ergo, quos non solum aperta vi, sed occultis fraudibus, & insidiis, Diabolus efficit sua membra, dicentur *declinare in obligationes*, Hieronymus, *In pravitates*; Aquila, *Simultates*; Symmachus, *Obliquitates*; Theodotio, *Perversa*. quæ profecto sunt istæ nervorum *perplexitates*, Nodi, contorsiones, versutiæ, quæ apud Deum sunt maximæ iniquitates.

4 An forte isti *nervi testiculorum*, qui ut ex Originali legimus, sunt *ramificati*, id est, instar ramorum perplexi, & involuti, quasi velamen quodam, & telā conficientes, significabunt voluptatum illecebras, quibus Diabolus involvit peccatum, & mortem, ne mortalia, & turpia aliter videantur, quam jucūda, & voluptuosa? Sic sane evenit, ut ita faciem externā peccati perplectat Diabolus nervis, quasi filis

Marginalia: Cauda allegorice, quid. *Gregor.* Antichrist. *Nicetas. Philipp.* Obstinata superbia. Mors. *1. Cor. 15.26. Gen. 49.17. Psal. 48.6.* 2 Dæmon insidiās nostro fini, & morti. יפן Locustæ habētes caudas aculeatas. *Pinlus.* Cauda Scorpionis. Vulpeculæ Sāsonis ad eundem finem. *Iudic. 15.* Diabolus caudā efficiēs ex nostra morte desidiosa. Nervi testiculorum perplexi, qui. *Gregorius.* Falsi Prædicatores *Philipp. Cajetan.* Virilitatis & virtutis symbolum. *Psal. 124.5. Hieronym. Aquila. Symmach. Theodotio.* Diabolus perplectens voluptatis telā, ne videatur peccati turpitudo. זרד

voluptatum, ut in hujuſmodi *obligationes*, & ſordidiſsimã telam faciat *declinare* peccatores irretitos, & involutos concupiſcentiis. Sed deſtruet tamen Deus ad extremum has Diaboli perplexitates, & voluptatum telam, ſub qua illius virus, & *virtus*, & mortis ſtimulus deliteſcũt. Scriptum eſt enim, *Præcipitabit Dominus in mõte iſto faciem vinculi colligati* (colligantis, involventis, operientis) *ſuper omnes populos; & telam, quã orditus eſt ſuper omnes nationes. Præcipitabit mortem in ſempiternum, & auferet Dominus Deus lacbrymã ab omni facie; & opprobriũ populi ſui auferet de univerſa terra.*

Iſai. 25.7.

Dæmonis tela abrumpenda a Deo.

XIII. *Oſſa ejus fiſtulæ æris, &c.*

1. Oſſa *ad robur*. *Oſſa Diaboli, quæ. Explicatus David.*
2. *Oſſa, conſilia, agendi. Oſſibus non carne expugnanda conſilia adverſarii. Explicatus Moyſes, & Paulus,*
3. *Diaboli caro, carnales homines, quos ille ſuſtentat. Deus carnem mundam, & caſtã induit fortitudine ſpiritus ſui.*

1 Oſſa ad robur.

NON Dubium, quin ex utroque nomine, tum *æris*, & ferri, tum *Oſsium*, ingens robur ſignificetur. Sic enim quod Geneſ. 49.14. dicitur, *Aſinus fortis*, in Hebræo eſt, *Aſinus Oſsis*. & Pſal. 52.6. *Deus diſsipavit oſſa* (robur, potentiam) *eorum, qui hominibus placent*; Hieronymus, *Circũdãtium te*. Sed quæ nam Diaboli *Oſſa*, quę *cartilago*? Philippus intelligit pertinaciã inflexibilem intus, & foris, in cogitatione, & opere. Gregorius, quoſdam impios inſigniter duros, alios molliores: aut certe per *Oſſa*, illius conſilia; nam *ſicut in oſſibus, corporis robur ſubſiſtit, ita in fraudulẽtiis tota ſe ejus malitia erigit. Per cartilaginẽ vero, cũ valde mollis ſit, tertamen movet, quando ſe in inſidiis ſub prætextu infirmitatis exercet.* Quæ fuſe, & cum ingenti utilitate perſequitur Gregorius a. c. 16. uſque ad 24. Et quidem ſicut Oſsibus, quaſi prima, & ſolidiſsima parte, totum corpus nititur, ita illius agẽdi *conſiliis* reliquum corpus actionis. Quam conſiliorum oſſeam duritiem, indicavit Iacob, Geneſ. 49.5. *Simeon, & Levi vaſa iniquitatis bellantia* (videntur enim fuiſſe Diaboli inſtrumenta, quaſi ab illo edocti nequiſsimum nocendi conſilium, ſtatim enim ſubdit) *in conſilium eorum non intret anima mea* (quia autem Conſilium a voluntate approbatur, ſtatim ſubjungit) *quia in furore ſuo occiderunt virum; & in voluntate ſua ſuffoderunt*

Hieronym.

Philipp.

Gregor.

Oſſa Diaboli, quæ.

2 Conſiliis tãquam oſsibus actiones nitũtur.

murum (vel, ut ex Hebræo legitur, *Subnervaverũt taurum* (fuit enim vaterrimum illud conſilium circumcidendi nervum, & enervandi vires Sichen. Fuiſſe autem cõſilium durum, inſtar Oſsis, ſubjungitur) *Maledictus furor eorum, quia pertinax; & indignatio eorum, quia dura.* Ejuſmodi profecto fortia, & oſſea conſilia Paulus vult ſuſcipi adverſus oſſa Diaboli, cum jubet, *In carne ambulantes, non ſecundum carnem militare*, ut Oſſa opponat oſsibus, & ſtratagemata ſpiritualia, fraudibus Diabolicis; ſubjicit enim; *Arma militiæ noſtræ non carnalia, ſed ſpiritualia, potentia Deo ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes, &c.*

Nõ carne, ſed oſsibus utendum adverſus robur Diaboli 1. Cor. 10.

Sed nunquid hæc Diaboli *Oſſa* durisſima excarnia ſunt? ſit ita dicas, monſtrum erit horrificum, mors ipſa ex ſolis oſsibus compacta, nihil molle, nihil lene habens. Si vero velis hæc *Oſſa* cõveſtire carnibus, poteris quidem ſęvitiæ, & pertinaciæ inflexibili latenti induere omnẽ mollitudinem externorum blandimẽtorum, deliciarum, illecebrarum, ſub quibus latet ferrum, ſtimulus, mors fortis, *dura, ſicut infernus*. Sicut autem oſſa ſuſtinent reliquam mollẽ carnis, & univerſum corporis pondus; ita ſane Diaboli fortitudo, & potentia ſuſtinet, & portat univerſam molem iniquitatum: quare eleganter dixit Gregorius, cap. 24. *Tam mira, & magna operari non poſſet, ſi non ex magna conditione ſubſiſteret.* An vero iſtorum Oſsium carnes, ſunt carnales homines, quos ſuſtinet Diabolus, & nunquam quieſcentes inique agere, nunquam fatigãtur, aut laſſantur; quia illos ſublevat, ſuſtentatque Diabolus, & quaſi humeris ſuſtinet? Ac vide quid ſit, carnalem eſſe, & *ſecundum carnem ambulare*, veſtire Diaboli oſſa, & illius partem molliſsimam eſſe. Niſi autẽ caro caſta, & munda ſit, non vult Deus ſuam fortitudinẽ illi adjungere, ſicut Scriptum eſt, *Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt.* Si munda, & caſta ſit coram Angelis Dei confitebitur, *Hoc nunc os, ex Oſsibus meis, & caro de carne mea.* An vero oſſa Diaboli ſunt potentiores, & fortiores improbi, quos comitantur infirmiores alii, & minoris notæ homines? conveſtiuntur enim, tamquam oſſa carnibus potentiores improbiſsimis. Sed de hoc forte nonnihil inferius.

3 Diaboli mors oſſea.

Caro Diaboli, quæ.

Carnẽ mũdã & caſtã Deus tanquam ſuã habet. Gen. 6.3.

Gen. 2.23.

XIIII. Ipse est Principium viarum Dei, &c.

1 Caput, *aut* Principium, *tempore, aut dignitate. Duæ viæ Dei, benefaciendi, puniendi.*
2. *In via Dei quomodo itur, & reditur.*
3. *Angeli creati cum mundo corporeo.*
4. *Creator parens, suarum creaturarũ. Primus Angelus quasi primogenita creatura, & donis primogenitorũ cumulatus. Illustratus Ezechiel de creatione, & ornamentis Angeli.* Principium, *quid. Illustratus Moyses.*
5. *Diabolus velut vestimentis sacerdotalibus ornatus in sua creatione. Illustratus adhuc Ezechiel*
6. *Commutatio personarũ.* Applicare *quid. Gladius Dei, qui s. Gladius Dæmonis, nocendi voluntas, a Deo compressa. Illustratus locus Regum.*
7. *Dæmon suis artibus sibi incommodus.*
8. *Deus alienis tortoribus, & instrumentis indigẽs ad puniendum. Peccata ipsa tortor, & supplicium improborum.*

1 ראש
CAput, quod in Hebræo est, aut *Principium*, quod in Latino, sive quod idẽ est, *Principat⁹*, aut *Primitiæ*, referri potest ad ordinem temporis, vel dignitatis, ut superius indicavimus. Rursus hoc referri potest ad *vias*, id est, ad opera creationis, vel Providentiæ. Et D. Thom. quẽ sequitur Cajetanus, ad *Vias Providentiæ refert*, quæ cum duæ sint, altera, benefaciendi, puniendi altera, priori utitur Deus propter semet ipsum communicãdo suam bonitatem creaturis: (hac enim ratione videtur ex se ipso procedere, & exire ad ea, quæ creat: alteram vero viã designavit, & cõstravit malitia creaturæ, ad quam puniendam tum in Dæmone, tũ in homine, processit Deus. Dæmonis autem malitia fuit caput, & initium hujus viæ, id est, ut relicta priori benefaciendi semita, alterã ingrederetur Deus puniendo, & mortem inferendo. nã *invidia, Diaboli, mors introivit in orbem terrarũ: & Deus mortem non fecit, impii vero manibus, & verbis accersierunt illam.* Interpretatio quidẽ argutior, & operosior, quam solida aut conveniens: cum vulgatissimum sit inter sanctos Patres, *Vias Dei*, ad illius actiones, & effecta pertinere. quod idem indicatur lectione Septuaginta, legentium, *Principium formationis Domini*, id est, creationis. Vide, quæ de Dei vestigiis superius disputavimus.

Cajetan. Duæ viæ Divinæ Providẽtiæ.

Sap. 1. 13. 16.

Viæ Dei illius effecta.

LXX.

2 Ceterum in hac ipsa Divinorũ operũ, & creationis via potest considerari itio, aut reditio, & quasi via Dei exeuntis ad creaturas, aut reditus creaturarum ad Deum. Sicut enim cũ Deus vel creat aliquid, vel creaturis præcipit, & cum homine loquitur, videtur viam facere ad hominem, ita cum homo audientem se Deo præbet, dicitur in ipsa *Dei via ambulare.* quare qui ad obedientiam Divinorũ mãdatorũ creatus est, accipiens Divina præcepta, ante alias creaturas, potest dici, *Principium viarum Dei*. Sic interpretatur Philippus, *Quod ad vias Domini ambulandas, & per obedientiã præcepta Dominica observanda, hic inter cæteras creaturas rationabiles primus a Deo sit conditus, & inde dictũ est; Ipse principium est viarum Dei.* Philipp.

In via Dei itio, & reditio.

3 Sed ut de *Viis*, & operibus creationis, locus hic accipiatur, quę est frequentissima, ac simplicissima interpretatio, plurimorum sententia fuit, Angelum ex eo dictum, *Principium viarum Dei*, quod esset conditus ante mundũ corporeum, in quo cum Origene, Basilio, Nazianzeno, consensere etiam ex Latinis Hilarius, Ambrosius, atque alii; Isidorus præsertim lib. 1. de summo bono c. 12. sententia quarta, ubi hoc ipso Iobi loco utitur, ex quo ipse colligit Diabolum esse creatum ante mũdum corporeum, prius tempore; at Angelos bonos prius quãtitate tantum prælationis. Sed quoniã nihil in hac quæstione de tempore creationis Angelorũ peculiare habeo præter ea, quæ luculenter, & erudite scripserunt nostri ordinis viri, Benedictus Pererius lib. 1. in Genes. Ludovicus Molina 1. p. q. 61. ar. 3. Gregorius de Valentia sua q. 22. puncto 3. Gabriel Vazquez sua disput. 224. c. 1. 2. 3. 4. 4. 6. ideo ad illos adeundum. Nunc sat fuerit indicasse frequẽtissimam, simulque verissimam sententiam Augustini, Gregorii, Theodoreti, Epiphanii, Scholasticorum cum Magistro, secundo sententiarũ Creatos fuisse Angelos simul cum mũdo corporeo. Quare quod hic dicitur, *Principium viarũ Domini*, si intelligatur de initio temporis, intelligetur quasi negative, quod nulla creatura corporea prior illo extiterit, ut fere D. Thom. & alii explicãt. aut de principatu dignitatis, quod reliquarũ creaturarum excellentissima sit.

Multorũ sententia de tempore creationis Angelorũ.

Origen. Basilius. Nazian. Hilarius. Ambros. Isidorus.

Benedict. Pererius. Lud. Molina. Valentia. Gabriel Vazquez.

Vera sentẽtia, creatos fuisse Angelos cum mundo corporeo.

D. Thom.

4 Atque adeo cum Creator sit quasi parẽs suarum creaturarum, ut superius ostẽdimus, certe illa creatura, quæ dicatur inter reliquas prima, videbitur jure primogenita; primus itaque Angelus videbitur nũc appellari primogenita creatura Dei; & ipsum quidem nomẽ *Principii*, aut *principatus*, solet ad primogenitos referri; ut dicitur Ps. 104. *Percussit omne primogenitũ in terra eorum, primitias* (Principium, pręcipuũ). *Omnis laboris* (concupiscentiæ laboriosæ, quæ molestiam, & solicitudinẽ affert) *eorum*. Est enim hęc primogenitorũ periphrasis. Sicut etiã ad Ruben dixit

Principiũ de Primogenito.

Circumloquutio Primogeniti.

Iacob; *Tu fortitudo mea, & Principiũ doloris mei.* quod fortitudo, & virtus parentis multum reluceat in generando primogenito ſibi ſimillimo. Et ſicut de eodem Rubeno, ut pote primogenito ſubjungitur, *Prior in donis major in imperio,* quod videlicet ex jure primogenii deberet accipere duplicem portionẽ hæreditatis, dignitatem præterea Sacerdotii, & Principatus, atque dominatus in reliquos fratres: ad quam etiam conferebat, veſtimẽtorum pretioſiſsimorũ dignitas, primus item accubitus in capite convivii, ut decebat reliquorũ caput: Ita ſane ex his notis, & privilegiis videtur apud Ezechielẽ deſcribi excellentia naturæ excellentiſſimi Angeli, ut qui eſſet *Principium,* id eſt, primogenitus reliquorum. Quo Ezechielis loco Hieronymus, Gregorius, Theodoretus ſenſum litteralẽ de Dæmone eſſe: alii ſaltem allegoricum certo eſſe cõtendunt. Ergo ſicut primogenitus eſt patri ſimillimus, ita Lucifer dicitur *ſignaculum ſimilitudinis,* quaſi dicat, *Signaculum,* vel figura exemplaris, aut faciei, quod peculiari, valdeque perfecta ratione ſimilitudinem ſuam Deus in Angelica natura impreſiſſet, ideoque dicebatur etiã *Signaculum,* quaſi ſigillum, in quo eſſent inculpta inſignia, & quę vocant arma, aut ſtẽmata divinitatis. Sicut autem ſolent præcedere Regum adventum, qui illius ſtemmata præferunt, ita ſane cum Lucifer eſſet *ſignaculum ſimilitudinis,* dicitur *Principium viarum Dei,* quaſi præferens illius inſignia in via creaturarum.

Angelicæ naturæ deſcriptio ex privilegiis Primogenitorum. *Hieronym. Gregorius. Theodoret.* *Angelus Deo valde ſimilis.* *Primus Angelus præferens Dei ſtẽmata.*

Vbi quidem obſervãdum eſt, noſtrum locum cum iſto Ezechielis colludere, nõ ſolum propter illam cognationem ſimilitudinis cum *Principio,* vel primogenito: ſed quia præterea nomen *Primogeniti* cõvenit cum nomine *Principii* in alia quoque ſignificatione. Nam nomen *Principii,* aut *capitis,* quod eſt in originali, ſolet ad ſummam numeri alicujus referri, Exodi 30. 12. Levit. 6. 5. ubi vertitur *Omnia,* id eſt, *ſumma omnium*: quia ſicut caput in animali eminet, & ſupra omnes partes reliquas conſurgit, ita ſumma aliquarum partium, & unitatũ eſt præcipua prę ſingulis partibus. Vnde habent cognationẽ & re, & nomine *ſummitas, & ſumma,* & *caput,* atque *recapitulatio,* ſive collectio, & reductio in ſummã. Quare poſſemus hunc locum legere, *Caput,* ſumma, recapitulatio *Viarum Dei,* videtur enim aliæ creaturę minus excellentes recapitulari in excellentiſsima omnium. Rurſus nomen *ſimilitudinis,* eſt quoque numerus, aut menſura, a radice, quæ ſignificat ponderare, menſurare, certo, & perfecte perpendere, unde dicitur *ſimilitudo* omnibus numeris abſoluta, & perfecte menſurata. Poſſumus igitur legere, *Tu ſigillans numerum, menſuram, ſummam.* quod eleganter reſpondet noſtræ ſententiæ; *Tu ſumma viarum Dei.* Atque cũ hac numeri, & ſummæ ratione, & lectione facit lectio Thargum; *Tu ſimilis monetæ figuræ.* ſeu, *monetæ figuratæ.* Sicut enim numus cũ regiis inſignibus datur pro commutatione reliquarũ rerum, ut videantur cætera omnia contineri in valore monetæ; ita ſane videbatur primus Angelus valere cætera omnia creata, qui tandem valor, & pretium referri debet ad ipſam rationem majoris ſimilitudinis cum Deo, ex eo enim excellẽtior erat reliquis omnibus, quod Dei ſimilior eſſet: &, ut dicebat Iacob ad ſuum primogenitum, *Tu fortitudo mea*; quia in primogenito, ut pote ſimillimo, patris virtus, & fortitudo reluceat. Sic ſane *Dei fortitudo* in hoc uno, tanquam in primogenito, potius quam in cæteris creaturis Dei, emicuit.

Principium aut caput pro ſumma numeri. ראש *Similitudo pro menſura, aut numero.* תכן *Thargum. Creatura perfectior, quo Deo ſimilior.*

Secundo indicatur dignitas, velut ſacerdotalis, cum dicitur, *Omnis lapis pretioſus operimentum tuum.* quod, ut ait Theodoretus, dictum eſt cum alluſione ad ſacerdotis Rationale, quod gemmis conſtabat. Vnde ſequitur, *Tu Cherub extentus, & protegens.* quod Septuaginta legunt; *Tu Cherub unctus a Deo in tabernaculo habitante.* eſt enim Sacerdos, Cherubinus unctus, ut qui Deo in templo adſtet.

Angeli Dignitas velut ſacerdotalis. Theodoret. *LXX.*

Acceperat vero etiam duplicia dona, & duplicem hæreditatis portionem, in naturali ſapientia, & pulchritudine, *Plenus ſapientia, & perfectus decore.*

Denique ſicut Princeps, *In medio lapidum ignitorum,* id eſt, reliquorum ſpirituũ qui ſunt ignis ardens. quod alii legũt, *In capite,* & principe loco. Quæ quidem omnia non obſcure explicant, quã vere fuerit Angelus, *Principium viarum Dei,* & omnibus primogenitorum muneribus cumulatus.

Iſai. 103. 4.

Qui fecit eum, applicabit gladiũ ejus. Obſervavit nunc Philippus, commutationẽ eſſe perſonarum Sacris Scripturis familiarem, cum enim adhuc Deus de ſe ipſo in prima perſona loquutus fuerit, nunc in tertia, *Qui fecit eum,* &c. Similia exempla aliquando plura protulimus.

6 *Philipp. Commutatio perſonarum.*

Gladium ejus, id eſt, *gladium Dei,* interpretatur Cajetanus: rurſus *gladium* pro Divina juſtitia ſcelerum vindice, quę quã vis in Deo eſſet ante peccatum Angeli,

Cajetan.

ſed tamen nemini *applicata* fuerat, ſive ut eſt in originali; *nemini appropinquaverat* per ſupplicium. Igitur applicata eſt primo Angelo.

At reliqui *Gladium* ipſius Angeli, id eſt, vim & poteſtatem nocendi interpretantur. atque hoc dupliciter. primo quod poteſtatem Diaboli ad nocẽdum Deus cõprimit, & pro ſua Providentia, atque Sapientia moderatur, & ita applicat, ne plus noceat, quam ipſe permittit. Hæc interpretatio eſt frequens Latinorũ poſt Gregorium, D. Auguſt. 11. de Geneſ. ad litteram c. 20. & ſuper id Pſ. 103 27. *Draco iſte, quem formaſti, &c.* De quo plura diximus c. 1. verſic. 12. Nunc tantum, quod ex verbo *applicandi* colligitur, Diaboli propenſionem ad nocẽdum, & illum ſuopte ingenio, & depravata voluntate, ſemper eſſe applicatum ad nocendum: tantum enim dicitur Deus applicare, quod ipſe permittat illum ſe ſe applicare, aut potius, ſemper applicatum eſſe.

Dæmonis potentia cõpreſſa a Deo, & per miſſa ſecundũ menſuram. *Gregorius. D. Auguſt.*

Propẽſio Diaboli ad nocendum.

Secundo, cum verbum *applicandi* ſignificet *approprinquare*, aut active, adducere, offerre, poteſt in Hebræa ſententia hæc diſpunctio, atque ſenſus inveniri, *Ipſe eſt Principium viarum Dei, qui fecit eum*, deinde, *applicabit gladium ei*, adducet, offeret. ut ſit de ipſo dæmone, qui Deo offert ſuã operam, & induſtriam ad nocendũ, quaſi ab illo ſemper poſtulans permiſsionem, & nocendi facultatem. ut ex 3. Reg. 22. cum Propheta *vidit Dominum ſedentem ſuper ſolium ſuum, & omnẽ exercitum cæli aſſiſtentem a dextris, & a ſiniſtris. Et ait Dominus; Quis decipiet Achab? Egreſſus autẽ ſpiritus ait, Ego decipiam, egrediar, & ero ſpiritus mendax.* Nõ enim minus ſe offert Diabolus, aut minus præſto eſt ad malum, & ut mittatur ad nocendum, quam qui ad bonam legationẽ dixit, *Ecce ego, mitte me.*

Secunda interpretandi, & expungẽdi ratio

Diabolus poſtulãs ſibi fieri facultatem ad nocendum.

Iſai. 6. 8.

7 Sed illa demũ videtur elegans interpretatio Philippi, & Bedæ, ut intelligatur ipſi Dæmoni applicandus a Deo ſuus ipſius gladius. Quare nonnulli codices legerunt; *Applicabit ei gladium ejus*, ut videlicet ſuæ ipſius artes nocendi, vertantur in bonum juſtorum, & in majus ſuppliciũ & malum Diaboli: quod videtur indicatũ quoque a Gregorio; *Quod a quibuſdam*, inquit, *vincitur, ejus gladius ab auctore replicatur; & quia omne, quod applicatur, in ſemet ipſum reducitur, recte applicatus Behemoth gladius dicitur, in ipſa namque ſe ejus malitia decoquit, cum ad votum ſuum ſe ſe contra electorum vitam prohibitam non exercet.* At dilucidius lectio Septuaginta; *Hoc principiũ formationis Domini, factum, ut illuderetur ab Angelis ejus.* quod Symmachus interpretatur; *Factũ, ut ejus gladio admoveatur.* Auguſtinus vero 11. de Geneſ. ad litter. c. 22 *Initium figmenti Domini dictus eſt. Non quia ipſum primitus condidit, vel inito malum condidit, ſed quia, cũ faceret eum, ad hoc propria voluntate malum futurum, ut bonis noceret, creavit eum adhoc, ut de illo bonis ipſe prodeſſet. Hoc eſt enim, ut illudatur ab Angelis, quoniam ſic illuditur, cum ſanctis proſunt tentationes ejus, quibus eos depravare conatur; ut malitia, in qua ipſe eſſe voluit, eo nolẽte, ſit utilis ſervis Dei, quia hoc prævidẽs, eũ finxit.* Idẽ fere docet, verſans eundẽ locum lib. 11. de Civitate cap. 17.

Philipp. Beda. Dæmon ſuo gladio vulneratus.

LXX.

Symmach. Auguſtin.

8 Hinc vero primũ diſcere poſſumus, cũ Deus ipſis Diaboli, & impiorũ armis utitur ad illorum ſupplicium, Deum ſignificari eſſe pacis amantiſsimum, ut qui, niſi noſtra improbitas illum armet adverſum nos, inermis videatur. Aliena igitur vidẽtur arma illa, quibus impios percutit; ſicut dicit ſe mutuaturum, aut *conducturum novaculam ad radendum barbam*, & honorẽ ſui populi, Iſai. 7. 20. *Radet Dominus in novacula conducta, in rege Aſſyriorum, caput, & pilos pedum, & barbam univerſam.* Non ergo habet domi, neque intra ſuum populum inſtrumenta noſtri ſupplicii, nã Rex Aſſyriorum eſt *novacula*; Medus, aut Perſa, eſt *virga furoris ſui*; Diabolus vero lõge exulans a domo Dei, eſt illius *gladius*.

Deus pacis amator, alienis armis nos puniens.

Secundo, Si noſtra improbitas Deum concitat, & armat cõtra nos, non indiget ille aliis tortorib⁹ ad noſtrum ſuppliciũ, quam nobis ipſis. Sic Plutarchus de *Sera Numinis vindicta*, eleganter dixit; *Quemadmodum facinoroſus quiſque ultimo affligẽdus ſupplicio, corpore ſuo propriam fert crucem, ita improbitas ex ſe ipſa ſupplicium ſibi ſtruit ipſi. proinde, ſi dicere fas eſt, flagitioſos homines, neque aliquo ſive deorum, ſive hominum indigere ultore arbitror, ſed pernicioſam illorum vitam, omni pravitate, ac ſcelere corruptam ſatis, ſuperque ad ſe ipſam torquendã ſufficere.* Quod nõ ſolum verum eſt in internis ſuppliciis, ſed etiam in externis, cũ jubet Deus, ut unus improbus de alio ſupplicium ſumat, aut permittit, ut idem ſe ipſum conficiat. Exemplum videas 2. Machabæor. 12. 22. *Cum ex præſentia Dei, qui univerſa conſpicit, in fugam verſi ſunt hoſtes populi Dei, alius ab alio, ita ut magis a ſuis dejicerẽtur, & gladiorum ſuorum ictibus debilitarentur.* Quis non dicat Aegyptios ſuis manibus fabricaſſe arma, quibus illos percuſſit Deus, & ipſa ſui ſupplicii inſtrumenta, cum *quidam errantes colebant mutos Serpentes, & beſtias ſupervacuas, immiſit illis*

Deus impios crucians ipſa illorũ iniquitate. *Plutarch.*

Impius unus de alio ſuppliciũ ſumẽs.

Sap. 11. 16.

Deus multitudinem mutorum animalium in vindictam, ut ferrēt; quia per quæ peccat quis, per hæc & torquetur. Quare ſi vult Deus impium funibus cōſtringere, ipſa improbitate utitur; nam peccator *funibus peccatorum ſuorum conſtringitur.* Si vult in carcerem, & foveam obſcuriſsimam cōjicere, permittit, ut ille fodiat alteri foveam, nā ſi *Laqueum aperuit, & effodit eum, incidet in foveam, quam fecit.* Si velit graviſsimo peccatorem jugo deprimere, peccata ipſum jugum ſunt, ſicut Scriptum eſt, *Vigilavit jugum iniquitatum mearum.* Si velit contumeliis afficere, permittit, ut *tradantur in deſideria cordis eorum, ut contumeliis afficiant corpora ſua in ſemet ipſis.* Si velit demergere in Mare, graviſsimo lapide ad collum alligato, ipſa iniquitas lapis eſt, *& gravabit eā iniquitas ſua, & corruet, & nō adjiciet, ut reſurgat.* Denique noſtra improbitas *gladius* eſt, quem ſtrictū Deo adverſus nos tradimus; Diaboli malitia *gladius* eſt, quem Deus illi ipſi *applicat*, & adigit. In quam rem opportune, & eleganter ſcripſit Athanaſius lib. de Paſsione, & Cruce Domini, *Arundinem Chriſtus accepit, cum illi a Diabolo porrigeretur ignabro, quod contra ſe ipſum, gladium acueret: Dicitur enim arundo ſerpentibus lethalis eſſe, atque inde potiſsimum interfici. Cum igitur ipſe Dominus Sabbaoth, ut Iſaias dicit, fugiētē Draconē, & magnum illum Serpentē Diabolum perſequi ſtatuiſſet, tum ejus rei cauſa id, quod illi extiale erat, ab eis accepit, ut ſuis propriisque rebus debilitatiore reddito, ii qui Chriſti erant homines, fortiores redderentur. Quale quid David in Goliath deſignavit, qui ſumpto adverſarii gladio, eo ipſo illius caput præcidit. Idem quoque ſervator fecit ſumens arundinem ab illis, ut nos non ſolum liberaret a verſutia ſerpentis, ſed illum ſerpentem tolleret, & mortuum exhiberet.* Vide, quæ diximus cap. 8. verſicul. 4. ſuper id,

Dimiſit eos in manu iniquitatis ſuæ.

(*)

Prov. 5. 22. — Pſal. 7. 16. — Thren. 1. 14. — Rom. 1. 24. — Iſai. 24. 20. — Diaboli malitia contra ipſum pugnās. — Athanaſ. — Arundo Chriſto patienti a Diabolo tradita. — Malitia militans cōtra ſuū poſſeſſorem.

XV. Huic montes herbas ferunt, &c.

1. Herba temporalis voluptas. Mōtes quos Diabolus excolit, Principes improbi.
2. Ferre, pro offerre. Dæmon adoratus in montibus. Superbia Diaboli.
3. Beſtiæ agri, populares improbi adhærētes Principibus.
4. Diabolus irridens humanam ſtultitiam redditis Oraculis.

Divus Gregorius, quem videtur imitari Philippus, intelligit ſuperbos, quorum laſcivia, & temporalis voluptas per *Herbam* ſignificatæ, opportunum pabulum Diabolo præbent. Divus Thomas, & quidam alii, quod viri Principes, ſi improbi ſint, quod non raro eſſe ſolent, propriæ voluntatis, deſideriorumque ſponte naſcentium cibum ſuaviſsimum Diabolo miniſtrant, aut etiam ſuos populares per *Herbam* ſignificatos, exponunt prædam, & cibum Diabolo. Cajetanus, quod Principes videantur eſſe Diaboli ager, quem primum ſeminat Diabolus, quamquam enim tam in planitie, quam in montibus velit ipſe ſeminare ſemen ſuum, id eſt, Zizaniam, potiſsimum tamen in præcelſis montibus agricolationem ſuam facit: atque hujuſmodi montes nō alios fructus, frugeſque ferūt, quam molliſsimam *Herbam*, quæ ſit ignis pabulum, ut dici poſsit hujuſmodi montes *concipere ardorem, & parere ſtipulam.* 1

Gregorius. Philipp. — D. Thom. — Cajetan. — Principes excolit Diabolus. — Iſai. 33.

Cum vero verbum *ferendi*, non ſolū ex originali ſit *proferre*, quomodo fere univerſi Interpretes ſumpſerūt, ſed etiā *offerre*, tanquam oblationē, aut *elevare* in manibus, tanquam dona, & oblationes, quæ in ſublime elevabantur, erit ne *montes afferre Diabolo herbam*, offerre illi ſuos fructus? id eſt, Dæmonem in montibus lucis ne moribus adoratum fuiſſe! Tum etiā, & initium idololatriæ a montibus, id eſt, a viris Principibus, honores ſibi Divinos arrogantibus, initium ſumpſiſſe? An etiā erit, Diabolum nihil humile ſapere, ſed ſuperba, & ſublimia omnia, ita ut dedignetur pabulum convallium, tantū ſpectet ſublimiora? ut dici poſsit, *Que los altos, y grandes, le hazen el plato.* 2

Ferre, pro offerre. — Dæmō in mōtibus cultus. — נשא — Dæmonis ſuperbia.

Omnes beſtiæ agri ludent ibi. Divus Thomas, quem imitatur Cajetanus, partem hanc refert ad impios Principes, quibus adhærent improbi alii, tanquā *beſtiæ agri* protecti, & ſuſtentati ab improbis Principibus. Ideo enim Diabolus jugiter cōmoratur in *montibus*, quod per Principes lucretur ſibi populum. Simile id Danielis 4. quod dicitur de Nabuchodonoſore ſub figura *magnæ arboris; cujus folia pulcherrima, & fructus ejus nimius, & eſca univerſorū in ea: ſubter eam habitabant animalia, & beſtiæ; & in ramis ejus converſabātur volucres Cæli, & ex ea veſcebatur omnis caro.* 3

D. Thom. Cajetan. — Impiis Principibus adhærent cæteri populares.

Alii vero *beſtiarum* nomine, Dæmones inferiores intelligunt, qui dicantur *beſtiæ agri*, id eſt, degentes in hoc mundo inferiori, quia non ſolum *Princeps Dæmoniorū* delectatur *mōtibus*, id eſt, improbis Prin- 4

Dæmones minores.

cipibus, verum etiam cõvocat ſecum plures alios ſpiritus, & invitat beſtias agri, *ut ingreſſæ habitent ibi.* ita vero delectantur, & ludunt Dæmones in improbitate Principum, ut *illudant*, & irrideant hominum ſtultitiam, voluptas enim, quã ex noſtris malis percipiunt, plena eſt luſu, illuſione, ſubſannatione, fraude. Tum etiam videntur quaſi ad ſonitum, & harmoniam Principum improborum *ludere*, & tripudiare Dæmones, & *ſaltare piloſi*; ut, ſi cum ſuperiori jungas, dicere poſsis, *Que los malos Principes, le hazen el plato, y el ſon, para que el bayle.* Sic Septuaginta, ad lætitiam etiam tartareæ gentis referunt, Diaboli acceſſum ad montem aliquem excelſum; *Adveniens ad montem præruptum, fecit lætitiã quadrupedibus in tartaro.* quaſi ex *montibus* opimam prędam convehat, quã cum magna lętitia ſuis militibus in tartaro dividat. Illud ultimũ, Eſt ne res hęc de *montibus*, & *illuſionibus*, ludificatio aliqua deluſæ antiquitatis, accipientis reſponſa, & oracula a Dæmonibus habitantibus in *montibus*?

Dæmones illudentes hominum ſtultitiam.

LXX.

XVI. *Sub umbra dormit, &c.*

XVII. *Protegunt umbræ umbrã ejus, &c.*

1. *Varia* umbræ *allegoria.* Vmbra *bona temporalia, qua ratione. Explicatus Eccleſiaſticus.*
2. *Varia* Arundinis *allegoria. Cur dicatur* Dæmon *quieſcere in locis humentibus.*
3. *Improbi aliorũ vitia protegentes, dicuntur* umbræ.
4. *Dæmon cultus in littoribus, & lucis. Diis Inferis ubi, & quando ſacrificatum.* Vmbra *quid. Illuſtrata Sapientia.*
5. *Varia* Fluvii *allegoria.* Iordanes *deſignat Chriſtum, aut prædicationem Evangelicam.*

1 Vmbra allegorice, quid. Gregor. Philipp.

VAria *umbræ* allegoria apud Interpretes, præſertim, apud Gregorium, & Philippum hoc loco. Gregorius vero *Nequitiæ torporem* intelligit, *Quia Diabolus in frigidis mentibus ſecurus jacet, qui contra corda charitate calentia ſolicitus vigilat.* Philippus, *Peccata*, aut *peccatores*; nam peccata tanquam umbra corpori, ita morti vicina ſunt. Alii otium, laſciviam, delicias, quibꝰ cum nos allicit, ipſe delectatur. Forte *umbra* indicat tẽporalium bonorum ubertatem, quæ *tanquam umbra tranſeunt*, quæ ſunt bonum apparens, & umbra tantum ſempiternæ fælicitatis; de quibus dicere poſſes, quod de inſomniis dicitur a Sapiẽte, *Hoc ſecundum hoc*, (id eſt, umbra juxta corpus) *viſio ſomniorum: ante faciem hominis, ſimilitudo hominis* (id eſt, ſimilitudo apparens in ſpeculo, quæ ſtatim evaneſcit.) Et quidem ſi quid boni in mundo eſt, ſupernæ fælicitatis umbra eſt, & imago quędam relucẽs in ſpeculo creaturarum. hę igitur umbræ & nos deludunt, & Diabolo placidiſsimam requiem conciliant.

Vmbra, bona temporalia.

Eccleſ. 34. 3.

2 Gregorius. Philipp. Arundo, quid allegorice.

In ſecreto calami. Gregorius multas, itẽ *arundinis* allegorias indicat, ſicut & Philippus. Tandem in illa conſiſtit, quod *arundinetũ* ſit vita ſecularium cum externa gloria, ſed internæ veritatis vanitate. Ita ut in cordibus ſuperborum altitudinem, & nitorẽ ſæculi ambientium, Behemoth dicatur *dormire quietus, ubi eos, quos poſſidet quieſcere non permittit*, ſunt enim arundines *vento agitatæ.* Philippus, *Secretum pravarum cogitationũ*; Cajetanus, *Hypocriſim ſine fructu*, ſine medulla, inanem. quę omnia pabulum ſunt ignis. Et in *locis humentibus*, infixi ſunt, quia fere ſemper hæc vitia ſecreta punire Deus ſolet manifeſta luxuria.

Philipp. Cajetan.

3 Gregorius. Improbi aliorum vitia protegentes.

Denique *protegunt umbræ umbram ejus.* Gregorius, quod cũ quilibet iniquus ſit umbra, id eſt, ſimilitudo Diaboli; illi dicũtur umbræ protegentes aliam umbram, qui cum impii ſint, alios etiã minores peccatores fovent, & protegunt. Ideoque cõparantur *ſalicibus torrenti*, arboribus nimirum proceris, & infructuoſis, tantum ad protegendum idoneis. Alii per *umbrã umbræ*, tantum intelligunt, denſiſsimam umbram, id eſt, multiplicationem voluptatum, mollitudinis, otii.

4 Dæmon olim adorat' in littoribus, & lucis.

Sed forte his ſentẽtiis alluſio ſit ad loca umbroſa, & opaca; vel in montibus, vel juxta ripas fluminum, in quibus Dæmon olim colebatur. Nomen enim *umbræ*, ad umbroſam arborem commode referri poteſt, imo, & ipſum umbræ nomen de ſtatuis, & imaginibus idolorum frequenter dicitur, 1. Reg. 6. 5. Numeror. 33. 51. Danielis, 2. 31. & ad *Nemora* pertinet, Ezechielis 31. 3. quare dicetur *ſub umbra*, aut, *in umbra dormire*, qui in Idolis habitabat. & facit cum hoc verbũ *dormiendi*, quod ad rem turpem refertur, tum etiam ad idololatriam, quæ dicitur *fornicatio.* Quare, & nomẽ idoli *Baal*, ſignificat maritum, quod Idololatrę cũ illo fornicarẽtur. Dormiebat igitur Dæmon turpiſsimus in umbris nemorum, & *incendebat cõcupiſcentiam*, ut dicitur Sapientię 15. 4. *Vmbra picturæ, labor ſine fructu, effigies ſculpta per varios colores, cujus aſpectus inſenſato dat concupiſcentiam.* Diis vero Inferis in littoribus ſacrificatum fuit. Vide de *Arborum honore* Pli-

Vmbra de Idolo, & ſtatua. צלל

Diis Inferis in littoribꝰ ſacrificatum.

nium

Plinius. nium lib. 12. cap. 1. & lib. 16. cap. ultimo.

Calamus odoratus. Quod vero de *Calamo* dicitur, certe rē olet ſacrificiorum: nam eſt etiam *calamus odorifer*, ut indicatur Iſaiæ 43. 24. *Non emiſti mihi argento calamum, & adipe victimarum tuarū, &c.* Ierem. 6. 20. *Vt quid mihi thus de Saba affertis, & calamum ſuave olentē de terra longinqua?* Denique is idem eſt, *umbrarū* amator, qui & nocturna ſacrificia exigebat, (Diis enim Inferis nigræ pecudes noctu mactabantur,) & cui canebatur;

Dæmō amator umbrarū.

Claudian.

. . . O maxime noctis
Arbiter, umbrarumque Potens . . .

XVIII. *Ecce abſorbebit fluvium, &c.*

5 GRegorius, Philippus, & alii posteriores, *Fluvii* nomine genus humanum, D. Thomas, peculiariter homines inconſtantes intelligunt, hos exſorbet Dæmō, & rapit etiam per fraudem, & calumniā, dum per peccatū trahit ad mortem, quæ eſt proprietas verbi *abſorbēdi*, ut ſuperius diximus: quippe iſte eſt *Prædo gentium*, Ierem. 4. 6. Expetit vero Dei populum, qui per *Iordanem* ſignificatur. Nicetas ad fidē Evangelii videtur referre. *Sua, inquit, calumniandi licentiæ fretus, Divinam Gratiam petulanter inſectatur, eamque verbis irridet, atque contemnit; idque molitur facinus, per Græcos, Iudæos, Manichæos, qui redemptionē eam, quæ Iordano extitit, non admittunt.* Cōmode etiam ad Chriſtum referri poteſt, nam ſtatim, atque baptizatus eſt in Iordane, *ductus eſt ab ſpiritu* (Lucas, *a Diabolo*) *in deſertum, ut tentaretur.*

Greg. Philipp. D. Thom.

Fluvii varia allegoria.

Nicetas.

Matth. 4. 1. Luc. 4. 1.

XIX. *In oculis ejus, quaſi hamo, capiet eum, &c.*

1. *Diabolus cum invidia obſervans juſtos, a Chriſto coram omnibus triumphatus. Cur Chriſtus impublico moriens, non in publico reſurgens*
2. *Diabolus captus, poſtquam multos deceperat.*
3. Hamus, & vincula *allegorice.*
4. *Diaboli naſus, quis. A Deo compreſſus, & reſinatus.*

I VArium ſuppoſitum, variū item appoſitū hujus ſententiæ apud Interpretes, ut diximus ſuperius. Nicetas ſupponit *Dæmonē*, apponit vero *juſtum*. Ille igitur *oculis obſervat juſtum, & ſtridet dentibus in eum.* conſiderat attentiſsime, qua ratione illum capere poſsit. *Tūc*, ait Chryſoſt. *Diabolus ſævior efficitur, cum videt nos cū diligentia vitā noſtram diſponentes; cum videt, virtutis onera compoſita, & magnos acervos, tūc gravius inferre naufragium ſtudet.* Sicut igitur Angeli boni ſunt *oculi*, nobis proſpicientes, ita Dæmones ſunt *oculi* nobis invidētes, inſidiantes. Cæterum diximus appoſitum hujus ſententiæ eſſe *Behemoth*. Erit ergo venator Chriſtus, qui Diabolū *in illius oculis cepit*, neque *fruſtra jecit rete, ante oculos pennatorum*: non per inſidias, aut per occultas fraudes, ſed per ea, quæ palam erant, & in oculis ſolis hujus, per crucem, quā Diabolus procuraverat. Sic ait Paulus Coloſſen. 2. 15. *Spolians Principatus, & Poteſtates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in ſemet ipſo.* ubi eleganter Chryſoſt. Hom. 7. *Confidenter, palam, & ſecure mortuus eſt. Nihil enim Diabolus intentatum reliquit, ut aliquo pacto hominibus perſuadere poſſet, non eſſe mortuum Chriſtum. Et publice quidem videntibus omnibus mortuus eſt, verū non publice reſurrexit, ſciens futurum tempus veritati teſtimoniū allaturum. Præclarum enim eſt, quod inſpectore mundo, ſurſum in ligno ſerpens ille immolabatur. Nam quid non fecit Diabolus, quo occulte moreretur, &c.* Hanc igitur confuſionem recuſabat Diabolus, hic timebat, ne *in ſuis ipſius oculis caperetur*, & inſpiciente mundo, a Chriſto moriente triumpharetur. Illud etiam ad ingentem ignominiā pertinet, quod in *oculis ſuis captus ſit*, id eſt, ut ait Philippus, *In ipſo intelligentiæ lumine, nam per calliditatem ſuam captus eſt, dum non videt, &c.*

Nicetas.

Diabolus obſervans cū invidia juſtum.

Chryſoſt.

Angeli oculi nobis proſpicientes.

Diabolus captus a Chriſto videte, & corā omnibus vidētibus.

Chryſoſt.

Cur Chriſtus publice moriens, non in publico reſurrexerit.

Philipp.

Tum præterea captus eſt Dæmō, cum abſorbuerat hujus ſæculi flumen: *Cum dilatavit infernus animā ſuā, & ipſe quaſi mors & nō adimpletur, & congregavit ad ſe omnes gentes, & coacervavit ad ſe omnes populos.* Tunc, inquam, captus eſt, & illius captivi victoriam Chriſti, & Dæmonis ignominiam cecinerunt; *Numquid non omnes iſti parabolam ſument, & loquelam ænigmatum ejus?* & inferius; *Quia tu ſpoliaſti gētes multas, ſpoliabunt te omnes, qui reliqui fuerint de populis.* Tum illud; *Væ qui prædaris, nonne, & ipſe prædaberis, cum conſummaveris deprædationem deprædaberis; cum fatigatus deſieris contemnere, contemneris.* 2

Abac. 2.

Iſai. 33. 1.

Hami autem allegoriam, id eſt, Divinitatis veſtitæ humanitate, eleganter proſequitur Gregorius, de *vinculis* etiam, quibus alligatus eſt Diabolus, quod ſonat vox Hebrea, vide Auguſtinū ſuper Pſ. 67. 3

Hamus, & vincula allegorice, quid.

Illud autē, quod dicitur, *Perforabis nares ejus; Diaboli naſum* Olympiodorus interpretatur, Licentiam calumniandi, irridendi, contēnendi, maledicendi. & eleganter quidem, nam hic videbatur, ut ille 4

Olympiodor.

alius dixit, *Populum humanũ naso suspendere adunco*. Contortas igitur,& irridêtes hujus belluę nares obtrivit Deus. Ait vero Olympiodorus,a bobus sumptam trãslationem, *quorũ nares perfodiuntur, ut ita ducantur facilius*. Gregorius in *Naribus* sagacissimas insidias intelligit; quas multo acutioribus sensibus,atque verbis tũ suis, tum suorum justorũ Christus perforat, & transfigit. Atque hæc est etiam vulgata *narium* significatio;sicut & illa alia pro furore,& indignatione,quæ naso tumet, & fumat. Compressæ igitur sunt Diaboli nares longissimæ, & vel amputatę,vel simæ redditę.quorum utrumque turpe est, atq; ignominiosum.

Olympiod. Diaboli nas. *Horatius.* *Gregorius.*

Diaboli nares compræssæ.

Vtriusq; expositionis judicium;& indicatio novæ duplicis allegorię.

1. *Expositio de Elephãto,nomine* Behemoth,*simplex,& litteralis. Allegoria de Diabolo, incerta, & dura.*
2. *Nova allegoria ratio cõponendo corpus Behemoth ex vitiis,& sceleribus,tanquam ex membris.*
3. *Diaboli membra, improbi, & illorum varietates, & rationes diversa.*

1 PRomovimus,quoad fieri potuit,utrãque exponendi rationem de Elephanto,& de Diabolo. Nunc inspicienti, atq; legenti facile est judicare,utra ipsis sentẽtiis,atque verbis lenius,simpliciusque cõveniat. Ego simplicem, germanam,litteralem censeo illã, quæ de Elephanto est.

Precedens expositio de Elephanto, litteralis.

At,inquis,illa,quę de Diabolo est,licet allegorica,erit tamẽ certa,& indubitata? Respondeo nihil nunc certi apud Interpretes haberi,nã D.Thomas,& Nicolaus cum Dionysio,quasdã sententias de solo Elephanto accipiunt, quasdam de solo Diabolo:videntur itaq; frequentibus faltibus,& transitionibus uti.Eugubinus vero diserte ait, nulla sibi ratione probari, hujusmodi sensum allegoricum, quippe nulla necessitate cogente. atque illud etiam pro Eugubino facere videtur, quod eodem verborũ tenore proponatur fortitudo,& magnitudo Behemoth,sicut aliorum animantium, quæ quidem nõ proferuntur in malum,sed in bonum; id est,nõ ad specimen malitię,& fraudis, sed ad cõmendationem effectorũ Divinæ Providentiæ,Sapientiæ,Potestatis clarissimorum. Nexus igitur hujus exponẽdi rationis, de Diaboli nequitia,& improbitate,cum reliquis hujus materiæ partibus prædifficilis est,neque unus,aut alter superius a nobis indicatus, omnino videtur simplex,& lenis. Et confirmari hæc res potest; quoniam cum sensus litteralis fundamentum allegorię sit,recteque sibi respondere debeant; nullo modo sibi consentire videbũtur,si cum ea,quæ de Elephanto, aut ulla bellua a Deo creata ad commẽdationem dicuntur,statim ad vituperium. & nequitiam in Diabolo usurpentur. Oportuisset enim malitiam morale Dæmonis, in malitia naturali bestiæ significari; sævitiã, in crudelitate; turpitudinem, in obscenitate; ingluviem, in voracitate; Sicut in astutia serpentis, recte Diaboli calliditas nobis præfigurata est Genes.3. atqui nũc *Behemoth*, non quidem malitia; & sævitia; sed potius magnitudine, mansuetudine quadam, cibi parsimonia, fortitudine ad onera sustinenda,& ad vectiones cõmendatur, tum etiã,& temperantia,atque castimonia. Denique quoniam Interpretes nõ sibi constant in unica allegoriæ ratione; quisque enim singularũ partium atq; membrorum suã affert significationem, suumque symbolum. Atque adeo præter ea, quæ peculiariter nos ad aliorum allegorias adjecimus in sententiis singulis; nunc quoque duas alias hujus allegoriæ rationes idoneas indicabimus.

An expositio allegorica de diabolo sit certa. *D.Thom.* *Nicolaus.* *Dionys.*

Eugubin.

Allegoria de Dæmonis nomine Behemoth incerta, & difficilis.

Prima illa erit,ut sicut partes,& membra Sponsi,atque Sponsæ per allegoriam designantur in Canticis, vel componẽdo corpus mysticũ ex peculiaribus virtutib. Christi Sponsi,atque Ecclesiæ Sponsæ;ut si dicas Providentiã *oculorũ*,sublimes cogitationes *capillorum*,Verecundiam *genarum*,Obedientiam *aurium*, Pulchritudinẽ *sermonis labiorum*,Candorẽ castitatis *eburnei pectoris*; Liberalitatẽ *manuum tornatilium,&c*. Aut secundo,componendo corpus mysticum ex peculiaribus statibus Ecclesiæ; ut si dicas *oculos*, esse Prophetas; *capillos*, Contemplativos;*manus*,vacantes operibus misericordiæ; *labia*, prædicatores; *aures* Obediẽtes; *genas*, Verecundos; *linguam*, Interpretes; *ventrẽ*, Cõjugatos; *pedes*, peregrinos, &c. Ita etiam hãc designationem partium, & membrorũ Behemoth,ita accipiamus,ut cõponamus unicum illius corpus ex sceleribus, & omnibus improbitatis generibus; ideoque appelletur *Behemoth*,id est, bestiæ, quod nihil sit improbũ in bestiis,quod in illo non inveniatur majori cum improbitate; & sicut illi apud Ezechielem Cherubini dicuntur singuli habuisse *similitudinem vultus quatuor animalium*, propter peculiares virtutes, & speciem, quam repræsentabant quorundã animalium: ita nũc Diabolus

2 Allegorica Behemoth tractatio, & illius mẽbrorũ duplex.

Membra Diaboli vitia, aut vitiosi.

Dæmõ continens omnem belluinã improbitatem.

bolus dicatur *bestiæ*, propter improbitatem, quod videatur ex omnibus bestiarũ improbitatibus totus compactus, & obbrutescens. Habet igitur *oculos*, insidiarũ, & invidentiæ: speciem quãdam parsimoniæ, *comedando fœnum*, cum tamen gulosissimus sit, & incredibiliter expetens cupediarum omnium, deliciarũ, *herbarum*, quas *montes ferunt*: est otio diffluens; & somniculosus, ut qui *in umbra dormiat*: voluptatum sęculi consectator, ut qui sectetur *umbras salicũ, & ripas fluminum*: pertinax, & obstinatus in malo, ut qui sit *ossibus æreis*: indefatigabilis in nocendo, ut qui sit *cartilaginibus ferreis*: amator turpitudinis, ut cujus *virtus sit in lumbis, & umbilico*: *Stringẽs caudam cedrinam*, ut qui bona specie, & bono odore tegere velit turpitudinem, & fœditatem suam: totus denique ex fraudibus compositus, ut cujus *nervi testiculorum perplexi sint*.

3 Impii mẽbra Diaboli.

Aut vero possumus cõponere corpus Behemoth ex suis membris, id est, ex multitudine improborum, ideoque appelletur *Bestiæ*, quod corpus Diaboli sint plures bestię, id est, plures improbi; quare neque habet *Behemoth* unicum caput, nã est bellua multorum capitum, terrifica, nullũ enim animal est, cujus caput nõ emineat in Behemoth, sive terrestrium, sive volatilium, aut aquatilium. Sicut enim vulpes Samsonis ad caudas junctę, capitibus divisæ erant; ita omnes improbi capitibus, sensibusque divisi, at in unico Diaboli corpore cõponendo omnes conveniunt. Igitur illius *os bovillum*, nõ nisi selecto, & *mundo fœno* vescens, erunt fastidiosi, & morosi ciborum delicatissimorũ appetitores. *Lumbi* illius, & *umbilicus*, luxuriosi. *Cauda* illius *stricta, quasi cedrus*, sunt ignobiles, & vilissimi quique, superbientes tamen, & insolescentes. *Testiculi perplexi*; homines improbi, qui alios sibi similes generãt, & qui pravo exẽplo aliorũ peccata excusant, quæsitis rationum, quasi *nervorum perplexitatibus*. *Ossa illius ærea*, improbi principes; qui propterea dicuntur esse quasi *fistulæ æris*, vel, ut est in Hebræo, *quasi baculus*, aut, *virga ærea*, quod sint Tyranni sævissimi, sicut Scriptũ est, *Contrivit Dominus baculum impiorum, virgam dominantiũ, cædentem populos indignatione, plaga insanabili, &c.* Sunt præterea *Ossa*, qui alios improbos populares portant, & in improbitate sustinẽt. Illis vero qui adulatoribus ridiculis, mimis, pantomimis, & improbis ministris delectantur, dicuntur *mõtes herbas ferre, & bestiæ ludere*: Molles, otiosi, & deliciosi *in umbra dormiunt*. Luxus, & nimiorũ odoramentorũ amatores, *in secreto calami*. Illi, qui alios, præsertim justos, & sanctos, ad sua facinora alliciunt, dicuntur *absorbere fluvium, & habere fiduciam, quod influat Iordanis in os illorum*. Sed, bone Deus, quam vastum, quam varium pelagus allegoriarum! quæ sicut cum utilitate tractãtur a sanctis Patribus, ita committere non debemus, ut vel nimium in illis immoremur, vel ut illæ, quæ a plurimis, atque frequenter indicãtur, & quas ipsa Scripturarũ Littera exigit, negligenter prætereamus.

Behemoth bestia multorũ capitum.

Isai. 14. 5.

An *Behemoth* descriptus sit sub forma quadrupedis, an serpentis.

1. *Quæstionis, & sententiæ propositio, Behemoth describi sub forma serpentis.*
2. *Præcedentis sententiæ probationes, & indicia. Quædam serpẽtum proprietates. Illustratus Isaias & Ioannes.*
3. *Vera quæstionis solutio, Behemoth esse Belluã quadrupedem. Serpentes potus, & victus exigui. potius gulosi, quam voraces.*
4. *Responsio objectionum. Vera ratio conficiendarum similitudinum, & parabolarum.*

1 SED Neque prætereunda viri prædocti, multę, & recõditæ eruditonis, sententia de *Behemoth*, quam ideo huc usque distuli, quod nisi aliarum interpretationũ ope, integre, & sincere de illa judicare minime possemus, is est Ioannes Bustamantius Camerensis, in suo opere de *Reptilibus vere animãtibus Sacræ Scripturæ*. In quo non pauca ille vere, & sapienter scripsit, quæ intelligo, arbitror, & multa alia, quæ non intelligo. Sed quantum assequi possum, sic ille censet, de *Behemoth*, lib. 4. cap. 12. Primum Behemoth nõ posse esse Elephantum, fere propter rationes illas quas expositioni de Elephanto superius objecimus, & inter exponendum disjecimus. Secundum Behemoth repræsentari tanquam monstrosum quoddam, & fictũ animal, cujus non sit vera natura, licet ad veram Dæmonis naturam, veramque malitiam significandam usurpetur.

Ioan. Camerẽsis sententia de Behemoth.

Tertium *Behemoth*, describi sub forma serpẽtis aut Draconis reptilis, quare quę hoc capite dicuntur minime posse cõvenire in animal quadrupes, sed tantum in serpẽtum multitudinem; ideoque significari nomine plurali *Behemoth*, quasi dicas plurium animantium nexum, & vinculũ, quia multa animantia terrestria adeo sibi hærent, & plicantur, sicut serpentes.

2

Rationes, & indicia, quib' probari videtur, Behemoth esse Serpens.

Serpētum partes.

Probat primo, quia tantum describuntur partes illæ, quæ in serpentibus necessario adsunt, tum etiam, & passiones earundem partium, *Oris, lumborum, umbilici, ventris, caudæ, testiculorum, ossium, cartilaginum, oculorū, narium*. At vero nunquam incidit sermo brachiorū, crurum, manuū, pedum, quibus soli Serpentes destituuntur. & confirmatur, quoniā in Leviathan serpente, eadem ipsa membra subticētur.

Serpentum gula, & libido. *Aristot. Plinius. Aelian.*

Secundo, quoniā duo tantum vitia videntur notari in *Behemoth*, voracitas, & luxuria, & horū tantum duorum vitiorū, instrumēta, aut materia designantur, luxuriæ, in *lumbis, & umbilico*, gulę, in *fœno, & herbis*. Hæc autem duo vitia potissimū vigent in serpentibus, ut Arist. docet lib. 8. de historia anim. c. 7. Plinius lib. 10. c. 62. & cap. 72. Aelianus lib. 9. cap. 1. 5. 11. 12. 13. Vbi sparsim vel gulæ, vel luxuriæ exempla.

Serpētes delectātur locis humentibus.

Tertio, quoniā quod hic dicitur de *Behemoth*, proprium est Draconū, atque serpentum, vel in aquis degere, vel *locis humentibus*, & cœnosis delectari, ut indicatur Apoc. 12. dum ruens Draco minatur *Terræ, & Mari*. & Isai. 15. *Vbi habitabant Dracones*, ut pote in locis humentibus, *oritur viror calami, & junci*. Ps. 70. & Ezech. 29. *Draco habitat in medio fluminū*. Et Esdræ, 2. c. 2. mentio fit *Fontis Draconis*. Oriuntur prętereа ex humida terræ putrefactione, & in convallibus opacis. Plinius lib. 8. c. 59. Aelianus lib. 16. c. 39.

His potissimum cōtendit vir eruditus suam de Behemoth suspicioné confirmare. cum enim plura alia adducat, cap. 13. 14. 15. 16. ac illam potius infirmant, & destruunt.

Quæstionis solutio. Quæ probét, Behemoth esse quadrupedē.

Ego vero neque tam sum morosus antiquitatis admirator, ut quod ab antiquitate, cum auctoritate, & ratione recedit, contemnendum puté: neque tam sum novitatis amator, ut sine auctoritate, & ratione solo novitatis nomine, aliquid mihi probatum velim. quin potius mihi, quod sapientibus omnibus, semper fuit novitas suspecta falsitatis. Censeo itaque descriptum esse *Behemoth*, sub specie belluæ quadrupedis, quasi *bovis*, cruribus, testiculis, cauda instructæ: quippe repugnat serpenti, *umbilicus*, *Ossium prælongorum*, & *cartilaginum* rigidissimarum, instar baculi, aut laminę ferreę, magnitudo, & durities. Tum etiam ratio victus, & pabuli, nam *serpentes* potius *sunt omnivoræ*, ut Aristoteles dixit, quam *Fœni* amantes: neq; tam sunt voraces, & intemperantes, quā cupediarū appetentes, videlicet *vini, sanguinis, succi herbarum*, nā potu exiguo indigent, *& pene nullo cibo vivi asservantur inclusi*, ut Plinius, & Aristoteles locis nuper citatis scribunt. Quam igitur longe a serpētum natura illud, *Ecce absorbebit fluvium*! quam longe ab opportunitate cōterendi, & *conculcandi Draconis*, applicatio *gladii*. Hęc cum videret Camerēsis ingenue fatetur, nullius veri animātis naturam hic describi; quin potius monstrosam, & natura impossibilem. Quanto melius, quanto pulchrius nos, qui veram animantis naturam ab ipso naturæ conditore descriptam designabimus per suas partes! Fuisset enim proculdubio parum idoneum argumentum ex re impossibili ad ostendendam Creatoris potentiam.

Serpentes nō tam voraces, quā gulosi. *Plinius. Aristot.*

Camerens.

Exemplum parum idoneum ductū a re impossibili.

4

Objectioni occurritur.

At, inquis, vera res describitur nimiarū malitia, & spurcitia Dęmonis sub specie tamen impossibilis belluæ. Sed quāto melius, si in vera aliqua bellua, verissima illius nequitia designetur? Illa enim est parabolarum, & similitudinum, atque figurarum congruentissima ars, & ratio, ut ducantur ex rebus veris, possibilibus, familiaribus, ne continuo existimetur impossibile, quod est simile impossibilium.

Vera ratio ducendarū similitudinū, & parabolarum.

Quæ pro se affert Camerensis, tantum ex particularibus procedunt, quare non recte colligitur ex quibusdā indiciis serpentem describi, si illa sint etiam communia quadrupedibus. Cum vero urget, non describi quadrupes, cujus pedes non scribuntur. recurrat ad id, quod de rigidissimis, atque fortissimis crurum ossibus in Elephanto diximus. Sed jam de Leviathan.

Respōsio priorū objectionū.

LEVIATHAN.

XX. *An extrahere poteris Leviathan hamo, & fune ligabis linguam ejus?*

NON Minus per se laboriosa tractatio *Leviathan*, quam *Behemoth*. forte, etiam longior, ut in cujus descriptione, reliquum hujus capitis, tum etiam integrum caput quadragesimum primū insumatur. Sed difficultas *Leviathan*, est paulo mollior reddita in *Behemoth*, quippe sunt totidem, atque persimiles sententiæ de utroque. per partes igitur *res explicanda*, & a nomine incipiendum.

QVAEST[ia]. I.

Quæ nominis, *Leviathan*, significatio, & notio.

1. *Aliorum sententia de nomine Leviathan, & de verbo,* Lavah.
2. *Statuitur primaria, & propria significatio verbi* Lavah. *Fænerator comitatus debitoribus. Sacerdotes comitantes Deum. Illustrati Samuel, & Salomon.*
3. Auferre, coronare, ligare, *ab eadem radice. Illustratus Salomon, & locus Regum.* Luctus, *&* Lamentatores, *quasi comitantes. Explicatus Iob.*
4. *Ratio nominis* Levi.
5. *Vera ratio nominis* Leviathan.

1 Gregorius. Philipp. Hieronym. Beda. D.Thom. לוה

CErtum videtur nomen *Leviathan*, oriri a radice *Lavah*. Rursus Vulgatissima est illa interpretatio *Leviathan*, ut sit, quasi *Additamentum eorum*. Quod Gregorius, Philippus, Hieronymus, Beda, D. Thomas, & posteriores omnes scribunt. Vnde necesse est verbi *Lavah*, significationem esse, addere, adhærere, adjungere, applicare, apponere, copulare. & quidem his modis omnibus vertitur ab Interprete. Sed ne ego iterum a viro docto postuler hujus verbi universum, atque genuinum usum, quem ait se desiderasse in priori tomo, Iob. 5. versic. 8. paucis nūc indicabo. Vertitur sane idē verbum *Auferre*, Eccles. 8. 15. & *Mutuare*, aut mutuum accipere, aut fœnerari, Deuteron. 28. 12. Psal. 39. 21 Proverb. 19. 17. quare ex his significationibus primariam, & propriam nonnulli dicunt esse illam *mutuandi*, aut *accommodandi*, quam præponunt, vel solam agnoscunt Pagninus, Complutenses, Rab. Mardochai, Oleaster, Genes. 49. in notione nominis *Levi*. Alii illam, *adjungendi*, seu *copulandi*, significationem eligunt, ut Ioannes Forsterus. Ego itaque sic censeo, significare illam societatem, vel copulationem aut comitatum, quem ad certum tempus, minores exhibent majoribus vel serviēdo, vel comitando, vel adstando, vel aliquid emolumenti, aut honoris tribuendo. Quare proprie dicemus esse honorificū, & quasi mercenarium comitatum. ad quod omnia hujus verbi significata facile reducūtur; nimirum *fænerari*, aut *mutuare*: nam fœnerator suis debitoribus ad tempus, & pro certo mutui accepti tempore servis utitur; illum supplices comitantur, ut qui fidem, suaque omnia creditoribus adstrinxerint, quoad usque se liberent; sicut de vade dictum est Proverb. 6. 1. *Defixisti apud extraneum manum tuam, illaqueatus es verbis oris tui, & captus propriis sermonibus, temet ipsum libera, quia incidisti in manum proximi tui.* Adde etiam, quod creditores aliquando usi sunt debitoribus tanquam servis, quoad usque *redderent universum debitum*. ut superius diximus; Insuper etiam secum assumebant *fasciculos* Syngrapharum, & aliorum obligationibus onusti, tanquam honorifico instructi comitatu incedebant. Rem hanc perstrinximus superius cap. 31. versicul. 35. Quare cum *Domino*, & cum emente comparatur *fænerator*, & qui repetit debitum, Isai. 24. 2. Hac ratione dicitur de Sacerdotibus, & ministris templi, qui Deum comitantur, & illi adstantes serviunt, quandiu fuerit voluntas Dei; Sicut 1. Reg. 1. 28 dixit Anna de Samuele, quem addicebat ministerio templi, *Ego commodavi eū Domino, cunctis diebus, quibus fuerit accommodatus Domino.* quamvis enim hoc loco *accōmodare*, sit ab alia radice, videlicet *a Saal*, quod est petere; sed eundem sensum habet; *Dedi eum Domino*; cui filium meum debeo, & acceptum refero, serviturum sane, quamdiu ille debitū repetierit. Proprietas eadem Isai. 14. 2. & cap. 56. 6. Ieremiæ, 50. 5. Zachariæ, 2. 11.

Fenerari, auferre, addere, deducere, ligare, ex codē verbo cum analogia.

Pagnin. Complut. R.Mardoch. Oleaster. Forsterus.

2 Propria significatio verbi *Lavah*.

Fœnerator comitatus debitoribus, tāquā servis.

Matth. 18. 44. Isai. 5 & 6.

Sacerdotes comitantur Deū tanquā servi, & famuli.

שאל

Vertitur etiā, *auferre*; Eccles. 8. 15. *Hoc solum secum auferet de labore suo, in diebus vitæ suæ.* quod dicere possumus, *Esto se le puede pegar de su hazieda, mientras viviere.* Id est, lautus victus, & magnificētior cultus corporis poterunt hominem divitem comitari, dum vixerit.

3 *Auferre*, pro adhærere comitanter.

Dicitur præterea de *Corona*, aut ornamento capitis, quod illa pro tempore cōvivii, aut lętissima alia opportunitate comitari soleat hominem, & illius capiti devinciri; Proverbior. 1. 9. *Vt addatur* (copuletur, comitetur honorifice) *Gratia* (Septuaginta, *Corona gratiarum*) *capiti tuo, & torques collo tuo;*

Corona, cur dicatur addita.

LXX.

Dicitur prętererea de loris, aut vinculis, quibus boves jugo alligantur pro tempore, quo culturæ serviunt. 3. Reg. 7. 29. *Subter Leones, & Boves, quasi lora.* ubi alii legunt, *accommodationes, conjunctiones, ornamenta, additamenta*, ex ære pendentia.

Vincula dicūtur additamēta.

Significat præterea *Luctum*; Iob. 3. 8. 2. secundum R. David, & plures alios Hebraizātes, qui legunt pro *Leviathan*, *Parati sunt suscitare luctum suum*: quia Lamētatores, & Lamētatrices pro tempore, quo conducebantur ad lugendum, honorifice comitabantur mortuos.

R.David.

Lamētatores dicuntur copulati.

Deniq; ratio, & significatio hujus verbi redditur a Lia, Gen. 29. 34. cū, postquā peperit 3. filiū dixit, *Nunc quoq; copulabitur*

Ratio nominis Levi. לוה

mihi maritus meus, eo quod pepererim ei tres filios; & idcirco appellavit nomen ejus Levi. a radice *Lava*, quasi dicas, Additus, vel adjunctus. non quidem, ut nonnulli existimarunt, quod ille tertius filius additus fuisset ad duos priores; nam pari ratione potuisset secundus appellari *Levi*, quia additus ad primum; & quartus, quia additus ad tertium, neque quod additus esset, & addictus ipsi matri, quasi in se poti⁹, &

Camerens. lib. 4. c. 6.

non in Deum ordinatus, quod perperam non nemo dixit. Neque, ut Brixianus dixit, quod natus esset ex conjunctione Iacob cum Lia; nam alii filii nõ erant ex separatione nati; sed quod Iacob post tertium filium jam susceptum, frequentius, & familiarius videretur cum Lia fœcunda acturus, ut ipsa dissertis verbis dixit; *Nũc quoque copulabitur mihi maritus meus*, quasi diceret, *De aqui adelante, me ha de hazer mi marido mas compañia*. Licet quidem nomen *Levi*, ex sua etiam proprietate recte convenire possit in officium ipsum tribus Leviticæ, quæ Aaroni summo sacerdoti, & Deo in ministerio templi assistebat, & Dei arcam jugiter comitabatur. quare Elias Thisbites in radice, *Lava*, existimat idẽ esse apud Rabinos, quod *comitari*. quare quod Genes. 12. 20. dicitur de Aegyptiis, *Deduxerant eum, & uxorem illius*; Chaldæus vertit per verbũ *Lava*, *Comitati sunt eum*, nimirum ad breve illud tempus honorifice deducentes.

M Marinus.

Thisbites.

5 לויתן

Vera significatio nominis Leviathan. לוה תנין

Hinc jam deducitur nomen *Leviathan*, Trisyllabum per, j. consonãs, quod ut superius diximus, *additamentum*, aut *societatem*, vel *comitatum* significat. Estque nomen deductum ab hac ipsa radice *Lavah*, quod est copulare, & *Thanin*, id est, serpens, aut Draco, quasi dicat, *Draco copulans sibi*, aut, copulatus aliis, aut habens in se copulationem, & scribitur per *Nun* finale. Nam nugantur, qui scribunt, per *Mem*, componentes ex Levi, & *Ethim*, quasi *Ithim*, id est, *ligones*, quasi dicas sociatum, & devinctum ligonibus, aut aratro. Illud etiam alienum, quod Abulensis Matth. 12. q. 62. interpretatur *Leviathan*, *Sinister in pace*, quod Diabolus sit pacis inimicus. Quam interpretationẽ, unde hauserit Abulensis, omnino ignoratur; nam quod est *sinistrum*, longe est ab alia radice; quod vero est *Satan*, id est, inimicitiæ scribitur per *Tet*, non per *Thav*. Illud vero melius, & subtilius, quod Franciscus Ribera Mich 5. n. 38. existimat vocari *Leviathan*, copulatum, quasi ex multis compositum, quod sicut *Behemoth*, propter vastitatem, videatur esse plura, ita & *Leviathan*, videatur continere copulationẽ plurium. Sed proculdubio, illa significatio *comitandi*, seu *adhærendi* alteri, est magis exacta ad rationem hujus nominis, non solum (ut plerique existimarunt) quod *squamæ illius* sibi mutuo fortissimæ adhęreant; & membra ipsa solidissime se mutuo confirment; sed quod *Leviathan*, copulationem habeat multorum, quibus comitatum, & ornatum incedit; quod vel active, quia *Leviathan* se adjungat aliis; vel passive, quod illum alii comitentur, accipi potest, ut inferius dicemus. In Sacris Libris quinquies legitur hoc nomen; ter nomine originali retento, Iob. 3. 8. & hic, cap. 40. Isai. 27. 1. bis *Draco*, aut *Serpens*, Ps. 73. 14. Ps. 103. 27. Sed quid proprie nomen ipsum designet, jam dicendũ.

Camerens. אתים

Abulensis. שמאל שטן

Franciscus Ribera.

QVÆST^{ia.} II.

Quid rei Leviathan?

6 Commentum de Leviathan *ex 4. Esdræ.*
7. Hebræorum commentum de Leviathan, & convivio ex carnibus salitis Leviathan.
8. Aliorum expositiones minus idoneæ.
9. Duæ potissima interpretandi rationes, & auctores, censura utriusque.

VT Incerta separemus ab indubitatis, rejiciendum statim commentum illud ex quarto libro Esdræ, cap. 6. ubi nomen *Leviathan*, proprie sumitur pro homine quodam, aut pro humana anima; sic enim scribitur in descriptione creationis quintæ diei; *Quinto autem die dixisti septimæ parti terræ, ubi erat aqua congregata, ut procrearet animalia, & tunc conservasti duas animas; nomen uni vocasti Henoch; & nomen secundæ Leviathan, & separasti eam ab alterutro. non enim poterat septima pars, ubi erat aqua congregata, capere ea. Et dedisti Henoch unam partem, quæ siccata est tertio die, ut habitaret in ea, ubi sunt montes mille. Leviathan autem dedisti septimam partem humidam; & servasti eam, ut fiat in devorationem quibus vis, & quando vis.* Quem locum diligenti commentario elucidarre contẽdit doctor Camerensis, & ad veritatẽ adducere; quasi Elias sit *Leviathan*, quod cũ Leviathan significet, additamentum, vel copulationem, Elias vero habuerit nexũ, & additamentum spiritus duplicis, videlicet Prophetię, & Gratiæ miraculorum, merito appellari potuerit, *Leviathan*. Sed cum merum figmentum, & somnium eo loco describatur, cumque disserte asserat ille locus illas duas animas creatas fuisse

6 *Commentum ex lib. 4. Esdræ.*

Camerens. Elias, Leviathan.

ante opus sextæ diei, in quo creatus est Adam, quid poterit esse hujus loci commentarius, nisi quod sit merum commentum?

7 Hebræorum cōmentum.

Proximum est inventum aliud Hebræorum, qui, ut ait Albertus apud Dionysiū, asserunt, *esse serpentem, seu piscem, qui circulo sui corporis totum terræ ambit globum; qui Solem, & radios apprehendere nititur, atque vorare; sicque Solem in circuitu suo semper exagitat fugientem.* Ingēs profecto piscis, ingensque mendacium. quod nō puduit Eliam Thisbitem suo quoque scripto cōfirmare; nā in *Leviathan,* sic scribit; *Dicūt Deum ex illo in futuro sæculo paraturum convivium pro justis.* Rursus in *Iuchna; Invenitur in Agadah, avem esse magnā, quæ vocatur Bar Iuchna, cujus ovum miræ magnitudinis esse dicunt in Massechetb Bechoroth. Etiam audivi, quod Deus tandem in futuro sæculo ex eo justis paraturus sit convivium una cum Leviathan, & Bove.* Ergo Iudæi delicatioribus cibis, & convivio illi, in quo *justi recumbent cum Abrahā, Isaac, & Iacob in regno Cælorum,* libenter renuntiant, dū modo illis vesci liceat *Behemoth, Leviathan, Iuchna.* Sed mirum quod velint Iudæi, pisce, & per multa annorū millia desiccato, & salito vesci! nam sic habent in Talmud, ut diserte refert Hieronymus a S. Fide ex Iudæo Christianus, qui fuit medicus Benedicti. 13. circa annum. 1412. lib. 1. contra Iudæos c. 9. *Dicitur in Talmud, Quod animal, illud Behemoth est omnium animalium majus, & quod masculus, & fœmina fuerunt ab initio creati; Vidēs autē Deus, quod si filios genuissēnt, præ illorū magnitudine, & multitudine, totus mūdus esset destructus, castravit masculum, & refrigeravit fœminam; quem custodit, ut det eā justis tempore Messiæ ad comedendum. Item piscium squamas non habentiū accipiunt majorem, quem Leviathan appellant, & dicunt, quod Deus habet ipsum salsum, ut eum det justis in futurum ad comedēdum; in tantū quod hodie multi reperiuntur, qui partem suam hujus Leviathan, quem comedere sperant, multo auro, & argento minime commutēt. & ad veritatem, rationem habent. Ego namque Hieronymus de S. Fide hujus opusculi compilator, non dimitterem pro maxima pecuniæ quantitate partem meam congri, aut lampredæ quā, postquam agnovi Messiam veracem, comedere consuevi.* Rā hanc paulo secus scribit Sixtus Senensis.

Thisbites. יוכנה Iudæorum cōvivium, & deliciæ. Hieronymus a S. Fide. Sixtus Senens.

8 Dionys. R. Moyses Aegyptius.

Tertio tamen paulo Cordatiores alii, quos nominat Dionysius, videlicet Moyses Aegyptius, Abrahā Hispalensis, Isaac, & Iacob Alkindi, per *Leviathan* intellexerunt *malitiam privationis infusam in totam materiam.* Sed qua ratione *materiæ* convenire possint, quæ de Leviathan scribun- hoc loco, nemo videt, præter illos oculatissimos viros.

R. Abrahā, & alii Hebræi.

9 Albert. Duplex potissima interpretandi ratio.

Quarto, similis est subtilitas Alberti, qui per *Leviathan,* intelligit partem hominis sensitivam, & veneno Diaboli corruptā. Sed quā apte & nomen, & proprietates Leviathan cadere possint in partē hominis sensitivam, & animalem, dicat Albertus.

Iam totum pōdus hujus loci atque interpretationis in duas potissimum interpretandi rationes incumbit, similes omnino illarū, quas protulimus in *Behemoth;* Altera asserit describi hoc loco veram aliquā serpentis, aut piscis vastissimi naturam ad Divinæ Potentiæ commendationem; auctores iidem omnino, qui in Behemoth. Probari vero existimant non melius, neque efficacius, quā si partes singulas in veram serpentis Marini, aut Ceti historiam interpretentur, quare non nisi allegorice tractionem hāc de Diabolo accipiendam. Quod præter recentiores illos, quos superius adduximus, videtur docere Theodoretus super Psal. 103. ubi expressis verbis ait, allegorice dici de Diabolo, primario vero *de Ceto, & Dracone marino.* Idem sensisse videtur D. Thomas; & Nicolaus.

Prior interpretatio de Ceto. Theodoret. D. Thom. Nicolaus.

Alii vero in ipso primario, & litterali sensu existimant describi Diabolum, & præter illos, quos superius nominavimus in *Behemoth,* docet idem in Leviathan, Isidorus lib. 8. Ethimol. in cap. de Diis gentium, Abulensis super Matth. 12. q. 62. ubi ait, *Leviathan aliquando esse commune nomen Diaboli; aliquando vero nomē peculiare Principis Dæmoniorum,* propterea quod asseratur a Iobo *esse Rex super omnes filios superbiæ.* Indicat idem Franciscus Ribera Micheæ. 5. n. 38. mordicus asserit Leo Castrēsis super id Isai. 27. *Visitabit Dñs super Leviathā, &c.* Probāt potissimū ex eo, quod nō videatur neq; Ceto, neq; ulli belluæ cōvenire *preces, pactū, & fœdus, cordis durities, timor Angelorum, & potestas Regia super filios superbiæ.* quare ad naturā intellectualem videntur referenda. Sed videtur sane idem in hac sententiarum dissensione cēsendum, quod in *Behemoth;* simplicem, & primum explicatum de vera alicujus animantis natura accipiendum esse: secundum, & allegoricum, ad Diabolū referēdum; cujus proprietates, & peculiares notæ; quoniam prælonga oratione describuntur, ne bis cogamur caput cum dimi-

Secunda interpretatio de Diabolo. D. Isidorus. Abulens. Franciscus Ribera. Leo de Castro. Quæstionis solutio.

dio ſemel, & iteru retractare, in ſingulis ſententiis hiſtoriam ſimul, & allegoriam indicabimus; Si tamen prius quæſtioni ſatisfecerimus.

QVAESTio. III.

Quod genus animantis per Leviathan deſignetur, terreſtris, an marini?

10. *Sententia aliena, Leviathan eſſe ſerpentem terreſtrem.*
11. *Probationes ſententiæ præcedentis ex magnitudine, immanitate, ſquamis, fulgore ſerpentum Montanorum, ex incerta habitatione in mari, aut in terra.*
12. *Vera ſententia, Leviathan eſſe belluam marinam.*
13. *Reſponſio priorum objectionum. Serpentis nomen tam de marino, quam de terreſtri. Thinni nomen Latinum, unde.*
14. *Diaboli aſtutiam repræſentat ſerpens terreſtris, magnitudinem marinus.*

10 *Camerenſ.* IOannes Camerenſis lib. 6. de Animãntibus vere reptilibus, cap. 6. docet *Non leviter illos errare,* qui exiſtiment Leviathan eſſe Draconem Marinum, cum ſit vere ſerpens, & reptile terreſtre, cujus cõjecturas, & ſuſpicionesproponemus, ſimulq; promovebimus, atq; juvabimus. Probat primum Iſai. 27. ubi clare dicitur *Leviathan ſerpens vectis,* id eſt, prælongus, *Tortuoſus,* & orbibus actus, *Teres,* id eſt, hirſutus. Atqui Draco Marinus, & parvus eſt, & minime tortuoſus, ſed potius rigidus, & inflexilis, ſpinis, & aculeis a capite ad caudã horridus. Confirmat hæc teſtimonio Plinii lib. 9. c. 27. Sed hic tantum meminit nominis *Draconis Marini.* & lib. 23. c. 11. Sed hic tantum nominat piſciculum *Dracunculum graculo ſimilem, aculeos in branchiis habentem ad caudam ſpectantes.* Citat præterea Aelianũ lib. 14. c. 11. ſed hoc lib. tantum diſputat de volucribus, & c. 11. de Gryphibus. Forte voluit indicare libr. 11. c. 41. Sed hoc tamen loco ſcribit Aelianus, *Dracones Marinos eſſe magnos, & venuſtos.* Vere tamen aſſerit *infeſtis, & venenatis armatos eſſe aculeis.* Tãdem adducit in confirmationem Ariſtot. de hiſtor. lib. 8. c. 13. Sed hic nihil aliud habet præter *Draconis* piſcis nomen.

Quæ probãt Leviathan eſſe terreſtrem ſerpentem. *Plinius.* *Aelian.* *Ariſtot.*

Secũdo, quoniam licet *Balena,* aut Cetus ſit ex piſcibus majoribus ortu, at cum Leviathan deſcribatur maximus viribus, potentia, & mole, profecto ad terreſtres Dracones pertinet, quibus nullum in omni natura cognoſcitur animal aut vaſtioris molis, aut majoris potentiæ. Vaſtiſsimæ molis exempla Serpẽtum, & Draconum affert Ariſtoteles lib. 8. de hiſtoria, c. 28. & de admirand audit. c. 22. Plinius lib. 8. cap. 12. 13. 14 & lib. 31. cap. 2. apud Troglodytas Arabiæ conterminos. Aelianus lib. 9. c. 9. quod eſt de magnitudine Serpentum, & lib. 15. c. 21. & lib. 16. cap. 39. Gyllius in ſua acceſsione lib. 9. c. 10. in hanc rem congerũt quædã omni admiratione digniſsima, Solinus cap. 43. 53. 55. Philoſtratus lib. 3. de Vita Apollonii. Mela lib. 1. c. 6. Strabo libr. 16. Gyllius lib. 6. c. 3. Paulus Oroſius lib. 4. cap. 8. Hieronymus in Vita Hilarionis, de Dracone *Boa,* appellato, quod boves glutire ſoleat. Ioannes Diaconus, in Gregorii Vita lib. 1. c. 16. Gregorius Turonenſis lib. 10. Hiſtoriæ Gallicæ, cap. 1. Simon Majolus in ſuis diebus Canicularibus, Colloquio 8. Merito ergo dixit Auguſtinus ſuper id Pſ. 148. *Laudate Dominum de terra Dracones, & omnes abyſſi, &c. Dracones circa aquã verſantur, de ſpeluncis procedunt, feruntur in aera, cõcitatur propter eos aer. Magna quædã ſunt animantia Dracones, majora non ſunt ſuper terram. Propterea inde cœpit dicere, Dracones, & omnes abyſſi, ſunt autem ſpeluncæ aquarum latentium, unde flumina, unde fontes procedunt; & omnis iſta humida natura aquarum ſimul cum mari, & iſto infinito aere, abyſſus, vel abyſſi vocantur, ubi vivunt Dracones, & laudant Deum.*

Serpentes, & Dracones terreſtres vaſtiſſimi. *Ariſtotel.* *Plinius.* *Aelian.* *Gyllius.* *Solinus.* *Philoſtrat.* *Mela.* *Strabo.* *Gyllius.* *Hieronym.* *Ioã Diaconus* *Turonenſis.* *Simõ Majolus.* *Auguſt.* *Draconũ natura, magnitudo, habitatio.*

Tertio quoniam, quę de *ſquamis* dicũtur, videlicet eſſe quaſi *ſcuta fuſilia,* conveniunt ſane in terreſtres ſerpentes, nam Gyllius ſuperius adductus ex Poſsidonio refert, *In Macra, loco ſic nuncupato, mortuã ſpectatam fuiſſe ſerpentẽ jugeris longitudine, tanta craſsitudine, ut ex utraque parte adſtantes equites inter ſe intueri nõ poſſent, tamque largo rictu imminuiſſe, inſidentem ut equo hominem exhauriret, ac ſingulas ſquammas Clypeo majores fuiſſe.*

Gyllius. Poſsidonius. *Squammæ ſerpentum.*

Tum illud, quod dicitur verſic. 19. *Nõ fugabit eum vir ſagittarius, &c.* olet id, quod a Plinio lib. 8. c. 14. ſcribitur, *In Punicis bellis ad flumen Bagradam a Regulo Imperatore baliſtis, tormentiſque, ut oppidũ aliquod, expugnata Serpens LXX. pedum longitudinis: pellis ejus, maxillæque, uſque ad bellũ Numantinum duravere in tẽplo;* quod deſcribit quoque Gyllius lib. 6. cap. 3. ſed Luculentius Oroſius lib. 4. c. 8. ubi ſcribit expeditionem Reguli cũ exercitu adverſus Draconẽ, *Ac nihil in ejus tergo profeciſſe jacula, & omnium telorum fuiſſe irritum impetum, quæ per horrẽdam ſquamarum*

Plinius. *Gyllius.* *Oroſius.*

cratem, quaſi per obliquam ſcutorum teſtudinem labebantur.

Serpentes nullā belluam timeat.

Illud præterea, *Factum eſſe, ut nullum timeret*, quoniam ſerpentes Indici adoriũtur, & exhauriunt Elephantē, ut diximus ſuperius in Elephanto; hauriunt ſolidos cervos, taurosque, ut ex Megaſthene refert Plinius, denique *Nullam nationem animalium extimeſcunt, imo Leones, & Vrſos exedunt, & conficiunt*, ut Gyllius in ſua acceſsione, ex Paulo Veneto teſtatur.

Plinius. Gyllius.

Illud etiā, quod de *Luminoſa ſternutatione, & palpebris diluculi, & de ſemita*, quę *poſt eū lucet*, & quod *Omne ſublime*, id eſt, montanum *videat*, videtur eſſe omnino id, quod Philoſtratus deſcribit lib. 3. c. 2. cū de ſerpētibus Mōtanis, & Paluſtribus ſcribit; *Omnis Indiæ regio Draconibus abundat, & multitudine, & magnitudine mirandis. Itaque paludes plenæ ſunt, & montes, neque tumulus ullus iis vacuus reperitur. Sunt etiam alii in radicibus, aut cacuminibus montium habitantes, in majorem porrecti magnitudinem, longitudinemque, & velocius fluminibus, quamvis rapacibus, ferūtur, ita ut ab illis*

Philoſtrat. Serpentū Mōtanorum deſcriptio.

11 *evadere nihil poſsit. Qui coloris ignei ſunt, & in dorſo ſquamis eminentes tanquam ſerrā habent, iis etiam barba adnaſcitur, & altius cervicem attollunt, & eorum ſquamæ inſtar argenti fulgent. Oculorum autem pupillæ lapides ſunt, tanquam ignis fulgētes. Montani vero Dracones ſquamas habent coloris fulvi. Longitudine autem excedunt campeſtres, barbaque illis eſt ſetoſa, & ipſa coloris aurei. Supercilia vero profundiora habent, quam campeſtres, oculi autem ſuperciliis ſubſunt torve, graviterque aſpicientes, quibus perinde, ac ſi eſſent ænei reſonant, quandocumque in terra ſerpunt*. Quæ profecto videtur eſſe ipſa facies, & habitus Leviathan.

Serpentes incertæ habitationis.

Quarto quoniam ſi quādo Dracones, aut Serpentes in aquis degere dicantur, intelligi oportet de Draconibus, & Serpētibus vere terreſtribus; qui videtur eſſe incertæ, & ancipitis naturæ, & modo aquas incolentes; ut fere omnes ſcribūt, qui de Draconibus, & Serpentibus ſcribunt, atque adeo Plinius lib. 8. c. 13. ſcribit, *Apud Aethiopes in maritimis Dracones quaternos, quinosque inter ſe cratū modo implexos, erectis capitibus velificantes ad meliora pabula Arabiæ vehi fluctibus*. Opportune ergo dictum eſt, cum ruebat *Draco magnus* præcipitatus de Cælo; *Væ Terræ, & Mari*, quod ſoleant Dracones, & Terras, & Maria infeſtare.

Plinius. Apoc. 12. 12.

Denique, quoniam ſi aſſeratur Leviathan deſcribi ſub ſpecie, & forma Draconis terreſtris, multo commodius, & familiarius repræſentabit Diabolum, qui figurā, & ſpeciem terreſtis ſerpentis aliquando ſumpſit, & nunquam non illam amat, ut elegāter ſcripſit Auguſtinus 11. de Geneſ. ad litteram, c. 28. quam ſi aſſeramus deſcribi ſub figura Draconis marini, id eſt, Ceti, aut alicujus vaſtiſsimi piſcis.

12 Sed proculdubio conſtans, & indubitatum eſt apud univerſos Interpres Hebræos, Græcos, Latinos, *Leviathan* eſſe vaſtiſsimum piſcem, quem vocant Draconem marinū, ut deinceps explicabimus. Ratio vero congruentię eſt valde efficax; ut poſtquam animal terreſtre vaſtiſsimū propoſuit, nunc item proponat vaſtiſsimam belluam marinam, ut ex natura omni colligat id, quod magis mirandum ſit.

Vera acceptio Leviathā, pro bellua Marina.

13 Tantum hæc res indiget reſponſione priorum objectionum. Ad primam, cum dicimus Leviathan eſſe Draconem marinum, non loquimur de illo piſciculo, quē peculiari nomine *Draconem*, aut *Dracunculum* vocāt, ſed de vaſtiſsima bellua marina propter figuram, propter immanitatem, propter vaſtitatem, propter habitationem regionis humidæ, ſimilem ſerpētum terreſtrium. Et potiſsimū in illo loco Iſai. 27. proculdubio ſermo eſt de vaſtiſsimo piſce; nam poſtquam nominavit *Leviathan Serpentem vectem, tortuoſum*, per expoſitionem additur, *Occidet cetum, qui in Mari eſt*. Et vero quod ad nomen *Serpentis* attinet, quamvis apud Latinos Serpētis nomen potius in terreſtres, quam in aquatiles conveniat, tamē in uſu Sacri ſermonis, præſertim ubi ſubeſt vox originalis, *Thanin*, tum ad terreſtres, tū ad aquatiles ſerpentes accommodatur, Ad terreſtres, Exod. 4. & Exod. 7. 11. 12. Deuter. 32. 33. Pſal. 43. 20. Ierem. 10. Ierem. 9. 11. & c. 10. 22. c. 49. 33. c. 51. 37. Iſai. 34. 13. Threnorum 4. 13. At vero de marino, id eſt, de Ceto, Geneſ. 1. 21. Iſai. 27. 1. Iſai. 51. 9. Iob. 7. 12. Ezech. 29. 3. Ezech. 32. 2. Pſ. 74. 13. quibus locis nunc vertitur *Cetus*, nunc, *Draco, qui eſt in mari*, vel *in flumine*: & ſemper ſubeſt vox originalis *Thanin*; ex qua forte ducta eſt vox Latina Thinnus: quamquam non videatur ſignificare Thinnū, ſed potius Cetum, aut maximam belluam marinam, quam inferius deſcribemus. Vide, quæ diximus c. 7. verſic. 12. ſuper id, *Numquid ego Cetus ſum, aut mare*.

Reſpōſio priorū objectionū

Serpentis nomen nō potius in terreſtres, quā in marinos cōveniēs.

Nomē Latinū Thinni.

Ad ſecundam, quamvis Draconum magnitudo illa ſit, tamen non minus miranda Cetorum vaſtitas, ut dicemus.

Ad tertiā, quamvis illæ peculiares notæ conveniant Draconibus terreſtribus,

at cen-

at censendum est de omnibus simul, ut integra descriptio uni, & eidem belluæ tribuatur.

Terrestres serpētes in aqua etiam, aquatiles nunquam in terræ.

Ad quartam, Terrestres quidem serpētes aliquando etiā in aquis degere, & nare possunt; sed non ideo aquatiles sunt. at vero e contrario Ceti, & serpētes marini nusquam in terra vivunt, de quibus nunc loquimur.

Diaboli astutia sub figura serpentis.

Ad ultimum, Diabolus cōmode repræsentatur sub specie, & tipo cujuslibet immanis belluæ sive terrestris, sive marinæ; & quamvis ea sit familiarissima Diaboli figura, nimirū *Serpens, super pectus gradiens & terram comedēs: omnibus diebus vitæ suæ*: at tunc non repræsentatur sub vastissima mole, sicut cum repræsentatur sub figura Ceti, & sub figura Elephanti, quod in his descriptionibus potissimū attenditur, ad Divinæ magnitudinis, & potentiæ commendationem. His jam expediti facilius singulas sententias percurremus, si tamen propius, quod piscis genus sit Leviathā, contemplemur.

Magnitudo sub figura Ceti.

QVÆSTio IIII.

An *Leviathan* sit genus peculiare piscis, an etiā singularis animans.

14. Duplex aliorum sententia.
15. Tres pro veritate assertiones. Illustratus locus Ezechielis, Monstra Maris Indici.
16. Leviathan videtur peculiare genus Cetorū. Quæ in eo genere magnitudine excellant, & in Mari Indico.

14 QVamvis, quæ prima quæstione statuimus, postulari nunc videbantur, at quod illa manifeste falsa essent, & aperta mēdacia Hebræorū extra cōtroversiā, oportuit statim rejici, iis servatis, quæ verisimilitudine aliqua alicujus animū permovere possent.

Primæ dubitationis propositio. *Camerens.*

Prima ergo dubitatio, An Leviathā significet singularem animantem. Partem asserentem indicavit Ioannes Camerēsis libr. 6. de Reptilibus Sacris c. 6. ad finem. Nimirū *fuisse Draconē monstrosum, amplitudine immensum, ut fuere Gigātes in natura hominum, non secus increvisse illū ultra leges naturæ, & fuisse Giganteum in eo genere animans.* Proxima est Montani sententia in eo opere, quod nunc recens editū inscribitur, *Naturæ historia*, c. 219. quod est de Cetis, & Draconibus, cum de *Thaninim*, disputat. Ac ne quis existimet homini de-

Montanus

cto me velle affingere aliquid, quod indecens sit, adscribam illius verba, *Maximus in hac Draconum natura Leviathan est, singularis animans, diuturnæque vitæ, idemque perpetuæ, constantisque Providentiæ testis, & index, qui longo servatus tempore, aliquando iis piscium generibus, quibus ipse pascitur, convivium (Deo instruente) sui corporis præbebit. Interim vero in aquis ludit, & iis, qui se vel expectarant, vel cognoverūt, exemplorum, & similitudinum, carminum, atque etiam jocorū argumenta, ac materiam sufficit, S.S.E. Draco iste, quem formasti ad illudēdum ei, sive ad ludendum in eo. Et, An extrahere poteris Leviathan hamo? Ecce spes ejus frustrabitur eū, & videntibus cunctis præcipitabitur. Et ex translatione concinens Psaltes, Tu contribulasti capita Leviathan, &c. In die illa visitabit Dominus in gladio suo duro, & grandi, & forti, super Leviathan. Atque de hoc ipso monstro ita Esdras commentatus fertur, Leviathā autem dedisti septimam partem humidam, & servasti eum, ut fiat in devorationem quibus vis, & quando vis.*

Psal. 103. Iob 40.

Psal. 74.

Isai 27.

Ego primum censeo, Non fuisse Leviathan *singularem animantem*, quoniam universa hæc naturæ descriptio non tam ex monstrosis, & inconsuetis constat, quam ex consuetis, & ordinariis effectis, & operibus, in quo perpetua, & constans Conditoris Providentia cernitur. Sicut enim singularia, & mōstra rejiciuntur ab arte, ita sane in ea tractatione de Divinæ Providentiæ lege, universitati creaturarum constituta, commodum locum nō habet. Confirmat rem hanc aliarum animātium tractatio, suarum specierum, Ibicū, Cervarum, Onagri, Equi Struthionis, Accipitris, Elephanti, &c. 15

Leviathā non est singularis aliqua bellua.

Censeo secundum, minus incommodā esse illam Camerensis sententiam, fuisse aliquādo monstrum, de quo tanquam de re vulgarissima apud Arabes, & Husitanos, Deus ad Iob loqueretur, quod in Arabico sinu visum fuisset, nā dum Plinius de aquatilibus scribit lib. 32. c. 1. nominatim scribit, *Mirabilia Maris Rubri, atque ex Iubæ cōmentariis, Cetos sexcentorum pedum longitudinis, & trecentorum sexaginta latitudinis, in flumen Arabiæ intrasse, pinguique ejus negotiatores Camelos perungere, &c.* Et lib. 9. c. 3. sic scribit, *Cadara appellatur Rubri Maris Peninsula ingens, hujus objectu vastus efficitur sinus, 12. dierum, & noctium remigio enavigatus Ptolomæo Regi, quādo nullus auræ recipit afflatū. Hujus loci quiete præcipua ad immobilem magnitudinē belluæ adolescunt.* De Balenis item, & Physeteribus Indici Maris, Strabo lib. 15. Solinus c. 36.

Montani sententia longe alienior, quá Camerensis.

Plinius.

Monstra maris Rubri magnitudinis mirandæ.

Strabo. Solinus.

Tertium cenſeo, illam Montani Hiſtoriam de Leviathan, ſi non ipſam Iudaicã fabulam, quam prima quæſtiuncula rejecimus, at filiam eſſe illius fabulæ, atque a Deo recentiorem, & delicatiorem fabellam. Multa hujus rei indicia. Primũ, quod ex hujus Leviathã carnibus dicatur Deus aliquando inſtructurus conviviũ aliis piſcibus. An hoc eſt illud convivium Iudęorum, in quo apponendæ carnes ſalitæ Leviathan, & Behemoth? vel unde hoc convivium didicit Montanus? nam ipſe nullũ pro eo teſtimonium affert. At ſcio unde, puduit Rabinos proferre. Sed in gratiam viri docti, deſignemus locum Ezechię 29. ubi Deus inſtruit convivium ex carnibus Draconis, *Ecce ego ad te, Pharao Rex Aegypti* (alluditur, inquis, ad verum aliquem Draconem, Leviathan) *Draco magne, qui cubai in medio fluminum tuorum, &c. Extrahã te de medio fluminũ, & univerſi piſces tui ſquamis tuis adhærebunt: & projiciam te in deſertum, & omnes piſces fluminis tui: ſuper faciem terræ cades, non colligeris, neque congregaberis: beſtiis terræ, & volatilibus Cœli dedi te ad devorandum.* Sed hoc loco piſces alii ſimul cum Leviathan extrahuntur e Mari; & beſtiis, & avibus conceduntur. At, inquis, diſſerte, locis adductis, minatur Deus Leviathan, interitum, præcipitium, gladium. Sane, ſed ſi de piſce intelligas, ſignificat nihil eſſe, quod ſuæ potentiæ facile nõ ſubjiciatur, & cujus pervincendi ipſe non deſignet hominibus rationem, & induſtriam. Si de potẽtiſsimo aliquo Tyranno, ſignificat ſe facile etiam omnem creatam potentiam, & Tyrannidem comprimere. Nihil igitur Sacrũ eſt, quod Montani ſententiæ faveat.

Draconi, & Leviathan Deus minans interitum, quid ſignificet.

Secundum illius fabellæ indiciũ, quod utatur ad confirmationem loco illo ex 4. Eſdræ. quod, ut ſuperius vidimus, merũ eſt figmentum.

Tertium, quod indicet hanc ſingularẽ animantem vivere adhuc, & diuturnæ vitæ eſſe, ut perpetuæ, conſtantiſque Providentiæ teſtis ſit. Quis non rideat unicũ animal tot annorum millia vixiſſe? & deliteſcere adhuc potuit, ut nullum ſui documentũ præberet navigantibus? Reſpõdet tacite Montanus, *Paucis, qui illum ſpectarunt, & cognoverunt, materiam jocorum, & luſus præbuiſſe.* Si hoc de Davide, & Iſaia intelligat, perperã intelligit, illi enim non per jocum de Leviathan loquuntur, ſed ſerio, ſed graviter, & cum ingenti admiratione Divinæ Potentiæ. Si de ſe ipſo intelligat, fateor jocari, & ludere.

Nõ poteſt eſſe Leviathan vitę perpetuę.

Montanus.

Sed nũquid Leviathan deſignat peculiare aliquod genus Cetorum? Sic aſſerit Philippus, *Videri, inquit, poteſt, quod horrẽdum, neſcio quod, genus Draconum ſit, quod Leviathan dicitur, cujus malitiæ ac potentiæ congrue Diabolus coaptetur.*

Secundæ dubitationis propoſitio. Philipp.

Mihi non dubium, quin genus belluæ marinæ deſignetur immaniſsimæ, & vaſtiſsimæ. Sed, ut Dialectice loquar, an genus commune, & ſubalternum Cetorum, an ſpeciem infimam, mihi nõ liquet. Illud veroſimili⁹, quod genus Cetaceum ſignificetur, ſub quo plures formæ, & ſpecies belluarũ immẽſæ magnitudinis, Balena Priſtis, Miſticetus, Thinni, Phyſiteres, Dracones. *Maximũ animal in Indico Mari Priſtis, & Balena eſt,* inquit Plinius. Rurſus, *Priſtes ducenûm cubitorum* de Cetis nuper dicebamus. Aelianus quoque lib. 10. cap. 2. de Cetis, ſub eo genere plures belluas commemorat, *Eximia, inquit, magnitudine exiſtimantur, Leo, Libella, Pardalis, Phiſeter, Priſtis, Maltha bellua inexpugnabilis, Aries, vel ipſo aſpectu infeſtiſsimus, & periculoſiſsimus: procul enim licet compareat, Maris procellas, & tẽpeſtates ciet, & agitat.* Nos vero frequẽtiſsime, Balenæ, aut Ceti nomine, tanquam cõmuniſsimo, & generali utemur. quamquã quę de aliis Cetacei generis belluis dicuntur, in ſermonem adducemus: nam Balenarum, & Cetorũ ſicut nomina, ita magnitudines vulgatiſsimæ ſunt. Quare elegãter Cete deſcripſit Iſidorus lib. 12. c. 6. *Cete ſic dicta ob immanitatem. Sunt enim ingentia genera belluarum, æqualia montium corpore, qualis Cetus excepit Ionam: cujus alvus tantæ magnitudinis fuit, ut inſtar obtineret inferni. Dicente Propheta, Exaudivit me de ventre inferni.* Sed jam ad peculiares ſententias, & proprietates Leviathan.

Leviathã peculiare Cetorum genus.

Maximum animal Indici maris. Plinius libr. 9. cap. 3 4. Aelian.

Iſidorus.

XX. *An extrahere poteris Leviathan hamo, & fune ligabis linguam ejus?*

17. *Balena, vel Ceto cur conveniat nomẽ Leviathã. Illorum magnitudo, & comitatus.*
18. *Lingua cetorum miræ magnitudinis. Deſcriptio Balenæ vaſtiſsimæ.*
19. *Diabolus Terra, Marique immaniſsimus. Adoratus ſub forma piſcis.*
20. *Dagon an fuerit Piſcis. Piſces adorati ab Aſſyriis. Illuſtratus Samuel, & Lucas.*
21. *Cur Diabolus dicatur* Leviathan, & Additamentum.
22. Ligata lingua Diaboli, *præ confuſione. Idola coram Chriſti Evangelio muta.*

INdicatur immanis cetorũ vaſtitas, quibus expiſcandis nulli hami, nulli funes

16 17

ſatis

Cur Balena, vel Cetus appelletur Leviathan.

ſatis eſſe poſsint. Sed primum dicendum, quã opportune Ceti, & Balenę appellari poſsint *Leviathan*, nimirum propter aſſociationem illam, vel comitatum, quem diximus afferri nomine *Leviathan*, quia Cet⁹, vel Balena incedit cum ingenti ornatu, & comitatu oſtreorum, & herbarum, quæ illius cuti adnaſcuntur, ut diximus ſuper id c. 26. verſic. 5. *Ecce Gigantes gemunt ſub aquis, & qui habitant cũ eis*. ubi cum de mirabilibus aliis vicinis, & cohabitatoribus balenarũ dixerimus, nunc recte nomine Leviathã intelligemus comitatum illorum, quæ dixi, oſtrea, conchas, herbaſque marinas enatas. *in cute cubitalis craſsitudinis*, ut Nearchus memorat.

Plinius.

Cetorum, & Balenarũ magnitudo.

Magnitudinem autem Cetorum, & Balenarum eodem loco indicavimus, cum *Gigantes* exponeremus, *qui gemebant ſub aquis*, ubi etiã indicavimus auctores, qui mirabilem Cetorũ magnitudinem, & vaſtitatem univerſi Cetacei generis deſcribũt, in quibus invenies aliquos, inſtar mõtium, aut inſularum ingẽtium. quæ nullũ operę pretium iterum hic referre. Quare merito Plinius dixit, *Maximum animal in Indico Mari Priſtem, & Balenam eſſe*. Rurſuſque, *plurima, & magna in Indico Mari animalia, e quibus balenæ quaternûm iugerum; Priſtes ducenûm cubitorum*. Hæc igitur forte illa ſunt, quæ Aelianus lib. 10 cap. 1. ancipitis, & dubiæ habitationis facit, *Sedes*, inquit, *& commoratio Balenæ, eſt Pelagus: in ſiccum egreditur, ubi a ſolis radiis caleſcit*. Rurſuſque cap. 3. ubi de cetis Taprobanæ inſulæ; *In eodem*, inquit, *Mari belluas in utraque ſede vivere audio, & nocte ſegetes, & herbas depaſci, caſdemque cum jam incipit diluceſcere, in Mare abdi*.

Plinius libr. 9. cap.

Aelian.

18 Quod deinde additur, *Et fune ligabis linguam ejus*, eſt expoſitio præcedentis: cum enim *Hamo capiuntur piſces*, lingua, & ore infigitur hamus pendens fune, quod eſt vinculi genus, quare verbum *ligandi*, proprie eſt, *immergere*, aut *abſorbere*, quod elegãter convenit cum *hamo*, qui abſorbetur, immergitur in os, & in linguam piſcis, cum profunde in illam infigitur. Sed indicat pręterea linguam Cetorum ingẽtẽ eſſe, cujus rei meminit Olaus magnus lib. 21. c. 9. dum teſtatur ſe vidiſſe Anno Domini 1532. *in Aquilonari Mari Piſcẽ lõgum pedes nonaginta, cujus craſsitudo ab imo ventre uſque ad ſummum dorſum eſſet pedum octodecim, oris autem hiatũ patuiſſe tradit ab imo in ſummum recta linea pedes undeviginti; maxillas trium pedum craſsitudine, longas ad duos ſupra viginti pedes, coſtas ſingulas craſsitudine ſeſquipedali, longas ad pedes duodecim*. Adjicit prӕterea, *tres illi fuiſſe in utero ſpecus ingentes, in gutture ſinus triginta, pinnas ſingulas (duæ etenim tantũmodo erant) pedũ quindecim, quas nec quinq; boum juga traxiſſent: linguã ad viginti unũ pedes longã: intervallũ, quod interſit oculis, octodecim: caudæ extremũ patebat pedes unũ, & viginti, ſerratum, carebat hæc bellua dentibus, at in palato obduræ erant ſquamæ*.

שקע

Cetorum lingua permagna.

Deſcriptio belluæ vatiſſimæ.

Allegorice de Diabolo.

19 Nihil immane ſive in Mari, ſive in Terra, quod Diaboli immanitatẽ non repræſentet. Eſt igitur etiam piſcis immaniſsimus, & Maris, id eſt, mundi Tyrannus. Quis enim ignorat mundum hunc Mare concitatiſsimum eſſe? Vide Auguſtinum ſuper id Pſal. 103. *Draco iſte, quem formaſti, &c.* Et Doctores alios ſuper id Matt. 12. *Sagenæ miſſæ in Mare*: Tum, & ſuper id Ezech. 47. ubi agit de Mari mortuo, & de *aquis viventibus Maris magni*. Quia vero Diabolus eſt, ſive Serpẽs in terra, ſive Cetus in Mari; dictum eſt; *Væ terræ, & Mari, quia deſcendit Diabolus ad vos, habens irã magnam*. In cujus etiam ſignificationẽ aſſimilatur Pharao ſimul animali terreſtri, & belluæ marinæ, Ezech. 32. 2. *Leoni gentiũ aſsimilatus es, & Draconi, qui eſt in Mari*. quare voluit ipſe non ſolum ſub ſpecie quadrupedũ, & beſtiarum omniũ adorari, & coli; ſed peculiariter etiam ſub ſpecie ſerpentum, & piſcium, ut indicatur, Deuter. 4. 16. *Non vidiſtis aliquando ſimilitudinẽ in die, qua loquutus eſt vobis Dominus in Horeb, ne forte faciatis vobis ſculptam imaginem maſculi, vel fœminæ; ſimilitudinẽ omnium jumentorum, quæ ſunt ſuper terrã, vel avium ſub Cælo volãtium, atque reptiliũ, quæ moventur in terra; ſive piſcium, qui ſub terra morañtur in aquis*. Quare Dagon ille a Philiſthæis cultus, interne piſcis erat, ut eruditi obſervant, ſuperne vero facie, & manibus hominis; quamvis Lyranus ex Hebræorum ſententia aſſerat, caput habuiſſe piſcis. Nã *Daga*, piſcem ſignificat; aut ut alii volunt *piſcari*, & multiplicari; quod piſciũ generi peculiariter convenit. Quod ſi corruit, manſitque *truncus Dagon ante arcam Dei*, non dubiũ quin illũ Chriſtus Ieſus qui in arca illa figurabatur, *extraxerit hamo*, & Tyrannum hujus magni Maris foras ejecerit, atque idololatriam confregerit, ut ſtatim exponemus. Huc etiã aliqui pertinere exiſtimant, quod *Dæmonium* illud *mutũ* eſſet, mutumque redderet hominem, quod Chriſtus Ieſus ejecit, Luc. 11. ut deſignaret illũ eſſe, quem

Diabolus terra, mariq; immaniſsimus.

Mũdus, mare.

Auguſtin.

Apoc. 12.

Dæmon adoratus ſub forma piſcium.

20

Dagon interne piſcis.

Guevara, & Habacuc. Lyran. 1. Reg.

דגה

1. Reg. 5. 5.

ſub figura piſcis Aſſyrii colebant, nã muti ſilentii Symbolum eſt piſcis. Ab Aſſyriis vero non ſolum Dagon, ſed alii etiam piſces colebãtur; ſcribit enim Xenophon lib. 1. de Cyri expeditione, *Chalon amnis magnis, ac manſuetis piſcibus refertiſsimus eſt, quos Syri Sacroſanctos habent, eoſque violare, æque ac columbas, nefas putant.* Rem eãdem teſtantur Cicero lib. 3r. de natura Deorũ Diodor. lib. 3. cap. 2.

Symbolum ſilentii, Piſcis. Piſces culti ab Aſſyriis. *Xenophon.* *Cicero.* *Diodorus.*

21 Cum igitur Diabolus piſcis figuram amet, & piſcis haberi voluerit, præſertim apud nationes illas Arabiæ conterminas, nõ dubium, quin vaſtiſsima bellua, & maximus Cetus eſſe voluerit, cujus nimirum cuti adhæreſcant oſtrea, & alii piſciculi minores, adnaſcanturque herbæ marinę, propterea; merito appelletur *Leviathã*, Additamẽtum, Copulatum, Comitatus. Sic de illo ſub figura Ceti, & ſub perſona Pharaonis Scriptum eſt Ezech. 29. *Ecce ego ad te, Draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, & dicis, Meus eſt fluvius, & ego feci memet ipſum. Et ponam frænum* (circulum hamum, inſtrumentum recurvum) *in maxillis tuis; & agglutinabo piſces fluminum tuorum ſquamis tuis* (Ecce Leviathan agglutinationem, aſſociationem, copulationem) *& extraham te de medio fluminum tuorum, & univerſi piſces tui ſquamis tuis adhærebunt.* q. d. Qui tuis viribus nitebãtur; & ſub tua umbra ſecuri quieſcebant, & quos tuo robore ſuſtinebas, idem tecum diſcrimen ſubibunt. Quod idem eſt cũ illo, licet ſub alia Metaphora apud Danielẽ 4. 8. ubi deſcribitur copulatio, & comitatus *Leviathan*, ſub ſpecie *Arboris, in cujus ramis converſabantur volucres Cæli, & ſubterrã habitabant animalia, & beſtiæ.* Iſte igitur dicitur *Leviathan*, id eſt, *Additamẽtum eorum*, ut veteres Patres interpretantur. Rogat autem Iſidorus lib. 8. Etymologiarum c. de *De diis gentium*; *Quorum ſit additamentum?* Reſpondet vero, *Quorum, niſi hominũ, quibus in paradiſo ſemel per culpam prævaricationis intulit mortem: & hanc uſque ad æternam mortem quotidie perſuadẽdo adducit, vel extendit?* Eadem fere ſcripſit Gregorius, addidit vero etiã hanc nominis Leviathan rationem; *Vt per irriſionẽ dicatur, Additamentum hominũ, primo quippe homini perſuaſione callida divinitatem addíturum ſe perhibuit, ſed immortalitatẽ tulit.* Interpretatur ergo, *Additamentum*, active, quod ipſe nobis addiderit mortẽ. Philippus vero, *Quod excedens præſumptionis modum addidit ſibi ſuperbiam, & quaſi ſupra naturæ bonum in tumorem morbo elationis excrevit.* Sed præſtat, ut active ſimul, & paſſive interpretemur; quod ipſe *Leviathan*, habeat *additamentum*, & acceſsionem eorum omnium, quorum ipſe eſt caput; & quę, tãquam ſua membra, ſibi concorporat; & quos ſuos Angelos efficit, ſive illi ſint homines, ſive Angeli; quos etiam, ut piſciculos, ſuis ſquamis agglutinat, & ſuis brãchiis excipit, pro qualitate vitiorum, ut Hieronymus eo locõ Ezechielis interpretatur; *Per totum corpus Draconis vel capiti, vel ventri, vel caudæ, & extremis partibus adhærentes: ut extracto Dracone, piſces quoque, qui adhærent ei, pariter extrahantur, ut ipſi vincti cũ Dracone unũ cũ eo corpus efficiant, & copulentur ei vel in erroris conſortio, vel in pœnæ ſimilitudine, quomodo qui adhæret Domino, unus ſpiritus eſt.*

Diabolus Cetus, & Leviathan. Comitatus, & aſſociatio Diaboli. Interpretatio nominis Leviathan. *Iſidorus.* *Gregor.* *Philipp.* *Hieronym.* *1. Corint. 6.*

22 Illud, quod additur de *fune*, quo *lingua ligatur*, ad ſagenam refert Philippus, neque omnino incommode; cum rete, aut ſagena contexatur ex funibus. Sed quid per *ſagenam*, quid per *funes*, intelligatur elegãter Gregorius, & Philippus hic, Hieronymus ſuper Ezech. 29. Cyprianus in expoſitione Symmboli docet. Fere enim intelligunt idem, quod per *Hamum*, id eſt, Dei Filium ex duplici natura Divina occulta, & humana manifeſta. Vel etiam Evangelii prædicationem, qua eductus eſt Leviathan de mari, in quo Tyrannidem exercebat.

Philipp. Funis, pro reti, & ſagena. *Gregor.* *Hieronym.* *Cyprian.* Hamus, & ſagena, qua captus eſt Diabolus, Chriſtus, vel Evangelium.

Sed quid illud de *lingua?* pertinet ne ad Diaboli confuſionẽ, cujus os obſtructum eſt, cum *ejectus foras*, deductus eſt cũ rubore ad Inferni tenebras, & *muta facta ſunt labia doloſa?* an vero quod Chriſti voce, & Evangelio perſonante, obmutuerunt idolorum reſponſa, & Dæmonũ Oracula? Imperavit igitur Diabolo garriẽti ſilentium, ligata lingua, & nõ *ſinebat illum loqui*. Vide Euſebium de præparat Evangelii libr. 5. cap. 8. Plutarchum lib. de Oraculorum defectu. Ac vide, quam longe abeat Cajetanus, qui *Ligari Dæmonis linguam*, in contrarium ſenſum interpretatur pro eo, quod eſt, ſuis illius reſponſis, & Oraculis homines ad ſe allicere, & trahere: quod homines ſæpe pacto inito Dæmonũ reſponſa captarent. Alienum, inquam hoc; nam linguam Dæmonis eo modo ad ſe trahere alios, non ſignificabitur, tanquam impoſsibile. De *Hamo* vero allegorice diximus in Elephanto.

Ligata Diaboli lingua quomodo. Idolorum oracula deficientia corã Evangelio. *Plutarch.* *Euſeb.* *Cajetan.*

(5)

XXI. Numquid pones circulum in naribus ejus: aut armilla perforabis maxillam ejus?

1. Hamus. Circulus, Iuncus. Calamus, *unde habeant nomen in Hebræo.* Ramus, *&* Iuncus *pro senibus. Illustratus Isaias.*
2. Armilla, Carduus, Spina, Catena *in quo conveniant in Hebræo, & in Latino sermone, Coacervatio vocum Synonymarum ad asseverationẽ.*
3. *Dæmonis nares, & insidiæ a Christo cõpressæ, frænatæ, transfixæ. Crux Christi, & Clavi, Hami.*

1 SAne expositio est præcedentis, nã *Circulus iu naribus ejus, & armilla in maxillis*, quid aliud est, quam uncinus, aut hamus, vel in lingua, & palato infixus, & per nares eminens, aut adfixus branchiis? Ergo sciẽdũ, quod pro *circulo* in Hebræo est, *Agmon*, cujus radix est incerta, & vel dicitur a *Bagam*, quod est Pelagus, vel stagnum, vel a verbo *Gama*, quod est ingurgitare, vel sorbere; unde descẽdunt *Agmõ*, & *Gome*, quæ significant *juncum*, aut *calamum*, eo quod crescant in aquis, & sint herbæ bibulæ. Quia autem jũcus propter aculeum, & propter flexibilitatem refert speciẽ hami recurvi, ideo vertitur a Vulgato *Circulus*, Isai. 58. 5. *Contorquere, quasi circulũ, caput suum.* quod convenit in Hypocritas, qui recurva cervice, & contorto collo, laudes humanas expiscantur. & similiter Isai. 9. 14. vertit *Disperdet Dominus incurvantem, & refrænantẽ.* Sive, ut alii legunt, *depravantẽ*, quod alii legunt, *Ramũ, & Iuncum*; uterque enim affert *curvitatẽ* quandam, & depravationem a rectitudine; & *frænum* etiã recurvum est. Vbi etiã *Ramus* ingravescens fructu, & *juncus* recurvus forte significant honorabiles senes, qui videntur non minus fructibus operum ante actæ vitæ, quam pectore, & dorso recurvi; ut statim ab ipso Propheta subjũgitur, *Lõgævus, & honorabilis, &c.* Vel intelligit falsos Prophetas, & Hypocritas ementita fructuũ gravitate, & colli curvitate. Hoc igitur loco *circulus* proprie erit *juncus*, & Metaphorice *hamus*. Si proprie sumas, sententia ducetur a more piscatorum, qui solent pisces majusculos junco nares trajicere, ut penduli portari possent. Indicatur igitur vastitas balenarũ, quæ sicut neque hamo capi, ita neque captę possunt trajectis naribus, junco suspendi adunco. Si vero Metaphorice *Hamum* intelligas, expositio erit, & amplificatio sententiæ præcedentis.

Hamus, & circulus unne habeant nomẽ.

אגמון

אגם

Iuncus, & calamus unde dicantur.

גמא

Ramus, & juncus, pro senibus.

2 *Aut armilla perforabis maxillã ejus.* Pro *armilla*, vox est in originali, quæ varie ad modum transfertur, videlicet *Spina*, aut *Carduus*, 4. Reg. 14. 9. 2. Paralipo. 25. 19. Cantic. 2. 2. Proverb. 26. 9. *Circulus* vero, 4. Reg. 19. 28. Isai. 37. 29. & *Catinæ*, 2. Paralip. 33. 11. Ezech. 19. 9. Nunc vero *Armilla*, & Exod 35. 22. & videntur quidem omnia hęc convenire in unica ratione instrumenti alicujus recurvi, & acuti, instar *Spinæ*, vel instar *Hami* incurvi, & acuti, quod etiam referat speciem quandam circulorum, ex quibus catenæ conficiuntur; Tum etiam repræsentet *armillas*, vel *anulos*, aut *fibulas*, vel *uncinos*, quæ sunt ornamenta vestium, quibus alligantur, vel detinentur. Et sane eadem fere horum nominũ cognatio est apud Latinos, nã *Spinas* cum *Hamo* junxit Poeta;

Armilla, spina, carduus, catena, in codẽ nomine convenientes.

חח

Sentibus hamatis implet præcordia. Ovid. 2 Meta.

Rursusque *Hamum* pro Catena dixit;

Levibus huic hamis consertam, auroq; trilicem. Virg. 5. Æn.

Loricam - - - - - -

Ergo hoc loco *Armilla in maxilla*, erit idem, quod *hamus*, quo tanquã *Spina* perforatur, & trãsfigitur brachia piscis. Quare coacervatio hæc vocum fere synonymarum significantium instrumenta piscatoria ad vulnerandos, & capiẽdos pisces, significabit nullum esse instrumenti piscatorii genus, quo maximus Cetus capi possit. *Ni Anzuelos, ni Garfios, ni Cocles, &c.*

Coacervatio vocum Synonymarum.

Indicatur etiam non solũ ejusmodi instrumenta ferrea servire capiendis, & cõfigendis piscibus; sed etiam postquam semel capti sunt, ducendis, & trahendis, & quasi fræno quodam gubernandis; quo etiam videtur pertinere lectio Septuaginta; *Ducet Draconem in hamo, & circumpones capistrum circa nasum ejus; aut ligabis circulum in naribus ejus; & armilla terebrabis labium ejus?* Vbi Theodotio dixit, *Fræno perforabis maxillam ejus?*

Pisces iisdem instrumentis, quibus capiuntur, trahũtur.

LXX.

Theodotion.

Allegorice.

3 Si hæc ad Diabolum referas, videbis solũ Deum illius *Nares* configere, & furorem comprimere; *Cruce* item *sua, & clavis suis*; ut Olympiodorus dixit; *Quasi hamis piscẽ captasse. Clavus vero*, ut Nicetas dixit, *adactus, & circumactus, circulus evadit*, quasi dicat; *Echole sus clavos en la boca, y robte les las puntas. Armilla igitur, & septo*, inquit Nicetas, *ejus labra consuit Christus, ne insolenter glorietur.* Capistro præterea injecto non potest libere carpere, & depascere, quæ vult; fræno coercetur illius impetus; deniq; Christus in *Camo, & fræno illius maxillas constringit, ne approximet ad nos.*

Olympiod.

Nicetas.

Dæmonis superbia, & insidiæ a Christo compressæ.

Psal. 31. 9.

atque

atque illius insidias, & sagacitatem nariũ retundit, & in contrarium convertit, ut dici de illo posset, quod de superbissimo Rapsace Scriptum est, Isai. 37.29. *Cum fureres adversum me, superbia tua ascẽdit in aures meas: ponam ergo circulũ in naribus tuis, & frænum in labiis tuis, & reducã te in viã, per quam venisti.* Vide, quæ superius diximus, *in naribus* Elephanti.

XXII. *Numquid multiplicabit ad te preces, aut loquetur tibi mollia?*

1. Loqui mollia, *cujus proprium. Supplicis, & deprecantis circumloquutio.*
2. *Cetos in tempestatibus ludere. Natura suo Creatori supplicans, & quasi adblandiens.*
3. *Adversarius Christo loquens mollia, non auditur, sed tacere compellitur. Illustratus Lucas.*

1 FEre Interpretes existimãt hãc esse circumloquutionẽ incredibilis fortitudinis Cetorum, qui cum humanã potẽtiam non pertimeant, nemini supplicant neq; blandiuntur. Et quidem supplicẽ se præbere, & *loqui mollia*, aut *dulcia*, inferioris est, & vel precibus obtinere tentantis po- [Loqui mollia, cujus sit proprium.] tentioris misericordiam, ne lædatur; aut allicientis illius gratiam, ut beneficiũ accipiat; vel postquam semel læsus est, damnũ deprecantis. quod videre est in asina Balaam, Num. 22.28.29.30. quæ cum vehementius cæderetur, multiplicavit preces, & loquuta est mollia ad Balaã, *Quid feci tibi? Cur percutis me, ecce jam tertio? Non ne animal tuum sum, cui semper sedere consuevisti usque in præsentem diem? &c.* Ergo significabitur summa Creatoris potestas, cui supplicem se præbet omnis natu- [Summa Creatoris potestas, atque Sapientia.] ra creata. Alii existimant allusionem fieri ad serpentum naturam, quos Creator ita constituit, ut semel domita, & frænata illorum superbia, postea videantur hominibus supplicare, & cauda adulari, quod videtur esse *loqui mollia*.

2 Sed existimo rem hãc pertinere ad naturam Cetorũ; scribũt enim illos ludere, cum tempestates præsentiunt, quasi Conditori suo adblãdientes; tũm præterea cũ [Cetos in tempestatibus ludere.] strepitum tintinnabulorũ, aut remigationis senserunt, in profundũ mare se abstrudere; quod Aelianus ex Gyllii accessione [*Aelian.*] lib. 10. c. 7. de Physeteribus scribit. & c. 11. de Cetis, quæ *Rotæ*, appellantur. Quod utique ad aliquam timoris rationẽ referri potest, ex ipsa etiã originali voce *mol-* [רכך] *litudinis*, quæ ad timorem refertur Deuteron. 20.3.

Allegorice.

Quadrant vero *hæc* in Cetũ invisibilẽ, 3 [Diaboli simulata mollitudo.] qui vel in tentatione Christi Domini, vel cum obsidebat humana corpora, supplicẽ atque mollem suo se Cõditori præbebat, ut ne illum compelleret *in abyssum*, Marci. 5. Luc. 4. *Multiplicat* item *preces*, cum extorquere nititur facultatẽ nocendi hominibus; & quasi adblandiens, proprio nomine compellavit, *Iesu*: & quod de illo præclare sentiebat, quasi in præmiũ illius honorificæ notitiæ petit, ut permittatur nocere hominibus, *Scio* (inquit) *te, quia sis sanctus Dei. Loquitur mollia*, cũ emollit *sermones suos super oleũ, & ipsi sunt iacula.* [*Psal. 54.22.*] Vide Græcos hoc loco. Sed pater mendacii etiam vera dicens compescitur; *mollia loquens* increpatur; multiplicans preces, nihil obtinet; quia cuncta agit ex mendacio, & ex depravata voluntate. *Et increpavit illum Iesus dicens; Obmutesce.* Vide Chrysostom. homil. 13. in Matth. & ho. 2. de Lazaro.

XXIII. *Numquid faciet tecum pactum, & accipies eum servum sempiternum?*

1. *Descriptio ingenii ferini, & indomiti. Illustratus Paulus.*
2. Ferire pactum, & servire, *ex iure belli, & victi. Illustratur Lucas, & loc.* *Regum.* Cete *unde habeant nomen.*
3. *Diabolus cogitur profiteri se Dei Servum. Servit in munere vilissimo tortoris, simul, & nobis ignominioso. Illustratus Paulus.*
4. *Diabolus torquens, Deo obsequitur.*

POtest esse expositio superioris sententiæ, & ingenii immanissimi, quod 1 nunquam mollescit, neque amice, & pacifice novit agere. quod significatur per hoc, quod est, non *ferire pactum*, sicut etiã Paulus belluinum hominum ingenium descripsit ad Romanos. 1.31. *Superbos, elatos, non obedientes, incompositos, sine affectione, absque fœdere, sine misericordia.* quæ omnes notæ sunt feritatis; sicut & *non servire*; quod enim servit, cicur est, & domesticum animal: quod vero non servit, ferum, & indomitum. Vide superius, cap. 39. 5. 9. Ps. 2.3. Ierem. 2.20.

Mirabilis vero Creatoris majestas cui 2 [Creatori cuncta serviunt.] animantes efferatissimæ cicures fiunt, & *serviunt in sempiternum*, sive ut in Hebræo est, *In sæculum*, id est, quamdiu vivunt.

agnoſcũt enim universæ creaturæ supremã Conditoris poteſtatem, neque audẽt, poſſuntve illi resiſtere. Forte alluſio eſt, ad jus belli, nam *Rex iturus committere bellum adverſus alium regem, ſedens prius cogitat, ſi poſſit cum decẽ millibus occurre ei, qui cũ viginti millibus venit ad ſe: alioquin adhuc illo longe agente, rogat ea, quæ pacis ſunt*, hoc illud. *Loqui mollia, & ferire pactum*. Exemplum in Benadad Rege Syriæ, 3. Reg. 20. 32. cũ per nũtios *multiplicavit* preces, *& ſervitutem profeſſus eſt*, ad Achab; *Servus tuus Benadad dicit, Vivat, oro te, anima mea*. q.d. Hoc pacto me tibi dedam, ut victum ſerves, ſerviturum in ſempiternum. Deo igitur omnis creata potẽtia paret, ſupplicat, ſervit; etiam immaniſsima *Cete*, quod nomen ex Græco ab *immanitate* dici, ſcribit Iſidorus.

Ferire pactũ & ſervire ex jure belli, & victi.

Luc. 14.

Ceti, nomẽ ab immanitate.

Iſidorus.

Allegorice.

Diabolus captivare nos moliens, Dei tamẽ ſervitium invitus agnoſcit.

At ſi de Diabolo accipias, quod nam illi cum Deo pactum, *aut quæ convẽtio Chriſti ad Belial?* aut qualis ille ſervus, qui Hoſtis, & inimicus ſempiternus eſt? Certe cum nullas inducias paciſci velit cũ homine tantumque a ſerviẽdo abſit, ut in turpiſſimam nos ſervitutẽ redigere conetur; at invitus licet, ſupremi Creatoris ſervũ profitetur; ut eleganter hoc loco dixit Philippus; *Licet ſit rebellis, & nimium tumidus, cogitur tamen, atque cõpellitur ipſius naturæ bono, quod ei in teſtimonium juſtæ damnationis ejus ex parte non perit, ut Dominum Creatorem ſuum, ſaltem ut ſervus malus, eſſe fateatur*. Et Nicetas duplicem rationẽ ſervitutis, vel ſpontaneæ, vel coactæ diſtinguit; *Voluntate*, inquit, *ſervus efficitur, qui Deo ſervire ſua ſponte vult; neceſsitate vero is, qui cõprehenditur, atque vincitur, quod genus ſervitutis ſuſtinet Diabolus*. Et quidem ut improbiſsimus ſervus furcam ſecum quocũque deferens, & vincula atque cruciatum ſemper ſuſtinẽs, viliſsima in Dei domo miniſteria obit, videlicet tortoris, atque carnificis. Vnde Chryſoſtomus ſuper id, 1. ad Timotheũ. 1. *Hymenæum, & Alexandrum tradidi Satanæ, ut diſcant non blaſphemare, &c. Quemadmodũ*, inquit, *carnifices innumeris ſceleribus pleni caſtigant alios: ita & hic de nequiſsimo Dæmone dicitur*. Vide Auguſtinum ſuper id Pſ. 77. *Immiſsiones per Angelos malos*. tum etiam, quæ ſuperius diſputavimus de hominum ſuppliciis inflictis Angelorum miniſterio. Hoc autẽ tortoris munus libẽtiſsime exſequitur Diabolus, tum quod illius immanitas, & ſævitia male nobis velit; tũ quod ſupplicium illius manu homini inflictum

Philipp.

Nicetas.

Duo ſervitutis genera.

Diabol[9] Deo ſervit invitus in miniſterio viliſsimo.

Chryſoſt.

Auguſtin.

Supplicium Diaboli manu inflictũ ignominioſum.

ignominioſiſsimum ſit. Quare Chyſoſtomus nuper adductus ſubjungit, *Paulo non deerat auctoritas puniendi. Quid igitur Satã ad ſupplicium vocat? ut ſcilicet una cum vehementia, atque cruciatu eſſet contumelia major*. Ac de hac ipſa re videtur idem Paulus loquutus, c. 3. cum præcipit Epiſcopum, *habere bonum teſtimoniũ ab iis, qui foris ſunt, ut non in opprobrium incidat, & in laqueum Diaboli*. nam cum illi tradimur, funiculis, & laqueis torquendi, & conſtringendi, incredibili profecto ignominia ſimul afficimur.

Chryſoſt.

Ille igitur, qui quãvis Dei inimicus ſit, at ex Dei voluntate, & permiſſu libenter atque alacriter tortorẽ, & carnificem agit, recte dicitur, quaſi ex *pacto*, & fœdere *Servire Deo*, repugnans quidẽ, & invitus, quia tunc Deo famulatur; at lubens, & alacer, quia nobis nocet, neque tamen quãtum vult, nocet, ſed quantum ex *pacto*, & fœdere a Deo permittitur. quod eleganter a Gregorio expoſitum eſt hoc loco. *In pacto*, inquit, *diſcordantiũ partium voluntas impletur, ut ad votum ſuũ quæque perveniat, & jurgia deſiderato fine concludat. Nã viros juſtos ſemper malevole tentare appetit; ſed tamen hoc Dominus vel miſericorditer fieri, vel juſte permittit. Hæc ipſa ergo tentationis licẽtia pactum vocatur: in qua & deſiderium tẽtatoris agitur, & tamen per eam miro modo voluntas juſti diſpenſatoris impletur. Servus ergo ex pacto eſt, qui dum voluntatem ſuã implere permittitur, a ſuperni conſilii voluntate ligatur: ut electos Dei (ſicut dictum eſt) volẽs tentet, & tentando neſciat*. Ergo opportune dixit Ambroſius, 1. ad Thimotheũ. 1. *Diabolus ad hoc paratus eſt, ut audita ſentẽtia accipiat in poteſtatẽ, & corripiat*. Quare Adverſarius ille, cui debemus eſſe conſentiẽtes, *Dum ſumus in via*, Deus eſt, ex interpretatione Auguſtini, *Qui tradit nos judici*, id eſt, Chriſto; *Iudex vero tradit Miniſtro*, id eſt, Dæmoni tortori, *& in carcerem mittimur*, Matth. 5.

4

Gregorius.

Ambroſ.

Chriſtus Iudex, Diabolus tortor.

Aug. lib. 1. de ſerm. Domini, & in qq. novi Teſt. q. 1.

XXIIII. Nũquid illudes ei, quaſi avi, aut ligabis eum ancillis tuis?

1. *Captura Cetorum, capto Muſculo illorum duce. Balena cecutiens.*
2. *Balenis, & Cetis quomodo illudatur ab hominibus. varia expoſitio.*
3. *Par piſcium, & paſſerculorum aucupium. Venatio aviculárum mollis, & fœminea.*
4. *Quomodo illudatur Dæmoni a Deo. Illius potẽtia a nocendo revocata.*
5. *Ancillæ Dei, quæ dicantur. Apoſtolorum virtus. illuſtratus David, & Iſaias.*

1 PRoculdubio adhuc deſcribitur indomita Balenarũ vaſtitas, quę neque viribus, neq; induſtria, aut arte poteſt ſuperari ab homine; cui rei nihil obſtat, quod tandem ſit ab homine inventa Cetorũ captura, quam deſcribit Gyllius in acceſſione Aeliani, lib. 10. c. 7. nã præterquam quod piſcatus Cetorum valde rarus ſit, & plenus diſcrimine, ille tamẽ indicatus eſt ab ipſo Auctore naturæ, cum dedit ducẽ his immanibus, & cæcutiẽtibus piſcibus, nimirum Muſculum piſcem, qui viam cõmonſtrat, & ſcopulos declinare docet. ut enim ait Plinius, *Prægravi ſuperciliorum pondere obrutis Balenæ oculis infeſtantia magnitudinẽ vada prænatans demonſtrat Muſculus, oculorumq; vice fungitur.* & de eodem duce Cetacei generis ſcribit Aelianus lib. 10. c. 6. *Ante Cetorum caput antecedens dux cuncta illis providet, & præſentit; caudaque præmonſtrat ſingula, tũ horribilia, formidoloſaq; inhibet, tum cibaria conciliat, inſidiasque apiſcatoribus poſitas ſigno quodam oſtẽdit, atq; quem locũ propter magnitudinẽ ipſum adire non oporteat, præſignificatione quando nimirũ Cetaceum genus irretitũ funditus pereat. quod mirum videri debet, minimã beſtiam maximi animali vitæ cauſam afferre: cum enim bellua hujuſmodi ad pinguitudinẽ pervenit, amplius nec videre, nec audire poteſt: carniũ enim moles, & videndi, & audiendi viam intercludit, & tanquam illius luminibus obſtruit, quare ejus oculus improbe afficitur ad videndũ: quod ſi is piſciculus, quo ad neceſſaria utitur, perit, illi quoque pereundum eſt* Ergo ſi ducem cõprehendas, facile aberrantem Cetum cõprehendes. ut enim Gyllius dixit, aſtutus piſcator varia, & multiplici eſcarum illecebra piſciculum capit, & deinde nullo labore monſtra comprehendit, tanquam pondera quædam temere vagantia, ignara, quo nam fluctibus deferantur. Hos itaque piſciculos ſi non præbuiſſet auctor naturę, quis Balenam piſcaretur?

Cetorum captura.

Muſculus dux Cetorum.

Plinius lib. 2. cap. 1.

Aelian.

Gyllius.

2 *Nunquid illudes, quaſi avi.* Incertũ, quod nam hoc *luſus*, aut *illuſionis* genus. Pleriq; rem interpretantur ex ſecunda parte ſequente; ſolẽt enim pueri ligatis paſſerculis ludere; &, ut Origenes dixit, *Quo pueri voluntas tulerit, circumferri.* Vatablus item luſum hunc ad animi recreationẽ retulit, q. d. Tanta immanitas non recreat hominem, potius exterret. Montanus nuper adductus, in hiſtoria naturæ tum hũc Iobi locũ, tum etiã illũ Pſ. 103. *Draco iſte, quem formaſti ad illudendum ei.* quem ipſe exiſtimat legendũ, *Ad ludendum in eo,* refert ad carmina, & jocorum argumenta, quibus ſancti viri, & Sacri Scriptores *ludere* dicũtur, & in Leviathã natura deſcribẽda ſe exercent. Alii conſiderant illam illuſionem ligatæ aviculæ, quæ parumper laxato filo liberam ſe exiſtimans, volare nititur, ſed inopinato deluſa, & impedita prohibetur. Denique tunc dicitur auceps illudere piſciculo, quem carcere arundinea continet, quaſi in vincula conjectum. His ſane modis omnibus cũ minime poſsit Leviathan illudi ab homine, at luditur ab auctore naturę, qui illũ marino carcere condidit, non niſi certo vagandi, & ſpatiandi ſpatio conceſſo: Scriptum eſt enim; *Nunquid ego Cetus ſum, aut Mare, quia circumdediſti me carcere?*

Varia expoſitio.

Origen.

Vatabl.

Montanus.

Iob. 7. 12.

3 Sed exiſtimo ſimplicem, & germanum hujus ſententiæ explicatum eſſe de eſca, qua ſolent aviculæ, & piſciculi deludi, & capi, atque irretiri; eſt enim par piſcium, & avicularum capiendarum ratio, quod ad cibum attinet, & quod ad retia; Scriptũ eſt enim; *Piſces capiuntur hamo, & aves laqueo comprehenduntur.* Ergo ſignificatur, Cetos non eſſe ex his piſcibus, quos cibo illectare poſsis. nam cum *Inexplebili cibi helluatione flagrent, quis nam cibus tantus erit, ut ad illorum gurgitem ac voraginem explendam ſatis eſſe poſsit?* aut qui nam funes quę retia, & vincula ad tãtam vim perdomandam?

Par piſcium, & aviculatũ aucupium.

Eccleſ. 9. 12.

Gyll. in Acceſſione Aeliã. lib. 10. c. 8.

Quod autẽ dicitur, *ligabis eum ancillis tuis*, periphraſis eſt delicatę, pariterque delicioſæ venationis, quæ propria eſt fœminarum, nimirum aucupiũ, præſertim avicularum, & paſſerculorum. Sicut eleganter ſignificavit Hiſpanus Poeta in ſuo illo blando carmine de Nimpha loquutus;

Venatio paſſerculorũ delicata, & fœminea.

G. L.

Qualquiera caça a entrambos agradava,
Pero la de las ſimples avezillas,
Menos trabajo, y mas plazer nos dava.

Recenſet ſtatim, minores aviculas, fœminarum aucupium, & prædam.

Zorzales, Tordos, Mirlas, que temiendo,
Delante de noſotros eſpantados,
Del peligro menor yvan huyendo.
Davan en el mayor deſatinados,
Quedando en la futil red engañoſa,
Confuſamente todos enredados.

Allegorice.

4 Quod vero ad allegoriã pertinet, Cajetanus, exiſtimat hoc dici ad refutandas opiniones quaſdam de Dæmonibus joculares, & fabuloſas, quæ inſtar fabellarũ, pueris, & puellis oblectandis ſervire poſſunt; quaſi diceret; *Eſto de el Diablo, no es coſa de burla, ni juego de muchachos.* Cum quo videtur concinere illud Iuvenalis; Sat. 2.

Iuvenalis.

Esse aliquos manes, & subterranea regna
Et contũ, & Stygio ranas in gurgite nigras
Atque una transire vadũ tot millia cymba
Nec pueri credunt. = = = = =

Sed explicatus hic proculdubio incõmodus est. Alii considerant, quod sicut passer alligatus laxiori filo volare tẽtans, spe deluditur, & in medio volatu impeditur; sic sane Deum illudere Dæmoni, cum illius facultaté ligat, & in medio ipso impetu a nocẽdo revocat. Gregorius, quod illusus fuerit Christi Domini carne, & mortalitate; Philippus, quod etiam a sanctis pudore afficiatur, dum illi prædã auferunt sive corporum, quę aliquando obsederat, sive animarum, quas errore, & fraude sibi subjecerat.

Dæmon a nocendo impeditus, & revocatus.

Gregorius.

Philipp.

5 Eodem fere pertinet quod dicitur, *alligandus ancillis Dei*; quas Gregorius, & Philippus intelligunt Apostolos, & Discipulos, quibus dictum est Lucæ. 10. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, & supra Scorpiones, & super omnem virtutem inimici: & nihil vobis nocebit.*

Ancillæ Dei, quę dicãtur.

Gregor.

Philipp.

Septuaginta autem loco *ancillarum*, sive, ut in Hebræo est, *Puellarum*, legunt, genere masculo *puerum*; quod perinde est; nam novę creaturæ in Christo solent in Scripturis appellari *infantes, lactentes, parvuli.* Sed quidem nomẽ illud fœmineum propter humanam infirmitatem quam habebant per se Apostoli, nisi Divina gratia confirmarentur, appellati sunt Proverb. 9.3. *Misit ancillas suas, ut vocarẽt ad arcem.* Isai. 40.9. *Super montem excelsum ascende, tu, qui Evangelizas Sion.* ubi alii codices Vulgati legebant, *Quæ Evangelizas*, fœmineo genere; quod etiã cognovit Hieronymus in Commentariis; & quidem juxta Hebræum, ubi proprie legitur, *Ascende Evãgelizatrix Sion.* Sicut etiam Ps. 67.12. *Dominus dabit verbum Evangelizantibus virtute multa.* Hieronymus juxta Hebræũ, *Annuntiatricibus fortitudinis plurimæ*. mirum enim homines molles, & imbecillos Divinæ fortitudinis annuntiatores, etiam ipsis dæmonibus imperare. Tandem Clemens Romanus lib. 8. constitutionum Apostolicarum, locum hunc ad orationem, & exorcismos, quibus tanquam vinculis constringitur, & alligatur Diabolus, retulit in *Obsecratione pro energumenis, c. 7. Qui fortem ligasti, & omnia vasa ejus diripuisti; qui dedisti nobis potestatem calcãdi super Serpentes, & Scorpiones, & super omnem potestatem inimici; qui dedisti nobis homicidam serpentem vinculis constrictum, sicut passerẽ pueris; quem omnia horrescunt, & contremiscunt a facie potentiæ tuæ, &c.*

LXX.

Apostoli cur dicantur nomine fœminino.

Hieronym.

Hieronym.

D. Clemens.

Dæmon ejectus ab energumenis, illusus, tanquam passerculus.

XXV. *Concident eum amici, divident illum negotiatores.*

1. *Varietas interpretationũ.* Concidere, & præparare *dictum de cibis. Explicatus locus Regũ.*
2. Amicus, & Socius, *unde dictus.*
3. *Vastitas & feritas Cetorum. Delphinorum familiaritas cum homine. Thinnorum carnes habitæ in deliciis.*
4. *Cetorum captura, & vulneratio. Icthiophagi.*
5. Chananæus *nomen proprium, aut appellativum. Varia lectio.*
6. *Icthiophagorum regio, mores, victus. Cetorum oleum. Illustratus David.*
7. *Prædicatores, & Apostoli piscãtes, & concidẽtes. Leviathan.*
8. *Quomodo sancti dicantur comedere Leviathan.*
9. *Impiorum cibus Diabolus.*

Ex Varietate vocum originalium, tũ vero ex varia dispunctione sententiæ Latinæ, multi orti sunt explicatus, aliis cum interrogatione; & in sensu affirmativo: aliis in bonum, aliis in malum accipientibus: & quidem verbum, *concidendi*, pertinere solet ad edulia, & cibos, qui comedendo inciduntur, & præparantur. Sic R. Mardochai dixit, esse idem, quod *convivium, viaticum, prandium.* Quare verbum videtur esse idem, quod *præparare*, quod etiam nos in cõmuni ad rem ciborum referimus, cum de cibis dicimus, *Estar aderecado.* 4. Reg. 6.23. *Apposita est eis ciborum magna præparatio.* quod ex verbo legitur; *Præparavit eis præparationem magnam.* Septuagint. *Apposuit eis appositionem magnã.* & statim exponitur; *& comederunt, & biberunt.* quare hoc loco legunt Septuagin. *Pascuntur in eo gẽtes.* Pagninus in Thesauro; *Comedent super illum socii.* at idem, & Regia, in lectione; & Vatablus; *Cœnabunt super eum*; Cajetanus, *Prandebunt.* Vnde forte Hebręi illi nugatores, quos supra retulimus, convivium illud suũ ex carnibus salitis Leviathan somniarunt. Quia autẽ nihil magis proprium hominis, quam id, quo vescitur, significat idem verbum, possidere, & acquirere; quare legi posset, *Possidebunt*, aut *acquirent eum.* Significat præterea *Fodere*; quia qui in amplissimis quõdam agris fodiebat sibi puteum, aut sepulchrum, suum faciebat, & possessionẽ sibi parabat. quare legunt quidam, ut refert Pagninus. *Num fodient super eum incantatores?* Vel, *Numquid foveas facient?* 1

Varietas explicantium.

כרה

Concidere, dictum de cibis.

R. Mard.

Præcipere dictum de cibis.

LXX.

Pagnin.

Regia.

Vatabl.

Cajetan.

Pagnin.

Pro, *amicis*; autem vox est, quæ significat *socium*, a verbo *Hhabar*, quod est jungere, & fœdere copulari; significat etiam *incantare*, & inde *incantator*, quod videa- 2

Amicus unde dictus.

חבר

tur

tur amicus ſerpentum, fœdere cum illis inito. Sic Rab. Araham, legit *Incantatores*, Thargum, *Sapientes*; incãtatores enim, & magi putabantur ſapientes.

R. Abrah. Thargum.

3 Periphraſis magnitudinis Cetorum.

Ergo cum adhuc in deſcribenda indomita, & incomprehẽſa magnitudine Ceti verſetur; hæc erit illius circumloquutio, ſi interrogãter accipiamus cum Vulgato, ut valeat idem quod negatio; Non poteſt capi, aut poſsideri Cetus a piſcatoribus, neque quidem continget, ut illius carnibus conciſis, & diſſectis conviventur; non cænabunt, non prandebunt, nõ cedet Cetus in uſum, & cibum hominum; non poterit inſtrui, neque apparari convivium ex Leviathan. Iſidorus teſtatur *Solere convivia publica fieri, quando capiuntur grandiores piſces*. Sed hic mos inauditus eſt. Vatablus, *Solere mercatores vendituros aliis mercatoribus aliquid, celebrare cõvivia, ut melius merces ſuas vendere poſsint, & interim loquuntur de mercibus vendendis.* hæc item conſuetudo mercatorũ, vel primum inventa eſt a Vatablo, vel longiſsime petita, & nimium invita ad piſcatores tranſlata. Certe indeliciis Thynnorũ carnes habitæ ſunt, qui ſunt ſane ex Cetaceo genere: Plinius lib. 9. cap. 15. *Thynni membratim cæſi, cervice, & abdomine commẽdantur, atq; clidio, recenti dũtaxat, & tunc quoque gravi ructu.* Tum præterea, Non poſſidebunt, non acquirent, non concident, aut ferient; ſupple pactum, & fœdus, incantatores, & ſapientes cum Leviathan. vel, ut ex aliis refert Pagninus, *Non fodiẽt, non facient foveas, ut emari ſuis incantationibus illum educant.* Tanta piſcis immanitas non obedit voci Venefici, *incantantis ſapienter*; nõeſt ex illis piſcibus, qui arte, aut induſtria, aut natura manſuefieri poſſunt, præter quam ab ipſo naturæ Conditore. *Delphinus quidem non homini tantum amicum animal, verum & muſicæ arti, mulcetur Symphoniæ cantu, & præcipue Hydrauli ſono. Hominem non expaveſcit, ut alienum, ex illius manu veſcens, præbensque ſe tractandum, & alludens natantibus, impoſitosque portans.* Tum alios etiam piſces, *manu veſci ſolitos*, teſtatur idem Plinius, *Et in Lyciæ Myris, fonte Apollinis, quẽ Curium appellant, ter fiſtula evocatos venire ad augurium. Hierapoli Syriæ in lacu Veneris, æditorum vocibus parere vocatos; exornatos auro venire, adulantes ſcalpi, ora biantia manibus inferendis præbere.* At quam ab hoc ingenio longe Cetus, nunquam ſe præbens amicis, nunquam ſocietatẽ cum homine iniens!

Conſuetudo mercatorum. Iſidorus. Vatabl. Thynnorũ carnes habitæ in deliciis. Plinius. Pagninus. Delphini cum homine familiaritas. Plinius libr. 9. c. 8. Lib. 3. c. 2.

4 Si vero ſine interrogatione legamus, ut valeat idem, quod affirmatio; ſenſus erit, non tam ab homine edomari Ceti potentiam, quam ab ipſo auctore naturæ, qui tempeſtate aliqua ejectum ad littora, & infixum terræ, præbet concidẽdum multis hominibus, catervatim confluentibus ad tantum ſpectaculum, & ad diſſecandam, & in fruſta concidendam tantam belluam; quod Icthiophagis incolis Farç inſulæ evenire dicitur. Tũ vero in illa capiendi ratione, quam Gyllius in ſua Aeliani acceſsione c. 8. ſcribit, proponit belluam aliquando vulneratam, & defatigatam tandem in ſummo Mari, *Fluctuantem, quam alii haſtis, alii tridentibus, alii ſecuribus cædunt, & multa verberatione expugnatam, in littus expellunt, atque ejiciunt.* Illud vero, quod Montanus ſuperius adductus videtur intelligere, Deum inſtructurum convivium piſcibus aliis ex carnibus conciſis Leviathan, ita ut alii piſces dicantur ſocii, & amici dilaceraturi eum, qui alios devorabat, Rabbinicũ eſt, atque eo nomine mẽdacium, quod ſupra rejecimus.

Ichthiophagi. Gyllius. Balenæ captura, & vulneratio. Montanus. Commentum Rabbinicum.

Eodem pertinet, quod ſubjungitur; *Divident illum negotiatores.* ſive, ut proprie ex Hebræo legitur, *Partientur Chananæi mercatores*; ut enim aliquando diximus, *Chananæus*, eſt proprium gentis, tum etiam interdum appellativum negotiatoris, aut inſtitoris, merces diſtrahentis, vel circumferentis. quod quidem vivendi inſtitutũ, Chananæa gens potiſsimum coluit. Septuaginta autem hunc locum legunt; *Paſcuntur in eo gentes: partiuntur autem eũ genus Phœnicum.* ubi Origenes ait, *Phœnicẽ, Chananæam prius appellatam; ſiquidem Syrophœniſſam illam, Chananæam vocant.* Ergo, ut Chryſoſtomus ait, *adeo immani magnitudine illius eſt corpus, ut uni toti nationi ſatis eſſe poſsit.* Forte ergo deſignat nationem aliquam, & gentem victitare ſolitã carnibus Cetorum, & Balenarũ; qui profecto non longe a Chananæa ſunt, neque longe ab Huſitana, & Arabiæ Provincia, atque ab Aegypto; nam fere ad Aſſyrios, & Aegyptios conſtituuntur ab Strabone lib. 16. Icthiophagi, & Gedroſii, qui piſcibus victitant. & cũ Aethiopibus conjungit. lib. 2. Iterumque ad finem ejuſdem libri cum Aethiopibus Throglodytis, Arabibus, & Gedroſiis, quos omnes Icthiophagos appellat, id eſt, *Piſcicomedones*. Sic autem illos deſcribit libr. 15. *Icthiophagorum regio ſecus mare eſt, & magna ex parte arboribus caret. Raritas etia palmarum, ac acanthi, miricæ, aquarum, & domeſtici cibi maxima eſt; veſcuntur piſcibus, tum*

5 Chananæus nomen gẽtis, & appellativum mercatoris. LXX. Origen. Chryſoſt. 6 Icthiophagi. Strabo. Deſcriptio victus, & morũ Icthiophagorum.

ipsi, tum eorum pecora, & aquas pluviales, ac fossiles petant, pecorum carnes piscibus præbent, domicilia ex ossibus Cetorum, & ostreorum conchis magna exparte faciant: Nam trabium, & fulcrorũ usum costæ præstant, portas maxillæ, e vertebris fiunt mortaria, in quibus pisces subiguntur, ad solem assantur, postea ex his panem conficiunt, frumenti paululum admiscentes. Et Philostratus lib. 3. de Vita Apollonii, cap. 15. post Mare Rubrum constituit Ichthiophagos. Ad gentem hãc, quæ pertinet ad Aethiopiam Aegypti allusum est Psal. 73. 14. *Tu confregisti capita Draconis* (Leviathan) *dedisti eum escam populis Æthiopum.* sicut enim habitantes littus Aethiopicum, solẽt vivere ingentibus piscibus, ita & tunc viderunt in suo littore ejectos Aegyptios, velut Dracones Maris Rubri. De hoc enim Mari, ut superius ex aliorum auctoritate dicebamus, scribit Philostratus lib. 3. cap. 16. multis, variisque belluis refertum esse, Cetis præsertim. Atque huc etiam spectat, quod Ichthiophagi nõ solũ in frustra cõcidunt Cetum, cibi causa, sed ut oleum inde exprimant, quod Plinius lib. 15. cap. 7. in universum ait, *Ex piscibus fiere oleum.* & lib. 32. cap. 1. ex Cetorum, qui *In flumen Arabiæ intrant, pingui, & omnium pisciũ adipe negotiatores perungere Camelos, ut acinos ab his fugent odore.* Forte etiam illud *dividere, & partiri*, pertinet ad varia genera carnium, quæ ex uno pisce separantur, quæ in Thinno fecernunt nostrates in cetariis Gaditanis, & Zaharanis & Plinius etiã libr. 9. cap. 15. discernit in Thinno, *Cervicem, abdomem, clidium, plena pulpamenta, melandria*. quæ profecto in Cetis quoque, & in universo Cetaceo genere dividi possunt.

Philostrat. — *Philostrat.* — *Plinius.* — Mare Rubrũ Cetis abũdãs. — *Nostrates in uno & eodem Thinno has unius carnis partes distinguunt*, ijada, badana, moxama, sangraza, coleta, pandero, cuchillos, morrillo, papada, espinazo.

Allegorice.

7 Quod ad mysterium attinet, si in bonam partem hæc accipiamus, nomine *amicorum*, aut *sociorum* intelligemus, Apostolos, & Discipulos, qui, & ipsi a Christo Domino appellati sunt *amici*, iidemque ipsi sunt *Sotii*, nimirum *bini Missi* ad prædicãdum Evangelium, erantque velut *Societas Christi*, præeuntes, *quo erat ipse venturus*; qui cum Psal. 67. 11. appellentur *Animalia Dei*, *Animalia*, inquit, *tua habitabunt in ea*; alii legunt, *Societas tua habitavit, &c.* Sunt etiã negotiatorss, sive mercatores piscium; quorum negotium, & mercatura in piscatu est; quod valde proprium est Apostolorum, qui ex *piscatoribus piscium* facti sunt *piscatores hominũ*. Ii profecto *concidunt Leviathan*, dilacerantque illius membra, cum eos, qui videbantur membra Diaboli, ab illo separant, & faciunt membra Christi, *Dum per eosdem*, ut inquit Philippus, *ad fidem Christi de perditorum ejus multitudine, ab ejus consortio, velut membra separantur*. Tum etiam corpus Leviathan partiti sunt Apostoli, cum regna gentium infidelium partiti sunt inter se, ad prædicationem Evangelii.

Apostoli, & Prædicatores piscãtes, & cõcidẽtes Leviathan. — *Luc. 10. 1.* — *Regia.* — *Matth. 4. 19. Marc. 1. 17.* — *Philipp.*

Dicuntur vero etiam sancti *concidere* Leviathan, id est, comedere. At, inquit Augustinus super id Psal. 72. *Dedisti eum escam populis Æthiopum*, id est, iis, qui cũ prius nigri, & tenebræ fuissent, facti postea sunt lux in Domino. *Quomodo acceperunt isti in escam Draconẽ istum? Puto, quia magis Christũ acceperunt in escam. Sed Christum, quo se consummarent, Diabolum, quem consumerent. Unde vitulus ille; quem adoravit populus infidelis, datus est populo bibere, quia adoratores Diaboli, corpus ipsius facti erant; Quomodo agnoscentes Christũ, fiunt corpus Christi, ut ei dicatur; Vos estis corpus Christi, & membra. Sic Draco Moysis omniũ magorum virgas absorbuit.* 8

Augustin. — *Eph. 5.* — Quomodo Sancti, & Prædicatores comedãt Leviathan. — *1. Corint. 6.*

In malum vero accipitur ab Origene intelligente amicos ipsius Diaboli, quorum cibus Diabolus est, *Quemadmodum enim fidelium cibus est Dominus, ita impiorum cibus est Draco, cum Scriptum sit, Dedisti eũ escam populis Æthiopum.* Impii igitur Diaboli corpus inter se partiuntur, *Cum singuli Draconis partem sibi sumũt, quorum alii aliud nefarium scelus admittunt.* 9

Origen.

XXVI. *Numquid implebis sagenas pelle ejus, & gurgustiũ piscium capite illius?*

1 *Sententia simplex explicatur.*
Synedoche, Pellis, *pro toto Ceto*. Membrana *quid. Balenarum excoriatio.*
3. Sagena *unde dicta.* Implere, auferri, interire, *ab eadem radice.*
4. Gurgustium *apud Hebræos, & Latinos quid. Varia lectio.*
5. Sagena, gladius, hamus *Dei, ad capiendum Diabolum.*

Ex Varietate vocum, & significationum reddita est sententia multiplex, sed non valde obscura, nam quomodocumque reddatur, perstat in describendo piscatu Cetorum, qui non potest fieri viribus, aut industria humana, quod si aliquando contingat, oportet ad scribi Providentiæ Divinæ, quæ tantã belluam usibus humanis deputavit, atque subjecit. Ergo hæc est sententia; Non potest capi 1

sage-

ſagena, aut aliis piſcatoriis inſtrumentis, ſicut alii minores piſces.

Synedoche. *Pellis* autem nomine, per Synedochē, intelligunt alii totum piſcem. Ego vero exiſtimo aliquid peculiare indicari, dicūt enim Cetorum pellem craſsiſsimā eſſe, forte etiam aliquam hominibus opportunitatem præſtat. (Pellis Cetorum.) quare ſicut oſſa Cetorum aſſervant ad uſus domeſticos; ita etiam forte & pellem ad veſtitum, vel quidpiā ſimile; Sic enim de Ichthiophagis ſcribit Philoſtratus lib.3.cap.15. (*Philoſtrat.*) Ichthiophagos *Vrbem incolere nomine Stoberam, ubi ex magnorum piſcium membranis, veſtes intexunt.* quid enim aliud eſt *membrana*, quam ipſa membrorum, id eſt, carnis pars ſuprema, quæ artus tegit? (Membrana, quid.) Forte etiam serviebat pellis conciſa adexprimēdum oleum; nā quod Divus Thomas ſcribit ideo *Pellis mentionem factā eſſe*, ut indicaretur modus, quo maximi Ceti dormiant in rupibus; (*D. Thom.*) (Balenarū excoriatio.) accedentes vero piſcatores partem pellis, quæ eſt juxta caudam, incidunt, & fortiſsimis funibus alligāt, nihil tunc ſentiente beſtia, propter nimiam pinguedinem. deinde vero excitati Ceti, & impetu recedentes, pellem dimittunt. hoc, inquā, ab aliis naturæ ſcriptoribus tacetur; & præterea *fruſto pellis* dimiſſo, non poteſt impleri ſagena. quāquā huic interpretationi, quodāmodo videtur lenocinari *cauda*, quam legunt Septuaginta; (*LXX.*) *Omne navigans cōveniens non ferent pellem unā caudæ ejus: & in navigiis piſcatorum caput ejus.* Quod ſic Origenes interpretatur; (*Origen.*) *De Ceto quidem haūd eſt obſcura ſentētia: quamvis enim omnia, quæcumque ſunt ad navigationem idonea, congrediantur, detrahi tamē de ejus cauda pellis non poſsit: nec reperiātur navigia, quæ caput appropinquans aut ſuſtinere, aut capere queant.*

3 Quid ſit autem *ſagena*; mira inter interpretes varietas. (Sagena, quid.) Nam Titelmanus videtur (*Titelman.*) intelligere naviculas, aut certe deberi ad naviculas piſcatorum referri, quæ ſolent impleri piſcium multitudine copioſa, ſicut S. S. (*Luc. 5.7.*) *Et impleverunt ambas naviculas.* Atque hoc profecto indicavit lectio Septuaginta nuper adducta. (*LXX.*) alii legunt, *Tabernacula*, ut Symmachus; (*Symmach.*) *Numquid implebis tabernaculis pellem ejus.* ita ut per *tabernacula* intelligatur ſtramentum, & materia arida, qua ſolent contegi tabernacula. vel ſubintelligatur iſta materia arida, in hanc ſententiam; Numquid detractam pellem huic beſtiç, & delatam ad tua tabernacula, ibi curabis implendam, & infarciendam arida materia, vel paleis, ut poſteritati permaneat mirabilis piſcationis monumentum. Nam ſolet quidem vel ſerpentes, vel mirabiles aliæ beſtiæ exenteratæ, & plenę paleis in locis publicis ſuſpendi, ad memoriā poſterorum. Indicavit hoc Algarbienſis Epiſcopus. (*Oroſius.*) Sed illud eſt argutum potius, quā ſolidum. Ego potius, ſi ea *Vmbraculi* lectio, & ſignificatio retinenda eſſet, dicerem cum R. Abraham, & cum Chaldæo; (*R. Abrah. Chaldaus.*) *Num poteris implere tabernacula, aut ſudes pelle ejus?* id eſt, Num tabernacula piſcatoria, quæ ſolent propter mare erigi, & pali, in quibus ſolent ſuſpendi piſces, ad exſiccandum, ſufficient ad capiendam, & ſuſpendendam tantam pellem. Quamquam illa lectio *umbraculorum*, cognationem habeat cum *ſagena*; eſt enim nomen dictum a verbo *Cuç*, (סוס) quod eſt ſæpire, aut protegere; inde pro *umbraculo* quo ſępimur, aut protegimur. Quia autem ſæpes vinearum ſolent frequenter componi ex vepribus, vel ex palis præacutis, ideo ſumitur idem nomen pro *Clavis acutis*, Numerorum, 33.55. & pro *Cultro*, Proverbiorum. 23.2. Quare hoc loco Hebraizātes volunt pro, *ſagenis*, legendum eſſe *cultros*, aut *ſudes*, aut *ſpinas* acutas; ita Rabī Levi, Rebi Abraham, Pagninus, Vatablus, Tygurina, Cajetanus. (*R. Levi. R. Abrah. Pagnin. Vatabl. Tygurina. Cajetan.*) ad quam etiam ſignificationem trahunt, verbum *implendi*, vertentes; *Numquid cultris concides pellem ejus?* Quia enim ſolet res auferri, & perire plena ætate, & completo tempore, & herba ſuccidi poſt plenitudinem fructus, ideo ab Hebraizantibus ſumitur *implere*, pro ſuccidere, aut perire. vel propterea quod, cum res aliqua penitus tollitur, habet plenitudinem interitus. Sed profecto vocem originalē, quæ a ſæpiendo deducitur, eleganter Interpres dixit *ſagenam*; (Sagena dicta a ſæpiendo.) nam ea ſæpiuntur, & circumveniuntur piſces, ut ex eodem ſæpiendi officio dixit Manilius; (*Manil. lib. 5.*)

Excipitur vaſta circumvallata ſagena.

Quod ſi *ſagena*, non ſolum pro reti piſcario ſumi poſſet, ſed pro Cetaria, id eſt, officina piſcaria juxta mare, in qua Ceti ſaliuntur, quam noſtrates vocāt, *la Chanca*, commode cūm ſignificatione illa tabernaculi, & cum tota re conveniet; neque longe aberit a ſignificatione *ſagenæ*, cum enim locus ille ſerviat continendis piſcibus, certe non abſimile eſt reti, & ſagenæ: & cohærebit etiam cum hoc ſenſu pars ſequens.

4 (הרחל) *Et gurguſtium piſcium capite illius.* Hic iterum diſſenſio Interpretum; nam vocē originalem, *Haltbal*, varie admodum interpretantur. (Varia lectio. *Pagninus. Cajetan.*) Pagninus, Cajetanus, vertunt

tunt *Cultrum piſcium*; & in Theſauro ait ex Chimhi, eſſe inſtrumentum, quo transfigitur caput piſcium exiſtentiũ in aqua. Rabi Abraham, *Eſſe ſpinam in oſsibus piſcis, per quam capiuntur piſces perforato capite.* Rabi Levi, *Eſſe gladium, quo inciduntur capita piſcium magnorum.* Rabi Mardochai, *Eſſe fiſcellam Hamum, naſſam.* Rabi Abraham, *Eſſe vas, in quo ponunt piſces ſalitos.* Septuaginta; *Navigia piſcatorum.* Divus Thomas, quem ſequuntur alii Latini, dicunt eſſe inſtrumẽtum vimineum, ad capiẽdos piſces. Cũ quo videtur conſonare, quod de Ichthiophagis ſcribit Plinius lib. 16. cap. 1. *Vlva, & paluſtri junco funes nectunt ad prætexanda piſcibus retia.* Sed quidem Rabi Moſeh interpretatur, *Tabernacula, quæ faciunt piſcatores in ripis fluminum.* quod ſumptum ex Chaldæo legẽte, *Vumbracula piſcatoria*; illa videlicet, in quibus reponunt piſces jam captos, atque ſaliunt, ne putreſcant. quod videtur ab Interprete Latino aperte ſignificatum nomine *Gurguſtii*, quod ut Feſtus ait; *Eſt genus habitationis anguſtũ, a gurgulione verme ſic dictum.* Qua ſignificatione uſus eſt Cicero, ſumens pro obſcura, & lutoſa ſpelunca, primo de natura Deorum; *Quid erat, quod concupiſceret Deus mundum ſignis, & luminibus, tanquam Aedilis ornare; ſi, ut Deus ipſe melius habitaret, ante videlicet tempore infinito, in tenebris, tanquam in gurguſtio habitaverat.* In Piſonem vero; *Meminiſti ne cœnum cum ad te veniſſem, neſcio quo e gurguſtio te prodire, capite involuto, ſoleatum.* Ergo *Gurguſtium*, erit anguſta, & obſcura taberna piſcaria, non quidem cavernæ illæ piſcium in mari deliteſcentes, ut viſus eſt voluiſſe quidam auctor: quia enim exiſtimavit capita horum piſcium eſſe ſine carne, & ſine pinguedine, ideo exiſtimavit eſſe hanc circumloquutionẽ rei inutilis, rejicere capita piſcium inutilia in Mare, ut impleant gurguſtia, & cavernas piſcium. Potius ergo ſignificat capita harum belluarũ utilia eſſe; nam, & nominatim Plinius meminis *cervicis*, qua cetaceum genus Thynnorũ commendatur. Ideoque, ſi quando contingat Divina Providentia, Cetum aliquẽ ejici ad littus, tunc piſcatores in gurguſtiis, & tabernis piſcariis illorum capita diſſecta recõdere, vel cibo, vel oleo: preſertim cum ipſis oſsibus balenarum, ipſiſque maxillis ad ædificia utantur Ichthiophagi, ut ſuperius vidimus.

R. Abrah. — R. Levi. — R. Mard. — LXX. — D. Thom. — Plinius. — R. Moſeh. — Chaldæus. — Gurguſtium, quid. — Feſtus. — Cicero. — Camerenſ. lib. 4. c. 8. — Plinius.

Allegorice.

Quod vero ad myſterium attinet, belliſsima eſt hoc loco Cajetani allegoria de *cultro*, quo diſſecatur caput, & pellis Diaboli, id eſt, de argumẽtis, & rationibus, quibus ſapientes hujus ſæculi diſputant de operibus apparẽtibus Dæmonũ, tribuentes illa humori melancholico. Interpretatio ſane ludicra. Si vero quæratur *ſagena*, quæ poſsit capere tantam belluam, & ita capere, ut plus capere poſsit; habet Deus ſagenam ſuam, id eſt, potentiam, atque ſapientiam, dicente Ezechiele; *Expandam ſuper te rete meum, & extrabam te in ſagena mea.* Si quæratur *Hamus* ſufficiẽs tam immani rictui, eſt apud Habacuc. 1. 15. *Totum in hamo ſublevabit.* Si quæratur *Gladius piſcium*, quo ingentium piſcium capita diſſecantur, & quo tanta cutis durities incidi poſsit, eſt apud Iſai. 27. *Gladius Domini durus, & grandis, & fortis ad occidendum Leviathan.* Si quæratur *gurguſtium* piſcatorum, id eſt, taberna obſcura, & ſecreta, in qua membra Leviathan a piſcatoribus diſſecantur, præparantur eſui, & ſaliuntur; Eccleſia eſt, & ſecreta Confeſſariorum officina, qua peccatores exenteratos, & ſalitos per ſecretam confeſsionem Deo præparãt. Rurſus ſi quæras, quod ſit *caput* Satanę, quę *pellis*; Gregorius intelligit per caput, *Sapientes*; per pellem, *hæreticos*, qui nimiũ inhærent Diabolo; de cujus membris ſuperius diximus in Behemoth.

Cajetan. — Sagena, qua capiatur Diabolus. — Ezech. 32. 3. — Gregor.

XXVII. *Pone ſuper eum manum tuam: memento belli, nec ultra addas loqui.*

1. Ponere manum ſuper aliquem, *cujus habitus.*
2. *Congredi cum Ceto periculoſum.*
3. *Diabolus a Deo ſubjectus homini.*
4. *Diaboli vires, & ſævitia. Vincitur non tam loquendo, quam ſuſtinẽdo. Bellum diſputationis inter Deum, atque Iobum.*

1 Videtur eſſe clauſula quædam incredibilis immanitatis Leviathan, qui nulla humana induſtria, aut potẽtia poſſit capi, & expugnari, præter quam Divina virtute, quæ cum illius immanitate bellũ gerere videtur. Quod hic dicitur, *Ponere manum*, nõ eſt amicitiæ ineundæ, aut fœderis dextram præbendi; ſed potius pugnandi, & manum ad capturam admo-

Ponere manũ, cujus ſymbolum.

Chrysost. שום
vendi. quare eleganter dixit Chrysostomus, *Manum injice.* Sed quia verbū *ponendi*, accuratam, & artificiosam dispositionem affert, forte perstat in eadem rei piscatoriæ allegoria; Vtere, inquit, si placet, tua industria, suspēde manu piscatoriam arundinē; demitte hamum cum perpendiculo; dispone retia; capies scilicet, nisi ego in manus tuas dedero mea potentia edomitum Leviathan.

2 Paraphrasis sententiæ.
Memento belli. Fiet profecto, ut si temere audeas provocare belluam immanem, periculosissimum tibi bellum immineat, quo exanimeris, & pereas; neque aliter tuæ saluti cōsultum esse possit, quā retrahendo manum, & fugiendo, neque ultra te objiciendo hosti truculētissimo. manebit igitur, alta mente reposta memoria temeritatis periculosissimæ. Nos diceremus, *Llegalde, que a buen seguro, que os veays en una refriega, que no se os olvide tan presto.* Vel potest referri ad bellum, & discrimen, quod alii experti sunt, perculsi timore belluæ immanissimæ.

Periculosus conflictus cū Ceto.

Nec ultra addas. Non iterum addes, ut illū provoces; si quis semel incidit in Leviathan, cavebit deinde, ne iterum adeat navigationem, aut littus plenū discrimine, & terrore.

Allegorice.

Facile hæc ad invisibilem hostem referas; primo cum Philippo, *Pone manum*, id est, victo per me adversario, pones super eū manum tuam, ut possis ei tuto illudere. quasi diceret; Ne timeas; nā efficere possum, ut secure possis illius *caudam apprehendere*. videtur enim esse hortantis, & vires, atque animum præbentis, Exod. 4. 4. *Extende manum tuam, & apprehende caudam ejus, &c.*

3 Philipp.

Dæmon per Deū nobis subjectus.

Memento belli, in quo ille a me superatus, & compressus est, quasi diceret, *Confidite; ego vici mundum.* vici Leviathan. Sed melius cohæret, ut per ironiam dicatur, Injice manum. Sic cum Gregorio, fere Latini omnes, & Chrysostomus, cujus est elegans hujus loci paraphrasis, *Manum, inquit, injice, ac belli, quod tibi cum Ceto gestum est, recordare; tuaque si potes, virtute perfice, ut semel a te debellatus obsistere in posterum non audeat. Sane formidolosum est bellum, quod adversus Leviathan suscipitur; ipsaque bellua est ad expugnandum difficilis, & nos continenter oppugnat.* Poterit etiam referri ad sævitiā Diaboli, &, ut ita loquar, ad excusationem quandam Divinæ misericordiæ; Si quid tibi, o Iob, immerito illatum quereris; communis Hostis sævitia procuratū est, a me vero injussum. Licet tibi, si audes, aut si vales, de illo vindictā sumere, & sicut te exposui in illius manu, ita nunc per me licet, ut *ponas super eum manum tuam.* At sane superior ille in hoc congressu evadet, quippe superior ēst viribus, sævitia, nocendi libidine. Ex antiqua igitur invidentia, & desiderio oppugnandi, atque expugnandi hominum vitam, & incolumitatem, tuæ istæ ærumnæ originem ducunt; non est, quod gravius de me conqueraris, neque ultra *addas* mihi *obloqui*: si tamen viribus animi impugnes, & non tam lamentis, & lingua, quam sustinentia, & animi fortitudine te cōfirmes, fiet profecto, ut obtineas in bello. *Belli igitur memento, neque ultra addas loqui.* Quia vero illuminationis gratia addidit Interpres illud *loqui*, cū in Hebræo desideretur, forte *bellum* hoc, illud est, quod inter Deum, & Iobum disputando geritur; quasi dicat; Cum tanta sit immanitas Leviathan, tanta meorum operum amplitudo, & magnificentia, tam exquisita Providentia rerum omnium, quæ in quacumque mundi regione, aut elemento versantur; cumque plane te obruerim mea oratione, non est quod amplius tuæ causæ tribuas, sed demisso silentio, meæ Providentiæ te supplicem præbeto.

Ioā. 16. 33.

4 Ironia. Gregor. Chrysost.

Diaboli sævitia.

Bellum disputationis inter Deum, & Iobum.

XXVIII. Ecce spes ejus frustrabitur eum: & videntibus cunctis præcipitabitur.

1. *Cetus impingens & infixus in littus,*
2. *Cetus spectaculum præbens, cum capitur.*
3. *Diabolus frustratus spe, in morte justorum.*
4. *Idola, & fortis armatus cum ignominia expulsus a Christo.*

SEntentia plana, sed anceps: nam si ad Cetum referas, ut fere Gregorius, Philippus, Divus Thomas, & alii Latini interpretantur, significabitur Divina Potētia fieri, ut tam vasta bellua aliquando impingat in littus, & sine duce Musculo aberrans facile capi possit: insolens itaque illius spes evadendi ex omni discrimine, illudendi minoribus piscibus, & tuto insequendi, aliquando tandem fallit Tyrānum, atque adeo tunc universis incolis maritimæ regionis confluentibus ad illud spectaculum, *Præcipitabitur*, proprie ex Hebræo, ejicitur, asportatur, extrahitur a mari, hoc enim sonat verbum originale; quamquam proprie videtur esse e-

1 Gregorius. Philipp. D. Thom.

Præcipitare. שול

mittere, aut ejicere ex uno loco in alium, sive, quod aliqui curiosius observant, ita projicere aliquid, ut maneat infixum in eo loco, ad quem projicitur: ut cum projicimus jaculum, quod eleganter convenit in balenas, quæ vi tempestatum ingẽtium ejiciuntur, & hęrent in littore.

2 Si vero, quod cohærentius videtur, nõ referatur ad Cetum, sed ad hominem vel ad ipsum Iobum, de quo proxime sermo pręcesserat, sensus erit, qué dilucide proponit Tygurina; *Spes eũ capiendi fallax est.* nam *cunctis videntibus,* sive ut in Hebræo est, ad conspectum illius, dejicietur, consternabitur homo. Vatablus; *Excidet tanquam exanimatus eo viso*; Præcipitabitur, devorabitur à bestia.

Tygurina.

Vatabl.

Allegorice.

3 Facile hæc omnia ad Draconem antiquũ referuntur, quem spes devorandi justos sæpe fallit, & sæpe hæret, & infigitur in littore, evadente ex vitæ istius Mari salvo, & incolumi justo moriente. In exitu igitur, & morte alicujus justi videntur Sancti, & Angeli confluere ad spectandum, & ejiciendum, præcipitandumque Draconem; quem nocendi, & comprehendendi hominem, spes frustrata est.

Iusto moriẽte frustrata spes Dæmonis.

Tum præterea cum præcedenti sententia facta fuerit mentio *belli*, feceritque Deus animos Iobo laboranti, & in stadio contendẽti, nunc injicit spem majorem, fore ut hostem triumphet, & ut hujus omnis conatus sit irritus, atque spes vincendi mendax: & cum spectaculũ nunc præbeat Angelis, & hominibus, non multo post illius victoria cunctis item spectanda sit, cunctis videntibus hoste prostrato, & ejecto ignominiosissime.

Si ad Christi, & Evangelii victoriam referas, hoc illud est fortissimi armati supervenientis, & *diripientis vasa* alterius armati, in *quibus habebat fiduciã*, eundemque traducentis palam triumphatum. Accedit, quod mirabilis fuit ejectio, & pręcipitatio idololatriæ, quæ ipsa erat Diaboli spes maxima; nam *cunctis videntibus* tunc ejectus est, cum non *per successionem* ut Eusebius dixit, *Defecerunt idola: unum post alterum, sed omnia simul, quasi terræ motu facto post Domini nostri Iesu Christi Resurrectionem ruerant.* 4

Eusebius.



PARA-

CAPVT XXXX.

1
Reſpondens autē Dominus Iob, de turbine, dixit.

2
Accinge ſicut vir lumbos tuos, interrogabo te, & indica mihi.

3
Numquid irritum facies judiciū meū: & condenabis me, ut tu juſtificeris?

4
Et ſi habes brachiū ſicut Deus, & ſimili voce tonas:

5
Circunda tibi decorē, & in ſublime erigere: & eſto glorioſus: & ſpecioſis induere veſtibus.

PARAPHRASIS
Capitis præcedentis.



CVM VIM, ET IMPETVM ſuę orationis denuo inſtaurare vellet De⁹, inſtauraſſe iterum tempeſtatem viſus eſt.[a] quare turbine, qui multum remiſerat, denuo invaleſcente, & vehementius perſtrepente procella, ad Divinæ præſentię, & vocis manifeſtiorem ſignificationem; tum antiquis Iobi querimoniis, atque iis etiã, ſi quæ nunc forte in ejus animo verſabantur, cogitationibus triſtioribus, tum ipſius ſilentio, hac ratione occurrendum cenſuit.

Cõfirmato, & integro animo iterum, atque iterum te volo in tua juſtitia, & cauſa defendenda. Noli igitur ſilẽtio uti; loquere; te collige; vir eſto; ægritudinem pelle; animoque complexus, quid te reſpondere oporteat, viro dignam reſponſionem præbe.

Tu vero in meo judicio cur ita obmuteſcis, cum ſæpius poſtulaveris apud me cauſam dicere tuã?[b] Fruſtra ne jam tibi aditus ad meũ tribunal patebit? Atqui cum tibi meum conſpectum deſideranti, aperte reſpondeo, eo ſum animo, non ut tibi loquendi facultatem adimam, aut ut ullius peccati reum traducam, quin potius, ut tua oratione, atque mea reſpõſione cunctis mortalibus tua juſtitia promulgetur; & tibi quidem ornamento ac gloriæ, orbi autem terrarum ſit emolumento. Niſi forte velis judicium meum, quo res tuas certa Providentia conſtitui, ita diſſolvere, & diſſipare, ut meæ juſtitiæ, & æquitati aliqua ex parte detrahatur; & in tuam juſtitiam, & innocentiæ exiſtimationem ita intendere, ut non valde cures an meæ æquitatis lædendæ, & infirmandę ullam occaſionem præbeas. An vero fas eſſe putas, ut quod ego de tuis rebus conſtituerim, & de tuarum ærumnarum menſura, & modo præſcripſerim, vel tuis rationibus perſuaſus, vel tuis querimoniis defatigatus, mutandum, & infirmandum cenſeam? quaſi ego æquiſsimis judicii mei lancibus non ponderaverim, quid res unaquæque exigat. An vero ſatius ducis, ut ego mutandi decreti, & infirmandæ Providẽtiæ veluti damner a te, ne tu alicujus hominis judicio peccati alicujus inſimuleris? Ita ne exiſtimas neceſſario fore, ut meum judicium aliqua iniquitatis nota inurendum ſit, ſi tu declarandus ſis innocens? Atqui quamvis meæ te ſententia omni criminis ſuſpicione abſolvam, nullam mea æquitas, meaque Providentia iniquitatis notam ſubibunt.

Quod ſi Dei ſimilẽ potẽtiæ,[c] & pulchritudinis gloriã habes, poteris ſane tuis viribus, tuam ſalutem tueri. Quodſi neque cum Divina gloria, neque cum illius ſpecie, & pulchritudine, de æqualitate cõtẽdere potes, conſequẽs profecto eſt, ut neque tuam ſalutem parere tuis viribus poſsis. Verũ ſi conſcientia tuæ imbecillitatis cũ meo robore collatæ tibi animos adimebat, quaſi mihi propoſitum eſſet, te opprimere: potius inde colligere potuiſſes, non fuiſſe mihi tecũ pugnandum, imparibus omnino viribus, neque tuam imbecillitatem primum a me laceſſendam. Et vero quãvis Brachio tuo, inſtar Divini, adverſarium ſuperaris, atque arrogantis faſtum obtriveris, eumque cum ſua cohorte longius projeceris; at illud minime prętitiſſes, niſi brachium iſtud tuũ mea virtute roboraretur. Tu vero quaſi meæ

opis

NOTATIO RERVM INſigniorum, quæ in Commentariis fuſius explicantur.

a *An novus nunc turbo, an prior denuo inſtauratus, quæritur n.3.*

b *Multum varia, atque diverſa expoſitio, irritã di judicii Divini, tractatur n.4.5.6.*

c *Quis harum ſentẽtiarũ ſcopus, & nexus, quæ itẽ ratio metaphoræ nũc aſſumatur ad ſignificandã Divinam Majeſtatẽ, accurate diſſeritur duabus prævtis quæſtiunculis.*

opis adversus hostes acerbissimos, minime indigeas, ita & mecum expostulas, & quasi ex æquo mecum agere non vereris; quod sane stultum videtur æque, ac illud, hominem gloriari de sua justitia, qui suæ sibi salutis causa existere nō possit, neq; ullum magnificum potestatis, & roboris documētum præbere. Illud vero persuasum tibi esse oportet vel ex tua imbecillitate, fieri non posse, ut contra meum decretum, atq; sententiam, tuam salutē, & restitutionem consequaris, qui æqualis potentiæ, atque roboris in magnificentissimorum operum gloria, & laude mecum non sis. Expedit igitur, ut compressis querimoniis supplicem te meo brachio flagellāti præbeas. Vt vero tibi aliquid de mea potētia, & suprema æquitatis majestate, & de tua etiam imbecillitate proponam; si quid viribus, aut imperio vales, indue, & exorna gloriosis virtutum ornamentis, Angelorum naturam, & superborum arrogantiam comprime; ex priori dignitate, & supremo domicilio, in sortem abjectissimam, & locum infimum, id est, terræ viscera abjice; emine, & præside universitati creaturarum, & cælesti lumine te ipsum circunfunde, voce magnificentissima jube, ut quæ non sunt, in lucem prodeant; superbos omnes, sive de Celo in inferorū baratrū; sive de paradiso deliciarum, in terrā squāllentem, & mortalitatis locū perpetuo exilio mulcta; simulque sustēta justos; territa impios omni ex parte; sanctitate, & puritate fulge, atque sanctorum fulgoribus, velut pretiosis quibusdam ornamentis amictus, in supremo gloriæ solio super omnē creatā conditionē evectus, superbos extremę sortis abjectione affice. Verū enim vero, Iob quamvis cultu Regio, & pretiosissimis ornamentis cirūfulgeas, quāvis sublimi Throno residens, aliorum mortalium humeris, & verticibus immineas; quantumvis ad juris, & æquitatis leges optimo cuicūque principi excolendas, aspires; &, quod in te fuerit, virtute tui brachii coneris irrumpere iniquitatem; sed hæc quid sunt cū mea virtute, & justitia comparata, qui sempiternæ gloriæ, atque imperii ornamētis fulgeo, qui sceleratorum elatæ mentis insolentiam vultu ipso meo designo, atque dominatum frango? id quod ex re ipsa præsente terrificæ hujus tempestatis, & turbinis, conjicere potes.

Nam tunc tādem ancipitem fortunam mecum experieris si possis istius brachii, & virtutis signum aliquod præbere; si perinde ac ego, splēdoris vestimētis excultus tonitrua edere, turbinem versare, fulgura dispergere, quib⁹ superborum fastum proteras; & versato pulvere clarissimorum virorū facies obducere, & inspergere, nulla humanæ dignitatis habita ratione.

Sed ut exprætantibus, admirandisque naturæ operibus nonnulla depromam, & monstra quædam ex bestiarum generibus, sive magnitudine, sive parvitate mirabilia prætercam, quæ non secus, quam homo ipse, mea potentia, & virtute sustinētur; certe supra omnem admirationem fuit incredibilis [d] illa varietas bestiarum, & reptiliū ex terra, sexto illo creationis Die, quo Adamus ex terra factus est. Ex illis vero, quamvis nonnullæ carnivoræ sunt, mirum est tamen, maxima ex parte sic a natura institutas fuisse, ut boū alimentis contentæ, non carnibus, sed fœno pascantur. Sed unus pro multis Animalibus [e] Elephantus erit, membrorum vastitate, ingluvie, aviditate, fortitudine incredibili. Attende igitur, quæso, ad belluam vastissimā, in qua multarum tibi belluarum genera proposita fuisse arbitreris, ut quod sit terrestrium animalium maximum, & tam diuturnæ vitę, ut plurimarum belluarum ętates, unus ipse continere videatur, propeque ad humanum ingenium disciplina, mititate, obedientia, societate cum humano genere, solertia denique. & intelligētia accedens. Et licet tam vastum, tamque grave animal sit, mirum est quam facili, quamque levi pabulo, nimirum herba, atque seminibus, perinde ac bos, tantam membrorum molem sustinere queat, ut bovem quendam maximum esse arbitreris, quippe gaudet cibum sumere ex

6 *Disperge superbos in furore tuo: & respiciens omnē arrogātem humilia.*

7 *Respice cunctos superbos: & confunde eos, & contere impios in loco suo.*

8 *Abscōde eos in pulvere simul, & facies eorū demerge in foveam.*

9 *Et ego confitebor tibi, quod salvare te possit dextera tua.*

10 *Ecce Behemoth, quē feci tecū, fœnū quasi bos comedet.*

[d] *Nominis* Behemoth, *notio, & etymologia, & varia acceptio tractatur, n.2.*

[e] *Interpretatio de Elephanto, ratione, & auctoritate confirmatur, tū etiam sparsim singulari interpretatione sentētiarum exacta ad Elephāt. naturā, proprietates, & membra.*

homi-

hominis manuum. Et vero maxima Elephanti vis, & robur in dorso illius,& coxendicibus residere videtur; namq; durissimo dorso plures bellatores ligneis turrib⁹ inclusos defert, dorso astrictis,& reductis vinculis sub ventrem,& umbilicum; & licet aliquãdo ventris luxu, & intemperantia bachatur; sed fœminæ, quę in aliis generibus esse solent imbelliores, at in hoc genere majores, & rubustiores, sicut & ventre laxiores, esse solent.

11 *Fortitudo ejus in lũbis ejus, & virtus illius in umbilico ventris ejus.*

Cum autem generationi vacat, mirum est, tam parvo, tamque occulto genitali, munere venereo fungi, ac semen excernere, picis Cedriæ instar. Caudam autẽ,& partem corporis vilissimam, nullis munitam pilis a natura obtinuit, quæ præsidio esse posset abigendo tędio muscarum; sed cum nullum habeat setarum tegumentum, verũ instar horrescentis Cedri foliis duris, acutis, spinosis, caudam nimiũ strictam, nimiumque rigidam habeat, cancellatam cutem obtinet, quam cum extendit, recipitque muscarum examina, arctatis in rugas repente cancellis comprehensas illas enecat. Hoc illi pro cauda, juba, villo est. Atque in eo etiã cedri similitudinẽ repræsentat, quod sicut ingens Cedrus, ex parvo semine, parvisque initiis evadit maxim⁹: cumque testiculos habeat multis nervorum plicaturis nõ foris conspicuos, sed intus circa renes conditos, rem veneream numquã in aperto agit; sed inter arbores densas, aut in profundum aliquem locum se abdit; in quo imago proponitur Cedri utique cum fructu, sed sine flore, sine seminis, aut generationis manifestis aliquibus argumẽtis. Quare stricte,& moderate libidines frœnat suas.

12 *Stringit caudã suã quasi cedrum: nervi testiculorũ ejus perplexi sunt.*

13 *Ossa ejus velut fistuli æris: cartilago illius, quasi lamina ferreæ.*

Ossibus vero est solidissimis, instar æris,& ferri; dentibus aut cornibus robustissimis, costis, & lateribus fortissimis; cruribus autẽ sine flexu; quæ propterea repræsentare videntur bacillos ferreos, aut columellas æreas, quibus tam vasta moles incumbit. Denique sive ossa majora consideres, sive minutiora, durissima sunt, pariterque solidissima. Quamvis vero mollior, nõ ideo imbecillior est proboscis, quãvis cartilaginea; quippe illa arbores prosternit, & præ cæteris animalibus nasutæ illius partis magnitudine, viribus, usu præstat non minus, quam si instrumento aliquo ferreo instructus esset.

14 *Ipse est principiũ viarum Dei. Qui fecit eum, applicabit gladium ejus.*

Cum ergo tam vastum animal sit, vel tempore aliquando, vel naturæ ordine videtur cętera quadrupedia præcessisse, ut pote magnitudine, fortitudine, docilitate reliquorum facile Princeps. Et quidẽ tanta est fortitudine, ut cum cætera animalia mirum in modum exhorreãt congressum cum Elephãto, at Cõditor illius, qui certa illum dispositione formavit, tantum videatur suæ potẽtiæ quasi mucrone illum confodere posse: quippe vivit diutissime. Quamvis idem ipse naturæ auctor certam rationẽ mortalibus designavit, qua illum cõfigere,& prosternere possint. Cumq; tam immanis belluæ alvũ mollissimam effecerit, videtur designasse Rhinoceroti partem opportunam, quam mucrone sui cornu maxime peteret, neque vano ictu. Quippe cum Rhinoceros sit brevioribus cruribus, videtur certa proportione, & altitudine ab ipsa natura habere cornu applicatum sui hostis alvo infimæ. An vero non etiam Draco gladius erit, qui Elephanti sanguinem fundit, dum Elephantum vulneratum ebibit, & exhaurit?

15 *Huic montes herbas ferunt: omnes bestiæ agri ludent ibi.*

Tanta vero vastitas,& fortitudo innoxia sane est minoribus quadrupedibus; non enim insidiatur pecoribus, non caulis pastorum, nõ segetibus, & satis, sed sponte e terra inculta germinantibus; quare cum mitissimus occurrat infirmioribus pecudibus, lętæ illæ,& securæ in eisdem pascuis cum illo versantur. Atque illud etiam mirandum, quod tam immani belluæ parvulus illudat mus, quem maxime odit; sues invalidi in fugã convertant, hirudo intollerando afficiat dolore; vermes exagitent, & exulcerent!

16 Tantæ vero cum sit magnitudinis, arbores illum sua umbra tegere commode non possunt; neque potest latere in arundineto, neque

in loco lutoso, quem aliæ animátes pro cubili, & statione amát. Quávis latere non possit, quod recumbendi usum cum cæteris animalibus non habeat communem: nihilominus erectus, & arboribus incumbens, juxta papirum, & carices somnum capit; quippe amat amnes, & loca palustria, tempore præsertim æstivo, cum æstuante sole pruritur, atque etiam tempore generationi destinato, tunc enim Elephantus solitudinem petit, & præcipue secus flumina, ubi frequéter proveniunt salices, alni, & populi, quæ amát aquas.

Sub umbra dormit in secreto calami, & in locis humētibus.

17

Protegunt umbræ umbram ejus: circūdabunt eum salices torrentis.

Cum autem natura siticulosus sit, largissimi quoque potus est, atque adeo ingentes haustus facit ut quasi quadam bibendi avaritia, & sacra siti, totum ipsum flumen in os suum cōvertere velle videatur. Ipso igitur bibente, insistit fluvius, insistit quoque Elephantus per otium, & securitaté bibens, postquam diutinam sitim tolleravit. Videtur itaque fluvius, quantumvis maximus, nō aliter in illius æquali culum influere, quā Iordanis in Mare mortuū, quod propterea nunquam exundat.

18

Ecce absorbebit fluvium, & non mirabitur: & habet fiduciā, quod influat Iordanis in os ejus.

Bibēdo autem nasum longissimū, oculis tenus usque in fluvii fundum immergere videtur, ut aquā abunde haurire possit, ex quo interdū contingit, ut sudibus in imo fundo defixis offendatur, & tangatur. Illud etiam ab Auctore naturæ cōstitutum est, ut naso, qui illi est bibendi, & deliciādi instrumētum, arte venatorum perforato capiatur, & alligetur. Designavit enim Deus hanc illius capiēdi rationem, instructa fovea, in quā cum imprudēs incidit, oculis, & naso vulneratis optatissima fiat præda venatoribus. Sed tunc potissimum, cum largissimo se potu implet, parantur illi a Draconibus insidiæ: nā immersum Elephantum in fluviū invadit Draco, constringit illigata manu, morsumque in aures defigit; neque aliud magis, quā oculos petit, quos solos expugnabiles esse natura monstrāte cognovit. Aliquādo etiam a vermibus illis Gangeticis, branchiis, quasi sudibus transfixus, ad potum veniens Elephantus mordicus comprehensa manu abstrahitur.

19

In oculis ejus, quasi hamo capiet eum, & in sudibus perforabit nares ejus.

Quod si in tanta belluæ vastitate, quā Deus nullo negotio expugnat, atque prosternit, mirabilis est Conditoris potestas atque sapiétia; quanto magis, cum immanissimæ belluæ, id est, [f] Diaboli superbiam comprimit, viresque enervat? Est ille Lernæa Hydra, non solum septiceps, sed bellua infinitorum [g] capitum, ex omnibus improbitatibus, & belluinis artibus composita; & in illos potissimum dominatum exercés, qui belluinos mores amplexati, belluinis voluptatibus se totos tradiderunt. Is ipse mirabili arte, atque virtutum omnium ornamentis à Deo conditus, [h] simul cum homine intelligendi particeps, ex suprema creaturarum intellectualium dignitate in abjectissimam bestiarum sortem sua superbia decidit; & humanę salutis invidia contabescens, cum illo nunquam non testatas gerit inimicitias; perpetuus comes illius vitæ, & itineris, ne unquam lædendi, & impediendi occasionem prætermittat. Interdum vero vanissimam mundi gloriam, [i] & paleas, atque quisquilias impurissimarum voluptatum, quibus ille veluti pinguescit, offert belluinæ vitæ sectatoribus, amplius nil quā meram corruptionem, & immunditiam de studiis, & carnis voluptate decerpentibus.

10

Ecce Behemoth, quē feci tecum, &c.

Atque cum illa amare videatur, quæ inesse vult suis sectatoribus, videtur profecto prima hujus belluæ vis [k] a libidine proficisci, longius autem progressa ad umbilicum arrepit, quia vétris luxum, atq; intemperantiā comitantur affectus, qui ventri parent: ventris enim satietas obscęnæ libidinis radix est. Vires igitur suas, suumque virus exerit, cum hominum lumbos, partesque mollissimas, & ad voluptates proclives nostri corporis sic corrumpit, ut perinde in nostris mébris dominetur, ac si sua illius mēbra, suique lumbi existerent. Tunc autem parte mollissima, atque maxime imbecilla, id est, umbilico vétris [l] Tyrannidem exercet suam, non solū cum mulieres, genus imbeci-

11

Fortitudo ejus in lūbis ejus, &c.

f Interpretationis de Diabolo, auctores, & probationes, atq; singularum sententiarum accōmodatio ad Angeli naturam, aut ad Dæmonis improbitatem, sparsim.

g Quod Diabolus sit Behemoth, id est, plures bestiæ, eleganter, & utiliter ostenditur, n. 1. 2.

h Quo tempore creatus Angelus, differitur, n. 4.

i Fœni allegorica significatio diligēter tractata. n. 5. 6. 7.

k An fœminis luxuria in umbilico sit, an in māmis, diligenter inquiritur ex Sacris, & profanis, n. 3. 4. 5. 6.

l Adversus turpem voluptatem, opportuna, & utilia nō paucaa, n. 1. usque ad 5.

becillum,& voluptuarium, impurissimis libidinis illecebris inescat; sed cum per fœminas, tanquam per præsentissimum humanæ vitæ, atque salutis virus, virorum animos emollit, & enervat, omnesque virtutis nervos incidit.

12 *Stringit caudā suā, quasi cedrum, &c.* Proh mentis improbitatem obfirmatam, atque inexorabilem, nostræ morti, & actionum universarum fini insidiantem; qui si pravus sit, m ex nostra ille finali impœnitentia, caudam sibi conficit, erigit, stringet, agitabit, velut cedrum proceram, & imputribilem. Cum autem incredibiles sint illius fraudes, & plicaturæ ad generandos sibi similes filios, mille tentationum involutionibus, & perplexitatibus versutiarum, at improbitatem nobis ille objicit, atque proponit voluptatum illecebris, quasi tela quadam ex multis filis contexta convolutam.

m Potissima Dæmonis cura insidiandi nostro fini, & morti, utiliter ostenditur, n.1.2.

13 *Ossa ejus velut fistulæ æris, &c.* Consilia vero illius, quibus tota illius moles, & ratio agendorum, tanquam ossibus innititur, sunt profecto solidissima, & ad improbitatem exquisitissime comparata. Quæ cum per se sint crudelia, & acerba; at convestita ille gestat omnibus deliciis, & mollitudinibus, velut contecta: & interdum etiam potentiores quosdam viros, & improbos Tyrannos, sibi tanquã ossa ascifcit, quorum virtute, & potentia utatur ad alios infirmiores, & molliores in improbitate sustentandos.

14 *Ipse est principium viarum Dei, &c.* Hic denique est, n qui cum Divina similitudine insignitus fuisset, & creaturarum excellẽtissimus, in quo reliquæ viderentur, quasi per recapitulationem quandam colligi, & velut primogenita creatura donis amplioribus præ cæteris cumulata, ipso suæ creationis initio, cum mundo isti corporeo se communicavit Deus, at Divinam bonitatem primus ipse provocare ausus, non amplius in se ipso expertus est Deum beneficum Conditorem, sed judicem severissimum improbitatis pœnas justissimas, gravissimasque exigentem, & supremi numinis potẽtiã, & vindictam in sceleratos omnes velut gladium acutissimum adigentem. Et quidem quamvis improbum Dæmonem nõ spoliaverit Deus viribus, & facultate ad nocendum, at comprimit illas, & pro sua Providentia, atque Sapientia, ita moderatur, & applicat, ne plus noceat, quam ipse permittendum constituerit. Atque in eo mirabilis est Divina bonitas, quod Dæmonem suopte ingenio, & improbitate paratum, & applicatum perpetuo ad nocẽdum, suãq; operam, & industriam offerẽtem supremo judici, si forte ille se tortore, & carnifice uti velit; ita moderatur Deus, ut illius improbitatem, & nocendi libidinem contra eum ipsum convertat; ut dum justis insidias struit, & interitum machinatur, o suis se artibus, & nocẽdi libidine confodiat, & perdat, justis vero ipsis ingentia lucra ex tẽtationibus, & calamitatibus maligne procuratis designet, & afferat. Cum enim Deus sit per se pacis amantissimus, hostium nostrorũ armis ad ipsorum supplicium sapientissime utitur.

n Dignitas Angelicæ naturæ, peculiari ratione, & fuse tractatur, n.3.4.5.6.

o Deũ impiorum sceleribus, & impietate uti ad illorum supplicium, cum utilitate ostenditur, n.8.

15 *Huic montes herbas ferunt, &c.* Interim sævissimus inimicus, qua potest ratione, nostris malis, & detrimentis suas divitias metitur: nostris enim lasciviis, & impuris voluptatibus lascivit, & pinguescit ille, atque illis cum summa voluptate vescitur, quæ sponte germinãt ex pravitate, & corruptione nostræ naturæ, in illis præsertim hominibus, quorum studium est, cum Principes sint, libidinibus obsequi, & sicut aliorum, ita rationis, & honestatis legi, & imperio minime se submittere. Atque ex montibus, id est, ex viris Principibus in præcelso dignitatis fastigio constitutis, opimam prædam reportat, quam suis militibus, & eorũdem studiorum consortibus in tartaro dividit, de nostra improbitate lætantibus cunctis, & per summam ignominiam humanæ stultitiæ detrahentibus.

16 *Sub umbra dormit, &c.* Et mirũ; improbitatis auctori deterrima quæque, & pessima placuerunt; gaudet nimirum in obscuris, frigidis, torpentibus mentibus residere, & requiescere velut in loco ad incredibilẽ voluptatem sibi

com-

comparato: & in iis rebus, & bonis, quæ cū nihil solidi habeant, umbræ sunt veri boni, ad speciem tantum, & ludificationem oculorum, tum præterea in iis, quorum mens nunquā est quieta, sed variis perturbationibus agitata, quiescit enim ille, & dormit, cum nostrā quietem animi interturbat: denique in illis, qui alios pravo exēplo, aut ope præstita ad improbitatem duces, & exhortatores se prębent.

17 *Protegunt umbræ umbrā ejus, &c.*

Sic maximam mortalium prædam capit, & ex nostrarum mentiū inconstantia, & fluentium voluptatum studio, fraude quadam, & illecebra ad se se alliciēs, incredibilem nostri sanguinis, & interitus sitim exsatiare se posse sperat.

18 *Ecce absorbebit fluvium, &c.*

Mirum igitur, ut malignus observet justum oculis, & stridat dētibus in eum, considerans attentissime qua via invadere, qua ratione capere, & decipere possit! ut dolet oculis suis gravissime, cum videt nos cum diligentia vitam nostram, & virtutis opera disponentes! tunc enim capi se oculis arbitratur nostræ vitæ splendore obcęcatus. Sed tunc potissimum captus, & illusus est suis oculis, cum filium Dei, quē videbat carnis infirmitate circumdatum, inique agressus, [illegible] in carnem dentes infigens, hamum voravit, quo trāsfixus est, & Divina virtute, quasi calamo suspensus piscis, irridendus propositus est, obtritis jam, & quasi perforatis illius naribus, & sagacissimis insidiis detectis, atque calumniandi, ridendi, contemnendi licentia repressa, & castigata.

19 *In oculis ejus, quasi hamo, &c.*

Denique si teterrimæ hujus belluæ vitia, & improbitates considères, universa illius p membra non nisi ex scelere, & iniquitate compacta esse perspicies. Si vero vim, & dominatū, quem in improbos exercet, ex quibus, tanquam ex membris totus componitur, & veluti coalescit, Draco nimirum terrificus ex pluribus serpentibus, & filiis viperina luxuria, atque intemperantia natis, facile credes improbos omnes membra esse Diaboli; atque illos præsertim, qui impurissimis operibus vacantes, & idolorum specie misere delusi, vel in montibus, vel in lucis, & sylvis, aut influminum ripis, Dæmonem pro Deo venerantur, & colunt.

p *Ut possint mēbra Diaboli, vel ex illius improbitate, & vitiis, vel ex diversitate impiorum componi, per pulchrā allegoriā indicatur, n. 1. 3.*

Sed non solū q in terrestri bellua quadrupede maxima, atque fortissima Divinę Potentię, atque Sapientiæ, tum etiam Diabolicæ immanitatis, atque superbię, quam Deus conterit, præclarum specimē, datū est mortalibus. Sed præterea in Leviathā marino monstro maxime terrifico, quod propter vastitatem, atque immanitatē videtur esse r copulatum ex multis, non solū quod membris, & squamis mutuo sibi inhærentibus arctissime compactū sit, sed quod copulationem habeat multorum, quibus ornatum, & comitatū incedit. In qua sane marini serpētis vastissima, & terrifica immanitate, quæ Divinæ Potentiæ, atque imperio paret, & obsequitur, graphica imago proposita est invisibilis s Ceti, qui in hujus turbulentissimi maris, id est, Mundi æstu, & perturbationibus Tyrannidem exercet acerbissimā; nihil enim mari, terrave sęvum, & immane est, quod Diaboli sęvitiam, & immanitatem non repræsentet. Verum enim vero mirū est, ut Balena, & Cetus aliquando incedat cum ingenti ornatu, & comitatu ostreorum, pisciculorum, herbarū, quæ in illius cute adnascuntur; cujus cum magnitudo, & vastitas prope immensa sit, erit ne mortalis aliquis, qui lino, & hamo piscatorio, possit Cetum inescare, & extrahere fune pendētem, & lingua, branchiisque transfixū? Et vero, o Iob, poteris illum uncino, hamove infixo palato, & per nares eminēte, aut branchiis affixo capere, captum vero junceo circulo, aut recurvo alio instrumento suspendere, & quo velis deferre?

q *Behemoth descriptum esse sub forma, & specie belluæ terrestris quadrupedis, nō vero sub forma Serpentis, ostenditur peculiari quæstiuncula, n. 1. 2. 3.*

r *Notio, & proprietas nominis Leviathan, diligenter, & accurate investigata, peculiari quæstiuncula 1.*

s *Leviathan, quod, qualeve animans proponatur, terrestre, an aquatile, eleganter ostenditur trib⁹ quæstiunculis, 1. 2. 3. 4. a n. 6. usque ad 18.*

20 *An extrahere poteris Leviathā hamo, & fune ligabis linguam ejus?*

Sane hujus piscis tanta est immanitas, ut omnem humanā potentiā non pertimeat, neminique supplicare, aut blandiri assueverit. Tātum, cū tēpestates præsentit, Conditori suo, & dominatori fluctuū, quasi supplicans, & blandiens ludere, & caudam agitare videtur. Erga mortales vero, aut erga alios pisces, cum immanissimi ingenii sit,

21 *Nūquid pones circulū in naribus ejus, aut armilla perforabis maxillam ejus?*

nun-

22 *Numquid multiplicabit ad te preces, aut loquetur tibi mollia?*

23 *Numquid faciet tecum pactum, & accipies eum servum sempiternũ?*

24 *Numquid illudes ei quasi avi, aut ligabis eum ancillis tuis?*

25 *Concident eum amici, divident eum negotiatores.*

26 *Numquid implebis sagenas pelle ejus, & gurgustium piscium capite illius?*

27 *Pone super eum manum tuam: memẽto belli: nec ultra addas loqui.*

28 *Ecce spes ej⁹ frustrabitur eum: & videntibus cunctis præcipitabitur.*

nunquam ex jure amicitiæ, & societatis agit, ferum utique, & indomitum monstrum, a mea tantum potentia edomitũ, & servitute perpetua subjugatum.

Non humanæ vires, non industria, & ars illius vires, & sævitiã unquam eludere potuisset, nisi Cetacei generis ducẽ ego cõstituissem, qui cæcutienti belluę, & superciliorum mole gravatæ viã ostenderet. Ergo capto eo pisciculo, tũc tandem piscatorum industria delusum, & aberrantem Cetum, & in vada, aut littora impingentem cõfigere, & dilacerare potest. neque minus facile, quam si stulta esset avicula, puerorum atque fœminarum lusus, & aucupium.

Tunc sane quãvis immanissimus sit, neque ex illorũ piscium familiarissimo genere, qui solent ad edulia, & cibos incidi, & præparari, tamen turmatim ad illum confluunt homines, & de tanta præda mutuo sibi gratulantes, lætissima celebrant convivia, & alii hastis, alii tridentibus, alii securibus cædunt, & multa verberatione expugnatã in litt⁹ cõpellũt, atq; ejiciũt. Cũq; adeo immani magnitudine piscis sit, ut illi⁹ corpus uni toti nationi satis esse possit, mercatorũ multitudo in illo partiendo, præparando, distrahendo diligẽter, & solicite operã collocat. Si quando igitur in manus hominũ devenit, non est humanis viribus, aut industrię, sed supremæ numinis providentiæ adscribendum, quæ tantã belluam usibus humanis deputavit, atque subjecit. Nam quæ tanta sagena contexi potuisset, ut illius solã pellem complecteretur? quæ profecto crassissima est, & ad opportunitatem humanæ vitæ aliquam idonea. Aut quis mucro, gladiusve, qui pellẽ durissimã discinderet, nisi me mõstrante, qua ratione exenterari, per partes dividi, in cetaria, & piscaria officina saliri, parari, & asservari expediret? & præsertim caput magnitudine mirabili, quod vel cibo, vel oleo, vel etiam sustinendis piscatorum tabernis idoneum est.

Denique tanta est Cetorũ magnitudo, ut si quis suis viribus, & industria illam se posse capere, & expugnare cõfidat, atque manum ad illius capturã tuto injicere, fiet profecto, ut cum temere provocaverit belluam potentissimam, bellum sustineat gravissimum, & periculosissimum, quo exanimetur, & pereat, neque aliter saluti suæ consulere possit, quã retrahendo manũ, tergaque vertendo, interim manẽte ingentis discriminis, & temeritatis stultissimę memoria sempiterna. Quis enim semel incidit in Leviathan, qui deinceps diligentissime non caveat, ne iterũ simili discrimine laborare cõtingat, aut ne navigationem repetat, littusque prope cõtingat terrore plenissimũ?

Sic profecto fit, ut sępe omnes insidiæ humanæ artis ad capiendũ Cetum, vanæ, & irritæ sint: ad conspectũ enim teterrimæ bestiæ statim consternantur homines, quasi continuo devorandi, & exsorbendi. Sed nonnunquam etiam Divina Providentia fit, ut & Tyrannus ipse marinus spe evadẽdi ex omni discrimine, atq; tuto minores pisciculos insequendi, & piscãdi spe frustratus incolis maritimæ regionis spectaculum jucundissimum prębeat, e mari extractus, & fluctuũ ipsorum vi ejectus, atque in ipsa arena infixus, & inhærens. [t] Quæ omnia repræsentant sane immanissimum illum hostem humani generis. quippe nihil est in rerũ natura, sive in Mari, sive in Terra, terrificum, & exitiale, quod illius ingenium, mores, nequitiam non referat. Sed illum tamen illudentem mortalibus Divina Sapientia prosternit, & triumphat, triumphatũque universis creaturis spectandum, & irridendum exhibet.

[t] *Quæ de Ceto dicuntur, universa ad Diaboli mores, & ingenium relata in singulis sentẽtiis sparsim indicantur.*

CAPVT XXXXI.

ARGVMENTVM CAPITIS

Abſolvitur deſcriptio Leviathan ex peculiaribus notis totius corporis, & terrifico mēbrorum omnium habitu, & compoſitione.

I. Non quaſi crudelis ſuſcitabo eū. Quis.n. reſiſtere poteſt vultui meo?

1. Crudelis, *quid proprie. Permutatio perſonarum Hebræis familiaris.*
2. *Verbum* ſuſcitandi, *aut* vigilandi, *bellicum, Deus armans Diabolum, nō ex crudelitate, ſed ex potentia. Illuſtrāt David, Iſaias, Petrus.*
3. *Simplex ſententiæ Paraphraſis.*
4. *Diaboli ſævitia, Dei permiſſio, & ſeverior caſtigatio, ſed ſine crudelitate.*
5. *Dei Potentia ſalutaris, & benefica, illuſtratus Iſaias, & David.*

1



CVM ILLA, quæ nuper facta eſt *belli* mētio, videtur ſententia hæc cohærere. Habet autem variam cōſtructionem apud Interpretes: nā Hebraizātes per tertiā perſonā legunt, *Nemo eſt tā crudelis* (tā audax, ſuæ vitę inimicus, & in animā crudelis; aut, nemo tā cōcitatus animo, & ira adverſus hoſtem aliquē, hoc enim exigit proprietas originalis) qui excitet illū, qui provocet ad certamen, & auſit laceſſere. Solꝰ enim ego, inquit, Deꝰ illū mihi hoſtē depoſco, quē nullo negotio trucidare poſſum; nemo enim tā ferus, & immanis hoſtis eſt, qui valeat mihi reſiſtere. Et hæc quidē ſententia per ſe apta eſt. Sed tamē Interpres, ut tota oratio meliꝰ decurreret ex Dei perſona loquentis, intellexit tertiā illā perſonā, *ſuſcitabit*, accipi debere pro prima, id eſt pro ipſo Deo. quo etiam modo intellexit Cajet. nā hæc perſonarū mutatio nō eſt inſolens in Sacro ſermone. Ergo ait Deus, Quamquam ego ferā, & indomitam beſtiā *Leviathan*, Tyrannū maris potētiſſimū, creaverim, atque in tantā vaſtitatē extulerim, & quaſi illū incitaverim, ut inferret bellū ſanguinariū aliis piſcibus minoribus, atq; ingentē mortalibus terrorē, non eſt id mihi tribuēdū crudelitati, aut Tyrānidi innatæ, ſed tantū ſupremę potentiæ, cujus argumentū eſt, tū ipſius beſtiæ magnitudo, & vaſtitas, tū quod ego illam cōprimo, & trucido, & concidendam hominibus prębeo, cū mihi viſum eſt. Cōvenit cū hac interpretandi ratione verbū illud *ſuſcitādi*, quod ad præliū videtur pertinere; quamquā enim ſignificet vigilare, & ſomno cōſurgere; tamen ipſa etiā vigilia, & ſomni depulſio bellica eſt. Exēpla manifeſta Pſ. 43.24. *Exurge* (præliaturus cū hoſte) *quare obdormis Domine?* Pſ.79.3. *Excita Potentiā tuā, & veni.* Pſ.77.38. *Non accendit* (nō excitavit) *omnē irā ſuā.* Iſai.59.9. *Conſurge, ſicut in diebus antiquis: Nūquid nō tu percuſſiſti ſuperbū, vulneraſti Draconē?* Iſai. 10.26. *Suſcitabit ſuper eum Dn̄s exercituum flagellū.* Denique ad bellū nos comparat, Petrus dicēs, *Vigilate, quia adverſarius veſter circuit, &c. Cui reſiſtite fortes;* Tū etiam Chriſtus Dn̄s, *Vigilate; ne intretis in tentationē.* Ergo cū Deꝰ dicitur *Excitaſſe*, aut, *evigilare feciſſe Leviathan*, indicat illū armaſſe robore, & immanitate adverſus alias creaturas imbecilliores. Quod multo melius quadrat, quā quod alius interpretatur, Leviathā ſemel præcipitatū, *non ſuſcitabo*, vel non erigo, neque incito ego immane hoc monſtrum, ut illius ope, & immanitate utar ad exercendam ultionem in mortales, inſtar crudeliſſimi alicujus Tyranni, qui coacta nefariorum manu Rempublicam occupat, & devaſtat.

3

Quis enim reſiſtere poteſt vultui meo? Quod in originali eſt, *ad vultū meū*, vel, *ante me*, ancipitē habet ſenſum; primum, quē indicat Tyg. ſequitur Oſorius. Quis ante me cū illo congreſſus eſt? id eſt, *Quis ante me reſtitit?* ſupple, illi. Sed proculdubio interpretatio hæc coacta eſt; nō enim ſignificatur ordo tēporis, ſed opportuna redditur præcedentis ratio ſentētię; Quāvis Leviathan crudelis ſit, poteſt tamē mea potētia cōprimi, ideo nō ad exercendā Tyrannidē, & crudelitatē, ſed ad ſpecimē meę Potētiæ, cui nulla creatura reſiſtere poteſt, illū creavi. Vel; Cū ego ſolus potens ſim beſtiā immaniſſimam laceſſere, ſternere, trucidare, quis tā audax, aut temerarius erit, qui vel in faciē mihi reſiſtere, vel corā facie mea cōſiſtere audeat? Cōmendat igitur ſuā Potentiā Deus, atque cōprimit inſolentiam, & auſum humanæ imbecillitatis. Cum qua exponendi ratione facere poteſt Paraphraſis hujus loci apud Septuag. *Nonne audiſti eū? Nōne ſuper iis, quæ dicuntur, miratus es? non timuiſti, quia paratus eſt mihi? Quis eſt enim, qui mihi ex adverſo ſteterit, vel quis reſiſtet mihi, & ſuſtinebit?*

Allegorice.

Quadrant vero hæc omnia in inviſibilē 4

Dra-

Marginalia (left): Crudelis quis — *Tygurina. Vatab. Pagninus. Iſidorus. Regia. Cajetan. Eugubin.* כור — Permutatio perſonarum. *Cajetan.* — Sententiæ paraphraſis.

Marginalia (right): 2 Verbum. *ſuſcitandi*, ad pręliū pertinens. עור — *1.Pet.5.8.* — *Matth.26.41.* — Interpretatio quæ minꝰ probatur. — *Tygurina. Oſorius.* — Simplex paraphraſis ſentētiæ. — *LXX.*

Draconē, quē Deus *non ſuſcitat* adverſum nos in bellū; imo vero ipſe ait Draconi; *Tu cōnoviſti me adverſus eū.* Ad ea, quę peccata ſunt, Deus non incitat, tantū permittit, & copiā facit. Quod dixerim propter Cajet. dicentē, quod Deus *movet Dæmonē ad opugnandum nos*, quod caute accipi debet, & ut Theologi dicūt, permiſsive, nō poſitive. Tū etiā Deus in hujuſmodi permiſsione, *nō eſt crudelis*, nā media illa utitur Dæmonis opera, & impugnatione, ad juſta cōmerita ſupplicia: ut enim eleganter dixit Sene. *Tā, omnibus ignoſcere crudelitas eſt, quā nulli.* In ipſo vero ſupplicio, quod citra condignū eſt, nulla eſt crudelitas, ſed incredibilis cū miſericordia juſtitiæ temperatio. *Iudicās enim* (puniens) *dat locū pœnitentiæ.* Ergo ſi cū *ſuſcitat* Dæmonē ad improborum ſuppliciū, minime crudelis eſt, multo etiam minus, cū illum ſuſcitat permittendo, ut juſtos exerceat, ne Iobus in hoc cōflictu cū adverſario de ulla crudelitate conqueri poſsit. nam cædunt prælia militum Dei, in Dei gloriā, in ipſorū coronas, & *provētus, cū probati fuerint*, & in adverſarii ignominiā, cū ſuperatus, de quo nō pauca diximus ſuperius.

Deus permittens Diaboli ſævitiam.

Cajetan.

Sene. lib. 1. de Clement. c. 2.

Sap. 12.

1. Cor 10. 12.
Io b. 1. 13.

Durior igitur eſt aliquando Dei parentis ſuorum juſtorū diſciplina, & ſeverior interdū caſtigatio, diuturnior etiā, & aſperior probatio, ſed *crudelis*, quod inimicitiarū, & vitii eſt, nunquā. Sapiēter igitur ſcripſit hoc loco Philippus; *Suſcitare Deus Leviathan, hoc modo dicitur, ut eum cæteris qualis ſit, manifeſtet; quem, velut Pharaonem longa impunitate diutius inſultare permittit. hos enim juſtiſsimo judicio Deus fieri ſinit, aut ad exercitationē, probationemque Sanctorum, aut iniquorum pœnam.*

Dei caſtigatio ſeverior, ſed minime crudelis.

Philipp.

Cur Deus permittat ſævire Diabolum.

5 Rei hujus conveniēs ratio ſubjungitur ex Divina Potētia, Interprete Greg. *Propter Potentiā dixit, Quis poteſt reſiſtere vultui meo? &c. Ac ſi diceret; Nō enim quaſi crudelis ſuſcito, quia de ejus fortitudine, & electos meos potenter eripio, & rurſum reprobas nō inique, ſed rationabiliter dāno.* Vide, quæ diximus priori tomo in Pręfat. c. 5. ubi de propria materia hujus libri diſſeruimus.

Gregor.

Tū præterea cōmendat Deus lenitatē ſuam ex Potentia, indicans, Potentia ſua cōprimi ſęvitiā Dæmonis, ne tantum noceat, quantū cuperet, ſed quantū expedit: nā cū Dei Potentia fundamentū, & radix ſit totius æquitatis, ut Sapientia dixit; *Virtus tua juſtitiæ initiū eſt*; & cum potentiſsimus univerſorum Dominus ſit, *omnibus parcit*; & cum ſit *dominator virtutis, cū tranquillitate judicat*, fieri nō poteſt, ut ſit *crudelis*, vel in ſuo præcepto, vel in ſua permiſsione. Eſt enim illius potentia, nō inimica, & exitioſa, ſed clemens, & ſalutaris. *Ita* (inquit ille) *virtutes magnis viris decori, gloriæque ſunt, ſi illis ſalutaris potentia eſt. Nā peſtifera vis eſt, valere ad nocendum. quare & illa Optimi Imperatoris vox eſt. Quoties nullam inveni miſericordiæ cauſam, mihi peperci: q. d. Propter me.* ſicut ipſe Deus dicit; *Ego ſum, qui deleo iniquitates tuas propter me.* quod agnoſcebat David Divinā clementiā inclamans; *Propter nomen tuū Dn̄e propitiaberis peccato meo: multum eſt enim.*

Deus comprimens Diaboli nocendi cupiditatem.

Dei Potentia ſalutaris, & benefica.

Sap. 12. 18.

Sene. lib. 1. de Clement. c. 3. 2.

Iſai. 43. 25.

Pſal. 14. 11.

❧ I. *Quis ante dedit mihi, ut reddā ei? Omnia, quæ ſub cælo ſunt, mea ſūt.*

1. *Nexus, & ſcopus hujus ſententiæ.*
2. *Præcedere, occurrere, reſiſtere, cum analogia ab eadem radice. Illuſtratus Moyſes.*
3. *Vox dicta de reſtitutione, aut complemento rei.*
4. *Tres exponendi rationes parum idoneæ.*
5. *Quarta interpretatio ſubtilis. Divina liberalitas, ſine ullius injuria, aut iniquitate. Illuſtratus Ieremias, & Paulus.*
6. *Duæ extremæ interpretationes veroſimiles. Divina Potentiæ commendatio ex operibus creationis.*

SEntentia, licet in ſpeciem facilis, & aperta, ſed ad connectendū ſubobſcura. Quorſum enim nunc de donando, & reſtituendo? Varius igitur apud Interpretes nexus; varia etiam interpretatio. ſed omnes tamen ad duo capita reducuntur; alterū, quo ſuam Potētiam excuſet Deus ab omni ſpecie crudelitatis; nam hujus rei meminerat ſententia præcedente. alterum, ut ſuam Potentiam vireſque confirmet, atque utriuſque ratio, & probatio petatur ex ipſius divitiis, & liberalitate. Sed ut cōmodius germana ſententia colligatur, præmittēda eſt vocum proprietas. 1

Nexus, & ſcopus hujus ſententiæ.

Quod igitur hic eſt, *ante dare*, in Hebr. eſt verbū ſimplex, *præcedere*, vel, *ante vertere*; quod indifferēs eſt, ut ſit præcedere, dando, vel aliquid aliud agendo. quia vero ejuſmodi verbū ſumitur a parte anteriori, & a facie, ante quā aliquid cōſiſtit, vel præcedit, ideo etiā ſignificat occurrere, quaſi faciei alterius obviare. qui enim prævenit, & antevertit alium, ſolet etiam occurrere. quomodo exponi poteſt illud Iob. 30. 27. *Prævenerunt me* (inopinato occurrerunt mihi) *dies afflictionis.* ❧ Devt. 23. 4. *Noluerūt vobis occurrere cum pane, & aqua in via.* quod proprie ex Hebræo legitur ab ipſa hac radice; *Non prævenerūt vos*, vel, *Non ante dederunt.* vel, *Nō ſuccurrerunt.* & ſimiliter vertitur Nehem. 13. 2. cōſentientibus utrobique Septuaginta in hac lectione, & ſignificatione *Occurrendi.*

2 קדם
Pręcedere, & occurrere ejuſdē radicis.

LXX.

3 Pax dicta de restitutione, & solutione debiti, & de perfectione rei

שלם

Verbum autem *retribuendi*, proprie est *pacificare*, aut ad pacem reducere, quod quia fieri solet *reddēdo*, aut *retribuendo* debitum, sive præmium, sive suppliciū, sumitur pro *restituere*, aut *retribuere*, & *solvere*. & quia ejusmodi debiti cōpensatione videtur res impleri, etiā sumitur pro perficere, & ad integritatē adducere, collato eo, quod deerat, præmii, aut supplicii. Ex qua verborum fœcunditate pullulant variæ lectiones; *Quis prævenit.* vel, antevertit me; quis occurrit, sucurrit, obviam venit, & retribuetur ei? In originali active; *& retribuam*, restituam, solvam præmiū aut suppliciū. Vel, perficiam, & ad cōplementū, atque integritatem adducā. ex his quasi seminibus exurgunt plures, & quidē verosimiles omnes interpretādi rationes.

Varia lectio.

4 Gregor.

Prima est Gregorii, referētis sententiā hanc ad reproborum damnationē, & supplicium, opus quidē ita a crudelitate alienum, sicut plenum justitia; *Eos*, inquit, *quos respuo, non injuste derelinquo: nemo quippe ut Divina illū gratia subsequatur, prius aliquid contulit Deo. Si ergo, & electi præveniente se gratia, sequuntur, & reprobi juxta quod merentur, accipiunt: & de misericordia inveniūt electi, quod laudent; & de justitia non habent reprobi, quod accusent. Bene igitur dicitur, quis ante dedit, &c.* Sed procul dubio hæc exponendi ratio longe petita est, & parū cohærens.

Præcedens expositio parum cohærens.

Secunda interpretatio. Dei Potentia benefica erga ea, quæ nondū existebāt.

Secunda etiam, ut ad commendandam Dei Potentiam ab omni specie crudelitatis perquam alienā, referatur; Ratio vero hujusmodi conficiatur; Fieri non potest, ut crudelis fuerim creando Leviathā; nam cū perquam liberalis extiterim præveniendo res universas beneficiis, & demerēdo illas, antequam mereri aliquid possent, quando nondum existebant, multo magis beneficus ero erga ea, quæ facta sunt. *Diligit* nimirū Deus, quæ sua *sunt*. Sic ab omni iniquitatis suspicione asserit Paulus Divinā liberalitatem Rom. 11. 34.

Tertia expoñēdi ratio parum lenis. Osorius.

Tertio alii proxime ad Cetū referunt, quorum sententiam brevi, & illustri Paraphrasi expressit Osorius; *Quis ante me manum cūm hoc immani hoste conseruit, ut illum debito præmio, atque mercede remunerē?* Vel, Quis mihi occurrit, succurrit, opē cōtulit ad debellandū Leviathan? An alienis viribus, non meis illum stravi, triumphavi? Quam sententiam fere; ut solet, descripsit ex Tygurina. Et licet utcumque cohærens sit cum præcedente, at non videtur omnino opportuna ad rem præsentem; præter quam, quod illa *prioris* verbi acceptio; pro eo quod est; prævenire

Munica. Tygur.

קדם

pugnando, insolens sit, atque coacta.

5 Quarta expositio subtilis. Dei liberalitas nemini injuria, aut noxia.

Quarta est aliorū, qui nituntur sententiam hanc connectere cum viribus, & Potentia Leviathan, hoc sensu; Nō fuit crudelitatis, tanta potentia instruxisse, & armasse Leviathan; liberalissimus enim est bonorum omniū auctor. Potest igitur cui volet, & quod volet conferre, & cum omnia illius dominationi serviant, nemini facit injuriam, si rem unam meliorē, fortioremque efficiat, rē vero aliam imbecilliorem priori subjiciat; tantum erit unius beneficium, sine alterius injuria. Quamvis enim Iacob diligat, constituatque Dominum uterini fratris; at minime poterit Esau de iniquitate ulla expostulare, quod Paulus eleganter exponit ad Rom. 9. 14. *Nūquid iniquitas apud Deum? Absit:* Ex eadem etiā amplissima dominatione hortatur suum populū ipse Deus apud Ierem. 27. 5. ut supplici, & patienti animo servitutem serviat sub Nabuchodonosor, ipse quippe supremus universorum Dominus constituisset, illū dominari, alios vero servire: *Ego feci terram, & homines, & jumenta in fortitudine mea magna, & dedi eam ei, qui placuit oculis meis: Et nunc itaq; ego dedi omnes terras istas in manu Nabuchodonosor, insuper & bestias agri dedi ei, ut serviāt illi, & servient ei omnes gentes, &c.* Cum igitur *omnia mea sint*, stulta erit, vel hominis, vel creaturæ alicujus querimonia, quod illā non instruxerim eisdē viribus, quibus Leviathan. Sicut neque *potest dicere lutū ei, qui se finxit, cur me fecisti sic?* neque cōqueri, quod aliud *vas fecerit in honorē, aliud in contumeliam*. Arguta sane exponendi ratio, & bene cūm verbis ipsis conveniens.

Isai. 45. 9. Rom. 9. 21.

6 Quinta expositio. Divinæ Potētiæ cōmendatio ex creatione Leviathā. Vatabl. Eugubin.

Quinto, ut simpliciter cōmendetur Divina Potētia ex creatione Leviathan, rerumque aliarū. Indicavit hanc exponēdi rationem Vatablus, sequutus est Eugubinus, & habet nexum facilē; *Quis antevertit me*, scilicet, creando, vel bellua Leviathā, vel res alias naturæ mirabiles? *Quis ante dedit*, contulit rebus vires, facultates, *& retribuetur*, vel ut diximus ex originali, *& perfecit*, id est, ut inquit Vatab. *Quis ostēdit mihi viā in creatione totius mundi? Quis mūdū perfecit?* nemo sane. *Omnia* quippe *mea sunt*. Iure igitur dominor Leviatha, & potestati maris. Potest cū hac interpretādi ratione cōsentire lectio Latina; *Quis ante dedit mihi*, designavit viā, & rationē creādi, occurrit, succurrit mihi, opē in creatione contulit. Et sane ad creationis opus, videtur Paulus simili sentētia usus, Rom. 11. 34. *Quis cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* (nimirum præveniendo,

niendo,& ſuggerendo illi conſilium,& rationem mundi creandi, id quod, ſequente parte exponit) *Aut quis prior dedit illi, & retribuet ei? quoniã ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.*

Sexta interpretãdi ratio.

Sexta brevis,& facilis ſententia, & nexus,conjungatur cum illo,quod proxime præceſsit; *Quis reſiſtere poteſt vultui meo?* nunc ſubjungitur, *Quis ante dedit*, quis antevertit, præ occupavit,occurrit,prior laceſsivit? *& retribuetur ei*, & pacem habebit; ut ſit omnino ſentẽtia eadem cum illa, *Quis reſtitit ei, & pacẽ habuit?* nam verbum *retribuendi*, ut diximus eſt idẽ , quod *pacem habendi*.& pertinet ad retributionẽ, vel per ſolutionem debiti , ſive ſupplicii ſive præmii,nos diceremus. *Nadie ſi la bizo,que no ſe la pagaſſe.*

III. *Nõ parcã ei, & verbis potẽtibus, & ad deprecãdum cõpoſitis.*

1. *Divinæ poteſtatis efficacitas. Deus Diabolo petenti facultatem nocendi, non connivens.*
2. *Varia lectio. Parcere quid. Silentium, & Silere de Ceſſatione ab actione. Illuſtratus David, & locus Iudicum.*
3. *Varia lectio* Vectis, *Symbolum fortitudinis.*
4. *Verba, quæ ſolent ad Tyrannidem pertinere.*
5. Deprecari, *quid proprie, quid* Componere. *Varia Græcorum, & Latinorum interpretatio.*
6. *Monſtri vaſtiſsimi pulchritudo, ex membrorum omnium proportione.* Gratia, *quid proprie, illuſtratus Latinus Interpres.*
7. *Immanitas hoſtium docet nos orare.*

1 ANceps illud relativum *Ei*, ancipitẽ reddidit ſententiam. Sed in univerſum ſive referatur ad eum , qui proxime prçceſsit, hominem temerarium,qui auſit Deum laceſſere,ſive ad Cetũ,de quo oratio inſtituta eſt; ſive ad Dæmonem , cui convenit figura Ceti, ſemper videtur nũc aſſeri efficacitas Divinę Poteſtatis,ſumẽtis de hoſte vindictam,neque ullis precibus, aut minis temperantis ab infligendo juſto ſupplicio; quamvis enim Cetus non habeat *verba Potentia*, neque *deprecatoria*, loquitur tamen Deus tanquam de Hoſte potentiſsimo,rogante ea,quæ pacis ſunt: & quamvis Diabolus nõ utatur *verbis ad deprecandũ compoſitis*; *intelligere tamen poſſumus*, inquit Philippus , *Quod quamvis ſit rebellis in Deum, & contumax, ſuum tamen tremens ſentiat Creatorẽ, & tanquam ſervus nequam , ſaltem coactus, Deum ſuũ obſecrare ſimulet*. Gregorius vero de corpore Diaboli; *Sunt*,inquit,*nonnulli,qui prolixas preces habent; quorum petitionibus nullo modo parcitur, cum eorum preces opere deſtituũtur.*

Divinæ Poteſtatis efficacitas.

Proſopopeja.

Philipp.

Gregorius.

Adde etiam quod Deus *non parcit*,non ſilet, quaſi annuẽdo *verbis potentibus*,id eſt, ſęviſsimis, quibus fraudulẽter nititur obtinere a Deo facultatẽ nocẽdi hominib⁹.

Sed germanam cõſequutionem in deſcribenda immanitate Leviathan per ſua membra, indicavit nobis lectio Hebræa, quam proculdubio,licet obſcure,expreſſit lectio Latina.Pro eo,quod Latinus dixit, *Non parcam ei*,Hebræus habet, *Nõ ſilebo*; non diſsimulabo, nõ prçteribo, ſupple, quæ habeo præterea dicenda de Leviathan, quod verbo Latino *parcendi*,eleganter ſignificatur; *Non parcam dicere* , non abſtinebo a reliqua totius corporis immaniſsimi deſcriptione. Sed forte Interpres uſus eſt verbo *parcendi* , quod ſilentiũ illud,quod affertur verbo originali , ad rem ipſam, & actionem referendũ exiſtimaret, ita ut *ſilere*, ſit nihil agere: ſicut enim *Verbum* ſumitur pro ipſa rẽ; ita *ſilere* pro nihil agere. Sicut Iudic. 16.2. *Tota nocte cum ſilẽtio præſtolantes*. id eſt,in inſidiis poſiti, & nihil præterea aliud agentes. Pſ.27.1.& Pſ.34.22. *Ne ſileas a me*,id eſt , Ne me dimittas, quin in me liberando præclara edas facinora contra hoſtes meos.Ergo hoc loco ſi ad actionem referatur, *Non tacebo*,idem erit,quod;Non ſolum efficiam cõtra Leviathan,quæ adhuc commemoravi ; ſed præterea multa alia, quæ ſequuntur, *Revelando faciẽ indumenti, &c.* Quod idem eſt cum noſtra lectione; *Non parcam*; q.d. Perſequar adhuc,laceſſam uſque immanem belluam.quod videtur indicaſſe Græci, legentes; *Non tacebo propter eum*. quod interpretatur Nicetas; *Non feram amplius,ſed eum perſequar,atque ulciſcar.* Atque hoc etiã voluit Interpres, addens illud relativum , *ei*, quod deſideratur in originali.

2

Varia lectio.

Parcere quid.

חרש

Silere,& ſilẽtium de ceſſatione ab actione.

Verbis potentibus.Subauditur verbũ *parcendi*, q.d. *Non præteribo verba potẽtia*: aut, fortia, ſed præter *verba fortia*;in originali eſt nomẽ a radice Barahh,quod ſignificat *vectem*,aut peſſulum januę, quod decurrit ab uno extremo in aliud,& continet portas.quare ex verbo legi poteſt, *Non parcã vectibus ejus, & verbo fortitudinũ*: vel, *verbis potentibus*, Videtur autem Interpres contẽpſiſſe *vectes*, quod intelligeret poni pro *fortitudine*, atque adeo cõprehendi ſequẽte parte, *verborum potentium*: quippe in *vectibus* tota conſiſtit fortitudo , & firmitas portarum : quare *vectis* eſt fortitudinis Symbolum,Iob.38.6.Pſal.143.13.Ezech.30.8. Prover.18.19. Iſai.43. 14.& ſæpius aliis locis.At vero Hebraizantes,Pagnin. Cajetanus,Tygurina,per *vectes* intelligũt

3

Varia lectio

ברח

גבר

Vectis ſymbolum fortitudinis.

Pagnin.

Cajetan.

Tygurina.

membra Leviathã fortissima, vastissima, teretia, lubrica, & fugacia. neque mirum membra illius vastissima appellari *Vectes*, cũ totus ipse Leuiathan Serpens vastissimus, *Vectis*, non semel appelletur. Licet quidem isti videantur deduxisse vocem a *Bad*, quod est brachium, aut ramus non vero a, *Barahh*, quod est fugacem, aut lubricũ esse, cujusmodi est vectis, & pessulum portæ: facilis enim est permutatio *Res*, in *Daleth*. & cum *Bad*, significet etiam *mendacium*, legunt R. David, & Complutenses, *Non tacebo mendacia ejus*. quasi dicat, dolos, technas. Sed proculdubio cõsilium Interpretis sapientius fuit, ut vocem illam contemneret, ne totam sententiam impediret: nam verbis potẽtissimis vectes etiam contineri existimavit.

בד
ברח

R. David.
Complutenses.

4 Sed quid rei sunt *Verba potentiæ*? Latini frequenter interpretantur verba comminatoria. Ego vero per *Verba Potentia*, sive ut in Hebræo est, *Verba robusta*, & prævalentia, intelligo Tyrannidem Leviathan, namque verbum originale *prævalendi*, tũ etiam nomina *robustus*, *potens*, *prævalens*, frequẽter ad Tyrannidem referuntur, ut non semel observavimus. Vel secũdo *verba fortitudinum*, nihil sit aliud, quam fortitudo illius, q. d. Pergã in describenda Tyrannide, & immani fortitudine Leviathã.

Tyrãnidis circumloquutio.

גבר

Simplex expositio.

5 *Et ad deprecandum compositis*. Verbum *Hhanan* ad gratiam pertinet, & ad ea quę ex gratia, & non ex debito fiunt, quare significat deprecari gratis, aut misereri, vel donare. At vero verbum *componendi* pertinet ad ordinem, & dispositionem rerũ inter se æqualium: & frequenter refertur ad instructionem, & dispositionem acierum militarium. Hinc Septuaginta elegerunt significationem illam *miserendi*, legẽtes, *Miserebitur æqualem sibi*. quod Nicetas ad Antichristum refert, qui a Deo æqualiter tractandus sit, atque Diabolus. Vel ad Divinam misericordiam, miserescentẽ hominis a Diabolo oppressi; cũ enim homo ęqualem suum hominem non contemnat, non oportuit ipsum hominẽ contemni a supremo Conditore. Indicat etiã Nicetas cõmunem expositionem de Diabolo, & Ceto; neque Dæmonem equalẽ Dęmoni, neque Cetum ceto posse suppetias ferre adversus Dei potentiam. At Hebraizantes elegerunt illam alterã radicalem significationem *gratiæ*, & *dispositioni* alterius verbi; quare per nomina abstracta legerunt, *Non tacebo gratiam dispositionis ejus*. id est, Dicam, quam concinne mẽbra ejus composita sunt. quod Cajetanus Ironice dictum vult; cum enim horrifica sit immanissimi monstri dispositio, & cõformatio totius corporis, nihil in illo gratiæ, & venustatis esse potest. Sic solemus de insigniter deformi, per ironiam dicere, *Que buena gracia!*

Deprecari, quid proprie.

חנן

Componere, quid.

ערך

LXX.

Nicetas.

Duplex Græcorum interpretatio.

Pagninus.
Regia.
Cajetan.
Vatabl.

Ironia.

6 Ego vero serio acciperem: nam cũ vera pulchritudo ex partium omniũ atque membrorũ proportione consurgat, monstrum etiã immanissimum illam pulchritudinis rationẽ habere potest, quę in mẽbris sibi respondentibus magnitudine, & vastitate, exigitur. Tum præterea possemus commodissime eam *Gratiam* referre, ad gratuitam Dei donationem, in hanc sententiam, Non præteribo silentio reliquas fortitudinis partes, quas gratis contuli huic bestiæ, instruẽs illam pulcherrima, atque mirabili membrorũ omniũ dispositione, atque compositione. Nã quod Tygurina, & qui illam describit Algarbiẽsis, hanc *Dispositionem* referunt ad re militarem, q. d. Referam, quam pulchre disponat Leviathan acies suas. non video quorsum tendat; cum nihil eo pertinens contineatur sententiis sequentibus.

Mõstri vastissimi concinna mẽbrorũ omnium dispositio.

Gratia.

At tertio Latinus Interpres elegit significationem illam *deprecandi* ex gratia, & ex gratuita commiseratione, & per nomen abstractum reddidit, construxitque cum *verbis potentibus*, id est, cũ fortitudine, quæ proxime præcesserat, & cum rebus terrificis, quæ ostendunt potentiam, & immanitatem Leviathan.

Latini Interpretis explicatus, & illustratio.

7 Sed quid nam est hujusmodi terrores, & fortitudines Leviathan, esse *compositas*, vel *dispositas ad deprecandum*? Hoc profecto, esse ita disposita membra Leviathan, & universam illius compositionẽ esse tã terrificam, ut ad cõspectum illius necesse statim sit Divinam opem implorare, & allicere ad misericordiã cõtra tantæ belluæ immanitatem, & deprecari ab ipso supremo Conditore illius in nos impetum. Quod sane & in Cetum, & in Dæmonem opportune convenit, quotidiana nobis oratione precantibus, *Liberari ab illius nequitia.*

Immanitas bestiæ nos excitat, & impellit ad orationem.

IIII. *Quis revelabit faciem indumenti ejus, & medium oris ejus quis intrabit?*

1 *Hypallage. Aliorum interpretatio.*
2 *Quæ sint indumenta, & opercula Oculorum Balenæ.*
3 *Oris, maxillarum dentium Cetorum magnitudo.*
4 *Balena excipiens ore fœtus suos.*
5 *Mendacia Diaboli. Hypocritarum persona detrahenda. Illustratus locus Regum, & Baruch.*

1 Hypallage. PRima pars de *revelanda*, ſive detegenda *facie indumenti ejus*, ſive per Hypallagem, de revelando, & detegendo indumento faciei ejus, a quibuſdam accipitur de univerſi corporis indumẽto, id eſt, pelle, & corio detrahendo Leviathan, id eſt, Quis accedet ad illum excoriandum? Ita Vatablus, Tygurina, Iſidorus, Oſorius. *Vatabl. Tygur. Iſidorus. Oſorius.* Sed importuna interpretatio, nam de excoratione Cetorum ſuperius dictum eſt, cap. 40. verſic. 26. Tum etiam non cohæret cum ſecunda parte, & cum ſequente ſentẽtia, quę totę verſantur in deſcriptione oris, & capitis. Illud vero etiam alienum, & longe petitũ, quod Stheucus poſt Aben Eſra, *Eugubin. Aben Eſra.* *Indumentũ faciei* intelligit, profundum pelagus, & latibula, in quibus ſolet deliteſcere Cetus, q.d. *Quis eo penetrabit, ubi tanta beſtia decumbit?* non enim nũc agimus, demonſtro latente; ſed de eo, quod aliquando venit in conſpectum, & ſtuporem mortalium.

2 Quę ſint opercula oculorũ Balenæ. Ergo proprie accipio *faciem* pro habitu oculorum, & oris: tum etiam *indumentũ*, aut *veſtimentũ*, pro operculo aliquo. Quæ res cõmode illuminari poteſt ex eo, quod de Balenæ, & Muſculi amicitiis ſcribitur a Plinio lib. 9. c. 62. *Plinius.* *Balenã prægravi ſuperciliorum pondere, obrutis ejus oculis, oculorũ vice uti Muſculo duce*. idem ſcribit Aelianus lib. 10. c. 6. *Aelian.* *Cum ejuſmodi ad pinguitudinem pervenit, amplius nec videre, nec audire poſſe: carnium enim moles, & videndi, & audiendi viam intercludit*. Hoc igitur carnis prominentis operculũ, eſt *indumentum faciei ejus*. Nam quod Divus Thomas, quẽ deſcribunt Nicolaus, & Dionyſius, ſcribit *D. Thom. Nicolaus. Dionyſ.* *Super oculos Ceti eſſe quædã additamenta cornea, in figura magnæ falcis, & eſſe ducenta quinquaginta, ſuper unum oculum: & totidem ſuper alterum; quibus Cetus utitur, pro opertorio oculi tempore magnæ tempeſtatis*. inviſum eſt apud probatos auctores: niſi forte ſatis ſit Alberti Auctoritas, *Albert.* ſi non omnia, at plurima ex his de ſuperciliis lõgiſsimis Balenarum ſcribentis libr. 24. in Balenis.

3 Secunda vero pars de *medio oris*, paulo aliter legitur in Hebræo, & in Græco; nã in Hebræo ex verbo: *Cum medio*, vel, *cum duplicitate fræni ejus, quis intrabit?* id eſt, ex interpretatione Hebraizantium, *Tygur. Vatab. Eugub. Oſorius.* *Ori illius quis frænum injiciet?* Sed cum jam de *hamo*, de *fune*, de *circulo narium*, de *armilla*, quæ ſunt pro fræno, dictum fuerit, cap. 40. verſicul. 20. 21. aliter illuminandam ſententiam cenſuit Vulgatus; כפל cum enim *duplicitas* illa ſignificata in originali, pertinere videretur ad duas maxillas, cũque *frænum* pertineat ad id, quod inditur ori inter maxillas, totam ſententiam referendã exiſtimavit ad *medium oris*, quod eſt inter maxillas, & ad rictum illum horrificum. Rictus Ceti vaſtiſsimus, & maxime terrificus. Nam quantum putas fore rictum belluæ, quæ homines, quæ equites, quæ navigia exſorbeat? quantum os illius, cujus ſingulorum oculorum fovea viginti hominum capax ſit? ſi verum eſt quod ſcribit Albertus lib. 24. *Albertus.* Quanta vaſtitas tum oris, tum maxillarum, ſi verum itidem eſt, habuiſſe *dentes quatuor cubitorum longitudine*, ut idẽ ſcribit in Balena? & ille alius piſcis, quem Plinius lib. 9. cap. 5. *Plinius.* ex Turanio ſcribit; *Expulſam belluam in Gaditana litora, cujus inter duas pinnas ultimæ caudæ cubita ſexdecim fuiſſent, dẽtes ejuſdẽ CXX. maximi dodrãtium menſura, minimi ſemipedum. Belluæ cui dicebatur expoſita fuiſſe Andromeda. Oſſa Romæ apportata ex oppido Iudeæ Ioppe, oſtendit inter reliqua miracula in Aedilitate ſua, M. Scaurus, longitudine pedum quadraginta, altitudine coſtarum Indicos Elephantos excedente, ſpinæ craſsitudine ſeſquipedali*. Dentium, & maxillarũ Ceti magnitudo. Denique quã terrificum belluæ caput exiſtimas illud, quod in Balenis Norvegiæ conſpici ſcribit Olaus lib. 21. cap. 5. *Olaus.* *Quadratum illis caput eſt; undique ſpinis refertum, Cornibus peracutis ac longis, radicum ingẽtiũ arboris modo: ſingula enim cornua denos, atque duodenos cubitos excedunt: oculi ſinguli ambitu cubitis decem ſunt ampliores*. & cap. 9. teſtatur idem ſe vidiſſe, *Anno Domini 1532. Piſcem, cujus oris hiatus patebat recta linea pedes undeviginti; maxillas triũ pedum craſſitudine oblõgas ad duos ſupra viginti pedes*. Quis igitur hanc *faciem revelabit*, quis *medium hujus oris intrabit?*

4 Balena excipiens ore fœtus ſuos. An vero quod dicitur, de *intrando*, ſive *veniendo in medium oris ejus*, ſive, *in duplicitatem maxillarũ ejus*, pertinet ad id, quod probati Scriptores naturæ tradunt, tempeſtate imminente, Balenam fœtus ſuos ore excipere, & condere? quippe hoc ingens naturę mirum: quod quamvis Auctor lib. de natura rerum ſcribat, *Auctor lib. de natur. rerum nõ omnino probatæ fidei.* atque illud etiam addat, ſi quando propter aquæ defectum fœtus impediantur, ne matrem ſequantur, matrem ore receptam ingentem aquæ vim in illos immittere, ut littori inhærentes, & bene dilutos inde eximat, at fidem majorem facere poſt Philoſtratus lib. 2. de Vita Apollonii, cap. 7. *Philoſtrat.*

Balena, inquit, faucibus filios abſcondit, quando majorem belluam fugere contigerit.

Allegorice.

5 At rogas, quod nam erit invisibilis Ceti *faciei indumentum?* Certe emētita species sanctitatis, qua ille contegit, & dissimulat verissimam improbitatem, & mendacia, ex quibus totus compactus est. Tunc sane *faciei indumentum* sibi obducit, cum transfigurat se in Angelum lucis. Atque eleganter hoc loco interpretatur Olympiodorus, *Faciem indumenti, diversas, quas vicissim personas, quasi histrio, suscipit: ovis enim naturam fingendo imitatur, cum lupus existat; nec non in Angelum lucis transfiguratur, cum sit tenebræ*. Id quod Origenes fusius explicat, *a larvis, & personis, quæ imponi solent hominibus, exemplo petito*. Hūc imitantur Pseudo Apostoli, Pseudo Prophetæ, & hypocitæ omnes, quorum personam detrahet Deus, cum *revelabit abscondita tenebrarum*. de quibus loquitur Paulus 2. Corinth. 11. 13. *Non est*, inquit, *magnum, si ministri ejus transfigurentur, velut ministri justitiæ, quorum finis erit secundum opera ipsorum*. Nescio quid rei hujus repræsentatum est in uxore Ieroboam, 3. Reg. 14. quæ cū *Commutasset habitum*, ne agnosceretur, audito sonitu pedum ejus, Ahias Propheta, cui revelaverat Deus *faciem indumenti*, dixit, *Ingredere, uxor Ierebōā, quare aliam te esse simulas? Sonitus* igitur *pedū*, arguit *indumentum faciei*; & *finis*, ut Paulus ait, *Operariorum subdolorum* erit secundum opera sua. Qui finis est cum extrema ignominia. qualis pingitur a Baruch, c. 6. vel potius a Ieremia, revelatio, & opprobrium Idolorum, quæ cum sint argentata, & inaurata, revelatur tandem facies indumenti, & apparent lignea, & cariosa. *Cū sint* (inquit) *lignea, & inaurata, & inargentata, scietur postea, quia falsa sunt*. quare concludit, *Melior est homo Iustus, qui nō habet simulachra; nam erit lōge ab opprobriis*. Tum præterea revelat *indumentum faciei*, id est, habitum totius corporis, quia omnia *nuda sunt, & aperta oculis ejus*; sive ut ex Græco legit Chrysostomus, *Excoriata*.

Mendacia & dissimulatio Diaboli.

Olympiodor.

Origen.

Hypocritarū larva, & persona detrahēda.

Hypocrisis figura.

Hebr. 4. 13.

Chrysost.

V. *Portas vultus ejus quis aperiet? Per gyrum dentium ejus formido.*

---

1 Portæ oris, *quæ. Labia instar portarum. Illustratus Ecclesiasticus, & David.*

2. Os patens, *quid indicet. Dentes horrifici Balenarum triplicis generis.*

3. *Dentes, & fauces Diaboli Christus intrās ad diripiēdam prædam. Vterus Balenæ.*

1 *Portas vultus*, id est, oris. Pertinet hoc ad eandem *oris*, & rictus vastitatē describendam. D. Thomas, *Portas oris* interpretatur duos illos dētes maximos, quos caninos appellamus, in modū apri, exertos, quibus, tanquā *portis*, videtur aperiri hiatus balenæ. Sed multo cōmodius alii, maxillas, aut mandibulas, superiorē, & inferiorē. Et quid mirū, cū scribat Plin. *Alexandri magni classium Præfectos prodidisse Gedrosios, qui Arbin amnem accolunt, in domibus, fores maxillis belluarum facere, ossibus tecta contignare*. atque idem superius indicavimus ex Strabone lib. 15. 16. At forte *Portarū* nomine, labia intelligemus, aut ea, quæ in piscibus labiorum loco sunt, & dentes contegunt: nam sicut portæ custodiunt domum, ita *labia custodiunt scientiam*, Malach. 2. 7. & dum illæ portæ non aperiuntur, dicitur *Thesaurus scientiæ inuisus*, & *sapientia* intus concepta *abscondita*, Eccles. 20. 32. Eadem *oris custodia*, & *Ostium circumstantiæ labiis*, Ps. 140. 3.

D. Thom. *Vatabl.* *Dionys.* *Nicetas.* *Albinus.*

Plinius lib. 9. cap. 3.

Strabo.

Labia instar portarum

2 *Aperiet*, ut vel interiora intueatur, vel, prædam extrahat. cum enim *patet os*, perspici potest, quanta sit viscerum, *& cordis latitudo*, ut Paulus dicebat 2. Cor. 6. 11.

Os patens.

Per gyrum dentium ejus formido. id est, ordines dentium in gyrum oris dispositi formidabiles sunt: statim atque ille labia diducit, & aperit, visuntur terrifici dētes. Vox originalis *formidinis*, giganteum aliquid sonat; *Dentes illius enim*, Gigantes, maximi, solo aspectu formidandi. Quales ab Olao magni describuntur visi in Ceto borealis Oceani, *Cujus hiatus pateret ad pedes duodecim, dentibus hinc inde dispositis, Aprorum, Elephantorumque persimilibus*. Cum autem in Hebræo pluraliter dicantur, *ordines dentiū*, significare poterunt, dētes utriusque lateris; vel forte triplici ordine dētium armatum esse Leviathan, sicut de quibusdam serpentibus Nicander, & Solinus scribūt, ut singuli ordines sint pro singulis dentium generibus. Quamquam enim, ut Plinius ait, *Dentes serrati, & pectinatim coeuntes, ne contrario occursu atterantur*, proprii sint, *serpentibus, piscibus, canibus*; at vero *Exerti apro, & elephāto; continui vero homini, & equo*: tamen mōstrosa bellua *serratos* habet, pro natura piscium: *exertos* item, instar Apri, & Elephanti, ut nuper ex Olao adduximus; tādem habebit *continuos*, ut anno salutis 1545. visam scribit Gesnerus lib. 4. aquatilium, *Habentem dentes inter se contiguos, & latos, tanquam homini*. ne aliqua formidinis parte carere videatur Leviathan.

Dentes ingētes, & horrifici Balenatum.

אימה

Olaus lib. 21. cap. 8.

Serpentū triplex dentium ordo.

Solinus. *Nicander.*

Plinius lib. 11. c. 37.

Leviathā omni genere dentium horrificorum.

Gesnerus.

Allegorice.

3 Diaboli pectus pravū, & ſinuoſum.

Quadrant hęc omnia in Inferni fauces,& os, cujus medium intravit Chriſtus, deſcendens ad inferos,eripiens prædā. Quadrant etiam in Diaboli ſęvitiā,nunc mollitudine,& blanditiis diſsimulatam, & opertam;nunc apertam;quippe cum veterator ſit, ſpecie boni oblata ſæpe lædere ſolet.quare non ſolum clauſum habet os, ſed præterea pectus,& cor pravum,& ſinuoſum,ut indicarūt Septuaginta,in precedente ſententia, legentes; *In rugam pectoris ejus quis ingrediatur?* nam mirū omnino,quod Olaus refert, belluam marinā viſam habere *Tres in utero ſpecus ingentes, in guttare ſinus triginta.* Videndus Gregorius, Philippus,Severus, Olympiodorus in Catena.

LXX. Olaus.

VI. Corpus illius, quaſi ſcuta fuſilia, compactum ſquamis ſe prementibus.

VII. Una uni conjungitur: & ne ſpiraculum quidem incedit per eas.

VIII. Una alteri adhærebit, & tenentes ſe, nequaquam ſeparabūtur.

1. *Cajetani expoſitio aliena. Dentes Ceti.*
2. *Os Balenæ.* Corpus *pro ore, & capite, in Sacro Sermone.*
3. *Cutis Cetorum duriſsima.*
4. *Aes fuſum, ſolidius.*
5. *Varia lectio.* Frater, *aut* Soror, *de rebus inanimatis. Explicatus Moyſes.*
6. *Smyrites Lapis cujuſmodi.*
7. *Squama Diaboli. Principes improbi, & obſtinati.* Scutum, *&* Clypeus *in ſacro ſermone. Explicatus David.*

1 NON Solū, inquit, armatus eſt Leviathan ad nocendum dentibus terrificis,ſed ad defendendum,& protegendū ſcuto duriſsimo, ſquamis fortiſsimis, quæ nullum jaculo, aut ictui ſpatium liberum relinquūt. Exiſtimavit quidem Cajetanus nunc agi de dentibus, cōpararique cum vallo ex palis altis,& fortibus, beneque inter ſe compoſitis, qui omnem aditum hoſti prohibent. Et quidem verba Hebræa dubia ſunt; nam pro *corpore*, eſt vox,quæ ſignificat *altitudinem*,& *ſuperbiā*, quod licet ad corpus, & dorſum eminēs, & tumens frequenter referatur, poteſt

Cajetan. גוה

etiam pertinere ad dentes erectos, & infixos maxillis, tum etiā junctos inter ſe, atque colligatos. Præterea quod dicitur de *ſquamis*, tantum eſt, in originali *clauſura*, aut *ſignatura*, vel, *ſigilli conſtuctio.* Sed illud in hac interpretatione valde diſplicet, quod dentes piſcium ſerrati, non cohærent inter ſe;niſi forte ſuperiores cū inferioribus conjungas, pectinatim,& arctiſsime coeuntes. שגר

2 E contrario Græci cū Septuaginta referunt ad viſcerum æneam quandam duritiem, nam legunt Septuaginta; *Interiora ejus ſicut ænea.* niſi forte *Interiora*,intelligant, non quidem *viſcera*, ſed *interiora oris*, id eſt, palatum; ut perſtet in eadem oris deſcriptione: nam vox originalis ita ſignificat *Corpus*,ut ſumatur pro ſuperiori corporis parte, id eſt, capite,& capitis ore. Iudic. 14.8. *Examen apum in ore Leonis erat.* & ſtatim num. 10. dicitur ex eadem voce, *Noluit indicare, quod mel de corpore Leonis aſſumpſerat.* Ergo poteſt intelligi, *Os Leviathan eſſe, quaſi ſcuta fuſilia compactum ſquamis ſe premētibus.* Nam & Olaus lib. 21. c.9. ſcribit belluam illam marinā, quam teſtatur ſe vidiſſe Anno 1532. habuiſſe palatum *obtectum obduris ſquamis.*

LXX. Corpus,pro capite,& ore. Olaus.

3 Sed Interpres merito elegit illam aliā frequētiorem *Corporis* ſignificationem,ut pote cum re ſubjecta cōvenientiſsimam: nam ſignificatur incredibilis durities cutis Cetorum, quę neq; jaculo, neque ferro cedit,ut ſuperius indicavimus: & ipſa durities, ſi non ſquamis veris, reddit tamen hirſutam, & ſquamatam pellem. Atque adeo Galen. libr.3.de uſu partium c. 12. ſcribit *Balenarum,& Elephantorum cutes ſumme duras, & propemodum inſenſibiles eſſe.* Et quamvis ab Oppiano,& aliis, Cetorum pellis glabra deſcribatur,ſquamis, & villis carens,tamen quod nimium ſpiſſa ſit, firma, ac ſolida, ſquamoſa propter hirſutiem apparet. Sed de pelle diximus ſuperius c.40. verſ.26. & de *ſquamis* quorundam ſerpentum, inſtar *ſcutorum*, ibidem verſ.20. quæſtiuncula, 3. Nunc tantum,quæ ad proprietatem vocum,& vim hujus ſententiæ attinēt.

Cutis Cetorū. Galenus. Oppianus.

4 *Scuta fuſilia.* In Hebręo proprie eſt,*Scuta fortia.* Sed eleganter dictum eſt ab Interprete,*ſcuta fuſilia*,quod æs fuſum multo ſolidius, fortiuſque reddatur, rejecta ſcoria, & partibus fæculentis, quæ non poterāt bene cohærere,neque compingi, jam expurgatis. Quia autem tanta cutis durities defendit Leviathā ab ictu,& vulnere, opportune comparatur cum *ſcutis.* Quia autem vox originalis,quæ ſignificat

Aes fuſum ſolidius,& forti⁹ אפק

fuſile, aut *forte*, frequēter dicitur de *fluctibus*, aut *impetu fluminum*, & torrentũ, Iob 6. 15. Pſal. 41. 2. Iſai. 8. 7. ideo Tygurina per paraphraſim legendũ exiſtimavit, *Superbit ſquamis cōtinuis, ut alveorum fluctus continentes ſunt, quibus corpus inſtar clypeorum defenditur:* quæ item nō inepta eſt cutis hirſutę, & criſpantis, atque ſquamatæ cum facie fluctuantis Maris comparatio. Sed proculdubio durior, & longior.

Tygurina.

5 *Compactũ ſquamis ſe prementibus.* In Hebræo prop. *Clauſum ſigillo impreſſo.* Quod Vatablus ad aptam ſquamarum diſpoſitionem refert: nam ſigillum non niſi certo, & opportuno loco imprimitur; quaſi dicat; *Squamæ optime diſpoſitæ ſunt.* Sed rē ipſam expreſſit Latinus Interpres, cum dixit, *Squamas ſe prementes.* quaſi diceret; arctiſsime cohærentes, & ſe ſe complectentes, totumque corpus munientes, inſtar ſigilli, quod rei affixum, illā claudit, & communit. Quod quidem aliis duabus ſententiis eleganter exponitur; quod *una alteri adhæret*, & *tenent ſe*, id eſt, colligatæ, & commiſſæ inter ſe, ut neque tenuis ſpiritus inter illarum commiſſuras penetrare poſsit, aut illas leviter ſeparare. Id quod etiam elegāti Hebraiſmo dicitur in originali, *Vir fratri ſuo adhærebit.* nam res compares, quamvis inanimatæ, ſolent in Scriptura appellari *fratres*, aut *ſorores*, idque vel per nomē *Viri, & fratris*, ut hoc loco, & Exod. 25. 20. *Reſpiciēt ſe mutuo verſis vultibus.* Hebraice: *Facies Cherubinorum vir ad fratrem ſuum*, ſive per nomen *mulieris*, & *ſororis*, Exod. 26. 6. *Cortinarum vela jūgenda ſunt*. Hebraice; *Conjunges cortinas unamquamque ad ſororem ſuam*. Sic igitur hoc loco de *ſquamis*, quæ quia præfortes ſunt, & prædurę, potius dicuntur per nomina maſculina, *viri, & fratris*, quam per fœminea *mulieris*, & *ſororis*.

Varia lectio. *Vatabl.*

Hebraiſmus.

Fratres, aut ſorores de rebus inanimatis.

Nomina maſculina de reb⁹ fortibus, & duris.

6 Denique conjunctionem hanc arctiſsimam, Septuaginta nova alia ratione, & ſimilitudine explicarunt; *Colligatio ejus ſicut lapis Smyrites, unus uni conglutinantur.* ut duriſsimam cutem ſignificēt, propeque adamantinam. De lapide autem *Smyrite* diximus ſuperius. atque hoc loco Olympiodorus, hæc de illo ſcribit, *Dicitur hic lapis ſolidiſsimus eſſe, ut ad adamantem proxime accedat, & ferrum ad ſe rapere, & ſumma aſperitate, atque aculeata duritie, ut etiam ad inſculpendum in vitro adhibeatur.*

LXX. Smyrites cujuſmodi ſit.

Olympiod.

Allegorice.

7 Quod vero ad corpus Diaboli attinet, Philippus intelligit omnes cōſortes ejus, & ſpiritus immundos conſpiratione, & in diſſociabili connexione cum illo devinctos. At vero Gregorius, omnes impios, qui cum inſtar ſcutorũ, *Spiritui Sancto ſemper reſiſtant*, & Divinarum inſpirationum jacula repellant, ſed tamen ſumma inter ſe ad malum, animorum, & conſiliorum conſenſione cōſpirant. nam *ſcutum* nunc in bonum, pro Divina protectione, nunc pro humana repugnatione, & mentis obſtinatione, in Scripturis ſumitur, ut ait Gregorius. Quare dicitur *Scutum cordis*, Threnorum. 3. 65.

Squamæ Diaboli. *Philipp.*

Gregorius.

Scutum in bonum & in malum.

Gregorius.

Quod ſi *ſquamas*, & *ſcuta* intelligas, improbos Principes, qui aliorũ peccata defendunt, commode poteris; nam frequente Scripturarum Phraſi, Reges, & Principes dicuntur *Clypei*, vel *ſcuta populorum*, Pſal. 46. 10. 88. 19. ubi dicitur, *Domini eſt aſſumptio noſtra.* Hebr. clypeus; qui ſtatim exponitur, *Rex noſter.* Aliquādo igitur mira Principum improborũ cordis duritiēs, in repugnando, & reſiſtendo Divinis Prę ceptis! Vnum exemplum pro multis Pharao. *Hi*, ut inquit Philippus, *nullum per indeſinentem nequitiam ſpatium faciunt reſpirandi ad Deum.*

Principes dicũtur Clypei.

Principum durities, & obſtinatio.

Denique qui peccata ſua excuſant, & minime agnoſcũt, inſtar Leviathan, ſquamoſi ſunt, & clypeati; atque inſtar Sauli, *Squamas* habent *in oculis*; Tunc vero *cadūt ſquamæ de oculis illorum*, cum ſe præbent Deo ſupplices deprecatores culparum. de quo eleganter hoc loco Gregorius. videndus item Origenes, atque Olympiodorus in Catena.

Qui ſe nō agnoſcunt.

Act. 9. 18.

Gregor. Origen. Olympiod.

IX. Sternutatio ejus, ut ſplendor ignis, & oculi ejus, ut palpebræ diluculi.

X. De ore ejus lampades procedunt, ſicut tedæ ignis accenſæ.

XI. De naribus ejus procedit fumus, ſicut ollæ ſuccenſæ, atque ferventis.

XII. Halitus ejus prunas ardere facit, & flamma de ore ejus egreditur.

1. *Cetus Calidæ naturæ. Oculi Balenarum lucentes. Piſces lucentes.*
2. *Sternutamentum unde fiat Illius motus violentus. Quid in Ceto deſignet, quomodo eruſſet aquam.*

3. Ignes, & ſplendor oris Balenarum. Teda, *Hebraice, & Latine, quid.*
4. Nares Balenæ. Ira.
5. Dæmonis ſævitia, Sternutatio, Oculi, Lux, Hæretici, Prædicatores falſi.

1 CVM Alii frigidoris naturæ ſint, at Leviathan eſt calentioris, ut qui multũ ſanguinis habeat, reſpirationeque magna indigeat, ut Ariſtoteles de Ceto ſcribit habetque tũ in ſquamis totius corporis ingenitum quendã ſplendorem, ut poſtea dicemus; tum vero potiſsimum in oculis, & capite. Sed præſertim in *oculis*, in quibus præter quã, quod ex natura ſua lucidi ſunt, copia tamen calidiſsimorum ſpirituum inflãmantur, & igneſcunt. Id quod de *oculis* Balenarum Norvegianarum ſcribit Olaus lib. 21. c. 5. *Oculi*, inquit, *noctu coruſcant, ingẽtium flammarum modo; procul enim viſi a piſcatoribus, ignes eſſe grandes putantur.* Sed præterea deſcribitur ingens quædam ignis in viſceribus Leviathan, qui illius ſævitiã arguat, & toto ore atque capite emicet. vel frauduléta natura, quæ ementito fulgore decipiat, & illectet; vel denique cum vaſtitate, illuſtre quiddam, & præclarum, quod in ſupremi Conditoris laudẽ redundet. Namque eſt iſta piſcium lux mirabilis, qualis in *Lucerna* piſce deſcribitur a Plinio lib. 9. cap. 27. *Subit in ſumma maria piſcis, ex argumẽto appellatus Lucerna, linguaque ignea per os exerta, tranquillis noctibus relucet.* Atque illa nõ minus miranda natura *Dactylorum*, qui ut eodem lib. Plinius ſcribit. c. 61. *Sunt e genere concharum, quibus natura in tenebris remoto lumine alio, fulgore clarere, & quanto magis humorẽ habeant, lucere in manibus, atq́ etiam in ſolo, ac veſtibus, decidentibus guttis, ut proculdubio pateat ſucci illam naturã eſſe; quam miremur etiam in corpore.* Sed quoniã deſcribitur Leviathan ore, oculis, naribus, halitu, flammas eructare, indicatur ſane magnam ignis Copiam habere intus conceptã, unde iſta ignis argumenta præbeantur; ſplendores, lampades, flammæ, fervor, & æſtus: ad eam ſimilitudinẽ, qua Sap. 2. comparatur ab ſtultis vita, & anima cum igniculo reſidente in corde: unde ſtatim colligebant, *halitũ* eſſe *fumum*, ex illo interno igne aſcendentẽ; *Quoniam* (inquiunt) *fumus flatus eſt in naribus noſtris; & ſermo ſcintillæ ad commovendum cor noſtrum, cinis erit corpus noſtrum, &c.*

Cetus calidæ naturæ.

Oculi Balenarũ lucẽtes.

Olaus.

Piſcium lux quædam.

Plinius.

Dactylus Piſcis.

Ignis internus Leviathã

2 Sed quia in igne, & *lampade* non ſolum ineſt calor, ſed coruſcatio, & fulgor, quod potiſsimũ in his ſentẽtiis indicatur, videndum quales ſint ejuſmodi *ſplẽdores*, & *lampades*, tum etiã *ſternutatio*, & *halitus*.

D. Thom. Nicolaus. Dionyſ.

Quod ad *ſternutationem* attinet, pleriq; Latini exiſtimant deſcribi ex ſternutamẽto magnitudinẽ cerebri, & ex conſequente magnitudinem capitis Leviathan; eo quod ſternutatio efficiatur ex ſubtili vapore incluſo in ventriculis cerebri, conãte natura vehementius expurgare, & expellere, ut Galenus docet lib. 2. de Symptomatum caſis, c. 2. 3. 4. 5.

Sternutamentũ unde fiat.

Galenus.

Sed exiſtimo in hac *ſternutamenti* ratione duo potiſsimum attẽdi; primum, ingẽtem vim Leviathan ad eructãdam, & reflandãm aquã ore, & naribus, in quo perſpicitur nõ levis cum *ſternutatione* ſimilitudo. Deinde ſecũdum, id, quod eructat, eſſe pellucidum, & candens, qualem oportet eſſe tenuiſsimam aquam ſublime elatam, & luce perfuſam, in quo cõſtituitur illa ſpecies *flammarum, & ſplendorum diluculi.* Sternutationem autem eſſe opus facultatis expultricis, docet Galenus, loco citato, c. 6. atque eo differt a *Pandiculatione, & Oſcitatione*, quod iſti ſint motus mediocres; at vero *ſternutatio*, & tuſsis motus validi. atque c. 4. docet, majorem, & vehementiorem eſſe ſpiritus impetum in *ſternutatione*, quam in tuſsi. Rurſus in librum ſextum de Morbis vulgaribus Cõmento 2. Textu, 32. ex aliorum ſentẽtia ait, *Sternutationem appellatam eſſe eructationem*; & in univerſum *omnem excretionẽ ructamentum appellari poſſe: qua ratione dixere Poetæ, mare eructare foras, cum æſtuat.* ut ille de Acheronte dixit;

Cetus eructãs aquam pellucidam.

Galenus.

Sternutatio a facultate expultrice.

. . . . . Vaſtaque voragine gurges
Æſtuat, atque omnem Cocyto eructat arenam.

Virg. 6. Aene.

Iam quid opportunius, quid elegãtius ad exprimendam Balenarum naturã, quibus in fronte os eſt, os inquam, non quo mãdant, ſed quo eructent nimbos, & vim aquæ incredibilem? *Ora*, inquit Plinius, *Balenæ habent in frõtibus, ideoque ſumma aqua natantes in ſublime nimbos efflant.* Hæc eſt enim illa *fiſtula, qua ſpiritũ ducunt*, ut Aelianus dixit; Tum vero etiam aquam ducunt, ac reducunt. In quo genere excellere videtur *Phyſeter*, ideo ſic Græcis dictus, quaſi *flator*, quod reflando ſoleat, ingentes nimbos emittere. De quo Plinius lib. 9. c. 4. *In Gallico Oceano Phyſeter ingẽtis columnæ modo ſe attollens, altiorque navium velis diluviem quandam eructans.* Atque Strabo lib. 15. ad finem in deſcriptione Arabici ſinus, & Nearchi navigationis; *Plurimum, inquit, eos turbabant Phyſeterum magnitudines, fluctum maximum, & accumulatum, & caliginem tantam reflationibus excitãtes, ut quæ ante pedes erant, cõſpici-*

Balenarũ os in frõte, quale.

Plin. lib. 9. c6.

Aelian. lib. 10 cap. 1.

Phyſeter reflãs nimbos.

Plinius.

Strabo.

non

non poſſent. Denique D. Iſidorus huc adducere nititur ipſum *Balenæ* nomen; *Balenæ, inquit, ab emittendo, & fundẽdo aquas, vocatæ, cæteris enim beſtiis maris, altius jaciũt undas. Ballim enim Græce emittere dicitur.* Hæc ſane eſt *ſternutatio* Leviathan, *ut ſplẽdor ignis*. Quamquam enim Strabo dixerit, *Emittere fluctuum caliginem*; ſed elegãter etiam dixit D. Thomas candorem aquæ commotæ, & ſpumoſæ, tum etiã rariores illos nimbos diſflatos, & luce perfuſos, ad ſplendorem ignis pertinere; præſertim ſi in oculis reſidet innata lux, quæ in aquam etiam refundatur.

Iſidorus. Ba'ena unde dicta. *Iſid. lib. 12. c. 6.* *Strabo.* *D. Thom.*

Quod de *oculis* dicitur, & de *palpebris diluculi*, ſive auroræ, pertinet ad ignem oculorum, de quo diximus. *Palpebræ* autẽ *auroræ* ſunt primæ lucis radii, quare eædẽ dicuntur *Ortus auroræ*, ſuperius cap. 3. 19. & ut ad aſpectum terrificũ pertineat, poterit referri ad colorem ſanguineum, & ignitum oculorum; rubeum enim, quod in ore, & genis ſuave eſt, & pulchrum; in oculis eſt cruentum, & horrificum. at auroræ lux rubens, & punicea eſt. ut enim Ariſtol. docuit Probl. Sect. 31. Probl. q. 3. *Sicut pudefacti auribus, ita iratis præſidiũ in eam partem, tãquam violatam tranſmittitur, quæ & ſenſu, & motu facilior eſt.*

Oculorum ignis. Palpebræ auroræ, quæ. Sanguineus oculorum color iratorum. *Ariſtot.*

3

Qui ſtatim verſiculo 10. dicitur, *De ore ejus lampades procedere*, eodẽ pertinet, quo *Sternutatio*; nam ore etiam candicantem, & pellucidam aquæ vim emittentes, *lampades* videntur eructare. Niſi forte debeat hęc pars conjungi cum *ſternutatione*; nam aquam, quam ore excipit, per fiſtulam capitis ejicit, ut Ariſt. ſcribit lib. 4. de Partibus animalium c. 13. *Delphini, inquit, Balenæ, & reliquum cetariũ genus, branchiis carent, ſed fiſtulam ſui pulmonis cauſa continent, qua humorem, quem in ore acceperint, reſpuant: nam & humorẽ admitti neceſſe eſt, cum cibum in aqua ſubmerſum capiãt; & admiſſum emitti neceſſe eſt*. At D. Thomas, quem ſequitur Dionyſius, exiſtimat propter calorem vehementis halitus, dictum eſſe, *de ore ejus procedere lampades*; & ſicut *tedam*, quam eſſe dicunt lignum odoriferum, cujus natura, & odore alluſionẽ fieri putant ad Cetorum naturam, qui dum eſuriunt, ſuavem odorem ore emittunt, quo illectant, capiuntque piſciculorũ prędã. Sed neque *teda* eſt aliud in Hebræo, quam *ſcintilla*, aut *ſplendor*; neque in Latino aliud, quam lignum aptum concipiendo igni; neque halitus Cetorum ſuave olet; nam quod de Ambra dicitur, ad excremẽta pertinet, neque res illa ab ullo probatæ fidei auctore traditur.

Eructatio Balenarũ qualis. *Ariſtot.* *D. Thom.* *Dionyſ.* כדר Teda Hebraice, & Latine quid. Ambra.

4

Quod ſtatim verſic. 11. dicitur de *naribus*, per expoſitionẽ poteſt accipi, de eiſdem fiſtulis, quibus eructat aquam, & inſtar ollæ ferventis, fervere, & æſtuare facit mare. Quamquam dicũt habere binas fiſtulas loco narium; forte alias, quã quæ ſunt in capite. Sicut etiã id, quod ſubjungitur de *halitu, faciente prunas ardere*; quæ videtur eſſe periphraſis folii ferrarii, qui bipatente foramine, prunas exſufflans, & inflammans, repræſentat binos nariũ hiatus, per quos reflatur vehemens, & præcalidus ſpiritus, & ingens aquę copia. Atque hæc omnia indicant id, quod nuper ex Ariſtotele afferebamus. Balenã propter magnam copiam calidi ſanguinis, & pulmonis præcalidi, indigere magna aeris copia ad reſpirandum, atque idoneis ad reſpirationem inſtrumentis. Quæ omnia *ignis*, & *flammarum* nomina, pertinent profecto ad ſignificandam crudelitatem Leviathan: nam illa eſt graphica iræ, & indignationis deſcriptio 2. Reg. 22. 9. *Aſcendit fumus de naribus ejus, & ignis de ore ejus voravit, carbones ſuccenſi ſunt ab eo.*

Nares Balenę, quæ. Naris inſtar follis ferratil. Iræ deſcriptio.

Allegorice.

Iam hic videas repræſentari incredibilem Dæmonis ſęvitiam, & indignationẽ adverſus mortalium genus; nam ardet ipſe totus, atque cruciatur inextinguibili igne, & ut ille dixit.

Gerit infernos ſub pectore flãmiger ignes.

Quos ingenti cum fragore, & impetu nititur excutere in homines, inſtar *ſternutãtis*, & eructantis mala, quibus ipſe uritur. Cum vero nihil aliud ſit, quã teterrimus carbo, ignitus, at *transfigurat ſe in Angelũ lucis; & ſui cerebri ſordes, velut rem ſplendidam, & illuſtrem, cum delectatione effundit*, ut Philippus dixit; Vide Chryſoſtomum, & Olympiodorum hoc loco.

Dæmonis ſævitia. Diaboli ſternutatio. *Philipp.* *Chryſoſt.* *Olympiodor.*

Oculi autem ejus ſunt, vel illius cõſilia, & ſuggeſtiones in ſpeciem lucidæ, re ipſa obſcuræ; in ſpeciem vera, re ipſa mendacia corruptiſsima. Igitur repræſentant auroræ lucem permixtam tenebris; Vel, ut Gregorius, Philippus, Olympiodorus volunt, illius oculi ſunt Falſi Prophetæ, & Hæretici, *Viſionem ſuorum oculorũ* proponentes, tanquam lucem auroræ, id eſt, veræ Fidei. Sicut enim aurora, & diluculum lucem habet permixtam caligine, & ex ipſa proprietate vocis originalis, ſonat *ſplendorem nigrum*, fuſcum, turbidum; ita ſane Fidei lumen cũ obſcuritate conjunctum eſt, ut per quam *videamus*, ſicut *per ſpeculum in ænigmate*, & tanquam per *lucernam lucentem in caliginoſo loco*, donec dies illu-

Diaboli oculi, qui. *Gregorius.* *Philipp.* *Olympiod.* Hæretici, & falſi Prophetæ. שחר Lumen Fidei obſcurum.

illuceſcat dies, & Lucifer oriatur in cordibus noſtris.

Diaboli ſęvitia ex oculis rubentibus.

Sed ſi ad illam ſęvitiæ, & crudelitatis ſignificationem referre velimus, quæ proditur flãmantibus, & ſcintillãtibus oculis; ex comparatione cum aurora rubente licebit interpretari cruentos Diaboli oculos, indignantes, & erubeſcentes, tũ præ indignatione, & ira, tum præ invidia, & confuſione.

Diaboli conſilia, & ſuggeſtiones illius os, & halitus.

Quod vero pertinet ad *lampades, & flãmã procedentem, de illius ore.* Diaboli conſilia, & verba ſunt, quę noſtram concupiſcentiã inflammant, & *tanquam prunas ardere faciunt*: in illum enim cõvenit, quod de impio Scriptum eſt: *In labiis ejus ignis ardeſcit.* Si vero *Os, & Halitus* Diaboli ſint Hæretici, & Falſi Prophetę, iidem deſcribentur, qui apud Ioannem Apocal. 9. *Vidi equos, & qui ſedebant ſuper eos, habebant Loricas igneas, & Hyacinthinas, & ſulphureas, & de ore eorum procedit ignis, & fumus, & ſulphur, & ab his tribus plagis occiſa eſt tertia pars hominum, de igne, & de fumo, & ſulphure, quæ procedebant de ore ipſorum. Poteſtas enim equorum in ore eorum eſt.* nimirum ii, cum flammas gerant pectore, & capite per infidelitatem, & evomant per prædicationẽ, at præferunt colorẽ Hyacinthinum cęleſtis lucis, ut pote *Operarii ſubdoli*. Adverſus hujuſmodi Diaboli, & Hæreticorũ ignita jacula hortatur Apoſtolus ſumere, *Scutum fidei, in quo poſsimus omnia tela nequiſsimi ignea extinguere.*

Prov 16. 17.

Hæretici, & falſi Prædicatores, os Diaboli.

Cur loricæ Hyacinthinæ equorum.

Quomodo pugnandum adverſus lucem, & ignẽ Diaboli

Ephes. 6. 16.

Sunt itẽ *Os Diaboli* igneum, qui adverſus proximũ iraſcuntur, ut enim ſuperius diximus, irati igneſcunt. & ut Plato ait in Timæo, *Omne iræ opus per ignem fit.* Tum etiam, & Seneca lib. 2. de Ira cap. 18. 19. *Cujus in illo elementi portio prævalebit, inde mores erunt, iracũdos fervidi mixtura faciet, eſt enim actuoſus, & pertinax ignis.* Qui potiſsimum ore prodit. Et mirum quantam cognationem habeat ignis cum ira, verbis lingua! multum enim ad inflammandum animum, in utramque partem, valent verba. vide Iacobum, c. 3. *Ecce quantus ignis, quam magnam ſylvã incẽdit, & lingua ignis eſt, univerſitas iniquitatis. Lingua conſtituitur in membris noſtris, quæ maculat totũ corpus, & inflammat rotam nativitatis noſtræ inflammata a Gehenna.* vides igitur linguam noſtram, & os accendi, & inflãmari a Gehenna, & ab ore Leviathan. Vide Prov. 16. 27. 28. Eccleſ. 28. 11. 12. 13. 14. Et in eo quidem ſunt verba, & ira ſimilia ſcintillarum, ut hoc loco legere poſſumus ex Hebræo, quod cum leviſsima ſint, at initia ſunt incredibilis incẽdii, ſicut dicebat Iacobus, *Quantus* (quam parva ſcintilla) *ignis, quam magnam ſylvam incendit!* quare a levibus occaſionibus, tanquã a ſcintillis cavere nos præcipit Seneca, ne iraſcamur, lib. 3. de Ira cap. 30. *Melius eſt initia ipſa perſpicere, quam levia ſint, quã innoxia. Quod accidere vides in animalibus mutis; idẽ in homine deprehendes; frivolis turbamur, & inanibus. Taurum color rubicundus excitat; ad umbram Aſpis exurgit; Vrſos, Leonesque mappa proritat; omnia, quæ natura fera, ac rabida ſunt, conſternantur ad vana. Idem inquietis, & ſtolidis ingeniis evenit: rerum ſuſpicione feriuntur.*

Qui proximũ verbo irato lędit, os Diaboli.

Seneca.

Temperamentum iratorum igneum.

Ignis cognatio cũ lingua, & verbis.

Iratis occaſiones, & parva initia cavẽda.

Eodẽ pertinet, quod de *fumo narium*, & de *fervore ollæ* ſubjungitur, quæ appoſitiſsima ſunt iracundiæ, & indignationis Symbola. de quo vide D. Thomam 1. 2. q. 48. ar. 2. Agunt enim iracundi ſpumas ore, ſicut *olla fervens*, incredibili perturbatione, & ebullitione viſcerũ, & pectoris. de quo diximus ſuperius cap. 33. verſic. 2. 3. 4. 19. 20. Sic vel Divina indignatio, vel hoſtium immaniſsimorum ardẽns ira cõparatur cum *olla ſuccenſa* Ierem. 1. 13.

Olla fervens iræ ſymbolũ.

Denique frequẽter repetitum *ignis, & flammæ* nomen, maximum ignẽ ſignificat, rurſus hic *maximam iram*, a qua præcipit Angelus cavere Apoc. 12.

XIII. *In collo ejus morabitur fortitudo: & faciem ejus præcedet egeſtas.*

1. *Piſcium capita corporis proportione maxima. Qui piſces habent* collum.
2. Collum *Symbolum indomitæ inſolentiæ;* Torques, *victoria. Illuſtratus locus Iudicum.*
3. Morari. *Delphinus dormiens exerto capite.*
4. *Varia expoſitio fortitatis Leviathan.* Res, & Daleth *ſimiles.*
5. *Diaboli lætitia ex noſtro dãno. Illius ſatelles. Per ditto.*

1 Pergit adhuc in deſcriptione capitis horrifici, & vaſtiſsimi, cujus pondus cum ſuſtineatur collo, oportuit, ut maximi capitis collum eſſet fortiſsimũ. Et quidẽ cum *Capita piſcib⁹ proportione corporum maxima data ſint*, ut Plinius ſcripſit, at nõ omnes piſces collum habent; cum enim hoc datũ ſit a natura propter reſpirationem, & gulam, atque pulmonem, tantum habent collum piſces reſpirantes, & pulmonem atque gulam habentes, nimirum Cetus, & Delphinus, ut docet Ariſtot. lib. 3. de partibus Animalium c. 3. & lib. 4. c. 10. libr. 2. de Hiſtoria, cap. 13. Cui igitur cõtigit caput maximum, collum contigit

Piſcium capita maxima.

Plin. lib. 11. c. 37.

Collum non omnes piſces habent.

Ariſtotel.

fortiſ-

fortiſsimum. Per *Collum* autē ſignificatur indomita, & inſolens immanitas Leviathan; cujus Symbolum eſt *Collum* pingue, erectum, rigidum. Vide; quę diximus cap. 15. verſic. 16. verſ. 12. & ubicumque *Cervicis* mētio incidit. Et quidem peculiaris cognatio eſt collo, & cervici, cum fortitudine; præter quam enim quod, ut Ariſt. in Phyſiognomicis tradit, *Qui collū groſſum habent, fortes ſunt, ſecundum animā; qui autem ſubtile, imbecilles:* Fortibus atque magnanimis victorię, & triūphi inſigne colli ornamentum, id eſt, torques dabatur, atque victorū illa erat præda potiſsima, ut indicatur Iudicum, 5.30. cum uxor Siſaræ victoriam illi augurabatur, *Veſtes diverſorum colorum Siſaræ traduntur in prædam; & ſuppellex varia ad ornanda colla cōgeritur.*

Collum groſſum indicium fortitudinis.

Ornamentum colli, torques victorum.

3 Illud vero, quod dicitur, *morabitur*, vel; ut ſonat vox originalis, *pernoctabit*, dormiet; indicat ne, tunc potiſsimum Leviathan caput, & collum erigere, cū dormit? nam cum in ea capitis, & colli ratione, Delphinus, & Cetus perſimiles ſint; Delphinus ſane dormiens roſtrum exerit ſupra mare, ut ſcribit Ariſtot. lib. 6. de Hiſtoria Animalium, cap. 12. & lib. 8. cap. 2. ſimiliter igitur cū ſpiret Leviathan, exerto capite, & collo, *morabitur*, pernoctabit, dormiet.

Morari, quid proprie.

לין

Delphinus dormiēs erecto, & exerto capite.

Ariſtot.

4 *Ante faciē ejus præcedit egeſtas.* Hoc plerique referunt ad voracitatem Leviathā, qui quoſcumque piſces obvios habet, exſorbet. Quare hunc locū legit Aquila, *Ante eum currit eſuries;* Septuaginta, *Perditio;* Hebraizantes, *Dolor.* q.d. Omnia perdit, & devaſtat. Cui ſimile eſt illud Habacuc. 3. *Ante faciem ejus ibit mors, egredietur Diabolus ante pedes ejus.* id eſt, ad illius cōſpectum concidunt, fugantur hoſtes.

Aquila.

LXX.

Sed cum verbum *præcedendi* ſemel, & hoc tantū loco legatur, Hebraizantes omnes poſt Rab. David, Rab. Mardochai, & Thargum, contendunt radicem *Duts*, ſignificare exultationem, gaudium, lætitiā. quare vertunt; *Ante faciem ejus exultabit*, gaudebit, vertetur in lætitiam, *dolor*, tabes, mors, labor, aut quid ſimile. Quod ab ipſis Hebraizātibus non eodē modo accipitur; nam quidam nimium inſipide interpretantur, Leviathan etiā in ætate tabida, & dolēte eſſe fortem, ita ut exultare poſsit. Alii, ut Vatablus, Nihil eſſe, quod illi triſtitiam afferre poſsit; quippe corā illo evaneſcit dolor, & moleſtia, exultat gaudium, & tripudium. Atque eodē pertinet Iſidorus legens, *Coram eo comminuetur labor*, quippe nihil illi exiſtit laborioſum. Paulo ſecus Tygurina, *Gaudiū ei afferet, ſi timeatur;* ſi alii doleāt, & præ timore langueāt. Sed proculdubio rem ipſam attigit Latinus Interpres, *Coram illo præcedit*, alacriter, exultanter, dolor, timor, *egeſtas*. habet enim verbum, *Duts*, cognationem cū radice *Ruts*, propter ſimilitudinem *Res*, & *Daleth*, quod ſignificat, currere, diſcurrere, feſtinare. Ergo, inquit, Leviathan in aliorum perditione, & vaſtitate tripudiat; atque aliorum egeſtate, & perditione pingueſcit; lætatur, & gaudet aliorum mœrore, & languore.

Varia expoſitio.

R. David.

R. Mard.

Thargum.

דוץ

Vatabl.

Iſidorus.

Tygur.

ריץ

Res, & Daleth ſimiles.

Simplex expoſitio.

Allegorice.

Quid jam opportunius ad Diaboli ſuperbiam indomitam ſignificandam, & ad victoriæ atque triūphi inſigne, quo tanquā torque, *collū* ſuum exornat ex præda hominum; tum etiam ad ſignificandas illius artes, & dolos, quibus conatur veriſsimos animi dolores, egeſtatem, perditionē, ſpecie vaniſsima gaudii, & lętitiæ, nobis propinare? Tandem cum ipſe ſit *Abadon, exterminator*, diſperdens, non mirum, quod *illius prodomus, & ſatelles ſit ipſa perditio*, ut ait Origenes.

Apoc. 9. 11.

Origen.

XIIII. *Membra carnium ejus cohærentia ſibi: mittet cōtra eum fulmina, & ad locum alium non ferentur.*

1. *Varia lectio.* Carnes *pro mēbro genitali. Quæ animalia habeant teſtes intus conditos.*
2. *Varia lectio. Statuitur germana.*
3. *Ratio lectionis Hebrea, & Græca. Item etiam. & Latina minus correcta.*
4. *Illuſtratio germana lectionis.*
5. *Numerorum permutatio Ceti de Cælo tacti. Omnium lectionum harmonia.*
6. *Diabolus extrema ſententia confīgēdus.*

1 POST Capitis, & faciei deſcriptionē, progreditur ad reliquas corporis partes præduras, atq; præfortes. Non ſolum caput, quod oſſeum eſt, & plenū cartilaginibus; ſed partes corporis carneæ, & molles, cōpactæ, & ſolidæ ſunt, &, ut Septuaginta dixerunt, *agglutinatæ. Membra.* R. Levi, *Partes carnis;* R. Abraham, illæ partes, quæ hærent pinguedini, quæ propterea molliores videntur; R. Moſeh, *Lumbi*, aut, *Ilia;* Thargum, *Spinæ dorſi cum coſtis;* cum Rab. David, Tygurina dixit, *Pulpas;* Cajetanus, Vatablus, *Decidua*, id eſt, *partes illæ, quæ in aliis animalibus laxæ ſunt, & propendent, in hoc ſunt firmæ.* Vox quidem

R. Levi.

R. Abrah.

R. Moſeh.

Thargum.

R. David.

Tygurina.

Cajetan.

Vatabl.

נפל a radice *Naphal*, quod est cōcidere, aut deciduum, aut inferius esse. Et eleganter dixit Interpres, *membra*, quæ inferiora sunt capite, & quasi cadunt a capite. Sed forte per *decidua*, aut inferiora carnis ejus cohærentia, & agglutinata, intelligit membrum genitale, quod indicarunt Septuaginta legentes, *Carnes corporis ejus sunt agglutinatæ*: nam *Caro*, aut *Carnes*, pro membro virili non semel in Sacris. Neque mirū hujus quoque membri fieri mētionem in Leviathan, cum facta sit in Behemoth. Quid autem est, membrū genitale cohærere sibi, aut esse agglutinatum, quā simile illius, quod in Elephanto diximus, esse *occultos*, & abditos testes, & ad interiora reductos, & renibus, partibusque internis adhærescentes, non *deciduos ad crura, ut pecori, & armēto*, quippe Delphino, qui est ex genere cetaceo, *prælongi, ultima condūtur in alvo, & Elephanto occulti*, ut Plinius dixit. Tum etiam Aristoteles 1. de Generatione Animalium, cap. 12. *Delphini, & quæcumque cetacei generis, testes habent, intus cōtinēt: ovipara quadrupedes corticati generis, ut Elephantus, & Herinaceus.* docet eandem rem lib. 3. de Historia, c. 1. & lib. 1. de Generatione Animalium c. 3. ubi in universum vult ea, quæ vel non habent testiculos, sed meatus quosdā, vel habent intus conditos, avidiora, & celeriora esse ad venerem.

LXX. Carnes, quid.

Testes Leviathan.

Plinius lib 11. c. 49.

Aristotel.

Quæ animalia celeriora ad Venerem.

2 Lectionis varietas.

Franciscus Lucas.

Mittet contra eum fulmina. Ingēs de hujus loci lectione ambiguitas, tū quod Latina inter se non consentiant, ut diligenter Franciscus Lucas ostendit in suis annotationibus, antiquiorib⁹ interpretibus legentibus *fulmina*, paucioribus *flumina*, quam extremam lectionem, retinuerunt Biblia, quæcumque Roberti Stephani, sive excussa cum annotationibus Vatabli, sive seorsum formæ majoris. ea etiā, quæ cum annotationibus Benedicti circumferuntur, Biblia itē Plantini. Sed jam Vulgatæ lectionis varietatem sustulit Sixtus Pontifex correctione Vaticana, quæ habet *fulmina*, quā præter Viginti quatuor exemplaria manu Scripta, quę habuit Frāciscus Lucas, probat etiam, quod in nostro Collegio Hispalensi D. Ermenegildi, apud me est, alterū in Domo nostra Professa; duo item alia in Columbi, & Montani Bibliothecis, omnia spectatæ antiquitatis.

3

Sed omnium lectionum breviter reddenda ratio, quo ea, quæ genuina est, magis elucidetur. Ex Hebræo sic legitur, *Fortis in eo, nō movebitur*; Cum Pagnin. & Regia. Vel non tam per participium, quam per futurum cum aliis. & Cajetanus, *Fortis, & super eum stringet*, solidabit. quod videtur ad membra, & partes corporis referendum, quod quælibet sit fortis, cōcreta, solida, fusilis, quasi ex ære fusa, nimiū compressa, & compacta; nam hæc omnia claudit vox originalis, quæ significat vel *fundere*, & liquare metalla; vel esse compactum, & pressum, ac solidum, quale remanere solet id, quod funditur.

Pagninus. Regia. Cajetan.

יצק

Lectio Græcorum.

מוט

Secunda autem pars, ad fortitudinem etiam, & firmitatem pertinet; *Non movebitur*, non nutabit, non cadet; nam his modis omnibus verti solet ab Interprete; Hinc Græci suam lectionem hauserunt, *Effundet super eum, nō commovebitur*, quod Symmachus item ad soliditatem carniū, atque membrorum retulit, legens, *Carnes ejus circumfusæ sunt ipsi immotæ*. obductus, & circumtectus est carnibus fusilibus, cōpactis, concretis. Quamquam nescio quare Nicetas, *Infusionem* hanc, ad *oblationem* quandam, *medicinam, obsequium* retulerit: *Quorumcumq̀ (inquit) utatur obsequio, quodcumque ei tandem adhibeat, fore tamen, ut nihil is sentiat, curationem nullam admittat.*

Symmach.

Nicetas.

Hinc jam affulget illa lectio *fluminum*: quia enim verbū originale significat *fundere*, quid erit, fundere in eum, aut super eum, quā *mittere contra eum flumina*? Quid est autem illum non *moveri*, quam si ille se opponat, tanquam vectem, & obicem alveo, efficere sua mole, ut flumen non fluat, sed ibi cursum sistat, & *ad locum aliū non feratur*?

4 Illustratio veræ lectionis.

Correctissima jā lectio Vaticana, quæ utique est propria, & germana Latini Interpretis, lucem hinc capit: quia enim verbum illud *fundendi*, seu quasi opere fusorio *Constringendi*, & *arctandi*, ad angustias, & tribulationes refertur, sapienter censuit Interpres sententiæ suppositum esse Deum, qui, ut Philippus observavit, *Subito personam cōmutavit*; de se sub tertia persona loquutus. qui in arctum, & angustū cogēs Leviathan, *effundit super eum*, quid, quæso, aliud, quam tela illa ignita, fortissima, quæ opere quasi fusorio in fornace suo conficit, fulmina inquam? cū illa contorquet Deus, fortescit, roborat se se adversus tantam potentiā, & duritiem Leviathan. effundit, & pluit super eum *Dominus a Domino ignem, & sulphur.*

Philipp.

Deus suæ Potentiæ jaculis configens Leviathan.

5 Numerorum permutatio.

Illud vero, quod additur, *& ad locum alium non ferentur*, vel, non *feretur*, ut alii legunt (nam hæc Numerorum permutatio in Sacris Litteris frequentissima est, eodem sensu retento) duplicem habere potest explicatum; aut quod tante sit du-

ritiei

Fulmen pro tempestate.

ritiei, & fortitudinis, quod neque fulminibus terretur, aut commovetur, neque fugit, locumve mutat, nõ dilabitur inde, neque fluctuat; quantumvis cælestibus jaculis appetitus, quæ ingens est illius vastitatis, & duritiei hyperbole. Vel, ut *fulmẽ* sit Symbolum tempestatis, pars pro toto, constat enim tempestas procellis, atque fulminibus. Igitur quamvis ingẽtes tempestates in illum incumbãt; quamvis cum rapidissimis fluctibus colluctetur, nõ languebit, non dissolvetur membris, non cedet. Secundum, quod tãtum Deus potest illum configere cælesti fulmine; & cũ omnem aliam humanam industriam eludat, & contemnat, facileque elabatur, aut etiã omnia effringat obstacula, si leviter se cõmoveat; tamen fulmina eludere non potest, quin elidatur: non enim resiliet fulmen, quod semel tetigerit Leviathan: collimabit illum Deus; quippe *ibunt directæ emissiones fulminum, & ad locum alium non ferentur*: fulmina immergẽtur in illius vastissimo corpore, ibi extinguentur. Sicut autem fulmina, quæ in terras cadunt, frequenter altissimos feriunt montes, ita sane cum frequenter in maria decidant, frequenter etiã tangent Cetos, qui sunt maris montes, præsertim dorso, instar præcelsi collis, supra mare prominentes. Vides jam lectionum omnium, quamquam dissidentium sono, & qualitate, harmoniam tamen, & in unica originali sententia nexum, & convenientiam.

Hyperbole.

Leviathan cedens tantũ fulmini.

Sap. 5. 22.

Ceti frequenter tacti de cęlo.

Allegorice.

Diabolus quomodo extremæ sententiæ fulmine configendus.

Hujus loci nõ alia ad Diabolum relatio, quam ea, quæ pertinet ad crudelitatẽ, & obstinatam duritiem illius, atque suorum membrorum; tum etiã illum configendũ fore extremæ sentẽtiæ fulmine, cum non amplius licebit vagari in aere hoc caliginoso, sicut Iudas in sua Epistola dixit, *Angelos, qui non servaverunt suum principatũ, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis, sub caligine reservavit*. De quo diximus cũ eum Iudæ Apostoli locum interpretaremur.

XV. *Cor ejus indurabitur tanquam lapis: & stringetur, quasi malleatoris incus.*

1. *Cor nervosum. Hirsutum, quid significet. Quorundam corda cum ossiculis.*
2. *Cor Leviathan. Varia lectio.*
3. *Incus cujus Symbolũ. Dæmonis durities indurãs mortales.*

CVM Cor sit in omnibus animãtibus nervosum, tum etiã, & spissum, beneque compactum, ut Aristot. docet libr. 3. de partibus, c. 4. at in Leviathan maxime durum, rigidum, hirsutum, signum fortitudinis, & audaciæ, ut Plinius docet libr. 11. c. 37. adeoque cum cor *carneum sit sine osse, præter quam equi, & generis cujusdam boum, in quibus ossicula quædã fortitudinis, & sustentaculi causa inveniuntur*, ut iidem Scriptores tradunt; at cor Leviathan totum videtur osseum, totũ lapideum, imo ferreum, & malleo ductum, quod durius est; imo sicut ipsa *incus*, quæ cõtinua percussione, durissima evadit. Pro *malleatore*, alii legũt *molam inferiorem*; nam ex sua radice proprie significat fragmen, aut partem lapidis divisam, ut Iudicum, 9. 5. & 2. Reg. 11. 21. sed Interpres eandem vocem sumpsit pro *malleatore*, aut fabro ferrario eo quod dividat, & in frusta secet ferrum; quare cũ duas illas voces legamus in Hebræo *Sicut fragmen*, aut, *sicut frangens inferius*; eleganter, & subtiliter Interpres retulit ad *malleatorem*, qui frangit ferrum; & tundit crebris ictibus incudẽ inferiorem, ut duritiem istam amplificaret.

1 Cor nervosum. *Aristot.* *Plinius.* Cor hirsutum, quid indicet.

2 Cor Leviathã.

Varia lectio.

Allegorice.

D. vero Thomas, & posteriores alii Latini eleganter observant, in *Incude* resistente ictibus, repræsentari potentiã, & vim nõ cedentem difficultatibus, aut externis viribus, & aggressionibus: quippe Cetus, neque tempestatibus, neque incõmodis aliis, quibus cæteri pisces percutiuntur, debilitatur, aut cedit. Hæc est illa obstinatæ mentis, & inflexibilis arbitrii Dæmonis durities. hæc ipsa *incus* est, in qua tunduntur, & quasi malleo ducuntur, & indurantur mortalium mẽtes, & *cervices ferreæ*, atque *corda dura, quæ male habebũt, in novissimo*. hæc ipsa incus est, & molaris parata semper excipere, quos cõterat, & comminuat, plena odii pertinacissimi. de quo diximus plura, 1. & 2. capite.

D. Thom. Incus Symbolum resistẽtię.

Diaboli durities indurãs homines.

Eccles. 3. 27.

XVI. *Cũ sublatus fuerit timebunt Angeli: & territi purgabuntur.*

1. *Ambiguitas vocum, & sententia.*
2. *Quatuor aliorum exponendi rationes. Timor refrigerans, & solvens.*
3. *Idonea expositio. Vota periclitantiũ in mari. Angeli nomen in quos conveniat. Explicatus Isaias.*
4. *Fortitudo non versatur circa tempestates. Harum timor cadens in constantem virum.*
5. *Diaboli superbia. Sanctorũ Angelorũ timor, & reverentia.*

Varia

1 נשא VAria, & anceps hujus sententiæ expositio apud Interpretes, quam faciūt proprietates trium vocum, prima illius, *cum sublatus fuerit*, ex radice *Naça*, cū puncto *Ceboleth*, quæ proprie significat *altitudinem*, elevationem, extollentiam. at vero cū puncto *Siboleth*, significat *conturbationem*, & destructionem, vel interitum. Secunda *Angeli*, quæ ex proprietate significat fortes, aut potentes. & aliquando dicitur de *Deo*, aliquando de veris Angelis, aliquando vero de potentibus, atque Principibus. Tertia, *purgabantur*; quo proprie est *peccare*, deviare, aut declinare, & aberrare a recto, aut peccati expiationem, purgationem, munditiem quærere per sacrificium, aut ratione alia. Hinc natæ sunt variæ lectiones, atque interpretandi rationes.

אילים

חטא

2 Prima expositio. D. Thom. Nicolaus. Dionys. Prima Divi Thomæ, Dionysii, Nicolai, referentium ad Divinam virtutem *auferentem*, id est, punientem, vel prosternentem sua virtute, & cælesti fulmine Cetū; propterea que *Angelos* veros *timere*, id est, admirari Divinam virtuté, *purgatos* a nescientia, id est, tunc tandem cognoscentes præclarum illud facinus Divinæ Potestatis. Interpretatio hæc bene cohæret; sed juxta vocū proprietates est parū exacta; potius multum invita, & coacta.

Secunda expositio. LXX. Secunda, quod cum Cetus se commovet, & *effert* in Mari, etiam ipsa quadrupedia *fortissima*, & potentissima timent sibi; Sic indicarunt Septuaginta legentes; *Cū se verterit, timor bestiis quadrupedibus, super terram saltantibus*. forte enim respicit, ad equos, & equites confluentes ad littora, si forte eo appulit, & impegit Cet⁹ aliquis.

Tertia expositio. Isidorus. Tertia huic proxima est, ut præ illius *altitudine*, vel *dignitate*, ut legit Isidorus, cum in altum caput erexerit, & collū *sustulerit*, *fortissimi* quique, atque peritissimi nautæ extēplo *purgētur*, id est, curent, aufugere, & se se ex tanto discrimine expedire, declinantes a recto tramite, alio cursum, & navigationem dirigentes. Vel etiam quod *aberrabunt* præ *turbatione*, & ut Tygurina dixit, *Animis consternati nescient, quo se vertant*. ita Titelmanus, vel quod in ingenti timore evenire solet, etiā fortissimorū quorumcumq; artus, & mēbra solvantur; solvatur etiam alvus. ita Vatablus, & Isidorus. Quorum interpretatio, quamvis parum munda sit, atque ex infimis petita; est tamen ad fœdi timoris naturam valde opportuna, ut docet Aristotel. 4. Probl. sect. 32. Denique alii, illam vocem, *purgandi*, accipiunt pro expurgatione peccati, cum deprecantur delicta, & Deo supplicant, qui in Mari periclitātur. Quid enim magis familiare, quā in vota, & preces procumbere, quos Mare conturbat?

Tygurina. Titelman. Vatab. Isidorus. Timor solvēs partes inferiores. Aristot. Quarta expositio.

Sed omnium harum interpretationum ope aliqua, nos integram, & opportunam conficiemus ex ipsa natura. Cetī concitātis tempestates, & discitantis nimbos, quibus frequenter periclitantur navigia, & duces fortissimi, atq; peritissimi navarchi terrentur vehementer, & vel errati se accusant, quod infaustū navigationis cursum ad freta Cetis infesta direxerint, vel peccatis suis illud tribuentes, veniam, & incolumitatem precantur a potentissimo Cetorum Domino, & perdomitore; denique ea omnia faciunt, quę in tempestate, & timore ingenti fieri solent. Et quidē præter quam, quod vox originalis *Elohim*, ad viros præclaros, & fortes referri soleat, Exod. 15. 11. Psal. 81. & aliis locis, at nomen *Angeli*, id est, *Nuntii*, vel *legati*, peculiariter etiam ad navigātes refertur, qui vel merces, vel nūtia aliquo perferūt, ut constat ex illo Isai. 18. 2. *Mittit in Mare legatos, in vasi papiri super aquas. Ite Angeli veloces*. Cum vero se effert Cetus, simul etiam extollit fluctus, & tempestates concitat, ut superius ex Plinio, Strabone, & aliis confirmavimus. Tempestatis antē vim ingentem esse, ad commovēdos fortissimorum animos, docet Aristot. 3. Aethicorum c. 6. dum docet *Fortitudinem nō versari circa eam mortē, quæ fit in Mari, neq; non virum fortem in Mari timere; quod enim nautæ non timeant, non tam evenit propter fortitudinem, quam propter experientiā*. Vide eundem Philosophum. 3. Aethicorum ad Eudemum initio, & Gellium lib. 19. c. 1. ubi narrat Stoicum quandam Philosophum interrogatum, cur in Maris tempestate palluisset, sed respondisse sapienter. Quis enim nisi plane stupidus, & ab omni sensu alienus, in media tempestate nō timeat? quare fortissimū Aeneam, ingēti correptum formidine, & solutis membris pingit Poeta, dum ait;

3 Plenior, & cōmodior interpretatio.

Vota periclitātiū in mari.

Nomē Angeli de navigantibus, aut legatis.

Cetus cōcitās tempestates. Plinius. Strabo.

Aristot.

4 Fortitudo non versatur circa timorē Tempestatum.

Gellius.

Eripiunt subito nubes Cælumque, diemque
Teucrorum ex oculis: ponto nox incubat atra:
Præsentemque viris intentant omnia mortem.
Extēplo Aeneæ solvuntur frigore mēbra.
Ingemit, & duplices tendens ad Sydera palmas,

Virg. 1. Aen.

In cujus loci commentariis pulchra quædā affert noster Iacobus Pontanus. Simile id, quod Seneca in Agamemnone Act. 3. in descriptione tempestatis horrificæ,

Iacobus Pontanus.

Seneca.

Nil valet, & uſus audet in magnis malis.
Tenet horror artus, omnis officio ſtupet
Navita relicto, remus effugit manus.
In vota miſeros ultimus cogit timor.

Allegorice.

Cum vero Dæmonis ſuperbia inſoleſcit, quis non timeat? cum illam compreſſam, & deturbatam cõtēplantur Angeli ſancti, tantam Dei Potentiam, & Majeſtatē verentur, & timent. Cum Diaboli caſum contemplantur ſancti homines, ſuperbiæ peccatum, ſi quod admiſerunt, ſupplices deprecantur, & expiare nituntur. De quo videndi Gregorius, & Philippus. nã Greci ſuam lectionem in lõge alium ſenſum interpretantur, quod videlicet, tanta ſit Diaboli ſævitia, ut etiam neque ſuis parcat, ſed illos perterrefactos, mēte emotos, corpore inquietos, & contremiſcētes efficiat. legunt enim Septuaginta, *Cum ſe everterit* (id eſt, contraverterit contra homines improbos, beſtiarũ more deſipientes) *timor beſtiis quadrupedibus ſuper terrã* (præ timore, & turbatione) *ſaltantibus.*

Gregor. Philipp.

LXX.

XVII. Cum apprehenderit eum gladius: ſubſiſtere non poterit, neque haſta, neque thorax.

XVIII. Reputabit enim, quaſi paleas, ferrum: & quaſi lignum putridum, æs.

XIX. Non fugabit eum vir ſagittarius: in ſtipulam verſi ſunt ei lapides fundæ.

XX. Quaſi ſtipulam æſtimabit malleum, & deridebit vibrantem haſtam.

1. *Deſcriptio feritatis indomitæ.*
2. Haſta. *quod genus armorum.*
3. Thorax, *quid.* Lignũ putridum, *cujus Symbolum. Explicatus locus Regum.*
4. Filius arcus, *quid* Filii *appellatio ampliſsima. Fundibularii cum ſagittariis.*
5. *Funda antiquitas, inventio, uſus, glandes, & lapides. Illuſtratuſ locus Iudicum.*
6. Malleus, *an aliquod armorum genus. Illuſtratus Salomon.*
7 *Integri exerc tus partes, & ordines.*
8. *Chriſtus inſtruens exercitum adverſus Diabolum.*

Perelegans indomitæ fortitudinis deſcriptio, nullis armis cedentis, ſive cominus, ſive eminus lædat, nullo armorum ſonitu commotæ, denique omnem humanam Potentiam, atque induſtriam deridentis. qualia horrifica illa monſtra, ſeu potius membra monſtrifera Herculis deſcribit Seneca, 1

Indomita feritas, & fortitudo.

Seneca in Her. act. 1.

Nullis vulneribus pervia membra ſunt:
Ferrum ſentit hebes, lentior eſt Chalybs,
In nudo gladius corpore frangitur,
Et ſaxum reſilit, fataque negligit,
Et mortem indomito corpore provocat.
Non illum poterant figere cuſpides,
Non arcus Scythica tenſus arundine,
Non quæ tela gerit Sarmata frigidus,
Aut qui Soliferæ ſuppoſitus plagæ
Vitino Nabathæ vulnera dirigit,
Parthus Cnoſiacis certior ictibus
Muros Oechaliæ corpore propulit.
Nil obſtare valet: vincere quod parat,
Iam victum eſt. . . . . .

Quæ profecto elegans eſſe poteſt Paraphraſis mõſtriferæ hujus fortitudinis Leviathan. Sed in vocibus minutiora quędã leviter perſtringenda.

Cum apprehenderit gladius, id eſt, Si quis eum *gladio* appetat, attingatve, retundetur ſtatim, non conſiſtet illius acies, non poterit reſiſtere duriſsimæ cuti: quod igitur vincere parabat, vincetur, itaque neque ad lędendum, neque ad defendendũ, valebit *gladius.*

Neque *haſta*. Peculiare quidem armorum genus, quod in Hebræo dicitur, *haſta*, aut *Lancea Maçagh*. Licet autem illud nomen Hebræi Complutenſes accipiant pro *armis* in genere; alii vero pro peculiari aliquo *telo*, ut Vatablus; alii tamen, ut Rabbi Ionah, & Rab. Moſeh accipiunt pro appoſito *haſtæ*, quam Tygurina vocat, *Haſtam penetrabilem*; at vero alii Hebræi, *Haſtam profectionis*, vel *progreſſionis*. quia radix ſignificat proficiſci, aut progredi; quaſi dicas, *Lancea miſsilis*. Enimvero duplex fuit haſtæ genus, alterum *ſtabile*, alterum *jaculatorium*; Ennius dixit, 2

Haſta, quod genus armorum

Complutenſes.

R. Ionah.
R. Moſeh.
Tygurina.

מסע

Duplex genus haſtæ.

Ennius.

Haſtati ſpargunt haſtas, fit ferreus imber.

Quare non una uni militi haſta, ſed ſeptenæ, ut ſcribit Livius anno 452. lib. 26. At quod nihil peculiare videretur afferri illo nomine, illud contempſit Interpres, ſicut, & Septuaginta.

Livius.

Quod ſtatim additur, *neque Thorax*, ſive *lorica*; genus armorum eſt ad protegendum pectus, & ventrem, ut eleganter Cicer. dixit pro Murena, ſe ipſum pingēs 3

Thorax, quid.

Cicero.

lorica-

loricatum; *Descendi in campũ cũ firmissimo præsidio fortissimorũ virorũ,& cum illa lata, insigniq; lorica, nõ quæ me tegeret, etenim scie bã Catilinam non latus, aut ventrẽ, sed caput, & collum solere petere*. Sed quorsum *Lorica* adversus eum, quem velis lædere? Respondet R. Abraham, per nomen originale
R. Abrah. non tam designari loricam, ad protegẽdum, quam genus armorum ad lædendũ, quod alii volunt esse *pilam* aut *jaculũ*. Sed ceteri, etiam Hebræi, conveniunt esse lo-
שריה ricam, & aperte colligitur ex 1.Reg. 17. 39.& 3.Reg.22. 24.& 2. Paral. 18.13. *Loricæ* igitur in hoc conflictu fit mentio, certe ut significetur, non posse diu adversus Leviathã hominẽ pugnare, quãvis fortissima lorica protectũ; nõ enim minus loricam discindet Leviathan, quam ictus gladiorum repellet.

Congerit deinde omnia alia armorum genera sive *ferrea*, sive *ænea*, de qua armorum materia satis diximus super id c. 20. vers.24. *Fugiet arma ferrea, & irruet in arcum æreum*.

Rursus *palea, & lignum putridum*, Symbolum mollitudinis, & imbecillitatis in-
Palea,& lignum putridũ, eius symbolum. nocuę sunt. Quare fortissimus David, qui omnem suorum hostium fortitudinem debilitarat, & vires depaverat, comparatur cum Teredine, quæ efficit lignum putridum,& cariosum. 2.Reg.23.8. *David Princeps inter tres, ipse est, quasi tenerrimus ligni vermiculus*. Postquam igitur confregerat hostium robur, *reputabat illos, tanquam lignum putridum*.

Quod deinde dicitur, *Vir sagittarius*, in
4 Hebraismus. Hebræo est, *Filius arcus*, plerique *Sagittã*, intelligũt, quæ dicitur *filia Pharetræ*, Threnorum. 3.13. cum asservatur, aut pro-
Pagninus. Tygur. ducitur ex pharetra; & *filia arcus*, cum paritur, & emittitur ex arcu. Alii, *filium arcus*, volunt esse hominem studio arcus, & sagittandi deditum,& addictum, quadrat utrumque. Et quidem nomẽ, *filii*, amplis-
Filii appellatio in Scripturis perampla. simum est in Scripturis, & ad ea omnia refertur, quæ vel alicui rei addicta sunt, vel ex aliquo loco desumpta, aut mutuata, aut orta sicut filius a Patre, quare triticum vocant *filium areæ*, Isai.21.10. Sacerdotes unctos, *filios olei*, Zachar.4.14. Collem consitum olivis, *Filium olei*, Isai. 5.1. Cucurbitam una nocte natam, *Filiam noctis*, Ionæ.4.10. Scintillas, *Filios carbonũ*, aut prunarum, Iob.5.7. qui annum vixit, vel munus aliquod administravit, *Filium anni*, Exod. 12.5. 1.Reg. 13.1.& sexcenta hujusmodi. *Ergo*, inquit, *vir sagittarius non fugabit eũ*, quippe totus munitus est squamis, velut *scutis fusilibus*, & totus Cataphractus atque armatus; *nam qui hujusmodi munimenta non habẽt*, ut Vegetius dixit,
c. 20. *aut vulnera sustinent, aut capiuntur, aut fuga rem perdunt*. qui non fugatur, be- Vegetius.
ne munitus est. Et ideo *fundibularii*, & *sagittarii* in cornibus locabantur, ut si possent, hostem fugarent, atq; insequerentur.

Lapides fundæ. Par erat *sagittariis* manus fundibulariorum, quare, & jungebã- Sagittarii simul cum fundibulariis.
tur in prælio, & junctim faciunt illorum mentionem Sallustius in Iugurtha, Sisen- Salustius.
na lib.3. Historiarum. Imo fundibulariis Sisenna.
major vis, quam sagittariis in ejaculando, ut ex Xenophonte, Dione, Strabone, Vegetio demõstrat Lipsius lib. 5. suę mi- Lipsius.
litiæ, cap. 20.

Hinc etiam licet colligere antiquissi- 5 Fundæ usus antiquus,& inventio.
mum fuisse usum fundæ. Quamvis enim Vegetius libr.1.cap.16. scribat, Baleares *Primos invenisse fundarum usum*, & Plinius Vegetius.
lib.7.cap.56. ait, *Fundam inventam a Phœ-* Plinius.
nicibus: at antiquor fuit, & fere inter ipsa prima pugnæ instrumenta designata a natura, ante usum æris, & ferri; quippe lapidibus,& stupeo, aut junceo, setaceove filo peragitur, quæ ipsa prima sunt, aut valde rustica naturæ,& artis arma; Lucret.lib.5.

Arma (inquit Lucretius) *antiqua manus, ungues, dentesque fuerunt,*
Et Lapides, & item sylvarum fragmina rami,
Et flammæ, atque ignes, postquam sunt conita primum.
Posterior ferri vis est, ærisque reperta.

Atque ante cruentam fundẽdi sanguinis invidiam, hæc fuit dimicandi ratio; *Cum* (ut inquit Vegetius) *Membris integris le-* Vegetius.
thale tamen vulnus importent, & sine invidia sanguinis, hostis lapidis ictu intereat. Atque Fundæ lapides,& plũbeę glandes.
cum primum fundis jacerẽtur lapides, ut hoc loco dicitur; postea etiam & glandes plumbeæ, ut indicavit Lucanus;

Lygdamus excussa Balearis tortor habenæ Lucan.lib.3.
Glande petens, solido fregit cava tempora plumbo.

Vehementi vero impetu, & attritu aeris, ignescebat, & liquescebat plumbum; ut Seneca.
Seneca dixit lib.2. nat. qq. cap. 56. *Aera motus extenuat, & extenuatio accendit. Sic liquescit excussa glans funda, & attritu aeris velut igne destillat*. Congerit in hanc rem plusculа Lipsius lib.5.6. Dialog.20. Verũ Lipsius.
quidem cum multæ nationes funda excelluerint, ut Lygisti, referẽte Arist. in mira- Aristot.
bilibus auditionibus; tũ præterea Acar- Thucidides.
nanes, & Rhodii, ex Thucid. lib.2. belli Livius.
Pelopon. Cyrthei, ex Livio Decade lib.7. Strabo.
Persę, ex Strab. lib.15. at Baleares excellẽ-

Diodorus. tissimi; quibus Diodor⁹ lib. 5. c. 6. scribit, *Arma esse fundas tres; una caput cingüt, altera ventrem; tertiam manibus gestant*, Idem Florus libr. 3. Epitom. in bello Balearirico. addit etiam; *Certos esse quis miretur ictus, cum hæc sola genti arma sint? id unũ ab infantia studium: cibum puer a matre non accipit, nisi quem ipsa monstrãte, percußit.* Excelluerũt etiam Lygisti, quos in mirabilibus scribit Aristot. *aves volitantes singulas singulis ictibus destinare, tanquã certo momento omnes casuras.* Sed quid hoc cum dexteritate illa antiquissimorũ Palesthinorũ, Iudic. 20. 16. *Ita sinistra, ut dextra præliãtes* (*solebant* quippe, ut ait Vegetius, *Draconarii, atque Signiferi sinistra manu hastas gubernare*) *fundis lapides ad certum jacientes, ut capillum quoque possent percutere, & nequaquam in alteram partẽ ictus lapidis deferretur.* In horum numerum David adolescens adhuc merito referendus, & in exercitu Saulis, ex ordine fundibulariorum, qui ad destinatam frontẽ Goliath (quippe fronte tantum nudus erat) funda jaciens, uno ictu Philisthæum stravit. Tẽpore quoque Iobi apud Husitanos fundæ in usu.

Florus. Aristotel. Vegetius. David adolescẽs fundibularius.

6 תתח Quod deinde de *malleo* dicitur, nõ placet Hebræis, neque Hebraizantibus: nam vocem originalẽ *Thothabh*, quæ semel tãtum hoc loco legitur, vult R. David esse quodcumque *jaculum*. sequitur Pagnin. & Cajetanus. At vero recẽtiores post R. Moseh, & R. Abraham, quos sequitur Regia, volunt esse *machinam ad projiciẽda saxa*, videlicet Catapultam, aut Arietẽ. At Septuaginta cum Latino Interprete, *malleos* dicunt; quo nomine nihil aliud intelligũt Olympiodorus, aliique Latini, quã ictus plagarum vehementes. Sicut Prov. 19. 25. cum dicitur, *Parata sunt derisoribus judicia, & mallei percutientes stultorum corporibus.* nihil aliud videtur significari, quã quod simplici voce, in Hebręo dicitur, *percussiones stultorum corporibus*. Ego vero existimo fuisse proculdubio, armorum genus aliquod ad percutiendum, & cõfringendum instar *mallei*, aut instar *clavæ*, quę ex una parte capitata est; nam ea etiã, inter prisca illa armorũ genera numeratur;

R. David. Pagninus. Cajetan. R. Moseh. R. Abrah. Regia. LXX Olympiod. Malleus, armorũ genus. Lucretius.

Confectabantur (inquit Lucretius) *sylvestria secla ferarum,*
Missilibus saxis, & magno pondere clavæ,

Clava, armorum genus. Pondera adversus hostes jactata. Ovidius.

Iactis præterea põderibus, velut adactis malleis, opprimere conabantur hostes, ut describit Ovidius. 3. Met. Cadmum cum serpente pugnantem,

. . . . . Dextraque molarem
Sustulit, & magnũ magno conamine misit.
Illius impulsu cum turribus ardua celsis,
Mænia mota forent; serpens sine vulnere mansit
Loricæque modo squamis defensus, & atræ
Duritia pellis validos cute repulit ictus.

Quod de Leviathan nunc quoque asseritur, duritia pellis repellente malleorum ictus. Neque mihi dubium, allusionem etiã fieri eo loco Proverbiorum ad hoc genus armorum, *malleorum percutientium*. tũ etiam, & Iudicum. 4. 21. c. 5. 26. quamvis enim Iahel dicatur sumpsisse *fabrorũ malleum cum clavo* ad percutiendum Sisaram; tamen cum agatur ibi res bellica, eleganter innuitur, non alia graviori clava, neque majori bellatorum malleo Iahelem usam, quam *malleo fabrorum*, qui satis illi fuit Divina virtute roboratæ.

Additur deinde, *Vibrans hasta*. Non dubium quin *hasta* nunc sit, nõ illa jaculatoria, sed stabilis, quæ cum manu teneatur, tremit, & cõcutitur; *Vibrans* enim dicitur a tremendo, & concutiendo.

Vibrans hasta diversa a missili.

7 Iam ergo his armorum generibus ordine enumeratorum, proculdubio integer aliquis exercitus significatur; nam tot armorum genera, non gestabantur a singulis, sed a diversis ordinibus; ut enim Vegetius scribit lib. 2. cap. 2. & Livius lib. 8. ex Hastatis, Triariis, Scuta gestantibus, Sagittariis, Funditoribus, Ballistariis, & Ferentariis, qui tela ministrabant, constabat duplex ordo, Primus, videlicet levis armaturæ, ut Fund tores, & Ferentarii, tum etiam illi, qui parmas breviores, & septena jacula, aut sagittas gestabant; & hi in prima fronte exercitus, in cornibus locabantur, ut si forte hostes fugarent, sequi possent, ut Modestus ait, de Nominibus Castrensibus. Quare recte etiam nunc dicitur, *Non fugabit eum vir sagittarius*; atque ideo primum hoc loco numerantur, *Gladius, Hasta, Thorax, Sagittarius, Fundibularius.* Qui etiam ordo servatus est, a Iuda Machabæo. 1. Machab. 9. 11. *Fundibularii, & sagittarii præibant exercitum.* Deinde sequebatur gravis armatura, quæ ex alis hastatis, & gravioribus munimentis constabat, cõsistebatque tanquam murus ferreus. quæ profecto significatur, in *hasta vibrante*, & in *malleis*. Ergo hæc est instructissimi exercitus periphrasis, quẽ integrum deridet Leviathan, irritos reddẽs omnes hominum adversum se conatus.

Vegetius. Livius. Funditores, & Sagitarii collocati in fronte exercitus. Modestus.

Allegorice.

Sed cum immanissimus Leviathan humanam omnem potentiam contemnat, 8

Integer exercitus, cuj* dux Christus adversus Diabolum.

atq; derideat, ne tãtum insolescat, & glorietur, datus est nobis dux fortissimus Christus Iesus, potens in Mari, potens in fluminibus, potẽs cõprimere Cetum immanissimum, potens nos instruere fortissimis armis adversus Leviathã, Sicut Scriptum est, *Loquetur pacem gentibus, & potestas ejus a Mari usque ad Mare, & a fluminibus usque ad fines terræ.* deinde integrum exercitum instruit Zacharias ex sagittariis, hastatis, fundibulariis, videlicet ex Apostolis, & Divini Verbi Ministris; *Quoniam, inquit, extendi mihi Iudam, quasi arcũ, implevi Ephraim, suscitabo filios tuos, Sion, super filios tuos Græcia; & ponam te, quasi gladium fortium; & Dominus Deus super eos videbitur, & exibit, ut fulgur, jaculum ejus: & Dominus Deus in tuba canet, & vadet in turbine Austri; Dominus exercituũ proteget eos, & devorabunt, & subjicient lapidibus fundæ: & bibentes inebriabuntur, quasi a vino, & replebuntur ut phialæ, & quasi cornua altaris.*

Zachar 9.

Varii ordines ministrorũ Divini verbi.

XXI. *Sub ipso erunt radii Solis: & sternet sibi aurum, quasi lutum.*

1. *Varia lectio, & ratio Hebraica.*
2. *Hyperbole. Radii lucis acuti. Tria Solis nomina. Explicatus Moyses*
3. *Circumloquutio ingentis vastitatis, Particula* Sub.
4. *Quid sit Leviathan conculcare omne pretiosum. Lutum Symbolum abundantiæ.*
5. *Dæmon obtenebrans lucem.*

1 Sicut per se aperta, & facilis, ita cum originali collata, tum etiam cum præcedentibus difficilis est hæc sententia; nã nullum nexum habere videtur. Id quod Latini intelligunt, quidquid speciosum, atque pretiosum in rerum natura est, despici a Leviathan; & neque luce delectari, neque auro allici. Tum vero id quod Hebrei, & Hebraizãtes legunt, multo melius cohęrere videtur cum duritie, & fortitudine Leviathan, *Sub ipso erunt radii acuti testarum, & sternet sibi acũta, quasi lutũ.* Lectionis hujus, & varietatis ratio hæc; quod *pro radiis*, subest in originali, vox *Hhadude*, quæ significat *acumina*, a radice *Hhadad*, quod est *exacuere*: vox autem, quę vertitur *Sol*, frequentius vertitur *testa*, aut *fictile*, supra Iob. 2. 8. Isai. 45. 9. & Ezech. 23. 36. & ubicumque invenitur. quare is efficitur sensus: Leviathan est cutis adeo duræ, ut quamvis affricet se, & incumbat fragminibus acutissimis testarũ, minime tamẽ lædatur. Agnoverunt eundem sensum Septuaginta legentes, *Lectus ejus obelisci acuti.* quod interpretatur Nicetas etiam de animante; *Duro, & aspero corpore illud esse, ut in obeliscis etiam dormire, & nihil ex ea re lædi, vulnerisve accipere possit.*

Ratio lectionis Hebraicę. חדודי חדד חרש

LXX. Nicetas.

2 Sed cum hæc Hyperbole neque valde concinna, neque multũ opportuna videretur Interpreti, neque res hæc testarum lenis, imo vero magis humilis, atque minuta, quam pro orationis, & descriptionis istius dignitate; *Acumina* illa sumpsit, pro *radiis*, quæ videntur ex corpore luminoso, tanquam ex Base diffundi, & in acutum desinere: qua etiam ratione dicuntur *cornua.* Nomẽ autem *Hheres*, sumpsit pro *Sole*, quod existimaret solere *Sin*, præsertim si habeat punctum *Scholem*, cũ *samech* permutari. Hhereç, autem per *samech*, significat Solẽ. quare censuit Hieronymus super id Isai. 25: *Erubescet Luna, & confundetur Sol.* Similem varietatem lectionis, & sensus, natam ex nomine *Hhereç*, legentibus ibi Septuaginta; *Liquefiet later, & cadit murus.* *Quæ* (inquit) *erroris causa fit, sequentia verba monstrabunt. Sol in lingua Hebraica, tribus nominibus appellatur, Hhamah, & Semes; quod interpretatur calor, & Hhereç, quod testam, vel ariditatẽ sonat.* Ergo nõ frustra intellexit Interpres *acumina Hhereç*, esse, *radios Solis.*

Hyperbole.

Radii Solis acuti.

Exod. 34. 29. 30.

Hieronym.

Tres Solis appellationes. חמה שמש חרש

3 Quid est autem *sub illo esse radios?* An quod sua mole ingentẽ umbram efficiat, ut videatur opprimere, & obscurare Solis radios, ac si ipse illis superior esset? An quod cum tã ingens sit Leviathan, sub se videat Solis radios, quasi ad pedes suos abjectos, sicut præcelsi montes sub se, id est, ad radicem vident Solem? Sed utraque hæc interpretãdi ratio coacta est, & minime lenis. An forte pertinet ad eandẽ indomitã vim, quam semel descripserat; Vincit ferrum, & mucrones, retundit gladios, sagittas, repellit lapides, hastas, etiã se impenetrabilem reddit: acutissimis radiis Solis, vincit illos, neque propter crassissimam cutẽ, calefieri potest; sub illo sunt itaque tanquam superati, & victi: nam illud, *Sub*, ad humiliationem, & subjectionem pertinet. Facit cum hac expositione id, quod sequitur verbũ, *sternendi*, vel, *prosternẽdi auri*, ut dicemus. Sed obstat, quod Aelianus, & Oppianus scribunt, *Balenas in siccum egredi, ut a Solis radiis calescãt.* An vero indicant hi *radii* inferiores, non solum lucere capite, & oculis, sed etiã alvo cãdicare, & fulgere? An tandẽ illud, quod Rab. David vult *Radios*, esse margaritas radiantes, quas ille vastitate corporis in Mari occulit? sed de hoc dicemus statim.

Varia expositio.

Asiunica.

Circumloquutio ingẽtis vastatis.

Particula *sub.*

Aelian. lib. 10 cap. 1.

Oppianus.

R. David.

Leviathã prę teriens,& pro culcans omne precioſum.

Sternet ſibi aurum, quaſi lutũ. Proſternit, proculcat, quidquid optimũ eſt, quid quid inſtar auri fulget; ſplendentia arma ærea, aurum imitantia, aut ferrũ ſcintillans proterit; molleſcunt illi cuncta, etiam duriſſima inſtar molliſsimi luti. Quamquã alii lõgius referre videãtur, ad naves mercatorũ pretioſis mercibus, & auro onuſtas, quas vel ſubmergit Leviathan, vel ſubmerſas prærerit, & opprimit ſuo põdere, ut videatur *ſternere ſibi lectum* ex navibus, ex auro, ex mercibus, quaſi ex molliſsimo luto. Hic quoque diſſenſio lectionum. nã quod vertitur *aurum*, eſt a radice *Hharats*, quæ proprie eſt *decidere*, aut *pracidere*, & præcindendo abbreviare. quare nomen inde ductum ſonat inciſionẽ, aut tribulã, habentem roſtra incidentia, & ſerrantia, Quare univerſi Rabb. apud Pagninum in radice *Raphad*, legunt; *Sternet ſibi rẽ incidẽtem*, aut, *tribulam*, fere eodẽ ſenſu, quo præcedentem partem accipiebant. Significat vero idem nomen *aurum*, cujus cum grana parvula inveniantur, videntur eſſe deciſa, & ſecta ex maſſa grandiori. atque eandem lectionem elegerunt. Thargũ, & Septuaginta; *Omne aurũ Maris ſub eo, ſicut lutum inenarrabile.* Quod ſi cum illa partis præcedentis interpretatione R. David cõjungas; *Sub eo erunt margaritæ, ut Sol ſplendentes*; effici poteſt ingẽtis molis, & vaſtitatis periphraſis elegans. Tanta eſt vaſtitas Leviathan, ut univerſum Maris fundum, in quo margaritæ, & aurum deliteſcũt, obumbret: quippe videtur eſſe Maris Tyrannus, qui omnes ſuorum civiũ, ſuiq; imperii commoditates, & opes inſerviũt pro lecto, & deliciis, ſicut *lutũ*, in maxima abundantia. Nam ſimilis eſt amplificatio abundantiæ, & divitiarum. 3. Reg. 10. cum dicitur, tanta fuiſſe *abundantia auri, aut argẽnti, quanta lapidũ.* Atque obſervat præterea Philippus ad naturam Draconum ſpectare hunc locũ, *Qui interrarum abditis ſinibus vel maxime commorari dicuntur, ubi metallum auri ſit.* Ergo ſi ſurſum ſe efferat, videtur univerſam Maris faciem operire, ſi ſe in ima deturbet, & cubare velit, univerſum Maris fundũ, in quo margaritæ, & aliæ naturæ opes, opprimit illas ſua mole; & ſimul cum luto lectum illi molliſsimum præbent.

Varia lectio חרץ

Pagninus. רפד

Thargum. LXX.

Lutum ſymbolũ abundantiæ.

Philipp.

Allegorice.

Si hæc accipias de *Principe tenebrarum*, an non cum ille Tyrannidem agebat in hoc mundo, *tenebræ operiebant terrã, & caligo populos!* An non cum *Stellas Cæli cauda* implicitas ſecum traxit, in tenebrarum locũ, ſub ipſo ſtrati erãt, atque proſtrati radii Solis? An non cũ electos, & juſtos ſibi devincit, in radiis Solis quieſcit, & cubat? Tum præterea ipſe ſe profitetur Plutum, & divitiarum Deũ. cujus illæ ſunt voces, *Mea ſunt omnia, & cui volo, do illa.* Deniq; qui ſe illi ſubjecerit etiam ſi aurum mundiſsimum ſit, at immundũ lutum evadet.

Iſai. 9. 2.

Apoc 12. 4.

Matth. 4. 8. Luc. 4. 5.

XXII. *Fervſcere faciet, quaſi ollam, profundum Mare: & ponet, quaſi cum unguenta bulliunt.*

1. *Leviathan dominans in profundum Maris. Symbolum ſupremæ poteſtatis. Explicatur David.*
2. *Cetorum reſpiratio vehemens. Cum tempeſtatibus Balenas volvi.*
3. *Unguenta ferventia ſymbolum confuſionis.*
4. *Dæmon auctor turbationis. Tyranni proprium. Diabolus ſubjiciens ignem noſtræ concupiſcentiæ. Illuſtratur Iſaias, & Iudas.*

DVplex poteſt eſſe hujus ſentẽtiæ nexus. prior, ut perſtet in deſcribenda 1
violentia, & vaſtitate hujus potentiſsimi Maris Tyranni, qui Mare miſcet; & cum Mare fervet, fervet autem ſemper, videatur tamen incitari, & æſtuare halitu, & ſpiratione Leviathan. Poſterior, ut cum proxime dictum ſit Leviathan cubare in immenſo Maris fundo, nũc ſubjungat, etiã tunc dominari poteſtati Maris; quippe nõ ſolum enatans in ſumma aqua, tẽpeſtates ciet, Maris æſtũ, quod & vehementiores venti ſolent; ſed præterea pro fundũ Maris commovet, quod venti non ſolent. atque id Symbolum ampliſsimæ, imo, & Divinæ poteſtatis Pſ. 64. 8. *Qui cõturbat profundum Maris.* Sed indicatur prę terea tanta vi cõturbari Maris profundũ, ut ſurſum, velut in ore ollæ, ebulliant ſpumæ, & æſtus ferventiſsimus inſoleſcat. Id quod videtur reſpiratione Cetorum effici; ut enim Aelianus dixit, *Tãto robore reſpirant naribus, ut tantopere in ſublime marinos fluctus jactent, ut hæc imperitis maximæ Maris tempeſtates eſſe videantur.* Hæc item illa eſt, quam Plinius dixit, Balenarũ, & reſpirantium piſcium, *bullantium aquarum ſufflatio.* An vero locus hic illud etiam indicare poteſt, quod idem Plinius alio loco narrat, in Mari Rubro aliquando ab imo ad ſummum hujuſmodi belluas cum ipſis fluctibus, & ingentibus tempeſtatibus volvi, ita ut videatur non niſi ab ipſarum belluarum potentia, & violentia effici tantos æſtus? Verba hæc Plinii; *In Indico Mari belluæ circa ſolſtitia maxime*

Cetus dominãs profundo Maris.

Symbolũ ſupremæ poteſtatis.

Aelian. lib. 10. cap. 2.

Cetorum reſpiratio vehemens.

Plinius lib. 9. c. 7.

Cetos cum tẽpeſtatibus volvi.

visuntur, tunc illic ruunt turbines, ruunt imbres, tunc dejectis montium jugis procellæ ab imo vertunt maria, pulsatasque ex profundo belluas cum fluctibus volvunt.

3 Illa vero similitudo unguentorũ aptissima est, non quidem, quod unguenta, ut pote materiæ unctuosæ, & pinguis, cum fervent, densiorem materiam efficiant; Sed quia unguenta ex variis misturis, & condimentis conficiuntur. Symbolum igitur esse possunt permistionis, & confusionis ingentis.

Vnguẽta bullientia symbolum confusionis æstuãtis.

Allegorice.

4 Hæc ipsa est Dæmonis, auctoris discordiarum, & pacis inimici, libido concitandarum seditionum, & inimicitiarum; nũquam ille mare hujus mundi tranquillat, perturbat semper. quamvis enim Deus etiã *mare conturbet*, sed tranquillat etiam. atque hac vicissitudine ostendit se Maris Potentem, *Qui turbat Mare*, inquit Ieremias, *& sonant fluctus ejus*. At vice versa; *Tu dominaris potestati Maris*, inquit David *& sonum fluctuũ ejus tu mittigas*. Diabolus vero, ut pote hujus Maris magni Tyrannus, miscet, & turbat omnia; nunquam mitigat. Hoc esse Tyrannicum officium, docet Arist. lib. 3. Politicorum, c. 11. Plato, 8. de Republica ad finem. vide eundẽ Dialogo. 9. de justo post initiũ. Denique ubi nostrorum animorum fluctus fuerint, & violentiores impetus; ubi spumæ, & bullę effervescentes, subesse intellige ignẽ Leviathan, *fervere facientem* animi nostri ollam, & fœdiorem, sordidioremque spumã agentem. Et cũ impii sint, *quasi Mare fervens, quod quiescere non potest*, quis plane non sentiat agitari, & commoveri a Leviathan illos, quos Iudas Apostolus appellat, *fluctus feri Maris despumantes suas confusiones*. Hi sunt Hæretici.

Dæmon nunquam auctor trãquillitatis.

Ierem. 31.

Tyrãnorum proprium. Arist. Plato.

Diabolus subjiciens ignem nostræ cõcupiscentiæ. Isai.

Hæretici.

XXIII. *Post eum lucebit semita, æstimabit abyssum, quasi senescentẽ.*

1. *Varia expositio.* Semita *quid. Cetus cute lucens, & spumas lucentes agens. Aliquando etiam eminens instar insulæ.*
2. Senescere, *pro deleri. Metalepsis.*
3. *Cetorum voracitatis circumloquutio. Accipitres Norvegiæ.*
4. *Simplex interpretatio. Mare canum.*
5. *Diabolus quo signo dignoscitur. Illius sævitia, & cupido vorandi.*

1 QVidã hoc referunt ad mucorẽ quendã lucidum, instar illius, quẽ limax rependo relinquit. Sed cum hoc nõ possit convenire pisci, præstat, ut accipiamus de innata aliqua luce universæ cuti, quæ a longe albicare, & splẽdere cernatur, ut de aliis piscibus lucẽtibus, nuper dicebamus. Aut, quod plerique volunt, quod enatãs designet semitam spumosam, & albicantem, lucentemque; quam cum sua vastitate, & robore efficiat Leviathan bullas, & spumas efflãs in sublime. Illę itaq; sunt vestigium, & indicium Leviathã, per quod cognosci potest, tanquã per semitã, & vestigium, quasi diceret; *Por el rastro de la espuma se dexa conocer*. Tum etiã cũ *semita*, hoc loco sit illa, quæ calcari potest, & quam in Mari, vel flumine appellamus vadum, ut colligitur ex Isai. 43. 16. *Dedit in Mari viam, & in aquis torrentibus semitam*, videlicet ad ingrediendum; designare poterit, Balenas aliquando eminentes in Mari instar insularum, *semitam* præbere nautis, & locum egrediẽdi ex navibus, ut Ambrosius etiam in Hexameron superius adductus testatur. de quo mirabile, est id, quod scribit Laurentius Surius mẽse Novembri, in vita sancti Maclovii.

Semita.

Balena eminens in Mari instar insulæ. Ambros.

Laurẽt. Surius.

2 Quod deinde additur, *Æstimabit abyssum, quasi senescentem*; varie redditur. nam Septuaginta legunt, *Reputat abyssum, tanquam captivum*; quod videatur esse, abyssi Imperator. Deducunt nimirum a radice *Sabah*, quod est *captivare*, aut *captivum tenere*; At vero Interpres, quem sequuti sunt plerique Hebraizantes, deducunt a radice *sub*, quod est *senescere*, aut *incanescere*. quod D. Thomas interpretatur, tantum de viribus, & robore suo cõfidere, ut existimet se universam abyssum exsorbere posse. Interpretationis ratio hęc; quod finis rei, atque senectus, similia sint; tum etiam illud, quod exsorbetur, & aboletur, conjunctum est cũ fine. inde *senescere*, pro *deleri*. Vides longissimã Metalepsim. Alii paulo aliter; quod vires, & impetus Maris furentis nihil timeat; sed facile frangat, atque debilitet, infringendo, & secãdo fluctus, nõ majori negotio, quam si cũ *sene* languido, & imbecillo colluctaretur.

LXX.

Varia lectio. שבה שוב

Pagninus. Regia. Vatab. Cajetan. D. Thom.

Senecere, Pro deleri.

Metalepsis. Lyranus.

3 Alii ad voracitatem, & ingluviem; quod tanta aviditate, & fame prædam captet, ac si Mare statim siccandum esset, & ipse necessario victu destituendus; *reputat* enim *abyssum, quasi senescentem*, & prope interitum. qua ratione dictũ videtur, id Apocal. 12. 12. *Væ Terræ, & Mari, quia descendit Diabolus ad vos, habẽs iram magnam, sciens quia modicum tempus habet*. Sic dicũt Accipitres Norvegianos, quibus ternis tantum lucis horis volare conceditur, celerrime ad prædam involare: quippe qui sentiunt diem, *quasi senescentem*.

Ceti voracitas. Dionys.

Accipitres Norvegiæ.

4 Simplicior expoſitio. Maris ſenectus canities undarum.

Sed ſimplicior, pariterque frequẽtior, eſt illa alia aliorum intelligentia *Maris ſenectutem*, id eſt, canitiem ſpumarũ interpretantiũ. Sic à Poetis Mare, fluctus, flumina, non minus *Cana* dicuntur, quam ſenectus. Mirũ igitur tantam eſſe potentiã Leviathan, ut Mare per ſe cęruleũ, & interdum etiã purpureum, illo indignante, & furente, faciem mutet, & incaneſcat.

Allegorice.

5 Quæ ſit ſemita lucens poſt Diabolum.

Sed Diabolus poſt ſe *lucidam ſemitam*, id eſt, non obſcura ſui veſtigia relinquit; nũquã enim ita ad tentandũ accedit, vel ex tẽtatione recedit, quin deprehẽdi poſsit; & non raro ex divitiis, & ſplendore bonorum temporaliũ, quæ ſecum convehit ad alliciendam, & inflammandã concupiſcẽtiã oculorum. Qui vero illum ſequuntur, ruunt in tenebras, a tergo relinquentes, veram *lucis*, & vitæ *ſemitã*. Denique cum illius vis, atque ſęvitia nunquam langueſcat, at mundi iſtius vires, hominum etiam virtus quotidie antiquetur, ſeneſcat, & refrigeſcat, indies majores ſumit animos reputans mundum quaſi ſeneſcentem; atque indies etiam exacuit animi ſævitiam ſciens, *quia modicũ tẽpus habet*: nam *mundus antiquatur, & ſeneſcit, & prope interitũ eſt*. Apoc. Hebr. 12.13.

XXIIII. Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei. Qui factus eſt, ut nullum timeret.

1. Dominari, & comparari *ab eadem radice*.
2. *Leviathan marinus, excedens terreſtria.*
3. *Inter quadrupedia nullum omnino princeps reliquorum, Sicut Leviathan inter aquatilia.*
4. *Diaboli natura excellentiſsima.*

1 Dominari, & comparare ab eadẽ radice. משל

Illatio non ſolum ſententiæ præcedẽtis, verum etiam totius capitis. Elegãter autem Interpres illuminavit, quod in voce ſimplici originali latebat, videlicet *poteſtatem, & comparationem*; nam verbum *Maſal*, ſignificat dominatũ, aut poteſtatẽ; & quia quę excellentia ſunt, & dominatũ habent ſuper reliqua, ſolent eſſe materia comparationum, & ſimilitudinum, ideo ſignificat *comparare*, vel aſsimilare. Ideo Septuaginta alteram ſignificationem expreſſerunt, legentes; *Nihil eſt ſuper terram ſimile ei*. Alii vero illam alteram dominii, vel *poteſtatis*, legentes, *Non eſt in terra poteſtas, cui pareat*. Interpres vero utrumque conjunxit; *Non eſt poteſtas, quæ cũ illo conferri poſsit*. Varia lectio. LXX. Tygur.

2 Symmach.

Super terram. quod aliqui cum Symmacho ita accipiunt, *Nõ eſt poteſtas ejus in terra*, ſed in mari, quippe eſt bellua marina, non terreſtris. Terreſtria igitur, ut pote generis diverſi, nullam cum illo comparationis, aut ſimilitudinis rationem habere poſſunt. Sed pręſtat, ut ſit amplificatio, & clauſula magnitudinis, & roboris Leviathan; Neque in Mari, cujus ille Imperium tenet; neque in terra quidquam cum illo cõferri poteſt. Tum præterea inter quadrupedia, quamvis, & ſævisſima, & vaſtiſſima plurima inveniantur; at nullum eſt, quod cęterorum dominatũ exerceat ſine cõtroverſia; nã Leo, & viribus, & corpore ſuperatur ab Elephanto, & Rhinocerote: rurſus Elephãtus quamvis procerior, & vaſtior, tamẽ ſæpe vincitur a Rhinocerote: At Leviathan ſine cõtroverſia dominatum exercet in omnia aquatilia. Igitur *poteſtas* illius, dominium, principatus non habet ſimilem *ſuper terram*. Tum etiã nullum eſt inter quadrupedia, quod vel magnitudine, vel robore, vel Tyrãnide, & dominatu cum illo conferri poſsit, quippe *factus eſt*, ita compoſitus, & natus, ut a nullo infringi, debilitarive poſsit. Ideo illum creavit Deus, ut indomitæ feritatis, & audaciæ incredibilis ſpeciem quandam repræſentaret in natura.

Leviathan Marinus, nihil habet in terra ſimile.

Amplificatio roboris Leviathan.

3 Inter quadrupedia nullum omnino Princeps reliquorum.

Creatus Leviathã ad ſpeciẽ indomitæ feritatis.

Allegorice.

4 Diaboli natura inter reliquas creaturas ſuprema. Gregorius.

Quadrãt hæc in Angelorum ſupremum, natura ſua potentiſsimum, *Cui nihil ſimile*, ut Nicetas ait, *tum poteſtate, tum nequitia, nam inſoleſcens ſuprema naturæ poteſtate, in ſupremã nequitiam lapſus eſt*. Videndus hoc loco Gregorius de peccato Angelorum, & de Dei timore filiali, quo etiã ſancti Angeli afficiuntur, a quo longiſsime abeſt impudẽtiſsimus Dęmõ.

XXV. Omne ſublime videt: ipſe eſt Rex ſuper univerſos filios ſuperbiæ.

1. *Tres explicandi viæ. Videre ad ſuperbiam, & aliorũ contemptum. Illuſtratus David, & Salomõ.*
2. Filii ſuperbiæ, *bellua ingentes*. Filius *in Hebræo quis, Superbia in quo conſiſtat.*
3. *Diabolus dux adverſus humilitatem Chriſti. Superbia, & humilitatis arma.*
4. *An ſit ordo prelationis inter Damonat.*
5. *Totius deſcriptionis Leviathan relatio ad ſolatiũ & eruditionem Iobi.*
6. *Examinandus homo, an aliquam habeat notam Leviathan in animo ſuo.*

1 Varius explicatus.

Haec eſt univerſæ hujus deſcriptionis, atque ſuperbiſsimę immanitatis

Leviathan clauſula appoſitiſsima, cujus prima pars triplicem poteſt habere explicatum, primus, ut pertineat ad proceritatem corporis Leviathan, Cum ſe erigit, & caput undis extollit, etiã ipſos malos navium præcelſos exæquat, & ſuperat. ut ſuperius diximus, atque ex tanta altitudine, tanquam ex ſpecula, poteſt deſpicere vicinarum regionum mõtes, & colles, quamvis ſuperbiſsimos. Sed cũ neq; Balenæ viſu valde perſpicaci polleant, neq; eminere ſoleant, potiſsimum capite, ſed dorſo, non videtur hæc exponendi ratio omni ex parte conveniens.

Eugubinus.

Secundus explicatus, ut ſit periphraſis animi inſolentis, res magnas conſectãtis, nimirũ reſpicere ad id, quod ſublime eſt, & nunquam in re humili ſenſum, aut intentionem defigere. ſenſum hunc indicavit Theodotio legens, *Omnem ſuperbũ intuebitur.* quod ſic Nicetas elucidat ſua paraphraſi, *Totus*, inquit, *ſuperbia eſt, & nihil humile mente pertractat*. Sic fere Latini poſt D. Thomam, & nonnulli ex Hebraizantibus. Habet hoc *Magnanimus*, ut dixit Seneca, *ut mediocribus contentus, maxima negligat.* Et quoniã ſuperbus vere puſillum animum habet, nunquam mediocribus contentus eſt, inhiat ad majora.

Circumloquutio animi inſolentis. Theodotio. Nicetas. Magnanimi proprium.

Tertius, quem ſequitur Gregorius, eſt utique ad proprietatẽ verbi *videndi*, & ad rem propoſitam magis exactus, ut *videre* pertineat ad contemptum: ſitque idem quod deſpicere, ut ab hac ipſa radice dicitur Pſ. 53. 9. *Super inimicos meos deſpexit oculus meus*, Pſ. 21. 18. *Conſideraverunt, & inſpexerunt me.* Ezech. 28. 17. *Ante faciem Regum dedi te, ut cernerẽt te.* Micheæ. 7. 10. *Oculi mei videbunt in eam.* Cantic. 1. 6. *Nolite me conſiderare, quod fuſca ſim, &c.* Quæ omnia pertinent ad deſpicientiam; Quo pertinet id, quod ſæpe de oculis elatis, & excelſis, atque palpebris in altũ ſurrectis, diximus. Ergo ſignificabitur in Leviathã, qui re ipſa, atq; natura ſuperciliosſus eſt, molle carnis imminẽte in oculos, torvũ, aliquid, & ſuperciliosſum in adſpiciendo, quaſi præ ſua magnitudine reliqua omnia inferiora ſub ſe deſpiciat. cujus expoſitio ſtatim ſubjungitur.

D. Thom. Dionyſ. Nicolaus. Tygur. Oſorius. Seneca. Gregorius. Videre pertinens ad contemptum. Leviathan ſuperciliosſus, & torve intuẽs.

2 *Ipſe eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ.* Nihil mirum, maxima quæque ab illo videri cum contemptu, eſt enim Rex Imperans ſuperbiſsimis, maximis, fortiſsimis quibuſcumque: quippe ſuperbiſsimus, maximus, fortiſsimus omnium. Qui autẽ peculiari Hebraiſmo dicuntur *filii ſuperbiæ*, iidem ſunt, qui ſuperbi, ut nuper dicebamus, nam Hebræus appellat *Filium rei alicujus*, eum, qui illam amat, colit, ſequitur qui illius ſtudio addictus eſt, & qui in illa exercenda verſatur, qui ſuis moribus, ſtudiis, illius imaginem gerit. Hinc dicuntur milites, *filii exercitũ*, 2. Paral. 25. 15. fortis, *Filius fortitudinis.* 1. Reg. 18. 17. 2. Reg. 2. 7. 1. Paralip. 26. 7. & pulcherrima, ut pote omnium fœminarum venuſtate prædita dicitur, *filia fœminarũ*, Daniel. 11. 17. vir dexteritate valens, & robore, dicitur *Filius dexteræ*, Pſal. 79. 18. & maxime impius, *Filius iniquitatis*, Pſ. 88. 23. Plebejus, *Filius populi.* 2. Paralip. 35. 5. 7. Ierem. 26. 23. & dignus plagis dicitur, *Filius plagarũ*, aut *verberum*, Devter. 25. 2. Vide ſuperius exempla alia, quæ adduximus verſic. 19. ſuper id, *Non fugabit eum vir ſagittarius, &c.* Ergo *filii ſuperbiæ* ſunt, quos ſuperbiſſima ornamenta roboris, potentiæ, inſolentiæ exornant, & inſigniunt. Quod autẽ hoc loco dicitur *ſuperbia*, alii vertunt *robur*, magnitudinem, ſævitiam, & cum bis tantum legatur in Scripturis, videlicet ſuperius, c. 28. 8. ubi *Filii inſtitorum*, ab aliis dicuntur *Filii ſuperbiæ*, id eſt, immanes ac vaſtæ belluæ; & præterea hoc loco, nunc etiam ad vaſtas, & immanes belluas marinas referendum exiſtimarunt, Thargũ, R. Abraham, R. Moſeh, Tygurina, Vatabl. Pagninus, imo, & Septuaginta legentes, *Ipſe rex omnium, quæ in aquis.* Symmachus autem, *Ipſe eſt rex omnis naturæ vitulentæ.*

Filii ſuperbiæ. Hebraiſmus. Leviathã Princeps belluarũ Maris. Thargum. R. Abrah. R. Moſeh. Tygurina. Vatabl. Pagnin. Symmach.

Allegorice.

Quod ſi aliquid aliud, hoc certe propriſſime convenit in Dæmonẽ, qui nihil humule ſapuit, ſed *omne ſublime videns*, in Divinæ ſimilitudinis celſitatẽ intendens, dixit, *Super aſtra Cœli conſcendam, ſimilis ero altiſsimo.* hujus imago ſuperbiſsimus Antiochus. 2. Machabæorum. 5. *Qui ſibi videbatur fluctibus maris imperare, & montiũ altitudines in ſtatera appendere.* quare elegãter ait Gregorius, *Omne ſublime videt, id eſt, cunctos, velut infra ſe poſitos, quaſi de ſublimi reſpicit: quia dum per intentionem contra auctorem nititur, aeſtimare ſibi quemlibet ſimilem dedignatur*. Hæc ſane eſt illa Diabolica ſuperbia, qua id appetimus, quod excedit modum præfixum a Divina Providẽtia, & quod naturæ noſtræ debetur. Hæc illa ſublimitas, de qua Apoſtolus monet Epiſcopum, *Ne elatus in ſuperbiam, in judicium incidat, & in laqueum Diaboli.* 1. Thim. 6.

Iſai. 14. 15. Gregor. D. Tho. 22. q. 162. a. 4. Greg. lib. 23. Moral. c. 7. & lib. 34. c. 15. 16. Superbia in quo cõſiſtat.

3 Ipſe quidẽ *Rex eſt*, multis de cauſis imperitans *ſuperbis*, ſive Angelis, ſive hominibus. Primum, quod ſicut imperitat *filiis ſuperbiæ*, ita ipſe *Pater ſuperbiæ* fuerit, id

Diabolus dominans in ſuperbos.

est, *inventor, initium*, primus omnium superborum dux, & antesignanus. Secundo, quod sicut *filii* dicuntur *discipuli*; ita superbi omnes ab illo discãt, & superbiẽdi præcepta accipiãt. Tertio tandẽ, quod suos milites pugnare doceat, adversus Principem, & Imperatorem supremũ *humilium, & mansuetorum*. Superborum autem arma, & apparatus bellicus, quæ recẽset Paulus Colossenses. 3. *Iram, indignationem, malitiã, blasphemiam, mendacium, &c.* Arma humilitatis illa, quibus instruit novus homo Christus Iesus suos milites, *Viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatẽ, modestiam, patiẽtiã.* Quamvis enim his armis instructus homo, cunctis adversariorũ telis pervius videatur, ut qui nihil resistat, *neque per contentionem*, neque per inanẽ gloriã, *sed in humilitate superiores cæteros arbitrans*, Deus tamen pro illo *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*, roburque vincendi.

Diaboli exercitus, & arma adversus humilitatẽ Christi Iesu.

Arma humilitatis.

Deus resistẽs superbis pro humilibus.

4 Sed *ne regnet peccatum in nostro mortali corpore*, orãdus est nobis Deus, inquit Nicetas, *Quando quidem hæc dæmũ causa fuit, cur ad describendam Dæmonis nequitiam, & pervicaciã fictas corporis similitudines, atque imagines Divinus sermo adhiberet. Id enim studuit, ut metu perculsi, ad illum, qui servitutis jugum capto Draconi imposuit, confugeremus.* Quippe ita Diabolus *Rex est* super alios inferiores Dæmones, ut in invidiã generis humani illos, quasi Imperator, cõspiratione facta, & junctis umbonibus instruat, & producat, atque ita est Rex super homines improbos, ut velut sævissimus Tyrannus subjectos sibi exagitet. Vide Theologos cũ D. Thoma, 1. p. q. 109. disputantes de ordine, & principatu Dæmonum.

Nicetas.

Supremus Dæmon quomodo imperet inferioribus.

5 In hac igitur imagine Iobum mærentẽ, & gravissimis plagis laborantem consolatus est, simulque erudivit Deus, Immanissimum Dæmonem esse, qui nunquam nõ mortalium generi insidias molitur, & exitium machinatur, quẽ nisi supremi Cõditoris Potentia coerceret, uno impetu stravisset hominem. Ergo suprema Providentia certa ratione, & modo habenas permittit sævitiæ nostrorum adversariorum, ut neque tantum noceant, quantum sciunt; neque non humanas vires exerceant. In quo certamine, sicut qui nihil sibi arrogãt, sed virium suarum imbecillitatẽ recognoscentes, totos se Divinæ Providentiæ, voluntati, virtuti committunt, non suis sed Divinis viribus indomitã hostis immanitatem edomant: ita qui vel viribus suis fidit, vel Divina ope, atque præsidio non munitur, minime poterit impetũ adversarii sustinere. Sic Divina Providentia æquissime agit cum homine, justissime cum hoste, nunquam permittens *illũ tentare supra id, quod possumus.* Sic eruditus est, Iob Divina Oratione, quid sibi de Divina Providentia, de hostis sævitia, de suis viribus, atq. ærumnis, sentiendũ, loquendum esset.

Relatio descriptionis Leviathan ad res Iobi.

6 Sed est hic, quod admoneam unum, aut alterum, Cajetanum, qui in hac de Diabolo interpretatione minutiora quædam, & interdum puerilia consectatur, nunc tandem duo animadvertenda præcipere; alterum utile, videlicet ex his omnibus dæmonis proprietatib[9], & affectionibus instrui hominem, ut se ipsum discutiat, atq; examinet, si quid in illo habeat Diabolus. Solus enim Christus Iesus dicere potuit, *Princeps hujus mundi in me non habet quidquam.* Alterum inutile, & falsum, videlicet Iobi amicos negasse Dæmones, tum etiã futura præmia bonorum atque malorum. quos errores, qui illis impingat, non leviter errare, sæpius ostendimus, præsertim initio capitis quarti.

Cajetan.

Ioan. 14. 30.



CAPUT XXXXI.

1

Non quasi crudelis suscitabo eum: quis enim resistere potest vultui meo?

2

Quis ante dedit mihi, ut reddam ei? omnia, quæ sub Cælo sunt, mea sunt.

3

Non parcam ei, & verbis potentibus, & ad deprecandum compositis.

4

Quis revelabit faciem indumenti ejus: & medium oris ejus quis intrabit?

PARAPHRASIS
Capitis præcedentis.

NOTATIO RERUM INsigniorum, quæ in Commentariis fusius explicantur.



NEMO ITAQVE TAM AVdax erit, tamque suæ vitę, & salutis inimicus, nemo tam furens, & cōcitatus adversus Hostem aliquem, qui lacessere audeat Leviathan; solus enim ego illum mihi Hostem deposco, quem nullo negotio trucidare possum; quippe nemo tā ferus, & immanis hostis erit, qui mihi valeat resistere. Quod cum ita sit, nemo erit sanę mentis, qui mihi aliquam ingenii crudelitatem tribuat, quod Tyrannum Maris potentissimū ego creaverim, & in tanta vastitatem extulerim, atque quodam modo incitaverim, ut beltū sanguinarium aliis piscibus minoribus, ingentem vero mortalibus terrorem inferret: nam tantum potentiæ meæ magnitudinem documento aliquo perspectam esse volui mortalibus, tum in hujus bellue formatione, tum in illius captura, & trucidatione. Quis enim antequam ego viam demonstrassem, cum illo congredi ausus fuisset?

Certæ Cetorum notæ, & proprietates, tum etiā & Diabolici ingenii immanitas permixtim toto capite traduntur, & explicantur diligenter.

Verum enimvero, quis rerum omniū naturas moderatur ita legibus æquissimis, ut vel præmio, & mercede cōmeritis, aut supplicio, & morte rem quamque prosequi posset? Quis enim mihi vel ad Leviathan debellandum, vel ad illius immanitatē debitis modis tractādam, auctor, vel opitulator extitit? nam delatæ opis præmium referet statim. Sicut ergo potentiæ fuit creare Leviathan, ita sane nullius fuit crudelitatis illum fortitudine, & magnitudine instruere: nullius enim injuria est beneficium in unum quempiam a me collatum.

Est vero hæc mea potestas efficacissima, ad sumendā de hostibus vindictam, ut quæ nullis præcibus, minisve revocari possit a justa vindicta, & supplicio: tum etiam & ad comprimendam creatarum rerum insolentiā; sive cum improbis agam, sive cum brutis feritate, & immanitate insignibus. Nō est enim silentio pretereunda Cetorū magnitudo, & immanitas, neque abstinebo a singulorum membrorum, & totius corporis vastissimi descriptione, & intolerandæ Tyrannidis, quam in universum aquatilium genus exercet, quā ego pro meo Conditoris, & Conservatoris munere coerceo, & reprimo. Et ut de tota corporis conformatione dicam, quæ quā longissime abest a pulchritudine, nā hęc mollis, & delicata esse solet, certe tamē in suo genere nihil pulchrius, nihil ex mēbris omnibus mutuo sibi in magnitudine, & vastitate respōdentibus perfectius exactiusve, quippe eam gratiā mēbrorum omniū aptissima dispositione illi cōtuli, ut cū per se sint aptissima, at tam terrifica sint humanis oculis, ut ipso conspectu nos excitet ad implorandam Divinam opem adversus impetum belluæ immanissimæ.

Quis enim illius corpus certa Anatomicæ artis ratione dissecuit, aut excoriavit? quis prope consistet ad contemplandam illius faciē, vel manum admovebit, ut operculum carneum superciliorum, quod in illius oculos imminet, revelare, & removere possit, ut quāti illius oculi sint, perspiciat? Quis illius oris horrificum rictum palmis dimetietur, ut idoneæ mēsuræ frænum, atque lupatum illi indat? quis vtriusque maxillæ vastitatem cōprehendet, quarum hiatus homines,

equites,

equites, navigia exsorbet, & cum tempestas ingruit, fętus ipsos Cetaceos excipit, & condit.

Dentes porro horrificos obtinet, maximos, instar apri exertos, quibus tanquam portis aperire videtur hians, & ingens illud os. Pro dignitate verò mandibulas habet maximas, labiaque vastissima, quibus horrifice dentes muniuntur: & cum ingenti mortalium admiratione, & pavore conspiciuntur, simul atque labia diducit, dentes illi Aprini, Elephantini, ferrati, pectinatim coeuntes, & multiplici serie dispositi.

Neque vero est tantum armatus Leviathan dẽtibus ad nocẽdum sęvissimis, sed præterea cute durissima, & squamis fortissimis, ad protegendum, & defendendum, nullumque liberum spatium ictui, & jaculo præbentibus. Ergo defenditur non solum dentiũ, quasi palorum vallo, & crate, sed præterea squamarum, quasi æreorũ scutorum obtectu, viscerum ingenita quadam duritie, hirsuta insuper, & squamata cute, quę non magis reserari, & laxari poterit, quam quod arctissimo sigillo clausum, & confirmatum est; videtur enim totum illius corpus, quasi lapidea quadã asperitate, & aculeata duritie instar lapidis Smyritis inhorrescere.

Cum autẽ alia aquatilia frigidioris naturæ sint, at Leviathan propter copiam sanguinis, & spirituum calidissimorũ ardet totus, & ingenito quodam squamarum, & oculorũ splendore coruscat, ut a longe conspectus, videatur esse piscatoribus ignis quidam maximus: & vel ex hac una re illius immanitas perspici posit, quæ toto ore & oculis emicat. Tũ præterea propter internũ calorem indiget frequẽti, & magna respiratione, simulque propter ingentem respirãdi vim reflat, & eructat magnã aquæ copiam, quæ cum in sublime sparg tur tota cãdet, luce perfusa instar matutinæ lucis: idque cũ ingenti impetu, & fragore, instar sternutamẽti: quippe ore, quod in fronte habet Balena, nimbos efflat, & diluviem eructat, nunc pellucentẽ, nunc caliginis instar fumantem, & obscuram. Denique ore, naribus, fistula capitis candicantẽ, & spumosum humorem reflans, fluctuum ęstum quendam concitat, ut Mare subjectis ignibus fervere videatur, & quasi ferrariis follibus, ita bipatentibus narium fistulis continenter accendi, & incitari.

Cum autẽ erectus respiret, gulam, & collum, obtinuit pro corporis, & pulmonis dignitate, & proportione, maximum, quod propter respirationis beneficium frequẽter fluctibus effert, atq; elato, & sublimi non raro conspicitur dormire. Et mirum, quantum pinguissima, & crassissima cervix terrorẽ incutiat! Cum vero cursum aliquo dirigit, videtur sane ipsa egestas, & fames illum præcedere, quippe nõ aliter omnia perdit, & devastat, vel fugatis, vel magna ex parte deglutitis piscibus, quos imprudentes præoccupat. in quorũ prędа, & vastitate lætatur, & tripudiat, atq; aliorum mœrore, & interitu mirum immodum deliciatur, & pinguescit.

Neque vero solummodo caput vastissimũ, quod magna ex parte ossibus, & cartilaginibus constat, prædurum, & pręforte est, sed partes etiam corporis carneæ, non sunt quemadmodum in aliis animantibus molles, & laxæ, sed mirifice solidæ, & cõpactæ, ac nimium agglutinatę, sive illas cõsideres, quę pinguedini hærent, sive quæ circa lumbos, & ilia consistunt, sive quæ ad ventrẽ, & alvum propendent, sive denique partes alias generationi serviẽtes, quæ cum in aliis animalibus deciduæ sint, at in Leviathã sunt ad interiora reductæ: quippe testiculos habet conditos ad renes internis partibus adhærescentes. Cum ergo carnes habeat cõcretas, & solidas, ac si ex ære fusiles essent, immotus videtur, & rigidus sine ullo flexu, ut si se tanquã vectem, & obicem opponat flumini, efficere possit, ut cursum sistat, & velut iners, & stagnans consistat. Tantam vero potentiam aliquãdo Deus cælitus tangit, in illamque effundit cælestem ignẽ, fulminaque

poten-

5 *Portas vultus ejus quis aperiet? per gyrum dentium ejus formido.*

6 *Corpus illius quasi scuta fusilia, compactũ squamis se prementibus.*

7 *Una uni cõjungitur, & ne respiraculum quidẽ incedit per eas.*

8 *Una alteri cohærebit & tenẽtes se nequaquã separabuntur.*

9 *Sternutatio ejus splẽdor ignis, & oculi ejus, ut palpebræ diluculi.*

10 *De ore ejus lãpades procedunt, sicut tędæ ignis accensæ.*

11 *De naribus ejus procedit fumus, sicut ollæ succensæ, atq; ferventis.*

12 *Halitus ejus prunas ardere facit, & flamma de ore ejus ẽgreditur.* *

* 13 *In collo ejus morabitur fortitudo: & faciem ejus præcedit egestas.*

14 *Membra carnium ejus cohærẽtia sibi: mittet contra eũ fulmina, & ad locum aliũ non ferentur.*

15 *Cor ej⁹ indurabitur tãquã lapis, & strin getur quasi malleatoris incus.*

potenti manu jaculatus contorquet, quæ tamen eludere nõ potest, quin illorum vi, & impetu illidatur, quamvis Conditor illum ita cõstituerit, ut aliquando neque ingenti tonitu, neque fulminis jactu cõmoveatur, aut de statione sua vel minimum dimoveatur.

Verum enim vero quamvis in universis animãtibus cor sit nervosum, spissum, beneque cõpactum, at in Leviathan est maxime rigidũ, durum, hirsutum, manifestũ utique illius audaciæ, & fortitudinis argumentum, atque adeo rigescit, ut videatur totũ osseum, imo & lapideum, aut ferreum, & malleo ductum, vel potius instar ipsius durissimæ incudis, quæ continua percussione indies stringitur, & durescit; non enim aliter durissimus Cetus difficultatibus resistit, aggressionibus, & assultibus non cedit, tempestatibus, & incommodis, quibus cæteri pisces afficiuntur, minime frangitur aut debilitatur.

16 *Cum sublat⁹ fuerit, timebũt Angeli, & territi purgabũtur.*

17 *Cũ apprehẽderit eũ gladius subsistere nõ poterit, neque hasta neque thorax.*

Præterea cum tam immane monstrum de medio tollit Deus, ipsi Angeli tantam Conditoris Potentiam, & Majestatẽ admirantur, & dignis laudibus prosequuntur; nam vident a Solo Deo edomari, & proteri, quem cætera animãtia reformidant, & vel sola illius commotione exterrẽtur, & perturbãtur, necnõ vel ipsi fortissimi equites cõsistentes in littore percelluntur. Et vero si quando caput undis effert, & collum sublime exerit, nautę ipsi Maris sciẽtissimi, tamen tũc consilii inopes, nesciunt quo se vertant, solutis artubus contremiscunt, & a supremo Numine tantam discriminis gravissimi acerbitatem supplices deprecantur, negligentiam quoque accusant suam, quod infaustum navigationis cursum ad infestata Cetis littora direxerint, & peccatis suis tribuentes, errati veniam a potentissimo Maris Dominatore, & Cetorum perdomitore postulant: atque illa eadem omnia faciant, quæ in gravissima aliqua tempestate, & timore maximo efficere mortales solent.

18 *Reputabit enim quasi paleas ferrum, & quasi lignum putridum, æs.*

19 *Non fugabit eũ vir Sagit tari⁹: in stipulã versi sunt ei lapides fundæ.*

Tanta est indomita belluæ immanitas, nullis armis cedentis, sive illa cominus, sive eminus lædant, nullo fragore, strepituve commotæ, nullis vulneribus pervię. ferrum ipsum, & mucrones acutissimos hebetantis, & confringentis, non minus quam si cariosis lignis, aut paleis mollissimis appeteretur. Nam si quis Cetum gladio appetat, nõ lędet, quin potius lædetur ipse, & retundetur cutis durissimæ repercussu. Iacula cum ingenti vi cõtorta resilient: missilia omnia facile respuet: loricatos viros prope accedẽtes proteret, & loricas ipsas dissipabit: sagittarũ ictus nullo negotio repellet, nã undiq; squamis munitus, & cataphract⁹ videtur. Fundibulariorũ pręterea jact⁹ irridebit, Machinarum, & catapultarũ impetum, clavarũ, & malleorum percussiones, Hastarum stabilium vim, & aggressiones, & integrum exercitum ad expugnationẽ cõparatum superbissime eludet.

20 *Quasi stipulã æstimabit malleũ: & nõ deridebit vibrantem hastam.*

21 *Sub ipso erunt radii Solis, & sternet sibi aurũ, quasi lutum.*

Et vero eo est ingenio, ut neque externa vi tangi posse videatur, neq; ipsa luce delectari, neque auro, aut re ulla quamvis pretiosissima allici. Detrimẽta vero, & incõmoda omnia etiam contemnit: cũ enim adeo duræ cutis sit quamvis affricet se, & incubet fragminibus testarum acutissimis, nihil tamen ex ea re lædetur, vulnerisve accipiet. imo & quãvis radiis Solis ferventissimis expositus sit, neq; penetrari ab illis, neq; concalefieri potest. Cuncta etiã durissima mollescunt illi, instar mollissimi luti, tunc vel maxime cum in Maris fundo, ubi pretiosissima, & fulgẽtissima metalla delitescũt, exporrectus subsidit. Quid, quod etiam onerarias naves pretiosissimis mercibus, & auro onustas submergere solet, submersas vero etiam præterire, & ingẽti mole opprimere, ut videatur tum ex navibus, tum ex mercibus, & auro mollissimum lectum sibi insternere.

22 *Fervescere faciet quasi ollã profundũ mare, & ponet quasi cũ unguẽta bulliunt.*

Subsidente vero Ceto, mirum est, ut Mare ferveat, & concitetur illius halitu, bullantium aquarum exsufflatione, non minus quam si subjectis ignibus ingens aliquod ahenum efferveret! Interdum etiã circa Solstitia maxime visuntur hujusmodi belluæ; tunc ruunt imbres, & dejectæ montium jugis procellę, ab imo volvunt Maria pul-

fatasque ex profundo belluas cum fluctibus volvunt.

Cum autem in summo Mari enatat, lux quædam universæ cuti innata longe, lateque emicat, tum vero designat semitã spumosam, & candicãtem, quã aquarum agitatione efficit: sic enim in abyssum dominatur, quasi in captivum, & obsequẽtissimum servum. Atq; adeo tantum suis viribus, & robori fidit, ut universam se abyssum exsorbere, & exinanire posse arbitretur, neque Maris, & fluctuum vim aliter tractat, & frangit, quam vires, & conatus senis alicujus languidi, & effœti, cum quo quasi per jocum colluctatur, & quasi Mare ipsum in extrema senecta, & prope interitum esset, atque brevi arefaciendũ, avidissime prædam captat, ne victu necessario destitui contingat. cumq; Mare sulcat, & agitat per se cæruleum, at canũ, & spumosum reddit, & faciem ipsam mutare cogit.

23 *Post eum lucebit semita, & æstimabit abyssum, quasi senescentem.*

Ex quibus omnibus tandem colliges nullam esse in humanis potẽtiam, cui tam immanis bellua pareat; nullam item, quæ cum illa ex æquo possit conferri: quamvis enim marina bellua sit, nõ vero terrestris, atqui neque in Mari, neque in Terra quidquam tam potens, aut tam immane est, quod cum illo de magnitudine, & fortitudine contendat, neque quidem inter quadrupedia est aliquid, quod domi natum, & Tyrãnidẽ similiter exerceat, sicut Cetus in aquatilia. Quippe ita a supremo Conditore factus, & compositus est, ut indomitæ fortitudinis, & audaciæ, quę a nemine debilitari posset, speciem mortalibus repræsentaret.

24 *Non est super terrã potestas, quæ cõparetur ei, qui factus est, ut nullum timeret.*

Et ut tandẽ superbissimæ immanitatis descriptionẽ absolvã, cũ Leviathã collũ & caput sublime effert, videtur præ tãta celsitudine vicinarum regionũ montes, & colles despectare, & vel oculis, & cultu ipso insolẽtissimi ingenii fastum prodit, totus enim superbia est, & nihil humile oculis, & appetentia pertractat: cum enim natura sua superciliosus sit, torvis omnia cõtuetur oculis, despicitque universa. Quid vero mirum, maxima quęque ab illo videri cum contemptu, cũ sit Tyrannus potentissimus superbissimis, maximis, fortissimis imperans quibuscumque belluis, potissimum maris, & naturæ universæ virulentæ.

25 *Omne sublime videt: ipse est Rex super universos filios superbiæ.*

In hac igitur vastissimi piscis descriptione, atque teterrimi Dęmonis imagine Iobi animum męrentẽ, atque malis incredibilibus laborantem consolatus est, simulque erudivit Deus, immanissimum Dęmonem esse, qui nunquam non mortalium generi insidias molitur, & exitium machinatur: quem nisi supremi Conditoris potestas coerceret, uno impetu stravisset hominẽ. Ergo supremam Providentiam certa ratione, & modo habenas permittere sævitiæ nostrorũ adversariorum, ut neque tantum noceant, quantum sitiunt, neque non humanas vires exerceant. in quo certamine sicut qui nihil sibi arrogãt, sed virium suarum imbecillitatem recognoscentes, totos se Divinæ Providentiæ, voluntati, virtuti cõmittunt, non suis, sed Divinis viribus indomitam hostis immanitatem edomãt; ita qui vel viribus suis fidit, vel Divina ope, atque præsidio non munitur, minime poterit impetus adversarii sustinere. Sic Divina Providentia æquissime agit cum homine, justissime cum hoste, nũquam permittens illum tentare supra id quod possumus. Sic eruditus est Iob Divina oratione, quid sibi de Divina Providentia, & hostis sævitia, de suis viribus, atque ærumnis sentiendum; loquendum esset.

(:)



CAPVT.

CAPVT XXXXII.

ARGVMENTVM CAPITIS

Brevissima, simulque modestissima Iobus responsione, Divina jam Oratione, & Disciplina eruditior, forte etiã Divinæ Imaginis visu erectior, si quid vel verbo, vel sono, aut cogitatione levissime offenderat, deprecatur. Totius item Certaminis clausula, Dei sententia, Iobi Triũphus, Hostis ignominia, Amicorum reprehensio, & expiatio.

I. *Respondens autem Iob Domino dixit.*

1. Iobus cur silentium abrumpat. Eruditior factus, respondet brevissime.
2. Varius nexus. Eligitur optimus.
3. Posse, ad victoriam pertinent.
4. Varia expositio. Dei cogitationes firma. Explicata Sapientia.



1 Q V AE S-
tiunculã hoc
in loco mo-
vet Nicetas, — *Nicetas.*
Cur, qui pro-
miserat, se
non ulterius — Cur Iob post promissum silentiũ denuo loquatur.
loquuturum,
respõdeat i-
terũ? respõ-
det Nicetas
justum esse a
Deo respondere: ideo nõ teneri suis promissis. *Neque enim verborum nostrorũ sunt pondera examinãda, ubi Divina his volunta: fuerit adversata.* Addit secundam rationẽ, quod indignum putavit, qui insipiẽs esset de Deo, & cum Deo colloqui: nunc jam eruditior factus loquẽdi sibi facultatẽ fieri existimat. Tertio neq; in universum se nihil dicturum spopõderat, sed fore tãdẽ, ut deinceps ab illa querimoniarũ, & suæ innocentiæ contestandæ cõtentione abstineret, & nec tam multa, tam exaggerata profunderet. Brevissime ergo nũc absolvit, ne in multiloquio errare cõtingat. Quarto, quod sicut Divinę Majestatis terror, objurgatio, animi mœror, & abjectio illi vocem ademerant, nunc Divina vox, pulchritudo Divinorum operũ, spes concepta de Divina Potestate, & Providentia eandem illi restituunt.

II. *Scio, quia omnia potes, & nulla te latet cogitatio.*

DVplex hujus sententiæ nexus, & explicatus. prior, ut nunc tandem pro- 2 Varius nexus, & expositio.
fiteatur illustriori se scientia imbutum, & Divino sermone satis intellexisse, quanta sit efficacitas Divinæ Potestatis tũ in naturæ rebus, tum in illis, quæ ad peculiarẽ suorum justorum Providentiam spectãt, ad comprimendum hostem, & omnes illius artes eludendas. Sic fere accipiunt Latini. At Græci existimant explicare Iobum pristinam suam mentem, atque fidẽ de Divina Potentia, & Scientia sibi ante perspectis. *Haud*, inquit Nicetas, *se nunc primum hæc dixisse profitetur.* Quis enim tã insipiẽs, qui existimaret universas hominis cogitationes nõ esse apertas Divinis oculis, ut statim subjungitur?

Ego vero tertium hujusmodi nexum, & explicatũ affero; Iam nũc, tua, o Deus disciplina instructus, & cõfirmat⁹ fateor ingenue, liberũ tibi esse pro arbitrio agere cum homine, etiã illius innocentiã affligendo; & quacumque ratione cum homine agas, præclare de illo mereri, & sapientissime de illius rebus cogitare, & cõstituere. Quid enim tam eximium, & ad præclaros fines consequendos tã opportunum, quod in tuam cogitationem non cadat; rursus cogitatum tuæ potestati nõ subjiciatur? qui igitur harum rerum oblitus aliquando insolentioribus querimoniis elatus sum, erratum agnosco, & deprecor. Hæc fere idonea videtur hujus sententię, atque sequentium intelligẽtia, & cohærẽtia, & faciunt cum hoc proprietates ipsæ verborum. — Idoneus nexus, & exponẽdi ratio.

Omnia potes. Verbum originale illã pro-
prietatem affert, quæ difficultates supe- 3 Posse ad victoriã relatum. יכל
rat: quare tantundem refert *posse*, ac si dicas, difficultatem vincere, aut superare, vel prevalere adversus obicem. Refertur igitur ad *Potentiam vincẽdi*, Genes. 32. 25. Ps. 12. 5. Ps. 128. 2. Ergo inquit Iob, Tot mearũ rerum difficultatibus laborans, & victus, cũ in me ipsum, measque vires oculos reflectabam, plane me imparem agnoscebam illis sustinendis, nedum superãdis. atqui oportuisset subinde ad te respexisse, *qui omnia potes*, cui meæ difficultates perfaciles sunt.

Et nulla te latet cogitatio. Suam illam ex
ponendi rationẽ sequuntur Latini, ut e- 4 Varia interpretatio.
xistiment loqui Iobum de tumultuãtibus illis *cogitationibus* sive superbiæ, sive de sua sanctitate, sive iniquę expostulationis

cum

cum Divina Providetia. quare dixit Philippus; *Apparet ſanctum Iob, accuſare cogitationes ſuas, quibus ſe meminit Dei juſtitiæ obliquæ iniquitatis notam objicere tentaſſe.* Agnoſcit igitur tum perturbatæ mentis æſtuantes cogitationum fluctus, cõcitatos a Dæmone adverſus illius fidem, tũ Dei beneficium componentis fluctus, & tranquilliores cogitationes efficientis. Sed eleganter cohærebit cũ illo noſtro explicatu, ut *cogitatio* referatur ad ipſum Deũ. Sic poſtulat proprietas verbi originalis

בצר

latendi, quod proprie eſt *auferri*, vel *prohiberi*, aut *deſiſtere*, & quia id, quod nos latet, prohibetur a noſtro conſpectu, ſumitur pro *latere*. Ergo *cogitationes non latere Deum*, erit ſuas illius cogitationes, & conſilia non prohiberi, quin ſicut mente deſignavit, opere perficiat: nunquam enim illius cogitationes vanæ ſunt: quippe potentia illius *attingit a fine*, id eſt, ab uno extremo, quod eſt initium rei faciendæ, videlicet a conſilio, & cogitatione, *uſque ad finem* rei perficiendæ. de quo ſæpe diximus. Eandem intelligentiã habuerũt Septuaginta legẽtes, *Nihil tibi eſt impoſsibile.* atque hanc ipſam lectionem, ſenſumque aliorũ teſtatur Olympiodorus; *Non tolletur a te, quod in mente habes.* Ea igitur jã Iobus conſideratione Divini cõſilii, & exquiſitiſsimæ *cogitationis* comparatæ ad ipſius Dei gloriã, & ad ſuam utilitatem, in ſuis etiam ærumnis, jam incipit videre quod hymnis potius, quã quod lamẽtis proſequatur.

Dei cogitationes nunquam irritæ.

Sap. 8. 1.

Olympiod.

III. *Quis eſt iſte, qui celat conſilium abſque ſcientia? Ideo inſipienter loquutus ſum: & quæ ultra modum excederent ſcientiam meam.*

1. *Varium antecedens, varia item expoſitio.*
2. *Idonea exponendi ratio, & elucidatio mẽtis Iob. Tertia perſona pro prima.*
3. *An* Iob *verbo ſit lapſus? Vera dubitationis reſponſio.*
4. Intelligere *quid proprie*, *Explicati Salomon Ierem. Daniel.*
5. Scientia *de experimento. Divinæ Sapientia, & Providentia proprius exitus calamitatum.*

1 Varium hujus relativi antecedens.

Gregorius.

CUM Pronomine, *iſte*, deſignari poſſint varia, & diverſa antecedẽtia, neceſſe eſt variam, & diverſam intelligentiã effici. Et primo quidẽ Gregorius de Diabolo accipit, ait enim; *Abſque ſcientia Leviathan celat conſilium: quia quamvis contra infirmitatem noſtram multis fraudibus occultetur, protectoris tamen ſancta nobis inſpiratione detegitur.* Sed quidem intelligentia hæc non cohæret.

Frequens Latinorũ, atque Græcorum interpretatio.

Secundo, tum frequentiſsima eſt Latinorũ, tum Græcorum expoſitio, ut nullũ certum antecedẽs deſignetur, ſed in univerſum aſſeratur, neminem eſſe tam ſtultum, qui ſibi perſuadeat arcanas ſui animi cogitationes Deum latere poſſe; ad confirmationem illius, quod proxime præceſſerat, quod *Nulla Deũ lateat cogitatio.* Explicatus hic cum antecedẽtibus bene cõvenit, non item cum ſequentibus, ubi ſe Iob accuſat, *ſermonis inſipiẽtiam* aliquam recognoſcens.

2 Tertio, ut ſe ipſum demonſtret Iob, ac ſe ipſum cũ contemptu reprehẽdat, quod eleganter noſtrates exprimerent per admirationẽ, *Que hombre eſte, que tal a hablado!* quaſi jam verborum pœnitens; Quis ego, ut Dei cõſilium celaverim, & imperite loqui non dubitaverim? Cohæret vero hic ſenſus cum præcedẽte ſententia, & cum ea, quam expoſuimus c. 38. verſic. 2. n. 8. & 9. ut ſtatim videbimus. Neque vero inſolens eſt in Sacro ſermone primam perſonam de ſe loqui ſub tertia; cujus exempla aliquando protulimus. Ergo recognoſcit ſe *celaſſẽ conſiliũ abſque ſcientia*, non quidem, quod unquam dixerit, *aliqua fieri in hoc ſæculo conſilio Dei*; ut temere affingunt Iobo annotationes Vatabli; nec quod exiſtimarit cordis cogitationes tacitas poſſe effugere oculum Dei cuncta contuentẽ, ut fere Græci interpretantur, tum hic, tum c. 38. verſic. 2. ſed quod clare, & diſerte nõ pronunciarit de Dei cogitationibus arcanis ab illo perficiendis, etiam ubi res humanæ deploratiſsimæ exiſtunt; vel non perſcrutandis ab homine quãtumvis ſanctiſsimo, & nullius peccati ſibi conſcio, vel non conſtituendis, & definiendis pro captu humano: quaſi una ſit tantum in una re Dei cogitatio, non etiã poſsint eſſe infinita cõſilia. Ergo quadrat in hũc locum, quod loco indicato, cap. 38. diximus ſignificari illa ſententia, *Quis eſt iſte involvẽs ſententias ſermonibus imperitis?* vel juxta originale, *occultãs conſiliũ abſque ſcientia?* Quare videtur hoc ſolum deſiderari in Iobi oratione, ut aperte, & clare dixiſſet pro arcana Dei Providentia, & Divinæ mẽtis cogitatione perficienda tãdem, & ad finem fœliciſsimum adducenda, licet homini incomprehenſa; quam tã diu, tamque moroſe hæſiſſe in defenſione ſuæ innocentiæ, in amplificatione, & deploratione ſuarum calamitatum, in expoſtula-

Prima perſona ſub nomine tertiæ.

Annotationes Vatabli.

ſtuatione cum Divina benignitate; hæc enim omnia ſi non tollebant, neque negabãt, at obſcurabãt, & occultabant Dei cõſilium; quaſi jam felicioris cõditionis, & melioris vitæ Deo viam aperiendi, & cõſilii inveniendi, & perficiendi rationem graviſsimæ illæ calamitates præcludere potuiſſent. Cætera, quæ ad hanc ſententiam pertinent, ex loco ſuperius indicato petenda ſunt.

3 *Ideo inſipienter loquutus ſum.* Hic ille alter locus eſt, in quo tandem decernendũ, An Iob verbo ſit lapſus nã ſic ſcribit Philippus; *Manifeſtiſsime errorem ſuum demõſtrat, & inſipientiã confitetur, per quam ignorans ad Deum loquendi modũ exceſſerit.* Paulo benignius D. Thom. *Quod non ſervaverit debitã reverentiam Divinæ excellentiæ.* Peritat, Cajetanus, appellans Iobi *Verba ſcandaloſa.* Dionyſius, *Parum cauta.* At D. Gregorius benigniſsime; quod *qui ſapienter loquutus hominibus fuerat, Divinas tamẽ ſententias audiens, ſapientius ſe cognoſcit, nõ eſſe ſapientem, quia omnis humana ſapientia, quantũlibet acumine polleat, Divinæ Sapientiæ comparata inſipientia eſt.*

An Iob verbo ſit lapſus. Philipp. D. Thom. Cajetan. Dionyſ. Gregorius.

Sed proculdubio non aliud loquutionis vitium impingendum Iobo ſapientiſſimo, quã quod ipſe recognoſcit, & quod Deus ipſe reprehenderit, quod *involverit Dei conſilium* imperitis ſermonibus, & oblitus Divinarum cogitationum, meliorisque finis ſuarum calamitatum, ad ſuã potius innocentiam, & ad ærumnarum acerbitatem oculos deflexerit. Illud ipſum ſonat, quod hic dicitur, *Loqui inſipienter*, proprie enim eſt, annuntiare, indicare, explicare, quaſi dicat. Enarravi quidẽ multa de Divinis attributis, vera etiam multa inter diſputandum expoſui; ſed cælavi, prætermiſi, neglexi, quod maxime dicendum, & enarrandum eſſet. Feci igitur *inſipienter.* proprie, *& non intelligã:* id eſt, parum ſcienter, parum conſiderate, quippe non bene rationes ſuperni conſilii animadverteram, non dum ad Divinam mearum rerum Providẽtiam arcanã perſpexeram; nõ dum mearum ærumnarum cauſas comprehenderam; nunc jam video, qualis mearum rerum conditio fuerit, quales meæ calamitates, qualis erga
4 me Dei Providẽtia. Nã verbum originali *intelligendi*, affert hujuſmodi judicium, & cognitionem, cum res diſtincte agnoſcitur, quæ, & qualis ſit, qua ratione facta, diſpoſita, ut exemplis manifeſtis conſtabit. Daniel. 8. 16. *Fac intelligere viſionem.* videlicet, qualis ſit, quando, quomodo impleri debeat, quid ſingula ſignificẽt. Proverb. 14. 4 *Sapientia callidi eſt intelligere viam ſuam*, diſponere, moderari quid quoque tempore faciendum. Ierem. 30. 24. *In noviſſimo dierũ intelligetis ea.* nã exitus ipſe declarat non ſine ratione, & conſilio cuncta diſponi; tum etiam ſingula oportuiſſe fieri ea ratione, qua facta ſunt. Proverb. 8. 8. *Iuſti ſunt omnes ſermones mei, non eſt in eis pravum quid, neque perverſum; recti ſunt intelligentibus.* iis, qui illorũ rationes, & cauſas tenent, qui cur dicantur, quomodo, inquam finem dirigantur, probe norunt. Ergo, inquit Iob, Nihil mirum, me, quamvis vera dixerim, tamen interdum extra chorum ſaltaſſe, neque ſemper attigiſſe punctum, & caput mearum calamitatum; aliquando etiam tãtam cruciatuum acerbitatem cum mea innocẽtia comparatam iniquam mihi viſam fuiſſe; quippe qui nondum intelligebam plene, quorſum affligerer, qua ratione, & conſilio Deus diſponeret res meas; quo dirigeret, atque perduceret. Iã nunc *intelligenti* mihi, *nihil pravũ*, iniquumve videri poteſt, ſed *recta* omnia, ſumma cum Sapiẽtia diſpoſita. *Dicit quod illam plagam* (inquit Philippus) *longe alio modo circa eum Deus operatus eſt, quam ipſe antea judicaret.* Septuaginta vero ex iiſdem vocibus originalibus aliam ſententiam illuminationis gratia cõficiunt, quæ cum noſtra lectione connectitur; *Annuntiabam utique ego; quæ non ſatis intelligebam. Quis autem annuntiabit mihi, quæ non novi?* cujus interpretatio elegans eſt, & opportuna ad totius rei illuminationem in Niceta. *Tu vexationis mihi meæ cauſam indicaſti; & Diaboli pertinaciam inhumanitatemque docuiſti: nec non ipſe tuo Divino lumine illuſtratus, Providentiæ tuæ notitiam ſum ampliorem adeptus. Hæc demum erant mihi antea ignorata.* Cohæret quod ſequitur.

Quid Deus in Iobo reprehendat, quid ipſe recognoſcat. נגד Elucidatio ſentẽtiæ Iob. ידע Intelligere, quid proprie. Iobi mens. & cõfeſsio qualis. Philipp. LXX. Nicetas.

Et quæ ultra modum excederent ſcientiam meã. Proprie, *mirabilia*, occulta, difficilia præ me. vox, & ſententia eadem, quæ Pſ. 138. 5. *Mirabilis facta eſt ſciẽtia tua ex (præ) me.* Inſipienter loquutus ſum, quod ea ego definire tentaverim, quæ mea ſcientia ſuperiora ſunt, quæ nunquam in mentem meam caderent, quæ nunquam expertus fueram. nã ad experimentũ refertur hæc *ſcientia* ex proprietate vocis. Inexperto itaque mihi, tãtum tuorum beneficiorum, & indulgentiæ experiẽtiſsimo, mirabiles acciderant meæ calamitates: ſed multo etiam nunc mirabilior tua cogitatio de meis rebus permittendis hoſti, parũper affligẽdis, ad deploratiſsimam conditio- 5

פלא Scientia experimentati. בין

nē adducēdis, ad exitum fęlicisſimū perducendis. *In deficiendo* (inquit David) *ſpiritum mēū: & tu cognovisti ſemitas meas* propr. *in operiendo.* cum ipſa vis intelligentię meæ, tum meroris, tum ignorantiæ tenebris operiretur, & caligaret, nec mearum calamitatum perfugium, aut exitum aliquem invenirē; at tu perſpectas habebas ſemitas, quibus ad exitum fœlicisſimum me perduceres. Hæc quippe *ultra modum excedunt ſcientiam meam.*

Pſal. 141. 4.

IIII. *Audi, & ego loquar: interrogabo te, & oſtende mihi.*

1. *Particula obſecrantis, cum animi ſubmisſione.*
2. *Quid Iobus Deum roget nunc. Interrogandi affectus, quid indicet.*
3. *Qui rogat, timide, & verecunde loquutur.*

1 א *LXX.* Particula obſecrantis: Iobi modeſtia.

AVdi. Additur in ogrinali obſecrantis particula, *Audi quæſo*, quem eundem affectū expreſſerunt Septuaginta per caſum vocandi, *Audi me, Domine*; multo jam modeſtius, atque ſubmisſius cum Deo loquens, nec jam vi, & jure extorquens audientiam, ſed precario poſtulans, non tāquā expoſtulaturus, ſed doceri, & erudiri cupiens quare illud, *& oſtēde mihi*, perinde valet, ac ſi dixiſſet, *ut doceas me.* non, inquam, utar interrogationibus, quibus tecū expoſtulem de meis rebus afflictis; ſed quibus doceri poſtulem, quid mihi de meis rebus cenſendum, ſentiendum ſit.

2 An decreverit Iob, aliqua de re Deū interrogare.

Sed illud hoc loco quæſtionem habet, Cur nihil interroget, nullumque reſponſum a Deo acceperit, qui recipit ſe interrogaturum, atque tam ſubmiſſe reponſionem precatur? Prima, vera etiam explicandi ratio quod hæc dicat Iob, quaſi ſub conditione, Si quid aliquādo dixero, dictum eſſe a me volo, interrogando, ut docear, preçando ut tu doceas, & ignorantē erudias. Ita videtur accepiſſe Tygurina, ac multo elegantius Nicetas, *Si quidpiam eorum, quæ me fugiunt, te rogaro, docere me ne gravere, ut & mihi eadem ennunciandi poteſtas ſit, atque earum rerum ſim cæteris magiſter ac doctor.*

Tygurina. Nicetas.

Secunda, ut univerſali quadam, & doctrinali propoſitione doceat, qua ratione ſit homini agendum cum Deo; Cum res Divinæ longe ſuperiores ſint noſtra ſciētia, hominis intereſt, de dubiis, & ignorantiis ad Deum referre humanæ imperitiæ doctorem.

Interrogandi affectus.

Tertia, ut Verbū *Rogādi*, accipiatur ample pro oratione; Cū tua diſciplina eruditior factus fuerim, orandum mihi deinceps fuerit, ut a te edocear. Sic fere D. Thom. & poſteriores fere Latini.

D. Thom.

Quarta, ut quę mox ſequuntur, interrogationis rationem obtineant, atque timide, & pedetentim, tum etiam verecunde ad dicendum accedat, neque ſecus, quam ſi rogaret, ut quidpiam edoceretur, ita nunc rogat, ut, ſi dicendo contingat errare, ſtatim admoneatur.

3 Qui rogant timidus, & verecundus.

V. *Auditu auris audivi te: nunc autem oculus meus videt te.*

1. *An Iobus peculiarem habuit viſionem* Videre, *pertinens ad revelationes. Prima ſententia aſſerens.*
2. *Secunda ſententia negās.* Videre *dictum de intellectu, & auditu.*
3. *Quæſtionis reſponſio.*
4. *An Iobus peculiarem illuminationem habuerit præter Dei vocem.*

1 An Iobus peculiari aliqua Dei viſione illuſtratus fuerit.

ILluminari petiit a Deo, nimirum ut clarius perſpiceret res Divinas, atque Divinę Providentiæ rationes, in quarum caligine, & ignoratione antea verſabatur. Sed an peculiari aliqua Dei viſione, aut cæleſti imagine recreatus fuerit, an etiam præter Divinam orationem, & doctrinā his capitibus præcedētibus traditam, aliquam aliam revelationem acceperit, qua de ſuis rebus, deque Divinę Providentiæ rationibus inſtrueretur, in quęſtione poſitum eſt. Et quidē Euſebius lib. 1. de demonſtratione Evangelica c. 4. aperte docet imaginem filii Dei viſam eſſe Iob, nō minus, quam aliis Patriarchis, quibus Deus appar uiſſe ſcribitur. *Nam*, inquit, *qui antea de turbine, & nubibus illi ſe oſtenderat, Deū univerſi ſe eſſe indicabat. Porro autem progresſus, ita ſe ipſum præbet videndum, ut ipſe Iob tum dicat: Audi me, Domine, ut etiam ego loquar. Sonitum quidē vocis tuæ audivi prius, nunc autem oculus meus vidit te. Quod ſi fieri non poteſt, ut altisſimus Deus inviſibilis, & ingenitus, & rex univerſi a mortali natura cernatur, quis tandē hic, qui ſic viſus eſt, alius fuerit præter Dei verbum, quod ſe ipſum ad tempus de propria magnitudine demiſerit, ut alibi quoque dicendum eſt?* Idem ſequutus videtur Titelmanus. Dionyſius Iſidorus, & Aſtunica indicāt. Hujus ſententię probatio peti poteſt ex ipſa plana, & ſimplici voce *videndi*, quæ frequenter

Prima ſententia aſſerens. *Euſebius.*

Titelman. Dionyſ. Iſid. rus.

dicitur

Videre pertinet ad revelationes.

dicitur de externis imaginibus,& apparitionibus. ex quo Verbo dictum eſt Num. 12.6. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini,in viſione apparebo ei,aut per ſomniū,&c.*

2 Secunda ſententia negans.

Secunda ſententia frequētiſsima Græcorū, atque Latinorum negantiū aliquid fuiſſe objectum ſenſibus externis præter vocem; tantū appellari nunc *viſionem*,clariorem rerum Divinarum cognitionem. Gregorius; *Quāto viſus ſuperior eſt auditu, tanto differt ab eo, quod prius extitit,quia interno oculo veritatis lumē magis conſpexerat.* Philippus. *Audire Deum, vel videre, qui eſt inviſibilis, non iſtorum oculorum, vel aurium eſt,ſed mentis,& cordis.* Chryſoſtomus. *Nō quia oculus viderit, ſed quia clarius audierit.* ſequuntur Olymp. D.Thom.cum poſterioribꝰ Latinis.ex Hebraizantibus,Cajetanus,Vatablus,Steuchus.Tum etiam R. Moyſes lib.3. dubitantium c. 23. Rei hujus probatio; quod ſi vera aliqua ſpecies objecta fuiſſet,non taceretur ab Scriptura. Tum etiam, quod verbum *videndi*, ad mentis cogitationē frequētiſsime refertur, imo & ad auditum,ut Ieremiæ,2.31. *Videte Verbum Domini.*

Gregor. Philipp. Chryſoſt. Olympiod. D.Thom. Cajetan. Vatab. Eugub. R.Moyſes.

Videre de intellectu,& auditu.

3 Quæſtionis reſponſio.

Ego cenſeo rem omnino incertā; & in medio relinquendam,ut quę utrinque nō careat veriſimilitudine. Mihi certe nō ſit incredibile jam tūc, cum Iob curatus eſt, ſimul Divina aliqua viſione recreatū fuiſſe. Si objicias, indicandum id ab Scriptura; concedo libēter. Sed quibus,obſecro, verbis clarioribus, quā cum dicitur Deus primum *auditus*, deinde *viſus* a Iobo? Sed ſive per externam imaginem, ſive per internam illuminationē,ſignificat nunc,ſe longe melius, & clarius de Divinis rebus ſentire,ac loqui.

4 An Iob tātum fuerit a Deo illuminatꝰ enarratione Divinorū operum.

Rurſus dubitari poteſt an eam clariorē cognitionē rerum Divinarum acceperit tātum ex Divina voce, & Divinorū operum enarratione? Cajetanus non aliā revelationem agnoſcit,quam eam quæ proxime preceſsit in deſcriptione Leviathā, id eſt, Diaboli; per quā multum ipſe profecerat in ſui, atque Dei cognitione. Ergo dicere potuit, cū antea multa de Deo per auditum accepiſſet, multa etiam per revelationes alias obſcuriores, & imperfectiores,nunc tandem hac clariſsima revelatione Divinæ vocis longe inſtructiorem evaſiſſe.

Secūda reſpōſio Gregorii.

Secunda reſpondendi ratio,ut tantum deſignet Iob duplicem ſtatum rerum ſuarum: priorem proſperitatis, cū quaſi ex *auditu* Deum cognoſcebat ad aurem loquentem: poſteriorē vero ærumnarū,per quas in Dei cognitione valde profecit,tā toque ſe ipſo melior evaſit, quantum viſus excellit auditū. Sic docet Gregorius.

Tertius tamen explicatus eſt Philippi, qui novā revelationē hoc loco agnoſcit, & poſtulatam a Iobo & cōceſſam a Deo; nam poſt illa verba, *Interrogabo,& reſpōde mihi*; ſic interpretatur; *Hinc eſt, quod ſe doceri cupit a Domino; ſibique hoc ipſum deposcit oſtendi. Accepto ergo Iob, ſicut ex ſermonibus ejus credendum eſt, Divina viſitationis oraculo,ait ad Deum, Auditu auris,&c.*

Tertia expoſitio Philippi.

Ego vero opē aliorum Interpretū hāc coſicio interpretādi rationē,ſane vero ſimilem æque,ac cūtotā re convenientem; ut Iob tum Dei voce,& oratione,tū peculiari lumine divinitus accepto perſpexerit univerſam rerum ſuarum Tragediam, & Divinæ Providentiæ, atque Bonitatis rationes, quæ ſibi ante vel obſcuræ, vel difficiles videbātur; jam igitur tum auditu, tum mētis lumine,& viſione profecerat,quare illud,*nunc*,perinde eſt, ac ſi dixiſſet, etiam, præterea. Quod autem ait; *Auditu auris audivi*,pertinet ad Dei revelationem,quę inſtar *verbi* audiri debet cū magna attentione: nō enim,quæcumque res,ſi levior ſit,dicitur in Scriptura *auditu auris audienda*; ſicut neque quæcumque rei alicujus intelligentia dicitur *viſio* mētis, ſed rei Divinæ, & diviniori lumine perſpectæ.

Idonea exponendi ratio.

Quę res dicātur audiri,& videri.

VI. *Idcirco me reprehēdo, & ago pœnitentiam in favilla, & cinere.*

1. *Iobi profectus,in ſe reprehendendo,& deſpiciendo.*
2. *Pœnitentia cur in Hebræo dicatur Solatium.*
3. Favilla, & cinis, *Symbolum ſordium humanæ originis. Terra ad expiationē criminis. Iobi modeſtia.*

1 Varia lectio.

EX Divino Lumine profecerat ſanctus Iob ad Dei cognitionē, & reverentiam,& ad ſui contēptum: Propterea quod te,inquit,audierim,& viderim,*me reprehendo.* proprie Septuag. juxta Hebrēū, *Deſpexi me ipſum.* Quamquam verbū originale caret appoſito, & proprie ſignificat nauſeare, vel reprobare,cum faſtidio abjicere. Supplent vulgatus, & Septuag. *Me*, Nicetas vero,*conditionis meæ indignitatem atquē ſordes.* Cajetanus,*Farles Diabolicas.* Sed ſimplex,& cohærens explicatus eſt,me liberius loquentem de Divinis rebus: hærentem, & mœrentem plus æquo in querimoniis mearum calamitatum, lāguentem,aut etiam aliquando oblitū ſpei melioris conditionis.

LXX. מאס

Nicetas. Cajetan.

2 Cur pœnitentia dicatur cōsolatio.

Et ago pœnitentiā. Proprie ex originali per futurum, *Agam pœnitentiam*. Verbum originale significat *consolationem*, quasi commutationem miseri status in meliorē conditionem, quę ratio communis est resipiscenti, cui post peccatum, quid aliud potest solatium afferre, quam pęnitentia, & consiliorum mutatio in melius?

3 Favilla, & cinis symbolum humanæ originis.

In favilla, & cinere. Pœnitentiæ circūloquutio, & solennis cerimonia, quæ ex cognitione proprię imbecillitatis, & sordium humanę originis, cujus Symbolum sunt *favilla, & cinis*, deprecatur homo veniā culpæ admissæ ex infirmitate. Et quidem sicut igne, & aqua, ita etiam aspersione terræ, & cineris criminū purgationes fiebant; quare parricidium, quasi crimē inexpiabile, terra carere voluerūt, ut scripsit Clemens, lib. 3. Pædagogi, cujus etiam mentio L. unica. C. de his qui par. vel lib. occid. Quare elegāter dixerunt Septuaginta. *Putavi me terrā, & cinerem*. Aquila; *Consolatus sum in favilla, & cinere*. Nicetas. *Cum perceperim ea, quæ ipse meis viribus, niti nō possum: conditionis meæ indignitatem, sordesque perspexi*. Quod autem per verbum præsentis temporis dixit Interpres, *Pœnitentiam ago*, forte indicare voluit, viri sanctissimi sensum animi modestissimi, simulque non nihil etiā in sua illa sanctitatis cōfessione constantis; Si nō ob prioris vitæ delicta, at saltem propter loquēdi imperitiam, his plagis merito afficior; si non ob ea, quę mihi adversarii affingūt, at propter humanæ conditionis imbecillitatē, sedere in pulvere, & cinere non recuso. Indicavit hoc Chrysostomus. *Nihili me*, inquit, *facio: priora dumtaxat defendo*. De nominibus autem *favillæ, & cineris* superius diximus. Vides quantum jā remiserit vir sanctissim⁹ de expostulatione, & conquestione acerbissima suarū ærumnarū Divina visitatione delinitus; quam quā quidem nondum a plaga curatus erat, cū cum hæc loquebatur, ut observat idem Chrysostomus, quippe paulisper experiri volebat Deus Iobum dolentem adhuc, sed tamen lenius, & modestius se gerentem; atque illa cogitatone defixum, & actione mentis intentum, *Conjungere Deo, & sustine, ut crescat in novissimo via tua. Crede Deo, & recuperabit te, & dirige viam tuā, & spera in illum*. Atque hic esto certaminum, & totius litis tractandæ finis.

Expiationes criminum per omnia elemēta. Clement. LXX. Aquila. Nicetas. Iobi modestia simul & animi constantia. Chrysostom. Eccles. 2. 3. 6.

IOANNIS DE PINEDA SOCIETATIS IESV COMMENTARIORVM IN IOB

LIBER DECIMVS TERTIVS.

Qui est de Dei Colloquio cū IOBI amicis, totius controversiæ sententia, & judicio, IOBI corona, & restitutione.

Quando fuerit Iobi plaga curata.

1. *Vltimus hujus scenæ actus, Iobi restitutio. Cur illius sanitas sileatur ab Scriptura.*
2. *Prima Græcorum sententia in assignando tempore curationis Iobi. Duæ etiā alia minus idoneæ.*
3. *Quarta sententia Latinorum. Historia, & temporis ordo non semper servatus in Scripturis.*
4. *Quintus sentiendi, & respōdendi modus idoneus, atque tres illius confirmationes. Patientiæ vultus, & alacritas.*
5. *Duæ item rationes. Dæmon recedens a Iobo cruciādo. Deus potentia sua sanans corpus incurabile. Corpus ægrotans simile navigii male materiati.*
6. *Assignatur tempus curationis plagæ Iobi. Illius sanitas duplo firmior, quam pristina.*



1 VLTIMVS Act⁹ Scenæ hujus Iobū restitutū repræsentat, ac restitutionis modum, & rationem designat, collata ope cognatorum, & familiarium illius, Dei benedictione,

& cele-

& celeri rerum omnium incremento. At quod hujus restitutionis, imo & fælicitatis pars est non ultima, corporis sanitatem Scripturæ tacent, non ob aliud sane, quam quod nemo sanę mentis dubitare de illa potuit. sed sane dubium, & incertum, quo tempore, quā item ratione corporis plaga profligata fuerit.

Cur Scriptura sileat Iobi sanitatem
Tempus sanitatis incertū.

2

Et primo quidem Theophanes 2. Epistola. *de Patientia ad omnes Christianos*, ait curatum fuisse, cum secundo dicitur Deus orationem suam instaurasse, nempe initio capitis. 40. ubi Septuaginta habent sententiam illam; *Putas me aliter tibi respondisse, quam ut appareres justus?* Atque ex eo jam tempore *pronuntiatum esse a Deo, victum, & victorem*. Theophanis vero verba digna sunt, quæ adscribantur. *Post tollerantiam tentationum dignus habitus est, qui Deū videret, audiretque illud Divinum præconiū, (etenim ut victorem pronuutiat hunc coronarum dator) dicens illi; Putas ne me aliam ob causam alloquutum te esse, nisi ut justus appareas? Oratio quidem hæc immarcescibilis fuit corona certaminum athletæ, decorans, glorificansque illum in æternitatem: hoc bravium fuit agonis ipsius: hoc patientiæ præmium. Oratio hæc morbum illum doloribus plenum illico dissolvit, & facultates omnes reddidit duplo majores his, quas amiserat; & ex tantā inopia, morbo, & despectu repente ad maximam gloriam, opes, ac bonam valetudinem evexit.*

Theophan.
LXX.
Prima sententia in asignādo tēpore curationis.

Quæ prefecto mutuata videri possunt ex Nazianzeno, Oratione 21. in laudem Athanasii. *Qui cum* (inquit) *per turbinem, & nubes oracula edebat, qui ad inferendam pœnam tardus est, & ad opem ferendam celer, in fine certaminis illustri præconio athletam suum victorem pronūtiat, atque afflictionis arcanum aperuit: Num hæc censes, inquit, me aliam ob causam in te decrevisse, quam ut justitia tua elucescat? Hæc vulnerum medicina; hæc certaminis corona; hoc patientiæ præmium. Nam quæ deinde secuta sunt, parva fortasse, & parvorum hominum causa constituta: tametsi alioqui duplo maiora, quam quæ ipsi adempta fuerant, receperit.*

Nazianz.

Idem sentire videtur Catenæ Auctor in Protheoria capitis, 27. *Tādem,* inquit, *post multa certamina, post Divinæ vocis adhibitam consolationem, protinus est valetudo consequuta, statimque is, qui sanie diffluebat, qui vermium imbres mittebat, in statum est pristinum restitutus.* Atque huc adduci potest Dionysius, qui in fine versic. 6. sic scribit: *Apparet, quod ita dixerit Dominus Beato Iob jam sanato.* Sed proculdubio cum ille locus initio. c. 40. pertineat quoque ad Iobi reprehensionem aliquā, cū nondū tunc absolverit Deus suorū operū enarrationem, quæ perseverat ad finem usque capitis, 41. nō videtur alterius conditionis fuisse Iobus, valetudine corporis, quam fuisset initio Divinæ Orationis.

Secundus modus dicēdi, ut statim post Divinam Orationem, qua etiā illius animus, atque patiētia probata fuerant, curatus fuerit ante objurgationem amicorum; sic enim, & reprehēsio acrior ex manifesta Iobi innocētia a calamitatibus, & supplicio corporis absoluta; & Iobi gloria, & victoria illustrior cōfutatis, & profligatis penitus argumentis sceleratæ vitæ, quę ex morbo petebantur ab adversariis. ita videtur indicasse Tertullian. libr. de Patient. cap. 14. *Operarius* (inquit) *ille virtutis Dei, retusis omnibus jaculis tentationum, lorica, clypeoque patientiæ, & integritatem mox corporis a Deo recuperavit, & quæ amiserat reduplicata possedit. Mox,* inquam, ait Tertullianus, post tentationes, quippe nullum aliud virtutis, & patientiæ argumentum expectabatur: non distulit igitur Deus coronā. Accedit, quod Iobi lenissima illa responsio indicat illius animum dolore, & ægritudine vacuum, & subita Dei visione non solum recreatum animo, sed etiam corpore. Sed proculdubio ipsa Iobi verba aperte ostendunt adhuc in habitu pœnitentiam agentis, & in conditione ærumnarum versari, ut ex ipsis verbis Chrysostomus eleganter observavit. *Hæc eadem* (inquit) *cum Iobus loquebatur, nondum ejus ærumna profligata est, verum cum in malis etiam versaretur, palinodia est usus.*

Secunda sententia.
Tertullian.
Chrysost.

Tertia expositio est ipsius Chrysostomi; tunc primum, cum suam responsionem absolvit, & se etiam ipsum reprehēdit, restitutum esse sanitati: post verba enim nuper adducta, subjungit. *Quid igitur Deus? Nempe tunc justum absolvit; cum se ipsum condemnavit.* Sed quidem neque hoc videtur opportunum tempus curationis; expectabatur enim deprecatio pro peccato amicorum, ut statim ostendemus,

Tertius respōdēdi modus.
Chrysost.

Quarto, ut statim post orationē, & sacrificiū oblata pro amicis, vel certe ipsas preces, & sacrificium mirabiliter curatus fuerit. ita videtur indicari versic. 10. cum dicitur, *Dominus quoque conversus est ad pœnitētiam Iob, cum oraret ille pro amicis suis.* manifeste enim eo loco indicatur conditionis mutatio, & restitutio. Ita fere supponunt Latini Interpretes. Sed explicatius tradunt Cajetanus, Titelmanus,

Quarta respōdendi sententia Latinorum.
Cajetan.
Tertullian.

Oſorius.

Epiſcopus Algarbienſis.ſed præter quam quod ille locus nō unam tantum habeat exponendi rationem, ut jam videbimus, certe nō ſemper in Hiſtoria ſervatur ordo rerum & tēporis; multa enim per anticipationem dicuntur, multa poſtponūtur, ut manifeſte cōſtat ex hoc ipſo loco, cum dicitur Deus addidiſſe, quæ fuerant Iob,duplicia. cum tamen poſtea narretur collatio ſtipis, quam non ſtatim ac ſimul ſequuta eſt duplicatio illa bonorum, ſed forte paulatim,longo poſt tempore. quare potuit cum Iobi Oratione,& ſacrificio conjungi illius reſtitutio, tum corporis, tum rei familiaris, quāvis non ſtatim poſt orationem,illā acceperit. Præterea,quia illa *motio capitis*, & *conſolationis* obſequiū prę̄ſtitum a cognatis,& amicis *ſuper malo, quod intulerat Dominus ſuper eum*, indicat non dum malo, & ærumna levatum fuiſſe: ſecus enim inutilis fuiſſet conſolatio.

Narrationis, & tēporis ordo nō ſemper ſervatus.

Sexto tamen dicendi, ac ſuſpicandi mod⁹ eſſe poteſt,ut poſt ſolatium amicorum, & familiarium, poſt convivium celebratum,poſt collatam ſtipem ad inopię ſubſidium, levatus quoque fuerit morbo Divina ope. Huj⁹ rei has habeo ſuſpiciones, & conjecturas. Prima, quod verſic. 21. dicantur propinqui, & amici, levare illius inopiam collata ope, tum etiam illius malum univerſum allato ſolatio; & enim Deus ſicut inopiā levavit reſtituendo illi miſericordiam amicorum, inique illi antea denegatam vel a Dæmone, vel ab ipſis amicis; ita etiam vult illi ægrotāti adhuc impendi ſolatium benignæ viſitationis; non enim minus reſtituendum illi hoc fuit, quod inique denegatum fuerat ægrotanti, quam cætera bona ſanitatem adepto. Secundo, quoniam oportuit,ut cum amici ęgrotantem ſceleris inſimularant propter morbū,atque ſupplicium, eidem ægrotanti adhuc, & laborāti, propter dignitatem patientiæ, & tribulationum ſanctæ tolleratarum, iidem amici ſupplicarent, & ſuam fælicitatem atque corporis valetudinem illius ærumnis, & doloribus multo melioribus ſubmitterent.

Quinta veroſimilis reſpōdendi ratio,octo rationib⁹ confirmata.

Prima ratio ex reſtituta illi benignitate & humanitate amicorum.

Secunda ratio ex ſuæ innocētię teſtimonio illuſtriori.

Tertio,ut illuſtriorem gereret figuram Chriſti Ieſu in Cruce adhuc,& incredibilibus plagis,atque doloribus confixi,orātis, & ſacrificium offerentis pro inimicis, prædicati, & agniti filii Dei ab illis, qui *percutientes pectora ſua dicebant, Vere filius Dei erat iſte.*

Tertia ratio ex Chriſti repręſentatione

Quarto, quod acerbitas cruciatuū Iobi non ſolum efficiebatur ab ipſo morbo, & dolore corporis, ſed potiſsimum ab ęgritudine animi, & cogitatione mœſtiſsima, qua afficiebatur ex cognatorum impietate,& inhumanite; ex amicorum infidilitate; ex popularium immiſericordia, ex hominum viliſsimorum probris, & injuriis; ex rerū omnium neceſſariarum indigentia; ex Deo etiam,ut videbatur diſſerente; quæ cum reſtituta eſſent omnia quāvis adhuc ærumna corporis perſeveraret,delinita jā eſſet. Quare cū ſæpe patientiſsimus vir animi mœſtitudinem incredibilē, verbis, vultu, atque tum interrogationibus, tum reſpōſionibus teſtatus fuerit, dolebat quidem, ſed mœrebat ſimul, atque triſtabatur: nunc vero jam in alio ſtatu, alioque patientiæ gradu cōſtitutus,dolet, & verſatur adhuc in morbo, ſed vultu læto,& alacri,atque Divinæ cōſolationis teſte certiſsimo.qualis quoque fuit Theodorus ille adoleſcens, generoſus Chriſti athleta; qui apud Theodoretum lib.3. Hiſtoriæ cap.10.cum in mediis cruciatibus rogatus eſſet, *Ecquid doloris acerba illa, & crudelia tormenta paſſus ſenſiſſet? Reſpōdit, Si initio aliquantū doloris ſenſiſſe: ac poſtea ei apparuiſſe quēdam,qui linteo molli, & frigido faciem ſudore manantem continenter tergebat, jubebatque bono animo eſſet.Et propterea cum carnifices ab eo cruciando ceſſarent,ſe non voluptatem, ſed afflictionē ideo ſenſiſſe,quod is,qui ejus levaſſet cruciatū, una diſceſſerat.* Quare cum triſtiſsimā Iobi, & univerſarum illius rerum faciem triſtiſsimam contemplati fuerimus, nunc licebit paulo lætiorem,quamvis ex pugna, & certamine ſudātem intueri; qualem in Pſychomachia deſcripſit Prudentius recenſens cōgreſſum Iræ,& Patientiæ,poſt quam hæc illam devicerat;

Quarta ex mitigatione cruciatuum,& mœroris.

Iob in morbo nunc quoq. ſed lætus,& quietus animo.

Theodoret.

Theodori martyris voluptas in cruciatibus

Iobi vultus poſt certamina.

. . . Secat medias impune cohortes,
Egregio comitata viro: nam proximus Iob
Hæſerat invictæ dura inter bella magiſtræ,
Frōte ſeverus adhuc, & multo vulnere anhelus:
Sed jam clauſa truci ſubrridēs ulcera vultu.
Perque ciratricum numerum ſudata recenſens,
Millia pugnarum, ſua præmia, dedecus hoſtis.
Illum Diva jubet tandem requieſcere ab omni
Armorum ſtrepitu,captis & perdita quæque
Multiplicare opibus, nec jam peritura referre.

Prudentius.

Sed

Patientiæ habitus, & vultus.

Sed multo jucundissimum, atque latissimum illius vultum intueri, dolenté licet, & ægritudine adhuc marcentem, qualem in Patientia alacri, & læta pulcherrime describit Tertullianus de Patiétia, c. 15. *Vultus illi tranquillus, & placidus, frons pura, nulla mæroris, aut iræ rugositate cõtracta: remissæ æque in lætum modum supercilia, oculis humilitate, non infælicitate dejectis: os taciturnitatis honore signatum; color qualis securis, & innoxiis: motus frequens capitis in Diabolum, & minax risus. Cæterum amictus circũ pectora cãdidus, & corpori impressus: ut qui nec inflatur, nec in quietatur; sedet enim in Throno Spiritus ejus mitissimi, & mansuetissimi, qui non turbine glomeratur, non nubilo livet, sed est teneræ serenitatis, apertus, & simplex.*

Tertullian.

5 Quinta ratio ex Diaboli abscessu, qui dolores accendebat.

Quinto accedit, quod Diabolus jã pudore affectus, & turpissime victus abscesserit, cum primam Divinæ sententiæ vocem, Iobum ab omni criminis suspicione absolvétis, audiret. abscedente vero Dæmone, qui dolorum flammas halitu accédebat, & membrorũ prunas ardere faciebat, necessarium fuit, æstum dolorum deferbuisse, & in statu convalescentiæ hominem cõstitutum, melius indies habuisse, atque statim sanitatis obtinendæ manifesta indicia præbuisse, colore, vultu, mũdicie ulcerum jam redintegratorum, ac cutis reviresćetis, totiusque faciei deformatæ conformatione, & renovatione; quippe cessante jam potissima causa efficiente morborum, quamvis partes male affectæ, & ex depravatione humorum ægrotantes, & dolentes non potuerunt subito ad pristinam valetudinẽ se se reducere. Ergo tum quod absens esset hostis, tum præsentissimus Iobi animus, præsens adhuc morbus ut incredibiliter remitteretur, efficiebant. ut Poeta fere in re simili ad patientiæ commendationem dixit;

Ovid lib. 2. Elegia. 1.

Vidi ego jactatas mota face crescere flammas.
Et vidi nullo concutiente mori.

Ergo ipsa animi placidissimi trãquillitas, & opinio suæ utilitatitis, ac Divinæ Providentiæ, & æquitatis clarius, & firmius concepta, dolores, quamvis ingentes lenire potuit;

Sen. in Medea. act. 3.

Miserias (inquit ille) *lenit quies.*
Adeoque in agrestibus feris arctissima vincula, si se excitent, imprimũtur: si quiescant, relaxantur.

Egesippus lib. 2. de excid. Ierosolym. c. 9.

Sexta ratio ex Dei Potẽtia sanitatem con-

Sexto, ut adhuc in corpore miserrim[o] suam potentiam ostenderet Deus; & velut gubernator peritissimus in male materiata cimba Iobi animũ, resque universas, sapientissime deduceret ad portum fœlicitatis, ut videatur in Iobum cõvenire, quod in justum Noe Scriptum est Sapientiæ, 10. 4. *Cum aqua deleret terram, sanavit iterum Sapientia per contemptibile lignum justum gubernans:* Quid enim ægrotantis corporis, & membrorum lacerorũ similius, quam navigium exesum, rimosum, male materiatum, sentinam faciens? Sed Divina Sapientia ad portum dirigit, & fælicissimum miseriarum finem, sicut Scriptum est, *Sufferentiam Iob audistis, & finem Domini vidistis.*

ferẽtis deplorate ægrotãti.

Iacob. 5. 11.

6

Septimo, censeo jam tandem indicari curationem, & medicinam tunc miraculo factam Iobi doloribus, cum vers. 12. dicitur, *Benedixit Dominus novissimis Iob.* tunc enim commutata sunt in melius omnia: Neque mihi dubium, quin valetudo etiã duplo firmior, & melior fuerit, quã quõdam habuerat, ut quæ Deo medente, & curatore collata illi fuerit. Sic enim existimat Ambrosius, in universum, quæ miraculo fiebant a Christo Domino, ea in suo genere longe præstantiora fuisse, quã quæ solis naturæ viribus effici possunt: Exempla in miraculis Christi Iesu, *Vinum* miraculosum confectum ex aqua, *optimũ:* Claudi curati, celerrimi, *salientes sicut cervi;* Visus restitutus cæcis, perspicacissimus; mundities sanatæ lepræ, nitidissima, non solum sicut hominis jam provecti, sed *sicut caro pueri.* Denique Iobi valetudo duplo melior, quam antea, firmissima, integerrima. Hujus signum vita lõngissima *centum quadraginta annorum* post recuperatam sanitatẽ: quippe illa fuit supra ordináriam illius œvi mensuram, & lineam vivendi. nam cum Abraham *Mortuus fuerit, in senectute bona, & plenus dierũ;* at non amplius fuerunt dies vitæ Abrahæ, quam *centum sexaginta quinque anni,* Genes. 25. 78.

Ambros.

Quæ fiebãt miraculo a Christo, præstãtiorá. quam solis naturæ virib⁹.

Iobi valetudo duplo melior, & firmior, quã pristina.

Octavo, Tandem momento temporis sanatus est. sic exigebat miraculum, Dei virtus, plaga ipsa, quæ momento temporis fuerat inflicta, Athletæ corona, ut eo esset illustrior apud omnes, quo magis subita, magisque Divina. Sic docuit Theophanes superius adductus, indicavit Tertullianus. Nunc jam ad explanationem ipsius Historiæ.

Theophan. Tertullian.

)?(

VII. Postquam autem loquutus est Dominus verba hæc ad Iob, dixit ad Eliphaz Themanitē: Iratus est furor meus in te, & in duos amicos tuos, quoniam non estis loquuti coram me rectum, sicut servus meus Iob.

1. *Duæ partes optimi judicis.*
2. *An Deus loquutus continenter cū Iobi amicis.*
3. *An amici digressi a Iobo ante oblatum sacrificium.*
4. *Eadem ratione loquutum esse Deum cum amicis, sicut cum Iobo.*
5. *Deus loquutus ad Eliphaz cū turbine vehementiore. Eliphaz dignior cæteris. Divina ira ex causa graviore.*
6. *Deus indigne ferens justorum injurias. Illustratus David.*
7. *Cur Iobi amici non puniti a Deo propter peccatum.*
8. *Cur Aaron non percussus lepra, sicut Maria. Sacerdotum honor, & mundities.*
9. *Eliu cur non similiter reprehensus, sicut cæteri.*
10. *Iobi cum amicis cōparatio in causa bonitate.*
11. *Finis orationis pro Iobo contra amicos.* Patiēs, Arrogans *qui. Illustratus Ecclesiastes.*

DVAE Sunt optimi judicis partes, immeritum absolvere, nocentem dānare: utramque unica sententia æquitas
2 Divina complexa est, sed ita tamen, ut in hoc judicio mirifice *superexultet misericordia*; nam judicium nocentium amicorū ad Iobi innocentiæ honorem, & triumphum revocat; tradit enim suos *tribulantes in animam*, & orationem ipsius Iobi.

Quæstiuncula propositio. *Postquam autem.* Quæstionem habet, an statim hæc Dei loquutio sequuta fuerit post Iobi colloquium, & respōsionem, an vero spatium aliquod intercesserit. Certe in originali forma hujus narrationis eadem est, quæ usurpari solet initio cujuscumque Historiæ: incipit enim a particula copulativa, *Et fuit*, quod indifferēs est vel ad novam narrationem, vel ad ejusdē partem aliquam cōtinentem cum reliqua historia. Noster Pater Alfonsus Salmerō (Pater Alfonsus Salmeron.) Tom. 11. in Evang. tracta. 33. dum hunc Iobi locum tractat pro satisfactione peccatorum cōfirmanda, censet cum Iob dicit, *Ago pœnitentiam*, jam tunc nō ad fuisse Iobi amicos.

3 An amici Iobi digressi ab illo fuerint ante sacrificiū. Ego censeo primū, non dum Iobi amicos regresos in suas domos: quippe vel de victoria sibi blandiri potuissent, vel adhuc Iobi famā inique traducere, nisi prius audita Dei sententia reprimerentur.

Secundū, multo minus constat, an aliquātum inde digressi fuerint; nam brevē discursum videtur indicare illud, quod statim subjungitur, *Ite ad servum meum.* & iterum; *Abierunt ergo.* quod proculdubio ex proprietate vocis videtur pertinere ad profectionem, & viam susceptam. atque a Deo opportune admoneri potuerunt, ne redderēt ad Iobum, nisi cum holocausto.

Tertiū, videtur multo lætior exitus ærumnarum Iobi, triumphus etiam multo honorificentior, si statim Divina vox, quę Iobum erexerat, amicos abjecerit ad Iobi pedes, & preces, injuriarum veniam deprecantes, ut nunc impletum illud fuerit, quod postmodum Scriptum est a Salomone, (Prov. 16. 17.) *Cum placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoque hujus convertet ad pacē.* Signū igitur *placuisse Deo viam Iobi*, ex reditu, & conversione amicorū. Neque obstat verbum illud *eundi*, nam potest sumi pro *accedere*, tum etiam pro *venire, quæsito holocausto.*

Dixit ad Eliphaz. Quomodo cōtigerit 4
hęc Divina loquutio erga Eliphaz, minus difficile explicari potest, quam quomodo erga Iobum. nā licet quidē potuerit cōtigisse visione imaginaria, aut in somnis, quomodo Cajet. (Cajetan.) contigisse affirmat videlicet *Eliphaz dormiēti, eo quod sic apparuit socero Iacob*; sed existimo eadem ratione Deū loquutū esse cū Eliphaz, quēadmodum cum Iob, tantum vocis, & orationis conversione facta; Sic indicavit Catenæ Auctor, (Nicetas.) *Deus*, inquit, *nunc ad ipsum præcipue orationem convertit: sed eam, quæ tribus amicis omnibus apte cōmunicari possit.* Quare sicut Dei vocem cum Iobo loquentis percipiebāt tres amici; ita loquentem cū Eliphaz audiebat tum Iobus, tum duo alii; præterea Eliu. Ita sane postulabat Iobi innocentia, publica sententia, publicoque testimonio declaranda.

Sed nūquid durat adhuc turbo, & pro- 5 An Dei loquutio ad Eliphaz fuerit cū procella.
cella comitantes Dei vocem, atque præsentiam? Ita sane existimo, cum sic exigat Dei loquētis Majestas, orationis materia, quæ comminatoria, & terrifica est; tum etiam ipsa orationis forma, qua exprimit Deus vehementem indignationis sensum. quare exigere videbatur vehemētiorem aeris perturbationē indicem Iræ Divinæ. Nam si in Iobi rebus perturbatis perturbationē aeris, & elementorum efficit Deus loquuturus cum illo, tanquillo ne aere, & ventis silentibus debuit vehementer iratus, percellere Eliphazū? Sane quidem procellosus ille turbo, & cęlestis

soni-

sonitus, qui Dei cum Iobo colloquio mitescēte, multum de cōtētione remiserat, nunc Deo excandescente, & vocem contendente, atque acuente, rursus vehemētius exurgit, & insonat.

Iratus est furor meus in te, & duos amicos tuos. Sæpe observavimus Eliphaz anteire reliquis dignitate, forte etiam ætate, atque sapientia;

Eliphaz dignior cęteris amicis.

primas igitur tum loquendi, tum præterea Divinam vocem accipiēdi partes obtinuit; graviter præterea errasse, atq; peccasse in Iudicio de Iobi meritis, atque suppliciis, temere hominē sanctissimum condemnando; cujus peccati gravioris manifestum indicium est, cōtestatio Divinæ Irę, atque furoris: quę cum

Divina Ira ex causa gravissima.

significatur esse gravissima, & naso tumēte, atque excandente, subesse item intelligitur causa gravissima digna furore, & indignatione. Quare pro eo, quod nos habemus, *Iratus est furor meus, &c.* Septuag.

LXX.

tantū habent, *Peccasti tu, & duo amici tui.* Et mirum sane, quod cū viderentur amici præclare fecisse Dei causę patrocinantes,

6

Iustorum injurias Deus non ferens.

at tanti Deus faciat causam, & existimationem sui justi, ut qui quacumque ratione illum lædat, gravissime ferat. Satis ergo ad justi cōmendationem, ad minas, & terrorē obtrectatorum fuit dixisse, Qui

Psalm. 33.

oderunt justum, delinquent. proprie *aberrāt*, quamvis enim sibi blandiantur, quasi de præclaro facinore, quod *arbitrentur obsequium se præstare Deo*, persequentes justū; at aberrant toto Cælo; nam illorum conatus quamvis vani, in Deum recidunt; & maledicta facta in Sanctos, Deum configunt. plane igitur aberrāt ab scopo. Multo etiam magis, quod conatus adversus

Injuriæ adversus Iustos, recidunt in suos auctores.

justum, non solum injurii sunt Deo, sed ipsis improbis obtrectatoribus noxii. Vide igitur, quantum delinquant, quantum aberrent, qui jaculantes ad justum, Deum impetunt, & se ipsos configunt! quippe *sagittæ parvulorum, factæ sunt plagæ eorum, & infirmatæ sunt cōtra eos linguæ eorū*. Ps.

Psalm. 63.8.

63.8. ita enim pueri jaculantur ad scopū, ut temere, & inconsiderate illum considerent, & potius id, quod minime existimarant, percutiant, & configant. *Iacula enim a pueris emissa*, inquit Theodoretus, *nihil damni afferunt his, quæ petuntur, imo his, qui percutere conantur.*

Theodoret.

7

Cur Iobi amici propter peccatū non sunt affecti supplicio.

Sed cum Dei furor, & indignatio significare soleat non solum ex parte hominis peccatum ira dignum, sed etiam ex parte Dei effectum vehementē, quasi ex animo irato procederet, cur Iobi amici Divina ira dignissimi, non sunt affecti manifesto aliquo supplicio? quod si propterea dicas, non punitos aliqua corporis plaga, quod ex Iobi cognatione essent; at exēplum manifesti supplicii potest esse Maria Soror Moysis, quæ propter murmurationē contra Moysem percussa est lepra.

Num. 12.

Potuerūt igitur quasi Talionis penna Leprosi fieri Iobi amici, propter peccatum temeritatis in sinistram partem interpretandi Iobi leprā. Huic dubitationi occurrit Nicetas, *Ideo Mariam obtrectantem pennas dedisse, quia illa non tantum Moysem, sed Deum etiam Moysis laudatorē voce violavit.*

Nicetas.

Hi vero cum Dei dignitatem, & laudem extulissent, hominem tantummodo in vituperationem adduxerunt. Sed non apparet, qua ratione peculiariter Divinum honorem plus læserit Maria, quā Iobi amici, præsertim cum fratres Moysis tātum contēderint se se Moysi æquare, nō etiam amplius extollere: *Nonne*, inquiunt, *& nobis similiter loquutus est Dominus.*

Num. 12. 2.

at vero amici, Iobum, non solum ut sibi parē, sed longe meritis, atque sapientia inferiorem contēpserunt. Illa ergo potior causa reddi potest, quæ etiam in Aarone locum habet, cur non fuerit particeps supplicii, & lepræ, cum peccati, & detractationis particeps fuisset; non fuit igitur similiter punitus lepra, quod summus esset Sacerdos,

8

Cur Aarō non fit percussus lepra, sicut Maria, propter murmurationem.

a quo longissime abesse debet omnis immunditia; & cujus existimationi, & honori, apud populū, cōsultum voluit Deus; tū etiā, & ipsius populi necessitatibus, pro quibus intercedere deberet Aarō; quod si leprosus, & immūdus fuisset, a tabernaculo, & a solēnibus precibus abstinuisset.

Sacerdotum honori consulens Deus.

Nō aliter cum Iobi amici suę gentis Sacerdotes essent, simulque Reges, utrique dignitati consulere voluit Deus, tum etiam, & necessitatibus suorum popularium; Nam forte etiam ante legē quęcumque deformitas, præsertim lepra, Sacerdotem arcebat a publicis precibus, & sacrificiis.

Semper procurata Sacerdotum mundities.

Accedit exitus lætissimus Iobi rerū non permittens tristitiæ, aut supplicii partem aliquam, in illis præsertim, qui per ignorantiam deliquissent.

9

Cur Eliu non similiter reprehensus, sicut tres amici.

Et in duos amicos tuos. Neque reprehensionis, neque supplicii pars aliqua videtur redundare ad Eliu: de quo nonnihil diximus initio cap. 38. versic. 2. in fine, ubi diximus, quod aliis amicis dictum est, sibi quoq; dictum fuisse oportuisse existimare Eliu. Tum etiam minoris illum fieri in hac controversia, quam priores tres amicos. Secunda causa, quod minus peccaverit, quam alii, indicata est a nobis initio, cap. 32. quæstiuncula 4. & ibidem vers. 3. Quamquam enim in eodem fere cardine

Eliu minus peccasse quā alios amicos.

versatus fuerit, in quo cęteri amici crepitarunt; tamen illa fere in Iobi oratione notanda, & inurenda sibi proposuit, quæ Deus etiam sua reprehensione notavit, videlicet, non tam prioris vitæ scelus aliquod, quam plus nimio vehementem sui defendendi, atque conquerendi contentionem.

Quoniam non estis loquuti coram me rectum. Locum hunc perstrinxit Philippus
10 *Philipp.* initio c. 17. & per comparationem exponendum censuit; videlicet quod melius loquutus sit Iob, quam amici; cum tamen aliquid etiam reprehensione dignũ loquutus fuerit Iob; multo vero plura temere effutierint amici. *LXX.* At vero Septuag. hoc loco omnem comparationis rationẽ abstulerunt; *Nõ loquuti estis coram me verum quidpiam*, quod *Nicetas.* Nicetas sic interpretatur. *Nihil, quod verum esset, juste loquuti estis; cũ cõtra justum suffragia vestra ferretis. At Iobus servus meus veritatis cupidus, cuncta est vera loquutus.* Sed cum sapientissimi Philosophi, atque Theologi fuerint Iobi amici omnes, ut initio capitis quarti luculenter ostendimus, cumque in omnibus veræ Fidei principiis, atq; Catholicis Dogmatis, cum Iobo conveniant, tantum in Iobi rebus dissentiant, & errent, videtur sane hæc Divina sententia juxta subjectam cõtroversiam accipienda; videlicet meliorem, & veriorẽ fuisse Iobi causam, & partẽ in hac lite, de sua innocentia, & de suarum rerum Providentia. *Iobi comparatio cum amicis juxta subjectam controversiam.* Id quod eleganter indicavit Nicetas, exponens illud, *Coram me, Apud me*, inquit, *judicem*. Quamquam Gregorius paulo aliter accipit, *Coram me*, id est, *intus*. *Quia*, inquit Gregorius, *Intus sæpe multorum vita displicet, quæ etiam foris hominibus placet.* Observat vero *Gregor.* sapiẽter idem Gregorius, *Iobum a Deo cõmendari adversariis; & reprehendi in se ipso, quia videlicet melior, sapientiorque suis adversariis; sed tamen in examine Divini Iudicii non usquequaque perfectus.*

11 *Finis orationis pro Iobo.* Iam nũc videtur in hanc Dei pro justo sententiam pronuntiatam in fine totius controversiæ quadrare, quod a Sapiente dictum est; *Melior est finis orationis, quam principium, melior est patiens arrogante.* *Eccles. 7. 9.* Vbi cum per *patientem* oporteat intelligere ex proprietate ipsius vocis originalis, virum *Patiẽs, quis.* longanimem, longum latumque naribus, qui cum credat Deo se, suaque omnia, *in tempore* tamen tribulationis, *non festinat*; nomine *arrogantis* e contrario intelligimus *Arrogãs, quis.* calumniatorem elatum spiritu, & cum superbia, & contemptu contẽnentẽ meliores; *Potior*, igitur est *Patiens Arrogante*; nam licet *Principium orationis*, & cõtestatio litis, & delatio multarum calumniarum videantur illum opprimere, at *finis orationis*, vel, ut proprie legitur, *finis verbi*, id est, extrema sentẽtia veritatem, & justitiam asseret ab omni calumnia.

VIII. *Sumite ergo vobis septem tauros, & septem arietes, & ite ad servum meũ Iob, & offerte holocaustum pro vobis: Iob autẽ servus meus orabit pro vobis. Faciẽ ejus suscipiam, ut non vobis imputetur stultitia: neque enim loquuti estis ad me recta, sicut servus meus Iob.*

IX. *Abierũt ergo Eliphaz Themanites, & Ballad Suhites, & Sophar Naamathites, & fecerũt sicut loquutus fuerat Dominus ad eos, & suscepit Dominus faciem Iob.*

---

1. *Deus se abscondens, aut se presentem exhibens post latam sententiam, quid indicet. Illustratus Moyses.*
2. *Septenarius numerus hostiarum consuetus, quid designet. Septenarii dignitas. Illustratus Moyses.*
3. *Iobi Sacerdotium. Adstantes etiam offerunt sacrificium.*
4. Orare, *quid proprie. Iob mitissimus, & sanctissimus suo sæculo.*
5. Stultitia, *quid proprie. Capitale vitiũ, & supplicium detractionis. Explicatus Moyses.*
6. *Homo hominis judex.*

CVM Deus aliquando vehementer irasceretur contra Mariã, & Aaron, I *Num. 12.*
detrahentes illius servo Moysi, postquam illos acriter increpavit, statim abiisse scribitur, *Iratus*, inquit, *contra eos, abiit, nubesque recessit, quæ erat super tabernaculum: & ecce Maria apparuit candens lepra, &c.* Videtur enim integerrimus judex post pronuntiatam sententiam, se abscondisse, ne statim deprecationi supplicii ullus esset locus, sed reus mox subiret supplicium constitutũ; statim igitur Maria percussa est lepra. *Deus se abscondens post pronũtiatam sentẽtiam.* At cum nunc, pronuntiata sententia, se statim non abscõdat, sed potius deprecãdi supplicii certã viam atque rationem designet, incredibilis benig-

nitatis

Nicetas. nitatis fuit; &,ut Nicetas dixit, *Volentis ob honorem, qui juſtis defertur, peccata merentibus condonare*. Sic quoque Abrahami exiſtimationi,& honori conſulens, cõdonavit Abimelech raptũ Saræ, propter preces Abraham; *Quia Propheta*, inquit, *eſt, & orabit pro te*. Geneſ. 20. 7. & pepercisſet univerſis Sodomitis propter *decẽ juſtos*, niſi deſtitiſſet Abraham ab interceſſione.

2 *Septenarius hoſtiarum numerus familiaris Sacrificiis.* *Sumite vobis ſeptem tauros, &c.* Parum intereſt, ſive *tauros*, ſive *vitulos* dicas; nam utriuſque ętatis animal familiare erat ſacrificiis. Sed Septenarius numerus obſervatione dignus, & pręſertim in ſacrificio: legimus enim Num. 23. 1. dixiſſe Balaam ad Balac; *Aedifica mihi ſeptem aras, & para totidem vitulos, & ejuſdem numeri arietes*. Quem victimarum numerum, quamquã Nicolaus, Abulenſis, & alii eo loco referãt ad ſuperſtitionem Aſtrologicã, quod Aethnici in honorẽ ſeptem Planetarum, quibus videtur humana vita conſervari, numerumSeptenarium ſuperſtitoſe colerent; verum exiſtimo, non tam ad ſuperſtitionem pertinuiſſe; quam ad ipſius numeri naturam, & perfectionem; jam inde, ex quo rerum perfecta creatio ſeptẽ diebus conſtitit, tum etiam multarum rerum perfectionem, & complementum ſeptenario numero Deus cõſtituerit. Ergo perfectionis, & multitudinis Symbolum eſt, atque adeo habetur in uſu Sacro. de quo vide Chryſoſtomum Oratione quinta, in Iudęos, Baſilium Homil. 11. Hexameron. Auguſt. 11. de Civitate Dei, c. 31. & ſuper Pſ. 78. Hilarium prologo ſuper Pſal. Clement. Alexand. 6. Stromatum. Gregoriũ hoc loco. Hieronym. ſuper Amos, 5. Procopium ſuper id Geneſ. 4. *Septuplũ punietur*. & ſuper id Devter. 7. *Annus remiſsionis*. & ſuper Geneſ. 32. Philo lib. 2. allegoriarum, & de mundi opificio, & de Decalogo. Franciſcũ Georgiũ in Harmonia, Cant. 2. Tono. 7. c. 5. Macrobiũ lib. 1. c. 6. Gelliũ lib. 3. cap. 20. Bapt. Egnatiũ in ſuis Racemationibus, c. 21. Pieriũ. libr. 36. Igitur numeroſum, atque perfectũ ſacrificium imperat illis Deus, propterea quod, ut Olympiodorus ait, *Magnopere peccaviſſent*. id quod explicatius tradidit Chryſoſtomus; *Victimæ magnitudine illorũ quoque peccati magnitudinem demonſtrat; neque enim tantis erat iis opus ſacrificiis, niſi etiam crimina, quibus liberandi erant, gravia extitiſſent. Illud jam docet, haud illa ſatis futura eſſe ſacrificia ad expiationẽ, niſi Iobi quoque merita acceſsiſſent.* D. Thom. etiam, vel quod Septenarius numer⁹ pertineret ad grandium delictorũ expiationẽ, vel quia Duces eſſent, & quaſi univerſitatem populorum ipſi cõtinerẽt, ideo Septenario numero uterẽtur. Vide, quæ diximus c. 1. ubi de Iobi armentis, & gregibus idoneis ad ſacrificium.

(Margin: *Lyra. Abulenſ.* — *Vnde nat⁹ honor numeri ſeptenarii.* — *Chryſoſt. Baſilius. Auguſt. Hilarius. Clemens. Gregorius. Hieronym. Procop. Philo. F. Georgius. Macrob. Gellius. Egnatius. Pierius.* — *Olympiod.* — *Chryſoſt.* — *Septenæ hoſtiæ ad gravitatem peccati expiandi.*)

3 *Iobi Sacerdotium.* *Ite ad ſervũ meum Iob, & offerte, &c.* Cavendum, ne aliquis hoc loco videatur ſua Paraphraſi, enervare vim offerendi ſacrificium a proprio Sacerdote. Quamquam enim dicantur amici Iob obtuliſſe ſacrificium, ut ſane offerunt, qui Sacerdoti ſacrificanti adſtant; tamen proculdubio Iobus pro Sacerdotis munere, & officio, nunc ſacrificavit. Adeunda, quæ diximus c. 1. verſ. 5. ubi de Sacrificiis, & Sacerdotio Iobi. Ergo elegãter ex hoc loco colligit Olympiodorus, juſiſſe Deũ, ut Iobus, *Sacerdotis munere fungeretur, atque hoſtias immolaret*. neque tamẽ omnino exacte loquutus eſt Chryſoſtomus, dicens, *Iobum fieri Sacerdotem, amicis victimã adducentibus*. Quippe Sacerdos ille erat rite, & recte, non uno tantum titulo, ut cap. 1. expoſuimus. Quamquam illud pulchre obſervat Chryſoſtomus; Deum ipſos illos homines injurios in Iobum, *virtutis, & veritatis teſtes effeciſſe*.

(Margin: *Præter Sacerdotem, cujus eſt proprium offerendi munus, alii etiam offerre dicuntur.* — *Olympiod.* — *Chryſoſt.*)

4 *Orare, quid hoc loco.* *Ipſe offeret holocauſtum*. Non eſt nimiũ curioſe captanda diſtinctio *holocauſti* ab aliis victimis, cum hæc ante legem contigerint. de quo diximus c. 1. verſ. 5. n. 13.

פלל *Et ille orabit pro vobis*. Elegãs imprimis eſt proprietas verbi originalis, *orandi*: pertinet enim ad rem forenſem, & judicialẽ, & quidem ſignificat *orare*, aut, *deprecari*, more ejus, qui ad judicem appellat, & illũ addit ſupplex, & precabundus, aut qui in judicio patrocinatur, & pro aliquo intercedit arbiter, qui rem dijudicat, & componit litem, vel qui pro ſe rogat, & obſecrat. Igitur Deus ait; Hoc vobis erit ſalutare cõſilium, ſi veſtræ ſalutis, & deprecandi ingentis ſupplicii, quod meremini in meo judicio, non alium Patronum vobis adhibeatis, quam ipſum Iobum, quem injuria affeciſtis; tũ quod ipſe Iobus mitiſsimus ſit, & proculdubio ipſe *orabit pro vobis*; ut intelligere licet de viro ſanctiſsima, pro ſuis etiam perſequutoribus exoraturo; tum quod nullius alterius hominis libentius faciem accipiã, preceſve acceptiores habiturus ſim, quam Iobi. Tunc enim *non erat ei ſimilis in terra*. Sicut neque tempore Noe alius juſtior; vel Danielis ætate alius ſanctior. Quare ad hũc locum reſpicit illud Ezech. 14. *Si fuerint tres viri iſti in medio ejus, Noe, Daniel, & Iob, ipſi juſtitia ſua liberabunt animas ſuas.* De ſuſci-

(Margin: *Iob mitiſsimus.* — *Iob ſuo tẽpore ſanctiſsimus mortalium.*)

piendâ vero, aut *honoranda facie* alicujus, ex frequente Scripturarum phrasi, sæpe diximus.

5 נבל *Vt non vobis imputetur stultitia.* vox originalis *stultitiæ*, a radice *Nabal*, significat rem deciduam, fluxam, vilem, abjectam, cujusmodi sunt animus, atque cogitationes insipientium, & stultorum. inde abjectio, ignominia, stultitia, denique peccatum fœdum, & turpe, quod non cadit nisi in mentem vilissimam, & abjectissimã.

Abjectio, & ignominia conjuncta cũ stultitia.

Ex hac vocis fecunditate pullularunt hujus loci multæ intelligẽtiæ, prima acrior, & severior Septuaginta, legentium, *Nã nisi propter ipsum, perdidissem. utique vos.* id est, digna morte prostravissem, atque abjecissem. Vnde Olympiodorus colligit, *Capitale esse justis detrahere*, atque *capitale esse etiam supplicium*. Timere vero opportuisse, detrahere justo, indicat illud Nu. 12.8. *Quare nõ timuistis detrahere servo meo Moysi?* Quare supplicium lepræ, quod subiit Maria, perinde reputatum est ab Aarone, ac si fuisset capitali sententia affecta; *Obscero*, inquit, *Domine mi, ne imponas nobis hoc peccatum, quod stulte cõmisimus; ne fiat hæc, quasi mortua, &c.*

LXX.

Olympiod. Capitale vitiũ & supplicium detractionis.

Aut secundo, *Stultitia* pro ignominia, qua par pari rependitur; q.d. Ne vos ingẽti ignominia afficiam, & detractationem digno supplicio compensem. Ita fere Cajetan. D. Thom. *Stultitiam* pro *infidelitate.* Albertus, & Dionysius, pro *ignorantia culpabili.*

Cajetan. D. Thom. Albertus. Dionys.

Sed diximus *stultitiam* esse fœdum, turpeque delictum, quod non cadit nisi in hominem vilissimũ; Fœde, inquit, & turpiter peccastis contra omnem humanitatis, & amicitiæ legem, insultãtes misero, negantes opem amico, sanctitatem ex fęlicitate judicantes, improbitatem ex inopia: quæ omnia vitia sunt ingeniorum vilissimorum. Vide, quæ de hujusmodi *stultitia* diximus non semel prioribus capitibus.

Stulto pro fœdo, & absurdo delicto.

6 At a quo nam *imputanda stultitia?* sane ab ipso Deo judice æquissimo, tum etiã, & ab ipso Iobo læso. Cum enim velit Deus, ut qui injuriã accipit suæ injuriæ, atq; causæ judex non sit, sed totam rem Divino Iudicio committat; *Mihi*, inquit, *vindictam, & ego retribuam*; Deus tamen, totum honorem judicandi referre videtur ad ipsum hominẽ, quasi tantũ vindictæ, & retributionis exequutio ad se pertineret. Dicitur igitur ipse homo detractori, & persequutori suo imputare peccatũ, tã quam judex. Numer. 12.11. Aaron ait ad Moysen, *Obsecro, Domine mi*, (Adonai,

Hebr. 10.30.

Homo hominis Iudex.

אדנאי nomen est *Domini* timendi, dominium, & potestatem exercentis, Principis, & judicis, cui tanquam basi, & fundamento nititur populus; & est unum ex Dei nominibus) *ne imponas nobis hoc peccatum, quod stulte commisimus.* & similiter Matthæi. 5. 23. ad judicis munus videtur pertinere, quod dicitur, *Si frater habet aliquid adversum te.* sicut Deus supremus judex dicit, Apocalyp. 2. 4. *Habeo adversum te pauca.*

Formula judicis expostulãtis cum reo.

℞ *X. Dominus quoque cõversus est ad pœnitentiam Iob, cum oraret ille pro amicis suis. Et addidit Dominus omnia, quæ fuerãt Iob, duplicia.*

1. *Varia lectio. Paronomasia.* Captivare captivitatem, *quid.*
2. *Rabbinorum ingenium.* Pœnitentia *in Deo, quid designet.* Explicatus Ieremias.
3. *Iobi sanctitas, Christi figura. Præteritum imperfectum, quid significet. Illustratus Lucas.*
4. *Signum insignis sanctitatis, mereri aliis. Iob nõ dum sanatus orans pro amicis.*
5. *Iobs incrementum celere. Cur Iob duplo fælicior se ipso. Patientia exemplum, reportans præmium duplum.*

QVod Interpres dicit, *Conversus est ad pœnitentiam*, proculdubio ex vi locutionis, circumloquutio est restitutę Iobi fælicitatis. quamquam etiam Græci intelligant significari nõ solum restitutam, sed præterea amplificatam conditionem; nam legunt, *Dominus auxit Iob.* Quod vero dicitur, *Conversus est ad pœnitentiã*, proprie legi potest, *Dominus convertit captivitatem Iob.* vel *Convertit conversionem.* vel ut Cajetan. legit, *Restituit restitutionẽ.* quod in Hebræo dicitur pulchra vocum paronomasia: nam verbum *Sub*, est vertere, aut convertere, aut redire, vel restituere. nã hæc omnia analogiam habent. At vero pro *pœnitentia*, est nomen deductum a radies *Sababh*, quod est reducere ad locũ captivando, & abducendo ex proprio, & nativo loco. quæ reductio, vel conversio ex loco in locum, dicitur *Captivitas*. atque eleganter dici solet *Captivare captivitatem*, vel, *convertere conversionem*, id est, reducere, vel restituere vel cõvertere, Iudicum, 5.12. Ps. 67. Psal. 125. 1. 2. Paralipom. 128. 2. Sophoniæ. 2. 7. Hebræi vero nimium anguste captivitatem hanc interpretãtur, videlicet, aut pro ipso Iob, qui captivus fuerat traditus potestati Satanæ; aut pro ipsis gregibus, & armentis

1

Varia lectio.

Cajetan.

Paronomasia.

שוב

שבות

Hebraismus.

abactis a prędonibus illis Sabæis, & Kaldæis, Deo videlicet pręcipiente, & monęte, ut interpretatur Rab. Moyses, ut amici prædam reducendā curarent. Sed Rabbinica est hæc interpretatio: & cum sæpe quærant Miracula, ubi opus nō sunt, illa nunc tollunt, ubi opus sunt. Significatur itaque miraculosa Iobi restitutio. At quia qui pęnitentiam agit, ex priori studio, & vivendi instituto ad meliorem frugē convertitur, ad Deum videlicet, elegāter pro *captivitate* illa, vel conversione, aut restitutione, Interpres dixit, *Pœnitētiā*, ut vehementiorem redderet sententiam, & Divinæ Misericordiæ sensum exprimeret; quasi diceret, Deū pœnitētia affectum super calamitate, & afflicta Iobi cōditione. qua ratione dictum est Ierem. 18.8. *Si pœnitentiam egerit gens illa a malo suo, quod loqutus sum adversus eam; agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitavi, ut facerem ei. Et subito loquar de gente, & de regno, ut ædificem, & plantem illud.* id est, Habuit se Deus, instar pœnitentis, cui præterita displicent; & qua fieri potest ratione, infecta esse vult: displicuit igitur Deo jam amplius Iobi calamitosus, & afflictus status; neque amplius illius res afflictas passus est: placuit vero incredibili illum fęlicitate cumulare. Hac igitur ratione referenda est ad Deum pœnitentia super Iobi rebus. Nam quod Gregorius, D. Thomas, Albertus, Dionysius, Titelman. & plures Latini referunt *Pœnitentiam* ad ipsum Iob, quod pœnitentia sua, tum pro peccato suo, tum pro peccato amicorum, Deum placaverit, verum quidem: sed minime exacte ad Scripturæ phrasim.

R. Moyses. Rabbinicum ingenium. Significatio Divinæ benignitatis. Pœnitentia in Deo, quid designet. *Gregorius. D. Thom. Albert. Dionys. Titelman.*

Cum oraret ille pro amicis suis. Quædam ex hoc loco breviter colligēda, & indicāda. Primū, hinc manifeste colligi Iobi justitiā, & sanctitatē, qui nō habet nunc necessitatē precādi pro suo delicto, sed pro aliorum. certe non obscura figura Christi Iesu, qui *dicebat* (non semel, sed forte sępius eādē orationē orabat, quod indicatur tēpore illo, *dicebat*) *Pater dimitte illis.* Luc. 23.34. Atq; in eo etiam Christi figuram gestabit, quod sicut Christus Iesus, tunc vel maxime rogavit pro illudētibus, cum illudebatur a prætereuntibus; ita, & Iob, pro his maxime, a quibus maximis contumeliis affectus fuisset.

3 Iobi manifesta sanctitas. Præteritum imperfectum, quid significet. Christi figura.

Secundum, gratissimam fuisse pro amicis orationem, potius pro inimicis, ut pote, quæ ab eximia charitate proficisceretur; propterea que tunc vel maxime non solum decreta fuit Iobo illa incredibilis omnium bonorum amplificatio, sed præterea etiam salus, & venia amicis concessa: meruisse enim non solum sibi, sed aliis excellentissimæ sanctitatis est. Vide hoc loco Gregorium, atque D. Thomam. *Certaminum* (inquit Nicetas) *manus, ac trophæum reportat, cum amicis veniā impetrat. Perinsignis enim honor, ac dignitas, precibus placatum Deum peccata illis condonare, dicēte justo, Ne statuas illis hoc peccatum.*

4 Mereri aliis signū eximiæ sanctitatis. *Gregor. D. Thom. Nicetas.*

Tertiū hinc colligunt nonnulli, Iobum suæ sanctitati restitutum, *dum oraret pro amicis suis*; probabile quidem, ut superius diximus, sed mihi verisimilius fieri, adhuc exulceratū ut Græci censent, & nos superius probavimus, ut illustrior esset Christi Iesu patiētis in Cruce figura, dum oraret pro inimicis: illius vero etiam exemplar, qui dicebat, *Detrahebant mihi, ego autem orabam.* & iterum, *Cum mihi molesti essent, induebar cilicio: humiliabam in jejunio animam meam, & oratio mea in sinu meo convertetur.* Agnoscebat enim *in sinum*, & lucrum, eam maxime orationem convertēdam, quæ pro illis funditur, a quibus molestiam accipias. Nam quidquid boni illis preceris, tibi precaris. Sicut e contrario, quidquid mali fratri moliaris, in caput tuum recidit. de quo superius diximus.

Iob nondum sanatus orans pro amicis. *Psal. 108 4. Psal. 34.13.*

Et addidit Dominus omnia, quæ fuerāt Iob duplicia. *Auxit addendo*, dicitur enim de ea re, quę per additionem augetur. Indicatur ergo nūc per anticipationem id, quod postea additione diuturna factum fuit, ut Iobi facultates indies crescerent. Bene Cajet. more suo, *Habuit meritū habēdi res duplices in successu tēporis.* Cujus multiplicationis initium, & ratio describitur statim sententia sequente. Quæ multiplicatio quāvis mométo temporis non cōtigerit, at brevissimam esse oportuit, sicut de justi progressu, & facultatibus Scriptum est; *Benedictio Dei in mercedem justi festinat: & in hora veloci processus illius fructificat.* Quam restitutionis velocitatem precabatur populus captivus, & cum per varia discrimina, & varios itineris, & exilii errores Babylonem pervenisset, ut reduceretur tamen brevissime sine ullo itineris, & erroris dispendio in patriā, quanta velocitate solent torrētes deferri coacti australibus tempestatibus, *Cōverte Domine captivitatem nostrā sicut torrens in Austro.* Ergo non satis fuit Divinæ benignitati dixisse, *Ecce obducam ei cicatricē, & sanitatem, & curabo eum, & revelabo illi deprecationem pacis, & veritatis, & convertam cōversionem, & ædificabo eum, sicut a principio.* cū erat *Magnus inter omnes Orientales:* Sed ut se ipso quoque duplo melior, duplo-

5 Dictū per anticipationem. *Cajetan.* *Eccles. 11. 24.* *Psal. 125.4.* *Ierem. 30.17. & 33.6.*

que

Cur Iobus duplo felicior se ipso *August.*

quę beatior sit. Et quidem qui patientiæ exemplum est, hic duplicatum præmium reportat. Vt enim docet August. in quæstionibus ex utroque testamento q. 118. cum beatus Iob fuerit patientiæ exemplum, quod multi imitarentur, duplicatū sibi meritum paravit, duplicatum Diabolo damnum intulit.

℣. XI. *Venerunt autē ad eum omnes fratres sui, & universæ sorores suæ, & cuncti, qui noverant eum prius: & comederunt cum eo panem in domo ejus: & moverunt super eum caput, & consolati sunt sunt eum super omni malo, quod intulerat Deus super eum: & dederunt ei unusquisque ovem unā, & inaurem auream unam.*

℣ 1. *Iobi narratio, atque auditio cunctis jucunda.*
2. *Venire ad subjectionis professionem.*
3. *Fratres, & Soror, quos comprehendant.*
4. *Convivium, munditiei, & amicitia Symbolum.*
5. *An Iobi domus eadem, quæ pristina.*
6. *Capitis commotio cujus affectus.*
7. *Compassio an sit de ærumna præterita.*

1 FActi fama tū Divini preconii, atq; visitationis, tū objurgationis, & penitétię amicorum, ad universos Husitanos cives permanavit. quod significat lectio Septuaginta, quæ addit, *Audierāt omnes fratres, quæcumq; acciderant ei, & venerunt, &c.* (LXX.) Atque subtiliter interpretatur Nicetas, (*Nicetas.*) *Non ideo dictum fuisse, Audierunt; quod calamitatis essent ignari, sed quia unusquisque cum altero de tentatione illa, Divinaque visitatione colloquebatur; eratque cunctis jucundum narrare, atque audire.* Contraria videlicet ratione, ac dixim⁹ c. 2. Diaboli fraude, & impostura factū fuisse, ut Iobi nomen, & memoria molestissima cunctis existeret, & dignissima diris execrationibus. Nunc vero jam Regis sanctissimi afflicta fortuna cunctorum misericordiam alliciebat.

Cunctis jucūdum narrare, atq; audire de Iobo.

2 *Venerunt autem ad eum.* Gregorius, (*Gregor.*) *Divinæ dispensationis permissione amicorū verbis afflictus, etiam nūc humana debet charitate refoveri.* Quod autem venientes, subjectionem quandā profiterentur, intelligere videtur Nicetas; *Illud, inquit, commutati status haud dubium erat argumētum, quod ei, quem sic Deus honore affecerat, tanquā Regi homines honorem deferre vellent.* Tum etiam D. Thomas ex illo, quod subjungitur, (*D. Thom.*) *Comederunt cum eo panem in domo ejus,* colligit *redjisse ad pristinam famulationem.* Non dubium itaque, quin venientes, honores Regios illi deferrent. Sed ex vi hujus sententiæ illud tantum colligendum est venisse, ut officii partes persolverent cōsolando, & convivium celebrando.

Venire ad subjectionis professionem.

3 Quod vero dicitur, *Fratres, & Sorores,* diximus sæpe utriusque sexus cognatos significare in Sacro sermone. Eos vero, *qui noverant eum prius,* intellige nō solum notos, & familiares, sed illos omnes, a quibus ipse c. 19. 13. 14. 15. queritur se desertum; *Fratres meos lōge fecit a me, & noti mei, quasi alieni recesserunt a me: dereliquerūt me propinqui mei, & qui me noverant, obliti sunt mei. Inquilini domus meæ; & ancillæ meæ.* Qui locus omnino adeundus est. (Frater, & soror.)

4 *Et comederunt cum eo panem in domo ejus.* Ex hominum convictu ejectum, & omni humana communione privatum, & cum quo cibū sumere immundum, & nefas existimarent, nunc eadē mensa dignantur, & apud illum lætissime epulantur. Et sane, quamvis hoc loco Philippus censeat (*Philipp.*) in hoc *convivio honoris ejus, significari ab eo omniū sordium squallore abstersum;* quod idem habent commentaria Hieronymi & (*Hieronym. Beda.*) Bede; sed ut superius diximus, ex reliquiis morbi, quæ forte superessent, nihil fastidii, aut immunditiei redundare in convivium, vel incōvivas potuit. Pertinuit ergo convivium ad significationem amicitiæ, & restitutionem humanæ societatis, atque sublevationem inopię.

Convivium symbolū amicitiæ.

5 *In domo ejus.* Quem semel sanctū agnovissent, eidem quoque Regni honorē restituerunt: & ad Regias ædes admiserūt; sive antiqua domus fuerit, sive recens alia, quā post restitutionem adeptus fuisset. Vide, quæ de hac re diximus, ubi de sterquilinio disseruimus, cap. 2. versi. 8. sectione. 11. num. 7. (An eadē Iobi domus, quæ quondam.)

6 *Et moverunt super eum caput.* Incertum apud Interpretes, quis animi affectus hujusmodi *Capitis agitatione,* significetur; cū enim plerique supponant Iobi plagā omnino profligatā, vix possunt invenire locum agitationi capitis, ad miserendum, & compatiendū. Ergo Gregorius, *Quid,* inquit, *in motione capitis nisi admiratio designatur?* (Capitis cōmotio cujus affectus. Gestus admirantis. *Gregorius.*) Facit cum hoc lectio Septuaginta; (*LXX.*) *Consolati sunt eum, & mirati sunt super omnibus, &c.* ubi ait Nicetas, (*Nicetas.*) *Sane res admiratione perquam digna videbatur, justū hominē tam multa esse perpessum.* Sed rarissimus est ille gestus in admirāte.

Proximus est Philipp. scribens, *In motu* (*philipp.*)

Dionyſ. Titelman.

capitis indicari conventientium ad eum lætitiam. Huc pertinet Dionyſius, & Titelmanus referentes ad geſtum *congratulantiū*. Sed iſte *motus capitis*, licet aliquando ſit deridentis, nunquam tamen eſt ridentis, neque lætantis.

Motus capitis eſt cōſolatio.

Proculdubio igitur ille *capitis motus*, vel ut eſt in originali, *motio*, aut *commotio*, ſubintellecto *capite*, pertinet ad compaſſionem, & condolentiam, & ad ſolatium, quod afflictis, & calamitoſis compatiendo exhibemus. Quare verbum originale נוד frequenter vertitur *Conſolari*, ut diligéter attendimus ſuper Id, c. 16. verſ. 5. *Moverem caput meum ſuper vos*, quo recurrendū eſt. Quare hoc loco per expoſitionem additur, *& conſolati ſunt eum*.

7 An cōpaſsio fit de præterita ærumna. D. Thom. Cajetan. Oſorius.

Sed D. Thomas, Cajetanus, & quidam alii Latini ad memoriam tantum præteritarum ærumnarum referunt ejuſmodi cōpaſsionem, atque ſolatium. Non nemo etiam, quod ſenſus humanitatis, & calamitatis priſtinę recordatio lachrymas viſitantibus excutiebat. Cenſeo tamen rem hanc, ut ſonat, accipiendam, & quidquid erat inopiæ, aut valetudinis neque omnino integræ, neque confirmatæ poſtulaſſe hanc amicorum compaſsionem, & geſtum capitis, lachrymas etiā, & quidquid pro ſolatio eſſe poteſt ærumnoſæ conditioni: nā ubi nihil ærumnarum ſit, non videtur eſſe locus cōſolationi, & cōpaſsioni, niſi ea ratione, quā indicat Nicolaus, quod ille potius geſtus dolendi ad ſe ipſos reflecteretur, exiſtimantes ſe deceptos, dum inique condemnarunt hominē ſanctiſsimum. Sic ſane David vix agnoſcit conſolationi locum, ubi nullum eſt calamitatis veſtigium, *In cōvertēdo Dominus captivitatem Sion, facti ſumus, ſicut conſolati.* Quamquā enim Paſsioni Chriſti Domini præteritæ, nunc cum ille glorioſus exiſtit, vere compati & poſsimus, & debeamus, at hæc cōpaſsio non cōcipitur cauſa illius conſolandi, ſed quod illius dolētis imitatio, & imago in nobis ipſis repræſentata, & illi, & Patri jucundiſsima exiſtat.

Lyra. Pſal 124 1. Quomodo cōpatiamur paſſioni præteritæ Chriſti Ieſu.

Et dederunt ei unuſquiſque ovē unam, & inaurem auream unam.

8. Ovis *nomen pro numo. Explicatus Moyſes, & Lucas.*
9. Pecunia *Latinis unde dicta.* Ovis *nominata genere virili,* Decabæus.
10. Ovis *nūc prop. pro pecore Q uæ priſtina divitia.*
11. Inauris, *quid, & cujus membri ornamentū. Illuſtrati Iſaias, & Ezechiel.*
12. Inauris *cujus figura.*
13. *A ∶ lobus ſubito duplo* locupletior.

8 Philipp. Quid ovis nomē ſignificet. קשיטה R. David. R. HaKabah. R. Mardoc. Pagnin. Regia. Tygurina. Eugubin. קשט

PHilippus; *Velut inopi, & penitus nihil habenti dederunt oves ſingulas.* Ingēs de voce originali, contentio inter Hebraizātes, pleriſque contendentibus, tribus in locis, in quibus tantum legitur, ſignificare *numum*, potius quam *ovem*, nimirum hic, & Geneſ. 33. 19. Ioſue. 24. 32. quibus locis agitur de emendo, & vendendo, ita Rab. David, R. Hakabah, R. Mardochai, Pagnin. Regia. Tygurina, Cajetan. Eugubinus, & alii Lexicorum collectores, & cum, *Kecitah*, ſcribatur cum puncto ſiniſtro, ajunt oriri ex *Keſet* cum pūcto dextro, quod ſignificat veritatem, aut infirmitatem contrahentium, quaſi *Kecitah* ſit præmium, aut pecunia, qua redditur firmus contractus. Rem item hanc confirmant ex Actuum. 7. 16. ubi teſtatur Stephanus *emptum* ab Abraham *ſepulchrū pretio argenti.* quod idem videtur eſſe cum illo Geneſ. 33. 19. ubi dicitur Iacob *Emiſſe agrum centum agnis. Oves* igitur, vel *agni*, *argentum* eſt, vel argentei numi. Neque ſi Stephanus non loquatur de illa agri emptione facta *centum agnis*, Geneſ. 33. ſed de altera ſpeluncæ emptione *quadringentis ſiclis argenti*, Geneſ. 23. ut docte probat cōtra Andream Maſium Benedictus Pererius Geneſ. 23. 33. non ideo res ipſa per ſe confirmari non poterit, vel ex ipſo Latino *Ovis* nomine: nam *Pecunia*, a pecore dicta eſt, ſive a pecude, ut ſcribit Plinius lib. 18. c. 3. *Severus*, inquit, *Rex oviū boumque effigie primus æs ſignavit. Rurſus Pecunia ipſa a pecore appellabatur. Mulctatio non niſi ovium, boumque impendio dicebatur, non omittēda priſcarum legum benevolentia. Cautum quippe eſt, ne bovem, prius quam ovē nominaret, qui indiceret mulctam.* Vide eūdem, lib. 33. c. 1. 3. Varro lib. 4. de lingua Latina. Gellius lib. 11. c. 1. ubi obſervat in dicendis mulctis a Magiſtratibus Pop. Rom. *Oves* genere virili appellatas, nimirum ut tunc *Ovium* nomine ſignificarentur numi, hac videlicet forma, *Ego ei unū ovem mulctam dico.* Atque etiam in Draconis legibus, mulcta irrogabatur, quam appellabant *Decabæum*, id eſt, decem boves. quam rem confirmant Varro libro 2. de Re ruſtica, c. 2. Budæus lib. 5. de Aſſe, & in anotationibus ad Pandectas 1. ff. de Contrahēda emptione. Calcagnin. ſuper L. Bona, ff. de verborum, & rerum ſignificatione. Rodiginus lib. 12. c. 2. & lib. 23. cap. 17. Pierius lib. 23. in *Tauro*, & in

Benedictus Pererius. 9 Pecunia. Plinius. Varro. Gellius. Oves dictæ genere virili. Decabæus, quid. Varro. Budæus. Calcagninus. Rodiginus. Pierius.

Ove

Ove. Sane nostrates argenteum octuplicem, aut quadruplicem nonnunquam vocare solent, *Oculum bovis*, *Ojo de Buey*. tum etiam, semiargenteum vocat Agnellum, *Corderillo*. Atque illa tandem potest esse hujus rei confirmatio, quod Hebraice vera ovis, aut verus agnus alias habeat proprias appellationes.

10 Sed cum Paraphrasis Chaldaica, Septuaginta, & Vulgatus Interpres in significatione illius vocis, & reddeda *Ove*, mirifice consentiant, nemo poterit hujus lectionis veritatem, & vim funiculi triplicis abrumpere, probatque potius *Ovem*, quã *numum*, usus priscarum divitiarum potius pecoribus, quam auro, & argento cõstitisse. Pecoribus etiã rerum permutationes fiebant, ut Homerus testatur, cujus carmina tum alii, tum vero Alciatus lib. 2. Prætermissorum sic Latina reddit,

Kaldeus. *LXX.* *Priscæ divitiæ potius pecoribus, quã argẽto constãtes.* *Alciatus.*

Cæsarie insignes redimebant vina Pelasgi,
Aere alii ferro quidam lucente, bovillis
Tergoribus quidã, bubus plerig, sed ipsis
Manubiis alii.

Atq; ex Sexto Iliados producit Iuris Cõsultus, illam armorum commutationem Glauci, & Diomedis,

Paulus l. 1 ff. de contrah. emptione, ubi Buda in annotationibus.

Iupiter eripuit sensus de pectore Glauci,
Aurea Tydidæ qui arma mutaverat olim,
Perfectis ex ære, bovesq; valentia centum
Prabis, quæ fuerant bubus pendenda novenis.

Denique res ipsa multiplicatorum gregum clamat, hoc initium fuisse *quatuordecim mille ovium*, at vero reliquorũ armentorum, argẽtum, & aurum *inaurium*, ut utroque divitiarum genere illius inopiam sublevarent, nimirũ, & pecoribus, & argento.

11 *Et inaurẽ aureã unam*. Proculdubio monilis, & ornamẽti genus erat familiarissimum Husitanæ genti, atque adeo Arabibus, & Ismaelitis, non fœminis tantum, sed viris, ut constat ex Iud. 8. 24. cũ Gedeon post insignem victoriam, petiit a militibus, *Date mihi inaures ex præda vestra. Inaures enim Ismaelitæ habere consueverant.* Sed præterea usus etiã manavit ad Israelitas, Genes. 35. 4. Exod. 35. 22. uib *inaurium* usus ipsis quoque viris tribuitur.

Inauris, quid. נזם *Inauris, cujus membri ornamentum.*

Sed cujus nam membri ornamẽtum erat monile hoc? Certe ex ipso nomine Latino constat ad aures pertinuisse, ut clare exprimitur Genes. 34. *Inaures, quæ erant in auribus eorum*. Sed præterea ad nasum pertinuisse, in fẽminis præsertim, constat ex locis sequentibus, ubi eadem vox originalis subest, Proverb. 11. 22. *Circulus aureus in naribus*. Isai. 3. 12. *Gemmæ in fronte pendentes*, Hebraice, *Monilia nasi*. Ezech. 16. 12. *Inaurem super os*, Hebraice, *Super nasum*. & statim distinguitur ab ornamẽtis aurium.

Inauris ornamentum nasi.

12 Quomodo autẽ nasus hujusmodi monilibus exornaretur, itera Dubitatio est; nam Olealter. cap. 24. Genesis, existimat *Fœminas illius terræ, fecisse foramina in extremitate nasi, quemadmodum in auribus, ad quæ suspendebant hujusmodi inaures, quibus solent margaritæ ligari, & suspẽdi*. Sed proculdubio præterquã, quod importunissimũ esset ornamẽtũ, potius impedimẽtũ, quod adhiberetur parti, quam oportet esse nimium expeditam, & liberam, & quæ sæpius contrectari, & expurgari debeat, Latinus Interpres Isai. 3. rẽ ipsam per Paraphrasim exposuit dicens, *Gemmas a fronte pendentes*, ubi Septuaginta dixerũt, *Monile demissum*. quod videlicet a fronte demitteretur ad initium usque nasi. idemque ipsum testatur Hieronymus Ezechielis. 16. *Usque hodie*, inquit, *inter cætera ornamenta mulierum, solent aurei circuli in os ex fronte pendere, & imminere naribus.*

Olealter. *Inauris a frõte ad nasum propendens.* *LXX.* *Hieronym.*

12 Unde collige, cujus nam figuræ fuerit hoc monile, erat nimirum, ut ex loco Proverbiorum, & ex commentario Hieronymi nuper adducto colligitur, circulus instar annuli, cum gemma appẽsa, ut ex loco illo Isaiæ constat, ubi vertitur ab Interprete, *Gemma pendens*. & a Septuaginta. *Monile appensum*. Montanus quidem Iudicum 8. vult Monile hoc retulisse Lunæ speciem, ac præterea nescio quid de auriculis, & de naso, ac fronte meditatur, minus certũ aliorum opinione, quã sua, quæ in illo videri possunt: non enim obtrectare libet.

Cujus figuræ erat inauris. *Montanus.*

13 Ergo, ut ad rem revertamur, tam viri, quam fẽminæ *inaures* singulas deferebãt Iobo, sua singuli monilia. Neque dubiũ, quin magna auri copia, & vis ex singulorum oblationibus coacta fuerit, quamvis nõ statim divitię illi duplo ampliores numeratæ fuerint, ut existimavit Philippus. *Animadverti*, inquit, *potest, quod grandis multitudo ad illum convenerit, qui cum a singulis parum acceperit, subito tantarum divitiarum factus sit Dominus*. Nam hujusmodi incrementum per anticipationem dicitur, quod per centum quadraginta annos effici potuit, ut superius versiculo decimo dicebamus, *festinante Dei benedictione ad multiplicationem, & ad fructificationem velocem*. Eccle. siast. 11. 24.

An Iobus subito duplo locupletior factus. *Philipp.* *Anticipatio narrationis.*

Domi-

XII. *Dominus autē benedixit novissimis Iob magis, quā principio ejus: & facta sunt ei quatuordecim millia oviū, & sex millia camelorū, & mille juga boū, & mille asinæ.*

1. *Iustorum incrementum novissimum.*
2. *Benedictio, quid, illustrat David, & Isaias.*
3. *Felicitas ex radice sanctitatis pullulās, illustratur David, & Sapien.*

AVgens, multiplicās, *benedicens* Deus, extremæ Iobi ætati, bonis illū duplo amplioribus cumulavit. Hæc illa prophetia Baldad, quāvis nesciens Prophetarit, c. 8. 7. *Si mundus, & rectus incesseris, statim evigilabit ad te, & pacatū reddet habitaculū justitiæ tuæ, in tātum, ut si priora tua fuerint parva, & novissima tua multiplicētur nimis.* Vide, quæ eo loco diximus. Ia nūc illud dicere possumus de Iobi domo, & rebus universis, quod de Ecclesiæ initiis, & ultimo incremēto dicebat Zachar. 4. 10. *Quis despexit dies parvos? & lætabuntur, & videbunt lapidē stanneum in manu Zorobabel.* Cū enim initia Ecclesię parva fuerint, tū etiā multis persecutionibus Tyrannorum impedita, at Deo fundante, & fabricante, ad quantā altitudinem, & amplitudinē ędificium Ecclesiæ perductū est! Domus sane Iob fundamenta ampla, sed postea impedita, ut videbatur, diruta etiā, & dissipata, sed Deo ędificante, & perpendiculū tenente, ad quantā fastigii sublimitatē excrevit! Incredibile hoc incrementum Divinæ liberalitatis affert nomen ipsum *Benedictionis*, Gen. 9. 1. Gen. 12. 2. Genes. 24. 35. *Dominus benedixit Dño meo valde, magnificatusque est, & dedit ei oves, & boves, argētū, & aurū, servos, & antillas, camelos, & asinos, & peperit Sara uxor Domini mei filium, &c.* Hæc enim omnia exponunt, quid sit *benedictio*. Vide etiam Gen. 26. 13. Gen. 28. 3. 2. Reg. 6. 11. Ps. 106. 38. Ps. 144. 14. Cum enim *benedicit* ille, habet utique manum apertam; *Aperis* (inquit David) *manū tuā, & imples omne animal benedictione.* Quod licet Hieron. legerit ex Hebręo, *Imples omne animal refectione:* Fęlix, *Imples omne animal benigna voluntate.* alii tamen, *Saturas desideriū omniū animantium ad voluntatē.* ut aperta, & extensa manus Dei capiat totā voluntatē hominis, & ad ea omnia se extēdat Divina liberalitas, & benedictio, ad quę se effundit hominis voluntas. Sic etiā manu ille extenta solet metiri cęlestia beneficia cōferenda in homines; at tribulationes nō nisi manu cōpressā, & stricto pugno, *Mensus est* (inquit Isai.) *pugillo aquas* (tribulationū) *& Calos* (supernorum gaudiorum) *palmo pōderavit.* Quāvis igitur tā incredibilis ubertas bonorum ex Dei aperta manu, & liberalitate processit, at etiam quadā ratione pullulavit ex radice pietatis, & sanctitatis, manente adhuc in Iobi animo, & domo, tū etiā ex imbre tribulationum, & sulcis bonorum operū, ex quibus incredibiles bonorū omniū provētus in exultatione messuit. quā rē eleganter persequitur Chrysost. hom. 4 ad populum Antioch. Sed Iesus Sirach. 19. *Timēti Dñm bene erit in extremis, & in diebus cōsummationis* (perfectionis, & restitutionis) *illius benedicetur. Plenitudo sapiētiæ est timere Deū, & plenitudo a fructibus illius: omnē domū illius implebit generationibus, & receptacula a thesauris illius. Corona Sapiētiæ timor Dñi, replens pacē, & salutis fructū.* Ex illa igitur radice, salus, pax, bonorū omniū abundātia incredibilis provenit. Quamvis enim Hyemis tempore, & ventorū inclemētia exusta folia, truncati rami, cōcussus truncus: at Scriptū est, *Ad tēpus sustinebit patiens, & postea reditio* (proprie germinatio, aut pullulatio) *jucunditatis.* Iustus igitur, qui est instar *palmæ*, plantatæ *secus decursus aquarū, fructū suū dabit in tēpore suo.* nimirū in *novissimo*, ut observat August. & *omnia; quæcūque faciet*, tollerabit, & perferet, *prosperabūtur.* non quidē semper in præsenti *prosperantur.* illud potius de improbis, *Quare via impiorum prosperatur; bene est omnibus, qui operantur iniquitatem?* at justorum *novissimis benedicit Deus*; *Bene erit illis, in extremis prosperabuntur.*

Ecclesiæ, & Iustorum incremētum novissimum.

Benedictio, quid afferat.

Psal. 144. 16.

Hieronym. Fælix. Tygur. Vatab. Pagnin. Regia.

Isai. 40.

Vnde Iobo nata tanta bonorum ubertas.

Chrysost.

Ecclesi. 1. 29.

Psal. 1. 4.

Ierem. 12. 1.

Isai. 3. 10.

XIII. *Et fuerunt ei septem filii, & tres filiæ.*

1. *Filiorum susceptio ad cumulum fælicitatis.*
2. *Cur non etiam susceperit Iob duplo plures filios? Duplex error profligatus.*
3. *Fides Resurrectionis*

QVorsum enim amplæ fortunæ, ubi nullus hęres? ideo Eliezer post recēsitas amplissimas facultates Abrahami, subjūgit, *Et peperit Sara uxor Dñi mei, Dño meo in senectute sua.* Ergo, cū in primo capite statim post testimoniū sanctitatis Iobi subjūgatur ad confirmationē illius, numerosā proles, tanquā præmium sanctitatis, ante alia bona externa, at nunc post enumerationē bonorū, tanquā illorū complementū, tum etiā tanquā argumentū receptæ valetudinis, subjūgitur susceptio liberorū. Opportune igitur in Iobū cōvenier.

I

Gen. 24. 34.

quod Vlyssi redeunti peregre, post convitia accepta a Melanthio, cum Philetius illum humaniter excipiens, vix tandem agnoscens, sic alloquutus est.

Homer libr. 2. Odyssea.

Salve, o chare Pater, precor o tibi tempora læta,
Divitiæq; iterū succedant, hospes, amœnæ,
Qui nunc obiveris tot dura sorte malorum.

2 Cur nō susceperit Iob duplo plures liberos.

Sed de numero filiorum quæstiūcula est, cur etiā illorum numerus nō fuerit duplo major, præsertim cum non ultima fælicitatis pars in numerosa prole sita sit; Sive illi fuissent denuo suscepti, sive priores etiam suscitati. Duplex primum error profligādus. Philo Biblicus in suis antiquitatibus duplicatum filiorum numerū scribit. sed errat manifeste. E cōtrario extremo, Tertullianus libr. de Patientia, c. 14. indicat deinde sine liberis vixisse. *Si filios quoque restitui voluisset, pater iterum vocaretur, sed maluit in illo die reddi sibi tātum gaudii: securus sic de Domino distulit, sustinuit tam voluntariā orbitatē, ne sine aliqua patientia viveret.* Quē locum licet Pamelius, inter Tertulliani errores, aut paradoxa referat, & quod forte non legisset integrum c. 42. lib. Iob. ubi & Græce, & Latine diserte scribitur numerus filiorum; ego tamē potius excusarem Tertullianū, atque exponerē, loquutum quidem non in universum de filiis, sed de prioribus, quos si suscitatos accepisset, duplicatam sobolē utique possideret. At, inquit Tertullianus, voluntariam filiorum amissorum orbitatē voluit, ut pater illorum rursus non diceretur, ne sine aliqua patientia viveret. Quæ profecto patientiæ commendatio perelegans est, & idonea causa non restitutæ amissę sobolis.

Philo Biblicus. *Pamelius.* Defensio Tertulliani. Patientiæ cōmendatio.

3 Resurrectionis fides. *Gregorius.*

At vero plerique alii patres ad Resurrectionis fidem confirmandā rem hanc referunt. Gregorius, *Filii autem totidem sunt redditi, quot amisit: septē quippe filios, & tres filias habuit. septem autem nunc filios, & tres filias recepisse describitur, ut & hi, qui extincti fuerant, vivere demonstrentur.* Idem eisdē fere verbis scribunt Basilius, & Olympiodorus in Catena, Philippus, & Beda hoc loco. describūt etiā posteriores Interpretes. Eleganter Gregorius Nyssenus oratione habita in funere Pulcheriæ. Sed in universum, quod non expedierit plures filios habuisse, ex suppositione duplicium facultatum, ne non fœliciores, atque locupletiores essent filii, quam quondā fuissent, sed singulis duplex hæreditatis pars constitui posset a parente, altero tanto quam quondam, fœliciori; subtiliter indicatur a D. Thoma.

Basilius. Olympiod. Philipp. Beda. Nyssenus. *D. Thom.*

XIIII. *Et vocavit nomen unius Diem, & nomen secundæ Cassiā, & nomen tertiæ Cornustibii.*

XV. *Non sunt autē inventæ mulieres speciosæ, sicut filiæ Iob, in universa terra: Deditq; eis pater suus hæreditatē inter fratres earum.*

1. *Proponitur quæstio, Vnde nomina filiarum Iobi imposita fuerint.*
2. *Prima interpretādi ratio, sumens ex ipsa Iobi fœlicitate. Beneficia accepta parentibus impressa nominibus filiorum.*
3. *Secunda sententia verosimilior.*

Speciosissimę proculdubio appellationes Virginū speciosissimarū. sed quonā consilio hæc nomina imposita fuerint, & unde petita, dubitationē quoque pulchrā habet. Enim vero potuerunt hæc nomina ex ipsius Iobi fœlicitate desumi; aut ex ipsarū virginū specie incredibili; tū illa, quæ cū primū natæ sunt, resplenduit in illarum ore; tū illa, quę in adolescentiori ætetate futura significabatur. Priorē interpretandi rationē docet Nicet. *Ita, inquit, primā filiā Diē nominavit: ideo quod ab obscurissima ærumnarū nocte ad fælicitatem restitutā divinitus, quasi ad diei lucē adspiciēdā esset revocatus. Secundā Cassiā appellavit, quod jā is odoris quadā suavitate, bonorumq; voluptate frueretur. Tertiā Amalthēæ cornu vocavit, quod vitā deinde vixerit omni bonorū genere perefflluentē.* Et quidem frequentissimū fuit Patriarchis, & viris sanctissimis beneficiorum acceptorum memoriā imprimere in ipsis nominibus filiorum, ne unquā subire posset oblivio Divinæ beneficentiæ ipsis impressę clarissimis pignoribus. exempla sexcenta. Alii vero ex ipsa filiarum specie volunt, & accepta nomina & exponi debere. ita docet Gregor. Nyssenus orat. 9. in Cantica, quē inferius itē adducemus. docent quoque frequēter Latini omnes, & nō obscure significat sentētia sequens, in qua subnectitur species virginū ipsis speciosis nominibus. Huic ego interpretandi rationi libentius assentior. Quamquā non repugnarē, integrā, perfectamque horū nominū rationē ex utraq; parte spectari posse, videlicet ex Iobi fœlicitate, & ex filiarū pulchritudine; nā hęc illius complemētum, & amplificatio fuit. Sed sunt in his nominibus duo potissimū observatione dignissima; primum, quod ad nominum Hebraicorum Latinā inter-

1 Vnde imposita nomina filiarum Iobi. Iobi fœlicitas significata.

2 *Nicetas.*

Filiorum nomina repręsentantia beneficia collata parentibus.

3 *Gregor.*

pretationem attinet; secundum, quod ad rem ipsam significatã. quæ non sine operæ pretio per se tractabimus.

Quæ nomina propria filiarum Iobi, & an Latina reddi debuerint per nomina appellativa.

1. Nomina originalia filiarum Iobi.
2. Nomina propria unius linguæ servanda in aliis.
3. Interpretatio nominum propriorum aliquando tradita in Scriptura. A quo ejusmodi interpretationes Scripta fuerint.
4. Obscuritas ex interpretatione nominum propriorum. Multa illius exempla apud alios auctores.
5. Vndecim illustria exempla interpretationis nominum propriorum per voces appellativas. Multarum item sententiarum illustratio.
6. Quorsum Interpres nomina propria reddat nominibus appellativis. Virtus nominũ Hebraicorũ.

1 ORiginalia nomina proferẽda primũ ex lingua originali, deinde examinãdum, an debuerint Latine interpretata proponi.

Nomen primum est, *Iemimah*, a radice, *Iom*, quod est, *dies*, cum terminatione fœminina. q.d. Diaria. Secundũ, *Ketsighah*, quod ipsum est *Cassiæ*, id est, odorati fruticis nomen. Tertiũ, *Keren-Haphuc*, quod ipsum est *Cornu-stibii*, a *Keren*, unde Latinum nomen *Cornu*, fluxit: & *Haphac* quod est, *Stibium*, aut lapis stibini coloris, de quo postea.

ימימה יום קצעה קרן־הפוך

2 Sed de nominibus in universum præcipiunt sapientes omnes, ut servẽtur ipsa originalia propria nomina, neque temere per interpretationem transfundantur in linguam aliam, terminatione tantum mutata, & inflexa pro cujusq; linguæ more. Hæc docuerũt Hermola⁹ ãnotationibus in Plin. lib 4. cap. 5. reprehendens Vallam qui Promontorium Peloponesi, *Ichthyn*, Plinio vocatum, ipse *Piscem*, transtulit in Thucidide. Antonius Nebrissensis nostræ Bethicæ suo sæculo lumen, in Quinquagena. c. 49. agens de *Simone Chananæo*, qui a Luca dicitur *Zelotes*. Curtius Brugensis lib. 2. Conjecturalium juris, c. 38. agẽs de quibusdã nominibus, atque cognominibus gentis Romanæ, sed petitis ex lingua Græca. Noster Antonius Delrius super Medeam Senecæ, Act. 5. 923. Quod præceptum sane observant diligenter fere semper Scripturæ, retinẽtes Hebraica nomina propria hominum, locorum, aut rerum aliarum, tantum mutata pronũtiationis, aut inflexionis ratione, quã suavitas latinitatis postularit. Servatur etiã in Græco, ubi eadem propria nomina frequentissime retinentur ex Hebræo, tum etiam ex Latino. nã Act. 13. 1. Simon Niger, Græce habetur nõ, *Melas*, sed, *Niger*, ipsa etiã Latina terminatione retenta; nã Græce proferendum esset, *Nigros*, & Act. 1. 23. *Barsabas*, *cognomento Iusti⁹*, Græce itẽ habetur *Iustos*. Centum hujusmodi.

Nomina propria quatenus in omni lingua servãda.
Hermolaus.
Antonius Nebrissensis.
Iacobus Curtius.
Delrius.
Scripturæ retinẽtes nomina propria originalia.
μέλας νίγερ ἰοῦςος

3 Sed tamen aliquando Scripturæ interpretationẽ nominum propriorũ per voces appellativas tradũt, idque dupliciter. aut cum ipsam interpretationem adjungunt nomini proprio, aut cum prætermisso nomine proprio, docent pro illo poni illius interpretationẽ. ut Lucas dixit. c. 6. *Simon, qui vocatur Zelotes*. nam *Chananæus*, Hebraice, sonat *Zelotem*, Græce, & Latine. & Ioan. 10. 24. *Thomas, qui dicitur Didymus*, nomini proprio adjunxit interpretationẽ Græcã; nã *Thomas* Hebraice, sonat Græce *Didymũ*, Latine *Gemellum*. Idẽ observare licet fere semper ubi Scripturæ addunt nomini alicui proprio, *Quod interpretatur*, *Quod dicitur*, *Quod vocatur*, *Quod est*: quæ verba an ab ipsis Sacris Scriptoribus, an ab interpretibus Græcis, aut Latinis adhibita fuerint, non hujus loci est examinare, sed ubi singula per se occurrunt. De hoc tamẽ Hieronymus intelligẽdus, cũ ad Galat. 4 ait, *Hanc cõsuetudinem in pluribus locis Scriptura conservat, ut Hebraicũ nomen cum interpretatione sua ponat.*

Nominũ propriorum interpretatio tradita in Scripturis.
An interpretatio nominũ originaliũ in Scriptura fuerit ab ipsis sacris Scriptoribus addita.
Hieronym.

4 Illud majoris difficultatis, atque obscuritatis, est ubi nomina ipsa propria interpretata vocibus appellativis, proponuntur nulla nota, admonitioneve interpretationis; quod sane multis sententiis obscuritatem attulit, exemplo est hic noster locus, *Nomen unius vocavit Diem, &c.*

Obscuritas nata ex interpretatione nominũ propriorum.

Sed præterea operæ erit pretiũ Sacrarũ Litterarũ studioso, quædam alia indicare intelligentiæ Scripturarũ nõ leviter profutura. Septem hujus rei exẽpla producit Mart. Martinez Cantapetrẽsis lib. 2. Hypotipo. c. 1. Col. 98. Septem vel octo alia numerat noster Franciscus Ribera super id Sophoniæ 2. *Væ qui habitatis funiculum Maris, &c.* Quinque alia loca indicavit Antonius Reuter annotat. 1. in Scripturã. Tria aut quatuor, Gaspar Grajar, super id Michæ. 1. *Nephtretis in domo pulveris*. quibus, nã facile adiri possunt, prætermissis, quædam nos alia indicabimus.

Martinez.
Franciscus Ribera.
Reuter, Grajar.

5 Primum, 2. Reg. 8. 1. *Tulit David Frænum tributi de manu Philisthiim.* Hebraice, Tulit David, *Metheghhamma, &c.* Quæ erat urbs, aut regio, ut vult Vatablus, quãquam alii *Primatum* interpretantur. tamẽ

Decẽ illustria exẽpla nominũ propriorũ nominib⁹ appellativis reddita.
Vatab.

esse proprium nomen aperte ostendit littera majuscula, per quam scribitur in Bibliis Vaticanis, Plantinianis, & Robertinis. a *Metheg*, quod est frænum.

מתג

Secundũ, 2. Reg. 21. 19. *A-Deo datus-filius-saltus*, quod est nomen propriũ, *Elhhanan-ben-iaghare*. cujus partes sunt significativæ. *El*, Deus, *Hhanan*, dare, *Ben*, filius, *Iaghar*, saltus.

אל חנן בן יעפ

Tertium, 1. Paralipom. 4. 22. *Qui stare fecit Solẽ, virique Mendacii, & Securus, & Incedens, qui Principes fuerunt in Moab.* Quo loco tum ipsa enumeratio virorum insignium, qui præcesserunt, & qui sequuntur, aperte convincit, hæc itẽ esse nomina propria; tum Septuaginta legentes. *Ioacim, & viri Chozeba, & Ioab, & Saraph.* Hebraice autem *Iochim*, dicitur a radice *Kum*, quod est, *Stare*, aut *Stare facere*. ubi licet *Sol*, non subsit; at cum Statio tẽpore Iosue valde famosa fuerit, ab ea *Statione Solis*, visum est Interpreti nomen deductũ, ut pote a re maxime celebri. nõ inepte igitur dixit *Stare fecit Solẽ*. Neque quidẽ fuit, quod tã acriter hoc loco Interpres carperetur a Cajetano, Abulensi, Beuter Annotat. 10. Domus autem *Cozeba* dicitur, *Viri* aut, *domus mendacii*, a, *Cazab*, quod est mentiri. *Ioas*, *Securus*, a radice Iaas, quod est, desperare, aut curam rei alicujus abjicere, inde *Securus*, qui minime afficitur cura, aut solicitudine. *Sarapha*, *Incendens*, a radice *Saraph*, quod est succendere, aut exurere. Sed quoniã hunc ipsum locum amici rogatu peculiari expositiuncula illustravimus, quæ quorundam manibus teritur, de illo nunc non dicendum amplius.

קום

Vulgatus immerito carpt⁹ Cajetano.

כזב יאש

שרף

Quartũ, 1. Paral. 2. 55. *Cinæi venerũt de Calore Patris Domus Rechab.* Proprie legũt Septuaginta, & Tygurina, Pagnin. Regia; *Venerunt de Hhamath Patre Domus Rechab.* Et 1. Par. 7. 18. *Soror ejus Regina peperit virũ Decorum.* Septuaginta cum Hebraizantibus, *Soror ejus Melecebt peperit Ishod.*

חמת

LXX. Pagnin. Regia. Tygurina.

Quintum, Nehem. 6. 2. *Veni, percutiamus fœdus pariter in Vitulis in campo Ono.* ubi originale *Chephirim*, pro *vitulis* dicunt Cõplutenses in radice *Caphar*, ex Hebrçorũ traditione, esse nomen proprium loci.

Complutẽses in radice Chaphar.

כפר

Sextũ Psal. 41. 9. *Memor ero tui, & Hermonii a monte modico.* nomen originale, *Mizghar*, quod sonat *modicum*, Hebræi putant esse nomen proprium montis.

זער

Septimũ, Ps. 119. 4. *Incolatus meus prolongatus est.* Hebraice, Incolatus meus in *Methec*, dicũt enim Hebrçi esse nomẽ regionis barbaræ, & lõge dissitç a Ierusalẽ.

מתך

Octavũ, Iosue, 13. 3. *A fluvio turbido, qui irrigat Aegyptum, usq; ad terminos Accaron.* Hebraizantes a *Sibor*, qui dicitur esse rivulus Nili, alio etiã nomine appellatus *Torrens Aegypti.*

Nonũ, Prov. 30. 1. *Verba Congregãtis, filii Vomentis, visio, quam loquutus est vir, Cum quo est Deus, & qui Deo secũ moratẽ confortatus, ait.* Nomina dicunt esse propria virorum sapientũ, Verba *Agur*, filii *Iake*, visio *Ieethiel*, ad *Ethiel*. nã *Agur* videtur dici ab *Agar*, quod est congregare. *Iake* per transpositionem Litterarum a *Kaah*, quod est *Vomere*. *Ieethiel*, *ad me Deus*. & Aben Esra existimat *Agur* illũ fuisse Doctorem insignem, reliquos illius discipulos. vide Vatablum.

אגר קאה

Aben Esra.

Decimũ, Cantic. 6. 3. *Pulchra es amica suavis, & decora, sicut Ierusalem.* pro *Suavi* est Hebrai. *Ketirsa*, sicut *Tirsa*, quæ fuit civitas Regia Regũ Israel ante Samariã, 3. Reg. 14. 15. 16. Sic vult Aben Esra, & quidam alii Hebræi, ut cõparetur Sponsa cum duabus urbibus Regiis *Thirsa*, & *Ierusalem.*

תרשה

Aben Esra.

Vndecimũ, Cant. 7. 4. *Oculi tui, sicut piscinæ in Hesebõ, quæ sunt in porta Filiæ multitudinis.* nomen proprium portæ, *Bat Rabbim*. a *Bath*, quod est filia, & *Rabab*, multiplicare. Sed hæc pro exemplis, quæ nõ licet nunc singula premere, & diligentius examinare.

בת רבב

6

Quorsum Interpres nomina propria interpretetur appellativis.

Quia vero plerumque in Scripturis Sacris ipsa nomina imposita sunt, vel ex re ipsa, vel ad rem ipsam significandam, quç fuit nominis imponẽdi occasio, ideo cõsulto Interpres interpretationẽ pro nomine proponit, ut nos doceret rationem, & vim nominis. Cum vero etiam nõ solũ nomina, sed res ipsç aliquid nobis significent, aliquando nomina rerũ vocibus appellativis reddit, ut indicet, quid res ipsç nobis significent. His enim rationibus rerum Sacrarum verissimæ, atque utilissimæ allegoriæ teneri possunt. Nõ alio itaque consilio nobis significationem nominum filiarum Iobi propinavit Interpres, quã ut præclaram doctrinã morum, vel sublimioris intelligẽtiæ inde hauriremus. Quamquam enim Origenes contra Celsum asserat; *Nomina Hebræa propter virtutem, quam continent, non debere transferri in aliã linguam*; at ea ipsa ratione, ut virtutẽ suam in alias linguas transfundant, expedit illorum interpretationẽ aliquãdo habere. *Hæc omnia* (inquit Gregorius) *pro eo, quod a virtutibus sumpta sunt, apte curavit Interpres, non ea, sicut in Arabico sermone invẽta sunt, sed in Latinũ eloquiũ versa apertius demonstrare.* Sed jam illorum vim, & significationem propius consideremus.

Origen.

Virtus nominum Hebraicorum.

Gregor.

Signi-

Significatio, & Doctrina nominum filiarum Iobi.

7. *Virtutes indicatæ nominibus filiarum Iobi.*
8. *Pulchritudinis splendor, bona fama, deficientia pigmētorum, appellationibus filiarum significata.*
9. *Vnum pro primo. Pulchritudo brevis, & fallax instar floris.*
10. *Suavitas lucis, & coloris. Adoleſcentiæ fulgores. Pulchritudo apud Platonicos.*
11. *Turpis amatores, obcæcati ſplēdore alienæ pulchritudinis.*

CEnſuimus nuper hæc nomina potiſſimum referenda ad pulchritudinem ipſarum Virginum, ſed in eo quoque nōnulla varietas. Nam D. Gregorius ait *A virtutibus* ſumpta eſſe, nimirum cognitionis Divinę *diem*, bonum Dei *odorem*, atque hymnos Divinarū laudum, *cornu*, quaſi tibia modulatarū, ſignificari exiſtimat, quibus virtutibus forte excelluerunt tres illę Virgines. At Gregor. Nyſſenus. Hom. 9. in Cantica, peculiares aliās virtutes ſignificatas exiſtimat ſingulas ſingularum, *Litteræ, inquit, Sacræ filiarum Iobi pulchritudinem admiratæ, vocibus ipſis eximium hoc miraculū demonſtrant, cum Diei nomē audimus, honeſtatem; quemadmodū & Apoſtolus filios lucis, ac diei appellat eos, qui vitam puram agunt. Caſsiæ appellatione puritatem, ac fragantiā ſtudiorū; Cornu vero Amaltheæ laudē omnis generis virtutum ſignificatest.* Hæc ex verbis ipſi⁹ Gregorii paululū immutatis.

Gregorius. *Nyſſen.* Virtutes filiarum Iobi.

8 Sed cū ſuperius dixerimus hæc nomina preſeferre mirabilem pulchritudinem, & gratiam virginum illarum, ne *fallax ſit gratia, & vana pulchritudo*, recte licebit externā corporis ſpeciem cum interna animi pulchritudine conjungere, & complecti appellatione ejuſdem nominis, atque illam peculiarem fœminarum virtutē tribuere fœminis natura ſua pulcherrimis, quod nativum faciei ſplēdorem ſignificatum primo *Diei* nomine; & ſuavitatē inſtar odoratiſsimæ *Caſsiæ*, ſignificatam ſecundo nomine; & oculorum pulchritudinē ſignificatā tertio; nō deturparint aſcititiis pigmentis, aut medicatis unguētis, contentę nimirum facie, & pulchritudine quam illis dediſſet Deus. de quo pluſcula ſtatim, cum ad ſingula venerimus.

Fœminarum virtus, deſpicere fucos faciei.

In numero vero ipſo ternario arcanam ſignificationē agnoſcit Nicetas, *Filia* (inquit) *præclara virtutis documēta, quæ tribus tēporibus Iobus dedit, tribus formoſis filiabus indicantur. Siquidem & in divitiis, & in paupertate, & in reſtauratione rerū illius fuit ſpectata virtus.* Sed de numero filiorū, & filiarū, & de ſobole utriuſq; ſexus, diximᵘ ci.

Nicetas. Tres Iobi filiæ, tres illius ſtatus repræſentant.

Nomen unius vocavit diem.

9 Nomen, inquā, primę, aut Primogenitæ; *unum* enim pro *primo* freqentiſsimū eſt in Sacro ſermone, ut aliquādo admonuimus. *Dies* autem duo poteſt in pulchritudine indicare; Primum, breve tempus, & diarium tātum; quippe *fallax gratia, & vana pulchritudo*, id eſt, cito evaneſcens, ideoque ipſa brevitate inopinata fallens, nam eſt donum fragile, & fugax, anceps, atque inſtar roſæ, de qua quidā dixit,

Vnum pro Primo.

Proverb. 31. Pulchritudo diaria, & fallax.

Vna dies aperit, conficit una dies.

& Theocritus,

Et roſa pulchra eſt, & tempus eam contabefacit.
Et viola pulchra eſt in vere, & ſtatim ſeneſcit.
Candidum eſt lilium, tabeſcit vero cum decidit.
Et nix candida eſt, & liquitur, cum contrecta[illegible]

Theocrit.

Dies igitur eſt, cui

Nulla non dies
Formoſi corporis ſpolium abſtulit.

Quem

Tempus tacitum ſubruit: horaque
Semper præterita deterior ſubit.

Sen. in Hypol. act. 2.

Dies item, quoniam ſicut natura, quæ majoris momenti, atque opportunitatis ad humanos uſus eſſe poterant, diuturniora fecit; quæ vero tantū oculis lenocinantur, ut flores, in diem progenuiſſe videtur; ita formæ florentis pulchritudinem, *Diem* appellari voluit, ut quæ in diem duraret: Quā rem ſapienter ſignificavit Plinius lib. 21. c. 1. de *natura florū, & coronamentorum*, in hæc verba ſcribens; *Quippe reliqua uſus, alimentique gratia genuit, ideoſæcula, annoſque tribuit iis: flores vero, odoreſque in diem genuit: magna (ut palam eſt) admonitatione hominum, quæ ſpectatiſsime floreant, celerrime marceſcere.*

Flores breves & diarii.

10 Sed propter ſuavitatem Divinæ lucis, & ſplendoris jucunditatē, videtur primogenita Iobi filia appellata *Dies*, quippe eſt potiſsima pulchritudinis pars, ſuavitas illa coloris, quam lucem, & ſplendorē appellamus; & quæ jucundiſsimum, atque gratiſsimum vultum efficit. De quo vide, quæ diximus c. 28. verſic. 24. ſuper id, *Lux vultus mei non cadebat in terram.* Hinc tam frequētes pulchritudinis cum rebus omnibus ſplēdidiſsimis; Sole, Luna, Stellis, comparationes. Sicut ille dixit,

Suavitas divinę lucis, in pulchritudinis ſplēdore.

Conferat tecum decus omne priſcum
Forma miratrix ſenioris ævi:
Pulchrior tanto tua forma lucet,
Clarior quanto micat orbe pleno;

Sen. in Hypol. act. 2.

Cum suos ignes cocunte cornu
Iunxit, & curru properante pernix,
Exserit vultus rubicunda Phœbe,
Nec tenent Stellæ faciem minores.
Qualis est, primas referens tenebras,
Nuntius noctis, modo lotus undis
Hesperus, pulsis iterum tenebris
Lucifer idem.

De prima igitur pulchritudine dictũ est, *Pulchra ut Luna, electa ut Sol.* Sane quidem maximi illius ducis Hispaniensis antiquitatis, atq; nobilitatis Cid Roderici Diez filia, nõ minus eximia oris pulchritudine, quam splendido nomine, *Doña Sole*, clarissima fuit. Totam denique pubescẽtis, atque florentis ętatis rationem ad fulgores quosdam videtur retulisse Hipocrates. 6. de Morbis Vulgaribus tom. 1. Textu. 5. *Infantium*, inquit, *fulgores, cum pubertate nonnunquam mutationes habent*. ubi Galen. Illum ætatis florem intelligit per *fulgorẽ*, *translatione ducta ab externa flamma, quæ cũ materiam vicit, eamque sibi ipsi omnem assimilavit, effulget, manifestaq; omnibus redditur.* Atq; idem Galenus subjicit deinde, Zeuxidis interpretationem paulo diversam, *Adolescẽtes pubescenti tempore effulgere; tũc enim carnosi fiunt, & adultiores, coloreque, & forma gratiores, viribus, ingenioque præstantiores, repente autem ac simul hæc omnia eveniunt, eorumque qui natura formosi sunt, tunc magis effulget pulchritudo.* Dies igitur, qui erat in familia Iobi proculdubio Solẽ lucentem suo ore præferebat, atque eadem lux cũ Dei donum esset, licebit tantę pulchritudinis descriptionẽ mutuare ex Platonicorum Doctrina definientiũ pulchritudinem, esse *Gratiam quãdam vivacem, & spiritualem, Dei radio illustrãte, Angelo primum infusam*. Cumque ipsę Virgines castissimæ essent, quid mirum illarum natu maximę indies Deũ illi contullisse splendorem atque diem illustriorẽ Iobi domui indies illuxisse crescente pulchritudine, & jucundius effulgente in pulchro corpore, nõ aliter atque de sancta Iudith, quæ *erat eleganti aspectu nimis, tum etiam propter famam pudicitiæ erat in omnibus famosissima, quoniam timebat Dominum valde, neque erat, qui loqueretur de illa verbum malũ*, c. 8. 7. 8. scriptum est deinde c. 10. 4. *Cui etiam Dominus contulit splendorem, quoniam omnis ista compositio non ex libidine sed ex virtute pendebat, ideo Dominus hãc in illam pulchritudinẽ amplia vit, ut incomparabili decore omnium oculis appareret.* Comparat vero eleganter Prudentius in Psychomachia Pudicitię splendorem, cum teterrimis flammis libidinis,

Hippocr. Adolescẽtiæ fulgores.

Galenus.

Pulchritudo.

Prudentius.

Virgo Pudicitia speciosis fulget in armis,
Quã patrias succincta faces Sodomita Libido
Aggreditur, piceãque ardenti sulfure pinũ
Ingerit in faciem, pudibundaque lumina flammis
Appetit, & tetro tentat suffundere fumo,
In famulos, famulasque Dei, quibus intima casti
Vera animi sola fervet de lampade Christi.

11 Sed hoc die, hac luce splendentis formæ, sua culpa, suo vitio præstringũtur improbi fœdæ voluptatis amatores, & ut ipsa Iudith dixit c. 9. 13. *Capiatur laqueo oculorum suorum in me*. Non enim laqueus est pulchritudo honestissimæ fęminæ, sed concupiscentia impurissimorũ oculorum. Igitur qui lippientibus oculis es, in splẽdorem pulchritudinis aciem oculorũ minime intendito: quippe ex Medicinæ præcepto *Fusci colores prosunt lippiẽtibus, splẽdidi incredibiliter nocent.*

Pulchritudinis alieæ splẽdore capti tur pes amatores.

Galen. de Subfiguratione c. 5. & lib. 10. de usu part.

Et nomen secundæ Cassiam.

12. *Cassiæ multa genera, odor, color, nomen. An eadem, quæ Canella.*
13. *Pulchritudinis comes est bonus famæ odor. Illustratus locus Iudith.*
14. *Cassia adstringens, virgo severa.*
15. *Virgo bene olet, si nullis medicamẽtis redoleat.*

12 CAssia frutex est aromaticus, cujus cũ multa genera enumerat Dioscorides lib. 1. c. 12. & luculenter exponit Andreas Mathiolus, potissimãm tamẽ *Gigni juxta odoriferã Arabiam*, testatur. de qua, ut pote notissima, videtur locus hic intelligendus. Cujus cum odor suavissimus cõstet, ut enim eo loco docet idem Dioscorides, *Quædam est aromatica odore vinoso, quædã, quæ rosam odore imitatur*, apta præterea coronamentis, ut scribit Plinius, atque Virgil. etiam inter coronarias herbas recensens;

Narcissum, & florem jungit bene olentis anethi.
Tũ casia, atq; aliis intexẽs suavib⁹ herbis.

Sed colore floris, & splendore nõ minus grata, *Eligẽda*, inquit Dioscorides, *est fulvescens pulchri coloris, coralii æmula.* & forte quidem est ea, quam *canellam* vocamus, tum odore, tum calore insignis, aliisque notis designatis a Dioscoride, ut quæ *gusta mordeat, & cũ aliquo fervore adstringat, & crassi corticis*. convenitque ipsum nomen *Ketsiphah*, cum radice *Katsaph*, quod est abradere, vel decorticare. nã vulgaris canella est cortex abrasus: Potuit igitur appellatione *Cassiæ*, pulchritudo, & suavi-

Dioscorid.

Plin. lib. 12. c. 9. Virg. Ecgl. 2.

Cassia odore atq; colore insignis. Dioscorid.

Cassia, an Canella.

קציפה
קצף

tas

tas coloris ſignificari, ſec⁹ enim quid pul chritudini, quæ oculos paſcit, cũ odore? at ſane odor etiam cũ pulchritudine flo ris conjunctus; & bonæ famæ odor cum pulchitudine formæ. Quare nõ ſolũ ſingula nomina filiarũ per ſe repræſentant eximiã ſpeciem, ſed peculiariter tria iſta nomina perfectam pulchritudinẽ ſuis ſignificationibus componunt, convenientẽ integrã ſingulis. Quid enim pulchritudo fœminæ, quamvis omnium admiratione maxima, niſi bene redoleat opinionẽ omnium? Sane poſtquã Iudith pulchritudo, & formæ ſplendor proponitur c. 8. 2. ſtatim additur, *Et erat hæc in omnibus famoſiſſima, quoniam timebat Dominum valde; nec erat, qui loqueretur de illa verbum malũ*, quaſi diceret; Erat *Dies*, erat preterea odoratiſsima *Caſsia*. Atque adeo ſicut odor lõge, lateque funditur, etiam ubi res odorata videri non poteſt, ita ſane pulchritudo Virginis abſconditæ, & quæ nõ facile pateat humanis cõſpectibus, at longe, lateque laudari debet, ut elegãter diſſerit Plutarchus, initio lib. de Virtutibus mulierũ; *Alia eſt* (inquit) *o Clea de mulierum virtute mea, quã Thucydidis ſententia. Is enim ei primã laudem tribuit fæminæ, de qua foris minimus eſt, vel in bonam, vel in malam partem ſermo, cenſens nimirum, ut corpus, ita famam quoque bonæ mulieris domi incluſam eſſe, neq; in publicum exire debere. Mihi autem elegantior videtur Gorgiæ opinio, qui mulieris non formã, ſed famam vult multis eſſe notam: & Romanam legem maxime probo, quæ mulieris itidem, ut viros, poſt mortem publice laudari pro dignitate jubet.*

Pulchritudo cum bono famæ odore cõjũcta.

Virgo domi abſcondita publice laudata. *Plutarch.*

14 An vero illud ſignificatur in *Caſsia, quæ guſtu mordet, & cum fervore adſtringit*, Virginem paulo debere eſſe adſtrictiorẽ, & quæ guſtu mordeat, ne ſi nimium verbis, geſtu, reſpõſionibus molleſcat, & diffluat, aliquod pudicitię periculum creetur? Sic Cyprianus, lib. de bono pudicitiæ, ſeveritatem pudicitiæ adjungit; *Quid eſt aliud pudicitia, quam mens honeſta ad cuſtodiã corporis data, ut ſexibus redditus pudor, ſeveritate ſignatus?*

Virgo tutior, quo ſeverior.

Cyprian.

15 An tandem, quod nulla quærat medicamenta externa faciei, nulla unguenta, quibus bene oleat? nam niſi per ſe ipſam ſuo pudore, & honeſtate morum bene oleat; fruſtra unguentis odoratiſsimis perfundetur. ut Comediographus ſcite ait;

Plau. in Moſtellaria.

Ecaſtor, mulier recte olet, ubi nihil olet.
Nam iſtæ veteres, quæ ſe unguentis unctitant, interpoles;
Vetulæ, edentulæ, quæ vitia corporis fuco occultant,
Ubi ſe ſe ſudor cum unguentis conſociavit, illico
Itidem olent, quaſi cum una multa jura cõfundit coquus.
Quid oleas, neſcias; niſi id unum, male olere intelligas.

Sed de hac re jam plura.

Et nomen tertiæ Cornuſtibii.

16. Cornuſtibii *ex quibus nominibus cõponatur.* *Cornuum uſus.*
17. *Cornucopia. Quomodo Scriptura utatur nominibus fabuloſis. Copia rerum ex pietate profluens.*
18. Fucus *unde dictus.* Stibium. *quæ illius virtus.*
19. *Oculorum nigrorum elegantia.* Pallas *Caſia.* *Venus Pæta.*
20. *Flavi capilli apud Palæſtinos in pretio.* *Explicatus Salomon.*
21. *Pulchritudo nulla indiget arte. Fama pudicitiæ abhorrens ab omni fuco.*

PVlchritudinẽ quoque, atque pulchritudinis virtute comitem prçfert hæc appellatio. Sed explicãda per partes, quę duæ ſũnt, *Cornu*, & *Stibium*. nam Gregor. componens id nomen ex *Cornu*, & *Tibia*, luſit ſane, ſed luſit cum venuſtate, & utilitate aliqua. *Cornu Stibii*, autem eſt cornu, in quo aſſervatur ſtibium; nã cornua hũc habent uſum oleo, liquorive ali, aut rei cuipiã aſſervandę. *Cornibus utebantur quãdam pro vaginis gladiorum; quibuſdam etiam bibunt*; oleum non ſolũ paſtores, ſed etiã Sacerdotes aſſervarunt cornibus. Sed cũ de hac parte nulla dubitatio ſit, at de ſecunda eſt non levis propter Græcos legẽtes, *Cornu Amaltheæ*. Fabuloſum utique illud Amalthęę cornu, quod ſive fuerit caprinum, ſive taurinũ, ſive Amalthæa fuerit Nympha, ſive nutrix Iovis, ſive Capra, cujus lacte, & beneficio enutritus fuerit, dicũt gratitudinis ergo inditam fuiſſe illi cornui mirificam facultatem, ut quidquid optari poſſet, ex illo cornu largiter proflueret. fabulam non eodẽ prorſus modo ſcribunt Lactantius lib. 1. c. 21. Strabo lib. 10. Ovid. lib. 9. Metamarphos. & libr. 5. Faſtorum. Diodorus Siculus lib. 4. c. 5. & lib. 5. c. 2. Nicetas hoc loco, qui etiam illud Sapiẽter obſervat, *Cum Scriptura ait, cornu Copiæ, aut Sirenũ, aut Vallis Titanũ, aut Gigantum mentionem facit, tantam utilitatẽ illis fabulis ſignificatam, non vera falſitatem ullam nobis propinare.* Ergo Cornu Amalthææ proverbio ſignificat, ut Nicetas ait, opimum, & beatum ſtatum; vel beatam rerum omnium affluentiã ex pace, & cultu pietatis, atque virtutibus. ut indicavit Horatius in ſuo illo ſæculari carmine;

16 Cornuſtibii, unde componatur. *Gregorius.*

Cornuũ uſus. *Plin. libr. 11. c. 37.*

17 Cornu copię.

Lactant. *Strabo.* *Ovidius.* *Diodor.* *Nicetas.*

Scripturantẽs fabuloſis nominibus veritatem aliquã docet.

Horatius.

Iam fides, & par, & honor, pudorque
Priscus, & neglecta redire virtus
Audet, apparetque beata pleno
Copia cornu.

Et iterum;

Horat. lib. 1. Carm. Ode. 17.

Di, me tuentur: Dispietas mea
Et musica cordi est. hinc tibi copia
Manabit ad plenum benigno
Ruris honorum opulenta cornu.

Opportune igitur significari potuit, vel opulentus, & beatus status Iobi restituti; vel pulchritudo eximia tertiæ virginis nõ minus elegans, & jucunda conspectu, quã esset os illius cornũ copiæ, unde bona omnia, fructusque pulcherrimi ubertim effluebant.

Vatab. הפך

Sed cum nihil in Hebræo sit, quod capram oleat, sed *cornu Haphuc*, Vatablus existimavit illam secundam vocem deduci a radice, *Haphac*, quod est vertere, aut cõvertere, vel mutare in contrariũ. Quare existimat interpretandum nomen, *Cornu conversionis*, ut hoc nomine consignaret memoriam utriusque fortunæ, & restitutionis suæ. Sed proculdubio, tum cũ re ipsa, tum cum pulchritudine virginum elegantius convenit, ut deducatur a radice *Phuc*, unde videtur nomen deductum Latinum *Fucus*, quod est medicamentũ, quo mulieres faciem, aut oculos tingũt. elegantiæ, & pulchritudinis gratia.

פוך

D. Thom. Lyra. Dionys.

Sed quod, qualeve illud medicamẽtũ sit, incertum est apud Interpretes; nã D. Thom. quem sequũtur. Nicolaus, & Dionysius, tum hic, tum super illud 4. Reg. 9. ubi de Iezabel, definiunt, *stibium* esse unguentum, seu herbam ad decorãdam, seu medicãdam faciem. nõnulli *cerussam* vocant, quo albor inducitur faciei. Alii *purpurissum*, quo malę pinguntur, & rubescunt. Conjecturam ducunt, quod idẽ nomen sit lapidis pretiosi. 1. Paralip. 29. 2. & Isai. 54. 11. quem Hebræi post. R. David dicunt esse *carbunculum*, aut *lapidem rubẽtem*. R. Mordochai, *Lapidem rutilantem, & diversi coloris*. Sed sane quidquid de lapide sit, quod valde incertum est (propterea enim Latinus Interpres in loco Isaię, non designavit cujus coloris lapides illi sint. in loco autem Paralipomenon dixit, *Lapides quasi stibinos, & diversorum colorũ*) quod ad fucum istum pertinet, certum est fuisse medicamentum, quo oculi pingerẽtur, ex 4. Reg. 9. 29. *Iezabel pinxit oculos suos stibio.* & Ierem. 4. 30. *Si pinxeris oculos tuos stibio.* Cerussa autẽ, aut purpurissum oculis adhiberi non possunt. *Stibium* autẽ primum utilitatis, & medicamenti; postea etiam elegãtiæ causa oculis adhibitũ est.

R. David. R. Mardoc.

Stibium oculis curãdis adhibitum.

Quare Plinius de Stibio loquens lib. 33. 6 *Vis, inquit, ejus adstringere, & refrigerare, principalis autẽ circa oculos; namque ideo etiã plerique, Platyophthalmon id appellavere: quoniam in Calliblepharis mulierum dilatet oculos; & fluxiones inhibet oculorum, &c.* Dioscorides vero, *Etiam sordes, & ulcera oculorũ expurgare, sistere sanguinem e cerebri mẽbrana profluentẽ*, scribit. & Galenus lib. 9. simplic. medicam. ex eo *Collyria sicca* cõponit. Arabes, & Vulgus jam Antimoniũ appellant. R David ait, esse *Fucum nigrũ*. de quo Hieronymus scribens ad Furiam. tom. 1. Epistola 10. *Meretrix illa in Evangelio baptizata lachrymis suis nõ habuit crispantes mitras, nec stridentes calceolos, nec orbes stibio fuliginatos, quanto fœdior, tanto pulchrior.* Similiter Cypianus de habitu virgi. notat *oculos circum ducto nigrore fucatos*. & iterum inter alia faciei medicamenta meminit, *flavi coloris, nigri pulveris, & ruboris*. Tertullianus lib. de cultu fœminarum meminit *fuliginis oculorum*. Xenophon quoque in Aeconomico.

Plinius. Dioscorides. Galenus. R. David. Hieronym. Cyprian. Tertullian. Xenophon.

Ergo cum *Stibium* sit medicamentum oculorum nigrum, & fuliginosum, videbitur tertia Iobi filia commendari ab elegãtia, & pulchritudine nigrorum oculorũ, quæ proculdubio olim in pretio, & in eximia pulchritudine habita est. Quamquam enim Pallas ab Homero celebretur, cognomento *Glaucopida*. q. d. Glaucocula, id est, oculos Cæsios habens, quod Cæsii oculi, & nimiũ splendidi dicantur esse ingeniosorum; quare idẽ Homerus in Hymnis Deorum Palladẽ *Glaucopin* appellat; at Venerem sic salutat;

19 Oculorum nigrorum elegantia.

Homerus. Pallas Cæsia. Venus Nigrocula.

. . . . Salve, nigras
Habens palpebras, dulciloqua.

Et Ovidius; (væ.
Si pæta, est Veneri similis; flava, Minervæ.

Ovid. lib. 2. de arte Amandi.

Spectabilis igitur quõdam erat forma *nigris oculis*; aliquãdo etiam, & *nigro capillo*, non tam fœmina, quam vir. Quamquam hoc non in universum; sed apud Gentem Romanam; propterea enim dictum;

Turpis Romano Belgicus ore color.

Propert. Eleg. 19.

20 Flavus capillorũ color pulcher apud Palesthinos.

Nam in Syrorum, & Palesthinorũ gẽte, colorẽ rufum, aureumve capillorum, in pretio fuisse, & ad pulchritudinem cõmendatum, tum in Davide, Absalone Salomone, tum vero in Sponso, ostendimus in Scholiis ad illum locum Canticorũ. 5. *Dilectus meus candidus, & Rubicundus, &c.* Quamquam enim dicantur *Sponsi capilli nigri, quasi corvus*, illud tantum accipiendũ est ex proprietate ipsius vocis originalis, de nitore, & splẽdore, nitent enim nirum immodum corvinæ plumæ, nõ de

Cant. Capilli Sponsi cõmendati a nigrore, id est, nitẽte flavore.

colore; nā de hoc illud est, quod sequitur, *Comæ ejus, sicut elatæ palmarū*, quæ non solum crispæ sunt, sed phœniceo rubore flavescunt. Ergo, ut ad rem nostram revertamur, quamquam cum pilis flavescētibus, & aureis nō possint esse oculi natura sua nigerrimi, at aliquando fuligo illa fucata ad pulchritudinem adhibita est; qui mos & apud Arabes, & apud Africanas fœminas nunc vigens, aliquādo in Hispania viguit. Ergo tertiam Iobi filiā appellatam fuisse *Cornustibii*, significabit nō solum fuisse oculis pulcherrimis, sed præterea habuisse quidquid aliæ feminæ pigmētis, & medicamentis parare solent.

21 Ergo indicabitur tertia quædam pulchritudinis virtus, & laus prȩter illam bonæ famæ fragrantiā, videlicet quod nullo indiguerit, neq; usa fuerit adscititio corporis cultu; quod inter maximas feminarum laudes, imo & ad pulchritudinis cōmendationem refertur; atque eo nomine & faceta historia laudat. Galenus in exhortatione ad bonas artes, Phrynem illā modestissimam omni formæ artificio carentem. Atque Ovidius Lucretiam,

Galenus.

Ovid. 2. Fast.

Forma placet, niveusq; color, flaviq; capilli,
Quique aderat nulla factus ab arte decor.
Sic sedit, sic culta fuit, sic stamina nevit,
Neglectæ collo sic jacuere comæ.

Quæ igitur natura sua videretur habere omnia amatoria medicamenta, & omnia pulchritudinis pigmenta, si se illa præterea ornasset, & pinxisset alienis coloribus, utiq; se deturpasset potius, quippe ut Prudentius aliquando dixit,

Prudentius in Hamartigeneia.

* * * * *Nec enim contenta*
Decore ingenuo mentitur fœmina formā.

Ad elegantem vero sic dicebat Scapha Plautina, * * * * *Scita es tu quidem,*

Plauti in Mostellaria.

Nova pictura interpolare vis opus lepidissimum.
Non sic hanc ætatē oportet pigmentum ullum attingere,
Neque cerussā, neque melinum, neque aliā ullam offuciam.

Sed est cum illa *Cassia*, quam diximus, & cū bona fama pudicitiæ cōjuncta pulchritudo ista naturæ abhorrens ab omni fuco; *Quid enim*, ut Hieronymus ad Furiā ait, *sunt purpurissus, & cerussa, quam ignis juvenum, fomenta libidinum, impudicæ mētis indicia?* & Cyprianus de Habitu Virginū; *Si te sumptuosius comas, & per publicum notabiliter incedas, oculos inte juventutis illicias, suspiria adolescentum post te trahas, concupiscendi libidinem nutrias, peccandi fomitē succendas: ut & si ipsa non pereas, alios tamē perdas, & velut gladium, & venenum videntibus te præbeas: excusari non potes, quasi mēte casta sis, & pudica; redarguit te cultus improbus, & impudicus ornatus.* Rursus idem de Bono pudicitiæ; *Longe absit, quibus pulchritudo non ornatur, sed prostituitur, nam solicitudo de pulchritudine, & malæ mentis iudicium, & deformitatis est. Semper est misera, quæ sibi non placet, qualis est. Quid capillorū mutatur color? Quid oculorum suffuscatio? quid facies artibus in diversam formam convertitur? Quid postremo speculum consulitur, nisi quia, ne ipsa sit, timetur.* Vidēdus omnino adversus immoderatum fœminarum cultum Cyprianus de Habitu Virginum. Tertullianus de cultu fœminarum. Ambrosius lib. 1. de Virginibus. Hieronymus Epistola decima ad Furiam de viduitate servanda, & lib. 6. Hexameron. c. 8. Chrysostomus Homil. 21. ad populum Anthiochenum. Clemēs Alexandrinus lib. 2. Pędagogi. cap. 10. & quæ in hanc rem congessit ex Sacris, & profanis Tiraquellus l. 3. connubiali.

Pulchritudo, & pudicitię fama abhorrens ab omni fuco.

Hieronym.

Cyprianus.

Qui adversus immoderatū cultum fœminarum scripserunt.

Chrysostom.

XV. Non sunt ante inventæ mulieres speciosæ, sicut filiæ Iob in universa terra: deditque eis Pater suꝰ hæreditatē inter fratres earū.

1. *Constructio Hebraica verbi singularis cum nomine plurali. Universa terra quid.*
2. *Speciosi liberi fœlicitatis pars.*
3. *An Iobi uxor eadem, quæ ante plagam.*
4. *Filia honestissima æmula maternæ pietatis*
5. *An filiæ succedant in paternam hæreditatē. Virgines matrimonio mature locatæ.*

I Superioris partis expositio, & cōfirmatio, in universa illa Regione ne ullam quidē tunc tēporis puellam inveniri potuisse, quæ cū Iobi filiabus merito de pulchritudine contendere posset. Quod autem pluraliter dicitur, *inventæ sunt*, in Hebræo singulariter dicitur, *Inventa*, & construitur cum nomine plurali mulierū, quę Syntaxis Hebræa indicat sub illa mulierum multitudine, unicam singularem, cui verbum tribuatur, *Nō est inventa mulieres*, id est, ne una quidē inventa est inter mulieres. Quod deinde dicitur *universa terra*, quāquam in universum Septuag. legant, *Eam, quæ sub Cælo*, tamen de illa regione accipiēdum est, de qua est sermo, ut cap. 1. observavimus.

Constructio verbi singularis cū nomine plurali.

Universa terra, quid significet.

LXX.

2 Porro hęc susceptio filiarum speciosissimarum, pars fuit fœlicitatis ipsius Iobi, ut nuper indicabamus; & nunc quoque eleganter exprimit Nicetas, *Cætera*, inquit, *fœlicitate seposita filias quoque liberali specie,*

Speciosi filii parētum fœlicitas.

Nicetas.

atque egregia forma suscepit, ut earum adspectu omnis superioris ærumnæ memoria funditus interiret. Et quamquã nunc nulla uxoris Iobi mentio fiat, at Septuaginta designant hoc loco *uxorem Arabißam, quæ generat filium, cui nomen, Emmam.* An autem hęc fuerit pristina uxor; An vero illa vel mortua, vel propter aliquã infidelitatis, & blasphemiæ causam merito repudiata, aliã uxorem duxerit, incertũ est. Sane Severus in Catena aliam fuisse in hæc verba statuit, *Forsitan autẽ nec consentaneum, nec rectum erat, ut ea bonorum particeps esset, quæ certaminum tempore virum despexisset, atque summa constantiæ, ac patientiæ vertice præcipitem agere Athletã conata esset.* quod mihi valde fit verosimile: sicut, & uxorem illi tum pietate, tum corporis dignitate, & elegantia insignem a Deo designatã fuisse, ex qua tũ domus suę, tum Reipublicę, & Regno pulchrã, & speciosam sobolem procrearet. id enim maximum Reipublicæ emolumentum, ut scribit Plato. 6. de legibus, *Cogitare*, inquit, *omnino Sponsus, & Spõsa debent, quo pacto quãpluchcerrimos, & optimos, civitati liberos poterunt procreare.* Atque hoc Divinum plane munus, & fælicitatem non vulgare pollicebatur Iuno Aeolo, *Ex præstanti corpore Nymphis,*

3 Iobi uxor an eadẽ quæ prima.

LXX.

Severus.

Iobi uxor pulchra, & pia.

Pulchra soboles Reipubl. bonum.

Plato.

Virg. 1. Aene.

Quarũ, quæ forma pulcherrima, Deiopejã
Connubio jungã stabili, propriamq; dicabo:
Omnes ut tecum meritis pro talibus annos
Exigat, & pulchra faciat te prole parentẽ.

Namque ex deformi uxore nemo pulchram suscipiat sobolem.

4 Matris mores cõmunicari filiabus.

Pietas autem uxoris Iobi ex ipsa etiã filiorũ pietate colligi non obscure potest, nam cum illud verissimũ sit, quod de ipsis fructibus telluris parentis dixit Collumella, *Nihil dubium, quin ipsa natura sobolem Matri similem esse voluerit.* at nihil certius, quam ut filiabus;

Colum. lib. 7.

Iuvenal. Sat. 6

. . . Tradat Mater honestos
Aut alios mores, quam quos habet . . .

Virgines vero ut corpore, ita, & animo pulcherimas fuisse testatur lectio Septuaginta, *Non sunt inventæ juxta filias Iob meliores eis, in ea, quæ sub Cælo.* quod Nicetas sic interpretatur, ut illud, *meliores*, nõ magis ad corporis, quam ad animi dignitatem, & pręclaram speciem referatur.

LXX.

Nicetas.

Deditque eis pater suus hæreditatem inter fratres earũ. An peculiare hoc fuerit filiabus Iobi, ut hęredes ex Asse fierent paternę hęreditatis, an vero res tũc in more illius gentis polita significetur, incertũ est. certe tamen nunc significatur simul cum fratribus hæreditatem paternam ex ęquo acitsse, nam illud, *inter*, vel ut in Hebræo est, *In medio fratrũ*, æqualitatẽ quandam, & cõmunem rationem denotat. Sic interpretatus est Nicetas, *Id est, una cum fratribus: ut ostendat omnes filios a Iobo in æquales partes hæreditatis vocatos esse.* Hæreditas autem fęminarum apud gentes alias, nõ eadem semper ratione constituta fuit. vide Alexandrum Neapolitanum, agentem de intellectu legis Voconiæ lib. 6. c. 15.

An filiæ succedant in parentum bonis.

Inter, denotat ęqualitatem.

Nicetas.

Hæreditas fęminarum.

Sed existimo præterea hoc loco hæreditatis filiarũ mentionẽ fieri, ut significetur maturo, & honesto matrimonio locatas fuisse. dotes igitur opimas a patre accepisse, tẽpore nuptiis opportuno. Quod Philosophi, Legumq; latores fœminis ad decimum quintum annum, paulo minus plusve assignarunt.

Filiæ Iobi mature locatę matrimonio.

XVI. Vixit autẽ Iob post hæc centũ quadraginta annis: & vidit filios suos, & filios filiorũ suorũ usq; ad quartã generationem: & mortuus est senex, & plenus dierum.

1. *Iobi ætas incerta.*
2. *Græcorum supputatio incommoda.*
3. *Verosimilis summa vitæ annorũ S. Iobi post plagã.*
4. *An anni fælicitatis duplo plures fuerint quã ante*
5. *Filiorum appellatio, quos comprehendat.* Videre, ad voluptatem.
6. *Saturitas, &* plenitudo vitæ. *Psalmus 90 paraphrasi illustratus, & relatus ad Iobum.*
7. Salutare Dei. Finis Domini.

PAulo aliter Iobi ętatẽ assignarunt Septuag. *Vixit*, inquiunt, *Iob post plagam annos centũ Septuaginta; omnes autem annos vixit ducẽtos, & quadraginta.* quamquam in aliis codicibus, & in Catena Græcorũ legãtur, *Ducenti, & quadraginta octo.* quibus auctor Catenæ præcipit addendos septẽ alios, quibus plagæ acerbitatem tulit; qui merito videntur excepti, cũ ærumnosa vita, mors sit potius, quam vita existimãda. *Summa*, inquit, *annorũ universa ducẽti quinquaginta quinq; : ex qua quidẽ summa detracti sunt septem, ut arcanã tẽporis rationem, quo est mala perpeßus, intelligeremus.* Sed cũ magna semper esse soleat in numeris, & in Chronicis varietas, cum etiã non liceat lectionis Latinæ, cum qua etiã Hebraica consentit, nostrum annorum numerum in veritatis suspicionem vocare, omnino standum est nostris *centum, & quadraginta annis*, non illis Græcorum, *Centum, & Septuaginta*; efficitur enim ex ea supputatione valde incõmodus numerus annorum vitæ Iob, ante calamitatẽ, nã si *ex ducẽtis*

1 Incerta Iobi ętas.

2 Græcorũ supputatio annorum Iobi, incomoda.

quadraginta, demas centũ ſeptuaginta, quos vixit poſt calamitatẽ, remanet ſeptuaginta ãte plagã: quorũ ſexaginta, cũ aliis cẽtũ ſeptuaginta nulla videtur eſſe peculiaris, aut certa proportio. At vero ſi numeros illos Grecorũ ita permutaremus, ut diceretur vixiſſe poſt calamitatẽ centũ quadraginta annis, eleganter cõcluderemus illius

3 Summa univerſę vitę Iob

univerſam ętatẽ fuiſſe ducentorũ ſeptuaginta annorũ; nã fieret ſumma duplo major, ita ut alterũ tantũ vixiſſet poſt plagã, quã tũ ante illã. nã ſi ex bis centũ quadraginta, id eſt, ex ducẽtis octoginta, demas ſeptẽ calamitatis remanent ducẽti ſeptuaginta tres; unitates autẽ paucę cõtẽni ſolent in magnis numeris. Ergo veroſimiliter affirmari poteſt, cũ poſt plagã vixerit centũ quadraginta annis, alterũ tantũ ante plagã vixiſſe, cũ enim illi anni calamitatis nõ omnino juſto periiſſent, quippe erant in numerato apud Deũ, ut pote pleniſſimi præclaris actionũ, & patiẽtiæ meritis, nõ oportuit cũ aliis bonis duplicatis, duplicari quoque, ſed eadẽ ratione, quã de filiis diximus, quod nõ periiſſent, totidem

4 An anni fælicitatis Iobi duplo etiam plures prçteritis. Nicetas.

tantum ab illo ſuſceptos fuiſſe, nõ duplo plures; ita, & de annis dicendũ. At ſi contẽdat quis etiã ipſos fęlicis vitæ annos duplo pures extitiſſe, ut cõtendit Nicet. *Etenim ſi poſt detractã calamitatẽ Iobo duplicata omnia fuerunt, quin anni quoque duplicati ſunt, dubitare nõ debet;* Tũc aſſerendũ ante calamitatẽ vixiſſe Septuag. annos, quibus duplo plures, efficiunt *centũ quadraginta*: atque adeo vita univerſa conſurget *ducentorum decem annorũ.* nam illum ſeptenarium annorum plagæ, valde incertũ eſſe, ac lõge brevius calamitatis tempus fuiſſe cenſuimus, c. 2. verſ. 7. & 8. ſect. 12. n. 4.

5 Filius.

Et vidit filios ſuos, & filios filiorum ſuorũ. Quid nomine *filiorum ſuorum* intelligi debeat, incertũ eſt; nõ enim videbatur opus de ſuis ipſius filiis dicere, de quibus ſatis ſuperius dixiſſet: forte igitur nunc appel-

Nepotes comprehẽſi appellatione filiorum.

latione *filiorũ ſuorum*, intelligũtur nepotes, qui ſtatim per expoſitionẽ dicuntur, *filii filiorũ ſuorũ*. Quid enim aliud avus eſt, quam pater, aut unde nã appellationem habere exiſtimas, quã a nomine Syro, vel

Avus dictus a nomine Heb. Feſtus.

Hebræo, *Ab*, quod patrem ſignificat? aut ut Feſtus Pompeius ex Græco deducit, quod *Magnus pater* ſit. Et quidem in Proverbio Hiſpano eſt, Avũ eſſe bis patrem.

Videre ad voluptatem. ראה Nicetas.

Denique verbo *videndi*, jucundiſsimus filiorum, ac nepotũ conſpectus ſignificatur, quod in verbo, *videndi*, non ſemel nos obſervavimus; tũ vero hoc loco elegãter docet Nicetas, *Eo verbo, vidit, caram atque amabilẽ juxta Sobolẽ Scriptura demonſtravit.*

6 Saturitas, & plenitudo vitę

Et mortuus eſt ſenex, & plenus dierũ. Clauſula mortis fœliciſsimæ poſt beatę, ac fęliciter actam vitã. *Plenus*, ad ſatietatẽ uſque. Cũ autẽ vivendi incredibile ſit deſideriũ, & fames nunquã ſatiata, qui ſemel dicitur *Plenus dierum*, ſaturque vitę, vitam profecto ſignificatur vixiſſe lõgiſsimam, ad uſque extremã ſenectutẽ, ut eleganter

Theodoret.

obſervavit Theodoretus extremo verſic. Pſ. 90. *Longitudine dierum replebo eum, &c.* Vide, quæ diximus c. 5. verſ. 26. ſuper id, *Ingredieris in abundãtia ſepulchrũ.* Et quidẽ videtur Pſ. ille. 90. fere deſcriptus, & quaſi commentariis illuſtratus ſingulatim, ex partibus hujus Hiſtoriæ, quæ repręſenta-

Pſalmus nonageſimus ad Iobum reſtitutum relatus.

vit virũ *Habitantẽ in adjutorio altiſsimi*; & ut ex Hebræo legimus, *pernoctantẽ*, obſcuriſsima nimirum incredibilis calamitatis nocte, appetitũ *laqueis*, & ſagittis *venantiũ*, *verbo aſpero*, acerbiſsimiſque amicorũ contumeliis, infeſtatũ *negotio perambulãte in tenebris*, ſive ut Hieronymus legit *Pe-*

Hieronym.

ſte, & lue corporis teterrima, *in tenebris*, id eſt, per inſidias adverſarii obſcuriſsimas, & occultiſsimas illi procurata, oppugnatum *ab incurſu, & Dæmonio meridiano*, id eſt, ut Hieronymus legit, *morſu*; ut Kal-

Chaldaus.

dæus, *a turba Dæmonũ in meridie graſſantiũ.* quippe tunc acerbiſsime illũ momordit turba canũ rabidiſsimorũ, cũ ſupra filios meridie cõvivantes, Dæmonũ arte, & impetu ruit tota domus. Sed invictus Dei Athleta, hoſtium acies ſtrenue profligavit, *cadentibus a latere ejus mille, & decem millibus ac dextris ſuis*, non tam propriis viribus, quã Divina virtute. Reſtitutus igitur, nõ ſolum priſtinæ, ſed duplo etiam majori fælicitati, graviſsimo liberatus morbo, *flagellum* deinde, ſive ut Hieronymus legit, *Lepra, nõ apropinquavit tabernaculo* corporis illius. Peculiari deinde Angelorũ Providentiæ, & diligentiſsimę cuſtodiæ commiſſus, *Ne unquã offenderet ad lapidem pedem*, neve minimũ detrimẽti ex re ulla caperet. Videres igitur jam tũc virum fortiſsimum *ſuper Aſpidẽ, & Baſiliſcum ambulantem, & conculcantem Leonẽ, & Draconem*, atque triumphantem omnẽ ſuperbiam adverſariorũ, reportãtemque ſuæ juſtitiæ, tollerantiæ, ſpei dignam coronam, & ſupremum Imperatoris pręconium, ad ſpectaculum mundi, Angelorũ, hominum, hac ſolenni verborũ formula: *Quoniam in me ſperavit, liberabo eum, protegam eum, quoniã cognovit nomen meũ: clamavit ad me, & ego exaudiã eum; cũ ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum, longitudine dierum replebo eum, & oſtendam illi ſalutare meũ.* ubi elegãter Theodoret.

Faciam, ut ad profundam usque senectam perveniat, & futuram salutē in futura illi vita præmonstrabo.

7 Hoc est *Dei salutare*, quamquã, & illud etiam, quod in hac vita illi collatũ est, & a Deo propinatum in *calice salutari*, accepit enim *salutarem calicē*, sive ut Tertulliã nus, & Cyprianus legunt, *Calicem salutũ*, quippe per patientiam confertur a Deo, salus corporis, atque mētis, tandem *Finis Domini*, Deo, & Divina Providentia dignus, ut Apostolus dixit. Hic finis Iobi. De die autem obitus, & sepulchri honore supremo, nonnihil in fine Paraphrasis.

Tertullian. *[illegible] Cyprianus lib. [illegible]* Finis Domini. Dies obitus sancti Iobi.

NOTATIO RERVM INsigniorum, quæ in Commentariis fusius explicantur.

PARAPHRASIS
Capitis præcedentis.

CAPVT XXXXII.

1 Respōdes autē Iob, Domino, dixit.



QVAMVIS IOB ALIQVANdo recepisset, non amplius se verba facturũ, cum intellexisset promissis se nō teneri, quibus Divina voluntas adversa tã fuisset, cũque ad loquendum cũ Deo Divina ipsa voce instructior evasisset, præsertim cum vocē, quã illi ademerãt terror supremæ majestatis, animi mœror, & abjectio, jam nunc illi restituissent, ipsa Divina vox, pulchritudo Divinorum operum, atque spes concepta de Divina Potestate, & Providentia, in hunc modum brevissime, simulque modestissime respondit.

2 Scio, quia omnia potes, & nulla te latet cogitatio.

Satis, o supreme rerũ Dominator, & antea mihi persuasum erat, & tua deinde oratione edoctus sum, quanta sit tuæ potentiæ atque Providentiæ efficacitas, tum in aliis naturæ rebus, tũ in illis, quæ ad peculiarē tuorum justorum providentiã spectant, in cōmuni adversario cōprimendo, & omnibus illius artibus eludendis. Ingenue præterea confiteor, in tuo arbitrio, & potestate esse, qua velis ratione cũ mortalibus agere, etiam innocentiã affligendo; atque semper tuam providentiam bene de hominibus mereri, & sapientissime, de humanis rebus quacumque ratione cogitare, & constituere. Quid enim tã eximium, & ad præclaros fines consequendos tã opportunũ, quod in tuã cogitationem nō cadat, ac tuæ potestati non subjiciatur? qui igitur harum rerum oblitus, aliquando insolentioribus querimoniis elatus sum, erratum agnosco, & deprecor. Quippe cũ in me ipsum, meã que imbecillitatem oculos reflectebam, agnoscebam me imparē tot difficultatibus sustinendis, nedũ superandis. Atqui oportuisset frequentius convertisse mentē, & oculos ad te, qui omnia potes, cui nihil difficile, qui cordis istius mei, perturbatæque mentis fluctus æstuã tium cogitationum facile cōponere, & trãquillare vultu jucundissimo poteris, qui mentis tuæ arcana, & subliminiores providētiæ rationes, non minus perficere, quam cogitare, & designare vales.

3 Quis est iste, qui celat consiliũ absq; sciētia? Ideo insipienter loquutus sum, & quæ ultra modum excederēt scientiã meã.

a Quid in se ipso Iobus errati agnoscat, & reprehendat, quid itē Deus in illo objurgaverit, & an fuerit verbo lapsus, statuitur n. 3.

Quid enim iniquissimus adversarius moliri, & machinari tentabit contra tuum consiliũ? An patere sua statim consilia nō sentiet? Quis porro tã stultus erit, qui reconditissimas sui animi cogitationes Dei oculum omnia contuentem latere posse arbitretur? aut quis mentis Divinæ consilia satis assequetur, aut nō aperte, & plane pronunciabit, Dei consilia omnino superiora esse humana cogitatione? Ego vero fateor me obscure, & perturbate de Divinis loquutũ, atque tentasse liberius, quod parcius, & modestius attingere oportuisset: multa

pro-

pro me,& pro mea innocentia,& cũ multa contentione dixiſſe,pauciora pro te, & pro tua Providentia, & non niſi languidiori animo diſputaſſe: quædã ſuppreſsi, prætermiſi, quæ explicatius eſſent tradenda, in quibuſdam moroſe, & importune hæſi, quæ leviori manu tractãda forent ſed tu, Optime,homini multa rerum caligine laboranti, lumen in mediis ignorãtiæ tenebris prætuliſti, vexationis mihi meæ cauſam indicaſti, Diaboli pertinaciã, & inhumanitatem docuiſti,& de tua jam providentia ſublimius,& magnificentius ſentiẽdi diſciplinam tradidiſti,ut deinceps nunquam definire tentem,quæ meis cogatationibus ſuperiora ſunt.

4 *Audi, & ego loquar: interrogabo te,& oſtẽde mihi.*

Precor igitur benignitatẽ tui numinis,ut ſi quidpiam eorum, quæ me fugiunt,te rogavero, docere me ne graveris, doceri enim a te volo,quid mihi de meis rebus cẽſendum,ſentiendumque ſit, nõ jã tecũ de meis ærumnis amplius expoſtulare.Et quidẽ quidquid aliquando dixerim,dictũ eſſe a me velim interrogando,ut erudiar, precãdo, ut doceas. Si quid enim deinceps dicendum mihi ſit,ita pedetentim,& verecunde dicam,ut interrogare potius,quam dicere videar.

5 *Auditu auris audivi te: nunc autem oculus me⁹ videt te.*

Niſi enim ex tua doctrina,& lumine,in rerũ Divinarũ cognitione proficere nequeo: videor enim mihi nunc tandem tua oratione eruditus,adeo clare Divinæ tuæ Providentiæ æquitatem, atque Sapiẽtiam conſiliorum omnium perſpicere, ut oculis ipſis haurire videar, quæ quondam vel in priſtina illa mearum rerum conditione, vel in ea,quæ poſterius ſequuta eſt,calamitoſiſsima, valde obſcure,& non niſi levi auditione accepiſſe viſus ſim. Ergo jã præſentia tua erectus b facie iſta jucundiſsima recreatus, atque illuminatus,defixis te oculis contemplor,& ſuſpicio.

b An Iob non ſolum Divina voce,ſed etiã Divina aliqua imagine,& viſu recreatus fuerit,diſſeritur n. 4.

6 *Idcirco ipſe me reprehendo:& ago pœnitentiam in favilla, & cinere.*

Ex tui vero cognitione,& cultu ad mei contẽptum inſurgo, incipioque propemodũ ad res meas nauſeare, indignitatẽ conditionis meæ, ſordesque vix oculis,& cogitatione ferre valẽs, tum etiã acriter reprehẽdens importuniores illas mearum ęrumnarum querimonias, mętentis animi languorẽ, melioris cõditionis, meliorisque ſpei deſidioſam quandã oblivionem. Quamquam hoc mihi nunc ſolum reliquum eſt,ut præteriti errati ſerio pœnitendi, & vitæ conſilia in melius commutandi facultas mihi non negetur. Ergo cõſcius humanæ imbecillitatis, & bene memor ſordium humanæ originis, pulveris,& cineris aſperſione veniam admiſſæ culpæ deprecabor, atque jã nunc pœnitentiæ ergo, ſedere in pulvere,& cinere non recuſo: nihili enim me,meaque omnia jam facio.

Finis certaminum, univerſæ Hiſtoriæ clauſula, & epilogus.

HIS Iã actis,dictisque, cũ poſt tolerantiã tentationũ dignus fuiſſet habitus Iob,qui Deũ videret, audiretque, atq; Divina oratione edoceretur arcanũ rerum ſuarum,ſuæq; afflictionis, Sed adhuc tamẽ, corporis plaga nõ videtur fuiſſe profligata: quippe ſtatuerat Deus,ut laboranti uſque & ęgrotanti impenderetur pietatis, & miſericordiæ ſolatium ab amicis, & familiaribus,quod per ſummã inhumanitatẽ viro ſanctiſsimo laborãti denegatũ fuerat,quo is delinitus,quãvis dolẽs adhuc,& exulceratus,ſed moderate tamen,& cũ ingenti animi ſolatio,dolebat. Quare ex Divina cõſolatione,& cæleſti lumine vultus illi aderat trãquillus & placidus, frons pura,nulla męroris aut iræ rugoſitate cõtracta, remiſſa æque in lætum modũ ſupercilia, oculi humilitate,non inſęlicitate dejecti, os taciturnitatis honore ſignatũ, color, qualis ſecuris,& innoxiis, motus frequens capitis in Diabolũ,& minax ritus. Iã enim pudore affectus,& turpiſsime victus fugã ille meditabatur, jãque ab incitãdis doloribus,& accendẽda totius corporis plaga abſcedebat.

c Quo tempore Iobi plaga profligata fuerit. n. 4. 5. 6.

d An spatium aliquod intercesserit inter colloquium cum Iob, & cum amicis, et an inde digressi Dei vocem acceperint, tractatur n. 1. 2.

e Cur Iobi amici nõ fuerint affecti manifesto aliquo supplicio propter suum peccatum. n. 7. 8.

Ergo, ut multo fœlicior, multoque lætior esset Iobi triumphus, & ærumnarũ exitus, eadẽ ipsa Divina vox, quę Iobũ erexerat, [d] amicos nõdum inde digressos abjecit supplices, & precabũdos ad illius pedes: quippe sicut ad Iob de turbine externa, & articulata voce loquutus fuerat Deus, ita sane ad Eliphaz instaurato turbine, & vehemẽtius perstrepente procellæ fragore, atque aeris cõmotione Divinæ indignationis indice, in hunc modũ loquutus est; Vehemẽter me ad furorẽ, & indignationẽ, tuum, tuorumque similiter amicorũ Sophar, & Baldad calumniandi, & detrahendi innocenti homini studium, incitavit. Qamvis enim præclare vobis ipsis fecisse videmini meæ causę patrocinantes; tamen turpiter aberrastis proculdubio, dũ justi innocentiam, & ęquitatem lædere conati estis, [e] digni utique gravissimo supplicio; quippe multa temere effutiẽtes, iniquã de meo servo sententiã tulistis. at Iobus servus meus cũcta est vere loquutus, atq; adeo, in meo tribunali, & judicio, in quo nõ solum de externis, sed de internis potissimũ judicatur, Iobi causa melior, & verior visa est.

Ergo hoc delictum hac vobis ratione expiandũ erit; ut cũ magno pere peccaveritis, numerosum atque perfectum sacrificium mihi offerendum curetis. Neque vero tanta sacrificia satis futura erunt ad expiationem, nisi etiã viri patientissimi, quem inique læsistis, merita accedãt: ad illũ itaque, qui Sacerdotis munere fungetur, septenas victimas adducẽdas curabitis, id est, vitulos septẽ, totidemque arietes in mei honorem, & in vestrę iniquitatis detestationẽ concremandas. Inter sacrificandum autem ille apud me pro vobis intercedet; neque alium patronum vobis opportuniorẽ designo, quã illum ipsum; quẽ injuria affecistis, quippe suopte ingenio mitissimus est, mihi vero ea etiã ratione charissimus. Et vero nisi propter ipsum, perdidissem utique vos, atque digna morte abjecissem, ut cũ ingẽti ignominia scelus detrahendi cõpensarem, fœde namque, & turpiter peccastis, contra omnẽ humanitatis, & amicitiæ legẽ, insultãtes misero, negantes opẽ amico, æstimantes sanctitatem ex fælicitate, improbitatẽ ex inopia. fiet tamen illius deprecatione, ut tantam abjectissimi animi improbitatem, Iobus ipse vobis ex meo nomine condonet.

Hæc cũ dixisset Deus severissime ad Iobi amicos, decrevit statim non solũ honorificentissimo præconio, & nominis celebritate, apud mortales universos Iobum prosequi; sed præterea multo ampliori vitæ conditione, & fortuna fęliciori Iobũ locupletare, pristinis plagę & calamitatis vestigiis omnino deletis, rebus omnibus in melius cõmutatis, atque ereptum faucibus immanissimi Hostis, victoriæ, & triumphi sempiterni laurea illum condecorare. Amplius igitur Iobi res afflictas Deus nõn est passus, non solum fælicissimam sui restitutionem, sed præterea etiam amicorum veniam, quasi certaminis sui munus, ac trophæum reportantis. Perinsignis enim honor, ac dignitas fuit precibus placatum Deum, peccata illis condonare, dicẽte justo; Ne statuas illius hoc peccatum.

Facti hujus fama cõstans, tum Divini præconii atque visitationis, pro Iobo, tum objurgationis, & pœnitentię amicorũ, universam Husitanam provinciã momento cõplevit, omniumque sermone celebrata est; ac nemo fuit, qui cum altero de tentatione illa, Divinaque visitatione non colloqueretur; erat quippe cunctis jucundum de Iobo narrare, atque audire. Ergo sic volẽte numine, illi ipsi, qui abalienato animo a Iobo recesserant, cõmutato jã statu, incredibili alacritate accesserunt, ei, quẽ Deus honore affecerat, tanquã regi honorẽ deferentes, famuli, & servi, ad servitia, & ministeria, affines, & cognati ad omnia pietatis munia, amici, & familiares ad amicitiæ leges, & jura persolvenda, & officii atque solatii partes omnes obeundas. Lętissimũ itaque, atque splendidissimũ cum Iobo in Regias ædes restituto convivium celebrarunt, omniũ in illum animis conversis summa cũ admiratione rei gestæ, incredibili cõgratulandi lętitia, lachrymis

7 Postquam autẽ loquutus est Dominus verba hæc ad Iob, dixit ad Eliphaz Themaniten: Iratus est furor meus in te, & in duos amicos tuos, quoniã non estis loquuti corã me rectũ, sicut servus meus Iob.

8 Sumite ergo vobis septẽ tauros, & septẽ arietes: & ite ad servũ meũ Iob, & offerte holocaustũ pro vobis: Iob autẽ servus meus orabit pro vobis: faciem ejus suscipiã, ut nõ vobis imputetur stultitia: neq; enim loquuti estis ad me recta, sicut servus meus Iob.

9 Abierũt ergo Eliphaz Themanites, et Baldad Suhites, & Sophar Naamathites, & fecerũt, sicut loquutus fuerat Dominus ad eos, & suscepit Dñs faciẽ Iob.

10 Dominus quoq; cõversus est ad pœnitentiã Iob, cũ oraret ille pro amicis suis

** Et addidit Dominus omnia, quæ fuerant Iob, duplicia.*

11 Venerunt autem omnes fratres sui, & universæ sorores suæ & cuncti, qui noverant eum prius. Et comederunt cum eo panem in domo ejus: & moverunt super eum caput, & cõsolati sunt eum super omni malo, quod intulerat Dñs super eũ: & dederunt ei unusquisq; ovem unã, & inaurẽ aureã unã.

etiam

12
Dn̄s autem benedixit noviſsimis Iob magis, quā principio ejus: & facta ſunt ei quatuordecim millia oviū, & ſex millia cameloru͂, et mille juga boum, & mille aſinæ.

13
Et fuerūt ei ſeptem filii, & tres filiæ.

14
Et vocavit nomen unius Diem: & nomē ſecundæ Caſsiā: & nomē tertiæ Cornuſtibii.

15
Non ſunt autē invētæ mulieres ſpecioſæ ſicut filiæ Iob in univerſa terra: deditq; eis Pater ſuus hæreditatē inter fratres ſuos.

16
Vixit autē Iob poſt hæc, centū quadraginta annis: et vidit filios ſuos, & filios filiorum ſuorum uſq; ad quartā generationē: & mortuus eſt ſenex, & ple⁹ dierum.

etiam ex inopinato gaudio ſuborientibus, & ad priſtinę calamitatis, recordationem, & ad morbi reliquias cōmotis, atque condoleſcētes bu s pro ſua quiſque facultate, tū pecore, tum pecunia, atque auro vel facto, vel infecto illius inopiam ſublevare curarunt. Obtulerunt igitur ſinguli [f] ovem unam, & certi ponderis numum, pretioſumque monile, quo vel aures, vel frontem & genas Huſitana gens exornare conſueverat.

Auxit igitur Deus Maximus, atque mirum in modum multiplicavit Iobi extremā ætatem, bonis, altero tanto amplioribus, quam quō dam habuerat. Quippe tam celere, tam ingens fuit incrementum pecorum, & armentorum illius, ut brevi tempore fuerint illi quatuordecim millia ovium, & ſex millia camelorum, & mille juga boum, & mille aſinæ, ad omnem ruris, & urbis uſum, & opportunitatem magnificentiſsime comparata.

Poſt receptam vero integram valetudinē ſuſcepit præterea ſeptē filios, & tres filias ■ ex uxore pulcherrima, ſimulque honeſtiſsima, ad vitæ ſolatium, & jucunditatē ſuorum parētum omnes natos. Cū autem filię ſint ſuppellex domeſtica, perpetuo verſantes parentibus ob oculos, ſingulari Dei beneficio, pulcherrimæ natæ ſunt, ut aſsidue parentis ſanctiſsimi oculos, & animū oblectarent, quibus, & reſtitutionis ſuæ memoriam, [h] Divinum beneficium, atq; ipſarum virginū incredibilē pulchritudinem, opportunis nominibus impreſsit, atque expreſsit. nam filiæ natu maximæ nomen impoſuit, *Iemimah*, quod nomen [i] *Diem* ſonat, & fęliciſsime fortunæ ſplendorem, virginis vero tum honeſtatem morum, tum faciei, & coloris cum ſplendore ſuavitatem opportune repræſentabat. At ſecundam *Ketſighah*, quod nomen *Caſsiam* olet: nimirum odoratiſsimū fruticem, & colore ipſo flaveſcentē, atque ſplendentē, quod in memoriā revocabat priſtinarum ſordiū, & graviſsimæ olētis morbi cōmutationem cum ſanitate perfecta, & rerū omnium quadam ſuavitate, bonorūque voluptate, tū etiam virginis ipſius nomen bene ubique redolētis caſtimoniæ, & modeſtię pervulgata laude. Denique tertiā appellavit *Keren-Haphuc*, id eſt, *Cornu ſtibii*, quod tum ipſe poſt reſtitutā fortunam, vitā viveret omni bonorū genere profluentē, atq; ex ſe ipſo haberet omnis generis ornamenta, tū etiam, quod virgo ſpecioſiſsima, non ullo fuco, aut coloris, & faciei pigmentis, ſed iis omnibus rejectis, ſine ſtibio, ſine ceruſſa, ſine purpuriſſo, ſolo Dei dono contenta, ſpecioſiſsima fuerit, & ex ſe ipſa pulchritudinis medicamentis abundaret.

Ergo in ea regione non eſt inventa fœmina aliqua, quæ cum pulcherrimis Iobi filiabus de forma cōtenderet, quippe ſpecies ipſa uxoris viri ſanctiſsimi mirabilis quoque erat, ut cui filię non minus morum, & diſciplina, quam corporis elegantia reſponderent. Cum autem maturæ eſſent nuptui, honeſtiſsimo illas matrimonio pater collocavit, dote ingenti tradita, quippe univerſas facultates ex aſſe univerſis utriuſque ſexus liberis partitus eſt.

Tam incredibili igitur bonorum omniū ubertate, & fælicitate vitam beatiſsime vixit, centum quadraginta annis, ut & prioris vitæ conditioni, & ærumnarum tolerantiæ ampliſsimum fælicitatis præmium, ſpatiumq; reſponderet. Extremam vero ſenectutē nō ſolum honeſtiſsimi liberi recreabant, ſed jucundiſsimi quoque atq; chariſſimi nepotes, & abnepotes, non ſolum facultatū, ſed morum ſanctiſſimorum avi ſui hæredes. Poſtquam vero ad ſatietatem uſque beate at feliciter vixiſſet, vita perfunctū cū ingenti pietate, univerſa illius cognatio curavit, aromatibusq; conditum, juſta perſolventes, regio monumento condiderunt.

Dies obitus, Funeris, & ſepulchralis Pyramidis honor ſupremus.

[f] *De ſignificatione, ovis, deq; inauris ratione, uſu, & forma quædā accurate diſputatur. n. 8. 9 10.*

[g] *An Iobi uxor eadem, an vero alia, quæritur. n. 3.*

[h] *Accurata nominum filiarum Iobi conſideratio, interpretatio, doctrina, conſilium: a n. 1. uſque ad 6.*

[i] *De interpretatione nominum propriorū nominibus appellativis, quædam peculiaria ad Scripturarum intelligentiam, tractantur peculiari digreſsione. a n. 7. uſque ad 11.*

OBIIT Autē S. I O B die 10. Maji secundū Romanū Kalēdariū: *In terra Hus I O B Prophetæ admirādæ patientiæ.* At secundū Græcorū Menologiū 8. Idus, *Die sexta S. I O B, qui multa contra Satanā certamina sustinuit.* Neq; dubiū quin ex more Aegyptiorū, & Arabū, Arabicis liquoribus corpus illius medicatū, Regali sepulchro, &, ut credi potest, Pyramidali, honorificētissime cōditū fuerit. Is proprius usus Pyramidū: nā sane quidē nō fuerunt tantum *Regū pecuniæ otiosa, ac stulta ostētatio*, ut scripsit Plinius: nec ut tāquā Phari quidā sumptuose fabricati navigātibus prælucerent, ut indicavit Solinus: nō ut essent horrea publica, ut Stephan⁹ dixit, tū etiā Nicetas (perperā enim id imponit Nazianzeno Goropius) refert inquā Nicetas eas pyramides ad Iosephū, qui pro condendo frumēto illas extruxerit. Ergo verissime fuerūt Regū monumēta, figura ipsa animi immortalitatē significantia: quippe Pyramis desinens in conum, instar ignis, sursum versus tendens, Cælū appetit, & vitā illā futuram præfigurat: tum etiā cū *umbras ipsa sua figura, rationeq; consumat*, ut Ammianus scripsit, designare videtur animū spirituale, umbra corporis, quasi in basi ipsa, deposita, & inclusa, in auras, & sedes lucidas evolasse. Sepulchrales igitur Pyramides Regū erant, ut ex Herodoto constat lib. 2. in sepulchro Chephrenis, Mycerini, & Asychi. & ex Strabone Diodoro, Isidoro, & aliis scriptoribus rerū Aegyptiacarum. Cūque Aegyptiæ ille Pyrmides *ex Arabicis lapidicinis constarent*, ut scripsit Plinius, valde verosimile fit, de Pyramide aliqua sepulchrali intelligendū id, quod scripsit Nicetas in protheoria primi capitis; *Extare etiā tunc I O B I sepulchrū in Arabia, atque sterquilinii Palæstrā, ubi speciosas coronas adeptus est, anniversariisq; honoribus illū indigenæ prosequuntur.* Ergo vera narrant, Abulēsis sup. Gen. q. 1. Prologi. & sup. Num. 14. q. 12. Brochardus, Breidembachius, Fretelius, quos adducit Adrikom in suo Terræ Sanctæ Theatro, extare etiā nunc in finibus Idumeæ, & Palæsthinæ, in Iordanis planicie, ad Orientē urbis Suetæ Pyramidē, sepulchri sancti I O B. Pyramidi autem idonea forma delineatæ, pietatis & cultus ergo, epitaphium nos superaddedū curavimus, quod nō Diis Manib⁹ Sacrum, sed *Deo Optimo Maximo*, brevissime complecteretur insigniora momenta dignitatis, sapientiæ, pietatis viri sanctissimi, quorū hæc capita. *Orientalium Regum Rex*, ut idoneis conjecturis statuimus c. 1. vers. 1. n. 18. *Sapientissimus*, quod prisca illa sæcula exigebant a Principibus, quod & loco citato indicavimus, & c. 29. vers. 12. & præterea ostendit decursus disputationis sapientissimæ, & Dei præconiū pronuntiantis pro veritate, & sapiētia IOBI. *Opulentissimus*, ex c. 1. vers. 3. & c. 42. vers. 12. *Servus Dei Cæli*, ab ipso Deo nō semel cognominatus est; de cujus cognomenti honore diximus c. 1. *Deum* autē *Cæli* dicebant, qui unius Creatoris potestatē profitebātur inter Aethnicos, 1. Esdræ. 5. 11. 12. quod pro fessam peculiariter fuisse I O B I familiā, credēdū est, quippe inter Husitanos dubiæ, & incertæ fidei, & religionis, ut disputavimus c. 1. vers. 1. a. n. 36. *I O B V S* ergo *Hic Situs Est.* Monumentū vero nō solū ad viri sanctissimi, sed ad *Resurrectionis cū Redēptore* memoriā, & spē erectum esse ab ipsa I O B I familia nemo merito ambigat, quippe, & fuæ & Redēptoris Resurrectionis testis, & prædicator I O B familiares suos hac sæpe fide instruxit, ut qui olim resurrecturus esset cū ipso Christo Iesu resurgēte, ut dixim⁹ c. 19. vers. 25. 26. Indicātur præterea certamina, victoria, triumphus præsertim de Satana, cū hoc enim potissimū depugnasse, ostēdimus in præfatione prioris tomi, c. 5. & c. 1. vers. 1. n. 4. 5. & vers. 12. & c. 2. vers. 6. 7. 8. Sed præterea fortissimus athleta cū utraq; fortuna cōfligens, Deo utiq; spectatore dignus. *Ecce* (inquit Sapiens ille) *par Deo dignū vir fortis cū mala fortuna cōpositus.* I O B vero cū bona, cū mala: cum illa quippe nō minus acris, neq; minus incerta luctatio est. *Prophetā* fuisse, nos tractavimus, in præfatione prioris tomi c. 9. Ex quo itē genere c. 1. vers. 1. Filii autē, qui parentis dulcissimi oculos clauserūt, iidē monumentū, existimandi sunt *Animo Liberti Posuisse.* Annorū vero, quos vixit numerus incertus; mihi is quem assignavi, 280. paulo certior, ut nuper computabamus. Quis autē nō illū prædicet *Piū In Suos*, qui legat c. 29. & 30. Spōsam autē I O B I Patientiā videtur Prudētius cōstituere, & merito, ut qui ex Patientia tot merita, & bonorū omnium incremēta, tanquā filios susceperit. Patientia igitur, Virgo sanctissima officiū, & pietatē erga Spōsum defunctū exponit Hospiti accedenti, quo illū ad imitationē accēdat: & in spē erigat propositis illis duobus Symbolis, tū Resurrectionis, tū vitæ fælicissimæ, ac diuturnæ, quæ ad se ipsum retulit ipse I O B. c. 21. videlicet Phenicis Arabicæ, ex se ipsa reviviscentis, & Palmæ Syriacæ, suo trunco annos innumeros numerantis. quæ nos accurate exposuimus, super id vers. 18. *Dicebamque in nidulo meo moriar, & sic ut Palma multiplicabo dies.*

D.
O. M.

Plin. lib. 36. c. 12. Dionys. Halicar. lib. 4.
Stephanus de Urbibus.
Solin. c. 45.
Ammian. lib. 22.
Nicetas super Oration. 20. Nazianzeni.
Gorop. in Hyeroglyphi.
Herodotus.
Strabo lib. 17.
Isidorus libr. 17. cap. 11. definiens Pyram.
Abulens.
Breidembachi⁹.
Fretelius.
Adricom in suo Theatro terræ Sāctæ in Manasse. n. 78.
Sen lib. Cur bonis mala accidāt
Prudentius in Psycomachia.

Pyramidum usus.
Arabicæ Lapidicinæ.
Iobi Pyramis sepulchralis.
D. O. M.
H. S. E.
A. L. P.
P. I. S.

16
Duratur ad filios, quasi nõ sint sui: frustra laboravit nullo timore cogente.

17
Privavit enim eam Deus sapientia, nec dedit illi intelligẽtiã

18
Cum tẽpus fuerit, in altũ alas erigit, deridet equum, & ascensorem ejus.

★ 19
Numquid præbebis equo fortitudinẽ: aut circũdabis collo equs hinnitum?

20
Numquid suscitabis eum, quasi locustas? gloria nariũ ejus terror.

21
Terrã ungula fodit, exultat audacter: in occursum pergit armatis.

22
Contemnit pavorem, nec cedit gladio.

23
Super ipsum sonabit pharetra: vibrabit hasta, & clypeus.

24
Fervẽs, & fremens sorbet terrã: nec re-

Numquid tuũ est illum saltu instruere, & crebris celeribusq; motibus agitare? Mirum, cũ bipatentes ille nares difflat, ferociam, & vim terribilem spirare videtur! quod si planiciem, aut molliorẽ terrã nactus est, exultans quatit campũ quadrupedante pedum sonitu; consistens vero numquam ita quietus est, quin nunc hac, nunc illã ungula terrã fodiat; & virium suarũ robore alacer, & superbiens, audacter se prælio cõmittat, atque hostibus armatis impavidus obviã procedat. In rebus arduis, & tẽpore difficillimo nulla timoris documenta præbet; quin potius animo cõsistit, resistit in faciem hosti, nec ullis armorũ micantium, & gladiorum districtorum splendor cogit illum terga vertere. Circũsepiãt licet illũ multorũ sagittariorũ cunei, circũvolent micantes sagittæ; ballistarum crepitus circumsonent, & ut illum dejiciant, coruscantium jaculorũ, & splendissimorũ gladiorũ mucronibus appetatur. Neq; propterea armorũ fulgor, & ęreorum Clypeorũ repercussus ignis illius oculos præstingit. Cũ fervet, cũ fremit, incredibili velocitate transmittit ingens terræ spatiũ, tam avide, tamque ferventer, ut & terrã ipsam, & homines quosque obvios absorbere velle videatur. Interim vero dũ exoritur clamor virum, clangorque tubarũ, quatit terrã, & cõmunem tubã ipse fremitu pedibusque incitat, & promovet, quasi in illius auribus remisse ad modũ, exiliterq; tubæ vocalissimæ clangerent. Cũ vero jã ad præliũ cõmittendum signum datur, & insonant vehementius buccinatores, vix præ gaudio credit, &, qua potest ratione, assonat, & respondet, fremitusque lætitię plenos denuo fundit. quippe lõge ante expectat paratissimus tumultum exercitus procedentis ad prælium; & non minus ipse, quam ipsi milites fortissimi, Ducum clamorẽ, & exhortationẽ ad se pertinere existimat: captatque olfactu sagacissimo aerem bellici tumultus, neque solum sentit, sed præsagit, præsentitque sonitum classicorum. Hæc vero non sunt Humanæ Sapientiæ, atque Potentiæ vestigia, sed Divinæ, non solum in rebus per se se magnis, at inutilibus, sed in rebus ad commoditates, & usus Humanos mirifice comparatis, relucentia.

Cum ex quadrupedibus fortissimis, ac velocissimis, lenis, & proclivis gradus ostendatur ad aves pugnacissimas, atq; velocissimas, Accipitrẽ inquam, & universum Aquilinum genus, sane unum illud, vel maximũ naturæ miraculũ in illo relucet, quod sapientissime Cõditor statuerit, ut Accipiter [k] tempus plumescendi nosset, atq; ad eã rẽ maxime propitio vento uteretur, Australi nimirũ, tepente, & valde opportuno ad pẽnarum defluviũ. Quamquam enim mirabile sit, quod alarũ præsidio aliquando in sublime vectus explicatis alis immobilis videatur in aere suspendi, respiciens ad Austrũ; tamen illud magis mirandũ, quod Solis, & venti beneficio defluãt quotannis pẽnæ veteres, recentesq; succrescant, prioribus expãsis, atq; dispersis. Illud vero quantæ sapientiæ est, Vulturẽ, qui ex Accipitrũ, & Aquilarũ genere est, adversus Austrum volare: vel si Auster nõ spiret, ad Eurũ oris hiatu se pandere, atq; spiritu venti influẽte impleri, & cõcipere? Quid de Accipitre Tinnũculo, qui quotãnis in Aegyptũ meridionalem advolat, ut certo tempore, in multa quiete, & tranquillitate pariat, & excludat, prolemque suã cũ magna redundantia enutriat, tãdemque pullos firmos ad volandũ, in Aegyptũ abducat, tanquã ad paternas sedes? Tãdẽ illud est admiratione dignissimũ; quod Accipitres Aquilonares, qui versus Austrũ, venationis gratia volare cogũtur, velociores, majores, pręstãtioresq; omni ratione inveniãtur.

Nũquid vero tua sapientia ita rerũ naturas constituisti, & ita esse voluisti, ut ex volucrũ genere [l] Aquila sublimi volatu in supremam aeris regionẽ se se extolleret; tũ vero etiã in sublimibus, & præcelsis locis nidularetur? Ego sane illi pro mea voluntate, quæ ipsa summa ratio est, certum domicilium designavi, in qua familiariter habitaret, nimirum prærupta saxa, cautesque mortalibus inaccessas.


k Ratio plumescendi ad Austrum, multis verosimilibus cõjecturis ex Sacris, & profanis petitis, tẽtatur n. 9. 7.

††

l Aquilæ historia sparsim his sententiis accurate descripta.


D
O M
ORIENTAL
VM REGVM
REX SAPIEN
TISS. OPVLEN
TISS. PRINCEPS
HVSITANVS. SER
VVS DEI CÆLI IOB
H. S. E.
MONVMENTVM HOC
AD PIETATIS ET PATIEN
TIÆ MEMORIAM SEMPI
TERNAM. SPEMQ. RESVRRE
CTIONIS CVM REDEMTORE
CERTISSIMAM. SEPTEM EIVS
FILII ET FILIÆ TRES. DIES CASSIA
CORNVSTIBII VIRO OPTIMO. CVM
BONA CVM MALA FORTVNA COM
POSITO. VTRIVSQ. VICTORI FORTI
SSIMO. SATANÆ TRIVMPHATORI FOE
LICISS. OMNIVM MORTALIVM PATIENTISSIMO.
ABRAHAMICÆ FIDEI ET SANGVINIS HÆREDI.
PROPHETÆ MAGNO. PARENTI DVLCISSIMO.
A. L. P.
VIXIT ANNIS CCLXXX.
P. I. S.
IN NIDVLO
MEO
ΤΕΛΕΧΟΣ ΦΟΙΝΙΚΟΣ
HOSPES ASTA, ET PELLEGE.
QVI SE, QVI SECLVM VICIT, QVI SAEVA SVORVM
FVNERA, AMICORVM IVRGIA, PAVPERIEM,
VLCERA QVI CARNIS, QVI CONIVGIS IMPIA VERBA,
QVI CAELVM IRATVM MENTE TVLIT PLACIDA,
INDOMITA VIRTVTE IOBVM PATIENTIA VIRGO
IAM VIDVA HOC SPONSVM CONDIDIT IN TVMVLO

INDEX INSIGNIORVM QVÆSTIONUM, quæ in Commentariis exponuntur, ordine, & loco, quo occurrerunt, aliis minutioribus prætermissis, quas loci alicujus difficultas, & tempus postularunt.



INDEX VOCVM HEBRAICARVM, QVÆ IN HOC OPERE EXPLICANTVR

& illustrantur tum variis exemplis Latini Interpretis, tum aliorum Interpretum varia lectione.

Rabab,

pete-





INDEX QVARVMdam vocum, quæ ex Græco explicantur ad peculiarē Scripturarum intelligentiam.



INDEX SIMPLICIVM DICTIONVM, QVAE IN *Sacro Sermone frequenter occurrunt, & diligenter in hoc opere examinantur ad Scripturarum intelligentiam.*



INDEX PECVLIARIVM SACRÆ Scripturæ Phrasium, Hebraismorum, Regularum, Figurarum quæ in Commentariis exponuntur.





INDEX RERVM

IN QVO

Ea tantum desiderabit Lector, quæ vel ad vocum simplicium significationem, & usum, vel ad Scripturarum Phrases, & Regulas prioribus indicibus indicantur.

A

B

C

DIABOLVS.

F

G

M

N

V

Z

INDEX PECVLIARIVM SCRIPTVRAE LOCORVM, QVI IN HOC OPERE SPARSIM EXPLICANtur, & illustrãtur, vel ad Scripturæ Phrasim, vel ad observationẽ doctrinæ, & morum. Præter alios plures, quos passim offendet Lector vel indicatos, vel exempli gratia catervatim occursantes.

Genesis.

Exodus.

Leviticus.

Numeri.

Proverbia.

Ecclesiasticus.

Isaias.

Ieremias.

Oseas.

Ioel.

Amos.

Abdias.

Ionas.

Michæas.

Nahum.

Habacuc.

Sophonias.

Aggæus.

Zacharias.

Acta Apostol.

Epist. ad Rom.

I. Ad Corinth.

II. Ad Corinth.

Ad Galatas.

Ad Ephesios.

Ad Philippenses.

Ad Colossenses.

I. Ad Thessalon.

Index Locorum Scripturæ.

REGISTRUM.

¶ ¶¶ A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z. Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vv Xx Yy Zz. Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sſſ Ttt Vvv Xxx Yyy Zzz. Aaaa Bbbb Cccc Dddd Eeee Ffff Gggg Hhhh Iiii Kkkk.

Omnes sunt Quaterniones præter ¶ & ¶¶, qui sunt Duerniones. & Dddd Eeee Ffff, Gggg qui sunt Terniones, & Hhhh Iiii Kkkk, qui sunt Duerniones.

